
8
3 N
19

ALEXANDRI ALENSIS ANGLI,

DOCT. IRREFRAGABILIS, ORDINIS MINORVM,

SVMMÆ THEOLOGIÆ PARS SECVNDA.

PRIMAM RERVM PRODVCTIONEM, ANGELI, Hominisque creationem, eorundemque casum, vel lapsum, ac mala siue peccata inde sequentia mirè dilucidans.

Nunc primùm in Germania post multiplicem recognitionem omnia castigata, & Titulis Quæstionum, earundem Resolutionibus, locorumq́ allegationibus quamplurimis illustrata, & excusa.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.






COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Ioannis Gymnici, sub Monocerote.

ANNO M. DC. XXII.





INDEX QVÆSTIONVM PRINCIPALIVM, MINVS PRINCIPALIum, collateralium & incidentalium.

IN HAC SECVNDA PARTE DISPVTATARVM.

mamentum, aut cœlum aqueum constituta sunt.

MEMBRVM V.

Quare aquæ hæ vocentur interdum cœlum à sacris: cùm scriptura aquas, nec cœlum eas appellet.

MEMBRVM VI.

Dubia circa ordinem verborum secundæ diei incidentia.

ARTICVLVS I.

An quoties in productione rerum legimus: Dixit Deus, &c. tot verba fuerint.

ARTICVLVS II.

Vnde est, quòd in opere secundæ diei additum est: Fecit Deus, &c. non autem in opere primæ diei.

ARTICVLVS III.

An firmamentum factum in medio aquarum, ex eadem materia scilicet aquea factum sit: & an sphericæ figuræ sit?

ARTICVLVS IV.

An cùm Deus cœlum firmamentum vocauit: cœlum vt formatum dixit?

QVÆSTIO LI.
De Opere tertiæ diei.

MEMBRVM I.

Dubia circa seriem verborum tertiæ diei incidentia, scilicet

Quare sicut in præcedentibus diebus interpositum est verbum fiendi: non ita & in tertio die interponatur.

Quare sicut ornatus terræ & aquæ in duobus diebus distinctus est: nō ita in duobus diebus distinguatur factura earundem.

Quare sicut cœlum habet suum diem per se: non ita habeat terra, vel aqua?

Quare demum sicut de aquis inferioribus dicitur, cōgregentur in locum vnum; nō ita dictum sit de aquis superioribus? Tum quomodo potuère congregari in locum vnum, si per totum erant?

MEMBRVM II.

Quare ornatus terræ ex arboribus, herbis, & huiusmodi ad separatum & peculiarem diem non pertineat: sicut ornatus eiusdem ex animantibus?

MEMBRVM III.

An spinæ, & arbores infructuosæ tunc, scilicet tertio die productæ sint?

QVÆSTIO LII.
De Opere quartæ diei, quod est de Ornatu cœli.

MEMBRVM I.

[illegible] quam ex materia propinqua facta sunt luminaria?

MEMBRVM II.

Ad quem vsum facta sunt luminaria?

ARTICVLVS I.

[illegible]us primus lucis quis: & ad quid terminetur? Tum quid est dictum: Diuidant diem & noctem, cùm prius facta fuerit isthæc diuisio?

ARTICVLVS II.

Quid est dictu: Vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos?

ARTICVLVS III.

Quare Luna luminare maius dictum sit: si eâ maiora luminaria dentur.

ARTICVLVS IV.

An de stellis erraticis, vel de fixis intelligendum est id, quod circa ornatum cœli additur in textu Genesis: Et stellas: & an motu proprio moueantur, vel ad motum sui orbis?

QVÆSTIO LIII.
De Opere quintæ diei.

MEMBRVM I.

Quare sicut mentio fit, vt aqua producat reptilia: non ita mentio fiat de aëre, vt volatilia producat: Et cur nec ignis, nec cœli ætherei aliquis ponatur ornatus?

Quid est dictu: Reptile. & quare ab aqua produci dicatur, cùm etiam cætera elementa ad eius productionem concurrant, §. 1.

Quid est dictu: Reptile animæ viuentis, §. 2.

Quare dicitur: Sub firmamento cœli. Vel, secundùm firmamentum cœli, iuxta translationem Septuaginta: & non magis dicitur, sicut suprà dicebatur. In firmamento. Vel, in cœlo, §. 3.

Quid est dictu: Fecit Deus cete grandia secundum species suas: vel (iuxta aliam literam) secundùm genus? Cur scilicet hæc verba, [species, & genus,] non addita sint superiùs, cùm dictum est: Producant aquæ. Et si animalia aquatica & terrestria semen habēt; cur de eo non facta est mentio, sicut cùm dictum est: Herbam virentem, & facientem semen, &c. Adhæc quid est dictu in nostra translatione: Creauit Deus cete grandia, cùm non hic agatur de opere creationis, (quia iam suprà) sed de opere conditionis? Demùm cur in translatione Septuaginta fiat mentio de genere animalium aquatilium, nec de speciebus: in nostra econtra, de speciebus eorundem, nec de genere, §. 4.

MEMBRVM II.

Quare facta est benedictio semper productis ex aquis, & non primò facta est super terrena animantia? Et si vnum est principium generationis natatilium, & volatilium, scilicet aqua, cur diuersa distributa sint eis loca. Adhæc, cur non dictum est: Aues multiplicentur in aere, cùm is sit locus habitationis eorum?

QVÆSTIO LIV.
De Opere sextæ diei.

MEMBRVM I.

Quare in singulari dictum est: Producat terra, &c. in plurali verò: Producant aquæ, &c. Similiter cur de terra nascentibus dictum est: Germinet terra, &c. de animantibus autem dictum est: Producat terra, &c. Et iterum, quomodo distinguantur in translatione nostra tria genera terrestrium, scilicet reptilia, iumenta, bestiæ: in translatione verò Septuaginta, quatuor scilicet, quadrupedia, reptilia pecora feræ?

MEMBRVM II.

An minutissima animantia omnia facta sint in operibus sex dierum, vel ex consequentibus rerum mortalium corporibus: Et ad quid animalia perniciosa & immunda producta sint?

QVÆSTIO LV.
De Productione animantis rationalis, id est Hominis.

MEMBRVM I.

An in recepta productione hominis mutatus sit modus locutionis: ita vt vbi dicebatur: Fiat, dicatur nunc: Faciamus?

MEMBRVM II.

An cùm dictum est: Faciamus, &c. ad angelos sermo ille directus est?

MEMBRVM III.

An creatum, vel increatum quid imago supponat, cùm dicitur: Faciamus hominem ad imaginem, &c.

MEMBRVM IV.

Ad quid postquam dictum est: Creauit Deus hominem ad imaginem suam additum est: Ad imaginem Dei creauit illum?

MEMBRVM V.

Ad quid, dum sermo est de homine, secundum quod conditus est ad imaginem, secundùm quam neque mas, neque fœmina dicitur; fit mentio de distinctione sexuum, dicendo: Masculum & fœminam fecit eos? eo magis quòd nec ille, nec ista adhuc formati erāt secundùm corpus. Et an commixtio maris & fœminæ fuerit ante peccatum.

MEMBRVM VI.

Quare in recapitulatione omnium vitam habentium post conditionem hominis ad hominem referendo, non fiat mentio de luminaribus? Tum propter quid distinctè ergo hoc agitur de terra nascentibus, & animalibus? Et iterum si prius dictum est de productione terra nascentium, quàm animantium, cur non prius in recapitulatione de eis dicitur. Adhuc quare non fit hic sermo de piscibus. Et quare volatilia interseruntur inter animantia terræ, & quæ in terra mouentur, cùm hæc animantia terræ dicantur. Demum cùm terræ nascentia dantur homini in escam, quare non simul dantur et animantia [illegible] posteriùs.

Quare [illegible] loquendi genere additum est: Et factum est ita, & non dictum est sicut in præcedentibus diebus. Fecit, &c. vel æquipollenter, sicut in primo die, §. 1.

Quid est dictu: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, cur de homine præcise non dictum est: Vidit Deus quod esset bonū, &c. aut cur ita postremò post primam conditionem in fine sextæ diei hoc dictum est, & non prius, § 2.

Quid

ARTI-

MEM

Digitized by Google

Finis Indicis Quæstionum Secundæ Partis.



ALEXANDRI DE ALES, DOCTORIS IRREFRAGABILIS ORDINIS MINORVM

SVMMÆ THEOLOGICÆ PARS SECVNDA.

PROLOGVS.

COMPLETIS Tractatibus de his, quæ pertinent ad speculationē Dei; qui est factor omnis creaturæ: sequitur Tractatus de his, quæ pertinent ad considerationem creaturæ. Et primo de his, quæ pertinent ad ipsam creaturam, inquantum est creatura. Deinde de his, quæ pertinent ad lapsum, siue deteriorationem eiusdem. Tertio sequitur tractatus de reparatione. Consideratio vero creaturæ, inquantum est creatura, attenditur secundum ipsam primitus bene institutam: quæ bipartita est; secundum fieri, vel secundum esse. Consideratio vero eius secundum fieri, & esse, potest attendi in communi, vel in particulari. Primo ergo dicendum est de his, quæ pertinent ad considerationem eius in communi: & primo secundum fieri: deinde secundum esse. Consideratio vero secundum fieri primo est secundum causas eius, quod fit: secundo quantum ad proprietates consequentes, siue per accidentia. De causa vero agitur dupliciter: secundum substantiam, & secundum rationem. Consideratio vero de substantia causæ si est causa, siue principium, quæruntur duo. Primo, si prima causa, vel principium [illegible]: quid sit. Secundo, vtrum sit vnum primum principium, vel plura.

QVÆSTIO I.

De prima causa, siue de primo principio.

In duo Membra, & in tres Articulos diuisa.

MEMBRVM I.

An de primo principio, siue de prima causa cognoscere possimus quid sit?

AD PRIMVM supponendum est, quod sit vnum primum principium: quod principium sit ex comparatione eorum, quæ fluunt a principio. In omnibus enim inuenitur aliqua mutabilitas, quæ non conuenit principio primo [illegible]. Materia [illegible] est, quia de [illegible] forma transit ad formam [illegible], angeli, & animæ mutabiles sunt; dum in bonum, & in malum sunt vertibiles: in creaturis vero corporalibus [illegible], quod mutabiles sunt. Ex quo concluditur, [illegible] in prius [illegible]; & hoc ab illo [illegible] est aliquod principium, quod est immutabile.

¶ PRÆTEREA Ioan. Damasc. *intellectualia angelos [illegible] & animas [illegible] quæ [illegible]* *& cum quæ [illegible] ex bono [illegible] transmutant [illegible] & augmentationem, & diminutionem [illegible] transmutationem, & [illegible] motum. omnia autem [illegible] vertibilia, necesse est esse ex aliquo, quod est inuertibile [illegible] conuenit esse principium: cum omnis transmutatio [illegible] ab omnino immutabili.*

¶ PRÆTEREA non est aliqua creatura, quæ non habeat possibilitatem ad aliquam perfectionem naturalem: nihil autem seipsum perficit [illegible] enim natura perficiens, & perfectibile: ergo necesse est aliquod esse perfectiuum: erit ergo aliquod principium, quo alia perficientur: quod non aliunde perficietur. Hoc idem potest elici ex alijs conditionibus, quæ sunt causæ, [illegible] & eius, quod est de principio, siue causa [illegible]. Quod [illegible] sit, ostenditur consequenter: quod non est [illegible] quid sit secundum modum viæ; secundum quod [illegible] per priora. Vnde Ioan. Damasc. *quid vero sit secundum substantiam & materiam, incomprehensibile est secundum [illegible] autem est magis ex omnium ablatione [illegible] Nihil enim est eorum quæ sunt: non vt non ens [illegible] super ipsum esse ens. Si enim eorum, quæ sunt [illegible] est, & super essentiam erit.* Idem. L. 1. de orthod. fide cap. 4.

¶ PRÆTEREA [illegible] *Si incomprehensibilia, & incontempla[illegible] quæ sunt in figmento, & similitudine [illegible] secundum veritatis rationem; super hæc [illegible] multitudo, & omnibus virtutibus impossibile est, [illegible] neque rationem super rationale bonum [illegible] neque cogitare possibile est, neque dicere, neque [illegible] contemplari propter hoc, quod ab omni [illegible] ipsum.* Dionys. lib. de diuin. nominib. Elice ex c [illegible] alia enim verba hēt translatio noua. Idem Lib. de Mystica theologia per tot. Idem.

¶ PRÆTEREA, [illegible] Omnis enim attributio est aliquo [illegible] recipit principium, & causa [illegible] definitionum. Prima attributio [illegible] adæquata: hoc autem non conuenit [illegible] coæquata impossibile [illegible] principium [illegible] omnium. Secunda [illegible] quata: vt [illegible] est [illegible] bile. & secundum [illegible] ueturà primo. Te[illegible] quæ egrediuntur [illegible] & hæc etiam attributio [illegible] habet æquale [illegible] quod [illegible] au[illegible] [illegible]

[illegible] ... ergo non est [illegible] quod est secundum substan[illegible]

¶ [illegible] quod dicit Apost. [illegible]

[illegible] ... Aug. [illegible]

¶ Praeterea [illegible] ... communitate [illegible] ... ab intelligentia.

RESOLVTIO.

[illegible]

¶ Respon. Ad hoc, [illegible] duplex est cognitio, patriae, [illegible] ... Cognitio vero viae [illegible] ... Est enim [illegible] naturae, [illegible] rationis, vt [illegible] ... Quantum ad [illegible]

¶ Quantum [illegible] ... quod est secundum substan[illegible] ... principium [illegible] ... Ergo [illegible] quia dicit [illegible] Apost. [illegible] *A magnitudine speciei [illegible] creator videri.* Et quod [illegible] ... *ad manifestandum* [illegible] ... Quod [illegible] dicit [illegible] ... quod est [illegible] ... cognitionis humanae [illegible] ... experientia [illegible]

MEMBRVM II.

[illegible]

Circa [illegible] ... ponere, [illegible] ... Tertius, [illegible] opifex, & ma[illegible]

ARTICVLVS I.

An [illegible] bonum, & alterum mali.

CIrca primum [illegible] Damascen. quod non [illegible] *ut admixtum, bonum, & permixtum* [illegible] *ergo sunt mixtum non erunt* [illegible] *quae est, qui regionem* [illegible] *illud magis erit principium.*

¶ Item [illegible] *vel tangere, & corrumpere* [illegible] *neque bonum neque malum* [illegible] & [illegible] *non tantum duo principia, sed tria.* ¶ Item [illegible] *quod id, quod malum est,* [illegible] *corrumpi* [illegible] *vel praeliari: quod id, quod bonum est, non potest* [illegible] *cum praeliatur, non est finaliter bonum* [illegible] *quod malum est quidem praeliari: quod autem bonum est, non ex aduerso praeliari, sed a malo corrumpi, vel contristari semper,* & [illegible] *quod non est bonum ergo est ab omni malitia exutum* &c. ¶ Item Aug. Principium primum boni est summum bonum, sed summum bonum non potest esse summum bonum, nisi sit incommutabile impenetrabile, & immobile, &c. Si enim deesset aliqua boni conditio, non esset summum [illegible] intelligere [illegible] ... nullatenus potest malum [illegible] dictum [illegible] potest.

¶ Praeterea, cum [illegible] bonum, [illegible] potens, ergo [illegible] regnum [illegible] sicut dicunt Manichaei, ergo potest [illegible] illud, quod [illegible] a nocumento. Et quia summe bonum vult [illegible] ergo in effectu [illegible] principium mali nocebit regno boni: neque nocebit regno tenebrarum corruptio enim non est in se [illegible] sed in aliquo, quod corrumpit [illegible] corruptio ergo non se corrumpit: cum corruptio non corrumpat corruptionem. Regnum ergo tenebrarum [illegible] bono [illegible] dicunt Manichaei [illegible] ... non sunt duo principia scilicet boni, & mali.

¶ Item, [illegible] ... est summe bonum. [illegible]

¶ Item [illegible]

Augustin. in Enchir. Cap. 14. ante mediũ. Tom. 3.

¶ Præterea, August. *ex bonis mala orta sunt: & nisi in bonis non sunt*: ergo malum dependet à bono: ergo vt prius, summe malum non est æqualiter principium cum summe bono.

¶ Forte dicetur supradictæ rationi, quod summe malum non nocet, vel corrumpit, vel aduersatur summe bono; sed alicui bono inferiori. Propter quod sic potest obijci: quantumcunque sit malum, quod dicitur summe malum, potest tolli à summe bono: summe enim bonum est summe potens: potentia enim bonum est: ergo summa potentia ad summum bonum pertinet: sed magis æstimabitur potens: quod plus mali potest tollere, quam quod minus: ergo summe potens summe malum potest tollere: nam aliter magis potens intelligeretur: & ita magis bonum: cum ergo summe malum non possit tollere nisi de inferiori bono: & summe bonum possit tollere quodcunque malum: non erunt summe bonum, & summe malum æqualiter principia.

5. Metaph. ca. 1.

¶ Item, quod non sit principium secundum modos principij in prima philosophia dicti, sic argui potest. Dicitur enim vno modo initium, ex quo primo mouetur aliquid; vt principium longitudinis; sed hoc modo non dicetur principium mali: principium enim longitudinis determinat aliquam partem entis: & ita non est omnino sine bono: vtpote si dicatur punctus principium longitudinis, vel ex quo fit motus.

¶ Item dicitur principium de quo facilior est disciplina: nec hoc modo malum est principium: cum per bonum cognoscatur. Dicitur etiam principium pars materialis: vt fundamentum domus: nec sic est principium: quia ex entibus componitur ens. Etiam dicitur principium, ex quo fit initium motus: vtpote causa efficiens. verbi gratia filius à parentibus: & lis ab odio: nec sic dicitur principium: quia mali non est causa efficiens, sed deficiens. Dicitur etiam principium, propter cuius voluntatem mouetur: hæc est causa finalis, inquantum mouet efficientem. Hæc autem remouetur à malo: finis enim & bonum idem est in substantia: ergo malum non est principium in ratione finis, seu causæ finalis. Dicitur etiam principium, ex quo scitur res primo: vtpote rei causa: nec sic malum est, vel habet principium: *malum enim est incausale*: vt dicit Dionys. Concluditur ergo ex iam dictis, quod malum non est principium secundum modos iam dictos.

Dionys. in li. de diui. nomi.

¶ In contrarium sic obijcitur: Bonum & malum sunt genera aliorum: hoc autem non videtur dici, nisi diuersorum sint principiorum: non enim dicũtur genera, sicut substantia, & qualitas. ¶ Item, dicitur. *Non potest arbor mala, &c.* ibi dicit Glo. *non potest ex bono nasci malum, vel ex malo nasci bonum*: & alia Glo. *nihil medium, quin boni actoris tantum sint bona: & mali mala*. ¶ Item, bonum, & malum sunt opposita: opposita habebunt principia: quod si vltimo est stare in identitate principij; boni autem sit summum bonum principiũ: ergo erit & mali: quod non est verum. Vnde. *Qui infert iram.* Gloss. ibi: *illius rei Deus vltor est, cuius actor non est, id est, iniquitatis, quam Deus potest punire, non facere.* ¶ Item August. *Omne, quod deficit ab eo quod est esse, deficit & tendit in non esse*: deficere autem, malum est: esse autem & in nullo deficere, bonum est: at ille, ad quem non esse non pertinet; non est causa deficiendi: boni ergo tantum causa est: malum autem factum est: ergo habet aliquod principium: & non idem cum bono: ergo mali, & boni sunt duo principia. ¶ Item, cum dicitur liberum arbitrium deficiens & causa mali: defectus ille aut ab alio habet quod est, aut à se. Si non ab alio, ergo principium est, ante quod nullum in illo genere. Si habet ab alio, alicubi est stare in genere defectuum: aut bonum erit per se causa mali. Quod si bonum per se non est causa mali (tunc enim oporteret summum bonum esse per se causam mali) erit aliquis defectus primus in genere defectuum: ergo est principium aliquod malorum. ¶ Item, dicitur. *Tenebræ erant super faciem abyssi*: & post sequitur, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, siue incubabat, secundum aliam literam: ergo tenebræ cum sint priuationes; non semper ortum habent à luce: sequitur enim. *Dixit Deus, fiat lux; & facta est lux.* Alia ergo est causa illarum tenebrarum, & illius lucis: sed hæc est prima lux creata: & illæ sunt primæ tenebræ: ergo tenebrarum, & lucis differentia sunt principia. Item. *Diabolus est mendax, & pater eius*, id est, mendacij: mendacium autem dicitur peccatum: ergo sunt principium peccati: sed non idem principium boni: ergo differentia sunt principia.

Matt. 7. Glossa. Gloss. alia.

Rom. 3. Glossa.

August. in li. 83. qq.

Genes. 1. Ibid.

Ibid.

Ioan. 8.

RESOLVTIO.

Boni, & mali non sunt duo diuersa principia, ita vt ex æquo se diuidant: sed alterius tantum, scilicet boni proprie principium est, quia efficiens: alterius autem, scilicet mali non nisi communiter, quia deficiens.

¶ Responden. est: quod boni, & mali non sunt duo principia, vt ex æquo se diuidant: sicut plures rationes concludunt, sumendo bonum generaliter: licet enim malum generaliter aliquo modo habeat principium, eo quod factum est: non tamen ex æquo se habeat contra principium boni.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur: quod malum non habet principium secundum aliquam rationem supradictam principij. Dicendum, quod habet secundum illam rationem principij, secundum quod efficiẽs, large sumptum, dicitur principium. Est enim efficiens proprie sumptum, quod facit esse à forma complete: & est efficiens large, sub quo continetur id, quod facit esse sub priuatione determinatum: & hoc proprie dictum, vocatur causa deficiens. Vnde August. dicit. *Si quæritur causa mali: non est inuenire, nisi causam deficientem*: Et propter hoc posuit Philos. duo exempla in ratione principij: *pater est causa filij, & lis est ab odio*: lis enim est ab odio, vt defectus à causa deficiente.

Aug. in li. de ciui. Dei. Phil.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur multipliciter: quod boni, & mali sunt * diuisa principia. Respondendum est secundum ordinem: primo de hoc quod dicitur: bonum & malum sunt genera aliorum. Aut enim accipiuntur bonum, communiter: aut proprie in genere moris. Si proprie in genere moris: dicuntur propter hoc genera: quia omnia, quæ sunt in moribus; ad ista duo reducuntur: multo plus bonum, & malum reducuntur ad vnum principium, scilicet voluntatem, aut lib. arbitrium: secundum quod bonum, & malum dicuntur recta, & non recta: lib. arbitr. efficiens, vel deficiens. Si vero accipiuntur bonum, & malum generaliter dicuntur esse genera: quia generaliter omnia comprehendunt: non quia illis respondeant duo principia: sed bono respondet primum principium; quod est summum bonum: malo vero respondet esse ex nihilo: sicut dicitur in fin. Lib. contra Epistolam fundamenti.

* Alias, diuersa.

¶ Ad illud vero, quod secundo obijcitur. Dicendum est, quod malum, & bonum contrahuntur ad ea, quæ procedunt ex voluntate vertibili: vnde voluntas bona dicitur arbor bona; voluntas mala arbor mala; & secundum hoc fructus respondent arboribus. Vnde bona voluntas boni actus causa dicitur, & mala mali; sed non propter hoc boni, & mali generaliter (prout hic intendimus) duo erunt principia.

August.

¶ Ad tertium obiectum respondendum; quod bonum, & malum recipiuntur dupliciter, vt sunt contrarie opposita; sicut dicitur, bonum, & malum in actibus, & habitibus; & sic stant in contrarietate principiorum; large sumendo principium. Sumuntur autem bonum, & malum, prout generaliter dicuntur; non in oppositione contrarietatis; sed vel in oppositione priuationis, & habitus; sicut se habent visus, & cæcitas; vel in oppositione contradictionis aliquo modo in genere entis; prout bonum dicitur ens completum; malum vero deficiens à complemento; & in hoc non ens; Et secundum hanc rationem oppositionum, non oportet reducere ad duo principia. sed bonum dicitur inquantum tendit in ens, quod est finis; malum vero secundum quod tendit in non esse; boni ergo erit principium summum bonum; mali vero non erit principium; res enim defectibilis in seipsa deficit, sed non à seipsa est.

¶ Ad quartum obiectum dicendum; quod Deus est causa rei; non secundum quod deficit defectu culpabili. August. *Omnino non inuenio: nec inueniri posse: & prorsus non esse affirmo: quomodo attribuantur peccata nostra creatori Deo: quando & in ipsis laudabilem eum inuenio: non solum quod capiunt: sed etiam, quod tunc fiunt, cum ab eius veritate receditur.* Sed est duplex malum, culpæ, & pœnæ: mali culpæ non est Deus actor: mali vero

Aug. 1. de lib. arbit. cap. 1. & 6.

Lib. 1. ca. 1 Lib. 1. ca. 9 Tomo 1. mali vero pœnæ est actor: sicut habetur in principio Lib. de Lib. arb. & in Lib. Retractationum: vbi explanat illam quæstionem Libri 83. qq. Non putetur ex hoc ab illo non esse pœnam malorum: quæ vtique malum est his, qui puniuntur: sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est: Deus mortem non fecit: cum alibi scriptum sit. *Mors, & vita à Domino Deo est.* Ecclef. 4. Malorum ergo pœna, malum est quidem malis: sed in bonis operibus est Dei, quia iustum est. Defectum ergo culpabilem est reducere (sicut dictum est) ad causam deficientem: defectum vero pœnalem, inquantum iuste infligitur, ad causam efficientem: ex parte vero susceptibilis ad causam deficientem.

¶ AD quintum obiectum dicendum est: quod defectus primus voluntarius est à libe. arb. non secundum id, quod assimilatur primo; sed ex seipso inquantum vertibile est secundum voluntatem in nihilum: & ita mali, inquantum malum est, nō ponemus bonum inquantum bonum principium: nec tamen sine bono subsistit, & ideo eius principium: tiem contingit dicere, quod non est primum; vt è diuerso diuidens cōtra principium boni, duo faciat principia cum illo.

¶ AD sextum dicendum: quod licet prius loquatur de tenebris, quam de luce in principio Geneseos: non tamen tenebræ habent subsistens principium: tenebræ enim nihil aliud dicuntur: nisi quod nondum erat aduentus lucis: vnde per negationem se habent respectu lucis: & hoc causabatur, quod nondum erat lux.

¶ AD septimum dicendum: quod cum dicitur, Ab initio in veritate non stetit: non dicitur initium secundum rationem causalitatis: sed ab initio, id est, post initium durationis. Sed cum dicitur, diabolus mendax est, & pater eius: dicitur causa peccati deficiens, antequam gratia nulla erat: Nec propter hoc erit diuersum principium mali, è diuerso diuidens contra primum principium boni: defectus n. primæ causæ deficientis non subsistit, nisi in bono: cuius boni principium est primum principium bonorum beatorum.

ARTICVLVS II.

An sint duo principia bonorum: vnum scilicet spiritualium; aliud vero corporalium?

AD articulum secundum, quo quæritur, Vtrum sint duo principia, vnum spiritualium, & aliud corporalium? Quod videtur rationibus, & authoritatibus. Ratio vna est ex hoc, quod principiatum aliquam habet similitudinem cum suo principio: principium vero rerum spiritualium summus spiritus est, simplex, & incircumscriptus, & immutabilis. Res vero corporales in omnibus his dissimilitudinem habent: neque enim spiritus sunt, vel res spirituales: sed sunt multæ compositionis: habent etiam circumscriptionem diuisiuam, & sunt multiplicis mutationis: ergo maximam habent dissimilitudinem: non ergo sunt principiata à principio rerum spiritualium: & sunt principiata, quia non à seipsis subsistunt: ergo habent aliud principium.

¶ ITEM, non est eadem materia rerum spiritualium, & corporalium (proportionalis enim est materia formæ) neque enim adinuicem est transmutatio formarum istarum, vel illarum: neque est continuatio: ergo principium primū ex parte susceptibilium, siue passiuorum est differens in rebus spiritualibus, & corporalibus: sed correspondentia sunt principium actiuum, & principium susceptiuum; ergo pari ratione erunt principia actiua: vnum corporalium, alterum spiritualium.

¶ ITEM, corporalia in maxima parte videntur esse confusa: spiritualia vero ordinata. Confusio enim videtur, cum vapor terrestris superfertur in aere vapori aquoso, vel igneo: vel vapor etiam igneus includitur in vapore aquoso: similiter cum animalia rapacia dominātur mansuetis: cum mali præsunt bonis. In spiritualibus vero non sic est: non ergo videntur esse ab eodem principio: si enim essent ab eodem, essent ordinata inter se, & ad vnum: sunt ergo duo principia corporalium, & spiritualium. ¶ ITEM, dicitur. *Corpus,* Sap. 9. *quod corrumpitur: aggrauat animam:* ergo & declinat deorsum, scilicet ad peccatum: sed ipse spiritus, quantum est de se, tendit naturaliter sursum; hoc autem videtur prouenire ex differentibus principijs: ergo differentia sunt principia.

¶ ITEM dicitur. *Reuertatur puluis in terram suam: & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum:* ergo spirituum videtur aliud esse principium, quam corporum. Nam si idem esset principium, diceretur vtrobique; quod corpus reuerteretur ad eum, qui dedit illud, sicut & dicitur de spiritu. Eccl. vlt. ¶ ITEM dicitur. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis:* & post sequitur: *Ergo ego ipse carne seruio legi peccati: mente autem legi Dei.* Rom. 7. Ibid. Lex ergo Dei, & lex membrorum siue carnis contrariæ sunt: & vna conuenit menti, & altera carni: ergo mens, & caro inter se contrariantur. Quod etiam videtur Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem:* Ad Gal. 5. contrariorum autem contraria sunt principia: ergo cum Deus sit principium ex parte spiritus: erit aliud principium ex parte carnis. Quod etiam videtur ex eo, quod dicit Apost. *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientia vero non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur, sed Dei sapientiam, quæ est in mysterio abscondita, quam nemo principum huius seculi cognouit:* 1. Cor. 2. ergo aliud est princeps huius mundi, quam Deus. Similiter habetur Ioann. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam:* & in 18. *Regnum meum non est de hoc mundo:* Ioan. 14. Eiusd. 18. ergo Dei regnum, & regnum mundi diuersos habent principatus.

¶ ITEM. *Aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ,* Ad Ephe. 2 ergo alius est princeps mundi, quam ille, de quo prius dicitur: *Viuificauit vos, cum essetis prius mortui delictis.* Coloss. 2. Sed qui conuiuificauit, Deus erat: ergo alius est princeps mundi à Deo: sed mundus, pro quo supponit nisi pro rebus corporalibus: ergo aliud est principium corporalium, quam spiritualium.

¶ IN contrarium sic obijcitur rationibus, & authoritatibus. Mundus sensibilis respondet archetypo; sicut exemplum exemplari: sed idem est mundus archetypus, quod ipse Deus: sicut infra ostendetur, vbi agetur de causa exemplari: ergo Deus est causa efficiens mundi sensibilis: ergo idem principium spiritualium, & corporalium. Mundus enim sensibilis vtraque comprehendit, diuidendo contra archetypum. Q. 1. Mẽb. 3 art. 2. ¶ ITEM spiritualia mouent corporalia: primum autem principium spiritualium mouet spirituales substantias: ergo & corporales ipsis medianibus: sicut habetur ab August. *Mouet Deus spiritualem creaturam per tempus: corporalem vero per tempus, & locum, corporalem vero subdidit spirituali, irrationalem rationali, terrestrem cælesti, minus valentem valentiori:* August. 7 super Gen ergo ordo est inter creaturas corporales, & spirituales: ordo autem ille non est nisi ad principium, ergo idem est principium vtriumque. ¶ ITEM si diuersa essent principia, oporteret ponere tertium principium: est enim quædam creatura composita ex corporali, & spirituali: quoniam posse principij spiritualis finiretur in rem spiritualem: sicut posse principij corporalis in rem corporalem. Nam si extenderetur vltra, iam haberet posse super corpora: & ita magis esset principium.

¶ PRÆTEREA, sicut dictum est: caro, & spiritus adinuicem contrariantur; ergo eorum vnio non erit ab altero principiorum: nō enim vult principium spiritualium, quod spiritus succumbat carni: vel principium carnalium, quod caro succumbat spiritui: non ergo tantum duo erunt principia: nec affectaret naturaliter spiritus carni vniri. Quod cum videamus; accipitur ex hoc, quod nō sunt diuersa principia, & contraria carnis & spiritus.

¶ ITEM August. *Omne bonum à Deo est:* omne speciosum bonum, inquantum huiusmodi: & omne quod specie continetur, speciosum est: omne autem corpus, vt sit corpus specie aliqua continetur: omne ergo corpus à Deo est. Aug. in li. 83. qq.

¶ Ex authoritatib. etiam idē elicitur; dicitur enim. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt: hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat.* Et. *Vt omne os obstruatur, & fiat omnis subditus Deo.* *Locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula.* Et. *In* Actuũ 17. Rom. 3. Ad Heb. 1. Ad Gal. 1.

ipso con-

[...] in cælo, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: ergo idem est principium vtrorumque.

Matth. c. 28 ¶ Item, dicitur. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: aut ergo diabolus erat princeps mundi: aut ille expulsus est per Christum: aut expulit Christum, aut adinuicem pugnant. Si enim expulit Christus, cum ipse esset prius princeps mundi, de iure Christus erat iniuriosus; quod non concedit hæreticus. Si vero expulit Christum: ergo erat potentior Christo: quod est contra id, quod dicitur Lucæ 11. *Cum fortis armatus custodierit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet: cum vero fortior eo superuenit: diripit omnia vasa eius.* In quo datur intelligi, quod Christus veniens in mundum, fortior est a principe mundi, scilicet diabolo. Si vero inuicem adhuc pugnant: & neuter ab altero victus est: quid est, quod dicitur. *Nunc princeps mundi huius eijcietur foras?* ¶ Item, si diabolus fuit principium, scilicet istorum corporalium, & Deus spiritualium: cur dicitur. *Michael, & angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat: & angeli eius non valuerunt, neque locus eorum inuentus est amplius in cælo*; Aut [cælum] dicitur ibi corpus cæleste aut aliqua spiritualis creatura. Si corpus cæleste, iniuria facta est ei; cum proiectus est de cælo, cui principabatur. Si vero aliqua substantia spiritualis: non in eo habitabat, cum illa pertineret ad principium spiritualium.

Ioan. 12. Apoc. 12.

RESOLVTIO.

Corporalium, & spiritualium vnicum est principium, scilicet Deus. Intelligendo tamen corporalia machinam hanc mundi corpoream. Secus si aut pro mundana conuersatione, aut pro sæculi amatoribus sumantur. Hæc enim tametsi Dei potestatem subterfugere non possint, quin de eis bene ordinet: authorem tamen, suggestorem, vel possessorem diabolum habent.

¶ Responsio est ad obiecta: quod mundus accipitur dupliciter: vel pro ipsa mundana machina: vel pro mundi amatoribus, siue pro ipsa mundana conuersatione, quæ culpabilis est. Sicut dicitur. *Nolite diligere mundum, & Mundus eum non cognouit.* Pro ipsa vero mundana machina accipitur, cum dicitur. *In mundo erat*: & in Actor. 17. Si ergo fiat sermo de ipsa mundana machina, prout continet in se res corporales: idem est principium rerum spiritualium, & corporalium. Si vero pro ipsa mundana conuersatione, quæ culpabilis est: vel pro amatoribus mundi, inquantum huiusmodi: quia Deus peccati author non est: dicitur diabolus in mundo principari: non quia potestas Dei non se extendat ad illa; vt bene ordinet de eis, quorum malorum actor, vel suggestor est diabolus, siue possessor.

1 Ioan. 2. Ioan. 1.

¶ Ad primvm obiectum ergo respondendum est: quod licet corporalia magnam habeant dissimilitudinem respectu summi spiritus (quomodo habent spiritualia similitudinem) nihilominus tamen aliquam habent similitudinem: secundum quam conueniunt facta cum ipso faciente: habent enim conuenientiam in his generalibus conditionibus, quæ sunt, vnitas, veritas, & bonitas, & consimilibus: cum sint vestigia creatoris. Vnde Augustinus in Libro secund. de libero arbitr. *Ea potentia, qua fortiter à fine vsque ad finem attingit: fortasse numerus dicitur; ea vero, qua disponit omnia suauiter: sapientia proprie vocatur, cum sit vtrumque vnius, eiusdemque sapientiæ. sed quia dedit numeros omnibus rebus, etiam infimis, corpora omnia, quamuis in rebus omnibus extrema sint, habent numeros suos, sapere autem non dedit corporib. sed animis rationalibus, tanquam in eis sibi sedem locauit, perfudit ergo rationales substantias luce sapientiæ, sed corporales ratione numerum:* Licet ergo sit minor similitudo non tamen omnino nulla.

¶ Ad secvndo obiectum dicendum: quod non est simile de principio actiuo, & passiuo. Principium enim actiuum non tantum extendit se ad plura susceptiua; vt plura fiant in ipsis, vel ex ipsis: sed etiam primum principium actiuum extendit se ad hoc, quod ipsa fiant ex nihilo: propositio autem prædicta locum habet, vbi actiuum appropriat sibi passiuum.

¶ Ad tertio obiectum dicendum, quod licet videatur confusio esse in mundo inferiori: nihilominus tamen est verissima ordinatio. Quod enim videtur esse confusio in ipsis elementis, siue elementorum impressionibus; hoc non est nisi exterius consideranti. Si enim fiat consideratio ad virtutem superiorem corporum, quorum virtute fit vaporum eleuatio: & elementorum commixtio; inuenietur ibi pulcherrima ordinatio. Eodem modo est in ipsa ordinatione animalium rationalium, vel irrationalium. Vnde dicit Augustinus in libro de vera religione. *Ita ordinantur omnia officiis, & finibus suis in pulchritudinem vniuersitatis, vt quod horremus in parte; si cum toto consideremus, plurimum placeat, quia nec in ædificio iudicando, vnum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene loquente solum digitorum motum, nec in luna cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis, tota perfecta sunt, siue in statu, siue in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si recte volumus iudicare.*

¶ Ad qvarto obiectum dicendum est: quod est loqui de corpore secundum naturam corporis: & secundum quod corrumpitur corruptione pœnali: quæ procedit ex fomite. Si fiat sermo de corpore in natura eius; non ad aliud ordinata sunt finaliter anima, & corpus: sed in idem tendunt. Si vero fiat sermo de ipso, ratione corruptionis vitiosæ; & de anima ratione suæ naturæ; in diuersa tendunt per inclinationem: corpus enim quod corrumpitur, inclinat animam deorsum, id est, ad peccatum: spiritus vero naturaliter tendit sursum, id est, ad Deum. Nec propter hoc ponenda sunt duo principia, sicut ex præcedenti Q. est conclusum: vbi agebatur de principio boni, & mali. Art. immediate præcedēti.

¶ Consimiliter respondendum est ad illud, quod obijcitur per authoritatem. Lex enim carnis, siue membrorum ex ipso fomite procedit: vel est fomes, qui ex peccato procedit: & ideo licet ex parte carnis inclinet animam ad peccatum, & captiuet; non propter hoc ponenda sunt duo principia, sicut ostensum est. Rom 7.

¶ Similiter quod dicitur ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & e conuerso*: caro accipitur ibi pro parte sensuali: non tantum pro ipso corpore: quæ inclinat deorsum, sicut spiritus inclinat sursum: Ex his patet, quod sicut boni, & mali non sunt ponenda duo principia ex æquo condiuidentia: ita nec carnis, & spiritus; inquantum sic dicuntur. Gal. 5.

¶ Ad qvinto obiectum de principe mundi huius: Respondendum, quod princeps mundi huius dicitur dupliciter: vel ipse diabolus: vel homo, qui in hoc mundo male principatur. Secundum quod huiusmodi nec iste, nec ille nouit sapientiam, de qua dicit Apostolus: notitia per approbationem. Sed est alia sapientia, id est, aliter dicta: quæ dicitur terrena, animalis, & diabolica. Iacob. 3. non propter ipsam cognitionem in se, sed propter inclinationem voluntatis adiunctam: & hæc dicitur sapientia huius sæculi, vel principium huius mundi. Sed non propter hæc ponenda sunt duo principia: potestatem enim quam habet Diabolus, vel princeps terrenus; à Deo habet: sed à se abusum illius potestatis: vnde Ioannes decimonono. *Non haberes potestatem aduersum me, nisi tibi esset datum desuper.*

¶ Qvod autem dicitur. *Regnum meum non est de hoc mundo*: accipitur secundum illum modum, secundum quem mundus dicitur pro mundi amatoribus: non quia non haberet potestatem super illos: sed quia non diligebant damnationem eius. Præterea regnum eius non erat secundum leges mundanorum: lex enim mundanorum est, vt pro commodo, & vtilitate temporali Domini sui laborent: quod non apparuit in Christo, qui dicit de se. *Singulariter sum ego, donec transeam.* Et Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Eiusd. 18.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur per authoritatem. Ephes. 2. Dicendum, quod ambulare secundum sæculum mundi, vel secundum principem huius mundi, est sequi suggestionem Diaboli, vel conuersationem mundi: in quibus secundum quod huiusmodi damnatur Diabolus. Vnde Psal. 140. Isaiæ 63.

2.Corinth.4. Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium: vt non fulgeat illuminatio euangelij gloriæ Christi: Et secundum hoc licet dicatur Deus huius seculi, no itamen ponetur principium ex æquo diuidens contra Deum, qui est creator cœli, & terræ: sed dicetur principium aliquo modo defectuum culpabilium: non quod homo non possit ex lib. arb. suo vertibili in malum esse principium suorum defectuum: sed hoc dicitur ex eo, quod Diabolus, inuentor fuit mali, & primo homini peccati suggestor.

¶ Quod autem infra dicitur de principatu Christi, & Diaboli in mundo; secundum quod mundus supponit pro mundi amatoribus. Dicendum, quod Diabolus ex parte sui non iure principatur: licet illi iuste subditi sint, siue detenti: sicut dicit August. Christus vero iuste principatur, de malis ordinando in bonum, vt non cum eis fiat, quod volunt: sed de eis fiat, quod iustum est, &c.

Aug. 13. de Trinit.

ARTICVLVS III.

An boni corporalis duo sint principia, scilicet, opifex, & materia?

AD articulum tertium, quo quæritur, Vtrum boni corporalis sunt duo principia, scilicet opifex, & materia, quorum vtrunque non sit ab aliquo: sicut videbatur Plato dicere, qui posuit opificem, & materiam esse ab æterno; & esse duo principia? Quod sic astruitur: natura est principiū passiuum: & sicut agere, & pati habent inter se oppositionem: ita necesse inter est actiuum principium, & passiuum: sed agere, & pati distant secundum substantiam: ergo & actiuum, & passiuum (& loquimur hic de primo actiuo, & primo passiuo) non enim secundum idem est agere, & pati: ergo secundum diuersa: & tandem erit reducere ad prima, quorum neutrum est alterum. Ad hoc autem est argumentum, quod pati non conuenit primo principio, secundum quod huiusmodi: oporteret enim tunc esse aliquid nobilius eo, quod in eo ageret: non enim in seipsum agit: sed pati nō est sine principio, secundum quod primo est passio: erit ergo aliud principium agendi in corporalibus, & aliud principium patiendi primum: ergo duo erunt principia.

Vide Magistrum in 2. d. 2.

¶ FORTE dicetur, quod vnum est ab altero scilicet materia ab opifice: secundum quod quidam posuerunt: sicut narrat August. vt sicut vestigium pedis in puluerem est à pede: & si semper esset pes in puluere, semper esset vestigium: ita materia sit ab opifice, & semper existente opifice semper sit materia.

Aug. 10. de ciuit. Dei

¶ CONTRA hoc sic obijci potest. Materia si est ab opifice, non est de substantia opificis: nam si hoc esset, opifex esset de substantia eorum, quæ sunt ex materia: ergo si causatur, siue principiatur, est in diuersitate substantiæ: sed est prius scilicet in causalitate, & est prius duratione: sicut dicitur æternitas præcedere tempus. Sed si hoc, necesse est, quod hæc duo simul sint in eo, à quo est alterum in diuersitate substantiæ secundum iam dicta: natura aut est de primo, aut de * nullo: de primo non potest esse; cum diuersum sit in substantia: ergo de nullo est: ergo non est æternum: sed sicut æternitas præcedit nunc temporis: ita essentia opificis præcedit materiam: non ergo erit materia ab opifice, & æternaliter ens.

*Alias, nihilo.

¶ FORTE dicetur, quod est principium rerum corporalium: & nihilominus ab opifice: & ita non duo principia: nec æternaliter est principium, quod est materia.

¶ CONTRA hoc sic obijcitur. Possibilitatem habere ad omnia, non repugnat ei, quod est * esse ex aliquo: nec ei, quod est esse per se: ergo possunt simul coincidere: sed non nisi in prima materia: ergo prima materia potest esse, non tamen ab aliquo principio. Hoc etiam astruitur per hoc, quod prima materia est ens in potentia secundum genus suum: sicut opifex in potentia secundum genus suum: si ergo haberet principium, aliquis daret ei esse in potentia: ergo posset esse in potentia, cum nondum esset in potentia: ergo potentiam illam præcederet alia potentia: & illa non esset nisi materialis: quia potentia respectu actus, quæ nondum est in actu, quo ad hoc materialis est: ergo materiam præcederet materia: sed hoc est impossibile: ergo prima potentia in recipiendo semper est in aliquo suo actu: sicut prima potentia in agendo: ergo sunt duo principia. ¶ ITEM, potentia materialis, siue materia est principium omnis transmutationis: quod enim transmutatur, de vno in aliud potest transmutari: ergo potentia iam est: & propter hoc dixerunt philosophi materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem. Si autem materia de non esse in esse procederet: præcederet eam transmutatio: & sic abiret in infinitum. Necesse est ergo stare, vt materia prima sit intransmutabilis de non esse in esse: secundum quod sic est, immutabile æternum est: & cum sit in diuersitate substantiæ, sine principio erit: hoc enim dicitur propter hoc quod filius est a patre æternaliter: sed non in diuersitate substantiæ.

• Alias nō esse.

1 Phys. 82. & 1. metap com. 12.

¶ ITEM, cum sint quatuor genera causarum: efficiens formalis, finalis & materialis, tres autem causæ ab æterno sunt, quarum nulla est ab altera: pari ratione erit causa materialis æternaliter, quæ nō erit ab efficiente. Aut si non est, quæ ratio differentiæ?

¶ IN contrarium vero sic obijcitur. Vnum naturaliter est ante multa, ergo vnum in genere principij ante multa in illo genere, cum ergo nobilissima conditio attribuenda sit principio primo, erit principium primum vnum solum, non multa. ¶ ITEM, est potentia, quæ semper est in actu: & est potentia, quæ non est in actu semper: sed quod exit de potentia in actum exit per id, quod est in actu; Materia ergo cum exeat de potentia in actū; exit per id, quod est in actu. In primis ergo dependet materia à principio; cuius potentia est semper in actu; ergo vnum solum erit principium, videlicet id, quod semper est in actu.

¶ ITEM, Philosophus: *actus naturaliter præcedit potentiam* (& loquitur de potentia, quæ perficitur per actum) sed actus, qui perficit materiam secundum formam, non ponitur vnum principium æternaliter; ergo nec materia, quæ ab eo perficitur; dignius enim est perficiens perfecto. ¶ ITEM, materia susceptibilis est priuationis; sed quod est principium primum, est sine priuatione; ergo materia non condiuidit in ratione principij contra primum principium. ¶ ITEM, materia est susceptibilis transmutationis ab vno in aliud; sed quod est huiusmodi, est defectibile, sed primum principium non est deficiens, ergo materia prima non est condiuidens contra primum principium in agendo. ¶ ITEM, materia habet potentiam determinatam; licet enim habeat potentiam ad hanc formam, vel ad illam; non tamen habet potentiam ad omne esse, quod fit; ergo cum potentia primi principij actiui sit infinita; non habent se ex æquo in ratione principij. Ex quibus concluditur, quod non sunt duo principia prima; opifex, & materia.

Philos. 9. metap. 12 & 13. metap. 10 & alibi.

¶ AVTHORITATIBVS hoc idem astruitur; Cum enim dicitur. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: per cœlum, & terram intelligitur materia corporalis, & spiritualis, ergo materia cum sit creata, principium habet. Vnde August. *In principio fecit Deus cœlum, & terram, id est, in verbo sibi coæterno fecit materiam creaturæ spiritualis, & corporalis.* ¶ ITEM dicit. *Duo reperio, quæ fecisti carentia temporibus: vnum, quod ita formatum: vt sine vllo defectu, sine vllo interuallo mutationis, quatenus mutabile; tamen non mutatum, tua æternitate, atque immutabilitate perfruatur. Alterum, quod ita informe erat: vt ex qua forma, in quam formam, vel motionis, vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur, non haberet*: sed hoc fuit materia: ergo materia habuit principium; non ergo duo principia.

Genes. 1.

August. in 11. Confess.

Idem in eodem Lib. 12. c. 6 & cap. 12 Tom. 1.

RESOLVTIO.

Opifex, & materia sunt quidem duo principia rerum corporalium: ad inuicem tamen dependentia, scilicet materia ab opifice.

¶ RESPONDENDVM est ad iam dicta; quod opifex, & materia duo dicuntur principia rerum corporalium, quæ fiunt ex materia, sed differenter, opifex vt à quo; materia vero, vt de quo, vel ex quo. Sed non sunt duo principia, quorum neutrum sit ab altero; nam ipsa materia est ab opifice. Vnde August. in Libro de symbolo. *Ideo opus est, qui ea ex nihilo fecit, quæcunque fecit. Non enim cum aliqua adiuuante materies: ex qua demonstraret artis suæ potentiam: sed ex nihilo creauit cuncta*: Hoc enim est esse omnipotentiæ; vt non solum fa-

August. de symbolo Li. 1. cap. 2. in primis fere verbis sed expressius. Lib. 2. c. 3. To. 9

brica, sed

brica, sed & materies ab illo esse inueniatur: qui non habuit initium.

¶ DICENDVM est ergo ad primum, quod licet agere, & pati sint opposita; & reducantur ad actiuum, & passiuum primum in his, quæ fiunt, vel sunt ex materia: nihilominus tamen primum passiuum est à primo actiuo: qui non quærit sibi subiectam materiam: eo quod facit de nihilo. Et licet primum in seipso non patiatur: est tamen principium eius, quod patitur; & ipsius pati mediate. Vnde agere, & pati reducuntur ad idem principium primum in efficiendo: non in subijciendo.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod materia sit coæterna opifici: existens tamen ab illo: per exemplum pedis in puluere, & vestigij. Dicendum est, quod non est simile: quia pes in puluere non dicit solam causam effectiuam, sed efficientem coniunctam materiali: opifex vero (de quo loquimur) efficientem tantum determinat: efficientem autem dico omnipotentem: & ita de non esse in esse producentem omnia; non de sua substantia: sed in diuersitate substantiæ.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur: quod materia possit esse principium primum: eo quod habet possibilitatem ad omnia. Respondendum est, quod aliud est habere potestatem ad omnia: & aliud habere possibilitatem: Habere enim * possibilitatem, coartatur ad formam: quæ fit in materia: habere vero * potestatem, extendit se etiam ad hoc, quod fiat materia: quæ est possibilis ad omnia; & non est de aliquo; sed non repugnat esse ex aliquo.

*Aliat, potestatem. *Alias, possibilitaté.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur consequenter: quod in materia est prima potentia secundum suum genus: sicut in opifice est secundum suum: eo quod si potentiam materiæ præcederet alia potentia; ante materiam esset alia materia: & ita in infinitum. Dicendum, quod est potentia materialis ad esse formæ, quæ fit in ea: & si talem præcederet alia forma consimilis, in infinitum oporteret abire. Sed potentia opificis, qua materia potuit esse antequam esset: & ex hac non est abire in infinitum: sed est stare: & ideo vnum solum est principium, nec est prima materia in suo actu: sicut est primus opifex in suo actu semper.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur consequenter: quod materia est incorruptibilis, ingenerabilis, & ita intransmutabilis. Dicendum est, quod intransmutabilis dicitur secundum viam generationis, & corruptionis: inquantum hæc sunt à natura, secundum quod generatio est mutatio de non esse in esse, subiecta existente materia: & corruptio de esse in non esse: nihilominus tamen transmutabilis est: eo quod de nihilo processit in esse: & inquantum est de se, possibilitatem habet ad non esse.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur consequenter de hoc genere causæ, quod ipsa sit ab æterno; sicut & causæ aliæ verbi gratia exemplaris, & finalis. Respondendum est, quod hanc oportuit esse in diuersitate substantiæ respectu opificis: eo quod est de substantia creaturarum materialium: & ideo simul fieri cum primis illarum; sicut & formas, quæ sunt de substantia earundem: non sic autem est de exemplari, & finali. Et ideo rationes illæ causarum poterant simul esse cum ratione opificis: eo quod eiusdem substantiæ, siue essentiæ sunt hæ tres rationes: sicut infra dicetur.

QVÆSTIO II.

De Rationibus causarum in generali.

In tria Membra diuisa.

1. Tho. 1. q. 44. S... in 2... 1. a. 1. 2. ... & 4. Sco. ibid. & in ... d. 1. q. 1. art. 2.

SEQVITVR consideratio circa rationem causæ, quæ est duplex: tum secundum rationem causæ habitualiter dictæ: tum secundum rationem causæ existentis in actu creandi. Primo ergo dicendum est de ratione causæ habitualiter: deinde de ratione eius in actu creandi. Ratio vero causæ habitualiter dictæ, quæ ponitur ab æterno; aut est efficientis, aut exemplaris, aut finalis. Dicetur ergo de comparatione istarum inter se communiter: deinde singillatim de vnaquaque.

¶ PRIMO fit quæstio, Vtrum rationes causæ efficientis, exemplaris, & finalis sint ab æterno. Secundo, vtrum hæ tres rationes sint in eadem substantia, vel essentia: an differentes secundum substantiam, seu essentiam. Tertio de ordine istarum inter se.

MEMBRVM I.

An rationes causæ efficientis, exemplaris, & finalis ab æterno sint?

AD PRIMVM, quod non sint ab æterno: videtur: prima enim essentia omnino simplex est; nec est in diuinis ponere pluralitatem rationum, præterquam illarum, quæ ad personas pertinent. Hæ ergo tres rationes non inerunt primæ essentiæ: videretur enim additio fieri ad essentiam; cum diceretur, prima essentia est causa efficiens: prima item essentia est causa exemplaris: similiter de finali: essentia autem diuina non recipit additionem, vt sit perfecta in aliquo genere perfectionis. ¶ PRÆTEREA: primum seipso intelligit: & seipso est principium faciendi: ergo non quærit causam exemplarem; secundum quam cognoscat, vel secundum quam faciat. Propriorum etiam causatorum sunt propriij fines: & ita propriæ causæ finales: non ergo necesse est esse rationem exemplaris causæ, vel finalis ab æterno. ¶ PRÆTEREA, ratio causæ est: ad cuius esse sequitur aliud per se, & non secundum accidens: sed hoc dicitur ad causatum: ergo non existente causato, non erit ratio causæ: sed causata non sunt ab æterno: ergo nec rationes causarum.

¶ SIMILITER si accipiantur rationes illarum causarum: prout describuntur à Philosopho: non videbuntur causæ ab æterno. Dicitur enim causa vno modo, quod est principium transmutationis, & quietis primæ: vt ambulatio est causa sanitatis: & pater filij: vel vniuersaliter agens acti. Alio vero modo dicitur forma, & exemplar: & hoc est, quod signat alicuius esse, & huius genera. Dicitur etiam alio modo, quo fit aliquid: & est in eo, ex quo: Et dicitur alio modo tanquam complementum: & hoc est propter quod fit aliquid: vt sanitas est causa ambulationis: Sed istis rationibus dicendi causam, causa non est ab æterno; ergo rationes causæ efficientis, exemplaris, & finalis non sunt ab æterno.

Philos. 3. Metaph tex com.

¶ AD contrarium sic argumentatur. In creatura reperiuntur hæ tres conditiones, vnitas, veritas, bonitas; & quo ad hoc sunt vestigium primæ essentiæ, quæ est causa omnium; ergo in primo est reperire tres rationes, quibus hæc respondent, sed nihil nouum fit in primo, ergo rationes illæ sunt æternæ, sed hæ sunt summa veritas, summa vnitas, summa bonitas, sed summa bonitas est idem, quod causa finalis, ergo & aliæ duæ rationes conueniunt & alijs duabus rationibus causæ, scilicet summa veritas causæ exemplari, summa vnitas causæ efficienti; ergo tres rationes causæ sunt ab æterno.

¶ PRÆTEREA, si non essent rationes ab æterno, inciperet aliquando esse causa exemplaris: sed causa exemplaris est illud in substantia, quo intelligit, non tamen ad cuius similitudinem fit res (idem enim est idea, & exemplar) ergo non ab æterno intelligeret, si exemplar non esset: sed ab æterno intelligit, non tantum se, sed etiam alia, ergo ab æterno fuit ratio causæ exemplaris, pari ratione efficientis, & finalis. Nam quod possit efficere, aut habuit ab æterno, aut non, si non, ergo quod aliquando habuit, & prius non habuit, ab alio accepit, ergo illud erat nobilius, sed hoc est impossibile, ergo ab æterno potuit, quia à se potuit, erunt ergo rationes illæ ab æterno.

RESOLVTIO.

Rationes causæ efficientis, exemplaris, & finalis si sumantur actualiter, non ab æterno, sed ex tempore in Deo sunt. Sin autem habitualiter, econtra.

¶ AD HOC respondendum, quod prima essentia seipsa habet has rationes causæ. Ad hoc autem; quod quæritur, Vtrum sint æternæ, vel non? Dicendum, quod ratio causæ, aut accipitur habitualiter; aut actualiter. Si ergo accipitur

actualiter, non ab æterno erant istæ rationes: neque enim æternaliter efficiebat sua effecta: nec exemplabat sua exemplata (secundum quod exemplar dicitur, ad cuius similitudinem fit aliquid) nec ab æterno finiebat: sed sicut Dominus dicitur cum tempore, siue cum nunc temporis (quod magis proprie dicitur) non tamen * ex tempore: ita & causa dicitur secundum hoc. (Secus tamen est in exemplari, secundum quod habet rationem ideæ: prout est illud, quo fit cognitio: sic enim dicitur æternaliter: sicut infra habebitur. Si vero accipiatur habitualiter, vt causa dicatur, quod sibi sufficiens est ad caussandum: secundum hoc rationes istæ erũt ab æterno: non enim sufficientiam cum tempore, vel ex tẽpore acceperunt.

* Alias, æterne. Quæst. 3.

¶ AD ILLVD vero, quod secundo obijcitur. Dicendum, quod prima essentia non indiget exemplari: nec habet exemplar alterum à se; similiter nec caussam finalem: & secundum hoc proceditur prædicta ratio: sed quia seipso est causa exemplaris, seipso est finalis; nulla additio fit ei, vt in hoc perficiatur: & licet distinguantur hæ rationes causæ, exemplaris, scilicet & efficiens: non tamen sunt duo principia ab æterno: sicut posuit Plato. Dualitas enim principiorum dualitatem ponit in essentia: non autem hæ duæ rationes sunt in duabus essentijs: sicut videtur Plato ponere: vt quẽadmodum opifex, & materia dicuntur duo principia: ita opifex, & forma dicuntur duo: quod longissimum est à veritate: nisi accipiatur forma, quæ cum materia est principiũ constituendi compositum.

Ita sibi imponit Magister Sẽtentiarum in 2. d. 1. cap. 1.

¶ AD TERTIO obiectum dicendum est, quod Philosophus loquitur de causa, secundum quod est in actu causæ: causa vero in actu causæ est cum tempore, vel ex tempore: sicut in caussis naturalibus: & illo modo non habet locum in rationibus æternis ipsius causæ: de quibus iam dictum est: hoc enim etiam appatet per exempla, quæ ipse ponit, cum dicitur: pater causa filij, & exercitium sanitatis: eodem modo causa ambulationis sanitas; & forma hoc, quod signat alicuius esse: hæc enim omnia ad causam cum tempore, vel ex tempore retorquentur.

MEMBRVM II.

An rationes causæ efficientis, exemplaris, & finalis eiusdem essentiæ sint, vel diuersæ?

AD SECVNDVM, quo quæritur, Vtrum hæ rationes sint vnius essentiæ, aut differant? Quod differant, videtur per similitudinem sumptam in artificialibus, & naturalibus. Alterius enim essentiæ est anima, quæ agit; & ars, secundum quam agit: & finis, propter quem agit: vt patet in domificatione. Similiter in naturalibus quod mouetur, & secundum quod mouetur, & propter quod mouetur: vt lapis, & ponderositas, & locus deorsum: ergo videtur similiter in his, quæ fiunt a voluntate prima: cum hoc etiam fiat in alijs voluntarijs: ergo hæ tres rationes differunt secundũ essentiam. ¶ ITEM, in causa exemplari dicuntur plures ideæ: in causa finali plures rationes (secundum quod dicit August. *Singula sunt propriis causata rationibus*) efficiens vero omnino sine pluralitate: non ergo videtur vnum in essentia exemplaris, & finalis cum efficiente.

Aug. in li. 83. qq Quæst. 46. Tomo. 4

¶ IN contrarium vero sic. Maior est indiuisio in causa prima, quam in alia sequenti causa: sed in natura, cum est principium generationis, vniuoce coincidunt in vnum efficiens, formalis, & finalis: ergo multo fortius erit in causa prima; vt eadem sit in essentia exemplaris, efficiens, formalis, & finalis. ¶ ITEM. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus.* & August. de Trinit. dicit: quod ipse est ars summa omnium rationum viuentium, & incommutabilium: ergo exemplar non differt in essentia ab efficiente: nec finis similiter. Si enim ab alio haberet exemplar, quam a se; haberet aliud prius se: similiter si propter aliud ageret, quam propter se: & finis mouet efficientem: esset alius motor sumptius: cum ergo non habeat alium motorem: nec alium directorem; erunt idem exemplar & finis:

Prou. 16. August. de Trinit.

RESOLVTIO.

Tametsi in causis naturalibus, vel artificialibus propter multam sui imperfectionem diuersæ sint secundum substantiam, rationes causæ finalis, exemplaris, & efficientis: in causa tamen prima cum perfectissima sit, non ita contingit; sed vnius, eiusdemque substantiæ sunt.

¶ Quod est concedendum. ¶ AD obiectum autem primo in contrarium dicendum est: quod nõ est simile in causa perfecta, & imperfecta: causæ vero artificiales, vel naturales imperfectæ sunt in ipsis creaturis: & propter hoc licet in eis distinguantur secundum essentiam tres prædictæ rationes: nõ tamen sic est in causa prima, & perfecta; quæ hoc agit in vnitate, quod alij agunt in multiplicitate.

¶ AD secundo vero obiectum dicendum est; quod licet causa exemplaris secundum rationem ideæ dicatur pluraliter; & finalis sub hoc nomine, ratio; vel plures rationes: non tamen differunt in essentia ab efficienti: non enim illa pluralitas dicitur, nisi in respectu eorum, quæ fiunt: & non dicunt pluralitatem essentiæ ex parte causæ.

MEMBRVM III.

An huiusmodi causarum rationes, scilicet finalis, exemplaris, & efficientis ordinem habeant adinuicem?

AD TERTIVM de ordine istarum rationum: cum enim prima essentia, scilicet Deus sit causa efficiens, exemplaris, & finalis; aut est ibi ordo istarum rationum, aut non est. Quod sic, videtur: finis enim mouet efficientem, exemplar vero cum sit principium cognitionis, siue secundum quod est cognitio; præcedit rationem finis: sicut ratio veri rationem boni. ergo rationes istæ ordinem habent.

¶ PRÆTEREA, cum enumerat Philos. hæc tria genera causarum: primo ponit formalem exemplarem: secundo efficientem; tertio finem: quia efficiens agit secundum exemplar aliquid; propter finem: qui consequitur ex eo, quod fit.

Philos. 2 Phys. 28. & 29. & 5 Metaph. 2 omissa materiali. Aug. in 11. Confess.

¶ AD contrarium videtur facere, quod cum August. enumerat modos prioris, illum modum intendit esse primum, quo aliquid dicitur prius æternitate. Ex quo videtur, quod quæ sunt in æternitate; simul sunt; & ita neque prius, neque posterius. ¶ PRÆTEREA in Trinitate, vbi est personarum distinctio (sicut dicitur in symbolo Athanasij) nihil dicitur prius, aut posterius: multo fortius ergo cum illæ rationes non sint aliud, quam ipsa diuina essentia: non erit in illis prius, aut posterius. Si etiam diceretur ordo aliquis; esset ordo in æternitate: sed non est ordo, nisi vbi est pluralitas: sed nulla est pluralitas, quæ præintelligatur pluralitati personarum: ergo nullus est ordo secundum modum illum, secundum quem dicitur: quod in diuinis personis non est inæqualitas substantiæ: sed ordo naturæ, non quo alter esset prior altero; sed quo alter esset ex altero. Restat ergo, cum hæc referantur ad vnitatem diuinæ essentiæ, quod non attendatur ordo, vel naturæ, vel temporis.

RESOLVTIO.

Huiusmodi causarum rationes, scilicet finalis, efficientis, & exemplaris vtique in creaturis aliquo ordine prioritatis ordinantur. at in creatore nequaquam: sed cum vnius, eiusdemque essentiæ sint, simul ab æterno in illo existunt.

¶ AD quod dicendum, quod hæ rationes cum sint vna essentia, sunt vnum ab æterno; nec propter hoc dicendum est plures res esse ab æterno; licet plures rationes. Nam quod sint plures, hoc est quodam respectu causatorum ad primum: secundũ quod causata in differentibus dispositionibus respiciunt primum; non quod ipsum primum sit in se multiplex: sicut dicitur de pluralitate idearum, vel rationum. Vnde sicut non dr̃ de tribus personis, quod sunt tres res, quibus est fruendum: sicut hr̃ in Lib. de Doctr. Christiana: ita non est dicendum, quod tres rationes hæ sint tres res, quibus est fruendum: vel tres res ab æterno: sed sunt vna res: quæ tñ rationes, licet communes sint tribus personis; nihilominus tamen appropriantur ipsis personis. Vnde August. cum dicitur, *Dixit Deus, fiat lux, facta est lux: & vidit Deus lucem,*

Lib. 1. c. 5

Aug. in li. 11. de ciui. Dei c. 10. Tomo 5.

lucem,quod esset bona: intelligitur quis fecerit, & per quid fecerit, & propter quid fecerit:pater intelligitur qui dixit,vt fiat: quod autem illo dicente factum est, proculdubio per verbum factum est: In eo vero quod dicitur, vidit Deus quod bonum esset, satis assignatur, Deum nulla necessitate, nulla vtilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse, quod factum est, id est, quia bonum est, vt res, quæ facta est, congrueret bonitati, propter quam facta est, indicetur; quæ bonitas si S. S. (& recte) intelligitur, vniuersa in suis operibus nobis Trinitas intimatur. Sed constat, quod qui dixit, vt fiat: efficiente nomine designatur (cum dicere Dei sit facere) per quid vero fecit, ad causam pertinet exemplarem: propter quid, ad causam finalem.

¶ DICENDVM est ergo ad obiecta: quod licet ordo naturæ, vel temporis attendatur in his rationibus, secundum quod inuenitur in creaturis: non tamen ita secundum quod inuenitur in creatore. Vnde simul sunt illæ rationes vnius essentiæ, scilicet diuinæ, non secundum prius & posterius aliquo illorum modorum, quos numerat Lib. Confes. Neque enim illo modo, quo prius dicitur æternitate; vt ante omnia Deus: quo prius dicitur tempore, vt flos ante fructus: vel electione, vt fructus ante florem: vel origine, vt sonus ante cantum.

Aug. Confess. Li. 12. c. 29 Tom. 1.

¶ AD secundo obiectum dicendum est, quod non est simile in creaturis, & diuinis: natura quæ secundum quod sunt in creaturis, accipiuntur secundum prius & posterius: in diuinis simul attenduntur. Quod ergo ponit Philosophus ordinem in his: hoc est secundum quod attribuuntur creaturis, &c.

QVÆSTIO III.

De causa exemplari.

In tria membra, & in duos articulos diuisa.

D. Tho. 1. par. q. 5 ar. 2. & q. 18 art. 4 & 1. part. q. 56. art. 1. S Bo. in 1. d. 6. q. 5. & d. 19. dub 7. & d. 31 par 2 ar. 1. q. 1. & in 1. d. 27. dub. 3. Sco in 1. d. 36. q. vnica.

CONSEQVENTER agitur de singulis rationibus causæ, sigillatim acceptis. Et primo de ratione causæ exemplaris. Et habet hæc quæstio tria Membra. Primum, vtrum causa exemplaris sit de necessitate. Secundum, vtrum sit vna, vel plures. Tertium, respectu quorum dicatur esse exemplaris.

MEMBRVM I.

An causa exemplaris necessario ponenda sit.

Ad Heb. 11 Gloss. ord. & est Aug

AD PRIMVM arguitur quod sic? eo quod nihil ignorans fecit Deus: ergo prius erant in sua scientia, quam essent in sua natura: & ideo dicitur. *Fide intelligimus aptata esse secula ex verbo Dei: vt inuisibilibus visibilia fierent*: vbi dicit Gloss. *Deus ex inuisibilibus: signatur inuisibilis mundus, qui erat in Dei sapientia: ad cuius similitudinem factus est hic visibilis mundus*: & postea sequitur. *Hæc est dispositio; qua disposuit omnia ista visibilia: vt fierent iuxta inuisibile exemplar: quod erat in mente Dei.* Quod autem reprobant philosophi ideas: sicut habetur in fine primæ philosophiæ: & similiter Auic. in sua philosophia: hoc est, quod loquuntur de formis mathematicis, quas ponunt ideales: sed hic non est intentio illarum formarum exemplarum, siue idealium: de quibus nos hic intendimus: intentio enim hic est, loqui de idea; secundum quod distinguit Seneca: dicit enim præter quatuor genera causarũ esse ideam; distinguens inter ideam, & idon: vt idea sit species diuina: idon vero forma in materia.

1. Metaph. tex. 56.

RESOLVTIO.

Ne Deum aut perperam, aut inconsulto fecisse, quidquid fecit, astruere cogamur: causam exemplarem omnino statuere compellimur.

Aug. in li. 1 retractat c. 1. Tom. 1 li. 1. cap. 1. Tom. 1.

¶ SVPPONAMVS ergo exemplarem causam esse ex iam dictis: & ex hoc quod dixit August. loquens de mundo intelligibili: Mundum intelligibilem nuncupauit Plato ipsam rationem sempiternam, qua fecit Deus mundum: qui esse negat: sequitur vt dicat, Deum irrationabiliter fecisse, quod fecit: aut cum faceret, vel antequam faceret, nescisse quid faceret: si apud eum ratio faciendi non erat: si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec est hoc contrarium ei, quod dicit Dionysius excludere volens causam exemplarem (vt videtur) dicens. *Ex ipso, & in ipso secundum causam omnium notitiam, & scientiam, & substantiam præhabet, & præconcipit: non secundum ideam singulis immittens: sed secundum vnam causæ excellentiam omnia nosceus, & continens.* Loquitur enim de idea ad similitudinem formæ intelligibilis, quæ est in anima: quæ non est idem, quod essentia ipsius animæ: secundum quem modum non cognoscit Deus secundum ideam: hoc enim esset per ignobilius se cognoscere: nobilius enim habere non potest; nec par: quod non sit eiusdem essentiæ; hoc enim dicitur, quod filius est æqualis patri, sed eiusdem essentiæ.

Dion. l. Li. de Diuin. nom. ca 7. circa medium: sed aliis verbis in trãslatione noua.

MEMBRVM II.

An causa exemplaris vna sit, vel plures?

AD SECVNDVM membrum; quo quæritur: si est vna causa exemplaris, aut plures. Quod enim plures sint videtur per hoc: quod proprio exemplari respondet proprium exemplum: vnde si exempla differentia sunt in genere, vel in specie: videntur exemplaria genere, vel specie differre: sed ita est in exemplatis, quod differunt genere, vel specie: ergo & exemplaria differunt. ¶ ITEM, ideæ sunt causæ exemplares: sed de illis dicit August. *quod ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles: quæ & ipsæ formatæ non sunt, quæ diuina intelligentia continentur, & cum ipsæ, neque oriantur, neque intereant; secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri & interire potest, & omne, quod oritur, & interit.*

Aug in li. 83 qq. Quæst. 46 Tomo 4.

¶ HOC etiam vult probare tali ratione; *constat, quod Deus omnia rationabiliter condidit, nec ea ratione conditus est homo, qua equus, & ita de aliis rebus*: ergo singula causata sunt proprijs rationibus: sed hæ rationes non sunt nisi in mente creatoris: * sacrilegium enim est opinari: vt extra se quicquam positum intueretur; secundum quod constitueret, quod constituebat: ergo plures sunt rationes exemplares.

*Alias, sacrilegum.

¶ PRÆTEREA, ex similitudine arguitur. Non enim secundum eandem speciem anima efficit domum, & efficit nauim: & ita de alijs artificijs in specie. Similiter ergo erit in operibus diuinis: vt diuersa opera diuina secundum diuersa fiant exemplaria.

¶ AD contrarium sic. Vnus est mundus sensibilis: & mundus sensibilis est exemplatum: multo ergo fortius est vnum exemplar, scilicet mundus archetypus: natura maior est vnitas exemplaris, quam exemplati. ¶ ITEM sicut supra habitum est: causa exemplaris eadem est in essentia cum causa efficiente: si ergo essent exemplaria plura; oporteret vnumquodque esse idem in essentia cum causa efficiente: quorum nullum esset alterum: sed hoc non posset esse propter sui simplicitatem: ergo non sunt plures causæ exemplares.

Quæst. 2. Memb. 2.

¶ ITEM, perfectius est vno cognoscere multa; & similiter vno fieri multa: quam multis multa: ergo cum exemplar sit, quo cognoscitur, & secundum quod fit, erit ergo perfectissimum omnino per vnum cognoscere multa; & secundum id facere. Sed perfectissimum conuenit, vno: ergo vna est causa exemplaris, indiuisa secundum essentiam.

RESOLVTIO.

Causa exemplaris cum perfectissima, & simplicissima sit, vna, & eadem in essentia cum causa efficiente, vna tantum est, & indiuisa secundum essentiam, tametsi plures secundum exemplata.

¶ Quod est concedendum.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod pluralitas in essentia in exemplari non accipitur ex pluralitate essentiæ in exemplatis: non enim est ibi pluralitas in essentia. Quod tamen dicuntur plures ideæ; hoc est propter quandam similitudinem exemplatorum ad ipsum exemplar, & quandam appropriationem; ad modum, quo loquimur in exemplaribus, & exemplis rerum artificialium: sed non est omnino simile: Vnde pluraliter dicuntur de parte illa, qua respiciunt ipsa ideata:

& propter

Aug. in li. 83. qq. q. 6. & 7. & de ciuit. Dei cap. 28.

& propter hoc dicitur pluraliter. ad Heb. 11. *vt ex inuisibilibus visibilia fierent*: inuisibilia enim vocat illa exemplaria, siue rationes.

¶ Qvod autem dicit August. quod non eadem ratione equus conditus, qua homo: non retorquet ad diuersitatem essentiæ; sed ad differentiam rationis: vna enim essentia est ratio huius, & illius. Habet ergo ratio exemplaris quandam conditionem ex parte essentiæ diuinæ: vt cum dicitur incommutabilis, per se subsistens, & huiusmodi: Habet etiam aliam conditionem ex parte exemplatorũ: vt cum pluraliter dicimus: ascendimus enim à pluralitate exemplatorum ad pluralitatem sic dictam.

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur dicendum est, quod non est simile in exemplaribus rerum artificiatarum, quæ fiunt ab anima: exemplaria enim illa sunt aduentitia, & non eiusdem essentiæ cum causa efficiente: quod in perfectissimo agente non inuenitur.

MEMBRVM III.

Respectu quorum dicatur causa exemplaris?

Qværitvr (supposita pluralitate aliquo modo exemplarium) vtrum dicatur causa exemplaris tantum respectu eorum, quæ fiunt, vel facta sunt: an dicatur causa exemplaris respectu eorum, quæ possunt fieri, licet nunquam fiant.

ARTICVLVS I.

An causa exemplaris sit respectu productorum tantum, vel etiam possibilium produci?

Qvod non vltimo modo, videtur; dicendum est enim quod pluralitas ex parte exemplaris est respectu exemplatorum ad ipsum: cum ergo id, quod non est in esse sub ratione præteriti, vel præsentis, vel futuri; non habeat * vnitatem; ergo respectu illius non poterit accipi vnitas, consequenter nec pluralitas: ergo id, quod tantum potest esse; non habet rationem exemplarem. ¶ Præterea, multa sunt impossibilia, quæ Deo sunt possibilia; quæ nunquam contingent: horum in se nec est vnitas, nec pluralitas: consequenter ergo nec respectu eorum sunt rationes exemplares.

*Alias, veritatem.

¶ Contra, si sunt possibilia, possunt duci in actum: ducantur ergo in actum: si ergo non haberent rationem exemplarem, cum nihil nouum fiat in Deo, fierent absque ratione exemplari: ergo aliqua facta essent à Deo sine ratione: quod absurdum est: sicut habetur in q. supradicta. Li. 83. Q[?]. ¶ Item, cum infinita possint fieri à Deo: finitæ autem essent (secundum iam dictum) rationes exemplares; essent finitæ infinitorum rationes: cuius contrarium videtur: eo quod potentia Dei extendit se ad infinita; & nihil potest fieri à Deo sine ratione: ergo ratio exemplaris potentiam habet ad infinita: sed finitum non habet potentiam super infinitum: ergo ratio exemplaris est infinitæ virtutis.

Quæst. 6. Tomo 4.

RESOLVTIO.

Respectu vtrorumque, scilicet & productorum, & possibilium produci.

¶ Respondendvm est; quod ratio, siue causa exẽplaris non est tantum respectu eorum, quæ producuntur in esse; sed etiam quæ possunt produci, licet non producantur: intentio tamen exemplaris in effectu est, vt ad similitudinẽ eius fiat aliquid: & hoc patet per illud, quod dicitur in Lib. 83. *Quæst. cum ipsæ ideæ, siue rationes neque oriantur, neque intereant: secundum eas tamen formari dicitur quicquid oriri, vel interire potest.*

Aug. in li. 83. qq.

¶ Ad id vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod licet ea, quæ possunt esse, & non erunt, non habeãt * vnitatem simpliciter: nihilominus habent vnitatem, respectu cuius potest ratio exemplaris dici pluraliter: non enim actus rationis exemplaris depẽdet à re exemplata; siue sit actu, siue in potentia, & nõ in actu. Si vero dicatur, quod scientia diuina est rerum existentium; vt eorum, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt: & ita non possibilium: & per consequens, quod ratio exemplaris non sit illorum. Respondendum, quod sicut res se habent ad esse; ita ad vnitatem, & ita ad scientiam: vnde omnium, siue actualium, siue possibiliũ est diuina sciẽtia; vnde & ratio exemplaris similiter, bonorũ scilicet.

*Alias. veritatem.

2. Metaph. tex. 4.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur secundo de impossibilib. quæ tamen sunt Deo possibilia. Dicendum, quod similiter ratio exemplaris non respicit possibilitatem, vel impossibilitatem naturæ inferioris: sed ratio exemplaris est eorum, quæ sunt possibilia Deo: non autem est exemplaris, quod fieri debeant: nisi sint huiusmodi, quæ congruant Deo fieri: impossibilium autem Deo non est ratio exemplaris, &c.

ARTICVLVS II.

An causa exemplaris sit, & respectu malorum, & corruptibilium?

Cvm iam dictum sit de ratione exemplari respectu productorum, & producibilium: sequitur de ratione exemplari ratione bonorum, & malorum, corruptibilium & incorruptibilium. Ratione cuius introducitur quæstio de hoc, quod dr̃. *Quod factum est, in ipso vita erat: & sine ipso factum est nihil*: Ex his enim verbis peccatum, quod nihil est, si factũ est ab alio, quam ab ipso: non est in ipso vita. ¶ Quod autem ratio exemplaris non sit malorum, patet per rationem exẽplaris. Exemplar enim est, ad cuius similitudinem fit, vel fieri potest aliquid ab ipso, qui habet exemplar: sed mala culpæ nec fiunt, nec fieri possunt à Deo: cuius est ratio exemplaris: ergo malorum non est ratio exemplaris: vnde super illud in Psal. *Quæ ignorabam, interrogabant me.* Quomodo ars nescit vitium: sic ego qui sum ars omnipotentis Dei (& loquitur Christus) ergo malum non est in arte summa: ergo nec in ratione exemplari. ¶ Item, in Lib. de Lib. arb. *Quicquid forma cuiusquam rei deficientis remanet: ex illa forma est, quæ nescit deficere: motusque ipsos rerum deficientium, vel perficientium excedere numerorum suorum leges non sinit.* Cum ergo malum inquantum huiusmodi formam non habeat, licet alicui formæ subsit: non tamen habet formam exemplarem in Deo: nec est ex ipsa: licet forma, quæ subest malitiæ quo ad hoc, quod est, habeat formam exemplarem: & sit ab ea. ¶ Item, in 3. de Lib. arb. *Naturæ inquantum sunt, à Deo sunt: inquantum autem vitiosæ, ab eius, qua facta sunt, arte recedunt.* In tantum autẽ recte vituperantur, inquantum earum vituperator artem, qua factæ sunt, videt: vt hoc in eis vituperet, quod ibi non videt: Ergo malorum, siue vitiorum inquantum huiusmodi, non est ars summa, siue ratio exemplaris.

Ioan. 1.

Psal. 34.

Aug. in li. de li. arbit.

Idem in eod. ca. 15.

¶ Contra, omnia sciuntur à Deo, siue bona, siue mala: quod enim incognitum est, iuste punire non potest: punit aũt iuste peccata: ergo præcognita sunt, ergo sunt in sciẽtia eius: sed scientia eius idem est q̃ ars summa, siue ratio exemplaris: ergo sunt in ipsa ratione exemplari. ¶ Item Ansel. in Monologion. *Summo spiritui dicere nihil aliud est, quam cogitando intueri*: sed cogitando intuentur mala ab ipso: ergo dicuntur: sed quæ dicuntur ab ipso, sunt in ratione exemplari, siue in arte: ergo mala sunt in ratione exemplari.

Ansel. in Monol. cap. 28.

RESOLVTIO.

Quicquid sit de sciẽtia Dei: qua & bona, & mala æque cognoscit: causa exemplaris, siue ars diuina inquantum huiusmodi nullatenus respectu malorum esse potest: cum Deus nequaquam mala agere queat.

¶ Respondendvm est: quod secundum quod ea dicuntur esse in arte, vel in ratione exemplari, quæ fiunt ab ea, vel secundum eam: mala non sunt in arte, vel in ratione exemplari, inquantum huiusmodi: nihilominus tamen sunt in ipsa scientia. Scientia enim secundum modum scientiæ ad plura se extendit, quam ars: ars .n. est (secundum quod huiusmodi) principium faciendi, & cogitandi, quæ sunt facienda: scientia vero est principium cogitandi, & ipsas species rerum, & priuationes: priuationes autem in hoc, quod non inueniuntur species. Vnde Dionys. in Lib. De Diuino cap. 7. *qui est de sapientia, intellectu, & veritate. Secundum vnam causa continentiam omnia sciens, & continens: sicut lumen per semetipsum præaccipit tenebrarum visionem, non aliunde videns tenebras, quam à lumine.*

¶ Ad obiectum aũt respondendum est, q̃ licet idẽ sit sciã.

[illegible]

[illegible] in ratione exemplari.

¶ Ratio [illegible] quæritur [illegible] habere [illegible] vitam in ipso: Cum [illegible] secundum vegetationem, [illegible] intellectum, secundum [illegible] dicuntur res viuere, & habere [illegible] in ipso. [illegible] ad similitudinem eius vitæ, quæ [illegible] cum hæc vita sit tantum [illegible] & corporalis: [illegible] secundum [illegible] vita non viuat, [illegible] & [illegible] non separatur. Nec [illegible] quæ est secundum [illegible] cum mala etiam [illegible] & vitam in [illegible] quod cum sit, non [illegible] ¶ Item, [illegible] ipse est [illegible] viuere vero [illegible] quid ergo dicitur [illegible] plus [illegible] hoc, [illegible] in ipso, vel in intellectu [illegible] quæ [illegible] ¶ Item, cum dicitur, quod [illegible] & quod res habent vitam in suo genere [illegible] dicuntur viuere, cum habent vitam in suo genere, quam quando habent vitam in primo?

¶ Quod habeant plus de vita in suo genere, videtur: eo quod in suo genere proprio habent esse [illegible] in Deo, esse secundum quid (esse enim in causa, est esse secundum quid) ergo res prout sunt suo genere, plus habet vitæ, quam cum sint ipso.

Aug. super Ioan. ¶ Contra, dicit August. *omnia antequam fierent, & cum facta sunt, & cum variantur, sunt in ipso non [illegible] quod, [illegible] in se ipsis.* sed secundum immutabilitatem rationum [illegible] sunt in ipso secundum immutabilem rationem; [illegible] sunt vita in ipso, quam in seipsis.

Ansel. ¶ Item, Ansel. *quæ [illegible] siue viuat, siue non viuat, aut quocunque modo in se sit [illegible] vita, & veritas.* Sicut ergo ad scientiam diuinam nihil [illegible] res sint nec non sint: ita nihil ad hoc quod sint vita in ipso; siue sint, siue non sint. ¶ Item omnia dicuntur in ipso vita: sed quicquid est in Deo, nõ est nisi Deus: & quod dicitur, quod sunt vita; hoc non tollit illud, quod sint Deus: ergo omnia, quæ sunt in ipso vita; sunt ipse. [illegible] omnia sunt in ipso vita: ergo omnia sunt, quod ipse: Sed ex hoc sequeretur, quod omnia sunt vnum. ¶ Item, omnia sunt in ipso vita: aut ergo hoc dicitur, quia sunt in eius essentia: aut hoc dicitur ratione potentiæ, vel sapientiæ, vel bonitatis. Ratione essentiæ non videtur: esse enim in essentia, hoc est esse ipsam essentiam: hoc aũt [illegible] idem quod ipse. Si vero ratione potentiæ [illegible] potentia [illegible] ergo [illegible] cuntur esse in ipso vita ratione potentiæ. Præterea, in verbo dicuntur esse vita ergo [illegible] sapientiæ, [illegible] appropriatur verbo. Quod autem [illegible] Dei [illegible]

[illegible]

[illegible] in ipso [illegible]

[illegible] exemplari [illegible] in intellectu [illegible] productarum [illegible] in ipso intellectu practico, & habent [illegible] in ipso intellectu diuino. ¶ Nec est [illegible] per [illegible] in ipso [illegible] præcise recte dispositio [illegible] & [illegible] ideo per quandam [illegible] ipsa earum, quæ viuunt in intellectu practico.

¶ Ad secundum dicendum est, quod [illegible] omnia in ipso sunt vita, differt secundum [illegible] eo, quod est esse in ipso [illegible] in intellectu ipsius. Nam [illegible] in ipso, hoc respectu [illegible] esse in intellectu [illegible] sic vero in Christo [illegible] ad scientiam [illegible] quæ supperaddit [illegible] respectu cognitionis: vnde dicit esse in intellectu practico.

¶ Ad tertium dicendum quod non dicuntur [illegible] ea, quæ habent vitam in primo, vel in suo genere [illegible] dicuntur plus [illegible] Cum [illegible] *In ipso viuimus, mouemur, & sumus:* [illegible] quam cum dicitur, omnia sunt in ipso vita. Cum [illegible] dicitur: *In ipso viuimus;* [illegible] cum autem dicitur, *In ipso erat vita* notat [illegible] exemplaritatis, & hoc procedit [illegible] possunt dici viuere: sed [illegible] vitam illam, quæ est Deus [illegible] quod sunt in illo vita. Nec est [illegible] esse simpliciter: hoc enim est [illegible] non est nisi [illegible] tum ad ipsas res [illegible] esse in proprio genere, quam esse [illegible] ipsa causa. Act. 17.

¶ Ad quartum dicendum, quod [illegible] in Deo [illegible] ter: vno modo dicitur [illegible] secundum [illegible] vt potentia [illegible] idem quod est [illegible] Deo & hoc [illegible] in Deo est Deus. Alio modo dicuntur [illegible] secundum hoc [illegible] causa esse [illegible] Per hunc modum non omnia, quæ [illegible] ipsa acceptant [illegible] ipse; sed [illegible] ratione [illegible] ipsarum [illegible] homo [illegible] in Deo [illegible] diuinis [illegible] vita in ipso [illegible] exemplaris [illegible]

¶ Ad quintum [illegible] in ipso [illegible] exemplaris.

[illegible]

omnia

[illegible]

QVÆSTIO IV

De causa finali.

[illegible]

MEMBRVM I.

[illegible]

MEMBRVM II.

[illegible]

S[illegible] idem, quod [illegible], videtur. Actio & motus di[illegible] quod non habetur, sed sunt propter [illegible] & mouente sed di[illegible] propter finem, non habitum sed [illegible] ab alia re, erit differens ab ipso agente, ergo [illegible] causa finalis eadem cum essentia agentis. ¶ Item [illegible] agentibus sic est. quod id, propter quod agit, non est idem cum essentia agentis [illegible] agit propter protectionem ab imbribus & [illegible], ergo in primo agente sic erit: nihil enim quaerit se ipsum [illegible] quaeritur, ergo ipsum non est idem cum essentia agentis primi.

¶ Contra. Dionys. [illegible] lib. de Diuin. no. *Omnia ad ipsam bonitatem conuertit* [illegible] *principalis* [illegible] Deus [illegible] bonitas, quae est [illegible] ¶ Item [illegible] agit ergo propter se [illegible] *propter* [illegible] *malū*. Et de [illegible] ¶ Item. *Nemo bonus nisi Deus vnus*: & bonum & [illegible] ergo ipse est principalis finis.

RESOLVTIO.

Quod bonum & finis idem sint: Deus autem [illegible] *bonum* [illegible] *erit propter finem* [illegible].

¶ Ad quod respondendum, quod ipse est causa finalis, sicut ostensum est. ¶ Ad obiectum vero in contrarium dicendum est. quod agere propter finem, dr duplic[illegible] vel [illegible] agit propter aliud a se. Vel quia est per [illegible] quod agitur, vel in quo agitur [illegible]

[illegible] creaturis vero nullatenus [illegible]

MEMBRVM III.

[illegible] appetant finem hunc vltimum, [illegible] est [illegible] summo [illegible]?

RESPONDETVR dicere, Vtrum omnia appetant in [illegible] Quod non, videtur: finis enim [illegible] perfectio [illegible] creaturæ beatitudo [illegible] & finis iste [illegible]. Si ergo beatitudo non est finis cuiuslibet creaturæ, & beatitudo, & bonum summum sunt idem: non ergo omnia appetunt hunc finem.

¶ PRÆTEREA, appetitus naturalis plantæ est, vt saluetur esse plantæ: & ita de alijs rebus naturalibus: ergo non tendunt ad obtinendum hunc finem. ¶ ITEM, [illegible] dicit Boet. de consol. bonum, & vnum idem [illegible] pis vero partium suarum appetit vnitatem: & ita de [illegible] compositis [illegible] hoc sibi sufficit: ergo non appetunt hunc finem, cum [illegible] finis sit vltimorum.

¶ PRÆTEREA completo numero electorum, cum erit [illegible] refectio, desinet et hoc esse, & ita non perficietur eorum appetitus, si hunc finem appeterent: perficietur autem, vel perficietur: non ergo iste est finis, quem omnia appetunt.

¶ CONTRA Diony. *Bonum est, quod desideratur ab omnibus*, & Philosophus: *bonum est, quod omnia optant*: sed non est bonum nisi participatione summi boni, sicut dicit Aug. ergo appetitus creaturæ non terminatur nisi in summo bono, sed iste est finis iam dictus, ergo finis iam dictus, est: quem omnia appetunt.

RESOLVTIO.

Finis vltimus sub hac ratione speciali vt beatitudo summa est, idem, quod Deus, non ab omnibus appetitur, sed ab ijs tantum, qui vel ex acquisitione, vel ex dono id norunt. Ab omnibus autem naturaliter appetitur sub generali ratione, s. vt bonum summum confirmatiuum & terminatiuum omnium.

¶ AD quod respondendum, quod duplex est appetitus: vnus ex cognitione præhabita naturaliter, vel ex acquisitione, siue dono, & secundum hunc modum non appetunt omnia summum bonum, vel finem istum, non enim omnia habent appetitum intellectualem, & secundum hoc quæ habent appetitum huiusmodi, appetunt naturaliter beatitudinem: secundum quod bonum, & beatitudo sunt idem. Alio vero modo sumendi appetitum naturalem omnia appetunt bonum, non in determinata ratione beatitudinis: sed in generali ratione, quæ est, secundum quod bonum summum omnia conseruat, & terminat.

¶ AD illud vero, quod secundo obijcitur. Dicendum, quod plantæ, & aliæ creaturæ corruptibiles, cum appetunt continuationem sui esse, est à summo bono, quod est in eis essentialiter, & potentialiter, & præsentialiter: & quo ad hoc appetunt naturaliter summum bonum.

¶ AD tertium obiectum dicendum est similiter: de vnitate, quam appetunt res compositæ: quod in hac sc. vnitate est summa vnitas, & illa summa bonitas, sine qua nec est, nec esse posset, & ideo eam naturaliter desiderat.

¶ AD vltimo vero obiectum dicendum est, quod est finis quidam corruptibilium creaturarum, secundum quod sunt propter hominem, & illo fine euacuato, congruit non vlterius permanere, & hoc est supplementum necessitatis humanæ: & iste est alius finis ab illo, quem naturaliter intendit vnaquæq; res secundum suam speciem. Non ergo mirum est, si non perueniat secundum istum, vel illum finem ad beatitudinem, quę determinatè est istius hominum & intellectualis creaturæ: cum non habeat immortalitatem cognitiuæ, & motiuæ potentiæ, secundum quam possent ea frui.

*
* *

QVÆSTIO V.

De causa efficiente.

[illegible]

ORDINE [illegible] dicendum est de causa efficiente. [illegible] verum sint plures causæ [illegible] intelligi ex [illegible] Quæstione [illegible] principiorum. & dicit Philosophus [illegible] destruunt naturam boni [illegible] ad illam Q[illegible] efficiente. Primum, vtrum tantum [illegible] esse, & non plus non esse, vt [illegible] destructiua. Secundum, vtrum sit voluntarie [illegible] efficiens. Tertium, vtrum per se sit causa [illegible] alicuius [illegible].

D. Tho. 1 [illegible] q. 44. art. & q. [illegible] art. 1. S. [illegible] 2 d. 1.

MEMBRVM I.

An primum [illegible] tantum esse, vel etiam non esse [illegible] defectus?

AD PRIMVM sic proceditur. [illegible] boni est producere, & [illegible] corrumpere, & destruere. Vnde Dion. [illegible] *neque boni non bonum producere*: sed primum causa efficiens est summum bonum: ergo non est eius corrumpere, & destruere bonum, sed esse in quantum esse, [illegible] ergo [illegible] destruere esse. ¶ ITEM, Augustinus. *Ad quem non esse pertinet, non est causa deficiendi sed prima causa efficiens est omnium*: ergo non est causa deficiendi, ergo nec destruendi.

Dion. in [illegible] de diuin. nom.

¶ ITEM idem similiter se habens, semper natum est facere idem: sed primum efficiens est semper similiter se habens, ergo facit idem, non ergo facit esse, & non esse: si enim dissimiliter [illegible] haberet, sicut sol in accedendo, & recedendo accedendo produceret res, recedendo corrumperet, vel destrueret: [illegible] nec accedit, nec recedit, quantum est de se, ergo non est causa destructiua rerum. ¶ ITEM, solis materialis est inducere lumen, tenebræ vero inducuntur per oppositionem terræ, vel alicuius tenebrosi. Similiter erit de sole spirituali, quod eius [illegible] cere lumen: tenebræ vero, i. defectus esse, non erunt ab ipso, sed aliquo alio.

¶ CONTRA: prima efficiens causa est perfectæ potentię perfecta autem potentia est, cui nihil deesse, vel addi potest sed plus est posse facere quod fit, & quod non fit, quam quod fit tantum: [illegible] primæ causæ efficientis non est tantum facere, sed posse destruere quod est.

¶ ITEM, dicitur. *Ego Dominus [illegible] non alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*, sed creare tenebras, & facere malum, est destruere esse. ¶ ITEM, *Sicut vigilaui super eos vt euellerem, & destruerem, & dissiparem, sic vigilabo super eos, vt ædificem & plantem*: [illegible] eius est euellere, & demoliri & c. primæ [illegible] destruere, quod est. ¶ ITEM, *Bona & mala vita & mors paupertas & honestas a Deo sunt*: ergo à Domino non est solum esse, sed & non esse.

Esaiæ 45.

Hierem. 1.

Ecclesi.

RESOLVTIO.

Defectuum culpabilium sine peccatorum [illegible] Deus causa est. Defectuum inuoluntariorum siue pœnarum non totalis, sed partialis causa dicitur [illegible] demerita [illegible] super nos inducunt. Defectus autem naturales naturam [illegible] [illegible] existentis [illegible].

¶ AD quod respondendum est, quod duplex est defectus, sicut habetur [illegible] Lib. de Lib. arb. [illegible] vterq; defectus proprie est in natura intellectuali [illegible] voluntarius, qui est culpa, & defectus inuoluntarius [illegible] est pœna, præter hoc est tertius defectus naturæ corruptibilis in se, vt q, ignis in se deficit, & plantæ [illegible]. De primo defectu dicendum est, quod prima causa efficiens non est causa illius. De secundo vero dicendum, quod in parte est ab ipso, in parte vero à creatura rationali: & ideo dicitur. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim, vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum*, & postea sequitur. *Iniustitia est mortis [illegible]*. [illegible] vero dicitur.

Aug. in [illegible] de lib. arb.

Eccl. c. 11. August. in quæst. veteris testa. q. 36.

Mors, & vita à Deo: quod exponit Aug. dicens. *Non est Deus actor mortis, sed vindex: quia mortis actor peccatum est: quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui nescit peccare: sed dum peccatis retribuit, ab ipso dicta est mors, cum non ex ipso sit, sed ex hoc, qui peccauit.* De tertio vero defectu, qui est naturæ corruptibilis in se. Dicendum, quod non est in rebus à Deo: sed eo quod res sunt ex nihilo: nihilominus tamen in Deo est potentia destruendi, sicut & construendi.

Idem in lib. 83. q.

¶ Ad secundo obiectum dicendum: quod defectus ille, de quo loquitur Aug. non est defectus pœnalis, in quantum huiusmodi: sed magis culpabilis: vel ille defectus, qui est ex hoc quod res est corruptibilis, ex hoc quod de nihilo, & ex se deficit.

Philosop.

¶ Ad tertio obiectum dicendum, quod propositio illa Philosophi, *Idem similiter se habens &c.* Intelligitur de creaturis mutabilibus, quæ secundum diuersam sui mutationem aptæ natæ sunt agere, vel pati: non autem intelligitur de ipso creatore, qui semper eodem modo se habent, & tamen causa est oppositorum secundum diuersa tempora.

¶ Ad quarto obiectum dicendum est, quod non est simile omnino de sole spirituali, s. Deo, & de sole materiali: à sole enim materiali per absentiam sunt tenebræ materiales. sed à sole spirituali tenebra, siue discessio luminis, quæ est malicia, non est p sui absentiam: sed sui absentia (sicut contingit dicere) est ex ipsa malicia. Quo ad hoc tamen est similitudo, quod sicut tenebra materialis habet aliam causam, vtpote corpus opacum: ita tenebra intelligibilis, scil. peccatum habet liberum arbitrium, quod se auertit à Deo.

Diony.

Cum autem dicit Diony. quod boni est saluare, & mali corrumpere, primo & principaliter intelligendum congruit de corruptione culpabili.

MEMBRVM II.

An primum efficiens necessitate, vel voluntate produxerit res in esse?

AD secundum membrum quæstionis, quo quæritur, Vtrum Deus voluntate, vel necessitate condidit res: (& dicimus necessitatem naturæ, non coactionem) sic obijcitur. Boni ratione bonitatis suæ est bona adducere. vnde

August. in quæst. veteris testa. Diony de diu. nom. Idem de ijsdem.

dicit August. *Bonus est, quia fecit existere, quæ non erat*: & Diony. *Optimi est optima producere*. ergo natura bonitatis summi boni induxit optima ad manifestationem sui in creaturis. Vnde Diony. *Si omnium summa diuina bonitas a sublimissimis, & maximis essentiis vsque ad nouissima peruenit, & adhuc super omnes est, neque his, quæ sursum sunt, anticipantibus eius excellentiam, neque his, quæ deorsum sunt ambitu eius transgredientibus: sed illuminat potentia omnia &c.* si diuinæ bonitatis signatiua imago solum, secundum multam consonantiam & omnia, quæcunq; cum participare possunt, illuminat. Sed bonitas eius idem est, quod natura eius: ergo ex necessitate creaturæ eius condidit creaturas. ¶ Item, si potuit creaturas facere, & noluit, inuidus fuit, vel ad minus non summe bonus (ita obijcit hæreticus.) Si autem voluit, & non potuit; impotens fuit: sed à Deo remouetur impotentia, & potentia in eo summa bonitas: ergo bonitas eius reducit necessario voluntatem.

Aug. in lib. de Ciuit. Dei. 22.

¶ Item August. *Hanc causam s. ad bona creanda bonitatem Dei, hanc causam, tam iustam, atque idoneam, quæ diligenter considerata, & piè cogitata omnes controuersias quæ extinam mundi originem diriment, non viderunt.* Cum ergo Dei bonitas sit causa iusta, & causa iusta sit necessaria, ex necessitate suæ bonitatis bona creauit. ¶ Item Boet. *Quia bonus est Deus, sumus*: ergo bonitas erit ratio necessaria esse rerum.

Boet. Sententia videtur Au. Lib. de Doctrina Christian. Cap. 32. Tom. 3. Aug. 3. de Trin. Cap. 2. in medio. Idem in lib. 83. Quæst. 28 Tom. 4. Idem 24. de Ciuit. Dei. c. 11.

¶ Præterea, per simile potest argui, quod inducit Diony. de igne, & summo bono: ignis enim est calefacere: summi boni producere, & seruare: sed ignis necessitate naturæ suæ calefacit: ergo summum bonum ex necessitate naturæ suæ bona producit, & saluat.

¶ Quod autem voluntate fiant creaturæ, habetur ex hoc, quod dicit Aug. *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium specierum, & motionum, nihil enim fit, quod de intellectuali, atque interiori aula summi Imperatoris non egrediatur.* Et iterum, *Qui quærit, quare Deus mundum voluit facere? quærit causam voluntatis diuinæ: nihil autem est maius voluntate eius, non ergo causa mundi, s. voluntatis alia causa quærenda est.*

¶ Item, *Satis signatur Deum nulla necessitate, nulla sua cuiusquam vtilitatis indigentia, sed sola bonitate. i. bona voluntate fecisse, quod factum est.*

¶ Item, quæ differentia esset inter processionem filij à patre, & processionem creaturæ: si de necessitate naturæ, siue de natura produxisset creaturas.

RESOLVTIO.

Cum Deus à quoquam cogi non possit, non necessitate coacta, sed voluntate gratuita res omnes creasse credendus est.

¶ Ad obiecta ergo respondendum est, quod sua voluntate gratuita condidit creaturas. sicut habetur ex autoritatibus præcedentibus.

¶ Ad aliud verò, quod primo obijcitur in contrarium de necessitate bonitatis. Dicendum est, quod nomen necessitatis non congruè hic dicitur de Deo: vnde Ansel. *In Deo nulla cadit necessitas.* Necessitas enim videtur dicere coactionem: sed nec est necessitas vtilitatis ex parte sua: sicut habitum est in præcedenti autoritate. Si verò dicatur necessitas congruitatis, siue idoneitatis: sicut tangitur in quadam autoritate: tunc potest dici, quod ex necessitate bonitatis condidit res: non tamen videtur congruere, quod dicatur ex necessitate naturæ. Licet enim sit idem bonitas, quod natura eius: tamen si diceretur ex necessitate naturæ: videretur poni talis necessitas: qualis ē in rebus naturalib. In rebus. n. naturalibus ignis ex necessitate naturæ generat ignē, & homo hominē, nō sic autem est, cū creaturæ fiunt à Deo.

Ansel. in lib. Cur Deus homo. lib. 2. c. 5. & 17.

¶ Ad secundum dicendum est, quod cum dicitur: Deus secundum rationem bonitatis creat res in ratione bonitatis vt à bono necessario sit bonum, notatur igitur necessitas ex congruentia causæ finalis, & eius, quod ordinatur ad eam: nec ex hoc sequitur, quod ex necessitate naturæ condiderit creaturas.

¶ Ad illud verò, quod tertio obijcitur, quod bonitas Dei est iusta causa conditionis rerum, & ita necessaria. Respondendum est, quod iustitia vno modo importat debitum, sicut dicit Ansel. & secundum hunc modum non dicitur bonitas Dei causa rei iusta, s. ex debito. Alio verò modo dicitur iustitia secundum congruentiam: quia decet bonitatem eius: & secundum hunc modum dicitur bonitas Dei iusta causa. Vnde in autoritate additur [*idonea*] ad determinationem.

Ans. lib. 1. Cur Deus homo. ca. 11. & 19. & in Dialog. de veritate. c. 13.

¶ Ad quartum vero dicendum est, quod cum dicitur: quia bonus est Deus, sumus: vel bona sunt, quæ sunt ab ipso: notatur ex iam dictis necessitas congruentiæ, quæ est causati ad causam: non autem necessitas inferendi: nam ab æterno Deus fuit bonus, nec ab æterno est bonitas creaturæ. Similiter natura Dei ab æterno fuit bona: nec tamen creatura ab æterno fuit bona.

¶ Ad vltimum dicendum est, quod non est similitudo in agentibus secundum naturam, & in primo agente secundum voluntatem: nam agens secundum naturam producit sibi simile in specie, vel in genere. agens vero secundum voluntatem rectam producit simile. i. proportionabile in dispositione. vt à bono bonum, ab vno vnum, & ita de alijs dispositionibus, quæ conueniunt causæ, & causato. Præterea, licet sit summe bonus: tamen quia in ipso idem est natura, quod voluntas: quæ est summe libera, non creat res, nisi secundum libertatem suæ voluntatis.

MEMBRVM III.

An primum efficiens agat per se, vel aliquo addito?

DEinde dicendum est de tertio membro quæstionis, s. Vtrum agat p se, an aliquo addito? Quod agat aliquo addito, hoc videtur. Prima. n. causa ponit causatum suum in esse: si sit vniuersalis, additur ei aliquid, per quod est propria causa illius: sed causa prima est causa vniuersalis: ergo additur ei aliquid, ad hoc quod sit causa propria huius, vel illius: ergo est causa aliquo addito. ¶ Item, sol non est causa propria huius, vel illius dispositionis: nisi cum additur aliqua conditio super esse solis: maximè in oppositis dispositionibus. cum ergo hoc sit in sole naturali respectu suorum effectuū: pari ratione erit in sole spirituali respectu suorum effectuū. ¶ Item, causa vniuersalis cum sit propria, aut seipsa sit ppria huius causam, vel illius: aut per aliud. Si seipsa sit ppria, hoc non vr: quia aliunde est entitas: & aliunde est pprietas:

ergo

ergo ex alia re videtur esse proprietas: sed seipsa est vniuersalis: ergo alia re, quam seipsa erit propria huius causati, vel illius. Quod etiam videtur in vniuersali, vel particulari in creaturis: vniuersale. n. & particulare ex diuersis rationibus accipiuntur, & particulare addit super vniuersale: Sic ergo erit in supernis, vt vniuersale, & proprium ex diuersis rationibus accipiantur: & proprium huius causati, vel illius addat super causam vniuersalem.

¶ Ad contrarium sic obijcitur, si ageret aliquo addito, vt esset causa, non esset prima causa: nam illud additum, aut esset prima causa, aut causatum: cum vna sola sit causa prima: illud autem causatum exit in esse, non nisi per causam primam: sed est causa vniuersalis: ergo aliquid additur ei ad hoc, q́ sit propria causa illius: & iterum quæritur de illo: & ita erit abire in infinitum: aut oportebit stare in primis, vt non sit causa illius causati, vel istius aliquo addito: ergo erit per se causa. ¶ Item, in aliquibus causatis agentibus apparet, q́ per se agant: vt sol per se illuminat, & ignis per se generat ignem: ergo cum nobilior sit actio primę causę, quam actio alicuius descendentis ab ipsa, ergo erit actio primæ causæ per seipsam. ¶ Item, cum sit causa, quæ dat esse: & iterum causa, quæ dat motum: nobilior est causa, quæ dat esse quam illa, quæ facit motum tantum. Sed in causis facientibus motum est aliqua, quæ per se facit motum: vt in motore sphetæ supercœlestis: ergo aliqua erit earum, quæ dant esse, quæ per se det esse: sed quæ per se dat esse, nobilior est ea, quæ aliquo addito dat esse: cum ergo nobilior dispositio attribuenda sit primæ essentiæ: erit illa conditio causæ, quæ per se dat esse. ¶ Item est causa per se, & causa per accidens. Causa verò per se, quæ agit per naturam & per intellectum, habet à causa prima, quæ Deus est, quod agat: ergo causa prima per se multo fortius agit, quam causa secunda.

RESOLVTIO.

In his, quæ sunt per creationem primum efficiens, scil. Deus seipso tantum, nec aliquo addito agit.

¶ Ex his ergo concluditur, quod causa prima per se agit, non aliquo addito in his, quæ fiunt per creationem: hęc enim sunt prima causata. ¶ Ad iam dicta respondendum est, quod per se agere, dicitur secundum plures modos. Dicitur. n. per se agere, hoc est per suam naturam agere, dicitur etiam per se agere, per suum intellectum, & voluntatem agere. Primo ergo modo non dicitur per se agere producendo causata: non enim de sua natura producit. Secundo modo dicitur per se agere, quia per suum intellectum & voluntatem agit: & secundum hunc modum Deus dicitur per se agere, excludendo per accidens agere, item excludendo agere per aliud in primis causatis: In sequentibus verò causatis non sic est: sed agit aliquo modo non propter sui insufficientiam, sed propter causatorum rectam ordinationem, quorum quædam sunt nobiliora: quædam verò minus nobilia.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur: quod in infinitum esset abire, si prima causa esset ab aliquo addito causa. Respondendum est, q́ aliter est in primis causatis, & consequentib. In consequentib. n. nõ est incõueniẽs ponere additionẽ cã; in primis vero est inconueniens ponere additio[illegible] causæ. Vnde in illis attendendum est, quod causa prima vniuersalis seipsa est propria horum causatorum: hæc autem additio super vniuersale, non est per aliquid extrinsecum, sed per voluntatem eius, quod est idem quod essentia eius, qua vult facere rem nunc, & hoc nunc non est nunc æternitatis, sed temporis, siue æui.

¶ Ad id vero, quod obijcitur ex alia parte, quod aliunde est causa vniuersalis, & aliunde propria: Dicendum, q̃d non sic est in causa prima vniuersali, quæ se appropriat, & causis consequentibus, quæ inueniuntur in causatis, in quibus aliunde est communitas, aliunde est proprietas. Primum enim (sicut dicit Boet.) est forma sine materia, & conditionibus particulantibus, quæ sunt in materia, vel subiecto: & ideo non habet proprietatem ex illo modo, quo dicitur in creaturis: sed sua voluntate est actio, quæ causam vniuersalem appropriat, & licet illa actio sit ipsa voluntas, & voluntas sit æterna actio, tamen est cum ipso nunc temporis.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est simile de sole materiali, & causa prima, sol enim materialis secundum diuersum sui situm, vel rerum recipientium sui effectum, vel communicantium diuersos producit effectus. Sol verò spiritualis ab omni diuersitate situs abstrahitur: & propter hoc non est actio eius procedens in causata, actio naturalis: sed cum indifferens sit secundum essentiam, secundum actionem voluntariam ea producit.

QVÆSTIO VI.

De causa prima in actu.

In duo Membra, & quinque Articulos diuisa.

Dictvm est supra de causa prima, secundum substantiam, & secundum rationem: sequitur de ipsa causa in actu. Ad causam vero in actu duo pertinent quærenda. Primo de ratione causæ in actu, prout dicitur Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia &c.* Secundo de ipsa actione qua causa est in actu suo: prima actio ad ipsam essentiam videtur referri: actiones verò appropriati personis diuinis, quæ sunt vnius essentiæ. Primo ergo fiat sermo de illis rationibus, quæ per illas præpositiones designantur. Et potest quæri, quæ differentia sit illarum rationum inter se: & quare illæ ponantur, & non aliæ, quæ per alias præpositiones designantur, aut si sint aliæ, quæ sunt illæ, & quare non plures, quam tres? D. Thom. 1. par q. 39. art 8. & q. 44. & q. 45 ar. 6. & alibi plures S. Bon. in 1 d. 36. & in 2. d. 1. Sco. ibid.

MEMBRVM I.

An, & quomodo de prima causa, siue Deo, dicatur: illud Apostoli: Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia?

Ad primvm sic potest obijci: hæc præpositio [ex] designat conditionem causæ materialis: sed conditio causæ materialis non conuenit primæ causæ: ergo non est dicendum, quod ex ipsa sunt omnia. ¶ Item cum dicuntur omnia esse in ipso, continentia formæ intelligitur; sicut cum dicitur *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Quod autem ipse sit forma omnium, habetur in fine lib. de vera relig. forma est omnium, quæ ab vno facta sunt, & ad vnum nituntur, & loquitur ibi de summa veritate. ¶ Item, hæc præpositio [*per*] dicit rationem efficientis, ergo videntur designari hæ tres rationes causæ, efficiens, formalis & materialis: sed hæ tres non coincidunt in vnam essentiam: ergo non sunt rationes primæ causæ causantis in actu. Act. 17.

¶ Præterea ordo verborum non permittit has rationes causæ: ratio enim causæ, materialis non est ante efficientem: nec ratio efficientis in actu ante formalem: formalis enim secundum quantitatem est efficiens.

¶ Item dicitur, *Qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis:* vbi alia præpositio primo ponitur: aliæ verò duæ manent. ¶ Similiter, *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant:* vbi ponitur hæc præpositio [*ante*] sed præmittitur præpositio, per. Quid ergo dicendum est de ordine istarum rationum: & differentia præpositionum, & quod ad Col. geminatur hæc præpositio, in: aliæ verò non geminantur. ¶ Item in Lib. de Diuin. nom. dicitur quod omnis status & motus est ex ipso, & in ipsum, & per ipsum, & propter ipsum, & alia translatio dicit, & omnis statio, & motus est ex quo, & in quo, & ad q̃d, & cuius gratia: vbi ponit [*in quo*] loco eius, quod est per ipsum. ¶ Item, alibi dicit, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & in ipsum sunt omnia*, vbi quatuor videtur designare rationes. Ephes. 4. Ad Col. 1.

¶ Præterea dicitur, ad Rom. 11. in Glos. *Ex ipso, dicimus propter patrem, per ipsum, propter filium, in ipso propter S. S.* quæ ratio est ap̃ppriandi ista tria his tribus personis: quare enim dicitur, quod ex parte sint omnia, potius quam de patre: & quare potius ex patre, quam ex filio, vel ex spiritu sancto? cum illud, quod conuenit vni personę per effectum in creaturis, conueniat & alijs. Glos. ord. & interl. ad Ro. 11.

RESOLVTIO.

Ex ipso notat originem, signatq́; potentiam patris. In ipso, continentiam bonitatis, quæ S. S. tribuitur. Per ipsum efficientiam ab alio quæ filii est. Et ita in hac appropriantur, vt etiam communia sint omnibus tribus.

¶ Respon. est, quod cum dicitur. *Ex ipso*, non notatur

Aug. li. de fide & sym. cap. 9. & Lib. de natura boni aduersus Manich. c. 27 & 28. & Lib. 1. de Trin. c. 6. Sap. 1.

conditio, causæ materialis: sed notatur origo: vnde August. super illud. *Ex ipso &c. In illa Trinitate summa origo est omnium, & perfectissima pulchritudo, & beatissima delectatio:* vbi nomine originis vult appropriare quod est patris ratione potentiæ. Hoc autem, quod dicitur [*in ipso*] non sumitur ratione continentiæ, quæ refertur ad causam formalem exemplarem: sed ratione continentiæ, quæ conuenit bonitati, quæ appropriatur spiritui sancto: secundum quod dicitur. *Hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Hoc autem, quod dicitur [*per ipsum*] appropriatur filio: licet dicat causam efficientem, est enim causa efficiens, quæ habet ab alia persona, quod sit efficiens: & secundum hanc rationem dicitur de filio: filius n. habet à patre, quod sit efficiens: & quia per verbum facta sunt, quæ facta sunt: ideo conuenienter appropriatur personæ alij: Non tamen sic hæc appropriantur, vt non sint communia omnibus: vnde Amb. *Id vigilanter attende, ne sic intelligas omnia esse ex patre, vt neges esse ex filio, vel S.S. cum ex patre, & per patrem, & in patre omnia sane dici possint, similiter & de filio & S.S. dici potest.*

Amb. in li. de Trin. Habetur in Glo. ordin. Rom. 11.

¶ AD illud verò, quod obijcitur secundo. Dicendum est, quod hæc præpositio [*per*] licet dicat causam efficientem, vt frequenter non tamen semper: sed designatur ratio exemplaris, per quam, & secundum quam res fiunt. Aliter tamen exponit Orig. in patte sup epist. ad Rom. Quod dicit [*ex ipso*] hoc ipsum quod sumus, indicat. Quod [*per ipsum*] per eius prouidentiam dispensamur in vita. Quod autem dicitur [*in ipso*] perfectio omnium & finis designatur.

Orig.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de hoc, quod aliæ differentiæ notantur. Eph. 4. Dicendum est, quod hoc est secundum aliam appropriationem factam patri: sicut ibi tangit Gloss. Super. n. dicitur pater: quia nō habet aliunde, quod omnes creaturas excellat: vnde ratione excellentiæ, quæ conuenit ratione originis, dicitur pater esse super omnia: filius verò, per quem, quia per ipsum fit reparatio S.S. vero est, cui attribuitur esse in omnibus, nobis per gratiam, in alijs vero creaturis per essentiam.

Ad Col. 1.

¶ AD illud vero, quod dicitur de differentia posita, ad Col. 1. vbi primo dicitur, *Omnia per ipsum creata sunt, & in ipso &c.* Dicendum, quod ly per, notat ibi efficientiam, quæ est aliunde, quæ appropriatur filio. In ipso, vero notat immensitatem ipsius: vnde dicit Glos. cum non excedunt, quia immensus est, vt non vocetur filius ex tempore: sed ante omnem creaturam. Per immensitatem dicitur etiam esse ante omnes: vt ostendatur excellentia eius in dignitate super creaturas. Hæc omnia ergo attribuuntur filio: sed diuersis rationibus, vt notetur causalitas secundum substantiam, immensitas secundum continentiam virtutis, excellentia vero ratione dignitatis. Quod autem sequitur [*& omnia in ipso constant*] refertur ad continentionem bonitatis.

Diony. de diu. nom. p. 1. c. 4. post med.

¶ AD illud vero, quod dicit Diony. vbi ponuntur quatuor, ex ipso, & per ipsum &c. Dicendum est, quod prima ratio designata per hanc præpositionem [*ex*] attribuitur patri ratione originis, quæ est potentiæ: per ipsum, ipsi filio ratione sapientiæ: in ipsum verò, & propter ipsum, spiritui sancto ratione bonitatis: quæ duplicem habet proprietatem, s. quod terminat & finit. Et hoc patet per hoc, quod in alia translatione dicitur, ex quo, quod pertinet ad originē: in quo, quod pertinet ad formam exemplarem sapientiæ: ad quod, quod pertinet ad rationem termini, cuius gratia, quod pertinet ad rationem finis: & hæc duo complectitur bonitas. Et similiter potest exponi illud, quod ibidem dicitur: ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & in ipsum, vt in ipso, & in ipsum, ad bonitatem terminantem & finientem referantur: reliqua verò approprientur, sicut dictum est.

¶ AD illud verò, quod vltimo obijcitur de appropriatione facta, ad Rom. 11. Dicendum est; quod aliud in scriptura sonat, esse ex ipso, & aliud, esse de ipso: nam ex ipso dicuntur esse creaturæ, non autem de ipso: hic tamen quod dicitur [*ex ipso*] commune est, vnde Glos. quod de ipso est, potest dici esse ex ipso: non autem omne, quod est ex ipso, est de ipso: quia non est de substantia sua: ex ipso enim sunt cœlum & terra, quia ipse fecit ea: non autem de ipso, quia non de substantia sua.

MEMBRVM II.

De actione, qua causa est in actu suo primo, scilicet de creatione.

D. Th. 1. p. q. 45. S. Bon. in 2. d. 1. ar. 1. Sco. ibid. & in 2. q. Quodli.

CONSEQVENTER dicendum est de ipsa actione, secundum quod causa dicitur esse in suo actu primo. Est autem illa actio creatio. Circa verò creationem quæruntur hæc. Primo, vtrum creare est facere. Secundo, vtrum sit primus actus actuum diuinorum, vel dignior alijs. Tertio, vtrum sit idem quod essentia diuina. Quarto, vtrum creare sit proprium Dei. Quinto, vtrum sit ex tpe, vel cum tempore, vel ante tempus. Sexto, an Philosophi peruenerunt ad notitiam creationis.

ARTICVLVS I.

An creare sit facere?

AD PRIMVM sic obijcitur: quæ dicuntur de Deo, secundum modum alicuius prædicamenti dicuntur: cum ergo creare dicatur de Deo, secundum modum alicuius prædicamenti dicetur: non nisi secundum rationem actionis: ergo creatio est actio & creare est agere. ¶ ITEM Aug. in Li. de Ciu. Dei, exponens illud, quod dicitur. In principio creauit Deus cœlum & terram: hoc est, vel quia primo fecit, vel quia in verbo vnigenito fecit: ergo creare est facere. ¶ Præterea dicitur in Ps. 95. Qui fecit cœlum & terram: mare, & omnia, quæ &c. Ibi Glo. omnia dicit, ne quem alium putes creatorem, ergo creare est facere.

Esa. 45. Aug. in lib. de morib. Manichæorum l. 2. cap. 7. Tom 1. Item in li. contra aduersarium legis & prophetarum. Gen. 1. Deut 3. & seq.

¶ CONTRA. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Quod exponens Aug *propter hoc quod in quadam translatione ita inuenitur: ego facio bona, & condo mala. Facere est omnino quod non erat: condere autem siue creare est ordinare, quod illud, quod vtique iam erat, melius sit.* ¶ ITEM, *Facere est, quod omnino non erat. creare verò, ex eo, quod iam erat, ordinando aliquid construere.* Ideoq; luco hoc dictus est Deus, creans mala, quo peccantibus ea conuertit in malum: quæ bonitatis eius largitate facta sunt bona. ¶ Econtra videtur designati per hoc quod dicitur in principio Geneseos, vbi primo dicitur. *In principio creauit Deus cœlum & terram:* & post sequitur. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux:* & ita de alijs, ecce creare, & facere. Ex quo designatur, quod creare est ex nihilo, facere ex aliquo. ¶ Similiter super illud in Cant. Deuter. *Qui possedit, & fecit, & creauit.* Glos. præposterus ordo: primo enim creauit Deus, disponendo vt esset: secūdo fecit informando, tertio possedit dominando. ¶ ITEM alia Glossa, creauit, dum naturam, vnde formari possit, condidit: fecit, cū ad imaginem formauit: possedit, cum per fidem sibi vendicauit, ergo prius est naturaliter creare, quam facere. ¶ Sed quid est, cum dicitur in Psal. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: vbi dicit quædam Glos. dixit, *& facta sunt*, præmittendo [*esse factum*] ei quod est [*esse creatum.*]

RESOLVTIO.

Si creare accipiatur proprie, pro eo quod est ex omnino nihilo aliquid facere, ne vtiquam idem est, quod facere. Secus si communiter sumatur.

Psal. 32. Isa. 45.

¶ AD quod respondendum est, quod creare, dr multipliciter: propriè. n. dr, ex nihilo facere, sed sicut esse ex nihilo, dr differenter, ita creare dicitur differenter. Vno modo dr creare, omnino de nihilo facere, & secundum hoc dicitur, In principio creauit Deus cœlum & terram. Alio vero modo dicitur de nihilo facere, cum recreat, hoc enim est, de non esse culpę reducere ad esse gratiæ, & secundum hoc potest illud dici, quod dicitur in illo. *Exultate iusti in Domino,* in illo versu, *Dixit & facta sunt:* dicuntur enim ibi creata, quæ per gratiam sunt recreata. Tertio vero modo dicitur creare, cum illud, quod deficit, in bonum conuertitur, & hoc est malum ad bonum ordinare, & sic accipitur, cum dicitur, *Ego Dominus faciens bonum, & creans malum,* mala enim in bonum conuertit. Nihilum ergo dicitur tripliciter: vel quod omnino nihil est, vel quia nihil est ratione culpæ, vel quod nihil est ratione pœnæ: Et per hoc solui possunt ea, quæ obiecta sunt secundum diuersas acceptiones eius, quod est creare.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An creare sit primus, & nobilissimus diuinorum actuum.

AD secundum procedendum est: & primò obijcitur, quòd non est creatio prima actio. Nobilior enim est actio, quæ habet bonum in principio, & bonum in termino, quàm quæ habet bonum tantum in termino. Sed creatio habet bonum in termino, non in eo, ex quo. aliæ vero actiones habent bonum vtrobique: ergo aliæ actiones sunt nobiliores. ¶ ITEM creatio, secundum quod dicitur, *In principio creauit Deus,* & terminatur ad informe: Vnde Aug. *Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est cœlum, & terra,* cum dicitur, In principio creauit Deus cœlum & terram: *non quia hoc iam erat, sed quia esse poterat: nam postea scribitur [illegible].* Sed facere terminatur in id, quod habet speciem: [illegible] dignior est actio, quæ nomine eius, quod est, fieri, [illegible] natur.

¶ CONTRA, nobilior est actio, quæ [illegible] esse in quantum [illegible] modi, quam [illegible] reliqua additio [illegible] in prima causa, & vnum [illegible] plus influit [illegible] causatum quam causa secunda, [illegible] causa prima in- [illegible] eis: ergo nobilior est actio: sed actio illa est creatio: [illegible] creatio est nobilior alijs actionibus. ¶ ITEM, actio quæ [illegible] ex vno sibi sufficienti, est dignior actione, quæ re- [illegible] necessario multa: sed aliæ actiones exigunt necessario multa: creatio verò ex vno est: ergo creatio est dignior.

RESOLVTIO.

Cum creatio sit simplicissima actio, à simplicissimo & præstantissimo principio iure cæteris actionibus nobilior æstimanda est.

¶ RESPONDENDVM est, quod creatio dignior est alijs actionibus propter simplicitatem ex parte actionis, & principij.

¶ AD obiectum verò in contrarium primò dicendum est: quod licet creatio non habeat in vtroque suo termino ens, siue bonum, non propter hoc est minus nobilior: sed eo nobilior, quo non quærit sibi materiam subiectam: non [illegible] ex parte sui principij habet imperfectionem: sed quia principium ex superaffluentia, alia producit ex nihilo. Est tamen distinguendum, & quòd sumpta actione quodam generali modo (si licet dicere) nobilior est aliqua actio, quæ est de existenti, quam illa, quæ est de nihilo: sed illud existens est ante nihil, siue nō aliquid. Vñ dicēdo, quòd spirare, vel generare [illegible] (vt nō ociosa dicatur Dei bonitas ab æterno: sicut philosophi, vel heretici obijciunt) erit actio sic dicta nobilior creatione. Si verò accipiatur actio de præexistenti, quòd fiat [illegible] nihilo, erit creatio nobilior actio, vel actionibus illis con[illegible] generatio ergo æterna nobilior est: agens vero de præexistenti materia minus nobile.

¶ AD illud vero, quòd obijcitur: quod actio dignior est, cuius terminus est dignior: & ita facere dignius, quam creare. Dicendum est, quod licet creare * recipiat materiam informem, nihilominus tamen & ea, quæ formata sunt, & formæ eorum creatæ sunt. Vnde Aug. *Rectissime creditur, Deum omnia de nihilo fecisse: vt ordinatissimo Dei munere primo capacitas formarum fieret ac deinde omnia quæ formantur.* Item, *Non temporali, sed causali ordine prius facta est informis formabilisque materies, & spiritualis & corporalis nec instituta est, nisi ab illo summo Deo, ex quo sunt,* secundum illud. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.*

* Alias, respiciat.

Aug. in lib de symb. Idem sup. Gen. ad literam. lib. 1. c. 11. Eccl. 18.

ARTICVLVS III.

An creatio sit idem quod Deus, siue essentia diuina?

AD tertium verò articulum sic est procedendum, quo quæritur, Vtrum creatio sit ipse Deus, siue diuina essentia. Quod non sit idem: creatio enim non fuit ab æterno nunc æterna: creatio enim est, cum creatum est, sed diuina essentia est æterna: ergo non sunt eiusdem essentiæ: non ergo hæc prædicabitur de essentia illius. ¶ ITEM, creatio multiplicitatem quandam in effectibus recipit, cum dicitur huius, vel illius: diuina vero essentia nullatenus recipit multiplicitatem: ergo non est essentia huius essentia illius.

¶ CONTRA, [illegible] simplicitas est in Deo [illegible] actio est sua potentia, & sua essentia [illegible] secundum substantiam dicuntur: ergo creatio cum sit actio diuina, erit ipsa diuina essentia.

¶ ITEM, in simplici non differunt [illegible], & quod est sed quod creat, et creatione creat [illegible] in Deo, quod creat, & quo creat [illegible] substantia, [illegible] est, quæ creat: ergo est ipsa creatio.

RESOLVTIO.

Deus, cum summe simplex [illegible] [illegible] quod [illegible].

¶ QVOD concedendum est. ¶ Ad obiectum vero in contrarium respondendum est, quod licet creatio [illegible] æternum ratione eius, quod est ex nihilo, vel ratione [illegible] nihilominus tamen æternum potest [illegible] ratione ipsius essentiæ creantis, & ipsa potest dici de æterno: connotatur. n. effectus temporalis: sed supponit [illegible] actio, quæ in Deo idem est, quod Deus.

¶ AD secundum obiectum dicendum est, quòd licet creatio multiplicitatem quandam habeat ex parte effectuum, non tamen dicitur diuina essentia multiplex, quę eadem est secundum rem: non. n. dicit respectum aliquem ad creaturam. Et ne crederetur multiplicitas aliquo modo esse in essentia diuina, non dicitur creatio actio multiplex. Et licet non æternum dicatur de æterno, cum dicitur, diuina essentia creat, non tamen dr̃ diuina essentia variabilis: eo, quod nunc creat, nunc non creat. creare enim non dr̃ æternum, ex parte, qua respicit creatum, sed ex parte, qua respicit diuinam essentiam. Et ita licet creatum dicatur mutabile, qđ est vnum extremum in ratione dicendi, non propter hæc diuina essentia est mutabilis, quæ est alterum extremum: ex qua parte non est mutabilitas.

ARTICVLVS IV.

An creare solius Dei proprium sit?

AD quartum articulum, An sit proprium solius Dei.

¶ AD quod sic obijcitur: triplex est potentia, volendi omne bonum, sciendi omne vnum, faciendi de nihilo. Sed duplicem potentiam contulit, & conferre potuit alicui creaturæ, ergo & tertiam potentiam similiter potuit conferre. ¶ ITEM maius, vel æquale est dimittere peccata, quam creare cœlum & terram. sed potentiam dimittendi peccata potest conferre ministris ecclesiæ, & contulit Christo homini: ergo potentiam creandi potuit conferre.

¶ ITEM, diuina essentia, quæ est causa secundæ bonitatis: vt esse bonum in genere, vel in specie: quod non repugnat creaturæ, contulit alicui creaturæ. Aut ergo potentia creandi repugnat, aut non repugnat. Si non repugnat, contulit: si verò repugnat in quo est [illegible] repugnantia: nullum enim genus oppositionis videtur importare.

¶ CONTRA, super illud [illegible] *mandauit, & creata sunt,* Gloss. facere nos possumus, sed non creare: quod proprie est de nihilo, aliquid facere: [illegible] ergo solus creat: quod proprium est deitatis. ¶ ITEM, actio procedens à substantia, non est nobilior ipsa substantia: sed res procedens ex nihilo, minus nobilis est, quam actio, secundum quam procedit res ex nihilo, sed creatio est huiusmodi actio: ergo cum sit nobilior, non procedit ab aliqua re creata tanquam à principio: ergo, & potentia creandi, cum sit prior ipsa actione, disconuenit à substantia creata: non ergo est aliqua creatura habens potentiam creandi ex natura [illegible] quod enim Christus habuit potentiam creandi, hoc fuit ratione diuinæ essentiæ.

Psal. 32. Glo. ordinaria: & est Bedæ initio Gē. sup illud in principio creauit Deus, &c.

RESOLVTIO.

Cum creatio sit actio [illegible], alij à Deo conuenire [illegible].

¶ QVOD concedendum [illegible] secundum Aug. *Sicut nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores fructuum: quamuis eorum extrinsecus [illegible], Dei virtus ista creandi interius operetur: ita non solum malos, sed etiam bonos angelos nephas est putare creatores.* Eadem sententia habetur super Gen. ad literam.

Aug. de Trin. l. 3 c. 8 per totum. Tom. 3.

¶ AD obiectum in contrarium dicendum est, quòd non est simile de potentia creandi, & de potentia sciendi, vel volendi:

lendi: hæ enim potentiæ non repugnant creaturæ intellectuali: sed sunt ad perfectionem eius: potentia verò creandi repugnat, cum sit nobilior substantia creata.

¶ Et si obijciatur de potentia Dei, vtrum posset dare: Dicendum, quod sicut posse Dei non est ad faciendum meliorem se, ita nec ad faciendum creaturam parem sibi: nec ad dandum proprietatem suam: vtpote quod creatura sit vbique: quod est proprium Dei: sic nec quod potentia creandi res, sit creaturæ. Si etiam potentia creandi omnia, quæ est Dei, attribueretur creaturæ, haberet potentiam creandi se, & ita esset causa suijpsius: habet tamen aliqua creatura potentiam sciendi omnia: vt anima Christi: non ergo simile est de potentia, & scientia. Et si dicatur, nunquid est Deus impotens? Respondendum est, quod non: posse .n. quod non decet, non est posse.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de potentia dimittendi peccata, quæ est æqualis, vel maior, quam creare. Respondendum est, quod est duplex potentia dimittendi. Est enim potentia delendi ipsam culpam: & hæc est propria Dei. Vnde, *Ego sum, qui deleo iniquitates propter me.* Est potentia dimittendi peccatum ratione pœnæ: & hanc potuit concedere creaturæ: & concessit Christo homini: Iudæi verò, qui non crediderunt ipsum esse Christum, dicebant ipsum blasphemare, cum dicebat. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* Respondit autem Christus, vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: ait paralytico: *Surge &c.* post sequitur. *Et glorificauerunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.* Vbi dicit Hieron. *Nescientes vnum, dicebant quia nullus potest dimittere peccata, nisi Deus: quia per eos dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem.*

Isaiæ 43.

Matth. 9.

Hieron.

¶ Ad tertio obiectum dicendum est: quod ex fœcunditate bonitatis diuinæ est dare alicui creaturæ secundum suam virtutem, s. creaturæ. Sed potentia creandi (sicut dictum est) non conuenit virtuti creaturæ: imo repugnat. Vñ non decuit diuinam bonitatem eam creaturæ conferre, vt esset ex virtute creaturæ. Quod enim dicitur de Christo. Puer ille creauit stellas: ratione personæ diuinæ attribuitur, quæ communis erat diuinæ creaturæ, & humanæ.

ARTICVLVS V.

An creatio sit cum tempore, vel ex tempore, vel ante tempus?

AD quintum articulum, Vtrum creatio sit cum tempore, ex tempore, vel ante tempus. ¶ Ad quod arguitur sic. Creatio actio inquantum actio, non est æterna: sed qd non est æternum, non commetitur se æternitati: commetitur se ergo tempore (& sumamus tempus largè ad æuum) ergo creatio fuit cum tempore.

¶ Item, cum Deus creat hanc animam, creatio est in hoc nunc: sed ante hoc nunc fuit aliud nunc temporis: sed omne, quod est in nunc temporis, quod habet aliud nunc temporis ante se, est in tempore. ¶ Item, quod exit in esse, cum prius non fuerit, est cum tempore, sed creatio exit in esse, cum prius non fuit: ergo est in tempore, vel cum tpe.

¶ Contra: quod est principium temporis non est in tempore, nec cum tempore propriè: sed creatio est principium temporis: ergo non est in tempore, vel cum tempore propriè: principium enim non parificatur ei, cuius est principium: sed quod est cum alio, inquantum huiusmodi, associatur ei: ergo principium creatum non erit cum tempore sed ante tempus.

RESOLVTIO.

Creatio actio nec est in nunc temporis, nec post nunc, nisi quò ad terminum temporalem, quem respicit.

¶ Ad quod dicendum (per hoc, quod dicit Aug.) *Ego, sicut dominum Deum, aliquando dominum non fuisse, dicere non audeo, sed semper fuit dominus: erat quippe ante illam,* scil. creaturam, quamuis nullo tempore sine illa sit: creatio actio non est sine tempore (& comprehendo sub tempore nunc, quod est principium temporis) non tamen est in tempore, cum sit actio Dei prima in creaturam: Nec cum tempore propriè dicitur, quia non ei associatur, vel parificatur: sed non sine tempore. i. sine nunc temporis. Ante vero dicitur esse ratione causalitatis.

Aug. 12. de Ciuit. Dei, c. 15. in primis verbis. Tom 5.

¶ Ad id autem, quod obijcitur de creatione huius animæ. Respondendum est, quod creatio actio, quæ Dei est, & Deus est, nec est in nunc temporis, nec post nunc quo ad hoc: sed quo ad terminum temporalem, quem respicit, est post nunc temporis, non quod causam habeat tempus: sicut est de rebus, quæ creantur mediante primo motu.

ARTICVLVS VI.

An Philosophi lumine naturæ agnoscere potuerint verum creationem?

SExtus articulus, Vtrum philosophi habuerint posse ex ductu rationis ad cognitionem creationis. Quod videtur per hoc, quod dicitur. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas.* Cum ergo diuinitas, & virtus Dei diuina cognosci poterant ductu rationis: multo fortius ipsa creatio, quæ non est æterna. Et dicit Glos. quod per naturalem rationem, & creaturę reuelationem cognouerunt. Reuelationem autem dicit per opera creationis, quod videtur per hoc, quod Philosophi posuerunt creatorem esse, sicut dicit Auicenna in sua prima philosophia. Si fuerit eius esse post non esse, absolutè tunc aduentus eius à causa, erit creatio, & hæc est dignior omnibus modis dandi esse: quia priuatio remota est omnino & inducitur esse. Sed si ponatur priuatio taliter, quod esse præcedat* eam, tunc generatio est impossibilis, nisi ex materia, & inductio esse, s. esse, res ex re, quod est debile, & breue* futurum. ¶ Item, dicitur in Lib. de cœlo & mundo, *Per hunc numerum adhibuimus nosipsi magnificare Deum vnum creatorem eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata:* & loquitur ibi de ternario signante trinitatem. Ex quo accipitur, q philosophi peruenerunt ad cognitionem creatoris, inquantum creator est. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod in symbolo ponitur articulus, *Creatorem cœli & terræ:* sed ea, quę fidei sunt, supra rationem sunt: non ergo ex ductu rationis est peruenire ad illud. ¶ Item, ratio decurrit ab ente ad ens: qualiter ergo perueniret ad cognitionem creationis, secundum quod creatio est ex nihilo? ratio enim non potest quiescere in nihilo: quiesceret autem, si vltimò veniret ad creationem, quæ est exitus in esse de nihilo.

Rom. 1.

Glossa.

* Alias causa.

* Alias, fundamentu m.

1. Col. 3. & 6.

RESOLVTIO.

Potuissent, si vltra materia considerationem progressi essent.

¶ Respondendum est, q triplex est cognitio, per inspirationem, per scripturarum declarationem, & operum reuelationem: omnibus istis modis contingit venire in cognitionem creationis. Primo per inspirationem fidei, cum fides ponat creationem. Item per scripturarum diuinarum inspectionem, quæ est ex lege, prophetis, & euangelio. Item per operum reuelationem. Nam reuelatio operum indicat omnipotentiam esse in Deo: omnipotentia verò ponit creationem, s. productionem de nihilo: nam si non posset producere nisi ex aliquo, non esset omnipotentia: cum maior potentia possit intelligi secundum veritatem: & ita alia non esset omnipotentia. Præterea si potentia esset alligata materiæ: non esset omnipotentia: creatio ergo est actus omnipotentiæ. Quod autem quidam philosophi non peruenerunt ad cognitionem creationis, hoc est, quia non ascenderunt vltra rationem materiæ. Quod etiam peruenerunt tum ex scripturis, tum ex operum considerationibus: patet p hoc, quod dicitur in 7. Lib. Confessionum: *Vbi dicitur, Procurasti mihi per quendam hominem quosdam Platonicorum libros, ex græca lingua in latinam versos, & ibi legi, non quidem iisdem verbis, sed hoc omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod,* In principio erat verbum: & verbum erat apud Deum; vsque ad illud: *& mundus eum non cognouit.* Quod autem sequitur, *In propria venit, & sui eum non receperunt &c.* Et iterum: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* non ibi legi. Ex quo patet certum, quod ex scripturis, tum ex rationibus cognouerunt, quod omnia per verbum facta sunt, quod solo verbo fecit omnia: & ita materia, & non de ipso, quare de nihilo.

Aug. in 7. Confess. Cap. 9. Tom. 1.



QVÆSTIO VII.

De proprietatibus creaturarum in comparatione ad causam.

In septem Membra diuisa.

D. Thom. 1. par. q. 5. art. 5. S. Bon. in 2. d. 5. & 38. art. 1 q. 1. Seo. in 1. d. 8 q. 1. & in Quotl. q. 13.

TRANSEVNDVM est consequenter ad considerationem creaturæ in fieri ratione proprietatum, siue per se accidentium. Quæritur ergo de illis proprietatibus, siue per se accidentibus, quæ relinquuntur ex rationib. causarũ, siue causatis: sub diuersis rationib. quæ sunt, mẽsura numerus, & pondus: & posthoc de vestigio: deinde de per se accidenti, quod concomitatur ipsum fieri: demum de per se accidenti, siue proprietate; quæ est creati inquantum est ex nihilo. Primo ergo dicendum de his tribus conditionibus, quæ sunt in cõparatione ad causam sub septem membris: Et primo quærendum est, quid his rationibus designetur. Secundo, vtrum conueniant creaturæ vniuersaliter. Tertio, vtrum solum conueniant creaturæ. Quarto, ex qua parte accipiantur. Quinto; quare tot sunt, & non plures. Sexto, vtrum creatura sine his possit intelligi, vel esse, secundum quod est in fieri. Septimo; gratia istarum dispositionum ad alias, quæ videntur conuenire.

MEMBRVM I.

Quid his tribus designatur, scil. mensura, numero, & pondere?

Aug. super Gen. c. 3. & c. 10. 5. Sapien. 11. Gloss.

CIRCA primum sic procedendum est: dicit Augustin. *Mensura est illud, quo aliquid metimur. Numerus vero, quo numeramus, Pondus quo appendimus*: Super illud autem. Sapien. 11. *Omnia in mensura*, &c. Gloss. in mensura qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio consideratur: sed hæ distinctiones non videntur inter se cõuenire: nam mensura in quantitatibus determinatur, quemadmodum, & numerus: mensura n. ad quantitatem continuam refertur; sicut & numerus ad discretam. ¶ ITEM, sicut Aug. *Numerus omni rei speciem præbet*: ergo ex parte qualitatis videtur accipi: non ergo rectè dicitur in numero quantitas. ¶ ITEM, si mensura, & numerus recipiuntur secundum quantitatem & qualitatem, penes quid accipietur pondus: cum non sint nisi tria, scil. quantitas, qualitas, relatio; penes autem relationem non videtur accipi: pondus enim est quantitas, vel qualitas; vt secundum maiorem quantitatem, vel minorem feratur deorsum: inquantum plus habet de materia: vel secundum quantitatem grauitatis, quæ est conditio materialis: & ita videtur secundum proprietatem omnia ad quantitatem referri: vt numerus ad discretam quantitatem: mensura ad continuã: pondus vero ad motum: quæ secundum Philosophum inter continuas quantitates numeratur. ¶ SED obuiat hic q; dicit Aug. *Numerus omni rei speciem præbet, mensura modum præficit: pondus vero in suo loco ordinat, & quiescere facit*: sed ista tria, sc. modus species, & ordo, non accipiuntur ex parte quantitatis, sed magis ex parte qualitatis.

Aug super Gen. lib. 4. cap. 3.

12. Metaph 41. Aug. super Genes.

RESOLVTIO.

Mensura dicitur dispositio, secundum quam res est in se finita, quantum ad esse & virtutem: numerus, inquantum habet formam & speciem, qua ab alia re secernitur, pondus dispositio, secundum quam ordinatur in finem.

¶ AD dicendum, quod hæc accipiuntur per quãdam similitudinem respectu eorum, in quibus propriè hęc dicuntur: hæc aũt propriè dicuntur in rebus corporalibus: per quãdam vero similitudinẽ transferuntur ad res spirituales. Vnde Clodianus: *Mensura mentis animæ secundum suam capacitatem, numerus vero secundũ virtutum numerositatem, pondus secũdum appetitum in id, in quod tendit: & anima rationalis tribus indiuiduis, memoria, intellectu, voluntate subsistit, quibus capax est numeri, mensura, & ponderis.* Aug. vero super Gen. sic distinguit. In animabus mensura est aliquid agendi, ne sit irreuocabilis, & immoderata progressio: numerus autem affectionum, & virtutum: quo à stultitiæ deformitate ad sapientiæ formam colligitur: pondus voluntatis & amoris; quibus appetit, quid cui præponatur. Cum ergo hic non accipiatur secundum proprietatem, sed similitudinem: attendenda est ratio similitudinis: vt mensura dicatur dispositio, secundum quam res est in se finita quo ad esse, & ad virtutem; numerus inquantum habet speciem & formam, qua discernitur ab alia: pondus vero dispositio, secundum quam discernitur in finem.

Clodian. in tractatu de anima.

¶ AD illud autem, quod obijcitur; quod mensura attenditur in quantitate cõtinua, quemadmodum numerus in discreta; & ita non in mensura qualitas. Item numerus præbet speciem rei: ergo ad qualitatem potius referri debet, quam ad quantitatem.

¶ RESPONDENDVM est, quod mensura, vbi propriè accipitur materialiter, supponit quantitatem: sed formaliter supponit id, quod terminat quantitatem: hic aũtẽ accipitur formaliter: & ideo dicitur, in mensura qualitas, sed non attendimus hic qualitatem, secundum quod est vnum genus eorum, quæ sunt: sed sicut qualitas dicitur finire, siue terminare quantitatem: ita hæc dispositio terminat, vel finit rei essentiam, aut virtutem: vt dicatur esse eius, non vlterius se extendens; & similiter virtus, siue potentia rei. Numerus etiam accipitur multipliciter; propriè enim dicitur numerus quantitas discreta. Item dicitur numerus non illa quantitas, quæ habet partes in se diuisas, sed ratio diuisionis ab alio. Vnde vnum numero dicitur, quod est in se indiuisum & ab alio diuisum; & hoc modo vtuntur numeratores, qui volunt res abinuicem discernere. Ad similitudinem primi modi accipit Rabanus in Gloss. cum dicitur, in numero quantas: res enim, quæ in specie constituitur, habet plura, ex quibus componitur: & iste est numerus essentialis, non accidentalis: sicut de vna linea per diuisionem fiunt duæ. Secundum August. vero accipitur secundo modo: inquantum numerus est dispositio, secundum quam res discernitur ab alia re. Vnde numerus secundum etymologiam dicitur alicuius memeris. q. diuisio siue discretio secundum significationem: & ideo dicit, numerum omni rei speciem præbere. Rabanus in Glossa.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de pondere: quod debeat accipi secundum quantitatem, vel secundum qualitatem, quæ est grauitas. Dicendum est, quod non accipitur hic propriè, sed communiter secundum quandam similitudinem: vt sicut pondere fertur corpus ad suum locum, scilicet deorsum: ita dispositione ista, quæ hic per pondus signatur, refertur, siue ordinatur vnaquæq; res ad suum finem.

¶ QVOD autem dicit Clodianus, quod mensura in animam attenditur secundum suam capacitatem: refertur ad hoc quod vnaquæque res creata habet quandam extensionem virtutis terminatam: & ad hunc modum dicit ipse de anima. Quod autem dicit numerum secundum virtutum numerositatem: hoc refertur ad hoc, quod dicit Augustin. quod numerus dicitur affectionum & virtutum esse, quoà stultitiæ deformitate ad formam sapientiæ colligitur: vnde attendit mensuram, & numerum; non quantum ad esse ipsius animæ in se, sed quantum ad esse eius virtuale. Vnde numerum attendit ipse penes ea, quæ ordinantur ad sapientiam: vt numerositas huiusmodi virtutum numerus dicatur: pondus vero ex parte motiuæ, quæ ordinatur ad bonitatem. Et hoc patet per hoc, quod subiungit: quod anima tribus subsistit, intellectu siue consilio, memoria, & voluntate. Nam secundum memoriam attenditur prima capacitas, secundum quod est vis contentiua specierum. (De memoria enim antecedente intellectum, & voluntatem loquitur) intellectus vero, siue consilium ad rationem pertinet; quæ suas virtutes colligit ad sapientiam: voluntas vero suo pondere spirituali inclinatur ad bonitatem. Nos autem, qui loquimur de his tribus dispositionibus; prout primo attenduntur circa esse ipsius rei: deinde circa dispositiones consequentes esse.

MEMBRVM II.

An tria hæc, scilicet mensura, numerus & pondus vnicuique creaturæ conueniant?

QVOD autem consequenter quæsitum est: Vtrum hæc tria conueniant omni creaturæ: sic terminatur. Numerus non est nisi rei numerabilis: res autem naturalis, quæ numerum habet: habet & multitudinem: & vnaquæque creatura in se considerata non ponit multitudinem: ergo nec ponit numerum. Quod si numerus extendatur ad hoc, vt res, quæ habet vnitatem dicatur habere numerum: omnis vero res creata habet vnitatem per seipsam: & hoc patet per hoc, quod dicit August. in Lib. de Vera reli. omnis res, vel substantia, vel si quo alio modo melius enunciatur; simul habent hæc tria, vt vnum aliquid sit: & specie propria discernatur ab alijs: & rerum ordinem non excedat: & ita vnitas conuenit omni rei creatæ. Si ergo propter hoc dicatur numerus esse dispositio, in qua sit res creata: hoc non videtur, quia prima consideratio, quæ attribuitur in Lib. de Vera re. omni rei; est vnitas. Secunda vero conditio, quæ attribuitur ab August. super Gen. est numerus: ergo numerus non respondet vnitati; quod etiam intelligitur ex hoc quod numerus omni rei speciem præbet: ergo respondet speciei: sed species est secunda conditio in Lib. de vera re. qua scil. res ab alia discernitur: ergo ei non respondet vnitas: cui ergo respondet vnitas? Nam numero respondet species: ponderi vero ordo: ergo mensura vnitati, sed ex qua ratione: cum vnitas non videatur terminationem dicere. ¶ PRÆTEREA, cum magnitudo sit finitum diuisione: & multitudo infinitum appositione: & materia infinitum susceptione, siue possibilitate: mensura autem non est, vbi est infinitum: ergo non in omni re est mensura. ¶ ITEM pondus dicitur, secundum similitudinem eius, quod habet grauitatem: ergo secundum similitudinem eius, quod fertur deorsum, sed quædam res naturaliter feruntur sursum, vel secundum similitudinem; vt leue fertur ad summum, anima vero secundum voluntatem naturaliter fertur ad summum bonum: ergo pondus est communis dispositio omni creaturæ. ¶ ITEM, si sunt dispositiones omnis creaturæ, cum ipsæ sint creaturæ habebunt mensuram, numerum, & pondus: cum hæc non sint sine dispositione, & sint de numero eorũ, quæ fiunt. ¶ ITEM, quare ponit Aug. has dispositiones creaturæ? vbi loquitur de fieri creaturæ: cum sc. loquitur de operibus sex dierum: vbi dicit: An erant alicubi, antequam crearetur vniuersa creatura, an etiam creata sunt, & si erant, vbi erant: neque enim ante creaturam erat aliquis, nisi creator. ¶ ITEM, Aug. *Numerum & mensuram, & ordinem in diuinis Deo artifici tribuere ne cunctetur.* Ergo de re artificiata à summo artifice loquitur: & ita de creatura. ¶ ITEM, non videntur ista conuenire omni creaturæ: dicit n. Ambr. *Lucis natura est, vt non in mensura, non in numero, non in pondere se habeat, vt alia creatura, sed omnis in conspectu eius gratia sit*: cum ergo lux creatura sit: videtur quod non in omni creatura reperiantur illa tria.

August. de lib. arbit.

Ambr. in Hexameron.

¶ SED contra dicit August. *Vbi hæc magna bona sunt, magnum bonum est: & econuerso, & vbi parua bona sunt, & illud paruum bonum est, & econuerso:* sed lux est de magnis bonis: ergo multo magis debet habere ista bona.

Aug. in li. de natura boni.

RESOLVTIO.

Mensura numerus, & pondus si intelligantur eo modo, quo in superiori Membro explicatum est; non est res, cui illa non insint.

¶ AD primum respondendum est, quod numerus (sicut dictum est) conuenit omni rei creatæ: & accipitur numerus pro dispositione, qua discernitur res à re alia: quæ tamen dispositio, vbi simpliciter est, sicut in rebus compositis ex materia & forma, vel quo est, & quod est; habet intrinsecus numerum. Sed non accipitur hic numerus pro multitudine aggregata in vnum: quemadmodum obiectũ est. Nec hæc dispositio numerus idem dicit, quod illa dispositio, quæ est vnitas in Lib. de Vera relig. sed respondet illi dispositioni, quæ ibi species dicitur: vnitas vero respondet illi dispositioni, quæ dicitur mensura.

¶ AD obiectum autem II. contrarium dicendum est; quod mensura, eo quod dicit esse in se finitum, respondet vnitati: secundum quod vnum dicitur ens indistinctum, & vnitas indistinctio esse in seipso, ad ponendum differentiam respectu numeri, aut speciei: ratione cuius fit discretio ab alio.

¶ AD tertio obiectum de pondere, quod non conuenit omni creaturæ. Dicendum est, quod pondus si accipiatur propriè, vel secundum similitudinem respectu ponderis in grauibus, non extendit se ad omnem creaturam, sed si accipiatur secundum illam similitudinem, secundum quam est inclinatio in finem; quemadmodum pondus est inclinatio in terminum: secundum hoc omni conuenit creaturæ: omnis enim creatura inclinationem habet aliquam ad finem naturaliter.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de magnitudine, quæ est infinitum diuisione: & ita de alijs. Respondendum est, quod sic dicendo infinitum; non tollit quin magnitudo, vel multitudo sit infinitum esse, & virtute: eo modo quo primum dicitur infinitũ virtute, & essentia, id est, non habens finem: est n. sibi finis: nunquam enim est verè dicere, quod in tantum extenditur, quod non plus potest extendi. ¶ QVOD autem obijcitur de materia, similiter dicendum est: quod non intelligitur, per hoc, quin materia habeat aliquo modo numerum, mensuram, & pondus. Vnde Aug. *Si formæ perfectio nonnullum bonum est: nonnullum bonum est forma in coactio.* Et in Lib. de Vera relig. *quod in cõparatione perfectorum informe, dicitur, si habet aliquid formæ, quamuis exiguum, quamuis inchoatum nondum est nihil: & ita ex Deo est: quod autem ex Deo est, mensuram, & numerum, & pondus habet.*

Aug. in li. de lib. arbitrio. Idem de vera religione.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod mensura, numerus, & pondus sunt creaturæ: & ita habent mensuram, numerum, & pondus. Dupliciter potest responderi: quod de alijs creaturis intelligitur vel istæ res dispositæ sunt in mensura, & numero, & põdere: secundum quod Deo hæc attribuuntur. Vnde August. *Numerus, pondus, & mensura ipse Deus est: ipse enim est numerus sine numero, à quo est omnis numerus: ipse est mensura sine mensura, à quo omnis mensura: ipse est pondus sine pondere, à quo est omne pondus: omnia ergo in numero, pondere, & mensura disposuit: tanquã si diceret, omnia in se disponit.* Intelligitur & aliter: omnia numero, & pondere, & mensura disposuit, id est, omnia, quæ fecit, numerum pondus, & mensura habent.

Aug. ad Orosium.

¶ AD aliud dicendũ, quod istæ sunt dispositiones creaturæ secundum quod in fieri: nihilominus tamen extenduntur ad creaturam secundum quod est in esse. Vnde super illud. Sap. II. *Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti.* dicit Gloss. quod in his constituit Deus mundum, & gubernat, & iudicaturus est: constitutio enim mundi pertinet ad fieri: gubernatio ad conseruationem ipsius in esse.

Sap. II. Glossa.

¶ AD illud vero Ambr. de luce; licet quidam velint exponere de luce spirituali; videtur tamen secundũ intentionem Ambr. quod velit exponere de luce corporali, quæ est in mensura, numero, & pondere: dicitur tamen esse sine his respectu corporum, quæ recipiuntur à luce: ipsa enim multiplicat se, dando effectum alijs corporibus inferioribus: & ideo dicitur esse sine mensura, & sine numero, & pondere: respectu effectuum, quæ procedunt ab illa. Si enim maior esset capacitas mundi; quam sit; ad maius se extenderet effectus eius, & ad plura.

MEMBRVM III.

An mensura: numerus, pondus creaturæ solum conueniant?

AD tertium membrum procedendum est, quo quæritur: Vtrum conueniant solum creaturæ. Quod videtur: quia quicquid est, aut est creator, aut creatura: creator autẽ nec terminatur, nec formatur, nec ordinatur ad aliud: sed alia ordinantur ad ipsum: ergo non ei ista conueniunt: ergo conueniunt tantum creaturæ. ¶ CONTRA, Aug. ad Orasium. *Numerus, pondus, & mensura Deus est.*

RESOLVTIO.

Formaliter sumpta, soli creaturæ conueniunt. Effectiuè verè etiam creatori conuenire possunt.

¶ Ad quod respondendum est, sicut ibidem dicitur, super Gen. Ipse est numerus sine numero, à quo est omnis numerus: Ipse est mensura sine mensura, à quo est omnis mensura: Ipse est pondus sine pondere, à quo est omne pondus. Vnde possunt hæc sumi, vel formaliter, vel effectiuè: Si formaliter, prout mensura dicitur habere, quod mensuratur, & ita de alijs; conueniunt soli creaturæ. Si autem sumantur effectiuè, sic possunt conuenire creatori, &c.

MEMBRVM IV.

Vnde tria hæc, mensura, numerus, & pondus in creaturis accipiuntur?

AD quartum quæsitum, quo quærebatur, ex qua parte acciperentur, sic obijcitur: Quod accipiantur vt consequentia creaturam, inquantum est creatura: esse enim finitum est consequens creaturam, inquantum huiusmodi: similiter esse speciosum est esse ordinatum (dico aût speciosum à specie, quæ non est id, cuius est species) ergo mensura, numerus, & pondus erunt per se accidentia creaturæ, inquantum nec ad aliud præcedens referuntur.

¶ Contra, istis respondent modus, & species, & ordo, sed ista secundum tres rationes causæ accipiuntur: modus enim ad causam efficientem, species ad formalem exemplarem, ordo ad finalem: ergo hæ tres dispositiones ex parte rationum in causa accipiuntur. Vnde Aug. *Vniuersa creatura habet quo constat, quo discernitur, quo congruit: causam ergo eius trinam esse oportet, qua sit, qua hæc sit, & qua sibi amica sit. Creatura autem causam dicimus Deum: oportet ergo esse trinitatē, qua nihil præstantius, sine intelligentius, sine beatius inueniri perfecta ratio potest.* ¶ Qvod concedendum est. Aug. in li. 83. qq.

RESOLVTIO.

In relatione ad rationes causæ, quæ sunt in creatura.

¶ Ad obiectum vero in contrarium respondendum, quod licet hæ considerationes propriè conueniant creaturæ: nihilominus tamen conueniunt ex quadam relatione ad rationes causæ, quæ sunt in creatore. Et est attendendum, quod duplex est differentia conditionū in creatura. Est enim quædam secundum conditiones aliquo modo similes in creatore & creatura: vt potè sunt vnitas, veritas, bonitas. Sunt & aliæ, quæ sunt in creatura in relatione ad rationes, quæ sunt in creatore: & istæ nō procedunt secundum similitudinem, quemadmodum & prædictæ: & de talibus sunt mensura, numerus, & pondus: licet n. aliquo modo conueniant creatori, prout est mensura sine mensura &c. hoc tamen non est vniuocè.

MEMBRVM V.

Cur hæ proprietates creaturæ in comparatione ad Deum causam, tres sint, nec plures?

AD quintum membrum, quo quæritur: Quare tot sunt proprietates, & non plures: Cum enim sit relatio ad essentiam diuinam, inquantum est causa: & sit relatio ad ipsam rationem causæ: secundum autem relationem ad tres rationes accipiuntur hæ tres proprietates: erit ergo quarta in relatione ad essentiam causæ: sicut enim relucet vestigium Trinitatis in creatura, ita relucet vestigium vnitatis ipsius essentiæ.

RESOLVTIO.

Quia trium tantum causarum rationes Deo conueniunt.

¶ Ad quod respondendum est, quod sicut hæ tres rationes proprietatis respondent tribus rationibus causæ: ita, esse causati respondet esse causæ: esse vero causati nō connumeratur cum suis proprietatibus: propter quod nō erit maior numerus proprietatum. Cum enim hæ tres rationes causæ conueniant ipsi essentiæ causæ: materialis autem non conueniat; non erunt nisi tres proprietates respondentes tribus rationibus causæ supradictis.

MEMBRVM VI.

An creatura sine his conditionibus, scilicet mensura, numero, & pondere, vel fieri, vel esse, intelligi possit?

AD sextum membrum, quo quæritur: Vtrum creatura sine his intelligatur, aut esse possit: Videtur quod sic: essentia enim rei intelligitur sine per se accidentibus, sed hæc per se sunt accidētia: ergo sine eis essentia rei creatæ intelligitur. Quod etiam videtur, si nos consideremus, vbi hæc propriè accipiuntur. Essentia enim lapidis potest intelligi sine suo pondere, & sine sua mensura, & sine specie accidentali (nō enim hic accipitur species ipsa rei essentia) ergo sine his potest essentia rei intelligi: pari ratione vbi hæc accipiuntur per similitudinem.

¶ Contra, non potest intelligi esse nisi finitum: infinitum enim per remotionem finis intelligitur: sed conditio mensuræ ponit finitum: ergo sine mensura non potest intelligi. ¶ Præterea res non intelligitur perfectè sine suis causis: licet hæ proprietates dicunt rationem causati ad causam sub differenti ratione: ergo sine eis non potest perfectè intelligi: multo fortius necesse.

RESOLVTIO.

Vtique simpliciter & absolutè: at minime in comparatione ad causas exteriores.

¶ Respondendvm est, quod duplex est intelligere. Intelligere ipsam essentiam absolute, vt hominem, quia homo est, & ita de alijs, & sic contingit intelligi sine his conditionibus. Est autem intelligere in comparatione ad causas extrinsecas: & secundū hoc in relatione ad primam causam, quæ est sub triplici ratione, non est intelligere esse causati sine his. Vnde Aug. *à Deo est omnis numerus: omnis species, omnis ordo: sine quibus nihil rerum inueniri, nec cogitari potest.* August. in l. b. de ciuit. Dei.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium, quod sunt per se accidentia. Respondendum est, quod sunt quædam proprietates consequētes esse omnino, quæ non respiciunt causam, vt dicant habitudinē causati ad causam: & sine talibus contingit intelligi vtroq; modo esse rei: huiusmodi autem non sunt numerus, mensura, & pondus: & licet non sint de esse rei; nihilominus tamen dicunt habitudinem ad causam, sine qua nec fit, nec res est.

¶ Ad secundo obiectum dicendum est, quod non est simile de his proprietatibus in rebus, vbi propriè accipiuntur, & in rebus, in quibus accipiuntur secundum extensionem. In rebus n. vbi propriè accipiuntur, sunt per se accidentia, consequentia esse, & fieri rei totaliter: Vbi vero accipiuntur secundum extensionem, non sic: sed dicunt habitudinem ad rationes causæ, secundum quas est fluxus in esse.

MEMBRVM VII.

An hæ creaturarum proprietates in comparatione ad causam, scilicet mensura, numerus, & pondus à cæteris huiusmodi differant, & cum eisdem ordinem habeant?

AD septimum membrum, scil. de differentia istarum cōditionum, & aliarum, quæ attribuuntur rebus cōmuniter, vt sunt modus, species, & ordo: sicut dicit Aug. Aug. in li. de natura boni. Cum enim sint diuersæ dispositiones, quæ in ternario accipiuntur: & non secundum eandem rationem conueniunt: non enim secundum eandem rationem conueniunt eidem creaturæ mensura, numerus & pondus; species modus, & ordo; & quod constat, quod congruit, quo discernitur; & iterum essentia, virtus, & operatio. Cum ergo hæc creaturæ, conueniant, & nō secundum eandem rationem, sed differentem; rationes autem in re sint ordinatæ: erunt ergo istæ rationes secundum prius & posterius in creatura.

RESOLVTIO.

Et quidem: tametsi in scripturis quandoque inuertantur.

¶ Qvod concedendum est: Hæ rationes mensura, numerus, & pondus, accipiuntur primo in re creata, secundum quod sunt. Hæ autem rationes modus, species, & ordo accipiuntur pro re, secundum quod est à primo. Hæ autem, quod constat &c. accipiuntur secundum quod regitur a primo in esse. Hæ autem essentia, virtus, & operatio secundum quod habent rationem efficiendi à primo: inquantum in eis operatur. Sic ergo possunt distingui, secundum prius & posterius: nihilominus tamen in scripturis accipiuntur quædam pro quibusdam. Quantum aût ad præsens primæ sunt, mensura, numerus, & pondus: de modo autem, specie, & ordine diffusius dicetur; vbi agetur de peccato secundum quod est corruptio modi, speciei, & ordinis, in Tract. de peccato. De essentia aût virtute & operatione: propter hoc quod mentionem facit Dion. in Tract. de angelis. ¶ Ordo autê istarum considerationum attenditur secundum hoc quod mensura refertur ad ipsum esse, quod terminatum est ex potentia, quæ appropriatur patri. Numerus vero attenditur quantum ad discretionem, siue distinctionê; quæ appropriatur filio, propter notitiâ. Pondus vero attenditur quantum ad ordinem, siue bonitatem; quæ appropriatur Spiritui sancto.

Quæst. 103.

QVÆSTIO VIII.

De vestigio.

In septem Membra diuisa.

D. Thom. 1. par. q. 45. art. 7. S. Bon. 1. d. 3. Scot. ibid. q. 5. August. de Trin. Lib. 6. cap. vlt. Tom. 3. Greg. Iob 11.

CONSEQVENTER dicendû est de vestigio, quod similiter refertur ad rationem causæ: dicitur enim creatura vestigium ipsius creatoris. ¶ Circa quod quærendum est primo, vtrum dicatur, multipliciter, aut vniuocè, de quibus dicitur? Dicuntur n. creaturæ vestigia, sicut dicit Aug. Oportet vt creatorem per ea, quæ facta sunt, intellecta côspicientes, Trinitatem intelligamus; cuius in creatura apparet vestigium. Dicuntur etiam vestigia opera redêtionis: vnde Greg. super illud: *Forsitan Dei vestigia comprehendens.* Vestigia Dei sunt benignitas visitationis, qua viam nobis ostendit. Dicuntur etiam vestigia opera Christi. *Vestigia eius secutus est pes meus.* Dicuntur etiam vestigia effectus diuinorum iudiciorum. *Reuelabis vestigia occultorum*: vel dicuntur ibi occulta, quæ sunt in cognitione humana.

Iob. 13. Eccl. 42.

¶ Quæritur ergo, vtrum vestigium dicatur vno modo de omnibus his, vel differenter? Secundo quid dicatur vestigium, secundum quod cônenit creaturis? Tertio, vtrum conueniat omnibus creaturis? Quarto, vtrum conueniat secundum magis & minus? Quinto, vtrum dicatur vestigium Trinitatis propriè, aut vnitatis essentiæ, aut vtriusque? Sexto, vtrum possit tolli ratio vestigij à creatura? Septimo, vtrum per vestigium sit manuductio ad causam, cuius est vestigium, aut abductio? &c.

MEMBRVM I.

An vestigium æquiuocè, vel vniuocè dicatur?

AD primum sic objicitur, quod multipliciter dicatur. Opus enim dicitur multipliciter de ipso operante, & de re operata: ergo cû opus dicatur vestigium, dicetur multipliciter de ipsis actionibus, & de rebus, quæ aguntur: cum de vtrisque dicatur: sicut patet ex præmissis. ¶ PRÆTEREA, secundum quod vestigia dicuntur opera Christi, non faciunt oberrare: sed secundum quod vestigia dicuntur creaturæ, dicunt occasionem oberrandi. Vnde August. in Lib. de lib. arb. Væ qui derelinquunt ducem, & lucem: & oberrant in vestigijs tuis: qui nutus tuos pro te amant, & obliuiscuntur quid innuas. ¶ CONTRA, in omnibus his notatur impressio effectus à causa, qui quodammodo assimilatur ei: sicut vestigium in puluere assimilatur figuræ pedis.

RESOLVTIO.

Vniuocè, tametsi secundum prius & posterius.

¶ AD quod dicendum, quod sunt vestigia potentiæ per appropriationem ipsius potentiæ diuinæ: vt opera creationis: Et sunt vestigia diuinæ sapientiæ per appropriationem: vt ea, in quibus relucet sapientia: & de his dicitur in Libr. de lib. arb. *Quocunque te verteris, quibusdam vestigijs operibus suis impressis, sapientia loquitur tibi.* Sunt & vestigia bonitatis diuinæ: & secundum hoc accipitur Iob. 11. & 13. In omnibus autem his quædam est ratio communis, licet secundû prius, & posterius dicta: nec ita dicuntur vestigia potentiæ: quin illa eadem dicantur vestigia sapientiæ, & bonitatis: & ita de alijs. Indiuisa sunt enim opera potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis diuinæ: licet sic approprientur.

Aug. in li. de lib. arb.

¶ AD id autem, quod objicitur in contrarium, dicendum est, quod non est simile de hoc nomine [*opus*] & de hoc nomine [*vestigium*] hoc enim nomen [*opus*] non habet vnâ rationem, secundum quam dicatur de opere operante, & re operata: & ad diuersa genera referatur. Vestigium autem sub ratione nominis vtrobique dicit effectum, aliquo modo similem suæ causæ, ratione dispositionis: etiamsi nô sit similis in genere, vel specie, vel natura.

¶ AD secundo vero objectum dicendum est, quod licet vestigia, quæ sunt actiones, non dent occasionem errandi: vestigia vero, quæ sunt res operatæ, occasio sint erroris: hoc non est secundum se, sed ratione peruersæ considerationis, & affectionis: nec quo ad hoc dicuntur vestigia.

MEMBRVM II.

Quid significetur nomine vestigij in creaturis?

AD secundum membrum sic procedit. Vestigium dicitur secundum similitudinê: propriè enim dicitur vestigium pedis: transferentes autem secundum aliquam similitudinem transferunt. Quæritur ergo, quæ sit similitudo vestigij translatiuè dicti, ad vestigium propriè dictum? Vestigium autem propriè dictum, dicit impressionem figuræ in puluere, vel in re huiusmodi à figura pedum: sed diuina essentia infigurabilis est: & similiter ipsa Trinitas summa: ergo non relinquit figuram per similitudinem in re creata: ergo nô dicetur vestigium secundum aliquem prædictorum morum. Nec alia videtur similitudo esse: non enim sicut vestigium est semper simul cum pede in puluere: ita creatura necessario fuit simul cum essentia creatoris: tunc enim essentia creaturæ essent æterna: ergo propter illam rationem non dicitur esse vestigium: qua ergo ratione dicetur esse vestigium?

1. Phys. 18. Abstrahêtium non est mendaciû: vide 4 Phys. 104. & 105.

RESOLVTIO.

Vestigium propriè dicitur pedis impressio, vel in puluere: vel alio huiusmodi, per translationem autem dicitur impressio Trinitatis in creaturis, non quidem se, cum illa figurari non possit: sed per quasdam rationes.

¶ RESPON. est quod licet essentia diuina sit infigurabilis; & similiter summa Trinitas: nihilominus habet in se rationes: vt quod summè est; & quod summè vnum est; & quod summè bonum est: quæ licet idem sint in Deo, nihilominus tamen distinguuntur in re creata, & sic quandam habent similitudinem respectu suæ causæ quasi essent quædam impressiones: & propter hoc dicuntur nomine vestigij non propter figurationem: sed propter ipsam rationem. Nec sicut ibi erat similitudo in figura: sic hic sit similitudo in ratione, quæ licet indistincta sint in Deo propter simplicitatem diuinæ essentiæ, distinguuntur tamen in creatura propter compositionem essentiæ.

MEMBRVM III.

An vestigium omnibus creaturis conueniat?

AD tertium membrum proceditur in hunc modum. An scilicet vestigium conueniat omnibus creaturis. Quod sic, videtur: quia ea, secundum quæ attenditur vestigium:

Quæst. immediatè præcedêti memb. 1.

Aug. li. 6. de Trin. cap. 10. & vlt. to 3. stigium, vt modus, siue vnitas, species, & ordo: vel (sicut supra dictum est) numerus, pondus, mensura, omni creaturæ conueniunt: ergo ratio vestigij. Aug. *Hæc omnia, quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam ostendunt in se, & speciem, & ordinem*: quod *ostendit tam in corporalibus quam in spiritualibus*: & subdit. *Ergo oportet, vt creatorem per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicientes, trinitatem intelligamus. In illa enim trinitate est summa origo rerum, perfectissima pulchritudo, verissima dilectio.* Ex quibus colligitur, quod in omni creatura est vestigium creatoris. ¶ ITEM, Isidor. *Ex pulchritudine circumscripta creaturæ pulchritudinem suam, quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi: vt ipsis vestigijs reuertatur homo ad Deum*: sed hæc pulchritudo inest omni creaturæ.

Isid. lib. 1. de summo bono.

¶ CONTRA: Non est idem imago, & vestigium: quod sic probatur: Imago est expressa similitudo: vestigium vero est inexpressa similitudo: ergo id, quod est imago, non est vestigium, sed aliqua creatura est imago, vt rationalis: ergo non est vestigium.

¶ ITEM, vestigium, & perfecta similitudo opponuntur, sed aliqua est creatura, quæ est perfecta similitudo: sicut contingit in creaturis, vt pote beatitudo creata, vel gratia perfecta, vel virtus perfecta: ergo nulla huiusmodi creatura dicitur vestigium.

RESOLVTIO.

Vestigium Dei creaturis omnibus inest, quia omnes creaturæ (ipso donante) essentiam participant, qua sunt: idoneam speciem, qua ab inuicem differunt: & congruum vsum, quo proficiunt.

Aug. in li. de anima. & spiritu. ¶ RESPONDENDVM est, secundum quod dicit August. *Capabilis & participabilis est Deus omnibus, quia naturali suo munere, & vsu ex munere ab omnibus participatur ad essentiam, qua sunt, & secundum illam ad idoneam speciem, qua ab alijs differunt, & secundum vtraque ad congruum vsum, quo proficiunt: tria hæc omni existenti insunt; quasi quædam vestigia summæ essentiæ: magnum, & muneris æternitas est in patre, species in imagine, vsus in munere.*

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, licet vestigium, & imago differat secundum rationem: nihilominus tamen vni, & eidem rei contingit inesse rationem vestigij, & imaginis; sed non secundum eadem. Vestigium enim attenditur secundum dispositiones communiores, & minus conformantes rei, cuius est vestigium: imago vero secundum considerationes magis exprimentes: vt pote essentia, siue vnitas, species, & ordo ad vestigium pertinent: æternitas, veritas, siue sapientia, & charitas ad imaginem. Vnde August. *Quoniam homines sumus, ad conditoris nostri imaginem creati sumus: cuius est vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera charitas.* In his ergo rebus, quæ infra nos sunt, quoniam & ipsæ nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur: nec aliquem ordinem, vel appeterent, vel tenerent, nisi ab illo facta essent, qui summè est, summè speciosus est, summè bonus est; quasi quædam vestigia colligamus. In homine ergo, quia ei vtraque ratio dispositionum inuenitur; & vestigium dicitur, & imago.

Idem 11. de ciuit. Dei.

¶ AD id vero, quod secundo obijcitur. Dicendum est, quod etiam illæ creaturæ, quæ dicunt similitudinem Dei, siue summæ bonitatis, vt pote beatitudo creata, vel gratia perfecta, siue virtus dicunt illam secundum id, quod abundant vltra alias creaturas. Nam creatura intellectualis naturaliter vertibilis est in bonum, & in malum: hæ autem creaturæ non sunt vertibiles in vtrumque: non enim beatitudo potest esse mala; nec virtus, vel gratia mala: & propter hoc habent rationem similitudinis. Deficiunt tamen à summa similitudine: quia possunt non esse, quantum est de sua natura: sicut & aliæ creaturæ de se: Habent ergo aliquid commune cum alijs: & ratione illius communis, scil. essentiæ, speciei & ordinis possunt dici vestigia, habent etiã aliquid, in quo abundent, sicut dictum est: & ratione illius possunt dici perfecta similitudo: sicut contingit in creaturis: communius est ergo vestigium quantum ad res subiectas, in quibus est: quam sit imago, aut huiusmodi similitudo.

MEMBRVM IV.

An vestigium conueniat creaturis secundum magis & minus.

AD quartum, scilic. An conueniat secundum magis, & minus: sic proceditur: Quod æque dicatur, ostenditur per similitudinem: si magnus pes ponatur in puluere deferenti, tantum derelinqueret similitudinis in vno puluere, sicut & in alio: nisi esset aliqua repugnantia ex parte recipientis, idem enim similiter se habens, natum est facere idem: ergo cum voluntas summa sit causa imprimendi in creaturis quandam obscuram similitudinẽ: tantum imprimet vni creaturæ de vnitate, specie, & ordine; quantum & alij: ergo æquè dicetur vestigium de hac creatura, sicut de illa: sicut enim in rebus non dicitur vna species magis species, quam alia; & vna vnitas magis vnitas, quã alia; & vnus ordo magis ordo quam alius: cum sint in suo summo: ita nec dicetur vestigium: cum secundum ista attendatur. 2. de Genes. tex. 50.

¶ CONTRA, August. *Creatorem tanquam per omnia, quæ fecit mirabili stabilitate currentes quasi quædam eius alibi magis, alibi minus impressa vestigia colligamus.* Ex quo arguitur, quod vestigium dicitur magis minus. August. de ciuit. Dei. ¶ PRÆTEREA, pulchrum dicitur secundum magis & minus: bonum secundum magis, & minus: & ens secundum magis, & minus: nam incorruptibile, magis dicitur ens, quam corruptibile: ergo ens, pulchrum, bonum, quæ sunt causa vestigij; dicuntur secundum magis & minus. Vnde Dion. de diuin. nom. *Omnibus est bonum, & optimũ concupiscibile: & propter ipsum minora amant meliora conuersabiliter, & societatiuè æquè formia, æquè honorabilia, & meliora minora.* Vult ergo dicere, quod est minus bonũ, & magis, & medium. Et Aug. *Non essent omnia, si essent æqualia*: per quod in vniuerso quædam sunt magis bona: quædã minus bona: & similiter pulchra. Similiter: *Omnia, quanto magis moderata, speciosa, ordinata, tanto magis bona sunt.* Ex quibus colligitur, quod dicitur vestigium secundum magis & minus.

Dion. de diu. nom.

Aug. in li. 83. qq. Quæst. 41. Idem in lib. de natura boni.

RESOLVTIO.

Vestigium secundum magis & minus creaturis inest: dicimus, ideo quia ens, pulchrum, & bonum illius sunt causa secundum magis & minus dicuntur.

¶ QVOD concedendum est. ¶ AD obiectum vero in contrarium respondendum: quod non est simile de pede, qui naturaliter imprimit vestigium: & de actore summo, qui suum imprimit vestigium per rationalem voluntatem. Eo n. quod per rationalem voluntatem agit; alij communicat plus de pulchro, & bono: alij minus; & similiter de esse. Nec hoc est contrarium, quod similiter se habet ex parte sui: ab ipso n. vno modo se habente exeunt dissimiliter entia; vt manifestetur eius bonitas, & sapientia.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod vnitas non dicitur secundum magis & minus, vel species. Distinguendum est, quod est speciem accipere respectu eorum, quorum est species; & secundum hoc (logicè dicendo) non dicitur secundum magis & minus. Et item accipere speciem, cõparando cum alia specie respectu generis: & iterum non dicuntur secundum magis & minus habere illud genus. Tertio vero modo est loqui de illis, secundum quod in vniuerso ordinantur: habentia maiorem dignitatem, vel minorem: & sic dicuntur secundum magis & minus species secundum speciositatẽ. Similiter est dupliciter loqui de vnitate: est n. loqui de vnitate, comparando ad aliã vnitatem eiusdem speciei: & sic non dicitur magis vnum, vel minus vnum: similiter in numero, quæ ex his cõponitur. Est autem referre ad summam vnitatem, à qua habent per participationem vnitatem, & secundum hoc dicitur magis verè vnum: & minus verè vnum. Per iam dicta apparet, qualiter respondendum est ad supradicta.

MEMBRVM V.

An vestigium dicatur propriè Trinitatis, vel essentiæ, vel vtriusque?

AD quintum membrum. Vtrum vestigium propriè dicatur Trinitatis, vel essentiæ; vel vtriusque. Quod ipsius Trinitatis, videtur per hoc: quia vestigium distinctionem ponit siue discretionem: ergo videtur referri ad ipsam

Trini-

August. de Trin. Lib. 6. non procul à fine li. 10. 3.

Trinitatem. Quod etiam videtur ex hoc, quod dicit August. *Intelligamus Trinitatem: cuius in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate, etc.* sicut supra dictum est.

Isid. in li. de summo bono.

¶ CONTRA, videtur quod dicatur vestigium De respectu essentiæ. Vnde Isidor. *Vestigia Dei sunt: quia nunc Deus per speculum cognoscitur: ad perfectum vero omnipotens reperietur, dum in futura facie ad faciē electis præsentabitur: vt ipsam speciem cōtemplentur, cuius nunc vestigia comprehendere conantur.* Sed constat, quod ipsa species est ipsa essentia: ergo vestigia dicuntur essentiæ diuinæ. Similiter dicit Greg. vestigia Dei sunt, benignitas visitationis, qua viam nobis ostendit: vt nondum viam sequamur, donec ad contemplandum veniamus.

RESOLVTIO.

Trinitatis profecto: tametsi nihil prohibeat, vt & diuinæ essentiæ, siue ipsius Dei dicatur.

¶ RESPONDENDVM est, quod vestigium licet dicatur ipsius essentiæ, ratione eius quod est: considerationes tñ, in quibus attenditur vestigium; referuntur ad Trinitatē propriè. Vnde nihil prohibet & ipsius Dei, siue diuinæ essentiæ, & ipsius Trinitatis dici vestigium: vt Trinitas in creata trinitati increatæ respondeat: vnitas vero, quæ subest, ipsi summæ vnitati.

MEMBRVM VI.

An à creatura tolli possit ratio vestigij?

AD sextum: vtrum tolli possit ratio vestigij à creatura: Quod videtur. si enim modus, species, & ordo minui possunt, & corrumpi, quæ autē possunt corrumpi, possunt desinere esse, & omnino tolli: ergo vestigium, cum attendatur in his, vel cōsimilibus: poterit omnino tolli. ¶ PRÆTEREA, si est accidens creaturæ: accidens autem est, quod abesse potest: ergo intentio vestigij abesse potest.

August. 11. de ciu. Dei

¶ CONTRA, sicut se habet ratio imaginis ad id, cuius est imago: ita ratio vestigij ad id cuius est vestigium, sed ratio imaginis non potest tolli ab eo, cuius est imago: ergo & ratio vestigij ab eo, cuius est vestigium. ¶ ITEM, hoc videtur per autoritatem Aug. dicentis, quod sine istis nihil inueniri nec [illegible] potest. & loquitur de modo, specie, & or[illegible] quibus attenditur vestigium.

RESOLVTIO.

Nisi [illegible] ipsa res creata tollatur, vestigium tolli non potest, sed manente natura illius, necessario manet [illegible] huius.

Idem in 19. de ciu. Dei.

¶ AD quod dicendum est id, quod dicit Aug. Nullum vitium ita contra naturam est, vt naturæ extrema deleat vestigia. Vnde [illegible] natura creaturæ, remanet ratio vestigij; nec omnino tollitur. Aliud est aūt quærere, vtrum vestigium possit tolli, manente natura creaturæ: & aliud est, vtrum omnino possit tolli [illegible] ipsa re creata. Primo modo verum est, [illegible] non possit tolli: Secundo modo potest. Cum n[illegible], illud vestigium desinit esse: non tamen desin[illegible] esse vestigium: quia non omnino cedit in non ens. Vnde ratione [illegible], in quod secedit, est etiam vestigium. ¶ PER hoc potest solui illud, quod primo fuit obiectum: licet n. modus, species, & ordo minuātur, vel corrumpantur: nō tamen omnino desinunt esse, re ipsa manente: & ita manet, & adhuc vestigium creatoris in re illa, sed si res destruatur secundum quandam speciem: nihilominus tñ alia species remanet, & ita remanet vestigium [illegible] non illud.

¶ AD secundo obiectum dicendum est, quod esse vestigiū est proprietas rei essentialis secundo modo: & ita nō est accidens separabile, & quia dicit comparationem ad suam essentialem causam: ideo nec potest illo modo intelligi sine illa comparatione: potest tamen intelligi sicut essentia intelligitur sine sua proprietate. Nec est simile omnino de ratione imaginis respectu illius, cuius est imago: sicut de ratione vestigij respectu illius, cuius est vestigium: quia id, cuius est imago, incorruptibile est: id vero, cuius est ratio vestigij, potest esse corruptibile.

MEMBRVM VII.

An per vestigium manuducamur ad id, cuius est vestigium?

Aug. de libero arb. lib. 2. c. 16. Sap. 6.

AD septimum: vtrum per vestigium sit manuductio ad causam, cuius est vestigium. Quod sic: Aug. exponens illud: *In vijs suis ostendit se hilariter: & in omni prouidentia sua occurrit illis. Quocunque te vertis, quibusdam vestigijs operibus suis impressis loquitur tibi: & te in exterioribus labentem, ipsis interiorum formis intro reuocat.* ¶ ITEM in eodem: *artifex quodam modo innuit spectatori operis sui, de ipsa operis pulchritudine: ne ibi totus hæreat, sed speciem operis fabricati sic percurrat oculis: vt in eum, qui fabricauerit, recurrat affectu.* ¶ ITEM, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, à creatura mundi*, &c. Ex quo habetur, quod per ista visibilia sit manuductio ad inuisibilia. Hoc etiam per totum habetur à B. Dionys.

Rom. 1.

Dion. in li. de symbolica Theologia.

Sap. 14. Aug. de libero arbit. lib. 2. c. 16.

¶ CONTRA. *Creaturæ factæ sunt in odium, & in muscipulam pedibus insipientium.* ¶ ITEM Aug. de Lib. arb. *Tanquam n. dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in vmbra sua defigurantur: est tamen ibi quod eos delectet: habent enim adhuc aliquid de circumfulgentia lucis tuæ.* Ex quibus colligitur, quod hæc visibilia abducunt à contemplatione inuisibilium.

RESOLVTIO.

Nisi abusi fuerimus isthac methodo vestigij, semper ea ad eum, cuius est vestigium, adducemur.

¶ AD quod dicēdum, quod est dupliciter considerare has creaturas visibiles, & etiam inuisibiles. Contingit n. eas considerare ratione pulchritudinis, siue delectabilitatis; quæ est in eis: non referendo illam ad Deum, à quo habet: & secundū hunc modum est occasio erroris. Alio vero modo inquantum habet pulchritudinem à summè pulchro, & delectationem à summè delectabili; & secundum hunc modum vestigia manuducunt ad illum, cuius sunt vestigia. Et est exemplum Philosophi simile, quod contingit dupliciter considerare picturam: vt est pictura, vel vt est imago. Si vt picturam, secundum hoc signatur consideratio in ipsa re secundum se. Si vt imago, secundū hoc ducit ad id, cuius est imago. Vnde Aug. *Sicut nonnulli magis amant versum, quā artem, qua conficitur versus: quia plus se auribus, quam intelligentiæ crediderunt. Ita multi temporalia diligunt: conductricem vero, ac moderatricem temporalium diuinam prouidentiam non requirunt: atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire, quod amant.*

Aug. in li. de vera religione.

¶ Ex iam dictis patet, qualiter sunt occasio erroris: per se in ipsis errantibus: & hoc patet per hoc; quod dicitur in Lib. Sap. vbi dicitur, *in muscipulam pedibus insipientium.* Quod autem dicitur, creaturæ factæ sunt, &c. non intelligendum est, quod Deus ad hoc fecerit creaturas: sed error hominum ad hoc eas conuertit, vt traherētur homines in odium Dei: & adhærerent mutabilibus bonis, tanquā idolis. ¶ QVOD autem dicit Aug. attendendum est, quod ibi tangit causam erroris ex parte hominis & quod si habent aliquam rationem delectabilis; hoc est ex quodam effectu relicto in ipsa creatura à summe delectabili: & ideo dicatur, quod habet aliquid de circumfulgentia lucis tuæ: sed quia plus est ibi delectationis, quam congrueret: ideo dicitur illicita delectatio; vel quia non refertur ad id, ad quod referendum esset, sed ibi inordinate quiescitur.

Sap. 14. Loco allegato.

Aug. in li. de lib. arb.

QVÆSTIO IX.

De creatione passiue, vel fieri.

In decem Membra diuisa.

D. Thom. 1. par. q. 45. S. Bon. in 2. d. 1. art. 1. 2. & 3. Sept. in 2. d. 1. q. 1. & in 3. d. 11. p. 1.

CONSEQVENTER procedendum est ad considerationem ipsius fieri; & eorum, quæ concomitantur secundum se. Et primo de ipso fieri agendum est, quod est creari. Quæritur ergo primo, si creari est quoddam mutari, vel non. Secundo, vtrum creari sit aliud, quam esse quod creatur, vel idem. Tertio, si est creatum, vt medium creaturæ, & creatoris. Quarto, si conuenit tantum materiæ, & formæ, quæ sunt principia rei compositæ; an conueniat etiam his, quæ fiunt ex materia, & forma. Quinto,

vtrum

vtrum conueniat rebus, quæ fiunt à natura, & à voluntate creata. Sexto, vtrum conueniat solis substantijs, an etiam accidentibus? Septimo, vtrum secundum ordinem conueniat creari vni rei in genere, priusquã alij. Octauo, vtrum à creatore procedat ministerio creaturæ: & hoc propter hęretici(Longimibus D. Thom. 1. par. q. 65. art 4.) illorum, quæ dicebant angelos operi creationis cooperari, & per angelos alias fieri creaturas. Nono, vtrum creari sit in tempore, vel non. Decimo, quia creari est fieri ex nihilo, qualiter accipiatur hoc ipsum, nihili?

MEMBRVM I.

An creari sit mutari.

AD primum sic: si creari est mutari: quia omne mutari, vel est secundum substantiam, vel secundum accidẽs: creari erit alterum istorum: sed *mutari secundum substantiam est generari, vel corrumpi* (sicut dicit Philos.) ergo creari, si est mutari secundum substantiam, esset generari, vel corrumpi: sed vtrumque est, subiecta existente materia: ergo creari non esset de nihilo. Similiter, si esset mutari secundum accidens; multomagis accideret inconueniens: secundum hoc enim substantia non crearetur; cum tamen sit nobilior substantia, quam accidens: & creatio nobilior alia processione creaturæ: quod cum non sit, non erit creari mutari.

Philos. 3. Phys. 4.

¶ CONTRA: quod creatur, de non esse procedit in esse: sed quod de non esse in esse procedit, mutatur: ergo quod creatur, mutatur. ¶ ITEM, Isidor. *Creatura bonum est, sed non summum: quia mutabilis est:* omne autem, quod mutabile est, mutatur: ergo creatura mutatur.

Isid.

RESOLVTIO.

Creari, propriè dictum, si dicitur mutari, non dicitur nisi mutari, communiter acceptum.

¶ RESPON. est, quod mutari dicitur dupliciter. Vno modo, quod iam ens potentia, vel actu; & mutatur ab vno in aliud: & secundum hunc modum quod creatur, non dicitur mutari: quia nec prius fuit potentia, nec actu: & loquimur de creatione propriè dicta. Secundum alium modum, quo dicitur aliquid exire in esse post non esse, dicitur mutari, sed hoc non est propriè dictum, sed communiter: quia quod mutatur, aliquo modo dicitur esse vnum: ibi vero non remanet vnitas: cum non esse omnino, & esse, non habeant commune.

¶ AD obiectũ ergo dicendũ est, quod non dicitur creari, mutari eo modo, quo generari dicitur mutari: nihilominus tamen dicitur esse aliqua mutatio, sed est quædam mutatio creaturæ, secundum quod dicitur: *Mutabis ea, & mutabuntur*, &c. & hæc est rei existentis in nõ esse, vel in non bene esse. Et secundum hunc modum creatura cum est, mutabilis est: & sic loquitur Isidor. alio vero modo loquitur Aug. cum dicit: *mutabilia sunt: quia non de illo, sed de nihilo facta sunt.*

Psa. 101.

August.

MEMBRVM II.

An creari sit idem quod esse creaturæ, vel aliud?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum creari sit aliud, quam esse creaturæ, vel idem. Quod sit aliud, videtur: eo quod nulla res est suum fieri: vtpote generatum nõ est suum generari; & corruptum non est suum corrumpi; & ita de alijs: ergo pari ratione creatum non est suum creari. ¶ ITEM, quod est, & quo est in cõpositis differt, sed quod est, est creatum: ergo quo est, est ipsa creatio (& intelligo de creatione passiuè dicta) ergo creatum non est sua creatio.

¶ ITEM, ipsum creari transit; ipsum vero creatum, manet, cum non est creatio: ergo non est idem creari, & esse creati. ¶ ITEM, terminus nõ est illud, cuius est terminus, sed esse creati est terminus creationis: ergo esse creari non est ipsa creatio.

¶ CONTRA, sicut se habent adinuicem esse causæ, & esse causati: sic se habent creatio actiuè dicta, & passiuè: ergo permutatim: sicut se habet creatio actiuè dicta ad esse causæ; ita creatio passiuè dicta ad esse causati: sed creatio actiuè dicta idem est, quod esse causæ: ergo creatio passiuè dicta est, quod esse causati. ¶ ITEM, creari, nihil aliud est, nisi nunc primo esse post non esse omnino: hæc enim conuertuntur: ergo nihil aliud est creari, nisi esse cum huiusmodi conditionibus, sed hoc non variat essentiam eius, quod est esse, scilicet, cum additur: nunc primo: ergo creari est idem, quod esse eius, quod creatur. ¶ ITEM, si creari præcederet esse creati; sicut mutari præcedit esse eius, in quod mutatur: tunc aliquid, quod non esset æternum, præcederet primum esse causati, sed hoc est impossibile, cum ante primum esse causati non esset nisi creator: ergo creari non esset aliud, quam esse creati.

RESOLVTIO.

Tametsi in reliquis mutationibus fieri non sit id, quod fit: quia inter hoc & illud semper intercidit prioritas temporis, vel naturæ: Non sic tamen est in creatione, in qua idem est creari, & quod creatur: cum nullatenus alterum præcedat alterum.

¶ RESPONDEN. est, quod cum duplex sit fieri: vno modo n. sequitur, si fit, est: alio modo si fit, non est: quod creatur, fit: & cum fit, est. Vnde creari non est aliud, nisi nunc esse primo, post omnino non esse ab eo, qui potest dare esse.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium: quando in alijs mutationibus factum non est suum fieri. Respondendum est, quod aliter loquendum de fieri; & de eo, quod fit. Nam illud, quod est primo, est quod primo fit: fieri tamen non est quod fit: sed tamen est simul cum eo; nec prius ens quam ipsum; nec duo entia propriè. Nec est simile de fieri in alijs mutationibus, & in creatione: quia in alijs mutationibus fieri antecedit id, quod fit tempore, vel natura: hic autem non sic: sed fieri est simul tempore, & natura.

¶ AD secundo obiectum dicendum est, quod licet id, quod fit, non sit idem cum eo, quod est fieri: tamen non penitus est diuersum: & sic potest esse in alijs compositis.

¶ AD tertio obiectum dicendum est, quod licet fieri transeat, esse vero maneat: nihilominus tamẽ hoc est quodammodo illud. Quod autem dicitur transire, hoc est ratione conditionis additæ, scil. nunc primo non esse; & ratione eius transit: licet enim nunc sit, non tamen primo est post non esse: & hoc dicitur fieri creationis, quod est creari.

¶ AD quartum vero dicendum est, quod non est simile in hoc fieri, & in alijs: hoc enim fieri non est prius, quã res est: in alijs vero contingit: & ideo ibi propriè dicitur terminus: hic autem non dicitur, nisi secundum quandam rationem: sicut infra patebit.

¶ AD illud vero, quod obijcitur ex permutata proportione. Dicendum est, quod non est simile in creationę actiuè dicta respectu essentiæ creantis. Nam creatio actiuè dicta, est ab essentia creantis: & est idem cũ essentia creantis secundum rem: essentia vero creati non est, à qua fit creari; sed similiter sunt, & quodã modo idem: quodammodo non idem. In hoc autem est conuenientia: quod creari transit, & creare transit; sed vnum secundum se, alterum secundum accidens. Nam creare ratione essentiæ creantis, non transit: sed ratione habitudinis ad creatum: ex qua ratione transit creari. (Memb. sequent. & q. 10. mẽbr. 1.)

¶ AD vltimo obiectum dicendum est, quod creari cum esse creati, nec penitus est idem; nec penitus differens: additio enim facta ponit transitũ, ratione cuius dicitur creari, transire; esse vero permanere, sed non sub hac ratione, primo post non esse.

MEMBRVM III.

An creari sit aliquod creatum, vel medium inter creatorem, & creaturam.

AD tertium, quo quæritur: Vtrum creari sit aliquod creatum, an medium inter creaturam, & creatorem. Ad quod sic: creari non est creatoris: ergo vel est creatũ, vel est via in creatura (si est dicere secundum aliquam similitudinem,

dinem, quod fit ibi via) sed si ibi est via, videtur esse mediū: ergo [creari] vel est creatū, vel est medium creatoris, & creati: sed non nisi mediū, quod teneat se cum altero extremorum: sed non ex parte creatoris: ergo ex parte creati. Quod videtur per simile in alijs mutationibus, mutatio enim medium est inter transmutationem, & illud, in quo fit transmutatio.

¶ CONTRA: omne, quod est; aut est creator, aut creatura: ergo superuacuum est ponere medium inter hæc: imo pro damnata hæresi haberetur in concilio Senonen. quod dicitur in Libro * parisision: in quo dicebatur, quod ideæ erant medium inter creatorē, & creaturam: ergo creari non debet poni medium. Nec est creatum: quia si esset creatum, exiret in esse de nihilo: ergo crearetur: ergo per creationem: & sic esset in infinitum abire: quod cum non sit; nec erit creatum, neque medium.

*Loc⁹ deprauatus: legere libētius Periarchon.

RESOLVTIO.

Cum creator sit ens non ab alio, creatura ens ab alio, medium habere non poterunt.

¶ RESPON. est: quod nō ponitur medium inter creatorem, & creaturam: non enim est medium inter ens ab alio, & ens non ab alio. Neque est simile in mutationibus: quia mutationes propriè dictæ, possunt media esse inter transmutationem, & id, in quod fit transmutatio: eo quod non sunt prima opposita secundum affirmationem, & negationem: Nisi tamen intentio creati coartaretur ad creatum simpliciter, & includeret in se concreata, sed secundū hoc non esset sufficiens diuisio in creatorem, & creatum. Et per talem modum loquendi dicit Philos. *quædam dicuntur entia, quia sunt substantiæ: quædam, quia sunt passiones: & quædam, quia sunt via ad substantiam, aut ad religionem: aut quia sunt non ens: aut agentes, aut patientes à substantia, aut aliquid aliorum, quæ dicuntur esse in substantia.* Consueuimus tamen creatum, & concreatum sub vno generali nomine, sc. creaturæ comprehendere: & sic creari est concreatum.

Philos.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod fit processus in infininitum. Respondendū est, quod non: cum enim dicitur, quod * creatum per creationem creatum est; intelligitur propriè de creatione actiuè dicta, quod si intelligatur de creatione passiuè dicta, ibi stabitur: non enim illa creatio per aliam creationem passiuè dictam est; sed per creationem actiuè dictam: & sic deuenitur ad essentiam ipsius causæ. Vnde licet creatum propriè dicatur creari: ipsa tamen creatio passiuè dicta non dicitur creari: nisi largè sumendo vocabulum.

* Alias, creatur.

MEMBRVM IV.

An materia & formæ tantum, vel etiam compositis ex eisdem conueniat creari?

AD quartum, quo quæritur: An creari conueniat tantum materiæ, & formæ, quæ sunt principia rei compositæ: an conueniat etiam eis, quæ fiunt ex materia, & forma. Quod non conueniat, nisi principijs, sc. materiæ, & formæ: vel quod se habet per modum horum, sic ostenditur. Ea, quæ sunt ex principijs, vt pote ex materia, & forma, ex aliquo, vel aliquibus sunt: quod autem ex aliquo, vel aliquibus est; non est ex nihilo: ergo quæ sunt composita ex materia, & forma, vel ex huiusmodi principijs; non sunt creata. ¶ ITEM, aliud est exire de non esse in esse; & aliud de potentia in actum; sed quæ habent materiam, exeunt de potentia in actum: quæ vero de non esse omnino in esse, creantur: ergo non dicuntur illa creari. ¶ ITEM, secundum aliam expositionem, quam ponit Aug. *Cæli, & terræ nomine materia vtrorumque designatur*: ex quo videtur, cum infra sequetur de his, quæ fiunt in distinctionibus dierum, quod erunt materia creata: quæ autem sunt ex materia; non dicentur creata, sed facta. ¶ CONTRA, cum dicitur: In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c. dicit Aug. contra Manich. quod cœli, & terræ nomine vniuersa creatura signata est: quam fecit, & condidit Deus.

Aug. in li. 1. Confess.

* *
*

RESOLVTIO.

Diuersa consideratione ipsius creari, vel fieri ex nihilo, vtrumq; & materiæ, scilicet & formæ, & quæ primo ex eis fuere, conuenit.

¶. RESPONDEN. est: fieri de nihilo, dicitur dupliciter: Vel quod non fit ex materia & secundum hunc modū materia, & forma dicuntur fieri de nihilo: & quæ tenent rationem huiusmodi principiorum. Alio vero modo dicitur fieri de nihilo, quod procedit in esse, cum prius non esset: secundum hunc modum dicuntur non tantum materia, & forma creata: sed quæ primo erant ex illis. Vnde Aug. contra Manichæum. Rectissimè creditur, omnia de nihilo fecisse: ipsa materia etiam de omnino nihilo facta est: etiamsi formata omnia de ista materia sint facta. Non n. prius extitit materia, secundum sententiam Aug. & postea ex materia factæ sunt res: sed simul de nō esse in esse exierunt principia, & quæ erant ex illis. ¶ PER iam dicta patet responsio ad primo obiectum: esse n. ex nihilo, & esse ex aliquo opponuntur: si cōsimiliter accipiatur, sed nihil prohibet esse ex aliquo, vt pote ex materia: & esse ex nihilo, hoc est, postquam non fuit: & est talis modus accipiendi: sicut cum dicitur, ex mane fit dies, id est, post mane: non quod mane fit materia diei.

¶ AD secundo obiectum dicendum est, quod exire de potentia in actum, dicitur propriè de his, quæ habent præexistentem * naturam: & secundum hunc modum distinguuntur isti exitus ex opposito. Si vero dicatur exitus de potentia actiua in actum; non ex opposito se habent exire de potentia in actum, & exire de nihilo in esse, sed vtrumq; conuenit creatis. ¶ AD tertium patet responsio ex dictis.

* Alias, materiam.

MEMBRVM V.

An creari conueniat ijs, quæ fiunt à natura: vel ijs, quæ fiunt à voluntate creaturæ rationalis?

AD quintum, quo quæritur: Vtrum creari conueniat his, quæ fiunt à natura, vel à voluntate creaturæ rationalis? Ad quod sic. Natura, & voluntas dicuntur disponere materiā, vel subiectum ad productionē formæ: cum aūt facta dispositio est, tunc datur forma. Est n. ita de his, sicut de agricolis: agricola n. extrinsecus operatur: creator vero est, qui principia ista format; sed formare Dei est creare: ergo ea, quæ fiunt materialiter à natura, vel voluntate, creantur ratione formæ à Deo. ¶ ITEM, Aug. *sicut matres grauidæ sunt fœtibus: sic mundus causis nascentib. quæ in illo non creantur: nisi ab illa summa essentia: vbi nō oritur aliquid, nec moritur.* ¶ ITEM Aug. *consummasse illa intelligimus Deum, cum creauit omnia simul perfectè, vt nihil ei adhuc in ordine temporū creandum esset, quod non hic ab eo in ordine causarum creatum esset.* Ex quo relinquitur, quod creatio extendit se ad ea, quæ fiunt natura, vel voluntate.

August. 13 de Trin.

Idem super Genes. ad litt.

¶ CONTRA. Ea, quæ fiunt natura, vel voluntate; fiunt ex aliquo prius existenti: sed q̄ fit ex aliquo prius existenti, non est creatum: ergo ea, quæ fiunt à voluntate omnino, vel natura; non sunt creata. ¶ ITEM, natura est principium ex similibus similia procreans in genere, vel in specie: eodem modo voluntas est principium secundum formam faciēdi apprehensam: cum ergo in natura sit sufficiētia producendi sibi similem formam, non est necesse in his ponere extrinsecus principium ad creationem formarum. ¶ ITEM requieuit Dominus septimo die ab omni opere: quod autem nunc operatur, hoc est, indiuidua creando, virtutem naturæ, & voluntatis gubernando: ergo sufficiunt in suis operibus præter creationem nouam natura, & voluntas.

RESOLVTIO.

Nec ijs, nec illis: sed ijs tantum, quæ mirabiliter fiunt.

¶ AD hæc dicendum est: quod aliter est in his, quæ fiunt mirabiliter: & aliter in his, quæ fiunt naturaliter, vel sola voluntate creaturæ. In his ergo quæ fiunt mirabiliter; dispositio fit per angelos, vel per homines: ipsa vero forma fit à Deo. Vnde Aug. *Qualibuscunque angelis vicinas causas ex elementis contrahere quanto facilius est: tanto mirabiliores in huius operibus existent eorum causalitates*: sed non est creator, nisi qui

Idem in li. de Trin.

principi-

princip[illegible] nec quicquam hoc potest, nisi ille, qui [illegible] us sunt omnia mensuræ, numero, & pondere. In his vero, quæ fiunt naturaliter, aliter est: nam ipse creator, natura mediante, formam inducit: vt potest ignis ex [illegible], humor ex [illegible]. In his ergo non est necesse, vt ipsa forma de nihilo educatur, quæ generatur; sed per generationem producitur. Rationes ergo seminales, vel naturales creatæ sunt, sed secundum illas postea fit naturalium conditio: sunt etiam quædam formæ, quæ à creatore inducuntur, licet mediante natura inducatur dispositio: sicut est in anima rationali, & in his, in quibus non dicimus formam habere virtutem generandi consimilem formæ in materia, vel subiecto.

¶ Ad 2. dicendum est, quod Aug. loquitur ibi de causis [illegible], quæ creatæ sunt in operibus sex dierum: secundum quas [illegible] tempore opportuno producerentur res [illegible] vel ex natura superiori, vel inferiori. Vnde Aug. [illegible] *ex intimo, ac summo causarum ordine condere creaturas* [illegible] *creator: Aliud pro distributis ab illo viribus* [illegible] *admouere. vt tunc, vel nunc, sic, vel sic* [illegible]. Distinguit autem sic inter naturalia, & mirabilia. Cum [illegible] res continuato quasi quodam fluuio labentium rerum: & ex occulto in promptum, atq; ex prompto in occultum, vsitato itinere transeuntium naturalia dicuntur: cum autem admonendis hominibus insitata mutabilitate ingeruntur: magnalia nuncupantur.

¶ Ad tertio obiectum dicendum est, quod licet cōsummatio esse dicatur in operibus sex dierum, quo ad genera, & species rerum naturalium: nihilominus tamen operatur Deus adhuc multiplicando, gubernando, mirabilia faciēdo; mediante natura, vel voluntate naturalia, vel voluntaria producendo: quæ opera non dicentur creatio: nisi quia à creatis virtutem accipiunt: vel ipse creator complet, ad quæ non sufficit natura, vel voluntas.

MEMBRVM VI.

An creari conueniat solis substantijs, vel etiam accidentibus?

AD sextum, quo quæritur: Vtrum creari conueniat solis substantijs, an etiam accidentibus? Ad quod sic. Creatio est primum opus creatoris: ergo conuenit creatum habere similitudinem primam cum ipso creatore, sed creator est ens per se conditum: ergo quod habet similitudinē eius, in eo quod est per se; dicetur creatum. Non n. conuenit: primo non cōmunicare huius dispositionem: cum possit conuenire creaturæ, sed ens nō per se: hoc est ens in alio, nō est huiusmodi: ergo nō conuenit ei ratio creati. ¶ Item, quod est creatum, dependet in esse à solo creatore, sed ens in alio non dependet ab illo solo: sed dependet ab ente per se in creatura: ergo non est numerandum inter creata.

¶ Contra, tam accidentia, quam substantiæ prima operatione producuntur de non esse in esse à summo opifice: ergo sunt creaturæ.

RESOLVTIO.

Substantiæ propriè creari dicuntur: accidentia autem quadam concreari.

¶ Quod est concedendum, & distinguēdum est in accidentibus, sicut in substantijs. Sunt n. quædam, quæ opere creationis procedunt: quædam vero opere generationis simpliciter, vel secundum quid, siue alterius generis mutationis. In his vero accidentib. quæ procedunt opere creationis, sicut esse horum est inesse; ita concreata dicuntur: ipsæ vero substantiæ per se, & simpliciter creatæ. Et sicut totum dicitur vnum ens: ita & vnum creatum.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur in contrarium dicendum est: quod licet ens per se quo ad hoc plus conueniat cum ipso summo ente per se, quod creat: nihilominus id, quod est ens non per se, dicetur creatum: quia vtrunq; post omnino non esse in esse est productum: sed hoc habet ens per se: quia alia dependent ab ipso: vt simpliciter dicatur creatum: sicut & simpliciter ens in illo genere.

¶ Ad secundo obiectum dicendum est, quod licet ens in subiecto dependeat à subiecto, quod est per se. & ideo habeat ens prius [illegible] creatione, sed natura: neq; dicitur etiam postea [illegible] opere, sed tamen simul in opere. & ita vnum [illegible] creatum.

MEMBRVM VII.

An ordo sit in creatione rerum: ita vt quæ [illegible] prius, quæ ignobiliora [illegible]

AD septimum membrum, quo quæritur: Vtrum ordo sit in creatione rerum. in nobiliora, & ignobiliora simul creantur. Quod sit ordo, videtur. Ordo n. ostendit sapientiam: sicut ergo ordo in esse ostendit sapientiam, ita ordo in fieri videtur ostendere. ¶ Præterea, numerantur dies, in quibus distinctæ sunt factæ creaturæ: sed dies non est simul cum die: ergo creaturæ factæ sunt secundū ordinem: erit ergo ordo in creatione. ¶ Præterea, nobilius, & minus nobile creata sunt, sed ita est in ordine factionis humanæ, quod præponitur in faciendo nobilius minus nobili: multo fortius ergo in sapientia diuina præponitur secundum fieri nobilius minus nobili: ergo in creatione attendebatur ordo.

¶ Contra, perfectio potentiæ ostenditur amplius in creando simul, quæ creanda sunt, quā in creando secundum ordinem: [illegible] imperfectionis est, non simul facere diuersa: Cum ergo creatio creat à potentia perfecta, erit creatio rerum simul, maxime in generibus, & si creebus: & ita nō erit ordo in fieri quod ad opera primæ creationis. ¶ Item, simul sunt rationes rerum in mente diuina: sed secundum rationes rerum in mente diuina procedunt res in esse per creationem: ad ostendendum ergo assimilationem rerum cum suis rationibus, congruit magis simul creatas, quam secundum ordinem: & dico ordinem: vt vna antecedat duratione alteram. ¶ Item, quod creatur, de nihilo fit: ergo ex illa parte non sumitur differentia in duratione temporis: vt hoc sit prius, illud posterius.

RESOLVTIO.

B. August. in productione rerum nobilitatis tantum ordinem arbitratur: contra D. Gregor. & Hier. o. ordinem etiam temporis.

¶ Respon. est secundū August. quod res simul creatæ sunt: licet sit ordo inter ipsas res creatas secundum minus nobile, & magis nobile: & iste est ordo secundum dignitatem: quem ordinem tangit Damasc. cum dicit. Decebat primum intellectualem substantiam fieri, & ita sensibilem; & tunc ex vtroq; hominem. Potest tamen hic intelligi, vt sit prioritas temporis secundum intentionem beatorum Greg. & Hier. & aliorum expositorum. Aug. super Gen. ad literam.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium, quod ordo ostendit sapientiam, &c. & ita sit ordo in fieri, & non tantum in esse. Respondendum est, quia concurrunt sapientia, & potētia, & bonitas ad hoc, quod hæ res; & ad hoc quod sit, in vtrisq; ostenditur: Potentia enim ostenditur maximè in hoc, quod fiunt simul: sapientia vero in hoc, quod pulcherrimè fiunt, & decentissimè: bonitas vero in hoc, quod optimo modo fiunt: In esse vero ostenditur potentia in hoc, quod tot fiunt: in hoc vero, quod inter se habent ordinem, ostenditur sapientia: in hoc autem quod in quadam sufficientia fiunt, ostenditur ipsa bonitas.

¶ Ad secundum dicendum, quod numeratio dierum attenditur dupliciter: vel secundum differentiam temporis, vel secundum cognitionis differentiam quo ad ordinem cognitorum: secundum primum modum diceretur esse ordo secundum tempus in ipso, secundum intentionem B. Greg. & B. Hieron. secundum alium vero modum diceretur ordo cognitionis in respectu cognitorum. Nec est dicendū, quod angeli essent creati prius tempore ante omnem diē: sicut videtur innuere beatus Hiero. dicens. Sex millia necdum nostri temporis implentur annorum, & quantas æternitates & quanta tempora fuisse arbitrādum est, in quibus angeli, throni, & dominationes Deo seruierunt. Similiter Hilar. *Quid mirum est, vt ante terram Deus Dominum nostrum Iesum Christum genuerit, cum angelorum origo terræ creatione reperiatur antiquior?* Sed hoc videtur Hieron. dicere recitando aliorum opin. Hilar. vero videtur innuere, quod non fuit Hila. in li de Trin.

dependentia creationis angelorum à creatione terræ; cum non habeant rationem corporalitatis propriè.

¶ Ad tertio obiectum dicẽdum, quod non est simile in humana operatione, & diuina: humana n. operatio propter sui imperfectionem non simul extenditur ad plura: diuina vero propter sui perfectionem potest ad plura extendi, non facta variatione aliqua ex parte ipsius operantis.

MEMBRVM VIII.

An creatura in creatione rerum quicquam operetur?

AD octauum, quo quæritur: Vtrum creatura cooperetur in creatione? Quod videtur: quia dispositio materiæ cooperatur ad productionem formæ: sed creatura operatur ad dispositionem materiæ: ergo cooperatur ad dispositionem formæ: sed productio formæ est creatio: ergo creatura cooperatur ad creationem. ¶ Qvod etiam videtur ex verbis August. dicentis: *Exteriores operationes, siue bonorum, siue malorum angelorum, vel hominum, siue quorumcunque aliorum secundum imperium suum, & à se impartitas distributiones potestatum, & appetitiones cõmoditatum, ita rerum natura adhibet, qua creat omnia; quemadmodum terra agriculturam*: De * agricultura vero similitudinem assumens ait; *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*: vult ergo dicere, quod natura, siue alia creatura cooperatur ad creationem.

Aug. in li. de Trin.

* Alias, agricolæ.

1. Cor. 7.

¶ Contra, quod creatur, de nihilo fit: ergo non requiritur materiæ adaptatio: cum ergo creatura tantum operetur ad dispositionem materiæ, non dicetur cooperari in creationem. ¶ Item, creare est nobilior actio, quam sit substantia creaturæ: ergo nec ipsa potest per creare: sicut supra habitum est: nec esse particeps in opere creationis: ¶ Item, si cooperatur, insufficientia videretur ipsius creantis: & æqualitas quædam creaturæ ad * creaturam, quorum vtrumque, cum sit impossibile, non erit creatura: per quam à creatore procedat creatio.

Quæst 7. memb. 1. art. 4.

* Alias, creatorẽ.

RESOLVTIO.

In quo (quæso) creatura creatori in creatione cooperabitur? num non admodum illa sibi sufficiens est? num materiæ (qua ibi tunc nulla inest) dispositio aliqua præexigitur: aut creatura est, quæ tali, ac tanta operationi æquari possit?

¶ Qvod concedendum est. ¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet creatura operetur ad dispositionem materiæ; non tamen cooperatur in fieri formæ: & ita non est, qua mediante fit creatio: alia n. penitus est hæc operatio, & illa. Quid ergo facit creatura? ministrat, sc. in re minus nobili, excitando Deum ad productionem rei nobilioris. Et hoc potest ostendi per exemplum Aug. Sicut in ipsa vita nostra mentis iustificationem formare non potest nisi Deus; prædicare autem extrinsecus Euangelium, & homines possunt: non solum boni ad veritatem, sed mali per occasionem: ita creationem rerum visibilium Deus intus operatur; exteriores vero operationes per angelos bonos, vel malos, vel homines fiunt. Attendendum est autem, quod creari non omnino simul dicitur hic, & cum dicitur. *In principio creauit Deus cœlum.* Nam ibi nulla coaptatio materiæ præexistentis requiritur: vnde in illa creatione nullum affuit ministerium. Et hunc duplicem modum eius, quod est creari; videtur ponere Aug. cum dicit: *Inuisibilium seminum creator ipse est, creator omnium rerũ: quoniam quæcunque ad oculos nostros nascendo exeunt, sed occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debita magnitudinis, distinctionesq; formarum ab originibus tanquam regulis sumunt.* ¶ Ad authoritatem Aug. dicendum est, quod licet videatur creatura præbere ministerium: vt fiat excitatio ad hoc, quod creator creet formam: non tamen dicitur creatura creare, vel in illo opere ministrare. Vnde August. *Non possunt artifices de nihilo aliquid fabricare: quia per corpus operantur: cum tamen eos numeros & conuenientiam lineamentorum, quam per corpus corpori imprimunt in alio; accipiunt ab illa summa sapientia, quæ ipsos numeros, & ipsam conuenientiam longè artificiosius ipso mundi corpori impressit, quod de nobis est fabricatum.*

August. de Trin.

Idem in li. 83. qq.

MEMBRVM IX.

An creari sit in tempore?

AD nonum, quo quæritur de conditione pertinente ad ipsum creari, siue fieri: Vtrum creari sit in tempore, vel non sit in tempore? Quod non sit in tempore, sic probatur. Tempus ipsum cœpit esse: nam si nullus esset motus, vel spiritualis creaturæ, vel corporalis: quo per præsens præteritis futura accederent; nullum esset tempus omnino. Moueri autem creatura non posset, si non esset: est autem, eo quod creatur: ergo tempore est posterius ipso creari: ergo non est in tempore. ¶ Item, si creatio esset in tempore; tempus præcederet: sed nihil est prius creatione, nisi Deus, qui est æternus: ergo tempus esset æternum: sed hoc non est verũ: æternitas enim est prior tempore: ergo creatio non est in sui initio, nec simul cum illo: ergo cum creatio passiuè dicta, sit cum initio temporis, vel ante initium; non erit creatio in tempore.

¶ Contra, Aug. *Cum ipsa creatura, quam fecit Deus, esse tempora cœperunt* (& loquitur de factura mundi) ergo tempus est coæuum creaturæ, vel ipsi creationi, passiuè dictæ. ¶ Item, dicitur: *Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti.* Ergo ipsa dicuntur æterna, sed creatio non: ergo tempus ante creationẽ, vel cum creatione. In ipsa etiam Gl. æterna tempora dicuntur, quæ præcesserunt mundi exordium. ¶ Item, super illud: *Ante tempora secularia.* Haymo *Tempora secularia intelligimus, quæ ex eo esse cœperunt: quo mundus factus est ad differentiam temporum æternorum*: Siue ergo accipiantur tempora æterna, siue secularia: erit tempus simul cum creatione, vel ante.

Aug. cõtr. Manichęũ

Ad Rom. vltimo.

Glossa.

2. Tim. 1.

Haymo in originali.

RESOLVTIO.

Et in tempore, & ante tempus, & cum tempore creari, vel fieri extitisse dicere possumus, iuxta multiplicem temporis sumptionem.

¶ Ad quod dicendum, quod tempus accipitur multipliciter. Vno modo pro mensura motus supercœlestis. Alio modo vero accipitur pro mensura cuiusque motus, siue rei spiritualis; siue corporalis: & secundum neutrum istorum modorum est cum creatione. Alio vero modo sumitur tempus pro mensura mutationis, quæ subito fit, vel exitu creaturæ de non esse in esse: & secundũ hoc dicitur esse in creatione passiuè dicta, siue cum creatura: secundum hunc modum principium durationis successiuæ, quæ dicitur tempus; largè accipitur sub tempore. Vnde aliquando inuenitur, quod in principio tẽporis creauit Deus cœlum, & terram: hoc est in nunc: sicut exponit August. secundum vnum modum in Lib. suo contra Manich. Alio vero modo dicitur etiam esse in tempore, sicut habitum est in prædicta autoritate; cum dicitur: cum ipsa creatura, quã fecit Deus; tempora esse cœperunt. Alio vero modo dicitur tempus pro duratione: & sic secũdum vnam expositionem, idem est dicere tempora æterna, quod durationẽ æternam, quemadmodum dicit Haymo. Secundum aliam vero rationem dicuntur tempora æterna, quæ semper sunt cum mundo: & secundum hoc dicit Aug. contra Manichæum. *Ideo dicuntur tempora æterna; non tamen sic æterna, quomodo Deus est æternus: quia Deus est ante tempora: qui fabricator est temporum.* ¶ Per hoc patet solutio ad obiecta: nam secundum quod tempus dicitur mensura motus rei supercœlestis; vel etiam motus rei corporalis, vel spiritualis, dicitur creatio ante tempus, in tempore, vel cum tempore.

Aug. cõtra Manich.

Idem cõtr. eundem.

¶ Ad hoc vero, quod dicit Aug. contra Manichæum: quod cum ipsa creatura, quam fecit Deus, tempora esse cœperunt. Dicendum, quod tempus ibi accipitur pro mensura creationis, quæ subito fit, siue exitus rei de non esse in esse: & secundum istum modũ concedendum est, quod tempus est cum creatione, passiuè dicta. ¶ Ad hoc, quod dicitur: *Tempora æterna*: & etiã Haymo, *tempora secularia ad differentiã æternorum temporum, quæ præcesserunt mundi exordiũ.* Dicendũ, quod tempus accipitur ibi generaliter pro duratione, & secundum hæc tempora æterna dicetur duratio æternitatis, quæ præcessit mundi exordium ad differentiam temporum secularium; vel tempora æterna, quæ semper sunt cum mundo, sicut supra dictum est.

Idem cõtr. eundem.

Rom. vlt. Haymo.

MEM-

MEMBRVM X.

Quid intelligitur per verbum illud ex nihilo, cum dicitur; creari est fieri ex nihilo?

AD decimum, quo quæritur: Cum creari est fieri ex nihilo: qualiter accipiatur hoc ipsum, nihilo? Ex quocunque enim fit aliquid, illud est causa eius, quod ex illo fit: si ergo factū est ex nihilo, ipsum nihil est causa eius, quod ex ipso factum est, sed id, quod nihil est; nullum habet esse: quod nullum habet esse; non adiuuat aliud, vt perueniat ad esse: ergo cum dicitur ex nihilo, non notatur causa. ❡ PRÆTEREA vox omnium est; *de nihilo, nihil fit*: ergo quicquid fit: fit ex aliquo, sed quod creatur, ex nihilo fit: ergo nihil creatur. ❡ ITEM, si creari est procedere non ex aliquo: aut hoc est non ex aliquo, quod sit alterius substantiæ: & secundum hoc diceretur filius procedere ex nihilo: quia non est alterius substantiæ à patre: Aut dicitur procedere non ex aliquo generaliter, sc. quod nec est eadem substantia, nec differens: & secundum hoc cum malum non sit eadem substantia, nec differens; quod ex malo procedit, dicitur creari, quia procedit ex nihilo. ❡ PRÆTEREA, dicitur quod homo loquitur de nihilo: cum loquitur de re inutili, vel omnino non ente, sed loqui est agere quoddam: non autem dicitur homo creare: ergo non omne procedere ex nihilo, est creare: sicut non omne agere de nihilo, est creare. ❡ PRÆTEREA, quod informe est, quoddammodo dicitur nihil: vnde materia cum est informis, dicitur nihil: ergo fieri ex materia secundum illum modum, est fieri ex nihilo, sed hoc non est creari: ergo non omne fieri de nihilo, est creari. ❡ PRÆTEREA, cum aliquis de nulla re loquitur: dicitur quod de nihilo loquitur: nunquid eodem modo dicetur creari fieri ex nihilo?

Ex 1. Phys. 31. iuxta sententiam Anax. & Empedoc.

RESOLVTIO.

Particula, de nihilo, in hoc, quod dicitur, creari est fieri de nihilo, dicit ordinem, non causam: vt sit dictu, post nihil, fit aliquid.

❡ AD quod dicendum, quod fieri ex nihilo, siue de nihilo, dicitur multipliciter. Nam [*de*] vel [*ex*] potest dicere ordinem, non causam: qui tamen ordo non saluatur, nisi in altero extremorum: & secundū hunc modum dicitur creari fieri ex nihilo, vel de nihilo: quia post omnino non esse procedit creatura in esse. Et sic dicit Aug. *Quæ facta sunt; mutabilia sunt: quia non* * *de illo, sed de nihilo facta sunt. Si vero dicat causam, secundum illum modum non est creari fieri ex nihilo.* ❡ ET per hoc soluitur primo obiectum. ❡ Similiter potest solui secundū: quod n. omnino non est ens, non potest esse materia entis, & ita non producetur materialiter aliquid: hoc tamen non est contrarium ei, quod dicit, quod post non esse producatur aliquid in esse.

Aug. in li. de ciu. Dei *Alias, aliquo.

❡ AD tertium dicendum, quod filius non dicitur ex nihilo procedere, vel de nihilo, sed de patre. Vnde Hilarius, *cum ex matre natus est, non est natus ex nihilo: non enim post non esse filius procedit filius in esse: nec post omnino non esse.* ❡ ITEM, cum dicitur creari fieri ex nihilo; non intelligitur priuatiuè: sicut malum dicitur nihil: malum n. nulla substantia est: sicut dicit Aug. in Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil, id est peccatū*: cum ergo aliquid dicitur fieri ex malo, id est, peccato, priuationem habet pro origine: cum aūt aliquid dicitur creari ex nihilo, potest intelligi, quod non fit ex causa aliqua: sicut dicit Ansel. contristatur de nihilo, id est, non cōtristatur ex aliqua causa, vel contristatur sine aliqua causa: licet de patre posset dici, pater non fit ex aliquo: non cōceditur tñ, quod pater sit de nihilo: in forma n. dicendi datur intelligi, quod pater fiat, quod nullatenus est concedendum. Si vero dicatur fieri de nihilo, hoc est fieri sine causa; cum nihil fiat sine causa, oppositio esset in hoc verbo, creari; poneret n. quod fieret, & quod non ex alia causa fieret. Ista aūt duo non sunt opposita; fieri ex aliquo, id est, ex aliqua causa; & fieri ex nihilo, prout continetur in ratione eius, quod est creari. Vnde Ansel. in Mono. *sine omni repugnantia ea, quæ sunt essentia Dei, possunt esse facta ex nihilo, eo modo, quo dici solet; diues ex paupere, & sanitatem recepisse quis ex ægritudine, id est, qui prius erat pauper, nunc est diues.*

Hil. 12. de Trin.

August. in Ioan. 1.

Ansel.

Idem in Monolog. cap. 7. & 8.

❡ AD quartum dicendum est, quod cum dicitur, homo loquitur de nihilo; dupliciter intelligitur: vel negatiuè, id est, non loquitur de aliqua re, & sic non ponitur hoc verbū, fieri: vt ex hoc sequatur, quod aliquis fiat. Si vero priuatiuè, vel negatiuè in genere: secundum hoc ponitur, loquitur. Et licet loqui sit agere; non tamen sic agere de nihilo est creare. Nihil n. dicitur inutile, vel omnino non ens, sicut chimera, quod est materia locutionis. *Ex nihilo*, autem prout ponitur in ratione eius, quod est creari: non ponit materiam: & ita differenter accipitur.

❡ AD illud [illegible]o, quod obijcitur de materia, quod materia nihil est secundum quemadmodum: Dicendum, quod sic fieri ex nihilo, priuatiuè dicetur nō purè negatiuè. Item materialiter, non tantum ordinaliter: & per hoc solui possunt ea, quæ primo obijciuntur.

QVÆSTIO X.

De substantia creaturæ secundum se.

In tria Membra diuisa.

TRANSEVNDVM est deinceps ad esse creaturæ secundū se. Circa quam hæc sunt consideranda, scilicet ipsa substātia creati, vnitas, & multitudo, simplicitas, & compositio, mutabilitas, vel immutabilitas, coæternitas, vel temporalitas, localitas: dispositiones ex parte qualitatis, & ex parte religionis: prædictæ enim sunt quasi ex parte quantitatis. Primo ergo considerandum est de substantia rei creatæ, ratione cuius quæritur. Primo, vtrum per se dicatur creatum compositum ex materia, & forma; aut alterum componētium, vel vtrumque. Secundo, quare sub ratione cœli, & terræ designatur creatio, potius quam sub alijs rationibus. Tertio, cum hæc contingat accipi, & esse sub ratione vniuersalis, vel particularis: Vtrum secundum vtramq; rationem sit esse creati, vel secundum alteram tantum.

D. Thom. 1. par. q. 45. par. 8. art. S. Bon. in 2. dist. 1. Scot. ibid.

MEMBRVM I.

An per se creatum dicatur compositum, vel materia, vel forma?

AD primum sic obijcitur: compositum ex materia, & forma est in suo genere perfectum: à perfecto aūt simpliciter secundum rationē potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis conuenit procedere perfectum sdm primam rationē: sed hoc est compositum, sicut dictum est: creatio autem est prima ratio procedendi in creaturis: ergo compositum dicetur per se creatum. Nec obuiat ratio creati, quæ est, procedens de non esse omnino in esse: hoc enim conuenit ipsi composito. ❡ ITEM, cum per se ens conueniat his tribus, propriè, & primo conuenit composito; materiæ secundo, quia non est in subiecto; sed est alterius subiectum: formæ vero, vt qua formaliter res est id, quod est. Sed cui conuenit propriè, & primo esse substātiam de nihilo factam, hoc est creatum per se, & primo: ergo compositum dicetur per se, & primo creatum. ❡ ITEM, hoc est, in quo stat actus naturæ, vel voluntatis: multofortius ergo actus creationis.

❡ CONTRA. August. *Materia de nihilo facta est: ita vt ordinatissimo Dei munere primo capacitas formarum fieret: ac deinde postea formarentur, quæcunque formata sunt.* ❡ ITEM, quod conuenit plus cum principio creante, plus habet similitudinis: sed materies, à qua formatus est mundus; conuenit in hoc cum primo secundum quandam proportionem, vt dicatur origo rerum: quod non est dicere de aliqua forma, vel de composito. Vnde Aug. *Materia, à qua formatus est mundus, origine, non tempore: res ex se factas præcessit*: cum ergo plus habeat similitudinis; magis participabit rationem entis; & ita eius, quod creatum est.

Aug. in li. de symbolo.

Idem in li. Confess.

❡ QVOD autem conueniat formæ, videtur: forma enim est, quæ dat esse materiæ, & ipsi composito. Quod autem dat esse materiæ, in hoc habet ampliorem similitudinem cum ipso creatore, & fluit de non esse: ergo habet plus rationem creati.

RESOLVTIO.

Quodlibet profecto trium dictorum per se creatum dicitur, tam scilicet materia, quam forma, & compositum: sed principalius hoc tertium, quam duo praecedentia.

¶ Ad hoc dicendum est, quod cum [*creatum*] dicat terminum actus, qui est creatio; verè creatum est, quod est ex his sc. materia, & forma; & ipsa materia, & ipsa forma nihilominus: Tamen pp aliquam similitudinem dicitur cōpositum primo creatum: siue primo habens rationē entis: propter aliam aūt dicitur forma: pp aliam aūt materia: propter rationem n. perfecti, vel eius, q est per se, & in se sufficienter; conuenit ei primo ratio creati: propter rationem actus, & formæ, secundū quorum vtrumq; aliquam habet similitudinem cū primo, dicetur forma: secundū vero rationem originis, & potentiam primam in suo genere habentis, dicetur materia. Ex his patet solutio prædictorum.

MEMBRVM II.

Cur sub ratione cæli, & terræ, potius quam sub alijs rationibus creatio designatur: cum dicitur: In principio creauit Deus cælum, & terram?

AD secundum quo quæritur: Quare sub ratione cœli, & terræ designatur creatio, potius quam sub alijs rationibus. Ad quod sic. Terra in genere principiorū minus est nobilis: ignis autē, & aer, & aqua corpora sunt nobilia: cum ergo creata quo ad substantiam suam debeant nominari, magis nominanda essent sub ratione istorum, quā sub ratione terræ. ¶ Item, cœlū corporalem designat naturā: ergo nomine cœli, & terræ non designantur; nisi corporales creaturæ, sed nobilior est creatura spiritualis corporali: ergo aliquo nomine conueniente spiritib. debet designari. ¶ Item, cum vtrumq; sit intelligibile, & vtrunq; sensibile: Psal. 135. quare dictū est: *Qui fecit cælos in intellectu*: de terra vero dici- Ibid. tur: *Qui fundauit terrā super aquas.* ¶ Item dicitur: *Manus mea* Isai 48. *fundauit terrā; & dextera mea mensa est cælos.* Propter quid sine Isai. 40. distinctione dicitur, quod *Manus fundauit terrā*: cum distinctione vero dicitur: Dextera &c. ¶ Item, dicitur: *Cælos palmo ponderauit: quis appendit tribus digitis molem terræ: cum vtrunque possit appendi, & vtrunque ponderari.*

RESOLVTIO.

Aptius Moses vniuersam naturam mediam creatam exprimere non potuit, quam duobus his extremis rationibus, scilicet, cælum, & terra. Altero quidem propter sui simplicitatem, & spiritualitatem creaturas superiores, & ab omni contrarietate alienas designans. Altera vero propter sui corpulentiam, materialitatem, & opacitatem creaturas has inferiores, omnino vicissitudini subiectas, innuens.

¶ Ad quod respondendū, quod nomine cœli, & terræ secundum vnam expositionem, designatur spiritualis creatura, & corporalis: vt nomine cœli designetur spiritualis: nomine terræ corporalis. Alio vero modo potest exponi: vt nomine cœli designetur cœlū empyreum cū suis contentis: nomine vero terræ designetur inferior corporalis creatura: quæ alio nomine dicta est aqua: cuius aliqua pars extēditur vsq; ad cœlum aqueum, siue cristallinum: secundum quod diuersæ sunt aquæ superiores ab inferioribus. Tertio modo potest dici cœlum tota materia corporalis: quæ est sine contrarietate cum suis contentis: terra vero natura corporalis habens contrarietatem, cum suis contentis. Secundum primam expositionem dicitur super id: Psal. 135. Glossa. *Qui firmauit terrā super aquas.* Gloss. vniuersam creaturam per se, non per creaturam fecit: cuius aliquas excellentiores partes posuit, ex quibus omnia cogitentur, id est, intelligibiles cœlos, & visibilem terram. Secundum secundam expositionem dicit Aug. 13. Confess. Aug. quod in nomine cœli intelligitur spiritualis creatura, nomine terræ corporalis. Vtraque vero expositio, sc. secunda; & tertia habetur in Libr. de ciuit. Dei. 11. cum dicitur: Idem in li. 11 de ciui. Dei. *In principio fecit Deus cælum, & terram.* His nominibus vniuersaliter est signata creatura corporalis, & spiritualis: vel magnæ duæ mundi partes: quibus omnia, quæ creata sunt, continentur.

¶ Ad primū ergo dicendū, quod licet terra sit minus nobile principium, siue elementum: nihilominus tā nomine cœli, & terræ designantur creaturæ. Sunt n. sensibilia manuductiones ad intelligibilia: cœlum autē, & terra sunt extrema corpora: quorum vnum habet plus de spiritualitate ratione luminis: alterum plus corpulentia ratione materialitatis, & opacitatis: & propter hoc ista duo designauit; terram, quia plus habuit de materialitate: nomine eius voluit designare materiam istorum transmutabilium inferiorum: media ergo cum habeant concomitantiam cum vtrisque extremis: & habeant communem materiam, maximè cum ipsa terra; per cœlum, & terram designantur.

¶ Ad secundo obiectum dicendum est, quod vtentibus sensu oportet intelligibilia per sensibilia declarare. Spirituales vero substantiæ, licet separatæ sint per essentiam à corporalibus: nihilominus tamen à corporalibus continentur: vtpote angeli secundum suam primam creationem collocati sunt in cœlo: animæ vero in corporibus terrenis: hoc est in quibus plus abundat secundum grauitatem terra: Rectè ergo per cœlum, & terram apud vtentes sensu exteriori, & interiori; non tantū declarantur corporales creaturæ, sed etiam spirituales, quæ ab his continentur.

¶ Ad tertio obiectum dicendum, quod licet vtraq; sint sensibiles, scil. cœlum, & terra: cœlum tamen dicitur intelligibile: propter sui spiritualitatem, & simplicitatem: & ideo distinguendo inter cœlum, & terram, dixit: cœlos fieri in intellectu: de terra vero non dixit: nihilominus tamen vtrumque est intelligibile, & vtrumq; sensibile; secundum alteram, & alteram rationem.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod terra dicitur fundari à manu per quandam metaphoram; non quod diuina essentia manum habeat, vel dexterā, vel sinistram, sed more fabricatoris loquitur: Manus ergo accipitur ibi in genere; vel quia diuidit contra dexteram accipitur pro sinistra: & siue sic, siue sic, ostendit minus esse complementum in terra, quam in cœlo: minus enim complementū est in genere, quā in specie, prout huiusmodi: & sinistra minus nobilis est, quam dextera: dextera enim est principium motus: sinistra vero est, per quam regnat motus: & in hominibus magis est principium sustinendi, quam agendi: Et propter hæc nomine manus in genere dicendo, vel per appropriationem cointelligendo sinistram, fit appropriatio potentiæ diuinæ respectu ipsius terræ, quo minus nobilis est: per dexteram vero signatur appropriatio diuinæ potentiæ respectu cœli, quod est nobilius. Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur: *Leua eius sub capite meo: & dextera illius* Cant. 2. *amplexabitur me*, per leuam n. designantur ista inferiora, quæ nomine terræ designantur in scriptura: per dexteram vero cœlum, & cœlestia. Similiter: *Longitudo dierum in dextera* Prouer. 3. *eius: & in sinistra eius diuitiæ, & gloria.* Res enim perpetuæ, quæ ad cœlum pertinent, nomine dexteræ intelliguntur: nomine vero sinistræ ea, in quibus homines gloriantur, & ditantur, sc. terrena.

¶ Ad quintum dicēdum est, quod cœli dicuntur ponderari palmo propter sui magnitudinem, & capacitatem: & quia extenditur ad illum modum, quandam habens in se continuitatem; vt pars à parte non sit separabilis natura. Terra vero dicitur appendi tribus digitis; propter sui minoritatem, & separabilitatem: & quia triplex virtus est in ea. Habet n. virtutem opacitatis, & qualitatis pertinentis ad mutationem secundum substantiam, & qualitatis pertinentis ad motum localem secundum rationem opacitatis: habet situm centralem, tanquā minus nobile corpus inter principia, & plus materiale. Secundū vero qualitatem generabilem ordinatur ad generationem: secundum vero grauitatem ad motum localem: & hæ sunt differentiæ impressionum, quas in ipsa terra recipit. Ad discernendum: ergo istam triplicem differentiam; dicitur appendi tribus digitis. Præterea, per tres digitos designatur potentia, quæ appropriatur patri: notitia, quæ appropriatur filio: virtus recognitiua, quæ appropriatur Spiritui S. Habet aūt potentiam susceptiuā, & ratione huius ordinatur ad potentiam. Habet etiā ratione suæ opacitatis splendorem: splendor n. fit ex reflexione opaci, siue densi: & quo ad hoc ordinatur ad ipsam notitiam. Habet etiam virtutem motiuam, ratione cuius refertur ad Sp. S. rectè ergo tribus digitis dicitur appendi.

MEM-

MEMBRVM II.

An esse creati sit secundum rationem vniuersalis, vel particularis?

AD tertium, quo quæritur; cum hoc contingat accipi, & esse sub ratione vniuersalis, & particularis, Vtrum secundum vtramque rationem sit esse creati, vel secundum alterum tantum? Quod secundum ratione vniuersalis, videtur: eo quod vniuersale inquantum huiusmodi similius est causæ propter rationem proprietatis. Item similius est ratione virtutis continendi multa. Similius est etiam ratione formæ: ratione.n. formæ magis est vniuersalitas. ¶ Quod autem ratione singularitatis, vel particularitas, videtur: eo quod actus sunt circa singularia: creatio autem actus est: ergo circa singulare. ¶ ITEM, singulare est omnino completū in esse: quod magis conuenit rei creatæ; hoc etiam magis ratione substantiæ tenet: ex quibus colligitur, quod magis conuenit ratio creati in esse singulari.

¶ CONTRA, sic ostenditur, quod vtrique: vtrunque.n. exit de non esse omnino in esse: ergo vtrunque habet rationem creati. Item super illud: *Requieuit ab omni opere*: à generibus, s. rerum & speciebus: sed hæc non sunt sine suis singularibus: ergo cum requies illa diceretur à creatione, erat creatio tam vniuersalium, quam particularium. Gen. 2.

RESOLVTIO.

Secundum rationem vtriusque, verum vnius in altero, s. vniuersalis in particulari, in quo saluari, & conseruari habet.

¶ AD quod dicendum, quod vtriusq; est creatio, vnius, s. in altero: vniuersale.n. ratione perpetuitatis habet esse diuinum, sicut dicit Philos. ꝙ positum est in singulari, vt si nō possit saluari in vno, saluetur in alio, hoc ergo in illo, ē terminus creationis, particulare, s. siue singulare: in quo saluatur: vniuersale autem est, quod saluatur, & quod habet in singulari virtutem saluandi se. Propter dictas ergo rationes vtrunque habet rationem creati: hoc secundum vnam rationem, illud verò secundum aliam præeminentiam.

QVÆSTIO XI.

De multitudine creaturarum.

In duo Membra diuisa.

TRANSEVNDVM est ad quæstionem de vnitate, & multitudine in his, quæ creata sunt, vtrum vnum tantum sit à primo immediatè, an multa? Item de causa multitudinis, si est. D.Th. 1. p. q. 46. S B. in 2. d. 1. art. 1. & 2 Sc. ibid. & in 4. d. 1. q. 1

MEMBRVM I.

An multitudo, & pluralitas rerum immediatè à primo principio, vel efficiente sit?

AD primum. Quod creatum procedere debeat in vnitate sic arguitur. Exemplum.n. imitatur suum exemplar: sed exemplar est in omnimoda vnitate: ergo exemplum debet esse in vnitate. Hanc rationem videtur Augu. inducere ex verbis Platonis, quod mundus sensibilis sit vnus, eo ꝙ mundus archetypus sit vnus. Et si dicatur per similitudinē exemplaris inferioris, à quo plura procedunt exempla: constat ꝙ ab vno exemplari in specie non procedit nisi vnum exemplum in specie, licet sint plura numero. Si ergo sic est, à summo exemplari non procedit nisi vnum exemplum in specie, & ita vnum creatum in specie. Ab vno n. libro, qui ē vnum exemplar in specie, non procedit exemplum, nisi vnus liber in specie, & ab vno sigillo in specie, vnum impressio in specie. Si verò dicatur, ꝙ differentia sint exemplaria propter pluralitatem idearum, vt huic ideæ respondeat hoc creatum in specie, alli verò aliud. Secundum hoc: cum ideæ sint eadem in essentia: essent ideata eadem in essentia, & ita remanerent vnum creatum in essentia: et si omnes ideę sunt vna idea, omnia creata essent vnum creatum. Quod cum non sit, non ex hoc tantum accipietur vnitas. ¶ ITEM; si secundum numerum idearum esset numerus ipsorum creatorum in specie, vel in genere, non posset numerus creatorum in specie crescere: cum numerus idearum non posset crescere: nulla.n. mutatio menti diuinæ pōt conuenire. Sed cōstat, ꝙ numerus creatorū possit crescere: cū potētia Dei sit omnipotētia, & ita infinita, & ita pt plura creare, q̄ creauit. Plato in Timæo in 5. folio à principio Lib.

¶ ITERVM, si proueniret pluralitas ex aliqua ratione, aut hoc esset ex parte causæ finalis, aut formalis, aut efficientis, aut materialis. Ex parte verò causæ materialis non potest esse: cum non habeat causam materialem, creatum enim est de nihilo. Aliæ verò rationes causæ sunt vnum in essentia: sicut supra habitum est, ergo ex parte nullius causæ potest accipi ratio multitudinis. ¶ ITEM, voluntas Dei est efficiens causa, sed voluntas eius est vna, & immutabilis: ergo ex illa parte non potest prouenire ratio multitudinis. ¶ ITEM, est multiplex modus procedendi à Deo patre, per generationem, per spirationem, per creationem, per factionem, put differt à creatione: sed duobus primis modis non dicitur nisi vnum procedens: vt filius per generationem, spiritus per processionem: ergo pari ratione videtur secundum alios duos modos: vt vnum procedat ab vno. Quæst. 2. memb. 2.

¶ ITEM, si diceretur: quia ex nihilo procedunt creata; ideo est pluralitas creatorum.

¶ CONTRA, hoc est quod nihil nullo modo dictum, nullius rei est causa, & ita non est causa multitudinis. ¶ ITEM procedens à primo quocunque modo procedat, procedit secundum aliquam similitudinem: sed multitudo omnino dissimilis est summæ vnitati, sicut & corruptio: non ergo dicetur creatum procedere à primo in ratione multitudinis.

¶ Fortè dicetur, sicut & quidam philos. dixerunt, quod à primo, quod est vere vnum, non procedit immediatè, nisi vnum; mediatè verò, siue secundum prius, & posterius plura: vtpote primo creauit intelligentiam angelicam: intelligentia verò angelica, quia se intellexit, & illum, à quo erat: & ita intellexit multitudinem, mediante intelligentia angelica processit multitudo. Sed hæc ratio non congruit: secundum hoc enim maioris potentiæ esset primum mediante creatura, quam secundum seipsum: nam mediante creatura poterat producere multa: secundum seipsum verò nō poterat producere nisi vnum. ¶ ITEM, si multitudo producta producebatur propter intellectum multitudinis, q̄ erat intelligentia angelica, eo quod intelligebat se, & illud à quo erat: & ita multiplex erat intellectus Dei cum habeat multitudinem, & non habeat ipsum primum (non enim intelligebat illud, à quo erat) potentior videtur ipsa intelligentia angelica, quam diuina: nam intelligentia angelica posset secundum hoc multa facere immediatè: diuina verò non, quod est inconueniens. Si verò propter intellectum multitudinis in genere, erat potentia producendi multa: & per consequens multorum productio: cum diuina intelligentia intelligat se, & illud, quod est ab ea: angelica verò intelligat se, & illud, à quo est, magis conuenit diuinæ intelligentiæ producere multa immediatè, quam ipsę angelicæ. Nam ratio intelligendi illud, quod est à se, est ratio intelligendi se esse causam, & illud esse creatum ab illo. Ratio verò intelligendi, quod est ab alio, est ratio intelligendi se esse creatum: ergo cum ratio producendi conueniat causæ, & non conueniat causato, vt huiusmodi: diuina intelligentia plus habebit ratione creandi multa, quam angelica. Vulgata propositio & colligi po est ex 2. de Gen. 16. & habetur ab Au. 11. Metaph. con. 44. & alibi contra Aui. qui 9. suæ Metaph. c. 4. prouentorum posuit intelligentiarum.

¶ ALII verò dixerunt, quod vnitas est à forma, & multitudo à materia: & propter hoc ratio multitudinis non fuit à summo, eo quod est forma, sed fuit à materia. Sed contra hoc sic obijcitur: siue ponatur materia coæterna, siue creata, & non coæterna: non erit ab ipsa multitudo. Si enim ponitur coæterna, forma verò non: aut erit vna sola forma creata: aut plures in illa materia. Si vna sola materia, sola & forma: non producetur nisi vnum. Si verò dicatur, quod forma vna multiplicatur per materiam: hæc multiplicatio non est per speciem, vel per genus: & ita diuersitas rerum secundum genus, & speciem non erunt à materia.

¶ SI fortè dicatur, sicut recipitur in Lib. de Vnitate, & vno: quod materia cum habeat dissensionem, aliqua pars eius sit remotior, & alia propinquior, & secundum hoc attendatur diuersitas formarum in materia, in genere, & in specie: vtpote intelligentia sit simplicioris materiæ: anima verò minus simplicioris, & ita de alijs: sic obr in contrariū. Non potest esse ꝑpinquitas, & elongatio respū diuinæ essentiæ secundum locū, aut situ: à Deo.n. non receditur loco sed dissimilitudine: sicut dicit Aug. in Lib. de Ciu. Dei, & de Natura boni, & in pluribus locis: & hoc est, quia est vbique dissimilitudo verò attenditur sm̄ priuationē maiorem, vel Boet. Aug. in lib. de Ciuit. Dei. & de natura boni.

minorem, quæ est formæ, vel secundum compositionem maiorem, vel minorem, compositio vero maior, vel minor non est sine formis: nec priuatio maior, vel minor nisi respectu formarum: non ergo à materia erit vniuersaliter respectu multitudinis. Si enim dicatur materia partes habere, partibilitatem habebit ergo: partibilitas autem non est sine forma. Si etiam in vna parte sui sit simplicior: & in altera parte corpulentior: hoc non erit, nisi ratione formarum: materia enim ex hoc est materia, quod habet possibilitatem ad formas. Præterea, materia ratione corporeitatis est diuisibilis: sed diuisio aliunde venit, quam à diuisibili: ergo aliud est principium diuisionis, siue multitudinis, quam materia. Præterea, si partibilitas est in materia ratione corporeitatis, erit diuisio ratione formæ, cum corporeitas in materia sit forma. Item si tantum ratione materiæ esset multitudo, omnia essent vnum in forma: cum ergo vnitas dicatur ratione formæ, sicut multitudo ratione materiæ: omnia essent vnum, quod cum non sit, non tantum ratione materiæ est multitudo, sed etiam ratione formæ.

¶ Si verò materia ponatur creata, & non coæterna, non erit ab ipsa multitudo creatorum, siue conditorum. Nam aut ipsa sola exit in esse tunc de non esse: aut cum eo etiam exit forma, si sola materia, non erit multitudo: si autem forma cum materia, vnde erit differentia formæ, & materiæ? non enim materia dabit formæ, quod differat à forma: multitudo ergo, quæ est materiæ, & formæ, nec à materia nec à forma erit: & non est aliud, nisi opifex: ergo erit ab opifice.

¶ Si verò dicatur, sicut alij dixerunt, quod multitudo rerum erit à forma: secundum hoc obijcitur: Aut formæ sunt multæ, aut non sunt multæ in seipsis. Si non sunt multæ in seipsis: ergo vna forma inquantum vna esset principium similitudinis.

¶ Contra, vna forma est principium vnitatis in re: ergo secundum hoc non erit principium multitudinis. Si verò sunt formæ multæ in seipsis: vnde venit illa multitudo, cum formæ à se non habeant esse, nec per consequens vnitatem multiplicatam. Præterea, si in sola forma esset principium multitudinis, non esset aliqua diuersitas à materia: vel subiecto. Videmus autem secundum materiam, vel subiectum formam diuersificari, dicitur enim alius ignis, & alius, quia alia materia: & alia albedo, quia in alio subiecto.

¶ Fvervnt etiam alij, qui dixerunt, multitudinem rerum conditarum procedere à Deo secundum hunc modū. Diuina essentia intelligit se, & intelligendo se, causa est eorum, quæ sunt ab ea: quia non tantum intelligit se, sed intelligit intelligere se, & ita deinceps: & sic procedit multitudo, & ita in infinitum. Non tantum est principium filij, qui est sapientia, siue notitia, sed etiam aliorum per filium, scil. rerum conditarum, & primo rei conditæ: quia intelligit se, secundo vero, quia intelligit intelligere se, & ita deinceps: & sic procedit multitudo, & non tantum similitudo, sed etiam ordinata multitudo, & sic videtur illud intelligi, quod dicit Boet. *Omnia, quæ à primæua rerum natura condita sunt, numerorum ratione videntur esse formata.*

Boet.

¶ Item, ad hoc videtur facere, quod dicit Aug. in Lib. de libero arbit. *Quod idem est sapientia, & numerus.* Vnde exponit illud, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, vt vnum referatur ad rationem sapientiæ, alterum vero ad rationem numeri, sic dicens. Ea potentia, qua fortiter à fine vsque ad finem attingit: numerus fortasse dicitur, ea verò, qua disponit omnia suauiter: sapientia propriè vocatur, vt sit vtrunque vnius, eiusdemq; sapientiæ.

Aug. in lib de lib. arb.

Sap. 7.

¶ Contra, quod intelligit intelligere se, non facit in ipso aliquam pluralitatem, ergo propter hoc non dicetur esse multitudo in rebus.

¶ Item, non magis se habet ad vnam rem conditam intelligere se, quam si ter dicatur, vel quater reflectendo: ergo non propter hoc erit rerum conditarum differentia. Tantum non pertinet intelligere reflexum bis, vel ter ad angelum, quantum ad animam, & econuerso: cum vtrunque sit à Deo immediatè.

¶ Præterea, si hæc esset ratio procedendi res in multitudine: vna quæque res procedens, participaret intellectum, qua ratione, & alia res, & ita non magis diceretur angelus, & anima rationalis, quam sensibilis, & ita de alijs rebus conditis, quod cum non sit: non est hæc ratio procedendi in multitudine. ¶ Item, si angelus procederet à Deo, eo quod intelligit intelligere se, vnde esset multitudo angelorum: non enim esset nisi vnus angelus, cum non sit nisi vna ratio numeralis, restat ergo aut quod non sit multitudo in eo, quod creatur, vel conditur à Deo: aut non est ex dictis causis.

¶ Si verò diceretur, quod multitudo in his, quæ condita sunt à Deo, est à multitudine actus diuini, qui est creatio: creat enim hoc, & creat illud, & differentiæ creatorum respondet differentia actuum: sicut apparet in alijs actionibus. Contrarium videtur: creatio enim actio vna est, quantum est ex parte creantis. Si ergo alia, & alia dicitur creatio: hoc est respectu alterius, & alterius creati, attenditur ergo differentia in ipsa creatione ratione creati, non econuerso. Si enim creatio haberet differentiam non ex parte creati: & tunc oporteret aliquam differentiam assignare ex parte creantis: & quia nulla est, non attenditur differentia creatoris aliunde: quam à differentia rei creatæ. Ex præmissis ergo videtur colligi, quod non est à summè vno, multitudo immediatè, inquantum huiusmodi quod exit, ratione vnius exit.

¶ Ad contrarium sic potest obijci: Potentia diuina est infinita, declaratio autem potentiæ infinitæ est amplius per multitudinem, quam per singularitatem, & per multitudinem simul procedentem in esse, quam non simul procedentem: ergo creatio cum manifestat potentiam summam, declarabitur conuenienter magis in multitudine, quam in singularitate.

¶ Item, bonitatis est communicare, ergo summæ bonitatis maximè communicare, & eius, quæ magis est, magis communicare, sed magis est communicare, cum communicatur pluribus, quam cum communicatur vni soli: ergo diuinæ bonitatis, quæ est maximè bonitas: est pluribus bonitatem communicare.

¶ Item, tanta est notitia, siue sapientia in Deo, qua maior non potest excogitari, sed maior est notitia plurium, q̃ sunt ab ipsa notitia: quam vnius solius, quod fit ab eadem: ergo illa est tribuenda Deo, quod non contingit, nisi plura fiant ab ipso: ergo multitudo est in ipsis creaturis, siue in his quæ fiunt à Deo. Nec hoc obstat, quod vnum, & multa opponuntur: vnumquodque autem, quod à summa vnitate est, & vnum est: licet enim vnumquodque sit vnum, tamen ex alijs elicitur multitudo: vnum enim & multa non sic opponuntur, quin vnum sit principium multitudinis.

¶ Item, vnum est principium materiale multitudinis, sine quo non est multitudo: sed magis congruit vnitas efficienti principio, quam materiali: ergo magis conuenit, q̃d vnum sit effectiuum principium multitudinis, quam materiale multitudinis.

¶ Item, si quæreretur añ omnem differentiam alia differentia, & ante omnem multitudinem multitudo: oporteret ire in infinitum: ergo alicubi est standum: sed in primo actu rerum, quæ fiunt, non est possibile inuenire multitudinem ex parte facientis; cum sit omnimoda simplicitas: & si est ibi pluralitas personarum, illa non est, secundum quā distinguitur pluralitas rerum conditarum: indiuisa enim sunt opera trinitatis, sicut habetur in Lib. de Trin. (Quorum enim est eadem essentia inseparabilis est, & eadem operatio.) Ex quo relinquitur cum ratio diuersitatis non sit ex parte facientis: erit ergo prima diuersitas, siue multitudo ex parte eius, quod fit, & prima ad nullam aliam est reducenda. Vnde sicut ex parte causæ voluntatis diuinæ nulla est ratio quærenda: ita ex parte multitudinis in eo, quod fit à primo, non est alia multitudo prior quærenda.

¶ Ad idem: differentia oritur ex his, quorum est differētia, sed ea, sunt vnum & vnum, vnum autem in se est indiuisum, ab alio diuisum, hoc autem est vnumquodque in eo quod est, ergo cum posito ente ponatur vnum, & posito iterum ente, ponatur vnum: multitudo autem surgit ex vno, & vno, & ita ex ente, & ente: ergo multitudinis ratio non quæretur aliunde.

¶ Item, differentia est in ipsis speciebus, & huic respon-

det vni-

det vnitas generis. Si autem quæratur de differentia specierum, aut seipsis differunt, aut differentiis: differentiæ autem non alijs, quam seipsis differunt. Similiter, quæ differunt numero, sunt vnum specie: quæ autem differunt numero, seipsis differunt. Similiter, quę sunt multa genere, siue multa processionibus, sunt vnum principio: ergo & hæc similiter erunt seipsis differentia omnino: cum ante istam differentiam nō sit aliam differentiam reperire: ante enim multitudinem processionalem non est alia multitudo: sicut neque ante vnum, à quo procedunt, est alia vnitas: ergo multitudo in rebus primo creatis non habet ante se aliam multitudinem.

¶ Item, in his, quæ procedunt à voluntate, est inuenire primam differentiam, quæ non ad aliam reducitur: similiter in his, quæ fiunt à natura, est inuenire primam differentiam. In his enim quæ fiunt à voluntate, prima differentia est voluntas bona & mala. In his autem, quæ fiunt à natura, differentiæ elementorum in inferioribus causis: differentiæ verò superiorum corporum in superioribus causis: multo ergo fortius est prima multitudo, siue diuersitas in his, quæ fiunt à prima causa agente, quæ non habet aliam ante se.

RESOLVTIO.

Multitudo rerum à Deo primo principio, vel primo efficiente est, sed per modum vnius.

Ad quod dicendum est, quod multitudo est à primo efficiente: in alijs etiam multitudo est ab vno principio: vnumquodque tamen, quod est à primo principio, scil. Deo, qui summè vnus est, procedit secundum rationem vnius: ipsa etiam multitudo quodammodo est vnum.

¶ Ad illud verò, quod objicitur: ꝙ multitudo non primo procedit per creationem à Deo, sed tantum vnum. Dicendum est, quod aliter dicitur vnum, cum dicitur, mundus sensibilis est vnum: & cum dicitur vnumquodque creatum vnum. Mundus enim sensibilis secundum rationem vniuersi ab vnitate nomen accipit: sicut dicit Aug. hæc autem vnitas est multitudinis ordinatæ ad summè vnum, habentis complexionem in partibus. De hac vnitate dicit in illo lib. August. *Tanta est vis, & potentia integritatis: vt quæ multa sunt bona, tunc placeant: cum in vniuersum aliquod conueniunt, atque concurrunt*, & secundum hoc dicitur illud. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Rectè ergo dicitur, quod mundo archetypo tanquam exemplari respondet mundus sensibilis tanquam exemplum: & accipiatur largè hic ipsum sensibile, vt contineat in se res spirituales. Vnde si aliæ res crearentur, vel fierent, ad mundum sensibilem pertinerent: sicut infra patebit. Non sic autem de vnoquoque creato sigillatim accepto: eo quod non dicit rationem omnino perfecti in conditione. Vnde licet mundus sensibilis sit vnus non tamen hoc creatum, vel illud est vnum solum: imo ex hoc sequitur, quod non est vnum solum ad hoc, quod fiat vniuersum.

Aug. contra Manichæos.
Idem ibid.
Gen. 1.
Collige ex q. 14. & 16.

¶ Ad secundum verò dicendum est, quod non est simile in exemplaribus inferioribus, & exemplari summo. Exemplar enim in inferioribus alligatum est materiæ: & hoc habet omnino essentiam efficientis. Vnde diuersæ formæ in exemplari in specie, respondet diuersa forma in specie in exemplo: & eidem in specie, eadem in specie. Non sic autem est in exemplari summo: vna enim est essentia species exemplaris, cui respondēt diuersa exempla in specie, & etiam diuersa in genere: ipsa .n. omnino est abstracta, existens omnium forma: sicut habetur in fine Lib. de vera relig.

¶ Ad tertium dicendum: licet dicatur idea huius, & dicatur idea illius: & ita ideis respondeant ideata: non tamen si vna essentia huius ideæ, & illius, & ita in infinitum, sic causatum in essentia: quia aliunde accipitur vnitas & multitudo in ipsis rebus creatis vel conditis secundum essentiā quam ab ipso exemplari secundum essentiam. Ipsa enim essentia exemplaris Deus est: vnde idea huius, & idea illius sunt essentialiter vnum: hoc autem creatum propriam essentiam habet, qua ab alio creato distinguitur: & hoc accidit propter omnimodam vnitatem quo ad essentiam, quæ est ex parte causæ agentis: & multitudinem essentialem, quæ contingit esse ex parte creatoris: forma enim huius nō est forma illius; nec materia huius est materia illius.

¶ Ad quartum, quò videtur concludi: quod numerus conditorum in specie non est à numero idearum. Respondendum est, quod numerus idearum non propriè dicitur nisi ex quadam relatione ad ipsas res conditas: in se verò est vna essentia: & ideo nihil prohibet plures res, vel pauciores procedere in esse. Ipsa enim est vna sapientia, quæ nec crescere, nec decrescere potest: licet res crescat, vel decrescat. Vnde August. *Non sunt multa, sed vna est sapientia: in qua sunt infinita quædam, eique sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium: in quibus sunt omnes inuisibiles, atque incommutabiles rationes rerum visibilium, & mutabilium.* Vnde licet res mutabiles crescant numero, vel decrescant: non propterea crescunt illæ rationes: non ergo penitus accipitur numerus in his ab illis.

Aug. 11. de Ciu. Dei.

¶ Ad quintum dicendum est, quod licet vna causa sit in vnoquoque genere causæ: vtpote vna est efficiens prima, vna finalis: vna exemplaris: nihilominus tamen est multitudo in rebus conditis secundum vnamquamque causarū: non quod multitudo sit à multitudine: sed quod multitudo sit ab vno, & in vno, & ad vnum.

¶ Similiter ei, quod objicitur de voluntate diuina: quæ est efficiens causa vna, & immutabilis: ab ipsa tamen est multitudo effectiuè: secundum eam tamen non est multitudo formaliter, vt forma dicatur, quæ est de esse. Nec sic est; sicut in factis humanis: in factis enim humanis cum est multitudo creaturā multitudine voluntatum: quia voluntas humana mutabilis est, & numeratur secundum volita: diuina verò est immutabilis: nec numeratur secundum illa: eadem enim voluntate, qua vult hoc: vult illud: nec quod modo vult: postea non vult.

¶ Ad sextū dd̄m, ꝙ non est simile in ꝓcessionibus æternis, & ꝓcessionibus temporalibus: ꝓcessio .n. vtranq; pfectionem habet in summo: hæc autem est perfectio procedentis vt in ratione vnius determinetur, quod particulariter habetur à multis: creatura verò per participationem habet: persona verò diuina procedens totaliter habet. Vnde non congruit duos esse filios ab æterno, nec duos spiritus sanctos: conuenit autem esse multitudinem rerum conditarū: eo quod vnaquæque participat esse, & virtutes: & omnes insimul sumptæ deficiunt etiam ab eius virtute: filius verò est eiusdem essentiæ cum patre, & æqualis in virtute: & similiter spiritus sanctus procedens: ergo æternaliter demōstrat illum, à quo procedit totaliter: procedens verò temporaliter demonstrat particulariter: & in quadam participatione.

¶ Ad septimum dicendum, quod ratione eius, quod res creatæ procedunt ex nihilo: nec dicimur habere vnitatem, nec multitudinem: licet res vna cum diuidatur in multa, p diuisionem tendat ad non esse: sed de tali multitudine non loquimur: sed de multitudine primo in esse procedente de non esse: vbi virtus factoris demonstratur.

¶ Ad vltimum in illo ordine dicendum est: quod licet res procedens in esse à primo, habet aliquam similitudinem cum primo, non ex hoc excluditur multitudo, quin procedat à primo, secundum quod multitudo est vnum & vnum: habet .n. similitudinem in ratione vnius, in ratione boni, & ita de alijs correspondentibus: sicut nec lapis in eo quod lapis habet similitudinem: sed in eo quod vnum, aut bonum. Nec est simile de multitudine, & corruptione: corruptio .n. est, quo tendit res in non esse: multitudo autem (de qua iam dictum est) est, in qua firmatur in esse: firmius enim est res in esse, cuius esse est in multis, ita quod in vnoquoque illorum, quam vbi est in vno solo de numero illorum.

MEMBRVM II.

An sit, & quæ sit causa multitudinis rerum: & cur in tam multiplici varietate primo producta fuerit?

Deinde supposito, ꝙ multitudo sit, sicut quibusdam rationibus est ostensum (& loquor maxime de prima multitudine) quærenda est causa multitudinis. Ad qđ dicendum est, quod causam multitudinis est quærere multipliciter. Si enim quæratur causa efficiens multitudinis, dicetur: quod vna est prima causa efficiens multitudinis: & secundum hoc falsa ē ꝓpositio philosophorum: ab vno nō

Comment. ... Gener. & corup. tex. com. 16.

procedit nisi vnum solum immediate: nam sic intelligitur, quod procedit ab vno, habet rationem vnius. Si vero sumitur causa exemplaris, dicetur tunc, quod ab vno multa, pluraliter tamen dicta propter quendam respectum multitudinis ad ipsam, & secundum hoc dicitur vna causa exemplaris in essentia, ideæ verò, vel rationes dicuntur pluraliter.

¶ Si verò quæratur, vnde dicatur diuersitas, tanquam a causa in re. Dicendum, quod quædam est à forma, quædam est à materia, quædam est à tempore: V.g. Diuersitas à materia vel subiecto est, cum forma ignis diuersificatur hac materia & illa: & albedo alia est in niue, alia in calce. Diuersitas autem à forma est in generibus, & speciebus. Diuersitas vero à tempore est, vt albedo in mane: & albedo in vespere, vel cursus in mane, & cursus in vespere: & actus in vno tempore, & in alio. Sed tunc dicemus, quod ipso tempore sit distinctio & si non semper causalitas. Si verò quæratur de prima diuersitate rerum creatarum, siue conditarum. Dicendum est quod seipsis differunt: vtpote materia seipsa differt à forma alterius: & materia vnius distinguatur à forma alterius.

¶ Item, si quæratur in eadem re de differentijs formarum, quæ sunt in ea, vtpote de differentia modi, speciei, & ordinis, & huiusmodi. Respondendum est, quod per appropriationem ex parte causæ sunt rationes appropriatæ tribus personis: & secundum hoc ratio pluralitatis accipitur ex illa parte.

¶ Si autem quæratur de alijs formis, quæ sunt absolutè in re, vt quantitate, & huiusmodi. Respondetur, quod ad principia essentialia in re reducuntur, ex quibus habent esse: nihilominus tamen quandam inter se habent differentiam.

RESOLVTIO.

Diuersitas rerum vna est causa efficiens, vna exemplaris. cuius quidem diuersitatis ratio tum a forma, tum a materia, tam denique à tempore desumitur. Nec ob aliud producta, nisi vt Dei potentia, sapientia, atque bonitas manifestaretur.

¶ Qvod ergo supra dicebatur, quod diuersitas est à materia. Respondendum est, quod non prima, sed aliqua * posteriorum potest esse à materia, sicut aliqua etiam potest esse à forma. Nec est contrarium, quod forma est principium vnitatis, & ita non multitudinis, non.n. hic est de oppositione vnitatis, & multitudinis, sicut albi, & nigri, & contrariorum. sed ab eodem principio, sine secundum prius, & posterius: nihilominus tamen in aliquibus ab alio principio est vnitas, & ab alio multitudo: vtpote vnitas speciei dicitur esse a forma, multitudo autem indiuiduorum à materia, vel a subiecto: aliquando est è contrario: vt vnitas sit quodammodo ab vnitate materiæ, vel subiecti: multitudo, siue differentia a forma, & sic non semper secundum vnum modum est quærenda ratio multitudinis, aut diuersitatis.

*Alias, posterior.

¶ Respon. vero illorum, qui dicebant rationem numeri, aut diuersitatis esse ex * replicatione intellectus diuini super seipsum, non approbo. Quod enim sapientia prima, prout est numerus numerans (sicut dicit Aug.) est causa rerum, quæ numerantur, non est secundum illum modum: sed exemplaris, sicut dictum est, & hoc benè apparet per hoc, quod dicitur in Lib. de lib. arb. sicut supra habitum est.

*Alias, reflexione.

¶ Si verò quæratur, quare producta est rerum diuersitas prima: Respondendum est, ad manifestationem diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Manifestatur.n. potentia plus in multitudine, quam in vnitate: sapientia in multorum ordinatione: bonitas verò in multitudinis perfectione: creata ergo sunt multa, ordinata in sufficientia, siue perfectione, quæ vocatur vniuersitas. Nec fuit creatio multitudinis propter indigentiam creantis: sicut contingit in conditione eorum, quæ fiunt à voluntate humana (homo.n. facit aliquando res propter sui indigentiã; & natura multiplicat formas in materia propter sui conseruationem) non sic autem est in multitudine creaturum, non est scil. ex indigentia, sed ex superaffluentia bonitatis diuinæ: cuius est communicare esse secundum omnem eius differentiam.

Mem. immediatè præced.

¶ Attendendum est etiam, quod dupliciter est diuisio, siue discretio. Vna est ex defectibilitate rei existentis: & de hac non loquimur: hæc enim si reducitur ad principium, potest dici, vt reducatur ad priuationem materiæ: materia enim prima est causa deficiendi. Est autem alia discretio, quæ est rerum in se, vel ratione formarum: & hæc est ad ostensionem diuinæ bonitatis.

QVÆSTIO XII.

De simplicitate, & compositione creaturarum.

In duo Membra, & in quattuor Articulos diuisa.

Consequenter transeundum est ad quæstionem de simplicitate creaturarum, & compositione. Primo ergo quærendum est, vtrum simplicitas conueniat omni creaturæ, aut compositio: aut cuidam simplicitas. cuidam compositio? Secundo, de causa compositionis multiplici. an sit vna causa compositionis in omnibus.

D.Th.1.p. q.3.ar.7. & q.50.ar.2. S.B.in 2.d 17.q.4. Sc in 1.d.8.q. 5.& in 2.d 3.q.6.

MEMBRVM I.

An omnis creatura simplex sit?

Ad primum sic, Vnitas, & simplicitas sunt rationes causæ: qua ergo ratione ab vno procedit vnum, ea ratione à simplici debet procedere simplex.

¶ Præterea, simplicitas est quædam conditio, & non repugnat creaturæ: vt videtur: & potentia est ex parte creantis in communicando: ergo simplicitas est conditio creaturæ.

¶ Contra. Boet. in suis Hebdo. *Omni composito aliud est, quod est, & quo est, & cui aliud est, quo est, & quod est, illud est compositum*: sed in omni creatura aliud est, quod est, & quo est: ergo omnis creatura est composita. ¶ Item, si aliqua creatura esset simplex omnino in esse, & intellectu: coæquaretur primo: sed non sunt duo prima: nec aliquid in rebus, quæ sunt, est ei coæquale: ergo nulla creatura est simplex: ergo qualibet est composita.

Boet. In libello, qui nunc inscribitur, An omne quod est, bonum sit.

¶ Quod autem aliqua sit simplex, alia vero composita, sic arguitur. Omne compositum, ex aliquibus est compositum: ergo vel ex simplicibus, vel ex compositis: cum simplex, & compositum sufficienter diuidant ens. Si autem ex compositis: hoc esset semper abire in infinitum: ergo aliquando erit deuenire ad simplicia: sed alterum illorum simplicium nõ potest esse ipsum primum: ex quo enim aliquid est compositum, materiale est respectu illius: diuina autem essentia non est materialis respectu alicuius, ergo diuina essentia non est alterum componentium. Vtrunque ergo illorum simplicium est creatura: ergo aliqua è creatura simplex, & aliqua composita. ¶ Item. simplex, & compositum ponuntur in diuisione entis possibilis, quod dicitur ens creatum: ergo aliqua creatura simplex, & aliqua composita. ¶ Item Aug. *Anima non per partes diuiditur, cum sit simplex, & indiuisa. Et si aliquando partes dicitur habere, ratione potius similitudinis, quam veritate compositionis intelligendum est.* Ex hoc tenaquitur, quod aliqua est creatura simplex?

Aug. de ... & spiritu.

RESOLVTIO.

Creaturæ neque omnes simplices, neque omnes compositæ sunt: sed quædam quidem sic, quædam autem non, immo & diuersa consideratione vtrunque quædam.

¶ Ad hoc respondendum, quod simplex dicitur multis modis. Vno modo dicitur, quod caret materia diuisa: secundum hunc modum substantiæ spirituales simplices dicuntur. Alio vero modo dicitur simplex, quod omnino caret materia: & sic dicitur prima forma simplex secundum Boe. in lib. de Trin. secundum hunc modum non dicitur anima simplex: quia habet materiam, & formam spiritualem, & si hoc non esset, adhuc diceretur habere compositionem ratione eorum, quæ insunt ipsi: & nullum illorum est, quod ipsa est. Quod autem dicitur in Lib. de spir. & anima: quod ratione formæ similitudinis intelligendum est: non ratione compositionis: hoc est, secundum quod loquimur de compositione rerum corporalium, quam non habet anima: sed similitudinem dicitur habere propter virium multiplicitatem.

Boet. In libel. An Trinitas sit vnus Deus, vel tres Dii.

¶ Ad aliud autem, quod obijcitur pro alia parte, respondendum est, quod compositum dicitur duobus modis. Vno enim modo dicitur compositum, quod ex pluribus simul in vnum positis subsistit. Alio modo dicitur compositum, quod alij vnitum est: vel quod habet in se dependentiam ab altero: ratione cuius suum esse est ab illo, siue ad illud: & intellectus dependet ab illo. Primo modo non dicitur omnis creatura composita, sed quædam simplex, quædam composita. Secundo modo quælibet est composita.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur. Dicendum est, quod non est simile de hac conditione [*vnum*] & de hac conditione [*simplex*] conditio enim vnius non repugnat creaturæ: conditio vero simplicis vno modo repugnat, vt nulla creatura simplex dicatur secundum illum modum, secundum quem dicitur simplex, quod non dependet causalitate ab aliquo: non enim possunt simul stare, quod sit creatum, & non dependeat causaliter ab aliquo.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod ratio simplicitatis vno modo potest communicari à creatura: illo, sc. modo quo dicitur, hoc non est ex alio: sicut materia, & forma non est ex alio: licet sit ab alio: & hoc est, non esse ex alio tanquam ex parte compositi: secundum quem modum potest Deus communicare conditionem simplicitatis creaturæ: alio vero modo non potest: cum ex ratione creaturæ, alio modo dependeat secundum rationem, & secundum intellectum.

¶ Ad illud autem, quod dicit Boet. in suis Hebdo. Attendendum, propriè in his, q̄ simpliciter sunt, quod composita sunt ex quo est, & quod est. Nam si quod est, & quo est composita dicerentur: non sic intelligeretur: de quo plenius habebitur infra. ¶ Ad sequens dicendum est, quod accipiendo vno modo simplex in essentia, si diceretur creatura simplex: omni modo diceretur coæqualis ipsi creatori. Alio modo accipiendo, differt in creatore, & erit plurima dissimilitudo.

Mem. seq. art. 3. & 4.

MEMBRVM II.

De causa compositionis.

AD secundum, quo quæritur de causa compositionis. Circa quod diuersa quæruntur. Primo, vnde veniat compositio, secundum quod huiusmodi. Secundo, de causa compositionis, in qua sunt diuersa componentia. Tertio, de causa compositionis primæ. Quarto, vtrum ratio componibilis conueniat omni rei: aut à quadam re remoueatur.

ARTICVLVS I.

Vnde veniat compositio, secundum quod huiusmodi.

Aug. 11. de Ciu. Dei. Cap. 1. Ansel.

AD primum sic, compositio elongatur à primo, cum sit omnino simplex. Vnde Aug. *Est bonum solum simplex, & hoc solum est incommutabile: quod Deus est.* Item Ansel. *cuius partes excogitari non possunt, id in partes nullus intellectus dissoluere potest.* Si ergo Deus est compositus: aliquid Deo maius potest intelligi. Nam id, quod nec actu, nec intellectu potest dissolui: maius est, quam id, quod actu, & intellectu est dissolubile: cum ergo primum sit simplex: compositio non causabitur ab eo: eo quod habet similitudinem cum ipso. Si autem causatur à creatura: cum omnis creatura habeat aliquod genus compositionis: erit processus in infinitum: ex quo relinquitur, quod non erit aliqua causa compositionis. ¶ Item, dicit Aug. *creata ab ipso non sunt simplicia, & ob hoc mutabilia*, quod autem mutabile est (dicit Aug. *aliunde est, & aliunde est mutabile, est enim à Deo*: sed mutabile ex hoc, quod est de nihilo. Et contra Aduersarium legis & prophetarum*, *Propterea bona sunt, quia à summo bono facta sunt, mutabilia vero, quia non de ipso, sed de nihilo facta sunt.* Cum ergo mutabile sequitur compositum, & mutabilitas compositum erit, compositio rei non est, quia est ab aliquo, sed quia est ex nihilo.

Aug. 11. de Ciu. Dei. Cap. 10. Idem in li. contra epistolam fundam. * Id est contra Epist. Manichæi. Tom. 6. * Alias, regulis.

¶ Contra dicitur in Lib. de * Articulis fidei: *cuiuslibet compositionis necesse est esse aliquam causam*: ex quo relinquitur, quod compositio causam habet.

¶ Item, omne compositum in eo, quod huiusmodi, partes habet, vel pars est, vt aliud fiat ex eo. Si ergo nihil seipsum componit: erit aliqua alia causa compositionis: ergo compositio causam habet, cum non se ipsa subsistat.

RESOLVTIO.

Compositio inquantum huiusmodi, causam habet & materialem, & efficientem; formalem vero non aliam à seipsa.

¶ Respondendum est, quod compositionis aliqua causa est. Cum autem quærimus causam, aut quærimus efficientem, aut materialem. Dicendum, quod compositio habet causam efficientem, similiter & causam materialem: ex quibus fit compositio. Si vero quæratur causa formalis compositionis, in quantum est compositio: non dicetur habere causam formalem aliam à se, & quia compositio non pertinet ad perfectionem rei, sed ad imperfectionem: & ideo dicetur hic habere, quia ex nihilo processit in esse.

¶ Ad primo obiectum dicendum est, quod licet primum simplex sit, nihilominus tamen compositio est ab ipsa: Sed secundum hanc rationem non est per viam similitudinis: sed per viam dissimilitudinis.

¶ Ad secundo obiectum dicendum, quod alia ratio est quodammodo eius, quod est compositum, & eius, quod est mutabile. Nam mutabile respicit terminum à quo; & in quid: quod autem mutabile est, in nihil mutabile est, hoc est, quod ex nihilo: esse tamen mutabile est ab eo, quod est immutabile, compositum verò, quod est compositum, habet tum ex ratione componibilium, tum ex ratione componentis, & ita semper ad ens reducetur scilicet ad ens increatum ex parte primo componentis: ad ens creatum ex parte componibilis.

ARTICVLVS II.

An differentiæ compositionum ordinatæ sint ad inuicem?

AD secundum, quo quæritur de causa compositionis, in qua diuersa sunt componentia. Est enim compositio materiæ, & formæ: & iterum compositio generis, & differentiæ: Est & compositio ex partibus homogeneis: vt corpus ex corporibus, & linea ex lineis. Est iterum compositio ex substantia, & suis potentijs. Est compositio ex partibus integralibus, vt corpus humanum compositum est. Est iterum compositio ex partibus numeralibus, vt numerus dicitur compositus. His ergo existentibus differentijs; quæritur de causa istius multiplicis compositionis: si secundum prius, & posterius se habeant, aut simul? Quia si secundum prius & posterius ad vnam causam primam reducuntur. Si vero similiter procedunt ab vna causa, necesse erit ostendere rationem exitus diuersarum compositionum ab vna causa immediatè: Quod autem secundum prius, & posterius, videtur per hoc, quod compositio ex partibus numeralibus, cum sint actu entes, sit alijs compositionibus posterior: quæ non habens partes actu entes: sed potentia discretæ sunt partes adinuicem: quod non est in alijs generibus compositionum. Compositio etiam ex partibus integralibus ponit ante se illam, quæ est ex partibus continuis. Illa vero, quæ est ex partibus continuis ponit ante se illam, quæ est ex materia & forma: nam ipsæ partes continuæ ex materia, & forma sunt. Compositio vero eorum, quæ sunt ex materia & forma, ponit ante se illam, quæ est ex genere, & differentia: nam hæc habet formam, secundum seipsam acceptam: Hæc autem habet ante se illam, quæ est potentijs secundum vnum modum accipiendi: nam vnum genus multiplicem habet potentiam, siue vna res generis. Restat ergo, quod secundum prius, & posterius dicetur compositio, & ita videtur vna esse causa prima omnis compositionis:

¶ Contra, Quædam differentiæ compositionum sic se habent, vt vna excedat alteram, & excedatur ab ea, ergo non se habent secundum prius & posterius. V.g. Compositio, quæ est substantiæ cum potentijs, sequitur compõnem substantiæ, sed compositio substantiæ est ex materia & forma: ergo compõ ex materia, & forma est prior compõne substātiæ cū potētijs. Sed (sicut habitū est prius) compõ essentię cū potētijs ē prior compõne materię & formę: vna. n.

& eadem

& eadem forma est, multiplex in potentijs: ergo hæ diuisiones se habent secundum excedentia, & excessa.

¶ PRÆTEREA, cum sit multiplex differentia compositionis: sicut præhabitum est: vnaquæque autem compositio causetur mediatè, vel immediatè à prima causa. quæ Deus est, quæ necessitas est, quod tot sunt compositiones in genere, & in quo iudicatur virtus diuinæ essentiæ, cum in quibusdam videatur aliqua similitudo: in quibusdam verò aliqua dissimilitudo maxima? Præterea, in quibusdam videtur maior appropinquatio ad simplicitatem: in quibusdam maior elongatio à simplicitate.

RESOLVTIO.

Differentia compositionum ordinata sunt ad inuicem secundum prius, & posterius: ita vt prima sit compositio ex quo est, & quod est; deinde compositio ex partibus secundum diffinitionem, post compositio ex materia, & forma: inde compositio ex partibus heterogeneis: postea compositio ex partibus integralibus; postremo compositio ex partibus numeralibus.

¶ AD quod dicendum est, quod differentia compositionum ordinata est secundum prius, & posterius. Sed attendendum est, quod quædam dicitur compositio non propriè: vbi totum non trahit esse ab ipsis, quæ dicuntur partes: sed magis econuerso: sicut est, vbi est totum possibile: partes enim possibiles plus trahunt esse à toto, quam econuerso: similiter partes generis à genere: & propter hoc illa compositio, qua dicimus, partes possibiles componi, in simplicibus accipitur: quæ aliquando habent ordinem secundum prius, aliquando secundum posterius respectu aliorum compositorum. In alijs verò, quæ vere dicuntur compositiones, est ordo secundum prius & posterius simpliciter. Vnde ante compositum ex partibus numeralibus, est compositum ex partibus integralibus. Ante vero compositum ex partibus integralibus est compositum ex partibus vnius formæ, s. homogeneorum. Ante verò compositum illud, est compositum ex materia, & forma. Ante vero illud compositum ex partibus secundum diffinitionem. Ante vero illud, est compositum ex quo est, & quod est: sed ista duo vltima genera compositionum inueniuntur in formis secundum seipsas acceptis: vbi non inuenitur compositio materiæ & formæ. Quod autem non verè dicatur compositio, vbi totum non trahit esse à partibus: patet ex ratione compositi. Compositum enim dicitur, quod ex aliquibus est: pars autem in plus extenditur: sed propriè in his dicitur.

Philoso. 5. Metap. 30. Dicitur enim pars à Philos. vno modo, in quo possibile est quantitatem diuidi quoquo modo, & secundum hunc modum dicuntur partes integrales, & partes quantitatiuæ. Alio vero modo dicitur pars, quod numerat totum, vel quod cum alio constituit aliud numeratum, & sic dicuntur duo pars trium, & vnitas pars trium: vnitas enim aliquotiens sumpta reddit binarium: binarius autem cum vnitate ternarium constituit. Dicuntur etiam partes, in quæ diuiditur aliquid, sicut sunt forma, & materia, vtpote forma cupri, & materia cupri sunt partes speciei cupreæ. Dicuntur etiam pars illa, quæ sunt in diffinitione, vt genus est pars formæ, i. speciei. Præter hos etiam modos dicitur illud pars, in quo possibile est formam diuidi absque quantitate, secundum quod species dicuntur partes generis, non quia ex illis componatur. Similiter ad hunc modum possunt reduci partes virtuales: non enim ex illis componitur substantia eius, cuius sunt partes virtuales: vt substantia animæ non componitur ex memoria, intelligentia, & voluntate.

¶ AD illud autem, quod obijcitur primo, per iam dicta: respondendum est: sunt enim genera compositionum, quæ propriè dicuntur ordinata secundum prius, & posterius.

¶ AD illud, quod secundo obijciebatur. Dicendum est, quod differentiæ compositionũ simpliciter sic accipi possunt: sunt enim quædam compositiones secundum rationem, quædam verò in esse simpliciter. Quæ verò sunt in esse simpliciter, aut habent partes actu discretas, aut quæ non sunt actu discretæ. Si sunt actu partes discretæ, dicetur compositio numeralis. Si verò partes non sunt actu discretæ: aut differunt in forma, aut non differunt. Si differunt in forma compositio integralis nuncupatur: sicut corpus humanum componitur ex partibus, & eis, quæ sunt huiusmodi: & istud genus compositionis sub se habet plura genera: de quibus non est ad præsens dicendum: sunt enim alterius negotij. Si autem partes nõ differũt in forma, hẽt cõmunẽ formã, aut vnũ ẽ forma alteri⁹. Si habẽt cõmunẽ formã, dr̃ partes homogeneæ, siue quantitatiuæ à quibusdã: sicut corpus ex corporib⁹ componitur. Si autem vnum est forma alterius: dicetur compositio ex materia, & forma: quæ vocatur naturalis. Præter has sunt duæ compositiones secundum rationem, vbi s. duo conueniunt ad constructionem vnius formæ: sicut sunt partes diffinitiuæ: aut vnum est forma alterius: sicut quo est forma est eius, quod est.

¶ AD tertio obiectum dicendum, quod licet compositum, inquantum huiusmodi, dissimilitudinem habeat respectu primi, quod est omnino simplex: habet tamen similitudinem, secundum quod tenet rationem vnius: & secundum quod verè vnum est, magis appropinquat similitudine ad primum, secundum verò, quod minus verè vnum est; minus appropinquat, vel magis elongatur.

ARTICVLVS III.

An compositio, ex quo est, & quod est, omni creaturæ conueniat? & an prior, & vniuersalior sit compositione ex materia, & forma, & quare?

AD TERTIVM, quo quæritur de causa compositionis primæ. Iam autem dictum est, quod prima compositio, & vniuersalior est illa, ex quo est, & quod est. Sicut .n. in omnino simplici idem est, quod est, & quo est: ita in cõpositis differt quod est, & quo est. Quærendum est ergo, vtrum conueniat omni creaturæ? Deinde si sit vniuersalior quam illa, quæ est exemplar, & forma, vel non. Tertio, secundum quam rationem accipiatur. ¶ Quod conueniat omni creaturæ, videtur: eo quod nullum creatum est sua essentia: nec à se habet esse, sed aliunde dependet: ergo in creatura omni, quod est, & quo est, differunt: ergo hæc compositio communis est omni creaturæ.

¶ PRÆTEREA, Ista duo simplex & compositum, diuidunt sufficienter ens: in Deo autem solo idem est, quod est, & quo est: ergo in omni alio non est idem, quod est, & quo est, sed omne, in quo non est idem, est compositum: ergo omnis creatura hoc genere compositionis est composita.

¶ CONTRA, si omnis creatura hoc genere compositionis est composita: illud, quod dicitur, quod est, vel quo est, aut est creatura vel non. Si non est creatura vtrunque illorum, aut alterum est creatura, aut non: neutrum autem est creator, quod est: cum creator non sit materiale respectu alicuius compositionis, siue materia. Vnde August. *In summa persona non potest esse Deus, quanto magis pars trinitatis esse non potest: multo fortius, nec pars alicuius creaturæ:* cum pars sit possibilis ad totum: diuina verò natura respectu nullius est possibilis: vtrunque ergo est creatura. Sed dictum est omnem creaturam esse compositam, ex quo est, & quod est: ergo quo est, habet se vtrunque, & sic erit abire in infinitum: non ergo omnis creatura est composita. ¶ ITEM, vnitas creata aut est, quo ipsa vnitas est vnum, aut non. Si seipsa vnum est, ergo idem est, quo est, & quod est. Si enim seipsa vnum est, seipsa est, eo quod vnum, & esse conuertuntur. Si verò alia re à seipsa est vnum, aut illa res seipsa est vnum, aut non. Si non, seipsa est vnum, erit abire in infinitum. Si autem seipsa est vnum: cum omnis res vna, vnitate dicatur vna: illa res erit vnitas, & ita standum erit in primo, aut erit reflexio: sed reflexionem impossibile est esse in causis, ergo vnitas seipsa est vna: ergo idem est in ea quod est, & quo est: & ẽ creatura: ergo in aliqua creatura non est supradicta compositio.

Aug. in lib. de Trin.

RESOLVTIO.

Creatura quæuis ita compositione ex quo est, & quod est composita intelligatur: vt si in se eam non habeat, cum alio saltem ad constitutionem tertij veniat. Quæ compositio cum extendatur aliquo modo ad ea etiam, quæ sunt materia & forma, & adhuc maioris vnitionis sit, iure illa prior atq; vniuersalior censenda est, tum maxime quia sola diuinæ essentiæ inest.

¶ AD quod dicendum est, quod omnis creatura dicitur compo-

composita isto genere compositionis vno duorum modorum; aut quia habet in se compositionem illam: aut quia cum alio venit ad componendum tertium. Quo enim est res, vnitur cum eo, quod est in illo, quod compositum est ex vtroque: & ita compositum dicetur ex alijs constitutum: vel ex quo cum alio aliquid constituitur. Sic ergo accipiendo compositum aliquo duorum modorum, dicetur omnis creatura composita. Si vero coartaretur ad intentionem compositi, secundum quod compositum dicitur ex alijs constitutum: non est omnis creatura, composita hoc genere compositionis. ¶ Et per hoc soluitur primo obiectum.

¶ Ad secvndvm obiectum de vnitate dicendum est, quod licet vnitas seipsa formaliter sit vnum, non tamen seipsa effectiue. Primum autem dicitur vere vnum, scil. Deus: quia nec formaliter, nec effectiue habet vnitatem ab alio. Vnitas vero creata effectiue habet à Deo: sed formaliter nō habet ab alio, quam à se: homo vero vel lapis ab alio habet effectiue, & formaliter. Cum ergo dicitur, in simplici idem est quo est, & quod est: si attendatur omnino simplex, oportet accipere quo est, secundum omne genus causæ. Si vero accipiatur simplex per extensionem, potest dici vnitas causa creata simplex quo ad genus causæ formalis: sed non simplex quo ad genus causæ efficientis: dependet enim secundum esse ab efficienti. ¶ Item cum materia, vel subiecto vnum constituit: & ita in vno genere dicetur esse simplex: in alio genere dicetur esse compositum.

¶ Sed adhuc potest obijci loquendo de vnitate, aut forma secundum seipsam accepta. Intelligatur enim forma creata non indigens materia, constat quod huiusmodi forma creata esset; aut ergo esset simplex, aut composita. Simplex omnino non potest esse, cum hoc soli Deo conueniat. Vnde August. Ideo *simplex dicitur: quia quod habet, hoc est.* Vnde natura dicitur simplex cui non sit aliquid habere, quod possit amittere: nec aliud sit habens, & id quod habetur: forma ergo ista cum non sit simplex, erit composita: ergo altero duorum modorum: sed non est ex alijs constituta; nec cum alio posita ad constituendum tertium: ergo non est composita. Propter hoc addendum est, vt compositum etiam dicatur, non tantum vno duorum supradictorum: sed cuius esse est dependens ab alio: & intellectus dependet ab intellectu: licet ergo partes non habeat: nec pars alterius sit, tamen nihilominus compositum dicetur propter sui dependentiam in esse, & intellectu. Accipiendo ergo compositum aliquo trium modorū, dicetur omnis creatura composita; nec alio modo potest intelligi.

Aug. in li. de ciuit. Dei.

¶ Et cum quæritur, si sit vniuersalior, quam illa, quæ ex materia, & forma, vel non: quod non videtur. Omne enim creatum habet in se, vt possit recipere ab alio; & vt possit agere in aliud: vel est illud, à quo est potentia recipiendi: vel est illud, à quo est potentia agendi. Sed quod habet in se vtrumque, est compositum ex his: ergo compositio ista extenditur intantum, quantum illa compositio, quæ est, ex quo est, & quod est: ergo sunt æqualis ambitus. ¶ Item, in Lib. de Articulis fidei: *materia, & forma est ex materia, & forma:* à quo vero est potentia recipiendi, est materia: à quo habet potentiam agendi, est forma: ergo esse creatum est materia, vel forma, vel compositum, & illarum compago: tria protsus diuersa sunt, quæ in cuiuslibet substantiæ creatione exiguntur.

¶ Contra, non est idem, quod est materia, & quo est materia: similiter quod est forma, & quo est forma: ergo hæc compositio vniuersalior est illa. ¶ Præterea, compositio materiæ, & formæ ratione vtriusque componentiū: non videtur habere similitudinem in primo. In nulla enim re possumus dicere, idem est forma, & materia: sicut dicitur, idem est quo est, & quod est: cum ergo aliqua conuenientia sit in illa ratione cum primo: in hac vero non sit: prior erit compositio eius quod est, & à quo est: quam materiæ, & formæ.

¶ Ad quod obijcitur, quod conuenientior est, & prior naturaliter compositio ex quo est, & quod est; quam materiæ, & formæ: sicut iam dictum est.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet materia, & forma, & quod est ex his, extendatur ad omnia: nihilominus tamen alia compositio est vniuersalior: quia se extendit secundum quendam modum ad ea, quæ sunt materiæ, vel formæ, secundum quem modum non dicuntur materia, & forma esse in forma, vel esse in materia. Præterea, maioris vnitionis sunt quod est, & quo est; quam materia, & forma: vnum enim de altero dicitur: quod non est reperire in materia, & in forma: vt forma dicatur de materia, vel econuerso. Et cum quæritur, secundum quam rationem accipiatur dignitas istius compositionis. Ad quod dicendum, quod nulla alia compositio habet componentia in aliqua ratione, secundum quam possunt conuenire diuinæ essentiæ: sicut est in compositione materiæ, & formæ: neque enim materia, & forma conueniunt primo: similiter partes diffinitionis non conueniunt primo: & ita de aliis generibus compositionum, quæ magis elongantur: ergo hæc sola compositio nobilior est aliis compositionibus. In primo enim est reperire quod est, & quo est: licet non secundum rationem compositionis: descendit ergo ab identitate eius omnimoda, quod est, cum eo, quo est, differentia prima huius ab illo.

¶ Sed obijcitur, nonne quo est, prædicatur de eo, quod est: cum dicitur, homo est homo, aut lapis est lapis, & ita de alijs? ergo est ibi identitas: in quo ergo differt à primo? ¶ Item, sicut habetur in Lib. de Articulis fidei, *materia, & forma, & horum compositio sunt vestigium trinitatis.* Vnde dicitur ibidem: *in vna, eademque substantiæ creatione trinus effectus vno eodemque actore*, scilicet trinitate producitur. & post sequitur: *Licet in cuiuslibet substantiæ creatione materiam patri, formam filio, compositionem Spiritui S. posset ordo congruus destinare: tamen in qualibet trium vi totam trinitatem necesse est operari.* Ex quo videtur, quod illa compositio cum suis componentibus reperiatur in primo secundum exemplaritatem: sicut quo est, & quod est, cum sua compositione reperiuntur in primo secundum exemplaritatem.

¶ Ad primvm dicendum, quod licet quo est, secundum quendam modum dictum, prædicetur de eo, quod est: & ita sit idem illi, quo est: tamen si secundum seipsum accipiatur: non est idem cum eo, quod est: vt homo non est sua humanitas. In diuinis autem quocumque modo accipiatur, hoc est idem, vt Deus est Deitas; & pater est paternitas: & ita de alijs.

¶ Ad secvndvm dicendum est, quod non est concedendum compositionem esse exemplariter in Deo; nec proprie repræsentat ibi trinitas: non enim dicimus materiam conuenire patri: nec forma procedit à materia, sicut filius procedit à patre. Vnde extraneo modo facta est illa adaptatio trinitatis creatæ ad increatam. Quod si etiam aliquo modo potest conuenire: non sic tamen, sicut de quo est, & quod est, & identitate horum. Nam hæc inueniuntur in ipsa substantia Dei secundum se accepta; non cointellectis personis: illa vero nullatenus dantur intelligi, nisi personis cointellectis: vt materia ratione potentiæ sit vestigium summæ potentiæ, quæ approprietur patri: forma vero ratione actus sit vestigium summæ formæ: compositio vero ratione ordinis sit vestigium summæ bonitatis; sed ab expositoribus sacræ scripturæ, qui multas numerant trinitates in creaturis, quæ sunt vestigium summæ trinitatis, non inuenitur hæc trinitas pro vestigio.

ARTICVLVS IV.

An ratio componibilis conueniat omni rei?

Ad quartum, quo quæritur, Vtrum ratio componibilis conueniat omni rei: aut ab aliqua remoueatur? Quod sic, videtur. Nulla enim res est, quæ non cedat in rationem alicuius vnius: sed vnum dicitur multipliciter: sed quod cedit in rationem vnius, cedit in rationem componibilis: ergo quælibet res cedit in rationem componibilis. ¶ Item, si illud, de quo minus videtur, cedit in rationem componibilis; & illud cedet, de quo magis videtur: sed magis conueniunt creatura, & creatura, quam creator, & creatura; sed creator, & creatura conueniunt ad rationem vnius; secundum quod Christus in duabus naturis est; ergo creatura, & creatura magis possunt conuenire, vt ex illis fiat vnum.

¶ Contra. duo, quæ sunt in actu, non erunt aliqua hora vnum in actu, actus enim diuidit, ergo ex substantijs, 4. Metaph 49.

quæ sunt in actu, non erit vna substantia: non ergo est, quod libet cum quolibet componibili. ¶ ITEM, totum, & pars componuntur. sed quod est componibile, potest habere rationem partis: ergo quod habet rationem totius non est componibile. sed res completa habet rationem totius: ergo non est componibilis. ¶ ITEM, omne, à quo remouetur ratio possibilis ad aliud, remouetur ratio componibilis: sed diuina essentia est, à quo remouetur ratio possibilis ad aliud: ergo diuina essentia non est componibilis: non ergo omnis res est componibilis.

RESOLVTIO.

Ratio componibilis, ita scilicet, vt ex eo fiat aliquid, non omni rei conuenit: siquidem nonnullæ res sunt ita in se completæ, vt ad vlterius complementum nullatenus ordinentur.

¶ AD quod dicendum, quod non conuenit omni rei ratio componibilis, vt ex eo fiat aliquid: & hoc maxime remouetur à diuina essentia, quæ est completissima. Nec est contrarium, quod Christus est vna persona in duabus naturis: non enim ex illis duabus naturis constituitur persona: nec diuina natura possibilis est ad illam personam; sed humana natura, quæ indigens erat perfectione, possibilis erat: neutra tamen erat pars: persona enim in se simplex est, & completa. Et si obijciatur in contrarium, quod conueniunt in illa. Respondendum, quod hoc non est ad eum constituendum: sed quæ prius erat in vna natura; deinceps subsistere in duabus naturis. Vnde à Ioan. Damasc. dicitur compositum.

¶ AD aliud dicendum, quod licet vnum dicatur multis modis: non tamen ex quibuscunque fit quodcunque: excepto ergo vno, quod vniuersum dicitur: non est quælibet creatura ordinata ad compositionem alicuius vnius. Creaturæ enim quæ sunt in se completæ actu, non ordinantur ad vlterius complementum: nihilominus tamen relatæ ad creatorem, possibilitatem habent, vt de eis fiat, quod vult.

QVÆSTIO XIII.

De mutabilitate creaturarum.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 1. p. q. 9. ar. 1. 1. 2. & q. 44. art. 2. & q. 45. art. S. Bon. in 2. d. 1. q. 2. Scot. ibid. & in 1. d. 1. q. 7. & in Quodl. q. 10.

PROCEDENDVM est ad quæstionem de Mutabilitate. In qua primo quærendum; vtrum mutatio dicatur æquiuoce, an vniuoce de primo exitu in esse de non esse, quæ dicitur creatio: & de exitu consequenti, qui dicitur conditio: prout res exit de potentia in actum. Secundo, vtrum omnis creatura sit mutabilis: aut quædam mutabilis, quædam immutabilis. Tertio, vtrum creatura sit mutabilis in non esse omnino de esse: sicut de non esse in esse. Quarto, vtrum Deus posset conferre creaturæ omnimodam immutabilitatem; videlicet, vt esset immutabilis secundum naturam.

MEMBRVM I.

An mutatio, vel mutabilitas vniuoce dicatur?

CIRCA primum sic: mutatio, quæ est de omnino non esse in esse, nihil habet commune: mutatio vero, quæ est de esse in non esse; habet aliquid commune: secundum quod dicitur, generatio vnius est corruptio alterius: secundum quod dicitur, quod non omnino recedit in non esse: ergo mutatio non dicitur secundũ vnam rationem de exitu primo, & exitu consequenti.

1 de Gener 17. & 2. col. 25.

¶ QVOD autem dicatur ratione primi exitus mutatio, sic arguitur: oppositio est inter creaturam, & creatorem, inquantum huiusmodi: sed creator inquantum huiusmodi, est immutabilis: creatura ergo inquantum creatura, est mutabilis: sed creatura, secundum quod huiusmodi dicit exitum de non esse in esse: ergo secundum hoc est mutabilis: vtroque ergo modo dicitur mutabilis per oppositionem ad creatorem; qui nec mutatur de non esse in esse, nec de esse in non esse.

¶ CONTRA, quæ est causa rerum, vt sint post non esse; ea est causa rerum, vt sint post esse: sicut ergo eadem est causa: ita idem effectus; sed ille effectus est mutatio, siue variatio: ergo variatio, siue mutatio dicetur vniuoce. ¶ ITEM, licet generatio sit mutatio de non esse in esse: & corruptio sit de esse in non esse: nihilominus tamen mutatio dicitur vniuoce de generatione, & corruptione, ergo à simili dicetur de primo exitu, & consequenti.

RESOLVTIO.

Mutatio generaliter sumpta, vniuoce dicitur: non sic autem si proprie accipiatur.

¶ AD hoc respondendum, quod mutatio proprie dicta, fundatur super aliquod subiectum: quod mutari dicitur: extenditur tamen, vt dicatur mutatio à non subiecto in subiectum: vel à subiecto in non subiectum; vel à subiecto in subiectum: large sumpto non subiecto, ad non subiectum negatiue sumptum, & priuatiue: & secundum hunc modum dicetur mutatio in exitu primo. Sed attendendum est, quod mutatio de non esse in esse, respicit, in quod mutatur principaliter: mutatio vero de esse in non esse respicit, à quo fit mutatio: Non negatur ergo, quin sumpta generali ratione dicatur vniuoce de primo exitu, & consequenti: proprie vero sumpta non dicitur vniuoce.

MEMBRVM II.

An omnis creatura mutabilis sit?

AD secundum, quo quæritur, An omnis creatura sit mutabilis; aut quædam immutabilis: quædam non? Quod omnis sit mutabilis, arguitur ex hoc: quod omnis creatura est de nihilo: sicut dicit August. *Omnia, quæ facta sunt, mutabilia sunt: quia de nihilo facta sunt.* ¶ ITEM, quod recipit maius, & minus, mutabile est: sed creatura recipit maius, & minus in esse respectu bene esse: ergo est mutabilis. ¶ ITEM, in Quæstionibus ve. & noui test. Quod vicibus temporum mutatur: & ita vt ipsa tempora aliquando non seruent sua officia: quomodo appellatur illud æternum? Ex quo re vera vult innuere: quod aliquam mutationem recipiunt in tempore, propter quam non debent dici res æternæ. — Aug. 12. de ciuit. Dei.

¶ QVOD autem quædam sit mutabilis, quædam immutabilis; accipitur ex hoc: quod illud, quod est immortale, est immutabile: aliqua vero res creata est immortalis: ergo est immutabilis. ¶ PRÆTEREA, vniuersale est conditio creaturæ; sed conditio vniuersalis est esse incorruptibile: ergo est immutabile: per consequens ergo aliqua creatura est immutabilis. ¶ ITEM, Greg. *Angelus in statu suo immutabilis permanet*: ergo aliqua creatura est immutabilis. ¶ FORTE dicetur, quod immutabilis est aliqua creatura, quo ad esse: sed mutabilis quo ad bene esse: & ita aliquo modo mutabilis, aliquo mõ immutabilis, videlicet, q̃m ad esse: quod videtur per hoc, q̃ dicit Dam. quorum esse à versione incipit, hæc versioni subiecta sunt, vel corrupta, vel secundum electionem alterata: intellectualia ergo angelos, scilicet & animas secundum electionem: & eam, quæ est in bono, perfectionem; & eam, quæ est ex bono, abscessionem intensam: reliqua vero secundum generationem, & corruptionem; & eam, quæ est secundum qualitatem, transmutationem, & secundũ quantitatem, & secundum localem motum. Ex quo videtur, quod intellectualem creaturam immutabilem dicat secundum esse: mutabilem secundum bene esse, & male. ¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicit alibi in eodem Lib. Angelus immutabilis est: non natura, sed gratia. Et Plato loquens de superioribus corporibus dicit. *Dij Deorum, quorum opifex ego sum; natura quidem dissolubiles, me autem volente indissolubiles*: ergo huiusmodi creaturæ mutabiles sunt natura, etiam quo ad esse. ¶ ITEM, vniuersum creatura est, aut ergo mutabilis, aut immutabilis. Si ergo immutabilis quo ad esse: ergo non omnis creatura mutabilis. Si vero mutabilis; cum potentia non sit infinita rei finitæ: aliquando mutabitur quo ad esse: ergo aliquando vniuersum desinit esse. ¶ ITEM, beatitudo est quædam res creata, secundum quod supponit formam hominis beati: aut ergo est mutabilis, aut immutabilis. Immutabilis non potest esse; cum sit creatura: mutabilis non potest esse, cum sit beatitudo: beatitudo autem est status omnium bonorum aggregatione perfectus: — Gregor. — Plato.

sed

sed iste status nō potest esse cum mutabilitate: ergo non est mutabilis:non ergo omnis creatura mutatur.

RESOLVTIO.

Creatura quæque (inquantum huiusmodi) nulla est, quæ mutabilitatis omnino expers sit.

¶ AD quod dicendum, quod omnis creatura inquantum huiusmodi, mutabilis est secundum aliquem modum. Nam si obijciatur de ipsa mutabilitate; cum sit creatura, vtrum mutabilis sit? Respondendum est, quod aliter dicitur res mutabilis, quæ mutatur; & aliter ipsa mutabilitas. Nam mutabilitas dicitur mutabilis tanquam causa formalis rei, quæ mutatur: creatura vero alia, quæ simpliciter dicitur creatura, mutabilis dicitur secundum seipsam. Et si dicatur, mutabilitas non mutabilis, secundum quendam modum; eo quod mutationem non participat in generatione formæ (tunc enim esset processus in infinitum) non tamen immutabilis dicitur, sicut diuina essentia dicitur immutabilis. Diuina enim essentia dicitur immutabilis contra hoc, quod mutatio mutabilis dicitur: & mutabilitas mutabilis: & res, quæ secundum seipsam mutatur, mutabilis.

¶ AD obiectum autem primum, quo ostenditur, quod quædam creatura est immutabilis, quia immortalis est. Respondendum est, quod immortale non tantum remouet mutationem quo ad esse; sed quo ad esse bene, vel male: vnde licet aliqua creatura dicatur immortalis: quia mori non potest: non tamen dicitur immutabilis: sunt enim alia genera mutationum.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de vniuersali, in quo notatur conditio creaturæ ex hoc, quod dicitur incorruptibile. Dicendum est, quod incorruptibile dicitur: eo quod ex ratione huius vniuersalis nō habet causam corruptionis per se; sed secundum accidens: secundum hoc autem etsi nō dicatur mutabile: nihilominus tamen secundum communem conditionem creatura ipsa est mutabilis de se, nisi contineatur à creatore in esse. Vnde August. *Creatoris potentia, & omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species: omnisq; creatura cōcideret.* Ex quo accipitur, quod si aliqua creatura dicitur immutabilis: non est de se, sed de voluntate, & dono conditoris.

Aug. super Genes. ad literam.

¶ AD tertium dicendū; quod licet angelus sit immutabilis secundum statum gratiæ, vel gloriæ: tamen est mutabilis in eo, quod est ex nihilo. Vnde Gregorius super illud. *Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles* &c. Angelus, & si in statu suo immutabilis permanet: in hoc tamen, quod creatura est, vicissitudinem mutabilitatis habet: & ita stabilis non est. Si enim natura mutabilis non esset, cum esset bene condita, in nullis cecidisset: Et hoc est, quod dicit Ioan. Damasc. quod angelus est immortalis non natura, sed gratia.

Gregor. Iob. 4.

Damasc.

¶ AD quartum, scilicet vtrum angelus mutabilis sit quo ad esse: & similiter de corporibus cœlestibus? Dicendum, quod de se non habent immutabilitatem quo ad esse: sed de bonitate creatoris: qui cuidam creaturæ dat similitudinem suæ immutabilitatis: sicut illi creaturæ congruit; secundum quod non mutatur de esse in non esse: licet possibilis sit ex eo, quia est de nihilo.

¶ AD quintum dicendum de eo, quod obijcitur de vniuerso: quod aliter dicitur vniuersum mutabile: & aliter aliqua pars vniuersi: dicitur enim vniuersum mutabile ratione quarundam suarum partium. Vnde August. *Inconueniens est mundum æternum dicere, quem cum videmus passioni subiectum; & per singula senescere; deficere credemus, & finiri:* dicitur etiam vniuersum mutabile: quia de nihilo factum est: & ratione huius dicitur consimiliter mutabile, sicut & singulæ creaturæ: Dicitur autem immutabile, eo quod non mutabitur ratione nobilium creaturarum in non esse, ex dispositione conditoris.

August. in quæstion. veteris testamenti.

¶ AD sextum dicendum, scilicet de beatitudine creata: quod beatitudo creata immutabilis dicitur, eo quod non mutabitur: non autem dicitur immutabilis, eo quod non possit in eo, quod creatura, mutari: nec mutabile ex ratione creaturæ opponitur beatitudini: licet enim beatitudo sit status omnium bonorum congregatione perfectus: tamen beatitudo creata non habet omne bonum: nisi secundum quod ei congruit. vnde non habet immutabilitatem eo modo, quo Deus dicitur immutabilis. Dicetur ergo beatitudo creata status omnium bonorum sufficientium congregatione perfectus: & sic ei non opponitur mutabilitas, quæ congruit creaturæ: sed mutabilitas, quæ est defectus bonorum sufficientium, habet oppositionem respectu beatitudinis.

¶ ET si obijciatur, quod mutabile dicit possibilitatem: possibilitas autem non est infinita: & ita aliquando reducetur ad actum: si vero reducitur ad actum, non fuit beatitudo: cum beatitudo sit vita æterna: quod autem æternum est, non deficiet. Dicendum est, quod possibilitas illa infinita dicitur, quo ad hoc, quod non reducetur in suum actum: eo quod ponit in se æternitatem boni; quę opponitur defectui boni, siue bono deficienti. Nec est mirum, si possibilitas sit infinita: cum sit rei infinitæ duratione: quod autem non est reducibilis in actum: non est tantum ex ipsa, sed ex voluntate conditoris.

MEMBRVM III.

An sicut creatura mutabilis est de omnino non esse in esse: ita mutabilis sit de esse in non esse?

AD TERTIVM, quo quæritur. Vtrum creatura sit mutabilis in non esse omnino de esse: sicut de non esse in esse: Quam quæstionem mouet August. & relinquit eam indeterminatam. Quod non, videtur sic: principij dantis esse, est conseruare esse: ergo quantum est de ipso, non cedit in omnino nihil. ¶ ITEM, natura ipsius rei conditæ tendit ad conseruationem sui: & si non potest se saluare in vno solo, habet virtutem conseruandi se in alio: ergo quantum est de intentione naturæ, non perit. ¶ ITEM, res, quæ habet contrarium ex intentione contrarij, non omnino cedit in nihil: quia intentio contrarij est conuertere in suam formam: ex nulla ergo parte est, quod omnino cedat in nō ens. ¶ ITEM, si res aliqua cedit in non ens; aut illa est spiritualis, aut corporalis. Spiritualis non est; cum sit potentior corporali; & tamen corporalis non; cuius est res conditas seruare. Corporalis vero non est; quia aut est simplex, vt pote principium rerum corporalium: aut composita ex illis. Composita vero non omnino cedit in non ens: (compositum enim omne dissolubile est, & resolubile in sua principia) Simplex non erit in illo genere; quia simplicia, aut sunt corpora superiora cælestia: & hæc etiam non cedunt in non ens; quia non corrumpuntur; aut vero si sunt elementa, non omnino cedunt in non ens: quia adinuicem generantur, & vnius corruptio est alterius generatio: nulla ergo creatura corporalis secedit in non ens omnino. ¶ FORTE dicetur, quod hoc verum est in substantiis: sed in formis accidentibus non sic.

Aug. in li. contra aduersarium legis & prophetarū.

¶ CONTRA quod est, quod formæ accidentales si hñt contrarietatem adinuicē, fit adinuicē transmutatio: & ita si vna desinit esse in substātia, alia fit in substantia. ¶ Præterea, formæ accidētales creātur à principijs in substātia: sed principia in substantia substantiæ sunt: ergo creantur à substantiis. Si ergo principia, quæ sunt substantiæ, non omnino cedunt in non ens: nec formæ accidentales, quæ ex illis creantur. ¶ PRÆTEREA, si dicatur, quod licet non secedant in non ens, omnino possint tamen secedere: reducatur hæc potentia in actu, si reducitur: non magis reducitur, quam cum mundus innouabitur: sed innouatio mundi erit præcedente igne, qui comburet faciem mundi: sed sic est de natura ignis, quod conuertit ea, quæ conuertuntur in se: ergo omnia, quæ non commanebunt in sua forma post combustionem, permanebunt in specie ignis, vel resoluentur in sua principia: sed sua principia permanebunt in sua essentia: *præterit enim figura huius mundi*, sed non substantia: sicut habetur 1. Corinth. 7. ¶ ITEM, si omne, quod procedit de non esse in esse; ex hac ratione postea de esse verteretur in non esse, qua ratione vnum verteretur, & aliud verteretur: sed quædam sunt, quæ non vertuntur in esse; nec vertentur: immo corporalia sunt: ergo consimili ratione, & alia non vertentur in non esse omnino.

1. Cor. 7.

¶ CONTRA, dicitur ad Heb. 1. super illud Psalm. 101. *Ipsi peribunt: tu autem permanes; & omnes sicut vestimentum veterascent* &c. veterascere dicitur illud; quod more vestis paulatim consumitur. Si ergo consumitur hoc modo, tandem

Apoc. 21. omnino deficiet. ¶ ITEM, dicitur. *Vidi cælum nouum, & terram nouam: & mare iam non est*: ergo mare definet esse.

Isa 51. ¶ ITEM, *Cæli sicut fumus liquescent*: cum ergo cœli euanescent, de quibus minus videtur, alia cedent in non esse, de quibus magis videtur. ¶ ITEM Gregorius. *Cuncta ex nihilo facta sunt: eorumque essentia ad nihilum tenderet, nisi ea actor omnium manu regiminis retineret*: Sed actor omnium non retinebit manu regiminis semper ea, quæ propter solam hominis necessitatem sunt. Cum ergo creaturæ inferiores corporales, vt animalia, & plantæ, & huiusmodi præter solam hominis necessitatem sunt, ablata necessitate, secedent in nihilum.

Gregor. in Moral.

Idem. Eccl. 14. ¶ ITEM Gregorius. *Omnia, quæ à Deo creata sunt, quæ modo sic, modo aliter sunt; iuxta non esse sunt.* ¶ ITEM. *Omne opus corruptibile in fine deficiet*: sed multæ creaturæ sunt opera corruptibilia: ergo in fine deficient. ¶ ITEM, corruptio generationi opponitur; & quorum est generatio, eorum est corruptio: quæ sunt generabilia, sunt corruptibilia: ergo à simili est, quod creatur de non esse in esse, mutatur: quod autem perit de esse, mutatur in non esse, erunt eorum, quorum est creatio, in non esse mutatio. ¶ ITEM, Damascen.

Damas. *Omnia, quæ sunt creabilia, omnino sunt corruptibilia*: ergo creabilia sunt corruptibilia.

RESOLVTIO.

Profecto creabilia omnia, quantum est de se, facile in nihilum redigerentur: nisi ab æterna, & immensa Dei potentia, vel bonitate in esse conseruarentur: qui ex creaturis illas præcipue adiudicauit æterne mansuras, quæ vel ad gloriam cœlestem, vel ad pœnam infernalem iam ordinatæ sunt.

¶ AD quod dicendum, quod ea, quæ sunt creabilia, sunt (quantum est de se) in non esse vertibilia: hoc est, si non haberent aliam causam continentem, vel conseruantem; non tamen omnia sunt vertibilia in non esse de voluntate conditoris: ea enim permanebunt ex voluntate conditoris, quæ sunt ad fruendum ipso, vel ordinata ad illud: & si non permanent ad gloriam, permanent ad pœnam.

¶ AD ILLVD vero: quod obiectum est in contrarium, quod omnia debeant permanere. Dicendum est, quod non permanebunt in seipsis: cum in seipsis ordinentur ad hominem, secundum quod est res corruptibilis. Vnde amota corruptione, non erit indigentia eorum: & sic in seipsis non permanebunt. Et licet voluntas creatoris, quantum est de se, sit immutabilis: & causa sit sufficiens saluandi: tamen non semper saluabuntur huiusmodi res: sed dum sunt necesse vsui humano: & ita ab æterno fuit voluntas ad non saluandum, cum non erunt necesse: nec tamen hoc est, eo quod Dominus subtrahit virtutem contentiuam, siue conseruatiuam; sed res ipsæ in seipsis deficiunt, cum sint ex nihilo: & non opponitur virtus conseruatiua, cum non est necesse.

¶ AD id vero, quod quæritur, quod si aliqua forma secedit in non esse, vtrum sit spiritualis, aut corporalis? Dicendum est, quod aliqua est spiritualis; vt sensibilis in brutis, aut vegetabilis in plantis: alia est corporalis, vtpote sunt ea corpora, quæ ad istam, vel illam animam ordinantur. Et si dicatur, quod ad sua principia resoluantur: non est hoc verum de sensibili anima, vel vegetabili; quæ non habent principia corporalia, in quæ resoluantur.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de formis accidentalibus. Dicendum est, quod formæ accidentales quædam secedent in non esse, quædam vero permanebunt: sicut est de principijs illarum formarum ex parte substantiæ, quod quædam secedent in non esse: quædam vero permanebunt: Sicut enim substantia animalium irrationabilium, & vegetabilium, & numeralium, & artificialium cum principijs propinquis secedent in non esse: ita quod formæ accidentales, quæ ex his per se consequuntur: Non sic autem est de his formis accidentalibus, quæ insunt corporibus superioribus, inquantum sunt de ordine vniuersi; & non ordinantur ad motum, vel mutationem per se: illæ enim quæ ordinantur ad motum, vel mutationem, pertinent ad figuram huius mundi, quæ præteribit: substantia vero eas qualitates habebit, quæ incorruptibilibus corporibus conueniunt: sicut dicit AVGVSTINVS in Libro de Ciuitate Dei. August. in li. de ciuit. Dei.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de igne conflagrationis, qui conuertet omnia corruptibilia corpora in se: & ita in ipso saluari debent. Respondendum est, quod non: agit enim ille ignis in huiusmodi res, consumendo, non sibi assimilando. Aliæ enim res sunt, quarum erit innouatio; & in illa aget purgando: & sibi quodammodo assimilando, non ratione formæ ignis: sed ratione luminositatis.

¶ AD ILLVD vero, quod postea obijcitur: quod eadem ratione vnum vertetur in non esse, & aliud. Respondendum est, quod licet quo ad hoc conueniant, quod ex nihilo sunt omnia, quæ creata sunt: non tamen consimilis est ratio omnium ex alia parte: quorundam enim voluntas est diuina, vt naturaliter ordinentur ad participationem beatitudinis: & quia participare non possunt beatitudinem, nisi ea, quæ habent immortalitatem, vel habere possunt: ideo ex voluntate, & munificentia conditoris quædam res creatæ participant immortalitatem, & sunt quæ per se ordinantur ad habitationem perpetuam. Illæ vero, quæ non sunt huiusmodi, sibi relictæ, cedent in non esse.

¶ AD id vero, quod consequenter opponitur per autoritates sacræ scripturæ, quod cœlum, & terra peribunt: & ita secundum se cedent in non esse. Respondendum per hoc, quod dicitur in Gloss. super illud Heb. *Omnes vt vestimentum veterascent.* Gloss. cœli meliorem formam recipient: & sicut amictus extenditur, & plicatur: ita tam facile mutabit Deus celos: & post mutationem manebunt: quia facta Dei sub æternitate stabunt: nec ad corruptionem reuertentur: & iterum cœli aerei peribunt ab eo, quod fiet: dum immutabuntur in melius creaturæ. De terra etiam dicitur. *Terra in æternum stat*: licet enim à corruptibili forma transeat, permanebit tamen sub incorruptibili. Ad Hebr. Cap. 1. & sumptum est ex Psal. 101. Ecclesi. 1.

¶ QVOD autem dicitur de mari in Apocalypsi, quod iam non erit. Dicendum, quod licet aqua secundum quod fluxibilis est, & mutabilis; transeat: remanebit tamen secundum naturam perspicui, & lucidi. Hæ enim qualitates congruent & corporibus iam existentibus incorruptibilibus.

¶ AD autoritatem B. Gregor. Dicendum, quod non omnia secedent in non esse: quia à bonitate creatoris conseruantur, & conseruabuntur: sicut dictum est. Et licet quædam dicantur esse prope non esse, propter quandam dispositionem: nihilominus tamen permanent propter conditoris bonitatem.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de similitudine generationis, & corruptionis ex vna parte; & creationis & mutationis omnino in non esse, ex altera. Dicendum, quod non est simile: generatio enim, & corruptio sunt in materia formarum contrariarum, siue contrariorum, quæ agunt & patiuntur adinuicem: & propter hoc quorum est generatio, eorum est corruptio: & vnius generatio est alterius corruptio: non sic autem est de creatione, & mutatione in omnino non esse. Ea enim, quæ de nihilo creantur, quædam in esse à bonitate conditoris conseruantur; & propter immortalitatis participationem.

MEMBRVM IV.

An Deus facere possit, vt res immutabilis sit per naturam?

AD QVARTVM, quo quæritur, Vtrum Deus possit conferre creaturæ omnimodam immutabilitatem, scilicet quod sit immutabilis secundum naturam. Quod videtur: sicut enim potentia Dei confert immutabilitatem ex gratia: cum differens sit potentia, potest conferre immutabilitatem ex natura.

¶ PRÆTEREA, quædam res in vltimo statu producentur ad immutabilitatem: sed indifferens est potentiæ diuinæ primus status, & vltimus: ergo in primo statu potest conferre immutabilitatem creaturæ.

¶ CONTRA, res, quæ sunt de nihilo, sunt mutabiles:

sed

sed omne, quod est à primo, vel est à seipso (sicut filius de substantia patris, & spiritussancti) vel est de nihilo: & quod est de nihilo, est creatura; & ita mutabilis: cum ergo impossibile sit de sua substantia creaturam facere, sed de nihilo: ergo impossibile est creaturæ ex natura sua conferre immutabilitatem.

RESOLVTIO.

Posset quidem Deus facere creaturam omnino immutabilem, remouendo actum; id est, quod actu non mutetur: at non remouendo potentiam: hoc est, quin mutabilis sit, quantum de se est: quia non potest de sua substantia aliquem producere, à se in substantia diuersum.

¶ AD quod dicendum. Immutabilitas dicitur duobus modis: vel remouendo actum, vel remouendo potentiam. Sed remouendo actum; non est impossibile creaturam esse immutabilem: & potuisset creator contulisse creaturæ. Secundum autem quod remouet potentiam, siue possibilitatem: sicut non potest de sua substantia sibi diuersum in substantia producere: sic non potest conferre incommutabilitatem ex natura rei, existentis ex nihilo, non quia non possit omnipotens dare immutabilitatem naturæ: sed non differenti in substantia a se: filius enim est incommutabilis natura; quemadmodum pater: & similiter S.S. creatura vero ex hoc quod creatura, nam mutabilis est: nõ ergo est capax immutabilitatis per naturam: incommutabilitas enim secundum naturam idem est quod substantia, secundum quod est Dei; & hæc est impossibilis creaturæ.

¶ AD obiectum autem dicendum: quod non est simile de incommutabilitate ex gratia, & de illa, quæ est ex natura. Nam quod dico, ex natura; ad creatum inquantum creatũ refertur: vt ex se est mutabile. Quod autem dicitur, ex gratia: refertur ad donum conditoris naturæ superadditum. Et ideo dicit Damas. quod angelus immortalis est, non natura, sed gratia. Et si dicatur: quod sicut æternitas; qua in creatur angelus, & anima rationalis: est ei naturalis: ita posset esse de immutabilitate, quod posset esse naturalis. Respondendum, quod æternitas illis attribuitur: non quia non possint habere finem: sed quia non habebunt finem, nec aliquid est actiuum in illas res: per cuius potentiam possint destrui; quod aliud sit à substantia gubernatoris. Incommutabilitas vero sic non se habet: est enim quædam incommutabilitas liberi arbitrij, quæ si esset in illis creaturis, non mererentur bonum, aut malum. Vnde posita libertate ad merendum, quæ conuenit creaturæ rationali, * congruit mutabilitas; & ex alia parte (sicut dictum est) æternitas: & ita secundum eundem modum sunt æternitas, & incommutabilitas: prout vtrunque est proprium Dei.

Damas.

*Alias, cõtingit.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur, quod primus status, & vltimus sunt indifferentes potentiæ diuinæ. Respondendum, quod licet ex parte potentiæ sit indifferentia: ex parte tamen creaturæ ad ipsam est differentia. Quod enim habet ex natura, minus perfectum est: quam quod habet ex dono naturæ supperaddito. Si vero coniungeret hæc duo à principio: dicerentur secundum quendam modum naturalia, quæ modo dicuntur gratuita: & secundum hunc modum posset immutabilitas naturalis (sed ex participatione) creaturæ conuenire.

QVÆSTIO XIV.

De æternitate mundi.

In tria Membra, & duos articulos diuisa.

D. Tho. 1. part. q. 46. S. Bon. in 1. d. 1. Sco. ibid. & in Quotl. q. vlt.

TRANSEVNDVM est ad considerationem de æternitate, vel de temporalitate mundi. Circa quod hæc sunt quærenda. Primo, vtrum æternitas conueniat mundo, aut temporalitas. Secundo, quæritur de coæuitate mundi; & eorum, quæ erant primo creata in mundo. Tertio, si mundus incepit esse, secundum quod philosophi loquuntur de verbo incipiendi.

* *
*

MEMBRVM I.

An mundus æternus, vel temporalis sit?

CIRCA primum sic: bonitas Dei nunquam vacua credenda est: sed ab æterno fuit bonitas: ergo ab æterno fuit mundus. ¶ ITEM, voluntas Dei æterna est; sed si noluit ab æterno facere mundum, & voluit facere mundum post: ergo aliqua mutatio videtur esse voluntatis: sicut est in voluntate nostra: si volumus nos facere aliquid nunc: & noluimus prius facere, mutabilis videtur voluntas nostra: ergo cum voluntas eius sit immutabilis: non aliquando voluit facere mundum, & aliquando non. ¶ ITEM, essentia Dei fuit æterna: & voluntas eius similiter: aut ergo non statim mundum fecit: aut fecit. Si statim ab æterno fuit mundus; habetur propositum: si vero non statim: ergo prior erat vacatio, quam operatio: ergo potentia diuina exiuit ab ocio in actum: sed potentia, quæ exit ab ocio in actum, mutabilis est: ergo potentia diuina mutabilis est: sed hoc est impossibile: ergo mundus fuit ab æterno. ¶ ITEM, creatio est actio, qua Deus fecit mundum: vel alio nomine nuncupetur. Aut ergo Deus fuit semper in illa actione: aut non semper. Si semper fuit illa actio in Deo: semper fuit mundus: & ita ab æterno. Si non semper, in aliquo instanti erat dicere, quod actio illa infuit, & ante non infuerat: cum ergo de nõ agente tunc fieret agens: tunc mutatio erat: sed Deus est immutabilis: ergo & eius actio immutabilis: ergo semper erat mundus. ¶ ITEM, August. *Sicut Dominum Deum aliquando Dominum non fuisse dicere non audeo: ita hominem nunquam à natura fuisse; & in quodam tempore primum hominem creatum fuisse dubitare non debeo:* ergo Deus ab æterno fuit Dominus Deus: Sed dominus non dicitur, nisi alicuius rei dominus: sed non est aliqua res, cuius dicatur dominus, nisi aut mundi, aut alicuius partis mundi: ergo vel mundus, vel aliqua pars erat ab æterno: respectu cuius dominus diceretur. ¶ ITEM, sit [a] nunc, in quo prius erat mundus: aut illud nunc præcessit aliud nunc, aut non; si aliud præcessit, nunc, cum nunc, & nunc non sint sine variatione aliqua, variatio præcessit mundum: sed nulla variatio præcessit mundum: ergo ante illud non erat aliud nunc: ergo erat nunc æternitatis: ergo mundus fuit ab æterno. ¶ ITEM, aut Deus potuit facere mundum ab æterno: aut voluit ab æterno, & non potuit: aut potuit ab æterno, & non voluit. Si ab æterno voluit, & potuit: habetur propositum. Si vero voluit, & non potuit, impotens fuit: quod est impossibile. Si vero potuit, & noluit; non summa bonitas in eo fuit: quod iterum est inconueniens: restat ergo, quod mundus ab æterno fuit. ¶ ITEM, Deus ab æterno fuit ratione potentiæ, sapientiæ, & voluntatis: omnimoda causa ipsius mundi, siue creaturæ: ergo cum causa posita, ponatur effectus, ab æterno fuit mundus, siue creatura. ¶ ITEM, creatura, siue mundus non semper fuit: ergo mutatione aliqua processit in esse: sed illa mutatio non est nisi creatura: ergo ad mundum pertinet: ergo non semper fuit: mutatione ergo processit in esse: & sic in infinitum: sed hoc est impossibile: ergo mundus semper fuit. ¶ ITEM mundus archetypus est, ad cuius similitudinem factus est mundus sensibilis: mundus autem archetypus plenus est rationibus æternis, quæ sufficiunt ad rationem creaturarum: ergo mundus sensibilis, qui est creatus, sufficientem habet causam ab æterno: cum mundus archetypus sit æternus: ergo mundus sensibilis est æternus. ¶ ITEM, aliquis procedit ab æterno, qui est consubstantialis illi, à quo procedit: sicut filius procedit à patre: & aliquid procedit à re æterna, quod est distinctum in substantia ab illa, & non est æternum; sicut generabilia, & corporalia; cum ergo hæc duo extrema sint in vniuerso; & in ordine vniuersi nihil est incompletum; duo autem contingit assignare media; vnũ, quod est illi consimile, & non æternum; aliud, quod est diuersum, & æternum; erunt ergo illa duo media, si non obuiet eis impossibilitas rationis; sed vnum est, quod differt in substantia à primo; & sic æternum. Si ergo non obuiet impossibilitas rationis, erit aliquid huiusmodi; sed tale non est nisi mundus, aut creatura aliqua mũdi; ergo mundus, vel aliqua creatura mundi est æterna; &

Aug. de ciuit. Dei. Li 12. cap. 15 in primis verbis Tomo. 5.

RESOLVTIO.

Quodlibet profectò trium dictorum per se creatum dicitur, tam scilicet materia, quam forma, & compositum: sed principalius hoc tertium, quam duo præcedentia.

¶ Ad hoc dicendum est, quod cum [*creatum*] dicat terminum actus, qui est creatio; verè creatum est, quod est ex his sc. materia, & forma; & ipsa materia, & ipsa forma nihilominus: Tamen pp aliquam similitudinem dicitur cōpositum primo creatum: siue primo habens rationē entis: propter aliam aūt dicitur forma: pp aliam aūt materia: propter rationem n. perfecti, vel eius, q est per se, & in se sufficienter; conuenit ei primo ratio creati: propter rationem actus, & formæ, secundū quorum vtrumq; aliquam habet similitudinem cū primo, dicetur forma: secundū vero rationem originis, & potentiam primam in suo genere habentis, dicetur materia. Ex his patet solutio prædictorum.

MEMBRVM II.

Cur sub ratione cœli, & terræ, potius quam sub alijs rationibus creatio designatur: cum dicitur: In principio creauit Deus cœlum, & terram?

AD secundum quo quæritur: Quare sub ratione cœli, & terræ designatur creatio, potius quam sub alijs rationibus. Ad quod sic. Terra in genere principiorū minus est nobilis: ignis autē, & aer, & aqua corpora sunt nobilia: cum ergo creata quo ad substantiam suam debeant nominari, magis nominanda essent sub ratione istorum, quā sub ratione terræ. ¶ Item, cœlū corporalem designat naturā: ergo nomine cœli, & terræ non designantur; nisi corporales creaturæ, sed nobilior est creatura spiritualis corporali: ergo aliquo nomine conueniente spiritib. debet designari. ¶ Item, cum vtrunq; sit intelligibile, & vtrunq; sensibile: quare dictū est: *Qui fecit cœlos in intellectu*: de terra vero dicitur: *Qui fundauit terrā super aquas.* ¶ Item dicitur: *Manus mea fundauit terrā; & dextera mea mensa est cœlos.* Propter quid sine distinctione dicitur, quod *Manus fundauit terrā*: cum distinctione vero dicitur: Dextera &c. ¶ Item, dicitur: *Cœlos palmo ponderauit: quis appendit tribus digitis molem terræ: cum vtrunque possit appendi, & vtrunque ponderari.*

Psal. 135. Ibid. Isai 48. Isai. 40.

RESOLVTIO.

Aptius Moses vniuersam naturam mediam creatam exprimere non potuit, quam duobus his extremis rationibus, scilicet, cœlum, & terra. Altero quidem propter sui simplicitatem, & spiritualitatem creaturas superiores, & ab omni contrarietate alienas designans. Altera vero propter sui corpulentiam, materialitatem, & opacitatem creaturas has inferiores, omnino vicissitudini subiectas, innuens.

¶ Ad quod respondendū, quod nomine cœli, & terræ secundum vnam expositionem, designatur spiritualis creatura, & corporalis: vt nomine cœli designetur spiritualis: nomine terræ corporalis. Alio vero modo potest exponi; vt nomine cœli designetur cœlū empyreum cū suis contentis: nomine vero terræ designetur inferior corporalis creatura: quæ alio nomine dicta est aqua: cuius aliqua pars extēditur vsq; ad cœlum aqueum, siue cristallinum: secundum quod diuersæ sunt aquæ superiores ab inferioribus. Tertio modo potest dici cœlum tota materia corporalis: quæ est sine contrarietate cum suis contentis: terra vero natura corporalis habens contrarietatem, cum suis contentis. Secundum primam expositionem dicitur super id: *Qui firmauit terrā super aquas.* Gloss. vniuersam creaturam per se, non per creaturam fecit: cuius aliquas excellentiores partes posuit, ex quibus omnia cogitentur, id est, intelligibiles cœlos, & visibilem terram. Secundum secundam expositionem dicit Aug. quod in nomine cœli intelligitur spiritualis creatura, nomine terræ corporalis. Vtraque vero expositio, sc. secunda; & tertia habetur in Libr. de ciuit. Dei. 11. cum dicitur: *In principio fecit Deus cœlum, & terram.* His nominibus vniuersaliter est signata creatura corporalis, & spiritualis: vel magnæ duæ mundi partes: quibus omnia, quæ creata sunt, continentur.

Psal. 135. Glossa. Aug. 13. Confess. Idem in li. 11 de ciui. Dei.

¶ Ad primū ergo dicendū, quod licet terra sit minus nobile principium, siue elementum: nihilominus tā nomine cœli, & terræ designantur creaturæ. Sunt n. sensibilia manuductiones ad intelligibilia: cœlum autē, & terra sunt extrema corpora: quorum vnum habet plus de spiritualitate ratione luminis: alterum plus corpulentia ratione materialitatis, & opacitatis: & propter hoc ista duo designauit; terram, quia plus habuit de materialitate: nomine eius voluit designare materiam istorum transmutabilium inferiorum: media ergo cum habeant concomitantiam cum vtrisque extremis: & habeant communem materiam, maximè cum ipsa terra; per cœlum, & terram designantur.

¶ Ad secundo obiectum dicendum est, quod vtentibus sensu oportet intelligibilia per sensibilia declarare. Spirituales vero substantiæ, licet separatæ sint per essentiam à corporalibus: nihilominus tamen à corporalibus continentur: vtpote angeli secundum suam primam creationem collocati sunt in cœlo: animæ vero in corporibus terrenis: hoc est in quibus plus abundat secundum grauitatem terra: Rectè ergo per cœlum, & terram apud vtentes sensu exteriori, & interiori; non tantū declarantur corporales creaturæ, sed etiam spirituales, quæ ab his continentur.

¶ Ad tertio obiectum dicendum, quod licet vtraq; sint sensibiles, scil. cœlum, & terra: cœlum tamen dicitur intelligibile: propter sui spiritualitatem, & simplicitatem: & ideo distinguendo inter cœlum, & terram, dixit: cœlos fieri in intellectu: de terra vero non dixit: nihilominus tamen vtrumque est intelligibile, & vtrumq; sensibile; secundum alteram, & alteram rationem.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod terra dicitur fundari à manu per quandam metaphoram; non quod diuina essentia manum habeat, vel dexterā, vel sinistram, sed more fabricatoris loquitur: Manus ergo accipitur ibi in genere; vel quia diuidit contra dexteram accipitur pro sinistra: & sic sic, siue sic, ostendit minus esse complementum in terra, quam in cœlo: minus enim complementū est in genere, quā in specie, prout huiusmodi: & sinistra minus nobilis est, quam dextera: dextera enim est principium motus: sinistra vero est, per quam regnat motus: & in hominibus magis est principium sustinendi, quam agendi: Et propter hæc nomine manus in genere dicendo, vel per appropriationem cointelligendo sinistram, fit appropriatio potentiæ diuinæ respectu ipsius terræ, quo minus nobilis est: per dexteram vero signatur appropriatio diuinæ potentiæ respectu cœli, quod est nobilius. Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur: *Læua eius sub capite meo: & dextera illius amplexabitur me,* per leuam n. designantur ista inferiora, quæ nomine terræ designantur in scriptura: per dexteram vero cœlum, & cœlestia. Similiter: *Longitudo dierum in dextera eius: & in sinistra eius diuitiæ, & gloria.* Res enim perpetuæ, quæ ad cœlum pertinent, nomine dexteræ intelliguntur: nomine vero sinistræ ea, in quibus homines gloriantur, & ditantur, sc. terrena.

Cant. 2. Prouer. 3.

¶ Ad quintum dicēdum est, quod cœli dicuntur ponderari palmo propter sui magnitudinem, & capacitatem: & quia extenditur ad illum modum, quandam habens in se continuitatem; vt pars à parte non sit separabilis natura. Terra vero dicitur appendi tribus digitis; propter sui minoritatem, & separabilitatem: & quia triplex virtus est in ea. Habet n. virtutem opacitatis, & qualitatis pertinentis ad mutationem secundum substantiam, & qualitatis pertinentis ad motum localem secundum rationem opacitatis: habet situm centralem, tanquā minus nobile corpus inter principia, & plus materiale. Secundū vero qualitatem generabilem ordinatur ad generationem: secundum vero grauitatem ad motum localem: & hæ sunt differentiæ impressionum, quas in ipsa terra recipit. Ad discernendum: ergo istam triplicem differentiam; dicitur appendi tribus digitis. Præterea, per tres digitos designatur potentia, quæ appropriatur patri: notitia, quæ appropriatur filio: virtus recognitiua, quæ appropriatur Spiritui S. Habet aūt potentiam susceptiuā, & ratione huius ordinatur ad potentiam. Habet etiā ratione suæ opacitatis splendorem: splendor n. fit ex reflexione opaci, sine densi: & quo ad hoc ordinatur ad ipsam notitiam. Habet etiam virtutem motiuam, ratione cuius refertur ad Sp. S. rectè ergo tribus digitis dicitur appendi.

MEM-

MEMBRVM III.

An esse creati sit secundum rationem vniuersalis, vel particularis?

AD tertium, quo quæritur; cum hoc contingat accipi, & esse sub ratione vniuersalis, & particularis, Vtrum secundum vtramque rationem sit esse creati, vel secundum alterum tantum? Quod secundum ratione͂ vniuersalis, videtur: eo quod vniuersale inquantum huiusmodi similius est causæ propter rationem proprietatis. Item similius est ratione virtutis continendi multa. Similius est etiam ratione formæ: ratione.n. formæ magis est vniuersalitas. ¶ Quod autem ratione singularitatis, vel particularitas, videtur: eo quod actus sunt circa singularia: creatio autem actus est: ergo circa singulare. ¶ ITEM, singulare est omnino completu͂ in esse: quod magis conuenit rei creatæ; hoc etiam magis ratione substantiæ tenet: ex quibus colligitur, quod magis conuenit ratio creati in esse singulari.

Gen. 2. ¶ CONTRA, sic ostenditur, quod vtrique: vtrunque.n. exit de non esse omnino in esse: ergo vtrunque habet rationem creati. Item super illud: *Requieuit ab omni opere*: à generibus, f. rerum & speciebus: sed hæc non sunt sine suis singularibus: ergo cum requies illa diceretur à creatione, erat creatio tam vniuersalium, quam particularium.

RESOLVTIO.

Secundum rationem vtriusque, verum vnius in altero, f. vniuersalis in particulari, in quo saluari, & conseruari habet.

¶ Ad quod dicendum, quod vtriusq; est creatio, vnius, f. in altero: vniuersale.n. ratione perpetuitatis habet esse diuinum, sicut dicit Philos. q̄ positum est in singulari, vt si nō possit saluari in vno, saluetur in alio, hoc ergo in illo, ē terminus creationis, particulare, f. siue singulare: in quo saluatur: vniuersale autem est, quod saluatur, & quod habet in singulari virtutem saluandi se. Propter dictas ergo rationes vtrunque habet rationem creati: hoc secundum vnam rationem, illud verò secundum aliam præeminentiam.

QVÆSTIO XI.

De multitudine creaturarum.

In duo Membra diuisa.

D.Th.1.p. q.46. S B. in 2. d. 1. art. 1. & 2 Sc. ibid. & in 4.d.1.q.1

TRANSEVNDVM est ad quæstionem de vnitate, & multitudine in his, quæ creata sunt, vtrum vnum tantum sit à primo immediatè, an multa? Item de causa multitudinis, si est.

MEMBRVM I.

An multitudo, & pluralitas rerum immediatè à primo principio, vel efficiente sit?

AD primum. Quod creatum procedere debeat in vnitate sic arguitur. Exemplum.n. imitatur suum exemplar: sed exemplar est in omnimoda vnitate: ergo exemplum debet esse in vnitate. Hanc rationem videtur Augu. inducere ex verbis Platonis, quod mundus sensibilis sit vnus, eo q̄ mundus archetypus sit vnus. Et si dicatur per similitudinē exemplaris inferioris, à quo plura procedunt exempla: constat q̄ ab vno exemplari in specie non procedit nisi vnum exemplum in specie, licet sint plura numero. Si ergo sic est, à summo exemplari non procedit nisi vnum exemplum in specie, & ita vnum creatum in specie. Ab vno n. libro, qui ē vnum exemplar in specie, non procedit exemplum, nisi vnus liber in specie, & ab vno sigillo in specie, vna impressio in specie. Si vero dicatur, q̄ differentia sint exemplaria propter pluralitatem idearum, vt huic ideæ respondeat hoc creatum in specie: illi verò aliud. Secundum hoc: cum ideæ sint eadem in essentia: essent ideata eadem in essentia, & ita remanerent vnum creatum in essentia: et si omnes ideę sunt vna idea, omnia creata essent vnum creatum. Quod cum non sit, non ex hoc tantum accipietur vnitas. ¶ ITEM; si secundum numerum idearum esset numerus ipsorum creatorum in specie, vel in genere, non posset numerus creatorum in specie crescere: cum numerus idearum non posset crescere: nulla.n. mutatio menti diuinæ pōt conuenire. Sed cōstat, q̄ numerus creatorū possit crescere: cū potētia Dei sit omnipotētia, & ita infinita, & ita p̄t plura creare, q̄ creauit.

Plato in Timæo in 3. folio à principio Lib.

¶ ITERVM, si perueniret pluralitas ex aliqua ratione, aut hoc esset ex parte causæ finalis, aut formalis, aut efficientis, aut materialis. Ex parte verò causæ materialis non potest esse: cum non habeat causam materialem, creatum enim est de nihilo. Aliæ verò rationes causæ sunt vnum in essentia: sicut supra habitum est, ergo ex parte nullius causæ potest accipi ratio multitudinis. ¶ ITEM, voluntas Dei est efficiens causa, sed voluntas eius est vna, & immutabilis: ergo ex illa parte non potest prouenire ratio multitudinis. ¶ ITEM, est multiplex modus procedendi à Deo patre, per generationem, per spirationem, per creationem, per factionem, put differt à creatione: sed duobus primis modis non dicitur nisi vnum procedens: vt filius per generationem, spiritus per processionem: ergo pari ratione videtur secundum alios duos modos: vt vnum procedat ab vno. Quæst. 2. memb. 2.

¶ ITEM, si diceretur: quia ex nihilo procedunt creata; ideo est pluralitas creatorum.

¶ CONTRA, hoc est quod nihil in illo modo dictum, nullius rei est causa, & ita non est causa multitudinis. ¶ ITEM procedens à primo quocunque modo procedat, procedit secundum aliquam similitudinem: sed multitudo omnino dissimilis est summæ vnitati, sicut & corruptio: non ergo dicetur creatum procedere à primo in ratione multitudinis.

¶ Fortè dicetur, sicut & quidam philos. dixerunt, quod à primo, quod est vere vnum, non procedit immediatè, nisi vnum; mediatè verò, siue secundum prius, & posterius plura: vtpote primo creauit intelligentiam angelicam: intelligentia verò angelica, quia se intellexit, & illum, à quo erat: & ita intellexit multitudinem, mediante intelligentia angelica processit multitudo. Sed hæc ratio non congruit: secundum hoc enim maioris potentiæ esset primum mediante creatura, quam secundum seipsum: nam mediante creatura poterat producere multa: secundum seipsum verò nō poterat producere nisi vnum. ¶ ITEM, si multitudo producta producebatur propter intellectum multitudinis, q̄ erat intelligentia angelica, eo quod intelligebat se, & illud à quo erat: & ita multiplex erat intellectus Dei cum habeat multitudinem, & non habeat ipsum primum (non enim intelligebat illud, à quo erat) potentior videtur ipsa intelligentia angelica, quam diuina: nam intelligentia angelica posset secundum hoc multa facere immediatè: diuina verò non, quod est inconueniens. Si verò propter intellectum multitudinis in genere, erat potentia producendi multa: & per consequens multorum productio: cum diuina intelligentia intelligat se, & illud, quod est ab ea: angelica verò intelligat se, & illud, à quo est, magis conuenit diuinæ intelligentiæ producere multa immediatè, quam ipsę angelicæ. Nam ratio intelligendi illud, quod est à se, est ratio intelligendi se esse causam, & illud esse creatum ab illo. Ratio verò intelligendi, quod est ab alio, est ratio intelligendi se esse creatum: ergo cum ratio producendi conueniat causæ, & non conueniat causato, vt huiusmodi: diuina intelligentia plus habebit ratione creandi multa, quam angelica.

Vulgata propositio & colligi[tur] ex 2. de Gen. 16. & habetur ab Aui. in Metaph. con. 4. & alibi contra Aui. qui in Metaph. c. 4. prouentum posuit intelligentiarum.

¶ ALII verò dixerunt, quod vnitas est à forma, & multitudo à materia: & propter hoc ratio multitudinis non fuit à summo, eo quod est forma, sed fuit à materia. Sed contra hoc sic obijcitur: siue ponatur materia coæterna, siue creata, & non coæterna: non erit ab ipsa multitudo. Si enim ponitur coæterna, forma verò non: aut erit vna sola forma creata: aut plures in illa materia. Si vna sola materia, sola & forma: non producetur nisi vnum. Si verò dicatur, quod forma vna multiplicatur per materiam: hæc multiplicatio non est per speciem, vel per genus: & ita diuersitas rerum secundum genus, & speciem non erunt à materia.

Boet. ¶ Si fortè dicatur, sicut recipitur in Lib. de Vnitate, & vno: quod materia cum habeat dissensionem, aliqua pars eius sit remotior, & alia propinquior, & secundum hoc attendatur diuersitas formarum in materia, in genere, & in specie: vtpote intelligentia sit simplicioris materiæ: anima verò minus simplicioris, & ita de alijs: sic obr in contrariū. Non potest esse ꝓpinquitas, & elongatio respū diuinæ essentiæ secundum locū, aut situ͂: à Deo.n. non receditur loco sed dissimilitudine: sicut dicit Aug. in Lib. de Ciu. Dei, & de Natura boni, & in pluribus locis: & hoc est, quia est vbique dissimilitudo verò attenditur sm̄ priuatione͂ maiorem, vel

Aug. in lib. de Ciuit. Dei. & de natura boni.

minorem, quæ est formæ, vel secundum compositionem maiorem, vel minorem, compositio vero maior, vel minor non est sine formis: nec priuatio maior, vel minor nisi respectu formarum: non ergo à materia erit vniue: aliter respectu multitudinis. Si enim dicatur materia partes habere, partibilitatem habebit ergo: partibilitas autem non est sine forma. Si etiam in vna parte sui sit simplicior: & in altera parte corpulentior: hoc non erit, nisi ratione formarum: materia enim ex hoc è materia, quod habet possibilitatem ad formas. Præterea, materia ratione corporeitatis est diuisibilis: sed diuisio aliunde venit, quam à diuisibili: ergo aliud est principium diuisionis, siue multitudinis, quam materia. Præterea, si partibilitas est in materia ratione corporeitatis, erit diuisio ratione formæ, cum corporeitas in materia sit forma. Item si tantum ratione materiæ esset multitudo, omnia essent vnum in forma: cum ergo vnitas dicatur ratione formæ; sicut multitudo ratione materiæ: omnia essent vnum, quod cum non sit, non tantum ratione materiæ est multitudo, sed etiam ratione formæ.

¶ Si verò materia ponatur creata, & non coæterna, non erit ab ipsa multitudo creaturorum, siue conditorum. Nam aut ipsa sola exit in esse tunc de non esse: aut cum eo etiam exit forma, si sola materia, non erit multitudo: si autem forma cum materia, vnde erit differentia formæ, & materiæ? non enim materia dabit formæ, quod differat à forma: multitudo ergo, quæ est materiæ, & formæ, nec à materia nec à forma erit: & non est aliud, nisi opifex: ergo erit ab opifice.

¶ Si verò dicatur, sicut alij dixerunt, quod multitudo rerum erit à forma: secundum hoc obijcitur: Aut formæ sunt multæ, aut non sunt multæ in seipsis. Si non sunt multæ in seipsis: ergo vna forma inquantum vna esset principium multitudinis.

¶ Contra, vna forma est principium vnitatis in re: ergo secundum hoc non erit principium multitudinis. Si verò sunt formæ multæ in seipsis: vnde venit illa multitudo, cum formæ à se non habeant esse, nec per consequens vnitatem multiplicatam. Præterea, si in sola forma esset principium multitudinis, non esset aliqua diuersitas à materia: vel subiecto. Videmus autem secundum materiam, vel subiectum formam diuersificari, dicitur enim alius ignis, & alius, quia alia materia: & alia albedo, quia in alio subiecto.

¶ Fvervnt etiam alij, qui dixerunt, multitudinem rerum conditarum procedere à Deo secundum hunc modũ. Diuina essentia intelligit se, & intelligendo se, causa est eorum, quæ sunt ab ea: quia non tantum intelligit se, sed intelligit intelligere se, & ita deinceps: & sic procedit multitudo, & ita in infinitum. Non tantum est principium filij, qui est sapientia, siue notitia, sed etiam aliorum per filium, scil. rerum conditarum, & primo rei conditæ: quia intelligit se, secundo vero, quia intelligit intelligere se, & ita deinceps: & sic procedit multitudo, & non tantum similitudo, sed etiam ordinata multitudo, & sic videtur illud intelligi, quod dicit Boet. *Omnia, quæ a primæua rerum natura condita sunt, numerorum ratione videntur esse formata.*

Boet.

¶ Item, ad hoc videtur facere, quod dicit Aug. in Lib. de libero arbit. *Quod idem est sapientia, & numerus.* Vnde exponit illud, *attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter,* vt vnum referatur ad rationem sapientiæ, alterum vero ad rationem numeri, sic dicens. Ea potentia, qua fortiter à fine vsque ad finem attingit: numerus fortasse dicitur, ea verò, qua disponit omnia suauiter: sapientia propriè vocatur, vt sit vtrunque vnius, eiusdemq; sapientiæ.

Aug. in lib de lib. arb. Sap. 7.

¶ Contra, quod intelligit intelligere se, non facit in ipso aliquam pluralitatem, ergo propter hoc non dicetur esse multitudo in rebus.

¶ Item, non magis se habet ad vnam rem conditam intelligere se, quam si ter dicatur, vel quater reflectendo: ergo non propter hoc erit rerum conditarum differentia. Tantum non pertinet intelligere reflexum bis, vel ter ad angelum, quantum ad animam, & econuerso: cum vtrunque sit à Deo immediatè.

¶ Præterea, si hæc esset ratio procedendi res in multitudine: vna quæque res procedens, participaret intellectum, qua ratione, & alia res, & ita non magis diceretur angelus, & anima rationalis, quam sensibilis, & ita de alijs rebus conditis, quod cum non sit: non est hæc ratio procedendi in multitudine. ¶ Item, si angelus procederet à Deo, eo quod intelligit intelligere se, vnde esset multitudo angelorum: non enim esset nisi vnus angelus, cum non sit nisi vna ratio numeralis, restat ergo aut quod non sit multitudo in eo, quod creatur, vel conditur à Deo: aut non est ex dictis causis.

¶ Si verò diceretur, quod multitudo in his, quæ condita sunt à Deo, est à multitudine actus diuini, qui est creatio: creat enim hoc, & creat illud, & differentiæ creatorum respondet differentia actuum: sicut apparet in alijs actionibus. Contrarium videtur: creatio enim actio vna est, quantum est ex parte creantis. Si ergo alia, & alia dicitur creatio: hoc est respectu alterius, & alterius creati, attenditur ergo differentia in ipsa creatione ratione creati, non econuerso. Si enim creatio haberet differentiam non ex parte creati: & tunc oporteret aliquam differentiam assignare ex parte creantis: & quia nulla est, non attenditur differentia creatoris aliunde: quam à differentia rei creatæ. Ex præmissis ergo videtur colligi, quod non est à summè vno, multitudo immediatè, inquantum huiusmodi quod exit, ratione vnius exit.

¶ Ad contrarium sic potest obijci: Potentia diuina est infinita, declaratio autem potentiæ infinitæ est amplius per multitudinem, quam per singularitatem, & per multitudinem simul procedentem in esse, quam non simul procedẽtem: ergo creatio cum manifestat potentiam summam, declarabitur conuenienter magis in multitudine, quam in singularitate.

¶ Item, bonitatis est communicare, ergo summæ bonitatis maximè communicare, & eius, quæ magis est, magis communicare, sed magis est communicare, cum communicatur pluribus, quam cum communicatur vni soli: ergo diuinæ bonitatis, quæ est maximè bonitas: est pluribus bonitatem communicare.

¶ Item, tanta est notitia, siue sapientia in Deo, qua maior non potest excogitari, sed maior est notitia plurium, q̃ sunt ab ipsa notitia: quam vnius solius, quod fit ab eadem: ergo illa est tribuenda Deo, quod non contingit, nisi plura fiant ab ipso: ergo multitudo est in ipsis creaturis, siue in his quæ fiunt à Deo. Nec hoc obstat, quod vnum, & multa opponuntur: vnum quodque autem, quod à summa vnitate est, & vnum est: licet enim vnumquodque sit vnum, tamen ex illis elicitur multitudo: vnum enim & multa non sic opponuntur, quin vnum sit principium multitudinis.

¶ Item, vnum est principium materiale multitudinis, sine quo non est multitudo: sed magis congruit vnitas efficienti principio, quam materiali: ergo magis conuenit, q̃d vnum sit effectiuum principium multitudinis, quam materiale multitudinis.

¶ Item, si quæreretur añ omnem differentiam alia differentia, & ante omnem multitudinem multitudo: oporteret ire in infinitum: ergo alicubi est standum: sed in primo actu rerum, quæ fiunt, non est possibile inuenire multitudinem ex parte facientis; cum sit omnimoda simplicitas: & si est ibi pluralitas personarum, illa non est, secundum quã distinguitur pluralitas rerum conditarum: indiuisa enim sunt opera trinitatis, sicut habetur in Lib. de Trin. (Quorum enim est eadem essentia inseparabilis est, & eadem operatio.) Ex quo relinquitur cum ratio diuersitatis non sit ex parte facientis: erit ergo prima diuersitas, siue multitudo ex parte eius, quod fit, & prima ad nullam aliam est reducenda. Vnde sicut ex parte causæ voluntatis diuinæ nulla est ratio quærenda: ita ex parte multitudinis in eo, quod fit à primo, non est alia multitudo prior quærenda.

¶ Ad idem: differentia oritur ex his, quorum est differẽtia, sed ea, sunt vnum & vnum, vnum autem in se est indiuisum, ab alio diuisum, hoc autem est vnumquodque in eo quod est, ergo cum posito ente ponatur vnum, & posito iterum ente, ponatur vnum: multitudo autem surgit ex vno, & vno, & ita ex ente, & ente: ergo multitudinis ratio non quæretur aliunde.

¶ Item, differentia est in ipsis speciebus, & huic respondet vni-

det vnitas generis. Si autem quæratur de differentia specierum, aut seipsis differunt, aut differentiis: differentiæ autem non alijs, quam seipsis differunt. Similiter, quæ differunt numero, sunt vnum specie: quæ autem differunt numero, seipsis differunt. Similiter, quę sunt multa genere, siue multa processionibus, sunt vnum principio: ergo & hæc similiter erunt seipsis differentia omnino: cum ante istam differentiam nō sit aliam differentiam reperire: ante enim multitudinem processionalem non est alia multitudo: sicut neque ante vnum, à quo procedunt, est alia vnitas: ergo multitudo in rebus primo creatis non habet ante se aliam multitudinem.

¶ Item, in his, quæ procedunt à voluntate, est inuenire primam differentiam, quæ non ad aliam reducitur: similiter in his, quæ fiunt à natura, est inuenire primam differentiam. In his enim quæ fiunt à voluntate, prima differentia est voluntas bona & mala. In his autem, quæ fiunt à natura, differentiæ elementorum in inferioribus causis: differentiæ verò superiorum corporum in superioribus causis: multo ergo fortius est prima multitudo, siuę diuersitas in his, quæ fiunt à prima causa agente, quæ non habet aliam ante se.

RESOLVTIO.

Multitudo rerum à Deo primo principio, vel primo efficiente est, sed per modum vnius.

Ad quod dicendum est, quod multitudo est à primo efficiente: in alijs etiam multitudo est ab vno principio: vnumquodque tamen, quod est à primo principio, scil. Deo, qui summè vnus est, procedit secundum rationem vnius: ipsa etiam multitudo quodammodo est vnum.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur: quod multitudo non primo procedit per creationem à Deo, sed tantum vnum. Dicendum est, quod aliter dicitur vnum, cum dicitur, mundus sensibilis est vnum: & cum dicitur vnumquodque creatum vnum. Mundus enim sensibilis secundum rationem vniuersi ab vnitate nomen accipit: sicut dicit Aug. hæc autem vnitas est multitudinis ordinatæ ad summè vnum, habentis complexionem in partibus. De hac vnitate dicit in illo lib. August. *Tanta est vis, & potentia integritatis: vt quæ multa sunt bona, tunc placeant: cum in vniuersum aliquod conueniunt, atque concurrunt*, & secundum hoc dicitur illud. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; Rectè ergo dicitur, quod mundo archetypo tanquam exemplari respondet mundus sensibilis tanquam exemplum: & accipiatur largè hic ipsum sensibile, vt contineat in se res spirituales. Vnde si aliæ res crearentur, vel fierent, ad mundum sensibilem pertinerent: sicut infra patebit. Non sic autem de vnoquoque creato singularim accepto: eo quod non dicit rationem omnino perfecti in conditione. Vnde licet mundus sensibilis sit vnus non tamen hoc creatum, vel illud est vnum solum: imo ex hoc sequitur, quod non est vnum solum ad hoc, quod fiat vniuersum.

Aug. contra Manichæos.
Idem ibid.
Gen. 1.
Collige ex q. 14. & 16.

¶ Ad secundum verò dicendum est, quod non est simile in exemplaribus inferioribus, & exemplari summo. Exemplar enim in inferioribus alligatum est materiæ: & hoc habet omnino essentiam efficientis. Vnde diuersæ formæ in exemplari in specie, respondet diuersa forma in specie in exemplo: & eidem in specie, eadem in specie. Non sic autem est in exemplari summo: vna enim est essentia speciei exemplaris, cui respondēt diuersa exempla in specie, & etiam diuersa in genere: ipsa.n. omnino est abstracta, existens omnium forma: sicut habetur in fine Lib. de vera relig.

¶ Ad tertium dicendum: licet dicatur idea huius, & dicatur idea illius: & ita ideis respondeant ideata: non tamen si vna essentia huius ideæ, & illius, & ita in infinitum, sic causatum in essentia: quia aliunde accipitur vnitas & multitudo in ipsis rebus creatis vel conditis secundum essentiā quam ab ipso exemplari secundum essentiam. Ipsa enim essentia exemplaris Deus est: vnde idea huius, & idea illius sunt essentialiter vnum: hoc autem creatum propriam essentiam habet, qua ab alio creato distinguitur: & hoc accidit propter omnimodam vnitatem quo ad essentiam, quæ est ex parte causæ agentis: & multitudinem essentialem, quæ contingit esse ex parte creatoris. : forma enim huius nō est forma illius; nec materia huius est materia illius.

¶ Ad quartum, quo videtur concludi: quod numerus conditorum in specie non est à numero idearum. Respondendum est, quod numerus ideatūm non propriè dicitur nisi ex quadam relatione ad ipsas res conditas: in se verò est vna essentia: & ideo nihil prohibet plures res, vel pauciores procedere in esse. Ipsa enim est vna sapientia, quæ nec crescere, nec decrescere potest: licet res crescat, vel decrescat. Vnde August. *Non sunt multæ, sed vna est sapientia: in qua sunt infinita quædam, eique sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium: in quibus sunt omnes inuisibiles, atque incommutabiles rationes rerum visibilium, & mutabilium.* Vnde licet res mutabiles crescant numero, vel decrescant: non propterea crescunt illæ rationes: non ergo penitus accipitur numerus in his ab illis.

Aug. 11. de Ciu. Dei.

¶ Ad quintum dicendum est, quod licet vna causa sit in vnoquoque genere causæ: vtpote vna est efficiens prima, vna finalis: vna exemplaris: nihilominus tamen est multitudo in rebus conditis secundum vnamquamque causarū: non quod multitudo sit à multitudine: sed quod multitudo sit ab vno, & in vno, & ad vnum.

¶ Similiter ei, quod obijcitur de voluntate diuina: quæ est efficiens causa vna, & immutabilis: ab ipsa tamen est multitudo effectiuè: secundum eam tamen non est multitudo formaliter, vt forma dicatur, quæ est de esse. Nec sic est, sicut in factis humanis: in factis enim humanis cum est multitudo creatur à multitudine voluntatum: quia voluntas humana mutabilis est, & numeratur secundum volita: diuina verò est immutabilis: nec numeratur secundum illa: eadem enim voluntate, qua vult hoc: vult illud: nec quod modo vult: postea non vult.

¶ Ad sextū dīm, quod non est simile in processionibus æternis, & processionibus temporalibus: processio .n. vtranq; perfectionem habet in summo: hæc autem est perfectio procedentis vt in ratione vnius determinetur, quod particulariter habetur à multis: creatura verò per participationem habet: persona verò diuina procedens totaliter habet. Vnde non congruit duos esse filios ab æterno, nec duos spiritus sanctos: conuenit autem esse multitudinem rerum conditarū: eo quod vnaquæque participat esse, & virtutes: & omnes insimul sumptæ deficiunt etiam ab eius virtute: filius verò est eiusdem essentiæ cum patre, & æqualis in virtute: & similiter spiritus sanctus procedens: ergo æternaliter demōstrat illum, à quo procedit totaliter: procedens verò temporaliter demonstrat particulariter: & in quadam participatione.

¶ Ad septimum dicendum, quod ratione eius, quod res creatæ procedunt ex nihilo: nec dicimur habere vnitatem, nec multitudinem: licet res vna cum diuidatur in multa, per diuisionem tendat ad non esse: sed de tali multitudine non loquimur: sed de multitudine primo in esse procedente de non esse: vbi virtus factoris demonstratur.

¶ Ad vltimum in illo ordine dicendum est: quod licet res procedens in esse à primo, habet aliquam similitudinem cum primo, non ex hoc excluditur multitudo, quin procedat à primo, secundum quod multitudo est vnum & vnum: habet.n. similitudinem in ratione vnius, in ratione boni, & ita de alijs correspondentibus: sicut nec lapis in eo quod lapis habet similitudinem: sed in eo quod vnum, aut bonum. Nec est simile de multitudine, & corruptione: corruptio.n. est, quo tendit res in non esse: multitudo autem (de qua iam dictum est) est, in qua firmatur in esse: firmius enim est res in esse, cuius esse est in multis, ita quod in vnoquoque illorum, quam vbi est in vno solo de numero illorum.

MEMBRVM II.

An sit, & quæ sit causa multitudinis rerum: & cur in tam multiplici varietate primo producta fuerit?

Deinde supposito, quod multitudo sit, sicut quibusdam rationibus est ostensum (& loquor maxime de prima multitudine) quærenda est causa multitudinis. Ad quod dicendum est, quod causam multitudinis est quærere multipliciter. Si enim quæratur causa efficiens multitudinis, dicetur: quod vna est prima causa efficiens multitudinis: & secundum hoc falsa ē propositio philosophorum: ab vno nō

procedit

procedit nisi vnum solum immediate: nisi sic intelligatur, quod procedit ab vno, habet rationem vnius. Si vero quæratur causa exemplaris, dicetur tunc, quod ab vno multa: pluraliter tamen dicta propter quendam respectum multitudinis ad ipsam, & secundum hoc dicitur vna causa exemplaris in essentia, ideæ verò, vel rationes dicuntur pluraliter.

Collige hoc ex 1. de Gener. & corrup. tex. com. 30.

¶ Si verò quæratur, vnde dicatur diuersitas, tanquam a causa in re. Dicendum, quod quædam est à forma, quædam est à materia, quædam est à tempore: V. g. Diuersitas a materia vel subiecto est, cum forma ignis diuersificatur hac materia & illa: & albedo alia est in niue, alia in calce. Diuersitas autem à forma est in generibus, & speciebus. Diuersitas vero à tempore est, vt albedo in mane: & albedo in vespere, vel cursus in mane, & cursus in vespere: & actus in vno tempore, & in alio. Sed tunc dicemus, quod ipso tempore fit distinctio & si non semper causalitas. Si verò quæratur de prima diuersitate rerum creatarum, siue conditarum. Dicendum est quod seipsis differunt: vtpote materia seipsa differt à forma alterius: & materia vnius distinguitur à forma alterius.

¶ Item, si quæratur in eadem re de differentijs formarum, quæ sunt in ea, vtpote de differentia modi, speciei, & ordinis, & huiusmodi. Respondendum est, quod per appropriationem ex parte causæ sunt rationes appropriatæ tribus personis: & secundum hoc ratio pluralitatis accipitur ex illa parte.

¶ Si autem quæratur de alijs formis, quæ sunt absolutè in re, vt quantitate, & huiusmodi. Respondetur, quod ad principia essentialia in re reducuntur, ex quibus habent esse: nihilominus tamen quandam inter se habent differentiam.

RESOLVTIO.

Diuersitas rerum vna est causa efficiens, vna exemplaris: cuius quidem diuersitatis ratio tum a forma, tum a materia, tum denique à tempore desumitur. Nec ob aliud producta, nisi vt Dei potentia, sapientia, atque bonitas manifestaretur.

¶ Qvod ergo supra dicebatur, quod diuersitas est à materia. Respondendum est, quod non prima, sed aliqua* posteriorum potest esse à materia, sicut aliqua etiam potest esse à forma. Nec est contrarium, quod forma est principium vnitatis, & ita non multitudinis, non. n. sic est de oppositione vnitatis, & multitudinis, sicut albi, & nigri, & contrariorum, [illegible] ab eodem principio, sunt secundum prius, & posterius. nihilominus tamen in aliquibus ab alio principio est vnitas, & ab alio multitudo: vtpote vnitas speciei dicitur esse a forma, multitudo autem indiuiduorum à materia, vel a [illegible] ipsis. aliquando est econtrario: vt vnitas sit quodammodo ab vnitate materiæ, vel subiecti: multitudo, siue differentia à forma, & sic non semper secundum vnum modum est quærenda ratio multitudinis, aut diuersitatis.

*Alias, posterior.

¶ Respon. vero illorum, qui dicebant rationem numeri, aut diuersitatis esse ex * replicatione intellectus diuini super seipsum, non approbo. Quod enim sapientia prima, prout est numerus numerans (sicut dicit Aug.) est causa rerum, quæ numerantur, non est secundum illum modum: sed exemplariter, sicut dictum est, & hoc benè apparet per hoc, quod dicitur in Lib. de lib. arb. sicut supra habitum est.

*Alias, reflexione.

¶ Si verò quæratur, quare producta est rerum diuersitas prima? Respondendum est, ad manifestationem diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Manifestatur. n. potentia plus in multitudine, quam in vnitate: sapientia in multorum ordinatione. bonitas verò in multitudinis perfectione: creata ergo sunt multa, ordinata in sufficientia, sine perfectione, quæ vocatur vniuersitas. Nec fuit creatio multitudinis propter indigentiam creantis: sicut contingit in conditione eorum, quæ fiunt à voluntate humana (homo. n. facit aliquando res propter sui indigentiã; & natura multiplicat formas in materia propter sui conseruationem) non sic autem est in multitudine creatorum, non est scil. ex indigentia, sed ex superaffluentia bonitatis diuinæ: cuius est communicare esse secundum omnem eius differentiam.

Mem. immediatè præced.

¶ Attendendum est etiam, quod dupliciter est diuisio, siue discretio. Vna est ex defectibilitate rei existentis: & de hac non loquimur: hæc enim si reducitur ad principium, potest dici, vt reducatur ad priuationem materiæ: materia enim priuata est causa deficiendi. Est autem alia discretio, quæ est rerum in se, vel ratione formarum: & hæc est ad ostensionem diuinæ bonitatis.

QVÆSTIO XII.

De simplicitate, & compositione creaturarum.

In duo Membra, & in quatuor Articulos diuisa.

Consequenter transeundum est ad quæstionem de simplicitate creaturarum, & compositione. Primo ergo quærendum est, vtrum simplicitas conueniat omni creaturę, aut compositio: aut cuidam simplicitas, cuidam compositio? Secundo, de causa compositionis multiplici: an sit vna causa compositionis in omnibus.

D. Th. 1. p. q. 3. ar. 7. & q. 50. ar. 2. S. B. tra. d. 37. q. 3. Sc. in 1. d. 8. q. 3. & in 2. d. 3. q. 6.

MEMBRVM I.

An omnis creatura simplex sit?

Ad primum sic, Vnitas, & simplicitas sunt rationes causæ: qua ergo ratione ab vno procedit vnum, ea ratione à simplici debet procedere simplex.

¶ Præterea, simplicitas est quædam conditio, & non repugnat creaturæ: vt videtur: & potentia est ex parte creantis in communicando: ergo simplicitas est conditio creaturæ.

¶ Contra. Boet. in suis Hebdo. *Omni composito aliud est, quod est, & quo est, & cui aliud est, quo est, & quod est, illud est compositum:* sed in omni creatura aliud est, quod est, & quo est: ergo omnis creatura est composita. ¶ Item, si aliqua creatura esset simplex omnino in esse, & intellectu: coæquaretur primo: sed non sunt duo prima: nec aliquid in rebus, quæ fiunt, est ei coæquale: ergo nulla creatura est simplex: ergo quælibet est composita.

Boet. In libello, qui nunc inscribitur, An omne quod est, bonum sit.

¶ Quod autem aliqua sit simplex, alia vero composita, sic arguitur. Omne compositum, ex aliquibus est compositum: ergo vel ex simplicibus, vel ex compositis: cum simplex, & compositum sufficienter diuidant ens. Si autem ex compositis: hoc esset semper abire in infinitum: ergo aliquãdo erit deuenire ad simplicia: sed alterum illorum simplicium nõ potest esse ipsum primum: ex quo enim aliquid est compositum, materiale est respectu illius: diuina autem essentia non est materialis respectu alicuius, ergo diuina essentia non est alterum componentium. Vtrunque ergo illorum simplicium est creatura: ergo aliqua ẽ creatura simplex, & aliqua composita. ¶ Item, simplex, & compositum ponuntur in diuisione entis potissimis, quod dicitur ens creatum: ergo aliqua creatura simplex, & aliqua composita. ¶ Item Aug. *Anima non per partes diuiditur, cum sit simplex, & indiuidua. Et si aliquando partes dicitur habere, ratione potius similitudinis, quam veritate compositionis intelligendum est*: Ex hoc relinquitur, quod aliqua est creatura simplex?

Aug. de [illegible]

RESOLVTIO.

Creaturæ neque omnes simplices, neque omnes compositæ sunt: sed quædam quidem sic, quædam autem non, immo & diuersa consideratione vtrunque quædam.

¶ Ad hoc respondendum, quod simplex dicitur multis modis. Vno modo dicitur, qđ caret materia diuisa: secundum hunc modum substantiæ spirituales simplices dicuntur. Alio vero modo dicitur simplex, quod omnino caret materia: & sic dicitur prima forma simplex secundum Boe. in lib. de Trin. secundum hunc modum non dicitur anima simplex: quia habet materiam, & formam spiritualem, & si hoc non esset, adhuc diceretur habere compositionem ratione eorum, quæ insunt ipsi: & nullum illorum est, quod ipsa est. Quod autem dicitur in Lib. de spir. & anima: quod ratione formæ similitudinis intelligendum est: non ratione compositionis: hoc est, secundum quod loquimur de compositione rerum corporalium, quam non habet anima: sed similitudinem dicitur habere propter virium multiplicitatem.

Boet. In libel. An Trinitas sit vnus Deus, vel tres Dii.

¶ Ad

¶ Ad aliud autem, quod obijcitur pro alia parte, respondendum est, quod compositum dicitur duobus modis. Vno enim modo dicitur compositum, quod ex pluribus simul in vnum positis subsistit. Alio modo dicitur compositum, quod alij vnitum est: vel quod habet in se dependentiam ab altero: ratione cuius suum esse est ab illo, siue ad illud: & intellectus dependet ab illo. Primo modo non dicitur omnis creatura composita, sed quædam simplex, quædam composita. Secundo modo quælibet est composita.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur. Dicendum est, quod non est simile de hac conditione [*vnum*] & de hac conditione [*simplex*] conditio enim vnius non repugnat creaturæ: conditio vero simplicis vno modo repugnat, vt nulla creatura simplex dicatur secundum illum modum, secundum quem dicitur simplex, quod non dependet causalitate ab aliquo: non enim possunt simul stare, quod sit creatum, & non dependeat causaliter ab aliquo.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod ratio simplicitatis vno modo potest communicari à creatura illo, sc. modo quo dicitur, hoc non est ex alio: sicut materia, & forma non est ex alio: licet sit ab alio: & hoc est, non esse ex alio tanquam ex parte compositi: secundum quem modum potest Deus communicare conditionem simplicitatis creaturæ: alio vero modo non potest: cum ex ratione creaturæ, alio modo dependeat secundum rationem, & secundum intellectum.

¶ Ad illud autem, quod dicit Boet. in suis Hebdo. Attendendum, propriè in his, quę simpliciter sunt, quod composita sunt ex quo est, & quod est. Nam si quod est, & quo est composita dicerentur: non sic intelligeretur: de quo plenius habebitur infra. ¶ Ad sequens dicendum est, quod accipiendo vno modo simplex in essentia, si diceretur creatura simplex: omni modo diceretur coæqualis ipsi creatori. Alio modo accipiendo, differt in creatore, & erit plurima dissimilitudo.

Mem. seq. art. 3. & 4.

MEMBRVM II.

De causa compositionis.

AD secundum, quo quæritur de causa compositionis. Circa quod diuersa quæruntur. Primo, vnde veniat compositio, secundum quod huiusmodi. Secundo, de causa compositionis, in qua sunt diuersa componentia. Tertio, de causa compositionis primæ. Quarto, vtrum ratio componibilis conueniat omni rei: aut à quadam re remoueatur.

ARTICVLVS I.

Vnde veniat compositio, secundum quod huiusmodi.

AD primum sic, compositio elongatur à primo, cum sit omnino simplex. Vnde Aug. *Est bonum solum simplex, & hoc solum est incommutabile: quod Deus est.* Item Ansel. *cuius partes excogitari non possunt, id in partes nullus intellectus dissoluere potest.* Si ergo Deus est compositus: aliquid Deo maius potest intelligi. Nam id, quod nec actu, nec intellectu potest dissolui: maius est, quam id, quod actu, & intellectu est dissolubile: cum ergo primum sit simplex: compositio non causabitur ab eo: eo quod habet similitudinem cum ipso. Si autem causatur à creatura: cum omnis creatura habeat aliquod genus compositionis: erit processus in infinitum: ex quo relinquitur, quod non erit aliqua causa compositionis. ¶ Item, dicit Aug. *creata ab ipso non sunt simplicia, & ob hoc mutabilia,* quod autem mutabile est (dicit Aug. *aliunde est, & aliunde est mutabile, est enim à Deo:* sed mutabile ex hoc, quod est de nihilo. Et contra Aduersarium legis & prophetarum*, *Propterea bona sunt, quia à summo bono facta sunt, mutabilia vero, quia non de ipso, sed de nihilo facta sunt.* Cum ergo mutabile sequitur compositum, & mutabilitas compositum erit, compositio rei non est, quia est ab aliquo, sed quia est ex nihilo.

Aug. 12. de Ciu. De. Cap. 1. Ansel.

Aug. 11. de Ciu Dei. Cap. 10. Idem in li. contra epistolam fundam. * Id est contra Epist. Manichæi. Tom. 6. * Alias, regulis.

¶ Contra dicitur in Lib. de * Articulis fidei: *cuiuslibet compositionis necesse est esse aliquam causam*: ex quo relinquitur, quod compositio causam habet.

¶ Item, omne compositum in eo, quod huiusmodi, partes habet, vel pars est, vt aliud fiat ex eo. Si ergo nihil seipsum componit: erit aliqua alia causa compositionis: ergo compositio causam habet, cum non seipsa subsistat.

RESOLVTIO.

Compositio inquantum huiusmodi, causam habet & materialem, & efficientem, formalem vero non aliam à seipsa.

¶ Respondendum est, quod compositionis aliqua causa est. Cum autem quærimus causam, aut quærimus efficientem, aut materialem. Dicendum, quod compositio habet causam efficientem, similiter & causam materialem: ex quibus fit compositio. Si vero quæratur causa formalis compositionis, inquantum est compositio: non dicetur habere causam formalem aliam à se, & quia compositio non pertinet ad perfectionem rei, sed ad imperfectionem: & ideo dicetur hic habere, quia ex nihilo processit in esse.

¶ Ad primo obiectum dicendum est, quod licet primum simplex sit, nihilominus tamen compositio est ab ipsa: Sed secundum hanc rationem non est per viam similitudinis: sed per viam dissimilitudinis.

¶ Ad secundo obiectum dicendum, quod alia ratio est quodammodo eius, quod est compositum, & eius, quod est mutabile. Nam mutabile respicit terminum à quo, & in quid: quod autem mutabile est, in nihil mutabile est, hoc est, quod ex nihilo: esse tamen mutabile est ab eo, quod est immutabile, compositum verò, quod est compositum, habet tum ex ratione componibilium, tum ex ratione componentis, & ita semper ad ens reducetur scilicet ad ens increatum ex parte primo componentis: ad ens creatum ex parte componibilis.

ARTICVLVS II.

An differentiæ compositionum ordinatæ sint ad inuicem?

AD secundum, quo quæritur de causa compositionis, in qua diuersa sunt componentia. Est enim compositio materiæ, & formæ: & iterum compositio generis, & differentiæ: Est & compositio ex partibus homogeneis: vt corpus ex corporibus, & linea ex lineis. Est iterum compositio ex substantia, & suis potentijs. Est compositio ex partibus integralibus, vt corpus humanum compositum est. Est iterum compositio ex partibus numeralibus, vt numerus dicitur compositus. His ergo existentibus differentijs; quæritur de causa istius multiplicis compositionis: si secundum prius, & posterius se habeant, aut simul: Quia si secundum prius & posterius ad vnam causam primam reducuntur. Si vero similiter procedunt ab vna causa, necesse erit ostendere rationem exitus diuersarum compositionum ab vna causa immediatè: Quod autem secundum prius, & posterius, videtur per hoc, quod compositio ex partibus numeralibus, cum sint actu entes, sit alijs compositionibus posterior: quæ non habens partes actu entes: sed potentia discretæ sunt partes adinuicem: quod non est in alijs generibus compositionum. Compositio etiam ex partibus integralibus ponit ante se illam, quæ est ex partibus continuis. Illa vero, quæ est ex partibus continuis ponit ante se illam, quæ est ex materia & forma: nam ipsæ partes continuæ ex materia, & forma sunt. Compositio vero eorum, quæ sunt ex materia & forma, ponit ante se illam, quæ est ex genere, & differentia: nam hæc habet formam, secundum seipsam acceptam: Hæc autem habet ante se illam, quæ est potentijs secundum vnum modum accipiendi: nam vnum genus multiplicem habet potentiam, siue vna res generis. Restat ergo, quod secundum prius, & posterius dicetur compositio, & ita videtur vna esse causa prima omnis compositionis:

¶ Contra, Quædam differentiæ compositionum sic se habent, vt vna excedat alteram, & excedatur ab ea, ergo non se habent secundum prius & posterius. V.g. Compositio, quæ est substantiæ cum potentijs, sequitur compōnem substantiæ, sed compositio substantiæ est ex materia & forma: ergo compō ex materia, & forma est prior compōne substātiæ cū potētijs. Sed (sicut habitū est prius) compō essentię cū potētijs ē prior compōne materię & formę: vna. n.

& eadem

& eadem forma est, multiplex in potentijs: ergo hæ diuisiones se habent secundum excedentia, & excessa.

¶ Præterea, cum sit multiplex differentia compositionis: sicut præhabitum est: vnaquæque autem compositio causetur mediatè, vel immediatè à prima causa, quæ Deus est, quæ necessitas est, quod tot sunt compositiones in genere, & in quo iudicatur virtus diuinæ essentiæ, cum in quibusdam videatur aliqua similitudo: in quibusdam verò aliqua dissimilitudo maxima? Præterea, in quibusdam videtur maior appropinquatio ad simplicitatem: in quibusdam maior elongatio à simplicitate.

RESOLVTIO.

Differentiæ compositionum ordinatæ sunt ad inuicem secundum prius, & posterius: ita vt prima sit compositio ex quo est, & quod est; deinde compositio ex partibus secundum definitionem, post compositio ex materia, & forma: inde compositio ex partibus hetrogeneis: postea compositio ex partibus integralibus; postremo compositio ex partibus numeralibus.

¶ Ad quod dicendum est, quod differentia compositionum ordinata est secundum prius, & posterius. Sed attendendum est, quod quædam dicitur compositio non propriè: vbi totum non trahit esse ab ipsis, quæ dicuntur partes: sed magis econuerso: sicut est, vbi est totum possibile: partes enim possibiles plus trahunt esse à toto, quam econuerso: similiter partes generis à genere: & propter hoc illa compositio, qua dicimus, partes possibiles componi, in simplicibus accipitur: quæ aliquando habent ordinem secundum prius, aliquando secundum posterius respectu aliorum compositorum. In alijs verò, quæ verè dicuntur compositiones, est ordo secundum prius & posterius simpliciter. Vnde ante compositum ex partibus numeralibus, est compositum ex partibus integralibus. Ante vero compositum ex partibus integralibus est compositum ex partibus vnius formæ, sc. homogeneorum. Ante verò compositum illud, est compositum ex materia, & forma. Ante vero illud compositum ex partibus secundum diffinitionem. Ante vero illud, est compositum ex quo est, & quod est: sed ista duo vltima genera compositionum inueniuntur in formis secundum seipsas acceptis: vbi non inuenitur compositio materiæ & formæ. Quod autem non verè dicatur compositio, vbi totum non trahit esse à partibus: patet ex ratione compositi. Compositum enim dicitur, quod ex aliquibus est: pars autem in plus extenditur: sed propriè in his dicitur. Dicitur enim pars à Philos. vno modo, in quo possibile est quantitatem diuidi quoquo modo, & secundum hunc modum dicuntur partes integrales, & partes quantitatiuæ. Alio vero modo dicitur pars, quod numerat totum, vel quod cum alio constituit aliud numeratum, & sic dicuntur duo pars trium, & vnitas pars trium: vnitas enim aliquoties sumpta reddit binarium: binarius autem cum vnitate ternarium constituit. Dicuntur etiam partes, in quæ diuiditur aliquid, sicut sunt forma, & materia, vtpote forma cupri, & materia cupri sunt partes speciei cupreæ. Dicuntur etiam pars illa, quæ sunt in diffinitione, vt genus est pars formæ, s. speciei. Præter hos etiam modos dicitur illud pars, in quo possibile est formam diuidi absque quantitate, secundum quod species dicuntur partes generis, non quia ex illis componatur. Similiter ad hunc modum possunt reduci partes virtuales: non enim ex illis componitur substantia eius, cuius sunt partes virtuales: vt substantiæ animæ non componitur ex memoria, intelligentia, & voluntate.

Philoso. 5. Metap. 30.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur primo, per iam dicta: respondendum est: sunt enim genera compositionum, quæ propriè dicuntur ordinata secundum prius, & posterius.

¶ Ad illud, quod secundo obijciebatur. Dicendum est, quod differentiæ compositionũ simpliciter sic accipi possunt: sunt enim quædam compositiones secundum rationem, quædam verò in esse simpliciter. Quæ verò sunt in esse simpliciter, aut habent partes actu discretas, aut quæ non sunt actu discretæ. Si sunt actu partes discretæ, dicetur compositio numeralis. Si verò partes non sunt actu discretæ: aut differunt in forma, aut non differunt. Si differunt in forma compositio integralis nuncupatur: sicut corpus humanum componitur ex partibus, & ea, quæ sunt huiusmodi: & istud genus compositionis sub se habet plura genera: de quibus non est ad præsens dicendum: sunt enim alterius negotij. Si a. partes nõ differũt in forma, hẽt cõsimilẽ formã, aut vnũ ẽ forma alteri⁹. Si habẽt cõsimilẽ formã, dñr partes homogeneę, siue quantitatiuæ à quibusdã: sicut corpus ex corporib⁹ componitur. Si autem vnum est forma alterius: dicetur compositio ex materia, & forma: quæ vocatur naturalis. Præter has sunt duę compositiones secundum rationem, vbi s. duo conueniunt ad constructionem vnius formæ: sicut sunt partes diffinitiuæ: aut vnum est forma alterius: sicut quo est forma est eius, quod est.

¶ Ad tertio obiectum dicendum, quod licet compositum, inquantum huiusmodi, dissimilitudinem habeat respectu primi, quod est omnino simplex: habet tamen similitudinem, secundum quod tenet rationem vnius: & secundum quod verè vnum est, magis appropinquat similitudine ad primum, secundum verò, quod minus verè vnum est; minus appropinquat, vel magis elongatur.

ARTICVLVS III.

An compositio ex quo est, & quod est, omni creaturæ conueniat? & an prior, & vniuersalior sit compositione ex materia, & forma, & quare?

Ad tertium, quo quæritur de causa compositionis primæ. Iam autem dictum est, quod prima compositio, & vniuersalior est illa, ex quo est, & quod est. Sicut .n. in omnino simplici idem est, quod est, & quo est: ita in cõpositis differt quod est, & quo est. Quærendum est ergo, vtrum conueniat omni creaturæ? Deinde si sit vniuersalior quam illa, quæ est exemplar, & forma, vel non. Tertio, secundum quam rationem accipiatur. ¶ Quod conueniat omni creaturæ, videtur: eo quod nullum creatum est sua essentia: nec à se habet esse, sed aliunde dependet: ergo in creatura omni, quod est, & quo est, differunt: ergo hæc compositio communis est omni creaturæ.

¶ Præterea, Ista duo simplex & compositum, diuidunt sufficienter ens: in Deo autem solo idem est, quod est, & quo est: ergo in omni alio non est idem, quod est, & quo est, sed omne, in quo non est idem, est compositum: ergo omnis creatura hoc genere compositionis est composita.

¶ Contra, si omnis creatura hoc genere compositionis est composita illud, quod dicitur, quod est, vel quo est, aut est creatura vel non. Si non est creatura vtrunque illorum, quod enim est creatura, aut non: neutrum autem creatum [illegible]: cum creator non sit materiale respectu alicuius compositionis, siue materia. Vnde August. *Infimum personæ [illegible] non potest esse Deus, quanto magis pars trinitatis esse non potest, [illegible] fortius, nec pars alicuius creaturæ*: cum pars sit possibilis ad totum: diuina verò natura respectu nullius est possibilis: vtrunque ergo est creatura. Sed dictum est omnem creaturam esse compositam, ex quo est, & quod est: ergo quo est, habet se vtrunque, & sic erit abire in infinitum: non ergo omnis creatura est composita. ¶ Item, vnitas creata aut est, quo ipsa vnitas est vnum, aut non. Si seipsa vnum est, ergo idem est, quo est, & quod est. Si enim seipsa vnum est, seipsa est, eo quod vnum, & esse conuertuntur. Si verò alia re à seipsa est vnum, aut illa res seipsa est vnum, aut non. Si non, seipsa est vnum, erit abire in infinitum. Si autem seipsa est vnum: cum omnis res vna, vnitate dicatur vna: illa res erit vnitas, & ita standum erit in primo, aut erit reflexio: sed reflexionem impossibile est esse in causis, ergo vnitas seipsa est vna: ergo idem est in ea quod est, & quo est: & ẽ creatura: ergo in aliqua creatura non est supradicta compositio.

Aug. in lib. de Tri.

RESOLVTIO.

Creatura quæuis ita compositione ex quo est, & quod est composita intelligatur: vt si in se eam non habeat, cum alio saltem ad constitutionem tertij veniat. Quæ compositio cum extendatur aliquo modo ad ea etiam, quæ sunt materia & forma, & adhuc maioris vnitionis sit, inter illa prior atq; vniuersalior censenda est, tum maxime quia sola diuina essentia in est.

¶ Ad quod dicendum est, quod omnis creatura dicitur compo-

composita isto genere compositionis vno duorum modorum; aut quia habet in se compositionem illam: aut quia cum alio venit ad componendum tertium. Quo enim est res, vnitur cum eo, quod est in illo, quod compositum est ex vtroque: & ita compositum dicetur ex alijs constitutum: vel ex quo cum alio aliquid constituitur. Sic ergo accipiendo compositum aliquo duorum modorum, dicetur omnis creatura composita. Si vero coartaretur ad intentionem compositi, secundum quod compositum dicitur ex alijs constitutum: non est omnis creatura, composita hoc genere compositionis. ¶ Et per hoc soluitur primo obiectum.

¶ Ad secundum obiectum de vnitate dicendum est, quod licet vnitas seipsa formaliter sit vnum, non tamen seipsa effectiue. Primum autem dicitur vere vnum, scil. Deus: quia nec formaliter, nec effectiue habet vnitatem ab alio. Vnitas vero creata effectiue habet à Deo: sed formaliter nō habet ab alio, quam à se: homo vero vel lapis ab alio habet effectiue, & formaliter. Cum ergo dicitur, in simplici idem est quo est, & quod est: si attendatur omnino simplex, oportet accipere quo est, secundum omne genus causæ. Si vero accipiatur simplex per extensionem, potest dici vnitas causa creata simplex quo ad genus causæ formalis: sed non simplex quo ad genus causæ efficientis: dependet enim secundum esse ab efficienti. ¶ Item cum materia, vel subiecto vnum constituit: & ita in vno genere dicetur esse simplex: in alio genere dicetur esse compositum.

¶ Sed adhuc potest obijci loquendo de vnitate, aut forma secundum seipsam accepta. Intelligatur enim forma creata non indigens materia, constat quod huiusmodi forma creata esset; aut ergo esset simplex, aut composita. Simplex omnino non potest esse, cum hoc soli Deo conueniat. Vnde August. Ideo *simplex dicitur: quia quod habet, hoc est.* Vnde natura dicitur simplex cui non sit aliquid habere, quod possit amittere: nec aliud sit habens, & id quod habetur: forma ergo ista cum non sit simplex, erit composita: ergo altero duorum modorum: sed non est ex alijs constituta; nec cum alio posita ad constituendum tertium: ergo non est composita. Propter hoc addendum est, vt compositum etiam dicatur, non tantum vno duorum supradictorum: sed cuius esse est dependens ab alio: & intellectus dependet ab intellectu: licet ergo partes non habeat: nec pars alterius sit: tamen nihilominus compositum dicetur propter sui dependentiam in esse, & intellectu. Accipiendo ergo compositum aliquo trium modorū, dicetur omnis creatura composita; nec alio modo potest intelligi.

Aug. in li. de ciuit. Dei.

¶ Et cum quæritur, si sit vniuersalior, quam illa, quæ ex materia, & forma, vel non: quod non videtur. Omne enim creatum habet in se, vt possit recipere ab alio; & vt possit agere in aliud: vel est illud, à quo est potentia recipiendi: vel est illud, à quo est potentia agendi. Sed quod habet in se vtrumque, est compositum ex his: ergo compositio ista extenditur intantum, quantum illa compositio, quæ est, ex quo est, & quod est: ergo sunt æqualis ambitus. ¶ Item, in Lib. de Articulis fidei: *materia, & forma est ex materia, & forma*: à quo vero est potentia recipiendi, est materia: à quo habet potentiam agendi, est forma: ergo esse creatum est materia, vel forma, vel compositum, & illarum compago: tria prorsus diuersa sunt, quæ in cuiuslibet substantiæ creatione exiguntur.

¶ Contra, non est idem, quod est materia, & quo est materia: similiter quod est forma, & quo est forma: ergo hæc compositio vniuersalior est illa. ¶ Præterea, compositio materiæ, & formæ ratione vtriusque componentiū: non videtur habere similitudinem in primo. In nulla enim re possimus dicere, idem est forma, & materia: sicut dicitur, idem est quo est, & quod est: cum ergo aliqua conuenientia sit in illa ratione cum primo: in hac vero non sit: prior erit compositio eius quod est, & à quo est: quam materiæ, & formæ.

¶ Ad quod obijcitur, quod conuenientior est, & prior naturaliter compositio ex quo est, & quod est; quam materiæ, & formæ: sicut iam dictum est.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet materia, & forma, & quod est ex his, extendatur ad omnia: nihilominus tamen alia compositio est vniuersalior: quia se extendit secundum quendam modum ad ea, quæ sunt materiæ, vel formæ, secundum quem modum non dicuntur materia, & forma esse in forma, vel esse in materia. Præterea, maioris vnitionis sunt quod est, & quo est; quam materia, & forma: vnum enim de altero dicitur: quod non est reperire in materia, & in forma: vt forma dicatur de materia, vel econuerso. Et cum quæritur, secundum quam rationem accipiatur dignitas istius compositionis. Ad quod dicendum, quod nulla alia compositio habet componentia in aliqua ratione, secundum quam possunt conuenire diuinæ essentiæ: sicut est in compositione materiæ, & formæ: neque enim materia, & forma conueniunt primo: similiter partes diffinitionis non conueniunt primo: & ita de aliis generibus compositionum, quæ magis elongantur: ergo hæc sola compositio nobilior est aliis compositionibus. In primo enim est reperire quod est, & quo est: licet non secundum rationem compositionis: descendit ergo ab identitate eius omnimoda, quod est, cum eo, quo est, differentia prima huius ab illo.

¶ Sed obijcitur, nonne quo est, prædicatur de eo, quod est: cum dicitur, homo est homo, aut lapis est lapis, & ita de alijs? ergo est ibi identitas: in quo ergo differt à primo? ¶ Item, sicut habetur in Lib. de Articulis fidei, *materia, & forma, & horum compositio sunt vestigium trinitatis.* Vnde dicitur ibidem: *in vna, eademque substantiæ creatione trinus effectus vno eodemque actore*, scilicet trinitate producitur. & post sequitur: *Licet in cuiuslibet substantiæ creatione materiam patri, formam filio, compositionem Spiritui S. posset ordo congruus destinare: tamen in qualibet trium vt totam trinitatem necesse est operari.* Ex quo videtur, quod illa compositio cum suis componentibus reperiatur in primo secundum exemplaritatem: sicut quo est, & quod est, cum sua compositione reperiuntur in primo secundum exemplaritatem.

¶ Ad primum dicendum, quod licet quo est, secundum quendam modum dictum, prædicetur de eo, quod est: & ita sit idem illi, quo est: tamen si secundum seipsum accipiatur: non est idem cum eo, quod est: vt homo non est sua humanitas. In diuinis autem quocumque modo accipiatur, hoc est idem, vt Deus est Deitas; & pater est paternitas: & ita de alijs.

¶ Ad secundum dicendum est, quod non est concedendum compositionem esse exemplariter in Deo; nec proprie repræsentat ibi trinitas: non enim dicimus materiam conuenire patri: nec forma procedit à materia, sicut filius procedit à patre. Vnde extraneo modo facta est illa adaptatio trinitatis creatæ ad increatam. Quod si etiam aliquo modo potest conuenire: non sic tamen, sicut de quo est, & quod est, & identitate horum. Nam hæc inueniuntur in ipsa substantia Dei secundum se accepta; non cointellectis personis: illa vero nullatenus dantur intelligi, nisi personis cointellectis: vt materia ratione potentiæ sit vestigium summæ potentiæ, quæ appropriatur patri: forma vero ratione actus sit vestigium summæ formæ: compositio vero ratione ordinis sit vestigium summæ bonitatis; sed ab expositoribus sacræ scripturæ, qui multas numerant trinitates in creaturis, quæ sunt vestigium summæ trinitatis, non inuenitur hæc trinitas pro vestigio.

ARTICVLVS IV.

An ratio componibilis conueniat omni rei?

AD quartum, quo quæritur, Vtrum ratio componibilis conueniat omni rei: aut ab aliqua remoueatur? Quod sic, videtur. Nulla enim res est, quæ non cedat in rationem alicuius vnius: sed vnum dicitur multipliciter: sed quod cedit in rationem vnius, cedit in rationem componibilis: ergo quælibet res cedit in rationem componibilis. ¶ Item, si illud, de quo minus videtur, cedit in rationem componibilis; & illud cedet, de quo magis videtur: sed magis conueniunt creatura, & creatura, quam creator, & creatura; sed creator, & creatura conueniunt ad rationem vnius; secundum quod Christus in duabus naturis est; ergo creatura, & creatura magis possunt conuenire, vt ex illis fiat vnum.

¶ Contra. duo, quæ sunt in actu, non erunt aliqua hora vnum in actu, actus enim diuidit, ergo ex substantijs, 4. Metaph 49.

quæ sunt in actu, non erit vna substantia: non ergo est, quodlibet cum quolibet componibili. ¶ ITEM, totum, & pars componuntur. sed quod est componibile, potest habere rationem partis: ergo quod habet rationem totius non est componibile. sed res completa habet rationem totius: ergo non est componibilis. ¶ ITEM, omne, à quo remouetur ratio possibilis ad aliud, remouetur ratio componibilis: sed diuina essentia est, à quo remouetur ratio possibilis ad aliud: ergo diuina essentia non est componibilis: non ergo omnis res est componibilis.

RESOLVTIO.

Ratio componibilis, ita scilicet, vt ex eo fiat aliquid, non omni rei conuenit: siquidem nonnullæ res sunt ita in se completæ, vt ad vlterius complementum nullatenus ordinentur.

¶ AD quod dicendum, quod non conuenit omni rei ratio componibilis, vt ex eo fiat aliquid: & hoc maxime remouetur à diuina essentia, quæ est completissima. Nec est contrarium, quod Christus est vna persona in duabus naturis: non enim ex illis duabus naturis constituitur persona: nec diuina natura possibilis est ad illam personam; sed humana natura, quæ indigens erat perfectione, possibilis erat: neutra tamen erat pars: persona enim in se simplex est, & completa. Et si obijciatur in contrarium, quod conueniunt in illa. Respondendum, quod hoc non est ad eum constituendum: sed quæ prius erat in vna natura; deinceps subsistere in duabus naturis. Vnde à Ioan. Damasc. dicitur compositum.

¶ AD aliud dicendum, quod licet vnum dicatur multis modis: non tamen ex quibuscunque fit quodcunque: excepto ergo vno, quod vniuersum dicitur: non est quælibet creatura ordinata ad compositionem alicuius vnius. Creaturæ enim quæ sunt in se completæ actu, non ordinantur ad vlterius complementum: nihilominus tamen relatæ ad creatorem, possibilitatem habent, vt de eis fiat, quod vult.

QVÆSTIO XIII.

De mutabilitate creaturarum.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho 1. p q 9. ar. 1. 2. & q. 44 art. 2. & q. 45. art. S. Bon. in 2. d 1 q 2. Scot. ibid. & in 1. d. 1. q. 7. & in Quotl. q. 10.

PROCEDENDVM est ad quæstionem de Mutabilitate. In qua primo quærendum; vtrum mutatio dicatur æquiuoce, an vniuoce de primo exitu in esse de non esse, quæ dicitur creatio: & de exitu consequenti, qui dicitur conditio: prout res exit de potentia in actum. Secundo, vtrum omnis creatura sit mutabilis: aut quædam mutabilis, quædam immutabilis. Tertio, vtrum creatura sit mutabilis in non esse omnino de esse: sicut de non esse in esse. Quarto, vtrum Deus posset conferre creaturæ omnimodam immutabilitatem; videlicet, vt esset immutabilis secundum naturam.

MEMBRVM I.

An mutatio, vel mutabilitas vniuoce dicatur?

CIRCA primum sic: mutatio, quæ est de omnino non esse in esse, nihil habet commune: mutatio vero, quæ est de esse in non esse; habet aliquid commune: secundum quod dicitur, generatio vnius est corruptio alterius: secundum quod dicitur, quod non omnino recedit in non esse: ergo mutatio non dicitur secundū vnam rationem de exitu primo, & exitu consequenti. (1 de Gener 17. & 2. col. 25.)

¶ QVOD autem dicatur ratione primi exitus mutatio, sic arguitur: oppositio est inter creaturam, & creatorem, inquantum huiusmodi: sed creator inquantum huiusmodi, est immutabilis: creatura ergo inquantum creatura, est mutabilis: sed creatura, secundum quod huiusmodi dicit exitum de non esse in esse: ergo secundum hoc est mutabilis: vtroque ergo modo dicitur mutabilis per oppositionem ad creatorem; qui nec mutatur de non esse in esse, nec de esse in non esse.

¶ CONTRA, quæ est causa rerum, vt sint post non esse, ea est causa rerum, vt sint post esse: sicut ergo eadem est causa: ita idem effectus; sed ille effectus est mutatio, siue variatio: ergo variatio, siue mutatio dicetur vniuoce. ¶ ITEM, licet generatio sit mutatio de non esse in esse: & corruptio sit de esse in non esse: nihilominus tamen mutatio dicitur vniuoce de generatione, & corruptione, ergo à simili dicetur de primo exitu, & consequenti.

RESOLVTIO.

Mutatio generaliter sumpta, vniuoce dicitur: non sic autem si proprie accipiatur.

¶ AD hoc respondendum, quod mutatio proprie dicta, fundatur super aliquod subiectum: quod mutari dicitur: extenditur tamen, vt dicatur mutatio à non subiecto in subiectum: vel à subiecto in non subiectum; vel à subiecto in subiectum: large sumpto non subiecto, ad non subiectum negatiue sumptum, & priuatiue: & secundum hunc modum dicetur mutatio in exitu primo. Sed attendendum est, quod mutatio de non esse in esse, respicit, in quod mutatur principaliter: mutatio vero de esse in non esse respicit, à quo sit mutatio: Non negatur ergo, quin sumpta generali ratione dicatur vniuoce de primo exitu, & consequenti: proprie vero sumpta non dicitur vniuoce.

MEMBRVM II.

An omnis creatura mutabilis sit?

AD secundum, quo quæritur, An omnis creatura sit mutabilis; aut quædam immutabilis: quædam non? Quod omnis sit mutabilis, arguitur ex hoc: quod omnis creatura est de nihilo: sicut dicit August. *Omnia, quæ facta sunt; mutabilia sunt: quia de nihilo facta sunt.* ¶ ITEM, quod recipit maius, & minus, mutabile est: sed creatura recipit maius, & minus in esse respectu bene esse: ergo est mutabilis. ¶ ITEM, in Quæstionibus ve. & noui test. Quod vicibus temporum ministratur: & ita vt ipsa tempora aliquando non seruent sua officia: quomodo appellatur illud æternum? Ex quo re vera vult innuere: quod aliquam mutationem recipiunt in tempore, propter quam non debent dici res æternæ. (Aug. 12. de ciu. c. Dei.)

¶ QVOD autem quædam sit mutabilis, quædam immutabilis; accipitur ex hoc: quod illud, quod est immortale, est immutabile: aliqua vero res creata est immortalis: ergo est im̄utabilis. ¶ PRÆTEREA, vniuersale est conditio creaturæ; sed conditio vniuersalis est esse incorruptibile: ergo est im̄utabile: per consequens ergo aliqua creatura est im̄utabilis. ¶ ITEM, Greg. *Angelus in statu suo immutabilis permanet*: ergo aliqua creatura est immutabilis. (Gregor.) ¶ FORTE dicetur, quod immutabilis est aliqua creatura, quo ad esse: sed mutabilis quo ad bene esse: & ita aliquo modo mutabilis, aliquo mō immutabilis, videlicet, qm̄ ad esse: quod videtur per hoc, q dicit Dam. quorum esse à versione incipit, hæc versioni subiecta sunt, vel corrupta, vel secundum electionem alterata: intellectualia ergo angelos, scilicet & animas secundum electionem: & eam, quæ est in bono, perfectionem; & eam, quæ est ex bono, abscessionem intensam: reliqua vero secundum generationem, & corruptionem; & eam, quæ est secundum qualitatem, transmutationem, & secundū quantitatem, & secundum localem motum. Ex quo videtur, quod intellectualem creaturam immutabilem dicat secundum esse: mutabilem secundum bene esse, & male. ¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicit alibi in eodem Lib. Angelus immutabilis est: non natura, sed gratia. Et Plato loquens de superioribus corporibus dicit. *Dij Deorum, quorum opifex ego sum; natura quidem dissolubiles, me autem volente indissolubiles*: ergo huiusmodi creaturæ mutabiles sunt natura, etiam quo ad esse. (Plato.) ¶ ITEM, vniuersum creatura est, aut ergo mutabilis, aut immutabilis. Si ergo immutabilis quo ad esse: ergo non omnis creatura mutabilis. Si vero mutabilis; cum potentia non sit infinita rei finitæ: aliquando mutabitur quo ad esse: ergo aliquando vniuersum desinit esse. ¶ ITEM, beatitudo est quædam res creata, secundum quod supponit formam hominis beati: aut ergo est mutabilis, aut immutabilis. Immutabilis non potest esse; cum sit creatura: mutabilis non potest esse, cum sit beatitudo: beatitudo autem est status omnium bonorum aggregatione perfectus:

sed iste status nō potest esse cum mutabilitate: ergo non est mutabilis: non ergo omnis creatura mutatur.

RESOLVTIO.

Creatura quaque (inquantum huiusmodi) nulla est, qua mutabilitatis omnino expers sit.

¶ Ad quod dicendum, quod omnis creatura inquantum huiusmodi, mutabilis est secundum aliquem modum. Nam si obijciatur de ipsa mutabilitate; cum sit creatura, vtrum mutabilis sit? Respondendum est, quod aliter dicitur res mutabilis, quæ mutatur; & aliter ipsa mutabilitas. Nam mutabilitas dicitur mutabilis tanquam causa formalis rei, quæ mutatur: creatura vero alia, quæ simpliciter dicitur creatura, mutabilis dicitur secundum seipsam. Et si dicatur, mutabilitas non mutabilis, secundum quendam modum; eo quod mutationem non participat in generatione formæ (tunc enim esset processus in infinitum) non tamen immutabilis dicitur, sicut diuina essentia dicitur immutabilis. Diuina enim essentia dicitur immutabilis contra hoc, quod mutatio mutabilis dicitur: & mutabilitas mutabilis: & res, quæ secundum seipsam mutatur, mutabilis.

¶ Ad obiectum autem primum, quo ostenditur, quod quædam creatura est immutabilis, quia immortalis est. Respondendum est, quod immortale non tantum remouet mutationem quo ad esse; sed quo ad esse bene, vel male: vnde licet aliqua creatura dicatur immortalis: quia mori non potest: non tamen dicitur immutabilis: sunt enim alia genera mutationum.

¶ Ad illud vero, quod objicitur de vniuersali, in quo notatur conditio creaturæ ex hoc, quod dicitur incorruptibile. Dicendum est, quod incorruptibile dicitur: eo quod ex ratione huius vniuersalis nō habet causam corruptionis per se; sed secundum accidens: secundum hoc autem etsi nō dicatur mutabile: nihilominus tamen secundum communem conditionem creatura ipsa est mutabilis de se, nisi contineatur à creatore in esse. Vnde August. *Creatoris potentia, & omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species: omnisq; creatura cōcideret.* Ex quo accipitur, quod si aliqua creatura dicitur immutabilis: non est de se, sed de voluntate, & dono conditoris. (Aug. super Genes. ad literam.)

¶ Ad tertium dicendū; quod licet angelus sit immutabilis secundum statum gratiæ, vel gloriæ: tamen est mutabilis in eo, quod est ex nihilo. Vnde Gregorius super illud. *Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles* &c. Angelus, & si in statu suo immutabilis permanet: in hoc tamen, quod creatura est, vicissitudinem mutabilitatis habet: & ita stabilis non est. Si enim natura mutabilis non esset, cum esset bene condita, in nullis cecidisset: Et hoc est, quod dicit Ioan. Damasc. quod angelus est immortalis non natura, sed gratia. (Gregor. iob. 4.) (Damas.)

¶ Ad quartum, scilicet vtrum angelus mutabilis sit quo ad esse: & similiter de corporibus cœlestibus? Dicendum, quod de se non habent immutabilitatem quo ad esse: sed de bonitate creatoris: qui cuidam creaturæ dat similitudinem suæ immutabilitatis: sicut illi creaturæ congruit; secundum quod non mutatur de esse in non esse: licet possibilis sit ex eo, quia est de nihilo.

¶ Ad quintum dicendum de eo, quod objicitur de vniuerso: quod aliter dicitur vniuersum mutabile: & aliter aliqua pars vniuersi: dicitur enim vniuersum mutabile ratione quarundam suarum partium. Vnde August. *Inconueniens est mundum æternum dicere, quem cum videmus passioni subiectum; & per singula senescere; deficere credemus, & finiri:* dicitur etiam vniuersum mutabile: quia de nihilo factum est: & ratione huius dicitur consimiliter mutabile, sicut & singulæ creaturæ: Dicitur autem immutabile, eo quod non mutabitur ratione nobilium creaturarum in non esse, ex dispositione conditoris. (August. in quæstion. veteris testamenti.)

¶ Ad sextum dicendum, scilicet de beatitudine creata: quod beatitudo creata immutabilis dicitur, eo quod non mutabitur: non autem dicitur immutabilis, eo quod non possit in eo, quod creatura, mutari: nec mutabile ex ratione creaturæ opponitur beatitudini: licet enim beatitudo sit status omnium bonorum congregatione perfectus: tamen beatitudo creata non habet omne bonum: nisi secundum quod ei congruit. vnde non habet immutabilitatem eo modo, quo Deus dicitur immutabilis. Dicetur ergo beatitudo creata status omnium bonorum sufficientium congregatione perfectus: & sic ei non opponitur mutabilitas, quæ congruit creaturæ: sed mutabilitas, quæ est defectus bonorum sufficientium, habet oppositionem respectu beatitudinis.

¶ Et si objiciatur, quod mutabile dicit possibilitatem: possibilitas autem non est infinita: & ita aliquando reducetur ad actum: si vero reducitur ad actum, non fuit beatitudo: cum beatitudo sit vita æterna: quod autem æternum est, non deficiet. Dicendum est, quod possibilitas illa infinita dicitur, quo ad hoc, quod non reducetur in suum actum: eo quod ponit in se æternitatem boni; quę opponitur defectui boni, siue bono deficienti. Nec est mirum, si possibilitas sit infinita: cum sit rei infinitæ duratione: quod autem non est reducibilis in actum: non est tantum ex ipsa, sed ex voluntate conditoris.

MEMBRVM III.

An sicut creatura mutabilis est de omnino non esse in esse: ita mutabilis sit de esse in non esse?

AD TERTIVM, quo quæritur. Vtrum creatura sit mutabilis in non esse omnino de esse: sicut de non esse in esse: Quam quæstionem mouet August. & relinquit eam indeterminatam. Quod non, videtur sic: principij dantis esse, est conseruare esse: ergo quantum est de ipso, non cedit in omnino nihil. ¶ Item, natura ipsius rei conditæ tendit ad conseruationem sui: & si non potest se saluare in vno solo, habet virtutem conseruandi se in alio: ergo quantum est de intentione naturæ, non perit. ¶ Item, res, quæ habet contrarium ex intentione contrarij, non omnino cedit in nihil: quia intentio contrarij est conuertere in suam formam: ex nulla ergo parte est, quod omnino cedat in nō ens. ¶ Item, si res aliqua cedit in non ens; aut illa est spiritualis, aut corporalis. Spiritualis non est; cum sit potentior corporali; & similior primo; cuius est res conditas seruare. Corporalis vero non est: quia aut est simplex, vt pote principium rerum corporalium: aut composita ex illis. Composita vero non omnino cedit in non ens: (compositum enim omne dissolubile est, & resolubile in sua principia) Simplex non erit in illo genere; quia simplicia, aut sunt corpora superiora cælestia: & hæc etiam non cedunt in non ens; quia non corrumpuntur: aut vero si sunt elementa, non omnino cedunt in non ens: quia adinuicem generantur, & vnius corruptio est alterius generatio: nulla ergo creatura corporalis secedit in non ens omnino. ¶ Forte dicetur, quod hoc verum est in substantiis: sed in formis accidentibus non sic. (Aug. in l. contra aduersarium legis & prophetarū.)

¶ Contra quod est, quod formæ accidentales si hn̄t contrarietatem adinuicē, fit adinuicē transmutatio: & ita si vna desinit esse in substātia, alia fit in substantia. ¶ Præterea, formæ accidētales creātur à principiis in substātia: sed principia in substantia substantiæ sunt: ergo creantur à substantiis. Si ergo principia, quæ sunt substantiæ, non omnino cedunt in non ens: nec formæ accidentales, quæ ex illis creantur. ¶ Præterea, si dicatur, quod licet non secedant in non ens, omnino possunt tamen secedere: reducatur hæc potentia in actu, si reducitur: non magis reducitur, quam cum mundus innouabitur: sed innouatio mundi erit præcedente igne, qui comburet faciem mundi: sed sic est de natura ignis, quod conuertit ea, quæ conuertuntur in se: ergo omnia, quæ non commanebunt in sua forma post combustionem, permanebunt in specie ignis; vel resoluentur in sua principia: sed sua principia permanebunt in sua essentia: *præterit enim figura huius mundi*, sed non substantia: sicut habetur 1. Corinth. 7. ¶ Item, si omne, quod procedit de non esse in esse; ex hac ratione postea de esse verteretur in non esse, qua ratione vnum verteretur, & aliud verteretur: sed quædam sunt, quæ non vertuntur in esse; nec vertentur: immo corporalia sunt: ergo consimili ratione, & alia non vertentur in non esse omnino. (1. Cor. 7.)

¶ Contra, dicitur ad Heb. 1. super illud Psalm. 101. *Ipsi peribunt: tu autem permanes; & omnes sicut vestimentum veterascent* &c. veterascere dicitur illud; quod more vestis paulatim consumitur. Si ergo consumitur hoc modo, tandem

ſed omne, quod eſt à primo, vel eſt à ſeipſo (ſicut filius de ſubſtantia patris, & ſpiritusſancti) vel eſt de nihilo: & quod eſt de nihilo, eſt creatura; & ita mutabilis: cum ergo impoſſibile ſit de ſua ſubſtantia creaturam facere, ſed de nihilo: ergo impoſſibile eſt creaturæ ex natura ſua conferre immutabilitatem.

RESOLVTIO.

Poſſet quidem Deus facere creaturam omnino immutabilem, remouendo actum; id eſt, quod actu non mutetur: at non remouendo potentiam: hoc eſt, quin mutabilis ſit, quantum de ſe eſt: quia non poteſt de ſua ſubſtantia aliquem producere, à ſe in ſubſtantia diuerſum.

¶ Ad quod dicendum. Immutabilitas dicitur duobus modis: vel remouendo actum, vel remouendo potentiam. Sed remouendo actum; non eſt impoſſibile creaturam eſſe immutabilem: & potuiſſet creator contuliſſe creaturæ. Secundum autem quod remouet potentiam, ſiue poſſibilitatem: ſicut non poteſt de ſua ſubſtantia ſibi diuerſum in ſubſtantia producere: ſic non poteſt conferre incommutabilitatem ex natura rei, exiſtentis ex nihilo, non quia non poſſit omnipotens dare immutabilitatem naturæ: ſed non difficeri in ſubſtantia à ſe: filius enim eſt incommutabilis natura; quemadmodum pater: & ſimiliter S.S. creatura vero ex hoc quod creatura, nam mutabilis eſt: nõ ergo eſt capax immutabilitatis per naturam: incommutabilitas enim ſecundum naturam idem eſt quod ſubſtantia, ſecundum quod eſt Dei; & hæc eſt impoſſibilis creaturæ.

¶ Ad obiectum autem dicendum: quod non eſt ſimile de incommutabilitate ex gratia, & de illa, quæ eſt ex natura. Nam quod dico, ex natura; ad creatum inquantum creatũ refertur: vt ex ſe eſt mutabile. Quod autem dicitur, ex gratia: refertur ad donum conditoris naturæ ſuperadditum. Et ideo dicit Damaſ. quod angelus immortalis eſt, non natura, ſed gratia. Et ſi dicatur: quod ſicut æternitas; qua in creatur angelus, & anima rationalis: eſt ei naturalis: ita poſſet eſſe de immutabilitate, quod poſſet eſſe naturalis. Reſpondendum, quod æternitas illis attribuitur: non quia non poſſint habere finem: ſed quia non habebunt finem, nec aliquid eſt actiuum in illas res: per cuius potentiam poſſint deſtrui; quod aliud ſit à ſubſtantia gubernatoris. Incommutabilitas vero ſic non ſe habet: eſt enim quædam incommutabilitas liberi arbitrij, quæ ſi eſſet in illis creaturis, non mererentur bonum, aut malum. Vnde poſita libertate ad merendum, quæ conuenit creaturæ rationali, * congruit mutabilitas; & ex alia parte (ſicut dictum eſt) æternitas: & ita ſecundum eundem modum ſunt æternitas, & incommutabilitas: prout vtrunque eſt proprium Dei.

Damaſ.

* Alias, cõtingit.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur, quod primus ſtatus, & vltimus ſunt indifferentes potentiæ diuinæ. Reſpondendum, quod licet ex parte potentiæ ſit in differentia: ex parte tamen creaturæ ad ipſam eſt differentia. Quod enim habet ex natura, minus perfectum eſt: quam quod habet ex dono naturæ ſupperaddito. Si vero coniungeret hæc duo à principio: dicerentur ſecundum quendam modum naturalia, quæ modo dicuntur gratuita: & ſecundum hunc modum poſſet immutabilitas naturalis (ſed ex participatione) creaturæ conuenire.

QVÆSTIO XIV.

De æternitate mundi.

In tria Membra, & duos articulos diuiſa.

D. Tho. 1. part. q. 46. S Bon. in 2. d. 1. Sco. ibid. & in Quodl. q. vlt.

Transevndvm eſt ad conſiderationem de æternitate, vel de temporalitate mundi. Circa quod hæc ſunt quærenda. Primo, vtrum æternitas conueniat mundo, aut temporalitas. Secundo, quæritur de coæuitate mundi; & eorum, quæ erant primo creata in mundo. Tertio, ſi mundus incepit eſſe, ſecundum quod philoſophi loquuntur de verbo incipiendi.

* * *

MEMBRVM I.

An mundus æternus, vel temporalis ſit?

Circa primum ſic: bonitas Dei nunquam vacua credenda eſt: ſed ab æterno fuit bonitas: ergo ab æterno fuit mundus. ¶ Item, voluntas Dei æterna eſt; ſed ſi noluit ab æterno facere mundum, & voluit facere mundum poſt: ergo aliqua mutatio videtur eſſe voluntatis: ſicut eſt in voluntate noſtra: ſi volumus nos facere aliquid nunc: & noluimus prius facere, mutabilis videtur voluntas noſtra: ergo cum voluntas eius ſit immutabilis: non aliquando voluit facere mundum, & aliquando non. ¶ Item, eſſentia Dei fuit æterna: & voluntas eius ſimiliter: aut ergo non ſtatim mundum fecit; aut fecit. Si ſtatim ab æterno fuit mundus; habetur propoſitum: ſi vero non ſtatim: ergo prior erat vacatio, quam operatio: ergo potentia diuina exiuit ab ocio in actum: ſed potentia, quæ exit ab ocio in actum, mutabilis eſt: ergo potentia diuina mutabilis eſt: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo mundus fuit ab æterno. ¶ Item, creatio eſt actio, qua Deus fecit mundum: vel alio nomine nuncupetur. Aut ergo Deus fuit ſemper in illa actione: aut non ſemper. Si ſemper fuit illa actio in Deo: ſemper fuit mundus: & ita ab æterno. Si non ſemper, in aliquo inſtanti erat dicere, quod actio illa infuit, & ante non infuerat: cum ergo de nõ agente tunc fieret agens: tunc mutatio erat: ſed Deus eſt immutabilis: ergo & eius actio immutabilis: ergo ſemper erat mundus. ¶ Item, Auguſt. *Sicut Dominum Deum aliquando Dominum non fuiſſe dicere non audeo: ita hominem nunquam à natura fuiſſe; & in quodam tempore primum hominem creatum fuiſſe dubitare non debeo*: ergo Deus ab æterno fuit Dominus Deus: Sed dominus non dicitur, niſi alicuius rei dominus: ſed non eſt aliqua res, cuius dicatur dominus, niſi aut mundi, aut alicuius partis mundi: ergo vel mundus, vel aliqua pars erat ab æterno: reſpectu cuius dominus diceretur. ¶ Item, ſit [a] nunc, in quo prius erat mundus: aut illud nunc præceſſit aliud nunc, aut non; ſi aliud præceſſit, nunc, cum nunc, & nunc non ſint ſine variatione aliqua, variatio præceſſit mundum: ſed nulla variatio præceſſit mundum: ergo ante illud non erat aliud nunc: ergo erat nunc æternitatis: ergo mundus fuit ab æterno. ¶ Item, aut Deus potuit facere mundum ab æterno: aut voluit ab æterno, & non potuit: aut potuit ab æterno, & non voluit. Si ab æterno voluit, & potuit: habetur propoſitum. Si vero voluit, & non potuit, impotens fuit: quod eſt impoſſibile. Si vero potuit, & noluit; non ſumma bonitas in eo fuit: quod iterum eſt inconueniens: reſtat ergo, quod mundus ab æterno fuit. ¶ Item, Deus ab æterno fuit ratione potentiæ, ſapientiæ, & voluntatis: omnimoda cauſa ipſius mundi, ſiue creaturæ: ergo cum cauſa poſita, ponatur effectus, ab æterno fuit mundus, ſiue creatura. ¶ Item, creatura, ſiue mundus non ſemper fuit: ergo mutatione aliqua proceſſit in eſſe: ſed illa mutatio non eſt niſi creatura: ergo ad mundum pertinet: ergo non ſemper fuit: mutatione ergo proceſſit in eſſe: & ſic in infinitum: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo mundus ſemper fuit. ¶ Item mundus archetypus eſt, ad cuius ſimilitudinem factus eſt mundus ſenſibilis: mundus autem archetypus plenus eſt rationibus æternis, quæ ſufficiunt ad rationem creaturarum: ergo mundus ſenſibilis, qui eſt creatus, ſufficientem habet cauſam ab æterno: cum mundus archetypus ſit æternus: ergo mundus ſenſibilis eſt æternus. ¶ Item, aliquis procedit ab æterno, qui eſt conſubſtantialis illi, à quo procedit: ſicut filius procedit à patre: & aliquid procedit à re æterna, quod eſt diſtinctum in ſubſtantia ab illa, & non eſt æternum; ſicut generabilia, & corporalia; cum ergo hæc duo extrema ſint in vniuerſo; & in ordine vniuerſi nihil eſt incompletum; duo autem contingit aſſignare media; vnũ, quod eſt illi conſimile, & non æternum; aliud, quod eſt diuerſum, & æternum; erunt ergo illa duo media, ſi non obuiet eis impoſſibilitas rationis; ſed vnum eſt, quod differt in ſubſtantia à primo; & ſic æternum. Si ergo non obuiet impoſſibilitas rationis, erit aliquid huiuſmodi; ſed tale non eſt niſi mundus, aut creatura aliqua mũdi; ergo mundus, vel aliqua creatura mundi eſt æterna; &

Aug. de ciuit Dei. Li 12. cap. 15 in primis verbis Tomo. 5.

tis: ex hoc non sequitur variatio. Ordo enim iste, qui est æternitatis ad æuum, vel tempus, non ponit variationem in partibus temporis: sed tantum quod variatio temporis sequitur, vel concomitatur æternitatem.

¶ Ad septimum dicendum, quod hæc determinatio [*ab æterno*] potest determinare hæc verba, potuit, voluit: & hoc verum est, quod ab æterno potuit; & voluit: nec tamen mundus ab æterno fuit: quia voluntas fuit faciendi rem tēporalem in tempore, vel cum tempore. Si vero determinatio illa determinat hoc verbum, facere; oppositio notatur. Nam quod primo facit: de non esse in esse producit: quod autem est æternum, non est post non esse: & ideo inter verbum, & suam determinationem notatur oppositio. Vnde respectu eius sic dici, nec est voluntas, nec est potentia.

¶ Ad octauum dicendum, quod licet causa ab æterno fuit sufficiens facere: non tamen fuit causa ad faciendum ab æterno, siue æternaliter, sed ad facere in tempore, siue æuo: & ideo non sequitur, quod mundus sit æternus. Et si obijciatur hac argumentatione. Quidquid voluit Deus, fecit: sed Deus voluit facere mundum: ergo fecit: sed minor est ab æterno vera: ergo conclusio. Dicendum quod non sequitur; nam maior propositio complectitur, quod est æternum, & quod est temporale. Vnde sensus est; quodcunque voluit facere, in tempore fecit: & loquitur de factura mundi: propterea conclusio potest sequi, quæ respicit tempus: sicut ex vna propositione de necessario, & altera de contingenti sequitur propositio de contingenti: & similiter de inesse, vt nunc.

Ita Arist & Auer. decernūt. 1. Prio 15. tametsi Theophrast. Eudemus atque Themistius aliter sentire videantur quib. adhærere videtur Scot. in 1. d.3.q 4 & d.5.q. 1. & in 2.d. 21 q6. vnica: & in 4. d.12.q.2.& in Quotl, q 5 art.1. & q 14. art. 1.

¶ Ad nonum dicendum, quod mundus non processit in esse mutationem præambula, sed concomitante; nec tamen sine mutatione: & ideo non sequitur, quod immutabilis, siue æternus sit mundus. Illa vero mutatio non habuit mutationem ante se: nec tamen & ipse immutabilis est, vel æterna.

¶ Ad decimum dicendum est: quod licet archetypus sit sufficiens rerum exemplar conditarum, & habeat in se ideas, siue rationes æternas: idea vero, vel ratio dicatur ad id, cuius est ratio: non tamen mundus cum suis contentis est ab æterno: quia idea & idea & exemplar, & exemplatum; & ratio, & id cuius est ratio non sic dicuntur adinuicem, sicut relatiua, quæ simul sunt: vt pater non est sine filio, & econuerso: idea vero est, licet non sit ideatum: & exemplar, licet non sit exemplatum, sed econuerso.

¶ Ad vndecimum dicendum, quod non est accipere medium huius inter ista duo extrema: illud enim medium impossibile est in se, scilicet quod sit differens à substantia diuina, vel æternum: ex hoc enim quod est differens à substantia diuina, cum nō sint duo principia, ponitur esse creatum: & ita ponitur de non esse procedere: & ita est habens principium durationis: non ergo æternum. Restat ergo, quod inter illa duo extrema nō est accipere huiusmodi medium ad completionem vniuersi.

¶ Ad duodecimum dicendum est, quod manifestatio diuinæ bonitatis est duplex: vel quo ad magnitudinem potentiæ; vel quo ad multitudinem in effectibus: Quo ad magnitudinem potentiæ manifestauit se Deus pater ab æterno, generando filium, qui est substantialis, & coæternus, & coomnipotens: similiter est in processione S.S. Vnde Augustinus in Libr. Q. Noui testamen. circa principium. Deus pater, cum ea, quæ non erant, voluisset existere: & maiestati suæ non hoc condignum opus esse sciret; prius de se filiū generauit, in quo ipse videretur, qui nihil ab eo distaret, vt magnitudini suæ congruus responderet effectus. Quo ad multiplicationem in effectibus manifestatur diuina bonitas: sed non ab effectibus ab æterno: non enim creatura potuit esse æqualis creatori: sicut habetur super illud. *Confortata est, & non potero ad eam.* Psal. 33.

¶ Ad tredecimum dicendum, quod diuina potentia non indiget expergefactione: similiter nec diuina voluntas: eo quod æternaliter se habet nec habet aliquod prohibens: nec semper operatur quodcunque. Non enim æterna voluntas fuit ad operandum, nisi in tempore determinato: & hoc ordinat ipsa diuina sapientia, quæ disponit vnumquodque, sicut congruit: prima vero, quæ operata est, in nunc temporis determinantur: nec ibi est assignare rationem, quare non prius: cum prius ibi non dicat, nisi æternitatem, prout est prior tempore. Prius enim dicitur alio modo multipliciter, sicut Augustinus. *Dicitur enim vno modo prius ordine: sicut sonus prior est cantu. Alio modo tempore, sicut flos prior est fructu. Alio modo electione, siue dignitate: sicut fructus prior flore. Quarto modo prius æternitate; sicut Deus prior omni creatura.* August. in Confess. Cap.29. Tom.1. Si vero quæritur causa, propter quam Deus voluit tunc facere, quod fecit: Dicendum est, quod eius, quod est tunc facere, non est alia causa: nisi illa, quæ est eius, quod est facere mundum, scilicet voluntas. Cum facto enim est ipsum nunc, in quo fit: nec aliam habet causam.

¶ Ad vltimum dicendum, quod propositio illa non intelligitur de Deo, qui est causa prima, & immutabilis: & facit res mutabiles: sed de causa, quæ appropriatur respectu sui causati.

¶ Et hoc membrum habet duos articulos. Primo quæritur, vtrum mundus sit æternus ex parte finis: secundo quæritur, vtrum mundus sit æternus per priuationem principij ratione motus.

ARTICVLVS II.

An mundus sit æternus, ex parte finis?

Ad primvm, quo quæritur de mundo, Vtrum æternus sit ex parte finis. Et hoc potest dupliciter attendi; vel vt iste mundus finem non habeat; vel quod post istum mundum sit alius mundus; & ita semper fiet renouatio. Et hanc quæstio mouet August. Circa quod sic dicitur *Cœlum, & terra transibunt.* Et. *Mundus transit, & concupiscentia eius.* Aug 12. super Genes. ad litt. Matt.24. 1.Ioan.2. Ex quibus colligunt mundum esse defecturum. ¶ Item, ex partibus mundi hoc colligunt; sicut enim est in ætate hominis, quod diminuitur virtus. (Vnde minoris ætatis sunt modo homines, quam à principio mundi) multofortius in alijs rebus; ergo debilitatur virtus in partibus mundi; ergo & in ipso mundo, qui ex eis componitur. ¶ Item, in Apocryphis Esdræ. *Mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc viuem est: iam senectuti appropinquat: Et respondit ad me, & dixit mihi. Quare quos peperisti, nunc non sint similes eis, quos peperisti ante: sed minores in statura? Et dicet tibi: sunt qui in iuuentute virtutis nati sunt: & alij sub tempore senectutis, desinente matricis virtute.* In Esdræ apogryph. ¶ Item, super illud. *Lux solis septempliciter.* Gloss. *Omnia propter peccatum hominis deteriorata sunt.* Isa.30. Glossa. Superiora ergo cum per motum ad hominem ordinata sunt; deteriorata sunt propter peccatum hominis; sed qui deteriorantur, ad finē tendunt; sed hæc sunt corpora nobiliora; ergo & ipse mundus tendit ad finem.

¶ Item, Augustinus. *Inconueniens est, mundum æternum dicere: quem cum videmus passioni subiectum, & per singula senectute deficere credimus, & finiri.* August. in quæst. veteris testamenti. ¶ Item, quo modo æternus corruptibilia generabat, cum de æterno debeat æternum consistere? Et quod visibile est, & tangitur, qua audacia vocatur æternum? Et quod vicibus temporum ministratur, ita vt ipsa tempora non aliquando seruent officia sua, quo modo appellatur æternum? Ex his ergo omnibus colligitur, quod mundus non est æternus, ex parte finis.

¶ Qvod autem sit æternus ex illa parte, habetur ex hoc, quod dicitur in Hieronym. 31. *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonat fluctus eius. Si defecerint leges illa coram me, dicit Dominus: tunc & semen Israel deficiet:* si ergo semen Israel non deficiet, nec ista deficiente.

¶ Item, Isa. 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis: & lux solis septempliciter.* Isa.30. Ex quo videtur mundi innouatio, non defitio.

¶ Item, vniuersale ex hoc quod est vniuersale, habet in se quandam virtutem perpetuandi se, vel in vno, vel in multis; ergo cum naturæ vniuersales sint in contextu mundi, erit perpetuitas in mundo.

¶ Item, Ea quæ causant motum in mundo, veniunt ex principijs incorruptibilibus; sed non veniunt nisi ex principiis mundi; ergo principia mundi incorruptibilia sunt, ergo mundus est æternus, ex parte finis, quæ ex his componitur.

¶ Præterea, non senescunt virtutes animales, nec

virtutes naturales primæ: ergo nec mundus, quæ ex his dependet.

¶ DEINDE quæritur, si non sit æternus propter hoc, quod iste mundus desinat, & alius succedat; an sit earundem rerum perpetua reuolutio? Quod videtur per hoc, quod habetur in Eccles. 1. *Quid est, quod fuit? ipsum quod futurum est: quid est, quod factum est? ipsum quod fiendum est: nihil sub sole nouum: Nec valet quisquam dicere: Ecce hoc est recens: iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.* Ex qua autoritate videtur, quod fiat seculorum innouatio, & iteratio.

Eccl. 1.

¶ SED contra hoc est, quod dicit August. obijciens de anima rationali; quæ secundum hoc à beatitudine ad miseriam rediret; & à miseria ad beatitudinem. ¶ ITEM, sicut habetur super illud Eccl. 1. *Dixit Donatus pereant, qui ante nos nostra dixerunt.* Si ergo ita est in sermonibus, quanto magis in administratione seculi, quæ ab initio seculi, sic perfecta est, vt requiesceret Deus ab omnibus operibus suis die septimo. ¶ ITEM, Philosophus. *Quorum substantia corruptibilis est mota, non reiteratur eadem numero*: ergo eorum, quæ sunt in mundo; cum sit generatio, & corruptio; non reiterantur eadem numero: ergo non per hoc est æternitas mundi: quia huiusmodi reuolutio sit continua. ¶ PRÆTEREA corpora superiora habent etiam reuolutionem: & secundum diuersos sui situs ad seinuicem diuersi perueniunt effectus: numquid ergo secundum iteratos situs, & aspectus consimiles, consimilis prouenit effectus? ¶ Quod si esset, post completionem magni anni, omnia reuocarentur in pristinum statum. Dicitur autem magnus annus, cum omnes stellæ peruenerint ad statum illum, in quo primo ceperunt moueri.

Aug. in li. de ciuit. Dei. Gloss. ordinaria, & est Glossa Hieronymi. Philos. 2. de Gener. vltim. & 5. phy. t6. v bi ponit exemp[l]ũ de sanitate. & in Postprædicā. cap. de oppo si. t. A priuatione ad habitum, &c.

¶ SED contra, effectus, qui procedunt, non procedunt tantum à causis superioribus; sed etiam à causis inferioribus. Licet enim causæ superiores redirent ad consimilem statum, cum causæ inferiores non similiter redeant; non erit idem effectus: magis etiam sequuntur ipsi effectus quo ad hoc causam inferiorem, quam causam superiorem.

¶ PRÆTEREA, Iob. 14. habetur. Non resurget homo, donec atteratur cœlum. Ex quo signatur, quod cœlum ante atteritur. Sed si est attritio cœli, non erit in infinitum renouatio. Restat ergo, quod mundus secundum illam viam non erit æternus.

De hoc anno magno quẽ vulgo dixere annũ Platonicum, vide Aug. de ciui. Dei. c. 13. & Li. de Gen. ad literam in perfecto. c. 13. Tom. 3.

RESOLVTIO.

Mundus, si sumatur pro primis principijs; vtique à parte finis æternus dici potest: nec quidem ex sua conditione, sed ita eius conditore donante.

¶ AD quod dicendum, quod mundus multipliciter accipitur. Aliquando enim pro vniuersitate rerum corruptibilium & incorruptibilium, scilicet inferiorum, & superiorum: & secundum hunc modum mundus non est æternus, ex parte finis. Aliquando accipitur pro ipsa variatione, quæ est in mundo; siue sit secundum motum localem; siue secundum alium motum cum dispositionibus ordinantibus ad illum: & secundum hoc dicitur. 1. Corinth. 7. *Præterit figura huius mundi.* Aliquando accipitur pro ipsa delectabilitate variabili: & secundum hoc potest accipi illud. 1. Ioan. 2. *Transit mundus, & concupiscentia eius.* Quarto vero modo potest accipi pro ipsis principijs primis, quæ sunt in mundo: & secundum hoc potest dici mundus æternus, ex parte finis: non ex eo quod est ex nihilo, sed ex conditoris dono.

¶ AD ILLVD ergo, quod obiectum est in contrarium de ipsa debilitatione virtutis mundi, siue senectute. Respondendum est ad primum, quod aliter est in aliqua parte mũdi, & in toto mundo. Nam in aliqua parte mundi potest prouenire defectus; qui tamen defectus non respicit ipsum totum. Vnde quod humana natura debilitatur: hoc non est ratione naturæ primitus institutæ: sed ratione corruptionis, ex peccato superadditæ.

¶ AD ALIVD vero dicendum, quod cum dicitur mundus senescere, & passionibus esse subiectus; & habere contrarietatem: hoc totum dicitur ratione eius, quod ordinatur ad motum: sed ex alia parte accipitur æternitas mundi propter priuationem finis: quia ratione principiorum, quæ ordinantur ad hominem in statu immortalitatis.

Glossa super illud

¶ AD TERTIVM dicendum est, quod autoritas; quæ dicitur in Gloss. super illud Isa. 30. *Erit lux lunæ*, &c. intelligenda est de statu hominis ratione naturæ corruptæ. Vnde progressus ille, qui dicitur in ætatibus sæculi ad modum ætatis humanæ intelligitur, non propter naturam hominis primitus institutam, vel propter naturam eorum, quæ sunt in mundo: sed vt ostendatur, quod sicut ex peccato recipit homo maiorem, & minorem appropinquationem ad mortem: ita mundus secundum quod ad hominem sic existentem in pœna refertur: minorem habet appropinquationem ad finem.

Isa. 30.

¶ Ex iam dictis patet, quomodo intelligenda est illa autoritas in Apocryphis Esdræ. In illis enim designatur variatio mundi à principio vsque ad finem: sicut legitur in Dan. 2. vbi legitur de statua, quæ habebat caput aureum: & deinde pectus & brachia erant de argento: deinde venter, & fœmora de ære: tibiæ autem erant ferreæ: pedum autem quædam pars erat ferrea, & quædam fictilis. Ex quibus designatur differentia partium mundi secundum prius, & posterius.

Dan. 2.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur ex alia parte. Dicendum, quod rationes, quæ inducuntur pro illa parte, sumuntur ex his, quæ pertinent ad mundum inquantum mundus ordinatur ad hominis immortalitatem, nihilominus tamen possent quædam illarum autoritatum retorqueri ad perpetuitatem temporis, sicut illa Ierem. 31. Illa vero, quæ dicitur Isa. 30. refertur ad mundi innouationem. Rationes vero adiunctæ (sicut dictum est) referuntur pro illo statu, quo ad immortalitatem hominis ordinantur: vel secundum quod habent quandam perpetuitatem in esse téporali à dispositione diuina.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de perpetua reuolutione, & rerum iteratione. Dicendum, quod non est rerum iteratio in numero: sed est ipsius speciei in indiuiduis differentibus conseruatio secundum prius, & posterius. Reuolutio tamen quantum est de se, esset perpetua: nisi esset finis ex parte hominis, ad quem cætera ordinantur.

¶ QVOD ergo obiicitur per autoritatem in Lib. Eccles. non intelligendum est de iteratione quantum ad numerũ: sed de identitate in specie, vel genere: secundum quandam expositionem, tamen intelligitur de identitate eorum, quæ sunt in præscientia diuina: & quæ sunt in esse exteriori: quod enim fuit in prædestinatione diuina, aliquid eorum erit in esse exteriori.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de reuolutione completa superiorum corporum, qua videntur redire ad primũ statum: & sic quod nouus fiat mundus: & iterentur etiam quæ sunt in mundo. Respondendum est, quod non est illa iteratio, nec est alterius mundi renouatio. Non enim superiora corpora omnino non sunt causæ eorum, quæ sunt in inferioribus: & ideo licet redirent ad primam conformitatem: non propter hoc omnino essent in consimili statu. De quo sic loquitur August. *Absit à recta fide, vt his verbis Salomonis illos circuitus esse credamus significatos: quibus illi putant, sic eadem temporum, temporaliumque volumina repeti: vt verbi gratia. Sicut in isto seculo Plato philosophus in vrbe Atheniensi, & in ea schola, quæ Academia dicta est, discipulos docuit: ita per innumerabilia retro secula idem Plato, & eadem ciuitas, & eadem schola, & ijdem discipuli sint repetiti: & per innumerabilia secula deinde repetendi. Absit: vt ista credamus: semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris resurgens: & iam non moritur; mors illi vltra non dominabitur. Non ergo isti circuitus sæculorum ponendi sunt, quemadmodum fingunt philosophi; ne anima à vera miseria ad falsam beatitudinem prodeat: & iterum redeat ad miseriam circulariter: sed ponendus est finis mundi pro voluntate conditoris, completo numero electorum.* Vnde Iob. 14. super illud, *Non resurget homo.* dicit Gloss. *Nisi mundi huius finis aduenerit, humanum genus à somno mortis non euigilabit*: Innuens per hoc, quod finis mundi adueniet, & tunc homo resurget.

12. de ciui. Dei cap 13

Gl. ordin.

ARTICVLVS II.

An mundus æternus sit ex parte ante ratione motus?

AD SECVNDVM, quo quæritur de æternitate per priuationem principij ratione motus. Ad quod sic. Mundus, si non est æternus; exiuit in esse motus eius: sed omnis motus, qui exit in esse, prius est in potentia mobilis: & deinde exit in actum: sed exitus de potentia in actum, est motus, vel mutatio: ergo motum præcedit motus, vel mutatio: iterum quæritur etiam mutatio de illo motu, vel mutatione; & sic erit abire in infinitum. ¶ ITEM, alia ratio. Omne elongatum à contrarietate, est elongatum à mutatione terminabili. Quod enim terminetur mutatio, est ratione contrarietatis, quæ attenditur in eo, quod mutatur: sed materia cæli elongata est à contrarietate, & forma similiter: ergo cælum elongatum est à mutatione terminabili: ergo cælum habet motum in infinitum: sed motus non potest esse infinitus, nisi mobile sit infinitum: ergo cælum est infinitum: ergo mundus, cuius pars nobilior est cælum. ¶ ITEM, in circulo non est principium, neque finis: sed circulatio in motu cæli sequitur circulationem eius: ergo motus cæli non habet principium, neque finem; cum sit circularis: sed quod non habet principium, infinitum est à parte ante: mobile ergo infinitum est à parte ante: ergo & mundus. ¶ ITEM, motus est cum tempore: ergo si tempus est infinitum à parte ante: ergo & motus. Quod tempus sit infinitum à parte ante, sic ostenditur. Omne, quod incepit esse, in tempore cœpit esse: sed tempus non cœpit esse in tempore: quia tunc ante tempus, & in infinitum esset abire: ergo tempus non incepit esse: sed quod non cœpit esse, & est, semper fuit: & quod semper fuit, est æternum: ergo tempus est æternum: ergo & motus: ergo & mundus. ¶ ITEM, omnis motus, qui exit à potentia infinita, inquantum huiusmodi, est infinitus: sed potentia motoris primi est potentia infinita: ergo motus primus est infinitus: ergo & ipsum mobile, & per consequens mundus. ¶ ITEM, si aliquando inciperet moueri illud mobile, & non prius esset motum, & similiter de motore, aliqua fieret innouatio, vel ex parte motoris, vel ex parte mobilis. Innouatio autem facta, per aliquam mutationem induceretur: cum ergo hoc non possit esse; motus ille infinitus erit à parte ante: & ita mundus erit infinitus.

¶ CONTRA, motus ille est propter aliquid: eo quod omnis motus est propter aliquid: sed motus qui est propter aliquid, eo obtento, cessat: ergo motus ille, eo obtento, cessabit: sed omne, quod habet finem; habet principium: ergo motus ille est finitus à parte ante: non ergo æternus.

¶ ITEM, motus est exitus de potentia in actum; ergo potentia est prior exitu duratione: sed omne, quod habet causam priorem duratione, non est æternum: ergo motus ille non est æternus, per consequens, nec alius motus: & ita nullus motus æternus. ¶ ITEM, omnis motus ab immobili originem habet: nam aliter esset abire in infinitum in causis: sed immobile est ante motum: ergo motus cum habeat principium, non erit æternus.

RESOLVTIO.

Cum motus propter aliquid fiat, illo desinente & ipse desinet. Cum pariter exitus sit de potentia in actum, ab immobilique originem ducat; illo posterior erit. Quare & mundus ratione eius, nec a parte ante, nec à parte post æternus esse deprehendi poterit.

¶ QVOD concedendum est.

¶ AD PRIMVM dicendum, quod motus exit in esse non per aliquam mutationem: & ita erit stare in primo. Si vero cœlum, cum conditum fuit, non statim motum esset: esset quædam mutatio præcedens: sed illam non præcederet alia: & ita standum esset: sic ergo motus est finitus à parte ante.

¶ AD SECVNDVM dicendum est, quod illa ratio non inducit, quin motus habeat principium suæ durationis: sed ad hoc tendit, vt de se non habeat finem: habet tamen finem sibi positum ab eo, qui condidit & mobile, & motum.

¶ AD TERTIVM dicendum est, quod licet in circulo nõ sit principium, neque finis ratione figuræ: nihilominus tamen motus circularis habet principium durationis, & sui esse secundum conditionem; secundum quam magis congruit, quod motus cœli sit ab oriente in occidentem, tanquam à dextro in sinistrum: sicut congruit in corpore humano, quod principium motus magis sit à parte dextra, quam à sinistra.

¶ AD quartum dicendum, quod tempus, in quo est motus, incipit esse: sed nõ incipit in tempore; sed in nunc, quod est principium temporis: illud autem nunc, quod est principium temporis, non incipit in alio nunc: tunc enim esset abire in infinitum, aut flecti. Ante vero illud nunc temporis est nunc æternitatis, quod excedit vtrumque.

¶ AD quintum dicendum: quod licet potentia sit infinita, à qua procedit ille motus primus: non tamen motus infinitus est à parte ante: sed ex hoc arguitur magis habere principium à parte ante: sicut enim habet esse principium ab illa potentia infinita; ita & principium durationis: sed ad hoc tendit ratio, quod motus non habeat finem à parte post; nisi aliunde trahatur ratio finitionis.

¶ AD sextum dicendum, quod ex parte mobilis non est alia innouatio, nisi influentia virtutis ab ipso motore supra mobile. Hæc autem influentia non est propter aliquam innouationem, ex parte motoris: primum enim mouens immobile non recipit innouationem: mobile autem, quod fuit motum, sicut nec prius ens; recipit innouationem, sed non permutationem aliquam præcedentem.

MEMBRVM II.

Quæ, & quot fuerint primæua rerum creaturæ?

AD SECVNDVM membrum principale huius Quæstionis, quo quæritur de coæuitate mundi, vel eorum, quæ primo creata sunt in mundo. Dicit enim Beda, quod facta sunt cælum, & terra, angelus, aer, aqua de nihilo: & hoc accipit ex hoc, quod dicitur in principio Genes. *In principio creauit Deus cælum, & terram*: ergo cælum & terra de nihilo. Item, spiritus Domini ferebatur super aquas: Cum ergo de aqua legatur ibi; nec dicatur, ex quo: habetur, quod aqua de nihilo. Et spiritus Domini (secundum vnam expositionem literalem) dicitur aer, qui factus est à Domino: cuius locus est super aquam; non dicitur factus ex aliquo: vnde ex hoc accipitur, quod aer est ex nihilo. Angeli item, quia est prima res spiritualis. Ex quo colligitur, quod ista vtraque erant coæquæua in principio mundi. ¶ * Albinus vero super Genes. dicit septem fieri de nihilo: cælum, terra, angeli, lux, aqua, aer, & anima hominis. Addit enim animam hominis, quia est res spiritualis, sicut & angelus: lucem vero addit: quia lux inter res corporales magis est spiritualis. ¶ ITEM, in Lib. De Sententiis sanctorum collectis, dicitur. *Ante omnem diem; & ante omne tempus tres res condidit Deus ex nihilo, informem materiam, angelos, & animam Adæ.* De anima vero Adæ dicitur, & de angelo; quod ante omne tempus sint creati, quia non dependent ex tempore, nec dependent ex die, secundum quod dies est ex parte ex præsentia * luminaris super terram: sic ergo ista tria sunt coæquæua.

Beda.

Genes. 1.

* Alias, Alcuinus.

¶ August. in Quæstione, sic respondet interrogationi factæ. *Si principium omnium est cælum, & terra: angeli postmodum facti sunt, si autem angeli postmodum facti sunt*, non ergo simul. ¶ ITEM, videtur extrahi ex Gloss. quod tempus, siue mutatio sunt coæquæua cœlo, & terræ. Nam in principio creauit Deus cœlum, & terram; secundum vnam expositionem dicitur ibi principium temporis: ergo tempus ratione sui principij dicitur coæquæuum cœlo, & terræ. Eodem modo cum creatum exeat de non esse in esse: exitus fit, aut mutatio: mutatio autem non fit prior tempore, quam mutatum: erunt ergo cælum & terra ratione sui, & mutatio coæquæua. ¶ ITEM, in Lib. Confess. dicitur. *Duo reperio, quæ fecisti carentia temporibus: cum tamen neutrum tibi sit coæternum. Vnum, quod ita formatum est, vt sine vllo defectu contemplationis, sine vllo interuallo mutationis, quamuis mutabile, tamen non mutatum tua incommutabilitate perfruatur. Alterum quod ita informe erat, vt ex qua forma, in quam formam mutationis, vel stationis mutaretur: quo tempori subderetur, non haberet.* Ex quo relinquitur, quod duo in principio tantum erant coæquæua.

* Alias, luminis.

August. ad Orosiũ.

¶ ITEM

Mag. Lib. dist. 2

¶ ITEM, ex Lib. Sent. accipitur, & colligi potest ex Glo. in principio Gen. quod quatuor sunt coæquæua in creatione. Angelica natura, & materia informis quatuor elementorum, & cælum empyreum, & tempus: Sed qua ratione dicitur tempus esse de primis coæquæuis: eadem ratione & motus. ¶ RATIONE ergo illarum sententiarum diuersarum potest obijci. Si enim aer, & aqua dicuntur de primis coæquæuis cum terra: multo fortius & ignis; qui nobilissimum dicitur quatuor elementorum: & ita non sufficienter distinxit Beda, ponens illa quinque. Præterea, anima prima rationalis de nihilo creata est: qua ergo ratione dicitur de angelo, quod est de primis coæquæuis: eadem ratione de anima rationali. ¶ RATIONE vero secundæ sententiæ potest obijci: Si in principio Gen. dicitur tantum de creatione cæli, & terræ, & in operibus consequentibus sex dierum dicitur de alijs: & in primo die dicitur fiat lux; & facta est lux: vbi nomine lucis secundum August. datur intelligi lux spiritualis, quæ est angelus: & de anima hominis dicitur in sexto die: superuacuum ergo fuit ponere illa septem coæquæua. ¶ ITEM, cum cælum, & lux non diuidantur ex opposito; non congruebat ponere hæc tanquam coæquæua: & si aqua, & aer, & terra ponuntur de primis coæquæuis: quare non ponebatur ignis cum eis. ¶ RATIONE vero tertiæ sententiæ, quæ tangitur in Lib. De Collectionibus: vbi ponunt tria, angelos, informem materiam, & animam Adæ. Obijcitur, quod angelus, & anima Adæ inter facta numerātur, & factum diuiditur contra creatum: sicut apparet ex Lib. Genes. ergo non sunt coæquæua cum materia informi, quæ nomine cæli, & terræ designatur. Præterea, anima Euæ cum sit creata ex nihilo, sicut & anima Adæ: nec dependeat ab illa, vt anima sit ex anima: propter quid non dicebatur anima Euæ coæquæua, sicut & anima Adæ. ¶ RATIONE vero sententiæ quartæ scilicet August. obijcitur. Si enim angelus dicebatur de primis coæquæuis: eadem ratione & anima rationalis. ¶ PRÆTEREA, cum terra habeat sua contenta, sicut & cælum: contentum autem cæli est angelus, qui coæquæuus dicitur in creatione cum cælo: eadem ratione aliquod contentorum terræ dicetur coæquæuum cum terra. ¶ ITEM, motus & tempus sunt accidentia; quo vnum, scilicet motus dependet à mobili, siue mutabili: alterum, id est, tempus à re temporali: ergo habet esse suum ab illo: non ergo recte dicuntur ista coæquæua cum cælo, & terra.

¶ ITEM, non videtur sufficientia in ponendo duo prima coæquæua, scilicet materiam informem, & naturam angelicam: sicut enim materia informis dicitur primo creata: ita & forma corporalis dicetur primo creata; antequam scilicet non est alia forma: & ita non erunt tantum illa duo coæquæua: sed tertium, scilicet prima forma corporalis: hæc autem videtur esse ipsa forma cæli, vel forma lucis.

¶ AD illud vero, quod Magister in Sent. videtur ponere quatuor, scilicet materiam informem, & naturam angelicam, & empyreum cælum, & tempus. Obijcitur, quod tempus non videtur esse de numero coæquæuorum: quia tempus ex motu dependet: & motus ex mobili: & ita mobile sit primum: non ergo tempus est coæquæuum cum prædictis.

RESOLVTIO.

Coæquæuas creaturas quidam duas tantum, scilicet materiam informem, & naturam angelicam statuerunt. Alij tres, scilicet materiam informem, angelum, & animam Adæ decernunt. Plerique quatuor, videlicet angelum, materiam informem, cælum empyreum, atque tempus arbitrantur. Nonnulli quinque, puta cælum, terra, angelus, aer aqua. Quamplures duas alias addunt, quæ sunt lux, & anima: ita vt eas ad septenarium numerum redigant. Quæ omnes sententiæ iuxta diuersas considerationes nequaquam inconuenientes sunt.

¶ AD HOC ergo dicendum, quod secundum diuersam considerationem attenduntur ista prima coæquæua secundum maiorem numerum, vel minorem. Si enim ponuntur tantum duo, scilicet materia informis, & natura angelica: nomine materiæ intelliguntur ea, quæ habent esse in huiusmodi materia, vel subiecto. Vnde secundum illam expositionem, secundum quam dicitur terra materia informis corporum, cælum vero natura angelica: nomine terræ comprehenduntur ea, quæ sunt in materia; sicut forma aeris, & terræ, & huiusmodi. Si vero ponantur tria coæquæua, scilicet materia informis, & angelus, & anima Adæ: nomine terræ comprehenduntur formæ corporales; præter illam vero designantur duo genera formarum incorporalium, quæ de nihilo exeunt in esse. Si vero ponantur quatuor, scilicet angelus, & materia informis, & cælum empyreum, & tempus: nomine temporis designatur ipsum nunc, in quo fit exitus de non esse in esse creatum: terra vero designat materiam informem inferiorum corporum, scilicet mutabilium: tempus vero accipitur pro ipso nunc, quo fiunt huiusmodi res. Si vero ponantur quinque designantur tria elementa sub tribus nominibus, cælum vero propter sui luminositatem continet sphæram ignis. Fuerunt enim quidam philosophi, qui dixerunt quartam essentiam esse lucem: angelus, qui est substantia separata, præter ista accipitur. Si vero septem ponantur, lux accipitur pro corpore ignis: & ita quatuor elementa numerantur cum quinta essentia; quæ nomine cæli designatur: præter illas vero quinque designantur duæ incorporales creaturæ, scilicet angelus & anima.

¶ AD obiecta ergo respondendum est ex iam dictis: quod in illa diuisione quinque membri ignis non numeratur, tanquam id, quod ratione lucis nominat vnum æternum: terra vero alterum ratione tenebrositatis: aer vero & aqua sunt duo media inter illa, tanquam lucis receptiua per transparentiam. Cæli ergo nomine illud æternum voluit designare, vt in quo principaliter lucis natura resultat.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de anima rationali. Dicendum, quod non est simile de ipsa, & de angelo. Angelus enim est substantia incorporea, cuius esse non est in corpore per vnionem, vel aliquo modo per dependentiam: & ideo tanquam de primis coæquæuis, cum principijs corporum ponebatur: non sic autem de anima rationali, quæ ex corpore quandam habet dependentiam.

¶ AD TERTIO obiectum dicendum, quod licet Angelus & anima rationalis inter facta in operibus sex dierum computentur: nihilominus tamen quia non habent esse ex materia, sed ex nihilo, cum principiis corporum connumerantur; inquantum illa sunt ex nihilo: alia ergo & alia ratione inter facta & creata designantur. De luce vero dicendum, quod accipitur ibi pro luce ignea, quæ alterius est naturæ, quam lux cælestis. Habet enim lux ignea contrarietatem; & naturaliter mouetur motu recto: lux autem cælestis non habet contrarietatem, & mouetur motu orbiculari.

¶ AD QVARTO obiectum dicendum, quod licet factum, inquantum huiusmodi, diuidatur contra creatum per disparationem: nihilominus tamen inquantum illa duo sunt ex nihilo, diuidunt contra creatum in eadem diuisione. Nec est simile de anima, quæ licet ex nihilo sit creata, nihilominus tamen habet naturaliter prius in suo genere: quod dicitur prius in similitudine. Cum enim corpus Euæ formatum sit de corpore Adæ: anima autem creando infundatur, & infundendo creetur, erit anima Euæ post aliam Adæ; & ideo prius in similitudine specifica est ipsa anima Adæ, propter quod inter prima coæquæua numeratur.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de angelo: quare ponitur vnum de coæquæuis, non autem anima rationalis in diuisione vna, scilicet trimembri. Dicendum est, quod aliter est de angelo, & de anima rationali. Angelus enim non habet dependentiam secundum suum esse à re corporali, tanquam substantia: anima vero rationalis habet: & ideo non connumeratur cum principiis corporum subiectorum. Contentum autem cæli aliter se habet, quam contentum terræ. Contentum enim cæli nō est eiusdem generis cum ipso cælo: hoc enim est corpus: illud vero incorporeum, à corpore in esse separatum. Contentum vero terræ est eiusdem generis: Et ideo ponendo prima coæquæua, in hac diuisione trimembri non connumeratur.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de tempore, & motu: quod sunt non per se entia, sed in alijs fundantur: & ita non debent poni inter prima. Respondendū, quod licet secūdū rationem accidentia sint posteriora subiectis: in hoc tñ ꝙ de

non

non esse procedat in esse primo, inter prima coæquæua secundum quandam diuisionem numerantur.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de diuisione bimembri, quod non est sufficiens: Dicendum, quod loquitur de materia formarum corporalium: in qua per quandam indistinctionem sunt illæ formæ: propter quod primo dicitur opus creationis, & deinde opus distinctionis. Vnde forma per hoc nomen [*materia*] datur intelligi: vt sic duo principia intelligantur coæquæua: primum ex parte conditorum incorporeorum: & secundum ex parte conditorum corporeorum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet tempus sequatur motum secundum quendam modum: nihilominus tamen magis ponitur tempus inter prima coæquæua in prima diuisione, quam motus ratione ipsius nunc, quod est principium temporis: eo quod motus secundum illud nunc numeratur: datur tamen motus per illud intelligi, secundum quod commune est ad motum, & ad mutationem, &c.

MEMBRVM III.

An mundus cœperit esse?

Ex 2.8.phy AD tertium membrum, quo quæritur, propter quoddam verbum philosophorum, qui dicunt mundum incepisse: Vtrum mundus incepit esse. Ex iam dictis enim habetur, quod incepit esse: quod autem non incepit esse, sic arguunt. Omne, quod incepit esse generatur simpliciter, vel secundum quid: sed mundus non generatur simpliciter, vel secundum quid: quod enim generatur, materiam habuit præiacentem: mundus autem non habuit materiam præiacentem: nam illa materia est ens conditum: ergo est pars mundi: non ergo mundus incepit esse. ¶ Item, ex intentione eius, quod est [*incipere*] arguunt. Incipere enim est in se esse capere: sed non potest capere esse in se, nisi quod modo aliquo prius est: non autem potest prius aliquo modo esse, nisi sit ens in potentia, nondum ens in actu: sed tale non est mundus: ergo mundus non incepit esse: nulla enim est potentia facta extra mundum. ¶ Item, quod incipit, in tempore incipit: ergo aliquid temporis præcessit, & aliquid est præsens, & aliquid futurum: quod si est, tempus præcessit mundum: sed hoc est impossibile: cum mundus dicat continentiam factorum omnium visibilium, & inuisibilium: tempus autem est alterum horum. ¶ Quod autem incepit, arguitur ex quadam similitudine (quam ponit August.) maioris mundi ad minorem mundum: sicut enim homo, qui est minor mundus: habet iuuentutem; & alias partes ætatis: ita & maior mundus: sed omne, quod habet has differentias ætatis, incepit esse: ergo mundus incepit esse. ¶ Item, in mundo est mutabilitas: sed mutabilitas indicium est inceptionis: ergo mundus incepit esse. ¶ Item, quod finem habet; secundum modum, secundum quem finem habet, desinit esse: sed quod desinit esse, incipit esse, siue incepit: ergo mundus incepit esse.

RESOLVTIO.

Mundus non ita capit esse, quod ex materia præiacenti deriuatus fuerit: sed sic quod in nunc primo fuit, in quo esse capit: siue aliquid eius præfuit, siue non.

¶ Ad quod dicendum, quod aliter acceperunt ipsi philosophi intentionem eius, quod est [*incipere*] & aliter sacræ scripturæ expositores. Dicitur enim incipere, quod in materia præiacenti capit esse: sicut ea, quæ generantur. Nam quod generat, in aliqua materia subiecta generat: & secundum hoc mundus non incepit; nisi secundum illum modum; secundum quem dicitur, quod materia primo creata fuit informis; & post recepit distinctionem formarum. Alio vero modo dicitur incipere esse, nunc primo esse: siue aliquid eius fuit; siue aliquid non: & secundum hoc mundus incepit esse.

¶ Per dicta potest solui, quod obiectum, est: secundum enim hunc vltimum modum non omne, quod incipit, generatur simpliciter, vel secundum quid: sed sequitur, sit nũc primo in esse. ¶ Eodem modo est soluendum de aliis. Nam incipere, cum sit in se capere esse: hoc non est, quia prius aliquo modo fiat duratione materia, quam forma: sed quia materia in se capit formam.

¶ Similiter respondendum ad tertium. Incipere enim (sicut dictum est) non ponit aliquid temporis ante se: sed ponit [*nunc*] principium temporis concomitans.

QVÆSTIO XV.

De localitate creaturæ.

In tria Membra diuisa.

TRansevndvm est ad conditionem localitatis creaturæ: Circa quod quæritur. Primo, vtrum, omnis creatura sit localis: Secundo, vtrum habeat eandem dispositionem localitatis. Tertio, & vltimo vtrum possit esse sine localitate. D. Tho. 1. par. q. 8. ar. 2. & q. 52. ar. 1. 2. & 3. S. Bon in 1. d. 37. & in 2. d. 2. Sco. in 2. d. 2. q. 5. & inde.

MEMBRVM I.

An omnis creatura localis sit?

QVod non omnis creatura sit localis; sic habetur. Locus est rei minus rei continentis aliam rem. Si ergo omnis creatura esset localis, quælibet res haberet rem continentem ipsam: quod si esset, in infinitum esset progressus: non ergo omnis creatura est localis. ¶ Item, Damascen. locus est finis * corporalis eius, quod circumscribitur: cum ergo non omnis creatura sit corporalis, non omnis creatura est localis. ¶ Item, terminus non dicitur proprie rei, nisi habentis quantitatem: sed non omnis creatura habet quantitatem: ergo non omnis creatura est localis. Quod autem aliqua creatura non habet quantitatem; patet in anima: quia non est in maiori corpore maior: nec in minori minor. * Alias, corporalis

¶ Contra, Bernard. *Demus soli Deo sicut immortalitatem, sic incorporeitatem: cuius natura sola nec propter se, nec propter aliud solatio indiget instrumenti corporei: Liquet autem omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio*: sed quod indiget solatio corporeo, locale est: ergo omnis spiritus creatus localis. Sed de corpore constat: ergo omnis creatura, cum sit corporalis, vel spiritualis; localis erit. ¶ Item, Augusṫ. *Ex eo intellectuales naturas corporeas dicimus, quod loco circumscribuntur*: sed quod loco circumscribitur, locale est: ergo omnis creatura localis est: cum illa sit, de qua minus videtur. ¶ Item, Ambrosius. *Omnis creatura certis suæ naturæ circumscripta est limitibus*: sed quod tale est, locale dicitur: ergo &c. Ber. super Cant. homil. 6. Aug. in li. de anima & spiritu. Amb. in li. de spiritu S.

¶ Ad idem facit, quod dicit Hieronymus. *Omnis substantia facta circumscriptam habet substantiam: licet enim quadam loci finibus corporalibus non contineantur: circumscriptione tamen substantia non carent.* Ex his colligitur, quod omnis creatura corporalis, seu spiritualis localis est. Hier. in li. de Spir. S.

RESOLVTIO.

Creatura omnis inquantum pura creatura in loco est; saltem quia ita est præsens alicubi tota, quod tota alibi esse non potest.

¶ Ad quod dicendum: quod locale dicitur duobus modis; sicut tangitur in Lib. De anima, & spiritu. Dicitur enim *locale vno modo quod corporalem habet dimensionem, & circumscriptionem, qua assignatur ei principium, medium, & finis*: & secundum hunc modum non dicitur omnis creatura localis. Dicitur iterum localis, quæ ita alicubi præsens est tota, vt alibi non sit: & secundum hoc dicitur omnis creaturæ localis.

¶ Per hanc distinctionem potest solui, quod obiectum est, Cum enim dicitur, locus est terminus rei continentis aliam rem: intelligitur hoc in corporalibus proprie: in spiritualibus vero per quandam similitudinem: sed non dicitur omnis creatura sic localis, vt vnaquæque contineatur ab aliqua alia creatura: Sicut enim in vltimo, & supremo est dicere, quod continet alia; ipsum autem non dicitur esse in loco; eo quod ab altero corpore continetur: sic in creaturis spiritualibus separatis; quæ maioris virtutis est; dicitur continere aliam, quæ minoris est virtutis. In aliqua vero est stare: quæ non ab aliqua creatura continetur. In supremis ergo dicitur, quod locales sunt: quia proprio termino continentur, vel vere, vel secundum similitudinem.

¶ Ad secvndvm est dicendum, quod finis potest dici proprie, vel communiter; si proprie, sic est in corporibus; si communiter sic extenditur ad spirituales creaturas:

Dicitur

Eccl. 3.

Dicitur enim super illud. *Omnia tempus habent:* quod substantiæ spirituales non continentur loco; sed hoc intelligitur de loco proprie. De loco vero communiter dicit August. *Inest singulis terminus naturalis, quo à se inuicem discernuntur.*

Aug in li. de fide ad Petrum 1. Idem in li. de quantitate an me Ca. 3. Tomo. 1.

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur: quod terminus est quantitatis. Dicendum, quod est terminus quantitatis dimensiua, & est terminus quantitatis virtualis: sicut dicit August. *Licet enim quantitas dimensiua non conueniat spiritibus: conuenit tamen quantitas virtualis.* Dicuntur etiam esse in loco, vel propter diffinitionem substantiæ, vel propter operationem: & sic possunt adesse loco corporali ipsæ spirituales substantiæ: secundum quod dicit Damasc. dicitur angelus esse in loco; quia adest intelligibiliter; & circunscribitur, vbi operatur.

MEMBRVM II.

An omnis creatura habeat eandem dispositionem localitatis?

Ad secundum quo quæritur, Vtrum omnis creatura habeat eandem differentiam localitatis. Quod sic, videtur; locus enim corporalis communiter accipitur, siue referatur ad spiritus, siue ad corpora: & vtrunque dicitur circunscribi. Vnde Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus. *Ex eo corporeas credimus intellectuales naturas; quia localiter circunscribuntur: De corporibus autem manifestum est.* Cum ergo vna sit ratio loci, & vtrobique conueniat circunscribi, videtur locale dici de illis secundum eandem differentiam localitatis.

August. Cap. 12. Tomo 3

¶ Sed contrarium sic ostenditur: locale enim dicitur, quod figuram habet (sicut dicit Ioan. Damascen.) vt corporaliter comprehendatur, & alibi non: sed natura intellectuales non figurantur: nec tres dimensiones habent: quia intellectualiter assunt: sed non sic est de corporibus: ergo locale non dicitur secundum eandem rationem localitatis, sed differentem: Restat ergo quod aliter dicitur spiritus localis, & aliter corpus.

¶ Sed nunquid in tantum extenditur locale: vt omne genus terminationis contineat: quoddam enim continetur loco: quoddam continetur tempore: quoddam continetur comprehensione. Cum ergo omnibus his modis dicatur contineri, siue comprehendi: nunquid ex hoc dicitur locale?

RESOLVTIO.

Non eodem modo creaturæ omnes locales sunt: Nam corporeæ creaturæ ita in loco sunt, vt pars corporis sit in parte loci, & totum in toto, præter sacramentum altaris; incorporeæ vero totum sunt intra, nihilque extra.

¶ Ad quod dicendum: quod (sicut dictum est) spiritus, & corpora localia dicuntur secundum aliam, & aliam differentiam localitatis: licet enim locus corporalis vtrobique accipiatur, & circunscriptio communiter dicatur: aliter tamen, & aliter dicitur corpus circunscribi, & spiritus: corpus enim dicitur circunscribi loco, vt pars sit in parte loci, minor in minori, maior in maiori: & totum in toto. Hoc excepto, quod de corpore dominico dicitur, quod est sub sacramento: quod habet propriam dispositionem: Spiritus autem dicitur circunscribi, vt totum sit intra, & nihil eius extra: non commetiendo partem parti, cum huiusmodi non habeat.

Sacramentum Eucharistiæ quomodo in loco est.

¶ Ad illud vero dicendum, quod licet sint diuersi modi continendi loco, tempore, & comprehensione: tamen per quandam analogiam se habent, vt quod continetur loco, continetur tempore: quod vero continetur tempore: continetur comprehensione. non econuerso: quia vero verbum comprehensionis (sicut habetur in Libro de videndo Deo) dicitur de re illa, cuius fines circunspici possunt; per quandam proportionem, siue similitudinem se habet ad esse in loco, vbi secundum acceptionem communiorem dicitur finis.

Aug. Epistol. 112. ad Paulinam. Tomo 2.

MEMBRVM III.

An creatura possit esse sine localitate?

Ad tertium, quo quæritur. Vtrum possit esse sine localitate: Ad quod sic: localitas dependet à ratione corporis: sed angelica natura, cum sit substantia separata à corpore, non habet dependentiam à corpore, vel conditionibus eius: ergo potest esse sine localitate.

¶ Forte diceretur, quod quo ad substantiam potest esse angelus sine loco, sed non quo ad operationem, siue actum.

¶ Contra quod sic: duplex est actus: actus, scilicet contemplationis, quo contemplatur Deum: & actus propriæ cognitionis, quo se cognoscit, vel alia à se: sed quo ad neutrum actum habet dependentiam à corpore. Vnde August. *Spiritus conditi (sicut est angelorum) quanquam sine tempore contemplentur Dei æternitatem, veritatem, charitatem: tamen quia ex tempore in inferioribus iussa Dei perficiunt, iure creduntur moueri in tempore: per hoc excludens locum:* Et post sequitur. *Spiritus hominum mouetur in tempore, reminiscendo præterita, futura expectando, alia noua discendo: nec tamen motus iste est in loco:* multo fortius hoc est in angelis; cum se, vel alia cognoscunt; ergo creatura aliqua, vel secundum substantiam, vel secundum actum, non habet dependentiam à loco: & ita non dicetur localis, sed sine localitate poterit esse. ¶ Item, intelligatur per impossibile; quod nullum corpus esset: & tamen substantia incorporea esset: abstraheretur tunc à localitate: ergo aliqua creatura potest esse sine localitate: non ergo propriũ est creaturæ esse localem.

Aug ad Orosium.

¶ Sed tunc obijcitur: nunquid sicut de Deo proprium est esse vbique; ita similiter proprium est creaturæ esse hic, ita quod non alibi: sed & si nõ esset corpus, diceretur Deus esse vbique in seipso: sicut videtur dicere August. *vbique est Deus, quia nusquam est absens, in se autem ipso: quare non continetur ab eis, quibus est præsens.* Et iterum August. antequam faceret Deus cælum & terram, antequam faceret sanctos; vbi habitabat: *habitabat in se Deus: apud se habitabat: apud se fuit.* Similiter videtur dicere de substantijs incorporeis separatis; quod sint hic; ita quod non ibi.

August. ad Dardanũ. Epist 57. Contra Maximinum.

RESOLVTIO.

Si localitas dicat dependentiam à corpore: vt sic aliqua creatura sine ea esse potest. Secus autem si dicat propriam cuiusque creaturæ terminationem.

¶ Ad quod dicendum: quod localitas prout dependet à corpore; est conditio, sine qua potest esse aliqua creatura: sed secundum quod extenditur, vt dicatur vnaquæq; creatura habere propriam terminationem; sic non potest esse creatura sine illa terminatione: sicut non potest esse sine modo: sed hoc non consueuit scriptura vocare localitatem.

¶ Ad hoc autem, quod obijcitur: quod Deus esset vbique, & si non esset corpus: & similiter angelus, haberet esse hoc, ita quod non ibi. Dicendum est, quod esse vbique, dicitur dupliciter: proprie, & dicitur esse præsentem omni loco: & sic non existente corpore, non diceretur Deus vbique. Alio vero modo dicitur esse præsentem omni creaturæ, vel non; deficiente respectu alicuius: & secundum hoc, non existente corpore, diceretur Deus vbique: Quod si sic acciperetur dupliciter; tunc vno modo diceretur de angelo; quod esset hic, & si non esset corpus: sed non est consuetudo scripturæ sic, dicere esse hic; sed magis esse hoc, vel illud: vt partitio attingat substantiam, non locum; aut situm.

¶ Si autem quæratur, vtrum sit proprium creaturæ esse alicubi? Respondendum, quod proprium dicitur dupliciter: vel vt simpliciter: vel vt secundum tempus: siue (vt dicatur alijs omnibus) secundum substantiam, & secundum actum, qui nunc est. Primo modo non dicitur esse proprium creaturæ: vt quod conueniat omni creaturæ esse alicubi: secundo vero modo dicitur.

***

QVÆSTIO XVI.

De pulchritudine vniuersi.

In sex Membra, & in quatuor Articulos diuisa.

Collige ex D.Th.1.p. q.5. art 4. S.Bon.in 3.d.31. ar.6 1 q.1. Par.1 q.15. & 17.

SEQVITVR consideratio demum post conditiones creaturæ ex parte quantitatis:circa conditiones ex parte qualitatis,quæ sunt, verum,bonum,& pulchrum. De veritate autem & bonitate dictum est superius in Tract.de essentialibus, dictis de Deo: sequitur consideratio de pulchritudine, & pulchro. Circa quod sic possunt distingui quæsita. Primo,quid sit pulchrum.Secundo,quæ sit differentia pulchri & apti.Tertio,cui rei conuenit pulchrum. Quarto,vtrum pulchritudo possit augeri, vel minui in vniuerso. Quinto,ex quibus colligatur principaliter mundi pulchritudo.Sexto,quæ conferant ad pulchritudinem.

MEMBRVM I.

Quid sit pulchrum, siue pulchritudo?

CIRCA rationem pulchri sic. Pulchrum & bonum sunt idem in substantia:sicut habetur à Dion. in Lib. de Diuin.nom.sed aliqua est differentia rationis.Quæritur ergo, cum vtrunque addat super ens: quid addit pulchrum super ens,quo differt à bono, vtrunque autem dicit dispositionem respectu alicuius causæ:sed bonum dicit respectu causæ finalis:cum ergo pulchrum differat ratione à bono respectu alterius causæ, sumetur non nisi respectu causæ formalis. ¶ QVOD etiam videtur,cum enim tria insint creaturæ,modus,species,& ordo: species maximè videtur esse illud,secundum quod determinatur pulchritudo. Vnde speciosum pulchrum dicere solebamus: sed species sumitur ex parte formæ:ergo pulchrum ex parte formæ.Sed si ex parte formæ, cum veritas similiter accipiatur ex illa parte: non differunt verum,& pulchrum:quod si differunt,quæ est ergo differentia, vel causa differendi?

RESOLVTIO.

Pulchritudo est dispositio ex parte formæ, relata ad exterius.

¶ RESPON. quod veritas est dispositio ex parte formæ, relata ad interius: pulchritudo verò est dispositio ex parte formæ relata ad exterius.Solebamus enim pulchrum dicere,quod in se habebat, vnde conueniens esset in aspectu. Quod autem pulchrum accipiatur ex parte formæ: patet per hoc,quod dicit Diony. *Secundum ipsum pulchrum omnia distinguuntur*,& Aug. *In hominis forma, quæ maior est pulchritudo,in eius comparatione,quæ summa pulchritudo, deformitas dicitur.*

Diony. Aug. de nat.boni.

¶ SED secundum hoc, quid dicendum est de eo, quod dicit Dion. *Decorum, & Bonum secundum omnem causam omnia affectant.* Ex quo videtur,cum appetitus sit finis : quod decorum,siue pulchrum respiciat finem. ¶ AD quod dicendum,quod affectare, siue appetere dicitur propriè, & communiter respectu finis,qui & causa finalis dicitur. Cõmuniter secundum quod omne, in quo quiescit appetitus, dicitur finis:vt quod est delectabile intellectui, dicitur appetere intellectus,& quod est delectabile visui,visus, & ita de alijs: & secundum hunc modum decorum, siue pulchrum cadit in naturali appetitu omnium rerum.

Diony.in lib. de diuin. nom. Par.1. c. 4. circa med.

MEMBRVM II.

Quæ sit differentia pulchri & apti.

SVPPOSITA hac differentia, consequenter quæritur de differentia pulchri,& apti. Ad quod respondet Isido. de summo bono.Decor elementorum omnium in pulchro,& apto consistit:sed pulchrum est, quod per seipsum pulchrũ est,vt homo ex anima,& membris constans: aptum verò vt vestimentum,& vt victus.Ideoque hominem dicimus pulchrum ad se:quia non vestimento, & victui est necessarius: sed ista homini:ideo autem illa apta, quia ad aliud .i. homini accommodata,sibimet sunt necessaria. Hoc & de elementorum naturis,dicendum est.

* * *

RESOLVTIO.

Pulchrum ad se dicitur:aptum ad alterum.

¶ VIDETVR ergo differentia pulchri, & apti in hoc: quod pulchrum dicatur in seipso:aptum verò secundum quod homini accommodatur, vel alteri rei, cui conuenit. Vnde videtur pulchrum propriè ex specie dici siue forma: large accipiendo formam,aptum verò ex coniunctione decenti cum alio.

MEMBRVM III.

An malum culpæ, vel pœna dicatur pulchrum: & an pariter monstra pulchra sint?

AD tertium,quo quæritur, cui rei conueniat pulchrum: hoc est, vtrum malum culpæ dicatur pulchrum, vel malum pœnæ: vel minus bonum comparatione maioris. ¶Quod malum culpæ non dicatur pulchrum,sic accipitur. Malum culpæ,inquantum huiusmodi, non est vestigium Dei:sed pulchrum in creatura,inquantum sic,est vestigium Dei:ergo malum culpæ non est pulchrum. ¶ Quod etiam videtur ex hoc,quicquid enim deformat pulchrum,opponitur pulchro:sed malum culpæ deformat pulchrum:ergo malum culpæ non est pulchrum.

¶ CONTRA. Dicit Dion. *Malum est ad completionem omnis: & conferens toti,non imperfectam esse per seipsum largiens.* Sed quod est huiusmodi:est aliquo modo bonum, quod autem est aliquo modo bonum : est pulchrum. ¶ ITEM, malum non vsquequaque priuatur bono:ergo nec pulchro : cum pulchrum,& bonum sint idem.

Dion. in lib. de diuin.nom. Cap.4.p.4. paulo post initium, alijs 1 nõ verbis.

RESOLVTIO.

Malum culpæ non est absolutè pulchrum, sed pulchrum in ordine: hoc est non inquantum malum, sed inquantum ex ipso bonum elicitur. Sunt & malum pœnæ, licet patienti malum sit, pulchrum tamen est, in ordine vniuersi. Monstra item cum sint à Deo & ipsa pulcherrima erunt.

¶ AD quod dicendum, quod malum inquantum huiusmodi,deforme est,& ipsa malicia deformitas. Vnde quo ad hoc non est bonum:tamen nihilominus inquantum ex malo elicitur bonum, dicitur quantum ad hoc conferens: & sic in ordine dicitur pulchrum. Non ergo pulchrum dicitur absolutè,sed pulchrum in ordine: imo potius dicendum est,ipse ordo est pulcher. Vnde Aug. *Sicut contraria contrariis opposita, sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur*:quia rectè positum est in Ecclesiastico 33 hoc modo. *Contra malum bonum stat, & contra vitam mors*:sic contra virum iustum peccator : & sic intuere in omnia opera altissimi:bina contra bina,& vnum contra vnum. Item in eodem lib. *Non crearet Deus vllum angelorum, vel hominum, quem malum futurum esse præsciret, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret, atque ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen ex quibusdam antithetis honestaret.*

Aug.in lib de Ciuit. Dei,c.18. Eccles. 33. Idem in eod.

¶ AD illud verò,quod post obijcitur: Dicendum,quod sicut malum substantificatur in bono, quod est bonum secundum quid:ita substantificatur in pulchro,quod est pulchrum secundum quid &c.

¶ DEINDE obijcitur de malo pœnæ,quod sit pulchrum quia est iuste inflictum à Deo: omne autem iuste inflictum pulchrum. Vnde Aug. *Habitationi cœlesti talis anima non conuenit per peccatum:terrestri autem conuenit per supplicium, vt quodlibet elegerit, semper sit pulchra vniuersitas,decentissimis partibus ordinata.*

Quæstio Lateralis. Idem de lib. arbit.

¶ ITEM, Aug. *Per ineffabilem Dei misericordiam ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis*,& loquitur ibi de morte. Cum ergo mors sit malum pœnæ,& sit instrumentum virtutis erit mors huiusmodi pulchrum: omne enim quod est instrumentum virtutis,tenet rationem pulchri.

Aug.13. de Ciu. Dei.

¶ CONTRA. A quo remouetur bonum, ab eo remouetur pulchrum,sed malum,& bonum sunt differentia genere: ergo cum malum pœnæ sub malo contineatur: remouetur ab eo bonum : ergo etiam pulchrum per consequens.

¶ ITEM August. loquens de morte, sic dicit: *Lex non est bonum:*

Aug de Ciu.Dei. Li.13,c.5.

est bonum, quando auget peccantium concupiscentiam: ita mors non est bonum, quando auget patientium gloriam: Ex quo accipitur, quod mors, vel huiusmodi mala pœnæ non sunt bona: & ita nec pulchra.

¶ Ad quod dicendum, quod malum pœnæ licet sit malum illi, qui punitur, nihilominus tamen est bonum & pulchrum.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur, quod malum pœnę est sub malo in genere. Dicendum est, quod malum non dicitur de malo culpæ, & malo pœnæ, tanquam de duabus speciebus, sed sicut de malo simpliciter, & secundum quid, qd autem dicitur simpliciter, & secundum quid, non determinant species, licet ergo malum pœnæ sit malum secundum quid: nihilominus tamen est bonum, & per consequens pulchrum.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de morte: Dicendum est, quod mors habet duplicem considerationem. Vno mō secundum quod est defectus ipsius vitæ, & ita naturæ. Alio modo secundum quod est malum pœnæ ei, qui patitur, & hoc est cum moritur, secundum quod mors est corruptio vitæ. Et secundum primum modum dicitur, quod mors nō est bonum, cum sit defectus esse: sicut nec defectus ignis bonum dicitur: sed malum oppositum est bono naturæ secundum se, dicitur autem alio modo malum pœnæ: & ita est bonum. Si ergo quæratur de huiusmodi defectibus naturæ. Dicendum, quod in vniuerso considerati, ex ordine ad aliquod bonum sunt consententes, & sic habent quandam pulchritudinem ordinis: in se autem considerata, non sunt nec pulchra, nec bona.

Quæstio Lateralis

¶ Deinde quæritur de rebus monstruosis, vtrum dicendæ sint pulchræ. Quod non, videtur: quia res monstruosa deest in modo, vel specie simpliciter, vel ordine: quod autem defectum habet in his, deforme dicitur, ergo res monstruosa non dicetur pulchra, cum sit deformis.

¶ Præterea, res monstruosa ex errore naturæ prouenit. Quod autem prouenit ex errore, deforme dicitur: non ergo decorum.

¶ Contra. Monstra sunt entia, & quæ sunt entia in eo, quod huiusmodi dicuntur bona, & pulchra: per consequens ergo res monstruosæ sunt pulchræ.

¶ Præterea, nihil fit Deo actore, quod non est pulchrum, sicut enim à summe bono bonum: ita à summe pulchro pulchrum: sed huiusmodi res sunt Deo auctore. Vnde August. *Si homines sunt, de quibus illa mira scripta sunt, quid si propterea Deus voluit nonnullas gentes ita creare: ne in his monstris, quæ apud nos patet ex hominibus nasci, eius sapientiam, naturam qua fingit humanam, velut artem cuiuspiam minus perfecti opificis putaremus errasse?* (Aug. 16. de Ciu. Dei. Ca. 8. circa finem.)

¶ Respondendum per illud, quod dicit Augustinus. *Qualis autem ratio redditur de monstruosis apud nos hominum partubus, talis de monstruosis quibusdam generibus reddi potest. Deus enim creator est omnium, qui vbi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipse nouit, sciens vniuersitatis pulchritudinem, quarum partium, vel similitudinem, vel diuersitatem contexat, sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat, quo referatur, ignorat.* (Idem ibid. paulo post initium. Tom 5.) Licet ergo in monstris sit defectus, nihilominus tamen Deo actore, fiunt res, quæ habent defectum: sed res est à Deo: defectus autem ex parte principij defectibilis. Sed attendendum est, quod monstra dicuntur dupliciter: Vel quæ finguntur ex imagine, vel æstimatione humana, & secundum hoc non dicuntur monstra esse Deo actore: Vel quæ videntur habere imperfectionem secundum cursum naturæ: sicut quod homo habeat sex digitos, vel quod vnius corporis sint duo capita, & ita de alijs: & hæc Deo actore fiunt, non quod apud causam primam sit error, sed apud causam aliā particularem. Vnde Aug. *Absit, vt quis ita desipiat, vt astimet in humanorū digitorum numero errasse creatorem: quamuis nesciens, cur hæc fecerit, & si maior oriatur diuersitas, scit ille, qui egerit, cuius opera iuste nemo reprehendit.*

MEMBRVM IV.

An pulchritudo augeri, vel minui possit in vniuerso.

AD quartum, quo quæritur, Vtrum pulchritudo possit augeri vel minui: Quod videtur: Cum enim viuentia, in eo quod huiusmodi, pulchritudinem habeant: ergo ea quæ moriuntur, vel deficiunt, habent deformitatem: sed contingit in vniuerso plura esse viuentia, vel pauciora: ergo conuenit pulchritudinem vniuersi augeri, vel minui. ¶ Item, sicut maior dicitur pulchritudo, cum homo senescit, quam cum homo est in iuuentute: ita videtur in vniuerso. Cum ergo (sicut dicit Aug.) modo sit quasi senectus mundi: in principio vero erat quasi iuuentus: maior erat tunc pulchritudo, quam nunc sit.

¶ Item, contingit animam rationalem per peccatum deficere à bono, & cum deficit à bono, quo ad hoc minuitur pulchritudo creaturæ in vniuerso, & ita contingit pulchritudinem vniuersi diminui.

¶ Contra. Quocunque modo se habeant partes mūdi: perfecta est vniuersitas: quod autem perfectum est, & manet huiusmodi, non augetur, nec minuitur. Vnde Aug. *Cum vero peccantibus adest beatitudo, perfecta est vniuersitas, cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est vniuersitas. Quod ipsa autem non desunt animæ, quas vel peccantes sequitur miseria, vel recte facientes beatitudo, semper in naturis omnibus vniuersitas plena, atque perfecta est.* (Aug in 3. de lib. arb. Cap. 9. circa mediū.)

RESOLVTIO.

Vniuersum secundum se totum, nec augeri, nec minui in perfectione contingit. At secundum partes, & quidem.

¶ Ad quod est dicendum: quod perfectio attenditur dupliciter: secundum formam totius, & secundum formam partium. Si ergo attenditur, secundum formam totius, semper est perfecta vniuersitas. Si verò secundum formam partium, contingit augeri, vel minui: forma etiam partium potest attendi secundum esse, vel secundum bene esse.

¶ Ad primum obiectum dicendum est, quod licet sint plura viuentia, vel pauciora, non tamen pulchritudo mundi quo ad genera, & species augetur, vel minuitur: vel etiam perfectio mundi quo ad formam.

¶ Ad secundo vero obiectum dicendum: quod licet deterioretur iuuentus mundi, & senectus: & quo ad hoc attendatur pulchritudo maior, vel minor, secundum quod magis vel minus dominatur ipsa pœna peccati: nihilominus est pulchritudo essentialis, quæ in mundo non augetur nec minuitur. Reliqua verò, quæ erat ex accidenti proueniens, poterat augeri, vel minui. Vnde si stetisset Adam in statu innocentiæ, non deterioraretur iuuentus mundi, vel senectus: sed pulchritudo remaneret indifferens.

¶ Ad tertio verò obiectum dicendum, quod (sicut dictum est) est pulchritudo in vniuerso ratione pulchritudinis partium, pars enim vna ex nobilioribus est ipsa anima rationalis: sed hæc habet duplicem pulchritudinem: vnam ratione substantiæ, siue essentiæ: & aliam ratione voluntatis actualis: quantum ad primam non dicitur pulchritudo mundi augeri, vel minui: quantum ad secundam contingit.

MEMBRVM V.

In quo præcipuè consistat vniuersi pulchritudo?

AD quintum, quo quæritur, Ex quibus colligatur principaliter mundi pulchritudo? Ad quod sic. Pulchrum & bonum sese concomitantur, cum ergo bonitas determinetur per modum, speciem, & ordinem in vniuerso: per consequens & per hæc determinatur pulchritudo. Quod videtur, dicitur enim pulchra res in mundo, quando tenet modum debitum, & speciem, & ordinem, & quæ plus habet de his, plus habet de pulchritudine, quæ vero minus, habet minus de pulchritudine: ergo principaliter mundi pulchritudo ex istis componitur.

¶ Ad idem, pulchritudo mundi est descendens à pulchritudine prima: sicut patet in Lib. Confession. *Tu fecisti ea, quia pulcher es, pulchra enim sunt, non tamen ita, sicut tu conditor eorum, cui comparata non pulchra sunt, nec bona sunt, pulchritudo ergo creaturæ est vestigium quoddam, perueniendi in cognitionem ad pulchritudinem increatam.* (August. Confess. Li. 4. c. 10. Tom. 1.) Vnde Isidorus. *Ex pulchritudine circumscripta creaturæ pulchritudinem suam, quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi:* (Isidorus.) sed vestigium attenditur secundum modum,

modum,& speciem,&ordinem principaliter:ergo pulchritudo mundi determinabitur principaliter penes speciem, modum,& ordinem:sed modus,species, & ordo, desinentibus creaturis,desinit esse:ergo pulchritudo mundi in illis rebus potest desinere. ¶ SED videtur contrarium,quod dicit Aug.Fit,decedentibus,& succedentibus rebus,temporalis quædam in suo genere pulchritudo,vt nec ipsa,quę moriuntur,vel desinunt esse,quod erant,turpent, aut turbent modum,speciem,& ordinẽ vniuersæ creaturæ: sicut sermo bene compositus vtique pulcher est: quamuis in eo syllabæ,atque omnes soni tanquam nascendo, moriendo transcurrant:ergo desinentibus rebus, vel succedentibus, non desinit pulchritudo.

Aug. in lib de natura boni. c. 8. Tom. 6.

RESOLVTIO.

Mundi pulchritudo, & venustas consurgit, ac consistit præcipuè in modo, specie, & ordine rerum.

¶ AD quod dicendum:quod pulchritudo surgit in mundo ex tribus prædictis:Sed illa tria contingit dupliciter cõsiderare:vel secundum quod sunt in generibus,&speciebus quæ permanent: vel secundum quod in rebus transeuntibus. Pulchritudo autem in rebus transeuntibus dupliciter consideratur:vel in re,quæ transit secundum seipsam, vel inquantum comparatur alteri,quæ succedit illi. Primo,& secundo modo pulchritudo manet in vniuerso secundum statum,qui nunc est: & attenditur secundum modum speciem,& ordinem,in his secundum vtrunque modum: In futuro vero, quando quiescent corpora mobilia, non erit pulchritudo,nisi secundum primum modum:ratione principiorum,&earum rerum,quæ in se habent permanentiam ex dono conditoris: Pulchritudo autem in re transeunti, secundum seipsam accepta,sicut ipsa res transit,ita transeũt modus,species,& ordo: & per consequens ipsa pulchritudo:& de ista non loquitur Aug.

MEMBRVM VI.

Quæ conferant ad pulchritudinem vniuersi?

AD sextum membrum, quo quæritur: Quæ conferant ad pulchritudinem vniuersi. Et habet hoc membrum quatuor articulos. Primo quæritur, vtrum mala conferant ad pulchritudinem vniuersi. Secundò, si bona mutabilia. Tertio,si mirabilia. Quarto, si ipsa incarnatio cum Sacramentis consequentibus pertineat ad pulchritudinem vniuersi.

ARTICVLVS I.

An mala conferant ad pulchritudinem vniuersi?

AD primum sic videtur,quod mala non conferant: Ea enim quæ deturpant pulchritudinem rerum, opponuntur pulchritudini rerum,sed quæ opponuntur pulchritudini rerum, opponuntur pulchritudini mundi:sicut qđ deformaret manum, vel pedem in corpore humano,deformaret corpus: mala ergo,cum deturpent ipsas res,quæ sunt in vniuerso:opponuntur pulchritudini vniuersi: non ergo conferunt ad pulchritudinem.

Dion. de diu. nom.

¶ ITEM, Diony. *ducit ad inconueniens ponentes malum esse, & bonorum generatiuum, Inconueniens autem est,quod malum conferat ad completionem omnis,& toti non imperfectum esse per seipsum largiatur.* Ex quo videtur relinqui, quod malum non conferat ad pulchritudinem vniuersi. ¶ ITEM,In vnoquoque genere si oppositum coniungatur cum opposito, minuit virtutem ipsius:quare,malum &si coniungatur bono:sed pulchritudo est vnum, quod pertinet ad virtutem boni: ergo minuitur pulchritudo: non ergo malum confert ad pulchritudinem vniuersi.

Philo 1 de Anima 85. & 3. de Anima 21.

¶ CONTRA, *Opposita iuxta se posita clarius elucescunt*: ergo bona malis opposita,pulchriora apparent:ergo malum cõfert ad pulchritudinem vniuersi. ¶ ITEM,si non esset malum culpæ,malum pœnæ indecenter in vniuerso ordinaretur,sed decenter ordinatur:ergo malum culpæ confert ad pulchritudinem vniuersi,sicut ad decentiam.

¶ ITEM, si non esset mors, quæ est malum pœnæ, non esset sustinentia mortis, & si non esset sustinentia mortis, non esset sustinentia mortis ex causa debita, & si non esset illa sustinentia ex causa debita,non esset martyrium: & si non esset martyrium: deesset aliquid pulchritudini vniuersi: ergo malum confert ad pulchritudinem vniuersi:eodem modo intelligendum est de alijs pœnis.

¶ ITEM,vilioribus locis congruunt res viles. Vnde August. *Seruus in tali peccato deiectus,vt mundandæ cloacæ dignus habeatur,ornat eam turpitudine sua,& vtrunque bonum.i. turpitudo serui, & mundatio cloacæ iam coniunctum & redactum in quandam sui generis vnitatem,ita disposita domui coaptatur,vt eius vniuersitati ordinatissimo decori conueniat,sic voluntaria,quæ in peccato fit,turpis est affectio,cui propterea pœnalis adhibetur,vt ordinet eam,vbi tale esse turpe non sit,& decori vniuersitatis congruat,vt peccati dedecus emundetur pœna peccati.* Ex qua autoritate elicitur, quod malum confert ad decorem vniuersi. ¶ ITEM, August. *Simul vniuersa sunt valdè bona, quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo,in qua illud,quod malum dicitur,bonum ordinatum in loco suo positum eminentius commendat bona:vt magis placeant,& laudabiliora sint, cum comparentur malis.* Ex quibus colligitur, quod mala conferant ad pulchritudinem vniuersi.

Aug. de lib. arb. Lib. 3. c. 9. post med. Tom. 1.

Idem in Enchir. Cap. 11. Tom. 3.

RESOLVTIO.

Mala conferunt ad pulchritudinem vniuersi, non quidem absolutè: sed secundum præsentem statum.

¶ AD quod dicendum, quod aliter est de malo culpæ, & de malo pœnæ: malum enim culpæ nec in eo, quod est malum,nec in eo,quod est culpæ, per se est ad pulchritudinem vniuersi. Vnde Aug. *non ipsa peccata, & ipsa miseria sunt perfectioni vniuersitatis necessaria. Inquantum autem malum culpæ est.* ex quo elicitur bonum, sicut dicit Aug. quod non permitteret Deus mala fieri,nisi ex his bonum eliceret: & iterum inquantum malo culpę debetur pœna,secundum hoc confert ad pulchritudinem vniuersi. Item inquantum bonum oppositum magis apparet bonum ex comparatione mali. De secundo habetur in 3. de Lib.arb. *Si peccata animarum detractis,miseria perseuerat,aut peccata præcedit,rectè deformabitur ordo,aut administratio vniuersitatis.* Rursus,si peccata fiant,& desit miseria:nihilominus dehonestat ordinem iniquitas: cũ autem non peccantibus adest beatitudo: perfecta est vniuersitas: cum verò peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est. De tertio ponit Aug. exemplum in Lib. de Ciuit. Dei. *Sicut pictura cum colore nigro in suo loco posita congruit: ita vniuersitas rerum cum peccatoribus pulchra est, quamuis per seipsos consideratos sua deformitas turpeat.* Item Isid. in lib. *Permisit Deus mali statum aboriri,vt ex contrarijs malis bonæ naturæ decor eniteret.* Ex his autoritatibus patet, qualiter malum confert ad pulchritudinem vniuersi secundum statum,qui nunc est: non secundum statum essentialem ipsius.

Idem.

Idem in eod. c. 10. & 11. To 3.

Idem in 3. de lib arb. Ca. 9. circa med.

Idem de Ciui. Dei.

Isid. in lib. de summo bono.

¶ PER hoc potest solui primo obiectum:licet enim deturpeat bonum illud,cuius est deformitas: nihilominus ex alia ratione confert ad pulchritudinem occasionaliter.

¶ AD secundo verò obiectum dicendum,quod conferre ad pulchritudinem vniuersi,dicitur dupliciter: vel ita q̃ sit de esse ipsius rei pulchræ:&secundum hoc malum culpæ non confert,& ideo pro inconuenienti habetur, quod toti non imperfectum esse largiatur,sicut dicit Diony. Si verò conferens dicatur per occasionem,non repugnat,quin malum sit conferens, potest ergo Diony. vno modo habere pro inconuenienti:alio modo non.

¶ AD tertium verò dicendum:quod licet malum minuat virtutem boni,quod deformat,aut corrumpit, non tamen tollit,quin sit conferens ad pulchritudinem vniuersi. Ex alia enim parte ordinatur ad bonum maius,vel ipsa res, quæ peccat, ratione vtilitatis peccati in loco sibi debito collocatur,non dico debito naturæ,sed debito deformitati. Vnde August. *Fit, vt peccans creatura superior à creaturis inferioribus puniatur, quia illæ tam sunt infimæ, vt ornari à turpibus animis possint, atque ita decori vniuersitatem congruere.*

Aug. in lib de lib. arb.

ARTICVLVS II.

An bona mutabilia conferant ad pulchritudinem vniuersi?

SECVNDO quæritur, si bona mutabilia, conferant ad pulchritudinem vniuersi? Quod videtur: quia bona mutabilia licet minora sint, prout huiusmodi, quam bona immutabilia (& dico mutabilia ea, quæ mutantur in esse) nihilominus faciunt ad substantiam pulchritudinis: cum enim dicuntur maiora, & minora; ponitur ordo: posito autem ordine decenti, ponitur pulchritudo, ergo bona mutabilia faciunt ad substantiam pulchritudinis in vniuerso. Ad quod inducit Augu. similitudinem in 3. de Lib. arb. de corporibus, quæ magis clara sunt, & minus clara: si enim æqualis esset claritas lunæ, vt solis, non esset aliud dicere, quam quod essent duo soles: sed qui sic existimat, dupliciter errat, eo quod perfectioni rerum addere cupit, cum desiderat alterum solem etiam immittere, cum lunam vult detrahi: Ad pulchritudinem, ergo requiritur, quod alia alijs sint clariora, alia vero obscuriora: nec erit vniuersitas perfecta, nisi vbi maiora sic præsto sunt, vt minora non desint: cum ergo bona mutabilia sint minora bonis, quę non mutantur, non erit pulchritudo vniuersitatis perfecta sine bonis mutabilibus.

Idem de eodem in 3. c. 9.

¶ ITEM, maiora bona ex comparatione bonorum minorum pulchriora apparent. Cum ergo excellentia pulchritudinis in superioribus faciat ad pulchritudinem vniuersi: inferiores creaturæ mutabiles, ex quarum comparatione alia relucent, faciunt ad pulchritudinem vniuersi.

¶ Hoc etiam ex consideratione corporis humani patet, in quo sunt membra nobiliora, & ignobiliora: vt dicitur 1. Corin. 12. ex quorum coniunctione resultat corporis pulchritudo: ergo à simili ea, quæ sunt ignobilia in vniuerso, vt mutabilia conferunt ad pulchritudinem vniuersi.

1. Cor. 12.

¶ CONTRA, mutatio tendit ad non esse, vnde est defectus, ergo & mutabilitas est defectibilitas. Sed dicit Augu. in Lib. contra Epistolam fundamenti. *Cum dicitur res corruptibilis, duo dicuntur, ipsa res, & ipsa corruptio, res ad aliquid pertinet: corruptio vero ad nihil*: ergo eadem ratione & mutabilitas: cum intelligatur de mutabilitate quo ad non esse. Quod autem ad nihilum pertinet, remouetur à bono: & per consequens à pulchro.

Aug. in lib Contra Episto. Manich. Tom. 6.

RESOLVTIO.

Nec mutatio, nec corruptio ad vniuersi pulchritudinem pertinent: sed bene res ipsæ mutabiles, & corruptibiles.

¶ AD quod dicendum, quod cum dicitur mutabile, siue corruptibile, duo sunt, sicut dictum est: licet ergo mutatio, siue corruptio ad nihilum pertineat, res tamen, quæ habent huiusmodi potentiam, siue possibilitatem pertinent, ad bonum, & pulchrum: cum etiam mutantur, aliæ his succedunt, secundum quod vnius corruptio alterius est generatio: & sic etiam est quædam pulchritudo. Vnde August. *Sic decedentibus, & succedentibus rebus temporalis quædam in suo genere pulchritudo: sicut sermo bene compositus pulcher est, & si quadam syllabæ desinant, & alia oriantur.*

8. Phy. c. 6. 1. & 7. Metaph. con. 23. Aug. de natura boni.

¶ SED adhuc quæritur, si res huiusmodi mutabiles præpositæ rebus, quæ non mutantur in esse, faciant ad pulchritudinem vniuersi? Quod non, videtur. Si enim inferius ponatur superius, & econuerso: ordo deturpatur, vt si pes poneretur superius, & caput inferius: ergo à simili cum res mutabilis inesse, sit posterior naturaliter re, quæ non mutatur, non erit pulchritudo vniuersi, si supponatur immutabile mutabili.

Quæstio Lateralis

¶ CONTRA, anima cum punitur per corpus, creaturæ inferiori, quæ mutabilis est, subditur patiendo: & si patiatur iustè, vel vtiliter, decor est vniuersi, ergo remanet pulchritudo vniuersi, licet immutabilia in esse præferantur mutabilibus.

¶ ADQVOD dicendum, quod duplex est pulchritudo. Vna, quæ surgit ex gradibus naturalibus rerum, & hoc modo pulchritudo est, cum præfertur mutabile mutabili, & immutabile immutabili. Alia est pulchritudo, quæ surgit ex gradibus dispositionum aduenientium, & secundum hunc modum illud, quod est mutabile in esse, quod conseruat bene esse, præfertur immutabili esse, quod non seruat suum esse, & secundum hoc anima peccans supponitur corpori, quod modum, speciem, & ordinem seruat suum. Vnde August. loquens de gradu naturali rerum in Lib. de Lib. arb. *In corporalibus lux tenet primum locum*, consequens autem est vt primo corpori anima extrema præponatur. Et alibi dicit. *Fit, vt peccans creatura superior à creaturis inferioribus puniatur*, & iterum: *Habitationi cœlesti anima peccatrix non conuenit propter peccatum: terrestri autem conuenit per supplicium: vt quodlibet elegerit, semper sit pulchra vniuersitas.*

ARTICVLVS III.

An mirabilia conferant ad pulchritudinem vniuersi?

TERTIO quæritur, si mirabilia conferant ad pulchritudinem vniuersi? Ad quod sic. Opera mirabilia immediatè procedunt à summo pulchro: sed quæ immediatè procedũt, minus elongantur: ergo in quãtum huiusmodi, plus habent de pulchritudine: ergo mirabilia plus habent: ergo conferunt amplius ad pulchritudinem vniuersi. ¶ ITEM, artifex sapiens cum agit aliqua per se, pulchriora, & ordinatiora facit, quam cum operatur per ministrum, eo quod penes ipsum plus residet de sapientia: nisi fuerit impedimentum ex parte ipsius organi: cum ergo Deus operetur non indigens organo: & quædam operatur per se: quædam verò mediante natura, vel voluntate rationali: pulchriora erunt, quæ ab ipso per se fiunt, quam quæ mediante natura, vel humana voluntate. Sed hæc sunt mirabilia (sicut dicit Anselm.) illa verò naturalia, vel voluntaria: ergo mirabilia plus conferunt ad pulchritudinem, quam naturalia, vel voluntaria.

¶ CONTRA, Ea, quæ sunt naturalia, sunt de pulchritudine vniuersi: ergo ea, quæ sunt contra naturam, deformant illam pulchritudinem: sed hæc sunt mirabilia: ergo mirabilia non conferunt ad pulchritudinem vniuersi. Quod autem hæc sint mirabilia: patet per hoc, quod dicit Augustin. *Non incongruè dicitur, aliquid facere contra naturam, quando facit contra id, quod nouimus in natura, hanc appellamus cognitum nobis cursum, solitumque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit magnalia, vel mirabilia nominantur.* ¶ ITEM, si mirabilia essent de pulchritudine vniuersi, sine mirabilibus non esset completa pulchritudo vniuersi: sed posito statu innocentiæ, & permanente, non essent mirabilia: ergo incompleta esset pulchritudo: quod cum falsum sit: dicitur enim primo Gen. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: vbi notatur completio bonitatis, & per consequens pulchritudinis: & ita patet quod mirabilia non sunt de pulchritudine vniuersi.

Aug. contra Faustũ.

Gen. 1

RESOLVTIO.

Et ipsa mirabilia ad decorem vniuersi faciunt, sed non secundum statum institutum, sed secundum destitutum: & iterum facient in nouissimis diebus secundum innouatum.

¶ AD quod dicendum: quod est accipere pulchritudinem vniuersi secundum triplicem statum. Secundum primum statum, in quo factus est mundus, & ad illius pulchritudinem non pertinent mirabilia. Quantum verò ad secũdum statum: qui est post lapsum peccati, pertinent mirabilia, quia in illo fit reparatio naturæ deficientis secundum diuersos modos defectuum. Quantum ad tertium statum, qui pertinet ad innouationem mundi, pertinent mirabilia & non miracula. Innouatio. n. mundi, & eorum, quæ pertinent in mũdo, supra naturam erit, & ita mirabilis.

¶ AD obiectum verò primo dicendum, q̃ est esse contra naturam dr̃ dupliciter. Vno modo, q̃ est destructiuum naturæ: & sic miracula non sunt contra naturã. Alio verò mõ dr̃ contra naturam, quod est contra solitum cursum naturæ, & est ad reparationem eius, & secundum hoc dicuntur miracula esse contra naturam, quia contra solitum cursum: consona tamen naturæ: quia ad reparationem eius tendunt: illa, quæ sunt primo modo contra naturam: quo ad hoc quod sunt huiusmodi, non faciunt ad pulchritudinem. Ea verò, quæ sunt contra naturam secundo modo

quia

[illegible]

ARTICVLVS IV

[illegible]

QVARTO quæritur, [illegible] quæ ad pulchritudinem vniuersi? [illegible] Homo [illegible] vniuersi [illegible] pulchritudinem [illegible] corporibus superiorem habet. Similiter [illegible] corpore [illegible] & recipit [illegible]. Sicut inter deter[illegible] quædam [illegible], medium inter [illegible] de spongia, [illegible] de quibusdam ambus, [illegible] & alioribus. Inter bruta vero, & hom[illegible] quæ ratione corporis in parte con[illegible] in parte cum brutis: sicut [illegible] Sy[illegible]. Ad perfectam ergo [illegible], siue coniunctionem ne[illegible] vnio diuinæ naturæ cum humana: vt sic reluceat pulchritudo vniuersi: sed non est hoc nisi per incarnatio[illegible]: ergo incarnatio confert ad pulchritudinem vniuersi. ¶ ITEM, reparatio humani generis lapsi de[illegible] est per incarnationem, sicut dicit Augustinus. *[illegible] modus erat nostra reparationis possibilis, sed nullus conuenientior.* Cum ergo pulchritudo vniuersi nõ possit esse omnino post [illegible] humani generis: nisi per reparationem: & hæc [illegible] reparatio, per hanc erit completa pulchritudo.

¶ ITEM, [illegible] maior fuit gratia, quam quod diuina na[illegible] humanæ: sicut habetur super illud. *Et cum glo[illegible]*: dicitur enim in Glos. *quæ maior gloria, quam [illegible] verbo Dei, & ad dextram Dei locari.* Cum ergo gratia det [illegible] pulchritudinem naturæ: & hæc sit maior gratia: hæc gratia dat maxime pulchritudinem: ergo pertinet ad pulchritudinem vniuersi.

¶ CONTRA. Bonitas vniuersi consistit in singulis, & in toto: & hoc dicitur. Gen. 1. Primo enim dicitur de singulis: *Vidit Deus, quod esset bonum.* Secundo cum dicitur, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: sed bonitatem cõsequitur pulchritudo: ergo pulchritudo consistit in his duobus: sed vtraque pulchritudo sine incarnatione poterat esse: ergo incarnatio non est de conferentibus pulchritudinem. ¶ ITEM, vnio humanæ naturæ cum diuina non est aliud quam incarnatio: sed vnio humanæ naturæ cum diuina, est in persona diuina: sed vnitas diuinæ personæ non connumeratur cum partibus vniuersi: ergo nec ea, quæ vniuntur, inquantum huiusmodi: non ergo incarnatio pertinet ad pulchritudinem vniuersi, tanquam pars eius.

¶ PRÆTEREA, si esset de substantia vniuersi, non intellecta [illegible] ratione, siue non existente, non esset pulchritudo vniuersi: [illegible] modus erat possibilis reparationis humanæ [illegible], pulchritudinem suam haberet in vniuerso [illegible] incarnatio, vel ea, quæ incarnationem consequuntur, ergo incarnatio non est conferens ad pulchritudinem vniuersi.

RESOLVTIO.

[illegible] Verbi æterni pertinet ad decorem vniuersi, non quidem [illegible] omnem statum, sed [illegible] statum tantum reparantis: nec quoque [illegible] modo [illegible] qua non potuit decentius humana natura reparari.

¶ AD [illegible] dicendum, quod pulchritudo vniuersi at[illegible] ea, quæ pertinent ad [illegible] statum [illegible]

[illegible] ¶ AD [illegible] ergo [illegible]

¶ AD [illegible]

¶ AD [illegible] quod [illegible] Deus [illegible] D[illegible] hominem [illegible] Dei [illegible], tes bonum & [illegible] Dei hominem [illegible] pararet, [illegible] satisfaceret. [illegible] intelligi [illegible] persona diuina [illegible] sensus reparationis [illegible] in [illegible] A[illegible] ratio est, vt [illegible] charitas [illegible] nitas respectu [illegible] humilitatis [illegible] Vt dicit Augustinus [illegible] resurrectio, per verbum [illegible] rum resurrectio.

Aug. in lib. de anima & spiritu.

QVÆSTIO XVII

De ordine vniuersi.

In qua [illegible]

ASSIGNATIS conditionibus [illegible] parte qualitatis, dicendum [illegible] relationis: quæ conditio [illegible] ordine vniuersi. Circa quod [illegible] Secundo vtrum ordo [illegible] tibus [illegible] ordinata ad hominem. Quarto [illegible] ro, quæ sit causa ordinis.

D. Th. 1. p. q. [illegible] ar. 1 [illegible] 4[illegible] ar. 3. [illegible] q. 21. [illegible] q. [illegible] ar [illegible] & 22 q. [illegible] ar. 2. S. [illegible] 1. d. [illegible] 7. & d. 44. ar. 1 q. 1 & d. 46 q. 1. Sc. in 1 d. 3. q. [illegible] & d. 30. q. 2. & in 4. d. 13. q. 4. Cap. 13. circa initium.

MEMBRVM I.

Q[illegible]

ORDO autem sic definitur [illegible]. Ordo est [illegible] cartibus [illegible]

¶ S[illegible] videtur, quod [illegible] quia ordo est in [illegible] ergo, quod [illegible]

¶ P[illegible]

RESOLVTIO

[illegible] *partiar* [illegible] *loca tribu*[illegible] *ex*[illegible]

¶ A[illegible] quod [illegible] quæ [illegible] aliud [illegible] & secundum [illegible] in angelis est ordo: quia qui-dam [illegible] quidam non.

¶ Ad [illegible] quod ordo attenditur [illegible] hoc, quod est esse secundum prius & po-sterius [illegible] simul. Sicut enim sit [illegible] rerum vero [illegible] ita est spiritualiter in [illegible] quæ [illegible] ordinantur secundum pri-us [illegible] ordinantur vel simul: & ideo [illegible] parium, dispariumq; &c.

MEMBRVM II.

[illegible] in vniuerso [illegible] ordo sit, & in se, scilicet & in suis partibus, ita vt nihil inordinatum sit?

AD [illegible], quo quæritur: Vtrum ordo sit in vniuer-[illegible] vt nihil sit inordinatum. [illegible] Aug. *Nullum* [illegible] *nullus casus, nulla rerum la-*[illegible] *non sit, omnia esse ordinatissima, ergo* [illegible] *vniuerso.* ¶ ITEM, a sapiente artifi-[illegible] ergo a summo sapiente proce-[illegible] ordinatissimæ. Sed omnes res processerunt á Deo [illegible] ergo sunt ordinatissimæ. Vnde August. *[illegible] antequam fiant, & nihil inordinatum* [illegible] *potestates, quamuis non sint omnium* [illegible]

Aug. de lib. arb.

Idem [illegible] de Ciu. Dei.

¶ C[illegible] Eccles. [illegible] Est malum, quasi per errorem [illegible] principe: vidi stultum positum in digni-tate [illegible] cadere deorsum, vidi seruos in equis, [illegible] super terram. Ex quo accipitur, quod [illegible] quia rectus ordo esset, vt [illegible] Vnde August. *Naturalis ordo hoc* [illegible] *in condidit. Inquit enim, dominetur* [illegible] *volatilibus cœli, rationalem factum ad imaginem suam* [illegible] *irrationabilibus dominari. Inde primi iusti pastores* [illegible] *Reges hominum constituti sunt; vt insinuaret* [illegible] *creaturarum, quid exigat meritum peccato-rum.* [illegible] *Iacebunt impij ante portas iustorum, & su-per* [illegible] Ex quo accipitur, quod non est ordo in [illegible]

Idem de eadem 19

Prou. 14

¶ ITEM, Anima præfertur creaturæ corporali: sicut ha-[illegible] *anima, vel angelus in pœna infernus ordinatur,* [illegible] quod patet per hoc quod dicit Aug. [illegible] quod ignis gehennæ, vel purgatorius est [illegible] punit angelos, & animas damnatas: [illegible] in vniuerso. ¶ ITEM, creatu-[illegible] habent nocendi rationalibus: [illegible] rationali: ergo non [illegible] contrario fiat, quod enim nocet [illegible] enim, cui nocet. ¶ ITEM, Tenta-[illegible] tentatum in tentationem: & [illegible] ei, qui tentatur: sed qui [illegible] tur est homo iustus: ergo sup-[illegible] iusto: ergo non est ordo in vni-[illegible]

Aug. sup. Gen 8. lib. [illegible] lib. [illegible] Idem 21 de Ciu. Dei c. [illegible]

RESOLVTIO.

[illegible] mundo, tamen si huiusmodi ordo [illegible] *nos lateat.*

¶ A[illegible] quod ordo est in partibus vni-[illegible]

¶ *[illegible]* dicendum, quod [illegible] Manifestus, cum [illegible] pre-[illegible] bonorum.

[illegible] illud Iob. [illegible] Deus, [illegible] mali angeli, [illegible] De[illegible] subijciuntur. Bonis [illegible] ad peccata [illegible] ad bonum [illegible] puniuntur. Vnde super illud, Iob. [illegible] quod æterna dam-[illegible] Quidam vero [illegible] ne credatur non [illegible] sen-[illegible]

Greg. sup. Iob. [illegible]

Ecclesiastes. [illegible]

¶ [illegible], qualiter soluendum est primo ob[illegible]. In [illegible] ordo [illegible] de quibus dicitur. Eccles. [illegible] *generationem, &* [illegible] *non mutetur super hoc* [illegible] *occultum* [illegible] *sed in futuro est manifestum.*

¶ Ad secundo obiectum dicendum: quod licet spiritu-alis creatura præferatur corporali: ratione tamen culpæ, qui [illegible] ordinatur, præfertur creatura corporalis, ser-uans ordinem suum, creaturæ spirituali, non seruanti ordi-nem suum.

¶ Ad tertium dicendum, quod creaturæ irrationales potestatem habent nocendi rationalibus: & in hoc præfe-runtur eis: hoc autem non est ex prima institutione, qua di-ctum est de homine, vt præsit volatilibus cœli, & piscibus maris &c. sed hoc est ex ratione pœnæ peccati: vt quia non seruauit homo voluntariam subiectionem, & debitam re-spectu sui superioris: nec debita subiectio seruaretur ei á suo inferiori, non quod amplius datum sit ipsis irrationalibus, sed subtractum est ex peccato ipsis rationalibus.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod tentator duo ha-bet in se, vnum ratione naturæ. alterum ratione maliciæ. Ratione naturæ habet angelus tentator, vt in quodá præ-feratur homini: natura enim eius est potentior. Vnde ange-lus potest tentare hominem: homo vero non potest tenta-re angelum. Sed ratione maliciæ habet voluntatem tentan-di: sed inferior est homini iusto, inquantum iustus est. Vnde Cassiod. *Tales animæ (Deo præstante) noxiis spiritibus imperant, & illi, quos mundus patitur infestos, á creatura minore superantur. Adhuc in corpore carnis iubent potestatibus aeris, quorum tentationibus non cedunt, sed eu diuina virtute dominantur.* Si vero cadat in pecca-tum, quo ad hoc subijcitur ei. Vnde quantum ad primum dicitur, Iob. 41. super illud. *Non est potestas super terram &c.* Gloss. *Si beatitudinem perdidit, magnitudinem tamen naturæ non amisit, qua omnia superat, & si meritis sanctorum subiaceat.* De se-cundo vero dicitur. 2. Petri. 2. *A quo quis superatus est, & eius seruus est.*

Cassiod. de anima.

Iob. 41. Glossa ordinaria.

2. Pet. 2.

MEMBRVM II.

An omnia ad hominem ordinata sint.

AD tertium, quo quæritur, Vtrum omnia sint ordinata ad hominem: Quod sic, videtur. Dicitur á B. Greg. su-per illud. *Prædicate euangelium omni creaturæ:* quod homo, no-mine omnis creaturæ designatur: habet enim conuenientia cum omni creatura, vt esse cum lapidibus, viuere cum ar-boribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis: sed hoc non esset, nisi aliæ creaturę haberent ordinationem ad hominem, tanquam ad finem quodammodo: ergo par-tes vniuersi ordinantur ad hominem: de alijs enim patet, si-cut de superioribus corporibus, & elementis: sicut habetur super illud. *Expectantes redemptionem corporis nostri.* Omnia ele-menta cum labore explent sua officia: sicut sol, & luna non sine labore statuta implent spacia, quod est causa nostri: vn-de quiescent, nobis assumptis. Ex quo habetur, quod tam superiora, quam inferiora alia ad hominem ordinantur.

Greg. sup. Mat. 16.

Rom. 8.

¶ ITEM, Aug. distinguens inter frui & vti, dicit q; vtendū est vtilibus: vti vero aliqua re non potest, nisi q; rationis est particeps. Vtilia vero sic distinguit, dicens, perfecta ratio, quæ virtus vocatur, vtitur primo [illegible] ad intelligendum Deum, vtitur [illegible] rationalibus [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible]

Aug. in lib 83. q. Quæst. 30.

[illegible] quidam [illegible] ¶ Item, [illegible] ad homine [illegible] Con[illegible] ad hominem.

¶ Contra, [illegible] in mundo [illegible] & [illegible] depe̅dent a motibus [illegible] in maxima parte. Sed [illegible] ordinata, vt dependeant à primo mobili, primum autem mobile non habet a se quod mouetur, cum sit corpus, erit ergo aliqua virtus spiritualis, à qua dependet: illud erit perfectio ipsius, sed nobilior est motus circularis, quam sit rectus ergo quod perficit mobile in motu circulari, erit nobilius eo, quod perficit mobile motu recto, sed anima perficit mobile motu recto in rebus animatis, illa ergo perfectio siue sit animæ, siue non; cum ab ea dependeant tam mobilia motu circulari, quam mobilia motu recto; erit res illa, ad quam ordinantur partes vniuersi, sed illa perfectio plurimum distat á perfectione hominis, cum ergo non ponantur duo finis intra in vniuerso: erit illa sola perfectio huius mundi intra. ¶ Ad idem, motor in re dicitur rei forma, sicut anima, quæ mouet * partes, forma dicitur totius corporis, eodem modo motor vniuersi dicetur forma vniuersi, & ad formam ordinatur ea, quæ sunt de cōpositione totius, ergo ad illam perfectionem ordinatur partes vniuersi.

* Alias corpus.

Aug in 1. retract.

¶ Qvod etiam videtur per hoc, quod dicit August. esse spiritualem, vitalemque virtutem, etiamsi non sit animal mundus: quæ virtus in angelis sanctis ad decorandum, atque administrandum mundum Deo seruit, & à quibus nō intelligitur, rectissimè creditur. Cum ergo sit huiusmodi vitalis virtus, & spiritualis, qua mundus administratur, & decoratur, ad illam virtutem ordinabuntur partes mundi. ¶ Item illud, quod continet compagem alicuius rei; ne dissoluatur, & diffluat; perfectio dicitur totius: sicut patet in anima, quæ continet partes corporis, sed non est alia vis, quæ proximo teneat compagem mundi; nisi illa, qua mouetur primum cœlum mobile: ergo ad illam tanquam perfectionem, siue finem ordinantur partes mundi.

RESOLVTIO.

Homo finis intra dicitur omnium eorum, quæ sunt, pro eo quod vniuersa eius necessitati subueniunt, vsque dum resurrectio generalis aduentat. Et si alius assignetur huiusmodi finis, puta perfectio primi mobilis, non tamen eadem ratione, Sed alia & alia.

¶ Ad quod dicendum, quod vno modo dicitur anima rationalis finis mundi intra: alio vero modo dicitur perfectio, quæ mouet cœlum, finis intra: Homo enim dicitur finis intra, propter hoc, quod seruiunt necessitati eius quousque veniat ad completam dignitatem, quæ erit in resurrectione: Vis autem motiua primi mobilis dicetur finis: non quia alia seruiant necessitati sui corporis, sed quia ad eius modum conuenienter ordinantur, tanquam ad causam. Alia ergo, & alia ratione dicetur hinc, & inde finis: nec est inconueniens finem duplicem ponere vni rei: dummodo diuersificetur in ratione finis.

¶ Ad obiectum ergo respondendum: quod licet homo, dicatur finis, non repugnat, quin sit finis alius sub alia ratione, cum hoc dicatur finire à parte interiori; id vero a parte posteriori: & forte propter hanc rationem dicebant illam perfectionem animam mundi.

¶ Ad secundum dicendum est, quod motor ille, quo mouetur primus orbis, non sic se habet ad orbem, vt ex motore, & moto vna natura cōponatur. quemadmodum ex corpore [illegible] confusione & [illegible] motor [illegible].

¶ P[illegible] August in Libr [illegible] naturalis [illegible]

¶ Ex quo apparet [illegible] rur, vt non [illegible] partes [illegible] dis, eo quod continet partes mundi, [illegible] loquamur de partibus mundi, quæ generabiles sunt, & corruptibiles.

MEMBRVM IV.

An si omnia paria essent, in mundo ordo foret.

AD quartum, quo quæritur, cuiusmodi sit ordo, ratione cuius quæritur: Vtrum diceretur ordo in vniuerso: si omnia essent paria. Quod videtur per considerationem in partibus vniuersi, quod colligitur ex partibus vnius speciei, vel vnius generis, vt vniuersum in specie hominum, vel genere animalium, cum ergo paria dicantur, quæ sunt eiusdem speciei, vel quæ sunt eiusdem generis, [illegible] huiusmodi, colligetur vniuersum ex quodā pari ex paribus [illegible] ratione in ipso toto: ergo cum vniuersum sit ex [illegible] ordinatis, posset vniuersum esse, si omnia [illegible] essent paria.

¶ Contra, Aug. *à terrenis* [illegible] *que ad inuisibilia sunt bona alia* [illegible] *sent omnia* Et iterum in 12. *Cum Deus* [illegible] *rebus, quas ex nihilo creauit, esse dedit* [illegible] *alijs dedit esse amplius, alijs minus: atque ita naturas* [illegible] *ordinauit.* ¶ Item, August. *Non essent omnia* [illegible] *non* [illegible] *essent multa rerum genera, quibus* [illegible] *primo, & secundas, & deinceps vsque ad vltimas ordinata* [illegible] *hoc est, quod dicitur, omnia.* Ex quo [illegible] vniuersum sine ordine creaturarum [illegible] prius, & posterius.

[illegible] in 11. [illegible] Dei. cap. 15. Idem.

Idem in li. 83 qq. Quæst. 41. Tom. 4.

RESOLVTIO

Vt vniuersum completum foret, necessaria fuit inæqualitas.

¶ Ad quod dicendum, quod ordo [illegible] attenditur secundum prius & posterius [illegible] pra in ratione ordinis dictum est, [illegible] positio: tamen magis respicit prius, & [illegible] iam, quæ dicuntur esse simul, [illegible] & posterius: V. g. species huius generis [illegible] quantum participant genus [illegible] do participant prius, & posterius [illegible] animal prius est dignitate irrati[illegible] inter se habent prius, & posterius [illegible] in, indiuiduis eiusdem speciei [illegible] inuenitur in vno, quæ non inuenitur [illegible] hoc Aug. cum loquitur de ordine [illegible] & posterius; secundum quæ d[illegible]

Membr. 1. huius q.

¶ Ad obiectum autem in [illegible] nec in parte vniuersi, nec in toto v[illegible] simul esse, quod non inueniatur p[illegible] si esset tantum simul, non esset [illegible]

¶ Ad hoc vero, quod dicit Aug. [illegible] essent omnia, intelligendum est [illegible] tollitur multitudo rerum con[illegible] sed si esset sola æqualitas, tolleretur [illegible] signatur. Omne n[illegible] potest æqualitati: plus n[illegible] æqualia. Præterea, Philosophus [illegible] super tres ponitur [illegible]

Philos. 10 Metaph tex. cō. 31

[illegible]

MEMBRVM [illegible]

[illegible]

A [illegible] quod o in [illegible] propter iam causæ. Quod [illegible] in vo- [illegible] causa [illegible] quod [illegible] Dei [illegible] Aug. in [illegible] de ciuit. Dei.

[illegible]

RESOLVTIO.

[illegible]

¶ Ad quod dicendum, quod [illegible] potestate, sapientia, & voluntate [illegible] operatio. Dicitur tamen propter appropriationē, quod congruit sapientiæ diuinæ ordo: quia ordinate res decenter in se, congruit sapientiæ. Potest enim homo esse potens, bonus: nec tamen habebit rationem ordinandi vnumquodque decenter in suo ordine, sed hoc congruit sapienti, per quam similitudinem nos de Deo loquimur: licet sit in eo potentia, sapientia, voluntas. Quod ergo dicitur ex ordine, & dispositione, sapiens; attenditur per appropriationem.

¶ Sed similiter quæritur ex parte causæ finalis ipsius ordinis vniuersi, ratione cuius quæritur, si vniuersum, siue mundus habet ordinē in partibus, vtrum præter [illegible] ordine habeat ad aliquid, quod non est de vniuerso. Nā si non habet ordinem ad aliquid extra, cum finis sit causa extrinseca: non habet ordinem ad finem: ergo vniuersum totaliter finietur in seipso. Si vero habeat ordinem ad aliquid extra: tunc est quæstio: Vtrum magis perficiatur ab ordine partium inter se, an ab ordine, ad illud, quod est quasi extra: Et videtur quod ab ordine partium inter se, sicut est in compositione corporis humani: quod ex ordine partium essentiatur. Quæst. lateralis.

¶ Sed contra hoc est, quod finis non dicitur esse simpliciter in creatura. Nam si esset finis in creatura, oporteret, quod creatura non ordinaretur ad aliud: ordinatur autem: non ergo in ipsa constituitur finis ipsius mundi.

¶ Ad hoc dicendū, quod sic: patet per hoc, quod dicit August. *ipsa vniuersitas creata quæ sex diebus consummata est; aliud dicat in sua natura: aliud in suo ordine: quo in Deo est, non sicut Deus: sed tamen ita, vt ei quies propria stabilitatis non sit; nisi in illius quiete, qui nihil propter se appetit, quo adepto, requiescat.* Ex quo accipitur, quod est finis intra ipsius vniuersi, qui determinatur in sex diebus: & finis extra, secundum rationem ipsius vniuersi: qui in septimo die determinatur. ¶ Et per hoc patet illud, quod obiectum est: illud enim quod obiectum est, aut respicit finem extra: aut finem intra. Aug. super Genes. ad litteram.

QVÆSTIO XVIII.
De perfectione creaturarum in vniuerso.

In sex Membra diuisa.

COMPLETIS conditionibus, quæ pertinent ad creaturam ex parte quātitatis, qualitatis, & [illegible] pertinent ad relationē: sequitur de perfectione [illegible] creaturarum in vniuerso. Ratione [illegible] P [illegible] perfectioni dicunt multis modis: [illegible] vniuersum perf [illegible] D. Thom. 1. par. q. 7 [illegible] S. Bō. [illegible] d. 15. [illegible] r. 1. q. 2. [illegible] cor. 30. q [illegible]

[illegible]

perfectio attendatur respectu rerum in genere, vel in specie, an etiam in indiuiduis. Sexto, vtrum quodlibet, quod est in mundo; dicatur imperfectum respectu illius perfectionis.

RESOLVTIO.

Quo modo, qua ve ratione perfecti vniuersum perfectum dicitur.

AD primum sic. Perfectum dicitur vno modo, quod impossibile est habere aliquam partem omnino extra illud: sicut tempus. Dicitur etiam aliquo modo, quo nihil est dignius in illo genere: sicut medicus dicitur perfectus, & musicus perfectus, & secundum hunc modum per transsumptionem sermonis dicitur latro perfectus: sicut dicitur bonus latro. Dicitur etiam perfectum, quod habet nobilem perfectionem secundum finem. Dicitur etiam perfectum, quando non inuenitur magis, vel minus de bonitate, & secundum hoc dicitur perfectum per se: alia vero, quæ dicuntur perfecta, in relatione ad aliquod istorum dicuntur.

5. Metaph. tex. cō. 21.

RESOLVTIO.

Vniuersum perfectum dicitur ea ratione, qua perfectum describitur, illud esse, cui nihil deest: & extra quod nihil est.

¶ Cvm ergo hi sint modi dicendi perfectum, quæritur, secundum quem modum dicendum sit vniuersum perfectum? Non enim dicitur perfectum per se, de quo non est dicere magis, vel minus habere de bono: sic n. cōuenit perfectum Deo, qui est ipsa sum̄a bonitas: Nec perfectū dicitur eo modo, quo aliquid dicitur perfectum per suum finem: non enim vniuersum, secundum quod modo est, perfectū, est in suo fine. Nec dicitur perfectū ad modum eius, quod dignius in genere artis: alia est enim perfectio artificis, & artificiati: artifex vero secundum illam rationem dicitur perfectum secundum primum modum: secundum quem dicitur perfectum, cui nihil deest de partibus sibi conuenientibus: vel extra quod nihil est: extra enim vniuersum nihil est: dicitur ergo vniuersum perfectum secundum illum modum.

MEMBRVM II.

An perfectio vniuersi sit tantum in bonis: vel etiam in malis?

HOc supposito quæritur, si perfectio vniuersi est tantum in bonis, án etiam in malis. Quod autem perfectio sit in bonis tantum, videtur. Vniuersum enim bonum est, & valde bonū, sed bonum non componitur nisi ex bonis cōponitur enim ex suis partibus: ergo partes sunt bonæ, sed malum non est bonū: ergo malum non est de compositione vniuersi: vniuersum ergo tantum ex bonis cōponitur.

¶ Qvod autē componatur ex malo, & bono: videtur per hoc, quod dicit Aug. *Contrariorū oppositione sæculi pulchritudo componitur*: sed hæc contraria sunt malum, & bonum: ergo pulchritudo sæculi componitur ex bono & malo, sed hoc est vniuersum: ergo vniuersum cōponitur ex bono, & malo. ¶ Item, Aug. *mala nullo modo efficiunt, vt non ipsa rectè ordinata cum toto atque vniuerso sint mala*: ergo vniuersum componitur ex malis. ¶ Item, Dionys. *Malum est ad omne conferens*: omne dicitur vniuersum: ergo malum confertur ad vniuersum.

August. in 11. de ciuit. Dei. cap. 18.

Idem super Gen. Dionys.

RESOLVTIO.

Vniuersi perfectio in bonis tantum est: & si in malis, non tamen vt mala; sed vt expedientia.

¶ Ad quod dicendum, quod vniuersum non habet per partes sui, nisi bona, secundum quod huiusmodi: vt conueniant partes toti. Vnde August. *Tanta vis & potentia integritatis est: vt quæ multa sunt bona, tunc placeant, cum in vniuersum aliquid conueniunt, atque concurrunt.*

Aug. cōtr. Manich.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de malis. Dicendum est, quod vniuersum habet in se mala tanquā partes: non secundum rationem malorum, sed secundum rationem bonorum.

¶ Ad obiectum autem primo dicendum, quod (vt videtur) pulchritudo sæculi componitur ex oppositione cōtrariorum; facienda est vis in nomine, pulchritudinis, eo quod bona pulchriora appareāt ex adiunctione malorum: non quod mala, in eo quod mala, vnam partem dicant pulchritudinis, malum enim in se consideratum, turpe est, & deforme.

¶ Ad secundum vero obiectum dicendum est, quod mala non secundum rationem malorum, sed secundum rationem expedientium (non dico honestorum) conferunt ad vniuersum.

¶ Et per idem soluitur, quod dicit Dionys. & ita integritas vniuersi ex bonis secundum quid constituitur.

MEMBRVM III.

An aliquibus bonis deficientibus, puta angelis, vel animabus humanis; adhuc vniuersum perfectum esset?

AD tertium, quo quæritur: Si perfectio est in bonis, vtrum aliquibus bonis deficientibus, sit perfectio? Ratione cuius quæritur primo in nobilioribus: secundo in ignobilioribus. Quæritur ergo de ipsis angelis, si deessent: vtrum deesset perfectio vniuersi: Quod videtur: perfectum dicitur, cui nihil deest de partibus, sed nobiliores substantiæ sunt partes vniuersi: ergo si desint, non erit perfectio vniuersi.

¶ Per simile videtur etiam: cum in corpore humano sint partes nobiliores, & minus nobiliores; si desit aliqua illarum, non est perfectio corporis humani: ergo à simili in mundo, si desit aliqua partium, ex maximè nobilium; non erit perfectio vniuersi.

¶ Contra. Si deessent angeli, adhuc remaneret sufficientia diuinæ potestatis ad regendam mundi vniuersitatem: dum autem conuenienter regitur vniuersitas mundi, est perfecta vniuersitas mundi: ergo nō existentibus angelis esset perfecta vniuersitas.

¶ Item, Malicia adueniens aliquibus angelis, non tollit perfectionem vniuersitatis. Vnde August. *cum peccantibus adest miseria; nihilominus perfecta est vniuersitas*: ergo à simili videtur, si non essent angeli, esset perfectio: non esse enim omnino, non dicitur deformare partem vniuersi, sed esse malum dicitur deformare; ergo si non essent angeli, nihilominus esset perfecta vniuersitas.

Aug. 3. de lib. arbit.

RESOLVTIO.

Si angeli, vel anima humana, quæ dicuntur præstantiores partes vniuersi, deessent; esset quidem vniuersum imperfectum quo ad sufficientiam partium: non tamen quo ad perfectionem agentis in regendo.

¶ Ad quod dicendum, quod perfectio vniuersitatis dicitur dupliciter. Vno modo, cum nulla pars deest illarum partium, quæ sunt de integritate vniuersi: & sic secundum hoc si deessent nobiliores partes vniuersi, non diceretur vniuersum. Vnde August. *sine istorum officijs iustis, atque perfectis esse vniuersitas non potest.* Si vero perfectum dicatur in vniuerso, quantum ad sufficiens regimen vniuersi: secundum hoc diceretur esse perfectio in vniuerso, & si non essent, vel si non peccassent. Vnde August. *Etiam si omnes peccassent angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum creatori angelorum.* Et iterum: *Si ipsa peccaret*, scilicet, angelica creatura, *sufficeret Dei potestas ad regendam istam vniuersitatem; vt omnibus congrueret, condigna retribuens: nihil in tota vniuersitate sua turpe atque indecorum esse permitterent*: Vna ergo perfectio est ipsius vniuersi ex sufficientia partium: altera vero est ex perfectione agentis in regendo, quotcunq; sint partes. Eodem modo intelligendum est de ipsis animabus: siue non essent: siue per peccatum defecissent. Vnde Augustin. *si deessent, quæ siue peccarent, siue non peccarent: nihil vniuersitatis ordinis minuetur: etiam si plurimum deessent animæ.*

Idem de eodem. lib. 3. c. 11. Tom. 1.

Idem.

Idem.

Idem.

Quest. Lateralis.

Idem 11. de ciuit. Dei. cap.4.

¶ Deinde quantum ad defectum minorum creaturarum quæritur: Vtrum sine his esset perfectum vniuersum? Ad quod dicendum per hoc, quod dicit August. *Cœlestibus non fuerant terrena æquanda: nec ideo vniuersitati deesse ista debuerunt: quoniam sunt illa minora: cum ergo in his locis, vbi esse talia competebat; alijs deficientibus alia oriuntur, & succumbunt; minora maioribus, atque inæqualitates superantium superata vtuntur: Rerum est ordo transeuntium.* Ex quo accipitur, quod & maiora, & minora ad perfectionem faciunt vniuersi.

Quest. Lateralis.

¶ Ratione autem quarundam rerum minorum; vt rerum, quæ videntur nocere homini, quæritur: Vtrum subtractis illis, adhuc remaneret vniuersitas perfecta? Quod videtur: si enim omnia huiusmodi ordinata sunt ad hominem: omnia debent esse conferentia: ergo si non sunt conferentia, non congruent ipsi vniuerso.

Idem 11. de ciuit. Dei. cap 17.

¶ Quod etiam videtur accipi ex humanis appetitibus. Vnde August. *Est alius æstimationis modus: vt quædam sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus, intantum vt si potestas esset, ea prorsus de natura rerum auferre vellemus.* ¶ Sed contrarium videtur ex hoc; quod nihil est in vniuersitate rerum, quod non propriè deseruiat vniuersitati: sicut est de officijs in ciuitate ordinatis: nullum est, quod non conferat ad Rempublicam ciuitatis: ergo non est aliqua res, etiam de minoribus rebus, quæ non conferat ad perfectionem vniuersi. Vnde

Idem in eodem.

August. *Non attendunt quantum in suis locis, naturisq; vigeant, pulchroq; ordine disponantur, quantumcunque vniuersitati rerum pro suis dispositionibus decoris, tanquam in communem rempublicam conferant: non nobisipsis, si eis congruenter atque scienter vtamur; commoditatis attribuunt: ita vt ipsa venena conuenienter adhibita, in salubria medicamenta vertantur.* Ex quo accipitur, quod minora in ordine creaturarum conferunt ad perfectionem vniuersi.

¶ Ad quod dicendum, quod est duplex consideratio. Est enim consideratio rationis, qua considerat hæc minora secundum id, secundum quod sunt partes vniuersi; & ordinatæ ad hominem, vt ad quodammodo finem: & in hac consideratione inuenitur pulchritudo in vniuerso: & vtilitas respectu hominis. Est alia consideratio sdm æstimationem qua magis necessaria præferūtur minus necessarijs, & voluptuosa minus delectabilibus. Quis enim in domo sua non plus panem habere velit, quam mures; & nummos, quam pulices. Necessitas autem quid expediat, cogitat: & voluptas quid iocundum sensibus corporis blandiatur, expectat: hac ergo consideratione æstimatiua non omnia dicuntur esse de perfectione vniuersi. In altera vero consideratione rationis rectè ea, quæ ordinata sunt; ad perfectionem faciunt vniuersi: secundum quod sentientia præferuntur non sentientibus; & viuentia non viuentibus; & intelligentia non intelligentibus.

MEMBRVM IV.

An mundus animatus sit: perfectioq; sua suimet anima dicatur?

AD quartum, quo quæritur, in quo consistit perfectio vniuersi; vtrū illud sit anima mundi? Dixerunt n. quidam Philosophi, quod microcosmus suam habebat perfectionem: & illud erat anima rationalis: megacosmus suam habebat perfectionem, & illud erat anima mundi: quod

Aug. in libro retractationū. cap. 5. in fine.

recitat August. *Per animam corpus subsistit: & eo ipso est, quod animatur; siue vniuersaliter, vt mundus, siue particulariter, vt vnū quodque animal intra mundum.* Et postea sequitur: *Hoc totum prorsus temere dictum est*: Per quod innuitur, quod perfectio mundi non rectè dicitur anima: nec ipse mundus animal. Vnde in eodem

Idem li.1. c.9. in fine.

Lib. August. *Animal esse istum mundum, sicut Plato sensit, alijq; Philosophi; nec ratione certa indagare, nec diuinarum scripturarum autoritate persuadere posse cognoui: vnde tale aliquid à me dictum, quod id accipi possit in Lib. de Immortalitate animæ, temere dictum notaui.* Ex quo accipitur, quod mundus non est anima, nec perfectio eius est anima.

¶ Sed videtur sic persuaderi ratione. Anima est principium vitæ in ipso corpore animato: initium autem vitæ vnum est, quod moueatur, non de natura ipsius mobilis, aliud etiam est initium, quod perpetuetur in suo esse, quantum congruit, per ipsam. Sed hoc modo est in perfectione ipsius mundi: superiora enim corpora, à quibus motus quodam modo in inferioribus mouentur, & motus illius non est natura ipsius mobilis: cum indifferenter (quantum est de natura) moueantur in quamcunque partem: ergo principium eius est anima, quæ sibi determinat huiusmodi motum, siue in sinistrum, siue in dextrum: sed motus huiusmodi attestatur vitæ animalis: ergo corpus, quod sic mouetur, est animal, & sic perfectio illius est anima.

¶ Item, motor cœli mouet per intellectum ipsum cœlum, & quod mouet per intellectum, dicitur anima illius, quod mouet: motus enim ille, cum non sit naturalis, quo ad hoc erit voluntarius: & est rei sibi coniunctæ: ergo est motus animalis: ergo principium eius est anima: sed principium eius est perfectio mundi: ergo perfectio eius est anima. ¶ Item, duo sunt genera mobilium: quoddam est, quod mouetur motu recto: & aliud, quod mouetur motu orbiculari, sed quod mouetur motu recto, habet duplicem perfectionem, scilicet naturæ, & animæ, quarum vtraque est perfectio mobilis, sed nobilior est ea, quæ fit per animam: ergo illud, quod mouetur orbiculariter: cum sit nobilius perfectum, habebit vtramq; perfectionem; & quæ est naturæ, & quæ est animæ; vel ad minus quæ est animæ: ergo corpora superiora erunt animata: siue isto modo dicatur, siue illo.

¶ Quidam autem inter Philosophos dicebant hanc perfectionem esse separatam, hoc modo: ita quod non esset vnum ex illa perfectione & mundo, & nihilominus dicebant esse animam mundi, & hanc esse Deum. Sed hoc reprobatur. Anima est perfectio, quæ facit vnum cum suo perfectibili, non tantum sicut motor cum mobili; sed sicut forma substantialis cum subiecto, quod perficit. Dum ergo diuina essentia cum mundo non faciat vnum: eo quod nihil sit, ad quod diuina natura, & mundus sint possibilia, cum nec diuina natura sit possibilis ad aliquam perfectionem; nec vniuersum sit possibile; nec aliquid aliud: ergo nihil vnum fiet ex diuina essentia, & vniuerso, non ergo Deus est anima mundi.

¶ Ad idem facit, quod dicit August. recitans opinionē Varronis in 7. de Ciuit. Dei. dicens: *Quod opinatus est esse Deum animam mundi: & ipsum mundum esse animal, & quo quomodo Deum: sicut homo sapiens cum sit ex corpore, & anima: ab animo tantum dici sapientem; ita mundum Deum, vel Deiformem ab animo dici.*

August. in 7. de ciuit. Dei. cap. 25. Tom.5.

¶ Sed contra hoc potest obijci: secundum quod obijcit August. *Si animus mundi Deus est, eiq; animo mundus, vt corpus est, vt sit vnum animal, constans ex anima, & corpore, cum tota moles huius mundi viuificetur ex hac anima, quis non videat, quanta impietas consequatur, vt quod calcauerit quisque, partem Dei calcet, & in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur, quod cum impium sit, & irreligiosum dicere, non est Deus anima mundi.*

Idem li.4. de ciuit. Dei. cap.12.

RESOLVTIO.

Absit, vt mundum animatum esse dicamus. Anima enim est motor distinctus per essentiam à corpore mobili, vnum cum illo faciens: quod neque naturæ ipsius mobilis, neque virtuti spirituali angelicæ, aut diuinæ, aliquo modo rectè adaptare possibile est.

¶ Ad quod dicendum est, ꝙ non est mundus animal; nec perfectio eius est anima, sed habet duplicem perfectionem: vnam intra, & hæc dicitur esse natura primi cœli, ad quam ordinantur aliæ naturæ inferiores per quandam influentiam motus: & hæc perfectio est intra. Est autem alia perfectio extra, quæ tenet rationem motoris separati, & de ista dicit August. *Est quædam spiritualis virtus, & vitalis; etiam si non sit animal mundus; quæ virtus in angelis sanctis ad decorandū atque ministrandum mundum, Deo seruit, & à quibus non intelligitur; rectissimè creditur*: Per quod designatur: quod est quædam virtus separata, quæ proxime mouet cœlum: & quia est ad ministrandum, non est illa virtus diuina: quæ tamen virtus diuina per illam, tanquam ministram mouet. Nulla ergo istarum perfectionum dicetur esse anima: non enim natura ipsius mobilis rectè dicitur anima: anima enim est motor distinctus per essentiam à corpore mobili: natura vero illa non est distincta per essentiam à mobili. Neque

Aug. in li. retractationum.

virtus illa spiritualis, de qua loquitur Aug. quæ est in angelis; rectè dicitur anima. Angelus enim est substantia separata à corpore, non faciens vnam naturam cum corpore: ergo nec virtus eius, sed anima facit vnum cum corpore: ergo illa virtus spiritualis, quæ est in angelis; nec rectè dicetur anima mundi. Sed nec virtus diuina rectè dicetur anima mundi: virtus enim diuina est ipsa essentia diuina: essentia autem diuina cum aliqua natura creata spirituali, vel corporali non conuenit ad faciendum vnum in natura: ergo virtus diuina non est anima mundi, si ergo perfectio mundi non est anima: neq; mundus animal erit.

¶ Ad primo obiectum in contrarium dicendum est: quod licet cœlum habeat alium mororem in dextrum vel in sinistrum, quam ipsam naturam ipsius mobilis; non tamen motor ille est anima, sed est aliqua substantia separata à corpore, mouens corpus; vnde non rectè dicitur anima. Et licet motus ille sit voluntarius; non tamen est ab anima, sed est à principio mouente per intellectum, non n. omnis motus voluntarius est animalis.

¶ Et si obijciatur, quod motor ille mouet per intellectum: Non mouet tamen per intellectũ * vnicum cum mobili, & ideo non est motus animalis rationalis. Sed nec est motus animalis sensibilis, cum ille motus regatur secundum apprehensionem conuenientis, vel inconuenientis ipsi mobili.

* Alias, vnum.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, quod duplex est perfectio mobilis secundum motum rectum, natura, scilicet, & anima: & anima nobilior, quam natura: ergo à simili in eo, quod mouetur orbiculariter. Dicendum est, quod non est simile: perfectio enim in corpore mobili, quod mouetur motu recto, vnitur cum ipso corpore: non tantũ vt faciat motum in ipso, sed vt contineat, & saluet esse eius, cum habeat esse corruptibile, & ideo congruenter vltima perfectio, & nobilior talis corporis dicetur anima: Non sic autem est in corporibus, quæ ex dono cõditoris sunt incorruptibilia, non enim indigent perfectione continente esse, & conseruante; quæ sit intra, sed indigent perfectione, qua eliciatur motus, & ideo cœlum non habet animam pro perfectione, sed nobiliorem substantiam, scilicet angelicam intelligentiam.

MEMBRVM V.

An perfectio attendatur respectu rerum in genere, vel in specie, an etiam in indiuiduis.

Ad quintum, quo quæritur: Vtrum perfectio attendatur respectu rerum in genere, vel in specie, vel etiam in indiuiduis? Quod sit in generibus, & speciebus; videtur per hoc, quod dicitur in Gen. 1. in fine. Igitur perfecti sunt cœli, & omnis ornatus eorum: sed hæc perfectio fuit in generibus, & in speciebus omnibus, non autem in omnibus indiuiduis, & tunc fuit perfectum vniuersum: ergo perfectio vniuersi consistit in istis. ¶ Item, August. *Si aliquam creaturam sic instituere putauimus, vt genus eius prima illi cõditioni non inseruerit: apertè contradicimus dicenti scriptura; quia consummauit omne opus die sexto.*

Aug. super Genes. ad litterã.

¶ Contra. Plus est esse vnum numero, quam esse vnum specie; vel genere: perfectio ergo multitudinis plus colligitur ex his, quæ habebat vnitatem indiuiduationis, quam vnitatem generis, vel speciei, sed hæc est perfectio ipsius mundi: ergo perfectio mundi non consistit tantum in multitudine generum; vel specierum.

RESOLVTIO.

Et in his, & in illis: in his secundum actum: in illis secundum virtutem.

¶ Ad dicendum, quod duplex est perfectio, vna in rebus actu entibus, & alia est in ipsis principijs habentibus virtutem multiplicandi res actu existentes. Quantum ad primum modum non fuit omnimoda perfectio in operibus sex dierum. Quantum ad secundum modum fuit perfectio sufficiens. Vnde August. *Potest intelligi Deum requieuisse à condendis generibus creatura, quia vltra iam non condidit aliqua genera noua: deinceps autem vsque nunc, & vltra operatur eorundem generum administrationem.* ¶ Item, August. *Non defuit aliquid tunc causaliter conditum: quod postea visibiliter condebatur.*

Idem super eandẽ.

Idem ibid.

MEMBRVM VI.

An quodlibet, quod est in mundo, imperfectum dicatur respectu perfectionis totius?

Ad sextum, quo quæritur: Vtrum quodlibet, quod est in mundo, dicatur imperfectum respectu illius perfectionis? Quod videtur: quodlibet enim quod in mundo, pars est ipsius mundi, sed pars possibilis est respectu perfectionis totius, & quod est possibile respectu perfectionis totius: dicitur imperfectum respectu illius: ergo quodlibet, quod est in mundo, est imperfectum respectu perfectionis mundi.

¶ Hoc etiam arguitur ex comparatione corporis humani: partes enim corporis humani imperfectionem habent respectu animæ, quæ est perfectio totius: ergo sic erit in mundo, & partibus eius.

¶ Contra, cœlum primum, quod mouetur, non quærit aliud ad sui motum; quam illam perfectionem, sed ad sui esse non quærit illud; sed ratione sui esse dicitur pars ipsius mundi, ergo ratione sui esse non est imperfectum respectu illius perfectionis mundi.

¶ Præterea, si ponatur quædam perfectio mundi intra; sicut lux, quæ diffundit se per partes mundi: cœlum illud, quod primo habet lucem in actu, non in potentia; nõ dicetur possibile, siue imperfectum respectu huius perfectionis mundi.

RESOLVTIO.

Minimè, cum perfectio totius mundi generalis non det esse partibus, secundum quod sunt in ipso mundo, sed quandam continuationem seruat in motu, & operatione earum.

¶ Ad quod dicendum est, quod est duplex perfectio in aliquo toto. Est enim perfectio, quæ dat esse partibus mundi: secundum quod est in toto: & est perfectio, quæ conseruat operationem partium, siue motum, perfectio ergo iam dicta ipsius mundi non dat esse partibus mundi; secundum quod sunt in mundo, sed seruat quandam continuationem in motu, vel operatione: & propter hoc licet possibilia sint ad ipsam perfectionem ratione motus, vel operis: non tamen ratione ipsius esse in partibus, nobilibus maximè.

¶ Nec est simile de anima, quæ est perfectio corporis humani: ipsa enim cõseruat esse in partibus viuificando, & motum in eisdem, & ideo omnino dicitur perfectio: hæc autem dicitur esse perfectio secundum quid, in quantum partes mundi subiectæ sunt motui. Si autem loquimur de ipsis partibus in esse suo, habent quandam perfectionem intra: quæ secundum Aug. vocatur connexio: quæ tamen connexio non est sine virtute diuina, res mundi in ordine connectente. Vnde August. *Ipsum causarum ordinem, & quandam connexionem Dei summi tribuunt voluntati.* De hac iterum connexione dicit August. *Si rebus deessent anima, quæ ipsum fastigium ordinis in vniuersa creatura sic obtinerent, vt si peccare voluissent, infirmaretur vniuersitas, magnum quiddam deesset creaturæ: illud enim deesset, quo remoto, stabilitas rerum atque connexio turbaretur.*

August. 5. de ciuit. Dei.

Idem in 3 de lib. arb.

QVÆSTIO XIX.

De Angelis, quod ad fieri.

In tria Membra, & in tres Articulos diuisa.

Expedita parte, quæ pertinet ad considerationem creaturæ in communi: adiuuante Domino, procedendum est in considerationem creaturæ in speciali, quantum ad naturæ institutionem. Primo de natura spirituali considerandum est. Deinde de corporali. Tertio de illa, quæ composita est de corporali, & spirituali: scilicet homine. Spiritualis vero creatura, de qua primo est agendum,

D. Thom. 1. par. q. 61. per 5. art. S. Bon. in 2. d. 2. art. 1. & 6. Sco. ibid. q 4.

agendum, est angelus: qui hoc nomen habet ex officio, nó ex natura: sicut dicit Gregor. Circa vero angelum sunt hæc consideranda. Primum, quod pertinet ad fieri. Secundum, quod pertinet ad esse substantiale eius. Tertium, quod pertinet ad potentiam eius, & operationem. Hæc aũt duo sunt coniunctim tractanda: quia vnum illorum per se cognoscitur ex altero.

Gregor.

¶ Circa vero primum fieri quæritur. Primo, vtrum prius creati fuerint, quã aliæ creaturæ: quæ pertinét ad opera sex dierũ. Secundo, si simul sint creati: ita quod cõprehendantur in operibus sex dierum, vtrum simul sint conditi in naturalibus, & gratuitis; an tantum in naturalibus bonis? Tertio, vbi sint collocati in creatione.

MEMBRVM I.

An angeli priu. creati sint, quam reliqua sex dierum opera: vel vna cum illis?

Aug. in l. de Eccl dogmatib

AD primum sic dicitur in Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. *Cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent; facti sunt angeli, & omnes cælestes virtutes: vt non esset ociosa Dei bonitas: sed haberet, in quibus per multa ante spacia bonitatem suam ostenderet.* Ex quo accipitur, quod ante visibilem mundum facti sunt angeli, siue creati. Similiter Hieron. super Epistola ad Titum idem videtur sentire, dicens: Quanta tempora, quãtas seculorum origines fuisse arbitrãdum est, in quibus angeli, throni, & dominationes, cæteriq; ordines Deo seruientes absq; temporum vicibus atq; mensuris, iubente Deo, subsisterunt.

Hieron. Cap. 1. super illud. Quonia promisit ille, qui nõ est mendaius, &c

¶ Ad contrarium sic: In prima die creata est lux, siue cõdita: secundum Aug. (quantum ad vnam expositionem) per lucem designatur creatura angelica: ergo creatura angelica facta est in operibus sex dierum. ¶ Item, Aug. super Gen. *cum dictum est, Fiat lux, & facta est lux. illa natura patri coæterna non intelligenda est: per quam omnia sunt facta: sed illa, de qua dici potuit: prior omnium creata est sapientia:* Hæc autem nõ est nisi creatura angelica: ergo creatura angelica facta est inter opera sex dierum.

Aug. super Gen. 1.

RESOLVTIO.

Angeli, non ante sex reliqua dierum opera, sed vna cum illis creati sunt. Et si qua in sacris, vel apud sacros horum ad illa prioritas ipsam legatur: non temporis proprie, sed dignitatis potius prioritas significatur.

¶ Ad quod dicendũ, quod creatura angelica simul creata est cum alijs: & inter opera sex dierum, tanquam primum opus. ¶ Ad illud vero, quod primo obijcitur in contrarium: Dicendum est, quod non ex hoc voluit * ille, qui condidit Ecclesiastica dogmata, dare intelligere: quod angeli essent facti, antequam crearetur cœlum & terra: quod ex verbis eius euidentius elici potest: dicit enim Cum adhuc tenebræ ipsam terram occultarent; & aqua terram absconderet: facti sunt angeli: Ex quo accipitur, quod simul tempore, vel posterius natura, vel tempore facti sunt angeli respectu cœli & terræ: quod enim tenebræ aquam occultarent; hoc dicitur propter hoc, quod habetur in Genes. tenebræ erant super faciem abyssi: aqua autem terrã abscõdebat: quia nondum distinctio facta fuit aquarum, nec aquæ à terra. Quod autem subiungit: [*Vt non esset ociosa Dei bonitas: sed haberet in quibus per multa ante spacia bonitatem suam ostenderet*] hoc intelligitur dupliciter: vel vt angeli creati essent cum cœlo, creato ante omnem diem: & ita Deus suam bonitatem ostenderet ante opera sex dierum, quadam exigenti distantia temporali: secundum quod dicitur à quibusdam expositoribus: quod iam cœlum creatum erat cum tempore: & post facta essent, quæ fiebant in sex diebus: nõ autem intelligitur per hoc, quod dicit [*per multa ante spacia*] quod creauerit Deus angelos ante cœlum & terram quodam interuallo temporali. Vel intelligitur illa prioritas temporis, qua primus dies præcessit sequentes: & ille dies primus quandam dicat distantiam temporalem, respectu eorum, quæ sequuntur: Quod autem dicitur [*Ne sit ociosa bonitas Dei*] non sic intelligendum est, quod etiam in æternitate fuerit ociosa: non enim Deus æterna caruit generatione, & æterna spiratione, & æterna cognitione, & dilectione. (Nisi dicatur ociosum, quod caret actu exteriori, siue effectu: non enim æternaliter creauit res: sed non congruit nomen ociositatis Deo attribuere.) Similiter illud verbum, quod dicit Aug. ex quorundam opinione: *Bonitatem, sc. Dei nunquam fuisse vacuam:* si intelligatur ratione æternæ generationis, & huiusmodi; verum est: si vero ratione effectuum in creaturis, non est verum: vbi hæc dictio [*nunquã*] respiciat tempus: tempore enim vel principio temporis existente, bonitas Dei nunquã fuit vacua ab effectibus.

* Sunt qui Libellum illum de Ecclesiasticis Dogmatib. inscriptũ B. August. adiiciũt & Gennadij siue Gẽnadij cuiusdã esse cõtendant.

Aug. in li. de ciuit. Dei.

¶ Qvod autem dicitur ab Aug. Dei: quod semper fuerunt angeli; & igitur ante cœlum & terram: sic intelligendum est: non quod [*semper*] dicat semper æternitatis; sed semper æui, vel temporis. Vnde Augustin. ibid. Deus semper fuit æternitate immutabili: isti autem facti sunt: sed ideo semper fuisse dicuntur: quia omni tempore fuerunt: sine quibus tempora nullo modo esse potuerũt. Et iterum: sicut dicimus creatũ tempus semper fuisse: quia omni tempore tempus fuit: ita non est consequens, vt si semper fuerunt angeli, ideo non sint creati: vt propterea semper fuisse dicantur: quia omni tempore fuerunt.

Aug. in 12. de ciuit. Dei.

¶ Qvod autem dicitur prior omni creatura est sapientia: si intelligatur de angelica propter rationem eius, quod est, creatum; non intelligendum est, quod prior tempore cœlo & terra sit creata, sed prior dignitate, ratione suæ incorporeitatis, & suæ separationis à corporibus. Vnde Aug. *Angelica creatura est, quæ omnia, quæ Deus condidit, natura dignitate præcedit: Vel dicitur prior omnium, quia prima inter creaturas, eo quod cum cœlo creetur, vel qua primo die sit facta, secundum quod nomine lucis spiritualis intelligitur.* ¶ Similiter illud, quod dicitur: *Ipse est principium viarum Dei:* attendendum est principium secundum iam dictam rationem, vel ratione dignitatis, vel ratione temporis: eo quod inter angelos hunc primum dignitate condiderit. Vnde Gregor. *Principium actionum Dei Vehemot dicitur, quia cum tanta crearet, hunc primum condidit: quem eminentiorem reliquis angelis fecit: & hoc ad dignitatem pertinet. Cum angelis vero primus dicitur conditus tempore, quia (secundum quãdam sanctorum opinionem) primo die conditus est, & intelligunt prioritatem * dici ad diem prioritate temporis.* Nec hoc est contrarium, quod ibidem dicitur: *Ecce Vehemot, quem feci tecum:* non enim intelligitur secundum Beatum Gregor. de vnitate temporis: sed cognatione rationis. Vnde Gregor. *Cum homine factus est, non vnitate temporis, sed cognatione rationis: quia in cuncta rerum natura nullum rationale animal est nisi angelus, & homo: quicquid ratione vti non potest, cum homine factum non dicitur.*

Idem 11. de ciuit. Dei. cap. 9. & 33

Iob. 40.

Gregor.

* Alias, diei.

Idem.

MEMBRVM II.

An angeli simul & in bonis naturalibus, & in gratuitis creati sint?

AD secundum, quo quæritur: An conditi sint in naturalibus tantum: vel etiam gratuitis. Quod autoritatibus & rationibus probatur: Dicit enim August. *Bonam voluntatem quis fecit, nisi ille; qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit; simul in eis condens naturam, & largiens gratiam?* ¶ Item, August. *Angeli beati erant, antequam caderent: eratq; quod adhuc eorum beatitudini adderetur; si perstitissent: donec summa beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium permansionis susciperent.* Ex quo arguitur: cum beatitudo non sit sine gratia: quod ipsi erant non tantum in naturalibus creati, sed etiam in gratuitis. ¶ Item Ioan. Damascen. loquens de angelis dicit. *Per verbum Dei creati sunt omnes angeli: & à Spiritu sancto per sanctificationem perfecti: secundum proportionem dignitatis & ordinis illuminatione & gratia participantes.* ¶ Item, Damascen. *lumen creatus est à conditore, & bonus factus est.* ¶ Item, August. *De angelis hoc disposuit & impleuit: vt si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eum diuino munere repararet.* ¶ Item, rationibus potest ostendi: cum enim angeli creati essent in statu, in quo aliqua lege naturæ astricti erant; poterant demereri transgrediendo legem illam: ergo per oppositum implendo, quod legis erat, poterant mereri: sed mereri non poterant, nisi habendo gratiam gratum facientem: ergo conditi erant non tantum in naturalibus, sed etiam in gratuitis. ¶ Item, in mente angelica scriptum est præceptum dilectionis

August. in 12. lib de ciu. Dei. cap. 9. to. 5. Idem de correctione & gratia.

Dam.

Idem.

Aug. de fide ad Petrum.

ctionis diuinæ: cum præcepto autẽ datum est adiutorium implendi: nihil enim repugnans erat ex parte recipientis: nec defuit bonitas diuina suæ creaturæ, sed adiutorium istud non est nisi gratiæ: ergo conditi sunt cum gratuitis.

¶ ITEM, arguitur ex hoc, quod dicit Augustin. *Creauit eos, vt præ seipsis illum diligerent: cuius se tales creatos opere cognouissent.* Sed non poterant diligere ipsum præ se: nisi gratia eleuante naturam: ergo habuerunt gratiam à principio creationis.

Idem in eodem.

¶ ITEM, sumitur ratio à minori: si enim homo, qui non habet tantam similitudinem naturæ, conditus est in gratuitis: multo fortius angelus conditus fuit in gratuitis. Quod autem homo conditus fuit in gratuitis, accipitur ex hoc, quod dicitur super illud Lucæ 10. *Spoliauerunt eum*, &c. Per hominem enim illum intelligitur Adam: vulneratus ergo fuit in naturalibus, & spoliatus gratuitis: ergo habuit gratuita. ¶ ITEM, si de angelo cadente verum est, quod conditus fuit in gratuitis: multo, vel æquè verum de alijs, sed de ipso dicitur sub figura. Ezech. 28. *Plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti*: sed delitiæ Paradisi * spiritualis sunt gratiæ: ergo fuit conditus in gratuitis: pari ergo ratione, vel ampliori boni angeli erant conditi in gratuitis.

Lucæ 10.

Ezech. 28.

*Alias, speciales.

¶ CONTRA. August. quod angelica creatura primo erat informis creata, & cœlum dicta: deinde dicit eam formatam, & lucem appellatam; hæc autem formatio est in conuersione ipsius angeli ad suum conditorem; quæ conuersio est per gratiam: ergo non primo cum creati sunt, cõditi sunt in gratuitis. ¶ ITEM, si gratiam habuissent gratum facientem, qua ratione vnus conuerteretur ad Deum meritoriè: eadem ratione alter conuerteretur: ergo si quidam stetissent: pari ratione & alij. ¶ ITEM, dicit August. *Sic factus est homo rectus, vt manere in ea rectitudine posset, non sine diuino adiutorio, & suo fieri peruersus arbitrio*: sed hæc rectitudo fuit gratiæ gratis datæ ipsi naturæ. Si vero habuisset gratiam gratumfaciẽtem; ex adiutorio illius gratiæ posset manere in illa rectitudine: ergo non habuit homo à principio adiutorium gratiæ gratumfacientis: ergo nec angelus. ¶ ITEM, creati erant in tali statu, in quo indifferentes erant ad bonum, & ad malum: vt si vellent conuerterentur, si vellent auerterentur, sed hæc differentia est naturalium, non gratuitorum: ergo angeli conditi erant tantum in naturalibus, & non conditi in gratuitis.

Aug. super Gen.

Idem in Enchiridio.

RESOLVTIO.

Sunt qui angelos in naturalibus tantum conditos, asseuerent; Sunt qui & in naturalibus, & in gratuitis simul creatos adstruant: quare problematicus esto.

¶ AD quod dicunt quidam: quod angeli creati erant in naturalibus, & conditi in gratuitis. Ad obiectum autem in contrarium primo: Dicunt, quod non est contrarium: quia primo fuit creata natura angelica informis, & postea formata, facta est lux. Secundum enim opinionem August. hic prius & posterius non referuntur, nisi ad ordinem naturæ, non ad ordinem temporis: & sic simul creati sunt in naturalibus, & conditi in gratuitis. Secundum autem opinionem aliorum sanctorum, prius & posterius dicitur in tempore, & sic prius erant in naturalibus creati, & postea in gratuitis conditi.

¶ ALIQVI tamen, qui illud opus primæ diei de ipsa luce facta referunt ad confirmationem (vnde diuisio lucis à tenebris est separatio confirmatorum in bono, à confirmatis in malo) dicunt, angelicam naturã esse informem: quia nondum habuit confirmationem, sed non dicunt informẽ; quia non habuit formam gratiæ, & hoc modo simul creati erant in naturalibus, & gratuitis: Quantum ergo ad duas opiniones sustineri potest. Nec est contrarium, quod dicit Aug. quia non intelligitur de hoc, quod est prius & posterius tempore, sed natura, siue origine.

¶ AD secundum dicendum, quod licet angeli boni, & qui nunc sunt mali, sint conditi in gratuitis: nihilominus remanebat apud eos libertas arbitrij: secundum quam illi poterant persistere in gratia ex dono Dei, & isti cadere à gratia, & hoc non fuit ex parte gratiæ, sed ex parte voluntatis, cuius erat persistere in bono, vel cadere à bono. Et est similis responsio responsioni Augustini: qua respondet obiectioni factæ de duobus, qui pares sunt in omnibus; præter hoc quod vnus resistit peccato, & alter cadit in peccatum: dicit enim quod hoc est ex ipsa libera voluntate: quæ facit, quod in se est, vt ad bonum conuertatur, vel deficiat à bono, ad quod posset conuerti: sicut enim est in hominibus duobus; quorum vterque habet gratiam; vnus cadit per peccatum, alius vero non cadit: ita potuit esse in angelis.

¶ AD tertium dicendum, quod licet homo, vel angelus factus sit rectus, non tantum rectitudine naturæ, sed rectitudine gratiæ, non tamen ex illa rectitudine accipit perseuerantiam, sicut ostendit Ansel. de charitate diuina. Sicut enim homo, & si habeat gratiam gratumfacientem; non tamen habet donum perseuerantiæ, quo non possit cadere à bono, habet tamen donum gratiæ; cui si adhæreat, manebit in bono: ita angeli licet haberent gratiam gratumfacientem, non tamen habuerunt donum perseuerãtiæ: quo in bono confirmarentur, sed habuerunt donum gratiæ, quo in bono possent permanere.

¶ AD vltimum dicendum, quod licet creati essent secundum quandam indifferentiam ad bonum, & malum: hoc modo vt possent, scil. conuerti, & auerti, si vellent: tamen poterant, & hi, & illi habere gratiam: licet enim gratia inclinet liberum arbitrium, vt conuertatur ad bonum, nihilominus tamen sibi relinquitur, vt adhæreat gratiæ sequendo eam; vel repellat eam, cadendo in peccatum.

¶ ALII vero sustinent aliam partem, exponentes autoritates, quæ expresse loquuntur de gratia, pro gratia gratis data. Ad illud vero, quo ostenditur, quod liberum arbitrium erat in tali statu, in quo potuit transgredi præceptum; propter quod etiam erat in statu tali, in quo poterat implere. Dicendum est secundum hoc: quod non est simile: transgredi enim est ex ipso libero arbitrio creato de se: implere vero est ex ipso libero arbitrio informato per gratiam: potuit tamen facere quod præceptum erat, sed ad hoc quod meritorium esset, requirebatur gratia gratumfaciens, quam habere poterat, si se inclinaret.

¶ SIMILITER responderi posset ad hoc, quod objicitur de dilectione, per autoritatem August. Ad hoc enim creauit, vt præ se Deum diligeret, nec oportet, quod in creatore sit datum, vt præ se diligeret Deum, & super omnia cum cæteris circumstantijs, quæ requirunt ad motum charitatis. Aug. in li. de fide ad Petrum.

¶ SI vero objiceretur, quod si in solis naturalibus creatus esset angelus, nõ posset mereri confirmationem ex illo statu. Respondendum est, quod ex statu illo non mereretur confirmationem, nisi superadderetur gratia. Videtur secundum hoc oportere ponere triplicem statum, naturæ, gratiæ & confirmationis, Respondendum est, scil. quod non videbitur inconueniens: natura n. inclinatur ad gratiã: gratia vero meretur confirmationem, quod in rationabili creatura manifestum est.

¶ AD illud vero, quod objicitur per similitudinem de homine. Responderi potest idem de homine, & angelo. Vnde sicut autoritates, quæ loquuntur de gratia data angelis à principio, exponuntur de gratia gratis data secundum hanc opinionem: ita autoritates, quæ inueniuntur de homine, possent secundum eandem rationem exponi.

¶ AD illud vero, quod objicitur de angelo. *In delicijs Paradisi*, &c. Dicendum, quod illud intelligitur de gratia gratis data. Et si quæratur, propter quid ratione talium gratiarum dicatur fuisse in delicijs Paradisi? Dicendum est, quod hoc fuit ratione status innocentiæ, in quo attenditur quasi quædam beatitudo. ¶ VIDETVR autem melius dictum; quod nunquam habuit gratiam gratumfacientem, hac ratione. Natura rationalis naturaliter semel vertibilis est de se, non pluries; nisi ex vnione cum aliquo alio: sicut est de anima rationali: quæ separata à corpore, necessario permanet in statu, in quo erat ante separationem. Vnde angelica natura semel vertibilis est: vnde semel auersa à Deo, semper permanet in auersione, & conuersa ad Deum, semper permanet in conuersione, sed constat, quod angelus habens gratiam gratumfacientem, non potest non conuerti ad Ezech. 28.

Isai. 14. ¶ QVOD aût non sint creati in illo cœlo, videtur per hoc, φ dicitur: *Ascendam in cœlũ, & similis ero altissimo.* ascensus dicitur esse respectu superioris loci eo, in quo creatus est: ergo non fuit creatus in supremo loco, sed cœlum empyreum supremus locus est; ergo nonfuit creatus in cœlo empyreo: pari ratione nec angeli. ¶ ITEM, August. *Superior pars aeris propter puram tranquillitatem cœlo, cui collimitatur, communi pace coniungitur; & eius vocabulo nuncupatur: in qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam angeli transgressores cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo; non mirum est, si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem.* Ex quo videtur accipi, quod illi angeli creati fuerunt in suprema & purissima parte aeris quæ cœlum æthereum dicitur; pari ratione & alij angeli. ¶ ITEM, dicit Ioan. Damasc. loquens de angelis cadentibus. *Ex his angelicis virtutibus, qui præerat terrestri ordini: & cui terræ custodia à Deo commissa erat; non natura malus factus, sed bonus existens, & in bono genitus, lib. arbit. sui electione versus est ab eo, quod est secundum naturam; in id, quod est præter naturam.* Si ergo custodia terræ deputata fuit angelis: conuenit custodes approximari suæ custodiæ: Angeli ergo illi approximati esse loco terrenæ habitationis, sed cœlum empyreum remotissimum est à terrena habitatione: ergo in initio creationis non conueniebat illos ibidem collocari.

Aug. super Gen. ad literã. lib. 3. c. 10. ante medium, to. 3

Damasc.

Psal. 103. Glossa. ¶ AD contrarium videtur facere autoritas, & ratio. Dicitur enim super illud: *Draco iste, quem formasti.* Glos. *secundum substantiam formasti, in qua bonus erat, & in empyreo locatus.*

Ezech. 28. Glossa. ¶ AD idem facit, quod dicitur. [illegible] Interlin. in Paradiso tertio, sc. cœlo, ad quod Paulus, sc. raptus est. Sed alibi dicitur, φ tertiũ cœlum fuit empyreum: ergo positus fuit in cœlo empyreo ab initio suæ creationis, de illa enim positione loquitur ibi. ¶ HOC idem ratione potest persuaderi: cum enim corpora sint ordinata; & sit finitas in corporibus: erit aliquod supremum corpus: illud supremum vocatur empyreum. Quod n. sit corpus, patet ex autoritate Strabi, & Bedæ, qui in Glos. super principium Gen. de hoc loquuntur, sed supremum cœlum est nobilius inter corpora: si ergo aliquod corpus congruat habitationi angelorum, illud erit supremum: ergo cœlum empyreum conuenit, vt sit habitatio.

Strabus & Beda.

RESOLVTIO.

Angelos, quam primum creatos in cœlo empyreo locatos, Strabo, Beda, & reliquorum sanctorum attestationi credamus.

¶ AD quod dicendum, quod secundum prædictas autoritates: angeli creati, in cœlo empyreo sunt primo collocati. ¶ AD obiectum aût primo in contrarium dicendum est, quod ascensus ille, de quo dicitur in Isai. *Ascendam in cœlum*, &c. non fuit ascensus corporeus: sed loquitur metaphoricè: vt ascensus dicatur affectus rei excellioris re illa, quam habet. Vnde affectus, siue appetitus æquiparantiæ diuinæ secundum quendam modum dicebatur ascensus. Si enim volebat ascendere ad cœlum Trinitatis: hoc non erat, vt de loco inferiori ascenderet ad superiorẽ, sed quod appetebat nõ esse sub alio, & propriæ potestatis esse: quod soli Deo conuenit. Cœlum etiam trinitatis non est corpus, & non est aliud, quam ipsa trinitas: non tamen appetebat esse eiusdem substantiæ cum patre: quomodo est filius, & Spiritus sanctus. De affectu autem eius, siue appetitu infra dicetur in proprio Tractatu.

Isai. 14.

Infr. q 109

¶ AD secundo vero obiectum dicendum, quod illud, quod dicit August. opinando dicit. Vnde addit dubitationis signum, dicens, fortasse: & cum hac coniunctione [*si*] quæ notat dubitationem. Et hoc accipit ex hoc, quod quidam Philosophi dicebant dæmones habere aerea corpora, & angelos similiter: ratione quorum corporum conueniebat eis ratio aeris, vel in superiori parte sicut bonis; vel in inferiori, sicut malis.

Aug. in 3. lib. super Genes.

¶ AD tertium vero dicendum, quod illud, quod dicit Damasc. de custodia terrestris ordinis, non cogit dicere, quod fuerunt in loco propinquo terrenæ inhabitationi; cum creati fuerunt: angeli n. existentes in cœlo, sunt custodes hominum, qui sunt habitatores terræ: distantia autem localis huiusmodi non impedit, quin possit cognoscere ea, quæ aguntur in terra, secundum quod accipiunt à verbo æterno. Vel ratione etiam perspicacitatis naturalis, possunt etiam quædam cognoscere præsentia: quæ tamen remota sunt in loco.

ARTICVLVS III.

An rectè dictum sit à Beda: cœlum empyreum repletum esse sanctis angelis: & quibus angelis repletum est, bonis tantum, an etiam malis?

AD tertium, quo quæritur de hoc, quod dicitur, cœlum empyreum sanctis angelis esse repletum: & dicuntur sancti angeli vel propter bonitatem in nomine: vel propter sanctitatem gratiæ: non quia adhuc essent confirmati.

¶ VIDETVR autem, quod non conuenienter dicatur, cœlum esse repletum. Illud n. dicitur replere aliud, cuius pars occupat partem, & alia pars aliam, vt non sit vacuum, sed angeli cum sint substantiæ incorporeæ, non habent partem & partem quantitatiuam: ergo non sunt repletiui loci corporalis. ¶ PRÆTEREA, repletum dicitur illud, cuius plenitudini non potest fieri additio, sed cœlum empyreũ, non sic fuit repletum angelis: vt eis nulla posset fieri additio: possent enim creari alij angeli, & in cœlo empyreo collocari. ¶ ITEM, repletio corporis, quam facit angelus: non est ad modum corporis replentis aliud corpus, sicut aqua replet vas: nec sicut anima replet corpus: [illegible] in toto corpore, [illegible] non potest esse, sicut forma alterius corporis: non enim angelus est forma corporis, quod replet: nec sicut Deus dicitur replere mundum. *Cœlum, & terram ego impleo:* hæc enim impletio est, quod essentialiter est in rebus, conseruans res in esse, quo ergo modo dicitur cœlum ab angelis repleri? Ierem. 23.

¶ PRÆTEREA, cœlum dicitur repletum esse angelis; quibus angelis dicitur repletũ, propter illud verbum, quod dicit Beda. Mox vt cœlum creatum est ab angelis sanctis repletum est? An enim intelligitur hoc de angelis communiter; aut tantũ de bonis? Quod non de angelis bonis tm̃ videtur: nondũ n. facta fuit diuisio lucis à tenebris, in qua diuisione intelligitur diuisio sanctorũ angelorum à reprobis. Si vero intelligatur de angelis communiter, tam hi, quam illi dicebantur cœlum replere: ergo cadentibus malis angelis; ad hoc quod non esset vacuitas in cœlo; essent alij angeli substituendi: repletio enim illa aliquid faciebat in cœlo: ergo defectus plenitudinis esset quædam imperfectio, non autem conuenienter dicitur, quod nobilissimum, & supremum imperfectionem haberet in esse, vel in bene esse, cum inferiora corpora obtinuerint perfectionẽ vtroq; modo. Beda.

¶ PRÆTEREA, Ex hoc quod dicitur, cœlum statim, vt factum est, repletum est angelis: aut ita intelligitur, quod angeli prius essent facti sine loco; & postea illum repleuerunt locum: quod non videtur: eo quod nihil esset creatũ ante cœlum & terram: sicut habetur ex vna expositione eius, quod dicitur: *In principio Deus creauit cœlum, & terrã.* Aut posterius facti sunt: & hoc non videtur ex ipsa intentione autoritatis: qua dicitur, quod cœlum statim repletum est, vt factum est: vnde videtur designare, quod tempus nõ intercederit, ex quo derelinquitur, quod simul creati sunt cum cœlo. Sed videtur per simile, quod hoc nõ sit verum: prius n. facta est habitatio: in qua debebant homines habitare: quam homines, qui debebant habitare. Similiter prius facta est habitatio volatilium, quam ipsa volatilia: & sic de alijs: ergo prius videtur, quod conueniat cœlum fieri tanquam habitationem, & postea angelos tanquam habitatores. Genes. 1.

RESOLVTIO.

Cœlum empyreum repletum angelis dicitur, non materialiter; sed propter congruentiam ornatus, & sufficientiam ordinatorum à Deo. Omnibusq; angelis repletum asserimus: sicut omnes sanctitatem innocentiæ tunc habebant: tametsi nonnulli postea ceciderint.

¶ AD quod dicendum, quod cœlum empyreum dicitur angelis repletum propter ipsam sufficiẽtiam, & cõgruitatem ornatus: sufficientia autem dicitur esse secundum numerum

Autor libelli de causis propositione. 31.

¶ ITEM, Philoso. in Lib. De causis. Est quædam substãtia, cuius substantia est in æternitate, & actio in tempore, vt anima: quædã, cuius substantia, & actio est in tempore; vt substantia corporea: & quædam, cuius substantia, & actio in æternitate; & hoc congruit ad perfectionem vniuersi: ex quo in vniuerso est reperire reliqua duo substantiarum genera: erit & reperire tertium: huiusmodi autẽ substantia est angelus: quod patet, quia ibi accipit æternitatem pro æuo, cum in eodem Lib. dicat quoddam esse, esse ante æternitatem, & cõstat, quod non põt accipere æternitatem, nisi pro æuo: ergo necessario est ponere angelum. ¶ ITEM, ꝙ angelus sit, sumitur ex motu cœlorũ: cum n. moueatur ex causa extrinseca; causa vero extrinseca sit substantia separata: non est aũt aliqua substantia creata separata à corpore præter angelũ: ergo angelus mouet: ergo angelus est in vniuerso. ¶ ITEM, hoc ostẽditur ratione necessitatis humanæ, cum n. habeat imperfectionem multiplicem ad modũ paruuli: habet n. imperfectionem ex parte animæ: habet etiam imperfectionem ex parte corporis: ergo indiget custode in bono, & tutore à malo, sed custos, siue tutor in quantũ huiusmodi, superior est paruulo: ergo illa substantia est superior, & creata, cum hoc sit quoddã ministerium; non est aũt nisi angelus: ergo necesse est angelum esse, & hoc est, quod dicitur: *Super muros tuos Hierusal. in constitui custodes*: & quod angelus Tobiæ debebat eum custodire euntem, & reuertentem: sicut dicitur Tobiæ 5.

Esaiæ 61.

RESOLVTIO.

Vtrumque Testamentum admodum nos certos reddit, Angelos existere & reperiri.

¶ SOLVTIO. Concedendum est, quod angelus sit. Vnde de eius effectibus satis habetur in veteri Testamento, & nouo. ¶ AD ea vero, quæ obijciuntur in contrarium, intelligendum primo est, quod est angeli ad hominem superioritas, & inferioritas, & paritas quo ad diuersa tamen. Quo ad hoc quod sicut Deus non solum est principium creaturarum, sed etiã finis: ita & homo est finis creaturarũ, est homo quodammodo superior. Secundum vero quod homo dicitur ad imaginem Dei, nõ est angelus est superior dignitate quo ad hoc: sed quantum ad memoriã, intelligẽtiam, voluntatẽ est inter ipsos paritas: secundum quod ratione horum determinatur absolutè imago Dei in ipsis. Sed quo ad actum intelligendi est angelus superior dignitate, quia habet simpliciorem modũ in intelligẽdo, quã homo, & bene concedimus, quod angelus datus est homini ad custodiam; & ei multa reuelat: vnde quodammodo est ei subiectus quãtum ad intellectum; non simpliciter, sed soli Deo, cuius solum modo est dare esse, est simpliciter subiectus. Vnde angelus non dicitur dator, sed ministrator.

¶ AD hoc, quod obijcitur: quod angelus est simpliciter inferior homine; cum ministrare ad inferiorem pertineat: Dicimus, quod non propter hoc habetur, quod in homine resideat aliqua dominatio respectu angeli, sed ꝙ illud ministerium sit ad vtilitatem hominis. Vnde propriè ratione huius ministerij est minister Dei, non hominis.

¶ AD alia vero dicendum est, quod angelus ratione ministerij ordinatur ad hominem, non tamen ratione cõtemplationis intimæ, qua Deum contemplatur; sed sic ordinatur supra hominem; & ita ordinem habebit in vniuerso vtroq; modo: sed differenter.

¶ AD aliud vero quod obijcitur: quod eius custodire est; cuius est dare esse: Dicendum est, quod eius est custodire autoritate, & illuminare autoritate, & ita de alijs: nihilominus tamen habet ministros. Sicut est de Rege magno, qui autoritate custodit ea, quæ sunt in regno suo: nihilominus vero habet particulares custodes, qui diuersis custodijs sunt deputati.

MEMBRVM II.

An Angelus sit lumen spirituale ex conditione suæ naturæ.

AD secundum, quo quæritur: Quid sit angelus in genere? Circa quod quæruntur duo. Primo: Vtrum sit lumen spirituale ex conditione suæ naturæ. Quod videtur per hoc, quod dicit Dionys. *Dæmones integri sunt, & clarissimi, & si ipsi non vident, claudentes ipsius boni inspectiuas virtutes*: Sed constat quod huiusmodi claritas non contingit ex aliquo accidenti supra naturam (dico autem naturam, primam rerum institutionem) sed esse clarissimũ, non conuenit nisi lumini: ergo angeli ex sua prima institutione naturali sunt lumina.

Dion in li. de diuin. nomin. cap. 4. pa. 4. circa medium.

¶ ITEM, Dionys. *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum*: Sed quod est splendidissimum, ratione luminis dicitur, huiusmodi: ergo angeli sunt lumina, siue luminosi. ¶ ITEM, Dionys. loquens de angelis in Libr. de Hierarch. ang. dicit, quod angeli sunt lumina; à patre luminũ descendentia. ¶ ITEM, Iohan. Damasc. *Lumen creatum est à conditore, & bonus factus*: Ergo angeli ex ipsa conditione sunt lumina, & cõstat, quod loquitur de lumine intellectuali: vnde præmiũ bonum est lumen intellectuale angeli: ergo ex sua conditione sunt lumina intellectualia.

Item in eodem.

Idem in li. de Hierarch. angelica.

Damasc.

¶ PRÆTEREA, sicut dicit Ambr. luminis est manifestare se, & alia, sed hanc proprietatem habet angelus, vt se manifestet, & sic ab alio cognoscatur, & alia faciat cognoscere, ex quo præsumitur, quod angeli sint lumina; cum proprietatem ei conuenientem habeant. ¶ PRÆTEREA, cum dicitur: *Fiat lux, & facta est lux*: lucis nomine (secundum quod exponit B. Aug.) designatur angelica creatura, ergo angeli sunt lumina.

Genes. 1.

¶ CONTRA, lumen non potest esse tenebra, sed angelus potest fieri tenebra spiritualis per peccatum. Vnde Damasc. *malum est tenebra intelligibilis*: Auersi enim à summo lumine, facti sunt tenebræ: ergo angeli de sui natura non sunt lumina. ¶ ITEM, cum dicitur: Deus diuisit lumen à tenebris: nomine lucis designantur angeli sancti: nomine tenebrarum angeli, qui ceciderunt per peccatum: ergo angeli de sua natura indifferentiam habent ad lucem, & tenebras: ergo non sunt de sua natura prima lumina.

Damasc.

¶ PRÆTEREA, locus & locatum sunt proportionabilia, sed loco tenebroso proportionantur dæmones: ergo sunt tenebrosi. Vnde, & dicuntur angeli tenebrarum: sicut habetur vlt. ad Ephesios. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus rectores tenebrarum harum*: ergo angeli de sui natura non sunt luminosi. ¶ PRÆTEREA, si essent in sua natura lumina mali angeli, cum seipsos cognoscant: cognoscerent se esse luminosos, sed cognoscendo se esse luminosos, sequeretur delectatio: talis autem non est in angelis malis: ergo angeli de sua natura non sunt lumina.

4. Phys. 33. & 34.

Ad Eph. 6.

RESOLVTIO.

Angeli secundum naturalia fuere quidem lumina splendentia, sed splendidissima non fuere, nisi post habitam formam gratiæ gratumfacientis.

¶ AD quod dicendum, quod duplex est lumen, scil. naturæ, & gratiæ: quod etiam dicitur lumen naturæ, hoc est donum Dei. Vnde vtraque lumina ad donum Dei pertinent, sed differenter. Vnde in Lib. de Diui. Nomin. *Data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus*: Sed hoc intelligitur de dono naturæ, quod nõ ex toto mutatum est; sed donum gratiæ (supposito quod habuit gratiam gratum facientem) omnino est ablatum.

Diony. Li. de Diuin. nomi. par. 4. c. 4. circa mediũ.

¶ AD obiectum autem primo dicendum, quod illud, quod dicit Dionys. in Lib. de Diui. Nomin. intelligitur de lumine naturæ: non de lumine gratiæ gratumfacientis. Vnde nihil prohibet dæmones esse clarissimos quantum ad ipsum lumen naturæ, quod est in ipsa perspicacitate intelligentiæ, & nihilominus esse nõ videntes, propter defectum gratiæ gratumfacientis; quam non habent propter fastum elationis, in quam ceciderunt.

¶ AD secundum dicendum, quod autoritas B. Dionys. intelligi videtur de angelo, iam habente formam gratiæ: propter hoc quod dicitur esse speculum splendidissimum: si tamen accipiatur pro splendore naturæ angelus dicitur esse speculum splendidissimũ, id est, valde splendidũ, propter resultationem cuiusdam lucis creatæ à luce increata. Quod autem dicitur manifestatio occulti luminis, hoc intelligi-

telligitur propter hoc, quod lumen diuinitatis dicetur occultissimum: manifestatio autem eius est in lumine intelligentiæ angelicæ primo.

¶ Ad tertium dicendum, quod illud, quod dicitur; quod angeli sunt lumina: intelligitur de illuminatis per gratiam: sic enim proceditur in Tracta.de Hierarchia angelica: loquitur enim de ordinibus angelorum, prout iam habent gratiam gratumfacientem.

¶ Ad quartum dicendum, quod verbum Ioan. Damasc. potest intelligi: vel de lumine naturæ: vel de lumine gratiæ gratumfacientis: quod datum fuit à principio; supposito, quod angeli habuerint gratiam gratumfacientem, quam cito fuerunt creati.

¶ Ad quintum dicendum, quod intentio B. Ambros. refertur ad hoc, quod intelligitur de lumine naturæ: quod enim se potest cognoscere, & alia: hoc refertur ad lumen naturæ: angelica n. intelligentia, & si non ad sit gratia; habet potentiam cognoscendi se, & alia.

¶ Ad sextum dicendum, quod intelligitur conditio angeli dupliciter: quantum ad esse, & quantum ad bene esse. Quantum autem ad esse, intelligitur conditio angeli in conditione cœli: quantum ad bene esse, intelligitur in conditione luminis: sicut dicit ibidem Glos. fieri n. lucem, nihil aliud est, quam angelicam creaturam conuerti ad lumen æternum; & eius habeat similitudinem, & in ea habeat desiderium perseuerandi.

An angelus substantia sit, & quæ substantia. §. 1.

¶ Adhuc etiam quæritur: Quid sit angelus genere? Est enim duplex esse, quantũ ad esse purè naturale, & quantum ad esse gratuitum. Quod n. dicitur lumen hoc pertinet ad esse gratuitum, quod dicitur substantia à Damasc. hoc pertinet ad esse naturale.

¶ Quæritur ergo, cum non sit accidens, eo quod in nullo alio est sicut in subiecto, erit substantia. Substantia autem dicitur tripliciter; materia, & forma, & quod est ex his; additur etiam quarta differentia; vt substantia dicatur illud, quod pertinet ad quidditatem rei. Quæritur ergo, vtrum angelus sit substãtia isto modo, vel illo. ¶ Quod autem non dicatur substantia materia, sic ostenditur. Substantia materia est receptiua formarum, quæ cum ipsa faciunt vnum in natura, sed si angelus est susceptiuus alicuius formæ, non erit receptiuus formæ, quæ faciat vnum in natura cum angelo: ergo angelus non est substantia materia, nec substantia forma, cum substantia forma perficiat aliquam materiam.

¶ Præterea, forma inest materiæ secundum quendam modum, nec habet rationem per se subsistendi, angelus autem nullum istorum habet: ergo non dicetur substãtia forma. ¶ Nec dicetur substantia, quæ ex his est: substantia n. quæ est ex his, est composita: angelus autem simplicitatem habet respectu materiæ: simplicitatem etiã habet respectu formæ, cum vtraque ratio sit entis compositi corporalis: non ergo angelus est substantia composita.

¶ Si vero forte dicatur, quod angelus habet in se compositionem materiæ, & formæ: & id attestatur, quod habet potentiam recipiendi & agendi. Secundum hoc obijcitur, quod pari ratione forma angeli erat composita: quia habet rationem potentiæ receptiuæ à Deo, & actiuæ in creaturas, quod cum falsum sit: eo in infinitũ oporteret abire secundum hunc modum, non ergo erit angelus substantia composita propter hanc rationem. ¶ Ita nec erit substantia, quæ exprimit rei quidditatem: hoc enim non conuenit absolutè, sed respectiuè: dicitur enim diffinitio alicuius substantia diffinita; quia continet quidditatem eius, sed isto modo non dicitur angelus esse substantia, cum ad nihil aliud referatur per hunc modum, non ergo dicetur angelus esse substantia aliquo modorum prædictorum.

¶ Præterea, supposito quod sit substantia, aut est substantia simplex, aut composita: Quod sit simplex, videtur per comparationem ad animam: cum enim anima simplex dicatur, sicut habetur in Lib. de Anima, & spiritu: angelus aũt subtilioris essentiæ sit, quam sit anima: erit ergo angelus simplex. Quod autem anima sit simplex; dicit Damasc. ponens talem rationem. *Anima est substantia viuens, simplex, & incorporea*: Et in Lib. de Anima & Spiritu. *Anima est substantia spiritualis, simplex, & indissolubilis.* Præterea angelus est subtilioris essentiæ, quam sit punctus, punctus autem dicitur esse simplex: ergo multo fortius angelus est simplex. Aug. in li. de anima & spiritu. Damasc.

¶ Contra; in omni, quod est citra primum, differt quod est, & quo est: sed angelus est citra primum: ergo in eo differt quod est, & quo est: sed omne, in quo differt quod est, & quo est; est compositum: ergo angelus est substantia composita. ¶ Item, angelus habet vires; secundum quas attenditur, quod est imago, sc. memoriam, intelligentiam, & voluntatem, sed vires, siue potentiæ non sunt ipsa essentia: quia nulla essentia est sua potẽtia, nisi in Deo: ergo angeli essentia non est suæ vires: ergo angelus est substantia composita. ¶ Item, quæcunq; conueniunt genere secundum rationem: secundum esse naturæ conuenit, quod habeant materiam: genus enim respondet materiæ: ergo cum substantia, quæ est angelus; conueniat cum corpore in genere; habebit rationem materiæ, sed si habet rationem materiæ, habebit rationem formæ: ergo angelus est substantia composita.

RESOLVTIO.

Quidquid dicant nonnulli ex Philosophis, Angelus substantia composita est; & si non ex materia & forma: saltem ex quo est, & quod est.

¶ Ad quod dicendum, quod licet secundum quosdam Philosophos intelligentia, quæ dicitur angelus: sit forma sine materia: videtur tamen dicendum, quod sit compositum ex materia, & forma. Quod si aliquibus videbitur, quod sit forma per se ens sine materia; habebit cõpositionem ex quo est, & quod est, cum vtroq; modo dicatur compositum aliquo genere compositionis.

¶ Ad primo obiectum in contrarium dicendum est, licet angelus habeat simplicitatem respectu materiæ corporalis; & formæ, quæ simplices sunt in genere suo: nihilominus tamen cõpositus est in se; sed respectiuè simplex. Quod enim simplicior his; hoc est, quia habet esse spirituale: quod non habet forma huiusmodi corporalis, vel materiã. Materia autem dicitur simplex; quia non resoluitur ad aliam materiam: & forma prima, quia non resoluitur in aliam formam: & ita alio, & alio modo dicitur vtrobiq; simplex.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod hoc posito, quod angelus habeat materiam & formam spiritualem: nõ sic est in forma sua, vt pari ratione habeat potentiam receptiuam, & actiuam; sicut angelus. Nam forma dicitur habere receptiuam potentiam; vt recipiat esse à Deo. Sed angelus præter illam potentiam, quæ conuenit creaturæ inquantum huiusmodi, habet propriam potentiam, vt recipiat formas intelligibiles: quam non habet illa forma de se.

¶ Ad tertium dicendũ; quod cum dicitur angelus simplex, aut anima simplex: comparatiue dicitur, respectu inferioris dignitate, quæ plus habet de compositione.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de angelo respectu pũcti: Dicendum, quod nec angelus, nec punctus omnimodam habet simplicitatem, sed punctus dicitur simplex in genere magnitudinis: compositionem tamen essentiæ habet respectu rei incorporalis. Similiter angelus licet dicatur simplex respectu animæ, nihilominus dicitur habere in se propriam compositionem.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de modo compositionis angeli; quod habet communem materiam cum corpore, sicut dicitur habere genus commune. Dicendum, quod hoc falsum est: licet enim in hoc conueniant, quod vtrunq; dicitur habere materiam secundum suum modum; non tamen eandem: non enim est eadem materia corporalium, & spiritualiũ: sicut infra ostendetur in Tract. de operibus sex dierum. Vnde ex hoc est genus commune; quia aliqua ratio materialis communis est secundum rationem; non quod eadem sit materia. Quæst. 44 membr. 2.

MEMBRVM III.

An rectè desinierit Damascenus Angelum, cum scilicet dixit Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans: secundum gratiam, non naturam immortalitatem suscipiens.

AD tertium, quo quæritur: Quid sit angelus secundum rationem. Et primo quæritur quantum ad illam diffinitionem, quam ponit Damas. *Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, secundum gratiam, non naturam immortalitatem suscipiens.* Dam li. 2 Cap. 2.

¶ Objicitur autem contra hanc rationem multipliciter. Videtur enim, quod prima differentia ibi posita, vel tertia superfluat: videntur enim esse conuertibiles adinuicem: cum omnis substantia arbitrio libera sit intellectualis, & econuerso.

¶ ITEM, contra secundam differentiam objicitur, quod dicitur, mobilis: quia (sicut probat Philosophus) nullum impartibile est mobile: sed angelus est impartibilis: cum simpliciter & absolutè sit simplex, vt probatum est. ¶ ITEM, objicitur contra hanc, quod dicitur, semper mobilis: aut. n. hoc dicitur, eo quod semper actu moueatur: aut quia semper possit moueri: Non primo modo, quia hoc falsum esset. Si secundo modo, sed hoc similiter verum est in corporibus qđ ergo haberet angelus supra corpora ratione huius differentiæ?

¶ ITEM, objicitur de ordine tertiæ differentiæ ad secundam: quia constat, quod prius est cognoscere bonum, aut malum, & postmodum hoc & illo cognito, sequitur electio huius, & fuga illius: tertio sequitur motus ad hoc, aut ad illud, & ita secundum hoc sic debe[r]ent ordinari istæ differentiæ: vt diceretur, angelus est substantia intellectualis arbitrio libera, semper mobilis. ¶ ITEM, cum dicitur, angelus est substantia libera arbitrio: de qua libertate intelligitur, naturæ, scil. aut gratiæ: Non gratiæ: quia tunc illa differentia conueniret malis angelis, quod falsum est. Si naturæ; adhuc non videtur conuenire malis angelis. Et primo qđ secundum quod aliquis plus, vel minus remouetur à summa libertate, plus aut minus cadit in seruitutem: ergo qui perfecte & plene cadit in seruitutem culpæ, & pœnæ simpliciter recedit à summa libertate: sed malus angelus in plenam, & perfectam cadit, scil. in seruitutem pœnæ, & culpæ sine fine, & sine aliquo remedio, ergo simpliciter à summa libertate recedit: ergo libertas arbitrij ei non conuenit.

Ansel. lib de lib. arb. cap. 1. ¶ AD idem Ansel. posse facere malum non est libertas, aut pars libertatis: sed posse prius solummodo conuenit malis angelis: ergo vt prius. ¶ ITEM, cum arbitrium sit rationis, & quod est intellectuale, est rationale; videntur enim esse conuertibilia: quæritur, quomodo differant? ¶ ITEM, ad cuius differentiam ponitur hæc differentia, incorporea? & planum est, quod non ad differentiam substantiæ incorporeæ, cum ratione huius conueniat cum angelo. Similiter videtur, quod nec ratione corporum, quia ipsa iam erant ab angelo diuisa per hoc, quod præmissa erat hæc differentia, intellectualis. ¶ ITEM, quæritur, per quam differentiam positam differt angelus ab anima, & videtur, quod per nullam. ¶ ITEM, quæritur de hac differentia, Deo ministrans: videtur, quod non sit differentia angeli essentialis: quia angelus desinet ministrare: cum propter homines ministret, vt capiant hæreditatem salutis æternæ: vt dicitur Heb. 1. & igitur desinet ministrare, cum homines ceperint hæreditatem illam: ergo male ponitur hæc differentia in prædicta diffinitione. ¶ ITEM, quæritur de vltima differentia: primò, quare non assignetur immortalitas angelo simpliciter, & absolutè: cum Augu[s]t. dicat animam simpliciter esse immortalem, cum immortalitas magis videatur angelo, quam animæ conuenire?

¶ ITEM, quæritur, vtrum immortalitas conueniat tam angelo, quam animæ per naturam, vel per gratiam? Et quod non per naturam, sed per gratiam, dicitur in diffinitione. Hoc etiam patet per hoc, quod dicit Greg. quia omnia creata, quia ex nihilo sunt, in nihilum tenderent, nisi manu creatoris retinerentur: ergo per naturam tendunt in non esse: ergo nec angelus, nec anima per naturam habeat, qđ sint immortales, ergo si sint immortales, hoc erit gratia, non natura.

RESOLVTIO.

Desinitio illa, qua Damascenus angelum definiuit, recta est, non quidem esse substantiale per genera, & differentias explicans, sed esse virtuale, potentias, s. per actus, & substantiam per potentias exprimens.

¶ RESPONDEN. est, ad euidentiam diffinitionis huius, & partium eius, Primo notandum est, quod sunt duo modi diffinitionis: vnus attenditur quantum ad illam diffinitionem, in qua ponuntur genus, & differentiæ: quarum vnaquæque pars extendit se in plus: tamen omnes veniunt in æqualitatem: & hæc diffinitio est ex genere, & differentia, vel differentijs, quæ notificant esse substantiale rei. Alius est, qui attenditur in diffinitione, secundum quem cognoscimus potentias per actus, & substantiam per potentias, & hæc notificat esse virtuale rei: & talis est prædicta diffinitio angeli. Quo ad hoc verò potest notificari dupliciter: vel in se, vel in comparatione. In se primo dupliciter: vel secundum virtualem potentiam, quam habet ad cognoscendum, & sic dicitur substantia intellectualis. Vel ad mouendum: Et hoc adhuc dupliciter, vel quantum ad conditionem loci, & sic dicitur semper mobilis, vel quantum ad conditionem affectionum, & sic dicitur arbitrio libera, & ad perfectionem suam, s. ad gratiam, & sic dicitur immortalitatem gratia, non natura suscipiens: & ibi sub gratia comprehenditur gloria.

¶ AD illud vero, quod primo objicitur, patet solutio ex prædictis, aliud enim esse virtuale angeli determinatur per hanc differentiam, & per illam, quia per primam esse virtuale ad cognoscendum: per aliam esse virtuale ad mouendum secundum affectiones.

¶ AD aliud dicendum, quod illud, quod dicit Philosophus, quod nullum impartibile est mobile: intelligitur de mobili in corporibus, vbi est necesse, quod mobile commetiatur se loco: ita q; totum toti, & pars parti: & tunc verum est, quod omne, quod mouetur, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem: sed sic non est mobilis angelus. sed licet moueatur de loco ad locum: licet etiam Deo assistat per contemplationem, quia necesse est, vt ibi sit, vbi operatur, sicut dicit Dam. tamen non est necesse, quod pertransea[t] medium vno modo, sumendo transitum per medium, quia non se commetitur loco: hoc tamen magis alibi explanatur. 4. Phy. 99. 87 phy 4.

¶ AD aliud dicendum, quod dicitur, semper mobilis, ad differentiam tam rectorum corporum, quod circularium. Corpus enim rectum, quod motu recto mouetur, non semper est in hac conditione, vt nihil ei desit ex parte sui, ad hoc vt actualiter moueatur, quia cum existens in loco sibi debito per naturam, secundum quod est existens, non habet, quicquid exigitur ex parte sui, potest verum esse, quod actualiter non moueatur propter indigentiam motoris: Corpus verò circulare, & si semper habet, quicquid exigitur ex parte sui: quia tamen adhuc motorem extra exigit, potest esse quod actualiter non moueatur. Si enim non esset motor cœli, staret cœlum, sed angelus habet semper in se omnes conditiones, quæ exiguntur ad sui motum: vnde non indiget motore. Et loquimur de motore, prout dicimus; quod anima mouet corpus: non de motore separato, quod est Deus, cuius imperium exigitur ad motum angeli. Elice ex q 51. seq.

¶ AD aliud dicimus, quod angelus habet comparationem ad corpora mobilia & motu recto, & motu circulari, quo ad vtrunque motum: quia (secundum quod dicit Dionysius) vtroque modo potest moueri. Vnde motus secundum locum non est in eo determinatus, quantum ad vnam differentiam: sed secundum motum, qui est secundum affectiones, comparatur ad spiritus rationales: quia arbitrio liberi sunt: sed iste motus est in ipso determinatus, quantum ad vnam differentiam, scilicet quo ad hoc, quod si est motus in bonum, per

affectionem stat in illo: si in malum, similiter stat in illo. Vnde etiam in loco, qui congruit bono angelo, & malo, ratione affectionis stant: sed hoc non ratione motus localis: sed ratione motus secundum affectiones. Vnde dæmones non habent potestatem redeundi ad paradisum: sunt enim insusceptibiles pœnitentiæ: secundum quod dicit Dam. Patet ergo, quod maior est libertas in angelo, quantum ad motum secundum locum, quam quantum ad motum secundum affectiones, & ideo nobilior est hæc differentia [*semper mobilis*] quo ad hoc, quam hæc differentia [*arbitrii libera*] & ideo prior in diffinitione.

¶ Ad aliud dicendum, quod duplex est libertas naturæ: quædam, quæ non potest tolli, nec minui per peccatum, quæ purè naturalis est: & hæc respicit substantiam rationalem secundum id quod est. Alia autem est libertas naturæ, quæ potest minui per peccatum magis, ac magis, quæ attenditur in ordine siue inhabilitatione potentiæ ad bonū: & de hac dicit Ansel. quod posse facere malum non est libertas, aut pars libertatis: & hoc secundum huiusmodi non est in angelis malis: quia ex quo semel peccarunt, sunt inhabiles ad bonum. Vnde libertatem arbitrij isto modo non habent, sed primo.

Ansel. lib. de lib. arb. cap. 1.

¶ Ad aliud dicimus: quod cum dicitur, arbitrio libera, arbitrium, hic sumitur pro iudicio, secundum quod aliquis potest communiter eligere bonum, vel malum: quod tamen angelo conuenit sine collatione rationis: homini verò cum collatione. Et ideo (propriè loquendo) anima nostra dicitur substantia rationalis: angelus verò substantia intellectualis: vt ratione collationis assignetur differentia inter substantiale, & intellectuale. Vnde vtrunque cognitione respicit: sed ipsum arbitrium rationis potentiam respicit motiuam.

¶ Ad aliud dicimus, quod per hanc differentiam [*incorpoream*] differt angelus ab anima: licet enim anima non sit substantia incorporea, tamen est vnita, aut vnibilis corpori: angelus verò nec est substantia corporea, nec vnibilis corpori, nec vnita, & hoc totum priuatur ab ipso per hanc differentiam, incorpoream, differt enim per hanc differentiá, semper mobilis, quia angelus semper mouetur, vt explanatum est superius, sed anima mouetur, moto corpore.

¶ Si verò quæratur, vtrum simpliciter debeat dici incorporea? Dicimus, quod sic: cum hoc absolutè, & secundum se ei conueniat: licet quo ad Deum, inueniatur quid grossum, & materiale: hoc enim solum comparatiuè ei conuenit, secundum quod dicit Dam. & hoc secundum vnam proprietatem corporis, quæ est diffiniui loco: quæ angelo conuenit, sicut & corpori.

Paulo superius in explicatione tertiæ particulæ.

¶ Ad aliud dicimus, licet non sit necessarium angelum semper ministrare ad vtilitatem hominis: nihilominus cum ipso semper remanebit virtus, & potentia ministrandi: & ideo quod dicitur [*ministrans*] essentialiter ei conuenit, secundum quod sonat in habitum: & sic in diffinitione sumitur. Vel potest dici, quod licet non semper conueniat ei ministerium, quod habet respectu hominis: tamen illud, quod est ipsius in se ad Deum, semper ei conuenit: ipsos enim angelos voluntate Dei semper subiectos esse dicimus.

¶ Ad aliud dicimus, quod prout per immortalitatem priuatur quæcunque mutabilitas, quod immortalitas soli Deo per naturam conuenit, secundum quod dicitur 1. Timoth. vlt. Vnde bonum concedimus, quod angelus, & anima habent vertibilitatem secundum affectiones, & in nihil tamen immortalitas conuenit eis gratia, non natura.

¶ Ad aliud, quod quæritur, quare non dixit angelum simpliciter, & absolutè esse immortalem, cum hoc dicat Aug. de anima rationali? Dicendum, quod ibi non diffinit eam per differentiam ad Angelum: sed potius per differentiam ad sensibilem, quæ est in brutis, & vegetabilem, quæ est in plantis, quæ desinunt esse cum corpore: tamen quod hic dicitur, angelum esse immortalem, intelligitur specialiter de immortalitate, prout priuat mutabilitatem, quæ est secundum affectiones: prout dicimus, quod postquam angelus semel bonus est, semper est bonus, & postquam semel malus, semper malus: non sic est de anima. Præterea, immortalitas dicitur, quia de facili non est mutabilis: & hoc habet à sua natura, siue à suo principio: ex se enim solum habet, vt sit vertibilis in nihil quodammodo: vnde habet immortalitatem quasi ex quodam dono gratiæ: tamen quodammodo ex principio naturali, potest non mori: sed anima de facili comparatione ad angelum est vertibilis in nihil: vnde ex se, & ex habilitatione ad coniunctionem est vertibilis.

An rectè Dionysius desiniuerit Angelum, cum dixit, Angelus est imago Dei &c. §. j.

¶ QVÆRITVR postea de diffinitione, quam ponit Diony. *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incōtaminatum, incoinquinatum, recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem bene formatæ Deiformitatis, & pure declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditu.*

Quęstio lateralis. Dion. de diu. nom. Cap. 6.

¶ Quæritur ergo primo quantum ad primam differentiam: Circa quod quæruntur duo, scilicet vtrum angelus sit imago. Et si sic, cum hoc similiter dicatur de homine, vtrum hoc æqualiter eis conueniat, aut vni secundum præeminentiam.

¶ Circa primum sic primo, videtur: quod angelus non debeat dici imago Dei, cum dicat Aug. quod nulli creaturę dedit Deus, vt esset ad imaginem, nisi soli homini: & hoc vult accipere ex eo, quod dicitur de solo homine. Faciamus hominem, &c.

Aug in sermone de imagine.

¶ PRÆTEREA, obijcitur de hoc; quod dicitur in rectitudine [*angelus est imago*] quia dicit Aug. quod proprium est filij, quod sit imago: & ratio huius potest accipi ex hoc, qd dicit Hilar. quod imago est, ad quam imaginatur species indifferens, secundum quod recitatur in Lib. 1. Sent. & idem ibidem, *Imago est rei ad rem coæquandam imaginata, & indistincta similitudo*: sed constat, quod nulli creaturæ conuenit, quod sit indifferens à Deo, ergo nulla creatura propriè dicitur imago, sed solum ad imaginem: vt per hoc denotetur diuersitas creaturæ ad creatorem: & secundum hæc videtur dictum. *Faciamus hominem &c.*

Hilar. Lib. de Synodis non longe ab initio. Mag. li. 1. sentent. dist. 31. Gen. 1.

¶ Circa secundum sic, primo quod ratio imaginis participetur æqualiter ab angelo, & ab homine: quia ab ipsis participatur, ratione eius, quod tam in homine, quam in angelo est reperire, s. vnitatem substantiæ, & trinitatem potentiarum, secundum quam imitatur Deum vnum in essentia, & trinum in personis, sed constat, quod hæc æqualiter sunt in hoc, & in illo, ergo æqualiter est imitatio: ergo æqualis est ratio imaginis. Si dicatur, quod ibi est æqualitas quo ad hoc, non tamen quo ad essentiæ simplicitatem, vel habilitationis personarum, imo ratione horum est pręeminentia in angelo. Vnde (propriè loquendo) filius dicitur imago: homo verò ad imaginem, angelus verò non solum ad imaginem, sed etiam imago.

¶ Sed contra Aug. inquirit, secundum quid anima dicatur esse ad imaginem, & ostendit, quod non secundum sensualitatem, neque secundum partem rationis inferiorem, neque iterum secundum superiorem comparatam ad inferiorem, aut secundum se consideratam: sed solum secundū huiusmodi, secundum quod comparatur ad Deum. Vnde secundum hoc vult dicere, quod ratio imaginis determinatur in anima, s. prout est capax Dei: & constat quod secundū idem determinatur in angelo, cum ergo hæc capacitas non dependeat ab illa, videtur quod adhuc sit æqualitas inter hominem, & angelum, quantum ad rationem imaginis.

Aug de Trinit. Lib. 14. c. 8 Tom. 3. Vide etiā Lib. 11. cap. [illegible]

¶ Si dicatur, quod hoc est verum quantum ad habitum, nihilominus tamen quantum ad actum est præeminentia in angelo, vnde angelus magis capit Deum, quam homo.

¶ CONTRA, constat quod substantia rationalis secundū naturam habet posse ad actum, quem participat à gratia, sed aliqua anima à gratia habet, quod magis capiat Deum, quam aliquis angelus, sicut anima Christi & Beatæ Virginis, ergo adhuc habent posse per naturam: ergo non est simpliciter dicere, quod angelus sit magis capax Dei, quam anima: eadem ratione nec anima, quam angelus, quare vt prius videtur, quod adhuc sit ibi æqualitas quo ad rationē imaginis. ¶ Præterea, cum secundum quod dictum est, anima sit ad imaginem Dei, quantum ad partem superiorem,

relatam

relatam ad Deum, & ea, creatura nulla interposita, formetur à Deo: videtur quod adhuc non possit esse præeminentia angeli ad animam quantum ad rationem imaginis.

RESOLVTIO.

Qui singulas huiusce definitionis particulas sanè intellexerit, simul omnes aptissimè appositas esse deprehenderit.

¶ RESPONDETVR; concedimus, quod proprium est filij esse imaginem patris: imago enim propriè dicitur species indifferens: sicut dicit Hilar. & ideo ad hoc quod aliquis sit imago, duo exiguntur, sc. quod sit species: & quod sit indifferens ab eo, cuius est imago, in essentia. Quia ergo nulla creatura est eadem in essentia cum Deo, ideo propriè nulla creatura dicitur imago, nisi solus filius [illegible] dicere, quod spiritus dum Dam. adhuc non [illegible] quod habet aliquam rationem imaginis [illegible] Illo ergo modo accipiendo imaginem, non est dicere, quod angelus, aut anima sit imago: sed solum ad imaginem vt per hoc denotetur quidam ordo, & quidam respectus ad Deum. Alio tamen modo communius dicitur imago, quod est ab alio, & quod est eius similitudo, s. Dei, secundum quod possibile est in creatura, & secundum hoc imago est similitudo: sed non econuerso: secundum quod dicitur in Lib. 83. Quæst. & secundum quod dicit Philos. *imago est, cuius generatio est per* * *mutationem.* Et ponit ibi Aug. exemplum in duobus ouis, inter quæ est similitudo: quia tamen neutrum est ab altero: ideo neutrum imago alterius dicitur. Hoc ergo modo accipiendo communiter imaginem, dicunt Sancti, quod angelus, aut anima est imago Dei, secundum quod dicit Isido. *quanto simplicior est natura, tanto in ea inuenitur imago Dei magis impressa.* Verius tamen, & magis propriè loquendo est dicere angelum, & hominem ad imaginem: vt per hoc notetur diuersitas non solum in persona, sed etiam in essentia creaturæ ad creatorem: & hoc ratione transitionis signatæ per præpositionem.

Aug. in lib 83. q Quæst. 11. Tom 4. Philos. *Al. as, imitationem. Isidor.

¶ AD aliud, quod quæritur de ratione imaginis in angelo, & in anima, & in quo est præeminentia: Respondeti potest, quod expressa similitudo potest attendi ratione potentiæ præsidentis, & secundum hoc intelligitur illa autoritas, quæ est in sermone Aug. quod nulli creaturæ dedit, vt esset ad imaginem, nisi homini, de eo enim dictum est, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, &c. quantum ergo ad hanc differentiam potentiæ præsidentis dicitur homo ad imaginem: non sic angelus. Dicitur iterum expressa similitudo ratione proprietatis in cognoscendo creaturas: & secundum hoc dicitur tam angelus, quam anima imago: vel ad imaginem: & quantum ad hoc intelligitur autoritas Dionysij supradicta. Dicitur iterum ratione simplicitatis essentiæ: & sic intelligitur autoritas Isid. Dicitur iterum ratione capacitatis in cognoscendo Deum, & sic vtrique conuenit. Dicitur etiam ratione immortalitatis, sicut ponit Cassiod. & sic conuenit vtrique. Dicitur etiam ratione finis creaturarum, & sic ita conuenit homini, quod non angelo, & sic possunt solui omnia obiecta.

¶ QVÆRITVR consequenter de tribus consequentibus differentijs: quantum ad differentiam earum, & numerum, & videtur, quod non differant: cum quælibet earum videatur dicere rationem manifestationis respectu Dei. Si dicatur, quod propriè dicitur speculum, prout ab alio recipit lumen, sed imago, & manifestatio dicunt rationem expressionis: vel manifestationis: differunt tamen, quia imago quantum ad habitum: & ideo propriè dicitur, quod ipsa est cuius generatio est per imitationem: manifestatio verò quantum ad actum. Sed tunc obijcitur de ordine: quia videtur secundum hoc, quod tertia differentia debeat præcedere secundam: quia prius est considerare angelum quantum ad eius vires: secundo quantum ad manifestationem specierum iam receptarum: & secundum hanc repræsentationem imago, quantum ad primum videtur [illegible] speculum, quantum ad secundum: manifestatio occulti luminis, quantum ad tertium.

¶ Præterea videtur, quod differentia præassignata inter imaginem, & manifestationem, nulla sit: quia cuius est actus, eius est habitus, ergo secundum illam differentiam imago, & manifestatio ad idem dicerentur, sed manifestatio dicitur ad inferius: ergo secundum hoc etiam imago, quod falsum est: secundum quod ostensum est supra per autoritatem Aug. in Lib. de Trin.

¶ ITEM dicimus, quod in Trinitate potentia appropriatur patri, & sapientia filio, bonitas spiritui sancto: sed constat, quod prædictæ tres differentiæ respiciunt solummodo sapientiam. Quæritur ergo, cum angelus in sua creatione recipiat effectus totius trinitatis: quare solum in sua diffinitione, quæ esse eius indicare debet, ponuntur differentiæ respicientes sapientiam, non potentiam, nec bonitatem.

¶ ITEM, quæritur, [illegible] per aliquam istarum differentiarum sit assignanda differentiam angeli ad animam? Et videtur quod non: quia constat, quod est imago, sicut & angelus: & similiter & speculum, ratione cuius dicunt quidam quod prophetæ vident in speculo: & ratione huius ponimus intellectum speculatiuum in anima. Similiter anima est manifestatio occulti luminis: per ipsam enim est manifestare Deum, & si non plenè, sicut per angelum.

¶ QVÆRITVR similiter de consequentibus differentijs, quæ videntur explanare rationem speculi, prout angelus dicitur speculum, & quæritur, quomodo differant? videtur quod sit ibi solum inculcatio verborum.

¶ AD quod dicendum, quod hæc tria ponuntur in ratione angeli, prout ordinatur ad contemplationem. Essentialiter enim & primo se habet ad hunc actum: exigitur enim quod sit essentia potens intelligere: & quantum ad hoc tenet rationem imaginis. Requiritur etiam lumen, quo effectiuè intelligat, & quantum ad respectum illius dicitur manifestatio occulti luminis: Exigitur etiam quo intelligat formaliter, s. species recepta ab intelligente: & respectu illius dicitur speculum: sicut enim in speculo recipiuntur, siue resultant species sensibiles: ita in hoc speculo species intelligibiles. Ratione ergo horum trium, quæ exiguntur ad contemplationem, potens intelligere, lumen, & species: & quasi ad tres rationes causæ referuntur. Dicitur angelus, qui est prima creatura contemplatiua, imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum &c. Ex his etiam patet ordo istarum differentiarum.

¶ Sed cum quæritur, quare angelus magis diffiniatur ratione sapientiæ, quam bonitatis, aut potentię: Dicendum quod omnia dantur intelligi. Nam nomine imaginis intelligitur potentia intelligendi, quæ est * prima ipsius angeli: per hoc etiam, quod dicitur speculum purum, incontaminatum: notatur bonitas: & sic omnia dantur intelligi: sed illud maximè pertinet ad cognitionem: quia de natura prima ordinatur ad contemplandum Deum, & alia consequenter. *Alias, propria.

¶ AD aliud verò; quod quæritur, vtrum per aliquam istarum differentiarum differat anima ab angelo? Dicimus, quod & si illæ tres primæ differentiæ conueniant animæ, & angelo (differenter tamen: angeli enim sunt prima lumina creata: sed animæ secunda. Item animæ conuenit ratio speculi: sed hoc ratione eius, quod cognoscit per abstractionẽ specierum à phantasmatibus: non sic angelus, sed magis vt recipit à superiori. Vnde determinamus quasi triplex speculum creatum: Vnum, secundum quod dicimus, quod omnes creaturæ sunt quasi speculum Dei, secundum quod ipsa sunt vestigium Trinitatis: Aliud speculum dicitur anima. Tertium angelus) Per differentias verò subsequentes differt angelus essentialiter: licet enim anima quantum ad statum innocentiæ posset esse speculum, non tamen perlucidissimum: sed angelus dicitur speculum perlucidissimum: contra hoc (inquam) quod anima in statu innocentiæ, & si dicitur speculum, non tamen perlucidissimum, sed minus lucidum: Purum, contra hoc, quod anima in statu peccati speculum obscurum est. Sed per reliquas differentias remouetur triplex genus maculæ ab angelo: speculum enim potest esse sordidum, vel quia in se habet maculam: & quantum ad hoc dicitur immaculatum: vel quia in se recipiat ab extrinseco: Sed hoc dupliciter: vel quia res sordida ei adiungitur: vel quia rei sordidæ adiungitur: quemadmodum dicimus, quod manus munda per motum eius ad lutum sordidatur: secundum quod dicimus, quod aliquis ponit manum mundam in luto: vel etiam econtrario per motum luti

luti ad manum, primo modo dicitur incontaminatum, secundo modo incoinquinatum. Remouetur ergo per hoc omne genus maculæ: quod contingit reperiri in anima, scilicet originalis, per hoc, quod dicitur immaculatum: & actualis per hoc, quod dicitur incoinquinatum, & incontaminatum: quia actuale peccatum potest esse in anima aut ex contaminatione, aut ex coinquinatione: & per hoc vult ostendere Dion. quod malum non est in angelo. Quod verò sequitur [*recipiens totam, si iustum est dicere, speciositatem &c.*] propter hoc dicitur, quod filius simpliciter est species: vnde tota species patris dicitur: sed angelus non habet totam speciem: & ideo dicit, totam (si iustum est dicere) speciositatem habens, dicimus .i. secundum quod contingit secundum possibilitatem naturæ: sicut dicimus, quod [illegible] secundum conuenientiam recipientis dat dominus gratiam. Vnde,

Matth. 15.

Dedit vnicuique secundum propriam virtutem, & illud [*secundum*] non dicit causalitatem, sed quandam congruentiam ex parte recipientis. Vnde in ista datione duo sunt attendenda: congruentia quædam ex parte recipientis: & liberalitas ex parte dantis: secundum quod dicitur Hester. 1. quod Assuerus largitus est munera secundum magnificentiam *principalem: & si [*iuxta*] hic causalitatem non notat: similiter hæc præpositio [*secundum*] cum dicitur Eccl. 1. *Secundum datum suum præbet illam diligentibus se.*

Hester 1. * Id est Principis. Eccles. 1.

¶ PRÆTEREA videtur, quod hæc differentia [*totum si iustum est dicere*] superfluè ponatur in hac diffinitione: videtur enim sine illa sufficienter manifestari esse angeli, per præcedentes differentias. Respondetur, verum est, quod per præcedentes differentias sufficienter manifestatur esse angeli, quod habet ex natura. Quo ad hoc enim conueniunt ei illæ differentiæ: non tamen quo ad hoc quod habet ex gratia superaddita: & ideo ad esse illius manifestandum quo ad hoc additur illa differentia vltima. Sicut enim angeli mali facti sunt deformes per culpam, sic boni per gratiam boniformes, vel beneformati. Vnde gratia hæc appellatur speciositas, secundum quam angeli beneformati sunt Deiformes, & ideo signanter additur, beneformatæ Deiformitatis. ¶ ITEM, ad quid ibi additur, totum? Ad quod dicimus, quod ad differentiam animæ: anima enim, & si in præsenti possit suscipere gratiam, & ita huiusmodi speciositatem: non tamen totam, sicut possibile est ipsam suscipere secundum proportionem contingentem ipsam: siue etiam sit confirmata, siue non. Vnde & si in præsenti possit suscipere gratiam, & etiam cum confirmatione (sicut fuit in quibusdam, sed in paucis) non tamen potest recipere in plenitudinem actus: sed solum in futuro, quando glorificabitur: & tunc totam suscipiet, secundum quod possibile est secundum proportionem contingentem ipsam: sed angeli non solum iam recipiunt speciositatem gratiæ, sed etiam confirmantur in ea, & etiam cum hoc gloriam: & ideo plenitudinem actus, secundum quod possibile est, secundum proportionem contingentem ipsos: secundum illud.

Matth. 15.

Vnicuique secundum propriam virtutem &c. & ideo iam susceperunt huiusmodi speciositatem.

¶ QVÆRITVR postea de hoc, quod in fine additur [*& pure declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis*] & alia translatione dicitur [*specificans benignitatem silentii, quæ est in abditis*] hoc enim omnino videtur superfluere, quantum ad manifestationem esse ipsius angeli: quia constat, quod non habet nisi duplex esse scil. naturæ & gratiæ. Respondetur, quod verum est, quod hic diffinitur quantum ad vtrumque esse, & primo quantum ad esse naturæ, quantum ad quod dicebantur principaliter tria de ipso, scilicet quod est imago Dei, manifestatio occulti luminis, & speculum: quantum ad secundam differentiam determinabatur potestas manifestandi lumen increatum, quæ erat à natura in ipso, quantum ad tertiam potestas suscipiendi, aut recipiendi à prædicto lumine. Secundum primam differentiam indifferenter se habent ad hoc, & ad illud. Quod verò possibilitates illæ, quæ insunt ei à natura, ad actum reducantur: gratiæ est, non naturæ. Et ideo sicut ex parte illa, qua diffiniebatur quo ad esse naturæ, determinabatur duplex possibilitas: sic ex parte, qua diffiniebatur, quo ad esse gratiæ: respondet & ei distinctè duplex actus. Vnde ei, quod prius dicebatur [*speculum*] respondet ex parte gratiæ primus actus, qui est [*suscipere*] ei, quod dicebatur [*manifestatio occulti luminis*] actus secundus, qui est, declarare: ei verò, quod dicebatur [*imago*] non respondet aliquis actus, cum ipsa sit communis respectu vtriusque possibilitatis: neq; per ipsam determinetur distinctè aliqua possibilitas.

¶ SED tunc est oppositio de ordine: secundum prædicta videtur, quod actus secundus deberet primo loco poni: & actus primus secundo. Ad quod dicendum, quod manifestatio habet respectum ad illud, quod manifestatur: & ad eos, quibus fit manifestatio. Angelus cum lumen creatum est, in se lucem increatam manifestans, sicut effectus causam, & quo ad hoc ratione eius, quod manifestatur, prius est manifestatio, quam speculum secundum ordinem naturæ: comparatione tamen ad eos, quibus fit manifestatio, [illegible] speculum: Angeli enim superiores manifestant inferioribus, quæ suscep[illegible] luce: sed prius est suscipere, quam declarare, quod susceptum est. [illegible] quod econtrario potest attendi ordo inter manifestationem, & speculum ex vna parte, & actus eis correspondentes: quia quantum ad primum modum est ordinatio inter illa, quantum ad secundum inter ista.

¶ SED quæritur, quid vult dicere, cum dicit [*benignitatem silentii, quod est in abditis*] & quid appelletur ibi, silentium? & quid abdita, siue occulta? & etiam quæ est ista benignitas? Ad quod dicimus: quod summum verum, & increatum in se est incomprehensibile, & occultum: & de eius benignitate est, quod permittit se declarare. Ista ergo permissio benignitas dicitur hic: incomprehensibilitas verò eius dicitur silentium secundum metaphoram: silentium enim dicitur soni priuatio, sed quando aduenit sonus, tunc est declaratio: verbum verò æternum in se declaratum est: & ideo antequam ad manifestationem veniat, quæ fit per aliquem sonum creatum, dicitur silentium propter priuationem declarationis: secundum hunc modum accipitur silentium. Apocal. 8. & Sap. 18. *Dum medium silentium &c.* Ratione ergo incomprehensibilitatis dicitur silentium; ratione eius, quod occultum est, dicitur quod est in abditis.

Apoc. 8. & Sap. 18 ibi, factū est silentium in cœlo quasi media hora, c. 8. & 13.

¶ ITEM, quum in Lib. de Hierarchia angelica ponat tres actus: illuminare, purgare, perficere: quare potius diffinitur per primum actum, quam secundum, vel tertium? Ad quod dicimus, quod isti tres prædicti actus assignantur inesse angelis superioribus respectu inferiorum, aut respectu animarum. Quod verò hic diffiniantur, hoc est prout comparantur ad Deum, secundum quod expositum est superius: prout dicimus, quod Deus est summe intelligibilis, summa lux, & species. Vnde nulla est prædicta quæstio: quia illi actus, quos Dionysius assignat, non referuntur ad esse angeli hic diffiniti: sed potius consequuntur.

MEMBRVM IV.

De personalitate angeli?

CONSEQVENTER procedendum est ad personalitatem angeli, de qua quæruntur hæc. Primò, an sit personalitas in angelo. Secundò, secundum quam rationem insit. Tertiò de hoc, quod discretio personalis est vnum attributum angelo, condiuidens cum simplicitate essentiæ, & perspicacitate intelligentiæ, & liberi arbitrij potestate, seu * facilitate.

*Alias, facultate

ARTICVLVS I.

An Angelus personalitatem habeat?

QVOD personalitas non sit in angelo, sic arguitur. Dicit enim Boet. *& vna persona, quod persona est rationalis naturæ substantia indiuidua:* sed rationalis natura non conuenit angelo: cum rationale sit propria differentia hominis, & specifica: nec ergo persona.

Boet. in li. de duabus naturis.

¶ PRÆTEREA, *indiuiduitas* (sicut dicit Philosophus) *est à materia, vel ab accidente:* sed penes accidens non est hæc indiuiduitas personalis: non enim conuenit angelo habere patriam, parentelam, & tempus, & huiusmodi accidentia indiuiduantia: ergo non erit indiuiduitas personalis per accidens: nec per materiam: cum non possimus materiam aliam & aliam dicere in angelis: sicut annulus dicitur alterius materiæ cum est aureus: & cum est argenteus: non ergo est per-

Philosop. Vnde super illud Porphyrii ca. de specie. Indiuiduum dicitur & c subdunt Sūmulistę

sonali-

sonalitas in angelo. ¶ ITEM, non accipitur personalitas ita communiter sicut in Grammatica, vt de omni substantia indiuidua sit dicere personam, sed coartatur ad illam, quæ habet potestatem sermonis: vt quæ dirigit sermonem, vel ad quam dirigitur sermo: sed (sicut dicit Damas.) non indigent angeli sermone: sed tradunt adinuicem suas intelligentias sine voce: ergo ratio personæ secundum hunc modum non conuenit angelis.

hoc disti chon. Forma, figur. locus, stirps, nomen, patria, tempus. Hæc septem propria continet omnis homo.

¶ ITEM, sicut angelus habet distinctionem intellectualis naturæ: ita & anima: sed anima non habet propter distinctionem huiusmodi intellectualis naturæ personalitatem (non enim dicitur vna anima vna persona) ergo nec angelus propter consimilem distinctionem. ¶ ITEM, magis est completa humana natura in Christo, quam angelica natura in angelo: sed non accipitur secundum humanam naturam personalitas in Christo (non enim sunt duæ personæ, licet sint duæ naturæ) ergo secundum angelicam naturam in aliquo angelo non erit accipere personam.

Rich. de Trin. li. 4. ca 24. Hugo de San V.ct. Lib. 1. pa. 5. Cap. 8. Mag. in sen. 2. di. 1.

¶ CONTRA, ratio personæ, quam ponit Richar. conuenit ei, scil. quod sit res per se subsistens secundum quendam existentiæ modum singularem. ¶ ITEM Hugo, qui ponit attributa angelis. Et Magister, ponit vnum attributum angelo, discretionem personalem. ¶ ITEM, inter Deum, & hominem angelus est medium, & secundum quendam modum est dicere intellectualem naturam in his: ergo cum in extremis sit personalitas, in medio, secundum quod conuenit cum extremis, erit ratio personæ.

RESOLVTIO.

Cum angelus sit res, per se subsistens secundum singularem existendi modum, non iniuria personalitatem: siue personam esse idem conuenire affirmabimus.

¶ AD quod dicendum: quod personalitas conuenit angelis.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est: quod rationalis natura, dupliciter accipitur in scripturis. Proprie, & secundum hoc est homo rationalis natura: sicut ratio est propria vis eius. Alio modo dicitur communiter, pro intellectuali natura: & secundum hunc modum potest conuenire, & angelo ratio personæ: in qua ponitur hæc conditio, scil. rationalis naturæ.

¶ AD aliud dicendum est, quod indiuiduitas non tantum est ab accidente, vel à materia, sicut dicit Philosophus: quia Philosophus locutus est sic in naturali Philosophia: hic autem communiter accipitur ratio indiuidui pro * incommutabilitate: vt dicatur, & in diuinis indiuidua hypostasis: vbi non est materia, vel accidens: sed attenditur secundum proprietates personales distinguentes.

*Alias incommunicabilitate.

¶ AD tertium dicendum, quod licet angelo non aptetur potestas formandi sermonem: nihilominus est persona. Quod enim non format sermonem, hoc non est propter defectum ex parte sui, sed propter defectum organi; vnde cum assumit corpus, format sermonem. Præterea, aliqua est natura per se incommunicabilis, s. intellectualis natura, quæ conuenit angelo, propter quod in hypostasi contingit esse personalitatem.

¶ AD quartum dicendum, quod non est simile de angelo, & de anima. Nam anima non habet esse distinctum, & separatum ab omni alia re: conuenit enim in vnum esse cum corpore: esse verò personæ est esse per se entis: & ideo angelus habet rationem personæ. Et si obijciatur, si contingit animam esse separatam, nunquid tunc erit persona? Responde, quod non: quia licet sit separata, habet rationem possibilitatis ad vnum aliquid constituendum: & ita ordinatur ad rationem partis: sed quod est huiusmodi, non habet rationem per se sonantis: & ita non est persona: sed non sic est de angelo, cum habeat esse in actu, distinctum, & separatum ab altero: nec habeat possibilitatem ad aliquid aliud alterius.

¶ AD vltimum dicendum, quod non est similis ratio de humana natura in Christo, & de angelica: licet. n. humana natura in Christo omnimodam habeat perfectionem quantum ad esse, & bene esse: nec habeat rationem patris, vt dicatur, quod persona illa composita sit ex humana, & diuina natura: nihilominus ratio personalitatis est ibi secundum hypostasim diuinæ naturæ: cũ qua præexistenti, & digniori humana natura vniebatur. Non sic autem est de angelo: habet. n. rationem suæ hypostaseos, non dependentem ab altero, quam à sua natura intellectuali: & congruit habere rationem per se entis: ex quo elicitur, quod angelo conuenit personalitas.

ARTICVLVS II.

Qua ratione angeli, vel personæ esse, vel personis differre dicantur?

ARTICVLO secundo quæritur, secundum quam rationem conueniat persona angelo? Cum enim persona sit hypostasis distincta proprietate, oportet in angelis attendere aliquas proprietates, quibus personæ distinguantur: non. n. vnus angelus est ab alio: quemadmodum est in diuinis, & humanis: non ergo est ratio, secundum quam distinguitur vna persona ab alia in angelis. ¶ Præterea, sol & luna non dicuntur duo indiuidua eiusdem speciei: sed vtrique speciei suum respondet indiuiduum. Vbi autem non est differentia indiuiduorum sub eadem specie in creaturis, non est dicere differ[illegible]s personas, cum persona sit indiuidua hypostasis naturæ: sed sic est in angelo, vt videtur. Cum .n. species sit in substantia incorruptibili, non indiget multiplicatione indiuiduorum (hæc. n. videtur esse ratio in sole & in luna: in animalibus autem aliter est) relat ergo, quod vni speciei angeli respondet vnum indiuiduum, & alij aliud, non ergo sunt duo indiuidua sub eadem specie in angelis: ergo nec duæ personæ, ergo nec personarum distinctio secundum talem rationem. ¶ Præterea, dicit Richar. quod persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia: existentia autem dicitur, cum vnus habet esse ex alio, vel ab alio, sed hoc non est in angelis, ergo non est persona secundum hanc rationem. ¶ Præterea, vbi est ratio personæ, dicitur vna persona prior altera intelligentia, vel natura: sed in angelis non sic: sunt enim simul natura, & intelligentia vnius non dependet ab intelligentia alterius. ¶ Præterea, in creaturis videtur præeminentia personæ vnius ad alteram: vt persona Regis præeminet personæ Ducis: & persona Ducis personæ militis. In angelis autem non discernitur hæc præeminentia: non ergo videtur ratio personæ. ¶ ITEM, Ponatur quod omnes angeli essent æquales in proprietatibus vt tantæ perspicacitatis intelligentiæ esset vnus, sicut & alius: & æqualis facultatis in voluntate, nunquid dicerentur habere rationem personæ: Quod non, videtur: quia nulla est præeminentia vnius ad alterum. Sed contrarium videtur per hoc, quod differrent in substantia, & proprietatibus personalibus: ergo differrent secundum rationem personę. ¶ ITEM, nunquid differentia quæcunque personarum dat rationem personę, vel determinat. Ministrat enim vnus angelus, & alius non ministrat, nunquid hæc distinctio dat rationem personæ, quod si daret, cum cessaret ministerium cessarent personæ. ¶ ITEM, vnus angelus habet cognitionem alicuius rei, alius non: nunquid hæc distinctio est, secundum quam differt persona à persona, quod si esset, cessante cognitione, desinerent habere rationem personæ. ¶ ITEM, Bonitas & malitia attribuuntur angelis, & secundum illa est distinctio vnius ab altero: nunquid secundum hoc accipitur ratio personæ? Quod si esset, à principio, quo cōditi sunt, non haberent distinctionem personalem. ¶ ITEM dicit Hugo, quod immortales sunt æqualiter omnes: ergo non differunt secundum magis & minus in immortalitate: ergo quo ad rationem immortalitatis non est distinctio personalis.

Rich. in li. de Trin. Lib. 4 c. 23

Hugo de San. Vict. Lib. 1. de sacram. par. 5.

¶ SED videtur contrarium: quia dicit Dam. quod angelus est suscipiens immortalitatem, non natura, sed gratia: sed contingit in vno angelo esse ampliorem gratiam, quam in alio: ergo contingit esse ampliorem immortalitatem: ergo cum differant secundum magis & minus in immortalitate, dicetur distinctio personæ secundum hoc. ¶ ITEM, sunt diuersa officia angelorum: videlicet à quibus concipiuntur hæc nomina, cherubin, seraphin: nunquid secundum differentiam istam officiorum est distinctio personalis in angelis.

RESO-

RESOLVTIO.

Hac ratione angeli personæ esse, personisque differre dicuntur, quod cum vnum idemque principium, vel originem habeant, solis qualitatibus quibusdam differant: quæ qualitates sunt, perspicacitas intelligentiæ, & facultas voluntatis.

Rich. de S. Vict. in lib. de Trin.

¶ Ad quod dicendum, secundum quod dicit Richard. *Existentia tribus modis generaliter potest variari. Variari namque potest secundum solam rei qualitatem, aut secundum solam rei originem, aut secundum vtriusque concursionem. Secundum solam rei qualitatem variatur existentia, quando pluribus personis est vna, eademq; origo per omnia, singulis tamen singularis, propriaq; substantia: plures namque substantiæ, omnino non possunt esse sine differenti qualitate, est autem hæc talis variatio existentiæ secundum qualitatem, nihil varietatis habens secundum originem. Secundum vero originem est varietas existentiæ, quando pluribus personis est vnum & indifferens esse: inueniuntur tamen secundum originem adinuicem differentiam habere, sic quod vnus originem habet, alius origine caret: vel si originem habent, origo vnius differt ab origine alterius, huiusmodi ergo existentia variatur secundum originem solam, non secundum aliquam qualitatis differentiam. Tam secundum rei quali[illegible], quam secundum originem variatur existentia, vbi singulis personis est substantia singularis, & propria origo diuersa. In humana enim natura est distinctio secundum qualitatem & originem, est enim qualitas propria & singularis, per quam vnus homo differt ab alio, & similiter origo propria: nam aliud est principium isti, & aliud illi. In angelica autem natura nulla est propagatio, sed sola simplex creatio, est ergo omnium simul, vnum solum, indifferensq; principium, sunt autem in angelica natura tot substantiæ, quot personæ, & idcirco oportet eas qualitate differre, nam si nulla qualitate differrent, proculdubio plures non essent. In diuinis autem personis nihil omnino dissimilitudinis, nihil inæqualitatis, & ideo secundum qualitatem differre non possunt.* Relinquitur ergo, vt credatur secundum modum originis differentiam habere, si vnus extet à seipso; alter originem trahat ab altero: & si originem habentes, differant in obtinendi modo. In diuina ergo natura circa originem solam oportet quærere, tam personarum, quam hypostasum differentiam. Vnde in angelis est distinctio personalis secundum absolutam & naturalem qualitatem hypostaseos angelicæ naturæ: hæ autem qualitates sunt perspicacitas intelligentiæ, & facultas voluntatis: quæ sequuntur simplicitatem essentiæ.

¶ Ad primò ergo obiectum dicendum, quod secundum aliam rationem accipitur distinctio personalis in angelis, & in diuinis. Nam in diuinis omnis qualitas naturalis communis est tribus personis, (est enim ipsa substantia) vt bonitas, sapientia, & ita de alijs: sed distinguitur in hoc, quod vnus est ab alio, alter à quo alius: vnde distinctio illa vocatur secundum originem. Non sic autem est in angelis: cum omnium angelorum sit vna origo, scil. Deus, à quo sunt simul per creationem.

¶ Ad secundum verò dicendum: quod multiplicatio indiuiduorum non accipitur in angelis propter hoc, quia species non possit saluari in vno angelo, sicut nec animarũ multiplicatio, sed hoc est, vt sit multitudo fruentium summa bonitate, non tamen in differenti specie, sed in eadem. In hoc enim manifestatur bonitas diuina: ad quam recurrunt boniformia. Nec est simile de sole & luna, sufficit.n. sol vnus propter sui pfectionem & magnitudinem ad complementum vniuersi, & luna similiter.

¶ Ad tertium dicendum, quod illa ratio personæ, secundum quam dicitur existentia incommunicabilis, prout existere dicitur ex alio esse: non est ratio communis diuinæ naturæ, & angelicæ: sed diuinæ, & humanæ. Si verò accipiatur existentia pro subsistentia: subsistentia autem est proprietas naturalis absolutè vel respectiuè: secundum hoc conuenit ratio personæ angelicæ personæ.

¶ Ad quartum dicendum, quod ordo naturæ, vel intelligentiæ ibi dicitur: vbi attenditur distinctio secundum originem: non vbi attenditur secundum absolutam qualitatem.

¶ Ad quintum dicendum, quod est persona accidentaliter dicta, vt cum dicitur persona Regis, aut Ducis: & in talibus præeminentia attenditur, sic per quendam modum est in naturalibus proprietatibus angelicis: vt dicatur alter altero præeminentior & excellentior. Est iterum persona naturaliter dicta, sicut persona patris, & persona filij in hominibus, & hæc est præeminentia alia, aliquid enim habet pater naturaliter, quod non habet filius. Sed in diuinis non sic est, quicquid enim habet pater, habet filius, & econuerso: & ideo non dicitur præeminentia: secundum quem modum in parte contingit in angelis: non enim vnus præeminet alteri, tanquam origo illius.

¶ Ad sextum dicendum, quod licet habeant paritatem perspicacitatis, & huiusmodi: nihilominus essent differentes personæ: quia differrent hypostases, & differrent proprietates, sicut est de duobus geminis, qui plurimum assimilantur, tamen substantia istius non est substantia illius: nec proprietas huius est proprietas illius: vnde in differentia personæ ad personam non oportet semper ponere ordinem, vel præeminentiam: differunt enim non per prius & posterius, vel magis & minus, sed seipsis.

¶ Ad septimum dicendum: quod differentia accidentalium formarum: vt eius, quod est ministrare, vel cognitionem huius rei, vel illius habere, & similiter bonitatem, vel malitiam, non est prima ratio distinguendi personas in angelis: sed illarum formarum, quæ adhærent hypostasi angelicæ naturaliter.

¶ Ad octauum dicendum: quod immortalitas dicitur dupliciter in angelis. Vno modo pro immortalitate ex natura, & alio modo pro immortalitate ex gratia: secundum quod mors dupliciter dicitur, vel defectus naturæ: vel defectus gratiæ. Quantum ad primum modum sumit Hugo de S. Vict. & sic æquè conuenit omnibus angelis. Quantum ad secundum verò modum non: sed conuenit bonis angelis: malis autem non conuenit: imo mortui sunt in peccatis: vtraque tamen immortalitas vno modo est ex gratia diuina conseruante res in esse, vel in bene esse. ¶ Quod autem dicitur, gratiam magis, vel minus esse in alio & alio. Respondendum est, non sequitur, si gratia maior vel minor quod immortalitas sit maior vel minor: data enim est à gratia diuina, quod sit æquè in omnibus.

ARTICVLVS III.

An discretio personalis dicatur esse vnum ex attributis angelo?

Articulo tertio quæritur de distinctione personali ratione huius, quod ponitur vnum quatuor attributorum angelo. Dicit enim Hugo quatuor esse attributa angelo. Primum est simplicitas substantiæ: Secundum discretio personalis: Tertium forma sapientiæ & intelligentiæ rationalis: Quartum potestas liberæ voluntatis inclinandæ siue in bonum, siue in malum. Hugo de San. Vict. Lib. 1. de Sacram. par. 5. c. 8.

¶ Sed obijcitur de discretione personali, quæ attribuitur angelo cum simplicitate essentiæ. Videtur enim inconueniens: essentia enim simplex est de ipsa persona, ergo essentia simplex, & persona discreta non connumerantur: nõ ergo erunt duo, discretio personalis, & essentiæ simplicitas: & ita non ponentur in diuisione. ¶ Item, quæritur, qualiter accipiatur discretio personalis, quæ ei attribuitur: cum non accipiatur de veteri, vel de nouo Testam. non enim inuenitur angelum dici personam hic, vel ibi. ¶ Præterea, cum in angelo non sit tantum differentia eius, quod est, & quo est: sed etiam quod est, & quis est (aliter enim non esset discretio personalis in creaturis) necesse ẽ esse quasi duplicem compositionem: non ergo in angelo se compatiuntur adinuicem discretio personalis, & simplicitas essentiæ: Nec est simile de Deo, quia ibi idem est, quod est, & quo est & quod est, & quis est: in creaturis verò non sic est, non ergo simplicitas in essentiæ angelis, & discretio personalis conueniunt.

¶ Item, cum sit duplex compositio: videtur maior compositio in angelis, quam in creaturis, in quibus non est personalitas: in illis enim non differt nisi quo est, & quod est: in angelo autem videtur esse compositio duplex: ideo requiritur quod ex parte personæ sit noua compositio in angelis vltra illam, quæ est substantiæ, vt videtur. Sicut enim si paternitas non esset pater, paternitas adueniens hypostasi, faceret vnam compositionem in angelo, sed hæc ẽ compositio personæ: ergo persona angelica propriam habet

compo-

[illegible] ¶ [illegible] proprietas maior [illegible] propter [illegible] & distinguens angelum ab angelo: quo [illegible], concludens cum discretione personali [illegible] modo videtur de discretione personali.

RESOLVTIO.

[illegible]

¶ [illegible]

[illegible] sed [illegible]

¶ [illegible] quod discretio personalis [illegible] Cognoscitur [illegible] hoc quo [illegible] Praeterea [illegible] Catholici, vt dicerent tres [illegible] diuersos angelos diuersas esse personas, sicut diuersos homines [illegible] personas.

¶ [illegible] dicendum, quod cum dicitur, simplicitas [illegible] simplicitas dicitur respectiue [illegible] manifestam [illegible] nihil prohibet angelo [illegible] simplicitatem [illegible] & discretionem personalem [illegible] simplicitatem [illegible].

¶ [illegible] quod licet sit [illegible] non propter hoc est [illegible] personalitas. Nam [illegible] substantiae corporalis [illegible] habet compositionem [illegible] corporalis [illegible].

¶ [illegible] quod licet [illegible] compositione [illegible] personalis [illegible] proprietate [illegible].

¶ [illegible]

[illegible] secundum [illegible].

[illegible] distribuuntur.

MEMBRVM V.

Angelus & anima [illegible]

COMPOSITIO [illegible] differentia eorum est [illegible] substantia separata a corpore [illegible]. Sed videtur, quod hoc non [illegible] de anima: & est [illegible] consideratio de ea, vt est [illegible] est consideratio [illegible] spiritus rationalis [illegible] differentiam in se ipso, [illegible] differentia, quae [illegible]

¶ [illegible] spiritus [illegible], & spiritus [illegible] hanc differentiam [illegible] rationalis [illegible] corporis [illegible]. Praeterea, si [illegible] differentiam [illegible] aliquid esse [illegible] quod [illegible] in quo [illegible] & spiritum [illegible]

¶ [illegible]

[illegible]

¶ [illegible]

¶ [illegible]

post de sigillo talis similitudo imaginabiliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur.

¶ Ad aliud vero, quod dicitur differentia esse ratione intellectus possibilis ad species in phantasmatibus: Respondendum est, quod hoc verum est, sicut supra habitum est in consideratione metaphysica. Nec hoc obstat, quod anima vt est spiritus intelligibilis, potest recipere illuminationem à superiori, sicut angelus. Hoc enim non intendit consideratio metaphysica: quæ habet inuestigationem istarum essentiarum per ea, quæ sunt notiora quo ad nos. Vnde ab actibus cognoscuntur potentiæ: per potentiam vero substantia: modus autem cognoscendi, qui est ab inferiori parte, distinguit conuenienter animam ab angelo in hac consideratione. Posset tamen angelus distingui ab anima secundum illam differentiam, prout dicitur angelus substantia intellectualis, illuminationum à primo prima relatione perceptiua: anima vero vltima relatione perceptiua. Sed illud non conuenit animæ Christi: licet conuenire possit alijs animabus: eo quod anima Christi non recipit illuminationem per angelum illuminantem: sed immediate per ipsam diuinam essentiam. Ideo melius est, à parte inferiori ponere differentiam animæ, & angeli quo ad illam consideratio nem.

* Alias gloria.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur de dæmonibus; quod accipiunt à parte inferiori. Dicendum est, quod non recipiunt species rerum intelligibilium à phantasmatibus: licet sumant ab ipsis rebus: & non sumunt per modum intellectus possibilis, sed per modum agentis, qui sibi sufficit ad species accipiendas. De hoc autem diffusius agetur in Tractatu de cognitione angelorum.

Inferius q. 23. & deinceps.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de hac differentia, passibile, & impassibile. Dicendum est, quod licet impassibile conueniat angelo, tamen non conuenit, prout passibile pro compassibili sumitur. In hac enim differt anima ab angelo, quod compassibilis est anima rationalis corpori: angelus vero nõ: cum non sit vnitus corpori; sicut forma, vel perfectio cum perfectibili. Sed istæ differentiæ sunt posteriores illis, quæ sunt, vnibilis, & non vnibilis: & ideo ponendæ sunt primæ differentiæ essentiales.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur consequenter, quod angelus & anima non differunt specie: quia habent perfectionem indifferentem specie. Dicendum est, quod est perfectio secunda: licet ergo angelus & anima conueniant in secunda perfectione indifferenti secundum speciem: non tamen oportet, quod conueniant in prima. Præterea gratia differt in specie, prout est in angelo, & prout est in anima. Est enim gratia quædam in anima, quæ non est in angelo sc. gratia vnionis: sicut fuit in Christo: & gratia reparationis, sicut in alijs quibusdam.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet modus cognoscendi sit indifferens, vel quidam modus mouendi in bonum sit indifferens specie: tamen alius est differens: sicut supra habitum est.

Paulo superius in confutat. secundæ opinionis

MEMBRVM VI.

De differentia angelorum inter se.

Ad sextum membrum huius Quæstionis, quo agitur de differentia angelorum inter se. Et habet tres articulos. Primo quæritur, vtrum inter se differant specie, vel non. Secundo, si differant specie, vtrum sub vna specie sint multa indiuidua, vel non. Tertio de causa multitudinis angelorũ.

ARTICVLVS I.

An angeli specie inter se differant.

Qvod differant specie, arguitur ex hoc; quod angeli de suprema Hierarchia plus differunt respectu eorum, qui sunt in infima; quam illi, qui sunt in infima hierarchia: sed illi, qui sunt in eadem hierarchia; vel specie sunt idem, & differunt secundum multitudinem numeralem: vel sunt idem genere, & differunt specie: ergo angeli, qui sunt in superiori hierarchia, cum plus differant ab his, qui sunt in infima; differunt specie. ¶ Item, similiter obijcitur de his, qui sunt in ordine Seraphin; plus conueniunt inter se; quam conueniant cum illis, qui sunt de ordine Cherubin, aut Thronorum: ergo cum illi, qui sunt de ordine seraphin inter se conueniant in specie, & differant secundum numerum, vel conueniant secundum genus, & differant specie: ita illi, qui sunt de ordine seraphin, different ab his, qui sunt de ordine cherubin.

¶ Præterea, cum ordines distinguantur secundum officia: officia autem sunt differentia genere, vel specie: ergo angeli, qui sunt in ordinibus, differunt genere, vel specie.

¶ Præterea: angeli sunt naturaliter quædam lumina spiritualia, quæ condita sunt in cælo empyreo, non de ipso cælo: sed sic est in luminibus corporalibus, quæ cõdita sunt in ipso firmamento, quod differunt specie inter se: ergo multo fortius spiritualia: cum magis differant, different specie. ¶ Item, secundum Philosophum, proportio motorum est & mobilium: sed secundum ipsum substantiæ separatæ, scilicet intelligentiæ angelicæ sunt motores diuersorum orbium; sed constat, quod orbes differunt specie: vt orbis solis, & orbis lunæ: ergo angeli, qui sunt motores, differunt specie.

12. Metaphi. 42. & deinceps ex numer. mobilium concluditur ordo mouentiũ

¶ Item, animæ sensibiles in corporibus diuersorum brutorum, plus videntur conuenire inter se; quia conueniunt in modo sentiendi; quam conueniant angeli, quorum differens est modus intelligendi: sed animæ sensibiles in diuersis speciebus brutorum differunt specie: ergo & angeli inter se differunt specie.

¶ Contra: magis & minus non diuersificant speciem: sed angeli differunt inter se secundum magis & minus in perspicacitate intelligentiæ, & simplicitate naturæ, & in habilitate voluntatis: ergo non differunt in specie. ¶ Item, angeli de singulis ordinibus conueniunt in eisdem officijs. Licet enim Seraphin dicantur ab officio incendendi per charitatem, aut dilectionem: Cherubin ab illuminatione: nihilominus omnes ad omnia parati, & in omnibus conueniunt: ergo secundum hæc officia non distinguuntur.

¶ Item, animæ rationales distinguuntur inter se: sed differentia illarum non est in specie: ergo nec angeli differunt specie. ¶ Item, duo sunt officia angelorum, scilicet contemplari & ministrare: sed in vtroque conueniunt secundum eundem modum in specie: vtrobique enim est cõtemplatio secundum magis & minus: & vtrobique ministerium secundum aliud & aliud: ergo angeli non differunt in specie quo ad ista officia. Quod autem dicitur. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies, &c.* non ad hoc respicit, vt quidam sint ministrantes, & non assistentes; quidam assistentes & non ministrantes.

Dani. 7.

RESOLVTIO.

Angelos specie inter se differre, hinc maxime dignoscitur: quia officia, quibus funguntur, & orbes, ad quorum motionem applicantur, specie inter se differunt.

¶ Ad quod dicendum quod angeli differunt inter se specie.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod magis & minus dicitur dupliciter. Aliquando enim vni & eidem rei accidunt: sicut albedo intensa potest esse remissa: & minus calidum potest esse magis calidum: & hoc modo accipiendo magis & minus, non diuersificant speciem, alio vero modo magis & minus diuersis naturis attribuuntur: vt magis calidum appropriatur naturæ ignis: & minus calidum naturæ aeris: & tunc magis & minus attestantur differentiæ in specie: sicut dicit Philosophus, quod multum & paucum aliquando diuersificant, aliquando nõ diuersificant.

¶ Ad aliud dicendum, quod diuersitas in specie non attenditur secundum illa officia: nisi sic esset, quod illa officia ita essent * approbata quibusdam angelis, quod non conuenirent alijs: diuersitatem angelorum in specie sequitur differentia officiorum in specie: sed cum eisdem angelis secundum diuersos status possunt illa officia conuenire: non secundum illa accipitur differentia angelorum in specie. Præterea, cum mali angeli in nullo illorum ordinum sint, & diuersificentur in specie: non ergo secundum illa officia accipitur differentia specifica.

Colliget x 10. Meta cõ 10. * Alias appropriata.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur de animabus rationalibus,

RESOLVTIO.

Non quot angeli, tot species, sed plures sub eadem specie esse nedum eorum natura non repugnat, quinimmo maxime conuenit: cum non minoris virtutis sint quam natura rerum corporalium: nec magis recedant à conditione diuinæ naturæ, quæ ex nimia sui perfectione communicabilis est pluribus.

¶ Ad quod dicendum, quod vni speciei respondent plures indiuiduæ personæ sub illa specie.

¶ Ad obiectum autem in cõtrarium dicendum est, quod alia est ratio, quod plura indiuidua sint sub vna specie, quã corruptibilitas materiæ, aut indiuidui: quæ non potest sufficienter saluare esse speciei: in spiritibus enim pluralitas indiuiduorum non est propter hanc causam: sed ad manifestationem diuinæ bonitatis: quæ vult communicare pluribus participationem beatitudinis: vt sicut multiplicatur numerus indiuiduorum in specie animæ rationalis ad fruitionem beatitudinis: ita multiplicatur numerus angelorum sub quacunque specie ad fruitionem beatitudinis. Præterea: posse Regis temporalis, & decens dispositio in aula eius ostenditur, cum multi consimilis dispositionis seruiunt: magis quam si vnus in vno officio seruiret: vt si multi pincernæ; quam si vnus solus pincerna, & ita de alijs officijs: cum ergo posse Regis æterni sit improportionale in infinitum super posse Regis temporalis: & decentior dispositio aulæ cælestis, quam terrenæ: conueniens est angelos, qui sunt summi ministrantes, plures esse sub vna specie. Non est ergo in spiritibus accipienda ratio multitudinis indiuiduorum, quæ est in corporalibus.

Reclamat D. Tho 1. part. q. 50. ar. 4.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod diuina essentia non communicat se, nisi vni quod est: & hoc est; quia non est possibile plures esse Deos: obuiaret enim perfectioni diuinæ: vt ostensum est. Non sic est in angelis: immo magis congruit pluralitas suppositorum: non enim simile est de domino, & de seruo: conuenit enim magis perfectioni domini vnitas, & indiuisio: seruo autem magis multiplicitas: cum ergo angeli sint administratorij spiritus, magis eis conuenit pluralitas suppositorum sub eadem specie. Nec est simile de sole & luna: sunt enim lunaria sufficientia: sol enim est sufficiens ad illuminationem totius orbis in die: luna vero cum suis stellis ad totius orbis illuminationem in nocte: sicut expedit: stellæ tamen ad aliud officium sunt directe, per se, & essentialiter.

Par. 1. q. 14 memb. 2.

ARTICVLVS III.

An, & quare necesse fuit, angelos in tanta multitudine produci?

Articvlo tertio quæritur de causa multitudinis angelorum; Propter quid, scilicet necesse fuit tantam angelorum multitudinem produci? Si enim hoc est propter multitudinem hominum: cum homo sit substantia corruptibilis; angelus autem substantia incorruptibilis; esset dignior creatura propter indigniorem.

¶ Similiter, si dicatur, quod hoc est propter animas rationales: ad quarum custodiam, vel exercitium dantur. Nec hoc videtur: cum enim animæ successiue creentur; sicut corpora successiue generãtur; posset vnus angelus multas animas custodire, vel exercitare: vnde non esset necesse tantam esse multitudinem.

¶ Præterea dicitur. *Statuit filios hominum, iuxta numerum filiorum Dei*: numerus ergo hominum, vel animarum rationalium magis videtur sumi iuxta numerum angelorum, quod econuerso. Dicitur enim in Cantico: *quando diuidebat altissimus gentes, & separabat filios Adam: statuit terminos gentium iuxta numerum filiorum Dei*, siue angelorum, secundum aliam literam. ¶ Item, neque iuxta officia, aut ministeria sumitur ratio multitudinis. Non enim propter ministeria necesse fuisset tantam esse multitudinem. ¶ Præterea, cum multitudo creaturarum procedat à Deo secundum similitudinem maiorem, vel minorem: quanto maior esset recessus à summe vno: tanto maior deberet esse multitudo: & quanto maior appropinquatio, minor multitudo: ergo in maxima approximatione minima multitudo: sed maxima est approximatio angeli ad summam vnitatem: ergo minima est multitudo in genere angelorum.

Deut. 32.

Deut. 32.

¶ Contra. *Milia milium ministrabant ei*, &c. Et. *Nonne possem rogare patrem meum: & exhiberet mihi plusquam 12. legiones angelorum?* Ex quo videtur, quod maxima sit multitudo angelorum. ¶ Præterea. *Nunquid est numerus militum eius?* milites enim vocat spiritus angelicos: ergo videtur per hoc dicere, quod innumerabiles sunt angelici spiritus.

Daniel. 7. Matt. 26. Iob. 25.

RESOLVTIO.

Tot, tantosque angelos à Deo produci non prorsus oportuit: sed congruenter decuit: vt tantæ maiestati reuerenter adstarent: & eius iussa circa creaturas protinus perficerent.

¶ Ad quod videtur dicendum: quod angeli sunt ministri diuinæ potestatis in his creaturis mundi: sicut habetur ab August. *Cum ea visa, per angelorum obedientiam desuper ministrantur; perueniunt iussio Dei, non solum ad aues, aut pecora: verumetiam ad ea; quæ sub aquis latent: sicut ad cete, qui glutiuit Ionam: & etiam ad vermiculum: nam & hunc legimus diuinitus iussum, vt radicem cucurbitæ roderet: sub cuius vmbraculo propheta requieuerat. Si enim homini donauit Deus, sic eum instituens, vt carnem peccati portans, possit non solum pecora & iumenta, suis vsibus subdita, non solum domesticas aues, verum & libere volitantes: etiam sæuas feras & capere & mansuetas facere, & eis imperare, potentia rationis, non corporis: cum earum appetitus, & dolores captans, paulatimque illectando, laxando, premendoque moderans; agresti eas exuit consuetudine: quanto magis hoc angeli possunt; qui eius iussa, quem sempiterne intuentur: incommutabili veritate perspecta, mouentes se per tempus & corpora sibi subdita; per tempus & locum agilitate mirabili: & iussa, quibus moueantur; & appetitum carnalis indigentiæ, possunt efficere omni animæ viuæ, vt quo eam venire opus est, nesciens, adducatur?* Et ita patet, quod necessaria est maxima multitudo angelorum secundum congruentiam: non quod mediantibus paucis non possit Deus istas creaturas dispensare, & administrare: sed quia decet magis per ministros multos hæc fieri: Et sicut accidit in Rege terreno, qui habet regnum terrenum, quod plures habet ministros: quantomagis est apud Regem cælestem: ad quem pertinet omnium gubernatio? Et nihilominus si non essent istæ creaturæ corporales, deceret multitudinem angelorum esse assistentem summæ potestati; tanquam paratam obedire, vel iussa perficere.

Aug super Genes. ad litt cap. 14 Tomo. 3.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod ratio numeri, vel multitudinis non debet sumi ex comparatione hominum vel creaturarum: cum sint digniores. Dicendum, quod ratio non sumitur ex his inferioribus: sed ista inferiora declarant multitudinem spirituum superiorum: & ideo sumitur ex respectu diuinæ potestatis, & bonitatis: quæ nobilior est omni subiecta creatura.

¶ Ad aliud dicendum, quod in pluribus est verum: quod distantia à primo secundum dissimilitudinem concomitatur multitudinem maiorem rerum distantium. Vnde maior est multitudo numeralium, quam plantarum; plantarum vero, quam animalium: Sed vtrum sic sit de angelis, soli Deo notum est: cui definitus est numerus spirituum creatorum: homini vero incertus est: sicut habetur in Gloss. super illud. *Nunquid est numerus militum eius?* Aliud enim est de his, quæ spectant ad multitudinem sapientiæ Dei: cuius sunt incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles viæ. Quod autem maxima sit multitudo; conijci potest ex supradictis.

Gloss. super Iob. 25.

¶ Sed quæri potest, Vtrum numerus angelorum sit certus apud angelos beatos? Respondetur per hoc, quod dicitur in Enchiridion: vbi dicitur, quod angeli nouerunt, de quot deberet fieri supplementum. Vnde dicit. Non pro angelis mortuus est Christus: sed ideo etiam pro angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiã post inimicitias; quas inter homines & sanctos angelos peccata fecerunt: & ex ipsa hominum redemptione ruinæ angelicæ detrimenta reparantur. Et vtique nouerunt sancti angeli docti de Deo; cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt; quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis * expeteret. Et ita videtur constare, quod in verbo accipiunt non tantum illum numerum: sed etiam illum, in quo sunt: vnde apud ipsos in verbo est numeri prædicti certitudo.

Dubitatio August. in Enchirid Cap. 6. & 62. Tom. 3

* Alias, expectet.

QVÆSTIO XXI.

De potentia & actibus angelorum in genere.

In tria Membra diuisa.

D. Tho. 1. par q6. 50. S. Bon. in 2. d 3. Sco. in 2. d 2. q. 4. & 6. & d. 3. q. 1. & 2.

TRANSITVM faciamus adiuuante domino, post considerationem conditionis angelicæ: ad considerationem potentiarum, & actuum. Primo ergo faciamus sermonem de potentia in genere. Secundo descendendo secundum differentias potentiarum, & actuum, Primo ergo fiat quæstio de potentia, vtrum eadem sit secundum substantiam in angelis cum essentia. Secundo: vtrum potentia sit in actu semper. Tertio, vtrum vna sit potentia sola, an plures?

MEMBRVM I.

An potentia angeli idem sit secundum substantiam cum eius essentia?

Aug. in li. de Trinit.

QVOD autem potentia sit eadem cum essentia in angelis; videtur ex comparatione ad animam rationalem: dicit enim August. quod memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna mens, vna vita, vna essentia: sed non nisi essentia animæ rationalis; ergo potentia in anima rationali est eadem cum essentia: sed maior simplicitas est in angelo; sicut dicit Isid. ergo in angelo erit potentia (ad minus aliqua) eadem cum essentia. ¶ ITEM, in Lib. de anima & spiritu dicitur, quod Deus est essentia sua: anima vero est idem quod ipsa vt potentia: ergo multo fortius est in angelo. ¶ ITEM, angelus est substantia simplex: sicut dicit Dionys. sed in simplici substantia idem est potentia, & essentia: ergo in angelo, &c.

Idem in li. de anima & spiritu. Cap. 4. Tomo. 3. Dionys. Li de cęl. Hierarch. cap. 4. & lib. de Diuin Nom. cap. 4.

¶ CONTRA. Summæ simplicitatis est, quod potentia sit eadem cum essentia: sed angelus non est summe simplex: ergo non omnino idem est potentia, & essentia. ¶ PRÆTEREA. Si idem esset omnino; non oporteret ponere potentiam mediam in angelis inter essentiam, & operationem: sicut dicit Dionysius quod supercælestia diuiduntur in tria, scilicet essentiam, virtutem, & operationem: virtutem autem vocat potentiam: ergo potentia non est idem cum essentia.

¶ PRÆTEREA, Potentia multiplex est in suo actu: essentia vero non est nisi vnica in suo actu: ergo potentia non est idem secundum substantiam cum essentia.

RESOLVTIO.

Potentia angeli non est idem omnino, quod eius essentia; quia non est simplex omnimoda simplicitate. Sed ideo idem quodam modo dicitur: quia seipsa omnino potest.

¶ AD quod dicendum: quod potentia non est idem penitus, quod essentia. Dici tamen potest idem, sicut in anima rationali: quia seipsa omnino potest.

¶ AD PRIMO obiectum dicendum: quod cum dicitur, quod memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna essentia; non est aliud dictu: nisi quod vna essentia animæ est, quæ potest meminisse, intelligere, & velle: non quod sit eadem essentia in genere potentiæ: tunc enim essent vna potentia. Similiter potest intelligi de essentia, ratione eius quod subest: non autem, quod potentia dicatur essentia, vel substantia: sicut est in Deo. ¶ AD aliud dicendum: quod anima est quædam sua: vt fiat distinctio inter potentias substantiales, siue vires ex vna parte; & accidentia ex alia, quantum ad hoc, quod potentiæ & vires substantialiter inhærent; & vnū sunt cum anima, quantum ad substantiam: Non dico quantum ad essentiam: potentijs enim substantialibus subsistit anima: accidentia vero, vt prudentia, fortitudo, & huiusmodi; non adhærent substantialiter: quia hic accidentaliter adsunt. Vnde potentiæ, & vires substantiales dicuntur idem, quod anima, ratione indiuisionis, & adhærentiæ substantialis: accidentia vero non; quia substantialiter non adhærent.

¶ AD tertium dicendum, quod licet simplicitas sit in angelo: non est tamen omnimoda simplicitas: & ideo non est idem potentia, quod essentia omnino: quia nihil est sua potentia penitus, præterquam Deus, &c.

MEMBRVM II.

An potentia angeli semper sit in actu suo?

AD SECVNDVM, quo quæritur, Vtrum potentia sit semper in suo actu: Quod videtur: quia contingere, siue posse, & esse, simul sunt in perpetuis: sed angeli sunt substantiæ perpetuæ: ergo in eis non differt posse, & esse. *3. Phys. 32. in æternis nō differt esse a posse.*

¶ ITEM, nullum est impedimentum substantiæ angelicæ: cum omnino sit liberata à materia, & conditionibus materialibus: ergo cum omnis potentia indistans ab actu, & non impedita, exit ab actu, statim cum est: ergo potentia angeli, statim cum est, exit in actum: & ita statim est in suo actu. ¶ ITEM, maior indistantia est spiritualis potentiæ ad suum actum, quam corporalis: sed potentia primi mobilis quam cito potuit moueri, mouebatur: ergo angelica substantia sic est, quod quam cito potuit in actu; statim fuit in actu.

¶ CONTRA, Potentia huiusmodi est potentia voluntaria: sed potentia voluntaria mediante voluntate exit in actum: sed non semper est voluntas: ergo non semper est actus. ¶ ITEM, Prius est esse rei in creaturis, quam agere: sed posse simul est cum esse: ergo posse est prius, quam agere: non ergo potentia semper est in suo actu. ¶ ITEM, Potentia in creatura est ad opposita secundum suum genus, sicut essentia: essentia enim creaturæ potest esse, & non esse: ergo potentia creaturæ sic se habet, vt possit agere, & non agere: non ergo semper est necessario in suo actu.

RESOLVTIO.

Potentia angeli non semper est in actu suo: ita scilicet vt hic illi coæuus sit. Sed tantum indistanter: hoc est, paululum distat vt quidquam quandoque velit, & protinus non simul efficiat: cum nullum impedimentum sit ex parte sua potentiæ.

¶ AD quod dicendum [*esse semper*] dicitur dupliciter: Vel ita quod sit coæuum respectu eius, cuius dicitur semper: & secundum hoc non est potentia creaturæ semper in actu: actus enim non est coæuus potentiæ. Si vero [*semper esse in actu*] dicatur indistanter: & cum est in actu, est incessanter: nihil prohibet esse aliquam potentiam angelicam: quæ statim, quando erat, exijt in esse: sed non est hoc in omni sua potentia. Vnde posse & velle semper sunt in suo actu, id est, indistanter, & post incessanter respectu alicuius voliti.

¶ AD obiectum ergo dicendum est: quod cum dicitur posse, & esse non differt in perpetuis: sensus est: quod non prius est posse ex potentia materiæ; quam esse, quod est ex forma: sed sic non est in generabilibus & corruptibilibus: vbi prius dicitur esse ex potentia materiæ: & post esse à forma: sed in perpetuis simul est materia, & forma: & ideo posse à materia, & esse à forma sunt simul. Vnde non potuit cælum esse ex potentia materiæ, priusquam fuit ex actu formę: sed prius fuit potentia agentis, quam esse in actu suo: prius potuit creare Deus, quam creauit. Non ergo de actu potentiæ actiuæ intelligitur: sed de actu potentiæ passiuæ: in aliquibus enim actiuis potentijs verum est: sicut Deus potest intelligere, & intelligit.

¶ AD secundum dicendum est, quod eo quod nullum est impedimentum potentiæ angelicæ: nihil prohibet semper, & indistanter in suo * aliquo esse: sed non oportet in omni actu voluntario: licet enim impedimentum non sit, tamen non semper est in suo actu: quia non semper adest voluntas: vt non semper videt visus: licet nullum sit impedimentum ex parte oculi, & medij, & visibilis: quia non semper adest voluntas: sed conuertit se ad aliud. ** Alias actu.*

¶ AD tertium vero dicendum est, quod cum dicitur: potentia corporalis semper est in suo actu: verbi gratia, cælum semper mouetur: intelligendum est semper, id est, statim postquam fuit; & incessanter; quia semper continuatus est motus: non sic autem est in potentiis, & actibus angelicis; quia in actum exeunt per voluntatem: ille vero exitus, quantum erat ex parte sui; erat, & est naturalis.

*
* *

MEMBRVM

MEMBRVM III.

An potentia angeli vna potentia ſit, vel plures?

AD TERTIVM, quo quæritur, Vtrum ſit potentia vna, vel plures: Et videtur, quod vna ſufficiat. Cum enim angelus ſit creatura, procedens à primo ſecundum primam aſſimilationem, quam congruit naturaliter eſſe in creatura: Deo autem ſic eſt; quod per vnam potentiam agit omnia, quæ agit: non per multiplicem: erit tunc in angelo, quod aſſimilabitur in hac perfectione; quod omnia, quæ aget; vna potentia aget. ¶ ITEM, perfectius eſt agere vno, quam pluribus: cum ergo ſumma perfectio conueniens ſecundum naturam creaturæ, ſit in angelo; vnica potentia aget in pluribus.

¶ CONTRA. In quocunque differens eſt potentia ab eſſentia; & eſt compoſitum: neceſſe eſt eſſe plures potentias: eo enim quod potentia differt ab eſſentia; neceſſe eſt, quod ſit ab eſſentia: & quia eſſentia eſt compoſita: ratione vtriuſque habet potentiam: ergo cum angelus ſit eſſentia compoſita, in quo differt potentia ab eſſentia: habebit neceſſario potentias. ¶ ITEM, angelus eſt procedens à Deo vno, & trino per primam aſſimilationem creaturæ: ergo habet aliquid, quod reſpondet vnitati diuinæ eſſentiæ, & trinitati perſonarum; ſed vnitati eſſentiæ reſpondet eſſentia: ergo trinitati perſonarum reſpondent aliqua alia: nõ niſi potentiæ: ergo ad minus erunt tres potentiæ, cognitiua, affectiua, motiua.

RESOLVTIO.

Angelus cum creatura compoſita ſit: non poteſt non multiplicem habere potentiam.

¶ AD quod reſpondendum: quod eſſentiæ angelicæ reſpondet pluralitas potentiarum.

¶ AD PRIMO obiectum dicendum: quod licet angelus procedat à primo ſecundum primam aſſimilationem, creaturæ naturaliter congruentem: non tamen habet vnitatem, ſiue ſingularitatem potentiæ: eſt enim creatura compoſita: ſed ſi aliqua creatura eſt talis, ſcilicet habens vnitatem eſſentiæ: ipſa erit materia, vel forma vnita: materia enim non habet niſi potẽtiam ad formas: formare autem alicuius determinatæ potentiæ non eſt, niſi perficere numerum in eſſe: ſed hoc non eſt niſi in compoſitis eſſentijs.

¶ AD ſecundum dicendum: quod licet perfectius ſit vno agere, quam pluribus: non tamen conuenit angelo, qui eſt prima creatura in ordine naturali. Obuiat enim compoſitio, ratione cuius neceſſe eſt habere plures potentias: & hoc eſt ei perfectius, quam quod materia habeat vnicam potentiam. Vnde illa ſumma perfectio, qua omnia vno aguntur; non conuenit niſi ſoli Deo; in quo eſt idem potentia, & eſſen.ia: & indiuiſa eſt potentia, quemadmodum & natura.

QVÆSTIO XXII.

De potentia cognitiua angelorum.

In quatuor Membra diuiſa.

D. Tho 1. par. q. 54. & ſq; ad q. 59. excluſiue S. Bon. in 2 d. 3. ar. 3. q. 2. & ar. 4 q. 1. & d. 4. ar. 4 q. 1. & 2 Sco in eodem 2. d. 6. q. 8. & inde.

DEINDE procedendum eſt ad conſiderationem potentiarum, & actuum particulariter. Poteſt autem deprehendi in genere numerus potentiarum, & actuum ſecundum rationem actuum. Sunt enim tres actus, qui derelinquunt ſimilitudinem ſummæ trinitatis in angelis, ſcilicet præeſſe creaturis ſecundum regimen, aut poteſtatẽ: cognoſcere cum ſuo iudicio: motus exterior, & interior. Præeſſe enim ſecundum regimen & poteſtatem appropriatur patri: cognoſcere cum ſuo iudicio (quod eſt locutio) filio appropriatur: motus vero interior, & exterior appropriatur ſpiritui ſancto, tanquam principio. Sic ergo in his actibus relinquitur quædam ſimilitudo trinitatis in angelo: per actus autem cognoſcuntur potentiæ. Erit ergo triplex potentia, ſcilicet præſidendi, cognoſcendi in ſuo iudicio, & mouendi motu interiori. Ex his autem poſſet videri, quod potentia præſidendi derelinquat ſimilitudinem propter appropriationem reſpectu patris; & ita prior debet eſſe. Sed videtur econtrario; propter hoc, quod præeſſe ſecundum regimen in angelis, dependet ex cognitione, & motu: & ideo prius dicendum eſt de potentia cognitiua cum ſuo actu: deinde de potentia motiua: & tertio de potentia præſidendi ſecundũ regimen, vel poteſtatem reſpectu creaturæ angelicæ, vel humanæ, vel alterius. Nec obſtat, quod potentia præſidendi appropriatur patri: quia tunc debet vnum præordinari alteri; quando vnum intelligitur abſolute: aliud vero in comparatione: & ideo cum potentia cognitiua, dicat quaſi id, ꝙ pertinet ad intelligentiam angelicam ſecundum ſe: potentia vero præſidendi, vt ad alterum; & ex prioribus actibus dirigatur; recte primo exiſtimamus agendum de potentia cognitiua cum ſuo actu: & deinde de alijs. Potentia vero cognitiua dupliciter attenditur: vel ratione proprij actus: vel ratione conſequentis: qui eſt potentiæ indicatiuæ, cuius eſt locutio. Primo ergo dicendum eſt de potentia cognitiua cũ ſuo actu proprio, & principali: & primo eſt conſideratio de potentia, poſtea de actu.

¶ CIRCA potentiam cognitiuam hæc cõſideranda ſunt. Primo, vtrum ſit potentia intellectiua in angelis: an etiam ſenſitiua? Secundo, ſi intellectiua: aut cum ratione: aut præter. Tertio, ſi eſt intellectiua excellentior ratione; vtrum ſit intellectus agens tñ: aut poſſibilis, ſiue materialis cum illo: cum alijs differentijs, quæ pertinent ad intellectum: ſicut ſunt, intellectus in actu, & intellectus in habitu. Quarto, cũ ſint duæ differentiæ; ſcilic. intellectus ſpeculatiuus, & practicus; an vtraq; angelicæ conueniat intelligentiæ: an altera tantum?

MEMBRVM I.

An in angelis ſit potentia intellectiua tantum, vel etiam ſenſitiua?

CIRCA primum ſic: videtur, quod non tantum potentia intellectiua ſit in angelis, ſed etiam ſenſitiua: cognoſcũt enim res particulares ſecundum ſignata, ſcilicet tempora, & loca: ſed vis cognitiua ſingularium ſecundum quod hoc & nũc; eſt vis ſenſitiua: ergo angelus habet potentiam ſenſitiuam. ¶ ITEM, poſſe ſentire calidum in igne ſecundum cõtractum, non eſt niſi potentiæ ſenſitiuæ: & hoc conuenit ipſis malis angelis: qui igne puniuntur: & hoc non eſt niſi ſecundum potentiam à principio datam: ergo angeli habent potentiam naturalem ſentiendi calidum in igne. Quod autem ſic puniuntur, patet per hoc, quod dicit Aug. *Cur non dicamus: quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi: ſi ſpiritus hominum incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris: & tunc potuerunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari*. Adhærebunt ergo, & ſi eis nulla ſint corpora, ſpiritus dæmonum: immo ſpiritus dæmones licet incorporei; corporeis ignibus cruciandi: nõ vt ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, & alia fiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore: ſed (vt dixi) miris & ineffabilibus modis adhærendo: accipientes ex ignibus pœnas: non dantes ignibus vitam. ¶ ITEM, ſicut dicit Iſid. & Auguſt. multa nouerunt angeli per experientiam, quæ à principio non cognouerunt: ſed experientia eſt ſecundum potentiam ſenſibilem: ergo angeli habent potentiam cognoſcendi per ſenſum. ¶ ITEM, phantaſiæ ſunt ſecundum partem ſenſibilem: ſed cognitio aliqua phantaſtica eſt in aliquibus angelis, ſcilicet dæmonibus, ſed non eſt actus ſine potentia: ergo habebit potentiam cognoſcendi ſecundum phantaſiam: & ita potentiam cognoſcendi ſecũdum ſenſum interiorem. ¶ ITEM, nihil poteſt dare alteri, niſi quod habet: ſed in ſomno dantur phantaſmata, aut viſiones ſecundum partem imaginariam ab angelis: ergo angeli habent phantaſmata, vel formas tales: ergo habent potentiam ſenſibilem interiorem. ¶ ITEM, dicit Auguſt. quod angelus non tantum intelligit; ſed etiam ſentit: vnde dicit ibi. *Vniuerſi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumq́, motum, & elementa diſpoſita à cælo vſque ad terram, & quæcunque corpora in eis ſunt, ſiue omnem vitam, vel quæ nutrit, & continet; qualis eſt in arboribus: vel quæ & hoc habet & ſentit; qualis eſt in pecoribus: vel quæ & hoc habet, & intelligit; qualis eſt in hominibus: vel quæ nutritorio ſubſidio non indiget, ſed tamen continet, ſentit, intelligit: qualis eſt in angelis: niſi ab illo eſſe non poſſe, qui ſimpliciter eſt*: ergo angeli habent potentiam ſenſitiuam interiorem, vel exteriorem.

Aug. in 21. de ciuit. Dei c. 10.

Idem in li. 8. de ciuit. Dei. Idem c. 6.

¶ Contra, omnis sensus exterior est mediante organo corporeo: sed angelus est substantia separata à corpore, non indigens organo corporeo, ergo non sentit exteriori sensu. ¶ Item, intelligentia angelica est excellentior intelligentia humana, siue rationali: Intelligentia vero rationalis excellentior cognitiua sensibili: ergo intelligentia angelica est excellentior potentia, deferente cognitiuam sensibilem: non ergo intelligentia angelica habet cognitiuam sensibilem. ¶ Item, forma sensibilis est aliquo modo corporalis: sed intelligentia angelica est totaliter spiritalis: ergo non est conuenientia inter formam corporalem, prout huiusmodi, & intelligentiam angelicam: ergo nec inter intelligentiam angelicam, & sensibilem: ergo intelligentia, siue angelus non habet potentiam sensitiuam.

RESOLVTIO.

Proculdubio in angelis potentia intellectiua est: sed & siqua potentia sensitiua eisdem inest, non sensitiuo, (vt in nobis) sed intellectiuo modo, immo vnum & idem cum illius intellectu est.

¶ Ad quod dicendum: quod in angelo non est potentia sensitiua, distincta ab intellectiua, per illum modum; per quem sensitiua hominis distinguitur ab intelligentia.

¶ Ad primo ergo obiectum dicendum est: quod licet cognoscat angelus singularia, non tamen habet illam potentiam sensitiuam, quæ proprie est singularium. Est enim cognoscere singulare sensibiliter: & est cognoscere singulare intelligibiliter. Cognoscere vero singulare sensibiliter est: quod singulare, quod est hic & nunc, immutat potentiam iniunctam organo hic & nunc: sicut patet in visibili; quod immutat potentiam coniunctam organo hic & nunc. Vnde species rei visibilis recipitur in parte pupillæ; & cum conditione determinati temporis. Cognoscere vero intelligibiliter sensibile, siue singulare, est; quando quod singulare est, & est hic & nunc, cognoscitur tale esse ab intellectu: sed non secundum formam sensibilem, siue speciem relictam in intellectu; sed secundum speciem intelligibilem, quæ nec dicitur habere conditionem loci, aut temporis; nisi tempus largius accipiatur.

¶ Ad secundum vero dicendum; quod licet angelus possit pati ab igne, qui adhæret ei; non tamen adhæret ei sicut formæ coniunctæ cum corpore perfectibili: recipit ergo speciem calidi afflictiuum non per modum sensus; sed per modum intellectus passibilis, qui est sicut sensus. Cum enim calidum immutat sensum, species calidi sensibilis est in organo, quod patitur ab ipso sensibili; & anima compatitur: hæc autem species calidi intelligibilis accipitur in intellectu: sed accipiendo, vt sibi nociuum, patitur intellectus: & sic angelus patitur quasi intelligendo ad modum sensus.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet sit experientia in angelis; non tamen potentia sensitiua. Experientia enim dicitur dupliciter: secundum sensum, & secundum intellectum. Secundum sensum dicitur, quando sensibile percipitur apud sensum: & ex hoc derelinquitur experientia cōsequenter apud intellectum: & secundum hoc dicitur, ex sensu fit memoria: ex memoria multotiens facta, experientia, &c. Secundum intellectum vero dicitur experientia: quando intellectus immediate comprehendit rem sensibilem, non mediante sensu: & per hunc modum experientia apud intellectum angelicum: multa enim temporalia cognoscūt, & sensibilia per temporis experientiam.

Ex procemio Metaphy.

¶ Ad quartum dicendum: quod licet in aliquibus angelis dicatur esse intellectus phantasticus: hoc non est nisi propter errorem, siue deceptionem, quæ est apud eos, scilicet dæmones: non quia habeant phantasmata sensibilia in potentia aliqua: secundum quod phantasma dicitur species sensibilis non in præsenti materia. Phantasia ergo sic conuenit ipsis dæmonibus: quomodo conuenit phantasia intellectui humano, cum fallitur circa cognoscenda.

¶ Ad quintum dicendum, quod licet possit intelligentia angelica immutare virtutem sensibilem secundum virtutem imaginariam: sicut contingit in somnis: hoc tamen non est, quia habeat se in angelus potentiam sensibilem, vt huiusmodi: sed* quæ est intellectualis apud intellectū angeli, in recipiendo recipitur secundum potentiam virtutis receptiuæ: & ita apud recipientem est sensibilis. Explanatio istius rei ostendetur infra, vbi agetur de cognitione dæmonum & eorundem tentatione.

* Alias: quia.

Inferius q. 117. Memb. 7. art. 3.

¶ Ad vltimum dicendum, quod hoc, quod dicit August. in lib. de ciuit. Dei. sic intelligitur: vt intellectiua in angelis habeat posse viuificandi, vel concidendi: secundum quendam modum, habeat & posse sentiendi & intelligendi proprie: vis enim intellectiua in eis est ita perfecta, vt possit aliquo modo, quod potest inferior: vnde cum inferior possit concidere, & viuificare; potest etiam ipse sentire præter ista suo modo, & perfectiori modo quodam: non ergo habet illa secundum modum particularem & differentem: sed secundum modum generalem: vt quod potest vegetabilis vitaliter, & sensibilis sensibiliter; hoc possit intellectiua intelligibiliter, &c.

MEMBRVM II.

An in angelis sit intellectus cum ratione, vel sine ratione?

Ad secundum, quo quæritur, Vtrum in angelo sit intellectus cum ratione, aut sine ratione. Quod non cum ratione, videtur: quia distinguitur angelus ab homine in hoc, quod angelus cognoscit principia, & quæ sunt à principijs; non decurrendo à principijs ad conclusionem: anima autem rationalis cognoscit conclusiones, decurrendo à principijs ad illas: ergo intellectus angelicus est sine huiusmodi ratione. ¶ Præterea: rationale est propria differentia hominis: qua distinguitur ab omni alia re: & ita ab angelo: sed non dicitur rationale, nisi à potentia rationis: ergo homo distinguitur ab angelo in potentia rationali: nō ergo angelus habet potentiam hanc. ¶ Item, in Lib. de anima, & spiritu. *Animus est quædam substantia, rationis particeps, regendo corpori accommodata*: ergo esse participem rationis, est propria differentia animæ rationalis; ergo non cōuenit angelo. ¶ Item in eodem Lib. *Ratio ea vis est animæ, qua rerum corporearum naturas, formas, & accidentia percipit omnia incorporea, sed non extra corpora.* Ex quo arguitur, quod non est potentia in angelo ipsa ratio. ¶ Item, in eodem. *Ratiocinatio est rationis inquisitio: sed inquisitio rationis non est in angelo*: ergo non ratiocinatio: ergo nec actus rationis: ergo nec ipsa potentia. ¶ Item, in eodem. *Ad rationem pertinent visibilium & inuisibiliū rationes, & diffinitiones & inuestigationes*: sed hoc non pertinet ad angelum: ergo ratio non est potentia angelica.

Aug. in li. de anima & spiritu

Idem in eodem.

Idem in eodem.

Idem in eodem.

¶ Contra. Damasc. loquens de angelo dicit: *vt rationalis, & intellectualis arbitrio libera est*: ergo angelus habet potētiam huiusmodi. ¶ Præterea, Augustinus cum loquitur de dæmonibus, dicit: ea esse rationalia animalia, mente passiua. ¶ Item Boet. dicit: quod persona est rationalis naturæ indiuidua substantia: sed persona est in angelis: ergo rationalis natura conuenit eis: sed non conueniret, nisi haberent rationem: ergo &c. ¶ Item Dionys. *Quid est malum in dæmonibus, nisi furor irrationalis*: sed hoc non dicitur secundum similitudinem brutorum: sed secundum similitudinem hominum male vtentium ratione: ergo ratione habent.

Dam. li. 2. cap 3.

Aug. in li. de ciuit. Dei. Boet. in libr. de duab. naturis, & vna persona Diony. in li. de diuin. nom. Cap. 4. par 4 paulo post medium.

¶ Præterea, cum angelus sit substantia composita, quid prohibet angelum ipsas rerū compositiones comprehendere? sed comprehendere rerum compositiones est rationis: ergo habet rationem. ¶ Item, cum angelus quędam cognoscit, & quædam ignoret: & per cognita possit venire in notitiam incognitorum, quid prohibet incessum rationis esse in angelis: ergo angelus habebit potētiam rationis.

RESOLVTIO.

Si ratio sumatur proprie, pro vi collatiua, vnum ex altero per alterum apprehendens: neutiquam in angelo est. Sin vero accipiatur communiter: pro potentia, scilicet & inferiora & superiora, & sensibilia & intelligibilia intelligibiliter cognoscente; vtique in angelis eam reperire est: cum vt talis ab intellectu non distinguatur.

¶ Ad quod dicendum: quod ratio dupliciter accipitur: similiter & rationale. Vno modo proprie: & alio modo communiter. Proprie, cum dicitur virtus cognitiua, conferens vnum cum altero, decurrens ex principijs ad conclusiones, ab vno extremorum ad aliud per medium: secundum quod dicit Damascen. *excogitatiui sunt indicia, & compositiones,*

Damasc.

compositiones,& incessiones ad actus & occasiones, & fugæ actionum: propriæ vero intelligentia intelligibilium, & virtutes & doctrinæ, & artium rationes,& conciliatiuum,& electiuum. Et iterum idem, scilicet Damascen. * *Diuiditur ratio animæ in interius dispositum sermonem,& in prolatum.* Est autem interius dispositus sermo motus animæ in excogitatiuo fiens sine aliqua enunciatione:secundum hoc maxime rationales omnes sumus: etenim qui à natiuitate sunt muti, vel propter aliquam ægritudinem vel passionem vocem amiserunt, nihilominus rationales sunt: prolatus vero sermo in voce & in syllabis operationem habet: quoniam per linguam & os profertur sermo:ideoque & prolatiuus dicitur. Est autem annunciatiuus intelligentiæ; & secundum hunc modum est propriũ hominis secundum animam rationalem. Alio modo accipitur communiter, pro intellectu cognoscente superiora & inferiora intelligibilia & sensibilia intelligibiliter: & secundum hunc modum non est vis distincta ab intellectu: & hoc modo conuenit angelis.

Idem. * Quinimo Arist. met. diuisio est, in Prædicamẽtis cap. de quantitate.

¶ Ad obiecta ergo respondetur, quod licet ratio dicatur esse in angelis:non tamen secundum omnem actum. Sũt enim quidam actus,qui attestantur imperfectioni: sicut decurrere per collationem à compositis notis ad composita ignota: & per hunc modum non conuenit angelis ratio: cum sint simplicioris intelligentiæ:cognoscunt enim multa in vno sine decursu ratiocinationis. Nec prohibet,quin in angelis sint naturaliter quædam nota, quædam ignota; & per nota aliquo modo possunt ignota cognosci: sed hoc non est per viam inquisitionis: sed in malis est per quasdam coniecturas:in bonis vero per reuelationem supernam. Et quod homo cognoscat decurrendo à propositione nota ad ignotam:hoc nouit angelus, non per modum propositionis:sed indiuisibiliter. Vnde si comprehendit veritates compositionum; hoc est secundum quod veritates illæ reducũtur ad veritates rerum,quæ ab ipsis angelis cognoscuntur.

MEMBRVM III.

An sicut in hominibus est intellectus agens & possibilis: ita & in Angelis sit?

AD TERTIVM, quo quæritur de differentia intellectus possibilis, & agentis, vtrum sit in angelis, sicut in hominibus. Quod videtur:quia angelus habet potentiam recipiendi cognoscibilia: sed potentia receptiua cognoscibilium dicitur intellectus possibilis: ergo habet intellectum possibilem. ¶ ITEM, habet aliquid in se, per quod educitur de potentia in actum in genere intellectus. & hoc est intellectus agens:ergo habet intellectum agentem. ¶ ITEM, compositus est ex materia intelligibili, & forma intelligibili:& ex parte materiæ & recipere intelligibilia: & ex parte formæ facere:ergo habet intellectum possibilem, & agentem.

¶ CONTRA, intellectus possibilis in nobis est respectu specierum abstrahendarum à phantasmatibus: sed phãtasmata sensibilia non sunt in angelis: ergo intellectus possibilis per hanc viam in est in angelis. ¶ ITEM, intellectus materialis impedimentum quoddam recipit per læsionem cuiusdam partis cerebri: sed intellectus in angelis in nullo corporeo impeditur:ergo intellectus materialis, siue possibilis non est in angelis. ¶ ITEM, quædam colligatio est intellectus possibilis siue materialis cum virtutibus sensibilibus:sed in angelis nulla est vis colligata, habens dependentiam ab illis:ergo non est intellectus possibilis, vel materialis in angelis.

RESOLVTIO.

Est quidem & in angelis intellectus agens atque possibilis, sed longe alio & alio modo ac in hominibus rationalibus.

¶ Ad quod dicendum, quod intellectus possibilis est in angelis: sed non secundum omnem modum, secundum quem est in animalibus rationalibus. Habet enim angelus intellectum possibilem ad recipiendum cognitionem à Deo: & etiam ab angelis superioribus, si superiores habet: habet etiam intellectum possibilem ad capiendum notitiam istorum inferiorum: sed non illo modo, quo intellectus possibilis humanus indiget ministerio sensus præambulo, & ministerio virtutum sensibilium; quod non est in angelo; & ideo dissimiliter dicitur ex illa parte possibilis.

¶ Ad obiectum ergo dicendum: quod licet habeant intellectum possibilem:non tamen respectu specierum abstrahendarum à phantasmatibus; nec respectu agentis abstrahentis species à phantasmatibus: nec indiget memorijs præcedentibus, vel sensibilibus:nec impeditur per impedimentum corporei instrumenti: sicut dicitur in his, qui habent maniacam passionem: non enim intellectus possibilis in angelis separabilis tantum est à corpore, vel ab actu sensibilium virtutum:sed separatus est: & ideo non occurrit ei impedimentum ex parte illa.

¶ AD ALIVD, quo quæritur de intellectu agente. Dicendum, quod intellectus agentis, proprie sumpti: est educere potentiam intelligendi, & hoc per abstractionem specierum à phantasmatibus. In angelo autem non est acceptio specierum per abstractionem à phantasmatibus: vnde quãtum ad hanc conditionem non dicitur intellectus angeli agens. Sumendo autem communius intellectum agentem; prout agentis est educere potentiam intelligendi in actum per acceptionem quandam specierum, intellectus angeli potest dici agens.

MEMBRVM V.

An intellectus, practicus, vel speculatiuus sit in angelis?

AD QVARTVM, quo quæritur de his differentijs, quæ sunt, intellectus speculatiuus, & practicus, vtrum conueniant angelo secundum naturam? Quod non, videtur. Cum enim speculatiuus à speculo dicatur: cognoscere autem per speculum, & ænigma, sit cognoscere superna per hæc inferiora: angeli autem secundum naturam suam est, nudam veritatem contemplari: cum nihil intersit inter ipsum naturaliter, & Deum: ergo nõ habet intellectum speculatiuum à speculo dictum.

¶ PRÆTEREA, intellectus speculatiuus (sicut dicit Philosophus) est cum continuo tempore: sed intellectus angelicus naturaliter abstrahit à continuo: ergo non est intellectus speculatiuus in angelis. Phil. 3. de Anima 49. intellect° extensio ne fit practicus.

¶ SIMILITER arguitur, quod non sit intellectus practicus. Nam extendente se intelligentia, fit practica: ergo si non est speculatiua in angelis: nec practica, quæ consequitur ad ipsam. ¶ ITEM, intellectus practicus indiget custodia angelica: prout angelus datur ad custodiam in bono, & ad fugam mali: sed angelus ratione alicuius potentiæ suæ non indiget custodia angelica: ergo non est intellectus practicus in angelis.

¶ PRÆTEREA, intellectus practicus retardatur per phãtasiam: sed intellectus in angelis non retardatur: ergo non est in angelis intellectus practicus.

¶ CONTRA. intellectus speculatiuus est vis, qua cognoscuntur res intelligibiles: vt angeli, & animæ, & huiusmodi: sed hæc vis est in angelis: ergo intellect° speculatiuus est in angelis. ¶ ITEM in libro de Anima & spiritu dicitur: quod anima similis est per intellectum angelis, sed propriæ differentiæ intellectus sunt speculatiuus, & practicus: ergo hæ differentiæ conueniunt angelis. ¶ ITEM intellectus speculatiuus est vis nata cognoscere verum: intellectus practicus vis nata mouere ad bonum: sed hæ duæ differentiæ sunt in angelis: ergo in angelis est speculatiuum, & practicum. Aug. in li. de anima & spiritu.

RESOLVTIO.

Si speculatiuum deducatur à speculor, vtique angelis conuenit: sin autem à speculo, nequaquam. Quo modo & practicum si dicatur vis, nata mouere, vel moueri ad bonum, est profecto in angelis: at vero si sumatur vt indigens est custodia angelica, ne labatur: vel potens impediri à phantasia sensibili minime.

¶ Ad quod dicendum: quod speculatiuũ potest dici dupliciter: vel à speculando, vel à speculo. Si à speculando, & similiter practicus ab operando; secundum hoc bene possunt hæ duæ differentiæ esse in angelo. Sed secundum quod

dicetur

affectionem stat in illo: si in malum, similiter stat in illo. Vnde etiam in loco, qui congruit bono angelo, & malo, ratione affectionis stant: sed hoc non ratione motus localis: sed ratione motus secundum affectiones. Vnde dæmones non habent potestatem redeundi ad paradisum: sunt enim insusceptibiles pœnitentiæ: secundum quod dicit Dam. Patet ergo, quod maior est libertas in angelo, quantum ad motum secundum locum, quam quantum ad motum secundum affectiones, & ideo nobilior est hæc differentia [*semper mobilis*] quo ad hoc, quam hæc differentia [*arbitrii libera*] & ideo prior in diffinitione.

¶ AD aliud dicendum, quod duplex est libertas naturæ: quædam, quæ non potest tolli, nec minui per peccatum, quæ purè naturalis est: & hæc respicit substantiam rationalem secundum id quod est. Alia autem est libertas naturæ, quæ potest minui per peccatum magis, ac magis, quæ attenditur in ordine siue inhabilitatione potentiæ ad bonũ: & de hac dicit Ansel. quod posse facere malum non est libertas, aut pars libertatis: & hoc secundum huiusmodi non est in angelis malis: quia ex quo semel peccarunt, sunt inhabiles ad bonum. Vnde libertatem arbitrij isto modo non habent, sed primo.

Ansel. lib. de lib. arb. cap. 1.

¶ AD aliud dicimus: quod cum dicitur, arbitrio libera, arbitrium, hic sumitur pro iudicio, secundum quod aliquis potest communiter eligere bonum, vel malum: quod tamen angelo conuenit sine collatione rationis: homini verò cum collatione. Et ideo (propriè loquendo) anima nostra dicitur substantia rationalis: angelus verò substantia intellectualis: vt ratione collationis assignetur differentia inter substantiale, & intellectuale. Vnde vtrunque cognitione respicit: sed ipsum arbitrium rationis potentiam respicit motiuam.

¶ AD aliud dicimus, quod per hanc differentiam [*incorpoream*] differt angelus ab anima: licet enim anima non sit substantia incorporea, tamen est vnita, aut vnibilis corpori: angelus verò nec est substantia corporea, nec vnibilis corpori, nec vnita, & hoc totum priuatur ab ipso per hanc differentiam, incorpoream, differt enim per hanc differentiã, semper mobilis, quia angelus semper mouetur, vt explanatum est superius, sed anima mouetur, moto corpore.

¶ SI verò quæratur, vtrum simpliciter debeat dici incorporea? Dicimus, quod sic: cum hoc absolutè, & secundum se ei conueniat: licet quo ad Deum, inueniatur quid grossum, & materiale: hoc enim solum comparatiuè ei conuenit, secundum quod dicit Dam. & hoc secundum vnam proprietatem corporis, quæ est diffiniri loco: quæ angelo conuenit, sicut & corpori.

Paulo superius in explicatione tertiæ particulæ.

¶ AD aliud dicimus, licet non sit necessarium angelum semper ministrare ad vtilitatem hominis: nihilominus cum ipso semper remanebit virtus, & potentia ministrandi: & ideo quod dicitur [*ministrans*] essentialiter ei conuenit, secundum quod sonat in habitum: & sic in diffinitione sumitur. Vel potest dici, quod licet non semper conueniat ei ministerium, quod habet respectu hominis: tamen illud, quod est ipsius in se ad Deum, semper ei conuenit: ipsos enim angelos voluntate Dei semper subiectos esse dicimus.

¶ AD aliud dicimus, quod prout per immortalitatem priuatur quæcunque mutabilitas, quod immortalitas soli Deo per naturam conuenit, secundum quod dicitur 1. Timoth. vlt. Vnde bonum concedimus, quod angelus, & anima habent vertibilitatem secundum affectiones, & in nihil tamen immortalitas conuenit eis gratia, non natura.

¶ AD aliud, quod quæritur, quare non dixit angelum simpliciter, & absolutè esse immortalem, cum hoc dicat Aug. de anima rationali? Dicendum, quod ibi non diffinit eam per differentiam ad Angelum: sed potius per differentiam ad sensibilem, quæ est in brutis, & vegetabilem, quæ est in plantis, quæ desinunt esse cum corpore: tamen quod hic dicitur, angelum esse immortalem, intelligitur specialiter de immortalitate, prout priuat mutabilitatem, quæ est secundum affectiones: prout dicimus, quod postquam angelus semel bonus est, semper est bonus, & postquam semel malus, semper malus: non sic est de anima. Præterea, immortalitas dicitur, quia de facili non est mutabilis: & hoc habet à sua natura, siue à suo principio: ex se enim solum habet, vt sit vertibilis in nihil quodammodo: vnde habet immortalitatem quasi ex quodam dono gratiæ: tamen quodam modo ex principio naturali, potest non mori: sed anima de facili comparatione ad angelum est vertibilis in nihil: vnde ex se, & ex habilitatione ad coniunctionem est vertibilis.

An rectè Dionysius definiuerit Angelum, cum dixit, Angelus est imago Dei &c. §. j.

¶ QVÆRITVR postea de diffinitione, quam ponit Diony. *Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incõtaminatum, incoinquinatum, recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem bene formatæ Deiformitatis, & purè declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis.*

Quæstio lateralis. Dion. de diu. nom. Cap. 6.

¶ Quæritur ergo primo quantum ad primam differentiam: Circa quod quæruntur duo, scilicet vtrum angelus sit imago. Et si sic, cum hoc similiter dicatur de homine, vtrum hoc æqualiter eis conueniat, aut vni secundum præeminentiam.

¶ Circa primum sic primo, videtur: quod angelus non debeat dici imago Dei, cum dicat Aug. quod nulli creaturę dedit Deus, vt esset ad imaginem, nisi soli homini: & hoc vult accipere ex eo, quod dicitur de solo homine. Faciamus hominem, &c.

Aug in sermone de imagine.

¶ PRÆTEREA, obijcitur de hoc, quod dicitur in rectitudine [*angelus est imago*] quia dicit Aug. quod proprium est filij, quod sit imago: & ratio huius potest accipi ex hoc, q̃d dicit Hilar. quod imago est, ad quam imaginatur species indifferens, secundum quod recitatur in Lib. 1. Sent. & idem ibidem, *Imago est rei ad rem coæquandam imaginata, & indistincta similitudo*: sed constat, quod nulli creaturæ conuenit, quod sit indifferens à Deo, ergo nulla creatura propriè dicitur imago, sed solum ad imaginem: vt per hoc denotetur diuersitas creaturæ ad creatorem: & secundum hæc videtur dictum. *Faciamus hominem &c.*

Hilar. Lib. de Synodis non longe ab initio. Mag. li. 1. sentent. dist. 31. Gen. 1.

¶ Circa secundum sic, primo quod ratio imaginis participetur æqualiter ab angelo, & ab homine: quia ab ipsis participatur, ratione eius, quod tam in homine, quam in angelo est reperire, s. vnitatem substantiæ, & trinitatem potentiarum, secundum quam imitatur Deum vnum in essentia, & trinum in personis, sed constat, quod hæc æqualiter sunt in hoc, & in illo, ergo æqualiter est imitatio: ergo æqualis est ratio imaginis. Si dicatur, quod ibi est æqualitas quo ad hoc, non tamen quo ad essentiæ simplicitatem, vel habilitationis personarum, imo ratione horum est pręeminentia in angelo. Vnde (propriè loquendo) filius dicitur imago: homo verò ad imaginem, angelus verò non solum ad imaginem, sed etiam imago.

¶ Sed contra Aug. inquirit, secundum quid anima dicatur esse ad imaginem, & ostendit, quod non secundum sensualitatem, neque secundum partem rationis inferiorem, neque iterum secundum superiorem comparatam ad inferiorem, aut secundum se consideratam: sed solum secundũ huiusmodi, secundum quod comparatur ad Deum. Vnde secundum hoc vult dicere, quod ratio imaginis determinatur in anima, s. prout est capax Dei: & constat quod secundũ idem determinatur in angelo, cum ergo hæc capacitas non dependeat ab illa, videtur quod adhuc sit æqualitas inter hominem, & angelum, quantum ad rationem imaginis.

Aug de Trinit. Lib. 14. c. 8 Tom. 3. Vide etiã Lib. 11. cap. ..

¶ Si dicatur, quod hoc est verum quantum ad habitum, nihilominus tamen quantum ad actum est præeminentia in angelo, vnde angelus magis capit Deum, quam homo.

¶ CONTRA, constat quod substantia rationalis secundũ naturam habet posse ad actum, quem participat à gratia, sed aliqua anima à gratia habet, quod magis capiat Deum, quam aliquis angelus, sicut anima Christi & Beatæ Virginis, ergo adhuc habent posse per naturam: ergo non est simpliciter dicere, quod angelus sit magis capax Dei, quam anima: eadem ratione nec anima, quam angelus, quare vt prius videtur, quod adhuc sit ibi æqualitas quo ad rationẽ imaginis. ¶ Præterea, cum secundum quod dictum est, anima sit ad imaginem Dei, quantum ad partem superiorem,

relatam

relatam ad Deum, & ea, creatura nulla interposita, formetur à Deo: videtur quod adhuc non possit esse præeminentia angeli ad animam quantum ad rationem imaginis.

RESOLVTIO.

Qui singulas huiusce definitionis particulas sanè intellexerit, simul omnes aptissimè appositas esse deprehenderit.

¶ Respondetvr; concedimus, quod proprium est filij esse imaginem patris: imago enim propriè dicitur species indifferens: sicut dicit Hilar. & ideo ad hoc quod aliquis sit imago, duo exiguntur, sc. quod sit species: & quod sit indifferens ab eo, cuius est imago, in essentia. Quia ergo nulla creatura est eadem in essentia cum Deo, ideo propriè nulla creatura dicitur imago, nisi solus filius ... dicere, quod spiritus ... dum Dam. adhuc non ... secundum quod habet aliquam rationem imaginis. Illo ergo modo accipiendo imaginem, non est dicere, quod angelus, aut anima sit imago: sed solum ad imaginem vt per hoc denotetur quidam ordo, & quidam respectus ad Deum. Alio tamen modo communius dicitur imago, quod est ab alio, & quod est eius similitudo, s. Dei, secundum quod possibile est in creatura, & secundum hoc imago est similitudo: sed non econuerso: secundum quod dicitur in Lib. 83. Quæst. & secundum quod dicit Philos. *imago est, cuius generatio est per* * *mutationem*. Et ponit ibi Aug. exemplum in duobus ouis, inter quæ est similitudo: quia tamen neutrum est ab altero: ideo neutrum imago alterius dicitur. Hoc ergo modo accipiendo communiter imaginem, dicunt Sancti, quod angelus, aut anima est imago Dei, secundum quod dicit Isido. *quanto simplicior est natura, tanto in ea inuenitur imago Dei magis impressa*. Verius tamen, & magis propriè loquendo est dicere angelum, & hominem ad imaginem: vt per hoc notetur diuersitas non solum in persona, sed etiam in essentia creaturæ ad creatorem: & hoc ratione transitionis signatæ per præpositionem.

Aug. in lib 83. q Quæst. 51. Tom 4. Phi'of. *Al. assimitationem. Isidor.

¶ Ad aliud, quod quæritur de ratione imaginis in angelo, & in anima, & in quo est præeminentia: Responderi potest, quod expressa similitudo potest attendi ratione potentiæ præsidentis, & secundum hoc intelligitur illa autoritas, quæ est in sermone Aug. quod nulli creaturæ dedit, vt esset ad imaginem, nisi homini, de eo enim dictum est, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, &c. quantum ergo ad hanc differentiam potentiæ præsidentis dicitur homo ad imaginem: non sic angelus. Dicitur iterum expressa similitudo ratione proprietatis in cognoscendo creaturas: & secundum hoc dicitur tam angelus, quam anima imago: vel ad imaginem: & quantum ad hoc intelligitur autoritas Dionysij supradicta. Dicitur iterum ratiōe simplicitatis essentiæ: & sic intelligitur autoritas Isid. Dicitur iterum ratione capacitatis in cognoscendo Deum, & sic vtrique conuenit. Dicitur etiam ratione immortalitatis, sicut ponit Cassiod. & sic conuenit vtrique. Dicitur etiam ratione finis creaturarum, & sic ita conuenit homini, quod non angelo, & sic possunt solui omnia obiecta.

¶ Qværitvr consequenter de tribus consequentibus differentijs: quantum ad differentiam earum, & numerum, & videtur, quod non differant: cum quælibet earum videatur dicere rationem manifestationis respectu Dei. Si dicatur, quod propriè dicitur speculum, prout ab alio recipit lumen, sed imago, & manifestatio dicunt rationem expressionis: vel manifestationis: differunt tamen, quia imago quantum ad habitum: & ideo propriè dicitur, quod ipsa est cuius generatio est per imitationem: manifestatio verò quantum ad actum. Sed tunc obijcitur de ordine: quia videtur secundum hoc, quod tertia differentia debeat præcedere secundam: quia prius est considerare angelum quantum ad eius vires: secundo quantum ad manifestationem specierum iam receptarum: & secundum hanc repræsentationem imago, quantum ad primum videtur speculum, quantum ad secundum: manifestatio occulti luminis, quantum ad tertium.

¶ Præterea videtur, quod differentia præassignata inter imaginem, & manifestationem, nulla sit: quia cuius est actus, eius est habitus, ergo secundum illam differentiam imago, & manifestatio ad idem dicerentur, sed manifestatio dicitur ad inferius: ergo secundum hoc etiam imago, quod falsum est: secundum quod ostensum est supra per autoritatem Aug. in Lib. de Trin.

¶ Item dicimus, quod in Trinitate potentia appropriatur patri, & sapientia filio, bonitas spiritui sancto: sed constat, quod prædictæ tres differentiæ respiciunt solummodo sapientiam. Quæritur ergo, cum angelus in sua creatione recipiat effectus totius trinitatis: quare solum in sua diffinitione, quæ esse eius indicare debet, ponuntur differentiæ respicientes sapientiam, non potentiam, nec bonitatem.

¶ Item, quæritur, vtrum per aliquam istarum differentiarum sit assignare differentiam angeli ad animam? Et videtur quod non: quia constat, quod est imago, sicut & angelus: & similiter & speculum, ratione cuius dicunt quidam quod prophetæ vident in speculo: & ratione huius ponimus intellectum speculatiuum in anima. Similiter anima est manifestatio occulti luminis: per ipsam enim est manifestare Deum, & si non plenè, sicut per angelum.

¶ Qværitvr similiter de consequentibus differentijs, quæ videntur explanare rationem speculi, prout angelus dicitur speculum, & quæritur, quomodo differant? videtur quod sit ibi solum inculcatio verborum.

¶ Ad quod dicendum, quod hæc tria ponuntur in ratione angeli, prout ordinatur ad contemplationem. Essentialiter enim & primo se habet ad hunc actum: exigitur enim quod sit essentia potens intelligere: & quantum ad hoc tenet rationem imaginis. Requiritur etiam lumen, quo effectiuè intelligat, & quantum ad respectum illius dicitur manifestatio occulti luminis: Exigitur etiam quo intelligat formaliter, s. species recepta ab intelligente: & respectu illius dicitur speculum: sicut enim in speculo recipiuntur, siue resultant species sensibiles: ita in hoc speculo species intelligibiles. Ratione ergo horum trium, quæ exiguntur ad contemplationem, potens intelligere, lumen, & species: & quasi ad tres rationes causæ referuntur. Dicitur angelus, qui est prima creatura contemplatiua, imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum &c. Ex his etiam patet ordo istarum differentiarum.

¶ Sed cum quæritur, quare angelus magis diffiniatur ratione sapientiæ, quam bonitatis, aut potentiæ? Dicendum quod omnia dantur intelligi. Nam nomine imaginis intelligitur potentia intelligendi, quæ est * prima ipsius angeli: per hoc etiam, quod dicitur speculum purum, incontaminatum: notatur bonitas: & sic omnia dantur intelligi; sed illud maximè pertinet ad cognitionem: quia de natura prima ordinatur ad contemplandum Deum, & alia consequenter. *Alias, propria.

¶ Ad aliud verò, quod quæritur, vtrum per aliquam istarum differentiarum differat anima ab angelo? Dicimus, quod & si illæ tres primæ differentiæ conueniant animæ, & angelo (differenter tamen; angeli enim sunt prima lumina creata: sed animæ secunda. Item animæ conuenit ratio speculi: sed hoc ratione eius, quod cognoscit per abstractionē specierum à phantasmatibus: non sic angelus, sed magis, prout recipit à superiori. Vnde determinamus quasi triplex speculum creatum: Vnum, secundum quod dicimus, quod omnes creaturæ sunt quasi speculum Dei, secundum quod ipsa sunt vestigium Trinitatis: Aliud speculum dicitur anima. Tertium angelus) Per differentias verò subsequentes differt angelus essentialiter: licet enim anima quantum ad statum innocentiæ posset esse speculum, non tamen perlucidissimum: sed angelus dicitur speculum perlucidissimum: contra hoc (inquam) quod anima in statu innocentiæ, & si dicitur speculum, non tamen perlucidissimum, sed minus lucidum: Purum, contra hoc, quod anima in statu peccati speculum obscurum est. Sed per reliquas differentias remouetur triplex genus maculæ ab angelo: speculum enim potest esse sordidum, vel quia in se habet maculam: & quantum ad hoc dicitur immaculatum: vel quia in se recipiat ab extrinseco: Sed hoc dupliciter: vel quia res sordida ei adiungitur: vel quia rei sordidæ adiungitur: quemadmodum dicimus, quod manus munda per motum eius ad lutum sordidatur: secundum quod dicimus, quod aliquis ponit manum mundam in luto: vel etiam econtrario per motum

luti

luti ad manum, primo modo dicitur incontaminatum, secundo modo incoinquinatum. Remouetur ergo per hoc omne genus maculæ: quod contingit reperiri in anima, scilicet originalis, per hoc, quod dicitur immaculatum: & actualis per hoc, quod dicitur incoinquinatum, & incontaminatum: quia actuale peccatum potest esse in anima aut ex contaminatione, aut ex coinquinatione: & per hoc vult ostendere Dion. quod malum non est in angelo. Quod verò sequitur [*recipiens totam, si iustum est dicere, speciositatem &c.*] propter hoc dicitur, quod filius simpliciter est species: vnde tota species patris dicitur: sed angelus non habet totam speciem: & ideo dicit, totam (si iustum est dicere) speciositatem habens, dicimus i. secundum quod contingit secundum possibilitatem naturæ: sicut dicimus, quod secundum conuenientiam recipientis dat dominus gratiam. Vnde, Matth. 15. *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem*, & illud [*secundum*] non dicit causalitatem, sed quandam congruentiam ex parte recipientis. Vnde in ista datione duo sunt attendenda: congruentia quædam ex parte recipientis: & liberalitas ex parte dantis: secundum quod dicitur Hester. 1. quod Assuerus largitus est munera secundum magnificentiam *principalem: & li [*iuxta*] hic causalitatem non notat: similiter hæc præpositio [*secundum*] cum dicitur Eccl. 1. *Secundum datum suum præbet illam diligentibus se.*

Hester 1. * Id est Principis. Eccles. 1.

¶ Præterea videtur, quod hæc differentia [*totum si iustum est dicere*] superfluè ponatur in hac diffinitione: videtur enim sine illa sufficienter manifestari esse angeli, per præcedentes differentias. Respondetur, verum est, quod per præcedentes differentias sufficienter manifestatur esse angeli, quod habet ex natura. Quo ad hoc enim conueniunt ei illæ differentiæ: non tamen quo ad hoc quod habet ex gratia superaddita: & ideo ad esse illius manifestandum quo ad hoc additur illa differentia vltima. Sicut enim angeli mali facti sunt deformes per culpam, sic boni per gratiam boniformes, vel beneformati. Vnde gratia hæc appellatur speciositas, secundum quam angeli beneformati sunt Deiformes, & ideo signanter additur, beneformatæ Deiformitatis. ¶ Item, ad quid ibi additur, totum? Ad quod dicimus, quod ad differentiam animæ: anima enim, & si in præsenti possit suscipere gratiam, & ita huiusmodi speciositatem: non tamen totam, sicut possibile est ipsam suscipere secundum proportionem contingentem ipsam: siue etiam sit confirmata, siue non. Vnde & si in præsenti possit suscipere gratiam, & etiam cum confirmatione (sicut fuit in quibusdam, sed in paucis) non tamen potest recipere in plenitudinem actus: sed solum in futuro, quando glorificabitur: & tunc totam suscipiet, secundum quod possibile est secundum proportionem contingentem ipsam: sed angeli non solum iam recipiunt speciositatem gratiæ, sed etiam confirmantur in ea, & etiam cum hoc gloriam: & ideo plenitudinem actus, secundum quod possibile est, secundum proportionem contingentem ipsos: secundum illud. Matth. 25. *Vnicuique secundum propriam virtutem &c.* & ideo iam susceperunt huiusmodi speciositatem.

¶ Quæritur postea de hoc, quod in fine additur [*& pure declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis*] & alia translatione dicitur [*specificans benignitatem silentii, quæ est in abditis*] hoc enim omnino videtur superfluere, quantum ad manifestationem esse ipsius angeli: quia constat, quod non habet nisi duplex esse scil. naturæ & gratiæ. Respondetur, quod verum est, quod hic diffinitur quantum ad vtrumque esse, & primo quantum ad esse naturæ, quantum ad quod dicebantur principaliter tria de ipso, scilicet quod est imago Dei, manifestatio occulti luminis, & speculum: quantum ad secundam differentiam determinabatur potestas manifestandi lumen increatum, quæ erat à natura in ipso, quantum ad tertiam potestas suscipiendi, aut recipiendi à prædicto lumine. Secundum primam differentiam indifferenter se habent ad hoc, & ad illud. Quod verò possibilitates illæ, quæ insunt ei à natura, ad actum reducantur: gratiæ est, non naturæ. Et ideo sicut ex parte illa, qua diffiniebatur quo ad esse naturæ, determinabatur duplex possibilitas: sic ex parte, qua diffiniebatur, quo ad esse gratiæ: respondet & ei distinctè duplex actus. Vnde ei, quod prius dicebatur [*speculum*] respondet ex parte gratiæ primus actus, qui est [*suscipere*] ei, quod dicebatur [*manifestatio occulti luminis*] actus secundus, qui est, declarare: ei verò, quod dicebatur [*imago*] non respondet aliquis actus, cum ipsa sit communis respectu vtriusque possibilitatis: neq; per ipsam determinetur distinctè aliqua possibilitas.

¶ Sed tunc est oppositio de ordine: secundum prædicta videtur, quod actus secundus deberet primo loco poni: & actus primus secundo. Ad quod dicendum, quod manifestatio habet respectum ad illud, quod manifestatur: & ad eos, quibus fit manifestatio. Angelus cum lumen creatum est, in se lucem increatam manifestans, sicut effectus causam, & quo ad hoc ratione eius, quod manifestatur, prius est manifestatio, quam speculum secundum ordinem naturæ: comparatione tamen ad eos, quibus fit manifestatio, prius est speculum: Angeli enim superiores manifestant inferioribus, quæ suscepere à diuina luce: sed prius est suscipere, quam declarare, quod susceptum est. Et per hoc patet quod econtrario potest attendi ordo inter manifestationem, & speculum ex vna parte, & actus eis correspondentes: quia quantum ad primum modum est ordinatio inter illa, quantum ad secundum inter ista.

¶ Sed quæritur, quid vult dicere, cum dicit [*benignitatem silentii, quod est in abditis*] & quid appelletur ibi, silentium? & quid abdita, siue occulta? & etiam quæ est ista benignitas? Ad quod dicimus: quod summum verum, & increatum in se est incomprehensibile, & occultum: & de eius benignitate est, quod permittit se declarare. Ista ergo permissio benignitas dicitur hic: incomprehensibilitas verò eius dicitur silentium secundum metaphoram: silentium enim dicitur soni priuatio, sed quando aduenit sonus, tunc est declaratio: verbum verò æternum in se declaratum est: & ideo antequam ad manifestationem veniat, quæ fit per aliquem sonum creatum, dicitur silentium propter priuationem declarationis: secundum hunc modum accipitur silentium. Apocal. 8. & Sap. 18. *Dum medium silentium &c.* Ratione ergo incomprehensibilitatis dicitur silentium; ratione eius, quod occultum est, dicitur quod est in abditis.

Apoc. 8. & Sap. 18 ibi, factū est silentium in cœlo quasi media hora, c. 8. & 13.

¶ Item, quum in Lib. de Hierarchia angelica ponat tres actus: illuminare, purgare, perficere: quare potius diffinitur per primum actum, quam secundum, vel tertium? Ad quod dicimus, quod isti tres prædicti actus assignantur inesse angelis superioribus respectu inferiorum, aut respectu animarum. Quod verò hic diffiniantur, hoc est prout comparantur ad Deum, secundum quod expositum est superius: prout dicimus, quod Deus est summe intelligibilis, summa lux, & species. Vnde nulla est prædicta quæstio: quia illi actus, quos Dionysius assignat, non referuntur ad esse angeli hic diffiniti: sed potius consequuntur.

MEMBRVM IV.

De personalitate angeli?

Consequenter procedendum est ad personalitatem angeli, de qua quæruntur hæc. Primò, an sit personalitas in angelo. Secundò, secundum quam rationem insit. Tertiò de hoc, quod discretio personalis est vnum attributum angelo, condiuidens cum simplicitate essentiæ, & perspicacitate intelligentiæ, & liberi arbitrij potestate, seu * facilitate.

*Alias, facultate

ARTICVLVS I.

An Angelus personalitatem habeat?

Quod personalitas non sit in angelo, sic arguitur. Dicit enim Boet. *& vna persona, quod persona est rationalis naturæ substantia indiuidua*: sed rationalis natura non conuenit angelo: cum rationale sit propria differentia hominis, & specifica: nec ergo persona.

Boet. in li. de duabus naturis.

¶ Præterea, *indiuiduitas* (sicut dicit Philosophus) *est à materia, vel ab accidente*: sed penes accidens non est hæc indiuiduitas personalis: non enim conuenit angelo habere patriam, parentelam, & tempus, & huiusmodi accidentia indiuiduantia: ergo non erit indiuiduitas personalis per accidens: nec per materiam: cum non possimus materiam aliam & aliam dicere in angelis: sicut annulus dicitur alterius materiæ cum est aureus: & cum est argenteus: non ergo est personali-

Philosop. Vnde super illud Porphyrii ca. de specie. Indiuiduum n dicitur & c subdunt Sūmulistę

hoc disti chon. Forma, figur. locus, stirps, nomen, patria, tempus. Haec septem propria continet omnis homo.

sonalitas in angelo. ¶ ITEM, non accipitur personalitas ita communiter sicut in Grammatica, vt de omni substantia indiuidua sit dicere personam, sed coartatur ad illam, quæ habet potestatem sermonis: vt quæ dirigit sermonem, vel ad quam dirigitur sermo: sed (sicut dicit Damas.) non indigent angeli sermone: sed tradunt adinuicem suas intelligentias sine voce: ergo ratio personæ secundum hunc modum non conuenit angelis.

¶ ITEM, sicut angelus habet distinctionem intellectualis naturæ: ita & anima: sed anima non habet propter distinctionem huiusmodi intellectualis naturæ personalitatem (non enim dicitur vna anima vna persona) ergo nec angelus propter consimilem distinctionem. ¶ ITEM, magis est completa humana natura in Christo, quam angelica natura in angelo: sed non accipitur secundum humanam naturam personalitas in Christo (non enim sunt duæ personæ, licet sint duæ naturæ) ergo secundum angelicam naturam in aliquo angelo non erit accipere personam.

Rich. de Trin li. 4. ca 14. Hugo de San Vict. Lib. 1. p. 2. 5. Cap. 8. Mag. in sen. 1. di. 1.

¶ CONTRA, ratio personæ, quam ponit Richar. conuenit ei, scil. quod sit res per se subsistens secundum quendam existentiæ modum singularem. ¶ ITEM Hugo, qui ponit attributa angelis. Et Magister, ponit vnum attributum angelo, discretionem personalem. ¶ ITEM, inter Deum, & hominem angelus est medium, & secundum quendam modum est dicere intellectualem naturam in his: ergo cum in extremis sit personalitas, in medio, secundum quod conuenit cum extremis, erit ratio personæ.

RESOLVTIO.

Cum angelus sit res, per se subsistens secundum singularem existendi modum, non immerito personalitatem: siue personam esse idem conuenire affirmabimus.

¶ AD quod dicendum: quod personalitas conuenit angelis.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est: quod rationalis natura, dupliciter accipitur in scripturis. Propriè, & secundum hoc est homo rationalis natura: sicut ratio est propria vis eius. Alio modo dicitur communiter, pro intellectuali natura: & secundum hunc modum potest conuenire, & angelo ratio personæ: in qua ponitur hæc conditio, scil. rationalis naturæ.

¶ AD aliud dicendum est, quod indiuiduitas non tantum est ab accidente, vel à materia, sicut dicit Philosophus: quia Philosophus locutus est sic in naturali Philosophia: hic autem communiter accipitur ratio indiuidui pro * incommutabilitate: vt dicatur, & in diuinis indiuidua hypostasis: vbi non est materia, vel accidens: sed attenditur secundum proprietates personales distinguentes.

*Alias incommunicabilitate.

¶ AD tertium dicendum, quod licet angelo non aptetur potestas formandi sermonem: nihilominus est persona. Quod enim non format sermonem, hoc non est propter defectum ex parte sui, sed propter defectum organi; vnde cum assumit corpus, format sermonem. Præterea, aliqua est natura per se incommunicabilis, s. intellectualis natura, quæ conuenit angelo, propter quod in hypostasi contingit esse personalitatem.

¶ AD quartum dicendum, quod non est simile de angelo, & de anima. Nam anima non habet esse distinctum, & separatum ab omni alia re: conuenit enim in vnum esse cum corpore: esse verò personæ est esse per se entis: & ideo angelus habet rationem personæ. Et si obijciatur, si contingit animam esse separatam, nunquid tunc erit persona? Responde, quod non: quia licet sit separata, habet rationem possibilitatis ad vnum aliquid constituendum: & ita ordinatur ad rationem partis: sed quod est huiusmodi, non habet rationem per se sonantis: & ita non est persona: sed non sic est de angelo, cum habeat esse in actu, distinctum, & separatum ab altero: nec habeat possibilitatem ad aliquid aliud alterius.

¶ AD vltimum dicendum, quod non est similis ratio de humana natura in Christo, & de angelica: licet. n. humana natura in Christo omnimodam habeat perfectionem quantum ad esse, & bene esse: nec habeat rationem patris, vt dicatur, quod persona illa composita sit ex humana, & diuina natura: nihilominus ratio personalitatis est ibi secundum hypostasim diuinæ naturæ: cũ qua præexistenti, & digniori humana natura vniebatur. Non sic autem est de angelo: habet. n. rationem suæ hypostaseos, non dependentem ab altero, quam à sua natura intellectuali: & congruit habere rationem per se entis: ex quo elicitur, quod angelo conuenit personalitas.

ARTICVLVS II.

Qua ratione angeli, vel personæ esse, vel personis differre dicantur?

ARTICVLO secundo quæritur, secundum quam rationem conueniat persona angelo? Cum enim persona sit hypostasis distincta proprietate, oportet in angelis attendere aliquas proprietates, quibus personæ distinguantur: non. n. vnus angelus est ab alio: quemadmodum est in diuinis, & humanis: non ergo est ratio, secundum quam distinguitur vna persona ab alia in angelis. ¶ Præterea, sol & luna non dicuntur duo indiuidua eiusdem speciei: sed vtrique speciei suum respondet indiuiduum. Vbi autem non est differentia indiuiduorum sub eadem specie in creaturis, non est dicere differentes personas, cum persona sit indiuidua hypostasis naturæ: sed sic est in angelo, vt videtur. Cum. n. species sit in substantia incorruptibili, non indiget multiplicatione indiuiduorum (hæc. n. videtur esse ratio in sole & in luna: in animalibus autem aliter est) relat ergo, quod vni speciei angeli respondet vnum indiuiduum, & alij aliud, non ergo sunt duo indiuidua sub eadem specie in angelis: ergo nec duæ personæ, ergo nec personarum distinctio secundum talem rationem. ¶ Præterea, dicit Richar. quod persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia: existentia autem dicitur, cum vnus habet esse ex alio, vel ab alio, sed hoc non est in angelis, ergo non est persona secundum hanc rationem. ¶ Præterea, vbi est ratio personæ, dicitur vna persona prior altera intelligentia, vel natura: sed in angelis non sic: sunt enim simul natura, & intelligentia vnius non dependet ab intelligentia alterius. ¶ Præterea, in creaturis videtur præeminentia personæ vnius ad alteram: vt persona Regis præeminet personæ Ducis: & persona Ducis personæ militis. In angelis autem non discernitur hæc præeminentia: non ergo videtur ratio personæ. ¶ ITEM, Ponatur quod omnes angeli essent æquales in proprietatibus vt tantæ perspicacitatis intelligentiæ esset vnus, sicut & alius: & æqualis facultatis in voluntate, nunquid dicerentur habere rationem personæ? Quod non, videtur: quia nulla est præeminentia vnius ad alterum. Sed contrarium videtur per hoc, quod differrent in substantia, & proprietatibus personalibus: ergo differrent secundum rationem personę. ¶ ITEM, nunquid differentia quæcunque personarum dat rationem personę, vel determinat. Ministrat enim vnus angelus, & alius non ministrat, nunquid hæc distinctio dat rationem personæ, quod si daret, cum cessaret ministerium cessarent personæ. ¶ ITEM, vnus angelus habet cognitionem alicuius rei, alius non: nunquid hæc distinctio est, secundum quam differt persona à persona, quod si esset, cessante cognitione, desinerent habere rationem personæ. ¶ ITEM, Bonitas & malitia attribuuntur angelis, & secundum illa est distinctio vnius ab altero: nunquid secundum hoc accipitur ratio personæ? Quod si esset, à principio, quo cõditi sunt, non haberent distinctionem personalem. ¶ ITEM dicit Hugo, quod immortales sunt æqualiter omnes: ergo non differunt secundum magis & minus in immortalitate: ergo quo ad rationem immortalitatis non est distinctio personalis.

Rich. in li. de Trin. Lib. 4 c 23

Hugo de San. Vict Lib. 1. de sacram par. 5.

¶ SED videtur contrarium: quia dicit Dam. quod angelus est suscipiens immortalitatem, non natura, sed gratia: sed contingit in vno angelo esse ampliorem gratiam, quam in alio: ergo contingit esse ampliorem immortalitatem: ergo cum differant secundum magis & minus in immortalitate, dicetur distinctio personæ secundum hoc. ¶ ITEM, sunt diuersa officia angelorum: videlicet à quibus concipiuntur hæc nomina, cherubin, seraphin: nunquid secundum differentiam istam officiorum est distinctio personalis in angelis.

RESO-

RESOLVTIO.

Hac ratione angeli personæ esse, personisque differre dicuntur, quod cum vnum idemque principium, vel originem habeant, solis qualitatibus quibusdam differant: quæ qualitates sunt, perspicacitas intelligentiæ, & facultatis voluntatis.

Rich. de S. Vict. in lib. de Trin.

¶ Ad quod dicendum, secundum quod dicit Richard. *Existentia tribus modis generaliter potest variari. Variari namque potest secundum solam rei qualitatem, aut secundum solam rei originem, aut secundum vtriusque concursionem. Secundum solam rei qualitatem variatur existentia, quando pluribus personis est vna, eademq; origo per omnia, singulis tamen singularis, propriaq; substantia: plures namque substantiæ, omnino non possunt esse sine differenti qualitate, est autem hæc talis variatio existentiæ secundum qualitatem, nihil varietatis habens secundum originem. Secundum vero originem est varietas existentiæ, quando pluribus personis est vnum & indifferens esse: inueniuntur tamen secundum originem adinuicem differentiam habere, sic quod vnus originem habet, alius origine caret: vel si originem habent, origo vnius differt ab origine alterius, huiusmodi ergo existentia variatur secundum originem solam, non secundum aliquam qualitatis differentiam. Tam secundum rei qualit[illegible], quam secundum originem variatur existentia, vbi singulis personis est substantia singularis, & propria origo diuersa. In humana enim natura est distinctio secundum qualitatem & originem, est enim qualitas propria & singularis, per quam vnus homo differt ab alio, & similiter origo propria: nam aliud est principium isti, & aliud illi. In angelica autem natura nulla est propagatio, sed sola simplex creatio, est ergo omnium simul, vnum solum, indifferensq; principium, sunt autem in angelica natura tot substantiæ, quot personæ, & idcirco oportet eas qualitate differre, nam si nulla qualitate differrent, proculdubio plures non essent. In diuinis autem personis nihil omnino dissimilitudinis, nihil inæqualitatis, & ideo secundum qualitatem differre non possunt.* Relinquitur ergo, vt credatur secundum modum originis differentiam habere, si vnus extet à seipso; alter originem trahat ab altero: & si originem habentes, differant in obtinendi modo. In diuina ergo natura circa originem solam oportet quærere, tam personarum, quam hypostasum differentiam. Vnde in angelis est distinctio personalis secundum absolutam & naturalem qualitatem hypostaseos angelicæ naturæ: hæ autem qualitates sunt perspicacitas intelligentiæ, & facultas voluntatis: quæ sequuntur simplicitatem essentiæ.

¶ Ad primò ergo obiectum dicendum, quod secundum aliam rationem accipitur distinctio personalis in angelis, & in diuinis. Nam in diuinis omnis qualitas naturalis communis est tribus personis, (est enim ipsa substantia) vt bonitas, sapientia, & ita de alijs: sed distinguitur in hoc, quod vnus est ab alio, alter à quo alius: vnde distinctio illa vocatur secundum originem. Non sic autem est in angelis: cum omnium angelorum sit vna origo, scil. Deus, à quo sunt simul per creationem.

¶ Ad secundum verò dicendum: quod multiplicatio indiuiduorum non accipitur in angelis propter hoc, quia species non possit saluari in vno angelo, sicut nec animarũ multiplicatio, sed hoc est, vt sit multitudo fruentium summa bonitate, non tamen in differenti specie, sed in eadem. In hoc enim manifestatur bonitas diuina: ad quam recurrunt boniformia. Nec est simile de sole & luna, sufficit. n. sol vnus propter sui pfectionem & magnitudinem ad complementum vniuersi, & luna similiter.

¶ Ad tertium dicendum, quod illa ratio personæ, secundum quam dicitur existentia incommunicabilis, prout existere dicitur ex alio esse: non est ratio communis diuinæ naturæ, & angelicæ: sed diuinæ, & humanæ. Si verò accipiatur existentia pro subsistentia: subsistentia autem est proprietas naturalis absolutè vel respectiuè: secundum hoc conuenit ratio personæ angelicæ personæ.

¶ Ad quartum dicendum, quod ordo naturæ, vel intelligentiæ ibi dicitur: vbi attenditur distinctio secundum originem: non vbi attenditur secundum absolutam qualitatem.

¶ Ad quintum dicendum, quod est persona accidentaliter dicta, vt cum dicitur persona Regis, aut Ducis: & in talibus præeminentia attenditur, sic per quendam modum est in naturalibus proprietatibus angelicis: vt dicatur alter altero præeminentior & excellentior. Est iterum persona naturaliter dicta, sicut persona patris, & persona filij in hominibus, & hæc est præeminentia alia, aliquid enim habet pater naturaliter, quod non habet filius. Sed in diuinis non sic est, quicquid enim habet pater, habet filius, & econuerso: & ideo non dicitur præeminentia: secundum quem modum in parte contingit in angelis: non enim vnus præeminet alteri, tanquam origo illius.

¶ Ad sextum dicendum, quod licet habeant paritatem perspicacitatis, & huiusmodi: nihilominus essent differentes personæ: quia differrent hypostases, & differrent proprietates, sicut est de duobus geminis, qui plurimum assimilantur, tamen substantia istius non est substantia illius: nec proprietas huius est proprietas illius: vnde in differentia personæ ad personam non oportet semper ponere ordinem, vel præeminentiam: differunt enim non per prius & posterius, vel magis & minus, sed seipsis.

¶ Ad septimum dicendum: quod differentia accidentalium formarum: vt eius, quod est ministrare, vel cognitionem huius rei, vel illius habere, & similiter bonitatem, vel malitiam, non est prima ratio distinguendi personas in angelis: sed illarum formarum, quæ adhærent hypostasi angelicæ naturaliter.

¶ Ad octauum dicendum: quod immortalitas dicitur dupliciter in angelis. Vno modo pro immortalitate ex natura, & alio modo pro immortalitate ex gratia: secundum quod mors dupliciter dicitur, vel defectus naturæ: vel defectus gratiæ. Quantum ad primum modum sumit Hugo de S. Vict. & sic æquè conuenit omnibus angelis. Quantum ad secundum verò modum non: sed conuenit bonis angelis: malis autem non conuenit: imo mortui sunt in peccatis: vtraque tamen immortalitas vno modo est ex gratia diuina conseruante res in esse, vel in bene esse. ¶ Quod autem dicitur, gratiam magis, vel minus esse in alio & alio. Respondendum est, non sequitur, si gratia maior vel minor quod immortalitas sit maior vel minor: data enim est à gratia diuina, quod sit æquè in omnibus.

ARTICVLVS III.

An discretio personalis dicatur esse vnum ex attributis angelo?

Articvlo tertio quæritur de distinctione personali ratione huius, quod ponitur vnum quatuor attributorum angelo. Dicit enim Hugo quatuor esse attributa angelo. Primum est simplicitas substantiæ: Secundum discretio personalis: Tertium forma sapientiæ & intelligentiæ rationalis: Quartum potestas liberæ voluntatis inclinandæ siue in bonum, siue in malum.

Hugo de San. Vict. Lib. 1. de Sacram. par. 5. c. 8.

¶ Sed obijcitur de discretione personali, quæ attribuitur angelo cum simplicitate essentiæ. Videtur enim inconueniens: essentia enim simplex est de ipsa persona, ergo essentia simplex, & persona discreta non connumerantur: nõ ergo erunt duo, discretio personalis, & essentiæ simplicitas: & ita non ponentur in diuisione. ¶ Item, quæritur, qualiter accipiatur discretio personalis, quæ ei attribuitur: cum non accipiatur de veteri, vel de nouo Testam. non enim inuenitur angelum dici personam hic, vel ibi. ¶ Præterea, cum in angelo non sit tantum differentia eius, quod est, & quo est: sed etiam quod est, & quis est (aliter enim non esset discretio personalis in creaturis) necesse ẽ esse quasi duplicem compositionem: non ergo in angelo se compatiuntur adinuicem discretio personalis, & simplicitas essentiæ: Nec est simile de Deo, quia ibi idem est, quod est, & quo est & quod est, & quis est: in creaturis verò non sic est, non ergo simplicitas in essentiæ angelis, & discretio personalis conueniunt.

¶ Item, cum sit duplex compositio: videtur maior compositio in angelis, quam in creaturis, in quibus non est personalitas: in illis enim non differt nisi quo est, & quod est: in angelo autem videtur esse compositio duplex: ideo requiritur quod ex parte personæ sit noua compositio in angelis vltra illam, quæ est substantiæ, vt videtur. Sicut enim si paternitas non esset pater, paternitas adueniens hypostasi, faceret vnam compositionem in angelo, sed hæc ẽ compositio personæ: ergo persona angelica propriam habet

compo-

[illegible] quod est substantia. ¶ [illegible] ipse [illegible] vel [illegible] personas per [illegible] & distinguens angelum ab angelo: quo [illegible] [illegible], confundens cum discretione personali [illegible] modo videtur de discretione person [illegible]

RESOLVTIO.

[illegible]

¶ [illegible]

[illegible] Praeterea, [illegible] dicit August. [illegible] de Trinit. [illegible] Catholici, vt dicerent tres [illegible] personas [illegible] ratione potuerunt dici ad dicendum [illegible] angelos [illegible] esse personas: sicut dicimus homines [illegible] personas.

¶ Ad [illegible] dicendum: quod cum dicitur, simplicitas [illegible] angelo simplicitas dicitur respectu [illegible] compositionem [illegible] sicut sunt [illegible] formae: non autem [illegible] & [illegible] nihil prohibet angelo [illegible] & discretionem perso[illegible] simplicitatem essentiae respe[illegible] absolutam.

¶ Ad [illegible] dicendum, quod licet sit duplex com[illegible] [illegible] propter hoc est [illegible] quam in [illegible] personalitas. Nam illa [illegible] compositionem; cum sint substantiae corpo[illegible] compositionem [illegible]

¶ Ad [illegible]

¶ Ad [illegible]

MEMBRVM V.

[illegible]

CO[illegible] quod essentia eorum est [illegible] substantia separata à corpore [illegible] corpori. Sed videtur, quod hoc non [illegible] de anima: & est lo[illegible] consideratio de ea, vt est [illegible] spiritu est consideratio [illegible] spiritus rationalis [illegible] differentiam in seipso, [illegible] differentia, quae [illegible]

¶ [illegible] angelico, & spiritu [illegible] hanc di[illegible] rationalis. [illegible] corpo[illegible] Praeterea, si [illegible] differ[illegible] aliud esse [illegible]

¶ [illegible]

¶ Ad [illegible]

¶ [illegible]

post de sigillo talis similitudo imaginabiliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur.

¶ Ad aliud vero, quod dicitur differentia esse ratione intellectus possibilis ad species in phantasmatibus: Respondendum est, quod hoc verum est, sicut supra habitum est in consideratione metaphysica. Nec hoc obstat, quod anima vt est spiritus intelligibilis, potest recipere illuminationem à superiori, sicut angelus. Hoc enim non intendit consideratio metaphysica: quæ habet inuestigationem istarum essentiarum per ea, quæ sunt notiora quo ad nos. Vnde ab actibus cognoscuntur potentiæ: per potentiam vero substantia: modus autem cognoscendi, qui est ab inferiori parte, distinguit conuenienter animam ab angelo in hac consideratione. Posset tamen angelus distingui ab anima secundum illam differentiam, prout dicitur angelus substantia intellectualis, illuminationum à primo prima relatione perceptiua: anima vero vltima relatione perceptiua. Sed illud non conuenit animæ Christi: licet conuenire possit alijs animabus: eo quod anima Christi non recipit illuminationem per angelum illuminantem: sed immediate per ipsam diuinam essentiam. Ideo melius est, à parte inferiori ponere differentiam animæ, & angeli quo ad illam consideratio nem.

* Alias gloria.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur de dæmonibus; quod accipiunt à parte inferiori. Dicendum est, quod non recipiunt species rerum intelligibilium à phantasmatibus: licet sumant ab ipsis rebus: & non sumunt per modum intellectus possibilis, sed per modum agentis, qui sibi sufficit ad species accipiendas. De hoc autem diffusius agetur in Tractatu de cognitione angelorum.

Inferius q. 23. & deinceps.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de hac differentia, passibile, & impassibile. Dicendum est, quod licet impassibile conueniat angelo; tamen non conuenit, prout passibile pro compassibili sumitur. In hac enim differt anima ab angelo, quod compassibilis est anima rationalis corpori: angelus vero nō: cum non sit vnitus corpori; sicut forma, vel perfectio cum perfectibili. Sed istæ differentiæ sunt posteriores illis, quæ sunt, vnibilis, & non vnibilis: & ideo ponendæ sunt primæ differentiæ essentiales.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur consequenter, quod angelus & anima non differunt specie: quia habent perfectionem indifferentem specie. Dicendum est, quod est perfectio secunda: licet ergo angelus & anima conueniant in secunda perfectione indifferenti secundum speciem: non tamen oportet, quod conueniant in prima. Præterea gratia differt in specie, prout est in angelo, & prout est in anima. Est enim gratia quædam in anima, quæ non est in angelo sc. gratia vnionis: sicut fuit in Christo: & gratia reparationis, sicut in alijs quibusdam.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet modus cognoscendi sit indifferens, vel quidam modus mouendi in bonum sit indifferens specie: tamen alius est differens: sicut supra habitum est.

Paulo superius in confutat. secundæ opinionis

MEMBRVM VI.

De differentia angelorum inter se.

AD sextum membrum huius Quæstionis, quo agitur de differentia angelorum inter se. Et habet tres articulos. Primo quæritur, vtrum inter se differant specie, vel non. Secundo, si differant specie, vtrum sub vna specie sint multa indiuidua, vel non. Tertio de causa multitudinis angelorū.

ARTICVLVS I.

An angeli specie inter se differant.

QVod differant specie, arguitur ex hoc, quod angeli de suprema Hierarchia plus differunt respectu eorum, qui sunt in infima; quam illi, qui sunt in infima hierarchia: sed illi, qui sunt in eadem hierarchia; vel specie sunt idem, & differunt secundum multitudinem numeralem: vel sunt idem genere, & differunt specie: ergo angeli, qui sunt in superiori hierarchia, cum plus differant ab his, qui sunt in infima; differunt specie. ¶ Item, similiter obijcitur de his, qui sunt in ordine Seraphin; plus conueniunt inter se; quam conueniant cum illis, qui sunt de ordine Cherubin, aut Thronorum: ergo cum illi, qui sunt de ordine seraphin inter se conueniant in specie, & differant secundum numerum, vel conueniant secundum genus, & differant specie: ita illi, qui sunt de ordine seraphin, different ab his, qui sunt de ordine cherubin.

¶ Prætere a, cum ordines distinguantur secundum officia: officia autem sunt differentia genere, vel specie: ergo angeli, qui sunt in ordinibus, differunt genere, vel specie.

¶ Prætere a: angeli sunt naturaliter quædam lumina spiritualia, quæ condita sunt in cælo empyreo, non de ipso cælo: sed sic est in luminibus corporalibus, quæ cōdita sunt in ipso firmamento, quod differunt specie inter se: ergo multo fortius spiritualia: cum magis differant, different specie. ¶ Item, secundum Philosophum, proportio motorum est & mobilium: sed secundum ipsum substantiæ separatæ, scilicet intelligentiæ angelicæ sunt motores diuersorum orbium; sed constat, quod orbes differunt specie: vt orbis solis, & orbis lunæ: ergo angeli, qui sunt motores, differunt specie.

12. Metaphi. 42. & deinceps ex numer. mobilium concluditur ordo mouentiū

¶ Item, animæ sensibiles in corporibus diuersorum brutorum, plus videntur conuenire inter se; quia conueniunt in modo sentiendi; quam conueniant angeli, quorum differens est modus intelligendi: sed animæ sensibiles in diuersis speciebus brutorum differunt specie: ergo & angeli inter se differunt specie.

¶ Contra: magis & minus non diuersificant speciem: sed angeli differunt inter se secundum magis & minus in perspicacitate intelligentiæ, & simplicitate naturæ, & in habilitate voluntatis: ergo non differunt in specie. ¶ Item, angeli de singulis ordinibus conueniunt in eisdem officijs. Licet enim Seraphin dicantur ab officio incendendi per charitatem, aut dilectionem: Cherubin ab illuminatione: nihilominus omnes ad omnia parati, & in omnibus conueniunt: ergo secundum hæc officia non distinguuntur.

¶ Item, animæ rationales distinguuntur inter se: sed differentia illarum non est in specie: ergo nec angeli differunt specie. ¶ Item, duo sunt officia angelorum, scilicet contemplari & ministrare: sed in vtroque conueniunt secundum eundem modum in specie: vtrobique enim est cōtemplatio secundum magis & minus: & vtrobique ministerium secundum aliud & aliud: ergo angeli non differunt in specie quo ad ista officia. Quod autem dicitur. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies, &c.* non ad hoc respicit, vt quidam sint ministrantes, & non assistentes; quidam assistentes & non ministrantes.

Dani 7.

RESOLVTIO.

Angelos specie inter se differre, hinc maxime dignoscitur: quia officia, quibus funguntur, & orbes, ad quorum motionem applicantur, specie inter se differunt.

¶ Ad quod dicendum quod angeli differunt inter se specie.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod magis & minus dicitur dupliciter. Aliquando enim vni & eidem rei accidunt: sicut albedo intensa potest esse remissa: & minus calidum potest esse magis calidum: & hoc modo accipiendo magis & minus, non diuersificant speciem, alio vero modo magis & minus diuersis naturis attribuuntur: vt magis calidum appropriatur naturæ ignis: & minus calidum naturæ aeris: & tunc magis & minus attestantur differentiæ in specie: sicut dicit Philosophus, quod multum & paucum aliquando diuersificant, aliquando nō diuersificant.

¶ Ad aliud dicendum, quod diuersitas in specie non attenditur secundum illa officia: nisi sic esset, quod illa officia ita essent * approbata quibusdam angelis, quod non conuenirent alijs: diuersitatem angelorum in specie sequitur differentia officiorum in specie: sed cum eisdem angelis secundum diuersos status possunt illa officia conuenire: non secundum illa accipitur differentia angelorum in specie. Præterea, cum mali angeli in nullo illorum ordinum sint, & diuersificentur in specie: non ergo secundum illa officia accipitur differentia specifica.

Colliget ex 10. Meta. cō 20.
* Alias appropriata.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur de animabus rationalibus,

RESOLVTIO.

Non quot angeli, tot species, sed plures sub eadem specie esse nedum eorum natura non repugnat, quinimmo maxime conuenit: cum non minoris virtutis sint quam natura rerum corporalium: nec magis recedant à conditione diuinæ naturæ, quæ ex nimia sui perfectione communicabilis est pluribus.

¶ Ad quod dicendum, quod vni speciei respondent plures indiuiduæ personæ sub illa specie.

¶ Ad obiectum autem in cōtrarium dicendum est, quod alia est ratio, quod plura indiuidua sint sub vna specie, quā corruptibilitas materiæ, aut indiuidui: quæ non potest sufficienter saluare esse speciei: in spiritibus enim pluralitas indiuiduorum non est propter hanc causam: sed ad manifestationem diuinæ bonitatis: quæ vult communicare pluribus participationem beatitudinis: vt sicut multiplicatur numerus indiuiduorum in specie animæ rationalis ad fruitionem beatitudinis: ita multiplicatur numerus angelorum sub quacunque specie ad fruitionem beatitudinis. Præterea: posse Regis temporalis, & decens dispositio in aula eius ostenditur, cum multi consimilis dispositionis seruiunt: magis quam si vnus in vno officio seruiret: vt si multi pincernæ; quam si vnus solus pincerna, & ita de alijs officijs: cum ergo posse Regis æterni sit improportionale in infinitum super posse Regis temporalis: & decentior dispositio aulæ cælestis, quam terrenæ: conueniens est angelos, qui sunt summi ministrantes, plures esse sub vna specie. Non est ergo in spiritibus accipienda ratio multitudinis indiuiduorum, quæ est in corporalibus.

Reclamat D. Tho 1. part. q. 50. art. 4.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod diuina essentia non communicat se, nisi vni quod est: & hoc est; quia non est possibile plures esse Deos: obuiaret enim perfectioni diuinæ: vt ostensum est. Non sic est in angelis: immo magis congruit pluralitas suppositorum: non enim simile est de domino, & de seruo: conuenit enim magis perfectioni domini vnitas, & indiuisio: seruo autem magis multiplicitas: cum ergo angeli sint administratorij spiritus, magis eis conuenit pluralitas suppositorum sub eadem specie. Nec est simile de sole & luna: sunt enim lunaria sufficientia: sol enim est sufficiens ad illuminationem totius orbis in die: luna vero cum suis stellis ad totius orbis illuminationem in nocte: sicut expedit: stellæ tamen ad aliud officium sunt directe, per se, & essentialiter.

Par. 1. q. 14 memb. 2.

ARTICVLVS III.

An, & quare necesse fuit, angelos in tanta multitudine produci?

ARticvlo tertio quæritur de causa multitudinis angelorum; Propter quid, scilicet necesse fuit tantam angelorum multitudinem produci? Si enim hoc est propter multitudinem hominum: cum homo sit substantia corruptibilis; angelus autem substantia incorruptibilis; esset dignior creatura propter indigniorem.

¶ Similiter, si dicatur, quod hoc est propter animas rationales: ad quarum custodiam, vel exercitium dantur. Nec hoc videtur: cum enim animæ successiue creentur; sicut corpora successiue generātur; posset vnus angelus multas animas custodire, vel exercitare: vnde non esset necesse tantam esse multitudinem.

¶ Præterea dicitur. *Statuit filios hominum, iuxta numerum filiorum Dei*: numerus ergo hominum, vel animarum rationalium magis videtur sumi iuxta numerum angelorum, quod econuerso. Dicitur enim in Cantico: *quando diuidebat altissimus gentes, & separabat filios Adam: statuit terminos gentium iuxta numerum filiorum Dei*, siue angelorum, secundum aliam literam. ¶ Item, neque iuxta officia, aut ministeria sumitur ratio multitudinis. Non enim propter ministeria necesse fuisset tantam esse multitudinem. ¶ Præterea, cum multitudo creaturarum procedat à Deo secundum similitudinem maiorem, vel minorem: quanto maior esset recessus à summe vno: tanto maior deberet esse multitudo: & quanto maior appropinquatio, minor multitudo: ergo in maxima approximatione minima multitudo: sed maxima est approximatio angeli ad summam vnitatem: ergo minima est multitudo in genere angelorum.

Deut. 32.

Deut. 32.

¶ Contra. *Milia milium ministrabant ei*, &c. Et. *Nonne possem rogare patrem meum: & exhiberet mihi plusquam 12. legiones angelorum?* Ex quo videtur, quod maxima sit multitudo angelorum. ¶ Præterea. *Nunquid est numerus militum eius?* milites enim vocat spiritus angelicos: ergo videtur per hoc dicere, quod innumerabiles sunt angelici spiritus.

Daniel. 7. Matt 26. Iob. 25.

RESOLVTIO.

Tot, tantosque angelos à Deo produci non prorsus oportuit: sed congruenter decuit: vt tantæ maiestati reuerenter adstarent: & eius iussa circa creaturas protinus perficerent.

¶ Ad quod videtur dicendum: quod angeli sunt ministri diuinæ potestatis in his creaturis mundi: sicut habetur ab August. *Cum ea visa, per angelorum obedientiam desuper ministrantur; peruenit iussio Dei, non solum ad aues, aut pecora: verumetiam ad ea; quæ sub aquis latent: sicut ad cete, qui glutiuit Ionam: & etiam ad vermiculum: nam & hunc legimus diuinitus iussum, vt radicem cucurbitæ roderet: sub cuius vmbraculo propheta requieuerat. Si enim homini donauit Deus, sic eum instituens, vt carnem peccati portans, possit non solum pecora & iumenta, suis vsibus subdita, non solum domesticas aues, verum & libere volitantes: etiam seuas feras & capere & mansuetas facere, & eis imperare, potentia rationis, non corporis: cum earum appetitus, & dolores captans, paulatimque illectando, laxando, premendoque moderans; agresti eas exuit consuetudine: quanto magis hoc angeli possunt; qui eius iussa, quem sempiterne intuentur: incommutabili veritate perspecta, mouentes se per tempus & corpora sibi subdita; per tempus & locum agilitate mirabili: & iussa, quibus moueantur; & appetitum carnalis indigentiæ, possunt efficere omni animæ viuæ, vt quo eam venire opus est, nesciens, adducatur?* Et ita patet, quod necessaria est maxima multitudo angelorum secundum congruentiam: non quod mediantibus paucis non possit Deus istas creaturas dispensare, & administrare: sed quia decet magis per ministros multos hæc fieri: Et sicut accidit in Rege terreno, qui habet regnum terrenum, quod plures habet ministros: quantomagis est apud Regem cælestem: ad quem pertinet omnium gubernatio? Et nihilominus si non essent istæ creaturæ corporales, deceret multitudinem angelorum esse assistentem summæ potestati; tanquam paratam obedire, vel iussa perficere.

Aug super Genes. ad litt cap. 14 Tomo. 3.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod ratio numeri, vel multitudinis non debet sumi ex comparatione hominum vel creaturarum: cum sint digniores. Dicendum, quod ratio non sumitur ex his inferioribus: sed ista inferiora declarant multitudinem spirituum superiorum: & ideo sumitur ex respectu diuinæ potestatis, & bonitatis: quæ nobilior est omni subiecta creatura.

¶ Ad aliud dicendum, quod in pluribus est verum: quod distantia à primo secundum dissimilitudinem concomitatur multitudinem maiorem rerum distantium. Vnde maior est multitudo numeralium, quam plantarum; plantarum vero, quam animalium: Sed vtrum sic sit de angelis, soli Deo notum est: cui definitus est numerus spirituum creatorum: homini vero incertus est: sicut habetur in Gloss. super illud. *Nunquid est numerus militum eius?* Aliud enim est de his, quæ spectant ad multitudinem sapientiæ Dei: cuius sunt incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles viæ. Quod autem maxima sit multitudo, conijci potest ex supradictis.

Gloss. super Iob. 25.

¶ Sed quæri potest, Vtrum numerus angelorum sit certus apud angelos beatos? Respondetur per hoc, quod dicitur in Enchiridion: vbi dicitur, quod angeli nouerunt, de quot deberet fieri supplementum. Vnde dicit. Non pro angelis mortuus est Christus: sed ideo etiam pro angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiā post inimicitias; quas inter homines & sanctos angelos peccata fecerunt: & ex ipsa hominum redemptione ruinæ angelicæ detrimenta reparantur. Et vtique nouerunt sancti angeli docti de Deo; cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt; quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis* expeteret. Et ita videtur constare, quod in verbo accipiunt non tantum illum numerum: sed etiam illum, in quo sunt: vnde apud ipsos in verbo est numeri prædicti certitudo.

Dubitatio August. in Enchirid Cap 6. & 61. Tom. 3

* Alias, expectet.

QVÆSTIO XXI.

De potentia & actibus angelorum in genere.

In tria Membra diuisa.

D. Tho. 1. par q6. 10. S. Bon. in 2. d 3. Sco. in 2. d 2. q. 4. & 6. & d. 2. q. 1. & 2.

TRansitvm faciamus adiuuante domino, post considerationem conditionis angelicæ: ad considerationem potentiarum, & actuum. Primo ergo faciamus sermonem de potentia in genere. Secundo descendendo secundum differentias potentiarum, & actuum, Primo ergo fiat quæstio de potentia, vtrum eadem sit secundum substantiam in angelis cum essentia. Secundo: vtrum potentia sit in actu semper. Tertio, vtrum vna sit potentia sola, an plures?

MEMBRVM I.

An potentia angeli idem sit secundum substantiam cum eius essentia?

Aug. in li. de Trinit.

QVod autem potentia sit eadem cum essentia in angelis; videtur ex comparatione ad animam rationalem: dicit enim August. quod memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna mens, vna vita, vna essentia: sed non nisi essentia animæ rationalis; ergo potentia in anima rationali est eadem cum essentia: sed maior simplicitas est in angelo; sicut dicit Isid. ergo in angelo erit potentia (ad minus aliqua) eadem cum essentia. ¶ Item, in Lib. de anima & spiritu dicitur, quod Deus est essentia sua: anima vero est idem quod ipsa vt potentia: ergo multo fortius est in angelo. ¶ Item, angelus est substantia simplex: sicut dicit Dionys. sed in simplici substantia idem est potentia, & essentia: ergo in angelo, &c.

Idem in li. de anima & spiritu. Cap. 4. Tomo. 3. Dionys. Li de cel. Hierarch. cap. 4. & lib. de Diuin Nom. cap. 4.

¶ Contra. Summæ simplicitatis est, quod potentia sit eadem cum essentia: sed angelus non est summe simplex: ergo non omnino idem est potentia, & essentia. ¶ Præterea. Si idem esset omnino; non oporteret ponere potentiam mediam in angelis inter essentiam, & operationem: sicut dicit Dionysius quod supercælestia diuiduntur in tria, scilicet essentiam, virtutem, & operationem: virtutem autem vocat potentiam: ergo potentia non est idem cum essentia.

¶ Præterea, Potentia multiplex est in suo actu: essentia vero non est nisi vnica in suo actu: ergo potentia non est idem secundum substantiam cum essentia.

RESOLVTIO.

Potentia angeli non est idem omnino, quod eius essentia; quia non est simplex omnimoda simplicitate. Sed ideo idem quodam modo dicitur: quia seipsa omnino potest.

¶ Ad quod dicendum: quod potentia non est idem penitus, quod essentia. Dici tamen potest idem, sicut in anima rationali: quia seipsa omnino potest.

¶ Ad primo obiectum dicendum: quod cum dicitur, quod memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna essentia; non est aliud dictu: nisi quod vna essentia animæ est, quæ potest meminisse, intelligere, & velle: non quod sit eadem essentia in genere potentiæ: tunc enim essent vna potentia. Similiter potest intelligi de essentia, ratione eius quod subest: non autem, quod potentia dicatur essentia, vel substantia: sicut est in Deo. ¶ Ad aliud dicendum: quod anima est quædam sua: vt fiat distinctio inter potentias substantiales, siue vires ex vna parte; & accidentia ex alia, quantum ad hoc, quod potentiæ & vires substantialiter inhærent; & vnũ sunt cum anima, quantum ad substantiam: Non dico quantum ad essentiam: potentijs enim substantialibus subsistit anima: accidentia vero, vt prudentia, fortitudo, & huiusmodi; non adhærent substantialiter: quia hic accidentaliter adsunt. Vnde potentiæ, & vires substantiales dicuntur idem, quod anima, ratione indiuisionis, & adhærentiæ substantialis: accidentia vero non; quia substantialiter non adhærent.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet simplicitas sit in angelo: non est tamen omnimoda simplicitas: & ideo non est idem potentia, quod essentia omnino: quia nihil est sua potentia penitus, præter quam Deus, &c.

MEMBRVM II.

An potentia angeli semper sit in actu suo?

AD secvndvm, quo quæritur, Vtrum potentia sit semper in suo actu: Quod videtur: quia contingere, siue posse, & esse, simul sunt in perpetuis: sed angeli sunt substantiæ perpetuæ: ergo in eis non differt posse, & esse. — 3. Phys. 32. in æternis nõ differt esse à posse.

¶ Item, nullum est impedimentum substantiæ angelicæ: cum omnino sit liberata à materia, & conditionibus materialibus: ergo cum omnis potentia indistans ab actu, & non impedita, exit ab actu, statim cum est: ergo potentia angeli, statim cum est, exit in actum: & ita statim est in suo actu. ¶ Item, maior indistantia est spiritualis potentiæ ad suum actum, quam corporalis: sed potentia primi mobilis quam cito potuit moueri, mouebatur: ergo angelica substantia sic est; quod quam cito potuit in actu; statim fuit in actu.

¶ Contra, Potentia huiusmodi est potentia voluntaria: sed potentia voluntaria mediante voluntate exit in actum: sed non semper est voluntas: ergo non semper est actus. ¶ Item, Prius est esse rei in creaturis, quam agere: sed posse simul est cum esse: ergo posse est prius, quam agere: non ergo potentia semper est in suo actu. ¶ Item, Potentia in creatura est ad opposita secundum suum genus, sicut essentia: essentia enim creaturæ potest esse, & non esse: ergo potentia creaturæ sic se habet, vt possit agere, & non agere: non ergo semper est necessario in suo actu.

RESOLVTIO.

Potentia angeli non semper est in actu suo: ita scilicet vt hic illi coæuus sit. Sed tantum indistanter: hoc est, paululum distat vt quidquam quandoque velit, & protinus non simul efficiat: cum nullum impedimentum sit ex parte sua potentia.

¶ Ad quod dicendum [*esse semper*] dicitur dupliciter: Vel ita quod sit coæuum respectu eius, cuius dicitur semper: & secundum hoc non est potentia creaturæ semper in actu: actus enim non est coæuus potentiæ. Si vero [*semper esse in actu*] dicatur indistanter: & cum est in actu, est incessanter: nihil prohibet esse aliquam potentiam angelicam: quæ statim, quando erat, exijt in esse: sed non est hoc in omni sua potentia. Vnde posse & velle semper sunt in suo actu, id est, indistanter, & post incessanter respectu alicuius voliti.

¶ Ad obiectum ergo dicendum est: quod cum dicitur posse, & esse non differt in perpetuis: sensus est: quod non prius est posse ex potentia materiæ; quam esse, quod est ex forma: sed sic non est in generabilibus & corruptibilibus: vbi prius dicitur esse ex potentia materiæ: & post esse à forma: sed in perpetuis simul est materia, & forma: & ideo posse à materia, & esse à forma sunt simul. Vnde non potuit cælum esse ex potentia materiæ, priusquam fuit ex actu formę: sed prius fuit potentia agentis, quam esse in actu suo: prius potuit creare Deus, quam creauit. Non ergo de actu potentiæ actiuæ intelligitur: sed de actu potentiæ passiuæ: in aliquibus enim actiuis potentijs verum est: sicut Deus potest intelligere, & intelligit.

¶ Ad secundum dicendum est, quod eo quod nullum est impedimentum potentiæ angelicæ: nihil prohibet semper, & indistanter in suo * aliquo esse: sed non oportet in omni actu voluntario: licet enim impedimentum non sit, tamen non semper est in suo actu: quia non semper adest voluntas: vt non semper videt visus: licet nullum sit impedimentum ex parte oculi, & medij, & visibilis: quia non semper adest voluntas: sed conuertit se ad aliud. — * Alias actu.

¶ Ad tertium vero dicendum est, quod cum dicitur: potentia corporalis semper est in suo actu: verbi gratia, cælum semper mouetur: intelligendum est semper, id est, statim postquam fuit; & incessanter; quia semper continuatus est motus: non sic autem est in potentiis, & actibus angelicis; quia in actum exeunt per voluntatem: ille vero exitus, quantum erat ex parte sui; erat, & est naturalis.

* * *

MEMBRVM III.

An potentia angeli vna potentia sit, vel plures?

AD TERTIVM, quo quæritur, Vtrum sit potentia vna, vel plures: Et videtur, quod vna sufficiat. Cum enim angelus sit creatura, procedens à primo secundum primam assimilationem, quam congruit naturaliter esse in creatura: Deo autem sic est; quod per vnam potentiam agit omnia, quæ agit: non per multiplicem: erit tunc in angelo, quod assimilabitur in hac perfectione; quod omnia, quæ aget; vna potentia aget. ¶ ITEM, perfectius est agere vno, quam pluribus: cum ergo summa perfectio conueniens secundum naturam creaturæ, sit in angelo; vnica potentia aget in pluribus.

¶ CONTRA. In quocunque differens est potentia ab essentia; & est compositum: necesse est esse plures potentias: eo enim quod potentia differt ab essentia; necesse est, quod sit ab essentia: & quia essentia est composita: ratione vtriusque habet potentiam: ergo cum angelus sit essentia composita, in quo differt potentia ab essentia: habebit necessario potentias. ¶ ITEM, angelus est procedens à Deo vno, & trino per primam assimilationem creaturæ: ergo habet aliquid, quod respondet vnitati diuinæ essentiæ, & trinitati personarum; sed vnitati essentiæ respondet essentia: ergo trinitati personarum respondent aliqua alia: nō nisi potentiæ: ergo ad minus erunt tres potentiæ, cognitiua, affectiua, motiua.

RESOLVTIO.

Angelus cum creatura composita sit: non potest non multiplicem habere potentiam.

¶ AD quod respondendum: quod essentiæ angelicæ respondet pluralitas potentiarum.

¶ AD PRIMO obiectum dicendum: quod licet angelus procedat à primo secundum primam assimilationem, creaturæ naturaliter congruentem: non tamen habet vnitatem, siue singularitatem potentiæ: est enim creatura composita: sed si aliqua creatura est talis, scilicet habens vnitatem essentiæ: ipsa erit materia, vel forma vnita: materia enim non habet nisi potētiam ad formas: formare autem alicuius determinatæ potentiæ non est, nisi perficere numerum in esse: sed hoc non est nisi in compositis essentijs.

¶ AD secundum dicendum: quod licet perfectius sit vno agere, quam pluribus: non tamen conuenit angelo, qui est prima creatura in ordine naturali. Obuiat enim compositio, ratione cuius necesse est habere plures potentias: & hoc est ei perfectius, quam quod materia habeat vnicam potentiam. Vnde illa summa perfectio, qua omnia vno aguntur, non conuenit nisi soli Deo; in quo est idem potentia, & essen- ia: & indiuisa est potentia, quemadmodum & natura.

QVÆSTIO XXII.

De potentia cognitiua angelorum.

In quatuor Membra diuisa.

DEINDE procedendum est ad considerationem potentiarum, & actuum particulariter. Potest autem deprehendi in genere numerus potentiarum, & actuum secundum rationem actuum. Sunt enim tres actus, qui derelinquunt similitudinem summæ trinitatis in angelis, scilicet præesse creaturis secundum regimen, aut potestatē: cognoscere cum suo iudicio: motus exterior, & interior. Præesse enim secundum regimen & potestatem appropriatur patri: cognoscere cum suo iudicio (quod est locutio) filio appropriatur: motus vero interior, & exterior appropriatur spiritui sancto, tanquam principio. Si ergo in his actibus relinquitur quædam similitudo trinitatis in angelo: per actus autem cognoscuntur potentiæ. Erit ergo triplex potentia, scilicet præsidendi, cognoscendi in suo iudicio, & mouendi motu interiori. Ex his autem posset videri, quod potentia præsidendi derelinquat similitudinem propter appropriationem respectu patris; & ita prior debet esse. Sed videtur econtrario; propter hoc, quod præesse secundum regimen

D. Tho 1. par. q. 54. vsq; ad q. 59. excluliue S. Bon. in 2 d. 3. ar. 3. q. 2. & ar. 4 q. 1. & d. 4. ar. 4 q. 1. & 2 Sco in eodem 2. d. 6. q. 8. & inde.

in angelis, dependet ex cognitione, & motu: & ideo prius dicendum est de potentia cognitiua cum suo actu: deinde de potentia motiua: & tertio de potentia præsidendi secundū regimen, vel potestatem respectu creaturæ angelicæ, vel humanæ, vel alterius. Nec obstat, quod potentia præsidendi appropriatur patri: quia tunc debet vnum præordinari alteri; quando vnum intelligitur absolute: aliud vero in comparatione: & ideo cum potentia cognitiua, dicat quasi id, q̄ pertinet ad intelligentiam angelicam secundum se: potentia vero præsidendi, vt ad alterum; & ex prioribus actibus dirigatur; recte primo existimamus agendum de potentia cognitiua cum suo actu: & deinde de alijs. Potentia vero cognitiua dupliciter attenditur: vel ratione proprij actus: vel ratione consequentis: qui est potentiæ indicatiuæ, cuius est locutio. Primo ergo dicendum est de potentia cognitiua cū suo actu proprio, & principali: & primo est consideratio de potentia, postea de actu.

¶ CIRCA potentiam cognitiuam hæc cōsideranda sunt. Primo, vtrum sit potentia intellectiua in angelis: an etiam sensitiua? Secundo, si intellectiua: aut cum ratione: aut præter. Tertio, si est intellectiua excellentior ratione; vtrum sit intellectus agens tm̄: aut possibilis, siue materialis cum illo: cum alijs differentijs, quæ pertinent ad intellectum: sicut sunt, intellectus in actu, & intellectus in habitu. Quarto, cū sint duæ differentiæ, scilic. intellectus speculatiuus, & practicus; an vtraq; angelicæ conueniat intelligentiæ: an altera tantum?

MEMBRVM I.

An in angelis sit potentia intellectiua tantum, vel etiam sensitiua?

CIRCA primum sic videtur, quod non tantum potentia intellectiua sit in angelis, sed etiam sensitiua: cognoscūt enim res particulares secundum signata, scilicet tempora, & loca: sed vis cognitiua singularium secundum quod hoc & nūc, est vis sensitiua: ergo angelus habet potentiam sensitiuam. ¶ ITEM, posse sentire calidum in igne secundum contractum, non est nisi potentiæ sensitiuæ: & hoc conuenit ipsis malis angelis: qui igne puniuntur: & hoc non est nisi secundum potentiam à principio datam: ergo angeli habent potentiam naturalem sentiendi calidum in igne. Quod autem sic puniuntur, patet per hoc, quod dicit Aug. *Cur non dicamus: quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi: si spiritus hominum incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris: & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* Adhærebunt ergo, & si eis nulla sint corpora, spiritus dæmonum: immo spiritus dæmones licet incorporei; corporeis ignibus cruciandi: nō vt ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inspirentur, & alia fiant, quæ constent spiritu & corpore: sed (vt dixi) miris & ineffabilibus modis adhærendo: accipientes ex ignibus pœnas: non dantes ignibus vitam. ¶ ITEM, sicut dicit Isid. & August. multa nouerunt angeli per experientiam, quæ à principio non cognouerunt: sed experientia est secundum potentiam sensibilem: ergo angeli habent potentiam cognoscendi per sensum. ¶ ITEM, phantasiæ sunt secundum partem sensibilem: sed cognitio aliqua phantastica est in aliquibus angelis, scilicet dæmonibus, sed non est actus sine potentia: ergo habebit potentiam cognoscendi secundum phantasiam: & ita potentiam cognoscendi secūdum sensum interiorem. ¶ ITEM, nihil potest dare alteri, nisi quod habet: sed in somno dantur phantasmata, aut visiones secundum partem imaginatiam ab angelis: ergo angeli habent phantasmata, vel formas tales: ergo habent potentiam sensibilem interiorem. ¶ ITEM, dicit August. quod angelus non tantum intelligit; sed etiam sentit: vnde dicit ibi. *Vniuersi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumq; motum, & elementa disposita à cælo vsque ad terram, & quæcunque corpora in eis sunt, siue omnem vitam, vel qua nutrit, & continet; qualis est in arboribus: vel qua & hoc habet & sentit; qualis est in pecoribus: vel qua & hoc habet, & intelligit; qualis est in hominibus: vel qua nutritorio subsidio non indiget, sed tamen continet, sentit, intelligit: qualis est in angelis: nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est:* ergo angeli habent potentiam sensitiuam interiorem, vel exteriorem.

Aug lib. 21. de ciuit. Dei c. 10.

Idem in li. 8. de ciuit. Dei. Idem c. 6.

compositiones,& incessiones,ad actus & occasiones, & fugæ actionum: propriè verò intelligentia intelligibilium, & virtutes & doctrinæ, & artium rationes,& conciliatiuum,& electiuum. Et iterum idem, scilicet Damascen. * *Diuiditur ratio animæ in interius dispositum sermonem,& in prolatum.* Est autem interius dispositus sermo motus animæ in excogitatiuo fiens sine aliqua enunciatione:secundum hoc maximè rationales omnes sumus: etenim qui à natiuitate sunt muti,vel propter aliquam ægritudinem vel passionem vocem amiserunt, nihilominus rationales sunt: prolatus verò sermo in voce & in syllabis operationem habet: quoniam per linguam & os profertur sermo:ideoque & prolatiuus dicitur. Est autem annunciatiuus intelligentiæ; & secundum hunc modum est propriũ hominis secundum animam rationalem. Alio modo accipitur communiter, pro intellectu cognoscente superiora & inferiora intelligibilia & sensibilia intelligibiliter: & secundum hunc modum non est vis distincta ab intellectu: & hoc modo conuenit angelis.

Idem.
* Quinimo Arist. met. diuisio est, in Prædicamẽtis cap. de quantitate.

¶ Ad obiecta ergo respondetur, quod licet ratio dicatur esse in angelis:non tamen secundum omnem actum.Sũt enim quidam actus,qui attestantur imperfectioni: sicut decurrere per collationem à compositis notis ad compolita ignota: & per hunc modum non conuenit angelis ratio: cum sint simplicioris intelligentiæ:cognoscunt enim multa in vno sine decursu ratiocinationis. Nec prohibet,quin in angelis sint naturaliter quædam nota, quædam ignota; & per nota aliquo modo possunt ignota cognosci: sed hoc non est per viam inquisitionis: sed in malis est per quasdam coniecturas:in bonis verò per reuelationem supernam. Et quod homo cognoscat decurrendo à propositione nota ad ignotam:hoc nouit angelus, non per modum propositionis:sed indiuisibiliter.Vnde si comprehendit veritates compositionum; hoc est secundum quod veritates illæ reducũtur ad veritates rerum,quæ ab ipsis angelis cognoscuntur.

MEMBRVM III.

An sicut in hominibus est intellectus agens & possibilis: ita & in Angelis sit?

AD TERTIVM, quo quæritur de differentia intellectus possibilis, & agentis, vtrum sit in angelis, sicut in hominibus. Quod videtur:quia angelus habet potentiam recipiendi cognoscibilia: sed potentia receptiua cognoscibilium dicitur intellectus possibilis: ergo habet intellectum possibilem. ¶ ITEM, habet aliquid in se, per quod educitur de potentia in actum in genere intellectus. & hoc est intellectus agens:ergo habet intellectum agentem.¶ ITEM, compositus est ex materia intelligibili, & forma intelligibili:& ex parte materiæ & recipere intelligibilia: & ex parte formæ facere:ergo habet intellectum possibilem, & agentem.

¶ CONTRA, intellectus possibilis in nobis est respectu specierum abstrahendarum à phantasmatibus: sed phãtasmata sensibilia non sunt in angelis: ergo intellectus possibilis per hanc viam in est in angelis. ¶ ITEM, intellectus materialis impedimentum quoddam recipit per læsionem cuiusdam partis cerebri: sed intellectus in angelis in nullo corporeo impeditur:ergo intellectus materialis, siue possibilis non est in angelis. ¶ ITEM, quædam colligatio est intellectus possibilis siue materialis cum virtutibus sensibilibus:sed in angelis nulla est vis colligata, habens dependentiam ab illis:ergo non est intellectus possibilis,vel materialis in angelis.

RESOLVTIO.

Est quidem & in angelis intellectus agens atque possibilis, sed longe alio & alio modo ac in hominibus rationalibus.

¶ Ad quod dicendum, quod intellectus possibilis est in angelis: sed non secundum omnem modum, secundum quem est in animalibus rationalibus. Habet enim angelus intellectum possibilem ad recipiendum cognitionem à Deo: & etiam ab angelis superioribus,si superiores habet: habet etiam intellectum possibilem ad capiendum notitiam istorum inferiorum: sed non illo modo, quo intellectus possibilis humanus indiget ministerio sensus præambulo, & ministerio virtutum sensibilium; quod non est in angelo; & ideo dissimiliter dicitur ex illa parte possibilis.

¶ Ad obiectum ergo dicendum: quod licet habeant intellectum possibilem:non tamen respectu specierum abstrahendarum à phantasmatibus; nec respectu agentis abstrahentis species à phantasmatibus: nec indiget memorijs præcedentibus,vel sensibilibus:nec impeditur per impedimentum corporei instrumenti: sicut dicitur in his, qui habent maniacam passionem: non enim intellectus possibilis in angelis separabilis tantum est à corpore,vel ab actu sensibilium virtutum:sed separatus est: & ideo non occurrit ei impedimentum ex parte illa.

¶ AD ALIVD,quo quæritur de intellectu agente. Dicendum,quod intellectus agentis,propriè sumpti: est educere potentiam intelligendi, & hoc per abstractionem specierum à phantasmatibus.In angelo autem non est acceptio specierum per abstractionem à phantasmatibus: vnde quãtum ad hanc conditionem non dicitur intellectus angeli agens. Sumendo autem communius intellectum agentem; prout agentis est educere potentiam intelligendi in actum per acceptionem quandam specierum, intellectus angeli potest dici agens.

MEMBRVM V.

An intellectus, practicus, vel speculatiuus sit in angelis?

AD QVARTVM, quo quæritur de his differentijs, quæ sunt, intellectus speculatiuus,& practicus, vtrum conueniant angelo secundum naturam? Quod non, videtur. Cum enim speculatiuus à speculo dicatur: cognoscere autem per speculum, & ænigma, sit cognoscere superna per hæc inferiora: angeli autem secundum naturam suam est, nudam veritatem contemplari: cum nihil intersit inter ipsum naturaliter,& Deum: ergo nõ habet intellectum speculatiuum à speculo dictum.

¶ PRÆTEREA, intellectus speculatiuus (sicut dicit Philosophus) est cum continuo tempore: sed intellectus angelicus naturaliter abstrahit à continuo: ergo non est intellectus speculatiuus in angelis.

Phil. 3. de Anima 49. intellect⁹ extensio-ne fit practicus.

¶ SIMILITER arguitur, quod non sit intellectus practicus. Nam extendente se intelligentia, fit practica: ergo si non est speculatiua in angelis: nec practica, quæ consequitur ad ipsam. ¶ ITEM, intellectus practicus indiget custodia angelica: prout angelus datur ad custodiam in bono, & ad fugam mali: sed angelus ratione alicuius potentiæ suæ non indiget custodia angelica:ergo non est intellectus practicus in angelis.

¶ PRÆTEREA, intellectus practicus retardatur per phãtasiam: sed intellectus in angelis non retardatur: ergo non est in angelis intellectus practicus.

¶ CONTRA. intellectus speculatiuus est vis, qua cognoscuntur res intelligibiles: vt angeli,& animæ,& huiusmodi: sed hæc vis est in angelis: ergo intellect⁹ speculatiuus est in angelis. ¶ ITEM in libro de Anima & spiritu dicitur:quod anima similis est per intellectum angelis, sed propriæ differentiæ intellectus sunt speculatiuus, & practicus: ergo hæ differentiæ conueniunt angelis. ¶ ITEM intellectus speculatiuus est vis nata cognoscere verum: intellectus practicus vis nata mouere ad bonum:sed hæ duæ differentiæ sunt in angelis:ergo in angelis est speculatiuum,& practicum.

Aug. in li. de anima & spiritu.

RESOLVTIO.

Si speculatiuum deducatur à speculor, vtique angelis conuenit: sin autem à speculo, nequaquam. Quo modo & practicum si dicatur vis, nata mouere, vel moueri ad bonum, est profecto in angelis: at verò si sumatur vt indigens est custodia angelica, ne labatur: vel potens impediri à phantasia sensibili minime.

¶ AD quod dicendum:quod speculatiuũ potest dici dupliciter: vel à speculando, vel à speculo. Si à speculando,& similiter practicus ab operando; secundum hoc bene possunt hæ duæ differentiæ esse in angelo.Sed secundum quod

dicetur à speculo, & mediante sensu recipiuntur species intelligibiles, quibus anima speculatur, & in speculo videt: secundum hunc modum non dicitur speculatiuum in angelo esse secundum naturam.

¶ Et nota, quod alia est obscuritas, quam habet angelus malus, cum videt per speculum: & cum homo videt naturaliter. Nam illa, quam habet homo naturaliter: est ex coniunctione cum corpulentia ipsius corporis corruptibilis. Vnde Greg. *Humanum cor ipso corporis carnalis pondere grauatum, hanc ipsam corpulentiam quasi obicem retinens: summa non penetrat, & graue exterius iacet: quia leuantem in anum interius non habet.* Hanc autem non habet angelus malus: sed habet eam per peccatum, quam etiam peccator homo similiter habet. Vnde dupliciter dicitur homo malus videre per speculum: angelus vero malus altero modo tantum. Homo vero bonus altero modo tantum; cum erat in statu innocentiæ * aliter vero, cum est in statu pœnalitatis: angelus vero bonus neutro modorum: sed clare videt, aut speculatur.

Gregor.

*Alias, altero.

¶ Ad id, quod obijcitur de intellectu speculatiuo: per iam dicta potest responderi.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de intellectu practico. Dicendum, quod intellectus practicus potest dici vis, quæ nata est mouere, vel moueri ad bonum: & hoc modo est in angelo. Si vero accipiatur, prout indiget custodia angelica, ne labatur; vel potest recipere impedimentum per phantasiam sensibilem; non est intellectus practicus in angelis. Per hæc patet solutio obiectorum contra intellectum practicum.

QVÆSTIO XXIII.

De modis cognoscendi angelorum.

In sex Membra diuisa.

D. Tho. 1. part. q. 58. art. 6. & 7. D. Bon. in 2. d. 3. ar. 3. q. 4. & 5. & d. 4. ar. 3. q. 1. & 2. Sco. in eodem 2. d. 3. q. 8. & deinceps.

Dicto de potentia cognitiua; dicendum est de actu. Et primo de modis cognoscendi. Secundo de differentiis cognoscibilium. Quantum ad primum quæritur de duplici cognitione angelorum, matutina, & vespertina, quæ ponitur ab August. in Lib. super Genes. ad lit. & in Lib. de ciui. Dei, & ad Orosium. Primo quæritur, quare appelletur cognitio matutina, & vespertina. Secundo; vtrum vtraque cognitio sit naturalis. Tertio de sufficientia huius diuisionis. Quarto, de comparatione vnius ad aliam, scilicet quæ prior sit. Quinto, vtrum cognitio, qua cognoscunt angeli verbum; debeat dici matutina, aut vespertina. Sexto vtrum cognitio, quæ fuit in angelis, antequam caderent; esset matutina, vel vespertina: vel nec sic, nec sic.

MEMBRVM I.

An cognitio angelorum matutina, vel vespertina dicenda sit.

Aug. li. 4. super Gen. ad litt. c. 22 & li. 5. ca. 5. Tom. 3 de Lib. 7. & 9. Tom. 3.

Ad primum sic. Primo videtur, quod aliqua cognitio beatorum Angelorum non debeat dici matutina, aut vespertina: hanc enim duplicem cognitionem angeli accipit Aug. ex hoc quod dictum est Genes. 1. *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Cognitio ergo matutina, aut vespertina dr̃ iuxta proprietatẽ eius, quod dr̃ mane & vespere: sed mane est lux admixta cum tenebris: similiter vespere: ergo cum per lucem intelligatur cognitio; per tenebras ignorantia: patet quod cognitio matutina, & vespertina est; cui aliquid admixtum est de ignorantia. Sed in cognitione bonorum angelorum nihil est admixtum de ignorantia: immo potius * videtur dici diurna, secundum quod dies nominat cognitionem, cui nihil est admixtum de ignorantia. ¶ Præterea, videtur quod cognitio in verbo non debeat dici matutina: quoniam cognitio in verbo est secundum rationem verbi: quoniam verbum lux est incommutabilis, elongãs à se omnem tenebram. Cognitio autem matutina, prout est matutina; nõ elongat à se omnem tenebram ignorantiæ: sicut nec mane tenebram materialem: quare &c. ¶ Præterea, videtur: quod cognitio boni angeli de quacunque creatura sit, siue sit de se, siue de alijs; non debeat dici matutina: secundum quod dicit Dama. angeli lumina sunt. Et secundum quod exponit Aug. super Gen. ad lit. *per diem significatur cognitio angelorum per noctem priuatio eiusdem*, vnde (secundũ quod exponit) cognitio nihil aliud est, quam dies: & dies totiens repetitus nihil aliud est, quã cognitio angeli totiẽs repetita. Sed constat, quod vespera dicit declinationem ad noctem: cognitio vero vespertina possibilitatem, vel declinationem ad ignorantiam: sed cognitio boni angeli nullo modo est possibilis ad ignorantiam, secundum quod huiusmodi: ergo cognitio angeli non debet dici vespertina.

*Alias debet.

Aug. super Genes. ad litt. lib. 4. cap. 22. & deincep. Thom. 3.

RESOLVTIO.

Ex B. August. placitis isthæc nomina desumpta sunt; ita vt cognitio matutina dicatur cognitio angelorum in verbo, veluti in ortu & principio rerum: cognitio autem vespertina dicatur cognitio earundem in seipsis, vel rerum in proprio genere: quippe quæ ad interitum & declinationem tendunt.

¶ Ad hoc diceret aliquis, quod cum angelus sit creatura; & ideo de nihilo: quod de natura sua, qua creatura, est possibilis ad ignorantiam: & sua cognitio admixta est quo ad hoc ignorantiæ: & ideo per mane & vespere: quæ dicunt admixtionem cum tenebris: potest assignari vt dicatur eius cognitio matutina, vel vespertina.

¶ Sed tunc obijcitur, quod videtur, quod cognitio angeli nec debeat dici matutina, nec vespertina: quoniam mane habet tenebram antecedentem, & lumen sequens: econtra vespera: sed neutro modo est in angelis: ergo neutra cognitio.

¶ Respon. dicimus quod (sicut patet in Lib. super Gen. ad litt.) cum August. ponit prædictam duplicem angeli cognitionem; ibi intendit diuidere diem à nocte, secundum quod fit huiusmodi diuisio. Gen. 1. cum dicitur, Deus diuisit lucem à tenebris: & vult quod cognitio angeli dicatur dies, cuius sunt duæ partes, mane, sc. & vespera: Vult ergo cognitionem angeli comparare diei, siue luci eiusdem: ignorãtiam nocti, vel tenebris: & cum mane sit principium diei, vespera finis, vult similiter secundum hoc, quod cognitio angeli in verbo dicatur matutina: cum sit tanquam in principio rerum: sed cognitio eius, vel rerum in seipso, vel rerum in proprio genere, est vespertina: cum sit in creatura: quæ inquantum est creatura, est in declinatione & casu: & iuxta hoc accipiuntur hoc nomina *matutinum* & *vespertinum* respectu cognitionis angelicæ.

Aug. 12. super Genes. ad litt.

¶ Et per hæc patet solutio ad omnia obiecta: procedũt enim ex suppositione cuiusdam falsi, sc. quod cognitio angeli dicatur matutina, aut vespertina: quia sit cognitio in mane, & in vespere lucis cum tenebris: quod falsum est.

¶ Item (vt patet Genes. 1.) ante quam fieret mentio de mane, & vespere; iam erat dies distinctus à nocte: & similiter in confirmatione angeli cognitio eius fuit distincta ab ignorantia: secundum quod exponit August. Si ergo quæratur, quare tunc cognitio angeli non dicitur diurna? dicimus, quod bene sic potest vocari: vnde August. *In verbo cognoscunt angeli tanquam diurna cognitione, in seipsis tanquam vespertina.* ¶ Item. *Cognitio, quæ est in verbo ad diem pertinet, quæ est in seipsis ad vesperam.*

Idem ibid.

Idem in 11 de ciuit. Dei ca 29. Idem in 4. lib super Genes. ad litteram.

¶ Sed fortasse quæretur: cum meridies sit quasi media pars diei inter mane & vesperam: videtur secundum hoc, quod debeat poni tertia differentia cognitionis angeli, quæ diceretur meridiana. Ad quod dicimus, quod hoc nõ oportet: non enim potest angelus cognoscere res nisi aut in creatore, aut in creatura: & hoc vel cognoscendo in seipso res: vel in proprijs generibus, & prima cognitio dicitur matutina: secunda vespertina.

MEMBRVM II.

An vtraque harum cognitionum, vel altera tantum naturalis in Angelis dicatur.

Ad secundum, quo quæritur. An cognitio in angelis matutina, vel vespertina dicatur naturalis. ¶ Ad quod sic. Illud dicitur naturale, quod à principio fuit in angelis: sed cognitio vespertina fuit in eis à principio.

¶ Præterea,

¶ Praeterea, aliquam habuerunt de creatore cognitionem: ergo cum illa non dicatur vespertina, erit matutina: & ita vtraque cognitio erit in angelis naturalis.

¶ Contra, cognitio matutina est angelicae naturae formatae, cum dictum est, *Fiat lux, &c.* ergo cum non sit angelus secundum naturam suam sic formatus, non habuit cognitionem matutinam, sed [illegible].

¶ Praeterea, haec est cognitio [illegible] cognitio est spiritualis [illegible] sed angeli non habuerunt [illegible] naturalem [illegible] naturalem [illegible].

RESOLVTIO.

[illegible] quod natura sufficit [illegible] quod a principio datum est [illegible] naturales [illegible].

¶ [illegible] quod vespertina cognitio potest [illegible] cognoscuntur [illegible] genere vel [illegible] ex ipsa natura cognoscitur [illegible] creatura angelica [illegible]. Cum ergo dicitur, quod angelus [illegible] creaturarum cognitionem [illegible] cognitio non matutina, sed [illegible], & pertinet ad creaturam [illegible] pertinet ad creatorem. Nec [illegible] differentiam [illegible] videtur [illegible] cognoscat. Dicendum [illegible] quod angelus non indiget [illegible] corporalis [illegible] sed non excludit, quin creatura [illegible] per se nitatur ascendere ad cognitionem creatoris [illegible].

¶ Ad illvd vero, quod quaeritur, vtrum altera earum cognitionum sit naturalis? Dicendum naturale dicitur dupliciter: vel ad quod sufficit natura: vel quod datur est a principio ipsi naturae, & reputatur quasi naturale. Secundo modo posset dici altera earum naturalis. Primo vero modo dicitur naturalis quaedam cognitio; qua potuerunt angeli cognoscere res in seipsis, vel in proprio genere.

MEMBRVM III.

An sufficienter diuidatur cognitio angeli in matutinam, & vespertinam?

Ad tertivm, quo quaeritur de sufficientia huius diuisionis. Ad quod sic Aug. ponit, quod angelus cognoscit res in verbo, & in se, & in proprio genere: quare secundum hoc sunt tres rationes: secundum quas cognoscit angelus: & patet quod secundum primam rationem dicitur cognitio angeli matutina, secundum tertiam vespertina, quare hae duae differentiae non sufficiunt.

¶ At posset dici, quod debet poni media differentia cognitionis, quae dicitur meridiana: sed hoc est supra positum & solutum.

RESOLVTIO.

Duae sunt praecipuae angelorum cognitiones: sed si qua alia ab his videatur, ad alteram harum, scilicet ad vespertinam reducatur.

¶ Respondetvr: concedendum, quod sicut ponimus cognitionem angeli [illegible] cognitionem matutinam & vespertinam non solum iuxta [illegible] secundum [illegible] est supra. [illegible] vtraque cognitio [illegible] & ideo dicit August. *Ipsa creatura cognitio in [illegible] vespertina quae Dei cognitione erat mane.* Et idem in eodem. *Vespertina angelorum in seipsis in comparatione ad scientiam, quae est in verbo dicitur vespertina.* Sic ergo tam secunda differentia cognitionis angelicae, quam tertia dicitur vespertina [illegible] simpliciter, secunda quodammodo.

¶ [illegible] quaeritur, quae est differentia [illegible] duplicem cognitionem vespertinam? [illegible] quod nulla [illegible] ex parte cognoscentis; cum cognoscentis [illegible] angelus [illegible] ex parte rei cognitae [illegible]

rum cognoscit angelus in seipso & in generibus rerum: nec ex parte eius, quo cognoscit [illegible] per suas species: sed nihil aliud videtur [illegible] differentia: quare &c.

¶ Contra angelus cognoscit res fiendas in seipsis [illegible]: & ita secundum [illegible] naturae, [illegible] contingit res cognoscere [illegible] secundum quod [illegible] quodammodo cognoscuntur res [illegible] cognoscitur, secundum quod [illegible]. August. accepit illa tria verba, quae [illegible] Genes. 1. *Fiat: fecit: &* [illegible] ad triplicem cognitionem [illegible] quod dicitur (*fiat*) refertur ad cognitionem angeli [illegible] verbo (*fiat*) ad cognitionem [illegible] (*factum est*) ad cognitionem [illegible] haec tria non fuerunt tempore [illegible] & dignitate. Vnde *fiat* [illegible] operandum, quod cognouit angelus in verbo *fiat* [illegible] operari, quod cognouit [illegible] quoddam operatum, quod cognouit [illegible]: & hoc sic cognoscere [illegible] quod ibi dicit August. Sic ergo [illegible] modi cognitiones. ¶ Quod concedimus.

¶ Ad [illegible] ergo, quod obiicitur in contrarium: Dicitur [illegible] in se angelo per species [illegible] accipiendo species ab ipsis [illegible] cognoscit res per earum species, [illegible] exemplum de artifice, qui aliter cognoscit [illegible] & postquam facta est: & tamen [illegible] per suam speciem cognoscit. Patet ergo ex praedictis, quomodo est ponere tantum duas differentias cognitionum in angelis: & tamen sunt eius tres rationes cognoscendi: & quomodo huius modi tres rationes differant: quia illa, quae fit in verbo, nullo modo dependet a re creata: sed illa, quae [illegible], adminus dependet a forma, vel specie [illegible] est plena formis: sed illa, quae est in proprio genere [illegible] a rebus creatis simpliciter dependet. Ex hoc patet, quod hae tres rationes cognoscendi [illegible] nobilior enim [illegible] angelo & concreata, quam [illegible].

MEMBRVM IV.

Quae praestantior cognitio angelorum, matutina, an vespertina: siue rerum in verbo, vel in proprio genere?

Ad qvartvm, quo quaeritur de comparatione visus cognitionis ad aliam; quae potior sit? Ad quod sic. *Melius cognoscuntur res in verbo, quam in se* [illegible] sicut dicit August. [illegible]. *Quod factum est, in ipso vita erat.* [illegible] quod [illegible] cognitio rerum in arte est in ipso verbo [illegible] in proprio genere [illegible] potior est cognitio in verbo, quam quae est in ipso genere proprio. ¶ Item, [illegible] cognoscuntur res, cum cognoscuntur, secundum quod habent esse immutabiliter; quam secundum quod habent esse mutabiliter: sed in verbo habent esse immutabiliter [illegible] mutabiliter [illegible] ergo potior est cognitio rerum in verbo, quam in proprio genere. ¶ Item, August. *Plus [illegible] in seipsa videatur* [illegible] *videatur* [illegible] August. *Scientia creaturae* [illegible] *creaturae quodammodo decolor est* [illegible] *cum ipsa refertur ad laudem* [illegible] *creator creaturae* [illegible]. ¶ Item [illegible] *Cognitio creaturae in* [illegible] *Dei sapientia cognoscitur* [illegible] *quam nox* [illegible]. ¶ Item, [illegible] secundum quod [illegible] ergo cognitio matutina potior [illegible].

¶ Contra. Potior est cognitio [illegible] quam quae [illegible] in proprio genere [illegible] potior [illegible].

¶ Item

Aug. super Genes. ad lit. Lib. 2. cap. 7. & 8. Tom. 3. Genes. 1.

Memb. [illegible] [illegible] [illegible]

Memb. [illegible] quae [illegible]

August. in li. de ciuit. Dei. Ioan. 1.

Idem ad Orosium. Cap. 8. Tomo 6. [illegible] de ciuit. Dei lib. 7. de [illegible] Id.

¶ ITEM, sicut se habet esse ad effectum, ita cognitio ad cognitionem: cum cognitio rei sequatur esse eiusdem: & in ea proprietates essendi sumatur ratio cognoscendi: sed esse rei in proprio genere est esse simpliciter; esse in verbo est esse secundum quid: ergo & cognitio eius: ed rei cognitio quæ est cognitio simpliciter; potior est, quam illa, quæ est secundum quid: ergo, &c. ¶ ITEM, si B. cognoscitur per A. ita quod propria ratio cognoscendi sit A: si A. non cognoscitur nisi per priuationem: ergo nec B. a simili arguitur. Constat enim quod verbum est ratio cognitionis angeli, cum cognoscit in verbo: sed ipsum verbum non contingit cognoscere nisi per priuationem: vt videtur per hoc, quod dicitur. *Qui habitat lucem inaccessibilem.* Et hoc ostendit Dionys. dicit enim quod certiores sunt de Deo negationes quam affirmationes: licet enim multæ affirmationes de Deo sint veræ, tamen incertę, sed negationes sunt certissimæ: vt quod non est lux aut lapis, aut aliquid huiusmodi: ergo angelus cognoscit res in verbo solummodo priuatiue: sed talis cognitio non est certitudinalis: sed cognitio rerum in proprio genere est certitudinalis: potior autem cognitio certitudinalis, non certudinali: quare vt prius. ¶ ITEM videtur, quod nullo modo possint angeli cognoscere res in verbo, quoniam verbū est infinitæ lucis: potentia autem angeli finita est: sed nō videtur, quod finitum copuletur finito per infinitum. quod esset, si diceretur, quod angelus cognosceret in verbo; vel quod verbum esset ratio; secundum quam videtur intelligibile cum intelligente. Quod cum videatur impossibile; videtur quod angelus non possit res in verbo cognoscere.

RESOLVTIO.

Ex duabus angelorum cognitionibus, quæ in verbo est potior ea dicitur, quæ rerum in proprio genere est: quippe cum ibi res æternaliter, & incorruptibiliter cognoscuntur: hic vero temporaliter, & corruptibiliter.

¶ RESPONDETVR secundum August. potior est cognitio, quę est in verbo; quam quæ in proprio genere: quoniam in verbo cognoscitur res æternaliter, & incorruptibiliter, & vt in causa: sed in proprio genere, vt temporaliter, & vt corruptibiliter, & vt create: sed nobilior, & potior est illa cognitio, quam ista: quemadmodum enim dicimus, quod certius cognoscemus res in futuro, quam modo: quia in futuro cognoscemus in verbo, modo cognoscimus in proprio genere: ita dicimus, quod melius cognoscunt angeli res in verbo, quam in genere proprio.

¶ AD primo obiectum dicendum est: quod Deus vno, & eodem modo cognoscit res distincte, sc. per se: & ideo dicimus, quod potissima est sua cognitio: cum vno, & eodem modo possit cognoscere plura: & impotentia est intellectus creati, quod nō possit cognoscere plura, nisi pluribus. Sicut enim dicimus, quod nobilior est motus vnius motoris habentis virtutem plurium, quam plurium habentium solum huiusmodi virtute: ita dicimus, quod de nobilitate Dei est, quod vno, & eodem modo possit cognoscere plura, & distincta: [illegible] vno, distinguens res ipsas. Non [illegible] est Deus sicut speculum materiale, quod [illegible] non potest distinguere plura [illegible] & ideo soluendum est [illegible].

¶ AD ILLVD, quod [illegible] quod angelus in verbo cognoscit [illegible]. Dicendum, quod [illegible] eas ibi cognoscere [illegible] non [illegible] in verbo [illegible] verbo [illegible] cognoscendo eas, distincte recipit. Vnde Deus facit in angelo huiusmodi distinctionem.

¶ AD secundum dicendum, quod esse rerum in primo est esse simpliciter: quantum illud [illegible] ex nihil aliud est, quam creatura [illegible] dicimus, quod lapis habet esse lapis in Deo, & sic de aliis. sed esse, quod habet in Deo, est esse [illegible] & ideo est esse simpliciter: quantum [illegible] in ipso, vt est in ipso, est ipse: [illegible] species rerum quæ non sunt ipsa anima; & ideo cum cognitio sequatur esse, manifestum est: quod simpliciter est cognoscere res in verbo. Vnde etiam dicit Philosophus, quod cognoscere creaturam in causa est cognoscere simpliciter ipsum: & multo magis in causa, quæ supra omnem causam est: sicut est causa prima.

¶ AD tertium dicendum, quod aliter est in cognitione nostra, quam angelorum: secundum quod ostendit Bernar. dicens. *Supercælestis spiritus absque adiutorio corporis, & absque intuitu horum quæ per corpus sentiuntur: sola perspicacitate sua virtutate, ac vicinitate naturæ sufficit apprehendere summa, & infima penetrare:* [illegible] Apostolus intellexit, qui cum diceret, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* adiecit protinus a creatura mundi: nimirum quoniam à creatura cæli [illegible] inuolutus carne, ac incola terræ spiritus ex [illegible] sensibilium proficiens: gradatim quodam modo, paulatimque nititur peruenire: eo ille cælorum habitator ingenua subtilitate à sublimitate sua, & omni facilitate pertingit: nullo vtique sensus corporei adminiculo fultus, nullo corporei membri adiutus officio; nullo corporeæ cuiuscunque rei informatus intuitu. Et idem subdit exempla notabilia, dicens. Cur enim inter corpora spiritales [illegible] vtentur sensus: quos in libro vitæ, & absque conditione legis, & absque difficultate intelligit: Cur in sudore vultus sui laboret excutere grana de paleis, de vineis vinas, & de amurca oleum: qui de omnibus satis, abundeque ad manum habet. Quis mendicet victum suum in domo sua, abundans panibus? Quis puteum fodere curat, & terræ visceribus venas aquarum cum labore rimari; cui vltro affatim aquas limpidas fons viuus emanat. ¶ ITEM dicit August. Neque enim, sicut nos, ad percipiendam sapientiam eius proficiebant angeli: vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerent: qui ex quo facti sunt, ipsa æternitate sancta, & pia contemplatione perfruuntur. Facit ergo Bernard. vim in hoc, quod dicit, à creatura mundi, id est, à creatura humana: & non dicit à creatura cæli, id est, à creatura angelica: quasi diceret, licet intellectus humanus veniet ad cognitionem inuisibilium per creaturas: non tamen intellectus angelicus. Secundum hoc ergo dicimus: quod verum est, quod creatura humana quantum est de se, nunquam venit ad cognitionem inuisibilium: sed solum aut per priuationem, aut per effectus: secundum etiam quod dicit Dionys. V. g. per priuationem: sicut si velim scire, quid est Deus? inducendo in creaturis, remouendo eas à Deo; vt dicatur, quod non est lapis, aut equus: & sic de alijs; & sic conijcitur, quod est supra omnem creaturam. Alio modo per effectus eius repertos in creaturis; sicut si dicatur: hæc creatura est bona; & non est bona à se, ergo ab alio; sed tunc quæritur; vel ab alia creatura; vel ab alio, quam à creatura; & tunc conijcitur, quod ab alio, quam à creatura; & tunc conijcitur aliquam substantiam esse increatam primam; quoniam abire non est in infinitum. Sed, sic non est in angelo, sed angelus cognoscit Deum, vel per ipsum, vel per similitudinem ab ipso acceptam, & ideo certissima est eius cognitio, qua cognoscit res in verbo, quoniam per ipsum verbum cognoscit verbum, & per ipsum alia.

¶ AD vltimum dicimus, quod & si lumen increatum sit infinitum, quantum est de se, tamen intelligens secundum suā possibilitatem ipsum recipit, & ita finite, omne enim receptum est in recipiente per modum recipientis, & non per modum recepti, & hoc magis explanatum est in Quæstione de visione, vel cognitione Dei, vbi ostensum est, quomodo Deus licet sit infinitæ virtutis, tamen se contemperat intelligenti, vt ipsum possit recipere secundum suam possibilitatem. Nec valet oppositio; quod sic infinitum virtute intelligatur finitum, non enim oportet intellectum pertransire id, vt est infinitum, sed attingere illud, vt est.

MEMBRVM V.

An cognitio, quæ angeli verbum cognoscunt, matutina, vel vespertina dici debeat?

AD QVINTVM, quo quæritur, Vtrum cognitio, qua cognoscit angelus verbum, sit matutina, aut vespertina: Et videtur, quod non matutina, quoniam aliud est intueri lumen solis, & res in lumine solis. ergo similiter aliud, & aliud est intueri verbum, & res in verbo: & alius modus

Margin notes (left): 2. Metaph. 4. t. 5. sicut se habet ad esse, ita ad cognoscendum: vel ad quod quid. — 1. Timot. vlt. lib. de cœlest. Hierar. cap. 2. circa medium. — Aug. li. 4. de Genes. ad litt. c. 24 & ad Orosium.

Margin notes (right): Ber. hom. 5. super cantica. — Rom. 1. — Aug. super Genes. ad lit. lib. 2. cap. 8. Bernar. — Dionys. — Boeth. in 5. de consola. prosa. 4. Par. 1. q. 2.

modus intuendi videtur. Sed cognitio rerum in verbo dicitur matutina: ergo cognitio ipsius verbi non videtur dici matutina: & constat, quod non dicitur vespertina.

¶ ITEM, cum dicitur Gen. primo, dies vnus, vel secundus &c. Dies ibi accipitur præsentia luminis æterni super creaturam angelicam, quam illuminat: & hæc præsentia est in conuersione ad lumen æternum: sed non possunt non conuerti ad illud, & illud non cognoscere: ergo in conuertendo cognoscunt ipsum lumen: sed postea subditur, *Factum est vespere, & mane &c.* Ergo ex ordine verborum videtur, quod ista cognitio non fuit matutina, aut vespertina.

¶ CONTRA, Angelus cognoscit verbum, & res in verbo per ipsum verbum: ergo vtrobique est idem principium cognoscendi: ergo eadem est cognitio in specie: sed illa est matutina qua cognoscunt res in verbo per verbum: ergo, & reliqua.

RESOLVTIO.

Matutina dicenda est: cum (iuxta B. Augustini sententiam) eadem cognitio sit cum illa, qua res vident in verbo.

¶ AD hoc respondendum per autoritatem Augu. ad Orosium dicentis sic. *Hoc intelligi posse arbitror, quod non in ipso die tanquam eius bono indigens, quo fit beatior requieuit, sed ipsum diem septimum, i. angelicam naturam adduxisse ad requiem suam, vt viderent scil. in Deo, sicut omnem formandam creaturam, ita & illum viderent, quod nullam creaturam pro indigentia, sed pro sola bonitate fecisset.* Ex quo videtur, quod eadem est cognitio, qua vident verbum, & qua vident res in verbo. (Aug. ad Orosium.)

¶ AD primò obiectum dicendum, quod non est simile de visione solis, & eius, quod videtur in lumine, & de cognitione verbi, & eius quod videtur in verbo: visio enim alicuius in lumine solis non est idem, quod visio solis: visio autem alicuius in verbo, est idem quod visio verbi: res enim in verbo est idem, quod ipsum verbum: visum autem in sole non est idem, quod sol: cum ergo matutina, vel diurna dicatur visio illa, quæ est cognitio rei in verbo: dicitur similiter matutina, siue diurna ipsa cognitio verbi.

¶ AD secundum dicendum, quod licet præmittatur de factura lucis, antequam dicatur de vespere & mane: nihilominus tamen ipsa lux comprehendit in se vespere & mane: vt in hoc intelligatur omnis cognitio angelica, quæ procedit ex perfectione ipsius angeli: omnis enim cognitio, vel est in principio: vel est in his, quæ sunt à principio. Cognitio autem in principio est cognitio principij: principium enim se ostendit, & alia, quæ sunt in illo, & ideo cognitio ipsius principij dicetur cognitio matutina, siue diurna: cognitio autem, quæ ortum habet ab his, quę sunt à principio licet fiat ex præsentia luminis diuini effectiuè, non tamen formaliter: & ideo talis cognitio non dicitur matutina, sed vespertina.

MEMBRVM VI.

An Dæmones habeant cognitionem vespertinam.

AD textum, quo quæritur, An Dæmones habeant cognitionem vespertinam? Et videtur, quod sic, Augu. *A malis angelis, & si mali sint, ab eis tamen non aufertur potestas naturæ:* sed ex sui natura habuerunt posse cognoscendi res vespertina cognitione: ergo dæmones habent huiusmodi cognitionem. (Aug. sup. Gen. ad lit.)

¶ ITEM, idem in eodem. Deus sic malam punit voluntatem, vt nec perimat dignitatem: & inde vt prius. ¶ ITEM, *Innotuit dæmonibus non per illud, quod est vita æterna, & lumen incommutabile:* sed per quædam temporalia diuinæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ: quæ angelicis sensibus malignorum spirituum; potius quã infirmitati hominum possunt esse perspicua. Sed huiusmodi effecta diuina diuinæ virtutis sunt res in proprio genere, ergo cognoscunt res in proprio genere: & hæc est cognitio vespertina: ergo &c. (Idem de Ciui. Dei.)

¶ ITEM, *Dæmones non æternas temporum causas, & cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum, maiori experientia, multo quam homines futura conspiciunt,* & ita vt prius. (Idem in eodem.)

¶ ITEM, *Aliud est temporalibus temporalia coniecturare, aliud est incommutabilibus legibus mutationes temporum præuidere.* Et vult, quod primum referatur ad malos angelos: secundum ad bonos: ita vt prius. (Idem in eodem.)

¶ ITEM, videtur, quod malus angelus habuit cognitionem matutinam, antequam caderet, per hoc, quod dicit Bern. *Potuit contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientia, & decore perfectum homines præscire potuisse futuros, & profecturos in patrem gloriam:* sed si præsciuit in Dei verbo, absque dubio vidit: ergo habuit cognitionem matutinam. (Bern. sup. Cant. c. 14.)

¶ ITEM Bernh. *Puto per Aquilonem reprobandos homines fuisse designatos, per sedem potestatem in illos, quos vtique in præsentia Dei quanto ei vicinior, tanto cæteris perspicacior præuidens nullo sapientiæ ratio coruscantes, nullo spiritus amore feruentes, velut vacuum reperit locum.* Ex quo accipitur, quod vidit in præsentia: & ita in verbo. (Idem.)

¶ CONTRA. Primo videtur, quod nec cognitionem matutinam, habeant, nec vespertinam: quod dicitur Gen. 1. *In principio creauit Deus &c.* Exponit Augu. super Gen. quod per cœlum intelligitur factura angelicæ naturæ de nihilo, & cum dicitur, *Fiat lux*, intelligitur factura eiusdem in conuersione ad lucem primam: sed hoc secundo modo non intelliguntur facti mali angeli: ergo illud, *Fiat lux*, de malis non intelligitur: sed (vt dictum est) vespere & mane ibi subdiuidunt lucem: quæ prædicta est fieri: ergo quod subditur de vespere, & mane, non intelligitur de malis angelis: sed iuxta vespere, & mane sumitur cognitio matutina, & vespertina: ergo non habent hanc, aut illam cognitionem. (Gen. 1. Aug. sup. Gen. lib. 1. c. 9. paulo post init. Idem. 11. de Ciuit. Dei, c. 9. & 33.)

¶ ITEM, secundum quod exponit Aug. dies ibi dicit præsentiam luminis æterni super angelicam creaturam, quoniam quod dicitur, *Fiat lux*, sic exponitur. i. conuertatur angelica creatura ad lumen æternum: in qua, sc. conuersione fiebat dies spiritualis: sed hæc conuersio non fuit in malis angelis, ergo vt prius. (Idem li. 4. sup. Gen. ad literam c. 22. & li. 5. & 11. de Ciui. Dei. cap. 9.)

¶ ITEM, hoc ostenditur ex ordine litteræ: quoniam (sicut dicit Aug.) ibi per diuisionem lucis à tenebris, intelligitur diuisio persistentium angelorum à cadentibus: sed post huiusmodi diuisionem subditur, *Et factum est vespere, & mane dies vnus:* patet ergo, quod li vespere, & li mane solum habent referri ad bonos angelos: & inde vt prius. (Gen. 1.)

RESOLVTIO.

Est quidem & in dæmonibus vespertina cognitio, sed longe ignobiliori modo, quam in angelis bonis, quia in illis coniecturaliter, in his certitudinaliter.

SOLVTIO. Concedimus quod huiusmodi differentiæ cognitionis, prout ibi accipiuntur, non conueniunt dæmonibus: vt enim ibi accipiuntur, hoc est in quantum primum lumen, & æternum angelos illuminat ad cognoscendum res certitudinaliter: & hoc vel in seipso, s. primo lumine, & sic dicitur cognitio matutina, vel in seipsis angelis, vel in ipsis rebus, sc. in proprio genere, & vtroque modo dicitur cognitio vespertina. Sed constat quod sic tantum bonos illuminat: quoniam mali non cognoscunt certitudinaliter, sed coniecturando.

¶ ET hoc planè dicit Aug. in autoritate supradicta. Innotuit dæmonibus &c. ¶ ET ad aliud eiusdem in eodem. Aliud est temporalibus temporalia &c. Si tamen quæratur vtrum secundum naturam suam primitus institutam habeant aliquam cognitionem rerum naturalem, an sint creati nudi quo ad eorum cognitionem: sicut intellectus humanus, & quæ dicatur esse huiusmodi cognitio eorum? Dicendum est, quod non est de intellectu eorum, sicut de intellectu humano: imo in natura sua habent formas datas ad cognoscendum res secundum naturam, & huiusmodi eorum cognitio ad principium naturale reducitur, non ad gratuitum. Et cum dicitur, fiat lux &c. ibi notatur cognitio quæ est gratia, naturalibus superaddita, quia per hoc, quod dicit [*creauit cælum, & terram*] notatur creatio rerum de nihilo, per ea, quæ subiunguntur, Fiat, fecit, & factum est: notatur eorundem formatio, dispositio, & ornatus. Vnde per hoc, quod dicitur [*fiat lux*] notatur formatio angelicæ naturæ: quæ

Quæstio lateralis.

¶ SED occasione istorum quæritur, vtrum in angelo possit esse vtraque natura, s. natura factiua specierum, & receptiua: aut tantum altera? visum est, quod tantum altera.

¶ SED contrarium videtur, s. quod vtraque natura: quia cum angeli sint lumina, necesse est ponere in ipsis naturam factiuam specierum: cum natura lucis sit facere species: Loquamur de vno angelo cognoscente alium: constat, quod ille, qui cognoscitur, cum sit lux, facit speciem suam in alio cognoscente: ergo & in angelo cognoscente oportet ponere naturam receptiuam præter naturam factiuam, quæ in eo est, eo quod est lux. ¶ ITEM, si aliquod commune inest diuersis, necesse est, quod secundum naturam commune insit illis. Sed tam in natura sensibili, quam intellectuali est fieri species: ergo natura communis, à qua fiunt species hic & ibi. Sed constat, quod hoc non potest esse aliqua forma elementaris: quoniam talis natura non posset dare esse spirituale speciei, aut formæ visibili: cum ipsa non habeat esse huiusmodi: oportet ergo, vt sit talis natura, quæ transcendat omnem aliam formam simpliciter corporalem: sed hoc non videtur alia, nisi lux, quoniam lux inter corporalia magis est id, quod appropinquat spiritualitati, licet sit corporalis. Sed adhuc non quæcunque lux, sed lux in actu, quoniam oculus lucem habet de sua compositione, & tamen sua lux non facit species, sed requiritur lux extra: sic ergo in sensu & intellectu requiritur natura communis, quę est datiua specierum secundum naturam lucis, sed in sensu lux corporalis: & in intellectu lux spiritualis: sicut est in anima intellectus agens. Angeli ergo habent naturam datiuam specierum: cum habeant similiter naturam lucis, ergo in eis erit natura dandi species sibi inuicem, siue similitudines: & similiter natura recipiendi: quoniam si vnus angelus facit in alio speciem, alius erit: in quo fiat illa species: ergo in eis est vtraque natura. ¶ ITEM, medium participat naturam vtriusque extremi: sed si talia sunt duo extrema: ergo est quædam natura, quæ tantum facit species: ita quod in ea non fiant species, vt est natura suprema, quæ est Deus. Alia est, in qua tantum fiunt species, & ipsa non facit: sic est natura corporalis, sicut patet in visu corporali. Sed media natura inter hæc extrema, est substantia intellectualis, vt anima, & angelus: ergo tam in anima, quam in angelo erit vtraque natura, s. natura dandi species, & recipiendi.

¶ CONTRA, tunc obijcitur de duobus angelis, parem lucem habentibus, quomodo vnus alium cognoscit: cum neuter in alterum possit agere, & similiter de duobus, quorum vnus est superior, alius inferior: quomodo inferior possit cognoscere superiorem: sicut fuit obiectum.

¶ Fortè dicetur, quod angelus cognoscendo se, cognoscit suum simile: & hoc videtur velle Augu. in Lib. de Trin. ibi enim dicit: quod aliter est de oculo materiali, & de oculo spirituali: oculus enim materialis minus se cognoscit, quam alia: imo se non videt, & alia benè videt: sed oculus spiritualis primo videt se, & in se videt alia: sicut anima videndo se, videt aliam animam, & angelum similiter: & hæc sunt verba eius. Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit: sic incorporearum per semetipsam: ergo & seipsam per seipsam nouit. Exemplo etiam patet: aliquis enim per hoc, quod cognoscit Carthaginem, quam vidit: cognoscit aliam Carthaginem sibi similem, quam nunqnam vidit. Similiter videtur esse de angelo quod per hoc quod se cognoscit, cognoscit alios, qui sunt ei similes in natura. Sed adhuc obijcitur: quoniam & si verum sit, quod vnus angelus possit alios cognoscere, quo ad hoc, quod sunt ei similes in natura, non tamen propter hoc cognoscet eos distinctè: cum ipse non magis ab vno angelo quam ab alio distinguatur. Si ergo non poneretur alia via, qua vnus alium posset cognoscere, non posset tunc vnus angelus alium ab alio in cognoscendo distinguere: quoniam angelus non habet virtutem distinctiuam rerum, sicut Deus, & ita nunquam perfectè quo ad hoc posset vnus alium cognoscere: quod falsum est, & ita videtur, quod oporteat ponere sicut prius; quod per speciem aliam fit cognitio.

Aug. in lib de Trin.

* * *

RESOLVTIO.

Angelus angelum cognoscit per similitudinem, vel speciem eius, non innatam, sed acquisitam. Est enim in ipso, sicut & in anima vis tum dandi, tum recipiendi formas intelligibiles, licet non æquè, quia non abstractionem propriè, vt anima, sed magis coniunctionem cognoscibilis ad cognoscentem exigat.

¶ SOLVTIO. Quadruplex est modus cognoscendi vnum angelum ab alio. Primus est per effectum: & iste est communis angelo, & animæ: sicut enim vna anima cognoscit aliam in suis effectibus: vtpote in hoc, quod est mouere corpus, dare sensum, & locutionem: & per huiusmodi actus deuenimus ad cognitionem potentiarum, & per cognitionem potentiarum ad cognitionem essentiæ: ita & vnus angelus potest cognoscere alium per suos effectus. Sunt enim quædam operationes mirabiles, quæ non possunt fieri nisi ab angelo, per quas homo potest deuenire ad cognitionem angeli. Verbi gratia, certi sumus, quod anima per se prona est ad lapsum: & ex se non habet, quod non labatur frequēter, & per hoc deprehendimus, quod hoc, s. quod non labatur: habet ex custodia alterius: & hoc Dei, vel angeli, sed postea deprehendimus, quod non est solum ex Dei custodia, sed magis ex quadam spirituali custodia, quæ data est ei propter suam nobilitatem: & hæc est custodia angeli, ita si per operationes angelorum deuenimus ad cognitionem eorum: multo fortius vnus angelus ad cognitionem alterius: quia vident angeli effectus suos inter se magis, quam animæ suos: & angeli boni, & animæ sanctæ melius, quam angeli mali, & animæ non sanctæ, propter maius posse, q̄d est in animabus sanctis ex gratia, quam in dæmonibus. De hoc Aug. Non ita dicitur menti, cognosce seipsam, sicut dicitur, cognoscet Cherubin & Seraphin: de absentibus enim illis credimus, quæ cœlestes quædam potestates esse prædicantur: neque enim sicut dicitur, cognosce voluntatem illius hominis, quæ nobis nec ad sentiendum vllo modo, nec ad intelligendum præsto est, nisi in corporalibus signis editis: & hoc ita vt magis credamus, quam intelligamus: neq; ita vt dicitur homini cognosce faciem tuam: quod nisi in speculo fieri non potest.

Aug. in lib de Trin. Cap. 9.

¶ ITEM, alius modus cognoscendi est per scripturas: secundum quod inuenimus eos diuersis & diuersimodè apparuisse: & diuersis locis: vt patet tam in veteri Testamento, quam in nouo.

¶ Tertius, & quartus sunt, circumscripta omni operatione, & sic est simpliciter cognoscere. Et hoc dupliciter, quoniam vel in verbo, vel in proprio genere, siue in se, his enim duobus modis cognoscit angelus vnus alium: in Deo, vel in genere proprio, vel in se. Loquendo ergo de hoc quarto modo cognoscendi angelum, s. in se: dicimus, quod vnus angelus cognoscit alium angelum, per speciem non innatam, sed potius acquisitam, quia ipse eam sibi facit in se. Et concedimus (sicut opponebatur) quod in angelo est duplex natura, s. dandi formas intelligibiles, & recipiendi eas ab alio. Et istæ duæ naturæ sunt in angelo, sicut in anima, nam in eis est natura speculi, & sic possunt recipere formas intelligibiles, & ratio luminis, & sic potest dare eas: non tamen secundum rationem proprij luminis, sed secundum rationem primi luminis superinfluentis. Dicimus ergo, quod vnus angelus cognoscit alium per speciem, siue similitudinem suam, & accipit speciem illam à specie alterius angeli, quoniam similitudinem illius speciei accipit. Constat enim quod non accipit speciem essentialem angeli, sed remanet in eo propria species, & ipsa remanente in proprio subiecto, angelus cognoscens similitudinem illius accipit: & sic dicitur recipere, & sibi dare, qnoniam facit, q̄ in se fit illa similitudo, quæ prius erat.

Econtra est quo ad hoc in intellectu angelico, & intellectu animæ potentiali, quoniam in intellectu angeli non fit propriè abstractio, cum s. vnus alium intelligit: & hoc est quia fit abstractio, vt res fiat spiritualior, sed angelus non facit illam speciem spiritualiorem, nec indiget, vt sit spiritualior, sed hoc tantum indiget, vt ipsi cognoscenti coniungatur, & hoc est, quia iam est abstracta à materia sensi- bili.

datæ sunt ei ab exordio suæ conditionis: nec eas amisit per peccatum, quoniam habere speciem rei, quam tamen rem ipse non habet, nec habere potest: non est ei, nisi pœna. ¶ De iustitia verò gratum faciente dicimus, quod bonus angelus eam cognoscit per seipsam, sed malus tantum per eius effectum, sc. per hoc, quod videt opera gratuita, quæ à se distincta, ab alijs habentur. Subtilius tamen videt, & maiori experientia cognoscit res, quam homines cognoscunt: secundum quod dicit Aug. Vnde generaliter dicimus, quod gratiam per seipsam non cognoscit, nec per speciem eius: quoniam nec eius intellectus, nec eius affectus Deiformis est: sed constat, quod aliquo modo esset Deiformis, si speciem gratiæ apud se haberet.

Aug in lib de diuinatione Dæmonum. Cap. 4. Tom. 3.

QVÆSTIO XXV.

De prævidentia angelorum.

In tria Membra diuisa.

Colligę ex D. Tho. 1. p. q 17. S. Bon in 2. d. 4. ar. 2. q. 1. & 2. Sco. ibid. & d. 3 q. 8. & deinceps.

DEINDE agitur de præuidentia, siue præscientia angelorum. Et circa hoc quæruntur tria. Primò, vtrum angeli boni præuiderint suam permanentiam in beatitudine. Secundò, vtrum mali angeli præscij erant sui casus. Tertiò, de qua sapientia intelligatur dictum Aug. Sapientia est fructus pietatis &c.

MEMBRVM I.

An angeli boni præuiderint suam permanentiam in beatitudine?

AD PRIMVM, quo quæritur, Vtrum præuiderint suam permanentiam. Et videtur, quod præscij fuerint. Beatitudo enim non est sine certitudine status, sed angeli boni (sicut dicit August.) beati erant in illo statu. Vnde dicit in Lib. de fide ad Petrum. *Angelici spiritus pro eo quod rationales facti sunt, æternitatis, & beatitudinis donum in ipsa natura spiritualis creatione diuinitus, acceperunt.* Et in Lib. de Ecclesiast. dogmat. *Angeli, qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseuerant, non natura possident, vt non mutentur cum cæteris:* beatitudo autem non est sine certitudine status. (Vnde August. *sancti angeli æternæ vitæ suæ, ac beatitudinis non sunt incerti:* nam quomodo beati, si incerti?) ergo angeli boni præscij erant suæ permansionis.

Aug in lib de fide ad Petrum Idem de Eccles. dogmat.

¶ ITEM, excellentior fuit status angelorum tunc, quam nunc sit hominum: nunc enim sunt homines in miseria aliqua, sed angeli in nulla, sed homines boni dicuntur nunc beati in spe: & ita habent certitudinem spei: ergo angeli boni multo fortius tunc erant in spe beati: sed certitudo spei non est sine cognitione in qua radicatur: ergo habuerunt cognitionem suæ permansionis: ergo præscij erant.

¶ ITEM præscientia futurorum est essentialiter in Deo: & potest pręscientia conuenire creaturæ ex dono creatoris: nec hoc repugnat intellectuali naturæ conditę: nulli autem conuenientius aptari potuit, quam angelicæ: & in angelica natura conuenientius illis, qui permansuri erant: ergo illi angeli ex conditione acceperunt, quod præscij erant suæ salutis.

¶ CONTRA, si præscij fuissent suę stabilitatis: necessario permansissent. Si autem ex necessitate permansissent, non eis imputaretur ad meritum permanere, sed imputabatur ad meritum: ergo non necessario permanserunt: ergo non præscij erant: cum enim esset futurum contingens, poterant non stare: & ita non essent præscij suæ permansionis.

¶ PRÆTEREA, aut pares erant angeli in conditione, quantum ad gratiam donorum, aut non erant pares. Si erant pares, sed illi, qui erant casuri, non erant præscij suæ stabilitatis in bono, cum non futura erat: ergo nec ipsi boni præscij erant. Si verò impares erant, datum est permanentibus, quod non datum est cadentibus: ergo non est imputandum istis, si ceciderant, qui hoc dono caruerunt. ¶ ITEM, scientia est fructus pietatis: sed antequam adhęrerent suo creatori, non habuerunt fructum pietatis: ergo non habuerunt illam scientiam.

RESOLVTIO.

Ante prælium & boni & mali fuere incerti, illi suæ stabilitatis, hi sui casus: post prælium vero vtrique certissimi.

¶ AD quod dicendum est, quod non habuerunt pręscientiam suæ stabilitatis: sed nunc habent scientiam illam. Vnde August. *Omnes angeli creati sunt æquales, sed cadentibus illis per superbiam, cæteri Domino pia obedientia cohæserunt, accipientes certam scientiam suæ stabilitatis, quod illi nunquam habuerunt, & sic sunt gratia Dei in omnibus circundati, vt non possint cadere à beata vita.* Item August. *Ipsi certi sunt suæ felicitatis æternæ: cuius illi alij:* quia certi non fuerunt (non enim æterna erat eorum felicitas, cuius certi essent, quæ finem erat habitura) restat vt aut impares fuerunt: aut si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accesserit.

Aug. ad Orosium

Idem in Ciui. Dei Cap. 11. & 13.

¶ AD primum ergo dicendum, quod beatitudo dicitur multis modis. Vno modo dicitur beatitudo status intellectualis naturæ sine omni miseria, & secundum hoc poterāt dici beati in illo primo statu. Alio verò modo dicitur beatitudo status intellectualis naturæ in delectatione summi boni cum certa scientia pmanendi, secundum hunc modum non erant beati. De prima beatitudine loquitur Aug. De secunda verò Aug. super Gen. ad litteram in autoritate suprapposita, vnam concomitatur certa scientia permansionis alteram verò non concomitatur.

Aug. in l de fide ad Petrum. Et similiter in li de Eccle. dogma.

¶ AD aliud dicendum, quod status sanctorum hominum quantum ad aliquid magis beatus potest dici, quam angelorum. In primo statu quantum ad aliquid minus beatus, quantum enim ad mixtionem miseriæ minus beatus est iste status: quantum autem ad gratiam spei, quæ prouenit ex gratia & merito Christi & eorum, dicitur beatior status hominum: non enim angeli in illo statu habuerunt confidentiam ex gratia, & suis meritis, vel alienis. Supposito autem quod conditi essent ornati gratuitis, confidentiam talem habuerunt ex gratia, quod peruenirent ad vlteriorem gratiam: & propter hoc dicit Augu. super Gen. de angelis quibusdam, quod fuerunt beati in quodam genere, incerti suæ salutis, quibus nec spes subesset, quod aliquando & ipsi aliqua mutatione in melius, certi de hac re futuri essent, vix ferenda est præsumptio.

Aug. sup. Gen.

¶ AD tertium sciendum, quod præscientiam, quam habet Deus essentialiter, & naturaliter, nulla creatura habet nisi ex dono quodammodo participando, nisi humana natura in Christo, sed hoc non ex initio suæ conditionis, quod angelus habet præscientiam suæ stabilitatis. Vnde in Lib. Sentent. enumeratis diuersis opinionibus, dicit, quod probabilius videtur, quod non fuerunt præscij suæ permansionis, nec alij sui casus, & quod non fuerunt beati, nisi beatitudine innocentiæ.

Mag. in l. 2. sen. d.

MEMBRVM II.

An mali angeli præscij fuere sui casus?

AD secundum, quo quæritur de illis, qui futuri erant mali, vtrum præscij erant sui casus. Quod non arguit Aug. sic. *Non potuit lucifer esse præscius sui casus, quoniam sapientia fructus est pietatis:* sed non habuerunt pietatem: ergo non habuerunt illam sapientiam. ¶ ITEM, Aug. *Diabolus, & angeli eius: & si beati erant antequam caderent, & se in miseriam nesciebant casuros: erat tamen quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate præstitissent.* ¶ ITEM sic arguit Ansel. *Scientia non est, nisi cum aliquid certa ratione intelligitur: sed quod potest poni esse, non potest certa ratione intelligi esse, potuit autem esse, vt non caderet lucifer, ergo non potuit tunc certa ratione casum suum intelligere: ergo nec scire, quare nec præscire.* ¶ ITEM, si in bona voluntate stans, præsciebat se casurum, aut volebat, vt ita fieret: aut non volebat: sed si cum præscientia voluntatem habebat aliquādo cadendi, iam ipsa mala voluntate ceciderat, non ergo volendo cadere, prius sciuit se casurum, quam cecidit. Aut si præsciebat se casurum, & nolebat, tanto miserior erat dolendo, quanto stare nolebat: ac tanto iustior, quanto stare volebat, & quo erat iustior, eo debebat esse felicior: ergo si nolendo præsciebat esse se casurum, tanto

Aug.

Idem de correctione & gratia. Ansel. in lib de casu Diaboli. Cap. 21.

erat miserior, quanto debebat esse felicior: quod non conuenit.

¶ Item, Bernh. Si præuidisti præcipitium, quæ fuit insania: vt cum tanta miseria cuperes principari? vt malles miserè præesse, quam feliciter subesse? aut non expediebat participem esse illarum plagarum luminosarum, magis quam principem tenebrarum? Ex his rationibus, & auctoritatibus videtur, quod non erant præscij sui casus. ¶ Item, præscientia pœnæ in eo, qui puniendus est, non potest esse sine dolore: dolor autem pœna quædam est: sed nondum fuit culpa: ergo Deus prius fuit vltor in pœna, quam esset culpa.

¶ Contra, Bern. Si in præscientia Dei tuum præuidisti principatum, quare non & præcipitium? quasi diceret, similiter poteras præuidisse.

¶ Item August. *Præuidit quod ad accusationem eius factus est homo.* Sed si præuidit accusationem ex parte hominis, accusatio autem non est nisi de culpa: ergo præuidit culpam suam: ergo & casum suum. — Auguft. in quæftion. vet. tefta.

¶ Item, Bernh. exponens illud. *Ponam sedem meam ad aquilonem*: dicit, Puto per aquilonem reprobandos homines intelligi: per sedem potestatem in illas. Sed si præuidit dominium suum super illos, præuidit suum peccatum: per quod quasi per effectum principaretur: ergo erat præscius sui casus.

RESOLVTIO.

Angeli mali nullatenus casum suum præscire potuere, ea saltem ratione quod iudicia Dei abyssus multa, & inuestigabiles eius viæ.

¶ Ad quod dicendum, quod non erat præscius sui casus. Vnde Bernh. *Credibilius est, quod non præuidisti, aut propter illam causam, quam superius dixi, quia bonitatem Dei attendens, dixisti in corde tuo, non requiret: propter quod impiè Deum irritasti, aut quia viso principatu, in oculo statim superbiæ trabs excreuit: qua interposita, casum videre non potuit. Sic Ioseph cum vidisset suam exaltationem, non præuidit venditionem, non quod tantum patriarcham in superbiam crediderim incidisse: sed vt eius exemplo pateat, quod hi, qui futura præuident spiritu prophetiæ, & si non omnia, non ideo tamen putandi sunt, nulla vidisse.* Item Ansel. *Quia rationalis erat, potuit intelligere, quod iustè puniretur, si peccaret: sed quoniam iudicia Dei abyssus multa, & inuestigabiles viæ eius, nequiuit comprehendere, quod Deus faceret, quod iustè facere posset.* — Bern. de gradibus humilitatis. — Anfel. de cafu diaboli, c. 21.

¶ Ad primo obiectum dicendum, quod non est simile videre principatum, & videre præcipitium: Videre enim principatum non importat secum pœnam: sed potuit videre principatum & rectè, & non rectè: & ita huiusmodi cognitio pertinebat ad primum statum. Sed videre præcipitium quo ad hoc, cum importet pœnam secum in eo, qui punitur, pœna autem non præcedit culpam: illa cognitio, siue præuisio non congruebat primo statui angelorum.

¶ Ad aliud dicendum, quod illud, quod dicit Aug. de præuisione accusatoris, hoc fuit in ratione post casum suum, non ante, sicut ex ipsa sententia autoritatis in his, quæ sequuntur elici potest.

¶ Ad tertium dicendum, quod præuidendo dominium suum super malos, non potuit necessario videre casum suum. Est enim duplex dominatio. Vna, qua peccator subijcitur diabolo, insequendo voluntatem eius, vel suggestionem quæ non est sine peccato diaboli præcedente. Est iterum alia dominatio, quę est in angelo ex conditione naturę vel ex dono gratiæ: & hanc poterat præuidere ante casum suum, nec tamen præuidere casum suum. Et per hunc modum potest intelligi illud, quod dicit Bernhard. Vel illa positio sedis ad aquilonem, ad appetitum eius refertur, in quo peccauit, & sic videtur exponere beatus Bernh. Vnus altissimus sua sapientia ac bonitate omnibus filijs obedientiæ præerat: ita & tu super omnes filios superbiæ, constitutus, tua astuta malitia præesses.

MEMBRVM III.

Quid per sapientiam intellexit B. Augustinus, cum loquens de malis angelis dixit, quod suum casum præuidere non potuerunt: quia sapientia est fructus pietatis?

Ad tertium, quo quæritur ratione illius verbi, quod supra dixit Aug. quod non potuit præuidere casum suum, quia sapientia est fructus pietatis. Quæritur enim de qua sapientia idem loquitur. Si enim loquatur de sapientiæ dono: planum est, quod ipsa est pertinens ad pietatem, quę est theosebia: quid ad hoc quod angelus non præsciat casum suum? Si enim alicui habenti * præscientem iustitiam, reuelaretur sua damnatio, hoc posset esse occasio, quod abstineret à malis pluribus, vt minueretur sua damnatio, & ita huiusmodi sapientia ordinaret ad commodum illius, in quo esset. — *Alias præfentem.

RESOLVTIO.

Scientiam Deiformem intellexit datam rationali creaturæ ad suum spirituale commodum.

¶ Ad quod dicendum est: quod cum dicitur: sapientia est fructus pietatis: ibi accipitur sapientia pro scientia Deiformi, data ratiōali creaturę ad suū comodum spirituale. Et dicitur fructus pietatis: quia datur illi, in quo est pietas. i. e. Theosebia: sed scientia præuidendi suam damnationem, est dispositio propinqua ad hoc, vt homo cadat in perpetuam tristitiam, & desperationem: & ita non datur homini existenti in statu innocentiæ, vel in statu gratiæ: hoc enim plus disponeret ad damnum: quam ad commodum spirituale.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur, quod licet hęc scientia posset esse occasio alicuius boni in eo, cui esset data: tamen quia vt frequentius disponeret ad damnum, ideo existentibus in bono statu, non congruit huiusmodi scientia. Nec est simile de scientia præuidendi suam saluationem: quia illa disponit benè se habentem ad maius bonum spirituale.

¶ Item, obijcitur sic. Nonne Deus posset ei reuelare casum suum, dicendo: tu cades per superbiam: sicut reuelauit Petro, dicens: *Ter me negabis*: Et si dominus reuelasset ei, prę sciret: ergo potuit præscire casum suum. — Matth. 26 Io. 13.

¶ Ad quod dicunt, quod licet Deus sic prædiceret ei: non tamen poterat prædicere casum suum; quia sicut prædixit per Ionam Niniuitis de subuersione Niniue spirituali, tamen ipsi intelligebant de subuersione corporali, & sub conditione, si non pœniterent: & ita posset intelligi dictum domini sub conditione, nisi ipse caueret: & igitur non esset certus de sua damnatione. Alij dicunt, quod nec potuit præscire: nec Deus potuit reuelare. — Ionæ. 3.

¶ Sed videtur dicendum, q̄ respiciendum est, q̄ decet summam bonitatē, & quid expedit rōnali creaturę, nō expedit. n. creaturæ rōnali huiusmodi certitudo, dum ē in statu bono: nec decet dominum dare sic existenti, nisi quod est ad commodum spirituale. Vnde licet possit de potentia absoluta, non facit nisi quod decet ipsum. Nec est simile de reuelatione facta Petro: huiusmodi enim reuelatio fuit de casu ad tempus, non de casu perpetuo. Reuelatio verò de casu ad tempus ordinatur ad hoc, quod homo fortior resurgat post pœnitentiam. Reuelatio verò de casu perpetuo, magis ordinat ad contrarium.

QVÆSTIO XXVI.

De quibusdam arcanis cognoscibilibus ab Angelis.

In sex Membra diuisa.

Consequenter procedendum est ad quædam arcana, ab ipsis angelis cognoscibilia. — D.Th.1.p. q.57.per 5. a: S Bon. in 2.d.9 ar. 4 q.1.& 2. & d.8.9 6. S.in 2 d.3. q.8.&inde

¶ Circa hoc quæruntur sex. Primò, vtrum angeli præsciuerint mysteriū incarnationis, & humanæ redēptionis. Sdò de cognitione angeli ex natura sua respectu rerū naturalium. Tertiò, de cognitione eorum, quæ subsunt libero

arbitrio alterius angeli, vel hominis. Quarto, vtrum angeli à principio potuerunt naturali cognitione cognoscere futura. Quinto, vtrum naturali cognitione cognouerunt Deum venisse in carnem. Sexto de comparatione cognitionis angelicæ ad humanam in celeritate cognoscendi.

MEMBRVM I.

An angeli præsciuerint à principio mysterium incarnationis, & redemptionis humanæ?

AD primum, quo quæritur de cognitione mysterij redemptionis, vtrum præhabita fuit ab angelis: vel à principio habita: Videtur, quod sic: per hoc, quod dicit August. super Genes. 5. *Sic fuit absconditum à seculis mundo, vt tamen innotesceret principatibus & potestatibus in cælestibus, per Ecclesiam: quia ibi primitus Ecclesia, quo post resurrectionem & ista congreganda est: illis ergo à seculis innotuit; quia omnis creatura non ante secula, sed à seculis*: Ex quo videtur, quod angeli à principio cognouerunt mysterium incarnationis. ¶ SED contrarium videtur per hoc, quod dicitur Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, &c.* super quo dicit Hieronym. quod angelicæ potestates non intellexerunt ad plenum mysterium redemptionis.

Aug. super Gen. 5. Recitatur in Glossa ordinaria.

Isaiæ 63. Recitatur in Glossa ordinaria.

¶ PRÆTEREA, illa littera videtur hoc dicere, quæ dicit: Vt innotescat per Ecclesiam: & igitur ab Ecclesia didicerunt mysterium redemptionis.

Ephes. 3.

RESOLVTIO.

Quidam sciuere, quidam nesciuere; Vel sciuerunt quidem in verbo; nesciuerunt autem in proprio genere.

¶ AD QVOD dicendum, sicut habetur in Gloss. super allegatum ad Ephes. 3. Vtrumq; verum est: sed hoc pro diuersis angelis: dicitur enim quod quidam nouerunt à principio, sed non dico à principio creationis, sed à principio conditionis; cum dictum est: *Fiat lux, & facta est lux*: alij vero non cognouerunt: sed post plenè cognouerunt, cum impletum fuit. Vel posset distingui duplex notitia in verbo, & in proprio genere. Primo modo cognouerunt à principio: secundo modo non: sed innotuit per Ecclesiam, cum fuit impletum. Vnde Libr. 5. super Genes. *quod non in Deo tantum innotescit angelis, quod absconditum est: verum & hoc eis apparet, cum manifestatur atque propalatur.* ITEM, Apostolus ita testis est: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu; apparuit angelis, &c.*

Gen. 1.

Augu. super Gene. lib. 5. c. 19.

1. Tim. 3.

MEMBRVM II.

An Angeli ex sui natura cognouerint primitus res naturales?

AD secundum, quo quæritur de cognitione, quam habere potuit angelus ex sui natura primitus respectu rerum naturalium. Si enim habuit cognitionem illorum; aut habuit per formam innatam, aut datam, aut acquisitam. Per formam innatam non, videtur; quia illæ formæ non possent esse nisi vniuersalium formarum: sed cognitis vniuersalibus formis, non propter hoc fieret cognitio singularium, & ita angelus nesciret singularia. Si vero diceretur, quod essent ibi formæ singularium, non possent esse numero æquales: quia infinita possent esse singularia: formæ vero siue similitudines in intellectu essent finitæ. Si vero fuit secundum formas datas, sed non ab inferiori substantia: quia inferior natura non dat superiori: ergo secundum datas à Deo. Aut ergo tot datæ erant à principio conditionis, quot essent cognoscibiles: aut alicuius rei naturalis esset nescientia. Si vero tot essent à principio; hoc non videtur: quia res singulares possunt multiplicari; secundum illud: *Pater meus vsque modo operatur, & ergo operor.* Formæ autem datæ à principio erant in certo numero. Aut oporteret, facta rerum multiplicatione, multiplicari species vel similitudines apud intellectum angelicum: quod non videtur: non ergo cognitio omnium naturalium naturalis est per formas datas à principio. Si vero per formas acquisitas; ergo cum intelligibile dicatur perfectio intelligentis: esset illa forma nobilior intellectu angelico. ¶ PRÆTEREA, si reciperent à rebus, aut reciperent per modum illum, quomodo speculum recipit: aut quo recipit sensus: sed siue sic, siue sic: oporteret esse aliquam continuationem inter rem, à qua reciperet, & intellectum angelicum recipientem: cum ergo nulla sit continuatio rei corporeæ separatæ ad incorporeum: non erit cognitio angeli naturalis per formas receptas, vel acquisitas à rebus.

Ioan. 5.

RESOLVTIO.

Cognouere profecto: idq; vel per similitudines innatas (quod & rectius dictum videtur) vel à principio conditionis datas.

¶ AD QVOD dicendum, quod cognitio naturalis rerum naturalium, aut fuit quantum ad formas vniuersales, quæ fuerunt omnes primitus creatæ: & secundum hoc potuit esse per similitudines innatas, vel à principio conditionis datas. Magis autem videntur innatæ esse à principio in intelligentia angelica existentes; quam post conditionem datæ: ne videretur intelligentia angelica à principio esse quasi tabula nuda. Vnde August. *In seipsa longè aliter nota est creatura angelis, quam nobis: illis enim primordialiter (vt ita dicam) vel originaliter: sicut eam Deus primitus condidit; & post eam conditionem à suis operibus requieuit, non condendo aliquid amplius: nobis autem secundum rerum conditarum administrationem iam per ordines temporum; secundum quam Deus iam illis rebus personariam distinctionem consummatis, vsque modo operatur. Cognitio autem singularium est per similitudines, quas sibi capit ex rebus existentibus.*

Aug. lib. super Genes. ad litt.

¶ NEC oportet propter hoc, quod formæ intelligibiles rerum sint nobiliores intellectu angelico: quia res non faciunt suas similitudines in intellectu: sed intellectus angelicus sua virtute capit à rebus. Nec oportet ibi esse receptionem admodum sensus, vel speculi: cum non sit acceptio per modum rei sensibilis: sed rei intelligibilis. Nec distantia, aut interpositio corporalis tollit hanc cognitionē: cum incorporei ad corporeum non dicatur propriè distantia; secundum accidens tamen posset dici. Vnde intellectus angelicus existens in oriente, posset cognitione naturali cognoscere, quod esset in occidente. Si enim lumen corporale, quod est in oriente, statim apparet in occidente: multo fortius lumē intellectuale accipit similitudinem statim.

MEMBRVM III.

An angelus ex se cognoscere possit, quæ subsunt libero arbitrio hominis, vel alteriusmet angeli?

AD tertium, quo quæritur de his, quæ subsunt libero arbitrio alterius angeli, vel alicuius hominis; qualiter possit ex se cognoscere. Si enim homo secundum animam rationalem potest aliquando ex se cognoscere, quæ subsunt libero arbitrio alterius hominis: vt quod velit hoc, vel illud per effectus consequentes, vel per indicia: nobilior autem est cognitio angeli de natura, quam cognitio hominis: ergo potest aliquo modo cognoscere ea, quæ subsunt libero arbitrio: Potest ergo quæri, secundum quem modum? Per causam enim non potest cognoscere: hoc enim solius Dei est: vel illius, cuius est liberum arbitrium. Dicitur enim: *Deus intuetur cor: Quis scit, quæ sunt hominis; nisi spiritus, qui est in eo?* non ergo per causam cognoscunt: ergo cum omnis certitudo sit per causam, vel per effectum: si cognoscit per effectum: ergo nec differt à cognitione hominis.

4. Reg. 16. 1. Corin. 2.

¶ PRÆTEREA, si cognosceret per effectum, cum nullus sit effectus, nisi intelligibilis, aut sensibilis; altero istorum cognoscit: Non sensibili, vt videtur: quia sensibile, vt sensibile non cognoscitur ab intellectu; cum non moueat intellectum. Si vero intelligibili effectu cognoscat: pari ratione immediatè posset cognoscere illud, quod subest libero arbitrio, sicut illud: cum vtrumque sit intelligibile.

* * *

RESOLVTIO.

Angeli noscunt quæ libero arb. subsunt; non per se (hoc enim solius Dei est) sed per indicia; nec quæcunque, sed quæ ab eis discerni possunt. Quod propter homines dicimus: qui etsi per indicia pariter quæ liberi arbitrij sunt, cognoscant, non tamen per indicia ita discernibilia: cum nec tanta intelligentia perspicacitate, vel acumine polleant.

¶ Ad quod dicendum, q; angeli naturaliter vident ampliori perspicacitate cognoscendi, quam homines; Vnde cũ in hoc differat cognitio creaturæ intellectualis à diuina cognitione; quod Deus cognoscit ea, quæ subsunt libero arbitrio per se: intellectualis vero natura cognoscit ea, quæ sunt liberi arbitrij, sed per indicia. Vnde August. *Internas animæ cogitationes diabolum non videre, certissimum est: sed motibus corporis ab illo, & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit: ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum.* In hoc differt angelus ab homine: quod angelus cognoscit ea quæ sunt liberi arbitrij, vt affectiones, per indicia, quæ ab eis discerni possunt, à nobis autem nõ discernuntur, & hoc est, quia vigent maiori acumine intelligentiæ.

Aug. in li. de Eccles. dogmat. cap. 86. Tom. 3. 1. Paral. 6.

¶ Si vero obijciatur, aut indicium illud est sensibile, aut intelligibile in se. Dico quod illud indicium est aliqua impressio facta in corpore ab affectione animæ: quæ latet nostram cognitionem aliquando: & licet sit apprehensibile sensu interiori, vel à nostra ratione: tamen latet eam propter maximam sui inclinationem ad corpus nostrum, non latet autem intellectum angelicum propter sui abstractionem à corpore, & naturæ subtilitatem. Hoc tamen non nisi opinando dicitur propter verbum August. sic dicentis. *In quodam loco, vbi dixi, dæmones aliquando hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate pradiscere; Dixi hoc audaciore affeueratione, quam debui. Nam peruenire ista ad noticiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est: sed vtrum signa quædam dentur ex corpore excogitantium, illis sensibilia, nos autem latentia: an alia vi, & causa spiritali ea cognoscant; hoc aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.*

Aug in li. 2. retract. vide lib. de diuin. dæmonũ. c. 5 post medium. Tom. 3.

¶ Si vero quæratur de his, quæ sunt liberi arbitrij in angelis. Respondetur, quod in his naturaliter habent cognoscere per indicia intelligibilia, ad quæ impotens est ratio nostra de se: nisi hæc fiant adiutorio gratiæ. Et si obijciatur, quod pari ratione possent immediatè cognoscere ea, quæ sunt liberi arbitrij. Dicendum, quod non: quia indicia illa non sunt tantæ simplicitatis, quantæ sint affectiones, siue voluntates, quorum sunt indicia, & ideo potest cognitio angelica immediatè extendere se ad indicia; & per indicia ad illa, quorum sunt indicia; ipsas vero cogitationes siue voluntates est solius Dei cognoscere per se.

MEMBRVM IV.

An angeli potuerint à principio naturali cognitione futura cognoscere?

AD quartum, quo quæritur de angelis. Vtrum habuerunt posse à principio naturali cognitione cognoscere futura? Quod non, videtur: quia solius Dei videtur cognitio certitudinalis futurorum contingentium, & singularium: cum enim possint esse & non esse, non potest illarũ rerum haberi certa cognitio: sicut dicit Anselm. Si de illa scientia quæritur, quæ non est, nisi cum aliquid certa ratione intelligitur. Omnino respondeo non posse sciri, quod potest non esse.

Anselm. in lib. de casu diaboli. c. 21.

¶ Sed obijceret aliquis: secundum hæc Deus non posset habere cognitionem futurorum huiusmodi. Sed non est simile; sicut idem Ansel. ostendit: Deus non habet cognitionem futurorum huiusmodi, nisi vt ei præsentium. Vnde quia seipso cognoscit omnia, non potest sua cognitio esse nisi immutabilis & certissima: non sic est de creatura; quæ per aliud, quod creatum est, cognoscit quod cognoscit. Si ergo angeli cognoscunt per aliquid, quod cognoscunt de futuris; non possunt certitudinaliter vsquequaque cognoscere futura huiusmodi cognitione.

¶ Contra; maior est cognitio angeli; quam hominis. sed homo ex superna dispositione astrorum potest multa futura prædicere, vt euentum imbrium, & siccitatis ventorum: multo ergo fortius angeli naturali cognitione, quæ fuit apud eos, potuerunt futura cognoscere, & prædicere cum quadam certitudine. ¶ Præterea in dæmonibus (sicut dicit August.) compertum est, quod multa futura prædicuntur, quemadmodum eueniunt, sed nobilior fuit illa naturalis cognitio, quam habuerunt angeli à principio, quam cognitio naturæ corruptæ, vel obscuræ in dæmonibus: ergo multomagis poterunt tunc prædicere futura.

Aug. retractationum. lib. 2. c. 30.

RESOLVTIO.

Angeli boni in prima potestate naturæ constituti ea futura tantum certitudinaliter præscire potuere; quæ vel legem astrorum, superiorumve corporum insequebantur, vel quæ per ipsos administranda erãt. Quæ autem vel omnino in dispositione diuina erant, vel alterius angeli, vel hominis arbitrio libero suberant; nequaquam certitudinaliter, sed solum coniecturaliter. Iam vero in gratia confirmati quæ futura cognoscunt, in æternis rationibus vel legibus cognoscunt. At dæmones coniecturaliter semper, & subobscurè: idq; aut ex diuturna experientia, aut ex acumine intelligentiæ, aut ex reuelatione supernorum spirituum.

¶ Ad quod dicendum videtur, quod distinguendum est inter cognitionem futurorum, prout est in bonis angelis iam cõfirmatis, & prout est in dæmonibus, & prout fuit in angelis in prima potestate naturæ: Angeli enim beati cognoscunt futura, quæ cognoscunt, in æternis rationibus, siue legibus, dæmones vero ex quibusdam coniecturis per res ipsas nouerunt, vel ex diuturna experientia; vel ex acumine intelligentiæ, licet obscure: vel cognoscunt ea, quæ facturi sunt, ex rationibus, quæ sunt apud ipsos: vel accipiunt ex reuelatione spirituum superiorum, quæ fienda sunt. Vnde Augustin. *Aliud est temporalibus temporalia, mutabilibus mutabilia coniecturare, eisq; temporalem motum suæ voluntatis, & facultatis inserere: quod dæmonibus certa ratione permissum est. Aliud autem in æternis incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius sapientia viuunt; mutationes temporum prævidere: Deiq; voluntatem, quæ tam certissima, quam potentissima est omnium, spiritus eius participatione cognoscere: quod sanctis angelis certa discretione donatum est.* Item Isidor. *Triplici modo præscientiæ acumine vigent: subtilitate naturæ, experientia temporũ, reuelatione supernorum spirituum.* Et August. *Aliquando ipsi nefandi spiritus, quæ ipsi facturi sunt, diuinando prædicunt.* Angeli vero ex prima potestate naturæ poterant præcognoscere futura, quæ sequuntur legem astrorum, & superiorum corporum: potuerũt etiam cognoscere illa futura, quæ per ipsos fienda erant. Quæ vero erant omnino in dispositione diuina, vel in libero arbitrio alterius angeli, vel hominis, non potuerunt cum certitudine prævidere, sed tantum conijcere.

Aug. in li. de ciuit. Dei.

Isid. in lib. de institutione Ecclesiastica.

Aug. lib. 2. super Gen. cap. 2. in fine. to. 3.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur superius, quod nullius rei futuræ habere poterant singularem præscientiam: quia poterat res talis non fore. Dicendum est, quod licet res futura non sit sic stabilis; sicut res, quæ determinata est in esse: nihilominus tamen alio modo scibilis est propter causæ præcedentis certitudinem, vel signi præcedentis. Vnde de imbribus & ventis, licet sint res singulares & futuræ, potuit haberi certitudo ex lege superiorum corporum: salua tamen dispositione diuina, quæ potest mutare aliter, cum vult: & ideo non dicitur simpliciter certitudo, sed tantum cum conditione: nisi Deus aliter ordinauerit. Ex signis etiam cognoscunt nautæ mutationes temporũ: multo enim eminentius quam nautæ, vel astrologi cognoscunt huiusmodi futura. Vnde August. *Quorundam signorum nobis occultorum maiori experientia multo plura, quam homines perspiciunt.* Sed attendendum est, quod illa certitudo, quantumcunq; sit; nihil est respectu illius certitudinis futurorũ; qua Deus in seipso cognoscit futura; quantumcunque enim ascendat certitudo per hanc viam, non est proportio respectu diuinæ: in hoc est comparatio quod diuina est maior, & hæc minor. Similiter si comparetur respectu illius cognitionis, qua angeli sancti cognoscunt in verbo; nullatenus proportionantur in certitudine, sed in hoc comparantur, quod illa, quæ est in angelis sanctis, est maior, & ista est minor.

Idem de ciuit Dei. cap. 22.

MEM-

MEMBRVM V.

An angeli naturali cognitione cognoscere potuerunt Deum venisse in carnem.

AD quintum, quo quæritur: Vtrum angeli naturali cognitione poterant cognoscere, Deum venisse in carnem, cum venit. Dico autem naturalem illam, quæ est præter gratiam gratumfacientem, vel gratiam gratis datã: sicut in Prophetis. Quod non, videtur. Si n. boni angeli non cognouerunt mysterium incarnationis, sed eis datum fuit cognoscere: inferior autem est cognitio naturalis in angelis: ergo ex cognitione naturali, cum Christus venit in carnem, non possent cognoscere.

¶ CONTRA, eminentior fuit cognitio naturalis in angelis, quam illa, quæ est, vel fuit in dæmonibus, in quãtum huiusmodi: cum per peccatum sit obscurata intelligentia, sed dæmones poterant cognoscere Christum venisse in carne. Vnde super illud: *Exibant autem dæmonia*, &c. (Lucæ 4. Glossa.) Gloss. *nunc per signorum potentiam iam certior effectus, filium Dei arbitratur.*

(Marci 1.) ¶ PRÆTEREA], *venisti ante tempus*, &c. his verbis insinuatur, quod cognoscerent ipsum esse filium Dei: nam de iudicio loquuntur, in quo filius Dei veniet ad puniendum Sathan cum complicibus suis: multo ergo fortius angeli ex naturali cognitione potuerunt cognoscere Christum venisse in carne.

¶ SED adhuc obijcitur, quod ista cognitio, quã habuerunt dæmones, non fuit certitudo, siue scientia: propter illud: *Si cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixent.* (1. Cor. 2. Glossa.) Gloss. *de dæmonibus: nunquam enim Christum crucifigi suggessissent*: ergo cognitio, quam illi habebant, Christum venisse in carnem, nunquam fuit certitudo: Quid ergo dicendum de angelis quãtum ad cognitionem naturalem, vtrum potuerunt cognoscere, &c.

¶ PRÆTEREA, adhuc videtur, quod potuerũt cognoscere: si enim sciebant ipsum iam venisse ex scripturis Prophetiæ, & alijs veteris Testamenti: sicut habetur super illud: *Quid mihi*, &c. (Lucæ 8. Glossa.) Gloss. *sciebant dæmones per aduentum Domini se aliquando in abyssum mergendos, non futura prædiuinantes, sed Prophetarum dicta recolentes.* Ex quo accipitur, quod sciebant aduentum ipsius: multo ergo fortius angeli ex naturali cognitione poterant peruenire ad notitiam scripturarũ, & ita cognoscere filium Dei venisse in carne. ¶ ITEM August. (Aug. 9. de ciuit. Dei. c. 21.) *Innotuit dæmonibus non per id, quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, sed per temporalia quædam suæ virtutis effecta & occultissima signa suæ præsentiæ, quæ angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum possent esse conspicua; potiusquam infirmitati hominum.*

¶ QVÆRITVR ergo de angelis in natura sua consideratis, vtrum possent per ista signa cognoscere? Quod videtur; quia dum dæmones habuerunt noticiam horum signorum, aut habuerunt ex naturali cognitione, aut ex dono. Si ex dono, pari ratione, imo multofortius angelis in natura sua datur hoc donum: & ita siue ex naturali cognitione: siue ex dono habuerunt, angeli in sua natura possent habere: & ita possent cognoscere filium Dei venisse in carnem.

RESOLVTIO.

Ex bonis angelis quidam nouerunt: quidam non nouerunt ad plenum: noscere tamen quodamodo potuerunt, eo ipso in carne apparente. Dæmones autem, quique mali angeli dicuntur; extraneo quodam modo, & ab his omnino remoto coniecturare potuere, scilicet cohibitione praua suæ potestatis.

¶ AD primum dicendũ, quod boni angeli aliqui non cognouerunt ad plenum, Christum venisse in carnem: nihilominus tamen poterant cognoscere, ipso apparente in carnem: secundum quod dicitur: *Manifestum est in carne, pietatis Sacramentum apparuit angelis.* (1. Tim. 3.) Sed aliquo modo cognouerunt mali angeli, quomodo nõ cognouerunt boni: quia quædam cognitio est in pœna, vel impedimento malæ operationis, siue cohibitione potestatis, & hoc modo poterãt cognoscere mali angeli; Christum venisse in carne: quomodo non cognouerunt boni.

¶ AD illud vero, quod posset obijci, quod nobilior est cognitio bonorum angelorum gratuita, quam illa, quæ est naturalis, vel illa, quæ est malorum angelorum. Dicendum quod hoc est verum, sed tamen aliqua est cognitio malorum angelorum secundum aliquem modum: secundum quem non est cognitio bonorum: nec huiusmodi cognitio, quæ est in malis, spectat ad nobilitatem: nec est aliqua cognitio naturalis, quæ non possit esse in bonis angelis: & benè sequitur, si non cognouerunt ad plenum boni angeli cognitione gratuita: nec ad plenum cognouerunt, vel cognoscere potuerunt cognitione naturali: cognitio n. naturalis diminuta est respectu gratuitæ.

¶ AD hoc obijcitur: Vtrum cognitio, quam habuerunt dæmones esset scientia? Dicendum, quod nomen scientiæ aliquando sumitur communiter: aliquãdo propriè. Communiter, cum dicitur: scire est vehementer opinari, & non falli: & hoc modo sciebant filiũ Dei venisse in carne. Alio modo dicitur scire, certa ratione intelligere: & secundum hoc dicitur iterũ scire in eis: quia ex diuinis scripturis certa ratione comprehendunt Christum venisse in carne. Si vero accipiatur pro eo quod est cognoscere causam, & quoniam illius est causa, & quoniam impossibile est aliter se habere: hoc est scire simpliciter: & isto modo sciuerunt ipsum esse filium Dei. Vnde Hilarius. *Magis suspicari, quam nosse credendi sunt*: (Hila. super Matth.) Et sic accipitur illud; *Si cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent.* (1. Cor. 2.) Vel aliter secundum quandam expositionem: cognouerunt ipsum esse filium Dei, sed non crediderunt, ipsos sua morte damnandos. Vnde super illud: *Exibant autem dæmonia.* (Luc. 4. Glossa.) Gloss. *non ideo crucifigit eum, vt filium Dei ignoraret: sed quia eius morte se damnandũ non prauidit: hoc enim mysterium à sæculis absconditum: si enim cognouissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent.* Vnde Gregor. (Gregor.) *Diabolus redemptorem venisse in carne senserat, sed propter humilia, quæ passus est, quicquid de deitate suspicatus est, ei in dubium venit pro superbia sua, & non Dei natum, sed Dei gratia custoditum credidit.*

¶ AD aliud vero, quod obijcitur de signis occultissimis. Dicendum, quod quædam sunt signa occultissima potentiæ, quæ communiter poterant ex cognitione naturali fuisse in angelis; & ex cognitione obscurata in dæmonibus: & sunt alia, quæ sunt propria dæmonibus. Illa enim signa potentiæ, quæ veniebant ex operibus mirabilibus, inquantum erant mirabilia; communia erant, vt per illa posset haberi & ista noticia, & illa cum gratia gratisdata ipsis bonis angelis: malis vero huiusmodi cognitio fuit ad pœnam. Illa vero signa potentiæ, quæ per se erant inflictiua pœnæ, vel cohibitiua potentiæ, erant propria: vt per quæ poterant, & debebant cognoscere dæmones potentiam, & iustitiam iudicis: & ideo dicebant; *Vt quid venisti ante tempus torquere nos?* (Matth. 8.) Vnde super illud Exod. 5. *Quis est Dominus*, &c. (Exod. 5. Glossa.) Gloss. *Post tormenta sciunt, quem ante scire noluerant.*

MEMBRVM VI.

An æquè velocioris cognitionis sit homo, ac angelus?

AD sextum, quo quæritur de comparatione cognitionis angelicæ ad humanam in velocitate cognoscendi. Si enim mens humana in tantum ascendit, vt nihil sit inter ipsam, & Deum: sapientia enim diuina attingit vbique, propter sui mundiciam, sine priori, & posteriori: mens aũt humana cum priori, & posteriori; sed celerrimè propter sui appropinquationem ad primum immediatè, sed si celerrimè mens humana attingit cum posteriori, & priori; nõ erit differentia inter mentem humanã, & angelicam in celeritate: cũ vtrobiq; sit celeritas in termino: ergo adæquabitur intellectui mentis angelicæ. ¶ ITEM, acies oculi humani imperceptibiliter transit ab oriente in occidẽtem, inspiciendo: cum ergo acies mentis humanæ sit simplicior; erit transitus eius imperceptibilior: & ita quasi in termino: ergo adæquabitur intellectui mentis angelicæ in celeritate.

¶ CONTRA; quæ est proportio ratione mouendi angeli ad suum corpus; ea est ipsius animæ rationalis ad suum corpus: ergo permutatim, quæ est proportio corporis ad corpus in celeritate; ea erit intellectus ad intellectum: sed corpus approptiatum, quod mouetur ab angelo, excedit in veloci-

velocitate corpus humanum: ficut habetur ab Aug. super Gen.12.& à Greg.qui dicit, quod habent aerea corpora: ergo maioris velocitatis sunt, intellectus ergo angelicus excedit humanum in celeritate intelligendi vnum post aliud.

¶ ITEM, maior est simplicitas istius intellectus, quã illius: sed quod simplicius est, si mouetur, celerius mouetur: ergo intellectus angelicus nobilior est intellectu humano.

Aug.12.super Genes. ¶ QVOD etiam videtur ex hoc, quod dicit Aug. *Possunt hoc efficere angeli non solum acrimonia cernendi corporalia incomparabiliter præstantiori, quam nostra: sed ipsorum corporum longè subtiliorum mira velocitate.*

RESOLVTIO.

Longè amplioris celeritatis est angelus in cognoscendo quam homo: sicut longe vicinioris appropinquationis est ad aspectum diuinum ipse, quam ille.

Aug.lib.4. super Genes. ¶ AD quod dicendum per hoc, quod dicit Aug. *Si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis humanæ acies? quanto magis angelicæ? quid autem de ipsius summa sapientia dicetur, quæ attingit vbique aũt celeriter, & disponit omnia suauiter?* Ex quibus verbis elicitur ordo quidã in celeritate aspectus, secundum appropinquationem maiorem & minorem ad aspectum diuinum, qui simul & indiuisibiliter omnia aspicit; aspectus ergo angelicus amplioris est celeritatis, quam humanus.

¶ AD illud, quod objicitur in contrarium: Dicendum, quod licet celerrima dicatur visio intellectualis humana: tamen non dicitur superlatiuè nomen celeritatis: sed intensiuè: cum n. diuinus spiritus (sicut dicit August. ad Orosium) mouet spiritum creatũ; mouet ipsum per tempus: non per locum: & patet, quod non loquitur de motu locali, sed de motu cognitionis, vel affectionis: quare necesse est ibi esse mensuram temporis, sed in hac differentia maior est celeritas (licet sit imperceptibilis apud sensum) & minor: vnde angelicus intellectus, quia non habet colligationem ad corpus per intentionem, maioris est celeritatis. Hoc etiam est ex parte affectus: retardatur enim spiritus humanus in motu ad cœlestia propter intentionem ad corpus: corpus enim quod corrumpitur, vel corruptibile est, aggrauat animam. Similiter ex parte cognitionis, vnde Bern. *Inuolutus carne accola terræ spiritus, ex consideratione sensibilium proficiens, paulatim, gradatimq; nititur peruenire illo, quo cœlestium habitator ingenita subtilitate in omni facilitate velocitateq, pertingit.*

Idem ad Osorium.

Bernard.

¶ AD secundum dicendũ, quod licet in insensibili tempore, siue repente fiat intellectiua motio: nihilominus secundum rationem est discernere plus, & minus in celeritate intelligentiæ angelicæ, & humanæ; quantum est de vtriusq; natura: aliter autem potest esse secundum gratiæ eleuationem.

QVÆSTIO XXVII.

De locutione Angelorum.

In septem Membra, & in duos Articulos diuisa.

D. Thom. 1. par. q. 107. per 5. art. D.Bõ. in 2. d.10. art.2. Scot. in eod.2. d.9. q.2.

DICTO de potentia cognitiua angeli, & actu principali, & absoluto: consequenter dicendum est de actu eius consequenti, quem habet in comparatione ad alterum: scilicet, de locutione. ¶ CIRCA quod quæruntur hæc. Primo, vtrum sit locutio in angelis? Secundo, vtrum locutio dicatur multipliciter, vel vno modo? Tertio, quid sit locutio; secundum quod conuenit angelis respectu angelorum. Quarto, quæ differentia actus istius ab alijs quibusdam. Quinto, vtrum omnium angelorum sit locutio: aut tantum superiorum. Sexto, vtrum fiat per medium, & per quod medium. Septimo, vtrum necessaria sit auditio, existente locutione.

MEMBRVM I.

An in Angelis sit locutio?

AD primum videtur, quod locutio non conueniat angelis. Cum n. loqui sit actus per organa exterius: in angelo aũt non sunt huiusmodi organa * vt pote lingua, & huiusmodi: ergo nec loqui est in angelo. ¶ ITEM, loqui est actio rationalis creaturæ ad alterum, data ei, vt alij significet, quod apud se interius habet. Vnde Aug. in Lib.15. de Tri. c.10. *Formata cognitio ab ea re quã scimus verbum est, quod in corde dicimus, quod non Græcum est, nec Latinum, nec alterius linguæ, sed cum id opus est, corporis quibus loquimur, proferre noticiam, aliquid signum quo significetur, assumitur: & plerumque sonus, aliquando nutus.* Vbi ergo non est necesse vnum alij significare, nec necessarium est loqui: sed in angelis non est necesse vnum alij significare, quod apud se habet: quia conscientiæ eorũ sunt adinuicem manifestæ: sicut dicit Commẽtator super Hierarchiam, Angeli non indigent locutione, quia conscientias suas adinuicem contemplantur. ¶ ITEM, sic est in luce corporali, quod seipsam per seipsam manifestat; & ea, quæ circa ipsam sunt. Vnde oculus materialis lucem corporalẽ videt sine alio medio: dummodo sit ibi proportionalis; & non sit aliud impedimentum: ergo cum angelus sit lux spiritualis; videtur quod seipsum offerat oculo spirituali alterius angeli, ergo non exigitur locutio media: ergo nulla est necessitas locutionis in angelis: imo frustra ibi esset: quia id, propter quod propriè est locutio, sufficienter est in eis.

* Hinc illud Sum mulantiũ distichon.

Instrumẽta nouem sunt, guttur lingua palatum. Quatuor & dentes, & duo labia simul. Vide 2. de Anima 77. & deinceps.

¶ CONTRA; Idem Commentator dicit: *si dixerimus, quod angelici spiritus omnes prorsus conscientias suas adinuicem conspiciunt, necesse est, vt fateamur, minores scire omnia, quæ maioribus nota sunt, quod nequaquam verum est: multa n. sciunt excellentiores, quæ ignorant inferiores:* Ex hoc arguitur; multa sciunt superiores, quæ nesciunt inferiores: ergo ad hoc, quod inferiores ea sciant, necesse est interuenire manifestationem, secundum quod eis competit: sed huiusmodi manifestatio est per locutionẽ: ergo necessaria est locutio. ¶ ITEM, superiores abundat ab inferiorib. in illuminatione: quia eos illuminant, vt dicit Dion. & Damasc. ergo abundant in cognitione, & inde vt prius. ¶ SI aũt instetur contra hæc argumenta, quia angelus, qui plura scit, non habet potestatẽ manifestandi; & ita nec loquendi. Contra, cognitio in angelo nobilior est, quã in homine, quia quæ cognoscit homo per duo, scil. per sensum, & intellectum: cognoscit angelus per vnũ, sc. intellectum: vtraq; n. cognoscit intelligibiliter: ergo cum in homine non desit potentia manifestandi id, quod cognoscit; multo magis nec in angelo deest. ¶ ITEM, idem videtur per Damasc. qui dicit: *Non lingua, & auditu indigent: sine sermone voce prolato tradunt sibiinuicem suas illuminationes, & consimilia.*

Cõmentator super Hierarchiam.

Dion Lib. de cœlest. Hierarch. cap. 7. in medio.

Damasc.

RESOLVTIO.

Est quidem in angelis locutio: at non sensibilis, sicut in nobis: sed intelligibilis.

¶ SOLVTIO. Notandum, quod est duplex locutio spiritualis angelorum. Vna, qua loquuntur Deo: de qua dicit Aug. *Habet Deus suos nuncios, id est, angelos: non tamen aliquid ei, quod nesciat, nunciant: sed bonum eorum est, de suis operibus eius consulere veritatem.* Et quod dicuntur ei nunciare: hoc non est: vt ab eis discat, sed econuerso: cum etiam nos oramus, non necessitates nostras eum docemus. De hac locutione non intenditur hic principaliter. Est alia locutio, qua loquuntur angeli adinuicem, vt infra patebit.

August. de Trinit.

¶ AD hoc, quod objicitur, quod manifestæ sunt eorum conscientiæ adinuicem. Potest solui breuiter, si inspiciatur finis autoritatis: sic n. finitur: quia conscientias suas adinuicem cõtemplantur, ad alterutrum sine voce quodammodo loquuntur. Quasi diceret, non loquuntur sensibiliter, sed intelligibiliter, & hoc bene dicimus. Vel aliter dicendum, quod duplex est manifestatio consciẽtiæ in bonis (quia de malis non loquimur nunc) vna, quã habent in verbo, & secundum hoc verũ est, quod consciẽtiæ eorum sibi inuicem sunt manifestæ, quia vnus in verbo videt conscientiam alterius, sed hoc non est ex propria natura angeli; sed ex natura verbi: vnde hoc magis est ex gratia, quam ex natura. Vnde Greg. *In patria vniuscuiusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet: corporum n. glorificatorum tanta erit conformitas ad spiritum, quod ad effectus, qui erunt in spiritibus, sequuntur quidam nutus in eorum corporibus, in quibus potuerunt dignosci ipsi effectus, tanquam in illis nutibus relucentes.* Similiter dicimus esse manifestas conscientias angelorum adinuicem, quo ad cognitionem, quam habent in verbo. Nec tamen negandum

Memb. immediatè seq.

Greg. li.16 Moral. c.3 in fine.

dum est, quin alij alijs plura cognoscant in verbo pro voluntate ipsius verbi: nec tamen est in angelis locutio, quo ad illa: quia potestas manifestandi illa, non residet apud angelum; sed apud verbum. Vnde vellet nollet angelus, qui plura cognoscit in verbo, manifestaret verbum, & ista eadem ei angelo, qui pauciora scit. Est alia cognitio, quam habent angeli in seipsis: & de hac non est verum, quod cõscientiæ eorum sint adinuicem manifestæ: imo plura scit vnus, quam alius: & habet potestatem naturalem ille, qui plura cognoscit, manifestandi ea illi, qui nescit: & ista manifestatio dicitur locutio; sicut opponebatur.

¶ Ad aliud, quod obijcit de luce Respondetur, quod nõ est simile de luce corporali, & spirituali: corporalis enim non agit per voluntatem, sed per naturam, & ideo non est ad opposita, scilicet, ad manifestandum, & occultandum: sed semper (quantũ est de natura sua) se manifestat, & diffundit: sed spiritualis lux, quia agit per voluntatem, ad opposita est: vnde potest se manifestare, quando vult: & occultare, quando vult.

MEMBRVM II.

An locutio simpliciter, dicatur, cum dicitur, angelus loquitur Deo; Angelus loquitur alij angelo; Angelus loquitur animæ?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum locutio dicatur multipliciter, aut vno modo, cum dicitur, angelus loquitur Deo; & cum dicitur angelus loquitur alij angelo: & cum dicitur, angelus loquitur animæ? Et videtur, quod dicatur mutipliciter. Cum enim loquitur Deo, hoc non est, vt Deo manifestet suam cognitionem, vel affectionem: cum ipse præcognoscat eam. Cum autem loquitur alij angelo; hoc est, vt manifestet ei. Similiter cum loquitur animæ. Vnde Gregor. *Angelici spiritus voluntatem Dei Prophetarum sensibus innotescunt: atque eas ad sublimia subleuant: & quæ in rebus futura sunt, in causis originalibus futura demonstrant*: Ergo non secundum eandem rationem dicitur loqui de angelo cum dicitur, angelus loquitur Deo, & cum dicitur, angelus loquitur alij angelo, vel animæ. [Gregor.]

¶ Præterea, dicit Greg. *Vox angelorum in laude conditoris est admiratio intima contemplationis.* Sed locutio, qua loquitur angelus angelo, vel animæ; non est admiratio: ergo differenter dicitur locutio respectu Dei, & respectu creaturæ rationalis. [Idem.]

¶ Contra. Vtrobiq; est cognitionis, vel affectionis expressio. ¶ Item, August. *Formata cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum, quod in corde dicimus*: sed intentio formatæ cogitationis à re, quam scimus, commune est locutioni: vtrobiq; ergo vno modo dicitur. [August. de Trinit. lib. 15. c. 10]

RESOLVTIO.

Si attendatur ratio locutionis sumpta ex parte finis, multipliciter dicitur: Si ratio ex parte formæ, simpliciter: sed tamen secundum prius & posterius.

¶ Respondetvr. Locutio quandam rationem habet ex parte finis, & secundum hoc locutio dicetur non secundum eandem rationem, cum dicitur respectu Dei, & respectu alterius angeli, vel animæ, ex parte vero formæ dicitur secundum vnam rationem per prius & posterius, quæ expressio, vel euidentia cogitationis, vel desiderij dicitur: hoc autem respectu Dei nihil aliud est, quam ipsum desiderium, vel cogitatio. Et quod ità sit, patet per simile de locutione animæ ad Deum. Dicit enim Greg. *Animarum verba sunt ipsa desideria*: nam si desideriũ sermo non esset, Propheta non diceret; *Desiderium cordis eorum audiuit auris tua*: Similiter per hoc, quod dicit Gregor. de locutione mali angeli: Diabolum loqui ad Deum, est omnipotenti maiestati eius nil posse celare: Ex hoc patet, quod loqui angeli nihil aliud est, quam eius cogitatio, vel desiderium expressum. Respectu vero alterius angeli, vel animæ est eorum indicatio per aliquid, vt ab eis cognoscatur. [Gregor. Psal. 9.]

¶ Ad id, quod primo obijcitur. Dicendum, quod non est vna ratio; secundum quod loqui ex parte finis diffinitur, & sic ibi accipiebatur.

¶ Ad secundum dicendũ, quod dicit Greg. vocem angelorum esse admirationem, hoc est laudem illorum esse admirationem: notificauit vocem eorum non per illud, quod est essentiale voci, sed per concomitans: admiratio n. comitatur cognitionem, siue contemplationem angelicam; quæ est de diuinis, quæ sunt supra ipsum.

ARTICVLVS I.

An locutio vniuocè, vel æquiuocè dicatur, cum de Deo respectu angeli, vel animæ, & cum de angelo respectu Dei, vel alterius angeli, vel animæ dicitur?

CVm locutio dicatur de Deo respectu angeli, vel respectu animæ, & de angelo respectu Dei, vel alterius angeli, vel animæ, vtrum dicatur æquiuocè, vel non. Et videtur, quod non; quia vtrobiq; est voluntatis expressio: cum enim Deus loquitur angelis, suam voluntatẽ ostendit: cum autem angelus loquitur, aliquid desiderat; & desiderando desiderium suum in conspectu Dei ponit.

¶ Contra, Greg. *Loquitur Deus ad angelos eo ipso, quo cordibus eorum occulta sua inuisibilia ostendit: vt quicquid agunt, in ipsa contemplatione veritatis legant, & velut quædam præcepta vocis sunt ipsa gaudia contemplationis.* ¶ Item alibi: *Dicere est per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda iudicia motibus occultis inspirare: Cum autem Deus loquitur animæ per se, vel cum verbo suo, sine verbis cor docetur: cum autem angelus loquitur, vel verbis, vel rebus, vel imaginib. sua voluntas indicatur.* Ex quo accipitur, quod loqui Dei ad angelos, vel animas, differenter accipitur ab illo loqui, quo angelus loquitur Deo, vel angelo. [Greg. li. 2. Moral. c. 5. in medio.] [Idem.]

RESOLVTIO.

Differenter, & quasi æquiuocè: non enim Deus, aut ab angelo, aut ab anima quidquam recipit: sed vniuersa ipsi ab eo recipiunt.

¶ Ad quod dicendum, quod differenter accipitur: sicut dicit Greg. & quasi æquiuocè. Nihil enim recipit Deus ab angelo, sed ecõtrario angelus, vel anima à Deo aliquem recipit effectum.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, quod vtrobique est expressio voluntatis. Dicendum, quod exprimere non dicitur vniuocè vtrobique: quia cum Deus loquitur, sine verbis cor docetur: cum autem angelus loquitur, verbo aliquo vtitur.

MEMBRVM II.

An vna sit Dei, & Angeli locutio, cum per Angelum Deus loquitur? & an cum ille creaturis rationalibus loquitur; per medios angelos semper loquatur?

AD secundum articulum, quo quæritur: Vtrum vna sit locutio Dei, & angeli aliquando, vel non. Quod non, videtur. Diuersarum enim essentiarum diuersi sunt actus: ergo cum diuina essentia sit alia ab angelica; non erit actus idem: ergo cum locutio sit actus: non erit eadem locutio.

¶ Præterea, cum Deus loquitur per angelum: Deus non motus mouet: angelus autem motus mouet: mouere autem immobilis, & eius, quod est mobile, diuersum est: ergo diuersa est locutio, qua loquitur Deus; & qua loquitur angelus.

¶ Contra, cum agens secat per securim; vna dicitur sectio: ergo à simili, cum Deus loquitur per angelum, vna dicetur locutio. Quod autem Deus loquatur per angelum Apoc. 1. *Significauit Deus, quæ oportet fieri cito, loquens per angelum seruo suo Iohanni.* ¶ Præterea, sicut dicit Aug. *Deus in veteri testam. per angelos loquebatur.* ¶ Præterea, sicut cum Dominus loquitur per Prophetam, vna est locutio Domini, & Prophetæ: ita cum Dominus loquitur per angelum, vna est locutio Dei, & angeli. [Apoc. 1. Aug. in li. de Tria.]

¶ Hvivs etiam gratia quæritur, vtrum semper loquatur Deus creaturis rationalibus per angelos, quando loquitur: an aliquando per seipsum? Nec fit hic mentio de locutione, qua Deus in Christo homine loquebatur: vel Christus* hic loquebatur. [Quæst. lateralis.]

[*Alias, ei.]

in Deo est idem loqui, quod intelligere: ergo similiter in angelo: vel dicatur, quare non.

RESOLVTIO.

Actus hi, loqui, vel manifestare; videre, vel cognoscere, aut intelligere in angelis. (Quidquid sit ad præsens de eorum potentia, an scilicet vna sit, vel differens) differunt & naturaliter ordinati sunt.

¶ Solvtio: Dicimus, quod angelus habet potentiam cognoscendi, vel afficiendi circa cognitum: & post manifestandi cognitum, & affectum: & quicquid sit de potentia, id est, siue sit vna, siue differens (quod modo non determinamus) hi sunt actus differentes, & ordinati naturaliter: quia primo est cognoscere: secundo affici: tertio manifestare: quia (vt dicit Commentator) manifestatio est indicium voluntatis, & conceptus.

Ex 1. Peri herm. in procemio

¶ Ad obiectum dicendum, quod cum angelus sit medium inter Deum & hominem, vt dicebatur: non conuenit tantum cum altero extremorum: sed cum vtroque. In Deo n. est verbum interius & non exterius, & præter hoc in Deo est noticia, & verbū: quamuis enim dicens, & verbum ad diuersas hypostases pertineant: tamen verbum & noticia ad eandem pertinent, scil. ad filium: licet differenter: quia noticia, vt appropriatum: verbum, vt proprium. Quātum ergo ad hoc, quod in Deo non est verbum exterius; cōuenit locutio angeli cum locutione Dei: differt autem, quia in Deo (vt dictum est) idem penitus est noticia, & verbum; sed in angelo nec est penitus idem, nec penitus diuersum: imo quo ad hoc pertinet, partim conuenit; partim dissonat: Et est, quod dicit Damasc. Sicut nostrum verbum de intellectu procedens, non per omnia idem est cum intellectu, nec omnifariam aliud: ita, & Dei verbum in eo quod subsistens secundum seipsum; separatur ab eo, à quo habet existentiam: in eo vero quod eadē ostendit in seipso: quæ circa Deum inspiciuntur: idem est cum ipso. In summa ergo dicendum, quod locutio angeli in hoc conuenit cum locutione Dei, quia ibi est verbum interius solum, & differt in hoc, quia non idem est noticia cum verbo; in Deo vero omnino idem. Cum verbo vero hominis cōuenit in hoc, quod sicut verbum hominis partim conuenit; partim diuersum est ab intellectu, siue à noticia: similiter in angelo partim est diuersum, non simpliciter. Differt autem in hoc, quod verbum hominis per vocem extra traditur: non sic autem verbum angeli.

¶ Ad autoritatem autem dicendum, quod Augustin. quantum ad hoc intendit ponere differentiam illam: quia in corporibus audire, & videre, & potentia auditiua, & visiue differunt penes organa diuersa: quia quælibet potentia habet organum proportionale: nō sic intellectiua. Vnde huiusmodi differentia non est in intellectualibus substantijs, sed ex hoc non sequitur, quod differant. Vtrum tamen differant penes differentiam virium visio, vel intellectus in angelis, & locutio: modo non determinamus.

Li. de cœlest. Hierarch. c. 3. in medio.

¶ Item, circa hæc obijcitur sic. Triplex est actus angeli, vt dicit Dionys. illuminare, purgare, perficere; & non determinat plures actus: ergo cum aliquis sit actus angeli: vel est aliquis horum trium, vel ad aliquem horum trium reducitur: quæritur ad quem. Respondetur: Nec est aliquis horum trium, nec ad aliquem reducitur. Iste enim actus, qui est loqui; est prior omnibus illis: quia est in eis ratione naturæ. Illi vero tres actus sunt in illis ratione gratiæ, quæ consequitur naturam. Vnde posteriores sunt isto secundum viam generationis (non dico secundum viam nobilitatis) & sunt illi tres actus tantummodo superiorum respectu inferiorum, vel animarum.

MEMBRVM V.

An omnium angelorum indifferenter locutio sit: superiorum, scilicet respectu inferiorum, & inferiorum respectu superiorum?

AD quintum, quo quæritur de locutione quantum ad subiecta: vtrum scilicet loqui sit indifferenter in omnibus angelis respectu omnium, vt superiorum respectu inferiorum: econuerso. ¶ Super illud: *Si linguis homini*, &c. Gloss. *quibus angeli præpositi signant; minoribusq́, de Domini voluntate præsentiunt.* Et Gregor. *Angelici Spiritus voluntatem Dei humanis cordibus insinuant, secundum quod ab ipso accipiunt.*

1. Cor. 13. | Gl. ordin. Gregor.

¶ Item, ille, qui loquitur: videtur quasi aliquid influere in illo, cui loquitur: sic cū Deus loquitur angelo, aliquid influit, & angelus aliquid recipit. Vnde angelus, vel anima non propriè dicitur loqui Deo: quia Deus ab eo nihil recipit. Sed inferior angelus non influit in superiorem: nec malus super bonum: ergo non loquuntur inferiores superioribus, nec mali bonis. ¶ Item, agens nobilior est patiente, inquantum huiusmodi, sed loquens inquantum huiusmodi est agens: ergo nobilior est eo, cui loquitur, sed inferior non est nobilior superiore, nec malus bono: ergo.

Damasc. Haymo.

¶ Contra Damascen. *Angeli tradunt sibiinuicem consilia sua, & intelligentias suas.* ¶ Item Haymo. *Angeli inter se loquuntur: sed eorum locutio est eorum inter se concordatio: nec necesse est, vt sonent verba illa, vbi contemplationi Dei concors est voluntas bona.* Ex hoc, quod Damasc. dicit [*inuicem*] & Haymo dicit [*inter se*] patet, quod inuicem est locutio. ¶ Item hoc patet per rationem: creatura intellectualis de natura sua habet potentiam manifestandi, quod apud se habet: ergo vbicunque est hæc natura, est hæc potentia manifestandi. ¶ Item, nonne Sathan legitur loqui. Iob. 1. ¶ Item, angelus superior est homine secundum naturam, sed quilibet homo habet huiusmodi potentiam: ergo & angelus quilibet.

RESOLVTIO.

Non æquè omnibus angelis, & superioribus, & inferioribus inest locutio, gratiam insequens; sed benè locutio naturam insectans. Quare proprius superiores inferioribus influere dicuntur: inferiores vero superioribus referre.

¶ Solvtio: Duplex est locutio angelorum. Vna, quæ sequitur eorum naturam, & hæc est in omnibus respectu omnium: Alia, quæ sequitur gratiam: Et sicut superior præeminet inferiori in gratia, secundum quod huiusmodi, in quantum est ex conditione gratiæ: & non econuerso: ita superior isto modo dicitur loqui inferiori, & non econuerso. Vnde quicunque isto modo loquitur alij: quo ad hoc superior est. Inferior autem non dicitur propriè loqui isto modo, sed magis propriè diceretur referre aliquid superiori, quia quasi excitat eum ad aliquid agendum. Superiores autem influunt inferioribus, secundum quod ipsi receperunt à primo, & hæc locutio sequitur illuminationem gratuitam.

¶ Ad illud, quod obijcit, quod agens nobilius, &c. Potest dici, quod hoc intelligitur de agentibus, vbi non est reciprocatio: loqui vero secundum naturam est agere reciprocum: iste enim loquitur illi, & econuerso.

¶ Rationes ad oppositum, probantes, quod loqui omnium est: concedimus, secundum quod procedunt de locutione, quæ est à potentia naturali; non ab illuminatione gratuita.

MEMBRVM VI.

An in locutione angelorum medium aliquod requiratur?

AD sextum, quo quæritur: An locutio fiat per mediū. Sic enim est, quod locutio hominis fit per medium, scil. per aliquod signum, vel per signum audibile, vt per vocem: aut per signum visibile, vt per nutum: secundum illud *Nutu, signisq́, loquuntur.*

1. Cor. 13. Glossa.

¶ Qværitvr ergo: Vtrum in locutione angelica requiratur aliquid medium, vt aliquis nutus spiritualis? Videtur, quod sic per illud. 1. Cor. 13. *Si linguis*, &c. Gloss. *Quibus angeli præpositi significant minoribus, quod de Dei voluntate primi sentiunt, quod fit aliquibus nutibus, aut signis.* Tunc quæritur de illis nutibus; aut enim cognoscuntur ab angelo, cui alius loquitur, aut non, ergo per illos non venit in cognitionem alterius: cum scil. nescit illum nutum signum esse. Si vero dicatur, quod cognoscit illos: quæritur, aut angelus iste, cui loquitur: cognoscit istos nutus per se, aut per aliud: quæritur similiter de illo alio, & sic in infinitum: oportet

MEMBRVM I.

An in angelis sit synderesis?

ANNVMERATIS ergo differentijs ex parte motiuæ interioris; primo dicendum est de synderesi: quæ est naturale iudicatorium: sicut dicit Basilius, & est scintilla conscientiæ sicut dicit Gregor. Quæritur ergo, vtrum synderesis sit in angelis? Quod videtur: quia synderesis est scintilla conscientiæ, quæ remurmurat malo, & dictando, naturaliter inclinatur in bonū: sed hæ duæ differentiæ conueniunt naturæ angelicæ. Est enim natura angelica inclinatiua ad bonum naturaliter, & fugitiua mali naturaliter.

¶ PRÆTEREA, in dæmonibus est pœna exterior; scilicet ignis, qui non extinguetur: ergo multofortius pœna interior, scilic. vermis conscientiæ, qui non morietur, sed non potest esse vermis, nisi fuerit conscientia in natura angelica: ergo conscientia inerit angelo & scintilla conscientiæ, scilicet, synderesis. ¶ PRÆTEREA, synderesis est naturale iudicatorium: naturale autem iudicatorium boni, & mali non deest angelis: ergo synderesis non deest angelis.

¶ CONTRA: Nulla vis ociosa debet esse in subiecto, in quo est; quin aliquando eliciat actum: sed remurmurare malo, est actus vnus synderesis; & est ad reuocandum à peccato, sed in angelo non est reuocatio à peccato: quia in bono angelo non est illud: cum semper sit in bono, & nunquam ceciderit in illud: in malo autem angelo nō est; quia nunquam reuocatur à peccato: cum peccatum eius sit irremissibile: ergo iste actus non potest inesse: ergo vis, à qua egreditur talis actus, esset ociosa: sed illa est synderesis: ergo non habet synderesim.

¶ PRÆTEREA, synderesis est scintilla conscientiæ, & (sicut dicit Gregor.) signatur per faciem aquilæ, quæ erat eminentior inter facies animalium, sed hæ facies animalium non conueniunt angelo, sed homini: non enim est distinctio vitium, vel potentiarum in angelo, quibus aptentur facies animalium: ergo synderesis non conuenit angelo, homini. ¶ ITEM, synderesis est scintilla conscientiæ; & est iudicatorium quoddam ad resurgendum à peccato, sed angelus non resurgit à peccato, ergo non habet synderesim.

¶ PRÆTEREA, synderesis est scintilla conscientiæ. Si ergo conscientia remouetur ab angelo: ergo synderesis. Quod autem conscientia remoueatur: videtur per hoc, quod eius differentiæ remouentur, sed eius differentiæ sunt conscientia recta, & erronea illæsa, & cauteriata; tranquilla & perturbata: hæc autem non conueniunt angelis: quare nec synderesis.

RESOLVTIO.

Tametsi in angelis non inueniatur synderesis, prout ipsa & proæresis vnius coordinationis sunt: nihilominus inuenitur in eis, vt naturale iudicatorium est.

¶ AD quod dicendum, quod licet synderesis sub ratione quadam non inueniatur in angelis, scilicet prout synderesis & proæresis sunt vnius coordinationis: nihilominus naturale iudicatorium inest angelo.

¶ AD illud, quod obijcitur; dicendum est, quod non est hæc vis ociosa: licet enim non habeat omnem actum in angelo, quem habere potest; vel habet in homine: non propter hoc est ociosa. Vnde licet remurmurare malo iam existenti, vt pœniteat, non insit angelo: nihilominus angelus habuit ante lapsum naturale iudicatorium boni, & mali, ne caderet, sed non adhæsit illi malus angelus, sed suæ liberati, id est, flexibilitati in malum. Hoc autem naturale iudicatorium licet non habeat effectum in dæmonibus, qui ceciderunt, vt resurgant: habet tamen effectum, quia cedit eis in pœnam.

¶ AD secundo obiectum dicendum, quod licet synderesis, vt tenet rationem faciei aquilæ, non sit in angelo: nihilominus tamen vis naturalis iudicatorij inestilli.

¶ AD tertium dicendum, quod licet non habeat hanc vim, vt adiutorium ad resurgendum à peccato, vel ad pœnitendum: habet tamen eam angelus bonus vt indigentem intra ad bonum, malus vero habet eam, vt affligentem, eo quod non stetit in bono, cum stare potuit.

¶ AD quartum dicēdum, quod licet differentiæ conscientiæ non conueniant angelo secundum omnem modum: nihilominus tamen naturale iudicatorium est in eo, sed extinctum est bonum in malis angelis, multo magis quam in animabus damnatis, vel æquè.

MEMBRVM II.

An in angelis sit, vel fuerit voluntas naturalis?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum voluntas naturalis sit in angelis, vel fuerit? Quod videtur. Omnia enim naturaliter optant bonum; & rationalia, & irrationalia: multo ergo fortius angeli optauerunt naturaliter bonum, sed ista optatio non est nisi secundum voluntatem naturalem: ergo voluntas naturalis infuit eis, & inest. 1. Ethi. c. 1.

¶ PRÆTEREA, Damascen. *Voluntas est appetitus rationalis, & vitalis, ex solis dependens naturalibus:* sed hæc voluntas inest angelis; secundum quod rationale communiter accipitur: ergo voluntas naturalis inest, vel infuit angelis. Damasc.

¶ ITEM, Anselm. *Angelis insertus est naturaliter appetitus beatitudinis:* sed iste appetitus erat voluntas naturalis: ergo voluntas naturalis inest, vel infuit ipsis. ¶ ITEM, Dionys. in Lib. de Diuin. Nominib. *quod sunt, & quod viuunt: & intelligunt; est in ipsis quidam desiderij motus.* ¶ ITEM, quod sunt, ex bono sunt, & boni sunt, & bonum & pulchrum desiderant esse, & viuere & intelligere existentiam desiderantes. Anselm. Dionys. in lib. de diuin. nomi. c. 4. par. 4. paulo post medium verbis aliquantisper mutatis in translatione noua.

¶ CONTRA, voluntate naturali diligitur Deus: sed ista naturalis voluntas, si exit in actum, aut exit in bonis angelis, aut in malis. In bonis non videtur: quia veniente perfectione, euacuatur quod est imperfectum: sicut dicit Apostolus. Sed motus naturæ imperfectus est respectu motus gratuiti: ergo adueniente perfectione motus gratuiti, euacuatur motus naturalis, sed perfectio motus naturalis est gloria: ergo cum angeli boni sint in gloria, non mouentur motu naturali, sed motu gratuito in Deum. Motus enim naturalis est, quando diligitur Deus à creatura propter ipsam creaturam. In angelis autem malis non est iste motus: quia habent odio Deum. Vnde Augustin. *Quod dixi, nullius conscientia potest Deum odisse: non videtur fuisse dicendum: multi enim sunt, de quibus scriptum est: Superbia eorum, qui te oderunt: ascendit semper.* Sed quid est aliud conscientia, nisi voluntas, prout hic sumitur? ergo voluntas in dæmonibus habet odio Deum: ergo in illis non erit hæc potentia in actum dilectionis naturalis: ergo hæc potentia est ociosa: non ergo est voluntas naturalis in angelis. Apostol. 1. Cor. 13. Aug. lib. 1. Retracta. tio. c. 19. circa fin. Tom. 1. Psal. 73.

RESOLVTIO.

Ex attestatione B. Dionysii, & aliorum sanctorum Patrum, ita confiteamur: voluntatem scilicet naturalem, & esse, & fuisse in angelis.

¶ AD quod dicendum, quod est voluntas naturalis in angelis, & fuit: sicut dicit Dionys. & alij Sancti. ¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium: Dicendum, quod est voluntas naturalis in bonis: nec est contrarium, quod euacuata est in eis imperfectio. Imperfectio enim illa est ex parte naturæ, quod natura, quæ prius diligebat Deum, reflectendo in se per gratiam, & gloriam eleuatur super se, & diligit ipsum super omnia propter se. De hoc autem plenius infra requiretur; vbi agetur de Dilectione Naturali in angelis. Quæst. immediatè sequenti.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de malis angelis. Dicendum, quod in eis est voluntas naturalis, & licet odio habeant Deus: non tamen naturali voluntate, sed electiua corrupta. Conscientia autem ibi non accipitur pro voluntate naturali, cum dicitur [*nullius conscientia Deum odisse potest*] sed pro ratione, vel intellectu corrupto per prauam electionem.

QVÆSTIO XXIX.

De libero arbitrio angelorum.

In duo Membra, & in duos Articulos diuisa.

D. Thom. 1.par.q.59. per 4.art. S.Bon.in 2.d.7.art. 1.2. & 3. & d.24 & 25. per totum ferè. Scot.in 2. d.23 & in 3.d 39.& in Quodlib.q.16.

DEINDE procedendum est ad liberum arbitrium: De quo primo est quæstio ratione liberi arbitrij in se. Deinde gratia rationis. Tertio est quæstio de potentia irascibilis,& concupiscibilis.

¶ VNDE primo membro quæritur de libero arbitrio, vt est facultas voluntatis,& rationis. Circa quod occurrunt septem Articuli.

MEMBRVM I.

PRIMO quæritur, vtrum liberum arbitrium sit in angelo? Secundo, quid sit. Tertio, vtrum æquè sit in angelo, & homine: vel non similiter in Deo, & in angelo. Quarto, vtrum similis vertibilitas fuerit, vel sit in angelo, & in homine. Quintò, si libertas arbitrij sit in angelo per voluntatem. Sexto, vtrum vertibilitas liberi arbitrij in homine,& in angelo; prout & boni,& mali; sit ex eodē principio, vel ex differentibus. Septimo, vtrum versio liberi arbitrij in bonis angelis fuerit in primo instanti, in quo data fuit vertibilitas ipsi angelo.

ARTICVLVS I.

An in angelis liberum arbitrium sit?

Recitatur in 2.Sen. d.24.

QVOD non sit liberum arbitrium in angelo, obijcitur per rationem liberi arbitrij, quam ponit Augustin. Liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis; qua bonum eligitur gratia assistente; & malum gratia desistente. Sed nec in bonis angelis, nec in malis est liberum arbitrium sdm hanc rationem: in bonis enim non est quantum ad illam partem, qua malum eligitur gratia desistente: in malis vero non est quantum ad illam partem, qua bonum eligitur, gratia assistente: ergo nec conuenit bonis, nec malis: ergo liberum arbitrium non est in angelis.

¶ ITEM, Quod naturale est in aliquo, ipso manente, non potest tolli: sed liberum arbitrium, prout importat flexibilitatem ad bonum,& malum; potuit tolli: nec enim neutri parti conuenit: ergo liberum arbitrium non est naturale in angelis, sed si esset in eis, esset naturale: ergo non est in eis.

¶ ITEM, non posse peccare, conuenit diuinæ essentiæ, & potest participari à creatura intellectuali: sed nulli potius conuenit communicare, quam creaturæ nobiliori in natura,& hæc est angelus: ergo communicabit angelo: sed liberum arbitrium, prout est flexibile ad bonum, & malum, opponitur illi: ergo non erit liberum arbitrium in angelis.

¶ CONTRA. Damascen. *Omne, quod creatum est, vertibile est, vel secundum esse, vel secundum electionem*: sed angelus non est vertibilis secundum esse: cum sit immobilis: ergo vertibilis est secundum electionem: vertibilitas autem secundum electionem pertinet ad liberum arbitrium: ergo liberum arbitrium est in angelis. ¶ ITEM, penes liberum arbitrium est meritum, vel demeritum: sed meritum, vel demeritum est in angelis: ergo liberum arbitrium est in angelis. ¶ ITEM, Aug. *Vt dilectio haberet iustam, & congruam laudem voluntatis, tribuit angelis libertatem, vt esset possibile, siue ad eum, qui supra eos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere: siue ad se declinare*: Ex quo accipitur, quod liberum arbitrium est in angelis.

Aug. de fide ad Petrum.

¶ ITEM, Damascen. describens angelum, dicit: est natura intellectualis arbitrio libera, vertibilis secundum voluntatem: omne enim creabile est vertibile;& omne rationale est arbitrio liberum.

¶ ITEM, Augu$t. *Sciuit Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, & de malis benefacere, quam mala esse non sinere: & sic ordinauit angelorum,& hominum vitam: vt in capriis ostenderet, quid possit liberum arbitrium, & deinde quid posset gratiæ beneficium.* Ex his ergo colligitur, quod liberum arbitrium est in angelis.

Augu$t de correctione & gratia.

RESOLVTIO.

Cum angeli vertibiles sint secundum electionem; mereri, demererique possint, liberum arbitrium naturaliter iis inesse, liberè fatendum est.

¶ AD quod dicendum, quod liberum arbitrium naturaliter est in angelis. ¶ AD obiectum in contrarium dicendum est, quod illa diffinitio supradicta liberi arbitrij propriè est liberi arbitrij, prout est in homine, in quo remanet electio boni p gratiam,& mali per se. Si vero sumatur communiter ad liberum arbitrium in angelo: secundum hoc conueniet angelo ratione primarij status: tunc enim potuit eligi bonum, gratia assistente,& malum, gratia desistente. Hic autem sciendum, quod liberum arbitrium potest dici liberum à coactione: vel potest dici liberum à miseria. Secundum primum modum dicitur esse liberum arbitrium in angelis, tam bonis, quam malis; & primo statu,& consequenti. Secundum vero modum secundum non dicitur communiter in bonis,& malis: sed in bonis tantum.

¶ AD secundo obiectum dicendum, quod liberum arbitrium à coactione commune est,& naturale ipsis angelis: & hoc modo non tollitur ab eis, sed prout liberum arbitrium dicit flexibilitatem in affectu de bono in malum, vel econuerso, non est commune. Sed pro, dicit flexibilitatem in bonum & malum naturaliter: sic est commune: vt hoc est, quod dicit Damasc. vt creabilis vero vertibilis est, habens facultatem manendi,& proficiendi in bono.

¶ AD tertium vero dicendum, quod non posse peccare, non est de natura creaturæ intellectualis: sed quod participetur à creatura, hoc est ex gratia. Non negatur ergo, quin communicet Deus creaturæ hanc libertatem, sed hæc libertas non est creaturæ intellectualis, inquantum est ex nihilo. Nec in hoc liberum arbitrium, inquantum est in angelo, similitudinem dicitur habere liberi arbitrij diuini, sed in hoc, quod non cogitur ad bonum. Vnde Anselm. *sic liberum arbitrium erat, vt nulla alia re cogi posset ad rectè agendum, vel ad pecandum, & ideo iuste reprehenditur, cum peccat: quia cum hanc haberet arbitrij sui libertatem, non aliquo cogente, non aliqua necessitate, sed sponte peccauit.*

Ansel. Li. de Casu diaboli. c.4.

ARTICVLVS II.

Quid sit liberum arbitrium in angelis?

AD secundum, quo quæritur: Quid sit liberum arbitrium secundum quod conuenit angelo. Et ponitur in Lib. Sen. talis diffinitio. *Liberum arbitrium est facultas voluntatis,& rationis*: sed ratio non conuenit angelo: in hoc enim distinguitur hoc modo ab angelo: vnde & eius differētia est naturale: ergo liberum arbitrium, prout sic diffinitur, non est in angelo.

In lib. sen. dist. 24.

¶ EODEM modo potest obijci secundum hoc, quod dicit Bernard. *Liberum arbitrium dicitur liber sui propter voluntatem: iudex sui propter rationem.* Si ergo istæ duæ differentiæ conueniunt angelo, non erit hæc ratio liberi arbitrij, prout est in angelo. ¶ ITEM, Bernard. *Voluntas habet, quocunque se vertit, rationem semper comitem, & quasi pedissequam: non quod semper ex ratione, sed nunquam absque ratione moueatur: ita vt multa faciat per ipsam contra ipsam*: sed hoc non conuenit angelo; quia in angelo non sunt contrarij appetitus: ergo illa ratio, quam ponit Beatus Bernard. non erit diffinitio liberi arbitrij, prout conuenit angelo. ¶ ITEM, Anselm. ponit rationem. *Liberum arbitrium est potestas seruandi rectitudinem propter ipsam rectitudinem*: Hæc iterum diffinitio liberi arbitrij non conuenit libero arbitrio, prout est in angelis, conueniret enim bonis & malis: sed mali non habent hanc rectitudinem, & illud, quod non habetur, non potest conseruari: ergo potestas conseruandi rectitudinem, non est in angelo: ergo non est hæc diffinitio liberi arbitrij in angelis.

Bern. in li. de libero arbitrio.

Bernard.

Anselmus. Lib. de lib. arb. c.13.

RESOLVTIO.

Vox illa [rationis] in diffinitione liberi arbitrij hominis apposita, si extendatur, eadem profecto erit diffinitio liberi arbitrij in Angelo, quæ in homine. scilicet, Liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis: qua &c.

¶ AD quod dicendum, quod prima diffinitio propriè videtur conuenire lib. arbitrio; prout est in homine: nihilominus tamen si nomen rationis extendatur ad intellectũ, qui est in angelis; posset conuenire. Quod autem extendatur nomen rationis ad intellectum angelicum, patet per hoc, quod dicit Ioan. Damasc. *Oportet scire quod angeli rationales entes arbitrio liberi sunt; & vt creabiles, & vertibiles.* Et iterum: *Aut non erit rationale: aut rationale ens; Dominus actuum erit, & liberi arbitrij: vnde irrationalia non sunt libera arbitrio: aguntur enim à natura magis quã agant.* Ex quo accipitur, quod ratio, siue rationale, commune est homini, & angelo in sacra scriptura. ¶ PER hæc potest patere, qualiter respondendum est ad hoc, quod dicit Bernar. in vtraq; authoritate: accipitur enim ibi [*ratio*] communiter, prout in angelo, & homine. Vnde post in eod. Lib. ostenditur, illam diffinitionem angelo conuenire, quæ est. *Liberum arbitriũ est voluntarius consensus.* Et iterum: *Deus est actor salutis. liberum arbitrium capax.* Vnde si angelus est capax salutis; habet liberum arbitrium secundum prædictam rationem: vnde subiungit Bernard. *Libertas à necessitate in angelo est, & in homine.*

Damasc.

Bern. ib.

¶ AD hoc vero, quod obijcitur, quod in angelo non facit liberum arbitrium multa per rationem contra rationẽ: quia non sunt contrarij appetitus simul in angelo. Dicendũ quod sumpta [*ratione*] large, hoc accidit in dæmonib. dæmones n. multa faciunt per rationem, id est, intellectũ contra rationem rectam, & sunt ibi quo ad hoc contrarij appetitus: prout appetitus naturæ cõtrariatur appetitui peccati: sed non sunt ibi contrarij appetitus bonus, & malus secundum idem genus:* vel vt bonus sit secundum phantasiam; alius secundum intellectum: sicut contingit in quo est duplex motiuum: de quo infra dicetur.

Alias, videlicet vt vnus.

¶ AD illud, quod obijcitur de diffinitione Ansel. Dicendum est, quod illa diffinitio conuenit (sicut ipse dicit) lib. arb. prout est in angelis: est n. ibi potestas seruandi rectitudinem, &c.

Quæst. 74 memb. 6.

¶ AD illud vero, quod obijcitur, quod illa ratio non cõuenit dæmonib. Dicendũ est, quod est quædam potestas, quæ est ex parte eius, quæ potest seruare. Alia vero ex parte rei seruandæ: sicut potestas videndi dicitur, cum res visibilis præsens est: dicitur etiã potestas videndi, cum non est præsens. Si ergo fiat sermo de potestate naturali ex parte rationis, est potestas seruandi in dæmonibus, & si non seruetur rectitudo: non tñ est potentia ordinata ad seruandum, ratione impossibilitatis ex parte rei seruandæ. Vnde si aliquid esset inuisibile ab oculo, & si esset integritas visus, diceretur quod non esset possibilitas videndi rem illam. Vno ergo modo dicitur potestas in dæmonibus: alio modo non.

ARTICVLVS III.

An liberum arb. sit æquè in angelo, & in homine?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum liberum arbitrium æquè sit in angelo, & homine. Quod autem sit æquè in vtroque, sic ostenditur. Libertas in intellectuali creatura attenditur ex eo, quod est intellectuale ex nihilo, & à Deo, sed esse rem intellectualem de nihilo, & à Deo; æquè principaliter inest animæ, & angelo, quia neutri inest per alterum, sed immediatè vtriq;: ergo & ratio libertatis æque inest homini, & angelo. ¶ ITEM, ratio libertatis sumitur penes imaginis rationem: vt dicit Bern. distinguens inter libertatem consilij, & complaciti, & libertatem arbitrij. Dicit n. quod libertas consilij, & libertas complaciti attenditur penes rationem similitudinis Dei: libertas vero arbitrij penes rationem imaginis, cum ergo tam angelus, quam anima æquè gerant Dei imaginem: quia sc. neutrum mediante altero: ergo æqualiter habent libertatem. ¶ ITEM, libertas fũdatur in volũtate intellectualis naturæ, sed habere volũtatem, vel esse voluntariam naturã, & non cogibilem, æquè conuenit angelo, & animæ: ergo similiter libertas. Loquitur autem hic de libertate à coactione.

Bernard.

¶ CONTRA. Videtur, quod maior sit libertas in angelo; quia essentiam sequitur potentia, & nobiliorem essentiam nobilior potentia, & minus nobilem essentiam minus nobilis potentia: ergo cum angelus nobilioris sit essentiæ; quam anima, nobiliorem habet potentiam quam anima, sed potentiam sequitur libertas: ergo nobilior est libertas in angelo, quam in homine. ¶ ITEM, sicut dicitur. 2. Sen. Dist. 3. quatuor sunt attributa angelo, sc. simplex essentia, personalis discretio, perspicacitas intelligentiæ, libertas arbitrij: & ista se habent per ordinem: ita vt in quo est magis de primo, magis sit de alijs, in quo ergo est maior simplicitas essentiæ, est maior perspicacitas intelligentiæ, & maior libertas arbitrij, sed inter angelos adinuicem sic est, quod vnus alium excellit in simplicitate essentiæ: ergo & in perspicacitate intelligentiæ, & libertate arbitrij. Hoc etiam dicit planè Magister eadem Dist. c. 2. cum ergo plus excellat angelus animam in simplicitate essentiæ, quam vnus angelus alium: ergo multo magis excellit angelus animam in libertate arbitrij. ¶ ITEM, libertas est in Deo, angelo, & homine ratione voluntatis: quæ tamen voluntas sequitur intellectum. Vnde sicut in illis est excellentia penes intellectum, sic videtur esse penes libertatẽ voluntatis, quæ sc. sequitur intellectum, sed primum intelligit per vnum solũ, quod est idem cum ipso, angelus intelligit solum per comparationem ad superius, sc. ad Deum, quia non recipit mediante phantasmate à rebus inferioribus, sicut intellectus humanus: ergo plus elongatur: ergo maior est libertas in angelo, quam in anima. ¶ ITEM, libertas est voluntatis facultas, & rationis: sed maior est facultas, siue facilitas in angelo ad exeundam in actum, quam in homine, quod patet, quia angelus quam cito est, potest velle, vel diligere, sed homo non sic: vt patet in paruulo, qui habet impedimentum carnem, & expectat tempus, vt habeat vsum rationis: ergo & libertas maior est in angelo, quam in homine. ¶ QVOD si conceditur:

Magist. in 2. dist. 3. & est sententia Hugonis de S. Vict. in 1 Lib. de Sacra. par. 5. c. 8.

Idem Magist. ibid. c. 2.

¶ CONTRA libertas arbitrij videtur dici, eo, quod vertibilis sit voluntas quo vult: sed homo plus vertibilis est, quam angelus: quia homo potest verti à bono in malũ: & inde rursus in bonum: non sic angelus: imo solum semel vertitur vel in bonum, vel in malum sine regressũ ad alterum: plus ergo homo est vertibilis: ergo & plus liber: propter hoc conceditur, quod liberior est homo, quã dæmon; quia sc. homo potest egredi post casum, dæmon autem nõ. ¶ ITEM, (sicut supra dictum est) libertas sequitur rationẽ imaginis, sed ratio imaginis magis propriè videtur esse in homine, quam in angelo: cum in vtroque sit: quod patet, ex eo quod in Canone sacræ scripturæ legitur, quod homo sit ad imaginem: non sic autem legitur de angelo: ergo secundum hoc magis erit libertas, vel saltem magis propriè in homine, quam in angelo.

Hac eadẽ quæst. in opponendo.

Genes. 1.

RESOLVTIO.

Quo ad libertatem à coactione æquè liberum arbitrium in angelo & in homine est. Quo vero ad libertatem à peccato, & à miseria, magis in angelo, quam in homine est.

¶ SOLVTIO, Prænotandum est, quod triplex est libertas. Prima est libertas à coactione, siue à necessitate. Secunda est libertas à peccato, de qua: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Tertia est libertas à miseria, de qua: *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* De hac triplici libertate habetur. 2. Lib. *Est namque libertas triplex.* Dicimus ergo, quod secunda libertas, & tertia nõ æquè in homine & in angelo: sed maxima est in angelo bono: minor in homine bono: minima in homine malo: nulla in dæmone. Sed prima libertas, quæ est à coactione est æquè in homine, & angelo: tam bono quam malo. Vnde Bernard. *Libertas à necessitate, nec peccato, nec miseria amittitur: nec per oppositum augetur: nec plenior est in homine, quam in angelo.* Et subiungit: *Hac prærogatiua conditor rationalem creaturam insigniuit: vt sicut sui iuris, suæq; voluntatis, non coactionis erat, quod bonus est: ita & sui iuris existeret: vt non nisi vellet, bona vel mala faceret.* Ex his patet, quod sicut non cogitur angelus, vt benè vel malè faciat: ita nec homo, & ideo hæc libertas æqualiter est hinc,

2 Cor. 3.
Ioan. 8.
Rom. 8.

Mag. 2. li. sent. dist. 25. cap. Est namque

Bern in libro de libero arb.

& inde. Qualiter autem hoc sit infra patebit. Concedimus autem tres positas rationes ad hoc additas.

Elice ex duob. immediate sequentib. & ex quæstio 74. memb. 7. & 8.

¶ Ad primum obiectum in contrarium, scil. de nobilitate essentiæ; dicimus quod nobilitas essentiæ non facit ad esse ipsius libertatis: nobilitas enim naturæ in est creaturæ intellectuali conditæ absolutè: libertas autem est quædam dignitas, descendens à Deo in rationalem creaturā per conuenientiam ad ipsum primum. Vnde libertas non sequitur naturam creatam, eo quod est creata: sed in relatione ad primum secundum conuenientiam, & ideo non sequitur: si maior est nobilitas: ergo maior libertas: bene concedunt tamen, quod habilior diceretur voluntas in simpliciori essentia, quam in minus nobili, & simplici, nec sequitur: si est habilior voluntas: ergo liberius arb.

¶ Et si videatur sequi, sicut probabat sequens ratio: quia libertas & facultas, &c. Ad hoc ergo soluendum sciendum, quod duplex est facultas in rationali creatura. Vna, quæ sequitur voluntatem, in quantum est voluntas; prout contingit dicere, quod voluntas liberè vult, quod vult: nec ab aliquo potest impediri: & hæc facultas æqualis est in omni rationali creatura, siue intellectuali: quia omnes æquè sunt sine coactione: sicut patuit per autoritatē Bernard. Est alia facultas non sequens ipsam voluntatem, prout voluntas est; sed ipsam naturā, quæ subiecta est illi; secundum quod contingit dicere, ꝙ simplicior est, facilior, & habilior ad suum actū, & illa, quæ minus simplex est, minus facilis. Secūdum hoc verum est, quod maior est facilitas in angelo, quam in homine; secundum quod simplicior est eius natura, & subtilior, & ideo minus potens impediri ab ingressu in suum actum. Secundum hanc viam procedebant omnes rationes adductæ, quod maior est libertas in angelo, quam in homine: quia omnes sumuntur penes ea, quæ respiciunt ipsam naturam subiectam voluntati. Prima enim sumitur penes nobilitatem essentiæ, siue potentiæ angeli: secunda penes simplicitatem essentiæ: tertia, & quarta penes perspicacitatem intelligentiæ, hæc autem omnia sequuntur naturam subiectam voluntati, non ipsam voluntatem. Similiter facultas, de qua vltimo obijcitur: est facultas talis, quæ sequitur ipsam naturā subiectam. Cum vero dicitur, libertas arbitrij est facultas, &c. sumitur facultas pro facilitate, quæ sequitur ipsam voluntatem, inquantum voluntas est: ab hac enim facultate dicitur lib. arb. (si non dicatur, quod vtramq; facultatem sequitur) illa tamē, quæ est naturæ subiectæ voluntati, secundum quod huiusmodi, non est, à qua dicitur liberum arbitrium.

¶ Ad ea, quæ obijciunt: quod maior est libertas in homine. Ad primum dicendum, quod non valet: quia procedit de libertate, quæ est à seruitute peccati, & non à coactione: bene enim sequitur; homo cum cecidit in malum, potuit resurgere ad bonum, & non angelus: ergo quo ad hoc liberior est homo, vel minus seruus: sed non sequitur, ergo minus potest cogi. De hac autem libertate, quæ est à peccato, diximus, quod non est æquè in homine, & in angelo. Vnde Bernard. *Diuinæ similitudinis summum gradum tenent angeli boni: nos infimum: Adam medium: dæmon nullum.* Et nota, quod dicit [*similitudinis*] non dicit, [*imaginis*] quia similitudo magis attenditur penes gratuita, & ideo nulla est in dæmonibus imago magis penes naturalia, & ideo saltem in aliquo gratu remanet in dæmonibus.

Bernard.

¶ Si autem ad hoc obijcitur, quod homo in pluribus vertibilis est, quam angelus: quia angelus solum semel vertitur; ergo homo est liberior. Dicendum quod nō sequitur: quia ex alia ratione est vertibilitas, & ex alia ratione libertas: quia libertas est dignitas existens in intellectuali per conuenientiam ad primum: vertibilitas autem sequitur ipsam naturam creaturæ rationalis secundum se. Vnde non sequitur, quod maior libertas, sed * quia maior mutabilitas, & hoc est verum.

* Alias, quod.

¶ Ad illud, quod obijcitur secundo: quod libertas sequitur rationem imaginis. Dicendum, quod licet in Canone scripturæ inueniatur de homine, quod sit ad imaginem, & non de angelo expresse, nihilominus inuenitur ibi secundum Beatum Gregorium implicitè in ratione signaculi similitudinis. Ezechiel. 28. & imago vno modo æquè est in homine, & angelo: prout alio modo attenditur penes memoriam siue mentem, & intelligentiam, & voluntatem, illo modo consequitur libertas rationem imaginis.

ARTICVLVS IV.

An consimilis vertibilitas fuerit, vel sit in angelo; & in homine?

Ad quartum, quo quæritur: Vtrum similis vertibilitas sit, vel fuit in homine, & in angelo? In angelo enim est vnica vertibilitas, vel in bonum, vel in malum: nec est regressus: in homine vero est multiplex vertibilitas: quia est regressus à bono in malum, & econuerso. Hæc autem non debetur animæ ratione alicuius potentiæ suæ; cum eædem sint, & communes angelis, & hominibus.

¶ Si dicatur, quod hoc est propter vnionem cum corpore: quia multiplex est, & variabile, & vertibile: Hoc nihil videtur, quia vertibilitas corporis, est in non esse, siue in corruptionem: hæc autem nullam videtur habere habitudinem ad illam, quæ est in ignorantiam, vel in culpam.

RESOLVTIO.

Non vtique consimilis vertibilitas est hominis & angeli. Nam angelus vertitur semel tantum à gratia ad culpam: homo vero bis, & à gratia ad culpam, & iterum à culpa ad gratiam: idq; ratione corporis aggrauantis: Ex quo fit, vt ipse veniam reperire mereatur, potius quam ille. Tametsi in patria, vbi amplius corpus non aggrauabit, alia ratio erit.

¶ Solutio. Dicimus, quod huiusmodi vertibilitatem duplicem, & possibilitatem ad resurgendum à culpa ad gratiam, & econuerso, habet anima propter vnionem cum corpore corruptibili. *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam*: vt dicitur Sapien. 19. Et dicitur corpus corruptibile non tantum secundum statum, in quo nunc est necesse corrumpi, sed secundum statum primum, in quo possibile fuit corrumpi: & ideo propter huiusmodi aggrauationem, excusationem habet, cum peccat. Vnde pronior est Deus ad indulgendum, secundum quod ipse dicit: *Non permanebit spiritus meus*, id est, indignatio mea vsque in æternum in homine, quia caro est, id est fragilis est ex natura corporis. Angelus autem non habet huiusmodi vnionem, nec vnibilitatem, & ideo non sic excusabilis est, cum peccat: nec refugit post casum. Vnde angelus dicitur: *Spiritus vadens, & non rediens*: anima autem spiritus vadens & rediens. Ponamus tamen, quod anima vnita esset cum corpore incorruptibili, sicut erit in patria; tunc propter corpus non haberet huiusmodi duplicem vertibilitatem: quia non aggrauatur ex eo.

Sap. 19.

Genes. 6.

Psal. 77.

¶ Per prædicta patet responsio ad illud, quod quærebatur; quæ sit habitudo huiusmodi incorruptibilitatis corporis ad illam vertibilitatem animæ: quia hæc est ratio. Vnde Gregorius: *Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccauerunt; quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis fragilitas non aggrauabat. Homo vero post culpam veniam meruit: quia per carnale corpus aliquid, quo semetipso maior esset, accepit.*

Gregor. in moralib.

ARTICVLVS V.

An libertas, qua angelus cogi non potest; insit ei per se, & secundum se: vel per medium alterius tanquam causæ?

Ad quintum, quo quæritur: Vtrum huiusmodi libertas, qua cogi non potest, insit angelo secundum se, & per se, non mediante aliquo tanquam causa: aut insit mediante aliquo tanquam causa, scilicet causans illam proprietatem in intellectuali natura?

¶ Si dicatur, inest intellectuali naturæ per seipsam. Tunc obijcitur, quod abstracta potentia intellectuali, & abstracta inclinatione ad volendum, adhuc esset in ea libertas: quia adhuc remaneret ipsa substantia intellectualis. Hoc autem videtur impossibile: scilicet quod remaneat libertas; vbi non est voluntas, siue inclinatio voluntatis.

* * *

RESO-

RESOLVTIO.

Libertas, qua angelus cogi non potest, non seipsa eidem inest, sed mediante voluntate, ideo enim liber angelus est, quia quod vult, velle potest.

¶ RESTAT ergo, quod inest ei libertas per medium, sc. mediante voluntate. Ideo enim liber est quia potest facere, quod vult: aut quia potest velle quod vult.

¶ Ex hoc autem sequitur inconueniens: quia non æqua est libertas in Deo, & in alijs intellectualibus naturis: quod est contra Bern. Quod autem inde sequatur, patet, hoc .n. posse, s. velle, quod vult, in Deo est per sufficientiam, & independentiam: quia cum dico: Deus potest velle, quod vult: omnia illa tria, sci. posse, & velle, & quod vult, in Deo sunt idem, quod ipse: in alijs autem sunt non per sufficientiam, sed per aliquam dependentiam ab extrinseco. Cum enim dico, angelus potest velle, quod vult: & si ly *posse*, & ly *velle* in angelo sunt, tamen ly, *quod vult*, non est in angelo, sed extra ipsum. Vnde patet, quod hoc totum, sc. posse velle, & quod vult, non est per sufficientiam omnimodam in angelo. Similiter nec in homine: quod eodem modo potest ostendi. Si ergo in Deo est per omnimodam sufficientiam: ergo magis est in Deo posse velle, quod vult: ergo non æquè est libertas in Deo, & in alijs. Ideo respon. dicimus, quod per prius & posterius dicta libertas est in Deo, & in cæteris: & hoc solum probat ratio nunc dicta, voluntas enim Dei sibi sufficit ad exeundum in esse in quodcunq; vult, & præest alijs voluntatibus: voluntates verò angeli & hominis subiectæ sunt voluntati eius: nec etiam sibi sufficiunt ad quodcunque volitum, vtpote respectu boni gratuiti: imo oportet, quod Deus adiuuet eos per gratiam. Vnde quo ad hoc prius est huiusmodi libertas in Deo, per posterius in alijs: non tamen ideo sequitur, quod non æquè: quia prius & posterius non remouent æqualitatem huiusmodi, de qua loquimur, quia tam Deus, quam homo, quam angelus liberi sunt à coactione æqualiter, scil. quo ad hoc, quod nullus eorum cogitur.

ARTICVLVS VI.

An vertibilitas libero arbitrio in homine & in angelo prout boni & mali est, ex eodem principio, vel ex differentibus sit?

AD sextum, quo quæritur, Vtrum libertas arbitrij in homine, & in angelo sunt ex eodem principio, aut ex differentibus. Et videtur, quod non ex eodem principio: quia posse in bonum, habet, quia est à Deo: posse autem in malum, inquantum est malum, non habet ex eodem: quia Deus non est principium mali: ergo ex alio. Et dicitur quod ex nihilo, sicut dicit Augustin. Sed ex hoc videtur sequi, quod posse in bonum, & posse in malum sunt ex duobus principiis, & vtrunque à libertate est: ergo libertas à duobus principijs.

RESOLVTIO.

Nec ex eodem principio, nec ex differentibus, sed posse in bonum est quidem ex principio: posse verò in malum ex defectu. Vel posse in bonum, ex Deo est per conformitatem: posse in malum ex eodem, sed non per conformitatem.

¶ RESPONDETVR, quod non sequitur ex duobus principijs: sed sequitur, quod vnum, s. posse in bonum, est ex vno, & reliquum, scil. posse in malum, est non ex principio (propriè loquendo) sed est ex defectu: quia huiusmodi posse est potius non posse, quam posse. Vnde dicit Ansel. in Li. de libero arbitrio. Cap. 1. Potestas peccandi, quæ addita voluntati minuit eius libertatem, & si dematur, auget: nec libertas est, nec pars libertatis. Item idem in eodem. Potestas peccandi non ad potentiam pertinet: sed potius ad impotentiam.

Vel potest dici, quod vtrunque est à Deo: vtrunque enim est posse, sed vnum est per conformitatem, alterum non.




ARTICVLVS VII.

An in eodem instanti, ex quo Angeli extitere, & in bonum, & in malum vertibiles fuere?

AD septimum, quo quæritur. Cum vertibilis fuit angelus naturaliter secundum libertatem in bonum, & in malum, & quidam etiam verterunt se in bonum, & quidam in malum, vtrum in eodem instanti potuerunt esse hæc duo in angelo, s. vertibilitas, & versio. Et hoc est quærere, Vtrum quam cito esset angelus, verteretur in bonum vel in malum in instanti, in quo primo fuit? ¶ Si dicatur, quod non potuit in eodem instanti, sit ergo instans, in quo primo fuit. *A*: instans verò, in quo primò vertit se. *B*. tunc obijcitur. Inter quælibet duo instantia est tempus medium: ergo inter *A*. & *B*. sit ergo illud tempus: *C*. & non fuit in. *C*. ociosus, quia intellectus angeli non est sicut intellectus pueri, qui ociosus est: ergo intelligebat in. *C*. sed intellectus eius plus ordinabatur ad cognoscendum Deum, quam ad aliud: ergo Deum intelligebat: sed intellectum, necessario sequitur inclinatio ad illud per affectionem: maximè autem quæ summi boni: ergo afficiebatur in Deo: ergo iam merebatur: & sic vertebatur in bonum, ergo non primò in *B*. sed in *C*. Similiter potest quæri de instanti ipsius *C*. in quo prius vertebatur in *B*. Angelus: & sic semper contingit deducere, vsq; quo veniamus ad idem instans, in quo primo fuit. Restat ergo, quod in eodem instanti fuit in eo vertibilitas, & versio vnius. ¶ ITEM, August. dicit quod quatuor sunt coæua, scil. cœlum, tempus, motus, materia prima. Si ergo cœlum, & motus eius sunt coæquæua, ergo quam cito fuit cœlum, incipit moueri: Sed multo simplicior est iste actus [velle] in intelligentia angelica, quam motus in cœlo: ergo multo magis in eodem instanti primo fuit angelus, & motus eius secundum voluntatem. ¶ ITEM, dicit Augustin. quod creatio & distinctio rerum simul fuit, secundum id Eccles. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*: vnde computatio ista dierum Gen. 1. secundum August. non accipitur ad litteram: sed secundum quod res sunt in intelligentia, siue cognitione angelica per ordinem suarum nobilitatum: ergo secundum hoc simul creatio cœli, & diuisio lucis à tenebris. Sed ista diuisio (vt idem Aug. exponit) nihil aliud est, quam diuisio confirmatorum angelorum à cadentibus: per cœlum autem intelligitur angelica natura informis: ergo simul creati sunt, & confirmati sunt, & ceciderunt alij. Eccles. 18.

¶ ITEM, *Ille homicida erat ab initio*: non potest exponi ab initio, vnde peccare fecit hominem: quia etiam ante peccauit superbiendo: ergo intelligitur ab initio sui esse. Ioan. 8.

¶ CONTRA. Si ex quo fuit, fuit malus: ergo creatus est malus, quod est inconueniens. ¶ ITEM, obijcitur de bonis. Ad vertendum se in bonum, aut sufficit natura: & tunc omnes vertissent se in bonū: cum omnes cōmunicassent in natura, aut superaddita est eis gratia in creatione, & si sic, qua ratione addita est quibusdam, eadem ratione omnibus alioquin iniustitia videretur: cum adhuc nullus eorum meruisset, vel demeruisset, & in alijs pares essent: ergo quocunque modo ponatur si in eodem instanti vertissent se, quo primo fuerunt: omnes eodem modo vertissent se vel in bonum, vel in malum. Restat ergo, quod non simul, nec in eodem instanti.

RESOLVTIO.

Angeli in alio instanti cœperunt esse, in alio se verterunt. Vnde & supponenda est morula quadam intermedia, in qua mouerentur motu naturali tantum, tum secundum affectum, tum secundum intellectum, nec tamen mererentur, nec demererentur.

¶ QVOD concedimus, dicentes: quod nec mali semper fuerunt mali: nec boni bonitate confirmata, quam postea consecuti sunt. Dicimus ergo, quod in alio instanti inceperunt esse, & in alio se verterunt. Nec oportet inter duo illa esse tempus medium vel durationem. Vnde dicimus, quod illa propositio; Inter quælibet duo instantia, &c. intelligitur de instantibus, quæ sunt in tempore, prout

est mensura continuorum, & non tenet hic, imo possunt esse duo instantia quasi * contigua siue intermedio. Si tamen supponatur, quod fuerit aliqua morula, siue distantia intermedia: & quæritur quid in ista egerit angelus, potest dici quod tunc mouebatur per intellectum, & non mouebatur per affectum motu, s. penes quem determinatur, scil. bonitas actualis, vel conuersio. Non esset tamen inconueniens dicere, quod moueretur per affectum motu naturali non gratuito: per quem motum non merebatur, nec demerebatur.

* Alias, continua.

Idem decernunt D. Th. 1. p. 63. ar. 5 & 6 & D. Bo. in 2 dist. 5 par. 2. ar. 1. q. 2. vide adhuc Sc. in 2. d. 4. & 5.

¶ AD illud Io. 8. *ab initio*. Respondetur. i. e. post initium: quia valde parum stetit: & hoc notat hæc præpositio [*ab*] nec dicitur, in initio.

¶ AD illud de cœlo & motu eius. Dicimus quod nec in cœlo, nec in angelo, nec in aliqua creatura contingit illud, quod in eodem instanti, in quo primo est, habeat actum aliquem. In omni enim alio à primo prius est potentia, quam actus, non solum natura, sed etiam duratione, quamuis in quibusdam simul sit potentia, & essentia, secundum quod dicitur, in perpetuis non differt esse & posse. Vnde non est verum, quod in primo instanti, in quo fuit cœlum, fuit eius motus, sed verum est, quod in illo instanti incepit eius motus. Hoc autem, quod dico [*incepit*] licet dicat id, quod dicit per modum actus: non tamen dicit actum, sed inclinationem quandam proximè ad motum, quę quasi media est inter potentiam cœli, & eius motum.

3. Phy. tex. con. 32.

¶ QVOD autem dicitur ab Aug. motus coæuus cœlo: ideo dicitur, non quia in eodem instãti, quo primo fuit cœlum, incepit eius motus, sed cum incepit, nondum erat, quia id incipere non dicit motum.

¶ AD aliud, quod objicit distinctione lucis, & tenebrarum: Dicendum, quod licet computatur in vno die cum factura lucis, & factura lucis secundum August. fit simul cum creatione: imo fuit posterior, sicut si vno die aliquid prius fieret, & aliud posterius. Non enim peccatum angeli, quo facta est tenebra, nec diuisio tenebrarum à luce, quę spectat ad diuisionem beatorum à malis: fuit cum creatione in eodem instanti.

¶ SED ad hoc objicitur, quod simul fuit cum creatione. Nam constat, quod in angelo simul est essentia cum sua potentia, & est talis potentia, quæ non est impedita ab actu suo, nec recipit impedimentum, ergo & actus eius simul est cum sua potentia, & vlterius cum sua essentia: æquè autem, vel magis libera est motiua, quam cognitiua, vt videtur: ergo simul fuit actus cognitiuæ cum potentia & essentia: ergo simul fuit actus motiuæ, scil. conuersio & auersio: ergo simul fuit conuersio, vel auersio cum essentia in angelo.

¶ CONTRA, duplex est mutatio, prima est ab esse in esse: alia ab esse tali in esse tale, & hæc dicitur versio: sed prior est mutatio ante esse in esse, quam ab vno esse in aliud esse: siue ab altero in alterum: ergo prius est creatio, quam versio.

¶ ITEM, inconueniens esset dicere in animabus ipsis, statim cum sunt, esse malas: nisi ex coniunctione ad corpus traherent malitiam originalem: cum ergo angelus ex nullo trahat originem: nec etiam ex ipso Deo: quia ipse tantum boni principium est, ergo inconueniens est dicere, ipsum angelum, cum primo est, statim esse malum: ergo eadem ratione inconueniens est dicere, ipsum statim bonum esse, bonitate (dico) illi malitiæ opposita. ¶ ITEM, de malis spiritualiter ostenditur, quod non statim fuerunt mali. Dicit enim Aug. & est in Lib. Sententiarum: quod Deus in angelis simul condidit naturam, & largitus est gratiam illis, qui modo sunt boni; ergo eadem ratione illis, qui modo sunt mali: quia eodem modo erant capaces secundum naturam: summa autem bonitas communicat se recipienti secundũ *motum recipientis: ergo statim fuit gratia in malis in principio creationis: sed non secum compatitur gratia malitiam ergo non statim fuit in eis malitia. ¶ Solutio concedimus vt supra, quod non simul in ipso instanti, in quo fuerunt angeli, fuerunt mali.

Aug. & Mag. lib. 1. dist. 4.

*Alias, modum.

¶ AD illud autem, quod objicitur in contrarium patuit iam solutio. Dicimus enim quod in nulla creatura simul est actus in eodem instanti cum potentia, nec cum essentia: simul (dico) nec natura, nec duratione. Vnde nec in cognitiua, nec in motiua angeli simul est actus cum potentia: simul (dico) in eodem instanti: exitus enim de potentia in actum vel etiam qui ab ocio in actum, simul est ibi, quia potentia angeli non habebat impedimentum: tamen est postquam res est, & hoc est ex ratione creaturæ, quę non patitur, quod simul sit omnino. i. in eodem instanti. Nisi fortè dicatur, simul, pro repente: vel simul, idest statim post: sicut dicitur, quod radius visualis ab oculo emissus simul pertransit remotiorem cum propinquiore parte aëris, vel spacij (loquamur secundum opinionem, quæ ponit, quod videmus extramittentes) non enim pertransiuit in eodem instanti: sed simul, idest repente: hoc est in tempore imperceptibili. Ita posset hic dici, quod angeli, ex quo primò fuerunt statim, vel parum post versi sunt: alij in bonum: alij in malum. Adhærendum est enim sententiæ Mag. sententiarum: qui dicit, quod fuit ibi morula: & hoc dicit hæc dictio, repentè. ¶ AD illud, quod dicit Aug. similiter condens naturam, & largiens gratiam. Responsum est supra.

Elice ex dictis paulo superius eadem quæstio. & ex q. 29. Memb 2.

MEMBRVM II.

An in Angelis sit superior, & inferior portio rationis?

AD membrum secundum, quo quęritur de duabus portionibus rationis, s. superiori, & inferiori, vtrum sint in angelis. Et videtur, quod sic. Si enim ratio est in angelis (sicut supra habitum est, per hoc quod dicit Beatus Bernh. & Ioha. Dam.) partes autem siue portiones rationis sunt duę, quarum vna superioribus inspiciendis & consulendis inhæreseit (sicut dicit Aug.) altera verò intendit gubernationi inferiorum. Cum autem in angelis est considerare duplicem respectum, scil. ad Deum, qui supra est, & ad inferiora, quæ subsunt: ergo vtraque portio rationis debet esse in angelis.

Memb. 1. art. 2. huius superq̃. stionis. Bern. & Dam.

Aug. de Trin li. 12. cap. 3.

¶ PRÆTEREA, super illud, 1. Cor. 11. *Vir non debet velare caput suum, quia imago est*, dicit Aug. quod superior pars rationis non est cohibenda, vt se ab æternis abstineat: Inferior verò, quæ * deriuatur ad actionem temporalium cohibenda est. Cum ergo in primo angelo, si continuisset se ab inferioribus, & totaliter adhæsisset summo bono, non fuisset peccatum: patet, quod vtranque rationem considerandi habuit primus angelus, ergo vtranque partem rationis habuit: secundum quod ratio motiua est ad superna, vel inferiora.

*Alias, decuruatur.

¶ CONTRA. Hæ differentiæ (sicut dicit Aug.) sic distinguuntur, vt vna pertineat ad virum: altera ad mulierem: sed differentia viri & mulieris verè & proportionaliter non inueniuntur in angelo, ergo nec istæ differentię, seu partes rationis. ¶ Præterea, dicit Aug. quod serpens suggerit inferiori parti rationis, s. sensualitas cum suo motu mouetur: sed motus sensualitatis non est in angelo, nec esse potest: ergo suggestio talis, secundum quam inferior pars rationis, quæ est ad modum mulieris, possit moueri, non est in angelis, non ergo prædictæ differentiæ sunt in angelis. ¶ Præterea, dicit Aug. quod secundum vtramque differentiam est peccatum, sed in angelo non est duplex differentia, secundum quam potest esse peccatum: sed vnica tantum, ergo sunt hæ differentiæ in angelo.

RESOLVTIO.

Cum in angelo non sit ratio media inter Deum, & corpus, vel sensualitatem regendam, iuxta quã potissimè sumuntur portio superior, & portio inferior rationis: neutiquam in illo esse poterunt.

¶ AD quod dicendum; quod hæ differentiæ, secundum quod distinguuntur ab Aug. propriè sunt hominis: cuius ratio medium est inter Deum, & corpus proprium, siue sensualitatem regendam, & quia in angelo non est ratio media inter illa duo (ratio enim in angelis separata est à corpore proprio sibi vnito & assumpto) ideo non habet duplicem respectum.

Aug. in lib de Trin.

¶ AD illud verò, quod objicitur in contrarium dicendum, quod licet ratio, siue vis motiua in angelo habeat naturaliter duplicem respectum, sc. ad superiora, & ad inferiora: non tamen habet hanc duplicem differentiam: non enim habet respectum ad corpus sibi vnitum: quemadmodum

dum subiectum suæ formæ, aut perfectioni, * aut ad sensualitatem. Ex hac autem comparatione ad inferius sumitur vna differentia rationis in homine non ex comparatione ad quodcunque inferius: & ideo non est ibi duplex rationis portio, aut differentia: non enim ex quacunque gubernatione inferiorum accipitur duplex portio rationis: sed ex gubernatione sensualitatis, * & corporis eius perfectione.

*Alias, propriæ sensualitati.

*Alias quæ corporis est perfectio.

¶ Ad secundum verò dicendum, quod licet ex vtraque parte mouendo indebitè potuit peccare angelus: non tamen erat hæc duplex differentia: quarum vna viro comparatur: altera mulieri: non enim est delectatio sensualis: vt ex qua moueatur ratio in angelis: sed delectatio in re mutabili potest esse in angelo: penes autem illam non attenditur prædicta differentia. Vnde nisi poneretur duplex motiuum in angelo, quorum vtrunque posset conuerti ad bonum commutabile, & auerti ab immutabili bono, non poneretur hæc duplex rationis differentia. Aliquando enim inferior pars rationis peccat sine superiori: aliquando autem ipsa superior pars rationis peccat, consentiendo inferiori: & tunc dicitur mulier dedisse cibum viro.

Quæstio incidentalis.

¶ Svper quo incidit quæstio. Vtrum in angelo possit esse duplex motiuum, per modum intellectus, & per modum phantasiæ? Quod videtur per hoc, quod dicit Dion. quod phantasia proterua est in dæmonibus: hæc autem non esset, nisi aliquando moueretur secundum phantasiam: ergo phantasia potest esse in angelis tanquam motiuum. Præterea dicit Philosophus: quod intellectus semper est rectus phantasia autem recta, & non recta: ergo cum possibilitas ad rectitudinem, & suum oppositum fiant à principio in angelis, videtur in angelis potius motiuum ad modũ phantasiæ, quam intellectus: nunc autem in bonis per modum intellectus: in malis per modum phantasiæ.

Dion. c. 4. de diuin. nom pa. 4. paulo post medium. Philos.

¶ Contra, phantasia est secundum sensibilem partem: sensibilis autem pars non est in angelis: ergo nec phantasia. Quod ex ratione phantasiæ arguitur: est enim motus, à sensu secundum actum factus: sed in angelis non est iste motus: ergo nec phantasia.

¶ Ad quod dicendum est: quod phantasia dicitur dupliciter. Vno modo sumitur pro motiuo ex parte sensibilis & sic non est in angelis. Alio modo sumitur pro motu rationis, vel intellectus: inquantum decipitur circa apparens bonum, siue vt nunc: & hoc modo potest esse phantasia in angelis malis, sicut dicit Diony. ¶ Per hæc patet, qualiter soluitur primo obiectum.

¶ Ad secundum verò dicendum: quod intellectus dicitur semper rectus: quia intellectus ille, de quo loquitur: mouetur in bonum simpliciter: ex parte autem boni simpliciter non contingit accipere errorem. Nihilominus contingit intellectum, prout est pars motiua animæ, siue practica, esse non rectum: quia aliquando sequitur phantasiam: phantasia autem licet dicatur recta, & non recta, non competebat angelo in primo statu: quia est partis sensibilis: sed conueniebat intellectus, prout de se vertibilis est & ad bonum simpliciter, & ad bonum vt nunc. Vnde in bonis angelis vertebatur ad bonum simpliciter, in malis ad bonum apparens: & ideo hi ceciderunt, illi verò in bono steterunt.

MEMBRVM III.

An in angelis sit potentia irascibilis, & concupiscibilis?

AD tertium membrum, quo quæritur de irascibili & concupiscibili, vtrum sint in angelis?

¶ Quod videtur: per concupiscibilem est appetitus: per irascibilem est fuga mali: sed in angelo naturaliter est appetitus, & fuga mali: ergo in angelis sunt hæ duæ vires. ¶ Item angeli nostram salutem diligunt: dilectio autem est secundum concupiscibilem: ergo angeli habent concupiscibilẽ. Et iterum. *Descendit ad nos diabolus, habens iram magnam:* sed ira est secundum irascibilem: ergo habet irascibilem. ¶ Item, angeli boni habent gaudium, & angeli mali habent timorem seruilem: sed gaudium est in vi concupiscibili: metus, vel timor est in irascibili: ergo angeli naturaliter habuerunt istas vires, irascibilem, sc. & concupiscibilem.

Apoc. 12.

¶ Item, dicitur ab Augustin. quod hæc est trinitas, secundum quam anima assimilatur Deo, s. in rationabilitate, concupiscibilitate, & irascibilitate. Si ergo assimilatio perfecta naturaliter est in angelo, habet ille rationabilitatem, concupiscibilitatem, & irascibilitatem. Quod videtur per differentiam, quam assignat, per concupiscibilem appetit, per irascibilem contemnit, per rationem inter vtrunq; discernit: sed appetere, contemnere, dijudicare sunt in angelis: ergo & potentiæ, secundum quas insunt.

Aug. in li. de anima & spiritu.

¶ Præterea, Glos. super illud. Exod. 26. *Appendes ante quatuor columnas, quatuor columnæ, ante quas appensum est velum, sunt potestates cœli, quatuor virtutibus eximiis prædita, idest fortitudine, temperantia, prudentia, iustitia, quæ aliter seruantur in cœlis ab angelis, & animabus sanctis:* & aliter hic. Similiter Interlinearis. *Angelicos spiritus, qui quatuor virtutes colunt plenariè:* sed virtutes non insunt eis, nisi secundum potentias, quas habent naturaliter: prudentia autem inest secundum rationalem, fortitudo secundum irascibilem, temperantia secundum concupiscibilem, iustitia verò vel circuit omnes: vel est in rationabili, secundum quod intellectualis creatura ordinatur ad alterum, ergo angelis naturaliter insunt hæ vires. ¶ Item distinguuntur hæ tres virtutes, fides, spes, charitas: vt fides sit respectu veri, spes respectu ardui, charitas respectu boni: secundum rationalem fides, secundum concupiscibilem charitas, secundum irascibilem spes. Cum ergo cognitio æternorum, & concupiscentia habendi & dilectio poterit conuenire angelis, erunt tres vires in angelis, secundum quas hæc insunt. ¶ Item, angelus naturaliter mouebatur in bonum & verum, & arduum: sed motus est naturaliter secundum vires motiuas: ergo habuit naturaliter vires motiuas respondentes: sed hæ sunt tres vires prædictæ.

Glos. ord. sup Exod. 26.

Glos. ibid.

¶ Contra, lætitia est secundum concupiscibilem: ira est secundum irascibilem: sed ista non insunt naturaliter angelo, ergo nec potentiæ his respondentes. ¶ Quod autem lætitia non insit, habetur per hoc quod Damas. diuidit lætitiam in animalem, & corporalem: sed nec animalis, nec corporalis inest angelo naturaliter: ergo nec concupiscibilis potentia, quæ est illius propria.

¶ Similiter tristitia, quæ ei opponitur, cuius partes sunt accidia, achos, inuidia, misericordia: istæ enim sunt compassiones, vel passiones, sed passiones, vel compassiones non insunt naturaliter angelis, &c. ¶ Similiter ostenditur de ira, ira enim est furor eius, qui circa cor est, sanguinis ex euaporatione: sed iste furor naturaliter non inest angelis: ergo nec irascibilis: cuius propria passio, vel actus dicitur ira.

Ἄχος, mœror animi, acerbitas: dolor propriè obstupefaciens, hominique suimet sensum adimens. Vnde, & Achates (teste Seruio) sollicitudo Principũ comes.

¶ Præterea, dicitur ibidem: cum concupiscimus quid & prohibemur ab aliquo, irascimur aduersus eum, vt iniusta passi, mente sc. iudicante dignum angustia: sed hoc non est naturaliter in angelis: ergo nec ira. ¶ Item, ira est appetitus pœnæ propter apparentem examinationem: sed apparens examinatio non est in angelis naturaliter: ergo nec ira.

¶ Item Aug. in Lib. de Ciu. Dei dicit, quod sunt quatuor perturbationes, lætitia, gaudium, metus, & spes. Hæ a. pturbationes nõ insunt naturaliter angelis, & sunt, ppriè illarum virium: ergo nec istæ vires. ¶ Item, dicitur Beda. Fortitudo est in perferendis molestijs, temperantia in cohercendis delectabilibus: prudentia in præcauendis insidijs sed hæc non insunt naturaliter angelis, ergo nec fortitudo, nec temperantia, nec prudentia. Sed hæ sunt perfectiones potentiarum prædictarum: ergo rationabilis, irascibilis, concupiscibilis, non insunt naturaliter angelis. ¶ Præterea, victoria tentationum conuenit propriè irascibili. Concupiscibilis autem (sicut dicit Chrysost.) principium est indigentia: ergo cum tentationes non sint in angelis, nec victoria tentationum inest, ergo nec irascibilis, cuius est hæc, proprium. Similiter indigentia non fuit naturaliter in angelis secundum proprium statum: ergo nec concupiscentia, quæ consequitur indigentiam.

Aug. in lib de Ciuit. Dei.

RESOLVTIO.

Concupiscibilis, & irascibilis facultas in Angelis quidem sunt, prout, scil. actu: huius est fuga mali, illius autem appetitus boni. Minimè vero prout indigentias, & pœnalitates inferunt.

¶ AD quod dicendum, quod concupiscibilis, prout actus eius est appetitus boni, & irascibilis, prout actus eius est fuga mali (secundum quod dicitur ab Augustin.) quod per concupiscibilitatem & irascibilitatem est habilitas affectionis ad appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum) sunt naturaliter in angelis, secundum naturam primitus institutam. Sed concupiscentia, prout procedit ex indigentia, pœna, non fuit in angelis secundum statum innocentiæ.

Aug. in li. de anima & spiritu.

¶ AD illud, quod obijcitur primò dicendum, quod lætitia animalis dicitur dupliciter: vel ipsius animæ in se, & secundum quod habet potentias non dependentes à corpore, & sic dicitur lætitia in angelis: quia illa est, quę diuiditur ex opposito contra corporalem. Alio modo dicitur animalis ipsius animæ, prout consideratur in coniunctione ad corpus: prout est alicuius potentiæ, cuius actus dependet à corpore: & sic non est lætitia malis in angelis.

¶ SIMILITER illud, quod obijcitur de tristitia. Dicendum, quod licet primæ duæ differentiæ non sint in angelis, scil. acedia & achos: nihilominus aliæ duæ, sc. misericordia, & inuidia possunt esse in angelis: vt misericordia in bonis, & inuidia in malis: sed non secundum naturam primitus institutam, sed secundum naturam corruptam.

¶ ET quod obijcitur: quod passio, vel compassio non est in angelis naturaliter. Dicendum, quod hoc est verum, secundum quod compassio sonat in pœnam: tamen secundũ quod dicitur passio à pathin græcè, quod est informare: dicuntur in eis esse passiones.

Πάσχω. patior, perfero tolero. Vnde & Πάθος, passio, molestia: quare aliunde petenda videtur isthæc deductio.

¶ AD hoc, quod obijcitur: quod ira feruor est eius, qui circa cor est, sanguinis. Dicendum, quod hæc est diffinitio iræ, secundum qđ est in homine tantum, & non in angelo.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod cum concupiscimus quid, & prohibemur, irascimur tanquam iniusta passi &c. Dicendum, quod ira secundum hanc rationem non est in angelis secundum naturam primitus institutam: potest tamen esse in angelis malis secundum naturam corruptam.

¶ Et eodem modo respondendum est ad illud, Ira est pœnæ, &c.

¶ AD illud, quod dicit Aug. quod quatuor sunt perturbationes &c. Respondendum, quod facienda est vis in hoc quod dicit, perturbationes: quia secundum ꝙ sunt perturbationes, non sunt in angelis secundum naturam, primitus institutam: licet sint in dæmonibus, secundum naturam corruptam in eis: secundum tamen quod passio dicitur (vt supra) à pathin græcè, quod est informare, potest esse passio lætitiæ in angelis secundum primum statum naturæ.

¶ AD aliud dicendum, quod licet prudentia, & temperantia, & fortitudo non sint in angelis, vtpote quantum ad actus supra dictos: sunt tamen in eis quantum ad aliquos actus nobiliores: secundum quos etiam actus remanebunt huiusmodi virtutes in animabus glorificatis, sicut dicit August.

¶ AD vltimum dicendum, quod licet non sit irascibilis in angelis, quantum ad hunc actum sc. vincere tentationes: tamen est in eis quantum ad alios actus.

QVÆSTIO XXX.

De naturali dilectione angelorum.

In tria Membra, & in tres Articulos diuisa.

D. Th. 1. p. q. 60. per 5. ar. S. Bon. in 2. d. 3. ar. 4. & 5.

COMPLETIS differentijs, quæ pertinent ad vim motiuam interiorem, sequitur dicere de actu virtutis motiuæ naturalis: & deinde de actu virtutis electiuæ per liberum arbitrium. Actus autem virtutis naturalis est dilectio naturalis. Actus virtutis electiuæ per liberum arbitrium est dilectio, ex electione rationali procedens.

¶ Quæritur ergo primo de dilectione naturali, vtrum fuit in angelis in primo statu. Secundò, vtrum sit modo in bonis angelis. Tertiò, vtrum sit dilectio naturalis in malis angelis.

MEMBRVM I.

De dilectione naturali Angelorum in statu innocentiæ?

PRIMO membro, quo quæritur de dilectione naturali in statu innocentiæ, concurrunt tres articuli. Primò quæritur de numero diligendorum, si sit ibi numerus, vel non, & quis? Secundò quæritur, si dilectio naturalis in angelis sit ordinata: & quis sit ordo diligendorum. Tertio articulo quæritur de ratione naturalis dilectionis in angelo. Et si sit differentia inter dilectionem naturalem angeli, & mercenarium.

ARTICVLVS I.

An plura sint diligibilia ab Angelis dilectione naturali: & quot illa numero?

CIRCA primum sic. Scriptum est in mente angeli, sicut in mente hominis de dilectione Dei, & proximi: ergo plura sunt diligibilia.

¶ PRÆTEREA, ex cognitione naturali cognoscit angelus creatorem à quo conditus est, & creaturam, quæ condita est ad similitudinem Dei, sicut ipse: cognitionem verò sequitur dilectio: & cognitionem naturalem dilectio naturalis: ergo plura sunt diligibilia. ¶ Quo supposito, quæritur de numero, videtur .n. qđ quatuor sint diligibilia: sicut .n. homo ex charitate diligit supra se, & in se, & iuxta se, & infra se: ita dilectio naturalis hominis ad illa quatuor extenditur: sed angelus habuit bonum diligendum supra se, & in se, & iuxta se, & infra se. (Creaturæ enim cum essent infra angelum, & essent bonæ, diligendæ erant) ergo quatuor erant diligenda dilectione naturali ab angelo.

¶ CONTRA. Dilectio naturalis ordinatur ad charitatem: charitas enim est complementum naturæ: sed ex charitate non habuit angelus diligendum infra se: ergo nec ex dilectione naturali aliquid erat diligibile infra angelum. Quæstio incidentalis.

¶ ADHVC etiam quæritur: si homo erat diligibile infra angelum, erat enim inferior creatura ad minus ratione corruptibilis naturæ: vtrum ratione illius esset homo diligendus, tanquam bonum inferius angelo? Quod si sic esset, tunc homo diligeretur dilectione naturali ab angelo, & tanquam bonum par, & tanquam bonum inferius: & ita esset in duplici ratione dilectionis.

¶ QVOD non videtur, quia angelus se ipsum non diligit dilectione naturali, nisi in * vnita ratione, & cum plus diligat se, quam hominem: ergo naturali dilectione non diligit hominem, nisi vnica dilectione: sed illa aut erit eius per modum paris, aut per modum inferioris: per modum inferioris non videtur, quia dilectione naturali diligitur, vt vtile diligenti: sed homo, secundum quod est inferior, non est vtilis angelo: ergo illa ratione non diligitur dilectione naturali ab angelo: ergo tantum per modum paris: quia ratio naturę intellectualis est vbique communis. *Alias, vnica.

RESOLVTIO.

Plura diligibilia sunt ab Angelo dilectione naturali, scil. Deus, coangeli, homines (tum secundum animam tum secundum corpus) & demum vniuersam creaturam: diuersimodè tamen.

¶ AD quod dicendum: quod plura fuerunt diligibilia dilectione naturali ab angelo. Si verò quæratur, quis sit numerus. Dicendum est, quod dilectio naturalis potest accipi multipliciter: aut enim dicitur dilectio naturalis quicquid per se iuuit naturam, vt esset, vel iuuat, vt permaneat: & hac ratione diligitur tantum Deus dilectione naturali ab angelo: nihil enim aliud est necessarium ad esse angeli, præter illud, quod est de esse: non enim indiget vnus alio, vt sit, vel vt permaneat in esse. Alio modo potest dilectio naturalis respicere omne conueniens natura, siue consimile, vel conforme in natura, & hoc modo est dilectio naturalis non tantum creatoris, vel gubernatoris, sed alterius angeli, qui

est * si-

*Alias, similis.

est* simul in natura angelica, vel etiam hominis, qui est consimilis in natura intellectuali creata. Tertio modo potest dici dilectio naturalis respectu illius boni, quod ordinatum est ad participandum completum delectabile: quod est gloria: & secundum hunc modum charitas, siue gratia est perfectio naturæ: secundum hunc modum est diligibile ab angelo, non tamen anima hominis, sed etiam corpus humanum, quod potest participare dotes: vnde anima in secunda stola perficietur: & angelus ex hoc quandam consequitur dilectionem. Quarto modo dicitur dilectio naturalis, respectu omnis boni, inquantum est bonum: & sic extendit se ad omnem creaturam, & ad creatorem. ¶ Per hæc potest patere, qualiter respondendum est ad primò obiectum. Si enim accipiatur dilectio hoc vltimo modo, extendit se non tantum ad superius, vel proprium bonum, vel quod est iuxta: sed ad bonum inferius. Si verò accipiatur modo tertio, non extendit se ad omnem creaturam corporalem: cum non omnis pertineat ad participationem gloriæ. Si verò accipiatur secundo modo: diligitur corpus humanum ab angelo dilectione naturali. Si verò accipiatur primo modo, extenditur tantum ad dilectionem creatoris, & gubernatoris.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur per simile de homine. Dicendum, quod non est omnino simile: homo enim vna dilectione naturali diligit corpus suum: secundum quod dicitur. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit*: & hoc modo non habuit angelus dilectionem naturalem ad aliquod corpus: licet enim assumat corpus æthereum: tamen non est ibi illa dilectio naturalis: non enim ex illo corpore, & angelo fit res vnius naturæ. Alio verò modo diligenda sunt quatuot ex dilectione naturali, prout natura habet inclinationem quandam ad vltimam perfectionem: sed non sic habet angelus, quin etiam perficiatur sua perfectione essentiali: & si homo non accipiat secundam stolam. (Ephes. 5.)

¶ Ad tertium verò dicendum, quod licet angelus se diligat vna naturali dilectione, hominem verò duplici: non ideo magis diligit hominem, quam [illegible] sed ratione plurium; quorum, vnum est par, alterum inferius.

ARTICVLVS II.

An naturalis dilectio ordinata, vel inordinata sit?

Articulo secundo quæritur de ordine. Et primo si dilectio naturalis sit ordinata, aut inordinata. Secundo supposito, quod sit ordinata, quæritur, quis sit ordo diligendorum.

¶ Ad primum sic. Dilectio naturalis totaliter est ordinata: sed dilectio totaliter ordinata est charitas, vel ex charitate: ergo dilectio naturalis est charitas, vel ex charitate: quod falsum est, cum sint diuersorum generum gratuita dilectio & naturalis. Si verò est inordinata: sed dilectio inordinata est peccatum: ergo dilectio naturalis est peccatum. ¶ Præterea ostenditur, quod dilectio naturalis est inordinata: quia in primo statu tenebatur angelus diligere Deum super omnia: & ita plus quam se: sed non dilexit plus quam se: imo propter se: ergo fuit inordinata, siue contraria ordini, ad quem tenebatur. ¶ Prçterea triplex distinguitur *velle*. *Velle mihi adiacet &c.* scil. *velle* virtutis, vel gratiæ: *velle* naturæ: velle vitij. Sed velle gratiæ est ordinatum: *velle* vitij est inordinatum: *velle* autem naturæ medium est quodam modo: ergo nec dicetur ordinatum, nec inordinatum: sed adueniente gratia, vel virtute ordinatum est: virtus enim est ordo amoris: adueniente verò vitio inordinatum. (Rom. 7.)

RESOLVTIO.

Et ordinata, & inordinata: Ordinata suo modo: inordinata quia non pertingens ex se ad summum ordinem.

¶ Ad quod dicendum, quod dilectio naturalis est ordinata secundum suum modum: sed non peruenit ad summum ordinem ex se: Nec dicitur inordinata .i. directè contraria ordini gratiæ, vel virtutis, vt inordinatum sonet in contrarietatem respectu dilectionis gratuitæ (simul enim stare possunt quia non est contradictio) sed inordinatum posset dici .i. non ad summum ordinem pertingens ex se: & sic diceret abnegationem perfectionis in ordine.

¶ Ad obiectum autem primò dicendum: quod cum dicitur dilectio ordinata est charitas: intelligitur de dilectione, totaliter, & perfectè ordinata. Dilectio autem naturalis, & si sit ordinata, non tamen totaliter & perfectè: licet perfectè in suo genere.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet in primo statu teneretur diligere Deum super omnia: licet etiam supposito quod non haberet gratiam gratum facientem, & non dilexerit Deum super omnia: non propter hoc fuit ordinata .i. ordini summo contraria: quia si data fuisset charitas, posset diligere & diligeret super omnia: sed inordinata poterat dici .i. nondum habens illud, vnde sufficienter & plenè sic ordinaretur ad diligendum.

¶ Ad tertium dicendum: quod velle naturæ quodam modo est medium, & quodammodo non est medium inter velle gratiæ, & vicij: quo ad hoc est medium, quia potest simul stare cum vtroque (vnde dilectio naturalis potest simul stare cum gratuita, & cum libidinosa: licet illæ non possint simul esse respectu eiusdem rei) non autem est media quo ad hoc, vt nec dicatur ordinata, nec inordinata: immo ordinata est, & quo ad hoc plus tenet se ex parte dilectionis gratuitæ.

¶ Sed adhuc obijcitur occasione prædictorum: si dilectio naturalis quodammodo medium est inter dilectionem gratuitam, & libidinosam: medium autem solet habere conuenientiam cum vtroque extremorum, habebit dilectio naturalis conuenientiam aliquam cum vtraque dilectione: quæritur ergo in quo? Sed videtur, quod non habeat rationem medij: quia medium inter bonum & malum debet esse indifferens: sed dilectio naturalis non est indifferens bono & malo, sed cadit in genere boni: ergo dilectio naturalis non est media inter gratuitam, & libidinosam. (Instantia.)

¶ Ad primum dicendum: quod dilectio gratuita diligit summum bonum ponendo finem in illo: libidinosa diligit creaturam, siue mutabile bonum ponendo finem in causa: vnde diligit mutabile bonum propter se: dilectio verò naturalis diligit summum bonum, sed propter se .i. propter diligentem: vnde ratio dilectionis constituitur in creatura ipsa intellectuali, vel rationali. Habet ergo dilectio naturalis in hoc conuenientiam cum gratuita: quia diligit summum bonum: sed in hoc differt: quod ratio ponitur in * se diligente, & ita in creatura, cum dilectione autem vitiosa habet conuenientiam: quia refert ad creaturam suum diligibile. Sed in hoc differt, quod dilectio naturalis non ponit creaturam finem, sed vitiosa ponit. (*Alias, re.)

¶ Ad aliud dicendum, quod licet sit media inter gratuitam & vitiosam: non tamen est media inter bonum & malum: nisi restringatur bonum ad bonum gratuitum: vnde est tale medium, quod tamen plus tenet se in ratione generis cum dilectione gratuita, quam vitiosa.

De ordine diligendorum ab Angelis.

Ad alteram partem huius geminati articuli quæritur de ordine diligendorum, & circa quatuor versatur hæc quæstio sub quatuor paragraphis. ¶ Primò, vtrum angelus diligatur à se naturali dilectione. Secundò, vtrum dilectione naturali magis diligat angelus Deum, quam se, quã econuerso. Tertiò, vtrum alium angelum diligat dilectione naturali sicut se. Quartò, in quo ordine diligatur homo ratione animæ vel corporis. (Quæstio lateralis.)

An angelus diligatur à se naturali dilectione. §. j.

¶ Ad primum sic. Videtur, quod non diligatur à se: dilectio enim est vinculum, siue copula: non est autem vinculum eiusdem ad se, vel copula. ¶ Item dicit Aug. *dilectio vt sic, semper in alterum tendit*: ergo non eiusdem ad se. ¶ Item Amor est donum: donum autem est inter dantem: & recipientem: non est autem idem dans & recipiens à se: ergo non est dilectio sui ad se. ¶ Item, donum est prius dantis & post recipientis: sed non est idem in eodẽ simul sm̃ prius & posterius: ergo cum dilectio sit donum, non erit eiusdẽ à se. (Aug. in lib. de Trin. Oppositũ videtur illi B. Gre. Homil. 17. in Euang. circa initiũ quod n. mo ad seipsum charitatẽ habere dicitur.)

¶ Contra, dilectio sequitur cognitionem: sed idem potest cognosci bonum à se, ergo potest diligi à se. ¶ Item, naturaliter vnumquodque animal quærit, quod sibi vtile est, vt cibum: & locum competentem: amor autem, siue dilectio nihil aliud videtur, nisi appetitus eius, quod est

vtile

vtile vel salubre ei, qui diligit: ergo vnumquodque animal propter se diligit aliud: sicut propter se quæritur: & ita propter se primo diligitur.

RESOLVTIO.

Vtique & dilectione amicitiæ: & dilectione concupiscentiæ, & dilectione & complacentiæ: quia se amat, sibi concupiscit, sibique complacet.

¶ RESPONDENDVM: Est dilectio amicitiæ: & est dilectio concupiscentiæ. Dilectio verò concupiscentiæ aut est respectu concupiscibilis aut respectu eius, cui concupiscitur, Dilectio amicitiæ in alterum tendit, similiter & dilectio concupiscentiæ ratione eius, quod concupiscitur: sed non ratione eius, cui concupiscitur: aliquis enim concupiscit aliquid sibi: præter hoc autem est dilectio placentiæ.

An angelus naturali dilectione magis Deum quam se diligat? §. ij.

Quæstio collateral. ¶ AD secundum obijcitur, quod dilectione naturali Deus magis diligat se: dilectione .n. naturali diligitur Deus vt summum bonum: sed summum bonum est super omnia diligendum: ergo dilectione naturali diligitur Deus super omnia: ergo dilectione naturali diligitur Deus inquantum bonus: sed angelus non est summè bonus: ergo non ē summè diligendus: ergo non naturali dilectione plus diligit angelus Deum, quam se.

Deut. 6. ¶ ITEM, Hoc præceptum. *Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde*, est præceptum morale: præceptum autem morale scriptum est in mente: ergo in mente angeli scriptum erat naturaliter. Si ergo exiuit in actum, ex natura diligebat Deum ex toto corde: & ita super omnia. ¶ ITEM, Naturali dilectione diligit aliquis, quod sibi est bonum: ergo magis sibi bonum, magis diligit: ergo maximè sibi bonum maximè diligit: sed Deus est maximè bonum ipsi angelo: ergo angelus maximè dilexit Deum dilectione naturali: ergo plus quam se. ¶ ITEM, Dilectio sequitur ad cognitionem: ergo naturalis dilectio ad naturalem cognitionem: sed naturali cognitione cognoscit Deum esse summum bonum simpliciter, & sibi: ergo naturali dilectione diligit Deum plus, quam se. ¶ ITEM, Delectabile sensibile sensum benè dispositum secundum proportionem suę voluptatis habet afficere, & trahere, ergo spirituale delectabile similiter in suo genere, ergo summè delectabile summè trahit, & delectat, sed angelica natura in primo statu erat benè disposita, & secundum intellectum, & secundum affectum: ergo summè afficiebatur à summè delectabili, s. Deo: ergo diligebatur dilectione naturali plus quam aliqua alia creatura. ¶ ITEM, omnis potentia magis se habet ad id: ad quod principaliter est, quam ad id, ad quod non principaliter est: & hoc est dictante natura. Sed vis concupiscibilis principaliter est ad diligendum Deum propter se, & non est principaliter ad diligendum creaturam: ergo magis habet se ad diligendum Deum ex natura, quam creaturam aliquam: ergo ex natura diligit Deum plus, quam creaturam aliquam.

Ex D. Au. 2 de Trin. c. 5. & 10. de Trin. c. 1. & alibi. Inuisa diligere possumus incognita nequaquā & Nil volitum, nisi præcognitum.

¶ PRÆTEREA, si ex naturali potentia sufficiens est ad diligendum creaturam propter se, ex naturali potentia poterat Deum diligere propter se, & super omnia: & ita naturali dilectione diligitur Deus super omnia propter se.

¶ AD contrarium sic. Naturaliter diligitur Deus ab angelo propter bonum angeli: cum ergo illud, quod propter se diligitur, magis diligatur quam id, quod propter alterum diligitur: ergo angelus naturali dilectione magis diligit se, quam Deum.

¶ ITEM, natura reflectitur in se: Quod apparet in naturalibus: intendit enim se conseruare per actum generatiuę, intendit conseruare indiuiduum per actum nutritiuæ: vnde dilectio naturalis est ad conseruandum se, Quicquid ergo diligitur naturali dilectione propter se diligitur: ergo angelus magis se diligit, quam Deum. ¶ ITEM, Dilectio naturalis est sm̄ concupiscentiam, concupiscētia autem ortum habet ex indigentia: indigentia autem refertur ad indigentem: ergo dilectio naturalis est ad ipsum diligentem: diliget enim quod suam complet indigentiam. ¶ ITEM, diligere, est dilectionem habere in conuenienti: ergo naturaliter diligere, est habere dilectionem in conuenienti naturaliter, & maximè conuenienti: sed maximè conueniens est angelo, quod est de esse angeli: ergo magis diligitur naturaliter ab angelo, quod est de esse eius, quam quod non est: sed Deus non est de esse eius: ergo non maximè diligitur.

RESOLVTIO.

Dilectione naturali peculiari, qua creatura rationalis abundat in diligendo à brutis: sicut & in potentia cognoscendi ab eisdem abundat, quæque concupiscentia dicitur, Angelus nec magis, nec minus, imo nec æquè Deum quam se, vel se quam Deum diligit: cum vnica sit isthæc dilectio: nec aliquo modo inter bonum, quod concupiscitur, & cui concupiscitur, distinguat. Capiendo autem diligere pro adhærere secundum affectum alicui bono inquantum bono: vt sic angelus naturaliter magis Deum, quam se diligere potuit, sicut illum se meliorem agnoscere valuit.

¶ AD obiecta sic potest responderi primo, facta distinctione. Est naturalis dilectio duobus modis. Vno modo secundum conuenientiam ad bruta: secundum quod omne animal diligit, quod conueniens est sibi in esse: & hoc modo sicut brutum non ascendit ad dilectionem Dei, quem non cognoscit naturaliter, licet sit principium sui esse: ita nec natura rationalis, sed omnino sistit in se. Alio verò modo natura rationalis, quia abundat in potentia cognoscendi Deum, & cum hoc habet cognitionem Dei naturaliter insitam, in qua distinguitur à brutis: & hac dilectione diligitur Deus vt maximè conueniens & maximè delectabilis angelo, vel homini secundum animam rationalem. Si ergo quæratur, vtrum Deus magis diligatur ab angelo, quam angelus à seipso? Dicendum, quod prima dilectione, quæ cōuenit cum brutis, non diligitur Deus, sicut nec cognoscitur: Dilectione verò secunda, prout est concupiscentia diligitur Deus naturaliter: Ista autem dilectione non est magis & minus, vel æquè diligere Deum quam se, quia dilectio ista non distinguit inter bonum, quod concupiscitur, & cui cōcupiscitur, tanquam sint duo concupiscibilia, sed est vna dilectio huius, & illius. Vnde assignatur vna regula: quod amore naturali, qui est concupiscentia: diligitur vna dilectione, quod maximè concupiscitur, & cui concupiscitur. Si verò diceretur diligere, adhærere bono per affectum, siue affici circa delectabile bonum, inquantum huiusmodi: quemadmodum est in dilectione, quæ ex deliberatione ꝓcedit, secundum hoc angelus magis vel minus potuit diligere, prout distinguebat, vnum esse altero melius, vel minus bonum, & secundum hoc Deus magis est diligendus ab angelo naturaliter, quam ipse à seipso, & sic dilectio sequitur electionem. Eligere enim est alterum alteri præoptare.

¶ AD primo obiectum dicendum est: quod Deus naturaliter diligitur, vt summum bonum, & summè diligitur. i. summè diligenti sibi concupiscitur: sed ex natura, nisi eleuetur per gratiam, non summè diligitur. i. e. propter ipsum non summè appetitur: & hoc vltimo modo diligitur Deus ex charitate, vel ex ratione: cum ergo naturali dilectione Deus summè concupiscatur, non hoc modo diligit angelus seipsum, nihil enim seipsum concupiscit: sed se diligit tanquam bonum, cui concupiscit, tanquam bonum sibi conueniens. Diligit ergo se maximè, vt rationem, propter quam cōcupiscit: Deum maximè, vt maximè sibi concupiscibile. Et ita differenter dr̄ maximè, & vnica tamen est dilectio, quia ratio diligendi, & dilectum non multiplicat actum dilectionis.

¶ Ad secundum verò obiectum dicendum est, quod licet istud præceptum, s. diligere Deum in toto corde & c. sit scriptum in mente naturaliter: non tamen natura sufficiens est principium ad eliciendum illum actum, sed requiritur gratia gratum faciens: nec exit in hunc actum, nisi prius data gratia. Et est simile: tenetur homo ex libero arbitrio ad diligendum ex charitate: non tamen sufficit liberum arbitrium ad huiusmodi dilectionem, nisi cum habet charitatem.

¶ AD tertium dicendum, quod dilectione naturali diligit angelus Deum, vt maximè bonum sibi, non tamen sequitur, quod ex natura diligat eum, plus quam se hoc modo dilectionis, scil. concupiscentiæ: cum angelus sit ratio

illius

illius dilectionis naturalis: vnde vltima ratiocinatio non valet.

¶ Ad quartum dicendum: quod licet dilectio sequatur cognitionem:& cognoscat Deum esse summum bonum:& ita esse maius bonum, quam sit ipse: non tamen ex natura magis diligit dilectione concupiscentiæ; quia propter se diligit Deum. Sed cognitione naturali, quæ conformatur gratuitæ: bene sequitur illud: ibi enim natura per gratiam eleuatur, vt diligat Deum propter se, tanquam summum bonum.

¶ Ad quintum dicendum: quod licet Deus sit summe delectabile,& summe trahens ad se per dilectionem affectũ bene dispositum: non tamen appetitus angelicus summe trahebatur ex dispositione naturæ:sed si haberet dispositionem gratiæ,aut gloriæ: tunc posset summe trahi secundum suam proportionem: Non ergo est defectus ex parte attrahentis,siue allicientis; sed ex parte eius, quod debet trahi: quia non habebat dispositionem proportionalem, gratiæ scil.vel gloriæ.

¶ Ad sextum dicendum,quod licet potentia naturaliter inclinetur ad diligẽdum plusquam se,vel aliam creaturam: non tamen natura per se sufficiens est ad exitum in actum dilectionis istius, vt diligat plus quam se; sed bene posset diligere ex natura Deum plus quam aliam creaturã. Quod autem exeat ad diligendum plus quam se: hoc est per gratiam,quæ est complementum naturæ:non sic autem est cõplementum, quemadmodum ars est complementũ: quod enim ars potest faciliter, natura potest cum difficultate implere.Non sic autem est de gratia:quod enim gratia potest, hoc natura non potest;nisi adiuta per gratiam.

¶ Ad vltimum vero dicendum est: quod licet natura possit ad diligendum creaturam propter se: non tamen potest ad diligendum Deum propter se: nisi adiuta per gratiã: quia diligere creaturam propter se, vel est motus vitij, vel motus naturæ: natura autem potest ex se deficere: non autem potest ex se perfici:sed cum perficitur,tunc mouetur ad diligendum Deum propter Deum: ex natura autem potest ad diligendum Deum propter suam vtilitatem.

¶ Ad obiecta autem in partem contrariam, quibus videbatur ostendi; quod angelus magis diligebat se, quam Deum dilectione naturali: sic videtur respõdendum: quod licet angelus sit ipsa ratio diligendi:non tamen magis diligitur, id est, concupiscitur: quia nihil à seipso concupiscitur: maxime ergo diligitur angelus, vt ratio: maxime Deus, vt * communicabile. ¶ Hoc etiam ex secunda ratione apparet:quia natura inflectit in se tanquam in rationem: nõ tanquam in primum concupiscibile.

* Alias, cõcupiscibile.

¶ Ad idem tendit tertia ratio,quod angelus diligit Deũ scil.vt complementum suæ naturæ:& ita propter se.

¶ Ad quartum dicendum,quod cum quæritur, Vtrum angelus magis diligat dilectione naturali Deum, quam suam formam,vel econuerso? Respondendum, quod cum dicimus dilectionem naturalem intendimus eam procedere mediante forma angeli:dilectio autem,quæ est in concupiscentia:semper tendit in aliud, tanquam concupiscibile: vnde hoc modo non erit forma angeli concupiscibile: sed ratio concupiscendi: Deus autem, vt ipsum concupiscibile.

An angelus diligat alium angelum dilectione naturali, sicut se. §. iij.

Quæst. lateralis.

¶ Ad tertium, quo quæritur. Vtrum vnus angelus diligat alium angelum dilectione naturali sicut se? Quod non, videtur: se enim diligit tanquam rationem omnium concupiscibilium:alium autem angelum non sic diligit: ergo non diligit alium angelum sicut se. ¶ Præterea: si diligere naturæ dicatur appetere ei bonum, quod sibi competit: hoc modo non videtur. Nam sicut diuersa sunt appetentia: ita diuersa sunt appetibilia:& ita non idem appetit alteri angelo, quod sibi. ¶ Præterea, diligere alium angelum ad vitam æternam,ad quam se diligit; est motus charitatis: ergo non est motus naturæ, ad quem ipsa natura sufficit. ¶ Item, si diligere sicut se,est diligere eum, quia est imago Dei,cuius est & ipse imago:& ita in ratione imaginis sit hæc similitudo; secundum quam attenditur dilectio naturalis. Secundum hæc ex naturali dilectione æque diligetur angelus ab angelo alio, vt diligatur à se,& in tantum: ratio enim imaginis est æque naturaliter in vtroque: ergo ratio diligendi naturaliter: ergo tantum diligit angelus alium angelum naturaliter, quantum se: quod cum non conceditur, eo quod penes ipsum resider ratio diligendi naturaliter aliũ; non erit hæc ratio diligendi naturaliter ex respectu imaginis diuinæ. ¶ Quod autem angelus diligat alium angelum, vt se,habetur ex hoc,quod dicitur. *Omne animal diligit sibi simile*:& omnis homo sibi simili sociatur:&hoc est natura de: ergo & angelus naturali dilectione diligit alium,vt se: quia sicut ipsa est nota similitudinis: similitudo autem hæc est in coniunctione naturæ: ergo dilectione naturali diliget alium,vt se. ¶ Huius etiam rei gratia quæritur: si vnus angelus habeat meliora naturalia, quam alius angelus; vtrum naturali dilectione sit magis dilectus? Quod videtur: quia bonum naturale est naturaliter diligendum: & magis bonum in via naturæ magis diligendum: ergo angelus naturali dilectione aliquando plus diliget alium quam se.

Eccl. 13.

Quæst. incidentalis

¶ Contra, quicquid diligit naturali dilectione, propter se diligit: ergo magis se diligit, quam alium angelum.

RESOLVTIO.

Angelus angelum naturali dilectione, vt se non quantum se diligit: idq́ quia eandem intellectualem naturam communicant.

¶ Ad quod dicendum; quod naturali dilectione diligit angelus angelum, vt se: non tamen quantum se[vt]enim est nota similitudinis, non quantitatis: hæc autem similitudo est in communicatione eiusdem naturæ intellectualis.

¶ Per hæc potest patere; qualiter respondendum est ad primo obiecta: Non enim attendit illa similitudo quantũ ad rationem diligendorum: nec quantum ad appetitum vitæ æternæ: nec quantum ad rationem imaginis: istæ enim sunt conditiones, quas distinguit liberum arbitrium, inquantum huiusmodi, non inquantum natura.

¶ Ad aliud dicendum: quod licet vnus angelus meliora habeat naturalia, quam ipse angelus diligens: non tamen naturaliter plus se ab illo diligetur: sed comparatione aliorum angelorum teneret hæc ratio comparationis; non respectu sui.

An homo naturali dilectione tum ratione animæ, tum ratione corporis diligatur ab angelis: & in quo ordine? iiij.

Quæst. lateralis.

¶ Ad quartum, quo quæritur de dilectione naturali hominis ratione animæ, vel corporis, vtrum fuit ordinata sub dilectione naturali alterius angeli? Quod videtur. Sicut enim corpus, quod est infra animam diligitur minus, quam anima: ita anima, quæ est infra angelum, naturaliter diligitur infra angelum, siue minus, quam angelus. ¶ Sed contrarium videtur per hoc: quod anima nata est associari angelo in beatitudine, ergo cum angelus teneatur naturaliter diligere participem beatitudinis sicut se; tenetur diligere hominem ratione animæ rationalis sicut se, ergo non est ordinata dilectio animæ rationalis sub dilectione angeli.

¶ Similiter obijcitur de dilectione angeli respectu corporis humani: ad quod enim peruenit gratia, ad hoc nititur natura animæ rationalis, sed gratia per charitatem peruenit ad dilectionem corporis humani; vt diligatur infra spiritum, ergo angelus naturali dilectione diligit corpus humanum.

¶ Sed contrarium videtur, quia nec corpus humanum iuuat ad esse angeli; nec ad bene esse, sed illud solum videtur naturaliter diligi, quod iuuat ad esse eius, vel bene esse; ergo corpus humanum non est diligibile ab angelo dilectione naturali.

RESOLVTIO.

Angeli naturali dilectione homines diligunt tum ratione animæ, tum ratione corporis quasi se: sed secundario & post se. Diligunt (inquã primo) quasi se: quia illos sibi similes norunt in possibilitate ad gloriam, secundum animam primum, secundum corpora consequenter. Secundario (inquam) & post se: quia angelus angelo similior est, quam anima angelo.

¶ Respondendum, quod homo gratia animæ rationalis naturaliter est diligendus ab angelo, quasi ipse, secundum quod dilectio naturalis elicitur à natura, in qua

8. Ethic. c. 1. & 9. ethi. cap. 3

abundat homo vltra naturam: quia simile naturaliter diligitur à suo simili;& hoc est, inquantum ex natura possibilis est ad beatitudinem eandem, ad quam angelus fuit possibilis.Est autem natura alia,qua simile diligit suum simile:& quanto magis est simile; tanto magis diligit: & secundum hunc modum,quia angelus angelo est similior:quam angelus animæ, cum genere proximo differant angelus, & anima: magis dilexit angelus angelum dilectione naturali, quam animam.

¶ Ad illvd, quod objicitur dicendum est: quod non est simile de dilectione animæ ad corpus, & angeli ad animam:quia corpus non est possibile ad illam beatitudinem, quæ consistit in visione Dei: sicut est possibilis angelus, & anima. Vnde alia ratione diligit angelus animam, & anima corpus scilicet suum, vel alterius hominis:quia angelus diligit animam,vt possibilem participare eandem beatitudinem:anima vero diligit corpus, vt quod cedat ei in augmẽtum gloriæ:non quantum ad imaginem gloriæ; sed quo ad multitudinem eorum,de quibus est gloriandum.

¶ Ad illvd vero,quod obijcitur de dilectione naturali ipsius corporis humani: Respondendum, quod non propter hoc est diligibile naturali dilectione; quia confert ad bene esse essentialiter, & principaliter: vel quia possibile sit participare beatitudinem: sed quia secundario potest conferre ad id, de quo gloriatur angelus secundario: primo enim gloriatur angelus in Deo: secundario gloriatur in præmio hominis, qui datus est ei in custodiam: & hoc præmium est hominis ratione animæ,& ratione corporis: quia ergo naturaliter desiderat angelus, & primum præmium, & secundum; sed differenter: ideo dilectio naturalis fuit in angelo, & respectu Dei, in quo principaliter natus est gloriari; & respectu animæ rationalis, & corporis, cum remuneratur.

ARTICVLVS III.

An angelus naturali dilectione diligat se propter se, vel se propter Deum?

AD articulum tertium quæritur de ratione naturalis dilectionis in angelo? Sic enim est in gratuita dilectione, quod prima ratio diligendi est Deus. Si enim prima ratio in dilectione naturali ex parte diligentis est,tunc videtur,cum angelus diligat se propter se; quod fruatur se: frui enim est amore inhærere alicui rei propter seipsam: ergo angelus in primo statu fruebatur se: sed dicit August. quod totum & solum malum est,vti fruendis,&etiam frui vtendis:sed creatura est vtendum:angelus autem creatura est:ergo se vti debet, non frui: ergo naturalis dilectio esset peccatum, vel cum peccato.

Aug. in li. 83.qq.& li. 1.de Doct. Christ.c.4. Tomo.3. Quæst.30 Tomo. 4.

¶ Præterea,dicit August.quod amor sui est fundamentum ciuitatis Diaboli, sicut amor Dei est fundamentum supernæ ciuitatis scilicet Hierusalem; ergo amor, quo angelus diligebat se propter se,peccatum erat.

Idem de ciuit. Dei. li.14. c. 28. Tomo 15.

¶ Sed videtur contrarium:quia dilectio est coniunctio conuenientis cum conuenienti,vel copula amantis,&amati:sicut dicit August.de Trinit. Sed nihil copulatur,vel sibi coniungitur, vt conueniens: ergo angelus non diligit se propter se.

Idem de Trinit.

RESOLVTIO.

In gratuita dilectione diligit quidem se angelus propter Deum: sed in naturali dilectione diligit se propter se. Ita tamen vt præpositio [propter] *non dicat finem concupiscentiæ, sed rationem ex parte subiecti, natura ad talem actum illud inclinantem.*

¶ Ad quod dicendum: quod non sequitur, si diligit se propter se,quod fruatur se:nisi[*propter se*]diceret finem concupiscentiæ procedentis ex electione rationali:creatura autem non est finis huiusmodi concupiscentiæ:hoc enim esset ponere mutabile bonum sub ratione summi boni: & sic esset peccatum;secundum quod dicit August. *Væ illis, qui diligunt tuos nutus pro te.* Si vero [*propter se*] non dicat finem, sed rationem ex parte subiecti inclinantem ad talem actum à natura:secundum hoc non sequitur, diligit se, id est, suum viuere, & intelligere propter se; quod propter hoc fruatur se:nec in hoc est motus libidinosus,sed naturalis.

Aug. in li. de libero arbit.& de Confess.

¶ Ad illvd vero,quod secundo obijcitur de amore sui; qui est fundamentum terrenæ ciuitatis. Dicendum quod ille amor, qui est naturalis sui, id est, suæ vitæ,siue intelligentiæ,non est fundamentum Babylonis, siue terrenæ ciuitatis:sed amor sui,id est,suæ excellẽtiæ, vel suæ voluptatis,vel ditationis indebitus,est fundamentum:& hoc modo hic non accipitur.

¶ Ad aliud vero, quod obijcitur:quod nullus potest diligere se propter se:& ita nec angelus: quia nihil copulatur sibi,vt conueniens sibi. Respondetur, quod cum dicitur: angelus diligit se:alterum est in ratione diligentis, & quod diligitur: angelus enim suum esse diligit:non autem angelus est suum esse, vel sua vita: & ita potest interuenire dilectio, prout est copula. Cum autem dicitur Deus diligit se, ibi dilectio non est copula:sed est ipsa essentia diligentis.

An, & quæ differentia esset inter dilectionem naturalem Angelorum, & mercenariam: si eis huiusmodi dilectio infuisset?

AD alteram partem huius geminati Articuli, quo quæritur:Si sit differentia inter dilectionem naturalem angeli,& mercenariam:si in eis potuit esse (& sit sermo de bono mercenario,de quo dicitur. *Quanti mercenarij sunt in domo patris mei*, &c.) Mercenarius enim bonus est, qui diligit Deum propter beatitudinem, vt scilicet sit sibi beatitudo: & ita diligit Deum propter suum commodum:& hoc idem facit dilectio naturalis:ergo non videntur differre, nisi alia ponatur. ¶ Præterea, si nulla poneretur differentia illius ad illam,sicut vna dilectione posset mereri, ita & alia: cum autem naturali dilectione non posset simpliciter mereri;erit differentia istius dilectionis,& illius: quæ ergo assignatur differentia?

Quæst.lateralis.

Lucæ 15.

RESOLVTIO.

In hoc profecto differunt, quod illa à natura vti ab origine, & principio: hæc vero à gratia foret.

¶ Ad quod dicendum, quod dilectionis naturalis natura est principium, & origo: dilectionis vero mercenariæ,siue sit in angelis, siue non; gratia est origo, siue principium:gratia enim mouet liberum arbitrium in his, quæ nõ attingunt statum perfectionis ad diligendum Deum propter beatitudinem,siue vitam æternam:& ita propter suum commodum gratuitum.

¶ Et si obijceret forte aliquis, quod præponit bonum creatum bono increato:& ita est motus demeritorius; non meritorius.Respondetur,quod non: hæc enim dictio [*propter*] non dicit ibi, quod beatitudo creata sit finis vltimus, ad quem Deus ordinetur:sed dicit finem,quo quiescit concupiscens Deum:& ita Deus beatificans finis ponitur: non autem aliquid loco Dei: Quod autem motus ille mercenariæ dilectionis sit gratuitus, patet per hoc,quod dicit B. Bernardus.*In primis diligit homo se propter se:caro quippe est; & nil sapere valet * propter se: cumque se videt non per se subsistere, Deum, quasi necessarium sibi,incipit per fidem inquirere,& diligere:diligit ergo secundo gradu Deum:sed propter se,non propter ipsum. At vero cum ipsum cœperit occasione necessitatis colere,& frequentare,cogitando,legendo,obediendo,orando: quadam huiusmodi familiaritate paulatim innotescit Deus:consequenter & dulcescit:gustatoque, & quam suauis est Deus;transit ad tertium gradum: vt iam non diligat Deum propter se:sed propter ipsum.*Ex quo accipitur, quod cum diligere Deũ propter se in secundo gradu sit, in fundamento fidei erit motus charitatis; & ita motus meritorius differens à motu naturali.

Bernar.

*Alias, per se.

¶ Sed adhuc quæritur ratione illius primi gradus, quem ponit B.Bernar.Cum angelus non sit caro;non habet illum primum gradum dilectionis:& ita non diliget se propter se. Hoc enim ibi assignatur pro ratione: quia nihil potest vltra se:quia caro est:sed angelus spiritus est, non caro: ergo non diligit illo motu dilectionis: sed iste motus dilectionis est primus:ergo iste motus dilectionis naturalis non erit in angelis.

¶ Ad quod dicendum, quod motus dilectionis naturalis in homine dupliciter reflectitur in se:tum ratione carnis: tum ratione spiritus. Anima enim rationalis diligit se: quia

spiritus

spiritus est,& quia coniuncta est carni. Angelus vero altero istorum modorum diligit se dilectione naturali:& illo modo est ratio dilectionis naturalis, vel in homine, vel in angelo:quia caro est.

¶ PRÆTEREA notandum est: quod iste primus gradus non est nisi dilectionis bonæ. Vnde cum dicitur; quod homo non diligit nisi se; quia caro est: non accipitur ibi [*caro*] pro natura corrupta: sed pro natura in se: non inquantum est corrupta: Vnde aliter accipitur, cum est ratio dilectionis naturalis:& cum est ratio dilectionis libidinosæ. Ex vna enim parte accipitur pro natura: ex alia vero parte pro natura corrupta, inquantum huiusmodi. Secundus autem gradus, in quo diligit propter seipsum, secundum rationem B. Bernar. non habet eandem rationem omnino, sed in parte. Cum enim dicitur, diligit Deum propter seipsum: ratio sumitur ex parte Dei; sed mouente gratia. Cum dicitur, dilectione naturali diligit Deum propter se angelum: ratio sumitur ex parte sui; sed mouente natura.

MEMBRVM II.

An dilectio naturalis sit modo in angelis bonis, iam glorificatis?

AD membrum secundum principale huius Quæstionis, quo quæritur: Vtrum dilectio naturalis sit modo in angelis bonis, iam glorificatis. Quod videtur per hoc, quod gratia,& gloria perficiunt, & consummant naturam: ergo non destruunt actum naturalem in angelis: vel quantum ad cognitionem, vel quantum ad effectionem: ergo nec quantum ad dilectionem: ergo dilectio naturalis nō auferretur, adueniente gratia, vel gloria in angelis.

¶ PRÆTEREA, Cognitio vespertina non tollebatur, vel tollitur in angelis adueniente matutina: sicut habetur in Gen. cum dicitur. *Factum mane, est & vespere dies vnus.* Sed cognitioni matutinæ respondet dilectio gloriosa: cognitioni vespertinæ dilectio naturæ, aut rationis, seu liberi arbitrij: ergo habita dilectione gloriosa, nō tollitur dilectio naturalis, seu rationis, vel liberi arbitrij. ¶ ITEM, status pœnæ & gloriæ sibiinuicem aduersantur ex eadem parte: sed status naturæ est virtus indifferens: ergo non tolletur per aduentum gloriæ, nihil ergo prohibet simul habere dilectionem naturæ, & gloriæ: boni ergo angeli cum habent dilectionem gloriæ; non ab eis euacuatur dilectio naturæ.

Cap. 1.

¶ SED videtur contrarium, eo quod dilectio naturæ reflectitur ad se: sed dilectio gloriæ totaliter Deo innititur: ergo cum inniti sibi,& inniti Deo taliter inter se opponantur; non erit dilectio naturæ simul cum dilectione gloriæ in angelis. ¶ PRÆTEREA, ibi (sicut dicit Bernar.) seipsum diliget homo propter Deum: & ita eadem ratione angelus, qui iam est in illo statu, scilicet gloriæ, diliget se propter Deum omnino: & ita non erit ille * motus, quo diligit se angelus propter se. ¶ PRÆTEREA, 1. Corinth. 15. Primum est, quod animal est; quam quod spirituale est: quod autem animale est, ex parte est: quod autem spirituale est ad perfectionem pertinet. Dicitur autem 1. Corinth. 13. *Cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*: ergo superueniente, quod omnino spirituale est; euacuabitur, quod est animale: sed dilectio naturalis in homine est animalis: ergo dilectio naturalis euacuabitur, adueniente dilectione gloriæ, pari ratione in angelis: ergo dilectio naturalis absorbetur gloria in sanctis angelis. ¶ ITEM dicitur: quod Regina Saba vidit sapientiam Salomonis; & domum, quam ædificauerat; & cibos mensæ eius,& ordines ministrantium: nec habebat vltra spiritum. Sed videre sapientiam Salomonis; nihil aliud est, quam habere visionem gloriosam: non habere vltra spiritum, est deficere à se: ergo cum spiritus proficit in Deum profectu vltimo, totaliter deficit in se: sed deficere in se, est deficere à cognitione,& dilectione; quæ in se reflectitur: ergo spiritus angelicus cum habet dilectionem,& cognitionem gloriosam: deficit à naturali iam dicta.

*Alias modus.
Apost. 1. Corint. 15.
Eadem cap. 13.
3. Reg. 10.

*
* *

RESOLVTIO.

Nequaquam in angelis nunc glorificatis amor naturalis amplius inest; siquidem totus hic ab amore gloriæ absorptus est: nec quidem secundum substantiam, sed secundum id quod in eo imperfectionis est.

¶ AD quod videtur respondendum per hoc, quod dicit Bernar. Cum introductus fuerit seruus bonus, & fidelis in gaudium domini sui,& inebriatus ab vbertate domus Dei, quasi ebrius à musto oblitus sui,& à se penitus deficiens, totaliter perget in Deum,& deinceps adhærens ei, vnus spiritus erit. Et iterum in Psal. *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius*: Et si iam cognoscimus Christum secundum carnem nunc, iam non nouimus. Et similiter dicitur. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos*: abire autem ipsum fuit recedere quantum ad naturalem amorem; qui tamen bonus erat: quia diligebant eum in hac carne mortali: paracletum autem venire, fuit amorem spiritualem infundi ad * perfectum. Vnde cum amor ille spiritualis euacuauerit hunc carnalem: qui tamen bonus erat: amor patriæ videtur euacuare naturalem: qui reflectitur in se: sed si sit aliquis naturalis, qui non reflectitur in se: talis perficitur ad dilectionem gloriæ. Psal. 70. 2 Cor. 5. Ioan. 15. *Alias, profectū.

¶ AD obiecta respondendum est. Ad primum: quod gratia & gloria cum perficiunt naturam, non tollunt perfectionem naturalem secundum essentiam, sed secundum hoc quod est ibi imperfectum: imperfectionis autem est, quod in se tanquam in rationem dilectionis reflectitur.

¶ AD secundum dicendum, quod angelus bonus adhuc habet duplicem cognitionem, matutinam,& vespertinam: quia est in duplici statu: inquantum contemplatur Deum; & inquantum ministrat. In quantum autem contemplatur Deum habet cognitionem matutinam: inquantum autem ministrat, necessaria est cognitio vespertina. Cum autem omnino contemplabitur; nec erit necessarium ministerium; tunc erit matutina cognitio,& non erit necessaria vespertina. Similiter potest esse de dilectione; vt dupliciter vtatur dilectione: illa, quæ est naturæ ex vna parte: illa, quæ est gloriæ vel liberi arbitrij ex alia parte: tunc autem totaliter perget dilectio in dilectum scilicet Deum. Vnde de homine dicit B. Bernar. *Omnis amor carnis ab amore spiritus est absorbendus.* Vocat autem amorem carnis, qui refertur ad necessaria naturæ: iste autem amor tolletur, cum auferetur necessitas; ita cum spiritus angelicus omnino perget in Deum; nec erit respectus angeli ad nostram necessitatem, vel suam imperfectionem; tunc erit illi perfectio gloriæ.

¶ AD tertium dicendum: quod status pœnæ, siue miseriæ directe opponitur statui gloriæ: status vero naturæ non simpliciter opponitur, sed ratione cuiusdam imperfectionis annexæ, quæ imperfectio tolletur; & si ipsa natura remaneat.

MEMBRVM III.

An dæmones naturali dilectione Deum, seque diligant?

AD TERTIVM membrum principale huius Quæstionis, quo quæritur, Vtrum actus dilectionis naturalis sit in dæmonibus, aut non? & hoc attenditur ratione actus naturalis Dei. Et videtur, quod illa dilectio naturalis actualis sit in eis: quia cognoscunt Deum creatorem, & gubernatorem: & ita ab eo esse,& conseruari in esse; sed dilectio naturalis est respectu creatoris: ergo naturaliter diligunt dæmones Deum.

¶ PRÆTEREA. Naturalis dilectio potest stare cum dilectione culpabili: cum ergo culpabilis sit in illis, non per illam tolletur dilectio naturalis: nec aliquid aliud quod tollat illam: ergo est in illis. ¶ ITEM, omnis creatura naturaliter appetit esse: quare multo fortius intellectualis creatura, ergo angelus naturaliter appetit esse, ergo & Diabolus, cum sit angelus: sed si appetit esse, appetit illud, sine quo nō potest conseruari in esse: ergo diligit naturaliter Deum: ergo habet naturalem dilectionem Dei.

¶ CONTRA. Odium in actu,& dilectio in actu naturaliter sunt opposita: ergo non simul sunt in esse respectu eiusdem rei; sed conscientia Diaboli (sicut videtur dicere Aug. in Libr. Retractationum) odio habet Deum: ergo non dili-

git Deum actu, siue natura inclinante, siue libero arbitrio. ¶ ITEM, aliquis homo ita est infectus odio alterius hominis, quod natura non potest inclinare liberum arbitrium illius ad hoc, quod diligat eum, etiam naturaliter: cum ergo multo magis sit infectus Diabolus odio, (*Superbia enim eorum, qui te oderunt, ascendit semper*) intantum ergo inficitur affectus eius, quod natura non potest inclinare ipsum ad hoc, quod diligat Deum, etiam naturaliter. ¶ PRÆTEREA: desperati homines volunt non esse: sed si volunt non esse, nolunt Dei conseruationem: ergo non diligunt conseruatorem: sed sciunt, quod Deus est conseruator eorum in esse: ergo non diligunt Deum, qui est conseruator esse eorum: sed dæmones multo magis sunt desperati, quam homines: ergo volunt non esse: ergo non diligunt Deum, qui est conseruator esse eorum. ¶ ITEM, certum est apud dæmones, quod manentes in esse, nunquam euadent miseriam, vel pœnam, in qua sunt, vel euadere possunt, nisi non essent: ergo vellent non esse: ergo non diligunt Deum, qui tenet eos in esse: sed dilectio huius conseruatoris est naturalis: ergo hæc dilectio conseruatoris non est in malis respectu Dei. ¶ ITEM, de dilectione sui quæritur, si malus angelus diligat se naturaliter: diligere enim se naturaliter, est diligere esse suum, & vitam suam: si ergo propter vitationẽ miseriæ, vellet non esse, vel non viuere, vel non intelligere pœnã suam: ergo non diligit se dilectione naturali.

¶ SED contrarium videtur: quia nullius est habere se odio, vel iusti, vel peccatoris: peccator enim ex libidine diligit, quod diligit: libido autem non est sine substrata natura: necesse est ex consequenti, quod diligat se. Similiter iustus cum diligat se ex gratia, inquantum huiusmodi, gratia autem non habet substractam naturam: ergo vult naturam esse, sine qua gratia non potest esse: ergo diligit se: ergo Diabolus naturaliter diligit se.

RESOLVTIO.

Dæmones naturali dilectione & si non actualiter, habitualiter tamen Deum diligunt: se vero etiam actualiter.

¶ AD quod dicunt quidam, quod dilectio naturalis habitu est in dæmonibus respectu Dei: non tamen exit in actũ: Eo quod vis dilectiua ita sopita est per peccatum in ipso, quod non excitatur in actum naturalis dilectionis. ¶ Secundum hoc posset responderi ad obiecta in contrarium: quod licet dæmon habeat cognitionem creatoris, & gubernatoris; illa tamen cognitio non est sufficiens ad inclinandum dilectionem, propter contrarium appetitum: vellet enim iustitiam Dei nõ esse respectu pœnarum, quas scit semper esse, dum est.

¶ AD secundum vero dicendum: quod creatura intellectualis habet appetitum habitualem sui esse; & exiret in actum; nisi esset cõtrarius appetitus, qui dominatur in vi illa respectu illius, per quem conseruatur esse.

¶ AD ILLVD vero, quod obijcitur de dilectione naturali sui esse; videtur aliter dicendum: vt nunquam tollatur ille actus à natura, manente natura. Nam quod dicitur, quod damnati vellent non esse, hoc non est non esse simpliciter, sed non esse in illa miseria. Vnde quod mali aliquando volunt mortem, hoc est; quia vellent esse sine miseria.

QVÆSTIO XXXI.

De dilectione electiua angelorum.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 1. part. q. 60. per 5. art. S. Bo. in 2. d. 3. art. 5.

DICTO de dilectione naturali, dicendum est consequenter de dilectione electiua, siue rationali; quæ est in angelis. ¶ ET primo potest quæri, si dilectio huiusmodi sit in angelis. Secundo, si est in eis, vtrum hac dilectione diligatur Deus. Tertio, si diligitur, vtrum diligatur super omnia hac dilectione. Quarto, vtrum angelus seipsum diligat hac dilectione, & alium angelum.

MEMBRVM I.

An dilectio electiua, vel rationalis in Angelis sit?

Quæst. 2. memb. 1. art. 1.

CIRCA primum sic obijcitur: quod angelus diligat dilectione electiua, siue rationali, videtur. Liberum enim arbitrium est in eis, sicut supra habitum est: liberum autem arbitrium est facultas voluntatis, & rationis, siue rationalis voluntatis: ergo rationalis voluntas est in eis: sed rationalis voluntas est electiua voluntas: quæ scilicet procedit ex cognitione data, vel acquisita: ergo voluntas huiusmodi est in angelis: Dilectio autem est voluntas boni, ex electione procedens: ergo dilectio electiua est in angelis. ¶ PRÆTEREA: angelus habet potestatem cognoscendi ex intellectu vel ratione bonum, & malum; & inter bona quod sit melius; ergo habet potestatem eligendi, & præeligendi: Ex huiusmodi autem electione, vel præelectione sequitur dilectio: ergo in angelis est huiusmodi dilectio.

¶ SED videtur contrarium per rationem, quam ponit Damasc. Assignat enim rationem, quare electio non est in Deo: quia Deus non consiliatur: electio enim est à consilio. Si ergo vnus angelus non consiliatur cum altero, nec etiam in seipso: consilium enim est cum deliberatione: deliberatio autem est cum dubitatione. Si ergo in angelis naturaliter non est dubitatio: in eis non est dilectio; ergo nec dilectio electiua. ¶ PRÆTEREA, dilectio huiusmodi est ex discussione rationum ad vtramque partem: sed discussio rationum ad vtranque partem, non est in angelis: ergo nec electio, quæ consequitur ex illa: ergo nec dilectio consequens electionem. Libr. 2. de Orthod. fid. cap. 22.

RESOLVTIO.

Est profecto in Angelis electiua dilectio: non quouis modo, sed vt eligere est alterum alteri præoptare.

¶ AD quod dicendum, quod dilectio electiua in angelis est; secundum quod eligere est alteri præoptare.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium, dicendũ est: quod est quædam electio, quæ est ex pertractatione rationum ad vtranque partem in ipso dubitante, per ratiocinationem determinante: & talis electio est hominis, qui nõ statim præuidet, vel æstimat hoc esse illo melius: & hoc modo non est in ipsis angelis electio: cum citissime videant, vel æstiment hoc esse illo melius. Est autem alia electio, quæ procedit ex iudicio statim habito de bono, vel meliori: & hoc modo potest esse electio in ipsis angelis. Quod autem dicit Ioan. Damascen. electionem non esse in Deo; quia electionis est consiliari: Deus autem non consiliatur: ignorantiæ enim est consiliari: Verum est electione, quæ requirit consilium, sicut loquitur Philosophus: non quod omnino tollatur electio à Deo: secundum quod electio est actus perfectus rationis, vel intellectus contra bonum. In angelis vero potest esse consilium: vnde inferiores angeli consilium accipiunt à superioribus, quid placeat Deo, & quid faciendum sit. Superiores autem consulunt Deum de his, quæ pertinent ad eius volũtatem. Si ergo hoc est in sanctis; multomagis est in angelis: ex eo quod habent secundum naturam, quod adinuicem consiliantur. Nec hoc est contrarium; quod ignorantiæ est consiliari; ignorantia autem est pœna. Est enim ignorantia quædam, quæ est pœna: & talis non fuit in angelis ex natura. Est autem alia ignorantia, quæ nescientia dicitur: & hoc modo multorum erat ignorantia: hanc autem sequitur consilium.

MEMBRVM II.

An Angeli dilectione hac electiua Deum diligant?

AD secundum, quo quæritur: si dilectio electiua est in angelis, vtrum hac dilectione diligatur Deus. Et videtur, quod sic. Sicut enim in homine est, quod ex electione non recta potest diligere aliquid, quod non est Deus, pro Deo: vel quod non est vere beatitudo, pro beatitudine: & ex opposito ex electione recta potest diligere, quod vere Deus est pro Deo; & quod vere beatitudo, pro beatitudine: ita potuit esse in angelis, vt angeli mali diligerẽt aliquid, quod non est vere beatitudo pro beatitudine; & quod non esset vere Deus, pro Deo; secundum illum modum, secundum quem hoc, quod præ alijs diligitur, Deus illis dicitur. Econtra boni angeli, quod vere est beatitudo, pro beatitudine eligentes, diligerent: & quod vere Deus est, pro Deo eligentes diligerent: sed hoc non esset, si dilectio electiua non esset in angelis, primitus institutis: ergo dilectio electiua fuit in angelis primitus institutis.

¶SED

¶ Sed videtur contrarium: dilectio enim electiua non est finis, sed eorum, quæ sunt ad finem. In hoc enim distinguitur dilectio à voluntate: quod voluntas est communiter, & finis, & eorum, quæ sunt ad finem: electio autem est eorum, quæ sunt ad finem: cum ergo Deus sit finis: non erit eius electio (nullus enim deliberat, vtrum velit Deum naturaliter) ergo dilectio electiua non est respectu Dei.

RESOLVTIO.

Angeli boni dilectione electiua Deum diligunt, sub hac tamen peculiari ratione, vt omnium creator est, rector, gratiæ, gloriæque perfector.

¶ Ad quod dicendum: quod est loqui de Deo secundum communem intentionem; secundum quam dicitur Deus: quod præ omnibus diligitur, & colitur: & in hac ratione nō est eius nec electio, nec dilectio electiua. Alio vero modo dicitur Deus substantia conditiua omnium, & regitiua & rationalis creaturæ perfectiua, gratia & gloria: & secundum hunc modum diligitur dilectione electiua ab angelis bonis. Hoc ergo modo, prout dilectio electiua non recipit rationem Dei communem; sed id, quod subest rationi, quod scil. vere est id, vel non vere est illud: esse potuit dilectio electiua in eis.

MEMBRVM III.

An Angelus præ seipso Deum dilectione electiua diligat?

AD TERTIVM, quo quæritur: si Deus illa dilectione ab angelo præ seipso diligat: Quod videtur per hoc, quod dicit August. dicit enim. *Angelos æternos creauit: & eis facultatem, atque intelligentiam cognoscenda diligendaque veritatis ingessit: quos etiam creauit, vt præ seipsis illum diligerent; cuius se tales creatos opere cognouissent: cum eorum, vt tales fierent, nulla merita præcessissent. Vt autem hæc dilectio haberet iustam, & congruam laudem; voluntatis quoque eis tribuit libertatem, vt esset eis possibile, siue ad eum, qui supra ipsos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere: siue ad se, vel ad ea, quæ infra eos sunt, prauæ cupiditatis semetipsos pondere declinare.* Ex quo accipitur, quod Deus contulit angelis libertatem voluntatis, vt præ seipsis ipsum diligerent: ergo ex libertate voluntatis præ seipsis poterant diligere. ¶ ITEM, angeli cognoscunt ex intelligentia sibi data, Deum esse summe bonum, super omnia diligendum: se autem non summe bonos: voluntas ergo ex hac ratione ordinata procedens, Deum prætulit dilectione, vel præferre potuit sibi, & omni creaturæ: ergo ex dilectione electiua, etiam si non adesset gratia gratū faciens; posset diligere Deum super omnia.

¶ CONTRA. Charitatis est diligere Deum, & propter se, & super omnia: Charitas autem non est sine gratia gratū faciente: ergo liberum arbitrium non potest in illum actum sine gratia gratum faciente: non ergo ex electione electiua, quæ est solius liberi arbitrij, potuit angelus diligere Deum præ seipso. ¶ PRÆTEREA, rationis ex se non est abnegare se: sed ex gratia fidei, siue cognitionis consimilis fidei; quæ scil. rationem eleuet super se: sed diligere Deum propter se, & super omnia; est ex fide, vel ex cognitione consimili fidei: ergo non est angeli ex dilectione electiua, quæ est solius liberi arbitrij, diligere Deum propter se, & super seipsum.

RESOLVTIO.

Sicut Angeli ex pura intelligentia sibi collata potuerunt cognoscere Deum, vt summe esse, & vt summe bonum & summe diligendum; ita ex simplici libero arbitrio absque vllo gratiæ adminiculo sub hac generali ratione eundem præ se diligere potuerunt dilectione electiua.

Secus sub peculiari ratione creatoris, & glorificatoris, &c. ad hoc enim: sine gratia non peruenitur.

¶ Ad quod dicendum: quod est quoddam diligere Deū propter se, & præ seipso; quod est ex gratia gratumfaciente, cognitione Deiformi existente tanquam fundamento, & charitate tanquam forma: & istud non est ex solo libero arbitrio. Hoc autem diligere procedit ex cognitione Dei, vt creatoris, iustificatoris, & glorificatoris: secundum quod ad gloriam pertinet visio Dei vnius, & trini: quia ad horum cognitionem non peruenit sine gratia. Est autem aliud diligere Deum præ seipso, & propter Deum, quod procedit ex cognitione Dei, vt conferentis esse, & conferentis beatitudinem. In hac generali ratione, vt conferentis, vel potentis conferre (Hæc dico conferentis esse per creationem, vel cōferentis beatitudinem per glorificationem: quia ad hoc nō peruenitur sine gratia) in hac (inquam) ratione pōt liberum arbitrium in angelis diligere Deum præ se. ¶ Et per hanc distinctionem possunt solui obiecta. ¶ Illud autem, quod dicit August. intelligitur: quod licet data esset eis potentia ad diligendum Deum præ se; non tamen diligere Deum præ se (vt ibi accipitur) esset ex solo libero arbitrio. Et hoc patet per hoc, quod dicitur in illa autoritate, Vt esset eis possibile, siue ad eum, qui super eos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere.

¶ Ad secundum, vero dicendum: quod secundum illū modum, qui dictus est superius: poterat angelus ex libero arbitrio diligere Deum præ se: ex intelligentia enim sibi collata, poterat cognoscere Deum esse summe bonum, & summe diligendum: & est aliud de ratione, vt ratio est, quam de natura. Ratio enim vt est, potest cognoscere Deum, vt summe bonum in se: non tamen vt beneficum. Natura vero, siue ratio vt natura, si habet cognitionem naturalem, vel appetitum naturalem, in se quodammodo reflectit. Paulo superius in resolutione quæst.

MEMBRVM IV.

An Angelus diligat se, aut alterum angelum dilectione electiua siue rationali?

AD QVARTVM, quo quæritur, Vtrum angelus diligat se, & alium angelum dilectione electiua, siue rationali; secundum quod supra dicendum est: Et videtur, quod non: quia dilectio rationalis tendit in alterum, vt sit dilectio: ergo cum ipse non sit alter à se, rationalis dilectio non tendit in se. ¶ PRÆTEREA, si alius angelus diligitur ista dilectione; hoc est, vel secundum quod participat cum ipso in natura: vel inquantum participat cum ipso in ratione imaginis diuinæ: vel inquantum potest participare gratiam, aut gloriam, siue participat. Si secundum primum modum, non distingueretur dilectio naturalis à rationali. Si modo secundo, hoc non videtur: non enim videtur, quod ratio cognoscat se imaginem, vel ad imaginem; nisi ex aliqua gratia data: ergo per consequens non diligit se illa dilectione: nisi ex aliqua gratia sibi data: ergo ratio ex seipsa non habet dilectionem sui, vel alterius angeli sub hac ratione. Sed nec tertio modo videtur: quia diligere se, vel alium angelum ex consideratione participationis gratiæ, vel gloriæ; est vltra se: ergo angelus non diligit se dilectione rationali ex cōsideratione istius participationis.

¶ Sed videtur contrarium: Dei enim, cuius est summa dilectio; est diligere se: angelus ergo si diligit se dilectione rationali, siue intellectuali; in hoc assimilatur Deo; sed multo maior est indiuisio inter diligentem, & dilectum, cum Deus diligit se: quia est summa indiuisio: quam sit inter diligentē, & dilectum; cum angelus diligit se: ergo non repugnat dilectioni rationali, siue intellectuali, quod angelus diligat se. ¶ PRÆTEREA, quod angelus diligat angelum, ad hoc inclinat natura, & ad hoc inclinat gratia: ergo ratio, quæ est media, siue intellectus ex cognitione sibi data ad hoc inclinat: ergo angelus diligit alium angelum dilectione huiusmodi.

RESOLVTIO.

Angelus angelum, seque dilectione electiua diligit: ad hoc enim & natura; & gratia & intellectus, & ratio propria ex cognitione sibi data ipsum inclinant.

¶ RESPONDETVR, quod angelus & seipsum, & aliū angelum diligit dilectione electiua.

¶ Ad primum dicendum, quod illud verbum [dilectio] vt sic semper in alterum tendit: excludit proprium, & priuatū amorem (& loquimur de dilectione gratuita, quæ nunquā reflectitur in diligentem per præcisionem) Vnde ex verbo illo non habetur, quin & dilectio electiua, & naturalis sit respectu diligentis. ¶ PRÆTEREA (vt est tactum supra) angelus diligens se, est alter inquantum diligit, & inquantum diligitur; quia diligit suum esse, suam vitam, quæ est altera ab ipso. ¶ Ad aliud dicendum, quod angelus diligit alium angelum dilectione electiua; & ratione participationis eiusdē naturæ: & ratione, qua participat cum ipso in ratione imaginis. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod tunc non distinguitur à dilectione naturali. Dicendum; quod non sequitur: idem

Elice ex Memb. immediate præced.

Aug. in lib. de fide ad Petrum.

Lib. 2. Ord. dist. 3.

enim cum diuersimode accipitur, potest esse ratio diuersorum modorum diligendi: sicut in dilectione mercenaria, & filiali. In vtraque enim prima ratio diligendi est bonitas: sed in vna est ratio ipsa bonitas inquantum est bonitas: in alia ipsa bonitas, inquantum est benefica. Similiter in proposito. Vnde participatio eiusdem naturæ est ratio dilectionis naturalis, inquantum consideratur vt ens absolute. Similiter enim natura mouetur ad diligendum sibi simile, inquãtum est simile. *Omne animal diligit sibi simile.* Participatio autem eiusdem naturæ, vt cadit sub iudicio debiti diligendi, est ratio dilectionis electiuæ: intellectus enim angeli cognoscentis aliquid esse simile alteri, iudicat illud debere diligi ab illo: & ita conformitas, siue participatio eiusdem naturæ, vt cadit sub iudicio debiti diligendi, est ratio dilectionis electiuæ. Præterea conformitas in imagine fuit ratio diligendi dilectione electiua: cognouerunt enim (adminus indistincte) quod erant conditi ad imaginem Dei, scil. inquantum imago dicitur expressa similitudo: bene enim sciuerunt naturali cognitione nullam creaturam Deo similiorem illis: sed gratia addita, distinctius, & clarius cognouerũt se esse ad imaginem; scientes per essentiæ simplicitatem, & distinctionem potentiarum naturalium, siue habituum, se expressissime (prout possibile fuit creaturæ) ad Dei imitationem: quantum ad vnitatem essentiæ, & distinctionem personarum conditos esse. Secundum ergo, quod cognouerunt, dilexerunt: vnde cognoscentes se esse ad imaginem Dei cõditos, se mutuo dilexerunt dilectione electiua.

Eccles. 13.

¶ Ad id ergo, quod obijcitur: quod naturali cognitione sine gratia non cognouerunt se esse ad imaginem. Dicendũ, quod & si distincte non cognouerunt: indistincte tamen, scientes nullam creaturam Deo similiorem illis, & ita illos expressissime ad imaginem Dei conditos esse.

QVÆSTIO XXXII.

De localitate angelorum.

In tria Membra diuisa.

D Tho. 1. part. q. 52. per 1. art. S. Bon. in 2. d. 2. art. 4. Sco. in eodẽ 2. d. eadem q. 5 & deinceps.

DICTO de potentia motiua angeli, & de actu eius interiori: consequenter dicendum est de actu exteriori, scil. de motu locali. Et primo de motu eius, quo mouetur in se, non assumpto corpore. Secundo de motu, quo mouetur, assumpto corpore. Quantum ad primum inquirendum est de localitate angeli: deinde de motu eius. ¶ Circa primum inquirenda sunt tria. Primo, vtrum sit in aliquo loco corporali. Secundo, vtrum sit vbique. Tertio, vtrum simul possit esse in pluribus locis.

MEMBRVM I.

An Angelus sit in loco corporali?

AD PRIMVM sic. Natura loci nobilior est locato: sed spiritus angelicus nobilior est quocunque corpore: ergo non est angelus in aliquo loco corporali, tanquam contentus ab eo. ¶ ITEM. Sap. 1. dicitur de spiritu increato: quod continet omnia: sed constat, quod spiritus angelicus, & si creatus sit, plus tamen accedit ad naturam eius, & rationem; secũdum quod est possibile in creatura, quam aliquid corpus: ergo secundum viam istam plus competit, vt spiritus creatus contineat corpus, quam econuerso. ¶ PRÆTEREA, corporis continentis ad contentum est semper aliqua conuenientia: sicut videmus: quod corporibus leuibus, eo quod sunt leuia, debetur locus superior: sed grauibus; eo quod sunt grauia: debetur locus inferior. Vnde & corpora superiora naturaliter mouentur sursum, inferiora deorsum: ita quod nec grauia naturaliter mouentur sursum, nec leuia deorsum: sed angeli ad locum corporalem nulla videtur esse conuenientia, immo indifferenter potest mouere non solum circulariter, sicut corpus cæleste; sed etiam tam sursum quam deorsum; videtur ergo, quod angelo non competat esse in loco corporali: cum corpori non assignetur aliquis locus corporalis: nisi propter prædictam conuenientiam, quæ est naturaliter locati ad locans. ¶ PRÆTEREA, intelligamus per impossibile, quod nullum esset corpus: constat quod adhuc posset esse angelus: non enim est de angelo, sicut de anima: quæ adminus videtur quantum ad exitum sui in esse, indigere corpore: sed angelus de se est natura separatus. ¶ PRÆTEREA, nullo corpore creato potuit creari; videtur ergo, quod nullo modo quo ad eius esse depẽdeat à corpore: & ita videtur, quod nulla sit assignandi necessitas, angelum esse in corpore: vt quod ei per se conueniat.

Sap. 1.

¶ SI dicatur, quod verum est, quod hoc ei per se non cõueniat, sed per accidens: scil. ratione suæ operationis: quod videtur dicere Dama. Hoc nihil est: quoniam constat, quod si dicatur esse in loco ratione operationis; hoc non est nisi ratione operationum corporalium, aut ratione eorum, quæ circa nos exercent: quoniam planum est, quod ratione operationum, quas habet immediate in Deum, non est ipsum assignare esse in loco corporali: ergo secũdum hoc circumscripta omni operatione corporali, quam circa nos exercẽt, non diceretur esset, ipsum esse in loco corporali: quod falsum est. ¶ PRÆTEREA, quid est dicere angelum esse in loco. Si hoc est solum dicere: quia est, dum locus est: hoc nihil est: quoniam secundum hanc rationem omnia possent dici esse in loco. Si autẽ diceretur esse in loco, quia loco est præsens, & locus ei: sed hoc adhuc nihil est: quoniam hoc est dicere Deum esse vbique: & ita non diceretur alio modo angelus esse in loco; quam dicatur Deus esse vbique: quod videtur falsum.

RESOLVTIO.

Angeli, tametsi spiritus, in loco sunt; aliter tamen quam corpora: quia non saluatiue: sed tantum contentiue, & diffinitiue: ita scilicet vt hic sint, adeo vt non ibi: idque ex proprietate quadam, diuinitus corporibus continentibus data, qua illos continere valeant.

¶ RESPONDETVR. Bene concedimus, quod habet esse in loco corporali: licet sit spiritus: aliter tamẽ quam corpus. Concedimus tamen, quod non quantum ad proprietatem loci, quæ est saluare: quoniam corpus non est natum saluare spiritum: cum sine eo possit: sed tantum possibile est ipsum esse in loco quo ad proprietatem loci, quæ est continere, vel diffinire. Tñ valde dubitabile est, quomodo hoc sit possibile: quoniam in corporibus videmus, quod contenta corpora sunt possibilia respectu cõtinentium, & per continentiam terminantur. Vnde ipsum continẽs est corpus superius; secundum quod dicimus, quod aqua continet terram; aer aquam; ignis aerem; cælum omnia elementa: & ponimus ẽt ipsa corpora superiora, prout sunt cõtinentia; esse sicut spẽs respectu inferiorum cõtentorũ. Vnde in corporalibus semper ponimus aliquam formalem naturam ex parte continẽtis: secundum quam est natum contineri: sed non vr̃ possibile reperiri ex parte corporis; secundum quod dr̃ continere angelum; aliquam naturam formalẽ: & ex parte angeli contenti aliquam naturam possibilem, aut materialem. Propter hoc valde est dubitabile, quomodo angelus possit cõtineri ab aliquo corpore. Propter quod intelligendum est; quod aliter continetur corpus à corpore: & aliter spiritus à corpore; quoniam (vt ostensum est) aliqua proprietas est in corpore superiori, secundum quam natum est continere corpus inferius: sed licet in corpore aliqua proprietas sit, secundum quam natum est continere angelũ: non tñ dicimus quod sit proprietas corporalis, ex parte corporis proueniens: sed potius est diuinitus data. Secundum hoc ẽt est aliqua proprietas angeli: secundum quam est natus continere: vt iam videbitur. Et hoc dicimus, sine præiudicio melioris sententiæ: qm̃ hoc non inuenimus plane determinatum in sacra scriptura: nec à Sanctis, nec ab expositoribus sacræ scripturæ.

Inferius paucis interpositis.

¶ AD hoc tamen magis explanandum, notandum: quod Deus de natura sua duo habet, sc. quod omnia continet; & quod sit vbique. Ista vero communicat creaturę, secundum quod est possibile à creatura suscipi. Rationem ergo continendi communicat creaturæ: sed creatura spiritualis, quę est angelica, hanc nõ potuit suscipere: quoniam ipsi angeli sunt adinuicem distincti quo ad naturas suas: nec ita ordinantur vnus ad alium, sicut ex parte corporum. Similiter dicimus ex parte animarum. Congruit ergo creaturæ corporali: tñ secundum quod est possibile: ita vt quod in Deo est secundum indiuisionem, sit in creatura corporali per diuisionem;

vnde

vnde in eo est illa potentia quasi infinita; in creatura quasi finita: (quoniã sicut dicit Philosophus) *omnis virtus vnita plus est infinita quam virtus multiplicata*: Et præcipue congruit illi creaturæ corporali, quæ est composita in vniuerso: & hoc est ipsum vniuersum; quod verũ est: quia ex se habet virtutem concipiendi, & corpora, & spiritus: & præcipue illi particulari creaturæ, quæ nobilior est, sicut cælum; & alijs secundũ magis, & minus, secundum nobilitatem maiorem, & minorem. Et ideo secundum hæc nobis vr̃ dicendum: quod in corporali creatura est proprietas; tñ diuinitus data: secundũ quam potest continere spiritus: licet hanc proprietatem nõ habeat ex parte illa, ex qua est corpus: sed secundum hoc, ꝙ dictum fuit: Deus non solum habet virtutem continendi omnia: sed etiam hẽt esse vbique: & hoc communicat creaturæ, secundũ quod ei possibile est: sed esse vbique: nulli creaturæ põt conuenire: sed solum esse hic: secundum quod dicit Ambr. Quod vnaquæq; creatura certis limitibus, & finibus diffinita est. Et ita spiritus angelicus habet adminus ex parte sua quod debeat diffiniri loco, & quod sit hic: ita ꝙ non ibi: & ideo hæc duo ei conferunt esse in loco. Ad hoc etiam valet, quod vr̃ dicere Bern. quod vnusquisq; spiritus creatus hẽt aliquam ordinationem ad corpus: ex hac enim ordinatione põt habere quasi potestatem ad hoc, vt possit contineri à corpore. Concedimus tñ, quod non propter hoc sequitur, quod si locus corporalis nõ esset, quod propter hoc angelus non esset: imo bene dicimus, quod posset esse, & si non esset in loco corporali: quoniam ab hac ratione continendi nõ dependet esse angeli: sed solum ab hac ratione cõtinendi, qua dicimus, quod Deus continet omnia: & verum est, quod nisi Deus contineret suo modo continendi, quod non haberet esse. Et hoc est, quod dicit Greg. quod omnia tenderent in non esse; nisi manu conditoris tenerentur. ¶ Et per hoc patet solutio ad q̃a obiecta. Posset tñ dici, quod nõ dr̃ esse in loco; nisi quia pñs est loco: & tunc non oporteret esse aliquam dependentiam eius ad locum corporalem, aut ad corpus aliud; & tunc cessarent omnes illæ oppositiones.

Philos. li. 8. physic. 75. & circa.

Ambr. in l. de spiritu S.

Greg. in moral. li. 6. c. 18 parũ à medio.

MEMBRVM II.

An Angelus simul, & semel vbique esse possit?

AD SECVNDVM, quo quæritur. Vtrum angelus possit esse vbique simul, & semel? Quod non, vr̃: quia propriũ est Dei esse vbique: ergo non cõuenit alicui creaturæ. Item, si cõueniret angelo aliquando esse vbique, non posset moueri: motus enim est ab vno loco in alium: sed quod est vbique, præsens est omni loco: ergo non deest ei locus aliquis: ergo non mouetur ad illum locum: motus enim est ad obtinendum aliquid, quod non habet; hoc dico de motu recto: vel ad continuandum, quod habet sicut in motu circulari.

¶ PRÆTEREA, si esset vbique, haberet virtutem extensam ad omnem creaturã corporalem: si ergo nullus angelus hẽt virtutem extensam ad omnem creaturam corporalem; non posset esse vbique simul.

¶ AD contrarium vr̃ per hoc, quod anima, quæ est in corpore suo; vbique est in corpore: sicut dicit Aug. est enim per vitam in omni parte corporis; & nõ est per vitam in aliquo: nisi vbi ipsa est vnita: cũ sit vita corporis: vel viuificans corpus: cum ergo angelus aliquis possit esse minister ad mouẽdum cælum; illud primum, penes quod determinatur motus diurnus, & secundum illud moueantur alij cæli: & consequenter fiat mutatio in elementis, & elementatis: habebit operationem per ministerium in his: & ibi est, vbi operatur: ergo potest esse vbique in toto illo corpore.

RESOLVTIO.

Cum Angelus determinate virtutis sit: moueri que habeat de vno loco ad alterum, vbique esse impossibile est.

¶ AD quod dicendum, quod non potest esse vbiq; simul.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum, quod licet posset ex ministerio aliquid cælum mouere, non tamen est per totum illud cælum: non enim vnitur ei sicut forma materiæ: aut perfectio subiecto: sed coniungitur sicut motor mob. Motor autẽ indiuisibilis potest moue.e corpus, quod est diuisibile, etiam cum est separatũ per essentiam ab ipso: & si esset in aliqua parte ipsius tanquam in loco, posset alias partes mouere; sicut motor, qui est in vna parte nauis.

¶ SED adhuc posset obijci: quod indifferẽter se habet ad omnem locum: nec plus est in vno quam in alio: ergo si est in vno pari ratione est in quolibet: ergo vbique. Respondendum, quod sic est angelus indifferenter ad omnem locũ, quod ex natura nõ determinatur ei aliquis locus: & sursum, vel deorsum: tamen cum nũc est, vel cum operatur præsens est huic loco, & continetur ab illo, ita quod non ab alio: & hoc est quia determinatæ est virtutis: ad differentiam Dei, cuius est infinita.

MEMBRVM III.

An angelus in pluribus locis simul esse possit?

AD TERTIVM, quo quæritur, Vtrum simul possit esse in pluribus locis? Circa quod sic. In ordine vniuersi nobilior est substantia angeli, quam sit anima: eo quod angelus ex natura sua est substantia separata à corpore: anima vero substantia corpori vnita, aut vnibilis: sed anima potest esse simul in pluribus locis. (Vnde dicit August. quod tota est in qualibet parte corporis) ergo multo magis angelus poterit esse simul in pluribus locis.

Aug. li. de anima & spiritu Et li. de Quãtitate animæ ca. vlt. Tom. 1. & Epist. 28. ad Hiero. tomo. 2. & contra Epist. Manichæi quã vocãt fundamenti c. 16. tom. 6. & Li. de cognitione veræ vitæ. cap 1. tomo 9.

¶ SI dicatur, quod licet anima secundũ se tota sit in qualibet parte corporis; tamen non propter hoc debet dici, quod sit simul in pluribus locis, sed in vno loco partibili: quoniã ratio locandi proprie debetur toti corpori; sed partibus corporis non debetur, nisi prout sunt in toto: & ideo non hñt rationem locandi differentem à ratione: quæ est in toto: & eodem modo cõceditur de angelo, quod bene possibile est ipsum esse in vno loco partibili. V. g. si debeat subuertere Sodomã; dicimus ipsum esse in Sodoma, sicut in loco vno, qui tamen locus est partibilis.

¶ CONTRA. Si angelus mittatur ad subuersionem Sodomæ, constat quod æqualiter debet subuertere vnam partem, sicut & aliam: ergo aut erit æqualiter in qualibet parte; aut in nulla: sed non potest poni, quod in nulla: quoniam tunc non subuerteret eam: ergo in omni. Minor patet, quoniam non est de angelo, quando debet subuertere aliquam ciuitatem, aut aliquid huiusmodi operari; sicut de Nauta cũ debet mouere nauem: qui in vna parte nauis põt sedere, vel manere: & tamen totam nauem mouere: & hoc est, quoniam motus nauis quasi dependet ex motu huius partis: & ideo plus habet ordinem ad hanc partem, quam ad aliam: sed nõ est sic de angelo: immo ordinationem habet ad partem quamlibet. Nec etiam de ipso est, vt de Rege: qui existens in vna parte regni: potest regere totum regnum: quoniam potestas plus dependet ex vna parte, quam ex alia: reliquas etiam partes regit mediantibus aliquibus ministris: sed licet fortassis angelus ad vnam partem cœli empyrei determinatam magis se habeat, quam ad aliam: non tamen sic est respectu inferiorum locorum: & ita videtur, quod sequatur conclusio prædicta.

RESOLVTIO.

Angelus in pluribus locis simul per præsentiam esse non potest, sed solum per effectum suæ potestatis.

¶ RESPONDETVR. Dicimus, quod angelus non est nisi in vno loco partibili, secundum quod ipsum ponimus in loco ratione suæ essentiæ: nihilominus tamen potest mouere quoddam corpus magnum, & ita in vnica parte esse: sed eius virtus, & operatio extendet se ad quamlibet partem eius: vt cuilibet parti dicatur præsens per effectum suæ operationis. Secundum hoc potest intelligi quod Damasc. dicit, quod ibi est, vbi operatur: non quod oporteat ipsum esse per essentiam, in quacunque parte operatur: sed solum per effectum suæ operationis: secundum quod sua virtus potest se extendere. Quædam enim corpora possunt mouere corpus, etiam per essentiam à se distincta: sicut adamas ferrum, & huiusmodi: multo magis potest esse in spiritibus angelicis. Vnde secundum hoc dicimus, quod per essentiam non est in vno loco etiam impartibili.

¶ AD illud, quod obijcitur in contrarium per simile de anima. Respondetur, quod non est simile: anima enim non solum vnitur corpori, vt motor mobili: sed & vt perfectio perfectibili: & sic fit vna natura ex anima, & corpore: & ideo est in toto corpore, sicut perfectio in suo perfectibili toto: nec hoc habet ratione, qua dicitur motor. Sed angelus solũ

corpori vnitur, sicut motor mobili: & ideo non oportet, quod in vna parte, & ad reliquas partes extendatur sua virtus, & operatio: vt dictum est. Et generaliter nunquam oportet, quod si aliqua duo vniantur, quod vbicunque sit vnum, quod & alterum: nisi fiat vna natura ex ipsis. Vnde licet humana natura sit vnita diuinæ, & diuina natura sit vbique: non propter hoc oportet, quod humana: quoniam non vniuntur in vnitate naturæ, sed solum personæ.

QVÆSTIO XXXIII.

De motu Angelorum.

In tria Membra diuisa.

D Thom. part q. 5. per 2. ac S. Bon in 1. d. 37. a. t. 3. per tot m Sco. in 2. d. 2 q. 9. & deinceps.

CONSEQVENTER quæritur de motu angeli. Primo, vtrum angelus moueatur localiter. Secundo, vtrum mouendo, necesse sit pertransire medium. Tertio, vtrum in se, vel ex se habeat moueri localiter: aut ad hoc quod sic moueretur: necesse sit ipsum assumere corpus.

MEMBRVM I.

An Angelus localiter moueatur?

Ephes. 1. AD PRIMVM sic, videtur quod angelus localiter moueatur: & primo ex hoc, quod dicitur. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi*, huiusmodi autem missio non expeditur, nisi per motum localem. Damasc. ¶ Hoc idem patet, ex hoc, quod dicit Ioan. Damasc. *Cum sint in cælo empyreo non sunt in terra: & cum ad terram a Deo mittuntur, non remanent in cælo.* Greg. su per Iud Lucæ 1. ¶ ITEM Greg. *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, &c.* Cum ad nos veniunt angeli exterius, sic implent ministerium: vt tamen ante Deum interius per contemplationem assistant: & ita vt prius. Et ad hoc possunt adduci plures autoritates tam ex textu Bibliæ, quam expositionibus sacræ scripturæ. Mēb. vlti. q. imme diate præcedentis. ¶ Hoc idem per rationem potest ostendi; quod solius creatoris est esse vbique: creaturæ vero est diffiniri loco: quod etiam patet de angelo: quia (vt dictum est) cum est in cælo, non est in terra: simul enim non est in pluribus locis. Ponamus ergo quod sit in cælo, & præcipiatur ei aliquid operari in terra: tunc planum est, quod non potest esse in terra, nisi per motum: & necesse est, quod ibi sit: quoniam necesse est, vt ibi sit, vbi operatur: ergo planum est, quod necesse est ipsum moueri localiter.

¶ CONTRA. Omnis motus est propter indigentiam suiipsius, vel alterius: & ponitur exemplum de cælo: quod si propter indigentiam sui non moueatur; quoniam est corpus perfectissimum: mouetur tamen (sicut dicit Philosophus) propter continuationem generationis inferiorum. Phil. 2 de Gener. & cor. t. ups & lib. de substantia Orbis c. 4. & 8. phy con. 8 & alibi. Sed angelus nō habet necesse moueri propter indigentiam sui, vel alterius: ergo, &c. Probatio minoris: propter indigentiam sui non mouetur: cum sit iā beatificatus: & ita vltimam perfectionem habet, cum qua non potest habere indigentiam aliquam: ergo mouetur propter indigentiam alterius: & hoc videtur per hoc, quod dicitur. Heb. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, missi propter eos &c.*

¶ SED contra videtur; quod si nunquam esset indigentia hominis reparanda per motum angeli: quod adhuc nihilominus posset angelus habere necessitatem ad mouendū: ponamus ergo quod adhuc præcipiat ei Dominus moueri: & cum suo motu non perficiatur aliqua indigentia creaturæ: & cum habeat necesse obedire: patet quod necesse habet moueri: quare &c.

¶ PRÆTEREA, videtur quod propter suiipsius indigentiam moueatur: constat enim quod per suum motum est in aliquo loco, in quo nihilominus prius erat antequam moueretur: ergo non est in ipso aliquid innouatum: ergo aliquid acquisiuit: quo (vt videtur) antequam moueretur, indigebat: aut frustra mouebatur: quare &c.

¶ SI dicatur, quod verum est, quod propter indigentiam suiipsius, sed non propter indigentiam, quæ modo sit in ipso, cum iam sit beatificatus: sed propter indigentiam, quæ fuit, & hoc dicitur secundum opinionem illorum, qui dicunt quod angeli modo merentur gloriam, quam iam obtinuerunt. Vnde non merentur habendum, sed potius iam habitum.

¶ CONTRA, præmium redditur propter meritum: ergo meritum naturaliter antecedit præmium: ergo angeli prius meruerunt gloriam, quam modo obtinent, quam eam obtinuerunt: quare &c. ¶ ITEM, mali angeli simul sunt auersi à Deo, & boni conuersi: sed mali sufficienter meruerunt pœnam per hoc, quod sunt auersi. Vnde propter illam auersionem puniti sunt post modū æternaliter: ergo boni per hoc, quod sunt conuersi: meruerunt gloriam, quam modo obtinent: ergo ex tunc habuerunt perfectionem in merito, & in præmio: quoniam illa conuersio fuit gratuita: sed quantulacunque conuersio, dummodo gratuita sit, sufficit ad obtinendam gloriam: Planum est ergo, quod propter huiusmodi conuersionem non habuerunt angeli indigentiam, nec ex parte meriti, nec ex parte præmij: ergo postmodum non mouentur propter indigentiam, prius habitam reparandā.

¶ ITEM, omne, quod mouetur propter aliquid, habito illo, quiescit: si ergo motus angeli non mouetur, nisi propter obtentum gloriæ: videtur quod obtenta gloria, nō deberet vlterius moueri: quoniam post obtentum gloriæ non videtur aliquid in eo esse reparandum: quoniam tunc non esset beatificatus. Ex quo adhuc apparet, quod non potest poni ipsum moueri propter reparationem indigētiæ, quam prius habuit: cum sit iam sufficienter reparata. ¶ ITEM, occasione huius motus quæritur. Vtrum motus semper indigentiæ attestetur, ita vt sequatur: hoc mouetur, ergo iste indigens. Quæst. incidentalis ¶ Quod videtur per diffinitionem motus, quam ponit Philosophus, quæ est: *Motus est actus mobilis imperfectus.* Philos.

¶ SED contra: constat quod in corporibus glorificatis attestatur agilitas perfectioni: aut aliter non diceretur agilitas dos: sed agilitas dicit potentiam huiusmodi corporum ad mouendum localiter: sed constat quod plus est perfecta potentia, cū est sub suo actu; quam sit secundum se: sed actus prædictæ potentiæ est motus huiusmodi corporum secundum huiusmodi agilitatem: ergo planum est; quod motus corporum glorificatorum attestatur perfectioni, & non indigentiæ: ergo multomagis motus spirituum.

¶ SED contra: quia Deus est vbique: ideo non dicitur moueri. Nec est cōtrarium, quod dicit Aug. ad Orosium; quod Deus mouet se sine tempore, & sine loco: hoc enim solum est dictum secundum similitudinem quandam. Quod ergo dicitur creatura moueri localiter: hoc est, quia deest ei, vt sit in illo loco, ad quem mouetur: ergo est in eo indigentia quo ad hoc: & ita omnis motus est propter indigentiam.

RESOLVTIO.

Cum Angelus vbique non sit; quia hoc solius Dei proprium est: dum mouetur, & mittitur; necessario localiter mouetur, & mittitur.

¶ SOLVTIO. Concedimus, quod angelus mouetur de loco ad locum.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur in contrarium. Dicimus, quod in creatura potest determinari indigentia dupliciter. Vno modo vt dicat diminutionem respectu perfectionis, quæ est in solo Deo: & sic bene concedimus quod in qualibet creatura, etiam in quocunque statu est indigentia: hoc enim perfectioni debitæ creaturæ, secundum quod est creatura, non opponitur. Alio modo vt dicat diminutionem contra perfectionem vltimam creaturæ: secundum quod dicimus quod angeli boni vltima perfectione perficiuntur: & sic dicimus, quod nec in angelis, nec in corporibus glorificatis est indigentia: vnde nec motus eorum est propter indigentiam, quę suæ perfectioni opponatur: nec enim quando mouentur inueniūt in medio resistentiam: immo quam cito sunt, vbi esse volunt: & verum est, quod si aliter esset, quod in ipsis quo ad motum eorū esset indigentia, quæ suæ perfectioni opponitur. ¶ Dicimus ergo de angelis, quod mouentur propter reparandam indigentiam, quæ est in nobis: & in hoc licet non mereantur præmium principale, merentur tamen secundarium: sicut prælatus in regendo non acquirit præmium principale, sed secundarium: & hoc præmium bene merentur angeli: licet iam sint beati vsque ad diem iudicij. Nec tamen est propter hoc in ipsis indigentia, quæ opponatur suæ perfectioni, vt supra ostensum Paulo superius.

est: tamen

est:tamen bene concedimus, quod etiam si non mouerentur propter reparandam indigentiam, quæ est in nobis; sed solum vt obedirent Deo principi, quod adhuc merentur præmium secundarium:quod tamen esset alterius generis à prædicto præmio secundario: illud enim posset dici aureola:istud non:vnde bene concedimus, quod in sola conuersione ad Deum meruerunt præmium primum: & postmodum non merentur nisi secundarium, nondum tamen habitum antequam mereantur, sed post meritum habendum: & concedimus ea,quæ ad hoc obiecta erant. ¶ Et per hæc possunt solui omnia quæsita.

MEMBRVM II.

An angelus cum mouetur,necesse sit per medium moueri?

AD secundum,quo quæritur. Vtrum necesse sit ipsum moueri per medium.Quod videtur, quoniam mobile ratione sui motus non potest comparari, nisi ad terminum ad quem:& ad terminum à quo:aut ad spacium eius mediũ. Supposito ergo ex prædictis, quod angelus moueatur secũdum locum: necesse est quod dicatur hoc comparatione ad aliquem prædictorum locorum: sed constat quod nõ comparatione ad terminum à quo:quoniam in illo termino fuit non motus:ergo comparatione ad hunc non potest habere rationem motus: cum quiescere & moueri sint opposita. Similiter nec in comparatione in termino ad quem: quoniam cum est mobile in hoc loco, iam est mutatum vel motum:sed moueri & esse motum opponuntur; ergo si dicatur moueri;necesse est,vt hoc sit in spacio intermedio: & ita necesse est ipsum pertransire medium. Et quod ita necesse sit secundum istam rationem adhuc euidentius apparet: quoniam ipsum moueri medium est inter non motum esse, secundum quod respicit terminum à quo:& ipsum motum esse secundum terminum ad quem: quare secundum hoc ipsum non motum esse, est in termino à quo: & ipsum motum esse in termino ad quem: sic erit ipsum moueri in spacio intermedio.

¶ AD idem, motus localis & locus sese consequuntur: ita quod quicquid dicitur esse in loco; dicitur moueri localiter:& ideo dicit Philosophus, quod nisi esset motus, non quæreretur locus:sed locus comparatur ad locatum, aut sicut ipsum circumscribens: aut sicut saluans: aut sicut terminans:aut sicut in quo locatum quiescit. Sed constat quod locus angeli essentialis non comparatur ad ipsum sicut circumscribens: quoniam ipse modus essendi in loco solum corporibus competit: nec sicut saluans ipsum: quoniam sine loco corporali posset esse angelus: sed bene videtur locus comparari ad angelum,sicut in quo est angelus, sicut in suo terminante:aut sicut in eo in quo quiescit. Intelligamus ergo, quod angelus sit in aliquo loco, vt in quo quiescat, & debeat postmodum esse in aliquo, ad quem necesse sit terminari suum motum: quia constat quod in illo non potest esse nisi per motum. Si ergo dicatur angelus moueri, constat quod hoc non est, dum est in termino à quo, in quo est sicut in quo quiescat:quoniam dum est in hoc termino, adhuc habet potentiam mouendi: nec adhuc actualiter mouetur,aut motum est: similiter nec cum iam est in termino ad quem:quoniam iam motus est,aut mutatus. Ista ergo potentia ad mouendum, quam habebat, dum erat in termino à quo:nec reducitur ad actum,nisi dum est in spacio intermedio:quare vt prius videtur, quod necesse sit ipsum moueri per spacium:& ita necesse est pertransire medium.

¶ CONTRA, est quoddam corpus rarum, vel densum; quod mouetur, diuidendo medium: est aliud corpus nec rarum, nec densum, sed nobilius: vt lumen, quod in suo loco mouetur orbiculariter: extra autem mouetur motu recto, non diuidendo medium: vt radius. Vnde proprie non dicitur quo ad hoc diuidere medium, secundum quod dicit August. *non citius peruenit radius ad propinquiora loca, quam ad remotiora: sed fit repente immutatio in medio & extremo*: sed corpus rectum pertransit medium diuidendo: & est dicere suũ motum tardum, vel velocem. Sed constat, quod spiritus angelicus adhuc in nobiliore conditione participat motum localem, quam etiam corpus quodcunque. Quare si vnum corpus est, quod mouetur, pertransseundo medium, & diuidendo aliud; quod & si pertranseundo, non tamen ipsum diuidendo: sed quasi repente & in tempore imperceptibili fit mutatio in medio & extremo; videtur quod spiritus angelicus moueatur de loco ad locum, non pertranseundo medium. ¶ ITEM, August. *Deus mouet corpora per loca, & tempora: spiritus non per loca, sed per tempora*. Si ergo dicatur moueri spiritus per oppositionem ad corpora quo ad hoc, quod est moueri per loca:& constat, quod sicut corpora mouentur de loco ad locum; sic & spiritus: ergo cum dicuntur spiritus moueri per loca: hoc non potest esse, nisi quia mouendo de loco ad locum, non pertranseunt medium: quo ad hoc enim quod est moueri de loco ad locum, non est oppositio inter corpora & spiritus quo ad locum, sed quo motum.

Aug. in li. sex quæst.

Idem ad Orosium

¶ SED vt habeatur intellectus huius autoritatis, obijcitur contra eam: quoniam (sicut dicit Philosophus) *motus localis primus est inter omnes motus*:& loco ipso desinente, desinũt omnes alij motus. Sed ex vna parte autoritatis habetur, quod motus localis non est in angelis: quia dicitur quod Deus mouet spiritus non per loca: quare videtur quod ei non conueniat aliquis motus, quid est ergo quod postmodum dicitur, quod ei conuenit moueri per tempus, cum constet: moueri per tempus esse quoddam moueri?

Phil. 1. de Gener. & corrup. tex. cõ. 55

RESOLVTIO.

Angelus dum localiter mouetur, per medium mouetur: non quidem cõmetiendo se partibus loci: quippe qui partes non habet: sed respiciendo vtrunque terminum, à quo, & ad quem: ita necessario exigente natura motus localis.

¶ AD quod dicendum, quod cum angelus mouetur localiter, mouetur per medium. Notandum tamen, quod moueri per medium dicitur dupliciter. Vno modo, quando vna pars eius, quod mouetur, est in vna parte loci; & alia in alia parte: sic fit motus per commensurationem mobilis & magnitudinis:& sic angelus non potest moueri per mediũ; sed solummodo corpus: cum angelus non habeat partem & partem: nec commetiatur se partibus loci, sicut corpus. Alio modo dicitur moueri per medium, quod licet non sit secundum vnam partem sui in termino à quo, secundum aliam in termino ad quem: nec sit motus per commensurationem mobilis loci, siue magnitudinis: respicit tamen & terminum à quo & terminum ad quem, & hoc modo angelus dicitur moueri per medium. vnde cum est in illo medio spacio non est in illo loco à quo recedit nec in illo ad quem tendit: sed habet relationem ad vtrunque terminum: licet pars eius non sit in vno: & pars in alio.

¶ SED tunc quæritur: quare necesse sit angelo pertransire medium in motu suo? Ad quod respongetur, quod hoc exigitur ratione motus localis: oportet enim in motu locali, & generaliter in omni motu differente à mutatione, quod oportet ibi esse rationem medij differentem à ratione terminorum, sc. termini à quo, & termini ad quem: quod non oportet in mutatione: sed cum mutatum est, statim est in altero termino, sc. in termino ad quem: nec oportet ibi medium esse differens ab extremo, siue à termino: Quia ergo in motu oportet de necessitate esse rationem medij, differentem ab vtroque termino: ideo cum angelus mouetur localiter, necesse est quod moueatur per medium: quia alio modo nõ posset intelligi moueri localiter.

¶ AD illud, quod obijcitur in contrarium. Dicendum, quod licet nobilior sit spiritus angelicus, quam lux corporalis: nihilominus in hoc conueniunt, quod vtrunque mouetur per medium: quia hoc exigitur nõ ex parte eius, quod mouetur: sed ex parte ipsius motus, in quo necesse est rationem medij esse differentem ab vtroq; termino. In hoc tamẽ abundat in mobilitate spiritus angelicus à luce corporali: quia in motu suo non est secundum vnam partem sui in termino à quo, secundum aliam in termino ad quem: sicut lux cum pertransit, quæ commetitur se partibus loci. ¶ AD illud vero, quod dicit Aug. quam Deus mouet spiritus per tempus, non per loca. Dicendum, quod hoc non intelligitur de motu locali: sed de motu interiori, quo mouetur secundum originem, vel affectionem.

sua sunt corporei: sed eiusdem naturæ sunt boni, & mali ergo tam boni angeli, quam mali de natura sua sunt corporei.

Aug. 8. de ciuit. Dei. Cap. 16. Tomo 5.

¶ ITEM, Aug. comparat tres substantias adinuicem Deos, scilicet dæmones, & homines: & dicit quod hi, scilicet dæmones sunt genere animalia, animo passiua, mente rationalia, tempore æterna, corpore aerea. Sed homines sunt genere animalia, animo passiua, corpore terrestria, duratione temporalia. Dæmones vero sunt genere animalia: mente rationalia, animo passiua, corpore aerea, duratione æterna. Postmodum dicit, quod duo sunt communia omnibus, scilicet quod sint genere animalia, mente rationalia: ergo dæmones sunt genere animalia, & ita vt prius.

Idem de Trinit. Lib. 3. cap. 1. in fine.

¶ ITEM, August. *Quærendum est in illis corporalibus formis visis, vtrum ad hoc opus tantum creatura formata sit, in qua Deus sicut ratio apertius se indicauit, humanis ostenderetur aspectibus: an angeli, qui iam erant, ita mittebantur, vt ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in vsum ministerij sui: aut ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt; mutantes atq; vertentes in species, quas vellent, accommodatas atq; aptas actionibus suis, secundum attributam sibi à creatore potentiam?* & hoc recitatur 2. Sent. Dist. 8. Ex hac ergo distinctione videtur, quod angeli sunt incorporei.

RESOLVTIO.

Vt vniuersitati rerum nihil omnino desit: statuendum est, angelos natura à corpore separatos.

¶ RESPONDENDVM est, concedimus, quod (sicut ostendebatur) quod angeli de natura sua sunt substantiæ separatæ à corporibus.

¶ AD illud, quod primo obijcit de Augustino: Dicendum quod illud non dicit asserendo, sed magis procedit ex suppositione, volebat enim ostendere, quod dæmones quia permittuntur tentare homines, habitant in hoc aere caliginoso: deferentes tamen secum suam pœnam, gehennalem, secundum quod manifestat Beda. & ad hoc ostendendum vult dicere, quod habetur argumentum; si ita esset, quod dæmones essent corpora aerea: sicut quidam volunt; quoniam si sic esset, magis congrueret, quod in prædicto aere habitarent: & ita patet quod non asserit ipsos esse corpora aerea.

¶ AD secundum dicimus, quod August. illud dicit recitando opiniones Platonicorum, non asserendo.

¶ AD tertium dicimus similiter, quod illud dicit Aug. disputãdo: nec ibi illam quæstionem, prout ad angelos pertinet, disputauit: sed potius dicit, quod hoc non pertinet ad suum propositum: sed solum vult determinare, quomodo dominus apparuit in veteri testamento: & vtrum indifferenter secundum omnes personas: & vtrum assumebat corpus, & in illo corpore sanctis patribus loquebatur.

MEMBRVM II.

An Angelus ad aliquam sui operationem corpore indigeat.

AD SECVNDVM, quo quæritur, Vtrum indigeat. ¶ AD quod sic. Non potest dici, quod angelus frustra assumat: omnes enim operationes angelorum aut debentur eis in se; aut in relatione ad Deum; aut in relatione ad nos. Ratione primarum operationum non potest dici, quod corpore indigeat: cum sit incorporeus de natura sua: vt supra ostẽsum est. Similiter nec ratione secundarum: quoniam assistere, laudare Deum, & huiusmodi operationes nullam relationem habent ad corpus. Similiter nec ratione tertiarum: quoniam operationes, quæ debentur ei in comparatione ad nos; aut debentur ei quo ad intellectum, aut quo ad effectũ. Quo ad eas, quæ debentur ad intellectum; constat quod non indiget corpore: quod patet de natura agentis; & de natura recipientis: substantia enim intellectiua potest communicare, quod intelligit sine corpore; & similiter potest recipere. Similiter nec quo ad eas, quæ debentur ei secundum effectum, sicut est custodire, pugnare, & huiusmodi.

Memb. 1. immediate præced.

¶ CONTRARIVM plane habetur à Bernardo, vbi distinguit quatuor spiritus, quorum vnus est angelicus, qui est corpore indigens, sicut dictum est in præcedenti disputatione.

Bern. in hom. 5. super Canti. Quæst. 33. membr. 3.

* * *

RESOLVTIO.

Indiget profecto, sed in operationibus, quæ nos concernunt.

¶ RESPONDETVR, quod assumit solummodo corpus propter operationes, quas exercet in nobis. Vnde necessitas est ex parte nostri, non ex parte sui: Et verũ est adhuc, quod non est necessitas aliqua ad hoc vt imprimat intellectiue aut imaginatiue; sed solum prout debet imprimere in sensitiua: vt visui, aut auditui. ¶ ET per hoc soluitur quod obijciebatur. ¶ ITEM, quædam congruentia est ratione custoditionis: non enim solum custodit nos, faciendo nos proficere in bono: sed custodiendo nos à malo: dæmones enim multotiens assumunt corpus, vt nobis noceant: & ipsi angeli, assumptis corporibus, conuenientius possunt eos reprimere: vnde post corporis assumptionem est ibi quædam cõgruentia.

MEMBRVM III.

Angelum assumere corpus, quid?

AD TERTIVM, quo quæritur, Quid dicatur assumere? Constat enim quod quando spiritus angelicus assumit corpus, quod ei vnitur: sed spiritus non videtur posse vniri corpori: nisi aut sicut perfectio perfectibili; aut sicut motor mobili: his enim duobus modis vnitur corpori. Sed cõstat, quod primo modo non vnitur corpori: ergo secundo: & ita videtur, quod pro tanto debet dici, quod angelus assumit corpus: quoniam vnitur ei sicut motor mobili.

¶ SED tunc obijcitur: si pro tanto dicatur assumere: tunc dicetur assumere quodcunque corpus, quod est ab ipso motum: & ita si mouet vnam magnam turrim; tunc diceremus ipsum assumere corpus id: quod falsum est. Dicit enim August. plane, quod angeli ex natura & potestate diuina habent potestatem ad mouendum omnia corpora: sed non dicuntur assumere omnia corpora, ab ipsis mota. ¶ Forte diceretur, quod dicuntur assumere illa corpora, in quibus loquuntur, & in quibus exercent huiusmodi operationes sensibiles. Sed adhuc videtur esse hoc falsum: quoniam angelus locutus est in Zacharia, secundum quod dicitur. *Dixit ad me angelus, qui loquebatur in me*: ergo secundum hoc oportet dicere, quod angelus assumpsit corpus Zachariæ: quod falsum est.

Aug. in li. de ciuit. Dei.

Zach. 1.

RESOLVTIO.

Angelum corpus assumere, nihil aliud est, quam corporalem creaturam sibi spiritualiter coniungere, & quasi vnire ad manifestationem diuinam, vel sui.

¶ RESPONDETVR, quod (secundum quod potest extrahi ex verbis August.) quod ista assumptio est sumptio corporalis creaturæ sibi coniuncta, vel quasi vnius cum creatura spirituali, ad manifestationem ipsius creaturæ spiritualis, vel ad demonstrationem diuinam. Et nota quod dicit [*quasi vnius, vel quasi coniuncta*] quoniam angeli ad suum corpus non est vnio sicut perfectionis ad perfectibile: sed sicut motoris ad mobile. ITEM additur [*ad demonstrationem diuinam*] propter apparitiones factas in vet. Testam. in quibus dominus locutus est sanctis patribus: tamen mediante angelo assumente corpus: & ita aliquando inuenitur scriptum, quod apparuit dominus: aliquando quod apparuit angelus. Ex hoc patet, quod non assumit omne corpus, quod mouet: sed solum, quod mouet ad sui manifestationem, vel manifestationem diuinam.

Aug. in li. de Trinit.

¶ ET quod obijcitur, quod deberet dici assumpsisse Zachariam, cum in eo locutus est. Dicendum, quod non oportet: quia dominus angelo inspirauit: & angelus prophetæ: & tũc anima sic ab angelo mota, mouit corpus ad exprimendum voce illud inspiratum: ita loqui non conuenit angelo, nisi per causam, non per essentiam.

MEMBRVM IV.

Angelus de quo corpore corpus sibi assumat?

AD QVARTVM, quo quæritur; de quo corpore assumat corpus? ¶ AD quod sic, videtur enim quod de empyreo: vel dicatur, quare non. ¶ PRÆTEREA, videtur quod magis congruat, quod assumat de cælesti, quam de alio: quoniam illud corpus inter omnia corpora magis congruit naturæ eorum. Vnde etiam Augustinus quod dæmones, quibus

Aug. in li. super Gen. ad litt.

ante

nizato: quia organizatio est vltima dispositio, quæ est quasi necessitans ad animam: vnde prius est organizare, quam organizatum esse: & ita cum corpus organizatur, anima nondum est: vnde nec potest organizare: sed habet naturã subministrantem in organizando corpus: sed angelus, cum corpus assumit, iam est: & ideo potest ipsemet præparare.

¶ AD aliud dicendum, quod licet angelus distinguat aliquo modo organa: non tamen propriè dicitur creator, quia non facit de non ente ens: quod creatoris est tantum: sed de non sic existente sic existens, supponendo materiam, quæ non supponitur in creatione, vt rarum, densum, & huiusmodi: quod potest conuenire alij.

MEMBRVM VI.

An angelus assumat corpus quo ad omnem actum.

AD sextum, quo quæritur de vsu corporis assumpti, Vtrum angelus mouetur corpore assumpto, vtpote corpore humano ad omnem actum, inquantum huiusmodi corpus est. Videtur, quod sic: vtitur enim corpore quantum ad actum loquendi, qui attenditur quantum ad rationalẽ: vtitur etiam eo quo ad actum comedendi, qui attestatur animationi: sicut potest probari autoritate scripturæ in pluribus locis. Fiat ergo argumentum à minori sic Angelus potest vti corpore assumpto ad dictos actus, qui nobiliores sunt alijs: ergo multo magis ad omnes alios, qui minus digni sunt. ¶ ITEM, Posterius non est sine priori: sed viuere est actus prior, quam loqui, vel comedere: ergo illi non sunt sine isto: cum ergo angelus vtatur corpore ad locutionem, & comestionem: ergo videtur, quod eo possit vti ad viuificationem: ita sc. vt illud viuificet.

RESOLVTIO.

Nequaquam, sed quo ad illos tantum, ob quos corpus assumpsit, scil. ad sui manifestationem, & Dei demonstrationem.

¶ QVOD si concedatur, videtur hoc esse falsum. Non enim videtur viuere corpus assumptum ab angelo: quia ab eo assumitur: similiter plures actus tali corpori competentes: sed solum quo ad illos, qui valent ad angeli manifestationem, vel Dei demonstrationem: propter quæ etiam corpus assumit, huiusmodi enim sunt loqui, & comedere: volebant. n. angeli ostendere suam potestatem, quia comedebant potestatiuè: non ex indigentia, vel necessitate, sicut nos: vnde per prædictos actus se magis manifestabant.

¶ PRÆTEREA, quia per hos maiorem familiaritatem exhibebant illis, quibus apparebant: sicut per dormire, sentire &c. Ideo potius ad hos actus vtebantur corpore assumpto, quam ad alios. Et hoc est quod Augu. in Lib. de Ciuit. Dei. Hoc faciebant angeli visibiliter & tractabiliter apparentibus: non quia indigebant: sed quia volebant, & poterant: vt hominibus congruerent, sui ministerij quadam humanitate fecerunt, nec phantasticè angelos edisse credendum est: quando eos in hospitio homines susceperunt, sicut dicitur Gen. 18. & 19. ¶ Per hoc etiam quod dictum est, non quia indigebant, sed quia volebant: patet solutio ad obiecta, quæ procedebant, ac si huiusmodi actus essent ex natura, vel necessitate, non voluntate, vbi enim aliquid habetur non natura, sed voluntate, potest haberi posterius sine priori: illud autem argumentum non erat à maiori quia non magis videtur, quod debeat vti corpore assumpto quo ad alios actus, quam ad loquendum, & comedendum quod patet, si inspiciantur prædicta.

¶ SED oritur hic quæstio, quare Abraam angelis sibi apparentibus cibos obtulit, cum sciret angelos cibo non indigere, & illos intelligeret esse angelos, quod patet, quia eos adorauit. Ad quod dicendum, quod Abraam primo putauit eos esse homines: & ideo cibo indigere, propter quod cibos obtulit, sed postmodum percepit eos esse angelos. (D. Th. 1. par. q. 51. ar. 3. in resp. ad vltimum.)

¶ SED obijcitur, quia prius adorauit, quam cibos offerret: vt patet Gen. 18. ergo prius intellexit eos esse angelos. Ad quod dicendum: illa adoratio non fuit latria, quæ Deo offertur: nec etiam dulia, quæ angelis: sed dulia quæ offertur hominibus reuerentiæ causa. Sic autem adorauit Abraam, cum putaret eos esse homines: quia eos vidit in reuerenda persona. Sed postmodum intellexit eos esse verè angelos: & etiam Deum in eis apparuisse. Vnde trinitatem in vnitate cognouit, vt dicit Aug. de Trin. Vnde de ipso cantatur. *Tres vidit, & vnum adorauit*: cum sc. dixit, *Loquar ad Deum meum, cum sim puluis & cinis.* (Gen. 18.)

MEMBRVM VII.

An species illæ, in quibus olim Deus antiquis Patribus apparuit, per angelos vel per ipsummet Deum immediatè fiant?

AD septimum, quo quæritur de speciebus corporalibus in quibus legitur Dominus apparuisse ante incarnationem. Et quæritur, Vtrum huiusmodi species faceret angelus, vel ipse Deus: cum enim illæ species fierent propter apparitionem Dei, & Deus sufficiebat ad faciendum eas per se sine angelo, videtur superfluere operatio angeli, quia vbi sufficit vnum agens, videtur superfluere alterum: ergo illas faciebat ipse Deus.

¶ CONTRA Aug. de Trin. Antiquis patribus ante incarnationem saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces istæ, aut species corporales fiebant per angelos, aut ipsis agentibus aliquid ex persona Dei: sicut prophetas solere ostendimus, siue assumentibus ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur. (Aug de Trin.) ¶ ITEM, quæritur, vnde est hoc, quod ante diluuium semper legitur apparuisse dominus in se, sed post diluuium ante incarnationem vbicunque legitur dominum apparuisse, legitur quod apparuit in angelo, quod perpenditur ex hoc, quod ibidem vel præmittitur, vel subiungitur de apparitione angeli, vnde aliquando dicit scriptura, angelum fuisse locutum, aliquando Deum. (Quæstio incidentalis.)

RESOLVTIO.

Species illas & Deus effingebat, & angeli: Deus autoritatiue, angeli ministerialiter.

¶ AD primum dicimus, quod ista operatio dictarum specierum & Deo attribuitur, & angelo: sed differenter, sc. Deo per autoritatem: angelo per ministerium. Et licet Deus quantum in se est, non indigeat ministerio, tamen congruit eius nobilitati, & dignitati, vt ministrent ei angeli in huiusmodi inferioribus. Vnde, *Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris.* (Ad. Gal. 3.)

¶ AD aliud dicendum, quod cum imminente diluuio omnis caro corruperat viam suam, & dominus diluuium immisit in pœnam illius corruptionis, sicut dicitur Gen. 6. & ideo extunc dominus minorem familiaritatem habuit cum natura humana. Ad quod innuendum, post diluuium non legitur apparuisse in se, sed in angelo, vt notaretur elongatio Dei ab homine, facta per illam corruptionem. Sed ante tempus diluuij benè legitur apparuisse sine mentione facta de angelo, ad denotandum quod non ita esset elongatus ab homine per peccatum. Vel illud potest solui, referendo ad tempus incarnationis, quando apparuit dominus in angelo magni concilij, hoc est in filio suo, vt dicatur, q̃d propter apparitionem Dei in se, sc. qua legitur apparuisse in se, non facta mentione de angelo, legitur consequenter apparuisse in angelo, vt per hoc innueretur, quod appropinquabat tempus illud, in quo appareret in angelo magni concilij, sc. tempus incarnationis.

QVÆSTIO XXXV.

De actibus angelorum in corpore assumpto.

In quatuor Membra diuisa.

HABITA consideratione de assumptione corporum ab angelis, sequitur consideratio de motu facto in corpore per angelum: & quia duplex motus distinguitur ex parte animæ, quidam est ad animam sicut per organa sensibilia: quidam verò ab anima: Et ille est duplex, est enim totius corporis, & ille dicitur motus localis, est alius particularis, qui est, cum organum mouetur ad locutionem faciendam vel operationem. De vtroque autem quærendum est, & sic erunt quatuor quærenda. Primò, si motus sensitiuus sit in corpore assumpto ab angelo. Secũdò, si sit ibi vera cõestio, (D. Th. 1. p. q. 51. S. B. in 2. d. 8. a. 3. Sc. ibid.)

ad formandum locutionem: ergo eadem ratione in corpore assumpto, licet non habeat debitum organum, potest formari locutio ab angelo. ¶ Item, dicit Beatus Gregor. Aliquando loquitur Dominus per angelum cælestibus substantijs aliquando terrenis, & ponit exemplum de cælestibus, cum vox facta est de nube, Hic est filius meus dilectus: formatio ergo illius in aëre est facta ministerio angeli: quod si est: ergo angeli habent potestatem ad formandum vocem, siue locutionem sensibilem sine organo: ergo non est necesse corpus habere organum locutionis.

¶ Contra, omnis operatio animalis fit mediante instrumento corporeo, sed locutio est operatio animalis: ergo non fit sine instrumento, vel organo, ergo angelus in formando locutionem, indiget huiusmodi instrumento. ¶ Item, locutio est actus virtutis rationalis, sed solum rationale conuenit hominibus, & non angelis cum rationalis sit propria differentia hominis, ergo locutio conuenit tantum homini, & non angelo. ¶ Item, locutio est vox articulata, sed vox articulata non fit sine instrumento apto ad articulationem vocis, ergo ad formationem locutionis indiget angelus debito instrumento.

RESOLVTIO.

Adsit determinata materia, quantumcunque desint instrumenta, & instrumenta (inquam) ad hoc determinata, potest angelus vocem formare in aëre, cum maioris virtutis sit ipse quam animantia hæc inferiora. Quare quæ illa per instrumenta possunt, poterit ipse sine instrumentis.

¶ Ad quod dicendum, quod angelus habet potestatem formandi locutionem in aëre, etiam sine instrumento, vel sine instrumento ad hoc determinato.

¶ Ad obiecta in contrarium dicendum, quod cum locutio sit operatio animalis, requirit instrumentum corporeum, cum autem est operatio angeli, qui secundum se est substantia separata à corpore, non requiritur instrumentum corporeum, sed determinata materia. Quod enim agit anima, quæ coniuncta est corporeo organo, per organum, hoc facit spiritus separatus sine organo, vel organo ad hoc determinato: & hoc quia superior substantia hoc vno modo potest facere, quod inferior mediantibus multis.

¶ Ad secundum verò dicendum est, quod licet locutio sit propriè actus rationalis, nihilominus superiori substantiæ conuenit, quæ hæc agit intellectu, quod inferior agit ratione. Solent tamen vti sancti nomine rationis, non tantum, in hominibus, sed etiam in angelis: & ita sicut locutio est communis, ita rationis intentio est communis.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet locutio sit vox articulata: articulatio autem fiat per vocem, labia, dentes, quę sunt instrumenta vocalia, quę faciunt quandam in aëre impressionem, angelus autem non habeat ista instrumenta aliquando: nihilominus easdem ad impressiones potest facere, quas anima facit, mediantibus huiusmodi instrumentis, potest etiam in corpore assumpto habere consimilia instrumenta ad formationem locutionis, sed non est necesse. Si enim erat formata vox ab asina Balaam ministerio angelico, non propter hoc oportuit (sicut dicit Glos. ibi) quod anima asinæ mutaretur in rationalem, nec oportuit, quod instrumentum vocale mutaretur in instrumentum humanum, ea autem, quæ supra rationem nostram sunt, magis oportet ex scripturis, quantum docent, accipere, quam indiscretè perscrutari.

QVÆSTIO XXXVI.

De missione angelorum.

In quinque Membra diuisa.

D Th. 1. p. q. 112. per 4 ar. S. Bo. in 2. d. 10. art. 1. & 2. Sc. lib. & d. eadem.

Dictvm est iam de Motu Angeli locali secundum se: & de his, quæ fiunt ab angelo mediante corpore assumpto, quia verò missio est ab angelo ad aliquod ministerium peragendum mediante motu, dicendum est consequenter de missione angelorum. ¶ Circa quam quæritur primò vtrum missio angelorum sit à Deo tantum, an etiam vnus angelus mittat alium. Secundò quæritur ex parte missorum, vtrum tam boni quam mali mittantur à Deo. Tertiò, vtrum boni de singulis ordinibus mittantur, an de aliquo ordine mittantur angeli, de aliquo non. Quartò, ad quid principaliter mittantur. Quintò, vtrum ad diuersa officia mittantur diuersi, an singuli ad eadem.

MEMBRVM I.

An à Deo tantum Angeli mittantur, vel etiam Angelus angelum mittat?

Circa primum sic obijcitur, videtur, quod à Deo solo sit missio: cum mitti sit spirituum, qui dicuntur administratorij: ministratorij autem spiritus, siue ministri Dei dicuntur, non vnus angelus alterius, ergo missio est tantum à Deo. ¶ Item, mittere est habentis autoritatem, cum ergo angeli non habeant autoritatem respectu aliorum angelorum, non est angelorum mittere.

¶ Præterea, vnus angelus non dicitur angelus alterius angeli, sed angeli Dei, angelorum autem est mitti, non ergo angelus mittitur ab alio angelo, sed à Deo solo. Quod etiam videtur per hoc quod dicitur in Psal. *Qui facit angelos suos spiritus.* Et alibi: *Benedicite Domino ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Psal. 103.

¶ Sed contrarium videtur, quod non tantum mittatur angelus à Deo, sed etiam ab alio angelo, per hoc quod dicit Greg. arguens ex verbis Zachariæ Prophetæ, dicitur enim, *quod Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occursum eius, dixit ad eum, loquere ad puerum istum, dicens: absque muro habitabitur Hierusalem.* Ex quo accipitur, quod angelus mittit. Vnde dicit. In conspectu conditoris angelica ministeria ordinata sunt, vt pro communi felicitate beatitudinis opificem suum videntes, gaudeant: cum pro dispositione dignitatis alij alijs subministrant: ad Prophetam angelus angelum mittit, & quæ secum de Deo communiter conspicit, edocet, & erigit: quia cum per superiorem scientiam virtute cognitionis, & præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit. Ex his manifestè colligitur: quod angelus angelum mittat, non ergo angelus tantum mittitur à Deo. ¶ Item, per simile potest argui. Sic enim disponuntur officia sub Rege terreno, vt ille, qui mittitur, non tantum à Rege mittatur, sed etiam ab alijs, qui superiora habent officia: ergo à simili est de Regno cælesti, vbi ordinatissima sunt omnia, quod vnus inferior mittatur à superiori: non ergo tantum à Deo mittitur angelus. Greg. in moralib. sup. illud Zach. 2.

RESOLVTIO.

Autoritatiuè & principaliter à solo Deo mittuntur, secundariò autem, & ex potestate collata etiam ab alijs angelis.

¶ Ad quod dicendum, quod angelus tantum à Deo mittitur autoritate. Etsi enim vnus angelus mittat alium, totum refertur ad autoritatem diuinam. Quod autem vnus mittat alium, dicit Greg. Dum angelus dicit ad alium angelum, *curre & loquere*: dubium non est, quod alius alium mittit. Minora verò & inferiora sunt, quæ mittuntur: maiora verò & superiora, quæ mittunt. ¶ Per hoc etiam possunt solui, quæ obiecta sunt. Concedendum enim est, quod angeli sunt ministri Dei, & ab eo autoritate mittuntur, ab alijs verò quadam potestate collata: propriè autem dicuntur ministri Dei. Si verò inuenitur, quod ministrent superioribus angelis: hoc est extenso vocabulo: totum n. ministerium ad autoritatem diuinam refertur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod angeli non dicuntur angeli respectu aliorum angelorum, sed respectu Dei: & ita nec ab eis mitti. Dicendum, quod angeli dicuntur, eo quod nunciant hominibus diuinam voluntatem: ratio autem missionis respicit potestatem: sed quia est potestas principalis, & secundaria: & ab habente potestatem principalem dicitur missio, & etiam ab habente secundariam, in relatione tamen ad habentem potestatem principalem.

MEMBRVM II.

An soli boni Angeli, vel etiam mali à Deo mittantur?

Ad secundum, quo quęritur, Vtrum mittantur tam boni: quam mali angeli à Domino: Et videtur, quod mali non mittantur. Malorum enim officium est tentare: sicut habe-

1. Thes. 3. habetur super illud, *Ne forte tentet nos is, qui tentat*: tentatio autem eorum est ad deceptionem, vel peccatum: Deus autem non mittit ad seducendum: ergo angeli mali non mittuntur ab eo. ¶ ITEM, malorum angelorum intentio est perdere animas: Dei autem est saluare: cum ergo cognoscat Deus intentionem eorum: non congruit eius bonitati eos mittere s. malos angelos. ¶ ITEM, Dei, cum sit summè bonus, est conseruare res in esse: sed mali angeli intendunt interfectionem, & obdurationem. (Interfectionem, vt primo genitorum, & huiusmodi) ergo cum hoc cognoscat Deus, non mittit malos angelos.

3. Regum vltimo. ¶ SED contrarium videtur per hoc, quod dicitur, vbi dicitur, quod exercitus cœli stabat à dextris & à sinistris, sc. boni angeli, & mali: & ait Dominus, quis decipiet Achab? *Egressus est autem spiritus coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui ait Dominus. In quo? & ait. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum.* Cum ergo angelus, qui venit ad decipiendum, sit malus: & missus esset (quod signat hoc verbum, egredere, & fac ita) mittuntur mali angeli à Domino.

Psal. 77. Matth. 7. ¶ ITEM, hoc idem accipitur super illud, *Immißiones per angelos malos*: vbi dicit Glos. quod mali angeli mittuntur. ¶ ITEM super illud. *Mitte nos in porcos*, & per porcos signantur mali, siue luxuriosi, in quos mittuntur: ergo missio talium fit à Domino. ¶ ITEM, Greg. loquens de bonis angelis, & malis dicit. *Sicut de bonis angelis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur, ita isti occultè eius iustitiæ nesciendo seruientes, ministerium exequi reprobationis conantur: non enim ministrant Deo soli, qui adiuuent bonis: sed etiam mali, qui probent, non solum qui redeuntes à culpa subleuent, sed etiam qui redire volentes grauent.* Greg. in Mora. li. 2.

RESOLVTIO.

Etiam malos mittit Deus, nec ideo perdit, sicut illi profectò perderent, siquidem nouit, quomodo eorum malam voluntatem in bonum dirigat.

¶ RESPONDETVR: quod angeli mali mittuntur à Deo.

¶ AD primum dicendum, quod licet sit contraria intentio ipsius diaboli intentioni diuinæ, quantum ad hoc, quod hæc est bona, & illa mala: nihilominus vtitur Dominus tẽtatione diaboli ad bonum. Tentatione enim quà tentauit diabolus Iob, quantum fuit de voluntate diaboli, fuit ad seducendum: sed illam ordinauit Dominus ad bonum, vt patientia Iob probaretur. Missio ergo Domini respicit ordinationem potestatis ad tentandum, quæ est sub potestate diuina: non in ordine ad voluntatem Dei, sed eius malam voluntatem ordinat Deus ad bonum.

¶ AD aliud dicendum, quod illud, quod dixit Dominus mendaci spiritui: quod egrederetur, & ita faceret: non dat intelligere, quod Dominus mittat malignum spiritum ad fallendum, secundum quod fallacia culpam dicit ex parte eius, qui fallitur: vel secundum ꝙ dicit culpam ex parte fallentis: sed secundum quod deceptio dicit pœnam ex parte eius, qui decipitur. Et hoc patet per hoc, quod dicitur in Glos. super illo, *Quis decipiet Achab?* Interlinearis, quod exigebant merita eius. Deceptio ergo in decepto fuit pœna propter merita ipsius. Deceptio autem ex parte decipientis culpa fuit, & ad illam non misit Deus: nisi in hoc, quod permisit, potestatem quidem non contulit, sed malam voluntatem permisit: in qua etiam mala voluntate seruiunt etiam ipsi mali angeli Domino: secundum quod dicit B. Gre. voluntas electorum spirituum diuinæ deseruit potestati, & reproborum sensus suæ seruiens malitiæ: iudicio omnipotentis obtemperat. 3. Regum vltimo.

¶ AD tertium dicendum, quod licet Deus cognoscat intentionem malam diaboli, ex qua sequitur seductio, vel perditio, nihilominus tamen ipsum non propter malum, ad quod inclinatur diabolus, mittit, sed propter bonum, quod ex illo elicit Deus.

¶ AD quartum verò dicendum, quod obijcitur de interfectione primogenitorum, & obduratione Ægyptiorũ, quod aliter mali angeli faciebant illud, & aliter Deus. Mali enim angeli peccabant, illud appetendo, & ex appetitu faciendo, Deus autem iustè operatus est, ipsis malis propter peccata pœnam infligendo. Vnde in Gloss. dicitur super illud. *Immißiones per angelos malos*, Possumus sine dubitatione malis angelis attribuere mortes pecorum, mortes primitiuorum, & obdurationem, Ægyptiorum: hanc enim iniquissimam & malignissimam obstinationem Deus cum facere dicitur, non instigando & inspirando, sed deserendo facit, vt illi operentur in filijs diffidentiæ, quod Deus debitè iusteque permittit.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de missione in porcos. Dicendum est, quod illa missio, secundum quod per porcos designantur peccatores, non aliud est, quam ordinatio potestatis ad puniendum, & permissio voluntatis ad seducendum: per malos enim angelos (sicut dicitur in Glos. super illud idem, *Immißiones per angelos malos*) punit Deus bonos & malos homines: sed bonos tantum corporalibus pœnis: malis autem non tantum corporalibus, sed spiritualibus. Glos. sup. illud Psal. 77.

MEMBRVM II.

An de quouis ordine angeli boni mittantur, vel solum de determinato ordine?

AD tertium quo quæritur, Vtrum omnes angeli mittantur de quouis ordine: an quodam ordine mittantur, de quodam non. Et videtur, quod non mittantur de superioribus ordinibus. Dicit enim Greg. recitans sententiam Dionysij: *Superiora agmina ab intimis nunquam recedunt, quia ea, quæ præeminent, vsum exterioris ministerij non habent.* Greg. Hom. 34. in Euang. paulo post medium.

¶ PRÆTEREA, inferiores ordines dicuntur angeli, & archangeli: sed angelorum & archangelorum est mitti sub hac ratione: ergo cum nullus alius ordo ratione missionis dicatur, non videtur, quod superiores angeli mittantur, non enim Seraphin, vel Cherubin, vel Throni rationem missionis determinant.

¶ ITEM, *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia aßistebant ei*, ergo videtur quod quidam sunt assistentes, & alij sunt administrantes. ¶ ITEM super illud, *Similitudo Throni*. Glos. *Cum angeli sæpe ad nuncianda quædam hominibus exeunt, Throni missi ad ministerium nunquam leguntur.* Dan. 7. Ezech. 1. Gloss.

¶ SED contrarium videtur per hoc, quod dicitur Esa. 6. *Volauit ad me vnus de Seraphin*, super quo dicit Beat. Gregor. *In hac prophetæ sententia vult intelligi, quoniam hi spiritus, qui mittuntur, eorum vocabulum percipiunt, quorum officium gerunt, quia vt peccata locutionis incendat angelus, qui de altari carbonem portat, Seraphin dicitur, quod incendium interpretatur.* Esa 6. Greg.

¶ PRÆTEREA, in quibusdam locis quædam per Cherubin, quædam per Seraphin agit Dominus. ¶ ITEM, *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi &c.* ¶ ITEM, diuersi sunt effectus, respondentes diuersis officijs. Cum ergo officio Cherubin & Seraphin respondeant diuersi effectus, mittentur non tantum de inferiori ordine, sed de superiori. Ad Heb. 1

RESOLVTIO.

Sunt qui & superiores & inferiores æque mitti dicant. Sunt pariter, qui inferiores tantum mitti affirment, tu sustine quos lubet.

¶ RESPON. per hoc, quod dicit B. Greg. *Vtrum per se hoc faciant superiores angeli, an per subiecta agmina agatur, nos affirmare nolumus, quod certo testimonio non approbatur.* Ex hoc accipit Mag. & ponit duplicem opin. Vnã illorum, qui dicunt: q̃d omnes mittuntur, siue sint de superioribus, siue de inferioribus imediatè. Alij verò dicunt, quod superiores nunciant inferioribus: inferiores verò nunciant hominibus, & illi per se dicuntur mitti. Greg. Mag. in sent. lib 2. Dist. 10.

¶ AD illud, ꝙ dicit Greg. ꝙ hi, qui præeminent, vsum exterioris officij non habent: Respondent illi, qui sustinent quod omnes mittuntur, faciendo vim in hoc, quod dicitur exterioris. Nam est quoddam officium exterius, ad quod deputati sunt angeli de inferioribus, & medijs ordinibus, vt est nunciare, punire, & huiusmodi officia similia. Est aliud officium interius, vt purgare, illuminare, & huiusmodi: & ad hoc deputati sunt illi, quæ sunt de superiori ordine: vt purgatio Esaiæ, facta ministerio Seraphin. Nõ negatur ergo quin illa, quæ præeminent, habeant vsum alicuius officij, sed quia non habent vsum exterioris officij, quia ad tales actus exteriores, non leguntur missi ex scriptura.

¶ AD aliud dicendum, quod ratio missionis non appꝛopriatur angelis, & archangelis, sed ratio missionis ad

nunci-

nunciandum: vt archangeli dicantur, qui nuncient maiora: angeli, qui minora. Vnde non oportet propter hoc, quod angeli non mittantur ad alia officia.

Dan. 7. ¶ SIMILITER cum dicitur, *Millia millium ministrabant &c.* non innuitur propter hoc, quod illi, qui sunt assistentes, non sunt ministrantes, vel econuerso: sed innuitur duplex officium conueniens omnibus angelis, scil. assistere, & ministrare.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod Throni non leguntur missi. Dicendum, quod licet non legatur in scriptura de missione Thronorum specialiter: nihilominus potest eis conuenire ratio missionis: & hoc accipitur ex hoc, quod dicit Apost. generaliter de omnibus, quod omnes sunt in ministerium missi.

MEMBRVM IV.

Ad quid principaliter mittantur angeli?

AD quartum, quo quæritur, Ad quid principaliter mittantur angeli. Et videtur Apostolus innuere, cum dicit ad Heb. 1. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: Ergo finis missionis videtur esse propter salutem humani generis. ¶ Sed quod non, videtur persimile: nam Rex terrenus, non ita ordinat familiam suam, aut regnum suum vt finem nobilium ministrorum ponat in minus nobilibus: imo econuerso, quod minus nobiliores ponuntur ad seruiendum magis nobilibus: ergo cum angeli sint nobiliores ministri: non constituitur eorum finis in hominibus. In quo ergo ponitur eorum finis? Aut vt sibi aliquid acquirant: vel vt diuinam peragant voluntatem siue iussionem. In eo enim principalis finis actionis est constituendus, qui est principium & finis.

RESOLVTIO.

Vt Dei iussa perficiant, sibique aliquid acquirant.

¶ QVOD concedendum est: Vnde quod dicit Apostolus, quod propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, non ponit finem vltimum; sed vtilitatem ex parte hominum assignat: quæ ordinata est ad vlteriorem finem.

MEMBRVM V.

An Angeli singuli ad singula officia mittantur, vel indifferenter omnes ad omnia?

AD quintum, quo quæritur: si angeli mittantur ad determinata officia explenda: an singuli indifferenter ad omnia. Et videtur, quod singuli mittantur ad determinata officia. Sic enim est in regno terreno, quod distincta sunt officia: & diuersi ministri ad diuersa officia mittuntur: hoc etiam exigit conueniens ordinatio. Relinquitur ergo, q̃d angeli diuersi ad diuersa mittantur officia.

Gregor. ¶ SED videtur contrarium: quia dona sunt communia: vt dicit B. Greg. vnde non est tantum illius ordinis: qui dicitur Angelorum, nunciare secreta: sed etiam aliorum ordinum. Similiter non est tantum illius ordinis, qui dicitur Throni, quod Deus in illis sedeat, & sua iudicia determinet

Psal. 70. quia dicitur in Psalmo, *Qui sedes super cherubim*: & sic de alijs.

Greg. Vnde B. Greg. *Sic in illa superna ciuitate specialia quædam sunt singulorum, vt tamen sint omnium: & quod quisque habet, hoc totum in alio possidet*: Ergo singuli ad omnia officia sunt parati.

RESOLVTIO.

Tametsi omnes Angeli ad omnia officia explenda parati sint indifferenter: quidam nihilominus ad quædam peculiariter deputati sunt.

¶ RESPON. Videtur, quod angeli singuli prompti sunt ad omnia officia: sed quia quædam sunt propter appropriationem quorundam: ideo videtur, ꝙ illi ad illa frequentius mittantur: & si alii de alio ordine ad illud mittuntur, quo ad hoc accipiunt illam rationem. ¶ Huius rei gratia quæritur: quare cum ex angelis vnus ordo conficiatur: nihilominus omnes de quocunque ordine angeli dicuntur? Respondetur: Vnus ordo [angeli] dicuntur: quia illorum est

Gregor. Homi. 34. in Euang. nunciare minora, sicut dicit Greg. & sic eis appropriatur. Est autem alia ratio communis, s. mitti ad officium explendum vel secretum nunciandum: secundum quod dicitur.

In Ps. 103. *Qui facit angelos suos spiritus*, i. spiritus suos facit angelos: sic est ordinanda sententia.

QVÆSTIO XXXVII.

De præsidentia Angelorum inter se.

In tria Membra diuisa.

FINITA parte, quæ est de consideratione potentiæ motiuæ, & motus interioris, & exterioris in angelo: consequenter dicendum est (adiuuante Deo) de præsidentia angelica. Præsunt autem angeli angelis: præsunt hominibus: præsunt & quibusdam corporalibus creaturis. Primo ergo quæritur, vtrum angeli ex natura primitus instituta habeant, quod alij alijs præsunt. Secundo, vtrum angeli boni ex gratia alijs præsint. Tertio, vtrum angeli mali alijs angelis malis præsunt vsurpatione potentiæ, vel ordinatione diuinæ iustitiæ. D.Th. 1. p.q.108. per 8.ar.8 q.109 per 4.ar.S.Bo in 2.d.9. Sco.ibid.

MEMBRVM I.

An natura Angeli angelis præsint?

AD primum sic: Sicut natura primitus instituta omnes homines fecit pares: sed per corruptionem peccati consequenter seruitus est introducta, & ita necessaria fuit prælatio: ita videtur fuisse in angelis: ergo sic erat in angelis: quia nullus angelus alteri præfuit. ¶ Præterea, si præesse esset de prima ordinatione angelicę naturę: cum natura angelica esset in sua maxima completione, esset tunc ista prælatio: sed completio naturæ omnimoda erit in gloria: tunc autem cessabit omnis prælatio in angelis: ergo non de prima ordinatione naturæ fuit prælatio in angelis.

¶ CONTRARIVM videtur per hoc, quod dicit Greg. *Dum Lucifer cunctis angelorum agminibus prælatus fuit, eorum comparatione clarior fuit.* Et iterum alibi, *Prælatum cæteris legionibus tanta speciei, illum pulchriorem reddidit, quanta illum supposita multitudo decorauit.* Et alibi. *Consideret ergo homo, quid si ipse superbia, de elationis suæ culpa passurus sit: si superbiendo Deus illi parcere noluit, quem creando in gloria tanta virtutis eleuauit: consideret quid in terra elatus mereatur, si & prælatus angelus angelis in cælo prosternitur.* Ex quibus colligitur, quod prælatio erat in angelis à principio: cum ipse Lucifer alijs angelis prælatus diceretur. Greg.

RESOLVTIO.

Si prælatio dicatur præeminentia in donis, aut gratuitis, aut naturalibus: vtique ab initio conditionis fuit in angelis. Si autem dicatur præeminentia ad imperandum, nequaquam credo.

¶ RESPON. videtur ad hoc, quod prælatio dicitur dupliciter: Vel præeminentia in donis gratuitis, vel naturalibus: & secundum hoc prælatio fuit à principio in angelis. Vnde Greg. *Tantum primum angelum reliquis angelis eminentiorem fecit*: Dicitur iterum prælatio pręeminentia ad imperandum iure, & secundum hunc modum non credo, quod pręlatio esset à principio in angelis: sed omnes suberant Deo ad imperium. ¶ PER hoc potest responderi ad obiecta. Nam prælatio, de qua loquitur Gre. est de pręeminentia in donis: alia verò affectauit indebitè: & ideo iustè cecidit. Greg.

MEMBRVM II.

An ex bonis angelis alius alii præsit ex gratia?

AD secundum, quo quæritur, Vtrum angelus præsit angelo per gratiam (& loquimur dę bonis) Videtur, quod non: in statu gloriæ nulla erit prælatio angeli ad angelum, vel hominis ad angelum. *Cum euacuauerit omnem potestatem*: Ergo cum angeli boni sint in statu gloriæ: angelus non præest ad dominandum, vel ad imperandum angelis. 1.Cor.15.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicit Greg. *Hominibus angelus, angelis archangeli, Deus autem omnibus præest*: ergo si angeli præfuerũt in hac via hominibus: & Deus omnibus relinquitur, ꝙ & angelis archangeli. ¶ ITEM, *Eius est imperare cuius est mittere*: sed (sicut dicit Greg.) angelus angelum mittit: ergo angelus angelo imperat: ergo præest ei ad imperandum. ¶ ITEM, vnus ordo ẽ dominatio: sed dominari est subiectos quousq; possidere: ea ergo angelorum agmina: quæ mira potentia præeminent, pro eo, ꝙ eis cætera ad obediendum subiecta sunt, dominationes vocantur: ergo in angelis est præesse ad dominandum, vel imperandum. Greg. Idem.

RESOLVTIO.

Præest: sed ipsi hæc eius præsidentia, vel imperium à prima præsidentia, & imperio est, idque dum propter salutem hominum huc mittuntur.

¶ Ad quod videtur respondendum sine præiudicio melioris sententię, quod angeli dum huc mittuntur propter salutem hominum, præsunt alij alijs ad imperandum: quod tamen imperium deriuatur à summo imperio, penes quod residet autoritas.

1. Cor. 14. ¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum, quod non est hoc contrarium, quod angeli iam sunt in statu gloriæ, quod enim dicitur, *Euacuabit omnem potestatem*; intelligendum est post diem iudicij: quando cessabit omnis prælatio: & dominabitur solus Deus, & imperabit: Tunc enim officium ministrantium, quod nunc habent: non erit necessarium; Quo ad hoc etiam quod fruuntur, non est necessaria in eis prælatio: sed ex parte illa, qua ad nos mittuntur &c.

MEMBRVM III.

An mali angeli, siue Dæmones sibi inuicem præsint?

AD tertium, quo quæritur de malis angelis, Vtrum sibi inuicem præsint. Et videtur, quod non. Si enim hoc non habuerunt ex natura: nec hoc meruerunt ex culpa (ex culpa enim venit seruitus, sed non dominatio, aut præsidentia) ergo in angelis malis non est præsidentia ad imperandum.

¶ Præterea, Nec hoc est de exigentia diuinę iustitię. Nam si hoc esset, vnus alij subijceretur ad torquendum: secundum quod plus, vel minus deliquit, sed cum maximus angelus, qui dictus fuit Lucifer, maximè peccauit, & adhuc peccet, ille omnibus subijceretur: sed hoc non est verum: imo dicitur aliorum princeps: ergo non est prælatio in eis de exigentia diuinæ iustitiæ.

Iosuæ 11. Glossa Adaman. ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicit Adamantius Ios. 11. *Omnes bellando cepit*. Glos. Adamant. *Non est putandus, quod vnus fornicationis spiritus se ducat eum, qui in Britania fornicatur, & illum, qui in India, vel in alius locis, neque vnum esse spiritum iræ, qui in diuersis locis diuersos homines agitet. Sed magis puto spiritum fornicationis esse vnum, & innumeros, qui ei in hoc officio pareant, & per singulos homines diuersos spiritus sub ipso principe militantes, qui ad huiusmodi eos peccata soluciteat. Similiter iracundiæ principem vnum esse arbitror, & innumeros sub ipso, & idem de cæteris peccatis. Ideo non vnus principatus dicitur ab Apostolo, sed plures, contra quos nobis pugna est.*

1. Cor 15. Glossa. ¶ Item, *Cum euacuauerit*. Glos. *Dum durat mundus, dæmones dæmonibus præsunt*: ergo vnus malus angelus præest alij.

RESOLVTIO.

Præsunt, sed non nisi vsque ad æcumenicum iudicium.

¶ Ad quod dicendum, quod dæmones præsunt dæmonibus ante diem iudicij.

¶ Ad obiectum in contrarium dicendum, quod licet ex natura non esset ista prælatio, tamen quædam inclinatio, siue dispositio ad illam est ex natura: eo quod ille, qui præest, eminentior est alijs in naturalibus: Nec est hæc eminentia eis ex meritis, sicut dictum est, sed præsunt alij alijs tanquam in ministerio tentandi, vel puniendi, sicut inter carcerarios: vel tortores vnus alij præest, vt expleatur iustitia. Est tamen quædam voluntaria subiectio, prout minores concordant cum voluntate maiorum in maleficijs, sicut est in latronibus, qui voluntariè se subijciunt vni, tanquam inter eos principanti, sic est in dæmonibus, & multo amplius: quia enim consentiunt ei voluntariè in maleficio, ex iustitia Dei in pœnam ordinatum est, vt subsint ei tanquam participes in pœna, & coadiutores ad puniendum.

QVÆSTIO XXXVIII.

De reuelatione Angelorum.

In tria Membra diuisa.

Collige ex D. Th. vbi supra, & HAbito de præsidentia angeli super angelum: sequitur de actu, qui pertinet ad præsidentes. Actus autem ille est reuelare, quod apud se est. Potest ergo quæri, Vtrum necessaria sit ista reuelatio, quæ fit mediantibus angelis. Deinde si reuelatio sit à natura angelica. Tertiò, quomodo fiat reuelatio. ex 1. par. q. 106. per 4. ar. S. B m. in 2. d. 10. ar. 1. Sc. ibid. d. 9.

MEMBRVM I.

An reuelatio, quæ ab Angelis angelis fit, necessaria sit?

AD primvm videtur, quod non sit necessaria reuelatio mediantibus angelis: eo quod vnusquisque angelus tenet imaginem, siue similitudinem Dei, & non alterius angeli: cum ergo reuelatio fiat à summa sapientia ipsi angelo, inquantum tenet imaginem eius, quod autem factum est ad imaginem Dei, nulla interposita creatura formatur, erit reuelatio immediatè à Deo: & ita non est necessarium; quod mediantibus superioribus angelis fiat reuelatio inferioribus angelis.

¶ Contra. In commento super Hierarchiam: superiores reuelant inferioribus suis ea, quæ nouerunt à Deo.

RESOLVTIO.

Necessaria profecto, sed quo ad dispositionem.

¶ Ad hoc dicendum, quod superiores reuelant inferioribus. ¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum, quod licet dicatur in Lib. de anima & spiritu, quod ita facta est anima ad imaginem Dei, vt nulla interposita creatura formetur: & eodem modo posset dici de angelo: vel multo magis: nihilominus tamen angelus potest formari quo ad reuelationem mediante alio angelo. Sed est quædam formatio per gratiam gratum facientem: & illa non requirit mediationem creaturæ: vnde in illa non est angelus superior mediator respectu inferioris. Est alia formatio quantum ad cognitionem, & hoc dicitur dupliciter, vel ratione formæ vltimæ: vel ratione dispositionis ad formam vltimam. Sicut ergo dicitur: *Vnus est magister vester*: nihilominus sunt & plures, & (sicut dicitur in Lib. Aug. de Magistro) *illi plures magistri, non sunt, nisi disponentes, summus autem magister dat perfectionem. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem dat incrementum*. Ita in angelis videtur, quod superiores disponunt: summa verò sapientia vltimam perfectionem cognitionis dat: Vnde reuelare dicuntur ministerio, non autoritate. Aug in lib de anima & spiritu. Matt. 23. Aug in lib de Mag. Tom. 1. 1. Cor. 3.

MEMBRVM II.

An reuelatio hæc angelorum à natura sit, vel à gratia?

AD secundum, quo quæritur: si reuelatio sit à natura angelica: Et videtur, quod non sit à natura. Reuelatio enim nihil aliud esse videtur, quam illuminatio: sed illuminatio non est in angelis nisi per gratiam: ergo nec reuelatio.

¶ Contra, loqui est in angelis, etiam si non adesset gratia, loquuntur enim boni bonis, & mali malis: sicut dicit B. Greg. sed loqui ponit reuelare cum quodam addito: reuelare enim est dare cognitionem, loqui verò dare cognitionem mediante signo, ergo reuelare est in angelis, & si nō adsit gratia. ¶ Item, Ioh. Dam. *Qui eminent inferioribus tradunt cognitionem secundum eminentiam ordinis, & naturæ*: sed tradere cognitionem, non est aliud quam reuelare: ergo reuelatio fit ipsis inferioribus angelis à superioribus secundum conditiones naturæ. Elice ex 2. Moral. multibi.

RESOLVTIO.

Si fuerit de iis rebus, quas à verbo & in verbo acceperunt: à gratia est. Si verò de iis, quæ sibi superiori secundum se nota sunt, aliisque inferiori incognita, vt sic à natura est.

¶ Ad quod dicendum: quod reuelatio potest esse de his quę superiores angeli accipiunt in ipso verbo, in quo vident ea, quæ sibi reuelat verbum: & secundum hunc modum reuelatio est à gratia, & benè dicitur idem quod illuminatio. Alio verò modo dicitur reuelatio eorum, quę sibi nota sunt secundum se, & sunt incognita alij: & secundum hunc modum reuelant superiores angeli inferioribus ea, de quibus plus nouerunt, quam inferiores: eo quod maius est posse eorum, quam inferiorum.

* * *

MEMBRVM III.

Angeli ad Angelum reuelatio quomodo fiat, per medium, an sine medio?

AD tertium, quo quæritur: Quomodo fiat reuelatio; vtrum sc. per mediũ, vel sine medio? Et videtur, quod non sine medio: hoc n. videtur esse solius Dei: dicit enim Bernard. quod solus Deus per seipsum * coniungitur spiritualibus creaturis. Si ergo angelus reuelat angelo, hoc erit per medium: medium autem, vel est corporale, vel spirituale: Corporale non potest, cum extrema sint spiritualia. Si vero est spirituale, aut est substantia, aut accidens: substantia autem non est: non enim est nisi triplex substantia spiritualis, diuina, angelica, & humana: sed nulla istarũ est hoc medium. (Non n. inter angelum, & angelum est Deus medium secundũ naturã: nec inter angelũ, & angelũ anima: nec inter angelum, & angelum alius angelus) mediũ ergo illud est accidens: sed nullum accidens est, quod non sit in aliquo subiecto: ergo illud accidens, vel erit in vno angelo, vel in alio. (In tertia enim substantia esse non potest,) sed si est in altero angelo, non computatur, vt medium, sed vt extremum: ergo reuelatio huiusmodi non fit per medium.

Bernard. * Alias cognoscitur.

RESOLVTIO.

Per medium, sed spirituale.

¶ AD quod dicendum, quod huiusmodi reuelatio fit per medium, & per medium spirituale: nec tamen est medium, sicut est inter visibile, & ipsum visum: Nec semper est medium signum, siue nutus intelligibilis, sed ipsa communicatio speciei intelligibilis: quæ est in reuelante, & eo, cui reuelatur.

QVÆSTIO XXXIX.

De præsidentia angelorum super animas: & primo respectu potentiæ sensitiuæ.

In quatuor Membra diuisa.

D. Thom 1. par. q 110 per 4. art. quæst. 111. per 4. art Elice ex S Bon. in 2. d. 8. art. 4 q. 3. ex Scot. ibid. d. 11.

CONSEQVENTER quærendum est de præsidentia angeli super ipsas animas, siue respectu animarum. Est autem vna præsidentia super partem sensitiuam, siue respectu sensitiuæ, altera respectu intellectiuæ cognitiuæ: tertia vero respectu intellectiuæ motiuæ. Primo ergo dicendum de illa præsidentia, quæ est respectu sensitiuæ cognitiuæ secundum visiones, quæ sunt in ea. ¶ PRIMO ergo quæritur, vtrum angelus habeat hanc potestatem ratione naturæ suæ. Secundo, si sit fallacia in ista visione: quæ fit mediantibus bonis angelis (dico autem bonos natura.) Tertio, quomodo fiat illa visio. Quarto, de quibus.

MEMBRVM I.

An angelus ex ratione suæ naturæ potestatem habeat super potentiam sensitiuam animæ, interiorem, & exteriorem?

CIRCA primum sic: Angelus malus potest super huiusmodi partem: cum tentat in somno: multo autem potentior est angelus bonus, quam sit angelus malus: ergo angelus bonus potest super huiusmodi partem. ¶ PRÆTEREA, Gregor. *nisi aliquando somnia ex mysterio reuelationis orirentur; Ioseph præferendum se fratribus somnio non videretur: nec Mariæ sponsum, vt ablato puero, in Aegyptum fugeret, per somnium angelus admoneret.* ¶ ITEM, dicit August. *Oraculum est, cum in somnis aliqua grauis persona, vel etiam Deus euenturum aliquid apertè, vel non euenturum; faciendum, vel euitandum denunciat.* Visio autem est, cum quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, eueniat: sed huiusmodi apparitiones fiunt mediante angelo: non enim sunt ad illudendum: ergo angeli boni habent posse super sensitiuam interiorem. ¶ PRÆTEREA, habent aliquod posse super intellectiuam, consulendo, vel reuelando: sed intellectiua potentior est, & excellentior sensitiua: ergo angeli boni habent potestatem super ipsam potentiam animæ sensitiuam interiorem.

Gregor.

August in lib. de anima & spiritu. c. 15. Tom. 3.

¶ POTEST etiam quæri, vtrum possint super potentiam animæ sensitiuam exteriorem. Quod videtur ex comparatione malorum Spirituum. Sicut enim dicit August. in Lib. 83. Q. malignus spiritus sensibus nostris immixtus, infestat animæ sanctitatem, lucemq; mentis obnubilat: serpit hoc malum per omnes aditus sensuales. Si ergo malignus spiritus potest super partem sensitiuam exteriorem; multo fortius bonus angelus.

¶ CVIVS contrarium videtur: eo quod nulla variatio fieri videtur in sensu exteriori per operationem angeli, præter illam mutationem, quæ fit secundum naturam.

RESOLVTIO.

Habet nempe bonus Angelus vim super vtramque sensitiuam; non tamen vt contraria naturæ efficiat; sed vt per subiecta naturæ illas commoueat.

¶ AD quod dicendum, quod angelus bonus habet posse super sensitiuam exteriorem, & interiorem: non tamen habet posse ex se, vt faciat ea, quæ sunt contraria naturæ: sed vt per subiecta naturæ moueat sensum interiorem, vel exteriorem.

MEMBRVM II.

An anima visionibus his imaginarijs, vel spiritualibus, ab Angelis bonis sibi factis, falli possit?

AD secundum, quo quæritur. Si sit fallacia in ista visione? Et videtur, quod sic. Angelus enim bonus ex natura potuit falli in sua visione, sicut deceptus est Lucifer. Si ergo in se potuit falli: non potuit dare perfectiorem statum his, qui recipiunt visionem ab eo. Cum ergo vis imaginatiua animæ recipiat visionem ab angelo bono; secundum naturam in visione imaginaria, vel spirituali poterit falli.

¶ CONTRA. In Lib. de Anima & Spiritu. *Cum à bono spiritu assumitur anima, falli non potest.* ¶ ITEM humanum Spiritum aliquando bonus, aliquando malus assumit Spiritus: nec facile discerni potest, à quo Spiritu assumatur: nisi quia bonus instruit, malus fallit. ¶ Ex ratione visionis idem videtur: (Et loquimur de visione, quæ fit in imaginaria: quæ visio est, cum illud, quod quis videt, eo modo quo apparuit, eueniret.) Ex quibus colligitur, quod in huiusmodi visione anima non fallitur.

Aug. in li. de anima & spiritu. Tom. 3.

RESOLVTIO.

Angelus bonus ratione bonitatis suæ naturæ nedum veracem, qua instruat; sed & fallacem, qua decipiat, visionem imprimere aptus est; tametsi magis illam, quam istam, ratione tamen bonitatis status, in quo nunc est, non nisi veracem tantum visionem imprimere potest.

¶ RESPONDENDVM est ad hoc: quod bonus angelus dicitur dupliciter. Vel ratione bonitatis naturæ: & hoc modo si imprimeret visionem, posset imprimere visionem non tantum veracem, sed etiam fallacem: magis tamen inclinaretur ad veracem. Si vero fiat sermo de bono angelo ratione status, in quo modo est: non imprimit visionem fallacem: & hoc modo intelligitur bonus angelus, cum dicitur: Cum à bono Spiritu assumitur anima, falli non potest. Et licet (vt dicitur ibidem) aliquando in visione spirituali anima fallatur: quoniam vera sunt, aliquando falsa; aliquando perturbata, aliquando tranquilla: ipsa autem vera, aliquando futuris similia sunt omnino, vel apertè dicta: aliquando obscuris significationib. tecta: nihilominus cum bonus angelus imprimit huiusmodi visionem, imprimit eam vt veram; siue sub aperta ratione; siue sub obscura significatione.

MEMBRVM III.

Quomodo visiones hæ ab Angelis in animam fiant?

AD tertium, quo quæritur: Quõ fit visio illa, exponit B. Aug. *Sancti angeli miris modis visa sua facili quadam ac* Aug in 12. super Genes. ad litt. cap. 30. Tom. 3.

dicendũ, quod in intellectu humano est suscipere effectum actionis angelicæ, vel non suscipere.

¶ Ad obiectum in contrarium, dicitur: quod non est simile de substantia habente liberam voluntatẽ, & de substantia, quæ habet appetitum naturalem tantum. Vbi n. est substantia, quæ habet appetitum naturalem; non requiritur dispositio; per quam habilitetur sine omni impedimẽto ad recipiendum actionem sui agentis: vbi autem est libera voluntas: & si non sit aliud impedimentum: sufficit, quod non adsit voluntas ad capiendum ab agente creato. Secus autem est de agente increato, qui potest immutare voluntatem rationalem, secundum quod vult: & nihilominus remanebit substantia. ¶ Aliter potest dici: quod secus est de affectu humano, & intellectu. Intellectus n. humani est suscipere necessario effectum actionis angelicæ: nisi cõtingat quod ex vehementi inclinatione ad aliud, totaliter conuersus fuit ad idem: affectus autem, siue voluntatis non est suscipere necessario, propter eius absolutam libertatem. Et de hoc intelligitur, quod dicit Damasc. quod violentiam inferre non prævalent.

MEMBRVM II.

Ad quid sit actus iste angelorum in potentiam intellectiuam cognitiuam, ad immittendum, vel ad incendendum cogitationes?

AD secundum, quo quæritur de actu ipsius potentiæ angelicæ in ipsam intellectiuam potentiam. Vtrum actus ille sit immittere, an incendere. ¶ Et videtur, quod

Damasc. ille actus sit immittere per hoc; quod dicit Damasc. *In nobis est suscipere, vel non suscipere eorum immissiones.* Si enim mali angeli immittunt cogitationes malas: eadẽ ratione & boni immittunt cogitationes bonas. ¶ Similiter super il-

Iob. 19. Glossa. Damasc. Lib. 2. Orthod. fidei cap. 4. lud: *Spoliauit me gloria mea:* Gloss. *maligni Spiritus in afflictorum cordibus suas cogitationes immittere non desistunt.* Et Ioan. Dama. *Omnis malitia, & immundæ passiones ex ipsis excogitata sunt: & immittere hominibus concessi sunt.* Si ergo sic est ex parte malorũ respectu malarum cogitationum: videtur sic esse ex parte bonorum respectu bonorum cogitationum.

Beda. Colligitur ex dictis super 2 cap. Act. Apostol. ¶ Sed econtra videtur. Si dæmones incentores sunt, nõ immissores malarum cogitationum (sicut dicit Beda: *Diabolus non est immissor malarum cogitationum: sed incentor.* Et iterum Osee 5. super illud: *Vt reuertantur ad Dominum:* Obstinati in malo nõ cogitabunt reuerti ad Dominum, vt pœniteant: sed vt quod male cogitauerunt, perficiant: & hoc ideo; quia malignus spiritus est vitiorũ incentor) si ergo mali dicuntur esse incentores, non immissores malarum cogitationum: multo fortius boni non dicuntur immissores bonarum cogitationum, sed incentores tantum.

Dubitationes. ¶ Hvivs etiam gratia quæritur: quare in scriptura inuenitur, quod dæmones mittunt in cor malas cogitatio-

Iob. 13. nes: sicut habetur. Ioan. 13. *Cum misisset Sathanas in cor eius:* quare non inuenitur in scriptura, quod boni angeli mittant in cor cogitationes bonas. ¶ Præterea, quæritur: quæ sit differentia inter immittere cogitationes, & incendere. Videtur enim, quod incendere, sit immittere: nam immittere est intus mittere ab extra: incendere autem est speciem ignis mittere in aliquam materiam susceptibilem: ergo qui incendit, immittit.

RESOLVTIO.

Ad neutrum propriè: si quidem cogitationes bonas aut immittere, aut incendere solius Dei proprium est. Si tamen & illi incendere dicantur, præparatiuè solum est: quia sc. intellectum præparant, vt immissiones bonarum cogitationum in eo a Deo fiant.

¶ Ad quod dicendum, quod boni angeli non sunt immissores bonarum cogitationum: & si aliquo modo possunt dici incentores. Si vero inueniatur de malis angelis, quod sint immissores, vel immissionem faciunt: non accipitur ibi propriè immissio, sed communiter: prout dicitur, quod qui incendit, immittit.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod aliter est de bonis cogitationibus, & malis: & de bonis angelis, & malis. Dæmones enim dicuntur immissores aliquando, vel immissionem facere malarum cogitationum, in quantum malæ sunt; non quia necessario inducant, vel potestatem habeant inducendi necessario: sed quia mouent ad hoc: nec malum ad aliud principium reducitur in suggestione, quã ad ipsum Diabolum. Non sic autem est de bono: licet n. bonus angelus moueat intellectum ad bonum aliquo modo: non tamen prima causa boni est in angelo bono, sed in Deo: & ideo attribuitur ei immissio cogitationis bonæ; non angelo in sacra scriptura.

¶ Ad illud vero, quod dicitur in Psalm. *Immittit angelus Domini,* id est, immissionem facit: dicit Glos. *Sed attendendum est, quod illa immissio non dicitur esse cogitationis bonæ, inquantum bona est:* sed immittere dicitur ibi, mittere custodiam intra & extra: & hoc patet per hoc, quod dicitur [*in circuitu timentium eum*] vnde alia translatio habet, Circumdat angelus Domini in gyro timentes se. Psal. 33. Glossa.

¶ Ad illud vero, quod quæritur de differentia immissionis, & incendij: secundum quod Deo attribuitur immittere, angelo incendere. Dicendum est, quod immissio bonæ cogitationis est: factio bonæ cogitationis: incensio vero est quædam excitatio, siue habilitatio intellectus ad cogitationem bonam. Aliud est n. igne ignire ligna: aliud est siccare ligna, vt ignirentur: angeli autem boni non faciunt cogitationes bonas in intellectu: sed remouent impedimenta, vt cogitationes bonæ à Deo fiant in intellectu: vnde angelos incendere, non est aliud, quam incensibile præparare.

MEMBRVM III.

An Angeli dicantur incentores cogitationum tantum: aut etiam affectionum.

AD tertium, quo quæritur: Vtrum dicantur incentores cogitationum tantum: aut etiam affectionum? Et videtur, quod possint incendere affectionem, siue voluntatem: cum n. maius sit posse angeli, quam prædicatoris: prædicator autem potest accendere voluntatem ad bonum per prædicationem. vnde super illud; *Qui facit angelos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Gloss. *ministros suos flammam ignis facit:* quia ministri Ecclesiæ ignis sunt; dum spiritu feruent; & vitia nostra vrunt: *fœnum enim tuum incendunt: Ergo angeli possunt incendere voluntatem. ¶ Item, quemadmodum se habet illuminare ad intellectum: ita accendere ad affectum, sed sic est in inferioribus; quod causa illuminationis est causa accensionis: ergo sic erit in superioribus: cum ergo angeli boni illuminent intellectum, per consequens accendent affectum. Ad Heb. 1. Glossa. *Alias, affectum.

¶ Contra. Si accensibile adiungatur accensiuo, necessario fit accensio, sed non necessario inducitur voluntas bona per operationem angeli: ergo angelus bonus non accendit voluntatem bonam. ¶ Item, Bernard. *Voluntas est potentissimum in anima, & in hoc gerit immediatè similitudinem diuinæ voluntatis: nihil ergo potest super voluntatem rationalem, nisi ipse Deus:* non ergo angeli sunt incentores bonarum voluntatum: quod enim accedit; posse habet super illud, quod incenditur. Bern. in li. de libero arbitrio.

RESOLVTIO.

Et voluntatem etiam dispositiuè, vel præparatiuè incendere dici possunt angeli æquè ac intellectum.

¶ Ad quod dicendum, quod incendere dicitur dupliciter: Vno modo ipsam speciem ignis præbere: & sic spiritualiter Deus est incentor bonæ voluntatis: præbet n. speciem ignis spiritualis, sc. charitatis ipsi voluntati. Ipse n. est, qui dicit: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur.* Incendere vero alio modo dicitur naturam accensibilem disponere, & sic nihil prohibet angelum mediante cogitatione disponere voluntatem: primo modo non. Luc. 12.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod aliud est de accensione & illuminatione materiali: & aliud de illuminatione, & accẽsione spirituali. Illa n. fit sdm cursum nãe: in qua accensio sequitur illuminationẽ necessario: hic aũt nulla necessitas est. In ipsa n. anima est consentire, vel nõ cõsentire. Nec hoc mõ dr̃ angel' incendere, sicut

Dei dicunt: quia nulla interposita substantia, à prima veritate formatur: Ergo nec interposito angelo: sed custos inquantum huiusmodi præponitur custodito: ergo angelus non est custos animæ, saltem quantum ad mentem. ¶ ITEM, *Quid faciam tibi ô custos hominum*, (ita dicit Iob. ad Deum) Deus ergo est custos hominum. ¶ ITEM, Psalm. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem*, &c. Cum ergo Deus sit sufficientissimus; nō videtur, quod ponatur alius custos. ¶ ITEM, sicut homo gerit imaginem Dei ratione bonitatis, & sapientiæ: ita ratione potentiæ. Vnde postquam dictum est. *Faciamus hominem ad imaginē, & similitudinem nostram*: statim subiungitur de potentia: *Et præsit piscibus maris*: Sed inter imaginem, & illud, cuius est imago; nihil interponitur: ergo inter hominem, inquantum gerit imaginem Dei in potentia cognoscendi, & Deum; nihil est medium: imo immediatè est sub Dei potestate, sed custos habet potestatem super custoditum: ergo angelus non est custos hominis, siue non habet potestatem custodiendi.

Iob. 7.
Psal 16.
Gen. 1.
Ibid.

Si dicatur, q angelus præest homini, vt custos ex parte cognitiuæ: quia instruit eum, & docet in multis, sed nō præest ex parte motiuæ: quia nō dat ei suam perfectionem, quæ est gratia: sed Deus immediate: & sic intelligitur suprapositа autoritas. August. Sed contra hoc est, quod sequitur in auctoritate [*ab ipsa veritate formata*] vt fiat vis in verbo: veritas n. inquantum huiusmodi respicit cognitiuam, & non motiuam: Ergo ista autoritas intelligitur de immediatione Dei ad mentē quo ad cognitiuam. ¶ PRÆTEREA, sicut homo est imago Dei quo ad potentiam motiuam: ita & secundum cognitiuā; ergo secundum vtrumq; nihil est medium inter mentē & Deum: ergo nec angelus. ¶ ITEM, Hoc dicit Aug. vbi loquitur de anima, dicit quod nihil inter omnia est Deo propinquius. ¶ ITEM, dicit Aug. super Gen. q sicut agricolæ non dicuntur creatores frugum: quāuis multas præparationes faciant ad producendas fruges: ita nec angeli dicuntur creatores: quia sc. nulli rei dant formam: quamuis sæpe ad formam vltimam sua operatione præparant, & disponunt. Sicut ergo angelus non dat motiuæ potentiæ suam perfectionemē, vel formam completiuam; vel gratiam siue amorē summæ bonitatis: ita nec potentiæ cognitiuæ dat suam perfectionē, vel completionem, id est, summæ virtutis cognitionem, sed vtriq; potentiæ datur perfectio à Deo immediatè: ergo quo ad hoc æqualiter se habent immediatè ad Deum ambæ potentiæ. ¶ PRÆTEREA, sicut angelus operatione sua præparat, & disponit cognitiuam ad suam completionem, instruendo, & docēdo: ita videtur disponere motiuam consulendo de fugiendis, & agendis, & excitando siue inflammando in amorem summæ bonitatis: ergo quo ad hoc sunt æquales huiusmodi potentiæ: ergo qua ratione diceretur habere potentiam super cognitiuam, eadem ratione & super motiuam.

August. in lib. 83. qq.
Augustin. de quantitate animę
Idem super Gen.

¶ ITEM, August. *Perfecta ratio, quæ virtus vocatur, vtitur primo seipsa ad intelligendum Deum, vt ipso fruatur, cæteris rationalibus ad societatem: vtitur animantibus ad emmentiam: vtitur quibusdam assumendis, vel respuendis ad beatitudinem: quibusdam tolerandis ad patientiam: quibusdam ordinandis ad iustitiam: vtitur etiam his, quibus abstinet ad patientiam.* Ex his, patet quod anima vtitur angelis. ¶ ITEM, autem Aug. diffinit vti, sic. Vti est assumere aliquid in voluntatem facultatis propter id, quo fruendum est. Ex hoc quod dicit [*assumere in voluntatem facultatis*] videtur quod illud, quod vtitur, superius sit eo, quo vtitur, inquantum huiusmodi. Arguitur ergo sic. Omne, quod vtitur alio; superius est eo, inquantū huiusmodi: sed anima vtitur angelis: ergo superior est eis inquantum huiusmodi: ergo angelus non habet potestatem super animam. ¶ ITEM, vtitur cæteris rationabilibus ad societatem: vbi enim est societas: ibi est paritas, & non præeminentia; & inde vt prius.

Idem in li. 83. qq.
Idem de Trin. Li. 10 c. 11. ante medium. Tom 3.

RESOLVTIO.

Quamdiu homo hic est, quia ad casum spiritualem facilis est secundum animam: decuit & congruit, vt custos & pedagogus ei adhiberetur, sc. angelus: cuius suasu, ac ductu non sic facile in vitio prolaberetur.

¶ SOLVTIO. Dicimus cum primis autoritatibus positis, & rationibus; quod angeli habent potestatē custodiendi animas; & eas custodiunt. ¶ AD primum quod objicit de mediatione, quæ habetur in autoritate Aug. Solet dici: quod mens cōmuniter accepta habet duplicem vim: superiorem, quæ dicitur intelligentia, qua cognoscit creatorē, & de hac intelligitur autoritas Aug. & inferiorem, sc. intellectum, sc. qua cognoscit creaturas, & de hac non intelligit, & quo ad istam verum est, quod habet angelum custodem. Sed aliter videtur dicendū, quod secundum vtramq; vim habet custodiam angeli secundum aliquam rationem custodiæ: verum est tamen, quod secundum quod plus descēdunt potentiæ; secundum hoc plus est ibi de ratione custodiæ.

¶ AD autoritatem autem Aug. Respondetur faciendo vim in hoc, q dicitur [*formatur*], dicimus q quælibet vis animæ, & motiua, & cognitiua, & superior, & inferior, imediatè à prima veritate formatur, sc. forma vltima. i. perficitur vltima completione: nihilominus tamen angeli habēt potentiā præparandi, & deponendi aliquo modo quamlibet animæ potentiam ad suam vltimam completionem, & quo ad hanc potentiam, vel potestatem habent ipsi custodire: illud plane habetur in Gloss. super illud. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: vbi dicitur, solus Deus dat intellectum: & si aliquando mediante angelo, vt Danieli, cui dixit angelus: Ego veni tibi intellectum dare: Deus tamen, qui lux est, per seipsum illuminat pias mentes: & si aliquando vtitur ministerio angelorum. Ita n. dicitur intellectum dare homini: vt quisque dicitur dare lumen domui, cum fenestram facit: cum eam sua luce non illustret.

Gloss. Iob. 10. & Psal 118.

¶ AD aliud, quod objicit de imagine, quæ est in homine ratione potentiæ. Dicendum, quod cum dicitur [*præsit piscibus, &c.*] non loquitur ibi nisi de potestate hominis super corporales creaturas, vt patet ex textu. Vnde ista potentia, quæ est in homine, secundum quod est ad imaginem Dei, non dicitur, quia possit super angelum, sed super irrationales creaturas. Vnde non obstat, quin angelus habeat aliquam potestatem super eum. Si autem ista potentia esset talis, quod per eam posset se homo custodire, & regere; non habens indigentiam vt custodiatur, valeret ratio ista; sed non sic est: quia homo semper indiget, dum est in via.

¶ AD hoc, quod objicit: quod inter imaginem, & illud cuius est imago, nihil est medium. Soluendum per prædicta, dicendo, quod nihil est medium quo ad perfectionē vltimam: est tamen aliquod medium præparans, & disponens eandem imaginem adhuc informē ad suam vltimam perfectionem. Dicimus etiam quod animam custodit, & Deus, & angelus; sed differenter: Deus quidem autoritate: angelus vero ministerio: secundum illud; *Omnes sunt administratorij spiritus*, &c. Et licet Deus sit sufficiens ad custodiendum sine ministerio; angelus tamen custodit propter seruandum ordinem rerum: cuiusmodi ordo est Dei ad angelum, & angeli ad hominem, sicut patebit in sequenti Problemate. Simili enim modo posset objici, quod Deus omnia faceret per se, & nihil mediante natura, vel angelo: cum ad omnia sufficiat Deus: sed non oportet hoc: quia licet sit sufficiens, non tamen tollit ordinem rerum.

Hebr. 1.

¶ AD aliud, quod objicit de eo, quod est vti. Respondetur, quod vti aliquo est dupliciter. Aut tanquam instrumento: quemadmodum artifex vtitur securi: & sic verum est; quod vtens superius est eo, quo vtitur: Aut tanquam patrono, vel adiutorio: sicut quis vtitur aduocato: & sic non oportet quod vtens sit superius, imo potest esse inferius: & sic vtitur anima angelo: vnde non ex hoc sequitur, quod sit superior eo.

¶ ALITER dicendum: accipiendo intellectum autoritatis August. quia reuera (secundum quod ipse dicit) anima ad intelligendū Deum, id est ad deueniendum in Dei cognitionem; vtitur omni creatura: quia sicut prima & summa bonitas habet aliquam sui similitudinem in creatura: quæ ad ipsam ducit: ita summa veritas habet aliquam sui similitudinem in creatura, quæ ad se ducit. Vnde quo ad hoc omnis creatura habet rationem intelligibilis: sed præter hoc rationalis creatura non solum habet rationem intelligibilis; sed insuper habet rationem intellectiui, scil. anima, & angelus. Dicimus ergo, quod anima inquantum

habet rationem intellectiui, vtitur cæteris omnibus, inquãtum intelligibilia sunt, ad deueniendum in cognitionem creatoris: vnde vtitur etiã angelo. Nec ideo sequitur, q; sit superior: quia seipsa vtitur hoc modo, secundum quod dicit eadem autoritas: nec ideo superior est seipsa. Vel si sequatur, quod nobilior sit quo ad hoc, quia videlicet intellectiua vt huiusmodi, nobilius quam sit intelligibili vt huiusmodi: non tamen sequitur: quod simpliciter nobilior sit: quia non solum habet angelus naturam intelligibilis, sed etiam intellectiui, sicut & anima: vnde anima vtitur eo, intelligendo eum: & ipse vtitur ea, intelligendo eã: vnde quo ad hoc est paritas: Et hoc est, quod dicit autoritas prædicta [vtitur cæteris rationabilibus ad societatem] quia inuicem se intelligunt, & vtrumq; vtitur hac via. Nec tamen per hoc excluditur potestas custodiæ in angelo: quia secundum aliam viam est ibi præeminentia, vt iam patebit.

MEMBRVM II.

Angelus, quam de homine custodiam habet; à natura, an à gratia habetur?

AD secundum, quo quæritur, supposito, quod angelus habeat potestatem custodiendi homines: Vtrum hoc habeat à natura; vel à gratia. ¶ Si dicatur, quod à natura. Contra si circumscribantur omnia gratuita ab angelo; tunc sicut anima est vertibilis in bonum, & malum: ita angelus in malum, sc. per se; in bonum cum adiutorio gratiæ: ergo quo ad hoc debilis est, sicut & anima, sed nemo alicui paruulo debiliti daret custodem alium debilem, imo fortem daret debili: ergo cum Deus sit summe sapiens; angelum ita debilem, & ita vertibilem non dabit pro custode: cum ipse prout sic vertibilis est, videatur indigere custode. ¶ ITEM, angelus ita vertibilis est in malum, circumscripta gratia; quod si cadit in malum, non resurgit: ergo quo ad hoc magis videtur angelus impotens, vel deficiens: ergo quo ad hoc minus videtur, quod angelus debet dari custos homini, quã homo angelo. ¶ ITEM, si hoc esset ex natura; cum in dæmonibus remanserint naturalia, secundum hoc deberent dici custodes: quia quod natura inest, omni inest inquantum tale. ¶ ITEM super illud: *Quicquid offerunt primitiuorum, &c.* in magna Glos. Origenis, quæ sic incipit. *Offerunt angeli, &c.* vbi multum loquitur de potestate angelorum super homines: in fine dicit. *Pro merito alius princeps multorum esse ponitur, alius principatui subiectus.* Et ponit exemplum de bonis seruis: quibus pro diuersitate meritorum dabitur potestas, alij super decem ciuitates, alij super quinque. Et per hoc quod dicit [*pro merito*] videtur q; ex gratia sit huiusmodi prælatio, non ex natura hoc videtur exemplo. Item quod ponit: quia potestas collata seruis fidelibus non est naturæ, sed gratiæ vel gloriæ: ergo similiter potestas angeli super animam in custodiendo non est ex natura, sed ex gratia. ¶ ITEM, si hæc potestas debetur ex natura angelo.

Num. 18. Glo. Orig. Vide Hom. 11. in Numer. Tom. 1. Operum eius.

¶ Quæritur, ex qua natura? Si dicatur, quod anima est substantia vnita, vel vnibilis corpori: angelus substantia separata: vnde magis potens & superior est, cuius etiam signum est: quod animæ separatæ non datur angelus in custodia. Contra: si vnio, vel vnitas esset causa essentialis, quare indigeret custodia; secundum hoc indiguisset Christus etiam custodia: cum anima eius corpori vniretur: & hoc falsum est, vt post videbitur.

Membr. 1. art. 1. immediatè sequent.

RESOLVTIO.

Et à natura, & à gratia: à natura, vt à primo principio: à gratia, vt à proximo.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod potestas custodiendi est in angelis; non ex vnico principio, sed ex duplici, sc. ex natura, & gratia, differenter tamen: quia ex natura tanquam à primo principio, ex gratia vero tanquam à proximo principio, & completiuo: Dona enim naturalia, quæ habet angelus in excellentia respectu animæ; sunt ista quatuor attributa, de quibus 2. Sent. dist. 3. scil. simplicitas essentiæ, discretio personalis, perspicacitas intelligentiæ, libertas arbitrij: sunt quasi dispositio naturalis in angelo ad custodiendam animam. Sed non sufficit hæc excellentia naturæ; sed super hanc additur gratia quasi complementum, non autem quæcunque gratia, sed gratia confirmationis. Omnes enim boni angeli simul confirmati sunt in gratia, sicut mali in peccato. Vnde quo ad hoc, quod sunt sic confirmati, sunt quasi stantes, animæ autem non sic confirmantur simul, sed successiuè: vnde omnes vsque ad suam confirmationem sunt, vel lapsæ, vel labiles. Ex hoc ergo quod quælibet anima puri hominis, dum in statu est viæ, vel lapsa est, vel labilis: Angeli autem boni propter confirmationem nec lapsi, nec labiles. Accipitur ratio huiusmodi potestatis custodiendi, quæ est in angelis respectu animarum: quia quo ad hoc fortes sunt: animæ autem rationales debiles.

Ex sententia Hugo. de S. Vict. Lib. 1. de Sacram. par. 5. c. 8.

MEMBRVM III.

An angelus angeli custodiam habeat?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum angelus habeat potestatem hanc sc. custodiendi respectu alterius angeli? Videtur quod sic: custodia enim angeli respectu hominis videtur attendi penes istos respectus, illuminare, purgare, perficere: qui propriè sunt angelorum, vt dicit Dionys. sed hos actus habet vnus angelus respectu alterius: ergo rationem custodiæ habet. ¶ ITEM dicit Dionys. quod in Hierarchia humana, qui præsunt alijs, eorum sunt custodes: ergo similiter videtur in Hierarchia angelica, quod qui præsunt alijs: eorum sunt custodes & ita superiores dicuntur custodire inferiores. ¶ ITEM, videtur per Origenem, qui versus finem prædictæ Glos. Numeri. 28. dicit sic: *Mihi videtur, quod inter angelos alij principatum, & potestatem habeat super alios; alij subiacent, & obtemperent potestati.* Et hoc idem dicit August. super Gen. quod superiores præsunt inferioribus, & boni malis: & ita videntur habere potestatem, & dominium super illos. Ex his omnibus habetur, quod præsunt angeli angelis.

Dion. in li. de Cœlesti Hierarchia c. 3. Idem.

Glossa. Orig.

¶ Quæritur ergo, aut custodire idem est, quod præesse, vel dominari: aut vltra præesse, aliquid importat ex parte custodientis. Si idem importat, habetur propositum, sc. quod angeli angelos custodiunt. Si vltra importat aliquid, quæritur, quod est illud?

RESOLVTIO.

Quia angeli nec impediri à bono, nec promoueri ad illud possunt: quippe qui in gratia confirmati sunt: ideo nec custodiri indigent.

¶ SOLVTIO. Dicimus quod angeli non habent hanc potestatẽ custodiendi respectu aliorum. ¶ AD illud quod obijcit primo de hoc, quod dicit illuminare, &c. Dicimus quod ex alia ratione sumuntur isti actus illuminare, purgare, perficere, & ex alia sumitur actus, qui est custodire. Isti enim actus, illuminare, &c. sequuntur præesse, quia præest natura & gratia, & quia hæc prælatio bene est in angelo respectu angeli: ideo similiter & isti actus: Custodire autem & si non sit nisi in eo, qui præest natura & gratia, vt supra habitum est: tamen non sequitur illum immediate, sed mediate. Illi enim prælationi secundum naturam & gratiam additur quædam potestas, qua angelus potest promouere ad bonum, & retrahere à malo; disponendo (dico) non efficiendo, & hanc potestatem immediatè sequitur ratio custodiæ; siue ab hac potestate immediatè sumitur ratio custodiæ. Et quia hanc potestatem retrahendi, vel promouendi non habet nisi respectu naturæ, quæ impediri põt vel promoueri; ideo nec custodire habet nisi nãm, q̃ impediri põt, vel promoueri: ideo nec custodire habet, nisi huiusmodi naturã, sed angeli non sunt tales: quia omnes boni confirmati sunt in bono: & sic non possunt impediri à bono: nec declinare ad malum: econtra omnes mali confirmati sunt in malo: vnde quo ad hoc non possunt trahi à malo: nec promoueri ad bonum. Ideo respectu aliorũ angelorum non habent angeli potestatẽ custodiendi; sed respectu animæ, quæ in statu viæ est; & possunt impediri à bono; & promoueri ad bonum, & cadere in malum, & resurgere.

Memb. immediatè præcedentib.

¶ Ex his patet solutio ad omnia obiecta.

¶ ET ad illud, quod quærebatur, quid addit custodire vltra præesse; & etiam quid addit vltra illuminare. Sicut n. si essent duo in homine, quorum vnum sequeretur hominem

nem ratione generis; in eo, scil. quod est animal: & alterum sequeretur ratione speciei, sc. in eo quod est ratio: ista duo non essent eadem: ita suo modo se habent illuminare, purgare, perficere ac custodire: Vnde non idem sunt: nec vbicunque, & respectu cuiuscunq; sunt isti tres actus; est custodire: sicut non vbicunq; est natura generis; est natura speciei: sed potius econuerso.

Dubitatio ¶ SED ex dictis oritur quæstio de anima separata: secundum n. prædicta videtur, quod non indigeat custodia angelorũ: cum non possit promoueri ad bonum: quia iam non est locus merendi; nec etiam retrahi à malo.

Gregor. in dialog. ¶ CONTRA, hæc videtur sæpe dicere Greg. quod aderant sæpe angeli animabus sanctis separatis: & deferebant sæpe in Paradisum. Similiter & idem legimus in legenda sancti Martini. ¶ PRÆTEREA, Lucæ 16. dicitur, quod anima Lazari portatur ab angelis Dei. ¶ AD quod dicendum, quod ibi non est propriè ratio custodiæ; secundum quod hic accipitur: quia custodia (vt hic sæpe dictũ est) respicit prohibitionem à malo culpæ, vel promotionem ad bonum gratiæ: sed circa animam separatam neutrum exercent angeli: anima enim ex quo separata est, vnitur suo benefactori: nisi sit aliquod purgabile. Vnde non est ibi custodia; nisi secundum rationem aliam custodiæ: vt dicantur angeli, qui eam deportant, custodire eam ab aliquo pœnali nocumento: quia non statim, cum est separata, est in loco competenti suæ beatitudini. Vnde congruit, quod angeli, qui iam sunt in loco, beatitudini conuenienti, eam ad locum sibi competentem deferãt: non tamen dicimus, quod ibi sit indigentia, vel necessitas ex parte animæ: sed solum quædam congruitas: sicut in statu viæ dicimus esse.

[Margin: Luc. 16. — Memb. immediatè præcedentib.]

¶ AD illud, quod obijcitur: quod in angelis sit custodia pro necessitate quantum ad talem deportationem. Similiter ad id, quod ponit Dionys. Dicendum, quod non est simile: in Hierarchia enim angelica omnes sunt confirmati, & completi: vnde non indigent custodia. Vnde sic est ordinata custodia angelica, quod quando fuit imperfectio in inferioribus, fuit in superioribus, & quando fuit completio in superioribus, fuit in inferioribus: vnde nunquam potuit ibi esse ratio custodiæ. Sed in humana Hierarchia, quãuis omnes sint incompleti completione patriæ: tamen prælatus habet completionem viæ respectu subditorum. Vnde Ioh. 10. dicitur, quod præcedere debet oues: & ratione huius habet rationem custodiæ.

[Margin: Dion. de Hierarch. angel ca & humana.]

MEMBRVM IV.

Si Angeli custodire habeant omnes homines.

AD quartum, quo quæritur, supposito, quod ratio custodiæ determinetur respectu hominum; Vtrum determinetur respectu omnium. Et circa hoc quæruntur quatuor. ¶ Primo, vtrum Adam in statu ante peccatum indigeret custodia angelica. Secundo, vtrum Christus habuit custodiam angelicam. Tertio, vtrum paruuli, qui statim post baptismum moriuntur, habuerint custodiam angelicam. Quarto, vtrum Antichristus habebit custodiam angelicam.

ARTICVLVS I.

An Adam in statu innocentiæ indiguerit custodia angelica.

CIRCA primum sic. Custodia angelica est propter supplendos defectus: sed in statu innocentiæ nullus erat defectus; ergo non necesse habebat custodiri. Media patet per hoc, quod dicitur Lib. 2. Sen. Ante peccatum nil à bono impediebat, ad malum nil impellebat: non habuit infirmitatem ad malum: & habuit adiutorium ad bonum: tunc sine errore ratio iudicare, & voluntas sine difficultate bonum appetere poterat. ¶ Si hoc concedatur:

[Margin: Magist. 2. sent. dist. 25. cap. Et notari potest &c.]

¶ CONTRA ante peccatum angelus malus tentauit hominem, & si per stitisset, angelus iste fuisset ei in exercitium, quia homo fecisset suum bonum ex diaboli tentatione, & pœnam plus meruisset, quam si non tentaretur: ergo competebat vt econtra haberet angelum bonum ad custodiam: iuxta illud: *Contra bonum malum, & contra vitam mors, & sic intuere in omnib. operibus altissimi: vnum contra vnum, & duo contra duo.* ¶ ITEM, In nobis sic est in statu naturæ corruptæ: quod contra id, quod interius inclinat ad malũ, sc. fomitem: est semper intrinsecum inclinans econtra ad bonum, sc. synderesis: Sic videtur exterius contra illud, quod semper inclinat ad malum, vel trahit, sc. diabolum, est retrahens à malo, & trahens ad bonum, scilicet angelus bonus. Sed in primo statu, quamuis non esset inclinans ad malum interius, erat tamen inclinans ad malum exterius: vt patet ex euentu: ergo iuxta nunc dictã sententiam, quæ habetur Ecclesiastici 33. indigebat Adam quodam exterius inclinante, vel promouente ad bonum. ¶ ITEM super illud: *Angeli eorum.* Glos. *Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis suæ habeat angelum deputatum: ita autem se habebat creatio ad primum hominem: sicut nunc natiuitas ad posteriores.* Cum ergo non minus esset digna anima primi hominis, quam posteriorum; sed potius dignior: constat, quod non defuit ei hæc custodia ab instanti creationis. ¶ ITEM, angelus datur ad custodiam propter retractionem à malo: quamuis anima Adæ posset stare; tamen habuit possibilitatem cadendi: ergo quo ad hoc sc. ne caderet, indiguit custodia angelica: quamuis non tantum, sicut nos. ¶ PRÆTEREA: habuit possibilitatem proficiendi in bono: non dico potestatem: quia non per se, sed adiutorio gratiæ proficeret: quamuis per se cadere posset.

[Margin: Eccl. 33. — Glossa Hieronyo. super Matth. 18.]

RESOLVTIO.

Tametsi Adam rectissimus creatus sit: quia nihilominus labilis fuit, angelo custode indiguit, quo iam duceretur, ne ita facile laberetur.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod primi parentes in primo statu indiguerunt custodia angelica: Huius ratio est: quia licet in primis parentibus fuerit tunc rectitudo naturæ: nõ tamẽ rectitudo illa fuit inflexibilis: imo anima primo creata est vertibilis ad vtrumlibet, sc. bonum & malum, nec si vertatur in vnum, statim confirmatur: immo adhuc potest regredi. Licet autem angelus similiter vertibilis fuerit in vtrumlibet de natura sua: tamen vbi vertitur, in eo stat, & confirmatur sine regressũ. Et propter hoc in bonis qui steterunt natura est, stans per gratiam: & propter huiusmodi stabilitatem habet potestatem reuocandi naturam lapsam: reuocabilem tamen secundum animam, sicut nunc est: etiam confirmandi ipsam naturam labilem, ne labatur; ne scilicet ad libertatem sequatur lapsus: Et hoc modo fuit ratio custodiæ ex parte angeli respectu hominis, scilicet in primo statu.

¶ AD illud, quod contra obijcit: quod homo nullum defectum habuit tunc: Dicimus, quod etsi nullum habuit defectum, habuit tamen defectibilitatẽ, & propter hoc ne ad defectibilitatem sequeretur defectus, vel actus deficiendi, indiguit custodia: cum aũt anima venerit ad statum, in quo non erit nec defectus, nec defectibilitas, scil. ad statum gloriæ; non indigebit: sicut supra proxime explanatum est. ¶ ALIA argumenta, quæ probant propositum, possumus concedere: tamen sunt ibi quædam explananda: dicimus enim quod iste malus angelus, qui primo tentauit hominem; non propriè fuit ad exercitiũ, sed ad deceptionem secundum intentionem suam. Sicut n. dicit Aug. super Gen. Exercitium propriè est, vt probetur aliqua virtus, id est, probata ostendatur; probatio autem huiusmodi non est propriè, nisi vbi est difficultas: secundum quod ars non est, nisi contra difficile. In primo aũt statu non erat difficultas: licet n. corpus esset mortale & corruptibile, non tamen erat mortuum vel corruptum: secundum quod dicitur: *Corpus quidem propter peccatum mortuum est.* Vnde licet anima ex cõparatione ad corpus minus expedita esset ad bonum, nõ tamen propriè difficultatem habuit: imo difficultas est pœna peccati: & ideo non fuit ibi propriè exercitium. Sed post peccatum, quia reuocabilis est natura animæ, datur ad exercitium: quamuis enim diabolus intendat decipere per tentationes: tamen Deus non intendit, vt ille decipiat, sed vt hic exercitetur. Vnde malum opus diaboli ordinat in bonum: sicut etiam fomes secundum se ordinat in malum, sed Deus hoc ordinat ad bonum: quoniam per eum hoc exercitatur, exercitari autem est de malo facere profectum suum. Est ergo is ordo: quoniam dabatur prius angelus homini

[Margin: Aug. super Genes. — Rom. 7.]

homini ad custodiam tantum, scil. in primo statu: secundo datur bonus ad custodiam, malus ad exercitium, scilicet, in statu naturæ lapsæ. In tertio statu, scilicet gloriæ, nec sic, nec sic datur.

ARTICVLVS II.

An Christus angelum custodem habuerit.

AD secundum, quo quæritur: Vtrum Christus habuit custodiam angelicam. Videtur, quod sic. Psal. *Angelis suis mandauit de te,* &c. Et accipitur hoc idem Luc. 4. & dicit Gloss. hoc intelligitur de membris: quod si de Christo intelligitur, aduertere debuit diabolus, quod sequitur. Super aspidem, &c. Vnde Gloss. *relinquere videtur, quod hoc possit intelligi de Christo*: ergo habuit angelorum custodiam. ¶ ITEM, videtur per sæpe dictam autoritatem Hieronym. Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque ab ortu natiuitatis suæ habeat angelum sibi delegatum: ergo & anima Christi; cum non minus digna sit, sed magis. ¶ ITEM, Christus ex parte corporis mortalis erat, & passibilis. Vnde in hoc minoratus est ab angelis, vt dicitur in Psalm. 8. & repetitur ad Hebr. 2. *Similiter & si Christus in vna parte animæ frueretur; tamen secundum aliam tristabatur,* vt dicitur: *Tristis est anima mea,* &c. Vnde secundum illam partem compassibilis erat: & quo ad illam similiter minor erat, secundum quod huiusmodi: ergo angelus habuit potestatem custodiendi eum: huic etiam concordat: *Apparuit angelus Domini, confortans eum*: confortans enim vt huiusmodi præponitur confortato.

¶ ITEM super illud Luc. 22. dicit Beda. In testimonium vtriusque naturæ & angelus eum confortasse, & angelus ei ministrasse describitur: quoniam qui fuit Deus ante secula, factus est homo in fine seculorum: qui priusquam per gloriam resurrectionis exaltaretur diuinitate super angelos fuit: sed tamen minoratus est ab angelis: ex qua parte morti subiacuit. Et hac autoritate primo arguitur ex hoc, quod dicitur [*in testimonium vtriusque naturæ.*] Cum enim ministerium sit in testimonium diuinæ naturæ: ergo confortatio fuit in documentum humanæ naturæ: ergo secundum humanam naturam videtur habuisse custodem. Secundo arguitur ex secunda parte, qua dicitur [*priusquam per gloriam resurrectionis, &c.*] q. d. ante resurrectionem secundum humanitatem erat minor angelis: & inde vt prius. ¶ ITEM, super illud: *Piscis volebat deuorare.* Gloss. *diabolus vsque ad crucem secutus est Christum.* Vnde ex hoc videtur, quod Christus habuit angelum malum excitatorem (quod patuit in tentationibus. Math. 4. & Luc. 4.) ergo econuerso debuit habere angelum bonum ad custodiam; secundum illud: *Contra bonum malum, &c.*

¶ CONTRA Christo fuit diuinitas vnita non solum toti animæ, sed etiam carni: ergo sufficiebat ad totam naturam humanam ad custodiendam & dirigendam, prout opus erat: ergo frustra daretur angelus. Si enim alicui adesset vnus angelus per vnionem; non daretur ei alius ad custodiam: cum ergo diuinitas potentior sit in infinitū omni angelo; Christo non dabatur angelus, cum habebat sibi vnitam diuinitatem: nihil enim frustra fit in operibus creatoris.

¶ ITEM, ab instanti conceptionis fuit plenus gratiæ, & veritatis: vt dicitur Iohan. 1. gratiæ quo ad partem motiuam: veritatis quo ad cognitiuam: & sic plenitudo erat quo ad omnem potentiam animæ: talis (inquam) plenitudo, quod non plus poterat proficere. Vnde dicitur: *Datus est ei Spiritus non ad mensuram.* Nec iterum poterat cadere; quia non habuit possibilitatem ad peccatum: ergo videtur, quod frustra daretur ei angelus ad custodiam. Nec obstat illud, quod dictum est. *Quod proficiebat sapientia, & gratia*: quia hoc, quod dicitur [*sapientia, & gratia*] intelligitur non in se, sed in hominum cognitione: sic ergo patet, quod ex parte animæ non indiguit custode. ¶ ITEM, nec ex parte corporis: quia posito quod etiam angelus aliquid nocumentum corporis prohiberet; non tamen debebat dici custos: quia nobiliorem secum habebat sc. diuinitatem; cui hæc potius attribuuntur.

Psal. 90. Gloss. Psal. 8. Hebr. 2. Matth. 26. Luc. 22. Beda. Tob. 6. Glossa. Eccl. 33. Ioan. 1. Ioan. 3. Lucæ 2.

RESOLVTIO.

Habuit quidem Christus angelos in ministros, at non in custodes: cum nec lapsam, nec labilem naturam possederit: quinimmo ab initio plenus gratiæ & veritatis fuit, viator simul & comprehensor.

¶ SOLVTIO. Propter istud, quod dicitur Luc. 22. & illud quod dicit Beda super hoc, cōcedimus, quod Christus habuit angelos in ministerium. Dicimus tamen, quod non habuit angelum in custodiam: custodia enim semper respicit indigentiam, vel defectum, siue defectibilitatem, vt supra habitum est. Defectibilitatem, vel defectum (dico) non solum pœnæ; sed etiam culpæ vnde Christus quia nullam defectibilitatem, vel defectum culpæ habuit: ideo nec custodiam habuit, sed ministerium non connotat defectum. Concedimus etiam, quod in quantum erat passibilis, minor erat angelis, sed non ideo sequitur; quod angelus custodiret eum: quia custodire vltra præesse, & vltra hoc, quod est prohibere à nocumento; connotat in custodito, quod habeat naturam lapsam, vel labilem: in custodiente autem natura potestatem: in Christo autem non erat lapsa natura, nec labilis.

¶ AD illud, quod obijcit de confortatione. Dicendum, quod duplex est confortatio: quædam n. potestatiua: & de hac forte bene sequitur, quod qui confortat, custodit, sed hæc non fuit in Christo. Alia est ministerialis: & de illa intelligitur illud Lucæ 22. & de hac non sequitur, quod qui confortat, custodit. Et est exemplum de seruiente, qui dicitur confortare Dominum suum, non potestatiuè, sed ministerialiter: dicendo, sc. aliqua excitantia eum ad confortionem. Vnde non est exponendum (vt quidam dicunt:) Apparuit angelus Domini confortans eum, id est, ad modū confortantis se habens: quia secundum hoc fuisset ibi simulatio, sed illa fuit confortatio ministerialis tantum, non potestatiua.

¶ AD hoc, quod obijcit: quod diuinitas sufficiebat ad omnia. Dicimus, quod vere diuinitas sufficiebat ad omnia, tanquā potestate, vel autoritate, & etiam ad confortationē potestatiuam, sed non ideo tollebat ministerium, nec congruum erat, quod tolleret. ¶ PER hoc nunc vltimo dictum patet responsio ad obiecta, nunc vltimo opposita: non quia cōcludant verū, sed quia per ea, æque posset probari, quod non habuit angelū in ministerium. ¶ PER alia prædicta patet responsio ad tertiū argumentum, & quartum: ꝙ fit de textu, & Gl. *Vt custodiant te, &c.* Dicimus, ꝙ illud non potest totū intelligi de Christo: quod pōt intelligi per hoc, quod sequitur. *N. forte offendas, &c.* Per lapidem nobi intelligitur Christus; secundum quod dicitur: *Erit in lapidem offensionis, &c.* Constat autem, quod Christus seipsum non potest offendere: imo nec ad alium: quia ibi intelligitur offensio peccati. Vnde dicimus, ꝙ illa series tota, nō de Christo, sed de membris eius intelligitur. Vnde super illud Math. 4. dicit Glos. ꝙ bene de membris intelligitur; Diabolus male interpretatus est de capite: Quod ergo dicit Glos. *quod si de Christo intelligitur, &c.* quasi per hoc relinquens, ꝙ de Christo possit intelligi. Dicimus, quod hoc dicit propter hoc, quod in parte de Christo possit intelligi, sc. quo ad illud, ꝙ sequitur. *Super aspidem, &c.* quod tū diabolus fraudulenter subticebat: vnde ita dicit Glos. *Hæc Prophetia est, non de Christo, sed de viro sancto: quod si de Christo esset, meminisse debuerat etiam, quod sequitur; super aspidem, &c.* Sed de auxilio angelorum quasi ad infirmū loquitur: de sua conculcatione quasi tergiuersator tacet. Similiter quod sequitur: *In manibus portabunt te.* potest de Christo intelligi quo ad ascensionē: vnde Gl. *Manibus angelorum sublatus est Christus in cælum: non quia si ne eis rueret: sed quia obsequebantur Regi, & melior est, qui portatur, quam iumentum portans:* Quod autem dicitur ibi: Vt custodiant te in omnibus vijs tuis: de Christo non potest intelligi pro se, sed pro membris suis: sicut etiam dicunt aliqui intelligi illud, quod dicitur: *Apparuit angelus Domini, confortans eum.* Vnde Beda in fine Glos. magnæ suprapositæ dicit sic. *Si autem plaudeat hæreticus, & infirmū affirmet, cui opus fuerit angeli confortantis auxilio: meminerit creatorem creaturæ præsidio non eguisse: Sed quomodo contristatus est, & confortatus? propter nos contristatus est, & confortatus.*

Beda. Memb. 3. materia præcedenti: collige etiam per tot. Lucæ 4. Glossa. Ibid. Esaiæ 8. Glossa. Psal. 90. Glossa. Ibid. Luc. 22. Beda.

¶ AD

¶ Ad vltimum obiectum de angelo, qui videtur ei datus ad exercitium. Dicimus, quod non sequitur, si fuerit ei angelus malus quasi ad exercitium; quod propter hoc datetur ei angelus bonus ad custodiam, sed bene sequitur, quod ad custodiam, vel ad ministerium, & verum est quod ad ministerium fuit ei: & verũ est, quod angeli boni habent potestatem, cohibendo malos, & malorum potestatem; & cohibendo ministrant: non tamẽ hoc fuit ex indigentia, quæ esset in Christo, sed ex quadam congruitate. Vnde: *Accesserunt angeli & ministrabant ei.* Dicimus tamen amplius: quod non fuit angelus malus deputatus Christo ad exercitium: exercitium n. (vt dictũ est) est circa difficile, sicut ars: Christus autem non assumpsit ignorantiam ex parte intellectus, aut difficultatem ex parte affectus: vnde quia non erat in eo difficultas: ideo nec exercitium: quia exercitium propriè respicit naturam corruptam corruptione vitiosa: ex hac n. corruptione est difficultas, de qua loquimur. ¶ Sed tunc quæritur, si non est datus iste angelus ad exercitium: ad quid ergo?

Matth. 4.

Art. immediatè præceden. in responsione ad argumenta.

Dubitatio

Gloss.

¶ Responsio. Sicut dicit ibi Glos. *tentatus est Christus, vt in eo tentatorem vincere discamus.* Vnde tentatus est pro nobis, non pro se. Et notandum est, quod tentatio est intra: & sic non fuit Christus tentatus, & quo ad hanc propriè est exercitium. Et est tentatio extra, & hac fuit Christus tentatus, secundum duplicem viam cupiditatis. Matth. 4. & Lucæ 4. & viã timoris in passione: quia habuit timorem mortis secundum sensualitatem. Vnde ad instructionem nostram voluit habere malum angelum, non vere exercitatorem.

¶ Ad illud, quod obijcitur ex autoritate Hieron. Dicimus, quod illa autoritas accipitur tantum de animabus illorum hominum, qui ab Adam descenderunt seminaliter, vel originaliter: quod notatur, cum dicitur [*vnaquaque ab ortu natiuitatis suæ*] faciendo vim in verbo: Christus autẽ non sic, id est, non originaliter, vel seminaliter descendit ab Adam, sed solum per corpulentam substantiam: vnde non indiguit angelo custode, sicut alij.

ARTICVLVS III.

An Angeli infantium custodiam habeant?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum paruulis detur custodia angelica: Videtur, quod sic per autoritatem supra positã, quæ est super Matth. 18. quæ dicit: *quod vnaquæq; anima ab ortu natiuitatis,* &c.

Glossa. Matth. 18.

¶ Contra, videtur, quod non indigeant custodia (& loquamur de illis, qui statim post baptismum, vel paulo post moriuntur.) Constat n. quod illi nondũ possunt deficere per culpã: nec in melius proficere per bonum opus: cum nondum habeant vsum rationis: ergo cum custodia sit vel ad faciendum proficere, vel ad cauendum defectum: videtur, quod tempore illo non indigeant custodia, siue quod frustra esset ibi custos. ¶ Item, ex parte corporis idem videtur: quia statim anima separatur: & sic corpori inanimato non competit custodia. ¶ Item, si paruulus ante vsum liberi arbitrij indiget custodia ratione dignitatis animæ: eadem ratione videtur indigere in vtero materno, si ergo tunc non indigere videtur: ergo eadem nec post ortum, donec habeat vsum rationis.

RESOLVTIO.

Angeli nedum extra vterum, sed & in vtero matrum infantium curam habent: nam præter id emolumenti, quod ex huiuscemodi custodia animabus eorum prouenit; ô quot misellis, ijs destituti custodibus, à malignis spiritibus in corpore paterentur incursus.

¶ Solvtio. Dicimus quod paruuli habent angelum custodem, secundum quod dicit autoritas. Ab ortu natiuitatis, &c. intelligitur tamen de natiuitate, quæ est ex vtero. Accipitur autem ratio huius custodiæ, tam ex parte angeli custodientis, quam ex parte hominis custoditi. Ex parte angeli ratio est meritum: meretur enim præmium accidentale ex custodia huiusmodi. Ex parte vero paruuli accipitur ratio, tum ex parte corporis: vt sc. bonus angelus custodiat corpus pueri à vexatione contrariæ potestatis: tum ex parte animæ: Et hoc dupliciter, quia sumitur ratio animæ secundũ se; & ex coniunctione animæ ad corpus. Ex parte animæ in se, quia quam citò anima creatur, vertibilis est ad bonum, siue ad malũ: & potest proficere, non tunc, sed postmodum: & ideo datur ei custos angelus, non pro tempore isto, id est, non vt tunc faciat eam proficere vel retrahere a malo, sed vt ordinet eam, & disponat, & habilitet ad hoc, vt postmodum proficiat, quando tempus erit vtendi ratione. Ex parte autem animæ, prout coniungitur corpori; potest accipi ratio custodiæ in paruulo: quia anima quam cito vnitur corpori, corrumpitur corruptione vitiosa: & exinde contrahit corruptionem. Vnde anima quam cito coniuncta est corpori, subito procedit in alteram habilitationũ, siue ad bonũ, siue ad malum: quamuis nõ sit nota huiusmodi habilitatio: & ad huiusmodi habilitationem iuuat, & ordinat angelus bonus, qui datur ei custos: sicut fortè illa corruptio, quam contrahebat ex corpore, iuuabat ad habilitandum in malum. ¶ Per nunc dicta patet responsio ad illud, quod primo obijciebatur: quod scil. paruulus non potest proficere, nec deficere, sed si non potest pro isto tempore, põt pro consequenti, & ad hoc habilitat angelus. ¶ Præterea, sciendum, quod anima quam cito vnitur corpori, non est ita vitiosa in corpore, quod non faciat ibi vitam, vel sensum: imo cum anima rationalis plus potens sit, quam sensibilis, vel vegetabilis, & istæ quam cito sunt, aliquem actum habent in corpore, quia vegetabilis facit in eo vitam, vel viuere: sensibilis sensum, vel sentire: multo magis ergo anima rationalis aliquem actum ibi habet, quam cito infunditur: quamuis iste actus non sit nobis notus, & quantum ad illum actum vel respectum illius actus potest attendi custodia angeli. ¶ Quod etiam angeli ita habeant potestatem super animas, dum adhuc puer est in vtero, potest persuaderi à simili, vel à minori sic. Constat, quod corpora superiora tunc aliquam potestatem habent super corpus pueri: ergo similiter angeli, qui sunt lux spiritualis superior, habent potestatem super animas, quæ sunt lux spiritualis inferior.

Glossa Hierony.

ARTICVLVS IV.

An Antichristus angelum custodem habebit.

AD quartum, quo quæritur de Antichristo, vtrum habebit angelum deputatum ad custodiam. Et videtur, quod non: dicit enim Damasc. quod carebit præsidio angelorum, sed angelus custodiens est præsidium custoditi: ergo carebit custodia angelorum. ¶ Item. Sicut dictum est, quia Christus non potuit decidere in malum culpæ, nec proficere in bonum, non indiguit custodia angelorum, sed econuerso Antichristus ita adhærebit malo, quod non reuocabitur ab eo; nec etiam proficiet in bono: ergo nullus erit ibi effectus custodiæ: cũ ergo nihil ociosum fiat à summa sapientia, non habebit angelum in custodiam. ¶ Item, Videtur: quod nec ad exercitiũ: quia exercitari est de malo elicere bonum: vt pote de tentatione diaboli, sed hoc non faciet Antichristus: ergo nullus erit ibi effectus custodiæ, nec exercitij: ergo nullo modo habebit angelum sibi deputatum. ¶ Item, quia Christus plenus erat Deo, non indigebat custodia angeli: ergo econtra Antichristus, quia plenus erit diabolo, non habebit angelum. Probatio mediæ: *Cuius aduentus secundum operationem Sathanæ.* Glos. *diabolo cooperante, qui illum totum possidebit.* ¶ Item, Damasc. *Ex fornicatione genitus suscipiet omnem actum Sathanæ: præsciens enim Deus iniquitatem suæ futuræ voluntatis, concedit in eo habilitare diabolũ.* Si ergo nihil superuacuũ est in operibus Dei, videtur, quod non det ei angelum custodem.

2. Thess. 2. Glossa. Damasc.

¶ Contra, Hieron. *Vnaquaque anima ab instanti suæ natiuitatis habet angelum sibi delegatum:* ergo angelum custodem habebit anima Antichristi. ¶ Item, *Contra malum bonum:* ergo contra maius malum necessariũ est contra poni maius bonum. Sed in Antichristo maior erit inualescẽtia angeli mali, quam in alio homine: ergo magis necessarius erit angelus bonus ad custodiam in resistendo malo. ¶ Item, medicus corporalis, & si infirmus habet infirmitatem incurabilem, non tamen penitus dimittit eum, sed adhuc dat ei aliquam mitigationem morbi, vt prolongetur

Hieron. Habetur in Glos. Eccl. 3.

vita eius: ergo similiter nec medicus spiritualis dimittit infirmum suum, & si incurabilis ei videtur: huiusmodi autem medicum est bonus angelus, vt super illud: *Curauimus Babylonem.* Glos. *Angeli sunt medici, sub magno medico constituti, volentes animas nostras à vitijs curare*: ergo angelus bonus non dimittit Antichristum propter magnitudinē iniquitatis suæ. Et hoc est contra illos, qui ponunt, quod in principio habebit angelum custodem: sed post cum viderit eum obstinatum, derelinquit eum. ¶ ITEM, non est in potestate dæmonis dare ei ab instanti natiuitatis vsum liberi arbitrij, sed ante vsum liberi arbitrij non demeretur præsidium bonorum angelorum: ergo tunc habebit angelum in custodia.

Hiere.13. Glossa.

RESOLVTIO.

Nec Antichristus angelo custode carebit, & si non ad profectum in bonum gratiæ, aut ad omnimodam præseruationem à malo culpæ: saltem ut post casum resurgat, vel ne totiens, aut in tantum malum ruat.

¶ RESPONDETVR, quod multiplex est effectus custodiæ angelicæ circa animas: Vnus est, vt proficiat anima in bonum gratiæ. Alius, vt non cadat in malum culpæ. Tertius est, vt si cadit, vt postmodū resurgat: vel ne totiens cadat; vel in tantum malum cadat. Dicimus ergo, quod Antichristus habebit custodiam angelicam, non ad primos effectus, id est, angelus custos istos effectus circa eum nō habebit, sed tantum vltimum, sc. vt non totiens cadat, quotiens caderet sine angelo custode. Nulli n. viatori, inquantum viator est, deficit misericordia Dei, quæ est in dando angelum custodem.

¶ AD primo obiectum, sc. quod carebit præsidio angelorum. Respondendum, quod Damas. loquitur tantū de bonis angelis, & hoc patet: quia præsidium, q̄ est in exercitando, non dicitur præsidiū mali angeli, sed Dei, quia diabolus non intendit in hoc iuuare, sed decipere. Vnde cum dicit [*carebit præsidio*] patet q̄ intelligit tantum de bonis. Sed notandū, quod præsidium potest accipi dupliciter: Vel cōmuniter, sc. pro adiutorio quocunq;, & sic non est verum, quia carebit præsidio, id est, adiutorio angelico: imo habebit, vt patuit iam. Vel præsidium potest accipi propriè; secundum quod præsidium dicitur à præsidendo: & sic intelligit Damas. illi n. propriè præsidere dicitur angelus bonus, qui mouetur ad nutum eius, sic aūt non erit in Antichristo: imo potius mouebitur ad nutum diaboli, & nullo modo acquiescet angelo bono.

¶ AD illud, quod obijcit per contrarium de Christo: Dicimus, quod non est similis plenitudo Dei in Christo, & diaboli in Antichristo: Christus n. dicitur plenus Deo, quia in isto homine humana natura vnitur diuinę in vnitate personæ, secundum illud Col. 2. In eo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: Nō sic vnitur diabolus Antichristo: quia dæmon in nullo homine, siue in nulla anima sic est per essentiā, sed per operationem & suggestionem: vnde Antichristus dicitur plenus diabolo non plenitudine essentiæ; sed plenitudine dominij: quia inclinabitur eius voluntas ad nutum diaboli. & sic intelligitur, quod dicit Glos. quod *illum totum possidebit*: & illud, quod dicit Damasc. quod suscipiet omnem actum Satha. Sed nota, quod dicit [*omnem*] quo ad genera singulorum, non quo ad singula generum.

Glossa.

MEMBRVM V.

An angelus alicui in custodiam deputatus, propter illius peccatum aliquando à custodia desistat?

AD membrum quintum huius Quæstionis, quo quæritur: Vtrum angelus deputatus ad custodiam, aliquando recedat propter peccata eius, cui deputatus est. ¶ QVOD videtur per id Hierem. 51. *Derelinquamus eam, & eat vnusquisque in terram suam*: hoc intelligitur de bonis angelis, quod patet per hoc, quod dicitur: *Curauimus Babylonem, &c.* boni n. sunt medici, vt dicitur ibi, & non mali. ¶ ITEM, ibidem: *Caue, ne quando derelinquat te medicus, vel angelus Dei: si n. dereliquerit, patet quod absessio medici condemnatio tua sit.* ¶ ITEM, Aug. *Angelos repellimus, cum eorum consilio non acquiescimus, & videntes opera perdere ducunt: Derelinquamus eam.* ¶ ITEM, *Reuersus est ad me angelus*: super hoc dicit Hieron. *Infructuosa est anima, quæ non habet Deum hospitē, nec præsidium angelorū.* ¶ ITEM, super illud idem. Sciendum est quotienscunq; humana fragilitas suæ relinquitur imbecillitati, Dei auxilium & angelorum ab ea recedere. ¶ ITEM. *Auferam sepem ab ea.* Glos. *id est, custodiam angelorum.*

Hiere. 51. Ibid. Glossa. August. Zach. 4. Hieron. Isai. 5. Glossa Interlinear.

¶ CONTRA: Feruentior est bonus angelus in custodiendo, & iuuando, quam malus in nocendo, sed malus angelus etiā in cruce Christo non defuit, sicut habetur super vlt. Tob. imo quasi semper sequebatur eū, expectans, quomodo posset ei nocere: ergo multo fortius bonus angelus nulli homini, quantūcunq; malo deest, sed semper adest; expectans quomodo posset eum iuuare vsque ad mortem.

¶ ITEM, quanto quis peior est & infirmior; tanto magis misericordia indiget: cum ergo Deus in ira sua non ita contineat misericordias suas, sed semper miseretur (cum eius sit hoc propriū) ergo etiam tunc non amouet custodiā angelicam, sed præstat, vt patet. ¶ ITEM, Medicus corporalis si non desperet de ægroto, non derelinquit eum: ergo nec medicus spiritualis, scil. angelus bonus, sed de nemine desperandum est, (dicit Autoritas) dum est in via: ergo neminem debet dimittere. ¶ PRÆTEREA, cum desperat medicus corporalis de perfecta sanitate: tamen omnino adhuc non dimittit ægrotum, quamdiu viuit, sed semper aliquid operatur circa eum, saltem ad mitigationem morbi, & ad vitæ prolongationem: ergo etsi desperet angelus bonus, non debet omnino dimittere, sed semper contra eum aliquid operari; nec saltē ingrauescat ægritudo spiritualis.

RESOLVTIO.

Nunquam angeli sibi ad custodiam deputatos penitus derelinquunt, sed semper fouent, & si non quo ad vnum affectum, saltem quo ad alterum.

¶ SOLVTIO. Notandum, quod multiplex est effectus angeli custodientis circa animam hominis custoditi. Vnus effectus eius est, in anima quo ad potentiam speculatiuam, sc. illuminare eam quo ad aliqua occulta, & quo ad hunc effectum verum est, quod aliquando recedit angelus, quia non semper illuminat, quia aliquando tangit Spiritus corda Prophetarū, aliquando non tangit, & sic intelligitur angelus recessisse: de quo Zacha. 4. *Reuersus est angelus.* Est alius effectus angeli custodientis in anima hominis custoditi, sc. quo ad potentiā motiuam, & hæc est quadrupliciter, sicut habitum est supra in solutione præcedentis Problematis, & verum est, quod semper angelus aliquem illorum effectuū operatur contra animam, saltem vltimum, q̄ est prohibere ne cadat in tantū malum. Vnde dicimus, quod nunquam relinquit hominem, cui deputatus est, quo ad omnem effectum, & sic intelligunt rationes, quæ hoc probant.

Zach. 4.

¶ PRÆTEREA, sciendum: quod, etsi nō semper habeat effectus potiores: vt pote promouere in bonum, vel prohibere à malo: tamen per ipsum angelum non stat, sed per hominem, nolentem acquiescere, & propter hoc dicitur delinquere quo ad istos effectus, quia licet faciat, quod in se est: tamen hos effectus circa animam non habet. ¶ ET sic intelligātur omnes autoritates, ex quibus videtur relinqui, quod angeli relinquunt homines, quibus deputati sunt. Vnde quod dicitur: *Derelinquamus eam*: intelligitur de illis, qui desperati sunt: quia iam in illis tollitur illud, per quod debet esse medicina: pœnitentia n. medicina est ad remouendum, vel suscipiēdum hominē à morbo spirituali, cum ergo impœnitens est quis; iam est ad modū ægroti respuentis medicinam à medico, & ideo medicus eum relinquit quantum ad hunc effectū, qui est reuocare à morbo, quia quo ad hoc non assumit eum in curam. ¶ SIMILITER valet hoc autoritatem Hier. quæ dicit: *Infructuosa res est anima, quæ non habet, &c.* Potest solui specialiter per hoc, quod dicitur [*præsidium*] faciendo vim in vocabulo, vt dictum est, præsidium n. à præsidendo dicitur: præsidium ergo angelorum habet, qui mouetur ad nutum eorum: non sic faciunt peccatores. Vnde secundum hoc nullus peccator inquantum talis habet præsidium angelorum (accipiendo ita propriè) & talium in quantum huiusmodi infructuosa est anima loquendo de fructu vitæ æternæ: quia hunc effectum non habent tales, inquantum tales sunt; nec in eis habet angelus hunc effectum.

Hier. 50. Att imme diatè præcedenti.

MEM-

MEMBRVM VI.

An angeli circa huiusmodi hominum custodiam quandoque delinquant.

AD sextum membrum, quo quæritur: Vtrum aliquando angelus peccet circa custodiam hominis. Et habet hoc membrum tres articulos. Primo quæritur, vtrum angeli aliquando negligant, vel negligere possint circa custodiam. Secundo, vtrum velint præscitum damnandum saluari: vel tristentur de damnatione custoditi. Tertio, vtrum angelus resistat alij angelo custodienti.

ARTICVLVS I.

An angeli negligant, vel negligere possint aliquando homines custodire?

Nume. 18. Glossa. Origenis. AD primum. Quod sic, videtur: *Quicquid offerunt primitiarum.* Gloss. Origen. *Trahuntur angeli in iudicium, vtrum ex ipsorum negligentia, aut ex hominum ignauia tot lapsi sunt:* Sed hoc nihil esset dictu, nisi in angelis esset, vel posset esse negligẽtia: ergo videtur, quod in angelis sit negligentia, vel possit esse. ¶ ITEM, *Initiatus est Beelphegor.* Gloss. *Præest angelus bonus, qui pro benè gestis laudatur: & pro delictis culpatur.* Numer. 25 Glossa Elice ex Li. de Cœl. Hierarch. c. 9. & loquitur de populo Hebræorum.

¶ CONTRA. Dionys. *Non angelorum rectos principatus accusare contigit de gentium ad non existentia erratione, sed ad illa proprijs inflexionibus.*

RESOLVTIO.

Si nullo modo in angelis culpa cadit, imo nec cadere potest; quomodo, (nisi falsò) illos negligentia accusabimus circa procurandam hominum salutem.

¶ SOLVTIO: Dicimus, quod non est negligentia in angelis, quia faciunt, quicquid in se est, circa eos, quibus deputantur: nec aliquid omittunt de contingentibus.

Glossa. ¶ QVOD ergo obijcitur de Gloss. *illa trahuntur in iudicium,* &c. Responsio, trahuntur in iudicium: non vt ipsi ex hoc iudicentur: sed vt ipsi homines eorum testimonio iudicentur. Vnde Origen. ibi loquitur per quandam similitudinem: quasi dicat: venient ambo in iudicium, sc. angeli, & homines; quibus deputati sunt: & manifestum erit, angelos nõ fuisse circa eos negligẽtes. Vnde grauius iudicabuntur homines, qui eis fuerunt inobedientes ex ignauia sua: vt super illud: *Contende aduersus montes;* Gloss. montes Michææ 5. Glossa. sunt administratorij Spiritus, quibus promissa est procuratio humanarum rerum: aduersus hos iubetur contendere iudicio: vt si illi montes, vel colles inuenti fuerunt non benè procurasse populum; videatur, si vel culpa Dei sit: qui non idoneos eos proposuit: vel ipsorum angelorum, si non egerint, quæ ad officium eorum pertinebant: vel populi, qui bonis Prælatis obedire contempsit: & cum nec in Deo, nec in angelis culpa possi inueniri, restat, quod in populo inueniatur, & iustè puniatur. Et hoc est etiam, quod dicit Gloss. super illud: *Tolle cunctos principes.* dicit Gloss. *Si princeps,* id est, angelus commonuit, & locutus in corde meo duntaxat, in quo meam conscientiam reuocat à peccato: & ego sprẽtis eius monitis, & conscientiæ retinaculo, in peccatis prorupi; duplicabitur mihi pœna pro contemptu monitoris, & facinoris commissi, &c. Glossa super Num. 25.

¶ AD aliam Gloss. quæ dicit: *Pro delictis culpatur.* Dicimus, quod & si pro ista parte amputata, siue falsa sit hæc Gloss. tamen potest intelligi, culpatur, id est, non tantum, vel in tot laudatur, & non pro tot: quia laudem habet angelus pro vno quoq; ab eo custodito, & sic saluato: & q̃n plures sunt saluati ab eis, quorum curã gessit: tanto in pluribus, siue pro pluribus habet gloriam (loquendo de gloria accidentali) sicut est de homine prælato alijs faciente, quod in se est tamen etsi non omnes saluentur, nihilominus habet suum præmium pro suo ministerio: sed non tantum, siue pro tot.

ARTICVLVS II.

An Angeli tristentur de damnatione eorum, quos custodiendos susceperunt: ita vt vel summopere saluandos illos optent?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum angelus custodiens velit præscitum custoditum, sc. quem scit damnari, esse saluandũ: vel tristetur de damnatione eius: Quod autem velit ipsum saluari, videtur. Nam custos velle tenetur profectum eius, quem custodit, & salutem. ¶ ITEM, vult suam operationem non esse irritam: sed operatur ad hoc, vt ille præscitus saluetur, ergo vult ipsum saluari.

¶ CONTRA, scit voluntatem Dei esse, vt ille damnetur (ponatur quod illud reueletur ei) sed tenetur conformare voluntatem suam voluntati diuinæ: ergo tenetur velle, quod ille damnetur. ¶ PRÆTEREA, ex hoc videtur quod teneatur relinquere eum, id est, non apponere curam circa eum.

¶ SI dicatur, quod angelus ex voluntate gratiæ, qua tenetur conformare voluntatem suam voluntati diuinæ, vult eum esse damnandum: nihilominus tamen voluntate naturæ, qua ei compa .atur suo modo, tanquam eius custos, velit eum esse saluandum.

¶ CONTRA, custodire est à natura, & à gratia: & voluntas similiter, qua vult damnationem, est à gratia: hoc constat: ergo oppositæ sunt in eo voluntates, & ex eodem principio. ¶ ITEM, quæritur, vtrum angeli tristentur ex damnatione hominum, quibus deputantur? Et videtur quod sic. Nam delectantur, cum iustificantur: ergo tristantur, cum peccant. ¶ ITEM, *Angeli pacis amare flebunt.* Gloss. *de perditione suæ gentis,* &c. Isai. 33. Glossa.

¶ CONTRA tristitia pœna est: pœna autem non est nisi eius, cui inest, vel infuit, vel inesse potest peccatum, sed in angelis bonis nec inest, nec infuit, nec inesse potest peccatum: ergo in eis non potest esse tristitia. ¶ ITEM super Dan. *Princeps Persarum,* &c. Gloss. *Angelicos Spiritus rectè milites dicimus: quia contra aereas potestates eos decertare non ignoramus:* Hoc autem non labore, sed imperio peragunt; & similiter sine dolore: ergo non tristantur. Daniel. 10 Glossa.

RESOLVTIO.

Angeli continuè circa hominum salutem latanter intendunt: quia vel penitus illorum reprobationem nesciunt: vel si ex reuelatione peculiari sciunt; nesciunt adhuc quanta futura sit illorum damnatio: quare & instantius laborant, ne maiori damnatione damnentur.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod quamuis alicui angelo reueletur damnatio eius, cui deputatus est: tamen non reuelatur ei quantitas damnationis, scilicet, quanta futura est eius damnatio: hoc enim est de secretissimis Dei. Vnde quamuis eum damnandum esse sciat per reuelationem: & cognoscat se nihil profecturum circa eum, quantum ad hoc vt saluetur: tamen quia nescit, quanta futura est eius damnatio; ideo nescit an profecturus sit circa eum quantum ad hoc, quod minor sit eius pœna, siue damnatio. Vnde adhuc curam apponit circa eum, nec derelinquit eum ex toto, nec dissonat hoc à voluntate diuina. Vnde quamuis non operetur circa eum ad trahendum eum ad salutem: tamen operatur ad retrahendum eum à maiori damnatione: quam, scilicet, incurreret, nisi angelus custodiret eum.

¶ AD hoc ergo, quod obijcitur, quod ex eodem principio velit angelus contraria: Dicimus, quod reuera ex principio, quod est gratia, prouenit vtrumque. Sed dicimus, quod dupliciter est gratia in angelis, sc. quædam fixa: & quædam influens, sc. continuè, vel quasi de nouo. Gratia influens est gratia, qua nunc reuelatur ei de nouo damnatio illius hominis: & secundum hanc vult, quod Deus vult absolutè; vult damnationem illius hominis, secundũ quod ei reuelatur. Gratia fixa est gratia, quæ data est ei in confirmatione, quæ habet potestatem custodiendi, & custodit. Et secundum hanc adhuc habet duplicem respectũ. Vnum respectum habet ad hominem, quem custodire ha-

bet: secundum hunc respectum dicimus quod velle t salutem illius. Alium respectū habet ad Deum, secundū quod per illam gratiam fruitur Deo, & legit in speculo æterno, quod Deus vult fieri: & secundum hoc tenetur voluntatē suam conformare voluntati diuinæ. Vnde sicut Deus vult hominem damnari, & ipsi angelo reuelat hoc: ita ipse angelus vult ipsum damnari: nec est hic oppositio, in volendo opposita secundum diuersos respectus.

¶ Ad hoc, quod quæritur, vtrū angeli tristentur de dānatione præsciti. Dicendum, quod in angelis non est tristitia; sicut habetur super illud: *Omnis creatura*, &c. Glo. *& si nos adiuuant angeli, hoc sine labore agere credendi sunt, ne miseri æstimentur.* (Ad Rom. 8)

¶ Ad obiectum dicitur, quod non sequitur: sequeretur autem, si essent illis aliqua causa peccati: sicut sunt aliqua occasio, vel etiam dispositio ad bonam voluntatem, sunt autem dispositio ad bonam voluntatem, non ad peccatum: sed tota causa in ipso peccante. ¶ Ad aliud, quod dicitur: *Angeli pacis amare flebunt*: Dicendum, quod illud intelligitur moraliter de prælatis, qui sunt nuncij reconciliationis, sicut dicit Gloss. (Isai. 33.)

ARTICVLVS III.

An angelus custodiens custodienti angelo resistat?

Ad tertium, quo quæritur: Vtrum vnus angelus custodiens resistat alij bono angelo custodienti. Quod non, videtur: quia cum vterque ministret sub Deo, habent concordes voluntates: quia si vnus exequatur quod Deus iniungit alter resistere non debet.

¶ Contra. *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus*, (ita dicit angelus Danieli, oranti pro liberatione populi.) Quod autem de bono angelo intelligendum sit; videtur per Gloss. Grego. ibi. *Est adhuc* (inquit) *quod in eodem populo sub iugo Persarum purgetur: vnde de ereptione illius princeps mihi iure contradicit.* Sed malus angelus nihil iure facit: erit ergo bonus angelus. (Dan. 10. Glossa Gregor.)

¶ Contra, Glos. Hieron. quæ sic incipit: *Videtur mihi*, &c. vbi ita dicit. *Illi sunt principes, de quibus Paulus.* 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum mundi cognouit: si n. cognouissent Dominum gloriæ, nunquā crucifixissent.* Et Glos. Greg. super eundem locum. *Angelicos spiritus recte militantes dicimus: quia decertare contra aereas potestates non ignoramus: quæ tamen non labore, sed imperio peragunt: quia quicquid agere contra immundos Spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt.* (Glossa Hieron. 1. Cor. 2. Glossa Greg.)

¶ Item, si Princeps Persarum iuste restitit: ergo iniuste Gabriel populum debellare volebat.

RESOLVTIO.

Non est æqua resistentia vel decertatio angeli boni ad bonum; quæ boni ad malum vel vice versa mali ad bonum. Decertant mali enim bonis, vt impediant sanctum propositum: decertant boni vt illud idem impleant concorditer. Sed varia in custoditis meritorum exigentia in causa est non paria illis admiuicem sentire videantur.

¶ Responsio. Intelligendum est de malo angelo: Quod autem dicitur, iure restitisse; hoc est comparatione habita ad merita populi, qui nondum erat purgatus, sed non quantum ad intentionem eius, qui non intendebat populi purgationem, sed oppressionem. Simile videtur: *Virga furoris mei Assur, &c.* ipse autem non sic æstimabit: sed cor eius erit ad conterendum. Gabriel autem non peccabat volens liberationem populi: licet n. non esset liberandus quantum ad exigentiam meritorū: tamen quantum ad merita precum, sc. Danielis de misericordia decebat hoc fieri: ob hoc Glos. Greg. *Precum merita exigunt, vt Israeliticus populus a iugo captiuitatis suæ exuatur: sed adhuc est in eodem, quod iugo Persarum Domino purgetur.* Hæc opinio videtur esse secundū Hieron, attamen secundum Greg. princeps iste dicitur angelus bonus. (Isai. 10. Glossa Greg.)

¶ Ad hoc autem quod quæritur: qualiter angelus bonus dicitur resistere angelo. Sic respondet beatus Gregor. *Sublimes Spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro iniustè agentibus decertabant, sed eorum facta iuste iudicantes examinant.* Cumq; vniuscuiusq; gentis culpa, vel iustitia ad supernæ curiæ consilium ducitur: eiusdem gentis Præpositus vel obtinuisse, vel non obtinuisse * prohibetur: quorum tamen omnium victoria est sui super se opificis voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere nunquam volunt, eosdem quoq; angelicos spiritus decertare contra potestates aereas non ignoramus: Recte ergo dicitur, quod contra se angeli veniunt: quia subiectarum gentiū sibi merita contradicunt. Alio ergo modo resistunt boni bonis, quando, sc. merita populi contradicunt. Vnde oratio Danielis merebatur liberationem populi, sed merita populi exigebant, vt adhuc in captiuitate detinerentur: quia nondum erant sufficienter purgati: & ideo quantum ad hoc dicebantur certare angeli: qui tamen concordabant in voluntate Dei. Angelus vero bonus dicitur resistere angelo malo, quando coarctat potestatem eius, ne impediat. Angelus autem malus dicitur resistere angelo bono, quando illud, quod intendit angelus bonus, nititur malus angelus impedire. Et sic differenter intelligitur resistentia, secundum quod princeps dicitur angelus malus secundum opinionem Hieronymi. & secundum quod dicitur angelus bonus, secundum opinionem Gregorij. (Gregor. *Al. as. perhibentur.)

QVÆSTIO XLII.

De Miraculis, & Mirabilibus.

In sex Membra, & in decem & septem Articulos diuisa.

Post tractatum de præsidentia angeli respectu creaturæ spiritualis; qua sc. præest angelo, & animæ: dicendū est de præsidentia, qua præest angelus respectu corporalis creaturæ: sic dicit Orig. super illud Numeri 22. *Cum vidisset asina angelum*, &c. dicit n. sic. *Opus est mundo angelis, qui præsunt necessitati, & virgultorum, plantationumq́; & cæterarum rerum incrementis. & qui præsunt operibus sanctis, qui æternæ lucis intellectū, & occultorum Dei agnitionem, & rerum diuinarum scientiam doceant. Vide ergo ne inter angelos non inueniaris, qui bestiis præsunt, si beluinam duxeris vitam*, &c. Hæc autem præsidentia ostenditur in mirabilibus, quæ fiunt ministerio angelorum. Vnde dicit Aug. super illud Ephes. 3. *Quæ sit dispensatio Sacramenti*, &c. in Glos. *Sic causa omnium, quæ ad Christi aduentum prænunciandum in rerum natura præter vsitatum cursum mirabiliter facta sunt: in Deo sunt, quæ ministrantibus angelis facta esse creduntur.* Dicendum est ergo de miraculis & mirabilibus: & primo de his, quæ sunt: demum de his, quæ videntur. Et de his, quæ sunt à bonis primo: deinde de his, quæ sunt à malis. (D. Tho. 1. par. q. 105. per 8. art. & q. 110. per 4. art. & q. 115 per 6. art. collige ex S. B Lib. 2. dist. 18. art. 2. & ex 3. d. 30 q. 4. & in 4 d. 7. par. 2 art. 2 q. 1 & in 4 dist 7 q. 3 Scot. in Prol q. 2. Aug. super Eph 3. Glossa.)

¶ Primo ergo quærendum est, quæ sit ratio miraculi: & quæ differentia miraculi, & mirabilis; & signi, & virtutis. Secundo, cui conueniat miraculum: an scilicet operi creationis, vel gubernationis, vel incarnationis, & ita de alijs. Tertio, quia miraculum dicitur fieri contra naturam: quæritur, vtrum aliquid fiat à Deo contra naturam? Quarto, de causis miraculi. Quinto, de rationibus, secundum quæ fiunt miracula. Sexto de motu, cuius virtute dicuntur impetrari miracula. (Eiice nonnulla horū ex 1. par q. 2. de conditionibus diuinæ potentiæ.)

MEMBRVM II.

Quid sit miraculum.

Quæritur ergo primo, quid sit miraculum. Ponit autem August. hanc descriptionem in Libro de Vtilitate credendi. *Miraculum est arduum aliquid, & insolitum, supra spem, & facultatem existens admirantis.* Potest ergo quæri de differentijs positis in ratione miraculi. Videtur enim quod illud, quod est arduum, sit supra facultatem admirantis. ¶ Item, multa miracula frequenter veniunt; non ergo dicuntur insolita. ¶ Item, raro euenit eclipsis solis: ergo est insolitum: ergo est miraculum. ¶ Præterea, si speraret aliquis fidelis, quod de aliquo morbo virtute diuina curaretur, nunquid propter hoc non esset miraculum, cum miraculum dicatur arduum, & insolitum supra spem, &c. ¶ Præterea, dicitur, quod miraculum est supra facultatem admirantis. Quæritur, quid dicatur ibi facultas? nunquid supra rationem eius, vel supra potestatem. (Aug. in li. de vtil. credendi. cap. 16. in med. 10. Tom. 6.)

RESO-

RESOLVTIO.

Miraculum (teste B. Augustino) est quid arduum & insolitum, supra spem & facultatem admirantis existens.

¶ RESPONSIO. Quatuor ponuntur conditiones: quarum duæ primæ respiciunt rem miraculi, duæ vltimæ rationem, inquantum est miraculum. Nam arduum dicitur supra potestatem naturæ. Insolitum, quod est contra cursum naturæ: quando autem hæc duo concurrunt: tunc dicitur res miraculi secundum veritatem. Cum autem est supra spem ex parte affectiuæ, & facultatem mirantis ex parte cognoscitiuæ & operatiuæ: tunc est in ratione miraculi: ratio enim miraculi dicitur in comparatione ad nos. ¶ PER hoc possunt solui obiecta: quia secundum hoc aliud est arduum secundum rationem, & ens supra facultatem admirantis: licet contingat eidem inesse.

¶ AD secundum dicendum, quod non dicitur insolitum tantum, quia raro euenit (sic enim eclipsis solis diceretur miraculum) sed quia contra consuetum cursum naturæ: etsi frequenter eueniat.

¶ AD tertium dicendum, quod licet speraret fidelis sanitatem consequi virtute diuina: nihilominus esset miraculum curatio ægritudinis incurabilis: quia species illa non surgebat ex proprio motu virtutis tantum, sed ex fide, quæ innititur omnipotentiæ diuinæ. Et cum dicitur, quod est supra spem, intelligitur virtutis humanæ. Vnde Augustin. *Quædam sunt, quæ solam admirationem, quædam vero magnam gratiam, beneuolentiamque conciliant.* Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui, & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit, conualescat: admirationem sanitatis suæ sanitatis etiam caussalitate superabit: talia facta sunt eo tempore, quo Deus in vero homine, quantum satis erat, hominibus apparebat. (Aug. Loco alleg.)

¶ AD vltimum dicendum, quod supra facultatem admirantis, potest dici supra rationem & potestatem: hoc enim intelligitur per esse super facultatem, & admirationem.

¶ DEINDE quæritur de differentia mirabilis, & miraculi, & virtutis, & signi, & prodigij. Dicendum, quod vnum & idem dicit miraculum mirabile, & signum, & virtus, sed comparatione ad diuersa. Nam virt⁹ dicitur respectu principij à quo: miraculum verò respectu eius, in quo, & cui fit: signum verò respectu eius ad quod. Signum enim est ad demonstrandum virtutem diuinæ sapientiæ. (Dubitationes.)

¶ ITEM quæritur, quæ sit differentia inter illa tria, quæ dicuntur. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia signis, & prodigiis, & virtutibus.* Glos. *Hæc tria distinguuntur, vt intelligas quod virtus est genus signorum, & prodigiorum, sed signa & prodigia sunt in his, quæ sunt contra naturam, vt per impositionē manuum, & per orationem hominem liberare à morbo.* ¶ AD quod dicendum, quod signum accipitur dupliciter, similiter & prodigium: Dicitur enim signum minus miraculum, prodigium maius. Glo. *in signis & prodigiis* .i. in minoribus, & maioribus miraculis. Secundo modo dicitur signum, quod in quolibet tempore aliquid signat: prodigium, quod in futuro tantum: & ita signum est genus, vel superius ad prodigium. Virtus autem tripliciter accipitur: dicitur enim virtus habitus mentis: item dicitur virtus genus ad omne miraculum: & sic ad signum, & prodigium. (Vnde Glos. *nomine virtutis omne miraculum accipias*) & sic per hæc tria distinguitur, vt sic intelligas quod virtus est genus signorum, & prodigiorum. Tertio modo dicitur virtus in his, quæ non contra naturam, vt per impositionem manuum &c. Et sic diuiditur contra miraculum. (2. Cor. 12. Gloss. — Gloss. — Eadem.)

MEMBRVM II.

Cui competat ratio miraculi?

AD secundum, quo quæritur, cui conueniat ratio miraculi. Circa hoc erunt quinque videnda, penes quinq; Articulos huius Membri. ¶ Primus, vtrum ratio miraculi conueniat operi creationis, & gubernationis. Secundus, vtrum opus incarnationis Christi sit miraculum. Tertius, vtrum Eua sit miraculose de costa Adę facta. Quartus, vtrum iustificatio impij sit opus miraculosum. Quintus, vtrum opus resurrectionis, vel glorificationis sit miraculum.

ARTICVLVS I.

An ratio miraculi conueniat operi creationis, & gubernationis?

ARTICVLO primo quæritur, Vtrum ratio miraculi cōueniat operi creationis, & gubernationis. Et videtur quod sic. Nam dicitur de mutatione aquæ in vinum. Io. 2. in Glos. *maior virtus est in creatione cœli, & terræ, & gubernatione, & quod quotidie aqua pluuia per vites in vinum vertitur, & quod ex paruo seminario fruges nascuntur.* Cum ergo virtus ꝑ miraculo accipiatur in sacra scriptura: sicut, *Alius per spiritum datur operatio virtutum.* Glos. *miraculorum*, erit maius miraculum, & ita omne opus creationis, & gubernationis, & etiam generationis secundum naturam erit miraculosum, & ita videtur, quod omnia huiusmodi opera sunt miraculosa. (Gloss. — 1. Cor. 12 Gloss.)

¶ PRÆTEREA, Aug. super Io. 6. vbi agitur de quinque panibus, dicit, quod miracula Dei, de quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt: ita vt nemo penè dignetur attēdere opera Dei, mira, & stupenda in quolibet seminis grano secundum ipsam suam misericordiam magnam seruauit sibi quædam, quæ faceret tempore oportuno præter vsitatum cursum, ordinemque naturæ, vt non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. ¶ ITEM, ibidem. Maius enim est gubernatio mundi totius, quam saturatio quinque milium hominum de quinque panibus, & tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homines: non quia maius est, sed quia rarum est. ¶ ITEM, Virtus est miraculum, sicut patet in Glos. 1. Cor. 12. *Alii per spiritum datur &c.* ergo vbi maior virtus, ibi maius miraculum, sed maior est virtus in creatione cœli, & terræ, quam in mutatione aquæ in vinum, ergo & maius miraculum. (Aug. sup. Ioan 4. Tract. 24 Tom. 9. — 1. Cor. 12.)

¶ CONTRA, super illud Rom. 11. *Contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Glos. *dicitur humano more esse contra naturam quod est contra solitum cursum naturæ mortalibus notum.* ¶ ITEM, Non incongruè dr̄ Deus facere contra naturam, quando facit contra id, quod nouimus in natura. Hunc enim appellamus cognitum nobis cursum, solitumque ordinem naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. (Rom. 11. Gloss.)

RESOLVTIO.

Nec opus creationis mundi, nec opus gubernationis eiusdem miraculum dicendum est, quippe cum neutrum (tametsi arduum) insolitum est, hoc est contra aliquem naturæ particularis determinatum cursum.

¶ AD quod dicendum, quod licet opera creationis sint ardua, non tamen sunt insolita: sed insolitum dr̄, quod est contra cursum naturæ determinatum. Quædam etiam nō sunt supra facultatem admirantis: ratio enim ad quædam potest attingere, quorum rationem potest inuenire.

¶ SI obijciatur. *Intellexi, quod operum Dei nullam possit homo inuenire rationem.* Responsio, sufficientem. ¶ AD illud, ꝙ obijcitur: Dicendum est, quod non sequitur: si minora opa .i. minus ostendentia virtutem Dei sunt miracula, quod magis ostendentia sint magis miracula. (Eccles. 7.)

¶ AD illud, quod obijcitur, idem esse virtutem & miraculum: & ideo si maior virtus, & maius miraculum. Dicendum, quod aliunde dr̄ virtus, & aliunde miraculum. Nam virtus dr̄ respectu principij à quo: miraculum respectu eius cui fit. Præterea, omne miraculum est virtus: sed non omnis virtus est miraculum: & propter hoc non sequitur si sit maior virtus, quod sit maius miraculum. Dr̄ autem maior virtus non ex parte Dei agentis, cui æque facilia sunt magna, vt parua, sed quo ad magnitudinem rei, quæ fit, & de quo fit, & quia maius est facere aliquid de nihilo, quam de aliquo, & maioris virtutis res est mundus, quam aliqua particula mundi: ideò dicitur maior virtus, sed creatio non est contra aliquem naturæ particularis cursum: similiter nec gubernatio, & ideo non dico miraculum &c.

ARTICVLVS II.

An opus incarnationis Christi miraculum dicendum sit?

AD secundum articulū, quo quærit̄ de ope incarnationis, an sit miraculū. Vr̄. n. ꝙ et conueniat ratio miraculi: est enim arduum, & nouum: & quo nihil maius.

Anselm. lib. de conce. p. virgi. nali, ca. 11. ¶ PRÆTEREA, dicit Ansel. *Omnia, quæ fiunt, aut fiunt sola Dei voluntate, aut natura, secundum vim, illi à Deo inditam, aut voluntate creaturæ, & ea, quæ nec natura, nec voluntas facit, sed solus Deus, semper miranda sunt.* Ex quo apparet, quod tres sunt rerum cursus, mirabilis, naturalis, & voluntarius. Cum igitur incarnatio non sit actus naturalis: aut voluntarius voluntate creaturæ, erit mirabiliter: & ita opus incarnationis erit miraculum.

¶ PRÆTEREA, maior est distantia increati ad creatum, quam huius speciei creatæ, quæ est frumenti, ad illam, quæ est hordeū, vel alia huiusmodi: sed si (operante Deo) fieret quod idem esset frumentum, & hordeū, hoc diceretur miraculum: ergo illud maius dicetur miraculum, cum operante Deo factum est, vt ille, qui est Deus, esset homo.

¶ CONTRA, Miracula sunt, quæ fiunt contra naturam particularem, non tantum supra, sicut quod cæcus visum recipiat: & similia: sed opus incarnationis non est huiusmodi, supra enim naturam est, sed non currit contrario cursu cursui naturæ: ergo non est miraculosum.

¶ PRÆTEREA, terminatur ad illud: cuius non est simile repertum in natura: verbi gratia, quod Deus sit homo, & econuerso: sed opus miraculosum terminatur ad opus conforme naturæ (visus enim conformis est in prius cæco, & naturaliter vidente similiter, & ita in resuscitato) restat ergo, quod non est opus miraculosum. ¶ ITEM, in Gloss. super illud. *Insertus es &c.* dicitur quod miraculum est, quod fit contra naturam: sed incarnatio filij Dei non fuit contra naturam: ergo non fuit miraculum. Probatio maioris: si enim fuisset contra naturam: aut fuisset contra increatam: aut contra naturam creatam.

Glo. sup. ad Ro. 11.

¶ CONTRA increatam non; quia ipsi nihil est impossibile. Si contra creatam, hoc non videtur verum, constat enim, quod natura creata semper habuit in se obedientiam ad obediendum naturæ creatæ: nec ista obedientia repugnabat naturæ creatæ: imo de natura creaturæ erat, vt obediens esset. ¶ Præterea, cum diuina natura vniebatur humanæ, nihil subtrahebatur, & complebatur: ergo si * completio naturæ non est contra naturam ipsius: patet, quod non fuit incarnatio contra naturam creaturæ: non fuit ergo miraculum.

*Alias cõplexio.

RESOLVTIO.

Opus incarnationis filii Dei mirum, ac mirabile, sed non miraculum propriè dicendum est; cum non fuerit contra consuetum naturæ cursum.

¶ AD quod dicendum: quod licet opus incarnationis sit mirabile: non tamen miraculum propriè dictum: omne enim miraculum est mirabile: non econuerso. Vnde concedendum est, quod est secundum cursum mirabilem: prout dicit Anselm.

¶ ET per hoc patet solutio ad dictũ primo obiecta. Nam insolitum, secundum quod ponitur in ratione miraculi, est quod fit contra consuetum cursum naturæ: & tale non est incarnatio.

¶ SIMILITER ad illud, quod dicit Ansel. Nam concedendum, quod incarnatio sit secundum cursum mirabilem sed mirabile comprehendit ea, quæ fiunt supra naturam, & ea, quæ fiunt contra naturam, i. contra solitum cursum naturæ. Incarnatio autem, licet sit supra naturam, non est contra cursum naturæ, & ideo non est propriè miraculum.

¶ AD illud, quod obijcitur; quod maior est distantia inter creatum, & increatum &c. Dicimus, quod in creatura respectu creaturæ est disparitas, vel contrarietas ratione suarum formarum, & sicut hæc forma distat ab illa, ita materia à materia: nec potuit esse materia huius materia illius: sicut nec ista forma illa: Et hoc est, propter hoc, quod qualibet istarum formarum numerat, & distinguit naturam suam totaliter à materia alterius: Non sic autem fuit in creatore respectu creaturæ: etsi enim diuersa sit diuinitatis, & humanitatis natura: tamen est vna hypostasis personæ Dei in ipso, qui est Deus: & hoc sine aliqua subtractione ab hac natura, vel illa: Dicimus ergo, quod quantum ad hoc non est tanta discrepantia inter creaturam & creaturam, quanta inter duas creaturas.

ARTICVLVS III.

An formatio Euæ de costa Adæ opus miraculosum dicendum sit?

AD tertium Articulum, quo quæritur de costa Adæ, ex qua facta est Eua, vtrum ibi fuerit miraculum, vel non. ¶ ET quod sic, videtur. Nam illi mutationi conuenit tota ratio miraculi: Nec potest dici, quod ibi non fuit ratio miraculi: quia non erat insolitum: imo etiam erat in costa ordo in contrarium eius, quod factum est de ipsa.

¶ SI dicatur, quod illud non fuit supra facultatem admirantis. Contra, aut enim dicitur miraculum esse supra facultatem: aut supra rationem admirantis, quando ratio naturaliter non potest comprehendere illud: aut quando nec naturaliter, nec aliter. Si hoc vltimo modo, tunc enim nullum erit miraculum. Non enim reperitur aliquid miraculum, ad quod ratio non possit attingere, saltem credendo per fidem. Restat ergo, quod dicetur esse miraculum supra facultatem: siue supra rationem, quando est super illud, quod naturaliter potest intelligere: Sed constat, quod illud non poterat intelligi naturaliter: quia ratio non poterat ad hoc naturaliter attingere, quod de costa fieret mulier (hoc enim excedebat, & naturalia, & spiritualia: quæ posset ratio comprehendere de se) ergo fuit supra facultatem admirantis.

RESOLVTIO.

Adhuc & opus formationis mulieris de costa non miraculose, sed mire factum propriè dicendum est, cum non simpliciter secundum rationem causalem fuerit.

¶ AD quod dicendum, quod reuera non fuit illud miraculum, sed mirabile. Sed intelligendum (sicut dicit Aug. super Gen. ad litteram) triplex est ratio exeundi res in esse: & dicitur prima ratio causalis: & secundum hoc dicit Aug. quod de primò creatis secundum rationem causalem, siue secundum rationes causales potuerunt omnia fieri, quæ postmodum facta sunt: hæc autem causalitas dicitur esse in ipso Deo, & non in ipsis creatis, nisi materialiter: secundum quod de ipsis potest facere, & ipsæ sunt possibiles obedire. Est autem alia ratio, quæ dicitur seminalis: secundum quam multa possunt fieri per angelorum occultas operationes, & per motum corporum superiorum: sicut sunt ranæ: & huiusmodi animalia, quæ fiunt ex putrefactione. Est & tertia ratio respectu corporalis creaturæ: sicut naturæ insitæ ipsis rebus corporalibus creatis: secundum quod nos dicimus, quod hæc naturaliter producitur ab illa, vt granum ex grano: & planta ex planta. Dicimus ergo, quod nihil, quod fiat secundum rationem naturalem, aut seminalem, est miraculum, sed omne miraculum fit secundum ratione causalem tantum, non tamen conuertitur: vt omne, quod fit secundum rationem causalem sit miraculum. Fieri autem secundum rationem causalem potuit dupliciter aliquid. Vnde Augu. Omnis iste naturæ vsitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas, & spiritus vitæ, qui creatus est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo: quos etiam mala voluntas non possit excedere: & elementa mundi huius corporei habent determinatam vim, qualitatemque suam, quod vnumquodq; valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit, vel non possit: Ex his velut primordijs rerum omnia, quæ giguntur: suo quoque tempore exortus, progressusque sumunt, finesque & decessiones sui cuiusque generis, vt de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum, cursumq; naturalem potestas creatoris habet apud se posse, aliud de his facere, quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id, quod in eis non possit, vel de his fieri, vel absq; ipso possit. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est: hæc de vnaquaque re in suo tempore fecit, quod ante in ea fecit, vt possit. Alius ergo est rerum modus, quod illa herba sic germinet: illa sic: illa ætas parit, illa non parit: homo loqui potest, non pecus: Horum, & talium modorum rationes non tantum in Deo sunt,

Aug. sup. Gen. ad litt. Lib. 6 cap. 6. & inde.

Aug. in 9. sup. Gen. ad lit. c. 17. Tom. 4.

sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ: Vt autem lignum excisum de terra, aridum sine radice vlla, sine terra, & aqua repente floret, & fructum gignat, vt sterilis fœmina in senectute pariat, vt asina loquatur: & si quid huiusmodi est, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis & hæc fieri possent.

ARTICVLVS IV.

An iustificatio impii sit opus miraculosum?

D.Th. 1.2. q. 113. a. 10. Eph. 3. Gloss.

AD quartum Articulum, quo quæritur de opere iustificationis, vtrum sit miraculosum. ¶ ET videtur qđ sic per illud, quod dicitur Eph. 3. *Secundum donum gratiæ, quæ data est mihi secundum operationem virtutis eius.* Gloss. *Magna virtus eius est, qua fecit, quod persecutor sic esset Apostolus, hoc enim est, vt quodlibet miraculum.* ¶ ITEM in Psal. *Misericordias Domini, super illud, Confitebuntur cœli mirabilia tua.* Glos. *In iustificatione impiorum quod laudas, nisi mirabilia Dei? imo plus miraculo videntur:* Vnde sequitur. *Laudas, quia surrexerunt mortui, plus lauda, quia redempti sunt perditi, vides hominum heri voraginem ebrietatis, hodie ornamentum sobrietatis &c.*

Psal. 88. vers. 4.

¶ CONTRA, non conuenit ei ratio miraculi superius posita, non enim est arduum, & insolitum, & non semper fit absque voluntate creaturæ: imo etiam nec in adulto: Vnde Aug. *Qui creauit te sine te, non iustificat te sine te.* ¶ ITEM, quia ostensiuum est misericordiæ diuinæ principaliter: miraculum autem non, sed magis est ostensiuum potentiæ.

Aug. de verbis Apostol. Serm. 6. Tom. 10.

RESOLVTIO.

Iustificatio impii cum non sit quid arduum, & insolitum, nec semper absque voluntate creaturæ fiat, adhuc nec ipsa miraculum propriè, sed quasi miraculum erit.

¶ AD obiecta autem respondendum: quod non dicitur miraculum in prima obiectione: sed vt miraculum: sicut enim miraculum est, quod cæco fit videns: ita hoc quasi, cum de persecutore fit Apostolus.

¶ AD secundum dicendum, quod dicuntur esse plus miraculo: hoc est, quia illa mira sunt circa res nobiliores: vita enim gratiæ nobilior, & excellentior est vita naturæ, quæ ab ea perficitur. Vnde Aug. super Gen. 9. Habet Deus in seipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo tempore prouidentiæ, quo naturas substituit, vt sint: sed illo quo eas administrat, vt voluerit, qui condidit. Ibi est & gratia, p quam salui fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniquam sua voluntate deprauatam: recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua adiuuatur, & instauratur: Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est, omnes, qui ambulant in ea, non reuertentur: dictum est. n. secundum pondus iniquitatis suæ, vt qui reuertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei: non ex operibus: ne forte extollatur: Propterea mysterium gratiæ huius Apostolus absconditum dixit, non in mundo, in quo sunt absconditæ causales rationes omnium rerum naturaliter orituratum, sicut absconditus erat Leui in lumbis Abrahæ, quando & ipse decimatus est: sed in Deo, qui vniuersa creauit. Quam ob rem omnia etiam, quæ ad hanc gratiam signandam non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt: eorum etiam absconditæ causæ in Deo fuerant.

Verba formalia Beat. Aug. lib. 9. sup. Gen. ad lit. c. 18 quod vltimum est à primis verbis. Tom. 3.

ARTICVLVS V.

An pariter opus resurrectionis, vel glorificationis miraculum sit?

AD quintum Articulum, quo quæritur de opere glorificationis, vel resurrectionis, vtrum sit miraculosum? Et videtur, ꝙ sic secundum naturam, per illud quod dr̄: *Posuerunt mortalia seruorum &c.* Glos. quasi quicquam eorum resurrectioni deperiret: cum ille ex occultis naturæ finibus totum reintegret. ¶ Quod etiam sit miraculum, videtur ex prædicta autoritate Ans. ¶ ET præterea resurrectio terminatur ad vitam iteratam, non secundum cursum naturæ, sed supra: quare erit miraculosa.

Superius art. 3.

¶ CONTRA, sua species est quasi in infinitum nobilior specie, quæ fit secundum naturam, s. claritas corporis: non similiter est in miraculis. Species. n. quantum ad actum videndi non est melius in eo, qui illuminatur.

RESOLVTIO.

Resurrectionis opus non miraculum, non miraculosum, sed mirabile dicatur.

¶ AD hoc dicendum, quod resurrectio non est naturalis, quia non operatur ibi natura, nec miraculosa, quia non fit contra consuetum cursum naturæ: cum natura sit possibilis, & ex congruo disposita ad vitam gloriosam: & immortalem ex ordinatione, quam habet corpus ad animam rationalem, sed est mirabilis. i. supra naturam, & est ad cōplementum. Nec concluditur ex autoritate Ans. nisi quod sit mirabilis, mirabile autem commune est ad illud, quod est supra naturam, & contra naturam.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod sit naturalis, per hoc, quod dicit Glos. *quod ex natura finibus &c.* Dicendum, quod li [ex] non dicit ibi aliquam rationem causæ efficientis, sed materiæ possibilis, siue dispositæ ex congruentia ad resurrectionem ex ordinatione, quam corpus habet ad animam rationalem, & ideo non dicitur aliquo modo naturalis.

¶ AD hoc, quod obijcitur, quod est miraculosa, quia terminatur ad vitam iteratam non secundum cursum naturæ. Dicendum, quod propriè iteratio vitæ illius non est contra solitum cursum naturæ: quia non iteratur vita mortalis, sed gloriosa, quę est completio naturę, operatio autem miraculosa terminatur ad aliquem actum conformē naturæ.

MEMBRVM III.

An quidquam à Deo fiat contra naturam, & an monstra miracula dicenda sint?

AD membrum tertium: quo quæritur ratione eius, qđ dicitur, quod miraculum est contra naturam. Et videtur, quod non, per illud, quod habetur super illud. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo.* Glos. *nec contra causas, quas Deus voluntariè instituit, voluntate mirabili aliquid fecit.* ¶ ITEM super illud, *Contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Gloss. *Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil facit contra naturam.*

Ad Eph. 3. Gloss.

Rom. 11. Gloss.

¶ CONTRA super illud. *Etsi nihil sim, tamen signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.* Gloss. *signa & prodigia sunt in his, quæ contra naturam fiunt, virtus in his, quæ non contra naturam, vt per impositionem manus, & orationem hominem à morbo liberare.*

2. Cor. 12. Glos. ord.

¶ ITEM, super illud. *Contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Gloss. *dicitur humano more contra naturam, quod est contra naturæ cursum, mortalibus notum,* sicut est illud, vt surculus fructus radicis ferat: id enim contra naturam, dicit Apostolus, quod est contra consuetudinem naturæ, quam noticia humana comprehendit. ¶ ITEM, in eadem Gloss. *Non incongrue dicitur Deus aliquid facere contra naturam, quando facit contra id, quod nouimus in natura,* hunc enim appellamus cognitum nobis cursum, solitumque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia, vel miraculosa nominantur. ¶ ITEM cum de ratione miraculi sit fieri contra naturam, quæritur, Vtrum quicquid fit contra naturam sit miraculum, ꝙ sic dicatur. Contra: monstra enim fiunt contra naturam, & tamen non sunt miracula.

Rom. 1. Gloss.

Eadem.

An monstra miracula sint.

RESOLVTIO.

Deus agere dicitur contra naturam, hoc est contra solitum naturæ cursum hominibus notum, non autem prout natura dicitur, aut possibilitas naturæ, eidem à semet data, aut summa lex naturæ, quæ ipse idem Deus est. Sic miracula licet contra naturam sint, quia tamen à natura cum errore naturæ fiunt, miracula dicenda non sunt.

¶ RESPON. quod natura dicitur multipliciter. Dr̄ enim quandoque naturalis cursus hominibus notus: vt in prædicta autoritate dr̄, Humano more &c. Quandoque dr̄ natura possibilitas quædam naturæ, quam dedit Deus, vt ex ea fiat, quod ipse vult, & sic accipitur in Glos. super illud. *Contra naturam insertus es &c.* Gloss. *id natura est cuique rei, quod de ea Deus facit, à quo omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Et 2. Sentent. Distinct. 18. *Dedit autem Deus naturis, vt ex eis hoc fieri posset: non vt motu naturali haberent:* Et ponit exemplum de virga arida, & costa. Quandoque dicitur natura summa lex naturæ, scilicet ipse Deus: super illud,

Rom. 1. Gloss.

2. Sent. dist. 18.

ignis incendit lignum, quod est præparatum incensioni: vnde ex operatione angeli non est necessaria accensio animæ rationalis. ¶ Ex hoc patet responsio ad alia: quia prædicatores non accedunt, nisi præparando.

MEMBRVM IV.

Angeli quomodo dicantur incendere bonas cogitationes; an secundum operationem interius in ipsis phantasmatibus, an secundum operationem in speciebus abstractis factam?

AD quartum, quo quæritur: Quomodo dicatur incendere cogitationes bonas, vtrum secundum operationem interiorem factam in ipsis phantasmatibus, aut secundum operationem factam in speciebus abstractis. ¶ Et videtur, quod non, secundum operationem factam in ipsis phantasmatibus: talis enim operatio fit in dormientibus; in quibus non est huiusmodi incensio. Nec secundum operationem factam in ipsis speciebus: non enim possunt angeli coniungere, vel disiungere species existentes apud intellectum humanum.

Iob 10. & Psal. 110. Gloss. ¶ Præterea, super illud: *Manus tuæ fecerunt me.* Glos. *dicitur angelus intellectum dare homini: vt dicitur quis dare lumen domui, cui fenestras facit: cum eam non sua luce penetret, vel illustret.* Ergo illud incendere cogitationem, non videtur aliud esse, nisi remouere impedimentum: Sed quomodo remouet impedimentum? ¶ Item, Augustin. *Malignus Spiritus, cum à Deo permittitur, obstruit quibusdam nebulis meatus intelligentiæ: per quam pandere lumen rationis radius æternæ lucis solet.* Aug. in li. 83. qq.

RESOLVTIO.

Cogitationes incendere cum nihil aliud sit, quam excitare, vel habilitare intellectum ad illas: angeli efficiunt id, aut aliquid in phantasmatibus, & circa phantasmata operando: aut spiritum quodammodo, & cognitiuam expediendo, per impedimentorum ablationem.

¶ Ad hoc potest dici: quod (vt dictum est) incensio bonarum cogitationum est excitatio, siue habilitatio intellectus ad illas: Et hoc pôt esse plurib. modis, scil. operando aliquid in phantasmatibus, siue circa phantasmata: & informando quodammodo Spiritum, & cognitiuam; expediendo per remotionem impedimẽtorum. Operatur enim aliqua in phantasmatibus, siue circa phantasmata: quod patere potest sic. Sensibilia gignendo similitudines suas de se, & immittẽtes eas per sensus, imprimunt eas in organo sensus communis, sicut in phantasmate: ex qua impressione efficitur, quod anima intelligit illud, cuius impressio relinquit in phantasmate, siue in organo sensus communis: eo ꝙ virtutes inferiores * cognitioni deseruiunt intellectiuæ: & à quibus accipit intellectiua per maiorem abstractionem. Consimili modo angelus potest imprimere consimiles species illis, quas facerẽt sensibilia, si essent præsentia, per ipsos sensus: & hæc possunt in dormientibus, & vigilantibus. Et sic secundũ hanc viam facere potest, vt repræsentetur intellectui: vnde habilitetur, & excitetur intellectus ad bonas cogitationes; sicut supra dictum est: eo quod angelus bonus habens posse super sensitiuam interiorem, & exteriorem, habet ex hac parte posse habilitare, & excitare intellectiuam: & hoc ad cogitandum bona.

*Alias, cognitione, vel cognitiuæ.

Memb. immediatè præceden.

¶ Ad illud quod obijcitur, ꝙ operatio facta in phantasmate, est operatio facta in dormientibus. Dicendum, quod & sic, & aliter: Quod aliter, dicit Aug. postquam n. locutus est de reuelationibus, quæ fiunt angelis in somnis dormientibus subdit: *Vigilantibus etiã occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quas diuinarent, nouimus:* sicut Caiphas pontifex prophetauit, cum eius intentio voluntatem prophetandi non haberet. Adhuc intelligendum est: quod angelus habilitat ad bonam cogitationem, informando ipsum Spiritum, siue ipsam intelligentiam aliter, quam per viam phantasiæ, scil. per immediatam irradiationem, siue communicationem suarum visionum: vt enim dicit Aug. *Sancti angeli visionem suam quodam ineffabili modo in Spiritum nostrũ infundunt: & visa sua quadam præpotenti visione nostra esse faciunt:* Quod aliquo modo tali exemplo patere potest: Spirituales n. creaturæ, sicut angeli, & animæ, specula sunt spiritualia: sicut dicit Dion. Vnde sicut speculo materiali obiecto alio speculo materiali, species resultatæ in vno, gignũt se in alio: ita pôt esse (licet similitudine distante) ꝙ speculum spirituale, sc. angelus obijcit se animæ: quo existente, visa, siue species existentes in ipso angelo, relinquuntur in anima; siue accipiuntur ab illa: quæ quidem visa habilitant, & excitant intellectiuam ad bonam cogitationem.

Aug. in li. de anima & spiritu. cap. 24. in fine. Ioan. 11.

August. 12 super Genes. c. 30. Tom. 3.

D[i]onys. in lib. de diuin. nomi. c. 4. par. 4.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur, ꝙ angeli non possunt coniungere, vel disiungere species existentes apud humanum intellectum. Dicendum, quod coniungere possunt aliquo modo, species, siue visa, offerendo, vt dictum est. Adhuc intelligendum est, quod sicut dicitur: *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animã: & terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogitantem.* Ex corruptione ergo ista est facilitas in anima, siue pronitas ad minus ordinatas cogitationes: secundum quod dicitur: *Proni sunt sensus hominis ab adolescẽtia in malum.* Præterea, vt dicit Aug. *Malignus spiritus abstrahit meatus intelligentiæ, per quos pandere lumen rationis radius æternæ lucis solet, ratione corruptionis cõtractæ in anima, & obtenebrationis ex obstructione meatus intelligentiæ impeditur anima: ne erigat se ad bonas cogitationes.* Contra hæc duo impedimenta dupliciter expedit angelus bonus animam, scil. illuminando intuitionem spiritualium: ex quibus intuitis, excitatur ad bonas cogitationes, vt iam dictum est: & etiam arcendo contrarias potestates ab illatione impeditorum & huiusmodi.

Sap. 9.

Genes. 6. August. in lib. 83. qq.

QVÆSTIO XLI.

De custodia angelorum.

In sex Membra, & in septem Articulos diuisa.

DICTO de præsidentia, qua præest angelus super potentiam sensitiuam, & intellectiuam. Consequenter dicendum est de præsidentia, qua præest super motiuam, quæ attenditur circa custodiam. Quærendum est ergo de custodia angelica. ¶ Primo ergo quæritur, vtrum angelus habeat potentiam custodiendi hominem secundum animam. Secundo, supposito ꝙ habeat; an habeat à natura, vel à gratia. Tertio, vtrum vnus angelus superior habeat potestatem custodiendi inferiorem; vel determinetur circa homines. Quarto, si custodia, angelorum sit respectu hominum; vtrum respectu omnium? Quinto, vtrum angelus deputatus ad custodiam, aliquando recedat propter peccata hominis custodiendi. Sexto, vtrum aliquando angelus peccet ex negligentia circa custodiam hominis: sicut Prælatus.

D. Thom. 1. par. q. 113. per 8. art. S. Bon. in 2. d. 11 per totũ. Scot. ibid. q. vnica.

MEMBRVM I.

An Angelus custodire habeat hominem secundum animam?

QVÆRITVR ergo in primis: Vtrum angelus habeat potestatem custodiendi hominem secundum animã? Quod autem custodiat, probatur autoritate sacræ scripturæ. *Angeli eorum semper vident faciem ipsius:* & planius habetur in Glos. quæ dicit: *Magna est dignitas animarum: vt vnaquæque ab ortu suæ natiuitatis in sui custodiam habeat angelum deputatum.* ¶ Item, *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.* ¶ Item, *In vnamquamque gentẽ præposuit rectores,* id est, angelos. ¶ Item quamdiu puer paruulus est, & facilis ad casum, secundum corpus indiget manuductore: quousq; sc. veniat ad ætatem perfectam, in qua fortis est, & sufficiens sibi: ergo similiter videtur: quod secundum animam homo, quamdiu debilis est, & facilis ad casum spiritualem; indiget custode, siue manu ductore spirituali, quousq; veniat ad ætatem perfectam. Et huic concordat Apost. *Lex pædagogus noster fuit in Christo:* Hæc autem perfecta ætas non habetur, quamdiu homo est in via, siue in statu viæ: semper n. tunc eget custode: huiusmodi aũt custos non videtur, nisi angelus: ergo &c. ¶ Item *Cum euacuauerit oẽm principatum.* Glos. *tunc, id est, in futuro omnis prælatio cessabit, qua angeli angelis, & animabus præsunt.* Si ergo hæc cessatio tunc est; manifestũ est, quod modo est huiusmodi prælatio: Angeli ergo præsunt animabus, & non apparet, in quo, nisi in custodia: ergo &c.

Matth. 18. Glossa est Hierony. ibid. Esai. 62. Eccles. 17.

Ad Gal. 3.

1. Cor. 15. Glossa.

¶ Contra: videtur, quod non congruat homini habere angelicum custodem. Augu. *Mentem sanctam imaginem*

Aug. in li. 83. qq.

Dei

Dei dicunt: quæ nulla interposita substantia, à prima veritate formatur: Ergo nec interposito angelo: sed custos inquantum huiusmodi præponitur custodito: ergo angelus non est custos animæ, saltem quantum ad mentem. ¶ ITEM, *Quid faciam tibi ò custos hominum*, (ita dicit Iob. ad Deum) Deus ergo est custos hominum. ¶ ITEM, Psalm. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem*, &c. Cum ergo Deus sit sufficientissimus; nō videtur, quod ponatur alius custos. ¶ ITEM, sicut homo gerit imaginem Dei ratione bonitatis, & sapientiæ: ita ratione potentiæ. Vnde postquam dictum est. *Faciamus hominem ad imaginē, & similitudinem nostram*: statim subiungitur de potentia: *Et præsit piscibus maris*: Sed inter imaginem, & illud, cuius est imago; nihil interponitur: ergo inter hominem, inquantum gerit imaginem Dei in potentia cognoscendi, & Deum; nihil est medium: imo immediatè est sub Dei potestate, sed custos habet potestatem super custoditum: ergo angelus non est custos hominis, siue non habet potestatem custodiendi.

Iob 7. Psal 16. Gen 1. Ibid.

SI dicatur, quod angelus præest homini, vt custos ex parte cognitiuæ: quia instruit eum, & docet in multis, sed nō præest ex parte motiuæ: quia nō dat ei suam perfectionem, quæ est gratia: sed Deus immediate: & sic intelligitur suprapo|sita autoritas. August. Sed contra hoc est, quod sequitur in auctoritate [*ab ipsa veritate formata*] vt fiat vis in verbo: veritas n. inquantum huiusmodi respicit cognitiuam, & non motiuam: Ergo ista autoritas intelligitur de immediatione Dei ad mentē quo ad cognitiuam. ¶ PRÆTEREA, sicut homo est imago Dei quo ad potentiam motiuam: ita & secundum cognitiuā: ergo secundum vtrumq; nihil est medium inter mentē & Deum: ergo nec angelus. ¶ ITEM, Hoc dicit Aug. vbi loquitur de anima, dicit quod nihil inter omnia est Deo propinquius. ¶ ITEM, dicit Aug. super Gen. quod sicut agricolæ non dicuntur creatores frugum: quāuis multas præparationes faciant ad producendas fruges: ita nec angeli dicuntur creatores: quia sc. nulli rei dant formam: quamuis sæpe ad formam vltimam sua operatione præparant, & disponunt. Sicut ergo angelus non dat motiuæ potentiæ suam perfectionemē, vel formam completiuam; vel gratiam siue amorē summæ bonitatis: ita nec potentiæ cognitiuæ dat suam perfectionē, vel completionem, id est, summæ virtutis cognitionem, sed vtriq; potentiæ datur perfectio à Deo immediatè: ergò quo ad hoc æqualiter se habent immediatè ad Deum ambæ potentiæ. ¶ PRÆTEREA, sicut angelus operatione sua præparat, & disponit cognitiuam ad suam completionem, instruendo, & docēdo: ita videtur disponere motiuam consulendo de fugiendis, & agendis, & excitando siue inflammando in amorem summæ bonitatis: ergo quo ad hoc sunt æquales huiusmodi potentiæ: ergo qua ratione diceretur habere potentiam super cognitiuam, eadem ratione & super motiuam.

August. in lib. 83. qq. Augustin. de quantitate animæ Idem super Gen.

¶ ITEM, August. *Perfecta ratio, quæ virtus vocatur, vtitur primo seipsa ad intelligendum Deum, vt ipso fruatur, cæteris rationalibus ad societatem: vtitur animantibus ad eminentiam: vtitur quibusdam assumendis, vel respuendis ad beatitudinem: quibusdam tolerandis ad patientiam: quibusdam ordinandis ad iustitiam: vtitur etiam his, quibus abstinet ad patientiam.* Ex his, patet quod anima vtitur angelis. ¶ ITEM, autem Aug. diffinit vti, sic. Vti est assumere aliquid in voluntatem facultatis propter id, quo fruendum est. Ex hoc quod dicit [*assumere in voluntatem facultatis*] videtur quod illud, quod vtitur, superius sit eo, quo vtitur, inquantum huiusmodi. Arguitur ergo sic. Omne, quod vtitur alio; superius est eo, inquantū huiusmodi: sed anima vtitur angelis: ergo superior est eis inquantum huiusmodi: ergo angelus non habet potestatem super animam. ¶ ITEM, vtitur cæteris rationabilibus ad societatem: vbi enim est societas: ibi est paritas, & non præeminentia; & inde vt prius.

Idem in li. 83. qq. Idem de Trin. Li. 10 c. 11. ante medium. Tom 3.

RESOLVTIO.

Quamdiu homo hic est, quia ad casum spiritualem facilis est secundum animam: decuit & congruit, vt custos & pædagogus ei adhiberetur, sc. angelus: cuius suasu, ac ductu non sic facile in vitio prolaberetur.

¶ SOLVTIO. Dicimus cum primis autoritatibus positis, & rationibus; quod angeli habent potestatē custodiendi animas; & eas custodiunt. ¶ AD primum quod objicit de mediatione, quæ habetur in autoritate Aug. Solet dici: quod mens cōmuniter accepta habet duplicem vim: superiorem, quæ dicitur intelligentia, qua cognoscit creatorē, & de hac intelligitur autoritas Aug. & inferiorem, sc. intellectum, sc. qua cognoscit creaturas, & de hac non intelligit, & quo ad ista verum est, quod habet angelum custodem. Sed aliter videtur dicendū, quod secundum vtramq; vim habet custodiam angeli secundum aliquam rationem custodiæ: verum est tamen, quod secundum quod plus descēdunt potentiæ; secundum hoc plus est ibi de ratione custodiæ.

¶ AD autoritatem autem Aug. Respondetur faciendo vim in hoc, quod dicitur [*formatur*] dicimus quod quælibet vis animæ, & motiua, & cognitiua, & superior, & inferior, imēdiatè à prima veritate formatur, sc. forma vltima. i. perficitur vltima completione: nihilominus tamen angeli habēt potentiā præparandi, & deponendi aliquo modo quamlibet animæ potentiam ad suam vltimam completionem, & quo ad hanc potentiam, vel potestatem habent ipsi custodire: illud plane habetur in Glos. super illud. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: vbi dicitur, solus Deus dat intellectum: & si aliquando mediante angelo, vt Danieli, cui dixit angelus: Ego veni tibi intellectum dare: Deus tamen, qui lux est, per seipsum illuminat pias mentes: & si aliquando vtitur ministerio angelorum. Ita n. dicitur intellectum dare homini: vt quisque dicitur dare lumen domui, cum fenestram facit: cum eam sua luce non illustret.

Glossa. Iob. 10. & Psal 118.

¶ AD aliud, quod objicit de imagine, quæ est in homine ratione potentiæ. Dicendum, quod cum dicitur [*præsit piscibus, &c.*] non loquitur ibi nisi de potestate hominis super corporales creaturas, vt patet ex textu. Vnde ista potentia, quæ est in homine, secundum quod est ad imaginem Dei, non dicitur, quia possit super angelum, sed super irrationales creaturas. Vnde non obstat, quin angelus habeat aliquam potestatem super eum. Si autem ista potentia esset talis; quod per eam posset se homo custodire, & regere; non habens indigentiam vt custodiatur, valeret ratio ista; sed non sic est: quia homo semper indiget, dum est in via.

¶ AD hoc, quod objicit: quod inter imaginem, & illud cuius est imago, nihil est medium. Soluendum per prædicta, dicendo, quod nihil est medium quo ad perfectionē vltimam: est tamen aliquod medium præparans, & disponens eandem imaginem adhuc informē ad suam vltimam perfectionem. Dicimus etiam quod animam custodit, & Deus, & angelus; sed differenter: Deus quidem autoritate: angelus vero ministerio: secundum illud; *Omnes sunt administratorij spiritus*, &c. Et licet Deus sit sufficiens ad custodiendum sine ministerio; angelus tamen custodit propter seruandum ordinem rerum: cuiusmodi ordo est Dei ad angelum, & angeli ad hominem, sicut patebit in sequenti Problemate. Simili enim modo posset objici, quod Deus omnia faceret per se, & nihil mediante natura, vel angelo: cum ad omnia sufficiat Deus: sed non oportet hoc: quia licet sit sufficiens, non tamen tollit ordinem rerum.

Hebr. 1.

¶ AD aliud, quod objicit de eo, quod est vti. Respondetur, quod vti aliquo est dupliciter. Aut tanquam instrumento: quemadmodum artifex vtitur securi: & sic verum est; quod vtens superius est eo, quo vtitur: Aut tanquam patrono, vel adiutorio: sicut quis vtitur aduocato: & sic non oportet quod vtens sit superius, imo potest esse inferius: & sic vtitur anima angelo: vnde non ex hoc sequitur, quod sit superior eo.

¶ ALITER dicendum: accipiendo intellectum autoritatis August. quia reuera (secundum quod ipse dicit) anima ad intelligendū Deum, id est ad deueniendum in Dei cognitionem; vtitur omni creatura: quia sicut prima & summa bonitas habet aliquam sui similitudinem in creatura: quæ ad ipsam ducit: ita summa veritas habet aliquam sui similitudinem in creatura, quæ ad se ducit. Vnde quo ad hoc omnis creatura habet rationem intelligibilis: sed præter hoc rationalis creatura non solum habet rationem intelligibilis; sed insuper habet rationem intellectiui, scil. anima, & angelus. Dicimus ergo, quod anima inquantum

habet

habet rationem intellectiui, vtitur cæteris omnibus, inquãtum intelligibilia sunt, ad deueniendum in cognitionem creatoris: vnde vtitur etiã angelo. Nec ideo sequitur, quod sit superior: quia seipsa vtitur hoc modo, secundum quod dicit eadem autoritas: nec ideo superior est seipsa. Vel si sequatur, quod nobilior sit quo ad hoc, quia videlicet intellectiua vt huiusmodi, nobilius quam vt intelligibili vt huiusmodi: non tamen sequitur: quod simpliciter nobilior sit: quia non solum habet angelus naturam intelligibilis, sed etiam intellectiui, sicut & anima: vnde anima vtitur eo, intelligendo eum: & ipse vtitur ea, intelligendo eã: vnde quo ad hoc est paritas: Et hoc est, quod dicit autoritas prædicta [vtitur cæteris rationabilibus ad societatem] quia inuicem se intelligunt, & vtrumq; vtitur hac via. Nec tamen per hoc excluditur potestas custodiæ in angelo: quia secundum aliam viam est ibi præeminentia, vt iam patebit.

MEMBRVM II.

Angelus, quam de homine custodiam habet; à natura, an à gratia habetur?

AD secundum, quo quæritur, supposito, quod angelus habeat potestatem custodiendi homines: Vtrum hoc habeat à natura; vel à gratia. ¶ Si dicatur, quod à natura. Contra si circumscribantur omnia gratuita ab angelo; tunc sicut anima est vertibilis in bonum, & malum: ita angelus in malum, sc. per se, in bonum cum adiutorio gratiæ: ergo quo ad hoc debilis est, sicut & anima, sed nemo alicui paruulo debili daret custodem alium debilem, imo fortem daret debili: ergo cum Deus sit summe sapiens; angelum ita debilem, & ita vertibilem non dabit pro custode: cum ipse prout sic vertibilis est, videatur indigere custode. ¶ ITEM, angelus ita vertibilis est in malum, circumscripta gratia; quod si cadit in malum, non resurgit: ergo quo ad hoc magis videtur angelus impotens, vel deficiens: ergo quo ad hoc minus videtur, quod angelus debet dari custos homini, quã homo angelo. ¶ ITEM, si hoc esset ex natura; cum in dæmonibus remanserint naturalia, secundum hoc deberent dici custodes: quia quod natura inest, omni inest inquantum tale. ¶ ITEM super illud: *Quicquid offerunt primitiuorum, &c.* in magna Glos. Origenis, quæ sic incipit. *Offerunt angeli, &c.* vbi multum loquitur de potestate angelorum super homines: in fine dicit. *Pro merito alius princeps multorum esse ponitur, alius principatui subiectus.* Et ponit exemplum de bonis seruis: quibus pro diuersitate meritorum dabitur potestas, alij super decem ciuitates, alij super quinque. Et per hoc quod dicit [*pro merito*] videtur quod ex gratia sit huiusmodi prælatio, non ex natura hoc videtur exemplo. Item quod ponit: quia potestas collata seruis fidelibus non est naturæ, sed gratiæ vel gloriæ: ergo similiter potestas angeli super animam in custodiendo non est ex natura, sed ex gratia. ¶ ITEM, si hæc potestas debetur ex natura angelo.

Num. 18. Glo. Orig. Vide Homil. 11. in Numer. Tom. 1. Operum eius.

¶ Quæritur, ex qua natura? Si dicatur, quod anima est substantia vnita, vel vnibilis corpori: angelus substantia separata: vnde magis potens & superior est, cuius etiam signum est: quod animæ separatæ non datur angelus in custodia. Contra: si vnio, vel vnitas esset causa essentialis, quare indigeret custodia; secundum hoc indiguisset Christus: etiam custodia: cum anima eius corpori vniretur: & hoc falsum est, vt post videbitur.

Membr. 1. art 1. immediatè sequent.

RESOLVTIO.

Et à natura, & à gratia: à natura, vt à primo principio: à gratia, vt à proximo.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod potestas custodiendi est in angelis; non ex vnico principio, sed ex duplici, sc. ex natura, & gratia, differenter tamen: quia ex natura tanquam à primo principio, ex gratia vero tanquam à proximo principio, & completiuo: Dona enim naturalia, quæ habet angelus in excellentia respectu animæ; sunt ista quatuor attributa, de quibus 2. Sent. dist. 3. scil. simplicitas essentiæ, discretio personalis, perspicacitas intelligentiæ, libertas arbitrij: sunt quasi dispositio naturalis in angelo ad custodiendam animam. Sed non sufficit hæc excellentia naturæ; sed super hanc additur gratia quasi complementum, non autem quæcunque gratia, sed gratia confirmationis. Omnes enim boni angeli simul confirmati sunt in gratia, sicut mali in peccato. Vnde quo ad hoc, quod sunt sic confirmati, sunt quasi stantes, animæ autem non sic confirmantur simul, sed successiuè: vnde omnes vsque ad suam confirmationem sunt, vel lapsæ, vel labiles. Ex hoc ergo quod quælibet anima puri hominis, dum in statu est viæ, vel lapsa est, vel labilis: Angeli autem boni propter confirmationem nec lapsi, nec labiles. Accipitur ratio huiusmodi potestatis custodiendi, quæ est in angelis respectu animarum: quia quo ad hoc fortes sunt: animæ autem rationales debiles.

Ex sententia Hugo de S. Vict. Lib. 1. de Sacram par. 5. c. 8.

MEMBRVM III.

An angelus angeli custodiam habeat?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum angelus habeat potestatem hanc sc. custodiendi respectu alterius angeli? Videtur quod sic: custodia enim angeli respectu hominis videtur attendi penes istos respectus, illuminare, purgare, perficere: qui propriè sunt angelorum, vt dicit Dionys. sed hos actus habet vnus angelus respectu alterius: ergo rationem custodiæ habet. ¶ ITEM dicit Dionys. quod in Hierarchia humana, qui præsunt alijs, eorum sunt custodes: ergo similiter videtur in Hierarchia angelica, quod qui præsunt alijs: eorum sunt custodes & ita superiores dicuntur custodire inferiores. ¶ ITEM, videtur per Origenem, qui versus finem prædictæ Glos. Numeri. 28. dicit sic: *Mihi videtur, quod inter angelos alij principatum, & potestatem habeãt super alios; alij subiacent, & obtemperent potestati.* Et hoc idem dicit August. super Gen. quod superiores præsunt inferioribus, & boni malis: & ita videntur habere potestatem, & dominium super illos. Ex his omnibus habetur, quod præsunt angeli angelis.

Dion. in li. de Cœlest. Hierarchia c. 3. Idem.

Glossa. Orig.

¶ Quæritur ergo, aut custodire idem est, quod præesse, vel dominari: aut vltra præesse, aliquid importat ex parte custodientis. Si idem importat, habetur propositum, sc. quod angeli angelos custodiunt. Si vltra importat aliquid, quæritur, quod est illud?

RESOLVTIO.

Quia angeli nec impediri à bono, nec promoueri ad illud possunt: quippe qui in gratia confirmati sunt: ideo nec custodiri indigent.

¶ SOLVTIO. Dicimus quod angeli non habent hanc potestatẽ custodiendi respectu aliorum. ¶ Ad illud quod obijcit primo de hoc, quod dicit illuminare, &c. Dicimus quod ex alia ratione sumuntur isti actus illuminare, purgare, perficere, & ex alia sumitur actus, qui est custodire. Isti enim actus, illuminare, &c. sequuntur præesse, quia præest natura & gratia, & quia hæc prælatio bene est in angelo respectu angeli: ideo similiter & isti actus: Custodire autem & si non sit nisi in eo, qui præest natura & gratia, vt supra habitum est: tamen non sequitur illum immediate, sed mediate. Illi enim prælationi secundum naturam & gratiam additur quædam potestas, qua angelus potest promouere ad bonum, & retrahere à malo; disponendo (dico) non efficiendo, & hanc potestatem immediatè sequitur ratio custodiæ; siue ab hac potestate immediatè sumitur ratio custodiæ. Et quia hanc potestatem retrahendi, vel promouendi non habet nisi respectu naturæ; quæ impediri põt vel promoueri; ideo nec custodire habet nisi nãm, q̃ impediri põt, vel promoueri: ideo nec custodire habet, nisi huiusmodi naturã, sed angeli non sunt tales: quia omnes boni confirmati sunt in bono: & sic non possunt impediri à bono: nec declinare ad malum: econtra omnes mali confirmati sunt in malo: vnde quo ad hoc non possunt trahi à malo: nec promoueri ad bonum. Ideo respectu aliorũ angelorum non habent angeli potestatẽ custodiendi; sed respectu animæ, quæ in statu viæ est; & possunt impediri à bono; & promoueri ad bonum, & cadere in malum, & resurgere.

Memb. immediate præcedentib.

¶ Ex his patet solutio ad omnia obiecta.

¶ ET ad illud, quod quærebatur, quid addit custodire vltra præesse; & etiam quid addit vltra illuminare. Sicut n. si essent duo in homine, quorum vnum sequeretur homi-

nem

nem ratione generis; in eo, scil. quod est animal: & alterum sequeretur ratione speciei, sc. in eo quod est ratio: ista duo non essent eadem: ita suo modo se habent illuminare, purgare, perficere ac custodire: Vnde non idem sunt: nec vbicunque, & respectu cuiuscunq; sunt isti tres actus; est custodire: sicut non vbicunq; est natura generis; est natura speciei: sed potius econuerso.

Dubitatio

¶ SED ex dictis oritur quæstio de anima separata: secundum n. prædicta videtur, quod non indigeat custodia angelorũ: cum non possit promoueri ad bonum: quia iam non est locus merendi; nec etiam retrahi à malo.

Gregor. in dialog.

¶ CONTRA, hæc videtur sæpe dicere Greg. quod adessent sæpe angeli animabus sanctis separatis: & deferebant sæpe in Paradisum. Similiter & idem legimus in legenda sancti Martini. ¶ PRÆTEREA, Lucæ 16. dicitur, quod anima Lazari portatur ab angelis Dei. ¶ AD quod dicendum, quod ibi non est propriè ratio custodiæ; secundum ꝙ hic accipitur: quia custodia (vt hic sæpe dictũ est) respicit prohibitionem à malo culpæ, vel promotionem ad bonum gratiæ: sed circa animam separatam neutrum exercent angeli: anima enim ex quo separata est, vnitur suo benefactori: nisi sit aliquod purgabile. Vnde non est ibi custodia; nisi secundum rationem aliam custodiæ: vt dicantur angeli, qui eam deportant, custodire eam ab aliquo pœnali nocumento: quia non statim, cum est separata, est in loco competenti suæ beatitudini. Vnde congruit, quod angeli, qui iam sunt in loco, beatitudini conuenienti, eam ad locum sibi competentem deferãt: non tamen dicimus, quod ibi sit indigentia, vel necessitas ex parte animæ: sed solum quædam congruitas: sicut in statu viæ dicimus esse.

Luc. 16.

Memb. immediatè præcedentib.

¶ AD illud, quod objicitur: quod in angelis sit custodia pro necessitate quantum ad talem deportationem. Similiter ad id, quod ponit Dionys. Dicendum, quod non est simile: in Hierarchia enim angelica omnes sunt confirmati, & completi: vnde non indigent custodia. Vnde sic est ordinata custodia angelica, quod quando fuit imperfectio in inferioribus, fuit in superioribus, & quando fuit completio in superioribus, fuit in inferioribus: vnde nunquam potuit ibi esse ratio custodiæ. Sed in humana Hierarchia, quãuis omnes sint incompleti completione patriæ: tamen prælatus habet completionem viæ respectu subditorum. Vnde Ioh. 10. dicitur, quod præcedere debet oues: & ratione huius habet rationem custodiæ.

Dion. de Hierarch. angel. ca. & humana.

MEMBRVM IV.

Si Angeli custodire habeant omnes homines.

AD quartum, quo quæritur, supposito, quod ratio custodiæ determinetur respectu hominum; Vtrum determinetur respectu omnium. Et circa hoc quæruntur quatuor. ¶ Primo, vtrum Adam in statu ante peccatum indigeret custodia angelica. Secundo, vtrum Christus habuit custodiam angelicam. Tertio, vtrum paruuli, qui statim post baptismum moriuntur, habuerint custodiam angelicam. Quarto, vtrum Antichristus habebit custodiam angelicam.

ARTICVLVS I.

An Adam in statu innocentiæ indiguerit custodia angelica.

CIRCA primum sic. Custodia angelica est propter supplendos defectus: sed in statu innocentiæ nullus erat defectus; ergo non necesse habebat custodiri. Media patet per hoc, quod dicitur Lib. 2. Sen. Ante peccatum nil à bono impediebat, ad malum nil impellebat: non habuit infirmitatem ad malum: & habuit adiutorium ad bonum: tunc sine errore ratio iudicare, & voluntas sine difficultate bonum appetere poterat. ¶ Si hoc concedatur:

Magist. 2. sent. dist. 25. cap. Et notari potest &c.

¶ CONTRA ante peccatum angelus malus tentauit hominem, & si persitisset, angelus ille fuisset ei in exercitium, quia homo f. esset suum bonum ex diaboli tentatione, & pœnam plus meruisset, quam si non tentaretur: ergo competebat vt econtra haberet angelum bonum ad custodiam: iuxta illud: *Contra bonum malum, & contra vitam mors, & sic intuere in omnib. operibus altissimi: vnum contra vnum, & duo contra duo.* ¶ ITEM, In nobis sic est in statu naturæ corruptæ: quod contra id, quod interius inclinat ad malũ, sc. fomitem: est semper intrinsecum inclinans econtra ad bonum, sc. synderesis: Sic videtur exterius contra illud, ꝙ semper inclinat ad malum, vel trahit, sc. diabolum, est retrahens à malo, & trahens ad bonum, scilicet angelus bonus. Sed in primo statu, quamuis non esset inclinans ad malum interius, erat tamen inclinans ad malum exterius: vt patet ex euentu: ergo iuxta nunc dictã sententiam, quæ habetur Ecclesiastici 33. indigebat Adam quodam exterius inclinante, vel promouente ad bonum. ¶ ITEM super illud: *Angeli eorum.* Glos. *Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis suæ habeat angelum deputatum: ita autem se habebat creatio ad primum hominem: sicut nunc natiuitas ad posteriores.* Cum ergo non minus esset digna anima primi hominis, quam posteriorum; sed potius dignior: constat, quod non defuit ei hæc custodia ab instanti creationis. ¶ ITEM, angelus datur ad custodiam propter retractionem à malo: quamuis anima Adæ posset stare; tamen habuit possibilitatem cadendi: ergo quo ad hoc sc. ne caderet, indiguit custodia angelica: quamuis non tantum, sicut nos. ¶ PRÆTEREA: habuit possibilitatem proficiendi in bono: non dico potestatem: quia non per se, sed adiutorio gratiæ proficeret: quamuis per se cadere posset.

Eccl. 33.

Glossa Hieronyo. super Matth. 18.

RESOLVTIO.

Tametsi Adam rectißimus creatus sit: quia nihilominus labilis fuit, angelo custode indiguit, quo iam duceretur, ne ita facile laberetur.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod primi parentes in primo statu indiguerunt custodia angelica: Huius ratio est: quia licet in primis parentibus fuerit tunc rectitudo naturæ: nõ tamẽ rectitudo illa fuit inflexibilis: imo anima primo creata est vertibilis ad vtrumlibet, sc. bonum & malum, nec si vertatur in vnum, statim confirmatur: immo adhuc potest regredi. Licet autem angelus similiter vertibilis fuerit in vtrumlibet de natura sua: tamen vbi vertitur, in eo stat, & confirmatur sine regressu. Et propter hoc in bonis qui steterunt natura est, stans per gratiam: & propter huiusmodi stabilitatem habet potestatem reuocandi naturam lapsam: reuocabilem tamen secundum animam, sicut nunc est: etiam confirmandi ipsam naturam labilem, ne labatur; ne scilicet ad libertatem sequatur lapsus: Et hoc modo fuit ratio custodiæ ex parte angeli respectu hominis, scilicet in primo statu.

¶ AD illud, quod contra objicit: quod homo nullum defectum habuit tunc: Dicimus, quod etsi nullum habuit defectum, habuit tamen defectibilitatẽ, & propter hoc ne ad defectibilitatem sequeretur defectus, vel actus deficiendi, indiguit custodia: cum aũt anima venerit ad statum, in quo non erit nec defectus, nec defectibilitas, scil. ad statum gloriæ; non indigebit: sicut supra proxime explanatum est.

¶ ALIA argumenta, quæ probant propositum, possumus concedere: tamen sunt ibi quædam explananda: dicimus enim quod iste malus angelus, qui primo tentauit hominem; non propriè fuit ad exercitiũ, sed ad deceptionem secundum intentionem suam. Sicut n. dicit Aug. super Gen. Exercitium propriè est, vt probetur aliqua virtus, id est, probata ostendatur; probatio autem huiusmodi non est propriè, nisi vbi est difficultas: secundum quod ars non est, nisi contra difficile. In primo aũt statu non erat difficultas: licet n. corpus esset mortale & corruptibile, non tamen erat mortuum vel corruptum: secundum quod dicitur: *Corpus quidem propter peccatum mortuum est.* Vnde licet anima ex cõparatione ad corpus minus expedita esset ad bonum, nõ tamen propriè difficultatem habuit: imo difficultas est pœna peccati: & ideo non fuit ibi propriè exercitium. Sed post peccatum, quia reuocabilis est natura animæ, datur ad exercitium: quamuis enim diabolus intendat decipere per tentationes: tamen Deus non intendit, vt ille decipiat, sed vt hic exerceatur. Vnde malum opus diaboli ordinat in bonum: sicut etiam fomes secundum se ordinat in malum, sed Deus hoc ordinat ad bonum: quoniam per eum hoc exercitatur, exercitari autem est de malo facere profectum suum. Est ergo is ordo: quoniam dabatur prius angelus

Aug. super Genes.

Rom. 7.

¶ Ad vltimum obiectum de angelo, qui videtur ei datus ad exercitium. Dicimus, quod non sequitur, si fuerit ei angelus malus quasi ad exercitium; quod propter hoc daretur ei angelus bonus ad custodiam, sed bene sequitur, quod ad custodiam, vel ad ministerium, & verum est quod ad ministerium fuit ei: & verū est, quod angeli boni habent potestatem, cohibendo malos, & malorum potestatem; & cohibendo ministrant: non tamē hoc fuit ex indigentia, quæ esset in Christo, sed ex quadam congruitate. Vnde: *Accesserunt angeli & ministrabant ei.* Dicimus tamen amplius: quod non fuit angelus malus deputatus Christo ad exercitium: exercitium n. (vt dictū est) est circa difficile, sicut ars: Christus autem non assumpsit ignorantiam ex parte intellectus, aut difficultatem ex parte affectus: vnde quia non erat in eo difficultas: ideo nec exercitium: quia exercitium propriè respicit naturam corruptam corruptione vitiosa: ex hac n. corruptione est difficultas, de qua loquimur. ¶ Sed tunc quærimus, si non, est datus iste angelus ad exercitium: ad quid ergo?

Matth. 4.

Art. immediatè præceden. in responsione ad argumenta.

Dubitatio

Gloss.

¶ Responsio. Sicut dicit ibi Glos. *tentatus est Christus, vt in eo tentatorem vincere discamus.* Vnde tentatus est pro nobis, non pro se. Et notandum est, quod tentatio est intra: & sic non fuit Christus tentatus, & quo ad hanc propriè est exercitium. Et est tentatio extra, & hac fuit Christus tentatus, secundum duplicem viam cupiditatis. Matth. 4. & Lucæ 4. & viā timoris in passione: quia habuit timorem mortis secundum sensualitatem. Vnde ad instructionem nostram voluit habere malum angelum, non vere exercitatorem.

¶ Ad illud, quod obijcitur ex autoritate Hieron. Dicimus, quod illa autoritas accipitur tantum de animabus illorum hominum, qui ab Adam descenderunt seminaliter, vel originaliter: quod notatur, cum dicitur [*vnaquæque ab ortu natiuitatis suæ*] faciendo vim in verbo: Christus autē non sic, id est, non originaliter, vel seminaliter descendit ab Adam, sed solum per corpulentam substantiam: vnde non indiguit angelo custode, sicut alij.

ARTICVLVS III.

An Angeli infantium custodiam habeant?

Ad tertium, quo quæritur: Vtrum paruulis detur custodia angelica: Videtur, quod sic per autoritatem suprapositā, quæ est super Matth. 18. quæ dicit: *quod vnaquæq; anima ab ortu natiuitatis,* &c.

Glossa. Matth. 18.

¶ Contra, videtur, quod non indigeant custodia (& loquamur de illis, qui statim post baptismum, vel paulo post moriuntur.) Constat n. quod illi nondū possunt deficere per culpā: nec in melius proficere per bonum opus: cum nondum habeant vsum rationis: ergo cum custodia sit vel ad faciendum proficere, vel ad cauendum defectum: videtur, quod tempore illo non indigeant custodia, siue quod frustra esset ibi custos. ¶ Item, ex parte corporis idem videtur: quia statim anima separatur: & sic corpori inanimato non competit custodia. ¶ Item, si paruulus ante vsum liberi arbitrij indiget custodia ratione dignitatis animæ: eadem ratione videtur indigere in vtero materno, si ergo tunc non indigere videtur: ergo eadem nec post ortum, donec habeat vsum rationis.

RESOLVTIO.

Angeli nedum extra vterum, sed & in vtero matrum infantium curam habent: nam præter id emolumenti, quod ex huiuscemodi custodia animabus eorum prouenit; ò quot miselli, ijs destituti custodibus, à malignis spiritibus in corpore paterentur incursus.

¶ Solutio. Dicimus quod paruuli habent angelum custodem, secundum quod dicit autoritas. Ab ortu natiuitatis, &c. intelligitur tamen de natiuitate, quæ est ex vtero. Accipitur autem ratio huius custodiæ, tam ex parte angeli custodientis, quam ex parte hominis custoditi. Ex parte angeli ratio est meritum: meretur enim præmium accidentale ex custodia huiusmodi. Ex parte vero paruuli accipitur ratio, tum ex parte corporis: vt sc. bonus angelus custodiat corpus pueri à vexatione contrariæ potestatis: tum ex parte animæ: Et hoc dupliciter, quia sumitur ratio animæ secundū se; & ex coniunctione animæ ad corpus. Ex parte animæ in se, quia quam citò anima creatur, vertibilis est ad bonum, siue ad malū: & potest proficere, non tunc, sed postmodum: & ideo datur ei custos angelus, non pro tempore isto, id est, non vt tunc faciat eam proficere vel retrahere a malo, sed vt ordinet eam, & disponat, & habilitet ad hoc, vt postmodum proficiat, quando tempus erit vtendi ratione. Ex parte autem animæ, prout coniungitur corpori; potest accipi ratio custodiæ in paruulo: quia anima quam cito vnitur corpori, corrumpitur corruptione vitiosa: & exinde contrahit corruptionem. Vnde anima quam cito coniuncta est corpori, subito procedit in alteram habilitationū, siue ad bonū, siue ad malum: quamuis nō sit nota huiusmodi habilitatio: & ad huiusmodi habilitationem iuuat, & ordinat angelus bonus, qui datur ei custos: sicut fortè illa corruptio, quam contrahebat ex corpore, iuuabat ad habilitandum in malum. ¶ Per nunc dicta patet responsio ad illud, quod primo obijciebatur: quod scil. paruulus non potest proficere, nec deficere, sed si non potest pro isto tempore, pōt pro consequenti, & ad hoc habilitat angelus. ¶ Præterea, sciendum, quod anima quam cito vnitur corpori, non est ita vitiosa in corpore, quod non faciat ibi vitam, vel sensum: imo cum anima rationalis plus potens sit, quam sensibilis, vel vegetabilis, & istæ quam cito sunt, aliquem actum habent in corpore, quia vegetabilis facit in eo vitam, vel viuere: sensibilis sensum, vel sentire: multo magis ergo anima rationalis aliquem actum ibi habet, quam cito infunditur: quamuis iste actus non sit nobis notus, & quantum ad illum actum vel respectum illius actus potest attendi custodia angeli. ¶ Quod etiam angeli ita habeant potestatem super animas, dum adhuc puer est in vtero, potest persuaderi à simili, vel à minori sic. Constat, quod corpora superiora tunc aliquam potestatem habent super corpus pueri: ergo similiter angeli, qui sunt lux spiritualis superior, habent potestatem super animas, quæ sunt lux spiritualis inferior.

Glossa Hierony.

ARTICVLVS IV.

An Antichristus angelum custodem habebit.

Ad quartum, quo quæritur de Antichristo, vtrum habebit angelum deputatum ad custodiam. Et videtur, quod non: dicit enim Damasc. quod carebit præsidio angelorum, sed angelus custodiens est præsidium custoditi: ergo carebit custodia angelorum. ¶ Item. Sicut dictum est, quia Christus non potuit decidere in malum culpæ, nec proficere in bonum, non indiguit custodia angelorum, sed econuerso Antichristus ita adhærebit malo, quod non reuocabitur ab eo; nec etiam proficiet in bono: ergo nullus erit ibi effectus custodiæ: cū ergo nihil ociosum fiat à summa sapientia, non habebit angelum in custodiam. ¶ Item, Videtur: quod nec ad exercitiū: quia exercitari est de malo elicere bonum: vt pote de tentatione diaboli, sed hoc non faciet Antichristus: ergo nullus erit ibi effectus custodiæ, nec exercitij: ergo nullo modo habebit angelum sibi deputatum. ¶ Item, quia Christus plenus erat Deo, non indigebat custodia angeli: ergo econtra Antichristus, quia plenus erit diabolo, non habebit angelum. Probatio mediæ: *Cuius aduentus secundum operationem Sathanæ.* Glos. *diabolo cooperante, qui illum totum possidebit.* ¶ Item, Damasc. *Ex fornicatione genitus suscipiet omnem actum Sathanæ: præsciens enim Deus iniquitatem suæ futuræ voluntatis, concedit in eo habilitare diabolū.* Si ergo nihil superuacuū est in operibus Dei, videtur, quod non det ei angelum custodem.

2. Thess. 2. Glossa. Damasc.

¶ Contra, Hieron. *Vnaquæque anima ab instanti suæ natiuitatis habet angelum sibi delegatum:* ergo angelum custodem habebit anima Antichristi. ¶ Item, *Contra malum bonum:* ergo contra maius malum necessariū est contra poni maius bonum. Sed in Antichristo maior erit inualescētia angeli mali, quam in alio homine: ergo magis necessarius erit angelus bonus ad custodiam in resistendo malo. ¶ Item, medicus corporalis, & si infirmus habet infirmitatem incurabilem, non tamen penitus dimittit eum, sed adhuc dat ei aliquam mitigationem morbi, vt prolongetur vita

Hieron. Habetur in Glos. Eccl. 3.

vita eius: ergo similiter nec medicus spiritualis dimittit infirmum suum, & si incurabilis ei videtur: huiusmodi autem medicum est bonus angelus, vt super illud: *Curauimus Babylonem.* Glos. *Angeli sunt medici, sub magno medico constituti, volentes animas nostras à vitijs curare:* ergo angelus bonus non dimittit Antichristum propter magnitudinē iniquitatis suæ. Et hoc est contra illos, qui ponunt, quod in principio habebit angelum custodem: sed post cum viderit eum obstinatum, derelinquit eum. ¶ ITEM, non est in potestate dæmonis dare ei ab instanti natiuitatis vsum liberi arbitrij, sed ante vsum liberi arbitrij non demeretur præsidium bonorum angelorum: ergo tunc habebit angelum in custodia.

Hiere. 15. Glossa.

RESOLVTIO.

Nec Antichristus angelo custode carebit, & si non ad profectum in bonum gratiæ, aut ad omnimodam præseruationem à malo culpæ: saltem vt post casum resurgat, vel ne totiens, aut in tantum malum ruat.

¶ RESPONDETVR, quod multiplex est effectus custodiæ angelicæ circa animas: Vnus est, vt proficiat anima in bonum gratiæ. Alius, vt non cadat in malum culpæ. Tertius est, vt si cadit, vt postmodū resurgat: vel ne totiens cadat, vel in tantum malum cadat. Dicimus ergo, quod Antichristus habebit custodiam angelicam, non ad primos effectus, id est, angelus custos istos effectus circa eum nō habebit, sed tantum vltimum, sc. vt non totiens cadat, quotiens caderet sine angelo custode. Nulli n. viatori, inquantum viator est, deficit misericordia Dei, quæ est in dando angelum custodem.

¶ AD primo obiectum, sc. quod carebit præsidio angelorum. Respondendum, quod Damas. loquitur tantū de bonis angelis, & hoc patet: quia præsidium, quod est in exercitando, non dicitur præsidiū mali angeli, sed Dei, quia diabolus non intendit in hoc iuuare, sed decipere. Vnde cum dicit [*carebit præsidio*] patet quod intelligit tantum de bonis. Sed notandū, quod præsidium potest accipi dupliciter: Vel cōmuniter, sc. pro adiutorio quocunq;, & sic non est verum, quia carebit præsidio, id est, adiutorio angelico: imo habebit, vt patuit iam. Vel præsidium potest accipi propriè; secundum quod præsidium dicitur à præsidendo: & sic intelligit Damas. illi n. propriè præsidere dicitur angelus bonus, qui mouetur ad nutum eius, sic aūt non erit in Antichristo: imo potius mouebitur ad nutum diaboli, & nullo modo acquiescet angelo bono.

¶ AD illud, quod obijcit per contrarium de Christo: Dicimus, quod non est similis plenitudo Dei in Christo, & diaboli in Antichristo: Christus n. dicitur plenus Deo, quia in isto homine humana natura vnitur diuinę in vnitate personæ, secundum illud Col. 2. In eo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: Nō sic vnitur diabolus Antichristo: quia dæmon in nullo homine, siue in nulla anima sic est per essentiā, sed per operationem & suggestionem: vnde Antichristus dicitur plenus diabolo non plenitudine essentiæ; sed plenitudine dominij: quia inclinabitur eius voluntas ad nutum diaboli. & sic intelligitur, quod dicit Glos. quod *illum totum possidebit*: & illud, quod dicit Damasc. quod suscipiet omnem actum Sathā. Sed nota, quod dicit [*omnem*] quo ad genera singulorum, non quo ad singula generum.

Glossa.

MEMBRVM V.

An angelus alicui in custodiam deputatus, propter illius peccatum aliquando à custodia desistat?

AD membrum quintum huius Quæstionis, quo quæritur: Vtrum angelus deputatus ad custodiam, aliquando recedat propter peccata eius, cui deputatus est. ¶ QVOD videtur per id Hierem. 51. *Derelinquamus eam, & eat vnusquisque in terram suam*: hoc intelligitur de bonis angelis, quod patet per hoc, quod dicitur: *Curauimus Babylonem, &c.* boni n. sunt medici, vt dicitur ibi, & non mali. ¶ ITEM, ibidem: *Caue, ne quando derelinquat te medicus, vel angelus Dei: si n. dereliquerit, patet quod abscessio medici condemnatio tua sit.* ¶ ITEM, Aug. *Angelos repellimus, cum eorum consilio non acquiescimus, & videntes opera perdere dicunt: Derelinquamus eam.* ¶ ITEM, *Reuersus est ad me angelus:* super hoc dicit Hieron. *Infructuosa est anima, quæ non habet Deum hospitē, nec præsidium angelorū.* ¶ ITEM, super illud idem. Sciendum est quotiescunq; humana fragilitas suæ relinquitur imbecillitati, Dei auxilium & angelorum ab ea recedere. ¶ ITEM. *Auferam sepem ab ea.* Glos. *id est, custodiam angelorum.*

Hiere. 51. Ibid. Glossa. August. Zach. 4. Hieron. Isai. 5. Glossa Interlinear.

¶ CONTRA: Feruentior est bonus angelus in custodiendo, & iuuando; quam malus in nocendo, sed malus angelus etiā in cruce Christo non defuit, sicut habetur super vlt. Tob. imo quasi semper sequebatur eū, expectans, quomodo posset ei nocere: ergo multo fortius bonus angelus nulli homini, quantūcunq; malo deest, sed semper adest; expectans quomodo posset eum iuuare vsque ad mortem.

¶ ITEM, quanto quis peior est & infirmior; tanto magis misericordia indiget: cum ergo Deus in ira sua non ita contineat misericordias suas, sed semper misereatur (cum eius sit hoc propriū) ergo etiam tunc non amouet custodiā angelicam, sed præstat, vt patet. ¶ ITEM, Medicus corporalis si non desperet de ægroto, non derelinquit eum: ergo nec medicus spiritualis, scil. angelus bonus, sed de nemine desperandum est, (dicit Autoritas) dum est in via: ergo neminem debet dimittere. ¶ PRÆTEREA, cum desperat medicus corporalis de perfecta sanitate: tamen omnino adhuc non dimittit ægrotum, quamdiu viuit, sed semper aliquid operatur circa eum, saltem ad mitigationem morbi, & ad vitæ prolongationem: ergo etsi desperet angelus bonus, non debet omnino dimittere; sed semper contra eum aliquid operari; nec saltē ingrauescat ægritudo spiritualis.

RESOLVTIO.

Nunquam angeli sibi ad custodiam deputatos penitus derelinquunt, sed semper fouent, & si non quo ad vnum affectum, saltem quo ad alterum.

¶ SOLVTIO. Notandum, quod multiplex est effectus angeli custodientis circa animam hominis custoditi. Vnus effectus eius est in anima quo ad potentiam speculatiuam, sc. illuminare eam quo ad aliqua occulta, & quo ad hunc effectum verum est, quod aliquando recedit angelus, quia non semper illuminat, quia aliquando tangit Spiritus corda Prophetarū, aliquando non tangit, & sic intelligitur angelus recessisse: de quo Zacha. 4. *Reuersus est angelus.* Est alius effectus angeli custodientis in anima hominis custoditi, sc. quo ad potentiā motiuam, & hæc est quadrupliciter, sicut habitum est supra in solutione præcedentis Problematis, & verum est, quod semper angelus aliquem illorum effectuū operatur contra animam, saltem vltimum, quod est prohibere ne cadat in tantū malum. Vnde dicimus, quod nunquam relinquit hominem, cui deputatus est, quo ad omnem effectum, & sic intelligunt rationes, quæ hoc probant.

Zach. 4.

¶ PRÆTEREA, sciendum: quod etsi nō semper habeat effectus potiores: vt puta promouere in bonum, vel prohibere à malo: tamen per ipsum angelum non stat, sed per hominem, nolentem acquiescere, & propter hoc dicitur delinquere quo ad istos effectus, quia licet faciat, quod in se est: tamen hos effectus circa animam non habet. ¶ ET sic intelligūtur omnes autoritates, ex quibus videtur relinqui, quod angeli relinquunt homines, quibus deputati sunt. Vnde quod dicitur: *Derelinquamus eam*: intelligitur de illis, qui desperati sunt: quia iam in illis tollitur illud, per quod debet esse medicina: pœnitentia n. medicina est ad remouendum, vel suscipiēdum hominē à morbo spirituali, cum ergo impœnitens est quis; iam est ad modū ægroti respuentis medicinam à medico, & ideo medicus eum relinquit quantum ad hunc effectū, qui est reuocare à morbo, quia quo ad hoc non assumit eum in curam. ¶ SIMILITER valet hoc autoritatem Hier. quæ dicit: *Infructuosa res est anima, quæ non habet, &c.* Potest solui specialiter per hoc, quod dicitur in [*præsidium*] faciendo vim in vocabulo, vt dictum est, præsidium n. à præsidendo dicitur: præsidium ergo angelorum habet, qui mouetur ad nutum eorum: non sic faciunt peccatores. Vnde secundum hoc nullus peccator inquantum talis habet præsidium angelorum (accipiendo ita propriè) & talium in quantum huiusmodi infructuosa est anima loquendo de fructu vitæ æternæ: quia hunc effectum non habent tales, inquantum tales sunt; nec in eis habet angelus hunc effectum.

Hier. 50. Ar. immediate præcedenti.

MEM-

MEMBRVM VI.

An angeli circa huiusmodi hominum custodiam quandoque delinquant.

AD sextum membrum, quo quæritur: Vtrum aliquando angelus peccet circa custodiam hominis. Et habet hoc membrum tres articulos. Primo quæritur, vtrum angeli aliquando negligant, vel negligere possint circa custodiam. Secundo, vtrum velint præscitum damnandum saluari: vel tristentur de damnatione custoditi. Tertio, vtrum angelus resistat alij angelo custodienti.

ARTICVLVS I.

An angeli negligant, vel negligere possint aliquando homines custodire?

Nume. 18. Glossa. Origenis.

AD primum. Quod sic, videtur: *Quicquid offerunt primitiarum.* Gloss. Origen. *Trahuntur angeli in iudicium, vtrum ex ipsorum negligentia, aut ex hominum ignauia tot lapsi sunt:* Sed hoc nihil esset dictu, nisi in angelis esset, vel posset esse negligētia: ergo videtur, quod in angelis sit negligentia, vel possit esse. ¶ ITEM, *Initiatus est Beelphegor.* Gloss. *Præest angelus bonus, qui pro benè gestu laudatur: & pro delictis culpatur.*

Numer. 25 Glossa Elice ex Li. de Cœl. Hierarch. c. 9. & loquitur de populo Hebræorum.

¶ CONTRA. Dionys. *Non angelorum rectos principatus accusare contigit de gentium ad non existentia erratione, sed ad illa propriis inflexionibus.*

RESOLVTIO.

Si nullo modo in angelis culpa cadit, imo nec cadere potest; quomodo, (nisi falsò) illos negligentiæ accusabimus circa procurandam hominum salutem.

¶ SOLVTIO: Dicimus, quod non est negligentia in angelis, quia faciunt, quicquid in se est, circa eos, quibus deputantur: nec aliquid omittunt de contingentibus.

Glossa.

¶ QVOD ergo obijcitur de Gloss. *illa trahuntur in iudicium,* &c. Responsio, trahuntur in iudicium: non vt ipsi ex hoc iudicentur: sed vt ipsi homines eorum testimonio iudicentur. Vnde Origen. ibi loquitur per quandam similitudinem: quasi dicat: venient ambo *in iudicium,* sc. angeli, & homines; quibus deputati sunt: & manifestum erit, angelos nō fuisse circa eos negligētes. Vnde grauius iudicabuntur homines, qui eis fuerunt inobedientes ex ignauia sua: vt super illud: *Contende aduersus montes;* Gloss. montes sunt administratorij Spiritus, quibus promissa est procuratio humanarum rerum: aduersus hos iubetur contendere iudicio: vt si illi montes, vel colles inuenti fuerunt non benè procurasse populum; videatur, si vel culpa Dei sit: qui non idoneos eos proposuit: vel ipsorum angelorum, si non egerint, quæ ad officium eorum pertinebant: vel populi, qui bonis Prælatis obedire contempsit: & cum nec in Deo, nec in angelis culpa possit inueniri, restat, quod in populo inueniatur, & iustè puniatur. Et hoc est etiam, quod dicit Glos. super illud: *Tolle cunctos principes.* dicit Glos. *Si princeps,* id est, angelus commonuit, & locutus in corde meo duntaxat, in quo meam conscientiam reuocat à peccato: & ego sprētis eius monitis, & conscientiæ retinaculo, in peccatis prorupi; duplicabitur mihi pœna pro contemptu monitoris, & facinoris commissi, &c.

Michee 5. Glossa.

Glossa super Num. 25.

¶ AD aliam Gloss. quæ dicit: *Pro delictis culpatur.* Dicimus, quod & si pro ista parte amputata, siue falsa sit hæc Gloss. tamen potest intelligi, culpatur, id est, non tantum, vel in tot laudatur, & non pro tot: quia laudem habet angelus pro vno quoq; ab eo custodito, & sic saluato: & q̄n plures sunt saluati ab eis, quorum curā gessit: tanto in pluribus, siue pro pluribus habet gloriam (loquendo de gloria accidentali) sicut est de homine prælato alijs faciente, quod in se est tamen etsi non omnes saluentur; nihilominus habet suum præmium pro suo ministerio: sed non tantum, siue pro tot.

ARTICVLVS II.

An Angeli tristentur de damnatione eorum, quos custodiendos susceperunt: ita vt vt summopere saluandos illos optent?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum angelus custodiens velit præscitum custoditum, sc. quem scit damnari, esse saluandū: vel tristetur de damnatione eius: Quod autem velit ipsum saluari, videtur. Nam custos velle tenetur profectum eius, quem custodit, & salutem. ¶ ITEM, vult suam operationem non esse irritam: sed operatur ad hoc, vt ille præscitus saluetur: ergo vult ipsum saluari.

¶ CONTRA, scit voluntatem Dei esse, vt ille damnetur (ponatur quod illud reueletur ei) sed tenetur conformare voluntatem suam voluntati diuinæ: ergo tenetur velle, quod ille damnetur. ¶ PRÆTEREA, ex hoc videtur quod teneatur relinquere eum, id est, non apponere curam circa eum.

¶ SI dicatur, quod angelus ex voluntate gratiæ, qua tenetur conformare voluntatem suam voluntati diuinæ, vult eum esse damnandum: nihilominus tamen voluntate naturæ, qua ei compatitur suo modo, tanquam eius custos, vult eum esse saluandum.

¶ CONTRA, custodire est à natura, & à gratia: & voluntas similiter, qua vult damnationem, est à gratia: hoc constat: ergo oppositæ sunt in eo voluntates, & ex eodem principio. ¶ ITEM, quæritur, vtrum angeli tristentur ex damnatione hominum, quibus deputantur? Et videtur quod sic. Nam delectantur, cum iustificantur: ergo tristantur, cum peccant. ¶ ITEM, *Angeli pacis amare flebunt.* Gloss. *de perditione suæ gentis,* &c.

Isai. 25. Glossa.

¶ CONTRA tristitia pœna est: pœna autem non est nisi eius, cui inest, vel infuit, vel inesse potest peccatum, sed in angelis bonis nec inest, nec infuit, nec inesse potest peccatum: ergo in eis non potest esse tristitia. ¶ ITEM super Dan. *Princeps Persarum,* &c. Gloss. *Angelicos Spiritus rectè milites dicimus: quia contra aereas potestates eos decertare non ignoramus:* Hoc autem non labore, sed imperio peragunt; & similiter sine dolore: ergo non tristantur.

Daniel 10 Glossa.

RESOLVTIO.

Angeli continuè circa hominum salutem latanter intendunt: quia vel penitus illorum reprobationem nesciunt: vel si ex reuelatione peculiari sciunt; nesciunt adhuc quanta futura sit illorum damnatio: quare & instantius laborant, ne maiori damnatione damnentur.

¶ SOLVTIO. Dicimus, quod quamuis alicui angelo reueletur damnatio eius, cui deputatus est: tamen non reuelatur ei quantitas damnationis, scilicet, quanta futura est eius damnatio: hoc enim est de secretissimis Dei. Vnde quamuis eum damnandum esse sciat per reuelationem: & cognoscat se nihil profecturum circa eum, quantum ad hoc vt saluetur: tamen quia nescit, quanta futura est eius damnatio; ideo nescit an profecturus sit circa eum quantum ad hoc, quod minor sit eius pœna, siue damnatio. Vnde adhuc curam apponit circa eum, nec derelinquit eum ex toto, nec dissonat hoc à voluntate diuina. Vnde quamuis non operetur circa eum ad trehendum eum ad salutem: tamen operatur ad retrahendum eum à maiori damnatione: quam, scilicet, incurreret, nisi angelus custodiret eum.

¶ AD hoc ergo, quod obijcitur, quod ex eodem principio velit angelus contraria: Dicimus, quod reuera ex principio, quod est gratia, prouenit vtrumque. Sed dicimus, quod dupliciter est gratia in angelis, sc. quædam fixa: & quædam influens, sc. continuè, vel quasi de nouo. Gratia influens est gratia, qua nunc reuelatur ei de nouo damnatio illius hominis: & secundum hanc vult, quod Deus vult absolutè, vult damnationem illius hominis, secundū quod ei reuelatur. Gratia fixa est gratia, quæ data est ei in confirmatione, quæ habet potestatem custodiendi, & custodit. Et secundum hanc adhuc habet duplicem respectū. Vnum respectum habet ad hominem, quem custodire ha-

bet: secundum hunc respectum dicimus quod vellet salutem illius. Aliud respectũ habet ad Deum, secundũ quod per illam gratiam fruitur Deo, & legit in speculo æterno, quod Deus vult fieri: & secundum hoc tenetur voluntatem suam conformare voluntati diuinæ. Vnde sicut Deus vult hominem damnari, & ipsi angelo reuelat hoc: ita ipse angelus vult ipsum damnari: nec est hic oppositio, in volendo opposita secundum diuersos respectus.

¶ Ad hoc, quod quæritur, vtrũ angeli tristentur de dãnatione præsciti. Dicendum, quod in angelis non est tristitia; sicut habetur super illud: *Omnis creatura*, &c. Glo. *& si nos adiuuant angeli, hoc sine labore agere credendi sunt, ne miseri æstimentur.* (Ad Rom. 8)

¶ Ad obiectum dicitur, quod non sequitur: sequeretur autem, si essent illis aliqua causa peccati: sicut sunt aliqua occasio, vel etiam dispositio ad bonam voluntatem, sunt autem dispositio ad bonam voluntatem, non ad peccatum: sed tota causa in ipso peccante. ¶ Ad aliud, quod dicitur: *Angeli pacis amar. flebunt*: Dicendum, quod illud intelligitur moraliter de prælatis, qui sunt nuncij reconciliationis, sicut dicit Gloss. (Isai. 33.)

ARTICVLVS III.

An angelus custodiens custodienti angelo resistat?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum vnus angelus custodiens resistat alij bono angelo custodienti. Quod non, videtur: quia cum vterque ministret sub Deo, habent concordes voluntates: quia si vnus exequatur quod Deus iniungit alter resistere non debet.

¶ Contra. *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus*, (ita dicit angelus Danieli, oranti pro liberatione populi.) Quod autem de bono angelo intelligendum sit; videtur per Gloss. Grego. ibi. *Est adhuc (inquit) quod in eodem populo sub iugo Persarum purgetur: vnde de ereptione illius princeps mihi iure contradicit.* Sed malus angelus nihil iure facit: erit ergo bonus angelus. (Dan. 10. — Glossa Gregor.)

¶ Contra, Gloss. Hieron. quæ sic incipit: *Videtur mihi*, &c. vbi ita dicit. *Illi sunt principes, de quibus Paulus.* 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum mundi cognouit: si n. cognouissent Dominum gloriæ, nunquã crucifixissent.* Et Gloss. Greg. super eundem locum. *Angelicos spiritus recte milites diuinos: quia decertare contra aereas potestates non ignoramus: quæ tamen non labore, sed imperio peragunt: quia quicquid agunt contra immundos Spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt.* ¶ Item, si Princeps Persarum iuste restitit: ergo iniuste Gabriel populum debellare volebat. (Glossa Hieron. 1. Cor. 2. — Glossa Greg.)

RESOLVTIO.

Non est æqua resistentia vel decertatio angeli boni ad bonum; quæ boni ad malum vel vice versa mali ad bonum. Decertant mali cum bonis, vt impediant sanctum propositum: decertant boni vt illud idem impleant concorditer. Sed varia in custodiis meritorum exigentia in causa est non paria illi ad inuicem sentire videantur.

¶ Responsio. Intelligendum est de malo angelo: Quod autem dicitur, iure restitisse; hoc est comparatione habita ad merita populi, qui nondum erat purgatus, sed non quantum ad intentionem eius, qui non intendebat populi purgationem, sed oppressionem. Simile videtur: *Virga furoris mei Assur*, &c. ipse autem non sic æstimabit: sed cor eius erit ad conterendum. Gabriel autem non peccabat volens liberationem populi: licet n. non esset liberandus quantum ad exigentiam meriti: tamen quantum ad merita precum, sc. Danielis de misericordia decebat hoc fieri: ob hoc Gloss. Greg. *Precum merita exigant, vt Israeliticus populus à iugo captiuitatis suæ exuatur: sed adhuc est in eodem, quod iugo Persarum Dominio purgetur.* Hæc opinio videtur esse secundũ Hieron. attamen secundum Greg. princeps iste dicitur angelus bonus. (Isai. 10. — Glossa Greg.)

¶ Ad hoc autem quod quæritur: qualiter angelus bonus dicitur resistere angelo. Sic respondet beatus Gregor. *Sublimes Spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro iniuste agentibus decertabant, sed eorum facta iuste iudicantes examinant.* Cumq; vniuscuiusq; gentis culpa, vel iustitia ad supernæ curiæ consilium ducitur: eiusdem gentis Præpositus vel obtinuisse, vel non obtinuisse * prohibetur: quorum tamen omnium victoria est sui super se opificis voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere nunquam volunt, eosdem quoq; angelicos spiritus decertare contra potestates aereas non ignoramus: Rectè ergo dicitur, quod contra se angeli veniunt: quia subiectarum gentium sibi merita contradicunt. Alio ergo modo resistunt boni bonis, quando, sc. merita populi contradicunt. Vnde oratio Danielis merebatur liberationem populi, sed merita populi exigebant, vt adhuc in captiuitate detinerentur: quia nondum erant sufficienter purgati: & ideo quantum ad hoc decebantur certare angeli: qui tamen concordabant in voluntate Dei. Angelus vero bonus dicitur resistere angelo malo, quando coarctat potestatem eius, ne impediat. Angelus autem malus dicitur resistere angelo bono, quando illud, quod intendit angelus bonus, nititur malus angelus impedire. Et sic differenter intelligitur resistentia, secundum quod princeps dicitur angelus malus secundum opinionem Hieronymi: & secundum quod dicitur angelus bonus, secundum opinionem Gregorij. (Gregor.)

QVÆSTIO XLII.

De Miraculis, & Mirabilibus.

In sex Membra, & in decem & septem Articulos diuisa.

POST tractatum de præsidentia angeli respectu creaturæ spiritualis; qua sc. præest angelo, & animæ: dicendũ est de præsidentia, qua præest angelus respectu corporalis creaturæ: sic dicit Orig. super illud Numeri 22. *Cum vidisset asina angelum*, &c. dicit n. sic. *Opus est mundo angelis, qui præsunt necessitati, & virgultorum, plantationumq; & cæterarum rerum incrementis. & qui præsunt operibus sanctis, qui æternæ lucis intellectũ, & occultorum Dei agnitionem, & rerum diuinarum scientiam doceant: Vide ergo ne inter angelos non inueniaris, qui bestiis præsunt, si bestialem duxeris vitam*, &c. Hæc autem præsidentia ostenditur in mirabilibus, quæ fiunt ministerio angelorum. Vnde dicit Aug. super illud Ephes. 3. *Quæ sit dispensatio Sacramenti*, &c. in Gloss. *Sic causa omnium, quæ ad Christi aduentum prænunciandum in rerum natura præter vsitatum cursum mirabiliter facta sunt: in Deo sunt, quæ ministrantibus angelis facta esse creduntur.* Dicendum est ergo de miraculis & mirabilibus: & primo de his, quæ sunt: demum de his, quæ videntur. Et de his, quæ sunt à bonis primo: deinde de his, quæ sunt à malis. (D. Tho. 1 par. q. 1 per 8. art. & q. 110. per 4. art. & q. 115 per 6. art. collig. ex S. B. Lib. 2 dist. 18. art. 1. & ex 1. d. 30 q. 4. & in 2 d. 7 par. 2 art. 1 q. 2 & in 4 dist 7 q. 3 Scot in Prol q. 2. Aug. super Eph. 3. Glossa.)

¶ Primo ergo quærendum est, quæ sit ratio miraculi: & quæ differentia miraculi, & mirabilis, & signi, & virtutis. Secundo, cui conueniat miraculum: an scilicet operi creationis, vel gubernationis, vel incarnationis, & ita de alijs. Tertio, quia miraculum dicitur fieri contra naturam: quæritur, vtrum aliquid fiat à Deo contra naturam? Quarto, de causis miraculi. Quinto, de rationibus, secundum quæ fiunt miracula. Sexto de motu, cuius virtute dicuntur impetrari miracula. (Elice nonnulla horũ ex 1. par q. 2. de conditionibus diuinæ potentiæ.)

MEMBRVM II.

Quid sit miraculum.

QVÆRITVR ergo primo, quid sit miraculum. Ponit autem August. hanc descriptionem in Libro de Vtilitate credendi. *Miraculum est arduum aliquid, & insolitum, supra spem, & facultatem existens admirantis.* Potest ergo quæri de differentijs positis in ratione miraculi. Videtur enim quod illud, quod est arduum, sit supra facultatem admirantis. ¶ Item, multa miracula frequenter veniunt; non ergo dicuntur insolita. ¶ Item, raro euenit eclipsis solis: ergo est insolitum: ergo est miraculum. ¶ Præterea, si speraret aliquis fidelis, quod de aliquo morbo virtute diuina curaretur, nunquid propter hoc non esset miraculum, cum miraculum dicatur arduum, & insolitum supra spem, &c. ¶ Præterea, dicitur, quod miraculum est supra facultatem admirantis. Quæritur, quid dicatur ibi facultas? nunquid supra rationem eius, vel supra potestatem. (Aug. in li. de vtil. creden. d. cap. 16. in med. 10. Tom. 6.)

RESOLVTIO.

Miraculum (teste B. Augustino) est quid arduum & insolitum, supra spem & facultatem admirantis existens.

¶ RESPONSIO. Quatuor ponuntur conditiones: quarum duæ primæ respiciunt rem miraculi, duæ vltimæ rationem, inquantum est miraculum. Nam arduum dicitur supra potestatem naturæ. Insolitum, quod est contra cursum naturæ: quando autem hæc duo concurrunt: tunc dicitur res miraculi secundum veritatem. Cum autem est supra spem ex parte affectiuæ, & facultatem mirantis ex parte cognoscitiuæ & operatiuæ: tunc est in ratione miraculi: ratio enim miraculi dicitur in comparatione ad nos. ¶ PER hoc possunt solui obiecta: quia secundum hoc aliud est arduum secundum rationem, & ens supra facultatem admirantis: licet contingat eidem inesse.

¶ AD secundum dicendum, quod non dicitur insolitum tantum, quia raro euenit (sic enim eclipsis solis diceretur miraculum) sed quia contra consuetum cursum naturæ: etsi frequenter eueniat.

¶ AD tertium dicendum, quod licet speraret fidelis sanitatem consequi virtute diuina: nihilominus esset miraculum curatio ægritudinis incurabilis: quia species illa non surgebat ex proprio motu virtutis tantum, sed ex fide, quæ innititur omnipotentiæ diuinæ. Et cum dicitur, quod est supra spem, intelligitur virtutis humanæ. Vnde Augustin. *Quædam sunt, quæ solam admirationem, quædam vero magnam gratiam, beneuolentiamque conciliant.* Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui, & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit, conualescat: admirationem sanitatis suæ sanitatis etiam caussalitate superabit: talia facta sunt eo tempore, quo Deus in vero homine, quantum satis erat, hominibus apparebat. (Aug. Loco alleg.)

¶ AD vltimum dicendum, quod supra facultatem admirantis, potest dici supra rationem & potestatem: hoc enim intelligitur per esse super facultatem, & admirationem.

¶ DEINDE quæritur de differentia mirabilis, & miraculi, & virtutis, & signi, & prodigij. Dicendum, quod vnum & idem dicit miraculum mirabile, & signum, & virtus, sed comparatione ad diuersa. Nam virt⁹ dicitur respectu principij à quo: miraculum verò respectu eius, in quo, & cui fit: signum verò respectu eius ad quod. Signum enim est ad demonstrandum virtutem diuinæ sapientiæ. (Dubitationes.)

¶ ITEM quæritur, quæ sit differentia inter illa tria, quæ dicuntur. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia signis, & prodigiis, & virtutibus.* Glos. *Hæc tria distinguuntur, vt intelligas quod virtus est genus signorum, & prodigiorum, sed signa & prodigia sunt in his, quæ sunt contra naturam, vt per impositionẽ manuum, & per orationem hominem liberare à morbo.* ¶ AD quod dicendum, quod signum accipitur dupliciter, similiter & prodigium: Dicitur enim signum minus miraculum, prodigium maius. Glo. *in signis & prodigiis*, i. in minoribus, & maioribus miraculis. Secundo modo dicitur signum, quod in quolibet tempore aliquid signat: prodigium, quod in futuro tantum: & ita signum est genus, vel superius ad prodigium. Virtus autem tripliciter accipitur: dicitur enim virtus habitus mentis: item dicitur virtus genus ad omne miraculum: & sic ad signum, & prodigium. (Vnde Glos. *nomine virtutis omne miraculum accipias*) & sic per hæc tria distinguitur, vt sic intelligas quod virtus est genus signorum, & prodigiorum. Tertio modo dicitur virtus in his, quæ non contra naturam, vt per impositionem manuum & c. Et sic diuiditur contra miraculum. (2. Cor. 12. Gloss. — Gloss. — Eadem.)

MEMBRVM II.

Cui competat ratio miraculi?

AD secundum, quo quæritur, cui conueniat ratio miraculi. Circa hoc erunt quinque videnda, penes quinq; Articulos huius Membri. ¶ Primus, vtrum ratio miraculi conueniat operi creationis, & gubernationis. Secundus, vtrum opus incarnationis Christi sit miraculum. Tertius, vtrum Eua sit miraculose de costa Adę facta. Quartus, vtrum iustificatio impij sit opus miraculosum. Quintus, vtrum opus resurrectionis, vel glorificationis sit miraculum.

ARTICVLVS I.

An ratio miraculi conueniat operi creationis, & gubernationis?

ARTICVLO primo quæritur, Vtrum ratio miraculi cõueniat operi creationis, & gubernationis. Et videtur quod sic. Nam dicitur de mutatione aquæ in vinum. Io. 2. in Glos. *maior virtus est in creatione cœli, & terræ, & gubernatione, & quod quotidie aqua pluuia per vites in vinum vertitur, & quod ex paruo seminario fruges nascuntur*: Cum ergo virtus p̄ miraculo accipiatur in sacra scriptura: sicut, *Aliis per spiritum datur operatio virtutum.* Glos. *miraculorum*, erit maius miraculum, & ita omne opus creationis, & gubernationis, & etiam generationis secundum naturam erit miraculosum, & ita videtur, quod omnia huiusmodi opera sunt miraculosa. (Gloss. — 1 Cor. 12. Gloss.)

¶ PRÆTEREA, Aug. super Io. 6. vbi agitur de quinque panibus, dicit, quod miracula Dei, de quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt: ita vt nemo penè dignetur attẽdere opera Dei, mira, & stupenda in quolibet seminis grano secundum ipsam suam misericordiam magnam seruauit sibi quædam, quæ faceret tempore opportuno præter vsitatum cursum, ordinemque naturæ, vt non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. ¶ ITEM, ibidem. Maius enim est gubernatio mundi totius, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, & tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homines: non quia maius est, sed quia rarum est. ¶ ITEM, Virtus est miraculum, sicut patet in Glos. 1. Cor. 12. *Aliis per spiritum datur & c.* ergo vbi maior virtus, ibi maius miraculum; sed maior est virtus in creatione cœli, & terræ, quam in mutatione aquæ in vinum, ergo & maius miraculum. (Aug. sup Ioan 4. Tract. 24 Tom. 9. — 1. Cor. 12.)

¶ CONTRA, super illud Rom. 11. *Contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Glos. *dicitur humano more esse contra naturam quod est contra solitum cursum naturæ mortalibus notum.* ¶ ITEM, Non incongruè dr̄ Deus facere contra naturam, quando facit contra id, quod nouimus in natura. Hunc enim appellamus cognitum nobis cursum, solitumque ordinem naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. (Rom. 11. Gloss.)

RESOLVTIO.

Nec opus creationis mundi, nec opus gubernationis eiusdem miraculum dicendum est, quippe cum neutrum (tametsi arduum) insolitum est, hoc est contra aliquem naturæ particularis determinatum cursum.

¶ AD quod dicendum, quod licet opera creationis sint ardua, non tamen sunt insolita: sed insolitum dr̄, quod est contra cursum naturæ determinatum. Quædam etiam nõ sunt supra facultatem admirantis: ratio enim ad quædam potest attingere, quorum rationem potest inuenire.

¶ SI obijciatur. *Intellexi, quod operum Dei nullam possit homo inuenire rationem.* Responsio, sufficienter. ¶ AD illud, quod obijcitur: Dicendum est, quod non sequitur: si minora opa .i. minus ostendentia virtutem Dei sunt miracula, quod magis ostendentia sunt magis miracula. (Eccles. 7.)

¶ AD illud, quod obijcitur, idem esse virtutem & miraculum: & ideo si maior virtus, & maius miraculum. Dicendum, quod aliunde dr̄ virtus, & aliunde miraculum. Nam virtus dr̄ respectu principij à quo: miraculum respectu eius cui fit. Præterea, omne miraculum est virtus: sed non omnis virtus est miraculum: & propter hoc non sequitur si sit maior virtus, quod sit maius miraculum. Dr̄ autem maior virtus non ex parte Dei agentis, cui æquè facilia sunt magna, vt parua, sed quo ad magnitudinem rei, quæ fit, & de quo fit, & quia maius est facere aliquid de nihilo, quam de aliquo, & maioris virtutis res est mundus, quam aliqua particula mundi: ideò dicitur maior virtus, sed creatio non est contra aliquem naturæ particularis cursum: similiter nec gubernatio, & ideo non dico miraculum & c.

ARTICVLVS II.

An opus incarnationis Christi miraculum dicendum sit?

AD secundum articulũ, quo quærit̃ de ope incarnationis, an sit miraculũ. V r̃. n. q̃ ei conueniat ratio miraculi: est enim arduum, & nouum: & quo nihil maius.

Anſel. lib. de conce. p. virgi. nali, ca. 11.

¶ PRÆTEREA, dicit Anſel. *Omnia, quæ fiunt, aut fiunt ſola Dei voluntate, aut natura ſecundum vim, illi a Deo inditam, aut voluntate creaturæ, & ea, quæ nec natura, nec voluntas facit ſed ſolus Deus, ſemper miranda ſunt:* Ex quo apparet, quod tres ſunt rerum curſus, mirabilis, naturalis, & voluntarius. Cum igitur incarnatio non ſit actus naturalis: aut voluntarius voluntate creaturæ, erit mirabiliter: & ita opus incarnationis erit miraculum.

¶ PRÆTEREA, maior eſt diſtantia increati ad creatum; quam huius ſpeciei creatæ, quæ eſt frumenti, ad illam, quæ eſt hordeũ, vel alia huiuſmodi: ſed ſi (operante Deo) fieret quod idem eſſet frumentum, & hordeũ, hoc diceretur miraculum: ergo illud maius dicetur miraculum, cum operante Deo factum eſt, vt ille, qui eſt Deus, eſſet homo.

¶ CONTRA, Miracula ſunt, quæ fiunt contra naturam particularem, non tantum ſupra, ſicut quod cæcus viſum recipiat: & ſimilia: ſed opus incarnationis non eſt huiuſmodi, ſupra enim naturam eſt, ſed non currit contrario curſu curſui naturæ: ergo non eſt miraculoſum.

¶ PRÆTEREA, terminatur ad illud: cuius non eſt ſimile reperire in natura: vel origiana, quod Deus ſit homo, & econuerſo: ſed opus miraculoſum terminatur ad opus conforme naturæ (viſus enim conformis eſt in prius cæco, & naturaliter vidente ſimiliter, & ita in reſuſcitato) reſtat ergo, quod non erit opus miraculoſum. ¶ ITEM, in Gloſſ. ſuper illud. *Inſertus es &c.* dicitur quod miraculum eſt, quod ſit contra naturam: ſed incarnatio filij Dei non fuit contra naturam: ergo non fuit miraculum. Probatio maioris: ſi enim fuiſſet contra naturam: aut fuiſſet contra increatam: aut contra naturam creatam.

Gloſ. ſup. ad Ro. 11.

¶ CONTRA increatam non; quia ipſi nihil eſt impoſſibile. Si contra creatam, hoc non videtur verum, conſtat enim, quod natura creata ſemper habuit in ſe obedientiam ad obediendum naturæ creatæ: nec iſta obedientia repugnabat naturæ creatæ: imo de natura creaturæ erat, vt obediens eſſet. ¶ Præterea, cum diuina natura vniebatur humanæ, nihil ſubtrahebatur, & complebatur: ergo ſi* completio naturæ non eſt contra naturam ipſius: patet, quod non fuit incarnatio contra naturam creaturæ: non fuit ergo miraculum.

*Alias cõplexio.

RESOLVTIO.

Opus incarnationis filii Dei mirum, ac mirabile, ſed non miraculum propriè dicendum eſt; cum non fuerit contra conſuetum naturæ curſum.

¶ AD quod dicendum: quod licet opus incarnationis ſit mirabile: non tamen miraculum propriè dictum. omne enim miraculum eſt mirabile: non econuerſo. Vnde concedendum eſt, quod eſt ſecundum curſum mirabilem: prout dicit Anſelm.

¶ ET per hoc patet ſolutio ad duo primo obiecta. Nam inſolitum, ſecundum quod ponitur in ratione miraculi, eſt quod ſit contra conſuetum curſum naturæ. & tale non eſt incarnatio.

¶ SIMILITER ad illud, quod dicit Anſel. Nam concedendum, quod incarnatio ſit ſecundum curſum mirabilem ſed mirabile comprehendit ea, quæ ſunt ſupra naturam, & ea, quæ ſunt contra naturam, i. contra ſolitum curſum naturæ. Incarnatio autem, licet ſit ſupra naturam, non eſt contra curſum naturæ, & ideo non eſt propriè miraculum.

¶ AD illud, quod obijcitur; quod maior eſt diſtantia inter creatum, & increatum &c. Dicimus, quod in creatura reſpectu creaturæ eſt diſparitas, vel contrarietas ratione ſuarum formarum, & ſicut hæc forma diſtat ab illa, ita materia à materia: nec poteſt eſſe materia huius materia illius: ſicut nec iſta forma illa: Et hoc eſt, propter hoc, quod quælibet iſtarum formarum numerat, & diſtinguit naturam ſuam totaliter à materia alterius. Non ſic autem fuit in creatore reſpectu creaturæ: etſi enim diuerſa ſit diuinitatis, & humanitatis natura: tamen eſt vna hypoſtaſis perſonæ Dei in ipſo, qui eſt Deus: & hoc ſine aliqua ſubtractione ab hac natura, vel illa: Dicimus ergo, quod quantum ad hoc non eſt tanta diſcrepantia inter creatorem & creaturam, quanta inter duas creaturas.

ARTICVLVS III.

An formatio Euæ de coſta Adæ opus miraculoſum dicendum ſit?

AD tertium Articulum, quo quæritur de coſta Adæ, ex qua facta eſt Eua, verum ibi fuerit miraculum, vel non. ¶ ET quod ſic, videtur. Nam illi mutationi conuenit tota ratio miraculi: Nec poteſt dici, quod ibi non fuit ratio miraculi: quia non erat inſolitum: imo etiam erat in coſta ordo in contrarium eius, quod factum eſt de ipſa.

¶ SI dicatur, quod illud non fuit ſupra facultatem admirantis. Contra, aut enim dicitur miraculum eſſe ſupra facultatem: aut ſupra rationem admirantis, quando ratio naturaliter non poteſt comprehendere illud: aut quando nec naturaliter, nec aliter. Si hoc vltimo modo, tunc enim nullum erit miraculum. Non enim reperitur aliquid miraculum, ad quod ratio non poſſit attingere, ſaltem credendo per fidem. Reſtat ergo, quod dicetur eſſe miraculum ſupra facultatem: ſiue ſupra rationem, quando eſt ſuper illud, quod naturaliter poteſt intelligere: Sed conſtat, quod illud non poterat intelligi naturaliter: quia ratio non poterat ad hoc naturaliter attingere, quod de coſta fieret mulier (hoc enim excedebat, & naturalia, & ſpiritualia: quæ poſſet ratio comprehendere de ſe) ergo fuit ſupra facultatem admirantis.

RESOLVTIO.

Adhuc & opus formationis mulieris de coſta non miraculoſe, ſed mire factum propriè dicendum eſt, cum non ſimpliciter ſecundum rationem cauſalem fuerit.

¶ AD quod dicendum, quod reuera non fuit illud miraculum, ſed mirabile. Sed intelligendum (ſicut dicit Aug. ſuper Gen. ad litteram) triplex eſt ratio exeundi res in eſſe: & dicitur prima ratio cauſalis: & ſecundum hoc dicit Aug. quod de primò creatis ſecundum rationem cauſalem, ſiue ſecundum rationes cauſales potuerunt omnia fieri, quæ poſtmodum facta ſunt: hæc autem cauſalitas dicitur eſſe in ipſo Deo, & non in ipſis creatis, niſi materialiter: ſecundum quod de ipſis poteſt facere, & ipſæ ſunt poſſibiles obedire. Eſt autem alia ratio, quæ dicitur ſeminalis: ſecundum quam multa poſſunt fieri per angelorum occultas operationes, & per motum corporum ſuperiorum: ſicut ſunt ranæ: & huiuſmodi animalia, quæ fiunt ex putrefactione. Eſt & tertia ratio reſpectu corporalis creaturæ: ſicut naturæ inſitæ ipſis rebus corporalibus creatis: ſecundum quod nos dicimus, quod hæc naturaliter producitur ab illa, vt granum ex grano: & planta ex planta. Dicimus ergo, quod nihil, quod fiat ſecundum rationem naturalem, aut ſeminalem, eſt miraculum, ſed omne miraculum fit ſecundum rationẽ cauſalem tantum, non tamen conuertitur: vt omne, quod fit ſecundum rationem cauſalem ſit miraculum. Fieri autem ſecundum rationem cauſalem potuit dupliciter aliquid. Vnde Augu. Omnis iſte naturæ vſitatiſſimus curſus habet quaſdam naturales leges ſuas, ſecundum quas, & ſpiritus vitæ, qui creatus eſt, habet quoſdam appetitus ſuos determinatos quodammodo: quos etiam mala voluntas non poſſit excedere: & elementa mundi huius corporei habent determinatam vim, qualitatemque ſuam, quod vnumquodq; valeat vel non valeat, quid de quo fieri poſſit, vel non poſſit: Ex his velut primordijs rerum omnia, quæ gignuntur: ſuo quoque tempore exortus, progreſſusque ſumunt, fineſque & deceſſiones ſui cuiuſque generis, vt de grano tritici non naſcatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum, curſumq; naturalem poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe, aliud de his facere, quam eorum quaſi ſeminales rationes habent, non tamen id, quod in eis non poſſit, vel de his fieri, vel abſq; ipſo poſſit. Neque enim potentia temeraria, ſed ſapientiæ virtute omnipotens eſt: hæc de vnaquaque re in ſuo tempore fecit, quod ante in ea fecit, vt poſſit. Alius ergo eſt rerum modus, quod illa herba ſic germinet: illa ſic: illa ætas parit, illa non parit: homo loqui poteſt, non pecus: Horum, & talium modorum rationes non tantùm in Deo

Aug. ſup. Gen. ad lit. Lib. 6 cap. 6. & inde.

Aug. in 9. ſup. Gen. ad lit. c. 17. Tom. 4.

ſunt,

sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ: Vt autem lignum excisum de terra, aridum sine radice vlla, sine terra, & aqua repente floret, & fructum gignat, vt sterilis fœmina in senectute pariat, vt asina loquatur: & si quid huiusmodi est, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis & hæc fieri possent.

ARTICVLVS IV.

An iustificatio impii sit opus miraculosum?

D.Th. 1.2. q. 113. a. 10. Eph. 3. Gloss. AD quartum Articulum, quo quæritur de opere iustificationis, vtrum sit miraculosum. ¶ Et videtur qđ sic per illud, quod dicitur Eph. 3. *Secundum donum gratiæ, quæ data est mihi secundum operationem virtutis eius.* Gloss. *Magna virtus eius est, qua fecit, quod persecutor sic esset Apostolus, hoc enim est, vt quodlibet miraculum.* ¶ Item in Psal. *Misericordias Domini,* Psal. 88. vers. 4. *super illud, Confitebuntur cœli mirabilia tua.* Glos. *In iustificatione impiorum quod laudas, nisi mirabilia Dei? imo plus miraculo videntur:* Vnde sequitur. *Laudas, quia surrexerunt mortui, plus lauda, quia redempti sunt perditi, vides hominum heri voraginem ebrietatis, hodie ornamentum sobrietatis &c.*

¶ Contra, non conuenit ei ratio miraculi superius posita, non enim est arduum, & insolitum, & non semper fit absque voluntate creaturæ: imo etiam nec in adulto: Vnde Aug. *Qui creauit te sine te, non iustificat te sine te.* ¶ Item, quia ostensiuum est misericordiæ diuinæ principaliter: miraculum autem non, sed magis est ostensiuum potentiæ. Aug. de verbis Apostol. Serm. 6. Tom. 10.

RESOLVTIO.

Iustificatio impii cum non sit quid arduum, & insolitum, nec semper absque voluntate creaturæ fiat, adhuc nec ipsa miraculum propriè, sed quasi miraculum erit.

¶ Ad obiecta autem respondendum: quod non dicitur miraculum in prima obiectione: sed vt miraculum: sicut enim miraculum est, quod cæco fit videns: ita hoc quasi, cum de persecutore fit Apostolus.

¶ Ad secundum dicendum, quod dicuntur esse plus miraculo: hoc est, quia illa mira sunt circa res nobiliores: vita enim gratiæ nobilior, & excellentior est vita naturæ, quæ ab ea perficitur. Vnde Aug. super Gen. 9. Habet Deus in seipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo tempore prouidentiæ, quo naturas substituit, vt sint: sed illo quo eas administrat, vt voluerit, qui condidit. Ibi est & gratia, p quam salui fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniquam sua voluntate deprauatam: recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua adiuuatur, & instauratur: Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est, omnes, qui ambulant in ea, non reuertentur: dictum est. n. secundum pondus iniquitatis suæ, vt qui reuertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei: non ex operibus: ne forte extollatur: Propterea mysterium gratiæ huius Apostolus absconditum dixit, non in mundo, in quo sunt absconditæ causales rationes omnium rerum naturaliter oriturarum, sicut absconditus erat Leui in lumbis Abrahæ, quando & ipse decimatus est: sed in Deo, qui vniuersa creauit. Quam ob rem omnia etiam, quæ ad hanc gratiam signandam non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt: eorum etiam absconditæ causæ in Deo fuerant. Verba formalia Beati Aug. lib. 9. sup. Gen. ad lit. c. 18 quod vltimum est à primis verbis. Tom. 3.

ARTICVLVS V.

An pariter opus resurrectionis, vel glorificationis miraculum sit?

AD quintum Articulum, quo quæritur de opere glorificationis, vel resurrectionis, vtrum sit miraculosum? Et videtur, ꝙ sic secundum naturam, per illud quod dr: *Posuerunt mortalia seruorum &c.* Glos. quasi quicquam eorum resurrectioni deperiret: cum ille ex occultis naturæ finibus totum reintegret. ¶ Quod etiam sit miraculum, videtur ex prædicta autoritate Ans. ¶ Et præterea resurrectio terminatur ad vitam iteratam, non secundum cursum naturæ, sed supra: quare erit miraculosa. Superius art. 3.

¶ Contra, sua species est quasi in infinitum nobilior specie, quæ fit secundum naturam, s. claritas corporis: non similiter est in miraculis. Species. n. quantum ad actum videndi non est melius in eo, qui illuminatur.

RESOLVTIO.

Resurrectionis opus non miraculum, non miraculosum, sed mirabile dicatur.

¶ Ad hoc dicendum, quod resurrectio non est naturalis, quia non operatur ibi natura, nec miraculosa, quia non fit contra consuetum cursum naturæ: cum natura sit possibilis, & ex congruo disposita ad vitam gloriosam: & immortalem ex ordinatione, quam habet corpus ad animam rationalem, sed est mirabilis. i. supra naturam, & est ad cōplementum. Nec concluditur ex autoritate Ans. nisi quod sit mirabilis, mirabile autem commune est ad illud, quod est supra naturam, & contra naturam.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod sit naturalis, per hoc, quod dicit Glos. *quod ex natura finibus &c.* Dicendum, quod li [ex] non dicit ibi aliquam rationem causæ efficientis, sed materiæ possibilis, siue dispositæ ex congruentia ad resurrectionem ex ordinatione, quam corpus habet ad animam rationalem, & ideo non dicitur aliquo modo naturalis.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod est miraculosa, quia terminatur ad vitam iteratam non secundum cursum naturæ. Dicendum, quod propriè iteratio vitæ illius non est contra solitum cursum naturæ: quia non iteratur vita mortalis, sed gloriosa, quę est completio naturę, operatio autem miraculosa terminatur ad aliquem actum conformē naturæ.

MEMBRVM III.

An quidquam à Deo fiat contra naturam, & an monstra miracula dicenda sint?

AD membrum tertium: quo quæritur ratione eius, qđ dicitur, quod miraculum est contra naturam. Et videtur, quod non, per illud, quod habetur super illud. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo.* Glos. *nec contra causas, quas Deus voluntariè instituit, voluntate mirabili aliquid fecit.* ¶ Item super illud, *Contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Gloss. *Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil facit contra naturam.* Ad Eph. 3. Gloss. Rom. 11. Glo. ord.

¶ Contra super illud. *Etsi nihil sim, tamen signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.* Gloss. *signa & prodigia sunt in his, quæ contra naturam fiunt, virtus in his, quæ non contra naturam, vt per impositionem manus; & orationem hominem à morbo liberare.* 2. Cor. 12. Glos. ord.

¶ Item, super illud. *Contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Gloss. *dicitur humano more contra naturam, quod est contra naturæ cursum, mortalibus notum,* sicut est illud, vt surculus fructus radicis ferat: id enim contra naturam, dicit Apostolus, quod est contra consuetudinem naturæ, quam noticia humana comprehendit. ¶ Item, in eadem Gloss. *Non incongrue dicitur Deus aliquid facere contra naturam, quando facit contra id, quod nouimus in natura,* hunc enim appellamus cognitum nobis cursum, solitumque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia, vel miraculosa nominantur. ¶ Item cum de oratione miraculi sit fieri contra naturam, quæritur, Vtrum quicquid fit contra naturam sit miraculum, ꝙ si dicatur. Contra: monstra enim fiunt contra naturam, & tamen non sunt miracula. Rom. 1. Gloss. Eadem. An monstra miracula sint.

RESOLVTIO.

Deus agere dicitur contra naturam, hoc est contra solitum naturæ cursum hominibus notum, non autem prout natura dicitur, aut possibilitas naturæ, eidem à semet data, aut summa lex naturæ, quæ ipse idem Deus est. Sic miracula licet contra naturam sint, quia tamen à natura cum errore naturæ fiunt, miracula dicenda non sunt.

¶ Respon. quod natura dicitur multipliciter. Dr̄ enim quandoque naturalis cursus hominibus notus: vt in prædicta autoritate dr̄, Humano more &c. Quandoque dr̄ natura possibilitas quædam naturæ, quam dedit Deus, vt ex ea fiat, quod ipse vult, & sic accipitur in Glos. super illud. *Contra naturam insertus es &c.* Gloss. *id natura est cuique rei, quod de ea Deus facit, à quo omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Et 2. Sentent. Distinct. 18. *Dedit autem Deus naturis, vt ex eis hoc fieri posset: non vt motu naturali haberent:* Et ponit exemplum de virga arida, & costa. Quandoque dicitur natura summa lex naturæ, scilicet ipse Deus: super illud, Rom. 1. Gloss. 2. Sent. dist. 18.

Ad Ro. 11. Gloss. *Contra naturam insertus es in bonam oliuam*: Glos. *contra illam summam naturæ legem, à notitia remotam, siue impiorum, siue infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.* Sic ergo patet, quod secundum quod accipitur vltimo modo, nihil contra naturam facit. Similiter nec secundum quod modo medio: quia id naturæ est in re, quod de ea hoc possit facere. Secundum autem primum modum dicitur facere contra naturam. Vnde illud non incongruè dicitur facere Deus contra naturam, quando facit contra id, quod nouimus in natura &c.

¶ Ad aliud respondetur, quod monstra non sunt miracula: licet fiant contra naturam: secundum quod errat in opere suo. Vnde licet sint contra naturam, tamen à natura sunt per errorem naturæ. Miracula autem ab alio principio fiunt, quam sit natura, sc. à superiori, idest à prima natura: cui debet obedientiam creatura.

¶ Et circa hoc quæritur, an sit differentia inter facere contra naturam, & præter, & supra. Et si est: quæ sit: Quandoq; enim inuenimus aliqua fieri præter naturam: vt Dist. 18. Secundi Sentent. ca. Omnium rerum: vbi dicitur, Super hunc naturalem cursum habet apud se de omnibus posse facere &c. Alia verò præter naturam, quorum causæ sunt in Deo: vt super illud. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis à Deo.* Gloss. *Sic causa omnium, quæ ad Christi aduentum prænunciandum in rerum natura præter vsitatum cursum mirabiliter facta sunt, in Deo sunt &c.* Quandoque dicitur aliquid fieri contra naturam, *contra naturam insertus es in bonam oliuam.* Gloss. *dicitur humano more contra naturam &c.* ergo aliqua differentia dicitur esse inter fieri contra naturam, & præter, & supra.

In quo distant agere contra naturam, præter naturam, & supra naturam. Ad Eph. 3. Gloss. Rom. 1. Gloss.

¶ Contra. Illa, de quibus ponit exemplum, quod fiunt contra naturam, sunt illa, quæ dicuntur fieri contra naturam, & supra naturam: ergo nulla est differentia. ¶ Respondetur, Quandoque [præter] accipitur pro contra, & supra, vt in prædictis: & sic nulla est differentia. Quandoque ita distinguuntur hæc nomina, quod diuersa sunt. Vnde opus incarnationis dicitur propriè supra: sed non propriè contra: quia illud, quod dicitur fieri contra naturam, currit cōtrario cursu cursui naturæ: vt quod cæcus visum recipiat: cursus enim naturæ est, vt de priuatione ad habitum non fiat regressus: contra cursum naturæ est, vt fiat: illud autem sc. Deum fieri hominem, non est tale. Præter naturam, autem dicuntur fieri propriè, quæ habent aliquam conuenientiam in natura, & aliquam differentiam: Vegetabilia enim ordinantur ante sensibilia, & habent continuationem secundum Philosophum, vt in aue, quæ de arbore nascitur, quæ continuare dicitur animalia, & vegetabilia. Secundum. n. quod hæret saxo, & non viuit, si separetur, habet commune cum vegetabili, quod non viuit separatum à terra. Secundū quod motum habet retrahendi, & exeundi, habet commune cum animalibus. Fit ergo progressus de vegetabili ad sensibile, & non econuerso. Quod ergo de virgis facti sunt serpentes: videtur esse de his, quæ fiunt præter naturam, propriè, & contra: fieri autem de serpente virgam, non est simile, sed est omnino contra naturam. Vnde Exod. 7. de mutatione virgarum in serpentes. Glos. Aug. *Insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi, quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis; prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus. Nec dicuntur, qui faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolæ segetum, vel arborum, vel huiusmodi, quamuis præbeant quasdam visibiles opportunitates, & causas nascendi.* Illud ergo, in quo iuuant seminales rationes, licet per aliquid aliud excitentur, non dicuntur fieri contra, sed præter: vt in proposito casu.

Ex post predicam. cap. de Oppositis

Zoophyta

Exod. 7. Gloss. Aug.

MEMBRVM IV.

De causis miraculi?

Membrum quartum, quo agitur de causis miraculi, habet quatuor articulos. Primus de causa finali, ad quid sit miraculum. Secundus de causa efficiente, vtrum sit creatoris & creaturæ. Tertius de causa materiali, vtrum de omni re possit fieri miraculum. Quartus de causa formali, scilicet quibus modis fiat multiplicatio miraculorum.

ARTICVLVS I.

Ad quid sint miracula?

Circa primum quæritur, Ad quid sit miraculum? Arguitur autem, quod non sit ad aliquem finem secundum naturam, cum sit opus supra naturam: quare finis erit supra naturam, omne autem opus supra naturam, cum sit Dei tantū: erit aut ad demonstrationem diuinæ potētię, aut sapientiæ, aut bonitatis principaliter: hæc enim trinitas est, secundum quam res procedit à Deo.

¶ Et videtur, quod ostendat principaliter potentiam, dicitur enim in Glos. super illud Psal. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Ibi, *Vt notam faciant filiis hominum potentiam.* Glos. *Nota facta est potentia, quando Apostoli virtutes fecerunt.* ¶ Ac idem 1. Corinth. 1. *Iudæi signa petunt.* Glos. *signa potentiæ.* Psal. 144. vers. 6. 1. Cor. 1. Gloss.

¶ Quod autem sint ad ostensionem sapientiæ, videtur: dicit Aug. super opera sex dierum. *Non potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est, & hoc de vnaquaque re suo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt possit.* Ex hoc accipitur, qđ principaliter ostendant virtutem sapientiæ. Lib. 9. sup. Gen. ad litt. ca. 17. circa finē Tom. 3.

¶ Quod autem ostendant virtutem bonitatis, ostenditur ex Glos. super illud. *Mirabilia testimonia tua.* Glos. perhibent testimonium Deo bonitatis, & magnitudinis cælum, & terra, & omnia visibilia opera: quare si quædam mortalibus vsu viluerunt: sunt tamen admiratione digna. Psal. 118. Gloss.

¶ Quod autem sint principaliter ad fidem in nobis confirmandam, siue imprimendam, videtur ex Glo. super illud. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* ibi, *Vt det illis hæreditatem gentium.* Glos. *hæc fuit intentio miraculorum, quæ Christus fecit vt crederent gentes.* Item ad Coloss. 1. in fine. *In quo & laboro certando secundum operationem eius, quam operatur in me cum virtute.* Gloss. *miracula. s. certo contra perfidos, adiuuantibus me signis virtutum, & post labori meo adiungit miracula ad confirmationem.* Psal. 110. vers. 6. Gloss. Ad Colos. Gloss.

RESOLVTIO.

Tametsi miracula non obscure potentiam, bonitatemque Dei nobis declarent, potissimè tamen sunt ad virtuosæ sapientiæ manifestationem: inde ad hominis eruditionem circa fidem.

¶ Ad quod dicendum, quod vtilitatis miraculorum quo ad hominem fuit ad fidem astruendam, per ea enim quæ erant supra naturam, & contra cursum naturæ solitū, oportuit fidem confirmari, quæ est de his, quæ sunt supra intelligentiam: vt sic, apud sensibiles homines per id, quod viderent, fieret manuductio intelligentiæ ad ea, quę videntur rationi solitæ obuiare, & miraculo, quod videret exterior oculus fieri supra naturam, excitaretur interior oculus scil. intellectus ad comprehendēdum ea, quæ sunt supra rationem. Et cum vtentes intellectu intelligerent, hoc fieri virtute diuina, extenderent intellectum suum ad maiora, quæ scil. pertinent ad articulos fidei, vt crederent scil. ea virtute diuina esse facta. Sed cum miracula sint ad hanc vtilitatem hominis, principaliter, & primò sunt ad ostensionem virtuosæ sapientiæ: sicut enim opera creationis, & gubernationis ostendunt magnitudinem potentiæ, ita opera miraculosa demonstrant, cum creaturis sit insita potentia obedientiæ, quid, ex quo, ad quid, & quando faciendum est, qđ ad sapientiam pertinet. Sicut enim dicimus hominem sapientem, qui nouit occultas naturas reducere in actum: ita Deum summè sapientem dicimus, qui nouit occultissimam potentiam obedientiæ ratione finis optati in actum reducere. Licet ergo ostendatur potentia, vel bonitas, hoc non est principaliter, sed quo ad dispositionem in finem, bonitas, quo ad potentiam materialem, potentia: quo ad vtrunque in simul coordinatum notatur sapientia: & in hoc dicitur miraculum. Potest ergo sic diffiniri miraculum ex parte rei: Miraculum est opus, occultas naturas in actum reducens ad ostensionem sapientiæ virtuosæ. Altera miraculi definitio.



ARTICVLVS II.

An solius Dei sit miracula operari, vel etiam creaturarum?

AD secundum articulum, quo quæritur de causa efficiente, vtrum hæc opera sint solius creatoris: an creatoris simul, & creaturæ. Et videtur, quod sint creaturæ, & non tantum creatoris. *Alijs datur operatio virtutum.* Glos. *miraculorum.* ¶ ITEM, Aug. *Aliter magi faciunt miracula: aliter boni Christiani: aliter mali. Magi per priuatos contractus: boni Christiani per publicam iustitiam: mali per signa publica iustitia.* Si ergo illis conuenit facere miracula: non soli Deo conueniet, sed & alijs saltem ministerio. ¶ ITEM, Aug. *Probabiliter creditur, sicut illud semen, cui est promissum, dispositum est in manu mediatoris per angelos: sic omnia, quæ ad ipsius seminis aduentum annunciandum vel pronunciandum in rerum natura præter cursum naturæ solitum mirabiliter facta sunt, ministrantibus angelis esse facta.* Ergo angelis conuenit cooperari operationi miraculorum: saltem ministrando: non ergo soli Deo conuenit facere miracula.

1. Cor. 12. Gloss. Aug. in lib. 83. q. q. 79. Item sup. Gen. ad lit.

¶ CONTRA, Anselm. *Mirabilis cursus est supra voluntatem & naturam creaturæ, & de his, quæ solus Deus facit.*

Ans. in lib. de concepto virginali.

RESOLVTIO.

Solus Deus autoritatiuè plenè miracula facit. Si autem quandoque concurrant, vel cooperentur creaturæ, puta Angeli: hoc est præparatiuè, & dispositiuè tantum.

¶ AD quod dicendum: quod miracula fieri ministerio angelorum, dupliciter potest dici. Facere enim Deum aliquo ministrante, potest intelligi ita, vt ille ministrans sit medius inter Deum facientem, & factum: sicut mouens motum medium est inter primum mouens, & vltimum motum; vt cum Deus operatur per liberum arbitrium motum, vel per naturam aliquam, mouens ipsa ad faciendum aliqua: & tunc natura, vel liberum arbitrium sunt sicut mouentia mota inter Deum facientem, & factum: & hoc modo dicimus nos quod nunquam fiunt miracula ministerio: & sic intelligitur autoritas Anselm. Alio modo potest dici miraculum fieri ministerio, non vt ministri intelligantur medij, scil. motores: sed vt intelligantur sicut præparatorij, vel disponentes ad hoc, vt miraculum fiat: non, vt intelligatur dispositio media inter Deum & miraculum, quod debet fieri: sed sicut possemus dicere, quod aliquis sanctus rogat Deum, & Dominus precibus eius inclinatus facit, quod ipse petit: vel aliquis etiam malus Christianus inuocat nomen Domini, & Dominus facit ob reuerentiam nominis sui, vel aliquid huiusmodi: & sic bene sunt miracula ministerio, sed illud ministerium non facit mediationem Dei facientis, & miraculi facti. Et sic loquitur autoritas Augustin. Quod autem hic determinatur, debet intelligi de miraculis: omnino subitò factis: quæ plenè sunt dicenda miracula: sicut infra patebit ex distinctione modorum faciendi miracula: quia in multis miraculis angeli cooperantur, disponendo, siue præparando materiam fiendi miraculi.

ARTICVLVS III.

An de omni re, vti de materia miraculum, vel mirabile fieri possit?

AD tertium, quo quæritur de causa materiali miraculi. Vtrum, de omni re possit fieri miraculum, vel mirabile. Quod videtur, de corpore Christi fit miraculum, vel mirabile, vt quod sit in pluribus altaribus: similiter de humana natura, quod vnita est diuinæ. Cum ergo mirabile, vel miraculum sit incarnatio, qua fit vnio: hoc multo fortius de inferioribus creaturis: cum magis sint transmutabiles: ergo de omni re potest fieri miraculum, vel mirabile. ¶ ITEM, obedientia est in omni re respectu creatoris: & secundum hoc currit mirabile, ergo &c.

¶ CONTRA. Ministerio angelorum fiunt mirabilia, vel miracula, ergo in angelis non fiunt ista. Similiter videtur idem in animabus: ergo tantum in corporalibus videntur fieri miracula, vel mirabilia. ¶ PRÆTEREA, In materia est transmutatio formarum secundum naturam ratione obedientiæ materiæ: cum ergo miraculum fiat contra naturam non dr contra obedientiam creaturæ, sed solitum cursum, quo natura operatur: ergo non fit miraculum, vel mirabile ex omni re: quia non ex materia.

RESOLVTIO.

Mirabile de omni re fieri potest, miraculum verò de omni re fieri non potest.

¶ RESPONDETVR; quod aliud est de mirabili, & aliud de miraculo. Mirabile autem potest fieri in omni creatura ab omnipotente. Miraculum autem dicitur contra solitum cursum naturæ corporalis: ibi enim fit à superna virtute aliquid contra cursum naturæ solitum. Vnde miraculum non potest esse de omni re.

¶ AD hoc verò, quod objicitur: quod in angelis non fiunt mirabilia: concedendum est, cum sint ministri in rebus corporalibus aliquibus, per quos dispositio fit ad miracula.

¶ AD secundum dicendum, quod aliud est fieri contra naturam, quæ dicitur materia, & aliud contra naturam, quæ dicitur forma: secundum quod est principium motus, & status: Miraculum enim fit contra naturam, quæ dicitur forma: non contra naturam, quæ est materia, primitus ordinata, possibilis ad formas, quæ sunt cursu naturæ, & quæ sunt cursu mirabili.

ARTICVLVS IV.

Quibus modis fiat multiplicatio miraculorum?

AD quartum, quo quæritur de causa formali, sci. quibus modis fiat multiplicatio miraculorum.

RESOLVTIO.

Duobus modis genere, sed decem specie.

¶ AD quod dicendum, quod miraculum fit aut p transmutationem formarum substantialium: aut sine transmutatione substantialium. Si cum transmutatione substantialium, quæ non inuenitur in rerum natura, tunc erit secundum quod de costa facta est mulier, de vxore Loth statua salis, de virgis serpentes. Si sine transmutatione substantialium, tunc erit aut per modum eductionis: vt de petra aqua: mel & oleum. Aut per modum multiplicationis, vt in quinque panibus, & in oleo Helisei. Aut fit ex hoc, non quia fieri ex hoc sit semper miraculum, sed quia fieri ex hoc sine medio, fit miraculum: vt quod Dominus mutauit aquam in vinum. Constat enim quod aqua per multa media in vitibus conuertitur in vinum: & habetur in Glos. Ioan. 2. Aut quia ex hoc secundum aliquem nouum modum: vt quod panis mutatur in corpus Christi, mutatis substantialibus, manentibus accidentalibus: in hoc duplex miraculum. Aut attenditur miraculum secundum ordinem, cum contrarius ordo non inueniatur in natura, & hoc aut facta transmutatione substantialium, aut sine. Si facta transmutatione, tunc est, sicut serpentes redierunt in virgas, quia vegetabilia sunt quasi materialia ad animalia. Si sine transmutatione: tunc fit aut in simpliciter ente: & tunc fit sicut quando sol reuersus est decem lineis. Aut in vegetabili: vt in virga, quæ floruit. Aut in animali, vt quando de cæco fit videns: & surdus audiens: & tandem, quod mortuus suscitatur. Aut quia nũc & hoc respicit tempus, vt in tenebris, quæ factę sunt in passione Domini, quia tunc factæ sunt, cum non solent fieri secundum cursum naturæ.

Gen. 2. Gen. 9. Exod. 7. Num. 2. Deut. 32. Ioan. 6. 4 Reg. 2. Isai. 38. Num. 17.

MEMBRVM V.

De rationibus, secundum quas miracula fieri habeant?

DEINDE membro quinto principaliter quæritur de rationibus, secundum quas habeāt fieri miracula. Quæritur enim Aug. an ratio, quam Deus primis operibus concreauit, id haberet: vt secundum ipsam ex viri latere fieri fœminam necesse foret. Et habet hoc Membrum quinque articulos. Primus, vtrum ratio naturalis, & seminalis sit idē. Secundus, vtrum ratio seminalis, & causalis sit idem. Tertius, vtrum rationes causales siue primordiales sint in rebus vel tantum in Deo. Quartum, quot sunt genera rationum. Quintus, vtrum huiusmodi rationes inditæ sint à principio creationis.

ARTICVLVS I.

An ratio naturalis, & seminalis idem sint?

AD primum, quo quæritur, Vtrum ratio seminalis, & rationalis sit idem: Quod videtur per hoc, quod dicit Aug. super Gen. dicit enim quod omnis iste vsitatissimus cursus naturæ habet quasdam naturales leges, secundum quas spiritus vitæ, qui creatus est, habet quosdam appetitus determinatos. Super hunc autem cursum naturalem potestas creatoris habet apud se, posse de omnibus his facere aliud, quam eorum seminales rationes habent, & ita videtur idem dicere naturalem rationem, & seminalem. ¶ ITEM, nonne naturalis ratio est cum ex herba spica; & hoc est iam seminalis: ergo idem videntur esse.

Aug. 4. sup Gen. ¶ CONTRA Aug. *Hoc, quod nunc temporalibus interuallis ea moueri videmus ad peragenda ea, quæ suo generi competunt, ex illis infinitis rationibus venit, quas tanquam seminaliter sparsit Deus in actu condendi, cum dixit, & facta sunt.* Videtur ergo dicere, quod seminales sunt illæ, quæ conditæ sunt in operibus sex dierum: & ex illis sunt deductæ naturales.

RESOLVTIO.

Ratio seminalis primordialium rerum minimè idem est cum naturali ratione. Ratio autem seminalis rerum nunc ex primordialibus descendentium vtique.

Aug. 6. sup. Gen. Cap. 10. ¶ AD quod videtur dicendum: quod seminalis ratio videtur dici dupliciter, secundum quod dicit Aug. Aliter in rebus, quæ secundum causas simul creatas, non iam simul sed suo tempore creantur, sicut fœnum est exortum. Aliter in seminibus, in quibus rursus primordiales causæ repetuntur, de rebus ductæ, quę secundum causas, quas primo condidit, extiterant: velut herba ex terra, semen ex herba. Vnde bis tangitur in principio Gen. Primo enim dicitur, *Protulit terra herbam virentem, & facientem fructum iuxta genus suum. Deinde dicitur. Istæ sunt generationes cœli, & terræ*; in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, & omnem herbam regionis, priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus super terram: & homo non erat, qui operaretur terram: Videtur enim dicere duplicem seminalem rationem. Vnam, secundum quam primo fiebant: Aliam, secundum quam nunc fiunt: & hæc dicitur naturalis. (Gen. 2.)

ARTICVLVS II.

An item ratio seminalis, & causalis idem sint?

AD secundum articulum, quo quæritur, Vtrum idem sit ratio seminalis, & causalis: Quod videtur per hoc, ꝙ dicit Aug. super Gen. *Ex illis insitis rationibus, quas tanquam seminaliter sparsit.* ¶ ITEM, Aug. *Omnium rerum causas, quædam semina in corporeis huius mundi elementis latent, quæ Deus originaliter eis indidit*: Et post sequitur. *Incrementa, & formarum distinctiones ab originalibus (vt ita dicam) regulis: Sed nunquid aliud sunt originales naturæ nisi causales rationes?* ergo idem sunt causales rationes, & seminales. (Aug. sup. Gen. Idem.)

¶ CONTRA, Rationes seminales non sunt ad facienda miracula: sed causales rationes sunt ad facienda miracula: ergo non est idem ratio seminalis, & causalis.

RESOLVTIO.

Si ratio causalis largius sumatur, idem est cum seminali: Si pressius, non idem.

¶ AD quod dicendum, quod propriè sumendo non est idem ratio causalis, & seminalis: largè autem sumendo causalem: omnis seminalis est causalis, sed non omnis causalis ratio est seminalis. Vnde facta prima distinctione possumus dicere, quod naturalis ratio refertur ad formam, vt ꝙ granum ex grano, & ita de alijs. Seminalis verò ad materiam dispositam: vt quod fit ex putrefactione dicitur ex ratione seminali esse, sicut ranæ, & huiusmodi res fiunt ex seminalibus rationibus, quæ sunt in elementis: nec tamen dicuntur ex naturalibus, propriè dictis, sed communiter. Causalis verò ad efficientem, & dicitur esse in Deo, qui est causa efficiens, ad ea, quę mirabiliter producuntur ab ipso.

ARTICVLVS III.

An rationes causales, siue primordiales etiam in rebus primo conditis sint, vel tantum in Deo.

AD tertium, quo quęritur, Vtrum causales rationes, siue primordiales sint in rebus primis conditis ab ipso: aut tantum in Deo. Et videtur, quod in rebus: super Genes. 6. Quæri merito potest: causales illæ rationes, quas mundo indidit, cum primum simul omnia creauit, quomodo sunt institutæ: Ergo videtur, ꝙ causales rationes sunt in mundo, .i. in primis operibus conditis. (Aug. 6. sup. Gen. cap. 14.)

¶ CONTRA, Aug. *Habet in se quasdam quorundam factorum causas absconditas in seipso, quas rebus creatis non inseruit.* Ergo sunt absconditæ causales rationes in Deo, non in rebus. (Aug. 9. sup. Gen. cap. 18.)

RESOLVTIO.

Et in Deo & in rebus esse, dicere possumus, in Deo intelligendo propriè: in rebus, intelligendo communiter.

¶ AD hoc videtur dicendum: quod causales rationes dicuntur duobus modis. Vno modo communiter, & sic causalis ratio dicitur eorum, quæ sunt à Deo, mediante natura. Vnde dicit Aug. *Ministerium gratiæ absconditum dixit in mundo, in quo sunt abscondita rationes causales omnium rerum, naturaliter oriturarum.* Si verò causalis ratio approprietur, dicitur esse in Deo respectu eorum, quæ sunt supra naturam, & non mediante opere naturæ. (Aug in eod. lib.)

ARTICVLVS IV.

Quot sunt genera rationum?

AD quartum, quo quæritur: Quot sunt genera rationum?

RESOLVTIO.

Quatuor, scilicet ratio immutabilis, ratio causalis, siue primordialis mundo indita & ratio seminalis, vel materialis, naturalis, quæ alias seminalis dici potest.

¶ AD quod potest responderi per hoc, quod elicitur ex verbis Aug. dicit enim sic. *Aliter in verbo Dei sunt, vbi ista non facta, sed æterna sunt.* (Et secundum hoc dicuntur immutabiles rationes) prout dicitur sup. Gen. 6. Aliter se habent omnium rerum incommutabiles rationes in verbo Dei: aliter opera, à quibus septimo die requieuit, aliter ista, quæ ex illis operatur. Item aliter sunt in elementis mundi: vbi omnia simul facta futura sunt. (Et secundum hoc videtur esse ratio causalis, siue primordialis in mundo indita.) Aliter in rebus, quæ secundum causas simul creatas: non iam similiter, sed suo quæque tempore creantur, sicut factum fuit primo exortum. (Et secundum hoc videtur dici seminalis vel materialis.) Aliter in seminibus, in quibus rursus quasi primordiales causæ repetuntur: de rebus ductæ, quæ secundum causas quas primum condidit: extiterant: sicut quod herba est ex terra, semen ex herba. Et hoc vno modo dicitur naturalis, alio modo seminalis: ratione materiæ aptatæ, seminalis: ratione naturæ agentis, naturalis. (Aug. sup. Gen lib 6. cap.)

ARTICVLVS V.

An rationes seminales ita à principio creationes inditæ sint rebus, vt etiam possibiles forent ad opera miraculosa. Et an possibilitas hæc rerum ad suos cursus naturales, & ad opera miraculosa eadem specie sit?

AD quintum, quo quæritur, Vtrum inditæ sint rationes seminales à principio creationis, non solum ad opera quæ fiunt secundum cursum naturæ, sed etiam ad miraculosa, & vtrum eadem sit possibilitas in specie ad omnia opa. ¶ Creauit.n. Deus in sex diebus perfectas res, quo ad genus, & quo ad species: ergo à principio erat positæ in specie determinata ad omnia fienda: ergo possibilitas ad opera miraculosa erat à principio creata. ¶ Quod autem non sic, videtur per hoc, ꝙ si esset possibilitas secundum eam, esset potentia ad actum: cum ergo non sit possibile (sicut habetur 1. Cor. 1.) vbi dicitur ꝙ stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Gl. hanc stultam fecit Deus, declarando esse possibile, & faciendo ꝙ ille impossibile iudicat) non erit illa potentia, siue potestas à principio in materia. ¶ Præterea, dicit Dam. in principio Tertij. Lib. *Post assensum Virginis S.S. superuenit* (Glos. sup. 1. Cor 1.) (Dam li. 3. de Orth. fide cap. 2. parũ ante medium.)

uenit super ipsam secundum sermonem, quem dixit angelus, purgans ipsam: & virtutem tribuens susceptiuam diuini verbi, simul autem & generatiuam. Ex quo relinquitur, quod potentia ad opera miraculosa non fuit à principio in materia. Si enim sic esset, quare non diceremus, de virgis possunt fieri serpentes, & econuerso? ¶ ITEM, quod sint positæ in principio ad opera miraculosa, videtur per hoc, quod dicit Ambr. *Si in illis primis rerum causis, quas primitus creator rerum instituit, non tantum posuit, quod de limo erat formaturus hominem: sed quemadmodum facturus, vtrum in matris vtero, an in forma iuuenculi: proculdubio sic factum est: vt illic præfixerat: neque enim contra suam dispositionem factum est. Si autem vim posuit ibi possibilitatis, vt homo fieret, vt sic, & sic fieri posset: ipsum autem modum, quo facturus erat, sibi reseruauit in sua voluntate, non in mundi constructione contexit: manifestum est, nõ esse hominem cõtra illam rationem, quæ erat in prima rerum conditione: quia erat ibi sic fieri posset, quamuis non erat necesse sic fieri, vel esse:* Ex quo relinquitur, quod in materia est possibilitas ad opera miraculosa, siue mirabilia. ¶ Quod si est: aut ergo eadem est potentia ad hæc opera, & ad alia, quæ sunt secũdum cursum naturæ: aut alia. Et videtur, quod alia: quia non est eadem potentia secundum naturam ad opera contraria naturæ, vel ad contrarium actum, vel ad contrarium ordinem naturæ: sed actus miraculosus est cõtrarij ordinis in fieri ordini naturæ: ergo non est eadem potentia. ¶ Quod autem sit eadem potentia videtur per hoc, quod dicit Aug. Sunt causæ seminales, quas Deus mundo indidit, cum omnia primo creauit: & hæ quærunt tempus aptum: & sunt ad naturalia. Sunt etiam causales sine temporis determinatione: sicut Adam factus est in virili ætate sine illo progressu incrementorum: & hæ sunt ad miracula.

Ambr. in Hexã. li. 6

¶ VERVM tamen an causæ tã ad mirabilia facienda, quam ad naturalia, sint similiter in rebus insitæ à principio: an causæ ad miracula de nouo factæ sint in rebus: quærit ibi Aug. & dicit quod restat ad vtrunq; modum, vt habiles sint creatæ: siue ad istum, quo visitatissime res decurrunt: siue ad istũ, quo tanta miracula fiunt: sicut Deo placuit facere: Et relinquitur, quod eadem possibilitas ad hæc opera, & etiam ad illa, quæ sunt in materia.

RESOLVTIO.

Ita à principio rationes seminales à Deo rebus ipsis indita sunt: vt etiam in potentia obedientiali possibiles illa forent ad quæcunque opera, tum mediata tum immediata de eis eidem facere luberet. Quæ potentia, vel possibilitas omnibus æqua, & eadem fuit, sed non in eodem gradu. Nec semper pro libito reducenda ad actum: sed tunc solum, cum ipsi creatori placeret.

¶ SOLVTIO. Dicendum est, quod potentia obedientiæ ad omnia opera diuina, siue mediante natura, siue principio, siue voluntate creaturæ, siue immediate creata, est à principio: & eadem potentia obedientiæ ad omnia opera: sed non est potentia in eodem gradu ad hæc opera, & ad alia: sed ad alia dicitur potentia in secundo gradu, vel tertio: ad opera miraculosa possibilitas tantum. Sed non sequitur, quod potentia sit ad actum: quia illa possibilitas est secundum obedientiam creaturæ, de qua Deus potest facere, quod vult: & est possibilitas passiua.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de Ioan. Damasc. quod potẽtia data est Virgini susceptiua, & generatiua: ergo prius non habebat. Respondetur, quod prius nõ habebat huiusmodi potentiã: licet tamen habebat possibilitatem eo modo, quo iam dicendum est: vt de ipsa, & in ipsa hoc faceret Deus. Potentia autem, quæ data est, dicitur potentia aptata: Et sic intelligendum est verbum illud, quod Deus de impossibili fecit possibile: & de eo, quod erat impossibile simpliciter, fecit possibile secundum potentiam aptatam.

¶ ET sic soluitur, quod obijci solet, de impossibili fecit possibile: aut enim loquitur de impossibili secundum naturam superiorem: aut secundum naturam inferiorem. Nõ superiorem, quia ei nihil est impossibile. Sed de impossibili secundum naturam inferiorem: ergo de impossibili secundum naturam inferiorem fecit possibile secundum naturã inferiorem: ergo hoc est factum secundum naturam inferiorem: & adhuc est possibile secundum naturam huiusmodi. Et dicendum est, quod de impossibili simpliciter, & ita secundum naturam aptatam fecit possibile secundum potentiam aptatam. Est enim potentia actiua, & est potentia susceptiua: & est potentia aptata, & potentia non aptata. Et est potentia actiua tam naturæ inferioris; quam superioris: susceptiua autem tantum naturæ inferioris. Et verum est, quod quicquid est Deo possibile secundum potentiam actiuam, est naturæ possibile; non simpliciter; sed secundum potentiam susceptiuam: & hoc est dicta possibilitas: sed nõ secundum actiuam potentiam, nec secundum aptatam.

¶ PER hoc patet solutio ad sequens, scilicet quod hæc concedenda non est: de virgis possunt fieri serpentes: Nec valet, Deus de virgis potest facere serpentes &c. ergo &c. Eodem modo de hac costa potest fieri mulier: nisi intelligatur quasi determinata principij comparatione: cuius est ratio causalis, scilicet Dei, vt cum dicitur, pluit, vel tonat: determinatum intelligitur suppositum. Et hoc posset dici per autoritatem August. 2. Sent. Dist. 18. ibi. *Omnis cursus naturæ,* &c. in fine ibi. Non habuit prima rerum conditio, vt fœmina sic fieret; sed vt fieri posset, scil. à Deo.

Ex Aug. 2. Sen. dist. 18

¶ AD aliud, quod dicitur: quod non eadem est potentia per naturam ad actum naturæ, & ad contrarium actum naturæ. Respondetur, quod potentia secundum naturam (vt est ratio seminalis, & naturalis) sunt tantum ad actum secũdum naturam: ad illum autem actum, qui est contra naturam: non est per modum actiuæ potentiæ: sed per modum susceptiuæ: & ille actus fit in natura secundum rationem causalem; non secundum naturalem, vel seminalem. Vnde dicit August. 2. Sen. d. 18. ibi, *Omnium ergo rerum causæ &c.* Dedit Deus naturis, vt ex eis hæc fieri possent: non vt naturali motu haberent.

¶ AD id, quod obijcitur, quod dicit August. Restat, vt ad vtrunque habiles sint creatæ. Dicendum, quod [*habiles*] ibi large accipitur, id est, possibiles: quia in se non sunt habiles, nisi ad actum, qui est secundum naturam.

MEMBRVM VI.

Secundum cuius virtutis motum miracula impetrari dicantur?

AD sextum membrum principale huius Quæst. sunt tria videnda, secundum tres eius articulos. Primus, an impetrare miracula sit fidei, vel speciei. Secundus, secundum quem articulum fidei fiat miraculum. Tertius, an miracula fiant ad inducendum fidem.

ARTICVLVS I.

Ad quam ex virtutibus Theologicis pertineat miracula impetrare, ad fidem, vel ad spem, vel ad charitatem?

AD primum, quo quæritur, Cuius virtutis sit impetrare miracula. Et videtur, quod secundum motum spei: sicut enim dicendum est supra, in diffinitione miraculi: Miraculum est aliquid arduum, & insolitum supra facultatem existens admirãtis: sed spes est in arduum supra facultatem: ergo secundum motum spei elicitur opus miraculosum.

Mẽb. 1. huiusce q6.

¶ PRÆTEREA, spei est erigi ad ea, quæ sunt magnitudinis diuinæ: sed miracula proprie respiciunt magnitudinem diuinam: ergo motus spei videtur maxime præparatorius ad opus miraculosum eliciendum. ¶ ITEM, Hoc idem videtur per id. *Qui contra spem in spem credidit* &c. Gloss. contra spem priorem secũdum naturam in spem gratiæ ex Dei potentia. ¶ Quod autem charitatis, videtur per hoc, quod ob mutuam charitatem Dei, & hominum factus est filius Dei homo: hoc autem est miraculum super omnia miracula (*charitas* enim sicut dicit Aug. ist. *traxit Christum de cælo ad terras*) restat ergo quod motus charitatis est principalis, vt cõsequatur opus miraculosum.

Rom. 4. Gloss.

August.

¶ QVOD autem sit motus fidei, videtur per id. *Confide filia:* Et. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et. *Quare non potuimus eijcere eum?* Dicit eis Iesus: *propter incredulitatem vestrã. Amen dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic monti, transfert te: & transferet se.* ¶ ITEM, hoc probatur per B. Virginem. *Beata, quæ credidisti.* Gloss. *Apparet Mariam non dubitasse, sed credidisse: & ideo fructum consecutam esse.* ¶ ITEM, per Saram. *Fide Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit.* Gloss. *prius quidem risit: sed ex gaudio, nondum tamen plena fide: sed post verbum angeli in fide solidata fuit.* ¶ ITEM, per oppositum idem

Matth. 9. M rci 9. Matth. 17.

Lucæ 1. Glossa.

Ad Heb. 11 Glossa.

Lucæ 1. Glossa.

idem probatur, scil. per dubitationem Zachariæ super illud, *Quo modo fiet istud*. Gl. *cur non fiunt muta Sara, & Maria, sicut Zacharias*: sed Sara, & Maria non dubitant faciendū, quod promittitur: sed modum requirunt: Zacharias, qui negat se scire: negat se credere: ideo accepit signum tacendi: quia signa non fidelibus, sed infidelibus fiunt. Vnde Matth. 12. *Generatio incredula &c.*

Matth. 12.

RESOLVTIO.

Fidei principaliter: spei, vel charitatis coadiuuanter.

¶ AD quod dicendum, quod motus fidei principaliter est præparatorius ad esse miraculorum: tanquam dispositio inclinans Deum ad huiusmodi opus: & non quod Deus indigeat dispositione: sed nos respectu ipsius. Ratio autem videtur esse, quia per fidem homo, gratia cooperāte, de seipso facit quasi miracula: dum intelligentia super se, & super oēs rationes per fidem eleuatur. ¶ QVOD autem obijcitur de motu spei, vel charitatis. Dicendum est, quod illi possunt esse cooperantes: vt magis fiat, vel efficacius.

ARTICVLVS II.

Ad quem ex articulis symboli spectet miraculorum operatio?

AD secundum, quo quæritur: secundum quem articulū fiat miraculum? Videtur quod secundum illum, qui est de omnipotentia per verba illa, quibus est vsus angelus ad B. Virginem. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: & ad Abraham. *Nunquid quicquam Deo erit difficile?* Et in Psal. *Omnia, quacunque voluit fecit*. Et ad Roman. 9. *Voluntati eius, quis resistet.* ¶ ITEM, super illud. *Non considerauit corpus suum emortuum: cum iam fere centum esset annorum; & emortuam vuluam Saræ* Gloss. *Non sine causa hæc & alia contra naturam fecit Deus*, Ideo enim talia fecit, vt errorem auferret, & se omnipotentem Deum omnium demonstraret: aliqui enim inflati ratione mundi Deum neglexerunt: ideo quæ mundo impossibilia sunt, Deus fecit: vt qui per hæc crederent, saluarentur, Dei dominio mancipati.

Lucæ 1. Genes. 18 Psal. 113. Rom. 9. Rom. 4. Glossa.

¶ SED videtur, quod potius ad articulum incarnationis: quia dicebant Apostoli. *In nomine Iesu Nazareni &c.* Et Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eijcient, &c.* ¶ ITEM, quia non est plena fides, nisi hæc: & pertinet ad plenam fidem. Vnde. *Oportet accedentem credere &c.* Glo. *Sine hac fide nullus vnquam potuit saluari: tamen hoc non sufficit ad salutem.* SED iterum videtur, quod ad spiritum sanctum: quia digitus Dei est, de quo magi deficientes in tertio signo dixerunt. *Digitus Dei est hic.* Et. *Si autem in digito Dei eijcio dæmones.* Et *Porro si in digito Dei eijcio dæmonia.*

Actuū 3. Marci vlt. Ad Heb. 11 Glossa. Exod. 8. Matth. 12. Lucæ 11.

RESOLVTIO.

Ad primum, qui est de omnipotentia, scilicet Credo in Deum patrem omnipotentem.

¶ SOLVTIO. Dicendum est, quod actus fidei ad faciendum miraculum, principaliter respicit articulum de omnipotentia: & primo, qui primus occurrit in Symbolo. *Credo in Deum patrem omnipotentem.*

¶ AD illud autem, quod Dominus dicit. *In nomine meo dæmonia eijcient &c.* & Apostoli similiter dicebant. *In nomine Iesu* &c. Dicendum est hoc esse, vt manifestaretur fides non solum creatoris; sed redemptoris: quod maxime necessariū erat in ecclesia primitiua: articulus etiam omnipotentiæ est, quo credito, facile consequitur fides aliorum: vt super illud, *Linguæ sunt in signum, non fidelibus, sed infidelibus.* Gloss. *Qui credunt omnia posse Deum.*

Marci vlt. 1. ad Cor. 14. Glossa

¶ AD aliud respondendum, quod in opere miraculi est inuenire, quod pertinet ad totam Trinitatem. Nam efficiētia pertinet ad patris potentiam: modus faciendi, quod scilicet sapienter, & ex occultis causis, & huiusmodi ad filij sapientiam: dispositio in finem: vt quod fit propter aliquam vtilitatem ad S.S. bonitatem. Principalis tamen, & primus respectus est ad omnipotentiam, quæ appropriatur patri.

¶ AD illud, quod obijcitur de S.S. qui est Dei digitus. Respond. quod hoc non intelligebant magi: quia non nouerunt Philosophi, nisi cogitationem, & noym: de spiritu S. nihil nouerunt. Actuum 19. *Sed neq. si spiritus Sanctus est, audiuimus.* Sed est sensus. *Digitus Dei hic est.* Idest, manifeste apparet, quod opus Dei est: digito enim demonstratio fit; & manifestatio designatur.

Act. 19. Nū.

ARTICVLVS III.

An miracula fiant ad inducendam fidem?

AD TERTIVM, quo quæritur: An miracula fiant ad inducendam fidem: Quod videtur per id. *Linguæ in signū sunt; non fidelibus, sed infidelibus*: fidelibus, qui credunt omnia posse Deum; sed infidelibus: quia nouitate miraculi ad fidem mouentur. Et per id, quod habetur super Psal. *Vt det illis hæreditatem gentium.* Gloss. *Hæc fuit intentio miraculorum, quæ Christus fecit, vt crederent gentes.*

1. Cor. 14 Psal. 110. Glossa.

¶ CONTRA. *Certo* &c. Gloss. *certo contra perfidos: adiuuantibus me signis virtutum: & post labori meo adiungit Deus miracula ad confirmationem*: ergo non tantum sunt ad inducendam fidem. ¶ PRÆTEREA, sicut non valet fides inducta rationibus, & persuasa: ita non valet inducta per miracula: quia humanus sensus, id est, visus præbet experimentum: sed fides non habet meritum, cui humana ratio, id est, humanus sensus præbet experimentum: sicut habetur super illud. *Per velamen*, id est, carnem suam. Et *Quia vidisti me Thoma, credidisti* &c. ¶ ITEM, Ioan. 4. *Nisi videritis signa, & prodigia: non creditis.* Glo. *infidelitas eius arguitur, non credentis, quod absens posset curare, cum Deitas vbiq. sit*: Et econtrario laudatur centurio. *Dic tantum verbum, & saluabitur puer meus.* Vnde Dominus dixit. *Non inueni tantam fidem in Israel.*

Colos. 1. Glossa. Hebr. 10. Ioan. 20. Ioan. 4. Glossa. Matth. 8. Ibidem.

RESOLVTIO.

Miracula fiunt & ad inducendam fidem, & ad firmandam, idque per modum præparatiuæ dispositionis. Quæ quidem fides necessario non exigitur, quod virtus sit, sed sufficit informis.

¶ SOLVTIO. Dicendum est, quod miraculum valet ad vtrunque: ita tamen quod non sit per modum medij: vt rationes ad inferendam conclusionem: quia nullum medium interuenire debet, nisi prima veritas; cui propter se creditur: Tamen miracula possunt valere per modum dispositionis præparatiuæ ad introducendum fidem: vt seta introducit filum: quæ dispositiones sunt in æstimatiua tantum: sed fides immediate habet coniungi cum prima veritate. Et hoc est, quod dicit Richard. Innumera miracula in his, quæ diuinitus fieri possunt: nobis fidem faciunt; & dubitare non sinunt: Vtimur enim in eorum attestatione, siue confirmatione signis pro argumentis, prodigijs pro experimētis: Vtinam attenderent pagani; Iudæi aduerterent: cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia Deo poterimus dicere: Domine, si error est, à teipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis, & prodigijs confirmata sunt: & talibus, quæ non nisi à te fieri possunt.

Rich. de S. Victore. Libr. 1. de Trin. c. 2.

¶ SED iterum quæritur, An hoc pertineat ad fidem informem, vel ad virtutem. Et videtur, quod non ad informē: quia fides sine operibus non solum infirma est, sed mortua: vt habetur Iacob. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.*

Quæst. lateralis. Ioan. 2. 1. Cor. 13.

¶ ET dicendum, quod nō exigitur, quod sit virtus: quod probatur per id, quod habetur. *Multi dicent in illa die, Domine nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c.* Glo. *Monet ne à talibus decipiantur, putantes ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi est visibile miraculum*: Simile est in sacramento baptismi, vbi sacerdos tanquam minister non facit, nisi præparationem quantum ad exteriora: sed solus Deus operatur, quod est interius, scilic. remissionem culpæ, & impressionem characteris: ibi autem non requiritur quantum ad substantiam dignitas, & bonitas sacerdotis: quia æque ministratur per indignum sicut per dignum. Eodem modo hic, & in omnibus alijs, quæ sunt opera Dei. Et per hoc apparet, quod opus Dei est, & non hominis: homo autem inuocat Dei virtutem in fide, licet non virtute: & Dominus operatur: & hæc inuocatio nō est nisi quædam præparatio, siue præparatiua dispositio: & ideo non est magnum illi: licet magnum in se sit: quia opus Dei: Vnde ibidem Glossa. *Ecce non magni est, virtutes operari.*

Matth. 7. Glossa. Eadem.

QVÆSTIO XLIII.

De præstigiis,& miraculis magorum.

In tria membra,& in tres Articulos diuisa.

Elice ex D. Tho. 1. par. q. 111. & q. 114. art. 4. S. Bō in 2. d. 8. ar. 4. & deinceps.

SEQVITVR Quæstio de miraculis magorum & præstigijs. Quæritur ergo primo, vtrum facta sint secundum veritatem: aut secundum phantasiam. Secundo, quid faciant dæmones in his miraculis. Tertio, si secundum phantasiam, vtrum in illa delusione esset immutatio virtutis cognoscitiuæ interioris, vel exterioris: vel alicuius alterius rei.

MEMBRVM I.

An miracula magorum fuerint realia, vel phantastica.

Gloss. Exod. 7. Gloss.

CIRCA primum videtur, quod illa miracula fuerunt secundum veritatem. Dicit enim Glo. *Strabi super illud. Vocauit Pharao sapientes &c.* quod dæmones discurrunt per mundum, & semina diuersa colligunt: & ex eorum aptatione possunt prorumpere diuersæ species: & hæc sunt verba Gl. *Per incantationem dæmonum malefici aliquid efficere conantur, discurrunt per mundum, & semina subito eorum, de quibus hic agitur, efferunt: sicq; ex illis (permittente Deo) nouas species rerum producunt:* Si ergo secundum ministeriũ dæmonum operabantur magi: videtur, quod veritas fuit in operibus illis.

Exod. 7.

¶ PRÆTEREA, dicitur Exod. 7. quod cum proiecisset Aaron virgam, versa est in colubrum: & postea sequitur: quod fecerunt magi per incantationes suas similiter: Si ergo mutatio virgæ Aaron vera mutatio fuit in colubrum, & mutatio virgæ magorum in dracones vera fuit mutatio, aliter non diceret textus, quod similiter.

Ibid.

¶ PRÆTEREA, dicitur Exod. 7. quod deuorauit virga Aaron virgas eorum. Si ergo deuorari non conuenit nisi vero animato, videtur quod non fuit phantasia solum in mutatione virgarum magorum.

Apoc. 2. & 2. Thess. 2.

¶ CONTRA. Tempore Antichristi maior erit potestas diaboli, quam nunc sit: tunc enim soluetur ipse: sicut dicitur Apocal. 20. & etiam 2. Thessa. 2. quod aduentus Antichristi erit secundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs: sed tunc signa Sathanæ falsa erunt, & nō vera: & hoc patet per hoc, quod ibidem dicitur, signis, & prodigijs mendacibus. Et etiam Augu. in Lib. de Ciuit. Dei: Tunc soluetur ille sathanas: & per illum Antichristum in omni virtute; licet mirabiliter, tamen mendaciter operabitur: & mortales sensus per mendacia decepturus. Ex quo apparet, quod mendaciter operabuntur dæmones. Sed cōstat, quod per virtutem sathanæ operabantur magi (hoc enim appellat August. per priuatos contractus in Lib. 83. q.) ergo maxime modo non sunt miracula illa, nisi phantastica.

Lib. 20. de Ciuit. Dei c. 19 post medium Tom. 5.

Aug. li. 3. qq. Qō 77. Exod. 7. Strabus.

¶ ITEM, super illud. *Vocauit Pharao sapientes:* in principio illius Gloss. quæ supra obiecta est; dicit Strabus. *Sciendum, quod diabolicis figmentis spectantium oculos deludebant: vt res in sua natura manentes, aliud viderentur:* Ex quo videtur, quod phantastica tantum erant illa miracula.

¶ ITEM, quæritur, cum magi ex virgis fecerunt serpentes, ministerio dæmonum colligentes semina, vtrum illud debuit dici miraculum. Et videtur quod sic: si enim ex pluuia, siue aqua naturaliter fiat vinum per putrefactionem in stipite (ponamus ita) tamen cum Deus subito de aqua fecit vinum, miraculum dicitur Iohan. 2. ergo & similiter si naturalis esset ordo, vt ex virgis illis magorum per appositionem seminum, per successionem temporum, operante natura: tamen cum illud subito factum est videtur miraculum fuisse, saltem quantum ad modum faciendi: nō enim videtur posse natura ad faciendum mutationem illam in non prospecto tempore: Dicitur enim ibi, quod versa est virga Moysi in colubrum, & statim subditur, quod magi fecerunt similiter: nec aliqua mora temporalis legitur intercessisse in eorū operationibus.

¶ SED contra, Miracula sola dicuntur illa, quæ contra naturam, vel contra solitum cursum naturæ fiunt: sed hæc non fuerunt contra naturam: ergo nō fuerunt dicenda miracula: Quod autem non fuerunt contra naturam facta, patet per autoritatem August. vbi dicit, omnium eorum, quæ Deus fecit per Moysen & Aaron; nihil contra naturam factum est: ranæ enim de aquis, & ciniphes de puluere oriuntur.

Aug. in li. de mirac. S S. Lib. 1. cap. 19. Tom. 3. Idem in eodem.

¶ PRÆTEREA, in eodem Lib. dicitur: quod aqua in sanguinem cōtra naturam versa est: sed quod in alijs rebus Deo iubente per tempus fieret, protinus efficitur.

RESOLVTIO.

Miracula Magorum ante Pharaonem Aegypti Regem cum Mose, & Aaron contendentium, vere miracula fuerunt, sed non veraciter, immo fallaciter: quia cum intentione fallendi fiebant.

¶ SOLVTIO, Mutatio virgæ Aaron in serpentem vere fuit facta: similiter & mutatio virgarum magorum in dracones facta est vere, & non phantastice tantum: siue collectione seminum, siue aliter: secundum quod vult August. & multum innititur August. illi verbo, quod dicitur, quod deuorauit virga Aaron &c. deuoratio enim respectu phantasticorum tantum proprie non diceretur. Sed bene obijcit August. contra seipsum: si enim veri fuerunt dracones; quare ergo non dicit, deuorauit virga Aaron dracones eorum: immo dicit virgas? Ex hoc enim magis videtur, quod fuerunt phantastici dracones: Quod si diceretur; tunc etiam ipse contra obijcit: quoniam si propter istud verbum diceretur, quod non fuerunt veri dracones: eodem modo posset dici, quod virga Moysi non est mutata in verum colubrum: dicitur enim quod deuorauit virga virgas: Et ideo concludit in fine, quod istud dictum fuit initialiter, & finaliter: quia videlicet ex virga Moysi factus est serpens, siue coluber: & in virgam redijt. Vñ & initialiter & finaliter fuit virga: virgæ similiter magorum mutatæ sunt in dracones. Vnde initialiter potuerunt dici virgæ. Vtrum autem dracones redierunt in virgas? hoc non diffinimus: Tamen si non redierint, potest exponi illud Deuorauit virga Aaron virgas eorum, id est, abstulit eis potestatem redeundi in virgas: quia etsi aliquo modo esset ordo naturalis: vt ex virgis fierent serpentes: non tamen erat ordo naturalis in potestate dæmonum ad regressum e conuerso, vt dracones redirent in virgas: Dicimus tamen, quod in illis miraculis fuit mendacium. Si tamen in mendacio intelligantur hæc duo scilicet falsitas, cum intentione fallendi: non fuit mendacium quātum ad falsitatem: sed quantum ad intentionem fallendi: Videbatur enim (& hoc forte etiam intendebant ipsi) quod opera sua iubente Deo procederent; sicut & opera Moysi. Et quantum ad hoc erit mendacium in omnibus signis Antichristi: intendet enim decipere homines per miracula sua, & facere credere non Dominum esse Dominum: & quantum ad hoc dicimus signa illa esse mendacia. 2. Tessa. 2. Et sic intelligitur, quod dicit August. quod mendaciter operabitur. Nihilominus tamen suberit veritas in miraculis eius, aliquando ex parte rei, & aliquando falsitas. Et propter hoc bene dicit Apostolus, quod in omni virtute erit operatio sathanæ in ipso: tum propter immutationem veram: tum per illusionem solam.

Idem.

¶ QVOD autem obijcitur de Gloss. Strabi. dicimus quod non dicit illud assertiue, sed magis secundum opinionem, vel quasi ex argumento: & hoc apparet ex eo quod ipse disiungit illam opinionem ab alia opinione August. quæ dicit: quod vera fuit mutatio: vnde dicit, quod sic fuit, vel sic. Argumentum vero forte sumpsit ab eo, quod dicebatur post; quod deuorauit virga virgas, & non dracones: diaboli enim non faciunt nisi quatenus permittuntur à Deo. Vnde Augustinus de Ciuit. Dei. *Sicut mali homines in terra: sic illi,* scilicet dæmones *non omnia, quæ volunt, facere possunt, nisi quantum istius ordinatione finuntur: cuius iudicia plene nemo comprehendit: iuste nemo reprehendit.* Strabus autem forte non credebat, quod hoc esset eis permissum: immo esset phantasticum tantum: *sed hoc non credimus.* In toto enim Exod. nihil legitur de huiusmodi phantasia: immo Exod. 8. legitur: quod cum non possent magi educere ciniphes: tunc dixerunt, *Digitus Dei est hic:* & ita eum non ante fecerunt: credimus magis, cum August. quod ipsi vere fecerunt serpentes, & ranas: quam quod illusorie.

Aug. de ciuit. Dei. Strabus. Exod. 8.

¶ Ex his potest videri differentia bonorum miraculorũ, & malo-

& malorum: mala enim miracula semper ad deceptionem sunt, & ad subuersionem videntium: bona vero miracula & si fiant per publicam iustitiam: siue per signa publicæ iustitiæ: sunt tamen ad eruditionem ecclesiæ & credentium. Vnde super illud. *Signa eos, qui crediderint &c.* Glo. *Hæc in exordio in ecclesia fuerunt: vt fides nutriretur miraculis: fide autem ecclesiæ iam confirmata, non sunt necessaria.* Est etiam alia differentia inter hæc, & illa miracula: quoniam bona miracula omnia, quæ veteri lege facta sunt; signa fuerunt miraculi alicuius, siue mirabilis fiendi in aduentu Christi: sicut sacramenta veteris legis signa fuerunt veritatis futuræ in tempore gratiæ: & hoc dicit Glossa super illud Psal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat &c.* Mala vero miracula nullius boni futura signa fuerunt, secundum quod huiusmodi. (Marci vlt. Glossa.) (Psal. 118.)

¶ Ad illud vero, quod quæritur, Vtrum illa opera magorum dicenda sunt miracula, vel non? Dicimus, quod miracula possunt dici quantum ad rem factam, vel quantum ad modum faciendi. Quantum ad rem factam, & non solum quantum ad modum faciendi dicitur miraculũ, quando suscipiens nullum ordinem naturalem habet ad suscipiendum: vt cum de cæco fit videns: vel cum virgo manens, virgo parit. Quantum ad modum faciendi tantum, & non quantum ad rem factam, dicitur miraculum: cum, id quod mutatur in alterum, habebat quendam ordinem naturalem ad illud: etsi non posset fieri mutatio illa secundũ naturam in tam parua mora; sicut fit per miraculum: vt cum ex aqua fit vinum: vel ex virgis serpentes: erat enim aquæ possibilitas quædam secundum naturam: vt per temporis spacia posset mutari in vinũ: & in virgis similiter, vt possent mutari in serpentes temporis dilatione: Et sic loquuntur autoritates Aug. quod nihil eorum, quæ Deus fecit per Moysen & Aaron contra naturam factũ est, id est, contra possibilitatem naturæ, quodammodo ordinatæ ad illam: sed quãtum ad modum faciendi: videlicet vt protinus fiat, quod per naturam fieret successiue. Sed adhuc iste modus faciendi dupliciter potest esse. Potest enim fieri subito & in instãti: & sic fit à diuina virtute: & tunc est dicendum miraculũ: Vel potest fieri repente, id est, in tempore, sed quasi imperceptibili: & hoc modo reuera non est miraculum dicendum, sicut reliquum, vel præcedens: sed mirabile tantum. Verumtamen quia non possumus distinguere, quando huiusmodi fiunt repente, vel subito: & ideo confundimus nomen miraculi ad vtrunque vt dicamus tum hæc, quæ fiunt repente; tum illa, quæ fiũt subito, miracula, sicut & dicimus miracula illa, quæ fiunt quantum ad rem factam: de quibus diximus prius. Et secundũ hoc cõmuniter accepto miraculo ad has tres differentias, diuidit Aug. ꝙ quædam miracula fiunt per publicam iustitiam, quædã per signa publicæ iustitiæ: quædam per priuatos contractus: Tamen si vellemus strictè & propriè miracula accipere; sola possent dici miracula, quæ subito facit Dominus: in illis enim nulla est præparatio requisita ante: absque enim vllo adminiculo mutat Deus res subito, quando vult: in miraculis autem magorum requirebatur quædam præparatio: sicut collectio, vel aptatio seminum, vel aliquid huiusmodi: & ideo non ita vere sunt miracula. (Aug. de miraculis S. S. lib. 1. cap. 19.) (Aug. in li. 83. qq.)

MEMBRVM II.

Ad magorum miracula quid dæmones agant: num tantum materiam præparent, vel etiam formam inducant?

AD SECVNDVM quo quæritur, Quid faciant dæmones in his miraculis: vtrum scil. præparent tantum materiam ad formæ receptionem: & formam non inducant: aut cum præparatione materiæ inducant formam nouam.

¶ QVOD autem faciant vtrumque, videtur: constat enim quod plus potest angelus bonus, siue malus, quam natura inferior istorum corruptibilium: sed constat, quod natura inferior non solum præparat materiam: sed etiam formam inducit (falsa enim fuit illa opinio, quæ ponebat formas naturales omnino à datore extra: quia secundum hoc non esset differentia naturæ disponentis ad formam pure naturalem: & disponentis ad animam rationalem, si hæc esset à datore extra; sicut & illa) ergo & Diabolus in suis operibus miraculosis non solum inducit materiam sed etiam inducit formam miraculosam.

¶ SED contra est quoniam de angelis, siue bonis, siue malis vult dicere August. quod ipsi creatores non sint. Vnde de Trinit. 3. dicit: *Sicut nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas frugum, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus ad ista creanda Dei virtus interius operetur: ita non solum malos; sed nec bonos angelos fas est putare creatores: sed pro subtilitate sui sensus & corporis semina ista rerum nobis occultiora nouerunt: & ea per congruas contemperationes elementorum latenter spargunt; atque gignendarum rerum atque accelerandorum incrementorum præbent occasiones.* Et accipit hic August. creare, pro inductione formæ vltimæ: quod patet per hoc, quod dicit [*præbent occasiones gignendarum rerum*] creationi enim propriè dictæ nulla præbetur occasio, vel adminiculum. Si ergo dicit, quod angeli non sunt creatores: hoc modo dicta creatione, sicut dicimus: patet quod non inducunt angeli, neque boni, neque mali formam aliquam in re aliqua. (Aug. 3. de Trin. ca. 8. circa medium To. 3)

RESOLVTIO.

Tantum materiam præparant, nec quidem formam inducunt: quia inducere nequeunt: cum hoc solius agentis naturalis sit.

¶ SOLVTIO. dicimus, quod dæmones præparant materiam tantum: nec formam inducunt: Nec est simile de angelo & natura. Etsi enim angelus plus possit simpliciter, quam natura istorum corruptibilium: tamen in eo quod est inducere formam similem in specie, vel in genere formæ ipsius agentis, plus potest natura, quam angelus: Hoc enim fuit inditum naturæ: vt secundum vim propagatiuam posset inducere formam similem in genere, vel specie ipsi agenti (inducere, dico, in ipso suscipiente) angelo autem tale nihil inditum est: vt vel simile sibi, vel etiam simile illi, circa quod agit, possit inducere in aliquod suscipiens. Vnde ista ratio peccat secundum quid ad simpliciter: & si enim simpliciter plus potest angelus: non tamen quo ad hoc. Tamen simpliciter loquendo, plus dicitur posse angelus quam natura: quia in plura potest, & etiam in dispositione materiæ respectu formæ inducendæ plus potest, quam natura posset quantum ad duo: potest enim accelerare materiam ex collectione seminum, & congregatione ex diuersis locis: quod non posset natura: potest etiam accelerare dispositiones illas, vt citius producatur forma vltima, quam produceretur, si relinqueretur sibiipsi in operando: & sic fuit in draconibus magorum. Vnde draco siue serpens potuit fieri tripliciter; vel ex putrefactione per operationem solius agentis: vel alicuius corporis supercælestis: & hæc operatio dicitur pure naturalis: & si non sit ibi agens homogeneum, id est, quod agat secundum similitudinem formæ in genere, vel in specie: tamen agens vniuersale, sicut sol ipse, vel huiusmodi gerit ibi similitudinis vicẽ: vel operãtis secundũ huiusmodi similitudinem. Est alius modus producendi serpentes repente: & hic est mirabilis: & hic fuit in miraculis magorum per operationem Sathanæ: non tamen dicitur hic modus creatio: quia non subito fit: nec ex nihilo. Est tertius modus, quo fit subito: & tunc est plene miraculum, quod fit virtute diuina, sicut fuit in signo Moysi.

¶ SED obijcitur, quia super illud. *Immissiones per angelos malos:* ibi dicit Gloss. *quod ea, quæ mirabiliter facta sunt, malis angelis tribuere non audemus: quod si verum est, mali angeli nulla mirabilia, vel miracula debent dici facere.* (Psal. 77. Glossa.)

¶ AD quod dicendum, quod quædam sunt miracula maioris dignitatis: quædam minoris. Et appellamus maioris dignitatis, quæ fiunt ad probationem, vel exercitium iustorum specialiter: & si hæc ita fiant: tunc possumus dicere quod bonis angelis attribuenda sunt, & non malis. Miracula vel minoris dignitatis appellantur, cum sunt signa quædam ministerio creaturæ tantum ad inferendam pœnam aliquam his, qui meruerunt. Et dico [*tantum*] ad excludendum alium respectum: sicut iam videbitur. De illis ergo, quæ sunt minoris dignitatis, loquitur Augustinus de illis, quæ sunt maioris dignitatis, loquitur Gloss. & non de illis, quæ sunt minoris dignitatis: illa enim bene attribuuntur malis angelis: sicut videlicet operatio draconum, & ranarum in signis magorum: & hoc expresse dicit eadem Gloss. dicit enim *Possumus sine dubitatione malis angelis attribuere mortes pecorum, mortes primogenitorum, & obdurationes Ægyptiorum.* (Glossa.) (Eadem.)

Vnde

Vnde sicut ista operatio intra fuit à malis angelis: ita & pœnæ exhibitæ per eos extra, fuerunt ab eisdem dæmonibus: talia autem fuerunt illa miracula, quæ nos attribuimus malis angelis. Nec obstat solutioni isti de subuersione Sodomorum. Genes. 19. posset enim obijci, quod ibi fuit pœna inflicta peccatoribus: tamen non per angelos malos facta sunt signa illa, sicut dicit Gloss. ibidem. Ad quod dicimus, quod signa illa, & si fuerunt peccatoribus inflicta; non tamen erat status illorum signorum: vt videlicet esset ordo signorum illorum ad culpam præcedentem tantum: immo vlterius fuerunt illa ad probationem ipsius Loth & suorum, & exercitium & instructionem: & quantum ad hoc fuerunt signa maioris dignitatis: & ideo debuerunt fieri per bonos angelos, & non per malos. Quod autem in eisdem subiectis creaturis fiant per angelos bonos signa maioris dignitatis, & per malos minoris; non est admirandum: dicit enim ibi Gloss. quod sicut bonus homo: & malus vtuntur eisdem signis in similibus scilicet terra, aqua, aere, & igne, vnusquisque pro modo suo: ita boni & mali angeli vtuntur eisdem, prout cuique opus est; & potestas: quæ potestas maior est angelis, quam hominibus, & angelis bonis, quam malis. Vnde ex hoc patet, quod boni & mali angeli differēter possunt operari circa istas creaturas secundum maiorem & minorem potestatem ipsis datam: & etiam secundū quod adiuuantur à Deo, vel permittuntur differenter.

Genes. 19.

Gloss. 161.

MEMBRVM III.

De Mirabilibus Magorum secundum delusionem, & phantasiam tantum factis.

VISO, quomodo fiant miracula magorum; quando fiunt secundum veritatem: consequenter Membro Tertio quæritur de mirabilibus factis secundum delusionem tantum, & phantasiam. Et habet tres articulos. Primus quærit, quid immutent dæmones in huiusmodi delusionibus. Secundus, vtrum boni angeli plus possint facere miracula, quam mali. Tertius, vtrum boni Christiani possint facere miracula per publicam iustitiam: Et quid sit publica iustitia.

ARTICVLVS I.

An in magicis delusionibus fiat immutatio ex parte rei visibilis, vel ex parte potentiæ videntis? Et si ex parte huius, an dæmon immutet humores oculi, vel tunicas eius, vt videre nequeat? Et an in sic deludenda imaginatiua nouas formas illi offerat tantum, vel etiam imprimat, vel saltem impressas transformet.

AD PRIMVM, quo quæritur de mirabilibus factis secūdum delusionem tantum, & phantasiam. Aut enim in huiusmodi delusionibus fit mutatio ex parte rei visibilis: aut ex parte videntis. ¶ Si ex parte visibilis: aut in qualitate: vt quod est album, faciat Diabolus esse nigrum: vel in quantitate: vt quod est magnum, faciat paruum: vel in substantia: vt quod est homo, faciat asinum: vel secundum situm: vt quod est Parisius, faciat esse Romæ: tunc in his non est phātasia tantum: immo veritas. Si ergo dicitur delusio phantastica apparitio tantum, non erit ibi mutatio ex parte visibilis: sed ex parte videntis. Tunc aut erit immutatio ex parte virtutis intra: aut in ipso organo extra: aut ponetur defectus virtutis solummodo organi: vt non possit comprehendere quod obiectum est: vt cum propter debilitatem visus apparet vna candela duæ.

Qō litera.

¶ Si est immutatio organi: vtpote immutat ipse Diabolus humores oculi videntis, vel tunicas oculi, vt non possit rem videre, sicut est. Tunc cum ipsum organum visus sit res nobilior, quam res subiecta extra: aut saltem æque nobilis: sicut dicebatur vere miraculum, & non phantasia tantum, quando immutabat rem obiectam extra: ita dicetur vere miraculum & non phantasia, quando immutabit organum.

¶ ET eodem modo potest obijci, si dicatur, quod non immutat organum: sed virtutem: & hoc siue dicatur de virtute, quæ est intra secundum quod huiusmodi; siue de virtute secundum quod est coniuncta organo extra. Cum enim huiusmodi virtutes nobiliores sint, quam ipsa organa; adhuc nobilior erit immutatio earum secundum veritatem; quam immutatio organi, siue rerum extra obiectarum. Si autem ponatur ibi purus defectus siue organi, siue virtutis: tunc sicut nullum est miraculum, cum visus debilis credit duas candelas esse, vbi est vna tantum: ita nullum omnino erit ponendum miraculum in delusionibus dæmonum.

¶ SED contra August. & similiter potest haberi ex Lib. de Ciuit. Dei, vbi ita dicit. Quædam mulierculæ post Sathanam conuersæ, illusionibus & phantasmatibus seductæ: credunt se, & confitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea: & cum Herodiade, & innumera mulierum multitudine equitare, earumque iussionibus obtemperare. Ipse namque Sathanas, qui transfigurauit se in angelum lucis, cum mentem cuiusque mulierculæ ceperit; & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, illico diuersarum personarum species, & mentem, quam captiuam tenet, in somnis deludens; modo læta, modo tristia: modo cognitas, modo incognitas personas ostendens: per deuia quæque deducit: & tamen solus hæc patitur spiritus infidelis: vt non in animo, sed in corpore opinetur venire. Idcirco nimis stultus, & hebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu sunt; accidere arbitratur in corpore. Si ergo ita facit Diabolus in ipsa imaginatiua dormientium quædam mira (sicut dicit August. ante prædictam autoritatem) & hoc deludendo imaginatiuam, quæ potentior est, quam sensus extra, videtur quod & mira quædam per delusionem possit facere in sensu extra.

Aug. li. de Anima & spiritu c.28. T.6.j.

Idem.

¶ OCCASIONE etiam huius quæritur vlterius, Vtrum Diaboli cum ita deludunt imaginatiuam, offerant formas nouas imaginatiuæ: vel non solum offerant: sed etiam imprimant: aut si non imprimunt nouas, saltem impressas trāsforment. Si offerunt tantum, & non imprimunt: ergo cum ad solam oblationem speciei non sequatur cognitio: immo oportet fieri vnionem speciei cognoscibilis ad cognoscitiuum, ad hoc vt fiat cognitio: vbi autem non est iudicium, non est delusio: tunc nulla est delusio in operibus eorum.

¶ SI dicatur, quod ipsas imaginatiuæ imprimunt, siue impressas transformant. Eadem obiectio est: tunc enim possent in imaginatiuam: quod enim imprimit, potest in illud, in quod imprimit & quod transformat. Sed non videtur, quod possint in imaginatiuam dæmones: eadem enim substantia est rationalis animæ & sensitiuæ (Et dico sensitiuam, quæ comprehendit & imaginatiuam: & omnes huiusmodi potentias sicut dicitur in Lib. de Hebdomadibus, & de Ecclesiasticis dogmatibus) Si ergo non possunt dæmones in rationalem, nec in imaginatiuam.

Boetius.
August.

RESOLVTIO.

In magicis delusionibus immutatio accidit ex parte videntis propriè: nec tamen cum immutatione tunicarum, vel humorum oculi: sed ex varia formatione formarum, & oculis ab ipsis dæmonibus obiectarum. Qui vere in imaginatiuam non possunt, sed quædam in corpore efficere queunt ad quæ sequitur impressio, vel transmutatio impressorum ad imaginatiuam.

¶ SOLVTIO Dicimus, quod quædam delusiones fiunt absque dæmonibus, sola agitatione hominum ostendentium & occultantium: sicut est in transiectoribus. Aliquando etiam sine aliqua virtute dæmonis est aliqua delusio, virtute quorundam corporum mineralium, quæ qui habent, possunt secundum quandam virtutem huiusmodi corporibus inditam rem ostendere, siue apparere facere; non sicut est: & tunc reuera non est fallitas ex parte rei visæ, quin aliquid sit, quod videtur: non tamen eo modo est, quo videtur. Est autem tertius modus delusionis, qui fit per dæmones: habent enim dæmones quandam potestatem ex ordine naturæ super quasdam res inferiores, quam possunt exercere circa istas res, quantum Dominus permittit: & tunc apparet res non sicut est: Et hæc delusio est quantum ad modum videndi: subiacet tamen veritas rei visæ: sicut dicebatur prius de corporibus mineralibus: sed hoc fit virtute dæmoniaca: quod ibi fiebat virtute naturali, indita illi corpori. Sed adhuc propriè huiusmodi illusio facta à dæmone non dicitur præstigium: præstigium causarum enim

dicitur proprie illa illusio dæmonis, quæ non habet causam ex parte mutationis rei sed solummodo ex parte cognoscentis; qui deluditur: siue quantum ad organum: siue quantum ad virtutem.

¶ Ad intelligendum ergo, quomodo fiat hæc delusio: sciendum est quod sensibile dicitur dupliciter: per se: & per accidens. Et per se dupliciter: proprium, & commune. Dicimus enim quod in proprio sensibili non fallitur visus bene dispositus. Vnde quod est album, semper iudicabit visus album. Sed in communi sensibili, & in sensibili per accidens bene potest falli, & intra, & extra ipsum organum: & hoc per virtutem Diaboli efficientis: sicut iam videbitur.

¶ Qvod ergo quæritur, vtrum immutet tunicas, vel humores oculi, &c. Dicimus quod non: sed potest Diabolus multis modis formare formas, & illas offerre oculis: siue sensui: sensus autem obiectas volens nolens apprehendit. Vnde sicut velim nolim video, vel cognosco album, cum est obiectum debito modo visui: & hoc existente organo in debito statu: ita & ipse visus species, quas offert Diabolus, apprehendit: Nec tamen debet dici, quod Diabolus vniat eas: immo naturaliter, ex quo oblatæ sunt visui debito modo, sensus vnit se illis, vel illas sibi; & vlterius iudicat de illis, & fallitur vlterius in videndo ipsum sensibile per accidens: cum propter formam, quæ solebat esse huius rei: iudicat esse hanc rem, vbi videt talem formam: & secundum diuersas oblationes: vel secundum diuersas mutationes formæ oblatæ iudicat semper alia: & sic deluditur, secundum quod

Auguſt. dicebat Aug. in autoritate prædicta: *Modo læta, modo tristia modo cognitas, modo incognitas personas, &c.* Et potest hæc delusio dupliciter fieri: vt pote in corpore extra: sicut est, cum deluduntur oculi corporei: vel in spiritu: sicut est, cum deluditur imaginatio secundum quod dicebatur in fine autoritatis prædictæ: Hæc solus patitur infidelis spiritus, &c. & ibi appellatur spiritus imaginatio: sicut & visio imaginaria ap-

Aug. li. de Spiritu, & Anima c. p 24 & 11. super Gen. c. 6. & inde pellatur visio spiritualis, quando diuidit August. tria genera visionum, corporalem, spiritualem, & intellectualem. Cum autem deluditur ista imaginatio fit delatio ipsarum formarum oblatarum extra per quosdam spiritus vsque ad ipsam: qui spiritus sunt quodammodo connaturales & propinqui ipsi imaginatiuæ.

¶ Qvod ergo quæritur, vtrum Diabolus habeat potestatem in ipsam imaginatiuam. Dicimus (quamuis quidam dixerint, quod sic potest offerre ipsi, sicut diximus: sed imprimere non potest) tamen dicimus ad hoc; quod & si imprimere non possit, imaginatiua per se attingendo ad illa: potest tamen quædam facere in corpore, ad quæ sequitur

*Alias, imaginatiuam. impressio, vel transformatio impressionum ad * imaginabilia: vt cum resoluitur fumus colericus ascendens ad cerebrum, potest imprimi in imaginatiua forma ignis: vel possunt transformari formæ, quæ erant ibi, in formas igneorũ, vel huiusmodi: non quia Diabolus hoc fecerit imprimendo; neque etiam corpus dicendum est istas impressisse species in imaginatiua: sed expressæ sunt illi ex indiuidua concomitantia eius ad corpus: Vnde quia sese concomitantur indiuidualiter, connaturale est, vt quando corpus sic patitur; & ipsa tunc tales impressiones habeat: secundum quod habetur à Philos. quod anima corrumpitur, siue mutatur, quodam interius corrupto, siue mutato.

ARTICVLVS II.

An boni angeli potentiores sint ad miracula facienda, quam mali, & an hi indifferenter circa quascunque res sua miracula efficere possint?

AD secvndvm, quo quæritur, Vtrum boni plus possint facere miracula, quam mali. Et quod sic, videtur. Constat enim quod ratione naturæ non sunt inferiores boni malis: ratione autem gratiæ constat, quod melioris conditionis sunt boni quam mali: ergo videtur quod tantum vel æque boni possint sicut mali. ¶ Sed contra August.

Aug. in li. 83. qq Qõ. 79. *Intelliguntur quædam miracula etiam scelerati homines facere, qualia sancti facere non possunt.*

RESOLVTIO.

Cum nec ratione naturæ, nec ratione gratiæ isthæc miracula ab vtrisque fiant, sed Dei virtute & permissione, modo hi, modo illi potentiora faciunt iuxta diuinæ voluntatis beneplacitum. Veruntamen mali non circa quaslibet res sua mira operari possunt, sed circa ignobiliores tantum, vt sunt serpentes &c. sicut & ipsi peccato infimi, & ignobilissimi facti sunt.

¶ Ad hoc vltimum soluit ibidem dicendo; quod non ideo potioris loci apud Deum arbitrandi sunt esse scelerati, quam iusti: non enim acceptiores erant apud Deum magi Pharaonis, quam populus: quia nõ poterat ille populus facere, quod illi faciebãt: quamuis Moyses virtute Dei maiora potuit: Vnde reuera mali non possent illa facere, nisi permissi: boni autem si daretur à Domino, possent & illa & maiora facere: non tamen sine recta ordinatione Domini est, quod eis non datur hæc potestas sicut ex malis. Vnde subdens causam, quare non detur eis, dicit: Ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi: existimantes in talibus factis esse maiora dona, quam in operibus iustitiæ: quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere discipulos, cum ait. *Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subiecti sunt: sed gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis.* Neque ergo ratione naturæ: nec ratione gratiæ fiunt ista miracula: sed ex virtute Dei. Quare autem non detur aliquando sanctis, sicut peccatoribus: ratio est iam dicta. Luc. 10.

¶ Ad hoc autem, quod quæritur, vtrum indifferenter circa res omnes possint facere mali miracula. Dicimus, sicut credimus, quod non: etsi enim ratione naturæ esset Diabolus superior omnibus inferioribus creaturis: tamen per peccatum suum ita præcipitatus est, vt non iam æqualiter possit in omnibus creaturis: sed quanto magis est ignobilior aliqua creatura inter creaturas: tanto magis exerceat potestatem suam in illam: vnde quia ignobilissimi inter omnia animantia videntur esse serpentes; & huiusmodi; frequentius vtitur illis: & exercet sua miracula in huiusmodi. Vnde Augustinus: *gaudent dæmones hanc potestatem sibi dari, vt ad incantationem hominum serpentes moueant: vt quolibet modo fallant, quos possunt:* Et assignabat etiam congruitatem; quare magis vtuntur huiusmodi serpentibus, subdens. Hoc autem facere permittuntur ad primi facti memoriam commendandam; quod sit eis quædam cum hoc genere familiaritas. Vnde vult dicere, quod in hoc quod modo decipiunt per miracula circa ista, commendatur memoria primi facti, scilicet quod ipsi deceperunt primum hominem per serpentem, quod debet homo memoriter retinere: & etiam dæmones memoriter tenent, cognoscentes in pœna, qua pro illa suggestione grauiter puniuntur; quantum in illa prima tentatione, siue primo facto commiserunt in culpa. Aug 11. super Genes ad litt. Cap. 28.

ARTICVLVS III.

An iuxta B. August. dictum boni Christiani miracula facere possint propter publicam iustitiam, & quid sit illa?

AD tertivm, quo quæritur de illo verbo, quod dicit August. quod boni Christiani faciunt miracula per publicam iustitiam: Quid appelletur ibi iustitia publica: Aut enim quid creatum: aut quid increatum. Si autem purum increatum, & nihil ex parte creaturæ: tunc quæritur, quare non possunt similiter mali Christiani facere miracula per publicam iustitiam, sicut & boni. Nec potest dici, quod hoc est: quia isti habent fidem formatam: illi vero non. Iam enim tu tangis aliquid creatum: & quantum ad hoc non dicebas tu, quod boni facerent miracula. Si autem dicatur, quod ista publica iustitia sit quid creatum; tunc quæritur, quid sit illud? Si dicatur, quod hoc sit fides formata: & videtur hoc accipi ex hoc, quod dicitur. *Omnia ista miracula, siue mirabilia veteris legis fide dicuntur facta.* Aug.li. 83. qõ. q. 79. ad Heb. 11.

¶ Contra, ostenditur autoritate August. quod hoc non sit aliquid creatum. Dicit enim. *Fit vt sancti Dei serui, quando eos hoc donum vtile est habere* (& loquitur de dono faciendi miracula secundum publicam iustitiam: & quodammodo imperialem legem, & hoc est summi Dei potestatem) *imperant infimis potestatibus ad quadam visibilia facienda miracula* Aug. in ll. 83. q. Qõ 79. Tom. 4.

miracula. In illis enim ipse Deus imperat, cuius templum sunt. Ex qua autoritate patet, quod istud, quo miracula fiunt, siue illa publica iustitia est quoddam diuinum, & increatum.

¶ PRÆTEREA, ipse dicit: quod boni Christiani faciunt per publicam iustitiam, mali per signa publicæ iustitiæ. Sed illa signa, per quæ mali Christiani faciunt miracula, sunt inuocationes nominis Domini, & huiusmodi: sicut vult Augustinus sed hæc non sunt signa, nisi eius, quod diuinum est: ergo publica iustitia non fuit, nisi quid diuinum, & ita increatum.

Idem.

RESOLVTIO.

Publica iustitia est potestas vniuersalis & generalis Dei; quæ dum influit in creaturas, si quis, in ea confidit; tum maxime boni Christiani; virtute eius instructus miracula facere potest.

¶ SOLVTIO, Dicimus, quod est quædam priuata potestas, siue particularis, quæ confertur vnicuique creaturæ in creatione sua secundum gradum suum, secundum quod dicimus: quod vnus angelus plus potest, quam alius: quia in creatione sua maiori potestate præditus est à Deo: & angelus in genere plusquam homo: & homo plusquam brutum: & brutum plusquam vegetabile: & sic de alijs. Et secundum hoc dicimus nos, quod mali etiam angeli à sua creatione aliquam potestatem acceperunt super quasdam creaturas visibiles, aliquo modo transmutandas, vel disponendas: quam potestatem etiam non amiserunt, cum etiam ceciderunt: & propter hoc aliquando propter illos, qui vtuntur illa potestate, confidentes & delectantes in illa: vt magis eos sibi obligent, faciunt illa, quæ possunt. Et hoc modo faciunt magi: de quibus dicit August. quod faciunt per priuatos contractus. Est autem alia potestas publica, siue vniuersalis, scilicet diuina: & hæc dicitur publica iustitia; quia publice regit omnia: & hæc influit super creaturas: & cum aliquis in ista confidit, virtute ipsius influentis fiunt miracula. Sed hoc potest dupliciter esse, scilicet quod ista publica iustitia influat ad faciendum miraculum: potest enim influere, & super inuocantem, & super facto, pro quo inuocatur: & hoc modo faciunt boni Christiani miracula: influit enim Dominus non solum potestatem suam super factum miraculum: sed etiam super bonum Christianum; quantum ad fidem formatam; & quantum ad id, quod cum fide formata requiritur ad hoc, vt bonus Christianus faciat miracula: non enim sola fides formata sufficiebat: sed requirebatur aliqua alia expedientia. Et ideo in prædicta autoritate Aug. non solum dicebatur [*sancti Dei serui*] qui enim sancti sunt, non solum habent fidem formatam in præsenti; sed addebatur vlterius [*quando eos hoc donum habere vtile est*] & tunc fit miraculum per publicam iustitiam. Aliquando etiam influit publica iustitia super factum tantum, & non super inuocantem: & tunc nihilominus aliqua facit Dominus miracula propter honorem nominis sui: licet non sit bonus Christianus, qui eum inuocat, & tunc dicuntur fieri miracula per signa publicæ iustitiæ.

Idem.

Idem. Lib. 83. qq. q. 79. Tomo. 4.

¶ AD illud, quod obycitur: quod si publica iustitia dicit quid increatum tantū; poterant miraculum facere per publicam iustitiam mali, sicut & boni: Dicimus, quod non sequitur hoc. Boni enim Christiani non dicebantur facere miracula per publicam iustitiam; eò quod esset influxus super factum tātum: sed quia erat influxus ipsius in illos: cum autem mali faciunt miracula; non est influxus diuinæ potestatis, siue publicæ iustitiæ (secundum quod iustitia est) in ipsos malos; immo super ipsum factum: & ideo non possunt dici facere miracula per publicam iustitiam: sicut & boni.

QVÆSTIO XLIV.

De creatione substantiarum Corporalium in communi.

In quatuor Membra diuisa.

COMPLETO Tractatu de spirituali natura angelica cum adiutorio Dei; sequitur Tractatus de substantia corporali omnino: Qui tractatus diuiditur per creationem rerum corporalium, distinctionem, ornatum, multiplicationem. Circa vero creationem quædam consideranda sunt in communi: quædam in particulari.

D. Tho. 1. par q. 65. & deinceps. S. Bon. in 2. d. 12. p. 1. tū. Scot. in eodem 2. d. eadē & d. 5. q. 1. a. 3. 4. 5. & 6.

¶ CIRCA considerationem in communi. Primo quæritur, vtrum res corporales dicantur creati ratione materiæ cum forma: aut ratione materiæ informis (Dico autem informem duobus modis: vel quia non habet formam: vel quia habet in confusione: quæ dicitur chaos) Si vero ratione materiæ informis, quo illorum modorum. Deinde si est ratione materiæ informis altero duorum modorum; vtrum eadem sit materia informis cæli & terræ: aut differentes designentur. Tertio quæritur, si res corporales sint simul creatæ, vel non simul. Quarto, vtrum creatio fiat in die: aut ante omnem diem.

MEMBRVM I.

An res corporales dicantur creari ratione materiæ cum forma: vel ratione materiæ informis.

AD PRIMVM sic. A perfecto agente perfectum opus, & à perfectissimo perfectissimū: sed materia informis, cū est sine omni forma, est quid imperfectissimū: ergo non est perfectum opus, prout huiusmodi: sed creatum est perfectum opus: cum est perfectissimi agentis, sc. Dei. ergo materia nō est creata sine omni forma.

¶ AD idem facit, quod intelligentia creata, cum facit aliquid, non producit materiam sine omni forma: nec natura similiter, sed formam in materia: & hæc sunt inferiora agentia, & minoris virtutis: ergo nec Deus, qui est summum agens: creat rem corporalem ratione suæ materiæ informis.

¶ ITEM, forma aliquo modo habet similitudinem cum primo: Deus enim dicitur forma omnium exemplaris, & quodammodo continens: sed nullatenus dicitur materia omnium: ergo cum creatio sit proprium opus Dei, & extendit se ad rem corporalem: debet res corporalis dici creata potius ratione formæ, quam materiæ. ¶ SI vero forte dicatur, quod creatio dicitur esse ratione materiæ informis, habentis in se formas rerum corporalium; sed per indistinctionem.

¶ CONTRA hoc obycitur, confusio contraria est ordinationi: sed ordinatio attestatur sapientiæ: ergo summa ordinatio summæ sapientiæ: ergo à summa sapientia non procedunt immediate res sub confusione: non ergo materia cum confusione rerum corporalium procedit à summa sapientia.

¶ AD idem. Error reputatur in natura: quando non est formarum distinctio: vt si procederet corpus humanum sine ordinata membrorum distinctione; vt caput esset inferius, & pedes superius, & ita de alijs; vel non apparerent ibi membra. Absit autem ponere errorem in opere diuino: non ergo creata est materia cum formarum confusione. ¶ PRÆTEREA, formæ quædam corporales sunt inter se repugnantes: si autem esset confusio formarum: essent contrariæ formæ simul: & ita continua pugna: *sed pugna* (sicut dicit Ioan. Damasc.) est principium dissolutionis: ergo ibi esset dissolutio: non ergo sic possent stare. Damasc.

¶ AD contrarium sic argui potest. Creatio est exitus de non esse in esse: cui immediatus est exitus de potentia materiali in actum: hoc autem est facere: sed in operibus sex dierum est factio, siue conditio: dicitur enim. *Fiat lux, & facta est lux &c.* & ita de alijs: ergo ante non fuit nisi creatio: prius ergo creabatur de non esse in esse aliquo modo materia, vt sit ordo de non esse omnino in posse esse: & deinde de posse esse in esse actu: quod est esse per formam determinatam. Genes. 1.

¶ ITEM, primum habet potentiam quantum ad omne: hoc autem nulli potest communicare; cum sit eius proprium: illud ergo in creatura, quod magis assimilatur ei in vniuersalitate potentiæ, est materia: quæ est capax omnium formarum: ergo primus exitus à potentia diuina videtur esse conditio materiæ, vt capacis omnium formarum. ¶ ITEM, Deus habet in se ideas, & rationes omnium formarum: sicut accipitur ex August. rationes autem istæ forma dicuntur: nihil autem in creaturis pōt assimilari quoquomodo; nisi quod habet in se continentiam omnium formarum corporalium in genere: ergo cum hæc sit materia sub indistinctione formarū; videtur conuenienter huius fieri creatio. Aug. lib. 83. qq. Quæst. 46 Tom. 4.

¶ PRÆTEREA

¶ PRÆTEREA, Distinctio non videtur esse, nisi eius, quod prius fuit confusum: si ergo assignatur ab expositoribus opus distinctionis formarum; præcessit ergo opus confusionis formarum in materia: hoc autem non nisi in opere creationis; ergo &c.

RESOLVTIO.

Primam partem conclusionis videtur sustinere Augustinus: secundam Gregorius in fine argumenti.

1 Item. ¶ AD quod respondendum est secundum diuersas sententias Sanctorum. Secundum sententiam August. videtur, quod creatio erat materiæ cum forma perficiente eam: ita quod singulæ res creatæ essent in proprijs materiebus, & formis. Secundum autem sententiam Greg. & aliorum videtur, quod creata sit in substantia materiæ. Vnde dicit Grego. *In substantia simul facta sunt, quæ de eis habent originem; sed non in specie, quæ sequentibus diebus ostensa est; sol & luna de cælo; virgulta & huiusmodi de terra.* August. etiam videtur hoc dicere. *Ordinatissimo Dei munere factum est, vt primo capacitas formarum fieret; postea formarentur, quæcunque formata sunt.* Itē August. Vno modo sic exponit, *In principio Deus creauit cælum & terram*: Dei verbo sibi coæterno, fecit Deus materiam creaturæ corporalis: vbi confusum erat: cælum, & terra; quæ nunc iam distincta est, & formata, in huius mundi mole sentimus. Huic expositioni concordat quædam Glossa super primum Genes. ¶ ITEM super illud, *Ipse mandauit, & creata sunt*: Glo. dicit, informem materiam de nihilo. ¶ Si ergo teneatur prima sententia: respondendum est ad obiecta, dicendo: quod licet intelligi possit exitus de non esse omnino in posse: & post de posse in esse acta per formam: tamen simul vtrumque factum est; vt simul creatur forma cum materia: & hoc vt vnita: vt opus creationis perfectum dicatur.

Gregor.

Idem in li de Symb.

Idem cōfess. li. 12. c. 20. To. 1

Genes. 1.

Psal. 32.

Glossa.

¶ AD secundum est, quod licet materia, in quantum est capax formarum, quamdam habeat similitudinem; sed multum remotam respectu diuinæ potentiæ: non tamen oportuit, quod sic crearetur in formis: sed magis conueniebat, quod esset capax in actu, quam in potentia tantum.

¶ AD aliud dicendum est: quod aliter est de formis in materia existentibus: & de ideis, quæ sunt ideæ, nec sunt in Deo. In Deo enim sunt ideæ, nec sunt aliud, quam ipse Deus. In creatura vero sunt formæ, & sunt aliud, quam ipsa. Præterea non distingui, id est, confundi formas, non cōuenit summæ sapientiæ omnia disponenti: & ideo non in hoc haberent similitudinem respectu summæ sapientiæ: in qua nulla est indistinctio.

¶ AD vltimum dicendum: quod opus distinctionis dupliciter potest intelligi. Vno modo quod esset prius formarum confusio in materia; & postmodum distinguerentur: & hoc non est secundum hanc sententiam. Alio modo vt distinctio referatur ad ordinationem vniuscuiusque in suo loco: & licet hæc opera, se conditio, siue creatio, & distinctio, sint diuersa: nihilominus secundum August. simul erant. Vñ cum res corporales erant creatæ, vel conditæ; simul erant in proprijs locis distinctæ: licet vnum naturaliter præintelligatur alteri: & Scriptura, quæ simul facta erant; nō simul potuit dicere: & voluit etiam ordinem naturæ designare.

¶ SECVNDVM Hieronymum autem, & alios expositores qui accipiunt diem vsitatiori modo, sicut contingit: & quia de creatione fecit mentionem quante omnem diem, videtur dicere; quod creatio dicitur ratione materiæ informis: quæ tñ aliquo modo haberet in se formas.

¶ AD obiectum autem primum in contrarium sic est respondendum: quod à perfectissimo agente processit perfectum opus, vt in genere illo: non enim ibi sistit opus diuinū: sed est vlterius ordinatū ad opus vlterius, quo dicebat, Fiat lux & c. si ergo requiritur omnimoda perfectio, requirenda est in vltimo opere: & non in initio operis: sicut si artifex facit domum, non est requirenda perfectio in initio sui operis, sed cum iam opus consummatum est. Creatio aūt fuit opus respiciens initium operum diuinorum.

¶ SI vero objiciatur: quod æque facile est Deo, totum opus in consummatione fecisse, sicut primo sub quadam informitate, & postea sub consummatione: artifex enim si statim posset in initio actus consummare domum, non primo leuigaret ligna, & lapides poliret: sed statim domum compleret. Dicendum, quod Domino est æque facile, cui dicere facere est: vel quod plus est, velle est facere: secundum quod dicitur *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit*: Nihilominus voluit in suo progressu ordinem rerum naturalem ostendere: vt primo sint principia condita: deinde ea, quæ aliquo modo ab ipsis ducunt originem: sicut dicit Greg.

Psal. 103.

¶ AD secundum vero dicendum: quod in hoc ostenditur virtus agentis primi excellere virtutem agentis secundū naturam vel agentis creati secundum voluntatem: quia potest vtroque modo res condere, & subito, & successiue: agens autem creatum non nisi successiue. Et si hoc perfectio est; quod exit ab agente creato: multomagis est perfectio, quod à Deo agente procedit, quod ad suum finem producitur: non enim agens creatum ab initio operis sui producit rē perfectam: sed cum est opus consummatum.

¶ AD tertium dicendum, quod licet forma habeat similitudinem cum Deo; qui forma dicitur: nihilominus & materia summæ potentiæ habet aliquam similitudinem, & ita voluit Dominus, vt vtraque similitudo ostenderetur: & res creare in materia: & res creare in propria forma, siue specie distincta.

¶ AD illud vero, quod objicitur de confusione formarum, Respondetur, quod est quædam confusio opposita ordini: cum formæ errore agentis imprimuntur, * opere iam completo: sic autem non est hic: quia sic repugnant summæ sapientiæ. Est autem alia confusio, cum nondum sunt res, vnaquæque in suo debito loco, qui debetur formæ distinctæ: & secundum hoc in initio operis non repugnat summæ sapientiæ. Est autem confusio quædam latebra formarum in suis principijs: & secundum hoc esse formas in suis principijs originaliter, non repugnat sapientiæ: immo ostendit sapientiam: quod enim formæ elementorum sint in elementis originaliter, non repugnat sapientiæ; sed ostendit sapientiam.

*Alias, operi.

¶ AD aliud dicendum, quod iste modus essendi formarum non est per modum monstri: quod cum factum est, vel habet diminutionem in partibus, vel inordinationem.

¶ AD aliud dicendum, quod iste modus essendi formas simul non facit continuam pugnam: continua enim pugna dicitur esse; cum formæ sunt in sua virtute; vt possit agere, & appropinquant sibi in situ.

MEMBRVM II.

An sit vna materia communis cæli & terræ, & An vtrunque, vel alterum tantum informe creatum est?

AD SECVNDVM, quo quæritur, Vtrum eadem sit materia cæli, & terræ: vel non? Et videtur, quod eadem sit materia: quia generi in ratione respondet materia in natura: sicut differentiæ respondet forma: sed idem est genus omnium corporalium superiorum, & inferiorum. (Vtrobique enim est substantia corporea) ergo eadem materia in natura, siue in fieri. ¶ ITEM, Rari & densi eadem est materia: similiter grauis & leuis: pari ratione luminosi, & tenebrosi: sed luminosum est à parte cæli: tenebrosum à parte terræ: ergo eadem est materia cæli, & terræ. ¶ ITEM, Diuisio prima fuit lucis, & tenebrarum: sed secundū Alcuinum, & quosdam alios expositores, quæ post erant diuisa, siue distincta; prius erant in materia informi: ergo cum lux & tenebræ inter se distinguerentur, prius erant in vna materia informi: ergo vna erat materia cæli & terræ. ¶ ITEM, August. secundū vnam expositionem sic exponit in Glo. super Genes. *Creauit cælum & terrā, id est, informem materiam vtriusque*: ergo videtur ex hoc dicere, quod eadem sit vtriusque materia informis. ¶ ITEM, In materia est potentia receptiua plurium formarū ad vestigium Dei: cuius est potentia factiua plurium: sed vniuersalior * est potentia Dei in agendo; quam hæc in recipiendo: erit ergo materia corporalis receptiua formarum corporalium: quæ fiunt à diuina potentia agente: sicut ergo hæc vna est in agendo: ita videtur illa esse vna in recipiendo: ergo erit vna materia cæli & terræ.

Glossa super Gen. 1.

* Alias nō est.

¶ ITEM, Probat Philosophus materiam corruptibilium esse incorruptibilem: natura si corrumperetur; nunquam esset status. Si ergo materia corruptibilium est incorruptibilis: & materia incoruptibilium incorruptibilis: quia si corruptibilis esset: aliquod principiorum rei incor-

Vide Auer disputat. 2. in solutione 21. dubii. Idē 1. phy. 82. & 7. Meta. 23 &c.

ruptibilis esset corruptibile: sed cuius aliquod principium est corruptibile, ipsum est corruptibile: ergo incorruptibile esset corruptibile: sed hoc stare non potest: ergo materia incorruptibilium est incorruptibilis. Si ergo vtrobique materia est incorruptibilis, quid prohibet vnam esse materiam vtrorumque corporum: sed corpora, quæ ad cælum pertinent, dicuntur incorruptibilia: quæ vero ad terram pertinent, vel elementa, dicuntur corruptibilia: ergo eadem fuit materia cæli, & terræ. ¶ ITEM, dicit Philosophus. *Impossibile est esse materiam absque magnitudine*: sed magnitudo non est sine corporeitate; ergo impossibile est eam esse absque corporeitate: sed formam hanc possibile est communem esse cælo & terræ: ergo materiam possibile est esse communem.

Philos. Vide Auer. 1. phy. cõ. 63.

¶ ITEM, aquarum superiorum & inferiorum vna fuit materia: de qua dicebatur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: sed ex aquis superiorib. factũ est cælum aqueũ, & cristallinũ, ergo cælũ cristallinũ habuit materiã communem cũ aquis inferioribus: sed illud cælum, cum sit superius, videtur esse nobilius & simplicius; quam firmamentum: ergo multo fortius firmamentum habebit materiam communem cum aquis inferioribus; & ita cum terra: terra enim communis materia est: ergo cælorum & terræ vna est communis materia. ¶ ITEM, sydera, quæ sunt in firmamento, habent communem materiam cum firmamento: cum sint fixa in eo: sed syderum (sicut dicit Greg.) materia in cælo primitus creato designatur: dicit enim *Sol & luna & sydera quarto die in cælo facta perhibentur*: sed quod quarto die processit in speciem; primo die in cæli substantia extitit per conditionem: Ergo firmamentum habet suam materiam designatam in cælo, primitus creato: sed firmamento & terræ (sicut dictum est) communis est materia: ergo cæli & terræ est vna materia.

Genes. 1.

Gregor.

¶ CONTRA. Illorum dicitur esse vna materia: quæ sunt adinuicem transmutabilia; vel quæ in illa resoluuntur: sed cælum & terra non sunt adinuicem transmutabilia: nec vnum in aliud tanquam in principium materiale resoluitur: sicut elementa in elementa: ergo non est eorum vna materia. ¶ ITEM, *corruptibilium & incorruptibilium non est vna materia*. In incorruptibilibus enim cum sint perpetua; non differt posse & esse: ergo non est eadem materia: cum posse à potentia materiæ dicatur. ¶ ITEM, si vna esset materia vtriusque, & prius creatæ erant res in materia; non diceretur in principio nisi vnum solum creatum, dicta autem sunt duo: ergo non est vna materia vtriusque. ¶ ITEM in cælo non est materia subiecta priuationi. In terra vero est materia subiecta priuationi: ergo non est eadem materia cæli & terræ. ¶ ITEM, in cælo non est materia subiecta generationi & corruptioni. In terra vero subiecta est generationi, & corruptioni: ergo non est vna materia vtrobique.

Philos. 3. phy. tex. com 32.

¶ HVIVS etiam gratia quæritur, Vtrum cum dicitur: In principio creauit Deus cælum & terram: vtrunque creatum est informe? aut vnum informe scilicet terra; & alterum formatum scilicet cælum? Et videtur, quod vnum sit creatum informe, & alterum formatum. De terra enim dicitur, quod erat inanis & vacua: in quo notatur informitas: de cælo autem non dicitur: ergo cælum in sua creatione iam formam habuit: Nam si non habuisset: in suo genere diceretur vacuum; quemadmodum terra in suo genere dicitur vacua. ¶ ITEM, cælum (sicut dicit Strabus) *non visibile, sed empyreum: non ab ardore, sed à splendore, statim sanctis angelis est repletum*: sed constat, quod non fuit repletum sanctis angelis, antequam esset formatum: ergo statim fuit formatum: sed de terra non sic dicitur: quod statim formas suas receperit: ergo vnum creatum est vt informe: vnde subditur, *Congregentur aquæ* &c. Alterum vero formatum scilicet cælum. ¶ ITEM, Licet legatur de eo cælo, quod dicitur firmamentum: quod factũ sit postea: vel de cælo aqueo: non tamen legitur de cælo empyreo, quod postea factum fuerit. Si enim diceretur, quod nomine lucis intelligeretur: Hoc stare non potest secundum expositionem Sanctorum, qui videntur dicere, quod lux illa creata fuit in illa parte, in qua sol: Et ratio mouens eos est, quod lux illa per sui præsentiam & absentiam faciebat diem & noctem: hoc autem non posset facere cælum empyreum: si nomine illius lucis designaretur: ex omni enim parte circundabat terram, & circundedit: Ergo cum non legamus post factum: necesse est vt intelligamus factũ, cum dicitur, In principio creauit Deus cælum & terram: ergo vnum creatum est in sua forma distincta: alterum non.

Qõ. incidentalis.

In Glos. ordinaria. Strabus.

¶ CONTRA. Sol & luna & sydera primo die dicuntur esse condita per substantiam in cælo: sed postea formata per speciem: ergo cælum primo die creatum fuit sub quadam informitate, & postea per species distinctum. ¶ ITEM, Strabus plures distinguit cælos, etiam corporales: sed constat, quod quorundam forma infra determinatur: ergo * primo creatum est vt informe. ¶ ITEM, Aug. prout per cælum intelligitur angelica natura: adhuc dicit quandam designare informitatem: cuius formatio infra dicitur, *Fiat lux, &c.* multo ergo fortius si nomine cæli designatur corpus; magis debet informe designari.

Strabus. In Gl. ordin. super principiũ Genes.

* Alias, primum.

August. Genes. 1.

RESOLVTIO.

Meliori sententiæ nullatenus præiudicantes, non vnam dicimus cæli & terræ materiam: Sed bene vtrunque informe creatum credimus, ita sc. cælum sicut terram: tametsi non æque: saltem quia simul & semel hoc extitit, & firmamenti formam accepit.

¶ AD quod dicendum sine præiudicio melioris sententiæ: quod non est vna materia communis cæli & terræ. ¶ AD obiectum autem primum respondendum, quod licet sit vnum genus omnium in * rationali philosophia: non tamen eadem est materia: non enim semper respondet materiæ genus: licet dicamus genus esse ad modum materiæ, differentias ad modum formæ: oporteret enim secundum hoc dicere, quod eadem esset materia spirituum & corporum: quod non admittimus. Distinguunt ergo, quod quædam est materia subiecta motui & contrarietati, & hæc est in elementis: Et est quædam subiecta motui non contrarietati: & hæc est in supercælestib. corporibus: Est tertia, quæ nec est subiecta motui, nec contrarietati, sed tantum formæ: & hæc est in inferioribus, vt spiritibus: non est ergo communis materia spirituum, & corporum supercælestium, & inferiorum secundum Philosophum. Oportet autem nos, sequendo expositiones Sanctorum; aliquatenus aliter dicere: vt non dicamus eandem materiam cæli & terræ esse: si cæli nomine (sicut dicit Strabus ibi) tantum cælum empyreum intelligatur. Si vero cæli nomine intelligantur firmamentum, & sydera: distinguendum est. Nam materia communis potest dici, in qua fit formarum adinuicem transmutatio: & secundũ hunc modum dicitur cæli & terræ communis materia: & sic loquitur Greg. cum distinguit cælum, & ea, quæ ad cælum pertinent, & terra ab his, quæ à terra producuntur. Si vero dicatur materia, in qua est formarum distinctio, antequam distinguantur, secũdum hoc communis materia potuit esse cæli aquei, & cæli, quod dr̃ firmamentum: & cælorum inferiorum, secundum Strabi distinctionem.

* Alias, naturali.

Strabus.

Gregor.

¶ AD obiecta autem sc. ad hoc, quod sit vna materia communis omnium corporum. Dicendum est, quod non, secũdum quod dr̃ materia subiectum transmutationis formarũ. Et est ad hoc, quod dr̃, quod sicut rari & densi, & grauis & leuis vna est materia, ita & luminosi & sui oppositi. Dicendum, quod non est simile. Rarum enim & densum communicant in materia transmutabili, & similiter graue & leue, luminosum autem & suum oppositum non, nisi dicatur lumen & tenebra secundum quod sunt in aere, & in aqua, quæ receptibilia sunt vtriusque secundum aũt quod luminositas est in cælo empyreo, opacitas aũt in terra; non communicant in materia transmutabili. Dñt tamen aliqui, materiam quodammodo esse vnam, & continuitatem habere à cælo empyreo vsq; ad terrã. Sed non video, qualiter hoc esse possit, sc. quod moueatur orbiculariter vnum corpus, altero non moto orbiculariter, quod in eo continetur, hoc aũt nõ accidit in continuis, quorum natura est vna & homogenea.

¶ AD tertium dicendum, ꝙ diuisio lucis à tenebris attenditur q̃tum ad vicissitudinẽ temporis, vt dies à nocte distingueretur, nõ quin prius vere distinguerentur, quib. hæc primo cõpetit, sc. cælum & terra, cælo .n. cõpetit luminositas, terræ opacitas, ab his aũt dñtur media vt aer, & aqua lucida, & tenebrosa, Et secundum alios expositores illa lux, quæ facta fuit secundum sui reuelationem, distinguebat diem ac noctem.

¶ AD

¶ Ad quartum dicendum, quod cum per cælum & terram intelligitur materia vtriusque: exponendum est, vt dicatur materia cæli, & materia terræ: vt sicut sunt duo corpora, non adinuicem transmutabilia: ita differentem habeant materiam.

¶ Ad quintum dicendum est, quod licet materia sit vestigium diuinæ potentiæ: tamen hoc est secundum multiplicem imperfectioné & diminutionem. Diuina enim potentia vna est ad omnem formam faciendam: materia vero diuiditur: vt vna sit ad formas corporales: sicut ad formas elementares: altera ad formas corporum supercælestium: & ideo dixit sub duplici nomine cæli & terræ. Item diuina potentia est actiua: potentia vero materiæ est susceptiua. Item in Deo idem est potentia & essentia: in materia vero non est idem: cum sit creatura: Est ergo materia vestigium, non coęquatum ei, cuius est vestigium, sed in parte secundum diminutionem respondet.

¶ Ad sextum vero dicendum, quod incorruptibile pōt dici, quod non potest desinere esse: & secundum hoc Deus est incorruptibilis: materia vero, siue corporum cælestium, siue inferiorum corruptibilis est, vt creatura. Alio modo dicitur incorruptibile, quod non corrumpitur: & secundum hoc vtraq; materia dr̃ incorruptibilis. Erit enim cælum nouum, & terra noua: nec tamen oportet propter hoc, quod vna sit substantia materiæ huius & illius. Tertio modo dr̃ incorruptibile, quod non est subiectum corruptioni: & hoc modo materia corporũ supercælestium dr̃ incorruptibilis: in ea enim non transmutantur formæ. Materia vero corporum elementorum non dr̃ incorruptibilis isto modo: cum sit subiectum formarum transmutabilium: dr̃ autem incorruptibilis, quia non corrumpitur ratione formæ, quæ fuit in ea.

¶ Ad septimum dicendum, quod licet materia non spolietur à magnitudine: tamen distinguitur materia superiorũ corporũ, à materia inferiorum, vt nō dicatur vnam esse corporalem materiam horum & illorum. Nec sequitur, si corporeitas formarum est vna in genere, quod sit vna in numero: prout materiam dicimus esse vnam.

¶ Ad octauum dicendum est, quod non negatur aliquo modo vnam materiam esse cæli aquei, & terræ, siue etiam firmamenti: sed non illo modo quo materia dr̃ esse subiectũ transmutationis formarum adinuicem.

Deinde respondendum est ad illud, quod quærebatur. Vtrum vtrumque, cælum scil. & terra creata essent informia: vnum formatum, & alterum informe? Respondendum, quod (secundum quod habetur in Lib. de Eccl. dogmatibus) angeli creati intelliguntur, cum creatum erat cælum: & ita videtur quod cælum empyreum creatum sit cum forma sua: quia angelis est repletum: nihilominus tamen pōt dici informe, quia nondum acceperat formam firmamenti: & ita de alijs. Ratio autem, propter quam dr̃ terra vacua: cælũ autem non: quia terra, sicut nunc habet, vt fiant aliqua ex illa: non tunc habuit: nunc enim est quasi mater, quæ grauida est multorum fœtuum: cælum autem licet post ornatum sit; non tamen est vacuum respectu aliorum, ex ipso nascentiũ: & ideo non dicitur de cælo, sicut de terra. Vel potest dici: quod cum dicitur: In principio creauit Deus cælum & terram; per cælum & terram designatur materia informis: ex qua facta sunt cælum & terra, & quodammodo vna. Vnde August. contra Manichæos: Primo materia facta est confusa & informis, vnde omnia fierent; quæ distincta atq; formata sunt: quod credo à græcis chaos appellari: sic enim & in alio loco diximus dictum in laudib. Dei. Qui fecisti mũdũ de materia informi: quod aliqui codices habent, de materia inuisa: & ideo rectissime creditur Deus omnia de nihilo fecisse: quia etiam si omnia formata de prima materia facta sunt: hæc ipsa tamen materia de omnino nihil facta est. Item infra. Informis ergo materia illa, quam de nihilo Deus fecit: appellata est primò cælum & terra: & dictum est. In principio fecit cælum & terram: non quia iam erat; sed quia hoc esse poterat: vnde cælum postea legitur factum: quemadmodum si semen arboris considerantes: ibi dicamus esse radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia: non quia iam sunt: sed quia inde futura sunt: sic dictum est: In principio fecit Deus cælum & terram q.d. semen cæli & terræ: cum in confuso adhuc esset & cæli & terræ materia: sed quia certum erat inde futurum esse cælum, & terram: iam & ipsa materia cælum & terra appellata est. Item infra. Hanc autem informem materiam etiam terram inuisibilem atque incompositam volui appellari: quia inter omnia elementa mundi, terra vr̃ minus speciosa, quam cetera. Inuisibilem autem dixit propter obscuritatem: & incompositam propter informitatem. Eandem etiam materiam aquam appellauit, super quam ferebatur spiritus Dei: sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Propterea vero non absurde etiam aqua dicta est ista materia: quia omnia, quæ in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores, vel herba, & si qua sunt similia; ab humore incipiunt formari atq; nutriri: hæc ergo nomina omnia, siue cælum & terra; siue terra inuisibilis; siue terra incomposita; & abyssus cum tenebris; siue aqua; super quam spiritus ferebatur: nomina sunt informis materiæ; vt res ignota notis vocabulis insinuaretur. Dicta est ergo cælũ, & terra inuisibilis & incōposita, & tenebræ super abyssum: quia informis erat: & nulla specie cerni, aut tractari poterat: etiã si homo esset, qui videret, atq; tractaret. Dicta est aqua: quia facilis & ductibilis subiacebat operanti: vt de illa oĩa formarentur. Sed sub his nominibus omnibus materia erat inuisa & informis: de qua Deus condidit mundum.

¶ De empyreo autem non fit ibi mentio: nisi hoc sit, cũ dictum est: *Fiat lux, & facta est lux*: Sed tunc oporteret diem, & noctem aliter dicere, quam ex reuolutione luminosi cōtra opacum; vt dies diceret distinctionem lucis à tenebris: nox autem econuerso. Sed secũdum hoc qualiter fieret primus dies, & secundus: nisi propter differentiam rerum factarum, non per reuolutionem luminosi corporis circa terram.

¶ Ad hoc autem, quod vna fuit materia informis: non tñ omnino sine forma: sed sine formarum corporalium distinctione: facit quod dicit Hug. qui quærit, si mundus creatus est ex materia informi; sicut dicitur in Lib. Sapient. quare placuit Domino primo creare informe: & postea formare: cum diuinæ potentiæ sit æque facile totũ sub forma distincta condere.

¶ Responsio. In cæteris rebus à rationali creatura, scilicet intellectuali: informis materia facta est, ac deinde formata; vt eo ipso demōstraretur, quod ab ipso prius non existentia accepissent essentiam: sine quo formam & ordinem nō poterant habere confusa. Eodem modo rationalis creatura quodammodo prius informis facta est: & postmodum ad creatorem suum conuersa, formanda erat: & ideo foris prius est ea demonstrata informis materia; post formata: vt quanta foret inter esse & pulchrum esse distantia, discerneret: per hoc admonita est, ne contenta esset eo, quod per conditionem acceperat esse; donec pulchrum ac bene esse adipisceretur: quod per amoris conuersionem à creatore acceptura erat.

¶ Item quæritur: si omnino sine forma creata est? Et respondeo. Non puto primam illarum rerum materiam ita informem esse; vt nullam omnino formam habuerit; ita tamen informem appellari posse, quod in confusione, & permixtione quadam subsistens, nondum hanc, in qua nunc creditur, dispositionem aptam & pulchram recepisset. Hoc etiam videtur per hoc, quod sequitur; quod non est absurdum; si vno momento temporis cuncta creata sunt simul rerum visibilium, & corporalium materia; & inuisibilium in angelica essentia; ex quibus omnibus colligitur, quod creata est vna materia omnium corporalium, & visibilium; in quibus si contineatur cælum empyreum, non contradico: in his enim nihil temere est diffiniendum. ¶ Secundum hæc ergo respondendum esset ad obiecta in contrarium ex altera parte; quod licet vna esset materia informis cæli & terræ, non tamen sic esset vna; vt in ea fieret transmutatio formarum cæli, & terræ.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet cælum sit incorruptibile; quia nō corrumpitur; tamen posse, in eo prius differebat ab esse; prius enim potuit esse in materia informi; & deinde in materia distincta. Quod autem dr̃, quod posse, & esse non differunt in perpetuis; in cōtingentibus autem differunt; hoc est; quia cum sunt perpetua, potentia est simul cum actu; licet in essentia differat; in contingentibus autem

Marginal notes (left): Aug. A'ii Gennadius vel Gennadius in li. de Eccl. dogmatib. — Verba formalia B. August. — Sap. 12.

Marginal notes (right): Obiectio Genes. 1. — Hug. de S. Vict. Sap. Cap. 12. — Dubitat. — 3. phy. 32.

potentia est ante actum;ita in corruptibilibus:cum iam esse per formam acceperunt,simul est,esse,& posse. In incorruptibilib.vero inquantum huiusmodi potest esse posse prius, quam sit esse.

¶ Ad tertium dicendum: quod licet duo nominentur: hoc non est,quia tunc esset cælum,& terra: sed quia futura erant post, secundum quod dicit Aug. Vnde non propter hoc oportet dicere duplicem esse materiam.

Aug.cōtra Manichæ.

¶ Ad quartum dicendum,quod illa ratio procedit secūdum statum,in quo modo est cœlum,& terra: non secundū statum,in quo tunc fuerunt.Nunc enim ex terra potest fieri aqua,vel aer:non sic autem fit aliquid aliud ex materia cœli. ¶Similiter respondendum est ad quintum.

¶ Ad hoc vero,quod obijcitur: quod si vna esset materia continua cœli,& eorum, quæ sunt infra cælum; moto illo, illa mouerentur. Dicendum est, quod vel in distinctione formatum facta sit distinctio materiarum,vel nō : sequitur, quod si vna esset materia, quod cōtinuitatem haberent naturæ,ea,quæ fierent ex illa.

¶ Ad illud vero,quod quæritur.Vtrum vtrumque esset informe,vel non. Respondendum secundum hoc, quod vtrumque esset informe:sed non similiter omnino: plus enim accedebat ad esse formæ vnum, quam alterum: sed in hoc similiter,quod informe erat,id est,indistinctum:sed secundum Hug.terra erat ipsum terræ elementum:per cælum vero mobilis confusio reliquorum trium: & loquitur secūdum opinionem illorum, qui dicebant omnia fieri ex quatuor elementis. Sed huic opinioni non acquiescitur secundum philosophos: nec secundum August. terra dicitur ibi elementum:sed elementorum materia.

Hug.li. 1. par. 1.vide per totum

August.

MEMBRVM III.

An res corporales simul omnes à Deo creatæ sint?

Ad tertium, quo quæritur. Vtrum omnia essent simul creata.Quod videtur per hoc quod dicitur. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* ¶ Item dicitur in principio Gen. Istæ sunt generationes cœli & terræ in die,quo creauit Deus cælum & terram:ergo vno die:ergo simul.

Eccles. 18

¶ Contra,mensura respondet mensurato:sed res mensuratæ in sua natura erant ordinatæ:ergo & mensuræ secundum prius & posterius. Si ergo creatum est firmatum: & ea, quæ sunt in terra; secundum prius & posterius erunt creata. ¶Præterea:Facta erant in diuersis diebus: & ita in diuersis temporibus (vt ordo in mensura responderet ordini in mensurato) ergo pari ratione dicerentur creata secundum prius & posterius,sicut facta. ¶ Si vero[*simul*]dicat indifferentiam;vt cum dicitur.*Qui viuit in æternum &c.* Hoc non videtur:cum vnum nō dicatur creatum in principio, sed duo: & ita non omnia dicuntur simul creata;quia in vna materia, quæ de non esse prodijt in esse.

RESOLVTIO.

Res omnes corporales à Deo creatæ sunt, sed non simul factæ sunt.

¶ Ad quod dicendum, quod[*simul*] dicit indifferentiam mensuræ ex parte creatorum : quæ tamen creata sunt in duplici ratione materiæ,sc.cœli & terræ:ad hanc enim duplicē materiam omnia corporalia reducuntur:Differenter autem dicuntur materia:cælum enim dicitur materia,vt in qua facta sunt:terra autem, vt ex qua duxerunt originem, & adhuc ducunt.

¶ Ad obiectum autem dicendum,quod non est simile de creatione,& factione:factio enim respicit formas distinctas, vbi ordo designatur: & ita potest designari dies: secundum quod dies est ex reuolutione luminosi:creatio vero vt distiguitur à facere, respicit materiam : & ita non dr̄ ibi prius & posterius,quod respicit formam , sed simul: Nec oportet si mensurata sunt in nā ordinata : quod propter hoc sit ordo ex parte mensuræ:ad prius enim & posterius natura,non sequitur prius,& posterius in duratione:& sic patet responsio ad primum obiectum.

¶ Hvivs rei gratia quæritur, Vtrum creatio fuit simul cum factione:* quia singula facta sunt.Quod non,arguitur ex hoc , quod nō simul omnia facta sunt secundum dierum distinctionem,& tamen simul creata sunt:ergo creatio non fuit simul cum factione.¶ Item,Creatio ante omnem diē: factio non ante omnem diem:ergo &c.

*Alias, qua. Quæst.lateralis.

¶ Si vero non simul:tunc quæritur, quanta fuit distantia: & qua necessitate fuit mora. Respondet Hug. *Mihi videtur (quantum conijcere valeo) inter creationem, & dispositionem rerum ordinem quidem temporis:sed nullam fuisse moram interiectam: ita vt vere quidem dici posit, hoc post illum factum fuisse:sed inter hoc factū, & illud nullam omnino dilationem interuenisse.*

Hugo. Vbi supra.

¶ Svpposito igitur ex prædictis, quod omnia * facta sunt simul ; prout scil. differentia sit inter creationem & factionem;& quod li[*simul*]dicat differentiam mensuræ,non substantiæ,vel materiæ.Quæritur de ista differentia mensuræ,vtrum sc.sit partibilis,vel impartibilis:& hoc est: quærere,Vtrum omnia creata fuerunt in vno nunc diuisibili : aut in pluribus : siue singula in singulis nunc. Et nunc non loquamur de potentia Dei:non enim est dubium , quin Deus potuit in vno nunc creare omnia:sed de congruentia actionis;vtrum scil. congruentius crearet in vno nunc, quam in pluribus. Videtur, quod sic: quia creatio est ad manifestationem potentiæ diuinæ: sed magis manifestatur Dei potentia creando multa in vno nunc, quam multa in multis nunc(hoc per se patet)ergo creare in vno nunc, magis congruebat potentiæ diuinæ & actioni eius; quæ est ex potentia.¶ Item,creata exeunt à primo per assimilationem ad ipsum:vnde congruit quod illo modo exeant,quo maiorem habent assimilationem;prout competit creaturæ:sed primū est vnicum,& simplex, & indiuisum essentia, & duratione: hoc totum non potest conuenire creaturæ,nisi per diminutionem:cum vero exeunt multa à primo in vnico nunc, est ibi vnitas in duratione suo modo : & est multitudo, vel diuersitas in essentia. Si autem exirent multa in multis nunc, esset ibi diuersitas,& durationis & essentiæ:ergo magis assimilantur creata primo,si creantur in vnico nunc, quam si in multis:ergo & illud magis congruit. ¶ Item,singulare est, quod concernit hic,& nunc : vt dicit Philosophus : vniuersale autem,vel commune inquantum huiusmodi,non concernit hic,& nunc: Loquamur ergo secundum opin. Greg. quod omnia creata sunt simul in quadam communitate, & vniuersalitate;& nō in indiuiduatione, quæ post secuta est: hoc enim est,quod dicit Gregor.Omnia simul in substantia facta sunt & in specie:ergo ipsis creatis, sic in communitate se habentibus,non competit diuersitas in nunc: quæ tamen diuersitas competeret, si crearentur in sua indiuiduatione.

*Alias, creata.

Colligitur ex Proph. Isagogis.

¶ Qvod concedimus; quod omnia creata sunt in vnico nunc:& illud nunc non est nunc æternitatis, nec nunc temporis;sed nunc æui : Et hoc dicimus, tum quia magis manifestatur Dei potentia creando in vno nunc multa:tum quia creata hoc modo plus conueniunt cum primo , sicut obijciebatur.

¶ Sed adhuc obijcitur:quia maior adhuc videretur assimilatio;si tantum vnum in vno nunc crearet, quam si multa:quia tunc esset assimilatio,& in essentia, & in duratione. Responsio quod verum est, quod tunc magis siue maior esset assimilatio;sed non tantum manifestaretur Dei potentia : vnde adhuc plus congruit multa creare in vno nunc, quam vnum in vno nunc &c.

MEMBRVM IV.

An creatio cœli, & terræ fuerit ante omnem diem?

Ad quartum,quo quæritur, Vtrum creatio cæli & terræ fuit ante omnem diem : Quod non , videtur per hoc, quod dicitur Genes.2. Istæ sunt generationes cæli & terræ: quando creatæ sunt in die,quo fecit Deus cælum , & terrā: Ergo in die fecit cælum & terram : sed suū facere nihil aliud est, quam creare:ergo in die creauit.¶ Item , obijcit Manichæus: Nunquid creauit Deus in tenebris aliquid ? quod si creauit;erat in tenebris:quomodo ergo inhabitat lucem inaccessibilem?quod si habitat in luce,fecit omnia in luce:ergo cælum & terram:ergo in die.

¶ Contra.Dies est præsentia lucis super terram : sed nondum facta fuit lux:ergo nondum fuit dies.¶Item, Aug. *Informem materiam fecisti ante omnem diem* : sed informis materia cæli & terræ designatur nomine: ergo cælum & terra facta sunt ante omnem diem.

Aug. Cōfess.

RESOLV-

contra terram.i.materiam informem [illegible], & inter se diuiduntur: nihilominus cum dicitur Terra erat inanis &c. ibi cœlum continetur sub informitate terræ: Aliter enim quodammodo accipitur nomen terræ: nam primo accipitur pro materia, inquantum ex ea futura erat terra, secundo verò accipitur communiter.

¶ Ad secundum dicendum est, quod cœlum empyreũ continetur nomine cœli, sed sicut angeli quodammodo dicebantur informes, priusquam reciperent formam gratiæ, quæ nomine lucis designatur, ita & cœlum empyreum poterit dici informe, quousque Dominus in formam perfectam redigeret, dicendo. *Fiat lux &c.* Gen. 1. & secundum hoc nomine lucis non intelligitur tantum lux, quæ distinguit per reuolutionem sui noctem, & diem, sed etiam lux distincta à tenebris: quo cœlum empyreum est lux distincta: tenebræ enim hic fiunt in aëre, aqua & terra, ibi autem non.

¶ Ad aliud verò dicendum, quod licet pertineat cœlum empyreum ad angelos: nihilominus tamen potuit aliquo modo ad materiam informem pertinere. Et sic videtur Hugo sentire. In talibus autem non est temere diffiniendum.

MEMBRVM III.

Quare non fit mentio de aliis elementis in creatione, cum sint nobiliora?

AD tertium, quo quæritur ratione eius, quod dicitur; terra creata, quare non fit mentio de aliis elementis in creatione, cum sint nobiliora. ¶ Præterea, fit mentio de aqua, & secundum vnam expositionem de aëre: de igne verò nulla fit mentio: cum sit inter eleméta nobilissimum.

RESOLVTIO.

Cœli tantum & terræ in creatione mentio fit, quia enumeratis corporibus his extremis, facillimè dantur intelligi & media. Ex elementis etiam vltra terram nominatur & aqua, vtpote nobis propinquiora, ac manifestiora.

¶ Ad quod respondendum, quod numeratis extremis corporibus, dat intelligere media. Et posset dici, quod nomine cœli intelligitur ignis (est enim cœlum igneum) & similiter aër (est enim cœlum aëreum) terra verò est alterum extremorum: aqua verò tenet medium: Vel per terram & aquam (sicut dicit August. contra Manichæos) intelligitur materia informis, quæ se habet ad omnia: nomine autem terræ, & aquæ nominantur, quia hæc sunt nobis propinquiora, & manifestiora. ¶ Sed quid est, quod dicit terram esse inanem, & vacuam, vel inuisibilem, & incompositam (secundum aliam translationem) nonne terra.i.e. materia formas habuit, & ita non vacua fuit. Item, inane dicitur, quod est sine soliditate: nonne terra tunc habuit soliditatem corporalem? Item, visibilis erat, cum esset corpus, compositionem habebat, cum non esset simplex, vt Deus, sed creatura; quare ergo dicitur incomposita. ¶ Præterea, erat ibi forma cum materia. ¶ Item, quid nomine abyssi designatur. Si enim abyssus idem est, quod terra: sicut dicit Aug. quare potius dicitur, quod tenebræ erant super faciem abyssi, quam super faciem terræ. ¶ Item, quæritur. Quare si idem est terra, abyssus, & aqua, diuersis nominibus ita nominentur.

Dubitatio Incidens.

¶ Ad primum dicendum: quod inane dicitur respectu formæ, scil. distinctæ: vacuum verò dicitur respectu ornatus. Similiter secundum aliam expositionem inuisibilis dicitur respectu formæ, siue speciei: secundum quam est delectatio in visu, incomposita verò dicitur.i.e. sine compositione & ornatu.

¶ Ad obiectum autem in contrarium respondendum est, quod non dicitur inane, quia non habet soliditatem, vel corpulentiam: Pręterea vacua non dicitur, quia nullam habuit formam: sed quia non habuit formam replentem, & ornantem eam. Item inuisibilis dicitur, non quia non posset videri: sed quia non poterat videri, vt speciosa. Item incomposita non dicitur, quia non habuit compositionem sed quia non habuit decentiam ornatus.

¶ Ad illud, quod obijcitur de abysso, & alijs nominibus, quæ coincidunt in eandem rem. Respondendum, quod ex diuersis rationibus materia informis tria sortitur vocabula. Est enim potentia materiæ receptiua, quæ deficit in genere potentiæ respectu potentiæ actiuæ, vel simpliciter, vel secundum quid: & quantum ad hoc habet rationem terræ, terra enim inter omnia elementa minus habet de ratione actiui. Item dicitur abyssus.i. sine candore: quia sine specie, & pulchritudine: vt ostendatur defectus ex parte speciositatis. Dicta est aqua, quia aqua male terminabilis termino proprio, bene alieno: Ita materia bene terminabilis per formam & debitam dispositionem: Ex defectu ergo terminationis dicta est aqua, quia de facili ductibilis, & fluxibilis subiacebat operanti, vt de ea omnia formarentur, & à primo agente daretur eidem virtus per formam, species per distinctionem, terminatio per ornatum, à summa, scil. potentia, sapientia, & bonitate.

Quasi sine [illegible] apud græcos [illegible] o nis [illegible] & [illegible] nomine.

MEMBRVM IV.

Quid est dictu, Et tenebræ erant super faciem abyssi?

AD quartum, quo quæritur de hoc, quod dicitur, *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Geneſ. 1. Tenebra enim dicitur priuatio lucis: priuatio autem sequitur habitum: lumen autem non præcessit: ergo erant tenebræ.

¶ Præterea, Quæritur, quare non dicitur tenebra creari, sicut & lumen consequenter fieri.

Quæstio incidentalis.

RESOLVTIO.

Tenebræ in illis Geneseos verbis nihil aliud dicunt, nisi negationem eius, quod nondum factum, fiendum tamen erat.

¶ Respondeo. Quod tenebra antecedenter non dicit priuationem ordine naturali rei consequentis: sed negationem eius, quod nondum factum est, & est fiendum. Vnde non est necesse prius fuisse lumen.

¶ Ad secundum verò dicendum, quod tenebra non dicitur creari, vel fieri à Deo, quia ex priuatione luminis consequitur. Nec est aliquid simpliciter, sed defectus eius, quod à Deo conditum est. Et hoc videtur per hoc, quod dicit Aug. *Silentium enim non est aliquid, sed defectus soni, tenebra similiter, hic autem nihil aliud dicitur, quia nondum erat lumen.* Hugo autem vult distinguere inter terram & abyssum, & quod dicitur, *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant &c.* quia duo proposuerat supra, cœlum, scil. & terram: modo alia duo subiungit: vt abyssus ad terram, tenebræ verò ad cœlum referantur. Sed hoc non video expositionibus Sanctorum conuenire.

Aug. in lib. contra Epist. fundamenti. Id est contra Epist. Manichæi Tom. 6. Hugo. Gen. 1.

MEMBRVM V.

Quid ut dictum est, Et spiritus Domini ferebatur super aquas?

AD quintum, quo quæritur ratione eius, quod dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Potest enim quæri, quid nomine aquarum designatur, & qualiter spiritus Domini super eas ferebatur, & quare potius super aquas in hac ratione, quam super terram?

RESOLVTIO.

Spiritum Domini super aquas ferri, idem est ac bonitatem Dei, quæ spiritui sancto tribuitur, esse principium terminationis materiæ receptibilis debitæ formæ, & localitatis, per formam distinctam & locum terminatum.

¶ Ad quod dicendum, quod nomine aquarum notatur materia receptibilis debitæ formæ, & localitatis ei respondentis. Spiritus autem Domini magis dicitur ferri super aquas: quia bonitas Dei, quæ appropriatur spiritui sancto, est principium huius terminationis per formam distinctam, & locum terminatum.

¶ Sed si quæratur, quare super aquas potius dicitur ferri, quam in aquis esse: cum spiritus Dei sit vbique? Respondetur, quod loquitur de spiritu Domini, qui superior est natura in ratione agentis, & sic agitur de illo, licet in ratione quadam dicatur continere partes inuicem, quasi esset intra.

Dubitatio

* * *

QVÆSTIO XLVI.

De distinctione & ornatu rerum in communi.

In quinque Membra, & in quinque Articulos diuisa.

D. Th. 1. p. q. 66. & 67. S. Bon. in 2 d. 12. & inde Sc. ibidem.

HABITA consideratione de rebus corporalibus quãtum ad creationem: consequenter dicendum est de rebus corporalibus, quantum ad distinctionem, vel ornatum, siue factionem: quod generale est ad vtrunque. Et primo quædam consideranda sunt in communi, deinde secũdum distinctionem dierum in his, quæ pertinent ad distinctionem, vel ornatum rerum specialiter. ¶ Consideranda autem in communi sunt. Primo, vtrum omnia facta essent in illo tempore in materia, vel non. Secundo, si facta sunt in materia tunc, vtrum in genere, vel specie sint omnia facta tunc, vel non: vel quædam sic, & quædam non. Tertio, si naturalia facta sunt in genere, vel in specie, vel non. Quarto, si simul facta sunt, vel non simul. Quinto, si non simul, sed in diebus differentibus, secundum quid fiebat tunc dies, & quare tot.

MEMBRVM I.

An omnia corporalia tunc, scilicet in principio simul facta sint in materia.

AD primum sic: Omnia creata sunt similiter, & hoc simile est ratione materiæ: creare autem est facere sub communi ratione: ergo omnia facta sunt similiter. ¶ Ad idem facit, quod dicit August. introducens autoritatem de Lib. Sap. Qui fecisti mundum de materia inuisa: vbi nos habemus, Qui creauit orbem terrarum de materia inuisa: Ergo sicut dñr simul creata in mã: sic dicẽtur õia facta tunc ratione materiæ. ¶ CONTRA, scriptura Lib. Gen. & Psalmorum distinguit inter creare, & facere. Psal. *Dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt*: vt creatio respiciat ad exitum de non esse in esse: factio autem respiciat ad formam in materia: nõ autem omnia tunc facta sunt in propria materia, & forma: ergo non omnia tunc dicuntur esse facta. ¶ PRÆTEREA, Res mirabiles non tunc factæ sunt in sua forma, vt incarnatio non tunc facta est in sua forma, licet esset humana natura, & ita de alijs mirabilibus, & artificialibus: ergo non omnia tunc erant facta.

Aug. contra Manichæos, c. 12

Psal. 32. & 148.

RESOLVTIO.

Quomodocunque sumatur facere, v. l. proprie, vel communiter ad creare, omnia, & naturalia, & mirabilia, & artificialia simul in materia tunc facta sunt, imo & in aliqua forma, licet non in propria, nec in proprio numero.

¶ AD quod videtur dicendum, quod siue factum dicatur communiter ad creatum: siue proprie, sicut distinguitur in Lib. Gen. omnia dicuntur facta simul ratione materiæ, & quia materia non fuit denudata, siue nuda à forma aliqua: dicuntur omnia esse facta, sed non in propria forma, neque in numero, sed in aliqua forma ratione materiæ suæ, & ratione sui habuit possibilitatem obedientiæ ad omne, quod voluit Deus facere de illa creatura. Vnde Aug. post quæstionem motam super Gen. dicitur. *Restat, quod ad vtrunque habiles sunt creaturæ, siue ad istum modum, quo vsitatissime temporalia transcurrunt, siue ad illum, quo rara & mirabilia fiunt, sicut placuit Deo facere:* Factæ ergo sunt res in materia, & in aliqua forma, vt de qua possit Deus facere illud, quod ei placuerit.

¶ AD hoc autem, quod dicitur de incarnatione, Dicendum quod humana natura tunc facta est, quæ habuit possibilitatem obedientiæ, vt indiuiduo, in quo placuit Deo, viniretur, vel vniri posset diuinæ naturæ: Non est autem aliqua causa in creatura, vt fiat, sed in Deo, cui nihil est impossibile. De artificialibus autem dicendum est, quod ipsa tunc facta sunt in materia, quæ tunc nuda fuit forma.

MEMBRVM II.

An item facta sint tunc omnia in genere & in specie?

AD secundum, supposito, quod omnia corporalia facta sunt in materia, quæ tamen non fuit sine aliqua forma & hoc est fieri in materia. (Vnde dicit Hugo, Nihil postea factum est, cuius materia, vt in corporibus, aut similitudo, vt in spiritibus non processerit.) Quæritur, vtrum omnia tunc dicantur facta in genere, vel in specie, aut non. Et videtur, quod non: multa enim facta sunt per artificium: multa etiam ex putrefactione, multa etiam ex commixtione elementorum, multa ex copulatione rerum iunctarum specierum, sicut accidit in burdone, & consimilibus.

Hugo.

¶ CONTRA, super illud, *requieuit ab omni opere, quod patrarat.* Gloss. Requieuit à condendis generibus & speciebus: ergo nullum genus nouũ, vel noua species post condita est. Gen. 2. Glos. ord.

RESOLVTIO.

Non omnia, quia non artificialia non putria, non mixta imperfecta, & huiusmodi reliqua.

¶ AD quod dicendum, quod non omnia facta sunt in genere, aut in specie propria, vt artificialia, & similia. ¶ AD obiectum autem in contrarium Glos. dicendum, quod quieuit à generibus, & speciebus, quę erant causæ ad producendum ista naturalia, & artificialia in suis proprijs speciebus sufficienter sub ipso.

MEMBRVM III.

An pariter facta sint tunc omnia naturalia in genere, vel in specie?

AD tertium, quo quæritur. Si naturalia tunc omnia facta sunt in genere, & specie, vel non. Et videtur, quod sic de talibus enim dictum est. *Quid est, quod fuit, ipsum, quod futurum est, nihil sub sole nouum.* ¶ PRÆTEREA, *Opera Dei perfecta erant*, sicut dicitur: *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*: perfectum autem dicitur, cui nihil deest, ergo nihil defuit in cœlo, vel in terra, quantum ad ornatum. Cũ ergo genera, & species rerum naturalium fuerunt ad ornatum, omnia naturalia tunc facta sunt in generibus, & speciebus. ¶ ITEM, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; scil. valde bonum dicitur in tertio * intensionis boni in suo genere, ergo res naturales tunc erant factæ in suis generibus & speciebus. Nam si aliquæ non essent factæ, non esset tunc positus terminus bonitatis in genere. ¶ CONTRA Multa genera vermium producuntur ex carnibus animalium, sed nondum erant cadauera, ergo nec dum erant huiusmodi species. Similiter potest obijci de his, quæ fiunt ex halationibus vaporum, cum hęc nondum essent.

Eccles. 1.

Cantic. 1. Gen. 2.

Gen. 1. *Alias intensioris.

RESOLVTIO.

Naturalia omnia in suis generibus, & speciebus facta sunt, saltem in principijs generationum suarum.

¶ RESPONDENDVM videtur, quod omnia facta sunt sc. naturalia in suis generibus, & speciebus. i. e. in principijs generationum suarum. Licet ergo vermes, tunc non essent, & huiusmodi, quæ fiunt consequenter, nihilominus principia generationum erant, vt cum esset materia conueniens, producerentur in esse. Vnde ista facta sunt materialiter, & causaliter: non quod in se habeant naturam producendi simile ex simili.

MEMBRVM IV.

An naturalia simul omnia in genere, vel in specie facta sint?

AD quartum, quo quæritur, Vtrum omnia naturalia facta sunt simul in genere, vel specie. Quod videtur per hoc, quod dicit Aug. *Verbo tuo simul, & sempiterno dicis, quæ dicis, nec aliter, quam dicendo facis.* Ergo ipsa sunt simul facta. Aug. in lib. Confess.

¶ PRÆTEREA, æqualis facilitatis est Deo omnia simul facere, sicut simul omnia creare, sed simul omnia creauit: ergo simul omnia fecit, cum hoc magis congruat omnipotentiæ. ¶ Præterea, ratio quare artifex vnum facit post alterum, est: quia non simul potest conuerti ad multa secundum eandem partem omnino. ¶ Præterea: materia non est aptata, sed oportet eam aptare, hoc autem imperfectionis est: In Deo autem est summa perfectio: ergo simul omnia fecit. ¶ Præterea, dicitur, *Istæ sunt generationes cœli & terræ, in die, quo fecit Deus cœlum & terram*: ergo in vno die fecit omnia, & pari ratione in vno nunc, vel in modico tempore. Gen. 2.

¶ CONTRA, in Gen. dicitur primus dies, secundus dies, & ita de alijs, ergo plures erant dies, non ergo simul omnia sunt facta.

¶ ITEM,

Greg. ¶ Item, Greg. *Omnia simul creata sunt, quia in materia simul sunt, quæ de eis habent originem, sed non in specie, quæ sequentibus diebus est ostensa.* ¶ Præterea, videtur, quod inter sanctos nullatenus deberet esse discrepantia opinionum quo ad creationem, sed quo ad factionem. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*, non dicit, fecit. ¶ Item, nisi dictum fuisset, primus, secundus, tertius dies, non esset diuersitas opinionum, vt videtur, in hoc tantum est controuersia: quod quidam dicunt omnia in vno die (vt Aug.) quidam in sex diebus (vt Greg. & Hier.) sed ante omnem diem fuit creatio, vt patet ex textu, dicitur. *In principio creauit Deus cælum & terram*; statim aut postmodum subiungit de primo die.

Ecclesi 18.

Aug. Greg. Hieron. Gen. 1.

Aug. ¶ Item, Aug. *Vbi nulla species, nullus ordo, nec etiam dies est*, sed species, & ordo primo dicuntur in factione lucis: sed ante hoc fuit creatio: ergo penes creationem nulla debet esse diuersitas inter opiniones sanctorum, quin sc. dicant omnes, quod omnia simul creata sunt, sed de factione rerum potest esse controuersia, & hoc designat Greg. qui dicit, omnia simul esse facta in substantia: fieri enim in substantia est fieri in materia, & hoc est creati.

RESOLVTIO.

Naturalia omnia simul quidem creata sunt, sed non simul facta sunt in propriis generibus & speciebus, imo successiue in sequenti die, siue in sequentibus diebus.

¶ Quod concedimus.

¶ Ad primum dicendum, quod licet similiter sit dicere, quantum ex parte dicentis, non tamen est simul, quantum est ex parte eius, quod dicitur, Dicere enim sumitur multipliciter: Vno modo est æternum, secundum quod patet dicit filium. Alio modo idem est, quod creare: & secundũ hoc ex parte eius, quod dicitur, non est simul, sed potest esse secundum prius, & posterius: & sic accipitur hic secundum sententiam Sanctorum, qui pluralitatem dierum ponunt ad litteram.

¶ Ad secundum dicendum: quod licet æqualis facilitatis sit simul creare, & facere: put creare distinguitur à facere: tũc creatio quia respicit mam informẽ: & facere respicit formas in mã distinctas, in quibus potest eẽ prius, & posterius tempore: sicut est prius, & posterius natura, ideo dissimile est, quantum est ex parte creati, & facti. Et sicut instruitur homo: ad quem ordinatæ sunt corporales creaturæ, in hoc, quod prius condidit informe, & post formauit, & distinxit: ita & instruitur in hoc, quod fecit secundum prius & posterius in tempore.

MEMBRVM V.

Si factio rerum non simul fuit, sed in differentibus diebus, secundum quid fiebat tunc dies, & quare tot?

QVinto quæritur, secundum quid fiebat ibi dies, & quare tot. Dicitur autem fieri dies dupliciter. Vel ex præsentia lucis corporalis: sicut testantur Gregor. Beda, & Hier. Vel ex præsentia lucis spiritualis: sicut testatur Augu. Primo ergo procedendum est secundum primam expositionem sc. secundũ quod dies habet fieri ex præsentia lucis corporalis. Secundo secundum secundam expositionem. Circa primum primo quæritur, quæ fuit lux corporalis, ex cuius præsentia fiebat dies. Secundo qualiter illa lux fiebat dies. Tertio, vtrum illa lux sit adhuc, an desierit esse, facto sole, aut si mutata in aliud, in quid mutata est. Quarto, vtrum in vno die facta sunt illa opera, de quibus agitur Gen. 1. an in pluribus diebus. Quinto, quare non dicitur nox facta esse, sicut dies, cum dicitur, *Factum vespere &c.*

Gen 1.

ARTICVLVS I.

Quæ sit lux illa corporalis, ex cuius præsentia fiebat dies?

AD primum sic: Ex præsentia luminarium super terram, vel absentia videtur fieri dies & nox: dies enim est latio solis super terram, sed cum nondum erant luminaria, non poterant ita fieri super terram, vel subtus: ergo nec ex eorum allatione poterat fieri dies: sed quarto die primo facta sunt luminaria (vt patet 1. Gen.) ergo non fuit dies, vsq; ad tempus quartæ diei: ergo male dicitur ibi primus dies, vel secundus, vel tertius.

RESOLVTIO.

Corpus quoddam lucidum ex præiacenti materia formatum, ex cuius præsentia eueniebat dies, ex absentia nox.

¶ Ad quod dicendum secundum istam opinionem: quod lux ista non fuit lux solis, vel aliorum luminarium: quia reuera facta sunt quarto die: sed fuit quoddam corpus lucidum formatum, ex præiacenti materia: ex cuius præsentia super terram fiebant dies: ex occasu autem eius super terram nox, & hoc plenè in Lib. 2. Sen. 13. Dist. c. 1.

¶ Si autem quæritur, qualiter lux ista facta fuit: accipitur à Beda, qui dicit, quod in nubecula lucida, quæ hic vocatur lux, ab initio fecit diem & noctem: diem, cum apparebat: noctem, cum erat abscondita, & descendens ad occasum, fecit vespere, & reuocatum ad ortum, mane: & hoc est, quod dicitur, Diuisit lucem à tenebris. Vnde dicimus, quod ab illustratione lucis huiusmodi fiebant tres primi dies, sicut sequentes ab illustratione lucis solis.

ARTICVLVS II.

Quomodo lux illa diem noctemq́; faciebat.

AD secundum, quo quæritur. Qualiter lux illa faciebat diem. Aut enim illa lux erat sparsa circumquaque ex omni parte terræ: aut in aliqua parte magis coadunata, quã in alia. Si sparsa circumquaque: ergo ex omni parte illuminabat, ergo vndiq; erat dies: ergo non erat distinctio dierum, & noctis: quid ergo dicit, Diuisit lucem à tenebris?

¶ Si propter hoc dicatur, quod erat coadunata lux illa magis in vna parte illius corporis, quam in alia, & quando ista pars illius, in quo erat lux ista coadunata, erat super terram, erat dies: quando verò occidebat sub terra, erat nox. Contra probatur, quod erat sparsa. Nam quando dictum est. In principio creauit Deus cœlum & terram: ibi dicitur materia in confusione formarum corporalium, quæ primò indistinctæ, & post distinctæ sunt: vnde in se includebat lucem illam prædictam, quia terra habebat in se rationem opacitatis: & luminositatis: sed post, cum facta est lux, diuisa est actualiter opacitas à luminositate, siue opacum à luminoso, & cessit opacitas ex parte terræ: luminositas ex parte cœli, & hæc duo exiguntur ad hoc, vt esset dies, vel nox. Si enim non esset aliquod corpus potens ꝓijcere vmbram, quod fit ratione opacitatis: non esset tenebra: ergo à simili, si opacitas, quæ cessit in partem terræ, æqualiter erat ex omni parte terræ: videretur, quod similiter luminositas, quæ cessit in partem cœli, æqualiter erat ex omni parte, ergo lux prædicta sparsa erat: ergo restat, vt prius, quod per eam non erat distinctio diei, & noctis. ¶ Item, intelligamus, quod nulla sit stella, sed tantum cœlum vniforme, quod totum reuoluatur circa corpora inferiora, tunc non erit effectus generationis, & corruptionis in inferioribus: quia iste effectus est in eis à planetis maximè, & etiam ab alijs stellis secundum elongationem earum, vel approximationem: erit tamen effectus conseruationis rerum in esse ab ipso cœlo. Iste enim effectus, qui est conseruare in esse, vniformis est. Vnde bene est ab eo, quod vniforme est. Cum ergo in tribus primis diebus nondum factæ essent stellæ, non erat generatio, & corruptio in inferioribus, erat tamen in eis conseruatio: quia de factis tunc nihil deperijt, & non erat ponere, à quo esset huiusmodi conseruatio: à quo sc. creato: nisi ab illa luce prædicta: lucis ergo illius erat conseruare res, iam entes: sed non conseruaret vniformiter, nisi esset sparsa ex omni parte: quia non æquè distaret semper ab omnibus si coadunata esset in aliqua parte, sicut sol, ergo non faciebat distinctionem diei, & noctis.

RESOLVTIO.

Cum primum dictum est, Fiat lux, perspicuitas & opacitas, quæ mixtim & confuse erant in terra, omnium mutabilium corporum materia, separata sunt ab inuicem, & opacum cessit ex parte terræ: perspicuum vero in superiorem partem, vbi gyratione sui super opacum diem noctemq́; fecit.

¶ Respondeo, licet August. videatur dicere de luce spirituali, tamen supponamus ad præsens: quod lux ista sit

corporalis, sicut exponit Beda, Greg. & Hier. Dicimus ergo quod in principio quando creatum est cœlum, & terram: quæ erat omnium materia corporum mutabilium, continebantur per confusionem perspicuitas, & opacitas: postmodum verò, cum dictum est. Fiat lux, diuisa est actualiter perspicuitas ab opacitate, & tunc opacum cum cessit ex parte terræ propter sui resistentiã, quia scil. non erat peruium luci, proiecit vmbram, perspicuum verò, quod cessit in partem superiorem, sui gyratione circa opacum fecit diem & noctem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod lux ista sparsa erat: & sic non poterat distinguere diem, & noctem: Dicimus, q̃d reuera lux erat sparsa, quia vndique ex parte terræ erat illud perspicuum: tamen nihilominus ex parte terræ erat coadunata magis in vna parte, quam in alijs. Vnde dicimus, quod illud corpus, in quo erat lux ista, duplicem habebat effectum. Ratione enim perspicuitatis, quæ erat vniformis per totum, habebat effectum conseruandi res corporales inferiores: Ratione verò lucis, quæ coadunata erat in aliqua parte illius corporis: habebat effectum declarandi, & multiplicandi. Sicut enim dicit Aug. sup. Io. & Amb. in Hexamerō. lux habet virtutem declarandi se, & alia, & multiplicandi se, & alia: sed postmodum, cum facti sunt planetæ, secundum allationem suam in aliquo circulo secundum ꝓpinquius, & remotius fuit generatio, & corruptio in rebus. Bene ergo concedimus, quod lux in eo quod sparsa erat: non faciebat diem & noctem, scil. secundum quod adunata, vtrunque enim erat ibi reperire, scil. & sparsionem vno modo, & coadunationem alio modo.

Aug. & Ambr.

ARTICVLVS III.

An lux illa esse desierit facto sole, vel adhuc sit, aut si mutata, in quid mutata?

AD tertium, quo quæritur, Vtrum ista lux sit adhuc, an desierit esse facto sole: sicut dicere videtur quædam opinio? Dicit enim quod lux ista erat imperfecta, siue diminuta respectu luminis solis, & sole adueniente, cessit in materiam, ex qua ipsa facta erat.

¶ Si dicatur, quod desijt esse penitus: ex hoc videtur sequi inconueniens, sci. quod Deus aliquid fecerit, quod statim desineret esse, & sic non videretur summe sapiens.

¶ Item, probatur adhuc, quod non cessit soli: quia completius non cedit minus completo: sed illa lux completior erat luce solis: ergo non cessit luci solis. Probatio mediæ: dicit Dam. quod opera primæ diei, & septimæ completiora sunt operibus cæterorum dierum: ergo cum ista lux esset opus primæ diei: sol verò quartæ diei: ista lux nobilior erat sole. ¶ Item, à nobiliori causa nobilior est effectus: sed dies est effectus lucis: ergo à nobiliori luce nobilior dies: sed primus dies est nobilior quarto: ergo à nobiliore luce: ergo nobilior est lux prædicta luce solis. ¶ Item, artifices isti inferiores non statim faciunt res perfectas, sed per successionem procedunt, operando ab incompleto ad completum, & hoc est propter sui insufficientiam: ergo cum Deus sit sufficientissimus non est in eo, vt procedat ab incompleto ad completum, sed statim facit rem perfectam, cum ergo lux ista fuit opus Dei, constat quod facta est in sua perfectione: ergo non cessit lumini solis tanquam incompletum completo: sicut ponit iam dicta opinio.

¶ Si dicatur, quod adhuc manet: quæritur, Vtrum ita manet, quod est sub eadem forma, in qua tunc erat: aut ita quod mutatur in aliud: vel quod ex ea aliquid factum est. Si dicatur, quod sub eadem forma: ergo nunc simul cum sole radiaret, quod tamen non videmus. ¶ Præterea, cum esset ad idem opus, ad quod sol, s. ad distinguendum diem & noctem: videretur alterum illorum superfluere: cum vnum sufficeret.

¶ Si dicatur, quod mutatur in aliud: quæritur in quid Si in solem, quia de eo factus est sol. Contra hoc possunt adduci tres rationes nuper dictæ, quia completius non est materiale ad minus completum. ¶ Præterea, si ex ea factus est sol: quæritur vnde factæ sint cæteræ stellæ: Similiter si ex ea facta est luna, vel stella, quæritur ex quo factus est sol, & sic potest quæri de singulis. ¶ Propter hoc dicitur, ꝙ illa lux diuisa est, ita quod ex vna parte factus est sol: ex alia luna, & ex alia & alia singulæ stellæ. Sed tunc quæritur, in quo situ erat ante diuisionem. Vtrũ sc. in inferiori, aut in superiori, quam sol, vel aliæ stellæ: Quocunque autem dicatur: oporteret in aliqua parte illius *loci fieri transmutationem secundum rectum: transmutatio autem secundum rectum non est naturaliter, nisi vbi est natura leuis, vel grauis, aut s. fieri violentiam circa eam, si moueretur secundum rectum, quorum vtrunque est falsum: ergo non videtur diuidi posse modo prædicto. ¶ Item, esto ita, quod altera pars eius cedat in perfectionem saturni, altera in perfectionem solis: cum ergo saturnus sit supremus planetarum: leuior ergo prius cedit in saturnum: ergo secundum hoc citius moueretur, quam reliqui planetæ: sicut est in istis inferioribus quod leuius est, citius mouetur, vt ignis quam aer: Hoc autem est falsum, imo tardius videtur Saturnus moueri, quam reliquæ, quia non perficit cursum suum ante xxviii. annos.

*Alias, lucis.

RESOLVTIO.

Nullum trium propositorum de luce illa contigit: sed ex eius partitione congesta sunt omnia luminaria sequentia.

¶ Ad quod dicendum, quod ista lux non desijt esse secundum ipsa, quæ prius fuerant, ad quendam vsum, s. conseruationem rerum corruptibilium, & multiplicationem, & adhuc ad ampliorem vsum, s. ad generationem, & ad corruptionem: Dicimus ergo, quod ex ista luce per eius diuisionem facta sunt omnia luminaria: Non tamen oportet ponere in ea naturam grauis & leuis, quia lux de natura sua est diffusiua sui. Vnde diffundit se vndique (nisi habeat obstaculum) secundum rectum, & secundum latus, & circulariter, sicut patet in lumine candelę in domo. Concedimus ergo, quod & si in partibus eius non est ponere grauius, & leuius: tamen ibi erat ponere simplicius, & minus simplex: secundum quod plus & minus elongabatur ab his inferioribus: sicut est etiam in elementis. Vnde plus dicitur secundum hoc esse de natura simplicitatis, & perspicacitatis in Saturno: qui est superior planeta, quam in alijs.

¶ Qvod ergo obijcitur, quod secundum hoc citius moueretur: Dicimus, quod si mouerentur planetæ motu proprio, præter motum suarum sphærarum: sicut posuit, quidã philosophus, bene posset hoc esse: quod Saturnus citius moueretur, sed non sic est: imo sphærarum motu mouentur sphęræ autem non citius mouentur.

¶ Ad id autem, ꝙ obijcitur, quod Saturnus tardior est, intelligitur non quia grossius corpus sit, nec quia tardior, vel remissior sit motus eius, sed quia maius spacium describit pertransenndo, quam alij: ideo plus illud exigit de tempore. Sicut si aliquid moueretur circa vnam rotam, & aliquid æque cito moueretur circa axem: multo plus illud exigeret de tempore ad perficiendum motum circuli, quam id, quod circa axem.

¶ Ad illud, quod obijcit de perfectione, & nobilitate primæ diei: Dicimus, quod reuera lux illa facta est, non diminuta, sed perfecta, secundum quod competebat vsui, ad quem tunc erat: Nec oportebat aliquam transmutationem fieri circa causam, ad hoc vt ad illum vsum esset, sc. ad conseruationem, & declarationem: vt dictum est, sed propter vlteriorem vsum, s. vt esset causa pfecta generationis & corruptionis in inferioribus, competebat: vt ex ea fierent luminaria. Vnde concedimus, quod à primo nihil egreditur incompletum, & imperfectum, quod s. non sit sufficiens ad vsum, ad quem ordinatum est.

¶ Sed adhuc restat obiectio prius facta: si enim erat lux ista perfectior luce solis: ergo non erat materialis ad illam: perfectior autem erat, quia erat opus primæ diei &c. Solutio. Si consideremus lucem istam quo ad suum effectum: & solem quo ad suum, circunscripto, s. effectu illius lucis, quã in se includit sol: dicimus, quod effectus illius lucis erat cõseruare res, & declarare: solis autem effectus proprius est facere generationem, & corruptionem, quod .n. seruat & declarat, hoc accipit ab ista luce. Secundum ergo hanc comparationem nobilior est effectus lucis quam solis, quia nobilius est conseruare, & declarare, & quam facere generationem, & corruptionem, hoc patet, & ideo quo ad hoc nobilior est lux ista, quam lux solis, siue quam sol. Si verò consideretur sol, secundum quod in se includit

effectum

effectum illius lucis: & cum isto superaddit alium: licet dicere, quod perfectior est sol, & quo ad hoc materialis est illa lux respectu illius. Similiter dicendum est de alijs planetis: Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS IV.

An in vnico die, vel in pluribus diebus facta sint opera illa omnia, quæ in principio Genesis commemorantur?

AD quartum, quæritur, Vtrum in vno die facta sunt illa prima opera, an in pluribus. Videtur, quod in pluribus: quia in Textu dicitur primus dies, secundus, tertius, & sic deinceps.

Gen. 2. ¶ CONTRA, *Istæ sunt generationes cœli, & terræ in die, quo fecit Deus cœlum & terram &c.* Ergo vnicus fuit dies, in quo facta sunt illa prima opera. Similiter dicitur in translatione septuaginta. Hic est liber creaturæ cœli & terræ: & subditur: Cum factus est dies: non dicit, cum facti sunt dies.

RESOLVTIO.

August. arbitratur, quod in vno die: Greg. & alij quod in omnibus sex.

Art. immediatè sequent. & Quæst. 44. Mēb. 2 circa medium. ¶ SOLVTIO. Secundum opinionem Augu. patebit infra: Sed secundum alios potest dici: quod hic est intellectus literæ Genes. 2. *In die*, i. in tempore: vt importet in se omnes dies: Iste modus loquendi reperitur alibi in scriptura.

ARTICVLVS V.

Cur sicut dicitur Factum est mane, & dies vnus, non ita pariter dicatur & nox facta?

AD quintum, quo quæritur: cum prima die diuisa sit lux à tenebris, & dies à nocte: cum dicat scriptura de diuisione istorum, & dicatur etiam diem factum (dicit enim. Gen. 1. *Factum est vespere, & mane dies vnus*) quare similiter non dicit noctem? Et quæstio est communis secundum vtranque opinionem.

RESOLVTIO.

Quia cum nox defectum dicat, eius propriè non factio, sed defectio est. August. etiam cum per diem cognitionem angelicam exponat, nullam ibi vult mentionem factam de nocte, qua foret præposuisse cognitionem rerum in proprio genere cognitioni earundem in verbo, quod non à Deo: sed ab angelo met fuisset, nec absque peccato.

¶ RESPONSIO. Hoc fuit: quia dies secundum quod huiusmodi, dicit positionem: sed nox inquantum huiusmodi dicit entis defectum: vnde eius propriè non est factio, sed potius defectio: & ideo inter facturas non computatur, sicut dies. Tamen nox bene pertinet ad diuisionem: quia priuationes bene distinguunt inter entia: & ideo de diuisione à luce, siue die loquitur scriptura, non de factione: Hæc solutio similiter communis potest esse vtrique opin. ¶ Tamen secundum opinionem Aug. aliter dicendum est: dicit enim sic: *Dies ille, quem fecit Deus primitus, est cognitio angelorum præsentata omnibus operibus Dei hoc ordine præsentia, quo ordine scientia.* Est autem duplex cognitio angeli, quædam matutina in verbo, alia vespertina in rerum natura, & in vtraque supponitur cognitio & dies, quia semper fit relatio creaturæ ad ipsum facientem, & præponitur ab angelo cognitio, quę est in verbo, cognitioni, quæ est in proprio genere. Et ideo dicit Aug. quod angeli creaturam in ipso creatore sic sciunt, vt illi scientiæ præponant scientiam, quæ est in verbo. Si autem præponerent cognitioni, quæ est in verbo, illam, quæ est in proprio genere, tunc esset ibi nox, scilicet peccati, sed illa nox non esset à Deo, sed ab angelo, non sic autem est, & ideo non fit ibi mentio de noctis factura.

(Aug. lib. 4. sup. Gen. ad litterã. cap. 35. Tom. 3.) (Idem.)

Gen. 1. Aug. ¶ IVXTA hæc nota expositionem, quod ibi dicitur, *Factum est vespere & mane*, diuersam; secundum diuersos expositores. Secundum August. vespere dicitur cognitio creaturæ in proprio genere, quæ dicitur vespertina, quia sicut vespera declinat ad occasum, vel ad tenebras, ita hæc cognitio declinat ad non esse, i. ad creaturam, quæ de nihilo est. Secundum Bedam, & alios expositores dicendum, quod il- Beda.
lud luminosum corpus primo factum reuoluebatur circa terram: & determinabat partes diei. Mane autem faciebat, secundum quod de subtus accedebat ad horizõta nostrum vespere secundum quod declinabat ab horizõte nostro ad inferiores partes: sicut & modo facit sol. Secundum alios adhuc mane designat ibi principium, vel initium rei fiendę: vespere terminum rei factæ.

¶ Circa secundam expositionem, quæ est Aug. notandum, quod secundum Aug. videtur, quod illa lux fuerit radiatio super intellectum angeli ad cognoscendum, vel in verbo; & sic diceretur mane, vel in proprio genere, & sic vespere. Istæ autem irradiationes distinguuntur secundum operata, in opere enim distinctionis erat triplex distinctio, lucis à tenebris, aquarum superiorum ab inferioribus, & inferiorum ab arida, & sic tria operata. Similiter in ornatu erant tria, ornatus cœli, vel aeris, & ornatus aquæ, & ornatus terræ; & sic alij tres dies. Vnus autem determinatur secundum conseruationem rerum factarum, non enim solum oportet producere, sed conseruare.

QVÆSTIO XLVII.

De opere primæ diei, quod est de Cœlo empyreo.

In quinque Membra diuisa.

DICTO de opere distinctionis in generali: consequenter agendum est ipsa in speciali. Et primo de tempore primæ diei, in quo distincta est lux à tenebris: Et est prima consideratio de luce corporali, deinde de luce spirituali. De luce autem corporali, secundum quod erat coadunata, dictum est iam: nunc autem de ipsa agendum est; secundum quod erat sparsa. Prima autem spartio cis corporalis fuit in cœlo empyreo: de quo quæruntur hæc. ¶ Primo, an sit. Secundo, an sit corpus. Tertio, an moueatur. Quarto, an sit cœlum. Quinto, de comparatione illius ad alios cœlos.

MEMBRVM I.

An cœlum empyreum sit?

AD primum sic: Videtur quod illud, quod dicitur cœlum empyreum, non sit, nihil enim fit sine causa à Deo sed huiusmodi cœlum non videtur habere causam aliquam Non enim propter continuandam generationem, & corruptionem in inferioribus: cum huius sit causa sufficiens firmamentum cum stellis & planetis, neque sit ad conseruationem rerum in esse: cum causa conseruationis in esse ipsorum corporum dicatur esse secundum philosophos in illa sphęra, quæ mouetur motu diurno: ergo non videtur causa esse ex comparatione ad corpora. Nec ex comparatione ad spiritus, cum spiritus natura sint separati à corporibus: nec indigeant ipsa corporum continentia, ad hoc quod sint. Nec illa videtur esse causa, quam quidam ponunt, dicentes quod ad coniunctionem corporis, & animæ requiritur lux: Vnde ad coniunctionem animæ vegetabilis cum corpore exigitur lumen quoddam, proueniens ex firmamento, siue cœlo sydereo: ad coniunctionem verò animæ sensibilis cũ corpore lumen proueniens ex cœlo crystallino: ad coniunctionem verò animæ rationalis cum corpore, lumen proueniens ex cœlo empyreo. Cum enim anima rationalis sit substantia incorporea, cognoscitiua, separabilis à corpore: si coniungitur corpori ex elementis composito, non requirit nisi tot media, quot sunt media in genere: non quot sunt media determinata in specie. Medium autem in genere inter corpus corruptibile compositum, & incorporeum, est corpus corruptibile simplex, & corpus incorruptibile simplex: nec possibile est plura inuenire media, sed corpus corruptibile simplex est elementum: corpus incorruptibile simplex. i. non resolutum in alia corpora, est lux: ergo inter incorporeum, & suum corpus non intercidunt, nisi illa duo media in genere: Ex parte verò incorporei non intercidunt nisi duo, inter animam rationalem, & suum corpus: est enim incorporeum motiuum non cognoscitiuum, & est incorporeum motiuum cognoscitiuum, sed non separabile. Sic ergo ex parte incorporei non erunt nisi sensibilis & vegetabilis.

(D. Th. 1. p. q. 66 ar. 3. & q. 61. ar. 4. S. Bon. in 2. d. 2. 3. Sc. in 2. d. 14. & in 4. d. 48 q. 2.)

gerabilis. Si verò acciperentur media secundum differentias in specie ex parte corporum, quot essent differentiæ lucis inter elementum, quod est corpus corruptibile simplex, & incorporeum, tot acciperentur media: sed sunt differentiæ lucis diuersæ secundum differentias sphærarum, sphæræ autem ponuntur nouem secundum philosophos, sphæræ septem planetarum, sphæra stellarum, quæ dicuntur fixæ: & sphæra motus diurni, & secundum quosdam philosophos dicitur esse alia sphæra syderum. Secundum hoc ergo, addito cœlo empyreo, quod nullum illorum est, essent decem differentiæ luminum: & ita essent decem media.

¶ PRÆTEREA, si determinantur media ex parte corporum inter incorporeum, & corpus compositum, esset pari ratione lux à cœlo empyreo proueniens, medium inter animam vegetabilem, & suum corpus, vel animam sensibilem sicut inter animam rationalem, & suum corpus. Incorporeum enim (licet corruptibile) nobilius est corpore, licet sit incorruptibile .i. quod non corrumpitur nec secundum se, nec secundum partem. ¶ ITEM, anima rationalis non est actus cuiusdam partis corporis: nec est actus, vt necessario operetur per corpus: ergo medium, quod sibi elegit, inter ipsam & suum corpus, non est necessario corpus, sed incorporeum, quod est minoris nobilitatis. Sic ergo non requiritur aliquod lumen proueniens ab empyreo.

¶ PRÆTEREA. Tres dicuntur spiritus esse: naturalis, animalis, & vitalis: & secundum aliquos philosophos dicuntur esse lumina: secundum medicos substantia aerea digesta in corde, nec aliud ponitur medium inter animam, & corpus suum, nisi spiritus, si ergo est substantia aerea, patet qd non requiritur ibi medium aliquod à corpore cœlesti, & ita nec ab empyreo: non solum quantum ad animam rationalem: sed etiam quantum ad alia. Si verò sunt lumina: constat, quod inter se ordinem habent: nam sine vitali alij non operantur: vitalis autem medium est ad animam sensibilē: & animalis similiter: Quicunque ergo illorum dicatur nobilior, erit lumen illud, quod nobilius est, medium ad sensibilem, & ita lumen procedens ab empyreo, cum non sit medium ad sensibilem, vt dicitur, non requiretur aliquod medium ex illa parte inter animam rationalem & suum corpus.

¶ SI forte diceretur, quod vitalis & animalis differunt secundum maiorem nobilitatem, & minorem, respectu animæ vegetabilis & sensibilis. Hoc non videtur verum: cū enim fit immutatio in organo sensus: deinde prouenit immutatio ad spiritum animalem, ab illo verò ad partem sensibilem: à parte verò sensibili ad rationalem: nec plura ponuntur media, ergo non est necesse duplicem spiritum animalem ponere: vnum, qui nihil operetur ad sensibilem: alterum, qui operetur, & tunc tantum fit operatio vtriusque spiritus, cum transferri debet forma sensibilis vsque ad intellectum, quod cum non inuenitur, non erit anima indigens alio spiritu, quam illo, qui ministrat animæ sensibili, & ita non indiget aliquo lumine à cœlo empyreo prouenientе.

RESOLVTIO.

Vt vniuersum in genere corporum completum appareat: cogimur cœlum empyreum statuere. Quandoquidem si datur corpus opacum in fine, debet etiam dari & corpus luminosum in fine: quod cœlum empyreum dicimus: In quo quidem quam maximè effulgent potentia, sapientia, bonitasq; diuina.

¶ AD quod dicendum, quod cœlum, q; dicitur empyreum, est: & propter aliquam causam. Causa verò illa non est ratione continuationis in generatione & corruptione, vel conseruationis in esse rerum corruptibilium: sed vt compleatur vniuersum in genere corporum secundum determinata extrema, & medium, ad ostensionem summæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: extrema verò sunt luminosum in fine, & opacum in fine, luminosum autem in fine dicitur empyreum.

¶ PRÆTEREA: licet spiritus separati à corporibus non indigeant quantum ad suum esse aliquo corpore, tamen est congruentia alicuius corporis ad ipsos spiritus propter magnam conuenientiam. ¶ Præterea, spiritus rationales, qui coniunguntur corporibus, cum peruenietur ad incorruptionem corporum, congruenter collocabuntur in corpore, quod est vltimæ nobilitatis in vniuerso: eo, quod habebunt corpora illa maximam nobilitatem: & ante illam coniunctionem cum huiusmodi corporibus: ibi propter meritum suum congruenter collocantur.

MEMBRVM II.

An cœlum empyreum corpus sit.

AD secundum, quo quæritur, Vtrum cœlum empyreum sit corpus? Ad quod sic: omne continens simplicius est natura contento: sed cœlum est continens angelos, & animas sanctas: cum ergo nullum corpus sit simplicius, aut nobilius angelis, & animabus sanctis: ergo cœlum empyreum non erit corpus. ¶ CONTRA, Dam. *Solus Deus est incircunscriptus, cætera circunscripta*: ergo circunscripti sunt angeli, & animæ sanctæ vbicunque operantur: ergo si non tantum hic inferius operantur, sed etiam superius, vbi contemplātur, ergo ibi circunscribitur: ergo ibi sunt vt in loco, sed locus est finis corporalis eius, quod continetur: vel est in eo: ergo cœlum empyreum est finis corporalis angelorum: ergo est corpus. Dam. li. 2. de Orth. fide, c. 4. ¶ ITEM, perfectus est ordo in vniuersitate corporum, qui attenditur secundum maximam nobilitatem & minimam: ergo si est corpus habens minimam nobilitatem: sicut corpus maxime abundans in opacitate: similiter erit aliquod corpus habens maximam nobilitatem: sicut corpus, quod de natura sua habet luminositatem, & ita erit aliquod corpus vniforme in luminositate. ¶ ITEM plus est esse non motum, quam motum: quia illo scil. non moueri, remunerabuntur, quæ nunc mouentur: ergo aliquod corpus est luminosum vniforme non motum: sed hoc non est cœlum aqueum: quia illud est ex aqua, quod autem est ex aqua mobile est, & mutabile: ergo est aliquod corpus super illud: sed hoc non est nisi cœlum empyreum: ergo cœlum empyreum est corpus. ¶ ITEM, dicit Dama. quod cœlum est sine stellis semper informe: de quo dicitur. In principio creauit Deus cœlum & terram: sed hoc est firmamentum: quia post dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas: quas diuidit firmamentum, & ita firmamentum fuit inferius eo. Item nec fuit cœlum crystallinum: quia postmodum fuit diuisio aquarum: ergo est cœlum empyreum: ergo cœlum empyreum est corpus sphæricæ formæ: ergo est corpus.

RESOLVTIO.

Cœlum empyreum corpus est continens tantum, nec saluans.

¶ AD quod dicendum, quod cœlum empyreum est corpus, & est quoddam cœlum, quod continet res corporales: sicut est cœlum inferius, quoddam verò quod continet res corporales siue spirituales, sicut cœlum superius. ¶ AD primo obiectum dicendum, quod duplex est natura loci: loci enim est saluare, & continere: cœlo empyreo conuenit continere respectu angelorum, & aliorum spirituum: sed non saluare, quia si non esset cœlum empyreum, adhuc starent, vnde non dependet eorum esse ab esse illius. Sed hoc modo Spiritus sanctus est continens respectu spirituum creatorum, quia saluat eos, vnde est continens, & saluans. Cœlum verò empyreum, quia continet substantiam angelorum, est continens solum, & non saluans. ¶ ET quod obijcitur, quod continens simplicius est contento. Dicendum quod hoc non exigitur: nisi vbi est vtraque prædictarum conditionum, quod contineat, & saluet.

MEMBRVM III.

An cœlum empyreum moueatur.

AD tertium, quo quæritur, Vtrum cœlum empyreum moueatur. Et videtur quod sic, quia dicitur in Gloss. super illud. *In æternum verbum tuum Domine permanet in cœlo.* Psal. 118. Cœlum illud mutatur, in quo sunt angeli creati: aut ergo intelligitur de mutatione secundum situm, vel secundum qualitatem, vel secundum substantiam. Si secundum qualitatem, vel substantiam, sed maior est illa mutatio, quæ est secundum qualitatem, vel substantiam, quam illa, quæ est secundum situm, ergo si mutatur secundum substantiam, vel qualitatem multo fortius secundum situm.

¶ ITEM,

¶ Item, ſi firmamentum & corpora inferiora merentur per motum ſuum: nam conſequentur præmium per motũ ſuum: & cœlum empyreũ ſimiliter præmiabitur: ergo mouetur ad illud præmium, ergo mouetur. ¶ Item, *Omnis creatura ſubiecta eſt vanitati.* ibi Gloſſ. dicit: quod ſol & luna poſt motum habebunt ſtatum in præmium: ergo ſi cœlum empyreũ ſimiliter ſit præmiabile; videtur quod moueatur. (Rom 8. Gloſſa.)

¶ Qvod aũt non moueatur videtur, quia magis aſſimilatur primo, ꝙ non mouetur, quã quod mouetur: cum ergo non pugnet corpori luminoſo non moueri, ſed magis determinetur ad hoc; videtur, quod cœlum empyreum non moueatur. ¶ Item, Spiritus ſecundum ꝙ ſunt in cœlo empyreo: ſunt in quiete contemplationis, ſed qñ mittuntur ad nos, operantur: non tamen deſiſtunt ab intimo cõtemplationis, vt dicit Greg. ergo ſi eis eſt quies, quando ibi ſunt; conuenit eis locus quietis, ſed mobile non cõuenit eſſe locũ quietis: ergo non mouetur. ¶ Præterea, corpus luminoſum de natura ſua; & luminoſitas magis determinatur ad quietem ad motum: ergo non mouetur. (Gregor.)

RESOLVTIO.

Cœlum empyreum, cum ſit ad ſedem & quietem beatorum agminum; minimè moueri, arbitrandum eſt.

¶ Qvod concedendum eſt. ¶ Ad hoc, quod dicitur in Gloſ. quod mutatur. Dicendum, quod illud intelligitur de illa mutatione, quæ erit in fine: idm quod mutabitur à minori luce in maiorẽ: completo miniſterio angelorũ: hæc aũt mutatio non eſt ſecundum naturam: Vnde nõ ſequitur: mutatur ſdm qualitatẽ: ergo ſecundum ſitũ, ſed in inferioribus bene ſequitur, in his autem, quæ ſupra naturam, non. ¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod meretur ſicut & alia corpora, quia præmiabitur maiori luminoſitate. Dicendum, ꝙ alia ſuperiora corpora ſeruiunt generationi & corruptioni in corporib. humanis. Vnde: *Non reſurget homo, donec atteratur cœlũ:* quod illa ergo mouentur, hoc eſt propter hominẽ. Vnde non bene ſenſerunt Philoſophi, qui dixerunt illud corpus ſemper moueri: cum n. ordinetur ad finẽ, ſc. ad hominem, neceſſe eſt, ꝙ finem accipiat motus eius cũ homine: Sed ſic non eſt de empyreo, in quo ſunt angeli creati, quia contentiuũ eſt bonorum ſpirituum: vnde ſecundum motũ non ordinatur ad aſſequendum aliquid, ſed per continentiam angelorum ordinatur ad hoc per miniſteriũ angelorum, qui merentur ei quod aſſequatur illud. (Iob.14.)

¶ Sed adhuc obijcitur; quod moueatur: quia aut eſt corpus graue: & ſic mouetur deorſum: aut leue, & ſic ſurſum, aut nec graue, nec leue; & ſic mouetur circulariter: & ita videtur, quod moueatur. Reſpondeo, quod non ſequitur. Nam deberet addere; & eſt nõ vniforme, ad motum n. exiguntur hæ differentiæ dextrorſum, ſiniſtrorſum. Vnde non ſequitur: non eſt graue, nec leue: ergo mouetur ſphæraliter, ſiue circulariter, ſed deberet inferre, ergo ſi mouetur, mouetur circulariter, ſed cum ſit vniforme, & ita non ſit in eo hæc differentia, dextrorſum, ſiniſtrorſum; non eſt in eo natura principij, & medij: & ideo non mouetur.

MEMBRVM IV.

An cœlum empyreum iure cœlum dicatur?

AD quartum, quo quæritur: Vtrum empyreum dicendum ſit cœlum? Quod videtur cœlum n. eſt continẽtia viſibilium, & inuiſibilium creaturarũ, ſicut dicit Dama. ſed hoc nulli poteſt ita conuenire, ſicut empyreo: continet n. angelos, & animas ſanctas, & propter hoc continet alia alia corpora: ergo dicendum eſt maximè cœlum. ¶ Item, *Cœlum cœli Domino:* ſecundũ, vnam expoſitione dicitur empyreum: ergo dicitur cœlum iſtud eminentius alijs. ¶ Item *En Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli;* cœlum cœli dicitur empyreum: ergo eminentiſſimum eſt cœlum. ¶ Qvod autem non ſit cœlum ſecundum prædictã rationem, videtur: cum enim dicitur continentia viſibilium & inuiſibilium: intelligitur generaliter: & ita cœlum empyreum dicitur continere Chriſtum ſecundum animam & corpus. (Damaſc. In Pſal. 113. Deut 10.)

¶ Sed contra: *Ipſum dedit caput ſuper omne nomen, quod nominatur in hoc ſeculo, & in futuro:* ſed cœlum empyreum nominatur in hoc ſeculo: ergo eſt ſuper cœlum empyreum: ergo non continetur ab illo. Et loquitur ſecundum vnam expoſitionem de Chriſto ſecundum humanam naturam. ¶ Item, Iſidor. *Cœlum dicitur; eo quod tanquam vas cœlatum habeat lumina ſtellarum velut ſigna:* ſed hæc non habet empyreum, ergo non eſt dicendum cœlum. (Epheſ.1. Iſidor. Quaſi cœlatum, i. ſculptum.)

RESOLVTIO.

Empyreum cœlum dicitur propter eminentiam.

¶ Respondetvr, quod empyreum cœlum eſt, per eminentiam dictum. ¶ Ad obiectum aũt dicendum, quod Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt ſuper cœlum empyreũ dignitate: nihilominus humana natura Chriſti, i. e. anima & corpus continetur ab illo localiter; diffinitiuè, ſc. anima circumſcriptiuè corpus: Eſſe n. ſuper, dicitur dupliciter: vel loco, vel dignitate. Chriſtus ſupereſt dignitate; continetur loco.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod loquitur ibi non de cœlo empyreo, ſed ſydereo, ſecundum opinionem Philoſophorum, qui non aſcenderũt vſq; ad cœlum empyreum; nec vſq; ad cœlum criſtallinum, & ſic etymologizat.

MEMBRVM V.

An cœli omnes naturam communem habeant, ſecundum quam cœli dicantur; & quæ illa ſit?

AD quintum, quo quæritur de cõparatione huius cœli ad alios cœlos. Quæritur ergo, vtrum omnes cœli habeant aliquam naturam communem; ſecundum quam dicantur cœli: & ſi ſic; quæ ſit illa. ¶ Qvod aũt habeant, videtur: quia non erunt niſi duo genera locorũ poſt diem iudicij, ſc. damnandorum, & ſaluandorum. *Ecce ego creo cœlum nouum, & terram nouam:* *Aer calore ſoluetur.* Sed eadem erit natura cœli tunc, quæ nunc: in melius mutata: erit ergo eadem natura, ſecundum quam dicetur tunc cœlum, & nunc: ſed tunc natura luminoſitatis erit in cœlo: & in terra erit contraria qualitas, ſc. opacitas: & ſi opacitas eſt qualitas determinata damnatis: relinquitur, quod in loco oppoſito perſpicuum erit qualitas determinata: videtur ergo quod luminoſitas ſit natura communis, in qua communicant. (Apoc. 21. 2 Pet 3. Verſus finem.)

RESOLVTIO.

Vtique: & hæc natura luminoſitas eſt.

¶ Et notandũ, quod ſi aer dicatur nunc pœnalis, hoc eſt propter opacitatem, quæ eſt in inferiori parte, ſed propter * perſpicuum dicitur cœlum, cum ergo perſpicuum ſit illa natura communis: ergo quot modis dicetur perſpicuũ, dicetur cœlum: ſed perſpicuum duas habet differentias, ſc. vel datiuum luminis; vel receptiuum: datiuum luminis ex parte ſuperiorum, receptiuum ex parte inferiorum: vnde in principio Gen. cum dicitur: *In principio creauit Deus cœlum & terram:* terra vocatur ibi natura opaca: cœlum luminoſa: aqua receptiuũ vtriuſq;. Sed datiuum luminis poteſt eſſe quadrupliciter: vel vniforme, & ſine motu: vel vniforme, & cum motu: vel medium, ſc. non vniforme, & cum motu, vel nec vniforme, nec cum motu. Si omnino vniforme nõ motum, ſic eſt cœlum empyreũ, ſi omnino vniforme motum; & ſic eſt cœlum cryſtallinum: ſi non omnino vniforme & motum: ſic eſt cœlum ſtellatum: quod non in omnibus partibus ſuis habet luminoſitatem æqualem: Quarta differentia non potuit eſſe, ſcil. vniforme non motum: quia ſi non eſt vniforme; neceſſe eſt vt moueatur. Et ordo patet: dignius n. eſt, quod eſt vniforme non motum, quam motũ: item dignius eſt vniforme motũ, quã non vniforme motũ. Si vero eſt receptiuum luminoſitatis; vel habet in ſe lumen; vel cõtinuè recipit: ſi habet in ſe lumen; hoc eſt vel cum ardore: vel ſine ardore; ſi cum ardore; tunc eſt igneũ: ſi vero habet luminoſitatem ſine ardore: tunc eſt Olympiũ. Ordo iſtorũ patet: prius n. eſt olympium, quod eſt ſupra igneum: quia magis participat de natura luminis, quã igneũ. Si vero receptiuũ, ita vt continuè recipiat: tunc vel eſt coniunctũ inferiori parti: & ſic eſt aereũ, vel ſuperiori, & ſic eſt æthereum, & patet ordo. Hæc eſt ratio, quare ſeptem ſunt. Aqua aũt cœlum eſſe non potuit: quia natura cœli eſt eſſe ſurſum, quod aquæ non conuenit. Item natura cœli eſt ex parte circumdare: quod aquæ non conuenit. (*Alias, perſpicuitatẽ. Gen 1.)

QVÆSTIO XLVIII.

De luce corporali coadunata.

In duo Membra diuisa.

D. Tho. 1. par. art 67. S. Bon. in 2. dist. 13. Scot. ib. d.

DICTVM est de luce sparsa, quantum pertinet ad primum diem. Adhuc autem restat aliquid de luce coadunata, quod non fuit supra determinatum. Et circa hoc quæruntur duo. ¶ Primo, an per totã diem fecerit lucem, vel in principio diei. Secũdo, vbi illa lux coadunata sit condita; & quare à luce incepit opus suum.

MEMBRVM I.

An lux illa coadunata per totum diem luxerit: vel in principio diei tantum?

AD primum: cum n. in hoc primo die facta sit lux, & diuisio à tenebris: nunquid per totam diem fecit lucem, aut in principio diei. Et constat quod in principio diei, & lucem sparsam & lucem coadunatam. Nam aliter non inciperet facere diem: si autem faciebat diem per sui rotationem; ergo in principio diei facta est: cum ergo nihil aliud factum legatur in hac die; videtur Dei bonitas quieuisse in residuo huius diei: ita non tantũmodo die septimo requieuit Deus. ¶ ITEM, si in initio diei esset lux creata: tunc fecisset mane & vesperam, sed non dictum est: Factum est vespere & mane dies vnus: ergo vespere præcessit: ergo non in initio diei facta est lux.

RESOLVTIO.

Lux hæc in sua plenitudine in initio diei creata, ad vesperam declinauit.

¶ AD quod dicendum est, quod in primo die fecit lucem, & continuauit opus suum totum faciendo: esse enim diei sicut temporis est in fieri: & ita non quieuit ab opere. Eodem modo dicendum est de secundo die, & tertio, & sic de alijs vsque ad septimum. ¶ AD hoc vero, quod quæritur, vtrum fecit lucem in initio diei: Videtur dicendum, quod lux creata sit in sua plenitudine: & cum hoc, quod declinauerit in vesperam: quia dictum est; *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Vnde Hugo: Quando naturaliter dies noctẽ præcedit, & finis diei vesperam; dicimus, finem noctis auroram: constat, quod aurora ad diem præcedentem sit referenda. Eodem modo dicendum est de conditione solis. Sol enim conditus est in sua plena luce & perfecta, & post declinauit in occasum, & deinde iterum ortus est, & ita factus est vespere, & mane dies vnus.

Gen. 1. Hugo li. 1. par. 1. c. 8. & inde.

MEMBRVM II.

Vbi lux illa coadunata creata sit?

AD secundum, quo quæritur de illa luce coadunata, vbi sit condita. Si enim condita esset in loco firmamenti, vel vbi modo est Saturnus, & ita de alijs planetis: faceret multo longiorem diem per sui rotationẽ: cum * moueretur motu firmamenti, & ita longior esset primus dies, & secundus, quam quartus: quod est falsum: ergo in eodem loco, in quo nunc est sol; creata est lux illa.

* Alias, nõ moueretur.

RESOLVTIO.

Vbi nunc sol est.

¶ QVOD videtur concedendũ: Et factio solis non videtur esse; nisi aut maior coadunatio lucis: aut illius lucis diuisio per luminaria, quæ sunt planetæ: de hoc infra magis patebit: cum fiet sermo de quarto die. ¶ ITEM, quæritur, quare à luce incepit opus suum. Respondet Basilius: quia lux est principium manifestandi se & alia. ¶ PRÆTEREA, in Sacramentum, sicut vult Hugo, dicens: *Ego puto magnum hic Sacramentum aliquod commendari: quia anima quamdiu in peccato est, quasi in quibusdam tenebris est, & confusione*: sed non potest euadere confusionem suam & ad ordinem iustitiæ formamque disponi: nisi illuminetur primum: vt possit videre mala sua; & discernere lucem à tenebris, id est, virtutem à vitijs: vt se disponat ad ordinem, & conformet veritati.

Quæst. 52. Basilius Homil. 1. Hexamet. in med o. Lib 1. par. 1 c. 12.

QVÆSTIO XLIX.

De luce spirituali, quæ dicitur Angelica intelligentia.

In duo Membra diuisa.

D. Thom. Bona. & Scot. vbi supra. Hugo.

HABITO de luce corporali, consequenter agendum est de luce spirituali: quæ dicitur esse intelligentia angelica; cuius diuisio facta est, cum dictum est. Diuisit Deus lucem à tenebris. Vnde dicit Hug. *Mihi videtur eodem prorsus temporis momento, quo visibiliter & corporaliter diuisa est lux à tenebris; inuisibiliter distincti sunt boni angeli à malis: illis in tenebris cadentibus, & istis ad lucem iustitiæ conuersis, illuminatisq; à luce; vt lux essent, & non tenebræ.* Circa quod quæruntur duo. ¶ Primo, vtrum, cum dicitur: *Fiat lux,* &c. intelligatur factio prima angelicæ naturæ naturalis; aut gratuita. Secundo de ordine verborum, & quibusdam eorum dubijs.

Genes. 1.

MEMBRVM I.

An cum dicitur, Fiat lux, &c. intelligatur factio prima naturalis angelicæ creaturæ, vel gratuita?

QVÆRITVR ergo primo, Vtrum cum dicitur: Fiat lux, &c. ibi intelligatur prima factio angelicæ creaturæ, sc. naturalis, quæ cõmunis est bonis & malis: an gratuita, quæ solum est bonorum. Et videtur primo, quod de factione naturali, quæ communis est, intelligatur: dicit enim Aug. quod similis est creatio & distinctio rerum, sed ista distinctio angelorum, quæ fuit per quorundam confirmationẽ, vel per aliorum casum, siue per conuersionẽ & auersionem non simul fuit cum creatione: quia oporteret prius angelum esse, quam conuerti, vel auerti: non solum natura, sed etiam tempore, vel duratione: ergo ista distinctio, quam dicit August. simul esse cum creatione; non intelligitur de factione gratuita, quæ fuit in distinguendo bonos à malis, sed de factione naturali, quæ cõmunis est. ¶ ITEM, idem Aug. quæritur, vtrum per hoc, quod facta est vespera, intelligatur peccatum rationalis creaturæ: per hoc, quod factũ est mane, eiusdem renouatio? Et subdit, quod ista expositio allegoricæ Prophetiæ est: ergo patet quod intelligitur de factione angelicæ creaturæ, quæ est per gratiam.

August.

Idem.

Idem.

¶ ITEM, ibid. *Non sicut nos ad participandam sapientiam proficiebant angeli; vt inuisibilia Dei, &c.* qui ex quo facti sunt, ipsa æternitate facta & pia contemplatione perfruuntur: perfrui autem non est nisi bonorum: ergo nec factio ista, de qua loquitur. ¶ ITEM, per mane intelligitur cognitio in verbo: dies autem comprehendit mane & vespere: cum ergo mane illud, id est, cognitio in verbo, videatur tantũ bonorum fuisse: ergo & dies, cuius mane est pars: ergo iste dies qui ibi determinatur, vel illa cognitio, quæ determinatur per lucem: cum dicitur: *Fiat lux,* tantum pertinet ad bonos angelos. ¶ ITEM, quod intelligatur de factione gratuita, videtur per August. qui sic dicit. *Tunc nox ad diem pertinet: non dies ad noctem: cum sublimes & sancti angeli illud, quod creaturam in ipsa creatura nouerunt; referunt ad illum, in quo æternas rationes, quibus creata est, contemplantur: eaq; concordissima contemplatione sunt vnus, quem fecit Dominus: cui coniungetur Ecclesia, de hac peregrinatione liberata.*

Idem ibid.

Genes. 1. Aug. 4. super Genes. cap. 25. Tom 3.

RESOLVTIO.

Verba illa de factione gratuita intelligantur: si quidem prius quo ad esse naturale facta erat; cum dictum fuerat; In principio creauit Deus cœlum & terram.

¶ AD quod dicendum, quod intelligitur de conditione gratuita, cum primo creati essent: cum dicitur; *Creauit cœlum:* sicut vult August. *Facti autem, id est, formati formatione gratia, cum conuersi sunt per intellectum & affectum, & hoc intelligitur, ibi, Fiat lux, &c.*

Genes. 1. Aug. in 11. Confess. Gen. 1.

¶ AD obiectum autem in cõtrarium, dicendum, quod creatio & factio simul erant secundũ opin. Aug. hoc est indistanter.

distanter. Vel hoc potuit intelligi de conditione prima, quæ est quantum ad esse.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod illud opinando, vel inquirendo dicit Aug. quod patet per hoc, quod ipsemet dicit in 4. lib. super Gen. *Nec quispiã arbitretur, illud, quod dixi de luce spirituali, & de condito die spirituali, & angelica creatura, & de contemplatione, quã habet in verbo Dei, & de cognitione, qua in seipsa cognoscitur, eiusq; relatione ad laudẽ incõmutabilis veritatis, vbi prius videbatur ratio rei faciendæ, quæ cognita est facta: non iam propriè, sed quasi figuratè vel allegoricè conuenire, ad intelligendũ diem & vesperã & mane. Sed aliter quidem quã in hac consuetudine quotidianæ lucis huius & corporalis: non tamen tanquã hic propriè, ibi figuratè: vbi n. melior & certior lux; ibi verior etiam dies quare non & verior vespera, & verius mane. Nam si in istis diebus habet quandam declinationem suã lux in occasum; quã nomine vespera nuncupamus, & ad ortum iterum reditũ, quod mane dicimus: cur & illic vesperam non dicamus, cũ creatura à cõtemplatione creatoris despicitur; & mane, cum à cognitione creatura in laudem creatoris assurgitur?*

Aug. lib 4. super Genes. c. 27.

MEMBRVM II.

Dubia quædam circa præmissa verba: Fiat lux, &c. incidentia.

Dubitatio. 1. Genes. 1.

AD secundum, quo quæritur de ordine verborum. Primo quæritur, quare non dicitur: Fiat cœlum & terra: sicut dicitur: *Fiat lux*, &c. Respondetur, secundum Aug. super Gen. quod tam in opere creationis, quã in opere conditionis, siue factionis intelligitur tota trinitas. Cum n. dicitur: *In principio creauit Deus*: per hoc quod dicitur [*Deus*] intelligitur pater: per principium vero intelligitur filius; qui est principium de principio: Spiritus S. aũt intelligitur per hoc, quod dicitur: *Spiritus Domini ferebatur*, &c. Similiter cũ dicitur: *Dixit Deus, fiat, &c.* per hoc quod dicitur [*Deus*] intelligitur Deus pater: per hoc quod dicitur, [*dixit*] intelligitur filius: qui est verbum: per hoc vero, quod dicitur [*vidit Deus lucem, quod esset bona*] intelligitur Spiritus S. cui appropriatur bonitas. Quare vero in opere creationis ponitur, principium; in opere distinctionis ponitur, verbum: dictum est supra. ¶ Item, quæritur de hoc, quod dicitur: *Vidit Deus lucem, quod esset bona*: quare nõ similiter dictum est in creatione: Vidit Deus cœlum & terrã, quod essent bona.

Ibidem

Quæst. 45. Memb. Ibidem.

Dubitatio. 2. & 3. Aug. super Gen. ad literam.

¶ Item, quæritur de hoc quod dicitur: *Vidit*; nunquid n. prius non viderat?

¶ Ad primum respondetur Aug. ita dicens: *Duo sunt, propter quæ amat Deus causam suam, sc. vt sit; & vt maneat*: Vt ergo * esset, spiritus Dei superferebatur super aquã: vt autem maneret, vidit Deus quod bona est: Et quod de luce dictum est, hoc de omnibus.

* Alias, vt ergo esset & maneret. Velut esset, quod maneret.

Idem contra Manichæos.

¶ Ad secundũ vero respondet Aug. ita dicens: *Nunquid quia placet ei, ideo non nouerat bonum? prorsus nouerat intus in animo, vbi ars ipsa pulchrior est, quã illa, quæ arte fabricantur: sed quod videt artifex intus in arte, hoc probat foris in opere, & hoc est perfectũ, quod artifici suo placet. Vidit ergo Deus lucem, quia bona est; quibus verbis non ostenditur non eluxisse Deo, quod bonũ est: sed placuisse perfectum. Quid si dictum esset, miratus est Deus lucem, quia bona est; quantum clamarent, quantum litigarent: admiratio n. reuera de rebus insperatis nasci solet: & tamen legunt isti, & laudant in Euang. Dominum nostrum Iesum Christum admiratum esse fidem credentium: quis aũt illis fecerat ipsam fidem; nisi ille, qui eam mirabatur.*

Dubitatio. 4.

¶ Item, quæritur de hoc, quod dicitur: Diuisit Deus lucem, & tenebras: quare nõ superius dictæ sunt tenebræ factæ sicut dicuntur distinctæ. Ad quod Aug. sic respondet: *Hoc non dictum est, fecit Deus tenebras: quia tenebra (sicut dictum est) lucis absentia est: distinctio tamen facta est inter lucem & tenebras: quemadmodum nos clamando facimus vocem: silentium autẽ non sonando facimus: quia cessatio vocis silentium est: distinguimus tamen sensu quidem inter vocem & silentium, & illud vocamus vocem, & illud silentium*: Quemadmodum ergo recte dicimur facere silentium; sic recte multis diuinarum scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras: quia lucem, quib. vult, temporibus, & locis vel non dat, vel detrahit.

Idem contra eosdẽ.

Dubitatio. 5. Genes. 1.

¶ Item: Quæritur de hoc, quod dicitur; *Factum est vespere, & mane*, &c. Videtur enim quod deberet mane præordinari vesperi, quia nobilius est: nobilior n. est cognitio in verbo cognitione in propria natura, & ita prior est natura, vel dignitate. Item prius naturaliter cognouit angelus in verbo, quam in propria natura. In proprio ergo genere mane præordinari debet vesperi. Respondetur: ibi accipit Aug. mane propriè; pro cognitione angeli: quæ est de re facienda, in quantum huiusmodi: & quia non cognouit se faciendum: ideo propriè non habuit cognitionem matutinã de se, sed de alijs. *Vespere* aũt intelligit Aug. pro cognitione de re facta in proprio genere, & hanc bene habuit angelus de se: Quia ergo angelus prius cognouit se factum, quã cætera faciendo (prius dico secundũ naturam) ideo vespere ibi præordinatur mane. Vnde ibi est duplex modus ordinandi; vnus quo ad cognita, & sic ordinatur vespere ante mane: vt nunc dictum est. Alius quo ad modos cognoscendi, & sic deberet præordinari *mane*, secundũ, quod probat obiectio prima. Ad secundum aũt dicendum, quod reuera cognouit se angelus in verbo, sed non est modo quo accipitur: quia non cognouit, nec cognoscere potuit, se faciendum, sed se iam existentem.

Dubitatio. 6.

¶ Item, quæritur: Vtrum vnus erat dies, aut plures: Videtur, quod vnus: dies n. distinguitur (vt dictũ est) secundũ cognitionem angeli: sed constat quod secundum Aug. omnia simul facta sunt, sed angelus non cognoscit per successionem, sicut anima; sicut dicit Aug. supr. Non sicut nos ad percipiendã sapientiam proficiebant, &c. ergo si intelligit quæcunq; sunt, vt videtur; ergo simul cognoscebat omnia, cum simul facta essent: ergo non erat nisi vnicus dies. Contra: Attingere ad multa simul, ita quod non ad vnum post aliud, proprium est sapientiæ increatæ: de qua; *Attingit vbique propter sui munditiam*: ergo non conuenit angelo, sed attingere angeli est per cognitionem: ergo non simul multa cognoscit. Solutio, dicendũ, quod multi sunt dies spirituales secundũ Aug. & accipitur eorum distinctio à parte cognitorum: quæ diuersa erant in genere, vel in specie, & ordinem naturalem habebant. Vnde propter præsentiam cognitionis signatæ super res factas, computantur dies diuersi. Accipitur etiam distinctio à parte cognitionis angelicæ: sicut n. nunc vltimo probatũ est, non simul, id est non in vno nunc simul intelligebat multa, sed vnum post aliud; quamuis omnia simul facta essent: Nisi dicatur simul, id est, repente: quia non apparet differentia inter cognitionem & cognitionem: sicut apparet in homine: & hoc dicit August. ponens exemplum de visu nostro secundum opinionem quæ dicit, quod videmus extra mittentes. Radius visibilis in ictu pertransit propinquiora & remotiora spacia simul, id est, repente: non omnino æquè cito vel subito: quia impossibile est corpus aliquid subito pertransire. Et accipit illud pro concordantia: *In ictu oculi, &c.* in diuersis n. locis erunt corpora resurgentiæ; quod non æquè distabunt à loco iudicij, & tamẽ in ictu oculi, id est, repente conuenient. Multo autem maior celeritas est in cognitione angelica; quam in huiusmodi corporibus, vel quã in radio visibili. Vnde dicit Aug. *Si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest: quod mentis acies humana, quanto magis angelica?* Vnde multo magis ponendum est, quod repente multa cognoscit; non tamen, subito: sed ibi est posterioritas, de nunc in cognoscẽdo vnum ad nunc in cognoscendo aliud: & hoc est diuersitas in diebus.

Sap. 8. Memb. immediatè præcedenti.

August.

1. Thess. 4.

August.

QVÆSTIO L.

De opere secundæ diei.

In sex Membra, & in quatuor Articulos diuisa.

D. Tho. 1. par. q. 68. per 4. art. S. Bon. in 2. d. 14 art. 1 q. 1. & 2. Scot. ibid.

SEQVITVR de opere secundæ diei, in qua facta est diuisio aquarum superiorũ ab inferiorib. & firmamenti in medio earum conditio. Dicendum est ergo primo de aquis superiorib. ¶ Circa quas quærendũ est. Primo, vtrum sint aliquæ aquæ superiores, quæ sint super firmamentum (& dicatur firmamentum cœlum stellatum.) Exponitur enim vno modo firmamentum pro cœlo aereo; quod etiam diuidit inter aquas, quæ sursum vaporaliter feruntur & aquas, quæ inferiorib. congregantur. Secundo, vtrum congregentur aquæ superiores in modum orbis. Tertio, vtrum moueantur orbiculariter. Quarto, qua necessitate constitutæ sint supra firmamentum. Quinto, qualiter dicatur esse cœlum crystallinum. Sexto de ordine verborum.

MEM-

MEMBRVM I.

An supra firmamentum sint aquæ.

AD primum sic Aug. super Gen.1. in Glos. exigit aquarum pondus, vt super terram fluant; vel in aerem vaporaliter ferantur: nec quis dicat, omnipotentia Dei hoc fieri. Quomodo enim Deus naturas fecerit, quæritur, nó quod ex eis ad miraculum potentia Dei operetur. Omnes ergo aquæ, vel feruntur super terram, vel feruntur vaporaliter in aerem: ergo nullæ aquæ sunt super cœlum stellatum.

¶ Si dicatur, quod de natura aquarum ibi non sunt; sed de omnipotentia Dei. Contra hoc est secunda pars autoritatis: dicit enim, Quomodo Deus naturas fecerit, quæritur, non quod eis ad miraculum fecerit potentia Dei. Q. d. primo faciendo res, non fecit eas Deus miraculose, sed naturaliter: & post illis naturaliter factis, fecit aliqua miraculosa, præter solitum cursum naturæ faciendo: Quando ergo quærimus opera sex dierum, quærimus ordinem rerum naturalem: non ergo debet dici, quod ibi sunt omnipotentia Dei, sed secundum sapientiam, ordinantem leuia sursum, grauia deorsum: ergo hoc cœlum crystallinum non erit ex aquis.

¶ Si dicatur, quod illæ aquæ non habent naturã ponderositatis. Contra Basilius. Aquas Deus disposuit propter solis & ætheris calidissimũ feruorem: post firmamentum n. æther expansus est: & nisi superiaceret aqua, inflammatũ esset à calore firmamentum: Sol n. & Luna, & stellæ in firmamento sunt. Videtur ergo, quod aquæ sint ibi graues.

¶ PRÆTEREA, crystallus est aqua congelata in summo, sed non potest habere congelationem nisi humidũ, & non quodlibet humidum; sed aqueum vt oleum: ergo, oportet quod sit aquosum: relinquitur ergo quod sit ibi humidum aquosum, & ita ponderosum.

¶ Si dicatur, quod non accipiuntur ibi aquæ, sicut hic infra: sed sicut ibi spiritus Domini ferebatur super aquas. Contra, diuisio fuit aquarum in die, sed non nisi illarum, de quibus dicitur. Spiritus Domini ferebatur super aquas, sed illa aqua dicitur quædam massa confusa; non tantum ex humidis, sed ex humido & sicco, frigido & calido, luce & tenebris, & ita aqua importat ibi confusionem qualitatũ rei deferentis eas: diuidere ergo aquas, fuit diuidere qualitates cum materia continente qualitates, ita quod aliqua materia cum aliquib. qualitatib. sit superius, alias inferius. Possumus ergo dicere, quod diuidere aquas ab aquis, est quod qualitas lucis cum materia fuit in parte superiori, sed hoc nullã habet dubitationem: Sancti ergo quia circa hoc dubitauerunt, ergo voluit plus Deus dicere per illud sc. Diuidat aquas ab aquis; quã quod diuidatur natura lucis cum materia, id est, ignis, vel luminosi ab aquis. ¶ ITEM, quæritur, vtrũ aquæ illæ, quæ sunt super firmamentũ, habeant aliquã naturam cõmunem cum aquis inferiorib. & quæ sit illa natura cõmunis. ¶ AD quod volunt quidã dicere, quod habent cõmune frigidum, & humidũ: per hanc rationem: Cœlum continet ignem; ignis aerem, & aer aquam, ergo aqua similiter debuit circumdare terram ex omni parte: sed non potuit pp animantia, quæ sunt super terrã, ergo necesse fuit illam eleuari alibi; vbi posset circundare totam terram, ergo cum eleuatæ sint super firmamentum, ibi habebunt naturam frigidi & humidi.

Quæstio incidentalis.

¶ ALII volunt ostendere, quod tantũ sunt ibi secundũ naturã humiditatis, sic in aqua est frigiditas & humiditas, sed humiditas est fluxibilis & continuatiua, quia terra, quæ sicca est; non haberet continuitatẽ sine aqua: Et humidum sit continuatiuũ, siue coniunctiuum, dicitur in medicina: dicitur n. humiditas est glutinum membrorũ. Constat aũt quod secundum illam proprietatem, secundũ quã fluxibilis est; non sunt ibi aquæ, quia sic fluerent deorsum, ergo remanent ibi secundũ naturam continuationis. Item, quod secundũ naturã continuationis sint ibi, probatur, quia hic infra nobilior natura in hoc mundo est cõtinuatio, vel cõiunctio, sed cum ibi eleuetur super alienam naturã, non est nisi secundũ proprietatẽ eius nobiliorem. Relinquitur ergo, quod humidũ sit ibi secundũ ꝙ coniunctiuũ: Sed quorum est coniunctio? constat enim quod ibi est natura supercœlestium & inferiorum; & oportuit quod coniungerentur. Vnde necesse fuit esse secundum hanc proprietatem.

¶ ALII dicunt, quod sunt ibi secundum naturam perspicui. Est aũt perspicuum illud, quod habet aliquam dispositionẽ ad accipiendum lucem per totum. Sed istæ qualitates ordinatæ sunt, quia nihil est inordinatum à summa sapientia: vna ergo qualitas est alia nobilior: sed sdm nobilissimã qualitatem ibi collocantur, sed perspicuũ est nobilissima. Probatio, Aqua n. cum terra, & aere, & cœlo stellato, & igneo habet conuenientiam, sed cœlum stellatum & igneum nobiliora sunt terra & aere, ergo natura illa, secundum quam conuenit cum cœlo stellato, nobilior est, quam illæ, secundum quas conuenit cum aere & terra, sed cum terra conuenit per naturã sicci; cum aqua per naturam humidi, cum cœlo stellato per naturã perspicui. Relinquitur ergo quod perspicuum erit nobilior forma inter formas aquæ, ergo si aquæ debeant esse superius; & conuenit eas esse ibi secundum naturam eorum nobiliorem; per naturã perspicui erunt ibi. Ad idem, perspicuum non est pura qualitas, qñ admiscetur cum qualitatibus habentibus contrarium, sicut humido, graui, & sicco, & calido: ergo alicubi est pura qualitas: quia ex ordinatione summæ sapientiæ est, si aliquid impurum sit alicubi; quod illud idem sit in sua puritate alibi, sed in omni corpore, inferiori cœlo aqueo est hæc qualitas impura. In aqua n. cum frigido & humido, in aere cum humido, in igne cum caliditate, & iterum in cœlo stellato; quia ibi non est vniforme perspicuum, ergo locus huius, quod dico [*perspicuum*] secundũ quod pura natura est; erit supra cœlum stellatum, & infra empyreũ. In empyreo n. esse non potest, quia empyreum est datiuum luminis, illud aũt corpus, in quo est perspicuum purum, est receptiuum luminis: relinquitur ergo, quod in cœlo stellato sit perspicuum secundum suam puritatem, ergo aquæ secundum hanc naturam, scilicet perspicuum, erunt ibi.

¶ ITEM, *Elementa calore soluẽtur*, & Gl. ibi dicit, ꝙ duo elementa, sc. aqua & ignis absumentur, cœlum aũt & terra in melius cõmutabuntur. Probatio autem, quod impossibile est, quod cœlum crystallinum habeat aquas, vel cum ponderositate, vel frigiditate, vel humiditate, quia ille magnus ignis non ascendet vltra, quam ascendit aqua diluuij, sed aqua diluuij non ascendit vltra cœlum aereũ, ergo nec etiã ille ignis, ergo ille ignis magnus non poterit absumere illas qualitates; si ponantur in cœlo crystallino, sc. grauitatem, frigiditatem, humiditatem, sed talis erit renouatio duorum elementorum, quæ manebunt; quod omnes qualitates cõtrarietatem habentes, cedent in pœnam damnandorum, si ergo essent in cœlo stellato huiusmodi qualitates, cederent in pœnam damnandorum, sed hoc non erit per magnum ignem, quia non poterit attingere, neque per naturam suam quia quod in aliquo toto est, per naturam suam non recedit ab eo: ergo &c.

a Petri vltimo Glossa.

¶ Si dicatur, quod dispositio diuina separabit. Contra. Ipsa non facit hoc in cœlo stellato, quod est inferius: vt aliqua pars cedat in locum damnandorum, ergo multofortius in cœlo superiori non faciet diuisionem. Restat ergo, quod si sint ibi aquæ secundum has qualitates, scilicet frigidum, humidum, ponderosum; quod hoc non erit conueniens loco glorificandorum: ergo sic non sunt ibi.

¶ ITEM, Augustin. *Sunt alia aquæ immortales, à terrena corruptione separatæ*: ergo aquæ illæ sunt separatæ à qualitatibus corruptibilibus: sed hæ sunt qualitates, habentes contrarietatem: & ita videtur quod illæ aquæ secundum hanc proprietatem, quæ est perspicuum, sint ibi.

August. 13. Confess.

RESOLVTIO.

Aquas supra firmamentum esse opinio tantum est: nec certi, determinatiuè quidquam habetur: Quare & ibidem nos eas affirmabimus; non tamen sub quacunque proprietate, sed sub ratione perspicui & lucidi: adeo vt cœlum aqueum vel crystallinum dicamus esse ex luce, & perspicuitate naturali; sicut ex complemento de sui.

¶ RESPONSIO. Opinio circa hoc est; sancti enim nihil certum diffinierunt. Vnde opinando, concedo conclusionem, quod cœlum aqueum vel crystallinum sit ex luce, sicut ex complemento sui, & perspicuitate materiali. ¶ AD hoc ergo, quod dicit Augustin. *Exigit aquarum pondus*, &c. Dicendum, quod hoc verum est, quãdo aquæ sunt habentes huiusmodi proprietates, ponderositatem, humiditatem & frigiditatem, sed has non habent ibi: sicut probatum est.

August.

¶ SI autem obijcitur ex hoc, quod dicit August. quod sicut humidum est in cerebro, & manat ibi: cum tamen sit superior pars corporis: ita humidum nihil prohibet esse ibi. Dico quod non est simile: aliter n. est de corpore nostro: aliter de corpore superiori. Nostrum n. corpus cõmixtum est ex quatuor qualitatibus. Vnde non ordinantur membra nostra secundum ordinem qualitatum; sed secundum relationem ad animam, quæ diuersimodè in diuersis membris operatur: hoc modo non repugnat quod humidum sit in cerebro: quia anima operatur in cerebro operatione animali; quod conuenit in humido fieri: in corde autem spirituali operatione: in inferiori parte naturali operatione: secundum has diuersas operationes necesse est habere differentes vires ministrantes operationibus his diuersis; receptiuum autem formarum est humidum. Vnde cum impressiones sensibiles fiant in cerebro; non est mirum ibi esse humidum: calidum vero in corde propter operationes spirituales: per calidum n. est maxima operatio spiritus: Spiritus n. medium est inter corpus, & animam. In vniuerso vero aliter est, quia corpora separata sunt; & non sunt cõmixta: vnde secundum qualitatum nobilitates ordinantur. Vnde illud verbum non dicit asserendo Aug. &c.

Idem in lib. 6. ciuit. Dei.

¶ AD hoc, quod obijcitur: quod crystallus est congelatio * humidi aquei. Dicendum, quod cœlum illud non dicitur crystallinum secundum communem proprietatem crystalli, sed secundũ proprietatẽ hanc, quæ est, perspicuũ, quando n. aqua congelata est, tota est perspicua: ideo ad designandum, quod remansit ibi aqua secundum naturam perspicuitatis, dicitur crystallinum.

* Alias aeres.

¶ AD hoc, quod dicit Basilius, quod aquas Deus disposuit propter solis feruentissimum calorem. Dico quod saturnus est stella frigida (sicut ibi contingit dicere frigidum) & hoc non est nisi æquiuocè. Notandum aũt est, quod calidum quoddam est saluatiuum: vt calidum, quod est in sole, & est calidum destructiuum quoddam; sicut quando fit coadunatio radiorũ, & accedit ad naturam ignis: sicut in speculo, si fiat coadunatio radiorum potest incẽdi stupa ex reflexione radiorum. Vnde dico, quod calor solis non est absumptiuus, sed generatiuus: vnde generantur ranæ ex calore cœlesti in vere: sed ratione radiorum, qui sunt ex reflexione, est consumptiuus. Vnde dicendum, quod opinio est, vt intelligatur de æthere inferiori illa authoritas: vt firmamentum dicatur illud interstitium; quod est inter vapores, qui sunt in aere; & aquas inferiores, & illi vapores sunt medij inter nos & solis feruorem, quem temperant aliquando.

MEMBRVM II.

An aquæ istæ superiores in modum orbis congregatæ sint?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum congregatæ sunt aquæ superiores in modum orbis? Quod videtur: supponitur enim vacuum non esse: ergo totum spacium a cœlo empyreo: vsq; ad cœlum sydereum repletum est corpore. ¶ ITEM, in superioribus est distinctio locorum, quemadmodum & corporum: Verbi gratia: cœlum empyreum non occupat locum syderei cœli, nec econuerso, & ita de alijs: nec in parte: nec in toto: minus enim nobile corpus non occupat locum nobilioris: nec econuerso in superioribus: quemadmodum hic inferius accidit de aere, quod subintrat cauernas terræ. Cum ergo aquæ superiores sint in medio cœli empyrei, & cœli syderei, colligentur in orbem ex omni parte: aut aliqua pars cœli empyrei & cœli syderei occupabit aliquam partem spacij illius, scilicet cœli aquæ. Sed si occuparet aliquam partem spacij illius, non esset cœlum empyreum ex omni parte sua orbiculare; vel cœlum sydereum, cum ergo vtrumque sit orbiculare; nulla pars alterius corporis ingredietur spacium intermedium, ergo aquæ superiores ex omni parte, & quo ad superius, & quo ad inferius occupabunt spacium intermedium: ergo colligentur in orbem; non enim intercipitur aliquid corpus minus nobile; vt ignis vel æther, cum minus nobile in superioribus non occupet locum nobilioris, secundum ordinem etiam locorum est ordo corporum in nobilitate, & econuerso: erit ergo vnus orbis medius inter cœlum empyreum & stellatum.

4. Phys. per longũ processum

¶ QVOD autem aquæ illæ nobiliores sint in dignitate naturæ, quam firmamentum: videtur ex verbis Augu. contra Manichæos: Quoniam naturam illam dicebamus nomine aquæ appellatam: credo firmamento cœli materiam corporalem rerum visibilium fuisse discretam, cum enim sit cœlum corpus pulcherrimum: omnis inuisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli, & ideo fortasse super cœlum dicuntur esse aquæ inuisibiles, quæ à paucis intelliguntur: non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cœlum, quamquam nihil de hac temere affirmandum est: obscura enim est & remota à sensibus hominum, sed quomodo habeat, antequam intelligatur, credenda est.

¶ VIDETVR autem cõtrarium, quod non ex illis fit orbiculare naturaliter, sed si est, quod fit orbiculare, est ex accidenti: sicut aqua in scypho rotundo, cum n. aquæ ante diuisionem, superiores, sc. & inferiores essent eiusdem naturæ, facta diuisione, adhuc remanebunt consimilis naturæ, sed aquæ inferiores non constituunt naturaliter corpus orbiculare; sed accidentaliter, quia imitantur figuram continentis: ergo nec aquæ superiores; cum sint consimilis naturæ.

¶ PRÆTEREA dicit Philosophus, quod corpori recto naturaliter debetur motus rectus. Vnde aquis inferioribus debetur motus rectus: & illæ sunt consimilis naturæ, ergo si colliguntur, colligentur in corpus rectum naturaliter: orbiculare accidentaliter. Multibi & in Phys. 1. & Lib. de cœlo.

RESOLVTIO.

Nihil temerè diffiniendo, nec vllatenus saniori sententiæ præiudicando, partem affirmatiuam arbitrandam ducimus.

¶ AD quod dicendum, quod nihil in hac parte est diffiniendum: Sed opinãdo (sine tamen præiudicio melioris sententiæ) potest dici: quod aquæ illæ colliguntur in corpus naturaliter orbiculare.

¶ AD obiectum dicendum, quod esse consimilis naturæ, potest dici multipliciter. Vel ita quod sint eiusdem naturæ in specie, & hoc non videtur ex verbis August. Vel quod habeant aliquam conuenientiam: vt vtrobique inueniatur natura perspicui, sed aquæ inferiores sunt corruptibiles; illæ vero immortales, quæ non corrumpuntur, sicut dicit August. Si tamen sunt illæ aquæ consimilis naturæ in specie, quomodo ibi sint, diuinæ dispositioni relinquendum; sicut dicit Damascenus.

MEMBRVM III.

An cœlum aqueum, vel crystallinum, in quo aquas superiores congregatas arbitramur, orbiculariter moueatur.

AD tertium, quo quæritur: Vtrum illud corpus moueatur orbiculariter: Videtur, quod non: quia illud corpus sit ex aquis: sed aquæ naturaliter feruntur deorsum: ergo & illud corpus naturaliter fertur deorsum: ergo non mouetur motu orbiculari, sed recto.

¶ CON-

¶ Contra, istud corpus est nobilius, quam sit firmamentum, siue cœlum stellatum: cum ordinetur supra illud: ergo mouetur motu nobiliori: sed firmamẽtum mouetur motu orbiculari: ergo multo fortius cœlũ aqueum, si mouetur; mouetur motu orbiculari.

RESOLVTIO.

Orbiculariter quidem: etenim cum nobilissimum corpus sit, nobilissimo motu moueri debet.

¶ Ad obiectum autem in cõtrarium dicendum, quod aqua dicitur dupliciter. Vno modo aqua dicitur elementum inferius, coniunctum terræ: & huius est motus rectus, naturaliter tendens deorsum, & secundum hanc rationem aquæ non dicitur cœlum aqueum. Alio modo dicitur aqua communiter, sc. materia corporum, non tantum inferiorum, sed etiam superiorum; secundum quod dicitur: Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* secundũ hanc rationem dicitur istud cœlum aqueum; licet maioris sit nobilitatis, siue speciei nobilioris.

MEMBRVM IV.

Qua necessitate aquæ hæ supra firmamentum constitutæ sint.

AD quartum, quo quæritur: Qua necessitate sint aquæ super illud firmamentum, siue cœlum aqueum. Cum n. sit multitudo cœlorum, quodlibet cœlum habet suum locabile secundum suam naturam: empyreum angelos, firmamentum stellas, aereum & æthereum volatilia, aqua aquatilia, terra animantia: ergo aqueum cœlum suum locale debet habere: si ergo non habet, videtur natura superuacua.

¶ Si dicatur, quod est ad temperãdum calorem. Contra: solum humidũ inflammabile est, secundum quod potentiam habet ad siccum: relinquitur ergo si cœlum stellatum non habet naturam sicci, quia non habet naturam leuis vel grauis: videtur quod non habet naturam inflammabilem: & ita non indiget aliquo, quod temperet eius calorem. ¶ Sed videtur, quod sit ad seruandum esse in rebus generalibus, & corruptibilibus: quia corpora citra cœlum stellatum contrarietatem habet: sed vnum contrarium corruptiuum est alterius: omnia ergo huiusmodi secundum qualitatem sunt actiua & passiua: ergo nullum horum est vniformiter horum saluatiuum. Item neq; stellatum: quia ibi est diuersitas stellarum, quæ secundum radiositatem habeut maiorem conseruationem vnius rei, quam alterius: ergo stellatum non est vniformiter horum conseruatiuum: ergo oportet aliud esse, quod vniformiter omnia conseruet, sed hoc non est empyreum: quia hoc est angelis deputatum, & glorificatis corporibus: & non ad actionem; quia nullum habet motum: ergo aqueum cœlum cum habeat motum vniformem, facit vniformitatem in inferioribus. Quod autem moueatur, probatio. In principio creauit Deus immobilia, sc. cœlum, quod non est motum: & terram, quæ non secundum sui totalitatem mouetur: & media natura flexibilis fuit & mutabilis, & insuper habens naturam flexibilitatis. Cum autem dicitur: Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* per aquas designantur media, quæ habent naturam flexibilitatis: quia omnis mutatio rerum debebat fieri ex eis: principaliter n. fiunt mutationes circa naturam aquæ & aeris: in terra autem nulla fit, nisi aer, vel aqua ingrediatur. Sed dupliciter dicitur mutabile, vel quod in propinqua dispositione est ad motum: vel quod est ad motum: Sed constat, quod actu mouetur, nobilius est eo, quod mobile est: actus n. qui non corrumpit, nobilior est potentia. (Vnde motus in mobili non corrumpens subiectum suum, nobilior est subiecto, sc. inquantũ mobile est) illa ergo aquosa natura media duplicem habuit naturam: vnam, quæ semper fuit in motu: aliam, quæ in potẽtia fuit in motu, & ille, qui actu semper est, nobilior est. Cum ergo cœlum cristallinum & stellatum superiora corpora sint alijs corporibus medijs; relinquitur quod semper mouebuntur. ¶ Item, est motus diurnus, qui conseruat res in esse: constat ergo, quod ille erit alicuius corporis, & non nisi vniformis in toto, & in parte, sed hoc non est cœlum stellatum, ergo erit aqueum.

RESOLVTIO.

Aquas supercælestes, siue cælum aqueum ideo ponimus; vt res per alios cælos genita, per ipsa conseruarentur in esse.

¶ Responsio. Concedo quod sic est, & hæc fuit vtilitas & necessitas ponendi ipsum: quia cum alia corpora sint principia generationis & corruptionis secundum diuersitates motuum: ille vero secundum conformitatem motus sui facit conseruationem rerum in esse. Est enim quædam continuitas inter cœlos: vnde cum ipsum continue mouetur, mouet cœlum proximum, & illud vlterius proximum, & ita facit quæ possibilia fuerunt ad motum, actu moueri: & ita conseruatiuum est rerum in esse.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de ornatu. Dicendum est, quod non est necesse quodlibet cœlum habere suum ornatum à se separatum; vt cœlum Olympium & igneum: eodem modo crystallinum non est necesse quod habeat ornatum à se separatum: sed necesse est, quod alicuius sit vtilitatis, & propter aliquid factum. In his autem non est diffiniendum, sed quantum dicit Scriptura accipiendum. Vnde August. *Quomodo, & quales licet aquæ ibi sint; eas esse minime dubitamus: maior n. est huius scripturæ autoritas, quam omnis humani ingenij capacitas.* August.

MEMBRVM V.

Cur aquas has supercælestes cælum, imo & cælum aqueum vel crystallinum dicamus: cum Scriptura nequaquam eis nomen hoc tribuat?

AD quintum, quo quæritur: qualiter dicatur cœlum; Cum n. scriptura veteris & noui testam. non nominet aquas illas cœlum: propter quid sancti expositores aquas illas cœlum aliquando nominauerunt: cum scriptura sacra semper dicat aquas super cœlos. Empyreum enim dicitur cœlum cœli: & firmamentum dicitur cœlum, & æther dicitur cœlum, & ita de alijs.

RESOLVTIO.

Quia ad modum cæli aquæ expansæ erant; terramq́; circumdabant: Quare aqueum à materia, crystallinum à materiali dispositione appellatum censemus.

¶ Responsio, quod cum cœlum, quod est firmamentum, ex omni parte circumdabat terram, qua ratione essent aquæ super vnam partem eius: eadem ratione essent super aliam, & ita indifferenter super omnem, & ita in modum cœli essent expansæ, & videbantur differentem naturam habere ab empyreo & firmamento: vnde cœlum intermedium denominauerunt denominando à materia aqueum, à dispositione vero materiali crystallinum, quia sicut crystallus habet perspicuitatem cum luce: ita & illud cœlum, non quod sit ibi congelatio aquarum, sicut in crystallo secundum cursum naturæ.

¶ Quæritur etiam quare non fit mentio de hoc cœlo, vbi enumerantur cœli in principio Genes. è conuerso. Dubitatio Deuteron. 10. numeratur cum alijs: & non fit mentio de cœlo Trinitatis. Responsio ordinando corpora secundum naturam corporum; vltimum debet esse empyreum, quia cœlum Trinitatis non est corpus. Vnde quia in Lib. Deutero. loquitur sensibilibus; de duobus cœlis, scilicet, de cœlo aqueo, & de cœlo angelorum, facit mentionem: Quasi dicat: tu sensibilis es, si quæris locum Dei, non quæris nisi in sensibilibus, & non in insensibilibus. In principio enim Gen. non loquitur de cœlo aqueo: quia illa ordinatio est, secundum quam facti sunt cœli: sed adhuc fuit aqua ibi sub natura possibilis, & non fuit vnumquodq; dispositum secundum differentiam actualem. Vnde non inuenitur ibi de aqua, quod sit cœlum, quia aqua refertur ad illas aquas, quæ habent possibilitatem, vt ex eis fiant res. Ex his, quæ dicta sunt; patet situs cœli crystallini: quia proxime est post empyreum.

* *
*

MEMBRVM VI.

De ordine præmissorum verborum: siue de quibusdam dubijs circa præmissa verba incidentibus.

AD sextum, quo quæritur de ordine verborum, cócurrunt quatuor articuli. Primus, cum multoties dictum sit, Dixit Deus, vtrum tot sint verba. Secundus, quare in opere sec- undæ diei additum est: Fecit Deus; & non in opere primæ diei? Tertius, vtrum firmamentum, quod est in medio aquarũ, factum sit ex eadem materia, * vel ex aqua. Quartus, vtrum cum vocauit firmamentum cœlum, dixit cœlum vt formatum.

*Alias, videlicet.

ARTICVLVS I.

An quot vicibus productione rerum dictum est: [Dixit Deus, &c.] totidem alia, & alia verba dixisse Deum censendum est.

AD primum, quo quæritur, cum multoties dictum sit, [*Dixit Deus*] vtrum tot sint verba: Quod videtur: factis enim respondent verba, sed diuersa fuerunt facta: ergo & diuersa verba. ¶ ITEM, quotiens dicit homo, totiens multiplicantur verba: ergo à simili quotiens dicit Deus, tot sunt verba. ¶ CONTRA Iob. 33. Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. ¶ ITEM verbum Dei est consubstantiale dicenti, sed non plura consubstantialia: ergo non sunt plura verba.

RESOLVTIO.

Tot quidem ex parte dictorum: non autem tot, sed vnum tantum ex parte dicentis.

Aug. super Gen. ¶ RESPONSIO per hoc, quod dicit Augu. *Vnum verbum ille, qui genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula, sed eloquium scribentis descendens ad paruulorum capacitatem, dum insinuat sigillatim genera creaturarum per singula respicit vniuscuiusq; generis æternam rationem in verbo Dei: nec illa repetita, ille tamen repetit, & dixit Deus.* Dicendum est ergo, quod verum est; quod vnum est verbum Dei, quo dicuntur omnia, & illud non multiplicetur: licet multiplicẽtur facta per ipsum. Dicere tamen sumitur multipliciter. Nam aliquando sumitur pro generare, & sic est vnum dicere sicut vnum verbum. Aliquando accipitur pro creare, & sic successiuè creata sunt, & facta: diuersis factis respondent diuersæ dictiones ex parte eorum, quæ dicuntur: verbũ tamen quod dicit, id est, creat; non multiplicatur: non n. ex parte dicentis est illa multiplicatio.

Idem sup. q. 46. Mébr 4. in respon. ad argum.

¶ AD secundum dicendum, quod nõ est simile de Deo & homine in dicendo: verbum n. hominis est extrinsecum à substantia hominis: vnde ex alia parte recipit multiplicationem: verbum autem Dei est cõsubstantiale: vnde non multiplicatur secundum substantiam.

ARTICVLVS II.

Vnde est, quod in opere huiusce secundæ diei additum est, Fecit Deus, &c. & non ita in opere primæ diei.

Gen. 1. AD secundum, quo quæritur; cum in opere primæ diei sit positum: *Fiat lux & facta est lux*: & non additum est; *Fecit Deus*: quare in opere secundæ diei additum est: *Fecit Deus*. Videtur enim superuacuum: nam quod dicitur: *Factum est*; completionem operis signat: completioni autem nihil additur.

RESOLVTIO.

Vt ostenderetur, quod perfectio secunda, quæ est, quod rationalis creatura referat se & alia ad Deum tanquam ad finem, non fuit in omnibus angelis, sed quod tantum prima, quæ est, prout res referuntur ad eundem Deum tanquam ad finem.

¶ AD quod videtur respondere Aug. dicens: quod aliter fuit de luce spirituali, scil. angelica creatura, & aliter de firmamento. Nam angelica creatura cognouit in verbo prius firmamentum: deinde in seipso: tertio in genere proprio. Vnde cum dicitur: *Fiat, & factum est*, & Fecit; triplex esse notatur, in verbo in cognitione angelica, in qua cognoscebatur, & in proprio genere. Augu. *conditio cœli prius erat in verbo Dei secundum genitam sapientiam: deinde facta est in creatura spirituali, hoc est in cognitione angelorũ secundũ creatam in illis sapiẽtiam: deinde quod cœlum factum est, vt esset etiam ipsa creatura in genere proprio.* Non si aũt fuit de esse lucis spiritualis, sc. angeli: vt primo esset in Deo: & deinde in proprio genere: tertio esset in suipsius cognitione de faciendo. Aug. super Gen.

¶ SED tunc obijcitur secundum hoc: quod tunc in tertio die vel in quarto deberet esse consimilis modus loquẽdi, qui non inuenitur: ergo non est hæc ratio. Ad quod respondet Aug. vtens translatione 70. & si hæc verba non sint ibi: tamen ibi est æquipollens: vnde ponit hanc litteram: *In tertio die dixit Deus, congregentur, & factum est, & congregata sunt aquæ.* Idem.

¶ SED adhuc posset obijci contra hoc, quod dicit Aug. si enim esse in proprio genere esset commune omnibus, sicut esse in verbo, & esse in verbo per hoc, quod dicitur [*Fiat*] intelligatur per hoc [*& factum est*] ergo in secunda die similiter, & in tertia, ergo per hoc quod dicitur [*& fecit*] oporteret intelligere esse in cognitione angeli: Et ita is esset ordo, vt primo notaretur esse in verbo: deinde in proprio genere, vltimo in angelica cognitione. Sed secundum hoc sicut angelus cognouit in se firmamentum factũ, ita in se cognouit se factum: ergo nulla est differentia: Ideo videtur; quod quia alius est modus loquendi in hoc secundo die & in alijs: propter hoc dico sine præiudicio melioris sententiæ, quod in omnibus operibus intelligitur triplex esse: in Deo tanquam in principio; esse in proprio genere; & esse ad ipsum, inquantum est finis: & ita notatur perfectio. Sed duplex est esse ad ipsum in quantum est finis, vt in se sit ad ipsum vt ad finem, & vt rationalis creatura se & alia referat ad Deum tanquam finem, & hæc vocatur perfectio secunda, vt ergo ostenderet quod hæc perfectio secunda non fuit in rationali creatura angelica quoad cõmunem angelum, & hoc propter opera eorũ, quæ fuerunt in secunda die: vnde non dixit, vidit Deus, quia bonũ est, sed vt ostenderetur; quod non defuit prima perfectio, prout res in se refertur ad Deum tanquam ad finem, dictum est: Et fecit Deus. Vnde Hugo *Fortasse quia binarius signum est diuisionis, qui primus ab vnitate procedit: Sacramentum magnum cõmendatur: & non sunt laudata opera secunda, non quia bona non essent, sed quia malorũ signum essent, prima n. opera fecit Deus, & illa omnia valde bona erant, quibus vero inerat corruptio, non deerat perfectio: Sed venit deinde diabolus & homo; & fecerunt ipsi opera sua, & erant opera secunda post prima; mala post bona, & voluit Deus videre opera ista, quia mala erant, sed quæ per sapientiam vidit, per iudicium approbabit.* Hugo lib. 1. de Sacra. par. vide per totũ.

¶ SI vero obijciatur: quod in alijs diebus nõ est dictũ, & fecit: Respondendũ est, quod in illo quod dicit [*& vidit Deus quod esset bonũ*] intelligi etiam datur [*& fecit*] perfectio n. secunda ponit primam: & non econuerso, & ideo cum dicitur: Vidit Deus, quod esset bonum, intelligitur: Et fecit in quo notatur prima perfectio.

ARTICVLVS III.

An firmamentum, factum in medio aquarum, ex eadem materia, sc. aquea factum sit? & an sit sphærica figura.

AD tertium, quo quæritur de ipso firmamento, quod factũ est in medio aquarũ, vtrum ex eadem materia factum est. Quod si factum est ex eadem materia, quomodo dicitur firmamentum? cum natura aquæ sit fluxibilis. Si vero non ex eadem materia, sed ex alia: quomodo dictum est, quod factum sit in medio: medium n. cõmunicat cum extremis. ¶ PRÆTEREA, quæritur de figura firmamenti, vtrum sphæricam habeat figurã? Et videtur, quod sic per hoc, quod orbiculariter mouetur, & hoc ex ipsis stellis deprehenditur. ¶ PRÆTEREA, si posset ex omni parte radius oculi dirigi; notum esset, quod ex omni parte conuexum videretur. Sed si hoc est; quid est quod dicit Psal. *Extendens cœlum sicut pellem.* Alibi vero, sicut dicit Aug. *ponitur quod cœlum sit sicut camera.* ¶ PRÆTEREA, si firmamentum mobile est, quomodo dicitur, quod est firmamentum: firmamenti enim nomine firmum quid intelligere videtur. Psal. 101. Aug. super Gen.

RESOLVTIO.

Est quidem ex eadem materia informi, [illegible] materia propria, motuq; suus satis [illegible] sphærica figura esse.

¶ Ad quod dicendum, quod cœlum, quod dicitur firmamentum; videtur esse ex eadem materia informi: de qua dicitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas: non tamē ex eadem materia propria: imo sicut differt cœlum crystallinū à firmamento, & aquæ inferiores congregatæ in vnum locum; differunt à firmamento: ita differunt materiæ singulorum.

¶ Ad secundum dicendum, quod sphæricæ est figuræ, sicut attestantur Philosophi, & deprehendunt hoc ex motu. ¶ Qvod aūt dicitur esse sicut pellis; hoc non est sicut pellis extensa in rectum, sed sicut pellis vesicæ, quæ extenditur in conuexum. Vnde non est contrarium in illa littera, quam ponit August. quod extenditur sicut camera: camera enim contegit existentes in ea: ita cœlum ex omni parte contegit.

¶ Ad tertium dicendum, quod non est contrarium firmamento esse mobile ex omni parte, vel moueri: firmamentum enim dicitur non propter stationem; sed propter firmitatem, & intransgressibilem terminum aquarum superiorum.

ARTICVLVS IV.

Cur firmamentum vocatum est cœlum.

ARTICVLVS quartus occurrit circa hoc, quod sequitur. Vocauit firmamentum cœlum. Potest enim quæri, si in principio dixit cœlum informiter, sicut exponunt Sancti: nunc autē vt plene formatum: videtur, quod nullum aliud sit cœlum in forma perfecta, nisi firmamentum, & ita nec cœlum empyreum, nec aqueum, cum tamen sint superiores cœli.

RESOLVTIO.

Vt ostenderetur, quod hoc cœlum est, quod ex superioribus nobis primo apparet, celatq; reliquos superiores cœlos.

¶ Ad quod videtur dicendum, quod sicut superius per cœlum & terram; quæ sunt magis sensibilia: voluit manuducere intellectum nostrum ad insensibilia: & non tantum ad alia sensibilia. Ita cum nunc vocat firmamentum cœlum, hoc non est, vt excludatur mentio cœli empyrei, sed vt ostendat, quod hoc est illud cœlum de superioribus, quod primo apparet nobis inuisibile: vnde & illud potest dici cœlum, quod cœlat nobis superiores cœlos.

Cœlum, à cœlando.

QVÆSTIO LI.

De opere tertiæ diei.

In tria Membra diuisa.

D. Tho. 1. par. q. 69. DEINDE quæritur de opere tertiæ diei. ¶ Circa quod quæruntur tria: ¶ Primo de ordine verborum. Secundo de ornatu terræ. Tertio, vtrum spinæ, & arbores infructuosæ [illegible] sunt productæ.

MEMBRVM I.

[illegible] tria circa ordinem verborum tertiæ diei.

Dubit. 1. Gen. 1. AD primum quæritur; Propter quid, sicut in præcedentibus diebus dictum est, *fiat lux*, & *fiat firmamentum*, hoc verbum fiendi non ponitur: nunquid hoc est, quia terra [illegible] prius, & aquæ similiter, cum dicitur: *Creauit cœlum [illegible], & Spiritus Domini ferebatur super aquas?* Quod [illegible], tunc [illegible] diceretur factum, non oporteret dicere, hic [illegible]. Ibid.

Dub. 2 ¶ Præterea, tunc locutus est de terra incomposita & inuisibili, & [illegible] informi materia similiter de aquis: vnde necesse fuit hic loqui de factura aquarū & terræ. Dub. 3. ¶ Item ornatus terræ & aquarum in duobus diebus distinguebatur: sicut ornatus cœli per se, deberent ergo duo dies spectare ad facturam terræ & aquæ.

¶ Præterea, cœlum habet suum diem per se, in quo factum est: ergo pari ratione terra, quæ est aliud extremum, deberet habere suum diem per se, & similiter medium [illegible] aqua. D.b.c.

¶ Præterea, cum infra fiat mentio de ornatu [illegible] quæ similiter non fit mentio de factura aeris, [illegible] quis. ¶ Item, aquæ erant per totum, quomodo [illegible] potuerunt congregari in vnum, cum non videamus aquam condensari in se; sicut est de aere. ¶ Item, de aquis inferioribus dicitur, quod congregentur in locum vnum, de aquis aūt superioribus non est hoc dictum cum tamen & aquæ superiores suum habeant locum, sicut & aquæ inferiores. Dub. 5. Dub. 6.

¶ Ad primum dicendum, secundum Augustin. quod non fuit simile de aquis, & terra; sicut de luce & firmamento, cum enim factio ad speciem pertineat; lux autem & firmamentum speciem habeant valde distantem à materia informi: rectè voluit hoc per verbum fiendi demonstrari: Aqua autem & terra, licet species receperint in tertio die; tamen quia maximè accesserunt ad materiam informem, quæ prius dicta fuit nomine terræ, vel aquarum: ideo voluit sub aliquo modo loquendi eorum facturam designare, dicendo: *Congregentur*, vt notetur quod prius erant in confusione: tunc autem distinguerentur, & sic in vno quoque iterum dierum vna notaretur distinctio. Vnde Augu. *Acceperunt hæc duo species illas proprias & notissimas nobis, & tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem.* Et ideo de aquis dictum est: *Congregentur aquæ*: de terra: *Appareat arida*: aqua enim est labiliter fluxa; terra stabiliter fixa. Aug. super Genes. Lib. 2. c. 12. in fine. Genes.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod aliter fit distinctio dierum triumpræcedentium: & aliter trium subsequētium. Nam tres præcedentes sumuntur secundum triplicē distinctionem lucis à tenebris, aquarum superiorum ab inferioribus per medium firmamentum distinctarum; & aquarum ab arida, id est, terra: tres autem sequentes, qui pertinent ad ornatum: non sic. Cum enim lux primo resideret in cœlo empyreo: cœlum autem empyreum nullum habuit ornatum corporalem, sed spiritualem, scilicet angelos, qui non ad factionem corporum pertinebant: non enim sunt ex cœlo empyreo: propter hoc supposito isto ornatu, tacuit de illo in illis diebus, in quibus loquitur de ornatu connaturali. Sydera enim ex eadem materia cum firmamento: natatilia ex aqua: & volatilia: bestiæ vero ex terra: & reptilia, & homo similiter. Omisso ergo cœlo & empyreo, & aqueo, in diebus ornatus locutus est de firmamento, quod ponitur in genere ornabilis, & terra aliud extremum, aqua vero cum aere medium, & secundum hæc fit distinctio ex parte ornatus: hoc autem est, quia cœlum empyreum cum sit vniforme per totum, & supremum corporum, non indiguit habere ornatum ex parte corporum: cum sit corpus perfectissimum ex parte corporum in prima compositione vniuersi: sed habuit ornatum spiritualem: respectu enim illius habuit, & habet perfectionem.

¶ Ad tertium dicendum, quod terra & aqua plus appropinquant sibi in materia & forma, quam cœlum cum altero illorum, eadem est enim materia secundum transmutationem aquæ & terræ: cœli autem materia est ingenerabilis & incorruptibilis, id est, quæ non corrumpetur, nec secundum partem, nec secundum totum: & ideo in vno die coniunxit ista duo, quæ in se inuicem erant confusa.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod sub aeris ratione non fit mentio, sed sub ratione aquarum, & dicitur: *Aues multiplicentur super terram*: non dicit, in aere, & ita sicut ibi tantum loquitur de aquis, ita & hic. Genes.

¶ Si vero quæratur, quare non fit mentio de factura aeris sicut aquæ & terræ. Responsio, quod loquitur vt apprehendentibus sensibilia: & ideo loquitur de aqua, & terra; quæ videri possunt: aer autem non videtur: & ideo non fit mentio nec in opere distinctionis, nec ornatus de aere, sed totum notificat per cœlum, & terram, & aquā; datur enim intelligi aeris distinctio à terra in distin-

distinctione aquarum: cum enim congregantur aquæ, cum non sit vacuum, necesse est aliquod corpus replere spacium.

Aug. contra Manichæos. lib. 1 cap. 12. Gen. 1.

¶ Ad illud vero, quod quinto obijcitur. Respõdet Augustin. quod cũ dicitur: *Congregetur aqua, quæ sub cœlo est*, in congregationem vnam: hoc dicitur, vt illa materia corporalis formetur in eam speciem, quam habent istæ aquæ visibiles: ipsa enim congregatio in vnum, ipsa est aquarum formatio istarum, quas videmus: omnis enim forma ad vnitatis regulam cogitur. Et quod dicitur: *Appareat arida*; quid aliud dici intelligendum est, nisi vt illa materies accipiat visibilem formam, quam habet nunc terra ista, quam videmus & tangimus? Superius ergo, quod nominabatur terra inuisibilis & incomposita, materiæ confusio & obscuritas nominabatur, & etiã nominabatur aqua, super quam ferebatur Spiritus Dei; eadem rursus materia nominabatur. Nunc vero aqua ista & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur; antequam formas istas, quas nunc videmus, acciperet. Vel potest dici, sicut alij sentiunt, quod illa congregatio fuit condensatio in parte vna, & rarefactio ex parte altera: vt ex parte aeris esset rarefactio, & maioris loci occupatio, ex parte aquæ condensatio, & minoris loci occupatio.

Hugo lib. 1. de Sacramentis par. 3. cap. 19.

¶ Ad sextum dicendum est, quod de aquis inferioribus dictum est, quod congregentur; quia minorem locum occupabãt in specie aquæ: superiores enim aquæ magis dilatabantur. Hugo vero ad mysterium refert. Vnde dicit: *Est in illo, qui interius fabricatus est mundo; quoddam huius operis formam & exemplar habens, vbi terra quadam deorsum posita consistit, sensualis natura hominis: cœlum autem sursum puritas intelligentiæ, & quasi quodammodo immortalis vitæ motu vegetata ratio. Duas vero tam dissimiles in vno homine naturas magna quædam desideriorum moles, hincinde fluctuantium, & in contraria sæpe motu alterno tendentium oberrat: quia & aliud est, quod subtus caro ex infirmitate pressa appetit, & aliud, quod Spiritus sursum per contemplationem veritatis eleuatus intendit. Sed fit aliquoties, vt contrarij motus confusionem gignant: nisi ratio media interueniens, diuidat abinuicem, & discernat voluntates & appetitus: desideriaq́; diiudicet, quid sit videlicet, quod ex carne deorsum trahit; quid quod ex Spiritu in superna inhiat, summum illud & immortale bonum ambiens: Nam ipsa ratio quasi quadam iudicij censura in medio se collocat, atque hinc supercœlestes aquas: illinc autem eas, quæ sub cœlo sunt, separatim disponit: non potest inferior corruptela superiorem partem animæ inficere: neque ipsa, quæ sursum est, sinceritas ad ea, quæ subter sunt abiecta & vilia, sese inclinare.*

MEMBRVM II.

Cur ornatus terræ ad peculiarem, & separatum diem non pertineat?

Gen. 1.

AD secundum membrum, quia dixit Deus *Germinet terra*, & quæstio est, propter quid iste ornatus terræ nõ pertinet ad diem separatum: sicut est de animantibus formatis de terra. ¶ Præterea, sicut in prima die dicitur: *Fiat, & factum est: & vidit Deus, quod esset bonum*: in alijs diebus per æquipollentiam: præterquam in secundo: ita & hic dicitur; *Germinet terra*, &c. & post dicitur: *Et factum est, & vidit Deus quod esset bonum*: Et ita videtur, quod ad vnum diem separatum pertineat.

Ibid.

¶ Forte dicetur, sicut dicit Augustin. quod iste ornatus ad eundem diem pertineat: quia herbæ & arbores fixæ sunt radicibus, & ita connumerantur cum terra: Non sic autẽ de animantibus, quæ facta sunt in sexto die, vel quinto die. ¶ Sed obiicitur in contrarium per ornatum, factum in quarto die: sol enim & luna, & sydera facta sunt in quarto die: & pertinent ad ornatum firmamenti, & fixa sunt in firmamento, sicut dicunt philosophi, ergo per prædictam rationem deberent in secundo die cum firmamento computari, sed non computantur, ergo non est hæc ratio, propter quam arbores & herbæ sub vno die cum terra computantur.

Philos. Ex 2. de cœlo & mundo. tex. 41 & inde.



RESOLVTIO.

Arbores, herbæ, & huiusmodi ad terræ ornatum pertinentia ideo eodem die, nec diuerso cum terra producta sunt; quia naturam propinquã terræ habent; imo eidem infixa sunt, & ab ea sic infixa prodeunt: Quod minime est de animantibus, quinto, vel sexto die ideo creatis, quia licet & ipsa terrestria sint, non tamen ita huic commixta & infixa sunt, sicut illa.

Gen. 1. Philos. Occurrit tacitæ obiectioni.

¶ Responderi potest: vel sẽdm opinionem illorũ, qui dicunt sydera habere proprium motum, quam opinionem recitat Aug. vel si fixa sunt in suo orbe, sicut dicit Philosophus: distinguendum est inter fixum, & fixum. Est enim quoddam fixum, quod oritur ex illo, cui est infixum: & est aliud fixum, quod factum est in illo, cuius est ornatus: Primo modo dicitur de herbis & arboribus: secundo modo dicitur de sydetibus. Vnde primo modo dicit: *Germinet terra*, &c. secundo dicit: *Fiant luminaria in firmamento cœli*, &c. Fixum ergo, ꝙ oritur ex terra, sicut dicit Philosoph. quod terra est mater herbarum; computatur in eodem die cum illa: aliud vero fixum non cõputatur. ¶ Et licet dicatur, quod terra producat reptile: Hæc productio animantiũ est, vt animantia accipiant materiam quodammodo elõgatam ab ipsa terra: elementa enim cõmixta cum terra sunt materia animantium, & vltra commixtionẽ habent quandam aliam permixtionem. In herbis vero est commixtio, & habent naturam propinquam terræ: hoc autem est alterius considerationis.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet dicatur hoc per æquipollentiam: *Fecit, & factum est; & vidit, quod esset bonum*: non tamen propter hoc debebat dici separatio diei, sed vnum factum dupliciter approbatur: Terra enim fuit sub duplici ratione, cum apparuit: habebat enim propriam naturam, secundum quam dicebatur arida: habebat etiam cum humore commixta, ratione cuius germinabat herbas, &c. & sic vnum factum dupliciter commendatur.

Dubitatio

¶ Sed quare de materialibus non est facta mentio, vt lapidibus, & huiusmodi: Responsio videtur, quia hæc in terra latebant. Vel fortè metalla & lapides preciosi post per operationem superiorum corporũ, habentium efficaciam in terra, hic prodierunt.

MEMBRVM III.

An spinæ & arbores infructuosæ tunc, scilicet tertio die productæ sint?

AD tertium, quo quæritur de hoc, quod dicitur secundum aliam translationem. *Germinet terra herbam pabuli*. Quæritur enim de spinis, vtrum tunc productæ sint: similiter de arboribus infructuosis? Quod nõ, videtur ex ipsa virtute litteræ; dicit enim *herbam pabuli*: similiter *lignum faciens fructum secundum genus suum*.

RESOLVTIO.

Augustinus illas post peccatum productas innuere videtur: Damasc. autem ratione eius quod florum & fructuum habent, tertio die censet productas: à vero secundum id, quod habent infructuositatis & punitionis tales factas illico post peccatum affirmat.

Aug. contra Manichæos. lib. 1. de Gen. cõtra Manichæos. c. 13 to. 1.

¶ Ad quod respondet Aug. ita dicens: *Ergo dicendum est, quod per peccatum hominis terra maledicta sit, vt spinas pareret; non vt ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est, sed vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret: quo admonerentur aliquando à peccatis auerti, & ad Dei præcepta conuerti: Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitium mortalium creatæ sunt, & hoc totum propter peccatum: quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas vero arbores insultatur hominibus vt intelligant, quam sit erubescendum hominibus, sine operibus bonis in agro Dei esse, hoc est in Ecclesia: & timeant ne deserat illos Deus: quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quod terra protulerit, nisi herbam pabuli, & ligna fructuosa: post peccatum vero videmus horrida & infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam, quã diximus.* Posset tamen dici aliter, quod spinæ & habent iocunditatem ratione florum & fructuum: & habent pun-

ctionem. Ratione ergo iocunditatis & fructuositatis possunt dici factæ in tertio die, & ita videtur dicere Damasc. Ratione vero punctionis, & infructuositatis post peccatum sic sunt conuersæ.

QVÆSTIO LII.

De opere quartæ diei; quod est de ornatu cœli.

In duo membra & in quatuor Articulos diuisa.

D.Tho 1. par.q. 70. Ex S. Bon. collige in 2.d.15.

SEQVITVR de his, quæ pertinent ad ornatum. Ornatus autem est triplex, secundũ tria genera locorum: cœlum, & terram, & corpus medium; quod continet aerem, & aquam. Primo ergo agit de ornatu cœli. Secundo de ornatu corporis medij. Tertio, de ornatu corporis vltimi. Sic enim ordinantur secundum gradum nobilitatis, & sic determinabantur in sua factione: primo firmamentum, quod dictum est cœlum: deinde aqua in sua specie: tertio terra, quæ dicta est arida.

¶ AGIT autem hic de ornatu cœli, siue firmamenti. Primo ostendit progressum luminarium, quæ ad ornatum spectant, à sua causa: cum dicitur, *Fiant luminaria.* Secundo designat ea in proprio genere: *Et factum est.* Tertio perfectionem secundum sua genera. Quarto comparationem ad finem. Et possunt hæc quatuor distingui secundum quatuor causas. Primum ad efficientem. Secundum ad materialem causam dispositam. Tertium ad formam completam. Quartum ad causam finalem. Primo ergo ostendit facturam luminarium. Secundo, ad quem vsum: & ostendit multiplicem vsum, scilicet distinctionem diei, ac noctis, significationem impressionum quarundam inferiorum, distinctionem temporum, ornatum cœli. (Gen. 1.)

MEMBRVM I.

Ex quo tanquam ex materia propinqua facta sint luminaria?

CIRCA primum quæritur hoc, quod in alijs diebus pertinentibus ad ornatum dicit: *Producat*, &c. in hac autem die, fiant luminaria: Nec dicit, ex firmamento, sed *in firmamento*: Ideo potest quæri, ex quo facta sint luminaria tanquam ex propinqua materia. (Ibid.)

RESOLVTIO.

Ex illa luce, quæ primo die facta est.

¶ AD quod facit, quod lux, quæ facta est in primo die, non desierit esse: hæc n. magis videtur conuersa in luminaria vt quæ prius distinguebat diem, & noctem; tunc ampliori modo vsui accõmodata, & eidẽ modo perfectiori; eo quod in eo fit lumen perfectius, & distinctius: Rectè ergo videtur dictum, ꝙ luminaria sint perfecta in firmamẽto, non ex firmamento: sicut dicitur in sequentibus. *Producant aquæ*: Producat terra. Et est modus talis loquendi; quemadmodum si poneretur gemma preciosa in annulo ad decorem annuli: vnde infra sequitur: *Et posuit ea in firmamento cœli.* (Gen. 1.)

Dubitatio

¶ SED tunc vltra quæritur, quid dicatur hic firmamentum. Solemus enim dicere firmamentum, in quo sunt stellæ fixæ: Sed sic non potest accipi: nam loquitur hic de luminaribus, sole, & luna: hæ autem luminaria non sunt in firmamento, id est cœlo stellarum fixarum: ergo sic non potest accipi firmamentum. ¶ PRÆTEREA, ad quid dixit: *Firmamentum cœli*, & non cœlo. (Ibid.)

¶ AD quod dicendum, quod firmamentum hic accipitur pro toto corpore, in quo sunt stellæ fixæ, & quæ dicuntur erraticæ: vnde continet hic septẽ sphæras secundum Philosophos, scilicet cœlum stellatum, & cœlos; in quibus sunt septem planetæ.

¶ AD aliud dicendum, quod signanter dixit: *In firmamento cœli*, vt designaret illam partem cœli, quæ est supra cœlum æthereum, id est, in illa parte, quæ diuidit aquas superiores, & inferiores.

MEMBRVM II.

Ad quem vsum facta sint luminaria?

AD secundum, quo quæritur; Ad quem vsum facta sint luminaria, circa hoc quæruntur totidem articuli. Primus est de primo actu lucis, & ad quid terminatur. Secundus de distinctione temporũ, & qualiter sunt in signa, & de anno lunari, & solari. Tertius de magnis luminaribus, videlicet sole, & luna. Quartus de ornatu cœli, cum additur, & stellas, & de quibus stellis intelligitur; vtrum de fixis tantum, an etiam de erraticis, & quo motu moueantur.

ARTICVLVS I.

Actus primus lucis quis, & ad quid terminetur?

DEINDE sequitur: Vt luceant super terram. Notatur hic primus actus lucis, & ad quid terminatur. Reflectitur enim radius lucis ex resistentia terræ, vel corporis terrestris, & licet luceat super aerem, vel super aquam: tamen non dicitur hoc; quia virtus in suo vltimo determinatur, & in illo alia dantur intelligi. ¶ *Et præsint diei ac nocti*: alia littera habet. Sint in inchoationem diei ac noctis: Ratione cuius objicitur. Nonne ex præsentia solis super terrã est dies, ex absentia eius est nox: ergo sol est ad vtrumque, cum per ipsum distinguatur vespere, & mane. (Gen. 1.)

¶ PRÆTEREA, contingit: quod luna non semper luceat in nostro hemisphærio in initio noctis, quid ergo erat dicere: Et sint in inchoationem diei, & noctis, tanquã luna esset in inchoationem noctis, semper lucens in nostro hemisphærio?

RESOLVTIO.

Vt luceant super terram: præsintq; diei, ac nocti, sol scilicet diei, luna nocti.

¶ AD quod dicendum, quod nostra translatio apertius designat, quæ dicit: *Vt præsint diei, & nocti.* Sol enim præest diei in lumine, & luna præest nocti, non quod semper luceat luna in nocte (cum enim coniungitur soli, non tunc apparet lumen eius,) sed hoc est, quia dominatur in die, & nocte quo ad effectus, qui maximè penes ista luminaria distinguuntur, sed ipsa essentia noctis per defectum solis in nostro hemisphærio determinatur. (Ibid.)

¶ AD secundum dicendum, quod (sicut dicit Augustinus) per inchoationem designatur principium, nomine vero principij designatur principatus: sic enim est in Græco, quod dicitur archin: vnde notatur principatus solis tanquam luminaris in die, & lunæ tanquam luminaris in nocte. Vnde August. *Si per inchoationem principium intelligas, & principium principatum, manifestum est, quoniam sol per diem principatum tenet, luna per noctem: quia etsi cætera sydera tunc appareant, illa tamen suo fulgore omnia superat, & ideo princeps eorum rectissimè dicitur.* (ἀρχήν. Aug. contra Manichæos.)

¶ ADHVC etiam quæritur de hoc, quod dicitur: Diuidant diem, & noctem; cum prius facta fuerit diuisio diei, & noctis.

¶ AD quod dicit Augustin. *quod licet prius fuerit diuisio diei & noctis, non tamen per diuersitatem luminarium, vt vnum luceat de die, aliud de nocte.* Vnde dicit August. *sic dictum est. Diuidant diem, & noctem, tanquam si diceretur; sic inter se diuidant diem, vt soli dies detur: nox vero luna, & syderibus cæteris: quæ duo iam diuisa erant, sed nondum inter sydera; vt iam certum esset de syderum numero, quid per diem, quid per noctem appareret hominibus.* (Idem contra Manichæum. Idem cõtra eundẽ.)

ARTICVLVS II.

Quid est dictu, vt luminaria sint in signa, & tempora, & dies, & annos?

DEINDE quæritur de hoc, quod dicitur [*in tempora, dies, & annos, & signa.*] Qualiter enim sunt in signa: nonne præter solem, & luna, & planetas posita signa in cœlo. Vnde zodiacus signifer dicitur. ¶ PRÆTEREA, nonne sunt signa plurima in cœlo prệter illa duodecim, sicut dicunt Philosophi, quæ vergunt ad austrum, vel aquilonem. Quid ergo est, quod dicitur de sole, & luna, & planetis. (Gen. 1.)

¶ ITEM,

¶ ITEM, si Sol, & Luna, & planetæ sunt signa eorum, quæ fiunt in inferioribus; nunquid determinant causas aliquorum, & si sunt causæ aliquorũ, vel signa; quorum sunt causæ, vel signa, nunquid omnium. Quod autem sint causæ pluuiæ & siccitatis, caloris & frigoris; videtur per hoc, quod cum Sol appropinquat ad Cancrum, maior est feruor frequenter: tunc enim est quasi super zenith capitum nostrorum: cum autem vergit ad Capricornum; maior est intemperies frequenter: eodem modo magis videmus tonitrua fieri in vere vel æstate, quam in hyeme: dicit enim Philosophus inquiens causam generationis & corruptionis quod Sol per sui allationem & ablationem causa est vniuersalis horum: licet aliæ sint causæ particulares. ¶ PRÆTEREA ex ratione causæ arguitur. Causa enim est ad cuius esse sequitur aliud per se, & non secundum accidens: sed motum luminarium per se, & non secundum accidens sequitur ista variatio, sc. excedentia frigoris, caloris, &c. ergo hæc luminaria sunt causa horum.

Philos. 2. de Generat. & corrup.

Et 7. Metaph. tex. comm.

Damasc.

¶ CONTRA Damasc. *Nos autem dicimus, quoniam non ipsa sunt causa alicuius eorum, neque corruptionis alicuius eorum quæ corrumpuntur: signa magis sunt imbrium & transmutationis aeris.*

¶ ITEM, supposito quod aliquo modo dicantur esse causæ aliquorum in inferioribus: potest quæri vtrum omnium. Et videtur, quod sit variatio in mineralibus secundum hæc luminaria: vnde dicunt secundũ aspectũ luminarium metalla fieri diuersa in diuersis terris: quædam n. abundant in auro: quædã in argento, &c. Similiter manifestum est, ꝙ diuersitas planetarum est in diuersis regionibus secundum aspectum istorum luminarium, maximè solis & lunæ: Eodem modo diuersitas in animalibus: quædam n. plus abundant in vna regione, quam in alia: & vnde hoc esset, nisi ꝙ quædam regiones calidiores sunt alijs: quędam frigidiores. In homine etiam videmus variationem ex parte corporũ: quidam n. sunt vnius caloris magis, quidam alterius: quidam passibiliores: quidam minus passibiles: ex parte vero animæ quidam sunt irascibiliores: quidã temperationes quidam promptiores ad vnum peccatum quã ad aliud. Ex quo videtur, quod causatio illorum luminarium extendat se ad omnia inferiora.

Damasc.

¶ CONTRA Damascen. ponit rationes, quod non sunt causæ eorum, quæ sunt in nobis. Vnde dicit: *Nos dicimus quoniã signa quadam ex ipsis sunt imbris, & siccitatis, frigiditatis & caliditatis, & humiditatis: & horum taliũ: Nostrorum aũt actuum nequaquam: nos n. liberi arbitrij à conditore facti, nostrorum Domini existimus actuum. Si enim ex astrorum allatione agimus, secundum necessitatem agimus, quod agimus: quod autem necessitate fit, neque virtus, neque malitia est: si autem neque virtutem, neque malitiam habemus: neque laudibus, neque vituperationibus existimus digni, vel tormentis.* [*Inuenietur autem & Deus iniustus; his quidem bona, illis tribulationes dans, sed neque gubernationem, neque suarum creaturarum Deus faceret prouidentiam: sed & rationale superfluum in nobis erit, nullius n. existentes actus Domini, superfluè consiliamur: rationale autem omnino consilij gratia datum est nobis: vnde omne rationale & arbitrio liberum est.*

RESOLVTIO.

Luminaria, imo & quæcunque corpora cælestia signa sunt; quia aliquam significationem præbent super hæc inferiora. Nec quidem ita, vt omnium horum inferiorum necessaria causa sint: quandoquidem de eis omnipotens Deus ad libitum disponere potest: & minimè voluntates nostræ ab eis cogi possunt, sed eorum tantum, quæ fiunt vt frequenter, puta siccitatis, frigiditatis, &c. Dicuntur postea, in tempora, scil. ver, æstas, autumnus & hyems: in dies, sc. lõgiores vel breuiores: & annos, tum solares, tum lunares, quæ omnia ex cursu solis & lunæ constituuntur.

¶ AD quod dicendum, quod omnia signa, quæ sunt in cœlo; sunt, vel principalia, quæ sunt in zodiaco: vel vergẽtia ad austrum, vel aquilonem, & omnia determinantur per stellas: & vocantur imagines ex plurium stellarum coniunctione. Dicuntur autem signa, quia aliquã significationem præbent super ista inferiora: similiter quinq; planetæ habẽt significationem aliquã secundum differentiã sui motus, vel aspectus super ista inferiora: principaliter vero sol, & luna sunt in signa. Et ideo in alia trãslatione dicitur: Fiant sydera in firmamento cœli: vt per sydera hæc omnia communiter intelligantur: in nostra vero translatione dicitur: Fiant luminaria, & etiam commune est, licet magis specificet de sole, & luna.

¶ AD aliud videtur dicendum (sine præiudicio melioris sententiæ) quod causa dicitur duobus modis. Vno modo illud, quod infallibiliter, & semper producit suum effectum; vel ad minus, sine quo non producitur effectus. Alio vero modo dicitur causa illud, quo mediãte plures producitur. Primo modo non credo luminaria esse causam istorũ effectuum: non n. semper sdm suam dispositionẽ hoc effectus producunt, siue n. horum propria dispositione voluntas Dei, cum expedit; aliquando hos effectus producit etiã, existentibus his in contraria dispositione. Secundo modo possunt dici causa: quia cooperantur ad generationẽ & corruptionem quarundã rerum. ¶ PER hoc põt solui contrarietas inter Ioan. Dam. & Philosophos. Dam. n. loquitur de causa simpliciter: Philosophi vero loquuntur de causa propinqua, vt frequenter. Contingit n. siccitas in hyeme, & abundantia pluuiarum in æstate: & similiter contingit de calore & frigore.

¶ AD secundum dicendum, quod non omnium dicuntur signa, vel causæ, sed (sicut dicit Ioan. Dam.) *signa aũt frigiditatis siccitatis, &c.* Non aũt sunt signa eorum quæ propriè sunt ab anima rationali: sicut dicit Ioan. Dam. in autoritate supradicta. Vnde cum inuenitur à Philosophis, quod sunt signa iracundiæ vel furoris, vel furti: & ita de quibusdam alijs hominibus. Responsio est: quod cum luminaria faciant immutationem in aëre, & alijs corporibus; per hoc etiam faciunt immutationem in nostris corporibus: anima verò rationalis inclinatur per liberum arbitrium ad sequẽdum immutationem factã in corpore; tunc possunt sequi dispositiones ex parte animæ. Sed harum dispositionum causa est ipsa anima: non enim necesse est ipsam inclinari, vel sequi impressiones vel passiones factas in corporibus. Damasc.

¶ DEINDE quæritur de hoc, quod dicitur [*in tempora & dies*] cum tempora & dies præcesserint: Ad quod dicendũ, quod tempora præcesserunt, & dies: sed non erant luminaria, quæ ita manifestè discernerent dies prius, sicut tunc. Tempora vero possunt dici, ver, æstas, autumnus, & hyems: quæ per motum solis discernuntur: quæ prius non discernebantur. Et hoc dicit Ioan. Dam. Similiter solstitium æstiuale, & hyemale & æquinoctium vernale, & autumnale per hoc distinguuntur; dies etiam licet prius haberent distinctionem: non tamen quam modo habent. Modo enim longiores sunt dies in æstate & breuiores noctes: in hyeme vero econuerso: & ideo rectè dixit: In tempora & dies. De anno autem patet, quod est annus solaris, & annus lunaris, qui determinantur secundum motum luminarium solis & lunæ. Vnde August. *In signa, & tempora dictum est: vt per hæc sydera tempora distinguantur, & ab hominibus dinoscantur: quia si currant tempora, & nullis distinguantur articulis; qui articuli per syderũ cursum denotantur: possunt quidẽ currere tempora atque præterire, sed intelligi & discerni ab hominibus non possunt: sicut hora, quando nubilus dies est, transeunt quidem, & sua spacia peragunt, sed distingui à nobis, & notari non possunt.* ¶ SED obijcitur, si luna fuit condita cum sole, propter quid annus lunaris non continet tot dies, quot solaris? Annus n. solaris continet trecentos, sexaginta quinq; dies cum quadrãte: vnde cõputantur in anno bisextili trecenti & sexagintasex. Annus vero lunaris continet trecentos quinquagintaquatuor. Ad quod respondetur, quod fuit conditus in quarto die mundi: luna vero fuit condita perfecta siue plena, sicut dicit Damasc. decebat enim eam completam in lumine fieri. August. tamen non hoc diffinit, sc. quod in plenilunio, sed quod perfecta, sic arguit, quia à perfectissimo conditore condita. Cum ergo luna esset condita plena: Sol autem in quarto die mundi, oportuit quod anticiparet cum sole vndecim diebus: vt sic esset quintadecima: & sic esset quasi in oppositione solis & ex hoc processu tempus accidit, quod annus lunaris excedebatur ab anno solari: sicut dicit Damascenus.

Quæstio lateralis. Genes. 1.

Aug. contra Manichæum.

* *
*

ARTICVLVS III.

Quare Luna dicatur luminare magnum: si ex maiora luminaria dantur.

AD tertium articulum, quo agitur de hoc, quod sequitur. Fecit duo magna luminaria maius solis, minus lunæ. ¶ Sed obijcitur, quod aliqua luminaria sunt maiora lunæ: & hoc probant per distantiam corporum, & apparitionem: quare ergo dixit de luna potius, quam de aliquo alio luminari.

RESOLVTIO.

Vel quia supra cætera dominatur nocti: vel quia nobis magis propinqua.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicitur: Vt præesset nocti. nullum enim luminare quantumcunq; sit, in nocte tantum dominatur in illuminatione, quantum luna dominatur. Præterea propinquior est nobis: vnde ampliorem inducit effectum, & plures.

ARTICVLVS IV.

De quibus stellis intelligi debeat id, quod circa ornatum cœli additur in Genesi. Et stellas: num de fixis, aut de erraticis? Et quo motu moueantur: motu, scil. proprio, an ad motum sui orbis.

AD quartum, vbi agitur de ornatu cœli; cum additur [*& stellas*] quæritur n. de quibus stellis intelligitur; vtrum tantum de fixis; aut de erraticis. ¶ Et videtur, quod de erraticis: quia connumerat cum sole, & luna. ¶ Econtra videtur de fixis, quia dixit, quod posuit eas in firmamento.

RESOLVTIO.

De vtrisq; stellis communiter intelligendum est, sc. fixis, & erraticis: Quo autem motu hæ stellæ moueantur, relinquatur ijs, qui circa hæc noctu interdiuq; negociantur.

¶ Ad quod respondetur: quod communiter loquitur de stellis, siue quæ dicuntur fixæ: siue quæ dicuntur erraticæ. ¶ Ad illud, quod dicitur posuisse eas in firmamento. Dicendum, quod firmamentū ibi accipitur pro tota parte quintæ essentiæ, quæ continet omnia luminaria. ¶ Sed adhuc quæritur ratione huius verbi [*posuit*] vtrum luminaria moueantur suo motu: ad motū sui orbis. Si n. positum dicitur illud, quod est fixum. videtur quod non suo motu moueātur, sed motu suæ sphæræ. ¶ Præterea, si proprio motu mouerentur, aut diuiderēt corpus suæ sphæræ, aut non diuiderent. Si non diuiderent, tunc duo corpora essent simul in eodem loco, quod est inconueniens. Si vero diuiderent: tunc reciperet quinta essentia sectionem: quemadmodum aer, & aqua: & ita esset corpus rarefactibile & densabile, sed quod tale est, corruptibile est, cum ergo superiora corpora de voluntate Dei sunt, quod non corrumpuntur, non rarefiunt; nec densantur. ¶ Præterea hoc attestatur plus habere de materia, vel minus: nam rarum est, quod plus de loco habet & minus de materia, densum ecōuerso, ergo cum hæc non conueniant illi corpori; non est illud corpus rarefactibile, aut densabile. Restat ergo ex his rationibus, & alijs, quas ponit Philos. quod non mouentur proprio motu, sed motu sui orbis. ¶ Præterea, superfluum esset ponere ipsa per se moueri: cum nihil aliud facerent suo motu, quam ea quæ fiunt à motu orbium suorum.

Philos. Ex 2. de cœlo & mundo. concl. 43. & deinceps.

¶ Alii vero volunt ex opposito dicere, quod si mouerentur tantum motu sui orbis: aut mouerentur orbes motu firmamenti propter continuitatem: & tunc necesse esset, quod planetæ essent in vna dispositione; cum firmamētum semper vno motu moueatur, aut quod eorum orbes haberent proprium motum, & si habent proprium motū, aut mouentur ab oriente in occidentem; sicut firmamentum, & tunc cum secundum maiorem nobilitatem corporum & minorem sit motus naturalis, in qua distantia se haberent orbes planetarum à firmamento, in illa siue secundū illam proportionaliter essent motus, & ita quam cito firmamentū, quod est superius & nobilius, fecisset suam reuolutionem, tam cito alij orbes facerent suam, & sic accideret illud, quod prius. Restat ergo quod moueantur cōtra firmamentum, sed si non mouentur econtrario cum fortius motum vincat semper minus potens, necesse est vt firmamentum reuolutione sua faciat illos orbes reuolui ab oriente in occidentem. & hoc apparet ex hoc, quod sol in motu diurno reuoluitur ab oriente in occidentem, & ita de alijs, nisi ergo aliquis esset proprius motus ipsorū cum hoc, non acciderent illæ variationes, quæ modo accidunt. Inueniuntur n. planetæ in qualibet reuolutione sub alio puncto, quā fuerunt in præcedenti reuolutione, cum ergo hæ variationes sint manifestæ in planetis, necesse est, aliquem motū orbium esse contra firmamentum. Quid est ergo, quod dicitur [*posuit ea in firmamento*] imo in alio corpore posita sunt illa sydera, quod naturā habet mouendi econtra ipsi firmamento. Genes. 1.

¶ Præterea, secundū hæc tollerentur motus lunæ, qui dicuntur differentes esse secundum astrologos, secundum eccentricum & epicyclum, & alios circulos; quos ipsi assignant: tollerentur etiam retrogradationes, & progressiones, & aliæ variationes, quæ in illis assignantur, si motum proprium non habeant: Nec hoc obstat, quod dicitur quod cœlum non recipit diuisionem, & ita non possit planeta moueri per spaciū cœli, cum videatur moueri per aera sine diuisione aeris, nec accidens potest esse, cum moueatur de loco ad locum, non moto aere, in quo est: nec est alia substantia quā corporea: ergo erit corpus motum per corpus aliud non diuisum, quod non est æqualis spiritualitatis, ita dicunt planetam cum sit maioris luminositatis, moueri per spacium corporis cœli; tamen cœlo non diuiso. ¶ Ad quod dicendū, quod siue sic, siue sic posita sint, luminaria in firmamento secundum intentionem supradictam; siue sint fixa in suo orbe, siue per se mobilia, perscrutatio horum relinquenda est eis, qui circa hæc negociantur: hoc supposito, quod dicit scriptura. Si vero altera pars per documenta sacræ scripturæ possit confirmari, illi parti est adhærendum.

¶ Et quia mouentur orbiculariter corpora supradicta; quæri similiter solet. Vtrum moueantur à se, vel ab alio corpore, vel ab aliquo incorporeo, quod non est necesse moueri: nullum autem corpus à se mouetur; cum necesse sit distare substantiā mouentis à substantia moti: nec ab aliquo alio corpore: oporteret n. statum esse: ergo ab incorporeo est primus motus. Huius gratia ponebant quidam superiora corpora esse animata: vt quemadmodum animalia mouentur è diuerso principio naturæ: quod est anima: ita è diuerso moueantur illa corpora; quæ quantum est de sua natura, vel figura; non plus mouentur ab oriente in occidentem, quam econuerso: nisi esset inclinatio motoris, quo moueretur sic, vel sic. Alij posuerunt intelligentias separatas, quibus mouentur ista corpora cœlestia sic, vel sic: & diuersas esse: secundum quas diuersi orbes mouentur. ¶ Ad quod dicedum est secundum expositores sacræ scripturæ, quod non dicēda sunt corpora animata. Vnde Io. Dam. *Nullus animatos cœlos vel luminaria existimet; inanimata n. sunt & insensibiles:* quare & si dicat diuina scriptura: *Lætentur cœli, & exultet terra:* eos, qui in cœlo sunt, angelos, & qui in terra sunt, homines ad lætitiam vocat. Nouit autem scriptura & Prosopopeia, id est, personarū fictione vti, vt de animatis & inanimatis loqui: sicut illud. *Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum. Quid est tibi,* &c. & montes & colles interrogantur sermones exultationis, sicut & nobis consuetum est dicere: Congregata est ciuitas; non ædificia significare volentibus, sed ciuitatis habitatores. *Et cæli enarrant gloriam Dei:* non vocem, quæ auribus sensibilibus auditur emittere, sed ex magnitudine cōditoris nobis virtutem ostendentes: quorum pulchritudinem excogitantes; factorem sicut optimum artificem admiramur & glorificamus. Nec ex eis elicitur, quod oporteat esse tot motores quot sunt orbes: qui mouentur: possunt n. ab vno motore, recipere diuersas inclinationes, & maximè ab illo motore, quem non est necesse agere secundum conditionem materiæ.

* * *

Dubitatio

Vide 12. Metaph. 39. & 2. cœl. conc. 42. & 74. & in Destructio disput. 3 in sol. dub. 3.

Damasc.

Psal 95. Paralipomen. 16.

Psal 113.

Psal. 18.

QVÆSTIO LIII.

De opere quintæ diei.

In duo Membra diuisa.

D. Th. 1. p q. 71.

DIXIT quoque Deus &c. Deinde procedendum est ad opus quintę diei: quod est corporis medij inter cœlum & terram: & describit primo dispositionem agentis de faciendo. Secundo est consideratio eius, vt est à causa propinqua sui generis. Tertio approbatio notatur primi agentis: & hoc est primo esse ab agente: deinde in proprio genere, tertio vt ordinatur ad finem summum: qui est alpha in ratione agentis: & ω in ratione finis: vt sic compleatur illud, quod dicitur. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* (Prou. 16) Circa hoc duo tractanda sunt. Primo circa litteram quędam quęstiones de productione reptibilium: & modo productionis sub suis paragraphis. Secundo, quare facta sit benedictio super productis de aquis, non autem primo super terræ animantia.

MEMBRVM I.

Quare sicut in Genesi mentio fit, vt aqua producat reptilia: non ita similiter mentio fiat de aëre, vt producat volatilia. Et quare nec ignis, nec cœli etherei suus ponatur ornatus?

PRIMO quæritur. Cum faciat mentionem de aqua, vt producat animantia aquatum, quare non facit mentionem de aëre, vt producat animantia aëris, s. volatilia. ¶ ITEM, cur aër & aqua suum habeant ornatum: & corpus ignis, quod dicitur secundum Strabum, cœlum olympium: & igneum non habeant suum ornatum: cum hæc pertineant ad corpus medium? dictus enim erat ornatus cœli, propter quod rectè sequi videbatur ornatus ignis, vel cœli ignei, quæ sunt corpora proxima. ¶ ITEM, aër habet duas differentias, quarum vtraque dicta est cœlum: vna cœlum ęthereum: altera cœlum aëreum, potest ergo quæri, quare cœli ætherei non dixit ornatum, sicut cœli aërei.

RESOLVTIO.

Sub nomine aquæ subintellexit pariter aërem, quippe qui vicinitatem habent ad inuicem, Nec ignis postea, nec cœli etherei aliquis memoratur ornatus: quia in eis nulla viuere possunt animantia.

¶ AD quod dicendum, quod nomine aquæ intelligitur aër, qui sua vicinitate habet humiditatem aquosam: vnde aliquando rorat. Vnde Aug. (Aug. contra Manichæum) *Sciant omnes, qui hoc mouentur, istum aërem nebulosum & humidum, in quo aues volant: à doctissimis hominibus, qui hoc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari.* Concrescit enim & crassus efficitur exhalationibus & quasi vaporibus maris & terræ: & de ipso humore pinguescit quodam modo, vt volatus auium portare possit: ideo per noctes serenat & rorat: cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nam mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, vt in eius cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant: quia excedit altitudine sua totum istum aërem humidum, in quo aues volant, & ideo neque aues ibi volare asseuerantur. Quod ab eis obseruatum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis acumen ascendere, & aliquas notas in puluere scribere, quas integras alio anno inueniebant: quod fieri non posset, si ventum, aut pluuiam ille locus pateretur. Denique tenuitas aëris, qui ibi erat, non eis inspirabat: vnde durare ibi non poterant, nisi spongias humectatas naribus applicarent: vnde crassiorem & spissiorem spiritum ducerent: hi ergo indicauerunt, se nullam auem in eo loco aliquando vidisse. Et in idem consonat, quod dicit idem Aug. super Gen.

¶ SED si quæratur quare illa cõis origo magis nomine aquæ quam nomine aëris intelligatur. Dicendum: quod aqua plus est ordinata ad generationem animantium, quã aër: licet in aëre multæ fiant impressiones propter ascensum aquarum: commixtiones enim ex quibus fiunt generationes animantium, circa medium locum fiunt, & ideo rectius nomine aquæ designauit.

¶ PRÆTEREA, supra dictum est, Spiritus Domini ferebatur super aquas, & deinde dicit de congregatione aquarum, vt appareat arida: ideo continuando rectè hic nominatur aquam, tanquam originale.

¶ AD secundum dicendum, quod licet ignis pertineat ad mediam naturam inter cœlum & terram, non tamen habuit ornatum distinctum: nec secundum sui superiorem partem, quæ dicitur olympium cœlum, nec secundum inferiorem, quæ dicitur igneum: quia non est locus, in quo viuere possent animantia. Si enim non possunt viuere animantia in superiori parte aëris, quę dicitur æther, sicut dicit Aug. in auctoritate supra dicta, eo quod ad ipsum non possunt ascendere vapores: & ita nulla fit ibi commixtio: ergo nec possent saluari: quia res ex eisdem saluatur, ex quibus generatur, multo fortius in cœlo olympio, vel igneo non esset huiusmodi ornatus. ¶ PRÆTEREA, natura ignis est destruere alienum corpus, quod destructibile est. Vnde nõ possunt ibi esse corpora aliena. Restat ergo, quod ipsa lux in vtroque cœlo est ornatus corporis sui, sufficiens suo corpori, vt sicut cœlum aqueum nullum habet ornatum corporeum præter sui perspicuitatem luminosam, nec cœlum empyreum habet ornatum corporeum pręter suam lucem: ita nec habent ista corpora in suo genere alium ornatum, quam lucem. Hoc idem potest dici de cœlo ęthereo: cœlum enim æthereum habet suam perspicuitatem luminosam.

¶ SED posset quis quærere, quare non fit aliqua mentio de igne, sicut fit de alijs tribus elementis, implicitè vel explicitè. Respon. quod datur intelligi secundum suam superiorem partem nomine cœli: secundum verò inferiorẽ partem nomine cœli: secundum verò inferiorem partem nomine alterius extremi. Vnde Aug. (Aug. sup. Gen.) *In terra nomine hoc totum vniuersaliter signatur, donec perueniatur ad aridam, quæ proprio nomine terra dicitur.*

Quid est dictu Reptile, & quare ab aqua produci dicatur, cum etiam cætera elementa ad eius productionem concurrant? §. j.

¶ QVÆRITVR deinde de hoc, quod dicitur, (Quæstio lateralis. Gen.) *Producant aquæ reptile animæ viuentis:* cum reptilia dicantur illa, quę sunt in terra. ¶ ITEM, in aquis sunt multa, quæ non repunt, sed natant: vt sunt cete, & huiusmodi magni pisces, quare non est dictum, & omne natatile.

¶ PRÆTEREA, qualiter producuntur ex aquis natatilia, vel volatilia: nam ex his producuntur, ex quibus saluantur: saluantur autem per elementa commixta.

RESOLVTIO.

Reptile hic dicitur, quod toto corpore super corpus deferens incumbit, & quod pedibus tantum aquam secat. Ideo ab aqua magis quam à reliquis elementis produci dictum: quia ei magis prædominatur.

¶ RESPON. Hæc productio erat ex elementis commixtis: nihilominus tamen secundum dominans in ipsis, magis fit hic sermo: & ideo dixit, Producant aquæ. ¶ AD aliud dicendum, quod reptile dicitur, quod totò corpore incumbit sup corpus deferens: ad differentiam volatilium & gressibilium, quę se supportant, vel in parte, vel in toto. Vnde natatile designatur per reptile: hic namq; sumitur illud corpus reptile in aquis, quod non habet pennas, quibus secet aquam, sed pedibus tantum aquam diuidit.

Quid est dictu, Reptile Animæ viuentis. §. ij.

¶ DEINDE quæritur propter quid dictum est, Reptile animæ viuentis? (Quæstio lateralis.) quasi esset aliud reptile, quod non haberet animam viuentem.

RESOLVTIO.

Anima viuentis, additur non vt differentia, sed vt explicatio. Ac diceretur Reptile, quod inter habentia animam viuentem computatur.

¶ AD quod dicendum, quod non additur, vt differentia, sed vt sit sensus: reptile quod inter animam viuentem habentia computatur. Hoc enim est, quod quantum est de modo motus, ignobilius est inter animantia: toto. n. corpore incumbit super corpus deferens: non sic gressibilia, quæ pedibus terram contingunt: nec volatilia, quare supportantur sua agilitate.

cœli:vel quod acciperent volatilia originem ex aere. ¶ Ad hoc respondet Hugo, dicens. *Quod quare factum sit ut non ad similitudinem aliorum, quæ ad ornatum mundi elementorum creata sunt, ex ipso elemento materiam sumerent, in quo locum sortiri debuerunt. Forte quis ad ipsius elementi materiam referat, &c.* Duo sunt genera animantium, quæ ex vna materia procedunt: sed non vnam mansionem sortiuntur: pisces in originali sede permanent: volatilia sursum tolluntur: & sunt quasi supra id quod facta sunt. Sic de vna massa corruptibilis naturæ & sua mutabilitate defluentis vniuersi generis humani propago trahitur: sed alijs deorsum in ea, qua nati sunt corruptione iuste derelictis: alijs sursum dono gratiæ ad sortem cœlestis patriæ eleuantur.

Hugo. li. 1 de Sacramen. pa. 1. c. 26. & 27. & sunt verba formalia.

¶ Item, quæritur adhuc: quare non dixit, Aues multiplicentur in aere, cum ille sit locus habitationis volatilium. ¶ Ad quod dicendum: quod licet sit locus volatilium ad mouendum, vel spaciandum: terra tamen dicitur locus, super quo producuntur: vel ea, quæ terræ radicitus hærent, vt arbores: & hoc est, quia ibi quietem etiam accipiunt & nutrimentum: vt in pluribus: & ideo dicitur [*super terram*] non in aere, vel in terra: sicut quædam animalia generationem accipiunt in cauernis terræ, &c.

Dubitatio

QVÆSTIO LIV.

De opere sextæ diei.

In duo Membra diuisa.

DIXIT quoque Deus, producat terra &c. Sequitur ornatus, qui factus est sexta die: in qua primo agit de animantibus terrestribus irrationalibus: deinde de animante rationali: & ait, *Faciamus hominem.* Et tangit tria, quæ possunt reduci ad quatuor genera causarum: cum enim dicitur *Dixit Deus*, notatur causa efficiens; *Producat terra*, causa materialis: & *Fecit Deus &c.* notatur causa formalis, secundum quod processit per conditionem à Deo: causa finalis, cum dicitur, *Et vidit Deus &c.* hoc idem posset prius esse dictum in aquatilibus. Vel possumus prædicto modo in tria distinguere, secundum esse à causa, & in proprio genere, & referri ad causam tanquam finem. ¶ Huius gratia quæruntur duo. Primò, quare dicit in singulari, *Producat terra*, dicit autem in plurali, *Producant aquæ*. Secundo, vtrum omnia minutissima animantia facta erant in operibus sex dierum.

D. Th. 1. p. q. 72. S B. in 2 d. 15.

Gen. 1.

Ibidem.

MEMBRVM I.

Cur in singulari dictum est, Producat terra: in plurali vero, Producant aquæ, & similiter, cur de terra nascentibus dictum est, Germinet terra &c. de animantibus ante dictum sit, Producat terra &c. Et iterum, quomodo distinguantur tria genera terrestrium, scil. reptilia, iumenta, bestiæ.

AD primum, quo quæritur, Propter quid dictum est singulariter de terra, non sic autem dictum est singulariter de aqua: sed pluraliter, *Producant aquæ*, cum tamen secundum diuersitatem terrarum sit diuersitas productionis in animalibus.

Gen. 1.

¶ Item, cum dictum est è terra nascentibus, dictum est, *Germinet terra &c.* cum autem dictum est de animantibus, dictum est, *Producat terra &c.*

¶ Præterea, tria genera notat terrestrium, scil. reptilia, iumenta, & bestias: propter quid designat illa sub illis tribus rationibus, cum omnia sint propter hominem: propter quid dicuntur quædam iumenta, omnia enim sunt vt homo eliciat ex illis vtilitatem aliquam.

¶ Præterea, in translatione septuaginta additur, [*quadrupedia, & reptilia, & pecora, & feras*] & ita vnum membrum videtur superaddi. Similiter si feræ, pecora dicuntur, quare ergo è diuerso diuiduntur. Similiter pecora & quadrupedia num rectè diuidantur.



RESOLVTIO.

Primum factum est, vt notaretur distinctio aquarum in suis receptaculis & terræ continuitas. Secundum vt nimia vicinitas terra nascentium ad ipsam terram ab animantibus designaretur. Per iumenta inde intelligamus animalia hominem ad cultum terræ adiuuantia: per reptilia & bestias eundem terrentia.

¶ Ad quod dicendum, quod singulariter dicitur de terra: pluraliter de aquis, vt notetur aquarum in suis receptaculis distinctio: terræ verò est continuitas: licet pluraliter dicantur terræ, propter regionum diuersitates.

¶ Ad secundum verò dicendum, quod de terra nascentibus, dictum est Germinet: germen enim est in radice, quæ adhæret terræ: productio verò dicitur. i. proculductio: quia animantia à terra separantur: & ideo alia translatio habet, Eiiciat terra, i. extra se iaciat, quasi separatum ab ipsa.

¶ Ad tertium dicendum, quod tria genera enumerat, quæ sic distinguuntur, vt iumenta dicantur, quæ sunt in adiutorium hominum ad laborandum in terra. (Vnde iumentum dicitur, quasi iuuamentum. Iuuamentum verò accipitur hic tantum in equis) reptilia verò & bestiæ terræ sunt, quæ sunt ad terrorem. Vnde dicit Aug. quod quædam sunt vtilia, quædam deterrentia. Vel aliter: eorum, quæ sunt in adiutorium ad laborandum, quædam sunt reptilia: quædam gressibilia: & illa dicuntur bestiæ terræ.

¶ Ad quartum dicendum, quod hoc membrum [*quadrupedia*] non ponit differentiam contra alia tria: sed connumeratur cum reptilibus, propter hoc quod reptilia multorum sunt pedum: & ita ponit partem pro toto, vt intelligantur multipedia: Et hoc patet per hoc, quod cum iterum resumit illa membra, non ponit differentiam quadrupedum: sed ponit tantum differentiam reptilium. Vel potest dici, quod illud est commune ad illa tria, quadrupedia. n. quædam sunt reptilia, quædam pecora siue iumenta. Cum autem dicitur, *pecora*, in translatione Septuaginta, ad illa fit coarctatio, quæ sunt in adiutorium hominum.

MEMBRVM II.

An omnia minutissima animantia facta sint in operibus sex dierum? Et ad quid animalia ociosa, & perniciosa producta sint?

AD secundum, quo quærit August. de minutissimis animantibus, vtrum omnia facta essent in operibus sex dierum: an ex consequentibus rerum mortalium corporibus: sicut modo apparet fieri: & tamen est Deus omnium creator. Vnde Aug. *Inest omnibus quoddam naturæ sui generis decus, vt in his maior sit admiratio, bene considerantis, etiam laus vberior omnipotentis artificis, qui omnia in sapientia fecit, qui à fine vsque ad finem pertendens, & suauiter cuncta disponens, nec ea ipsa rerum nouissima, quæ pro sui generis ordine dissoluuntur, & quorum dissolutionem ex pœna nostra mortalitatis horremus, relinquit informia, sed creat minima corpore, acuta sensu animantia, vt maiori attentione studeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem iumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicarum, quam onera camelorum.*

Aug. sup. Gen lib. 3. cap. 14. & sunt verba formalia.

¶ Et possunt dici ea minutissima, quæ vel ex aquis, vel ex terra oriuntur, tunc creata, in quibus illa non absurde intelliguntur, quæ nascuntur ex his, quæ terra germinante orta sunt: & quia præcesserant conditionem non solum animalium, sed etiam luminarium. Vnde illo die, quo apparuit arida, exorta sunt, vt potius ad supplementum habitationis, quam ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cætera verò, quæ de animalium gignuntur corporibus & maximè mortuorum: absurdissimum est dicere, tunc creata, cum animalia ipsa creata sunt: Nisi inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis & quasi præseminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quoque genere ac differentijs erant exoritura per administrationem ineffabilem, omnia mouente incommutabili creatore.

¶ Quærit etiam Manichæus, quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret, siue in aquis, siue in terra, quæ hominibus nō sunt necessaria: multa et pniciosa, & imunda.

RESOLVTIO.

Minutissima animalia tum aquæ, tum terræ in operibus sex dierum creata concedamus, imo terrestria cum primo apparuit arida, exorta dicimus, vtpote ad supplementum habitationis, potiusquam ad minnerum habitatorum spectantia. Secus de vermibus, & huiusmodi dicimus, quæ longe post producta sunt, nec ante, nisi in quadam vi naturali & quasi præseminata corporibus, ex qua pro tempore orirentur. Nulla denium animantia aut ociose, aut perniciosa producta autumamus, sed vniuersa ad aliquem bonum finem, licet quis iste sit nos lateat.

Aug de Genesi contra Manich. lib. 1. c. 16. Tom. 1.

¶ AD quod respondetur secundum Aug. Quoniam ista omnia pulchra sunt conditori & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam intrauerit imperitus, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat: & si est insipiens, superflua putat. Iam verò si in fornacem incautus ceciderit: aut ferramento aliquo, cum id tractat, seipsum vulnerauerit, etiam perniciosa & noxia æstimat ibi esse multa: quorum tamen vsum, quoniam nouit artifex, insipientiam eius irridet: & verba inepta non curans officinam suam instanter exercet, & tamen tam stulti sunt homines, vt apud artificem audeant vituperare, quæ ignorant: sed cum ea viderint, credent necessaria, propter aliquos vsus instituta. In hoc autem mundo, cuius conditor, & administrator prædicatur Deus: audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire, quare ranæ creatæ sunt, aut muscæ aut vermiculi: video tamen omnia in suo genere pulchra esse: quamuis propter nostra peccata multa nobis aduersa videantur: Non enim cum alicuius animalis corpus, & membra considero, vbi non mensuras, & numerum, ordinem veniam ad vnitatem pertinere: quæ omnia vnde veniant, non intelligo nisi à summa mensura, & numero, & ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate atque incommutabili & æterna veritate consistunt &c. Aduersus vtilia non habent quid dicant. De perniciosis autem, vel punimur, vel exercemur, vel terremur: vt non istam vitam periculis subditam, sed aliam meliorem, vbi summa est securitas, diligamus, & desideremus: & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis quid nobis est quærere? si tibi displicent quæ non prosunt, placeant quæ non obsunt, quia & si domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur huiusmodi vniuersitatis integritas, quæ multo maior est, quam domus nostra, & multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quam vnusquisque nostram domum suam. Vt supra ergo vtilia, caue perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen, cum mensuras & numeros, & ordinem vides, artificem quære, nec alium inuenies, nisi vbi summa mensura, summus numerus, summus ordo. i. Deum, de quo verissime dictum est, quod omnia in mensura, & in numero, & pondere disposuit. De hoc Ioh. Dam. sic ait. *Eduxit terra* (conditore iubente) *genera omnium animalium, & reptilium & ferarum, & iumentorum*: omnia quidem ad hominis optimum vsum, sed horum hæc quidem ad escam: puta, ceruos oues, dorcades, & quæ talia. Alia verò ad ministerium, puta camelos, equos, asinos, & quæ talia. Alia verò ad iucunditatem, puta simias, & volucrum psitacos, picas, & quædam talia. Sed & plantarum & herbarum hæ quidem fructiferæ & comestibiles, aliæ verò odoriferæ & floridæ ad iucunditatem nobis tributæ, puta rosæ, & quædam talia: aliæ verò ad ægritudinum sanationem. Non enim est, neque animal, neque planta, in quo non operationem quandam, hominum vtilitati, & vsui conferentem, conditor imposuerit.

Dam.

QVÆSTIO LV.

De animante rationali, id est de Homine.

In sex Membra diuisa.

D. Th. 1. par. q. 75.

FACIAMVS hominem &c. Primo loquitur de homine secundum se: deinde de homine in vniuerso: cum dicitur, *Vidit Deus &c.* De ipso autem in se agit dupliciter: vel vt ostendatur in esse, vel vt in conseruatione, cum dicitur, *Dixit Deus, Ecce dedi vobis &c.* In esse verò dupliciter, aut prout consideratur in egressu à causa: aut prout consideratur in proprio genere, & hoc vltimum notatur, cum dicitur, *Et creauit Deus &c.* Primum verò, cum dicitur, *Faciamus*. Vel vnum pertinet ad deliberationem, siue dispositionem de faciendo, alterum verò ad ipsum fieri: & hoc est in omni rationaliter operante ad differentiam naturæ, quæ non prius eligit, quam operetur. In prima verò parte primo notatur esse eius in comparatione ad Deum: deinde in comparatione ad creaturas irrationales subiectas. Vnde primo ad superius: deinde ad inferius, cum dicitur, Vt præsit piscibus &c. Penes hæc sex Membra erunt huius Quæstionis.

per 7. art. S B. in 1. d. 16. S. ibid. & deinceps. Gen. 1.

¶ Primo quæritur, vtrum conuenienter mutetur ordo loquendi, cum prius dicebatur, *Fiat*: modo dicitur in plurali, *Faciamus*. Secundò, vtrũ cũ dicitur, *Faciamus*, dictũ sit ad angelos, vel ad filium, vel ad spiritum sanctum. Tertio, vtrum imago & similitudo, ad quam factus est homo, supponat creatum, vel increatum. Quarto, propter quid dicitur, *Ad imaginem Dei creauit illum*, post quam dictum est. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Quintò de distinctione sexus, cum dicitur, *Masculum & fœminam creauit illos*: & si ante peccatum carnaliter sint copulati. Sexto quæstiones quædam ad litteram. *Ecce dedi vobis escam. Et factum est ita. Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Et de qua perfectione intelligatur, cum dicitur littera. *Igitur perfecti sunt cœli &c.* sub Paragraphis suis.

Ibid.

MEMBRVM I.

An iure circa productionem animantis rationalis mutatus sit locutionis modus, ita vt vbi dicebatur, Fiat, dicatur nunc, Faciamus?

AD primum, quo quæritur de hoc, quod modus loquẽdi mutatus est, vt cum prius in tertia persona dictum sit, *Fiat &c.* nunc autem dicitur, *Faciamus*. ¶ Præterea dicit nunc pluraliter, prius autem singulariter. ¶ Præterea, quare distinguit opus sextæ diei in duo, non coniungendo facturam, siue conditionem hominis cum alijs animalibus terrestribus.

RESOLVTIO.

Et quidem, vt ex hoc emphatico loquendi genere, quantum, quidue homo esset, apertè apparet.

¶ AD primum dicitur, quod in prima persona loquitur vt ostenderetur facere personam potentem loqui ad suam similitudinem. In alijs vero locutus est in tertia persona vt ostensio fiat conditionis eius rei, de qua fit sermo, non quæ habet potestatem propriam loquendi. ¶ Præterea, dirigitur hic sermo ad alias personas, vt ostendatur, quod homo factus est ad imaginem Trinitatis, quod non est alterius creaturæ. ¶ Singulariter verò loquitur, non quod solus pater fecerit alias creaturas, cum indiuisa sint opera trinitatis: sed vt ostendatur habere quandam similitudinem in esse, vt ab ente primo: quod indiuisibile est in essentia fiant entia, vel fiat vnumquodque ens. ¶ AD tertium verò dicendum, quod non coniunxit conditionem hominis cum alijs animantibus terrestribus, vt ostenderet nobilitatem huius creaturæ super alias: licet enim conueniat cum alijs animantibus in hoc, quod habet animum sensibilem: excellit tamen in hoc, quod habet animam rationalem.

MEMBRVM II.

An cum dictum est, Faciamus &c. ad angelos verbum illud directum sit.

AD secundum, quo quæritur: cum pluraliter dicatur *Faciamus*, Vtrum ad angelos factus sit sermo: nulla enim natura alia videtur fuisse præter nisi angelus Deum. ¶ Sed illud obuiat, quod non indiget Deus in creatione hominis adiutorio angelorum, plus quam in creatione alterius creaturæ, non ergo propter hoc dicitur, *Faciamus*. ¶ Præterea sequitur post, *Faciamus, Ad imaginem nostram*: nulla autem est imago vna Dei, & angelorum.

Gen. 1.

¶ PRÆTEREA, illud obuiat, quod sequitur. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*, & alia etiam littera. *Creauit Deus ad imaginem Dei*: non ergo cum dicitur, *Faciamus*, vel

Ibid.

Nostram:

N[illegible] ad angelos [illegible] latere di-
cunt se [illegible]

¶ [illegible] Deus ita a-
liter [illegible] non dici-
tur [illegible] Trinitas desi-
gnatur expresse.

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed ad Trinitatis [illegible] filium & spiritum sanctum: cum angelorum ope Deus nunquam indigeat.

¶ Ad quod videtur dicendum, quod vtrobique exprimitur Trinitas, sed in conditione vestigij obscurè & implicitè trinitas designatur: in conditione verò imaginis expresse. Dictum enim est superius, Dixit Deus, in quo intelligitur pater dicens: & verbum quo dixit & facta sunt; spiritus autem sanctus intelligitur, cum dicitur, Vidit Deus quod esset bonum. Vel sub alia ratione, sicut cum dictum est, *Et fecit Deus*, scilicet in secundo die: vbi nomine perfectionis intelligitur spiritus sanctus: Hic autem expressè pluralitas personarum exprimitur, cum dicitur, *Faciamus*. Et rectè: quia vestigium est similitudo obscura: imago vero est similitudo expressa.

MEMBRVM III.

An quid creatum, vel increatum imago supponat in praefatis Genescos verbis?

AD tertium, quo quaeritur: cum dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vtrum imago creatum, aut increatum supponat: Si verò increatum & singulariter: cum nihil increatum singulariter, & communiter dictum sit, nisi diuina essentia: supponit ergo essentiam diuinam: ergo idem est, acsi diceretur, ad essentiam nostram, sed si homo factus esset ad essentiam Dei, oppositio notaretur. Nam in eo quod esset ad essentiam, esset Deus in eo quod esset factus, non esset Deus: Ergo non est idem esse ad imaginem, quod esse ad essentiam. Neque supponit aliquid creatum: nihil enim creatum in hoc genere dignius est rationali creatura: ergo non supponeret aliud, quam ipsum hominem. Tunc ergo sensus esset, Faciamus hominẽ ad seipsum. Nec sic potest dici: sicut filius est imago patris, vt Abel ad imaginem Adae, quia homo: sic enim rediret, vt diceretur quilibet homo Deus. ¶ Item, cum homo conditus sit ad imaginem Dei: eo quod habeat memoriam, intelligentiam: voluntatem: propter quid non est dictum in primo die, vbi agitur de conditione angeli: Faciamus lucem vel angelum ad imaginem nostram.

¶ Praeterea vult Aug. quod in hoc sit ad imaginem Dei, quia praeest piscibus &c. Vnde dicit, *Non est praetereundum, quia cum dixisset ad imaginem nostram, statim subiunxit, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium coeli, & caeterorum animantium rationis expertium, vt videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, quo irrationalibus animalibus antecellat:* Sed hoc non videtur verum: Nam intellecto homine, non cum ratione istius praeeminentiae, nihilominus esset ad imaginem Dei, sicut ipse ostendit in Lib. de Trin. vbi inuestigat quod secundum mentem & intelligentiam: & voluntatem est haec imago accipienda.

Aug. 6. sup Gen. c. 12 circa medium.

Idem de Trin. li. 10 Cap. 10.

RESOLVTIO.

Et pro creato, & pro increato supponere potest.

¶ Ad primum dicendum, quod vno modo potest increatum supponere: alio modo creatum. Secundum quod supponit increatũ, dicit essentiam diuinam in ratione mẽtis intelligentiae, & voluntatis, & tunc imago dicitur, ad cuius imitationem fit aliud, & similitudo pro exemplari. Nec ex hoc sequitur, quod homo sit Deus, sed quod habeat memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in quibus imitatur essentiam increatam. Si verò supponat creatum, tunc est sensus, conditus est homo, vt in hac trinitatis ratione virtũ imitetur summam trinitatem. Sic ergo supponitur trinitas creata, quae ad imaginem summae trinitatis est condita. Nec ex hoc sequitur: ergo creatus est ad seipsum: nam sub hac ratione dicit respectum ad summam trinitatem, in quam tendit.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod de homine dictum est, non de angelo: licet angelus gerat illam imaginem Dei prout est signaculum similitudinis Dei. Nam sic ait dicit Greg. Nazianz. Homo totius creaturae dominus, ad imaginem sui conditoris effectus, nihil aliud indicat: nisi quod mox in eo regia natura formata sit. Sicut enim iuxta humanam consuetudinem, qui Principum imagines fingunt, non solum impressionem formae eius imitantur: verumetiam amictu picturę regiam exprimunt dignitatem: & imago ipsa tam pro consuetudine dicitur Imperator. Sic & humana substantia, quoniam ad aliorum regnum condebatur: propter Regis viuentis similitudinem, velut imago animata componitur, pro picturae velamine vestita est virtute: pro sceptro beatitudine & immortalitate sustollitur: pro regali sceptro iustitię corona decoratur. Idem vult Dam. dicens. Condituras erat Deus hominem secundum propriam imaginem & similitudinem, velut quendam regem & principem terrae, & omnium, quae sunt in ea. Inidem videtur Aug. consentire contra Manichaeum. Et hoc confirmatur per hoc, quod statim cum dixit [*ad imaginem*] subiungit [*praesit piscibus &c.*] Licet ergo angelus principetur his terrenis: tamen non sic conditus est, vt tanquam Rex corporalium creaturarum constitueretur, quemadmodum homo. Potest ergo dici ad imaginem vno modo: alio verò modo non ad imaginem. De hoc inferius dicetur diffusius in proprio Tractatu. Addit etiam Greg. quod non tantum homo dignior est animantibus, alijsq; terraenascentibus secundum animam: sed etiam secundum corpus.

Greg. Nazianz.

Aug. contra Manichaeum.

Quaest. 62 memb. 2 per totum Greg.

¶ Ad vltimum verò dicendum est, quod esse ad imaginem, potest vno modo abstrahi ab illa potentia, in quantũ conuenit cum angelis secundum trinitatem interiorem. Alio verò modo non abstrahitur, inquantum secundum potentiam istam, sapientiam, & bonitatem determinatur.

MEMBRVM IV.

Vt quid, postquam dictum est, Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, additum est, Ad imaginem Dei creauit illum?

AD quartum, quo quaeritur propter quid dicitur, Ad imaginem Dei creauit illum: post quam dictum est, *Creauit Deus ad imaginem, & similitudinem suam hominem.*

RESOLVTIO.

Primum, vt exprimeretur vnitas essentiae esse causa exemplaris eius. Secundum, vt notaretur conuersio eiusdem ad eandem, vti ad suum finem.

¶ Ad quod dicendum, quod primo dixit pluraliter, vt exprimeretur trinitas: secundo singulariter vt exprimeretur vnitas essentiae: vti imago respondet vnitati essentiae in trinitate personarum: Sed vnitas essentię est in dupliciratione inquantum est forma exemplaris, & inquantum est finis, & ideo exprimendo exemplarem, dixit Creauit Deus ad imaginem suam: exprimendo conuersionem iterum ad ipsam tanquam finem, dicitur, Ad imaginem Dei creauit illum. Et hoc est, quod dicitur. *Secundum imaginem Dei fecit illum*: & iterum conuertit illum in ipsam, vbi loquitur de conditione primi hominis.

Eccles. 17.

MEMBRVM V.

Vt quid distinctè dictum est, Masculum & foeminam fecit eos, cum solus vir imago Dei dicatur, tunc cum neuter eorum adhuc formatus esset secundum corpus. Et an conuenit viri ac foeminae ante peccatum fuerit.

AD quintum, vbi agitur de distinctione sexus, nam masculum & foeminam creauit illos: primo quaeritur, cũ hic loquatur de homine secundum rationem, secundum q̃ conditus est ad imaginem Dei, & hoc est secundum eminentiorem partem animae: secundum autem illam non dicitur masculus vel foemina, quare de distinctione sexus hic agit: ¶ Praeterea, nondum erat formatus homo de limo terrae: nondum erat formata Eua de latere viri: Ad quid facta est ergo distinctio illa: propter quid ergo hic de masculo & foemina facit mentionem. ¶ Ad quod dicendum est, quod licet secundum alteram & alteram rationẽ accipiatur esse ad imaginem, & sexum distingui, nihilominus hic facta est mentio de distinctione sexus, vt ostendatur quod conditio imaginis non sit propria masculi, sed vtriusque

licet

Apost. 1. Cor. 1. licet dicat Apost. *Vir est imago Dei, mulier est gloria viri*: sed ipse accipit hic imaginem propter hoc; quod homo fuit quodammodo principium omnium hominum: etiam Eua fuit formata de latere eius: & ita quandam imaginem tenet Dei qui est principium omnis creaturæ: sicut in Glossa habetur ibi. Non sic. n. fuit de muliere: & ideo non dicebatur imago.

¶ Ad aliud verò dicendum est, quod licet nondum esset expressa formatio viri & mulieris secundùm corpus: nihilominus p quandam anticipationem dictum est de corpore mulieris: sed de corpore viri fuit facta mentio in operibus sextæ diei, licet postea exprimeretur: non enim spiritus rationalis, siue anima condita fuit sine corpore: sed creando infundebatur: sed vt ostenderetur, de quo factum est corpus, quædam deinceps facta est expressio.

¶ Et benedixit illis, dicens: crescite, & multiplicamini &c. Quæritur de coniunctione viri & fœminæ, vtrum fuit ante peccatum: & arguitur sic. Cócubitus (sicut dicit Aug.) non est nisi mortalium corporum: si enim immortalia essent corpora, non esset decisio: sicut nec decisio à sole, & luna, & huiusmodi corporibus: quæ enim corpora recipiunt diminutionem: recipiunt per consequens corruptionem, sed ante peccatum habebát corpora immortalia: ergo non fuit necessaria coniunctio maris & fœminæ.

¶ Præterea sufficienter saluaretur species in illis duobus indiuiduis, ergo cum generatio sit ad conseruationem specierum, non erat generatio necessaria, & ita nec coniunctio. ¶ Item, homo habet quodammodo communem naturam cum animalibus ex vna parte: cum angelis ex alia parte: sed secundum illud commune, quod habet cum animalibus, est generatio, siue coniunctio ad generandum: secundum autem illud, quod non est cum angelis, nó est generatio, sed multiplicatio per alium modum ad completionem numeri electorum. Si ergo homo in statu innocentiæ esset confirmatus sicut angelus, non esset in illo statu generatio: sed alia multiplicatio. ¶ Item, hoc arguitur ex hoc, quod non erat coitus maris & fœminę, nisi postquam peccauerunt, ex quo apparet tunc introduci primo necessitatem generationis. ¶ Item, de homine postquam Psal. 48. peccauit, dictum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*. Per quod innuitur, quod homo postquam peccauit, declinauit ad ea, quæ erant commu- nia iumentis. ¶ Item, legitur, qualiter Dominus respon- Matth. 2. dit Saducæis. *Erratis, nescientes scripturas, in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei*. Quid ergo aliud innuitur, nisi quod in resurrectione, reuocabuntur homines ad statum innocentiæ, & multo nobiliorem: quantum ergo de statu innocentiæ si homo confirmatus esset, non videretur, nisi quod homo duceret vitam angelicam. ¶ Item, ad idem Greg. Gregor. Nazianz. *Verecundentis similis factus est homo, qui hanc animalem generationem in sua natura suscepit propter conuersionis casum, qui ex confirmatione materiæ contingit*.

¶ Contra constat, quod ante peccatum habuerunt virtutem generatiuam: & à potentia poterat egredi actus sine libidine: cum libido sit pœna peccati: ergo in statu innocentiæ manentes poterant generare. ¶ Item, si multiplicatio fieret alio modo: ad quid esset discretio sexus: cum discretio sexus per se ordinetur ad coniunctionem, & coniunctio ad generationem filiorum ad cultum Dei. ¶ Item cum corpus adhuc esset animale, non spirituale (secundum 1. Cor. 15. quod dicitur. *Primi quod animale, deinde quod spirituale*) ad animale vero pertinet generatio: restat ergo quod si mansisset in statu innocentiæ, esset generatio. ¶ Item, Augustin. Aug. de Ciu. Dei lib. 14. c. [illegible] *Quisquis dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem hominum necessarium fuisse peccatum? Si enim non peccando, soli remanerent: quia (sicut putant) nisi peccassent generare non possent, profecto vt non soli essent duo homines visi, sed multi, necessarium peccatum fuit: Quod si credere absurdum est, illud potius est credendum, quod sanctorum numerus quantum supplenda sufficit illi beatissimæ ciuitati, tantus existeret: & si nemo peccasset, quousque filii huius sæculi generant, & generantur: Et ideo illæ nuptiæ dignæ felicitate paradisi, & si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent*. Ex quibus omnibus concluditur, quod esset coniunctio maris & fœminæ, etiam si non peccassent, vt multiplicaretur numerus prædestinatorum.

RESOLVTIO.

Ideo distinctè dictum est, Masculum & fœminam fecit eos, vt innotesceret, adhuc & mulierem quandam Dei imaginem tenere.
Qui duo vir, s. & mulier tametsi non peccassent, etiam commixti essent, saltem vt prædestinatorum numerus multiplicaretur.

¶ Quod concedimus.

¶ Ad obiectum autem in contrarium respondetur, quod cum dicitur qui Concubitus mortalium: intelligendum est illorum, de natura habuerunt possibilitatem moriendi, licet nunquam morerentur. Vnde Adam licet esset immortalis. i. potens non mori: tamen erat mortalis. i. potens mori. i. possibilis: Non autem dicitur, quod concubitus necessario sit mortalium. i. eorum qui habent necessitatem moriendi.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet haberent corpora immortalia, quæ nunquam essent morti subiecta: nihilominus posset in eis esse decisio seminis ex vi seminatiua: nec ex hoc sequitur corruptio: licet enim de corpore minueretur: non tamen esset illa diminutio, secundum quam dicimus, quod post augmentum corporis esset diminutio, quæ senium induceret, & consequenter dissolutionem.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet posset species hominis saluari in illis duabus personis conditis: non tamen sic saluaretur, vt fieret multiplicatio prædestinatorum vsque ad determinatum numerum, sicut dicit Aug. quod sanctorum numerus, quantum complendæ sufficit illi beatissimæ ciuitati, tunc existeret: & si nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam colligitur de multiplicatione peccatorum quousque filii huius lucis generant, & generantur.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet generare sit ex parte naturæ, communis cum brutis: non tamen generare filios ad cultum Dei: Generatio. n. respicit conseruationem speciei, & sic est commune: respicit etiam multiplicationem rerum speciei ad cultum Dei: & sic non est commune, sed proprium: & hoc modo esset hominis, si stetisset in statu innocentiæ.

¶ Ad quintum dicendum, quod differens erit status gloriæ quando neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei, à statu innocentiæ, etiam confirmato: multo enim nobilior erit, vbi non erit nutrimentum corporale necessarium, nec generatio: sicut fuisset in statu innocentiæ. In statu enim innocentiæ primo esset corpus animale: in statu vero gloriæ esset corpus spirituale. Vnde resurrectio gloriosa non reuocat ad statum primum innocentiæ: sed ducit ad nobiliorem.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet illud, Homo cum in honore esset &c. intelligatur de statu post peccatum, in quo est generatio libidinosa: nihilominus ante peccatum conueniebat aliquo modo cum iumentis: inquantum scil. homo habuit corpus animale: & secundum hoc posset generare sine peccato.

¶ Deinde etiam quæritur de ratione eius, quod supra Dubitatio posuit quasi quinque differentias, scil. pisces, volatilia, bestias, & creaturam super terram, & reptile, quod mouetur in terra: hic autem non ponit nisi tres differentias.

¶ Ad quod dicendum, quod supra distinxit secundum differentias mobilium, siue motuum in locis: vnde quinque erant. Nam sunt mobilia in aqua, quæ suum habét motum. Mobilia in aëre, quæ suum. Mobilia verò in terra quædam sunt ambulantia in siluis, quædam in agris: & hæc signantur per iumenta, siue per creaturam, quę mouetur super terram, quædam verò repunt super terram. Alio verò modo diuisio accipitur secundum differentias locorum, s. aeris, & aquæ, & terræ: vt aeris sint volatilia, aquę pisces, animantia terræ deputentur ipsi terræ.

MEMBRVM VI.

Dubia aliquot literalia.

Dixitque Deus, ecce dedi vobis escam &c. Hic potest Dub. 1. quæri, quare post conditionem hominis recapitulat omnia vitam habentia, ad hominem referendo, siue ordinando: non autem facit mentionem de luminaribus: cum tamen & ipsa propter hominem facta sint.

¶ Præterea, cum omnia vitam habentia inquantum

huiusmodi

Dub.1. huiusmodi consimiliter ad hominem referantur: propter quid distincte agit de terrænascentibus; & animalibus, secundum quod hæc ad hominem ordinantur.

Dub.3. ¶ TERTIO quæritur, si prius dixit de productione terrænascentium, quam animantium; quare nô prius hic ad hominem retulit, sed posterius? prius enim dixit, Dominamini piscibus: & post sequitur. *Ecce dedi vobis &c.*

Respon.1. ¶ AD primum dicendum, quod de ordine luminarium non facit hic mentionem: non quia non ordinentur ad hominem; sed quia nô ordinata sunt secundum subiectionem: Hic enim loquitur de ordine subiectionis, quo subiecta fuerunt animantia & terrænascentia huiusmodi: sed luminaria non sic: sed subijciuntur Deo, vt secundum nutum eius moueantur: referuntur autem ad hominê in hoc, quod dicitur, Erunt in signa, & tempora &c.

Respon.2. ¶ AD secundum dicendum: quod licet conueniant animantia cum terrænascentibus in vita: nihilominus distinguuntur in hoc, quod animantia superaddunt perfectionê animæ sensibilis: vnde & animantia dicuntur: terræ vero nascentia licet animam habeant vegetabilem, non dicuntur animantia: non animam habent secundum acceptionem sumptam communiter: sed dicitur à Philosopho pars partis animæ: eo quod nô percipitur motus aliquis localis: & ideo aliter ordinantur ad hominem terrænascentia, quam animantia: nam terrænascentia ordinantur ad vtrumque: animantia ad hominem tantum. Vnde Greg. Naz. Post gramina & animantia factus est homo quadam via ad perfectionem, consequenter natura proficiens: omnium namq; specierum crescentis & sensibilis homo participat. Greg. Nazian.

Respon.3. ¶ AD tertium dicendum est, quod ordo mutatus est in fieri ipsarum rerum: & in relatione ipsarum ad hominem: quia progressus in fieri erat secundum imperfectum & perfectum, quousque ad perfectionem esset deuentum: ordo vero in subiectione ad hominem à magis perfecto reddit ad minus perfectum: animantia enim subijciuntur homini: terrænascentia homini, & animantibus: & ideo dixit, Ecce dedi nobis in escam, cunctis animantibus terræ.

Dub. 4. & 5. ¶ SED adhuc restat quæstio, quare non loquitur hic de piscibus. ¶ ET præter hæc, quare volatilia interserit inter animantia terræ, & ea quæ mouentur in terra; in quibus est anima viuens: cum hæc dicantur animantia terræ? ¶ AD quod dicendum, quod de piscibus nô fecit mentionem distincte: quia nutrimentum suum accipiunt in aqua: licet aliqui pisces nutriãtur ex his, quæ sunt in terra: sed illa, de quibus hic facit mentionem, nutriuntur ex his, quæ de terra ortum habent: vt volatilia, & cætera; quæ mouentur in terra.

¶ AD aliud vero dicendum est, quod differentia est inter animantia terræ; & ea, quæ mouentur in terra. Per animantia enim terræ ambulantia designantur. Per ea vero, quæ mouentur in terra, reptilia: & hoc patet in alia translatione. Et omni reptili reptanti super terram, quod habet spiritum vitæ. Ordinantur ergo secundum nobilius & minus nobile: & inquantum plus prosunt homini.

Dub.6. ¶ SED adhuc quæritur de hoc, quod hic data sunt terrænascentia in escam homini: infra vero ipsa animantia, & nô hic: cum tamen vtraque natura materialis & possibilis sit ad nutrimentum respectu hominis: in statu tamen innocentiæ non est data esca, nisi de terrænascentibus. ¶ RESPONSIO, quanto maior erat fortitudo viuentis, tanto cibus competebat austerior: quanto vero maior erat fragilitas; tanto cibus ad nutrimentum competentior: vt fieret infirmitatis releuatio. Et quod maior esset fragilitas post, patuit ex hoc: quod abbreuiata fuit vita hominis post diluuium.

Cur hic additum est, Et factum est ita: nouo loquendi genere: & non dictum est sicut in superioribus diebus, Fecit &c. vel aliud æquipollens, sicut in primo die? §. j.

Q6. collat. ¶ DEINDE quæritur de hoc quod dicitur. *Et factum est ita:* cur non ponitur, *Fecit &c.* sicut in præcedentibus. vel æquipollens, sicut in primo die, vbi dictum est consimiliter. Nã si sic intelligeretur. *Et factum est ita,* vt poneretur sicut in præcedentibus: tunc esset sensus; vel creuerunt, & multiplicati sunt: vel quam primum ederunt de fructibus & herbis terræ: quorum adhuc neutrum intelligitur verum. Restat ergo, quod sensus erat: Et factum est in cognitione hominis, quod homo habebat facultatem edendi de illis. ¶ ET ideo attendendum est: quod alius est modus loquendi hic, & in primo die; & alius in alijs diebus: vt notetur lux esse facta, quando data est cognitio angelicæ naturæ: hic autem cum data est cognitio angelicæ creaturæ, vt conuerteret se super illa, quæ erant ordinata ad ipsum.

Quid est dictu, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona: cur non præcise de homine dictum est? aut quare ita postremo, nec antea? §. ij.

¶ *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quæritur, quare non dixit sigillatim de homine: *Et vidit Deus, quod esset bonum*: cum multo fortius melior sit in genere suo rationalis creatura, quam vegetabilis, vel sensibilis. ¶ ITEM, quare hic post primam commendationem in fine sextæ diei dixit: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona?* Genes. 1. Quæstia collat. Ibid.

RESOLVTIO.

Ideo de homine peculiariter non dixit: quia ipsum peccaturum præuidit. Vel quia commendatis creaturis reliquis, commendatur & homo in illis: quippe qui omnis creatura est: immo super illas in vniuerso perfectionê addit. Dicta sunt autem verba hæc, vt attributa bonitate quadam vniuerso vltra spirituales rerum bonitates, nihil in illa relinqueretur, quod non ad bonum ordinaretur.

¶ AD primum respondet August. multipliciter: quod non de homine dixit sigillatim, vt innueret, quid futurum esset de homine, sigillatim accepto: in vniuerso tamen semper habuit bonitatem, & habet. ¶ SED pari ratione dicendum esset de luce, per quam signatur angelus, cû Deus præuideret peccatum ipsius. Ad quod responderi potest, quod factura lucis, licet taceretur eius commendatio propter hãc rationem quo ad angelos apostatas; non tamen taceretur quo ad commendationem corporalis lucis: non sic autem de homine, qui totus peccauit. Aliam etiam assignant rationem, quare tantum assignat bonum hominis in vniuersitate: homo enim est quasi omnis creatura: & ideo facta commendatione aliorum, commendatur homo in illis: & præter hoc in vniuersitate, eo quod superaddit perfectionem vniuersi respectu illorum.

¶ AD secundum dicendum est, quod ad completionem singulorum conueniebat quandam bonitatem vniuerso attribuere: vt nihil remaneret, quod non ordinaretur ad bonum: vnde August. *Deus naturarum optimus conditor, peccantium vero iustissimus ordinator est: vt etiam si qua sigillatim sunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis vniuersitas pulchra sit.* Aug. 4. super Genes.

Quid etiam dictu est, Igitur perfecti sunt cæli, & terra: de qua perfectione intelligatur: Et cur cælos pluraliter, terram, singulariter dixit? §. iij.

¶ IGITVR perfecti sunt &c. conclusio est ex prædictis. Sed potest quæri, de qua perfectione loquitur: prima scilicet vel secunda? & quare dicit pluraliter cælo, singulariter vero, terram? Q6 collateralis.

RESOLVTIO.

De perfectione conditionis intelligatur & quantum ad formam, & quantum ad materiam. Terram deinde singulariter dixit, quia vti centrum est vniuersi: Cælos pluraliter, quia veluti sphæra & orbes, circa centrum illud continue sese voluentes.

¶ RESPONSIO: perfectio designat conditionem horum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam, Quantum ad materiam, cum dictum est, *In principio creauit, &c.* quantum ad formam, cum dictum est, *Fiat lux &c.* Cælos autem dixit pluraliter, terram singulariter: quia terra est ad modum centri; cæli vero ad modum sphærarum, quæ voluuntur circa centrum: centrum vero est vnum, plures vero sunt orbes circa illud centrum maiores & minores: sic est etiam de cælis, vt circa terram sit cælorum diuersitas, vt vnum ab alio continuatur. Genes. 1.

QVÆSTIO LVI.

De Septimo die, & eius ornatu & primo de opere gubernationis.

In tria Membra diuisa.

Genes. 2. D. Tho. 1 par. q. 70. per tres art. *Compleuit Deus die septimo, &c.* Completa consideratione de opere creationis, & de opere distinctionis in tribus diebus; & ornatus in tribus alijs sequentibus. Sequitur cõsideratio de opere gubernationis, multiplicationis, & collocationis. Opus gubernationis notatur, cum dicitur, Ibid. *Compleuit Deus die septimo.* Opus multiplicationis innuitur per hoc, quod dicitur ibidem, *Creauit Deus*, vt faceret. Fecit enim res in proprijs generibus & speciebus, vt post multiplicaret, a qua necessaria erat multiplicatio. Opus vero collocationis Ibid. notatur, cum subiungitur. *Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis:* partes patebunt. Circa opus gubernationis primo mouentur quædã quæst. circa literam sub suis paragraphis. Secundo, quare benedixit diei septimæ, & sanctificauit illam præ ceteris. Tertio, quid nomine cæli & terræ datur intelligi?

MEMBRVM I.

De qua completione, vel perfectione intelligatur, cum additur? Compleuit Deus die septimo &c.

CIRCA illud, quod est septimæ diei. Quæritur primo, quare septimo die compleuit: cum completio, siue per- Genes. 2. fectio in sex diebus intelligeretur: Vnde præmissum est, *Perfecti sunt cæli &c.*

RESOLVTIO.

De completione in fine: vel de completione & perfectione gubernationis & multiplicationis.

¶ RESPONDENDVM, Est completio secundum materiam & formam: & hæc fuit in sex diebus. Est completio in fine: & hæc intelligitur in septimo die: secundum quod omnia opera acceperant quietem in eo, qui est finis om- Prouer. 16. nium: prout dicitur. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Vel perfectio in sex diebus fuit quantum ad genera & species rerum: hæc autem completio quantum ad gubernationem & multiplicationem.

Quare sicut in præcedentibus diebus dictum est. Factum est vespere & mane dies &c. non æque & in hoc septimo. §. j.

Qõ collateralis. QVÆRITVR etiam, quare isto die non dicitur sicut in præcedentibus. Factum est vespere, & mane dies septimus: nunquid ista dies non habuit mane, nec vespere?

RESOLVTIO.

B. August. ideo factum arbitratur, quod dies hic mane tantum nec vespere habuerit. suæ spiritualis interpretationis seriem prosequens. Nos autem vtrumque & mane, scilicet & vespere diem hunc habuisse censentes, ideo non commemorata dicimus, ne quies Dei in seipso principium & finem habere putaretur; veluti creatura præteritorum dierum.

¶ HIC ita videtur August. partiri dies istos, vt prima dies haberet vesperam, & non mane: medij mane, & vesperam: vltimus vero mane, & non vesperam. Nam secundum quod dies designat cognitionem angelicæ creaturæ, angelica autem creatura non poterat cognoscere, antequam esset: non poterat, scilicet cognoscere se faciendam in verbo, quod ad mane pertinet: sed se factam in proprio genere: & ita vespere habuit, & computatur cum illo mane sequentis diei: quia cognouit in verbo firmamentum faciendum: & sic deinceps. Cum autem deuentum est ad septimum diem, vespere eius fuit cognitio creaturarum sensibilium & ipsius hominis in proprio genere: mane vero pertinebat ad cognitionem gubernationis & continuationis rerum in esse per multiplicationem: & quia illud, quantum est de se, non habet finem, nisi cum adest voluntas conditoris; ideo non ha- Aug. super Genes. bet vespere, sed mane. Vnde August. *Et si vna quæque pars potest esse in toto, cuius pars est: ipsum tamen totum non est nisi in illo, à quo conditum est:* & ideo non absurde intelligitur septimo die completo, per eius vesperam factum mane; quo significaretur non initium condendæ alterius creaturæ, sicut in ceteris: sed quo significaretur initium manendi & quiescendi totius, quod conditum est in illius quiete, qui condidit: quæ quies Deo non initium habet, nec terminum: creaturæ autem habet initium, sed non habet terminum: & ideo septimus dies cæpit à mane; sed nullo vespere terminatur. Vnde quia mane septimæ diei computatur in sexto die, in septimo die nulla fit mentio nec de mane, nec de vespere. Neque enim de initio, vel fine alicuius creaturæ distincte ibi agitur.

¶ SI vero non ad diem spiritualem hæc referamus, quid dicendum est de die septimo, quæ sub alia forma designatur, quam hi: cum enim dies dicatur ad modum aliorum: dies aut fit secundum reuolutionem alicuius lucis super terram: necesse est quod habeat mane & vesperam: quare ergo non dicitur in septimo die de mane & vespere sicut in præcedentibus.

¶ AD quod videtur dicendum, quod licet iste dies, sicut & præcedens habeat mane & vespere: tamen in isto die non fit expressio, sicut in præcedentibus; ne credatur requies Dei in seipso habere principium, & finem; sicut creaturæ, de quibus actum est in alijs diebus, habuerunt principium & finem: & ideo dies dicitur sine aliqua distinctione, vt notetur plena illuminatio: in qua nihil oritur, nihil occidit.

An in septimo die quidquam conditum sit? §. ij.

¶ SED adhuc quæritur: si dies vltimus dicitur dies secun- Qõ collateralis. dum vnam rationem cum alijs; & alij dies conditi sunt: ergo & iste conditus est: ergo aliquid conditum est in septimo die. Qualiter ergo dictum fuit, omnia facta esse in sex diebus, & in septimo quieuisse?

RESOLVTIO.

Quieuisse dicitur Deus die septimo, non à conditione ipsiusmet diei: sed à condendis nouis generibus & speciebus rerum.

¶ RESPONDEO: cum dicitur quieuisse, intelligitur cessasse à condendis generibus, & speciebus rerum; & huic non est contrarium, quod diem condidit: quia hæc est conditio secundum numerum: à rebus autem permanentibus quieuit, sicut sunt species, & genera rerum subsistentium.

An Deus die septimo ab omni opere quieuerit? §. iij.

¶ SED quid est quod dicitur. *Pater meus vsque modo ope-* Qõ. collateralis. Ioan. 5. *ratur, & ego operor?* ergo non videtur quieuisse ab omni opere.

¶ PRÆTEREA, non est quies aliqua creatoris, vel conditoris summi in re condita: ergo nihil est, quod dicitur, In septimo, &c. cum stabile nullatenus quiescat in vano. ¶ ITEM, dicitur quod cessauit ab omni opere, quod creauit, vt faceret: illud facere est operari: ergo non quieuit ab omni opere.

RESOLVTIO.

Quieuit prorsus, & si modo quidquam operatur. non est opus illud conditionis generum, & specierum: sed gubernationis & multiplicationis rerum iam creatarum.

¶ AD quod dicendum, quod illud operari, de quo dicitur Ioan. 5. intelligitur de opere gubernationis, & multiplicationis: non de opere conditionis generum & specierum, à quo, scilicet quieuit.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quod licet quieuerit ab opere iam dicto: non tamen in illo quieuit, sed magis e conuerso opus quieuit in illo, inquantum est finis. De hoc Au- Aug. super Genes. gustinus. *Ipsa vniuersitas creaturæ, quæ sex diebus consummata est, aliud habet in sua natura: aliud in suo ordine, quo in Deo est, non sicut Deus: sed tamen ita vt ei quies propria stabilitatis non sit, nisi in illius quiete: qui propter nihil præter se appetit; quo adepto, requiescat. Et ideo dum ipse manet in se, quicquid est ex illo, retorquet ad se, vt omnis creatura in se habeat naturæ suæ terminum, in quo non sit, quod ipse est, in illo autem quietis locum, quo seruet, quod ipsa est.*

¶ AD TERTIVM dicendum, quod cum dicitur, creauit vt faceret: creare, sumitur ibi pro condere. Duplex est autem condere, scilicet in esse generis sui, vel speciei: & in per-

manentia

manentia ratione multiplicationis indiuiduorum: vbi necessaria est multiplicatio ad conseruationem: condidit ergo Deus, vt sic faceret, & multiplicaret ad conseruationem.

MEMBRVM II.

Cur septimus dies benedictione donatus est, nec alij: Tum si qua benedictio commemorata est quinto & sexto die, quid est dictu hoc, Benedixit, atque sanctificauit?

Genes. 2.

SEQVITVR de hoc, quod *benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Potest enim quæri, quare huic diei data est benedictio; non autem aliqua data est, cum creauit cælum & terram: vel cum fecit & ornauit: aut cum homine facto, consummauit. ¶ ITEM quæ est differentia inter benedictionem, & sanctificationem: cum de benedictione fecerit mentionem in aliquibus diebus præcedentibus: vt in quinto & sexto: de sanctificatione vero non fecerit mentionem.

RESOLVTIO.

Diei vltimo nec aliis data est benedictio, aut illata sanctificatio: vt insinuaretur, creaturas in se non sanctificari sed in Deo, qui earum finis est. Proinde benedictionem cum sanctificatione intelligendam hic autumamus benedictionem quietis æternæ.

Aug. super Genes.

¶ RESPONSIO secundum August. quod non est data benedictio nec ante diem, nec in die aliquo; quæ benedictio fit cum sanctificatione; quia creatura in se non sanctificatur; sed in ipso, ad quem referenda sunt omnia bonia: & hoc in hoc septimo die designatur: & ideo huic solum diei datur benedictio. Vnde August. *Quia enim ex illo ita est, quicquid ex illo est: vt illi debeat quod est; ipse autem nulli, quod ex ipso est, debeat quod beatus est: se rebus, quas fecit diligendo præposuit: non sanctificans diem, quo ea faciendo inchoauit: nec illum quo ea perfecit: ne illis vel faciendis vel factis auctum eius gaudium videretur: sed eum, quo ab ipsis in seipso requieuit: & ipse quidem nunquam ista requie caruit: sed nobis eam per diem septimum demonstrauit.*

Idem.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quod distingui potest inter benedictionem & sanctificationem: quia benedictio magis communis est, quam sanctificatio. Nam est benedictio quædam temporalis, sicut quæ consistit in rerum multiplicatione: & talis bene fuit in quinto & in sexto die: Et benedictio spiritualis: & illa est duplex: gratiæ: & in hac est appropriata benedictio homini: & est quietis æternæ: & hæc recte dicitur hic benedictio cum sanctificatione.

MEMBRVM III.

Quid est dictu. Hic est liber creaturæ cæli & terræ, &c. quid (inquam) ibi nomine cæli, & terræ intelligatur?

Genes. 1.

AD TERTIVM, quo subiungitur. Hic est liber creaturæ cæli & terræ: Potest quæri, vtrum sic accipiatur hic cælum & terra: sicut supra, cum dicitur. *In principio creauit Deus cælum & terram &c.* an sic sicut cum fuit firmamentum, & distinguit aridam ab aquis? Et videtur, quod primo modo propter hoc, quod dicit [*creatura cæli & terræ*] tunc enim creauit cælum & terram.

Cōmunis & vulgata translatio huiusce sententiæ longe distat verbis Genes. c. 2. circa initium.

¶ PRÆTEREA, videtur illud ex hoc, quod sequitur [*omne viride agri, ante quam esset super terram*] cum enim tertio die factum esset istud, & hoc est cum facta esset terra: non sic accepit hic diem, sicut in tertio die: ergo sic sicut in principio: ¶ ITEM, cum factum est firmamentum, & facta est terra, tunc erat dies. Hic autem dicitur, cum factus est dies, id est, cum fieret: ergo videtur potius ad primum referendum.

¶ SED videtur contrarium per hoc quod sequitur [*cum factus est dies, fecit Deus cælum & terram*] cum enim non simul factus est sermo de die, cum crearet cælum & terram in principio, & fecit mentionem de die, cum fuit firmamentum secundo die, & terra tertio die: relinquitur ergo quod sic accipit cælum & terram, sicut cum facta sunt in diebus.

¶ PRÆTEREA, potest quæri de hoc, quod dicit [*cum factus est dies*] nullam enim fecit mentionem distincte de aliquo die, cum fecit cælum & terram: cælum enim factum est secundo die, terra tertio die: ergo cum dies non sit simul cum die, non facta sunt cælum & terra, cum factus est dies. Aut oportet hic intelligere diem communiter, vt simul fieret tempus cum temporali.

¶ TERTIO quæritur, quid nomine cæli datur intelligi, cum dicitur [*cælum & terra*] An tantum firmamentum & arida, quæ duobus diebus facta sunt: an ipsa cum natura media, scilicet aquarum, quæ simul factæ sunt: Facta enim est diuisio aquarum superiorum ab inferioribus secundo die cum firmamento: in tertio est aquarum à terra diuisio, & in vnum locum congregatio. Si autem dantur intelligi per se: quare non fit mentio de aquis: si enim aquæ dantur intelligi per illa duo; multo fortius viride agri intelligi potuit, & tamen est expressum: ergo non videtur per hoc intelligi.

¶ PRÆTEREA, nunquid nomine cæli & terræ intelligitur lux, quæ facta est primo die, & ea, quæ facta sunt in illis vltimis diebus. Quod non lux intelligatur, videtur per hoc, quod dicitur [*fecit cælum & terram*] loquens de eo, quod vocauit cælum: & hoc fuit firmamentum. Vnde dixit [*vocauit firmamentum cælum*] Non ergo videtur intelligi lux illa per cælum & terram. ¶ PRÆTEREA, ea, quæ facta sunt in tribus vltimis diebus, non videntur intelligi: nam non sunt facta, ante quam viride agri esset super terram: ergo non per cælum & terram intelliguntur.

¶ SED obuiare videtur, vt nomine cæli & terræ omnia, quæ facta sunt in illis diebus, intelligantur. Nam cum factus est dies, fecit cælum & terram: sed factio diei intelligitur in operibus sex dierum: ergo cælum & terra debent continere suis designationibus illa omnia. ¶ ET præterea, quare recapitularet ipse ea, quæ in secundo die: & tertio facta sunt: & non illud; quod in primo die factum est, & vltimis tribus diebus.

RESOLVTIO.

Nomine cæli & terræ in illis subsequentibus Geneseos verbis intelligitur natura media aquarum: siquidem vna cum his extremis & medium factum æstimandum est. Potest item intelligi quod primo die factum est, & quæ in tribus vltimis.

¶ AD PRIMVM dicendum, quod accipitur hic cælum & terra, sicut facta sunt. Vnde cum dicitur [*creatura cæli & terræ*] aut simul intelligitur creatio & factio: aut nomine creaturæ factura designatur. Nec huic obuiat, quod dicitur [*omne viride agri, antequam esset*] quia illud post facturam terræ nominatur, licet in die eodem. Vnde postquam facta est terra, dictum est, Germinet terra &c. vt primo sit esse terræ; & post generatio ex ea. Nec illud obuiat, quod dictum est [*cum factus est dies*] Aliter enim fiunt tempora; & aliter fiunt res permanentes. Temporum enim esse est, cum fiunt: rerum vero permanentium esse non semper est, cum fiunt. Vnde cum dicitur [*cum factus est dies*] dies, id est * fuerit dies: tunc cœlum & terra facta sunt: quia in die facta sunt: sed creata ante diem: & ideo sermo ille, scilicet cum factus est dies: ad hoc inducitur, vt de factura cœli & terræ intelligatur. *Alias fiūt

¶ AD SECVNDVM vero dicendum dupliciter secundum expositionem August. Aut quod nomine diei intelligatur vnus dies repetitus, secundum quod fit expositio de die, id est, de cognitione angelica. Aut dies, accipitur ibi communiter, & indistincte: quilibet enim dies factus est, & simul cum temporali. Vnde August. *Facta creatura motibus cœperunt currere tempora.* Vnde ante creaturam frustra tempora requiruntur: quasi possint conueniri ante tempora: motus enim si nullus esset, vel corporalis, vel spiritualis creaturæ: quo per præsens præteritis futura succederent: nullum esset tempus omnino: moueri autem creatura non vtique posset, si non esset: Potius ergo tempus à creatura, quam creatura cœpit à tempore: vtrumque autem à Deo: ex ipso enim per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nec sic accipiatur quod dictum est, tempus à creatura cœpit; quasi tempus creatura non sit, cum sit creaturæ motus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ornatus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ordinem administrantis Dei cuncta, quæ creauit.

Aug. super Genes. li. 5. c. 5. in primis verbis Tomo 3.

¶ AD TERTIVM dicendum, quod nomine cæli & terræ

intelligitur natura media, scilicet aquarum: & per extrema dat intelligere medium: medium enim simul factum est cum extremis. Similiter per cœlum & terram intelligitur & illud, quod factũ est primo die: & possunt intelligi ea, quæ facta sunt in tribus vltimis diebus: alia enim quę in sequentibus diebus, ad ornatum illorum referuntur. Et licet cœlum per quendam dicat firmamentum: nihilominus cœlum empyreum apud intelligentes nomine cœli etiam intelligitur.

QVÆSTIO LVII.

De opere multiplicationis.

In tria Membra diuisa.

Elice ex D. Thō. & S. Bon. locis superius allegatis.

DEINDE procedendum est ad opus multiplicationis, & circa hoc quæruntur tria. ¶ PRIMO ratione eius, quod dicit, Antequam fœnum agri exortum esset: si etiam intelligatur de seminibus herbarum, & fructibus lignorũ. Secundo ratione eius, quod dicitur. Non enim pluerat Deus super terram: & homo non erat, qui operaretur eam. Tertio ratione eius, quod subiungitur, *Fons ascendebat de terra*: quare incipit ab origine ex parte aquæ, & non ex parte terræ.

Genes. 2.

MEMBRVM I.

Quid est dictu, Antequam fœnum agri exortum esset: siue Antequam virgultum agri orriretur in terra: num de seminibus herbarum, & fructuum, vel lignorum: aut de ipsis herbis & arboribus intelligendum sit?

AD PRIMVM quo quæritur ratione eius, quod dicitur, Antequam fœnum agri exortum esset: sicut habetur in translatione septuaginta; nostra vero translatio habet. Antequam virgultum agri orriretur in terra. Aut enim hoc intelligitur de seminibus herbarũ, & fructuum, siue lignorum: aut de ipsis herbis, & arboribus? Quod ratione seminum, hoc videtur: cum enim terra facta est, grauida erat seminum, lignorum, & herbarum: & ad facturam terræ hoc pertinebat: sed aliud est fieri terræ: & aliud herbarum, & arborum ex terra nascentium: ergo cum in illo die non fieret nisi quod pertinebat ad terram grauidam fœtuum; non aliud intelligitur, cum dicitur [*antequam fœnum agri orriretur*] nisi quod esset ratio seminalis in ipsa admixta cum aqua. ¶ SED videtur contrarium per hoc, quod ibidem dicitur, Producat terra herbam pabuli &c. hoc enim non ad rationem seminalem tantum pertinet: sed etiam ad formam herbarum, & arborum: non ergo hoc fuit, antequam fœnum agri exortum esset. Et hoc ex verbis August. innuitur, cum dicitur, *Producat terra herbam pabuli, seminantem semen secundum genus suum, & lignum fructuosum.* Vnde dicit, *His verbis magis apparet, semina orta esse ex herbis siue lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra præsertim quia & verba Dei sic se habent, non enim ait, Germinet semina in terra herbam fœni & lignum fructuosum, sed ait, Germinet terra herba fœni, seminantem semen, vt semen ex herba, non herbam ex semine insinuaret.*

Aug. super Genes. Idem. Lib. 5 cap. 4. in medio.

RESOLVTIO.

De seminibus herbarum, fructuum & lignorum intelligendum arbitratur B. August. quo scilicet naturali cursu herba ex semine producitur, & planta ex planta, vel semine.

¶ AD quod videtur respondendum per hoc, quod dicit August. *Aliter nota est angelis creatura Dei, & aliter nobis. Angelis enim primordialiter (vt ita dicam) vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, & post eam conditionem à suis operibus requieuit, non condendo aliquid amplius. Nobis autem secundum conditarum rerum administrationem iam per ordines temporum secundum quam iam Deus illis rebus per senariam perfectionem consummatis, vsque modo operatur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod cum dicitur [*germinet terra herbam virentem &c.*] hoc attenditur, quod in opere conditionis herbarum, & lignorum * ex terra, non attenditur tantum seminum grauidatio: sed ipsarum specierum productio: quæ habebant in se rationem seminalem. Cum autem dicitur [*antequam fœnum agri esset exortum*] hoc intelligitur secundum cursum naturæ, quo modo herba ex semine producitur naturaliter, & planta, ex planta, vel semine.

Aug. in li. 5. cap. 4.

* Alias cũ.

MEMBRVM II.

Quid est dictu, Non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.

AD SECVNDVM, quo quæritur ratione eius, quod sequitur. Non enim pluerat Deus super terram: & homo non erat, qui operaretur eam. Videtur enim per hoc quod intelligatur factura cœli & terræ cum herbis includi præter ea, quæ erant in tribus diebus sequentibus. Nam si illa includerentur, tũc iam erat homo, qui sexto die creatus est; quod si sic dicatur: tunc ad quid dicitur: Nondum pluerat Deus super terram: hoc enim factum est post opera sex dierum.

RESOLVTIO.

Ac si diceretur, Nondum homo operatus fuerat terram.

AD quod dicendum, quod illud dicitur [*& homo non erat, qui operaretur eam*] negatio ad totum extenditur, vt sit sensus: nondum erat homo operatus terram: vt sic vtrunque referatur ad ea, quæ facta sunt post opera sex dierum. Vnde August. *Tanquam si diceret, non ea sic fecit Deus, quemadmodum nunc facit talia, cum pluit, & cum operantur homines, hæc enim iam per moras temporum fiunt, quæ tunc non erant, cum fecit omnia simul, vnde etiam tempora inciperent.*

Aug. 5. super Genes. Tom. 3. Cap. 6.

MEMBRVM III.

Quid est dictu, Fons ascendebat de terra, &c.

AD TERTIVM, quo quæritur circa illam litteram, *Fons ascendebat de terra &c.* Hic cum incipiat dicere de causa multiplicationis, & collocatione hominis in paradiso, quæritur, quare primo incipit ab origine ex parte aquæ, & non ex parte terræ.

Genes. 2.

RESOLVTIO.

Causa multiplicationis subillaturus Moses, eius primum element: meminit, quo genera omnia multiplicabilium nascuntur, nataque concrescunt, scilicet aquam quam à fontali potius quam pluuiali nomine descripsit; quia pluuia diluuio primitus introducta est in pœnam confusionis hominum. Per quem fontem vel Oceanum intelligamus; vel vniuersaliter omnem fontem siue aquæductum, non vnum tantum exponamus.

Ad quod respondet August. *Recte ab eo incipit elemento, ex quo cuncta genera nascuntur vel animalium, vel herbarum, atque lignorum: vt agant temporales numeros suos, naturis propriis distributos. omnia quippe primordia seminum, siue omnis caro, siue vnde omnia frutecta gignuntur, humida sunt, & ex humore concrescunt.* Vtrumque tamen datur intelligi: nam ea, quæ fiunt, ex cõmixtione fiunt aquæ & terræ, adiunctis aliis elementis: sed hæc duo sunt manifestiora: ideo de his duobus facit mentionem. Rationem etiam corpulentiæ (non dico corporeitatis) accipiunt ab elementis illis principaliter: sed terra est, vnde plus accipiunt de materia: humor vero, qui ex aqua est: vnde plus accipitur multiplicatio.

August. super Gen. Li. 5. cap. 7

SED quia duplex est humor: vnus, qui descendit ex nubibus aeris: alius, qui oritur in terra: potest quæri, quare causam multiplicationis designat penes fontalem humorem primo, & non penes pluuialem: cum videamus modo manifestius causam multiplicationis esse ex humore pluuiali, quam fontali in vniuersa terra.

¶ PRÆTEREA, cum sit humor pluuialis, sit minutatim terræ irrogatio: vnde magis videbatur cõuenire à principio. ¶ AD quod videtur dicendum, quod cum non legatur de pluuia, nisi cum introductum est diluuium: nec de arcu, siue iride, nisi in signum recõciliationis: videtur quodammodo in pœnam post pluuia introducta: pluuia enim fit ex vapore aquoso eleuato in nubibus: in vapore autem est quædam confusio elementorum: vnde introductio vaporis videtur esse signum confusionis creaturæ humanæ: quæ iam venerat in confusionem peccatorum: prius enim erat aer serenus in conditione operum primorum: sed post factus est nubilosus. Recte ergo est primo facta multipli-

catio

catio ex humore fontali, irrigante super faciem terræ. Si cui autem videtur prius fuisse pluuia (licet de hoc non faciat mentionem sacra scriptura) nihilominus oportet eum intelligere primo, quod humor * aquosus imbibatur terræ, antequam fiat vaporum eleuatio: & consequenter pluuiarum descensio. Quod enim dicitur ligatio aquarum, vt nō pariter erumpant deorsum; nō videtur ad primum statum referri.

* Alias, in aquosus.

¶ SVPPOSITO autem ex scriptura, quod humor aquosus, qui in terra oritur, sit principium irrigationis primæ: potest quæri quare dicatur esse fontalis: cum ex conditione operum sex dierum habeamus, quod aquæ inferiores congregatæ sunt: & congregationes dictæ sunt maria. Vnde videtur quod irrigatio totius terræ sit ex illis maribus: mare enim accipitur communiter pro cōgregatione aquarum dulcium & amararum; quid est ergo quod dic. it *Fons ascendebat &c.* ¶ ITEM supposito, quod fons secundum rationem aliquam fontis irrigaret: cum non videatur de alio fonte facere mentionem, nisi de illo fonte paradisi; qui diuiditur in quatuor capita: videtur impossibile, quod totam superficiem terræ irrigauerit: cum non legatur de illis quatuor capitibus, nisi quod per terras currunt determinatas: & illas irrigent: aliæ vero sunt terræ, ad quas non extenditur earum irrigatio. Si vero fuerit alius fons maior illo, mirum est, vbi modo sit. Si enim obstrusus est propter primorum parentum peccatum, videretur alicubi in scriptura fieri mentio de ista obstrusione. ¶ PRÆTEREA, multiplici genere peccati peccauit homo ante diluuium: & tamen non legitur, quod ante diluuium fuerit aliud genus irrigationis: ergo relinquitur, quod si obstrusus esset; hoc non esset propter peccatum primorum parentum.

¶ AD quod potest dici, opinando secundū illud, quod introducit August. dicens quod potuit per fontem intelligi Oceanus: inquantum per diuersas partes ramis suis extenditur: & diuersi sunt meatus subterranei: per quos fiunt excolationes aquarum: cuius vnus ramus fuit fons, qui irrigabat paradisum: & dicitur fons irrigare superficiem terræ: non quod inundauerit super eam, sed quod in maiori parte irrigauerit: Vel quia dixit, *Fons ascendebat, &c.* & non dicitur vnus fons, potest intelligi, vt vniuersaliter comprehendantur omnis fons, siue aquæductus. Vnde Augustinus. *Quod si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta, quæ mare dicitur, & euidenti amplitudine aqua maris fluctibus terras ambit; in ea sola parte, quam reconditis finibus terra continet: vnde se omnes fontes, omnes aquæ diuersis tractibus venisq; distribuunt: & suis quaque locis erumpunt: fontem voluit appellare scriptura: non fontes, propter naturæ vnitatem; eumq; per innumerabiles vias antrorum atq; rimarum ascendentem de terra: & vbique dispartitis quasi crinibus irrigantem omnem superficiem terræ: non continua specie tanquam maris, aut stagni: sed sicut videmus ire aquas per alueos fluminum, fluxusque riuorum, & eorum excessu vicina perfundere, quis non accipiat, nisi qui contentioso spiritu laborat.* Et iterum ibidem. *Pro numero plurali posuit singularem, vt intelligamus fontes multos per vniuersam terram loca, vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles, & multi intelliguntur: sicut dicta est locusta, & rana in plagis, quibus AEgyptij percussi sunt: cum esset innumerabilis locustarum numerus, & ranarum. iam non diutius laboremus. Quidam autem putauerunt sic fieri irrigationem: quemadmodum Nilus quodam tempore anni irrigat terram, vt aliquo tempore effundatur superficiem terræ: aliquo vero tempore contrahatur.*

August. Genes. 2. Aug. super Gen. lib. 5. cap. 10.

Idem cap. eod. paucis inter positis circa finem capitis.

QVÆSTIO LVIII.

De opere collocationis: videlicet de paradiso terrestri.

In quinque Membra diuisa.

Genes. 2. D Thō. 1. par. q. 102. per 4. art. S Bon. in 2. d. 17. in dub. litter. Sco. ib. q. 2.

PLANTAVERAT *dominus Deus paradisum, &c.* Sicut dicit Damascen. quia homo erat compositus ex visibili & inuisibili creatura, præparauit ei Deus locum deliciarum paradisum: qui quodammodo dictus est intelligibilis, quodammodo sensibilis: sicut consentiunt August. & Damasc. promptuarium vniuersi gaudij, & exultationis. De quo paradiso & vniuersis contentis in eo primo agitur: deinde de multiplicatione animantium rationalium, quod notatur ibi, Formatis ergo, &c. secundum quod ad Adam hæc referuntur.

¶ PRIMO igitur describitur paradisus. Secundo ad quid homo in eo collocetur. Tertio de ornatu & fructibus paradisi, & de ligno vitæ, De factione Euæ ex costa Adæ, & quibusdam aliis circa huiusmodi sub paragraphis suis. Mouentur quædam quæstiones de multiplicatione animantium irrationabilium. & de impositione nominum eorum. De præceptis disciplinæ homini traditis, infra agetur: cum de rationali creatura erit Tractatus, quæ componitur ex sensibili & intelligibili: hoc tantum sufficiat hic ostendere, quod pertinet ad corporalem creaturam.

MEMBRVM I.

An paradisus, in quo primus homo positus dicitur, sensibilis, vel intelligibilis locus fuerit.

QVÆRITVR ergo de paradiso, Vtrum tantum sit sensibilis, vel tantum intelligibilis, vel quodammodo sensibilis quodammodo intelligibilis. ¶ Quod enim sit intelligibilis, videtur per hoc, quod dictum est a Domino latroni. *Hodie mecum eris in paradiso.* & constat quod anima ipsius latronis à dextris, cum esset spiritualis, & Christi animæ similiter non promittebatur delectatio corporalis, sed spiritualis: ergo nomen paradisi intelligitur locus spiritualis, siue intelligibilis. ¶ SED contrarium videtur per hoc, quod loquitur de plantatione, de arboribus; & huiusmodi: quæ omnia ad corporalem creaturam referuntur: ergo paradisus locus erat corporaliter. Luc. 23.

¶ AD hoc facit quod dicit Isidor. *Paradisus est locus in partibus orientis constitutus cuius vocabulum ex Græco in latinum vertitur, Hortus &c.* Isidor. in Li. 4. Ethymol. c. 13. circa initium.

RESOLVTIO.

Vtrunque, tum scilicet sensibilis, tum intelligibilis.

¶ RESPONDET Iohan. Damascen. *Mihi videtur, quod sicut homo sensibilis simul & intelligibilis conditus sit; sic etiam quod huius sacratissimum templum sensibile simul, & intelligibile, & duplicem habens ostensionem.* Ex corpore enim in diuinissima regione, & super pulchra (sicut historice diximus) ditatus commorans: ex anima vero in superiori & incomparabiliter pulchriori loco conuersabatur: Deum habens inhabitantem: & eum ferens gloriosum operatorium, & eius circumamictus gratiam, & solo dulcissimo fructu contemplationis lasciuiens; velut quidam angelus alius: & hac nutritus, vtique lignum vitæ digne nominatum est. Similiter August. *Tres de paradiso sunt generales sententiæ. Vna eorum, qui paradisum tantummodo corporaliter intelligi volunt, alia eorum, qui spiritualiter tantum, alia eorum, qui vtroque modo paradisum accipiunt, alias corporaliter, alias spiritualiter.* Breuiter ergo vt dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam: vt homo factus de limo, quod vtique corpus humanum est: in paradiso autem collocatus intelligatur: vt quemadmodum ipse Adam; & si aliquid aliud significat, secundum id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus, homo tamen in propria natura expressius accipitur. Ita & paradisus, in quo eum collocauit Deus, nihil aliud, quam locus quidam intelligatur, terra scilicet vbi habitaret homo terrenus. Dam. li. 2. de Orthod. fide c. 11. Aug super Gen. lib. 8 c. 1. in primis verbis Tom. 3.

¶ AD obiectum autem dicendum: quod paradisus multipliciter accipitur: aliter enim accipitur, cum dicitur, *Hodie mecum eris in paradiso &c.* & cum dicitur, *Plantauerat Deus, &c.* Paradisus autem in sua generali ratione dicitur, vbicunque feliciter viuitur: sicut habetur ex Lib. August. ad Dardanum. Luc. 23. Genes. 2.

MEMBRVM II.

Ad quid Deus primum hominem in paradiso posuit.

DEINDE quæritur de hoc, quod Adam primus homo positus est in paradiso, vt operaretur & custodiret; nūquid voluit Deus, vt operaretur agriculturam? Quod non, videtur: quia post peccatum damnauit ipsum ad laborem: vt habetur. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Genes. 3.

* *

RESOLVTIO.

Vt operaretur, etiam vt agricola: sed non in sudore & labore, quinimo in delitiis & voluptate. Vel magis, vt se in paradiso operaretur, ne quod quam ex acceptis sibi amitteret perperam, custodiretque se Deo ita gratum, vt non inde confusibiliter eijceretur.

Aug. lib. 1. super Gen. ad literam c. 8. circa medium Tom. 3.

¶ AD quod respondet August. dicens. *Ita sane arbitraremur, nisi videremus quosdam cum tanta voluptate agricolare, vt eis pœna magna sit, inde ad aliud vocari.* Quicquid ergo habet deliciarum agricultura; tunc vtiq; longe amplius erat: quando nihil accidebat aduersi, vel terra, vel cælo: non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis: cum ea, quæ creauerat Deus, humani operis adiutorio lætius feraciusque prouenirent.

Idem cap. 9. in fine.

¶ ET circa illud, quod sequitur [*custodiret illum*] Obijcit August. *Nullus vicinus metuebatur inuasor: & nullus limitis perturbator: nullus fur, nullus aggressor: quomodo igitur intellecturi sumus corporalem paradisum potuisse ab homine corporaliter custodiri? Sed nec vt custodiret à bestiis, cum omnes bestiæ essent ei subiectæ.* ¶ Præterea adducta ei erant animalia, vt eis nomina imponeret.

Aug. ibidē cap. 10.

¶ AD quod respondetur per hoc, quod dicit August. in sequentibus. Cum dixit. *Posuit eum, vt custodiret paradisum, sibiipsi ne aliquid admitteret, denique accepit & præceptum, vt sit, per quod sibi custodiat paradisum, id est, quo conseruato, non inde proijcitur.* Recte enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit, vt amitteret eam; etiam si alteri salua sit; qui eam inuenit, vel accipere meruit. Est alius in his verbis sensus: quem puto non immerito proponendum: vt ipsum hominem operaretur Deus, & custodiret: sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat esse terram; sed vt cultam, atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis quam ipse creauit, vt homo sit: cumque ipse operatur, vt iustus sit: si homo ab illo per superbiam non abscedat.

Ibid. ca. 11. Dubitatio incidentalis.

¶ SED propter quid (sicut dicit August.) primo ponitur hic [*Dominus*] secundum transla. septua. in nostra enim transla. prius ponitur, scilicet ibi. Formauit igitur Dominus Deus hominem &c.

¶ AD quod dicendum: quod per hoc datur intelligi, quod cum posuit hominem in paradiso ad custodiendum eum, voluit rationem inuenire, per quam posset se custodire: videlicet si maneat sub dominatione Dei, & eam sequatur: q̄ cito enim appetijt non esse sub dominatione, tam cito meruit expelli à paradiso: nec operatus est paradisum; sed in sudore, & labore &c.

MEMBRVM III.

De ornatu, & fructibus paradisi, & de ligno vitæ.

Genes. 2. Ibidem.

AD tertium, quo quæritur de ornatu paradisi, in quo positus erat: dicitur enim quod *Deus produxit de humo omne lignum pulchrum visu &c.* Et per quid fiebat multiplicatio; ostenditur per hoc, quod sequitur. *Fluuius egrediebatur &c.* Differentiæ arborum tres notantur: lignum, quod fuit ad probationem obedientiæ: & hoc est lignū scientiæ boni & mali, lignū q̄ fuit ad sustentationem vitæ per nutrimentū: & lignum ad immortalitatem vitæ, scil. lignum vitæ, quod erat in medio paradisi. Possunt ergo ad literam distingui: vt vnum respiceret sustentationem corporis: alterum immortalitatem coniunctæ: tertium ad probationem obediētiæ ex parte animæ.

Ibid. Genes. 1.

¶ POTEST autem quæri de hoc, quod dicitur. *Produxitque Deus de humo &c.* Nunquid hæc productio facta est, cum dictum est: *Germinet terra herbam virentem, & lignum faciens fructum.* ¶ Quod videtur: nam ibi dicitur, Protulit terra: Si ergo terra dicitur ibi generaliter, intelligitur de paradiso: & ita tertia die fuit hæc productio ligni paradisi: & multomagis paradisi, quam aliorum locorum: cum iste locus deputatus esset homini, si stetisset: non ergo congruebat, quod alia pars terræ ornaretur herbis virentibus, & lignis facientibus fructum: & hæc remaneret sine ornatu. Si vero tunc facta est hæc productio, & iste ornatus; ad quid ergo dicitur. Produxit Deus de humo &c.

¶ PRÆTEREA: cum herbæ virentes sint ad ornatum terræ, & in sustentationem vitæ: sicut habetur 6. die: propter quid non fit mentio de vtroque; sed de altero illorum tantum, scilicet de ligno fructifero. ¶ PRÆTEREA: cum fructus non sit tantum delectabilis quo ad visum, vel gustum: sed quo ad olfactum quare: non facit mentionem de delectatione quo ad olfactum. ¶ PRÆTEREA lignum vitæ positum erat in medio paradisi: nonne & illud erat in nutrimentum? Immo videtur, quod tantum lignum illud sufficiebat: nam cum lignum illud haberet hanc virtutem, vt homo primus in immortalitate corporis animalis conseruaretur: non fuit necesse, vt lignum aliud adiungeretur ad conseruationem vitæ.

August. de ciuit. Dei. li. 13. c. 20. in fine.

¶ QVÆRITVR autem propter quoddam verbum, quod dicitur in Lib. de ciuit. Dei. *Tanquam cætera ligna essent alimento, istud esset sacramento*: In hoc enim innuitur, quod fructus aliorum cedebant in alimentum, non in sacramentum: fructus autem istius in sacramentum, non in alimentum: Cū ergo fructus ligni vitæ sumebatur: nonne conuertebatur in corpus hominis? & ita erat alimentum: aut si non conuertebatur: sicut est de medicina: quæ tantum est medicina, & non cibus: quo conseruabatur corpus hominis, ne vetarasceret; si statim in secessum emittebatur: nec fiebat aliqua immutatio. ¶ PRÆTEREA: sicut dicit August. cum loquitur de paradiso spirituali, quod est ecclesia, exponens illud. *Emissiones tuæ paradisus*, &c. per lignum vitæ signatur Christus: per ligna vero fructifera sancti: per lignum scientiæ boni & mali liberum arbitrium voluntatis: ergo pari ratione cætera ligna paradisi erant sacramento, sicut lignum vitæ. ¶ PRÆTEREA, lignum vitæ nunquid habuit hanc vim, vt qui gustaret ex eo, immortalitatem corporis animalis cōsequeretur? tunc homo post peccatum si sumpsisset de ligno vitæ, fieret immortalis: & hoc videtur per hoc, quod dicitur. *Videte, ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* Quod si est, in contrarium est, quod in lege data à Domino habebatur: quod quacunq; die comederet de ligno scientiæ boni & mali: morte moreretur, id est, subiectus esset mortalitati: & ita necessitatem haberet moriendi: nec ergo lignum vitæ hunc habet effectum. ¶ PRÆTEREA, nōne sic dictum est: lignum scientiæ boni & mali, sicut dictū est lignum vitæ? sed lignum vitæ dicebatur ab effectu: ergo & lignum illud habuit virtutem dandi scientiam.

Idem de eadem li. cap. 11. Cant. 4.

Genes. 3.

¶ CONTRA. scientia est forma spiritualis: forma autem spiritualis nō efficitur ex corpore: ergo cum immortalitas efficeretur ex esu ligni vitæ: non similiter accipitur appellatio hic, & ibi.

¶ QVÆRITVR etiam propter quid de ligno vitæ fuit expressum, quod plantatum sit in medio paradisi: de aliis autem nihil determinatur, nisi quod erant in paradiso?

¶ PRÆTEREA, quæritur de ligno scientiæ boni & mali, vtrum esset in medio paradisi: littera enim ad vtrunque se videtur habere. Dicitur enim. Lignum vitæ in medio paradisi: lignumque scientiæ boni & mali. Nam si ad proximū fit copulatio: tunc erat in medio paradisi cum ligno vitæ. Si vero non ad proximum, sed ad remotum; non datur intelligi, nisi quod lignum scientiæ boni & mali erat in paradiso, cum lignis ad esum datis, & cum ligno vitæ.

¶ AD primum dicendum, quod istud dicitur pro recapitulatione: vt describatur, in quo loco voluptatis sit homo positus: non quod nunc primo facta sit productio ligni paradisi. Vnde potest intelligi: vt notetur ille modus productionis, quo mediante humore naturali, Deus mediante natura, ligna fructifera producit: & in hoc sit differentia ab illa productione: quam facit Deus, condendo ligna fructifera de terra: Et hoc videntur ista duo verba sonare [*terra, siue arida & humus*] Supra enim dictum est, *Germinet terra herbam virentem*: hic vero dicitur, Formauit Deus de humo. Humus enim ab humore dr̄: vt notet origo multiplicationis secundum modum istum ex humore: & tn̄ differenter tunc, & nunc: nunc enim secundum prius & posterius crescunt arbores: tunc enim producebantur ad cōpletam quantitatem, Deo operante: supra aūt designatur operatio diuina, non nisi de terra materialiter.

Genes. 1.

¶ AD secundum vero dicendum, quod de herbis virentibus, licet sint ad delectationem visus, & gustus; non fit mentio; quia intendit hic tangere illud genus rei, in cuius differentia fuit primo datum præceptum, & consequenter transgressio. Vnde primo tangit differentias ligni: & vnde potuit esse ratio multiplicationis, sc. ex fluuio paradisi: de-

inde ad quid collocatus fuit in paradiso: respiciens, prædicta ligna: præceptum affirmatiuum respiciebat lignum ad esum & lignum vitæ: præceptum vero negatiuum lignum scientiæ boni & mali. Vnde cum supra concesserit ad esum tam herbas virentes, quam fructus lignorum: hic addidit consequenter præceptum circa fructus ligni: in quo innuitur, quod magis aptabatur in cibum hominis à principio fructus ligni, quam ipsę herbæ: herbæ vero magis in cibum animantium irrationalium.

¶ AD tertium dicendum, quod de delectabili secundum duplicem sensum fit hic mentio, sc. secundum visum & gustum: visus enim apprehendit de longe & discernit delectabile in nutrimento: gustus aũt de prope, siue per immediationem: olfactus enim est quasi consiliarius differentiarum cum gustu. Vel ad præsignandum, quod homo non tm̃ vigere debebat in olfactu, quãtum in alijs sensibus. Tactus a. licet ostendat differentias rei nutribilis; non fuit hic enumeratus: sufficiebat enim gustus, qui est quidã tactus: sicut dicit Philosophus.

Philos. 2. de Anima 94.

¶ AD QVARTVM dicendum, quod lignum vitæ, ad hoc specialiter erat (sicut dicit August.) ne mors vndecunque surreperet, vel senectute confecta decursis spacijs temporũ interiret: nihilominus tñ erat in sacramentum & significationem ligni vitæ: de quo dr̃ Prouerb. *Lignum vitæ apprehendentibus eam.* Si vero obijcitur, quod esset in alimentum.

Aug. de ciuitate Dei lib. 13. cap. 20.
Prou. 3.

¶ RESPOND. potest, quod sicut medicina inquantum huiusmodi, est ad præseruandum, vel curandum: sic hmõi lignum fuit ad præseruandum contra defectum, qui prouenit ex agentib. extra. Nec hæc est principalis differentia inter alia ligna, & istud quod cætera essent in alimentum, istud in sacrm̃: nisi intelligamus, quod hoc plus erat in sacramentum: cetera plus in alimentum.

¶ AD illud, quod obijcitur, cõsequenter: dicendum est, quod lignum vitæ ad hoc disponebat, vt cõsequeretur immortalitas vitæ in Adam sumente: sed hoc non fuit tota causa: sed causa intrinseca fuit vis contentiua ipsius animæ: quam habuit à Deo vita in statu innocentiæ: extrinseca vero fuit esus ligni vitæ. Ad obiectum autem in contrarium dicendum, cum dicitur Videte, ne forte sumat, &c. datur intelligi, quod si sibi subtraxit causam intrinsecam immortalitatis: iustum fuit vt ab eo subtraheretur causa extrinseca immortalitatis.

¶ AD illud, quod quæritur de ligno scientiæ boni & mali. Dicendum, quod dictũ est, quia in esu eius expertus est homo, quantum sit malum inobedientiæ: & per oppositũ, q̃tum esset bonum obedientiæ: ab euentu ergo nomen accepit. Prius ergo poterat cognoscere bonum obedientiæ, & per priuationem malũ inobedientiæ per simplicem notitiam: deinde vero cognoscere per pœnæ experientiam.

¶ AD illud, quod obr̃ de ligno vitæ, quod positum est in medio paradisi. Potest dici, quod ad litteram congruebat, vt ex omni parte facilior esset accessus. Et sicut primum receptiuum vitæ, sc. corporalis positum est in medio hominis, siue * animale habentis corpus: sic illud, ex quo accipiebatur vitæ vniformitas, esset in medio lignorum nutrimento aptorum. In figura ãt est factum, scil. ligni vitæ spiritualis, quod in medio fuit paradisi, id est, ecclesiæ: Deus enim salutem operatus est, in medio terræ. Vel adhuc est, secundum illud. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine, &c.*

* Alias, animæ.
Matth. 18.

¶ AD hoc quod quæritur de ligno scientiæ boni & mali, vtrum esset in medio: quia ambigue vr̃ dicere scriptura. Responden. est per hoc, quod dicit Aug. Adhuc alias, animalia corpora terrena gestantes; quæ licet senio non veterascerent, vt necessitate perducerentur ad mortem: qui status eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat; mirabili Dei gratia præstabatur: tamen & alios sumebant cibos, præter vnam arborem, quæ fuerat interdicta.

Aug de ciuitate Dei l. b. 13. c. 20 Tom 5.

MEMBRVM IV.

De factione Euæ ex costa Adæ.

Genes. 2.

AD quartum, quo agitur de factione Euæ penes litterã *Dixit quoque Deus: non est bonum hominem esse solum &c.* Ostensa multiplicatione terræ nascentiũ in paradiso, & quo ad causam; cum locutus est de fluuio; & quo ad finem, cum dicitur, *Ex omni ligno, quod est in paradiso &c.* subditur de multiplicatione ex parte animalis rationalis. Et quia multiplicatio est per simile in specie: hoc autem non inuentum fuit in multiplicatione animantium: vnde sequitur, *Finxit Deus* &c. vbi nos habemus. Formatis de humo &c. Sequitur formatio Euæ de latere Adæ, & in hoc cõcluditur pars ista, quæ est de multiplicatione.

D. Tho. 1. par. q. 92. per 4. art.

Quæ necessitas fuit producendi mulierem? cur item de viro, nec de limo: aut de latere potius quam de parte alia &c. §. 1.

¶ POTEST autẽ quæri per ordinem primo propter quid dictum est: Non est bonum hominem esse solum: cum iam dixit, Masculum & fœminam creauit eos: ¶ PRÆTEREA; non ne ratio speciei bene salua esset in illo solo, si stetisset in immortalitate? ¶ PRÆTEREA, si oportuit multiplicationem fieri, quare nõ fuit facta admodum, quo multiplicatio facta est in angelis: vt fierẽt duo mares à Deo, vel plures: sicut facti sunt angeli: æque enim participarẽt gloriam Dei, ad quam creati essent. ¶ ITEM, quare non fecit virum de mare: sicut fœminã de viro: & sic consequenter. ¶ ITEM, si congruit facere masculum & fœminam; quare fœminam fecit de viro, & non de limo terræ, sicut Adam: cum in hoc magis notaretur humiliatio hominis ex parte originis secundum materiam. ¶ Si vero oportuit de aliqua parte viri: quare de latere, plus q̃ de alia parte: cum sint nobiliores partes in homine & minus nobiles. ¶ Si vero de latere viri, cum sint partes aliæ consimiles * quam os & caro: os aũt factum est ex osse, caro ex carne. Vnde ergo neruus, vel cartilago, & ita de aliis partibus consimilibus. ¶ ITEM, cum sint partes officiales plurimæ, & partes consimiles dicuntur fieri secundum quandam similitudinem: propter quid non partes officiales: ex latere enim factus est pes, facta est manus, & ita de alijs partibus officialibus, siue organicis. ¶ De modo a. formationis, quæritur vtrum ministerio alicuius, vel aliquorum Dñs operatus fuerit: his habitis procedendum est ad alia, quæ dicuntur de aliis animantibus.

*Alias quãtum.

RESOLVTIO.

Formata est præter hominem & mulier: vt sic Deus gloriosius glorificaretur in pluribus: Quam ideo de viro, nec de limo formatã putemus: vt sicut ab eo initium sumeret: ita eidem secundæ naturæ conditionem subdita esset. Sed ne omnino subdita & inferior haberetur, verũ quodammodo par, de latere peculiariter eductam dicimus: tametsi propter ipsius coniunctionis vim cõmendandam id ipsum etiam factum esse non ignoramus, &c.

¶ AD primum dicendum: quod illud, quod dicitur de masculo & fœmina, per anticipationem dictum est: non quia tunc simul factæ sunt in operibus sex dierum: sed vt ostenderetur, quod tam masculus quam fœmina cum condebantur, ad imaginem Dei condebantur: quam imaginẽ non accipiebat mulier à viro; sed vterq; à Deo, secundum spiritum, qui à Deo condito in operibus sex dierum: quia in illa prima conditione mundi, cum Deus omnia creauit simul, homo factus est: qui esset futurus ratio creandi hominis, non actio creati: & sequitur. Alter erant in elementis mundi, vbi omnia facta simul futura sunt: aliter in reb. quę secundum causas simul creatas, non iã simul, sed suo tẽpore creentur: ex quibus Adam cum formatus est, ex limo formatus Dei flatu dicitur animatus.

Aug. lib. 6. super Genes. ad litterã capi. 10. in primis verbis.

¶ AD secundum dicendum, quod licet ratio speciei sufficienter posset saluari in vno homine immortalitatem hñte: non tamen consecutus esset finis vltimus: propter quem condidit Deus hominem: ergo sicut si esset vnus solus angelus, posset participare gloriam; sed non sic glorificaretur diuina potentia in vno participante, sicut in multis. Si etiã loquamur pro statu angelorum post casum; congruebat; vt esset multitudo hominum ad reparationem multitudinis ruinæ Angelicæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod non fuit facta multiplicatio admodum multiplicationis in Angelis, vt fieret multitudo in masculino sexu à Deo: itaque nullus ab alio. In hoc enim non ostenderetur homo conditus ad imaginem Triniatis. In Trinitate enim est persona vna est ab altera: & persona Spiritus sancti ab vtraque persona, scilicet Patris & Filij (Vnde ordo naturæ videtur ostendi, sicut dicit Augustinus) quod non fieret in homine: si omnes

ctionem. Ratione ergo iocunditatis & fructuositatis possint dici factæ in tertio die, & ita videtur dicere Damasc. Ratione vero punctionis, & infructuositatis post peccatum sic sunt conuersæ.

QVÆSTIO LII.

De opere quartæ diei; quod est de ornatu cœli.

In duo membra & in quatuor Articulos diuisa.

D.Tho 1. par.q. 70. Ex S. Bon. collige in 2.d.13.

SEQVITVR de his, quæ pertinent ad ornatum. Ornatus autem est triplex, secundũ tria genera locorum: cœlum, & terram, & corpus medium; quod continet aerem, & aquam. Primo ergo agit de ornatu cœli. Secundo de ornatu corporis medij. Tertio, de ornatu corporis vltimi. Sic enim ordinantur secundum gradum nobilitatis, & sic determinabantur in sua factione: primo firmamentum, quod dictum est cœlum: deinde aqua in sua specie: tertio terra, quæ dicta est arida.

¶ AGIT autem sic de ornatu cœli, siue firmamenti. Primo ostendit progressum luminarium, quæ ad ornatum spectant, à sua causa: cum dicitur, *Fiant luminaria.* Secundo designat ea in proprio genere: *Et factum est.* Tertio perfectionem secundum sua genera. Quarto comparationem ad finem. Et possunt hæc quatuor distingui secundum quatuor causas. Primum ad efficientem. Secundum ad materialem causam dispositam. Tertium ad formam completam. Quartum ad causam finalem. Primo ergo ostendit facturam luminarium. Secundo, ad quem vsum: & ostendit multiplicem vsum, scilicet distinctionem diei, ac noctis, significationem impressionum quarundam inferiorum, distinctionem temporum, ornatum cœli. (Gen. 1.)

MEMBRVM I.

Ex quo tanquam ex materia propinqua facta sint luminaria?

CIRCA primum quæritur hoc, quod in alijs diebus pertinentibus ad ornatum dicit: *Producat*, &c. in hac autem die, fiant luminaria: Nec dicit, ex firmamento, sed *in firmamento*: Ideo potest quæri, ex quo facta sint luminaria tanquam ex propinqua materia. (Ibid.)

RESOLVTIO.

Ex illa luce, quæ primo die facta est.

¶ AD quod facit, quod lux, quæ facta est in primo die, non desierit esse: hæc n. magis videtur conuersa in luminaria vt quæ prius distinguebat diem, & noctem; tunc ampliori modo vsui accõmodata, & eodẽ modo perfectiori; eo quod in eo fit lumen perfectius, & distinctius: Rectè ergo videtur dictum, ꝙ luminaria sint perfecta in firmamẽto, non ex firmamento: sicut dicitur in sequentibus. *Producant aquæ:* Producat terra. Et est modus talis loquendi; quemadmodum si poneretur gemma preciosa in annulo ad decorem annuli: vnde infra sequitur: *Et posuit ea in firmamento cœli.* (Gen. 1.)

Dubitatio ¶ SED tunc vltra quæritur, quid dicatur hic firmamentum. Solemus enim dicere firmamentum, in quo sunt stellæ fixæ: Sed sic non potest accipi: nam loquitur hic de luminaribus, sole, & luna: hæc autem luminaria non sunt in firmamento, id est cœlo stellarum fixarum: ergo sic non potest accipi firmamentum. ¶ PRÆTEREA, ad quid dixit: *Firmamentum cœli*, & non cœlo. (Ibid.)

¶ AD quod dicendum, quod firmamentum hic accipitur pro toto corpore, in quo sunt stellæ fixæ, & quæ dicuntur erraticæ: vnde continet hic septẽ sphæras secundum Philosophos, scilicet cœlum stellatum, & cœlos; in quibus sunt septem planetæ.

¶ AD aliud dicendum, quod signanter dixit: *In firmamento cœli*, vt designaret illam partem cœli, quæ est supra cœlum æthereum, id est, in illa parte, quæ diuidit aquas superiores, & inferiores.

MEMBRVM II.

Ad quem vsum facta sint luminaria?

AD secundum, quo quæritur; Ad quem vsum facta sint luminaria, circa hoc quæruntur totidem articuli. Primus est de primo actu lucis, & ad quid terminatur. Secundus de distinctione temporũ, & qualiter sunt in signa, & de anno lunari, & solari. Tertius de magnis luminaribus, videlicet sole, & luna. Quartus de ornatu cœli, cum additur, & stellas, & de quibus stellis intelligitur; vtrum de fixis tantum, an etiam de erraticis, & quo motu moueantur.

ARTICVLVS I.

Actus primus lucis quis, & ad quid terminetur?

DEINDE sequitur: Vt luceant super terram. Notatur hic primus actus lucis, & ad quid terminatur. Reflectitur enim radius lucis ex resistentia terræ, vel corporis terrestris, & licet luceat super aerem, vel super aquam: tamen non dicitur hoc; quia virtus in suo vltimo determinatur, & in illo alia dantur intelligi. ¶ *Et præsint diei ac nocti*: alia littera habet. Sint in inchoationem diei ac noctis: Ratione cuius obijcitur. Nonne ex præsentia solis super terrã est dies, ex absentia eius est nox: ergo sol est ad vtrumque, cum per ipsum distinguatur vespere, & mane. (Gen. 1.)

¶ PRÆTEREA, contingit: quod luna non semper lucet in nostro hemisphærio in initio noctis, quid ergo erat dicere: Et sint in inchoationem diei, & noctis, tanquã luna esset in inchoationem noctis, semper lucens in nostro hemisphærio?

RESOLVTIO.

Vt luceant super terram: præsintq; diei, ac nocti, sol scilicet diei, luna nocti.

¶ AD quod dicendum, quod nostra translatio apertius designat, quæ dicit: *Vt præsint diei, & nocti.* Sol enim præest diei in lumine, & luna præest nocti, non quod semper luceat luna in nocte (cum enim coniungitur soli, non tunc apparet lumen eius,) sed hoc est, quia dominatur in die, & nocte quo ad effectus, qui maximè penes ista luminaria distinguuntur, sed ipsa essentia noctis per defectum solis in nostro hemisphærio determinatur. (Ibid.)

¶ AD secundum dicendum, quod (sicut dicit Augustinus) per inchoationem designatur principium, nomine vero principij designatur principatus: sic enim est in Græco, quod dicitur archin: vnde notatur principatus solis tanquam luminaris in die, & lunæ tanquam luminaris in nocte. Vnde August. *Si per inchoationem principium intelligas, & principium principatum, manifestum est, quoniam sol per diem principatum tenet, luna per noctem: quia etsi cætera sydera tunc appareant, illa tamen suo fulgore omnia superat, & ideo princeps eorum rectissimè dicitur.* (ἀρχὴν. Aug. contra Manichæos.)

¶ ADHVC etiam quæritur de hoc, quod dicitur: Diuidant diem, & noctem; cum prius facta fuerit diuisio diei, & noctis.

¶ AD quod dicit Augustin. *quod licet prius fuerit diuisio diei & noctis, non tamen per diuersitatem luminarium, vt vnum luceat de die, aliud de nocte.* Vnde dicit August. *sic dictum est. Diuidant diem, & noctem, tanquam si diceretur, sic inter se diuidant diem, vt soli dies detur; nox vero luna, & syderibus cæteris: quæ duo iam diuisa erant, sed nondum inter sydera; vt iam certum esset de syderum numero, quid per diem, quid per noctem appareret hominibus.* (Idem contra Manichæum. Idem cõtra eundẽ.)

ARTICVLVS II.

Quid est dictu, vt luminaria sint in signa, & tempora, & dies, & annos?

DEINDE quæritur de hoc, quod dicitur [*in tempora, dies, & annos, & signa.*] Qualiter enim sunt in signa: nonne præter solem, & luna, & planetas posita signa in cœlo. Vnde zodiacus signifer dicitur. ¶ PRÆTEREA, nonne sunt signa plurima in cœlo prẽter illa duodecim, sicut dicunt Philosophi, quæ vergunt ad austrum, vel aquilonem. Quid ergo est, quod dicitur de sole, & luna, & planetis. (Gen. 1.)

¶ ITEM,

¶ ITEM, si Sol, & Luna, & planetæ sunt signa eorum, quæ fiunt in inferioribus; nunquid determinant causas aliquorum, & si sunt causæ aliquorũ, vel signa; quorum sunt causæ, vel signa, nunquid omnium. Quod autem sint causæ pluuiæ & siccitatis, caloris & frigoris; videtur per hoc, quod cum Sol appropinquat ad Cancrum, maior est feruor frequenter: tunc enim est quasi super zenith capitum nostrorum: cum autem vergit ad Capricornum; maior est intemperies frequenter: eodem modo magis videmus tonitrua fieri in vere vel æstate, quam in hyeme: dicit enim Philosophus inquirens causam generationis & corruptionis quod Sol per sui allationem & ablationem causa est vniuersalis horum: licet aliæ sint causæ particulares. ¶ PRÆTEREA ex ratione causæ arguitur. Causa enim est ad cuius esse sequitur aliud per se, & non secundum accidens: sed motum luminarium per se, & non secundum accidens sequitur ista variatio, sc. excedentia frigoris, caloris, &c. ergo hæc luminaria sunt causa horum.

Philos. 2. de Gener. & corrup.

Et 7. Metaph. tex. conc.

Damasc.

¶ CONTRA Damasc. *Nos autem dicimus, quoniam non ipsa sunt causa alicuius eorum, neque corruptionis alicuius eorum qua corrumpuntur: signa magis sunt imbrium & transmutationis aeris.* ¶ ITEM, supposito quod aliquo modo dicantur esse causæ aliquorum in inferioribus: potest quæri vtrum omnium. Et videtur, quod sit variatio in mineralibus secundum hæc luminaria: vnde dicunt secundũ aspectũ luminarium metalla fieri diuersa in diuersis terris: quædam n. abundant in auro; quædã in argento, &c. Similiter manifestum est, quod diuersitas planetarum est in diuersis regionibus secundum aspectum istorum luminarium, maximè solis & lunæ: Eodem modo diuersitas in animalibus: quædam n. plus abundant in vna regione, quam in alia: & vnde hoc esset, nisi quod quædam regiones calidiores sunt alijs: quędam frigidiores. In homine etiam videmus variationem ex parte corporũ: quidam n. sunt vnius caloris magis, quidam alterius: quidam passibiliores: quidam minus passibiles: ex parte vero animæ quidam sunt irascibiliores: quidã temperatiores quidam promptiores ad vnum peccatum quã ad aliud. Ex quo videtur, quod causatio illorum luminarium extendat se ad omnia inferiora.

Damasc.

¶ CONTRA Damascen. ponit rationes, quod non sunt causæ eorum, quæ sunt in nobis. Vnde dicit: *Nos dicimus quoniã signa quadam ex ipsis sunt imbris, & siccitatis, frigiditatis & caliditatis, & humiditatis: & horum taliũ: Nostrorum aũt actuum nequaquam: nos n. liberi arbitrij à conditore facti, nostrorum Domini existimus actuum. Si enim ex astrorum allatione agimus, secundum necessitatem agimus, quod agimus: quod autem necessitate fit, neque virtus, neque malitia est: si autem neque virtutem, neque malitiam habemus: neque laudibus, neque vituperationibus existimus digni, vel tormentis.* Inueniretur autem & Deus iniustus; his quidem bona, illis tribulationes dans, sed neque gubernationem, neque suarum creaturarum Deus faceret prouidentiam: sed & rationale superfluum in nobis erit, nullius n. existentes actus Domini, superfluè consiliamur: rationale autem omnino consilij gratia datum est nobis: vnde omne rationale & arbitrio liberum est.

RESOLVTIO.

Luminaria, imo & quæcunque corpora cœlestia signa sunt, quia aliquam significationem præbent super hæc inferiora. Nec quidem ita, vt omnium horum inferiorum necessaria causa sint: quandoquidem de eis omnipotens Deus ad libitum disponere potest: & minimè voluntates nostræ ab eis cogi possunt, sed eorum tantum, quæ fiunt vt frequenter, puta siccitatis, frigiditatis, &c. Dicuntur postea, in tempora, scil. ver, æstas, autumnus & hyems: in dies, sc. lõgiores vel breuiores: & annos, tum solares, tum lunares, quæ omnia ex cursu solis & lunæ constituuntur.

¶ AD quod dicendum, quod omnia signa, quæ sunt in cœlo; sunt, vel principalia, quæ sunt in zodiaco: vel vergẽtia ad austrum, vel aquilonem, & omnia determinantur per stellas: & vocantur imagines ex plurium stellarum coniunctione. Dicuntur autem signa, quia aliquã significationem præbent super ista inferiora: similiter quinq; planetæ habẽt significationem aliquã secundum differentiã sui motus, vel aspectus super ista inferiora: principaliter vero sol, & luna sunt in signa. Et ideo in alia trãslatione dicitur: Fiant sydera in firmamento cœli: vt per sydera hæc omnia communiter intelligantur: in nostra vero translatione dicitur: Fiant luminaria, & etiam commune est, licet magis specificet de sole, & luna.

¶ AD aliud videtur dicendum (sine præiudicio melioris sententiæ) quod causa dicitur duobus modis. Vno modo illud, quod infallibiliter, & semper producit suum effectum; vel ad minus, sine quo non producitur effectus. Alio vero modo dicitur causa illud, quo mediãte pluries producitur. Primo modo non credo luminaria esse causam istorũ effectuum: non n. semper sdm suam dispositionẽ hoc effectus producunt, sine n. horum propria dispositione voluntas Dei, cum expedit, aliquando hos effectus producit etiã, existentibus his in contraria dispositione. Secundo modo possunt dici causa: quia cooperantur ad generationẽ & corruptionem quarundã rerum. ¶ PER hoc põt solui contrarietas inter Ioan. Dam. & Philosophos. Dam. n. loquitur de causa simpliciter: Philosophi vero loquuntur de causa propinqua, vt frequenter. Contingit n. siccitas in hyeme, & abundantia pluuiarum in æstate: & similiter contingit de calore & frigore.

¶ AD secundum dicendum, quod non omnium dicuntur signa, vel causæ, sed (sicut dicit Ioan. Dam.) *signa aũt frigiditatis siccitatis, &c.* Non aũt sunt signa eorum quæ propriè sunt ab anima rationali: sicut dicit Ioan. Dam. in autoritate supradicta. Vnde cum inueniatur à Philosophis, quod sunt signa iracundiæ vel furoris, vel furti: & ita de quibusdam alijs hominibus. Responsio est: quod cum luminaria faciant immutationem in aere, & alijs corporibus; per hoc etiam faciũt immutationem in nostris corporibus: anima vero rationalis inclinatur per liberum arbitrium ad sequẽdum immutationem factã in corpore; tunc possunt sequi dispositiones ex parte animæ. Sed harum dispositionum causa est ipsa anima: non enim necesse est ipsam inclinari, vel sequi impressiones vel passiones factas in corporibus.

Damasc.

¶ DEINDE quæritur de hoc, quod dicitur [*in tempora & dies*] cum tempora & dies præcesserint: Ad quod dicendũ, quod tempora præcesserunt, & dies: sed non erant luminaria, quæ ita manifestè discernerent dies prius, sicut tunc. Tempora vero possunt dici, ver, æstas, autumnus, & hyems: quæ per motum solis discernuntur: quæ prius non discernebantur. Et hoc dicit Ioan. Dam. Similiter solstitium æstiuale, & hyemale & æquinoctium vernale, & autumnale per hoc distinguuntur; dies etiam licet prius haberent distinctionem: non tamen quam modo habent. Modo enim longiores sunt dies in æstate & breuiores noctes: in hyeme vero econuerso: & ideo rectè dixit: In tempora & dies. De anno autem patet, quod est annus solaris, & annus lunaris, qui determinantur secundum motum luminarium solis & lunæ. Vnde August. *In signa, & tempora dictum est: vt per hæc sydera tempora distinguantur, & ab hominibus dinoscantur: quia si currant tempora, & nullis distinguantur articulis; qui articuli per syderũ cursum denotantur: possunt quidẽ currere tempora atque præterire, sed intelligi & discerni ab hominibus non possunt: sicut hora, quando nubilus dies est, transeunt quidem, & sua spacia peragunt, sed distingui à nobis, & notari non possunt.* ¶ SED obijcitur, si luna fuit condita cum sole, propter quid annus lunaris non continet tot dies, quot solaris? Annus n. solaris continet trecentos, sexaginta quinq; dies cum quadrãte: vnde cõputantur in anno bisextili trecenti & sexagintasex. Annus vero lunaris continet trecentos quinquagintaquatuor. Ad quod respondetur, quod fuit conditus in quarto die mundi: luna vero fuit condita perfecta siue plena, sicut dicit Damasc. decebat enim eam completam in lumine fieri. August. tamen non hoc diffinit, sc. quod in plenilunio, sed quod perfecta, sic arguit, quia à perfectissimo conditore condita. Cum ergo, luna esset condita plena: Sol autem in quarto die mundi, oportuit quod anticiparet cum sole vndecim diebus: vt sic esset quintadecima: & sic esset quasi in oppositione solis & ex hoc processu tempus accidit, quod annus lunaris excedebatur ab anno solari: sicut dicit Damascenus.

Quæstio incidens. Genes. 1.

Aug. contra Manichæum.

* *
*

ARTICVLVS III.

Quare Luna dicatur luminare magnum: si ea maiora luminaria dantur.

AD tertium articulum, quo agitur de hoc, quod sequitur. Fecit duo magna luminaria: maius solis, minus lunæ. ¶ Sed obijcitur, quod aliqua luminaria sunt maiora luna: & hoc probant per distantiam corporum, & apparitionem: quare ergo dixit de luna potius, quam de aliquo alio luminari.

RESOLVTIO.

Vel quia supra cætera dominatur nocti: vel quia nobis magis propinqua.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicitur: Vt præesset nocti: nullum enim luminare quantumcunq; sit, in nocte tantum dominatur in illuminatione, quantum luna dominatur. Præterea propinquior est nobis: vnde ampliorem inducit effectum, & plures.

ARTICVLVS IV.

De quibus stellis intelligi debeat id, quod circa ornatum cæli additur in Genesi. Et stellas: num de fixis, aut de erraticis? Et quo motu moueantur: motu, scil. proprio, an ad motum sui orbis.

AD quartum, vbi agitur de ornatu cœli; cum additur [*& stellas*] quæritur n. de quibus stellis intelligitur, vtrum tantum de fixis; aut de erraticis. ¶ Et videtur, quod de erraticis: quia connumerat cum sole, & luna. ¶ E contra videtur de fixis, quia dixit, quod posuit eas in firmamento.

RESOLVTIO.

De vtrisq; stellis communiter intelligendum est sc. fixis, & erraticis: Quo autem motu hæ stellæ moueantur, relinquatur ijs, qui circa hæc noctu interdiuq; negociantur.

¶ Ad quod respondetur: quod cõmuniter loquitur de stellis, siue quæ dicuntur fixæ: siue quæ dicuntur erraticæ. ¶ Ad illud, quod dicitur posuisse eas in firmamento. Dicendum, ꝙ firmamentũ ibi accipitur pro tota parte quintæ essentiæ, quæ continet omnia luminaria. ¶ Sed adhuc quæritur ratione huius verbi [*posuit*] vtrum luminaria moueantur suo motu: ad motũ sui orbis. Si n. positum dicitur illud, quod est fixum: videtur quod non suo motu moueãtur, sed motu suæ sphæræ. ¶ Præterea, si proprio motu mouerentur, aut dividerẽt corpus suæ sphęræ, aut non diuiderent. Si non diuiderent, tunc duo corpora essent simul in eodem loco, quod est inconueniens. Si vero diuiderent: tunc reciperet quinta essentia sectionem quemadmodum aer, & aqua: & ita esset corpus rarefactibile & densabile, sed quod tale est, corruptibile est, cum ergo superiora corpora de voluntate Dei sint, quod non corrumpuntur, non rarefiunt; nec densantur. ¶ Præterea hoc attestatur plus habere de materia, vel minus: nam rarum est, quod plus de loco habet & minus de materia, densum ecõuerso, ergo cum hæc non conueniant illi corpori; non est illud corpus rarefactibile, aut densabile. Restat ergo ex his rationibus, & alijs, quas ponit Philos. quod non mouentur proprio motu, sed motu sui orbis. ¶ Præterea, superfluum esset ponere ipsa per se moueri; cum nihil aliud facerent suo motu, quam ea quæ fiunt à motu orbium suorum.

Philos. Ex 2 de cœlo & mundo, concl. 41. & deinceps.

¶ Alii vero volunt ex opposito dicere, quod si mouerentur tantum motu sui orbis: aut mouerentur orbes motu firmamenti propter continuitatem: & tunc necesse esset, quod planetæ essent in vna dispositione; cum firmamẽtum semper vno motu moueatur, aut quod eorum orbes haberent proprium motum, & si habent proprium motũ, aut mouentur ab oriente in occidentem; sicut firmamentum, & tunc cum secundum maiorem nobilitatem corporum & minorem sit motus naturalis, in qua distantia se haberent orbes planetarum à firmamento, in illa siue secundũ illam proportionaliter essent motus, & ita quam cito firmamentũ, quod est superius & nobilius, fecisset suam reuolutionem, tam cito alij orbes facerent suam, & sic accideret illud, quod prius. Restat ergo quod moueantur cõtra firmamentum, sed si mouerentur econtrario, cum fortius motum vincat semper minus potens; necesse est vt firmamentum reuolutione sua faciat illos orbes reuolui ab oriente in occidentem, & hoc apparet ex hoc, quod sol in motu diurno reuoluitur ab oriente in occidentem, & ita de alijs, nisi ergo aliquis esset proprius motus ipsorũ cum hoc, non acciderent illæ variationes, quæ modo accidunt. Inueniuntur n. planetæ in qualibet reuolutione sub alio puncto, quã fuerunt in præcedenti reuolutione, cum ergo hæ variationes sint manifestæ in planetis, necesse est, aliquem motũ orbium esse contra firmamentum. Quid est ergo, quod dicitur [*posuit ea in firmamento*] imo in alio corpore posita sunt illa sydera, quod naturã habet mouendi econtra ipsi firmamento. Genes. 1.

¶ Præterea, secundũ hæc tollerentur motus lunæ, qui dicuntur differentes esse secundum astrologos, secundum eccentricum & epicyclum, & alios circulos; quos ipsi assignant: tollerentur etiam retrogradationes, & progressiones, & aliæ variationes, quæ in illis assignantur, si motum proprium non habeant: Nec hoc obstat, quod dicitur quod cœlum non recipit diuisionem, & ita non possit planeta moueri per spaciũ cœli, cum videatur moueri per aera sine diuisione aeris, nec accidens potest esse, cum moueatur de loco ad locum, non moto aere, in quo est: nec est alia substantia quã corporea: ergo erit corpus motum per corpus aliud non diuisum, quod non est æqualis spiritualitatis, ita dicunt planetam cum sit maioris luminositatis, moueri per spacium corporis cœli; tamen cœlo non diuiso. ¶ Ad quod dicendũ, quod siue sic, siue sic posita sint, luminaria in firmamento secundum intentionem supradictam; siue sint fixa in suo orbe, siue per se mobilia, perscrutatio horum relinquenda est eis, qui circa hæc negociantur: hoc supposito, quod dicit scriptura. Si vero altera pars per documenta sacræ scripturæ possit confirmari, illi parti est adhærendum.

¶ Et quia mouentur orbiculariter corpora supradicta; quæri similiter solet. Vtrum moueantur à se, vel ab alio corpore, vel ab aliquo incorporeo, quod non est necesse moueri: nullum autem corpus à se mouetur; cum necesse sit distare substantiã mouentis à substantia moti: nec ab aliquo alio corpore: oporteret n. statum esse: ergo ab incorporeo est primus motus. Huius gratia ponebant quidam superiora corpora esse animata: vt quemadmodum animalia mouentur è diuerso principio naturæ: quod est anima: ita è diuerso moueantur illa corpora; quæ quantum est de sua natura, vel figura; non plus mouentur ab oriente in occidentem, quam econuerso: nisi esset inclinatio motoris, quo moueretur sic, vel sic. Alij posuerunt intelligentias separatas, quibus mouentur ista corpora cœlestia sic, vel sic: & diuersas esse: secundum quas diuersi orbes mouentur. ¶ Ad quod dicẽdum est secundum expositores sacræ scripturæ, ꝙ non dicẽda sunt corpora animata. Vnde Io. Dam. *Nullus animatos cælos vel luminaria existimet; inanimati n. sunt & insensibiles*: quare & si dicat diuina scriptura: *Lætentur cæli, & exultet terra*: eos, qui in cœlo sunt, angelos, & qui in terra sunt, homines ad lætitiam vocat. Nouit autem scriptura & Prosopopeia, id est, personarũ fictione vti, vt de animatis & inanimatis loqui: sicut illud. *Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum. Quid est tibi*, &c. & montes & colles interrogantur sermones exultationis, sicut & nobis consuetum est dicere: Congregata est ciuitas; non ædificia significare volentibus, sed ciuitatis habitatores. *Et cæli enarrant gloriam Dei*: non vocem, quæ auribus sensibilibus auditur emittere, sed ex magnitudine cõditoris nobis virtutem ostendentes: quorum pulchritudinem excogitantes; factorem sicut optimum artificem admiramur & glorificamus. Nec ex eis elicitur, quod oporteat esse tot motores quot sunt orbes: qui mouentur: possunt n. ab vno motore, recipere diuersas inclinationes, & maximè ab illo motore, quem non est necesse agere secundum conditionem materiæ.

Dubitatio

Vide 12. Metaph. 39. & 2. cœl. conc. 41. & 74. & in Destructio. disput. 3. in in sol. dub. 3.

Damasc.

Psal 95. Paralipomen. 16.

Psal 113.

Psal. 18.

* * *

QVÆSTIO LIII.

De opere quintæ diei.

In duo Membra diuisa.

D.Th. 1. p. q. 71.

DIXIT quoque Deus &c. Deinde procedendum est ad opus quintę diei: quod est corporis medii inter cœlum & terram: & describit primo dispositionem agentis de faciendo. Secundo est consideratio eius, vt est à causa propinqua sui generis. Tertio approbatio notatur primi agentis: & hoc est primo esse ab agente: deinde in proprio genere, tertio vt ordinatur ad finem summum: qui est alpha in ratione agentis: & ω in ratione finis: vt sic compleatur illud, quod dicitur. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Circa hoc duo tractanda sunt. Primo circa litteram quędam quęstiones de productione reptibilium: & modo productionis sub suis paragraphis. Secundo, quare facta sit benedictio super productis de aquis, non autem primo super terræ animantia. Prou. 16

MEMBRVM I.

Quare sicut in Genesi mentio fit, vt aqua producat reptilia: non ita similiter mentio fiat de aëre, vt producat volatilia. Et quare nec ignis, nec cœli etherei suus ponatur ornatus?

PRIMO quæritur. Cum faciat mentionem de aqua, vt producat animantia aquarum, quare non facit mentionem de aëre, vt producat animantia aëris, s. volatilia. ¶ ITEM, cur aër & aqua suum habeant ornatum: & corpus ignis, quod dicitur secundum Strabum, cœlum olympium: & igneum non habeant suum ornatum: cum hæc pertineant ad corpus medium: dictus enim erat ornatus cœli, propter quod rectè sequi videbatur ornatus ignis, vel cœli ignei, quæ sunt corpora proxima. ¶ ITEM, aër habet duas differentias, quarum vtraque dicta est cœlum: vna cœlum ęthereum: altera cœlum aëreum, potest ergo quæri, quare cœli ætherei non dixit ornatum, sicut cœli aërei.

RESOLVTIO.

Sub nomine aquæ subintellexit pariter aërem, quippe qui vicinitatem habent ad inuicem, Nec ignis postea, nec cœli etherei aliquis memoratur ornatus: quia in eis nulla viuere possunt animantia.

¶ AD quod dicendum, quod nomine aquæ intelligitur aër, qui sua vicinitate habet humiditatem aquosam: vnde aliquando rorat. Vnde Aug. *Sciant omnes, qui hic mouentur, istum aërem nebulosum & humidum, in quo aues volant: à doctissimis hominibus, qui hoc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari.* Concrescit enim & crassus efficitur exhalationibus & quasi vaporibus maris & terræ: & de ipso humore pinguescit quodam modo, vt volatus auium portare possit: ideo per noctes serenat & rorat: cuius roris guttæ mane in herbis inueniuntur. Nam mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, vt in eius cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant: quia excedit altitudine sua totum istum aërem humidum, in quo aues volant, & ideo neque aues ibi volare asseuerantur. Quod ab eis obseruatum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis acumen ascendere, & aliquas notas in puluere scribere, quas integras alio anno inueniebant: quod fieri non posset, si ventum, aut pluuiam ille locus pateretur. Denique tenuitas aëris, qui ibi erat, non eis inspirabat: vnde durare ibi non poterant, nisi spongias humectatas naribus applicarent: vnde crassiorem & spissiorem spiritum ducerent: hi ergo indicauerunt, se nullam auem in eo loco aliquando vidisse. Et in idem consonat, quod dicit idem Aug. super Gen. Aug. contra Manichæum

¶ SED si quæratur quare illa cōis origo magis nomine aquæ quam nomine aëris intelligatur. Dicendum: quod aqua plus est ordinata ad generationem animantium, quã aër: licet in aëre multæ fiant impressiones propter ascensum aquarum: commixtiones enim ex quibus fiunt generationes animantium, circa mediu m locum fiunt, & ideo rectius nomine aquæ designauit.

¶ PRÆTEREA, supra dictum est, Spiritus Domini ferebatur super aquas, & deinde dicit de congregatione aquarum, vt appareat arida: ideo continuando rectè hic nominauit aquam, tanquam originale.

¶ AD secundum dicendum, quod licet ignis pertineat ad mediam naturam inter cœlum & terram, non tamen habuit ornatum distinctum: nec secundum sui superiorem partem, quæ dicitur olympium cœlum, nec secundum inferiorem, quæ dicitur igneum: quia non est locus, in quo viuere possent animantia. Si enim non possunt viuere animantia in superiori parte aëris, quę dicitur æther, sicut dicit Aug. in auctoritate supra dicta, eo quod ad ipsum non possunt ascendere vapores: & ita nulla fit ibi commixtio: ergo nec possent saluari: quia res ex eisdem saluatur, ex quibus generatur, multo fortius in cœlo olympio, vel igneo non esset huiusmodi ornatus. ¶ PRÆTEREA, natura ignis est destruere alienum corpus, quod destructibile est. Vnde nō possunt ibi esse corpora aliena. Restat ergo, quod ipsa lux in vtroque cœlo est ornatus corporis sui, sufficiens suo corpori, vt sicut cœlum aqueum nullum habet ornatum corporeum præter sui perspicuitatem luminosam, nec cœlum empyreum habet ornatum corporeum pręter suam lucem: ita nec habent ista corpora in suo genere alium ornatum, quam lucem. Hoc idem potest dici de cœlo ęthereo: cœlum enim æthereum habet suam perspicuitatem luminosam.

¶ SED posset quis quærere, quare non fit aliqua mentio de igne, sicut fit de aliis tribus elementis, implicitè vel explicitè. Respon. quod datur intelligi secundum suam superiorem partem nomine cœli: secundum verò inferiorē partem nomine alterius extremi. Vnde Aug. *In terra nomine hoc totum vniuersaliter signatur, donec perueniatur ad aridam, quæ proprio nomine terra dicitur.* Aug. sup. Gen.

Quid est dictu Reptile, & quare ab aqua produci dicatur, cum etiam cætera elementa ad eius productionem concurrant? §. j.

¶ QVÆRITVR deinde de hoc, quod dicitur, *Producant aquæ reptile animæ viuentis*: cum reptilia dicantur illa, quę sunt in terra. ¶ ITEM, in aquis sunt multa, quæ non repunt, sed natant: vt sunt cete, & huiusmodi magni pisces, quare non est dictum, & omne natatile. Quæstio lateralis Gen. 1.

¶ PRÆTEREA, qualiter producuntur ex aquis natatilia, vel volatilia: nam ex his producuntur, ex quibus saluantur: saluantur autem per elementa commixta.

RESOLVTIO.

Reptile hic dicitur, quod toto corpore super corpus deferens incumbit, & quod pedibus tantum aquam secat. Ideo ab aqua magis quam à reliquis elementis produci dictum: quia ei magis prædominatur.

¶ RESPON. Hæc productio erat ex elementis commixtis nihilominus tamen secundum dominans in ipsis, magis fit hic sermo: & ideo dixit, Producant aquæ. ¶ AD aliud dicendum, quod reptile dicitur, quod toto corpore incumbit sup corpus deferens: ad differentiam volatilium & gressibilium, q̃ se supportant, vel in parte, vel in toto. Vnde natatile designatur per reptile: hic namq; sumitur illud corpus reptile in aquis, quod non habet pennas, quibus secet aquam, sed pedibus tantum aquam diuidit.

Quid est dictu, Reptile Animæ viuentis. §. ij.

¶ DEINDE quæritur propter quid dictum est, Reptile animæ viuentis? quasi esset aliud reptile, quod non haberet animam viuentem. Quæstio lateralis.

RESOLVTIO.

Animæ viuentis, additur non vt differentia, sed vt explicatio. Ac diceretur Reptile, quod inter habentia animam viuentem computatur.

¶ AD quod dicendum, quod non additur, vt differentia, sed vt sit sensus: reptile quod inter animam viuentem habentia computatur. Hoc enim est, quod quantum est de modo motus, ignobilius est inter animantia: toto .n. corpore incumbit super corpus deferens: non sic gressibilia, quæ pedibus terram contingunt: nec volatilia, quare supportantur sua agilitate.

Hugo. li. 1 de Sacramen. pa. 1. c. 26. & 27. & sunt verba formalia.

cœli: vel quod acciperent volatilia originem ex aere. ¶ Ad hoc respondet Hugo, dicens. *Quod quare factum sit vt non ad similitudinem aliorum, quæ ad ornatum mundi elementorum creata sunt, ex ipso elemento materiam sumerent, in quo locum sortiri debuerunt. Forte quis ad ipsius elementi materiam referat, &c.* Duo sunt genera animantium, quæ ex vna materia procedunt: sed non vnam mansionem sortiuntur: pisces in originali sede permanent: volatilia sursum tolluntur: & sunt quasi supra id quod facta sunt. Sic de vna massa corruptibilis naturæ & sua mutabilitate defluentis vniuersi generis humani propago trahitur: sed alijs deorsum in ea, qua nati sunt corruptione iustè derelictis: alijs sursum dono gratiæ ad sortem cœlestis patriæ eleuantur.

Dubitatio

¶ Item, quæritur adhuc: quare non dixit, Aues multiplicentur in aere, cum ille sit locus habitationis volatilium. ¶ Ad quod dicendum: quod licet sit locus volatilium ad mouendum, vel spaciandum: terra tamen dicitur locus, super quo producuntur: vel ea, quæ terræ radicitus hærent, vt arbores: & hoc est, quia ibi quietem etiam accipiunt & nutrimentum: vt in pluribus: & ideo dicitur [*super terram*] non in aere, vel in terra: sicut quædam animalia generationem accipiunt in cauernis terræ, &c.

QVÆSTIO LIV.

De opere sextæ diei.

In duo Membra diuisa.

D. Th. 1. p. q. 72. S B. in 2 d. 15.

DIXIT quoque Deus, producat terra &c. Sequitur ornatus, qui factus est sexta die: in qua primo agit de animantibus terrestribus irrationalibus: deinde de animante rationali: & ait, *Faciamus hominem.* Et tangit tria, quæ possunt reduci ad quatuor genera causarum: cum enim dicitur *Dixit Deus*, notatur causa efficiens; *Producat terra*, causa materialis: & *Fecit Deus &c.* notatur causa formalis, secundum q̃ processit per conditionem à Deo: causa finalis, cum dicitur, *Et vidit Deus &c.* hoc idem posset prius esse dictum in aquatilibus. Vel possumus prædicto modo in tria distinguere, secundum esse à causa, & in proprio genere, & referri ad causam tanquam finem. ¶ Huius gratia quæruntur duo. Primò, quare dicit in singulari, *Producat terra*, dicit autem in plurali, *Producant aqua.* Secundo, vtrum omnia minutissima animantia facta erant in operibus sex dierum.

Gen. 1.

Ibidem.

MEMBRVM I.

Cur in singulari dictum est, Producat terra: in plurali vero, Producant aquæ, & similiter, cur de terra nascentibus dictum est, Germinet terra &c. de animantibus ante dictum sit, Producat terra &c. Et iterum, quomodo distinguantur tria genera terrestrium, scil. reptilia, iumenta, bestiæ.

AD primum, quo quæritur, Propter quid dictum est singulariter de terra, non sic autem dictum est singulariter de aqua: sed pluraliter, *Producant aqua*, cum tamen secundum diuersitatem terrarum sit diuersitas productionis in animalibus.

Gen. 1.

¶ Item, cum dictum est è terra nascentibus, dictum est, *Germinet terra &c.* cum autem dictum est de animantibus, dictum est, *Producat terra &c.*

¶ Præterea, tria genera notat terrestrium, scil. reptilia, iumenta, & bestias: propter quid designat illa sub illis tribus rationibus, cum omnia sint propter hominem: propter quid dicuntur quædam iumenta, omnia enim sunt vt homo eliciat ex illis vtilitatem aliquam.

¶ Præterea, in translatione septuaginta additur, [*quadrupedia, & reptilia, & pecora, & feras*] & ita vnum membrum videtur superaddi. Similiter si feræ, pecora dicuntur, quare ergo è diuerso diuiduntur. Similiter pecora & quadrupedia num rectè diuidantur.

RESOLVTIO.

Primum factum est, vt notaretur distinctio aquarum in suis receptaculis & terra continuitas. Secundum vt nimia vicinitas terra nascentium ad ipsam terram ab animantibus designaretur. Per iumenta inde intelligamus animalia hominem ad cultum terra adiuuantia: per reptilia & bestias eundem terrentia.

¶ Ad quod dicendum, quod singulariter dicitur de terra: pluraliter de aquis, vt notetur aquarum in suis receptaculis distinctio: terrę verò est continuitas: licet pluraliter dicantur terræ, propter regionum diuersitates.

¶ Ad secundum verò dicendum, quod de terra nascentibus, dictum est Germinet: germen enim est in radice, quæ adhæret terræ: productio verò dicitur. i. proculductio: quia animantia à terra separantur: & ideo alia translatio habet, Eiiciat terra, i. extra se iaciat, quasi separatum ab ipsa.

¶ Ad tertium dicendum, quod tria genera enumerat, quæ sic distinguuntur, vt iumenta dicantur, quæ sunt in adiutorium hominum ad laborandum in terra. (Vnde iumentum dicitur, quasi iuuamentum. Iuuamentum verò accipitur hic tantum in equis) reptilia verò & bestiæ terræ sunt, quæ sunt ad terrorem. Vnde dicit Aug. quod quædam sunt vtilia, quædam deterrentia. Vel aliter: eorum, quæ sunt in adiutorium ad laborandum, quædam sunt reptilia: quædam gressibilia: & illa dicuntur bestiæ terræ.

¶ Ad quartum dicendum, quod hoc membrum [*quadrupedia*] non ponit differentiam contra alia tria: sed connumeratur cum reptilibus, propter hoc quod reptilia multorum sunt pedum: & ita ponit partem pro toto, vt intelligantur multipedia: Et hoc patet per hoc, quod cum iterum resumit illa membra, non ponit differentiam quadrupedum: sed ponit tantum differentiam reptilium. Vel potest dici, quod illud est commune ad illa tria, quadrupedia .n. quædam sunt reptilia, quædam pecora siue iumenta. Cum autem dicitur, *pecora*, in translatione Septuaginta, ad illa fit coarctatio, quæ sunt in adiutorium hominum.

MEMBRVM II.

An omnia minutissima animantia facta sint in operibus sex dierum? Et ad quid animalia ociosa, & perniciosa producta sint?

AD secundum, quo quærit August. de minutissimis animantibus, vtrum omnia facta essent in operibus sex dierum: an ex consequentibus rerum mortalium corporibus: sicut modo apparet fieri: & tamen est Deus omnium creator. Vnde Aug. *Inest omnibus quoddam natura sui generis decus, vt in his maior sit admiratio, bene considerantis, etiam laus vberior omnipotentis artificis, qui omnia in sapientia fecit, qui à fine vsque ad finem pertendens, & suauiter cuncta disponens, nec ea ipsa rerum nouissima, qua pro sui generis ordine dissoluuntur, & quorum dissolutionem ex pœna nostra mortalitatis horremus, relinquit informia, sed creat minima corpore, acuta sensu animantia, vt maiori attentione studeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem iumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicarum, quam onera camelorum.*

Aug. sup. Gen lib. 3. cap. 14. & sunt verba formalia.

¶ Et possunt dici ea minutissima, quæ vel ex aquis, vel ex terra oriuntur, tunc creata, in quibus illa non absurde intelliguntur, quæ nascuntur ex his, quæ terra germinante orta sunt: & quia præcesserant conditionem non solum animalium, sed etiam luminarium. Vnde illo die, quo apparuit arida, exorta sunt, vt potius ad supplementum habitationis, quam ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cætera verò, quæ de animalium gignuntur corporibus & maximè mortuorum: absurdissimum est dicere, tunc creata, cum animalia ipsa creata sunt: Nisi inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis & quasi præseminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quoque genere ac differentijs erant exoritura per administrationem ineffabilem, omnia mouente incommutabili creatore.

¶ Quærit etiam Manichæus, quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret, siue in aquis, siue in terra, quæ hominibus nō sunt necessaria: multa ēt pniciosa, & imunda.

RESO-

RESOLVTIO.

Minutissima animalia tum aqua, tum terra in operibus sex dierum creata concedamus, imo terrestria cum primo apparuit arida, exorta dicimus, vtpote ad supplementum habitationis, potiusquam ad munerum habitatorum spectantia. Secus de vermibus, & huiusmodi dicimus, qua longe post producta sunt, nec ante, nisi in quadam vi naturali & quasi præseminata corporibus, ex qua pro tempore orirentur. Nulla denuum animantia aut ociose, aut pernitiosa producta autumamus, sed vniuersa ad aliquem bonum finem, licet quis iste sit nos lateat.

Aug de Genesi contra Manich. lib. 1. c. 16. Tom. 1. ¶ Ad quod respondetur secundum Aug. Quoniam ista omnia pulchra sunt conditori & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam intrauerit imperitus, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat: & si est insipiens, superflua putat. Iam verò si in fornacem incautus ceciderit: aut ferramento aliquo, cum id tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa & noxia æstimat ibi esse multa: quorum tamen vsum, quoniam nouit artifex, insipientiam eius irridet: & verba inepta non curans officinam suam instanter exercet, & tamen tam stulti sunt homines, vt apud artificem audeant vituperare, quæ ignorant: sed cum ea viderint, eredent necessaria, propter aliquos vsus instituta. In hoc autem mundo, cuius conditor, & administrator prædicatur Deus: audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire, quare ranæ creatæ sunt, aut muscæ aut vermiculi: video tamen omnia in suo genere pulchra esse: quamuis propter nostra peccata multa nobis aduersa videantur: Non enim cum alicuius animalis corpus, & membra considero, vbi non mensuras, & numerum, ordinem veniam ad vnitatem pertinere: quæ omnia vnde veniant, non intelligo nisi à summa mensura, & numero, & ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate atque incommutabili & æterna veritate consistunt &c. Aduersus vtilia non habent quid dicant. De pernitiosis autem, vel punimur, vel exercemur, vel terremur: vt non istam vitam periculis subditam, sed aliam meliorem, vbi summa est securitas, diligamus, & desideremus: & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis quid nobis est quærere? si tibi displicent quæ non prosunt, placeant quæ non obsunt, quia & si domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur huiusmodi vniuersitatis integritas, quæ multo maior est, quam domus nostra, & multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quam vnusquisque nostram domum suam. Vt supra ergo vtilia, caue pernitiosa, relinque superflua. In omnibus tamen, cum mensuras & numeros, & ordinem vides, artificem quære, nec alium inuenies, nisi vbi summa mensura, summus numerus, summus ordo. i. Deum, de quo verissime dictum est, quod omnia in mensura, & in numero, & pondere disposuit. De hoc Ioh. Dam. sic ait. *Eduxit terra* (Dam.) *(conditore iubente) genera omnium animalium, & reptilium & ferarum, & iumentorum*: omnia quidem ad hominis optimum vsum, sed horum hæc quidem ad escam: puta, ceruos oues, dorcades, & quæ talia. Alia verò ad ministerium, puta camelos, equos, asinos, & quæ talia. Alia verò ad iucunditatem, puta simias, & volucrum psitacos, picas, & quædam talia. Sed & plantarum & herbarum hæ quidem fructiferæ & comestibiles, aliæ verò odoriferæ & floridæ ad iucunditatem nobis tributæ, puta rosæ, & quædam talia: aliæ verò ad ægritudinum sanationem. Non enim est, neque animal, neque planta, in quo non operationem quandam, hominum vtilitati, & vsui conferentem, conditor imposuerit.

QVÆSTIO LV.

De animante rationali, id est de Homine.

In sex Membra diuisa.

D. Th. 1. par. q. 75. Faciamus hominem &c. Primo loquitur de homine secundum se: deinde de homine in vniuerso: cum dicitur, *Vidit Deus &c.* De ipso autem in se agit dupliciter: vel vt ostendatur in esse, vel vt in conseruatione, cum dicitur, *Dixit Deus, Ecce dedi vobis &c.* In esse verò dupliciter, aut prout consideratur in egressu à causa: aut prout consideratur in proprio genere, & hoc vltimum notatur, cum dicitur, *Et creauit Deus &c.* Primum verò, cum dicitur, *Faciamus.* Vel vnum pertinet ad deliberationem, siue dispositionem de faciendo, alterum verò ad ipsum fieri: & hoc est in omni rationaliter operante ad differentiam naturæ, quæ non prius eligit, quam operetur. In prima verò parte primo notatur esse eius in comparatione ad Deum: deinde in comparatione ad creaturas irrationales subiectas. Vnde primò ad superius: deinde ad inferius, cum dicitur, Vt præsit piscibus &c. Penes hæc sex Membra erunt huius Quæstionis. (pec 7. art. 5 B. in 1. d. 16. S. ibid. & deinceps. Gen. 1.)

¶ Primo quæritur, vtrum conuenienter mutetur ordo loquendi, cum prius diceba tur, *Fiat*: modo dicitur in plurali, *Faciamus.* Secundò, vtrū cū dicitur, *Faciamus*, dictū sit ad angelos, vel ad filium, vel ad spiritum sanctum. Tertio, vtrum imago & similitudo, ad quam factus est homo, supponat creatum, vel increatum. Quarto, propter quid dicitur, *Ad imaginem Dei creauit illum*, post quam dictum est. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* (Ibid.) Quintò de distinctione sexus, cum dicitur, *Masculum & fœminam creauit illos*: & si ante peccatum carnaliter sint copulati. Sexto quæstiones quædam ad litteram. *Ecce dedi vobis escam. Et factum est ita. Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Et de qua perfectione intelligatur, cum dicitur littera. *Igitur perfecti sunt cæli &c.* sub Paragraphis suis.

MEMBRVM I.

An iure circa productionem animantis rationalis mutatus sit locutionis modus, ita vt vbi dicebatur, Fiat, dicatur nunc, Faciamus?

Ad primum, quo quæritur de hoc, quod modus loquendi mutatus est, vt cum prius in tertia persona dictum sit, *Fiat &c.* nunc autem dicitur, *Faciamus.* ¶ Præterea dicit nunc pluraliter, prius autem singulariter. ¶ Præterea, quare distinguit opus sextæ diei in duo, non coniungendo facturam, siue conditionem hominis cum alijs animalibus terrestribus.

RESOLVTIO.

Et quidem, vt ex hoc emphatico loquendi genere, quantum, quidue homo esset, apertè apparet.

¶ Ad primum dicitur, quod in prima persona loquitur vt ostenderetur facere personam potentem loqui ad suam similitudinem. In alijs vero locutus est in tertia persona vt ostensio fiat conditionis eius rei, de qua fit sermo, non quæ habet potestatem propriam loquendi. ¶ Præterea, dirigitur hic sermo ad alias personas, vt ostendatur, quod homo factus est ad imaginem Trinitatis, quod non est alterius creaturæ. ¶ Singulariter verò loquitur, non quod solus pater fecerit alias creaturas, cum indiuisa sint opera trinitatis: sed vt ostendatur habere quandam similitudinem in esse, vt ab ente primo: quod indiuisibile est in essentia fiant entia, vel fiat vnumquodque ens. ¶ Ad tertium verò dicendum, quod non coniunxit conditionem hominis cum alijs animantibus terrestribus, vt ostenderet nobilitatem huius creaturæ super alias: licet enim conueniat cum alijs animantibus in hoc, quod habet animum sensibilem: excellit tamen in hoc, quod habet animam rationalem.

MEMBRVM II.

An cum dictum est, Faciamus &c. ad angelos verbum illud directum sit.

Ad secundum, quo quæritur: cum pluraliter dicatur *Faciamus*, Vtrum ad angelos factus sit sermo: nulla enim natura alia videtur fuisse præter nisi angelus Deum. (Gen. 1.) ¶ Sed illud obuiat, quod non indiget Deus in creatione hominis adiutorio angelorum, plus quam in creatione alterius creaturæ, non ergo propter hoc dicitur, *Faciamus.* ¶ Præterea sequitur post, *Faciamus, Ad imaginem nostram*: nulla autem est imago vna Dei, & angelorum.

¶ Præterea, illud obuiat, quod sequitur. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*, & alia etiam littera. *Creauit Deus ad imaginem Dei*: non ergo cum dicitur, *Faciamus*, vel (Ibid.)

Nostram:

Nostram: ad angelos fit sermo: sicut quidam hæretici dicunt, sed trium personarum est sermo.

¶ Sed obijcitur: sic ut homo est ad imaginem Dei: ita aliæ creaturæ sunt in vestigium Trinitatis, tamen non dicitur dupliciter in alijs Faciamus: nec videtur Trinitas designari expresse.

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed ad Trinitatis personas reliquas, scil. filium & spiritum sanctum: cum angelorum ope Deus minime indigeat.

¶ Ad quod videtur dicendum, quod vtrobique exprimitur Trinitas, sed in conditione vestigij obscurè & implicitè trinitas designatur: in conditione verò imaginis expresse. Dictum enim est superius, Dixit Deus, in quo intelligitur pater dicens: & verbum quo dixit & facta sunt; spiritus autem sanctus intelligitur, cum dicitur, Vidit Deus quod esset bonum. Vel sub alia ratione, sicut cum dictum est, *Et fecit Deus*, sc. in secundo die: vbi nomine perfectionis intelligitur spiritus sanctus: Hic autem expresse pluralitas personarum exprimitur, cum dicitur, *Faciamus*. Et recte: quia vestigium est similitudo obscura: imago vero est similitudo expressa.

MEMBRVM III.

An quid creatum, vel increatum imago supponat in præfatis Geneseos verbis?

AD tertium, quo quæritur: cum dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vtrum imago creatum, aut increatum supponat: Si verò increatum & singulariter: cum nihil increatum singulariter, & communiter dictum sit, nisi diuina essentia: supponit ergo essentiam diuinam: ergo idem est, ac si diceretur, ad essentiam nostram, sed si homo factus esset ad essentiam Dei, oppositio notaretur. Nam in eo quod esset ad essentiam, esset Deus in eo quod esset factus, non esset Deus: Ergo non est idem esse ad imaginem, quod esse ad essentiam. Neque supponit aliquid creatum: nihil enim creatum in hoc genere dignius est rationali creatura: ergo non supponeret aliud, quam ipsum hominem. Tunc ergo sensus esset, Faciamus hominē ad seipsum. Nec sic potest dici: sicut filius est imago patris, vt Abel ad imaginem Adæ, quia homo: sic enim rediret, vt diceretur quilibet homo Deus. ¶ Item, cum homo conditus sit ad imaginem Dei: eo quod habeat memoriam, intelligentiam: voluntatem: propter quid non est dictum in primo die, vbi agitur de conditione angeli: Faciamus lucem vel angelum ad imaginem nostram.

Aug. 6. sup Gen. ca. 12 circa medium.

¶ Præterea vult Aug. quod in hoc sit ad imaginem Dei, quia præest piscibus &c. Vnde dicit, *Non est prætereundum, quia cum dixisset ad imaginem nostram, statim subiunxit, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & cæterorum animantium rationis expertium, vt videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, quo irrationalibus animalibus antecellat:* Sed hoc non videtur verum: Nam intellecto homine, non cum ratione istius præeminentiæ, nihilominus esset ad imaginem Dei, sicut ipse ostendit in Lib. de Trin. vbi inuestigat quod secundum mentem & intelligentiam: & voluntatem est hæc imago accipienda.

Idem de Trin. li. 10 Cap. 10.

RESOLVTIO.

Et pro creato, & pro increato supponere potest.

¶ Ad primum dicendum, quod vno modo potest increatum supponere: alio modo creatum. Secundum quod supponit increatū, dicit essentiam diuinam in ratione mētis intelligentiæ, & voluntatis, & tunc imago dicitur, ad cuius imitationem fit aliud, & sumitur pro exemplari. Nec ex hoc sequitur, quod homo sit Deus, sed quod habeat memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in quibus imitatur essentiam increatam. Si verò supponat creatum, tunc est sensus, conditus est homo, vt in hac trinitatis ratione virtū imitetur summam trinitatem. Sic ergo supponitur trinitas creata, quæ ad imaginem summæ trinitatis est condita. Nec ex hoc sequitur: ergo creatus est ad seipsum: nam sub hac ratione dicit respectum ad summam trinitatem, in quam tendit.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod de homine dictum est, non de angelo: licet angelus gerat illam imaginem Dei, prout est signaculum similitudinis Dei. Nam sicut dicit Greg. Nazianz. Homo totius creaturæ dominus, ad imaginem sui conditoris effectus, nihil aliud indicat: nisi quod mox in eo regia natura formata sit. Sicut enim iuxta humanam consuetudinem, qui Principum imagines fingunt, non solum impressionem formæ eius imitantur: verumetiam amictu picturę regiam exprimunt dignitatem: & imago ipsa iam pro consuetudine dicitur Imperator. Sic & humana substantia, quoniam ad aliorum regnum condebatur: propter Regis vniuersorum similitudinem, velut imago animata componitur, pro picturæ velamine vestita est virtute: pro sceptro beatitudine & immortalitate sustollitur: pro regali sceptro iustitię corona decoratur. Idem vult Dam. dicens. Conditurus erat Deus hominem secundum propriam imaginem & similitudinem, velut quendam regem & principem terræ, & omnium, quæ sunt in ea. Infidem videtur Aug. consentire contra Manichæum. Et hoc confirmatur per hoc, quod statim cum dixit [*ad imaginem*] subiungit [*præsit piscibus &c.*] Licet ergo angelus principetur his terrenis: tamen non sic conditus est, vt tanquam Rex corporalium creaturarum constitueretur, quemadmodum homo. Potest ergo dici ad imaginem vno modo: alio verò modo non ad imaginem. De hoc inferius dicetur diffusius in proprio Tractatu. Addit etiam Greg. quod non tantum homo dignior est animantibus, alijsq; terrænascentibus secundum animam: sed etiam secundum corpus.

Greg. Nazianz.

Aug. contra Manichæum.

Quæst. 62 memb. 2. per totum Greg.

¶ Ad vltimum verò dicendum est, quod esse ad imaginem, potest vno modo abstrahi ab illa potentia, in quantū conuenit cum angelis secundum trinitatem interiorem. Alio verò modo non abstrahitur, inquantum secundum potentiam istam, sapientiam, & bonitatem determinatur.

MEMBRVM IV.

Vt quid, postquam dictum est, Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, additum est, Ad imaginem Dei creauit illum?

AD quartum, quo quæritur propter quid dicitur, Ad imaginem Dei creauit illum: post quam dictum est, *Creauit Deus ad imaginem, & similitudinem suam hominem.*

RESOLVTIO.

Primum, vt exprimeretur vnitas essentiæ esse causa exemplaris eius. Secundum, vt notaretur conuersio eiusdem ad eandem, vti ad suum finem.

¶ Ad quod dicendum, quod primo dixit pluraliter, vt exprimeretur trinitas: secundo singulariter vt exprimeretur vnitas essentiæ: vt imago respondet vnitati essentiæ in trinitate personarum: Sed vnitas essentię est in duplici ratione inquantum est forma exemplaris, & inquantum est finis, & ideo exprimendo exemplarem, dixit Creauit Deus ad imaginem suam: exprimendo conuersionem iterum ad ipsam tanquam finem, dicitur, Ad imaginem Dei creauit illum. Et hoc est, quod dicitur. *Secundum imaginem Dei fecit illum:* & iterum conuertit illum in ipsam, vbi loquitur de conditione primi hominis.

Eccles. 17.

MEMBRVM V.

Vt quid distinctè dictum est, Masculum & fœminam fecit eos, cum solus vir imago Dei dicatur, immo cum neuter eorum adhuc formatus esset secundum corpus. Et an coniunctio viri ac fœminæ ante peccatum fuerit.

AD quintum, vbi agitur de distinctione sexus, nam masculum & fœminam creauit illos: primo quæritur, cū hic loquatur de homine secundum rationem, secundum q̃ conditus est ad imaginem Dei, & hoc est secundum eminentiorem partem animæ: secundum autem illam non dicitur masculus vel fœmina, quare de distinctione sexus hic agit: ¶ Præterea, nondum erat formatus homo de limo terræ: nondum erat formata Eua de latere viri: Ad quid facta est ergo distinctio illa: propter quid ergo hic de masculo & fœmina facit mentionem. ¶ Ad quod dicendum est, quod licet secundum alteram & alteram rationē accipiatur esse ad imaginem, & sexum distingui: nihilominus hic facta est mentio de distinctione sexus; vt ostendatur quod conditio imaginis non sit propria masculi, sed vtriusque:

Apost. 1. Cor. 1. licet dicat Apost. *Vir est imago Dei, mulier est gloria viri*: sed ipse accipit hic imaginem propter hoc, quod homo fuit quodammodo principium omnium hominum: etiam Eua fuit formata de latere eius: & ita quandam imaginem tenet Dei qui est principium omnis creaturæ: sicut in Glossa habetur ibi. Non sic.a. fuit de muliere: & ideo non dicebatur imago.

¶ Ad aliud verò dicendum est, quod licet nondum esset expressa formatio viri & mulieris secundum corpus: nihilominus p quandam anticipationem dictum est de corpore mulieris: sed de corpore viri fuit facta mentio in operibus sextæ diei, licet postea exprimeretur. non enim spiritus rationalis, siue anima condita fuit sine corpore: sed creando infundebatur: sed vt ostenderetur, de quo factum est corpus, quædam deinceps facta est expressio.

¶ Et benedixit illis, dicens: crescite, & multiplicamini &c. Quæritur de coniunctione viri & fœminæ, vtrum fuit ante peccatum: & arguitur sic. Cócubitus (sicut dicit Aug.) non est nisi mortalium corporum: si enim immortalia essent corpora, non esset decisio: sicut nec decisio à sole, & luna, & huiusmodi corporibus: quæ enim corpora recipiunt diminutionem: recipiunt per consequens corruptionem, sed ante peccatum habebát corpora immortalia: ergo non fuit necessaria coniunctio maris & fœminæ.

¶ Præterea sufficienter saluaretur species in illis duobus indiuiduis, ergo cum generatio sit ad conseruationem specierum, non erat generatio necessaria, & ita nec coniunctio. ¶ Item, homo habet quodammodo communem naturam cum animalibus ex vna parte: cum angelis ex alia parte: sed secundum illud commune, quod habet cum animalibus, est generatio, siue coniunctio ad generandum: secundum autem illud, quod non est cum angelis, nó est generatio, sed multiplicatio per alium modum ad completionem numeri electorum. Si ergo homo in statu innocentiæ esset confirmatus sicut angelus, non esset in illo statu generatio: sed alia multiplicatio. ¶ Item, hoc arguitur ex hoc, quod non erat coitus maris & fœminę, nisi postquam peccauerunt, ex quo apparet tunc introduci primo necessitatem generationis. ¶ Item, de homine postquam

Psal. 48. peccauit, dictum est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Per quod innuitur, quod homo postquam peccauit, declinauit ad ea, quæ erant communia iumentis. ¶ Item, legitur, qualiter Dominus respon-

Matth. 22. dit Saducæis. *Erratis, nescientes scripturas, in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.* Quid ergo aliud innuitur, nisi quod in resurrectione, reuocabuntur homines ad statum innocentiæ, & multo nobiliorem: quantum ergo de statu innocentiæ si homo confirmatus esset, non videretur, nisi quod homo duceret vitam angelicam. ¶ I-

Gregor. Nazianz. tem, ad idem Greg. *Vere iumentis similis factus est homo, qui hanc animalem generationem in sua natura suscepit propter conuersionis casum, qui ei ex confirmatione materia contingit.*

¶ Contra constat, quod ante peccatum habuerunt virtutem generatiuam: & à potentia poterat egredi actus sine libidine: cum libido sit pœna peccati: ergo in statu innocentiæ manentes poterant generare. ¶ Item, si multiplicatio fieret alio modo: ad quid esset discretio sexus: cum discretio sexus per se ordinetur ad coniunctionem, & coniunctio ad generationem filiorum ad cultum Dei. ¶ Item cum corpus adhuc esset animale, non spirituale (secundum

1. Cor. 15. quod dicitur. *Prius quod animale, deinde quod spirituale*) ad animale vero pertinet generatio: restat ergo quod si mansisset

Aug. de Ciu. Dei lib. 14. c. [illegible] in statu innocentiæ, esset generatio. ¶ Item, Augustin. *Quisquis dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem hominum necessarium fuisse peccatum? Si enim non peccando soli remanerent: quia (sicut putant) nisi peccassent, generare non possent, profecto vt non soli essent duo homines, sed multi, necessarium peccatum fuit: Quod si credere absurdum est, illud potius est credendum, quod sanctorum numerus quantum supplendæ sufficit illi beatissimæ ciuitati, tantus existeret: & si nemo peccasset, quantos nunc filios huius sæculi generant, & generantur: Et ideo illæ nuptiæ digne felicitate paradisi & si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent.* Ex quibus omnibus concluditur, quod esset coniunctio maris & fœminæ etiam si non peccassent, vt multiplicaretur numerus prædestinatorum.

RESOLVTIO.

Ideo distinctè dictum est, Masculum & fœminam fecit eos, vt innotesceret, adhuc & mulierem quandam Dei imaginem tenere. Qui duo vir, s. & mulier tametsi non peccassent, etiam commixti essent, saltem vt prædestinatorum numerus multiplicaretur.

¶ Quod concedimus.

¶ Ad obiectum autem in contrarium respondetur, quod cum dicitur quod Concubitus mortalium: intelligendum est illorum, de natura habuerunt possibilitatem moriendi, licet nunquam morerentur. Vnde Adam licet esset immortalis. i. potens non mori: tamen erat mortalis. i. potens mori. i. possibilis: Non autem dicitur, quod concubitus necessario sit mortalium. i. eorum qui habent necessitatem moriendi.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet haberent corpora immortalia, quæ nunquam essent morti subiecta: nihilominus posset in eis esse decisio seminis ex vi seminatiua: nec ex hoc sequitur corruptio: licet enim de corpore minueretur: non tamen esset illa diminutio, secundum quam dicimus, quod post augmentum corporis esset diminutio, quæ senium induceret, & consequenter dissolutionem.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet posset species hominis saluari in illis duabus personis conditis: non tamen sic saluaretur, vt fieret multiplicatio prædestinatorum vsq; ad determinatum numerum, sicut dicit Aug. quod sanctorum numerus, quantum complendæ sufficit illi beatissimæ ciuitati, tunc existeret: & si nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam colligitur de multiplicatione peccatorum quousq; filij huius lucis generant, & generantur.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet generare sit ex parte naturæ, communis cum brutis: non tamen generare filios ad cultum Dei: Generatio.n. respicit conseruationem speciei, & sic est commune: respicit etiam multiplicationem rerum speciei ad cultum Dei: & sic non est commune, sed proprium: & hoc modo esset hominis, si stetisset in statu innocentiæ.

¶ Ad quintum dicendum, quod differens erit status gloriæ quando neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei, à statu innocentiæ, etiam confirmato: multo enim nobilior erit, vbi non erit nutrimentum corporale necessarium, nec generatio: sicut fuisset in statu innocentiæ. In statu enim innocentiæ primo esset corpus animale: in statu vero gloriæ esset corpus spirituale. Vnde resurrectio gloriosa non reuocat ad statum primum innocentiæ: sed ducit ad nobiliorem.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet illud, Homo cum in honore esset &c. intelligatur de statu post peccatum, in quo est generatio libidinosa: nihilominus ante peccatum conueniebat aliquo modo cum iumentis: inquantum scil. homo habuit corpus animale: & secundum hoc posset generare sine peccato.

¶ Deinde etiam quæritur de ratione eius, quod supra Dubitatio posuit quasi quinque differentias, scil. pisces, volatilia, bestias, & creaturam super terram, & reptile, quod mouetur in terra: hic autem non ponit nisi tres differentias.

¶ Ad quod dicendum, quod supra distinxit secundum differentias mobilium, siue motuum in locis: vnde quinq; erant. Nam sunt mobilia in aqua, quæ suum habét motum. Mobilia in aëre, quæ suum. Mobilia verò in terra quædam sunt ambulantia in siluis, quædam in agris: & hæc signantur per iumenta, siue per creaturam, quę mouetur super terram, quædam verò repunt super terram. Alio verò modo diuisio accipitur secundum differentias locorum, s. aeris, & aquæ, & terræ: vt aeris sint volatilia, aquę pisces, animantia terræ deputentur ipsi terræ.

MEMBRVM VI.

Dubia aliquot literalia.

Dixitque Deus, ecce dedi vobis escam &c. Hic potest Dub. 1. quæri, quare post conditionem hominis recapitulat omnia vitam habentia, ad hominem referendo, siue ordinando: non autem facit mentionem de luminaribus: cum tamen & ipsa propter hominem facta sint.

¶ Præterea, cum omnia vitam habentia inquantum

huiusmodi

Dub. 1. huiusmodi consimiliter ad hominem referantur: propter quid distincte agit de terrænascentibus, & animalibus, secundum quod hæc ad hominem ordinantur.

Dub. 3. ¶ TERTIO quæritur, si prius dixit de productione terrænascentium, quam animantium: quare nō prius hic ad hominem retulit, sed posterius? prius enim dixit, Dominamini piscibus: & post sequitur. *Ecce dedi vobis &c.*

Respon. 1. ¶ AD primum dicendum, quod de ordine luminarium non facit hic mentionem: non quia non ordinentur ad hominem, sed quia nō ordinata sunt secundum subiectionem. Hic enim loquitur de ordine subiectionis, quo subiecta fuerunt animantia & terrænascentia huiusmodi: sed luminaria non sic: sed subijciuntur Deo, vt secundum nutum eius moueantur: referuntur autem ad hominē in hoc, quod dicitur, Erunt in signa, & tempora &c.

Respon. 2. ¶ AD secundum dicendum: quod licet conueniant animantia cum terrænascentibus in vita: nihilominus distinguuntur in hoc, quod animantia superaddunt perfectionē animæ sensibilis: vnde & animantia dicuntur: terræ vero nascentia licet animam habeant vegetabilem, non dicuntur animantia: non animam habent secundum acceptionem sumptam communiter: sed dicitur à Philosopho pars partis animæ: eo quod nō percipitur motus aliquis localis: & ideo aliter ordinantur ad hominem terrænascentia, quam animantia: nam terrænascentia ordinantur ad vtrumque: animantia ad hominem tantum. Vnde Greg. Naz. Post gramina & animantia factus est homo quadam via ad perfectionem, consequenter natura proficiens: omnium namq; specierum crescentis & sensibilis homo participat. Greg. Nazian.

Respon. 3. ¶ AD tertium dicendum est, quod ordo mutatus est in fieri ipsarum rerum: & in relatione ipsarum ad hominem: quia progressus in fieri erat secundum imperfectum & perfectum, quousque ad perfectionem esset deuentum: ordo vero in subiectione ad hominem à magis perfecto tendit ad minus perfectum: animantia enim subijciuntur homini: terrænascentia homini, & animantibus: & ideo dixit, Ecce dedi nobis in escam, cunctis animantibus terræ.

Dub. 4. & 5. ¶ SED adhuc restat quæstio, quare non loquitur hic de piscibus. ¶ ET præter hæc, quare volatilia interserit inter animantia terræ, & ea quæ mouentur in terra; in quibus est anima viuens: cum hæc dicantur animantia terræ? ¶ AD quod dicendum, quod de piscibus nō fecit mentionem distincte: quia nutrimentum suum accipiunt in aqua: licet aliqui pisces nutriātur ex his, quæ sunt in terra: sed illa, de quibus hic facit mentionem, nutriuntur ex his, quæ de terra ortum habent: vt volatilia, & cætera; quæ mouentur in terra.

¶ AD aliud vero dicendum est, quod differentia est inter animantia terræ; & ea, quæ mouentur in terra. Per animantia enim terræ ambulantia designantur. Per ea vero, quæ mouentur in terra, reptilia: & hoc patet in alia translatione. Et omni reptili reptanti super terram, quod habet spiritum vitæ. Ordinantur ergo secundum nobilius & minus nobile: & inquantum plus prosunt homini.

Dub. 6. ¶ SED adhuc quæritur de hoc, quod hic data sunt terrænascentia in escam homini: infra vero ipsa animantia, & nō hic: cum tamen vtraque natura materialis & possibilis sit ad nutrimentum respectu hominis: in statu tamen innocentiæ non est data esca, nisi de terrænascentibus. ¶ RESPONSIO, quanto maior erat fortitudo viuentis, tanto cibus competebat austerior: quanto vero maior erat fragilitas; tanto cibus ad nutrimentum competentior: vt fieret infirmitatis releuatio. Et quod maior esset fragilitas post, patuit ex hoc: quod abbreuiata fuit vita hominis post diluuium.

Cur hic additum est, Et factum est ita: nouo loquendi genere: & non dictum est sicut in superioribus diebus, Fecit &c. vel aliud æquipollens, sicut in primo die? §. j.

Qō. collat. ¶ DEINDE quæritur de hoc quod dicitur. *Et factum est ita*: cur non ponitur, *Fecit &c.* sicut in præcedentibus. vel æquipollens, sicut in primo die, vbi dictum est consimiliter. Nā si sic intelligeretur. *Et factum est ita*, vt poneretur sicut in præcedentibus: tunc esset sensus; vel creuerunt, & multiplicati sunt: vel quam primum ederunt de fructibus & herbis terræ: quorum adhuc neutrum intelligitur verum. Restat ergo, quod sensus erat: Et factum est in cognitione hominis, quod homo habebat facultatem edendi de illis. ¶ ET ideo attendendum est: quod alius est modus loquendi hic, & in primo die; & alius in alijs diebus: vt notetur lux esse facta, quando data est cognitio angelicæ naturæ: hic autem cum data est cognitio angelicæ creaturæ, vt conuerteret se super illa, quæ erant ordinata ad ipsum.

Quid est dictu, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona: cur non præcise de homine dictum est? aut quare ita postremo, nec antea? §. ij.

¶ *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quæritur, quare non dixit sigillatim de homine: *Et vidit Deus, quod esset bonum*: cum multo fortius melior sit in genere suo rationalis creatura, quam vegetabilis, vel sensibilis. ¶ ITEM, quare hic post primam commendationem in fine sextæ diei dixit: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona?* Genes. 1. Quæst. lat. Ibid.

RESOLVTIO.

Ideo de homine peculiariter non dixit: quia ipsum peccaturum præuidit. Vel quia commendatis creaturis reliquis, commendatur & homo in illis: quippe qui omnis creatura est: immo super illas in vniuerso perfectionē addit. Dicta sunt autem verba hæc, vt attributa bonitate quadam vniuerso vltra spirituales rerum bonitates, nihil in illa relinqueretur, quod non ad bonum ordinaretur.

¶ AD primum respondet August. multipliciter: quod non de homine dixit sigillatim, vt innueret, quid futurum esset de homine, sigillatim accepto: in vniuerso tamen semper habuit bonitatem, & habet. ¶ SED pari ratione dicendum esset de luce, per quam signatur angelus, cū Deus præuideret peccatum ipsius. Ad quod responderi potest, quod factura lucis, licet taceretur eius commendatio propter hāc rationem quo ad angelos apostatas; non tamen taceretur quo ad commendationem corporalis lucis: non sic autem de homine, qui totus peccauit. Aliam etiam assignant rationem, quare tantum assignat bonum hominis in vniuersitate: homo enim est quasi omnis creatura: & ideo facta commendatione aliorum, commendatur homo in illis: & præter hoc in vniuersitate, eo quod superaddit perfectionem vniuersi respectu illorum.

¶ AD secundum dicendum est, quod ad completionem singulorum conueniebat quandam bonitatem vniuerso attribuere: vt nihil remaneret, quod non ordinaretur ad bonum: vnde August. *Deus naturarum optimus conditor, peccantium vero iustissimus ordinator est: vt etiam si qua sigillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis vniuersitas pulchra sit.* Aug. 4. super Genes.

Quid etiam dictu est, Igitur perfecti sunt cæli, & terra: de qua perfectione intelligatur: Et cur cælos pluraliter, terram, singulariter dixit? §. iij.

¶ IGITVR perfecti sunt &c. conclusio est ex prædictis. Sed potest quæri, de qua perfectione loquitur: prima scilicet vel secunda? & quare dicit pluraliter cælo, singulariter vero, terram? Qō col-lateralis.

RESOLVTIO.

De perfectione conditionis intelligatur & quantum ad formam, & quantum ad materiam. Terram deinde singulariter dixit, quia vti centrum est vniuersi: Cælos pluraliter, quia veluti sphæræ & orbes, circa centrum illud continue sese voluentes.

¶ RESPONSIO: perfectio designat conditionem horum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam, Quantum ad materiam, cum dictum est, *In principio creauit, &c.* quantum ad formam, cum dictum est, *Fiat lux &c.* Cælos autem dixit pluraliter, terram singulariter: quia terra est ad modum centri: cæli vero ad modum sphærarum, quæ voluuntur circa centrum: centrum vero est vnum, plures vero sunt orbes circa illud centrum maiores & minores: sic est etiam de cælis, vt circa terram sit cælorum diuersitas, vt vnum ab alio continuatur. Genes. 1.



QVÆSTIO LVI.

De Septimo die, & eius ornatu & primo de opere gubernationis.

In tria Membra diuisa.

Genes. 2. D. Tho. 1 par. q. 70. per tres art. Ibid. Ibid.

COmpleuit *Deus die septimo. &c.* Completa consideratione de opere creationis, & de opere distinctionis in tribus diebus; & ornatus in tribus alijs sequentibus. Sequitur cõsideratio de opere gubernationis, multiplicationis, & collocationis. Opus gubernationis notatur, cum dicitur, *Compleuit Deus die septimo.* Opus multiplicationis innuitur per hoc, quod dicitur ibidem. *Creauit Deus*, vt faceret. Fecit enim rerum proprijs generibus & speciebus, vt post multiplicaret, vbi necessaria erat multiplicatio. Opus vero collocationis notatur, cum subiungitur. *Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis*: partes patebunt. Circa opus gubernationis primo mouentur quædã quæst. circa literam sub suis paragraphis. Secundo, quare benedixit diei septimæ, & sanctificauit illam præ ceteris. Tertio, quid nomine cæli & terræ datur intelligi?

MEMBRVM I.

De qua completione, vel perfectione intelligatur, cum additur? Compleuit Deus die septimo &c.

Genes. 2. CIRCA illud, quod est septimæ diei. Quæritur primo, quare septimo die compleuit: cum completio, siue perfectio in sex diebus intelligeretur: Vnde præmissum est, *Perfecti sunt cæli &c.*

RESOLVTIO.

De completione in fine: vel de completione & perfectione gubernationis & multiplicationis.

¶ RESPONDENDVM, Est completio secundum materiam & formam: & hæc fuit in sex diebus. Est completio in fine: & hæc intelligitur in septimo die: secundum quod omnia opera acceperant quietem in eo, qui est finis omnium: prout dicitur. (Prouer. 16.) *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Vel perfectio in sex diebus fuit quantum ad genera & species rerum: hæc autem completio quantum ad gubernationem & multiplicationem.

Quare sicut in præcedentibus diebus dictum est. Factum est vespere & mane dies &c. non æque & in hoc septimo. §. j.

Qõ collateralis. QVÆRITVR etiam, quare isto die non dicitur sicut in præcedentibus. Factum est vespere, & mane dies septimus: nunquid ista dies non habuit mane, nec vespere?

RESOLVTIO.

B. August. ideo factum arbitratur, quod dies hic mane tantum nec vespere habuerit, suæ spiritualis interpretationis seriem prosequens. Nos autem vtrumque & mane, scilicet & vespere diem hunc habuisse censentes, ideo non commemorata dicimus, ne quies Dei in seipso principium & finem habere putaretur; veluti creatura præteritorum dierum.

¶ HIC ita videtur August. partiri dies istos, vt prima dies haberet vesperam, & non mane: medij mane, & vesperam: vltimus vero mane, & non vesperam. Nam secundum quod dies designat cognitionem angelicæ creaturæ, angelica autem creatura non poterat cognoscere, antequam esset: non poterat, scilicet cognoscere se faciendam in verbo, quod ad mane pertinet: sed se factam in proprio genere: & ita vespere habuit, & computatur cum illo mane sequentis diei: quia cognouit in verbo firmamentum faciendum: & sic deinceps. Cum autem deuentum est ad septimum diem, vespere eius fuit cognitio creaturarum sensibilium & ipsius hominis in proprio genere: mane vero pertinebat ad cognitionem gubernationis & continuationis rerum in esse per multiplicationem: & quia illud, quantum est de se, non habet finem, nisi cum adest voluntas conditoris; ideo non habet vespere, sed mane. Vnde August. (Aug. super Genes.) *Et si vnaquæque pars potest esse in toto, cuius pars est: ipsum tamen totum non est nisi in illo, à* quo conditum est. & ideo non absurde intelligitur septimo die completo, per eius vesperam factum mane; quo significaretur non initium condendæ alterius creaturæ, sicut in ceteris: sed quo significaretur initium manendi & quiescendi totius, quod conditum est in illius quiete; qui condidit: quæ quies Deo non initium habet, nec terminum: creaturæ autem habet initium, sed non habet terminum: & ideo septimus dies cœpit à mane; sed nullo vespere terminatur. Vnde quia mane septimæ diei computatur in sexto die, in septimo die nulla fit mentio nec de mane, nec de vespere. Neque enim de initio, vel fine alicuius creaturæ distincte ibi agitur.

¶ SI vero non ad diem spiritualem hæc referamus, quid dicendum est de die septimo, quæ sub alia forma designatur, quam hi: cum enim dies dicatur ad modum aliorum: dies aut fit secundum reuolutionem alicuius lucis super terram: necesse est quod habeat mane & vesperam: quare ergo non dicitur in septimo die de mane & vespere sicut in præcedentibus.

¶ AD quod videtur dicendum, quod licet iste dies, sicut & præcedens habeat mane & vespere: tamen in isto die non fit expressio, sicut in præcedentibus; ne credatur requies Dei in seipso habere principium, & finem; sicut creaturæ, de quibus actum est in alijs diebus, habuerunt principium & finem: & ideo dies dicitur sine aliqua distinctione, vt notetur plena illuminatio: in qua nihil oritur, nihil occidit.

An in septimo die quidquam conditum sit? §. ij.

¶ SED adhuc quæritur: si dies vltimus dicitur dies secundum vnam rationem cum alijs; & alij dies conditi sunt: ergo & iste conditus est: ergo aliquid conditum est in septimo die. Qualiter ergo dictum fuit, omnia facta esse in sex diebus, & in septimo quieuisse? Qõ collateralis.

RESOLVTIO.

Quieuisse dicitur Deus die septimo, non à conditione ipsiusmet diei: sed à condendis nouis generibus & speciebus rerum.

¶ RESPONDEO: cum dicitur quieuisse, intelligitur cessasse à condendis generibus, & speciebus rerum; & huic non est contrarium, quod diem condidit: quia hæc est conditio secundum numerum: à rebus autem permanentibus quieuit, sicut sunt species, & genera rerum subsistentium.

An Deus die septimo ab omni opere quieuerit? §. iij.

¶ SED quid est quod dicitur. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor?* ergo non videtur quieuisse ab omni opere. Qõ collateralis. Ioan. 5.

¶ PRÆTEREA, non est quies aliqua creatoris, vel conditoris summi in re condita: ergo nihil est, quod dicitur, In septimo, &c. cum stabile nullatenus quiescat in vano. ¶ ITEM, dicitur quod cessauit ab omni opere, quod creauit, vt faceret: illud facere est operari: ergo non quieuit ab omni opere.

RESOLVTIO.

Quieuit prorsus, & si modo quidquam operatur. non est opus illud conditionis generum, & specierum: sed gubernationis & multiplicationis rerum iam creatarum.

¶ AD quod dicendum, quod illud operari, de quo dicitur Ioan. 5. intelligitur de opere gubernationis, & multiplicationis: non de opere conditionis generum & specierum, à quo, scilicet quieuit.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quod licet quieuerit ab opere iam dicto: non tamen in illo quieuit, sed magis econuerso opus quieuit in illo, inquantum est finis. De hoc Augustinus. (Aug. super Genes.) *Ipsa vniuersitas creaturæ, quæ sex diebus consummata est; aliud habet in sua natura: aliud in suo ordine, quo in Deo est, non sicut Deus: sed tamen ita vt ei quies propriæ stabilitatis non sit, nisi in illius quiete: qui propter nihil præter se appetit; quo adepto, requiescat. Et ideo dum ipse manet in se, quicquid est ex illo, retorquet ad se, vt omnis creatura in se habeat naturæ suæ terminum, in quo non sit, quod ipse est, in illo autem quietis locum, quo seruet, quod ipsa est.*

¶ AD TERTIVM dicendum, quod cum dicitur, creauit vt faceret: creare, sumitur ibi pro condere. Duplex est autem condere, scilicet in esse generis sui, vel speciei: & in per-

manentia

manentia ratione multiplicationis indiuiduorum: vbi necessaria est multiplicatio ad conseruationem: condidit ergo Deus, vt sic faceret, & multiplicaret ad conseruationem.

MEMBRVM II.

Cur septimus dies benedictione donatus est, nec alij: Tum si qua benedictio commemorata est quinto & sexto die, quid est dictu hoc, Benedixit, atque sanctificauit?

Genes. 2. SEQVITVR de hoc, quod *benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Potest enim quæri, quare huic diei data est benedictio; non autem aliqua data est, cum creauit cælum & terram: vel cum fecit & ornauit: aut cum homine facto, consummauit. ¶ ITEM quæ est differentia inter benedictionem, & sanctificationem: cum de benedictione fecerit mentionem in aliquibus diebus præcedentibus: vt in quinto & sexto: de sanctificatione vero non fecerit mentionem.

RESOLVTIO.

Dies vltimo nec aliis data est benedictio, aut illata sanctificatio: vt insinuaretur, creaturas in se non sanctificari sed in Deo, qui earum finis est. Proinde benedictionem cum sanctificatione intelligendam hic autumamus benedictionem quietis æternæ.

Aug super Genes. ¶ RESPONSIO secundum August. quod non est data benedictio nec ante diem, nec in die aliquo; quæ benedictio sit cum sanctificatione; quia creatura in se non sanctificatur, sed in ipso, ad quem referenda sunt omnia bonia: & hoc in hoc septimo die designatur: & ideo huic solum diei datur benedictio. Vnde August. Idem. *Quia enim ex illo ita est, quicquid ex illo est: vt illi debeat quod est; ipse autem nulli, quod ex ipso est, debeat quod beatus est: se rebus, quas fecit diligendo, præposuit: non sanctificans diem, quo ea faciendo inchoauit: nec illum quo ea perfecit: ne illis vel faciendis vel factis auctum eius gaudium videretur: sed eum, quo ab ipsis in seipso requieuit: & ipse quidem nunquam ista requie caruit: sed nobis eam per diem septimum demonstrauit.*

¶ AD SECVNDVM dicendum, quod distingui potest inter benedictionem & sanctificationem; quia benedictio magis communis est, quam sanctificatio. Nam est benedictio quædam temporalis, sicut quæ consistit in rerum multiplicatione: & talis bene fuit in quinto & in sexto die: Et benedictio spiritualis: & illa est duplex: gratiæ: & in hac est appropriata benedictio homini: & est quietis æternæ: & hæc recte dicitur hic benedictio cum sanctificatione.

MEMBRVM III.

Quid est dictu. Hic est liber creaturæ cæli & terræ, &c. quid (inquam) ibi nomine cæli, & terræ intelligatur?

AD TERTIVM, quo subiungitur. Hic est liber creaturæ cæli & terræ: Potest quæri, vtrum sic accipiatur hic cælum & terra: sicut supra, cum dicitur. Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram &c.* an sic sicut cum fuit firmamentum, & distinguit aridam ab aquis? Et videtur, quod primo modo propter hoc, quod dicit [*creatura cæli & terræ*] tunc enim creauit cælum & terram.

¶ PRÆTEREA, videtur illud ex hoc, quod sequitur [*omne viride agri, ante quam esset super terram*] cum enim tertio die factum esset istud, & hoc est cum facta esset terra: non sic accepit hic diem, sicut in tertio die: ergo sic sicut in principio: ¶ ITEM, cum factum est firmamentum, & facta est terra, tunc erat dies. Hic autem dicitur, cum factus est dies, id est, cum fieret: ergo videtur potius ad primum referendum.

(Cõmunis & vulgata translatio huiusce sententiæ longe distat verbis Genes. c. 2. circa initium.)

¶ SED videtur contrarium per hoc quod sequitur [*cum factus est dies, fecit Deus cælum & terram*] cum enim non simul factus est sermo de die, cum crearet cælum & terram in principio, & fecit mentionem de die, cum fuit firmamentum secundo die, & terra tertio die: relinquitur ergo quod sic accipit cælum & terram, sicut cum facta sunt in diebus.

¶ PRÆTEREA, potest quæri de hoc, quod dicit [*cum factus est dies*] nullam enim fecit mentionem distincte de aliquo die, cum fecit cælum & terram: cælum enim factum est secundo die, terra tertio die: ergo cum dies non sit simul cum die, non facta sunt cælum & terra, cum factus est dies. Aut oportet hic intelligere diem communiter, vt simul fieret tempus cum temporali.

¶ TERTIO quæritur, quid nomine cæli datur intelligi, cum dicitur [*cælum & terra*] An tantum firmamentum & arida, quæ duobus diebus facta sunt: an ipsa cum natura media, scilicet aquarum, quæ simul factæ sunt: Facta enim est diuisio aquarum superiorum ab inferioribus secundo die cum firmamento: in tertio est aquarum à terra diuisio, & in vnum locum congregatio. Si autem dantur intelligi per se: quare non fit mentio de aquis: si enim aquæ dantur intelligi per illa duo; multo fortius viride agri intelligi potuit, & tamen est expressum: ergo non videtur per hoc intelligi.

¶ PRÆTEREA, nunquid nomine cæli & terræ intelligitur lux, quæ facta est primo die, & ea, quæ facta sunt in illis vltimis diebus. Quod non lux intelligatur, videtur per hoc, quod dicitur [*fecit cælum & terram*] loquens de eo, quod vocauit cælum: & hoc fuit firmamentum. Vnde dixit [*vocauit firmamentum cælum*] Non ergo videtur intelligi lux illa per cælum & terram. ¶ PRÆTEREA, ea, quæ facta sunt in tribus vltimis diebus, non videntur intelligi: nam non sunt facta, ante quam viride agri esset super terram: ergo non per cœlum & terram intelliguntur.

¶ SED obuiare videtur, vt nomine cœli & terræ omnia, quæ facta sunt in illis diebus, intelligantur. Nam cum factus est dies, fecit cælum & terram: sed factio diei intelligitur in operibus sex dierum: ergo cælum & terra debent continere suis designationibus illa omnia. ¶ ET præterea, quare recapitularet ipse ea, quæ in secundo die: & tertio facta sunt: & non illud; quod in primo die factum est, & vltimis tribus diebus.

RESOLVTIO.

Nomine cæli & terræ in illis subsequentibus Geneseos verbis intelligitur natura media aquarum: siquidem vna cum his extremis & medium factum æstimandum est. Potest item intelligi quod primo die factum est, & quæ in tribus vltimis.

¶ AD PRIMVM dicendum, quod accipitur hic cœlum & terra, sicut facta sunt. Vnde cum dicitur [*creatura cæli & terræ*] aut simul intelligitur creatio & factio: aut nomine creaturæ factura designatur. Nec huic obuiat, quod dicitur [*omne viride agri, antequam esset*] quia illud post facturam terræ nominatur; licet in die eodem. Vnde postquam facta est terra, dictum est, Germinet terra &c. vt primo sit esse terræ, & post generatio ex ea. Nec illud obuiat, quod dictum est [*cum factus est dies*] Aliter enim fiunt tempora; & aliter fiunt res permanentes. Temporum enim esse est, cum fiunt: rerum vero permanentium esse non semper est, cum fiunt. Vnde cum dicitur [*cum factus est dies*] dies, id est * fuerit dies: tunc cœlum & terra facta sunt: quia in die facta sunt: sed creata ante diem: & ideo sermo ille, scilicet cum factus est dies: ad hoc inducitur, vt de factura cœli & terræ intelligatur. (*Alias fuit)

¶ AD SECVNDVM vero dicendum dupliciter secundum expositionem August. Aut quod nomine diei intelligatur vnus dies repetitus, secundum quod fit expositio de die, id est, de cognitione angelica. Aut dies, accipitur ibi communiter, & indistincte: quilibet enim dies factus est, & simul cum temporali. Vnde August. *Facta creatura motibus cœperunt currere tempora.* Vnde ante creaturam frustra tempora requiruntur: quasi possint conueniri ante tempora: motus enim si nullus esset, vel corporalis, vel spiritualis creaturæ: quo per præsens præteritis futura succederent: nullum esset tempus omnino: moueri autem creatura non vtique posset, si non esset: Potius ergo tempus à creatura, quam creatura cæpit à tempore: vtrumque autem à Deo: ex ipso enim per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nec sic accipiatur quod dictum est, tempus à creatura cæpit; quasi tempus creatura non sit, cum sit creaturæ motus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ornatus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ordinem administrantis Dei cuncta, quæ creauit. (Aug super Genes. lib. 5. c. 5. in primis verbis Tomo 3.)

¶ AD TERTIVM dicendum, quod nomine cæli & terræ intelligitur

intelligitur natura media, scilicet aquarum: & per extrema dat intelligere medium: medium enim simul factum est cum extremis. Similiter per cœlum & terram intelligitur & illud, quod factũ est primo die: & possunt intelligi ea, quæ facta sunt in tribus vltimis diebus: alia enim quę in sequentibus diebus, ad ornatum illorum referuntur. Et licet cælum per quendam dicat firmamentum: nihilominus cœlum empyreum apud intelligentes nomine cœli etiam intelligitur.

QVÆSTIO LVII.
De opere multiplicationis.
In tria Membra diuisa.

Elice ex D. Thõ. & S. Bon. locis superiꝰ allegatis.

DEINDE procedendum est ad opus multiplicationis, & circa hoc quæruntur tria. ¶ PRIMO ratione eius, quod dicit, Antequam fœnum agri exortum esset: si etiam intelligatur de seminibus herbarum, & fructibus lignorũ. Secundo ratione eius, quod dicitur. Non enim pluerat Deus super terram: & homo non erat, qui operaretur eam. Tertio ratione eius, quod subiungitur, *Fons ascendebat de terra*: quare incipit ab origine ex parte aquæ, & non ex parte terræ. (Genes. 1.)

MEMBRVM I.
Quid est dictu, Antequam fœnum agri exortum esset: siue Antequam virgultum agri oriretur in terra: num de seminibus herbarum, & fructuum, vel lignorum: aut de ipsis herbis & arboribus intelligendum sit?

AD PRIMVM quo quæritur ratione eius, quod dicitur, Antequam fœnum agri exortum esset: sicut habetur in translatione septuaginta; nostra vero translatio habet Antequam virgultum agri oriretur in terra. Aut enim hoc intelligitur de seminibus herbarũ, & fructuum, siue lignorum: aut de ipsis herbis, & arboribus? Quod ratione seminum, hoc videtur: cum enim terra facta est, grauida erat seminum, lignorum, & herbarum: & ad facturam terræ hoc pertinebat: sed aliud est fieri terræ: & aliud herbarum, & arborum ex terra nascentium: ergo cum in illo die non fieret nisi quod pertinebat ad terram grauidam fœtuum; non aliud intelligitur, cum dicitur [*antequam fœnum agri oriretur*] nisi quod esset ratio seminalis in ipsa admixta cum aqua. ¶ SED videtur contrarium per hoc, quod ibidem dicitur, Producat terra herbam pabuli &c. hoc enim non ad rationem seminalem tantum pertinet: sed etiam ad formam herbarum, & arborum: non ergo hoc fuit, antequam fœnum agri exortum esset. Et hoc ex verbis August. innuitur, cum dicitur, *Producat terra herbam pabuli, seminantem semen secundum genus suum, & lignum fructuosum.* Vnde dicit, *His verbis magis apparet, semina orta esse ex herbis siue lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra præsertim quia & verba Dei sic se habent, non enim ait, Germinet semina in terra herbam fœni & lignum fructuosum, sed ait, Germinet terra herba fœni, seminantem semen, vt semen ex herba, non herbam ex semine insinuaret.* (Aug super Genes. Idem. Lib. 5. cap. 4. in medio.)

RESOLVTIO.

De seminibus herbarum, fructuum & lignorum intelligendum arbitratur B. August. quo scilicet naturali cursu herba ex semine producitur, & planta ex planta, vel semine.

¶ AD quod videtur respondendum per hoc, quod dicit August. *Aliter nota est angelis creatura Dei, & aliter nobis. Angelis enim primordialiter (vt ita dicam) vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, & post eam conditionem à suis operibus requieuit, non condendo aliquid amplius. Nobis autem secundum conditarum rerum administrationem iam per ordines temporum secundum quam iam Deus illis rebus per senariam perfectionem consummatis, vsque modo operatur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod cum dicitur [*germinet terra herbam virentem &c.*] hoc attenditur, quod in opere conditionis herbarum, & lignorum * ex terra, non attenditur tantum seminum grauidatio: sed ipsarum specierum productio: quæ habebant in se rationem seminalem. Cum autem dicitur [*antequam fœnum agri esset exortum*] hoc intelligitur secundum cursum naturæ, quomodo herba ex semine producitur naturaliter, & planta, ex planta, vel semine. (Aug. in li. 5. cap. 4.) (* Alias cũ.)

MEMBRVM II.
Quid est dictu, Non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.

AD SECVNDVM, quo quæritur ratione eius, quod sequitur. Non enim pluerat Deus super terram: & homo non erat, qui operaretur eam. Videtur enim per hoc quod intelligatur factura cœli & terræ cum herbis includi præter ea, quæ erant in tribus diebus sequentibus. Nam si illa includerentur, tũc iam erat homo, qui sexto die creatus est; quod si sic dicatur: tunc ad quid dicitur: Nondum pluerat Deus super terram? hoc enim factum est post opera sex dierum.

RESOLVTIO.

Ac si diceretur, Nondum homo operatus fuerat terram.

AD quod dicendum, quod illud dicitur [*& homo non erat, qui operaretur eam*] negatio ad totum extenditur, vt sit sensus: nondum erat homo operatus terram: vt sic vtrumque referatur ad ea, quæ facta sunt post opera sex dierum. Vnde August. *Tanquam si diceret, non ea sic fecit Deus, quemadmodum nunc facit talia, cum pluit, & cum operantur homines, hæc enim iam per moras temporum fiunt, quæ tunc non erant, cum fecit omnia simul, vnde etiam tempora inciperent.* (Aug. 5. super Genes. Tom. 3. Cap. 6.)

MEMBRVM III.
Quid est dictu, Fons ascendebat de terra, &c.

AD TERTIVM, quo quæritur circa illam litteram, *Fons ascendebat de terra &c.* Hic cum incipiat dicere de causa multiplicationis, & collocatione hominis in paradiso, quæritur, quare primo incipit ab origine ex parte aquæ, & non ex parte terræ. (Genes. 2.)

RESOLVTIO.

Causa multiplicationis subillaturus Moses, eius primum element: meminit, quo genera omnia multiplicabilium nascuntur, nataque concresiunt, scilicet aquam quam à fontali potius quam pluuiali nomine desumpsit; quia pluuia diluuio primitus introducta est in pœnam confusionis hominum. Per quem fontem vel Oceanum intelligamus; vel vniuersaliter omnem fontem siue aqueductum, non vnum tantum exponamus.

Ad quod respondet August. *Recte ab eo incipit elemento, ex quo cuncta genera nascuntur vel animalium, vel herbarum, atque lignorum: vt agant temporales numeros suos, naturis propriis distributos, omnia quippe primordia seminum, siue omnis caro, siue vnde omnia frutecta gignuntur, humida sunt, & ex humore concrescunt.* Vtrumque tamen datur intelligi: nam ea, quæ fiunt, ex cõmixtione fiunt aquæ & terræ, adiunctis aliis elementis: sed hæc duo sunt manifestiora: ideo de his duobus facit mentionem. Rationem etiam corpulentiæ (non dico corporeitatis) accipiunt ab elementis istis principaliter: sed terra est, vnde plus accipiunt de materia: humor vero, qui ex aqua est: vnde plus accipitur multiplicatio. (August. super Gen. Li. 5. cap. 7)

SED quia duplex est humor: vnus, qui descendit ex nubibus aeris: alius, qui oritur in terra: potest quæri, quare causam multiplicationis designat penes fontalem humorem primo, & non penes pluuialem: cum videamus modo manifestius causam multiplicationis esse ex humore pluuiali, quam fontali in vniuersa terra.

¶ PRÆTEREA, cum sit humor pluuialis, fit minutatim terræ irrogatio: vnde magis videbatur cõuenire à principio. ¶ AD quod videtur dicendum, quod cum non legatur de pluuia, nisi cum introductum est diluuium: nec de arcu, siue iride, nisi in signum recõciliationis: videtur quodammodo in pœnam post pluuia introducta: pluuia enim fit ex vapore aquoso eleuato in nubibus: in vapore autem est quædam confusio elementorum: vnde introductio vaporis videtur esse signum confusionis creaturæ humanæ: quæ iam venerat in confusionem peccatorum: prius enim erat aer serenus in conditione operum primorum: sed post factus est nubilosus. Recte ergo est primo facta multiplicatio

catio ex humore fontali, irrigante super faciem terræ. Si cui autem videtur prius fuisse pluuia (licet de hoc non faciat mentionem sacra scriptura) nihilominus oportet eum intelligere primo, quod humor * aquosus imbibatur terræ, antequam fiat vaporum eleuatio: & consequenter pluuiarum descensio. Quod enim dicitur ligatio aquarum, vt nõ pariter erumpant deorsum; nõ videtur ad primum statum referri.

*Alias, inaquosus.

¶ Svpposito autem ex scriptura, quod humor aquosus, qui in terra oritur, sit principium irrigationis primæ: potest quæri quare dicatur esse fontalis: cum ex conditione operum sex dierum habeamus, quod aquæ inferiores congregatæ sunt: & congregationes dictæ sunt maria. Vnde videtur quod irrigatio totius terræ sit ex illis maribus: mare enim accipitur communiter pro cõgregatione aquarum dulcium & amararum; quid est ergo quod dicit *Fons ascendebat* &c. ¶ Item supposito, quod fons secundum rationem aliquam fontis irrigaret: cum non videatur de alio fonte, facere mentionem, nisi de illo fonte paradisi; qui diuiditur in quatuor capita: videtur impossibile, quod totam superficiem terræ irrigauerit: cum non legatur de illis quatuor capitibus, nisi quod per terras currunt determinatas: & illas irrigent: aliæ vero sunt terræ, ad quas non extenditur earum irrigatio. Si vero fuerit alius fons maior illo, mirum est, vbi modo sit. Si enim obstrusus est propter primorum parentum peccatum, videretur alicubi in scriptura fieri mentio de ista obstrusione. ¶ Præterea, multiplici genere peccati peccauit homo ante diluuium: & tamen non legitur: quod ante diluuium fuerit aliud genus irrigationis: ergo relinquitur, quod si obstrusus esset; hoc non esset propter peccatum primorum parentum.

¶ Ad quod potest dici, opinando secundũ illud, quod introducit August. dicens quod potuit per fontem intelligi Oceanus: inquantum per diuersas partes ramis suis extenditur: & diuersi sunt meatus subterranei: per quos fiunt excolationes aquarum: cuius vnus ramus fuit fons, qui irrigabat paradisum: & dicitur fons irrigare superficiem terræ: non quod inundauerit super eam, sed quod in maiori parte irrigauerit: Vel quia dixit, *Fons ascendebat, &c.* & non dicitur vnus fons, potest intelligi, vt vniuersaliter comprehendatur omnis fons, siue aquæductus. Vnde Augustinus. *Quod si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta, quæ mare dicitur, & euidenti amplitudine aqua maris fluctibus terras ambit; in ea sola parte, quam reconditis sinibus terra continet: vnde se omnes fontes, omnes aquæ diuersis tractibus venisq; distribuunt: & suis quæque locis erumpunt: fontem voluit appellare scriptura: non fontes, propter naturæ vnitatem; cumq; per innumerabiles vias antrorum atq; rimarum ascendentem de terra: & vbique dispartitis quasi crinibus irrigantem omnem superficiem terræ: non continua specie tanquam maris, aut stagni: sed sicut videmus ire aquas per alueos fluminum, fluxuque riuorum, & eorum excessu vicina perfundere, quis non accipiat, nisi qui contentioso spiritu laborat.* Et iterum ibidem. *Pro numero plurali posuit singularem, vt intelligamus fontes multos per vniuersam terram, loca, vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles, & multi intelliguntur: sicut dicta est locusta, & rana in plagis, quibus Ægyptij percussi sunt: cum esset innumerabilis locustarum numerus, & ranarum: iam non diutius laboremus. Quidam autem putauerunt sic fieri irrigationem: quemadmodum Nilus quodam tempore anni irrigat terram, vt aliquo tempore effundatur superficiem terræ: aliquo vero tempore contrahatur.*

August. Genes. 2. Aug. super Gen. lib. 5. cap. 10.

Idem cap. eod paucis inter positis, circa finem capitis.

QVÆSTIO LVIII.

De opere collocationis: videlicet de paradiso terrestri.

In quinque Membra diuisa.

Genes. 2. D. Thõ. 1. par. q. 102. per 4. art. S. Bon. in 2. d. 17. in dub. litter. Sco. ib. q. 2.

PLANTAVERAT *dominus Deus paradisum, &c.* Sicut dicit Damascen. quia homo erat compositus ex visibili & inuisibili creatura, præparauit ei Deus locum deliciarum paradisum: qui quodammodo dictus est intelligibilis, quodammodo sensibilis: sicut consentiunt August. & Damasc. promptuarium vniuersi gaudij, & exultationis. De quo paradiso & vniuersis contentis in eo primo agitur: deinde de multiplicatione animantium rationalium, quod notatur ibi, Formatis ergo, &c. secundum quod ad Adam hæc referuntur.

¶ Primo igitur describitur paradisus. Secundo ad quid homo in eo collocetur. Tertio de ornatu & fructibus paradisi, & de ligno vitæ, De factione Euæ ex costa Adæ, & quibusdam alijs circa huiusmodi sub paragraphis suis. Mouentur quædam quæstiones de multiplicatione animantium irrationabilium: & de impositione nominum eorum. De præceptis disciplinæ homini traditis, infra agetur: cum de rationali creatura erit Tractatus, quæ componitur ex sensibili & intelligibili: hoc tantum sufficiat hic ostendere, quod pertinet ad corporalem creaturam.

MEMBRVM I.

An paradisus, in quo primus homo positus dicitur, sensibilis, vel intelligibilis locus fuerit.

QVÆRITVR ergo de paradiso, Vtrum tantum sit sensibilis, vel tantum intelligibilis, vel quodammodo sensibilis quodammodo intelligibilis. ¶ Quod enim sit intelligibilis, videtur per hoc, quod dictum est à Domino latroni. *Hodie mecum eris in paradiso:* & constat quod animæ ipsius latronis à dextris, cum esset spiritualis, & Christi animæ similiter non promittebatur delectatio corporalis, sed spiritualis: ergo nomen paradisi intelligitur locus spiritualis, siue intelligibilis. ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod loquitur de plantatione, de arboribus; & huiusmodi: quæ omnia ad corporalem creaturam referuntur: ergo paradisus locus erat corporaliter. Luc. 23.

¶ Ad hoc facit quod dicit Isidor. *Paradisus est locus in partibus orientis constitutus cuius vocabulum ex Græco in latinum vertitur, Hortus &c.*

Isidor in Li. 4. Ethymol. c. 14. circa initium.

RESOLVTIO.

Vtrunque, tum scilicet sensibilis, tum intelligibilis.

¶ Respondet Iohan. Damascen. *Mihi videtur, quod sicut homo sensibilis simul & intelligibilis conditus sit; sic etiam quod huius sacratissimum templum sensibile simul, & intelligibile, & duplicem habens ostensionem.* Ex corpore enim in diuinissima regione, & super pulchra (sicut historice diximus) ditatus commorans: ex anima vero in superiori & incomparabiliter pulchriori loco conuersabatur: Deum habens inhabitantem: & eum ferens gloriosum operatorium, & eius circumamictus gratiam, & solo dulcissimo fructu contemplationis lasciuiens; velut quidam angelus alius: & hac nutritus, vtique lignum vitæ digne nominatum est. Similiter August. *Tres de paradiso sunt generales sententiæ. Vna eorum, qui paradisum tantummodo corporaliter intelligi volunt, alia eorum, qui spiritualiter tantum, alia eorum, qui vtroque modo paradisum accipiunt, alias corporaliter, alias spiritualiter.* Breuiter ergo vt dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam: vt homo factus de limo, quod vtique corpus humanum est: in paradiso autem collocatus intelligatur: vt quemadmodum ipse Adam; & si aliquid aliud significat, secundum id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus, homo tamen in propria natura expressius accipitur. Ita & paradisus, in quo eum collocauit Deus, nihil aliud, quam locus quidam intelligatur, terra scilicet vbi habitaret homo terrenus.

Dam li. 2. de Orthod. fide c. 11.

Aug super Gen. lib. 8 c. 1. in primis verbis Tom 3.

¶ Ad obiectum autem dicendum: quod paradisus multipliciter accipitur: aliter enim accipitur, cum dicitur, *Hodie mecum eris in paradiso &c.* & cum dicitur, *Plantauerat Deus,* &c. Paradisus autem in sua generali ratione dicitur, vbicunque feliciter viuitur: sicut habetur ex Lib. August. ad Dardanum.

Luc. 23. Genes. 2.

MEMBRVM II.

Ad quid Deus primum hominem in paradiso posuit.

DEINDE quæritur de hoc, quod Adam primus homo positus est in paradiso, vt operaretur & custodiret; nũquid voluit Deus, vt operaretur agriculturam? Quod non, videtur: quia post peccatum damnauit ipsum ad laborem: vt habetur. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

Genes. 3.

* *

inde ad quid collocatus fuit in paradiso: respiciens, prædicta ligna: præceptum affirmatiuum respiciebat lignum ad esum & lignum vitæ: præceptum vero negatiuum lignum scientiæ boni & mali. Vnde cum supra concesserit ad esum tam herbas virentes, quam fructus lignorum: hic addidit consequenter præceptum circa fructus ligni: in quo innuitur, quod magis aptabatur in cibum hominis à principio fructus ligni, quam ipsę herbæ: herbæ vero magis in cibum animantium irrationalium.

¶ Ad tertium dicendum, quod de delectabili secundum duplicem sensum sit hic mentio, sc. secundum visum & gustum: visus enim apprehendit de longe & discernit delectabile in nutrimento: gustus aūt de prope, siue per immediationem: olfactus enim est quasi consiliarius differentiarum cum gustu. Vel ad præsignandum, quod homo non tm̃ vigere debebat in olfactu, quãtum in alijs sensibus. Tactus a. licet ostendat differentias rei nutribilis; non fuit hic enumeratus: sufficiebat enim gustus, qui est quidã tactus: sicut dicit Philosophus.

Philos. 2. de Anima 9.

¶ Ad quartum dicendum, quod lignum vitæ, ad hoc specialiter erat (sicut dicit August.) ne mors vndecunque surreperet, vel senectute confecta decursis spacijs temporũ interiret: nihilominus tñ erat in sacramentum & significationem ligni vitæ: de quo dr̃ Prouerb. *Lignum vitæ apprehendentibus eam.* Si vero obijcitur, quod esset in alimentum.

Aug. de ciuitate Dei lib. 13. cap. 20. Prou. 3.

¶ Respond. potest, quod sicut medicina inquantum huiusmodi, est ad præseruandum, vel curandum: sic hmõi lignum fuit ad præseruandum contra defectum, qui prouenit ex agentib. extra. Nec hæc est principalis differentia inter alia ligna, & istud quod cætera essent in alimentum, istud in sacrm̃: nisi intelligamus, quod hoc plus erat in sacramentum: cetera plus in alimentum.

¶ Ad illud, quod obijcitur, cõsequenter: dicendum est, quod lignum vitæ ad hoc disponebat, vt cõsequeretur immortalitas vitæ in Adam sumente: sed hoc non fuit tota causa: sed causa intrinseca fuit vis contentiua ipsius animæ: quam habuit à Deo vita in statu innocentiæ: extrinseca vero fuit esus ligni vitæ. Ad obiectum autem in contrarium dicendum, cum dicitur Videte, ne forte sumat, &c. datur intelligi, quod si sibi subtraxit causam intrinsecam immortalitatis: iustum fuit vt ab eo subtraheretur causa extrinseca immortalitatis.

¶ Ad illud, quod quæritur de ligno scientiæ boni & mali. Dicendum, quod dictũ est, quia in esu eius expertus est homo, quantum sit malum inobedientiæ: & per oppositũ, q̃tum esset bonum obedientiæ: ab euentu ergo nomen accepit. Prius ergo poterat cognoscere bonum obedientiæ, & per priuationem malũ inobedientiæ per simplicem notitiam: deinde vero cognoscere per pœnæ experientiam.

¶ Ad illud, quod obr̃ de ligno vitæ, quod positum est in medio paradisi. Potest dici, quod ad litteram congruebat, vt ex omni parte facilior esset accessus. Et sicut primum receptiuum vitæ, sc. corporalis positum est in medio hominis, siue * animale habentis corpus: sic illud, ex quo accipiebatur vitæ vniformitas, esset in medio lignorum nutrimento aptorum. In figura ãt est factum, scil. ligni vitæ spiritualis, quod in medio fuit paradisi, id est, ecclesiæ: Deus enim salutem operatus est, in medio terræ. Vel adhuc est, secundum illud. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine, &c.*

* Alias, animæ.

Matth. 18.

¶ Ad hoc quod quæritur de ligno scientiæ boni & mali, vtrum esset in medio: quia ambigue vr̃ dicere scriptura. Responden. est per hoc, quod dicit Aug. Adhuc alias, animalia corpora terrena gestantes; quæ licet senio non veterascerent, vt necessitate perducerentur ad mortem: qui status eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur: tamen & alios sumebant cibos, præter vnam arborem, quæ fuerat interdicta.

Aug de ciuitate Dei lib. 13. c. 20 Tom 5.

MEMBRVM IV.

De factione Euæ ex costa Adæ.

Genes. 2.

AD quartum, quo agitur de factione Euæ penes litterã *Dixit quoque Deus: non est bonum hominem esse solum &c.* Ostensa multiplicatione terræ nascentiũ in paradiso, & quo ad causam, cum locutus est de fluuio, & quo ad finem, cum dicitur, *Ex omni ligno, quod est in paradiso &c.* subditur de multiplicatione ex parte animalis rationalis. Et quia multiplicatio est per simile in specie: hoc autem non inuentum fuit in multiplicatione animantium: vnde sequitur, *Finxit Deus* &c. vbi nos habemus. Formatis de humo &c. Sequitur formatio Euæ de latere Adæ, & in hoc cõcluditur pars ista, quæ est de multiplicatione.

D Tho. 1. par. q. 92. per 4. art.

Quæ necessitas fuit producendi mulierem? cur item de viro, nec de limo: aut de latere potius quam de parte alia &c. §. 1.

¶ Potest autẽ quæri per ordinem primo propter quid dictum est: Non est bonum hominem esse solum: cum iam dixit, Masculum & fœminam creauit eos: ¶ Præterea; non ne ratio speciei bene salua esset in illo solo, si stetisset in immortalitate? ¶ Præterea, si oportuit multiplicationem fieri, quare nõ fuit facta admodum, quo multiplicatio facta est in angelis: vt fieret duo mares à Deo, vel plures: sicut facti sunt angeli: æque enim participarẽt gloriam Dei, ad quam creati essent. ¶ Item, quare non fecit virum de mare: sicut fœminã de viro: & sic consequenter. ¶ Item, si congruit facere masculum & fœminam; quare fœminam fecit de viro, & non de limo terræ, sicut Adam: cum in hoc magis notaretur humiliatio hominis ex parte originis secundum materiam. ¶ Si vero oportuit de aliqua parte viri: quare de latere, plus q̃ de alia parte: cum sint nobiliores partes in homine & minus nobiles. ¶ Si vero de latere viri, cum sint partes aliæ consimiles * quam os & caro: os aūt factum est ex osse, caro ex carne. Vnde ergo neruus, vel cartilago, & ita de aliis partibus consimilibus. ¶ Item, cum sint partes officiales plurimæ, & partes consimiles dicuntur fieri secundum quandam similitudinem: propter quid non partes officiales: ex latere enim factus est pes, facta est manus, & ita de alijs partibus officialibus, siue organicis. ¶ De modo a. formationis, quæritur vtrum ministerio alicuius, vel aliquorum Dñs operatus fuerit: his habitis procedendum est ad alia, quæ dicuntur de aliis animantibus.

* Alias quã tum.

RESOLVTIO.

Formata est præter hominem & mulier: vt sic Deus gloriosius glorificaretur in pluribus: Quam ideo de viro, nec de limo formatã putemus: vt sicut ab eo initium sumeret: ita eidem secundã naturæ conditionem subdita esset. Sed ne omnino subdita & inferior haberetur, verũ quodammodo par, de latere peculiariter eductam dicimus: tametsi propter ipsius connunctionis vim cõmendandam id ipsum etiam factum esse non ignoramus, &c.

¶ Ad primum dicendum: quod illud, quod dicitur de masculo & fœmina, per anticipationem dictum est: non quia tunc simul factæ sunt in operibus sex dierum: sed vt ostenderetur, quod tam masculus quam fœmina cum condebantur, ad imaginem Dei condebantur: quam imaginẽ non accipiebat mulier à viro; sed vterq; à Deo, secundum spiritum, qui à Deo condito in operibus sex dierum: quia in illa prima conditione mundi, cum Deus omnia crearet simul, homo factus est: qui esset futurus ratio creandi hominis, non actio creati: & sequitur. Aliter erant in elementis mundi, vbi omnia facta simul futura sunt: aliter in reb. quę secundum causas simul creatas, non iã simul, sed suo tẽpore creentur: ex quibus Adam cum formatus est, ex limo formatus Dei flatu dicitur animatus.

Aug. lib. 6. super Genes. ad litterã capi. 10. in primis verbis.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet ratio speciei sufficienter posset saluari in vno homine immortalitatem hñte: non tamen consecutus esset finis vltimus: propter quem condidit Deus hominem: ergo sicut si esset vnus solus angelus, posset participare gloriam; sed non sic glorificaretur diuina potentia in vno participante, sicut in multis. Si etiã loquamur pro statu angelorum post casum; congruebat; vt esset multitudo hominum ad reparationem multitudinis ruinæ Angelicæ.

¶ Ad aliud dicendum: quod non fuit facta multiplicatio admodum multiplicationis in Angelis, vt fieret multitudo in masculino sexu à Deo: itaque nullus ab alio. In hoc enim non ostenderetur homo conditus ad imaginem Trinitatis. In Trinitate enim est persona vna est ab altera: & persona Spiritus sancti ab vtraque persona, scilicet Patris & Filij (Vnde ordo naturæ videtur ostendi, sicut dicit Augustinus) quod non fieret in homine: si omnes

immediate conditi essent à Deo: Vt ergo significetur, quod homo conditus est ad imaginem trinitatis: recte dicitur multiplicatio in genere hominum: vt vnus sit ex alio, & sic deinceps.

¶ AD ILLVD, quod objicitur: quod sicut fœmina formatur ex viro: sic posset enim vir ex viro formari, si Deo placuisset: & sic fieri multiplicatio secundum prius & posterius. Respondeo, quod si sic fieret, ordo naturæ in parte ostenderetur quo ad hoc; quod vnus scilicet esset ab alio: sed non ostenderetur, quod tertius ex duobus: Vt ergo totum seruetur, mulier est ex viro: ex viro autem & muliere tertia procedit persona.

¶ SED hic aduertendum est, quod per quandam antithesim est in creatura, secundum quod est in creatore. In creatura enim secunda persona procedit à prima non secundum generationem: tertia vero procedit secundũ generationẽ ex vtraq; In diuinis a. persona filij procedit à patre per generationem, persona spiritusS. procedit à patre & filio non per generationem. Et ratio huius est, vel videtur esse: quia creatura deficit à creatore: generatio enim est in creatura secundum decisionem partis substantiæ: in diuinis vero est secundum totam substantiam: & ideo prima processio in diuinis fuit generatio: secunda vero in humanis: vt de parte vtriusque fieret generatio, scilicet naturalis: mirabilis vero de parte substantiæ alterius: sicut fuit Christus homo de Beata Virgine. Vt sic compleretur ordo secundum generationem de substantia, filius à patre in diuinis: de parte substantiæ matris, Christus homo de Beata Virgine: de parte substantiæ vtriusque, homo, qui est naturaliter per generationem. In homine, qui tantum est homo, mirabilis productio præcedit naturalem: mirabilis enim fuit illa, quæ fuit Euæ de costa Adæ: naturalis Abel ab vtroque. In Christo vero Deo & homine naturalis præcessit mirabilem: nam filius est à patre secundum naturam: à matre vero modo mirabili.

¶ AD ILLVD vero quod objicitur, quod mulier potius deberet fieri de limo, quam de aliqua parte viri. Responsio, quod non ita conuenienter: facta enim est de aliqua parte viri, vt ostenderetur, quod sicut originem sumpsit ex viro, ita debeat esse viro subdita secundum conditionem naturæ.

¶ AD ILLVD, quod quæritur: quare de latere potius quam de alia parte. Dicẽdum, quod in hoc innuitur, quod non tãtum est subiectio mulieris ad virum: sed etiam quædam paritas innuitur: solemus enim dicere, quod est iuxta latus, in quantum huiusmodi, paritatem habere quandam. Et dicit Augustinus propter cõiunctionis ipsius viri commendandam, hoc factum esse credamus. *Aug. lib. 9. super Gen. ad literam cap. 19. in primis verbis.*

¶ AD HOC, quod objicitur, quare caro de carne, & os de osse: & non sic dicitur neruus de neruo, & sic de alijs. Respondendum videtur, quod in latere sunt illa duo manifeste: & hæc sunt quasi extrema partium consimilium: os tanquam fundamentum machinæ humanæ: caro cum cute aliud extremum: & in his erat possibilitas materialis ad omnia fienda: non secundum modum naturalem generationis; sed diuinæ formationis.

¶ AD ILLVD vero, quod objicitur de partibus officialibus. Dicendum est quod sicut os & caro habuerunt possibilitatem, vt ex illis fierent aliæ partes operatione diuina; sic costa habuit possibilitatem respectu aliarum partium officialium: Iste enim modus non fuit producendi simile ex simili: sed indifferenter simile membrum ex simili, & dissimile ex dissimili.

Quare de Adam dormiente facta est mulier de latere? §. ij.

¶ SED adhuc posset esse quæstio, Quare de Adam dormiente facta est mulier? *Qõ. lateralis.*

RESOLVTIO.

Quia de latere Christi quiescentis in cruce formanda erat ecclesia.

¶ AD hoc respondet August. super Psalterium dicens: quod dormiente Adam, facta est Eua de latere; & dormiẽte Christo de aqua & sanguine, quæ de latere fluxerunt, profluxerunt sacramenta, quibus formata est ecclesia: quæ per Euam signatur; aqua in ablutionem, sanguis in redemptionem. *Aug. 15. ciuit. Dei cap. 26.*

Quid est dictu, Repleuit carnem pro costa: & non magis repleuit costam pro costa. §. iij.

¶ SED quid est, quod dicitur, quod pro costa repleuit carnem: quare non repleuit costam pro costa. *Qõ. lateralis.*

RESOLVTIO.

Vt notaretur viri ad mulierem teneritudo compassionis.

¶ AD quod dicendum, quod in hoc notari poterat teneritudo compassionis, quam habet vir ad mulierem: vt carnalis fiat per compassionem mulieris.

Quare dicitur, Aedificauit Deus costam? §. iiij.

¶ QVÆRITVR etiam, quare dictum est, Ædificauit Deus costam: cum de homine dictum est, Formauit Deus hominem de limo terræ? *Qõ. lateralis.*

RESOLVTIO.

Quia huiusmodi structura quasi ædificium à summo artifice Deo parabatur.

¶ AD quod dicendum, quod de homine dictum est. Formauit Deus hominem de limo terræ: quia cum esset limus, nondum venerat ad formã corporis humani: vel in parte, vel in toto: Cum autem iam erat costa, iam aliquid formæ corporis humani habebat: sed quasi ædificium parabatur à summo artifice. Pedes enim quasi rationem fundamenti tenẽt: costæ quasi latera ædificij sunt: caput vero gerit vicem tecti. Et succedit hæc operatio; quæ facta est de costa; illi, quæ fit ex limo: quarum vtraque est à Deo immediate. Operatio artificis in artificialibus superadditur operationi naturæ: primo enim naturaliter producitur lignum, & formatur: secundo ex lignis domus ædificatur: Quodammodo ergo est similitudo: licet ex alia parte est dissimilitudo.

An seipso solo, vel aliorum ministerio mulieris formationem effecerit Deus.

DEINDE quæritur de hoc, quod sequitur, *Ædificauit Deus*: nunquid artifex summus fecit hæc mediantibus ministris, aut per seipsum. *Qõ. lateralis. Genes. 2.*

RESOLVTIO.

Seipso solo, arbitratur B. Augustin.

¶ AD quod respondet August. dicens. *Quale ministerium Deo exhibuerunt angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? certissime tamen dixerim supplementum illud carnis in costæ locum, ipsamque fœmina corpus, & animam, conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, quicquid erat quo illa, & creatura & homo, & fœmina erat, non nisi in illo opere Dei factũ: quod Deus non per angelos, sed per seipsum operatus est.* *August. super Gen.*

MEMBRVM V.

De multiplicatione animantium irrationabilium & de impositione nominum eorum?

OSTENSA multiplicatione ex parte hominis: additur multiplicatio facta ex parte animantium irrationabilium, cum dicitur, *Formatis de humo* &c. & alia translatio habet, Finxit Deus de humo: & vtrobique notatur nominum impositio, & adductio eorum, quibus nomen imponebatur.

Quomodo hic volatilia de humo formata dicantur: si superius in opere quinta diei de aqua effecta esse commemoratum sit? §. j.

¶ SED quæritur de hoc, quod modo dicit, volatilia formata de humo: supra vero in operibus quintæ diei dictum est, *Producant aquæ reptile, & volatile super terram*: nunquid hæc est vna productio differens ab illa: vt prima fieret de aquis: secunda fieret de humo? Si vero productio elementati facta est ex elementis: nec fuit ibi aqua tantum, nec terra tantum: sed aqua commixta terræ: & econuerso: & hoc nomine humi designatur: tunc ad minus quæritur: propter quid ibi plus nominauit terram: humus vero terra est madefacta. *Genes. 2.*

* *
*

RESOLV-

RESOLVTIO.

Vt insinuaretur quasdam ex auibus pro nutrimento acquirendo respicere terram: quasdam aeri & aquæ communem naturam, non tam pro principio motus nutrimentalis, quam localis: tametsi vtraque ex vtrisque componantur.

¶ AD quod videtur dicendum, quod volatilia quædam respiciunt naturam mediam, scilicet quæ communis est aeri & aquæ ad nutrimentum acquirendũ: sicut aues aquaticæ, & quæ in aere pascuntur; vt hirundines: quædam vero respiciunt naturam vltimam, scilicet terram ad nutrimentum obtinendum: ex quo designatur, quod licet ex vtroque componantur; tamen plus aliquando respiciunt hoc principium; aliquando illud. Præterea, aqua ex parte, qua conuenit cum aere; magis fuit principium motus localis in eis: ex parte vero, qua conuenientiam habet cum terra; vt humus dicatur terra aquosa; magis fuit principium motus nutrimentalis: ideo dupliciter tetigit ibi originem, dicendo: *Producant aquæ*, &c. hic vero. Formatis ex humo, &c.

Genes. 1.

Cur sicut aues, non ita & pisces de humo factos hic legamus. §. ij.

¶ SECVNDO quæritur, quare non est facta mentio de piscibus, sicut de volatilibus.

RESOLVTIO.

Quia pisces ab aquis & originem ducunt; & in eis conseruantur: Aues vero & si ex aquis originem trahunt, in terris tamen morantur, vitamque ducunt: licet aliam iis hac August. responsionem assignet.

¶ RESPONSIO. Pisces ex aquis originem ducunt, & in eis conseruantur: volatilia autem, & si ex aquis originem duxerint; nunc amplius in terra, vel super terram vitam ducunt; & habitationem habent in arboribus, vel super terram: quæ supple arbores ad terram referuntur. Respondet tamen August. quæstioni factæ de volatilibus sub distinctione: dicens vno modo, quod humus non refertur ad vtrumque: ad animantia, scilicet terræ, & volatilia: sed tantum ad alterum: alio vero modo ad vtrunque: cuius sunt hæc verba. *Si quem vero mouet: quare non dixit, finxit Deus de terra omnes bestias agri, & de aquis omnia volatilia cæli: Videat duobus modis esse intelligendum: aut tacuisse nunc, vnde finxerit volatilia cæli quia & tacitum posset occurrere: vt non de terra vtrumque accipiatur Deum finxisse, sed tantummodo bestias agri, & volatilia cæli: etiam tacente scriptura, intelligamus, vnde finxerit: velut qui sciamus in prima causalium rationum conditione ex aquis ea esse producta: aut terram vniuersaliter sic appellatam cum aquis simul: sicut appellata est in illo Psa. vbi cælestium laudibus terminans, ad terram facta est conuersio sermonis, & dictum: Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi &c.* nec postea dictum est, *Laudate Dominum de aquis.*

Aug. lib. 9. super Gen. ad literam cap. 1. in fine. Tom. 3

Ibid. paulo antetius.

Psl. 148.

¶ AD SECVNDVM vero dicit, quod tunc nomina imposita erant volatilibus: piscibus vero secundum genera sua cognitis, successiue nomina imposuisse: & ideo non fecit ibi mentionem de piscibus. Vnde dicit August. *Credendum est, paulatim cognitis piscium generibus, nomina imposuisse, tunc autem pecoribus: cum pecora, & bestiæ, & volatilia ad hominem adducta sunt, vt eis ad se congregatis, gradatimque, distinctis nomina imponeret: quibus etiam ipsis paulatim est multo citius, quam piscibus (si hoc factum non esset) posset nomina imponere.*

Aug. Ibid. cap. 12. circa med.

Quæ animantia adducta sint ad hominem & quomodo. §. iij.

¶ DEINDE quæritur de hoc quod dicitur. *Et adduxit ea dominus ad Adam:* nunquid enim adducta sunt volatilia, aut gressibilia: sicut venator adducit ad retia. Nunquid hoc fecit aliquorum ministerio: aut sola voce iussionis. ¶ Iussionis voce non videtur, cum non habeant huiusmodi animalia intellectum ad percipiendum.

Qõ. lateralis. Genes. 1.

¶ Ministerio etiam non videtur: neque enim hominum, cum nondum esset adhuc multiplicatio; neque ministerio aliorum animantium: quorum enim ministerio tunc hæc adducta essent?

RESOLVTIO.

Ea animantia adducta sunt ad hominem, quæ in terris viuere, & conuersari possunt, sicuti aues, & non bestiæ, non autem pisces, idque ministerio angelico.

¶ AD quod videtur Aug. dicere. *Bestiæ, vel aues in suo genere obtemperant Deo:* non rationalis voluntatis arbitrio: sed sicut mouet ille omnia temporibus opportunis: non ipse temporaliter motus, per angelica ministeria, quæ capiunt in verbo eius, quid quo tempore fieri debeat: & illo intemporaliter moto, mouentur ipsa temporaliter: vt in his quæ sibi subiecta sunt, iussa eius efficiant. Omnis enim anima viua: non solum rationalis sicut in hominibus, verum etiam irrationalis, sicut in pecoribus & volatilibus; iussis mouetur: sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel cõsentit iussis, vel non cõsentit: irrationalis a. non hẽt hoc iudicium: pro suo tñ genere atq; natura aliquo tacta propellitur. ¶ SED secũdum hoc posset obijci de piscibus, qui similiter obediunt: quare ergo non dr, quod adduxit eosdem. Ad hoc dr, quod in hoc innuitur: quod quædam sunt animalia adducibilia ad hominem existentem super terrã: sicut sunt volatilia, & bestiæ terræ: quæ possunt viuere, & cõseruari in terra: quædã vero non, sicut pisces. Vnde ex hoc colligitur, quod hæc adductio fuit localis: non tantum spiritualis, vt præsentaretur intellectui suo: secundum hæc enim adductio posset fieri piscium, sicut bestiarum, aut volatiliũ: poterant enim cognitioni humanæ præsentari hæc, sicut illa.

August.

Quid est dictu, Omne, quod vocauit Adam nomen animæ viuentis; ipsum est nomen eius? §. iiij.

¶ ITEM quæritur de hoc, quod dicitur. *Omne, quod vocauit Adam nomen animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Non enim videtur hoc verum: immo multa est facta mutatio illorum nominum secũdum diuersitatem gentium: sicut apud nos apparet: quidam enim vno modo vocabulis proprijs designant, quidam vero alijs.

Qõ. lateralis. Genes. 1.

RESOLVTIO.

Ac si illud rerum verum nomen sit, quod Adam imposuit: & si subsecuta sit postea linguarum confusio. Vel hominum sicut animantia appellare libuerit: ita illa appellantur.

¶ AD quod vr respondere Aug. dicens: quod si modo facta sit mutatio apud eos, qui fuerunt in diuisione linguarũ; tamen in prima lingua, quæ fuit apud oẽs, hoc nomen potuit remansisse in ipso. Vel aliter dicendum: quod * Adam idem dicit quod homo; & secundum hoc est sensus. Sicut homo vocauit: sic est nomen animantis: vt notetur quod hominis est imponere nomina. Vnde August. *Si lingua humana consulantur: sic appellantur hæc omnia, quemadmodum eis homines loquendo nomina posuerunt, non solum hæc, quæ sunt in aquis & terris, verumetiam ipsa aqua & cælum & terra, & quæ videntur in cælo, & quæ non videntur, sed creduntur, pro diuersitate linguarum gentilium diuersis nominibus appellantur. Vnam sane linguam primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluuium fabricatæ, in diuersos signorum sonos hominum diuiderent societatem. Quæcunque autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere, illa tunc terra loquebatur & Adam, & in ea lingua, si adhuc vsque permanet, sunt voces articulatæ, quibus primus homo animalibus volatilibus, & terrestribus nomina imposuit.*

August.

* Adam hõ siue terrenus, rufus, vel sanguineus. Idem.

Cur non pariter & herbis siue arboribus imposuit tunc Adam nomina. §.

¶ POTEST etiam quæri, quare dixerit hæc nomina fuisse imposita viuenti: quare non herbis, & arboribus: cũ & hæc nomina habeant, & nominibus indiguerint ad signandum effectum & communicandum intellectum.

RESOLVTIO.

Quia terra infixa, non ad hominem tunc accedere potuere, sed successione temporis ad illa homo accessit & successiue nomina imposuit.

¶ RESPON. Videtur, quod licet his sint modo nomina imposita: non dr de illis: vt notetur quod non per se essent mobilia, vt se ei possent præsentare: sed radicibus terræ affixa; vnde per accessum hominis ad ipsa, successiue fiebat nominum impositio.

QVÆSTIO LIX.

De entitate, & quidditate Animæ.

In duo Membra diuisa.

ADiuuante gratia Iesu Christi, post considerationem spiritualis substantiæ scil. angeli; & corporalis, quæ per cælũ & terram designatur secundũ vnam expositionẽ.

D. Th. per q. 75. & deinceps. S. Bon. in 2. d. 18. art. 2. & d. 19. ar. 1. Sco ibid. d. 17. q. 1.

Procedendum est ad considerationem hominis: quæ est substantia composita ex spiritnali, siue intellectuali substãtia, scilicet anima, & corpore. Primo ergo dicendum est de anima: quia plus pertinet ad considerationem Theologicam: deinde de corpore aliqua sunt dicenda; quantum ad hoc quod subiacet eidem speculationi. Tertio de coniuncto. De anima vero prima cõsideratio respicit substantiam, siue essentiam eius. Secunda vires eius, & actus: hoc enim totum ad naturam animæ refertur.

¶ CIRCA substantiam autem animæ quadruplex est consideratio. Prima, an sit. Secunda, quid sit. Tertia, propter quid sit, vel fiat. Quarta, quid in sit, hoc est de entitate, quidditate, causalitate, essentiali proprietate, siue dispositione (Dico autem essentiale secundo modo, nõ primo: hoc enim refertur ad quidditatem, vel causalitatem) De primis duobus in hac Quæstione sub duobus Membris: de reliquis duobus in Quæstionibus sequentibus.

MEMBRVM I.

An anima rationalis sit.

QVOD autem sit anima rationalis, de qua principaliter mtendimas, scilicet anima hominis: accipitur ex actibus manifestis: actus enim præuij sunt secundum rationem potentijs, potentiæ vero ipsi essentiæ, Ratiocinari enim discernere verum à falso, & bonum à malo, artes inuenire, & interpretari, libere velle, & huiusmodi indicant aliquid esse principium in homine: quod non est in animantibus, vel vitam habentibus: Ligua etiam corporis indicium est: quod differens est forma, quæ perficit corpus humanum. Cum enim alia corpora animalium sint inclinata ad terram naturaliter: corpus humanum est naturaliter erectum ad cælum: ex quo indicatur principium formale esse intrinsecum: quod ad superiora & cælestia ordinatur: hoc autem est anima rationalis sola comparatione aliarum: ergo anima rationalis est. Ex ipsa etiam differentia membrorum hoc deprehenditur: ex lingua, quæ est instrumentum locutionis: manu, quæ est organum organorum, & huiusmodi. Vnde Greg. Naz. *Quod vero rectus est hominis habitus, & ad cælum sese sustollens, sursumq; respiciens: & hæc dona esse, certissimum est, approbantia regiam potestatem*: Denique quod solus ita formatus est; ceterorumq; omnium prona sunt corpora, & in deorsum procliuius inclinata, manifesta ra differentia honoris eius ostenditur: dum constat illa quidem huius esse subiecta potentiæ: hunc autem supereminentis existere dignitatis. Nam alijs quidem omnib. anteriora membra corporis, pedes sunt: in hominis autem conditione hæc membra manus effectæ sunt: quia rectitudini eius habitus eius vnus egressus videbatur esse sufficiens: qui geminis pedibus standi constantiam cauta prouisione firmaret; alias quoque ad vsum rationis officia manus aptata sunt: & si quis rationali naturæ ministerium manuum proprium quid esse dixerit, minime delinquit: nõ solum enim ad hoc quod commune, & promptum est intelligentiæ nostræ, respicio, quæ scilicet manus literis administratione signamus. Et quidem nec ista gratia rationalis impar est dignitatis, quod literis quidem loqui possumus, & manibus disputamus, in elemẽtorum figuris nostrum reponentes eloquium. Ex ipsa etiam distinctione corporis, secundum dexteram & sinistram, ante & retro, sursum & deorsum in corpore humano deprehenditur motor interior: qui est perfectio esse intellectualis: solum enim cælum & corpus humanum habet hanc dispositionem: vnde vtrunque corpus habet motorem intellectualem, siue rationalẽ. Ex ipsa etiam notitia naturali, quæ nihil nouit tantum, quantum Deum esse, & se (sicut dicit August.) colligitur ipsam esse.

Hic illud. Pronaque cũ spectẽt animantia cetera terram: Os homini sublime dedit &c.

Gregor. Naz.

Resolutio Animam rationalẽ esse, qui singulares hominum secundum rationem actus, qui figuram corporis, membrorum distinctionem, dispositionemque, & cætera huiusmodi studiose perpenderit, aptissime deprehenderit.

MEMBRVM II.

Quid sit anima rationalis?

QVo supposito, consequenter procedendum est ad quidditatem, siue diffinitionem. Sed quia diffinitionũ eius quædam pertinent ad aliam scientiam: quantum conueniunt huic scientiæ, differendum est. Diffinitur autem comparatione ad causam efficientem, cum dicitur. Anima est Deiforme spiraculum vitæ, & hoc accipitur ex eo quod dicitur, *Inspirauit in ipsum Deus spiraculum vitæ.* Diffinitur etiam in comparatione ad corpus, quod suscipit ipsam. Vnde Augustinus. *Anima est substantia quadam incorporea rationis particeps, regendo corpori accommodata.* Diffinitur etiam respectu vtriusque à Cassiod. cum dicitur. *Anima est substantia spiritalis, à Deo creata, propria sui corporis viuificatrix.* Diffinitur etiam in comparatione ad suum finem à Seneca, cum dicit. *Anima est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus.* Diffinitur etiam in comparatione ad vires, quibus agit in corpore, cum dicitur. *Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens, semper in motu bonæ maleq; voluntatis capax*: hæc autem diffinitio est in Lib. de Anima & spiritu, & consonat cum quadam ratione Iohan. Damas. qui hanc tangit. Diffinitur etiam secundum quandam conuenientiam eius ad omne; secundum quod dicitur. *Anima est omnium similitudo*, quam exponit August. in Lib. de Anima & spiritu, cum dicit. Habet enim vires, quibus omnia comprehendit, sine inuestigat: & omnib. similis existit cum sit vna: similis est terræ per sensum, aquę per imaginem, aeri per rationem, firmamento per intellectum: cælorum cælo per intelligentiam: similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum & imaginationem, hominibus per rationem, angelis per intellectum, Deo per intelligentiam. Diffinitur etiam inquantum est separabilis à corpore. *Anima est substantia spiritualis, simplex, & indissolubilis, * incorporea, passibilis.*

Genes. 2.

August. de anima & Spiritu

Cassiod.

Seneca.

In lib. de anima & Spirit u.

Aug. ibid.

* Alias, in corpore passibilis.

An recte definiatur anima, cum dicitur: Anima est Deiforme spiraculum vitæ. Vel cum dicitur: Anima est substantia quadam incorporea rationis particeps, regendo corpori accommodata. §. j.

¶ CIRCA istas diffinitiones posset objici ad explanationem earum; Anima est Deiforme, &c. nonne hoc totum posset conuenire angelo: Deiformis enim est; & spiratur à Deo secundum rationem vitæ.

Quæst. lateralis.

¶ AD quod dicendum, quod [*Deiforme*] dicitur ad differentiam animæ irrationalis: spiraculum vitæ, dicitur ad differentiam angeli. Angelus enim & si spiratur à Deo vt vita: non tamen est spiraculum vitæ corporis: & hoe modo intelligitur in diffinitione animæ: & distinguitur ab angelo.

¶ SIMILITER potest obijci contra illam diffinitionem, *Anima est substantia incorporea, &c.* Dicitur enim contrarium, vt videtur in Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. *Solus Deus est incorporeus: creaturas autem alias dicimus corporeas.*

Aug. in li. de Eccles. dogmat.

RESOLVTIO.

Vtranq; definitionem rite assignatam arbitramur, quippe quæ animæ rationalis essentiam accurate explicant, secernuntque à quibuscunque ipsa non sunt. In prima enim definitione [Deiforme] *secernit ab animalibus irrationalibus, spiraculum vitæ diuidit ab angelis. Aeque videre est & in secunda. Substantia, segregat ab accidentibus, incorporea, à corporibus, rationis particeps à brutis, regendo corpori accommodata, ab angelis.*

¶ RESPONSIO. Corporeum, dicitur dupliciter: vel absolute, vel ratione alicuius conditionis siue respectus. Si absolute, secundum hoe non est anima hominis: immo incorporea: dicitur tamen corporea: quia aliquam habet circumscriptionem, vel diffinitionem localem comparatione ad Deum: qui omnino incircumscriptus est. In hoc ergo, quod dr̃ [*substantia*] differt ab accidente. In hoc autem quod [*incorporea*] differt ab essentia corporis, quod habet trinam dimensionem. In hoc aũt quod est [*rationis particeps*] differt ab animali. In hoe aũt quod est [*regendo corpori accommodata*] differt ab angelo: qui dr̃ substantia incorporea, rationis particeps: non tñ regendo corpori accommodatur.

¶ SED objicitur, nonne cum angelus assumit corpus, regit illud: ergo accommodatur corpori regendo: ergo non differt secundum hanc rationem ab angelo. Respon. quod est regere corpus dupliciter: vel vt per illud moueatur: & sic ẽt conuenit angelo, vt regat corpus: vel vt per illud viuificetur: & sic cõuenit animæ: Ex hoe enim dicta est anima, quia corpus viuificat: non sic dicitur angelus.

¶ RESTAT ad explanationem ipsius diffinitionis ostendere animam esse substantiã, & incorpoream. Quod aũt sit substantia, nõ tñ vt forma substantialis, sed vt quid ens in se; præter hoc ꝗ est actus corporis, ostenditur. Oẽ .n. mouens

alterum

alterum per se, distinctum est per essentiam ab illo. Nam si non esset per essentiam distinctum: seipsum moueret: quod est impossibile: eo quod mouens est actu, mobile vero in potentia respectu ipsius. Restat ergo, quod mouens per se est distinctum per essentiam à mobili: sed anima mouet corpus: ergo est distincta per essentiam à corpore: ergo est substantia præter substantiam corporis.

¶ FORTE diceret aliquis, quod mouens non exigit distinctionem à moto secundum essentiam, sed qualem habet forma respectu materiæ. Contra forma nullum habet actum, nisi in materia, & mouens aliquem habet actum præter id, quod mouetur: ergo non est tantum forma materiæ: & hoc patet per exemplum. Igneitas enim non mouet materiam, cuius est actus: sed materiam aeris, vt extrahat in actu, quod fuit in potentia: eodem modo ponderosum quod mouetur, à remouente prohibens mouetur, & perducente ad suum locum. Restat ergo cum anima per se moueat corpus, quod erit aliquid præter hoc, quod est forma, siue actus corporis: ergo erit forma, siue actus corporis: ergo erit substantia simpliciter. ¶ ITEM, Anima se habet ad corpus, sicut nauta ad nauim: sed nauta secundum substantiam diuiditur à naui, cum moueat nauim, & secundum accidens mouetur: ergo anima secundum substantiam diuiditur à corpore: & si mouetur, secundum accidens mouetur: ergo anima est substantia præter corpus. ¶ ITEM, Forma, quæ solum est esse materiæ, in perficiendo totum, perficit omnes partes materiæ, & consimili ratione: vt est dicere, quælibet pars ignis est ignis: sed anima perficit totum, cuius est anima, non simili ratione: ergo non est tantum actus, vel esse materiæ. Quod autem non perficiat anima vnamquamque partem consimili ratione; patet per hoc, quod nulla pars animalis est animal: nam in anulosis corporibus (de quib. magis videtur) nulla illarum dicitur animal: licet quælibet per se habeat motum.

¶ QVOD autem sit incorporea, videtur: quia nulla forma corporea est in diuersis locis tota: sed anima simul est in diuersis partibus tota: ergo non est forma corporea, sed incorporea.

¶ PRÆTEREA, similitudines corporum, sunt in anima, & non dimensiue: si enim essent dimensiue; cum infinitæ possunt esse similitudines; omnino essent infinitæ dimẽsionis: non ergo sunt ibi dimensiue: ergo modo simplici: ergo necesse est ipsam esse incorpoream. ¶ ITEM, omne corporeum habet partem extra partem, sed anima in corpore non habet partem extra partem: ergo non est corporea: est ergo substantia incorporea.

An æque & illa definitio bona sit. Anima est substantia spiritalis, à Deo creata, propria substantia sui corporis viuificatrix. §. ij.

Qō. lateralis.

¶ ITEM obijcitur de diffinitione Cassiod. quod anima est substantia spiritalis, &c. Cum enim apponatur hæc differentia [*à Deo creata*] respectu alicuius debet facere differentiam: quæritur ergo, respectu cuius? cum quælibet forma creaturæ sit creata à Deo: secundum quendam modum; accipiendo creatũ: prout dicimus, quicquid est, vel est creator, vel creatura.

¶ PRÆTEREA, dicitur propria substantia sui corporis viuificatrix: ergo aliquam substantiam habet, à qua est vita corporis: & vita corporis est primus motus: potest ergo quæri, quis est ille actus, per quem discernimus vitam hominis à non viuente.

RESOLVTIO.

Et hæc bona est: siquidem illud [à Deo creata] *apponitur ne quis animam de Dei substantia esse credat: illud autem* [Propria substantia sui corporis viuificatrix] *additur, vt à non viuentibus secernatur.*

¶ AD primum dicendum, quod hæc differentia [*à Deo creata*] ponitur ad excludendum errorem illorum, qui dicebant animam esse de substantia Dei: & maxime de anima rationali. Cum enim inspirauit Deus spiraculum vitæ, & nõ de aliena substantia; cum nullius indigeret: sicut nos spiramus de substãtia aeris, inspirauit de substantia sua: ergo anima est de substantia Dei. Ad hunc ergo excludendum errorem (de quo infra dicetur) dicebatur anima à Deo esse creata: ita quod differentiam faceret respectu substantiæ de Deo genitæ, id est, filij; & de Deo procedentis, scil. spiritusS.

Qō. immediate sequenti Memb 1

¶ AD secundum dicendum, quod in hoc discernitur vitam habens à non viuente: quod motus vitalis est in contrarium motui naturæ: videmus enim quod secundum motum naturæ graue fertur deorsum, & leue sursum: sicut apparet in plantis, & quod igneum est, vt colera, fertur deorsum in animalibus, cum nutriatur simile simili. Item, motu naturali, fertur aliquid sursum, vel deorsum, vel orbiculariter: sed motu animali fertur in ante & retro, vel dextrorsum vel sinistrorsum, sicut in animalibus: ergo discernitur motus vitalis à naturali. Item, secundum intellectum fit abstractio speciei à materia, vel subiecto: secundum naturam vero non: ergo differentia est inter esse vitale, & naturale: & ideo dicitur propria substantia sui corporis viuificatrix.

An item definitio illa animæ recta sit. Anima est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus. §. iij.

Quæst lateralis.

¶ ITEM illa diffinitio, cum dicitur Anima est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se & in corpore ordinatus: sic explanatur. Primo ostenditur, quod non est diffinitio conuepiens omni animæ: non enim animæ brutali. Secundo quod supernacuum videtur, quod sequitur, quod in corpore ordinata sit ad beatitudinem: beatitudo enim est gaudium de veritate summa: ad gaudium autem de veritate summa non ordinatur ratione corporis: ergo non ordinatur ad beatitudinem. ¶ PRÆTEREA, si ponitur in diffinitione, ad differentiam alicuius ponitur: quæritur ergo cuius?

RESOLVTIO.

Rectissima: modo rationalis tantum anima propria intelligatur.

¶ AD PRIMVM dicendum, quod diffinitio est propria animæ rationalis: de qua nos hic intendimus: & licet quædam aliæ diffinitiones conueniant animæ sensibili, vel vegetabili: magis tamen proprie conueniunt rationali.

¶ AD secundum dicendum, quod beatitudo dicitur dupliciter. Vno modo gaudium de summa veritate; siue de veris & certis bonis gaudere: & sic conuenit tantum animæ. Alio modo (sicut dicit Anselm.) beatitudinis partes sunt, & ea quæ pertinent ad perfectionem animæ: & ea quæ pertinent ad perfectionem corporis: & secundum hoc potest accipi quod dicitur in diffinitione suprapolita. Vel potest dici quod anima ordinatur in se, & in corpore: vt notetur qualiter habet anima primam stolam, & secundam: quarum vtraque est ordinata ad beatitudinem: primam habet ratione sui: secundam habet in corpore. Et dicendum, quod hæc differentia [*in corpore*] distinguit inter animam rationalem, & angelum: angelus enim est spiritus in se ordinatus ad beatitudinem: anima vero est spiritus in se, & in corpore ad beatitudinem ordinatus.

An pariter & hæc congrua sit, Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens, semper in motu: bona, malaque voluntatis capax. §. iiij.

Quæst. lateralis. Aug. in de anim & Spiritu

¶ DEINDE quæritur ratione consequentis diffinitionis in Lib. de Anima & spiritu. *Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens, semper in motu, bona & mala voluntatis capax.* Potest enim quæri, cum hæc differentia [*intellectualis*] sit apposita: ad quid apponitur, quod dicitur, rationalis.

¶ PRÆTEREA, semper viuens, videtur communior esse differentia, quam intellectualis: ergo præponenda esset. ¶ PRÆTEREA, quid est dictu, quod semper est in motu? Potest ergo quæri, de quo motu intelligatur? Nõ enim semper est in motu locali, & ita de alijs motibus: non ergo bene dicitur semper in motu. ¶ PRÆTEREA, si motus eius dicitur voluntas, illa differentia intelligitur per hoc, quod dicitur, bonæ malæque voluntatis capax.

RESOLVTIO.

Duæ priores differentiæ, intellectualis scil. & rationalis cognitioni accommodentur: tres posteriores sc. semper viuens, semper in motu, bona malaque voluntatis capax, motui; & optima apparebit.

¶ AD primum respondetur, quod duæ differentiæ pertinente ad

tinent ad cognitionem, & tres pertinent ad motum. Ad cognitionem enim pertinent hæ duæ differentiæ: intellectualis, & rationalis: sed intellectualis communis est angelo: rationalis vero (proprie dicta) est propria animæ humanæ, secundum quod rationis est ratiocinatio. Ex altera vero parte sunt tres differentiæ: quarum prima dicit continuam influentiam ad mouendum à primo, scilicet Deo: secunda vero continuam motionem naturæ: tertia motionem voluntatis. Vel prima, & secunda pertinent ad esse: tertia vero ad bene esse: quæ vero est ad esse, est sub duabus differentijs. Nam prima quantum ad esse proprium: secunda quantum ad hoc, quod potest influere super corpus: licet non semper influat ratione corruptibilitatis in corpore. Vnde semper in motu dicitur: non quia semper moueat corpus, propter corporis defectum, sed quia semper moueret, si corpus sibi semper coniunctum esset.

An & illa recta sit, Anima est omnium similitudo? §. v.

Quæst. lateralis. ¶ DEINDE quæritur de hac diffinitione. Anima est omnium similitudo. Aut enim hoc intelligitur secundum esse: aut secundum cognitionem. Si secundum cognitionem, secundum quod cognoscens speciem omnium habere potest, secundum hoc angelus est omnium similitudo: potest enim habere omnium species: & ita per hoc assimilari. Si vero dicitur secundum esse: tunc diceretur anima, omnis creatura: quemadmodum dicitur de homine in Euangelio.

Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: quod non inuenimus.

¶ PRÆTEREA, haberet tunc conuenientiam in genere cum omnibus: & ita cum corporeis substantijs.

RESOLVTIO.

Adhuc & hæc recta est: quippe cum anima aut secundum esse, aut secundum cognitionem cum omnibus quodammodo conueniat, puta cum inanimatis in vita, cum sensibilibus in sensu, cum angelis in intellectu, denique cum Deo in intelligentia.

¶ AD quod dicendum, quod dicitur omnium similitudo (sicut exponit) propter vtrunque. Nam quod dicitur, similis est per essentiam lapidibus &c. hoc refertur ad conuenientiam in esse: quod autem præmittitur, quod habet vires, quibus omnia apprehendit: hoc pertinet ad assimilationem secundum cognitionem: Nec simile est de Angelo: quia angelus non cognoscit omnia, nisi intelligibiliter: anima vero cognoscit sensibilia sensibiliter, intelligibilia intelligibiliter.

¶ AD aliud dicendum est, quod licet habeat conuenientiam cum omnibus in genere; non tamen in omnibus: conuenit enim cum substantijs corporeis inanimatis in esse, licet non in corporeitate: cum animatis in vita: cum sensibilibus in sensu: & ex parte incorporeatum, cum angelis in intellectu: cum Deo (siue dicatur substantia, siue supra substantiam secundum Dionys.) in intelligentia. Nec oportet propter hoc quod dicatur omnis creatura, sicut homo: quia homo habet, per quod conuenit cum incorporeis ratione animæ: cum corporeis ratione corporis: quod non habet anima.

An item & illa congrua diffinitio sit, Anima est substantia spiritalis, simplex, & indissolubilis, in corpore passibilis atque mutabilis? §. vj.

Quæst. lateralis. ¶ DIFFINITVR iterum anima, quod est substantia spiritalis, simplex, & indissolubilis, incorporea, passibilis, atque mutabilis. Ratione cuius obijcitur, ad quid ponuntur tot differentiæ. Nam per hoc quod dicitur [*spiritalis*] videtur dari intellectum, simplicis.

¶ PRÆTEREA: incorporea est de primis differentijs: quare hic ponitur de vltimis. ¶ ITEM, passibilis, non videtur esse differentia: cum hoc non conueniat animæ glorificatæ. quæ impassibilitatem habebit. ¶ SIMILITER, indissolubilis, non videtur esse differentia: cum dissolubilitas conueniat omni creaturæ.

* *
*

RESOLVTIO.

Congrua profecto, siquidem animæ substantiam mediam esse inter superiores & inferiores substantias explicat. Quare ratione quidem superiorum dicitur, incorporea passibilis, & mutabilis: ratione vero inferiorum dicitur, spiritalis, simplex indissolubilis.

¶ RESPONDEO. quod anima humana in medio est, substantiæ, scilicet superioris angelicæ, & inferiorum substantiarum. Respectu ergo inferiorum substantiarum ponitur illud, quod dicitur [*anima est substantia spiritualis &c.*] respectu vero superiorum dicitur] *incorporea, passibilis, atque mutabilis*] Nam in hoc quod dicitur [*spiritalis*] separatur à corpulenta, quæ est inferior. In hoc autem quod dicitur [*simplex*] separatur à substantia spiritali, quæ est cōposita: sicut est spiritus: qui dicitur naturalis aut vitalis in corpore: Per hoc autem quod dicitur [*indissolubilis*] separatur à vegetabili in plantis, & sensibili in brutis: quarum vtraque est substantia spiritualis, simplex: sed est dissolubilis. Ex alia parte [*incorporea*] est communis differentia animæ & angelorum: sed [*passibile*] separat: licet enim aliquo modo mali angeli possint pati: & boni de natura poterant mutari: tamen non habent angeli hanc passibilitatem, vt corpore patiente compatiantur, vel simul transmutentur: Et hoc est, de quo loquitur hic, de hac passibilitate & mutabilitate in ordine ad corpus proprium.

¶ PER hoc patet, qualiter respondendum est ad obiectum primo. Nam si [*spirituale*] coartaretur ad spiritus incorporeos: simplicitatem quandam importaret: sed hic accipitur communiter: vnde [*simplex*] in illo genere superaddit.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de hac differentia [*incorporea*] Dicendum, quod licet prima sit, ponendo anima in genere, & diffiniendo per differentias specificas: non tamen est pro prima in hac diffinitione, in qua ostenditur, qualiter est inuariabilis anima, & qualiter variabilis.

¶ AD tertium dicendum, quod [*passibile*] accipitur ex natura ordinata ad corpus: & mutabile similiter: passibile autem in dæmonibus est in pœnam: impassibile autem quod conuenit animæ glorificatæ, est ex gratia.

¶ AD quartum dicendum, quod licet anima, vt est creatura, possit desinere esse, si sibi relinqueretur: tamen indissolubilis est: quia non habet vnde dissoluatur: quia est separabilis à corpore: quod non * fuit in vegetabili plantarum, & sensibili brutorum. Et ratio huius est: quia anima ordinata est ad summam immortalitatem, scilicet Deum: aliæ vero ordinatæ sunt ad corpus mortale, inquantum huiusmodi, siue corruptibile. * Alias sit

QVÆSTIO LX.

De causa materiali animæ.

In tria Membra & in quinque Articulos diuisa.

VISA quidditate animæ, secundum quod pertinet ad speculationem Theologicam: sequitur de causalitate ipsius. Et primo de causalitate materiali quo ad fieri: & etiam quo ad esse. Deinde de causa formali. Tertio de efficiente. Quarto de finali. Tunc enim dicimus scire vnumquodque cum causas eius cognoscimus. D. Thom. 1 part. q. 90. S. Bon. in 2. d. 17. art. 1. ex Sco. ibid. q. 1.

¶ QVANTVM autem ad fieri. Primo ostendendum est, quod non sit de diuina substantia: sicut quidam hæretici somniauerunt. Secundo, quod non est de materia spirituali. Tertio, quod non est de materia corporali: sicut quidam philosophi posuerunt, à veritate aberrantes: sed est creata à Deo: sicut supra habitum est.

MEMBRVM I.

An anima humana fit de Dei substantia, sicut de materia?

AD PRIMVM: quod non sit, vel fiat de diei substantia, vel de Deo: ostenditur. Si esset de substantia Dei, substantia Dei vel esset ipsa anima, vel pars animæ: ita quod anima de substantia Dei produceretur. Si vero substantia Dei anima esset; non esset anima mutabilis à bonitate in malitiam, à veritate in errorem, à gaudio ad tristitiam: substantia

Aug. huiusce sententiæ Manichæos fuisse testatur. Vide lib. 2. de erroribus Manich. c. 19 circa finem. Tom. 1. Et lib. 2. de Gen. contra Mani c. 8. circa medium. Tom. 1. Et epist. 28 paulo post initiū Tom. 2. & li. 7. super Gen. ad litteram c. 2 & 11. & lib. de spiritu & anima c. 40. Tom. 3. & Lib. de essentia diuinitatis circa fi. Tom. 4. vbi & Priscillianistas idem censisse commemorat: & alibi pluries.

enim Dei incommutabilis est, sicut communis animi conceptio docet. Præterea diceretur tunc, quod anima esset id ipsum quod Deus, & ita vna quæque anima, & ita vna anima esset id ipsum quod alia: quæ omnino absurda sunt. Si verò substantia Dei esset sicut materia animæ, & alterum esset forma, cum forma sit nobilior materia, esset aliquid dignius Deo. Quod cum sit impossibile: necesse est Dei substantiam non esse sicut materiam respectu creaturæ: vnde non est de substantia Dei, vt de materia. ¶ Præterea, secundum materiam fit rei transmutatio, si est in re mutabilitas: sed secundum substantiam Dei non est transmutatio, siue in substantia Dei: ergo non est Dei substantia materia respectu animæ: ergo non est de substantia Dei. ¶ ITEM, non est anima genita de Deo, vel procedens sicut spiritus sanctus: sic enim esset ipsum quod Deus: ergo est creata à Deo, vel facta, sed dicit Aug. ad Petrum de fide: *non enim naturæ possunt esse, qui fecit & factum* non ergo anima est de substantia Dei, siue de Deo, sed à Deo. ¶ IN contrarium obijciunt quidam hæretici sic. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in eum spiraculum vitæ:* sed spiraculum vitæ non est nisi anima: ergo inspirauit animam: ergo anima est spiritus, vel flatus Dei: sed spiritus Dei non est nisi de Deo, ergo anima est de Deo.

¶ PRÆTEREA, Ioh. vlt. *Insufflauit in eos dicens, Accipite spiritum &c.* nihil aliud autem est spiritus, quem sufflauit, nisi spiritus procedens de substantia Dei, sci. patris & filij: ergo pari ratione cum dicitur, *Inspirauit &c.* dicitur flatus ille de substantia Dei.

¶ PRÆTEREA, non indiget Deus extrinseco ad hoc, quod insufflet, vel inspiret: sicut homo vel anima indiget elemento corporis supposito. Si autem non indigeret anima aliquo extrinseco ad spirandum, diceretur spirare de seipsa: ergo pari ratione, imo multo excellentiori, si Deus non indiget alio extra se ad spirandum flatum in corpus, erit spiritus ille vel flatus de Deo, vel de substantia Dei. ¶ ITEM, lumen est de lumine sine diminutione lucis, à quo est: vel ex parte formæ vel materiæ, & ita sine omni diminutione nec tamen hoc lumen est illud: ergo cū diuina virtus multo magis sit potens, quam virtus luminis: ergo multo fortius de Deo potest esse aliquis spiritus, qui non est eiusdem substantiæ cum Deo, sine aliqua mutatione ex parte Dei. ¶ ITEM, in genere corporeorum est accipere aliquid primum materiale: ergo in genere incorporeorum videtur, quod possit accipi aliquod primum immateriale: sed si hoc est, cum incorporeum non sit materiale corporeum, necesse est esse in corporeum, & quod est primum materiale est primum in illo genere: ergo illud erit primum genere incorporeorum: ergo vel creatum, vel increatum: sed creatum non potest esse, cum de illo similiter possit quæri: ergo necesse est esse increatum: ergo Deum: ergo de Deo est anima, & aliæ incorporeæ substantiæ. Et ita fuit vna hæresis, quæ dicebat, quod quemadmodum hyle fuit materia corporum: ita Deus fuit materia animarum.

Gen. 1.

RESOLVTIO.

Anima (testimonio sanctorum) non de Dei substantia educta est, sed à Deo ex nihilo creata.

¶ AD quod dicendum, quod anima non est de Deo: sed est creata de nihilo: sicut habetur ab Aug. & alijs sanctis in pluribus locis sacræ scripturæ. Quod autem sit à Deo facta, habetur per hoc, quod dicitur. *Reuertatur puluis in terram, de qua sumptus est, & spiritus ad Deum, qui dedit illum, vel fecit:* secundum aliam litteram. Quod autem sit ex nihilo, euidentibus rationibus colligetur infra.

Eccl vlt.

¶ AD ea verò, quæ obiecta sunt. Respondetur, quod licet insufflatio illa spiritualis sit de Deo, quâ filius Dei insufflauit in spiritum sanctum, quia flare spiritum sanctum, est spirare ipsum, cum signo tamen aliquo, qui flatus potuit dici corporalis, & corporaliter procedens ab ore Christi hominis: tamen cum dicitur in Gen. quod Deus *insufflauit* secundum litteram 70. vel *inspirauit*: non est intelligendum quod sit flatus aliquis corporalis: sed nec spiritualis, qui sit de Deo, vel de Dei substantia, sed à Deo de nihilo. Hic enim loquitur de spiritu rationali creato: ibi verò de spiritu æterno, increato, procedente inuisibiliter in corda fidelium: licet aliquando esset signum aliquod ad ostensionem.

Memb. & quæstio immediate seq.

Gen. 2.

¶ AD secundum dicendum, quod licet Deus non indigeat aliquo extra se ad insufflandum, vel ad inspirandum: sicut anima, quæ indiget elemento supposito: tamen non de se est ille flatus, sed de nihilo factus, & ideo dicitur. *Omnem flatum ego feci:* &, *Hæc dicit Dominus creans cælos, & extendens eos, firmans terram, & dans flatum populo, qui est super terram, & spiritum omnibus calcantibus super eam:* Ex quibus colligitur, quod anima est spiritus, vel flatus à Deo creatus, vel factus, non de ipso existens.

Esaiæ 57. Eiusd. 24.

¶ AD illud verò, quod obijcitur: quod lumen de lumine est sine diminutione subiecti, à quo est, & ita possit anima esse de Deo, vel Dei substantia. Dicendum, quod illa multiplicatio locum habet in formis habentibus communem materiam, quæ in hoc habent quandam virtutem spiritualem, vt possint se multiplicare: & vnum non erit alterum, vbi verò non est communis materia, nullatenus poterit esse multiplicatio, vel pluralitas: ità quod vnum non sit id, quod alterum: Vnde enim veniret pluralitas substantiæ? non ab ipsa forma, quæ vna est: nec ab ipsa materia est, cum nulla sit: & ideo de Dei substantia non potest esse, nisi quod Deus est: filius enim Dei Deus est, & spiritus sanctus est de Deo, & est Deus.

¶ AD vltimum vero dicendum, quod licet reducantur omnia corporalia ad materiam: sicut habetur in expositione eius quod dicitur. *In principio creauit Deus cælum & terram, &c.* non tamen sic est in spiritualibus, & incorporeis substantijs: vt ad vnam reducantur materiam: sed vel non reducuntur ad materiam: vel distinguuntur in materiebus: Et in hoc decepti erant illi hæretici: qui vnam ponebant communem materiam spirituum: eo enim quod corporeitas remouetur à spiritibus eò remouetur continuitas, & per consequens inest discretio, ergo nec est vnitas materiæ, neque enim est vnitas materiæ, vt sic fiat vnum ex altero. Restat ergo, quod non est communis vna materia in spiritibus: sicut hæretici posuerunt, tendentes ad hoc, quod omnia essent vnum.

Gen. 1.

¶ Sed adhuc obijciunt hæretici sic: constat quod anima est ad imaginem Dei, sicut imago: & non sicut hæc figura est imago Herculis: ergo eo modo quo imago dicitur secundum Philosophum, cuius generatio est per imitationem: sed in generatione generatum est de substantia generantis: ergo anima est de substantia Dei. Ad quod respondetur per hoc, quod dicit Aug. quod aliter est imago tua in filio tuo, aliter in speculo. In speculo autem imago tua non est illud quod tu. In filio verò est imago tua secundum æqualitatem substantiæ. In speculo autem quantum longe est à substantia tua, & tamen est imago tua: quamuis non talis, sicut in filio tuo secundum substantiam. Sic in creatura non est nec imago Dei, quæ est in filio: quia hæc est quod pater. i. e. verbum Dei, per quod facta sunt omnia. Sicut enim in nummo aliter est imago imperatoris, & aliter est in filio, sic & tu nummus Dei es: ex hoc melior: quia cum intellectu & cum quadam vita nummus Dei es, vt scientias etiam: cuius imaginem geras, & ad cuius imaginem factus sis: nam nummus nescit se habere imaginem Imperatoris.

Obiectio.

Aug. in lib de decem cordis. Cap. 8. circa mediū. Tom. 9.

MEMBRVM II.

An animæ materiam spiritualem habeant, ex qua fiant.

SVPPOSITO ergo, quod animæ non sunt de substantia Dei, quæritur: si animæ habeant materiam spiritualem, ex qua fiant. ¶ Et primo quæritur de anima Adæ: vtrum habuit materiam spiritualem, ex qua fieret. Secundo de anima Euæ, vtrum fuerit creata in opere sextæ diei. Tertiò de animabus * alijs in principali Membro huius Quæstionis.

*Aliàs, paruulorum.

ARTICVLVS I.

An anima Adæ materiam spiritualem habuerit, ex qua fieret?

AD primum, quo quæritur, Vtrum anima Adæ habuit materiam spiritualem, ex qua facta sit: Videtur, cum enim anima creando infundatur, & infundendo creetur: corpus autem Adæ non fuit formatum, vt videtur, nisi post opera sex dierum: sicut apparet ex textu Gen. *Formauit hominem de limo terræ:* ergo nec anima Adæ creata fuit prius:

Gen. 2.

ergo si creata fuit in operibus sex dierum, eo quod Deus quieuit ab omni opere suo, quo ad genera, & species condendas, & quo ad materiam: oportuit quod anima Adæ condita esset in operibus sex dierum, vel ratione sui generis, vel speciei, vel ratione materiæ suæ: sed non ratione generis tantum, non enim dicitur creatum genus sine specie, nec species sine aliquo indiuiduo: Quod si diceretur, quod omnia iam creata erant, & ita genus: constat, quod non propter hoc condita erat ratio multiplicandi, nisi in rebus sui generis: similiter nec omnia bruta potestatem multiplicandi habent, nisi in rebus sui generis. Restat ergo, quod non dicitur anima humana creata propter creationem generis animæ in plantis, vel in brutis: ergo oportuit quod aliqua ratio animæ humanæ condita esset: vel materia: quod si nulla ratio condita erat (non enim propter rationem angeli dicta est anima in sua ratione creari: secundum hoc enim haberet anima humana secundum esse suum dependentiam ab angelo) restat ergo quod anima humana non est condita vel creata inter opera sex dierum, nisi ratione materiæ spiritualis: ergo cum post facta sit, facta est ex illa materia.

¶ Præterea, hoc videtur per simile: quia dicitur qd omnia corporalia condita erant in operibus sex dierum in sua materia: ergo pari ratione anima, cum non sit omnino simplex, condita fuit in sua materia: illa autem non est nisi spiritualis, ergo in materia spirituali.

¶ Contra obijcit Aug. *Si illa materia spiritualis erat, aliquando fuit in sua forma, cum esset incorporea, aut erat cum ratione, aut sine. Si sine ratione, ergo irrationalis, ex irrationali ergo facta est anima rationalis, quod absurdum est. Si vero erat cum ratione, iam formam habeat complentem, ergo non fiebat anima humana ex ipsa.*

¶ Præterea, aliæ res non tantum erant conditæ in materia, sed in ratione formali. (In hoc enim distinguitur facere à creare) ergo anima humana condita est in ratione formali in opere sextæ diei: sed non est ratio formalis, nisi ipsa sit in sua forma condita, ergo anima Adæ fuit in sua forma condita: non ergo facta est ex materia.

RESOLVTIO.

Anima Adæ ex nulla præiacenti materia spirituali facta est, sed in sua forma condita.

¶ Ad primum dicendum, quod anima Adæ, quæ fuit prima anima, condita fuit in opere sextæ diei simpliciter perfecta. Vnde dicendum non est, quod tunc secundum materiam spiritualem fuit condita: nec secundum rationem generis animæ in plantis, vel animantibus: nec secundum similitudinem in angelis: eo quod vtrobique est ratio spiritualis.

¶ Ad hoc quod obijcitur, quod creata fuit post opus sex dierum: sicut videtur ex superficie litteræ, cum dicitur, Inspirauit in faciem eius &c. Respondetur, quod non per hoc voluit intelligere, quod tunc primo esset anima condita: Gen. 1. cum prius dixerit, *Creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam*, & hoc est secundum animam. Non enim si materia animæ creata diceretur, propter hoc conuenienter dici posset, quod anima creata est ad imaginem: nam imago attenditur secundum formam. Si verò attenditur, quod anima creando infunditur &c. (Instantia.) Dicendum est altero duorum modorum, vel quod anima humana prius est condita, & tunc est coniuncta sicut forma separabilis cum sua materia: cum dictum est, Inspirauit &c. & tunc differentia esset in parte inter animam Adæ & animas nostras quo ad hoc, qd nostræ creando infunduntur.

Obiectio. Et si quæratur, quare anima humana sic creata esset, & post coniuncta, non autem ita dicatur de animabus brutorum. Respondetur, quod per hoc voluit Deus designare differentiam animæ humanæ ad alias, quod ipsa est separabilis tanquam habens modum existendi per se: aliæ autem animæ non habent. Vel potius dicendum est, quod sicut anima nostra creando infunditur, ita fuit de anima Adę. Vt in opere sextæ diei formatus est homo de limo terrę, & condita est anima, & creando infusa.

¶ Si autem quæratur, ad quid tunc faciat mentionem post opera sex dierum. Responderi potest, quod expressio facta est, ne crederetur sic esse creatum hominem, sicut animalia, vt non haberet anima esse suum aliquo modo præter corpus: quemadmodum nec habet anima bruti. Præterea, vt ostenderetur per recapitulationem, quod de homine specialiter erat sermo, & de alijs propter ipsum, vt expressione facta, notaretur quod homo factus est de limo terræ extra paradisum, & positus sit in delitijs paradisi ad operandum & custodiendum. In his autem omnibus nihil temere asserendum est, sed probabiliter secundum rationem scripturarum dicendum.

ARTICVLVS II.

An anima Euæ fuerit creata in opere sextæ diei.

AD secundum quæritur de anima Euæ, Vtrum fuerit creata in opere sextæ diei? Quod videtur per hoc, qd dicitur. *Creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam, masculum & fœminam creauit eos*: ergo non tantum conditus est Adam, sed & Eua. Si verò Eua creata est, hoc non est nisi secundum animam: secundum enim corpus qualiter posset intelligi, vt simul fierent Adam & Eua secundum corpus, cum vnum corpus, sc. Euæ, esset de costa Adæ? Si enim erat de costa formatum, tunc costa præcedit: quare Adam ante Euam est formatus: non ergo simul secundum corpus: ergo si erat ibi simultas, quod videtur per hoc quod sub quadam indistinctione dicitur, erat anima Euæ condita in opere sextæ diei. (D Tho. 1. p. q. 112. art. 1. Gen. 1.)

¶ Contra, per supradictam rationem, Anima creando infunditur &c. ergo cum corpus Euæ sit de costa Adæ, necesse fuit, vt anima Euæ posterius esset condita: ergo si corpus Euæ formatum est post opera sex dierum: ergo & anima eius creata est post opera sex dierum. (Artic. immediate præced.)

RESOLVTIO.

Sicut Adam secundum animam & corpus sexto die factus est, ita & Eua. At non simul in parte indiuisibili eius diei: cum huius corpus de illius latere congestum sit.

¶ Respondeo: quod si secundum rationem maris & fœminę factus est homo in operibus sex dierum, non tantum Adam factus est secundum animam & corpus, sed & Eua similiter in opere sextæ diei: sed non simul in parte indiuisibili diei illius: vt non sit contrarium, quod dicitur cõsequenter, quod Eua formata est de latere viri: & quod dicitur in Ecclesiastico. *Ex ipso creauit adiutorium sibi*: (Eccles. Cap. 36.) & sic omnia illa dicerentur per recapitulationem quandam, vt maior fieret expressio. Cum enim fecit herbas & plantas in opere tertiæ diei, nonne tunc & ligna paradisi: ergo pari ratione de alijs. Vel potest dici, quod Adam factus fuit in operibus sextæ diei: tamen secundum corpus: quia Adam fuit ratio condendi humani generis: de latere enim eius facta est Eua: de ipso autem & Eua humanum genus, & ita fuit principium humani generis: propter hoc potuit includi in illis operibus, à quibus Deus requieuit condendo rationes rerum. Et secundum hoc respondendum esset ad hoc, qd dicitur, *Masculum & fœminam fecit eos*. i. secundum corpus Adæ materialiter: ex quo post formauit corpus Euæ. (Gen. 1.) Vel fecit hominem ad hoc, vt esset masculus & fœmina: & per illa genus humanum multiplicaretur. ¶ Aliqui dicebant, quod anima vtriusque erat in opere sextæ diei, vt esset sensus. Masculum & fœminam fecit eos. i. animas condidit ad imaginem suam, tam maris quam fœminæ: corpora verò post formata, sicut recitat scriptura.

¶ Sed tunc quæritur, quare non dictum est de Eua, sicut de Adam: de Adam enim dicitur, quod formauit hominẽ de limo terræ, & inspirauit &c. de Eua verò nihil dicitur quo ad coniunctionem animæ cum corpore. Si verò anima Euæ esset per se primo creata, & post suo corpori coniuncta, videretur similiter dicendum: non autem similiter est dictum: aliter ergo videtur ratio ex parte Euæ, & ex parte Adæ. Mihi verisimilius videtur secundum primum modum dicendum: saluo tamen iudicio melioris sententiæ.



MEMBRVM III.

Si aliæ animæ ab humana materiam habeant, de qua fiant?

AD membrum tertium huius Quæstionis, vbi agitur de animabus alijs: si habeant materiam corporalem, de qua fiant. ¶ Circa hoc quæritur primo de animabus vegetabilibus in plantis. Secundo de animabus sensitiuis in animalibus. Tertio & principaliter de animabus rationalibus. Fuerunt enim quidam qui dixerunt animam esse ex anima, sicut corpus ex corpore: & hoc extendebant ad animam rationalem: sed de alijs dicetur prius.

ARTICVLVS I.

An anima vegetabilis ex anima vegetabili sit.

QVOD autem anima sit ex anima, videtur tum in plantis tum in quibusdam animalibus. Cum enim descinditur planta à planta, siue ab arbore, corpus decisum non est sine anima: sicut ergo pars corporis descinditur à toto corpore, ita anima partis corporis erit ex anima totius corporis.

¶ PRÆTEREA, si totum corpus arboris fuit animatum, anima est per totum corpus, sicut forma impressa: sed forma impressa recipit diuisionem secundum diuisionem corporis: ergo anima erit ex anima. ¶ Præterea, supposito quod anima non diuidatur per partes, erit in qualibet parte, facta ergo decisione, erit tota in parte decisa, & tota in eo, à quo fit decisio, siue separatio: cum ergo pars decisa non sit animata, nisi per hoc quod fuit in corpore tota, erit anima partis, originem sumens ab anima totius.

¶ PRÆTEREA, in rebus, quæ fiunt secundum naturam, cum ignis est ex igne, dicimus formam in generato igne esse ex forma gignentis: natura enim est principium ex similib* similia producendi: ergo à simili cum hæc productio sit secundum naturam, dicetur anima ex anima esse.

¶ CONTRA, arguitur, quod anima non est ex anima, sed tantum animatum ex animato: & primo probatur, quod anima non diuiditur per diuisionem corporis, nec per seipsam. Solum enim illud, quod habet partem extra partem, diuidi potest, ergo quod non habet partem extra partem, nec per se, nec per accidens, non potest diuidi, nec per se, nec per accidens: sed anima est huiusmodi, cum sit substantia in corporea, ergo non potest diuidi, nec per se, nec p accidens: sed anima est huiusmodi, cum sit substantia incorporea: ergo non potest diuidi, nec per se, nec per accidens.

¶ Forte diceret aliquis, quod habet partem secundum accidens: cum sit actus corporis, inseparabilis à corpore. Contra, cum sit actus corporis, non est in singulis partibus secundum diuersas partes substantiæ suæ: sed totaliter secundum sui substantiam, quia tota est in qualibet parte sui: ergo non diuiditur secundum partes per accidens, eo quod est actus corporis: cum ergo anima non diuidatur per se, vel per accidens in partes, non est sui multiplicatiua: ergo anima non erit ex anima.

¶ PRÆTEREA, in anguilla, & huiusmodi corporibus cum diuiduntur, non dicitur anima esse ex anima, sed compositum, quod est diuisibile in potentia, est diuisum actu: ergo cum totum esset animatum, antequam descinderetur non est ibi nisi multiplicatio actu eius, quod fuit prius in potentia, & non est anima ex anima. ¶ ITEM, anima erat vna secundum substantiam in capite anguillæ, & in cauda: similiter in principali parte plantæ, & secundaria: ergo cum diuisa est cauda à capite, nec noua substantia animæ ibi fiat, necesse erit, quod vna substantia animæ sit in cauda decisa, & in capite, à quo separatur: ergo non dicetur quod anima sit ex anima, sed vna multæ: quia est in diuersis substantijs: nunquid similiter est, quod vnum generatur ex altero, vt planta ex planta, & animal ex animali?



RESOLVTIO.

Tametsi vegetabilia, & aliqua ex animantibus in plures partes animatas diuidantur, non tamen ob id in eis animam ex anima, vel animatum ex animato esse, sed quod in potentia multa erat, actu multa factum est, siue quod anima vna, multorum, vel multa per accidens facta est.

¶ AD quod dicendum est, quod diuisio corporis animati in partes actu separatas animatas non facit, quod anima sit ex anima: nec quod vnum animatum sit ex altero, vel de alio, sed quod est multa in potentia: iam est multa in actu, & anima vna est multorum, & multæ per accidens: sicut in diuisione anguillæ contingit, & in corporibus anulosis. Sed secus est in his, quæ fiunt per generationem: ibi enim est dicere, quod animatum ex animato est, & multæ sunt animæ secundum illud, quod sunt, & secundum illud quod sunt actus, quia animatum potestatem habet multiplicandi in multiplicatione sui susceptibilis naturaliter. Differt autem in parte hæc multiplicatio ab illa, quæ est in formis corporalibus, vt igneitate: quia ibi forma sequitur diuisionem materiæ vtroque modo, vt possit per se subsistere: hic autem non nisi vno modo, vt simpliciter subsistat: non enim cauda potest per se subsistere in* animatione, licet ad horam: ignis verò diuisus per se potest subsistere. *Alias, animationibus neq. ad horam.

¶ PRÆTEREA, igneitas partē habet extra partem in igne: vnde & maior dicitur in maiori igne, & minor in minori: anima verò non sic, neque enim habet partem extra partem: neque est maior in maiori, neque minor in minori. In hoc autem est conuenientia, quod vtrobique est similium de similibus productio: vnde animatum dicitur ex animato: anima verò ex anima non ita propriè dicitur, quod si diceretur in plantis, & quibusdam animalibus, non tamen diceretur in omnibus: nullatenus autem in homine, sicut infra ostendetur &c. Artic. 3. immediate sequen.

ARTICVLVS II.

An animæ animalium ex putredine generatorum ex animabus sint?

SECVNDO procedendum est ad inquisitionem originis animæ in animalibus, quæ fiunt ex putrefactione, sicut in vermibus. Dixerunt enim quidam quod corpora cœlestia inducunt animam sensibilem in huiusmodi animalibus. Alij verò dixerunt quod spirituales substantiæ, quæ mouent corpora cęlestia, inducunt illam in huiusmodi corporibus. Tertij verò dixerunt eam à Deo esse creatam. ¶ Primi verò inducuntur ad hoc, quod corpora supercœlestia per se sint causæ, quia secundum mutationem in superioribus factam fit mutatio siue generatio huiusmodi animalium: vnde in vere cum sol *accedit, tunc maxime generantur: similiter in æstate & autumno: minimè autem in hyeme. Sed contra est, quod corporalis virtus non est principium rei incorporeæ: cum res incorporea sit essentiæ nobilioris virtute corporali ergo non sunt supercœlestia corpora sufficiens principium generationis iam dictæ: *qua fiant animæ sensibiles.

*Alias, accedit vel ascendit.

*Alias, quæ fiunt.

¶ SI verò dicatur, quod substantiæ spirituales, mouentes corpora supercœlestia, sunt principia animatum: ita quod corpora cœlestia disponunt materiam, sed perfectio inducitur à motore supercœlesti, & sic corporeum à corporeo, & incorporeum ab incorporeo. Contra hoc est, quod dicūt Sancti: solum Deum esse creatorem. Si verò huiusmodi animæ producuntur in esse à virtute supercœlesti incorporea, aut de nihilo fierent, & tunc diceretur, quod est creatrix illa virtus supercœlestis, quod est impossibile: aut ex aliquo præexistenti; & illud non esset corporeum: cum ex corporeo incorporeum non producatur. Si verò *ex incorporeo, eadem est quæstio de illo, & sic in infinitum. Nec ex se naturaliter producit, cum virtus incorporea cœlestis sit separata à corpore. Hæc autem est inseparabilis à corpore, non ergo producitur huiusmodi anima sensibilis à virtute incorporea supercœlesti, quæ sic creata est.

*Alias, in corporeo.

¶ SI verò dicatur vltimo propter iam dicta, quod adaptatio est materiæ à corporibus supercœlestibus, vel ipsis medi-

mediantibus, sed anima sensibilis, quæ ... complementum est à Deo. Secundo ad hoc obijcitur, quod non erit verum, quod solus intellectus, i.e. rationalis habet ... intellectum, sit ab extrinseco: sicut habetur in Lib. de Animalibus. Præterea, si esset ab extrinseco hæc anima sensibilis, à nobiliori principio esset forma in his, quæ fiunt putrefactione, quam in his, quæ fiunt generatione: & ita essent entia nobiliora: quod cum non sit, non erunt animæ in huiusmodi corporibus immediatè à Deo. Præterea, quare non essent separabiles huiusmodi animæ, cum prouenirent ab extrinseco omnino, nec dependeat nisi à Deo quantum ad suum esse.

Philos. 2. de Gener. animal. cap. 3.

RESOLVTIO.

Animas animalium ex putredine generatorum non ex animabus diuinis: sed vel fieri in existentia à motore quodam incorporeo creato, vel à Deo vel condi non quidem creari, non sine tamen dispositione agentis naturalis.

¶ Ad quod potest responderi, quod sicut in semine deciso secundum naturam est quidam motor incorporeus, quo mediante, dispositio fit ad perfectionem, quæ est anima, ita in his, quæ fiunt putrefactione, est quidam motor incorporeus, quo mediante fit dispositio ad perfectionem, quæ est anima. Nec tamen ab illo motore creato dicitur creari quia creatio est de nihilo: hic autem est productio de existenti secundum quandam similitudinem, licet remotam. Si verò dicatur creari à Deo forma vltima, dispositio fit materiæ ab actione corporum cœlestium: non propter hoc est nobilior forma in putrefacto, quam in his quæ fiunt secundum vniuocam rationem: æquè & ibi dicitur fieri forma vltima Deo disponente, mouente naturali materiam. Sic enim videtur Aug. dicere in Lib. de Trin. cum ponit agricolam disponentem materiam, Deum autem creatorem, i.e. conditorem formæ, & motorem in supercœlestibus. Nec propter hoc esset forma separabilis: quia non condidit eam Deus, nisi dependentem in esse & operatione à susceptibili non sic autem est in anima rationali. Quod autem Philosophus dicit animam intellectiuam esse ab extrinseco: hoc est non tantum propter agentem vltimum, qui est extrinsecus: sic enim est in formis primo creatis, quæ tamen non sunt separabiles: sed hoc est, quia non dependet suum esse ab extrinseca causa, sed tantum ab intrinseca. Fatendum est ergo vel vltimam formam esse à motore creato, non tamen creari, sed fieri in existente per similitudinem remotam: vel à Deo creari, i. condi: dispositionem verò tantum in his, quæ fiunt secundum vniuocam rationem, quam non vniuocam fieri ab agentibus creatis.

Aug. de Trin. li. 3. c. 8. circa medium. Tom. 3. & li. 9. super Gen. ad litt. c. 15.

ARTICVLVS III.

An anima rationalis sit ex traduce?

AD tertiam, quo quæritur de origine animarum nostrarum rationalium, Vtrum possint dici animæ ex anima, & vocauerunt hunc modum essendi esse ex traduce.

¶ Qvod quidam asstruunt propter originale peccatum quod à patribus descendit ad filios: originale autem, cum sit peccatum, erit in anima, & ideo dicebant quod sicut de carne paterna caro pueri originaliter producitur: ita de gignentis anima, anima geniti deduci æstimetur.

Tertulianũ carpit legito August. Epist. 156 circa medium. Tom. 3 & lib. 10. sup. Gen ad litt. c. 25. & Lib. de Hæresib. Tom. 6. Lib. 2. de sacramen. pa. 7 c. 3 & sunt eius formalia verba.

¶ Sed contra hoc obijcitur, sicut obijcit Hugo. ratio prima est, quod spirituali naturæ non conuenit neque ex materia esse: quoniam essentialiter simplex est: sed neque materiam esse: quoniam in vnitatis suæ simplicitate indiuiduæ semper consistens, augeri vel multiplicari omnino nõ potest: simplex enim natura propagationem non facit: nisi ad id, quod propagandum est ab ipso, à quo propagandum est, pars sumi non potest, nisi totum transeat: Quod ergo vnum est inter duo, si totum permanet nihil confertur illi, ad quod est. Si ergo anima ex anima gignitur, sicut caro ex carne; dicant quo simplex illa substantia aut tota in gignẽte remaneat, si ingenitum transiens aut tota in genitum transeat, si in gignente remansent? Nisi forte omnes animas consubstantiales dicere velint, & illam naturam simplicem in propagatione filiorum personarum inter multiplicari: sed essentialiter non diuidi. Sic intendentes, quanta inconuenientia ... sequatur: si vna & eadem essentia homini ... & damnationi, gloriæ & pœnæ dicta credatur.

¶ Postremo cum dicit autoritas, *Reuertatur puluis in terram, de qua sumptus est, & spiritus redeat ad Dominum, qui fecit illum*: manifestè ostenditur, quod non spiritus de spiritu, sed caro de carne traducatur materialiter. Quamuis enim nostra corpora primo loco materialiter de terra non sint: ad circo tamen non inconuenienter de terra sumpta esse dicũtur: quia primi hominis corpus, à quo nostra corpora materialiter descenderunt, de terra per materiam sumptum est. Quod licet sub eodem intellectu de spiritibus quoque nostris, etiam si ex traduce esse crederentur, dici posset quod à Domino dati sunt: in eo quod à Domino datus est primus ille spiritus, se à quo per materiam descenderunt: tamen in hoc probabilius constat, animas ex traduce non esse, quod sicut in primo homine corpus de terra sumptum: spiritus verò à Deo datus legitur: ita & ratio expostulat, vt in sequẽtibus quoque hominibus caro quidem ex carne descenderet: spiritus autem à Domino credatur venire.

Ecc. 12.

¶ Praterea, cum in lege scriptum sit. *Si quis percusserit mulierem pregnantem, & illa abortiuum fecerit si non fuerit formatum, mulctetur pecunia, si autem formatum fuerit, reddat animam*: apertè declaratur, quia cum caro de carne seminatur, anima similiter ex anima non trahitur. Si enim cum carne anima seminatur, quare in abortiuo non formato anima pro anima non redderetur? cum ergo in abortiuo tantum formato anima pro anima reddi iubeatur, quid, nisi in eo quod necdum formatum est, ad huc animam non esse, ostenditur: vt videlicet quemadmodum in primo homine prius corpus formatum, deinde animam infusam legimus: ita etiam in omnibus subsequentibus prius in vulua corpus humanum formari, deinde animam infundi, credamus: Quod si cui forte mirum videatur, quõ paternum semen in vulua ante animationem, vel crescere possit, aut vegetari: vel etiam vsque ad humani corporis effigiem promoueri: videat quomodo arbusta, & plantæ, & germina vniuersa eiusmodi animam non habentia, sola viriditate vegetentur & crescant: & motu suo in formam, proprio generi conuenientem, producantur. His & huiusmodi ergo rationibus, probabile factum est, animas ex traduce non esse, sed nouas de nihilo creatas, nouis quotidie corporibus, de paterno semine in vulua formatis, ad viuificationem infundi.

Hug. Verba formalia Hugonis ibid.

¶ Item, in Lib. Quæstionum Nou. Testam. *Inhonestum puto, si dicantur animæ corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec ipsi animæ competit, aut si certè singulæ cælestes potestates factæ sunt, & ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex vna Ade anima credibile videri, cæteras natas: sed non conuenit, quia soli Deo hoc possibile fuit, vt simpliciter generaret, nec cæteris concederet: Quod tam mysticum est in causa saluatoris, vt non solum à solis Gentilibus vel Iudæis: verumetiam ab ipsis, qui Christianos se dicunt, incredibile putetur. Nam sic eo tempore, quo seminatur corpus, & anima generatur ex anima, de Adam costa legimus sublatam, non tamen animam natam ex anima, sed si costa secum habuit animam, iam non nata est, sed detracta in partem. Sed nec hoc scriptum est, propheta enim Zacharias ait inter cætera. Qui (inquit) plasmauit animam hominis meum. Nec Isaias ab hus dissentiens, ait. Qui fecit, & finxit te in vtero, si ergo in vtero fingitur, iam formato corpore tribuitur. Cum enim omnia membra impleat corporis, figurata dicitur in corpore, vt fiunt aqua, cum sit sine effigie, missa tamen in vasis, figurata videtur, ita & anima cum sit natura incorporea & simplex, formatur in corpus, singula membra viuificans.*

Idem ad Marcell. Epist. 7. post med. Tom. 2 & Epist. 27. post prima verba, & Epist. 28 versus finem, & Epist. 156 circa medium & ad Orosium c vlt. circa finem Tom 6. & Lib. 3 de peccatorũ meritis ac remissione, ... Pelagianos cap ... primis verbis. Tom 7. Idem de Eccles. Dogmat. Cap. 14. Tom. 3. Gen. 2.

¶ Item, in Lib. de Eccles. dogmatibus. *Animæ non cum corporibus seminantur: vt Luciferiani dicunt.* ¶ Item, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: & non est dictum: quia anima sit de anima: per quod datur intelligi, quod animæ rationales non sunt de anima primi hominis nec originem habent secundum modum istum.

RESOLVTIO.

[illegible] anima rationalis ex traduce non sit.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de originali peccato. Respondetur, quod [illegible] traductio originalis peccati non est per hunc modum, [illegible] carne, corruptionem libidinosam [illegible] deferente: anima verò coniuncta carni sic corrupt[æ] [illegible] corruptionem secundum modum suum primo [illegible] pœnalem: non quia anima paruuli sit de anima Adæ: sed quia anima Adæ non seruauit sibi ... potestatem ... rectitudinem originalem.

¶ Præterea, si diceretur indifferenter de vnaquaque anima rationali, quod fieret de materia spirituali præexistente. Tunc obijcit Aug. super Gen. *quia illa anima aut est viuens, aut vitam non habens.* Si non est vitam habens: quomodo ergo est materia viuentis substantiæ, vt ex qua fiat. Si verò est viuens: aut tantum vegetabili vita, aut tantum sensibili, aut tantū rōnali vita. Si tantū vegetabili esset plāta, & anima rationalis fieret ex planta. Si verò ex sensibili tantum, esset materia rationalis animæ brutum. Si verò habet vitam animæ rationalis, ergo esset anima: & ita pari ratione fieret hoc ex illo, sicut econuerso: cum esset æque completum. Non ergo anima rationalis facta est, vel fit ex materia spirituali præexistente: est ergo ex nihilo facta, & ita creata.

Aug. ex li. 10. sup. Gen. ad litt. c. 1. & deinceps.

Dubitatio

¶ Sed adhuc est quęstio, vtrum anima facta sit ex materia corporali præiacente, vel alia anima? Quod primum non, videtur: quia corporeum minus nobile est in genere incorporeo: sed principium in quantum huiusmodi, nobilius est eo, cuius est principium, vel ad minus æque nobile: ergo incorporeum non habebit materiam corporalem, ex qua fiat. Præterea: si materia esset corporea, aut forma similiter esset corporea: aut incorporea. Si esset corporea: ergo non produceretur nisi corporeum compositum: non ergo anima: cum sit res incorporea. Si verò forma esset incorporea, compositum ex illis aut necesset corporeum nec incorporeum in genere substantiæ, quod est impossibile, aut cōpositum esset corporeum, & ita anima corporea: sicut homo, qui componitur ex anima, & corpore: ergo non est possibile animam fieri ex materia corporali.

QVÆSTIO LI.

De causa formali, efficienti, & finali Animæ.

In tria Membra diuisa.

D. Th. 1. p. q. 75. ar. 5 & 5. & q. 90. Ex S. B. in 2. d. 17. ar. 1. per totum. Ex Sc. li. & d. eadem.

DICTVM est de anima humana, quod non est de substantia Dei, sed à Deo: nec fit de substantia corporali, nec de intellectuali præexistente: consequenter prosequēdum est de cæteris tribus causis, sc. formali, efficienti, & finali. ¶ Primo quæritur de causa formali, vtrum anima humana sit composita ex materia & forma. Secundo quæritur de causa efficiente, vtrum animæ habeant aliam causam efficientem, quam Deum. Tertio quæritur de causa finali, an anima humana facta sit propter reparationem ruinæ angelicæ.

MEMBRVM I.

An anima humana composita sit ex materia & forma?

AD primum, quo quæritur. Vtrum anima humana habeat causam materialem, secundum quod forma est illud, quod cum materia constituit totum: hoc est quærere: Vtrum anima humana composita sit ex materia & forma: De illa enim est nostra intentio principalis. Quod videtur per hoc, quod dicit Boet. in Lib. de Trin. *In omni eo quod est citra primum est hoc & hoc*: & loquitur de his, quæ sunt substantiæ per se, ad differentiam formæ & materiæ: quia aliter esset abire in infinitum. Sed anima humana est talis quia est per se existens: quod patet ex separatione & ex motu, ergo habet in se hoc & hoc: sed hoc non erit materia & materia vel forma & forma (alterum enim esset superuacuum) ergo erunt illa duo: ergo anima habet materiam & formam.

Boet. in li. de Trin.

¶ Item, Dion. *Post monadem sequitur binarius*: sed prima monas est Deus: ergo eum sequitur primus binarius. Et non loquitur de binario composito ex illis vnitate, sed ex rebus se habentibus per modum numerorum. Item dicit Boet. quod omnia, quæ sunt à prima arte, numerorum ratione videntur esse formata: ergo cum non sit nisi primus binarius, materiæ & formæ * erunt substantiæ [illegible] quæ immediate sunt post primam substantiam, quæ est Deus, [illegible] angelus & anima, habentes materiam & formam. ¶ Item, Nihil est agens & recipiens secundum idem [illegible] omnino: cum ergo agere conueniat formæ, & recipere materiæ, erit anima humana habens vtrunque, & ita composita: & hæc ratio cum prædictis extendit se ad alias animas. ¶ Item, in anima humana est intellectus, quo est omnia facere, & quo est omnia fieri, sive agens & possibilis: & iste non est ille: ergo cum intellectus possibilis sit potentia, respondens parti receptiuæ: intellectus agens parti actiuæ, necesse est ante istam pluralitatem potentiarum esse pluralitatem partium essentialium.

* Aliis, erunt.

¶ Item, omne agens, cuius actio non est sua substantia, est agens non per se totum, sed per aliquid sui (& loquimur de per se agentibus) sed omnis agentis præter Deum est actio non sua substantia: ergo animæ: ergo anima habet aliquid sui, per quod agit: ergo non est omnino simplex, sed composita. ¶ Item, Anima est mouens corpus: & nihil idem secundum substantiam est mouens & motum, ergo anima est substantia præter corpus, & maxime humana: sed cum ipsa sit substantia præter corpus, habet quod patitur, sicut cum patitur, & quod agit, sicut cum conuertit se super cognoscibilia: ergo cum actio & passio dicant multiplicitatem oppositorum accidentium necesse erit oppositionem, principiorum præcedere.

¶ Contra Aug. *Simplex natura anima dici potest, quia ex aliis naturis non est.* ¶ Item, in Lib. de Anima & Spiritu, *Anima est substantia spiritualis, simplex, indissolubilis.*

Aug. in lib. de quantitate animæ

Idem in li. de anima & spiritu.

¶ Item, omnis essentia nobilior est, quam sua potentia: vel ad minus æque nobilis: sed intellectus est potentia animæ, & est simplex: ergo eius essentia erit simplex.

¶ Item, *Anima humana est ad imaginem Dei*, sicut dicit August. quia humana anima habet vires suas ad quandam imaginem Trinitatis summæ, vt sunt memoria, intelligentia, voluntas: vna mens, vna essentia, vna vita: sicut pater & filius & spiritus sanctus sunt vna essentia. Sicut ergo pluralitas personarum non repugnat simplicitati essentię diuinæ ita nec pluralitas virium repugnat simplicitati animæ humanæ. ¶ Item, si formam conuenit esse simplicem, non cōpositam, scilicet ex materia & forma, & ibi esse statum, ꝓpter quod non potest anima humana esse simplex, non habens formam partem sui, sed quod ipsa sit forma. ¶ Item, angelus & anima humana conueniunt in genere, & differunt in specie, sed omnia sic conuenientia & differentia habent genus & differentiam: ergo hanc compositionem habent: & propter hoc licet habeant hanc compositionem, nihil prohibet simplicitatem habere.

Idem li. 9. de Trin. c. 4 parum a principio: & li. 10 c. 11. parū ante medium.

¶ Sed huic videtur obuiare, quod dicitur illi compositioni rationali altera compositio respondere in natura, scil. quæ est ex materia & forma. Aliqui etiam volebant dicere, quod anima habet compositionem in hoc tantum, quod ipsa est non seipsa, sed dependens secundum suum eē à Deo & ideo dicatur in ea differre quod est, & quo est: sed non inquirimus hic hanc differentiam. (Sic enim formæ essent compositæ, quæ sunt creatæ in materia:) sed nos loquimur de compositione ex materia & forma, prout dicitur forma materiæ non per se subsistere, sed in materia: animam vero per se subsistere, non tantum in materia, & ita formam non habere compositionem, sed anima. Eodem modo forma non mouet suam materiam localiter, quia non est quid actu præter suam materiam: anima verò mouet ipsum corpus, quod est perfectum ab ea, & ideo non dicitur tantum forma, sed in se substantia.



RESOLVTIO.

Anima humana ex materia & forma intellectuali composita est, sed longe aliter, quam corpora, tum superiora, tum inferiora.

¶ Ad quod dicendum, quod anima humana dicitur composita ex forma & materia intellectuali:nullatenus aūt sic habet materiam & formam, sicut dicuntur corpora habere materiam & formam siue* sint cœlestia, siue inferiora materiæ enim corporalis terminus est magnitudo: spiritualis autem materiæ non est terminus: & ideo in Lib. de Generatione dicit Philosophus, *Impossibile est materiam esse sine magnitudine*, loquens de materia corporali.

*Alias, sicut.

Philos. de Gener. & corrup. tex. cō. 31.

¶ Ad obiecta autem in contrarium dicendum est, quod simplex, cum dicitur de anima & de angelo, intelligitur in comparatione, s. ad corpora, quæ habent compositionem ex partibus quantitatiuis, prout dicitur quod corpus est ex corporibus, vt est diuisibile in infinitum: sed non dicitur simplex absolutè: sic enim Deo conuenit esse simplicem.

¶ Ad illud autem, quod dicit Aug. animam esse indissolubilem, & ita non compositam. Dicendum, quod compositum est dissolubile secundum intellectum: sed non quod pars stet extra partem, sed anima dicitur indissolubilis: quia non desinit esse: sit enim ibi sermo de anima rationali, & ideo non est hoc de ratione animæ.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet essentia dicatur nobilior, quam sua potentia: in hoc quod potentia dependet ab essentia, & non econuerso: non tamen in simplicitate opposita compositioni principiorum, oportet esse nobiliorem: quia sicut intellectus est simplex comparatione ad vires sensibiles: ita anima simplex est comparatione ad sensibilem & ad vegetabilem.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet anima dicatur ad imaginem diuinæ trinitatis, quia pluralitas virium est vnius essentiæ: tamen hæc non est tota ratio, sed quia pluralitas est talium virium, memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis: quæ sic se habent, vt intelligentia sit à memoria, & voluntas ab vtraque. Secundum autem intellectum possibilem & agentem non est anima humana ad imaginem: non enim in Deo est intellectus possibilis, siue materialis. Et ideo (rectè loquendo) licet illa pluralitas non attestetur multiplicitati siue compositioni essentiæ: hæc pluralitas attestatur compositioni essentiæ.

¶ Ad quintum dicendum, quod non est simile de forma & anima: forma enim præter hoc quod est materiæ forma, non habet aliquam actualitatem: sed anima præter hoc quod est anima: habet virtutem quandam: secundum quā dicitur habere compositionem propriam: cui respondet agere & pati: etiam cum est separata.

MEMBRVM II.

An anima ab alio, quam à Deo effici possint?

HOc habito: consequenter dicendum est de causa efficienti animæ humanæ, & animæ sensibilis, propter errorem quorundam: qui deinceps recitabitur, & in parte supra tangebatur. Ostenditur autem, quod anima non potest habere aliam causam efficientem, quam Deum: licet quidā dicere velint angelicas intelligentias effectrices animarum rationalium: ex hoc inuenientes argumentum, quod mediæ sunt inter Deum & animam rationalem, & habent posse super illam consulendo, mouendo secundum aliquod genus motus. Sicut ergo videtur se habere actus ad actum, ita potentia ad potentiam, & substantia ad substantiam. ¶ Præterea, per lucem primo die factam intelligitur essentia angelica. Sed in luce corporali videmus, quod ipsa est motor, per quam fit aer ex aqua & mutua elementorum conuersio. Si ergo sic se habet ipsa lux spiritualis ad spirituales substantias: erit ipsa causans esse in spiritualibus substantijs.

Quæst. 66. Memb. 3. art. 3.

Seleucianos carpit qui angelos animarum creatores, dixere, testis est Aug. de Hæres. 6b. ad Quod vult Deum. Tom. 6.

¶ Sed obuiat, quod dicitur in Psal. *Qui finxit sigillatim corda eorum*: fingere autem intelligitur facere, per corda autem intelliguntur animæ: ergo anima humana habet Deum causā efficientem. ¶ Item, de sola anima humana dicitur, *Inspirauit in ipsum spiraculum vitæ*: ergo ipsa sola per prærogatiuam dicitur facta à Deo, non habens aliud principium: non quin aliæ habeant causam ab ipso.

Psal. 32.

Gen. 2.

¶ Item, in Lib. de Ecclesia. Dogma. *Animæ hominum non cum corporibus per coitum seminantur, sicut Luciferiani & Cyrillus, & aliqui latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentiam seruantes. Sed dicimus corpus tantum per coniugij copulam seminari, creationem vero animæ solum creatorem omnium nosse. Dei vero iudicio coagulari in vulua atque formari: ac formato iam corpore animam creari & infundi, vt viuat in vtero homo ex anima constans & corpore: & egrediatur viuus ex vtero, plenus humana substantia.*

Aug. in lib. de Eccles. dogmat. Cap. 14. Tom. 3.

¶ Item, anima rationalis (sicut supra habitum est) de nihilo creata est: ergo non potest habere aliquam creaturam efficientem: cum creaturæ sit esse de nihilo: & ita esse terminum creationis, non principium, sicut supra habitum est.

Quæst. 66. Memb. 1.

¶ Præterea, anima rationalis, sicut angelica intelligentia, in hoc pficitur, φ nō habet finem, cū habeat principium: ergo neutrum est ab altero: cum sint æqualis conditionis in esse.

RESOLVTIO.

Animæ humanæ cum de nihilo sint, ab alio quam à Deo esse non possunt.

¶ Falsa est ergo sententia cuiusdam philosophi, dicentis quod principium cuiuslibet motus, qui est in mundo, est motus cœli, & cuiuslibet animæ* cuiuscunq; animati principium est anima cœli: Vnde dicit, quod omnes virtutes, q̃ proueniunt à cœlo ad mundum istum, sunt quatuor. Prima est aptatrix compositionis & coniunctionis quę sufficit in compositione liquabilium. Secunda dat animam augmentatiuam. Tertia dat animam viuam cuilibet viuo: & vocat animam viuam sensibilem. Quarta verò dat animam rationalem cuilibet loquenti: Hæc verò omnia fiunt mediante luce & mediante circuitu cœli super terram: & sicut si quiesceret cor à motu suo, quasi in ictu oculi moreretur homo, & destruerentur omnia, quæ in ipso sunt: & sicut humanum corpus constitutum ex membris habet vnam animam: ita cœlum cum suis contentis habet vnam animam: quæ dicitur anima mundi. Non enim intelligit, quod ista corporalia facta fuerunt propter substantiam animæ rationalis, quæ est separabilis: & non econuerso: nec quod tunc erit verissimum esse cœli, & superiorum, & ipsius hominis, *cum nullus erit motus: sicut erit post iudicium: & quod in homine est principium mouendi secundum voluntatem, non dependens à motu cœli. Nullatenus ergo causam efficientem est ponere animæ rationalis, nisi Deum: ergo nec angelus, nec anima mundi, nisi ipse Deus dicatur anima mundi. Vnde licet angelus rationem habeat aliquo modo mouendi animam: non* tamen per modum imperij: sed per modum consilij: Et sicut est in optione eius, cui consulitur: consentire, vel non consentire: ita est in optione animæ consentire, vel non consentire angelo consulenti. Falsa autem est positio antiquorum philosophorum: per quam peruenerunt ad hoc, vt dicerent mediantibus intelligentijs fieri animas rationales: qua dicebant ab vno simplici non ꝓuenire immediate nisi simplex. Vnde intelligentia angelica fuit immediate à Deo, anima verò rationalis mediante angelo. Nec est simile de motore corporali ad sua mota; motore spirituali, qui ē angelus, ad substantias spirituales: quia motor corporalis, qui est lux, mouet corpora secundum naturam, motor verò spiritualis mouet substantias spirituales, vt angelos inferiores, vel animas rationales, excitando consensum, non compellendo, vel necessitatem inducendo sed quantum est voluntas diuina, tantum possunt sup substantias inferiores spirituales.

*Alias, cuiusquam.

Fortasse in Auic. inuehitur de productione intelligentiarum 9. suæ Metaph. c. 4.

*Alias, tamen.

*Alias, habet.

Collige ex 2. de Gener. & corrupt. tex. con. 56. sed clarius ab Auer. 12. Metap. con. 44. contra Auicen. & in lib. De structio destructionum, disputatione in Solutio. 25. dub.

¶ Si vero quæratur, quare non dicitur anima rationalis ab anima, tanquam efficienti: cum sit vniuoca generatio in hominibus: quemadmodum est in brutis, vel vegetabilibus, siue alijs generabilibus. Respondendum est secundum autoritatem in Lib. de Dogma. Eccles. quod vnaquæque anima quo ad hoc consimilem habet modum procedendi in esse: vt sicut anima Adæ infusa est creando ipsi corpori formato de limo terræ: ita anima Petri creando infusa est corpori formato de semine viri: vniuocatio autem generationis non propter hoc est in homine: quia anima fit ab anima, sed quia corpus consimile producitur, cui datur forma à Deo creatore. In formis autem inseparabilibus à materia aliter est: vt forma dependeat à forma secundum naturam, cum sit operatio naturalis.

¶ * Pari-

*Alias consequenter.

¶ * Pariformiter dicendum est de causa efficiente in plantis & brutis, quam non est ponendum esse corporalem, cum termino [illegible] non sit corpus causa efficiens: nobilius enim est [illegible] effectu. Vnde lux corporalis non est causa effectiua [illegible] licet disponens sit ex parte materiæ, qua dispositione [illegible] existente, sufficienter consequitur forma. Sed sicut à principio creatæ sunt huiusmodi formæ: ita deinceps mediante existenti aliquo sunt productæ. Et ideo dicitur in Lib. de Ecclesia. Dogma. *Solum hominem credimus habere animam substantiuam: quæ exuta corpore viuit: & sensus suos atque ingenia tenet viuaciter: Non cum corpore moritur, vt Aratus asserit, neque post modicum interuallum, sicut Zenum dicit, quia substantialiter viuit: Animalium vero animæ non sunt substantiuæ, sed cum carne ipsa carnis viuacitate nascuntur, & cum carnis morte finiuntur, & moriuntur, & ideo nec ratione reguntur; sicut Plato & Alexander putant, sed ad omnia naturæ incitamenta inducuntur.*

Aug. de Ecclesiast. dogm. c. 15.

MEMBRVM III.

Ad quid creatæ sint animæ rationales.

AD tertium, quo quæritur de causa finali animæ rationalis. Et videtur per hoc, quod dicitur in Encheridion. quod finis sit reparatio ruinæ angelicæ. Et similiter dicit Anselm. *Cur Deus homo:* & videtur accipi ex illo verbo Deut. *Statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei:* secundum aliam translationem.

Ansel. in lib. de casu diaboli. Deut. 32.

¶ SED obijcitur contra hoc. Si enim hæc esset ratio finalis, non existente casu angelorum, non esset creatio animarum rationalium. ¶ SED contrarium cernitur; cum alterius speciei sit illa essentia, quam ista: & congruebat creatori ad perfectionem vniuersitatis, vniuersitatem generum, & specierum condere, vt in quo manifestetur sapientia, potentia, & bonitas Dei: ergo non est ille finis conditionis animæ rationalis. ¶ PRÆTEREA, si esset finis principalis, aut ergo esset propter bonos angelos, aut propter malos. Non propter bonos: cum non indigeant reparatione: nec propter malos cum impossibilis sit eorum reparatio.

RESOLVTIO.

Ad participandam beatitudinem primo. Ad reparationem ruinæ angelicæ, secundo.

¶ AD quod dicendum, quod finis principalis est participatio beatitudinis, secundum quod dicitur: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Finis vero secundarius est reparatio angelicæ ruinæ.

1. Tim. 2.

¶ AD obiectum ergo primum respondendum, quod cum sit finis secundarius; licet starent angeli, & sic non minueretur numerus angelorum fruentium; & sic non esset finis secundarius hominum: nihilominus esset finis principalis.

¶ AD secundum vero dicendum, quod est finis principalis angelorum, & quantum ad hoc non fit reparatio ruinæ angelicæ: Et est finis secundarius, sc. dilectio in multitudine consortij angelorum fruentiū, & quantum ad hunc finem: sicut minuebatur numerus fruentium per numerum angelorum: ita augetur per profectum bonorum hominum. Assignat item Magister in Lib. Senten. finem animæ rationalis, dicens: quod creata est vt intelligeret summam bonitatem, & intelligendo amaret, & amando possideret, & possidendo frueretur. Animæ vero assignatur finis in tribus differentijs, vt scil. laudaret, seruiret, & frueretur. Alibi etiam secundum August. videret, laudaret, atq; gauderet, siue diligeret. Quarum differentiarum ratio sic potest attendi: vt intelligere sit respectu primæ veritatis, & pertineat ad intelligentiam: amare vero respectu summæ bonitatis, & pertineat ad voluntatem: possidere vero sit respectu æternitatis, & pertineat ad mentem, siue memoriam: secundum quod trinitas est in anima penes intelligentiam, voluntatem, & memoriam (quam memoriā quidam præmittunt duabus alijs: quidam subiungunt secundum diuersam suam intentionem.) Frui vero pertineat ad ipsam essentiam diuinitatis: vel ex tribus prædictis relinquatur. Tres autem differentiæ sic possunt distingui, vt frui pertineat ad actum cordis, seruire vero ad actum operis exterioris: laudare vero ad actum oris. Aliæ vero tres differentiæ sic distinguuntur vt videre pertineat ad actum rationis, amare vero ad actum voluntatis siue gaudere: laudare vero ad actum sermonis, vt fiat protestatio summæ maiestatis, sapientiæ, & bonitatis.

Magist. in sent. lib. 2. d. 2.

Aug. lib. de diligēdo Deo. c. 5. to. 9.

QVÆSTIO LXII.

De anima in se.

In sex Membra, & in nouem Articulos diuisa.

DETERMINATIS his, quæ pertinent ad causalitatem ipsius animæ: sequitur de his, quæ insunt ei secundum esse absolutum primo: deinde de his, quæ pertinent ad esse eius, comparatum respectu corporis. ¶ Primo agendum ergo est de simplicitate eius. Secundo de vnitate & pluralitate ipsius. Tertio de simultate originis, vel non simultate. Quarto de localitate. Quinto, vtrum sit ad imaginem & similitudinem diuinā (& hæc quęstio pertinet quasi ad qualitatem; præcedentes vero ad quantitatem.) Sexto de ordine eius in vniuerso, &c.

D. Tho. 1. par. q. 75. & deinceps S Bō. in 1. d. 3. par. 2. & in 2. d. 17. art. 1. Scot. ibi. q. 1.

MEMBRVM I.

An anima simplex, vel composita sit?

CIRCA simplicitatem vero; quæ attenditur quantum ad partes quantitatiuas, quæritur: Vtrum sit simplex, an composita. Et videtur quod sit simplex: quantitas enim terminus est corporis: anima vero est substantia incorporea: ergo quantitate caret. ¶ ITEM, August. *Si partes habere anima dicitur, ratione potius similitudinis, quam veritate compositionis est intelligendum. Simplex substantia est anima: nec aliud minus est ratio in substantia, quam anima.* ¶ ITEM omne, quod recipitur, est in recipiente secundum modum recipientis, cum ergo in anima sint species rerum corporalium & compositarum modo simplicitatis: ergo natura animæ simplex est: vbi enim est vna species, ibi & alia. ¶ ITEM, si anima esset quanta, maior esset in maiori corpore, & minor in minori: & per consequens maiores corpore essent sapientiores & ingeniosiores: quod cum nō sit: non erit anima composita, sed simplex.

Aug in lī. de anima & spiritu.

¶ CONTRA anima tota toti corpori infunditur, vt perfectio perfectibili: extēditur ergo secundum extensionem corporis, cum ergo corpus sit compositum, & ita quātum, erit anima quantitatem habens. ¶ ITEM, anima habet partes virtuales, siue potentiales: & secundum illas est in diuersis partibus corporis: & non secundum omnes in qualibet parte, non enim videt in auribus: neque audit in oculo. Vbi autem aliqua partium est: ibi & ipsa anima est: erit ergo anima quantitatem habens ratione suarum partium.

RESOLVTIO.

Anima simplex est, nec composita: & si vbi quanta legitur, non mole aut dimensione, sed virtute, & potestate quanta intelligatur.

¶ AD quod dicendum secundum Augustin. quod quātum dicitur aliquid duobus modis: virtualiter, & dimensiuè: vt cum quæritur, quantus sit Hercules: potest quæri vel quantitas dimensiua, scilicet, quot sit pedum: vel quātitas virtualis, scilicet, quantæ sit virtutis. Anima ergo habet quantitatem virtualem, sed non habet dimensiuam: similiter habet virtualem extensionem in corpore, non habet extensionem dimensiuam: sicut albedo vel forma materialis, quæ distenditur secundum corporis distinctionem.

Aug. in li. de quantitate animæ c. 5. to. 1.

¶ AD secundum vero dicendum, quod licet in anima sint partes virtuales, quæ determinatas habent operationes, secundum partes corporis diuersas: non tamen ipsa est partibilis secundum quantitatē, vt in se recipiat diuisionem, vel sdm substantiā corporis eius substantia diuidatur, sed sdm proportionem organorum est operatio virtutū, quibus mediantib. anima in diuersis corporis partibus

operatur: sicut per diuersum situm diuersæ partes corporis distinguuntur: ita per diuersum actũ diuersæ partes virtuales cognoscuntur, nec est situs causa multiplicationis partiũ in corpore, nec actus causa multiplicationis vnitum in anima, nec est maior anima in duabus, vel in tribus potentijs, quam in vna: tota autem dicitur esse in qualibet parte corporis vno modo: vt totalitas ad perfectionem essentiæ animæ referatur, non autem tota dicitur in qualibet parte corporis secundum totalitatem virium.

MEMBRVM II.

An vegetabile, sensibile, & rationale, vna, vel plures animæ sint?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum anima sit vna, vel plures in tribus potentijs, vegetabili, sensibili, rationali. Quod autem sit vna, sic ostenditur. Sicut se habet perfectibile ad perfectibile: sic perfectio ad perfectionem, sed non differt in homine perfectibile à vegetabili, sensibili, & rationali, quia vnus homo idem rem est vegetabilis, sensibilis, & rationabilis: ergo vna erit perfectio secundum substantiam. ¶ ITEM, si essent multa & secundum substantiam & secundũ potentiam, actus vnius non impediretur per actum alterius, sed contrarium videmus, quod anima occupata circa actũ vnius, impeditur ab actu alterius: ergo sunt eadem substantia, vegetabilis, sensibilis, & rationalis.

¶ ITEM, si essent differentes secundum substantiam & potentiam & operationem, in nullo conuenirent, & sic impossibilis esset vnitio in homine, non n. vniuntur quæ in aliquo non conueniunt. ¶ ITEM, si hoc esset; esset homo diuersarum specierum: differentiam enim speciei facit diuersitas substantialis perfectionis. ¶ ITEM, arguitur hoc ex ratione. Cum enim non dicatur anima resurgere, sed corpus: anima autem corpori resurgenti cõiungitur, si sensibilis in homine esset alterius substantiæ, quam rationalis; & similiter vegetabilis: aut desinerent esse; & ita non esset idem totum in resurrectione, quod prius erat. Si vero non desinerent esse, essent tres substantiæ separabiles, quarum nulla esset altera, & ita localiter diuisæ, & ita vegetabilis quantum est de se, in homine esset substantia separabilis; quod cum non sit, necesse est esse vnam substantiam in his tribus. ¶ ITEM, August. *Neque duas animas in vno homine esse dicimus sicut Iacobus & alij Syrorum scribunt; vnam animalem, qua animetur corpus, & immixta sit sanguine, & aliam spiritualẽ, quæ rationi ministret. Sed dicimus vnam eandemq; animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrij.* Aug. in li. de Ecclesiasticis dogmatib.

¶ CONTRA in semine, siue in embrione ante infusionem animæ rationalis; præcedit quædam potentia, quæ vegetatur & sentit, sed illa potentia non est sine substantia: ergo animam rationalem præcedit substantia animæ vegetabilis, & sensibilis: ergo diuersæ sunt substantiæ animæ vegetabilis, sensibilis, & rationalis. ¶ ITEM, non est eadem substantia corruptibilis, & incorruptibilis, sed corruptibilis est sensitiua, incorruptibilis rationalis: ergo non sunt idem secundum substantiam. ¶ ITEM, separabilis, & inseparabilis, mixta corpori & non mixta non sunt eadem substantia.

RESOLVTIO.

In homine vna est, pro viribus & potentijs in illa habens.

¶ AD quod potest respõderi, quod vna est substantia in homine, habens has virtutes: vnde anima rationalis cum separatur, secum trahit sensum & imaginationem: sicut dicitur in Lib. de Anima & spiritu.

¶ AD illud vero, quod objicitur de embrione. Dicendum est, quod illa substantia, cuius est illa virtus, non se habet per modum perficientis, sed per modum artificis præparantis ipsum corpus, quod debet esse organum ipsius animæ, quæ est perfectio. Nec dicetur esse animal ante vltimam perfectionem. Animal enim autem perfectione dicitur, non à præparatione. Et si dicatur à Philosoph. esse animal: hoc ... vel ... corpore huiusmodi, in quo non est virtus ... præparatoria: non vt designetur per hoc esse in specie: non enim vt huiusmodi posset in se subsistere.

¶ AD aliud vero dicendum, quod non est eadem substantia corruptibilis, & incorruptibilis. Substantia enim illa, quæ ... præparat, & est corruptibilis, non est eadem cum ipsa substantia animæ rationalis, vnde vis autem sentiendi, quã dicit August. separari cum corpore, vnius substantiæ est cum potentia intellectiua, & licet non sit separabilis ex ratione, qua est sensibilis: est tamẽ separabilis ratione substantiæ, in qua fundatur. Ista vero sensibilis, licet in genere conueniat cum sensibili in brutis: in brutis autem sit corruptibilis, nõ propter hoc est in homine corruptibilis, quia in brutis non ordinatur nisi ad necessitatem corporis corruptibilis, secundum tempus determinatum conseruandi, & ideo cum corpore corrumpitur: Non sic autem est de homine: sua enim ordinatio est non tantum ad perfectionem necessitatis corporalis, sed ad ministerium virtutis intellectualis: & vlterius ad hoc, vt sicut meretur cum virtute intellectuali, vel demeretur: ita præmietur, vel puniatur. ¶ CONSIMILITER potest responderi ad tertio objectum: sicut enim separabile & inseparabile non conueniunt eidem substantiæ: ita nec mixtum & immixtum, sed nihil prohibet substantiam secundũ vnam potentiam operari præter corpus, secundum aliam operari in corpore, siue per corpus.

MEMBRVM III.

An omnes animæ simul creatæ sint?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum omnes animæ creatæ sint simul, vel non simul. ¶ QVOD autem sint simul creatæ, objicitur: quia dicitur in Gen. 2. quod requieuit Dominus ab vniuerso opere die septimo. Et exponit August. quod in illis sex diebus omnia erant creata in primordialibus rationibus, & ab ijs faciendis quieuit; non à creatis, quæ ex ipsis producuntur, cum ergo in animabus non sic sit, quod vna anima sit causa alterius materialis, vel effectiua: nec vnam habeant causam: sicut corpora habent vnam materialẽ causam: oportet quod omnes animæ sint simul creatæ: aut non requieuit Deus ab vniuerso. Si enim animam faceret, sicut ex primordialibus rationibus alia producit; non obstante hoc, quiescere diceretur, sed faciens aliquid nouum, cuius nõ præcessit ratio causalis; quiescere non videtur. ¶ PRÆTEREA, videtur ostendi per simile. Sic enim est de substantijs spiritualibus, quæ sunt angeli, quod omnes sunt creatæ simul, pari ergo ratione videtur de spiritualibus substantijs, quæ sunt animæ rationales: non enim esse eorum dependet à corpore, cui coniunguntur: sicut esse animæ sensibilis, aut vegetabilis ¶ ITEM Iob penult. *Ecce Vehemoth, quem feci tecum.* Et, *Eadem est mensura hominis, quæ & angeli:* quod intelligitur quantum ad animam: ergo cum angelis * creatæ dicendæ sunt. ¶ PRÆTEREA, cum habeant esse subsistens post corporis corruptionem, quare similiter non haberent esse subsistens ante corporis generationem: quæ enim est comparatio eius esse, quod erit post corporis corruptionem; ea est comparatio eius esse, quod est ante generationem. ¶ ITEM, quædam sunt spirituales substantiæ in corporibus & non ante, nec post corpora: vt in vegetabilibus & brutis: huic modo opponitur, quod sint aliquæ substantiæ in corporibus, & sint ante corpora, & post. Item, quædam sunt in corporibus, & sunt etiam post corpora, & non ante: huic opponitur, quod sunt quædam in corporibus, & sunt ante corpora, & non post. Sed illæ duæ coniunctiones sunt: quare istæ duæ oppositæ illis, & sic essent quatuor coniunctiones. ¶ ITEM dicit August. quod anima habet istas potentias, rationabilem, irascibilẽ, & concupiscibilem; antequã corpori misceatur. ¶ IN contrarium vero sic opponitur: *Qui finxit sigillatim corda eorum:* & per corda intelliguntur animæ, & Glos. ibidem dicit, & quod animas separatim Deus creauit, & non omnes in Adam. Et hoc potest intelligi dupliciter, vel quod non omnes sint creatæ cum anima Adæ, vel quod non omnes ex anima Adæ, sicut quædam hæresis dicebat. ¶ ITEM, August. *Credendum est, & firmiter tenendũ, quod non omnes animæ sint ab initio creatæ, vt Origenes finxit; neque cum corporibus seminantur, sicut Luciferiani, & Cyrilius, & quidam La*

Iob penul. Apoc. 21.

* Alias, creatæ.

Aug. in li. de anima & spiritu. Psal. 32. Glossa.

Idem in li. de Eccl. dogmat. Orig. ... Periarch.

7. & 8. to. 4. operum eius. Idem super Ep. h. 1.

[illegible] *[illegible] sed dicimus animam [illegible] creari, & infundi [illegible] formato, vt viuat in vero homo.* ¶ ITEM, Augustinus [illegible] ad Eph. [illegible] ibi: *Sicut elegit nos in ipso, &c. [illegible] cum Deo fuisse eternas, & tunc aliquid [illegible] qui ante hec visibilia dicunt quasdam [illegible] electas.* ¶ PRÆTEREA, si autem essent creatæ ab initio, constat, quod haberent potentiam eligendi & volendi, & hæ potentiæ non essent otiosæ in eis, sicut nõ sunt in angelis: ergo mererentur, vel demererentur per conuersionẽ ad Deum, vel auersionem ab eo: ergo confirmarentur in malitia, vel in bonitate, sicut angeli, cum [illegible] substantiæ non vnitæ corpori, & ita inseparabile eorum peccatum, & inseparabilis bonitas: si n. confirmatæ sint in malitia, vel in bonitate; iniustum esset eis vniri corpori ad merendum, vel demerendum, quod cum falsum sit, restat primum falsum esse. ¶ ITEM, *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent; vt secundum electionem propositum Dei maneret, &c.* ex quo patet, quod non fuerunt primo creatæ, vt aliquid boni, vel mali agerent. ¶ ITEM, cum habeant potentiam cognoscẽdi & volendi, & cognoscant corruptam massam carnis, cui vniuntur; aut voluntariè vniuntur, aut inuoluntariè. Si volũtariè, esset ergo peccatum actuale: cum peccatum actuale diuidatur contra peccatum originale. Si vero inuoluntariè, iniustitia est, vt peccatum contrahat: ex eo, quod simpliciter est contra voluntatem eius actualem: restat ergo, quod creando infunditur.

ad Rom. 9.

RESOLVTIO.

Animæ non simul creatæ sunt: sed creando infunduntur; & infundendo creantur.

¶ QVOD concedendum est. ¶ AD primo obiectum dicendum, quod requieuit Deus ab vniuerso opere, quod patrarat, quantum ad genera, & species: & hoc haberi potest ex Gl. Bedæ super Gen. dicit n. primo requieuisse à generibus rerum faciendarũ, quia vltra noua genera non condidit vsq; nunc: tamen operatur administrationẽ illorum generum, quæ tunc constituta sunt.

¶ AD aliud dicendum, quod non est simile de angelis, & animabus, quia angeli sunt substantiæ non vnibiles corporibus, animæ vero sunt corporum perfectiones, cõuenit ergo, vt idem sit tempus perfectionis, & perfecti. Cum n. sint quædam, quæ ita sint substantiæ, quod non perfectiones, sc. intelligentiæ angelicæ: quædam, quæ ita perfectiones, & non substantiæ, vt perfectiones impressæ corporib. quædam medio modo se habẽt substãtiæ simul & perfectiones; & in quantum perfectiones, idem tempus perfectionis, & perfecti. Auctoritas autem Iob soluitur in Glos. vbi dicitur *Simul factus est, non vnitate, sed cogitatione rationis:* & alia Glo. *Simul per imaginem sapientiæ.*

Glossa.

¶ AD aliud dicendum, quod illæ coniunctiones non debuerunt esse. Aut n. essent Spiritus rationalis: aut irrationalis non: quia interit cum corpore, & non est substantia* separata. Si rationalis; hoc esse non potest, quia sic finaliter non participaret beatitudinẽ, sc. si esset ante corpus, & post interiret cum corpore. ¶ ITEM, alius status non competeret pro prima parte, quia si competeret esse post ad participandam beatitudinem, ante essent inutile quo ad hoc. ¶ ITEM, existenti ante, melius esset non coniungi, quã coniungi post, quia coniungeretur carni peccatrici, & vasi corrupto. Secundo, quia cum prius libere operaretur; ligatur vt tunc operari non possit, vt infans: Deus aũt in vnaquaq; creatura facit, quod melius est. Restat ergo, quod hoc, cum non sit melius, nõ faciat. ¶ ITEM, non dicimus, quod quæ est cõparatio esse post, ad corruptionem, æquè est esse ante ad generationẽ, quia in primo est progressus animæ de minus bono ad meliorẽ, & de meliori ad optimum, cum corpori redditur glorificatio in eis, qui bene meruerunt. In alio est declinatio de bono statu ad deteriorem: vt dictum est.

* Alias, si ipsa separata.

¶ AD illud vero, quod dicit August. quod anima habet istas potentias rationalem, irascibilem, & concupiscibilem; antequam corpori misceatur. Dicẽdum, quod hoc dicitur: quia non habet eas ex coniunctione ad corpus, sed habet eas, cum coniungitur corpori: intelligitur ergo prioritas, non temporis, sed naturæ.

MEMBRVM IV.

De localitate animæ, secundum seipsam suscepta.

SEQVITVR quarto de localitate animæ, secundum seipsam acceptæ. ¶ CIRCA hoc quæruntur duo sub Articulis. Primus, vtrum anima habeat locum spiritualem. secundus, vtrum anima sit in loco corporali.

ARTICVLVS I.

An anima sit in loco spirituali.

AD primum, quod anima habeat locum spiritualem; arguitur ex hoc, quod proportionalia sunt continẽs, & contentum, sed locus corporalis est corporum, ergo proportionaliter locus spiritualis erit spirituum: & ita erit locus spiritualis animarum. ¶ ITEM, Ioan. Dam. dicit: *Angeli, sunt intelligentiæ in locis spiritualibus existentes.* ¶ ITEM Hieron. *Licet non contineantur finibus corporalibus, circumscriptione tamen [illegible] suæ non carent.* ¶ ITEM, Aug. *Locus animæ Deus est:* ergo est ei locus spiritualis.

Damasc. Hieron. in li. de Spiritu Sancto. Aug. in li. de quãtitate animæ.

¶ CONTRA: Vnum & idem non potest esse locus respectu diuersorũ, primum autem cõtinet immediate multa: ergo non est continens vt locus. ¶ ITEM, Aug. *non dicuntur res esse in Deo, sicut in loco: non enim sunt ita res in eo, vt dicatur locus earum: locus enim longitudine, & latitudine, & altitudine continetur.* ¶ ITEM, si aliquis esset locus spiritualis immediate continens animam; aut fundaretur in substantia continente spirituali, aut in substantia contenta. Si fundaretur in substantia continente, eadem ratione quæreretur de illa substantia continente, in quo loco esset: & ita esset abire in infinitum, aut oporteret stare in primo, & ita esset vnus locus immediate continens multa. Si vero in substantia contenta: tunc non haberet rationem loci: locus n. est terminus continentis immobilis.

Idem in lib. 83. qq.

RESOLVTIO.

Anima dici potest in Deo esse, tanquam in loco spirituali, vniuersa continente, vel infra propriæ virtutis limites, quos transgredi non est.

¶ RESPONSIO. Locus intelligibilis dicitur dupliciter: simpliciter, & sfm quid. Vno modo dicitur increatus Spiritus, secundum quod datur ei continentia, vt in ipso quiescant, & ad ipsum moueantur, & in quo habent saluari substantiæ spirituales, & sic dicuntur à Gregor. currere spiritus circumscripti infra spiritum incircumscriptum. Alio modo dicitur terminatio virtutis in vnaquaq; re spirituali. extra enim illa terminationem nihil est de re spirituali. Et sic dicit August. *Inest substantiis spiritualibus naturalis terminus, quo ad seinuicem discernuntur: propter quod nulla est in alieno termino.*

Aug. in li. de hoc ad Petrum cap. 7 aliquantu ũ ante medium. to. 3

¶ AD obiectum autem respondendum est, quod secundum hunc vltimum modum est dicere, quod proportionalia sunt locus spiritualis, & locatũ: sicut locus corporalis, & locatum. Similiter quod dicit Damasc. Tamen illud posset intelligi aliter: vt contineretur virtus intelligentiæ vnius ab alia, quousq; ad Deum veniretur, qui est omnia continens. Illud vero, quod Hieron. dicit; sic plane intelligitur. Illud autem quod dicit Aug. intelligitur de loco primo, & communi continente.

Aug. in li. de quantitate animæ

ARTICVLVS II.

An anima sit in loco corporali?

AD secundum, quo quæritur de loco corporali: Vtrum animæ habeant locum corporalem, in quo sint secundum seipsas. ¶ ET videtur, quod sic per hoc, quod dicit August. *Ex eo intellectuales naturas corporeas dicimus, quod loco circumscribuntur.* In loco autem dicitur anima, quia alicubi præsens est, & alibi non est. ¶ ITEM, Damascen. Anima circumscriptibilis est, quia loco, vel tempore, vel comprehensione concluditur.

Aug. in li. de anima & spiritu. Damasc.

¶ CONTRA, omne locatum habet aliquã dependentiã à loco, vel ratione quietis, vel ratione conseruationis, vel ratione operationis, spiritualis autem substantia n secundũ

seipsam

seipsam nullam habet dependentiam: ergo non est in loco. ¶ ITEM, omne, quod est in loco corporali; per se habet determinatam rationem ad locum: vt graue ad deorsum, & leue ad sursum, sed anima nullam habet huiusmodi rationem secundum seipsam: ergo non est in loco corporali.

RESOLVTIO.

Anima est in loco corporali, non quidem per circumscriptionem, cum nullas hab. at partes dimensiuas, sed aut diffinitiuè (idque per accidens ratione corporis cui vnitur) aut præsentialiter.

¶ RESPONSIO, in loco corporali dicitur esse tripliciter: propriè, minus propriè, & communiter: Propriè per circumscriptionem, minus propriè per diffinitionem, communiter per præsentiam. Esse autem in loco secundum hos tres modos distinguitur, vt esse per præsentiam ponat existentiam rei & loci: esse vero per diffinitionem ponat coexistentiam, & superaddat terminationem: esse vero per circumscriptionem ponat duo prædicta, & superaddat commensurationem in loco secundum principium, medium & finem.

¶ SECVNDVM hæc potest responderi ad obiecta. Si n. dicatur anima rationalis esse in loco, hoc non est per circumscriptionem secundum se; cum non habeat partes dimensiuas. Potest autem dici esse in loco diffinitiuè per accidens ratione corporis, cui vnitur. Præsentialiter autem, quia adest loco, etiam cum est separata.

MEMBRVM V.

An, & quomodo anima rationalis sit ad imaginem, & similitudinem diuinam.

RESTAT consideratio de imagine, quæ dicitur spectare ad qualitatem in quantitate: dicitur n. imago expressa similitudo alicuius. ¶ CIRCA hoc quærentur septem. Primo quæritur, an anima rationalis debeat dici imago; an tantum ad imaginem. Secundo si dicitur vtroq; modo, sed tamen magis propriè ad imaginem, vtrum conueniat hoc soli rationali: aut conueniat alteri creaturæ. Tertio, si conuenit rationali animæ propriissimè, qua ratione dicitur esse ad imaginem Dei. Quarto, quæ sit differentia inter imaginem & similitudinē. Quinto, secundum quid conueniat ipsi animæ. Sexto, si conueniat secundum superiorem partem, vtrum tantum secundū naturalia illius partis: aut cum additione gratuitorum. Septimo, quomodo sit rationalis anima repræsentatiua imaginis diuinæ penes mentem, intelligentiam, & voluntatem.

ARTICVLVS I.

An anima rationalis imago, vel ad imaginem Dei sit?

Aug. in li. 83 qq. Quæst. 51. Hugo. li. 1. de Sacram. par 6. c. 2. Cassiodor. AD primum articulum, quod sit imago, videtur per hoc quod dicit Aug. quod homo dicitur imago, & ad imaginem: & hoc non est nisi secundum animam rationalem: ergo &c. ¶ ITEM, Hugo. *Imago secundum rationem, similitudo secundum dilectionem*: ergo anima rationalis dicitur imago Dei. ¶ ITEM, Cassiod. *Quomodo posset esse imago Dei, si anima hominum mortis termino clauderetur.* Ex quo accipitur quod anima humana secundum immortalitatem imago Dei: dicitur & ita est imago Dei.

Hilar. ¶ CONTRA Hilarius, *Imago est species indifferens, & indistincte similitudo*: sed hæc ratio non conuenit homini: ergo non est homo, vel anima rationalis imago Dei. ¶ ITEM,

Hugo. dicit Hugo. *imago pertinet ad figuram*: & hoc videtur per similitudinem sumptam in creaturis corporalibus, sed nō est figura in Deo, nec communis animæ, vel homini cum Deo: ergo non dicetur imago. ¶ ITEM, imago dicitur similitu-

Aug. in li. 83. qq Quæst. 51. Tom. 4. do: sicut dicit Aug. sed similitudo attenditur in forma substantiali vel accidentali: nulla vero forma talis communis est Deo, & rationali animæ: ergo &c. ¶ ITEM, imago dicitur expressissima similitudo, sed non potest esse expressissima similitudo Dei, nisi in vnitate naturæ, sicut hominis non potest esse expressissima similitudo nisi homo: ergo dicetur homo, vel anima rationalis imago Dei.

RESOLVTIO.

Si imago propriissimè dicatur; nequaquam homo vel anima imago, aut ad imaginem Dei dicitur: secus si non ita propriissimè.

¶ AD quod dicendum, quod imago dicitur propriissimè, & nō propriissimè: Si propriissimè: sic accipitur secundum rationem Hilarij: & ita non conuenit homini, aut animæ rationali respectu Dei. Si non propriissimè, prout dicitur expressissima similitudo in creatura, sic dici potest.

¶ RESPONDENDVM est ad obiecta: quod ratio Hilarij accipitur, prout conuenit filio Dei, quod sit imago respectu patris, & accipitur personaliter.

¶ AD secundum vero dicendum est, quod dicit Hugo, imaginem pertinere ad figuram: si figura accipitur propriè prout est in corporalibus, sic non dicetur imago Dei. Dicitur enim: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est Dominus: ne fortè decepti, faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem.* Deut. 4. Si vero accipiatur figura proportionaliter, pro distinctione cum quantitate virtutis: sic aliquo modo dici posset, quod dicitur imago Dei. Imitatur enim anima rationalis Deum in quadam distinctione virium, ratione distinctionis personarum, & est quantitas virtutis communis viribus ad quandam similitudinem quantitatis virtutis, siue æqualitatis in personis diuinis: est tamen ibi magna differentia ex alia parte, & licet nomen imaginis soleamus hic accipere, non tamen nomen figuræ solet transferri: nisi cum dicitur: *Figura substantiæ*: vbi secundum aliam translationem pro imagine potest accipi: cum dicitur, *filius est imago patris.* ad Heb. 1.

¶ AD tertium dicendum est, quod licet non sit conuenientia in forma substantiali cum accidentali: est tamen aliqua conuenientia secundum proportionem in effectu: sicut Deus meminit, intelligit, diligit: sic anima secundum suum modum: similitudo etiam alta est causati ad primam causam.

¶ AD quartum dicendum, quod non potest esse similitudo ad primam causam quantum ad expressionem eiusdem naturæ vel essentiæ: potest tamen habere quandam similitudinem expressam: sicut possibile est in creatura.

ARTICVLVS II.

An dici ad imaginem soli rationali creaturæ conueniat, vel etiam alij.

AD secundum, quod quæritur: cum dicatur esse anima imago communiter, & non propriissimè; nihilominus tamen ad imaginem: Vtrum conueniat tantum animæ humanæ, & huiusmodi secundū animam, an alij creaturæ. Et videtur, quod alij creaturæ per hoc, quod similitudo alia, & conuenientia potest esse creaturæ, in vnitate, veritate & bonitate. ¶ ITEM, animæ sensibilis est similitudo cum Deo in potentia cognoscendi, angeli vlterius in potentia diligendi: Inuenitur etiam in angelo trinitas illa virium; secundum quam dicitur attendi imago. ¶ PRÆTEREA dicit B. Greg. exponens illud: *Tu es signaculum, quod non ad similitudinem Dei tantum factus dicitur, sed signaculum similitudinis: vt quo in eo est subtilior natura; eo in illo subtilius imago Dei insinuetur expressa:* & post subdit. *Sub sigillo anuli talis similitudo exprimitur, qualis in sigillo essentialiter habetur.* Ex quo accipitur, quod angelus magis debet dici imago Dei, vel ad imaginem, quam homo, vel anima rationalis. Gregor. Vide Homil. 34. in Euang. ante mediū.

¶ CONTRA Aug. *Nulli alij creaturæ dedit, quod sit ad imaginem, nisi homini.* ¶ ITEM, cum imago sit expressa similitudo; magis autem vnibilia sunt, quæ expresse sunt similia; & econuerso; videtur magis de anima rationali, quam de angelo, q̃ sit ad imaginem per rationem vnibilitatis. ¶ ITEM, ratio imaginis descendit, vbi fit conformatio secundum rationem processionis vnius ab altero, sed in homine potest esse ratio processionis vnius ab altero per generationem, in angelis autem non: ergo magis videtur dici homo ad imaginem, quam angelus. ¶ PRÆTEREA, sicut dicit idem Aug. *sicut Deus est omnia viuificans, & gubernans: ita anima se habet in suo corpore: & ita habet expressam similitudinem.* Aug. in sermone de Imagine. Sermone 27. de verbis Apost. Tom. 10. Idem in eod & in lib. de anima & spiritu.

RESO-

RESOLVTIO.

Soli rationali creaturæ ad imaginem Dei dici conuenit: sicut ea sola ipsius expressa similitudo est.

¶ Respondendvm, quod non conuenit ratio imaginis omni creaturæ, quia nō est expressa similitudo, sicut contingit esse in creatura. In alijs enim creaturis remanet ratio vestigij secundum vnitatem, veritatem, & bonitatem. In sensibili autem creatura licet sit potentia cognoscendi; non tamen potentia cognoscendi ipsum, & diligendi: & ideo non est in hoc conuenientia cum Deo: Deus enim seipsum cognoscit, & diligit.

¶ Ad illud vero, quod objicitur de angelo: Dicendum, quod imago potest dici communiter, & potest dici propriè. Communiter, sic dicitur de angelo: Propriè sic dicitur de anima rationali, & de homine secundum animam: conuenit n. angelo secundum simplicitatem essentiæ, & trinitatem virium, quibus meminit, intelligit, & diligit, & secundum hoc etiam conuenit animæ rationali: abundat autem anima rationalis in hoc, quod est imago Dei, secundũ hoc, quod sicut Deus mouet, & gubernat vniuersum: sic & anima rationalis mouet, & gubernat suum vniuersum. Præterea similitudo virtutis est in homine in hoc, quod potest producere in natura simile: ex alia vero parte euidentius distinguitur in anima ratio memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis: inquantum ex memoria procedit intelligentia, ex memoria & intelligentia voluntas.

¶ Ad obiectum autem in contrarium. Dicendum, quod imago licet dicatur de angelo; & sit maior expressio ratione simplicitatis: non tamen ratione eorum, in quibus consistit principalis ratio imaginis: vel quantum ad quantitatem virtutis ex parte essentiæ & personæ, sicut supra dictum est. Ex parte n. essentiæ est ambitus gubernationis, & viuificationis, ex parte personæ virtus productionis: & in actibus virium * est euidens processio.

[* Alias, &.]

ARTICVLVS III.

Anima cur ad imaginem Dei, & non Dei imago dicatur: sic num ad imaginem filij esse, dici possit.

AD tertium, quo quæritur, qua ratione dicatur ad imaginem Dei. ¶ Ad quod respondendum est, animam esse ad imaginem Dei, vt ratione præpositionis, quæ est transitiua: notetur differentia naturæ: & in hoc ostendatur differens ratio respectu filij, qui dicitur imago, non ad imaginem. Et ponit August. similitudinem in Lib. de Decem chordis. Sicut in nummo imago Imperatoris aliter est, & aliter in filio. In filio enim est impressa secundum conuenientiam naturæ: in nummo autem non sic: Et tu nummus Dei es, ex hoc melior: quia cum intellectu & cum quadam vita es, vt scias, cuius geras imaginem: nummus autem nescit se habere imaginem Imperatoris. Similiter ponit exemplum de filio & speculo. In filio hominis est imago hominis: & est hoc quod pater: in speculo autem imago non est hoc, quod ipse. In filio est imago secundum æqualitatem substantiæ: in speculo autem quam longe est à substantia: & ideo proprie dicitur esse in homine ad imaginem propter naturæ diuersitatem. De hoc, quod de homine dicitur ad imaginem nostram, supra dictum est, vtrum supponat pro creato, vel in creato, & vtrum pro persona, vel pro essentia. Magister etiam in Sententijs de hoc tangit: vnde satis quantum ad præsens transeundum est.

[Aug. in li. de decem chordis. cap 8. Tom. 9.]

[Quæst. 55. Memb. 3.]

[Magist. in 2. d. 16.]

¶ Sed vtrum homo possit dici ad imaginem filij quæritur. Dicit enim August. *Quæ est imago Dei, ad cuius similitudinem factus est homo: nisi Saluator noster, qui est primogenitus omnis naturæ.* ¶ Item, *Transformamur in eandem imaginem tanquam ad Deum Spiritum.* Et Roman. 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Conformitas autem, quid aliud est, quam secundum rationem imaginis? ergo homo dicitur ad imaginem filij. Sed si hoc, qualiter dicetur esse ad imaginem nostram: cum ibi imago designetur communis trium personarum.

[Aug. super Gen.]

[2. Cor. 3. Rom. 8.]

RESOLVTIO.

Anima non imago, sed ad imaginem Dei dicitur, ad differentiam verbi æterni, qui naturalis & substantialis illius imago est, cum eiusdem natura, & substantia cum ipso sit. Nec deinde animam ad imaginem filij esse, dici inconuenit: sicut nec ad imaginem Trinitatis esse dici incongruit.

¶ Ad quod respondendũ, quod vtrumq; potest conuenienter dici, & quod homo est ad filij imaginem, qui est imago patris: quia per ipsum tanquam mediatorem ordinatur ad patrem per gratiam in præsenti, & per gloriam ordinabitur in futuro. Dicitur autem ad imaginem Trinitatis propter rationem supradictam, quia sicut vnitas essentiæ diuinæ est in tribus personis, quarum vna procedit ab altera: ita vnitas est essentia animæ in tribus viribus, quarum virium vna dependet per intellectum ab alia & actus mediante actu elicitur.

ARTICVLVS IV.

Ad imaginem, & similitudinem Dei esse: siue ad imaginem, & similitudinem Dei facere, in quo differant?

AD quartum articulum, quo quæritur; quæ sit differentia interesse ad imaginem & similitudinem, vel facere ad imaginem, & similitudinem. Videtur enim per Augustinum, quod vbi est imago, ibi est similitudo, sed non econuerso. In duobus enim ouis similitudo est: neutrum tamen alterius imago. Et: *Illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago.* Glos. *vbi imago, continuo & similitudo:* ergo similitudo est generale ad imaginem.

[Aug. in li. 83. qq.]

[2. Cor. 4. Glossa.]

¶ Contra in Gloss. super Genes. *Imago quantum ad naturalia, similitudo quantum ad gratuita.* ¶ Item August. *Imago in cognitione, similitudo in dilectione.* ¶ Item, Hugo: *Imago, quia omnia in ipsa anima sunt secundum sapientiam: similitudo quia vna & simplex esse dicitur secundum essentiam.*

[In ead. super Gen. Aug. de anima & spiritu. Hugo in lib. de sacram.]

RESOLVTIO.

Imago attenditur quantum ad naturalia: similitudo quantum ad gratuita. Illa in cognitione, hæc in dilectione consistit. Ad hæc dicitur anima ad imaginem, quia omnia in ipsa sunt secundum sapientiam: ad similitudinem, quia vna & simplex secundum essentiam.

¶ Ad quod dicendum, quod similitudo accipitur communiter pro conuenientia, siue secundum substantiam, siue secundum rem alterius generis, & hoc modo potest esse generale imagini & similitudini, propriè sumptis. Vel potest accipi similitudo pro conuenientia secundum qualitatem, & hoc modo licet distinguatur ab imagine; nihilominus potest vnum esse concomitans aliud generaliter, & nō econuerso. Cum ergo dicitur, quod vbi est imago, ibi est similitudo: hoc põt esse duabus rationibus: vel quia similitudo sit generale; vel similitudo inseparabiliter concomitatur imaginem, & non econuerso. Si secundo modo accipiatur, non opponitur distinctioni secundum rationem, & ita accipit August. Cum autem dicitur, quod similitudo accipitur quo ad gratuita, imago quo ad naturalia; distinctio accipitur non tantum ratione, sed etiam re.

An rectè distinxeris Augustin. inter imaginem, & similitudinem, cum dixit: Imago in cognitione, similitudo in dilectione. §. 1.

¶ Potest autem quæri adhuc de illa differentia, quam ponit Augustin. quod imago attenditur in potentia cognoscendi, similitudo in potentia diligendi, & alibi dicitur: imago in cognitione, similitudo in dilectione: propter quod magis imago ad cognitionem referatur, quam similitudo, cum cognitio dicatur assimilatio cognoscentis ad cognitum.

[Aug. lib. de anima & spiritu. cap 19.]



RESOLVTIO.

Si vtriusque conditiones perpendantur: rectè discreta iudicantur.

¶ Ad quod dicendum, quod cognitio potest dici communiter, & sic dicitur cognitio assimilatio cognoscentis ad cognitum: Vel potest dici propriè, cum in qualitate conuenit: sicut diligens cum diligente in dilectione conuenit, & hoc facit communis voluntas. Et hæc dicitur similitudo in dilectione: cum diligens ipsa vi dilectionis in quandam similitudinem dilecti transformatur. Vnde Hugo. *Scio anima, quod quicquid diligis, ipsa vi dilectionis in eius similitudinem transformaris.* Præterea in cognitione est quædam discretio cognoscibilis, propter quam est quædam cõfiguratio. Præterea potentia cognoscendi in quantũ huiusmodi siue cognitio præcedit potentiam diligendi, in quantum huiusmodi, & dilectionem, cum ergo imago plus adhæreat naturæ, quam similitudo: & sit prior naturaliter, quam similitudo superinducta imagini: rectè penes potentiam cognoscendi determinatur imago: similitudo penes potentiam diligendi: sicut in re corporali prius est imago, quam color, qui superinducitur.

Hugo in lib. de artha spõsæ.

An alijs differentijs, quam dictis discrepent? §. 2.

Quæstio lateral. Cassiod.

¶ Deinde quæritur de multis differentijs, quæ ponuntur inter imaginem & similitudinem: quia sicut dicit Cassiod. imago attenditur secundum immortalitatem, similitudo secundum simplicitatem, & ita videtur similitudo esse prior quam imago: simplicitas enim videtur esse prior immortalitate.

RESOLVTIO.

Cassiodorus alteram assignat differentiam: sed Hugo quam plures.

¶ Responsio, similitudo accipitur generaliter, vt etiã secundum immortalitatem dicatur similitudo: vnde secũdum quæ attenditur imago, secundum illa attenditur similitudo, & secundum aliqua attenditur similitudo, secundũ quæ non attenditur imago: vt pote secundum simplicitatem: Tamen anima dicitur ad imaginem propter vitam æternitatis, in qua imitatur Deum: secundum autem simplicitatem non dicitur, quia hoc potest esse commune rebus corporalibus, quæ non dicuntur esse ad imaginem Dei.

Hugo li. 1. par. 6. c.

¶ Similiter intelligendum est quod dicit Hugo. *Imago pertinet ad figuram, similitudo ad naturam:* natura enim prior est figura. Vnde attendendum est, quod loquitur de similitudine, prout similitudo est conuenientia quasi in forma: vt cum dicitur, quod filius est similis patri in hoc, quod est eiusdem speciei, sed sic non attenditur similitudo, prout sequitur imaginem, in quantum dicimus, quod homo est cõditus ad imaginem & similitudinem Dei: & non dicitur ad similitudinem & imaginem. ¶ Similiter videntur esse plures differentiæ, quas ponit ipse: vt cum dicitur: *Imago, quia rationalis: similitudo, quia spiritualis.* Similiter cum dicitur, quod imago sit, quia omnia in ipsa sunt secundum sapientiam: similitudo, quia simplex secundum essentiam. Vnde generaliter attendendum est, quod duobus modis attenduntur differentiæ: vel vt similitudo superintelligatur imagini, & sic propriè accipitur, vel secundum quod similitudo extenditur, vt quo ad priora imagine, vel concomitantia accipiatur.

Idem ibid.

ARTICVLVS V.

Ad imaginem Dei secundum quam partem dicatur homo; num secundum corporalem, & sensibilem; vel secundum rationalem & intelligibilem?

AD quintũ, quo quæritur, sdm quod conueniat animæ vel homini; vtrum dicatur conuenire sdm corpus: quia sicut August. dicit: Habet potestatem, qua potest: veritatem qua discernit: bonitatẽ qua in ipsum tendit. ¶ In hoc etiam videtur, quod dicit Aug. quod in exteriori homine quædam Trinitas inuenitur: etsi non ita expressa vt in interiori homine: vnde dicit: *In interiori homine, qui corri*-*pitur, quæramus quo modo possumus quandam Trinitatis effigiem, etsi non expressiorem: tamen ad dignoscendum faciliorem.* Ex quo colligitur, quod homo secundum corpus dicitur ad imaginem. ¶ Præterea videtur per hoc, quod dicitur in Genes. 1. *Ad imaginem suam creauit illum, masculum & fœminam creauit illos:* sed hæc distinctio non est, nisi secundum corpus, ergo &c. ¶ Item, August. *Quia tale est vt ad contemplandum cælum sit aptus, magis in hoc ad imaginem & similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium facta iure videri potest.* ¶ Item, secundum * sensibilem videtur esse quædã Trinitatis imitatio: sicut ostendit August. in Lib. de Trinitate. Est enim species memoralis, siue memoria: & conuersio super ipsam rem per notitiam: & dilectio, quæ surgit ex his: ergo cum in his similitudo trinitatis ostendatur, erit in sensibili parte homo conditus ad imaginem.

Auguſt.

Idem.

Gen. 1.

Aug. in lib. 83. qq.

* Alias, similitudinem sensibilem.

¶ Contra, Beda in Gloss. *Ad imaginem dicitur esse secundum illam partẽ, qua irrationabilibus antecellit.* ¶ Item, Cassiodorus. *Quomodo posset imago, aut similitudo Dei esse, si anima hominum mortis termino includerentur.* ¶ Item, idem. Nec rectè dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret cõtemplandæ incommutabili veritati. ¶ Item August. *Illa pars imago dicitur esse, secundum quam particeps eius esse potest:* participatio autem hæc est secundum cognitionem & dilectionem: cum ergo secundum sensibilem vel corporalem non habeat huiusmodi participationem; non dicetur imago Dei.

Beda in Glossa. Cassiod.

August.

RESOLVTIO.

Secundum intelligibilem, & rationalem, propriè.

¶ Responsio, sumpta propriè ratione imaginis, non dicetur homo ad imaginem Dei, nec secundum corpus, nec secundum partem sensibilem, sed secundum partem intelligibilem, vel rationalem: Vnde licet inueniatur quædam similitudo trinitatis: non tamen dicetur imago: imago enim est expressa similitudo: sicut possibile est in creatura.

An anima rationalis dicatur imago, vel ad imaginem Dei secundum superiorem tantum partem, vel etiam secundum inferiorem. §. 1.

¶ Deinde quæritur: Vtrum anima rationalis secundũ inferiorem partem dicatur ad imaginem, vel imago: an tantum secundum superiorem. Quod videtur per hoc quod dicit August. *Cum in natura mentis humana quærimus trinitatẽ, in tota quærimus: non separantes actionem rationalis in temporalibus à contemplatione æternorum, & secundum trinitatem dicitur imago,* ergo &c. ¶ Item, sic est in interiori homine, sicut in exteriori, sed in exteriori sic est, quod tam mulier, quam vir dicitur esse ad imaginẽ: ergo sic erit in interiori homine: cum ergo inferior pars rationis dicatur mulier, erit ipsa dicta ad imaginem.

Quæstio lateralis.

Aug. in li. de Trin. lib. 12. c. 4. in principio. To. 3.

¶ Contra August. *ex qua parte conspectam consulit veritatem, est imago Dei: ex qua vero intenditur ad inferiora agenda, non est imago Dei.* ¶ Item, in eodem. *Eo propriè imago eius est, quo capax eius est: eiusq; particeps esse potest, quod tam magnum bonum, nisi per hoc quod imago est, eius esse non potest.* ¶ Item, in eodem, *in hac distributione non rectè dicitur imago Dei: nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati.*

Idem in eodem. Idem in eod.

Idem in eod.

RESOLVTIO.

Anima (propriè loquendo) imago Dei dicitur secundum superiorem partem.

¶ Ad hoc dicendum, quod (propriè loquendo) imago dicitur secundum superiorem partem. ¶ Ad primo obiectum dicendum est, quod trinitas quædam attenditur secundum partem inferiorem, scil. secundum quod meminit, intelligit, & diligit hæc inferiora: non tamen secundũ illam dicitur imago: non secundum quamlibet trinitatem vitium dicitur imago: sed solum secundum illam, qua meminit, intelligit, & diligit Deum.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod homo exterior potest dici sensualitas, siue pars sensibilis, & sic non est cõuenientia vel similitudo interioris & exterioris hominis: Vel potest dici exterior homo progressus tentationis, secundum quod fuit in primis parentibus, & quãtum ad hoc

quo

quo ad quid est similitudo in interiori homine & exteriori, quod ad hoc n. est similitudo, quod sicut in exteriori homine est triplex motus, sc. serpentis, mulieris, & viri: ita & in interiori, sc. sensualitatis, inferioris partis rationis, & superioris. Quo ad hoc autem est dissimilitudo, quia in homine exteriori est imago ex parte viri, & etiam ex parte mulieris: non tamen ita est in homine interiori, sed solum attenditur imago ex parte viri, sc. superioris partis rationis.

Anima ex quo imago, vel ad imaginem Dei est secundum partem superiorem; num secundum quod ibi trinitas est respectu vel respectu sui? §. 2.

Quæstio lateralis. ¶ Deinde quæritur: Si est imago, vel ad imaginem secundum superiorem partem rationis; vtrum secundum quod trinitas inuenitur in ea respectu Dei: vel respectu sui. ¶ Et videtur, quod respectu sui: sicut enim Deus meminit, intelligit, & diligit se, & secundum hoc dicitur trinitas: ad cuius imaginem condita est anima rationalis: vt sic sit semper reditio super suam essentiam, & ita videtur esse in anima, cum anima meminit se, intelligit se, & diligit se ergo secundum hæc attenditur esse imaginis. ¶ Item Aug. (Aug in li. de Trin.) *Ecce mens meminit sui, intelligit se, & diligit se, hanc si cernimus, trinitatem; nondum quidem Deum, sed iam imaginem Dei:* ergo anima secundum hæc est, ad imaginem Dei. ¶ Contra August. (Idem in eodem. lib. 14 c. 12) *Hæc trinitas mentis non propterea imago Dei est, quia sui meminit mens, & intelligit, & diligit se:* sed quia potest meminisse, intelligere, & amare, à quo facta est: ergo tantum dicetur imago, in quantum hæc in Deum conuertitur.

RESOLVTIO.

Secundum quod respectu Dei est, siue prout ad Deum conuertitur.

¶ Quod concedendum est. ¶ Ad obiectum autem in contrarium primum, dicendum est: quod licet in hoc sit quædã similitudo: tamẽ quia fit redditio super creaturam, & ita super defectibile; non est imago summæ trinitatis: ideo oportet vt vires & anima secundum ipsas in Deum conuertantur.

¶ Ad secundum autem dicendum est, quod in prædicta autoritate non fit relatio ad ipsam animam intelligentem, sed fit relatio ad Deum: de quo prius habitus est sermo: sicut littera præcedens, & subsequens ostendit, licet ab aliquibus malè intelligatur.

ARTICVLVS VI.

An imago Dei, quæ animæ secundum superiorem partem conuenit; penes naturalia, vel penes gratuita attendatur?

AD sextum, quo quæritur; cum conueniat secundum superiorem partem, vtrum penes naturalia, vel gratuita: Et videtur, quod tantum secundũ naturalia, quia imago inseparabilis est ab anima. sicut habetur in Glos. (Psal. 38.) *Verumtamen in imagine pertransit homo.* ¶ Item, Aug. (Aug. 14. de Trin. cap. 4.) *Non vanitatem imagini Dei tribueret, nisi deformẽ cerneret factam: nec tantum valere deformitatem, vt sic auferat, quod imago Dei est.*

¶ Contra, super illud: (Psal. 4.) *Signatum est super nos, &c.* distinguitur triplex imago, creationis, recreationis, & similitudinis: vnde inuenitur, quod secundum imaginem recreationis reformatur imago creationis, vt simpliciter sit imago.

RESOLVTIO.

Penes vtrumque; & naturalia, sc. & gratuita.

¶ Ad quod dicendum, quod imago attenditur penes vtrumque, scilicet penes naturalia, & penes gratuita, sed differenter. Nam est imago creationis, & est imago recreationis. Imago autem creationis attenditur penes potentias naturales, scil. memoriam intelligentiam, & voluntatem. Imago vero recreationis attenditur penes gratiam reformantem illas potentias. Prima est indifferenter in peccatoribus, & in iustis: alia autem est tantum in iustis.

An pariter penes potentias, vel penes potentiarum actus attendatur? §. 1.

Quæstio lateralis. ¶ Item quæritur: Vtrum imago attendatur penes potentias, vel penes actus potẽtiarum. Et videtur, quod penes actus. Nam sicut dicit Aug. (Aug. li. 9. de Trin. cap. 4) *Imago in anima attenditur penes ista tria, sc. mens, notitia, & amor:* sed ista tria non sunt potentiæ, sed actus potentiarum: ergo penes actus attenditur imago. ¶ Item, ratio imaginis attenditur penes tria, secundum quod vnũ procedit ex alio: vt sicut filius est à patre, & Spiritus S. ab vtroque: ita ex memoria intelligentia, & ex vtroq; voluntas. Sed constat, quod potentia non procedit de potẽtia, sed actus ex actu: ergo imago attenditur penes actus, & non penes potentias.

¶ Contra, si imago attenditur penes actus, & non penes quoslibet actus, sed penes illos; secundum quos habet conuerti in Deum: non esset imago in homine nisi sdm quod actualiter conuerteretur in Deum: ergo in peccatoribus non esset ratio imaginis: cum non cõuertuntur in Deũ actualiter. ¶ Item, dicit Aug. (Idem li. 14 de Trin. cap. 12.) quod anima dicitur ad imaginem Dei, non quia meminit, intelligit, diligit, sed quia potest meminisse, intelligere, & diligere: ergo imago attenditur penes potentias, non penes actus.

RESOLVTIO.

Penes potentias: secundum quod tamen ex eis actus elici habent.

¶ Ad quod dicendum, quod imago attenditur penes potentias: tamen secũdum quod ex illis habent elici actus. ¶ Vnde (Idem.) cum dicit Aug. quod imago attenditur secundum mentem, notitiã, & amorem: non per hoc negetur, quin attendatur secundum potentias. ¶ Ad hoc quod objicitur: quod potentia non est ex potentia. Dicendum, quod licet potentia per se, absolute considerata, non sit ex potentia: tamen in eliciendo actum suum vna potentia dependet ab alia: & ita quodammodo est ex illa. Vnde in eliciendo actũ præintelligitur memoria ante intelligentiam: vnde quantum ad hoc * imitatur trinitatem personarum quantum ad processionem. (* Alias, imitatur principaliter memoria.)

ARTICVLVS VII.

An, & quomodo anima rationalis repræsentatiua sit imaginis diuinæ penes memoriam, intelligentiam, & voluntatem?

CONSEQVENTER quæritur, qualiter est repræsentatiua imaginis ipsa anima. Dubitabit tamen aliquis, quomodo secundum prædicta, memoriam, intelligentiam, & voluntatem fiat coaptatio ad trinitatem personarum: Dicit enim Aug. (Aug. li. 10. de Trin. cap. 11.) *memoria patri, intelligentia filio, voluntas Spiritui S. adaptatur:* Et ratio huius est, quia ex memoria primæ veritatis generatur intelligentia eius, ex vtroq; vero procedit amor primæ veritatis: memoria ergo est generans, intelligẽtia genita, amor procedens: memoria ergo patri, intelligentia filio, amor Spiritui sancto.

¶ Contra, *Secundum imaginem suam fecit illum.* (Eccles. 17. Gloss.) Glos. *Sicut ex patre filius, vt ex vtroq; Spiritus S. ita ex intellectu voluntas, & ex vtroq; memoria:* Ergo intellectus patri, voluntas filio memoria Spiritui sancto adaptabitur. ¶ Item, August. (Aug. in sermone de imagine. Sermo. 27 de verbis Apost. Tom. 10.) *Ex his quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur Deum diligere.* (Deut. 6.) vt quantum intelligatur, tantum semper in memoria habeatur: nec solus sufficit intellectus: nisi sit voluntas in amore eius: nec hæc duo sufficiunt: nisi addatur memoria, qua semper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus: Memoria ergo procedit ex intelligentia & voluntate: non ergo aptabitur patri.

RESOLVTIO.

Ita vt memoria attribuatur patri (memoria inquam innata, & quo ad esse) intelligentia filio, voluntas Spiritui sancto.

¶ Respondendvm. (In opposido.) Est memoria innata, & acquisita: Memoria veritatis innata est principium intelligentiæ & voluntatis. Est enim (sicut dictum est) vis conseruatiua simili-

similitudinis primæ veritatis impressæ à creatione: & secundum hoc memoria attribuitur patri, intelligentia filio, voluntas Spiritui sancto. Memoria vero acquisita primæ veritatis potest considerari duobus modis: aut quantum ad fieri: aut quantum ad esse: Quantum ad fieri naturaliter procedit memoria acquisita ex intellectu & voluntate, & secundum hoc intellectus, qui est generans veritatem, attribuitur patri: voluntas, quæ est genita, filio; memoria ex vtroque procedens Spiritui sancto. Quantum ad esse vero memoria veritatis acquisita potest esse principium veritatis intelligentiæ & voluntatis: secundum hæc fiat assignatio sicut prius: memoria patri, &c.

Dubitatio August. ¶ ITEM, dubitabit aliquis de hoc, quod dicit Aug. in Lib. de Trin. quod actus isti sese sunt circum incedētes, meminisse, intelligere, velle: vt sit similitudo potentiarum ad personas diuinas; sicut dicit Damascen. Verbi gratia quod memini, intelligo & volo, & quod intelligo, memini & volo, & quod volo, memini & intelligo. Contra intelligentia est respectu aliquorum: respectu quorum non est voluntas, & etiam memoria: meminimus enim & intelligimus mala, & non volumus ea: non ergo quod intelligimus & meminimus, volumus.

¶ RESPONDETVR, non dicuntur sese circum incedere, nisi cum sunt superioris partis rationis respectu primæ veritatis, & tunc sese circumincedunt; vel cum sunt inferioris partis rationis respectu suipsius, quæ meminit se, intelligit se, & diligit se: vel respectu eius, ad quod nata est, quæ non potest non amari, nec etiam ignorari habitu. Respectu vero aliorum, quæ non sunt: vel illud à quo ipsa est: vel illud quod ipsa est: vel ea ad quæ nata est: sicut sunt temporalia, & operationes voluntariæ: non se circumincedunt, sine necessario concomitantur.

MEMBRVM VI.

Anima rationalis quem ordinem in vniuerso obtineat?

AD sextum principale membrum, quo quæritur de ordine animæ rationalis in vniuersitate creaturarum. Videtur enim quod post ordinem intelligentiæ angelicæ debeat esse ordo animæ rationalis. ¶ Intelligentia enim angelica est substātia incorporea separata à corpore: cum ergo incorporeū sit prius dignitate corporeo: & separatum à corpore separabili à corpore: separabilis vero substantia dignior inseparabili: anima vero rationalis sit substantia separabilis à corpore, non dependens secundum essentiam à corpore: sensibilis vero anima & vegetabilis sit inseparabilis à corpore: rectè anima rationalis collocari debet in vniuerso post angelicam intelligentiam, & ante sensibile animam & vegetabilem, & hæc omnia ante corpoream substantiam, sicut præhabitum est. ¶ ITEM, principium motus nobilius est; quam illud cuius est principium, scilicet mobile, cum ergo corpus sit mobile, & anima sit principiū motiuum; & maximè rationalis; rectè erit prior in vniuerso corpore: rectè ergo post lucem, hoc est intelligentiam angelicam; quæ primo die condita est, deberet esse ordo animæ rationalis. ¶ ITEM, anima rationalis est condita ad imaginem; cum ergo res deberent habere ordinem secundum maiorem & minorem appropinquationem ad Deum; debet anima rationalis, vel immediate ordinari post Deum: vel post intelligentiam angelicam, quæ aliquam facit influentiam super animam rationalem, scil. consiliorum, & illuminationum.

¶ CONTRA, anima rationalis habet essentialem comparationem ad corpus: corpus autē suum posterius est alijs corporibus; omnia enim corpora ordinātur ad illud, tanquam vltimum, ratione, qua vnitur animæ rationali. In corpore enim humano est potentia ad actum perfectiorē, quam sit in corpore habente tantum potentiā ad animam sensibilē, vel vegetabilem. Est n. in corpore humano potētia ad actum locutionis, per quam est omnium signatio. ¶ PRÆTEREA, in corpore humano est vis ordinata ad productionem corporis animalis per animam rationalē, quod non est in alio corpore: ergo corpus est dignius quo ad hoc alijs corporibus.

¶ Fortè dicetur, quod hoc est verum in corporibus inferioribus, sed hoc non est in corporibus supercœlestibus. nam illa corpora digniora videntur esse hoc corpore: eo quod sunt principium transmutationis in hoc corpore: sicut etiam in alijs corporibus. Sed huic obuiat, quod etiam corpus supercœleste ad hoc corpus ordinatur. Dicitur n. *Non resurget homo, donec atteratur cœlum*: ergo attritio cœli est præambula ex diuina dispositione ad resurrectionem corporis humani, sed attritio cœli non aliud est, quam status eius, inquantum est mobile: ergo stabit cœlum ante: hoc autem non esset, nisi motus eius ordinaretur ad mutationem, & innouatio eius ad innouationem: ergo superiora corpora sunt ordinata ad corpus humanum tanquam suum vltimum. ¶ PRÆTEREA, dicitur: *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.* Et post sequitur: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*: vbi dicit Gloss. *Omnia elementa cum labore sua explent officia: sicut sol, & luna non sine labore statuta sibi implent spacia: quod est causa nostri, vnde quiescent, nobis assumptis*: ergo etiam illa corpora ordinata sunt ad corpus humanum: ergo cum corpus humanū sit ordinatū ad animam rationalem, erit anima rationalis vltimum in vniuerso. Hoc etiam ostendit ipsa conditio in operibus primis. Nam post omnia dicitur, quod fecit hominem, & exprimitur sua conditio, & secundum corpus & secundum animam per hoc, quod sequitur: *Formauit hominem de limo terræ: & inspirauit in eo spiraculum vitæ.* Iob. 14. Rom. 8. Ibid. Glossa. Gen. 2.

¶ Fortè dicetur, quod esse animæ rationalis, in quantum est anima, est secundū hunc modum: sed non secundū quod Spiritus: prout enim est Spiritus, non videtur dependentiam habere, nec cōparationem ad corpus: & ita quod alium ordinem habere debeat.

¶ CONTRA hoc est, quod dicit Aug. quod semper habet spiritus rationalis intentionem ad corpus, vel inclinationem: ergo anima rationalis, etiam prout est spiritus, cū adhuc habeat aliquam inclinationem ad corpus & possibilitatem, vt sit pars hominis essentialis, ordinabitur in vniuerso ea ordinatione, qua homo ordinatur: ergo erit finis, siue terminus creaturarum. Aug. super Gen.

RESOLVTIO.

Anima rationalis (Anima inquam vna cum corpore) tanquam vltimum in vniuerso ordinatur: sicut sexto die creatam legimus.

¶ AD quod dicendum, quod anima rationalis hoc modo ordinabitur tanquam vltimum in vniuerso, & sicut suū esse nō habuit, antequam cōiungeretur cum corpore: imo creatur, & creando infunditur; etiam secundum quod spiritus: ita non habet aliquē ordinem nisi in opere sextæ diei.

¶ AD obiecta aūt in contrarium dicendum est, quod licet incorporeum sit dignius corpore, & separabile inseparabili: non tamen secundum hoc accipitur ordo in vniuerso, quia nec habuit esse, antequam esset in corpore: & si haberet essentialiter, respiceret corpus, & ideo totaliter ordinatur secundum esse totius in vniuerso: sicut etiam sensibilia & vegetabilia.

¶ AD illud, quod secundo obiicitur, quod est principiū motus; & ita dignius. Dicendum, quod hoc est verum, quod scil. dignior est corpore, sed licet fructus sit dignior, non tamen præcedit florem: sic nec anima rationalis præcedit suū corpus, sed est perfectio corporis organici, potentia vitam habentis.

¶ AD tertium dicendum, quod licet condita sit ad imaginem Dei, & ita quandā habeat immediationem ad Deum: non tamen in vniuerso ordinatur propter habitudinem essentialem ad corpus; secundum quam constituta est, quasi medium quoddā inter corpus & Deum: vt ipsa per se ordinaretur in Deum: corpus vero mediante ipsa anima: Anima enim per contemplationem & dilectionem sursum fertur naturaliter: corpus vero licet ex natura quadam tendat deorsum; habet tamen ex parte animæ rationalis, vt trahatur sursum ad immortalitatem; in qua per animam quodammodo Deo assimilatur.

**
*

QVÆSTIO LXIII.

De anima in comparatione ad corpus.

In quatuor Membra diuisa.

D.Tho. 1. par. q. 76. ar. 18. art. S.Bon. in 2 d. 17. art. 1 & d. 18. art. 2 Sco. 1. ad. d. 9 q. 2. & d. 17 q. 1.

DICTVM est de anima secundũ se, & cõditionibus suis. Nunc dicendum est de ea, secundum comparationem ad corpus. Primo quantum ad coniunctionem. Secundo quantum ad esse eius in corpore. Tertio quantum ad separabilitatem. De separabilitate autem erit sermo in vltima Parte, quæ spectat ad retributionem. ¶ Quantum ad coniunctionem primo quæritur, si sint coniungibilia. Secundo si coniunguntur, vtrum sine medio, aut per medium. Tertiò si per medium, vtrum per vnum: an per plura. Quarto quomodo, vel qua vnitate coniunguntur, siue vniuntur?

MEMBRVM I.

An anima & corpus sint coniungibilia.

PRIMO quæritur: Vtrum sint coniungibilia. Quod non, videtur: quorum enim maior est conuenientia, non coniunguntur vt vnum fiat ex illis: ergo multo fortius quorum minor est conuenientia, sed maior est conuenientia in natura inter corpus cœleste & corpus elementatum, quam inter corpus elementatum & incorporeum: similiter maior est conuenientia inter corpus cœleste & elementatum, quã inter incorporeum & corpus, sed corpus cœleste non coniungitur, vt faciat vnum in natura cum elemento vel elementato: ergo nec incorporeum facit vnum cum elemento vel elementato, sed anima rationalis & corpus humanum sic se habent, sicut incorporeum & corpus elementatum: ergo non coniungentur, vt fiat vnum in natura ex illis. Quod autem corpus cœleste non faciat vnum in natura cum elemento, vel elemẽtato: probatur per hoc, quod illud corpus non esset simplex: ergo esset compositum ex naturis diuersorum corporum, sed nullum est tale nisi elementatum: ergo esset elementatum, sed elementatum non componitur nisi ex elementis: corpus aũt cœleste non est elementum: ergo non est, ex quo componitur elementatum: ratio autem elemẽti est, ex quo cum alio in potentia fit aliquid in actu. Cum ergo hæc ratio remoueatur à corpore cœlesti, corpus cœleste non est faciens vnum in natura cum aliquo corpore inferiori, cum ergo magis distent anima rationalis & corpus elementum, vel elementatum, non facient vnum in natura.

¶ PRÆTEREA, corpus cœleste non est naturaliter diuisibile: ergo nec segregabile, vel congregabile, sed quod non est tale, non est vnibile cum alio corpore: ergo corpus cœleste non est vnibile: ergo nec anima rationalis per hunc modum multo fortius. ¶ ITEM, quæcunq; sunt completa in suo genere, non habent possibilitatem (prout huiusmodi) ad alterius ens. Vnde ignis & aer, vt sunt in sua sphæra, completa sunt: in quo genere nec habent possibilitatem (prout huiusmodi) ad aliquid vnum in natura. Cum ergo anima rationalis, & corpus humanum se habeant vt entia completa in suo genere. (In genere enim corporeorum est completissimum corpus: in incorporeorum genere valde completum est anima rationalis, vt per se potens subsistere) ergo prout huiusmodi non habent possibilitatem ad vlterius ens in natura, sed omnia coniungibilia in vnum natura, sunt possibilia: ergo anima rationalis & corpus illud non sunt coniungibilia. ¶ ITEM, videtur ex similitudine *microcosmi & megacosmi*: nam non fit vnum ex motore cœli & cœlo: ergo pari ratione ex motore corporis humani & corpore humano. ¶ ITEM, quæcunq; substantiæ non habent communem materiam: non vniuntur adinuicem in vnam naturã, sed anima rationalis & corpus humanum sunt huiusmodi: ergo non vniuntur, vt coniungantur in vna natura.

Μεγακόσμος, ἢ μικρόκοσμος. Μεγακόσμος.

Aug. in li. de anima & spiritu. c. 14. circa medium. Tom. 3.

¶ CONTRA August. *Sunt corporis & animæ quædam similia, scilicet, supremum corporis, & infimum animæ, quibus sine naturali confusione personali tamen vnione facilè coniungi possunt: similia enim gaudent similibus.* Sed anima, quæ vere Spiritus, & caro, quæ vere corpus est, in suis extremitatibus conuenienter & facilè vniuntur in phantastico animæ, quod corpus non est, sed simile corpori; & sensualitate carnis, quæ verè Spiritus est, qua sine anima fieri non potest. ¶ ITEM in eodem. *Conuenientissima media sunt carnis & animæ: sensualitas carnis, quæ maxime ignis est; & phantasticus Spiritus, quod igneus vigor dicitur & cœlestis origo: mira societas carnis & animæ, Spiritus vitæ & limi terræ.* Sic enim scriptum est: *Fecit Deus hominem de limo terræ*, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

Idem in eodem.

Gen. 2.

¶ ITEM, Ex ratione, quam ponit Philosophus, arguitur: *anima est perfectio corporis Physici organici*, &c. ¶ ITEM, omne id, quod communicat alteri in passionibus conuenit in vnum cum illo, sed anima & corpus communicant in passionibus: ergo &c. Quod autem communicant in passionibus, patet per hoc, quod ad mutationem factam in corporibus sequitur immediate mutatio in animabus, & econuerso: vt in gaudio, & tristitia, & huiusmodi passionibus. ¶ ITEM, omne, quod continet alterum, & saluat per modum formæ; facit vnum cum illo, quod continetur & saluatur, sed anima est huiusmodi: ipsa enim continet & saluat corpus existens in corpore: recedente vero, destruitur & dissoluitur corpus: ergo ipsa est perfectio corporis.

Philos. 2. de Anima tex. c. 6. 5.

RESOLVTIO.

Anima, & corpus ita profecto coniungibilia sunt: vt ex eis vna natura fiat.

¶ AD quod dicendum, quod coniungibilia sunt anima & corpus: & vniuntur in vnum, vt fiat vna natura.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet minus distent in natura corpus cœleste & corpus elementum, vel elementatum; quam anima & corpus humanum, & illa non faciunt vnum per compositionem: nihilominus hæc faciunt vnum per compositionem: quia vnum illorum est possibile respectu alterius: non tantum vt mobile respectu motoris, sed vt materiale respectu suæ perfectionis. Præterea, vt differenter eliciatur actus à potentia animæ, habet illa cõpositionem cum corpore organico: licet enim anima intellectiua ratione intellectus non determinet sibi organũ: nihilominus ratione aliquorum actuum, qui pertinent ad sensibilem, vel vegetabilem, vel eorum qui consequuntur ad intellectum, determinat sibi organum.

¶ AD secundum dicendum, quod licet vtrumque in suo genere sit completum: nec respiciat vlterius perfectionem sui generis: vt corpus non respiciat vlterius perfectionem corporalem in natura; vel anima perfectionem spiritualem in natura: nihilominus respicit corpus vlteriorem perfectionem spiritualem sine animalem, quæ est mediante vita: & hæc est perfectio nobilior prædicta. Nec est simile de alijs duobus perfectis, quorum vnum est natum per se subsistere sine alterius adiuuamento: talia enim duo non dicuntur in natura vnibilia: vt ignis in sua sphæra, & firmamentum in sua sphæra: sic se habent ad inuicem: adiuuatur tamen vnum ab altero quantum ad terminationem figuræ, vel quantum rationem ad motus.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de comparatione microcosmi & megacosmi. Dicendum est, quod in megacosmo non est comparatio corporei ad incorporeum, nisi secundum rationem mouentis & moti: corpus enim illud non indiget, vt subsistat per creaturam illam; sed tantum, vt moueatur: corpus vero humanũ indiget anima, non tantum vt moueatur, sed etiam vt in esse, in quo est, subsistat & permaneat, & ideo duplicem habet operationẽ, vt mobilis ad motorem, & perfectibilis ad perfectionem suam vnde vnum in natura constituunt, scilicet, hominem. ¶ AD vltimum respondendum per interemptionem maioris: hæc enim est falsa: Quæcunq; non habent communem naturam, non vniuntur: in stantia in composito ex materia & forma.

**
*

MEMBRVM II.

An anima, & corpus per medium, vel sine medio vniantur.

AD secundum supposito, quod coniungantur, vel vniantur in natura: Quæritur, vtrum coniungantur sine medio, aut per medium. Et videtur, quod sine medio, quia vnibilitas (vt videtur) est differentia essentialis inter animam & angelum: ergo cum anima vniatur corpori vnibilitate, vnitur sua essentia, sed quod vnitur sua essentia, vnitur sine medio: vnitur ergo anima corpori sine medio. ¶ ITEM, si coniungantur per mediū, cum vnum sit corporeū, & alterum incorporeū, necesse est medium esse corporeum & incorporeū in parte, quod cum impossibile sit, sc. aliquid esse in his duobus generib. sed tm̃ est in altero: non habebunt ista duo mediū aliquid. ¶ SIMILITER objicitur, cum anima sit simplex; sicut dicit Aug. & corpus sit cōpositum: nihil autē mediū sit inter simplex & cōpositum; non erit mediū inter animā & corpus, cui coniungitur. ¶ PRÆTEREA, inter materiam & formā, quæ ei vnitur, non intercidit medium, cum ergo corpus sit sicut materia, anima vero sicut forma; non est necesse intercidere mediū in natura. ¶ PRÆTEREA, inter animam vegetabilem, & suum corpus non est necesse intercidere medium in plantis: cum ergo anima rationalis se habeat ad suum corpus consimiliter, non est necesse intercidere medium.

Aug. in quæst. veteris & noui testamenti.

¶ Forte diceretur, quod anima suis potētijs vnitur corpori: sicut videtur dicere Aug. sed hoc non remouet, quin per se coniungantur. Nam cum, esse, per prius attribuatur essentiæ, quā ipsi potentiæ. & similiter essentiæ corpori, quā potentijs eius: corpus aūt & anima se respiciunt naturaliter: ergo prior est respectu essentiæ animæ & corporis, quā vnum inter se: ergo coniunctio essentiæ animæ cum corporis essentia est naturaliter prior; licet sit tempore simul: ergo sine medio in esse vniuntur.

Aug. in li. de anima & Spiritu.

¶ CONTRA objicitur per similitudinem sumptam ex verbis Philosophorum. Ea n. quæ magis sunt distantia, vt ignis & terra, non conueniunt nisi per mediū, aqua vero & terra dicuntur conuenire in vnum aliquid sine alijs, quæ nō inter se distant. Nam si diceretur, ignis immediate conuenit cum terra in carbone, hoc non est verum: materia n. illa non est pure terra, sed est cōpositum ex alijs: licet plus dicatur denominari ab illo: ergo quæ distant adinuicē, quanto magis distant, tanto magis indigent medio, vt conueniant in vnum natura. ¶ PRÆTEREA, anima rationalis ad hoc quod coniungatur corpori, exigit dispositiones aptantes; quibus fit aptatio corporis ad receptionem ipsius: hoc aūt non nisi propter maximam dissimilitudinem eius ad corpus: ergo anima rationalis & corpus quærunt medium.

RESOLVTIO.

Anima, si consideretur vniri corpori, vt motor mobili, per medium vnitur, sc. per potentias: Si autem vt perfectio perfectibili, neutiquam, sed seipsa vnitur.

¶ AD quod dicendum, quod anima rationalis coniungitur suo corpori vt motor mobili, & vt perfectio formalis suo perfectibili. Prout aūt est motor, habet duas potentiàs medias, quib. mouetur corpus, prout est organū animæ, & illa via dicitur habere potentias pro medio. Præterea; spiritus, qui dicuntur vitalis, & animalis, * deferunt tanquam ministrantes actum vitum per corpus. Eo aūt modo, quo est perfectio; & corpus perfectibile; licet habeat dispositiones præambulas, quæ dicuntur quodammodo media: non tamen exigitur medium in vnione: imo seipsa vnitur anima corpori. Quod autem habeat dispositiones medias in aptatione, patet per hoc, quod dicit Aug. quod vegetatur, & crescit, & organizatur, & formatur: hoc autem non posset esse; nisi essent aliquæ virtutes spirituales, quæ ista facerent, & ideo in aptatione sunt media. In ipsa vero vnione seipsa coniungitur corpori.

* Alias, defendit.

¶ AD illud vero, quod objicitur ratione primæ partis. Dicendum, quod essentia ipsius animæ non est sua vnibilitas, licet seipsa vniatur.

¶ AD secūdum vero dicendum est, quod licet anima sit incorporea, & ipsum, cui vnitur; sit corpus: non prohibet illa habere medium: potest n. esse tanta distantia vnius ab altero, vt incorporeum ex parte sua haberet medium. Sicut anima habet media ex parte sua vires animales, & vitales, & naturales: & corpus ex alia parte habet medium spiritus tres respondentes, & illud ex via, qua motor, & organum, quod est mobile, coniungantur.

¶ Similiter respondendum est tertium: quia n. anima est simplex respectu corporis; & corpus habet cōpositionē; non est necesse, quod sit immediatio: potest n. corpus habere maximam compositionē, ratione cuius potest minus compositum esse medium; & anima rationalis cum sit simplex; pōt habere mediū in genere incorporei, quod est minoris simplicitatis; sicut est vis sensibilis, & vegetabilis: & ita ex vtraque parte potest habere medium ad præparationem.

¶ AD illud vero, quod objicitur de materia, & forma. Dicendum, quod illo modo sine medio vniūtur: licet alio modo medium habeant.

¶ AD aliud vero, quod objicitur de anima vegetabili, & suo corpore. Dicendum est, quod ad vnionem perfectionis cum suo perfectibili simile est in mediatione, sed non quo ad operationem in corpore: anima n. vegetabilis immediate operatur: rationalis vero operatur mediante sensibili.

¶ AD illud vero, quod obiicitur ex alia parte, quod requiritur medium: hoc non est nisi in quadam congruitate rei vtriusq; generis, adinuicem distantis; non quo ad rationem vnionis: sicut enim ignis, & terra in suo genere entia requirunt aquam, & aerem, pro medijs: cum autem veniunt ad mixtionem, vnumquodque alteri miscetur, & fit vnum cum illo: vt quod inter ignem remissum à sua virtute, & terram remissam à sua virtute non est medium ponere in mixto: licet sit in mixtione: ita est inter animam rationalē quodammodo, & suum corpus. In aptatione n. ipsa media vtrobiq; intercidunt: in vnione vero in termino non est medium inter animam, & corpus. Hoc autem ostendit alia ratio supradicta, sumpta ex illa parte: loquitur enim de medio in adaptatione.

MEMBRVM III.

An anima, & corpus, si per medium vniuntur; per vnum, vel per plura media vniantur?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum eo modo, quo habent medium, habeant vnum, vel plura propter maximam distantiam: non n. anima rationalis est vltimum in genere incorporeorum: nec corpus suum est primum in genere corporeorum, sed vltimum. Quæritur ergo; vtrum vnum tantum sit ex parte animæ, & alterum ex parte corporis: an plura vtrobique. Et videtur, quod vnum ex parte animæ, & vnū ex parte corporis, per hoc quod dicit August. in supradictis auctoribus in Lib. de anima, & Spiritu. ¶ PRÆTEREA, inter animam rationalē, & corpus ex parte animæ rationalis est vis sensibilis, vel vegetabilis ex parte corporis Spiritus: ergo vtrobique sufficit vnum medium.

Memb immediatè præcedentib.

¶ CONTRA: Anima rationalis est substantia incorporea, motiua, cognoscitiua, separabilis, sine non dependens à corpore: corpus vero, cui vnitur tanquam organo, siue perfectibili; est corpus compositum ex elementis complexionatum. Ex parte vero incorporei est substantia incorporea, motiua, non cognoscitiua inseparabilis à corpore, sc. vegetabilis; & substantia incorporea, motiua, cognoscitiua, inseparabilis, scil. sensibilis: & ita duo sunt media. Ex altera vero parte est corpus compositum ex elementis, non complexionatum: & corpus non est compositum ex elementis: & ista duo sunt media. Et ita quatuor erunt media inter animam rationalem, & suum corpus: duo ex parte, & duo ex altera: Spiritus enim est corpus non compositum ex elementis: humor vero est corpus compositum ex elementis; sed non complexionatum.

RESO-

RESOLVTIO.

Per plura: & quatuor numero.

¶ Ad quod dicendum, quod eo modo * quo contingit esse media, quatuor habent media, supradicta. ¶ Ad obiectum aūt in contrarium dicendū est, quod Aug. in lib. de Anima, & Spiritu loquitur de his medijs, quæ pertinent ad cognitionem, vel motum sensualem: vbi tantum requiritur vnum medium ex parte animæ: alterum ex parte corporis: ex parte animæ sensualitas: ex parte corporis Spiritus animalis: qui vocatur phantasticus: & tunc dicitur phantasticum; non corpus, quia non est corpulentum: sensualitas vero dicitur Spiritus: quia non habet operationem præter corpus: quemadmodum anima secundum intellectum.

* Alias, quo supra dicta contingit esse media; quatuor habet media.

MEMBRVM IV.

Anima, quo genere vnitatis corpori vniatur.

Ad quartum, quo quæritur de modo vnionis animæ rationalis cum corpore. Cum n. multi sint modi coniunctionum: est enim vnum compositione, quo materia, & forma vniuntur; vnum continuatione, sicut partes quātitatis continuæ: vnum contiguatione, sicut ligna, & lapides in domo: vnum colligatione, sicut membra in corpore: vnum cōmixtione, sicut elementa in elemētato: vnum complexione, sicut humores in corpore complexionato: vnum impressione, sicut figura, & cera: vnum insertu, sicut surculi in stipite. Potest quæri: Vtrum aliquo istorum modorum dicatur anima vniri corpori. Et videtur, quod non primo modo, quia forma non habet esse præter materiam, sed anima habet esse præter corpus: ergo non dicuntur vnū illo modo. Nec dicuntur vnum continuatione, quia continua terminum habent vnum, sed incorporale non habet terminum: ergo non est vnum continuatione: cum eorum termini sint simul: quod autem quantum non est, terminū non habet. Vnum autem colligatione nō erit, quia ea, quæ sunt vnum colligatione; habent commune ligamentum corporale: incorporeum autem non habet ligamentum corporale, ergo &c. Non sunt vnum commixtione: quia illa diuiduntur vsq; ad minima: indiuisibile vero, quod est anima, non recipit diuisionem: ergo non est vnum mixtione. Nec est vnum complexione: quia illud fundatur super vnum mixtione, ergo &c. Nec est vnum impressione, quia forma non est principium mouendi in illis. Præterea, diuiditur secundum diuisionem materiæ: non sic aūt est in anima: ergo non est vnitas impressionis. Nec est vnum insertu: quia quod inseritur, depēdet ab eo, cui inseritur, & vtrumque vitam habet: hic aūt corpus dependet ab anima, quo ad vitam: restat ergo, quod nullo modo dicetur vnio animæ, & corporis. ¶ Præterea, forma habet vnitatem cum corpore, & anima rationalis cum suo corpore, & anima sensibilis in brutis, & vegetabilis in plantis. Potest quæri, in quo attenditur differentia istarum perfectionum inter se.

RESOLVTIO.

Vnitas, qua corpus & anima vniuntur, à B. Bernardo vnitas natiua dicitur, ad modum formæ cum materia se habens.

¶ Ad quod dicendum, quod hæc vnio, quæ est animæ, & corporis; à beato Bern. dicitur natiua: & se habet ad modum formæ cum materia. Sed distinguendum est, quod est forma prima, quæ perficit materiā: sicut sunt formæ elementares: & in talib. forma perficit similiter totā materiā, & quamlibet partē; vt totus ignis est ignis: & quælibet pars eius est ignis, & ad hunc modū sunt formæ naturales, quæ sunt primæ commixtionis: sicut est in metallo, & huiusmodi mineralibus: totum enim aurum est aurum, & quælibet pars auri est aurum: sicut est de omnibus formis materialibus, quæ plurimum appropinquant ad suam materiam. Est iterum forma naturalis, quæ perficit totum, & partem, sed non similiter: sicut est anima sensibilis in brutis, & vegetabilis in plantis. In hoc enim habent conuenientiam: totum n. animal est animal, sed nulla pars animalis est animal, sed plurimæ partes sentiunt. Similiter quælibet pars plātæ vegetatur, sed non quælibet est planta. Sic ergo non similiter perficitur totum, & quælibet pars, & hæc forma plus elongatur à materia: habet enim aliquam indiuiduationem præter materiam. Est autem tertia forma, quæ perficit totum: ita quod nullam eius partem: sicut anima rationalis: totum enim est homo, nulla autem pars hominis est homo, nec etiam intelligit: totum ergo intellectiuum est; ita quod nulla pars: vnde nullius partis dicitur actus. In plantis autem, & sensibilibus non sic erat, sed pars vegetabatur, aut sentiebat, & ideo ista forma, quæ perficit ita totum, quam nullam partem: est vltima in genere formarum naturalium.

¶ Adiuc etiam addendum est ad differentiam vegetatiuæ, & sensitiuæ. Nam anima vegetatiua etsi non similiter perficit totum, vt partem; tamen participat quælibet pars vegetationē, & hæ partes animalis habent. Sensitiua vero anima non sic perficit quamlibet partem, vt sentiat: sicut sunt ossa, pili & huiusmodi: ideo accedit plus ad distinctionem: membra vero organica hominis sensum habēt, & vegetationem, & nullum habent intellectum, hic ergo est finis distinctionis, & indiuiduationis naturalis.

¶ Per hæc potest patere qualiter respondendum est ad obiecta: licet n. quædam sit similitudo animæ, & corporis & formæ ad materiam: tamē est similitudo secundum modum iam dictum. Est n. anima hæc aliquid præter suam materiā; quod nō est dicere in forma naturali simpliciter: vnde nō est ibi propriè actus mãæ, sed actus naturalis corporis cōpleti in forma naturali: quæ forma dr̄ forma corporalis: sic ergo habet proprium modum vnionis, & ideo vocat B. Bern. istam vnionem proprio nomine vnitatem natiuam in Lib. ad Eug. 5. Patet etiam ex iam dictis, quæ sit differentia perfectionum inter animam rationalem, sensibilem, & vegetabilem. Aliqui vero volunt ponere differentiam in modo vnionis secundum diuersa media vnientia; vt ponerent lumen cœleste secundum triplicem differentiam medium inter perfectionem, & subiectum, quod si verum est, transcendit nostram speculationem.

Bern. in li. 5. ad Eug.

QVÆSTIO LXIV.

De modo essendi animæ rationalis in corpore.

Quod est, An anima humana ita sit in toto corpore, quod in nulla parte secundum essentiam: vel in vna secundum essentiam, in reliquis secundum virtutem?

Consequenter dicendū est de modo essendi in corpore: Vtrum sc. sit in toto corpore, quod in nulla parte secundum essentiam: aut in vna secundum essentiam, in alijs secundum virtutem. ¶ Quod autem sit in toto, ita quod in nulla parte: videtur per hoc, quod actus animæ rationalis nulli parti conuenit: nulla n. pars corporis dicitur intelligere: nulla pars dr̄ homo, sed totū dr̄ homo: totū dr̄ intellectus. ¶ Præterea, Philos. dicit, quod nullius partis corporis dicitur actus, sed nec etiā corporis, cum intelligere [...] præter corpus; quomodo diceretur esse in qualibet parte, vel [...] aliqua parte? ¶ Præterea, anima sensibilis secundum [...] potētiam suam determinat partem corporis, vt secundum v[...] visiuam oculos, & [...] audituam determinat aures: secundum [...] de alijs: non sic aūt est de intellectiua, quæ est actus animæ [...]onalis: ergo anima rationalis non dr̄ esse in aliqua parte co[...]ris: ergo est in toto coniuncto. ¶ Similiter dicit Philos. q[...]liter est de intelligere, & de texere: vel ædificare, sed tex[...] vel ædificare sunt ipsius coniuncti totius: ergo intelligere.

D. Tho. 1. p. q. 76 ar. 8. S. Bon. in 1. d. 8. p. 2. q. 3. Sco.

Philos. 1. de Anima. tex. 12. & 3. de Anima. tex 6. & 7.

¶ Contra, anima est substan[...] corporea, & ideo non est situalis, & est in corpore, & ide[...] [...] modo localis, cum ergo mouetur corpus, erit sdm parte[...] [...] vno loco, & sdm partem in alio: ergo anima cum sit p[...] loco, erit sdm partē in loco huius partis, & secun[...]dens in in loco illius partis: ergo pari ratione in locis aliarum partē tium, & ita erit vbiq; in corpore, sed esse in loco corpor[...] non dicitur nisi ratione corporis: ergo erit in qualibet parte corporis. ¶ Præterea, dicitur in Lib. de Anima, & Spiritu: quod est in qualibet parte corporis, nec in maiori maior

Aug. in li. [...] cp. 18. circa finem.

maior, nec in minori minor. ¶ Item, Anima est simplex: ergo nõ habet partem extra partem, & secundum substantiam est in corpore: cum ergo similiter se habet ad partem corporis, erit in qualibet parte corporis tota.

o. 3. Idem 6. de Trin. eodem.

¶ Qvod autem sit principaliter in aliqua parte corporis, videtur per hoc, quod à corde fit expansio caloris vitalis per totum corpus in vigilia; & in somno fit reditio ad interius. ¶ Prætereа in * mouente fit redditio caloris ad cor: Spiritus etiã vitalis dicitur esse principaliter in corde. Ex quibus colligitur, quod anima, quæ est principium vitæ, sit in corde. ¶ Prætereа, per simile accipitur hic: sicut enim Rex in vna parte regni sui est per essentiam, & in alijs per virtutem: anima autem sic est in corpore, sicut Rex in regno: ergo in vna parte corporis est per essentiã, in alijs per virtutem, sed hoc non est nisi in principali: principalis autem pars, à quo est motus, est cor: ergo est in corde.

* Alias, moriente.

¶ Contra, virtus animæ est simplex, sicut substantia eius: ergo cum sit in qualibet parte eius; erit simplex in pluribus locis simul: & virtus sua non separatur ab essentia sua: ergo erit simul in singulis partibus corporis: ergo non est tantum essentialiter in corde. ¶ Prætereа, si esset in corde secundum essentiam tantum, commetiretur se toti corpori, vel alicui parti eius, sed siue sic, siue sic, esset situalis: quod cum non sit; non erit essentialiter in corde.

¶ Prætereа, videmus animam impediri in operibus suis principaliter, quæ pertinent ad cognitionem rationalem; per impedimentum, existens in capite, aut in cerebro: ergo si est alicubi principaliter; debet dici esse in cerebro. ¶ Hoc etiam videtur per simile: sicut enim Deus dicitur esse in mundo vbique, principaliter tamen in cœlo, quæ est eminentissima pars: ita anima in corpore, principaliter vero in eminentissima parte, sed hoc est caput: ergo anima est in capite. Hoc etiam videtur, quia situs organorum sensibilium sunt in capite.

RESOLVTIO.

Anima vt perfectio corporis est; ita totius est, quod nullius partis. Vt vero agens in corpore, iuxta variam sui actionem varias partes sibi determinat. Essentialiter tamen vbique est, nec in maiori maior, nec in minori minor.

¶ Ad quod dicendum, ꝙ est loqui de anima rationali, vel ratione suæ essentiæ vel ratione quarundã virium. Similiter est loqui de ea, vt est perfectio: & vt est agens in corpore. Si ergo fiat sermo de anima rationali, prout est perfectio: dicendum est, quod ita est totius perfectio, quod nullius partis: Si vero fiat sermo de ea in ratione agentis: dicendum est, quod diuersa est eius actio: habet enim actionem partis intellectiuæ: & secundũ hoc dupliciter accipitur. Est quoddam intelligere, non dependens aliquo modo à corpore, & quantum ad illum actum nec dicitur esse in parte corporis, nec in toto. Alio vero modo dicitur intelligere cum phantasmate, & secundum hoc dicitur media cellula capitis logistica, siue rationalis, & hoc modo dicitur determinare sibi partem corporis in parte capitis. Et sic vide[...] illud intelligi, quod dicit Philos. quod similiter vid[...]ur de texere, vel ædificare, & intelligere. Alio vero [...]odo erat intelligere animæ, non coniuncti, inquantu[...]oniunctum habet iterum actionem partis motiuæ[...] secundum hoc potest intelligi, vel ratione motus aff[...]ectionis, vel motus vitalis, vel motus localis. Si ratione [...]ctionis, sic potest esse præter corpus. Si ratione mo[...]italis, sic primo in corde. Si ratione motus localis, [...] vbique in corpore. Si ergo quæratur de anima rati[...]ssentiæ, distinguendum secundum modos dictos [...]men est vbiq; essentialiter, & non est in maiori mai[...]et in minori minor. Hoc autem indicat motus vit[...]x motus localis; quod sit vbique in corpore. Im[...]re autem primo modo dictum, & velle; quod [...]sponder; & si sint animæ rationalis existentis p[...]etiam in corpore, non tamen hoc declararet, cum [...]ius animæ separatæ sint hi actus: & fortasse verius, & perfectius. Ex iam dictis possunt solui ea, quæ supra differenter sunt obiecta.

* *
*

QVÆSTIO LXV.

De viribus animæ rationalis in communi.

In duo Membra, & in tres Articulos diuisa.

Completo Tractatu pertinente ad considerationem secundum se, procedendum est cum adiutorio Iesu Christi ad considerationem virium. ¶ Primo ergo quærendum est, an anima sit suæ potentiæ. Secundo; an sit distinctio virium, siue potentiarum. Deinde de singulis viribus in specie in quæstionibus sequentibus.

D. Tho. 1. p. q. 77. per 8. art. S. Bon. in 1. d. 3. par. 2. per totũ. Sco. in 2. d. 3. q. 8. & in Quotlib. q. 14. & 15.

MEMBRVM I.

An anima sit sua potentia?

Ad primum sic Aug. *Anima secundum sui operis officium varijs nuncupatur nominibus: dicitur namq; anima, dum vegetat: sensus, dum sentit: animus, dum sapit: mens, dum intelligit: ratio dum discernit: memoria, dum recordatur: dum vult, voluntas. Ista tamen nõ differunt in substantia, quemadmodum in nominibus: quoniam omnia ista vna sunt anima: proprietates quidem diuersæ, sed essentia vna.* Ex quo relinquitur, quod anima est suæ vires. ¶ Item Aug. *Habet anima naturalia, & illa omnia est: potentia namq; eius, atque vires idem sunt, ꝙ ipsa. Habet accidentia, & illa non est; sua vires est, sua virtutes non est: non est n. sua prudentia, sua têperantia, sua iustitia; sua fortitudo: potentia animæ sunt rationabilitas, concupiscibilitas, irascibilitas: vires sunt sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia: potentiæ tamẽ non possunt dici vires, & vires potentiæ.* Ex his verbis Aug. videtur, ꝙ anima sit suæ potentiæ.

Aug. in li. de anima & spiritu. cap. 5. Tom. 3.

Idem in eodem.

¶ Item, sicut materia prima possibilis est ad susceptionẽ omnium formarũ naturalium: sic anima habet potentiam ad susceptionẽ omnium specierũ, sed materia prima est sua potentia, qua est susceptiua omniũ formarum naturalium: ergo potentia susceptiua specierum intelligibilium, & sensibilium est ipsa anima: ergo anima est suæ potentiæ.

¶ Si negaretur, quod materia prima non esse sua potẽtia. Contra in omnibus materialibus est potentia recipientis per aliud: & illud est materia prima: ergo materia prima est receptibilis formarum per seipsam: nõ ergo in ea est differens id, quod est ipsa, & ipsa potentia: ergo similiter erit ex parte spiritualis substantiæ, quod ipsa erit receptibilis formarum per seipsam.

¶ Contra, non est idem animæ suum esse, & suum operari: ergo non est idem quo est, & quo operatur, sed quo est, est à sua essentia; quo operatur, est à sua potentia: ergo non est idem &c. ¶ Item, in Deo, quia non differt esse ab operatione (operatione dico, qua operatur) idem est, non differens essentia, & potentia: ergo cum in anima non sit idem esse, & operari; non erit idem in anima essentia, & sua potentia. ¶ Item, Potẽtia animæ est pars virtualis ipsius, anima vero totũ virtuale: totũ virtuale est in plurib. potentijs: non est ergo anima quælibet suarum potentiarũ. ¶ Item, si essentia animæ non est differens à potentia, cum anima sit simplex; nõ videbitur nisi vna potẽtia: quæcunq; n. vni, & eidem sunt eadem; inter se sunt eadem: nec est ita dicere sicut in Trinitate, vbi non est potentiarũ distinctio, siue viriũ. ¶ Item, si esset vna virtus animæ, consequeretur, quod vna operatio, quia omnis vis creata, cum sit discreta; terminata est ad operationem discretam, & singularem primo, & per se, videbitur ergo idem esse sentire, & intelligere, apprehendere, & moueri; vel ad se inuicem consequi.

Ex 1. Phys. tex. cõ. 17.

RESOLVTIO.

Anima idem est in substantia, quod sua potentia, sed non in essentia.

¶ Ad hoc dicunt quidam, ꝙ in nullo alio à primo est idem essentia rei, ꝙ sua potentia: Vnde dicunt, ꝙ anima non est idem in essentia, ꝙ sua potentia: dicunt tñ, ꝙ sunt idem in substantia. Sicut n. non est idem esse, & operari: ita nec essentia, & potentia: essentia n. animæ est illud, per ꝙ anima est absolute: essentia potentia est id, per ꝙ anima ad aliud est efficiendũ, vel recipiendũ. Dicunt tñ, ꝙ idem est in substantia: eo quod anima non subsistat sine suis potentijs, nec etiam intelligatur: nec ipsæ potentiæ sine anima. ¶ Identitas ergo, quam ponit Aug. referenda est ad substantiam, non ad essentiam.

¶ Ad

¶ Ad hoc, quod obijcitur de prima materia dicendum est, quod & si prima materia est receptibilis formarum per seipsam.i.non per aliud:ex hoc non sequitur, quod sit sua potentia, sicut nec sequitur:anima seipsa viuit: ergo est sua vita. Præterea, & si materia prima esset sua potentia: non ꝓpter hoc sequeretur, quod anima esset sua potentia: quia materia prima est illud, in quo est vltima resolutio ex parte corporalium, siue susceptibilium formarum corporalium: anima autem non est id, in quo est resolutio ex parte spiritualium, siue susceptibilium formarum spiritualium: anima enim est resolubilis in suam formam, & materiam, siue in suum quod est, & quo est.

MEMBRVM II.

An in anima sit virium, vel potentiarum distinctio.

Consequenter supposito, quod anima non est suæ vires secundum essentiam, licet aliquo modo secundum substantiam: quæritur, vtrum vna sit vis tantum, aut plures. Secundo, si plures, vtrum omnes debent dici partes animæ, an quædam sic, quædam non. Tertio, secundum quid accipiatur diuisio virium.

ARTICVLVS I.

An vna tantum, vel plures sint vires animæ?

Ad primum, quod vna sit vis tantum, arguitur ex hoc, quod virtus in spiritualibus sequi dicitur formam: ab vnitate ergo formæ sequitur vnitas virtutis. Sicut enim in corporalibus vnitatem formæ sequitur vnitas naturæ: forma autem dicitur inquantum perficit esse, natura inquantum est principium motus: sic in spiritualibus forma dicitur inquantum perficit esse: virtus verò, inquantum est principium actus. Ex hoc ergo videtur, quod vna deberet esse virtus animæ, cum sit vna forma, prout autem est sensibilis, est alia forma: prout vegetabilis, alia (sicut dicunt quidam) adhuc non dicerentur, nisi tres vires secundum ternarium formarum. ¶ Præterea, in primo est vnitas virtutis, sicut vnitas essentiæ: in creatura autem, cum non sit repugnantia vt vna sit virtus, sicut vna est essentia, quemadmodum repugnat creaturæ, vt virtus sit idem omnino, quod essentia (hoc enim dicitur proprium Dei) possibile est ergo creaturam aliquam in hoc assimilari primo, illa autem conuenienter est spiritualis, vt angelus, aut anima rationalis: habebit ergo vnitatem virtutis, quemadmodum vnitatem essentiæ.

Collige ex 10. Metaph. 11. ¶ Contra, diuisio entis per vnum, & multa, prior est, quam per idem, & diuersum. Si ergo debet accipi differentia inter creaturam, & creatorem, & creaturam quantum ad virtutem, accipietur prius penes vnitatem, & pluralitatem quam penes identitatem, & diuersitatem. Sicut ergo creatura differt à creatore in hoc, quod virtus in creatura non est omnino idem; quod sua essentia: sic ipsa differet in hoc, quod habet per pluralitatem virtutis, quod habet creator per virtutis indiuisionem: vt creator agit vna virtute omne, quod agit: creatura verò agit plurium virtutum differentia. ¶ Præterea, anima rationalis ad imaginem condita est ipsius creatoris: sed in creatore est vnitas essentiæ, & virtutis, & differentia personalis: ergo in anima præter vnitatem essentiæ erit aliqua pluralitas, non nisi virium: ergo anima habet pluralitatem virium, aut virtutum.

RESOLVTIO.

Animæ plures sunt vires, atque potentiæ: vt sic & à creatore in agendo differat, & ad eiusdem imaginem rectè facta censeatur.

¶ Ad quod dicendum, quod anima habet pluralitatem virium. ¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod non est simile de virtute respectu formæ, quæ est substantia, & de natura. Natura enim propriè, & primo respicit multiplicationem formæ in materia, in quibus est possibile multiplicari: sicut natura ignis, vt multiplicet formam ignis, & si respicit alium modum, hoc est inquantum ad hunc ordinatur. In illis autem, in quibus non est multiplicatio formæ: vt in sole, & huiusmodi; determinat speciē motus, vt vni naturæ vnus respondeat motus: virtus autem respicit actum: actus autem diuersi sunt essentiæ compositę oportet ergo intercidere diuersitatem virium.

¶ Ad secundum verò dicendum est, quod differentia creaturæ ad creatorem non tantum attenditur in hoc, q̄d est idem virtus, quod essentia, sed in hoc, quod vnius essentiæ perfectæ sunt plures virtutes, quæ particulariter agunt, cum primum ipsum vna virtute vniuersaliter agat.

ARTICVLVS II.

An omnes animæ vires eiusdem partes dici debeant?

Ad secundum articulum, quo quæritur, Vtrum omnes vires debeant dici partes: aut quædam sic, quædam nō. ¶ Quod omnes, videtur per hoc, quod anima dicitur esse totum virtuale: partes autem eius sunt vires, vel virtutes: toti enim respondet pars: ergo quælibet potentia debet dici pars animæ.

¶ Contra, quinque sensus non sunt quinque partes animæ: similiter in vegetabili, augmentatiua, nutritiua, generatiua non dicuntur tres partes animæ, quemadmodum dicimus partem intellectiuam, sensitiuam, & vegetatiuam: ergo non omnis potentia pars est animæ. ¶ Præterea, videtur quod nulla potentia sit pars animæ. Dicit August. Tota essentia animæ in suis potentijs consistit: nec per partes diuiditur, cum sit simplex, & indiuidua: ergo potentiæ non sunt partes.

RESOLVTIO.

Propriè accipiendo partem, non omnes animæ vires, potentiæue eiusdem partes dici debent. Communiter verò, quam maximè.

¶ Ad quod dicendum est, quod non omnes vires debent dici partes animæ: propriè accipiendo vocabulum. Si verò extendatur, quod partes dicantur eo, quod * particulant posse animæ per actus differentes: secundum hoc possunt dici partes, & hoc modo dicit Aug. quadam similitudine dicitur habere partes. Illæ verò propriè dicuntur partes, quæ particulant substantiam animæ, vel multiplicatam ostendunt. V.g. sensibilis in brutis, vegetabilis in plantis, rationalis, vel intellectiua in hominibus multiplicant substantiam animæ, vel multiplicatam ostendunt: alia est enim substantia animæ rationalis in homine, alia sensibilis in bruto, alia vegetabilis in planta: vnde istę tres potentiæ partes animæ dicuntur secundum Philosophos: etiam in homine hæ tres potentiæ fundantur in tribus substantijs: non sic autem de quinque viribus sensuum, vel alijs differentijs potentiarum. Si verò dicantur partes, quæ constituunt substantiam: secundum hoc anima non dicitur habere has vires pro partibus: non enim ex aliquibus viribus substantia animæ constituitur. Sed nec anima dicitur habere partes eo modo, quo continuum dicitur habere partes, vel discretū: & hoc modo dicit Aug. quod anima cum sit simplex, nō dicitur habere partes veritate compositionis. ¶ Per iam dicta patet, qualiter respondendum est ad obiecta: pars enim dicitur tripliciter, ingrediens compositionem: & sic non dicitur habere partes veritatis compositionis ad modum cōtinui, vel discreti. Vel concomitans multiplicationem substantiæ: & sic dicuntur rationalis, sensibilis, & vegetabilis partes. Vel quæ particulant posse animæ per actus differētes: & sic aliæ vires dicuntur partes: & hæ propriè dicuntur partes virtuales, quæ in vna substantia animæ conueniunt, & differunt per actus differentes in specie.

*Alias, particularizant. Aug.

ARTICVLVS III.

Animæ vires, vel potentiæ, penes quid distinguuntur, num secundum actus, aut secundum organa, vel secundum obiecta? Tum illarum trium virium, scilicet naturalis, vitalis, animalis, quæ prior?

Ad tertium, quo quæritur: secundū quid accipitur diuisio, vel distinctio virium, Aut.n. distinguuntur per act⁹ vel per organa, aut per obiecta. Si per actus, tunc quæ sunt differentiæ actuum, hę essent differentiæ virium: sed opinio & scientia sunt duo actus: ergo intellectus, à quo procedit scientia, & à quo procedit opinio, sunt duę vires, quod cum non sit, non attenditur omnino diuisio virium secundum differentias actuum. ¶ Præterea, differunt actus in tactu, sm̄ q̄ sunt respū diuersorū qualitatū. Est.n. alius act⁹ in tactu respū calidi, & frigidi, & respū mollis, & duri, & respū humidi, & sicci, & ita de alijs: & tn̄ sensum dicimus esse vnū in spē, s. tactū: ergo sm̄ differentiam actuū non est dr̄ia virium.

¶ Qvod autem non differat secundum differentiam organorum, patet per hoc, quia non omnes vires animę vtuntur organis ad eliciendum actum, sicut est intellectiua: ergo penes differentias organorum non attenditur pluralitas virium. ¶ Præterea, In memoria, intelligētia, & voluntate hoc ostenditur: hæc enim non differunt secundum differentiam organorum: ergo secundum hæc non attenditur differentia. ¶ Nec hoc est secundum differentias obiectorum: cum enim vnum, & bonum sint diuersa obiecta in specie, intellectiua, speculatiua, & practica essent duæ vires tantum: quod non videtur per verba Philosophi, dicentis: *extendente se intellectiua speculatiua, fit practica.* ¶ Præterea, Idem est obiectum sensus communis, & particularis, vt visus est albi, gustus dulcis, sensus communis albi dulcis. Similiter intellectus agens habet pro obiecto species abstractas à materia: intellectus possibilis similiter: & tamen sunt duę vires: non ergo secundum differentias obiectorum sunt differentiæ virium.

Philos. 3. de Anim. tex. com. 49.

¶ Præterea, Diuersa sunt obiecta in tactu secundum differentias contrarietatis, eadem autem potentia tangibilis: ergo non attenditur differentia virium, vel identitas secundum differentias obiectorum.

RESOLVTIO.

Potentia, viresque animæ differentia quadam in seipsis primo differunt deinde aut per organa aut per obiecta aut per actus, aut secundum materias. Ex tribus illis deinde commemoratis viribus, quibus anima corpori commiscetur, ita vt eis non nisi in corpore operari queat, vitalem priorem omnibus dicimus.

¶ Ad quod dicendum, quod prima differentia est in seipsis: consequenter autem quædam differunt per actus differentes in specie, quædam differunt per organa: quædam per obiecta: quædam secundum materias. Differentia namque virium, qua dicitur, quod alia est naturalis, alia vitalis, alia animalis, est per seipsas: dignosci tamen potest per organa. Organum enim naturalis virtutis est epar, vel quod tenet locum epatis: vitalis verò est cor, vel quod tenet locū cordis: animalis verò aliquod organum est cerebrum, vel aliquid loco cerebri: rationalis vero, & sensibilis, & vegetabilis sunt vires, quæ secundum se differunt, nihilominus tamen dinoscitur earum differentia ex actibus specie differētibus. Tres autem vires animæ vegetabilis, s. nutritiua, augmentatiua, generatiua, differentes sunt in seipsis, & sunt cōsequentes adinuicem secundum consequentiam materiarum. Nam nutritiua operatur super alimentum, augmentatiua super quantum in alimento, generatiua super residuū vtriusque naturaliter. (Contingit tamen & aliter: veruntamen non semper operatur augmentatiua, cum inuenit quātum in alimento: quia quod affert nutritiua, aliquando est æquale ei, quod dissoluitur, aliquando minus, aliquando plus. Cum autem fuerit minus, vel æquale: non operatur augmentatiua: sed cum fuerit plus. Hoc autem non quocunque modo: nam impinguari est de eo, quod plus exuberat: sed cum secundum naturalem quantitatem in omnibus ex istis diametris, vt perducatur ad complementum, tunc est augmentatiua. Semen autem est de superfluo eius, quod pertinet ad esse determinatum in quantitate.) Sensus autem distinguuntur secundum organa, vel secundum obiecta: vis autem cognitiua intellectiua, & motiua penes obiecta, vires etiam cognitiuæ penes obiecta, vires etiam motiuæ penes obiecta, quæ etiam in illo genere dicuntur obiecta. Sic patet ergo; quod differentia virium non est tantum cognita penes actiones in omni differentia actionum, nec penes organa tantum, nec penes obiecta tantum nec penes materias tantum, nec penes mouentia tantum, sed est quædam differentia virium inter se, quæ præcedit omnem differentiam iam dictam.

¶ Vt autem manifestius fiat, ad differentias virium descendemus. Habet etiam anima (sicut dicit Aug.) vires, quibus corpori commiscetur (& hoc est, quia sine his non operatur sine corpore) quæ sunt naturalis, vitalis, animalis: quæ differunt in animali secundū differentias organorum. Naturalis in epate, vitalis in corde, animalis in cerebro. Naturalis operatur per spiritum naturalem, vitalis per vitalem animalis verò per animalem. Naturali respondent venæ, per quas transmittitur humor: vitali respondent arteriæ, per quas transmittitur motus vitalis: animali verò respondent nerui, per quos transmittitur sensus, & nihilominus motus per neruos motiuos, sed hi cum arterijs conueniunt in aliqua parte.

¶ Est autem quæstio de comparatione harum viriū inter se. Videtur enim naturalis esse prior: cum enim respōdeat vegetatiuæ, (quod patet ex viribus vegetatiuæ) vegetatiua autem præcedat sensitiuam, & intellectiuam: vitalis autem, quæ est in corde, respondeat vitæ sensibili, præcedit ergo naturalis vitalem.

¶ Præterea, Videtur ex hoc, quod dicit Philosoph. Sicut apud medicos epar primæ generationis est principiū: ita apud eos cor secundæ generationis est principium. Cū ergo prima generatio sit membrorum ex humoribus, secunda verò sit spirituum, sicut dicit Auicen. membra autem oportet esse prius, vt deferant spiritus: erit ergo operatio virtutis naturalis ante operationem vitalem: ergo virtus ante virtutem.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod vita est primus actus animæ in corpore: alij autem sunt actus consequentes: vita autem transmittitur deferente spirituali per membra, erit ergo virtus vitalis primo operans: & consequenter naturalis, & aliæ. ¶ Præterea, cor secundum Philosoph. est primum membrum formatum in corpore, & perficitur virtute vitali: ergo virtus vitalis est prima inter virtutes.

¶ Similiter quæritur de virtute vitali in comparatione ad animalem: videtur enim cum animalis virtus sit nobilior, quod minus indigeat alijs: ipsa enim abstrahit formas à materia: quod non faciunt aliæ, eductio ergo potentiæ huius ad actum potest fieri sine alijs. ¶ Præterea, virtutis vitalis motus est, qui est secundum dilatationem, & constrictionem: isto autem motu non videtur indigere vis animalis, ad hoc quod exeat in actum: ergo non dependet animalis à vitali. ¶ Præterea, animalis plus appropinquat ad intellectiuam, quæ operatur præter corpus, ergo minus dependet ab operatione corporali.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicit Philos. quod cor est primum recipiens motum ab anima, & influens super alia: omnes ergo motus in corpore fiunt, præexistente motu cordis. ¶ Præterea, sensus non fit sine calore, sicut dicit Philos. cum enim expanditur calor ad exterius, fit sensus particularis: cum autem fit reditio caloris ad interius, operatur sensus interior, sic ergo sensus non fit sine calore: caloris autem fons est cor, ergo operatio animalis dependet ab operatione vitali, ergo virtus inquantum huiusmodi inclinata ad actum, est posterior virtute illa * inclinante ad actum. Hoc etiam indicatur ex hoc, quod remanet motus vitalis, vbi non est sensus, vel motus, sicut est in membro paralytico: & sicut est in apoplexia, ex quo patet, quod prior est vitalis spiritus in sua operatione in animali, quam animalis.

* Alias, inclinata.

¶ Ad quod videtur dicendum per hoc, quod dicit Auicen. ostendens differentiam naturalis Philosophi, & medici. Dicit enim quod medicus iudicat secundum id, quod apparet, & ex propositionibus sufficientibus procedit: naturalis verò philos. qui considerat primam causam, non tātum propinquam, dicit omnium operationum principium esse cor, sicut visum fuit Arist. Secundum hoc ergo dicendū quod primus actus in animali est mediante virtute vitali: & licet prius operetur in semine virtus naturalis, non tamen in animali, sed vitali: vt calor spiritalis influat super naturalē, & sic vis naturalis operetur in nutrimento. Similiter vt calor spiritualis influat super membra, per quæ ministratur sensus, & motus, & sic fiant sensus, & motus. Et hoc est, qđ dicit Philos. In sanguinē habentibus, hæc pars est circa cor, vniuersa .n. sanguinem habentia cor habent, & principium motus, & proprij sensus, motus ergo, & spiritus, manifestum, quoniam cor est principium.

¶ Ad obiecta autem respondendum est, quod proprietas vegetatiuæ ad sensitiuam attenditur duobus modis, vel quo ad sensum, & sic est verum, quod procedit, vel quo ad vitam in animali, & sic licet vegetatiua operetur prius in se-

mine, quam illa, cum tamen factum eſt animal, operatur prius illa vitalis, quæ eſt in corde, quam vegetatiua in animali: prius enim viuit animal, quam nutriatur.

¶ Ad ſecundum dicendum eſt, quod aliter loquendum eſt de virtute vitali, prout perficit cor, & aliter prout perficit membra alia. Prout enim perficit cor, ſic eſt prior alijs: prout autem defertur calor ille ſpiritalis ad alia membra, oportet primo membra eſſe, & deinde expandi calorem vitalem ſuper illa. ¶ Ex his ergo poteſt patere qualiter reſpondendum eſt ad illud, quod ſecundo quærebatur.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum eſt, ꝙ licet ſit nobilior animalis vis vno modo: alio tamen modo vis vitalis eſt nobilior: Quo ad hoc enim quod animalis copulatur organo: vt per iſtum operetur mediante calore vitali, ſic eſt indignior vitali: finis tamen ſuæ operationis eſt nobilior, vt ſc. ſpecies magis, & magis abſtrahatur à ſubiecta materia.

¶ Ad ſecundum verò ſoluendum eſt per interemptionem: motus enim in parte ſenſibili indiget motu, qui eſt ſecundum dilatationem, & constrictionem: indiget enim caloris expanſione ad membra ſenſibilia, quod non fit ſine his motibus.

¶ Ad tertium dicendum eſt, quod licet animalis plus ꝓpinquet ad intelligentiam ex parte finis in ſuo motu: tamen ex parte principij motus dependet ab operatione virtutis vitalis.

QVÆSTIO LXVI.

De viribus animæ rationalis in ſpeciali. Et primo de virtute Animali exteriori.

In tria Membra diuiſa.

D. Th. 1. p. q. 78. S. Bo. in 2. d. 3. par 2. Sc. in 2 d. 16 & 17.

HIs habitis, omiſſis illis, quæ pertinent ad conſiderationem naturalis virtutis, & vitalis: eo quod ſunt alterius conſiderationis, tranſeundum eſt ad ea, quæ ſunt virtutis animalis. Et primo de virtute animali exteriori: ſecundo de interiori: & iterum de cognitiua: deinde de motiua. ¶ Quia verò per ſenſus exteriores cognitio ingreditur, & per conſequens affectio: dicendum eſt primo de numero ſenſuum ſi vna tantum ſit vis ſenſibilis, aut plures. Secundo, ſuppoſito, quod ſint plures: quæritur an quinque, aut pauciores, vel plures. Tertio, penes quid accipiatur numerus virium ſenſibilium?

MEMBRVM I.

An vna tantum ſit vis ſenſibilis, vel plures?

Aug. in lib de anima & ſpiritu.

AD primum videtur, quod ſit tantum vna vis ſenſibilis. Dicit enim Auguſt. *Senſus vnus eſt in anima, & eſt id, quod ipſa, & cum corpus non ſit, corporeus dicitur, cum intus non ſit niſi vnus.* Ex quo accipitur, quod non ſit, niſi vna tantum vis ſenſibilis. ¶ PRÆTEREA, hoc videtur per ſimile. Sicut enim ſe habet intellectus ad intelligibilia: ita ſenſus ad ſenſibilia: ſed intellectus non multiplicatur ſecundum vires diuerſas reſpectu intelligibilium, ſed ē vna vis: ergo nec ſenſus multiplicatur ſecundum pluralitatem virium reſpectu ſenſibilium diuerſorum, vt alia ſit vis ſenſibilis coloris, alia ſoni, alia ſaporis, & ita de alijs.

¶ CONTRA, Anima eſt perfectio corporis, & ſecundum diuerſitatem perfectionis eſt diuerſitas perfectibilis, vt alia eſt perfectio corporis humani, alia brutalis: propter quod, & aliud eſt corpus in ſpē: ſimiliter * anima ſenſibilis ſecundum vires perficit partes corporis: erunt ergo diuerſæ vires perficientes diuerſas partes corporis, vt ſicut videmus differentiam organorū, ita ſit differentia virium: non enim anima facta eſt præter corpus, ſed corpus propter animam. Si ergo quæreretur ratio diuerſitatis in organis, neceſſe eſſet reddere rationem à parte animæ, non niſi ratione viriū. ¶ Præterea, ſi propter vnitatem eſſentiæ animæ eſſet vnitas potentiæ, ſiue virtutis, ſecundum hoc non eſſet niſi vna vis in anima: & ita non eſſet diſtinctio eſſentialis virium per apprehendentem extrinſecus, & intrinſecus: nec eſſet differentia animæ, quæ ſ. eſt creatura rationalis, quo ad hoc ad Deum. Dei. n. eſt vna potentia, ſicut vna eſſentia: nec multiplicatur ex comparatione ad aliquid alterum: quod cum ſit differentia inter animam, & Deum, quo ad hoc non accipietur vnitas ſenſus penes vnitatem ſenſibilis animæ in eſſentia.

*Alias, alia.

RESOLVTIO.

Diuerſæ ſunt vires ſenſitiuæ, vnus tamen eſt ſenſus, vel quia ſentienti non apparet differentia virium intra, vel quia vna eſt ſubſtantia, in qua radicatur.

¶ Ad ꝙ dicendum, Potentia ſenſitiua media eſt inter eſſentiam animæ & actum, qui fit in differenti parte corporis ſiue differenti organo. Dicendum ergo eſt, quod diuerſæ ſunt vires, quæ ſunt perfectiones diuerſorum organorum: dicuntur tamen vnus ſenſus propter hoc, quod ſentienti non apparet differentia virium intra: & propter hoc dicit Aug. ꝙ vnus ſenſus eſt intra: varij tamen dicuntur .i. dignoſcuntur propter exercitia: ſed non ſic apparet intelligenti, cuius eſt cognoſcere dr̄ias interiores. Præterea, vnus dicitur ſenſus propter vnitatem ſubſtantiæ, in qua radicatur.

¶ Ad illud, ꝙ obijcitur de intellectu: Dicendum eſt, qđ non eſt ſimile: intellectus. n. non vtitur organo, nec habet proportionem ad differentiam intelligibilium, vt per hæc minus videat, quemadmodum eſt in ſenſu, qui corrumpitur ex excellentia ſenſibilis, vt non videat minus ſenſibile, & proportionem habet ad medietatem in ſenſibilibus: ideo licet intellectus ſit idem, qui recipit omnes formas intelligibiles: non tamen idem ſenſus, qui recipit omnes formas ſenſibiles extrinſecus: ratio autem eſt, quia intellectus conuertit ſe ad formas abſtractas à materia, ſenſus autem conuertit ſe ad formas in materia: formæ verò exiſtentes in materia habent diſparationem, ſiue oppoſitionem in ſpecie.

MEMBRVM II.

An quinque tantum ſint vires exteriores?

DEINDE ſupponito, quod ſint plures ſenſus, ſiue vires ſenſibiles, quæritur, Vtrum ſint quinque, aut pauciores, aut plures. Et videtur, quod octo: cum enim ſenſus natus ſit ad ſenſibilia, octo autem ſunt medietates formarum ſenſibilium: quare erunt octo vires. Octo autem medietates ſunt: eſt enim medietas in coloribus vna, albi, & nigri. In ſonis vna, acuti & grauis. In odoribus vna, fœtidi, & ſui oppoſiti. In tactu vero medietas vna calidi, & frigidi, alia humidi, & ſicci. Eſt iterum leuis, & grauis, eſt iterum lenis, & aſperi, quidam etiam addunt mollis & duri. Reſtat ergo, quod octo ſunt medietates, propter quod octo videbuntur vires eſſe differentes in ſpecie, vt ſicut penes vnam medietatem vna vis ſenſitiua in ſpecie accipitur, ita accipiatur penes alias. Et hoc videtur Philoſ. dīcere: dicendo, quod tactus eſt plures ſenſus, & Auic. dicit, quod ſecundum quoſdam octo ſunt ſenſus. ¶ Videntur iterum eſſe pauciores ſenſibiles vires: guſtus enim non eſt niſi quidam tactus in parte corporis determinata. ¶ Præterea, anima ſenſibilis eſt perfectio in omnibus animalibus: ſicut ergo æquè participant ea, quæ conſequuntur eſſentialiter perfectionem: ſed non omnibus animalibus ſunt hæ differentiæ ſenſuum, ſed tactus eſt in omnibus, ſimiliter & guſtus in pluribus. Reſtat ergo, quod hi ſolum ſunt eſſentialiter ſenſus, & ita non tot erunt vires ſenſibiles. Nam oporteret dicere, quod aliqua vis ſenſibilis eſſet fruſtra, aut quod vna anima haberet plures vires, quam alia: & ſequeretur imperfectio animæ ad imperfectionem corporis.

Philoſ. 2. de anima 106.

RESOLVTIO.

Quinque, iuxta numerum quinque differentiarum, & medietatum in organis.

¶ Ad quod dicendum, ꝙ ſunt quinq; ſenſus, quibus reſpondent quinq; dr̄iæ organorum, & ſunt eſſentialiter ſenſus in animali perfecto. ¶ Ad illud verò, ꝙ obī de hoc, qđ plures ſunt ſenſus, q̄ quinq;. Dđ:n, quod ſm̄ numerum medietatum in obiectis non accipitur numerus ſenſuum: ſed ſm̄ numerū medietatū in organis. Vna autem medietas eſt in organo ſenſus ex pluribus medietatibus compoſita: ex omnibus. n. contrarietatibus primis, & conſequentibus, actiuis, & paſſiuis fit medietas in organo tactus: vt ſm̄ illā fiat dijudicatio excedentis, & diminuti, & medij in obiecto ſm̄ differentias contrarietatū: & hoc eſt, quia tactus eſt ſenſus,

qui adhæret ipsi esse animalis: & ideo secundum ea, quæ pertinent ad compositionem animalis, accipitur immediatè.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de diminutione virium sensibilium. Respondendum est, quod licet visus, & auditus, & olfactus non sint in omnibus animalibus: nihilominus sunt essentialiter sensus, sed non secundum quæ determinatur esse animalis, sed bene esse: & requiruntur in animali perfecto.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur: quod æquè sunt animalia, & ita æquè habent vires animæ sensibilis. Respondendum est, quod animal dicitur æquè, vt est genus in ratione: sed non æquè, vt est genus in natura, non tamen illæ vires merunt, nisi quæ consequuntur vniuersaliter esse animæ sensibilis.

MEMBRVM III.

Penes quid accipiatur numerus virium sensibilium.

AD tertium, quo quæritur: penes quid accipitur numerus virium sensibilium apprehendentium extrinsecus. Dixerunt enim quidam, quod secundum differentiam mediorum. Quod non videtur: sunt enim tantum tres differentiæ mediorum: caro in tactu: & in gustu: vel (secundum quosdam) humor saliualis: in alijs verò aer, vel aqua. Restat ergo, quod non essent secundum hæc nisi tres sensus. ¶ Si verò secundum differentias obiectorum, secundum hoc cũ plura sint obiecta (non enim omnia, quæ discernuntur tactu, ad vnum esse in genere reducuntur) essent plures sensus. ¶ Si verò secundum differentias principiorum, vel mouentium: sicut dixerunt quidam, vt visus penes naturam lucis: odor penes naturam ignis facientem vaporem: sonus penes naturam aeris: gustus penes naturam aquæ: tactus penes naturam terræ.

¶ CONTRA hoc est, quod aer est communis in visu, & auditu, & olfactu. ¶ Præterea, aer non est causa effectiua soni, sed materialis: sicut lux effectiua erat sensibilis in visu: humidum autem in gustu non est ab aqua tanquam ab efficiente: in tactu autem accipitur medietas ex omnibus elementis: causa ergo tactus non attenditur tantum secundũ terræ naturam, sed secundum complexionem ex omnibus elementis factam: restat ergo, quod non secundum numerum principiorum accipiatur hoc modo numerus quinque sensuum. ¶ Videtur tamen Aug. alio modo assignare, reducendo ad principia quadam transmutatione, cum dicit. *Inchoat motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem peruenit. In visu enim peruenit represso calore vsque ad eius lucem. In auditu vsque ad liquidiorem aerem calore ignis penetrat. In olfactu autem transit aerem purum, & peruenit ad humidam exhalationem: vnde crassior hæc aura subsistit. In gustu autem transit & peruenit vsque ad humorem corpulentiorem, quo etiam penetrato, atque traiecto, cum ad terrenam grauitatem peruenit, tangendi vltimum sensum agit.*

Aug. sup Gen. lib. 3. cap. 5.

RESOLVTIO.

Numerus virium sensibilium & secundum rationem mediorum & secundum differentiam effectuum, & secundum dispositionem obiectorum, tum denum ex distinctione modo sentiendi, commode accipi potest.

¶ Ad quod potest dici, quod si debeat accipi diuisio secundum rationem mediorum, accipitur secundum rationẽ mediorum corporum inter extrema. Extrema autem corpora in comparatione corporis animalis, sunt ignis, & terra: media autem sunt aer, & aqua, & commixtum. Aer autẽ triplicem habet dispositionem, ex influentia lucis, ex influentia caloris ignei, quæ fit ex vapore: ex ipsa commotione raritatis, quæ est propria eius dispositio. Aqua verò habet dispositionem vnam ex influentia lucis: alteram ex communi dispositione cum aere, quæ est raritas: tertiam ex se: commixtum autem habet vnicam. Cum ergo hæ non sunt nisi quinq;, erunt quinq; differentiæ mediorum sensibiliũ. Nam ex communi dispositione influente super aerem, & aquam, est medium in visu: ex dispositione verò influente ex calido igneo est medium in olfactu, quæ dispositio est aer vaporosus: ex dispositione verò tertia, quæ cõis est aeri, & aquæ, s. raritate, est medium in auditu: sicut dicit Philos. ex dispõe verò humoris aquosi est medium in gustu. Ex dispõne verò commixtionis omnium, quę est in carne, est mediũ in tactu. Et per hoc potest patere solutio eius, quod dicitur de differentia sensuum, accepta secundum medium.

¶ Si verò accipiatur diuisio secundũ differentiam effectuum: sic. n. accipit Aug. ponens dñas lucis, aut ignis: vt in fluant secundum rationem lucis, & caloris in se, vt in visu: deinde sm̃ rationem eius peruenientis à calore ignis ad aerem liquidiorem, sicut in auditu: deinde sm̃ rationem eius peruenientis ad auram stabilem, sicut in olfactu: deinde sm̃ rationem eius peruenientis ad humorem labilem, sicut in gustu, vltimo peruenit ad terrenam grauitatem, & sic est in tactu. Sic ergo sicut intra nihil est sine calore sensitiuum, sic extra sit dispõ sensibilis, q. sentiatur. ¶ Secundum autem dispõnem obiectorũ potest aliter ratio dispositionis accipi. Nam qualitas sensibilis, vel est de his, q̃ conueniunt ad esse: sicut est qualitas elementaris: vel quæ per se consequitur eam, & secundum hoc est obiectum tactus: tactus. n. est elementaris qualitatis, vel immediatè consequentis. Vel est de his, q̃ consequuntur compositionem: qualitas verò consequens compositionem relinquitur sm̃ virtutem dñantis alicuius. Sunt tamen contrarietates quatuor, quæ requirũtur ad compositionem in corpore elementato: in quibus quatuor* qualitas dr̃ dñans: V. g. lucidum, & opacum dr̃ vna contrarietas, in qua dñatur lucidum, siue præcellit: altera contrarietas est calidum, & frigidum, in qua præcellit calidum: tertia contrarietas est humidum, & siccum, in qua præcellit humidum: quarta contrarietas est rarum & densum, in qua præcellit rarum. Quod autem omnes hæ necesse sint ad compositionem, patet per hoc, φ calidum & frigidum, humidum & siccum sunt, q̃ miscentur: rarũ autem & densum (sicut dicit Philos.) disponit materiam ad hoc: lucidum verò est, φ efficit: lux. n. mediante calore cœlesti efficit mixtionem: sic ergo sunt omnia hæc necessaria ad compositionem elementati. Sunt ergo quatuor qualitates dñantes: nam calidum est dñans respectu frigidi in agendo interius: humidum verò respectu sicci in recipiendo interius: rarum verò respectu densi in disponendo materiam: lucidum verò super opacum in inducendo formam. Cum ergo (sicut dictum) sit qualitas sensibilis, consequens compositionem ratione dñantis, aut consequenter ratione dominantis inducentis formam: & hic est color, qui consequitur lucem: est. n. extremitas perspicui in corpore terminato. Aut ratione dñantis, disponentis principalius formam, & hæc qualitas est sonus, qui consequitur rarefactionem aeris, vel aquæ. Aut ratione qualitatis dñantis in actione interius: & hæc qualitas est odor, qui consequitur caliditatem facientem vaporem. Aut ratione qualitatis dñantis in receptione: & hæc est sapor, qui consequitur humiditatẽ aquosam: sic ergo patet numerus sm̃ distinctionem obiectorum.

*Alias, autem.

*Alias, qualitas vna.

¶ ADDVNT etiam aliqui, accipientes ex doctrina Phil. distinctionẽ ex parte modi sentiendi. Aut. n. est sentire sm̃ approximationem: aut sm̃ distantiam. Si vero secundũ approximationẽ, aut * approximat sensibile corpori potenti sentire, contingendo, aut profundando. Si contingendo, sm̃ φ contigua dicuntur, quorũ termini sunt simul: secundum hæc est sentire in tactu. Si ꝓfundando, sic est in gustu: gustabile. n. puenit ad concauitatẽ linguæ, in qua ꝓfundatur. Si verò fit sm̃ distantiam: aut sit immutatio sensibilis tantum secundum vnam partem: & sic est visus: visum. n. necesse est esse indirectum. Aut secundum plures partes: & sic fit odoratus: odoratus. n. fit secundum attractionem odoris in naribus, ex omni parte interius. Aut ẽ sm̃ cõem partem immutatio: & sic fit auditus: sonus enim est ex aeris motu rarefacti possibilis moueri vsque ad auditum.

*Alias, appropriat.

QVÆSTIO LXVII.

De virtute sensibili interiori, ad cognitionem sensibilem pertinente.

In quatuor Membra, & duos Articulos diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de virtute sensibili interiori, ad cognitionem sensibilem pertinente, quæ secundum Aug. ponitur imaginatio: vbi ponuntur quinque differentiæ virium cognitiuarum. s. sensus, imaginatio, ratio, intellectus, & intelligentia: duæ autem s. sensus, & imaginatio ad sensitiuam partem pertinent. Secundum Iohan. Dam. videtur, quod tres sint, s. imaginatiua, ex cogitatiua, &

Ex D. Th. in 1. par. q. 78. & dein ceps, ex S. Bo. in 2. d. 3. par. 2. & in 2. d. 24. par. 1. ar. 2. Sc. in 2. d. 3. q. 8. & d. 17. & in Quotli. q. 14. & 15.

memo-

memoria. Secundum Auic. ponuntur quinq; sensus communis, phantasia, imaginatiua, æstimatiua, memoratiua.

¶ Potest ergo quæri primo, vtrum omnes vires, quas ponit Dam. contineantur sub parte sensitiua, aut non. Item quæritur de comparatione virium, quas ponit Dam. respectu imaginationis, quam ponit Aug. & simul de comparatione virium, quas ponit Auic. respectu vtriusque; an omnes contineantur sub imaginatione, aut quædam sic, & quædam non. Deinde, vtrum omnes vtantur organo: & quæ sunt organa. Quarto, quæ sit ratio distinctionis virium sensitiuarum cognoscentium intrinsecus.

MEMBRVM I.

An tres illæ vires, quas Damas. ponit, scilicet imaginatiua, excogitatiua, & memoria, omnes sub vi sensitiua contineantur?

PRIMO autem quærendum, Vtrum omnes vires, quas ponit Dam. contineantur sub virtute sensitiua. Videtur per hoc, quod determinat omnibus organum determinatum in corporis parte, dicens: quod instrumentum huius est medius ventriculus cerebri, *i. animalis spiritus, qui est in ipso, pars autem intellectiua non determinat sibi partem corporis pro organo: ergo non est, illa excogitatiua, quam ponit Dam. intellectiua, sed sensitiua.

*Alias, &

¶ PRÆTEREA, determinat sibi locum medium inter imaginatiuam, & memoratiuam: vt imaginatiua sit in anteriori parte: memoratiua in posteriori parte cerebri: excogitatiua in medio: cum ergo memoria (sicut ipse dicit) sit phantasia derelicta ab aliquo actu, secundum sensum apparente, pertinebit ad sensitiuam interiorem: ergo extrema pertinebunt: quare excogitatiua, quæ est media inter illas.

¶ ITEM, diuisit ipse irrationale per hoc, quod suadetur ratione, & non suadetur: quod autem non suadetur, diuidit per nutrimentum augmentatiuum, generatiuum, & vitale: relinquitur ergo, quod illæ tres vires, sc. imaginatiua, excogitatiua, & memoratiua pertinent ad irrationalem, quod suadetur ratione. Nam non videtur pertinere ad rationale, cum diuidat rationale per interius dispositum sermonem, & prolatum. Si verò pertinet ad irrationale, quod persuadetur ratione, pertinet ad sensitiuam: erit ergo excogitatiua sub sensitiua interiori.

¶ CONTRA, dicit, quod excogitatiuæ sunt iudicia, & compositiones, &* diuisiones: sed hæc pertinent ad rationalem partem, sc. iudicare, componere, & diuidere: ergo non est partis sensitiuæ. ¶ PRÆTEREA, dicit Auicen. qui explanat amplius: quod hoc est componens, & diuidens secundum imperium rationis, & dicitur cogitatiua. Ex quo videtur, quod pertineat ad partem rationalem: cum cogitare sit actus rationis.

*Alias, in-cessiones, & diuisiones.

RESOLVTIO.

Quinimmo, & ex doctrina Damasceni, & ex declaratione Auicennæ.

¶ AD quod dicendum, quod secundum quod dicit Auicen. hæc vis duo sortitur vocabula, vt dicatur quandoq; imaginatiua, quandoque* excogitatiua. In hoc autem est differentia, quod cum imperauerit æstimatiua animalis, tunc dicitur imaginatiua, si vero virtus rationalis imperauerit ei, & reduxerit eam ad id, quod ei prodest, dicitur cogitatiua. Siue ergo imperet æstimatiua, siue rationalis: semper est computata in parte sensitiua: sicut ipse dicit.

*Alias, cogitatiua.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod iudicia, & compositiones, quæ fiunt in ea, possunt fieri imperio rationis: sicut habetur ab Auic. dicit enim quod habet potestatem componendi, & dicendi formas relictas in sensu, & retentas: & ita quo ad vim, in qua fiunt, dicentur partes sensitiuæ, quo ad imperatiuam partis rationalis. Et quod duplex sit genus compositionis in parte sensibili, & in parte intelligibili: patet per hoc, quod distinguit Io. Dam. dicens, quod excogitatiuę sunt iudicia, & compositiones &c. proprie verò intelligentiæ intelligibilium, & virtutes, & doctrinæ, & artium rationes.

¶ AD secundum dicendum, quod licet fiat secundum imperium rationis, non tamen in parte intellectiua: sed in parte sensitiua, quæ suadetur ratione: & licet cogitare secundum appropriationem dictum, sit partis rationalis: nihilominus per extensionem illius partis est, quæ rationi copulatur: vnde cellula media dicitur logistica, i. rationalis: in qua operatur illa excogitatiua.

MEMBRVM II.

An differentiæ virium sensibilium interiorum, à Damasceno, & Auicen. assignatarum, contineantur sub ea vi, quæ ab Aug. Imaginatio dicitur.

AD secundum, quo quæritur, Vtrum omnes differentiæ diuisionis factæ secundum Auic. & Dam. contineantur sub imaginatione, quam ponit Aug. ¶ Quod non, videtur: imaginatio enim siue imaginatiua est vna de illis: si ergo illa diuidit contra sensum communem, & excogitatiuam, & ita de alijs: non erit imaginatio communis ad illas.

Aug. in lib. de spiritu & anima cap. 11. aliquantulum per ab initio Tom. 3.

¶ Præterea, secundum rationem positam ab Aug. imaginatio est vis animæ, quæ formas corporeas rerum corporearum percipit, sed absentes, siue absente materia: cum ergo perceptiua diuidatur contra custoditiuam, & compositiuam, non continebit memoratiuam, & cogitatiuam, quæ compositiua est. ¶ Contra, omnes interiores vires potentiæ sensitiuæ* cognitiuæ participant formas sensibiles, absente materia: ergo ad illam differentiam reducuntur.

*Alias cogitatiuæ.

RESOLVTIO.

Si imaginatio sumatur communiter, vtique: si pressius, minimè.

¶ QVOD concedendum est. ¶ AD obiectum autem respondendum, quod* imaginatio accipitur dupliciter, vel generaliter, pro omni vi, attingente formas sensibiles, absente materia: & sic accipit Aug. & hoc modo omnes continentur sub imaginatione. Si verò accipiatur imaginatio tantum pro virtute, quæ operatur tantum super huiusmodi formas in anteriori parte cerebri, sicut accipit Dam. dicens, quod organum imaginatiuæ est anterior ventriculus cerebri, & secundum hoc diuiditur contra cogitatiuam, quæ componitur, & memoratiuam, quæ conseruat. Præterea* imaginatiua secundum Auic. dicitur illa, quæ operatur in medio ventriculo cerebri: & est compositiua, vel diuisiua: & sic specialiter accipitur.

*Alias, imaginatiua.

*Alias, imaginatio.

MEMBRVM III.

An vnaquæque vis sensibilis interior determinet sibi organum in operando?

AD tertium, quo quæritur, Vtrum omnes vires intrinsecus cognitiuæ sensibiles vtantur organo, & quo organo vtantur singulæ? Et videtur, quod habeant organum. Vnaquæque enim est vis sensibilis: vis autem sensibilis non operatur, nisi in corpore, vt videtur, quæ cum non operetur nisi in corpore, determinat sibi aliquam partem, in qua operatur. Restat ergo, quod vnaquæque illarum habebit organum. ¶ Præterea, sicut dicit Auic. læduntur aliquando in suis operationibus per læsionem alicuius partis in corpore: hoc autem non esset, nisi aliqua esset colligantia respectu illius partis: erit ergo vnaquæque habens organum determinatum, vel ad minus partem determinatam, in qua operetur. ¶ Hoc etiam videtur per verba Ioh. Dam. distinguentis vires sensitiuas intrinsecus cognitiuas. Ponit n. imaginatiuam, cuius organum est anterior ventriculus cerebri. Ponit etiam excogitatiuam, cuius instrm (sicut dicit) est medius ventriculus cerebri, & animalis spiritus, qui est in eo. Ponit etiam memoratiuam, cuius organum (sicut dicit) est posterior ventriculus cerebri. ¶ In idem consentit Remig. in Li. de Anima, distinguendo has vires: ostendens diuersas ægritudines, in quibus hæ læduntur. Restat ergo, quod vnaquæque habet organum, & partem habet sibi determinatam, in qua operatur. ¶ Contra, Bonitas & malitia, amicitia & inimicitia sunt intentiones, quæ licet inueniantur in rebus sensibilibus, inueniuntur extra res sensibiles, nec ex sensu extrahuntur apud æstimatiuam: ergo in æstimatiua secundum se sunt innatæ: si ergo iudicat de his, non iudicat mediante organo aliquo: non ergo æstimatiua exigit organum in sua operatione.

Remig. in lib. de anima.

¶ PRÆTEREA, Hoc iudicium secundum Auic. existit secundum modum, vt rationalem: sed modus rationalis est iudicare præter organum corporale, ergo hæc vis iudicat præter organum corporale.

¶ PRÆTEREA, Non est aliqua ægritudo propria, in qua lædatur æstimatiua, non læsa alia vi sensibili extrinseca. Si ergo haberet proprium organum, contingeret illam lædi, alia vi non læsa. Sed non est ita, sicut dicit Auic. sed si accidit ei aliqua læsio, illa est ex imaginatiua, siue cogitatiua, quæ operatur in medio ventriculo cerebri. Restat ergo, quod non habeat determinatum organum.

Luc. 16. ¶ PRÆTEREA, Diues (sicut habetur in Euangelio) sensit in lingua pœnam: sed constat, quod ille non fuit sensus exterior: cum sensus exterior fiat per organum corporeum: ergo fuit sensus interior, qui operatur absente materia supra formas: anima ergo operabatur ibi supra formas sensibiles, non præsente materia: ergo vtebatur * imaginatione sed separata erat à corpore: ergo vti potest imaginatione præter organum corporis: multo fortius ergo aliæ vires sensibiles, vt æstimatiua, memorialis. Restat ergo, quod non indiget in completione sui actus organo corporeo.

*Alias, imaginatiua.

RESOLVTIO.

Vires omnes interiores sensibiles, prout in corpore sunt, non nisi per determinata corporis organa operari possunt.

¶ AD quod dicendum est, quod vnaquæque vis sensibilis interior determinat sibi partem corporis, in qua operatur: vnde dicit Auic. de æstimatiua, quod est vis ordinata in summo mediç concauitatis cerebri: sicut habetur in Tractatu de anima.

¶ AD obiecta autem respondendum: quod licet intentiones, quas apprehendit æstimatiua, possint esse secundũ se extra naturam corporalem: tamen vt apprehendit æstimatiua, sensibiles sunt in materia corporali, & ideo indiget quadam colligatione cum corpore, vnde dicitur, quod apprehendit intentionem ligatam cum forma sensibili, & cũ aliqua conuenientia * imaginis cum illa: non tamen vtitur organo ad cognoscendum illam intentionem in se, sed in quantum est in re imaginata, vel visa.

*Alias, imaginationis.

¶ AD secundum dicendum, quod aliud est de iudicio ęstimationis rationalis, & æstimationis sensibilis: sicut dicit Philos. Nam æstimatiua rationalis apprehendit etiam intentiones abstractas à materia: æstimatiua autem sensibilis apprehendit eas cum colligatione formæ sensibilis, quæ non est præter materiam.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de læsione. Dicendum, quod licet non lædatur directè per propriam læsionem ægritudinis: læditur tamen ex consequenti: cum enim læditur excogitatiua, vel imaginatiua: per consequens læditur, & illa in operatione sua debita: vnde cum ponit Dam. vel Remig. diuisionem virium, computat hanc cum excogitatiua, quæ est in media parte cerebri operans, non distinguẽdo eam secundum partem corporis diuersam.

¶ AD illud verò, quod obijcitur de * imaginatione, q̃d possit operari præter organum corporeum, & memorialis similiter. Dicendum est, quod illa operatio æquiuocatur cum ista, de qua hic nunc loquimur. Nunc enim non intẽdimus, nisi de actibus virium existentium animæ, vt est in corpore: deinceps verò agetur de separabilitate eius: vtrum sit separabilis: & secundum partem sensibilem, & vtrum ipsa operetur aliquo modo præter corpus.

*Alias, imaginatiua.

MEMBRVM IV.

Vnde sumatur ratio distinctionis virium sensibilium cognitiuarum interius.

AD quartum descendimus, quo quæritur de distinctione virium: & incidit hic duplex quæstio. Vna de comparatione sensuum exteriorum, qui dicuntur sensus particulares, qualiter se habeat sensus communis ad illos. Alia de distinctione harum virium interiorum inter se.

ARTICVLVS I.

Quomodo sensus communis ad sensus particulares sese habeat?

CIRCA primum: ostenditur, quod sensus communis nõ est communis ad modum vniuersalis, vt de omni sensu prædicetur. Si enim sic esset, non haberet actum proprium: sed eius actus tantum esset in sensibus particularibus: sed sensus communis habet proprium actum, & singularẽ, sc. discernere album à dulci, vel conferre: ergo non est communis vnitate essentiæ vniuersalis. ¶ ITEM, non dicitur communis propter hoc, quod organum eius sint organa sensuum particularium, & nullum habeat organum ꝓprium. Si enim discernit album à dulci, & confert: necesse est recipi formam vtriusque in vno organo: id non erit organum gustus, nec organum visus: necesse est ergo esse organum interius, differens ab illis, ꝙ sit sensus communis.

¶ PRÆTEREA, non sic est organum sensus communis vnum confusione, quemadmodum lingua, tactus, & gustus, sic enim diceretur visus esse quidam sensus communis, & auditus similiter, sicut dicitur, quod gustus est quidam tactus. ¶ Præterea, sensus communis vnus est, habens vnitatem organi: quia omnia organa sensuum particularium conueniunt ad vnum, in quo terminantur: vbi completur iudicium: & id est organum sensus communis: sed non sic conueniunt per confusionem: vt illud organum secundum aliquid eius sit organum auditus, secundum aliquid visus, secundum alterum tactus, & ita de alijs: ergo non dicitur sensus communis, quia habeat organum per confusionem. Ex 2. de anima. 101

RESOLVTIO.

Sensus communis ad sensus particulares in ratione perficientis sese habet. Nec ideo communis dicitur, quia vt vniuersale ad illos se teneat, aut quia illorum organa sint eius organum, sed quia ad suum organum aliorum organa perueniunt, veluti ad radicem, & originem.

¶ PROPTEREA, ostenditur, quod sensus particularis pficitur à sensu communi: cum enim organa sensuum particularium bipertita sint, præterquam in organo gustus, vbi sunt coniuncta, vt in duobus oculis, & duabus auribus: cũ sensibile non appareat duo, sed vnum, necesse est deferri tunc ad vnum organum interius: cum ergo simul tempore percipitur sensibile, & vt vnum simul tempore fit species in organo interiore, & exteriore: ergo perfectio sensus particularis est à sensu communi: cum perficitur in organo interiori. Hoc idem est in omnibus sensibus: nam omnia organa sensuum particularium, s. nerui perueniunt ad vnam radicem, siue originem, in qua conueniunt (aliter nunquam esset collatio, siue discretio sensibilium sensuum diuersorum) & ibi fit complementum.

¶ PRÆTEREA, non differt sensus communis in suo sensibili à particularibus, quinque enim sensibilia, quæ sunt, magnitudo, motus, numerus, figura, quies: quæ sunt communia sensuum particularium, sunt propria sensus communis, apprehenduntur etiam sensibilia sensuum particulariũ à sensu communi, (nam aliter non posset inter illa distinguere) ergo necesse est non differre sensum communem in obiecto à sensibus particularibus. Et hoc videtur per hoc, quod dicit Philosophus, quod sensus communis est, qui omnia sensu percepta, recipit: & propter eorum formas patitur, quæ in ipso copulantur.

¶ PRÆTEREA, quęritur de instrumento sensus communis. Et videtur, quod est aliqua pars cerebri, in qua conueniunt sensibiles nerui. Et hoc arguunt medici: quia læsio sensus communis est ex læsione cerebri: bonitas sensus est ex bonitate cerebri. Sed Philosophus arguit eius organum esse cor, vel aliquid simile cordi in non habentibus cor: eo quod organa sensuum particularium in sua radice continuantur cordi. ¶ Præterea, nihil est sensitiuum sine calore: caloris verò est expansio à corde, & * reditio ad interius in somno. Ex quo arguit, quod sensus communis organum est cor. Et potest vtrunque esse verum, quod dicunt Medici: & quod dicit Philosophus: sed medici ad causam propinquam respiciunt, & ideo dicunt originem neruorũ esse à cerebro: & ramificari motus differenter, vt fiat motus & sensus. Philosophus verò respicit ad causam primam: videt enim, quod licet quies sit in somno ab operatione sensus communis, excitati à particularibus: nihilominus est operatio interior continua secundum motum, sc. phantasiæ & illud non posset esse, nisi vbi viget calor animalis in corde tempore somni, propter quod sensus communis dicitur habere cor, tanquam organum primum.

Quæstio lateralis.

Philos. Ex 2. de anima. 144 & inde.

*Alias, tenditio.

ARTICVLVS II.

Penes quid accipiatur numerus virium sensibilium cognitiuarum interius.

ARticulo secundo quæritur de numero vitium sensibilium cognitiuarum interius: quarum ratio sic accipitur. Quædam enim sunt, quarum actus sunt circa formas sensibiles: quædam circa intentiones formarum sensibilium. Quæ vero est circa formas sensibiles: aut est apprehendens, aut custodiens, aut transformans, siue conferens, absente materia. Si verò est apprehendens, dicitur sensus communis: si verò custodiens dicitur imaginatio: vel alio modo phantasia: si verò est transformans, vel conferens absente materia, dicitur imaginatiua. Si verò est circa intentiones, vt bonitatem, & malitiam, siue nocumentum, & iuuamentum: prout accidit de agno respectu ouis, aut lupi: aut est apprehendens: aut custodiens. Si apprehendens dicitur æstimatiua: si custodiens, dicitur memoratiua. Et distinguuntur secundum Auicen. vt sensus communis sit in anteriori parte cerebri: imaginatio, vel phantasia in eadem parte: imaginatiua verò, vel excogitatiua in medio: in eadem æstimatiua: memoratiua verò in vltima parte cerebri.

Resolutio Numerus virium sensibiliũ cognitiuarum penes formas sensibiles, & earum intentiones sumitur.

¶ Sed incidit quæstio: quare respectu intentionum non dicuntur tres vites, sed duæ tantum, scil. æstimatiua, & memoratiua: respectu verò formarum sensibilium secundum se, dicuntur tres.

Quæstio lateralis.

¶ Ad quod dicendum, quod respectu formarum sensibilium additur vna, vt sint tres. Nam quædam est apprehensiua à sensibus particularibus: & hæc dicitur sensus communis: nulla autem est apprehendens intentiones ex sensibus particularibus: sed abintus habet: & propter hoc illa abundat ex illa parte.

¶ Præterea, propter quid est intentiua ante compositiuam formarum sensibilium: compositiua autem intentionum sensibilium est ante suam retentiuam? Respondendum est, quod formæ sensibiles, quas oportet componere, vel supra quas negociatur imaginatiua, veniunt ab extra per sensus: & nisi essent fixæ intra, non esset compositio imaginatiuæ super illas absente sensu: & ideo necesse est, quod præcedat retentiua: intentiones verò sunt ab intra innatæ: & ideo, non est necesse memoratiuam præcedere: sed sequi: eo quod seruat compositiones factas intentionum cum formis sensibilibus.

¶ Quæri etiam potest, quare in vna parte cerebri collocantur apprehensiua formarum sensibilium, & retentiua non autem apprehensiua intentionum, & memoratiua, quę est retentiua. Ad quod dicendum, quod dissimiliter dicuntur retentiuæ: hæc enim, quæ est in anteriori parte cerebri, non est nisi retentiua ad hoc, vt in eis fiat compositio, & operatio, absente sensu. Illa vero, quæ est in memoratiua, generaliter est retentiua, vt ex illa possit æstimatiua, & intellectiua etiam negociari, vnde dicitur memoriæ, & rememorationis promptuarium. Et signum huius est, quod Iohan. Damasc. cum enumerat vires, non enumerat nisi imaginatiuam, siue imaginationem, & excogitatiuam, & rememoratiuam, dans intelligere, quod prima est apprehensiua, secunda collatiua, tertia retentiua, non ergo computat in prima parte retentiuam, nisi cum apprehensiua.

Quæstio lateralis.

QVÆSTIO LXVIII.

De viribus animæ motiuis. Et primo de Sensualitate.

In quatuor Membra, & in duos Articulos diuisa.

HAbito Tractatu de cognitiuis viribus abintus, & extra, partis sensibilis: sequitur dicere de motiuis. Ponuntur autem differentiæ motiuæ sensibilis phantasia: (sicut dicit Philos.) & æstimatiua, concupiscibilis, & irascibilis: & secundum August. sensualitas. Quidam etiam ponunt quasdam vires affectiuas, alias, siue differentes ab illis secundum quas est gaudium, & dolor, & ira, & timor. Sed non oportet istas ponere differentes à concupiscibili, & irascibili: cum secundum concupiscibilem sint gaudium, & dolor: secundum irascibilem ira, & timor. Aug. autem ponit concupiscentiam cum timore: cum loquitur de his in Lib. de Ciu. Dei. 14. dicit enim quod concupiscentia est appetitus eorum, quæ volumus, & similiter lætitia: metus autem, & dolor in dissensione: sed cum consentimus appetendo, quę volumus, concupiscentia dicitur: cum consentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia dicitur, cum dissentimus ab eo, quod accidere nolumus, metus dr̃: cum autem dissentimus ab eo quod nobis nolentibus accidit, dolor, vel tristitia dicitur.

D. Th. 1. p. q. 81. S. Bo. in 2. d. 24. pa. 2. ar. 3. Ex Se. ibi.

Aug. 14. de Ciui. Dei. Ex c. 7. 8. 9. & 15.

¶ Potest autem quæri, qualiter phantasia & æstimatiua dicuntur motiuæ: cum inter cognitiuas sint positæ. Ad quod dicendum est, quod motiuæ dicuntur, quæ disponũt ad motum per medium cognitionis boni & mali, inclinantis ad appetitum, vel fugam. Differunt autem inter se: quia phantasia est disponens ad motum ex apprehensione formæ sensibilis conuenientis, vel inconuenientis: æstimatiua verò est disponens ad motum ex apprehensione intentionis in re sensibili.

¶ Quæritur itaque specialiter primo de sensualitate, vtrum sit partis sensibilis, vel rationalis. Secundo vtrum sit in genere motiuæ disponentis ad motum, vel facientis motum (facientem autem dico imperantem, vel exequentem interius, vel exterius.) Tertio, vtrum sit idem sensualitas, quod inferior portio rationis: sicut dicit Magister in Sententijs. Quarto, vtrum in sensualitate sit peccatum, vel non.

MEMBRVM I.

An sensualitas sit partis sensibilis, vel rationalis?

AD primum sic, quod sit partis sensibilis, videtur p hoc quod dicit Magister. *Quicquid in anima nostra nobis considerantibus decurrit, quod non sit commune cum bestiis, ad rationem pertinet, quod autem reperieris in ea commune cum bestiis, ad sensualitatem pertinet.* Si ergo sensualitas est communis nobis, & bestijs: ergo ad partem sensibilem pertinet. ¶ Vel aliter, rationalis pars est, in qua differimus: sensibilis, in qua conuenimus: ergo sensualitas ad partem sensibilem pertinet.

Mag. in 2. dist. 24.

¶ Item, August. *Sensualis motus, qui nobis pecoribusque est communis, seclusus est à ratione sapientiæ.* Sed cuius est actus, eius est potentia: sensualis motus est partis sensibiliter: ergo sensualitas.

Aug. de Trin. li. 12. c. 12. &c.

¶ Contra August. *Quomodo coluber non apertis passibus, sed squammarum minutissimis nisibus repit: sic lubricus defluendi motus neglegentes minutatim occupat, & incipiens à peruerso appetitu similitudinis Dei peruenit ad similitudinem pecoris:* Sed iste lubricus motus est motus sensualitatis: motus autem ille non conuenit nisi ratione vtentibus: ergo sensualitas, cuius est motus, est rationalis partis. ¶ Item, super illud. *Infelix ego homo &c.* Glos. Gradus fabricauit Adam, per quos ad filios eius expoliator ascendat: nisi elementissimus dominus protegat. Hi autem gradus dicuntur. Primus corruptio carnis: secundus fomes: tertius, primus motus: quartus est delectatio citra consensum: quintus est consensus: per hunc quintum sathanas ingreditur. Ergo cum primus motus sit sensualitatis: primus autem motus non sit communis nobis, & brutis: sensibilis autem pars communis est, ergo primus motus non est sensibilis partis: & primus motus est sensualitatis, ergo sensualitas non est partis sensibilis, & est illius, vel rationalis, ergo est rationalis.

Idem de eod.

Rom. 7. Glossa.

RESOLVTIO.

Sensualitas in hominibus partis sensibilis est, in ordine tamen ad rationem.

¶ Ad quod dicendum, q̃ sensualitas est partis sensibilis. Sed partem sensibilem est accipere dupliciter. Vno modo præter ordinem ad rationalem partem, & sm̃ hoc, q̃ insunt ei, cõia sunt nobis cum pecoribus. Alio vero modo inquãtum participat ex ordine ad rõnem, & sic appropriata quędam habet, quæ insunt hõi, & non insunt brutis. Sicut. n. in parte cognitiua est quędam vis partis sensitiuæ, in ordine tñ ad rationem: ita ex parte motiuæ est dr̃e sensualitatem habere quædam ap ꝓpriata ex ordine ad rationem: nec ꝓpter hoc erunt duæ vires sensualitatis: sed vna vis dupliciter se habens.

habens: habet. n. quædam communia, & quædam appropriata. ¶ Ad primo obiectum dicendum, quod primæ duæ rationes loquuntur de sensualitate, secundum ea, quæ communiter insunt ei.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod illæ rationes dicuntur de ipsa secundum ea, quæ appropriantur sensualitati humanæ propter ordinem ad rationem: habet. n. aliquem motum communem, & habet aliquem appropriatum.

MEMBRVM II.

In quo genere motiuæ virtutis sensualitas sit?

AD secundum, quo quæritur, in quo genere virtutis motiuæ sit sensualitas. Et videtur, quod sit in genere, disponentis ad motum: quæ. n. suggerit, est disponens ad motum: sed sensualitas suggerit: est. n. per modum serpentis & sic agitur in interiori homine quodammodo, quemadmodum agebatur exterius in primis parentibus: ergo est pertinens ad motiuam, quæ disponit ad motum. ¶ Ad idem facit, quod dicit August. *Carnalis sensus ingerit quandam illecebram fruendi se.* ¶ Item, Aug. *Cum exterior sensus carnalis bono suo vtitur, interior sensus mentis quasi obdormit; non enim cogitat bona interioris sensus, qui iocunditate exterioris boni ... capitur.* Sed constat, quod ille carnalis sensus est, qui cognoscit appetendum, vel fugiendum, & per hoc appetit, vel fugit: ergo si sensualitas non est aliud, quam carnalis sensus, erit sensualitas de motiuis sensibilibus, ad motum disponentibus.

Aug. in lib 12. de Tri. Idem in li. de anima & spiritu.

¶ Sed videtur contrarium. In Glos. habetur enim eam esse primos motus, qui determinat fugiendum: ergo sensualitas, cuius est motus ille, est in genere virtutis imperantis motum.

¶ Præterea, sensualitas dicitur repugnare rationi motiuæ, cum dicitur: *Caro concupiscit aduersus spiritum*: cum ergo ratio motiua sit, secundum quam determinatur meritum, vel demeritum: meritum. n. est in ipsa motiua faciente motum, ergo sensualitas, quæ aduersatur illi, & trahit ad contrarium, scilicet demeritum: erit in parte motiua faciente motum.

Ad Gal. 5.

RESOLVTIO.

Sensualitas vt appetitiua est boni vel mali, ipsa est vis motiua faciens motum. Vt vero cognitiua vtriusque illorum, vis est disponens ad motum.

¶ Ad quod dicendum, quod sicut loquimur de ratione dupliciter, ita & de sensualitate iam dicta. Ratio autem, vt est cognitiua boni & mali, disponit ad motum: inquantum autem in ea est voluntas, efficit motum. Similiter est de sensualitate: est enim cognitiua boni, vt est nunc, vel sui oppositi, & sic disponit ad motum: est iterum appetitiua illius: cum non est obediens rationi, & secundum hoc est motiua, quæ facit motum. ¶ Cum ergo dicitur, quod sensualitas ingerit illecebram: hoc potest attendi dupliciter: vel per modum, quo suggerit, vt est cognitiua, vel per modum, quo pulsat interiorem partem rationis, inquantum est motiua. Illud autem, quod dicit Aug. in Lib. de anima, & spiritu, intelligitur de carnali sensu: qui est disponens ad motum per cognitionem inferioris boni.

MEMBRVM III.

An sensualitas sit idem quod inferior portio rationis. Et an vna cum carne exterior homo dici debeat?

AD tertium, quo quæritur, Vtrum sensualitas sit idem, quod inferior portio rationis. Quod videtur per verbum Magist. qui sensualitatem comparat mulieri: sicut habetur in Glos. super illud, *Mulier est gloria viri*, versus finem Glos. *sed mulier cum viro eandem speciem participat*: sensualitas ergo participabit eandem speciem cum ratione: ergo videtur idem esse, quod inferior portio rationis. ¶ Ad quod videtur facere, quod dicit Aug. arguens ex illo verbo Gen. *Faciamus ad iutorium simile sibi.* Sicut in omnibus pecoribus non est inuentum viro adiutorium simile sibi: nisi de illo detractum in coniugium formaretur: ita menti nostræ, qua supernam consideramus veritatem, nullum est ad vsum rerum corporalium (quantum naturæ hominis satis est) simile adiutorium ex animæ partibus: quas communes cum pecoribus habemus: & ideo rationale nostrum non ad vnitatis diuortium separatum, sed in auxilium societatis quasi deriuatum, in suo dispertitur officio. Ex quo arguitur, si sensualitas tenet rationem mulieris, & mulier in adiutorium viri datur: erit ergo pertinens ad rationem: erit ergo idem, quod inferior portio.

Mag. in 2. sent. dist. 24. 1 Cor. 11. Glossa Aug. in lib de Trin. Gen. 2.

¶ Similiter quæritur, Vtrum sensualitas cum carne debeat dici exterior homo? Quod videtur per verbum Aug. *Si exterior homo vita accipitur, qua per corpus sentimus quinque notissimis sensibus, quos cum pecoribus habemus communes, nam & ipsa molestiis sensibilibus, quæ persecutionibus ingeruntur, corrumpi potest, non immerito, & homo iste dicitur particeps similitudinis Dei, non solum quia viuit: quod etiam in bestiis apparet: sed amplius quod ad mentem conuertitur se regentem, quam illustrat sapientia, quod in bestiis non potest ratione carentibus.* Sed hoc inuenitur in sensualitate ergo sensualitas non erit aliud, quam exterior homo. ¶ Præterea, cum sensualitas mortificatur, tunc spiritus vigoratur. Si ergo hoc dicitur de interiori homine, & exteriori, quod cum exterior corrumpitur, interior de die in diem renouatur, relinquitur: quod sicut nihil aliud est interior homo, nisi sensualitas cum sensibus carnis. ¶ Ad idem facit, quod dicitur in Glos. super illud, *Scio, qui mecum est &c.* ¶ Sed contrarium haberi potest per hoc quod sensualitas aliquo modo communis est nobis, & brutis: ratio vero exterioris hominis nullo modo potest conuenire: ergo non est idem sensualitas, quod exterior homo. ¶ Item dicit Aug. quod exterior homo conuertitur ad mentem se regentem: quam illustrat sapientia, quod in bestiis esse non potest ratione carentibus, ergo exterior homo habet de se intentionem rationis: non ergo sensualitas cum carne est idem, quod exterior homo.

Aug. in lib 83. q.

Glos. sup. 1 Cor. 4.

RESOLVTIO.

Non est proprie, sed solum communiter, & impropriè.

¶ Ad quod dicendum, quod exterior homo dicitur propriè, cum conuertitur homo ad exteriora bona concupiscenda propter se. Interior vero homo dicitur, cum conuertitur ad interiora bona, siue superna appetenda propter se, & secundum hoc cum exterior corrumpitur, interior renouatur. Cum enim homo (sicut dicit Greg.) incipit exterius mori, tunc incipit interius viuere. Ideo dicit Apost. *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum hominem &c.* Alio verò modo dicitur exterior homo sicut habetur in Glos. 2. Cor. 5. *quicquid est in nobis commune cum pecoribus.* Sed hoc potest attendi, inquantum coniungitur cum rationali parte, ad quam ordinatur: & hoc modo potest dici exterior homo sensualitas cum carne: reliquo verò modo non: imo ipse homo secundum duplicem sui ordinationem dicitur homo interior, vel exterior.

Ad Eph. 4. Glos sup. 2. Cor. 5.

¶ Ad hoc verò, quod quærebatur prius, verũ idem esset, quod portio rationis inferior. Dicendum est, quod si inueniatur in scriptura, valde extraneo modo accipit sed (sicut dictum est) poterat hæc esse ratio dicti, vt sicut inferior portio rationis tenebat locũ mulieris respectu superioris portionis: ita sensualitas poterat tenere locũ mulieris respectu rationis. His. n. duobus modis accipitur in expositione super illud. *Mulier est gloria viri.*

1. Cor. 11.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur per authoritatem Aug. in Lib. de Trin. Dicendum, quod ibi loquitur de muliere, prout inferior portio rationis dicitur mulier, & non prout sensualitas. Vnde non ex hoc arguitur, quod sensualitas participat speciem rationis, eo quod datur in adiutoriũ. Dari. n. in adiutorium potest dici dupliciter: vel ad seruiendum: & hoc potest conuenire sensualitati: vel ad producendum actũ communis speciei: quemadmodũ ex superiori portione, & inferiori, cũ coniũgantur, actus omnino rationalis producitur: & sic datur inferior portio rationis in adiutorium: sicut mulier datur in adiutorium viri ad producendum indiuiduum eiusdem speciei.

MEMBRVM IV.

An in sensualitate peccatum sit?

AD quartum, quo quæritur, Vtrum in sensualitate sit peccatum, vel non. Quod sic, videtur per hoc, quod dicit Mag. *Non omne peccatum veniale geritur secundum rationem*, illud scilicet quod in solo motu sensualitatis existit. ¶ Præterea, *Irascimini, & nolite peccare.* Glos. *Surgit motus animi, qui iam propter pœnam peccati non est in potestate nostra*: non. n. consentit ratio. Permittit Apost. irasci: quod est humana tentatio: & loquitur de ira primo motu: sed iste primus motus est in sensualitate: ergo in sensualitate est peccatum. ¶ Quod. n. sit in sensualitate, arguitur sic. Aut. n. est in sensualitate, aut in ratione, cum non consentiat ratio, ergo est in sensualitate.

Mag. li. 2. sen. d. 24. Cap. penult. Ad Eph. 4. Glos.

¶ Contra,

¶ CONTRA, Virtus & peccatum, meritum & demeritum nata sunt fieri circa idem: sed virtus, vel meritum non est natum fieri in sensualitate, ergo nec peccatum natum est fieri in sensualitate.

¶ PRÆTEREA, Diffinitio peccati est, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem*: sed secundum hanc rationem non est natum esse in sensualitate: ergo non est ibi peccatum. ¶ ITEM, sensualitas aliquo modo est communis nobis, & brutis: sed peccatum nullatenus est commune nobis, & ipsis: ergo peccatum non est in sensualitate. ¶ PRÆTEREA, omne peccatum est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum: sed quod est voluntarium, est voluntatis: voluntas autem est in ratione: ratio verò diuidit contra sensualitatem: ergo peccatum nullum erit in sensualitate: ergo sensualitas non erit subiectum peccati. ¶ ITEM, cuius potentiæ est conseruare rectitudinem actus, eius est deficere à rectitudine actus: sed peccatum est ex defectu rectitudinis in actu: ergo peccatum non est in sensualitate.

RESOLVTIO.

In sensualitate peccatum est, at non quodcunque, nec quomodocunque, sed peccatum veniale tantum, & solum subiectiue, idque in pœnam primi peccati.

¶ AD quod dicendum est, quod peccatum dicitur esse in aliquo dupliciter, vel originaliter, vel subiectiuè. Si originaliter, secundum hoc est peccatum solum in ratione motiua, siue voluntate. Si verò subiectiuè, aut est peccatum mortale, aut veniale: si mortale, iterum est in rationali voluntate. Si verò est veniale, aut est in ratione, aut in potentia ordinata ad rationem. Potentia autem ordinata ad rationem, aut est antecedenter, aut consequenter. Si ergo est in ratione, aut in potentia ordinata antecedenter: aut est antecedenter ex parte cognitionis, aut ex parte motiuæ. Si ex parte cognitionis, tunc non est in ea peccatum, prout huiusmodi. Si verò antecedenter est ordinata ex parte motiuę (& hoc in pœnam peccati primi) secundum hoc est peccatum in sensualitate: ex pœna enim primi peccati factum est, vt sensualitas, quæ erat obediens omnino rationi, facta sit rationi repugnans, & quæ mouebatur à ratione, nunc mouet rationem inordinate. Sic ergo in sensualitate est peccatum veniale, non mortale: & veniale secundum alteram rationem, quam id, quod habet subiectum rationem, vel potentiam consequentem.

¶ AD obiecta autem respondendum: quod aliter est de virtute, & de vitio: nisi dicamus de peccato, & de vitio, q̃d contrariatur virtuti. Si enim sumatur vitium, vel peccatum quod contrariatur: secundum hoc, in qua vi potest esse virtus vt in subiecto in nobis, in illa est vitium, vel peccatum. Si verò sumatur peccatum, quod non contrariatur: tunc non est simile de virtute & peccato: quia virtus venit à parte superiori: & habet subiectum partem illam, in qua est similitudo Dei, peccatum verò venit ab appetitu inordinato hominis: & ideo quantum extenditur appetitus inordinatus hominis, intantum extenditur peccatum.

¶ AD secundum verò dicendum est, quod illa diffinitio peccati, Peccatum est dictum, vel factum &c. est mortalis peccati: tale autem non fit nisi in rationali appetitu. Si verò dicatur actus incidens ex defectu boni: bene potest conuenire peccato, quod est in sensualitate: Vel dicatur, peccatum est conuersio indebita ad commutabile bonum.

¶ AD tertium dicendum est, quod sensualitas prout in ea est motus qui est peccatum, non est communis nobis, & brutis, sed est appropriata homini.

¶ AD quartum dicendum est, quod deficere à rectitudine dicitur dupliciter, vel quia origo deficiendi fuit ex illa vi, vel quia defectus rectitudinis in alia per prius, & per posterius defectum haber rectitudinis. Si primo sumatur, secundum hoc, cuius est potestas conseruandi rectitudinem, sc. rationis, eius est potestas deficiendi à rectitudine: & sic non conuenit sensualitati defectus rectitudinis, non enim ex se originaliter habuit. Si verò intelligatur de defectu rectitudinis per consequens, secundum hoc sensualitas deficit à rectitudine: non tamen habet potestatem conseruandi rectitudinem.

An Philosophi in cognitionem huiusce potentia, scilicet, sensualitatis peruenerint. §. j.

¶ OCCASIONE prædictorum quæritur. Propter quid si sensualitas sit vis motiua ipsius partis sensibilis, philosophi non peruenerunt ad notitiam illius potentiæ, quemadmodum peruenerunt ad notitiam phantasiæ, concupiscibilis, vel irascibilis. Quæstiones incidentales.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum nec peccatum originale, à quo illa originem ducit, agnouerint?

¶ AD hoc dicendum, quod propter hoc non peruenerunt ad notitiam ipsius, quia ipsa determinatur, non secundum esse illud, quod commune est nobis, & brutis, sicut considerauerunt philosophi partem sensibilem, nec secundum esse illud, quod suadibile est rationi: sicut se habent concupiscibilis, & irascibilis, sed secundum quod rebellionem habent contra rationem ex pœna peccati originalis. Cum ergo philosophi non peruenissent ad notitiam peccati originalis, per consequens non peruenerunt ad notitiã pœnæ consequentis: ergo nec motus illius inordinati, inquantum est pœna: ergo nec sensualitatis, in qua est radix ipsius, vel origo. Ipsa tamen fortè secundum esse alterum est idem, quod appetitiua irrationalis, mota à phantasia.

Penes quid distinguantur concupiscibilis, & irascibilis? §. ij.

¶ CONSEQVENTER dicendum est de motiuis irrationalibus, quæ quodammodo suadibiles sunt ratione: sicut dicit Damas. hæ sunt autem concupiscibilis & irascibilis, in se tamen agunt secundum impetum: cum autem adest deliberatio rationis, sequuntur in suis actibus motum rationis.

¶ Potest ergo quæri, penes quid hæ duæ vires distinguantur? Videtur enim secundum Damascen. quod distinguantur secundum bonum, & malum, vt concupiscibilis determinetur penes bonum, irascibilis penes malum: duæ autem affectiones concupiscentia, & lętitia sunt ipsius concupiscibilis secundum præsentiam boni, vel absentiam, vel expectationem: aliæ verò duæ, scil. timor & tristitia ipsius irascibilis, siñ præsens malum, vel futurum, siue expctm̃.

¶ HOC etiam videtur per hoc, quod dicit Augustinus. *vi concupiscibilitatis eligit, & natura irascibilitatis reprobat, eligere autem, & reprobare sunt respectu boni, & mali.* Aug. in lib de anima & spiritu.

¶ SED contrarium apparet ex hoc, quod contrariæ affectiones natæ sunt fieri in eadem vi: lætitia autem, & dolor sunt contrariæ affectiones: ergo in eadem vi natæ sunt esse: sed lætitia est in concupiscibili, ergo dolor.

¶ SIMILITER, potest obijci de timore, & confidentia, vt dicantur simul fieri in irascibili. ¶ ITEM, sicut innuit Ioh. Dam. *Ira est id, quod est audax animæ, vindex concupiscentiæ*: ergo ad irascibilem pertinet audere, & insurgere in motiuũ concupiscentiæ: erit ergo concupiscibilis distincta ab irascibili: non secundum bonum & malum, sed secundum differens malum, & secundum differens bonum: & ita secundum differentem appetitum: alius est enim appetitus concupiscibilis & irascibilis: concupiscibilis. n. appetit delectabile secundum partem sensibilem, ira verò est desiderium vindictæ. ¶ Præterea: sicut dicit Philos. *tria sunt in appetitibus; bonum, conferens, delectabile: tria opposita in fugis.* Si ergo concupiscibilis est respectu delectabilis: irascibilis respectu cuius erit? Non videtur esse respectu boni: bonum enim dicit honestum: honestum. n. non mouet, nisi partem rationalem: ergo non est de his, quæ sunt motiua, concupiscibilis, vel irascibilis: prout hic loquimur de illis. Similiter conferens dicitur, quod ordinat, vel confert ad honestum: ergo irascibilis, prout est communis nobis, & brutis, erit circa delectabile. Oportet ergo diuidere delectabile p duas species differentes: aut concupiscibilis, & irascibilis non erunt duæ vires, sed vna. Dam.

¶ DEINDE ostenditur, quod hæ vires (prout loquitur Dam.) non sint partis sensibilis, sed rationalis. Quod videtur ostendi ex huiusmodi affectionibus: nam lætitiam diuidit per animalem, & corporalem: animalem verò dicit, quę est circa disciplinam, & contemplationem: sed talis non potest

potest conuenire sensibili, sed rationali: ergo concupiscibilis, cuius est hęc affectio, nõ erit partis sensibilis, sed rõnalis.

¶ SIMILITER obijcitur de tristitia. Inuidia enim & misericordia sunt affectiones partis rationalis, quæ sunt species tristitiæ. Similiter erubescentia, & verecundia, quæ sunt species timoris. Eodem modo mania, & cotus, quæ sunt species iræ. Restat ergo, quod concupiscibilis, & irascibilis non erit irrationalis partis, sed rationalis: prout de eo ibi agitur.

¶ CONTRARIVM autem habetur in ipsa diuisione: dicit enim quod irrationale quoddam est non obediens rationi, vt pulsatiuum, quoddam est obediens rationi, vt concupiscibile, & irascibile. ¶ PRÆTEREA, quomodo dicuntur hæ vires contineri sub irrationali obedienti rationi, cũ videamus has non sequi rationem: sed ratione nolente irascimur, & contristamur: secundum quod dicit Apost. *Quod nolo, hoc ago*: non ergo dicitur essentialiter contineri sub irrationali obedienti rationi. Ro. 7.

RESOLVTIO.

In his concupiscibilis ab irascibili distinguitur: quia illa stat in appetitu boni, hæc in fuga mali. Prima est secundum appetitum delectabilis, secunda ardui, & honorabilis. Altera secundum bonum & malum in præsenti, reliqua secundum bonum & malum in futuro.

¶ AD quod dicendum: quod concupiscibilis, & irascibilis tripliciter accipiuntur, & secundum hoc tripliciter distinguuntur. Vno modo secundum appetitum boni, & fugam mali, & hoc modo bonum, & malum distinguunt cõcupiscibilem, & irascibilem. Alio modo distinguuntur secundum differentem appetitum, vt concupiscibilis sit secundum appetitum delectabilis, irascibilis vero secundum appetitum ardui, siue honorabilis. Tertio modo secundũ bonum in præsenti cum suo opposito: & bonum in futuro cum suo opposito. Primo modo gaudium, & concupiscentia, quæ dicunt appetitum respectu boni in præsenti, vel in futuro, ad concupiscibilem pertinent: dolor autem, & timor, qui consistunt in fuga mali in præsenti, vel in futuro, ad irascibilem. Et hoc modo possunt accipi, cum quatuor affectiones distinguuntur à Philosophis secundum voluntatem, & voluntatem: hoc.n. idem est, ꝙ secundum appetitum, & fugam. Secundo verò modo accipiuntur hę duæ vires: prout eis respondent virtutes cardinales, sc. temperantia, & fortitudo: nam temperantia est respectu delectabiliũ: fortitudo verò in appetitu arduorum, siue honorabilium: licet tristia, vel indelectabilia reputẽtur. Tertio vero modo accipiuntur, prout dolor, & gaudium dicuntur esse in concupiscibili: spes verò, & metus in irascibili. Hoc etiã modo distinguit Dam. delectationem: & tristitiam dicens pertinere ad concupiscibilem: timorem verò, & iram ad irascibilem.

¶ PER hæc respondendum est ad obiecta. Nam primæ rationes accipiunt secundum hoc, quod concupiscibilis, & irascibilis respiciunt distinctè bonum, & malum. Sequẽs ratio, s. tertia respicit concupiscibilem, prout respicit bonũ, & malum in præsenti: irascibilis verò, quod est in futuro bonum, & malum. Quarta verò respicit, secundum quod habent diuersa genera appetibilium.

¶ AD quintum verò dicendum, ꝙ illa diuisio appetibilium comprehendit generaliter illa, q̃ sunt appetibilia à voluntate, secundum quod voluntas est motus rationis. Nũc autem non agimus hic nisi de appetitu sensuali: vnde non secundum illas differentias accipietur virium differentia.

¶ AD illud verò quod quæritur, vtrum debeant dici partes partis sensibilis, aut rationalis. Respondendum, q̃d secundum quod continent affectionem delectationis intellectualis, quæ est sub animali, prout animalis dicitur esse circa disciplinam, & contemplationem (sm̃ Dam.) & affectionem misericordiæ, & huiusmodi, & quarundam specierum timoris & iræ: ad partem rationalem reducuntur. Vel erunt istæ affectiones mixtæ ex parte rationali, & sensuali. Iohannes autem Dam. licet loquatur de irrationali parte, loquitur tamen de ea, prout est obediens rationi, & mouetur secundum rationem rectam aliquando, aliquando secundum non rectam, aliquando secundum seipsam.

QVÆSTIO LXIX.

De vi cognitiua rationali.

In quinque Membra, & in nouem Articulos diuisa.

COMPLETO Tractatu de parte sensibili cognitiua, & motiua: sequitur de parte rationali cognitiua, & motiua. Pars verò cognitiua diuiditur (sicut habetur in Lib. de Anima, & spiritu) in rationẽ, intellectum, & intelligentiã. Secundum Ioh. Dam. diuiditur in intellectum, mentem, & opinionem: has .n. enumerat cognitiuas, præter sensum, & imaginationem. Vnde dicit, quod per sensum animæ constituitur passio, quæ dicitur imaginatio: ex imaginatione verò fit opinio: deinde mens dijudicans opinionem, siue vera sit, siue falsa: iudicat veritatem. Vnde mens à metiendo excogitando, & iudicando dicitur: quod autem dijudicatum, & determinatum est, rectè dicitur intellectus. Philosophus verò diuidit in intellectum materialem, qui cognoscit species in phantasmatibus, & in intellectum possibilem & separabilem, qui cognoscit species abstractas, & intellectum agentem. Aug. videtur aliter differentias ponere in Lib. de anima, & spiritu, cum dicit: ingenium, memoriam, rationem, intelligentiam: dicit enim, *quod ingenium inuestigat ratio iudicat, memoria seruat, intelligentia comprehendit.* D. Th. 1. p. q. 78. & 79. S. Bon. in 2. d. 24. per totum Sc. ibid. d. 38. & 19. & in 1. d. 3. q. 6. in Quodli. q. 15. Aug. in lib de anima & spiritu.

¶ Potest ergo quæri, cum his modis sumatur diuisio virium cognitiuarum rationabilium, quæ sit comparatio diuisionis ad diuisionem, vtrum accipiatur secundum vnum modum, an differentem. Et si accipiatur secundum differentem, quæritur de comparatione earum. Secundo quæritur de ordine diuisionum. Tertio quæritur de intellectu possibili. Quartò quæritur de alijs diuisionibus Augustin. & Damascen.

MEMBRVM I.

An diuisiones virium cognitiuarum rationalium, à Philosopho, Augustino, & Damasceno assignatarum, differenter, vel indifferenter assignatæ sunt?

CIRCA primum sic obijcitur. Cum intellectus communiter accipiatur in diuisione Aug. & Dam. mens etiam videatur idem, quod intelligentia: eo quod dicit Aug. *mens est supremum in anima*: quod etiam videtur per hoc, quod dicit Aug. quod mens est prima vis earum, quæ pertinent ad imaginem Trinitatis: erit ergo ratio idem, quod opinio. Aug. Idem in li. 14. de Tri.

¶ SED contra hoc est, quod Aug. ponit ita differentias rationis, intellectus, & intelligẽtiæ: vt ratio comprehendat corporum naturas: intellectus spiritum creatum: intelligentia spiritum increatum: quare actus intellectus est post actũ rationis, & ante actum intelligentiæ. Sed secundum Iohan. Dam. actus mentis est post opinionem, & ante intellectum. Ex imaginatione .n. fit opinio: mens verò dijudicat de opinione: & tandem peruenit ad intellectum veritatis. Prius .n. est accipere alteram partem cum formidine: deinde amplius dijudicare, vt tandem cognoscatur veritas: qua fiat quietatio intellectus. ¶ Præterea, diuisio Aug. videtur esse secundum differentias formarum intelligibilium sine compositione, vel complexione: diuisio verò Io. Dam. sm̃ differentias earum, inquantum cum compositione, vel complexione accipiuntur: ergo neutra est ad alteram reducibilis. Si enim acciperentur sm̃ differentias rerum: non essent nisi duæ vires, sc. rerum possibilium aliter fieri, hoc est contingentium, & rerum necessariarum: & ita non esset nisi opinio, & intellectus: qui scientialiter res cognosceret: quod cum non sit: additur enim mens, quæ est dijudicatiua. Ex quo accipitur, quod non secundum differentias rerum cognoscibilium accipiatur diuisio Dam. Damas.

¶ PRÆTEREA, potest quæri de comparatione diuisionis Philosophi ad diuisionem Aug. & Dam. videtur enim ponere tantum intellectum potentiam cognitiuam: & hoc sub tribus differentijs, & ita ratio, & intelligentia superuacue essent in diuisione Aug.

¶ SI verò diceret quis, quod intellectus sub his differentijs, respondet tribus differentijs virium, q̃ ponũtur ab Aug.

Hoc non est verum, nam illæ differentiæ, quas ponit Aug. distinguuntur secundum intelligibilia, differentia in nobilitate maiori, vel minori: nobilius est. n. intelligibile increatum, quam creatum: & intelligibile creatum separatum à formis corporalibus, quam id, quod est in corporibus. Differentiæ verò positæ à Philosopho, attenduntur secundum differentias omnium ad abstractionem pertinentium. Est. n. vis, habens ea à quibus fit abstractio: & est vis abstrahens: & est vis formas abstractas comprehendens: & ita differentiæ intelligibilium, assignatorum à Philos. attenduntur sm̃ differentias compositionum ad formas abstractibiles: differentia verò Aug. ad formas has, & alias: non ergo secundum vnum modum accipiuntur.

De comparatione earundem diuisionum. §. j.

Quæstio lateralis. ¶ Deinde quæritur de comparatione diuisionum, scil. quam ponit Philos. respectu illius, quam facit Dam. Intellectus. n. videtur esse communis. Sed quæritur, quis intellectus diuisioni Philos. respondeat. Videtur. n. quod nullus: nam vnusquisque est circa formas intelligibiles sine complexione consideratas: sed intellectus de quo loquitur, est circa formam intelligibilem in complexione: non est ergo aliquis illorum intelligibilium.

¶ Similiter, quæritur de quarta diuisione, quæ sunt ingenium, ratio, memoria, intelligentia: qualiter se habeat ad primam diuisionem: cum duo membra primæ diuisionis ibi ponantur, sc. ratio, & intelligentia: tertium verò, sc. intellectus non ibi ponatur, aut si intelligentia ponitur ibi ꝓ intellectu: tunc deest tertium, sc. intelligentia. ¶ Præterea, in hac diuisioné ponitur vis retentiua, sc. memoria, q̃ non fuit posita in primis diuisionibus. Similiter ingenium in nulla supradicta diuisione ponebatur. ¶ Ponuntur autem aliæ differentiæ à Dam. sc. intelligentia, intentio, excogitatio, phronesis: sed hæc suo dicentur loco: vbi. agetur de differentijs actuum, quæ ponuntur in intellectu possibili secundum Philosophum.

RESOLVTIO.

Alio, & alio prorsus modo vires cognitiuas rationales diuisere Philosophus, Aug. & Dam.

Quest. hac memb. 5. ar. 2. ¶ Dicamus ergo ad intelligentiam supradictarum diuisionum, quod attenditur diuisio rationalis cognitiuæ: secundum respectum ad veritatem in formis intelligibilibus sine complexione entibus: & secundum respectum ad veritatem in complexionibus, & compositionibus formarum intelligibilium. Secundum primum modum accipiuntur duæ diuisiones: illa, sc. prima Aug. & illa, quæ est Philosop. sed in hoc differunt, quod illa, quæ est Aug. accipitur secundum differentias formarum intelligibilium simplicium: illa verò, quæ Philosophi, accipitur secundum modum perueniendi ad cognitionem illarum formarum intelligibiliũ quæ veniunt ad intellectum per abstractionem à phantasmate sensibili. Vnde principaliter sistit circa ea, quæ sunt rõnis, nihilominus tñ p ea peruenit ad quandã cognitioné q̃ sunt in intellectu, & intelligentia. Cũ. n. sint tres differentiæ formarum intelligibilium, increata, creata, separata à conditionibus corporis, siue corporeis, & ita à conditionibus sensibilibus: & illa, quæ est abstracta à conditionibus sensibilibus siue corporeis, licet inueniatur cum illis, diuisio tamen Philos. quæ est secundum triplicem intellectum, materialem, possibilem & agentem: respicit propriè formas intelligibiles abstractibiles à conditionibus sensibilibus: & ita sistit circa ea, quæ sunt rationis. Aliæ verò diuisiones respiciunt veritatem formarum intelligibilium in complexione entium. Sed in hoc differunt, quod vna accipitur secũdum acceptionem *perfectam ex parte cognoscibilis. Est enim accipere verum cum quadam admixtione falsitatis: & sic dicitur opinio: vel cum discretione veritatis à falsitate: & sic est mens: vel cum certitudine veritatis, & sic dicitur intellectus. Altera verò accipitur secundum ꝓgressum actuũ ex parte cognoscitiui. Primo enim inquirit veritatem: secundo dijudicat: tertio dijudicatum seruat: quarto seruatũ plene comprehendit. Vel secundum alium ordinem comprehensio præcedit actum memoriæ. Primo enim est motus ad quærendam veritatem, & dr̃ inquisitio. Secundo discussio, & hæc fit à ratione. Tertio in memoria fit

* Alias perfectam, & imperfectam.

rationis discussæ retentio. Quarto ipsius veritatis certitudo. Sic differunt inter se supradictæ diuisiones. ¶ Ex iam dictis patet, qualiter respondendum est ad obiecta, ꝙ intellectus in diuisione Augu. non est secundum eundem modum acceptus, secundum quem in diuisione Io. Dam. Nam intellectus secundum Aug. est vis cognitiua formarum creatarum separatarum, vt sine complexione: intellectus autem secundum Io. Dam. inquantum cognoscitur veritas determinata in complexionibus, ex iudicio mentis præambulo. Similiter nec mens vtrobique similiter accipitur: nam non est mens secundum Ioh. Dam. idem, quod mens secundum Aug. sc. supremum in anima: sed est vis dijudicans ad discernendum veritatem à falsitate. Vnde non est idem, quod intelligentia: quæ est secundum Aug. vis suprema extendens se ad Dei contemplationem. Nec opinio est idem, quod ratio: nihilominus tamen secundum quod ratio attingit complexiones: sic dr̃ opinio, sicut in ratione: & hoc modo accipit Philos. rationem, dicens, quod in ratione est opinio, & scientia. sed opinio est acceptio possibilium aliter se habere: ratio verò secundum primam diuisionem Aug. est vis, quæ attingit per cognitionem formas abstractas à corporibus, & corporum accidentibus. Augus. Damas.

¶ Ad aliud, quod obijcitur de diuisione Philos. respectu diuisionis primæ, quam ponit Aug. Dicendum, quod non similiter accipitur in vtraque diuisione: nam abstractio nõ currit secundum formas secundum se abstractas: sicut est in forma intelligentiæ angelicæ: vel circa formas scientiarum aut virtutum, quæ sunt in anima, sed circa formas intelligibiles abstractibiles. Et propter hoc cum intellectus in diuisione Aug. accipiatur circa formas, secundum se abstractas: in diuisione verò Philos. circa formas abstractibiles: patet, quod non similiter accipitur intellectus vtrobique. Intellectus autem agens duplicem habet actum: habet. n. vnum actum respectu formarum abstrahendarum: & ille est abstrahere: habet alium actum respectu formarum secundum se, siue separatarũ: secundum quod dicit Philos. ꝙ in his, q̃ sunt sine materia idem est intellectus, & id quod intelligitur, in habentibus autem materiam, potentia est vnumquodque intelligibilium: identitas autem non dr̃ per essentiam: sed quia istæ non indigent abstractione, ad hoc vt intelligantur: aliæ verò indigent. In diuisione ergo Aug. ratio cõtinebat intellectum materialem, & intellectum possibilem prout cognoscunt formas intelligibiles, vel in phantasmatibus, vel à phantasmatibus acceptas, intellectus verò possibilis nihilominus recipiet cognitionem ab agente à parte altera, s. formarum intelligibilium separatarum. Philos. Ex 3. de anima tex. com. 15. vsque ad 19.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur de comparatione diuisionis Philos. ad diuisionem Dam. dicendum, quod nullum membrum diuisionis est idem cum membro alterius: sed cum intellectus possibilis (de quo loquitur Philosophus) accipit formas simplices abstractas à phantasmatibus: tunc incipiunt coniunctiones illarum formarum fieri & iudicia illarum coniunctionum, siue complexionum fiunt. & tunc primo habet locum diuisio, quam facit Io. Dam.

¶ Ad illud verò quod obijcitur de quarta diuisione, q̃ ponit Aug. de ingenio & alijs. Dicendum est, quod actus harum fundatur similiter super complexionem, vt ingeniũ sit, secundum quod intellectus possibilis decurrit ab incognitis ad aliqua cognoscenda, & hoc est posse eligendo verum, & fugiendo falsum: ratio verò, quæ collatiua est per rationes mediorum adductas. est dijudicatiua veritatis ex illis rationibus. Si verò non * vigerent huiusmodi rationes apud intelligentiam, non esset firma comprehensio veritatis: & ideo memoria seruat, intelligentia comprehendit. Sed non dicitur hic intelligentia eodem modo, quo dicitur in prima diuisione Aug. cum hic accipiatur circa complexã veritatem: ibi verò circa incomplexam, & summam veritatem. Nomen ergo intelligentiæ aliquando accipitur communiter, pro vi cognoscitiua omnium formarum intelligibilium sine complexione: & sic dicitur à Philosopho, omnium indiuisibilium est intelligentia, circa quæ non est falsum, in quibus verò verum & falsum, compositio quædam est intelligibilium. Alio verò modo accipitur pro vi cognitiua formæ intelligibilis increatæ & summæ, & sic accipit August. in prima diuisione. Aliquando verò accipit pro vi

*Alias, figerentur vel signarentur.

Philos. 3. de anima tex. co. 21.

apprehensiua veritatis complexæ, cum certa determinatione veritatis: & sic accipitur in secunda diuisione Aug. & sic se habet ad opinionem, quæ aliquando opinatur falsum: sicut scientia se habet ad opinionem, scientia n. accipit necessarium, opinio vero contingens, siue verum, siue falsum.

MEMBRVM II.

De ordine diuisionum.

TERTIO quærendum est de ordine diuisionum: vbi tria sunt quærenda.

¶ Primo, quæ sit prima diuisio, ad quam aliæ consequantur, & quasi super ipsam fundantur. Secundo, de secunda diuisione, quam facit Philosophus respectu illius, quam facit Dam. Tertio, quæ sit necessitas ponere intellectum agentem, & possibilem.

ARTICVLVS I.

Quæ dictarum diuisionum prior sit ordine?

ARTICVLVS primus, quo quæritur, quæ sit prima diuisio, ad quam aliæ consequantur, & super quam quasi fundentur. Constat autem, quod diuisiones virium cognitiuarum: quæ respiciunt formas intelligibiles sine complexione, sunt priores alijs. Inter illas autem, cum diuisio Aug. intelligatur quantum ad intelligibilia, prior erit diuisione Philosophi, quę sunt penes modum pertingendi ad cognitionem intelligibilium ex parte inferiori. Est enim duplex motus: à parte inferiori mediante sensu: & à parte superiori per illuminationem, siue à principio datam, quæ dicitur cognitio innata, alia dicitur acquisita, siue eius subsequenter. Vnde quod dicitur possibilis intellectus tabula nuda, & anima rationalis ratione illius, hoc intelligitur ratione illius cognitionis intelligibilium, quam accipit inferior sensus. Ex illa enim parte fuit inuestigatio physica: secundum illam autem accipitur diuisio intellectiuæ partis cognitiuæ per intellectum materialem & possibilem, separabilem & agentem. Reliquæ verò duæ diuisiones decurrunt super formas intelligibiles, in complexione existentes & alia quæ infra dicentur.

Philos. Ex 3. de anima tex. cō. 14.

Art. immediate sequen. & deinceps.

RESOLVTIO.

Illa Augustini: quippe quæ attenditur iuxta differentias formarum intelligibilium simplicium.

¶ DICENDVM est ergo de diuisione, quam ponit Aug. & patet ex iam dictis ratio diuisionis, penes quod accipiatur. ¶ Sed potest quæri: cum ex parte sensibilis esset retentiua sensibilium, quare non assignetur ex parte intelligibilium retentiua, aut si est assignata, vbi assignatur. ¶ AD quod dicendum: quod licet in prædicta diuisione trimembri non ponatur vis retentiua, i.e. memoria: nihilominus alibi, cum comparat has vires animæ, ponit memoriam post rationem, & deinde intellectum, & intelligentiam, per quod innuit quod eadem est in substantia cognitiua intelligibilium, & memoratiua intelligibilium, ideo in prima diuisione trimembri non enumerabatur.

Memb. immediate præcedenti.

Dubitatio

¶ SED adhuc restat quæstio: quare magis distinguitur memoratiua sensibilis tanquam potentia, quam intelligibilis. Responderi potest, quod memoratiua sensibilis vtitur organo: & habet aliud organum, quam cognitiua sensibilis: Nam oportet organum aliter disponi ad recipiendum: & aliter ad retinendum: ad recipiendum enim humidum est conueniens: ad retinendum verò siccum: siccum enim bene retinet, quod imprimitur, & ideo vis, quæ est proportionalis organo, differens est, vt sicut organa distinguuntur secundum debitam proportionem & determinatam ad recipiendum, & retinendum: ita & vires. In parte vero intelligibili, quę quantum est de se, non vtitur organo: non est necesse fieri hanc distinctionem: sed quæ accipit intelligibilia ea conseruat.

Dubitatio

¶ ADHVC etiam quæritur, cum sint intelligibilia quædam infra, quædam iuxta, quædam intra, quædam supra, vt narrat Aug. quare non sunt quatuor differentiæ virium: vt vna sit vis respectu intelligibilium intra, sicut est triplex differentia respectu intelligibilium extra. ¶ AD quod dicendum, quod diuisio, quam facit Aug. est proprie respectu intelligibilium extra, quod patet per hoc, quod rationem ponit ipse cognoscitiuam naturarū, formarum, differentiarum, proprietatum, & accidentium: sed non extra corpora, nisi ratione subsistentia. Per quod patet, quod rationis est cognoscere ea, quæ sunt infra rationem: omnia n. quæ spectant ad corpora, sunt infra rationem. Intellectum verò ponit cognoscitiuum angelorum, dæmonum, animarum, & omnis spiritus creati. Ex quo patet, quod loquitur de intelligibilibus, quæ sunt iuxta animam rationalem. Cum autem dicitur, quod intelligentia immediatè supponitur Deo: loquitur de Deo, quod est supra animam rationalem. Ea verò quæ sunt intra, sicut sunt scientiæ & virtutes: & quod ipsa anima rationalis seipsam cognoscit, quia non est necesse similitudines alias ab intelligibilibus peruenire ad intellectum: ideo non computantur in vi separata: sed cognoscuntur in vi, in qua nata sunt esse. Cum enim anima ipsam scientiam, vel artem habeat apud se, quæ necessitas est habere similitudinem separatam ab intelligibili? sed in alijs rebus intelligibilibus oportet habere similitudinem, qua intellectus mouetur ad hoc, vt intelligibile fiat actu intellectum.

ARTICVLVS II.

Quæ necessitas sit ponere intellectum materialem, habentem species in phantasmatibus?

AD articulum secundum, quo quæritur de secunda diuisione, quam facit Philos. per intellectum in triplici differentia. Potest enim quæri, quæ sit necessitas ponere intellectum materialem, qui habet species in phantasmatibus, qui dr̄ à Philosopho corrumpi, quodam interius corrupto, & dicitur alio nomine ratiocinatiua: vnde dr̄ cellula logistica. Videtur enim quod sufficiat vis sensibilis, quæ recipit phantasmata: si enim à phantasmatibus fit abstractio specierum intelligibilium: non est necesse ponere aliam vim à phantastica, in qua sint ea, quibus debeat fieri abstractio: & ita non est necesse ponere vnam vim intellectiuam. Sufficit ergo duplex differentia, intellectus agentis, & possibilis. Et hoc etiam videtur Philos. innuere, ponens duas tantum differentias: vnam, qua est omnia facere, aliam, qua est omnia fieri.

Ex 3. de anima tex. con. 18.

RESOLVTIO.

Vt fiat distinctio nobis à brutis circa phantasiam, & phantasmata.

¶ AD quod dicendum, quod ille intellectus materialis, de quo loquitur Commentator, qui habet species in phantasmatibus, in hoc differt à phantasia: quod phantasia habet phantasmata, non vt possibilia vlterius ad actum alicuius potentiæ intellectiuæ: sic enim est in brutis: bruta enim habent hanc vim tanquam perfectionem, non vt possibilē vlterius ad nobiliorem perfectionem. Vnde sicut sensus brutalis non dicitur vniuersalis, neque per se, neque per accidens, sed solum singularis: sensus vero humanus est vtriusque, s. vniuersalis, & singularis: ita contingit in vi interiori: vt sit phantastica habens phantasmata, secundum quod huiusmodi, non vt possibilia ad species abstrahendas ab intellectu. Intellectus verò materialis habet species in phantasmatibus: quas possibile est abstrahi p intellectum agentem, vt vniantur cum possibili: sic ergo necesse fuit ponere intellectū materialem. Et quia habet aliquam colligantiam ad corpus: dr̄ à Philos. corrumpi, quodam interius corrupto: non ꝙ eius sit secundum se corruptio, sed ratione act⁹.

ARTICVLVS III.

Quæ necessitas sit ponere intellectum agentem, & possibilem?

AD articulum tertium, quo quæritur de intellectu agente, & possibili, quæ sit necessitas ponere has duas dr̄as: habetur à Phil. Dicit. n. ꝙ nihil educitur de potentia materiali in actū, nisi p illud: ꝙ est actu, sed intellectus possibilis dr̄ possibilis in suo genere potentia materiali: non ergo educitur in actum, nisi per id, quod est actu: illud autem est potentia agens: erunt ergo duæ differentiæ.

¶ PRÆTEREA, Sensus non seipsum perficit in sentiendo, sed indiget luce* exteriori: ergo nec intellectus similiter erit ergo vnū aliquid in anima, ꝙ erit p modū lucis: vt sicut lux potētia colores, facit actu sensibilia: ita erit quid in anima, ꝙ

* Alias, luce interiori vel exteriori.

potenti a

potentia intelligibilia perduceri ad hoc, vt actu intelligantur ab intellectu possibili.

¶ Sed adhuc posset esse dubitatio: vtrum hoc agens esset intellectus: sicut enim agens extra ex parte sensus, non est actus sensus; * licet lux: sic videtur in intellectu.

* Alias, s. lux.

¶ Sed contra hoc est, quod nihil potest educere formas intelligibiles de potentia ad actum; nisi sit actu in illo genere; propter quod abstrahens formas intelligibiles, & vniens eas; necesse est, quod sit actu intellectus. Nec est simile de luce sensibili: sic enim se habet vt educat colore, qui erat in potentia; vt possit actu mouere visum, quantum est ex parte sui, sed non dicitur agens respectu potentiæ sensibilis animæ. Vnde non est necesse propter hoc agentem extra vniuocare cum sensu patiente: intellectus vero agens agit dupliciter: agit enim abstrahendo, & cum possibili vniendo.

* Alias, hoc.

¶ Sed adhuc dubitaret aliquis; vtrum sit separatus secundum substantiam ab anima: an sit pars ipsius animæ intellectiuæ? Quod si esset: tunc tota substantia animæ intellectiuæ quo ad hoc, esset in intellectu possibili.

¶ Sed contra hoc est, quod inconueniens est ponere partem intellectiuam, non sibi sufficientem ad intelligendum, cum intellectiua pars sit perfectior sensitiua, & vegetatiua. Videmus enim vegetatiuam sibi sufficientem, & sensitiuam: multo fortius intellectiua secundum se habebit sufficientiam ad intelligendum.

¶ Contrarium tamen videbitur propter hoc, quod aliqua forma est intelligibilis, quæ est nobilior intellectu rationali: sicut sunt ea, quæ sunt in diuinis. Non ergo videtur habere pars intellectiua rationalis posse ad intelligendum illa: nisi per aliquid, quod est extra illam: necesse est ergo, cum illud sit intellectus agens; ipsum esse separatum.

¶ Sed forte dicetur, quod solus intellectus possibilis est pars animæ. Contra quod sic obiicitur: proximius se habet intellectiua pars ad primum, quam sensitiua, sed in sensitiua non ponitur aliqua differentia, quæ omnino habet possibilitatis, & nihil est actu: ergo nec in intellectiua est ponendum. Si ergo est ibi solum possibilis: erit ibi eadem potentia possibilis vno modo, & alio modo agens.

¶ Præterea, in intellectu angelico patet, quod non omnia, quæ sunt, cognoscit, sed respectu eorum, quæ nondum cognoscit, dicitur possibilis: quod autem educatur de potentia in actum; non est necesse ponere aliam potentiam perficientem illam: erit ergo ipsa seipsam perficiens. Vna ergo, & eadem erit substantia intellectus possibilis, & agens, sed ratione differens: vt dicatur possibilis in hoc, quod nondum habet: agens inquantum sibi sufficit ad acquirendum.

¶ Si forte dicatur: quod vna, & eadem vis sit intellectus agens, & possibilis, sed differens ratione. Contra hoc sic obiicitur. Nihil idem secundum eandem partem est respectu eiusdem in actu, & potentia simul: cum ergo intellectus possibilis est in potentia: necesse est intellectum agentem, & possibilem non esse idem: vel si sunt aliquo modo idem; erunt sic idem, quod tamen erunt diuersæ partes eiusdem.

RESOLVTIO.

Congruit vtrumque intellectum, agentem, scilicet, & possibilem ponere: ita tamen vt alter respondeat ex parte formæ ipsius animæ, secundum quod spiritus est: alter ex parte materiæ: quæ ipsa est potentia ens respectu cognoscibilium, quæ in ea sunt.

¶ Ab ꝙ pōt dici, ꝙ intellectus agens, & intellectus possibilis duæ, sunt differentiæ in anima rationali: quarum vna, sc. intellectus agens est ex parte formæ ipsius animæ, secundum quod est Spiritus: altera vero scilicet possibilis, est ex parte suæ materiæ, quæ est potentia ens respectu cognoscibilium, quæ sunt in ea: & hoc à parte inferiori, qua sunt mediante sensu principaliter. Nec oportet ponere intellectum agentem separatum in substantia ab ipsa anima, sic ut lux in sensu separata est in substātia ab ipso sensitiuo: Est enim ipse Spiritus in se habens lumen quoddam naturale: ratione cuius habet actum intelligibilium à principio, scil. creationis, ex parte, scil. illa, qua est substantia immaterialis secundum se separata: licet ex alia parte corpori sit coniungibilis (non enim videtur, quod ille cōdiderit animam rationalem ad imaginem suam, quin ei dederit perfectionem suam respectu cognoscibilium.) Ex illa vero parte, qua habet hanc perfectionem cognoscibilium ad quandam similitudinem primi, ex illa est intellectus agens: quæ pars cum obuiauerit formæ intelligibili, in phantasmate existenti, abstrahit eam, vt sit actu intellecta: & ex illa parte, qua nondum habet anima illas formas intelligibiles, dicitur intellectus possibilis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quam aliqua intelligibilia sunt supra intellectum; & ita oportet, quod cognitio fiat per agentem, qui est supra intellectum. Dicendum est, quod agens nō dicitur actu esse, quia omnes formas à principio intelligit: sed ab agente primo illuminatur; etiam non respectu omnium, sed respectu quarundam formarum, cum est illuminatus, perficit etiam possibile illo modo: vnde nō est necesse ponere agentem separatum, quo ad omnia intelligibilia cognoscenda.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, incōueniens esse partem omnino possibilem in ipsa anima, quæ sit sicut tabula nuda: imo videatur esse, sicut est intelligentia angelica. Dicendum est, quod non est simile de parte intellectiua animæ, & parte intellectiua angeli. Hæc enim quæ est in angelo; separata est à parte sensibili: vnde non habet possibilem: nisi dicatur possibilis, id est receptibilis illuminationum à summo, sed habet partem sibi sufficientem ad cognoscendum ea, quæ nondum sunt cognita ab ea. Pars ergo intellectiua animæ, quæ coniuncta est parti sensibili; ex illa parte est possibilis, & sufficientiam habet ex agente, & virib. præambulis sensibilibus; vt educatur de potentia ad actum. Vires enim sensibiles præparant formam intelligibilem, vt sit conueniēs abstractioni: intellectus vero agens actu abstrahit eum, & vnit cum possibili. Sic ergo completur intellectus possibilis in receptione specierum intelligibilium, à phantasmate abstractarum.

MEMBRVM III.

De intellectu possibili.

Deinde pro tertio membro, quo quæritur de intellectu possibili; occurrunt tria quærenda. ¶ Primo, vtrum sit possibilis intellectus. Secundo, vtrum sit in anima, secundum quod est actus corporis; aut secundum quod est hoc aliquid. Tertio, vtrum sit possibilis potentia essentiali, vel accidentali? Et dicitur potentia essentialis, cum ex se habet: sicut ponderosi est ferri deorsum. Potentia vero accidentalis est, sicut ignis, qui de se actu est; sed tamen potentia est ad aliam formam elementati.

ARTICVLVS I.

An sit intellectus possibilis.

Ad primum. Quod non sit possibilis intellectus in anima rationali, videtur: cum enim sit vltima formarum naturalium: vltima autem formarum naturalium ita est actus, quod non potentia illo genere: ergo anima rationalis in illo genere non debet dici potentia: ergo nulla differentia eius erit intellectus possibilis.

¶ Præterea, ponitur intellectus possibilis omnino in potentia respectu formarum intelligibilium: sicut prima materia in potentia est respectu formarum naturalium, sed prima materia nullam habet formam naturalem determinatam in se (si enim haberet, iam non diceretur possibilis omnino) anima autem rationalis habet aliquam determinatam: ergo non conuenit ei intellectus possibilis secundum illum modum.

¶ Contra, sicut est possibilitas prima in esse: ita est in bene esse, sed possibilitas in bene esse, non est aliud, quam in cognitione, & affectione: erit ergo aliqua potentia in anima rationali, secundum quam est possibilis in cognitione: illa dicitur intellectus possibilis: erit ergo in anima intellectus possibilis. ¶ Præterea, sicut est in luce corporali, ita est per similitudinem in luce spirituali, sed

in luce corporali sic est, quod est infimum corpus cœleste. quod est receptiuum luminis aliunde, scilicet luna: sic ergo erit in luce spirituali, quod vltima substantia spiritualis erit possibilis ad lucem, sed hoc est anima: erit ergo anima rationalis habens intellectum possibilem.

RESOLVTIO.

Vtroque: nam etsi anima sit actus vltimus in esse, possibilis tamen est respectu bene esse, scilicet cognitionis.

¶ Ad quod dicendum est, quod anima rationalis habet intellectum possibilem, tanquam vnam suæ differentiã in cognoscendo. ¶ Ad obiectum aũt in contrariũ, dicendum, quod licet anima rationalis sit vltima formarum naturalium, nihilominus ipsa est possibilis; sed non eo genere, quo est actus vltimus. Est n. actus vltimus in esse: possibilis aũt est respectu benè esse, sc. cognitionis.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod non est simile de materia prima omnino, & de anima rationali, quo ad hoc, quod habet rationalis intellectum possibilem. In hoc aũt est simile, quod sicut materia prima est possibilis respectu formarum in esse, ita intellectus possibilitatẽ habet respectu formarum, siue specierum in cognitione. In hoc aũt est dissimilitudo, quod materia prima nullam habet formam de se, præter ipsam capacitatem. Intellectus autem possibilis habet aliquam, quia ipsam formam essentialem ipsius animæ, quæ est aliquid in se: vnde materia prima non reflectitur super se.

ARTICVLVS II.

An intellectus possibilis in anima sit, secundum quod actus corporis est: vel secundum quod hoc est?

AD secundum, quo quæritur, vtrum sit in anima secundum quod est actus corporis: aut secundum quod est hoc aliquid. Quod aũt secundum quod est actus corporis, videtur sic: quod est forma separata à materia, est actu intellectus: ergo si non est * actus intellectus; non est forma separata à materia, sed omnis forma, aut est separata à materia, aut coniuncta: ergo intellectus possibilis erit forma coniuncta materiæ. Est ergo intellectus possibilis in anima, vt est actus corporis. ¶ Item, omnis virtus apprehẽsiua conformis est naturæ quodammodo cum apprehenso, sed intellectus possibilis est vis apprehensiua, quæ magis se habet ad formas abstractas à phantasmate, quam ad formas separatas simpliciter. Nam si intelligit separatas, intelligit eas aliquo modo, vt materiales. Restat ergo, quod intellectus possibilis magis est ipsius animæ, secundum quod est actus corporis, quam secundum quod hoc aliquid.

* Alias, actu.

¶ Præterea, *intell. ctus possibilis* (secundum quod dicit Philos.) *transmutatur aliquo modo secundum ea, quæ sunt corporis* sed anima, prout est substantia quædam in se, vt Spiritus; non hac ratione mutatur cum corpore; sed prout est actus: ergo intellectus possibilis est animæ, secundum quod est actus. ¶ Item, anima intellectiua est vltimus actus hominis, qui additur vltra sensitiuam partem: hoc autem non erit tantum, secundũ quod est motor corporis (hoc enim pertinet ad partem motiuam) ergo quantum ad partem cognoscentem, nobilior est cognoscente, sed non est alia, quæ per se appropinquat, nisi possibilis: est ergo anima actus hominis, secundum quod habet intellectum possibilem.

Philos.

¶ Contra: si tantum esset in anima, secundum quod est actus hominis; ipsa autẽ cum est separata, non est actus: ergo ipsa vt est separata, non haberet intellectum possibilem. ergo intellectus possibilis non est separabilis; sed est separabilis: ergo non est ipsius ipsius animæ, secundũ quod est actus animæ. ¶ Præterea, intellectus possibilis non primo intelligit species rerum materialium, quã abstrahantur à phantasmate, sed [illegible] abstrahuntur, sunt sicut separatæ, ergo magis se habet ad animam, vt est aliquid in se; quã vt est actus corporis. ¶ Præterea, oportet intellectum esse [illegible] * & materia: si enim aliquã haberet [illegible] intellectum extraneæ formæ: ergo necesse [illegible] separabilis à corpore, & ita [illegible].

*Alias, natura.

RESOLVTIO.

Neutro modo: sed prout a corpore separabilis est.

¶ Ad quod dicendum est, quod cum sit triplex differentia intellectus; prout supra dictum est: intellectus materialis est ipsius animæ, vt est actus hominis in corpore. intellectus vero possibilis vt est separabilis à corpore. intellectus vero [illegible] animæ, quasi separatæ à corpore: vnde est eius, secundum quod est hoc aliquid. Licet enim intellectus agẽs habeat actum, qui est abstrahere, & ille est animæ in corpore. ille tamen non est primus eius actus. Vnde secundum hoc non determinatur primo esse illius potentiæ.

Membra [illegible] hu[illegible] qui [illegible]

¶ Ad obiecta ergo per hæc potest responderi. Et ad primum primo: licet enim non sit intellectus possibilis vt forma separata à materia; est tamen separabilis: differentiæ autem illæ [*separatum, & coniunctum*] sunt formarum in esse, sed secundum rationem sunt hæ differentiæ [*separata, coniuncta, separabilis & coniungibilis,*] & hoc modo se habet intellectus possibilis animæ vt separabilis, & coniungibilis, & ideo suum intelligere proportionale medium est inter intelligere speciem abstractam in phantasmate, & speciem omnino separatã, & hoc est intelligere speciem abstractam à phantasmate.

¶ Ad secundum patet per hoc responsio, quia cum sit formarum abstractarum à phantasmate, aliquam habet cõparationem ad phantasma, vt à quo fit abstractio; & ita ad corpus, sed nõ sic, vt sit animæ inquantum est actus in corpore tantum, sed vt est separabilis à corpore.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod illud, quod dicitur de intellectu; quod transmutatur secundum ea, quæ sunt corporis: Hoc per se dicitur de intellectu materiali, de intellectu vero possibili per accidens, quia intelligit formas abstractas à phantasmate, quæ sc. licet sint in phantasmate, præter phantasma accipiuntur.

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur: quod anima intellectiua est actus hominis vltimus. Concedendum est, secundum intellectum possibilem. Intellectus enim possibilis est, ad quem terminatur motus, qui est ad animam, & ab illo, cum se extendit; est motus, qui est ab anima: cum n. intellectus possibilis sit actu apprehendens bonum, vt tale est principiũ motus. Et ita intellectus possibilis est animæ, prout est actus hominis; sed prout est separabilis, non vt sit actus corporis; quemadmodum est dicere dentitiua; nec actus determinatus tantum animæ, dum est in corpore; sicut dicitur de illa vi, quæ operatur in cellula logistica, & illum actum non habet per se præter corpus.

ARTICVLVS III.

An intellectus possibilis sit possibilis potentia essentiali vel accidentali?

AD articulum tertium, quo quæritur: Vtrum sit possibilis potentia essentiali, vel accidentali. Et videtur, quod potentia essentiali: sic enim se habet intellectus ad intelligibilia: quemadmodum sensus ad sensibilia, sed sensus sic se habet ad sensibilia, vt nihil requiratur ex parte sui ad hoc quod sentiat in actu: sed tantum ex parte sensibilis, vt sit sensibile actu: ergo sic erit ex parte intellectus; vt nihil requiratur ex parte intellectus, vt intelligat actu: sed tantum vt intelligibile disponatur, vt fiat intelligibile actu: & ita erit possibile potentia essentiali, quemadmodum sensus.

¶ Contra, intellectus possibilis non exit in actum, nisi per agentem, qui est ex parte sui, qui remouet priuationem ex parte intellectus possibilis: ergo intellectus possibilis dicitur possibilis potentia accidentali.

RESOLVTIO.

Potentia essentiali.

¶ Ad quod dicendum est, quod non est simile hic, & in rebus corporalibus: Non enim in intellectu est accipere formam contrariam, per quam prohibeatur à forma contraria. Vnde non est necessaria remotio formæ vnius, & inductio formæ alterius: sic vt est in generatione, & corruptione, & in alteratione, sed sufficit priuationis remotio.

Dicendum est ergo, quod & in intellectu, & in sensu vtrobique est potentia essentialis, sed in sensu nihil requiritur nisi intentio ex parte sensitiui, ad hoc quod sentiat cum dispositione, quæ est à parte sensibilis, ex parte vero intellectus requiritur præter intentionem, quod in actu reducatur, vt intelligat cum dispositione quæ est à parte intelligibilis, vt sit duplex dispositio: vna à parte intellectiui: altera à parte intelligibilis. Et ideo necesse fuit habere intellectum agentem, non tantum propter abstractionem intelligibilium; sed propter perfectionem ipsius possibilis à parte intellectus.

MEMBRVM IV.

De diuisionibus Aug. & Damasc.

CONSEQVENTER iuxta quartum membrum principale huius Quæstionis procedendum est ad diuisiones alias Ioan. Damasc. & Aug. quæ respiciunt super formas in complexione existentes. Et circa hoc occurrunt tria. Primo, vtrum ingenium, ratio, memoria, & intelligentia sint vna & eadem vis. Secundo de differentia inter opinionē, mentem, & intellectum. Tertio de differentia inter intelligentiam, intentionem, excogitationem, phronisim.

ARTICVLVS I.

An ingenium, ratio, memoria, & intelligentia, sint vna & eadem vis, vel differentes.

August. AD primum, quo ponitur illa August. quæ dicit, *ingenium, rationem, memoriam, & intelligentiam. Ingenium autem inuestigat, ratio iudicat, memoria seruat, intelligentia comprehendit.*

¶ Potest ergo quæri, an ingenium & ratio sint eadem vis, aut differentes. Similiter, vtrum memoria sit eadem cum intelligentia, & ratione: an differens ab illis? ¶ Videtur ꝙ sint vires differentes, quia sicut dicit Aug. *Ingenium est ea vis, qua se extendit anima, & exercet ad incognitorum cognitionem* : Ratio vero est vis discretiua inuentorum: ergo ingenium & ratio inter se habēt differentiam, tanquam vires diuersæ. (Idem super Gen.)

¶ CONTRA: Videtur enim quod ingenium & ratio sunt eadem vis. Ingenium enim est vis naturaliter discretiua veri & falsi, & aliarum differentiarum: ratio vero per ea, quæ accepta sunt, iudicat. Cum ergo non differant inter se, nisi sicut natura & natura disposita: erunt ingenium, & ratio vna vis intellectiua. Quod videtur ex rationibus illorum ratio enim est vis per ea, quæ conceduntur perueniendi ad incognita: ingenium autem est vis instinctu naturæ intellectualis cadendi super occulta. Restat ergo quod eadem sit vis, sed ratione differens.

RESOLVTIO.

Ingenium & ratio proculdubio vna vis est, sed ratione differens: In comparatione vero ad intelligentiam vna cum memoria ad eandem vim pertinere videntur; gradu tamen differentia: ita vt supremum intelligentiæ tribuatur.

¶ QVOD concedendum est. Differentia autem, quæ attenditur, fit secundū actus, per prius & posterius existentes: prius n. inquirit homo per ea, quæ sibi sunt naturaliter insita: secundo iudicat, cum in aliquam partem determinat. ¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium: patet responsio: quia (sicut ex verbis August. patet) differunt penes actus ordinaros secundum prius & posterius: qui attenduntur in exercitio, siue inquisitione ad incognitorum cognitionem, & iudicio cognitorum: quorum vterque est ipsius rationis.

¶ SIMILITER quæritur de memoria & intelligentia, vtrum sint eadem vis. Quod non, videtur. Ponit enim August. diuersas vires, memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: sicut habetur in Lib. de Trin. ergo memoria nō est eadem vis cum intelligentia.

¶ Fortè diceretur, quod ibi accipiuntur memoria & intelligentia, secundum quod sunt circa formas sine complexione. Sed hoc non obstat huic rationi: si n. memoria & intelligentia ibi differunt: similiter habebunt hic differentiam circa formas in complexione existentes.

¶ CONTRA, memoria intelligibilium (sicut dicit Philosophus) nō distinguit tanquam vis altera ab intellectu: quemadmodum memoria sensibilium à sensu: ergo non erit * memoria vis distincta ab intelligentia, siue ratione. Nam si recondit iudicata à ratione, eadem videtur esse cum ratione: si vero seruat ea, quæ sunt iudicanda ab intelligentia; videtur esse eadem cum intelligentia. (*Alias, memoratiua.)

¶ AD quod videtur dicendum, quod aliter iudicandū est de memoria, secundum ꝙ hic accipitur, & secundum ꝙ accipitur ab Aug. in lib. de Trin. Ibi n. accipitur vis siue memoria, secundum quod est vis, in qua habentur species intelligibiles, & pertinet illa vis ad imaginem diuinam, ad quam sequitur intelligentia, tanquam conuersiua super veritates specierū intelligibilium: & gignitur iste actus ex illo actu (sicut dicit August. quemadmodum proles ex parente, & sunt sic adinuicem; vt sint eiusdem nobilitatis: Non sic autem se habet memoria hic dicta ad intelligentiam: sed memoria dicitur offerre indicāda ab intelligentia: vnde videtur esse minoris nobilitatis & pertinere ad rationem, vt hæc tres, ingenium, ratio, & memoria pertineant ad eandem vim, sed differunt secundum gradus. Intelligentia vero est alia vis ab illis magis eleuata: vt sicut distinguebantur ratio & intelligentia, inquantum erant circa formas sine complexione: ita distinguantur ratio & intelligētia circa formas existentes in complexione. Vel si intelligentia est circa eadem, circa quæ est ratio, & non alia; tunc erunt quatuor ingenium, ratio, memoria, intelligentia vna & eadem vis: sed secundum gradus actuum differentes: omnes enim hæ erunt illa ratio, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, propria, & accidentia percipiebat.

¶ SI hoc, est contrarium illi, quod alibi August. determinat, scilicet, imaginem, rationem, memoriam, intellectum, & intelligentiam esse vires diuersas. Ibi enim loquitur de his, secundum quod ad diuersa cognoscibilia referuntur. Sensus enim est circa formas sensibiles in præsenti materia. Imaginatio vero est circa formas sensibiles absente materia. Ratio vero est circa formas intelligibiles inuentas in rebus sensibilibus. Memoria vero * est cognitio præteritorum, vt quod sensit, aut quod ratione cōprehendit. Intellectus autem formarum intelligibilium creatarum separatarum à sensibilibus. Intelligentia vero diuinorum: Patet ergo, quod aliter accipiuntur ista, secundum quod diuersa est authoris intentio. (*Alias, cognitiua.)

ARTICVLVS II.

An rectè Damasc. discreuerit opinionem, mentem, & intellectum: item intelligentiam, intentionem, excogitationem, & phronesim?

PROCEDAMVS ad articulum secundū, vbi agitur de differentia, quæ assignatur à Ioan. Damasc. Dicit enim ꝙ primo est opinio, secundo mens, tertio intellectus. ¶ ITEM alias ponit differentias: dicit enim quod primus actus dicitur intelligentia, quod vero circa aliquid est intelligentia, intentio vocatur, quod autem permanens & figurans animam ad id, quod intelligitur, excogitatio: excogitatio vero in eadem manens, & seipsam examinans phronesis nominatur: phronesis dilata facit cognitionem: Intendamus ergo primo differentiam inter differentias vnius partis, & differentias alterius partis: vtraque enim differentiæ ad cognitionem pertinent. Et videtur quod conueniant primo in hoc, quod vtraque diuisio respicit ad cognitionē, quæ fit circa complexiones: sed differenter. Vna enim videtur accipi secundum debile & forte in cognoscendo cōplexiones: & hæc est illa, quæ primo accipit opinionem, & vltimo intellectum: opinio enim est veri & falsi: intellectus autē (secundum quod * hic accipitur) dicitur esse tantum veri. Alia vero diuisio secundum acceptiones eorum, per quæ venitur ad cognitionem; cum dicitur intelligentia, intentio, & excogitatio, & excogitationis determinatio; notant enim gradus in perueniendo ad cognitionem. (* Alias, ibi.)

¶ SED

¶ Sed potest quæri, cum non sint nisi duæ acceptiones, secundum debile & forte, propter quid tria enumerãtur in prima diuisione: sufficeret n. dixisse opinionem, & intellectum. ¶ Item, Philosophus ponit quatuor gradus: dicit enim, *opinionem consequitur fides: fidem autem suasum esse, præcedit: suasionem autem ratio*: quare ergo non ponuntur quatuor differentiæ. ¶ Præterea, dubitatio præcedit opinionem: quare ergo non connumeratur. ¶ Item, August. tria ponit, intelligere, credere, & opinari: quorum primum dicit esse sine vitio: secundum cum vitio aliquando: tertium nunquam sine vitio. ¶ Item, Hilarius ponit fidem supra intelligentiam, siue scientiam, & opinionem: quare ergo non ponuntur hic à Ioan. Damasc. nisi duæ acceptiones extremæ.

Philos.

Aug. in li. de vtilitate credendi c.11. Tom. 6. Hilar.

RESOLVTIO.

Attende, quæ enumerentur, & penes quid enumerentur; & quæcunq; præter hæc videbuntur, aut ab his emanari: aut ad hæc facilè reduci, longe dignoscat.

¶ Ad primum dicendum, quod non tantum numerantur acceptiones extremæ, quæ differunt secundum debilitatem & fortitudinem, sed medium, per quod venitur à debili ad forte: motus enim mentis est, per quem venitur ab imperfectione opinionis ad intellectum veritatis.

¶ Ad secundum dicendum, quod illi gradus, qui enumerantur à Philosopho; sumuntur ex parte acceptionis, quæ est opinio: primo enim est ratio, secundo suasio, tertio creditur suasioni; & sic est opinio (consequenter enim ex suasione sequitur opinio) cum autem quietatur opinio, est fides (dico autem fidem circa opinabilia) opinio enim est acceptio alicuius cum formidine alterius: cum autem aufertur formido, dicitur fides: fides autem accipit opinabile sine formidine alterius partis.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod dubitatio non enumeratur, quia est motus inclinationis rationis: vires autem non oportet multiplicare, vel notificare per huiusmodi actus: cum manifestum sit, quod actus ille non sit alterius potentiæ, quam actus definitorum.

¶ Ad quartum dicendum est, quod illa tria, quæ ponit Aug. in Lib. de Vtilitate credendi, differunt sic: vt intelligere debeatur rationi: credere vero autoritati: opinari vero errori: Dicimur enim opinari, cum opinamur nos scire, quod nescimus, & hoc est errare: error autem non dicit motum virtutis ordinatum: vnde non computatur. Sed contingit aliquando opinari sine errore, & secundum hoc dicuntur duæ rectæ acceptiones.

¶ Ad vltimum dicendum est, quod fides & scientia, de quibus loquitur Augustin. continentur sub intellectu. Intellectus enim quidam est credibilium; & dicitur fides: alius est intellectus scibilium; & dicitur scientia. Quædam enim sunt supra rationem; & talium est fides: quædam vero attinguntur ratione certa; & dicitur scientia: scientia enim non tantum est eorum, quæ cognoscuntur per causam, sed & aliorum, quæ certitudinaliter secundum rationem cognoscuntur. Aliter autem sumitur scientia à Philosopho, cum dicitur: *quod tria sunt, intellectus, ratio, & scientia*. Intellectus est eorum, quæ per se cognoscuntur: ratio vero ab his ad scibilia deductio est necessaria: scientia vero certitudinalis cognitio eorum, quæ per aliud, vel per alia cognoscuntur.

Philos.

ARTICVLVS III.

In quo differant intelligentia, intentio, excogitatio, & phronesis?

AD tertium articulum procedendum, qui continet in se intelligentiam, intentionẽ, excogitationem, phronesim: ex quibus fit cognitio, qui dicitur sermo interius dispositus. Potest enim obijci, quod idem sit intelligentia, quod intentio. Intelligentia enim est motus virtutis intellectiuæ super aliquid: ergo cum intentio non dicatur nisi intelligentia circa aliquid: idem motus est intelligentia, & intentio. ¶ Item, Idem motus videtur esse excogitatio, & *phronesis*: nam *phronesis* est excogitatio in se ipsa manens, & seipsam diiudicans. Ad quid ergo enumerantur hi motus virtutis intellectiuæ, tanquam diuersi?

Omnia ex Dam. li. 2. de ortho. fide c.22.

¶ Præterea, Philosophus ponit quatuor differentias pertinentes ad intellectum cognoscitiuum. Prima est intellectus possibilis: secunda est intellectus in effectu: tertia est intellectus in habitu: quarta est intellectus adeptus. Potest ergo quæri, qualiter se habeant hæ quatuor differentiæ ad illas quatuor. Nam cognitio, quæ relinquitur ex phronesi, nihil aliud videtur esse, quam intellectus adeptus: ipsa vero phronisis intellectus in habitu: phronesis enim est excogitatio sibi sufficiens: hæc autem est intellectus in habitu, qui potest exire in actum, cum vult. Intellectus vero in effectu quid aliud est, quam intentio? intentio enim est intelligentia circa aliquid: hoc autem est intellectus in effectu. Videtur ergo, quod superfluat illa differentia, quæ est excogitatio, secundum quod est figurans ad id, quod intelligitur.

Philos.

Φρόνησις.

RESOLVTIO.

Intelligentia est acceptio principij, intentio principiati: excogitatio collatio principijs ad cognoscendum per principium: phronesis de principio ad conclusionem exitus.

¶ Ad quod potest dici, quod hæ quatuor differentiæ, per quas venitur ad cognitionem, sic distinguuntur: vt intelligentia dicatur actus virtutis intellectiuæ circa maiorẽ propositionem, quæ particulat intentionem communem: cum dicitur, totum continuũ est totum, & ideo dicitur intelligentiæ circa aliquid, id est circa particulatum. Excogitatio vero est motus virtutis intellectiuæ, conferentis hoc cum illo. (Hoc enim est figurare animam ad id, quod intelligitur: ex hoc enim relinquitur figuratio differẽs secundum diuersam collationem: vnde prima figura, secunda, & tertia.) Examinatio vero & diiudicatio, quæ ex illa collatione procedit; quid aliud est, quam motus virtutis intellectiuæ, qui dicitur ratiocinatio: ex quo sequitur cognitio: & ideo dicitur quod phronesis dilatata facit cognitionem.

¶ Vel aliter potest dici, & magis consonat cum intentionibus vocabulorum: vt intelligentia dicatur acceptio principij: illud enim dicitur simpliciter intelligentia; eo quod per se adhæret intellectus intelligibili. Intentio vero dicatur per aliud cognoscendi, id est, principiati: sicut cum dicitur, quid intendis tu per hoc cognoscere? & dicitur, intendo cognoscere hanc conclusionem. Excogitatio vero fit collatio principij ad cognoscendum per illud, & hoc est, quod * comprehensio vnius permaneat, & figuret ipsam animam in collatione ad alterum. Sed quia hoc non sufficit, nisi addatur iudicium collationis * quod sit necesse: & ideo sequitur excogitatio manens in eodem, & se diiudicans. Deinde fit exitus à principio in conclusionem: & hæc est phronesis dilatata: tunc enim fit dilatatio iudicij, vel examinationis præhabitæ, quando fit exitus necessarius in conclusionem: & sic est cognitio conclusionis.

*Alias, apprehentio.
* Alias, quid.

¶ Ex iam dictis patet, qualiter respondendum est ei, quod est obiectum de intelligentia, & intentione. Cum enim dicitur quod intentio est intelligentia circa aliquid: non accipitur ibi hoc nomen [aliquid] in sua generalitate: sed secũdum quod trahit illud, quod generale est, in partem. Nec accipitur ibi intelligentia, prout dicitur contra intentionem; sed prout quodammodo est intentio.

¶ Ad secundum dicendum, quod in hoc differt phronesis ab excogitatione, quod excogitatio dicit motum rationis præambulum: phronesis vero dicit motum rationis consequentem: sicut in parte practica deliberationem consequitur iudicium diffinitionis.

¶ Ad tertium vero dicendum est, quod differentiæ, quas ponit Philosophus; secundum aliam rationem accipiuntur, quam illæ, quæ ponuntur à Ioan. Damasc. differẽtiæ n. quas ponit Philosophus, sumuntur secundum gradus potentiæ. Est n. potentia prima, quæ simpliciter dicitur possibilitas: est etiam secunda, scil. possibilitas disposita: est potentia completa, quæ dicitur habitualis: & est potentia in actu. Secundum hunc modum in genere intellectus sunt quatuor gradus. Primus est intellectus possibilis,

cum

cum nondum susceperit formas intelligibiles. Secundus est intellectus in effectu: cum dicitur formatus, & dicitur potentia dispotita. Tertius est intellectus in habitu; cum potest intelligere, cum vult: & dicitur potentia habitualis. Quartus est intellectus adeptus, cum iam exiuit in actu: & dicitur potentia completa in suo actu: per hoc quod sibi acquisiuit. Aliæ vero differentiæ, quas ponit Damascen. attenduntur secundum progressum intellectus, siue rationis ad habitum principij, vel principiorum ad habitum conclusionis.

QVÆSTIO LXX.

De actu virtutis intellectiuæ: siue De sensu interiori.

In sex Membra diuisa.

D.Tho.1. p.q.78. & 79. S. Bon. in 2. d. 24. per totū. Scot. ibid. d. 38. & 39. & in 1. d. 3. q. 6. & in Quotlib. q. 15.

DICTO de potentia intellectiua; consequenter dicendum est de actu. Actus autem eius vocatur in sacra scriptura aliquando sensus interior. ¶ Circa quem primo quæritur, an huiusmodi sensus dicatur spiritualis essentialiter tantum, vel accidentaliter. Secundo, si sit vnus solus; an plures. Tertio, vtrum sit separabilis. Quarto, vtrum angeli habeant huiusmodi sensus, vel animæ tantum. Quinto, de quibus est huiusmodi sensus. Sexto, vtrum sensus interior impediatur per exteriorem.

MEMBRVM I.

An sensus interior dicatur spiritualis essentialiter tantum vel accidentaliter.

Origenes super Leuit. 6.

CIRCA primum sic obijcitur per illud Origen. *Quantam insuper partem Domino, cuidam num intulerat. Restituamus sanctis actibus quinque sensus interioris hominis, vt mundi corde audiamus & videamus, qua doceat Iesus.* Ibi distinguit quinque sensus, sed iste sensus non est sensus corporalis: Impossibile est enim sensu corporali videre Deum: vnde Augustin. *Quantumlibet oculi nostri mutentur in melius, oculis spiritualibus non aquabuntur.* Per quod vult probare, quod Deum oculis corporalibus non videmus. Si ergo natura spiritualis est determinata ad videndum spirituale, sensus corporalis nō facit videre spirituale: ergo nec sensus spiritualis potest fundari supra naturam corporalem: ergo sensus interior secundum naturam est spiritualis. ¶ ITEM, Aug. *Sensus interior reficietur in contemplatione diuinitatis: intellectu enim Deum capiemus.* Sed impossibile est sensum corporalem ad hoc peruenire: ergo ille sensus est spiritualis naturaliter; qui, scil. videt Deum, & ita fundari non potest in natura corporali. ¶ ITEM, August. *Nos ea sensu corporis ita capimus: vt de his non sensu corporis iudicemus: habemus enim alium interioris sensum, isto longe præstantiorem: quo iusta & iniusta sentimus:* sed sensu corporali non possumus iusta & iniusta sentire: ergo sensus interior, qui hoc facit; est naturalis spiritualis.

Aug. in li. de videndo Deo. Epist. 112. Tom. 3.

Idem.

Lib. 11. de ciuit. Dei.

Iob. 23. Glossa.

¶ CONTRA, Iob. 23. *Non adæquabitur ei aurum.* Gloss. *Vniuscuiusq. mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet,* (& loquitur de corporalibus oculis) ergo oculus corporaliter potest extendi ad ea, quæ mētis sunt, sed hoc non pōt esse, nisi fiat spiritualis: ergo videtur, quod fiat spiritualis. ¶ ITEM, In intellectu communicat homo cum angelis, in sensu cum brutis: ergo si isti sensus sunt proprij hominis, siue secundum naturam propriam ipsius hominis, erunt secundum id, quod distinguunt ab angelis & brutis: quia non dicuntur in angelis sensus: secundum hunc modum & intellectus est in eo, nec in brutis: ergo in media natura erunt in homine sensus spirituales, scil. secundum aliquam naturā, quæ superior sit natura brutorum, & inferior natura angelorum: ergo secundum naturam propriam hominis erit, vel secundum sensum corporalem ordinatum ad intellectum, vel secundū intellectum ordinatum ad sensum: ita vt sensus semper cadat in eius ratione: quia hoc modo nec conuenit angelis, nec brutis: & ita semper respectum habent ad corpus. ¶ ITEM, August. *Sensus vertetur in imaginationem, imaginatio in rationem, ratio in intellectum, intellectus, in intelligentiam, intelligentia in Deum,* ergo sensus tunc poterit comprehendere intelligibilia, sed hoc non nisi fieret spiritualiter: ergo &c.

Aug. in li. de anima & spiritu.

RESOLVTIO.

Sensus interior ideo spiritualis dicitur, quia in natura spirituali fundatur, sc. intellectu: per quandam tamen similitudinem ad sensum corporalem.

¶ RESPONDENDVM, quod sensus spiritualis fundatur in natura spirituali: quia Spiritus est super mentem, sc. secūdum quod anima secundum intellectum dicitur spiritus: non in natura spirituali per gratiam, vel per gloriam. Et non loquor de sensu spirituali, secundum quod in futuro sensus corporales fient spirituales, sed sicut dicitur: *Reformamini in nouitate sensus vestri:* & ad hoc refertur id, quod dicit Origen. Leuit. 6. in glos. Rom. 12.

¶ AD hoc, quod quæritur, vtrum sensus corporalis possit peruenire, vt possit comprehendere intelligibilia secundum se. Dico, quod quantumcunq; nitetur in melius, non perueniet ad hoc, vt comprehēdat intelligibile secundum se, scil. cogitationes. Sed quia huiusmodi cogitationes habent quosdam nutus in impressionibus corporalib. per quos possint comprehendi: quas etiam comprehendit, visus noster: in quibus resultant tales cogitationes, & ad has impressiones comprehendendas perueniet sensus corporalis, tanquam in suis effectibus. Vnde August. *Capienda est coniectura ex ea parte corporis nostri, quæ plus habet lucem.* Si enim nonnullus animi nostri motus in oculis nostris cognoscūtur: probabile est, quod tunc nullus motus animi latebit, sc. rationi: cum corpus æthereum fuerit: in cuius comparatione isti oculi nostri caro sunt cogitationes tamen secundum se ab oculis mentis comprehenduntur, sed ab oculis corporalibus tanquam in suis effectibus, & signis. Bernard. de amore Dei. *Spiritus habet suos sensus: sicut & corpus suos:* sed spiritales sensus sunt, qui super Spiritum fundantur. Et secundum hoc intelligitur autoritas. *Reformamini in nouitate sensus vestri.*

Aug. in li. 83. qq.

Bernard.

Ad Rom. 12.

¶ AD hoc, quod obijcitur, quod si sensus sunt in homine: oportet quod fundentur in natura superiori, quæ sit natura brutorum, & quæ sit inferior natura angelica, quia in medio inter angelicam & brutam. Respondendum, quod super intellectum fundantur; per quandam tamen similitudinem ad sensum corporalē, quod enim intellectus dicitur sensus, hoc est secundum metaphoram à sensu corporali, &c.

MEMBRVM II.

An sensus interior vnus tantum sit, vel plures?

AD secundum, quo quæritur: An sit vnus solus sensus, vel plures: Videtur quod plures: dicit enim Origen. in præallegata authoritate, quod quinque sunt sensus interioris hominis, vt mundi corde Deum videamus: ergo plures sunt sensus. ¶ ITEM Bernard. *Sicut corpus suos habet sensus, quibus anima coniungitur vita mediante: ita anima habet suos sensus, quibus Deo coniungitur, charitate mediante.* ¶ ITEM, super illud: *Poterat istud venundari,* &c. Gloss. *Fides nostra trecentis emitur denarijs, decem sensibus per corpus, & animam, & spiritum triplicatis:* ergo plures sunt sensus.

Bernard.

Marci 14. Glossa.

¶ CONTRA, Per actus cognoscuntur potentiæ, & actus per obiecta, sed obiectum est vnum: ergo necesse esse vnum sensum. Quod sit obiectum vnum, dicit Origen. Leuit. 6. *Addamus his omnibus vnum, & perficientur:* Ergo vna erit potentia, secundum quam erit videre, gustare, & huiusmodi. ¶ ITEM, super illud: *Det vobis Spiritum.* Gloss. August. *In sensu exteriori non est videre idem, quod gustare: in sensu interiori non sic, sed idem: & ita vt prius.* ¶ ITEM Haymo. super Apoc. *Raptus est Ioan. Spiritu ad summa contemplanda: vbi nihil aliud vidit, quam audiuit:* quia nihil aliud est videre, quam audire. ¶ PRÆTEREA, August. *Sic apta natura est spiritus; vbi idem est audire & videre, & econuerso:* ergo vnus & idem actus, & vna iterum potentia, cum ergo obiectum vnum; ex nulla parte erit pluralitas.

Ex 3 de Anima. Origen. Leu. 6.

Ephes. 1. Glos. Aug. Haymo super Apoc.

Aug. in li. de anima & spiritu.

* * *

RESO-

RESOLVTIO.

Plures: quia plures potentiæ, vel obiecta sint: sed propter varios comprehendendi modos.

¶ RESPONSIO. Plures dicuntur sensus, non quod potentiæ plures sint; sed propter modum cõprehendendi: alius enim est modus comprehendendi, cum dicitur: iste videt: quam cum dicitur, iste audit. August. *Cum amo Deum meum, lucem meam, odorem, vocem, cibum, amplexum interioris hominis mei: vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus, vbi sonat quod non capit corpus, vbi olet, quod non spargit flatus; vbi sapit, quod non minuit edacitas: vbi hæret, quod non diuellit societas.* Vnde non quia obiecta sunt plura, vel quia plures potentiæ, sed ratione modorum comprehendendi diuersificantur.

Aug. in li. Confess.

¶ AD hoc, quod obijcitur ex autoritate Hieron. super Mar. Dico, quod loquitur ibi Hiero. nõ tantum secundum modum comprehendendi, sed secundum potentias comprehendentes, quia loquitur ibi de sensibus & animæ, & Spiritus: secundum quod anima inferior pars est: Spiritus vero superior. Alia est enim potentia, secundum quod dicimus sensum corporis & animæ, id est inferioris partis, & spiritus, id est, superioris, secundum illud: *Integer spiritus vester,* &c. Vnde non loquitur secundum coarctationem ad sensum spiritualem, sed extendit nomen sensus ad sensum, communiter sumptum: secundum quod dicitur communiter de sensibus interioribus & exterioribus.

1. Thess. 5.

¶ AD hoc, quod dicit Bernard. *Sicut corpus habet,* &c. Dico quod illa multiplicatio est tantum secundum differentiam modorum comprehendendi: vnde dicit Bernard. *Duos ... habet et ipse sensus, vnum in charitate: alterum in ratione.* Referendo ergo ad vnitatem potentiæ & obiecti, idem erit videre quod audire: referendo ad modum comprehendendi, differunt.

Bernard.

Idem.

MEMBRVM III.

An interior hic sensus separabilis, vel inseparabilis a corpore sit?

AD tertium, quo quæritur: Vtrum huiusmodi sensus sit separabilis a corpore, vel inseparabilis. Quod separabilis, videtur per August. *Solum hominem credimus habere animam substantiuam, quæ exuta corpore, viuit: & sensus suos, atque ingenia viuaciter tenet.* Ergo si exuta à corpore tenet sensus suos: ergo huiusmodi sensus sunt separabiles. ¶ ITEM, Cassiod. *Secundum est, quod hic immortalis anima viuit in se: post huius seculi amissionem, non reflante spiritu sicut corpus.* sed æquali mobilitate, quæ illi attributa est, pura subtilitate æterna videt, audit, tangit, ac reliquis sensibus efficacius valet: Ergo anima post amissionem huius seculi vtitur sensibus suis: ergo isti sensus sunt separabiles.

Aug. in li. de Eccles. dogmatibus. c. 16.

Cassiod. in lib. de anima.

¶ CONTRA, August. *Magis arbitror, ratione nos comprehendere, esse interiorem quendam sensum, ad quem ab illis quinque notissimis omnia referantur.* Et post modum subdit: *Hoc autem nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud, quod communiter omnibus præsidet.* Si ergo pariter sensibus exterioribus: sed isti non sunt separabiles à corpore: ergo nec iste. ¶ ITEM, Bernard. assignat hos quinque sensus: & vnus est amor parentum, alius amor sociorum, & tertius amor inimicorum: sed hæc non habet exercere anima, nisi in corpore: ergo isti sensus non sunt separabiles à corpore.

Aug. in li. de lib. arb. Idem.

Bern. in li. de amore Dei.

RESOLVTIO.

Et separabilis, & inseparabilis, iuxta multiplicem modum accipiendi illum.

¶ AD quod dicendum, quod sensus interior dicitur dupliciter. Aliquando enim dicitur sensus interior, qui pertinet ad partem sensibilem, scil. sensus communis, siue imaginatio. Aliquando vero dicitur sensus interior ipsius partis rationalis. Et hic dupliciter: dicitur enim aliquando sensus interior pertinẽs ad intellectum: aliquando pertinẽs ad affectum. Ad intellectum vero dupliciter: aliquando secundum quod est mediantibus speciebus, quæ sunt in phantasmate: aliquando vero mediantibus speciebus, præter phantasmata. Si ergo dicatur sensus interior primo modo, quo ad actum non separatur à corpore. Si vero dicatur sensus interior, qui ad affectum pertinet: licet possit esse quantum ad quædam separabilis: quantum ad alia non est separabilis. Si vero accipiatur sensus interior, prout est mediantibus speciebus in phantasmate: non separatur: alio vero modo separatur.

¶ PER hæc patet responsio ad obiecta. Nam Beatus Bernard. loquitur de sensu interiori, secundum quod pertinet ad affectum. August. vero in Lib. de lib. arbit. loquitur de sensu communi, secundum quod pertinet ad partem sensibilem. Authoritas vero Cassiodor. loquitur de sensu interiori, secundum quod sensus interior dicitur intellectus. August. vero in Lib. de Eccles. dog. loquitur de sensu communiter: siue dicatur, quod interior sensus pertineat ad partem sensibilem, siue rationalem. Nam, & si anima non sit quantum ad partem sensibilem separabilis secundum actum: exuta tamen à corpore defert secum huiusmodi potentias.

MEMBRVM IV.

An sola anima, vel etiam angeli habeant huiusmodi sensum interiorem?

AD quartum, quo quæritur: Vtrum Angeli habeant huiusmodi sensus: vel animæ tantum? ¶ QVOD sit angelorum, videtur per hoc, quod dicit Hug. *Vna erat creatura, cuius sensus totus foris erat. & positus est homo in medio: vt intus, & foris sensum haberet.* Sed per illam creaturam, cuius sensus totus erat intus; intelligit ipse angelum: ergo angeli habent sensum interiorem. August. *Sine vniuersi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumq; motum, & elementa disposita a cælo vsque ad terram, & quæcunque corpora in eis sunt: siue omnem vitam: vel quæ nutrit, & continet, qualis est in arboribus: vel quæ & hæc habet, & sentit, qualis est in pecoribus: vel quæ & hæc habet, & intelligit: qualis est in hominibus, vel quæ nutritorio subsidio non indiget; sed tamen continet, sentit, & intelligit; qualis est in angelis.* Si ergo sentire conuenit angelis: ergo & sensus interior: ergo non solum conuenit animæ.

Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. par. 6. c. 5

Aug. in 11 de ciuit. Dei.

¶ CONTRA. Sensus interior communis est nobis, & brutis. Vnde Aug. *Arbitror illud esse manifestum, interiorem sensum illum non ea tantum sentire, quæ accipit à quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri.* Non enim aliter bestia moueret se appetendo, vel fugiendo: nisi se sentiret. Sed nihil est commune angelis, & brutis: ergo sensus interior non conuenit angelis.

Aug. in li. de libero arb.

RESOLVTIO.

Quicquid sit communiter; proprie non nisi animæ conuenit.

¶ RESPON. Sensus interior dicitur duobus modis. Vno modo dicitur proprie; secundum quod sentire pertinet ad partem sensibilem, & hoc modo non conuenit angelis sensus interior, & sic accipit Aug. sensum in prædicta authoritate: quæ est in Lib. de lib. arbit. Alio modo sumitur sensus communiter, secundum quod intelligere dicitur sentire, & sic accipit Aug. sentire in Lib. de ciuit. Dei. cum dicit, quod sentire conuenit angelis, & hoc modo sensus interior conuenit angelis.

MEMBRVM V.

An etiam sensibilium, vel intelligibilium tantum sit sensus iste interior?

AD quintum, quo quæritur; de quibus est sensus interior, siue respectu quorum? Vtrum, sc. respectu sensibilium, aut tantum respectu intelligibilium. ¶ QVOD respectu sensibilium, videtur, Aug. in Lib. de lib. arb. Si sentit se non videre, dum non videt, necesse est etiam, quod sentiat se videre, dum videt: quia cum eo appetitu moueat oculum videns, quo mouet non videns: indicat se vtrumq; sentire. Si ergo sentit se videre, cum videt; cum istud sit sensibile, est respectu sensibilium; non solum respectu intelligibilium.

¶ Con-

Hugo de S. Victore

¶ CONTRA. Hugo: *Positus est homo in medio, sc. inter angelum, & bruta animalia; vt intus, & foris sensum haberet: intus ad inuisibilia, foris ad visibilia intuenda, ... per sensum ...* ergo sensus interior est ... ad inuisibilia.

Aug. in li. de spiritu & anima.

¶ ITEM August. *Duo sunt in homine sensus, vnus interior, & vnus exterior, & vterque bonum suum habet, in quo reficiatur: sensus interior reficitur in contemplatione diuinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis.* Ergo sicut sensus exterior est in homine respectu sensibilium: ita videtur, quod interior sit tantum respectu intelligibilium.

RESOLVTIO.

Sensus interior si accipiatur pro parte sensibili interiori: circa vtraque est, & sensibilia, scilicet, & intelligibilia. Si pro parte intelligibili: sic circa altera tantum est, sc. intelligibilia.

¶ AD quod dicendum, sicut dictum est: sensus interior accipitur dupliciter. Aliquando enim accipitur pro sensibili parte, sc. interiori, & hoc modo loquitur August. in Lib. de lib. arb. de sensu interiori. Alio modo accipitur pro parte intelligibili, & hoc modo loquuntur aliæ duæ authoritates de sensu interiori, sc. authoritas Hug. & August. in Lib. de Anima, & Spiritu.

MEMBRVM VI.

An sensus interior per exteriorem impediatur.

AD sextum, quo quæritur: Vtrum sensus interior impediatur per exteriorem. Quod videtur per hoc, quod dicit August. *Cum exterior sensus carnalis bono suo vtitur: interior sensus mentis quasi obdormit: non enim cogitat bona, quæ sunt interioris sensus: qui iucunditate exteriorum bonorũ capitur.* Ergo sensus interior impeditur per exteriorem.

Aug. in li. de anima & spiritu.

¶ CONTRA, sensus interior præsidet exteriori, & regit ipsum, sed quod præsidet alij, non mutatur per ipsum; sed potius mutat ipsum: ergo interior sensus non impeditur, nec retardatur à sua operatione per exteriorem. ¶ ITEM phantasia, quæ plus est vnita sensui exteriori, quam intellectiua; non impeditur per ipsum: ergo nec multo fortius intellectiua, quæ plus elongatur.

RESOLVTIO.

Si accipiatur pro parte intellectiua, impeditur. Si quidem anima, dum operationi sensus exterioris intendit: tunc minus intenta est operationi sensus interioris.

¶ AD hoc dicendum, quod sensus interior, secundum quod accipitur pro parte intellectiua; impeditur per operationem sensus exterioris. Et est ratio huius: non quia præsideat illi, vel non præsideat: sed quia cum anima sit vna, & simplex; habens potentias diuersas, cum intendit operationi sensus exterioris, minus est intenta operationi sensus interioris.

¶ AD hoc, quod objicitur, quod phantasia non impeditur; quæ magis vnitur exteriori sensui, quam intellectiua. Respon. quod non est simile de phantasia, & de parte intellectiua. Nam sensibilis exterior, & phantasia currunt secũdum eandem viam, & sunt circa sensibilia, & ideo vnũ non impedit alterum, nec retardat, sed intellectiua, & sensibilis exterior currunt secundum diuersas vias, & ideo vna impedit aliam.

QVÆSTIO LXXI.

De vi rationali motiua.

In duo Membra diuisa.

D. Tho. 1 par. q. 79. & deinceps. S. Bõ. d. 24. & deinceps. Scot. ibid. Aug. in li. de anima & spiritu.

ADIVVANTE gratia Dei procedendum est ad considerationem virium motiuarum rationalium, quarum differenter ponitur diuisio. ¶ Ioan. Damascen. ponit diuisionem per thelesim, & bulesim: hoc est per voluntatem naturalem, & electiuam: nomine autem electiuæ voluntatis, intelligit liberum arbitrium: sicut infra suo Tractatu determinat. Augu. vero in Lib. de Anima, & spiritu, ponit rationalem, concupiscibilem, & irascibilem: & dicit totam animam esse in his potentijs. Potentias autem ibi distinguit à viribus in hoc; quod potentiæ dicuntur motiuæ: vires autem cognitiuæ: licet potentiæ possint dici vires, & econuerso. Ex diuersis autem locis colliguntur duæ, sc. synteresis, quã ponit Gregor. sup. Ezech. & liberum arbitrium; quod a diuersis ponitur expositoribus: & sumitur ab eo, quod dicitur *Ab initio fecit hominem; & reliquit eum in manu consilij sui.* &c. vbi dat circumlocutionem liber. arb. Philosophus vero solum intellectum practicum videtur ponere vim motiuam ex parte intellectualis animæ. August. vero ponit superiorem, & inferiorem portionem rationis. ¶ Primo igitur inquiramus, si vna sola sit potentia motiua, aut plures. Secundo si plures aliquo modo; penes quid accipiatur distinctio: cum multiplex sit diuisio. Deinde exequendum est de illis maximè, quæ ad Theologicam spectant speculationem in Quæstionib. sequentib. Eccles. 15. Philos. August.

MEMBRVM I.

An vna sola potentia motiua sit, vel plures?

AD primum, quo quæritur: Vtrum sit vna sola potentia. Et videtur per hoc, quod essentia animæ rationalis, siue substantia simplicior est, quam sit essentia cœlestis corporis, sed essentia cœlestis corporis habet vnicam vim motiuã: ergo multo fortius anima rõnalis hẽbit vnicã vim motiuam. ¶ PRÆTEREA, anima rationalis secundum seipsam, inquantum est spiritus; est sicut intelligentia angelica, sed intelligentia angelica nõ habet nisi vnicam vim motiuam: ergo nec anima rationalis, secundum quod huiusmodi. ¶ AD idem facit, quod Philos. vnam tantum vim ponere videtur, sc. intellectum practicum, & est exemplum suum de sphæra prima, quæ vniformiter mouetur, & vnicũ habet motum: licet aliæ sphæræ motus habeant difformes: sic aũt est de intellectu practico: videtur ergo ex parte rationalis animæ vnica esse potentia. Philos. Ex 3. de Anima.

¶ CONTRA, multiplex motus procedit ab anima rationali, sc. motus secundum alterationem, vt à gaudio in tristitiam, & econuerso: motus localis. Sed multiplicis motus in specie, multiplex dicitur esse principium: cum ergo vis motiua sit principium motus; erit multiplex vis motiua. ¶ ITEM, Ab anima (sicut dicit Ioan. Damasc.) sunt actiones, & in ea sunt passiones: propter quod erit vis motiua actiua, & passiua: & ita plures. ¶ ITEM, est motus secundum appetitum, & secundum fugam: & motus isti sunt cõtrarij: ergo procedunt à contrarijs: ergo differentes vires erunt, secundum quas est appetitus, & fuga. ¶ ITEM, Philosoph. ponit duplicem motiuam rationalem, intellectum, & appetitiuam vim. Philos. in Lib. 3. de Anima, 42. &c.

RESOLVTIO.

Plures: sicut plures motus sunt, ab anima ipsa procedentes.

¶ AD quod dicendum, quod sunt plures motiuæ rationales. ¶ AD obiectum autem primo in contrarium dicendum est, quod Philos. cum loquitur de motiua vi corporis superccelestis; loquitur de illa, secundum quam fit motus circularis, & dicitur motiua vis, sicut dispositio mobilis. Sed est vis motiua alia, secundum quam est principium motus actiuè in his inferioribus. Et ita est vis multiplex, etiam in corpore supercœlesti, sed vnica dicitur, secundum quam mouetur circulariter: & non mouetur in rectum, nec violentatur.

¶ AD secundum dicendum, quod licet anima rationalis, inquantum est spiritus; quandam habet similitudinem intelligentiæ angelicæ: nihilominus habet vim directiuam ad bonum, quæ dicitur intellectus practicus, & vim appetitiuã boni. * Præter hoc aũt anima rationalis inquantum est anima; habet quandam vim appetitiuam ex inclinatione ad corpus: Et ita non dicetur anima rationalis tantum habere vnam vim motiuam, sed plures. Si vero dicatur intelligentia angelica habere vnicam: hoc dici potest in comparatione ad animam rationalem, inquantum est anima. * Alias, propter.

¶ AD illud, quod tertio objicitur. Dicendũ, quod Philos. diuidendo contra phantasiam, quæ est partis sensibilis;

ponit ... meam, scilicet intellectum: * qui intellectus est rectus: phantasia autem recta, & non recta, nihilominus ponitur appetitiua rationalis vis partis illius: vnde dicit, appetitiuam, & intellectiuam; vnde ponit plures vires partis rationalis motiuæ.

* Alias, quod.

MEMBRVM II.

Penes quid sumatur diuisio partium potentiæ motiuæ?

AD secundú, quo quæritur, cum sint plures partes motiuæ; penes quid accipiatur diuisio? ¶ Ad quod dicendum est, quod in generali omnis vis motiua rationalis diuiditur per imperatiuam, consiliatiuam, & affectiuam, vt in hoc ostendatur quædam Trinitatis similitudo in parte motiua: & vnaquæq; harum differentiarum subdiuidatur: quædam enim diuisio accipitur ex parte imperatiuæ, quædam ex parte consiliatricis, & quædam ex parte affectiuæ. ¶ Ex parte imperatiuæ illa, quæ continet liberum arbitrium, & synteresim. (Nam imperatiua aut est secundum directionem naturæ, aut rationis: secundum directionem rationis, liberum arbitrium: secundum directionem naturæ synteresis.) Vel aliter, imperatiua, aut est determinata ad vnum, & dicitur synteresis: aut est potestas oppositorum, & dicitur liberum arbitrium. ¶ Ex parte vero consiliatricis accipitur diuisio, secundú quod accipitur ratio consulendi ex ordinatione recta, ad superna bona, vel ad inferiora bona, & secundum hoc dicitur portio rationis inferior, vel superior. ¶ Ex parte vero affectiuæ, cum dicitur, alia voluntas theletis, alia bulesis: hoc est, alia est naturalis voluntas: alia electiua, siue deliberatiua: vt naturalis voluntas respondeat synteresi, deliberatiua vero libero arbitrio. ¶ Quædam vero sumuntur ex parte consiliatricis simul & affectiuæ. & hoc dupliciter, secundum conuenientiam, scilicet, quam habet anima rationalis cum angelo: & secundum hoc diuiditur per intellectú practicú, & vim appetitiuam: vel secundum quod proprium est animæ rationalis: & sic diuiditur per rationalem, concupiscibilem, & irascibilem.

Θέλησις.

Βούλησις

QVÆSTIO LXXII.

De libero arbitrio hominis.

In septem Membra & in duodecim Articulos diuisa.

D. Tho. 1 par. q. 83. S. Bon. in 2. d. 25. Scot. ibid. d. 28. Bernard. in lib. de lib. arb.

DICENDVM ergo secundum prædictas diuisiones de libero arbitrio & synteresi primo, quæ se habét per modum potentiarum in anima: & ita per modum præsidentis & imperantis. Quod autem liberum arbitrium se habeat per modum præsidentis & imperantis, habetur á Beato Bernard. *Liberum arbitrium conatur præesse corpori; sicut præest sapientia orbi: attingens a fine vsque ad finem fortiter: imperans, singulis sensibus & actibus tanta potestate, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore.* Similiter quod præsideat synteresis in suo genere, potest haberi: sicut enim aquila superfertur auibus aliis, sic & synteresis in suo genere superfertur aliis. In primis ergo quæratur de libero arbitrio: deinde de synteresi: & ad illa cætera referantur. ¶ Circa liberum arbitrium quæruntur hæc. Primo, an liberum arbitrium sit. Secundo, quid sit. Tertio, in quibus sit. Quarto, vtrum sit æqualiter in omnibus, quibus est; vel non. Quinto, vtrum amissibiliter, vel inamissibiliter sit in illis. Sexto respectu quorum actuum sit. Septimo, vtrum sit illud, penes quod attenditur meritum, vel demeritum?

MEMBRVM I.

An liberum arbitrium sit?

Hierony.

CIRCA primum sic obiicitur: Videtur enim quod non sit liber. arb. secundum quod est flexibile. Hieronym. n. sic arguit. *Deus est bonus voluntate, & fecit hominem ad imaginem suam: ergo fecit hominem bonú voluntate.* Si hoc sequitur, ergo similiter sequitur ex alia parte: Deus nó pót nó esse bonus, & fecit hominem ad imaginem suam: ergo fecit eum talem, qui non potest non esse bonus: ergo non est in eo flexibilitas liber. arbitr. ad opposita: & hæc est libertas, de qua loquimur: ergo non habet libertatem. ¶ ITEM, melior est potentia faciendi bonum, quæ est impermixta potentiæ faciendi malum, quam illa, quæ se habet ad vtrumq; scilicet ad posse facere bonum, & malum: quod patet: quia talis potentia est in Deo. Si ergo omnis inuidia relegata est á summo bono; cum talis potentia sit nobilissima: & cómunicare eam potuit: communicauit eam rationali creaturæ, quæ est ad imaginem suam, ergo rationalis creatura habet potentiá faciendi bonum impermixtam potentiæ faciendi malum: ergo non est in ea liberum arb. secundum quod est flexibile ad bonum, & malum. ¶ ITEM, si non esset aliqua creatura in vniuerso, quæ talem haberet potentiam, vt posset facere bonum, & non posset facere malum, incompleta esset vniuersitas creaturarum: cum Deus talem possit facere creaturam: ergo est aliqua talis: sed si aliqua est talis, hæc est creatura rationalis: ergo creatura rationalis non habet flexibilitatem ad bonum, & malum: ergo nec libertatem; secundum quod hic loquimur de libertate.

¶ CONTRA. Damas. *Omne generabile vertibile: animata vero, & irrationabilia vertuntur secundum corporales alterationes: rationale vero secundum electionem, & contemplatiuum secundum excogitationem, actiuum vero secundum consilium.* Relinquitur, quod rationalis creatura vertibilis est secundum electioné, & hoc est flexibile secundum liberum arbitrium: ergo in ea est liberum arbitrium flexibile. ¶ ITEM, Bern. *Tolle liberum arbitrium, non erit quod saluetur: tolle gratiam, non erit vnde saluetur.* Sed rationalis creatura ordinata est ad participationem præmij: & meritú est ante præmium; & principium merendi ante meritum: ergo si principium meriti est liberum arb. liberum arbitrium est in homine. ¶ ITEM, August. *Melior est homo, qui voluntate, quam qui necessitate bonus est.* Voluntas ergo libera homini danda fuit.

Damasc.

Bern.

August. in lib. 83. qq.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium, prout ad bonum & ad malum flexibile est; in homine reperitur: quippe qui de nihilo creatus, ad vtrumque illorum vertibilis est.

¶ RESPON. concedendo, quod liberum arbitriú, secundum quod est flexibile ad bonum, & malum, sit in creatura rationali. ¶ AD hoc, quod obiicitur, quod cum Deus necessitate sit bonus; & homo sit ad imaginem, & similitudiné Dei: erit necessitate bonus, & ita non habebit lib. arb. &c. Dicendum, quod non est simile: sed bene tenet: Deus est voluntate bonus, & fecit hominé ad imaginem suam, quod fecit eum voluntate bonum, quia creatura cum sit ex nihilo creata, vertibilis est: & ita oppositionem habet ad necessitatem: quia necessitas est ex parte perfectæ potentiæ, & ita solum in Deo: non in creatura, cum ibi sit defectus potentiæ, & ideo non sequitur, quod si Deus est necessario bonus; quod homo existens ad imaginem eius, sit necessario bonus.

¶ AD aliud dicendum, quod verum est: quod Deus potuit conferre alicui creaturæ potentiam determinatam ad bonu, sed hoc non per naturam, sed per gratiá. Nulli enim creaturæ potest conferre, quod habeat potentiam flexibilem ad bonum, & non ad malum per naturam, nisi dicatur natura illud, quod datur homini á principio: licet non sit de esse ipsius. Causa autem quare non potest conferri homini per naturam; est quod vertibile secundum naturam cósequitur de necessitate esse creaturæ. Vnde sicut non potest conferri homini, quod eius natura nó sit creata: ita non potest cóferri homini, quod non sit vertibilis, sed solum confertur filio, qui procedit ab ipso in identitate naturæ; confertur tamen creaturæ per gratiam; quod non potest habere per naturam.

¶ Ad aliud dicendum, quod non sequitur, quod si homini non confertur potentia determinata ad bonum secundum naturam, quod sit incompleta vniuersitas creaturarum, sed illud forsitan sequeretur, si aliquo modo non conferretur ei, sc. per gratiam.

MEMBRVM II.

Quid sit liberum arbitrium?

DEINDE quæritur, quid sit liberum arbitrium. Et hoc sub triplici differentia. Primo, quid sit secundum rem. Secundo, quid sit secundum diffinitionem. Tertio, quid sit secundum nomen. ¶ Circa primum quæritur primo, quid sit genere, vtrum potentia vna, vel multæ. Tertio, si sit vna potentia, vtrum sit ratio, vel voluntas, vel potentia à ratione, & voluntate separata?

ARTICVLVS I.

An liberum arbitrium potentia, vel habitus sit?

Bern. plura huiuscemodi superius quæst. 29. de lib. arb. Angelorū. August. in Enchirid.

CIRCA primum sic obijcitur. Bern. *Liberum arbitr. est habitus.* ¶ ITEM, quod potentia naturalis exeat in actum, habet ex eo, quod potentia est, sed quod facilè exeat, habet ex habitu superaddito: ergo cum liberum arbitrium de facili exeat in actum, videtur quod sit habitus. ¶ ITEM August. *Homo male vtens libero arbitrio, perdit seipsum:* sed constat, quod potentia non est amissibilis: ergo non est potentia. ¶ ITEM, potentia non recipit magis, & minus nisi ratione inclinationis ad actum, & hoc est per habitum: ergo cum lib. arb. recipiat magis, & minus (quia liberius est in vno, quā in alio) liberum arb. non erit potentia, sed habitus: quia planum est, quod non est passio, & quicquid est anima (sicut dicit Philosoph.) est habitus, vel potentia vel passio; & non est potentia, vel passio: ergo est habitus.

Bernard.

¶ CONTRA. Bern. *Anima habet tres potentias naturaliter sibi insitas, scil. rationabilitatem, voluntatem, facultatem:* & hanc vocat liberum arb. ergo lib. arb. est potentia. ¶ ITEM, est vis animæ semper tendens in bonum, & trahens sursum: quam vocat B. Bern. Spiritum Domini: & frequenter vocatur Spiritus in scriptura, vt *Custodite Spiritum, &c.* & *Spiritus postulat,* &c. Et alio nomine scintilla rationis, seu conscientiæ, quæ semper remurmurat contra malum, & tendit sursum. Item est alia vis animæ, quæ semper tendit deorsum, sc. sensualitas: quam vocat B. Bern. appetitum carnis: ergo debet esse media potentia, quæ possit indifferenter tendere sursum, & deorsum, sed hæc non est nisi liberum arbitrium, ergo liberum arbitrium est potentia. Aut si est alia potentia media, quæ indifferenter sit ad bonum, & malum; quæritur, quæ sit illa.

Malach 2. Rom 8.

RESOLVSIO.

Nec habitus nec potentia simpliciter, sed ex vtraque mixtim, sc. habitualis potentia pro libito eligentis.

¶ AD quod dicendum, quod liberum arb. est potentia habitualis pro libito eligentis, & ex hoc quod habitualis est, habet quod facilè exeat in actum. Vnde propter conuenientiam, quam habet cum habitu naturali in facili exeundo in actum; frequenter nominatur habitus: Vnde dicit Bern. quod est habitus animi liberi sui.

Non seq. a pr nei-tio lib.

¶ AD primum dicendum, quod potentia non exit de facili in actum nisi per habitum; est verum de naturalibus potentijs, sed non oportet de voluntarijs: imo istæ de facili exeunt in actum sine habitu superaddito, & hoc quia immateriales sunt, vt dicit Philosophus.

¶ AD aliud dicendum, quod triplex est libertas, sc. gratiæ, naturæ, & gloriæ: quod ergo dicit Aug. non intelligitur de amissione potentiæ, nec libertatis primæ, sed secundæ, vel tertiæ.

¶ AD tertium dicendum, quod lib. arb. medium est inter essentiam, & actum: Potest ergo accipi prout tenet se immediatè cum essentia, & secundum hoc non dicitur magis & minus: Vel prout est principium actus, & sēm hoc pōt esse liberius, vel minus liberum. Et secundum hoc potest accipi dupliciter: vel quantum ad terminum à quo, vel quantum ad terminum ad quem. Nam quantum ad terminum à quo accipitur hæc diuisio liberi à coactione, à miseria, à peccato: quantum ad libertatem à coactione; non dicitur magis & minus: quantum ad libertatem à miseria, & à peccato dicitur: & quantum ad hoc, simpliciter dicitur magis, & minus. Quantum ad terminum ad quem cum dicitur, aut potens est in bonum, & malum actum, aut confirmatum in illo.

An liberum arbitrium secundum se vna, vel plures potentiæ sit? §. 1.

¶ AD secundum, quo quæritur: Vtrum liberum arb. sit vna potentia secundū se, vel aliquo modo plures. ¶ ET videtur, quod nō sit vna potentia: nam omnes virtutes nō sunt in eadem potentia, sed distinguūtur secundum diuersitates potentiarum: vnde quædam virtutes sunt in ratione, sicut fides, prudentia, & huiusmodi: & de donis similiter quædam sunt in ratione, quædam in voluntate: sed tam illæ, quam istæ sunt in libero arbitrio: ergo liberum arb. non est vna potentia, sed plures; vel aliquo modo continens in se plures potentias. ¶ ITEM, liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis, sed illæ potentiæ sunt diuersæ, & diuiduntur ex opposito. ¶ ITEM, Bernard. vocat liberum arb. consensum, August. facultatem, Anselm. potestatem, sed hæc non sunt vnius generis, vel saltem vnius speciei: ergo nec liber. arb. ¶ ITEM, videtur, quod liberum arbit. contineat in se omnes potentias. Damascen. libere appetit, libere iudicat, libere impetum facit, libere disponit, libere vult, libere inquirit. Sed isti actus sunt diuersarum potentiarum: Nam appetere, & velle sunt concupiscibilis: inquirere, disponere rationalis: impetum facere irascibilis: ergo in omnibus est libertas: non solum in ratione, vel voluntate. ¶ ITEM, In omnibus his viribus est meritum, & demeritum, sed in solo libero arb. est meritum, & demeritum: ergo &c.

Quæstio lateralis.

¶ CONTRA, Eligere est vnus actus: ergo est vnius potentiæ, sed non nisi liberi arbit. ergo lib. arb. est vna potentia. ¶ ITEM, Est vna potentia, quæ semper tendit sursum, quantum est de se. Est alia, quæ tendit deorsum: ergo vna debet esse potentia media: Sed hæc non est nisi lib. arb. ergo liberum arb. est vna potentia.

RESOLVTIO.

Vna essentialiter, plures continitiuè.

¶ AD quod respondendum est per id, quod dicit August. *Cum loquimur de liber. arb. non de parte animæ loquimur, sed de toto:* Vnde dicimus quod liberum arb. continet in se omnes vires, secundum quas est meritum, vel demeritum: non tamen ideo est plures potentialiter, sed plurium potentiarum. ¶ ET per hoc patet solutio ad primo obiectum.

Aug. in li. de quinq; responsionibus.

¶ AD secundum dicendum, quod liberum arbitrium dicitur facultas voluntatis, & rationis, quia in istis duabus potentijs est primo, & principaliter libertas; quia est rationis, vt consiliantis, & voluntatis sicut mouentis, & per istas duas descendit libertas ad alias, quantum sunt actus remotiores: secundum quod dicit Damascen. *libere disponit, libere impetum facit.* Non ideo tamen dicitur plures potentiæ, sed continens in se plures, sc. omnes illas, in quibus est meritum, vel demeritum. Verumtamen liberum arbitrium vno modo diuiditur ex opposito contra alias potentias: sicut iam melius explanabitur.

Damasc.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod liberum arb. nominatur tribus nominibus à sanctis. Dicendum, quod hoc est secundum diuersos eius respectus: Potestas n. dicitur respectu actus & finis: est enim potentia ordinata in finem mediante actu. Facultas vero dicitur respectu eius, per quod illud redditur facile: ratio n. vel voluntas facilis dicitur, secundum * facultatem liberi arbitrij: vnde facultas dicitur respectu rationis, & voluntatis. Consensus autem dicitur respectu mouentis: aut enim mouetur à Deo ad bonum: aut ab aduersario, sc. diabolo. Ex hoc ergo quod huic, vel huic consentit; consensus dicitur.

S. imme-diate se-quenti.

*Alias, facilitatem.

An liberum arbitrium sit voluntas, vel ratio; vel potentia aliqua, à ratione, & voluntate distincta? §. 1.

¶ AD tertium, quo quæritur: Vtrum liberum arbitriū sit voluntas, vel potentia; separata à ratione, & voluntate

Quæstio lateralis.

Damasc. Lib. 3 de orthod. fide. c. 14. ap. me dium.

¶ QVOD autem sit voluntas, dicit Damasc. *Nihil aliud voco liberum arbitrium, nisi voluntatem.* ¶ ITEM, August. *Nihil ita est in potestate nostra sicut voluntas, quæ cogi non potest:* sed liberum arbitrium est huiusmodi: ergo &c. ¶ ITEM, meritū residet penes voluntatē principaliter, & penes liberum arb. principaliter: ergo liberum arbit. est voluntas. ¶ ITEM, Bern. *Non incongruè liberum arb. dicitur consensus liber propter voluntatem.* ¶ ITEM, Bern. *Liberum arb. vbique sequitur voluntatem: vt nisi desinat illa; ista non careat:* sicut n. in bono, & malo æquè perdurat voluntas, ita & liberum arb. ¶ QVOD sit ratio, videtur August. *Liberum arb. dicitur ab arbitrando, quia rationali parti, quid eligat, quidve recuset, nomen accepit.* ¶ Item, Bern. distinguit inter liberum arb. liberum cōplacitum, & liberum consilium: & dicit: *Arbitrium quidem iudicij est: sicut enim iudicij est discernere, quid liceat, quidve non liceat: sic & consilij probare, quid expediat, quidve non expediat: sic & complaciti experiri, quid libeat, quidve non libeat.* Ergo cum lib. arb. sit discernere, quid liceat, vel non; & hoc sit rationis tm̄; videtur q̄ liberum arb. sit rationis tantū. ¶ Item, *In imagine pertransit homo:* imago Dei ratio est, sed liberū arb. est illud, secundum q̄ gerit homo imaginē Dei (vnde Richard. *Vnimus adhæret Deo, eiusq; tenet imaginem lib. arb.*) ergo liberum arb. est ratio. ¶ QVOD autem non sit ratio, vel voluntas, sed potentia distincta à ratione, & à voluntate; videtur: quia in anima est imago trinitatis ex parte cognitiuæ, sc. memoria, intelligentia, & voluntas. Similiter ex parte motiuæ, liberum arb. ratio, & voluntas, vt dicit August. Voluntas ergo ex ista parte respondet voluntati, ex illa ratio intelligentiæ: ergo liberū arb. respondet memoriæ: ergo sicut mens, siue memoria est pars imaginis ex parte cognitiuæ: ita liberum arbitr. ex parte motiuæ: & ita videtur, quod sit potentia separata à ratione, & voluntate. ¶ Item, ratio est quædam particularis potentia ad cognoscendum, voluntas ad appetendum, sed liberum arb. non est particularis potentia. (Vnde August. *Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animæ loquimur, sed de toto*) si ergo potentia vniuersalis distinguitur à particulari, liberum arb. differt à voluntate, & à ratione. ¶ Item Damasc. ponit ipsum vniuersalem motorem in anima: vnde dicit. *Libere vult, libere indutat, libere appetit, libere consiliatur,* &c. sed vniuersalis motor distinguitur à particulari: ergo idem quod prius. ¶ Item, Bernard. *Conformatio est, vt imago faciat in corpore, quod forma facit in orbe: mouet potentissimè, ordinat, & administrat, & nulla cogitur necessitate.* Si ergo potentissimum est: ergo non est potentia determinata, sed vniuersaliter imperans.

Bernard. — Idem. — Aug. in li. de quinq. responsionibus. — Bernard. — Psal. 38. — Richard. — August. — Damasc. — Bernard.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium, si indistinctè sumatur: sic idem est cum altera dictarum potentiarum. Si distinctè, alia prorsus potentia ab eis.

¶ RESPONSIO. Concedo, quod liberum arbit. est vniuersaliter imperans, & sicut præsidet motor toti orbi, ita * istud motor est vniuersaliter imperans. Sed nota de libero arb. sicut de mente: mens n. aliquando comprehendit totam cognitiuam, secundum quod dicit Aug. quod mens habet imaginem in potentia cognoscēdi, & similitudinem in potentia diligendi, & hoc modo dicit Mag. in 1. Sent. quod ista tria, sc. memoria, intelligētia, & voluntas sunt vna mēs. Alio vero modo est pars imaginis, secundum quod mens dicitur à seruando similitudinē, intelligentia à cognoscendo, voluntas ab appetendo summam veritatem. Similiter ex parte motiuæ liberum arb. aliquando sumitur distinctè, aliquando indistinctè. Indistinctè secundum quod est potentia animæ vniuersalis, & actus eius sunt actus aliarum, & secundum hoc nihil aliud est, quā potestas rationalis ad opposita. Hoc modo dicit Aug. *Cum de libero arb. loquimur, non de parte loquimur, sed de toto:* sic n. cōprehendit totam * imaginem ex parte motiuæ. Alio modo sumitur distinctè, secundum quod eius actus est, facere pro libito, & hic est cōmunis libero arb. creaturæ rationalis, & creatoris: vel obtemperare Deo: & hic est proprius rationali creaturæ bonæ: vel etiam eligere, & hic actus est elicitus à ratione & voluntate, & est communis * omni rationali creaturæ: hoc autem modo secundum quod distinctè accipitur, est potentia distincta à ratione, & voluntate: vnde tenet imaginem patris ex parte motiua, ratio filij, voluntas Spiritus S.

* Alias, illud. — August. — * Alias, imaginationem. — * Alias, omni.

¶ AD illas ergo authoritates sanctorum, quæ videntur concludere, quod liberum arb. sit voluntas. Dicendum, q̄ sancti non intendunt dicere, quod liberum arb. essentialiter sit voluntas, sed quod penes illam principaliter attenditur libertas: vnde ob hanc * solam rationem dicitur liberum arb. voluntas, quia penes illam attenditur principaliter libertas eius.

* Alias, solum.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod sit ratio. Dicendum, quod hoc intelligitur ratione arbitrij, siue iudicij: sicut n. liberum aliquando dicitur voluntas propter ipsam libertatem: sic aliquādo dicitur rationis propter arbitrium: & hoc indicant rationes post propositæ.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod imago mentis ratio est, & * secundum liberum arb. homo gerit * similitudine. Responsio, q̄ ratio accipitur dupliciter: aliquando communiter, secūdum quod tenet totam rationem partis motiuæ superioris, & hoc modo idem est cum libero arb. indistinctè sumpto. Aliquando vero determinate sumitur secundum actum discernendi: & sic differt liberum arbit. propriè sumptum à ratione.

* Alias, per. — * Alias, imaginem.

ARTICVLVS II.

Quid sit liberum arbitrium secundum diffinitionem.

CONSEQVENTER dicendum est: Quid sit liberum arb. secundum diffinitionem. Diffinit autem Ansel. liberum arb. sic: *Liberum arb. est potestas seruandi rectitudinem propter se, id est, propter ipsam rectitudinem.* Item, ponitur alia diffinitio ab Aug. quæ talis est. *Liberum arb. est facultas voluntatis, & rationis, qua bonum eligitur gratia assistente, malum vero gratia desistere.* Item, alia est B. Bern. *Liberum arb. est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium.* ¶ Primo quærendum est de qualibet diffinitione per se. Deinde qualiter distinguantur inter se.

Ansel. in li. de lib. arb. — Bern. in li. de lib. arb.

An rectè definiuerit Anselmus liberum arbitrium, dicens: Liberum arbitrium est potestas, &c. §. 1.

¶ CIRCA primam diffinitionem Ansel. quæ est: *Liberum arbitr. est potestas seruandi rectitudinem propter se.* Obijcitur. Non n. videtur, quod vniuersaliter cōueniat, quia liberum arb. est commune Deo, & angelis bonis & malis, sed potestas seruandi rectitudinem non est in angelis malis, nec in damnatis: cum non possit in eis esse rectitudo: ergo non potest in eis seruari: ergo eis non conuenit hæc diffinitio. ¶ Item In creatura rationali est potestas seruandi * rectitudinem & eam deserendi: & potestas liberi arb. est ad hæc duo: quare ergo diffinitur per alterum? ¶ Item, liberum arb. est potestas seruandi rectitudinem propter se, sed nihil ad seipsum ordinatur tanquam ad finem: ergo non bene dicitur, potestas seruandi rectitudinem propter rectitudinem.

* Alias, rectitudinē propter rectitudinē.

RESOLVTIO.

Sumatur potestas seruandi solum quantum ad aliquid, quod pertinet ad naturam potentis, & rectissima proposita Anselmi definitio apparebit.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod potestas seruandi accipitur dupliciter. Vno modo, secundum quod colligitur à parte eius, quod potest seruare, & eius quod potest seruari, & medij propter quod pōt seruari: secundum hunc modum absente rectitudine non est potestas seruandi rectitudinem: sic autem non sumitur in diffinitione lib. arb. quam ponit Ansel. Alio modo dicitur potestas seruandi solum quantum ad aliquid, q̄ pertinet ad naturam potentis, & secundum hunc modum absente rectitudine est potestas seruandi rectitudinem, & est exemplum Anselm. de potestate videndi, quæ vno modo colligitur ex vidēte, & viso, & medio, & secundum hoc cum absens est visibile, vel cum defectus est debitæ dispositionis ex parte medij; dicitur, quod homo non potest videre rem illam. Alio vero modo dicitur potentia videndi tantum, quantum ad virtutē, quæ est ex parte videntis, & secundum hunc modū, siue sit absens, siue præsens obiectum, siue medium dispositum, siue non, dicitur potestas videndi.

¶ AD

¶ Ad hoc, quod quæritur: quare non diffinitur potestas deserendi, cum sit potestas oppositorū: dico quod potestas oppositorū dicitur * dupliciter: quandoq; oppositorum ita, quod vtriusq; per se: quandoq; ad vnum per se, ad alterum per accidens: quandoq; ad alterum per se, ad alterum non. Lib. arb. ergo * nec est ad malum per se, nec ad malum per accidens, sed est tantū mali. Quando ergo dicitur potestas deserendi, non determinatur finis eius, sed id, circa quod.

*Alias, tripliciter.

*Alias, nec est, se fina liter ad malum per se.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod rectitudo non est finis suiipsius: vnde & non est seruanda propter se. Dico, quod duplex est rectitudo: vna creata, & altera increata. Secunda est in Deo: prima in libero arbitrio, quæ est ad illam. Rectitudo ergo illa, propter quam ista est seruanda; est rectitudo in creatura. Diffinitur enim liberum arbit. vt est commune, Deo, & creaturæ: ergo oportet sumere rectitudinem, secundum quod conuenit vtriq; : & sic respectu Dei causam finalem: respectu creaturæ rationem tantum, & non causam finalem, quia ipsa non est causa finalis suiipsius.

An & illa B. Augustini definitio, qua dicitur. Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, &c. recta sit. §. 2.

Quæstio lateralis.

¶ Circa secundam diffinitionem liberi arbitrij secundum Augu. est facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, & malū eadem desistente: sic obijcitur. Dicit enim Ansel. quod si aliquid additū alicui minuit, & separatum auget; non est illud, nec pars illius, sed potestas peccandi inquantum huiusmodi minuit libertatem: liberior n. est, qui potest rectè agere, & non potest non rectè agere, quam si potest rectè agere, & non rectè agere: ergo potestas peccandi non est pars libertatis: ergo nec lib. arb. ergo non est ponendum in diffinitione illius. ¶ Item, Non est vna facultas diuersarum potentiarum, sed ratio, & voluntas sunt diuersæ potentiæ: ergo liberum arb. non est facultas illarū potentiarum. ¶ Item, Facultas voluntatis, & rationis conuertitur cum libero arb. ergo superfluum est illud, quod additur: Qua bonum eligitur, &c.

¶ Ad primum dicendum, quod est triplex libertas, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ: Libertas naturæ libera est à coactione: libertas gratiæ à culpa: libertas gloriæ à miseria: Quando ergo dicitur, quod separatum auget, & additum minuit; non est pars illius: non intelligitur de libertate naturæ: quia illa non potest augeri, vel minui (Bern. Sicut in bono, ita & in malo æquè perdurat voluntas) sed dicitur respectu eius, quod est à culpa, & à miseria: potest n. culpa augeri, vel minui, & miseria. Vnde magis liberum potest esse ab his tantum: vnde potentia eligendi malum gratia desistente, est pars libertatis; non secundum quod secundum communis est cum Deo; sed secundum quod creatura.

¶ Ad aliud dicendum, quod ratio dicitur duplex. Est enim aliquando ratio cognitio veri, & hoc non pertinet ad liberum arb. secundum huiusmodi. Dicitur etiam ratio cognitio boni. Et hoc dupliciter, quia potest esse cognitio boni, quod est faciendum simpliciter, vel non faciēdum, & hoc iterum non habet vnitatem cum voluntate, secundum quod liberum arb. est voluntatis, & rationis facultas. Ratio n. potest esse cognitio boni, non solum quod faciendum sit, vel non faciendum, sed cognitio boni faciēdi ad hoc, vt fiat, & hæc est proxima dispositio ad voluntatem: Sicut ergo proxima dispositio, & forma habent quodammodo vnitatem: ita secundum hanc viam ratio, & voluntas, vt sint quasi vna potentia, & secundū hoc potest esse vna facultas voluntatis, & rationis: rationis, vt * consulentis, voluntatis, vt inclinantis.

*Alias, cōsentientis.

¶ Ad tertium dicendum, quod non superfluit illud, quod apponitur in diffinitione: *Qua bonum eligitur*, &c. Nam & si conuertatur liberum arbitrium, & facultas voluntatis, & rationis: non tamen propter hoc datur intelligi, quod ista facultas sit oppositorum. Intelligitur autem per hoc, quod sequitur: *Qua bonum eligitur*, &c. Præterea, duplex est facultas voluntatis, & rationis. Est n. quędam facultas voluntatis naturalis, quæ est determinata ad vnum tantum: & ista non conuertitur cum lib. arb. Est alia facultas voluntaria: quæ se habet ad opposita, & hæc conuertitur cum lib. arb. & hæc determinatur per hoc, quod sequitur. Qua bonum eligitur, &c.

An item definitio illa B. Bernardi, qua dicitur. Liberum arbitrium est consensus voluntatis, &c. recta sit. §. 3.

Quæstio lateralis. Bernard.

¶ Circa tertiam diffinitionem Bern. quæ est. *Liberum arb. est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium*: sic obijcitur. Quæritur n. quid dicatur hic consensus: aut sc. consentire cum consensu mentis, aut consensu carnis. Si cum consensu mentis: sic nullus consensus esset malus: si vero cum consensu carnis, sic nullus consensus esset bonus. Restat ergo, quod istud erit sensus ad vtrumlibet, vel cum * consensu mentis, qui sc. consensus est bonus: vel cum cōsensu carnis, qui sc. consensus est malus, sed iste consensus medius non videtur pertinere ad lib. arb. (vnde dicit Bern. *Nemo putet, ideo dictum lib. arb. quia inter bonum, & malum potestate vel facultate versetur*) ergo consensus, secundum quod indifferenter est ad bonum, & malum, non pertinet ad lib. arb.

* Alias, sensu.

Bernard.

¶ Item, quæritur de hoc, quod dicitur [*ob voluntatis inamissibile libertatem*] ex quo videtur, quod libertas voluntatis sit inamissibilis, & hoc videtur falsum. Dicit n. Aug. quod homo malè vtens lib. arb. perdit seipsum: ergo lib. arb. est amissibile, sed hoc non intelligitur quātum ad potentiam: ergo quantum ad libertatem: ergo libertas est amissibilis.

August. in Enchird.

¶ Item, quæritur de hoc, quod dicitur [*ob rationis indeclinabile iudicium.*] Nam distinguit B. Bern. inter lib. arb. & liberum consilium. Hæc aūt vltima pars diffinitionis videtur conuenire libero consilio; non solum ergo conuenit libero arbit. liberi enim consilij est eligere, quid expediat, vel non expediat. ¶ Præterea, dicit Bernardus: *Si ratio induceret necessitatem voluntati, non iam esset voluntas libera*: Iudicium ergo rationis respectu voluntatis non est nisi per modum consilij: ergo liberum consilium non videtur differre à liber. arbit. nec econuerso: erit ergo liberum consilium consensus, &c. ¶ Præterea, cum dicitur [*rationis iudicium indeclinabile*] aut dicitur indeclinabile, quia non potest declinari in non rectitudinem, & secundum hoc liberum arb. ex parte rationis semper rectè iudicaret; siue sequeretur recta voluntas, siue nō: quod cum non sit, eo quod ratio est recta, & non recta: sicut voluntas bona, & mala: non dicetur indeclinabile secundum hanc rationē. Si vero dicatur indeclinabile iudicium, quia nunquam voluntas moueatur, nisi ex iudicio rationis.

Bernard.

¶ Contra hoc est, quod voluntas aliquando scienter moueatur in malum: & cum scienter mouetur in malū, mouetur contra iudicium rationis. Sicut n. dicit Bern. multa facit contra consilium siue iudicium rationis: non ergo hoc modo dicitur quo ergo modo dicitur indeclinabile?

¶ Ad primum dicendum, quod consensus ob hoc dicitur, quia medium est (sicut dicit Bern.) inter sensum mētis, & sensum carnis, siue appetitum: aliquando quidem consentit in id, quod dictat sensus mentis, aliquando in id, quod sensus: non tamen æquè se habet ad vtrumque ex natura, sed per se habet, vt ordinetur ad sensum mentis, sc. vt ordinetur ad bonum, & ideo dicitur æquè se habere ad vtrumque.

¶ Ad secundum dicendum, quod libertas naturæ non est amissibilis, secundum quod natura essentialiter accipitur in his, in quibus est. Secundum aūt quod natura dicitur naturale bonum innocentiæ, quod primitus est datum (prout dicitur in 2. Lib. Sen. 24. Dist.) libertas arbitrij est ab omni labe, & corruptela rationis immunis, atq; voluntatis rectitudo omnium potentiarum animæ viuacitas; sic est amissibilis, amissibilis etiam est, secundum quod importat in se libertatem à peccato: his ergo modis amissibilis dicitur. Sed secundum hunc modum non accipiębatur in ratione, sed quia cogi non potuit: aut quia non decuit.

¶ Ad tertium dicendum, quod non est idem liberum arbit. & liberum consilium: sicut dicit Bernardus. Iudicij enim est discernere, quid liceat, & quid non liceat. Consilij aūt est probare, quid expediat, quid non expediat: hoc autem non est, idem illi: multa enim per iudicium licita, vel

illicita decernimus, quæ tamen licita non approbamus, & illicita respuimus: hoc autem modo accipitur iudicium in ratione liberi arbitrii: non prout est commune arbitrio, & consilio.

¶ Ad quartum dicendum, quod licet ratio non imponat necessitatem voluntati, & ita iudicium rationis non videatur aliud esse, quam consilium: tamen non est * sic consilium, sicut ponitur in intentione liberi consilij * hic enim est consilium, quod procedit ex gratia, vel defectu gratiæ. Iudicare autem primo modo dictum fuit ex ipsa ratione in se: * magis tamen liberum consilium dicitur tantum ad libertatem gratiæ referri.

*Alias, sicut. * Alias, hoc. *Alias, magis tamen proprie.

¶ Ad quintum dicendum, quod licet iudicium dicitur indeclinabile, quia inseparabile est, secūdum quod ratio inseparabilis est à libero arbitrio. (Vnde dicit Bern. *Habet voluntas rationalis, quocunque se vertit, rationem semper comitem, & quodammodo pedissequam: non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moueatur*) non autem accipitur iudicium indeclinabile à rectitudine, sicut obiectum est.

Bernard.

An, & quomodo distent præassignatæ tres liberi arbitrij diffinitiones? §. 4.

Quæstio lateralis.

¶ Ad quartum, quo quæritur: qualiter distinguantur istæ tres diffinitiones inter se.

RESOLVTIO.

Prima datur penes causam finalem: Secunda penes materialem: Tertia penes mouentem.

¶ Ad quod dicendum, quod cum sint quatuor causæ; mouēs prima, & causa finalis, & causa materialis (vel quod se habet ad modum causæ materialis) & causa formalis: diffinitio B. Bern. attenditur in comparatione ad causam mouentem; cum dicitur, quod *Liberum arbitrium est consensus*: consensus n. dicit conuersionem virium ad causam mouentem, in nobis n. est consentire Deo, vel non consentire. Diffinitio vero Ansel. data est in comparatione ad finē: secundum quod dicitur: *Potestas conseruandi rectitudinem propter se*: rectitudo n. æterna est finis: ad quem ordinatur liberum arbitrium per se, mediante suo actu. Diffinitio vero liberi arb. quam ponit Augustin. attenditur penes potentias, rationem, sc. & voluntatem, quæ se habent ad modum causæ materialis: mouentur n. à primo motore ad bonum: gratia vero est forma, secundum quam diriguntur in finem. Sic ergo potest attendi differentia istarum diffinitionum supra positarum: Nec hoc obstat: quia potentiæ illæ possunt ex se moueri liberè in malum: non n. ad hoc creatum est liberum arbitrium, sed cum possit in malum: cedat ei in meritum non consentire malo: prout dicitur: *Qui potuit facere mala, non fecit, &c.*

Eccles. 31.

ARTICVLVS III.

Quid sit lib. arb. secundum nomen.

AD tertium Articulum principale huius Quæstionis, quo quæritur: Quid sit liberum arbitrium secundū nomen. ¶ Circa quod primo quæritur: Vtrum liberum arbitrium dicatur liberum, eo quod est boni, & mali indifferenter: vel eo quod sit boni, & mali, sed magis mali: vel eo quod sit boni, & mali, sed magis boni. Secundo cum liberum arbitrium sit facultas volūtatis, & rationis: vtrum nomen libertatis habeat ex parte rationis, vel ex parte voluntatis, vel ex parte vtriusque: & si ex parte vtrinsque, qua parte magis. Tertio, cum sit triplex libertas, sc. naturæ, gratiæ, & gloriæ, ex qua libertate primo, & principaliter nominetur liberum. Quarto, quare duobus nominetur nominibus, cum sit vna potentia. Quinto, si Philosophi peruenerunt ad rem liberi arbitrij: & si aliqui peruenerunt ad rem, quare non peruenerunt ad nomen.

An liberum arbitrium dicatur liberum, quia est boni & mali indifferenter, vel quia ex illis magis est mali quam boni, vel econuerso? §. 1.

Quæstio lateralis. Damasc.

¶ Circa primum sic obijcit Damasc. *Creatura rationalis vertibilis est secundum electionem: ex eo n. libera est, quod eligere potest, vel recusare*: cum ergo eligere sit indifferenter inter vtrumque: & recusare similiter: ergo liberum arbitrium dicitur indifferenter boni, & mali. ¶ Item Bern. *Eo dicitur lib. arb. quia siue in bono, siue in malo æquè liberam habeat voluntatem*: ergo &c. ¶ Item Hug. *Posse facere malum infirmitatis est: neutrum vero per se libertatis.* Cum ergo sit libertas in his, erit in vtroq; indifferenter. ¶ Item, Aug. *Liberum arb. ab arbitrando nomen accipit: ex eo sc. quod rationalis creatura discernat, quid eligat, quidve recuset.*

Bernard. Hugo de S. Victore. August. in hypognosticon.

¶ Qvod autem sit magis boni Anselm. *Potestas peccandi non est libertas, nec pars libertatis.* Quod sic probatur. Quod additum minuit, & separatum auget; non est libertas, nec pars libertatis, sed potestas peccandi talis est: ergo &c. ¶ Item, In potestate peccandi non conuenit homo, vel angelus cum Deo; cuius imaginem tenet: sicut dicit Bern. & conuenit in lib. arb. quod ad hoc, quod est potestas rectè agendi: ergo lib. arb. hominis magis est respectu boni, quā respectu mali. ¶ Item, sicut habetur in Lib. de lib. arb. *Deus dedit homini liberum arb. ad hoc, vt eo rectè vteretur: non ad hoc, vt eo non rectè vteretur*: sed rectè vtitur in bono; non rectè vtitur in malo: ergo liberum arb. magis est boni, quam mali. ¶ Item, August. *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs peccatisq; non seruit*: tale autem datum est à Deo: ergo liber. arb. magis se habet ad bonum, quam ad malum.

Ansel. Aug. in li. de lib. arb. Idem de ciuit. Dei. lib. 14 c. 11.

¶ Qvod autem sit magis mali, quam boni, Bern. *Nemo putet lib. arb. ideo dictum, quia inter bonum & malum potestate, vel facultate versetur: cum cadere possit per se, non autem resurgere*: magis ergo se habet vt sit mali, quam boni. ¶ Item, Lib. arbit. hominis per se sufficiens est ad malum: non autem per se sufficiens est ad bonum: ergo liber. arbit. magis est mali quam boni. ¶ Item, magis habet alliciens, & trahens ad malum, quam ad bonum: ergo magis dicetur mali, quam boni.

Bernard.

RESOLVTIO.

Diuersa consideratione omnibus dictis modis liberum dicitur.

¶ Respon. Quod liberum arb. tripliciter consideratur. Vno modo, secundum quod non cogitur, & hoc modo dicitur liberū: quia indifferenter est boni, & mali. Alio vero modo consideratur liberum arb. secundum naturam, secundum quam assimilatur Deo: hoc est secundum quod liber. arb. ordinatur ad bonum: & secundum hoc est boni principaliter, & hoc modo dicit Ansel. *quod posse facere malum non est pars libertatis.* Tertio modo consideratur quantū ad defectum naturæ: quem habet ex eo, quod est creatura: vel secundum defectum voluntatis proprium, & hoc modo plus est mali, quam boni: quia per se tendit in malum, & hoc modo dicit B. Bern. *Nemo putet Lib. arb.* &c. ¶ Secundum hæc autem respondendum est autoritates. Nam illæ autoritates, quæ concludunt; quod lib. arb. est indifferenter boni, & mali: intelliguntur de lib. arb. secundum naturam illam, secundum quam non cogitur. Aliæ vero, quæ concludunt, quod est tantum boni, siue magis boni: intelliguntur de liber. arb. secundum quod assimilatur Deo. Aliæ vero intelligunt de liber. arb. secundum defectum, quem habet: propter quem dicitur esse vertibile: propter quem defectum plus inclinatur ad malum, quam ad bonum.

Ansel. Bernard.

An item liberum arbitrium dicatur liberum ex parte rationis vel voluntatis. §. 2.

Quæstio lateralis.

¶ Ad secundum, quo quæritur: Vtrum liberum arb. dicatur liberum principaliter ex parte rationis, vel ex parte voluntatis. ¶ Qvod autem ex parte voluntatis, videtur: quia quo ad voluntatem Domini sumus actuum nostrorū. (Vnde dicit Augu. *Nihil est ita in potestate nostra, sicut voluntas*) sed illius est libertas principaliter: cuius est dominiū actuū nostrorum: ergo cum voluntas sit huiusmodi: libertas primo & principaliter erit voluntatis. ¶ Item, ratio potest cogi per argumenta, & ratiocinationes, sed non voluntas. (Vnde Aug. *Voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid adipiscendum, vel non adipiscendum*) ergo cum libertas sit non posse cogi: dicetur lib. arb. liberum principaliter ex parte voluntatis. ¶ Item Bern. *Vniuersa, quæ hominis sunt, præter solam voluntatē, a merito & iudicio libera sunt*: quia sui libera nō sunt; ergo ex hoc videtur quod volūtas sola in homine libera sit.

August. Idem. Bernard.

¶ Contra,

Boet. ¶ CONTRA, *liberum arbitrium* (ſicut dicit Boet.) *eſt liberum de voluntate iudicium*: ergo liberum arbitrium dicitur liberum, quia eſt iudex ſuæ voluntatis, ſed iudicium pertinet ad rationem: ergo libertas attenditur principaliter ex parte rationis, non voluntatis. ¶ ITEM, Aug. *Liberum arbitrium dicitur ab arbitrando*: ſed hoc ad rationem pertinet: ergo trahit nomen ex parte rationis. ¶ ITEM, Bern. *Inſani & infantes, quia non ſunt compotes rationis, non habent vſum libertatis*: ergo non dicuntur habere libertatem arbitrij, quia non habent vſum rationis: ergo libertas attenditur principaliter ex parte rationis.

August.

Bern.

RESOLVTIO.

Ex parte voluntatis præcipuè.

¶ RESPONDEO, Quod libertas arbitrij principaliter eſt ex parte voluntatis. ¶ AD autoritates verò in contrarium reſpondendum eſt, quod illæ attenduntur, ſecundum quod libertas coartatur ad iudicandum. ¶ AD autoritates verò Bern. reſpondendum: quod non vult dicere, quod libertas attendatur principaliter ex parte rationis: ſed quia non eſt in eis, ſ. infantibus dormientibus, & inſanis vſus libertatis: quia non eſt in eis vſus rationis.

A qua libertate liberum arbitrium nomen ſortiatur, à libertate gratiæ, naturæ, vel gloriæ? §. iij.

Quæſtio lateralis. ¶ AD tertium, quo quæritur: cum ſit triplex libertas, ſc. gratiæ, naturæ, & gloriæ, ex qua libertate principaliter liberum arbitrium nomen ſortiatur. ¶ ET videtur, quod gloriæ: quia vnumquodque denominari debet ſecundum ſuũ optimum: ſed liberius arbitrium eſt in iuſtis quam in peccatoribus, & in beatis quam in iuſtis: ergo cum liberum arbitrium dicatur libertrimum reſpectu libertatis gloriæ: videtur quod ab ea principaliter debeat denominari liberum.

Aug. de Ciui. Dei. ¶ AD hoc facit, quod dicit Aug. *Primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, potuit non peccare, ſed potuit, & peccare*: hoc. a. nouiſſimũ ẽ eo potẽti⁹, quo peccare nõ poterat, ergo cũ eo potẽti⁹, eo liberi⁹, ab eo debuit principaliter deõari.

Idem de prædeſtinatione ſanctorũ. ¶ Idẽ Aug. *Nũquid in Chriſto nõ erat libera volũtas, quia peccare nõ potuit, attamẽ tãto magis erat libera, quanto magis ſeruire peccato nõ poterat*: Ergo liberius eſt arbitrium in ſtatu gloriæ, & gratiæ in ſummo: ergo &c.

¶ CONTRA, Nomen liberi arbitrij ſonat in potentiam, & eſt in omnibus rationalibus creaturis, ſed libertas gratiæ & gloriæ, non eſt in omnibus rationalibus creaturis: nec ſonat in potentiam, ſed ſolum libertas naturæ: ergo ab illa ſola * determinat ut liberum arbitrium.

*Alias denominatur.

RESOLVTIO.

Diuerſa conſideratione ab omnibus tribus libertatis generibus, liberum dici poteſt.

¶ RESPONSIO. Libertas aliquando dicitur habitus naturalis: aliquando habitus accidentalis. Secundum verò ꝙ libertas dicitur habitus naturalis rationalis naturæ, quę cogi non poteſt, non recipit magis, & minus: ſed æque eſt in omnibus rationalibus creaturis. Vnde dicit Bern. *Libertas à neceſſitate Deo, & vniuerſa creatura rationali indifferenter conuenit: nec magis bona, quam mala, nec peccato, vel miſeria minuitur, nec maior eſt in iuſto, quam in peccatore, nec plenior in angelis, quam in hominibus, manet tam integre in creatura, quam creatore, ſed in creatore potentior.* Et ſecundum quod libertas ſic dicitur, liberum arbitrium dr̃ liberum principaliter ratione libertatis naturæ. Secundum verò quod libertas eſt habitus accidentalis: ſic eſt liberum arbitrium diminuibile, vel etiam amiſſibile: & recipit magis & minus: & ſecundum hoc magis ſiue principalius dicetur liberum arbitrium liberum à libertate gratiæ vel gloriæ. Secundum autem quod liberum arbitrium diuiditur contra liberum conſilium, & liberum complacitum, dicitur liberum à libertate naturæ.

Bern.

Cur liberum arbitrium, ita duplici nomine appelletur. Vel cur ſicut liberum arbitrium dicitur, non ita liberum iudicium dicatur. §. iiij.

Quæſtio lateralis. ¶ AD quartum, quo quæritur. Quare liberum arbitrium duplici nomine cenſeatur: cum enim ſit vna potentia (vt videtur per hoc, quod vnum habet actum, ſ. eligere: vel etiam Deo obtemperare, ſicut dicit Bern. quod facultatem habet, qua Deo obtemperet) & vna potentia in quantum huiuſmodi vnicum habeat nomen: non deberet nominari nomine duplicis potentiæ, ſed vnius. ¶ Sed contra Dam. *In ipſo*, hoc eſt in libero arb. *coniugata ſunt cognitiua, & vitales virtutes*: ergo habet in ſe rationem plurium virium. ¶ ITEM, Bern. *Liberum arbitrium eſt conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium*, & vult dicere, qđ ratione voluntatis dicitur liberum: nomen verò arbitrij ſortitur propter rationem: ergo rectè ſortietur duo nomina.

Damaſ.

Bern.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium duo ſortitum nomina dicimus, quia ipſum potentiam circa duo determinatam autumamus, ſcilicet cognitionem, & affectionem. Sicut non liberum iudicium, ſed liberum arbitrium nuncupatum arbitramur, quia arbitrii officio fungitur in eligendo & volendo.

¶ RESPON. quod eſt quædam potentia, quæ determinatur tantum reſpectu cognitionis: eſt & alia, quæ determinatur tantum reſpectu affectionis: Quia verò circa lib. arb. conſiſtit meritum: vel demeritum, & ad meritum, vel demeritum exigitur cognitio, & affectio, habet liberum arb. quod eſt cognitionis, & quod eſt affectionis, & eſt potentia determinata reſpectu vtriuſque. Et ideo duo ſortitur nomina, vt dicatur liberum propter voluntatem, & arbitrium propter rationem.

¶ ITEM, quæritur: quare dr̃ liberum arbitrium, non liberum iudicium? iudicis. n. eſt ſecundum imperium diffinire, quod non eſt arbitri: cum ergo liberum arbitrium ſit in anima, ſicut potentiſſimum in imperando: ergo plus tenet formam iudicis, quam formam arbitri, ergo potius deberet dici liberum iudicium, quam lib. arb.

¶ RESPON. Iudex in iudicando debet ſequi leges, & arctatur, & hortatur ad ſequendum illas, arbiter autem non arctatur ad ſequẽdum illas. Veruntamen arbitri non eſt ſecundum imperium diffinire, ſicut iudicis. Vnde dicendum quod lib. arb. habet in ſe officium iudicis quo ad rationem: quia inquantum delibetat, debet ſequi leges: ſed inquantum eligit, vel vult, tenet formam arbitri: hoc enim ad voluntatem pertinet.

An Philoſophi peruenerint ad cognitionem liberi arbitrii? §. v.

¶ AD quintum, quo quæritur: quare Philoſophi non peruenerunt ad notitiam lib. arb. Et videtur, quod debuerunt peruenire: quia licet non peruenerunt ad ea, quæ ſunt fidei, vel gratiæ: tamen peruenerunt ad ea, quæ ſunt naturę: cum ergo lib. arb. pertineat ad naturam: videtur quod peruenerunt ad notitiam ipſius. ¶ ITEM, ſicut ponitur lib. arb. potentiſſimum in anima ex parte motiuæ: ita poſuerunt Philoſ. intellectum practicum ex parte motiuæ: ergo ſicut peruenerunt ad notitiam intellectus practici: ita potuerunt peruenire ad notitiam lib. arb. ¶ ITEM, aut liberum arbitrium eſt poteſtas faciendi quodlibet: aut poteſtas ad oppoſita: ſed ſm̃ quamcunque rationem ſumatur, ad vtranque rationem poteſtatis peruenerunt philoſophi: ergo peruenerunt ad notitiam lib. arb. Quæſtio lateralis.

¶ CONTRA, liberum arbitrium eſt principium meriti, vel demeriti: ſed non peruenerunt ad cognitionem meriti, vel demeriti: ergo non peruenerunt ad cognitionem liberi arbitrij.

RESOLVTIO.

Ad cognitionem lib. arb. prout poteſtas rationalis eſt ad oppoſita peruenerunt Philoſophi. Prout verò alterum ex principiis meriti, nequaquam.

¶ AD quod dicendum, ꝙ liberum arbitrium dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo, ſm̃ ꝙ tangit Aug. in lib. Hypognoſticõ: vt arbitrium dicatur ab arbitrando rationali conſideratione: vel diſcernendo quid eligat, quidue recuſet, liberum autem eo, quod in ſua ſit poſitum poteſtate, habens agendi quod velit poſſibilitatem: & ſecundum hoc poterant philoſophi peruenire ad intentionem liberi arbitrij: hoc enim nihil aliud eſt quam poteſtas rationalis ad oppoſita. Alio verò modo dicitur liberum arbitrium, quod iudicium habet rationis: non per quod ſit idoneum

peruenire ad ea, quæ ad Deum ptinent; sine deo: aut inchoare, aut peragere: & hoc modo est vnum principium meriti. Sicut ergo non peruenerunt Philosophi ad cognitionẽ meriti, quod est ex gratia, & libero arb. ita nec peruenerunt ad rationem liberi arb. inquantum sine ipso non est meritum, prout dicit B. Bern. *Tolle liberum arbitrium, non erit quod saluetur, tolle gratiam, non erit vnde saluetur*, opus hoc sine duobus effici non potuit, vnum à quo * fit: alterum cui, vel in quo fit. Quod ergo & à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu non potuit esse accipientis, quam absque gratia dantis: Per hoc potest parere, quod Philosophi peruenerunt ad rem liberi arbitrij, & rationem secundum hunc modum, secundum alterum vero non peruenerunt. Sicut enim bonum naturæ attigerunt Philosophi, nõ tamen in ratione, qua est diminuibile per peccatum. Sic & illud, quod est liberum arbitrium, non tamen prout est initium meriti aliquo modo.

Bern.

*Alias, fit

MEMBRVM III.

In quibus sit liberum arbitrium.

SEQVITVR determinare, in quibus sit liberum arbitrium. ¶ ET circa hoc primo quæritur, vtrum liberum arbitrium commune sit creaturæ, & creatori. Secundo, an conueniat rationali creaturæ, & irrationali. Tertio, vtrum omni rationali creaturæ scil. homini, & angelo, bono, & malo. Quarto, vtrum homini commune sit quantum ad statum innocentiæ, & quantum ad statum culpæ, & gratiæ. Quinto, vtrum Christo homini, & alijs hominibus.

ARTICVLVS I.

An lib. arb. commune sit creatori, & creaturæ?

CIRCA primum sic obiicitur. Nihil est commune creatori, & creaturæ, ad minus vniuocum, ergo nec liberũ arbitrium, & si dicatur commune hoc erit æquiuoce. ¶ ITEM, liberum arbitrium in Deo est substantia, in homine vero quasi accidens, ergo liberum arbitrium non est commune creatori, & creaturæ, nisi secundum nomen. ¶ ITEM dicit Dama. *In Deo non dicimus electionem*, sed eligere est proprius actus liberi arbitrii, ergo in Deo non dicetur lib. arbi. ergo liberum arbitrium non est commune creatori, & creaturæ.

Plura huiusmodi superius. quæst. 29. Damas.

¶ CONTRA Ansel. *Quamuis liberum arbitrium secundum diffinitionem communis sit omni rationali natura, multum tunc differt illa, quæ Dei est, ab illis, quæ rationalis creaturæ.* Ergo liberum arbitrium est commune secundum diffinitionem creatori, & creaturæ. ¶ ITEM, Dam. quod secundum imaginem dicitur homo, intellectuale significat, & arbitrio liberum, ergo secundum liberum arbitrium est homo ad imaginẽ dei, sed aliqua ratio est communis imagini & eius, cuius est imago, ergo aliqua ratio imaginis est communis creaturæ, & Deo. ¶ ITEM, quicunq; sola voluntate, & nulla necessitate bonus est, libere bonus est, sed Deus sola voluntate, nulla necessitate bonus est, ergo libere bonus est, ergo habet liberum arbitrium, eadem ratione, & homo libere bonus est, & habet liberum arb. ergo &c.

Ans. in lib. de lib. arb.

Damas.

RESOLVTIO.

Commune est, sed analogice.

¶ AD quod dicendum, lib. arb. commune est creatori, & creaturæ, non tamen dicitur vniuoce, nec omnino æquiuoce, sed analogice sc. per prius, & posterius, per prius enim dicitur de creatore, per posterius de creatura. ¶ ET per hoc patet solutio ad duo primo obiecta. Nam non cõcludebant, qd liberum arbitrium non esset commune, sed quod non esset vniuocum.

¶ AD hoc, quod dicit Damas. quod in Deo non dicimus electionem. Respon. quod eligere dicitur dupliciter. Vno modo dicitur eligere, determinare, seu diffinire inter aliqua duo, & hoc modo conuenit Deo electio. Alio modo dicitur eligere, rem prius ignotam determinare, vnde hoc modo dicitur electio determinatio rei dubiæ in alteram partem, & quia id importat ignorantiam, non dicitur de deo. Vnde dicit, In deo non dicimus electionem, non enim consiliatur Deus, ignorantis enim est consiliari.

ARTICVLVS II.

An lib. arbit. conueniat creaturæ rationali, & irrationali.

AD secundum, quo quæritur, Vtrum liberum arbitrium sit commune creaturæ rationali, & irrationali. Et videtur, quod sic: dicit enim Dam. quod liberum arbitrium est moueri, vel non moueri, impetum facere, vel non facere, appetere & non appetere: sed hoc est commune creaturæ rationali, & irrationali sensibili: ergo lib. arb. est commune vtrique. ¶ ITEM, in creatura sensibili rationali est duplex vertibilitas, sc. naturæ & appetitus: vertibilitas autem secundum appetitum est creaturæ, habentis lib. arb. ergo in creatura irrationali est liberum arbitrium.

¶ CONTRA, irrationabilia (sicut dicit Dam.) magis aguntur, quàm agant: sed lib. arb. magis agat, quam agatur: ergo irrationabilia non habent liberum arbitrium. ¶ ITEM, liberi arbitrij est contradicere appetitui naturali, vel sequi eum, sed irrationabilia non contradicunt appetitui naturali, sed sequuntur illum: ergo non habent liberum arbitrium. ¶ ITEM, omnis operans secundum liberum arbitrium laudatur, vel vituperatur: sed irrationabilia in his, quæ agunt, nec laudantur, nec vituperantur: ergo non habent liberum arbitrium.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium rationali tantum creaturæ inest, quippe quæ sola consilio, & ratione ducitur. Secus verò de animantibus irrationabilibus, quæ sensu, appetitu, naturaue aguntur.

¶ RESPON. quod libertas est potentiæ absolutæ à materia: formæ enim alligatæ ad materiam non habent inclinationem nisi ad vnam partem, quia coartantur ab ipsa materia, cui alligantur: hinc est etiam, quod non mouentur à seipsis, imo ab alio: sunt enim entes in potentia: omne autẽ, quod exit à potentia in actum, exit per aliquid actu ens: Hinc est, quod sensibilium brutorum appetitus non est liber: quia ipsa vis sensibilis in eis materialis est, & perfectio materiæ, f. corporis physici organici: & ideo coactioni subiectus secundum immutationem materiæ: Hinc est, quod immutatione facta per apprehensionem alicuius delectabilis, necesse habet apprehensiua vis in brutis inclinari ad illud, immutatione autem facta per immutationem alicuius tristabilis, necesse habet appetitiua moueri, ab illo fugiendo. Hinc ergo est, quod in irrationabilibus non est libertas arbitrij. In rationabilibus autem libertas arbitrij est inquantum huiusmodi, propter ipsam rationalem vim, quę est vis absoluta à materia, quod patet ex apprehensione intellectiua, quę non intelligit materialia, nisi in abstractione à materia. Hinc est, quod cum non sit alligata, apprehensione facta alicuius tristabilis, vel delectabilis, non coartatur vis appetitiua ad sectandum delectabile vel fugiendum tristabile, propterea manet in rationali natura arbitrij libertas & ideo est laudandus, vel vituperandus ex actu suo. Præterea, irrationabilia non habent vim, per quam possint dijudicare naturales actus, & probare probandos, & reprobare reprobandos, imo appetitiua in eis est subiecta instinctui naturæ: vnde non est in eis potestas contradicendi naturali appetitui, homo verò habet potestatem dijudicandi naturales motus, & probandi, & reprobandi, & etiam contradicendi naturali appetitiui: & ideo est lib. arb. Et hoc est, qđ dicit Orig. Habet amplius cæteris animalibus homo vim rationis, qua dijudicare & discernere de motibus naturalibus possit, & alios quidem reprobare & abijcere, alios probare, & suscipere: cuius rationis iudicio motus hominis ad vitam dirigi possit. Item Dam. *Irrationabilia non sunt libera arbitrio*: aguntur enim magis à natura, quam agant, ideo non contradicunt naturali appetitui ciborum: sed simul cum appetierint, impetum faciunt ad actum. Homo verò rationaliter ens, agit magis, quam agatur: ideo appetens, si quidem velit, potestatem habet refrænandi appetitum, vel sequi eum, vnde irrationabilia nec laudantur, nec vituperantur, homo verò laudatur, & vituperatur.

Orig.

Damas.

¶ AD primo obiectum dicendum, quod appetere, vel

non appetere, impetum facere, vel non facere &c. non sufficit ad libertatem, sed ad flexibilitatem: sed ad libertatem exigitur, quod ista fiant ex ratione, s. prius deliberante. Vnde licet possint appetere, vel non appetere: tamen post cognitionem determinatur eorum appetitus ad vnam partē.

¶ Ad aliud dicendum, quod flexibilitas appetitus est duplex: quædam est secundum electionem, & hæc sequitur ad deliberationem rationis, quando sc. postquam deliberauit, & cognouit esse bonum, adhuc in ipso est conuerti, vel non conuerti ad illud bonum: & hæc flexibilitas pertinet ad libertatem. Alia est flexibilitas appetitus secundum mutationem: quia potest mutari ab vno appetitu ad contrarium petitum: & hæc potest esse irrationabilium: sed non pertinet ad liberum arbitrium, quia de se non habet vt conuertatur, vel non conuertatur: sed determinat semper alteram partem: licet mutari possit ab vno appetitu in alium.

ARTICVLVS III.

An liberum arbitrium omni rationali creaturæ insit, cum scilicet hominibus, tum Angelis, atque Dæmonibus?

AD tertium articulum, quo quæritur, Vtrum homo conueniat cum angelis tam bonis, quam malis in lib. arb. Quod non, videtur: Bern. Vbi est necessitas, non est libertas sed in angelis est necessitas (quia in bonis ad bonum, & in malis ad malum) ergo non est libertas arbitrij: ergo non est commune lib. arb. homini, & angelo: cum in homine sit flexibilitas ad vtrumque.

¶ Item, lib. arb. est consiliari: sed omnis consilians (sicut dicit Dam.) vt in seipso ente electione actibilium consiliatur: vt quod præiudicatum est, ex consilio eligat, & eligens agat: hoc autem non est in Dæmonibus: iudicat enim aliquid bonum, & eligit nihilominus malum, & agit similiter: ergo non est in eo lib. arb. secundum quod liberum arbitrium est facultas voluntatis & rationis &c. ¶ Tertia ratio sumitur ex eo, quod lib. arb. est potestas conseruandi rectitudinem: sed potentia ociosa est, vbi nunquam potest elici actus: sed conseruare rectitudinem, nunquam potest elici à Diabolo: ergo potestas esset ociosa, sed nihil est ociosum in vniuerso: ergo cum lib. arb. est potestas &c. non erit in Dæmonibus, ergo non est commune homini, & angelis malis.

¶ Contra, Quod semel naturaliter est in aliquo, semper remanet in eo, sed lib. arb. à principio naturaliter est in angelis tam bonis, quam malis, ergo lib. arb. est in eis: ergo est commune eis cum homine. ¶ Item, Vbi est coactio, nō est ibi laus, vel vituperatio: sed in malis angelis, vel bonis est laus, vel vituperatio: quia boni angeli laudantur: mali vituperantur: ergo non est in eis coactio, ergo est in eis lib. arb. ¶ Item, Pœna, & præmium non consequuntur, nisi in eis, quæ libera voluntate aguntur: sed pœna, vel præmium consequitur angelos bonos, vel malos: ergo ea, quæ agunt, libera voluntate agunt: ergo in eis est lib. arb.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium, prout à coactione immune est, in omnibus est, & angelis, scilicet, & hominibus & dæmonibus.

¶ Respon. Quod liberum arbitrium est commune homini, & angelo, bono & malo:
Bern. Bern. *Libertas à necessitate, i. coactione non maior est in iusto, quam in peccatore, nec plenior in angelo,*
Idem. *quam in homine.* Et iterum. *Diabolus libere corruit in malum, & persistit suo voluntario motu, non alieno impulsu.*

¶ Ad obiecta autem in contrarium dicendum est, quod est duplex necessitas: ineuitabilitatis, & coactionis. Necessitas coactionis tollit lib. arb. sed non necessitas ineuitabilitatis, licet ergo in angelis sit necessitas ineuitabilitatis: nihil
Idem. ominus tamen lib. arb. Vnde Bern. *quod Diabolus non potest bonum, non est ex aliena oppressione: sed ex voluntaria obstinatione, & obstinata voluntate.*

¶ Ad secundum dicendum, quod licet in Dæmonibus sit iudicium boni: non tamen sequitur electio ex parte voluntatis: nec ex hoc priuatur libertas voluntatis: imo magis ostenditur, eo quod voluntas non sequitur rationem: sed ex hoc sequitur, quod libertas gratiæ in eis priuatur: quia per illam voluntas sequitur rationem rectam: Et licet ratio lib. arb. quam ponit Aug. non conueniat malis quo ad hoc, qđ dicitur [qua bonum eligitur] conuenit tamen ratione reliquæ partis: bonis verò angelis ratione primæ partis.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet ille actus, conseruare rectitudinem, nunquam in Dæmonibus eliciatur à potentia: non tamen est potentia lib. ar. otiosa, habet enim alium actum. Præterea si non potuisset à principio conseruasse rectitudinem, tunc posset dici otiosa, sed potuit conseruare, & deseruit rectitudinem.

ARTICVLVS IV.

An liberum arbitrium in omni statu, innocentiæ, scil. culpæ, & gratiæ commune fuerit homini?

AD quartum, quo quæritur, Vtrum lib. arb. fuit commune homini in statu innocentiæ, culpæ, & gratiæ.

¶ Qvod non, Lib. Sent. *Liberum arb. est ab omni labe, & corruptela rationis immune, atque voluntatis rectitudo, & omnium* Mag. in 2 sent. dist. 24
potentiarum anima vivacitas: sed secundum hoc non conuenit in statu culpæ, vbi est corruptio labis, & peccati: & curuitas voluntatis, & potentiarum ad mortem culpæ declinatio. ¶ Præterea, in statu etiam gratiæ est vitium animæ per pœnam vulneratio: non ergo dicitur lib. arb. commune in hoc triplici statu. ¶ Præterea Aug. in Ench. *Qualis potest esse addicti* Aug in Ench.
serui libertas, nisi quando eum peccare delectat: liber aliter enim seruit qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hæc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est, cum ergo huiusmodi libertas non sit hominis in primo statu, non est lib. arb. commune homini in statu innocentiæ & statu culpæ. ¶ Ad idem facit, quod dicitur in Lib. de Regulis fidei. *Liberum arbitrium magis liberum est ad malum seruiendo, & minus in bono faciendo*: & at- Idem in lib. de regulis fidei
tenditur secundum statum culpæ. sed secundum statum innocentiæ, & gratiæ est econuerso: ergo lib. arb. non dr̄ secūdum eandem rationem in statu innocentiæ, & culpæ, & gratię. ¶ Contra sicut homini in primo statu fuit flexibilitas vel vertibilitas secundum electionem, ita in statu culpæ & in statu gratiæ: sed in quo est vertibilitas secundum electionem communis, est in eo lib. ar. commune: ergo in hoc triplici statu est lib. arb. ¶ Item lib. arb. datum fuit in statu innocentiæ: nec per peccatum perdidit, quin posset emendare peccatum per pœnitentiam, vel in peccato perseuerare: ergo non perdidit lib. arb. Aug. *Postquam seductione serpentis* Idem in lib. de Ecclesiast. dogmat.
per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, & arbitrii vigorem, non tamen electionem, ne non esset suum, quod emendaret peccatum, nec merito indulgeretur, quod non lib. arb. diluisset: ergo liberum arbitrium commune est in statu innocentiæ, & in statu culpæ.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium pro libertate naturæ, siue à coactione, commune fuit homini in omni statu.

¶ Ad quod dicendum est, quod lib. arb. commune est in his statibus. ¶ Nec est contrarium quod obiectum est: quia illa prima ratio libertatis est propria secundum statum innocentiæ, & non dr̄ illa libertas naturæ, qua homo liber dr̄ à coactione: sed qua homo sumit primam rectitudinem naturæ sibi à Deo gratis datam: qua homo posset stetisse in bono, si voluisset.

¶ Ad secundum dicendum, quod seruitus peccati non compatitur se cum libertate gratiæ, permanet tamen cum libertate naturæ seruitus culpæ. Vnde lib. arbit. à libertate naturæ cōe est in statu vtroque, s. in statu gratiæ, & culpæ.

¶ Similiter respondendum est ad illud, quod dr̄ in lib. de Eccl. dog. cum dr̄, ꝙ lib. arb. magis liberum est in faciendo malum, & alibi dicitur, quod magis liberum est ad bonū. Dđm est, ꝙ nō intelligitur de libertate naturæ, q̄ æquè est (sicut dicit Ber.) boni & mali: sed de libertate gratiæ in bono, vel de flexibilitate voluntatis ex se ad malum.

ARTICVLVS V.

An in Christo homine sicut & in cæteris hominibus liberum arbitrium fuerit?

AD quintum, quo quæritur, Vtrum liberum arbitrium sit commune Christo homini, & alijs hominibus.

¶ Quod non sit commune, ostenditur per hoc, ꝙ dicit Ioh. Dam. *In anima Christi non dicimus consilium, vel electionem,* Damas.
non enim habuit ignorantiam. Etsi ignorātis ēt futura naę erat:

sed tamen secundum hypostasim vnita Dei verbo: omnium cognitionem habuit, propter eam, quæ secundum hypostasim est, vnionem: sed vbi non est electio, non est lib. arb. ergo non habuit lib. arb. ¶ ITEM, lib. arb. est, quo homo potest peccare, & bene agere: sed hoc modo non fuit lib. arb. in Christo: est autem in alijs hominibus (secundum quod dicitur in Ench. sic oportebat hominem fieri, vt & bene velle posset, & male) ergo lib. arb. non est commune Christo, & alijs hominibus. ¶ ITEM, lib. arb. à liberando dicitur, secundum id, *Si filius vos liberauit &c.* sed secundum hanc rationem non est, nec fuit liber. arbit. in Christo: ergo &c.

Ioan 7.

¶ CONTRA, de Christo habetur. *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Sed illud, quo reprobatur malum, & eligitur bonum, est lib. arb. ergo &c. ¶ ITEM, August. *Nunquid metuendum fuit, ne accedente ætate, homo ille libero peccaret arbitrio, aut ideo in illo non erat voluntas libera? Et respondet, Tanto magis erat libera, quanto magis seruire peccato non poterat*, ergo in Christo non fuit lib. arb. ¶ ITEM, Iohan. Damasc. * *Sententialis voluntas in Christo erat*, * vnde dicit, *quia vna hypostasis, & vnus volens, vna est sententialis voluntas, humana sua voluntate sequente humanam voluntatem.* Sed sententialis voluntas est voluntas liberi arbitrij: ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

Isaiæ 7

Aug. de prædestinatione.

Idem.

Damasc.

* Alias specialis

* Alias, vna.

RESOLVTIO.

Asseritur & in Christo liberum arbitrium fuit, pro libertate scilicet naturæ & à coactione. Quod si illum peccare non potuisse legerimus, id non ratione naturæ in se, sed ratione gratiæ vnionis fuisse diximus.

¶ AD quod dicendum, quod liberum arb. fuit in Christo. ¶ AD primo obiecta dicendum, quod eligere dr̃ dupliciter: sicut supra dictum est. Vno modo dr̃ eligere, diffinire, seu determinare inter aliqua duo, & hoc modo est in Christo. Alio modo dicitur eligere rem prius ignotam determinare, seu diffinire. Vnde hoc modo dicitur electio determinatio rei dubiæ in alteram partem, & quia eligere hoc modo importat ignorantiam, non dr̃ de Christo, sicut nec consilium, & hoc modo intelligitur, quod dicit Dam.

¶ AD aliud dicendum, quod cum dr̃, qd lib. arb. Christi non potuit peccare: hoc dr̃ non ratione naturæ in se consideratæ, sed ratione gratiæ vnionis, per quam confirmatus fuit in bono, vnde si esset natura humana separata à diuina, & non esset per gratiam confirmata, esset possibilis ad peccatum. Illud ergo, quod dr̃, quod lib. arb. est, quo homo potest peccare, & rectè agere, intelligitur ratione naturæ, qd verò dicitur, quod Christus non potuit peccare, hoc dicitur ratione gratiæ, vnde libertas naturæ, quæ est à coactione, communis fuit Christo, & alijs hominibus.

Io. 8.

¶ AD aliud dicendum, quod libertas, de qua dr̃. *Si filius vos liberauit &c.* dr̃ libertas à peccato. Libertas autem ista, secundum quod dicitur à liberando, dr̃ dupliciter: actiue sci. quæ est liberantis, & hoc modo fuit libertas in Christo. Alio modo dr̃ à liberando, s. passiuè, quæ est liberati: & hoc modo non fuit libertas in Christo à peccato, quia in ipso nunquam fuit peccatum.

MEMBRVM IV.

An liberum arbitrium æque sit in omnibus, in quibus reperitur.

AD quartum, quo quæritur, Vtrum liberum arbitrium æquè sit in omnibus, quibus conuenit. ¶ Quod non videtur. Libertas alia est à se, quæ nec est facta, nec accepta, quæ est solius Dei: Alia à Deo facta, & accepta: quæ est angelorum, & hominum. Facta verò, alia est habens rectitudinem, quam seruet, alia carens. Habens, alia tenet separabiliter: alia inseparabiliter. Illa quidem, quæ separabiliter tenet, fuit angelorum, antequam boni confirmarentur, & mali caderent, & est omnium hominum ante mortem, qui habent eandem rectitudinem. Quæ vero tenet inseparabiliter, est malorum angelorum, & hominum post mortem suam. Illa, quæ caret rectitudine: alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quę recuperabiliter caret, est tantum hominum in hac vita illa carentium, quamuis illam multi non recuperent. Quæ autem irrecuperabiliter caret, est reproborum hominum, & angelorum, sed angelorum post ruinam, reproborum hominum post mortem. Cum ergo liberum arbitrium secundum hos modos non æquè conueniat, non conuenit ęque liberum arbitrium, quibus conuenit. ¶ ITEM, libertas, quæ plus impermixta est seruituti, non æquè se habet cum illa, quæ minus est impermixta vnde nec liberum arbitrium æque se habet in his rebus, & in illis: sed plus est impermixtum, vbi non est seruitus culpæ, vel pœnæ, quam vbi est, sicut in bonis angelis: in quibus neutra seruitus est, quam in hominibus huius vitæ bonis, in quibus est seruitus pœnalis: in his autem plus quam in damnatis, vel malis hominibus in præsenti: ergo lib. arb. non æquè dicetur de omnibus his. ¶ Præterea, nec secundum omnem statum de homine æqualiter: Vnde August. *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, nouissima erit non posse mori, ita primum fuit liberum arbitrium posse non peccare, nouissimum erit non posse peccare.* Ergo non æquè fuit liberum arbitrium in statu innocentiæ, sicut erit in statu gloriæ.

Aug. de Ciui. Dei.

¶ CONTRA Bern. *Libertas à necessitate æquè, & indifferenter Deo, vniuersæq; creaturæ rationali conuenit*, ergo liberum arbitrium æquè dicitur de illis, in quibus est. ¶ ITEM, Bernhard. *Manet voluntatis libertatis, vbi est captiuitas mentis, tam plena in malis, quam in bonis.* Ergo per seruitutem culpæ, vel miseriæ non minuuntur: ergo æquè est lib. arb. ¶ ITEM, Bern. *Non solum lib. arb. sui omnino diminutionem, seu defectum non patitur, quia in ipso potentissimæ æternæ, & incommutabiliter diuinitatis substantiua quædam imago videatur. Nam etsi habuit initium, nescit, tamen occasum, vt de iustitia, vel gloria sumat augmentum, aut de culpa, vel miseria detrimentum*, ergo liberum arbitrium æquè dicetur, de quibus dicitur.

Bern.

Idem.

Idem.

RESOLVTIO.

Liberum arbitrium pro libertate à coactione (quæ quasi essentialis, eius libertas dicitur) æquè est in omnibus, in quibus est.

¶ RESPON. quod lib. arb. in hoc æquè dicitur, de quibus dicitur, quod *in* nullo cogitur. Licet enim Deus de sua creatura rationali possit facere, quod vult, non tamen cogit voluntatem: sed eam liberam esse permittit. Secundum hoc ergo, quod æque dicitur contra magis, & minus: liberum arbitrium à seruitute naturæ dicitur, de omnibus intellectualibus substantijs æquè. Est autem accipere æquè contra prius & posterius, & hoc modo non dicitur liberum arbitrium æque de omni rationali creatura: nec æque de carente rectitudine, & habente rectitudinem: & ita de alijs. Et dico prius & posterius, prout dicunt maiorem & minorem participationem similitudinis diuinæ. ¶ Per hoc idem respondendum est ad secundo obiectum de libertate impermixta magis & minus.

¶ AD tertio verò obiectum dicendum est, quod in omni statu liberum arbitrium æqualiter, dicitur, quantum est de libertate à coactione, quæ vocatur quasi essentialis libertas: non tamen æquè dicitur libertas, inquantum ordinatur ad gratiam: secundum hoc enim dicitur secundum magis & minus.

An in creatura rationali cadere possit coactio. §. j.

¶ Quæritur occasione prædictorum, Vtrum coactio possit in rationalem creaturam cadere, quæ est liberæ voluntatis. ¶ QVOD videtur, dicitur. n. *Compelle eos intrare*: compulsio autem coactio est: nullus autem intrat, nisi habens liberum arbitrium: ergo coactio est liberi arb. ¶ Item, *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam &c.* & quod dicit Apost. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati*: videtur arguere, quod cogatur voluntas. ¶ PRÆTEREA, qui timore mortis, vel pœnarum inducuntur ad negandum Christum, cogi dicuntur (vnde Beatus Bern. loquens de Petro dicit: *Fatendum est, hominem fuisse compulsum, voluntatem propriam, & si non mutare, occultare tamen.*) Videtur ergo, quod cogi possit liberum arb. in homine: Qualiter ergo dicendum est liberum arbitrium hominis à coactione?

Quæstio incidentalis.

Luc. 14.

Sap. 9.

Rom 7.

RESOLVTIO.

Nequaquam coactio simpliciter, sed quæ de voluntario aliquid habeat. Vel, exterior aliquatenus, interior nullatenus.

¶ Ad quod dicendum, quod gemina est compulsio: secundum quod aut pati aliquid, aut agere contra propriam voluntatem dicimur. Quarum passiua nonnunquam potest fieri absque voluntario consensu patientis, est enim dictum sic inuoluntarium per violentiam, cuius principium est exterius, eo nihil conferente, qui patitur. Si verò violentia respicit agere mixtum ex interiori & exteriori, non erit compulsio simpliciter, nec inuoluntarium simpliciter: sed mixtum ex inuoluntario: & hoc modo potest esse compulsio ad bonum, vel ad malum, & hoc modo potest esse meritorium vel demeritorium. Compulsio ergo illa, de qua dominus dicit, compelle intrare: habet de voluntario ad bonum, ratione cuius dicitur meritorium.

Bern. Bernh. *Hoc intendit Deus cum terret, aut percutit, vt faciat voluntarios, non * saluet inuitos, quatenus dum de malo in bonum mutet voluntatem, transferat libertatem.*

*Alias, soluat.

Illa verò, qua dicitur aliquis abstractus, vel illectus à concupiscentia sua, & qua dicitur: Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: non debet propriè dici compulsio ad malum, sed quædam voluntatis inclinatio per pondus corruptionis concupiscibilis. Illa verò, qua Petrus compulsus est negare dominum, compulsio potest dici, habens de voluntario ad malũ, & illa nõ omnino excusat.

Idem. Vñ Ber. *Est compulsio quædam actiua, sed non habet excusationem, cum sit voluntaria.* Cogebatur Christianus negare, & dolens: sed tamen non nisi volens: volebat enim gladium vitare ferientis, atque illa voluntas intus præsidens os aperiebat, nõ gladius, qui foris apparebat. Sicut enim dicit Philosophus, quædam sunt, ad quæ nullatenus homo cogi debet. Si verò compulsio dicatur respectu actus interioris, nullatenus dicendum est: quod liberum arbitrium respectu actus interioris omnino coactionem recipiat, & ideo dicitur simpliciter liberum arbitrium à coactione.

MEMBRVM V.

An liberum arbitrium deperdi, vel minui possit in illis, in quibus est.

AD octauum membrum, quo quæritur: si liberum arbitrium potest admitti, vel minui in illis: in quibus est. Sicut enim potest intendi, pari ratione potest diminui. Quod autem intendi possit, patet per hoc, quod dicit Aug. multo liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato, quam quod potest. ¶ Præterea, sicut abundat captiuitas peccati: ita minuitur libertas arbitrij, ergo contingit diminui, ergo cum ista libertas sit bonum creatum, non erit infinitum: & ita post diminutionem multiplicem poterit amitti: ergo libertas arbitrij est amissibilis.

Bern. ¶ Contra, Bern. *Nec peccato, nec miseria amittitur, vel minuitur.*

Idem. ¶ Item, Bern. *Solum liberum arbitrium sui omnino diminutionem, vel defectum non patitur.*

RESOLVTIO.

Nequaquam liberum arbitrium, sed liberum consilium, vel liberum complacitum.

¶ Ad quod dicendum est, quod est *libertas consilij* (sicut distinguit Bern.) & *est libertas complaciti.*

Bern. Libertas ergo arbitrij non est amissibilis, nec diminuitur. Libertas verò consilij, vel complaciti diminuibilis est, vel amissibilis. Vnde Bern. In duabus libertatibus, sc. consilij, & complaciti, quoniam non solum ex parte minui, sed ex toto amitti possunt: accidentalis quædam similitudo sapientiæ, & potentiæ diuinæ imagini superducta cognoscitur. Denique amittimus illam per culpam, & per gratiam recuperauimus, & quotidie, alij quidem plus, alij minus, aut in ipsis proficimus: aut ab ipsis deficimus. Possunt etiam sic amitti, vt iam non valeant recuperari: possunt etiam ita possideri, vt nec amitti queant aliquo modo, nec minui.

Idem. ¶ Item, Bern. *Libertas arbitrij de ipso, quo condita est statu, aliquatenus non mutatur, sed æqualiter, quantum in se est, à cælis, terris, inferis possideatur, merito illi similitudini, vel imagini deputantur.* Et quidem apud inferos, quod vtraque libertas perierit, illę, sc. quæ ad imaginem pertinere dicuntur, scripturarum testantur autoritates. Nam verum illic sapere: quod de consilij libertate concipitur, omnino non esse, locus ille manifestatur, vbi legitur.

Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua, operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia sunt apud inferos, quo tu properas.* Porro de potentia, quæ per libertatem complaciti dicitur, euangelium sic loquitur.

Matt. 22. *Ligatis manibus & pedibus, proiicite eos in tenebras exteriores.*

MEMBRVM VI.

De libero arbitrio in comparatione ad actum.

DEINDE quæritur de libero arbitrio in comparatione ad actum.

¶ Et primo de differentia eius, inquantum est causa, ab alijs causis actuum. Secundo, vtrum sit causa contingentium actuum tantum: an etiam necessariorum. Tertio, quorum sit: vtrum sit liberum respectu interiorum & exteriorum actuum, an tantum interiorum. Quarto, quorum actuum propriè & principaliter dicatur. Quinto, concluditur Tractatus de libero arbitrio illa quæstione, Vtrum sit potentia, secundum quam attendatur meritum, vel demeritum.

ARTICVLVS I.

In quo differat liberum arbitrium vt causa à cæteris causis actuum, scil. Diuina prouidentia, Necessitate, Natura, Casu, & Fortuna.

Damas. AD primum sic Iohannes Damas. *Plura ponuntur genera causarum. Est enim prouidentia diuina causa, natura similiter dicitur causa, necessitas siue finis ponitur vna causa, euentus & casus similiter ponuntur causæ, quomodo ergo differt liberum arb. in homine, si est causa actuum ab his generibus causarum?* ¶ Et videtur, quod non differant. Omnes enim actus, qui causantur, aut semper contingunt, aut frequenter, aut rarò. Sed eorum, quæ semper contingunt, causa dicitur necessitas, eorum verò, quæ frequenter natura, vt generationis, augmentationis, & consimilium in plantis, & animalibus: eorum verò, quæ rarò, causa dicitur euentus, vel casus: Deus verò omnium est causa: nec sunt plures differentiæ actuum, ergo non differt liberum arb. in quantum est causa, respectu aliarum causarum: aut ergo non est causa, aut eadem cum aliqua prædictarum.

¶ Contra, actus in homine possunt esse iusti, vel iniusti: Deo autem non est fas ascribere actus iniustos: nec alicui aliarum causarum: ergo aliqui sunt actus præter istos quorum potest esse liberum arbitrium principium. ¶ Item si homo non esset principium aliquorum actuum per liberum arb. superfluè consiliaretur. Omne enim consilium fit actuum gratia, quæ per nos fiunt. Restat ergo, quod homo est causa aliquorum actuum per liberum arb. Hoc enim optimum, & potissimum dicitur in natura hominis.

RESOLVTIO.

Diuinæ prouidentiæ vniuersa subduntur: Necessitati, quæ semper eueniunt. Naturæ quæ frequenter, Casui quæ rarò. Libero arbitrio quæ ad vtrumlibet, quæque in nobis sunt, & per se causantur: Fortunæ verò etiam quæ in nobis quodammodo sunt, at non per se, sed per accidens causantur.

¶ Quod concedendum est.

¶ Ad obiectum autem respondendum, quod præter illa, quæ dicta sunt, & sunt non in nobis, sunt contingentia ad vtrumlibet, quæ sunt in nobis, & horum est homo principium per lib. arb. ¶ Sic ergo possunt distingui genera causarum. Aut enim est omnium causa, & sic est diuina prouidentia: aut non omnium, sed quorundam. Si verò quorundam, aut eorum, quæ sunt in nobis: aut quæ non sunt in nobis. Quæ verò non sunt in nobis, aut sunt semper, & eorum dicitur esse necessitas causa: aut frequenter, & sic natura in his inferioribus, aut rarò: & sic casus. Quæ verò in nobis, sic liberum arb. habent pro principio, si per se causantur, si verò per accidens, fortunam, secundum quendam modum dictum, sicut est de inuentione thesauri.

* * *

ARTICVLVS II.

An liberum arbitrium causa sit actuum contingentium tantum, vel etiam necessariorum.

AD secundum, quo quæritur, Vtrum sit causa contingentium actuum: an etiam necessariorum. ¶ Et videtur, quod tantum contingentium. Liberum arb. enim est potestas ad opposita: sed potestas ad opposita est contingentium tantum: ergo lib. arb. est contingentium tantum.

Aug. in Enchirid. ¶ Præterea, sicut dicit Aug. *Sic oportebat hominem fieri, vt bene velle posset, & male:* sed hoc est per lib. arb. ergo liberum arb. in homine fuit, quo posset homo vtroque modo agere sed quod est huiusmodi principium, est contingentium causa: ergo lib. arb. est contingentium causa. ¶ Item, *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur illi:* ergo lib. arb. est eorum, quæ ad vtrumlibet pertinent. Eccles. 15.

¶ Contra, A libero arb. exeunt actus, non tantum qui sunt in præsenti, sed etiam qui erunt in futuro: sed in futuro erunt actus necessarij: ergo liberum arbit. non tantum est eorum, sc. contingentium, sed necessariorum. ¶ Item, Ambr. *Fidei succedit visio veritatis, speciei similiter tentio ardui, charitatis autem actus erit dilectio summi boni:* sed hi actus indesinenter erunt, & non exibunt nisi à libero arb. ergo liberum arbitrium est necessariorum actuum, non tantum contingentium. ¶ Præterea, Nobilius principium est liberum arbitrium, quam natura, vel necessitas, siue fatum: sed illa dicuntur esse causa necessariorum, vt semper, vel vt frequenter: ergo multo fortius liberum arbitrium. Ambr.

RESOLVTIO.

De se non nisi contingentium actuum causa est. Si verò aliquando & necessariorum erit, aliunde habebit.

¶ Ad quod dicendum, quod liberum arbit. humanum de se est causa contingentium, quod autem in futuro erit causa necessariorum, hoc est ex superadditione determinationis, quæ est à iustitia causæ primæ retribuentis.

¶ Ad illud verò, quod obijcitur, liberum arbit. esse nobiliorem causam &c. Dicendum est, quod nobilitas causæ potest attendi, vel quia sibi sufficiens est ad motum, & hoc modo nobilius est liberum arb. quam natura in superioribus corporibus, vel inferioribus. Vel quo ad modum influentiæ actuum: vt liberum arb. influat necessarios actus, vel non necessarios, & sic potest natura esse nobilius principium.

ARTICVLVS III.

An liberum arbitrium liberum sit respectu actuum interiorum tantum, vel etiam exteriorum.

AD tertium, quo quæritur, Vtrum liberum arb. sit liberum respectu actuum interiorum, & exteriorum, aut interiorum tantum. ¶ Quod respectu interiorum, & exteriorum, videtur per id, quod dicit Dam. *Libere consiliat, libere iudicat, libere disponit, libere agit, libere impetum facit:* ergo respectu vtrorumque actuum dicitur liberum. Damas.

¶ Contra, Ab actu exteriori potest impediri: liber autem dicitur, eo quod sit dominus actuum suorum. Vnde Bern. Liberum arb. dicitur, eo quod non tantum potest in actus suos, sed super se, ergo libertas non dicitur propriè respectu actuum exteriorum, qui cogi possunt: sed respectu interiorum, qui cogi non possunt.

RESOLVTIO.

Respectu vtrorumq; s. & interiorum & exteriorum, prout tamen ab interioribus prodeunt.

¶ Respon. quod liberum arb. dicitur respectu actuum interiorum, & respectu exteriorum, vt ab interioribus procedunt, quia hoc modo non possunt impediri, sed vt exteriores sunt à virtute motiua corporali, sic possunt impediri, & hoc modo non est libertas respectu illorum actuum.



ARTICVLVS IV.

An inter actus, qui liberi arbitrij a Damasceno enumerantur, vnus proprius & principalis sit, ad quem reliqui ordinem habeant, a quo liberum arbitrium tale denominatum sit.

AD quartum, quo quæritur: respectu quorum actuum sit principaliter, & propriè lib. arb. Assignantur autem multi actus à Dam. vnde dicit, Liberè arbitrio appetit, liberè arbitrio vult, liberè arbitrio inquirit, vel scrutatur, liberè arbitrio iudicat, liberè arbitrio disponit, liberè arbitrio eligit, & liberè arbitrio impetum facit, & liberè arbitrio agit, & operatur semper in his, quæ secundum naturam sunt. Cum ergo plures sint actus, quæritur, vtrum aliquis illorum sit principalis, ad quem alij ordinentur: & quis sit ille actus. Item quæritur, si est vnus principalis actus, sc. eligere, propter quid non denominatur ab illo: sed magis à iudicio, vel sententia.

¶ Deinde quæritur de ordine actuum, qui sunt ex parte rationis, & ex parte voluntatis.

¶ Quod autem sit vnus principalis, videtur per hoc, quia vnius potentiæ particularis, aut vniuersalis est vnus actus principalis: ergo ipsius lib. arb. Ille ergo aut erit primus inter istos, cum sint ordinati: vel vltimus: vel aliquis medius. Primus non videtur: secundum enim hanc enumerationem appetere est primus actus, sed ille est voluntatis, siue virtutis appetitiuę, ergo non est propriè lib. arb. Secundum illam autem enumerationem, qua dicitur: quod primo consiliatur, deinde iudicat, quod melius est, primum est consiliari: & illud est rationis principaliter: non ergo est principalis actus lib. arb. ¶ Præterea, imperfectus actus est consiliari: principalis autem debet in perfectione consistere: ergo non est principalis. ¶ Si verò dicatur vltimus, hoc non videtur, quia vltimus ponitur, impetum facere, aut operari: sed neuter est principalis. Impetum enim facere aut operari ad virtutem obedientiæ pertinere dicuntur: nō ergo alter illorum principalis dicitur lib. arb. cum liberum arbitrium sit potentissimum, secundum Dam. ¶ Nec videtur esse actus medius, quia actus medij post primos ordinantur, & ante vltimos: & quandam habent colligantiam vtrobique.

RESOLVTIO.

Est profectò, idque [Eligere] dicitur, à quo formaliter liberum arbitrium, Liberum, dictum est, sicut à iudicio, vel arbitrio materialiter Arbitrium nuncupatum est.

¶ Ad quod dicendum, quod [eligere] est principalis horum actuum, secundum vnum modum, & hoc attenditur quantum ad illam enumerationem, vbi consiliari ponitur primum. Nam eligere est primus actus interior ex parte voluntatis: hoc enim est, duobus præiacentibus, alterum alteri præoptare: & licet sit actus voluntatis, non obstat, quod non sit lib. arb. Est enim liberi arbitrij, inquantum est inter duo: inquantum autem inclinatur in vnum: voluntatis. Secundum autem alteram enumerationem principalis actus lib. arb. est appetere, vel velle: secundum quod velle, vel appetere est actus generalis circuiens omnes alios actus: est. n. liberè appetere, vel velle super iudicare, disponere, & ita de alijs actibus, qui enumerantur, vnde quantus ad hoc principalis dicitur actus.

¶ Si verò quæratur differentia inter appetere, & velle. Potest intelligi dupliciter, vt appetere sit finis: velle verò eius quod est ad finem: vel appetere illius potentiæ, inquantum non habet: velle verò sit inclinatio ad habendum, vel vt exeat actus. Appetere enim est lib. arb. creati quantum ad hoc, quod est aliquo modo materiale, & deficiens, velle verò est eius, secundum quod conuenit cum Deo: in Deo enim est velle, sed non appetere propriè. In quo distant appetere, & velle?

¶ Deinde quæritur: si eligere est eius principaliter actus propter quid non denominatur ab illo, sed à iudicio, siue arbitrio. ¶ Ad quod dicendum est, quod cum dicitur, *liberum arbitrium* (sicut dicit Boet.) *est liberum de voluntate iudicium:* habet ergo in se, quod est rationis, & quod est voluntatis, sed quod est rationis materialiter, quod est volun- Boet.

tatis

tatis formaliter. Vnde quod substernitur dicitur arbitrium ex parte rationis: quod supponitur, dr liberum, & hoc est ex parte voluntatis. Eligere autem (prout ponit Dam.) est primus actus voluntatis: penes quem attenditur libertas. Secundum autem quod ponitur in diffinitione Aug. cum dicitur [*qua bonum eligitur*] eligere respicit tam rationem, quam voluntatem, & sic simpliciter dicitur actus principalis. Denominatur ergo, vt materialiter ab ipso iudicio, vel arbitrio: formaliter verò ab eo, vnde est liberum, quod scil. est electio.

¶ Deinde quæritur de ordine ipsorum actuum: quorũ quidam sunt ex parte rationis: & quidam ex parte voluntatis, & quare in vna enumeratione in principio & in vltimo ponitur actus voluntatis, in medio autem actus rationis: in altera verò qui sunt rationis, primo, qui sunt voluntatis cõsequenter. ¶ Præterea, in actibus rationis ab imperfecto proceditur ad perfectum: non sic autem videtur in actibus voluntatis. ¶ Ad quod dicendum est, quod in illa enumeratione, vbi primo ponũtur appetere & velle, sic fit actuum distinctio & ordo, vt illi actus, qui sunt liberi arbitrij, vt est vniuersalis potentia, cuius actus transit super actus & super res: primo ponantur. & illi sunt appetere & velle: possum enim velle, & iudicare, & disponere, & ita de alijs actibus: similiter est de appetere. Sequentes verò actus pertinẽt ad liberum arbitrium ex parte rationis. Vltimi verò ex parte voluntatis operatiuæ. ¶ In alia diuisione ponuntur act⁹ liberi arbitrij ex parte rationis primo, & deinde ex parte operatiuæ voluntatis, & ponuntur tres ex parte rationis, qui procedunt ab imperfecto ad perfectum. Primo est motus inquisitionis de faciendo, vel non faciendo, scil. consilium: secundo est iudicium de faciendo: tertio est propositum faciendi, quod dicitur dispositio, vel potest dici arbitrium. Ex parte verò voluntatis primo est electio, & ille est simpliciter motus interior: deinde progressus ad motum exteriorem, & dicitur impetus: deinde motus exterior, & dicitur vsus.

MEMBRVM VII.

An lib. arb. sit potentia, secundum quam attendatur meritum, vel demeritum.

Sequitur vltima quæstio pro conclusione Tract. de lib. arb. Vtrum sit potentia, secundum quam attendatur, meritum, vel demeritum. ¶ Quod videtur, *Qui sanctificat se*. Gl. *Non aufert liberum arbitrium*. Ergo est id, in quo est meritum. ¶ Item, in lib. de Hebdomad. *motiua boni est in libero arbitrio.* ¶ Item Bern. *Totum & solum opus liberi arbitrij est eius meritum, quod consentit.* Vnde in consentire meritum, in non consentire demeritum, ergo liberum arbitrium est, in quo est meritum, vel demeritum. ¶ Sed quod debeat esse in voluntate videtur: Bern. *Sensus iste est, penes voluntatem residet ratio meriti, vel demeriti.* Et hæc est ratio: nihil est tam in potestate nostra, sicut voluntas: ergo voluntas est illud, in quo primo attenditur ordo ad Deum. Vltimum .n. in Trinitate est summa voluntas patris & filij: primum autem in nobis est voluntas creata. Vnde secundum voluntatem debet attendi meritũ, vel demeritum. ¶ Præterea, dicit Bern. *Sola voluntas, quoniam pro ingenua sui libertate, aut dissentire, aut consentire, nulla vi, nulla cogitur necessitate, non immerito capax est iustitia, vel iniustitia.* Ergo est vis, penes quam attenditur meritum. ¶ Quod autem illa vis sit ratio, videtur per hoc, quod phrenetici & pueri non possunt mereri, licet voluntatem habeant: quia nõ habent vsum rationis: ergo penes rationem residet vis merendi.

¶ Præterea, in illa distinguitur imago Dei, mens .n. habet imaginem in potentia cognoscendi.

1. Ioan. 14. Glossa.
Boet. in libello, qui nunc inscribitur de Vnitate, & Vno, vel Anomoe, quod est, bonum sit.
Bern. in lib. de virtutib.
Idem.

RESOLVTIO.

Vtique, sed vna cum ratione & voluntate.

¶ Ad quod dicendum est, quod illud, penes quod attenditur meritum, siue quod est capax meriti, attenditur secundum liberum arb. rationem, & voluntatem. Meritum enim est, cum conformatur in actu gratuito ipsa anima rationalis, quæ est ad imaginem, ex parte motiuæ imagini increatæ. Vnde conformitas liberi arbitrij est ex parte posse: rationis ex parte iudicare, vel arbitrari: voluntatis ex parte velle, siue eligere: tollatur enim aliquod istorum, non iam dicitur capacitas meriti. Nam si non esset potestas ex necessitate determinata,* non esset meritum. Si iterum sine iudicio ageret, vel appeteret, non esset meritum, tunc enim non habentia vsum rationis, quæ agunt secundum impetum, mererentur. Si iterum esset iudicium, & non esset voluntas in id, non esset meritum. Restat ergo, quod penes hæc tria attenditur meritum, vt sic trinitas creata trinitati increatæ in actu conformetur.

*Alias vnde esset meritum

QVÆSTIO LXXIII.

De synteresi.

In quattuor Membra diuisa.

Consequenter dicendum est de Synteresi: & ration. eius de Conscientia. ¶ Circa autem synteresim primo quæritur, vtrum sit potentia, vel habitus. Secundo, si sit ratio, vel voluntas, vel differens ab his. Tertio, vtrum secundum eam contingat peccare. Quartò, vtrum contingat eam extingui, vel non extingui.

D. Th. 1. p. q. 79. a. 12. Bonau. 2. d. 39. a. 2. Scot. ibid. q. 1.

MEMBRVM I.

An synteresis potentia, vel habitus sit?

Ad primum, quod sit potentia, accipi potest ex eo, qđ dicit Greg. *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Dicunt plerique iuxta Platonem rationabilem, & irascibilem, & concupiscibilem, quartam ponentes super has, q̃ Græci vocant synteresim. Cum ergo aliæ tres sint potentiæ, potentia autem potentijs condiuidatur, erit synteresis potentia. ¶ Item, synteresis, & sensualitas sunt oppositæ quantum ad inclinationem, quia sicut sensualitas inclinat rationem ad bona transitoria: ita synteresis inclinat ad bona spiritualia, & æterna, sed sensualitas est vis motiua ex parte inferiori: erit ergo synteresis motiua à parte superiori: ergo est potentia. ¶ Item, *Custodite spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ nolite despicere.* Glos. *Per vxorem adolescentiæ intelligit legem naturalem scriptam in corde*, spiritus verò dr̃ non animalis pars, quæ non percipit, quæ Dei sunt, sed rationalis spiritus, quæ interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Est ergo rationalis spiritus, de quo loquitur, potentia quædam in nobis, quæ inclinatur in Deum, cui coniungitur synteresis, quæ semp stimulat ad bonum: ergo est potentia.

Greg. sup. illud Ezech. 1. Idem Hieron. in Glos. Tom. 5.

Malach. 2 Glossa.

¶ Contra, videtur, quod sit habitus, proæresis enim & synteresis opponi videntur, quemadmodum voluntas naturalis, & deliberatiua. Sed proæresis est habitus, quo informatur voluntas deliberatiua, ergo synteresis ex opposito erit habitus, quo informatur voluntas naturalis. ¶ Item, synteresis, & fomes peccati trahit ad malum ex parte carnis: ita synteresis trahit ad bonum ex parte spũs, & à malo, sed fomes est incentiuum quoddam ad malum præter substantiam ipsius animæ, & quasi accidens illi: ergo synteresis erit quoddam incentiuum ad bonum præter substantiam animæ: & ita non erit potentia, sed habitus. ¶ Item, synteresis videtur esse lumen, quo potentia illuminatur ad bonum: sicut habetur in primo Lib. de Baptismo paruulorum. Si rationem ipsam, quæ adhuc velut quieta & quasi sopita, tamen insita & quodammodo inseminata in paruulis latet, illuminationem voluerit appellare, tanquam interioris oculi creationem, non resistendum est, tunc eam fieri, cum anima creatur, & non absurde hoc intelligi, cum homo venit in mundum. Sed hoc lumen quid aliud est, quam synteresis? cum synteresis dicatur scintilla conscientiæ: ergo synteresis est lumen, quo potentia rationalis illuminatur: ergo non ẽ potentia, sed habitus. ¶ Item, circa cognoscenda ponebatur à philosophis lumen intellectus, quod vocabant intellectum agentem, pari ratione, vel multo ampliori erit lumen in parte motiua ad operanda, & illud erit synteresis: Est ergo synteresis lumen, quo illuminatur potentia motiua. ¶ Præterea, Aug. ponit lumen rerum cognoscendarum, & bonum agendarum æternum: sed huic æterno respondet aliquod lumen intra creatum, ergo &c.

Aug. in lib. de baptismo paruulorum.

* * *

RESOLVTIO.

Nec potentia, nec habitus simpliciter, sed potentia habitualis.

¶ Ad quod dicendum, quod synteresis nec tantum sonat in potentiam, nec tantum in habitum, sed in potentiã habitualem: vt notetur habitus naturalis, non acquisitus, & ratione potentiæ potest opponi alijs potentijs, ratione vero habitus alijs habitibus, vel inclinationibus. Vnde eo modo quo est potentia, diuidetur in ratione contra alias potentias. ¶ Et per hoc soluetur illud, quod obiectum est, secundum enim quod per aquilam significatur, diuidetur contra rationabilitatem, prout est potentia deliberatiua, sic etiam intelliguntur aliæ rationes obiectæ ex illa parte. ¶ Illæ verò rationes, quæ obijciuntur ex alia parte, ad habitum naturalem referuntur. ¶ Quod autem esse dicitur lumen, hoc intelligitur de lumine innato, per quod cognitio rerum faciendarum, quæ pertinent ad adeptionem gloriæ, & vitationem pœnæ, lumen intelligitur, & hæc etiam cognitio habitus naturalis dicitur. Vnde ratio in lib. de Baptismo paruulorum, quæ lumen dicitur, habitus huiusmodi non intelligitur, & forte illud est, quod Philosophus rectam dixit rationem.

MEMBRVM II.

An synteresis sit ratio, vel voluntas, vel alia potentia ab his differens.

AD secundum, quo quæritur: si est ratio, vel voluntas, vel differens potentia ab his. ¶ Quod autem sit differens, videtur per hoc, quod dicit Greg. in Glos. sup. Ezech. dicit enim hanc esse quartam, non se tribus miscentem, sed errata corrigentem, sed vna illarum est ratio: ergo synteresis non est ratio. ¶ Præterea, ratio (sicut dicit Aug.) diuiditur in duo, quorum vnum aptatur viro, alterum mulieri: sed in vtraque parte rationis contingit esse peccatum: ergo in vtraque parte potest esse rectitudo, & non rectitudo: sed ipsa synteresis, quantum est de se, remurmurat peccato: ergo differens est synteresis ab vtraque: ergo synteresis non est ratio.

Greg. in Glosa.

Aug. de Trin. Lib. 12. cap. 10.

¶ Contra videtur, quod sit ratio per hoc, quod dr̃ super illud. *Quasi solus, vt nunciarem tibi.* Greg. *Vnus, i. rationis discretio ad animum redit, quæ amissa nunciat, vt quod præoccupata mẽs perdidit, afflicta recipiat:* sed vnus iste quis est, nisi synteresis? ergo synteresis est ratio. ¶ Item, videtur hoc idem per hoc quod dr̃ in Lib. de Baptismo paruulorum, vbi dicitur, quod ratio insita, siue inseminata lumen animæ dicitur: & hoc lumen synteresis nominatur. ¶ Item, *abierunt, feminino relicto.* Glos. *immortalitatem exuere: sed rationis sensum abolere non possunt quin homo sapere, & Deum possit cognoscere.* Sed id, quod tolli nõ potest in parte motiua, synteresis dicitur, erit ergo synteresis sensus ille rationis. ¶ Item, 3. de Lib. arb. *Ante omne meritum boni operis non est paruum accepisse naturale iudicium, quo sapientiã proponat errori, & quietem difficultati:* sed hoc naturale iudicium est synteresis (*est enim naturale iudicatorium*, sicut dicit Basil. *Inditum nobis iudicatorium, i.* discretiuum vitandi & eligendi) erit ergo synteresis ipsa ratio, cum iudicatiuum in nobis ratio dicatur. ¶ Quod autem sit voluntas, videtur p hoc, quod duplex ponitur voluntas à Dam. naturalis, & deliberatiua. Volũtas autem naturalis est appetitiua virtus eius, quod secundum naturam est, & omnium, quæ naturæ substantialiter assunt contentiua: sed hoc est synteresis: ergo synteresis est voluntas. ¶ Item, voluntas naturalis est naturaliter appetitiua boni, & detestatiua mali, sed hæc est synteresis: ergo synteresis est voluntas naturalis.

Iob. 1. Gregor.

Aug. in lib de baptismo paruulorum

Luc 10. Glos.

Aug in lib 3 de libero arbit.

Basil.

Damasc.

RESOLVTIO.

Synteresis ratio dicitur, vel potius ad rationem pertinens, prout tamen ratio contra sensibilem vim diuiditur.

¶ Respon. ad hoc, quod ratio dicitur multipliciter. Vno modo sm̃ quod ratio diuiditur ex opposito contra sensibilem vim: & hoc modo synteresis pertinet ad rationem: & dicitur ratio. Sed ratio secundum quod sic dicitur, accipitur multipliciter: nam ratio dicitur cognitiua, & motiua. Secundum verò quod cognitiua potest dici dupliciter, vel inquantum est iudicatiua credibilium, vel operabilium, q̃ pertinent ad bonos mores: vel inquantum est iudicatiua cognoscibilium, quæ non pertinent ad mores. Et hoc vltimo modo non pertinet synteresis ad rationem: Primo autem modo accepta ratio, adhuc dicitur dupliciter: vel inquantum est naturalis: vel inquantum est deliberatiua: prout est naturalis, dicitur synteresis: sed non prout est deliberatiua. ¶ Per hæc patet solutio ad ea, quæ obijciebantur: Nam ratio, contra quã diuiditur synteresis (sicut dicit Greg.) dicitur ratio deliberatiua, & de hac concedimus, quod ipsa non est synteresis. ¶ Et per hoc patet solutio ad primum. Similiter & ad secundum. Nam cum diuidit Aug. rationem in duas portiones, s. in superiorem & inferiorem, accipit rationem, prout est deliberatiua: & hoc patet per hoc, quod dr̃ quod secundum vtramque portionem contingit peccare. Non enim ratio peccat inquantum naturalis, sed solum inquantum est deliberatiua.

¶ Ad hoc autem, quod quæritur, Vtrum sit voluntas. Dicendum, quod sicut ratio dr̃ dupliciter: similiter & voluntas, s. naturalis, & deliberatiua. Synteresis autem est eadem cum voluntate naturali: sed non est idem, quod voluntas deliberatiua. Voluntas tamen naturalis communior est, quam synteresis: nam voluntas naturalis se extendit ad ea, quæ sunt meriti vel præmij, & ad ea, quæ non sunt meriti vel præmij: synteresis autem coarctatur solum circa ea, quç sunt meriti, vel præmij.

MEMBRVM IV.

An secundum synteresin peccare sit?

AD tertium, quo quæritur de synteresi, vtrum secundũ eam sit peccare. ¶ Quod sic, videtur: quia idem est synteresis, quod conscientia. Vnde Greg. super Ezech. Hanc conscientiam, cum impius in profundum peccatorum venerit, videmus præcipitari (& loquitur de synteresi) sed secundum conscientiam est peccare: ergo & secundum synteresim. ¶ Item, anima tota punitur: & pœna æterna non debetur nisi peccato: ergo cum vermis conscientiæ sit pęna: ergo in ea est peccatum, & ita in synteresi. ¶ Item, conscientia dr̃ erronea: hoc autem non esset, nisi erraret synteresis: ergo synteresis errat: ergo sm̃ eam contingit peccare. ¶ Item, contraria nata sunt fieri in eadem vi: sed virtus & vitium sunt contraria: ergo sunt nata in eadem vi esse, sed virtus, quæ est donum sapientiæ, est nata esse in eadem vi animæ, & ita in synteresi: ergo est peccatum in ea.

¶ Contra. Remurmurare peccato, & consentire sunt opposita, ergo cum vnum per se sit ipsius synteresis, s. remurmurare peccato: reliquum s. consentire peccato, non erit eius. ¶ Item synteresis: & fomes se habent per modum oppositionis: quia contrarias habent inclinationes: fomes semper ad malum, synteresis semper ad bonum, sed peccatum est secundum fomitem, ergo & secundum synteresim est meritum secundum se: ergo nunquam peccat. ¶ Item synteresis respicit bonum & malum secundum differentias cões (hæc enim est eius differentia ad ea, quæ sunt potentiæ deliberatiuæ) sed peccatum cum sit circa opus, est in singularibus *ex amissione bonorum, & transgressione malorum: ergo non est in synteresi peccatum.

*Alias ex omissione.

RESOLVTIO.

Si isthæc vis ad bonum continuè suadet, à malo dissuadet, quomodo secundum eam peccare continget?

¶ Respon. quod non est secundum synteresim peccare. ¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod videmus eam præcipitari &c. Responsio, quod præcipitari dr̃ duobus modis. Vno modo dr̃ præcipitari, ruere in peccatum, & cadere à statu gratiæ, & hoc modo solum liberum arb. dr̃ præcipitari. Alio verò modo dicitur præcipitari, retardari à suo effectu, siue non consequi suum effectum: & hoc modo dicitur pręcipitari. Est enim duplex effectus eius, s. illuminare ad bonũ & retrahere à malo, remurmurando contra peccatum, siue etiam stimulare ad bonum. Quantum ad primum effectũ dicitur obnubilari per peccatum: cum s. anima non consequitur effectum illuminationis: sed quantum ad secundum præcipitari dicitur: cum anima per eam non retrahitur à malo.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet tota anima puniatur, non tamen secundum quamcunque partem punit, peccat

Dicitur.n.puniri anima non solum ratione eius, quod principaliter peccat, s. voluntatis, vel lib.arb. sed ratione eius ꝙ ordinatur ad illud. Licet ergo anima puniatur ex parte synteresis: quia non potest consequi actum eius: non tamen in synteresi est peccatum.

¶ Ad tertium dicendum, quod conscientia habet respectum ad id, quod supra est, & ex illa parte non dicitur erronea: habet etiam respectum ad illud, quod inferius est, siue quod accipit ab inferiori: & ex illa parte dr̃ erronea: sed tamen non pertinet ad synteresim. ¶ Vtrum autem conscientia sit idem, quod synteresis tractabitur postea in Quæstione de Conscientia.

Quæst. immediate seq. ¶ Ad quartum dicendum, ꝙ donum sapientiæ, & alij habitus gratuiti, non sunt in synteresi: sed in suprema parte rationis, inquantum est deliberatiua: illa autem non est eadem cum synteresi, sicut dictum est.

¶ Ad illud, quod obijcitur pro alia parte. Dicendum, ꝙ cum dicitur quod peccatum est secundum fomitem: hoc potest intelligi dupliciter, sc. formaliter, vt in ea sit peccatũ sicut in subiecto: & hoc modo non est peccatum secundum fomitem: nec meritum secundum synteresim. Vel potest intelligi causaliter, vt sc. fomes sit causa peccati, siue inclinans ad peccatum: & hoc modo dr̃ esse peccatum secundum fomitem, & meritum sm̃ synteresim, sed non ideo est peccatũ secundum synteresim: quia neuter illorum modorum potest dici peccatum secundum eam.

MEMBRVM IV.

An synteresis extingui possit?

AD quartum, quo quæritur, Vtrum synteresis possit extingui. Quod autem ita sit, videtur in Hæresiarchis, quibus conscientia dictat subire martyrium pro fide sua defendenda: Sed hic est error peccati: ergo non remurmurat in

Glos. sup. Ezech. eis synteresis contra peccatum. ¶ Item in Glos. super Ezech. *Hanc conscientiam, cum impius in profundum peccatorum venerit, videmus locum suum amittere.* Sed quid est locum suum amittere nisi non semper esse contra peccatum? cum ergo omnino in damnatis irrecuperabiliter sit præcipitata, in eis erit ex-

Ierem. 2. Glossa. tincta. ¶ Item, Ierem. 2. *Filij Mempheos & Caphneos constuprauerunt te vsque ad verticem.* Glos. *Malignus spiritus de membris inferioribus vsque ad verticem pertingit, quando castam celsitudinem mentis dipidentia morbus corrumpit:* Sed celsitudo mentis dicitur syn-

Psal. 13. Glossa. teresis: ergo &c. ¶ Item, super illud, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt &c.* Glos. *omni vi rationis priuati:* sed quædam vis animæ est synteresis: ergo &c. ¶ Item, synteresis, & fomes se habent per modum oppositionis propter diuersas inclinationes: sed ex toto potest fomes extingui per gratiæ amplitudinem, vt in Beata Virgine: ergo per cumulum malitiæ synteresis poterit in aliquo reproborum extingui, vt in Antichristo.

Esaiæ vlt. Sap. 5. ¶ Contra, hoc est, quod dicitur, *Vermis eorum non morietur:* vermis autem ille est remorsus conscientiæ: ergo non extinguitur synteresis in damnatis. ¶ Item dicitur, *Dicent,*

Luc. 6. *intra se pœnitentiam agentes, quid profuit nobis iact. antia.* ¶ Item, hoc videtur per illud, quod dicitur Luc. 16. vbi petijt diues, vt mitteretur Lazarus, vt in extremo digiti tactus refrigerium sentiret, & nunciaret quinque fratribus, ne venirent in hunc locum tormentorum. Glos. Reproborum mentem pœna sua erudit quandoq; inutiliter ad dilectionem, vt etiam suos spiritualiter diligant: qui hic, dum peccata diligerent, nec

Bern. in lib. de lib. arb. se amabant. Petijt ergo sibi bonum & alijs: ergo non videtur in damnatis synteresis extincta. ¶ Item, Bern. *Quomodo non est ibi aliquid sapere, vbi mala, quæ tolerantur, cogunt pœnitere malorum quæ facta sunt? Nunquid autem in tormentis non est pœnitere? aut pœnitere mali non est sapere, ergo in damnatis est etiam aliquis actus synteresis.* ¶ Item, Hieron. *scintilla conscientiæ in Caim non extinguitur,* sicut habetur super Ezech.

RESOLVTIO.

Nequaquam ex toto.

¶ Ad quod dicendum, quod non ex toto extinguitur synteresis, etiam in damnatis: remanet enim aliquis actus. Notandum, quod sunt quidam effectus syntereseos quantum ad instinctum boni, & displicentiam mali. Et hoc du-

pliciter: vel in collatione ad pœnam, vel præter. Dicendum ergo, quod quantum ad instinctum boni, & displicentiam mali culpæ absolute extincta est synteresis in diabolo, & in damnatis. Secundum verò certum modum non est extincta & hoc remanet ad pœnam. Quod patet per alteram partem. Glos. Luc. 16. *Seruatur diuiti ad pœnam & cognitio pauperis, quem despexit, & memoria fratrum, quos reliquit: vt de visa gloria de* Glos. sup. Luc. 16. *specti, & de pœna inutiliter amatorum amplius torqueatur. Et de hac dicitur in fine Isa. Vermis eorum non morietur.* Habent ergo displicentiam mali in collatione ad pœnam: quod patet ex petitione illius diuitis: petijt enim vt hoc nunciaretur fratribus, ne in hunc locum veniant tormentorum: hoc est ne digna faciant pœnis æternis: & hoc est opus syntereseos, cui displicet malum in collatione ad pœnam.

¶ Ad primo obiectum dicendum, quod conscientia, siue synteresis dr̃ amittere locum suum, quia retardatur à suo effectu: siue non consequitur effectum, qui est retrahere à malo, vel trahere ad bonum, non quia non habeat aliquem actum.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de Hæresiarchis. Dicendum, quod non omnino in ipsis extinguitur: sed propter deprauationem liberi arbitrij non sentitur actus eius. In inferno autem magis sentietur, quia erit eis in pœna: eo quod non poterit consequi effectum suum, qui est retrahere à malo, vel trahere ad bonum: & habebit ibi remorsum conscientiæ sibi manifestum.

¶ Ad tertium dicendum, quod celsitudo mentis non dicitur synteresis: sed fides, quæ est in superiori parte rationis. Vnde anima dr̃ corrumpi vsque ad verticem, quando integritas fidei in ea corrumpitur.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod erunt omni vi rationis priuati, sicut in Glos. super illud Psal. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt &c.* Dicendum, quod ratio dr̃ ibi vis animæ deliberatiua: vnde non supponit pro synteresi.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non est simile de fomite, & synteresi. Nam synteresis naturaliter est in homine, & potentia naturalis: illud autem, quod naturæ est, non potest ex toto amitti per peccatum: sed fomes accidentaliter est in anima: vnde potest extingui per gratiæ excellentiam.

¶ Ad illud, quod obijcitur de Chain. Dicendum est, ꝙ aliter est in viatore, & aliter in damnato. Nam in viatore stimulat ad bonum: & potest, dum est viator, habere effectum in illo: & similiter de retrahendo à malo: sed in damnato nullum huiusmodi elicere effectum: & ideo quo ad hos effectus dicitur extingui in damnato: non autem in viatore. Licet enim Chain desperaret ex libero arbitrio, tamen potuit, dum erat viator, non desperare: & ita aliquem vsum potuit elicere synteresis.

QVÆSTIO LXXIV.

De conscientia.

In sex Membra diuisa.

D. Th. 1 p. q. 79. ar. 13. S. Bon. in 2. dist. 39. art 1 Sc. ibi. q. 2.

CONSEQVENTER quærendum est de conscientia. Primo an sit potentia, vel habitus. Secundo, si sit habitus, vtrum naturalis, vel acquisitus. Tertio, si sit habitus naturalis, vtrum sit cognitiuus, vel motiuus. Quarto, vtrum sit semper in actu. Quinto, vtrum sit idem, quod lex naturalis. Sexto, vtrum sit idem, quod synteresis.

MEMBRVM I.

An conscientia, potentia, vel habitus sit.

QVANTVM ad primum, quod non sit potentia, videtur sic, quia conscientia dicitur erronea, & recta, tranquilla & perturbata: sed ista nulli potentiæ conueniunt: ergo conscientia non est potentia. ¶ Item, conscientia est scientia, qua aliquis sibi conscius est, sed scientia non est potentia, sed habitus: ergo conscientia est habitus. ¶ Quod autem non sit, videtur, quia non conscientia in damnatis est pœna sed nullus habitus est eis pœna: ergo conscientia non est habitus.

¶ Item, conscientia dicitur aliquando munda, aliquando immun-

immunda: sed nullus habitus immundus aliquando potest esse mundus, nec econuerso: ergo conscientia non est habitus. ¶ ITEM, videtur, quod nec sit potentia: nec habitus: dicit enim Damas. quod conscientia est lex nostri intellectus: sed lex non dicitur potentia, vel habitus: ergo nec conscientia.

RESOLVTIO.

Diuersa consideratione & habitus, & potentia dici potest.

¶ AD quod dicendum, quod conscientia tripliciter accipitur. Aliquando .n. accipitur pro eo quod conscius: & sic conscientia nec est potentia, nec habitus: sicut nec scibile in anima proprie dicitur potentia, vel habitus: & sic accipitur à Ioan. Dam. cum dicitur conscientia lex nostri intellectus. Aliquando vero accipit pro eo, quo conscij sumus: & sic dicitur habitus, quo sc. conscimus: & sic procedebat secunda obiectio, quæ dicebat, quod conscientia est scientia. Tertio modo accipitur conscientia pro ipsa potentia habente, vel recipiente illud, quod conscimus: secundum quod dicitur, quod lex mentis nostræ scripta est in conscientia: & sic dicitur conscientia naturalis potentia animæ.

¶ AD hoc quod obijcitur, quod conscientia dicitur esse erronea vel tranquilla, munda, vel immunda, quod non conuenit naturali potentiæ. Dd.m, q. conscientia accipitur ibi pro habitu acquisito, qui sc. relinquitur in anima ex eo quod conscitur: vnde concedo, quod secundum hunc modum non dicitur potentia primo & principaliter.

¶ QVOD autem obijcitur, quod conscientia in damnatis est pœna. Dicendum, quod conscientia accipitur ibi pro afflictione consequente, non pro habitu, vel pro potentia. Cum autem dicitur, quod conscientia dicitur esse munda vel immunda, accipitur pro potentia, quæ dicitur aliquando munda, adueniente gratia, aliquando immunda, adueniente culpa. Et sic patet solutio ad omnia obiecta per distinctionem conscientiæ supradictam.

MEMBRVM II.

An conscientia habitus naturalis, vel acquisitus sit.

AD secundum, quod quæritur, Vtrum conscientia sit habitus naturalis, vel acquisitus: Et videtur, quod sit habitus acquisitus: quia conscientia aliquando est munda, aliquando immunda: sed hæ differentiæ contrariæ non insunt ei à natura, sed potius ab acquisitione: quia quod naturaliter ei inest, semper inest, & à principio: conscientia autem non semper est sub huiusmodi differentijs: ergo non videtur esse habitus naturalis, sed potius acquisitus. ¶ ITEM, non potest quis habere conscientiam alicuius rei, qui prius non habuit, sicut patet de Iudæis, qui ante dationem legis non habebant conscientiam de immundis: sed post dationem habebant, vel habere debuerunt: conscientia ergo incipit esse de aliquibus, de quibus non fuit, sed habitus naturalis semper est de his, de quibus est, ergo vt prius.

¶ CONTRA, Ioan. Dam. dicit: conscientiam esse legem nostri intellectus, prout legi mentis repugnat lex carnis: sed lex carnis est in homine, quam cito homo incipit esse: Quam cito enim anima coniungitur carni, habet homo legem carnis: vnde quia ex coniunctione ad carnem habet homo legem carnis, ideo eam habet, quam cito incipit esse. Cum ergo lex mentis insit animæ à sua creatione, patet, q. multo fortius debet habere homo legem mentis, quam cito incipit esse: ergo & conscientiam: cum hæc dicatur illa: sed quod inest homini à principio, & est habitus, est habitus naturalis: ergo conscientia est habitus naturalis. ¶ ITEM,

Rom 2. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex.* Glos. Etsi gentiles non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem, qua quisque intelligit, & conscius est, quid sit bonum, & quid malum, sed huiusmodi lex naturalis habitus est naturalis: ergo & ipsa conscientia: quia ea conscius est, quid sit bonum, & quid sit malum.

RESOLVTIO.

Adhuc & diuersa ratione tum naturalis, tum acquisitus habitus dici potest.

¶ RESPON. sicut scientia accipitur secundum actum, & sm̃ habitum. Secundum actum, quando aliquis habet scientiam actualiter alicuius scibilis, & actualiter conuertitur super illud. Sm̃ habitum, quando etsi habeat scientiam alicuius scibilis, non tamen conuertitur actualiter super illud. Similiter & conscientia, quæ in se scientiam includit, põt accipi sm̃ actum, & sm̃ habitum. Vnde conscientia est talis habitus, à quo potest elici actus, qui nõ prius fuit elicitus: nihilominus tñ habet semper aliquem actum sm̃ habitum, etsi nõ secundum actum, vt post videbitur. Prout ergo accipitur secundum habitum, bene concedimus, q. est habitus naturalis: sed prout sm̃ actum acquisitus. * Vñ bene cõcedimus, q. huiusmodi drĩæ, mundum, & immundum, & sic de alijs drĩjs non sunt differentiæ conscientiæ, pnt est habitus naturalis: sed prout dicit acceptionem iuxta * habitum naturalem: & hoc prout se tenet ex parte rationis. Et iterum conscientia de se dicit duo, s. scientiam: & sic potest dicere habitum naturalem vel potest dicere * associationem rationeeius, quod dicit [cum] & sic recipit errorem, & potest dicere habitum acquisitum. Art. 4. immediate sequenti. *Alias, acquisitum. *Alias, iuxta huiusmodi * habitum. *Alias, acceptionẽ.

MEMBRVM III.

An conscientia sit habitus cognitiuus, vel motiuus?

AD tertium, quo quæritur, Vtrum sit habitus cognitiuus, vel motiuus? Et videtur quod motiuus per hoc, quod dicit Dam. quod conscientia est lex nostri intellectus: sed immissio pernitiosi, hoc est lex peccati superueniens membris carnis, per eam se nobis immittit. Et subditur, Conscientia congratulatur legi Dei, s. mandato: lex autem peccati, s. immissio per legem, quæ est in membris, s. p corporis surrectionem, & motum, & irrationalem partem animæ repugnat legi intellectus nostri. Ex quo apparet, quod Dam. dicit conscientiam esse legẽ mentis, prout ei opponit lex carnis, sed lex carnis motiua ẽ, & semp inclinat ad malũ: ergo per oppositum conscientia, quæ est lex mentis, in bonum: & ita conscientia, cum sit habitus, erit habitus mentis. ¶ AD idem, Delectabile, & pœnale attenduntur penes voluntatem. (Vnde delectabile dr̃, quod est consonum voluntati: pœnale, quod non est consonum) sed delectabile & pœnale attenduntur circa conscientiam. (Vnde super illud 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Glos. sup. 2. ad Cor. 1 Glos. *Sicut impijs est magna pœna conscientia: ita pijs gaudium est.*) Ergo conscientia est ex parte voluntatis: & cum sit habitus erit habitus motiuus.

¶ CONTRA, consc̃entia ponit scientiam: sed scientia determinat habitum cognitiuum: ergo & conscientia. ¶ Hoc idem arguitur per simile: quia cum dicitur, iste homo est conscius secretorum huius hominis, sensus est, quod ille nouit secreta illius. Vnde conscius dicitur propter aliquam communem notitiam: & ita conscius ponit cognitionem: ergo & conscientia: ergo est habitus cognitiuus. ¶ ITEM, *Nihil mihi conscius sum*: non est sensus, non moueor ad peccatum, sed potius non cognosco me esse in peccato. Vnde 1. Cor. 4. Glos. ibid. *In nullo me remordet conscientia mea*: Quare conscientia non erit habitus motiuus, sed potius cognitiuus. Glos. ibid. ¶ ITEM, corrigere, consiliari, & huiusmodi ad cognitionem ptinent: corrigere enim magistri est, consiliari sapientis: sed ista ad cognitionem pertinent. (Vnde in Glos. sup. 1. Ezech. Glos. sup. Ezech. 1. Ecclesi. 7. vbi loquitur de conscientia, dicitur, quod putant ipsam erratâ corrigentem: & ita ad cognitionem pertinet. ¶ ITEM, *Scit conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs*: & ita conscientia est scire, & ita vt prius.

¶ HOC idem arguitur ex hoc, quod dicitur in Glos. Qua iudice nemo absoluitur nocens. Ex quo apparet, quod iudicare ad conscientiam pertinet: sed iudicare cognoscentis est & ita vt prius.

RESOLVTIO.

Nec pure motiuus, nec pure cognitiuus: sed cognitiuus & motiuus simul, id est ad motum inclinatiuus.

¶ RESPON. Est habitus pure cognitiuus, sicut habitus huius principij. Omne totum est maius sua parte. Et est habitus pure motiuus: sicut est habitus virtutis. Et est habitus, qui non solum est cognitiuus, sed etiam inclinatiuus in motum: sicut in prosecutione boni, aut fuga mali, & talis habitus est conscientia. Vnde non debemus ponere conscientiam sub vno habitu tantum: sed sub duobus, secundum quod dicit Philosophus, quod peccant, qui ponunt sub vno genere ea, quæ sunt sub diuersis: sicut est de conscientia:

Quia

Quia ratione cognitionis ordinatur sub habitu cognitiuo: ratione eius, quod ordinat ad prosecutionem boni, & fugam mali, ordinatur sub habitu motiuo: & prout est habitus naturalis non dicitur mala, cum est de malo: vel bona, cum est de bono. Tamen prout dicimus acceptionem quandam rationis, recipit aliquo modo istas dñas, rectum, erroneum, & alias hmõi: secundum quod dictum fuit superius: sm̃ quod intellectus semper est rectus: ratio autem recta, & non recta. Sic conscientia prout est habitus naturalis, semper est recta, prout verò dicit acceptionem quandam rationis, potest dici quandoque recta, quandoq; non recta.

Memb. immediate præced.

¶ Ad illud, quod primo objicitur: quod lex carnis solũ pertinet ad motiuam, & non ad cognitiuam: ergo & lex mẽtis, quæ ei opponitur. Dđm, quod non est omnino simile: quia lex mentis semper dirigit ipsam motiuam per cognitiuam: sed lex carnis sine præcedente cognitione potest mouere: & aliquando præcedente cognitione. Quemadmodum.n. fomes est pœnale inflictum ex primo peccato: similiter lex carnis, quæ ipsum dirigit, & ideo ipsa, sine præcedente cognitione, potest dirigere ipsam motiuam in malum: & ideo accidit, quod ipsam præcedat aliquando cognitio: sed essentialiter exigitur cognitio ad hoc, vt lex mentis dirigat ipsam motiuam. Vnde primo respicit, quod est intellectus: post modum mediante hoc, quod est voluntatis: & ideo etiam appellatur lex mentis ab eo, quod est meminisse, quæ sunt facienda.

¶ Ad hoc ergo, quod objicitur, quod lex mentis opponitur legi carnis. Dicimus, quod solummodo opponitur ex parte, qua est motiua in bonum, & non ex parte, qua est cognitiua. Vnde ex illo non potest concludi, quod non dicat rationem motiui: sed non solum, quod dicat rationem cognitiui, & hoc bene concedimus.

¶ Ad secundum dicimus, quod cum dr̃, conscientia ẽ pœna, aut gaudiũ, quod non dr̃ per essentiam, sed solum ex consequenti. Vñ ipse disponit ad hoc, vel ad illud, sm̃ quod diuersimode est in diuersis: quemadmodũ cognitio disponit ad motũ. Vñ qñq; accidit, quod aliquis habens conscientiam de malo, affligitur, & hñs cõscientiã de bono, delectat̃ &c.

MEMBRVM IV.

An conscientia semper in actu sit?

AD quartum, quo quæritur, Vtrum conscientia semper sit in actu suo. ¶ Quod videtur, quia ignis materialis semper est in actu suo: vnde quandiu est ignis, semper habet aliquem actum: sed conscientia dicitur esse ignis. Ezech. 28. Producam ignem de medio tui. Glos. Omnia, quæ ædificasti malæ conscientiæ, ignis absumet: (Vnde 1. Ezech. in Glo. dr̃ synteresis scintilla conscientiæ) ergo sicut ignis, ita & conscientia semper erit in actu suo. ¶ Præterea, Etsi ponderosum non semper feratur deorsum, nihilominus semper inclinatur ad hoc, vt deorsum feratur: vnde semper est sub actu suæ inclinationis naturalis. Sed inclinare liberum arb. ad fugiendum malum, & prosequendum bonum, est actus, qui inest conscientiæ à natura. (Non dico mouere liberum arb. ad hoc, aut ad illud, quia liberum arb. non potest moueri ad hoc, aut ad illud sine proprio consensu) conscientia ergo semper erit sub huiusmodi actu, & ita semper erit in suo actu.

¶ Contra, conscientia est scientia: scientia autem habitus est: habitus autem non semper est in actu: ergo conscientia non semper est in actu. ¶ Item, conscientia non efficit actum in paruulis: ergo cum conscientia sit in paruulis, eo quod naturalis est, non semper est in actu suo.

RESOLVTIO.

Semper, & si non semper appareat.

¶ Respon. quod etsi non appareat actus conscientiæ in paruulis: tamen in adultis semper apparet in suo actu. Semper enim stimulat in adultis liberum arb. ad bonum, vel ad malum: licet ipsum non ducat ad consensum: hoc.n. non est actus eius. ¶ Ad alind verò dicendum est, quod licet conscientia ponat scientiam, scientia habitum: nihilominus conscientia semper est in aliquo actu: quia quidam habitus possẽt semper esse in actu aliquo, & quidam non semper est: de primo autem genere est conscientia.

MEMBRVM V.

An conscientia idem sit, quod lex naturalis?

AD quintum, quo quæritur, Vtrum conscientia sit idem quod lex naturalis. Et videtur, quod non: lex enim naturalis non est deponibilis: sed conscientia est deponibilis (vnde habenti conscientiam erroneam dicitur, Depone conscientiam tuam) ergo lex naturalis non est idem cum conscientia. ¶ Præterea, Quorum sunt diuersæ differentiæ, ipsa sunt diuersa, sed huius, & illius sunt diuersæ differentiæ (non.n. lex recipit istas differentias, mundum, & immundum, & ita de alijs) ergo & c. ¶ Item, Iohan. Dam. *Lex Dei intellectum nostrum attrahit ad seipsam, & pungit nostram conscientiam,* & ita vt prius. Damas.

¶ Contra, *Cum enim gentes &c.* Glos. *Etsi gentiles non habeant legem scriptam, habẽt tamen legem naturalem:* qua quisque intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid sit malum: Lege ergo naturali est vnusquisq; conscius: [illegible] scia est illud, quo sibi vnusquisque conscius est, ergo [illegible] scientia est idem, quod lex naturalis. Rom. 2. Glossa.

RESOLVTIO.

Lex naturalis non idem est, quod conscientia, sed in ea includitur, vt principium in scientia principij.

¶ Respon. Dicimus, quod hæc differunt, quemadmodum aliquod principium, quod facit scire aliquam conclusionẽ, & scientia illius principij. Lex.n. naturalis scripta est in corde: vnde est etiam sicut quoddam scibile, quod dirigit potentiam intellectiuam ad motum, prout habet in se rationem cognitiui. Vnde sicut in scientia principij includitur ipsum principium: sic in conscientia lex naturalis.

¶ Ad illud, quod objicitur, quod conscientia est, qua aliquis sibi conscius est: & similiter lege naturali. Dicimus, quod diuersa habitudo notatur per hunc ablatiuum, & per illum, per hunc.n. ablatiuum [conscientia] notatur habitudo formalis: sed per hunc ablatiuum [lege naturali] dispositio materialis.

MEMBRVM VI.

An conscientia sit idem, quod synteresis?

AD sextum, quo quæritur, Vtrum conscientia sit idem, quod synteresis. Quod sic, videtur super illud, *Quatuor partes habebant.* Glos. *synteresis est scintilla conscientiæ:* Et postea subditur. *Hanc autem conscientiam cum impius in profundum peccatorum venerit, præcipitari videmus.* Ex quo videtur, quod conscientia sit idem, quod synteresis. ¶ Hoc idem patet argumentis, quæ dicuntur in eadem Glos. vult enim dicere, qđ quatuor sunt vires animæ, s. rationalis, irascibilis, & concupiscibilis: quarta, quæ supra has, & extra has: & dicitur synteresis. Et vt patet ex eadem Glo. conscientia reducitur ad aliquam istarum virium. Cum ergo non sit alia vis ab his in anima, nisi synteresis, patet, quod conscientia ad synteresim reducitur. Ezech. 1. Glossa. Συντήρησις.

¶ Contra, Prædictæ differentiæ conscientiæ non cõpetunt synteresi: ergo hæc non est illa. ¶ Et iterum synteresis est in parte motiua, conscientia verò plus est in cognitiua, licet inclinet ad motum, sicut dictum est. Memb. 1 huiusce quæst.

RESOLVTIO.

Et ad Synteresim, & ad Rationem reduci potest.

¶ Respon. quod conscientia habet duo in se. Vnum quod est sicut supremum, & quo ad hoc coniungitur ipsi synteresi, & dicit habitum naturalem. Aliud, quod est inferius: & sic coniungitur magis rationi: & sic dicit rationem acceptionis, quæ notatur in hoc, quod dicitur [con] & sic recipit errorem, & perturbationem, & huiusmodi similia. A parte.n. inferiori bene potest accidere error, tamen quod erret, hoc non est de se, plus.n. se tenet ex parte synteresis, quæ potentia habitualis dicitur, quam ratione scientiæ, quæ includitur in ipsa, ratione cuius est in ipsa rectitudo. Vnde ratione eius, quod dicit habitum, se tenet ex parte synteresis, quæ potentia habitualis dicitur, sed ratione eius, quod dicit acceptionem ex parte rationis, ex parte huius recipit prædictas differentias. Et ita patet solutio, dicendum.n. est, quod conscientia à parte superiori secundum rem reducitur ad synteresim.

QVÆSTIO LXXV.

De causis corporis humani, siue Adæ. Et primo de causa efficiente.

In tria Membra, & in duos Articulos diuisa.

D Th 1 p. q. 91 S Bo. in 2. d 17 art 2. Et Sc ibi. distin. 15. QVONIAM dictum est de substantia spirituali vnibili, cuiusmodi est anima rationalis, dicendum est de substantia corporali vnibili, cuiusmodi est corpus humanum.

¶ De quo considerandum est quantum ad duplicem statum, innocentiæ. s. & naturæ lapsæ. Quantum ad statum innocentiæ considerandum est de ipso, & conditionibus eius dupliciter, s. quo ad fieri, & quo ad esse. Quo ad fieri considerandum est de ipso quadrupliciter, secundũ genera quatuor causarum. Et primo quo ad causam efficientem. Scdo, quo ad formalem. Tertio quo ad materialem. Quarto quo ad finalem. ¶ Quo ad efficientem tria quæruntur. Primo, si corpus humanum, sc. Adæ in statu innocentiæ fuit à Deo. Secundo, si potuit esse à creatura spirituali, scil. ab angelo. Tertio, si à creatura corporali, cuiusmodi est natura aliqua inferior creata.

MEMBRVM I.

An corpus Adæ, siue (vt generaliter dicatur) humanum in statu innocentiæ à Deo fuerit.

Gen. 2. CIRCA primum sic. *Formauit Deus hominem de limo terræ:* quod intelligitur quantum ad corpus. ¶ ITEM, *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me:* & (vt patet ex Glos.) loquitur ibi Iob. in persona hominis simpliciter, scil. hominis primi. Gl. fecerunt secundum animam: totum in circuitu, secundum corpus, & post manibus dr factus, præmisso cõsilio, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* ¶ ITEM, si corporis alicuius decebat Deum esse causam, maximè decebat eum esse causam corporis primi hominis, cum in genere corporum fuerit nobilissimum, sed constat, quod aliquod corpus est conditum à Deo. s. corpus supremum: ergo &c. ¶ ITEM, Aug. in lib. 83. q. arguit, omne corpus esse à Deo, sic. *Omne bonum est à Deo: omne speciosum est bonũ, ergo omne speciosum est à Deo, sed omne corpus vt corpus sub aliqua specie continetur, ergo omne corpus est à Deo.* Ex hoc potest argui vlterius, ergo corpus Adæ est à Deo.

Iob. 10. Gen. 1. Aug in lib. 83. q. Quæst. 35.

¶ CONTRA, sicut in genere essendi extrema non coniungũtur nisi per medium: ita in genere operandi inter primam causam, & effectum vltimum debet intercidere operatio causæ mediæ: sed primum est causa prima, corpus humanum effectus vltimus: ergo inter hæc debet intercidere causa media in operando ad hoc, q sit effectus vltimus, sci. corpus humanum. Quod corpus humanum sit vltimus effectus, confirmatur theologicè. Nam corpus humanum est vltima creatura in operibus sex dierum: similiter & Philosophicè, istum ponentes ordinem, vt primo sit Deus, deinde angelus, deinde corpus cœleste, deinde elementa, quæ sunt corpora simplicia, deinde mineralia, deinde vegetabilia, deinde sensibilia, vltimo corpus humanum. ¶ ITEM, Primum est substantia immobilis & immutabilis: corpus humanum substantia mobilis & mutabilis. Inter hæc autẽ est substantia aliqua mobilis, & immutabilis, vt corpus cœleste, quod est mobile quo ad situm, immutabile quo ad formam. Est etiam alia, quæ immobilis est sed mutabilis: vt terra, quæ est immobilis quantum ad situm, & mutabilis quantum ad formam: nulla autem creatura est immobilis, & immutabilis, sed solus Deus, quod patet per Greg. Naziã. ostendentem quod hæc duo in creatura esse non possunt, vnde dicit cap. 1. *Sapientia Dei proprietates vniuscuiusque permutans, immobilẽ naturam conuertibilem fecit, mobilem vero inconuertibilem:* prouidentia quadam hæc ita dispensans, ne q diuinæ naturæ est singulare, vel proprium, i. immobilitas, & incommutabilitas, in aliqua creatura conspecta, Deum æstimare faceret creaturam. Ostendens hæc extrema, s. cœlum & terram participare has proprietates, vt cœlum sit mobile sed immutabile: terra immobilis, sed mutabilis. Sed sicut est ordo in essendo: ita debet esse in operando, siue in * creando, aliter destrueretur bonum ordinis in vniuerso. Et si sic, erit vltima substantia, s. corpus humanum à medijs, vel à media. ¶ ITEM, causa primaria creando influit super suum causatum, sed sua influentia est ex infinita potentia: ergo q est immediatè causatum ex influentia diuinæ potentię, maximę debet esse potentiæ: ergo cum corpus primi hominis maximę fuerit infirmitatis, non videtur fuisse effectus primæ potentiæ. ¶ Si dicatur, quod ex actu ipsius Adæ secuta est hæc infirmitas. Contra, Plus erat causa prima potens influere, quam aliquid aliud infirmare, vel destruere: non ergo videtur ex aliquo infirmitatem huiusmodi incurrisse, si esset effectus immediatus primæ potentiæ.

Greg. Nazian. *Alias, causando.

¶ Si adhuc diceretur, quod licet conditum fuisset corpus primi hominis à summa potentia: non tamen ex hoc sequeretur, quod esset impotens, siue infirmum. Contra. Bonitati artificis attestatur bonitas artificiati: eodem modo videtur, quod potentiæ artificis attestetur potentia artificiati. ¶ ITEM, corpus humanum in genere rerum est vltimæ compositionis: quia maximè est compositum: vnde inter creaturas maximè distat à summo simplici, pp quod videt', quod si quæ non tantum distant, creantur à causis medijs &c. ¶ ITEM, Dion. *Optimi est optima facere:* ergo cum corpus primi hominis inquantum corpus est, siue determinatum omnino in esse corporali, non fuit de numero optimorum, nec fuit productum in esse ab optimo. ¶ ITEM, (vt hr in Commento sup. Lib. de causis.) *Anima facta est causa corporũ, & facta est causata ab * intelligentia, quæ est ante ipsam,* sed magis decet diuinam prouidentiam creare animas per se, quam corpora, cuiuscunq; sint conditionis, igitur si non per se creat animas, sed creatæ sunt ab intelligentijs, vt habetur in verbo proposito, multo fortius & corpus, cuiuscunque sit conditionis, debet ab intelligentijs creari. ¶ ITEM, Corp' primi hominis productum fuit ad esse vltimum, s. beatitudinis mediante creatura: similiter & ratione fortiori videtur quod productum fuit ad esse primum aliqua creatura mediante, cum esse vltimum sit nobilius quam primum. ¶ Itẽ, prima rerũ conditio lex erat originalis naturæ succedentis: vnde Basil. *Naturæ ratio ex priori Dei mandato fortita principium, per omne transit æuum, donec ad communem terminum, finemq; perueniat.* Si ergo corpus humanum in processu naturæ originalis ab alio corpore eiusdem generis producitur in esse, mediante virtute superiori (homo. n. generat hominem, & sol) videtur, quod similiter debuit tunc in esse produci.

*Alias intelligentia. Basil. in examer. 5. in fine.

RESOLVTIO.

Ita testantur Scripturæ, ita igitur credamus: quia & ita decuit diuinam prouidentiam.

¶ AD hoc potest dici, q corpus primi hominis fuit conditum à Deo (vt ex textu Gen. patet) non ab angelo, vel alia creatura. Vnde August. *Formare, vel ædificare costam, vt mulier esset, vsque adeo non potuit nisi Deus, vt nec illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costa successit locum, ab angelo esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de puluere terræ.* Ratio autem, quare decebat diuinam prouidentiam, vt homo (etiam secundum corpus) esset à Deo, est quædam ex duabus completa. Prima est sumpta à causa exemplari, secunda à causa finali. Prima est hæc: Homo secundum corpus est imago Dei: quia sicut Deus est principium similiter omnium, sic homo secundum corpus corporum omnium sui generis fuit principium. Vnde 2. Sen. dist. 17. *Imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus extitit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis:* pximitas. n. imaginis ad illud, cuius est imago, omnem renuit mediationem in creando, sicut in mutando. Alia est hæc: *cum Deus sit alpha, & omega, principium, & finis.* (Apoc. 1.) voluit, vt homo quantum ad vtramque sui partem, à nullo alio sortiretur esse, vt se totum sciret Deo esse obnoxium, quem etiam quantum ad corpus tantum nobilitauit, vt illi soli seruiret, vt eum assequeretur quasi finem. Nec est contra hoc, quod omnes homines sunt Deo obnoxij: quia omnes in primo homine quodammodo conditi sunt. Non enim conditus fuit primus homo (etiam quantum ad corpus) solum, vt res quædam singularis, sed potius vt generale principium omnium corporum generis humani. Præterea, successiones primi hominis non sunt ea ratione imago Dei quantum ad corpus, qua ipse. Vnde tota ratio, qua conuenit, primum hominem à Deo formari, non conuenit eis.

Aug. sup. Gen. ad literam. Mag. in 2. dist. 17. Apoc. 1.

¶ Ad

¶ Ad prima duo obiecta dicendum, quod licet ordo* creandi conueniat partibus vniuersi, sicut ostendi: non tamen attendendus est ordo iste in productione principiorum originalium inesse: quorum vnum erat primus homo secundum corpus, sed potius in productione principiatorum, siue causatorum ab eisdem: imo conueniebat, vt à causa primaria, & summa immediatè producerentur in esse secundariæ, & inferiores, & ab vtrisque effectus vltimi, scilicet, qui non sunt de numero causarum. Theologi vero ponunt ipsum vltimum conditione: vnde Hugo. *Constat creationem hominis rerum omnium visibilium conditionem, posteriorem quidem tempore, sed causa priorem fuisse*: quia qui factus est post omnia, propter eum facta sunt omnia. Philosophi autem à natura eo modo, quo cōpositum est posterius simplici natura, & magis compositum minus composito: omnium n. corporum corpus hominis est compositionis maximæ: cuius ratio infra patebit.

* Alias, causandi.

Hugo.

¶ Ad tertium dicendū, quod influentia prima, à qua creaturæ exeunt in esse, non est naturalis, vel necessitatis; sed est electiua. Propter quod secundum libertatem electionis influentis, sunt quædam potentiora, quædam minus potentia. Vnde non sequitur, si maxima est potentia causæ influentis, quod propter hoc maximæ sit potentiæ ipse effectus. Prima autem causa dicitur maximæ influentiæ à Philosopho, quia quod aliæ causæ influant super causata, hoc habent à causa prima: vnde quia aliæ causæ habent potestatem influendi ab ipsa, & cum hoc in omni actione ipsa est intimè agens, ideo dicitur maximæ influentiæ.

¶ Ad illud, quod inducitur, quod bonitas artificis attestatur bonitati artificiati, &c. Dicendum, quod non est simile: esse enim boni determinatum est in sui communicatione, siue diffusione. Vnde quando aliquid est sui diffusiuum, siue communicatiuum, sicut accidit in rei creatione, hoc est, quia bonum est: & quantum ad hoc se esse bonum ostendit. Vnde etsi aliquis per potentiam aliquid alij communicat, vel per scientiam (per se loquendo) hoc vt bonus facit, non vt potens, vel sciens. Quod ergo in creatione rei est diffusio quædam à causa in causatum, & communicatio; bonitas causæ attestatur bonitati causati, non autem potentia potentiæ, vel sapientia sapientiæ: vnde benè sequitur, causa est bona; ergo effectus, per se loquendo: non autem sequitur, causa est potens, vel sapiens: ergo effectus.

¶ Ad aliud dicendum, quod est distantia multiplex causatorum à prima causa; sicut appropinquatio, siue approximatio. Est enim appropinquatio per conformitatem & quantum ad esse, & quantum ad nobilitatem siue dignitatem. Similiter est duplex distantia per difformitatem duplicem. Creaturæ spirituales, scilicet, angelus, & anima; vtroque modo maioris sunt approximationis creaturis corporalibus, & minoris distantiæ. Sed inter res corporales secundo modo propinquitatis fuit corpus primi hominis maximæ propinquitatis, & minoris distantiæ, quia maximæ est dignitatis & nobilitatis: vt pote inter omnia corpora maximè imago Dei: siue secundum illud: & quod mediante sui perfectione est Deo vniendum vnione gloriæ, & sic beatificandum. Licet ergo maximè distet à Deo ratione suæ compositionis, minimè tamē distat, & maximæ est appropinquationis ratione suæ dignitatis, vel nobilitatis.

¶ Ad aliud dicendum, quod corpus primi hominis erat optimè factum, & de optimis: imo potius optimum in genere corporum, tum ratione finis, vt pote spirituali ministerio Deo seruiturum, & consequenter beatificandum: tum quia principium omnium sui generis. Licet ergo non sit de optimis simpliciter, est tamen de optimis in genere corporum. Præterea, etsi non fuerit optimum per se: fuit tamen optimum in vniuerso: quasi quodammodo necessarium ad perfectionem vniuersi.

¶ Ad aliud dicendum, quod illud verbum, anima creata est ab intelligentia: simpliciter loquendo, falsum est; & hæresim sonat: tamen aliquo modo intellectum, habet veritatem: secundum quod [*creare*] dicitur quandoque communiter: prout dicitur productio in esse cuiuscunque siue accidentis: secundum quod dicit: Psalm. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*: scilicet, quantum ad innouationem in bonis operibus. Sic potest dici, quod animæ creantur ab angelis, quia multæ innouationes fiunt in animabus mediantibus angelis, à quibus animæ frequenter recipiunt illuminationes: Sed prout [*creare*] dicitur propriè productio rei de non ente in ens: sic est falsum. Aliter etiam potest intelligi, & habet verum intellectum secundum ponentes intelligentias esse motores orbium cœlestium: quia cum motu orbium fiunt corpora organizata: & sic disponuntur, & adaptantur ad animarum susceptionem: cum huiusmodi motus fiat ab intelligentijs secundum hanc opinionem (aliquo modo loquendo, sed valde per accidens) potest dici animas creatas esse ab intelligentijs. Licet autem sic soleat exponi verbum prædictum; sanius tamen est illud, vt simpliciter falsum negare; quam sic exponendo concedere.

Psal.103.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod corpus primi hominis productum fuit ad esse vltimum mediante creatura, &c. Dicendum, quod est esse primū, sc. naturæ: secundum, sc. gratiæ: tertium, sc. gloriæ: quorū nullius operator est creatura: cooperari tamen potest ad vnumquodque. Dicit enim August. *Solus vniuscuiusque creator est Deus: non quod nulla sit angelorum cooperatio, vt quid creetur, sed non ideo sunt creatores.* Loquitur enim Aug. de formatione mulieris ex costa viri, quā ipse dicit quandam creationem, fortè ratione multiplicationis, qua de tantilla materia fiebat corpus tantum: quæ quidem formatio fuit à Deo: tamen (vt ipse dicit) aliquod fuit ibi ministerium angelorum. Eodem modo Deus est per se operator, & dator gloriæ, & gratiæ: aliquo tamen modo angeli operantur, scilicet, illuminando, & excitando, siue disponendo.

Aug. super Gen. ad litterā. Ex c. 11. 15. & inde.

¶ Ad vltimum dicendum, quod prima rerum conditio est lex originalis naturæ succedentis in hoc, quod virtus & proprietates collatæ rebus tunc conditis, perseuerant: & hoc principaliter quantum ad tria, scilicet, quantum ad collationem virtutis, & proprietatum, quæ requiruntur ad perfectionem esse indiuidui in se: & quantum ad potestatem operandi temporibus congruis ad sui similis multiplicationē: & quantum ad incessationem operationis huiusmodi: quousque sit status multiplicationis, siue creationis rerum à diuina prouidentia determinatus. Cum enim dixit: *Germinet terra herbam virentem*: virtute huius verbi accepit terra virtutem fructificandi in se, & renouandi fructum secundum congruam temporis renouationem, & hoc ipsum incessanter faciendi, quousque status multiplicationis rerum venerit.

Gen 1.

¶ De primo Basilius: *Germinet terra, Respice quoniam ex parua voce, & præceptione breuissima tellus arida, sterilisq;, repente parturiens, & ad effectum fructificationis impulsa, velut quodam luctuoso amictu deposito: sumptisq; lætioribus indumentis, & cultu proprij decoris exultans, omnia, quæ iussu cœlesti conceperat, effundebat.* De secundo idem in fine. 5. Lib. *Germinet terra. Parua ista præceptio cogit terram, vires proprias, quantas habet; singulis annorum curriculis ad informandum genus herbarum, seminum, lignorumque producere.* Et in principio Quinti. Vox, quæ tunc emissa est; & prima illa præceptio veluti lex quædam naturæ fuit; & inhæsit terræ* creandi, fructificandiq; sibi præbens in posterum facultatem.

Basilius in Hexame. 5

Idem in eodem.

* Alias, causandi.

¶ De tertio idem Basil. in principio Noni. *Aduerte ergo, verbum Dei currens per omnem creaturam, quod olim cœpit, sed vsque nunc operatur, & properat ad finem, donec consummationem mundus accipiat.* Sicut enim pila cum ab aliquo fuerit impulsa, cum spacia diuersa receperit, ipsa sui volubili, locique procliuitate velocius incitata profertur: nec prius stare poterit, quam ad plana descendat: ita natura rerum Dei præceptione commota, nascentium morientiumque passim naturam penetrans, vniuscuiusque generis sobolem per sui similitudinem custodit æqualiter; donec ad statutum terminum valeat peruenire. Equum enim facit equo succedere, & leonem leoni, & aquilam aquilæ, & singulas animantes sequentium successione seruata, vsque ad finem omnium, exitumque perducit. Nullum n. tempus valebit proprietates animantiū commutare, sed tanquā nuper cōstituta natura, ita recens fertur cū tempore. Vnde nō

Idem.

dicitur lex naturæ seruari quo ad hoc, quod produceretur corpus ex corpore; sicut modo fit per decisionem substantiæ, sed modis prætactis: tunc enim oporteret generationem esse, vel circularem, vel infinitam à parte ante.

MEMBRVM II.

Si corpus Adæ ab angelo aliquo esse potuit.

AD secundum, quo quæritur si corpus primi hominis potuit formari à creatura spirituali, scilicet ab angelo. Et primo, si à bono angelo. Secundo, si à malo, scilicet à diabolo, vel dæmone.

ARTICVLVS I.

An corpus Adæ ab Angelis formari, vel condi potuit.

PRIMO articulo quæritur, si bonus angelus potuit formare, vel condere corpus primi hominis. Quod non, videtur sic: sicut ostendit August. *Angeli non poterant formare mulierem ex costa viri*: sed in maiori distantia, & minori dispositione est puluis siue lutum ad corpus humanum, quam os & caro humana, & difficilior transmutatio (cum in habentibus symbolum sit facilior transmutatio) ergo si angeli impotentes erãt facere corpus humanum, siue muliebre ex carne, & osse humano: multo fortius erant impotentes corpus humanum formare ex puluere, & luto. ¶ ITEM, Non est diminuta virtus siue potestas angeli post tempus conditionis primi hominis: ergo si nunc non potest angelus educere corpus humanum in esse ex seminalibus rationibus existentibus in elementis: nec tunc poterat. Quod nunc non potest, ostenditur sic. Nullius rei substantia propriè & per se educendæ in esse per naturam, potest educi in esse ministerio angelico: corpus humanum est tale: ergo &c. Probatio primæ: vt dicit August. super Genes. 9. *Insunt rebus corporeis rationes, quibus cum data fuit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus*: prorumpunt (inquam) per se operatione naturæ, quantacunque enim solicitudine operaretur angelus circa horum productionem in esse, nunquam in esse producerentur, nisi natura operante: Bene tamen operatione naturæ in esse producerentur, angelo non cooperante: sicut quantacunq; sollicitudine operaretur agricola circa productionem segetum, vel arborum; nunquam producerentur in esse, nisi operaretur natura. Vnde angelus cooperans naturæ in naturalium productione, solummodo expedit, & accelerat operationem naturæ: Nec est educens rem naturalem in actũ, vel in esse, nec potens educere: sicut nec agricola segetes, vel arbores, sed natura potius, quæ propria virtute sufficit ad horum productionem in esse tempore congruo. ¶ ITEM Si angelus potuit formare, vel condere corpus humanum; tunc fuit possibile & ponibile: Ponatur ergo: inde sic. Angelus eduxit in esse corpus Adæ: ergo angelus fuit conditor alicuius substantiæ, contra Damascen. Quicunque dicunt angelos conditores, hi omnes sunt os patris sui diaboli.

Aug. 9. super Gen. ad literã. cap. 15.

Aug. 5. super Gen.

¶ SI dicatur, quod ibi sumitur conditor pro creatore. Nec hoc impedit processum rationis: cum formatio primi hominis ex puluere fuerit creatio quædam: vt infra patebit.

¶ CONTRA eiusdem est potentiæ, & amplioris, reformare corpora mortuorũ ex puluere: & formare ex puluere: vtrobique n. videtur esse potentia passiua vel obedientia materialis tantum: primum autem fiet ministerio angelorum, sicut dicitur: ergo videtur, quod & secundum fieri possit: & ita videtur quod corpus primi hominis potuit formari de luto, vel pulueribus ministerio angelorum.

Quæst. immediate seq. memb. 1.

¶ PRÆTEREA super Gen. 9. August. *Nonnulla est in angelis potentia, vt aliquid creetur.* Ex hoc arguitur sic: cuicunque conuenit potentia, potest conuenire actus illius potẽtiæ, sed potentia creandi conuenit angelis: vt patet ex authoritate prædicta: ergo, & actus conuenire potuit, & ita nihil impedit, quin corpus Adæ potuit educi in esse ab angelo; etiamsi illa eductio esset creatio. ¶ ITEM, vt habetur ab August. super Genes. *Corpus Adæ fuit in temporibus sex dierũ seminaliter*, sc. in quatuor elementis. Si ergo angeli nouerunt proportiones elementorum, quæ requirebantur ad conditionem corporis humani, & constat quod ministerio eorum poterant coaptari, & compingi in tali proportione; relinquitur, quod poterant corpus primi hominis formare.

Aug. 9. super Gen.

Idem ibid.

RESOLVTIO.

Corpus Adæ ab angelis formari non potuit: quia nec ad id potentia eorum ordinata erat.

¶ RESPONDEO, concedendo, quod angeli non poterant per eorum ministeria educere corpus humanum: nec ad hoc erat potentia eorum ordinata: vt patet in Quæstione de Miraculo. Et hoc dicit August. super Genes. 9. Formare, vel ædificare costam, vt mulier esset: vsque adeo non potuit nisi Deus: à quo vniuersa natura subsistit: vt nec illud quidem supplementum carnis in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab angelis factum esse crediderim: sicut nec ipsum hominem de terræ puluere.

Supr. q. 42

¶ AD primum ergo dicendum, quod non est simile de formatione, & reformatione: nam in pulueribus, ex quibus erit reformatio, erit quædam aptitudo, siue appetitus ad hoc, quod simul vniãtur in corpore, & vlterius ad vnionem cum anima: cui attestatur ordinatio corporis ad necessitatem non moriendi, quæ quidem aptitudo non erat in pulueribus, vel in luto; ex quibus formabatur corpus primi hominis. PRÆTEREA, etsi ministerio angelorum (sicut dicitur, quod tamen ego non assero) fiat reparatio corporum, quæ resurgent: non tamen credo, quod illa reparatio, inquãtum erit ab angelis, sit vltimæ complexionis, siue perfectionis, sed quædam compactio, siue coadunatio partium in toto vltima completione à suo conditore reformando, de hoc habetur plenius infra, cum agetur de Resurrectione.

¶ AD aliud dicendum, quod angeli creare non possunt: possunt tamen iussu Dei, inquantum voluntati eius obediunt; de rebus subiectis tanquam materiam ministrare; vt aliquid creetur: vnde August. super Gen. 9. Cum Deus vniuersam creaturam suam bipertitam quodammodo opere prouidentiæ & in naturalibus, & in voluntarijs motibus administret; creare naturam tam nullus angelus potest, quam nec seipsum. Voluntas vero angelica obedienter Deo subdita, eiusque executa iussionem, naturalibus motibus de rebus subiectis tanquam *materiam ministrare: vt secundum illas principales in verbo Dei non causatas, vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur; more agricolandi, vel medendi potest. Et est exemplum August. de medico; qui ægro adhibet alimentum, & vulnerato medicamentum: non hoc facit de rebus, quas *creauit, sed quas causinas inuenit: de huiusmodi autem, quæ adhibet; nec vires creat, nec carnem, sed natura potius hoc agit, operatione medici adiuta.

* Alias, materiã.

*Alias, causauit.

¶ AD vltimum dicendum, quod etsi angeli sciant proportiones elementorum, quæ requiruntur ad formationẽ corporis humani, & elementaria materialia corporis humani debita formatione membrorum compingere: tamen corpus humanũ formare non possunt. Illã n. harmoniam, & dispositionem, qua aptum est susceptionem animæ rationalis; & ita tanquam propria & debita perfectione perfici; imprimere, siue inserere non possunt: quod necessario requiritur ad corpus humanum: sicut infra melius patebit.

Art. seq.

ARTICVLVS II.

An corpus Adæ à dæmonibus in esse educi potuit?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum corpus primi hominis poterat educi in esse ministerio mali angeli: hoc est: Vtrum malus angelus poterat educere illud in esse. ¶ QVOD non, patet ex rationibus, quibus ostensum est supra, quod nec angelus bonus hoc potuit.

¶ CONTRA, angelus malus tempore conditionis primi hominis non fuit minoris potentiæ, quam nunc: sed

Art. immediate præcedenti.

constat,

constat, quod tam boni angeli, quam mali assumunt corpora humana, in quibus apparent, quæ formant ex ipsis elementis: ergo videtur, quod tunc similiter potuerunt, & ex hoc videtur, quod mali angeli poterant formare corpus primi hominis. ¶ Item, August. dicit: *Non hoc oportet mirari:*
Aug. in li. 83. qq. q. 45. *quia omnia, quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris huius non absurde fieri posse creduntur.* Ex hoc videtur, quod non solum modo corpora humana, sed etiam & alia, quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris, & dæmones fieri possunt.

¶ Si diceretur, quod Aug. loquitur de operibus mirabilibus, siue miraculosis, quæ quandoque visibiliter fiunt, quod videtur per hoc, quod loquitur de factione serpentis à Magis, & Moyse. Exod. 7. Hoc non impedit processum rationis, quia si opera mirabilia, quæ visibiliter fiunt, possunt fieri per inferiores potestates aeris: multo fortius & alia, quæ subiacent naturæ. ¶ Item, cum optimè sciant naturas, & potiones rerum naturalium, siue elementorum, & semper sciuerunt; non est dubium, quin scirent à principio conditionis hominis, quantum deceat esse in semine humano de quolibet elemento: similiter, & proportioné elementorum in tali proportione cómiscere: & sic semé, quod est materia corporis humani facere. ¶ Præterea, cum scirét, qua proportione caloris, & ex quibus nutrimentis embrio calefieret, & conforueretur: constat quod sciuerunt vas aliquod parare, quod tali calore vigeret, & huiusmodi nutrimentum abundaret, & ita fœtum huiusmodi nutrire, & nutriendo ad statum conuenientem perducere: videtur quod tunc sciebant, & poterant corpus humanum in esse sine viro & muliere producere. ¶ Item, Hoc videtur per hoc, quod quia dracones erát seminaliter in rebus corporeis, mali angeli produxerunt eos in esse: similiter & boni, vt vult Aug. dicens: Si veri dracones facti sunt ex virgis magorum, non fuerunt tñ creatores draconum, nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa fiebant: insunt n. rebus corporeis, &c. & post. Nec dicútur angeli, qui faciunt ista; animalium creatores, sicut nec agricolæ segetum, vel arború, &c. Ecce plane habetur ab Augu. quod dracones fiebant à bonis angelis, & malis, & illos facere poterát, & hoc quia erant in rebus corporeis s. in seminalem rationé: similiter videtur in proposito. ¶ Item, maius est corpus organizare, qualitates elemétares ad æqualitaté perfectam deducere: ergo cum malus angelus possit illud, quod maius est; pót illud quod minus est, sed ad hoc quod corpus humanú educatur in esse, ista duo sufficiút, s. perfecta æqualitas qualitatú, & corporis humani organizatio. De primo dicit Alghasus. Cum cómixtio elementorum fuerit pulchrioris & perfectioris æqualitatis: tunc erit dispositio ad susceptionem animæ rationalis.

Quæst. incidentalis. ¶ ITERVM, quæritur incidenter: si dæmones possunt generare: & sic corpus humanum ad esse perducere, sicut opinatur de Merlino: qui (vt dicitur) genitus fuit à dæmone incubo. Quod videtur ratione prætacta: quia noscunt, quantum sit in tanto semine de quolibet elemèto, & in qua proportione, & proportiones elementorum, & tales proportiones in tali proportione sciunt cómiscere, & sic semen humanum facere, & matrici infundere, & sine viro corpus producere. Item, sciunt semen decisum à viro colligere, & in illa virtute, qua decisum est, cóseruatum in matrice apta ad prolis productionem infundere, & ita vt prius. Item,
Iob. 14. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei:* Ergo si aliqua est potestas in terra, quæ potest corpus humanum producere in esse, &c.

RESOLVTIO.

Si boni angeli corpus Adæ condere, vel producere non potuere: multo magis nec mali. Quippe qui vtrique circa naturalia agentes, vt artifices sese habent: nec nisi aut expedire, aut accelerare opus naturæ queunt.

¶ AD hoc dicédum sine præiudicio, quod nullam rem, cuius propriè natura est causa, pót angelus bonus, vel malus educere de potentia seminali in actum, vel in esse: sicut supra tactum est in opponendo. Cuius ratio est hæc, quod cum duplex sit operatio creaturæ: quædam sc. agentis à necessitate; vt illa, quæ est naturæ, & quædam agentis per electionem; vt illa, quæ est voluntaria: illa, quæ est angeli, cadit sub secunda differentia: vnde Aug. *In ipso mundo gemina*
August. 8. super Gene. *operatio diuinæ prouidentiæ reperitur: partim naturalis, partim voluntaria: naturalis quidem per occultam Dei administrationem, qua etiã lignis, & herbis dat incrementũ, voluntaria per angelorũ opera, & hominum.* Est ergo operatio angelica quantũ ad ea, quæ operatur in mundo, voluntaria: vnde & artificialis: maxime cũ operatur in mundo circa hæc inferiora, in producendo illa in esse, vel perficiendo. Vnde angelus in talibus est agens, vt artifex; & operatio eius operatio artis, & operatum ab eo artificiale. Vnde nihil, quod propriè est producendum in esse secundum decretum naturæ, potest ab angelo produci in esse, sicut nec naturale potest esse artificiale: Potest tñ angelus naturam expedire, & in productione rerum naturalium in esse, opus illius accelerare, sed illud in esse producere, non potest: sicut nec agricola segetes, vel arbores. Quod manifestè patet, quia si in huiusmodi producendis esse in multa sollicitudine angelus operaretur, cessante operatione naturæ, in nullo proficeret. Vnde Anselm. *Sicut creata*
Ansel. de óceptione Virginis. *natura nihil per se facere potest, nisi quod voluntate Dei accepit, sic voluntas creaturæ nequit quicquam per se operari, nisi quod natura adiuuat; vel concedit.* Est ergo agens vt artifex: propter quod ab Augu. comparatur medico & agricolæ, vt supra dictum est. Vnde corpus compositum ab angelo, siue bo-
Art. immediate præceden. in respond. ad arg. no, siue malo ad effigiem corporis humani, est corpus artificiale, non naturale, vnde nec corpus humanum, quod per se est corpus naturale: sicut nec corpus artificiale ad effigiem corporis humani compositum, vt statua, vel huiusmodi.

¶ PATET ergo, qualiter ad primum respondendum est, quia corpora formata & assumpta ab angelis, siue bonis, siue malis, non sunt corpora humana, sed artificialia quædam, ad humani corporis effigiem composita.

Aug. in li. 83. qq. ¶ AD illud quod dicit August. scil. *Quod omnia, quæ visibiliter fiunt, &c.* Dicendum, quod August. intendit determinare, quod dæmones facientes miracula, siue mirabilia, similia illis, quæ fiunt ab angelis bonis; faciunt illa verè, & non phantasticè. Vnde vult dicere, quod ab angelis malis fiunt miracula, similia illis, quæ fiunt ab angelis bonis: sicut fuit de serpente Mosi, & serpentibus magorũ. sicut enim verus fuit serpens, qui proiecta virga Moysi, in terra fiebat quodammodo ministerio bonorum angelorum: similiter fuerunt veri serpentes magorum, quodammodo facti ministerio malorum.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod si possent in opera mirabilia, quæ sunt supra naturam; multo fortius & in illa, quæ subsunt naturæ. Dicendum, quod non sequitur, quia quandoq; dicitur opus mirabile siue miraculosum ratione modi agendi, non ratione rei actæ, siue productæ in esse: sicut fuit de mirabilibus quibusdam factis in Ægypto: vt sc. de mutatione aquæ in sanguinem, & virgarum in colubros, & alijs huiusmodi: quæ (vt vult Aug.) naturalia erant: Determinat enim, quod insunt rebus corporeis per omnia elementa mũdi, quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas, prorũpunt in species debitas, quibus agricolæ præbent quasdam visibiles opportunitates, & causas nascendi: & quod illi faciunt visibiliter, hoc angeli faciunt inuisibiliter. Vnde quia angeli ministrant inuisibiliter, & repente productionem talium, quod ministraret natura visibiliter & successiuè: Nec est differentia, nisi in modo producendi, quia hic repente, & inuisibiliter; illic temporali protelatione & visibiliter: dicit Aug. huiusmodi opera naturalia.

¶ Verumtamen ratione modi producendi in esse, qui quidem repentinus fuit, & contra solitum cursum naturæ; qui erat ministerio angelorum, erant illa opera mirabilia. Ex quo patet, quod angelorum, ministerio quandoque euenit aliqua mirabiliter produci in esse: quæ tñ secundum ordinationé effectuũ ad suas causas naturalia sunt, & opere naturæ in esse producta. Ex quo patet, quod hoc argumentum non valet, per se loquendo: angeli possunt in opera mirabilia: ergo possunt producere in esse naturalia. Intelligendum est tamen, quod in opere prædicto, & consimilibus opus (operans) erat mirabile, (in quod solum potest an-

gelus:

Zelus; opus operatum naturale, in quod non potest. Potest enim angelus mirabiliter operari, id est, contra cursum naturæ, siue supra; vt fiant naturalia: non potest illa facere.

¶ Ad aliud dicendũ, quod supposito, quod nouerunt proportiones elementorũ, & portiones, quæ requiruntur ad seminis compositionem: & quibus nutrimentis, & qua temperantia caloris fœtus est conseruandus, & nutriendus: non tamen possunt de seminalibus rationibus educere corpus humanum in esse: quia ad hoc quod corpus humanum ex semine educatur in esse præter substantiam seminis; requiritur dispositio, siue virtus; quæ relinquatur in semine ex virtute decidentis, siue generantis: & fortè à tota specie illius, qua præparetur, & disponatur ipsum corpus ad animæ susceptionem: sicut propriè & per se perfectibile ab eadem. Quod patet per hoc, quod nõ oẽs, qui possunt decidere semen; possunt generare. Dicendum ergo, quod semen quocunq; modo fuerit habitum; nisi fuerit decisum à corpore perfecto anima rationali, in quo relicta fuerit virtus à decidente; qua corpus ex illo educendum præparetur, & disponatur ad animæ susceptionẽ, vt ad propriam sui perfectionem; non potest esse materia corporis humani.

¶ Ad aliud dicendum, quod non intendit Aug. ꝙ dracones, de quibus obiectum est; facti fuerunt, siue à bonis, siue à malis angelis: quia tunc non determinaret illa opera naturalia fuisse: sed dicit illos factos fuisse ab angelis, eo genere loquendi, quo ille dicitur facere, qui iuuat, & expedit facientem per se.

¶ Ad aliud, quod sequitur, patet ratio: quia corpus cõpositum ab angelis, cum sit artificiale; vt supra tactum est; non est corpus organizatũ: nec potest angelus huiusmodi corpus organizare: licet possit partes quasi membra quædam compingere: & illis quasi instrumentis vti, non organis. Qualiter intelligendum est illud verbum Alghas. scilicet, cum commixtio elementorum fuerit &c. infra determinabitur.

In resolutione huiusce Art.

Quæst. 77 memb. 2. art 1. in fi.

¶ Ad hoc, quod postea quæritur: si dæmones incubi possunt generare: & sic corpus humanum ad esse perducere: Dicendum, quod non possunt: quod patet ex prædictis: Potest tñ dici sine præiudicio, ꝙ si semen matrici infusum à dæmone incubo, fuerit decisum à potente generare, & validum ad hoc, vt de eo fiat corpus humanũ, & seruatum fuerit vsq; ad infusionem in virtute, in qua decisum fuit: similiter & fuerit ex parte mulieris recipientis, quæ requiruntur, & sufficiunt ad fœtum perficiendum: bene poterit produci ex tali materia in esse corpus humanum. Si autem semen infusum matrici, aliqua arte extractum fuerit à corporibus elementaribus, in quibus latent rationes seminariæ, nullo modo ex huiusmodi semine educetur, in esse corpus humanum: cuius ratio patet ex prædictis.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod non est super terram potestas, &c. Dicendum quod etsi maxima sit potestas illius, & maior potestate potentis generare: quia tamen à datore potestatis illius non est data ad hoc; nullo etiam modo potest in hoc: Non enim potest creatura in aliquid, nisi in illud, in quod data est illi potestas à conditore, siue datore eiusdem.

MEMBRVM III.

An natura inferior, puta virtus cœlorum, aut astrorum, vel etiam ipsamet virtus corporibus inferioribus insita, Adã corpus in esse producere potuerit?

AD tertium membrum principale huius quæstionis, quo quæritur: Vtrum natura inferior, vt virtus cœlestis, siue astrorum, vel etiam ipsa virtus insita corporibus inferioribus, potuit producere corpus primi hominis in esse. Et videtur primo, quod non. Omne ducens aliud in esse, nobilius est eo, quod educitur per ipsum: ergo si in genere corporum corpus primi hominis fuit nobilissimum, etiam secundum statum, quo cõditum erat: nulla virtus corporis poterat illud educere in esse: cum illa virtus sit nobilior substantia, cuius est virtus. ¶ Item, dicit Damasc. *Nos dicimus quoniam astra non sunt causa alicuius eorum, quæ fiunt: neque corruptionis eorũ, quæ corrumpuntur:* Ergo nulla fuit eis data potestas faciendi, aliqua eorum, quæ fiunt à suo conditore: cum ipse nihil agat frustra: neq; deficiat in necessarijs. ¶ Præterea, si poterat producere illud in esse; aut hoc fuit mirabiliter, aut voluntariè, aut naturaliter: Non mirabiliter: quia solus Deus operatur in cursu mirabili, secũdum quod dicit Ansel. Non voluntariè: quia hæc est operatio substantiæ agentis per electionem. Non naturaliter: quia comparatio naturæ requirit assimilationem in materia, & specie: est n. natura vis insita rebus, proc͂edẽdi similia ex similibus: sed inter corpo: a cœlestia & alia corpora inferiora non est huiusmodi assimilatio cum corpore primi hominis: ergo &c.

Damasc.

Anselm.

¶ Contra, August. *Insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes: quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus:* Ex hoc verbo August. patet, quod ea, quorum sunt rationes seminariæ occultatæ sunt in rebus seminalibus, vel elementaribus, data temporis opportunitate, exeunt in esse: & constat, quod iste exitus est per operationem naturæ: ergo cum corpus primi hominis secundum seminalem rationem erat in rebus operum sex dierũ; videtur quod data temporis opportunitate, eductũ esset in esse operatione naturæ: sed hoc esse non posset, nisi natura hoc posset: ergo &c. ¶ Item, August. dicit: Si omnium futurorum causæ mundo sunt insitæ: cum ille factus est dies: quando Deus creauit omnia simul: non aliter Adam factus est (sicut est credibilius) iam perfectæ virilitatis; quam erat in illis causis: vbi Deus hominem in operibus sex dierum fecit: ibi enim erat non solum, vt ita fieri posset, verum etiam vt cum ita fieri necesse esset. Si ergo ita erat corpus primi hominis in illis causis, non solum, vt fieri posset: sed vt ipsum fieri necesse esset: videtur, quod in causis istis non tantum erat possibilitas producendi illud in esse, sed necessitas. ¶ Item solũ corpus humanum est dispositũ ad susceptionẽ animæ rationalis: quod ergo potest facere corpus dispositum ad susceptionẽ animæ rationalis; potest facere corpus humanum: sed hoc potest facere natura cœlestis: ergo &c. Quod potest, probatio. Dicit Alghas. Cum commixtio elementorum fuerit pulchrioris & perfectioris æqualitatis; tunc erit dispositio ad susceptionem animæ rationalis. Sed natura cœlestis põt facere huiusmodi cõmixtionẽ elementorum: potest n. per influentiã virtutis lucis contrarietates elementorum conciliare; & consequenter per actiones frequentes quod erat intensum remittere, & quod remissum intendere: igitur cum inter qualitates elementares contrarias non sit infinita distantia, & natura agens incessanter agat (dicit enim Alghas. *Non cessat natura operari in materia: sicut nec dator formarũ influere*) videtur, quod possit huiusmodi æqualitatem facere elementorum. ¶ Item triplex est conditio materiæ, potẽtia, dispositio, & necessitas: omne agens in materia inducens dispositionem in illa per actuum multiplicationẽ, inducere põt necessitatem in eadẽ: Hoc patet per exemplum, & rationem. Exemplum est, ꝙ calidum, vt ignis disponens materiã aeris ad susceptionẽ formæ ignis, potest continua actione inducere necessitatem ad eandem. Hoc idem patet ratione tali. Cum non sit infinita distantia inter qualitates elementares, siue contrarias, siue alias: cum vnum agat in aliud: si quomodo agens potest disponere patiens ad illius formæ susceptionem, potest actione frequenti inducere necessitatem ad eandem. Ideo videtur de virtute cœlesti, quod cum possit materiam corporis humani disponere ad susceptionẽ animæ rationalis; vt ex prædictis patet: cum sit continue agens: põt in eadẽ necessitatẽ inducere ad eandem: ꝙ non põt esse, nisi per eductionem corporis humani in esse. ¶ Item, anima vegetabilis cum sit vita quædã, dignior est omni corpore humano, inquantum est corpus: hoc aũt patet per Aug. in multis locis. Sed natura cœlestis inducit animam vegetabilem in esse: quod patet in Lib. de Vegetabilibus: vbi appellatur terra mater plantarũ, & sol pater: si igitur potest illud, ꝙ est maius, & nobilius; potest & illud, quod est minus, & ignobilius. ¶ Item, per impressiones relictas inferioribus à corporibus supercœlestibus, siue à virtute cœlesti, educũtur in esse minuta animãtia: per accessum n. solis secundum motum eius annuum; (vt manifeste videmus) minutorum sensibilium fit renouatio. Si ergo huiusmodi minuta ratione animæ sensibilis, qua agunt, & sensificantur, nobiliora sunt omni humano corpore, inquantum est corpus: videtur idem quod supra.

August. in glo Lib. 6. 7.

Aug. lib. 6. super Genes. ad litt. cap. 18 in primis verbis. tom. 3.

Alghas.

¶ Item

Philos. ¶ ITEM, vt ostendit Philosoph. sc. Albumasar in Libr. introductorio ad artem Astronomiæ. In locis, in quibus abundat frigus vehemens, siue superfluum propter solis remotionem: aut calor imoderatus, siue superfluus: propter nimiam eiusdem appropinquationē non educitur aliquod animal in esse, sed solummodo in locis medijs, in quibus calor, & frigus in quodam temperamento se habent ex cōuenienti situ solis. Ex his patet, quod ex potentia virtutis corporis solaris in proportione conuenienti animalia sortiuntur esse: & ex contrario non. Ex quo patet virtutem cœlestem, & maximè solis posse animalia producere in esse: ex quo videtur, ꝙ & corpus humanū, vt prius. ¶ ITEM, vt dicit Hug. *homo factus est, vt Deo seruiret, propter quem factus est: & mundus factus est, vt seruiret homini.* Si ergo mundus factus est, vt seruiat homini, sed aliqua, quæ sunt de nobilioribus partibus mundi; sicut stellæ, sunt causa dissolutionis corporis humani; & in illam possunt: Videtur, quod illæ stellæ, vel aliqua alia sint causa compositionis corporis humani, & in illam possunt, sed potestatem, quā habent ea, quæ principaliter agunt in mundo, habebant à principio: ergo à principio erat potestas in eis componendi corpus humanum. Quod autem stella aliqua, videlicet cometa sit causa dissolutionis huiusmodi, videtur sic. Vt volunt Philosophi: in omni re complexio nata terrestri sunt res corporeæ spiritales assimilatæ naturis cœlestibus, incorporatæ ipsis rebus complexionatis: quæ res spiritales separabiles sunt à rebus complexionatis per actiones corporum supercœlestium. Cumque fit hæc operatio: relinquitur res à natura complexionata: siue dissoluitur complexio, & infirmatur res, & corrumpitur.

Hugo.

¶ PRÆTEREA, Ponunt Astronomi, quod omnis stella sit de natura vnius septem planetarum. Ponunt etiam, quod si fuerit aliqua stella trahens comam de natura Solis: virtus eius, quæ scilicet sublimauit comam, & separauit à natura terrestri: separauit spiritus, qui sunt in corporibus complexionatis, assimilati naturæ solis: & erit infirmatio, ac corruptio in hominibus, & sementis, quibus Sol principaliter dominatur. Similiter si fuerit stella trahens comam de natura Martis, patientur detrimentum, aut corruptionem res materiales, & similiter currit res per cæteros planetas. Ex his videtur, quod stella comata sit causa infirmationis, & corruptionis corporum humanorum.

¶ PRÆTEREA, Astronomi ponunt stellam aliquam esse causam corruptionis corporum humanorum, & aliorum naturalium. Damasc. ponit contrarium, scilic. quod ipsa astra non sunt causa alicuius eorum, quæ fiunt, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur.

RESOLVTIO.

Nulla inferior virtus Adæ corpus in esse producere potuit: quia nulli earum à Deo datum fuit.

¶ AD hoc potest dici, quod nulla natura inferior potecat corpus primi hominis deducere in esse: hoc autem non fuit alicui creaturæ inferiori, nec superiori datum à Deo. Vt enim dicit August. contra Faustum. Illud erit cuiq; rei naturale, quod ille fecerit, à quo omnis modus, & numerus, & ordo naturæ: vnde natura inferior nihil potest, nisi quod est ei naturale: ergo &c.

¶ AD primum ergo dicendum, quod licet corpus primi hominis secundum seminalem rationem esset in elemētis: non debuit operatione naturæ produci in esse, sicut alia: quæ secundum eandem rationē erant in elementis. Et hæc est ratio. Summa potentia, quæ in elementis mundi causales rationes, & seminales inseruit; non indidit illis, siue eorum naturæ; vt illorum operatione omnia huiusmodi in esse educerentur, sed eductionem quorundā sibi reseruauit: de quorum numero erat corpus humanum, vel primi hominis. Licet enim præfixerat in primis rerum causis, vt corpus primi hominis fieret; & sic, vel sic fieret; non tamen præfixit, vt operatione illorum fieret, vel sic fieret. Vnde August. *Sic factus est homo, quemadmodum illæ primæ causæ habebant, vt fieret primus homo: quem non, ex parentibus nasci* (qui nulli præcesserant) *sed de limo formari oportebat, secundum causalem rationem, in qua primitus erat factus.* Si ergo in illis primis rerum causis, quas mundo primitus creator inseruit; nō tantum posuit, quod de limo formaturus erat hominē: sed etiam quemadmodum formaturus, vtrum sicut in matris vtero, an in forma iuuenili: procul dubio sic fecit, vt illis præfixerat: neq; n. contra dispositionem suam faceret. Si autē vim tantum ibi posuit possibilitatis, vt homo fieret; vt sic, & sic posset, id est, vt ibi esset: quia sic, & sic posset: vnū autem ipsum modum, quo erat facturus, in sua voluntate seruauit, cum mudi constitutionem contexuit.

Aug. super Gen. ad literā. cap. 15.

¶ AD aliud dicendum, quod non est intentio August. quod necesse erat corpus primi hominis ab illis causis inferioribus, in quibus causaliter erat; educi in esse: nec inquantum in ipsis erat: sed potius inquantum erat in diuina voluntate, vt sua potentia produceretur in esse, sed ab illis, quibus dederat, vt de illis fieri posset. Et hoc patet ex verbis August. ibidem dicentis: *Manifestum est, sic non factum fuisse hominem, contra quod erat in illa prima conditione causarum, quia ibi erat etiam sic posse fieri: quamuis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito creatoris: cuius voluntas est rerum necessitas.* Ecce dicit plane, quod non ibi, id est in causis inferioribus erat necesse ita fieri, sed vt erat sic fieri in voluntate creatoris.

August. li. 6. super Genesim ad literam c. 15. in fin. Tom. 3.

¶ AD tertium dicendum, quod hoc, scilicet, solū corpus humanum dispositum est ad susceptionem animæ rationalis; verum est, si intelligatur dispositum propinqua, vel coniuncta dispositione: vt illa, quæ est necessitas: quomodo disponitur corpus humanū, quando est organizatū. Si intelligatur dispositum remota: non est verum: quia semen humanū dispositum est quodammodo, scilicet dispositione remota: secundum quod dicit * Alghas. cum cōmixtio elementorum fuerit pulchrioris, & perfectioris æqualitatis: tunc erit dispositio, &c. intelligitur de dispositione remota: quia loquitur de spermate, siue semine humano, in quo (vt ipse dicit) cum est commixtio elementorum in æqualitate pulchriore, & perfectiore; quo nihil possit inueniri subtilius, & pulchrius; tunc est aptum ad susceptionem formæ pulcherrimæ, scilic. animæ humanæ. Dicit enim sic: Cum commixtio elementorum fuerit pulchrioris, & perfectionis æqualitatis, quo nihil possit inueniri subtilius, & pulchrius: sicut est sperma hominis; cuius necessitas venit in corpus hominis ex cibis, qui sunt subtiliores cibis animalium, & cibis vegetabilium: & ex virtutibus, & numeris, quæ sunt pulchriores virtutibus, & * neruis animalium; tunc fiet apta ad recipiendum à datore formarum pulchriorem formis, quæ est anima hominis.

* Alias, Algasus; vel Algazel.

* Alias, numeris.

¶ AD illud; quod obijcitur, quod illud agens, quod potest inducere dispositionem ad formam aliquam in patiente; potest necessitatem inducere in eodem. Dicendum, quod quando sic est, quod dispositio, quæ est necessitas, sequitur ad remotam dispositionem sine aliqua innouatione formæ alterius generis: benè verum est: sicut patet de igne inducente in materiam aeris dispositionem remotam ad formam eiusdem, qui per actionem continuam pōt inducere illā, quæ est necessitas. Quando aūt inducitur necessitas per innouationem formarū diuersorum generum: sicut fit in deductione corporis humani in esse ex elementis: vbi primo requiritur commixtio elementorum in perfecta æqualitate, deinde coagulatio spermatis, deinde informatio eiusdem in numeris, & harmonijs; *qua aptatur ad susceptionem animæ rationalis virtute, relicta ab ipso decidente: vnde efficitur semen, & materiale congruū corpori humano: deinde post multas innouationes actionum partium organizatio: non est verum.

* Alias; quia.

¶ AD illa, quæ cōmuniter obijciuntur, sc. quod natura inferior potest deducere vegetabilia in esse, & animalia minuta, siue quæ exeunt in esse per putrefactionem. Dicendum, quod si ista sint nobiliora aliqua ratione corpore humano: inquantū corpus est: non tamen inquantum humanum, propter ordinē, quem habet ad animam rationalem. Et maximè, quia corpus primi hominis mediāte sua perfectione. sc. anima rationali, erat seruiturū Deo, & à quo erat totum genus humanū accepturum esse, & etiam Christus secundum carnem: vnde erat Deus maximè glorificandus:

& etiam

& etiam erat glorificandũ, & Deo vniendũ: nobilius erat quantum ad hoc re aliqua vegetabili, & etiã omni minuto animante. Et sic interimitur impedia supradicta, quia vegetabilia, & animantia minuta se habent sicut excedentia, & excessa respectu corporis primi hominis. ¶ PRÆTEREA, & si vegetabile quodcunque, & minuta animantia cuiuscunque generis, essent corpore primi hominis nobiliora: non tamen sequeretur, quod si natura inferior posset educere illa in effectum, quod similiter posset corpus primi hominis. Ratio huius est: quia quandoque, quæ ignobiliora sunt, cum maiori difficultate educuntur in esse. Cum maiore enim difficultate educitur lapis vilissimus in esse: ad cuius eductionem requiritur congelatio multorum annorum, quam planta aliqua valde nobilis in genere suo: Propter quod non sequitur, hoc potest educere illud in esse: illud, sc. quod est nobilius: ergo, & illud, quod est minus nobile.

¶ PRÆTEREA, alia causa est: quia creatura non potest in aliquid nisi in illud, in quod data est illi potestas à suo cõditore. Vnde Ansel. *Creata natura nihil per se facere potest: nisi quod à voluntate Dei accepit: quod in eodem sola Dei voluntas fecit in principio naturas rerum: dans quibusdam competentes, singulis voluntates: vt natura, & voluntates secundum ordinem sibi traditum, suum opus in rerum cursu persoluerent*: Propter hoc dico, quod id, quod potest facere illud, quod est maius; non potest facere illud, quod est minus: sicut qui potest generare hominem: non potest generare asinum: quia hoc non est sibi datum ab illo, à quo est omnis potestas.

Ansel. de conceptio ne Virginis.

¶ PRÆTEREA, vt volunt aliqui: sol non producit in esse animam vegetabilem, & hoc ostenditur sic. Sol quarto die conditus est, vegetabilia tertio die; causa autem origine, & natura debet præcedere suum effectum, & non sequi. Vnde Basil. *Germinet terra herbam pabuli*: per se; videlicet tellus germinare præcepta est: nullius indigens adiumento: quoniam quidam opinantur plantis ac seminib. solem causas præstare crescendi: dum ea, quæ de terra pullulant; proprij caloris attractu ab imis sedibus ad summa perducit. Idcirco sole antiquior terrenæ fœcunditatis ornatus emicuit; vt occasio venerandi solem; vt pote actorem nascentium, his, qui in errore positi sunt, auferretur. Si tamen suaderi potuerint, quia postquam ipse creatus est: erat iam terra suis fructibus decorata considerantes quod herbis, & pabulis Sol in nascendo posterior est.

Basil. in principio Examer. 5.

¶ AD aliud dicendum, quod in locis valde remotis à sole, & valde propinquis non componitur animal: quia materia, ex qua fieret animal, nõ aptatur per operationem solis: non quia Sol habeat naturam productiuam animalium in esse; sed solum dispositiuam. Cum n. ex vapore, & fumo resolutis ex elementis, habeãt esse diuersæ compositiones, virtute corporis supercœlestis disponente; cum fuerit nimia elongatio solis, coagulantur, & compinguntur ibidem vapores: & non eleuantur in sublime, & fiant ibid. in hyeme, & æstate venti validi; & non componitur ibidem aliquod ex animalibus, & * seminibus. Similiter si sit nimia approximatio: sicut est in locis Meridianis cõbustis propter vehementem exustionem, nihil componitur ibi. Hæc est ratio Philosophi.

* Alias, sementibus.

¶ AD vltimum dicendum, quod cometæ, neque compositionis, neque dissolutionis sunt causæ; sed signum tantum. Vt enim ponunt Astronomi: coma est ignis subleuatus à partibus mundi sensibilis, generatus ex materia deorsum veniente; habens diuturnitatem permanentiæ suæ: cuius natura est sublimata virtute alicuius stellæ, separata à natura terrestri, & assimilata naturæ cœlesti. Stella autem trahens comam, & * subleuans, & separans à natura terrestri; separat spiritus, qui sunt in corporibus complexionatis, assimilati naturæ stellæ: vnde fit infirmatio, & corruptio in hominibus, & sementis: quibus dominatur stella illa. Vnde coma signum est præcedens sublimationis, & separationis naturæ spiritualis à rebus cõplexionatis, & assimilatæ stellæ trahenti comam in natura spirituali. Sic igitur patet, quod cometæ sunt signa tantum: apparent enim in mortibus Regum iussu Dei, non tamen semper; sed secundum dispensationem diuinam. Vnde Damasc. * Constituunt multoties & coniugæ cometæ signa quædã mortis Regum: quæ nõ sunt ex eis; quæ à principio genita sunt astra, sed diuina iussione secundum ipsum tempus constituuntur, & rursum dissoluuntur. Et quod dicit, non esse eorum, quæ à principio sunt astra; hoc intellige, non quãtum ad planetam trahentem comam; sed quantum ad comam. Et nota, quod dicit, signa.

*Alias, sublimans.

*Alias, cõstituũtur.

¶ SI vero quæratur: vnde est, quod apparet aliquando stella comata in morte Regum. Responsio breuis est secundum Damasc. secundum dispensationem hoc fit per voluntatem diuinam. Dicunt autem Astronomi: quod hoc non fit propter mortem hominis, vt est homo indiuiduus, sed propter turbationem regni, aut aliquid circa regnum: sic enim ponunt significationem comæ. ¶ SED quicquid sit de cometa: vt ex dictis patet, stellæ sunt causæ dissolutionis corporum humanorum: quia (vt dictum est) stella trahens comam, separat spiritus, qui sunt in rebus cõplexionatis; quibus dominatur stella, & infirmantur, & corrumpuntur. Respondeo, quod secundum Philosoph. quandoque operatione alicuius stellæ fit immutatio aliqua in corpore humano, ad quam sequitur defectus in natura conseruantis, & continuantis rem complexio natam in esse: ad quem defectum sequitur rei dissolutio. Vnde operatio stellæ non est (per se loquendo) causa dissolutionis, sed potius natura deficiens, non conseruans rem huiusmodi in esse: vnde operatio stellæ est dispositiua ad dissolutionem, non causa: sicut Sol (per se loquendo) non est causa hominis; quamuis operetur ad generationem eius, disponendo materiam generationis, & aptando ad hoc, quod sit materiale corpori humano. Potest ergo dici ad obiectum, quod sicut stella quandoque est causa dissolutionis, scilicet, dispositiua: sic & stella est causa compositionis, sc. dispositiua.

Dubitatio

Dubitatio

¶ AD hoc, quod dicit Damasc. quod astra non sunt alicuius eorum causa, quæ fiunt. Dicendum, quod Damasc. intelligit de causa per se: cuius modi est illa, quæ est infallibiliter operans, & coniuncta effectui. Benè autem vult, quod sint causæ disponentes ad esse complexionis: dicit enim Qualitas aeris facta à sole, luna, & astris, alij & alij diuersas complexiones, & habitus, & dispositiones constituit.

QVÆSTIO LXXVI.

De causa formali corporis humani, siue Adæ.

In tria Membra diuisa.

SEQVITVR consideratio de causa formali ipsius corporis. Et appellamus causam formalem, non illam, quæ est essentialis rei; vel quæ est exemplaris: hoc enim magis pertinet ad esse corporis, quam ad fieri: sed formam hic dicimus, prout in fieri consideratur modus exeundi in esse. Et de hac tria quæruntur. ¶ Primo, vtrum corpus primi hominis exiuit in esse per creationem, vel aliter. Secundo, supposito, quod aliquo modo per creationem, vtrum maioris potentiæ fuerit creare de nihilo ipsum, vel de limo. Tertio, vtrum iste motus educendi corpus de limo, pertineret ad perfectionem vniuersi.

Ex D. Th. S. Bon. & Scot vbi supra.

MEMBRVM I.

An corpus Adæ per creationem, vel aliter exiuit in esse?

AD primum, quo quæritur, vtrum corpus primi hominis fuerit creatum, vel non. ¶ QVOD sic, videtur: Nobilissimus modus exeundi in esse est per creationem, quæ est à Deo, vt à tota causa, & qui tollit omnem obnoxietatem respectu creaturæ: igitur si conuenit, quod aliquod corpus hoc modo fuerit egressum in esse, maximè hoc conuenit corpori nobilissimo: hoc autem est corpus primi hominis, sed * alia corpora exierunt in esse per creationem: igitur &c. ¶ ITEM, est distinguere spiritus per differentias nobilitatis maioris, & minoris: maioris enim nobilitatis sunt spiritus, qui immediatè ordinati sunt ad fruen-

* Alias, alia quædam.

dum

dum Deo; cuius modi sunt angelus, & anima; quam alij, vt spiritus vitales corporei, & alij huiusmodi: vt quibus quasi medijs vnitur anima cum corpore. Similiter est distinguere corpus per differentias nobilitatis maioris, & minoris. Cũ igitur quidam spiritus exierunt in esse per creationem; similiter corpora quædam: spiritus autem nobilioris cõditionis sic exierunt in esse: & similiter videtur, quod & corpora nobiliora debuerunt. sed inter corpora nobilissimum corpus fuit primi hominis: ergo &c. ¶ Item, *Deus creauit de terra hominem.* (Eccles. 17.) Sed ista creatio non fuit ratione animæ: cum anima non sit ex elemento, vel elementis: vt ostendit Aug. super Gen. ad lit. ergo quantum ad corpus.

¶ CONTRA. *Formauit Deus hominem de limo terræ:* (Genes. 2.) ergo formatus fuit quantum ad corpus, non creatus; quia (vt dicit Hugo) quod creatum est, de nihilo factum est: nam quod de aliquo factum est, factum est, sed creatum non est; quia de nihilo factum non est. ¶ Item, creatura spiritualis, & corporalis distinguuntur per cognitionem nobilitatis, & ignobilitatis: cuiuscunque enim conditionis sit res corporalis, ignobilis est, & vilis respectu creaturæ spiritualis. (Et loquor de spiritualibus separabilibus, & separatis à corpore) si ergo nobilioribus creaturis debetur nobilior modus producendi in esse, qui est creare: & alijs debetur minus nobilis: ergo &c. ¶ Item Ansel. videtur ostendere, quod illa res fit ex nihilo: & ita nihil creatur sic. (Ansel. in Monolog.) Ex quocunque fit aliquid, id causa est eius, quod ex se fit. & omnis causa necessario aliquid ad essentiam effecti præbet adiumentum: si ergo factum est ex nihilo aliquid, ipsum nihil causa fuit eius, quod ex eo factum est: sed quomodo id, quod nullum habebat esse, adiuuat aliquid, vt perueniret ad esse? si autem nullum adiumentum de nihilo peruenit ad aliquid; cui aut qualiter persuadeatur, quia ex nihilo aliquid efficiatur.

¶ PRÆTEREA, idem ad idem. Nihil aut significat aliquid, aut nõ significat aliquid: sed si nihil est aliquid, quæcunque facta sunt ex nihilo, facta sunt ex aliquo: si vero nihil non est aliquid; intelligi non est aliquid; intelligi non potest, vt ex eo, quod penitus non est; fiat aliquid: nihil fit ex nihilo, sicut vox omnium est; quia ex nihilo nihil. Vnde videtur consequi, vt quicquid fiat; fiat ex aliquo. ¶ Item, potest quæri: quo vocabulo proprie nominanda est eductio corporis è limo.

RESOLVTIO.

Corpus Adæ per creationem in esse exiuisse dicimus: at non per creationem simpliciter, sed secundum quid, qui modus creandi Plasmatio apte dicitur.

¶ AD hoc intelligendum, quod quando aliquid educitur in esse secundum legẽ propagationis naturalis, necessaria est sufficientia in principijs, & quantum ad principiũ passiuum, siue materiale, & quantum ad principium actiuum, siue formale. Formale dico quodammodo; eo modo, quo Philosophi ponunt in naturalibus actionibus. Materiale quod est subiectum transmutationis, non solum modo esse principium passiuum, sed quodammodo actiuum. Vbi autem aliquid educitur in esse cum defectu horum duorum, vel alterius; est potius cursus secundum legem creationis, quam naturalis propagationis, vel eductionis eorum: & tunc non potest esse eductio alicuius in esse; nisi ab illo, qui potest creare.

¶ SED attendendum est: quod in productione rei potest multiplex esse defectus in principijs. Potest enim esse defectus, quia neutrum aliquo modo est: vt quando vtrunque simpliciter non est: aut quia aliquo modo principia sunt, sed non sufficiunt. Hæc autem insufficientia põt, esse vel ex parte principij formalis, vel ex parte materialis, & formalis: quandocunque enim est insufficientia ex parte principij materialis, est & ex parte formalis: non autem econuerso. Et dico insufficientiam ex parte principij materialis: quia materia, siue res materialis; de qua aliquid educi debet: est imperfectæ quantitatis respectu rei educendæ: sicut fuit in costa respectu corporis Euæ. Vnde Hugo. Quando simplex corpus in semetipso multiplicatur, & in plura excrescit; fit aliquid de aliquo in maius. Hoc modo operandi de substantia costæ, in se diuina virtute, absque extrinseco additamento multiplicata corpus mulieris factum est. Quando autem neutrum dictorum aliquo modo est; sicut fuit in productione rerum, primo creatarum in esse: tunc est vere, & simpliciter creatio; de qua. *In principio creauit Deus cælum & terram:* (Gen. 1.) secundum quod exponit Hugo verbum illud, dicens. (Hugo) *Per cælum, & terram, materiam illam omnium cælestium, terrestriumq; hoc loco significari puto: de qua postea facta sunt, quæ in ipsa prius per essentiam simul causata fuerunt. Ibi namq; terra erat ipsum terræ elementum: & cælum erat mobilia illa, & leuis confusio reliquorum trium: quæ in circuitu medi[...] iacentis terræ suspensa ferebatur.* (Eccles. 18.) hæc Hug. Quando autem defectus est principiorum, vt dictum est: tunc est creatio secundum quid: sicut fuit in formatione corporis Adæ de limo. *Deus creauit de terra hominem:* & in formatione Euæ de costa Adæ: de qua Augustinus. (Aug. super Gene. ad lit.) *Natura quippe mulieris creata est: quamuis ex viro, qui iam erat.* Formatio autem Adæ de limo creatio erat; quia in limo erat defectus principij actiui. Nec enim habuit limus, vt corpus humanum ex eo fieri posset, sicut dicit Anselm. (Ansel. de concep. Virg. c. 11.) dicit enim, *Limus terræ non acceperat naturam, aut voluntatem: qua operante, vir primus de illo fieret: quamuis esset, de quo à Deo fieri posset.*

¶ PRÆTEREA, scriptura dicit illud esse creatum, cuius materia creata est. Vnde August. (August. de Symb. ad catech. lib. 2. c. 1.) *Rectissime credimus Deum omnia fecisse de nihilo: quia & si de aliqua materia factus est mundus: eadem ipsa materia de nihilo facta est: vt ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret: ac deinde formarentur, quæcunque formata sunt. Hoc autem diximus, nequis putet contrarias esse diuinarum scripturarum sententias: quoniam & omnia Deum de nihilo fecisse, scriptum est: & mundum factum de informi materia.* (ex li. 2 c. 3. ex li. 3. c. 5.) Et iste modus creandi communis est; qui fere omnibus conuenit creaturis: & quorum omnium dicitur Deus creator. Iste tamen modus totus potest reduci ad illum modum creationis, quo aliquid educitur in esse ex aliquo: in quo est defectus principij actiui, siue formalis: cum non erat in illa materia, vt ex ea fieret mundus: sed solum vt fieri posset: cum solummodo in elementis & rebus elementaribus, in quibus sunt rationes seminales rerum; sit vnde res fiat.

¶ PRÆTEREA, adhuc dicitur aliquid esse creatum in scriptura, ratione eductionis formæ illius in esse: sicut, *Creauit Deus cete grandia.* (Genes. 1.) Vnde Hug. (Hug. li. 1 par. 1 cap. 7.) *Lectorem admonere volumus, vt quotum in his operibus, videlicet sex dierum, aliquid fieri audierit: vt verbi gratia, cum dicitur, prima die facta est lux, secunda die factum est firmamentum, quarta die facta sunt luminaria: non modo primum cum facta dicuntur hæc, de nihilo creata fuisse existimet: sed potius de ipsa, quæ prius creata erat de nihilo, materia formata intelligat:* etiam si aliquando verbum creationis positum reperitur; vt est ibi, *Creauit Deus cete grandia:* (Genes. 1.) Vt enim animam viuentem atque mutabilem, non ad materiam, qua esse ceperunt; sed ad formam, qua hoc quod sunt, esse ceperunt; referendum esse sciat. Ecce quid vult Hug. quod hæc creata dicuntur ratione eductionis formæ illorum in esse.

¶ Ex his patet, quod ista possunt simul stare, scilicet corpus primi hominis fuisse creatum, & formatum de limo: & formatum de limo: & quomodo intelligendum est corpus hominis fuisse creatum de terra: quia tribus modis vt iam: & quot modis aliquid dicitur creatum. ¶ Patet etiam, quomodo ad aliud, quod sequitur, est respondendum: quia & si quodammodo creatum fuerit corpus primi hominis, non tamen simpliciter, sicut substantiæ spirituales. Spirituales enim substantiæ, sicut nobiliores sunt; sic nobiliori modo creationis deductæ sunt in esse: quia creatione simpliciter: corpus primi hominis creatione secundum quid.

¶ QVALITER autem respondendum est ad obiecta ab Anselm. patet ex distinctione, quam subiungit consequenter, vbi distinguit: quod tribus modis dicitur aliquid fieri ex nihilo, sic. *Tribus modis* (quo ad præsentis impedimenti sufficit expedimentum) *exponi potest: si qua substantia dicitur esse facta ex nihilo.* (Ans. cap. 8 per totum) *Vnus quidem modus est, quod volumus intelligi, penitus non factum esse, quod factum dicitur ex nihilo: cui simile est conquerenti de tacente: de quo loquatur? respondetur de nihilo, id est, non loquitur: secundum quem modum de summa essentia, & de eo quod penitus nec est, nec fuit: quærenti: vnde factum sit? recte responderi potest, de nihilo, id est, nequaquam factum est: qui sensus de nullo eorum, quæ facta sunt: intelligi potest. Alia significatio est, quæ dici quidem potest, vera autem esse non potest: vt si quidem dicatur aliquid sic esse factum de nihilo, vt ex ipso nihilo, id est, ex eo quod penitus non est, factum sit,*

quod [illegible] nihil sit aliquid existens, ex quo possit aliquid fieri [illegible] semper falsum est, quotiens esse ponitur, impossibile convertitur [illegible]. Tertia interpretatio, qua dicitur, aliquid esse factum ex nihilo: hoc est, ut intelligatur quidem factum esse, sed non esse aliquid, unde sit factum. Per similem significationem dici videtur, cum homo contristatur sine causa, dicitur contristatus de nihilo. Hoc autem ultimo modo dicuntur res simpliciter creatae esse ex nihilo: unde subiungit Ans. *Secundum hunc ergo sensum intelligatur, quod supra conclusum est: quia praeter summam essentiam cuncta, quae sunt, ab eadem ex nihilo facta sunt,* id est, non ex aliquo: sicut ipsa conclusio praecedentia convenienter consequitur: nam ex eadem conclusione nihil inconveniens subsequitur. Obiectiones autem Ansel. currunt secundum modum secundum: & illo modo dicitur vere aliquid fieri ex nihilo: sicut ipse dicit. Adhuc autem subiungit quartum modum, quo potest dici aliquid fieri ex nihilo: illo scilicet modo, quo dicitur dives ex paupere factus, id est, qui [illegible] paupere [illegible] dives quam ante non erat, unde [illegible] convenienter & sine omni repugnantia [illegible] creatrice substantia [illegible] esse facta ex nihilo; eo modo quo dici solet dives ex paupere: & recepisse [illegible] ex aegritudine.

¶ Ad ea [illegible] ex alia parte, quibus ostendi videtur, quod debuit [illegible] Dicendum, quod non conveniebat, quod Deus hominem faceret ex materia praeexistente, propter [illegible] has rationes. Nota ergo quod omnis conditionis [illegible] & praecipue creaturae rationalis, est declaratio divinae potentiae, sapientiae, bonitatis. Una ergo [illegible] talis eductionis in esse fuit congruentia declarationis divinae potentiae [illegible] unione corporis & animae primi hominis propter maxima [illegible] differentiam [illegible]. Unio enim animae cum corpore propter eorum ad invicem distantiam, est una de [illegible] assignatis ab Aug. dicente: Plenum fuit miraculo, quod tam diversa & tam divisa ad invicem potuerunt coniungi. Distantia enim corporis primi hominis ab anima fuit [illegible] existentis in [illegible] esse [illegible] ad non existens [illegible] corruptibilis ad incorruptibile. Corpus enim [illegible] fuit corruptibile corporale, in quo [illegible] esse [illegible]: anima autem incorruptibilis spiritualis, in qua non [illegible] esse [illegible]. Quia ergo ad hoc ut [illegible] potentia [illegible] tam distantium [illegible] corporis [illegible] congruebat modus huius eductionis [illegible]. Quia enim [illegible] omne corruptibile corporale [illegible] ex praeiacenti materia, convenienter formabatur [illegible], ut formatio talis congrueret manifestationi potentiae [illegible] in tam distantium unione.

¶ Alia ratio [illegible] congruentia declarationis divinae sapientiae [illegible] ad finem, ad principia & [illegible]. Conveniebat enim [illegible] resolutionis [illegible] in materiam [illegible] compositionem ex materia existente [illegible] talis resolutio quam sequatur [illegible] talis non antecedat compositio: congruebat ergo [illegible] corpus illud, ut ex ordine [illegible].

¶ Tertia [illegible] congruentia ostensionis divinae bonitatis, quae [illegible] Petrus [illegible] quod corpus illud sic fieret: quia [illegible] omnis corporalis creatura in homine perficitur & completur [illegible] naturalis ordinis ad animam rationalem, sicut ad [illegible] omnium formarum: & corpus humanum [illegible] naturae omnium corporum [illegible] quo [illegible] beatificatur: rectissime [illegible] debuit post omnia septimo die, sicut dicit Aug. [illegible] ostenderetur esse omnium complementum. Si ergo [illegible] perfectionem [illegible] in homine [illegible] post alia conditus est, etiam quantum ad [illegible] corporum fuit constitutum [illegible] ipsum fuisse ex materia praeexistente: & hoc [illegible] ad universi perfectionem. ¶ Item alia ratione: hoc enim conveniebat ad perfectionem universi, quod essent quaedam res corporales simpliciter, quaedam spirituales simpliciter: & quaedam corporales quantum ad unam partem, & spirituales quantum ad aliam: cuiusmodi est homo. Similiter conveniebat horum productionem in esse, quod quaedam fierent ex nihilo: quaedam ex materia praeexistenti: & quaedam secundum quandam sui partem fierent ex nihilo, secundum quandam sui partem fierent ex materia praeexistenti: talis fuit primus homo.

Aug. in li. de [illegible] & anima.

¶ Ad primo ergo obiecta ex illa parte. Dicendum, quod licet Deus creaverit de nihilo aliqua corpora, ut potest materiam primam, & caelum primum: ut dicit Beda: licet in genere corporum corpus primi hominis esset nobilissimum, non conveniebat, ut educeretur in esse per creationem propter rationes praedictas: unde secus fuit de hoc corpore, & aliis.

¶ Ad illud, quod tangitur: quod creari debuit ex nihilo, ne obnoxius esset homo creaturae. Dicendum, quod propter hoc quod fuit ex aliqua creatura: non magis erat obnoxius creaturae: sed Deo, cuius erat illa: & a quo condita: unde Augu. *Si aliquid Deus fecit ex aliquo, ut hominem de limo terrae: non utique fecit ex eo, quod ipse non fecerat: quia terram, unde limus erat, ex nihilo fecerat.*

¶ Ad hoc, quod ultimo quaerebatur, sc. quo vocabulo nominanda est haec eductio. Potest dici, quod Plasmatio. Unde: *Manus tuae fecerunt me: & plasmaverunt me.* Glo. *Fecerunt quantum ad animam, & plasmaverunt quantum ad corpus.* Unde Dam. volens assignare differentiam inter factionem corporis, & animae, dicit corpus eductum per plasmationem; animam vero factam per insufflationem, dicens: *Ex visibili & invisibili natura condidit hominem. Deus propriis manibus secundum imaginem & similitudinem: ex terra corpus plasmans: animam autem rationalem & intelligibilem per familiarem insufflationem dans ei.*

Aug. [illegible] de [illegible] | Iob [illegible] Dam. [illegible]

MEMBRUM II.

An maioris potentiae fuerit, creare corpus Adae de nihilo: vel formare de limo?

AD secundum, quo quaeritur, Utrum maioris potentiae fuit, creare corpus primi hominis de nihilo: an formare de limo. ¶ Quod maior, videtur sic. Aug. *Ideo dicitur Deus omnipotens quia de nihilo fecit omnia, quae fecit: non enim aliqua materies eum iuvit, ex qua monstraret artis suae potentiam:* sed ex nihilo cuncta creavit: Si ergo manifestatur Dei omnipotentia in creando aliquid ex nihilo: non autem formando aliquid de aliquo quocunque: cum in illa formatione iuvet eum materia subiecta: videtur maioris potentiae esse creare de nihilo, quam formare de limo. ¶ Item, inter aliquid & nihil est infinita distantia: inter aliquid & aliquid finita. Unde in factione alicuius de nihilo, est actus potentiae infinitae: in formatione alicuius de aliquo est actus finitae: igitur cum finiti ad infinitum nulla sit proportio: improportionabiliter est maioris potentiae formare aliquid de nihilo, quam facere aliquid de aliquo: ergo &c.

¶ CONTRA, ut habetur ab Aug. *Maius est facere de impio pium, quam creare caelum & terram:* & hoc est (ut dicitur) quia in creatione caeli & terrae non est aliqua dispositio contraria: sicut in iustificatione: ubi invenitur dispositio lib. arb. repugnans gratiae: Ergo a simili cum limus haberet suam formam: quia erat hoc aliquid: nec illa materia inclinationem haberet ad corpus humanum: sed quasi opposita: eo quod complebatur secundum formam suam, videtur cum de limo factum fuit corpus humanum, maioris fuisse potentiae, quam si illud fuisset ex nihilo.

¶ PRAETEREA, arguit Magister. *Angeli non possunt creare materiam: ergo nec formare costam in mulierem:* & sive hoc sit argumentum a simili, sive a maiori: non sequitur, quod maior sit potentia facere aliquid ex nihilo, quam facere mulierem ex costa. A simili videtur in proposito: cum eadem fuerit conditio in formatione mulieris de costa, & corporis Adae de limo: quia sicut in costa non fuit unde fieret mulier, sed unde fieri posset: similiter in limo non fuit unde fieret corpus Adae, sed unde fieri posset: igitur non fuit maioris potentiae creare corpus illud de nihilo, quam formare de limo. ¶ Item. Deus est infinitae potentiae & virtutis: & necessario agit tota virtute, quicquid agit: quia eius virtus cum sit ipsum, simplex est, & impartibilis: agitur in formatione hominis de limo operatus est tota virtute, scil. infinita: sed maiore non comprobatur in creando caelum & terram: ergo &c.

¶ PRAETEREA, habetur a Philosopho: *potentia est principium transmutationis in aliud inquantum aliud:* sed non ens

August. de [illegible] | Augu. | Magist. [illegible]

non

non est subiectum transmutationis eius, quod est in aliud ergo vbi saluatur ratio potentiæ agentis, siue facientis; necessario erit materia subiecta actioni: ergo vbi non est materia subiecta, nulla est actio potentiæ: igitur nihil est quærere, vtrum fuit maioris potentiæ creare, &c. ex quo nulla potentia agit aliquid ex nihilo.

RESOLVTIO.

Neque maioris, neque minoris hoc quam illud: sed omnino indifferentis.

¶ Ad hoc notandum, quod duplex est potentia materiæ siue subiecti transmutationis, sc. actiua, & passiua. Passiua, quæ nihil cooperatur formæ inducendæ in materiam ipsã: sed est tantum potentia recipiendi formam. Actiua, quæ aliquo modo cooperatur ipsi agenti ad inductionem formæ: quia aliquid formæ latet in materia; vel quia appetitus materiæ habet inclinationem ad illam formam: sicut in omnibus illis, in quibus est ratio seminalis ad alia producenda in esse ex illis: Quandoque ex parte materiæ, siue subiecti est defectus; potentiæ, & principij actiui: sicut fuit in limo, in quo non erat vt fieret ex eo corpus Adæ: quia non erat ibi in illo potentia formalis, siue actiua, quæ* cooperabatur eductioni illius in esse, potentia creatoris educente illud ex eo. Est quandoque duplex defectus, sc. diminutio ex parte materiæ, & carentia principij actiui: sicut fuit in costa. Vnde Hug. distinguendo operationes, quibus substantiæ producuntur in esse, ponit opus vnum, quod est facere de alijs aliquid secundum substantiam & quantitatem in maius: & hoc modo operandi dicit corpus mulieris factum ex costa, diuina virtute, absque extrinseco additamẽto, vt supra tactum est. In eductione autem rei, siue formæ de materia, siue subiecto, primo modo sumpto; potest natura in eductionem rei de subiecto. Secũdo modo sumpto, non potest, & multo fortius nec tertio: sed solus creator. Secundum hos igitur gradus, est facilius & magis facile educere res in esse: quia ex materia vel subiecto primo modo se habente est modus facillimus: ex secundo modo se habente, difficilior: & ex tertio adhuc difficilior. Sed adhuc producere aliquid in esse simpliciter ex nihilo difficillimum est, & magis mirabile est. Vnde Hug. *Magis est mirabile de nihilo aliquid facere, quam de aliquo plus facere.* Hæc autem vltima tria genera operum sunt de genere mirabilium: & non nisi in solo Deo esse possunt.

* Aliàs operatur.

Hug. lib. 1. par. 6. c. 37

Quæst. 58. Memb. 4

Hugo.

¶ Cum ergo quæritur, vtrum maioris potentiæ sit creare &c. Dicendum quod neque maioris, neque minoris: sed omnino indifferentis: quia diuina potentia, quæ est idem cum ipso omnino simplex est, & impartibilis in se: opus tamen, siue effectus eius, qui est productus in esse ex nihilo; simpliciter est maius mirabile: eo quod producitur in esse ex aliquo, sicut ex limo: sicut habetur ab Hug.

¶ Concedenda est ergo ratio August. qua ostenditur, Deum esse omnipotentem, quia fecit omnia ex nihilo.

¶ Cum autem obijcitur, quod non ostenditur potentia eius infinita in formãdo aliquid de aliquo: cum in illa formatione iuuet eum materia ex qua. Dicendum quod hoc non dicitur, quia aliquo modo possit iuuari eius potentia in actione: sed hoc dicitur de illo tropo loquendi: quo illud dicitur iuuare agentem, quo effectus agentis facilius exit in esse: Vnde quia quod educitur in esse de aliquo, facilius exit in esse, quam quod ex nihilo, quantum est de se: quia minus distat ab esse, siue forma fienda: quando scil. proportionatur illa virtus agentis distantiæ rei educẽdæ in esse ad illud, de quo dicitur educi; dicitur iuuare eum materia ex qua.

¶ Ad illud, quod sequitur. Dicendum, quod illa ratio arguendi locum non habet, vbi eadem est potentia & substantia agentis: ibi enim nõ commensuratur virtus siue potentia agentis distantiæ existentis inter illud, de quo fit aliquid, & quod fit: quia potẽtia est impartibilis, sicut est substantia. Vnde quia in Deo est idem potentia, quod essẽtia; impartibilis est potentia sicut & essentia. Vnde in omnimoda indifferentia se habet, quicquid ea producitur in esse. Sicut enim eadem voluntate potentia, & indifferenti volo maiora & minora: similiter si eadem esset in me voluntas, & potentia agendi: ipsa indiuisa potentia, & omnino indifferenti facerem maiora & minora.

¶ Ad illud, quod obijcitur ex alia parte, scil. maius est fieri de impio pium &c. Dicendum quod hoc dicitur; quia maior vel minor difficultas faciendi hoc vel illud sit ex parte Dei: sed potius propter repugnantiam ex parte creaturæ fiendæ. Cum autem Deus creauit cœlum & terrã, nulla erat repugnantia ex parte aliqua diuinæ potentiæ, siue voluntatis: cùm autem Deus de impio facit pium, infundendo gratiam disponentem, & præparantem ad gratiam perficientem; ipsa voluntas impij est contraria, & repugnans diuinæ operationi.

¶ Ad argumentum autem dicendum, quod non est simile de forma, quæ continue transmutatur circa materiam, & de deformitate liberi arbitr. quam solus creator remouere potest per gratiã. Vnde forma illa, quæ erat in materia passibili, scil. limo: de facili transire poterat: & eo facilius, quo erat subiectum eius transmutabilius: quod competebat limo: in quo erat natura terrea & aquea: hæc enim duo maxime ordinantur ad passionem humor, & humus: sicut dicit August. & etiam Philosophus probat ea, quæ ex his duobus resoluuntur; maxime esse materialia, & passibilia, scil. vaporem, & fumum: & ideo non valet argumentum. August. & Philos.

¶ Ad hoc, quod postea obijcitur: quod Deus agit tota virtute sua, quæ est infinita; quandocunq; aliquid agit, &c. Dicendum, quod verum est: & vera est conclusio, quæ ex hoc consequitur. Si autem quæritur, vnde est ergo differentia tantia effectuum: & quomodo ex tanta, sc. infinita potẽtia agente exeunt effectus minoris virtutis & maioris in esse. Dicendum, quod in Deo idem est potentia, quod essentia; & quod voluntas est causa propinqua & continuata effectuum; propter quod diuina potentia, cum agit ex necessitate, sed potius electiue: immo (quod plus est) suum velle est efficere. Propter quod licet semper indifferenti agat potentia, & infinita; secundum congruentiam sui beneplaciti, moderate & distincte producuntur effectus in esse.

¶ Ad argum. Magistri in Sent. Dicendum, quod bene tenet: & est argumentum à simili: quia vtrobique, sc. in formatione alicuius de nihilo, & in formatione corporis Adæ de limo, & mulieris de costa est actus infinitæ potentiæ creatio; communi modo sumpta creatione; licet vnum opus sit magis mirabile alio: vt dictum est.

¶ Ad hoc, quod obijcitur de autoritate Philosophi, sc. quod potentia est principium transmutationis in aliud &c. Dicendum quod Philosophus determinat virtutem potẽtiæ creatæ: quæ nõ potest aliquid agere nisi in materia, siue in natura subiecta: vnde actioni, siue naturæ, huiusmodi potentiæ creatæ agenti semper subest aliqua materia: non sic est de potentia increata: cuius virtus in agendo non est determinata, siue distincta circa materiam, siue in materia: immo ex nihilo facit, quod competit, sicut ex aliquo &c. In fine resolutionis ... Memb.

MEMBRVM III.

An modus hic educendi corporis primi hominis de limo, de perfectione vniuersi sit?

AD TERTIVM, quo quæritur, Vtrum modus educendi corpus primi hominis, scil. in formando illud de limo: pertineat ad perfectionem vniuersi. ¶ Et quod sic, videtur. *Igitur perfecti sunt cœli &c. Et omnis ornatus eorum:* hæc autem est conclusio, quæ infertur ex eis, quæ educta sunt in esse in operibus sex dierum: cuiusmodi fuerunt, conditio, distinctio, ornatus: & ad hæc pertinebat eductio corporis humani de limo: sicut in sexta die determinatur. Patet ergo, quod non fuit completio vniuersi sine hac eductione. ¶ Præterea, Ansel. *Quoddam est corpus humanum eductum in esse de viro, & non de fœmina, cuiusmodi fuit corpus Euæ:* aliud ergo respondere debuit per oppositum, sc. quod esset eductum de fœmina, & non de viro: & hoc fuit corpus Christi: tertium fuit de viro & fœmina: vt corpus Abel: ergo per oppositum respondere debuit quarta corporis differentia, scil. quod neque de viro, neque de fœmina: & hoc fuit corpus Adæ de limo: aliter esset diminutio, & defectus; & hæc ratio confirmatur per illud 11. de Ciuitat. Dei cap. 18. vbi dicitur quod antitheta, id est, oppositiones valent ad ordinem vniuersi: vbi notatur ordo vnius contra vnum: quod hic reperitur. ¶ Item, non esset completum vniuersum sine modo dispositionis, & modo ornatus: ex quo patet, quod modus

Genes. 1.

Scil. in illa ... Deus hõ.

Aug. 11. de ciu. Dei cap. 18

...tioni, requiritur ad perfectioné vniuersi. ornatus &c. ...modo conditionis: igitur cum corpus primi hominis ... nobilib. partibus vniuersi, modus educendi illud ... at de cóplexione vniuersi. ¶ Item, illa propriè ... perfectione vniuersi: quæ hñt similitudinem aliq. vestigij, vel imaginis cum eo, qui est complementú & perfectio omnium, scil. Deo: talis fuit eductio prædicta, in qua fuit vnitas, veritas, & bonitas: ergo &c. ¶ Si aút diceretur: q licet aliquo modo haberet similitudinem vestigij, tñ quia statim transiit, non est de complemento vniuersi. ¶ Contra transitus rei téporalis non impedit, quin res transiens sit de pulchritudine vniuersi: vnde Aug. *Et decedentibus & succedentibus rebus, temporalis quædam in suo genere pulchritudo: vt nec ipsa, quæ moriuntur, vel desinunt esse quod erant: turpent, aut turbent modum, spé, & ordinem vniuersæ creaturæ: sicut sermo bene cópositus pulcher est, quamuis in eo syllabæ atq; vés sonis nascendo, moriendo transeant.* A simili vi, quod licet res transeant, siue transeuntant, bñ sunt de cópletióne vniuersi: ergo &c. ¶ Contra, vt hr à Philos. Natura est cã totius ordinis: ergo quæ sunt contra naturam, siue contra cursum naturæ, ordinatione totius carent: .i. non sunt ordinata in toto, siue in vniuerso: quæ a. ordine carent in vniuerso, magis ipsum dedecorat, quam cópleant, vel perficiant: sed eductio corporis primi hoís fuit contra cursum naturæ: ergo &c. ¶ Item, nihil, q. non est aliquo mó de vniuerso, siue in vniuerso; est de complentibus vniuersum, vel ad completionem vniuersi: modus aút, quo educebatur corpus illud in esse, .i. formatio de limo, non est aliquo mó de vniuerso: quia nullo mó est: ergo &c. ¶ Si aút diceretur, q. hoc, q. non est, siue transiit; non impedit, quin sit de completione vniuersi: sicut videtur ex obiectis ad aliã partem.

¶ Contra, malum in eo quod necessario substantificatur in bono, non tñ distat ab illis, quæ simpliciter sunt, q̃tú ad illud, q. simpliciter non est: sed malum non confert ad completioné vniuersi: vt hr à Dionys. ergo nec illud, q. simpliciter non est: dicit .n. Diony. de Diui. no. c. 4. Inconueniés est q. malú conferat ad completionem oís; & toti non imperfectum esse per seipsum largiatur. ¶ Itẽ, magis videntur esse de perfectione vniuersi nobilissimæ creaturæ, cuiusmó est anima hoís, q̃ eductio corporis humani in esse: quia nobilior est aía humana, q̃ corpus humanú: & corpus humanum q̃ sua eductio in esse: igitur si non existente aía humana, esset cópletum vniuersum: q. vr haberi ab Aug. dicit enim, *Si defuissent animæ, sicut ea carent, siue non peccarent, nihil vniuersitati ordinis diminueretur. Multo fortius si non esset, vel fuisset exitus corporis humani in esse:* igitur eductio huiusmodi non est de completione vniuersi.

RESOLVTIO.

Cum ad completionem, & perfectionem vniuersi non tantum intelligantur quæ nunc sunt, sed quæ ... iam ab initio, & exordio mundi facta sunt ad ea, a primo exitu rerum in esse: cumq; productio istibus corporis Adæ de limo non res singularis tantum, sed quodammodo generalis fuerit: erit de completione vniuersi concludendum.

¶ Ad horum euidentiam intelligendum est, quod vniuersú vniuersitatem dicit: & q. continentia eius non arctatur ad vniuersitatem subiectorú: sed cóportat temporis generalitaté: continet .n. oía, quæ nunc sunt; & oía, quæ aliquo tempore fuerunt. Vnde ad cópletionem vniuersi non sufficiunt quæ nunc sunt tñ: sed requiruntur quæ à múdi exordio exierunt, .i. a primo exitu rerum in esse. Quæ aút a primo rerum exitu in esse exierunt, sunt sub duab⁹ differentijs: quarum quædam ad productioné generum rerú pertinent, quædã ad ipsa genera producta. Quæ ad genera rerum producta spectãt, principaliter sunt tria: penes quæ exprimitur vestigium conditoris omnium, sc. essentia, siue substantia, virtus, & operatio: essentia patrem repñtat: virtus filiú: operatio spiritum S. Operatio aút a virtute educitur: virtus vero in essentia radicatur. De completione ergo vniuersi sunt hæc eductio generú rerum in esse, substantia, virtus, operatio eductorú. Nec dico hæc tñ præcisione esse de completione hac: sed simpliciter hæc esse necessaria: non .n. posset cópleri vniuersum; nisi gña rerum, quæ sunt eius partes, producerentur in esse: nec perpetuarentur in esse partes, nisi data esset eis virtus multiplicandi se, siue suam speciem in sibi similibus: secundum quod determinatum est a Philos. dicit enim q. simul cú indiuiduo collata est virtus multiplicandi seipsum in suo simili, vt saluetur illud diuinum appetibile: sic n. Deus compleuit oía, continuam faciens generatione. Adhuc aút requiritur egressio operationis a virtute. De qua August. Pót intelligi Deum requieuisse à cõdendis generibus creaturæ: quia vltra iã non condidit alia genera noua: deinceps aút vsq; nunc, & vltra operatur eorundem generum administrationé. Dr autem Deus operari, cum operatur virtus data creaturæ: quia in oí operatione creaturæ, Deus intime operatur. Concedi ergo pót, q. eductio primi hoís pertinet ad completioné vniuersi. Hæc aút eductio, si ue modus educendi differens fuit ab alijs secundum speciem: vt ex dictis patet. ¶ Præterea, non fuit eductio rei tantum singularis: immo quodammodo generalis: eo quod in ipso corpore completo sua perfectione, sc. anima rationali erat seminaliter totum genus humanum: vnde ratione, qua modus educendi differebat ab alijs secundum spém; & ratione, qua educebatur res non omnino singularis, sed quodammodo vniuersalis; non immerito debet dici esse de completione vniuersali.

¶ Ad hoc, quod primo obijcitur in contrarium. Dicendum, quod nó dr esse contra naturam, q. ab autore naturæ efficitur in conditione naturæ: vt in códitione generum rerum, quibus inseruit legem: secúdum q̃ debebat esse cursus naturæ in productione consimilium: in illa .n. conditione naturam condidit, & esse rerú naturale, & legem propagationis naturalis. Vt .n. dicit Aug. contra Faustum: hoc erit vnicuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est oís modus, numerus, & ordo naturæ: tñ pót dici, hãc eductionem fuisse supra naturam, non contra. ¶ Si contra hoc obijciatur per illud Aug. dicentis ibi contra Faustum. *Non incongrue dicitur aliquid facere contra naturam, quod facit contra id, quod nouimus in natura.* Hoc .n. appellamus cognitum nobis cursum, solitumque naturæ. Ad hoc patet responsio, quia qñ illa eductio erat; nondum fuit cognitus, neque solitus cursus naturæ, producẽdi corpus hominis secundum modum, qui fuit ipsi naturæ insertus. Aliter tñ intelligitur verbum Aug. secundum q. illud dr esse contra naturam, q. est destructiuú naturæ, siue cursus naturæ in operando: sicut faciunt abusores naturarum, & earum cursus peruertentes. ¶ Ad illud, quod sequitur; patet rñsio ex dictis: quia continentia vniuersi non extendit se solum ad illa, quæ sunt: sed ad omnia, quæ aliqñ fuerunt: & ita ad ea, quæ modo non sunt: sicut patet ex autoritate Aug. supra dicta de Lib. Arb. ¶ Ad hoc, quod obijcitur de verbo Dionysij, dicentis quod inconueniens est ponere, q. malum conferat ad completionem oís, &c. Dicendum, quod loquitur Dion. de malo culpæ: quod potest cósiderari multipliciter, sc. vt est malum, hoc est priuatio boni, sc. modi, speciei, & ordinis. Item, vt est culpa, id est, prout suum perpetratorem fœdat, & culpabilem & reum reddit: & neutro illorum modorum sumptum, est ad completionem vniuersi: vnde August. *Non ipsa peccata, vel ipsa miseria sunt perfectioni vniuersitatis necessaria.* Item, potest considerari: vt ex eo elicitur bonum. Vnde August. *Neq; Deus vllum non dico angelorum, sed vel hominum crearet: quem malum futurum præscisset: nisi pariter nosset quibus eos bonorum vsibus accommodaret: atq; ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam & quibusdam quasi antithetis honestaret.* Item, potest considerari inquantum ordinatur ad pœnam: Vnde Aug. *Sicut Deus naturarum bonarum optimus creator est: ita malarum voluntatum iustissimus ordinator: vt cum illa male vtuntur naturis bonis: ipse bene vtatur etiam voluntatibus malis.* Item, potest considerari inq̃tum bonum ei oppositum & comparatum, magis apparet bonum: Hoc ostendit August. Dei. exemplo tali: Sicut pictura cum colore nigro, in suo loco posito congruit: ita vniuersitas rerum cum peccatoribus pulchra est. Secundum istos tres modos occasionaliter est de completione vniuersi.

¶ Ad hoc igitur, quod obijcitur: quod malum non tñ distat &c. Dicendú, quod distantia mali ab esse nó impedit, quin sit de completione vniuersi: sed q. est priuatio modi, speciei, & ordinis, quæ sunt de cópletione & pulchritudine

vniuersi

Marginal notes (left): Id. li. de natura boni. — Aliis, ab ... — Aug. in li. 3. de libero arbitrio.

Marginal notes (right, partly cut off): Aug. contra Faust. — August. ... de ... Dei ... & 8 — Idem ... — Idem ...

vniuersi:& deturpatio illius:cuius est, vt subiecti. Vnde sicut quod partem deturpat, totum deturpat: sic quod à parte alicuius perfectionem tollit, ipsi toti subtrahit aliquid perfectionis. Quia ergo peccatum partem vniuersi reddit imperfectam, habet Dionys. pro inconuenienti, quod non imperfectum esse largiatur toti.

Ad illvd, quod vltimo obijcitur: quod scilicet completum esset vniuersum, si deessent animæ, &c. Dicendum, quod ad completionem vniuersi duo requiruntur, scilicet partes, & maxime principales, quæ requiruntur ad integritatem vniuersi; & ordo earundem in eodem. Si ergo animæ, quę sunt partes principales vniuersi, deessent: constat, quod deficeret aliquid de integritate completionis: similiter quantum ad completionem ordinis. Tamen si aliquæ animæ deficerent, & non omnes; nihil deficeret ordini vniuersitatis: licet fortasse aliquid deficeret integritati: ordo enim non attenditur in numero, vel in multitudine quacunque: sed in differentia eorum, quæ numerantur: propter quod idem potest esse ordo paucorum, & multorum: dummodo eædem sint differentiæ paucorum, quæ sunt multorum. Intentio ergo August. videtur esse: si quædam animæ deessent, nihil minueretur ordini vniuersitatis: non autem, quod nihil minueretur integritati: hoc autem videntur sonare verba sua, scilicet hæc. Si deessent, scilicet animæ, quæ siue peccarent, siue non peccarent: nihil vniuersitatis ordini minueretur: etiam si plurimum deesset, id est, in plurium multitudine. Vel forte litera est, si plurimum deessent, scilicet animæ. Nec videtur, quod August. intelligat, quod nihil diminueretur vniuersitati: quia tūc cōtradiceret sibi ibidē: dicit enim. Inferioris officij est ista, quæ tantummodo, si nō esset; non autem si peccaret; aliquid minus haberet vniuersitas. Item, vt videtur ex serie literæ, loquitur ibi Aug. de ordine officiorum. Quædam enim sunt officia angelorum: quædam animarum, siue hominum. Officia autem hominum omnia continentur, & comprehenduntur in officijs angelorum. Vnde videtur August. dicere, quod si animæ deessent; nihil deperiret ordini vniuersitatis, scil. quantum ad ordinem officiorum: quia angeli habent exercere omnia officia, scil. in genere, vt hominum sunt: vnde quod supra dictum est, intelligit de ordine in officijs; vt habetur ex litera.

Aug. lib. 1. cap. 11.

Paulo inferius.

QVÆSTIO LXXVI.

De causa materiali corporis humani, siue Adæ.

In duo Membra, & in tres Articulos diuisa.

D. Tho. S. Bona. & S o. vbi supra.

SEQVITVR post hæc consideratio de causa materiali. De qua duo potissime quæruntur. Primum quo ad compositionem illius corporis ex elementis. Secundum, quo ad æqualitatem elementorum in compositione.

MEMBRVM I.

De compositione corporis Adæ ex elementis.

DE primo duo quæruntur. Primum, si corpus illud fuit, vel esse debuit ex quatuor elementis. Secundum, supposito quod ex quatuor elementis, cur denominatur ab vno, scilicet terra?

ARTICVLVS I.

An corpus primi hominis debuit esse ex quatuor elementis?

QVæritur ergo primo, Vtrum corpus primi hominis debuit esse ex quatuor elementis. ¶ Quod sic videtur. Anima enim vnitur corpori, vt perficiatur in illo, quo ad actum, vel vsum cognitiuæ, siue cognitionis; & hoc mediātibus sensibus corporalibus: sed sensus apprehendit* per simile: cum ergo sensus omnia corpora, & corporalia apprehendat; necesse est, quod habeat conuenientiam cum omnibus corporibus: sed hoc non posset fieri; nisi compositū esset ex quatuor elementis. Et voco sensum corporalem, non solummodo ipsam virtutem sensitiuam; sed ipsum organum cum virtute, qua perficitur. ¶ Item, quanto forma nobilior est: tanto plurium operationum differentium speciei est principium: sed anima rationalis est formarum nobilissima: ergo est principium plurium operationum: sed operationum huiusmodi vsum exercet, mediantibus organis proprijs: ergo cum organum proprium ei respondeat in conuenienti proportione, necesse est ipsum esse ex multis naturis compositum: illæ aūt naturæ sunt elementa: ergo, &c. ¶ Item, corpora secundum quod progrediuntur in esse in maiori difformitate, siue distantia ab imperfectissimo corpore, sc. prima materia, nobiliora sunt & perfectiora: sicut mixta, quam elementa. Si ergo corpus primi hominis in genere corporum erat nobilissimum, maxime debuit distare per deformitatem à prima materia: ergo debuit esse maxime mixtum. ¶ Item, sicut dicit Alghas. *Cum permixtio elementorum fuerit pulchrioris, & perfectioris æqualitatis &c.* vt supra: sed corpus primi hominis fuit aptum ad susceptionem animæ rationalis: ergo in ipso fuit commixtio elementorum.

* Alias, apprehendit corpora, & per simile.

Alghas Quæst. 75 memb. 2. art. 1. in opponendo.

¶ Contra, anima est substantia simplex: cum ergo omnis vnio sit secundum similitudinem: videtur, quod debuit illud corpus, cui vnitur, esse simplex: & ita non ex elementis. ¶ Præterea, anima vnitur corpori sicut motor, & forma: sed corpus simplex magis est habile ad motum, quam compositum: ergo magis ei aptari debuit per vnionem: prout ipsa anima est motor: similiter prout est forma: cum vtrobique simplicitas esset symbolum: sicut tactum est supra. ¶ Item August. *Sicut Deus est capabilis, & participabilis omnibus: sic anima omnium capax est*; hæc autem capacitas est omnium per acceptionem similitudinum mediante ipsa cognitiua: ergo sibi necessarium est acceptioni, siue comprehensioni animæ corpus sibi multum conueniens in similitudine, & conformitate, prout possibile est; prima autem materia inter corpora maximæ erat capacitatis: quia erat capax omnium formarum sensibilium: videtur, quod debuit corpus huiusmodi, prout possibile est; simile esse suæ perfectioni in capacitate, fieri ex prima materia. ¶ Præterea, elementa singula aptiora sunt, & habiliora ad susceptionem plurium formarum, quam mixtum aliquid: secundum enim quod corpora elongantur à capacitate primæ materiæ per susceptionem formarum vltimatum, minus habilia sunt ad susceptionem diuersarum formarum: vnde elementa habiliora sunt ad susceptionem huiusmodi, quam mixta. Si ergo conuenit animæ, quod vniatur corpori organizato: cuius organa maxime debent esse susceptibilia specierum sensibilium (speciēs enim siue idolum rei sensibilis relinquitur in organo in comprehensione rei sensibilis à sensu) magis conuenit, quod corpus huiusmodi fiat ex vno elemento, quam quod mixtum sit ex omnibus: si enim fieret ex vno elemento, propter conuenientiam eius cum illo elemento organa sensuum habiliora essent ad specierum diuersarum sensibilium susceptionem, quam si esset mixtum ex omnibus. ¶ Item, cum corpus primi hominis erat in genere corporum nobilissimum: videtur, quod debeat fieri ex aliquo corpore, vel corporibus nobilissimis: cuius modi sunt corpora cœlorum, & corpora cœlestia: ergo, &c.

Aug. de anima & spiritu.

RESOLVTIO.

Vt anima rationalis multiplices suas operationes exercere posset: decuit vt corpus ex quatuor elementis compositissimum haberet.

¶ Respon. Vt habetur in Lib. de Fonte vitæ. Corpus* hominum inter omnia corpora compositissimum est: & ratio huius est (sicut scribitur ibidem) quanto substantia aliqua magis est immunis à materia; tanto plurium operationum est effectiua: anima igitur intellectiua cum maxime sit immunis à materia secundum essentiam: & cum similiter multarum sit operationum: & ideo cum has operationes de se habere non possit, nisi prout vtitur organis: oportuit ipsum corpus, per quod eas exercet: esse heterogeneum, & maxime compositum.

* Alias, humanum.

¶ Ad primum ergo in contrarium dicendum, quod licet anima sit simplex propter carētiam dimensionis quantitatiuæ,

tiuæ, siue molis: multiplex est nihilominus multiplicitate potentiarum, siue virtutum operatiuarum. Attendenda ergo est conuenientia corporis, & animæ in hoc: quod vtrumque est multiplex, ista * multiplicitate potentiarum, illud multiplicitate naturarum, & partium organicarum: vnde multiplicitas potentiarum attestatur multiplicitati operationum: & quod tale est; habilius est ad merendum; & per consequens ad glorificandum. Neque debet attendi conuenientia in simplicitate, cum simplicitatis corporis, & animæ conuenientia nulla sit: nisi secundum nomen: huius enim est per carentiam dimensionis quantitatiuæ, siue molis: illius per carentiam commixtionis. ¶ Per hoc patet ratio ad sequens: quia & si habilius esset ad motum corpus simplex: non tamen ita conueniens ad eliciendas multas operationes.

* Alias, multiplicatione.

¶ Ad aliud dicendum, quod angelus cum sit motor tantum; aptat sibi corpus habile ad motum: anima autem cum sit forma, aptat sibi habile ad cognitionem. Nam nec angelus intendit, vt in corpore perficiatur: nec anima: nisi mediantibus sensibus perfectionem cognitionibus assequatur.

¶ Ad duo, quæ sequuntur. Dicendum, quod alius generis, & modi est capacitas corporalium formarum in materia susceptibili: & alius generis, & modi est susceptibilitas specierum sensibilium, siue idolorum in organo sensitiuo: nec vna disponit ad aliam: sed potius ad contrariam: multiplicitas enim operationum, quas exercet anima in corpore; sequitur multiplicitatem organorum: & ita multiplicitatem naturarum, & harmoniarũ. Vnde multiplicitas specierum sensibilium multiplicitati naturarum attestatur: econtra: habilitas ad capacitatem multarum formarum, attestatur simplicitati naturarum, siue naturæ; vnde elementum habilius est ad capacitatem plurium formarum, quam mixtum; vnde rationes propositæ magis sunt contra propositum, quam pro.

¶ Ad vltimum dicendum, quod conditor generum rerú in operibus sex dierum res, & naturas rerum legibus certis, & immutabilibus distinxit: in illa autem distinctione instituit, quid ex quo, vel ex quibus debuit esse immutabiliter, & ex quo nihil. Vnde August. super Gen. 9. Elementa mundi huius corporei habent diffinitam vim; qualitatemque suam; quid vnumquodque valeat, vel nõ valeat: quid de quo fieri possit, vel non possit. Vnde quædam condita erant in possibilitate ad diuersas formas: vt illa, quorum materiei appetitui non fuit satisfactum per formæ impressionem; qualia fuerunt elementa, & elementata quædam: quædam condidit in immutabilitate, & impossibilitate ad formas diuersas: cuiusmodi sunt corpora supercœlestia. & cœlorum: quorum materiei appetitui satisfactum fuit per propriarum formarum impressionem. Hoc instituit dominus certa lege: & immutabili, & prouida, & ordinatissima voluntate: contra quæ ille non faceret. August. *Tam non facit Deus contra * causam, quam volens præstituit: quam contra voluntatem suam non facit.* Fecisse ergo corpus humanum ex materia cœlesti, esset cõtra legem, & naturam rebus à sua causa Deo præstitutam. Non enim indidit Deus ipsis cœlestibus, vt rei alicuius corruptibilis essent materia: propter quod nec ex illis debuit aliquod corruptibile componere. Dicit enim August. *Potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminabiles rationes habent: non tamen id, quod in eis non posuit, vt de his fieri vel ab ipso possit.* Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est: & hæc de vnaquaque re in tempore suo facit, quod antea in ea fecit, vt possit. Quare autem conuenit, vt ex luto fieret, infra dicetur.

Aug. super Genes.
* Alias, naturam.
Idē super eãd quæst.

Ad illud ergo, quod obijcitur, quod corpus primi hominis erat nobilissimum, &c. Dicendum, quod etsi nobilissimum esset, inquantum erat perfectibile ab anima rationali, & consequenter ordinatum ad seruiendum Deo, & beatificandum: tamen corruptibile fuit: corpora autem cœlestia incorruptibilia: & sic quodammodo digniora: contra autem diuinam dispositionem esset, si ex incorruptibili fieret corruptibile.

Art. immediate seq.

ARTICVLVS II.

An recte corpus primi hominis de terra, vel limo formatum dicatur magis, quam de alio trium elementorum?

DEINDE quæritur, ex quo corpus Adæ fuerit ex quatuor elementis: quare dicitur factum de terra. *Deus creauit de terra hominem.* Et obijcitur sic, quod pluribus est commune, non est vni attribuendum: sed commune erat quatuor elementis, vt ex illis fieret corpus Adæ: ergo non debuit terræ attribui. ¶ PRÆTEREA, cum terra maxime sit passibilis secundum August. & corpus Adæ in statu illo minime passibile: videtur, quod non debuit dici ipsum factum ex terra. ¶ PRÆTEREA, cum homo dignissima creaturarum sit; & aliarum bestiarum corpora de terra facta sint: videtur quod similiter corpus hominis deberet fieri de digniori materia: sexto enim die dicitur Deus fecisse bestias de terra Gen. 1. ¶ Item, dicit August. super Genes. *limus est terra humida.* Idem contra Manichæum. *Limus est aqua, & terra commixtio.* Potest igitur quæri, quare magis dicitur formari ex materia continente hæc duo elementa, quam ex continente alia duo. ¶ Item, quæritur, quare dicitur quandoque materia corporis Adæ terra: quandoque limus: quandoque puluis.

Ecc…
Aug. super Genes.
Idē contra Manich.

¶ CONTRA: denominatio sequitur naturam prædominantis: cum ergo in corporib. humanis prædominetur terra: debet dici potius de terra, quam de aliquo alio elemento: secundum Philosophum enim corpora constantia maxime solido, terreno participant.

RESOLVTIO.

Vtique cuius vis horum quatuor doctrinam attenderis, scil. Aristotelis, Augustini, Bernardi, vel Basilij.

¶ RESPON. quatuor sunt causæ, quare corpus humanũ dicitur factum esse de terra: prima Philosophi, secunda August. tertia Bern. quarta Basilij. Nam secundum Philos. plus est de terra in cõpositione mixti: quia minus habet de specie, & magis de materia: quod patet per hoc, quod motus sequitur naturam prædominantis secundum quantitatem: & ideo dicitur factum potius de terra. Secunda ratio est secundum August. scilicet hæc duo sunt elementa habilia ad patiendum, humor & humus: duo ad agendum, ignis & aer: & quia fieri ex hoc, dicit rationem passibilis, & terra inter alia passibilior: & ideo potius dicitur fieri de terra. Tertia ratio, quia terra est vilissimum elementum: ideo ad humiliationem, & cohibitionem elationis dicitur factus de terra limosa, quæ est vilissima, vel de puluere, secundum aliam literam: vnde Bern. *Cogitans te summum Pontificem, cogita vilissimum puluerem.* Vnde non sine mysterio hæ duæ differentiæ, rationale, mortale, positæ sunt in diffinitione hominis: vt si eleuetur ex vno, deprimatur ex altero. Item Greg. *De primis epiphaniis homo cælestis & terrestris, tẽporalis & immortalis, visibilis, & inuisibilis, humilis & excelsus, spiritus propter gratiam: caro propter elationẽ: illud vt intellectũ habens gratia magnificet, & collaudet actorem: hoc ne magnitudine muneris elatus, lapsum ruina excelsioris incurrat.* Quarta ratio est, quod in terra reperiuntur omnia alia elementa secundum Basilium in Primo Exameron, dicentem aquam, & aerem: & ignem terræ cohærere certissimum est: nam ex ferro, & lapide ignis per fricationem solet excuti: quæ vtique de tellure nascuntur. Aquarum quoque naturam venis inesse terrarum fossores indicant puteorum. Nihilominus etiam aerem permixtum esse ex eo cognoscere possumus, quod cum fuerit humectata tellus, & temperiem solis accepit; mox vapores exhalat largissimos.

Bern. ad Eugeniũ
Greger. Naz.

¶ Ad primum ergo obiectum dicendum, quod denominatio erat secundum rationem prædominantis: sicut ex dominio choleræ dicitur aliquis cholericus: non quia in eo non sint humores alij.

¶ Ad secundum patet responsio ex iam dictis: deberet enim argui ad oppositum: quia maxime terra passibilis, ideo de terra factum debuit dici: cum hoc quod dico [*fieri aliquid ex aliquo*] passibilitati attestetur. Posset tamen distingui de hoc nomine [*passibile*] quod dicere potest vel passionem, vel differentiam. sic vno modo passibile, alio vero non: sed de hoc melius infra.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet homo sit dignissima creaturarum ratione, qua est imago Dei: nihilominus

Infra … 86. per…

habet

habet aliquid commune cum bestijs. Propter quod non est inconueniens, si communicet cum eisdem quantum ad ea, quæ sunt materialia corporum eorum: materialia (dico) remota: quia & si ex eisdem materialibus eorum corpora cõponantur; tamen non in eadem æqualitate, & harmonia existentibus: quanta autem sit æqualitas elementorum, & harmonia in commixtione corporis humani; patet ex autoritate Aglas. supra totiens dicta.

¶ Ad hoc quod quæritur, quare magis debuit formari ex materiali continente terram & aquam, quam, &c. Patet responsio; quia (vt dictum est) fieri dicitur ex aliquo ex parte eius, ex quo passibilitati attestatur: humor autẽ & humus habilia sunt ad patiendum, vt habetur ab August. Item re-uera nomine [*limi*] non tantum intelliguntur terra & aqua, sed materia quatuor elementorum: prout erat ad susceptionem formæ corporis humani: sed Aug. loquitur, prout qualitates terræ & aquæ magis notabiliter apparent secundum sensum in limo. Item alia ratio est: vt ex nominatione materialis, ex quo formatur corpus; ostendatur opus & officium, quod exercet anima in corpore. Vnde Gloss. August. super illud. *Formauit Deus hominem de limo. Sicut fit limus in commixtione pulueris, & liquoris: sic anima corporis vnit materiam, nec patitur dissolui.* Glos. Aug. super Gen. 2.

¶ Ad hoc, quod quæritur de multiplici nominatione materialis corporis Adæ. Potest dici, quod potest considerari, vt est quædam massa simpliciter, nondum in formatione: & sic dicitur terra. Vel vt est in formatione corporis: & sic dicitur limus. Vel vt est terminus resolutionis ipsius corporis; & sic puluis. Vnde Philosophus ponit tria, in quæ alia resoluuntur, & ipsa vlterius in alia non resoluuntur, scil. puluis, cinis, & arena. Vel potest dici, quod limus dicitur, vt est materia in formatione; puluis, vt est terminus resolutionis; terra, vt est cõmunis ad vtrunque: vnde Eccle. 17. Deus creauit de terra hominem; secundum imaginem suam fecit illum; & conuertit illum in ipsam, id est terram. Vnde Gl. Interli. Terra es, & in terram ibis.

MEMBRVM II.

De Aequalitate elementorum in composito.

Deinde quæritur, si corpus Adæ erat ex elementis mixtis secundum æqualitatem. Et quoniam triplex est æqualitas, molis vel ponderis, virtutis, & iustitiæ; ideo primo quæritur de æqualitate molis. Secundo, de æqualitate virtutis. Tertio de æqualitate iustitiæ.

MEMBRVM I.

An elementa secundum æqualitatem molis fuerint in corpore Adæ.

Circa primum sic proceditur. Quæritur primo; si elementa secundum æqualitatem molis fuerunt in corpore Adæ. Quod nõ, videtur sic: vt supra dictum est, & vult Philosophus: denominatio fit à natura prædominante tantum: licet corpus primi hominis formatum fuerit ex quatuor elementis; tamen dicitur formari de terra propter rationem prædominantis: sed non habet terra prædominium virtutis (quod patet cum sit elementum, minimum habens de specie, & minime actiuum) igitur quia prædominatur in mole. ¶ Item August. 7. assignans differentiam inter creationem animæ, & corporis plasmationem, dicit. *Quid est, vnde anima flatu Dei facta est: nam quid est aliud limus, nisi terra humida.* Ex hoc videtur, quod corpus primi hominis fuerit solummodo compositum ex limo, qui est terra & aqua: quod dicitur ex his componi propter Dominium illorum in corpore ipso: & siue sic, siue sic; elementa non sunt in æqualitate molis in ipso. Mẽb. immediate præced. Art. 2. — Aug. super Genes. 7.

¶ Si diceretur quod hæc, scilicet terra & aqua habent prædominium in virtute; quod tamen non credo esse verum. Ex hoc adhuc sequeretur propositum: quia impossibile est hæc habere in aliquo prædominium virtutis, nisi haberent prædominium molis. ¶ Item, si æqualis essent molis, aut quantitatis; igitur ibi esset omni moda in temperantia, & improportio virtutis: quia virtus ignis improportionabiliter excederet virtutem terræ: & ipsam; cum sit corpus inflammabile (vt patet in impressionibus elementaris, vt patet ex vapore terrestri) inflammaret, & consumeret: vel forte aqua ignem destrueret: & ita nullo modo miscerentur. ¶ Preterea, in corpore humano abũdant partes grossæ respectu subtilium: sed grossæ fiunt ex soliditate terrena: ergo per inæqualitatem molis se habent elementa. Maior manifesta est sensui: minor patet per August. *Non est quidem anima humana natura nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne quolibet: sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est humidam quandam terram, quæ in carnis versa est qualitatem: per subtiliorem naturam corporis administrat, id est, per lucem & aerem*: Et parum infra. *Anima, quantũ res est incorporea: corpus, quod incorporeo vicinum est, sicuti ignis; vel potius quasi lux, & aer primitus agit: & per hoc cætera, quæ crassiora sunt corporis, sicuti humor, & terra: vnde carnis corpulentia solidatur.* Aug. super Gen. lib. 7. c. 15 in vltimis verbis.

¶ Contra. omnis mixtio est secundũ minima, sed minimi ad minimũ nõ põt esse proportio inæqualitatis: ergo, &c. ¶ Itẽ, quælibet pars mixti est mixta: vnde in singulis partibus mixti est reperire vnionem miscibilium. Ex his potest sic argui. Vbicunque est reperire vnum elementum secundum molem, est reperire aliud; & eisdem terminis clauditur: ergo nullum excedit, nec exceditur ab alio: æqualis est ergo extensio omnium secundum molem, siue molis dimensionem: ergo sunt ibi in æqualitate molis. ¶ Item, vt habetur ab Algas. cum commixtio elementorum fuerit pulchrioris & perfectioris æqualitatis &c. tunc est corpus aptũ ad susceptionem animæ rationalis: ergo in illo erat commixtio elementorum in perfectiori æqualitate: sed (vt habetur à Constantino in Pantegt.) æqualis est commixtio elementorum, quæ continet æqualiter quantitates & qualitates elementorum: ergo &c. Algas.

RESOLVTIO.

Corpus Adæ, quinimmo nullum tale potest habere in se elementa secundum æqualitatem molis (intelligendo tamen molem idem, quod æqualitatem materiam mixtorum) si quidem aut talis æqualitas non datur: aut corpus illud nec quiescet, nec mouebitur.

¶ Ad horum euidentiam notandum: quod duplex est æqualitas cõplexionis. Vel in qua nullius qualitatis est excessus ab optima temperantia; vbi nullum elementum vel qualitatiue, vel quantitatiue abundat respectu alterius. & hoc est magis secundum rationem, quam secundum rei & existentiæ naturam: ista non fuit in Adam. Alia est æqualitas, in qua licet qualitatis, vel qualitatum sit excessus, non tamen vltra metam secundi gradus extenditur: secundum quod dicunt * Philosophi: quod complexio æqualis dicitur incolumis vsque ad secundum gradum: & ista æqualitas non ponit æqualitatem à mole, sed magis à iustitia: & hæc fuit in corpore Adæ: & tanto melior, quanto melius complexionatum: non tamen intendimus de æqualitate à iustitia hoc modo; hoc est in sensu, in quo vtuntur physici: sed alio modo: vt infra patebit. Concedendum est ergo, sicut ostensum est: quod elementa non erant in corpore Adæ secundum æqualitatem molis: & dicimus hic molem qualitatem materialem mixtorum. Quod autem elementa non possunt esse in corpore secundum æqualitatem à mole; hæc est ratio. Quædam sunt elementa magis habentia de materia: alia magis de spẽ. Quæ magis hñt de materia, magis cõprimuntur, quæ magis de spẽ, magis distenduntur: propter ꝙ non põt esse æqualitas molis, sed necessitate inæqualitas. Rõ alia ad idem est: si esset æqualis complexio hoc modo, tunc corpus illius complexionis nec quiesceret, nec moueretur. Si. n. quiesceret in terra; tunc terra vinceret. Similiter si quiesceret in aere, tunc aer vinceret. Si autem moueretur ab aere in ignẽ, tunc ignis vinceret. Si vero moueretur ad terram; tunc terra esset vincens. Si aũt quiesceret in aere; tũc aer esset vincens. Cõuenit igitur ei, vt nec quiescat in loco, nec moueatur ad locum: quod est impossibile.

* Alias, physici. — Art. 3. immediate seq.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur contra hoc. Dicẽdum, quod pars dr̃ minima secundum spẽm, & secundum materiã. Secundũ spẽm illa, sc. in qua saluatur spẽs, & in quo minori non põt spẽs sine forma saluari: & hoc mõ sumpto minimo, nõ est mixtio secundum minima: quia secundum hoc miscibilia essent in mixto secundũ suas species: & esset cõpositio, non mixtio secundũ materiã. Et hoc dupliciter: vno mõ secundũ ꝙ q̃ta est: & hoc mõ, quia materia inq̃tum

dicitur lex naturæ seruari quo ad hoc, quod produceretur corpus ex corpore; sicut modo fit per decisionem substantiæ, sed modis prætactis: tunc enim oporteret generationem esse, vel circularem, vel infinitam à parte ante.

MEMBRVM II.

Si corpus Adæ ab angelo aliquo esse potuit.

AD secundum, quo quæritur si corpus primi hominis potuit formari à creatura spirituali, scilicet ab angelo. Et primo, si à bono angelo. Secundo, si à malo, scilicet à diabolo, vel dæmone.

ARTICVLVS I.

An corpus Adæ ab Angelis formari, vel condi potuit.

PRIMO articulo quæritur, si bonus angelus potuit formare, vel condere corpus primi hominis. Quod non, videtur sic: sicut ostendit August. *Angeli non poterant formare mulierem ex costa viri*: sed in maiori distantia, & minori dispositione est puluis siue lutum ad corpus humanum, quam os & caro humana, & difficilior transmutatio (cum in habentibus symbolum sit facilior transmutatio) ergo si angeli impotentes erāt facere corpus humanum, siue muliebre ex carne, & osse humano: multo fortius erant impotentes corpus humanum formare ex puluere, & luto. ¶ ITEM, Non est diminuta virtus siue potestas angeli post tempus conditionis primi hominis: ergo si nunc non potest angelus educere corpus humanum in esse ex seminalibus rationibus existentibus in elementis: nec tunc poterat. Quod nunc non potest, ostenditur sic. Nullius rei substantia propriè & per se educendæ in esse per naturam, potest educi in esse ministerio angelico: corpus humanum est tale: ergo &c. Probatio primæ: vt dicit August. super Genes. 9. *Insunt rebus corporeis rationes, quibus cum data fuit oportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus*: prorumpunt (inquam) per se operatione naturæ, quantacunque enim solicitudine operaretur angelus circa horum productionem in esse, nunquam in esse producerentur, nisi natura operante: Bene tamen operatione naturæ in esse producerentur, angelo non cooperante: sicut quantacunq; sollicitudine operaretur agricola circa productionem segetum, vel arborum; nunquam producerentur in esse, nisi operaretur natura. Vnde angelus cooperans naturæ in naturalium productione, solummodo expedit, & accelerat operationem naturæ: Nec est educens rem naturalem in actū, vel in esse, nec potens educere: sicut nec agricola segetes, vel arbores, sed natura potius, quæ propria virtute sufficit ad horum productionem in esse tempore congruo. ¶ ITEM Si angelus potuit formare, vel condere corpus humanum; tunc fuit possibile & ponibile: Ponatur ergo: inde sic. Angelus eduxit in esse corpus Adæ: ergo angelus fuit conditor alicuius substantiæ, contra Damascen. Quicunque dicunt angelos conditores, hi omnes sunt os patris sui diaboli.

(Margin: Aug. 9. super Gen. ad literā. cap. 15.)

(Margin: Aug. 5. super Gen.)

¶ SI dicatur, quod ibi sumitur conditor pro creatore. Nec hoc impedit processum rationis: cum formatio primi hominis ex puluere fuerit creatio quædam: vt infra patebit.

¶ CONTRA eiusdem est potentiæ, & amplioris, reformare corpora mortuorū ex puluere: & formare ex puluere: vtrobique n. videtur esse potentia passiua vel obediētia materialis tantum; primum autem fiet ministerio angelorum, sicut dicitur: ergo videtur, quod & secundum fieri possit: & ita videtur quod corpus primi hominis potuit formari de luto, vel pulueribus ministerio angelorum.

(Margin: Quæst immediate seq. memb. 1.)

¶ PRÆTEREA super Gen. 9. August. *Nonnulla est in angelis potentia, vt aliquid creetur.* Ex hoc arguitur sic: cuicunque conuenit potentia, potest conuenire actus illius potentiæ, sed potentia creandi conuenit angelis: vt patet ex autoritate prædicta: ergo, & actus conuenire potuit, & ita nihil impedit, quin corpus Adæ potuit educi in esse ab angelo; etiamsi illa eductio esset creatio. ¶ ITEM, vt habetur ab August. super Genes. *Corpus Adæ fuit in temporibus sex dierū seminaliter*, sc. in quatuor elementis. Si ergo angeli nouerunt proportiones elementorum, quæ requirebantur ad conditionem corporis humani, & constat quod ministerio eorum poterant coaptari, & compingi in tali proportione; relinquitur, quod poterant corpus primi hominis formare.

(Margin: Aug. 9. super Gen.)

(Margin: Idem ibid.)

RESOLVTIO.

Corpus Adæ ab angelis formari non potuit: quia nec ad id potentia eorum ordinata erat.

¶ RESPONDEO, concedendo, quod angeli non poterant per eorum ministeria educere corpus humanum: nec ad hoc erat potentia eorum ordinata: vt patet in Quæstione de Miraculo. Et hoc dicit August. super Genel. 9. Formare, vel ædificare costam; vt mulier esset: vsque adeo non potuit nisi Deus: à quo vniuersa natura subsistit: vt nec illud quidem supplementum carnis in corpore viri, quod in illius costæ successit locum; ab angelis factum esse crediderim: sicut nec ipsum hominem de terræ puluere.

(Margin: Supr. q. 42)

¶ AD primum ergo dicendum, quod non est simile de formatione, & reformatione: nam in pulueribus, ex quibus erit reformatio; erit quædam aptitudo, siue appetitus ad hoc, quod simul vniātur in corpore, & vlterius ad vnionem cum anima: cui attestatur ordinatio corporis ad necessitatem non moriendi, quæ quidem aptitudo non erat in pulueribus, vel in luto; ex quibus formabatur corpus primi hominis. PRÆTEREA, etsi ministerio angelorum (sicut dicitur, quod tamen ego non assero) fiat reparatio corporum, quæ resurgent: non tamen credo, quod illa reparatio, inquātum erit ab angelis, sit vltimæ complexionis, siue perfectionis, sed quædam compactio, siue coadunatio partium in toto vltima completione à suo conditore reformando, de hoc habetur plenius intra, cum agetur de Resurrectione.

¶ AD aliud dicendum, quod angeli creare non possunt: possunt tamen iussu Dei, inquantum voluntati eius obediunt; de rebus subiectis tanquam materiam ministrare; vt aliquid creetur: vnde August. super Gen. 9. Cum Deus vniuersam creaturam suam bipertitam quodammodo opere prouidentiæ & in naturalibus, & in voluntarijs motibus administret; creare naturam tam nullus angelus potest, quam nec seipsum. Voluntas vero angelica obedienter Deo subdita, eiusque executa iussionem, naturalibus motibus de rebus subiectis tanquam * materiam ministrare: vt secundum illas principales in verbo Dei non causatas, vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur; more agricolandi, vel medendi potest. Et est exemplum August. de medico; qui ægro adhibet alimentum, & vulnerato medicamentum: non hoc facit de rebus, quas * creauit, sed quas causatas inuenit: de huiusmodi autem, quæ adhibet; nec vires creat, nec carnem, sed natura potius hoc agit, operatione medici adiuta.

(Margin: * Alias, materiā.)

(Margin: * Alias, causauit.)

¶ AD vltimum dicendum, quod etsi angeli sciant proportiones elementorum, quæ requiruntur ad formationē corporis humani, & elementaria materialia corporis humani debita formatione membrorum compingere: tamen corpus humanū formare non possunt. Illā n. harmoniam, & dispositionem, qua aptum est susceptionem animæ rationalis; & ita tanquam propria & debita perfectione perficei; imprimere, siue interere non possunt: quod necessario requiritur ad corpus humanum: sicut infra melius patebit.

(Margin: Art. seq.)

ARTICVLVS II.

An corpus Adæ à dæmonibus in esse educi potuit?

AD secundum, quo quæritur: Vtrum corpus primi hominis poterat educi in esse ministerio mali angeli: hoc est: Vtrum malus angelus poterat educere illud in esse. ¶ QVOD non, patet ex rationibus, quibus ostensum est supra, quod nec angelus bonus hoc potuit.

¶ CONTRA, angelus malus tempore conditionis primi hominis non fuit minoris potentiæ, quam nunc: sed

(Margin: Art immediate præcedenti.)

constat,

constat, quod tam boni angeli, quam mali assumunt corpora humana, in quibus apparent, quæ formant ex ipsis elementis: ergo videtur, quod tunc similiter potuerunt, & ex hoc videtur, quod mali angeli poterant formare corpus primi hominis. ¶ Item, August. dicit: *Non hoc oportet mirari: quia omnia, quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris huius non absurde fieri posse creduntur.* Ex hoc videtur, quod non solum modo corpora humana, sed etiam & alia, quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris, & dæmones fieri possunt.

Aug. in li. 83. qq. q. 45.

¶ Si diceretur, quod Aug. loquitur de operibus mirabilibus, siue miraculosis, quæ quandoque visibiliter fiunt, quod videtur per hoc, quod loquitur de factione serpentis à Magis, & Moyse. Exod. 7. Hoc non impedit processum rationis, quia si opera mirabilia, quæ visibiliter fiunt, possunt fieri per inferiores potestates aeris: multo fortius & alia, quæ subiacent naturæ. ¶ Item, cum optimè sciant naturas, & portiones rerum naturalium, siue elementorum, & semper sciuerunt; non est dubium, quin scirent à principio conditionis hominis, quantū deberet esse in semine humano de quolibet elemento: similiter, & proportionē elementorum in tali proportione cōmiscere: & sic semē, quod est materia corporis humani facere. ¶ Præterea, cum scirēt, qua proportione caloris, & ex quibus nutrimentis embrio caleseeret, & confoueretur: constat quod sciuerunt vas aliquod parare, quod tali calore vigeret, & huiusmodi nutrimentum abundaret, & ita fœtum huiusmodi nutrire, & nutriendo ad statum conuenientem perducere: videtur quod tunc sciebant, & poterant corpus humanum in esse sine viro & muliere producere. ¶ Item, Hoc videtur per hoc: quod quia dracones erāt seminaliter in rebus corporeis, mali angeli produxerunt eos in esse: similiter & boni, q̄ vult Aug. dicens: Si vero dracones facti sunt ex virgis magorum, non fuerunt tn̄ creatores draconum, nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa fiebant: insunt n. rebus corporeis, &c. & post. Nec dicūtur angeli, qui faciunt ista; animaliū creatores, sicut nec agricolæ segetum, vel arborū, &c. Ecce planè habetur ab Augu. q̄ dracones fiebant à bonis angelis, & malis, & illos facere poterāt, & hoc quia erant in rebus corporeis s̄dm seminalem rationē: similiter videtur in proposito. ¶ Item, maius est corpus organizare, qualitates elemētares ad æqualitatē perfectam deducere: ergo cum malus angelus possit illud, q̄ maius est; pōt illud quod minus est, sed ad hoc quod corpus humanū educatur in esse, ista duo sufficiūt, s. perfecta æqualitas qualitatū, & corporis humani organizatio. De primo dicit Alghazus. Cum cōmixtio elementorum fuerit pulchrioris & perfectioris æqualitatis: tunc erit dispositio ad susceptionem animæ rationalis.

Quæst. incidentalis.

¶ Iterum, quæritur incidenter: si dæmones possunt generare: & sic corpus humanum ad esse perducere, sicut opinatur de Merlino: qui (vt dicitur) genitus fuit à dæmone incubo. Quod videtur ratione prætacta: quia noscunt, quantum sit in tanto semine de quolibet elemēto, & in qua proportione, & proportiones elementorum, & tales proportiones in tali proportione sciunt cōmiscere, & sic semen humanum facere, & matrici infundere, & sine viro corpus producere. Item, sciunt semen decisum à viro colligere, & in illa virtute, qua decisum est, cōseruatum in matrice apta ad prolis productionem infundere, & ita vt prius. Item, *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei:* Ergo si aliqua est potestas in terra, quæ potest corpus humanum producere in esse, &c.

Iob. 14.

RESOLVTIO.

Si boni angeli corpus Adæ condere, vel producere non potuere: multo magis nec mali. Quippe qui vtrique circa naturalia agentes, vt artifices sese habent: nec nisi aut expedire, aut accelerare opus naturæ queunt.

¶ Ad hoc dicēdum sine præiudicio, quod nullam rem, cuius propriè natura est causa; pōt angelus bonus, vel malus educere de potentia seminali in actum, vel in esse: sicut supra tactum est in opponendo. Cuius ratio est hæc, quod cum duplex sit operatio creaturæ: quædam sc. agentis à necessitate; vt illa, quæ est naturæ, & quædam agentis per electionem; vt illa, quæ est voluntaria: illa, quæ est angeli, cadit sub secunda differentia: vnde Aug. *In ipso mundo gemina operatio diuinæ prouidentiæ reperitur: partim naturalis, partim voluntaria: naturalis quidem per occultam Dei administrationem, qua etiā lignis, & herbis dat incrementū, voluntaria per angelorū opera, & hominum.* Est ergo operatio angelica quantū ad ea, quæ operatur in mundo, voluntaria: vnde & artificialis: maximè cū operatur in mundo circa hæc inferiora, in producendo illa in esse, vel perficiendo. Vnde angelus in talibus est agens, vt artifex; & operatio eius operatio artis, & operatum ab eo artificiale. Vnde nihil, quod propriè est producendum in esse secundum decretum naturæ; potest ab angelo produci in esse, sicut nec naturale potest esse artificiale: Potest tn̄ angelus naturam expedire, & in productione rerum naturaliū in esse, opus illius accelerare, sed illud in esse producere, non potest: sicut nec agricola segetes, vel arbores. Quod manifestè patet, quia si in huiusmodi producendis esse in multa sollicitudine angelus operaretur, cessante operatione naturæ, in nullo proficeret. Vnde Anselm. *Sicut creata natura nihil per se facere potest, nisi quod voluntate Dei accepit, sic voluntas creaturæ nequit quicquam per se operari, nisi quod natura adiuuat; vel concedit.* Est ergo agens vt artifex: propter quod ab August. comparatur medico & agricolæ, vt supra dictum est. Vnde corpus compositum ab angelo, siue bono, siue malo ad effigiem corporis humani, est corpus artificiale, non naturale, vnde nec corpus humanum, quod per se est corpus naturale: sicut nec corpus artificiale ad effigiem corporis humani compositum, vt statua, vel huiusmodi.

August. 8. super Genes.

Ansel. de cōceptione Virginis.

Art. immediatè præceden. in respond. ad arg.

¶ Patet ergo, qualiter ad primum respondendum est, quia corpora formata & assumpta ab angelis, siue bonis, siue malis, non sunt corpora humana, sed artificialia quædam, ad humani corporis effigiem composita.

¶ An illud quod dicit August. scil. *Quod omnia, quæ visibiliter fiunt, &c.* Dicendum, quod August. intendit determinare, quod dæmones facientes miracula, siue mirabilia, similia illis, quæ fiunt ab angelis bonis; faciunt illa verè, & non phantasticè. Vnde vult dicere, quod ab angelis malis fiunt miracula, similia illis, quæ fiunt ab angelis bonis: sicut fuit de serpente Mosi, & serpentibus magorū. sicut enim verus fuit serpens, qui proiecta virga Moysi, in terra fiebat quodammodo ministerio bonorum angelorum: similiter fuerunt veri serpentes magorum, quodammodo facti ministerio malorum.

Aug. in li. 83. qq.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod si possent in opera mirabilia, quæ sunt supra naturam; multo fortius & in illa, quæ subsunt naturæ. Dicendum, quod non sequitur, quia quādoq; dicitur opus mirabile siue miraculosum ratione modi agendi, non ratione rei actæ, siue productæ in esse: sicut fuit de mirabilibus quibusdam factis in Ægypto: vt sc. de mutatione aquæ in sanguinem, & virgarum in colubros, & alijs huiusmodi: quæ (vt vult Aug.) naturalia erant: Determinat enim, quod insunt rebus corporeis per omnia elementa mūdi, quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit oportunitas, prorūpunt in species debitas, quibus agricolæ præbent quasdam visibiles oportunitates, & causas nascendi: & quod illi faciunt visibiliter, hoc angeli faciunt inuisibiliter. Vnde quia angeli ministrant inuisibiliter, & repente productionem talium, quod ministraret natura visibiliter & successiuè: Nec est differentia, nisi in modo producendi, quia hic repente, & inuisibiliter; illic temporali protelatione & visibiliter: dicit Aug. huiusmodi opera naturalia.

¶ Verumtamen ratione modi producendi in esse, qui quidem repentinus fuit, & contra solitum cursum naturæ; qui erat ministerio angelorum, erant illa opera mirabilia. Ex quo patet, quod angelorum, ministerio quandoque euenit aliqua mirabiliter produci in esse: quæ tn̄ secundum ordinationē effectuū ad suas causas naturalia sunt, & opere naturæ in esse producta. Ex quo patet, q̄ hoc argumentum non valet, per se loquendo: angeli possunt in opera mirabilia: ergo possunt producere in esse naturalia. Intelligendum est tamen, quod in opere prædicto, & consimilibus opus operans erat mirabile, in quod solum potest an-

gelus:

Sclus; opus operatum naturale, in quod non potest. Potest enim angelus mirabiliter operari, id est, contra cursum naturæ, sicut supra; vt fiant naturalia: non potest illa facere.

¶ Ad aliud dicendū, quod supposito, quod nouerunt proportiones elementorū, & portiones, quæ requiruntur ad seminis compositionem: & quibus nutrimentis, & qua temperantia caloris fœtus est conseruandus, & nutriendus: non tamen possunt de seminalibus rationibus educere corpus humanum in esse: quia ad hoc quod corpus humanum ex semine educatur in esse præter substantiam seminis; requiritur dispositio, siue virtus; quæ relinquatur in semine ex virtute decidentis, siue generantis: & fortè à tota specie illius, qua præparetur, & disponatur ipsum corpus ad animæ susceptionem: sicut propriè & per se perfectibile ab eadem. Quod patet per hoc, quod nō oēs, qui possunt decidere semen; possunt generare. Dicendum ergo, quod semen quocunq; modo fuerit habitum; nisi fuerit decisum à corpore perfecto anima rationali, in quo relicta fuerit virtus à decidente; qua corpus ex illo educendum præparetur, & disponatur ad animæ susceptionē, vt ad propriam sui perfectionem; non potest esse materia corporis humani.

¶ Ad aliud dicendum, quod non intendit Aug. q̀ dracones, de quibus obiectum est; facti fuerunt, siue à bonis, siue à malis angelis: quia tunc non determinaret illa opera naturalia fuisse: sed dicit illos factos fuisse ab angelis, eo genere loquendi, quo ille dicitur facere, qui iuuat, & expedit facientem per se.

In resolutione huiusce Art. ¶ Ad aliud, quod sequitur, patet ratio: quia corpus cōpositum ab angelis, cum sit artificiale; vt supra tactum est; non est corpus organizatū: nec potest angelus huiusmodi corpus organizare: licet possit partes quasi membra quædam compingere: & illis quasi instrumentis vti, non organis. Qualiter intelligendum est illud verbum Alghas. scilicet, cum commixtio elementorum fuerit &c. infra determinabitur. Quæst. 77 memb. 2. art 1. in fi.

¶ Ad hoc, quod postea quæritur: si dæmones incubi possunt generare: & sic corpus humanum ad esse perducere: Dicendum, quod non possunt: quod patet ex prædictis: Potest tñ dici sine præiudicio, q̀ si semen matrici infusum à dæmone incubo, fuerit decisum à potente generare, & validum ad hoc, vt de eo fiat corpus humanū, & seruatum fuerit vsq; ad infusionem in virtute, in qua decisum fuit: similiter & fuerit ex parte mulieris recipientis, quæ requiruntur, & sufficiunt ad fœtum perficiendum: bene poterit produci ex tali materia in esse corpus humanum. Si autem semen infusum matrici, aliqua arte extractum fuerit à corporibus elementaribus, in quibus latent rationes seminariæ, nullo modo ex huiusmodi semine educetur, in esse corpus humanum: cuius ratio patet ex prædictis.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod non est super terram potestas, &c. Dicendum quod etsi maxima sit potestas illius, & maior potestate potentis generare: quia tamen à datore potestatis illius non est data ad hoc; nullo etiam modo potest in hoc: Non enim potest creatura in aliquid, nisi in illud, in quod data est illi potestas à conditore, siue datore eiusdem.

MEMBRVM III.

An natura inferior, puta virtus cœlorum, aut astrorum, vel etiam ipsamet virtus corporibus inferioribus insita, Adæ corpus inesse producere potuerit?

Ad tertium membrum principale huius quæstionis, quo quæritur: Vtrum natura inferior, vt virtus cœlestis, siue astrorum, vel etiam ipsa virtus insita corporibus inferioribus, potuit producere corpus primi hominis in esse. Et videtur primo, quod non. Omne ducens aliud in esse, nobilius est eo, quod educitur per ipsum: ergo si in genere corporum corpus primi hominis fuit nobilissimum, etiam secundum statum, quo cōditum erat: nulla virtus corporis poterat illud educere in esse: cum illa virtus sit nobilior substantia, cuius est virtus. ¶ Item, dicit Damasc. *Nos dicimus quoniam astra non sunt causa alicuius eorum, quæ fiunt: neque corruptionis eorū, quæ corrumpuntur*: Ergo nulla fuit eis data potestas faciendi, aliqua eorum, quæ fiunt à suo conditore: cum ipse nihil agat frustra: neq; deficiat in necessarijs. ¶ Præterea, si poterat producere illud in esse; aut hoc fuit mirabiliter, aut voluntariè, aut naturaliter: Non mirabiliter: quia solus Deus operatur in eum sic mirabili, secūdum quod dicit Ansel. Non voluntariè: quia hæc est operatio substantiæ agentis per electionem. Non naturaliter: quia comparatio naturæ requirit assimilationem in materia, & specie: est n natura vis insita rebus, procreādi similia ex similibus: sed inter corpora cœlestia & alia corpora inferiora non est huiusmodi assimilatio cum corpore primi hominis: ergo &c. Damasc. Anselm.

¶ Contra, August. *Insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes: quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus*: Ex hoc verbo August. patet, quod ea, quorum sunt rationes seminariæ occultatæ sunt in rebus seminalibus, vel elementaribus, data temporis oportunitate, exeunt in esse: & constat, quod iste exitus est per operationem naturæ: ergo cum corpus primi hominis secundum seminalem rationem erat in rebus operum sex dierū; videtur quod data temporis oportunitate, eductū esset in esse operatione naturæ: sed hoc esse non posset, nisi natura hoc posset: ergo &c. ¶ Item, August. dicit: Si omnium futurorum causæ mundo sunt insitæ: cum ille factus est dies: quando Deus creauit omnia simul: non aliter Adam factus est (sicut est credibilius) iam perfectæ virilitatis; quam erat in illis causis: vbi Deus hominem in operibus sex dierum fecit: ibi enim erat non solum, vt ita fieri posset, verum etiam vt eum ita fieri necesse esset. Si ergo ita erat corpus primi hominis in illis causis, non solum, vt fieri posset: sed vt ipsum fieri necesse esset: videtur, quod in causis istis non tantum erat possibilitas producendi illud in esse, sed necessitas. ¶ Item solū corpus humanum est dispositū ad susceptionē animæ rationalis: quod ergo potest facere corpus dispositum ad susceptionē animæ rationalis; potest facere corpus humanum: sed hoc potest facere natura cœlestis: ergo &c. Quod potest, probatio. Dicit Alghas. Cum commixtio elementorum fuerit pulchrioris & perfectioris æqualitatis; tunc erit dispositio ad susceptionem animæ rationalis. Sed natura cœlestis pōt facere huiusmodi cōmixtionē elementorum: potest n. per influentiā virtutis lucis contrarietates elementorum conciliare; & consequenter per actiones frequentes quod erat immensum temittere, & quod remissum intendere: igitur cum inter qualitates elementares contrarias non sit maxima distantia, & natura agens incessanter agat (dicit enim Alghas. *Non cessat natura operari in materia: sicut nec dator formarū influere*) videtur, quod possit huiusmodi æqualitatem facere elementorum. ¶ Item triplex est conditio materiæ, potētia, dispositio, & necessitas: omne agens in materia inducens dispositionem in illa per actuum multiplicationē, inducere pōt necessitatem in eadē: Hoc patet per exemplum, & rationem. Exemplum est, q̀ calidum, vt ignis disponens materiā aeris ad susceptionē formæ ignis, potest continua actione inducere necessitatem ad eandem. Hoc idem patet ratione tali. Cum non sit infinita distantia inter qualitates elementares, siue contrarias, siue alias: cum vnum agat in aliud: si quomodo agens potest disponere patiens ad illius formæ susceptionem, potest actione frequenti inducere necessitatem ad eandem. Ideo videtur de virtute cœlesti, quod cum possit materiam corporis humani disponere ad susceptionē animæ rationalis; vt ex prædictis patet: cum sit continue agens: pōt in eadē necessitatē inducere ad eandem: q̀ non pōt esse, nisi per eductionem corporis humani in esse. ¶ Item, anima vegetabilis cum sit vita quædā, dignior est omni corpore humano, inquantum est corpus: hoc aūt patet per Aug. in multis locis. Sed natura cœlestis inducit animam vegetabilem in esse: quod patet in Lib. de Vegetabilibus: vbi appellatur terra mater plantarū, & sol pater: si igitur potest illud, q̀ est maius, & nobilius; potest & illud, quod est minus, & ignobilius. ¶ Item, per impressiones relictas inferioribus à corporibus supercœlestibus, siue à virtute cœlesti, educitur in esse minuta animātia: per accessum n. solis secundum motum eius annuum; (vt manifeste videmus) minutorum sensibilium fit renouatio. Si ergo huiusmodi minuta ratione animæ sensibilis, qua agunt, & sensificantur, nobiliora sunt omni humano corpore, inquantum est corpus: videtur idem quod supra. August. in glo. Exod. 7 Aug. in 6 super Genes. ad litt. cap. 18 in primis verbis. tom. 3. Alghas.

¶ Item

Philos.

¶ Item, vt ostendit Philosoph. sc. Albumasar in Libr. introductorio ad artem Astronomiæ. In locis, in quibus abundat frigus vehemens, siue superfluum propter solis remotionem: aut calor immoderatus, siue superfluus: propter nimiam eiusdem appropinquationē non educitur aliquod animal in esse, sed solummodo in locis medijs, in quibus calor, & frigus in quodam temperamento se habent ex cōuenienti situ solis. Ex his patet, quod ex potentia virtutis corporis solaris in proportione conuenienti animalia sortiuntur esse: & ex contrario non. Ex quo patet virtutem cœlestem, & maximè solis posse animalia producere in esse: ex quo videtur, ꝙ & corpus humanū, vt prius. ¶ Item, vt dicit Hug. *homo factus est, vt Deo seruiret, propter quem factus est: & mundus factus est, vt seruiret homini.* Si ergo mundus factus est, vt seruiat homini, sed aliqua, quæ sunt de nobilioribus partibus mundi; sicut stellæ, sunt causa dissolutionis corporis humani; & in illam possunt: Videtur, quod illæ stellæ, vel aliqua alia sint causa compositionis corporis humani, & in illam possunt, sed potestatem, quā habent ea, quæ principaliter agunt in mundo, habebant à principio: ergo à principio erat potestas in eis componendi corpus humanum. Quod autem stella aliqua, videlicet cometa sit causa dissolutionis huiusmodi, videtur sic. Vt volunt Philosophi: in omni re complexionata terrestri sunt res corporeæ spiritales assimilatæ naturis cœlestibus, incorporatæ ipsis rebus complexionatis: quæ res spiritales separabiles sunt à rebus complexionatis per actiones corporum supercœlestium. Cumque fit hæc operatio: relinquitur res à natura complexionata: siue dissoluitur complexio, & infirmatur res, & corrumpitur.

Hugo.

¶ Præterea, Ponunt Astronomi, quod omnis stella sit de natura vnius septem planetarum. Ponunt etiam, quod si fuerit aliqua stella trahens comam de natura Solis: virtus eius, quæ scilicet sublimauit comam, & separauit à natura terrestri: separauit spiritus, qui sunt in corporibus complexionatis, assimilati naturæ solis: & erit infirmatio, ac corruptio in hominibus, & sementis, quibus Sol principaliter dominatur. Similiter si fuerit stella trahens comam de natura Martis, patientur detrimentum, aut corruptionem res materiales, & similiter currit res per cæteros planetas. Ex his videtur, quod stella comata sit causa infirmationis, & corruptionis corporum humanorum.

¶ Præterea, Astronomi ponunt stellam aliquam esse causam corruptionis corporum humanorum, & aliorum naturalium. Damasc. ponit contrarium, scilic. quod ipsa astra non sunt causa alicuius eorum, quæ fiunt, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur.

RESOLVTIO.

Nulla inferior virtus Adæ corpus in esse producere potuit: quia nulli earum à Deo datum fuit.

¶ Ad hoc potest dici, quod nulla natura inferior poterat corpus primi hominis deducere in esse: hoc autem non fuit alicui creaturæ inferiori, nec superiori datum à Deo. Vt enim dicit August. contra Faustum. Illud erit cuiq; rei naturale, quod ille fecerit, à quo omnis modus, & numerus, & ordo naturæ: vnde natura inferior nihil potest, nisi quod est ei naturale: ergo &c.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod licet corpus primi hominis secundum seminalem rationem esset in elemētis: non debuit operatione naturæ produci in esse, sicut alia: quæ secundum eandem rationē erant in elementis. Et hæc est ratio. Summa potentia, quæ in elementis mundi causales rationes, & seminales inseruit; non indidit illis, siue eorum naturæ; vt illorum operatione omnia huiusmodi in esse educerentur, sed eductionem quorundā sibi reseruauit: de quorum numero erat corpus humanum, vel primi hominis. Licet enim præfixerat in primis rerum causis, vt corpus primi hominis fieret; & sic, vel sic fieret; non tamen præfixit, vt operatione illorum fieret, vel sic fieret. Vnde August. *Sic factus est homo, quemadmodum illæ primæ causæ habebant, vt fieret primus homo: quem non, ex parentibus nasci (qui nulli præcesserant) sed de limo formari oportebat, secundum causalem rationem, in qua primitus erat factus.* Si ergo in illis primis rerum causis, quas mundo primitus creator inseruit; nō tantum posuit, quod de limo formaturus erat hominē: sed etiam quemadmodum formaturus, vtrum sicut in matris vtero, an in forma iuuenili: proculdubio sic fecit, vt illis præfixerat: neq; n. contra dispositionem suam faceret. Si autē vim tantum ibi posuit possibilitatis, vt homo fieret: vt sic, & sic posset, id est, vt ibi esset: quia sic, & sic posset: vnū autem ipsum modum, quo erat facturus, in sua voluntate seruauit, cum mūdi constitutionem contexuit.

Aug. super Gen. ad litterā. cap. 15.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est intentio August. quod necesse erat corpus primi hominis ab illis causis inferioribus, in quibus causaliter erat; educi in esse: nec inquantum in ipsis erat: sed potius inquantum erat in diuina voluntate, vt sua potentia produceretur in esse, sed ab illis, quibus dederat, vt de illis fieri posset. Et hoc patet ex verbis August. ibidem dicentis: *Manifestum est, sic non factum fuisse hominem, contra quod erat in illa prima conditione causarum, quia ibi erat etiam sic posse fieri: quamuis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito creatoris: cuius voluntas est rerum necessitas.* Ecce dicit plane, quod non ibi, id est in causis inferioribus erat necesse ita fieri, sed vt erat sic fieri in voluntate creatoris.

August. li. 6. super Genesim ad litteram c. 15. in fin. Tom. 3.

¶ Ad tertium dicendum, quod hoc, scilicet, solū corpus humanum dispositum est ad susceptionem animæ rationalis; verum est, si intelligatur dispositum propinqua, vel coniuncta dispositione: vt illa, quæ est necessitas: quomodo disponitur corpus humanū, quando est organizatū. Si intelligatur dispositum remota: non est verum: quia semen humanū dispositum est quodammodo, scilicet dispositione remota: secundum quod dicit * Alghas. cum cōmixtio elementorum fuerit pulchrioris, & perfectioris æqualitatis: tunc erit dispositio, &c. intelligitur de dispositione remota: quia loquitur de spermate, siue semine humano, in quo (vt ipse dicit) cum est commixtio elementorum in æqualitate pulchriore, & perfectiore; qua nihil possit inueniri subtilius, & pulchrius; tunc est aptum ad susceptionem formæ pulcherrimæ, scilic. animæ humanæ. Dicit enim sic: Cum commixtio elementorum fuerit pulchrioris, & perfectionis æqualitatis, quo nihil possit inueniri subtilius, & pulchrius: sicut est sperma hominis; cuius necessitas venit in corpus hominis ex cibis, qui sunt subtiliores cibis animalium, & cibis vegetabilium: & ex virtutibus, & numeris, quæ sunt pulchriores virtutibus, & * neruis animalium; tunc fiet apta ad recipiendum à datore formarum pulchriorem formis, quæ est anima hominis.

* Alias, Algasus, vel Algazel.

* Alias, numeris.

¶ Ad illud; quod obijcitur, quod illud agens, quod potest inducere dispositionem ad formam aliquam in patiente; potest necessitatem inducere in eodem. Dicendum, quod quando sic est, quod dispositio, quæ est necessitas, sequitur ad remotam dispositionem sine aliqua innouatione formæ alterius generis: benè verum est: sicut patet de igne inducente in materiam aeris dispositionem remotam ad formam eiusdem, qui per actionem continuam pot inducere illā, quæ est necessitas. Quando aut inducitur necessitas per innouationem formarū diuersorum generum: sicut fit in deductione corporis humani in esse ex elementis: vbi primo requiritur commixtio elementorum in perfecta æqualitate, deinde coagulatio spermatis, deinde informatio eiusdem in numeris, & harmonijs; * qua aptatur ad susceptionem animæ rationalis virtute, relicta ab ipso decidente: vnde efficitur semen, & materiale congruū corpori humano: deinde post multas innouationes actionum partium organizatio: non est verum.

* Alias, quia.

¶ Ad illa, quæ cōmuniter obijciuntur, sc. quod natura inferior potest deducere vegetabilia in esse, & animalia minuta, siue quæ exeunt in esse per putrefactionem. Dicendum, quod si ista sint nobiliora aliqua ratione corpore humano: inquantū corpus est: non tamen inquantum humanum, propter ordinē, quem habet ad animam rationalem. Et maximè, quia corpus primi hominis mediāte sua perfectione. sc. anima rationali, erat seruiturū Deo, & à quo erat totum genus humanū accepturum esse, & etiam Christus secundum carnem: vnde erat Deus maximè glorificandus:

& etiam

dum Deo; cuius modi sunt angelus, & anima; quam alij, vt spiritus vitales corporei, & alij huiusmodi: vt quibus quasi medijs vnitur anima cum corpore. Similiter est distinguere corpus per differentias nobilitatis maioris, & minoris. Cũ igitur quidam spiritus exierunt in esse per creationem; similiter corpora quædam: spiritus autem nobilioris cõditionis sic exierunt in esse: & similiter videtur, quod & corpora nobiliora debuerunt. sed inter corpora nobilissimum corpus fuit primi hominis: ergo &c. ¶ Item, *Deus creauit de terra hominem.* Sed ista creatio non fuit ratione animæ: cum anima non sit ex elemento, vel elementis: vt ostendit Aug. super Gen. ad lit. ergo quantum ad corpus.

Eccles. 17.
Genes. 2.

¶ CONTRA. *Formauit Deus hominem de limo terræ:* ergo formatus fuit quantum ad corpus, non creatus; quia (vt dicit Hugo) quod creatum est, de nihilo factum est: nam quod de aliquo factum est, factum est, sed creatum non est; quia de nihilo factum non est. ¶ Item, creatura spiritualis, & corporalis distinguuntur per cognitionem nobilitatis, & ignobilitatis: cuiuscunque enim conditionis sit res corporalis, ignobilis est, & vilis respectu creaturæ spiritualis. (Et loquor de spiritualibus separabilibus, & separatis à corpore) si ergo nobilioribus creaturis debetur nobilior modus producendi in esse, qui est creare: & alijs debetur minus nobilis: ergo &c. ¶ Item Ansel. videtur ostendere, quod illa res sit ex nihilo: & ita nihil creatur sic. Ex quocunque fit aliquid, id causa est eius, quod ex se fit. & omnis causa necessario aliquid ad essentiam effecti præbet adiumentum: si ergo factum est ex nihilo aliquid, ipsum nihil causa fuit eius, quod ex eo factum est: sed quomodo id, quod nullum habebat esse, adiuuat aliquid, vt perueniret ad esse? si autem nullum adiumentum de nihilo peruenit ad aliquid; cui aut qualiter persuadeatur, quia ex nihilo aliquid efficiatur.

Ansel. in Monolog.

¶ PRÆTEREA, idem ad idem. Nihil aut significat aliquid, aut nõ significat aliquid: sed si nihil est aliquid, quæcunque facta sunt ex nihilo, facta sunt ex aliquo: si vero nihil non est aliquid; intelligi non est aliquid; intelligi non potest, vt ex eo, quod penitus non est; fiat aliquid: nihil fit ex nihilo, sicut vox omnium est; quia ex nihilo nihil. Vnde videtur consequi, vt quicquid fiat; fiat ex aliquo. ¶ Item, potest quæri: quo vocabulo proprie nominanda est eductio corporis è limo.

RESOLVTIO.

Corpus Adæ per creationem in esse exiuisse dicimus: at non per creationem simpliciter, sed secundum quid, qui modus creandi Plasmatio apte dicitur.

¶ AD hoc intelligendum, quod quando aliquid educitur in esse secundum legẽ propagationis naturalis, necessaria est sufficientia in principijs, & quantum ad principiũ passiuum, siue materiale, & quantum ad principium actiuum, siue formale. Formale dico quodammodo; eo modo, quo Philosophi ponunt in naturalibus actionibus. Materiale quod est subiectum transmutationis, non solum modo esse principium passiuum, sed quodammodo actiuum. Vbi autem aliquid educitur in esse cum defectu horum duorum, vel alterius; est potius cursus secundum legem creationis, quam naturalis propagationis, vel eductionis eorum: & tunc non potest esse eductio alicuius in esse; nisi ab illo, qui potest creare.

¶ SED attendendum est: quod in productione rei potest multiplex esse defectus in principijs. Potest enim esse defectus, quia neutrum aliquo modo est: vt quando vtrunque simpliciter non est: aut quia aliquo modo principia sunt, sed non sufficiunt. Hæc autem insufficientia põt, esse vel ex parte principij formalis, vel ex parte materialis, & formalis: quandocunque enim est insufficientia ex parte principij materialis, est & ex parte formalis: non autem econuerso. Et dico insufficientiam ex parte principij materialis: quia materia, siue res materialis; de qua aliquid educi debet: est imperfectæ quantitatis respectu rei educendæ: sicut fuit in costa respectu corporis Euæ. Vnde Hugo. Quando simplex corpus in semetipso multiplicatur, & in plura excrescit; fit aliquid de aliquo in maius. Hoc modo operandi de substantia costæ, in se diuina virtute, absque extrinseco additamento multiplicata corpus mulieris factum est. Quando autem neutrum dictorum aliquo modo est; sicut fuit in productione rerum, primo creatarum in esse: tunc est vere, & simpliciter creatio; de qua. *In principio creauit Deus cælum & terram*: secundum quod exponit Hugo verbum illud, dicens. *Per cælum, & terram, materiam illam omnium cælestium, terrestriumq; hoc loco significari puto: de qua postea facta sunt, quæ in ipsa prius per essentiam simul causata fuerunt. Ibi namq; terra erat ipsum terræ elementum: & cælum erat mobilis illa, & leuis confusio reliquorum trium: quæ in circuitu medio iacentis terræ suspensa ferebatur.* hæc Hug. Quando autem defectus est principiorum, vt dictum est: tunc est creatio secundum quid: sicut fuit in formatione corporis Adæ de limo. *Deus creauit de terra hominem*: & in formatione Euæ de costa Adæ: de qua Augustinus. *Natura quippe mulieris creata est: quamuis ex viro, qui iam erat.* Formatio autem Adæ de limo creatio erat; quia in limo erat defectus principij actiui. Nec enim habuit limus, vt corpus humanum ex eo fieri posset, sicut dicit Anselm. dicit enim, *Limus terræ non acceperat naturam, aut voluntatem: qua operante, vir primus de illo fieret: quamuis esset, de quo à Deo fieri posset.*

Gen. 1. Hugo.
Eccles. 18.
Aug. super Gene. ad litt.
Ansel. de concep. Virg. c. 11.

¶ PRÆTEREA, scriptura dicit illud esse creatum, cuius materia creata est. Vnde August. *Rectissime credimus Deum omnia fecisse de nihilo: quia & si de aliqua materia factus est mundus: eadem ipsa materia de nihilo facta est: vt ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret: ac deinde formarentur, quæcunque formata sunt. Hoc autem diximus, nequis putet contrarias esse diuinarum scripturarum sententias: quoniam & omnia Deum de nihilo fecisse, scriptum est: & mundum factum de informi materia.* Et iste modus creandi communis est; qui fere omnibus conuenit creaturis: & quorum omnium dicitur Deus creator. Iste tamen modus forte potest reduci ad illum modum creationis, quo aliquid educitur in esse ex aliquo: in quo est defectus principij actiui, siue formalis: cum non erat in illa materia, vt ex ea fieret mundus: sed solum vt fieri posset: cum solummodo in elementis & rebus elementaribus, in quibus sunt rationes seminales rerum; sit vnde res fiat.

August. de Symb. ad. Eatub. c. 2. ex li. 2. c. 3. ex li. 3. c. 3.

¶ PRÆTEREA, adhuc dicitur aliquid esse creatum in scriptura, ratione eductionis formæ illius in esse: sicut, *Creauit Deus cete grandia.* Vnde Hug. *Lectorem admonere volumus, vt quotiens in his operibus, videlicet sex dierum, aliquid fieri audierit: vt verbi gratia, cum dicitur, prima die facta est lux, secunda die factum est firmamentum, quarta die facta sunt luminaria: non modo primum cum facta dicuntur hæc, de nihilo creata fuisse existimet: sed potius de ipsa, quæ prius creata erat de nihilo, materia formata intelligat*: etiam si aliquando verbum creationis positum reperiret; vt est ibi, *Creauit Deus cete grandia*: Vt enim animam viuentem atque mutabilem, non ad materiam, qua esse ceperunt; sed ad formam, qua hoc quod sunt, esse ceperunt; referendum esse sciat. Ecce quod vult Hug. quod hæc creata dicuntur ratione eductionis formæ illorum in esse.

Genes. 1. Hug. li. 1 par. 1. cap. 7.
Genes. 1.

¶ Ex his patet, quod ista possunt simul stare, scilicet corpus primi hominis fuisse creatum, & formatum de limo: & formatum de limo: & quomodo intelligendum est corpus hominis fuisse creatum de terra: quia tribus modis vltimis: & quot modis aliquid dicitur creatum. ¶ Patet etiam, quomodo ad aliud, quod sequitur, est respondendum: quia & si quodammodo creatum fuerit corpus primi hominis, non tamen simpliciter, sicut substantiæ spirituales. Spirituales enim substantiæ, sicut nobiliores sunt; sic nobiliori modo creationis deductæ sunt in esse: quia creatione simpliciter: corpus primi hominis creatione secundum quid.

¶ QVALITER autem respondendum est ad obiecta ab Anselm. patet ex distinctione, quam subiungit consequenter, vbi distinguit: quod tribus modis dicitur aliquid fieri ex nihilo, sic. *Tribus modis* (quo ad præsentis impedimenti sufficit expedimentum) *exponi potest: si qua substantia dicitur esse facta ex nihilo. Vnus quidem modus est, quod volumus intelligi penitus non factum esse, quod factum dicitur ex nihilo: cui simile est conquerenti de tacente: de quo loquatur? respondetur de nihilo, id est, non loquitur: secundum quem modum de summa essentia, & de eo quod penitus nec est, nec fuit: quærenti: vnde factum sit? recte responderi potest, de nihilo, id est, nequaquam factum est: qui sensus de nullo eorum, quæ facta sunt: intelligi potest. Alia significatio est, quæ dici quidem potest, vera autem esse non potest: vt si quidem dicatur aliquid sic esse factum de nihilo, vt ex ipso nihilo, id est, ex eo quod penitus non est, factum sit,*

Ans. cap. 8 ex totum

[illegible] nihil sit aliquid existens, ex quo possit aliquid fieri: [illegible] semper falsum est, quotiens esse ponitur, impossibile [illegible] consequitur. Tertia interpretatio, qua [illegible] ex nihilo: est, ut intelligatur quidem factum esse, sed non est aliquid, unde sit factum. Per similem significationem dici videtur, cum homo contristatur sine causa, dicitur contristatus de nihilo. Hoc aut vltimo modo dicuntur res simpliciter creatæ esse ex nihilo: vnde subiungit Ans. *Secundũ hunc ergo sensum intelligatur, quod supra conclusum est: quia præter summam essentiam cuncta quæ sunt: ab eadem ex nihilo facta sunt,* id est, non ex aliquo: sicut ipsa cõclusio præcedentia conuenienter consequetur: ita ex eadẽ conclusione nihil inconueniens subsequitur. Obiectiones autem Ansel. currunt secundum modum secundum: & illo modo dr̃ vere aliquid fieri ex nihilo: sicut ipse dicit. Adhuc aũt subiungit quartum modum, quo põt dici aliquid fieri ex nihilo: illo scilicet modo, quo dr̃ diues ex paupere factus, id est, qui [illegible] paupere [illegible] factus est diues qui ante non erat; vnde [illegible]. Non [illegible] conuenienter & sine omni repugnantia [illegible] creatrice substantia, omnia [illegible] esse facta [illegible] modo quo dici solet diues ex paupere: & [illegible] similitudine.

¶ Ad ob[illegible] ex alia parte, quibus ostendi vr̃, quod debuit [illegible] fuisse creatum. Dicendum, q̃ non conueniebat [illegible] quod Deus hominem faceret ex materia præcedente, propter [illegible] rationes. Vna ergo, quod [illegible] conditionis [illegible] & præcipue creaturæ rõnalis, sit declaratio diuinæ potentiæ, sapiẽ, bonitatis. Vna ergo rõ talis eductionis [illegible] congruentia declarationis diuinæ potentiæ in mirabili vnione corporis & animæ primi hominis propinquissima [illegible] differentia [illegible]. Vnio enim animæ cum corpore propter eorum ad inuicem distantiam, est vna de [illegible] ab Aug. dicit enim. Plenum fuit [illegible], quod tam diuersa & tam diuersa ad inuicem potuerunt coniungi. Distantia enim corporis primi hominis ab [illegible], sc. existentis in dñi esse à posse ad non existens, corporalis ad spũale, corruptibilis ad corruptibile. Corpus enim eius fuit corruptibile corporale, in quo differebat esse à posse: anima aũt incorruptibile spirituale, in quo non differebat esse à posse. Quia ergo ad hoc vt diuina potentia [illegible] ostenderetur; corporis tam diuersa [illegible] ex nihilo, congruebat modus huius eductionis [illegible]. Quia [illegible] omne corruptibile corporale [illegible] ex præiacenti materia; conuenienter formabatur, vt formatio talis congrueret manifestationi potentiæ [illegible] in tam distantium vnione.

¶ Alia [illegible] congruentia declarationis diuinæ sapientiæ in [illegible] & [illegible] ad finem, ad principia & [illegible] principium. Conueniebat enim q̃ resolutio [illegible] corporis [illegible] post resolutionem [illegible] compositio ex materia existente ante compositionem [illegible] resolutio quam sequatur talem [illegible] & [illegible] non [illegible] compositio: congruebat [illegible] corpus illud, vt ex ordine [illegible] ostenderetur.

¶ Tertia [illegible] congruentia ostensionis diuinæ bonitatis, quæ [illegible] vniuersi. Perfectionem enim vniuersi congruebat, quod corpus illud fieret: quia enim [illegible] corporalis creatura in homine perficitur & completur. cum [illegible] naturalis ordinetur ad animam rationalem, sicut ad [illegible] formarum: & corpus hominis [illegible] omnium corporum in quo completur, & quo [illegible] modo beatificatur: rectissime [illegible] debuit post oĩa septimo die, sicut dicunt Aug. [illegible] ostenderetur esse illorum cõplementum. Si ergo [illegible] perfectionem creaturarum in homine [illegible] quam [illegible] dicta post alia cõditus est, etiam quantum [illegible] corporum fuit [illegible] ipsum fuisse ex materia præexistente: & hoc congruere ad vniuersi perfectionem. ¶ Itẽ alia ratione: hoc enim conueniebat ad perfectionem vniuersi, quod essent quædam [illegible] corporales simpliciter, quædam spirituales simpliciter: & quædam corporales quantũ ad vnam partem, & spirituales quantum ad aliam: cuiusmodi est homo. Similiter conueniebat horum productionem in esse, quod quædam [illegible] ex nihilo: quædam ex materia præiacenti: & quædam secundum quandam sui partem fierent ex nihilo, secundum quandam sui partem fierent ex materia præiacenti: talis fuit primus homo.

¶ Ad primo ergo obiecta ex illa parte. Dicendum, quod licet Deus creauerit de nihilo aliqua corpora, vt pote materiam primam, & cœlum primum: vt dicit Beda: [illegible] genere corporum: corpus primi hominis esset nobilissimum, non conueniebat, vt educeretur in esse per creationem propter rationes prædictas: vnde secus fuit de hoc corpore, & alijs.

¶ Ad illud, quod tangitur: quod creari debuit ex nihilo, ne obnoxius esset homo creaturæ. Dicendum, quod propter hoc quod fuit ex aliqua creatura: nõ magis erat obnoxius creaturæ: sed Deo, cuius erat illa: & à quo condita: vnde August. *Si aliquid Deus fecit ex aliquo, vt hominem de limo terræ: non vtiq; fecit ex eo, quod ipse non fecerat. quia terram, vnde limus erat, ex nihilo fecerat.*

¶ Ad hoc, quod vltimo quærebatur, sc. quo vocabulo nominanda est hæc eductio. Potest dici, quod Plasmatio. Vnde. *Manus tuæ fecerunt me: & plasmauerunt me.* Glo. *Fecerunt quantum ad animam, & plasmauerunt quantum ad corpus.* Vnde Dam. volens assignare differentiam inter factionem corporis, & animæ, dicit corpus eductum per plasmationem: animam vero factam per insufflationẽ, dicens: *Ex visibili & inuisibili natura condidit hominem. Deus propriis manibus secundum imaginem & similitudinem ex terra corpus plasmans: animam autem rationalem & intelligibilem per familiarem insufflationem dans ei.*

MEMBRVM II.

An maioris potentiæ fuerit, creare corpus Adæ de nihilo: vel formare de limo?

AD secundum, quo quæritur, Vtrum maioris potentiæ fuit, creare corpus primi hominis de nihilo: an formare de limo. ¶ Quod maior, videtur sic. Aug. *Ideo dicitur Deus omnipotens, quia de nihilo fecit omnia, quæ fecit: non enim aliqua materies eum iuuit: ex qua monstraret artis suæ potentiam:* sed ex nihilo cuncta creauit: Si ergo manifestatur Dei omnipotentia in creando aliquid ex nihilo: non autem formando aliquid de aliquo quocunque: cum in illa formatione iuuet eum materia subiecta: videtur maioris potentiæ esse creare de nihilo, quam formare de limo. ¶ Item, inter aliquid & nihil est infinita distantia: inter aliquid & aliquid finita. Vnde in factione alicuius de nihilo, est actus potentiæ infinitæ: in formatione alicuius de aliquo est actus finitæ: igitur cum finiti ad infinitum nulla sit proportio: improportionabiliter est maioris potentiæ formare aliquid de nihilo, quam facere aliquid de aliquo: ergo &c.

¶ Contra, vt habetur ab Aug. *Maius est facere de impio pium, quam creare cœlum & terram*: & hoc est (vt dr̃) quia in creatione cœli & terræ non est aliqua dispositio contraria: sicut in iustificatione: vbi inuenitur dispositio lib. arb. repugnans gratiæ: Ergo à simili cum limus haberet suam formam: qua erat hoc aliquid: nec illa materia inclinationem haberet ad corpus humanum: sed quasi opposita: eo quod compleebatur secundum formam suam, videtur cum de limo factum fuit corpus humanum, maioris fuisse potentiæ, quam si illud fuisset ex nihilo.

¶ Præterea, arguit Magister. *Angeli non possunt creare materiam: ergo nec formare costam in mulierem*: & siue hoc sit argumentum à simili, siue à maiori: non sequitur, quod maior sit potentia facere aliquid ex nihilo, quam facere mulierem ex costa. A simili videtur in proposito: cum eadem fuerit conditio in formatione mulieris de costa, & corporis Adæ de limo; quia sicut in costa nõ fuit vnde fieret mulier, sed vnde fieri posset: similiter in limo nõ fuit vnde fieret corpus Adę, sed vnde fieri posset: igitur non fuit maioris potentiæ creare corpus illud de nihilo, quam formare de limo. ¶ Item. Deus est infinitæ potentiæ & virtutis: & necessario agit tota virtute, quicquid agit: quia eius virtus cum sit ipsum, simplex est, & impartibilis: agitur in formatione hominis de limo operatus est tota virtute, sc. infinita: sed maiore non comprobatur in creando cœlum & terram: ergo &c.

¶ Præterea, habetur à Philosopho: *potentia est principium transmutationis in aliud in quantum aliud*: sed non ens

Aug. in li. de [illegible] & anima.

Aug. [illegible]

Ioh. [illegible] D[illegible]

August. [illegible]

August.

[illegible]

non est subiectum transmutationis eius, quod est in aliud: ergo vbi saluatur ratio potentiæ agentis, siue facientis; necessario erit materia subiecta actioni: ergo vbi non est materia subiecta, nulla est actio potentiæ: igitur nihil est quærere, vtrum sit maioris potentiæ creare, &c. ex quo nulla potentia agit aliquid ex nihilo.

RESOLVTIO.

Neque maioris, neque minoris hoc quam illud: sed omnino indifferentis.

¶ AD hoc notandum, quod duplex est potentia materiæ siue subiecti transmutationis, sc. actiua, & passiua. Passiua, quæ nihil cooperatur formæ inducendæ in materiam ipsā: sed est tantum potentia recipiendi formam. Actiua, quæ aliquo modo cooperatur ipsi agenti ad inductionem formæ: quia aliquid formæ latet in materia: vel quia appetitus materiæ habet inclinationem ad illam formam: sicut est in omnibus illis, in quibus est ratio seminalis ad alia producendum esse ex illis: Quandoque ex parte materiæ, siue subiecti est defectus potentiæ, sc. principij actiui: sicut fuit in limo, in quo non erat vt fieret ex eo corpus Adæ: quia non erat ibi in illo potentia formalis, sed passiua, quæ * cooperabatur eductioni illius in esse, potentia creatoris educente illud ex eo. Est quandoque duplex defectus, sc. diminutio ex parte materiæ, & carentia principij actiui: sicut fuit in costa. Vnde Hug. distinguendo operationes, quibus substantiæ producuntur in esse, ponit opus vnum, quod est facere de alijs aliquid secundum substantiam & quantitatem in maius: & hoc modo operandi dicit corpus mulieris factum ex costa, diuina virtute, absque extrinseco additamento, vt supra tactum est. In eductione autem rei, siue formæ de materia, siue subiecto, primo modo sumpto; potest natura in eductionem rei de subiecto. Secūdo modo sumpto, non potest, & multo fortius nec tertio: sed solus creator. Secundum hos igitur gradus, est facilius & magis facile educere res in esse: quia ex materia vel subiecto primo modo se habente est modus facillimus: ex secundo modo se habente, difficilior: & ex tertio adhuc difficilior. Sed adhuc producere aliquid in esse simpliciter ex nihilo difficillimum est, & magis mirabile est. Vnde Hug. *Magis est mirabile de nihilo aliquid facere, quam de aliquo plus facere.* Hæc autem vltima tria genera operum sunt de genere mirabilium: & non nisi in solo Deo esse possunt.

*Alias operat.

Hug. lib. 1. par. 6. c. 37

Quæ. 58. Memb. 4

Hugo.

¶ Cum ergo quæritur, vtrum maioris potentiæ sit creare &c. Dicendum quod neque maioris, neque minoris: sed omnino indifferentis: quia diuina potentia, quæ est idem cum ipso omnino simplex est, & impartibilis in se: opus tamen, siue effectus eius, qui est productus in esse ex nihilo; simpliciter est maius mirabile: eo quod producitur in esse ex aliquo, sicut ex limo: sicut habetur ab Hug.

¶ CONCEDENDA est ergo ratio August. qua ostenditur, Deum esse omnipotentem, quia fecit omnia ex nihilo.

¶ Cum autem obijcitur, quod non ostenditur potentia eius infinita in formādo aliquid de aliquo: cum in illa formatione iuuet eum materia ex qua. Dicendum quod hoc non dicitur, quia aliquo modo possit iuuari eius potentia in actione: sed hoc dicitur de illo tropo loquendi: quo illud dicitur iuuare agentem, quo effectus agentis facilius exit in esse: Vnde quia quod educitur in esse de aliquo, facilius exit in esse, quam quod ex nihilo, quantum est de se: quia minus distat ab esse, siue forma fienda: quando scil. proportionatur illa virtus agentis distantiæ rei educēdæ in esse ad illud, de quo dicitur educi; dicitur iuuare eum materia ex qua.

¶ AD illud, quod sequitur. Dicendum, quod illa ratio arguendi locum non habet, vbi eadem est potentia & substantia agentis: ibi enim nō commensuratur virtus siue potentia agentis distantiæ existentis inter illud, de quo fit aliquid, & quod fit: quia potētia est impartibilis, sicut est substantia. Vnde quia in Deo est idem potentia, quod essentia; impartibilis est potentia sicut & essentia. Vnde in omnimoda indifferentia se habet, quicquid ea producitur in esse. Sicut enim eadem voluntate potentia, & indifferenti volo maiora & minora: similiter si eadem esset in me volūtas, & potentia agendi: ipsa indiuisa potentia, & omnino indifferenti facerem maiora & minora.

¶ AD illud, quod obijcitur ex alia parte, sc. maius est fieri de impio pium &c. Dicendum quod hoc dicitur; quia maior vel minor difficultas faciendi hoc illud sit ex parte Dei: sed potius propter repugnantiam creaturæ fiendæ. Cum autem Deus creauit cælum & terram, nulla erat repugnantia ex parte aliqua diuinæ potentiæ, siue voluntatis: cum autem Deus de impio facit pium, infundendo gratiam disponentem, & præparantem ad gratiam perficientem; ipsa voluntas impij est contraria, & repugnans diuinæ operationi.

¶ AD argumentum autem dicendum, quod non est simile de forma, quæ continue transmutatur circa materiam, & de deformitate liberi arbitr. quam solus creator remouere potest per gratiā. Vnde forma illa, quæ erat in materia passiua, scil. limo: de facili transire poterat: & eo facilius, quo erat subiectum eius transmutabilis: quod competebat limo: in quo erat natura terrea & aquea: hæc enim duo maxime ordinantur ad passionem humor. & humus: sicut dicit August. & etiam Philosophus probat ea, quæ ex his duobus resoluuntur, maxime esse materialia, & passibilia, scil. vaporem, & fumum: & ideo non valet argumentum. August. & Philo.

¶ AD hoc, quod postea obijcitur: quod Deus agit tota virtute sua, quæ est infinita, quandocunq; aliquid agit, &c. Dicendum, quod verum est: & vera est conclusio, quæ ex hoc consequitur. Si autem quæritur, vnde est ergo differentia tantia effectuum: & quomodo ex tanta, sc. infinita potentia agente exeunt effectus minoris virtutis & maioris in esse. Dicendum, quod in Deo idem est potentia, quod essentia; & quod voluntas est causa propinqua & coniuncta effectuum: propter quod diuina potentia, cum agit ex necessitate, sed potius electiue: immo (quod plus est) suum velle est efficere. Propter quod licet semper indifferenti agat potentia, & infinita; secundum congruentiam sui beneplaciti, moderate & distincte producuntur effectus in esse.

¶ AD argum. Magistri in Sent. Dicendum, quod bene tenet: & est argumentum à simili: quia vtrobique, sc. in formatione alicuius de nihilo, & in formatione corporis Adæ de limo, & mulieris de costa est actus infinitæ potentiæ creatio; communi modo sumpta creatione; licet vnum opus sit magis mirabile alio: vt dictum est.

¶ AD hoc, quod obijcitur de autoritate Philosophi, sc. quod potentia est principium transmutationis in aliud &c. Dicendum quod Philosophus determinat virtutem potētiæ creatæ: quæ nō potest aliquid agere nisi in materia, siue in natura subiecta: vnde actioni, siue naturæ, siue potentiæ creatæ agenti semper subest aliqua materia: non sic est de potentia increata: cuius virtus in agendo non est determinata, siue distincta circa materiam, siue in materia: immo ex nihilo facit, quod competit, sicut ex aliquo &c. In fine resolutionis huius Memb.

MEMBRVM III.

An modus hic educendi corporis primi hominis de limo, de perfectione vniuersi sit?

AD TERTIVM, quo quæritur, Vtrum modus educendi corpus primi hominis, scil. in formando illud de limo: pertineat ad perfectionem vniuersi. ¶ Et quod sic, videtur. Genes. 1.
Igitur perfecti sunt cæli &c. Et *omnis ornatus eorum*: hæc autem est conclusio, quæ infertur ex eis, quæ educta sunt in esse in operibus sex dierum: cuiusmodi fuerunt, conditio, distinctio, ornatus: & ad hæc pertinebat eductio corporis humani de limo: sicut in sexta die determinatur. Patet ergo, quod non fuit completio vniuersi sine hac eductione. ¶ Præterea, Ansel. *Quoddam est corpus humanum eductum in esse de viro, & non de fœmina, cuiusmodi fuit corpus Euæ*: aliud ergo respondere debuit per oppositum, sc. quod esset eductum de fœmina, & non de viro: & hoc fuit corpus Christi: tertium fuit de viro & fœmina: vt corpus Abel: ergo per oppositum respondere debuit quarta corporis differentia, scil. quod neque de viro, neque de fœmina: & hoc fuit corpus Adæ de limo: aliter esset diminutio, & defectus; & hæc ratio confirmatur per illud 11. de Ciuitat. Dei cap. 18. vbi dicitur quod antitheta, id est, oppositiones valent ad ordinem vniuersi: vbi notatur ordo vnius contra vnum: quod hic reperitur. ¶ ITEM, non esset completum vniuersum sine modo dispositionis, & modo ornatus: ex quo patet, quod modus

Sel. in ... Deus hō.

Aug. 11. de ciui. Dei cap. 18.

...tionis requiritur ad perfectionē vniuersi. ornatus & d... modo conditionis: igitur cum corpus primi A simili v... nobilib. partibus vniuersi, modus educendi il- hoīs erat ... erat de cōplexione vniuersi. ¶ Item, illa proprie lud in ... perfectione vniuersi: quæ hñt similitudinem aliq̄, sunt ... stigij, vel imaginis cum eo, qui est complementū & perfe... omnium, scil. Deo: talis fuit eductio prædicta, in qua ... est vnitas, veritas, & bonitas: ergo &c. ¶ Si aūt diceretur: q licet aliquo modo haberet similitudinem vestigij, tñ quia statim transiit; non est de complemento vniuersi. ¶ Contra transitus rei tēporalis non impedit, quin res transiens sit de pulchritudine vniuersi: vnde Aug. *Fit decedentibus & succedentibus rebus, temporalis quædam in suo genere pulchritudo: vt nec ipsa, quæ moriuntur, vel desinunt esse quod erant: turpent, aut turbent modum, spē, & ordinem vniuersæ creaturæ: sicut sermo bene cōpositus pulcher est, quamuis in eo syllabæ atq; oēs soni nascendo, moriendo transeant.* A simili vr̄, quod licet res transeant, siue transcurrant, bñ sunt de cōpletione vniuersi: ergo &c. ¶ Contra. vt hr̄ à Philos. Natura est cā totius ordinis: ergo quæ sunt contra naturam, siue contra cursum naturæ; ordinatione totius carent. i. non sunt ordinata in toto, siue in vniuerso: quæ a. ordine carent in vniuerso, magis ipsum dedecorat, quam cōpleant, vel perficiant: sed eductio corporis primi hoīs fuit contra cursum naturæ: ergo &c. ¶ Item, nihil, q non est aliquo mō de vniuerso, siue in vniuerso; est de complentibus vniuersum, vel ad completionem vniuersi: modus aūt, quo educebatur corpus illud in esse. i. formatio de limo, non est aliquo mō de vniuerso: quia nullo mō est: ergo &c. ¶ Si aūt diceretur, q hoc, q non est, siue transiit; non impedit, quin sit de completione vniuersi: sicut videtur ex obiectis ad aliā partem.

(Margin: Idem in li. de natura boni.)

¶ Contra, malum in eo quod necessario substantificatur in bono, non tñ distat ab illis, quæ simpliciter sunt, q̄tū * ad illud, q simpliciter non est: sed malum non confert ad completionē vniuersi: vt hr̄ à Dionys. ergo nec illud, q simpliciter non est: dicit. n. Diony. de Diui. no. c. 4. Inconueniēs est q malū conferat ad completionem oīs; & toti non imperfectum esse per seipsum largiatur. ¶ Itē, magis videntur esse de perfectione vniuersi nobilissimæ creaturæ, cuiusmō est anima hoīs, q̄ eductio corporis humani in esse: quia nobilior est aīa humana, q̄ corpus humanū: & corpus humanum, q̄ sua eductio in esse: igitur si non existente aīa humana, esset cōpletum vniuersum: q vr̄ haberi ab Aug. dicit enim. *Si deessent animæ, siue peccarent, siue non peccarent, nihil vniuersitatis ordini diminueretur: Multo fortius si non esset, vel fuisset exitus corporis humani in esse*: igitur eductio huiusmodi non est de completione vniuersi.

(Margin: * Alias, ab illo.)

(Margin: Aug. in li. 3. de libero arbitrio.)

RESOLVTIO.

Cum ad completionem, & perfectionem vniuersi non tantum intelligantur quæ nunc sunt: sed quæ etiam ab initio, & exordio mundi fuerunt, id est, à primo exitu rerum in esse: cumq; productio istha corporis Adæ de limo non rei singularis tantum, sed quodammodo generalis fuerit; nec de completione vniuersi censenda est.

¶ Ad horum euidentiam intelligendum est, quod vniuersū vniuersitatem dicit: & q continentia eius nō arctatur ad vniuersitatem subiectorū: sed cōportat temporis generalitatē: continet. n. oīa, quæ nunc sunt; & oīa, quæ aliquo tempore fuerunt. Vnde ad cōpletionem vniuersi non sufficiūt quæ nunc sunt tñ: sed requiruntur quæ à mūdi exordio extiterunt. i. à primo exitu rerum in esse. Quæ aūt à primo rerum exitu in esse extiterunt, sunt sub duab⁹ differentijs: quarum quædam ad productionem generum rerū pertinent, quædā ad ipsa genera producta. Quæ ad genera rerum producta spectāt, principaliter sunt tria: penes quæ exprimitur vestigium conditoris omnium, sc. essentia, siue substantia, virtus, & operatio: essentia patrem repñtat: virtus filiū: operatio spiritum S. Operatio aūt à virtute educitur: virtus vero in essentia radicatur. De completione ergo vniuersi sunt hæc, eductio generū rerum in esse, substantia, virtus, operatio eductorū. Nec dico hæc cū præcisione esse de completione hac: sed simpliciter hæc esse necessaria: non. n. posset compleri vniuersum; nisi gña rerum, quæ sunt eius partes; producerentur in esse: nec perpetuarentur in esse partes, nisi data esset eis virtus multiplicandi se, siue suam speciem in sibi similibus: secundum quod determinatum est à Philos. dicit enim q simul cū indiuiduo collata est virtus multiplicandi seipsum in suo simili, vt saluetur illud diuinum appetibile: sic n. Deus compleuit oīa, continuam faciens gñationē. Adhuc aūt requiritur egressio operationis à virtute. De qua August. Pōt intelligi Deum requieuisse à cōdendis generibus creaturæ: quia vltra iā non condidit alia genera noua: deinceps aūt vsq; nunc, & vltra operatur eorundem generum administrationē. Dr̄ autem Deus operari, cum operatur virtus data creaturæ: quia in oī operatione creaturæ, Deus intime operatur. Concedi ergo pōt, q eductio primi hoīs pertinet ad completionē vniuersi. Hæc aūt eductio, siue modus educendi differens fuit ab alijs secundum speciē: vt ex dictis patet. ¶ Præterea, non fuit eductio rei tantum singularis: immo quodammodo generalis: eo quod in ipso corpore completo sua perfectione, sc. anima rationali erat seminaliter totum genus humanum: vnde ratione, qua modus educendi differebat ab alijs secundum spēm; & ratione, qua educebatur res non omnino singularis, sed quodāmodo vniuersalis; non immerito debet dici esse de completione vniuersali.

(Margin: Aug. super Genes. ad literam.)

¶ Ad hoc, quod primo obijcitur in contrarium. Dicendum, quod nō dr̄ esse contra naturam, q ab autore naturæ efficitur in conditione naturæ: vt in cōditione generum rerum, quibus inseruit legem: secūdum q̄ debebat esse cursus naturæ in productione consimilium: in illa. n. conditione naturam condidit, & esse rerū naturale, & legem propagationis naturalis. Vt. n. dicit Aug. contra Faustum: hoc erit vnicuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est oīs modus, numerus, & ordo naturæ: tñ pōt dici, hāc eductionem fuisse supra naturam, non contra. ¶ Si contra hoc obijciatur per illud Aug. dicentis ibi contra Faustum. *Non incongrue dicitur aliquid facere contra naturam, qui facit contra id, quod nouimus in natura.* Hoc. n. appellamus cognitum nobis cursum, solitumque naturæ. Ad hoc patet responsio, quia qñ illa eductio erat; nondum fuit cognitus, neque solitus cursus naturæ, producēdi corpus hominis secundum modum, qui fuit ipsi naturæ insertus. Aliter tñ intelligitur verbum Aug. secundum q illud dr̄ esse contra naturam, q est destructiuū naturæ, siue cursus naturæ in operando: sicut faciunt abusores naturarum, & earum cursus peruertentes. ¶ Ad illud, quod sequitur; patet rñsio ex dictis: quia continentia vniuersi non extendit se solum ad illa, quæ sunt: sed ad omnia, quæ aliqñ fuerunt: & ita ad ea, quæ modo non sunt: sicut patet ex autoritate Aug. supra dicta de Lib. Arb. ¶ Ad hoc, quod obijcitur de verbo Dionysij, dicentis quod inconueniens est ponere, q malum conferat ad completionem oīs, &c. Dicendum, quod loquitur Dion. de malo culpæ: quod potest cōsiderari multipliciter, sc. vt est malum, hoc est priuatio boni, sc. modi, speciei, & ordinis. Item, vt est culpa, id est, prout suum perpetratorem fœdat, & culpabilem & reū reddit: & neutro illorum modorum sumptum, est ad completionem vniuersi: vnde August. *Non ipsa peccata, vel ipsa miseria sunt perfectioni vniuersitatis necessaria.* Item, potest considerari: vt ex eo elicitur bonum. Vnde August. *Neq; Deus vllum non dico angelorum, sed vel hominum crearet: quem malum futurum præscisset: nisi pariter nosset quibus eos bonorum vsibus accommodaret: atq; ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam & quibusdam quasi antithetis honestaret.* Item, potest considerari inquantum ordinatur ad pœnam: Vnde Aug. *Sicut Deus naturarum bonarum optimus creator est: ita malarum voluntatum iustissimus ordinator: vt cum illæ male vtuntur naturis bonis: ipse bene vtatur etiam voluntatibus malis.* Item, potest considerari inq̄tum bonum ei oppositum & comparatum, magis apparet bonum: Hoc ostendit August. Dei. exemplo tali: Sicut pictura cum colore nigro, in suo loco posito congruit: ita vniuersitas rerum cum peccatoribus pulchra est. Secundum istos tres modos occasionaliter est de completione vniuersi.

(Margin: Aug. contra Faustū.)

(Margin: August. Idem 11. de ciuit. Dei c. 17. & 18.)

(Margin: Idem in eodem.)

(Margin: Idem in eod. lib. 11 cap. 23.)

¶ Ad hoc igitur, quod obijcitur: quod malum non tñ, distat &c. Dicendū, quod distantia mali ab esse nō impedit, quin sit de completione vniuersi: sed q est priuatio modis speciei, & ordinis; quæ sunt de cōpletione & pulchritudine

vniuersi:

vniuersi:& deturpatio illius:cuius est, vt subiecti. Vnde sicut quod partem deturpat,totum deturpat: sic quod à parte alicuius perfectionem tollit, ipsi toti subtrahit aliquid perfectionis. Quia ergo peccatum partem vniuersi reddit imperfectam,habet Dionys.pro inconuenienti, quod non imperfectum esse largiatur toti.

AD ILLVD, quod vltimo obijcitur: quod scilicet completum esset vniuersum,si deessent animæ, &c. Dicendum, quod ad completionem vniuersi duo requiruntur, scilicet partes,& maxime principales, quæ requiruntur ad integritatem vniuersi;& ordo earundem in eodem.Si ergo animæ, quę sunt partes principales vniuersi,deessent:constat,quod deficeret aliquid de integritate completionis : similiter quantum ad completionem ordinis. Tamen si aliquæ animæ deficerent,& non omnes;nihil deficeret ordini vniuersitatis:licet fortasse aliquid deficeret integritati:ordo enim non attenditur in numero, vel in multitudine quacunque: sed in differentia eorum, quæ numerantur: propter quod idem potest esse ordo paucorum,& multorum: dummodo eædem sint differentiæ paucorum,quæ sunt multorum.Intentio ergo Augus. videtur esse:si quædam animæ deessent, nihil minueretur ordini vniuersitatis:non autem, quod nihil minueretur integritati: hoc autem videntur sonare verba sua,scilicet hæc.Si deessent, scilicet animæ,quæ siue peccarent, siue non peccarent: nihil vniuersitatis ordini minueretur:etiam si plurimum deesset,id est,in plurium multitudine. Vel forte litera est, si plurimum deessent, scilicet animæ. Nec videtur, quod Augus. intelligat, quod nihil diminueretur vniuersitati: quia tūc cōtradiceret sibi ibidē: dicit enim.Inferioris officij est ista,quæ tantummodo,si nō esset;non autem si peccaret; aliquid minus haberet vniuersitas.Item, vt videtur ex serie literæ,loquitur ibi Aug.de ordine officiorum. Quædam enim sunt officia angelorum: quædam animarum, siue hominum. Officia autem hominum omnia continentur, & comprehenduntur in officijs angelorum. Vnde videtur Augus. dicere, quod si animæ deessent;nihil deperiret ordini vniuersitatis, scil. quantum ad ordinem officiorum: quia angeli habent exercere omnia officia, scil. in genere, vt hominum sunt: vnde quod supra dictum est, intelligit de ordine in officijs; vt habetur ex litera.

(Margin: Aug. lib 1. cap 11. — Paulo inferius.)

QVÆSTIO LXXVI.

De causa materiali corporis humani, siue Adæ.

In duo Membra,& in tres Articulos diuisa.

SEQVITVR post hæc consideratio de causa materiali. De qua duo potissime quæruntur. Primum quo ad compositionem illius corporis ex elementis. Secundum, quo ad æqualitatem elementorum in compositione.

(Margin: D.Tho.S. Bona. & S o. vbi supra.)

MEMBRVM I.

De compositione corporis Adæ ex elementis.

DE primo duo quæruntur. Primum,si corpus illud fuit, vel esse debuit ex quatuor elementis.Secundum, supposito quod ex quatuor elementis, cur denominatur ab vno, scilicet terra?

ARTICVLVS I.

An corpus primi hominis debuit esse ex quatuor elementis?

QVæritur ergo primo, Vtrum corpus primi hominis debuit esse ex quatuor elementis. ¶ Quod sic videtur. Anima enim vnitur corpori, vt perficiatur in illo, quo ad actum,vel vsum cognitiuæ,siue cognitionis; & hoc mediātibus sensibus corporalibus:sed sensus apprehendit* per simile:cum ergo sensus omnia corpora, & corporalia apprehendat;necesse est,quod habeat conuenientiam cum omnibus corporibus: sed hoc non posset fieri ; nisi compositū esset ex quatuor elementis. Et voco sensum corporalem, non solummodo ipsam virtutem sensitiuam; sed ipsum organum cum virtute, qua perficitur. ¶ Item, quanto forma nobilior est:tanto plurium operationum differentium species est principium: sed anima rationalis est formarum nobilissima : ergo est principium plurium operationum: sed operationum huiusmodi vsum exercet, mediantibus organis proprijs:ergo cum organum proprium ei respondeat in conuenienti proportione, necesse est ipsum esse ex multis naturis compositum: illæ aūt naturæ sunt elementa:ergo, &c. ¶ Item, corpora secundum quod progrediuntur in esse in maiori difformitate, siue distantia ab imperfectissimo corpore,sc.prima materia,nobiliora sunt & perfectiora : sicut mixta, quam elementa.Si ergo corpus primi hominis in genere corporum erat nobilissimum, maxime debuit distare per deformitatem à prima materia: ergo debuit esse maxime mixtum.¶ Item, sicut dicit Alghas. *Cum permixtio elementorum fuerit pulchrioris,& perfectioris æqualitatis &c.* vt supra:sed corpus primi hominis fuit aptum ad susceptionem animæ rationalis : ergo in ipso fuit commixtio elementorum.

(Margin: *Alias, apprehendit corpora, & per simile. — Alghas Quæst.71 memb.4. art.1. in opponendo.)

¶ CONTRA, anima est substantia simplex : cum ergo omnis vnio sit secundum similitudinem : videtur, quod debuit illud corpus, cui vnitur, esse simplex : & ita non ex elementis. ¶ PRÆTEREA, anima vnitur corpori sicut motor,& forma: sed corpus simplex magis est habile ad motum, quam compositum : ergo magis ei aptari debuit per vnionem: prout ipsa anima est motor: similiter prout est forma: cum vtrobique simplicitas esset symbolum : sicut tactum est supra. ¶ Item Augus. *Sicut Deus est capabilis,& participabilis omnibus: sic anima omnium capax est*; hæc autem capacitas est omnium per acceptionem similitudinum mediante ipsa cognitiua : ergo sibi necessarium est acceptioni, siue comprehensioni animæ corpus sibi multum conueniens in similitudine , & conformitate , prout possibile est; prima autem materia inter corpora maximæ erat capacitatis:quia erat capax omnium formarum sensibilium : videtur,quod debuit corpus huiusmodi, prout possibile est; simile esse suæ perfectioni in capacitate, fieri ex prima materia. ¶ PRÆTEREA, elementa singula aptiora sunt,& habiliora ad susceptionem plurium formarum , quam mixtum aliquid : secundum enim quod corpora elongantur à capacitate primæ materiæ per susceptionem formarum vltimarum , minus habilia sunt ad susceptionem diuersarum formarum : vnde elementa habiliora sunt ad susceptionem huiusmodi , quam mixta. Si ergo conuenit animæ,quod vniatur corpori organizato : cuius organa maxime debent esse susceptibilia specierum sensibilium (species enim siue idolum rei sensibilis relinquitur in organo in comprehensione rei sensibilis à sensu) magis conuenit, quod corpus huiusmodi fiat ex vno elemento, quam quod mixtum sit ex omnibus:si enim fieret ex vno elemento, propter conuenientiam eius cum illo elemento organa sensuum habiliora essent ad specierum diuersarum sensibilium susceptionem,quam si esset mixtum ex omnibus. ¶ Item,cum corpus primi hominis erat in genere corporum nobilissimum: videtur, quod debeat fieri ex aliquo corpore, vel corporibus nobilissimis:cuius modi sunt corpora cœlorum,& corpora cœlestia:ergo,&c.

(Margin: Aug. de anima & spiritu.)

RESOLVTIO.

Vt anima rationalis multiplices suas operationes exercere posset: decuit vt corpus ex quatuor elementis compositissimum haberet.

¶ RESPON. Vt habetur in Lib. de Fonte vitæ. Corpus* hominum inter omnia corpora compositissimum est:& ratio huius est (sicut scribitur ibidem) quanto substantia aliqua magis est immunis à materia; tanto plurium operationum est effectiua: anima igitur intellectiua cum maxime sit immunis à materia secundum essentiam: & cum similiter multarum sit operationum:& ideo cum has operationes de se habere non possit, nisi prout vtitur organis: oportuit ipsum corpus, per quod eas exercet: esse heterogeneum, & maxime compositum.

(Margin: *Alias, humanum.)

¶ AD primum ergo in contrarium dicendum, quod licet anima sit simplex propter carētiam dimensionis quantitatiuæ,

habet aliquid commune cum bestijs. Propter quod non est inconueniens, si communicet cum eisdem quantum ad ea, quæ sunt materialia corporum eorum: materialia (dico) remota: quia & si ex eisdem materialibus eorum corpora cõponantur; tamen non in eadem æqualitate, & harmonia existentibus: quanta autem sit æqualitas elementorum, & harmonia in commixtione corporis humani; patet ex auctoritate Algaz. supra totiens dicta.

¶ Ad hoc quod quæritur, quare magis debuit formari ex materiali continente terram & aquam, quam, &c. Patet responsio; quia (vt dictum est) fieri dicitur ex aliquo ex parte eius, ex quo passibilitati attestatur: humor autẽ & humus habilia sunt ad patiendum, vt habetur ab August. Item revera nomine [*limi*] non tantum intelliguntur terra & aqua, sed materia quatuor elementorum: prout erat ad susceptionem formæ corporis humani: sed Aug. loquitur, prout qualitates terræ & aquæ magis notabiliter apparent secundum sensum in limo. Item alia ratio est: vt ex nominatione materialis, ex quo formatur corpus; ostendatur opus & officium, quod exercet anima in corpore. Vnde Gloss. August. super illud. *Formauit Deus hominem de limo. Sicut ſit limus ex commixtione pulueris, & liquoris: sic anima corporis vnit materiam, nec patitur dissolui.*

Glos. Aug. super Gen. 2.

¶ Ad hoc, quod quæritur de multiplici nominatione materialis corporis Adæ. Potest dici, quod potest considerari, vt est quædam massa simpliciter, nondum in formatione: & sic dicitur terra. Vel vt est in formatione corporis: & sic dicitur limus. Vel vt est terminus resolutionis ipsius corporis; & sic puluis. Vnde Philosophus ponit tria, in quæ alia resoluuntur, & ipsa vlterius in alia non resoluuntur, scil. puluis, cinis, & arena. Vel potest dici, quod limus dicitur, vt est materia in formatione; puluis, vt est terminus resolutionis; terra, vt est cõmunis ad vtrunque: vnde Eccle. 17. Deus creauit de terra hominem; secundum imaginem suam fecit illum; & conuertit illum in ipsam, id est terram. Vnde Gl. Interli. Terra es, & in terram ibis.

MEMBRVM II.

De Aequalitate elementorum in composito.

Deinde quæritur, si corpus Adæ erat, ex elementis mixtis secundum æqualitatem. Et quoniam triplex est æqualitas, molis vel ponderis, virtutis, & iustitiæ; ideo primo quæritur de æqualitate molis. Secundo, de æqualitate virtutis. Tertio de æqualitate iustitiæ.

MEMBRVM I.

An elementa secundum æqualitatem molis fuerint in corpore Adæ.

Circa primum sic proceditur. Quæritur primo; si elementa secundum æqualitatem molis fuerunt in corpore Adæ. Quod nõ, videtur sic: vt supra dictum est, & vult Philosophus: denominatio fit à natura prædominante tãtum: licet corpus primi hominis formatum fuerit ex quatuor elementis; tamen dicitur formari de terra propter rationem prædominantis: sed non habet terra prædominium virtutis (quod patet cum sit elementum, minimum habens de specie, & minime actiuum) igitur quia prædominatur in mole. ¶ Item August. 7. assignans differentiam inter creationem animæ, & corporis plasmationem, dicit. *Quid est, vnde anima flatu Dei facta est: nam quid est aliud limus, nisi terra humida.* Ex hoc videtur, quod corpus primi hominis fuerit solummodo compositum ex limo, qui est terra & aqua: quod dicitur ex his componi propter Dominium illorum in corpore ipso: & siue sic, siue sic; elementa non sunt in æqualitate molis in ipso.

Mẽb. immediate præced. Art. 2.

Aug. super Genes. 7.

¶ Si diceretur quod hæc, scilicet terra & aqua habent prædominium in virtute; quod tamen non credo esse verum. Ex hoc adhuc sequeretur propositum: quia impossibile est hæc habere in aliquo prædominium virtutis, nisi haberent prædominium molis. ¶ Item, si æqualis essent molis, aut quantitatis; igitur ibi esset omni moda in temperantia, & improportio virtutis: quia virtus ignis improportionabiliter excederet virtutem terræ: & ipsam; cum sit corpus inflammabile (vt patet in impressionibus elementatis, vt patet ex vapore terrestri) inflammaret, & consumeret: vel forte aqua ignem destrueret: & ita nullo modo miscerentur. ¶ Præterea, in corpore humano abũdant partes grossæ respectu subtilium: sed grossæ fiunt ex soliditate terrena: ergo per inæqualitatem molis se habent elementa. Maior manifesta est sensui: minor patet per August. *Non est quidem anima humana natura nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne quolibet: sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est humidam quandam terram, quæ in carnis versa est qualitatem: per subtiliorem naturam corporis administrat, id est, per lucem & aerem*: Et parum infra. *Anima, quantũ rei est incorporea: corpus, quod incorporeo vicinum est, sicuti ignis, vel potius quasi lux, & aer primitus agit: & per hoc cætera, quæ crassiora sunt corporis, sicuti humor, & terra: vnde carnis corpulentia solidatur.*

Aug. super Gen. lib. 7. c. 15 in ordinis verbis.

¶ Contra, omnis mixtio est secundũ minima, sed minimi ad minimũ nõ põt esse proportio inæqualitatis: ergo, &c. ¶ Itẽ, quælibet pars mixti est mixta: vnde in singulis partibus mixti est reperire vnionem miscibilium. Ex his potest sic argui. Vbicunque est reperire vnum elementum secundum molem, est reperire aliud; & eisdem terminis claudũtur: ergo nullum excedit, nec exceditur ab alio: æqualis est ergo extensio omnium secundum molem, siue molis dimensionem: ergo sunt ibi in æqualitate molis. ¶ Item, vt habetur ab Algaz. cum commixtio elementorum fuerit pulchrioris & perfectioris æqualitatis &c. tunc est corpus aptũ ad susceptionem animæ rationalis: ergo in illo erat commixtio elementorum in perfectiori æqualitate: sed (vt habetur à Constantino in Pantegr.) æqualis est commixtio elementorum, quæ continet æqualiter quantitates & qualitates elementorum: ergo &c.

Algaz.

RESOLVTIO.

Corpus Adæ, quinimmo nullum tale potest habere in se elementa secundum æqualitatem molis (intelligendo tamen molem idem, quod æqualitatem materiam mixtorum) si quidem aut talis æqualitas non datur: aut corpus illud nec quiesceret, nec mouebitur.

¶ Ad horum euidentiam notandum: quod duplex est æqualitas cõplexionis. Vel in qua nullius qualitatis est excessus ab optima temperantia; vbi nullum elementum vel qualitatiue, vel quantitatiue abundat respectu alterius. & hoc est magis secundum rationem, quam secundum rei & existentiæ naturam: ista non fuit in Adam. Alia est æqualitas, in qua licet qualitatis, vel qualitatum sit excessus, non tamen vltra metam secundi gradus extenditur: secundum quod dicunt * Philosophi: quod complexio æqualis dicitur incolumis vsque ad secundum gradum: & ista æqualitas non ponit æqualitatem à mole, sed magis à iustitia: & hæc fuit in corpore Adæ: & tanto melior, quanto melius complexionatum: non tamen intendimus de æqualitate à iustitia hoc modo; hoc est in sensu, in quo vtuntur physici: sed alio modo: vt infra patebit. Concedendum est ergo, sicut ostensum est: quod elementa non erant in corpore Adæ secundum æqualitatem molis: & dicimus hic molem qualitatem materialem mixtorum. Quod autem elementa non possunt esse in corpore secundum æqualitatem à mole; hæc est ratio. Quædam sunt elementa magis habentia de materia: alia magis de spẽ. Quæ magis hñt de materia, magis cõprimuntur, quæ magis de spẽ, magis distenduntur: propter ꝙ non põt esse æqualitas molis, sed necessitate inæqualitas. Rõ alia ad idem est: si esset æqualis complexio hoc modo, tunc corpus illius complexionis nec quiesceret, nec moueretur. Si. n. quiesceret in terra; tunc terra vinceret. Similiter si quiesceret in aere, tunc aer vinceret. Si autem moueretur ab aere in ignẽ, tunc ignis vinceret. Si vero moueretur ad terram; tunc terra esset vincens. Si aũt quiesceret in aere; tũc aer esset vincens. Cõuenit igitur ei, vt nec quiescat in loco, nec moueatur ad locum: quod est impossibile.

* Alias, physici.

Art. 3. immediate seq.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijcitur contra hoc. Dicẽdum, quod pars dr̃ minima secundum spẽm, & secundum materiã. Secundũ spẽm illa, sc. in qua saluatur spẽs, & in quo minori non põt spẽs sine forma saluari: & hoc mõ sumpto minimo, nõ est mixtio secundum minima: quia secundum hoc miscibilia essent in mixto secundũ suas species: & esset cõpositio, non mixtio secundũ materiã. Et hoc dupliciter: vno mõ secundũ ꝙ q̃ta est: & hoc mõ, quia materia inq̃tum

cuncta fomenta ciborum, quibus corporalem vitam nutrire & sustentare debuit: spiritualem in ligno vitæ medicinā acceperat: qua tandem vitam contra mortis defectum saluam atq; incorruptam potuit conseruare. Cum enim corpus illius esset animale, & indigens alimentis, defecisset vtique: nisi alimonijs conseruatus esset: & de hoc infra plenius dicetur.

Quæst. 50 memb. 2. ¶ Ad illud, quod obijcitur in contrarium: Potest dici sine præiudicio, quod perpetuitas vitæ corporalis Adæ in tribus fuit, scil. ex proportione mixtorum inæqualitate virtutum: ex fomento fructuum paradisi: & natura continéte mixta.

¶ Ad huius euidentiā nota, quod vnum elementum agit in aliud magis, vel minus secūdum maiorem virtutem, vel minorem resistentis. V. g. ignis tantus agit in tantam aquā: & minus agit, siue abijcit minus à substantia, quam in minorem minori primo: & secundum quod additur aliquid quantitati aquæ: detrahitur proportionabiliter aliqua aliquota actionis ignis agentis. Esset ergo possibile tantam aquam esse, & tanta virtute resistere: quod penitus in eam ignis non ageret, scil. abijciendo aliquid de substantia: nisi virtus ignis roboraretur. Illud autem accideret, si tanta esset aqua, & tantus ignis, quod virtutes eorū penitus æquarentur: ita, sc. quod huius esset tanta in resistendo, quanta illius in agendo: vel tanta fieret æqualitas, quod vnū in aliud omnino nō ageret: sed esset pax, & harmonia secundum cōmensurationem virtutum: & ita esset mixtio optima. Hæc aūt mixtio, cum sit nobilissima; decet nobilissimam formā, vel animam rationalem primi hominis. Quod si alterius mixtionis corpus aptaretur sibi: cum anima naturaliter amet corpus suum, cum corpus naturaliter deficeret, iniuste ageretur cum ea: cum sine culpa sua priuaretur suo amato, quod esset ei pœna. Formæ igitur in æternum duraturæ cōgruebat corpus in æternum duraturum: talis autem debebat esse mixtio in corpore Adæ: talis enim mixtio est causa optimæ complexionis, & perfectissimæ sanitatis; qualis erat ipsius: Dicit enim August. quod in carne eius summa sanitas erat. Sed adhuc poterat talis mixtio deficere; & si esset optima; ex proportione virtutum in elementis, prout erant in mixto: nisi alicuius extrinseci adiutorio conseruaretur; & nisi natura continens mixta saluaretur. Vnde ad longæuitatem, siue, perpetuitatem corporis eius, hæc tria requirebantur: De his dicetur infra: vbi agetur de corruptione corporis Adæ.

August de ciuit. Dei.

¶ Ad aliud quod obijcitur: Dicendum, quod licet virtutes elementares respondent proportionaliter moli elementorum; secundum quod elementa sunt completa in suis formis, & speciebus: nihilominus, quia virtutes illæ cōstringuntur in mixtione, & diminuuntur: nihil autem deperit de mole in ipsa mixtione: vnde rediguntur virtutes ad æqualitatem: & efficitur in mixtis æqualitas virtutis: non existente æqualitate molis. Nec valet argumentum illud: quia licet quantitas molis respondeat quantitati virtutis eo modo, quo actum est in opponendo: tamen quia non respondet vniformiter, sc. maior moles maiori quantitati virtutis: & minor minori: sed econtrario: non sequitur quin possit esset æqualitas virtutis in mixto: licet non possit esse æqualitas in mole: quia elementum minoris virtutis posset esse in tanta mole: & elementum maioris in tantilla, quod virtutes reducerentur ad quandam æqualitatem, vt ex dictis patet. Si autem sibiinuicem responderent informiter, bene sequeretur.

Quæst. 86. memb. 5. Ad aliud dicendum, quod grauitas, & leuitas sunt qualitates materiales, respōdentes propriæ quantitati molis ipsorum elementorum: & propter hoc sicut non pōt esse, æqualitas elementorū molis in mixto: sic non pōt esse æqualitas grauitatis, & leuitatis. Aliæ aūt sunt qualitates formales, penes quas attenditur virtus elementaris. Vnde quia licet grauitas, & leuitas respondeant virtuti maiori, & minori; nō sunt qualitates formales, non se habent consequenter ad æqualitatem virtutum elementarium: quæ penes qualitates formales attenduntur.

An grauitas & leuitas secundum æqualitatem erant in corpore Adæ? §. 3.

Quæst. lateralis. ¶ Ad clariorem agnitionem de æqualitate qualitatum consequentium ad qualitates elementares, sc. grauitatis, & leuitatis. Primo quæritur, si erant in corpore Adæ secundū æqualitatem, vel non. Secundo dato quod non, quæ illarū prædominabatur in illo.

¶ De primo sic: vt hr̄ à Philosopho, sc. Isaac in dictis vniuersalibus: quædam sunt, quę componuntur ex materia; cui dominantur elementa graui, sc. terra & aqua: quædam, quæ componuntur ex materia, cui dominantur elementa leuia, sc. aer, ignis: quædam, quæ componuntur ex materia, cui æqualiter dn̄antur quatuor elementa: & hæc sunt æqualiter grauia, & leuia. Sed duo prima se hn̄t, vt extrema respectu tertij: esse enim ex materia, cui dn̄antur grauia; & esse ex materia, cui dn̄antur leuia; sunt extrema eius, quod est esse ex materia, cui æqualiter dn̄antur grauia, & leuia: quæ aūt sunt hmōi, æqualiter participant grauitatem, & leuitatem. Illa aūt complexio, quæ tenet proportionem, & harmoniam in ratione medij, melior est illa, quæ tenet harmoniam, & proportionem in ratione extremi: illa aūt, quæ tenet rationem medij; est illa, quæ tenet æqualitatem grauitatis, & leuitatis: vt patet ex dictis: igitur cum primi hominis esset complexio optima, erat in æqualitate grauitatis, & leuitatis. Philos.

¶ Item, ratio conditionis corporis Adæ fuit, vt obediret voluntati rationali animæ eiusdem: & cōsequenter cursu pn̄ti finito, præmiaretur perpetuitate gloriæ: conueniens ergo fuit, vt sic esset conditum, siue dispositum in conditione; vt obedire posset imperio voluntatis iuxta nutum imperantis: voluntas aūt rationalis animæ est, quod corpus sibi subiectum se moueat ascendendo, & descendendo: & non solūmodo quod grauiter: sed quod expedite, & agiliter se moueat, & circumferat: & consimiliter se hēbat voluntas Adæ: cum ergo anima Adæ non determinate se habebat ad imperādum hoc, vel illud; sed ad imperandum in quadam indifferentia respectu vtriusq; conueniens fuit, vt corpus eius ita dispositum esset in conditione, vt se haberet in indifferentia ad ascendendum, & descendendum, & ad transferēdum se grauiter & agiliter; sed hoc esse non posset, nisi in eo esset æqualitas grauitatis, & leuitatis: ergo &c.

¶ Contra, proprietas leuis est ferri sursum, grauis deorsum: si ergo aliquid æqualiter participat grauitatem, & leuitatem, æqualiter trahit sursum, & deorsum; igitur si corpus Adæ fuisset tale, cuius locus fuisset neq; sursum neq; deorsum; neque si esset deorsum, ascendere posset per naturam; neque si sursum, descendere; quod inconueniens esset; non igitur æqualitatem habebat grauitatis & leuitatis. ¶ Præterea, æqualitas grauitatis, & leuitatis sequitur æqualitatem molis; sed corpus Adæ non habebat æqualitatē molis; vt supra ostensum est; ergo non habebat æqualitatem grauitatis, & leuitatis. Art. 1. huiusce mē. b. i.

RESOLVTIO.

Cum æqualitas grauitatis & leuitatis æqualitatem molis in se: cunque in corpore autem Adæ nulla fuerit æqualitas molis, nec grauitatis & leuitatis æqualitas fuisse dicenda est. Si quidem huiusmodi corpus nullibi, neque sursum, neque deorsum esse potuisset.

¶ Quod concedimus; Dicentes ad primum, quod æqualitas grauitatis, & leuitatis, licet ponat quidem rationem medij; nō tn̄ ponit illam harmoniam, & rationē medij, quæ est laudabilis complexionis; vel commixtionis; quia ponit æqualitatem molis, & per consequens improportionē qualitatum elementarium. Vnde rō medij cōsequens ad æqualitatem grauitatis, & leuitatis, vituperabilis est; illa aūt, quæ est virtutum elementarium; bona est, & laudabilis; & hæc erat corporis Adæ.

¶ Si aūt quæratur, quomodo pn̄t duo elementa dominari in aliquo, & quatuor; sicut dicit Isaac. Dicendum, quod ille loquitur de grauitate, & leuitate, secundum quod disponunt ad motum, vel stabilitatem; quod patet; dicit enim sic. Quæ componuntur ex materia, cui grauia dominantur duo elementa; inde fiunt illa, quæ sunt stabilia; sicut arbores, herbæ. Quæ vero ex materia, cui principantur ambo elementa leuia, fiunt inde mobilia, & motu localia; sicut animalia à loco in locum mobilia. Quæ autem ex materia, cui æqualiter quatuor elemen-

elementa dominantur: & grauia & leuia commixtum, sunt animalia ad mouendum dura; sicut testudines, & huiusmodi: vnde in testudine quoddam sensibile, quoddam insensibile habetur. Vult ergo his verbis determinare in quibus est maior aptitudo ad motum ex dominio leuium, & in quibus ad stabilitatem ex dominio grauium: in quibus secundum partes diuersas est aptitudo ad motum, & ad eius oppositum: vt testudines: quæ sunt sensibiles secundum aliud, & insensibiles secundum aliud: secundum quid habent possibilitatem ad motum; secundum quid nequaquam. Vnde non intelligendum est, quod in aliquo corpore dominentur quatuor elementa, simpliciter loquendo: sed hoc dicit, quia in aliquo duo dominantur, & comparatiue in vna parte: sicut grauia in concha testudinis: & duo comparatiue in alia parte: sicut leuia in corpore. Quod ergo dicit duo dominari, intelligitur comparatiue respectu aliorum duorum: quod dicit quatuor dominari, intelligitur quantum ad partes diuersas: vt duo intelligantur dominari in vna parte, magis quam alia duo: & alia duo similiter.

Ad aliud dicendum; quod nulla ratione debuit corpus Adæ fieri in tali æqualitate scil. grauitatis, & leuitatis: quia hoc nullo modo posset esse, nisi maxima esset improportio & pugna consequenter in ipso, & ita aptitudo propinqua ad dissolutionem: quod non conueniebat corpori perpetue durature. Præterea, si illa æqualitas fuisset in corpore Adæ, ad motum esset impotentissimum, siue difficultatem maximam transferendi se secundum imperium voluntatis: immo ineptum esset omnino ad motum animalem. Quia cum motus animalis efficiatur ex influentia virtutis animæ in corpus organizatum, & existens in debitis numeris, & harmonia: secundum quod congruit corpori perfectibili anima rationali: corpus autem existens in æqualitate prætacta, vel esset ineptum ad organizationem debitam: vel si forte distingueretur per organa, propter defectum harmoniæ, cuius gratia organa habilia sunt ad recipiendum virtutem influentem ab ipsa anima; omnino esset ineptum ad motum huiusmodi. Sicut n. paruuli, & paralytici inepti sunt ad motum animalem propter defectum ex parte corporum: vnde est, quod virtus animæ nō habet effectum talem in illis: similiter aliquid habens corpus existens in proportione prætacta, propter defectum à parte ipsius corporis, ineptum esset ad motum animalem propter causam prætactam. Immo verisimile est, quod tale corpus ineptum esset ad hoc, quod perficeretur anima rationali: cum corpus aptum ad susceptionem animæ, debeat esse ex quatuor elementis mixtum in æqualitate pulchriore, & perfectiore, & virtutiosa, & * neruis: quæ sunt pulchriores virtutibus animalium: vt habetur à Philosopho. ¶ Præterea, Motus animalis est quasi medius inter naturalem, & violentum: in motu enim animali vterq; exercetur, & rectificatur virtute animæ, siue potentiarum animæ: cum ergo huiusmodi corpus non esset mobile motu naturali, quantum est de sui natura: quia quantum traxisset illud grauitas ad motum deorsum, tantum traxisset illud leuitas ad motum sursum: impotens esset, vel in expeditū, & difficile ad motum talem, vel talem. Vnde ratio illa est magis contra propositum, quam pro. Ad exequendum autem imperium voluntatis rationalis ascendendo, & descendendo, secundum quod viatori congruebat: sufficiebat ei potentia mouendi motu animali: quousq; merito huius executionis peruenisset ad statū gloriæ, & remuneratum esset dote agilitatis: cuius virtute poterit se transferre, quocunq; voluerit ipsa voluntas: cuiusmodi motus, siue translatio illi statui tantum congruit.

An grauitas, vel leuitas prædominabatur in corpore Adæ? §. 19.

¶ Restat inquirere. Vtrum grauitas prædominabatur in corpore Adæ, vel leuitas. Et videtur, quod grauitas: sicut habetur à Philos. animalia constant ex illis per prædominium, in quibus habitant, & ex quibus nutriuntur. Vnde omnia animalia sunt ex grauibus elementis per prædominium, quæ habitant in terra, & quæ in aqua: & quæ ex illis nutriuntur, sc. sicco terreno, & humido aqueo. Sed corpus Adæ erat habitaturum in terra, & nutriendum ex fructibus terræ, quæ erant grauia per prædominium: ergo in eo abundabat grauitas per prædominium, quæ est proprietas grauium. ¶ Item, hoc probatur ex motu eiusdem: motus enim sequitur prædominans: sed constat, quod si sursum esset eleuatum, secundum potentiam, conditionem, & liberalitatem, deorsum descenderet: ergo in illo grauitas prædominabatur.

¶ Contra, corpus illud magis erat aptum, & dispositum ad agendum, quam ad patiendum: omnino enim erat indispositum in statu innocentiæ ad patiendum. Vnde Hugo: *Dum homo in paradiso innocenter viueret, ignis eum non vreret, nec aqua mergeret, nec spinarum aculei vulnerarent.* Sed ex proprietatibus grauium habet esse passio in corpore, ex proprietatibus leuium habet esse actio in corpore: ergo magis abundabat in illo grauitas, quam leuitas. Quod virtus agendi sit proprietatibus leuium patet per August. dicentem. *Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam corpoream naturæ dignitate præcellit. Per lucem tamen & aerem, quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisq; habent faciendi præstantiā, quam patiendi corpulentiam sicut humor, & terra, tanquam per ea, quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat.* ¶ Item, corpus erat in conuenienti, & propinqua dispositione ad vitam: hæc autem dispositio fit maxime per calidum & humidum: calor enim & humor disponunt ad vitam; & illa in esse conseruant. (Vnde vita stat per calidum & humidum) ergo in corpore Adæ erat dominium eorum, quæ dant caliditatem & humorem vitalem: hæc autem sunt elementa leuia.

¶ Item, natura lucis maxime disponit ad receptionem vitæ: quia (secundum Auicennam) natura lucis est media ad vitæ susceptionem: ergo corpora, quæ magis naturam lucis participant: cuiusmodi sunt elementa, in quib. dominatur leuitas: erant per prædominium in illo corpore, quod erat in propinqua dispositione ad vitam. ¶ Item, Est aliquid genus animalis, cuius esse, & actus, siue perfectio est omnino temporalis: vt pote cuius esse determinatum est in corpore & vita corruptibili: tamen ex prædominio elementorum leuium habet potestatem efferendi se de terra, & transferēdi se ad loca cælo propinquiora. Est & aliud genus animalis, cuius esse, & actus, siue perfectio non est omnino temporalis, sed quodāmodo cælestis: vt puta cuius vita est spiritualis quodāmodo, & incorruptibilis: vt homo, & maxime primus homo: præeminebat ergo primus homo alia nobilitate & dignitate: & in ratione nobilitatis eius, & dignitatis dignus erat mansione cælesti, scil. in statu innocentiæ: Videtur ergo fortiori ratione, quod debebat habere potestatem eleuandi se à terra, & transferendi se ad loca cælo propinquiora: hoc autem esse non potest, nisi prædominaretur in illo leuitas grauitati: ergo &c.

RESOLVTIO.

Quantum ad virtutem leuitas: quantum ad molem grauitas.

¶ Ad hoc dicendum, quod in corpore primi hominis erat prædominatio duplex: quædam enim elementa prædominabantur in illo quantum ad molem: quædam quantum ad virtutem. Quantum ad molem terra & aqua: quantum ad virtutem aer & ignis. Grauitas & leuitas consequitur molem, siue materiā: propter quod dominabatur in illo grauitas, & non leuitas. ¶ Respond. ergo ad primum obiectum, quod in illo corpore Adæ abundabant corpora leuia; & prædominabantur: non quantum ad molem, sed quantum ad virtutem: Nec propter hoc consequens est, quod in illo prædominabatur leuitas: sed quod elementa leuia: & hoc quantum ad prædomium virtutis. Grauitas enim & leuitas molem siue naturam elementorum comitātur, & prædominantur in mixtis secundum prædomiū molis: non autem secundum prædominium virtutis.

¶ Ad aliud similiter dicendum, quod in corpore Adæ abundant calor & humor vitalis; & prædominabantur elementa, à quibus est calor & humor huiusmodi: nec tamen sequitur quod leuitas: vt ex prædictis patet. Nota tamen hic, quod secundum philosophos duplex est caliditas naturalis. Vna elementaris, & ista non est medium in participatione vitæ. Alia est, quæ resultat ex oppositione elemen-

* Alias, numeris.

Qō. lateralis. Philos. 4. Meteor.

torum adiunctione, & contractione qualitatum: sicut ex cómixtione elementorum resultat mixtum.

¶ Ad tertium patet responsio ex dictis. Nota tamen quod triplex est lux. Prima lux cœlestis, cuiusmodi est illa, quæ est in corpore cœlesti. Alia est ignea: & neutra secundum sui essentiam est disposita ad susceptionem vitæ. Tertia est lux, quæ cõsistit in commixtione elementorum productorum ad vltimam subtilitatem: & hæc lux est dispositiua ad vitam: & vocatur secundum Philosophos, spiritus.

¶ Ad quartum dicendum, quod in illis animalibus, siue volucribus, quibus data est virtus efferendi se ad loca cœlo propinquiora; non prædominatur leuitas grauitati: sed econuerso. Sed virtus leuium elementorum in illis prædominatur, sicut in homine. Quare illis data est potestas efferendi se. Tertio est declaratio diuinæ sapientiæ in conuenienti omnium aeris, siue mediæ regionis. ¶ Ratio autem, quare habitatio, siue mansio hominis primi quantum ad corpus erat in terra, vt pote in quo maximæ grauitates prædominantur.

¶ Similiter & aliorum est declaratio virtutis diuinæ, scil. sapientiæ, potentiæ, & bonitatis. Sapientiæ in conditione, potentiæ in reformatione, bonitatis in remuneratione. Sapientiæ, inquam, in conditione: quia Deus faciens illud ex elementis grauibus per prædominium molis, prouidit illi de optima complexione: secundum quod conueniebat perfectibili perfectione in perpetuum duratura: si enim esset in illo leuitas prædominans, necessario abundasset in eo calor nimium intemperantia, quod proximum esset dissolutioni.

¶ Præterea, in reformatione corporis talis dotibus gloriæ ostenditur maxima potentia Dei. Talis (dico) id est, in quo dominabatur per prædominium elementum maxime graue: ex quo erat contrarium dispositionum ad proprietates dotium, & in maxima distantia ab illis: ex hoc enim quod prædominabatur in illo elementũ maxime graue, scil. terra, erat passibile, obscurum, grossum, & ponderosum, & minus agile ad motus diuersos; quibus sunt contraria, impassibile, clarum, subtile, & agile: cuiusmodi fiet in reparatione.

¶ Præterea, in remuneratione corporis talis ostendebatur bonitas Dei, sc. iustitiæ: & sicut primus angelus in puritate maxima conditus, & sine mole * intentione elationis deiectus est de cælo empyreo ad loca inferiora, iustitia diuina: ita corpus illud in mole graui conditum, in remuneratione obedientiæ & seruitij suo conditori, in grauitate illa exhibiti, transferetur ad locũ excelsum & luminosum: & eo magis congrue & iustius, quo in grauitate, in qua conditum erat, prout debuit, Deo obediuit.

*Alias, inuenio.

¶ Ex his patet responsio ad vltimo quæsitum: quia illa, quæ habent potestatem efferendi se ad loca cælo propinquiora, hoc habent quia in eis prædominatur leuitas grauitati: sed virtus leuium prædominatur in illis virtuti grauiũ: sicut prædominatur in homine. Quare autem in illis tantũ prædominatur, quod sic se possunt efferre, & non in homine, ratio tacta est.

ARTICVLVS II.

De æqualitate à iustitia.

Sequitur de æqualitate à iustitia. Et non intendimus hic de huiusmodi æqualitate, secundum quod philosophi intendunt, quæ attenditur penes mensuram elementorum cum suis quantitatibus & qualitatibus in optima proportione, quam debet habere natura humana: de qua dicit Auicenna. *Debes scire, quod æquale, de quo Medici in suis inquisitionibus tractant: non est denominatum ab æqualitate, in qua æqualitas cum pondere existit æqualiter: sed denominatur à iustitia in diuisione: & hoc est, quod complexionatum in primis attenditur, siue sit corpus totum, siue sit membrum vnum: vt sit in eo de elementis cum suis qualitatibus & quantitatibus mensura, quam humana natura habere debet secundum meliorem proportionis & diuisionis æquitatem.* Sed intendimus de illa æqualitate, quæ fuit in corpore Adæ à diuina iustitia ante peccatum.

Auicenna.

¶ Quæritur ergo primo de æqualitate collata. Secundo de æqualitate eadem sublata. Tertio de eadem restituta.

An æqualitas corporis Adæ à diuina iustitia fuit. §. 1.

¶ Primo quæritur, si æqualitas corporis Adæ erat ei collata à diuina iustitia. ¶ Quod sic, videtur: dicit enim Dionys. de Diui. no. cap. 8. *Iustitia Deus velut omnibus, quæ sunt, secundum dignitatem distribuens, laudatur: & mensurationem, & formam, & ordinationem, & dispositionem.* Ex hac littera sumitur in scholis hæc ratio: Iustitia est habit⁹ æqualitatis distributiuus. Et dicit ibi Abbas Verzellen. *Deus dicitur iustus, tanquam distribuens omnibus, secundum singulorum congruentiam, & commensurationem & pulchritudinem, & bonam ordinationem.* Si ergo diuina iustitia est omnium ordinatio & mensuratio, vt ex ordinatione Dionys. patet, igitur & mensuratio & ordinatio æqualitatis, quæ fuit in corpore Adæ fuit à diuina iustitia. ¶ Item, Dionys. *Diuina iustitia est, secundum quam omnis æquitas mensuratur, & terminatur.* (& ponit æquitatem pro æqualitate) Si ergo omnis æqualitas mensuratur à iustitia, & æqualitas primi hominis.

Dionys. de diui. nom. ca. 8. Circa medium, alias tamen verbis in translatione noua. Abbas Verzell.

Dionys. ib.

¶ Contra Dionys. *Diuina iustitia omnibus i. ... & inconfusa saluans vnicuique cognata, omnibus existentibus donat secundum vniuscuiusque existentium iustam dignitatem*, Abbas Verzellen. ibidem. *Iustitia diuina singula à singulis incommixta, & inconfusa saluat.* Ex hoc verbo Dionys. duo videntur, sc. quod diuina iustitia saluat singula à singulis sine commixtione: & ea, quæ donat, secundum quod exigit dignitas rei, cui dat. Ex primo videtur, quod non in corpore primi hominis, similiter neque in aliquo alio sit aliqua commixtio à diuina iustitia. Ex secundo videtur, quod cum corpus primi hominis ante conditionem nullius esset dignitatis, & sic illius dignitas nihil exigebat; quod à diuina iustitia nihil ei donabatur. ¶ Item, aliquid fieri de iustitia, dicitur debitũ fiendi: quod autem mera liberalitate fit, non dr̃ fieri de iustitia: igitur cum minus recte diceretur, Deum aliquid facere ex debito; & præcipue quo ad illud, quod ex tota liberalitate eius factum est: sicut fuit corpus Adæ: non videtur, quod debeat dici aliquid in illo factum à diuina iustitia. ¶ Item, Dionys. *Diuina iustitia, & salus omnium laudatur: & propriam vniuscuiusque, & puram ab aliis essentiam, & ordinem saluans, & custodiens.* Ex hoc verbo patet, quod propria, quæ rebus creatis distribuit, in suo ordine & virtute saluat. Si igitur æqualitas corporis Adæ fuisset à diuina iustitia, esset saluata in suo ordine, & virtute ab eadem: igitur ex quo nõ fuit saluata (quod patet per hoc quod necesse erat ipsum dissolui) relinquitur, quod illa æqualitas non fuit à diuina iustitia. ¶ Item, idem in eodem. *Oportet sic e diuinam iustitiam in hoc vere existentem: quia omnibus distribuit propria secundum vniuscuiusque existentium dignitatem: & vniuscuiusque naturam in propria saluat ordinatione, & virtute.* Ex hoc patet idem, quod supra. ¶ Item, Dionys. *Iustitia, secundum quam omnis æquitas mensuratur & omnis iniquitas per priuationem in ipsis singulis æqualitatis exterminatur:* Hic sumitur æquitas & iniquitas pro æqualitate, & inæqualitate. Abbas. *Iustitia est, secundum quam omnis æqualitas mensuratur, & diffinitur: & omnis inæqualitas, quæ priuat dictam æqualitatem à singulis, exterminatur.* Ex his verbis habetur, quod diuina iustitia exterminatur inæqualitas, quæ est priuatio æqualitatis; quæ est à diuina iustitia. Igitur cum inæqualitatem, quæ fuit priuatio æqualitatis; quæ erat primo corporis Adæ; non exterminauit, sed esse permisit: videtur, quod æqualitas non fuit à diuina iustitia. ¶ Præterea, potest quæri: quam inæqualitatem sustinet diuina iustitia, in rebus: & quam exterminat.

Idem ibid.

Abbas Verzell.

Dionys. in eodem.

Idem in eod. lib. de diui. nom. c. 8 circa medium, aliis tamẽ verbis.

Abbas Verzell.

RESOLVTIO.

Æqualitas qualitatum corporis Adæ à diuina iustitia fuit: ea, scilicet qua Deus secundum se iustus dicitur, quæ est condecentia suæ bonitatis.

¶ Ad hoc dicendum, quod illa æqualitas erat à diuina iustitia. ¶ Ad hoc, quod primo obijcitur: quod diuina iustitia saluat singula secundum commixtionem &c. Dicendũ, quod est multiplex commixtio. Vna est, quæ ponit confusionem rerum quantum ad dignitates earum; & virtutes, & ordinem rerum auferens: q̃ ponunt illi, qui dñt Deũ debuisse

illos,

illos, qui mortales sunt, fecisse immortales: & eos, qui imperfecti sunt, fecisse perfectos: & eos, qui habent liberum arbitrium eligendi bonum & malum: induxisse necessitatem faciendi bonum; & variabilibus contulisse inuariabilitatem: & consimiliter de alijs, dignitates rerum, & ordinem confundendo. Et hoc est, quod dicit Dionys. post determinationem siue diffinitionem diuinæ iustitiæ subiungens. Et in hæc recte dicimus, quicunque diuinis maledicunt, iustitia eos latet: suam iniustitiam in aperto condemnantes: aiunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem, & imperfectis perfectionem, & per seipsos motis alteram mouentem necessitatem: & mutabilibus immutabilitatem, & perfectam potentiam infirmis, & æterna esse temporalia, & intransmutabilia natura mobilia, & temporales delicias æternas: & omnino, quæ sunt aliorum alijs porrigunt. Alia est mixtio, quæ ponit harmoniam, & proportionē miscibilium secūdum temperamentum conueniens naturæ mixti producendi in esse. Ex huiusmodi conuenientia miscibiliū, & sine hac mixtione non saluat diuina iustitia singula: sed potius mediante hac commixtione saluat, & conseruat mixta in esse. Vnde Dionys. *Procedunt ea, quæ sunt indeficientis virtutis, & ad homines, & ad animalia, & plantas, & totam hominis naturam: & firmat vnita ad suimuicem amicitiam & communionem*: Vnita autem vocat ea, quæ mixta sunt in aliquo: quæ firmat & confortat virtus indeficiens ad amicitiam: quando mensurate, & mansuetudine quadam vnita sunt in toto. Vnde Expositor: *Deus largitur, & confortat ad amicitiam vnita: & ad communionem, id est, semina omnium, seu elementa mensurate ad collegium pariter incidentia: & adinuicem mixta, id est, propinquantia mensurate, & mansuete ad virtutem deducit sensibilia gignendi*. Sic ergo duplex est mixtio: vna, quam non sustinet diuina iustitia: alia, quam saluat & confortat; qua conseruantur mixta in esse.

Dionys. de diui. nom. cap. 8.

Expositor Dionys.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod ea, quæ donat, donat secūdum exigentiam dignitatis rei, cui dat &c. Dicendum, quod in rebus est duo considerare: ipsam substantiam; & essentialem proprietatem, qua substantia & virtus rei huius speciei distinguitur à re alterius speciei. Quod ergo dicitur aliquid dari rebus à diuina iustitia secundum vniuscuiusq; dignitatem: hoc intelligendum est quantum ad proprietates essentiales ipsarum rerum: secundum quas ordinem habent, & virtutem: sicut alia est virtus, & ordinatio terræ: & alia ignis: & hoc est ex proprietatibus eis datis secundum conuenientiam suæ speciei. Vnde dare existentibus secundum suam dignitatem, hoc est dare illis secundum conuenientiam specierum eorundem. Quod autem intelligi habet quantum ad huiusmodi proprietates; patet ex verbo supradicto B. Dionys. quod est. *Oportet scire diuinam iustitiam in hoc vere existentem, quod omnibus retribuit propria secundum vniuscuiusque existentium dignitatem; & vniuscuiusque naturam propria saluat ordinatione, & virtute*. Nota quod dicit [*existentium, & propria*] Ex quibus patet, quod intelligit de existentibus, & proprietatibus collatis ipsis existentibus.

Dionys.

¶ Ad aliud dicendum, quod sicut dicit Ansel. in Prosologio; Deus dicitur quandoque iustus secundum se: quandoque secundum nos. Secundum se, quando non est aliqua ratio ex parte eius, respectu cuius dicitur iuste agere: sed solum ratio est condecentia suæ bonitatis. Secundum nos, quando meritum ex parte nostra hoc requirit. Cum ergo dicitur aliquid fieri de iustitia, importat debitum fiendi. Dicendum, quod hoc verum est: quando aliquid dicitur fieri de iustitia secundum nos: non autem quando aliquid dicitur fieri de iustitia secundum Deum: nisi velimus extēdere, quod dicitur [*debitum*] vt sumatur pro decenti: vt illud dicatur debitum, quod est decens.

¶ Ad hoc, quod postea obijcitur: quod propria, quæ rebus creans distribuit; in suo ordine & virtute saluat &c. Dicendum, & hoc intelligitur de illis, quorum virtus, & operatio determinatur secundum legē naturę: non de illis, quæ subiacent libero arbitrio. Illa enim, quorū virtus, & operatio secundum legem naturæ determinatur; secundum legem eis inditam in operibus suis progrediuntur. Vnde quia non declinant à lege indita, quousque sua claudantur periodo; influentia virtutis primæ saluantur in esse. Alitur est de his, quæ subiacent libero arbitrio quorum potestas est declinandi à lege eis indita: quæ cum declinant à lege eis indita, auertunt se à suo conditore & saluatore: vnde influentiam ab illo non recipiunt: propter quod necessario deficit, quod in illis conditum est: tale fuit corpus Adæ, quod erat regendum libero arbit. quod peccato sui motoris & perfectionis cecidit in defectum, & carentiam naturalis iustitiæ. Vnde in illud quoddammodo auersum à Deo, non influebat virtus diuina, saluans quod condiderat in illo: propter q̄ defecerunt quæ in eo condita erant. Autor autem duos insinuat intellectus verbi propositi, quorum vnum ponit, alium approbat. In illo, quem ponit: intelligitur saluatio quantum ad esse rei, quantum ad ordinem, quantum ad operationem: quod patet ex verbis ipsius, quæ sunt hæc. Diuina iustitia & salus omnium laudatur: propriam vniuscuiusque, & puram ab alijs essentiam, & ordinem saluans, & custodiens: fœtida purgans in omnibus propriæ actionis. Et (secundum Expositorem) propriam actionem nominat, vniuscuiusque existentium secundum naturam spiritualem motum: neque enim quæ angelorum sunt, hominibus est possibile agere: aut quæ ignis, aquæ: & econuerso. Intellectus iste plenius patet ex verbis Abbatis dicentis: Ipsa diuina iustitia recte etiam dicitur omnium saluatio, inquantum saluat, & custodit vniuscuiusque propriam substantiam inde segregatam ab alijs: similiter & cuiuslibet rei ordinem: & in singulis rebus munde existit propriæ operationis causa. Et vocat ipsam mundam segregationem: quando nulla est communicatio alienarum proprietatu: sicut ignis munde segregatus est ab alijs elementis; quia nullum illorum cōmunicat cum illo in essentialibus proprietatibus illius natura; nec ecōuerso. Alius autem est intellectus, quem approbat, sc. de saluatione morali, sc. q̄do saluator saluat à statu deteriori, deducens ad meliorem. Vnde Dionys. *Si quis salutem laudauerit: & sic ex malis tanquam parturientem eripientem omnino ibi, & hunc laudabilem laudatorem largissimæ salutis accipiemus*. Abbas. *Si Deitas vocatur saluatio tanquam ex statu peiori ad meliorem, cuncta saluatorie quocunque modo deducens: nos hanc laudem dignissimæ saluationis bene recipimus*.

Dionys. ib. Abbas ver.

¶ Ad hoc, quod obijcitur postea: quod diuina iustitia exterminatur inæqualitas, quæ est priuatio æqualitatis &c. Dicendum, quod ista exterminatio inæqualitatis est saluatio rerum in intransmutabilitate ad alienas proprietates & operationes. Vnde saluauit ignem in transmutabilitate ad alienas proprietates & operationes, sc. aquæ, & terræ, & huiusmodi. Vnde paulo ante dicitur in Eodem. Et hanc primam saluationem totorum rogabimus ipsum diffinire, qui omnia in seipsis intransmutabilia & fortia cōtra peiora saluat: & omnia custodit, non pugnantia, & non bellantia, singula suis ipsorum rationibus ornata: & omnem inæqualitatem & alienam operationem ex totis exterminat: & proportiones vniuscuiusq; constituit; non constituit; non valentes cadere ad contraria, neque transire. Hanc autem inæqualitatem exterminauit in Adam saluans eum in trāsmutabilitate ad alienas proprietates & operationes.

¶ Ad illud, quod vltimo quæritur. Dicendum, quod duplex est inæqualitas. Vna est, quæ priuatur omnino: alia, quæ saluatur. Prima est duplex, sc. peccatum in animabus, & confusio in rebus: vtraque remouet Dominus: primam per gratuitam misericordiam: secundam per iustitiam prouisiuam, sc. prouidendo, ne subintrasset vniuersum. Alia est inæqualitas, quæ saluatur, sc. vel differentia vnius totius ad aliud totum: vt quando vnum est maius altero: aut qua totum est maius sua parte. Hanc enim inæqualitatem saluat diuina iustitia, & custodit (sicut dicit Dionys.) non permittens turbari vniuersitatem commixtione. Et hoc est, quod sequitur. Etenim inæqualitatem si quis accipiat differentias in toto totorum ad tota. Et huiusmodi iustitia est seruatiua, non concedens commixta tota in totis facta turbari: custodiens autem existentia omnia secundum speciem vnumquodque, in qua vnumquodque esse naturam habet. Ex hac enim inæqualitate consistit pulchritudo in vniuerso, sicut tangit Commentator super 1. capit. Angelicæ Hierarchiæ, vocans eam viuificam, contemperantiam

Commen. Dionys.

prouisorum. Alia est inæqualitas similiter, quam saluat diuina iustitia, quæ est manifestatiua & commendatiua diuinæ iustitiæ, & illa est in corpore humano: & fuit in corpore Adæ post peccatum, secundum quod non permisit Deus dedecus culpæ sine decore vindictæ.

An à diuina iustitia sublata fuerit æqualitas mixtorum in corpore Adæ? §. 2.

Quæstio collateralis.

Aug. in li. de ciuit. Dei.

¶ INSVPER quæritur: Vtrum à diuina iustitia erat sublata æqualitas qualitatum mixtorũ in corpore Adæ. Quod sic, videtur: vt habetur ab August. *summa sanitas erat in corpore Adæ ante peccatum: post peccatum infirmus effectus est, & hoc de merito peccati: infirmitatem autem sequitur inæqualitas qualitatum huiusmodi,* sequitur n. si corpus aliquod infirmatur, ꝗ in illo sint qualitates mixtorum inæqualitate: subtracta ergo fuit à corpore primi hominis æqualitas præhabita pp peccatũ, sed oẽ, quod redditur pro meritis, aut subtrahit̃ pro demeritis; iuste redditur, & subtrahitur: ergo hæc æqualitas iuste fuit illis subtracta, siue sublata. ¶ Iterum iuste fuit illis inflicta necessitas moriendi, & dissolutionis corporalis, ad hoc autem sequitur necessario inæqualitas qualitatum prædictarum: ergo iustè, sed si diuina iustitia punitus fuit necessitate moriendi, & dissolutionis corporalis, quibus annexum est necessario, & consequenter se habens carentia qualitatis prædictæ: ergo inæqualitas fuit inflicta diuina iustitia. ¶ ITEM, primus homo peccauit in corpore, & anima, diuina autem iustitia punitus fuit in anima, diuisione partium ipsius, qua erat pugna quædam in ipsa. (Vnde sensualitas concupiscit aduersus partem superiorem) ergo videtur à simili, quod fuit punitus diuina iustitia in corpore diuisione partium ipsius, qua erat pugna in corpore ipso; huiusmodi autem pugnæ causa est sublatio æqualitatis.

¶ CONTRA, sublatio, siue subtractio æqualitatis non est aliud, quã defectus æqualitatis: subtrahere aũt æqualitatem, non est aliud, quã deficere ab illa: non n. dicitur aliquid bonũ huiusmodi subtractum à Deo, vel à diuina iustitia; quia Deus agat aliquid circa illud, cui dicitur subtrahi, sed quia deficit ab illo. Sed quia dicit Ansel. *Deesse bonum, ꝗ debet adesse, non est aliquid esse:* ergo huiusmodi defectus boni nihil est; sed oẽ, quod est à diuina iustitia; aliquid est: ergo ista sublatio non est à diuina iustitia. ¶ Item, Ans. *Iniustitia omnino nihil est, sicut cæcitas:* non n. aliud est cæcitas, q̃ absentia visus, vbi debet esse, quæ nõ magis est in oculo, vbi debet esse; q̃ in ligno, vbi non debet esse, à simili patet, ꝗ inæqualitas qualitatum nihil est, ergo non fuit in corpore Adæ à diuina iustitia. ¶ Item, In inflictione iusta alicuius requiritur, quod aliquid infligatur, & pp aliquid, sed illa absentia æqualitatis (vt tactum est) nihil est, neq; peccatum, propter quod dicitur fuisse inflicta. Quod aũt peccatum nihil sit, habetur ab Ansel. dicit n. sic: *quod iniustitia nihil est aliud quã absentia debitæ iustitiæ: sicut malum non est aliud quam absentia debiti boni: deesse vero bonum, ꝗ debet adesse, non est aliquid esse:* & ex hoc concludit ipse, ꝗ malum, siue peccatũ esse, non est aliquid esse, & ex hoc concluditur idem quod prius. ¶ Item, põt quæri vnde defectus iste, siue absentia erat; ex quo nulla fiebat circa corpus illud operatio ad eo, neque ab alio. ¶ Item, videtur quod iniuste sit corpori illata hæc inæqualitas. Si n. lege naturali, à diuina iustitia condita, tenebantur membra obedire voluntati, illa mouenti: immo peccarent, ordinem impositum transgrediendo: si non mouerentur ad voluntatis nutum: ergo iniustè actum est cum corpore, infligendo pœnã illam, quæ est in ipso: vnde Ansel. *De actionibus voluntarijs, quæ iniuste fiunt; arguuntur: membra & sensus, quibus fiunt; respondere possunt: Deus nos, & potestatẽ, quæ in nobis est, subiecit voluntati, vt ad imperium eius non possimus non mouere nos, & facere quod vult: imo illa mouet nos velut instrumenta sua, & facit opera, quæ videmur facere: nec nos possumus illi per nos resistere, nec opera, quæ facit; possunt non fieri. Diuinæ legi, quam nobis Deus dedit, nec debemus, nec possumus non obedire, cum illi obedimus; Deo, qui nobis hanc dedit legem, obedimus:* Ergo quid peccant membra, vel sensus, vel opera, quæ Deus sic subiecit voluntati: si seruent, quæ Deus illic ordinauit? quicquid ergo faciunt totum imputandum est voluntati.

Ansel. de concept. Virginis. cap. 5.

Idem.

Ansel. de eadem.

Idem de ead. cap. 4

RESOLVTIO.

Æqualitas qualitatum ex corpore Adæ à diuina iustitia sublata est, & proinde inæqualitas secuta, non quidem aliquid in eo efficiendo, sed ob eius demeritum illam conseruare desistendo, nec vlterius in posterum præstando.

¶ AD hoc dicendum, ꝗ illa æqualitas fuit sublata à diuina iustitia. ¶ AD illud; quod primo obijcitur in contrariũ sc. quod defectus æqualitatis nihil est, ergo non est à summa iustitia. Dicendum, quod Deus non est solummodo rerum conditionis causa, siue productionis in esse, sed custodiæ eorum, & salutis. Vnde Dion. *Diuina iustitia, & salus omnium laudatur: essentiam, & ordinem saluans, & custodiens.* Quia ergo peccato Adæ exigente, nõ saluauit Deus in illo æqualitatem illam, necessario defecit. Vnde illo modo loquẽdi, quo ille dicitur subtrahere beneficium, vel auferre, qui non præstat, vt solet, dicitur illa æqualitas subtracta, vel sublata a Deo, & peccato eius exigente, dicitur iuste sublata, siue subtracta à diuina iustitia. Cum ergo dicitur: quod illud, ꝗ est à diuina iustitia, aliquid est. Dicendum, quod quandoq; dicitur Deus agere de iustitia, & tunc ꝗ est diuina iustitia, aliquid est. Quandoq; cessare ab actione, & tunc quod diuina iustitia est, defectus est, siue carentia boni præhabiti, & sic est in casu proposito, quia n. Deus cessauit ab actione conseruationis præhabitæ æqualitatis in corpore Adæ: illa defecit, & subsecuta est inæqualitas in illo. ¶ Ex hoc ergo patet responsio ad aliud, quod sequitur.

Diony. de diui. nom.

¶ Ad consequenter quæsitum dicendum, ꝗ illa absentia æqualitatis, & defectus prouenit ex cessatione virtutis diuinæ ab actione conseruationis, non ex hoc, quod aliquid fecerit, siue agendo reliquerit in corpore illo.

¶ AD tertium dicendum, quod Ansel. determinato, ꝗ peccatum nihil est; ponit hanc quæst. *Si peccatum nihil est, cur punit Deus hominem pro peccato, cum pro nihilo nemo puniri debeat?* Et determinat hanc quæst. sic: *quod licet nihil sit absentia iustitiæ, & vbi debet esse, & vbi non debet esse: non tamen est peccatũ:* sed solum vbi debet esse, peccatũ ergo dicit hæc duo, siue concernit absentiã iustitiæ, vbi debet esse. Vnde licet absentia iustitiæ nihil sit: tñ debitum habendi illam, aliquid ponit. Vnde cum Dñs non puniat creaturas pro absentia iustitiæ, in quibus iustitia esse non debet, sed solum illos, in quibus debet esse: nõ ideo punit pro nihilo, quia punit pro debito habendi: cum absit, quod adesse debet. Dicit aũt sic. *Licet pariter nihil sit absentia iustitiæ, & vbi debet esse iustitia, & vbi non debet esse: punit tamen Deus peccatores, non pro nihilo, sed propter aliquid.* Creaturas autem, in quibus iustitia esse non debet; nõ punit pro absentia iustitiæ: hoc est pro nihilo: quia non est aliquid, quod ab illis exigat, nec ordo congruus vniuersitatis rerum hoc expostulat. Sic itaque cum punit Deus pro peccato, quod est absentia debitæ iustitiæ, quæ nihil est; nõ omnino punit pro nihilo, & verum est, quia nisi sit aliquid, propter quod punire debeat, omnino nõ punit pro nihilo.

Ansel. de concept. Virgin. cap. 5.

Idem ibidem.

¶ AD vltimum respondet Ansel. *Cum nihil sit pœna alicui, nisi quod est contra voluntatem, membra autem, vel sensus voluntatem non habeãt, sicut voluntas in corpore operatur: ita ipsa in corpore aut torquetur, aut delectatur.* Punita ergo fuit voluntas Adæ in hoc defectu: quia multiplices & frequentes sustinuit ex hoc molestias.

Idem.

An isthæc eadem æqualitas qualitatum, ex corpore Adæ à diuina iustitia merito ablata; eidem ab eadem gratis restituenda fuit? §. 3.

Quæstio lateralis.

¶ RESTAT tertio inquirere: Vtrum illa æqualitas diuina iustitia sublata, propter peccatum fuit eidem restituta per gratiam. Videtur, ꝗ sic: si oppositum est causa oppositi, & propositũ est causa propositi, & hoc est consonum omni æquitati, & iustitiæ: ergo si auersio à summè æqualibus, scilicet, tribus personis, & summè indiuisibili, scilic. diuina essentia fuit causa diuisionis, & inæqualitatis in corpore Adæ: igitur conuersio ad idem, & eadem per recuperationem gratiæ, siue per gratiã debuit esse causa æqualitatis reparatæ. Sicut ergo auersio iuste fuit causa inæqualitatis, & conuersio iuste fuit causa reparationis æqualitatis, vel esse debuit. ¶ ITEM, Iustum est Deum esse summe misericor-

Ansel. dem, sicut summè bonum (misericordia enim bonitas est: vnde Ansel. *Ideo misericors es, quia totus & summè bonus es*; iustum enim est ipsum esse summum in omni bono) sed summa misericordia est, qua maior excogitari non potest, sicut summa bonitas, summa potentia, summa sapientia. Sed si gratia data de misericordia non essent omnia reparata, & restituta, quæ sunt amissa per peccatum de iustitia; posset maior misericordia excogitari, scil. illa qua omnia essent restituta: igitur misericordia, quam Deum habere iustum fuit; debuit fieri omnium amissorum reparatio: igitur & æqualitatis: ergo de iustitia debuit esse illius reparatio. ¶ Itē Matth. 8. Gloss. *dimisit eam febris: & surrexit, & ministrabat eis.* Glos. *sanitas, quæ datur Domini imperio, tota simul redit*: Sed sanitas dabatur Adæ in receptione gratiæ post lapsum: ergo tota redijt, sed August. ante lapsum erat in corpore eius summa sanitas, vt dicit August. ergo cum illa redire non posset, non redijsset æqualitas prædicta: ergo &c.

¶ CONTRA, si primi parentes non peccassent, propagata esset natura humana quantū ad corpus in illa integritate, in qua condita fuit, & ita esset propagata in ista æqualitate virtutum elementariū, in qua condita fuit, & hoc iu-Ansel. de cōceptione Virginis. cap. 2. stum erat, quia (vt dicit Ansel.) tota humana natura in illis erat; & extra ipsos nihil erat. Sed qua ratione iustum erat, vt natura illa esset propagata in sua integritate, in qua erat, & iustum erat, vt esset propagata in illa corruptione, & in-Idem de eadem. æqualitate, in qua illa erat. Hoc concludit Ansel. dicens: *Sicut itaque si non peccasset, qualis facta est à Deo, talis propagaretur: ita post peccatum qualem se post peccando fecit, talis propagatur.* Et ex hoc patet, quod illud, quod fuit corruptum in corpore primi hominis; non debuit reparari, sed ipsa humana natura, siue corporea in sua corruptione propagari.

RESOLVTIO.

Minimè, ne sic impediretur decretum diuinæ iustitiæ de pœna, peccato ipsi debita.

¶ QVOD concedimus. Præter hanc rationem alia est Rom. 6. hæc. Vt habetur: *Stipendium peccati mors*: & hoc iusto Dei iudicio, scil. quod primus homo peccando, iustè fuit addictus necessitati moriendi, ad casum autem ab æqualitate, & carentiā illius sequitur diuisio, & pugna ipsorum mixtorum in corpore illius, quæ præparant, & disponunt ad dissolutionem, & animæ separationem, quibus executum est decretum diuinæ iustitiæ de pœna debita peccato. Dominus ergo, qui iusto iudicio decreuit ipsum pro peccato morte puniendū, defectum inducentem mortem non debuit re-Aug. super Genes. ad litter. cap 18. parare; ne sic impediret, quod futurum decreuerat. Vt n. dicit August. *Tam non facit Deus contra causam, quam sine dubio volens præstituit; quam contra voluntatem suam non facit*: Quia ergo non præstituit contra voluntatem suam, quod esset causa mortis, nec debet aliquid facere, vnde mors non se-Gen. 3. quatur peccatum. Propter quod dicitur: *Nunc ergo ne forte mittat manum suam: & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum; emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, &c.*

¶ AD primum obiectum in contrarium dicendum, quod gratiæ imperfectæ, vt quæ est viatoris, effectus est liberare à dominio peccati: non à defectibus corporis: gratiæ autem perfectæ, vt quæ est comprehensoris, effectus est Aug. contra Iulianum. li. 6. liberare ab illis. Vnde August. *Gratia perfecta nouum hominem facit: quandoquidem (quantum ad corpus attinet) ad immortalitatē, plenamq; fœlicitatem ipsa perducit.* Nunc autē ipsa perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationē ab omni dominio peccati: non quantum attinet ad liberationem ab omnibus malis & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam.

¶ Ad illud, quod obijcitur, si oppositum est causa oppositi, &c. Dicendum, quod verū est, secūdum quod causæ oppositæ cōparantur ad effectus immediatos & proprios, vt si albedo est causa disgregationis, & nigredo congregationis: proprius autem effectus peccati non est inæqualitas corporis, sed deformatio imaginis Dei in anima: cuius reformatio est per gratiam. Vel aliter potest dici, quod inæqualitatis qualitatum in corpore Adæ non fuit peccatum causa, inquantum est, siue erit oppositum gratiæ, sed potius inquantum oppositum naturali iustitiæ: vnde cum non sit per gratiam naturalis iustitiæ, nec est reparatio illius inæqualitatis: Præterea peccatum non fuit causa inæqualitatis prædictæ, nisi meritoria: similiter est gratia meritoria reparationis æqualitatis. Quare autem non statim adueniente gratia facta est reparatio, plures sunt rationes, quarum vna est illa, quæ tacta est, scilicet, quod hæc inæqualitas disponit & præparat quodāmodo ad executionem diuini decreti, cui contraire non deceret. Alia est ratio Ansel. prætacta.

¶ AD aliud dicēdum, quod Deus est summè misericors, sicut summè potens, summè bonus, summè sapiens, sed sicut non deceret aliquid fieri ab eius potestate, vel à bonitate, quo derogaretur eius sapientiæ (dicit enim August. *Neque potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est*) sic non deceret aliquid fieri de misericordia, quo derogaretur eius iustitiæ. Idem 9. super Genes.

¶ AD hoc ergo, quod obijcitur, quod summa est, qua maior excogitari non potest, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sed hoc non intelligitur in singulis operibus misericordiæ: sicut n. in operibus Dei differentibus in quadam differentia erat Dei bonitas, sc. quantum ad differentiam in effectu, verbi gratia in opere incarnationis, & passionis, & in alijs quibuscunque: similiter dico de operibus misericordiæ, in aliquibus enim est magis diuina misericordia, quam in alijs. Vnde licet maior posset excogitari misericordia, quam illa, qua reparati fuerunt casus Adæ, non propter hoc sequitur, quod Deus non sit summè misericors: summitas enim siue abundantia diuinæ misericordiæ non in vno effectu, sed in multis, quotquot essent, esse potest, sed est in voluntate miserendi. Vnde sicut non sequitur, Deus est ita bonus, quod melior excogitari nō potest: ergo quæcunque fiunt à diuina voluntate, ita bona fiunt, quod non possunt excogitari meliora fieri: ita nec sequitur, Deus est ita misericors, quod nō potest excogitari magis misericors: ergo omnia, quæ de sua misericordia reparantur; ita reparantur, quod non possunt excogitari melius reparari: Deus enim etsi sua summa misericordia res reparat; non tamen summè.

¶ AD aliud dicendum, quod Glos. illa, quæ dicit, quod sanitas, quæ datur Domini imperio, tota simul redit: non generaliter intelligitur, sed intelligitur iuxta nutum diuini imperij, sub hoc sensu: sanitas, quæ datur Domini imperio, tota simul redit, scilicet secundum Domini imperium, quia aliquando Dominus simul integram sanitatem dabat; aliquando non simul, sed successiuè: vt patet Matthæi 8. in cæco illuminato, qui prius homines velut arbores ambulantes, & postmodum clare: dicit ibi Gloss. quod vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat: vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat; quod vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & sic non generaliter est, & vbique intelligendum, quod dicitur: sanitas tota simul redit. Matth. 8.

QVÆSTIO LXXVIII.

De causa finali corporis humani, vel Adæ.

In tria Membra diuisa.

DEINDE quæritur de causa finali corporis ipsius Adæ: & quæruntur tria. Primo, si voluptas carnalis est finis illius. Secundo, si anima. Tertio, si Deus. Ex D. Th. S. Bona. Sco. vbi supra.

MEMBRVM I.

An voluptas carnalis fuerit causa finalis corporis Adæ.

QVÆRITVR ergo primo, si voluptas carnalis sit finis corporis primi hominis. ¶ QVOD sic, videtur: Rerum differentium in substantia sunt fines differentes in substātia (vnicuiq; n. respondet finis proprius) sed corpus

& anima

& anima differunt in substantia: ergo eorum fines sunt differentes, & eorum differentia quæcunque, sed differentia respondens relatione conformi, quæ reperitur penes spiritualem & corporalem eo modo, quo corporale respōdet corpori, & spirituale spirituali, sed voluptas spiritualis erat finis animæ, ergo voluptas carnalis, vel corporalis erat finis corporis. ¶ Item, sicut se habet spiritus ad spirituale: sic corpus ad corporale: ergo eodem proposito vtriq; continuata se habebunt. ergo si spiritus se habet ad voluptatem spiritualem vt ad finem: ergo corpus se habebit ad voluptatem corporalem vt ad finem: & ita vt prius. ¶ Item, solummodo rationalis creatura & intellectualis aptæ sunt appetendū, quod est minus se, & supra se: aliæ n. creaturæ, quia appetitu appetant naturali; qui quidē appetitus reflectitur in suum subiectum; non extendunt se ad aliquid, quod est supra illud: sed terminatur eorum appetitus in appetendo, quod est sui subiectis delectabile. Ergo si appetitus terminū est maximè respectu finium suorum: finis corporis cuiuscunque inquantum huiusmodi terminatur in delectatione, siue voluptate corporali: ergo, &c. ¶ Item, homo quantum ad corporales proprietates conuenit cum brutis: ergo quantum ad ea, quæ corpus cōsequuntur, similiter conuenit, sed in brutis est finis voluptatis corporalis: ergo cum hoc sit generale & conueniens homini simpliciter; conuenit primo homini: ergo &c.

¶ CONTRA, corpus hominis animatum, siue homo ipse est in propinqua materia, & magis dispositum ad voluptatem carnalem, quam corpus simplex: ergo si corpus hominis anima perfectum, siue ipse homo non habet finē voluptatem corporalem: multo fortius nec corpus simplex. Quod aūt corporis humani, siue ipsius hominis non sit finis voluptas carnalis, ostenditur sic. Omne, quod appetitur, sub ratione delectabilis appetitur: si ergo voluptas carnalis non habet rationem delectabilis, sed afflictiui: patet ipsam non esse in ratione finis. Boet. *Quid loquar de corporis voluptatibus, quarum appetentia est plena anxietatis? societas vero pœnitentia, quantos ille morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitia fruentium solent ferre corporibus.* ¶ Præterea, Tullius: *Dicunt quidam voluptatem summum bonum; quæ quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum: cum tibi siue Deus, siue mater (vt ita dicam) omnium rerum natura dederit animum, quo nihil præstantius atque diuinius sit; teipse abiycies & prosternes, vt nihil inter te, atque quadrupedem interesse putes?* Ex his ergo patet, quod voluptas carnis non est finis corporis humani informati anima, siue ipsius hominis: ergo &c. ¶ Item, corporis inquantū est corpus, nulla est concupiscentia: vt n. habetur in Glos. Augu. super illud: *Caro concupiscit aduersus spiritum: caro nihil nisi per animam concupiscit*: sed concupiscere dicitur, cum anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur, sed voluptas carnalis nullius est nisi concupiscentis: ergo voluptas carnalis, si est finis alicuius; nullius est finis, nisi concupiscentis: quale non fuit corpus Adæ inquantum corpus.

Boet. de consolatione li 3. Prosa 7.

Cicero in Paradoxis

Glo. Aug. super Galat 5.

RESOLVTIO.

Corporis tantum inquantum corporis nullatenus voluptas carnalis finis esse potuit: tum quia voluntatis expers: tum quia animæ rationes visibile abeaq; perfectibile.

¶ RESPONDEO, quod corporis inquantum est corpus simpliciter, non informatum, neq; motum ab anima; nullo modo voluptas carnalis est finis. Vt n. habetur ab Ansel. *nihil pœnam sentit, & delectationem, nisi quod habet voluntatem*: & ita nihil est voluptuosum, aut delectabile corpori simpliciter, sed solummodo rei habentis voluntatem, vnde corporis Adæ in quantum corporis non erit voluptas carnalis finis.

Ansel. de concept. Virgin. cap. 4.

¶ AD primum ergo obiectum dicendum est, quod diuersorum sēn. substantiam sunt diuersi fines, respondentes relatione conformi, sed ex hoc non sequitur; quod corporis, vel animæ sint fines voluptas corporalis, & voluptas spiritualis: hoc enim non respondet illis relatione cōformi, quod patet, cum voluptas carnalis non appetatur aliquo modo a corpore inquantum huiusmodi: quod oporteret, si esset finis eius, sicut voluptas spiritualis appetitur. Si aūt arguatur ad idem per regulam illam: si oppositum est causa oppositi, & propositum erit causa propositi, &c. Dici potest, quod corpus Adæ & anima illius non habuit illius rationem oppositionis, quā habent opposita, circa quæ tenet huiusmodi modus arguendi: licet disparatione habeant, & naturarū differentiam: quoniā substantialiter conueniunt, & vnam constituunt personam, & vnum ad aliud ordinatur, sicut perfectibile ad suam perfectionem: vnde finis vnius ex altero dependet.

¶ AD aliud dicendū, quod voluntas sēn quod additur his, quæ dico [*spiritualis, & carnalis*] nō est eiusdem rationis. trahitur n. ad signandum diuersa, prout illis additur: ita vt huic addita in virtū sonat & peccatum: illi aūt contrarium. Vnde sicut in alia facultate dicitur, quod sæpe in diffinitionibus latet æsequens æquinocū (V. g. significatiuū, & perfectiuum sanitatis est, quo: medio criter se habet: quod dicitur: [*mediocriter*] dicit sic mediocrit item in significando, ibi in faciendo) sic quodammodo est in proposito quantū ad hoc, quod voluptas huic addita vnum signat, illi addita aliud.

¶ AD aliud dicendum, quod licet omnia bonū appetāt: quod quidem bonum est participatio esse diuini, differens tū est appetitus rerum sēm differentiam perfectionum earundem. Vnde alterius est appetitus inanimati, vt lapidis; quia participationis diuini esse in cōtinuatione essendi: Alterius est appetitus plantæ, quia participationis diuini esse in cōtinuatione essendi, & viuendi. Alterius est appetitus animalis bruti quia participationis esse diuini in cōtinuatione essendi, viuendi, & sentiendi, siue cognoscendi. Alterius est appetit⁹ rationalis creaturę, quia participationis diuini esse in prædictis, & in coniunctione cum optimo per gloriam, quæ est finis eius, & beatitudo. Nec ante asse cutionē huius stat appetitus creaturæ rōnalis, cui nihil minus Deo sufficit. Aug. [Tantæ dignitatis est humana cōditio: vt nullum bonum præter summum ei sufficere possit. De isto appetitu, & distinctione appetentium habetur à Dionys. vbi dicit. *Optimum concupiscunt omnia: intellectualia quidem, & rationalia scienter: sensibilia vero sensibiliter: sensus autem expertia insito motu vitalis appetitus: inanimata, & tantummodo existentia ad solam essentialem participationem (sensus expertia dicuntur plantæ: inanimata, quæ nullo genere animæ animantur, vt lapides) hæc omnia optimum appetūt, & participationem esse diuini, non solummodo, vt sint, sed vt consistant.* Vnde in cap. 1. dicitur: *Ipsam. id est, diuinam prouidentiam omnia desiderant.* Commentator *omnia diuinam prouidentiam desiderant, per quam sunt & consistunt.* Dicendum ergo, quod corpus primi hominis conditum fuit, vt perfectibile anima rationali, & illa mediante beatificabile: appetitus illius non erat determinatus circa voluptatem corporalem, siue carnalem, sed extendebatur ad sui beatificationem: vnde beatitudinem appetebat, tanquam finem vltimum. Licet ergo aliorum corporum siue rerum corporalium determinatus esset appetitus circa voluptuosa omnia sensibilia, siue corporales delectationes, & hoc quia illorum amor, siue appetitus est pure naturalis, scil. reflexus supra sua subiecta: non sic est de appetitu corporis primi hominis, qui extendebat se ad illius assecutionē, quo suam assequeretur beatitudinem, & hæc figura eiusdem prætendit. Vnde Basilius: *Pecudes omnes terræ sunt, & ob hoc inclinantur ad terram. Sed alia est plantatio cœlestis; homo, qui quantum habitu figuræ, tantum dignitate distat a pecoribus. Illorum facies deorsum flexa est, vtrumque prospectat: & quod libidini iocundum est, hoc sectatur: tuum vero caput ad cœlum semper erigitur: oculi tui superna respiciunt. Sed si tu quoque te corporis fœdaueris voluptate, obediendo luxui ventris, & inferioribus eius partibus; comparatus es iumentis insipientibus, & similis factus es illis.*

Dionys. de diui. nom cap 4. par 4 & cap. 1 post med.

Idem in eodem ap. Commētatot

Basil. in Examer. 9

¶ AD illud ergo, quod obijcitur, quod appetitus corporis cuiuscunque terminatur in voluptate corporali, siue carnali. Dicendum, quod non est verum, & est instantia in corpore humano, cuius perfectio est anima rationalis, qua mediante est particeps esse diuini; eo modo quo dictum est. Aliorum autem animalium appetitus terminatur in voluptate corporali: quorum perfectio est ab anima sensitiua: voluptate (dico) naturali, quæ attenditur in delectatione cibabilis, quæ requiritur ad restaurationem deperditi: & sic ad conseruationem indiuidui: vel in deci-

decisione feminis, quæ requiritur ad saluationem speciei.

¶ Ad hoc, quod postea objicitur, quod corpus hominis conuenit cum brutis. Dicendum, quod hoc non est verum quantum ad tendentia ad finem consimilem: licet fortè verum sit quantum ad quasdam conditiones generales. Quod autem dicit Aug. 12. de Trin. hominem habere aliquid commune cum brutis, hoc non est ratione corporis simpliciter, sed ratione impetus passionum, siue motuū insurgentium ex sensualitate. Vt n. habetur ab Aug. carnalis, vel spiritualis animæ motus, qui in sensibus corporis attenditur nobis, & pecoribus communis est. Vnde cōmune illud, quod habet homo cū brutis; vnde appetit voluptatem corporalem; non communicabat corpus Adæ: secundum quod hic intendimus de ipso: hoc est inquantum erat corpus simplex, non coniunctum animæ.

¶ Ad illud, quod objicitur pro alia parte, scil. quod voluptas corporalis est affectiua &c. quia ratio Sophistica est, licet concludat verum. Dicendum, quod hoc non est, quia voluptas; sed quia dicta cum excessu, & culpa, quæ sit cum remorsu conscientiæ, secundum quod dicit Aug. in Lib. de lib. arb. quia in nullo instanti permittit Deus dedecus peccati sine decore vindictæ.

MEMBRVM II.

An anima finis fuerit corporis Adæ?

DEINDE quæritur, si anima est finis corporis. ¶ Quod sic, videtur Aug. de Moribus Ecclesiæ. c. 4. Corporis, si quærimus, quid optimum sit; id certa ratio cogit fateri, per quid fit: vt sese corpus optimè habeat: Nihil est autem omnium, quæ vegetant corpus, anima melius, atq; præstātius: est ergo summum bonum corporis non voluptas eius, non vires, non pulchritudo, non velocitas, & quidquid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam ista quæ commemorata sunt, præsentia sui exhibet corpori, & quod ant ecellit omnibus vitam, sed illud est finis; quod est summum, & optimum rei: ergo &c. ¶ ITEM secundum Greg. *Hoc est anima corpori, quod Deus animæ*: Sed Deus est finis animæ: ergo anima corporis. ¶ ITEM, secundum Philos. *finis est, ex quo fit motus*: sed ex influentia animæ fit motus in corpore (vt enim dicit Philos. *recidente anima, corpus expirat, & marcescit*: ex quo apparet quod mouetur ab anima) ergo anima est finis illius. Ex his videtur, quod finis corporis Adæ fuit anima. ¶ Præterea, omnes dispositiones materiales ordinantur ad vltimam formam, vt ad finem, & ad quod stant, sed omnia corpora ordinantur ad animam: similiter omnes dispositiones materiales secundum Auic. in principio de Anima: & inde vt prius.

Gregor. Nazian. Philos. in metaphys. Idem.

¶ CONTRA, Finis est in ratione boni: vnde nihil deterius efficitur ex assecutione finis. Sed corpus primi hominis deterius efficiebatur ex anima, quia ab illa corruptionem contraxit; & harmoniam æqualitatis, in qua cōditum erat, amisit: ergo &c. ¶ Item, finis extra rem (de cuiusmodi nunc intendimus) non est idem, quod forma eiusdem: licet enim tres causæ in vnam incidant, scil. efficiens, formalis, & finalis; quod potest esse de fine intra, qui est finiens actionem, siue motum operantis: nunquam tamen forma & finis extra in vnam causam incidunt, sed anima fuit forma & perfectio corporis Adæ: ergo &c. ¶ Item, dicitur in Commento super 13. propositione. Lib. de Causis: quod anima facta est causa corporis: ergo non est finis corporis, sed potius econuerso, cum finis sit, cuius gratia fiunt alia.

RESOLVTIO.

Anima non nisi per accidens finis corporis Adæ esse potuit, & finis sub fine.

¶ RESPONDEO, quod sumendo finem propriè, prout diffinitur, cuius gratia sunt alia: vt quod est primum in intentione, & vltimum in executione: anima non fuit finis corporis Adæ. Si autem distinguitur finis, vt dicatur finis sub fine: siue propinquus & remotus: sic potest dici anima: imo potius vnio corporis cum anima fuisse finis corporis illius.

¶ Nota ergo, quod corpus Adæ pōt considerari quantum ad statum conditionis, siue quo condebantur, quantum ad statum vnionis cum anima, siue quo vniebatur, & quantum ad statum remunerationis: Prout consideratur in primo statu, erit finis duplex: primus, siue propinquus vnio cum anima: secundus, siue consequens aptitudo ad meritum beatificationis. Propter hoc enim fecit Deus corpus Adæ, vt animæ vniretur, & mediante illa vnione efficeretur aptum ad merendum beatitudinem, cooperando sibi animæ. Prout aūt consideratur in statu coniunctionis, multiplex est eius finis: duplex ex parte animæ, & duplex ex parte illius. Ex parte animæ primus est exercitium bonarum operationum ordinatarum ministerio eiusdem: nō operationum voluptatis, quæ nullo modo cadunt sub fine conditionis illius, neque vnionis cum anima: non n. condidit Deus corpus illud: neque animæ vniuit hoc fine, vt conuerteretur ad explenda opera voluptatis. Secundus est augmentum meriti in exercendo debitè, & ordinatè huiusmodi opera: propter hoc autem voluit Deus quod corpus animæ vniretur: vt anima illo mediante ordinatè operaretur, & operando mereretur. Gregor. *Vna causa, quare Deus colligauit animam corpori (quam ego opinor) est: vt per agones certaminum, quæ sunt aduersus terrena; cælestis gloriæ hæreditatem petat, & sicut aurum igni præsentis vitæ ærumnarum probetur examine, quo virtutis præmia non ex Dei dono tantum speret, sed vt vere virtus summum ei bonum sit; sic eam opere & labore conquirat, vt à creatore nobis naturaliter insitum videatur bonum: à nobis autem voluntate nostra ac proposito excultum, & liberi arbitrij motus exterius propagatum.* ¶ Ex parte aūt corporis primus est obediētia, & cooperatio animæ mouenti. Secundus dignitas ad beatificationem: Propter hoc n. vniuit Deus corpus Adæ animæ: vt illi imperanti obediret, & operanti cooperaretur, & sic obediendo, & cooperando efficeretur * digna beatificatione. Ad hoc sequitur finis obtinendus in statu remunerationis, qui est beatitudo vtriusque: beatitudo n. vnius corporis dependet ex beatitudine animæ. Gregor. *Alia causa, quare Deus colligauit animā corpori, est: vt hanc deteriorem substantiam corporis secum traheret, & sursum in supernis sedibus collocaret, & complementum gloriæ ipsius animæ quodammodo dependet ex gloria corporis.* August. *Inest animæ quidam naturalis appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cælum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat.* Ex his patet ordinatio finium formationis corporis Adæ, & eorū distinctio, quia (propriè loquendo) aliquis finis respondet conditioni simpliciter: aliquis conditioni addita vnione cum anima; ad quos sequitur ille, qui est vltimus & optimus, scil. beatificatio. Patet etiam, quod anima non est finis corporis, nisi per accidens: eo modo quo dicitur homo esse finis domus, cum potius finis eius sit vtilitas contingenda homini: vt protectio ab imbribus, & caumatibus, & tuitio à læsione.

Gregor. Nazianz.

*Alias, dignum.

Idem Gregor. Naz.

Aug. super Genes. ad litter. vltimo.

¶ Ad illud Aug. *Anima est optimum corporis*, &c. Dicendū, quod hoc intelligitur habita comparatione ad illa, quæ circunstant corpus in via: vt patet in exemplis suprapositis: & etiam ex verbo August. ibidem, quod est: [*Nihil autem omnium, quæ vegetant corpus, anima melius atque præstantius*] q. d. eorum, quæ circunstant corpus, dum est in vegetatione; anima est optimum eius, quia est illud, quo optimè se habet, vt qua proficit ad beatitudinem. Vel potest dici, quod sicut bonum non solum dicitur finis, sed quandoque quod promouet, & expedit ad finem: sic optimum non solum dicitur finis summus, sed quod ad illud optimè perducit, siue quo mediante ad illud optimè peruenitur, & sic hic.

¶ Ad aliud dicendum, quod similitudo illa, de qua loquitur Gregor. Nazan. attenditur quantum ad effectum viuificationis: Deus enim viuificat animam, infundendo ei gratiam, & virtutes viuificatiuas; præcipuè fidem. *Iustus ex sua fide viuit*: & charitatem. *Qui non diligit manet in morte.* Et in eodem. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

Rom. 1. 1. Ioan. 3. Ibid.

¶ Ad aliud dicendū, quod finis dicitur, à quo fit motus, metaphoricè dictus, quia finis mouet efficiētem, non quia sit propriè mouens, sicut anima mouet corpus.

¶ Ad

Ad vltimum dicendum, quod teuera omnium corporum aliorum à corpore humano finis est homo: quia condita sunt, vt homini deseruiant, & præcipuè ratione corporis. Vnde Hugo: *Respice vniuersum mundum, & considera, si aliquid in eo sit, quod tibi non seruiat: omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit: vt obsequijs tuis famuletur, & vtilitati deseruiat: tuisq; oblectamentis pariter & necessitatibus secundum affluentiam indeficientem occurrunt: hoc cœlum, hæc terra, hic aer, hoc maria cum his, quæ in eis sunt vniuersis, explere non cessant. Corpus autem humanum seruit animæ: & non solum in his, quæ simpliciter, & absolutè sunt ipsius animæ; cuiusmodi sunt scientialia tantum: sed in illis, quæ spectant ad cultum Dei. Et non seruit illi, vt instrumentum: sed vt organum: propter quod assequitur præmium cum ipsa anima, quod est finis eius: propter hoc enim conditum est, vt huiusmodi ministerio hunc finem consequatur: Vnde secus est de hoc corpore, & de alijs, quæ homini seruiunt: quorũ licet homo sit finis:* non ex hoc sequitur, quod anima sit finis corporis; cuius est perfectio, & motor. Præterea, Philosophi posuerunt materiales dispositiones, & corpora ordinari ad animam: non quia anima sit finis eorum, siue causa finalis: sed quod inter formas completiuas, & perfectiones corporum, vltimum gradũ, & terminum tenet nobilitatis, & dignitatis: & fini simpliciter, scil. Deo est propinquissima.

Hugo de arrha sponsi.

¶ Ad quod obijcitur, quod anima facta est causa corporis: & ita anima non est finis corporis: sed econuerso. Dicendum, quod hoc non dicitur: quia corpus sit principalis causa, quare creata sit anima, sed quia anima est causa completiua, & perfectiua corporis. Vnde sensus est: anima facta est causa corporis, id est, vt sit perfectio, siue causa perfectiua corporis.

MEMBRVM III.

An Deus fuerit finis corporis primi hominis?

Dieny. de diui. nom. cap 4.

DEINDE quæritur, si Deus est finis corporis primi hominis. Quod sic, videtur Dionys. *Omnia ad seipsam bonitas conuertit, & principaliter congregatrix est dispersorum, vt principalis, & viuifica deitas, & omnia ipsam vt principium, vt continentiã, vt finem appetunt:* Ergo est finis omnium, ergo corporis Adæ.

Philos. 1. Ethic. c *Al. as idẽ.

¶ Item, Philosophus in Ethicis. Optime enunciant bonum, quod omnia optant. Optabile ab omnibus est finis omnium; & *illud est summum bonum, vt vult Dionys.

Prouer. 16

¶ Item, illud est finis rei, propter quod deducitur in esse ab efficiente. Sed dicitur: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus:* Ergo ipse est finis vniuersorum: ergo corporis Adæ.

Augu. de Trin. lib. .c. .. & alib.

¶ Contra, secundum Aug. *Inuisa possumus diligere, incognita nequaquam:* Ergo motus cognitionis præcedit motum dilectionis, ergo cum non sit ponere in corpore naturam cognitionis; nec appetitum dilectionis, & si sic, non erit Deus finis, cum finis appetatur ab eo, cuius est finis.

Philos.

¶ Præterea, secundum Philosophum *finis est vltimum rei, & est in re;* sed Deus, & si sit vltimum rerum omnium, tamen non est in re, sicut pars rei: hoc n. modo intelligit esse, in: sicut patet in exemplo, cum dicitur, cutis vltimus est finis corporis, & tñ est aliquid corporis, non ergo est finis corporis ipse Deus.

5. Metaph. tex. cõ 23

¶ Item, cum finis sit illud, ad q; est motus; & habetur in 5. primæ Philosophiæ; & corpus nõ moueatur in Deum, non erit finis Deus corporis. Quod aũ corpus aliquod nõ moueatur in Deum, patet: quia omnis motus aut est circularis, aut rectus, aut obliquus, vt patet ex Dion. de Diui. Nomi. vbi determinat, quod creaturæ spirituales, & intellectuales, & rationales, siue animæ isto triplici motu mouentur in Deum, dicens sic. Et moueri quidam diuini dicuntur animi circulariter, quidam vniti non inchoantibus, & non terminatis illuminationibus boni, & optimi: Directi vero quandoq; proueniunt in subiectorum prouidentiam; recta omnia terminantes obliquè: quia & prouidentes inferioribus irreuersibiliter manent in immutabilitate; circa immutabilitatis causale bonum; & optimum incessanter circumeuntes. Post ostendit illud idem de animabus, vbi dicit Commentator. Cœlestibus essentijs, quas etiam cœlestes angelicasque virtutes diuina nominant eloquia; nil aliud esse substantialiter à sanctis traditur patribus, nisi intelligibiles, æternos, incessabilesque motus circa principium omnium; à quo & per quem, & in quo, & ad quem mouentur, & subsistunt. Est n. iste circularis motus cœlestium virtutum circa suum principiũ; ab eodem videlicet incipiens, vt à principio, per ipsum, per causas creatas currens in ipso; vt legibus naturalibus, quæ in ipso sunt ex vtrisque: quas egredi nec vult, nec põtest; nec posse vult, in ipsum vt in finem rediens. Et in sola intelligẽtia talis motus est: intelligunt n. se ab ipso esse, & per ipsum, & in ipso intellectum suum moueri, & nullum alium finem præter illum se habere, non ignorant: quid obstat, ne similiter intelligamus humanos intellectus circa Deum volui, quoniã ab ipso, & per ipsum sunt: eodẽ namq; intelligibili circulo voluuntur, præsertim cum diuina eloquia hominem ad imaginem Dei factũ perhibeant. Cum ergo nullo istorum modorũ moueatur corpus aliquid in Deum: nec mouebatur corpus primi hominis; Deus non est finis illius.

Dionys.

Idem in eodem. Par. r. c. 4. circa med longè distantibus verbis. Cõmentator Dionys.

¶ Si autem diceretur, aliæ creaturæ mouentur hoc triplici motu in Deum: quod videtur velle Dionys. in eodẽ dicens: *Et sensibilium in vniuerso trium motuum;* ibi Expositor: sensibilium tres ait motus, quos dixit.

¶ Contra, reuera benè determinat ibi tres esse motus sensibiles, sed non circa Deum. Vnde Commentator ibidem. *Docemur autem intelligere ex his, quæ de anima dicta sunt, circularem quidem, quando ipsa sensibilia secundum proprietates, virtutes, & qualitates operantur: vt ignis calefaciens, & aqua frigefaciens.* Obliquè vero, quando transmigrant, sine transmutabiliter operantur, vt ex aquis pisces, & volatilia, & virga Moysi in serpente, & his similia. Porro rectum, quãdo rursus in propria principia recurrit, vt post dissolutionem factorum iterum in elementa, quæ corrupta sunt; resoluuntur. ¶ Item, quæritur: vnde est, quod omnia appetunt Deum, vt finem. ¶ Præterea, hoc non videtur verum, cum sint aliqua corpora, in quibus tota materia terminatur per formam, sicut sunt corpora supercœlestia: vnde cum in talibus satisfactum sit eorum appetitui; non mouentur ad aliquid appetendum, vt videtur.

RESOLVTIO.

Possumus corporis Adæ Deum ipsum autumare finem, sed appropriate, inquantum sc. illud in laudem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis effinxit.

¶ Respondeo, Ad prædictorum euidentiam est notandum: quod cum idem sit diffinire, & terminare finitũ, & terminatũ *nomine finis, & termini concurrunt in idem. Cum ergo sit terminus rei permanentis, & rei succedentis, & rei dependentis, siue inclinantis; erit & tripliciter dictus finis, scilicet extensionis, siue rei extensæ, operationis, & appetitus, siue inclinationis. Finis autem extensionis rei est duplex, vltimum & pars, sicut cutis corporis, & terminus agri: & vltimum & non pars, vt punctus est pars lineæ. Finis autem operationis simpliciter, est duplex, quidam est per modum efficientis, siue consumentis, sicut finis combustionis candelæ dicitur ipsa consumptio, quomodo finitur panis in manducando: quidam est per modum consumentis, & perficientis: sicut complementum operis, vt consummatio domus est finis domificationis. Finis vero inclinationis est duplex, quia quidam est respectu appetitus mobilis, quidam respectu respectu appetitus motoris. Respectu appetitus mobilis, forma est finis, respectu appetitus motoris, vtilitas est finis, vel etiam honestas. Secundum autem quod appetitus motoris fertur ad finem sub fine, vtilitas est finis: quia vtilitas est occasio ducens in finem. Secundum autem, quod fertur ad finem vltimum, sic honestas est finis, quoniam honestum est propter se appetibile; & maximè illud, in quo consistit laus, & honor Dei, qui est summè honestum. Et hic est finis vltimus, qui ab omnibus debet intendi: & *propter quem vniuersa operatus est Dominus.* Et propter hunc finem inter alia corpora specialiter; & præcipuè fecit Deus corpus primi hominis, scilicet in laudem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Laus quidẽ suæ potẽtiæ apparet in eius creatione, siue cõditione, laus sapientiæ in debita, & proportionata, & ordinata specie, & corporis coniunctione: laus vero bonitatis in eius glorificatione. Hæc autem dicta sunt per appropriationem. Ex his patet quomodo Deus fuit finis primi

*Alias nomen.

Prouer. 16

corporis, scilicet Adæ, & hoc euidentius apparebit consequenter.

¶ Ad primum ergo in contrarium dicẽdum, quod duplex est appetitus, quidam naturalis: quidam deliberatiuus. Deliberatiuus est ex cognitione præhabita, & de isto benè opponitur. Alius vero naturalis, & istum habet omnis creatura, sed quædam creatura habet eum ad continuationem sui esse, & conseruationem; vt creaturæ omnes irrationales: quædã vero vltra hunc appetitum addunt appetitum ad vnionem cum Deo, secundum quod possibile est. Et hoc fit duob⁹ modis, vel immediatè, sicut creaturæ spirituales: vel mediatè, sicut corpus humanum, quo mediante anima vnitur Deo per intellectum, & affectum ipsius animæ. Vnde Dionys. ostendit, quomodo omnia Deum appetunt secundum suam capacitatem, & in ipsum mouentur, sed differenter: vt supra dictum est, scil. intellectualia, & rationalia. Intellectualia, & rationalia cognitiuè: irrationalia sensibiliter: terræ viuentia per motũ viuificum: inanimata secundum habitudinẽ substantialem. Vnde dicit: *Intellectualia quidem & rationalia appetunt eum scienter: subiecta vero his sensibiliter, & alia secundum vitalem motum, & essentialem, & conditionalem necessitatem.* Dionys. de diuin. nomin. cap. 1 Membr. 1. huiusce quæst. ad arg.

¶ Ad aliud dicendum, quod illud verbum Philosophi: *Finis est vltimum rei*, &c. potest intelligi de fine, secundum quod dicitur respectu inclinationis mobilis: eo modo quo finis, & perfectio rei, siue forma in idem concurrunt: Vel etiam potest intelligi ita quod sit pars rei: eodem modo quo cutis est finis hominis, & terminus finis agri: sicut tactum est: & sicut habetur in Gloss. 1. Timoth. 1. ibi: *Finis præcepti est charitas.* Alio modo dicitur vltimum finis rei, ita quod non sit pars rei: & iste est alius modus appellandi finem. Vnde exemplificat in magnitudine: sicut punctus est finis lineæ: non enim est pars lineæ: nisi secundum rationem, aut diffinitionem: & hoc modo * metaphoricè potest Deus dici finis omnis creaturæ, quia sicut linea non extenditur vltra punctum, qui tamen non est pars lineæ: sic nullius creaturæ appetitus extenditur vltra illam summam diffusionem, quæ est diuinæ bonitatis. Philos. Glo super 1 Tim. 1. In opponendo. * Alias, metaphysicè.

¶ Ad aliud dicendum, quod contingit moueri in Deum dupliciter: mediante alio: & non mediante alio: sicut angeli & anima. Angeli tripliciter, scilicet circulariter, rectè, & obliquè: eo modo quo tactum est in opponendo. Similiter anima tripliciter, circulariter, rectè, & obliquè. Circulariter, quando inuestigando, quasi egrediens à se intellectualiter, quasi ad punctum, & de quo exit, circulariter reflectitur: & in se vnica & vniformis facta, manuducitur ad vnum, qui est sine principio, & sine fine: in quo est quasi circulus. Mouetur & rectè, quando non in se reflectitur: sed ad exteriora progreditur; & ex eis symbolicè sursum agitur. Mouetur & obliquè, quando non simplici extensione, sed quadam naturali inuestigatione manuducitur in diuina: quæ quidem inuestigatio secundum proprietates, aut conditiones, aut effectus in creatura dicitur quædam obliquitas.

¶ Præterea, sensibilia mouentur in Deum per appetitum participationis esse diuini (vt tactum est supra) sensibiliter: terræ nascentia per motũ viuificum: inanimata per habitudinem substantialem: vt habetur à Dionys. Corpus autem primi hominis mouebatur in Deum, non mediante alio, scilicet anima; consideratum quo ad statum coniunctionis. Dicendum est ergo, quod cum omnia participent diuinum esse differenter secundum gradum differentem suæ naturæ: sicut determinatum est à Dionys. vbi quinq; membra assignantur. De primo membro planum est, quod corpori Adæ non conueniebat: nec humano corporis conuenit. Quatuor vero alia conueniebant; sed differenter, quia vltimum conueniebat secundum se: alia tria conueniebant per accidens, habito respectu ad statum coniunctionis. Membr. 1. huiusce quæst. ad arg.

¶ Nota ergo, quod illi tres modi mouendi in Deum conueniebant corpori Adæ, & conueniunt corpori humano; per accidens tamen: quia non ratione qua corpus, sed ratione qua animatum. Sed adhuc differenter: quia duo modi, sc. sensibiliter, & per motum vitalem conueniebant quasi per participationem: quia hos actus anima communicabat corpori, exercendo eos cum corpore & per corpus. Sed tertius modus, qui est moueri scienter, siue rationabiliter; conueniebat per redundantiam: sicut dicimus, quod passiones spiritus redundant in corpus, quod vnitum est spiritui: * actiones spirituales siue gaudij, siue doloris miro modo redundant in corpus: vt experientia docet: simili modo motus in Deum, siue affectio in Deum corpori conuenit per quandam redundantiam. Vel posset dici, quod hic motus appetitus in Deum personalis est: licet primo & per se sit ipsius animæ: tamen quia corpus & anima in eandem concurrunt personam, quodammodo corpori cõuenit: sicut intelligere, & huiusmodi, qui sunt actus personales: secundum quod dicit Philosophus: qui dicit animam intelligere, nihil aliud dicit, quam animam texere vel ædificare, & ideo quodammodo excellentiori respectu aliorum corporum corpus humanum participat summum bonum. * Alias affectiones.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, quod nullo motu mouetur in Deum sc. neque motu circulari, &c. Dicendum, quod imo: quia motu circulari: motus autem circularis est quãdo fit reflexio ab eodem in idem. Vnde quando aliquid mouetur per appetitum in Deum, vt participet esse diuinũ per continuationem sui esse; quia in isto appetitu fit reflexio appetitus in se: dicitur esse motus circularis. Vnde Cõmentator super illud Dionys. de Diui. Nom. cap. 4. *Et sensibilium in vniuerso trium motuum*: dicit, circularem motum esse, quando sensibilia secundum proprias virtutes & qualitates operantur: vt ignis calefaciẽs, & aqua frigens: quia enim ignis calefaciens agit vt esse suum conseruet; & ita* affectus agentis reflectitur supra se, dicitur moueri circulariter. Similiter dicendum est in proposito: vnde respondendum est ad obiectum per interemptionem. Cõmentator super Dion. *Alias, appetitus.

¶ Ad quod consequenter quærit: vnde est quod omnia, id est, omnes creaturæ Deum appetant? potest dici sẽdm quosdã: quia cum tria sint principia naturæ, sc. materia, forma & priuatio, ex parte priuationis est appetitus instinctus naturalis in omni re desiderandi Deum. Quod non credo propter duo. Primum quia non esset hæc ratio vniuoca in animabus, & angelis: in quibus nulla est priuatio ex parte principij naturalis. Secundum est, quia priuatio non remanet in re, sed est tantum principium in fieri quo ad ea tantum, quæ per actum naturæ educuntur. Potest ergo dici sine præiudicio: quod ratio vniuoca, quare Dei appetitus inest cuilibet creaturæ; est: quia ex nihilo. Vnde quia inditum est vnicuiq; creaturæ appetere continuationem esse, quod non potest aliquis assequi, nisi ab eo, à quo est omne, quod est: propter hoc omnia appetunt illud summum bonum, à quo est non solummodo esse, sed continuatio, & permanentia in esse. De quo Dionys. *Principium omnium bonum velut factiuum & mouens omnia: & continens ea propriæ pulchritudinis amore; & summum omnium, & dilectissimum velut perfectissimum causale*: Ibi Expositor. *Summum omnium est Deus, siue finis: & omnia in munimentum comprehendens, & velut his per ipsum productis.* Vnde sicut principium omnium, vtpote actor omnium dicitur: ita & medietas vt dans statum ad consistendum: & finitio, vt in voluntate ipsius finita sunt, & quæ sunt, in quibus conuersus est, secundum id, quo etiam finalem eum ait, vt initium existentem, & finem: iuxta sanctum Ioan. in Apocal. Diony. de diu. nomi. cap. 4. Expositor eiusdem ibid. Apocal. cap. 1.

¶ Ad illud, quod obijcitur de illis, quorum appetitus totus materiæ terminatur per formam: sicut de corporibus supercœlestibus. Dicendum, quod licet sit terminatus appetitus quantum ad esse: tamen appetunt continuationem esse, quæ à diffusione summi boni est: à qua est continuatio & conseruatio rei in esse. Vt enim dicit Gregor. *cuncta ex nihilo facta sunt: eorumque essentia ad nihilum tenderet, nisi ea auctor omnium manu regiminis contineret.* Omnia ergo, quæ creata sunt, per se subsistere non valent, nec moueri, sed intantum subsistunt, inquantum vt esse debeant, acceperunt. Gregor. lib. Moral. 16. cap. 18. parum à medio.



QVÆST.

QVÆSTIO LXXIX.

De corpore humano, siue Adæ in facto esse.

In tria Membra diuisa.

Elice ex D.Th.S. Bon.& Sc. vbi supra.

QVONIAM expeditum est de corpore primi hominis, prout consideratur in fieri. Sequitur de eodem, prout consideratur in facto esse. Primo ergo inuestigabitur de conditionibus respicientibus corpus virile. Secundo de conditionibus respicientibus corpus muliebre. Item de virili dicetur primo quo ad eius conditiones intrinsecas. Secundo quo ad eius extrinsecas. In prima parte primo agitur de vnitate illius corporis. Secundo de veritate. Tertio de dignitate & nobilitate. ¶ Circa conditiones illas corporis, quę quidem respiciunt vnitatem tria principaliter quęruntur. Primum est, si congruebat ex vno corpore in specie humana propagare omnium hominum corpora. Secundum est, si hoc decebat fieri. Tertium est, si propter hanc vnitatem est maxima dilectio speciei humanæ, plusquam inter indiuidua aliarum specierum.

MEMBRVM I.

An congruit, ex vno Adæ corpore omnium hominum corpora reliqua propagare?

PRIMO ergo quæritur, si congruebat omnia corpora humana propagari ex corpore Adæ. Quod sic, videtur: corpus humanum conformitatem habet ad spiritum, secundum quod conuenit, & possibile est: cuius signum est, quod corpus humanum alterius est figuræ, quam corpus aliorum animalium. Vnde Basil. *Pecudes omnes terrena, sunt, & ob hoc inclinantur ad terram: sed alta est plantatio cœlestis homo, qui quantum habitu figuræ, tantum dignitate distat à pecoribus. Illorum deorsum facies flexa est: vterumque prospectat: & quod eius libidini iucundum est, hoc sectatur. Tuum verò caput ad cœlum semper erigitur: oculi tui superna respiciunt.* Conformitas autem corporis cum anima signum est conformitatis & vnitatis in ordine ad vnum & idem bonum: & signum indiuisionis in beatitudine: conueniens ergo fuit, quod sicut conformes erãt in esse, & in ordine, & in diuisione ex parte principii: sicut omnes spiritus perficientes corpora humana ab uno spiritum producuntur in esse: sic omnia corpora humana ab vno corpore humano producerentur in esse. ¶ Item, in diuinis personis est processio primo ab vna, consequenter à duabus: sed expedit humanæ imperitiæ, & diuinæ conuenit prouidentiæ, quod ad illa, quæ diuinis consistunt; per illa, quæ in inferioribus reperiuntur, manuducatur: oportuit ergo quod illa emanatio personalis, quæ est in diuinis in illis, quæ homini innotescunt, manifestaretur. Sed non potuit decentiùs manifestari, quam in productione angeli in esse, cum vnus ex altero non procedat: nec in productione brutorum: ita competenter igitur &c. ¶ Item duplex est principium generationis hominis: actiuum, & materiale: actiuum autem quoddam est vniuersale ordinatum à diuina sapientia, sicut sol: ergo à simili videtur quod à diuina sapientia debuit aliquid ordinari, quod esset principium materiale, vniuersale dico: hoc non potuit esse, nisi esset primus homo: ergo &c.

Basil. Examer.9.

¶ CONTRA, in nulla lege licitum fuit patrem contrahere cum filia, filium cum matre: cuius ratio est: quia filia est de patre secundum propagationem carnalem: & filius de matre: cum ergo prima mulier condita fuit, vt esset primo viro in adiutorium ad multiplicandum genus humanum: & hoc in contractu matrimoniali: videtur, quod non debuit aliquo modo ex carne viri propagari. ¶ Item, vt habetur ab Augustino: homo est animal sociale: conueniebat ergo vt huiusmodi proprietatis conditio in formatione primi hominis, qui erat causa & principium huius societatis, esset expressa: sed melius esset expressa, si plures essent simul conditi, quam vnus tantum solitarius conditus esset, ex quo alij: ergo &c.

¶ PRÆTEREA, animantium quædam sunt soliuaga: quædam in congregatione viuentia. Sed animantia, quæ soliuaga sunt, non propagauit Dominus ex vno corpore: sed multa similiter: cuiusmodi sunt milui, leones &c. ergo multo fortius huiusmodi plura indiuidua facere debuit: & est locus à maiori. Nam si quod magis videbatur facere, non fecit, vt soliuaga solitaria: nec quod minus, vt hominem solitarium. Vnde August. *Animantes cæteras alias solitarias, & quodammodo soliuagas, & quæ solitudinem magis appetunt, vt aquila, milui, leones &c.* Alias congreges instituit: quæ congregatæ, atque in gregibus malunt viuere: vt columbæ, sturni, cerui, damulæ. Vtrunque tamen genus non ex singulis propagauit, sed plura simul iussit existere.

Aug.12.de Ciui. Dei. c.21.

¶ PRÆTEREA, si conueniens fuit, quod omnes homines propagarentur ex vno: videtur, quod debebant propagari ex muliere, quæ est vas congruum propagationi tali, & non ex viro.

RESOLVTIO.

Et quidem ad conditionis rerum perfectionem, ad sacramentorum quorundam expressionem, meritorum expeditionem, & diuinorum iudiciorum commendationem.

¶ RESPON. quod multæ sunt rationes, præter eas, quæ tactæ sunt: quare conueniebat genus humanum propagari ex vno, non ex pluribus. Quarum vna sumpta est à perfectione conditionis rerum: alia à sacramentorum expressione: tertia ab expeditione meritorum: quarta à commendatione diuinorum iudiciorum. Perfectio conditionis sumitur à duobus, sc. ab ordine in producendo, & à sufficientia numerali in multiplicando.

¶ Vna ergo ratio sumpta est ab ordine propagationis: vt scil. sicut homo medius est in ordine inter angelos & animalia bruta: sic in modo propagandi ordinem teneret eundem. Propter hoc conueniens fuit, cum in conditione, siue creatione rerum originalium conditi essent angeli, ita qd nullus ex alio esset propagandus: bruta verò ita vt omnia erant propaganda ex duobus: quod in genere hominum quod est medium tenens in ordine, vnus esset conditus, ex quo alij propagarentur. Vnde August. *Non est arduum videre multo fuisse melius, quod factum est, vt ex vno homine, quem primum condidit, multiplicaret genus humanum, quam si id inchoasset à pluribus.* Nam cum animantes alias solitarias, & quodammodo soliuagas. i. quæ solitudinem appetunt: sicut sunt aquilæ milui, leones, lupi, & quæcunque ita sunt: alias verò congreges instituerat, & quæ in gregibus malunt viuere: vt sunt columbæ, sturni, cerui, damulæ, & cætera huiusmodi: vtrunque tamen genus non ex singulis propagauit, sed plura simul iussit existere. Hominem vero, cuius naturam quodammodo mediam cum angelis bestijsque condebat: vnum ac singulum creauit.

Idem ibidem.

¶ ITEM, perfectio quantum ad sufficientiam numeralem in multiplicando ostenditur in hoc, quod sicut vir processit in esse à sola muliere, s. Christus à Beata Virgine, tam viri quam mulieres à duobus: nisi mulier processisset à solo viro, non esset numerus sufficiens ad multiplicationem: in hoc ergo quod à primo viro processit mulier sine mulieris adiutorio, fuit sufficientia in multiplicatione. Vnde Anselm. *Quatuor modis potest Deus hominem facere, videlicet aut de viro & fœmina: sicut assiduus monstrat vsus. Aut nec de viro, nec de fœmina: sicut creauit Adam. Aut de viro sine fœmina, sicut fecit Euam. Aut de fœmina sine viro: quod nondum fecit. Vt igitur hunc quoque modum probet suæ subiacere potestati, & ad hoc ipsum opus dilatum esse, nihil conuenientius, quam vt de fœmina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus.*

Ansel. 2. Cur Deus homo.c.8.

¶ ITEM, alia ratio sumitur à sacramentorum expressione: & hoc sumitur à duobus. Primum est sacramentum, siue significatiuum spiritualis propagationis à secundo Adam vt sicut primus Adam fuit principiũ omniũ præcedentiũ in eẽ carnali p gñationem carnalẽ: ita Adam scds, sc. Christus;

fuit principium omnium præcedentium in esse spirituali per generationem spiritualem. Vnde, *Factus est primus homo* 1.Cor.15. Glossa. *Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Glos. *Totum genus humanum quodammodo sunt illi duo homines, scil. primus Adam, & secundus:* quia ex illo sunt nati, & ex isto renati: & ideo vterq; dicitur pater generis humani. Et *Adam est forma futuri:* Glos. Rom.5. Glossa. *Sicut iste fuit pater omnium secundum carnem, sic Christus est pater omnium secundum fidem.* Secundum est sacramentum spiritualis vnionis: vt s. sicut Adam & Eua quasi vnum corpus carnale erant: quia mulier formata fuit de viro: sic Christus & ecclesia quasi vnum corpus spirituale sunt: quia ecclesia de ipso formata est. Ephes.5. Glossa. *Membra sumus corporis eius, & de ossibus eius.* Glos. *In cuius rei signum Adam, qui erat forma futuri,* cum de costa sua factam mulierem vidisset, dixit. Gen.2. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea est.*

¶ ITEM, ratio tertia sumitur ab expeditione meritorum: & hoc sumitur à duobus. Primum est commendatio vnitatis, sc. duplicis membrorum ad inuicem, & membrorum cum capite. De prima August. Aug.?.de Ciu Dei. c.21. *Hominem vnum ac singulum creauit: non vtique solum sine humana societate deserendum, sed vt eo medio vehementius ei commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumque concordiæ.* Sed non tantum inter se, nec similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur: quando nec ipsam quidem fœminam copulandam viro, sicut ipsum creare illi placuit: sed ex ipso vt omne ex homine vno diffunderetur genus humanum. De secunda Aug. Idem.12. de Ciuit. Dei.c.22. *Vt exordio generis humani de latere viri dormientis costa detracta fœmina fieret, Christum & ecclesiam tali facto iam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri mors erat Christi, cuius exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum est, atque inde sanguis & aqua fluxit, quæ sacramenta esse nouimus, quibus ædificatur ecclesia.* Nam hoc etiam verbo scriptura vsa est, vbi non legitur [*Formauit aut finxit*] sed ædificauit eam mulierem: creatura ergo Dei fœmina sicut vir, sed vt de viro fieret, vnitas commendata est, vt autem illo modo fieret: Christus, & ecclesia figurata est. Secundum est incitatio charitatis siue amicitiæ. August. Idem de bono coniugali in principio. *Quando vnusquisque homo humani generis pars est, & sociale quidem est humana natura, magnumque habet naturale bonum, vim quoque amicitiæ.* Ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Et 2.Sen. Mag.2. sen.di.28 *Ideo ex vno homine omnes esse voluit Deus, vt dum ab vno cognoscerent se esse, omnes se quasi vnum amarent.*

¶ ITEM, quarta ratio sumitur à commendatione diuinorum iudiciorum: & hoc à duobus. Primum est humilis sublimatio, i. sublimatio hominis primi ad excellentiam imaginis Dei. Secundum est superbia diaboli confusio. De his duobus 2.Sen. d.18. Mag ibid. Vbi dicitur: Sic attendédú est, quare non creauit simul virum & mulierem sicut angelos: sed prius virum, & deinde mulierem de viro. Ideo sc. vt vnum esset generis humani principium: quatenus in hoc & superbia diaboli confunderetur, & hominis humilitas Dei similitudine sublimaretur. Diabolus quippe aliud à Deo principium esse cupierat: ideoque vt eius superbia retunderetur hic homo in munere accepit: quod diabolus peruerse rapere voluit, sed obtinere non potuit: & per hoc imago Dei in homine apparuit: quia sicut Deus omnibus rebus extitit principium creationis: ita homo omnibus hominibus principium generationis.

¶ AD primum ergo dicendum, quod inter generantes & genitos, siue parentes & prolem est ordo prioris ad posterius: inter generantes est ordo paritatis: parentes enim sunt comites generationis. Si ergo altera persona parentum conueniret cum prole sua in opere generationis, sortiretur ordinem paritatis, existentis in ordine prioris ad posterius, & ita confunderetur ordo generationis. Propter hoc copula coniugalis non sustinetur, neque in lege aliqua sustinebatur inter parentes & prolem. Ratio autem, quare nõ sustinebatur, non fuit solummodo, quia proles sumpsit originem materialem à parentibus, sed quia pars illa, siue portio, ex qua erat originaliter, per coitum descindebatur, ordo enim paritatis, qui est inter generantes, & prioris ad posterius inter parentes & prolem, maxime est ex cooperatione generantium in decisione seminis, qua mediante disponitur semen * neruis cõuenientibus, & debita harmonia ad organizationem, & per consequens ad susceptionem in formationis animæ rationalis: illud autem corporis Adæ, de quo formata fuit Eua, non fuit diuisa ab ipso hoc modo ꝓpter quod non est similitudo inter Euam & Adam, quæ est inter patrem & filiam.

*Alias, numeris.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod melius esset expressum, quod homo est animal sociale, si plura indiuidua simul essent condita &c. Dicendum, quod etsi forte citius, non tamen melius: imo minus bene, quia cum socialitas, siue societas animalis semper proueniat ex conuenientia aliqua naturali: magis autem conueniunt, quorum est conformitas, siue conuenientia in natura propinqua, sicut fuit primorum parentum, quã quorum est conuenientia generalis siue in natura remota: cuiusmodi esset inter illos, si essent simul conditi de limo. Respondendum est ergo ad obiectum per interemptionem.

¶ AD aliud dicendum, quod in animantibus duplex concreatus est appetitus, s. generationis indiuidui, & multiplicationis speciei. In signum primi quædam sunt animantia solivaga: cuiusmodi sunt prædatoria omnia, melius enim prouident sibi, solitarie incedendo, quam si congregata incederent. Propter secundum tempore coitus conueniunt. Vnde Basil. *Quædam sunt animantes congregales, exceptis prædatricibus, quorum nulla cum alijs præter coitum sociatur. Aliæ sunt communiter viuentes, vt columbæ, sturni, graculi:* Basil.li.8. Hexam. quia ergo in his animantibus intendebat dominus specialiter saluationem speciei ad ornandum terram, & non indiuiduorum principaliter. (Non enim est Deo cura de bobus) in humana verò specie maxime circa indiuiduum ferebatur intentio Domini: ideo illum fecit Dominus solitarium: & illa plura: in signũ, quod intentio diuina erat per se & principaliter circa salutem indiuiduorum inquantum huiusmodi: id est vt in singulis saluaretur diuinum esse, & perpetuaretur.

¶ AD aliud, quod obijcitur; patet responsio ex dictis: quia quod primus homo conditus fuit solitarius, & post factum adiutorium simile sibi de ipso: causa fuit amicitiæ tam in primis parentibus, quam in posteris: vt ex dictis patet. Quia vt dicit Augustinus de Bono coniugali ob hoc ex vno voluit Deus omnes homines condere, vt in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur.

¶ AD hoc, quod vltimo quærebatur. Dicendum, quod conueniens fuit, vt sexus esset principalioris, qui humani generis debebat esse principium.

¶ AD hoc, quod obijcitur: quod mulier est vas propagationis. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad illos, qui coitu seminis ex viro & muliere propagantur.

MEMBRVM II.

An propter mutuam dilectionem congruit, vt ex vno homine totum humanum genus propagaretur.

DEINDE quæritur: si conueniebat ex vno homine totum genus humanum propagari propter causam mutuę dilectionis. Quod sic, videtur ex illo verbo. 2.Sent. *In eodem quoque paradiso &c.* Mag.2. sent.d.20. cap.28. Ex vno homine voluit Deus omnes esse, vt dum cognoscerent se ab vno esse, omnes se quasi vnum amarent. Ratio huius est, quia similitudo est causa amicitiæ siue amoris. Eccles.13. *Omne animal diligit sibi simile sic & omnis homo proximum sibi:* conueniens ergo fuit, vt Dominus omnes homines ex vno produceret, quos à se inuicem amari voluit. ¶ ITEM, causa immediatissima & proxima amoris est conformitas, siue identitas naturæ: cuius signum est, quod vbi est summa identitas naturæ, vt in diuinis personis; ibi est summus amor. Volens ergo Deus homines à se inuicem amari, non sine congruentia, & ratione, vt in quadam vnitate persisterent, & ex hoc se inuicem magis diligerent, omnes ex vno in esse produxit.

¶ CONTRA, Vnitas, per quam ex vno corpore prodeunt & educuntur animalia, est vnitas carnalis: ergo erit radix, & causa carnalis amoris: igitur si ideo voluit Dominus omnia corpora hominum ex vna propagari carne, vt se amarent: videt quod Deus voluit, vt se homines amarent carnaliter, quod non est verum, cum dicatur. *Non veni pacem* Matth.10.

mittere,

mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam.

¶ ITEM, amor carnalis est impedimentum amoris spiritualis: non ergo debebat omnes homines ab vno propagari, vt maiori affectu carnali adinuicem complecterentur: cum huiusmodi affectu amoris impediatur amor spiritualis.

¶ ITEM, si amor præsentiæ Christi corporalis discipulos eius reddidit non idoneos ad gratiam spiritus sancti: multo fortius quilibet amor quorumlibet conformium natura, vel generis propinquitate. Sed amor præsentiæ Christi corporalis discipulos reddidit non idoneos: (vnde. Ioan.16. *Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos.* Glos. Glos. *Non quod positus in terra, non posset dari: sed quia non sunt idonei accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse*) sed non erat diuinæ prouidentiæ cuius est omnium saluti prouidere, aliquid facere, vnde aliqui redderentur non idonei ad gratiam spiritus sancti: hoc autem facit amor hominum, quorumcunque sit: ergo &c. ¶ ITEM, odium propinquorum expedit ad vitæ perfectionem: igitur amor impedit. Prima patet, Luc.14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & mat. & vxor. & fil. & frat. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ecce, quod odium propinquiorum expedit ad vitæ perfectionem: sed nihil debebat fieri à summa bonitate, quod istud bonum impediret: non igitur conueniebat, vt primus homo aliquo modo factus esset, quo illud bonum impediretur: sed si factus esset modo aliquo, quo excitaretur ad amorem proximorum, impediretur istud bonum, ergo &c.

RESOLVTIO.

Congruit ad mutuam electionem, vt ex vno homine totum humanum genus propagaretur, si quidem cum ad patriam cælestem ordinatum esset, via ad illum gradiendi amor est. Quam quidem viam non parum expediunt sustentatio ex eodem cibo spirituali, cohabitatio in eadem domo, subiectio vni domino, & vnitas sacramentorum.

¶ RESPON. quod conuenienter ordinauit Deus, vt omnes homines ex vna prodirent origine: vt ex hoc magis excitarentur ad mutuam dilectionem. Quia enim via dilectionis siue amoris graditur in patriam, prouidit prouidentia diuina humano generi in multis, quæ ipsum ad amorem excitando, expediunt in hac via. Vnum est identitas originis: aliud est sustentatio ex eodem cibo spirituali. De quo 1. Cor. 10. 1.Cor.10. (vbi loquitur de patribus nostris) dicit: *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Quia illis datum est manna de cœlo: Exod 16. Exod.16. *sic nobis corpus Christi.* Ioan 6. Ioan.6. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt:* Hic est panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur, Aliud est cohabitatio in eadem domo: aliud est subiectio Cyprian. vni domino: aliud est vnitas sacramentalis. De his Cyprianus. *Vnum corpus, vnum spiritus, vna spes vocationis nostræ: vna fides, vnus dominus, vnum baptisma, & quo multi radii sunt, & vnum lumen, & multi arboris rami, sed vnum robur, vnum tenaci radice fœcundatum, & quo de fonte vno riuuli plurimi defluunt & numerositas, licet diffusa videatur ex vndantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine.* Quod quidem tam verum est de corpore primi hominis, quam de ecclesiastica vnitate.

¶ AD argumentũ ergo in contrariũ dđm, q̃ triplex est amor, carnalis, naturalis, & spiritualis. De carnali dilectio- Esaiæ 57. ne, *Dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus, dilexisti stratum eorum manu aperta, & ornasti te regio vnguento.* De naturali, 2.Reg.1. *Sicut mater amat vnicum filium suum, ita ego te diligebam*, dixit David de Ionatha. De spirituali, Ioan. 15. *Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vnitas autem carnis propagatæ, ad hoc fuit, vt se mutuo diligerent homines, non carnaliter, sed naturaliter, & per naturalem amorem induceretur spiritualis. Non ergo omnis amor carnis carnalis est, sicut nec omnis amor spiritus spiritualis est. Amor autem carnalis, qui est libidinosus, siue inordinata affectio carnalis est, quem Christus venit euacuare.

¶ Ex his patet responsio ad prima duo obiecta: quia amor carnalis, qui est pure naturalis, & nullo modo libidinosus, spiritualem non impedit. Spiritualem dico simpliciter & absolute, non vt ponit gradum perfectionis. huiusmodi enim fortasse impedit, vt infra patebit. Non ergo huiusmodi amor impedit amorem spiritualem simpliciter sed potius ad illum disponit, vt quo perficiendus est, nec huic amori contradicitur a sacra scriptura, vnde Gregor. in Homilia quadam super illud. *Hoc est præceptum meum*, dicit, Greg. sup. Ioan. 16. *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis: quibus in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt.*

¶ AD illud, quod obijcitur: quod amor præsentiæ corporalis Christi reddidit discipulos non idoneos ad gratiam spiritus sancti &c. Dicendum, quod discipuli quando Dominus promisit eis spiritum sanctum, (Iohan.14.) habebant spiritum sanctum: sed non in illa abundantia gratiæ, in qua erant habituri: vnde August. super illud. *Si diligis me, man. me. ser. & ego rog. pa. & alium pa. da. vobis.* Iam habebant Aug. sup. Ioan. 14. spiritum sanctum discipuli, quem Dominus promittebat: sine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen adhuc eum habebant, sicut Dominus promittebat. Habebant itaque minus: dandus erat eis amplius: habebant occulte: accepturi erant manifeste: quia hoc ad maius donum spiritus sancti pertinebat: vt eis innotesceret, quod habebant. Quia ergo ad hoc quod discipuli essent idonei ad illam abundantiam gratiæ spiritus sancti, quam erant recepturi: oportuit, quod essent eleuati quantum ad intellectum, & abstracti quantum ad affectum à dilectione carnali, siue sensibili: & quod omnino conuersi ad primam veritatem & summam bonitatem. Vnde oportebat, quod esset eis subtracta præsentia Christi corporalis, in qua maxime delectabantur secundum hominem exteriorem: vt illa subtracta quasi omnino eleuarentur & conuerterentur ad ipsam Deitatem, in qua delectarentur secundum hominem interiorem. Amor ergo præsentiæ corporalis Christi non reddidit eos non idoneos ad gratiam spiritus sancti: sed fecit illos minus idoneos ad abundantiam gratiæ spiritus sancti.

¶ SI autem obijcitur ad hoc, quod amor præsentiæ corporalis Christi reddidit eos minus idoneos ad illam abundantiam gratiæ: multo fortius amor quicunque, quantum cunque sit conformium in natura, vel generis propinquitate, idem faciat: ergo amor naturalis, de quo quærimus, est boni impedimentum: ergo non conueniebat &c. Dicendum, quod sicut timor, qui est introductiuus amoris, non stat cum perfecta charitate, *Perfecta charitas foras mittit timo-* 1.Ioan. 4. *rem*: immo impedit quodammodo perfectionem charitatis: sicut quodammodo amor naturalis præparat & disponit ad amorem gratuitum, siue spiritualem: tamen quandoque accidit quod impedit progressum ad perfectionem amoris spiritualis, si nimis adhæreat. Vnde sicut decet diuinam bonitatem quandoque mittere timorem, vt illo mediante præparetur timens ad amorem: & illo introducatur, sicut vult Aug. licet timor non stet cum amore perfecto, immo progressum ad illum impediat: sic conuenit diuinam bonitatem inter homines amorem mittere naturalem, vt illo mediante disponantur ad spiritualem: quamuis eo quando que impediatur progressus ad perfectionem amoris spiritualis. Non est ergo inconueniens Deum in conditione hominum aliquid fecisse, vnde excitarentur ad amorem naturalem: quamuis eo quandoque tardetur, siue impediatur progressus ad statum charitatis perfectæ.

¶ AD vltimum, quod obijcitur, quod odium propinquiorum expedit ad vitæ perfectionem. Dicendum, quod est odium personæ, & illud odium non expedit, sed impedit: Et est odium vitij, siue malitiæ, & hoc odium non est contrarium amori naturali, ad quem inuitamur ex hoc, q̃ sumus ab vno principio. Vnde Augustinus, super illud. Aug. sup. Luc. 14. *Qui venit ad me, & non odit &c.* dicit. *Si vim præcepti perpendimus, vtique agere per discretionem valemus, vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, obediendo & fugiendo nesciamus, qui enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens dicitur, dum praua nobis suggerit, non auditur.*




MEMBRVM III.

An quia homines omnes ab eodem principio d[e]riuantur, magis sese ad inuicem diligere debeant, quam cætera quæcunque?

DEINDE quæritur, Vtrum propter hanc vnitatem magis se debeant diligere indiuidua huius speciei. Homo quam indiuidua aliarum specierum. ¶ QVOD sic, videtur ex rationibus prætactis: similitudo enim est causa dilectionis: vnde Ecclesiast. 13. *Omne animal diligit sibi simile: sic & omnis homo proximum sibi: omnis caro ad simile coniungetur, & omnis homo simili sibi sociabitur.* Si ergo inter indiuidua huius speciei, Homo, est maior propinquitas & similitudo, quam inter indiuidua alterius, & hoc est ratione conuenientiæ, & similitudinis, de qua hic intendimus: ergo &c. ¶ ITEM, hoc patet per hoc, quod in diuinis personis est summa similitudo, est summus amor. ¶ ITEM, istud patet ex supradictis authoritatibus.

¶ CONTRA, vnum diuiditur sicut & idem: erit ergo diuidere vnum genere, specie, numero: sed indiuidua huius speciei, Homo, sunt vnum genere, & specie, & vnum numero: similiter & indiuidua aliarum specierum: non ergo est maior identitas vel vnitas inter indiuidua hominis quã inter indiuidua alterius speciei. Si ergo ratione vnitatis aut identitatis est dilectio, non erat maior inter hominis indiuidua propter vnitatem iam dictam, quam inter indiuidua alterius speciei.

¶ PRÆTEREA, maius signum affectionis videmus in indiuiduis quibusdam quorundam animantium, vt puta gallinæ & aliorum multorum, quæ erga pullos suos plus afficiuntur, quam indiuidua speciei rationalis: & sic videtur, quod propter vnitatem iam dictam non sit maior dilectio inter indiuidua huius speciei, Homo, quam inter indiuidua alterius speciei. ¶ Præterea, supposito quod in vna speciei angelorum sint multi angeli, non est dubium, quin se plus diligant, quam indiuidua hominis: & tamen non est vnus ab alio. ¶ ITEM, non videtur ratio, quare hæc indiuidua debeant se maiori affectu diligere, quia descendunt ab aliquo vno: quia hac ratione Adam & Eua & alij homines se magis dilexissent, quia fuerunt de eodem limo.

[Rom. 8.] ¶ PRÆTEREA, *omnis creatura vanitati subiecta est.* & hoc est proprium creaturæ ratione, qua est originaliter ex nihilo: habet autem aliquid veritatis ratione, qua est ab eo, qui essentialiter est. Sed ratio, siue causa dilectionis (specialis dico) non est emanatio creaturarum ab eo, qui essentialiter est, quia tunc esset ratio aliqua specialis, quare debeamus quæcunque vilia, & nociua nobis diligere: multo fortius (vt videtur) non est ratio aliqua specialis, quare indiuidua huius speciei [*homo*] debeant se diligere ratione emanationis in esse à creatura.

RESOLVTIO.

Tametsi in cæterarum specierum indiuiduis mira dilectionis signa conspiciantur: non tamen æque (Angelis exceptis) ac in hominibus, quippe qui præter id quod vnius speciei sunt, ab vno & ex vno etiam descendunt.

¶ RESPON. quod sicut primis rationibus ostensum est, magis se debent diligere indiuidua huius speciei, Homo, propter causam prædictam, quam indiuidua alterius.

¶ AD primo obiectum in contrarium dicendum: quod etsi indiuidua hominis non sint vnum numero, sicut nec indiuidua aliarum specierum: tamen amplior est in eis similitudo, quam in alijs, vel vnitas: sicut aqua fontis cum aqua eiusdem, signatis diuersis partibus aquæ in eodẽ fonte similiores sunt, quam aqua vnius fontis cum aqua alterius: sicut vult Philos. [Philos. in lib. Topic.] hic enim est vnitas speciei: & vltra hoc identitas originis: ibi verò vnitas speciei tantum. Similiter in indiuiduis humanæ speciei vltra rationem vnitatis in specie, est vnitas, vel identitas originis, quæ non est in indiuiduis alterius speciei.

¶ AD aliud dicendum, quod diuina bonitas ita prouidit, quod quando pulli, vel catuli animalium, siue quocunque alio nomine nominentur, sibi prouidere non possunt: erat eis necessaria parentum prouisio: & inest parentibus appetitus, siue affectio naturalis ad prouidendum eisdem: & quia illa affectio currit secundum impetum naturæ, non moderatæ regimine rationis, nulla prouidentia magis afficiuntur, quam indiuidua hominis. Vnde Basilius Examer. 8. ait specialiter de piscibus. Belluarum pars maxima, & delphini, & phocæ catulos pariunt, quæ fœtus suos recenter editos, cum ex aliqua causa fuerunt territi, denuo sub lapsos in vterum protegere & fouere narrantur. Sed quod non sit verum generaliter, patet cum processu temporis pugnent cum parentibus, & coeant.

¶ AD aliud dicendum sine præiudicio: quod angelus plus diligit angelum amore naturali, & spirituali siue gratuito, quam hominem. Quod gratuito, non est dubium, quod naturaliter patet, quia dum homo propter carnis infirmitatem maiore indigeat sustentatione, & fulcimento, amor illius magis incuruatur & reflectitur super ipsum, quam amor angeli super ipsum, & amor naturalis quo magis incuruatur super ipsum, cuius est, eo minus ad aliud se dilatat: sicut est de amore spirituali, secundum quod vult Bernh. dicens. *Domine, qui tecum aliquid diligit, quod propter te non diligit, minus te diligit.* Ergo amor angeli naturalis, eo q̃d non ita incuruatur sicut hominis, libertate ampliori se extendit ad alium, & dilatat: propter quod magis diligit vnus alium amore naturali, quam vnus homo alium. Vnde diuina prouidentia attendens amorem naturalem hominis, non posse nisi in actum debilem propter carnis infirmitatem, prouidit homini in multis, quæ excitant ad amorem proximi, vt quæ supra tacta sunt in autoritate Beat. Cypriani. [Mem. immediate præcedenti in resolutione.] Volunt tamen quidam dicere, quod non sunt duo amores, sc. naturalis, & spiritualis: cum sint in eodem. Cum enim amor naturalis per se est, sine spirituali potest in actũ debilem, superadditur autem gratia amori naturali; & fit charitas: & fit naturalis spiritualis per additum gratiæ: sicut color vehementer illuminatus mediante luce potest in actum suum: & non distinguitur actus coloris ab actu lucis in illa operatione, vbi concurrunt. Vnde dicunt quod in patria non erunt duo amores naturalis, & spiritualis, sed transibit ibi naturalis in spiritualem. Sed amor spiritualis est, quo nullus diligitur nisi propter Deum. Vnde homo diliget Deum maxime in patria, & angelus similiter. Deinde ordine distributo, si homo magis habeat Deum, quam angelus: plus diliget homo hominem quam angelum: si angelus plus: plus diliget angelum, sic est de angelo respectu hominis. Sed etsi ita sit de amore patriæ aliquo modo, sicut dicunt: non credo quod ita sit de amore in via: imo vehementer opinor duos esse amores, sc. naturalem, & gratuitum siue spiritualem.

¶ SI autem obijciatur, quod homo magis conuenit cũ homine, quam angelus cum angelo. Homo enim conuenit cum homine in hoc, quod omne genus naturæ, sc. corporalis & spiritualis repræsentat: non autem sic indiuidua aliarum specierum: sed vel corporalem tantum, vt omnia homine inferiora: vel spiritualem tantum: vt angeli: igitur si vnitas & conuenientia est causa dilectionis &c: Dicendum quod hoc verum est alijs existentibus paribus: non autem sunt alia paria in homine & angelo: quia (vt tactum est) non æquali libertate extendit se affectio angeli in diligendo & hominis.

¶ ITEM, forte maior est vnitas & conuenientia angeli ad angelum, quam hominis ad hominem: licet in pluribus conueniant homines, quam angeli: sicut maior est vnitas & conformitas vniuersaliter puncti ad punctum, quam lineæ ad lineam. Vniuersaliter dico, quia licet omnes lineæ vnitatem quandam habeant & conformitatem, possunt quasi infinitis modis differre, quod non possunt punctus & punctus. Similiter est in proposito, homo potest differre multis modis ab homine ratione commixtionis, multiplicationis, & compositionis illius, quibus non potest differre angelus ab angelo.

¶ AD aliud dicendum, quod indiuidua humana in duobus conueniunt, in quibus nulla indiuidua alterius speciei conueniunt, sc. quod sunt ex vno, & ab vno: ab, autem dicit circumstantiam efficientis: ex, vero materiæ. Quia

materia

materia omnium corporum humanorum fuit in Adam, de singulis hominibus potest dici, quod sunt ex vno: & hæc est vnitas materiæ: quæ in indiuiduis aliarum specierum non reperitur: non enim creata erat inter rerum originalia vna vis, ex qua aliæ essent propagandæ: sed plures: nec vnus equus vel bos, ex quibus debebant: & alij descendere. Et quia non quocunque modo descenderunt posteriores, scil. filij, & filiæ ab Adam, sed per generationem sunt omnium eorum corpora propagata ex vno corpore, sicut inferius patebit, ideo cum ipse Adam fuerit principium generationis omnium humanorum corporum, siue primus generator: verum est nos fuisse ab vno, sicut à principio generante: & ex vno, sicut à principio materiali. Non ergo propagatio materialis à primo parente est tantum in indiuiduis generis humani ratio: sen causa dilectionis: sed potius formalis, quæ est similitudo aliqua *occulta, vel manifesta, relicta in indiuiduis huiusmodi, ex virtute & operatione primi hominis generantis: hæc autem plana sunt consideranti. Patet ergo, quod non est ratio, quare indiuidua huius speciei [*homo*] debeant se magis diligere: quia quodammodo fuerunt de eodem limo, de quo non habebant esse, nisi materiale remotum: sicut quia fuerunt de eodem parente, à quo sunt non solummodo secundum esse materiale: sed quodammodo secundum esse formale: formale (dico) non vltimum, quod habet ab anima: sed vltimum quantum ad esse corporis, quo aptatur ad animæ susceptionem.

Quæst. 91.

*Alias occultata, &

¶ Ad illud, quod postea obijcitur: quod in communicando indiuiduis huius speciei [*homo*] à propinquis parentibus est deriuatum & propagatum, à primis parentibus non solum communicatur eis illud, quod est vanitatis, sed quod est veritatis. Ratione enim vanitatis, cui subiecta est creatura, ex hoc quod est ex nihilo, statim deficeret, nisi à veritate, quam habet ex hoc quod est ab eo, qui essentialiter est, fulciretur & sustentaretur in esse: Vnde in esse indiuiduorum huius speciei [*homo*] duo continentur, scil. vanitas, & veritas: & hæc sunt deriuata, & propagata ad pastores à primo parente mediantibus propinquioribus. Non ergo conueniunt posteri primi parentis solum in participatione vanitatis, inquantum sunt ab ipso: sed etiam in participatione veritatis. Cum ergo dicitur, quod emanatio ab eo, qui essentialiter est, non est causa dilectionis spiritualis &c. Dicendum, quod imo, inquantum illa emanatio est mediante primo parente, à quo omnes sumus materialiter, & formaliter eo modo, quo dictum est.

QVÆSTIO LXXX.

De veritate corporis humani, siue Adæ.

In tria Membra, & duos Articulos diuisa.

D Th. S. Bon. & Sc. vbi supra.

QVÆRITVR consequenter de veritate corporis Adæ. Et quoniam veritas illius corporis variatur, consideratur enim vt creatura tantum, vel vt creata, & propagata vel vt creata: ideo tria sunt hic propagata, & occasionata quærenda.

¶ Quæritur ergo primo de veritate corporis Adæ creata, scil. si erat vere corpus humanum. Secundo de veritate propagata. Tertio, de veritate occasionata.

MEMBRVM I.

An corpus Adæ verè humanum corpus fuerit?

Ansi. in lib. de conceptione Virginis.

CIRCA primum quæritur, Vtrum corpus Adæ erat vere corpus humanum. Quod sic Anselm. *Pariter verus est homo, & Adam de non homine, & Iesus de sola muliere, & Eua de solo viro, sicut est verus homo quilibet vir, aut mulier de viro & muliere:* sed non esset verus homo nisi habuisset veritatem corporis humani.

¶ ITEM, veritas causati est à veritate causæ: omnia antem corpora humana sunt à corpore primi hominis, vt tactum est: ergo cum humana corpora propagata à corpore illo sint corpora humana, relinquitur ... d illud fuit corpus huiusmodi.

¶ ITEM, Anselm. Magist. *Quicq... vere est, inquantum est hoc, quod in summa veritate est.* Di... is: *Absolute potes concludere, quod omne, quod est, vere est: ... im non est aliud, quam quod ibi est.* Sed ibi fuit vt produ... m in esse secundum veritatem, quod patet ex sacra ... ra: ergo &c.

Idem in lib. de veritate.

¶ CONTRA, Christus, vt ... aret se assumpsisse veritatem humanæ naturæ, assum... efectus nostros: ergo si non fuerunt in illo corpore d... us: non fuit in eo veritas humanæ naturæ. ¶ ITEM, ... icipatio naturalium proprietatum attestatur veritat... Sed corporis compositi ex elementis naturalis est p... etas pugna, & dissolutio (vt enim dicit Damas. *opposi... principium pugnæ, pugna dissolutionis &c.*) ergo si pugn... dissolutio non erant naturales proprietates corporis ... ergo non erat verum corpus ergo nec verum corpus ... smodi.

Damas.

¶ ITEM, ad hoc os... endum inducunt quidam illud Genes. 6. secundum ... iam translationem dicitur, *Finxit Deus hominem de terr...* veritas & fictio opponuntur: si ergo corpus illud fui... tum, non fuit corpus verum. ¶ ITEM, vt ex verbis An... supra dictis patet, quod veritas in creatura non est ... quam quod est in summa veritate: sed nihil est in su... a veritate, nisi quod est immutabile & inuariabile.

Gen. 6.

Ansi. in lib. de veritat.

¶ PRÆTERE... dicitur ibidem, *Veritas est omnium, quæ sunt, essentia: quia sunt, quod in summa veritate sunt.* Ex hoc patet, cum cor... illud passibile fuit, & perductum ad non esse, corpus ... inis non habuit veritatem corporis humani.

Idem ibidem.

¶ ITEM, q... d incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuit, v... uod est, quod autem est tale, non habet verum esse, qu... eritas inquantum veritas semper manet vna & eade... vult Aug. sed corpus Adæ desijt esse, quod erat: prim... im fuit immortale & corruptibile: & postmodum ... tale & corruptibile: ergo incepit esse quod non erat, desijt esse quod fuit: ergo in eo non fuit veritas essendi: ... a vt prius.

¶ I... m, aut erat corpus illud artificiale, aut naturale. Si artifici... habeo propositum: quia nullum corpus artificiale p... t esse corpus verum humanum. Nec naturale, probatu... uia non fuit productum in esse operatione naturæ. Nat... a enim est vis insita rebus, simile ex simili procreans: Erg... n fuit in eo veritas huiusmodi rationis. ¶ PRÆTE... A, hæretici quidam ponebant Christum non esse filiu... naturalem Virginis: quia non erat ex similibus prod... tus in esse: qui eadem ratione possent ponere corpus A... d non esse corpus humanum naturale. Adhoc potest esse ... nfirmatio: quia substantia spiritualis cum format corpus ... aliqua materia, non dicitur formare verum corpus: sicut ... ngelus cum assumit corpus aliquod, illud non est verum ... orpus humanum: à simili videtur in proposito.

RESOLVTIO.

Adæ corpus, tametsi per diuersos status, scil. institutionis, & destitutionis, transmutar. tur, verum tamen corpus fuit: quia essentia semper idem permansit.

¶ AD hoc dicendum, quod corpus illud verum corpus humanum erat.

¶ AD primum obiectum in contrarium dicendum, quod Christus assumpsit de quatuor statibus humanis: de statu ante peccatum immunitatem peccati: de statu naturæ lapsæ pœnam defectus: de statu gratiæ plenitudinem gratiæ: de statu gloriæ perfectam contemplationem: vt patet 3. Sentent. Christus ergo assumendo nostros defectus, ostendit se assumpsisse veritatem humanæ naturæ quantum ad statum naturæ lapsæ: vnde ex hoc non sequitur, quod Adam in statu conditionis suæ non habuit verum corpus, eo quod non habuit quasdam proprietates accidentales, quas postea habuit, scil. in statu naturæ lapsæ.

Mag. 3. sent. di. 12. cap. vlt.

Philos. Topic. 6.

¶ Ad aliud dicendum, quod sicut dicitur in Topic. 6. si mortale fiat imm[ortale], non est differentia secundum substantiam, sed secu[ndum] statum. Ita dicendum hic, quod si corpus fuit primo [imm]ortale, post vero mortale: non tamen propter hoc [alt]era erat essentia cum ergo veritas essentiam respiciat: pa[tet q]uod veritas erat corporis humani in illo tempore.

¶ Ad hoc ergo, quod [o]bijcitur quod pugna & dissolutio sunt proprietates n[atura]les &c. Dicendum quod non sunt proprietates simplic[iter, s]ed habito respectu ad statum humanæ naturæ lapsæ. In [tem]pore enim primi hominis, antequam lapsus esset, tanta [erat] æqualitas virtutum elementarium, quod non erat ibi a[ctio o]bijciens à substantia sed potius pax & harmonia secu[ndum] optimam eorum commensurationem, vt dictum est su[pra]. Vnde verbum Damas. intelligitur quantum ad statum [nat]uræ lapsæ.

Gregor.

¶ Ad aliud dicendum qu[od] *fingere* æquiuoce dicitur. Vno modo idem est, quod co[mpo]nere: secundum quod dicit Greg. quod compositores [vasorum] figulos esse vocamus: & sic dominus operans in mat[eri]a, fingere dictus est: & hæc fictio veritati non opponitur. [Al]io modo dicitur [*fingere*] actus virtutis æstimatiuæ co[mpon]entis & diuidentis ea, quæ veritatem non habent: & [sic] fingere non fuit ibi, nam illud opponitur veritati: secun[dum] quod dicitur: *Hic error tanquam lex custoditus est, & tyran[norum] imperio colebantur figmenta.*

Sap. 14.

¶ Ad illud, quod consequenter ob[ijci]tur, quod veritas in creatura non est aliud, quam quod e[st] summa veritate vbi nihil est mutabile &c. Dicendum [sine] præiudicio, quod ratio dicti huius est hæc: quia veritas cr[eatu]ræ est secundu artem & exemplar æternum, quod est ip[sa s]umma veritas. Vnde veritas in creatura dr esse in veritate [æt]erna: sicut aliquid dicitur esse in exemplari & arte, secu[nd]um quam est. Ratione enim trium, quæ sunt in creatura, q[uæ] sunt vnitas, veritas, bonitas, est ipsa vestigium creatoris, [tr]initatis, repræsentans potentiam patris per vnitatem, [sapi]entiam filij per veritatem, bonitatem spiritus S. per bonita[te]m. Secundum quæ tria trinitas ipsa cadit in triplex genus [ca]usæ, scil. efficientis ratione potentiæ: formalis ratione sap[ie]ntiæ, siue veritatis: vel exemplaris finalis ratione bonita[tis]. Non ergo dicitur veritas, quæ est in creatura, esse in veri[tat]e summa, quod sit in illa per essentiam, sed quia est in illa [vt] effectus in causa formali exemplari, siue in arte, secundum quam est.

¶ Quod autem dicitur, quod in nihil est variabile &c Dicendum quod hoc verum est, inquantum ibi est. Illa [en]im ars, siue exemplar æternum nulli subiacet varietati: ut tamen secundum ipsam producuntur in esse, variabilia sunt. Vnde Aug. *Apud te deus omnium rerum instabilium sunt causæ, & omnium rerum mutabilium immutabiles manent origines: & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ viuunt rationes.*

Aug. in lib Confess.

¶ Ad hoc, quod consequenter obijcitur. Dicendum quod si corpus illud prius fuit incorruptibile, & post corruptibile: non propter hoc desijt esse, quod prius fuit: sed cuiusmodi primitus fuit. Vnde circa hoc notandum, quod quicquid in corporibus humanis immutabile intelligitur, primæ conditionis est proprium: quicquid vero mutabile & varium, illud superadditum est, & extra naturam substitutum, quantum ad statum conditionis. Vnde vniuersaliter in omnibus corporibus humanis vna & eadem forma communis intelligitur: & semper incommutabiliter stat: variabiles enim differentiæ, quæ eidem formæ accidunt; non contingunt ex ratione primæ conditionis. Vnde Greg. Naz. *Non per omnia, quod est, nostrum in fluxu & transmutatione est.* Si enim esset, reprehensibile esset vniuersaliter, quod nullum statum habet ex natura: sed iuxta subtiliorem rationem eorum, quæ in nobis sunt, quoddam quidem stat: quoddam vero ex mutabilitate accidit, mutatur enim secundum augmentationem & diminutionem corpus, veluti vestimenta quædam secundum consequentes ætates induta. Stat vero per omnem conuersionem intransmutabilis in seipsa forma, sed in omnibus secundum corpus transmutationibus cum suis notionibus apparet, subtrahetur per verbum domini, videlicet ipsa, quæ ex passione est, mutatio, quæ formæ super accidit.

Greg. Nazianz. ca. 28. de imagine.

¶ Nota ergo in hac autoritate tres status humanæ naturæ, s. naturæ conditæ per statum immutabilitatis ipsius formæ: naturæ lapsæ per mutabilitatem passionum variarum circa ipsam essentiam: naturæ reparatæ, per subtractionem mutationis, quæ accidit circa essentiam, vel formam.

¶ Ad aliud dicendum, quod corpus illud erat naturale. Sed naturale dicitur dupliciter: Vno modo dicitur naturale, in quo est veritas, quæ congruit naturæ tali: & secundu hunc modum erat corpus illud naturale: quia in illo erat tota veritas, quæ congruebat naturæ corporis humani. Alio modo dr naturale, quod actione naturæ producitur in esse: & sm hunc modu non erat naturale, non .n. pducebat in esse opatione nāæ, sed potius opatione cōditoris naturæ. Cu. n. sit triplex cursus, siue exitus reru in eē: vt habetur ab Ans. s. mirabilis: naturalis & volutarius: naturalia primo mō dicta cursu mirabili exeunt quandoque in esse. Vnde originalia rerum principia, & maxime corpus Adæ producebatur in esse cursu mirabili: erat tamen corpus humanum habens quicquid requiritur ad veritatem corporis huiusmodi: vnde non sequitur, non fuit productum in esse operatione naturæ, quæ est vis insita &c. ergo non fuit naturale.

Ansel. de conceptu Virginis.

¶ Ad positionem hæreticorum dicendum: quod aliquando Deus simile ex simili producit in esse, aliquando ex dissimili: sicut dicit Cassianus de Incarnatione verbi contra hæreticos prædictos, s. qui ponebant Christum nō esse filium naturalē Virginis, dicens sic. Si ideo natum ex virgine Deum non putas, quia homousios, parenti debet natiuitas, quomodo res dissimiles ex dissimilibus credituius es substitisse natutis? ergo apud te nec coturnices subito ventus intulit: nec manna decidit: nec vinum ex aqua pdijt: nec multa millia hominum ex vno cibo sunt pasti: nec post lutum cęco lumen apparuit. Et ponit aliam instantiam de apibus, quæ nascuntur ex floribus. Vnde ex hoc patet, q differt virtus infinita à virtute naturali, siue creaturæ, quoniam virtus increata operatur ex similibus & dissimilibus, in quibus non est potentia actiua: virtus verò creata ex similibus similia: aut saltem ex talibus, in quibus est potentia quodammodo actiua, non solum materialis, siue passiua.

Ὁμοούσιος.

¶ Ad illud, quod adiungitur: quod spiritualis substantia non format verum corpus humanum &c. Dicendum, quod non est simile: quia illa formatio non est nisi quędam compactio artificialis ad operationem aliquam exercendam per vsum illius corporis. Non est ibi proportio numeralis ad animam humanam, quæ debet esse inter corpus organizatum perfectibile anima rationali: nec inter substantiam angelicam & illud. Sed corpus Adæ, quamuis formatum fuerit à Deo & de limo, tamen fuit organum verum animæ Adæ, & ipsa forma eiusdem.

MEMBRVM II.

De veritate propagata.

Seqvitvr de veritate propagata. Et quæritur primo, si tota veritas humanæ naturæ fuit in corpore Adæ quo ad esse corporale. Secundo, de modo propagationis illius.

ARTICVLVS I.

An tota humana natura vere in Adam fuerit secundum esse corporale.

De primo videtur, quod sic Aug. *Omnes fuimus in illo vno quando fuimus ille vnus, qui per peccatum lapsus est*, sed non fuimus in illo secundum animam: ergo secundum corpus omnes fuimus corporaliter in illo corpore primo. ¶ Præterea, Ansel. *Quia tota in primis parentibus erat humana natura, & extra ipsos nihil erat, de illa tota infirmata & corrupta est.* Sed similiter in principio fuit Eua in Adam: ergo nullum humanæ naturæ indiuiduum exceptum est: & inde vt prius.

Aug. li. 13. de Ciuit. Dei, c. 14.

Ansel de conceptu Virginis cap. 2.

¶ Præterea, idem, *Poterat Deus Adam, in quo semen omnium hominum creauerat, aliam facere mulierem, per quam de Adā propositum Dei perficeretur.* ¶ Præterea, quod hoc possit esse patet per Augus. dicentem. *De vno semine possunt secundum*

Idem in eodem li. cap. 19.

Aug. de vera relig.

suam

suam naturam vel segetes segetum, vel siluas siluarum, vel greges gregum, vel populi populorum per secula propagari: vt nullum solum sit, vel nullus pilus per tam numerosam distinctionem, cuius non ratio in illo primo & vno semine fuerit. Ergo cum ex vno grano seminantur omnia grana, & in eo continuatur omnium granorum virtus: videtur similiter, quod ex vno corpore propagari possit, vel propagatum sit omne corpus humanum seminaliter.

¶ Contra, si in illo corpore fuit tota humana natura: ergo aut secundum formam, aut secundum materiam, aut secundum vtrumque. Non secundum materiam, quia non erant in illo corpore tota omnia, quot ex eo seminata sunt, corpora. Neque secundum formam, quia cum veritas humanæ naturæ, quæ fuit in Adam, sit transfusa ad posteros, formarum autem non est transfusio sine transfusione materiæ, videtur quod non fuerit in eo natura humana secundum formam: cum possit materia ad tot corpora formanda diuidi, quot sunt ex eo propagata. ¶ Præterea, cum veritas illa vere sit transfusa ad posteros: transfusio autem illa per diuisionem facta est: forma autem simplex est, & indiuisibilis: patet quod non fuit in illo natura humana secundum formam.

¶ Præterea, vt habetur in alia philosophia: semen est ex superfluo vltimæ digestionis, siue nutrimenti: Dicit enim Arist. quod sperma est superfluitas vltimi cibi: quod autem est tale, non est de veritate substantiæ generantis: ergo corpora propagata de primo homine, non erât de veritate substantiæ illius. ¶ Item, cum illud, quod est hominis, debeat in ipso resurgere: si omnium hominum corpora fuerunt in Adam: ergo in ipso resurrectura sunt.

Arist. li. 1. de Gener. Anima. c. 18. & 19.

¶ Item, pars non est idem per essentiam cum suo toto, ergo si quod in Adam fuit, secundum carnem, propagatum est lege naturæ & per decisionem partium à toto, non remansit in ipso Adâ tota veritas saltem post decisionem: nec insuper eadem est humana natura in nobis & in Adam. ¶ Item, omnis diuisio alicuius partis naturaliter vnitæ cum toto in re habente sensum, fit cum dolore & tristitia, sed decisio spermatis fit per diuisionem alicuius ab aliquo in re habente sensum sine dolore, ergo non fit per diuisionem alicuius partis vnitæ naturaliter alij. ¶ Item, differenter est in appetitu & potestate rationalis, & simpliciter naturalis: quia appetitus & potestas rationalis est ad opposita: naturalis simpliciter ad vnum: igitur cum appetitus naturæ sit ad hoc, quod vniatur illud, quod est pars membri cum suo toto, eius appetitus non erit ad diuisionem eiusdem: ergo nunquam appetit aliquid diuidi à membro, quod est de substantia illius: igitur decisio seminis est per diuisionem alicuius, quod non est de membro aliquo.

RESOLVTIO.

Humana natura tota vere secundum esse corporale in Adam fuit. Ita quidem vt materia siue materiale illud, quod de constitutione reliquorum omnium humanorum corporum est, in illius corpore esset successiue ad hæc transfundendum.

¶ Responsio. Cum totum tripliciter dicatur in Quinto Primæ Philosophiæ. Vno modo idem est quod perfectum. Alio modo secundum quod dicitur totum aliquod vnum continens naturaliter partes in eo, quæ vniuntur in aliqua forma vna substantiali, sic dicitur totum vniuersale, vniens quodammodo contenta in forma vna. Tertio modo dicitur totum aliquod vnum continens plures partes: quæ existentes in tota potentia, vniuntur in eadem quantitate: vel secundum naturam, vel secundum artificium: & hoc modo dicitur totum in quantitate respondens parti in quantitate. Primo modo erat tota natura in Adam, qui perfectus erat homo ex anima & corpore. Similiter secundo modo: erat enim in eo tota humana natura, inquantum hoc quod dico [humana natura] quædam forma erat totum esse continens, secundum illud Boet. Species est totum esse indiuiduorum, quæ quidem participata est ab omnibus hominibus, & in quâ omnes vniti sunt: secundum quod dicit Porphyrius: dicit enim, Participatione speciei plures homines sunt vnus. Tertio modo solum in potentia & nô in actu per naturâ distinctam erat omnium corporum materia in corpore Adæ. Tripliciter igitur dicitur tota humana natura fuisse in Adam: & quia natura humana perfecte erat in eo, & quia species humana quandoque in eo solo saluata erat, quæ postea est ab alijs participata, & etiam quia aliquid in ipso erat, quod per propagationem est de constitutione corporum omnium hominum.

Philos. 5. metaph.

Cum ergo quæritur, qûo tota humana natura fuit in Adam, s. secundum materiam, aut secundum formam. Dicendum quod secundum materiam, quia materia omnium corporum, siue materiale, quod est de constitutione omnium corporum humanorum, erat in corpore Adæ.

¶ Et ad maiorem huius notitiam sciendum, quod in in corpore Adæ erat quantitas molis cum ratione seminali ratione quantitatis illius molis poterat extendi & diffundi secundum extensionem corporis quasi improportionaliter maioris: sicut gutta vini effusa in magno vase aquæ, materia illius diffundit se per totum vas illud, imo (vt ponunt noti in Philosophia alia) aliquid paruæ quantitatis possibile est ad diffusionem quasi infinitam ratione quantitatis suæ materiæ: sicut quantum ratione qua quantum est, diuisibile est in infinitum. Ratione ergo quantitatis molis siue materialis corporis Adæ partes ipsius decisæ in generatione, quantacunque eis facta fuerit additio, per susceptionem alimenti diffundebat se secundum extensionem quantitatis additæ.

¶ Præterea, ratio seminalis in illo virtutem habuit actiuam, qua poterat se multiplicare in materia susceptibili sicut potest virtus lucis, & ignis & consimilia. Quia ergo portio decisa à corpore illo ratione quantitatis materialis poterat se extendere secundum extensionem corporis cuiuscunque quantitatis additæ: virtus autem multiplicare se in materiali addito sufficiebat ad omnia corpora generis humani seminanda.

¶ Ad prædictorum euidentiâ potest suaderi sic: constat quod corpus paruum, siue humor modicus potest ita commisceri magno, quod nulla est post commixtionem distinctio, vt quando est commixtio vsque ad homogeneum, facta tali commixtione, nihil fit de magno illo corpore, quod non sit de paruo eidem commixto, similiter intelligatur illud mixtum commisceri maiori, & sic procedendo intelligatur, quod res paruæ quantitatis sic possit commisceri, & vniri maiori rei, vt nihil de maxima re fiat, quod non possit rationabiliter dici factum de illo paruo. Sic igitur intelligendo, satis rationabile videri potest etiam secundum operationem naturæ omnes homines materialiter fuisse in Adam, & de Adam: quamuis modicum ex ipso fuerit decisum.

¶ Et si obijcitur, quod res paruæ quantitatis non possit extendi adeo. Dicendum, quod hoc non impedit: cum omne corpus (quantum est de natura quantitatis) sit diuisibile in infinitum, & hoc dicunt Physici, & approbat August. ita dicens. *Philosophi autem subtili ratione persuadent nullum esse quantumlibet exiguum corpusculum, in quo diuisio finiatur, ac per hoc si potest aqua ad tantas guttarum minutias peruenire, vt super istum aerem vaporaliter feratur, qui natura leuior est aqua, cur non possit & super illud leuius cælum minutioribus guttis & leuioribus immanare vaporibus.* Præterea, quomodo habet illud verbum Augu. veritatem, quod Christus fuit in Adam secundum corpulentam substantiam, nisi aliquid descendisset de corpore Adæ vsque ad Christum? Item, *Egredietur virga de radice Iesse. Factus est ex semine Dauid secundum carnem*: ergo in Christo fuit aliquid de carne Dauid: *Semen Abrahæ apprehendit.*

Aug. 2. sup. Gen. ad litt.

Esaiæ 11. Rom. 1. Heb. 2.

¶ Cum ergo obijcitur, quod non erant in illo corpore tot atomi. Dicendum, quod etsi non erant tot atomi existentes in actu, & secundum speciem, siue secundum formam, erant tamen tot existentes in potentia, & secundum materiam: quia materiale decidendum de corpore illo ratione quantitatis illius fuit potentia quasi ad infinitam extensionem & diuisionem.

¶ Ad aliud dicendum, quod semen dicitur esse de superfluo nutrimenti, non quia in embrione sit alia substâtia qui de illo superfluo: sed quia pars maior in quantitate est

de illo. secundum quod solet quandoque totum a parte maiori denominari. Duæ enim circa hoc sunt opiniones. Vna, quæ ponit prolem seminari & propagari de vera substantia patris: alia de superfluo nutrimenti. Prima autem habet respectum ad quantitatem virtutis, secunda ad quantitatem molis: Aliquid enim in generatione deciditur de vera substantia patris, quod licet forte minoris sit quantitatis illa parte, quæ est de superfluo nutrimenti, est tamen maioris virtutis, & plus conferens substantiæ fœtus siue prolis genitæ. Propter quod videtur, quod medium sit tenendum, & ponendum sit, prolem de vtraque substantia seminari.

¶ Ad aliud dicendum, quod natura in primo homine erat duplex. Vna, quæ erat simpliciter ipsius, vt erat indiuiduum. Alia, quæ erat illius, vt erat principium aliorum. Hæc autem natura duplex respondet duplici appetitui, quorum vnus erat respectu salutis in se: alius respectu salutis in alio, & duplici virtuti, scilicet nutritiuæ, qua intenditur salus: siue conseruatio rei in se, & generatiuæ, qua intenditur conseruatio rei in alio. Vnde, Eccl. 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se.* Vnde filius dicitur, quia fit vt ille, qui genuit. Huic duplici naturæ duplex respondet veritas: vna quæ respicit esse indiuiduum absolutæ: alia, quæ respicit esse, in quantum est principium aliorum. Sic est vna veritas naturæ, quæ respicit esse Adam in se: alia, quæ respicit esse illius, vt est ad producendum alios in esse. Veritas ergo naturæ, quæ erat in Adam respectu sui, resurget in ipso Adam, sed quæ erat in ipso respectu speciei, surget in alio. Et est simile: dicimus enim Petrum verum hominem, quia participat naturam speciei, & quia habet collectionem proprietatum, quas in alio est impossibile reperire: ratione primi non distinguitur ab alijs hominibus: sed ratione secundi. Similiter veritas humanæ naturæ in Adam, prout respicit naturam speciei, non appropriatur Adæ: & ideo in ipso non resurget: sed prout consideratur, in quantum est proprietas rei naturæ, ipsum distinguit, & in ipso resurget.

¶ Ad aliud dicendum, secundum quod totum sumitur primo modo. i. dicitur perfectum: sic post propagationem factam per decisionem portionis carnis Adæ, remansit in ipso tota veritas humanæ naturæ. Similiter, secundum qd totum sumitur secundo modo. Licet enim species humana antequam de ea fieret aliqua propagatio, in eo solo saluata esset: post autem in eo, & in alijs: nihilominus in eo post propagationē erat perfectio quantum ad suam essentiam, sicut & ante: non enim eo quod in pluribus existit, minus perfecte existit in singulis. Quantum autem ad esse, quod attenditur in actu continendi & dicendi, non erit tota post, sicut & ante: quia cum ante continebat actu solummodo indiuiduum primi hominis, & de eo solo actu dicebatur: post continebat plures, & de pluribus dicebatur. Secundum quod totum dicitur tertio modo: sic non remansit in ipso tota veritas humanæ naturæ vno modo, quia cū veritas humanæ naturæ in Adam non tantum determinata erat circa esse ipsius Adæ, prout erat persona ista: sed prout erat principium aliorum: vnde respectum habebat ad speciem saluandam per propagationem aliorum de sua substantia: cum vniuscuiusque substantia & virtus sua mensuretur periodo, subtracta aliqua proportione substantiæ suæ in generatione: similiter & virtutis non habebat substantiam & virtutem in illa totalitate, qua prius sc. secundum quod erat principium aliorum: licet haberet, secundum quod erat hoc indiuiduum, vel persona. Sic ergo quantum ad primum modum sumendi totum, tota humana natura fuit in ipso post propagationem factam de eo, & ab eo, sicut ante. Quantum ad secundum vno modo similiter, alio modo non. Similiter quantum ad tertium.

¶ Qvod autem infertur, quod non erat in nobis eadem natura humana, quæ in eo. Dicendum, quod eadem fuit quantum ad veritatem humanæ naturæ: licet non quantum ad totalitatem, siue multiplicitatem veritatis: in nobis enim est veritas humanæ naturę quantum ad esse indiuidui, non quantum ad esse principij generalis, scil. sicut fuis in eo.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod quandoque fit diuisio vniti naturaliter, & iuxta appetitum naturæ: & illa non infert tristitiam, sed delectationem, inquantum huiusmodi: Quandoque contra appetitum naturæ, & per violentiam factam naturæ, & illa infert tristitiam.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod appetitus naturæ est ad vnum &c. Dicendum, quod est considerare naturam in homine dupliciter. Vel vt appetitus naturæ est saluare se, inquantum potest in hoc indiuiduo, & sic eius appetitus est viuere: & inquantum huiusmodi exercet opera nutritiuæ augmentatiuæ. Vel vt appetitus eius est saluare se in simili specie, cum non potest in eodem: & sic eius appetitus est diuidere: & inquantum huiusmodi, exercet opera generatiuæ.

ARTICVLVS II.

An propagatio humani generis ab Adam sit per multiplicationem substantiæ decisæ ab eodem in generatione.

Qværitvr consequenter de modo propagationis, sc. Vtrum propagatio humani generis ab Adam sit per multiplicationem substantiæ decisæ ab eodem in generatione: ita ponit Magister, dicens. *Omne. quod in humanis corporibus naturaliter est, descenditque à primo parente lege propagationis, & in se auctum, & multiplicatum est: nulla exteriori substantia in idem transeunte, & ipsum in futuro resurget, fomentum quidem habet à cibis: sed non conuertuntur cibi in humanam substantiam quæ scil. per propagationem descendit ab Adam.* Ex quo verbo videtur, quod illud solum sit de veritate substantiæ posteriorum, quod propagatum est à primis parentibus. Mag. li. 2. sent. d. 30.

¶ Item, ad idem Beda super illud. *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare &c.* Quia ad primum tactum liquidior cibus & potus per membra diffunditur: quamuis tenuissimus humor & liquens esca cum in venis & artubus cocta fuerit & digesta, per occultos meatus (quos Græci poros vocant) ad inferiora dilabitur, & in secessum vadit. Ergo omnino quod intrat os, exit, nec cedit in naturam eius, quod alitur. Beda sup. Marc. 7

¶ Item Augustinus quærit. *Si aliquis nutriatur carnibus humanis, in quo debent carnes istæ resurgere?* Et dicit respondendo. *Redditur caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit, ab illo quippe altero tanquam mutuo sumpta, deputanda est.* Ex hoc patet, quod non conuertitur alimentum in veritatem naturæ alendi. Aug. 22. de Ciui. Dei. c. 20.

¶ Item, August. *determinat de paruulis, qui resurgent in perfectione corporali.* Vnde dicit cap. 14. *Ipsa membra omnia iam sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes, & si quid eiusmodi, secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta non timemus &c.* Igitur videtur, qd in semine lateant omnia membra quantum ad perfectionem corporalem: & ita nihil de nutrimento est de veritate naturæ. Idem in eo dem lib. Idem c. 14.

¶ Item, in Lib. de Animalibus habetur, quod semen, quod est materia generationis, assimilatur filio egredienti de domo patris sui: Quod sic exponitur: sicut filius egrediens defert secum partem substantiæ suæ, & eam negociando multiplicat: sic semen partem substantiæ prolis augmentandæ defert secum.

¶ Item, Augustinus. *In ratione vniuscuiusque materiæ indita corporali iam quodammodo (vt ita dicam) liniatum videtur esse, quod nondum est, imo quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit, in hac ergo infans tam breuis aut longus est, qui breuis longusue futurus est.* Ex hoc patet, quod tota quantitas hominis est in portione illa, quæ descendit à parentibus: & quantitas, in qua resurget. Vnde subiungitur ibidem [*secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta non timemus*] igitur vt videtur, nihil resurget, nisi quod est in semine. Idem Au. 22. de Ciu. Dei. c. 14.

¶ Item, *Creatori rerum, qui creauit cuncta de nihilo, quomodo deesse posset, vnde adderet, quod addendum fore mirus artifex nosset?* Ex hac authoritate arguit Augustin. ibidem cap. 24. Idem ibidem.

quod

quod cum tota gigantis magnitudinis moles sit in ratione modica, possibile est resurgere eum, qui breuis est, cum moritur in magna mole & sine additamento extrinseco: vt videtur: cum Dominus tantam ibi veritatem in illa ratione creauerit: ergo à simili proposito.

¶ CONTRA, omnes fuimus in Adam seminaliter, secundum Anselm. sed licet in grano vno sit virtus seminalis ad granum producendum in esse, non tamen illud in esse producit, non subintrante humiditate extrinseca. Quod sic determinant habentes notitiam huiusmodi: dicunt enim quod granum terræ mandatum, si fuerit nimis calidum, aduritur: si nimis frigidum, mortificatur: si nimis siccum, arescit si nimis humidum, putrescit. Similiter est, si terra, in qua seminatur, eandem patitur intemperiem, corrumpitur granum. Si verò conueniant in temperie granum & terra, vis humorositate relaxatur: caliditas autem existens in ipso (elementaris dico) inueniens substantiam grani relaxatam agit quod suum est: dissoluit ipsum, & dissoluendo, humiditatem multiplicat: humiditas autem replet substantiam grani, donec repleto grano, fit ruptura, & post fit transsubstantiatio alicuius partis egredientis in radicis essentiam, quæ terræ infigitur, & mediante ipsa attrahit nutrimentum, quod transit in substantiam grani. Simile est de semine, quod deiectum est in moneta conceptionis: sicut patet in medicina: vbi determinatur, quomodo fit relaxatio humorosæ substantiæ, & attractio nutrimenti, & multiplicatio, & augmentum per nutrimenti subingressum. Non ergo in propagatione à primo homine est hominum productio & esse completum per multiplicationem eius, quod decisum est ab Adam: sed per additionem factam ex subingressu alimenti.

¶ ITEM, opus multiplicationis est à solo Deo: est enim creatio quædam, vt supra tactum est. ¶ ITEM, Hugo. *Sane sex sunt opera, quibus omnia, quæ sunt, ad effectum producuntur. Primum opus est de nihilo aliquid facere. Secundum opus est de aliquo aliqua facere secundum substantiam & quantitatem in maius. Tertium opus est de aliquibus aliquid facere secundum substantiam & quantitatem in minus. Quartum opus est de aliquo aliqua facere, non tamen secundum substantiam & quantitatem in maius. Quintum opus est de aliquibus aliquid facere, non tamen secundum substantiam & quantitatem in minus. Sextum opus est de aliquo nihil facere. Ex his sex operibus quatuor soli Deo possibilia sunt, duo reliqua tantum creaturæ possibilitati conueniunt. De nihilo .n. aliquid facere, & de aliquo aliqua in maius: & de aliquibus aliquid in minus siue de aliquo nihil, solus Deus pôt. Duo reliqua .i. de aliquo aliqua non in maius, sicut cum totum in partes diuiditur, vel de aliquibus aliquid non in minus, quemadmodum cum partes in toto vniuntur, creatura facere potest.* Facere autem de aliquo aliquid secundum quantitatem & substantiam in maius, est opus multiplicationis: sicut habetur ab eodem, ergo &c.

¶ ITEM, Ansel. *Triplex est cursus rerum in esse, voluntarius, naturalis, & mirabilis*: Propagatio ergo hominum à primo homine, aut est secundum cursum voluntarium: aut &c. Non secundum voluntarium, non enim est generatio, vel productio hominis ad statum completum secundum actum voluntatis. Neque secundum mirabilem, non enim sunt opera mirabilia generatio & productio hominis in esse completum secundum cursum naturæ. Nec secundum naturalem, quia actio naturæ est finita. Sed si fieret huiusmodi multiplicatio per naturam, natura posset in actionem infinitam: quia non reperiretur, vbi staret, & semper inueniret materiam conuenientem suæ actioni: quia qua ratione ex illa materia parua successiue, siue consequenter possent multiplicari quasi homines infiniti per naturam: eadem ratione possent alij tot multiplicari ex eadem, & ita in infinitum. Si autem diceretur, sicut supra tactum est, quod ratione quantitatis materiæ diuisibilis est in infinitum.

¶ CONTRA, habetur à Philosopho. *Omnium constantium natura est terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti.* Sic ergo est status in rebus naturæ, & res in augmentando: similiter est (vt videtur) in diminuendo: ergo non est possibile huiusmodi extensionem, vel diuisionem esse per naturam.

* * *

RESOLVTIO.

Vtraque pars & affirmatiua, & negatiua probabilis ubi proponitur: tu quam vis elice, & tuere.

¶ RESPON. Circa Quæstionem propositam diuersi diuersa sentiunt: quorum propter difficultatem quæstionis expedit manifestatio. Sunt igitur quidam consentientes determinationi Magistri Sentent. quidam dicunt contrarium. Ponunt enim quidam cum Magistro, quod transmisit Adam modicum quid de sua substantia in corpora filiorum, quando eos procreauit .i. aliquid modicum de massa substantiæ eius diuisum est: & inde formatum corpus filij, suique multiplicatione sine rei extrinsecæ adiectione auctum est. Ad ostendendum autem, quod quandoque fit augmentum rei per multiplicationem huiusmodi, dicunt, quod materia, quæ est in minimo aere, hoc modo est sufficiens, vt ex ea fiat quasi infinitum, non quidem alterius speciei, vt ignis, vel terræ, sed etiam eiusdem, vt aeris, & eadem ratione, cum semen decisum de Adam, habuit in se quatuor elementa, in minimo terræ, quod fuit in semine illo fuit materia sufficiens quasi ad infinitam terram, & in minimo aquæ quasi ad infinitam aquam: & similiter de aere, & igne: & ita in illo minimo semine erat materia sufficiens quasi ad infinitos homines. Non dico materia nuda, sed materia cum rationibus seminalibus. Materia enim (vt dicunt) quæ est sub modico aere, est possibilis ad tantam extensionem, quantæ est totus aer, imo quod tantus aer inde fieri posset, quantus est totus aer vniuersi. Cum ergo sit triplex natura in nobis, infima, vt terrena: media, vt diaphana: suprema, vt cœlestis: sicut potest multiplicatio sic. Ex natura enim media, quam habet materia ex aqua & aere, habet, vt rarefiat, & sic fiat maior per rarefactionem. Ex natura lucis, quam habet materia cum corporibus cœlestibus communem, habet, vt maxime diffundat se sine sui diminutione: vt patet in lumine candelæ, quod per sui multiplicationem crescit, & diffundit se in alias candelas sine sui diminutione. Volentes ergo opinionem Magistri sustinere de huiusmodi multiplicatione, dicunt, quod ex potentia, & ex sufficientia materiæ: & ex rationibus seminalibus, quæ erant in ipsa materia (secundum quod dicit Augu. de Vera relig. quod de vno grano sunt segetes segetum, vel siluæ siluarum &c. vt supra, quæ quidem habent materiam distendere, quatenus eis inditum est à creatore) & congruentia rarefactionis, quæ fit secundum proprietates qualitatum elementorum mediorum, cuiusmodi sunt aer, & aqua, & ex proprietate lucis diffundentis se (quæ quidem est in corpore humano, sicut natura, qualitates contrarias elementorum concilians, cuius nunc actus occulti sunt) erat potentia in illa materia diffundendi, & multiplicandi se sine quanti extrinseci additione, sicut dicit Magister in Sententijs. Et ponant exemplum in puncto, qui est conterminalis infinitarum linearum, à quo si auferatur vna linea, habet eundem punctum separata pro termino, quem prius habebat, nec est ille punctus nunc auctus, licet obtineat duo loca punctualia, & prius non nisi vnicum, sed est multiplicatus. Similiter in proposito, sicut enim non est hic noui puncti creatio, sed prioris multiplicatio, sic non est hic nouæ materiæ creatio, sed prioris multiplicatio.

¶ HVIC autem opinioni assentientes, vlterius explanando dicere possunt, quod cum in homine sit caro secundum speciem, caro secundum materiam, & similiter de alijs partibus, quia in singulis & similium partium & dissimilium est quædam pars secundum speciem, quædam secundum materiam, quantum ad illud, quod in homine dicitur esse secundum speciem, est descensus secundum propagationem à primo homine, quantum ad illud, quod est in homine secundum materiam, est ab alimento. Quantum igitur ad illud, quod est in homine secundum speciem, est augmentatio per multiplicationem quantum ad aliud per receptionem alimenti. Et potest dici quod in homine est natura habens potentiam multiplicandi se à natura elementari & virtute lucis coexistentis in tali harmonia. Et videtur posse persuaderi adhuc per hoc, quod si minimum ignis conuertatur in aquam, vel aerem, vel terram, materia, quæ fuit prius sub specie ignis, iam est

Ansel.

Hugo.

Ansel.

Philos.

August. immediate præcedenti in principio.

sub specie elementi: quod esse non potest, nisi iuxta congruentiam formæ fiat multiplicatio materiæ. Præterea materia secundum se considerata, est in termino simplicitatis: quod si sic est, non potest augmentari per rarefactionem, nec augeri per oppositionem: igitur nulla est eius augmentatio nisi per multiplicationem.

¶ Præterea, vbicunque est forma, cuius esse determinatur circa materiam quantam: materia diuisionem habet & extensionem. Hoc etiam patet: quia si consideretur materia sine omni forma, considerabitur: & sine omni extensione & dimensione prout consideratur cum forma, consideratur in maiori quantitate iuxta exigentiam formæ: natura autem ignis ad salutem suæ speciei minus requirit de materia, quam natura aeris, & natura aeris quam aquæ, & aquæ quam terræ. In animabus autem & angelis secundum Damas. & alios est ponere materiam, quæ quidem materia illius est dimensionis: quia extensio materiæ, qua locum occupat, non est à se, sed à sua forma, eam extendente: & ideo si tota materia vniuersi posset esse sine forma extendente eam: vt est forma in spiritibus, non occuparet locum, nisi punctalem, vt spiritus. Vnde videtur dicendum, quod materia multiplicabilis est naturaliter iuxta congruentiam formæ, cuius est materia, & potestatem huius multiplicationis dicimus esse in natura elementari, & virtute lucis. Cum autem augmentatio per additionem & refectionem data est * intimæ naturæ corporali, & nobilissimæ naturæ, quare non est data virtus augmentandi per multiplicationem.

*Alias, infimæ.

¶ Dicimus ergo secundum hanc opinionem, quod in semine deciso à parentibus ad procreationem prolis est duplex natura. Quædam est ad illud, quod requiritur ad partes secundum naturam, & illa habet virtutem augmentatiuam per susceptionem nutrimenti. Quædam ad illud, quod requiritur ad partes secundum speciem: & illa habet virtutem augmentatiuam per multiplicationem. Quantum igitur ad illud, quod in nobis est partium secundum speciem, descendimus à primo homine per multiplicationem ipsius naturæ. Quantum ad illud, quod est in nobis secundum materiam, nequaquam.

¶ Si obijciatur, quod semen est ex superfluo cibi vltimi secundum Philosophum: Responderi potest, sicut supra tactum est. Vel potest dici, quod hoc intelligitur quantum ad illud, de quo sunt partes secundum materiam: non de quo sunt partes secundum speciem.

Artic. immediate præced. in respon. ad 2.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur in contrarium. Dici potest, quod reuera sicut ad propagationem grani ex grano requiritur subministratio humoris, vt tactum est: similiter in propagatione generis humani ex primo homine requiritur subministratio alimenti, vt fiat multiplicatio & augmentum partium secundum materiam per nutrimenti subingressum, & fomentum partium secundum speciem. Vnde propter hoc necessaria est attractio alimenti, scilicet vt sit materia partium secundum materiam, & fomentum partium secundum speciem: quæ multiplicantur, & augmentantur ex portione substantiæ generantis decisæ in generatione.

In principio Resol. huiusce Artic.

¶ Ad aliud, quod sequitur, scil. quod opus multiplicationis est à solo Deo. Dicendum, quod hoc intelligitur, vbi res multiplicabilis nulla substantia coniuncta, vel communicata, aliquo modo multiplicatur, vt erat in multiplicatione panum Matth. 14. similiter in formatione Euæ de costa Adæ. Vnde multiplicatio lucis, quæ est substantia secundum August. nulla ei coniuncta substantia posset esse, nisi à solo Deo, vt si esset vacuum circa corpus solare, credo quod lux solis non posset se multiplicare per naturam, nec posset fieri nisi à prima potentia, potest autem lux multiplicare se, coniuncta illi substantia apta ad susceptionem huius multiplicationis. Similiter potest dici in proposito: nisi illi parti, quæ est de vera substantia patris, esset aliqua substantia coniuncta, s. substantia alimenti ministrantis fomentum eidem, quod non multiplicaretur, nec posset etiam multiplicari nisi à solo Deo.

Matt. 14.

Sic videtur posse dici de multiplicationibus, habentibus esse completum per aliquam formam determinatam. De re autem completa, vt quæ caret forma complente, vt de prima materia, in ratione, qua prima: potest dici primo quod illa est multiplicabilis, iuxta quod requirit forma perficiens eandem.

¶ Et hoc videtur probabiliter posse dici à dispositione ordinatissima summæ sapientiæ: à prima enim potentia est creaturis, præditis virtute actiua, data potestas multiplicandi se, siue formas proprias in earum susceptibilibus: vt patet de quibusdam elementis. Similiter existenti in gradu extremo possibilitatis dari possibilitas apta ad suppositius multiplicationem à forma completa illius sine natura alia.

¶ Et hoc videtur congruere perfecto & ordinatissimo artifici, omnia ordine congruentissimo producenti in esse. ne à tanto artifice sic sit aliquid productum esse, vt forma naturali perficiatur, quod nullo modo natura perfici possit quod esset, si materia naturali forma perficienda, quæ inquantum est materia omnino simplex, & ita nulli formæ naturali apta, inquantum huiusmodi: per naturam aliquam inferiorem multiplicari non posset, ita vt aptaretur ad formæ conuenientis susceptionem. Nec videtur dissonum rationi, quod carni primi parentis, quæ condita fuit, vt esset principium omnium sui generis, & ita diuinæ gereret imaginis rationem, quæ etiam in aliqua sui parte erat Deificabilis, scil. per gratiam vnionis cum Dei virtute, nec non etiam in multis partibus per glorificationem: data esset aliqua partibus prærogatiua naturæ quantum ad potestatem multiplicationis: cum hoc datum sit quibusdam creaturis incomparabiliter minoris dignitatis, quantum ad formas earundem. Vnde ponentes materiam simpliciter posse in esse naturaliter multiplicari, similiter & illud, quod erat decisum à primo parente, non videtur à ratione, sine à probabilitate deuiare. Non autem sic se habere assero: sed quadam congruentia coniiciendo: ne videar dicto à tantis Doctoribus obuiare: ex quo non inuenio ab aliquo doctorum sanctorum dici contrarium.

¶ Si obijcitur contra hoc per verbum August. in fine: quod videtur asserere, quod nullum corpus augetur per multiplicationem: opponens contra Tertullianum, qui ponebat animam esse corpus, & committi se corpori maiori & minori sine aliqua sibi facta additione, & hoc explanat ponens exemplum de massa metalli, quę aliquando dilatatur per tunsionem sine aliqua additione sibi facta: contra istam dicit Augustinus. *Quid absurdius, quam putare massam cuiusquam metalli ex aliqua parte crescere posse, dum tunditur, nisi decrescat ex altera, vel augeri latitudinem, nisi crassitudine minuatur: aut vllum esse corpus, manente natura sua entitate, quod vndique crescat, nisi rarescat?*

Aug. 10. sup. Gen. ad lit. in fine.

Idem August.

¶ Ex vltimo verbo hic posito videtur, quod absurdum sit ponere aliquid, manente quantitate, crescere: nisi rarescat: ex quo videtur, quod nunquam crescit aliquod corpus per sui multiplicationem.

¶ Ad quod potest dici, quod August. loquitur secundum modum communem, quo res crescunt, siue efficiuntur maiores. Rei enim manentis in sua quantitate, i. cui nulla fit additio, non est alius modus crescendi secundum cursum communem, quam per rarefactionem. Vel potest fieri vis in hoc, quod dicit [*manente sua quantitate*.] vt sit sensus corpus manens in sua quantitate: ita quod non sit augmentata per additionem quanti, neque per multiplicationem, quod non crescit nisi per rarefactionem, quia illis tribus modis (vt videtur) est corporum augmentatio, scil. aut per additionem quanti, aut per multiplicationem, aut per rarefactionem.

¶ Ad hoc, quod sequitur: potest dici, quod opinio Hugon. fuit: quod hæc multiplicatio à solo Deo sit & inter opera mirabilia computanda. Vnde dicit, quod quando simplex materia, siue athomus simplex factus est, de nihilo aliquid factum est, quando vero idipsum simplex corpus in semetipso multiplicatur, & in plura excrescit, fit aliquid de aliquo in maius, quod licet mirabile videatur: maius tamen est de

nihilo

nihilo aliquid facere, quam de aliquo plus facere. Hoc modo operandi, de substantia costæ, diuina virtute in se: absque extrinsecco additamento multiplicata, corpus mulieris factum est. Et post quibusdam interpositis subiungitur. Non itaque costæ illi extrinsecus additum est aliquid: sed ipsa in semetipsa (diuina virtute operante) multiplicata est: quemadmodum postea naturam humanam à primis parentibus in subsequentem generationem seminatam à modico iam, intantum multiplicatam cernimus: vt multa hominum millia ex ea iam excreuisse videamus.

¶ Et hoc totum ad secundum opus pertinet, quando de aliquo fiunt aliqua in maius. In hoc ergo consentiunt illi, quorum prætacta est opinio, & Hug. cum Magist. Sententiarum, quod illud, quod seminatum est à primis parentibus, ad sequentem generationem non creuit, neq; creuit additione extrinseca, sed sui in se multiplicatione. Sed differunt in positione modi: quia Hug. ponit, quod illa multiplicatio est opus mirabile, & sola virtute diuina. Alij dicunt, quod est à natura & virtute data naturæ. Et forte possent hæ opiniones, quæ diuersæ videntur, concordari: si verba Hug. retorquentur ad conditionem originalem corporis primi hominis, in qua præter legem communem alijs corporibus inditam, potestas multiplicatiua sui, quæ est potestas mirabilis, fuit data eidem: vt ex congruentia prædicta potest supponi.

¶ Ad illud, quod postea obijcitur. Dicendum, quod huiusmodi propagatio est secundum cursum naturalem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod operatio naturæ limitata est. Dicendum, quod verum est: vnde & multiplicatio generis humani, & propagatio finita est. Nec videtur inconueniens aliquod sequi, posito quod actio esset infinita, concurrentibus causis superioribus, & inferioribus in actione illius: sed quia operatio naturæ, & maxime in propagatione humani generis est propter finem specialem, sc. multiplicationem electorum quantum ad quendam præordinatum numerum in diuina sapientia, illo numero adimpleto, iuxta nutum primæ causæ: cessabit efficacia actionis causarum illarum. Sicut enim scribitur in Lib. Fontis vitæ: causa, propter quam omnia facta sunt, est voluntas adinueniens omnia, quia motus, per quem fiunt omnia, alligatus est voluntati primi: sed voluntas agit secundum placitum volentis: ergo omnis creatura pro voluntate creatoris deficiet: non habens in ratione sua causam permanendi.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod sicut omnium constantium natura terminus est magnitudinis & augmenti: ita omnium constantium natura terminus est diminutionis & decrementi, vniuoce loquendo. Quia sicut est terminus in actu magnitudinis habentis formam & speciem: ita est terminus in actu decrementi & diminutionis habentis formam & speciem: forma enim hominis non saluaretur in corpore cuiusque magnitudinis, neque forma ignis. Vnde res naturalis quanta, existens in quacunque differentia, non est apta ad susceptionem cuiusq; formæ: sed *quantitas materiæ limitata est secundum exigentiam formæ*: & hoc est, quod dicit Philosophus. Omnium natura constantium. Si vero consideretur res quanta vt est quanta, non terminata sub forma finita aliqua, non est determinatus status eius, siue limitatus, neque à parte magnitudinis & augmenti, neque à parte diminutionis & decrementi. — Philos.

¶ Alii sunt opinionis contrariæ: ponentes illud modicum, quod decisum erat à primo parente, augmentari, ex exteriori substantia in illud transeunte: non autem fuisse auctum in se, & multiplicatum. Qui possunt respondere ad obiecta pro Magistro.

¶ Ad primum ergo pro illa parte dici potest, quod alimentum non totaliter emittitur per secessum. Vt enim habetur ab August. *aliquid de cibo, siue de alimento fæculentissimum redditur terræ ad aliquas formas assumendas, & fæculentissimum illud vocat stercora. Aliquid per totum corpus exhalat, scil. per fumositates & sudores. Aliquid totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem* (& vocat latentes numeros rationes, & distinctiones, quæ necessariæ sunt ad hoc, quod corpus perfectibile anima rationali sit in conuenienti harmonia — Aug. de vera relig.

& organizatione: quæ requiritur ad animæ susceptionem) *Aliquid mutatur in carnem.* Sic ergo secundum August. alimentum in quatuor diuiditur: quorum vnum inchoatur siue transit in prolem. Quod ergo dicit Dominus. Omne, quod in os intrat &c. non intelligit vniuersaliter: sed sub hoc sensu, de omnibus illis cibis aliquid in secessum vadit vtpote de cibis corporalibus pars fæculentissima. Vnde dicit Guimundus. *De cibis nostris corruptibilibus Physici, & Medici docent, dicentes: partem ciborum & potuum, quæ corpulentior & corruptior est, per secessum egeri: partem autem subtilitate vtiliorem, vi naturæ, per diuersas corporis partes distrahi, & in carnis materiam & sanguinis versum iri, partem vero aliam, subtilem quidem, sed minus vtilem, per partes corporis similiter transfusam, per poros euaporari: partem vero residuam neque tantisper subtilem, neque adeo vt post corpulentam, per fluxum narium, aut per sputa, vel quolibet simili modo non iactari.* Quæ si ita sunt, imo quia ita sunt, non igitur cibus omnis, qui vadit in ventrem, in secessum emittitur: sed id tantum dixit, & in ventrem in secessum emittitur, de parte videlicet cibi notissima loquens. ¶ Et similiter patet responsio ad authoritatem Bedæ. — Guimundus in lib. 2. de corpore Domini contra Berengarium.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum in homine diuidatur substantia corpulenta: quia quædam pars illius est de veritate naturæ humanæ: quædam nequaquam: quantum ad illud, quod fuit de veritate naturæ illius, quia hoc fuit illi proprium (& dico de veritate illius quantum ad veritatem quæ requiritur ad hoc quod saluaretur in esse proprio: non in suo simili) siquis educatus esset carnibus humanis huiusmodi, illæ essent reddendæ illi, in quo prius fuerunt: tanquam mutuo sumptæ ab illo: Ex hac ratione patet, quod in homine est veritas suæ naturæ duplex, s. illa, quæ requiritur ad hoc, quod persona saluetur in proprio esse, & quod saluetur in simili in specie.

¶ Quæritur ergo, posito quod illud veritatis, quo apperit generans saluari in sibi simili, non descinderetur per coitum, vtrum resurgeret in illo? Si non, ergo aliquid de veritate primi hominis non resurget, posito quod propagatio facta est per multiplicationem partis decisæ ab illo. — Dubitatio

¶ Si autem resurget in illo, ergo videtur, quod illud, quod proprie est, ad hoc, quod sit de veritate vnius personæ, in casu resurgere possit in alia: ergo cum nihil resurget in aliquo, quod non sit de veritate illius: nulla est prætacta distinctio.

¶ Ad hoc potest dici, quod non resurget in illo, neque in alio: quod patet sic. Ratio resurrectionis corporum est ordinatio eorundem ad animam rationalem, & non ordinatio cuiuslibet corporis ad quamlibet animam: sed corporis ad animam, sibi quadam indiuidua coniunctione sociatam: ex qua sortitur esse perpetuum, quale est corpus: cuius veritas est fundamentum fabricæ corporis humani: & quæ fulciuntur, quæ non habent esse fixum in corpore illo, sed fluunt, & refluunt: cuiusmodi est caro secundum materiam, & illa pars substantiæ, quæ est ad alium producendum in esse per generationem. Quia ergo veritas naturæ carnis, siue substantiæ, quæ est, vt sit principium alterius non habet esse fixum in corpore: cuius aliquo modo est pars nec est animæ indiuidua coniunctione sociata, ex coniunctione cum illa anima, quæ est perfectio corporis huiusmodi, non sortitur esse perpetuum: nec rationem resurgendi. Si ergo non fiat per generationem apta ad susceptionem alterius animæ, nec ex ordinatione ad illa sortiatur esse perpetuum, non resurget: Nec est inconueniens aliquam partem corporis Adæ, vt illam, quæ erat ad corpus producendum in esse, non resurgere. Et hoc etiam patere potest per hoc, quod semen decisum sufficiens ad prolem producendam, si fiat in coitu cum sterili, ex eo quod nunquam perficitur anima rationali, non resurget.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est intentio August. quod paruuli mortui debeant resurgere in perfectione corporali: quia fuerunt in semine deciso ab Adam secundum totalitatem molis corporalis actu, vel potentia (potentiã dico propter opinionem Magistri, ex qua sequitur, quod in illo fuerunt potentia) sed quia fuerunt in illo secundum seminariam rationem, secundum quam, siue cuius deter-

sub specie elementi: quod esse non potest, nisi iuxta congruentiam formæ fiat multiplicatio materiæ. Præterea materia secundum se considerata, est in termino simplicitatis: quod si sic est, non potest augmentari per rarefactionem, nec augeri per oppositionem: igitur nulla est eius augmentatio nisi per multiplicationem.

¶ PRÆTEREA, vbicunque est forma, cuius esse determinatur circa materiam quantam: materia diuisionem habet & extensionem. Hoc etiam patet: quia si consideretur materia sine omni forma, considerabitur: & sine omni extensione & dimensione prout consideratur cum forma, consideratur in maiori quantitate iuxta exigentiam formæ: natura autem ignis ad salutem suæ speciei minus requirit de materia, quam natura aeris, & natura aeris quam aquæ, & aquæ quam terræ. In animabus autem & angelis secundum Damas. & alios est ponere materiam, quæ quidem materia illius est dimensionis: quia extensio materiæ, qua locum occupat, non est à se, sed à sua forma, eam extendente: & ideo si tota materia vniuersi posset esse sine forma extendente eam: vt est forma in spiritibus, non occuparet locum, nisi punctalem, vt spiritus. Vnde videtur dicendum, quod materia multiplicabilis est naturaliter iuxta congruentiam formæ, cuius est materia, & potestatem huius multiplicationis dicimus esse in natura elementari, & virtute lucis. Cum autem augmentatio per additionem & rarefactionem data est* minimæ naturæ corporali, & nobilissimæ naturæ, quare non est data virtus augmentandi per multiplicationem.

*Alias, infimæ.

¶ DICIMVS ergo secundum hanc opinionem, quod in semine deciso à parentibus ad procreationem prolis est duplex natura. Quædam est ad illud, quod requiritur ad partes secundum naturam, & illa habet virtutem augmentatiuam per susceptionem nutrimenti. Quædam ad illud, quod requiritur ad partes secundum speciem: & illa habet virtutem augmentatiuam per multiplicationem. Quantum igitur ad illud, quod in nobis est partium secundum speciem, descendimus à primo homine per multiplicationem ipsius naturæ. Quantum ad illud, quod est in nobis secundum materiam, nequaquam.

¶ Si obijciatur, quod semen est ex superfluo cibi vltimi secundum Philosophum: Responderi potest, sicut supra tactum est. Vel potest dici, quod hoc intelligitur quantum ad illud, de quo sunt partes secundum materiam: non de quo sunt partes secundum speciem.

Artic. immediate præced. in respon. ad 1.

¶ AD illud, quod primo obijcitur in contrarium. Dici potest, quod tenera licet ad propagationem grani ex grano requiritur subintratio humoris, vt tactum est: similiter in propagatione generis humani ex primo homine requiritur subintratio alimenti, vt fiat multiplicatio & augmentum partium secundum materiam per nutrimenti subingressum, & fomentum partium secundum speciem. Vnde propter duo necessaria est attractio alimenti, scilicet vt sit materia partium secundum materiam, & fomentum partium secundum speciem: quæ multiplicantur, & augmentantur ex portione substantiæ generantis decisæ in generatione.

In principio Resol. huiusce Artic.

¶ AD aliud, quod sequitur, scil. quod opus multiplicationis est à solo Deo. Dicendum, quod hoc intelligitur, vbi res multiplicabilis nulla substantia coniuncta, vel communicata, aliquo modo multiplicatur, vt erat in multiplicatione panum Matth. 14. similiter in formatione Euæ de costa Adæ. Vnde multiplicatio lucis, quæ est substantia secundum August. nulla ei coniuncta substantia posset esse, nisi à solo Deo, vt si esset vacuum circa corpus solare, credo quod lux solis non posset se multiplicare per naturam, nec posset fieri nisi à prima potentia, potest autem lux multiplicare se, coniuncta illi substantia apta ad susceptionem huius multiplicationis. Similiter potest dici in proposito: nisi illi parti, quæ est de vera substantia patris, esset aliqua substantia coniuncta, s. substantia alimenti ministrantis fomentum eidem, quod non multiplicaretur, nec posset etiam multiplicari nisi à solo Deo.

Matt. 14.

Sic videtur posse dici de multiplicationibus, habentibus esse completum per aliquam formam determinatam. De re autem completa, vt quæ caret forma complente, vt de prima materia, in ratione, qua prima: potest dici primo quod illa est multiplicabilis, iuxta quod requirit forma perficiens eandem.

¶ ET hoc videtur probabiliter posse dici à dispositione ordinatissima summæ sapientiæ: à prima enim potentia est creaturis, præditis virtute actiua, data potestas multiplicandi se, siue formas proprias in earum susceptibilibus: vt patet de quibusdam elementis. Similiter existenti in gradu extremo possibilitatis dari possibilitas apta ad suipsius multiplicationem a forma completa illius sine natura alia.

¶ ET hoc videtur congruere perfecto & ordinatissimo artifici, omnia ordine congruentissimo producenti in esse. ne à tanto artifice sic sit aliquid productum esse, vt forma naturali perficiatur, quod nullo modo natura perfici possit quod esset, si materia naturali forma perficienda, quæ inquantum est materia omnino simplex, & ita nulli formæ naturali apta, inquantum huiusmodi per naturam aliquam inferiorem multiplicari non posset, ita vt aptaretur ad formæ conuenientis susceptionem. Nec videtur dissonum rationi, quod carni primi parentis, quæ condita fuit, vt esset principium omnium sui generis, & ita diuinæ gereret imaginis rationem, quæ etiam in aliqua sui parte erat Deificabilis, scil. per gratiam vnionis cum Dei virtute, nec non etiam in multis partibus per glorificationem: data esset aliqua partibus prærogatiua naturæ quantum ad potestatem multiplicationis: cum hoc datum sit quibusdam creaturis incomparabiliter minoris dignitatis, quantum ad formas earundem. Vnde ponentes materiam simpliciter posse in esse naturaliter multiplicari, similiter & illud, quod erat decisum à primo parente, non videtur à ratione, siue à probabilitate deuiare. Non autem sic se habere assero: sed quadam congruentia conijciendo: ne videar dicto à tantis Doctoribus obuiare: ex quo non inuenio ab aliquo doctorum sanctorum dici contrarium.

¶ Si obijciatur contra hoc per verbum August. in fine: quod videtur asserere, quod nullum corpus augetur per multiplicationem: opponens contra Tertullianum, qui ponebat animam esse corpus, & commetiri se corpori maiori & minori sine aliqua sibi facta additione, & hoc explanat ponens exemplum de massa metalli, quæ aliquando dilatatur per tunsionem sine aliqua additione sibi facta: contra istam dicit Augustinus. *Quid absurdius, quam putare massam cuiuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse, dum tenditur, nisi decrescat ex altera, vel augeri latitudinem, nisi ea- situdine minuatur: aut vllum esse corpus, manente natura sua quantitate, quod vndique crescat, nisi rarescat?*

Aug. 10. sup. Gen. ad lit. in fine.

Idem August.

¶ Ex vltimo verbo hic posito videtur, quod absurdum sit ponere aliquid, manente quantitate, crescere: nisi rarescat: ex quo videtur, quod nunquam crescit aliquod corpus per sui multiplicationem.

¶ AD quod potest dici, quod August. loquitur secundum modum communem, quo res crescunt, siue efficiuntur maiores. Rei enim manentis in sua quantitate, i. cui nulla fit additio, non est alius modus crescendi secundum cursum communem, quam per rarefactionem. Vel potest fieri vis in hoc, quod dicit [*manente sua quantitate,*] vt sit sensus corpus manens in sua quantitate: ita quod non sit augmentata per additionem quanti, neque per multiplicationem, quod non crescit nisi per rarefactionem, quia illis tribus modis (vt videtur) est corporum augmentatio, scil. aut per additionem quanti, aut per multiplicationem, aut per rarefactionem.

¶ AD hoc, quod sequitur: potest dici, quod opinio Hugon. fuit: quod hæc multiplicatio à solo Deo fuit & inter opera mirabilia computanda. Vnde dicit, quod quando simplex materia, siue athomus simplex factus est, de nihilo aliquid factum est, quando verò idipsum simplex corpus in semetipso multiplicatur, & in plura excrescit, fit aliquid de aliquo in maius, quod licet mirabile videatur: maius tamen est de

nihilo aliquid facere, quam de aliquo plus facere. Hoc modo operandi, de substantia costæ, diuina virtute in se: absque extrinseco additamento multiplicata, corpus mulieris factum est. Et post quibusdam interpositis subiungitur. Non itaque costæ illi extrinsecus additum est aliquid: sed ipsa in semetipsa (diuina virtute operante) multiplicata est: quemadmodum postea naturam humanam à primis parentibus in subsequentem generationem seminatam à modico iam, intantum multiplicatam cernimus: vt multa hominum millia ex ea iam excreuisse videamus.

¶ Et hoc totum ad secundum opus pertinet, quando de aliquo fiunt aliqua in maius. In hoc ergo consentiunt illi, quorum prætacta est opinio, & Hug. cum Magist. Sententiarum, quod illud, quod seminatum est à primis parentibus, ad sequentem generationem non crescit, neq; creuit additione extrinseca, sed sui in se multiplicatione. Sed differunt in positione modi: quia Hug. ponit, quod ista multiplicatio est opus mirabile, & sola virtute diuina. Alij dicunt, quod est à natura & virtute data naturæ. Et forte possent hæ opiniones, quæ diuersæ videntur, concordari: si verba Hug. referantur ad conditionem originalem corporis primi hominis, in qua præter legem communem alijs corporibus inditam, potestas multiplicatiua sui, quæ est potestas mirabilis, fuit data eidem: vt ex congruentia prædicta potest supponi.

¶ Ad illud, quod postea obijcitur. Dicendum, quod huiusmodi propagatio est secundum cursum naturalem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod operatio naturæ limitata est. Dicendum, quod verum est: vnde & multiplicatio generis humani, & propagatio finita est. Nec videtur inconueniens aliquod sequi, posito quod actio esset infinita, concurrentibus causis superioribus, & interioribus in actione illius: sed quia operatio naturæ, & maxime in propagatione humani generis est propter finem specialem, scil. multiplicationem electorum quantum ad quendam præordinatum numerum in diuina sapientia, illo numero adimpleto, iuxta nutum primæ causæ: cessabit efficacia actionis causarum illarum. Sicut enim scribitur in Lib. Fontis vitæ: causa, propter quam omnia facta sunt, est voluntas adinueniens omnia, quia motus, per quem fiunt omnia, alligatus est voluntati primi: sed voluntas agit secundum placitum volentis: ergo omnis creatura pro voluntate creatoris deneret: non habens in ratione sua causam permanendi.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod sicut omnium constantium natura terminus est magnitudinis & augmenti: ita omnium constantium natura terminus est diminutionis & decrementi, vniuoce loquendo. Quia sicut est terminus in actu magnitudinis habentis formam & speciem: ita est terminus in actu decrementi & diminutionis habentis formam & speciem: forma enim hominis non saluaretur in corpore cuiusque magnitudinis, neque forma ignis. Vnde res naturalis quanta, existens in quacunque differentia, non est apta ad susceptionem cuiusq; formæ: sed *quantitas materiæ limitata est secundum exigentiam formæ*: & hoc est, quod dicit Philosophus. Omnium natura constantium. Si vero consideretur res quanta vt est quanta, non terminata sub forma finita aliqua, non est determinatus status eius, siue limitatus, neque à parte magnitudinis & augmenti, neque à parte diminutionis & decrementi. Philos.

¶ Alii sunt opinionis contrariæ: ponentes illud modicum, quod decisum erat à primo parente, augmentari, ex exteriori substantia in illud transeunte: non autem fuisse auctum in se, & multiplicatum. Qui possent respondere ad obiecta pro Magistro.

¶ Ad primum ergo pro illa parte dici potest, quod alimentum non totaliter emittitur per secessum. Vt enim habetur ab August. *aliquid de cibo, siue de alimento fæculentissimum redditur terræ ad aliquas formas assumendas, & fæculentissimum illud vocat stercora. Aliquid per totum corpus exhalat, scil. per fumositates & sudores, Aliquid totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem*, (& vocat latentes numeros rationes, & dispositiones, quæ necessariæ sunt ad hoc, quod corpus perfectibile anima rationali sit in conuenienti harmonia

Aug. de vera relig.

& organizatione: quæ requiritur ad animæ susceptionem) *Aliquid mutatur in carnem.* Sic ergo secundum August. alimentum in quatuor diuiditur: quorum vnum inchoatur siue transit in prolem. Quod ergo dicit Dominus. Omne, quod in os intrat &c. non intelligit vniuersaliter: sed sub hoc sensu, de omnibus istis cibis aliquid in secessum vadit vtpote de cibis corporalibus pars fæculentissima. Vnde dicit Guimundus. *De cibis nostris corruptibilibus Physici, & Medici docent, dicentes: partem ciborum & potuum, quæ corpulentior & corruptior est, per secessum egeri: partem autem subtilitate vtiliorem vi naturæ, per diuersas corporis partes distrahi, & in carnis materiam & sanguinis versum iri, partem vero aliam, subtilem quidem, sed minus vtilem, per partes corporis similiter transfusam, per poros euaporari: partem vero residuam neque tantysper subtilem, neque adeo vt post corpulentam, per fluxum narium, aut per sputa, vel quolibet simili modo non iactari.* Quæ si ita sunt, imo quia ita sunt non igitur cibus omnis, qui vadit in ventrem, in secessum emittitur: sed id tantum dixit, & in ventrem in secessum emittitur, de parte videlicet cibi nouissima loquens. ¶ Et similiter patet responsio ad authoritatem Bedæ. Guimundus in lib. 2. de corpore Domini contra Berengarium.

¶ Ad aliud dicendum, quod cum in homine diuidatur substantia corpulenta: quia quædam pars illius est de veritate naturæ humanæ: quædam nequaquam: quantum ad illud, quod fuit de veritate naturæ illius, quia hoc fuit illi proprium (& dico de veritate illius quantum ad veritatem quæ requiritur ad hoc quod saluaretur in esse proprio: non in suo simili) si quis educatus esset carnibus humanis huiusmodi, illæ essent reddendæ illi, in quo prius fuerunt: tanquam mutuo sumptæ ab illo: Ex hac ratione patet, quod in homine est veritas suæ naturæ duplex, s. illa, quæ requiritur ad hoc, quod persona saluetur in proprio esse, & quod saluetur in simili in specie.

¶ Quæritur ergo, posito quod illud veritatis, quo appetit generans saluari in sibi simili, non descinderetur per coitum, vtrum resurgeret in illo? Si non, ergo aliquid de veritate primi hominis non resurget, posito quod propagatio facta est per multiplicationem partis decisæ ab illo. Dubitatio

¶ Si autem resurget in illo, ergo videtur, quod illud, quod proprie est, ad hoc, quod sit de veritate vnius personæ, in casu resurgere possit in alia: ergo cum nihil resurget in aliquo, quod non sit de veritate illius: nulla est prætacta distinctio.

¶ Ad hoc potest dici, quod non resurget in illo, neque in alio: quod patet sic. Ratio resurrectionis corporum est ordinatio eorundem ad animam rationalem, & non ordinatio cuiuslibet corporis ad quamlibet animam: sed corporis ad animam, sibi quadam indiuidua coniunctione sociatam: ex qua sortitur esse perpetuum, quale est corpus. cuius veritas est fundamentum fabricæ corporis humani: & quæ fulciuntur, quæ non habent esse fixum in corpore illo, sed fluunt, & refluunt: cuiusmodi est caro secundum materiam, & illa pars substantiæ, quæ est ad alium producendum in esse per generationem. Quia ergo veritas naturæ carnis, siue substantiæ, quæ est, vt sit principium alterius non habet esse fixum in corpore: cuius aliquo modo est pars nec est animæ indiuidua coniunctione sociata, ex coniunctione cum illa anima, quæ est perfectio corporis huiusmodi, non sortitur esse perpetuum: nec rationem resurgendi. Si ergo non fiat per generationem apta ad susceptionem alterius animæ, nec ex ordinatione ad illa sortiatur esse perpetuum, non resurget: Nec est inconueniens aliquam partem corporis Adæ, vt illam, quæ erat ad corpus producendum in esse, non resurgere. Et hoc etiam patere potest per hoc, quod semen decisum sufficiens ad prolem producendam, si fiat in coitu cum sterili, ex eo quod nunquam perficitur anima rationali, non resurget.

¶ Ad aliud dicendum, quod non est intentio August. quod paruuli mortui debeant resurgere in perfectione corporali: quia fuerunt in semine deciso ab Adam secundum totalitatem molis corporalis actu, vel potentia (potentiam dico propter opinionem Magistri, ex qua sequitur, quod in illo fuerunt potentia) sed quia fuerunt in illo secundum seminariam rationem, secundum quam, siue cuius dete-

minationem supplebit Dominus, quod deficit ex parte molis. Vnde dicitur Lib. de Ciu. Dei. *Secundum hanc rationem profectò in resurrectione corporis detrimenta non timemus, sc. quia Dominus supplebit, quod deficit ex parte molis.* Vnde subiungitur in eodem c. *Creatori rerum, qui creauit omnia de nihilo &c.* vt supra.

Aug. 21. de Ciuit. Dei, c. 14. Ibidem.

¶ Ad aliud, quod sequitur: Dicendum, quod prædictam expositionem ponunt tenentes opinionem Magistri. Tenentes autem opinionem contrariam aliter exponunt scil. sic, materia generationis assimilatur filio egredienti de domo patris, quod sicut filius egrediens de domo patris, defert secum partem substantiæ patris, & illam accrescere facit, acquirendo, & addendo illi aliam, scil. acquisitam, sic semen partem substantiæ prolis secum defert, quæ augetur alimento conuerso in illud, siue addito illi.

In opponendo.

¶ Ad aliud, quod sequitur: patet responsio ex dictis: intelligitur autem August. de latenti in ratione seminali: secundum quam limitata est quantitas determinata ipsius prolis: iuxta illud Philosophi, *Omnium constantium natura &c.*

Philos. 2. de Anim. tex. con. 4. August.

¶ Ad vltimum dicendum, quod verbum August. est magis ad oppositum quam ad propositum, dicit enim. *Creatori rerum quomodo deesse posset, vnde adderet, quod addendum &c.* Ex quo liquet, quod necessaria ibi erit additio. Vnde, quod ibidem tangit Augu. quod moles giganteæ magnitudinis est in ratione modica, non dicitur, quia in particula decisa à parentibus, sit illa magna moles potentia perducenda ad actum per sui multiplicationem: sed quia ratio seminalis cum illa particula est determinata ad magnitudinem tantam.

MEMBRVM III.

An ex corpore primi hominis propagata fuerint monstruosa hominum (quæ feruntur) genera.

DEINDE quæritur de veritate occasionata. Et quoniam veritas corporis potest occasionari dupliciter: vel per operationem erroris: vt in peccatis, & monstris: vel per debilitatem caloris: prout dicitur in Lib. de Animalibus: *quòd mulier est mas occasionatus*: de hoc secundo nihil ad propositum. De primo ergo agendum est, & ponatur quæstio, quã quærit August. Vtrum ex corpore primi hominis propagata fuerint monstruosa genera hominum: quæ gentium narrat historia: Et enumerantur ab Augu. ibidem dicente. *Perhibentur quidam vnum habere oculum in fronte media: quibusdam vtriusque sexus esse naturam, & dextram mammam esse virilem, sinistram muliebrem, vicibusque alternis inter se coeundo, & gignere, & parere: aliis ora non esse, eosque per nares tantùmmodo halitu viuere, alios staturæ esse cubitales, quos Pygmæos à cubito Græci vocant:* & alia monstrorum genera enumerantur ibidem. Ostenditur autem, quod huiusmodi monstra sunt propagata de corpore primi hominis: dicit enim August. ibidem. *Quisquis vspiam nascitur homo. i. animal rationale mortale quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, siue colorem, siue motum, siue sonum, siue qualibet vi, qualibet parte, qualibet qualitate natura, ex illo vno protoplasto originem ducere, nullus fidelium dubitauerit.*

Philos. Lib. 2. de Gener Animal. cap. 4. Aug. de Ciui. Dei li. 16. c. 8.

Idem ibi.

¶ Item, monstruosi partus apud nos in genere hominũ deputantur: ergo & monstruosæ gentes inter homines, q vult Aug. in eodem c. dicens. Qualis redditur ratio de monstruosis apud nos partubus: talis de mõstruosis quibusdam gentibus reddi potest. Sed constat: quod omnes homines ab vno: & inde vt prius.

Tom. 5.

¶ Præterea, Grammaticus aliquando scribit rectè, aliquando non rectè: medicus aliquando rectè, aliquando non rectè dat potionem: Sed siue sic, siue sic scribat, nihilominus ad Grammaticam pertinet: Ergo à simili siue rectè, siue non rectè propagatum sit aliquid ab humana natura, nihilominus ad naturam humanam pertinet.

¶ Contra, maior est similitudo (vt videtur) inter simias & homines, quam inter multa genera monstrorum quæ ponuntur in genere hominum, sicut ponit August. ponens quosdam sine ceruice oculos habere in humeris, & cynocephalos intra homines monstruosos, & dicuntur cynocephali, quorum canina capita, atque etiam ipse latratus magis bestias, quam homines confitetur.

Aug. 16. de Ciuit. Dei, c. 8. Vide in Serm. ad Fratres in Eremo. Sermo. 37. in fine. Tom. 10.

¶ Item, quod magis naturam bestiæ quam hominis confitetur, non distinguitur à bestijs specifica differentia: quod autem est tale, non pertinet ad propagationem factam ex Adam: tales ergo sunt cynocephali: ergo &c. ¶ Item, natura est vis insita rebus, ex simili simile producens: ergo corpora, quæ per naturam propagationis de corpore primi hominis producuntur, sunt illi corpori similia: talia autem non sunt corpora monstruosa: sicut illa, quæ vtriusque sexus naturam & membra participant, & sicut existentes sine ceruice, & habentes oculos in humeris: & sicut sunt cynocephali, & alia huiusmodi: ergo &c.

¶ Item, anima est actus siue endelechia corporis Physici organici potentia vitam habentis: corpus ergo huiusmodi est propriè susceptibile animæ, & perfectibile ab eadem & secundum diuersitatem animarum diuersorum generum & diuersarum dispositionum, sunt corpora perfectibilia ab eisdem: ergo nullum corpus habens organa aliqua similia in specie, vel eadem organis animalis irrationalis, est corpus perfectibile anima rationali. Sed omne corpus humanum secundum legem propagationis descendens à primo homine, est perfectibile anima rationali: ergo nullum corpus habens organum simile organo animalis irrationalis, descendit à primo homine. ¶ Item, nulla ratione dicendum esset corpus canis naturale, quod secundũ propagationem naturalem & consuetam, capite careret canino: vel quod haberet caput alterius animalis, vt leonis, vel ouis, vel simiæ: eadem ratione non dicendum est corpus humanum, vel quod secundum consuetam & naturalem propagationem caret capite, vel quod habet caput alicuius animalis irrationalis. ¶ Item, cum virtus & veritas corporis humani principaliter attendatur penes organa siue membra principalia, quorum vnum est cerebrum: videtur, quod nullo modo dicendum est, esse corpus humanum, quod caret capite, & si hoc: cum lege propagationis descendant omnia corpora à primo homine, nullum tale descendit ab ipso. Sunt enim quatuor membra principalia, scil. cerebrum, cor, hepar, & testiculi. Cerebrum, cor, hepar dicuntur principalia, quia conseruant rem speciei: testiculi quia conseruant speciem rei: quod autem caret capite, caret cerebro.

¶ Occasione autem prædictorum quæritur, per quam viam monstra procedere possint in natura humana: cum dicat Beatus August. in multis locis, nihil esse inordinatum in vniuerso.

RESOLVTIO.

August. assentiamur, monstruosa hominum genera ex vno Adam omnia propagata.

¶ Respondendum, quod sicut dicit Aug. *Quisquis vspiam nascitur homo. i. animal rationale & mortale &c.* vt supra. Et in eodem August. ait. *Illa, quæ talia de quibusdam scripta sunt, nulla sunt, aut si sunt, homines non sunt. Aut si homines sunt, ex Adam sunt.* Et narrat ibidem Augustinus, ad manifestationem huius, quod in tempore illo homo erat natus duplex in superioribus membris, & in inferioribus simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem vnus, & pedes duo sicut vni homini. Narrat etiam de quodam homine, qui quasi lunatas habebat plantas, & in eis binos tantummodo digitos, & manus similes. Et post dicit. *Sicut hi ex illo vno negari non possunt originem ducere, ita quæcunque gentes in diuersitatibus corporum ab vsitato naturæ cursu quem plures & propè omnes tenent, velut exorbitasse traduntur, si diffinitione illa includuntur, vt animalia rationalia sint, atque mortalia, ab eodem ipso vno primo patre omnium stirpem trahere confitendum.*

Aug. in opponendo. Idem in eod.

Idem.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur: quod maior est similitudo inter simias & homines &c. Dicendum, quod si sunt homines, qui ibi numerantur, non est verum Augu. enim relinquit indeterminatum, vtrum sint homines, vel non, dicens: omnia genera hominum, quæ dicuntur esse, credere non est necesse: Ponatur ergo q illi, qui sunt sine ceruice, & habent oculos in humeris, & cynocephali hõies sint, maior est eorũ conuenientia cũ hominibus habẽtibus

perfecti-

perfectionem & decentem organizationem membrorum, quam simiæ: licet forte quantum ad dispositionem exteriorum organorũ simia videatur esse similior: vt enim vult Aug. in his monstris, licet videatur aliquid mirabile ex inconsuetudine & raritate indecentiæ alicuius partis; plura tamen sunt ibi secundum naturam rectam ordinata: dicit enim ibid. *Apparet tamen quid in pluribus natura obtinuerit, & quid sit ipsa raritate mirabile.* *Nec videtur mihi verum, nec verisimile, quod huiusmodi animalia sine ceruicib. siue capitibus sint homines: nisi aliquod organum sit in corpore illorũ, quod quantum ad virtutem, & opera vicem capitis gerat.* Similiter non videtur mihi verisimile, q cynocephali, si sint homines, habeant omnino capita similia capitibus canum, & quod omni mode caninos latratus emittant, sed potius q ex indecentia & turpi capitis dispositione quodammodo capita canum repræsentant: eo modo, quo quandoq; dicitur q aliquis habet vultũ cati, vel simiæ, quia indecens dispositio partium vultus, deformitatem vultus simiæ, vel cati repræsentat: sic videtur mihi de latratu eorum, scilicet, quod dicuntur emittere latratus: non quia omnino latrent, vt canes: nec aliam habeant loquelam sed habent modum loquelæ siue pronunciationis, latratui aliquo modo consimilem.

Aug in li. 16. de ciui. Dei cap 8.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod animal, q magis cõfitetur naturam bestiæ quam hominis; non differt à bestia differentia specifica, &c. Dicendum, quod (sicut habetur ab Aug.) plura sunt in talibus, quæ ordinata sunt secundum naturam rectam, siue non errantem: pauciora ex raritate mirabilia. Vnde & si in aliquo sit aliquid quod propter suam raritatem magis confiteatur nomen bestiæ quã hominis, & in pluribus magis naturam hominis quam bestiæ: potest differre differentia specifica, & ita sunt in talibus, si homines censendi sunt.

¶ AD aliud, quod sequitur. Dicendum, quod in talibus monstris natura producat simile quantum ad ea, quæ sunt substantialia rei speciei: licet dissimile quantum ad quid aliud scil. quod non est de necessitate rei speciei. Natura n. dicitur producere simile ex simili: siue producat marem, siue fœminam de viro: hæ n. differentiæ non ponunt differentiã rerum sdm speciem. Vt n. vult Philos. vbi supra, *mulier est mas occasionatus*: & etiam quia natura producit huiusmodi ex mare & fœmina: non omnino est dissimile, quod de eis producitur, cum andrugynus in esse propagatur. Vel potest dici, supra dicta ratio conuenit naturæ agenti sine errore: quod non accidit in monstrorũ productione. Vult autem August. huiusmodi homines esse de primo, & denominari viros à sexu principaliori: vt patet 16. de ciuit. Dei. cap. 8.

Philos.

¶ AD aliud, quod sequitur. Dicendum, quod est quædam dispositio organorum exteriorũ, quæ attenditur in lineamentis talibus vel talibus, & quantum ad hanc potest esse similitudo inter homines & bruta: vt patet de vrso, qui excoriatus habet membra exteriora valde membris hominis similia: & de porco dicitur, quod habet intestina in simili dispositione cum intestinis corporis humani: imo etiam inter homines & plantas est organorum exteriorum similitudo: sicut patet de mandragora. Et est dispositio interior, quæ attenditur in conuenientia & congruitate numerorum & harmoniæ corporis harmonici ad animam, & quantum ad hanc dispositionem secundum differentiam animarum est diuersitas dispositionum ipsorum organorum: Nec habent homines & bruta quantum ad huiusmodi dispositionem organa similia: non n. requiritur diuersitas multa, quantum ad dispositionẽ exteriorem inter membra hominum & brutorum quorumlibet, etiam quantum ad principalia membra: cuiusmodi sunt, cerebrum, cor, hepar, & testiculi: vt patet in multis.

¶ AD aliud dicendum, quod non est simile de corporibus irrationalium & rationalium quantum ad rationem, & causam exitus monstruosi: plures n. sunt rationes, quare congruit corpora creaturarum rationalium esse monstruosa, quæ non congruunt irrationalibus. Vna est deordinatio peccati: quod enim inter res corporales homo deordinat se per peccatum, quod non faciunt bruta animalia: propterea de diuina iustitia est, quod in pœnam deordinationis, & deformationem culpæ, deordinationem & deformationẽ incurrunt in corpore, vt dicere possint illud Augustin. QVOD patimur, peccata nostra meruerunt. Alia ratio est pulchritudo vniuersi: vnde Augustin. *Deus creator est omnium: qui vbi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipsemet nouit: sciens vniuersitatis pulchritudinem, quarum partium vel similitudine vel diuersitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam cui congruat, & quo referatur, ignorat.* Et hoc est, quod dicitur 11. de ciuit. Dei. cap. 18. *Sicut contraria contrarijs opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam, non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur.* Aptissimè hoc positum est in Ecclesiastico hoc modo, *contra malum bonum est, & contra mortem vita*, &c.

Aug lib. 16. de ciuit. Dei. cap. 8.

Aug. 11 de ciuit. Dei

Ecclesi. 33.

¶ SI obijcitur, quod eadem ratione monstra in brutis & plantis essent ad decorem vniuersi. Dicendum quod non: quia penes quæ principaliter consistit pulchritudo vniuersi, sunt creaturæ rationales. Vnde illorum opposita, ex quibus ipsæ creaturæ rationales magis fiunt commendabiles, & pulchritudinis maioris, maximè sunt ad decorem vniuersi. Præterea, decor iustitiæ, quæ apparet in talibus; comparatur decori prouenienti ex ordine oppositionis.

¶ TERTIA ratio est cautela contra errorem: ne scilicet crederent aliqui, monstra, quæ inter nos accidunt, errore perfecti opificis contigisse. Vnde August. *Si homines sunt, de quibus illa mira conscripta sunt; quid si propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monstris, quæ apud nos patet ex hominibus nasci, eius sapientiam, quæ naturam fingit humanam velut artem cuiuspiam minus perfecti opificis putaremus errasse?* Non itaq; nobis videri debet absurdum, vt quemadmodũ in singulis quibusq; gentibus quædam monstra sunt hominum, ita in vniuerso genere humano quædam monstra sunt gentium.

Aug. li. 16. de ciuit. Dei. c. 8.

¶ AD illud, quod sequitur, patet responsio ex dictis supra, quod (vt dictum est) animalia sine ceruicibus siue capitibus non sint homines: nisi aliquod organum sit in corpore illorum, quod quantum ad virtutem & opera vicem capitis gerat.

¶ AD vltimum dicendum, quod duobus modis potest fieri mõstrum in natura, vel peccatum, sc. vel ex improportione virtutum coniunctarum ad materiam. Et hoc manifestatur sic: determinatum est percutiẽti chordas in cithara, in quo minori non potest chordas percutere. in Lib. de Cœlo & mundo virtuti etiam mouenti primum mobile secundum Philosophos determinatum est; in quo minore non potest mouere totum corpus, & etiam determinatum est ei, quod si moueret minus corpus, in tempore minori moueret, & si maius, in maiore. Vnde determinata est proportio mouentis ad mobile primum. Similiter determinatum est à natura vniuersali, quod virtus naturæ particularis in tempore tanto potest mouere hanc materiam. Similiter determinata est materia secundum magnitudinem, vel paruitatem, in qua magnitudine vel paruitate erit proportio virtutis mouentis ad materiam motam. Si ergo diminuatur, aut augmentetur, quantitas; cum iam in materia non sit proportio, iam erit improportio virtutis mouentis ad materiam motam. Sed proportio virtutis ad materiam est causa, cur natura operatur rectè: ergo improportio erit causa erroris: improportio autem potest esse; quia materia potest augeri, vel minui: si augetur, monstrum est: si diminuitur, peccatum dicitur.

2. Col. text. 39.

¶ ALIA ratio est: si non mouet natura inferior nisi per influentiam virtutis naturæ superioris vel cœlestis; neque virtus naturæ inferioris agentis intra sufficiat admouendum materiam: sed fit vnum mouens ex virtute mouentis intra, & virtute cœlesti, quæ influit: & hoc est mouens sufficiens: quod est compositum ex illis duabus naturis: & etiam hoc habet mouere, quotiescunque aliquid fit in natura, &c. Et tunc oportet, quod sit proportio illarum duarum virtutum inter se, & harum coniunctarum ad materiam. Similiter multipliciter erit proportio, quia à parte materiæ, & à parte harum virtutum coniunctarum ad materiam. Cum n. sit possibilis proportio inter virtutes, similiter & improportio: corpus n. superius, siue stella aliqua in tali positione tantam influit vir-

rinem, & in maiori approximatione maiorem, & in minori minorem: Sed si determinata est virtus, quæ est proportionalis huic virtuti ad hunc effectum: ergo cum aliquando possit esse plus de virtute; nihilominus tunc possibilis est *proportio virtutum inter se. Si autem sit superfluitas in materia; virtus super eam non poterit. Si diminutio, effectus non producitur ab ipsa. Hæc tamen omnia & si lateant nos, cur Dominus hoc producit: tamen augent pulchritudinem vniuersi: sicut determinat B. August. vt supra tactum est: vnde ex ipsis non prouenit aliqua inordinatio in vniuerso.

* Alias, improportio. | Aug. in li. de ciuit. Dei.

QVÆST. LXXX[redacted].

De dignitate corporis humani.

In quatuor Membra diuisa.

QVÆRITVR de dignitate, & nobilitate corporis humani. Et quoniam hæc nobilitas est quo ad quatuor, scilic. quo ad compositionem, quo ad habitus exterioris dispositionem, quo ad vnionem, quo ad locationem. Ideo de his quæritur: Primo de compositione corporis humani. Secundo de dispositione quo ad rectitudinem habitus. Tertio de vnione quo ad animam rationalem. Quarto de loco eius.

MEMBRVM I.

An corpus humanum compositum sit.

Pri. los. 2. Cœl. 67.

QVO ad primum proceditur sic. Dicit Philosophus de cœlo & mundo, quod stellæ multæ sunt in cœlo propter multitudinem operationum: ergo à simili inferiora corpora, & maximè corpus humanum, propter multitudinem operationum multiplicitatem habebit organorum: ergo maximè cōpositum erit corpus humanū, anima sn. rationalis plures elicit operationes à corpore humano, q̃ aliqua alia forma. ¶ ITEM, ars imitatur naturam in quantū potest, sed ita est in arte, quod secundum diuersitatem operum requiritur diuersitas instrumentorum: ergo & natura, quam imitatur ars; ita est, quod quanto plura elicit genera operationum: tanto pluribus vtitur organis: anima autem humana est motor per naturam corporum in elitione generum operum diuersorum: ergo &c. ¶ ITEM, corpora secundum quod propriora sunt ad formas nobiliores, maiorem habent partium diuersitatem: sicut patet: elemēta non habent distinctionem partium secundum speciem, quælibet enim pars est ignis. plantæ habent, sed non tantam, quantam sensibilia: igitur cum anima rationalis sit forma nobilissima, corpus perfectibile illa, maximam habet diuersitatem partium: & ita est compositissimum.

¶ CONTRA, trinitas in rebus; penes quæ attenditur vestigium creatoris earum, scilicet, essentia siue substantia, virtus, & operatio. Sed quanto aliquid est simplicius essentia, tanto est multiplicius virtute, & quanto est multiplicius virtute; tanto multiplicius operatione (quod enim magis abundat virtute; plures potest elicere operationes) ergo simplicitati rei attestatur multiplicitas operationum: ergo propter multiplicitatem operationum non requiritur multiplex compositio in eo, quo fiunt operationes, & ita vt prius. ¶ ITEM, simplicitas attestatur nobilitati. Vnde summè nobile est summè simplex, & minus nobile minus simplex: cum ergo corpus primi hominis & aliorum hominum consequēter in genere corporum sint nobilissima, videtur quod sint simplicissima: ergo neque corpus primi hominis, neque corpus humanum est compositissimum. ¶ ITEM, genera animalium imperfectissima maximè abundant organis: ergo nobilissimum in genere animalium & perfectissimum dicitur minimè abundare organis: ergo pauca debet habere organa ad eliciendū opera sua. ¶ ITEM nobilitati intelligentiarum ascribitur; quod ipsæ faciunt per vnum, sc. intelligunt, & sentiunt virtute intellectiua: quod homo facit per plura, & ita vt prius. ¶ PRÆTEREA, si propter multiplicationem operationum requireretur multiplicitas in corpore humano: ergo cum in sole sint multiplices operationes, sol esset corpus multiplex, & eo compositius, quo plures operationes ab ipso egrediuntur. Et hæc ratio confirmatur per Diony. dicentem: *Sol sensibilium essentias & qualitates, & quidem multas & discretas existentes: tamen ipse vnus ens. & vniformis illuminans lux, renouat, & custodit, & perficit, & discernit, & renouat, & fœcunda facit, & auget, & mutat, & collocat, & plantat, & remouet, & viuificat omnia.* ¶ ITEM, in cœlo sunt diuersæ partes, & secundum illuminationē, & secundum situm, & diuersæ operationes secundum diuersas influentias: nec dicitur cœlum esse corpus compositum, imo simplex: ergo propter diuersas operationes non requiritur compositio in corpore humano. Et hæc ratio confirmatur per Basilium dicentem: cœlum esse quintam naturam simplicem corporis, & esse aliquid præter naturam elementorum.

Diony. de diui. nom. cap. 5. | Basil. Hexamer. 1.

RESOLVTIO.

Quinimo compositissimum est inter omnia corpora: idq; præcipuè propter multiplicem eius animæ operationem.

¶ AD hoc dicendum, quod corpus primi hominis, & generaliter corpus humanum est compositissimum inter omnia corpora, & conueniebat propter multiplicem actionem ipsius animæ, quæ tamen elicitur, siue exercetur mediante motu, qui est ab anima; tamen qui est ad animam. Cum enim anima sit omnium similitudo: vt dicitur in Lib. de spiritu & anima, & quandam gerens Dei imaginem: ex hoc quod in Deo est multitudo idearum, in anima multiplicitas virtualis, quam exercet mediante corpore; necessario requiritur, quod in illo sit multiplicitas partiū consimilium & organizatarum: vt sit conformitas inter motorem & mobile: sicut ex altera parte est conformitas inter imaginem, & illud, cuius est imago. Hoc patet ex motu in rebus extra animam: habet enim recipere sensibilia diuersorum sensuum, in quorum apprehensione opus erat multiplicitate organorum; quibus apprehensis, anima mouetur. Et est exemplum Gregor. Nazian. dicentis. *Mens per oculos ea, quæ extra corpus sunt, apprehendit: & in se similitudines apparentium pertrahit, figuras similium sibi ipsa describens: & quemadmodum si qua ciuitas multitudinis capax, quæ diuersis aditibus ad se recipit confluentes: non tamen in vnum ciuitatis locum vniuersi cōueniunt, sed alij ad forum, alij ad habitacula sua, alij ad Ecclesias & plateas iuxta suam quisq; sententiam properant. Talem quodammodo nostræ mentis ciuitatem cōsidero interius constitutam, quam licet sensibus nostris diuersis aditibus impleant; tamen singula introeuntium genera mens eadem diiudicans & discernens, locis intelligentiæ congruis vniuersa disponit.* Vnde patet, quod si tantum simplex esset natura corporis, non esset organum congruum animæ, neque quo ad apprehensionem, neq; quo ad motum, siue operationem. ¶ ITEM, sicut ponunt notis in medicina, tres sunt cellulæ deseruientes viribus cognitiuis, sc. phantastica, logistica, & memorialis. Phantastica cellula est in anteriori parte capitis, in qua sedem sua habet imaginatio. Logistica cellula est in medio, in qua sedem suam habet ratio. Memorialis cellula est in posteriori parte capitis, in qua sedem suam habet memoria. Et habetur à Damascen. quod organum imaginatiuæ est ventriculus cerebri anterior, & excogitatiuæ est medius ventriculus cerebri instrumentum, & animalis spiritus, qui est in ipso, & memoratiuæ est organum posterior ventriculus cerebri, spiritus animalis, qui est in illo. Similiter ipsi intellectui operanti deseruit aliquod organum coporale, quod patet ex Philosopho dicente, quod corrumpitur intellectus, id est, actus siue operatio intellectus, interiori quodam corrupto.

Gregor. Naz. in libro de imagine.

¶ PRÆTEREA, hoc idem patet ex motu, qui est ab anima: secundum quod determinatur in alia Philosophia, sc. in Ethicis: Primo quod est motiua rationalis imperans & non imperata: vt liberum arbitrium, siue intellectus practicus, sc. quæ alijs omnibus motiuis imperat, & à nulla sibi imperatur. Alia aūt est motiua, quæ subiecta est rationis imperio, cui ét alia vis subijcitur: sicut concupiscibilis & irascibilis, quibus subiecta est vis sensibilis, & sita in musculis & lacertis: sicut dicit Auicenna: quæ exequitur imperata à mo

tantũ motiuis superioribus: vnde executio imperij motiuarum organa requirit. Et ita quo ad motus, qui fiunt ab anima & ad animam, necessaria sunt corporalia organa, & hoc hoc pp multitudinem actionum, quæ mediantibus potentijs animæ exercentur. Multitudinis aũt actionis huiusmodi duplex est causa, sc. animæ immaterialitas, & virtutũ diuersarum substantialis identitas. De primo dicitur in Lib. Fontis vitæ, vbi dicitur: quod quãto substantia aliqua magis est immunis à materia, tanto plurium operationũ est effectiua. Immaterialitas aũt huius patet sic: multiplex n. est forma: quædã n. formæ perficiunt partes, & totũ similiter: ita quod partes denominantur à perfectione totius: cuiusmodi sunt formæ elementorum. Et denominantur partes à perfectione propter defensionẽ materiæ & partium eius: vnde quia tota perfectio, quã dat forma, est in qualibet parte materiæ: ideo dicitur, quod quælibet pars ignis est ignis: ita de alijs elementis. Vnde forma huiusmodi cõmunicat actum & cõplementum in genere suo partib. suis, siue operationem, & determinationem, vt dictum est. Et huiusmodi forma, quia maximè est materialis, & distensa sdm distensionẽ suæ materiæ, nõ requirit distensionẽ partium sui perfectibilis. Aliæ sunt formæ minus materiales: vt quæ non habent distensionẽ in materia; neq; distenduntur sdm distensionem suæ materiæ: cuiusmodi sunt anima vegetatiua in plantis, sensitiua in brutis, & anima rationalis, siue intellectiua, quarum minime immaterialis est vegetatiua: magis sensitiua: maxime intellectiua. Quod sic patet: anima vegetatiua perficit totum & partes suæ materiæ, sed dissimiliter: perficit n. totum, dando illi actum suum, influendo ei vitam & cõplementum generis sui, partib. aũt communicat actum, sed solum in potentia, partes n. plantæ viuunt; non tñ pars plantæ est planta actu; sed solum in potentia. Anima aũt sensitiua perficit totam materiam suã & partes; sed dissimiliter: toti n. cõmunicat actum & complementum, sed partibus communicat actum, non tñ omnibus: non n. oẽs partes animalis sentiunt, sicut nec ossa, nec vngula, & huiusmodi: nec partibus communicat cõplementum nec actu, nec potentia: pars n. animalis non potest fieri animal: sicut pars plantæ plãta. (Et eloquitur de partibus, quæ propriè sunt partes: vnde membra, quæ diuiduntur per membra consimilia, & officialia: pars n. plantæ abscissa efficitur planta: pars aũt animalis nunquam.) Magis aũt materialis est vegetatiua, quæ cõmunicat partib. plantæ vitam & potentiam propinquã ad complementum, quã sensitiua, quæ neq; omnibus partibus cõmunicat sensum, & nulli sensibilis parti complementum, neq; actu, neq; potentia. Alia autem est rationalis, siue intellectiua; quæ nec communicat partibus actum, nec complementũ, siue operationem, quia nec pars eius materiæ est homo: nec pars intelligit, & sic patet, quod hæc forma est minimè materialis. Anima ergo rationalis principatum tenet inter formas. & plus elongatur à natura materiæ siue materialitate: vnde ipsa est forma nobilis, & multarum operationum principium, & propter hoc necesse est esse multas operationes in partib. corporis, cui vnita est, vt quibus mediantibus multiplices eius potentiæ progrediantur in actus suos. ¶ ITEM, alia causa est virtutum substantialis identitas, multæ enim virtutes sunt in eadem substantia, sc. animæ rationalis. Hoc autem patet per hoc, scil. quod vegetatiua, sensitiua, & rationalis non differunt in substantia in homine: vna est anima, scil. rationalis, indifferens in substantia à vegetatiua, & sensitiua, à qua est vegetatio, & sensificatio in homine. Vnde distinctio, quæ est in plantis ab anima vegetatiua: licet enim ab anima vegetabili non sit distinctio in plantis per organa, est tamen distinctio quædam partium gerentium officia quorundam organorum (secundum quod dicit Philosophus, quod radices sunt ori similes) & distinctio quæ est in brutis per organa à sensitiua, sunt in homine ab anima rationali, quæ vnica est in homine: cuius partes, vel potentiæ sunt sensitiua, & vegetatiua, & præter has distinctiones addita est alia, quæ attenditur penes interiora organa, & motiua: vt patet ex dictis.

¶ DICENDVM ergo est, quod corpus primi hominis, & generaliter corpus humanum cõpositissimum est, quia cum anima sit plurium effectiua operationum, quas sine corpore vt instrumento illius exercere non possit, necesse est corpus esse multiplicium organorum, vt multiplicitati potentiarum, & consequenter operationum ex parte motorum respondeat multiplex compositio, siue organizatio. De hoc supra tactum est, vbi determinatum est, si corpus primi hominis erat ex quatuor elementis.

¶ AD illud ergo, quod primo obiectũ est. Dicendum, quod nõ requiritur multiplex compositio in eo, quo fiunt operationes, vt eliciente primo, propter multitudinem operationum, nec aliud concludit ratio prima: tamen requiritur multiplex compositio in eo, quo fiant in organo, & ex parte animæ non requiritur multiplex compositio, sed ex parte corporis.

¶ AD aliud dicendum, quod cum forma nobiliter materiam per eius informationem & completionem, materia censenda est magis & minus nobilis ex eius aptitudine ad formã nobiliorẽ, & minus nobilẽ, corpus autem humanũ neptum esset perfici anima rationali, nec abundaret organis in conuenienti harmonia, & numero virtutibus siue potentijs animæ respondentibus. Quod ergo dicitur, quod simplicitas attestatur nobilitati eiusdem, intelligitur de illis, quorum substantia separata est à materia corporali, cuiusmodi sunt anima, & angelus, & etiam primum principium.

¶ AD aliud dicendum, quod non quæcunque multitudo organorum attestatur imperfectioni animalium, sed illa, quæ est organorũ eorundem in specie: sicut vermium imperfectioni attestatur multitudo pedum.

¶ AD aliud dicendum, quod secus est de anima, & de angelo, anima n. de sua cõditione nata est, vt sit corporis talis actus, siue perfectio, & motor. Vnde non requiritur solummodo conuenientia proportionalis corporis ad animam, quæ est perfectibilis ad suam perfectionem, sed quæ est mobilis ad motorem. Quia ergo anima habet diuersos motus exercere, corpore mediante, & hoc secundum distinctionem suarum virium, siue potentiarum: oportet ipsum corpus varietate partium organizatarum distingui; quæ ipsis potentijs deseruiunt in electione suarum operationum: Non sic est de angelo, qui actus proprios, scil. intelligere, sentire, & huiusmodi sine instrumento corporali natus est exercere: Vnde sicut innatum est angelo, qui est omnino spiritus separatus à corpore in vltima simplicitate, quæ conuenit creaturæ, existens, vnita potentia indistincta per essentiam sentire, intelligere: sic animæ rationali, quæ est actus, & motor corporis, huiusmodi potentijs diuersis ad diuersa organa aptans, operationes suas exercere. Vnde sicut simplicitas attestatur nobilitati angelicæ: sic multiplicitas organorũ, quibus corpus humanum suo motori conuenienter deseruiat, illius nobilitati & dignitati.

¶ AD aliud dicendum, quod sol habet vnam essentialem operationem, sc. lucere: cum multæ sint eius accidentales operationes per relationem ad materiam, quas exercet in diuersis materijs, & secundum hunc modum loquitur Dionys. ibidem, cum dicit: *Sol sensibilium essentias, & qualitates, & quidem multas & discretas existentes; tamen ipse vnus ens, & vniformis illuminans lux, renouat, & nutrit, &c.* Ex hoc verbo videtur, quod actus illius proprius est vniformiter lucere, siue illuminare, & ex illo actu vniformi in se relinquuntur multæ operationes consequentes, quæ ibidem enumeratæ sunt. Dionys.

¶ AD vltimum dicendum, quod cœlum, prout vnum est, vnam habet essentialem operationem, & vnum motũ, qui est æqualis: tamen secundum quod in cœlo sunt diuersæ partes secundum distinctionem sphærarum, in sphæris diuersis possunt esse diuersæ operationes: sicut probat Auicen. ostendens æqualitatem motus in cœlo quo ad se, & tamen sunt diuersi motus in cœlo propter diuersas rationes: sicut probat Auic. 11. & 12. cap. de cœlo & mundo. Auicen.



abiecta pusillitas. *Inter cælestia, vt ibi semper habeat animam:* vnde Bernard. *Erubesce anima, diuinam in pecorina commutasse similitudinem: erubesce volutari in cœno, quæ es de cœlo:* Et sequitur. *Quærere & sapere quæ sunt super terram, curuitas est animæ: è superna regione meditari, & desiderare quæ sursum sunt, rectitudo.* Huius autem rectitudinis vestigium est in erectione corporis: vnde Poeta, vbi supra:

Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Et hoc dicit Augustin. *Corpus hominis solum inter animalium terrenorum: corpora non pronum in aluum prostratum est, cum sit visibile, & ad intuendum cœlum erectum.* Et infra. *Tale est, vt ad contemplandum cœlum sit aptius: magis in hoc ad imaginem & similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium merito videri potest.*

¶ Ad primum contra hoc obiectum. Dicendum, quod non tantum attestatur dignitati corporis humani habitus rectitudinis, sed erectionis: habitus autem rectitudinis erectæ indicat, ad quid conditum est corpus huiusmodi: signum enim est perfectionis eius, formæ nobilis & cœlestis, & aliorum, quæ supra tacta sunt; & appetitus beatitudinis obtinendæ in cœlo. Non sic est de de plantis, quæ licet rectæ sint: non tamen sunt erectæ, sed potius demissæ perfixionem partis; á qua habent vitam, & motum in terra: homo enim & planta in contraria positione se habent: propter quod homo dicitur arbor euersa. Vnde neque plantæ, neque corpora cœlestia, neque terrestria, cuiusmodi sunt lapides cuiuscunque generis, regulariter habent rectitudinem in illa potētia, quam habet corpus humanum: cuius habitus, & partium dispositio magnorum indicia sunt Sacramentorum. Dicit enim: Cassiodor. *Corporis hominis harmoniaca dispositio magnam nobis Sacramenta declarat.* Et statim manifesta illa Sacramenta, quæ propter prolixitatem videntur hic subiicienda.

¶ Ad aliud dicendum, quod (sicut habetur à Philosopho) *honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis expressæ per sermonem.* Vnde honor & laus referuntur ad aliquod bonum, vel dignum in ipso, qui honoratur, vel laudatur. illud autem bonum vel dignum potest sumi specialiter ad bonum vel dignum in genere morum, & sic intelligit Philos. dicens: *quod propter illud, quod est natura, non est aliquid laudabile.* Vel potest sumi bonum vel dignum communius, secundum extensionem ad ea, quæ sunt naturæ: sic laudabile est bonum, quod est à natura: magis tamen autor naturæ, qui, nulla creatura rationali cooperante, talia producit in esse. Vnde dignitas corporis humani ex nobilitate sui habitus non est laudabilis, secundum quod laus refertur ad bonum vel dignum in genere modis secundum autem quod ad bonum communiter sumptum, est vtique.

¶ Ad aliud dicendum, quod bene manifestatur signū in corpore rectitudinis spiritualis deperditæ, cum enim rectitudo sit motus animæ in Deum: sicut determinat Beatus Dionys. anima, quæ non potest libere exercere operationes spirituales, sed voluitur ad creaturas, & delectatur in eis per condescensum ad corpus; bene prætendit in hoc signum rectitudinis deperditæ, quia cum constet animam creatam fuisse à Deo, & ita ratione suæ originis nullum habuisse vitium: constat ipsam à corpore sibi vnito fuisse corruptam: & rectitudinem, in qua condita fuit, amisisse. Et loquor de posteris primi hominis, qui contraxerunt corruptionem ab illo, cuius corporis conatio fuit obnoxietas in cinerationem; iuxta sententiam Domini. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et si dicatur, quod rectitudo corporalis debuit amitti in corpore: sicut spiritualis amittebatur in anima. Dicendum, quod non est verum: imo eo magis confundi debet anima, quia amisit suam rectitudinem, & corpus non suam, & per hoc etiam vlterius admonetur ad reuertendum in Deum: sicut dicit B. Bern. Præterea, cum primus homo post peccatum fuit reconciliatus Deo, & anima eius purgata à culpa, & imago Dei reparata: nullo modo deceret corpus deorsum inclinatum illi vniri. Cassiod. *Conuenit, vt de animæ templo, id est, corpore dicamus: quoniam illa imago Dei non patitur, vt corpori deformi coniuncta esse videatur.* Propter quod non decreuit diuina sapientia, à quo omnia decenter fiunt, hominem propter peccatum debere puniri corporis inclinatione.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod peccator est similis iumentis. Dicendum, quod hoc non est verum quantū ad corporis inclinationem, sed quātum ad mortalitatis necessitatem. *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur:* Et antecedit. *Dixi, in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs.* Hæc aūt est pœna conuenientissima corpori damnato propter peccatum: conueniens n. fuit, quod corpus primi hominis exequens opus inobedientiæ contra præceptum vitæ, & eius, qui dederat ei vitam per vnionem cum anima, eadem priuaretur, iuxta diuinum decretum. *Quacunque die comederitis, morte moriemini.* Præterea, dicitur peccator similis esse iumentis, propter impetum desiderij, & declinationem quasi brutalem ad illa turpia, quæ carni placent & in quibus delectatur. Et hoc est, quod dicit Bern. *Erubesce anima diuina, pecc.* &c. Et Basil. in Hexam. *Si tu te corporis voluptate fœdaueris,* &c.

MEMBRVM III.

Animam rationalem humano corpori vniri, vtrumquid eiusdem corporis dignitati quodammodo attestatur.

Tertio quæritur de dignitate corporis primi hominis, & generaliter cuiuslibet, quantum ostenditur ex vnione eius cum anima rationali. Circa quod arguitur sic. Non quælibet materia apta est ad susceptionem cuiuslibet formæ, sed quanto forma sit nobilior, tanto requiritur materia nobilior: ergo cum anima rationalis sit forma nobilissima, requiritur, quod perfectibile ab illa, sit nobilissimum in genere suo. ¶ Item, hoc etiā patet ex hoc ꝙ quando aliquid vnitur rei nobili, manifestatur eiꝰ nobilitas: vnde vnio animæ cum Deo attestatur eius nobilitati: ergo cum anima sit nobilissima formarū, vnio corporis cum anima attestatur nobilitati corporis. ¶ Item, finis est optimum in re, & cuius gratia alia: ergo in genere creaturarū finis est optimū, & ad quem vt ad eorum optimum alia referuntur, & etiam idem illum distinguuntur. Non n. vnumquodq; ad vnumquemq; finem ordinatur, sed cōparabilia ad illum. Vnde ex nobilitate finis ostenditur nobilitas eius, quod est ad finē. Ergo cum corporis Adæ, & generaliter omnium hominum finis sit beatitudo gloriæ, & hoc mediante coniunctione eorum cum anima: patet manifeste ꝙ vnio ista est nobilitatis eorū cum ostensiua. ¶ Item, Vnio, quæ maximè conformis est nobilissimæ vnioni: attestatur nobilitati vnibilium. Hoc patet, quia quod conformius est nobili, illud est magis nobile, sed vnio corporis cum anima maximè conformatur vnioni gloriæ, quæ est animæ cum Deo post illā summam vnionem, quæ est trium personarum in vna essentia: ergo hæc vnio attestatur nobilitati corporis vniti. Minor patet 2. Sent. dist. 1. vbi dicit Magister pro exemplo futuræ societatis, quæ inter Deum & spiritum rationalem in glorificatione perficienda erat; animam corporeis indumentis, & terrenis mansionibus copulauit: luteamq; materiam fecit ad vitæ sensum vegetare, vt sciret homo, quod si potuit Deus tam disparem naturam corporis & animæ in fœderationem vnam, & in amicitiam tantam coniungere: nequaquam ei impossibile futurum, rationalis creaturæ humilitatem, licet longè inferiorem; ad suæ gloriæ participationem sublimare.

¶ Contra, corpora cœlestia nobilioris sunt conditionis corpore humano: nec tamen sunt apta ad vnionem cum anima rationali: nec cum aliqua forma ita nobili: non ergo videtur, quod vnio corporis humani cum anima rationali attestetur dignitati illius. Probatio primæ: nobilius est illud corpus, quod est magis actiuum, quam illud, quod est passiuum: corpus aūt supercœleste maximè est actiuum & formæ suæ maximè vnitum, quia ibi tota forma terminat totum appetitum materiæ: corpus aurē humanum est maximè passiuum: nec in forma sua terminat totum appetitum suum: ergo dignius est corpus cœleste, quam humanum.

¶ Item,

Bernard. super Cant. | Ibid | Ouid. | August. | Cassiod. de anima. | Ethic. | Item lo. Philos. de ... Ex 1. Ethic. cap. 1. Dionys. | Gen. 3. | Cassiod. de anima. | Eccles. 3. | Gen. 2. | Bernard. Basil. | Mag. st. 2. Sent. dist. 1.

August. ¶ Item, vt habetur ab August. connexio corporis humani cum anima fuit opus mirabile, siue miraculosum. Dicit enim, *plenum fuit miraculo, quod tam diuisa & tam diuersa ab inuicem adinuicem potuerunt coniungi.* Et ratio huius est quantitas distantiæ inter limum terræ & spiritum vitæ. Vnde dicit ibid. *Tanta societas carnis & animæ, spiritus vitæ & limi terræ: ex horum autem mirabili societate ostenditur vilitas corporis humani:* Ergo hæc vnio non attestatur nobilitati eius, sed potius vilitati. ¶ Item, opposita iuxta se posita magis apparent: ergo defectus corporis humani ex positione iuxta animam, hoc est ex vnione corporis cum anima magis apparet: igitur illa vnio magis est indicium defectus in corpore, quam attestans nobilitati. ¶ Item, *vnio corporis cum anima rationali est opus plenum miraculo:* vt habetur Lib. de spiritu, & anima. In operibus autem miraculosis materia existit in sola potentia obedientiæ, & passiua ad susceptionem formæ. Vnio autem formæ cum materia tali non attestatur nobilitati materiæ: cum ipsa materia sit omnino indisposita ad illam formam: ergo &c.

Idem in lib. de spiritu & anima

Idem ibidem.

August.

RESOLVTIO.

Quinimo, quam maximè: si quidem ex hac vnione corpus humanum particeps efficitur vitæ rationalis, & effectuum gratiæ & per consequens gloriæ. Et quod magis est, ex ista vnione idoneum redditum est, vt aliquando filio Dei vniretur in vnitate personæ.

¶ Ad hoc est dicendum, quod vnio corporis primi hominis ad animam attestatur nobilitati corporis eiusdem, & generaliter aliorum corporum humanorum: vt rationibus præmissis ostenditur. Et non solum manifestando, sed faciendo; in hoc, quod ex tali vnione corpus humanū habet magnā dignitatem in participatione vitæ rationalis, & effectuum gratiæ: gratia n. informans animam, incentiua vitiorum corporalium mitigat. Habet etiam ampliorem dignitatem ex hoc, quod propter vitam illam particeps efficitur beatitudinis, quia illa vnio, quæ est animæ ad Deum per deiformitatē gloriæ quodammodo redundat in ipsum corpus. Habet etiam & perfectissimam dignitatem ingenere corporum ex hoc, quod ex illa vnione, quā habet cum anima, redditū est idoneum; vt sdm aliquam partem sui, siue aliquod generis sui vniretur filio Dei in vnitate personæ, quæ vnio præcellit & illam, quæ est naturæ, & illa quæ est gloriæ: quā etiam dignitatem manifestauit filius Dei per incarnationem suam. Sic ergo secūdum modos iam dictos vnio talis est ad nobilitatem corporis primi hominis, & generaliter omnium hominum facit, & plurimum attestatur eidem.

¶ Ad primum ergo obiectū contra hoc. Dicendum, q cætera copora cœlestia quantum ad aliquid nobiliora sunt, quàm erat corpus primi hominis: & similiter quā corpora aliorum hominum: habent n. aliquas conditiones, sc. impassibilitatē, incorruptionem, subtilitatē, claritatē, virtutē, quam influunt in corpora inferiora, & appetitum materiæ omnino terminatum per formam, quas non habuit corpus primi hominis inquantum corpus, nec corpora aliorum. Habuit aūt corpus primi hominis, & similiter corpora posterorum eius aliquas conditiones; quas non habent corpora cœlestia, & nobiliores simpliciter conditionibus illorum: vt quod sunt perfecta siue perfectibilia forma nobilissima, & mediante illa sunt in potentia producendi in esse sibi similia in participatione vitæ rationalis, & aliorū, quæ tacta sunt. Vnde nobilitas corporū supercœlestium terminata est in nobilitate naturæ; corporis humani non: sed potius quodammodo gratuita, scilicet, gratiæ & gloriæ, vt ex dictis patet. Præterea hoc argumentum non valet, corpora nobiliora non sunt apta ad huiusmodi vnionem: ergo vnio ista non attestatur nobilitati corporis vnibilis: quia ex alia causa habent esse nobile, quam ex aptitudine & habilitate ad illam.

¶ Ad aliud dicendum, quod corpus humanum, & anima possunt dupliciter adinuicem cōparari. Vel secundum q vtrunq; habet proprietates sibi determinatas in genere suo, vel sdm quod ad inuicem ordinantur vt perfectio, & perfectibile. Sdm q primo modo cōparantur, sic propter oppositas conditiones corporis & animæ ex cōparatione corporis, cuius sunt conditiones ignobiles; ad animam cuius conditiones nobiles sunt, ostenditur esse corpus nobile respectu animæ: & secundum hanc consideratione vnio huiusmodi non attestatur nobilitati corporis, sed ignobilitati potius. Si aūt secundo modo comparantur, sic quia non nisi aliqua conditione nobilitatis ipsius corporis & harmonia conuenienti aptum est & habile ad vnionem formę tantæ nobilitatis; vnio ista attestatur nobilitati illius. Vnde ipsorum vnio in alia consideratione attestatur nobilitati corporis, in alia ignobilitati. ¶ Et per hoc patet responsio ad illud, quod sequitur.

¶ Ad aliud dicendum, quod Augu. loquens, vel dicens illam vnionem esse mirabilem, habebat respectum ad originem materialem ipsius corporis: vt patet ex verbis eius, quia corpus humanum vocat limum: confirmans quod dicitur per illud: *Fecit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Vel potest verbum August. intelligi de corpore primi hominis formato de limo, & disposito ad susceptionem animæ. Gen. 2.

MEMBRVM IV.

An cœlum sit locus proprius & naturalis corporis humani?

QVARTO quæritur de dignitate corporis humani quātum ad locationem. Et quæritur: Vtrum cœlum sit locus eius. Et videtur, quod sic: quorum eadem est natura, idem est locus naturalis, sed angelus & anima sunt eiusdem naturæ. (Dicit enim August. *quod angelus & anima natura sunt pares, officio dispares*) ergo locus naturalis est idem: sed corpus & anima vnam personam constituunt: totum autem habere diuersa loca naturalia, impossibile est: ergo cum homo sit vnus & idē, non debebatur ei alius locus ratione animæ, & alius ratione corporis. ¶ Item, si deberetur ei alius locus ratione corporis, & alius ratione animæ, aut haberet corpus locum sibi debitum naturaliter, & anima suum: aut non. Si non, non esset illis perfecta quies, cum vnumquodque quiescat naturaliter in loco suo. Si sic, non esset similiter perfecta quies, quia anima esset in vno loco, & corpus in alio: ergo diuisa essent: ergo non esset determinatus appetitus animæ, quem habet ad vnionem corporis. ¶ Item, secundum considerationem Arist. in Topi. Si optimum in hoc genere est melius optimo in illo genere, tunc hoc genus est simpliciter illo genere melius. Sed corpus Christi, quod est optimum in genere humanorum corporum; est melius omni alio corpore: ergo corpus humanū simpliciter melius est omni alio corpore: ergo sole, & luna, & stellis, &c.

Aug. in li. de libero arbit.

Aristot. Ex 1. Top. tract. 1. cap. 4.

¶ Qvod etiam patet sic: nec natura, nec artifex naturæ facit melius propter peius; sed potius econuerso: finis est optimum, & melius his, quæ sunt ad finem: sed stellæ sunt in ministerium corporum humanorū. (*Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam & omnia astra cœli, & errore deceptus, adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus*, &c. sed ista non ministrant animabus nostris, sed corporibus: ergo corpus humanum melius est stellis, sed vt patet per inductionem, corporis melioris & nobilioris locus naturalis est locus superior: ergo locus naturalis corporis humani est cœlum. ¶ Item, locus naturalis corporis Christi est cœlum: alioquin cum locus naturalis eius sit cœlum: concupisceret caro aduersus spiritum; etiam nunc: quia caro naturaliter appeteret suum locum naturalem: & tunc Christvs miser esset: sed idem est locus naturalis totius terræ & vnius glebæ: eadem ratione vnius corporis & omnium: ergo corporis nostri locus naturalis est cœlum. Deut. 4.

¶ Item, materia & sua forma per se proportionantur: ita vt nobilioris materiæ sit nobilior forma, & econuerso, sed forma corporis humani est nobilissima, scil. anima rationalis: ergo ipsum est nobilissimum: ergo naturaliter ei debetur locus supremus. ¶ Item, cum absq; ambiguitate & hæsitatione animæ locus naturalis est cœlum: habet naturalem cœli appetitū: cuius indicium est manifestum, quod omnib. est insitus appetitus cœli, sed quod inest omnibus,

est na-

Aug. in libro vnde malum.

est naturale: sicut dicit Aug. igitur anima humana naturaliter appetit locum supremum, qui si esset innaturalis corpori nostro, accideret hominem nunquam fore beatum plene: quia nunquam haberet quietum appetitum.

Ioan. 3.

¶ CONTRA: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*: sed corpus humanum non descendit de cœlo: ergo non ascendit in cœlum, sed res naturaliter ascendit ad locum suum, & ita videtur cœlum non esse locũ corporis. ¶ ITEM corpus & locus easdem proprietates participant. Sed natura corporis humani & cœli sunt penitus oppositarũ conditionum, & proprietatum: ergo vnum non est locus alterius. ¶ ITEM, sicut dicit Aug. & in alijs multis locis: arguunt Philosophi cœlum non esse locum humani corporis, res n. ponderosa, & ex elementis constituta locum superiorem non obtinet, sed corpus hominis ex elementis est, & graue est: ergo &c. ¶ ITEM, homo creatus est propter cœlum, non cœlum propter hominem: ergo dignior res est cœlum, quam sit homo: ergo multo fortius quam corpus humanum: ergo locus nobilior quam cœlum debetur ei, antecedens patet per Magistr. & in fine subiungitur. *Post omnia factus est homo de terra, & in terra; non ad terram, neque propter terram, sed ad cœlum, & propter cœlum.* ¶ ITEM, arguit Mercurius: hominem existentem duplicis naturæ corporalis & spiritualis; debere creari in cœlo propter naturam spiritualem, quæ excellit in eo, & non in terra propter naturam corporalem, sed dicit quod proprietates terræ magis dominantur in eo, locus autem sequitur naturam prædominantis, & ita patet, corpus humanum pertinere ad terram, & non ad cœlum.

August. vltim. de ciuit. Dei. cap. 11.

Magist. in lib. 2. sent. cap. di. 14 cap. 2e. fin. tar. dixit Deus.

RESOLVTIO.

Cœlum profecto corporis humani proprius & naturalis locus est, verum pro statu gloriæ. Sunt pro statu innocentiæ fuit Paradisus terrestris: & pro statu culpæ terra hæc laboriosa & vilis.

¶ RESPON. Dicendum, quod corpori humano diuina prouidentia triplex debetur locus; Paradisus terrestris, terra, & cœlum. Fuit n. homo collocatus in statu innocentiæ in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Operaretur (inquam) non ad fastidium vel laborem, sed ad solatium & corporis exercitium. In statu culpæ eiectus de Paradiso, positus fuit in terra, vt laboribus & sudoribus ea vesceretur: sicut habetur Gen. 3. In statu gloriæ collocandus est in cœlo, vt ibidem in vita beata & perpetua glorietur. Dicendum ergo, quod cœlum est locus corporis humani quantum ad statum gloriæ, sc. cœlum empyreum, siue angelorum: vbi erit in participatione gloriæ cum anima. Vnde August. *Si n. tam disparem naturam carnis & animæ ad vnam fœderationem atque amicitiam Deus coniungere potuit: nequaquam erit, et impossibile rationalem spiritum, qui vsque ad consortium terreni corporis humiliatus est, cum eodem corpore glorificato, vt sit ei gloriæ, quod fuit sarcina; ad consortium beatorum spirituũ: qui in sua puritate perstiterunt; exaltare: atque ad suæ gloriæ participationem sublimare: Ad hoc siquidem sola charitate, nulla necessitate illum creauit altissimus: vt suæ beatitudinis particeps fieret.*

Gen. 2.

Gen. 3.

Augu. de anima & spiritu.

¶ ARGVMENTA igitur, quæ sunt ad istam partem, sunt concedenda. ¶ AD primum in contrarium dicunt quidã, quod quamuis debeatur corpori humano locus superior: non tamen ascendit in cœlum, nisi virtute diuina, vniente corpus animæ, & eleuante animam & corpus, quod quidẽ corpus dicitur descẽdisse de cœlo ratione animæ, quæ creata est, in qua sunt portiones numerales & harmonicæ, concreatæ ad corpus suum. Sed quia ista solutio videtur alludere errori Philosophorum, ponentium animas creatas in cœlo, & descendere per zodiacum ad incorporationem, quod est error & hæresis. Ideo potest responderi ad illam anthoritatem aliter: secundum quod respondet August. Illa n. authoritas magis intelligitur de Christo, quam de puro homine: vnde sequitur [*filius hominis, qui est in cœlo*] dicit enim Aug. *Non intelligunt, quoniam corpus non ascendit in cœlũ: Dominus enim ascendit: corpus vero non ascendit, sed leuatum est in cœlum, illo leuante, qui ascendit. Verbi gratia: si quis descendat de monte nudus, cum autem descenderit, vestiat se, & vestitus iterum ascendat, recte vtique dicimus: Nemo ascendit, nisi qui descendit: Nec vestem consideramus, quam secum leuauit; sed ipsum, qui vestitus est; solum dicimus ascendisse:* Vel potest intelligi de membris verbum illud: vt patet ex Gloss. quæ etsi ascendunt in cœlum, non ascendunt virtute propria, sed virtute capitis, cui adhærent. Vnde gloss. ibidem. *Renati spiritualiter ascendunt in cœlum, sed non nisi sint membra cohærentia illi, qui in vna persona est homo & filius Dei: vt sciat iste, nullum ex se, sed per Christum posse ascendere, & ideo non dicit homines ascendere, sed filium hominis totum cum corpore: qui secundum deitatem descendit de cælo, & est in cælo.*

Idem in de agone Christian. c. 25. 20. 3. Idem.

Gloss.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet corpus humanum & cœlum sint oppositarum conditionum, scil. habito respectu ad statum viæ: communicabunt tamen easdem, quantum requirit conuenientia, quæ debet esse loci & locati, quando ablata erit corruptio, corpulentia, obscuritas, & ponderositas à corpore: vt quando dotatum erit dotibus gloriæ: Quod erit, quando verificabitur illud: *Ipsa ciuitas aurum mundum simile vitro mundo*: quod verbum ex exponens Gregor. *Auri metallum nouimus potiori metallis omnibus claritate fulgere, vitri vero natura est, vt extrinsecus visum: pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quicquid intrinsecus continetur, absconditur: in vitro quilibet liquor, qualis continetur interius,* demonstratur: atque (vt ita dicam) omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet.* Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorũ ciuium societatem: quorum corda sibiinuicem & claritate fulgent, & puritate translucent. Vnde hic dicitur: Ipsa vero ciuitas, &c. Quia enim sancti omnes in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alterius cordib. as patet, & dum vniuscuiusque vultus attenditur, simul & consciẽtia penetratur, hoc ipsum auro simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe vniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia. Sicque vnusquisque erit tunc conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.

Apoc. 21. Greg. super Iob. 28

*Alias, interius; exterius demonstratur.

¶ AD alind, quod sequitur, patet responsio ex dictis. PRÆTEREA: potest addi verbum Petri Alphonsi dicentis: *Passer & anser ex eisdẽ elementis sunt, sed passer sursum ascendit: anser non: Vnde hoc? Non quia passer minoris corporis, & ideo leuior: anser maioris, & ideo grauior: ergo secundum hoc vultur & aquila, quæ grandiora sunt; non volarent superius. Si fortè quia ex subtilibus elementis: patet tamen, quod spiritus facit ea ascendere sursum: nam sine spiritu non ascenderent.* Cum ergo corpora vnita erunt spiritibus: deposita * corruptionis omnis nigredine, quid mirum si corpora facta conformia spiritui sursum poterunt ascendere, & ad nutum spiritus moueri? August. *Cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum: aliquando & anima leuare sursum talia corpora non valebunt? q. diceret, sic.*

Petr. Alphons.

*Alias: corruptione, omni que grauedine. Aug. vlt. de ciui. Dei.

¶ AD aliud dicendũ, quod cum homo dicitur factus esse propter cœlum: hæc præpositio [*propter*] non dicit habitudinem finalẽ illo sensu, quo cœlum sit finis hominis, sed potius habitudinis suppositionis, sub hoc sensu, propter cœlum; id est, vt sit Dominus cœli: eo modo quo dicit Apostolus: *Omnia vestra sunt.* Vel potest dicere habitudinem loci ad locatum; sub hoc sensu; homo factus est propter cœlum ad habitandum.

.Cor 3.

¶ AD aliud patet responsio ex dictis. Et intelligendum est, quod licet homo sit duplicis naturæ: propter quam videtur ei duplex locus cõgruere: tamen propter plures causas congruebat homini terra ad habitandum. Vna fuit aptitudo ad pœnitudinem. Alia fuit aptitudo ad merendum: aptior enim erat locus ad faciendum præsentiam, & ad merendum in terra ista miseriæ, & defectus multiplicis, quam alius locus. Alia fuit conuenientia corporis humani corrupti cum terra maledicta. Gen. 3. Alia fuit conuenientia, indigentia alimoniæ, quæ congruebat.

Gen. 3.

¶ SI autem obijciatur, quod videtur fieri violentia animæ, ex hoc quod detinetur in loco inferiori: sicut fieret corpori tali, si teneretur in loco superiori. Dicendum, quod anima potest esse deorsum sine violentia, quia non

est ita essentialis spiritibus locus sursum, sicut corporibus locus deorsum.

QVÆSTIO LXXXII.

De animalitate corporis humani.

In duo Membra diuisa.

Elige ex D. Tho 1. par q.91. & S Bon. in 2. d 17. art 2.

CONSEQVENTER quæritur de animalitate illius corporis. Primo quæritur, vtrum corpus Adæ erat animale. Secundo, vtrum magis conueniebat esse animale, quam spirituale.

MEMBRVM I.

An corpus primi hominis animale fuerit?

Aug in li. 1 de baptismo paruulorum.

CIRCA primum proceditur sic: & videtur plane quod fuit animale. August. conuincẽs eos, qui dicunt Adam sic creatum esse; vt etiam sine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, sed necessitate naturæ. Dicit enim: *Quid ergo respondebunt, cum legitur hoc dictum etiam post peccatum increpando, & damnando dixisse: Terra es, & in terram ibis? Neque enim secundum animam, sed quod manifestum est, secundum corpus terra erat: & morte eiusdem corporis erat iturus in terram.* Qui ānuis n. secundum corpus terra esset, & corpus, in quo creatus est, animale gestaret: tamen si non peccasset; in corpus foret spirituale mutandus: & in illam incorruptionem, quæ fidelibus & sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Ecce quod animale erat.

¶ PRÆTEREA, Adam si non peccasset, transisset ab animali corpore in spirituale: ergo animale corpus habebat ante peccatum. Antecedens patet per Aug. in eodem lib. si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore; sed supervestiendus immortalitate & incorruptione: vt absorberetur mortale à vita, id est, ab animali in spirituale transiret.

¶ PRÆTEREA, si dicatur, quod non habuit corpus animale, quia tunc paulatim senesceret, & deficeret, quod nõ competebat illi statui. Contra hoc arguit Aug. in eodem lib. dicens: *Si Deus Israelitarum vestimentis & calciamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita: quid mirum, si obedienti homini præceptis, potentia præstaretur, vt animale hoc & mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore, quo Deus vellet; à mortalitate ad immortalitatem sine morte media transiturus.* ¶ Præterea, August. in eod. *Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiã illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam: neque enim Enoch, & Helias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos.*

Aug. ibid.

Idem in eodem.

¶ PRÆTEREA, si non esset illud animale, cur præciperetur comedere de lignis: habebat enim de lignorum fructibus refectionẽ contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem: vt ibidem dicit Aug.

Aug.

¶ CONTRA, corpus illud erat conueniens organum animæ, sed anima erat deiformis: ergo cum animæ deiformi corpus mutabile & animale magis opponatur, quã congruat: non erat tunc corpus Adæ animale. Vnde Greg. Nazian. cap. 27. secundum aliam translationem. In deiformitate animæ non flexibile corpus per mutabilitatem, & transmutabile est, sed quod permanet. ¶ Præterea, corpus illud beatum fuit, sed nullum animale beatum: ergo animale non fuit.

Greg. Naz cap. 27.

¶ PRÆTEREA, patet per Aug. *In illo memoriali beatitudinis loco, id est, Paradiso quis tandem absolute dici potest beatus, qui timore afficitur, aut dolore? quid autem timere, aut dolere poterant homines illi in tantorum tanta affluentia bonorum homines: vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur: nec inerat quod carnem animæ hominis fœliciter viuentis offenderet.*

Aug. li. 24 de ciu. Dei cap. 10.

¶ ITEM Augustin. *Summa in carne sanitas erat.* Sed summa sanitas illa requirebat mixtionem elementorum in pace tali & harmonia virtutum, quod in illo non fieret passio aliqua, quæ abijceret à substantia: ergo non requirebatur aliqua restauratio deperditi per alimentum: ergo non fuit indigens aliquo alimento, & ita non animale. Calor n. digestiuus in nobis semper resoluit, & ideo semper oportet fieri restaurationem per alimentum: huiusmodi autem resolutio non fuit in illo: propter quod nec restauratio necessaria: huiusmodi autẽ deperditio pœna est: propter quod nõ debebat antecedere culpam. ¶ ITEM, esse in huiusmodi egentia siue indigentia videtur attestari statui culpæ: sic n. egere pœna est, quam præcedere culpam non conuenit. ¶ ITEM, si Adam indiguisset alimento in statu innocentiæ, & illo vsus esset, necessario indiguisset purgatione per egestionem, quod videtur inconueniens, cum huiusmodi purgatio sit pœnalis.

Idem de ciu. Dei.

RESOLVTIO.

Etsi Adam pluribus modis affirmari possit animalis fuisse: eius tamen corpus eo sensu tantum animale extitisse intelligamus, quo cibo potuq; sicut cætera brutorum animalium corpora indiguit.

¶ AD hoc dicendum, quod hoc nomen *Animal*, quandoq; sumitur generalius; quandoq; specialius. Quandoq; n. diuiditur genus in duo, quorũ vnum habet nomen proprium, aliud non: illud autem diuidentium, quod non habet nomen proprium, retinet nomen generis: sicut patet cum dicitur animal diuidi in rationale & irrationale. Animal rationale habet nomẽ propriũ: irrationale vero non, & ideo irrationalia nomine generis nominantur, & dicuntur animalia. Cum ergo animal dupliciter dicatur, vno modo est nomẽ generis cõmunis ad rationalia & irrationalia: alio aũt modo est nomen brutorum. Similiter [*animale*] deriuatiuum ab eo, quod est [*animal*] dicitur dupliciter. Nam si deriuetur ab animali, quod est genus ad homines & bruta; tunc conuenit homini secundum omnem statum, siue innocentiæ, siue culpæ, siue gratiæ, siue gloriæ. Si vero deriuatur ab animali, quod est nomen brutorum: tunc dicitur homo animalis, id est, similis brutis. Sed hoc dupliciter, quia vel similis brutis secundum corpus: vel secundũ animam. Si primo modo, sic dicimur animale nunc: & Adam similiter tunc in Paradiso, quia cibis indigemus vt bruta, & cibis indigebat Adam secundum corpus. Aug. *Cibus erat, ne esuriret potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senectus dissolueret.* Si vero animalis dicitur homo secundum animam, id est, similis bruto: hoc dicitur adhuc dupliciter secundum August. dicitur enim *homo animalis, vel vita, vel animi sensu.* Vita animalis dicitur, quando fruitur dissoluta lasciuia animæ suæ: quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet: eo quod ipse se Deo regendum non subijcit, & sic animalis idem est quod carnalis. Animi vero sensu dicitur animalis, qui de Deo iuxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem Philosophicam iudicat: & de tali dicitur illud: *Animalis homo*, &c. His duobus modis vltimis erat Adam animalis in Paradiso: nec de his modis est quæstio, quia hic intendimus de animalitate quantum ad corpus, secundum quod dicitur animale & egens alimonijs: & sic intendit Augustin. & alij loquentes de materia ista. Concedimus ergo quod corpus Adæ erat animale, id est, indigens alimonijs: sicut determinat Magister. Solent plura quæri, &c. dicit enim ibi. In primo statu fuit corpus hominis animale, id est, egens alimonij ciborum. Et ad hoc ostendendum inducit illud: *Factus est primus homo Adam in animam viuentem*, id est, in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, quod egebat cibis, vt per animam viueret.

Ex 2 Top. c. 4 & põt sumi exemplũ Philosophi ex eisdẽ Topicis lib 1. c. 4. Proprium duplex, terminus, & non terminus: qui non terminus est, cũ peculiare nomen nõ habeat, cõmunis nominis 1. proprij appellationẽ retinet.

Aug 14. de ciu. Dei. cap. 25.

Aug. in li. 83. qq.

1. Cor. 2.

Mag. 2. sent. di. 19. cap. 1.

1. Cor. 15.

¶ AD primo obiectũ contra hoc. Dicendum, q̃ nondũ erat in plena & perfecta deiformitate, q̃ erat habitura in acceptione propriæ stolæ. Vnde illam deiformitatem nõ impedicbat animalitas corporis pp eius omnimodam puritatem: nihil n. impuritatis siue corruptionis erat tunc in corpore illo ad obedientiam animæ. Quod autem dicit Greg. Nazian. *In deiformitate*, &c. intelligitur de homine quantũ ad conditionem intelligibilem, non quantum ad temporalem. Conditionem aũt intelligibilem hominis appellat illam, quæ est quædam notio existens ab æterno in mente diuina, & illi conditioni non competit corpus * flexibile, vel animale. Vnde in penult. cap. de Imagine, hanc duplicem

Greg. Naz

* Alias, fixile.

hominis

hominis conditionem distinguit, sc. intelligibilem, & temporalem. De intelligibili dicit, in præscientia diuinæ virtutis omnem plenitudinem humanæ conditionis subsistere confitemur, cum testificante nobis propheta, qui dicit, Dominum nosse omnia, antequam fiant. Et consequenter loquitur de temporali.

¶ Ad aliud dicunt quidam, quod animale potest dicere differentiam, vel passionem. Si primo modo, bene compatiuntur se animale & brutum: secundo modo non: & hoc vltimo modo opponitur. Alio modo potest dici, quod status innocentiæ dicitur beatitudo, siue status beatitudinis propter abundantiam bonorum, & absentiam malorum: vt innuit August. qui post multam bonorum enumerationem, quæ in statu illo allucebant, subiungit. *Quam igitur felices erant, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: atque ista permanente felicitate; donec per illam benedictionem, qua dictum est, Crescite & multiplicamini: prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia maior daretur, qua beatissimis angelis data est:* Hunc ergo felicitati, siue beatitudini non erit contraria animalitas: de qua hic intenditur: licet sit contraria illi, quæ est patriæ.

Aug. 14. de ciuit. Dei cap. 10.

¶ Ad aliud dicunt quidam: quod in corpore illo erat calor naturalis resoluens & disperdens carnem secundū materiam: non tamen omnino sicut in nobis, sed moderamine maiore: ad cuius restaurationem necessarium fuit illi alimentum. Videtur autem aliter dicendum, quod si aliqua qualitas ita fuisset prædominans in corpore illo, quæ posset inducere passionem, quæ abijceret à subiecto, in illo corpore fuisset principium dissolutionis illius: & ita non esset conueniens materiale siue perfectibile anima rationali, dum erat omnino subiecta & obediens Deo: vt supra tactum est.

Elice ex q. 77.

¶ Præterea, si corpus illud fuisset passibile modo prædicto à calore intrinseco, vel aliqua alia qualitate, quæ non erat ibi in vltimitate suæ virtutis: sed in proportione & harmonia conuenienti optimæ complexionis; tunc multo fortius passibile fuisset à calore, vel aliqua alia qualitate extrinseca: quæ nō erat in tali harmonia siue proportione qualitatum: quæ erant corporis illius. Si autem diceretur quod nulla res, siue qualitas extrinseca agere poterat in illo propter continentiam animæ, cui omnia huiusmodi erant subiecta in statu illo. Multo fortius ergo videtur, quod illa, quæ erant de esse illius corporis, & in harmonia cōuenienti, debebant moderari ipsius animæ continentia: ita quod nullam inducere possent passionem, quæ abijceret à substantia ipsius corporis, cuius anima illa erat perfectio & actus.

¶ Videtur ergo aliter dicendum, sc. quod corpus illud etiam fuit defectibile: nō quia habebat in se qualitates actiuas & passiuas, ex quarum actione & passione fieret aliqua deperditio substantiæ ipsius corporis: sed ratione qua erat creatura: cuius appetitui non fuit omnino satisfactum per formam propriam. Vnde videtur dicendum, quod fuit defectibile non propter actionem & passionem qualitatum interiorum: nec propter huiusmodi defectibilitatem erat illi alimentum necessarium: sed magis quia ex hoc quod erat creatura talis; possibilis erat deficere in se. Vnde sicut est de spiritibus, sc. angelo & anima rationali, quod deficerent ex hoc quod creaturæ sunt; nisi virtute creatoris sui influente, sustentarentur in esse: nec tamen in eis est aliqua actio, siue aliquod agens corrumpens; vel detrahens à substantia eorum. Sic corpus illud fuit defectibile, & defecisset: etiam si permansisset primus homo in innocentia, in qua conditus fuit: nisi sustentatum esset virtute cibi concessi: non propter aliquam violentiam illi illatam à virtute aliqua intrinseca: sed quia de se non habebat vnde stare posset in esse perpetuo: ratione qua erat creatura talis. Sicut ignis quandoque deficit per violentiam illatam ab agente contrario: quandoque in se, siue ex seipso. Virtutes autem actiuæ & passiuæ erāt in ipso in quadam harmonia & pace: neque per se, neque per adiutorium alicuius virtutis extrinsecæ se mutuo infestantes: neque de substantia corporis illius abijcientes: sed potius ipsum in esse saluantes, per conuersionem alimenti siue cibi sumpti ad restaurationem deperditionis, ortæ vel oriundæ ex ipsa natura vel substantia deficiente in se.

¶ Ad aliud dicendum, quod est indigentia necessitatis naturalis: & est indigentia passionis secundum sensum. A prima est defectus, à secunda est sensus defectus. Prima non ponit pœnam: sed manifestat naturam: secunda vero ponit. A prima est deficere: à secunda sentire defectum. Adam vero si defecisset siue culpa sua, non sensisset aliquam passionem: vnde appetitus simul infuit illi cum indigentia naturalis necessitatis: non autem appetitus vel indigentia passionis secundum sensum. Indigentia ergo illa non attestabatur statui culpæ, sed defectui naturæ respectu perfectionis vltimæ, quæ erat, vel erit in participatione gloriæ.

¶ Ad aliud potest dici sine præiudicio, quod in statu illo bene poterat esse purgatio, siue separatio impuri per egestionem: neque esset huiusmodi egestio pœna aliqua: quia nullus fuisset consecutus fœtor, siue immundicia, vel turpitudo: sicut modo quando teruntur fructus, vel calcantur vuæ; & eliquatur illud, quod est puritatis & subtilitatis maioris, à substantia grossiore. Nec æstimandum est fructus paradisi, qui erant parentibus primis dati in cibum; fuisse similes fructibus, quibus vescuntur, qui nascuntur ex terra maledicta, in grossitie, vel sapore, vel etiam virtute: sed erant multo maioris subtilitatis, saporis, & virtutis. Vel potest dici (sicut forte ponebant quidam) purgationem illam fieri per euaporationes & exhalationes. Vel vt ponunt quidam, totus ille cibus aptus fuit ad conuersionem propter sui puritatem & virtutem.

MEMBRVM II.

An conueniebat, corpus primi hominis spirituale magis quam animale esse.

Secundo quæritur, si conueniebat corpus primi hominis magis esse spirituale, quam animale.

¶ Quod sic, videtur: quia conueniebat, vt nobilissimæ formæ siue perfectioni nobilissima in genere suo aptaretur materia, siue perfectibile: anima autem est forma nobilissima: corpus autem spirituale nobilissimū est in genere corporum; ergo &c.

¶ Item, optimo artifici, scil. Deo conuenit cum forma nobilissima nobilissimam in genere suo coaptare materiam: & ita vt prius.

¶ Item, inter creaturas spirituales, quæ sunt ad imaginem Dei; sunt nobilissimæ, vt angelus, anima: à simili videtur quod inter corporales, quæ sunt ad imaginem Dei, deberent esse nobilissimæ: sed inter omnes creaturas corporales corpus primi hominis maxime gerit imaginem Dei: ergo debuit esse de genere corporum nobilissimorum.

¶ Item, perfectio vniuersi hoc videtur requirere: quæ semper requirit in singulis rerum generibus differentiam & distinctionem. Verbi gratia. In spiritibus aliquis est vnitus corpori, aliquis separatus: vnitorum aliquis est separabilis, vt spiritus rationalis: aliquis inseparabilis, vt spiritus, qui est perfectio brutorum. Similiter videtur, quod ex parte corporum vnitorum debeat esse aliquod animale vnitorum debeat esse aliquod animale vnitum, & aliquod spirituale. Vnde. *Si est corpus animale, est & spirituale.* Gloss. *Cum dicit corpus, frustra additur animale: nisi sit aliud spirituale, ad cuius discrepantiam dicitur animale: & tale non posset esse nisi corpus vnitum animæ rationali &c.* 1. Cor. 15. Glossa.

¶ Item, animæ quæ perficiunt corpora; quædam sunt spirituales: vt anima rationalis, quæ separabilis est à corpore, & spiritus dicitur. (Vt enim dicitur in Lib. de spiritu & anima; anima & spiritus idem sunt in homine: quamuis aliud notet spiritus, & aliud anima: spiritus namque ad substantiam dicitur: anima ad viuificationem. Quædam quodammodo sunt animales, vt animæ in brutis: quæ neque secundum substantiam, neque secundum esse possunt esse nisi in animalibus) A simili videtur, quod debeat esse ex parte corporum perfectibilium, quod quædam sint animalia, quædam spiritualia: & ita idem quod prius. ¶ Item, formæ immortali siue perpetuæ conuenit habere materiā

sine perfectio, de huiusmodi: & secundum hunc modum producere res in esse, conuenit optimo artifici: cuius est omnia optime facere: vt vult Dionys. ergo animæ rationali conuenit habere corpus ab eo perfectibile immortale: sed non potest esse immortale, nisi sit spirituale: ergo &c. ¶ Item, constat quod Adam habiturus est corpus spirituale post resurrectionem: quando homines erunt sicut angeli
1 Cor. 15. Dei. Matth. 22. Et sicut habetur 1. Corinth. 15. vbi dicitur. *Surget corpus spirituale.* Sed si Adam habuit corpus animale: & constat, quod resurget spirituale: ergo quod fuit factum à sapientissimo artifice, minus sapienter factum est: cum
1. Cor. 6. Glossa. primo factum, est destruendum, & post permanendum. 1. Corinth. 6. *Deus autem hunc & hanc destruet.* Gloss. *1. ventrem & escas: quod erit, cum corruptibile hoc induet corruptionem:* & ibi loquitur de necessarijs naturæ: sicut dicit Gloss. Ex hoc patet, quod Deus destruet corpus animale. Quod videtur inconueniens: si quis enim vellet construere domũ: conuenientius faceret, si statim faceret eam bonam & pulchram; quam si primo faceret vilem & turpem & destruendam, & post ex eadem faceret bonam & pulchram & permanendam.

¶ Contra. Primus homo conditus fuit, vt esset principium generis humani.
1 Cor. 15 Gl. Aug. *Factus est primus Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuentem.* Ibi Glo. August. *Attende, quare Christus dicitur Adam, & nouissimus Adam: quia de eadem materia nouissimus: quia post eum non succedit alius, qui sit caput, vel author humani generis: sicut illi duo fuerunt: totum enim genus humanum quodammodo sunt illi duo homines, scilicet primus Adam & secundus: quia ex illo nati, ex isto renati: & ideo vterque dicitur pater humani generis: non autem posset esse principium humani generis: nisi corpus esset animale: corpus enim spirituale non potest esse principium propagationis per generationem: ergo conueniens fuit, vt haberet corpus animale, non spirituale: ne autor naturæ egisset aliquid frustra.*

¶ Item, in rerum conditione, vt vult August. non vtitur Deus rebus ad miraculum suæ potentiæ: sed omnia producit secundum exigentiam suæ naturæ: sed anima rationalis præsupponit vegetabilem, & sensibilem: ergo secundum conditionem competentem naturæ, debuit vniri corpori
Idem. habili ad actus istarum potentiarum, scilicet vegetabilis, & sensibilis: sed tale est animale: ergo, &c. ¶ Item, anima rationalis ex sua prima vnione cum corpore fuit animatum, & animal: sed in hoc communicabat homo cum brutis; quæ autem communicant in forma, debent communicare in dispositione ex parte materiæ: sed si corpus hominis esset spirituale, non communicaret in aliqua dispositione huiusmodi, nec etiam cum ipsis brutis: ergo quantum est de primaria conditione, naturale videtur animæ rationali habere corpus animale.

RESOLVTIO.

Decuit & propter ordinem imperfecti ad perfectum: & meriti ad præmium, & lapsus ad resurrectionem, & vnius rationalis spiritus ad alterum, vel, (maius dicas) hominis ad angelum, & principij ad principiatum animale corpus, magis quam spirituale primo homini adaptari.

¶ Quod concedimus, dicentes: quod illud multipliciter congruebat ad manifestandam sapientiam conditoris, quæ ex hoc manifestatur ex ordine multiplici. Primo propter ordinem producendi ab imperfecto ad perfectum: secundum enim ordinem rectum imperfectum præcedit perfectum: & prius est, quod est animale, deinde quod est spiri-
1. Cor. 15. tuale. Secundo propter ordinem meriti ad præmium: cum enim homo prius debebat poni in statu meriti, quam præmij: debuit tale corpus eius fieri, quod esset aptius & efficacius ad merendum: sed corpus animale maxime competit statui merendi, spirituale statui præmij: ideo prius animale, deinde spirituale. Tertio propter ordinem lapsus ad resurrectionem: quia enim habuit liberum arb. potens labi & resurgere; debuit habere corpus, quod posset etiam labi in mortem, & postea anima facta inuertibili, ipsum per resurrectionem omnino fieret immortale; & ideo prius animale, deinde spirituale. Quarto propter ordinem, qui attenditur in comparatione vnius creaturæ ad alteram: vt sicut homo in terris factus fuerat, vt seruaretur perfectus ordo ex comparatione hominum ad angelos, qui facti sunt in cælis: sic & decebat, vt primo haberet corpus competens habitationi terrestri magis quam cælesti: sed corpus competens terrestri habitationi, est animale, sicut cælesti spirituale: & ideo prius animale, deinde spirituale. Quinto propter ordinem principij ad principiata in propagatione generis humani: propter hoc enim conditum fuit corpus Adæ, vt ab eo propagaretur humanum genus secundum corpus: quod fieri non posset, nisi esset animale. Propter istum ergo multiplicem ordinem in prima conditione, scil. propter ordinem imperfecti ad perfectum, meriti ad præmium, lapsus ad resurrectionem, vnius spiritus rationalis ad alterũ, siue hominis ad angelum, principij ad principiatum in genere hominum, decebat animæ rationali dari corpus animale.

¶ Ad primum contra hoc dicendum: quod est considerare animam rationalem diuersimode, habito respectu ad diuersos status, scil. imperfectionis & perfectionis. Primus est status viæ, secundus patriæ: similiter & corpus humanũ. Conuenit ergo vt animę rationali existenti in statu suæ perfectionis & nobilitatis, aptetur corpus nobilissimum in genere suo, scilicet spirituale. Vnde tres sunt status hominis, scilicet innocentiæ, lapsus, & gloriæ: in quibus corpus & anima primi hominis quandam paritatem in nobilitate & ignobilitate communicabant. Sicut enim anima in primo statu, scilicet ante lapsum sortita fuit esse nobile; in quo viuebat vita naturæ integræ, roborata & sustentata vita gratiæ: qua erat in potentia & habilitate ad esse eius finale & vltimatum nobilitate. Similiter corpus in illo statu erat in integritate naturæ optimæ in genere suo; & mediantibus fructibus sibi datis ad sustentamentum, poterat perpetuari in esse illo, quoadusque productum esset ad esse corporis nobilissimum. Vnde sicut anima in vita naturæ alebatur & sustentabatur gratia quasi alimento spirituali in progressu ad finum esse optimum: sic corporis alimento corporali fructibus paradisi. Præterea, sicut in statu culpæ anima sortita est esse ignobile, per lapsum in culpam, duplex malum incurrens, scilicet corruptionis, & mortis spiritualis: vnde indigna efficiebatur bono, ad quod condita erat: similiter corpus sortitum est esse ignobile, duplex malum incurrens, scilicet corruptionis, & necessitatis moriendi: & indignum efficiebatur dono, ad quod conditum erat. Præterea, sicut anima pœnitendo recuperauit aptitudinem & dignitatem recuperandi finum optimum, quod amiserat per culpam; quo habito sortietur esse nobilissimum: similiter omnino erit de corpore. Vnde secundum congruitatem diuinæ dispositionis corpus exñs in suo esse nobilissimo, non est aptandum animæ, antequam sit in suo esse nobilissimo. Vnde ante statum gloriæ non cõgruit corpus primi hominis, nec alterius esse spirituale.

¶ Ad aliud dicendum, quod optimo artifici conuenit &c. saluato ordine rerum secundum diuinam statuto prouidentiam. Quod autem ordo rerum à diuina prouidentia statutus exigat, quod in via sit corpus animale perfectibile anima rationali ex dictis patet.

¶ Ad aliud dicendum, quod primus homo quantum ad corpus Dei imago esse non posset: nisi corpus eius esset animale: quia aliter non posset esse principium omnium hominum per viam propagationis: propter quod dicitur esse ad imaginem Dei Lib. 2. Sent. distin. 17. vbi dicitur. Per hoc Mag. li. 2. dist. 17.
imago in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus exitit principium creationis: ita homo omnibus hominib. principium generationis. Vnde ratio illa magis est ad oppositum, quam ad propositum.

¶ Ad aliud dicendum, quod bene requirit hoc completio vniuersi: sed non in quocunque statu, immo magis contrarium: sed hoc requirit, habito respectu ad statum perfectæ completionis; hoc est, quando ea quæ sunt, de completione vniuersi, simpliciter erunt in suo vltimo: vt quando Deus erit omnia in omnibus 1. Cor. 15. 1. Cor. 15.

¶ Ad aliud dicendum, quod si anima rationalis perficiens corpus, sit spiritualis: nõ tamen est in plenitudine spiritualitatis, anteq̃ sit perfecte vnita cum summo spũ. Vñ Gl.

August.

Glo. Aug. super 1. Cor. 15.

August. super illud. *Factus est primus homo in animam viuentem*: anima in corpore spirituali: quia perfecte adhæret Deo; sic viuificat, vt spirituale corpus efficiat. Quando autem perfecte adhæret, habetur in Gloss. super illud. *Quod adhæret Deo &c.* vbi dicitur. Vnus spiritus est cum spiritu Dei, cum quo est vnus spiritus, non substantiæ identitate (diuersæ enim substantiæ sunt spiritus hominis, & spiritus Dei) sed quia accedit iste spiritus ad participationem naturæ, veritatis, & beatitudinis illius. Vnus ergo spiritus est cum spiritu Dei: cum ei sic adhæret, vt sit particeps beatitudinis eius: quod plene erit, cum satiabitur desiderium eius in bonis immutabilibus, scil. in ipsa Trinitate domino suo, cuius imago est. Vnde quando erit anima in illa spiritualitate: competit ei corpus spirituale, & non ante.

¶ Ad aliud dicendum, quod quando anima erit immortalis quantum ad esse, siue vitam gratiæ: vt quando erit beata, tunc conueniet illi habere perfectibile immortale, & corpus spirituale. Sicut enim dictum est, dum modo liberum arbitrium animæ est potens labi & resurgere: congruit illi habere corpus, quod potest labi in mortem: sed anima facta inuertibili, & corpus ipsum conuenit fieri immortale per resurrectionem. Si enim anima posset labi in mortem, & corpus perfectibile ab illa, esset immortale, & spirituale, accideret multiplex inconueniens, scil. perfectibile ab ipsa anima perfectissimum esse; secundū quod possibile est; perfectione sua existente imperfecta. Præterea, aliud inconueniens, sc. animam non posse resurgere post lapsum, sicut nec angelum. Vt enim dicitur, *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*: sed tunc non esset in caro in homine, id est, pronitas carnalis infirmitatis: & propter hoc permaneret spiritus indignationis Dei in homine, si peccaret.

Gen. 6.

¶ Ad aliud dicendum, quod & si corpus surget spirituale: non propter hoc destrueretur opus artificis optimi, sed perficietur. Si obijcitur, quod destruitur, quando redigitur in puluerem. Dicendum quod nó omnino destruitur: quia remanet quædam ordinatio in pulueribus ad animam: & ex hac ordinatione possibilitas ad necessitatem non moriendi, siue non corrumpendi. Hoc alias explanabitur. Habuit ergo corpus illud ex conditione sua possibilitatem & ordinationem ad necessitatem non moriendi: quæ quidem ordinatio attestatur aptitudini relictæ in pulueribus ad suam perfectionem, & ad animam: hanc autem aptitudinem siue possibilitatem reducet Domin⁹ ad esse in corporum resurrectione. Præterea, in nullo præiudicatur artifici sapientissimo, sc. secundum tempora diuersa & exigentiam mutationis rerum, quod factum est vno tempore, in alio mutetur, vel pro parte destruatur. Vnde Hester vlt. *Nec putare debetis, si diuersa iubeamus: ex animi nostri leuitate venire, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt Reipublicæ possit vtilitas ferre sententiam.*

Hester vlt.

QVÆSTIO LXXXIII.

De tempore creationis corporis primi hominis.

In duo Membra diuisa.

D. Thó. 1. par. q. 91. S. Bon. in 2. d. 17.

Dictvm est de corpore primi hominis quantum ad conditiones intrinsecas. Sequitur quærere de ipso quo ad extrinsecas, quæ sunt duæ, sc. tempus, & locus. Primo ergo quærendum est de tempore. Secundo quærendū est de loco.

¶ De primo duo sunt quærenda. Primum est, si fuit conditum, vel creatum simul cum alijs creaturis. Secundum, si non cum alijs, de ordine temporis conditionis illius ad tēpus conditionis aliarum creaturarum.

MEMBRVM I.

An corpus Adæ inter opera, vel post opera sex dierum conditum sit?

Qværitvr ergo primo, Vtrum conditum fuit corpus Adæ eo tempore, quo aliæ creaturæ: prout videtur ex illo verbo. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*. Hanc autem quæstionem proponit August. ¶ Item dicitur in Lib. Fontis vitæ in principio: quod virtus, per quam omnia facta sunt; est voluntas Dei adinueniens omnia. Et ibidem dicit, quod sicut resultat imago in speculo ex sola oppositione rei, sic ex sola cōuersione ad res omnia produxit in esse: sed non potest esse in Deo nisi vna conuersio: quia vt scribitur in Epist. Iacob. 1. *Apud illum non est transmutatio &c.* ergo &c. ¶ Item August. *Verbo tibi coæterno dicis simul omnia, quæ dicis: & quicquid dicis, vt fiat, nec aliter quam dicendo facis.* ¶ Item, *Semel locutus est Deus*: & ita idem quod prius: ecce quod simul dicit omnia: ergo vt prius.

Eccl. 18. Aug. l. super Gen. ad lit. c. 1. & inde.

1 Iacob. 1. August. 11. confes. c. 7. in fine Tom. 1. Psalm. 61 Q6. later.

¶ Et sic potest incidenter quæri, quomodo est hoc verum, quod Deus creauit multa simul, vel omnia: vt dicunt autoritates prædictæ? quia huius contrarium videtur, sic. Ad hoc, quod aliquid creetur, siue producatur in esse ex nihilo; requiritur infinita potentia: nec hoc intelligendum est, quod existens infinitæ potentiæ possit in huiusmodi effectum finita potentia: quia & tunc existens finitæ potentiæ: sed requiritur virtus infinita ad huiusmodi productionem: sed in virtute infinita non potest esse virtus maior: ergo Deus non potest esse virtutis maioris quam infinitæ: ergo tota virtus diuina requiritur in creatione vnius rei: igitur in eodem instanti non potest plura creare.

¶ Contra, vt habetur Genes. 2. post opera sex dierum fecit Deus hominem de limo terræ. ¶ Item, hoc idem habetur à Magist. & alijs expositoribus scripturæ, sc. quod omnibus creatis & dispositis, nouissime factus est homo.

Mag. in 2 Sent.

RESOLVTIO.

Adæ corpus in esse actu & completo post opera sex dierum factum arbitratur B. August. Et si antea puta inter opera sex dierum formatum aliquando legatur: non nisi in causis primordialibus, & seminaliter intelligendum autumat.

¶ Ad hoc dicendum, quod in duobus locis scripturæ fit mentio de conditione corporis Adæ, sc. Genes. 1. ibi, *Masculum & fœminam creauit eos*, sc. inter opera sex dierum: & Gen. 2. ibi. Formauit Deus hominem de limo terræ: & illa formatio secundum August. non enumeratur in operibus sex dierum; sed potius inter opera illa, de quibus dicitur Ioann. 2. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Prima conditio fuit in causis suis primordialibus, in quibus seminaliter fiebat. Secunda conditio fuit in esse actu, & completo. Vnde August. *Fecit Deus Adæ adiutorium sibi simile de costa lateris eius: ibi autem factum est, cum easdem bestias agri & volatilia cœli adhuc de terra finxisset, & ad illum adduxisset.* Adhuc quomodo sexto die factum est, potest intelligi: quandoquidem illo die terra produxit animam viuam secundum verbum Dei: volatilia vero quinto die produxerunt: aquæ similiter secundum verbum Dei. Non itaque hic diceretur; & finxit adhuc Deus de terra omnes bestias agri, & omnia volatilia cœli: nisi quia iam terra produxerat omnes bestias agri sexto die, & aqua omnia volatilia cœli quinto die. Aliter ergo tunc, id est, potentialiter atque causaliter; sicut illi operi competebat, quo creauit omnia simul; à quibus in die septimo requieuit: aliter autem nunc, sicut ea videmus, quæ per temporalia spacia creat, sicut vsque nunc operatur. Ac per hoc iam per istos notissimos lucis corporalis dies: quæ circuitu solis fiunt, Eua facta est de latere viri sui: tunc enim Deus adhuc finxit de terra bestias & volatilia; in quibus cum adiutorium simile ipsi Adam non esset inuentum; illa formata est. In talibus ergo dieb⁹ etiam ipsum de limo fecit Deus. Neque enim dicendum est, masculum quidem sexto die factum: fœminam vero posterioribus diebus: cum ipso sexto die apertissime dictum sit, Masculum & fœminam fecit eos &c. & benedixit &c. quæ de ambobus & ad ambos dicuntur. Aliter ergo tunc ambo, & nunc aliter ambo: tunc, sc. secundum potentiam per verbum Dei, sc. tanquam seminaliter mundo inditam, cum creauit omnia simul à quibus in die septimo requieuit: ex quibus omnia suis quæque temporibus iam per seculorum ordinem fierent: nunc autem secundum operationem præbendam temporibus, qua vsque nunc operatur.

Gen. 1. & 2.

Ioan. 2.

Aug. super Genes. ad lit. c. 5 & sunt verba formalia.

¶ Sed contra hoc obijcitur. Genes. 1. dicto de conditione ho-

Gen. 1.

Genes. 1.

ne hominis, subditur. *Dixitq; Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen, &c.* Sed constat, quod Dominus non locutus est rebus existentibus in causis suis, & potentialiter: sed potius habentibus esse in actu. Et hæc est obiectio

August.

August. Et respondet August. quod Dominus loquebatur rebus existentibus in potentia, & non in esse actuali: eo modo quo Christus quandoque loquens præsentibus, simul loquebatur & futuris. Vnde dicit super Genes. 6. ad litt. *Quoniam loquebatur* (inquit) *eis, qui nondum audiebant, nec intelligebant: quia nec erant, qui verba perciperent: possem respondere, sic illos allocutum Deum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longe post futuros: nec tantum nos sed etiam eos, qui futuri sunt post nos: omnibus enim dicebat, quos futuros videbat. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Sicut Deo notus erat propheta,*

Hierem. 1.

cui dixit. Priusquam te formarem in vtero, noui te: hæc autem locutio nihil aliud erat, quam insertio causarum, siue conditio rerum futurarum.

Aug. ibid.

Vnde August. *Cum vero Deus dicebat: ecce dedi vobis omne pabulum seminale seminans semen: quod est, omnem terram, & omne lignum fructiferum: quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad escam: ipse sermo eius ante omnem aeris sonum, ante omnem carnis & nubis vocem, in illa eius summa sapientia, per quam facta sunt omnia: non quasi humanis auribus insonabat: sed rebus factis rerum faciendarum causas inserebat: sed omnipotenti potentia futura agebat: hominemque suo tempore formandum in temporum tanquam semine, vel tanquam radice condebat.* His visis patet quomodo responderi potest ad quæstionem propositam.

¶ AD hoc ergo, quod obijcitur: quod creauit omnia simul, & ita hominem. Dicendum quod hoc verum est eo modo, quo dictum est, scil. causaliter & seminaliter in ipsis mundi elementis: non eo modo quo res suis proprijs temporibus producuntur in esse completum. Quod insinuat

Aug. super Genes. ad litt.

August. distinguendo modos essendi 6. super Genes. ad litt. dicens. *Sic in illa prima conditione mundi cum Deus omnia simul creauit, homo factus est: qui esset futurus ratio creandi hominis, non actio creati.* Sed hoc aliter in verbo Dei, vbi ista non facta, sed æterna sunt, aliter in elementis mundi, vbi omnia simul futura sunt: aliter in rebus, quæ secundum causas simul creatas, non iam simul, sed suo quoque tempore creantur, in quibus Adam iam formatus ex limo & Dei flatu animatus.

¶ AD aliud dicendum, quod illa conuersio, de qua loquitur Lib. Fontis vitæ, non dicit aliquam innouationem siue mutationem circa conditorem rerum, sed dispositionem æternam de illis producendis in esse in tempore suæ productionis.

¶ AD aliud dici potest, quod est dicere res in suo esse cõpleto: & sic non dicit Deus pater res simul: nec sic intelligit August. omnia simul dici. Et est dicere res in sua arte: & hoc modo dicit Deus pater res simul, scil. in verbo suo, quod est ars omnipotentiæ illius.

¶ SED videtur ex hoc, quod tangit in fine autoritatis, sc. non aliter quam dicendo facis; quod res non sint aliter, quam in verbo suo, vel in arte. Respondeo, per hoc notatur, quod sine omni innouatione orta circa illum, suæ dispositioni obedit fluxus rerum in esse. Vnde dispositio sua in arte quantum ex parte ipsius est; est productio rerum in esse.

Psalm. 61.

¶ AD aliud, quod sequitur: patet responsio ex Gloss. ibidem, scil. *Semel locutus est Deus.* Gloss. inter homines multis modis loquitur Deus: apud se semel: quia vnicum verbum genuit, per quod omnia facta sunt, in quo simul omnia disposita sunt. Vnde semel loqui, vt vult Gl. est verbum æternaliter gignere, in quo omnia disposuit.

¶ AD illud, quod quæritur: quomodo potest Deus multa simul creare: cum ad vnius rei creationem requiratur infinita potentia. Dicendum, quod sicut prima bonitas summa dicitur; quia sine sui diminutione diffunditur, & diffundi potest in infinitum: sic & virtus summa, quia sine sui diminutione influit: vnde eius potentia quantumcunque influat, nunquam in alio diminuitur: propter quod infinita simul creare potest. Non autem intelligendum est, quando dicitur, quod diuina virtus influit in creaturas creando illas, vel operando in illis, quod diuidatur virtus eius, & sic impartiatur illis: immo quia ad nutum suæ voluntatis omnipotentissimæ sine diminutione suæ virtutis fiant, vel creentur. Vnde in ipso nihil accidit innouationis: sed quicquid innouationis ibi est, accidit circa creaturas. August. ad Marcellin. *Nihil corrigi posse asserunt, nisi quod ante non recte factum probaretur. Quibus respondere copiose si velim, tempus me citius deseret, quam exempla, quib. rerũ ipsa natura & opera humana certa ratione pro temporum opportunitate mutentur: nec tamen eadem ratio sit mutabilis, qua ista mutantur. Nonne hyemi æstas additio sensim calore succedit? Nonne quoties variantur ætates, adolescentiæ pueritia nõ reditura cedit & iuuentus adolescentiæ non mansura succedit? Hæc omnia mutantur, nec mutatur diuinæ prouidentiæ ratio: qua fit vt ista mutentur. Non autem opinor, cum agricola æstate aliud iusserit, quam iusserat hyeme, ratio mutetur agriculturæ. Et cum mane surgit qui nocte quiescebat, vitæ consilium non mutauit. Aliud magister adolescenti, quam puero solebat, imposuit. Non itaque verum est, quod dicitur, semel recte factum, nullatenus esse mutandum. Mutata quippe corporis causa, quod recte ante fuerat factum, ita plerunque mutari vera ratio flagitat: vt cum ipsi dicant, recte non fuerit, si mutetur: econtra veritas clamet, recte non fieri, nisi mutetur: quia vtrunque tunc erit recte, si erit pro temporum diuersitate diuersum.*

Aug. ad Marcellin. Epist. 5. Tom. 2. paulo post initium.

MEMBRVM II.

Adæ corpus, ex quo post opera sex dierum conditum arbitramur: num ante alia, vel post alia, tunc etiam condita, conditum illud esse arbitrandum sit?

SECVNDO quæritur de ordine temporis conditionis Adæ ad tempus conditionis aliorum. Et primo quæritur, Vtrum conditum fuit ante alia, vel post? ¶ Et videtur ex dictis supra, quod post: quia habetur Genes. 2. post opera sex dierum fecit Deus hominem de limo terræ. Hoc idem habetur ab August. ¶ Item, idem habetur à Magistro. Omnibus creatis atque dispositis, nouissime factus est homo tanquam Dominus & possessor, qui & omnibus præferendus erat.

Membro immediate præced. Genes. 2. August. 6. Genes. ad litt. Mag. 2 sent. dist. 15

¶ SED videtur, quod contrario modo fieri debuit, sic. In emanatione personarum à patre prius natura est emanatio personæ, quæ est imago patris, quam illius, quæ non est imago: & hoc secundum ordinem conuenientissimum: A simili videtur, quod in emanatione siue creatione personarum creatarum à Deo debent primo produci in esse siue causari illæ, quæ sunt ad imaginem creantis, siue imago: & si hoc; homo debebat cum primis creaturis creari: ergo & corpus. ¶ ITEM, corpus primi hominis inter omnia corpora singulari ratione fuit imago Dei, vel homo secundum illud: vnde ratione qua supra, debebat inter prima creata creari. ¶ ITEM, dicit Beda, quatuor fuerunt simul in principio creata, scil. angelica natura, cœlum empyreum, prima materia, & tempus. In genere autem corporum duo sunt nobilissima; humanum corpus (& maxime primi hominis) & cœlum empyreum: & si inter hæc est differentia nobilitatis, nobilius fuit corpus primi hominis simpliciter: (veluti illud, quod erat forma nobiliori perfectibile, ordinatum finem nobiliorem, & magis Deiforme, vt puta secundum quod homo erat ad imaginem Dei) quam cœlum primum: ergo videtur, quod ratione suę nobilitatis debuit creari inter primo creata, sicut cœlum empyreum.

Beda.

¶ ET potest hic incidenter quæri: quare illa quatuor tempore fuerunt primo creata. ¶ Item Homo & angelus habent paritatem in natura, licet habeant disparitatem in officio.

Qõ. incidentalis.

¶ SI ergo paritas est sufficiens ratio, quare paria debent pariter, id est, simul creari: ergo, &c. Sed homo non potest creari nisi corpus creetur: ergo cum angelus sit de primo creatis: & corpus humanum debet esse similiter: vel quare non? ¶ Item, Hugo in tantum rationalis creaturæ conditio cæteris omnibus, quæ propter ipsam facta sunt; excellentior esse probatur, quod omnium causa ipsa est. Ex hoc verbo videtur, quod etiam propter hominis excellentiam, & propter eius causalitatem, siue dignitatem prius alijs creari debuit, vel debeat. ¶ Item, cœlum & terra, in quibus omnia alia intelliguntur, creabantur. Vnde. *In principio creauit Deus cælum & terram:* per cælum autem materia omnium spiritualium

Genes. 1.

Glossa, & Hugo. li. 1. de sacram. par. 1 c. 6. ante medium. Greg super illud Marci vlt.

tualium intelligitur, siue creatura spiritualis: per terram corporalium: sicut ex Gloss. patet, & Hug. etiam dicit per cælum & terram, materiā omnium cælestium, terrestriumque hoc loco significari puto. Sed similiter *homo est quodammodo omnis creatura*: vt dicit Greg. *Item, prædicate euangelium omni creaturæ.* Ergo homo habuit creari inter creaturas primo conditas eadem ratione. ¶ Item, aut obseruatur in conditione rerum ordo naturalis, aut artificialis. Non naturalis: non enim impediunt bruta animalia hominem natura: sed potius homo illa: cum sit causa eorum. Nec artificialis, qui attenditur in ordine dignitatis: vt quando præordinatur quod est maioris dignitatis. Et sic neutro ordine videtur hominem secundum corpus humanum post alia debere causari.

RESOLVTIO.

Vt nimirum seruaretur congruentia triplicis ordinis, scilicet seruientium ad Dominum, incompleti ad completum, & finitorum ad finem. Vt pariter non confunderetur ratio constitutionis hominis, quippe qui ex multis constitit, cum multis communicauit, ac multis indiguit: non ante alia, sed post alia post opera sex dierum condita, corpus primi hominis conditum acclamamus.

¶ RESPONSIO. Corpus primi hominis conditum fuit post alias creaturas: & hoc propter multiplicem rationem. ¶ Vna est, vt hominis dignitas ostenderetur, qui erat alijs creaturis dominaturus. Vnde Hugo. *Prius siquidem opifex Deus mundum fecit: ac deinde hominem possessorem, & Dominum mundi, vt cæteris omnibus iure conditionis dominaretur homo.* Nota: quod dicit [*iure conditionis.*] Hanc rationem declarat Gregor. Nazianzenus tali exemplo. Prius conuenit illud esse, cui debet princeps aliquis principari; quam ipsum principem. Vnde determinato de conditione mundi sensibilis, dicit. Nondum magna hic & preciosa res homo, mūdi Dominus aderat: nec enim decuerat prius existere principem, quam illa, quorum gereret principatum. Sed vbi ei cuncta subijcienda parata sunt; iam consequens erat apparere rectorem. Quia igitur veluti quoddam Regni domicilium futuro Regi creator vniuersitatis effecerat; id autem erat terra, insulæ, maria, & super hoc cælum in modum carinæ curuatum: diuitias vero reposuerat regni multiplices. Diuitias autem dico totam creaturam, quicquid est in herbis, & plantis, & arboribus: quicquid in spiritalibus, & sensibilibus, & animatis. Quod si metalla quoque conuenit his annumerari diuitijs, quæ propter colorum pulchritudinem preciosa humanis oculis visa sunt; vt auri, & argenti, & lapidum eorum, quos homines amant: horum omnium copiam velut quibusdam regalibus Thesauris terræ finibus occultis: in hunc mundum hominem protinus introduxit: propterea * in hoc mundo post creaturam nouissimus introductus est homo: non vilissimus in extrema parte proiectus: sed quem decebat genitum mox esse rectorem.

Hug. lib. 1. part. 2. c. 1. in princ. Greg. Nazan.

* Alias, in hunc modum.

¶ Alia ratio fuit ordo incompleti ad completum. Ad completionem enim vniuersi requiritur, quod aliqua creatura sit simpliciter spiritualis, aliqua simpliciter corporalis, aliqua composita ex corporali & spirituali (vt sic Trinitas creata Trinitatis increatæ sacramentum sequatur: sicut habetur. 2. Senten. distin. 2.) creatura autem composita ex spirituali & corporali est homo.

2. Sent. dist. 2.

¶ Alia est ordo finitorum ad suum finem: homo enim est finis aliarum creaturarum sicut habetur à Philosopho & Hugo dicente. Constat creationem hominis rerum omnium visibilium conditione, posteriorem quidem tempore, sed causa priorem fuisse: quia qui est factus post omnia, propter eum facta sunt omnia. Hæ ergo tres rationes sumuntur ex congruentia ordinis, scil. seruientium ad Dominum, incompleti ad completum, finitorum ad finem.

Philos. 2. Phys. 24. Hugo li. 1. de Sacram. part. 2. c. 1. paulo post initium.

¶ Alia autem ratio fuit compositio ex multis. Homo enim inter omnes creaturas est cōpositissimus: sicut habetur in Lib. Fontis vitæ: vt supra tactum est. Propter quod dicit Isaac in Lib. de Elementis. Homo in naturali generatione vltimum est.

Isaac in li. de Elemē. Quæst. 81. Memb. 1. Greg. super illud Mar. vlt.

¶ Alia ratio fuit communicatio cum multis. Sicut enim dicit Greg. super illud Mar. vlt. *Prædicate euangelium, &c.* Omnis creaturæ aliquid habet homo: esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo; iuxta aliquid * homo est omnis creatura.

* Alias, omnes creaturæ est homo.

¶ Alia ratio indigentia multorum. Homo enim primus introducendus erat in mundum: vt ibi refectus & educatus transferretur in patriam. Vnde ad instar hominis prudentis inuitantis aliquem ad refectionem, qui præparat domum suam, & alia necessaria; antequam introducat pransorem: sic fecit Dominus: ne homo ad momentum indigeret, præparauit illi, quæ erant necessaria ad refectionem & educationem: & post introduxit eum in locum, vbi erat reficiendus & educandus. Et hoc est, quod dicit Greg. Nazianz. sicut quidam optimus inuitator nō prius in domum pransorem; quam præpararet epulas, introducit: sed omnem apparatum instruens, domumque congruenter exornans, discubitumque & mensam &c. tunc ad præparatas iam delitias conuocatum inuitat. Iuxta hunc modum diues & copiosus noster conditor, educatorque substantiæ, bonis omnibus replens habitaculum mundi huius, & magnas has epulas variasque dispositiones, sic introduxit hominem: dans ei opus eximium custodire mandatum: quo non appetitu rerum non * aliarum, sed præsentium possessione gauderet. Istæ tres rationes sumuntur ex exigentia constitutionis: quia enim ex multis constabat, cum multis communicabat, & multis indigebat, quæ illi conueniebant ex sua constitutione, conueniebat, vt post multa, ex quib. constabat, & cum quibus communicabat, & quibus indigebat, produceretur in esse.

Gregor. Nazian.

* Alias ex tantum.

¶ AD euidentiam eorum, quæ obiecta sunt: sciendum, quod in conditione eorum primordialium attenditur ordo naturæ. Sed notandum, quod natura dicitur multipliciter. Vno modo, prout est in ratione efficientis, secundum quod dicitur principium motus & quietis &c. Alio modo prout est in ratione materiæ, vel formæ, vel compositi. Ad hoc intelligendum nota, quod est rem considerare dupliciter: vel prout est in productione in esse, vel in fieri: vel prout est in esse completo, siue in facto. Et secundum istam duplicem considerationem est attendendus ordo naturæ, secundum quod natura est in ratione efficientis: quia penes ista duo attenditur fieri rei: quia fieri rei est proprie per actionem agentis in materia prout in esse, secundum quod est in ratione formæ vel compositi. Vbi ergo determinatur de rebus secundū ordinem rerum, secundum quod producuntur in esse, attendendus est ordo naturæ secundum quod natura dicitur materia.

¶ Notandum ergo quod in conditione rerum primo agitur de rebus, prout habent esse indistinctum, scilicet vbi agitur de creatione cæli & terræ: quia ibi omnia quodam modo creata sunt: & hoc ante primum diem. Vt enim dicit Hugo, *operis huius materia ante primum diem creata est: quia mox cum ipsa luce cœpit dies.* Consequenter in operibus trium dierum præcedentium agitur de rebus, secundum quod vlterius habent esse, sc. distinctum in tribus diebus vltimis, adhuc secundum quod vlterius & magis perfectum habent esse, prout vltimam sortiuntur completionem, scil. ex eorum ornatu. Et sic proceditur secundum viam naturæ: prout natura dicitur, quia proceditur à magis materiali ad magis & minus perfectum. In ordine enim causarum (prout creaturæ causæ dicūtur) primo est materia siue natura prout materia dicitur: secundo efficiens: tertio forma inducta per efficientem operantem circa materiam, cui immediatū, siue annexum est ipsum compositum, ad quæ secundum ordinem congruum sequitur finis, vt quod est vltimum, & cuius gratia alia. In cōditione ergo rerum primo creata fuit materia, circa quam agens efficiens prius formam induxit, distinguēdo rem à re, & vlterius complendo per rerum distinctionem ornatu, ad quæ secundum viam istam sequi debebat illa creatura, propter quam alia, sc. homo, sic ergo in conditione rerū primum attendendus est ordo naturę, prout natura materia dr. Si a. obijcitur, ꝙ ordo iste non vr literæ consonare: quia prima distinctio dierū est penes triplicē naturam, siue tres differētias naturæ: quæ sunt, luminosum,

Hug. li. 1. de Sacram. part. 1. c. 9. circa initium.

tranſparens,& opacum. Prima enim diſtinctio,ſc.diei primæ eſt lucis à tenebris: ſecunda eſt tranſparentis à tranſparenti,ſc.aquarum ab aquis:tertia eſt opaci à tranſparenti,id eſt,terræ ab aquis:hic non attenditur ordo naturæ,ſecundum quod natura materia dicitur: prout ordo huius eſt à magis materiali ad minus, ſiue à magis imperfecto ad magis perfectum:ſed econuerſo,vt patet. Dicendum,quod ordo prædictus attenditur penes partes principales, quæ diſtinctionem habent per opera conditionis,diſtinctionis,& ornatus:partes autem partium alio modo ordinantur, & ratione alia: quod hic determinare non eſt noſtræ intentionis.

¶ Ad illud,quod primo obijcitur. Dicendum,quod ſicut in emanatione æterna perſonę à perſona prima,emanatio eſt per maximam conformitatem: ſic eſt in emanatione creaturarum: quia angelus, ſiue natura angelica eſt de primis exeuntibus in eſſe à primo, vt vult Beda,qui inter omnes creaturas maxime deiformis eſt. Quare homo non eſt ſimiliter de primis,ratio tacta eſt. Vel poteſt dici, quod in diuinis perſonis ſumma requiritur germanitas:propter hoc requiritur,quod Spiritusſanctus, qui eſt tertia perſona ordine naturæ procedit à patre & filio. Ad quod ſequitur, quod ſit aliqua conformitas notionalis inter patrem & filium,quæ non eſt inter patrem & Spiritumſanctum: propter quod filius dr̃ imago,non Spiritusſanctus. Huiuſmodi autem germanitas nõ requiritur inter creatorem & creaturas: propter quod non requiritur ordo ille in creatione, qui requiritur in emanatione perſonarum increatarum.

Beda in exol. huius q. art.

¶ Et per hoc patet reſponſio ad illud, quod conſequenter quæritur de corpore:quod eadem eſt * ratio ad illud, & ad quod procedit.

*Alias,reſponſio.

¶ Ad aliud dicendum, quod ordo conditionis primi hominis,ſiue corporis non attenditur ſecundum ordinem nobilitatis:ſed ſecundum ordinem naturæ: eo modo quo dictum eſt:& hoc maxime ad opera ſex dierum, prout deducta erant in eſſe ex primis materialibus,quæ condita erãt ante primum diem.

¶ Ad illud,quod quæritur,quare illa quatuor,quæ dicit Beda,primo creata ſunt. Dicendũ, quod iuxta diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem cõueniens fuit, vt in prima rerum conditione primo exirent in eſſe,quæ inter alia magis ſortita ſunt rationem generalem potentiæ: & hoc tam in corporalibus,quam in ſpiritualibus actiuis & paſſiuis & menſuris actionum & paſſionum. In agentibus ſpiritualibus maxime habet potentiam agentis natura angelica: in corporalibus cælum primum: in paſſibilibus ſiue paſſiuis maximum eſt materia prima: in menſuris actionum & paſſionum maximum eſt tempus,ſecundum quod eſt primæ mutationis menſura: quod ſe habet vt præcedens æuum & tempus,alio modo ſumptum. Propter quod conueniens fuit iuxta diuinam ordinationem hæc primo creari.

¶ Ad aliud dicendum, quod ordo creationis rerum attenditur penes primariam rerum conditarum:quia tunc cõueniret, vel hominem fuiſſe creatum cum angelo in principio, vel angelum cum homine vltimo:ſed quia conditio creaturarum erat propter hominem, non propter angelũ: propter quod conueniens fuit quod ſecundum diuerſos ordines fieret hominis & angeli conditio. ¶ Præterea, intelligendum adhuc:quod anima rationalis,ratione cuius participatur quodammodo angelo; poteſt dupliciter conſiderari:vt eſt ſubſtantia nata ſubſiſtere per ſe: vel vt eſt actus corporis. Vt autem eſt nata ſubſiſtere per ſe, ſic diffinitur, Anima eſt ſubſtantia incorporea illuminationum, quæ ſũt à principio,vel primo ſecunda receptione receptiua: prout autem eſt actus,ſic anima eſt actus corporis phyſici organici potentia vitam habentis. Dicendum igitur, quod licet inquantum eſt,ſubſtãtia nata per ſe ſubſiſtere,ſolum à creatore dependeat:non tamen prout actus eſt:ſed quia inquãtum talis eſt conditio eius eſt vt ſit vnum corpore tali; eſſe eius inquantum huiuſmodi à corpore dependet:& ita quodammodo à terra & alijs elementis.

¶ Nota igitur, quod ſicut dicit Philoſophus: *vegetatiuum eſt in ſenſitiuo, ſicut trigonum in tetragono*: Vnde vegetatiuum eſt in ſenſitiuo,& ſenſitiuum in intellectiuo. Vnde omnia, quæ exiguntur ad conditionem aliorum animaliũ, exiguntur ad conditionem corporis humani, inquantum eſt * formale animæ rationali vt actu ſuo vltimo:requiritur tamen,quod illa meliorata ſint;& quaſi ſublimata: & ideo poſt conditionem aliorum omnium determinata erat cõditio hominis: & quantum ad animam;quia de ea intenditur, inquantum eſt actus huiuſmodi: & quantum ad corpus.Si de animæ determinaretur conditione,vt eſt ſubſtantia ſeparata;& non forma, vel actus ſubſtantiæ corporeæ; inter opera prima eſſet eius conditio numeranda.

Philoſ.

*Alias. formabile rationali.

¶ Ad illud, ꝙ ſequitur:quod homo nõ fuit cauſa conditionis creaturarum quæcunque, ſed cauſa, propter quam; ſiue finalis:ſicut dicit Hugo expreſſe in autoritate propoſita. Hoc autem genus cauſæ licet primo ſit in intentione agentis;cõuenientius ſequitur quantum ad eſſe ea, quæ ſunt propter ipſum, quam antecedit.

¶ Ad illud,quod ſequitur.Dicendum,quod alia ratione ſunt materialia rerum principia omnia, & alia ratione homo.Principia enim materialia rerum ſunt potentia omnia; & in eis intelliguntur ea, quæ ſunt ex illis: ſicut res intelligitur eſſe in ſuis principijs materialibus. Sed in homine nõ ſunt omnia, niſi per quandam coniunctionem: vt patet ex verbo Gregor. Vnde ratio propoſita non eſt ad propoſitum.

¶ Ad aliud,quod ſequitur, patet reſponſio: quia ordo conditionis reſpectu hominis eſt naturalis, eo modo quo dictum eſt.

¶ Ad aliud,quod obijcitur:quod bruta non præcedunt natura hominem.Dicendũ, quod hoc falſum eſt: ſecundum quod natura dr̃ materia. Licet enim bruta non ſint materia hominis:quia tamen eorum eſſe eſt maxime materiale reſpectu eſſe hominis: & omnia, quæ requiruntur ad eſſe illorum,requiruntur ad eſſe hominis:& illa etiam meliorata & nobiliori formæ propinquiora ſecundum ordinem naturæ, quæ eſt materia; non conuenienter dicuntur ordinari ad hominem.

QVÆSTIO LXXXIV.

De loco corporis primi hominis.

In duo Membra diuiſa.

Sequitur de loco corporis primi hominis, ſiue Adæ: Circa quod quæruntur duo. Primo quidem de loco conditionis. Secundo de loco habitationis, ſiue educationis.

D Thõ. 1. par. q 102 S Bõ. in 2. d. 17. dub. 2. & art. 2. Sco. ibid. q 2.

MEMBRVM I.

An corpus primi hominis conditum ſit in paradiſo terreſtri?

Quæritur ergo primo, Vtrum conditus fuit in paradiſo. Et videtur,quod non: dicitur enim. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Ex hoc patet, quod formatus fuit: & poſt formationem poſitus in paradiſo. Et ibi dicit Gloſſ. *Datur intelligi, non ibi fuiſſe hominem conditum: quia Deus præſciebat illum peccaturum, & inde pellendum ad hanc terram, vbi condiderat eum.* Ex hac Gloſſ. patet quod conditus fuit in terra hac inferiori, non in paradiſo. ¶ Item Magiſter in Hiſtorijs dicit: quod formatus fuit in agro Damaſceno:ergo &c.

Geneſ. 2.

Gloſſa.

¶ Sed videtur,quod debuit creari in paradiſo ſic: conditioni nobilioris creaturæ congruit locus nobilior: ſicut patet per hoc, quod creaturæ ſpirituales, ſcil. angeli creati ſunt in cœlo empyreo: corporales in terra. Ergo cum primus homo fuerit nobilior creatura brutis animalibus, debuit condi in loco nobiliori: non ergo in terra hac inferiori. Hoc etiam videtur per hoc,quod mulier prima,quæ non peruenit ad nobilitatem viri, primi, condita fuit in paradiſo.

¶ Item,in animalibus irrationalibus & plantis idem eſt locus conditionis & educationis: ſimiliter videtur quod animalium rationalium idem debuit eſſe ſaltem ante peccatum. Nec videntur rationes, quæ aſſignantur,quare conditus fuit extra paradiſum, valere.

¶ Quarum vna eſt,quod Deus ſciebat illum peccaturũ,

& inde pellendum ad hanc terram: quia hac ratione nec angelos apostatas creasset Deus in cælo, nec mulierem primam in paradiso; quia Dominus sciuit illos peccaturos, & de illis locis pellendos. ¶ Præterea, nec primus homo conditus esset in terra: quia in illa non fuit permansurus: sed in cœlo. ¶ Item, alia assignatur ratio: vt non naturæ, sed gratiæ hoc assignaretur. Hanc ponit Magist. 2. Sent. distin. 17. capit. Hominem autem ita formatum. Sed hac ratione mulier non debuit ibi creari, vt non naturæ, &c. ¶ Item, non videtur, quod vir spirituali mente præditus tanta ducendus erat ignorantia, quod aliquid sola gratia sibi factum, & maxime tam euidens beneficium gratuitum naturæ ascriberet, & non gratiæ.

RESOLVTIO.

Adæ corpus non in paradiso terrestri, quinimmo in agro Damasci plasmatum, & ad illum translatum dicimus. Nec quidem iniuria.

¶ Respon. quod (sicut dictum est) Adam plasmatus fuit extra paradisum in agro Damasci: vbi terra est rubra: & crescit, quando terra subtrahitur. Ad quam translatus est
Genes. 3. post peccatum. Genes. 3. *Emisit eum Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* ¶ Svnt autem plures rationes, quare conditus fuit extra paradisum. Vna est eie-
Glos. ibid. ctionis præuisio: vt habetur in Gloss. prædicta, quæ est. *Datur intelligi* &c. Alia ratio est excitatio gratitudinis: nam quia volebat Dominus, q nō naturæ, sed gratiæ ascriberetur permanentia sua in paradiso, condidit eum extra. Vnde
Magist. 2. Sēt. dist. 17 Magister. *Aperte Moyses insinuat, quod homo extra paradisum creatus, postmodum in paradiso sit positus. Quod ideo factum dicitur: quia non erat in eo permansurus: vel vt non naturæ, sed gratiæ hoc assignaretur.* Alia ratio est incitatio humiliationis: ne enim homo ex hoc quod vniuersæ creaturæ erat præpositus (vt patet
Genes. 1. Genes. 1.) superbiret, voluit Dominus, vt ipse considerans se de humili parte terræ factum, humilis esset in oculis proprijs. Alia est præmonstratio reuocationis: quia enim Deus sic eiecit eum, vt reuocaret: non taliter debuit homo fieri, vt omnino eijceretur extra locum suum: sicut Lucifer in signum eiectionis irreuocabilis in nullum locum sibi proprium fuit eiectus, idest, in nullam partem cœli. Et ideo alius fuit locus habitationis, & alius conditionis: vt eiectus de loco conditionis in signum reuocationis inueniret locum conditionis suæ. Alia est congruentia resolutionis, scilicet corporalis: quia enim res debet resolui in id, vnde facta est: & Adam merito peccati moriturus erat, & in puluerem, siue terram resoluendus in hac parte terræ: ideo ex
*Alias, affectionis. hac debuit fieri. Alia est minoratio * afflictionis: nouit enim Deus insitam homini afflictionem ad originem suam, sc. ad
Poeta. locum & terram, de qua est. Vnde Poeta.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos:
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Vnde si hominem primum fecisset Deus in paradiso, & de limo paradisi: semper haberet naturalem inclinationem ad illum: & ita magis affligeretur ex elongatione ab illo: & ita ei esset augmentum miseriarum.

¶ Ad illud igitur, quod primo obijcitur. Dicendum, quod conditioni nobilioris creaturæ congruit locus nobilior, salua dispositione diuinæ prouidentiæ. Vnde bene cōgrueret nobilior locus conditioni hominis loco conditionis animalium; nisi Deus aliter faciendo, melius homini prouidisset: & suam magis sapientiam condeceret: melius autem prouidit Deus homini casuro, sic faciendo, quam aliter: & plus suam decuit sapientiam: vt ex dictis patet. Præterea, diuina prouidentia omnia conuenientissime faciens, operatur quandoque, quæ decent eius nobilitatem, circa quod operatur: sicut Dominus creauit angelos in cælo empyreo, quod fuit locus maxime nobilitati angelicæ conueniens. Quandoq; quæ magis congruunt perfectioni nobilitatis: sicut Dominus condidit primum hominem in loco longe minus nobili à paradiso: & hoc, quia ille locus magis congruebat, & quasi cooperabatur perfectioni nobilitatis humanæ, quæ erit in patria: quia quodammodo excitabat hominem conditum ad humilitatem: & ita retinebat à casu, scil. ne moueretur ad elationem ex collato sibi dominio, vt tactum est. ¶ Si quæreretur, quare non hac ratione creauit angelum extra cælum: vt sic moueretur ad humilitatem: & sic retineretur à casu per elationem. Dicendum, quod angelus præditus fuit in creatione longe melioribus bonis; quibus præditus fuit homo in conditione: & propter hoc plus decebat diuinam bonitatem prouidere homini per aliqua, quæ erant extra hominem; quam angelo per aliqua, quæ erant extra angelum.

¶ Ad aliud, quod obijcitur de muliere, quod condita fuit in paradiso, &c. Dicendum, quod ratio huius non fuit nobilitas mulieris, sed hoc factum est dispensatione diuinæ prouidentiæ. Licet enim condita esset in paradiso: non tamen de aliquo, quod erat in paradiso: quia formata fuit de costa viri: vnde nihil contraxit de loco isto, sicut nec vir: vnde ratione originis suæ nulla prærogatiua accreuit mulieri ex loco conditionis: vnde causam habuit ex sua origine humiliationis, sicut vir. ¶ Præterea, licet ex conditione in loco tali nulla sibi accreuerit prærogatiua ratione originis suæ: accreuit tamen ratione loci: propter quod magis debuit excitari ad gratitudinem. Vnde sicut vir ex collatione in loco illo ad habitandum excitatus fuit ad hoc, quod gratus esset Deo: similiter & mulier: & etiam ad maiorem gratitudinem ratione conditionis suæ in loco eodem: propter hoc ergo Deus condidit ipsam in paradiso. Tamen non de paradiso, sed de viro: vt ratione eius, de quo condita erat, humiliaretur, sicut & vir: & ratione collocationis in paradiso excitaretur ad gratitudinem similiter, sicut & vir: ratione conditionis in eodem plus quam vir: vt illa, quæ non fuit prædita tantis bonis, quantis fuit vir: & ita minus habilis ad bonum ex aliquibus prærogatiuis, extrinsecus præstitis magis habilitaretur ad bonum: vt defectus ex parte naturæ ex donis superadditis suppleretur.

¶ Ad illud, quod obijcitur consequenter, quod idem est locus conditionis & educationis aliorum, &c. Dicendum, quod in hoc quod aliter fiebat homini & alijs creaturis, maxime animalibus & plantis; ostenditur differenter cura diuinæ prouidentiæ de homine & de illis, scilic. quia de salute humana est sibi cura, quam non habet de alijs:
iuxta illud. *Non est Deo cura de bobus.* Quod patet: quia per hoc 1. Cor. 9.
quod hominem condidit extra paradisum, excitauit illum ad humiliationem: per hoc quod hominem conditum, in paradiso collocauit; incitauit ad gratitudinem: & sic duobus modis humanæ prouidit saluti.

¶ Ad ea, quæ obijciuntur cōtra rationes assignatas, quare ita fieri congruit. Dicendum, quod reuera quia primus homo eijciendus erat de paradiso, conueniens fuit, vt ibi collocaretur tanquam aduena: & non ibi plasmaretur, tanquam indigena: si enim esset plasmatus ibi, conueniens esset, quod ex terra loci illius plasmaretur: nec est simile de Eua, quæ ex costa Adæ composita fuit. Vnde licet plasmata fuit in paradiso: quia tamen non erat plasmata ex aliquo ipsius, istud non fecit eam indigenam. Nec similiter est simile de angelo: quia ex nihilo creatus erat: nec ex aliquo conditus, quod erat cæli empyrei. Quando autem aliquis in alieno Regno vel loco delinquit, euidentiori ratione meret * eiectionem, quam si in proprio: & similiter quan-
do extraneus siue aduena iustus, quam indigena. *Alias, electione.

¶ Ad illud, quod obijcit consequenter: quod nec ratione prædicta esset primus homo condendus in terra: quia
in illa non fuit mansurus, &c. Dicendum, quod non est si- Gloss. & Magist.
mile: quia supradicta Glo. & Magister in senten. intelliguntur de permanentia: in vita in mortali, non de permanentia post mortem; sub hoc sensu, non fecit Dominus hominem primum in paradiso, quia expellendus erat, non permansurus ibi in vita ista: quia & si non peccasset: transferendus erat ad locum alium, finito cursu vitæ istius, & non semper mansurus ibi.

¶ Ad illud, quod obijcitur de alia ratione, quia illa nō debuit Eua formari in paradiso, quia ascriberet naturæ, &c. Dicendum, quod non est simile: quia (vt dictum est) non de aliquo paradisi, sed de costa viri formata fuit.

Vnde

Vnde [illegible] naturalia [illegible] de paradiso: propter quod nihil poterat accipere, nisi ex illa conditione.

¶ Ad vltimum dicendum, quod si primus homo conditus fuisset in paradiso: quia tunc conditus fuisset de terra paradisi, locus ille esset ei naturalis: & ratione participationis in substantia: & forte in qualitate: quia sicut dicit Isido. in lib. Etymo., perpetua erat in eo temperies: homo ille, qui erat temperatæ & optimæ complexionis, forte aliquid temperamenti ex loci temperie contraxisset. Vnde licet nó sit dubium, naturalia ex gratia diuina dari: non tamen ita solent mouere ad gratitudinem, sicut illa, quæ illis addita sunt; & hoc quia hæc attribuuntur naturæ, illa gratiæ. Vnde licet fuisset ibi in spirituali præditus; minus esset excitatus ad gratitudinem ex beneficio præstito in conditione, quam ex post addito: quia potentia alia iudicantur naturalia, alia gratuita.

MEMBRVM II.

An Paradisus terrestris conueniens locus fuerit habitationi primorum parentum.

SEQVITVR inquirere, Vtrum paradisus erat locus conueniens habitationi primorum parentum. Ad cuius manifestationem prænotandum est, quid sit paradisus, & qui situs eius. Situs (inquam) duplex, sc. respectu terræ, cuius est pars & respectu cœli, à quo ambitur.

Dam. li. 2. de Ortho. fide c. 11. non longe a princip.

¶ QVID autem sit Paradisus, tangit Damascen. dicens. *Quia vero ex visibili & inuisibili creatura conditurus erat Deus hominem secundum propriam imaginem & similitudinem, sicut quendam Regem & principem omnis terræ & omnia, quæ sunt in ipsa, constituit ante eum, velut quandam Regiam, in qua conuersans, beatam habeat vitam. Et hic ipse diuinus paradisus, Dei manibus in Eden plantatus, gaudij & exultationis vniuersæ promptuarium (Eden enim voluptas interpretatur) in Oriente quidem omni terra excelsior positus: temperato vero & tenuissimo & purissimo aere circumfulgens, plantis semper floridis comatus, & bono odore plenus, lumine repletur: pulchritudinis vniuersæ, & formæ sensibilis superexcedens intelligentiam: Diuina vero regio, digna eius, qui secundum imaginem erat Dei, conuersatio: in quo nullum irrationalium habitabat: solus vero homo diuinarum manuum plasma.* Item Iosephus. *Ad orientem plantauit*

Iosephus.

Deus paradisum, omni germinatione florentem: & in hunc locum introduxit Adam, & eius vxorem, præcipiens eis plantationum solicitudinem.

Isid. li. Ety. 14. cap. 13.

¶ AT Isidorus ait, *Paradisus est locus in Orientis partibus: cuius vocabulum à Græco in Latinum vertitur, Hortus. Porro Hebraice Eden dicitur, quod in nostra lingua Deliciæ interpretatur: quod vtrunque iunctum facit Hortum deliciarum. Est enim omni genere ligni, pomiferarumque arborum consitus, habens & lignum vitæ: non frigus ibi, non æstus, sed perpetua aeris temperies: e cuius medio fons prorumpens, totum nemus irrigat, diuiditurque in quatuor nascentia flumina. Cuius loci post peccatum hominis aditus interclusus est: septus est enim vndique romphea flammea, & muro igneo accinctus: ita vt eius cum cælo pene iungatur incendium.* Ex his patet, quid est paradisus: quia locus maximæ amœnitatis: & de situ eius respectu terræ.

Strabus & Beda.

¶ ITEM Strabus & Beda dicunt, quod hic locus in Oriente positus, interiecto Oceano & montibus oppositis regionibus, quas incolunt homines, secretus & remotissimus est: pertingensque altitudine vsque ad lunarem circulum: vnde aquæ diluuij minime illuc peruenerunt.

¶ His præsuppositis, quæritur, Vtrum paradisus fuit locus conueniens habitationi primorum parentum. Et videtur quod sic ex verbo Damasc. supradicto: quod est diuina regio & digna eius, &c. ¶ ITEM, tria faciunt locum conuenientissimum habitationi, sc. abundantia bonorum, temperies, & amœnitas. Abundantia bonorum fuit maxima in paradiso: vt patet per August. dicentem; *Quid timere, aut dolere poterant in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec aberat quicquam, quod voluntas bona adipisceret: nec inerat, quod carnem animumue hominis feliciter viuentis offenderet.* Temperies maxima fuit ibi; vt patet per Isid. dicentem. *Non frigus ibi, nec æstus, sed perpetua aeris temperies.* Similiter amęnitas; quod per Dam. patet: qui dicit: *quod est pulchritudinis vniuersæ.*

Aug. 14. de ciuit. Dei cap. 10.

Ib. Etymo. lib. 14. c. 13.

Damas.

¶ SED contra hoc potest obijci ex positione. Expositorum sacræ scripturæ Bedæ & Strabi, & quorundam aliorum. Vna fuit de loci celsitudine: alia fuit de situ respectu circulorum cælestium. Dicit autem Beda & Strabo, quod hic locus altitudine pertigisset vsque ad lunarem circulum. Circa quod dubitatur, quia cum luna sit frigidissima effectiue, videtur quod ibi maxima intemperies frigiditatis: cuius oppositum dicit Isido. ¶ Item sub circulo solis tria sunt interstitia, quorum primum est in intemperie caloris propter coniunctionem, vel approximationem ad solem. Secundum est in intemperie frigiditatis propter remotionem, & distantiam à sole: vbi generantur niues, & grandines, & huiusmodi impressiones frigidæ. Tertium est infimum, vbi quandoque abundat calor ex reflexione radiorum: sicut quando sol approximat ad zenith nostrum: & quandoque frigus, vt quando sol elongatur. Sed constat, quod locus paradisi secundum eorum positionem aut est in primo interstitio: & tunc est in intemperie caloris: aut in secundo, & tunc est intemperie frigiditatis: & ita vt prius. ¶ Item, ignis attingit orbem lunæ, vt videtur: quia luna est corpus infimum inter cælestia: & suus orbis infimus. Aut ergo ignis locatur in illo: aut aliquod aliud corpus aut aliquid est vacuum inter vltimum corpus celeste, & supremũ corpus elementi: sed constat quod non est ibi vacuum, nec aliud à quinque corporibus, scil. à corpore cælesti & quatuor elementis: relinquitur ergo quod ignis sit ibi: igitur amœnitas & fæcunditas non potest esse ibi, nec locus ille habitabilis. ¶ Item, in mõte Olympo, qui est multo inferior sphæra lunæ, nõ viuitur propter puritatem aeris (aere enim crasso viuimus & nos & animalia) vnde ascendentes illum montem spongias aquosas ferebant secum ad nares: ergo multo magis in subtilissimo aere paradisi non potuit viuere: erat namque Adam in paradiso animalis, & ideo crasso aere indigebat. ¶ Item, supposito quod paradisus sit ita eleuatus: non erit ita medium siue centrum terræ & cæli: quia punctus, qui æqualiter distaret à superficie terræ, diametraliter opposita, non esset centrum cæli: quia non æqualiter distaret ab omni parte circunferentiæ cæli: sicut facit punctus, qui est centrum terræ, circumscripta illa altitudine, qua dicunt paradisum eleuari. ¶ Item, si tota terra perforaretur diametraliter: & lapis vnius cubiti descenderet per foramen: descenderet quidem vsque quo medium lapidis esset ex parte vna centri cæli: & alia pars eius ex parte altera. Eadem ratione si paradisus, sc. pars terræ eleuaretur ad globum lunæ, necesse esset terram ex omni parte (ad minus in duabus partibus diametraliter oppositis) habere consimiles eleuationes; ad hoc vt centrum terræ esset centrum cœli: & tunc patet et manifeste, quod terra respectu cæli nõ esset punctus, sicut nec sphæra lunæ: igitur aut paradisus non tantum eleuatur, aut centrum terræ non est centrum cæli. Ex hoc etiam videtur sequi, quod nec paradisus, nec locus alius superficiem terræ notabiliter excedat. ¶ Item, si esset in tantum eleuatus, vt dictum est; accideret quod tardius esset dies in parte orientali & locis vicinioribus, quam in occidentali & locis remotioribus; amplior enim erit distantia inter supremum paradisi & superficiem terræ, quam inter oriens & occidens. Cum ergo oritur sol in oriente: vmbra, quam proijcit paradisus; extenderetur vltra terminũ terræ occidẽtalem: vñ sole ascendẽte, curtabitur vmbra ista paulatim in occidente: & sic in parte orientali prius erit sol apparens: & sic prius dies.

¶ AD hoc dicunt quidam, quod attingere ad lunarem circulum, potest intelligi duobus modis: Vel secundum dimensionem localem: & sic non est verum verbum Bedæ: vel secundum proprietatem siue conformitatem: & sic verum est sub hoc intellectu: quod sicut circuli lunaris & ipsius lunæ est status & natura incorruptionis: similiter & loci paradisi fuit proprietas immortalitatis & incorruptionis. Sed secundum hunc intellectum vere posset dici, paradisum attingere circulum Solis vel Saturni. Propter hoc aliter potest dici sine præiudicio: quod circulus lunaris dicitur vno modo orbis lunæ, quæ vltima est sphærarum cælestium: alio modo terminus humidarũ exhalationum: qui est post istum aerem turbulentum. Quia vero virtuti huic lunæ attribuitur ducatus humorum, & augmentum, & pro-

greſſus, poteſt dici lunaris circulus terminus vaporum humidorum aſcendentium. Quod igitur dicitur, quod pertingit vſque ad lunarem circulum hoc eſt, vſque ad aerem quietum. Vel (vt dicunt quidam) illud verbum Bedæ non habet veritatem ſermonis proprij, ſed potius parabolici. Vnde dicitur paradiſus aſcendere vſque ad lunarem circulum, vt ſic eius altitudo maxima, & alijs terræ partibus quaſi incomparabiliter excellentior inſinuaretur.

¶ Et ex hoc patet, quomodo ad primum ſit reſpondendum.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet in ſupremo interſtitio propter coniunctionem & approximationem ad ſolem ſit calor intemperatus, & in medio frigus: tamen in ſuprema parte medij interſtitij propter coniunctionem cum infima parte ſupremi interſtitij, in qua eſt intemperies caloris & puritatem aeris (in illa enim parte non eſt ita craſſus aer, ſicut in partibus inferioribus illius interſtitij: quia exhalationes, ſiue vapores aquei & terreſtres non aſcendunt ad illam partem, ſicut ad partes inferiores) non fiunt in illa parte ita ſenſibiles impreſſiones, neque caloris, neque frigiditatis, ſicut in alijs partibus: vnde in illa parte eſt aer quietus, & temperatus, & ſine exceſſu frigoris & caloris.

¶ Ad aliud patet reſponſio ex dictis: quia dicitur verbum Bedæ intelligi eo intellectu, quo circulus lunaris dicitur terminus vaporum humidorum aſcendentium. Vel verbo illo hyperbolico eius altitudinem maximam voluit intelligi.

¶ Ad aliud dicendum, quod homo ante peccatum ſubtiliori erat contentus aere, quam nunc: ſicut homines modo contenti ſunt ſubtiliori elemento, quam piſces.

¶ Ad ea, quæ ſequuntur. Dicendum, quod locus ille non eſt ita eleuatus, vt ad lunarem circulum pertingat: ſicut ſupra dictum eſt. Nec intelligendum eſt, vt quidam exiſtimant, paradiſum eleuari ſuper aliam partem terræ æqualiter diſtantem à centro terræ, & conformiter alijs partibus ſed ex parte vna terræ erigitur magnæ profunditatis: ita vt vallis vndique relinquatur, propter quod multo apparet eleuatior. Præterea, quia huiuſmodi eleuatio, ſiue moles reſpectu magnitudinis cœli eſt inſenſibilis, quod eſt centrum cœli, eſt centrum terræ. Licet enim tota terra ſit alicuius quantitatis reſpectu circulorum inferiorum: nullius iudicatur eſſe reſpectu magnitudinis cœli.

¶ Ad vltimum dicendum, quod licet magna ſit huius loci erectio & extenſio: tamen reſpectu totius orientalis partis, & diſtantiæ inter orientem & occidentem parua eſt, & quaſi inſenſibilis: vnde oriente ſole, vmbra, quam proijciebat paradiſus, non extendebatur vltra terminum terræ orientalem. Non enim eſt amplior diſtantia inter ſupremũ paradiſi, & ſuperficiem reliquæ terræ, quam inter oriens & occidens: quia (ſicut dictum eſt) illa erectio ſecundum veritatem non fuit vſque ad globum lunarem: ratio enim ꝓpoſita, ſi quid habet efficaciæ, habet ex illa ſuppoſitione.

¶ Item, ex probabili poſitione aliorum ſcripturæ Expoſitorum ſimiliter dubitatur. Exiſtimant.n. quod ſit in ſectione orientali duorum marium, ſ. oceani, & maris mediterranei. Dicit enim Iſid. quod Oceanum Græci & Latini ideo nominant, eo quod in circuli modo ambit orbem. Idem, Mare magnum eſt, quod ab occaſu ex Oceano fluit, & in meridiem vergit: deinde ad ſeptentrionem tendit: & ideo magnum appellatur, quod cætera maria in comparatione illius minora ſunt: id etiam ē Mediterraneum: quia per mediam terram ad orientem profunditur. Dicũt ergo, quod paradiſus ſit in ſectione duorum marium, ſ. in angulo orientali terræ habitabilis. Ex quo ſitu ponunt, quod paradiſus eſt ſub circulo æquinoctiali. Hoc autem poteſt ſic pſuaderi: circulus æquinoctialis diuidit ſphæram in duo æqualia, quæ ſecundum quamlibet ſui partem æqualiter diſtat ab vtroque polo. Vnde circulus iſte diuidit ſphæram in duo æqualia ſuper eius centrum. Si ergo mare mediterraneum tranſit in orientem per mediam terram, ſub circulo tranſit ęquinoctiali in illa parte, in qua tranſit in orientem. Vt enim patet per Iſid. licet mare magnum (quod dicitur Mediterraneum) fluens ab Oceano à parte occaſus, aliquando tranſeat per meridiem in ſeptentrionem: nihilo minus ſecando terram per medium, tranſit in orientem: vt dicit Iſid. Vnde in parte orientali ſecando terram, in medio terræ tranſit in Oceanum: medium autem terræ eſt ſub circulo æquinoctiali. Et ita patet, quod angulus orientalis iuxta ſectionem prædictam eſt ſub circulo prædicto: & ita paradiſus.

Iſid. Ethimol. li. 14. cap. 13. Ὠκεανός, ᾗ ἀμφιτρίτη. ὠκυ. τὸ ἀμφιτρίβειν. i. à circumferendo.

¶ Sed his ſtantibus, videtur, quod locus ille non ſit aptus habitationi humanæ: quia locus ille eſt maxime intemperatus. Nam ſol bis in anno tranſit per zenith eorum, qui habitant ſub æquinoctiali, ſ. quando eſt in principio Arietis, & in principio Libræ. Et tunc ſunt illis duo alta ſolſtitia quia ſol eſt in directo ſuper capita eorum. Sunt iterum illis duo ima ſolſtitia, quando ſol eſt in primis punctis Cancri, & Capricorni. Et dicuntur ima ſolſtitia: quia ſol exiſtens in primis prædictis punctis, maxime remouetur à zenith capitis eorum. Vnde patet ex prædictis, quod cum ſemper habeant æquinoctium: in anno quatuor habent ſolſticia, duo alta, & duo ima. Patet etiam, quod duas habent æſtates. ſ. ſole exiſtente in alterutro duorum punctorum æquinoctialium, vel prope: habent & duas hyemes, ſc. ſole exiſtente in primis punctis Cancri, & Capricorni, vel prope. Et hoc eſt, quod dicit Alphraganus, quod hyems & æſtas ſunt eiuſdem complexionis: quia illa tempora, quæ nobis ſunt hyems, & æſtas: illis ſunt duæ hyemes, & duæ æſtates. Sed regio illa, in qua ſol ſemel in anno tranſit ſuper zenith: vt* puta quæ eſt ſub* capite cancri, tam intemperata eſt, vt fere præ calore ſolis accedente ad eos ſit inhabitabilis: ſicut ſunt forte partes Indiæ maioris: quanti ergo feruoris erunt loca illa,* in quibus ſol bis in anno tranſit ſuper zenith?

Alphraganus.

* Alias pote.

Alias tropico.

¶ Item, habitantes ſub circulo æquinoctiali habent quatuor vmbras: quod non habent habitantes ſub circulis alijs: cum ergo vmbra obſcuritati atteſtetur, videtur quod in illa habitabili maxime abundat obſcuritas: & ita lucis carentia, & ita locus ille eſt minoris amœnitatis, & etiam vtilitatis, quam alia loca, quia ex deſcenſu radiorum corporum luminoſorum eſt amœnitas locorum, & fructuoſitas.

*Alias habitantibus.

¶ Item, videtur quod poſitio Bedæ de eleuatione, & aliorum de ſitu ſub circulo non poſſunt ſimul ſtare, ſic. Si locus ille eſſet tantæ altitudinis apud manentes ibidem, quælibet nox eſſet maior die, & plus de anno eſſet ibi nox, quam dies.

¶ Qvod patet, ſi intelligamus lineam rectam tranſeuntem per ſuperficiem paradiſi vſque ad punctos orientis & occidentis, maior enim erit pars cœli ſub illa linea & minor ſupra. Sed ſole peragente curſum ſuum ſuper lineam, ſit dies: peragente ſub, ſit nox: ergo &c. Hoc autem non poteſt ſtare cum poſitione illa, quæ eſt quod paradiſus eſt ſub circulo æquinoctiali: quia circulus æquinoctialis dicitur ratione, qua eſt æquatio diei & noctis: quia adæquat diem artificialem nocti. Vnde ex ſitu paradiſi ſub circulo æquinoctiali ſequitur, quod ibi omnes dies artificiales ſuis noctibus eſſent æquales, & eſſet ibi ſemper æquinoctium, quorum zenith eſt in æquinoctiali circulo, cuius cauſa eſt, quia videre poſſunt vtrunque polum: & ideo eorum horizon eſt rectus, tranſiens, ſ. per vtrunque polum: circulus autem per vtrunque polum tranſiens omnes parallelos æque diſtantes æquinoctiali ſecat in partes æquales: ita vt arcus ſup horizonte, qui eſt arcus diei, ſit æqualis arcui ſub horizonte, qui eſt arcus noctis.

¶ Præterea, ſi locus iſte eſſet ita eleuatus, vt ponit Beda, vel vt ponunt alij exponendo verbum Bedæ, eſſet magis ſterilis locis alijs: quod ſic patet. Montes maxime aduruntur à ſole (Eccleſiaſt. 43. Tripliciter montes exurit ſol) & hoc eſt, quia celſitudo montium plus excipit radios ſolis orientis: & radios meridianos incidentes excipit à propinquiori: & ita ſecundum virtutem calefactiuam maiorem: quia pyramides radioſæ, quarum omnium communis baſis eſt in ſole, & coni diuerſi in punctis diuerſis celſitudinis, montes habent conos obtuſiores quam habeant pyramides, quarum coni à ſole terminantur ad loca humiliora & remotiora ab ipſo, angulus autem pyramidis radioſus quanto eſt obtuſior, tanto eſt ad vrendum efficacior: quia curſus oppoſitarum linearum in eadem pyramide directe oppoſitioni ſiue baſi oppoſitæ eſt vicinior.

¶ Præterea,

¶ PRÆTEREA, omnis pyramis luminosa a singulis punctis solis faciens habet in se altitudinem montis, posito ergo quod quantitate luminis ab vno quoque puncto solis, quam eadem quantitas celsitudinis reciperet à singulis punctis, tunc esset eiusdem celsitudinis spatium maioris elongationis a sole. Adijcit autem ad causam adustionis sol occidens, qui radijs suis post occasum diutius illustrat montium celsitudines: sicut scribit Philosophus in Libr. Meteororum, quod cuiusdam montis verticem illustrant radij solis post occasum vsque ad tertiam horam noctis. Sed adustio est causa sterilitatis & infæcunditatis: ergo cum locus ille sit eminentior aliquo alto loco, vel monte: videtur quod locus ille maxime vratur à sole: ergo &c. Et ex hoc etiam videtur, quod locus ille fuit maxime inhabitabilis.

¶ Si autem diceretur, quod irrigatio fontis paradisi nõ sinit ibi esse aliquam adustionem. (Dicitur enim, *quod fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.*) Gen. 2. Contra, cum aquæ fontium ex mari scaturizent: cum aqua sit ponderosa, non videtur quod possit ad loca tantæ celsitudinis ascendere. ¶ ITEM, terra inter omnia elementa est fæcundissima: & huius ratio est, quia fæcunditas & procreatio terrenascentium, & animalium causata est à luce corporis cœli cum suis luminaribus: nec aliquis alius locus extra terram & mundi medium posset esse tam conueniens generationi vegetabilium: quod sic probatur. Omne corpus luminosum à quolibet sui puncto vndique circa se lumen dirigit, & omnium linearum luminosarum ab eodem puncto luminosi corporis directarum, illa maioris est virtutis & fortius agens operationem luminis, quæ à corpore luminoso procedit ad angulos vndique æquales super corporis obiecti superficiem: & quælibet linea luminosa alia, quanto propinquior est lineæ exeunti ad angulos æquales, tanto eidem in fortitudine actionis magis accedit: & quanto ab illa remotius est, tanto minoris est virtutis. Omne quoque corpus luminosum sphæricum concauum à quolibet puncto sui dirigit vnam lineam radiosam in centrum suum ad angulos æquales super superficiem cõuexam illius corporis sphærici. Ad aliquod vero punctum præter centrum signatum non possunt concurrere, nisi quatuor lineæ radiosæ ad angulos æquales, exeuntes à superficie cõuexa illius corporis: quarum videlicet duæ lineæ veniunt à punctis oppositis per diametrum sphæræ, transeuntem per punctum extra centrum signatum: quę duæ lineæ non sunt nisi vna diameter sphæræ, secta in duas partes in puncto, propter centrum signato: & aliæ duæ transeuntes diametraliter à circumferentia ad eundem punctum. Item, ad quemlibet punctum intra corpus sphæricum luminosum peruenit vna linea luminosa à quolibet puncto superficiei sphærici corporis luminosi. Vnde in quolibet puncto intra concauum sphæræ luminosæ aggregantur tot lineæ luminosæ, quot in alio, hoc est quot sunt puncta in concaua superficie corporis sphęrici luminosi. Quo ad numerositatem igitur luminis quodlibet punctum intra sphęram luminosam æqualiter habet de lumine. Sed quo ad fortitudinem virtutis luminis centrum recipit maxime de lumine & quodlibet punctum præter centrum, quanto est centro propinquius, tanto recipit de virtute luminis maius: & quanto est à centro remotius, tanto recipit de virtute luminis minus: quia in puncto propinquiori centro adgregantur plures radij, minus oblique egredientes à superficie concaua circundantis luminosi: & in puncto remotiori à centro congregantur plures radij magis oblique egressi. Ex his patet, quod cum terra respectu cœli non obtineat nisi vicem puncti, quod in terra est aggregatio maxima virtutis luminis cœli & stellarum: & ideo ipsa maxime conuenit generationi, & perfectui vegetabilium, & sensibilium. Vnde si haberet terra quantitatem respectu cœli, non caperet sufficienter de virtute luminis ad generationem & profectum illorum: qua propter oportuit & cœlum esse quantitate magnum, & terram paruam.

¶ Ex his potest argui, quod cum centrum cœli maxime abundet virtute luminis, pars terræ centro propinquior erit fertilior: ideo fertiliores sunt valles montibus naturaliter. (Vnde psal. *Valles abundabunt frumento &c.*) Psal. 64. ergo si paradisus à centro terræ sit remotissimus, erit omnibus terris minime fertilis.

RESOLVTIO.

Paradisus terrestris profecto primorum parentum incolatui decens fuit: quippe qui temperie, amœnitateque longe vniuersas terras excellat.

¶ AD hoc dicendum, quod locus ille (vt ex dictis patet) fuit conuenientissimus ad inhabitandum. ¶ AD illud, quod primo obijcitur de vehementia intemperiei illius. Dicendum, quod causa multiplex est eius temperiei: quarum vna potest esse æquatio diei & noctis: quod accidit existentibus sub circulo æquinoctiali. Noctes enĩ sunt naturaliter frigidæ: vnde ipsarum noctium succedentium diebus, quorum est naturaliter abundare calore respectu noctium, earum frigiditas non sinit calorem diei intemperate intendi. Hoc patet exemplariter, quia in æquinoctijs nostris est regulariter temperies. Item alia causa potest esse suppositio fontis humoris fonti caloris, fons caloris est sol, fons humoris simpliciter est mare: sed in paradiso fuit fons qui irrigabat paradisum, & diuidebatur in quatuor flumina, Gen. 2. aquæ enim essentialis qualitas est frigiditas. Vnde ex fonte supposito soli in paradiso, vaporibus humidis virtute solis eleuatis, erat in illo repressio intemperiei caloris. Alia potest esse puritas aeris, siue subtilitas: propter eminentiam loci erectionem est aer purior, sicut patet de Olympo monte, & sic minus retentiuus caloris, & minus incorporatur illi aeri calor solis.

¶ AD illud ergo, quod obijcitur, quod regio illa, in qua semel in anno transit sol super zenith, est maxime intemperata &c. Dicendum quod non est simile in proposito propter causas temperantiæ prædictas. Præterea, in inferioribus habitabilibus (inferioribus dico respectu paradisi) nõ est vehementia caloris tantum ex transitu solis super zenith capitis: in cuius transitu diriguntur radij ad angulos rectos: sed magis propter congregationem & refractionem radiorum. Hic autem inferius est maior congregatio & refractio radiorum, tum propter spissitudinem aeris, tum propter inæqualitatem terræ, quæ valde est valliculosa, vbi enim non est solis directio ad angulum rectum, sed est, refractio radiorum, & aggregatio per aliquod oblique resistens, sicut patet, quando aliquis est in magno æstu, iuxta murum ex illa parte, qua sol dirigit radios, ibi est vehemens æstus, siue incensus, sicut patet in speculis comburentibus: hoc minime potuit esse in paradiso propter loci planiciem & cõuexitatem.

¶ AD aliud dicendum, quod reuera existentes sub circulo æquinoctiali habent quatuor vmbras: sed non propter hoc sunt in maiori carentia lucis: quia ista multiplicatio vmbrarum est in diuersis temporibus secundum diuersam peragrationem solis: quando enim sol est in alterutro æquinoctialium punctorum, in mane iacitur vmbra linealiter versus occidentem, & vespere econuerso, in meridie est eis vmbra perpendicularis super caput eorum. Cum autem est sol in signis septentrionalibus, tunc iacitur vmbra ipsorum versus austrum: Et quando sol est in australibus, tunc iacitur versus septentrionem.

¶ AD aliud dicendum, quod licet ille locus altus sit respectu aliarum partium terræ: tamen respectu cœli non est sensibilis quantitatis, vt dictum est: & ideo si nox excedit diem, hoc est in quantitate insensibili.

¶ AD aliud dicendum, quod locus ille non exuritur aliquo modo à sole, tum propter causas supradictas: tum ꝓpter causas supradictas: tum propter fluuij irrigationem: si autem non esset aliquid temperans æstum solis, bene sequeretur, quod rationibus illis concluditur: supposito q̃d in monte * fuit congregatio radij in angulo pyramidali: sicut in loco plano, & non dispersio siue lubricatio radiorum: propter nimiam eius conuexitatem: quod multi probabiliter ponunt. Ad quod potest esse argumentum, quod in montibus excelsis plus abundat, quam in terra plana, quod patet per hoc quod niues in montibus diutius permanent quam in terra plana, sed probabiliter concluderetur illis

* Alias, fiat vel fit.

ratio-

rationibus propositum de Paradiso, nisi essent causæ speciales, æstum solis temperantes.

¶ Ad illud, quod obijcitur quod propter aquæ ponderositatem, &c. Dicendum, quod multi montes spongiosi sunt: vnde illorum spongiositate aquas sugendo attrahunt: vnde fontes & fluuij oriuntur.

¶ Ad aliud dicendum; quod quia sua eleuatio à centro terræ, insensibilis est respectu cœli; non dicenda est fertilitas eius sensibiliter minor fertilitate locorum aliorum ex hac causa. Præterea, secundum elongationem eius à centro terræ sortitur situm viciniorem soli, & proiectioni radiorum solarium perpendicularium super locum illum, propter quæ omnia loca excedit fertilitate, alijs cócurrentibus, sc. irrigatione fluuij, qui oritur in ipso; perfecta temperie, & cæteris conditionibus nobis ignotis, quas diuina prouidentia illi loco inseruit.

QVÆSTIO LXXXV.

De conditionibus corporis mulieris, siue Euæ.

In sex Membra diuisa.

D. Tho. 1. par. q. 92. S. Bon. in 2. d. 18. art. 1. per tot.

DICTO de conditionibus respicientibus corpus virile. Dicendum est de conditionibus respicientibus corpus mulieris. ¶ Primo ergo quæritur, vtrum corpus mulieris formari debuit in viri adiutorium? Secundo, quid debuit esse materiale principium, scilicet costa, vel aliud membrum? Tertio, vtrum illius corporis formatio fuerit à Deo immediatè, an per ministerium angelorum. Quarto, de illius corporis integritate. Quinto, de illius corporis fortitudine. Sexto, de illius corporis dignitate, vtrum fuerit æquè magnæ nobilitatis, vt corpus virile.

MEMBRVM I.

An conueniens fuerit, corpus mulieris in viri adiutorium ad prolis procreationem formari?

Genes. 2. Aug. super Genes. ad litt. 9.

QVANTVM ad primum scribitur: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et quærit August. ad quid debuit habere hoc adiutorium? Et determinat, quod ad procreationem filiorum, dicens: *Sed quæritur, ad quam rem fieri oportuit hoc adiutorium? Nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos: sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtroque nascatur.* Et hoc ostendit sic: quia non oportuit sibi dari adiutorium mulieris magis, quam viri propter terram excolendam, nec ad tollendum fastidium, nec ad conuiuendum, vel colloquendum: nec ad hoc quod vnus alteri esset conformis in pace & voluntate. Et huiusmodi causis exclusis concludit, quod non fuit alia causa quam procreatio filiorum. Dicit enim sic super Genes. 9. *Si ad hoc adiutorium gignendi filios, non esset facta mulier viro: ad quod ergo adiutorium facta est? Si quia simul operaretur terram: nondum erat labor, vt adiumento indigeret: & si opus esset, melius adiutorium masculus fieret. Hoc & de solatio esse potest. Si solitudinis fortasse tædebat: quanto enim congruentius ad conuiuendum & colloquendum duo amici pariter, quam vir & mulier habitarent? Quod si oportebat alium iubendo, alium obsequendo pariter viuere; ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent: nec ad retinendum ordo defuisset, quo prior vnus, alter posterior: maximè si posterior ex priore crearetur; sicut fœmina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum fœminam tantum, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Propter quod non inuenio, ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahatur.* (Idem super eandē 9.)

¶ Quæritur ergo primo, vtrum conueniens fuit corpus mulieris formari in viri adiutorium ad prolis procreationem. Et quod non, videtur: quia natura operatur inquantum breuiùs potest: & hoc spectat ad eius nobilitatem, & dignitatem: ergo si generatio humana fieret ab vno solo principio, scilicet, ab vna persona, & ab vno sexu: natura humana dignius & perfectius esset instituta: ergo videtur, quod Deus non debuit eam condere in sexuum pluralitate.

¶ ITEM, Ratio, quare omnes homines ex vno procedunt, est: vt inuicem conglutinentur glutino dilectionis per vnitatem, quam habent in principio propagationis: sed si ab vno solo sexu homines orientur, magis inuicem coniungerentur; quam cum propagantur ex plurium sexuum concursu: ergo videtur, quod magis competebat hominem fieri in sexus vnitate, quam in sexuum diuersitate. ¶ ITEM, nihil debuit Deus dare homini in adiutorium, quod prænderet ei esse in offendiculum, sed Deus præuidit muliebrem sexum præstiturum esse viro occasionem lapsus, & ita fieri ei in scandalum: ergo minus prouide videtur fecisse, cum virili sexui addidit muliebrem.

¶ ITEM, Homo in statu innocentiæ debuit fieri expeditus ad hoc, quod posset assurgere sursum: sed intensio amoris circa creaturam aggrauat mentem, ne sursum tendat, si ergo mulier ex viro formata & in coniugium ei copulata magis attrahebat affectum viri, quam aliud creatum, sicut patet ex textu Genes. & euentu consequente: videtur quod formato viro, non fuit conueniens deinde formare mulierem. ¶ ITEM, in genere animalium est aliqua species, in qua non est distinctio sexus, sed sunt sexus, siue generis promiscui, vt cuniculus, lepus, & huiusmodi: & alia est species, in qua est distinctio huiusmodi, sed illa species animalis videtur esse perfectior in genere suo, quæ sine adiutorio alterius sufficit ad productionem sui similis, quam quæ non sufficit: *perfectum enim est, quod nullo indiget adiutorio extrinseco:* vt dicit Philosophus: si ergo decet genus humanum communicare cum animalibus naturæ perfectioris, videtur quod decebat hominem fieri in vnitate sexus. Philos.

¶ ITEM, in omni genere animalium, scilicet, tam perfectorum quam imperfectorum fit procreatio fœtus sine adiutorio consimilis speciei. Hoc etiam patet in genere animalis habitantis in triplici elemento, cuiusmodi sunt reptilia in terra, aquatilia in aqua, & volatilia in aere. Et illorum duplex genus, imperfectum & perfectum vocatur Totalum à Philosopho, quod dicitur totalum, quia est totum simul propter carentiam perfectæ distinctionis in sensibus, vel quia totum in aliis, secundum expositionem aliorum: cuiusmodi sunt apes & vespæ. Perfectum vero, quod habet omnes sensus perfecte. Et de reptilibus, quæ habitant in terra: hoc patet: cicadæ enim nascuntur ex pluuia: & ranæ, & mures de terra. Vnde Basil. Hexame. 9. Non enim cicadas solum ex imbribus terra rigata producit, vel alia plurima volatilium millia (quorum maxima pars propter sui tenuitatem vocabulis caret) sed etiam mures & ranas ex terra generari videmus: denique in Ægyptiacis glebis si pluuias largiores æstiuo tempore terra fuderit, mox infinitis muribus tota completur regio. Similiter de aquatilibus patet: dicit enim idem Basil. in eodem Lib. Anguillas non aliter, quam de cœno nasci certissimum est: quarum genus nec ouum, nec aliquis alter partus instaurat, sed de limo gignendi sortiuntur originem. De animantibus aeris vagis vel volatilibus similiter patet: apes enim nascuntur ex floribus, sicut dicunt Philosophi, & sancti, & maxime Cassiod. *Apes sicut minima ad modum, ita prudentissima ac solertissima animalia ex diuersissimis eas legimus, atque exire naturis: cum enim sint miri ingenij animantia, & non solum sensu, sed etiam prudentia abundent, ex quibusdam herbarum floribus procreantur.* De animalibus etiam perfectorum sensuum habemus exemplum à Basil. in vulturibus Hexame. 8. dicente, *eorum, quæ altius volitant animalium, quædam sterilia omnino sunt: sicut vultures, quos asserunt sine coitu generari: præcipuè cum sint longæui: nam vitam eorum centum annis manere confirmant.* (Ὁλοσ. totus.) (Basilius.) (Cassiod li. 7. de incarnatione verbi con. Nestorium.) (Basil. Hexam. 8.)

¶ PRÆTEREA, vt habetur ab Augustin. de Ciuit. Dei. Equa gignit sine commixtione cum mare, scilicet in Capadocia. Quare ergo oportuit viro, qui conditus fuit maxima potestate & virtute, dari adiutorium sibi simile ad procreationem prolis? ¶ ITEM, nihil cuius simile in specie occasionaliter deducitur in esse operatione naturæ, debuit inter prima principia rerum, & inter illa opera, ex quibus operatione naturæ aliqua sunt in esse producta (August. de Ciui. Dei.)

(cuiusmodi sunt, de quibus habetur in operibus sex dierum) in esse produci: sed tale quid est mulier, id est occasionaliter operatione naturæ producitur in esse. Vnde Philosophus Lib. de Animalibus dicit, *quod mulier est mas occasionatus*: hoc autem dicitur, quia natura intendens producere virum in esse, occasionaliter producit mulierem in esse: ergo mulier non debuit produci in esse inter prima rerum principia.

Phil. lib. de anima-lib. 2. Generatio. Animal. cap. 4.

¶ ITEM, summa sapientia creaturis optimè & discretissime prouidens, inter creaturas existentes ad eius imaginem non debuit aliquid condere, quod non ad diuinam formam principaliter conformaretur, sed magis irrationali naturæ: quod est enim Dei imago, siue ad eius imaginem, principalem debet habere respectum ad illud, cuius est imago, & non ad naturam irrationalem, cuius imaginem non gerit: sed huiusmodi est mulier. Vnde Gregor. Nazian. *Qui nouit omnia, antequam fiant, sicut Propheta pronunciat: prouidens atque prospiciens virtute præscientiæ suæ, in qua declinaret homo iuxta spontaneam voluntatem humani motus arbitrij: quia illud, quod futurum erat, inspexit, tribuit imagini differentiam maris & fœminæ, quæ non ad diuinam formam principaliter respiceret, sed irrationabili naturæ appropinquaret.* ¶ ITEM, ex ista autoritate Gregor. Nazianzen. videtur: quod mulier condita non esset in adiutorium viri, nisi vir fuisset lapsus per culpam. Vnde vult dicere, quod quia Deus sciebat primum hominem peccaturum, & ita merito peccati deficere à virtute, in qua conditus erat; formauit Deus mulierem, vt esset sibi in adiutorium ad filios procreandos, & sic sexus differentia propter peccatum erat, non propter peccatum vt tunc perpetratum, sed vt perpetrandum, sine præcognitum à Deo, fore perpetrandum.

Gregor. Naz.

¶ CONTRA, cum sit generatio in plantis & in animalibus, perfectiori modo est in animalibus, quam in plantis, sed quamuis in plantis non sit manifesta distinctio sexuum, in animalibus tamen est distinctio sexuum manifesta, & hoc attestatur generationi perfectiori: ergo si homo perfectissimum est omnium animalium, videtur quod conueniens fuerit hominem fieri in distinctione sexuum. ¶ ITEM, ad perfectionem vniuersitatis pertinet quod agentia & patientia sint distincta: si ergo ad generationem humanam necessario concurrunt agens & patiens, & hoc secundum quod competit perfectioni vniuersi: videtur quod debeat esse distincta.

¶ ITEM, in primo statu homo conditus erat ex duplici principio, scilicet ex spirituali & corporali, & in primo cõmunicabat cum angelis, in secundo cum animalibus brutis: sed spirituale principium hominis, quod est anima, sicut communicat cum angelis in participatione rationis, sic communicat in modo productionis & cibationis (sicut ei angelus producitur in esse per creationem, & reficitur per verbum vitæ, sic & anima rationalis) ergo videtur quod consimiliter ex parte corporis homo habeat cum brutis cibari & generari, sed homo habebat cibari ex fructibus arborum & terræ nascentibus, sicut animalia bruta: ergo debet communicare in modo generandi cum animalibus brutis: Sed cum sit duplex modus (est enim quidam modus generandi in distinctione sexus; quidam sine) magis conuenit homini illa communicatio, quæ est per modum nobiliorem, quam alia: modus autem nobilior est, quo distinguitur agens à patiente; quam ille, quo confunduntur in eodem: ergo &c.

RESOLVTIO.

Decuit certè Deum in viri adiutorium ad prolis propagationem mulieris corpus formasse: & quidem quadruplici ratione. Nimirum in primis vt in propagationis actu agentis patientisq; confusio non intercideret. Inde vt homo & humiliari & amore affici disceret. Tertio vt Christi & Ecclesiæ glutinum elucesceret. Postremo vt Dei & Ecclesiæ quæ in patria foret vnio, longe lateque appareret.

¶ QVOD concedimus: ad prædictorum intelligentiam. Et notandum, quod conueniens fuit genus humanum formari in sexuum distinctione, secundum quod innuit Text. Genes. 2. Huius autem ratio fuit moralis, litteralis, allegorica, & anagogica. Litteralis quidem, quia natura desiderat perfectionem, & refugit confusionem, & ideo debuit homo fieri taliter, vt esset in eo perfectio ad actum propagandi, & ita in primaria hominis conditione debuit fieri agens & patiens, & hæc inconfusa. Et hinc est, quod mulier formata fuit à viro distincta, ne si pluralitas sexuum in vnam personam concurrerent, confusionem facerent: quam refugit natura & rectæ rationis iudicium: sicut videmus circa hermaphroditum: Ratio vero moralis fuit, vt in hoc erudiretur homo quantum ad vsum humilitatis, & exercitium charitatis: videlicet vt dum vir videret se alieni sexus indigere, seipsum humiliaret: dum etiam attenderet alium sexum suo auxilio indigere, seipsum illi liberaliter & charitatiue impenderet. Ratio allegorica fuit, in illorum sexuum distinctione & coniunctione in carnis vnitatem, significaretur coniunctio Christi & Ecclesiæ. Postremo fuit ratio anagogica, vt in illa amicabili coniunctione viri & mulieris significaretur coniunctio animæ & Dei. Vnde Hugo. *Erant duo in ipso coniugio, coniugium ipsum, & coniugij officium, & vtrumque Sacramentum erat. Coniugium constabat in consensu fœderis socialis; officium coniugij constabat in copula carnis.* Coniugium Sacramentum fuit cuiusdam societatis specialis, quæ per dilectionem erat inter Deum & animam, in qua societate anima sponsa erat, & sponsus Deus: officium coniugij fuit cuiusdam societatis, quæ futura erat per carnem assumptam inter Christum & Ecclesiam: in qua societate Christus sponsus futurus erat, & sponsa Ecclesia. Significatur ergo hac coniunctione coniunctio animæ & Dei, & quantum ad magnitudinem adhærentis, & quantum ad fructus fœcunditatem. Sicut enim mulier in coniunctione ad virilem sexum habet fœcundari: sic bona voluntas fœcundari habet, dum homo Deo adhæret per gratiam Spiritus sancti: quæ est tanquam seminarium Spiritus sancti. Vnde Hugo. In hoc officio, masculo quidem, qui superior erat, datum est, quod propagandum fuisset de suo semine: fœminæ autem concipere & parere: vt in eadem similitudine demonstraretur: quoniam in illa inuisibili societate anima rationalis nullatenus fructificare posset, nisi prius semen virtutis à DEO conciperet. Ad hoc faciunt rationes quæ supra in opponendo adductæ sunt.

Genes. 2.

Hugo.

¶ AD primo obiectum in contrarium dicendum, quod bonitati, siue virtuti naturæ attestatur: quod non facit per plura, &c. Hoc verum est, quando ita bene, & ita conuenienter facit breui operatione; sicut fieret prolixiore, & vno operatore, sicut pluribus. Sed non est ita in proposito: melius enim & conuenientius producitur proles ex mare & fœmina, quam fieret si ex mare solummodo produceretur: sicut ex prædictis patet.

¶ SI autem quæreretur, quare Deus non fecit virum talis potestatis & virtutis, vt sine adiutorio fœminæ posset Deus genus humanum propagare. Dici posset, quod Deus sapientissime condidit res, & vnicuique dedit naturam, quæ sibi competebat: vt enim dicitur Genes. 9. *potentia Dei non est temeraria sapientia virtute omnipotens.* Et Hugo. *singulis prouidet, vt habeat vnumquodque, quod sibi debetur, & conuenit.* Natura autem creata de sua ratione, qua creata est, indigens est: vnde alieno indiget auxilio. Homo ergo ratione qua est creatura, naturam habet in indigentia constitutam. Vnde Hugo. *Homo naturam egens erat aliena auxilij, quo vel saluaret quod mutabile acceperat, vel augeret quod non consummatum habebat.* Diuina ergo sapientia optime prouidens hominis indigentiæ, prouidit non solum de adiutorio, quo saluaret quod mutabile accepit, & bonum quod ad corporis mutabilis salutem spectat, sed quo augeret quod non consummatum habebat, id est, bonum quo aptus erat ad diuinam participationem in gloria. Propter hoc Deus in prouidendo primo homini indigenti adiutorio ad prolis procreationem prouidit illi modo optimo, vt quo illi innotescerent diuina Sacramenta, & humiliaretur, & ad amorem Dei & proximi accenderetur: vt patet in assignatione causarum, quare data

Aug. super Genes. ad litt. 9. Hugo.

Idem.

fuit

tuit primo viro mulier in adiutorium. Præterea, non decuit humanam dignitatem in tali opere, scilicet propagationis humanæ, confusionem agentis & patientis sustinere. Ex his patet, quod melius & decentius factum fuit cum homine, qui erat principium generationis humanæ, quando datum fuit illi adiutorium simile sibi, quam si esset sibi datum in conditione; quod ad modum quorundam irrationalium sine tali adiutorio posset prolem producere.

¶ Ad aliud dicendum, quod modus procreandi prolem per commixtionem similium in specie, dummodo vna persona commiscentium originem habuerit ex altera, non diminuit rationem mutuæ dilectionis in prole, quia & in hoc modo propagationis sicut in alio omnes sunt ab vno, & iste modus est propagationi vtilior ratione, qua in commixtione hac diuina percipiunt Sacramenta, & conuenientiori ratione, qua confusio naturarum non admittitur.

¶ Ad aliud dicendum, quod diuina sapientia siue prouidentia, quæ est lex æterna, non est euentibus temporalibus regulanda: quod fieret, si facienda non faceret, neque ordinanda ordinaret, nisi secundum prouentus consequentes rerum conditionem. Sicut enim diuina voluntas non habet causam; sed ipsa est causa simpliciter & per se: nec iuste vult aliquid, quod nec futurum est iustum, sed econuerso. Vnde Hugo. *Prima rerum omnium causa voluntas est creatoris, quam nulla præcedens causa mouit, quia æterna est: neque subsequens aliqua confirmat, quoniam ex semetipsa iusta est.* Neque enim idcirco iuste voluit, quia futurum iustum fuit, quod ipse voluit: sed quod voluit, idcirco iustum fuit, quia ipse voluit. Similiter nec ipsa dispositio vel prouidentia recta est sine ordinata, quia aliquid futurum est ordinatum & rectum: sed quæ bona sunt & bene facta secundum ipsam sunt talia: & quæ mala secundum ipsam ordinata. Vnde Hugo. *Secundum hanc vniuersalem prouidentiam cunctorum non solum sua, quæ bona fecit, sed alienis quoque, quæ mala ipse non fecit, sed permisit; quod debitum est, dispensat: vt nihil in regno suo iustam ordinationem euadat.* Quod ergo summa sapientia conuenienter & vtiliter disposuit, scilicet mulierem dari viro in adiutorium, si debuit propter malum, occasionaliter sequens, non fieri: sed malum, si fieret, conuenienter ordinari. Vnde Hugo. *Bonam dispositionem insuper habent; & vt sint, quia bona sunt, & vt sic sint, quia ordinata sunt. Mala vero ex dispositione superna non habent, quod sint; quia mala sunt: & tamen habent quod sic sunt, quia ordinata sunt. Deus enim malum non facit: sed cum factum est; inordinatum esse non permittit; quia malorum actor non est, sed ordinator.* Multa enim sunt bona quæ elicit diuina sapientia ex malis (vt supra tactum est) propter quæ conuenienter permittit ea fieri. Vt enim dicit August. *Neque Deus vllum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciuisset: nisi pariter nosceret, quibus eos bonorum vsibus commodaret.*

Hugo.

Idem.

Idem.

Par.1.q.18. memb. 10. per totum. & par. 2. q. 16. memb. 6. & q.17. & qu. 18. memb. 2. Aug.11. de ciuit. c. 18.

¶ Ad aliud dicendum, quod adiutorium illud datum viro, non impediebat assurrectionem eius ad superna, quia nondum mouebatur aliqua affectione amoris libidinosi; quia adhuc habebat iustitiam naturalem cum integritate naturæ: sed prius promouebat: vt patet consideratis rationibus supradictis, scilicet quare datum fuit illi adiutorium tale. Amor enim naturalis proximi in statu innocētiæ non impediebat erectionem affectus per amorem in Deum: quod patet: quia regulabatur iustitia naturali.

¶ Ad aliud, quod obijcitur de animalibus promiscui sexus. Dicendum, quod ad procreationem fœtus talium animalium est vnum gerens vicem maris, & aliud vicem fœminæ: verumtamen vicissim hoc faciunt: vterque enim vtriusque vtitur officio. Quod enim vno tempore vicem gerit maris, alio vicem gerit fœminæ. Vnde in talibus non est procreatio fœtus ex vno: nec modus iste procreationis perfectus est; sed imperfectus, & in natura nobili abusio esset, non vsus.

¶ Ad aliud, quod primo obijcitur de triplici genere animalium, quæ non producuntur in esse per commixtionem maris & fœminæ in suo genere. Dicendum, quod hoc est naturæ defectus in illis, & imperfectionis. Vt enim dicit Philosophus, *tunc est vnumquodque perfectum, cum potest attingere propriæ virtuti*: tunc autem dicitur res attingere virtuti propriæ (sicut ibidem patet) quando potest facere quale ipsum est. Iste igitur modus productionis naturæ attestatur imperfectioni. quare homini non conueniebat. Nec dicit Basil. vulturem produci in esse sine semine consimilis in specie: sed potius quod dicit, relatio est quædam secundum assertionem aliorum. Quod autem virtus collata huiusmodi auibus & alijs animalibus, est à conditore eorum: meam latet insipientiam: & modum propagationis in illis ignoro: sed quod generatione vniuoca aliquod huiusmodi sine semine, vel aliquo seminis virtutem habente, non producatur in esse, vehementer opinor.

Philos. 2. de Anima. 34 & 7 Phys. 18.

¶ Ad aliud dicendum, quod quædam est occasio, quæ importat vitium, sicut inordinatio, vel ex parte superfluitatis, vel indigentiæ: vt in monstris: & ista non fuit in prima conditione. Alia est occasio, quæ magis respicit proprietatem aut veritatem ex parte finis: & sic posset dici mulier occasionata, id est, occasione viri facta quodammodo. Sed hoc vltimo modo non loquitur Philosophus: nec verbum eius veritatem habet, quantum ad statum primæ conditionis: natura enim muliebris æquè pertinet ad veritatem humanæ naturæ, sicut natura virilis: sicut probat Iulianus Toletanus in Lib. qui dicitur Prognostica futuri seculi. Et introducit verbum August. dicentis. *Non est vitium sexus fœmineus, sed natura: corporibus enim illis in futuro vitia detrahentur, & natura saluabitur. Quod nullo modo esset, nisi differentia sexus pertineret ad naturam.*

Iulianus Toletanus Lib.3.c.23.

¶ Ad illud, quod Nazianzenus dicit. Potest dici, quod mulier condita fuit, vt esset viro in officium; habito respectu ad statum lapsus. Et hoc videntur insinuare verba eius, in quibus dicitur: quod id, quod futurum erat, inspexit: tribuit imagini differentiam maris & fœminæ, quæ iam non ad diuinam formā principalemq; respiceret, sed irrationali naturæ propinquare videretur. In statu n. lapsus irrationali naturæ videbantur appropinquare, quia tunc insurgebant eis motus brutales & inordinati: nec poterant adinuicem carnaliter cōmisceri sine libidine & voluptate inordinata, in qua factus est homo totus caro ad modum bruti. Si autem stetissent in innocentia, in qua conditi erant, non esset sic. Vnde Hugo. Ante peccatum institutum fuit coniugium & coniugij officium, vtrumque ad Sacramentum. Vt coniugium equidem sanctificaretur pura mentis dilectione: officium quoq; coniugij impleretur sine carnis pollutione. Nunc vero quia per peccatum hominis caro humana corrupta est, iam post peccatum carnis commixtio sine carnali concupiscentia fieri non potest. Sed quia videtur esse Græcorum opinio scilicet Gregor. Nazianz. & Iohan. Damascen. quod non fuisset condita mulier nisi Dominus præuidisset lapsum humanum. Dicit enim Damascen. Sciens præcognitor Deus, quod in transgressionem fieret, & sub corruptione caderet; fecit ex ipso fœminam auxiliatricem * sibi secundum ipsum: auxiliatricem autē ad eam, quæ per genesim, id est, generationem post transgressionem generis ex successione consistentiam. Propter hoc aliter respondendum. Si enim dictum Nazianz. cum præcisione intelligitur, & causam importat sub hoc sensu, si non peccasset primus parens, vel non esset peccaturus, non sequeretur mulieris formatio: vt quasi peccatum præscitum futurum esse, causa fuerit formationis corporis mulieris: hoc nullo modo est concedendum; sed est contra Catholicos & Latinos expositores; & maxime contra August. dicentem: *Illa benedictio nuptiarum, vt coniugata crescerent, & multiplicarentur, & replerent terram; quamuis & in delinquentibus permanserit: antequā deliquerunt, data est, vt cognosceretur per procreationem filiorum ad gloriam connubij, non ad pœnam pertinere peccati.* Et sic patet, quod neque coniugium, nec filiorum procreatio ex viro & muliere respicit tantum primam culpam. Aliter ergo intelligendum est verbum Nazianzen. & Damascen.

Greg. Naz. & Ioan. Damasc.

*Alias ipsi.

Aug. 14. lib. de ciuit. Dei. cap. 21.

¶ Ad quod nota: primus homo conditus erat, vt participaret diuinum esse: vnde intentio naturæ in illo fuit

perpetuario esse talis, id est, esse rei rationalis. Non autem in hoc stabat intentio conditoris, sed intendebat, vt ex eo fieret humana propagatio & multiplicatio numeri electorum beatificandorum in participatione Dei in gloria, siue deiformitatis. Nazianzen. ergo & Damascen. referentes considerationem ad primum finem, scilicet, finem intentum à natura: quia primus homo conditus fuit immortalis, si non peccasset: vnde poterat assequi finem illum, scilicet, perpetuitatem esse sine commixtione, siue coniunctione cum muliere; ponunt, quod non oportuit sibi dari adiutorium mulieris, nisi fuisset casus in culpam. Vnde non est dicendum, quod ipsi crederent mulierem, non debere dari viro in adiutorium, nisi peccasset: sed quod non oportuit, propter primum finem. Si autem non peccasset, debuit sibi dari in adiutorium ad procreationem siue multiplicationem numeri electorum. Vnde si quæreretur, vtrum Nazianzen. & Damascenus ponebant mulierem non debere formari siue creari in adiutorium viri, nisi causa vel occasione peccati? Potest dici, quod non: sed quod ponebant, non oportere illam dari viro in adiutorium propter esse sui perpetuationem: nisi peccasset: oportuit tamen propter multiplicationem electorum numeri. Vnde dicentes, quod DEVS prævidens transgressionem futuram, sicut mulierem, &c. non dicunt totam causam conditionis eius, neque præcisam; vt dictum est.

MEMBRVM II.

An Eua corpus de Adæ costa formari debuit?

SEQVITVR de materiali principio ipsius Euæ. Quæritur ergo, quod fuit materiale principium illius: vtrum costa, vel membrum aliud.

Gen. 2. ¶ Quod costa, videtur Genes. 2. *Aedificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* ¶ ITEM, mulier formata fuit, vt esset viro in obsequium sociale, siue paritatis;

Gen. 3. hoc signatur Genes. 3. vbi dicitur: *Mulier, quam dedisti mihi in sociam, &c.* ergo debuit fieri ex illo membro, quo maxime paritas exprimitur vtriusq; sexus: sed tale membrum est costa: ergo &c.

¶ CONTRA, omnis sapiens operator, etsi producit rem aliquam de aliquo materiali principio, illud prælegit, quod magis est habile ad illius formæ susceptionem: sed humor seminalis, quod erat in corpore viri habilior erat ad susceptionem formæ noui corporis, quam costa: ergo &c. ¶ ITEM, mulier formata est de corpore viri: vt sicut illorum magna fuit vnio ex parte corporum: sic esset magna ex parte animorum, quæ est vnio dilectionis: vt scilicet ille diligeret eam, tanquam partem corporis sui, & illa illum tanquam sui principium: ergo debuit formari illo modo de illo, quo magis ipsi coniungeretur, primo carne, & consequenter animo: sed si de omnibus membris eius esset formata, magis esset illi colligata vnione corporis, &c.

¶ ITEM, si hæc formatio fiebat sic, vt maior inter eos esset colligatio amoris, debebat ita fieri, vt nullum posset oriri dispendium ipsi viro ex hac formatione: ergo non debebat fieri ex aliquo membro integro, cuius subtractione passus fuisset dispendium vel incurrisset infirmitatem.

Glos. Aug. super Genes. 2. Sed dicit Gloss. Augustin. super illud: *Adam non inueniebatur adiutorium. Mulier facta est de latere viri: quæ per ipsum firma facta est*; quia ex osse eius: ille propter ipsam infirmus, quia non costa, sed caro suppleta: ergo nó debuit illa formatio ex aliqua vno membro fieri: cuius carentia, vel subtractione damnificaretur ipse vir, sed ex multis, vel omnibus per subtractionem alicuius partis quasi insensibilis: ita quod in nullo passus esset dispendium sensibile.

Gen. 3. ¶ ITEM, mulier condita ita fuit, vt esset viro in sociam: vt patet Genesis 3. ergo debuit ex illis membris formari, in quibus maxima monstraretur æqualitas. Sed magis esset monstrata eorum æqualitas, si de omnibus esset sumpta: ergo &c. ¶ ITEM, multiplex reperitur formationis modus in genere humano, scilicet, quadruplex: sicut

August. Quæst. 71. monstrat August. vt supra tactum est: sed in quolibet aliorum trium corpus formatum fuit in quadam integritate & perfectione respectu materialis principij. Nam corpus Adæ ex omnibus elementis; corpus filij Dei ex humore seminario, quod habet respectum ad omnia membra Virginis: ex quibus operatione Spiritus sancti erant collecti purissimi sanguines ex quibus erat corpus eius: pari ratione corpus mulieris debuit formari de viro, ita vt aliquid haberet de singulis membris viri. Memb. 6. & 4.

Isidorus. ¶ ITEM non videtur, quod corpus mulieris formatum sit de corpore viri: dicit enim Isidor. *Adam & Heua conditi sunt simul*: ergo neuter ex neutro formatus. ¶ ITEM, si facta fuit ex costa, vtrum ex osse tantum: aut ex osse cum carne. ¶ ITEM, si facta fuit ex costa viri, quare non suppleuit Deus aliam costam pro illa; sed carnem: vt sic in nullo damnificaretur ex formatione mulieris.

RESOLVTIO.

Euæ corpus decuit & quidem ex Adæ costa formari magis quam ex alio illius membro. Ne (inquam) viri corpus ex hac formatione deformationis quidquam pateretur: vt Ecclesiæ formatio, ex Christi latere expressius figuraretur: par officium in prolis procreatione insinuaretur: & alter alteri arctius dilectione vniretur.

Memb. immediate præcedenti. ¶ RESPONDEO, Dicendum quod (sicut in præcedentibus habitum est) multis de causis mulier debuit formari de viro. Quia omnes debuerunt esse ex vno congruitate multiplici exigente: Nec tantum corpus mulieris decens fuit formari ex viro, sed etiam ex costa. Et potest multiplex ratio huius congruitatis assignari: prima attenditur secundum exigentiam identitatis viri: secunda secundum exigentiam significationis, siue præsigurationis: tertia attenditur secundum officium paritatis: quarta ratio secundum exigentiam socialis dilectionis.

¶ Prima ratio siue exigentia patet sic: si aliquod membrum debuit detrahi ad formandum mulierem, illud potissime fuit idoneum, in cuius subtractione mutilatio non præberet deformitatem, nec ablatio damnificationem: hoc autem fuit costa inter omnia membra organica: detractio enim costæ nullam attulit deformitatem, quia costa fuit de membris occultis: nec aliquod attulit damnum:

Cassiod. dicit enim Cassiod. *Costa vigintiquatuor radijs pro viscerum defensione flectuntur: ne teneritudo illa intraneorum importuna iniuria facillime læderetur*: *& constat*, quod ita *efficax reperitur ista causa in vno latere, sicut in alio.*

¶ Alia fuit congruentia præfigurationis, siue significationis: modus enim formandi mulierem fuit ordinatus ad instructionem nostram. Nam sicut debuerat mulierem fieri, vt sua coniunctione cum viro significaret coniunctionem Christi cum Ecclesia: sic & formari, vt sua formatione signaretur formatio Ecclesiæ de Christo. Vn-

Ephes. 5. Glo. Aug. de: *Et erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum in Christo & Ecclesia.* Gloss. Augustin. *Dormit Adam, vt fiat Eua; moritur Christus, vt fiat Ecclesia: dormiente Adam fit Eua de latere: mortuo Christo lancea percutitur latus, vt profluant Sacramenta,*

Rom. 5. Glo. Chrysost. *quibus formetur Ecclesia.* Et: *Qui est forma futuri.* vbi Gloss. Christo. *Sicut ille est pater omnium secundum carnem: sic Christus pater est omnium: secundum fidem: & sicut ex latere illius, dormientis assumpta est costa, vnde formata est Eua: sic ex illius latere profluxerunt Sacramenta, scilicet aqua ablutionis, & sanguis redemptionis, per quæ saluatur Ecclesia.*

¶ Tertia ratio fuit officium paritatis in procreatione prolis: officium autem illud medium tenet inter illos, qui vacant huiusmodi operi. Quia ergo hoc officium scilicet generationis est officium paritatis & æqualitatis: mulier, quæ formata fuit ad hoc officium exequendum, de loco paritatis debuit formari, scilicet, de latere, siue de costa: hoc est de loco, qui medium tenet inter supremum in corpore, & infimum. De paritate maris & fœminæ in

1. Cor. 7. Gloss. Ibidem eadem. hoc opere, habetur 1. Corinth. 7. *Similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier*: ibi Gloss. *In hoc pares sunt vir & mulier.* Et in eodem. *Similiter & vxor viro.* ibi Gloss. *Inuicem sibi subiecti.* In hac causa (dicit) vt vna sit eorum voluntas in lege naturæ, id est, in prolis procreatione, siue commixtione in opere carnis: quod fieri debuit secundum legem naturæ.

Hugo & Magister.

¶ Quarta autem ratio est coniunctio, siue vnio dilectionis: Vnde Hugo, & idem habetur à Magistro. 2. Sent. *Facta est de latere viri, vt ostenderetur: quia in consortium creabatur dilectionis.* De vtroque, scilicet officio paritatis, & consortio dilectionis potest intelligi illud, quod dicit August. dicit enim: *Quoniam vnusquisque homo humani generis pars est, & sociale quiddam est humana natura: magnumque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ.* Ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanæ societatis copula vir & vxor est: quos nec ipsos singulos condidit Deus; & tanquam alienigenas coniunxit: sed alterum creauit ex altero, signans etiam vim coniunctionis in latere: vnde & illa detracta formata est: lateribus enim sibi iunguntur, qui pariter ambulant; & pariter quo ambulent, intuentur. Si autem obijceretur contra hoc, quod dictum est (scilicet quod ad insinuationem paritatis inter virum & mulierem, facta fuit mulier de latere viri) per hoc, quod dicitur: *Caput mulieris vir*: ibi dicit Gloss. quia ex eius costa Dei virtute formata est: & ideo debet subijci viro, de quo facta est: & *Vir caput est mulieris.* Gloss. ibi: rector & auctor, à quo mulier sumpsit initium. Ad hoc potest dici: quod mulier fuit indicta duplici subiectioni, scilicet reuerentiæ; & hoc quantum ad statum innocentiæ, & quantum ad statum culpæ. Et hoc insinuatum fuit in formatione mulieris de parte viri: licet enim mulier condita esset, vt aliquo modo par esset viro: tamen penes virum residebat autoritas regiminis respectu mulieris: sicut viri est regere partes corporis sui: & hoc insinuatur in Gloss. quadam August. mystica super illud: *Facta est mulier in adiutorium viri*: quæ Gloss. sumitur Lib. 2. contra Manich. & in eadem dicitur: *Vocauit Adam vxorem suam, tanquam potior inferiorem*; & dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Et indicta fuit subiectioni seruituris: & hoc quantum ad statum culpæ: & hoc signatum est Genes. 3. vbi dicitur: *Sub viri potestate eris.* De hac subiectione. 5. ad Ephes. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* Gloss. ibidem: *In ea simplicitate, qua Domino subditæ sunt: sicut Sara subdita erat viro, quæ Dominum vocabat Abraham.* 1. Petr. 3. Hæc autem subiectio, siue seruitus debet intelligi (vt mihi videtur) de subiectione obedientiæ. In quibus autem tenetur vxor esse subdita viro, siue obedire, habet quæstionem: & ad minus (vt æstimo) in his, quæ ad bonum spectant matrimonij. In formatione autem mulieris de parte viri, quæ situm habet in medio corporis, insinuatur illam habere aliquam paritatem cum viro, vt quantum ad ea, quæ dicta sunt. Vnde hæc bene compassibilia sunt: mulierem cōditam fuisse, vt subesset illi quantum ad aliqua (& hoc signatum est ex hoc; quod ex parte aliqua illius formata est: & maxime ex hoc, quod ex parte inferiori, non suprema.) Et vt esset par quātum ad aliqua: & hoc significatum est per hoc quod fuit formata ex parte, quæ locum siue situm habet in medio illius, scilicet de costa.

Aug. in lib. de bono coniugali in principio.

1. Cor. 11. Gloss. Ad Eph. 5. Glossa.

Glos. Aug Gen. 2. Glossa. Aug lib. 2. cōt. Manichæum. Genes. 2. Genes. 3. Ad Eph. 5 Gloss ibid.

1. Petri 3.

¶ Ad primum obiectum in contrarium dicendum, quod omnia sunt apud omnipotētem eiusdem facilitatis: eadem enim facilitate producit aliquid in esse ex principio materiali habili ad formam rei producendæ in esse, & ex non habili; ex nihilo, & ex aliquo. Propter quod in productione rei in esse ex principio materiali eius omnipotentia: non est attendendus ordo habilitatis siue dispositionis ad formam inducendam; sed potius exigentia congruentiæ, vel vtilitatis.

¶ Ad aliud dicendum: quod non fuit formata de latere propter vnionem dilectionis, vt propter totam causam, siue præcisam: sed propter alia iam dicta: & etiam propter alia, quæ tangit Mag. & Hugo dicens: *Facta est de latere viri, vt ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis: ne forte si fuisset facta de capite, præferenda videretur viro ad dominationem: aut si de pedibus, subijcienda ad seruitutem. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, sed socia; nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda: vt iuxta se ponenda cognosceret; quam de se sumptam didicisset.*

Mag. 2 Sēten. & Hugo de Sa. Victo. nencis.

¶ Ad aliud dicendum, quod in nullo damnificatus est primus homo ex formatione illa. Ad gloss. supradictam, quæ est, quod ille propter illam infirmus factus est; quia nōn costa, sed carne est suppleta. Dicendum, quod Gloss. illa intelligitur de futura infirmitate, sub hoc sensu: propter ipsam, siue per ipsam infirmandus erat. Vnde verbo illo exprimitur causa infirmitatis tunc habita, sub hoc sensu, propter ipsam infirmus, id est, habuit causam infirmitatis. Affectio ergo amoris, qua mouebatur erga eam, licet non esset inordinata tunc: causa tamen fuit illi infirmitatis subsecutæ: quia enim noluit contristari suas delicias, vt dicit August. consensit illi in actum prohibitum: vnde peccauit, & infirmus effectus est: Non ergo intelligitur illa Glos. de infirmitate aliqua carnali, quam incurrit ex subtractione costæ.

¶ Si obijcitur contra hoc, quia ex ipsa Gloss. videtur, quod intelligitur de infirmitate corporali: quia in Gloss. subditur: quia non costa, sed caro suppleta est: Dicendū, quod hoc dicitur significatiuè, non causatiuè, id est, suppletio carnis, non costæ signum fuit infirmationis, non confirmationis, siue virtutis: De hoc infra habebitur fortasse.

¶ Ad illud, quod sequitur; patet ratio: quia vt dictum est, socialis coniunctio non fuit solum causa formationis mulieris ex costa: sed aliæ rationes prætactæ hic, & illa quæ tacta est ab Hugo. & Magistro Sent.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum quod alia fuit ratio compositionis mulieris ex viro, & compositionis Adæ ex elementis, & corporis Christi ex Virgine. Sicut enim patet ex dictis, multiplex est ratio, quare congruebat, quod fieret ex parte corporis: & ex parte tali, cuius consimilem non est assignare de formatione corporis primi hominis de limo, in erant elementa quatuor: & corporis Christi de sanguinibus corporis B. Virginis.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod verbum Isidor. debet intelligi, sicut illud verbum Iob. 40. Ecce Behemoth, quem feci tecum: Vbi quod dico [tecum] non est nota simultatis in tempore, sed similitudinis in ratione: vnde sensus est, quem feci tecum, id est, tibi similem in ratione. Vnde Gregor. *Si rerum causas in subtili discussione pensamus, simul factum angelum hominemque cognoscimus: simul videlicet, non vnitate temporis; sed cognitione rationis: simul per acceptam imaginem sapientiæ, & non simul per coniunctam substantiam formæ: vt dum homo eum, qui in ratione secum factus est, perusse consideras; ruinam sibi casum superbiæ ex ipsa propinqua sui perditione pertimescat: Ecce notat diabolum propinquum hominis propter rationabilitatis similitudinem:* & hoc est quod dicit, simul in cognitione rationis. Similiter dicendum in proposito, quod Eua & Adam dicuntur simul conditi, non vnitate temporis, sed cognitione rationis. Vel aliter potest dici, quod dicuntur simul conditi, sc. in quadam simultate ordinis ad idem. Sicut enim vir ordinatus est ad summum bonum, vt participet summum bonum in quadam deiformitate: similiter & mulier. Et hoc videtur Isidor. velle, determinans quomodo simul conditi sunt, dicens: *quod simul sunt conditi rationis ordine, non temporis vnitate.* Et dicitur ordo rationis, quando res rationalis ad summum bonum, ordinatur: vt simul dicuntur conditi rationibus seminalibus: secundum quod dicit August. illa fuisse causata simul cum alijs creaturis: iuxta illud: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.*

Gregor. in Moral.

Isidorus.

Eccles. 18.

¶ Ad illud, quod quæritur: Vtrum formata erat de costa cum carne, &c. Dicendum, quod de costa cum carne, non ex osse tantum: & hoc patet Genes. 2: ex verbis Adæ, dicentis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c.*

Gen. 2.

¶ Ad aliud potest dici, quod secundum quosdam pro costa in latere viri Dominus repleuit locum costæ carne, ad literam: sicut dicitur Gen. 2. Vnde dicunt, quod mulier in dextera parte abundat in vna costa respectu viri. Alij dicunt, quod Dominus pro illa costa suppleuit aliā. & quod caro ponitur hic pro costa; vt significetur affectio viri ad mulierem de se formatam, & inclinatio amoris carnalis. Et hoc insinuat hoc nomen [mulier] dicitur enim mulier, molliens herum, &c. Mihi videtur sine præiudicio dicendum, quod sicut dicit Textus Genes. 2. quod Dominus repleuit carne; non costa alia. Et hoc dicit glos.

Gen. 2.

Glos. Aug. Gen. 2. Aug. lib. ... super Gen. ad lit.

[illegible] super Genes. *Adam non inueniebatur adiutorium simile sibi* & sumptum est à [illegible] super Gen. ad literam, dicitur enim ibi: *Propterea sanè infirmus factus est, quia non costa, sed caro suppleta est.*

¶ Ad illud quod quæritur: quare non restituit ei Dominus aliam costam. Potest dici, quod non est sibi alia restituta; vt gereret signum & memoriale formationis ex se, & sic plus eam diligeret, vt partem sui, & ipsa magis illi fieret obnoxia, vt suo principio, & quasi in membro damnificato propter ipsam.

MEMBRVM III.

An Eua corpus immediate, vel per Angelorum ministerium à Deo productum sit?

Aug. 9. super Gen. ad lit. cap. 15. Gen. 2. Aug. super Gen. 9. ad litt. Item in eodem.

SEQVITVR inquirere: Vtrum illius corporis formatio fuerit à Deo immediate, an per ministerium angelicum. Et hæc est quæstio Augustini. ¶ Quod immediate à Deo, videtur ex textu Genes. 2. *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* ¶ ITEM, August. *Natura mulieris creata est, quamuis ex virili, quæ iam erat: angeli autem nullam omnino possunt creare naturam.* ¶ ITEM, Augustin. *Formare, vel ædificare costam, vt mulier esset, vsque adeo non potuit, nisi Deus, à quo vniuersa natura subsistit, vt ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terra puluere.*

Ex 2. Phys. & 2. de Generat. & Animal. cap. 4.

¶ CONTRA, nihil occasionatum, siue occasione productum in esse, est à Deo. Sed *mulier est mas occasionatus*, vt dicit Philosophus, & ita prima mulier non fuit immediate à Deo formata de costa, neque à natura: ergo medianté ministerio angelico. ¶ ITEM, nullum corporale, quod habet principium præcedens simile in specie, producitur à Deo immediate in esse, vt à tota causa: quia multiplicatio indiuiduorum in eadem specie est opus sequens opus primum. Sed corpus mulieris habuit principium præcedens simile in specie, quia corpus viri, ergo &c. ¶ ITEM, nihil seminaliter existens in aliquo producitur in esse à Deo immediate, siue vt à tota causa: tale fuit corpus mulieris. vnde August. *Alter autem tum ambo, & nunc alter ab altero, & tamen secundum potentiam per verbum Dei tanquam* [illegible] *vnde oriretur, cum creauit omnia simul*: nunc ergo [illegible] operationem præbendam temporibus, qua vsque [illegible] operatur. Ecce quod secundum August. Adam & Eua seminaliter erant mundo indita. ¶ ITEM, quando aliquid fit ex alio, inter quæ non est infinita distantia; ad producendum vnum in esse ex alio, non requiritur infinita potentia, cum ergo corpus mulieris, & costa non distent [illegible] potentia infinita; ad hæc quod vnum fiat ex altero. ergo videtur sufficere finita, & maxime illa, quæ in creaturis est maxima, hæc est angelica: ergo &c. ¶ ITEM, Deus in omni operatione naturæ intime operatur, & natura illi cooperatur, sed quando aliquod opus Deus operatur, in quo potest ei cooperari natura, siue cooperatur, nullo modo eius excludit operationem. Ergo similiter videtur, quod si angelus poterat cooperari Deo, siue cooperabatur in formatione mulieris de costa, quod Deus non debeat eius operationem excludere, sed angelus poterat cooperari sequestrando costam, & præparando: ergo &c. Media patet ex August. qui dicit, quod nonnulla est operatio Angelorum, vt aliquid creetur. Et in eodem: *Quid mirum, si mulierem ex osse hominis factam non nouimus: quando creandi Dei, quemadmodum angeli seruiant, ignoramus? Fideliter credimus factam fœminam ex viro, nullo interueniente concubitu: etsi forte corporalis ministratio sit per angelos in opere creationis, sicut fideliter credimus etiam virum factum ex terra nullo interueniente concubitu.*

Aug. 6. super Gen. ad lit. Aug. super Genes. ad litt.

¶ [illegible] quod producta fuit in esse [illegible] propter quod non potuit ab angelo fieri [illegible] præter omnem naturam. Hoc non videtur [illegible] angelorum, scilicet virtutis [illegible] facendi miracula, siue o[illegible] Antichristi. *Cuius ad*-

uentus est secundum operationem Satanæ in omni virtute, signis, & prodigijs mendacibus. Gloss. *tum soluetur Satanas, & per illum Antichristus in omni virtute sua, mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.* Et dicitur [*mendaciter, siue mendacibus*] secundum vnam expositionem Gloss. quia si vera sint, Dei permissione ad mendacium tendent. Et ita videtur, quod angelus apostata potest facere miracula. ¶ ITEM, videtur de hominibus. *Deinde virtutes.* Gloss. *id est eos, qui miracula faciunt.* 1. Cor. 12. Gloss.

RESOLVTIO.

Si concedimus Eua corpus mirabiliter, præter cursum naturæ ex viri costa formatam; & idem mirabili modo, scilicet per solam Dei potentiam in esse eductum concedere debemus.

¶ AD hoc dicendum, quod congruebat mulierem primam fieri ex viro & ex costa: vt patet ex dictis, ex quibus sequitur, quod immediate facta fuerit à Deo. Si enim de viro facta est, & non secundum cursum naturæ eo modo, quo filia de patre, & hoc congruebat, oportuit; quod fieret de ipso opere supra naturam, & ita per potentiam mirabiliter operantem. Præterea, cum costa non esset in propinqua potentia, vt de ea fieret mulier, sed in valde remota, & nullo modo disposita; cum de ea debuit fieri corpus mulieris immediate, siue sine mora temporis; oportuit quod fieret illa potentia, cui perfecte obedit omnis creatura. Præterea, sicut mulier de viro debuit fieri, vt monstraretur viri nobilitas quantum ad dignitatem principatus, siue principij. & sicut decuit mulierem fieri de latere, vt ostenderetur viri & mulieris æqualitas: sic decuit vt immediate fieret à Deo, vt seruaretur primi principii dignitas (dico in genere mulierum siue matrum.) Vnde sicut Adam, qui erat pater omnium viuentium, immediate à Deo factus est, sic Eua, quæ erat mater cunctorū viuentium (sicut habetur Genes. 2.) immediate debuit ab ipso fieri: Non enim debuit mulier in genere hominum dignitatem perdere, quam habent animalia vtriusque sexus in omni genere animalium. Et in hoc mira apparet Dei prouidentia, quæ sic nobilitat vnum sexum, vt nihil detrahat de nobilitate alterius. Conueniebat ergo vt immediate fieret à Deo, & non ab angelo. Et hoc habetur ab August. dicente: *Certissime dixerim, supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusque fœminæ corpus, & animam, conformationemque membrorum omnia viscera, sensus omnes, & quicquid erat, quo illa & creatura & homo & fœmina erat; non nisi in illo Dei opere factum, quod Deus non per angelos, sed per semetipsum operatus est.* Aug. super Genes. Lib. 5. c. 15.

Memb. huius quæst. in respon. ad arg.

¶ AD primo obiectum in contrarium patet responsio ex prædictis: scilicet in Quæstione, qua quæritur, vtrum corpus mulieris debuit formari viro in adiutorium: vbi determinatum est, quod Eua non fuit mulier occasionata, eo modo quo occasio vitium importat. Secundum enim quod occasio vitium importat; vt in monstris; sic non est mulier mas occasionatus. secundum autem quod dicitur occasionaliter factum, quod factum est præter primam intentionem naturæ, quæ respicit esse nobilissimum in re, quam intendit: dicitur mulier mas occasionatus. Natura enim in productione hominis primo & principaliter intendit producere hominem in sexu nobiliori; vnde quia deficit quandoque ex aliqua causa ex parte materiæ, vel ex aliqua circumstantia occurrente: vt quando generatur mulier: dicitur mulier occasionaliter producta in esse, & dicitur mas occasionatus: id est occasione maris, qui fuit intentus principaliter à natura, in esse productus. Nec hoc modo fuit prima mulier mas occasionatus.

¶ AD aliud dicendum, quod instantia est in proposito: Huic enim vniuersali propositioni: Nullum corporale, quod habet principium præcedens simile in specie, producitur, &c. est instare in proposito. Quare autem in genere hominum primo conditum fuit vnum indiuiduum, quod fuit principium omnium illius generis, & etiam illius indiuidui, quod debuit coexistere principium respectu totius prolis procreandæ, quod non fuit in principijs aliorum generum tertium dictum est supra.

¶ Ad

Qō. 79. ¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum, quod aliquid dicitur esse in aliquo seminaliter duobus modis: cōmuniter & proprie. Communiter, secundum quod ratio seminalis dicitur quicquid est inditum rei à conditore eius, vt de illa aliquid fiat, vel fieri possit, id est, vt de illa fiat aliquid secundum cursum naturæ: vel eo, qui est supra naturam. Proprie autem, secundum quod ratio seminalis dicitur natura quædam indita rei, qua simile ex simili cursu naturæ producitur: vt planta de planta, granum de grano eiusdem generis. Istos duos modos tangit Augustinus dicens: *Et elementa mundi huius corporei habent definitam vim qualitatemq́; suam, quid vnumquodque valeat, vel non valeat, quid de quo fieri possit. Ex his velut primordiis rerum omnium, quæ gignuntur suo tempore, exitus processusq́; sumunt; finesq́; & discessiones sui cuiusque generis: vnde fit vt de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum, cursumq́; rerum naturalem potestas creatoris habet apud se posse, de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent: non tamen id, quod non in eis posuit: vt de eis fieri, vel ab ipso possit: neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est: & hoc de vnaquaque re in tempore suo facit; quod antea in ea facit, vt possit.* Alius ergo est rerum modus, quo illa herba sic germinat, illa sic: illa ætas parit, illa non parit: homo loqui potest, pecus non. Et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt: sed ab illo rebus etiam creatis inditæ atque concreatæ. Et hoc ostendit tribus exemplis subiungens, & dicens: Vt autem lignum de terra excisum aridum sine radice vlla, sine terra, & aqua repente floreat & fructum gignat: vt sterilis fœmina in senectute pariat: vt asina loquatur, & si quid huiusmodi est: dedit naturis, quas creauit; vt ex his hæc fieri possent. Neque enim ex eis vel ipse faceret, quod ex eis fieri non posse, ipse præfigeret: quoniam seipso non est nec ipse potentior. Verumtamen alio modo dedit; vt non hoc haberent in motu naturali; sed in eo, quo ita creata essent; vt eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceat. Ex his verbis Aug. patet, quod ratio seminalis duobus modis sumitur, vt tactum est: & natura similiter. Quia natura potest dici vel naturalis virtus actiua, per quam est generatio similis ex simili: vel natura potest dici passibilitas, secundū quam quælibet natura subiecta est, & possibilis respectu operationis diuinę. Prout primo modo sumitur ratio seminalis, corpus Euæ fuit seminaliter in primis principiis rerū, & etiam costa: non prout secundo modo: Præterea, prout natura sumitur secundo modo, potest dici factum materialiter de costa: non prout primo modo.

Aug super Genes. 9. c. 17. Tom. 3.

¶ Ad aliud, quod sequitur, dicendum, quod infinitam distantiam esse inter aliqua, dicitur duobus modis: Vel ratione distātiæ primi imaginabilis & sui oppositi, id est esse, & non esse. Vel ratione distantiæ imaginabilis consequentis, & sui oppositi negatiue: sicut est distantia entis dispositi ad aliquid, & non dispositi: vel entis potentia ad aliquid, & non entis potentia. Inter enim quælibet opposita negatiue est quodāmodo distantia infinita; quia negatio etiam conuenit non enti: sicut in potentia inter esse, & non esse infinita simpliciter: similiter non entis potentia, & entis actu: maior enim est distantia inter non ens aliquid, & esse illud actu, quam inter non ens potentia ad aliquid & ens potentia ad illud: quia plus distat esse actu, à nō esse potentia, ab esse potentia respectu eiusdē. Quia ergo * costa non se habebat vt ens in dispositione aliqua ad corpus mulieris: vel etiam potentia; nisi obedientia vniuersali, qua omnia obediunt creatori; producere hoc in esse ex re tantum distante, non est potestatis conditæ. Dicendū ergo, quod licet inter prædicta non sit infinita distantia simpliciter; est tamen infinita quodāmodo. Propter quod ad producendum hoc ex hoc, non sufficit potestas aliqua creata: & maxime operatione repentina, siue momentanea. Hoc dico, quia fortasse aliqui ponerent, quod multiplici transmutatione posset de costa fieri semen: vnde posset mulier seminaliter produci in esse per motum naturalem aliquo modo: quod ego non assero.

* Alias, cōstat.

¶ Ad illud, quod sequitur, dicendum, quod licet angeli aliquod ministerium exhibuerunt in formatione mulieris de costa, sicut vult Augustin. non tamen formatio membrorum aliquo modo erat ab angelo, sed ab opere diuino: vt ex verbo Aug. suprapposito habetur. Vnde licet angelicum ministerium aliquo modo cooperaretur: vt forte detrahendo costam, & præparando, vel aliquod ministerium exterius exhibendo: non tamen formationi corporis cooperabatur: propter quod conuenienter excluditur ab illa operatione. Illud autem in rebus producendis in esse non dicitur cooperari Deo: sed quod intime in ipsa rei productione operatur.

¶ Ad illud quod sequitur, dicendum, quod angeli dicuntur facere opera miraculosa, siue mirabilia, ministrando materiam, & præparando: sed Dominus formam & completionem inducendo. Vnde solus Deus (proprie loquendo) facit illa, quæ exeunt in esse cursu mirabili.

¶ Si obiciatur (sicut tactum est) quod tempore Antichristi fient miracula, diabolo operante, sed non videtur, quod Deus & diabolus in aliquo communicent opere: *quia non est communicatio Christi & Belial*, siue conuentio: ibi Gloss. *Christus & diabolus non conueniunt*. Respon. Dicendum, quod diabolus non facit aliqua miracula, siue mirabilia: nec potest facere, nisi cooperando naturæ, expediendo eam, & accelerando: sicut fuit in factis aliquibus, quæ erant similia aliquibus plagis Ægypti: vt in serpentibus Magorum: facere autem huiusmodi opera, quæ sunt omnino supra naturam, & vbi nulla est operatio naturæ, sed sola obedientia; nullo modo potest. In operibus ergo mirabilibus, quæ fiunt à dæmonibus modo iam dicto, cooperatur Deus ipsi naturæ, quæ redditur expedita, & acceleratur opere dæmonis, ipsis dæmonibus, continue influendo in illis potentiam, vnde operantur. Nec videtur mihi inconueniens, ponere Deum cooperari, siue communicare cum dæmone quandoq; in opere operato: licet non conueniant in fine operis. Et sic intelligitur illud: *Quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Belial apostata interpretatur: cum quo Christus non conuenit: quia ille omnia male, Christus omnia bene egit: bonum enim & malum dicunt conditiones finis. 1. Cor. 6 Glossa. 2 Cor. 6.

¶ Ad illud, quod obiicitur: *Deinde virtutes faciunt miracula*. Dicendum, quod hoc intelligendum est per inuocationem: neq; enim faciunt homines miracula autoritate, & propria potentia operante: quia modus iste est solius Dei: neq; præparando materiam, & disponendo; sicut angeli: sed impetrando per inuocationem. Et hoc dupliciter: vel inuocando, siue per inuocationem in sanctitate personæ, sicut iusti: vel in sanctitate ecclesiæ, non personæ, sicut mali: ad quorum inuocationem Deus quandoque miracula fecit propter fidem ecclesiæ confirmandam, vel propter fidem ecclesiæ probandam: sicut faciet tempore Antichristi. Quo modo differenter faciunt miracula boni, & mali habetur ab Augustino dicente: *Aliter magi faciunt miracula; aliter boni Christiani; aliter mali: Magi per priuatos contractus, boni Christiani per publicam iustitiam: mali per signa publica iustitiæ: De hoc determinatum est in quæstione de Miraculo.* 1. Cor. 12 Aug 83 qq Qō 9 Tomo 4. Supra qō 42.

MEMBRVM IV.

An si Eua in statu innocentiæ ab Adam cognita fuisset, siue concepisset, carnis integritatem, in qua condita est, amisisset?

SEQVITVR de corporis illius, scilicet primæ mulieris integritate. Quæritur ergo, si Eua in statu innocentiæ fuisset cognita, siue concepisset à viro, perdidisset integritatem carnis, in qua condita erat. ¶ Et videtur, quod sic; per hoc quod mulierem cognosci à viro, & manere in carnis integritate, sunt incompassibilia, & semper erunt. ¶ Item, habere integritatem carnis & esse virginem, tunc consequenter se habebant, quia tunc non fuit integritas carnis sine integritate mentis; sed cognosci à viro, & habere integritatem carnis, tunc fuerunt incompassibilia; ergo si tunc cognita fuisset à viro, perdidisset integritatem carnis, in qua condita erat. ¶ Item, duos esse in carne vna, & non esse in carne vna, non se compatiuntur adinuicem, nec se compati poterant in primis parentibus. Primum autem ponit diuisionem carnis in muliere,

secundum integritatem. Ergo diuisio carnis, & integritas non poterant simul esse in prima muliere. ¶ Item, Singulare priuilegium beatæ Virginis fuit, grauidari in integritate carnis: quia hoc fuit supra omnem naturam. Sed si Eua cognosci poterat in integritate carnis, poterat grauidari similiter: sed hoc est supra omnem naturam, scilicet cognosci in integritate, & sine corruptione carnis: ergo si fuisset cognita à viro in statu illo, incurrisset integritatis suæ corruptionem.

Aug. 14. de ciuit. Dei. ¶ CONTRA, sicut determinat Augustinus: *Si stetissent primi parentes, numerus electorum propagatus fuisset ex illis per semen coitus: & hoc est de ordinatione & voluntate Dei, vt conuenissent in opere tali obediendo diuinæ voluntati*: sed si altera pars illarum ex hoc incurrisset corruptionem suæ integritatis, & deterior & indignior effecta esset: & hoc sine culpa sua: quia ex executione diuinæ voluntatis: quod videtur inconueniens: ergo &c. ¶ Item, corruptio integritatis pœna est: pœna autem non poterat prior esse, quam culpa. ¶ Item, corruptio integritatis habet annexam diuisionem continui: sed dolor est diuisio continui: ergo huiusmodi corruptio non poterat esse sine dolore. ¶ Item, vir poterat tunc cognoscere mulierem sine corruptione suæ integritatis: sicut enim non dicimus virum suam amittere integritatem pollutione nocturna: sic nec tunc cognoscendo mulierem. Similiter videtur, quod mulier tunc poterat cognosci à viro sine suæ integritatis corruptione: cum conditi essent in quadam paritate quantum ad hoc officium. Nec in aliquo demeruerit mulier, propter quod debuerit in sua integritate damnificari: sicut nec vir.

Q. incidentalis. ¶ Et potest hic incidenter quæri, quare mulier exigentia peccati magis fuit punita in corruptione pœnali, quam vir: Mulieres enim quando primò cognoscuntur, corruptionem patiuntur pœnalem: viri non sic. Item, ab Augustino habetur, quod si stetissent primi parentes, procreata esset proles sine corruptione integritatis: dicit enim sic: *In tanta felicitate hominum absit, vt suspicemur, non potuisse prolem seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur membra illa, quo cætera: & sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris.* (Aug. 14. de ciuit. Dei.)

RESOLVTIO.

Neque integritatem carnis, scilicet claustrorum; neque integritatem carnis propagatiuæ naturæ siue membrorum genitalium, sed puritatis solum carnis integritatem perdidisset mulier prima, si in primo statu à primo homine cognita fuisset.

¶ AD hoc dicendum, quod duplex est corruptio, propriè sumpta corruptione: Vna est integritatis carnis, & hanc non incurrisset Eua, si fuisset cognita in statu illo innocentiæ à viro suo: & de hac loquitur Augustinus. (Idem in eo dē de eadē.) Alia est corruptio fœditatis, quæ propriè est naturæ propagatiuæ, & membrorum genitalium; quorum natura non est solummodo corrupta, sicut aliorum membrorum; sed infecta. Nec hanc incurrisset, vt enim dicit Augustinus: *Potuerunt in paradiso esse nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus sine ardore libidinis.* (Idem super Gen. ad lit.) Vnde, si Eua fuisset in illo statu cognita à viro, mansisset porta propagationis in eadem integritate, qua prius: & ipsa natura propagata in eadem honestate, qua prius. Tertio modo potest dici corruptio nomine extenso, scilicet susceptio seminis siue commixtio carnis in opere coitus, secundum quod intelligitur verbum illud: *Erunt duo in carne vna*: (Genes. 2.) & hæc corruptio potest dici corruptio puritatis; quia facta commixtione maris & fœminæ in coitu, fœmina non mansisset in ea puritate, in qua condita erat: secundum quod purum dicitur, in quo non est permixtum aliquid, quod est alterius naturæ: quia iam carni suæ esset permixta caro viri. Cum ergo quæritur, si Eua fuisset cognita &c. Dicendum, quod prout integritas carnis dicit absentiam primæ & secundæ corruptionis, quod sic: secundum quod tertio modo, nequaquam.

¶ AD illud, quod primo obiicitur: quod mulierem cognosci à viro, & manere in integritate carnis, sunt incompassibilia: Dicendum, quod secundum quod integritas dicit absentiam corruptionis tertio modo sumptæ: verum est, & quantum ad statum naturæ conditæ. Secundum autem quod dicit absentiam corruptionis primo modo dictæ & secundo: verum est quantum ad statum naturæ corruptæ. ¶ Ex his etiam patet responsio ad aliud: quia habere integritatem carnis, & esse virginem consequenter se habent: secundum quod integritas dicit absentiam corruptionis, tertio modo sumptæ: & hoc quantum ad statum vtrumque. Puritas enim virginalis in neutro statu compatiebatur impuritatem commixtionis carnis: in primo autem statu ex cognitione viri neque accidisset corruptio primo modo dicta, neque secundo modo. Vnde non sequitur, quod si fuisset cognita in statu illo, quod amisisset integritatem, quæ tollitur per corruptionem primo modo dictam, vel secundo modo: sed solummodo illam, quæ priuatur per tertiam.

¶ AD tertium dicendum, quod duos esse in carne vna in statu primo posuisset solummodo diuisionem carnis: prout carnis diuisio consistit in commixtione carnis: non autem diuisionem, quæ attenditur in violenta separatione partium carnis circa portam propagationis: sicut in statu corruptionis. Vnde diuisio carnis, quæ esset in statu illo in cognitione mulieris à viro: bene compassa esset integritatem carnis, quæ ponit absentiam corruptionis violentiæ pœnalis.

¶ AD illud, quod obiicitur, quod singulare priuilegium B. Virginis fuit &c. Dicendum, quod est triplex corruptio; sicut tactum est, scilicet violentiæ pœnalis ex parte carnis mulieris, & fœditatis seminalis, & commixtionis carnalis: nulla vero istarum corruptionum fuit in B. Virgine: vnde in illa fuit cum * fœcunditate & perfectione puritas virginalis. (* Alias fœcunditate perfecta.) In fœcundatione mulieris in statu illo, licet stetisset in integritate, secundum quod dicit absentiam primæ corruptionis, & secundæ; non tamen stetisset in integritate, secundum quod dicit absentiam tertiæ: quia subisset corruptionem, quæ attenditur in carnis commixtione.

¶ SED ex dictis oritur dubitatio: quomodo semen viri posset deduci ad monetam conceptionis, si nulla fuisset fractio secundum corruptionem in carne mulieris? Non enim videtur, quod porta existente clausa, & sigillo integro, aliquo modo possit deduci ad locum prolis siue fœtus formandi & educendi. (Dubitatio.) Responsio est ad hoc, quod sicut sine sigilli alicuius fractione emittitur sanguis menstruus, vt in virginibus: sic emitti tunc potuit semen sine vlla læsione, vel fractione. Vnde Aug. 14. de ciuit. Dei. c. 26. Ita tunc credendum est potuisse vtero coniugis salua integritate fœminei generis, semen virile immitti: sicut nunc potest, eadem integritate salua, ex vtero virginis fluxus menstrui cruoris emitti: Eadem quippe via posset * aliud immitti. (* Alias, illud inici.)

¶ SED adhuc est quæstio: quomodo membro viri sine corruptione siue fractione carnis potuisset semen infundi: an carnes in porta propagationis post peccatum magis sint consertæ siue concretæ, quam ante? (Dubitatio.) Respondeo (sine præiudicio tamen) quod eadem erat dispositio portæ illius tunc, quæ & nunc: sed omnium membrorum tanta erat obedientia voluntati, quod iuxta nutum voluntatis, quod tunc poterat facere homo membris omnibus, quod volebat. Dicit enim Augustinus: *In paradiso, & si non omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat*: & ideo poterat omnia, quæ volebat. (Aug. 14. de ciuit. Dei cap. 15.) Et hoc ostendit manifestius Augustinus per totum fere. (Idem eod. cap. 24.) Fuisset ergo illius membri tanta obedientia voluntati, quod iuxta nutum voluntatis & in conceptione & in parturitione (secundum quod tunc exegisset natura omnino consona voluntati) se coninxisset, & relaxasset: sicut videmus, quod secundum quantitatem morselli sumendi ad vsum alimoniæ, dilatatur & constringitur os sine aliqua sui læsione. Vnde Augustinus: Vt enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret: sic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtramq; coniungeret. (Idem ibid. cap. 26.)

¶ Ad hoc, quod primo obiicitur pro alia parte, dicendum, quod & si corruptio integritatis naturam rei corruptam indigniorem efficit, & deteriorem: non tamen hoc efficit corruptio impuritatis, siue commixtionis carnis: quia ex hac corruptione nihil deperit, siue diminuitur de virtute, siue bonitate rei, siue personæ: immo tanto ipsa melioratur & nobilitatur; quanto ipsa expeditur & perficitur, vt possit suum simile inducere, siue productioni cooperari. Et est simile quodammodo de vino puro, & condito. Vinum enim cuius puritas quandoque corrumpitur; vt scilicet quando speciebus conditur: non ex huiusmodi corruptione & admixtione potest in effectus nobiliores, quam potuit in sua existens puritate.

¶ Ad ea, quæ proxime sequuntur, patet responsio: quia illa corruptio non est pœna, neque habet diuisionem continui annexam: Diuisionem dico violentam: non enim quælibet diuisio continui dolorem infert, sicut in coitu: sed illa, quæ est violenta, & non naturalis.

¶ Qvod autem consequenter concluditur, concedi potest: quia sicut nec damnificatus fuisset in illo statu cognoscendo mulierem, similiter nec mulier.

¶ Ad illud, quod sequitur consequenter, scilicet quare mulier, exigente peccato, magis fuit punita, vt puta corruptione pœnali, quam vir? Potest breuiter dici: quia plus peccauit. Quod sic patet. Vt enim dicit Apostolus: *Mulier seducta est, non vir.* Quod exponit Hugo dicens: *Eua quippe seducta est: quia verum credidit, quod diabolus dixit: & idcirco non solum inordinate similitudinem Dei cum scientia boni & mali appetiit, sed in tantam etiam prolapsa peruersitatem, verisimiliter putatur, vt Deum ex inuidia lignum scientia boni & mali hominum vetuisse crederet: ne ipse homo ex eo gustando, ad æqualitatem ipsius proficere potuisset.* Hanc ergo mulier in superbiam elata, appetiit: & ne hanc habere potuisset, ipsum creatorem inuidia tactum lignum hoc vetuisse putauit: Voluntaria ergo malitia se contra creatorem suum erexit, peruerse contra ipsum volendo, & impie de ipso sentiendo. Adam vero non est seductus: quia quod diabolus promisit, falsum esse sciebat. Neque idcirco pomum vetitum comedit, quasi per illam comestionem Deo se pacificare posse crederet, vel etiam parificari vellet: sed tantum ne mulieris animum, quæ sibi per affectum dilectionis sociata fuerat, eius petitioni & voluntati resistendo, contristaret: maxime quia putauit se & mulieri morem gerere, & postea per pœnitentiam, & veniæ postulationem creatori posse placere. Vere igitur dictum est, quia minus peccauit, qui de pœnitentia & misericordia cogitauit: peccauit tamen, quia peccanti consensit, & peccantem non correxit.

Hugo li. 1. de Sacram. par. 7. c. 10.

¶ Adhvc autem dubitatur, Vtrum ex hac corruptione incurrisset mulier corruptionem virginitatis. Et hoc est quærere, Vtrum in statu illo per commixtionem carnalem esset corruptio virginitatis? Et videtur, quod non: cum in illo statu non fuisset fractio claustri, siue sigilli virginalis in commixtione, siue copula carnali. Item, virginitas est virtus, vel status virtutis: quod autem tale est, non corrumpitur, nisi per vitium, vel quod est ex vitio: in statu illo autem neque erat vitium, neque aliquid ex vitio: ergo &c.

Qō. lateralis.

¶ Contra, in nullo statu compassibilia erant susceptio seminis virilis in monetam conceptionis per coitum, & virginitas. ¶ Respon. quod non est dubium quin ex coitu, siue commixtione tali perdidisset mulier virginitatem. In illo autem statu solummodo requirebatur ad amissionem virginitatis carnis commixtio * siue fractio claustri virginalis. (Nisi velimus dicere apertionem portæ propagationis fractionem claustri) secus autem fuit post lapsum hominis.

* Alias, siue fractione.

¶ Cvm ergo obiicitur, quod tunc non fuisset fractio sigilli &c. Dicendum, quod verum est: secundum quod fractio dicit diuisionem violentam continui, siue diuisionem pœnalem: secundum autem quod dicit apertionem portæ propagationis, quæ erat ante quasi sigillata, quia omnino intacta; sic fuisset ibi fractio quodammodo. Ad aliud dicendum, quod in statu innocentiæ virginitas neque fuit virtus, neque post: quousque cessasset præceptum Domini de multiplicatione prolis: & maxime tunc quando nulla erat excitatio libidinis ad opus carnis. Præter ea, in statu illo non erat matrimonium nisi in officium naturæ: vnde opus illud nunquam fuisset nisi in spe * sine certitudine prolis. Et est præsumptio probabilis, immo vera, vt existimo: quod quodlibet commertium huiusmodi mulierem fœcundasset. In statu ergo illo non fuit virginitas virtus, vel status virtutis: sed matrimonium fuit maioris gloriæ, quam virginitas * officium erat matrimonij, id est, coniunctio carnalis, opus obedientiæ: datum enim erat præceptum de prolis multiplicatione: ibi, Crescite & multiplicamini, Genes. 1. continentia enim virginalis nondum fuerat inspirata, neque præcepta.

* Alias, sine certitudine.

* Alias, officium enim matrimonij, id est, coniūctio carnalis fuit opus obediētiæ.

MEMBRVM V.

An Eua æque fortis secundum corpus fuit ac Adam?

Seqvitvr de fortitudine mulieris, quantum ad * corpus, siue quantum ad sexum: sexus enim ad corpus refertur. Quæritur ergo, Vtrum æqualis erant fortitudinis, siue virtutis vir primus, & mulier prima quantum ad corpus, siue ad sexum. Quod non, videtur: quia vir erat maioris virtutis, quam mulier: vt habetur ab Augustino, dicente de diabolo, quod parum de suis viribus præsumens; humanam naturam in eam partem, vbi debilior videbatur, aggressus est: vt si forte illic aliquatenus præualere potuisset: postmodum cum maiori fiducia ad alteram, quæ robustior fuit; pulsandam, aut potius subuertendam accederet. Idem habetur à Magist. Senten.

* Alias, animarum corpus.

Mag. Sent. li. 2. dist. 21.

¶ Item, Isidorus in lib. Etymo. Vir nuncupatur; quia maior in eo vis est, quam in fœmina: vnde & nomen virtutis accepit.

Isid. in lib. Etymol.

¶ Contra, Isidorus lib. Etymo. eodem quo supra. Eua statim facta de latere viri, appellata est à viro: dicente scriptura. *Et formauit eam*, id est, costam, *in mulierem*: virago à viridiori ætate dicta: sicut & * virga & virgula. Alias ab incorruptione, quasi virago; quia ignorat fœmineam passionem; virago vocata, quia viriliter agit, id est, virilia opera facit, & masculi vigoris est. ¶ Item, Basilius, Æquales sunt eorum virtutes: & loquitur de viro & muliere.

* Alias, vitula.

¶ Item, vt habetur ab Augustino, mulier data fuit viro in adiutorium, quantum ad productionem prolis: quod autem difficultatis & oneris erat in productione prolis, vt pote portatio in vtero, mulieri fuit adiectum, non viro. Ex quo ergo diuina prouidentia singulis prouidet, vt habeat vnumquodque quod sibi debetur, & conuenit; vt dicit Hugo: conuenit autem vt ille, cui maius onus imponitur, siue culpa; plus habeat fortitudinis: plus fortitudinis decuit dari mulieri, quam viro: & hoc cum nihil erat viro imponendum quantum ad statum illum: propter quod requirebatur, quod esset amplioris fortitudinis quam mulier.

¶ Item, Illud, quod facilitate maiori resistit actioni violentæ, non immerito indicatur maioris esse virtutis siue fortitudinis eo, quod minori; & econuerso: & quod æquali, æqualis. Sed sicut dicit Isidorus: *Dum homo in paradiso innocenter viueret, ignis eum non vreret, aqua non mergeret nec spinarum aculei vulnerarent.* Ex quo videtur, quod nulla actio quantumcunque violenta corpori humano in statu innocentiæ nocere poterat: & hoc neque corpori viri, neque mulieris: & ita videtur quod modo quodam indifferenti poterat vtrumq; corpus actioni violentiæ resistere: & ita videtur, quod æqualis erant virtutis. ¶ Item, sicut dicit Aug. *Quamdiu homo volebat hoc, quod Deus iusserat; summa in carne sanitas erat.* Et constat, quod hoc intelligitur tam de carne mulieris, quam de carne viri: ergo in corpore vtriusq; erat summa sanitas: ergo æqualis sanitas: quod * ergo per superabundantiam dicitur pluribus conuenire, æqualiter conuenit, siue modo vnico: sed indifferentia sanitatis est ex indifferentia miscibilium in mixto, aliis existentibus eisdē. Per quandam ergo indifferentiam erant in corporibus primorum parentū elementa actiua & passiua, & æqualis consertio, & consolidatio in membris: ergo equalis erant fortitudinis. Ex maiori enim abundātia elementorū agētium in bene cōplexionatis est maior abūdātia spirituū, & ita maior virtus,

Isid lib. de Trinit.

Aug. 14. de ciuit Dei cap. 16.

* Alias, enim.

virtus, siue fortitudo: & ex maiori abundantia elementorum passiuorum minor; & ita virtus minor: & ex æquali æqualis.

RESOLVTIO.

Dedecebat profecto, vt quæ in officio generationis passiuorum partes obtinuisset, hominis regimini commendata fuisset, prolem nutritura foret, & demum animæ rationalis ad Deum vniendæ typum gereret, æque ac vir corpore strenua esset.

¶ Responsio. Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod congruebat mulierem fieri minus fortem, & virilem, quantum ad corpus, quam virum. Huius autem potest ratio quadruplex assignari. Prima ex parte actionis & passionis. Secunda ex parte regiminis & subiectionis. Tertia ex parte nutriendæ prolis. Quarta ex parte spiritualis significationis. ¶ Ex parte actionis & passionis sumitur ratio congruentiæ: quia enim sexus virilis ordinatur ad agendum, mulieris ad patiendum, non solum secundum statum naturæ lapsæ, sed etiam institutæ (& hoc dico in officio generationis, secundum illud Philosophi: materia est sicut mulier passiua; sicut agens patiente præstantius, & virilius est: sic fortius & robustius debuit esse corpus viri quam mulieris. ¶ Ex parte regiminis & subiectionis ratio sumitur: quia regens in virtute præualere debet ei, quod regitur: sed vir deputatus erat ad regimen mulieris: vt habetur super Genesin ad litteram 11. nec solum secundum animam, immo secundum totum coniunctum. Vnde: *Volo vos scire quod omnis viri caput Christus, caput autem mulieris vir*: sensibus autem, qui vigent in capite, reguntur aliæ partes corporis. Et quod hoc fuit in statu innocentiæ, ostendit Apostolus consequenter dicens: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Propter quod decuit corpus viri fieri robustius. ¶ Ex parte nutriendæ prolis ratio sumitur: quia mulier ad hoc maxime deputatur, vt prolem nutriat intra seipsam: & ideo necesse fuit ipsam magis abundare in humiditate, quàm virum: ratione maioris humiditatis minor est conseruatio & consolidatio in membris fœminæ, quàm maris: & hinc est, quod naturaliter sunt minoris roboris & vigoris. ¶ Ex parte vero spiritualis significationis sumitur quarta ratio: quia enim in coniunctione maris & fœminæ significatur coniunctio Dei & animæ: sicut anima, quæ est per se imbecillis; recipit à Deo virtutem sine vigorem multiplicandi Deo prolem spiritualem: sic, vt signum signato responderet, debuit mulier, quæ opere viri multiplicatiua est prolis materialis, minus fortis fieri, & vir magis. Minime enim deceret illum, quo Deus signatur, minoris esse virtutis illa, qua signatur creatura. Vnde Hugo: *Coniugium sacramentum fuit cuiusdam societatis spiritualis, quæ per dilectionem erat inter Deum & animam: in qua societate anima sponsa, & sponsus Deus: & qui sponsus erat, superior erat, quæ sponsa, inferior.* Propterea, natura humana duplici qualitate distincta est: vt in viro quidem robustior, in fœmina vero infirmior, & aliena ope egens appareret. Ex hac autem debilitate ex parte corporis est sexus fœmineus imbecillior virili. Non enim ponitur, quod Deus infuderit animas infirmiores corporibus mulierum, quam virorum: sed quia dispositiones spiritus, existentes in corpore concomitantur dispositiones corporis, cui vnitur: corpus autem muliebre ab initio fragilius & infirmius erat corpore virili: ideo spiritus siue anima vnita corpori muliebri, infirmior est illa, quæ vnitur corpori virili. Anima enim fortius & melius viget in corpore meliori. Quod tamen corpus Euæ fuit infirmius, & imbecillius corpore Adæ, non fuit pœna spiritui mulieris: qui vtique plus viguisset in meliori corpore: sicut nec fragilitas corporis Adæ respectiua, id est comparatione alterius corporis fortioris, fuit spiritui eius pœna: qui spiritus plus viguisset, si vnitus fuisset corpori fortiori. Rationes ergo, quibus ostenditur, mulierem fuisse infirmiorem, quantum ad corpus, concedimus.

Philos. 1. Physic. tex con. 81.

1. Cor. 11.

Hugo.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur in contrarium, dicendum, quod mulier non dicitur ab Isidoro esse virilis vigoris; quia quantum ad naturalia, quæ corpus respiciunt, tantæ virtutis fuerit prima mulier, quantæ fuerit primus vir: vel quia mulier generaliter viro æquiualeat in viribus huiusmodi: sed potius intendit dicere illas, quæ vel dono gratuito gratis dato, vel gratum faciente ad opera virilia assurgunt, hoc nomine quod est, Virago, quodam modo etymologizandi debere censeri: Vt patet si considerentur verba ipsius Isidori hoc modo loquentis. *Dicitur enim 2. Machab. 7. de matre septem filiorum interfectorum pro legibus paternis, fœmineæ cogitationi masculinum animum inferens, dixit &c.* ¶ Ad illud, quod dicit Basilius, quod æquales virtutes sunt viri & mulieris, dicendum, quod hoc intelligitur, quantum ad virtutem spiritualem: quæ virtutem merendi respicit; quo modo dicitur: *Non est masculus, neque fœmina, omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu*: id est, differentia in sexu tali vel tali, nõ ponit differentiã in fide Christi, siue in merito fidei. Glos. ibi Propter nihil horum aliquis dignior est in fide Christi. Et quod hæc sit intentio Basilij, patet ex verbis, quæ sequuntur verba proposita; dicit enim sic: Habet enim mulier fieri ad imaginem Dei, sicut & vir: sunt enim æquales eorum virtutes, æquales pugnæ, æquales retributiones. Nec dicat mulier, infirma sum; infirmitas enim carnis est: potentia vero in anima est.

Isid.

2. Machab. 7

Ad Gal. 3.

¶ Ad illud, quod sequitur, dicendum, quod & si mulieri incumbebat portare prolem, & nutrire, & huiusmodi, quæ in statu culpæ non sine onere & labore fieri possunt: tamen in statu illo nihil inferret oneris vel laboris. Sicut enim habetur ab August. super Genes. 19. ad litter. si perstitissent primi parentes in statu illo, essent nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, sine ardore libidinis, sine labore pariendi: sic nec onere, nec labore proles portaretur, & educaretur.

Ad illud, quod sequitur, dicendum sine præiudicio, quod corpora humana, siue primorum parentum, siue aliorum non habebant de se virtutem resistendi cuilibet actioni, siue agenti violento: sed quod in statu innocentiæ nulli cessissent actioni, hoc fuisset ex virtute superiori, scilicet primæ potentiæ, conseruante & protegente. Dum enim homo innocenter vixit, omnino Deo subiectus, & in nullo ab eius declinans voluntate: omnibus homine inferioribus dominabatur; iuxta illud diuini decreti: *Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ vniuersæ*, &c. Vnde de omnibus, quasi de sibi subditis facere potuit, quod volebat. Vnde Augustinus: *In paradiso si non omnia poterat ante peccatum: quidquid tamen non poterat, non volebat: & ideo poterat omnia, quæ volebat*: Sed (vt dicit Beda) postquam conditori subditus esse noluit; iure dominium perdidit: vnde creaturæ habent potestatem molestare hominem. Vnde subiungit Augustinus: *Nunc vero vanitati similis factus est: ipso namque metu & animus plurimum turbatur, & caro dolet, & veterascit, & moritur: & quidquid aliquid patimur.*

Genes. 1.

Aug 14. de ciui. Dei.

Idẽ ibid.

¶ Ad illud, quod sequitur, dicendum, quod non valet: summa sanitas erat in carne vtriusque primorum parentum: ergo erant æqualis virtutis, vel fortitudinis corporalis. Fortitudo enim in corpore humano causatur ex duobus, scilicet magnitudine extremitatum siue membrorum, conuenienter dispositorum, & multitudine spirituum. Vnde licet ratione æqualitatis complexionis conuenirent in æqualitate spirituum, membrorum magnitudini proportionaliter respondentium: poterant tamen differre in magnitudine membrorum, & multitudine spirituum. Præterea, dictum per superabundantiam dupliciter intelligitur dici. Vel quia omnibus superponitur: & sic vni soli conuenit. Vel quia valde approximat termino, à quo imponitur: secundum quod albissimum dicitur valde album. Et sic intelligitur, quod summam sanitatem corporalem habebant primi parentes: quod autem sic pluribus conuenit, non necessario conuenit modo indifferenti. Propter quod licet summa sanitas erat in corporibus illorum: propter hoc non sequitur, quod erant eiusdem fortitudinis.

MEMBRVM VI.

An corpus Euæ æque nobile fuit, ac corpus Adæ.

SEQVITVR de corporis prædicti dignitate. Quæritur ergo: Vtrum tantæ fuit dignitatis, siue nobilitatis, quantæ corpus virile, vel maioris, vel minoris. ¶ Quod tantæ, videtur. Basilius dicit: mulier & vir sunt eiusdem dignitatis. Si respondetur, quod hoc est secundum animam. Tunc opponitur: quia hoc non potest esse, nisi corpora eorum sint eiusdem dignitatis: quia dignitates spirituum existentium in corporibus, concomitantur dispositiones corporum, quibus vniuntur. Vnde secundum dispositiones corporum sunt dispositiones animarum, perficientium ipsa corpora. Ergo secundum quod corpora digniora sunt & nobiliorum dispositionum, & animæ similiter; ergo si corpora sunt bene disposita siue bonarum dispositionum: & animæ, eorum perfectiuæ, erunt: similiter si corpora meliorum dispositionum vel etiam optimarum, & animæ similiter: ergo &c. ¶ Item, nobilitas materiæ distinguitur secundum nobilitatem formæ: non enim cuilibet materiæ conuenit qualibet forma: sed nobilis nobili, & nobilior nobiliori. Ergo cum æqualis nobilitatis sit forma siue perfectio corporis mulieris primæ, & perfectio corporis hominis primi: ergo &c. Non enim ponitur, quod animæ virum sint nobilioris conditionis & melioris, mulierum ignobilioris & deterioris.

¶ Quod autem corpus primæ mulieris maioris fuerit dignitatis, videtur sic. Nobilitas rei, de qua fit aliquid, siue materia, attestatur nobilitati eiusdem. Vnde quanto nobilior est materia, de qua fit aliquid, siue dignior: tanto illud nobilius est, quod fit ex illa: vt quando fit aliquid ex auro, nobilius est illud, vel consimile* illo, quod fieret ex argento: & maxime vbi nullus est defectus ex parte efficientis. Similiter videtur de corpore humano, quod illud dignius est & nobilius, quod fit ex nobiliori materia. Ex quo ergo corpus mulieris primæ factum erat de materia nobiliori & digniori, quam corpus viri: quia de osse & carne viri (Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea est*) corpus autem viri de limo terræ, (Gen. 2.) ergo &c. ¶ Item, locus conditionis rerum primarum attestatur earum nobilitati: creaturæ enim nobilissimæ, scilicet spiritus angelici conditi erant in loco nobilissimo, scilicet cœlo empyreo: minus nobiles & minus digni in loco minus nobili. Sed corpus mulieris conditum fuit in loco nobiliori, quia in paradiso: corpus viri in loco minus nobili, quia in agro Damasceno: ergo &c.

(Margin: * Alias, illi, quo. — Genes. 2.)

¶ CONTRA, videtur quod corpus Adæ nobilius erat & dignius corpore Euæ, sic. Illud, quod est propter aliud, minus est dignum illo, propter quod est; secundum id Philosophi: *Vnumquodque propter quod, & illud magis.* Sed sexus fœmineus siue corpus fœmineum fuit propter virilem: *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Glos. *Non est creatus Adam in auxilium Euæ, sed Eua in adiutorium viri: vt ostendatur mulier subiecta viro.* Item in 6. Musicæ Aug. *Omne agens præstantius est patiente.* Et Philosophus: *Omne agens nobilius est patiente:* sed sexus viri est agere, mulieris pati: maxime in illo opere, propter quod est distinctio sexuum, quæ penes corpus attenditur: ergo corpus virile nobilius est corpore muliebri. Huic nobilitati maiori siue maioritati nobilitatis attestatur, quod Saluator noster naturam humanam assumpsit in sexu tali.

(Margin: Philos. 1. Post. 15. — 1. Cor. 11. Glossa. — Aug. in 6. Music. — Philosoph. 3. de anima 19.)

RESOLVTIO.

Adæ corpus longe Euæ corpore præstantius fuisse dicimus. Tum quia in eo omnium corpora (etiam Christi) erant. Tum quia principalius cooperans productioni humani generis. Tum tertio quia robustius. Demum quia nobilioris sexus.

¶ RESPON. quod (simpliciter loquendo) maioris dignitatis fuit corpus primi viri, quam primæ mulieris: & generaliter sexus virilis quam muliebris. Et hoc multiplici ratione. Primo ratione continentiæ generalis: tota enim humana natura propaganda, & etiam natura humana assumpta à filio Dei, erat in illo secundum corpulentam substantiam, secundum Augustinum. Item, ratione productionis principalis: quia & si corpus mulieris cooperabatur productioni humani generis: ab illo tamen fuit principaliter productio: quia in productione vir erat agens, mulier patiens. Item, ratione vigoris, siue roboris amplioris: corpus enim viri erat maioris vigoris: siue roboris amplioris corpore mulieris: vt ex dictis patet. Item, ratione conditionis nobilioris: quæ attenditur penes sexum: nobilior est enim sexus virilis sexu muliebri: sexus enim penes corpora distinguuntur. Item, ratione spiritualis significationis, quæ ex coniunctione maris & fœminæ intelligitur: vt ex dictis patet.

(Margin: Memb. immediate præcedēte.)

¶ AD illud, quod primo obiicitur contra hoc per verbum Basilij dicētis, quod vir & mulier sunt eiusdem dignitatis, dicendum, quod ipse intelligit hanc æqualitatem esse secundum animam: secundum quam sunt ad imaginē Dei: vnde subiungit explanādo verbum propositū. Quia igitur eiusdem est in eis dignitatis secūdum Deum imago, æqualis sit virtus, & bonorū operum adiectio. In omnibus enim quæ ad veras pertinent virtutes, æquiparari potest (si vult) mulier viro. Intelligit ergo eam æqualis dignitatis, quantū ad potestatē merendi. ¶ Ex hoc patet responsio ad id, quod obiicitur contra hoc: quod licet dispositiones spiritus cōcomitentur dispositiones corporis, cui coniungitur, siue quod perficit: non tamen ita enumeratur ipsius virtus ex huiusmodi concomitantia, quin posset, si vellet, opera virtutum exercere: & ad statum perfectionis, coassistente gratia diuina, quæ nulli (quantum de se est) subtrahitur, peruenire. Vnde imbecillitas mulieris ratione corporis vel sexus non impedit, quin mulier viro æquiparari possit in meriti dignitate: cuius manifestatio satis euidens est in vita & passione sacrarum virginum.

¶ AD aliud, quod sequitur, dicendum, quod & si nobilitas materiæ quandoq; distinguatur secundum nobilitatem formæ: hoc non est generaliter verum: in multis enim instantia est. Corpora enim cœlestia nobilioris materiæ sunt, quam multa genera brutorum: nullum tamen est animal, quod non perficiatur forma nobiliore, quam aliquod corpus cœleste: cum hæc à suis perfectionibus vita vigeant, & sensu discernant: illa autem nequaquam. Præterea, in his, quæ exeunt in esse secundum electionem & arbitrium agentis, huiusmodi genus argumentandi nullam habet necessitatem. Artifex enim secundum arbitrij sui electionem operans in materia nobiliori, quandoque formam imprimit minus nobilem: & in materia minus nobili, nobiliorem. Quia ergo conditio animarum & earundem infusio fit secundum arbitrium & electionem cōditoris: hoc genus argumentandi nullum habet locum in proposito.

¶ AD illud, quod sequitur, quod materia, de qua fit aliquid, attestatur nobilitati &c. dicendum, quod in his hoc verum est, quæ fiunt à virtute incompleta, siue* causata: cui confert materia, in qua agitur. In his autem, quæ fiunt, vel producuntur in esse à virtute siue potentia prima, quia materia nihil confert ipsi agenti; ita nobilis effectus producitur in esse ex nihilo, sicut ex aliquo; vel nobilior: & ita nobilis effectus producitur in esse de materia minus nobili, sicut de materia nobiliori omnino: iuxta nutum voluntatis ipsius agentis.

(Margin: * Aliis, creata.)

¶ AD aliud, quod obiicitur de loco conditionis corporis mulieris. Patet responsio in Quæstione de loco conditionis corporis Adæ: vbi determinatum est, quod ratio conditionis mulieris in paradiso non fuit nobilitas illius: sed potius hoc factum fuit dispensatione diuinæ prouidentiæ: vt ibidem tactum est.

(Margin: Supra. q. 58.)

QVÆSTIO LXXXV.

De passibilitate naturæ humanæ.

In sex Membra diuisa.

DETERMINATO de corpore primi hominis: sequitur de coniuncto. De quo inquirenda sunt hæc. Primo de passibilitate naturæ. Secundo de prolis propagatione.

(Margin: D. Tho. 1. par. q. 97. S. Bon. & Scot. in 2. d. 19.)

Tertio

Tertio de adiutorio gratiæ. Quarto de lumine scientiæ. Quinto de dominio præsidentiæ. ¶ De passibilitate quæruntur plura. Primo si fuit passibilis. Secundo si fuit passibilis per impressionem extrinsecarum receptionum. Tertio, si per membri, vel substantiæ alicuius ablationem. Quarto, si per ætatis mutationem. Quinto, si per corporis dissolutionem. Sexto, si per animæ separationem.

MEMBRVM I.

An anima in primo statu passibilis, vel impassibilis fuerit secundum corpus.

CIRCA primum quæritur sic. Vtrum Adam in specie, aut humanum genus fuit passibile, vel impassibile? Quod passibile, videtur sic. Nulla dos corporis glorificati est, vel erat proprietas alicuius viatoris (Hoc enim erat proprium solius Christi, qui assumpsit dotes in via) sed impassibilitas est dos corporis glorificati: ergo &c. ¶ Item, hoc idem videtur per hoc quod nulla aliàs dos, scilicet claritatis, subtilitatis, & agilitatis conueniebat Adæ: eadem ratione nec dos impassibilitatis. ¶ Item, quod subiacet versioni, siue corruptioni; subiacet & passibilitati; sed secundum Damascenum: Quæ creabilia sunt, omnino sunt vertibilia: quorum enim esse à versione incipit, hæc versioni subiecta sunt. Sed corpus primi hominis à versione incepit: ergo &c.

Damasc.lib 1.cap.4.

¶ CONTRA, passibilitas & impassibilitas sunt rerum passibilium & impassibilium proprietates: earum attestantes nobilitati maiori & minori, scilicet impassibilitas maiori, passibilitas minori. Cum igitur multæ creaturæ corporales omnino sint impassibiles; sicut cœlum, & corpora cœlestia: quarum omnium illa, de qua hic intendimus, fuit nobilissima: videtur quod omnino debuit esse impassibilis.

RESOLVTIO.

Neque omnino impassibilis, neque totaliter passibilis. Sed passibilis, quia susceptibilis infirmitatis: impassibilis, quia non declinans per infirmitatem ab integritate, in qua conditus est.

¶ RESPON. Ad hoc dicitur: quod neque omnino fuit impassibilis, neque simpliciter passibilis. Vnde Hugo: *Sicut immortalem non dicimus primum hominem fuisse ante peccatum, vt mori omnino non posset: sic etiam nequaquam impassibilem fuisse credere debemus, quod nihil omnino pati potuisset: quia naturam in se passibilem habuit: sed tantum si non peccasset, sicut nec mortuus, ita etiam siue ad modestiam voluntatis in mente, siue ad corruptionem integritatis in corpore, passus omnino aliquid non fuisset.*

Hugo.

Ad huius euidentiam notandum: quod potentia cadit sub differentia multiplici. Quædam enim est potentia obedientiæ, quæ scilicet solum ducitur in actum per potentiam primam: quomodo in costa fuit potentia, vt ex ea fieret corpus mulieris: secundum quod dicit Augustinus: quod in costa non erat, vt ex illa fieret corpus mulieris: sed vt fieri posset. Est & alia, quæ est solum materialis: vt illa, quæ passiua est tantum nullam habens inclinationem siue appetitum ad actus illius potentiæ: potest tamen perduci in actum actione creaturæ, multiplici medio subiectum siue susceptibile disponente. Quod autem supra dictum est: quod potentia, quæ est pure materialis, nullo modo inclinata ad actum; solummodo diuina potentia potest in effectum produci: debet intelligi, nulla interueniente forma siue dispositione media: multiplici tamen interueniente forma siue dispositione, potest opere creaturæ perduci in actum. Et est alia, quæ est passibilis: vt illa, quæ habet aliquam inclinationem siue appetitum ad actum. Est & alia, quæ est propinquius disposita: vt est illa, quæ non solum est in inclinatione qualicunque ad actum: sed habet aliquam dispositionem superadditam. Est & alia, quæ est necessitatis: vt illa, quæ est in coniunctione cum actu. Quælibet autem istarum trium potentiarum vltimo dictarum est potentia disposita; sed prima dispositione remota, secunda propinqua, tertia remota. Quædam autem correspondentia tot modis potest dici passibilis: vt dicatur passibilis potens pati: vel potentia obedientiæ vel materiali, vel possibili, vel disposita, vel necessaria. Et hoc dico, extenso nomine potentiæ: proprie enim loquendo potentia patiendi est potius defectus potentiæ, quam potentia. Et quia secundum Philosophum, si vnum oppositorum dicitur multipliciter, & reliquum: tot modis dicitur impassibile. Et intendimus de passibilitate & impassibilitate, secundum quod dicunt positionem vel priuationem passionis innaturalis: secundum quod dicit Damasc.lib.2. quod passio est motus præter naturam: & est hæc passio cum contrarietate recipientis & recepti. Est enim quædam passio naturalis, quædam innaturalis: vt infra patebit.

Aug.

Dama.li.2

¶ CVM ergo quæritur, vtrum primus homo in primo statu erat impassibilis. Potest dici, quod secundum quod per hoc, quod dicitur [*impassibile*] notatur priuatio necessitatis ad patiendum, vel dispositionis, vel possibilitatis siue inclinationis: sic erat impassibilis. Quando enim erat in integritate naturæ conditæ, non erat in eo natura disposita, vel possibilis, scilicet aliqua infirmitate inclinata ad patiendum: sicut postea erat infirmior facta per peccatum. Secundum autem quod [*impassibile*] dicit priuationem potentiæ primo modo sumptæ, vel secundo; sic non erat impassibilis. Non enim omnino non erat natura illa susceptibilis passionis: cum esset aliquo modo infirmabilis per lapsum in peccatum. Fuit ergo passibilis, eo quod erat susceptibilis infirmitatis: impassibilis, eo quod non inclinatus siue declinatus ab integritate, in qua conditus erat, per infirmitatem. Vnde neq; omnino erat impassibilis, neque simpliciter passibilis: vt vult Hugo.

Memb.sequenti in Resolutie.

¶ AD illud ergo, quod primo obiicitur: quod impassibilitas est dos corporis glorificati. Dicendum, quod eo modo quo est dos, non conueniebat primo homini. Secundum enim quod dicitur dos, sic dicit priuationem omnino, & omnis potentiæ siue omnis modi patiendi: secundum quem modum (vt ex dictis patet) non dicitur ille fuisse impassibilis.

¶ AD aliud quod sequitur, dicendum, quod Damasc. intendit determinate, quod vnum solum, scilicet ipsum primum sua natura & virtute est inuertibile & immutabile: omnia alia sunt vertibilia & permutabilia de natura propria & virtute: quia nihil præter primum, constat propria virtute. Propter quod nullo modo est vertibile in non ens: neq; etiam est mutabile secundum electionem liberi arbitrij: sicut rationales creaturæ, quæ sunt mutabiles secundũ electionem per naturam, & vertibiles in non esse: nisi manu Dei, id est omnipotentia conseruarentur: vt dicit Greg. & Damas. Licet ergo omnes creaturę sint mutabiles & passibiles modo iam dicto: non tamẽ sunt passibiles, loquendo proprie, secundum quod hic intendimus de passibilitate, & impassibilitate.

Greg.li.16. Mo al c.18 Et Damas.

¶ AD aliud, quo opponitur: quod primus homo debebat esse omnino impassibilis ratione suæ nobilitatis. Dicendum, quod impassibilitate sic sumpta, non fuit præditus: nec est aliqua creatura: nec attestatur nobilitati creaturæ, vt est creatura: sed vt est creatura completa in esse cõpletissimo: vt scilicet quãdo totus appetitus illius satiatur. Vnde quando satiabitur appetitus humanus omnino, vt quando apparebit gloria creatoris secundum Psalmistam, tunc dotabitur homo omnimodo impassibilitate. Vnde licet primus homo esset in primo statu omnium creaturarum corporalium nobilissima: non tamen exigebat status ille, quod præditus esset homini impassibilitate: sed solummodo status gloriæ hoc exigit.

Psalm.16.

MEMBRVM II.

An Adam in eodem innocentiæ statu passibilis fuerit secundum corpus ab extrinseco?

SECVNDO quæritur, si fuit passibilis per impressionem extrinsecarum receptionum. Quod sic, videtur: diuina dispositione & ordine naturali corpora supercœlestia agunt in elementa & elementata: & hoc ab initio conditionis eorum. Ergo si diuina dispositio non frustratur, nec ordo naturæ suspendit, nisi in casu, vel opere mirabili:

bili: cum primus homo in statu primo cursu naturali ageret vitam, & non mirabili: videtur quod corpora cœlestia habebant actionem in illo: cum haberet corpus elementatum: & ita ab extrinseco fuit passibile. ¶ ITEM, vt habetur à Philosopho, durum est, quod non cedit secanti, siue sectioni: & molle, quod cedit. Sed caro humana naturaliter mollis est; & fuit in primo statu: ergo habuit necessitatem cedendi ictui lapidis, vel gladij, vel alicuius huiusmodi, & ita ab extrinseco fuit passibilis.

Philos. in Prædicam. cap. de Qualitate.

¶ SI diceretur, quod dum permansisset in innocentia sua, protegeretur siue conseruaretur à virtute superiori ab omni inferente, siue potenti inferre læsionem. Non propter hoc diceretur impassibilis: cum potentia, qua non posset pati, non fuisset in eo, sed in alio: nullus enim denominatur ex aliquo, quod non est in illo, sed tantum in altero. ¶ ITEM, Homo in statu innocentiæ fuit passibilis secundum animam ab extrinseco: potuit enim pati tentationes, & seduci, vel falli: vt rei euentus ostendit: multo fortius fuit passibilis ab extrinseco secundum corpus: immediatius enim se habebat Deus ad animam, quam ad corpus: & ita vt prius. ¶ ITEM, in statu illo sentire potuit ab obiecto intrinseco. *Sentire autem est quoddam pati*, vt vult Philosophus. ¶ Præterea sensitiuum in statu illo delectabatur in medio: vt patet cum dicitur. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*: videtur quod tristaretur in extremo, tum per hoc quod passiones contrariæ natæ sunt fieri circa idem, tū per hoc, quod si oppositum est causa oppositi, & propositū est causa propositi: contrariorum enim contrariæ sunt causæ. ¶ ITEM, Homo in illo statu poterat moueri per appetitum siue desiderium habendi aliquid: huiusmodi autem appetitum passio aliqua concomitatur: non enim oritur appetitus alicuius in aliquo, nisi potentia appetitiua aliquid patiente: & ita vt prius.

Idem. 2. de Anima tex. 118

Genes. 3.

Quæst. 81.

¶ CONTRA. Omne, quod patitur, ignobilius est eo, quo patitur: sed corpus Adæ informatum anima, nobilissimum erat inter omnia corpora: sicut supra tactum est: ergo à nullo corpore pati poterat ante peccatum. ¶ Item, Isidor. *Dum in paradiso homo innocenter viueret, ignis non vreret, aqua non mergeret, nec spinarum aculei vulnerarent, neque aeris absentia suffocaret, neque omnia, quæ nocent hominibus mortalibus impedirent &c.* ¶ Præterea, si aliqua creatura exterior posset in illum per actionem passionem inducere: posset per actionem frequentiorem inducere corruptionem: quod est impossibile: nisi vitium in ipso processisset. Ostendit enim Augustin. quod nihil alio potest corrumpi, nisi in illo vitium præcedat.

Isid. lib. de Trinit.

Aug. lib. 3. de libero arbit.

RESOLVTIO.

Et passibilis, & impassibilis. Passibilis quidem ab extrinseco passione naturali, siue consona naturæ. Impassibilis autem passione innaturali, vel destructiua naturæ.

¶ RESPONDEO, quod est passio vel passibilitas proueniens ex impressione relicta ab extrinseco duplex, scilicet naturalis siue consona naturæ, & innaturalis siue destructiua naturæ. Prima autem est duplex: quia quædam respicit ea, quæ sunt ad saluationem esse: quædam autem, quæ sunt ad perfectionem esse. Ea, quæ sunt ad saluationem esse, respicit passio, quæ relinquitur ex operibus generatiuæ & nutritiuæ. Opera enim generatiuæ & nutritiuæ passionem relinquunt: vniendo quod extra erat, ei, quod erat intra. Vnde passiones relictæ opere generatiuæ & nutritiuæ, quodammodo ab extrinseco fiunt. Ad ea, quæ sunt ad perfectionem esse: refertur passio, quæ est ex receptione specierum sensibilium in organo sensitiuæ, & ex receptione specierum intelligibilium in intellectu. Huiusmodi autem passiones, quæ erant consonæ naturę, poterant relinqui ab extrinseco in primis parentibus in statu primo: & respectu huiusmodi passionum erant passibiles. Alio modo est passibilitas à passione innaturali, secundum quod dicit Dam. passio est motus præter naturam. Et hæc passio (vt dictum est) est cum contrarietate recepibilis & recepti: hæc autem est à contrario alterante & abijciente à substantia. Sumendo ergo passibilitatem hoc modo; potest dici, quod anima fuit passibilis ab extrinseco: prout passibilis dicit pure potentiam materialem: eo modo quo dictum est supra. Secundum autem quod dicit potentiam dispositam dispositione coniuncta propinqua vel remota: nequaquam, sed impassibilis.

Memb. immediate præcedent.

¶ AD ILLVD ergo, quod primo obijcitur: quod ex diuina dispositione & ordine naturali corpora cœlestia agebant in corpore Adæ, &c. Dicendum sine præiudicio, quod hoc verum est: nulla tamen vehementia vel immoderantia: sed solummodo secundum quod conueniebat naturæ ipsius, nihil molestiæ, vel corruptionis inferendo. Vnde Augustinus. *Viuebat homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat: nihil corruptionis in corpore vel ex corpore villas molestias vllis eis sensibus ingerebat. nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus; & sicut in paradiso nullus estus aut frigus: sic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio.* Vnde (sicut tactum est) nulla erat in paradiso intemperantia siue intemperies caloris, vel frigoris: neque aliud, quod corporibus habitatorum nocere potuit. Vnde si quæ impressiones relictæ fuissent ex actione corporum supercælestium: magis erant ad solatium naturæ & iuuamen, quam ad contrarium.

Aug. 14. de ciuit. Dei cap. 26.

Quæst. 84 memb. 2.

¶ AD ALIVD, quod obijcitur: quod corpus illud habuit necessitatem cedendi. Sine præiudicio dicendum, quod hoc non est verum: nulla enim creatura in statu illo habebat potestatem inferendi illi læsionem. Cuius sunt plures causæ, vel vna ex pluribus connexa. Vna est ordo diuinæ iustitiæ, qua homini omnia subdita erant: dum in iustitia, qua conditus erat, Deo obediret. Vnde Damasc. *Quia ex visibili & inuisibili creatura conditurus erat Deus hominem secūdum imaginem & similitudinem, sicut quendam Regem vel Principem omnis terræ, & eorum quæ sunt in ipsa; constituit ante eum, velut quandam regiam; in qua conuersans, beatam & omnium ditem habeat vitam.* Ex hoc ordine erat, quod nulla creatura aliquam violentiam siue læsionem ei inferre poterat. Vnde. *Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens eius præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi.* Et loquitur ibi Autor de filijs Israel transeuntibus mare rubrum: quibus creaturæ effectæ quasi cōformes rebus sui generis in principio, id est, in statu innocentiæ, in nullo fuerunt molestæ: nec aliquam intulerunt molestiam. Quasi diceret: sicut in initio creaturæ, non læserunt, neque habuerunt potestatem lædendi hominem: sic obediendo tibi, non habebant potestatem lædendi filios Israel transeuntes mare. Item Gloss. super illud Genes. 1. *Dixit Deus, ecce dedi vobis omnem herbam*: dicit. Postquam conditori subiectus esse noluit, iure dominium perdidit. In testimonium vero primæ creationis legimus aues viris sanctis seruisse: & ritus bestiarum & serpentum venenum cessisse.

Damasc. li. 2.

Sap. vlt.

Author, inquit: quia quā plures librū illum Philonis Iudæi, nō aūt Salom. esse contēdunt. Vide D. Bonauē super eundem Librū nuper repertum typisq. Venetiis datum.

¶ ALIA ratio erat donum spirituale additum naturæ inseparabiliter concomitans naturalem iustitiam & perfectam obedientiam, qua subiecta erat omnino diuinæ voluntati, quo poterat dominari alijs creaturis, & de eis facere, quod volebat: sicut subiecit se dominio creatoris, & suæ obedit voluntati. Vnde Augus. *In paradiso non omnia poterat ante peccatum: quicquid tamen non poterat, non volebat: & ideo poterat omnia, quæ volebat.* Et sicut patet ex serie literæ hæc potestas ei congruebat ex hoc, quod omnino obediens erat. Vnde sicut dicit August. quod primus homo erat mortalis conditione corporis, immortalis beneficio conditoris: sic potest probabiliter opinari, quod passibilis erat conditione corporis: (eo tamen modo quo dictum est) impassibilis beneficio conditoris, id est, aliquo dono sibi præstito. Vnde non habebat necessitatem cedendi alicui violentiæ, si occurrisset: sicut non habebat necessitatem moriendi, etiam si occurrisset aliquid, quod posset mortem inferre post lapsum.

August. de ciuit. Dei lib. 14 c. 15.

Idem 6. super Genes. ad litt.

¶ TERTIA erat influentia diuinæ virtutis conseruantis: quia dum homo erat omnino ad Deum conuersus, vt qui erat præditus habitu iustitiæ naturalis informatæ gratia, efficaciæ maioris erat virtus diuina in ipsius conseruatione in esse, quam post auersionem. (Cuius signum est: quod auersus à Deo, statim addictus fuit necessitati patiendi) diuina tamen virtus in nulla parte sibi subtrahebatur, quantum erat ex parte virtutis: sed ipse se subtraxit ab illa, minus eam reddens efficacem propria auersione. His

igitur tribus concurrentibus necessario fuit primus homo impassibilis.

Hug. de S. Victore.

¶ HVGO vero ponit duo: quibus existentibus, non pateretur, scilicet propria prouidentia, & diuina. Propria, vt in fugiendis & appetendis & vtendis nihil negligeret. Diuina, quia omnis violentia repelleretur. Vnde quia prouidentia humana nihil negligente, semper diuina repelleretur omnis violentia: hac duplici custodia custodiretur a læsione. Dicit ergo sic. *Data est homini ratio & prouidentia, per quam hanc vitam suam inferiorem custodiret: eadem prouidentia naturali fugiendo noxia, salubria appetendo, mediis ad vtrumlibet vtens. Hac ergo custodia munitus, negligentiam vitare potuit: sed violentiam repellere non potuit. Propterea rationi humanæ adiuncta est prouidentia diuina: vt ratio humana in parte vna vigilaret contra negligentiam: prouidentia autem diuina in parte altera staret contra violentiam. Hac itaque gemina custodia munita ciuitas vitæ humanæ, nullis aduersis læderetur. Quia si ratio humana non tepuisset negligentia: prouidentia diuina nunquam in homine violentiæ locum dedisset. Quia vero ratio primum per negligentiam locum suum deseruit: diuina postmodum prouidentia iuste se à custodia sua subtraxit.* Ex his verbis videtur, quod negligentia fuit prima dispositio primi hominis peccantis, vel primum peccatum. Nec hæc, quæ dicuntur ab Hugone, contraria sunt prædictis: quia illis duobus, quibus secundum Hugo. munitus erat homo, ne posset læsio aliqua inferri; exprimuntur duo, quorum vno poterat caueri à peccato: qua existẽte cautela, alio repelleretur omnis violentia, scilicet diuina prouidentia: qua prouisum esset homini tribus modis prædictis. Præterea, quod dicit: quod violentiam repellere non potuit. Hoc intelligendum est, si sibi, siue naturæ propriæ, non assistente sibi diuina prouidentia spirituali tuitione, relinqueretur. Licet igitur caro primi hominis in statu illo mollis esset, non tamen habebat necessitatem cedendi actioni violentæ propter causas prætactas. Quod autem dicitur à Philosopho: quod durum est, quod non cedit, &c. secundum quod generaliter est verum, intelligendum est in statu corruptionis.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod propter hoc, quod protegebatur à virtute diuina à læsione, non debebat dici impassibilis &c. Dicendum, quod quia illa protectio ex ordinatione diuinæ iustitiæ necessario inseparabiliter fuit assistens homini in statu illo: quasi naturale illi reputabatur. Sicut enim in omnibus actionibus nostris, quantumcunque sint naturales, est diuina virtus, intime agens: nihilominus quod huiusmodi actionibus sit à nobis fieri dicitur: sic est in proposito. Nec intelligendum est in proposito, quod illa protectio erat consimilis illi, qua proteguntur sancti miraculose: quia fuit quasi naturalis: secundum quod naturale dicitur, quod est idem apud omnes, secundum Boetium: quotquot enim vixissent in integritate illa innocentiæ, & iustitia naturali: & quantumcunque illa gauisi fuissent protectione.

¶ AD ILLVD, quod sequitur. Dicendum, quod tentatio quandoque dicit actum tentationis simpliciter, quandoque actum tentationis, prout relinquit passionem in tentato: passionem dico inclinantem affectum ad cõsentiendum tentatori. Primo modo sumpta tentatione, potuit homo pati tentationes in primo statu, scilicet verba tentatoris, vel nutus concipiendo. Hæc autem passio, siue passibilitas non est innaturalis, sed potius naturæ consona: eo modo quo consonum est naturæ, quod est ad eiusdem perfectionem: secũdum quod receptio specierum sensibilium & intelligibilium est ad perfectionem sensitiuæ & intellectiuæ. Secundo modo sumpta tentatione non potuit: non enim tunc inclinari posset ad consentiendum Diabolo tentanti: nisi præcessisset in eo corruptio aliqua. Vnde Augustinus. *Si natura, quæ accedit cum vitio suo ad aliam corrumpendam; si non inuenit corruptibile, non eam corrumpit: si autem inuenit, adiuncto eius vitio corruptionem eius operatur.* Proinde idem Augustinus. *Non est arbitrandum, quod hominem deiecturus esset tentator: nisi præcessisset in eo elatio quædam comprimenda.* Vnde (vt habetur in ipsomet) audito. *Si comederitis, eritis sicut Dij scientes bonum & malum:* subrepsit elatio quædam, & amor propriæ potestatis: quo appetebat quod proprium erat Dei, scilicet immortalitatem (vt volunt quidam) siue scientiam boni & mali: & ex hac peruersa voluntate excæcata, credidit Diabolo. Vnde pati hoc vltimo modo, & deijci, seu seduci non potuit in primo statu.

Aug. li. 2. de libero arb.

Idem super Genes.

Genes. 3.

¶ AD ALIVD quod sequitur. Dicendum, quod pati potuit in illo statu, prout sentire est pati: huiusmodi autem passio est naturæ consona, vt dictum est.

¶ AD ALIVD, quod obijcitur, scilicet quod si in illo statu potuit delectari in medio, &c. Dicendum, quod est delectatio inordinata, vt illa, quam concomitatur libido, siue appetitus libidinosus: hæc non poterat esse in statu primo: vnde mulier non delectabatur in aspectu fructus, nec mouebatur appetendo illum peruerse, scilicet contra diuinum præceptum, antequam peccauerat, sed post. Et est delectatio ordinata, siue moderata sine omni motu libidinoso: hanc potuit homo habere in illo statu, scilicet volendo vti fructibus sibi concessis ad præueniendum defectum naturalem, quem incurreret; nisi alimonia vteretur. Quare autem non tristaret in extremo, si delectaretur in medio: ratio est: quia tristitia pœna est, & passio innaturalis, scilicet quantum ad naturam conditam, quæ ex ordine iustitiæ diuinæ non poterat præcedere culpam.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod contraria nata sunt fieri circa idem. Dicendum, quod hoc non est verum, vbi alterum tantum inest: quod fuit in illo statu.

¶ AD ILLVD, quod tangitur: quod oppositum fuit causa oppositi, &c. Dicendum, quod non est verum, proprie sumendo oppositum eo modo quo extremum est oppositum extremo: quia medium est causa delectationis: medium autem non opponitur proprie extremo. Præterea, huiusmodi genus argumentandi: oppositum est causa oppositi, ergo propositum est causa propositi: non habet necessitatem, prout opposita eidem subiecto comparantur: nisi vtrumque possit inesse: vbi enim tantum alterum inest: non habet necessitatem hoc genus argumentandi: quia tantum alterum infuit, alterum aũt inesse non potuit.

¶ AD vltimum dicendum: quod in statu illo poterat esse motus appetitiuæ ad aliquid habendum: & appetitiuæ sensibilis, & rationalis: sed sensibilis non vt moueretur cõtraria rationi: sed prout moueretur obediendo rationi: vnde & passio concomitans non fuisset innaturalis, sed consona naturæ. Vnde non est inconueniens, hominem in primo statu fuisse passibilem, sustinentia motus appetitiuæ, modo iam dicto.

MEMBRVM III.

An Adam passibilis fuisset per alicuius membri abscissionem: tum si somno indiguit?

TERTIO quæritur: si fuit passibilis per mẽbri, siue substantiæ alicuius ablationem. ¶ Quod sic, videtur per Magist. Dormienti potiusquam vigilanti detracta est costa: vt nullam in eo sensisse pœnam, monstraretur. Ergo si ad euasionem pœnæ ablata est costa in dormiendo: poterat ergo pati vigilando. ¶ Præterea, causa, cur aliquã non sentiatur, duplex est, sc. membri mortificatio, sicut patet in paralytico: vel animæ à corpore separatio: sicut patet in mortuo: sed Adam neq; erat paralyticus, neq; mortuus. Si addatur tertia causa, oppressio somni, in quo est quies animaliũ virtutum cum intensione naturalium: vt. n. patet in pluribus, & maxime in Glire: qui non sentit motus maximos, & passiones non modicas propter somni vehementiam, vnde similiter posset poni in proposito. Hoc nihil est, quia saltem post somnum cum anima sentit membra inefficacia, neq; ex eo põt elicere debitas operationes, sentitur dolor: & saltem post soporem Adam sensisset pœnam: sicut Glis combustus post exustionem. Et ita vr̃, quod fuit sensibilis per membri ablationem. ¶ Item, quanto maior est aliquorum amicorũ amicitia: tanto vehementioris doloris causa est eorum separatio. Vnde quia animæ & carnis colligantia est maximæ amicitiæ, eorũ separatio est causa maximi doloris. Si ergo maxima fuit amicitia naturalis inter partes corporis illius, non poterat eorum fieri separatio sine dolore. Vnde Aug. *Dolor inde perniciosior est: quia id, quod vnũ erat, discindere nititur.* Propter hoc dicitur dolor distantia partiũ naturalium.

Mag. Sent. in 2. dist. 17.

Aug. li. de ord. rerum.

¶ ITEM

¶ ITEM, rerum passibilium eiusdem generis, quanto aliqua est nobilior: tanto citius patitur, illata sibi violentia aliqua. (Vnde membra nobiliora in homine citius læduntur alijs.) Ergo cum natura Adæ fuisset nobilissima in genere hominum, videtur, quod non sine graui læsione posset sibi membrum abscindi.

Quæst. incidentalis. ¶ ET quia dicit Magister, quod dormienti viro non sine causa detracta est costa, incidenter hic quæritur. Vtrum homo tunc indiguit somno? Et videtur, quod sic: quia *Phil. in lib. de somno & vigil.* Philosophus concludit: *necesse est omne, quod vigilat, contingere dormire.* ¶ ITEM, si corpus primi hominis fuit animale, id est, indigens alimonia: somnus autem confert nutritiuæ, vt dicitur à Philosopho: primo homini nihil fuit subtractum, quod expeditioni naturæ illius conueniebat: videtur, quod quandoque gratus & conueniens fuerit illi somnus. ¶ ITEM, Philosophus determinat in Libro de Somno & vigil. quod omnia animalia communicant somno: sed Adam erat animal, habens corpus animale: ergo &c. *Idem in eodem.*

In eodem libello de Somno, & Vigilia. ¶ CONTRA: vt ostendit Philosophus, necessitas somni est languor & fatigatio sensuum: hoc autem primo homini in statu primo non conueniebat: ergo &c. ¶ ITEM, Philosophus ponens causas somni, determinat quod causa somni est ascensio fumi à cibo, qui digeritur in stomacho per naturam caloris vsque ad cerebrum: vbi infrigidatur ex frigiditate crebri, cerebrum n. est frigidum & humidum) & infrigidatus, naturaliter descendit ad organa sensuū, & opprimit ea, & maxime oculos: hæc autem oppressio pœna est, & est causa somni: cum ergo pœna culpam non præcesserit, nec poterat præcedere, existente ordine diuinæ iustitiæ: videtur quod vtrunque sit impossibile: scilicet primum hominem in statu primo pœnam sustinuisse in membri abscissione: & etiam somno indiguisse, vel dormiuisse.

RESOLVTIO.

Adam in abscissione vel ablatione alicuius membri à proprio corpore pati potuit siue passibilis fuit: verum obedientiali tantum potentia & materiali, non autem dispositiua. Pariter sopore, non somno proprie indiguit.

¶ RESPONDEO. Quod ad hanc quæstionem, scilicet si primus homo fuisset passibilis per membri alicuius abscissionem, respondendum est, sicut supra: secundum enim *Mēb. 1. huius quæst.* quod passibilis dicit potentiam obedientiæ vel materialem, passibilis fuit: secundum quod dispositiuam modis prædictis, nequaquam.

¶ AD ILLVD, quod dicit Magister in Sent. vt nullam in eo fuisse pœnam, monstraretur, &c. Dicendum, quod non est intentio Magistri dicere, quod si subtracta esset costa, ipso vigilante, quod pœnam sensisset: sed ostendere per hoc intendit: quod nihil sensit in costæ subtractione. Vnde more humano communiter loquitur: vt sicut aliqui, quando sunt rapti, vsum actualem sensuum amittunt: vnde dolorem non sentiunt: similiter loquitur de Adam: qui tunc non sensit, sopore ligatis sensibus. Vnde non dicit, vt nullam pœnam sentiret: sed vt nullam sensisse monstraretur. Vel potest dici, quod reuera tunc non doluisset, scilicet ante peccatum (nisi dicamus dolorem forte displicentiam naturalem dissolutionis, siue continuitatis) sed post peccatum posset sibi esse fomentum horroris ex recordatione. Sicut accidit illis, qui grauia sustinuerunt vulnera; quod post sanitatem in recordatione horrore concutiuntur: & sic pœna illa erroris posset esse causa odij inter virum & mulierem. Secundum hoc intelligi debet, vt nullam in eo sensisse pœnam monstraretur, scil. per affectum odij, vel affectum horroris post lapsum.

¶ AD aliud dicendum, quod insensibilitatis pœnæ prima, & per se causa, & generalis est innocentia siue immunitas à culpa, siue ordo diuinæ iustitiæ nolens pœnam inferri sine merito iustitiæ. Et hæc fuit causa; quare non sensisset Adam pœnam in ablatione costæ, etiam si detracta fuisset, ipso vigilante: vehemens oppressio somni, paralysis, & separatio animæ à corpore, vel abstractio, vt in raptu, sunt causæ consequentes, & particulares: vnde diuisio prætacta non est sufficiens, nulla facta determinatione alicuius status.

¶ AD ALIVD, quod sequitur. Dicendum, quod separatio vnitorum colligantia naturali & amicitia, est causa doloris & pœnæ in statu pœnali. In statu autem, à quo ordine iustitiæ diuinæ omnis pœna exclusa erat, sicut in statu innocentiæ; nulla diuisio vel separatio erat pœnalis. Quantum ad statum pœnæ additæ veritatem habet illud verbum Philosophi: dolor est distantia partium naturalium: similiter verbum August. prædictum. Videtur tamen insipientiæ meæ (saluo meliori iudicio) quod consideratis rebus existentibus in statu illo, secundum quod erant subditæ ordini diuinæ iustitiæ; nihil fuit, nec potuit homini esse pœnale. Consideratis autem rebus absolute, secundum naturarum propriarum conditiones, vna creatura alij poterat læsionem inferre: qua illata, sequeretur pœna & dolor. Et secundum hoc habita consideratione, si Adam fuisset mutilatus in vno pede, vel manu; pœnam sustinuisset & dolorem. Habita autem consideratione prima: impossibile fuit ipsum à creatura mutilari, vel pœnam mutilationis sentire. Si autem poneretur, quod Deus permisisset Diabolo illi inferre læsionem mutilationis, vel alicuius corporalis afflictionis; sicut fecit de Iob: nonne tristatus esset de difformitate mutilationis, & doluisset de læsione? Dicendum, quod hæc positio tollit ordinem diuinæ iustitiæ: vnde (vt æstimo) tristatus esset, & pœnam sustinuisset: & forte tanto maiorem, quo naturam habuit meliorem, secundum illud August. *dolor est testimonium naturæ bonæ.* *August.*

¶ ET ex hoc patet responsio ad illud, quod sequitur; si enim natura in Adam esset sibi relicta; quod prouidentia diuina, sine ordine diuinæ iustitiæ non esset custodita à læsione: vehementissime passus esset in membri alicuius abscissione, seu ablatione.

¶ AD ALIVD, quod quæritur de somno eius. Dicunt quidam, quod habebat necesse dormire, sicut & comedere: vnde præueniret famem comedendo, sicut & præuenit fatigationem sensuum, dormiendo. Secundum ergo hanc opinionem dici potest: quod languor & fatigatio ibi non fuit causa præcedens somnum: sed hæc debebat somnum præuenire; vnde cautela & vitatio talium pœnalitatum fuit causa somni. Et ad hoc potest induci quoquomodo quod dicit August. 14. de ciuitate Dei. Non lassitudo fatigabat ociosum, nec somnus premebat inuitum. Quasi diceret, non oppressus aliquo modo dormiuit tunc, sicut post culpam: sed voluntarius dormiuisset, quando videret ubi conueniens.

¶ Ex hoc patet responsio ad illud, quod sequitur. Aliter autem videtur aliquibus scilicet quod nullam habuit necessitatem dormiendi: & quod non dormiuisset: & videtur mihi probabilius. Et hæc videtur fuisse opinio Isidorus & Gregor. Isid.* enim* vbi enumerat miserias, in **Isid.* in li. de ordine creaturarum.* quas cecidit homo per peccatum; enumerat somnium, dicens sic. *In huius vita defectu pari infirmitatis conditione pauperes & reges, stulti & sapientes vexantur: nam sensus omnes somno indigent.* Item Gregor. *Omnis homo in Adam primo parente nostro persuasionibus serpentis captus, dum Domini præcepta contemnens,* *Greg. in li. 8. moral.* *eum peccando dereliquit: humilitatis arcem deserens, ad infirmitatis iugum superbiendo peruenit, & ceruicem cordis erigendo suppositus: quoniam qui subesse diuinis iussionibus noluit, sub suis se necessitatibus strauit.* Et post inter illa, quæ numerat, dicit. *Labore vegetatur, ne quiete torpeat: quiete refouetur, ne laboris exercitatione succumbat: fatigata vigiliis somno reparatur; oppressa somno, vigiliis excutitur: ne sua penus quiete lassetur.* *Idem ibid.* Ad hoc videntur duo persuadere: scilicet sublimatio eius quantum ad statum animæ: & seclusio omnis pœnæ quantum ad statum corporis, & animæ. Quantum enim ad animam, tantum sublimatus fuit per affectiuam, quod Deo fruebatur. (Vnde Augustinus. *Viuebat fruens Deo: ex quo bono erat bonus*) *& per cognitiuam, quod Deum per præsentiam contemplabatur.* Vnde Hugo. *Cognouit homo creatorem suum, non ea cognitione, quæ foris ex auditu solo percipitur; sed ea potius, quæ intus per inspirationem ministratur.* *Aug. 14. de ciuit. Dei cap. 16.* *Hugo.* Non ea qua Deus modo à credentibus absens fide quæritur: sed ea tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestus cernebatur. Nec tamen illa fruitio fuit illius plenitudinis siue beatitudinis, quæ est beatorum in patria: nec illa contemplatio fuit contemplatio

templatio comprehensoris: sed minor ea, quæ est viatoris per fidem. Vnde Hugo. *Sciendum est, quod illam primam cognitionem hominis, quam de creatore suo habuit; sicut maiorem & certiorem illa cognitione, quæ nunc in sola fide constat, veraciter dicimus:* ita etiam illa, quæ postmodum in excellentia contemplationis diuinæ manifeste reuelabitur, minorem ac celle est, confiteamur. Cum ergo anima ita erat sublimata, & tanta iocunditate beata; quæ debuit illi esse voluntas dormiendi & priuandi se ad horam modicam tanta vitæ felicitate? Si diceretur, quod vt defectus ex parte corporis præueniret. Hoc non oportuit: cum per vsum ligni vitæ ab omni defectu poterat custodiri. Vnde Hugo. *Ligni vitæ virtus tam mirabilis perhibetur, vt certis temporibus sumptum, vitam corporalem in homine, quamdiu ipse homo illo vteretur: non solum a morte, sed etiam ab omni defectu illæsam custodire potuisset.* Præterea, ab isto statu fuit seclusa omnis pœnalitas, siue pœna.

Item.

Idem.

Somni causæ.

¶ CAVSÆ autem somni pœnales sunt. Vna enim causa somni est oppressio sensuum causa supradicta: vt determinat Philosophus. Alia est oppilatio viarum virtutis sensibilis à corde procedentis. Dicit Auicenna, quod somnus fit ex euaporatione corpulenta, ascendente ex nutrimento in stomacho, & sursum lata ad cerebrum: & ibi ex frigiditate cerebri infrigidata; & in descendendo, oppilando vias virtutis sensibilis, à corde ad organa exteriora procedentis: & ex hoc sequitur reciprocatio caloris naturalis ad interiora, & per consequens sensuum ligatio & immobilitatio. Alia est priuatio organorum naturalis caloris. Vnde Galenus, somnus est reuocatio caloris exterioris ad interiora, vt digeratur nutriens. Et hoc fit hoc modo: post sumptionem cibi calor deserendo exteriora, transfert se ad interiora ad cibi digestionem. Vnde accidit, quod organa priuata calore naturali, actiones suas, quæ omnes fiunt per calorem, exercere non possunt: sed deficiente calore, torpescunt spiritus, & membra deficiunt, & labuntur in somnum. Præterea, labor est causa; vnde Philosophus: *amplius ex laboribus quibusdam,* supple est somnus. Et subdit. Nam labor colliquatiuum est: colliquatiuum vero fit, quemadmodum nutrimentum indigestum. colliquatiuum est idem quod dissolutiuum, hoc est labor dissoluit corpus: & facit multam vaporum eleuationem, sicut nutrimentum indigestum. Præterea, ægritudo est causa: vnde Philosophus. Et ægritudines quidem illud idem faciunt quæcunque à superfluitate humida & calida: vt accidit febricitantibus & litargicis. Præterea, ætas puerilis est causa: vnde Philosophus in eodem libro. Amplius autem præterea ætas: pueri enim dormiunt vehementer, eo quod nutrimentum fertur sursum. Et post quibusdam interpositis, dicit. Cum multus feratur spiritus, id est, euaporatio sursum, descendendo venas tumefacit: quibus coarctat poros, vbi fit respiratio. Hæ autem causæ pœnales sunt, & omnino à statu illo seiunctæ: propter quod videtur, quod somni tunc nulla erat indigentia.

Auicenna

Phil de som. & vigilia.

Idem in eodem.

Idem in eodem.

¶ QVOD concedimus opinando, non asserendo: dicentes, quod si aliquo modo præueniendа fuit membrorum fatigatio per quietem, præueniendа fuit sopore, non somno. Somnus enim proprie sumptus, & eo modo quo de eo disserunt philosophi; potius præuenitur fatigatione: quam econuerso: vt patet ex dictis. Si ergo debuit aliquis defectus præueniri quiete; debuit præueniri quiete soporis, non somni. Differunt enim somnus & sopor: quia somnus est quies animalium virtutum cum intensione naturalium. Sopor est quies animalium virtutum cum intensione intellectualium. Vnde quies soporis non priuat animam iocunditate aliqua, quam habet ex conuersione siue elatione mentis ad Deum, sicut facit somnus: nec ponit corpus alicui additum pœnalitati. Vnde hæc potentia in nullo illo statui præiudicat.

¶ AD ILLVD, quod primo obijcitur, quod Philosophus intendit ostendere, quod somnus & vigilia sunt eiusdem subiecti, siue quod habent fieri circa idem, id est, circa eam partem animalis: hoc est, circa illud, circa quod est sensus: sicut habitus, & priuatio habent fieri circa idem. Dicit enim sic. *Manifestum, quod circa idem animalia vigilia & somnus est:* opponuntur enim, & videtur vigiliæ somnus quædam priuatio. Ex hoc non sequitur absolute & simpliciter, quod si quis vigilat, necesse habet dormire: sicut non sequitur, si non videt, necesse est cæcum fieri. In statu tamen & materia, qua loquitur Philosophus, bene sequitur: loquitur enim Philosophus de illis, in quibus accidit languor & fatigatio organi propter operis excessum, & temporis diuturnitatem. Ostendit enim quod quia animal habet opus secundum tempus determinatum, & excedendo illud tempus, necesse habet languere: ad recreationem & reparationem languentis necessaria est illi quies somni: sed nulla poterat esse fatigatio, vel languor huiusmodi in statu innocentiæ: cum omnis defectus huiusmodi præueniendus erat vsu ligni vitæ: vt habetur ab Hugo. PRÆTEREA, somnus recreat post languorem siue pœnam: non autem est opus illius præuenire pœnam.

Philos. in eodem lib.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur postea. Dicendum, quod qualitates elementares in corpore primi hominis se habebant in vnione potissima & amicitia, vt supra tactum est: & eo maioris erant virtutis & potestatis in actione in materia extranea. Præterea, probabiliter æstimari potest: quod cibus, quo debebant vti in paradiso: maxime fuit consonus & connaturalis naturæ vtentium: & de facili conuertibilis in naturam illorum: & cum hoc quod illo vsi fuissent, non in superfluitate aliqua, sed temperate & moderate. Vnde ratione qua virtus interior operans ad digestionem erat validæ potestatis, & ratione naturæ cibi, & modi quo sumeretur, scilicet in modicitate, non requirebatur reuocatio caloris exterioris: neque ascendebant fumositates, quæ somnum facerent: fumositates enim multæ & grossæ faciunt somnum: non autem paucæ & subtiles; cuiusmodi essent illæ: quæ fuissent resolutæ ex cibo ibi sumpto: & maxime vbi virtus est valida & potens in vtente.

¶ AD ILLVD, quod post obijcitur: quod omnia animalia communicant somno. Dicendum, quod omnia, quæ determinat Philosophus circa materiam istam, habent intelligi secundum cursum naturæ corruptæ, non autem institutæ.

MEMBRVM IV.

An Adam in statu innocentiæ senescere potuerit?

SEQVITVR quæstio de passibilitate secundum mutationem temporis, hoc est de passibilitate senectutis. Quæritur ergo, si potuit in primo statu senescere. Et videtur, quod sic. Augustinus. *Cibus aderat ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senectus dissolueret.* Ex hoc verbo videtur, quod dissolubilis fuit senecta, quantum fuit de sua natura.

Aug 14. de ciu. Dei cap. 26.

¶ ITEM Augustin. *Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem: de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem:* & ita idem quod prius.

Idem de baptismo paruulorũ

¶ PRÆTEREA, qua ratione primus homo erat stabiliendus contra senectutem per lignum vitæ, eadem & sua tota progenies; & ita omnes electi: sed fructus, quos posset lignum illud exuberare, si per arbores diuiderentur; non possent singulis electorum impartiri: ergo non videtur: quod sufficeret fructus ligni illius ad stabiliendum naturam humanam: ne fieret dissolutio per senectutem.

¶ ITEM, de lege naturæ est, quod virtus vigens in animalibus, proficit in perficiendo suum subiectum; quousque perueniat ad statum completum magnitudinis & augmenti (de quo Philosophus. Omnium constantium natura terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti) quo peruento, terminatur progressus illius: iuxta quod dicit Philosophus, quod *vnumquodque terminatur sua periodo:* nec permanet in statu illo: sed incipit declinare & deficere: ad hunc autem defectum sequitur senectus. Cum ergo hæc sit lex naturæ vniuersalis, primo homine existente in statu completo sibi determinato

Philosophus.

secundum naturam, natura siue virtus vigens in eo cœpisset deficere & declinare, & ipse consequenter senescere. ¶ Item, Virtus gratuita in via aut proficit, aut deficit: & hoc fuit verum in omni statu. A simili videtur de virtute naturali, quod deficit, quando non proficit: siue incipit deficere: vel quare non: & si hoc, habeo propositum. ¶ Item, in Lib. de morte & vita dicitur: superefusa & multa semina senescunt cito. Ex hoc videtur posse argui, quod qui descindit semen per coitum, senescit, siue potest senescere: nō enim superflua decisio cito senectutem induceret in aliquo; nisi qui descindit, posset senescere: sicut superflua cōmestio non induceret morbum in aliquo, nisi comedens posset infirmari: & ita omnis potens descindere de se semē, potest senescere, ergo & primus homo.

¶ Contra. In primo statu anima potuit stare: nec habuit necessitatem cadendi, antequam sua culpa se subijceret illi necessitati. Similiter videtur de corpore, quod stare poterat sine defectu corporali aliquo: nullam habens necessitatem deficiendi, antequam homo per culpam se subijceret huic necessitati: & ita nulla fuit illi necessitas senescendi ante peccatum.

¶ Item, senectus est præambula & introductiua mortis: vnde quod potest senescere, potest mori. Heb. 9. Quod antiquatur & senescit, iam prope interitum est. Si ergo primus homo potuit senescere, potuit mori: & hæc lex curre-bat in primo statu innocentiæ: scilicet quod senectus necessario mortis introductiua fuit: vnde Augustin. dicit de primis parentibus. *Licet morituri non essent, nisi peccassent: alimentis tamen vt homines vtebantur; nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes: quæ licet senio non veterascerent, vt necessitate perducerentur ad mortem*, &c. ergo vt prius.

Aug. 13. de ciuit. Dei cap. 23.

RESOLVTIO.

Adam in Paradiso terrestri senescere potuit: verum potentia obedientiali, vel materiali: at non potentia modo aliquo disposita.

¶ Responsio. Cum quæritur. Vtrum primus homo fuit passibilis secundum mutationem temporis, id est, an fuit passibilis per senectutem, distinguendum est: sicut supra tactum est.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur contra. Dicendum, quod illa stabilitas, qua stare potuit sine defectu senectutis, non infuit illi solummodo à virtute fructus ligni vitæ: sed à natura suæ conditionis, vt à causa intrinseca & prima. Conditus enim fuit in quadam stabilitate naturæ omnino sine necessitate, vel dispositione, vel inclinatione ad defectum senectutis: sed data fuit alimonia de fructu ligni vitæ ad illam stabilitatem perpetuandam, siue continuandam. Vnde causa impassibilitatis defectus senilis fuit stabilitas naturæ, in qua conditus fuit: causa, sine qua continuari siue perpetuari non potuit, fuit fructus vitæ.

¶ Ad illud, quod consequenter obijcitur, scilicet de sufficientia fructus vitæ: quia (vt dicit Hugo) periculum diligentis inquisitionis nullum erit, si præsumptio temerariæ assertionis non fuerit; nihil asserere præsumo: tamen opinando potest dici, quod (sicut determinant sacri Doctores) si perstitissent, primi parentes, & de illis propagati in statu innocentiæ successiue fuissent translati ad vitam æternam. Vnde Hugo. *Hoc magis rationi consentaneum, & fide dignum videtur: quod sicut in hac vita mortali alijs per mortem decedentibus, alij per natiuitatem victuri succedunt: ita quoque tunc præcedentibus post terminum huius vitæ temporalis, ad vitam æternam translatis, hi, qui ex eis nati fuissent: decedentibus succederent: & ipsi quoque tempora sua impleturi, & obedientiam seruaturi, donec tandem numerus ad prædestinatorum vitam impleretur, & tempus huic inferiori vitæ in genere humano deputatum consummaretur.* Et secundum hoc potest probabiliter æstimari, quod diuina virtute lignum vitæ tanto numero fructus exuberare posset sufficientes. Vel aliter potest dici: quod dicit Augu. super illud Genes. 2. *Posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Quod maius mirabiliusque spectaculum est, aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodam modo loqui potest; quam cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbustulis, infitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis, quid possit, quidve non possit, vnde possit, vnde non possit: quid in ea valeat numerorum inuisibilis interiorque potentia, quid exterius adhibita diligentia: inque ipsa consideratione perspicere: quia neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus: quia & illud operis, quod accedit extrinsecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit, atque ordinat inuisibiliter Deus? Ex hoc verbo Augu. patet: quod operatio illa debebat esse circa transplantationem arbustulorum, & insitionem malleorum: & plantationem surculorum & agriculturam huiusmodi. Vnde ex hoc verbo non irrationabiliter æstimari potest: si fructus vnius arboris non sufficerent, illius generis arbores vel transplantatione surculorum, vel insitione, vel aliquo modo alio alias generis eiusdem fuisse multiplicatas.

Hugo li. 1 par. 6. c. 15.

Aug. lib. 8. super Gen. ad litterā. c. 8. Tom. 3

¶ Ad aliud, quod sequitur, scilicet quod secundum legem naturæ virtus vigens in animalibus, quando non proficit, incipit deficere, &c. Dicendum, quod hoc non est generaliter verum, nisi secundum legem naturæ corruptæ: non autem integræ, siue constitutæ. Vt enim dicit Gloss. super illud Esa. 30. *Erit lux Lunæ sicut lux Solis, &c.* omnia propter hominem facta, in eius lapsu peiorata sunt: & Sol & Luna lumine suo minorata: & ipse homo maxime infirmus factus est: Vnde Gregorius. *Dixit quidem Sapiens, graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium.* Omnis quippe homo in Adam primo parente persuasionibus serpentis captus, dum Domini præceptum contemnens, eum peccando dereliquit; humilitatis arcem deserens, ad infirmitatis iugum superbiendo peruenit: Ex infirmitate ergo, quam incurrit homo, necesse habet in statu naturæ corruptæ; saltem cum ad terminum suæ magnitudinis peruenerit, declinare; & declinando senescere: quod non fuit necesse in statu primo.

Gloss. Hier. super Esa. 30.

Greg lib. 8. Moralium

¶ Ad illud, quod postea obijcitur: quod virtus gratuita aut proficit, aut deficit, &c. Dicendum quod secus est de virtute gratuita. Et hoc dico habito respectu ad statum innocentiæ. In statu vero culpæ consimili se habent modo virtus gratuita & naturalis; quantum ad hoc, quod vtraque proficit, aut deficit. In statu autem naturæ conditæ nequaquam: & ratio est; quia in statu primo determinatus fuit status virtutis naturalis in via: non autem fuit determinatus status virtutis gratuitæ, antequam perficeretur in gloria: gloria enim est perfectio gratiæ, siue gratia perfecta, vt quidam volunt. Vnde in statu primo in progressu virtutis naturalis fixus erat terminus, vltra quem non erat progredi, nec citra quem deficere. Non autem fuit sic de virtute gratuita: cuius non erat terminus determinatus ante perfectionem gloriæ. Vnde manente statu innocentiæ, siue naturalis iustitiæ non esset status in progressu virtutum gratuitarum, sicut in progressu naturalium: neque fuisset ibi defectus, neque declinatio; nisi accedente infirmitate per culpam.

¶ Si autem quæritur, quare fixus fuit terminus in progressu virtutum gratuitarum. Responsio. Est ex quadruplici genere causæ. Primo ex genere causæ efficientis: quia profectus virtutis naturalis est à principio intrinseco & finito: sed profectus virtuis gratuitæ à principio superno & infinito, sc. à Deo. Ex parte causæ formalis ratio est: quia determinatum est virtuti animæ, quæ est forma corporis; quantum corpus mouere possit, & perficere: & ideo vltra statum illum virtus corporalis, siue in principijs corporis radicata, prout ordinatur ad animam, statum habet. Secus autem est de gratia, cuius complementum perfectum non est, nisi in gloria: ad quam non peruenit homo, quandiu est in via. Ex parte finis est ratio: quia virtus naturalis est ad aliquem effectum creatum; sed gratia ordinat adhærendum Deo: similiter & virtus: sicut dicit Augustinus in libro de Moribus ecclesiæ: *& nemo potest nimis adhærere Deo: ideo, &c.* Ex parte materialis principij ratio est: quia virtus & gratia non habent principium materiale, vnde fiant: sed corpus, in quo radicatur naturalis virtus: fabricari habet ex humido quodam radicali: super quod na-

Dubitatio.

August.

tuta superædificat tanquam supra fundamentum. Et quemadmodum fundamentum in artificialibus habet determinatum posse respectu quantitatis fabricæ construendæ: sic humidum radicale secundum potestatem suæ quantitatis & extensibilitatis, determinationem habet & limitationem ad corporis magnitudinem, quod ex ipso producendum est. Et quoniam virtus corporalis concomitatur corporis quantitatem, ideo statum habet. Non sic autem est in gratia & virtute, sicut dictum est.

¶ Ad vltimum dicendum, quod hoc argumentum non valet: multa effusio facit senescere cito: ergo qui potest effundere semen, potest senescere: effusione enim quacunque seminis non debilitatur natura: immo potius quandoque alleuiatur, & expeditior efficitur: vt quando huiusmodi emissione purgatur superfluitas naturæ. Vnde effusio huiusmodi non est causa senectutis: sed multa, siue immoderata. Hæc ergo enunciatio, qui potest semen effundere, potest senescere; falsa est pro statu primo: in quo non potuit esse multa effusio, non interueniente culpa. Ad posse enim effundere, non sequitur posse senescere: nisi quia qui effundit, potest immoderate effundere: hoc igitur quia fieri non potest, nisi præueniente culpa: non potuit fieri in statu primo.

MEMBRVM V.

An Adam passibilis fuerit per corporis dissolutionem?

SEQVITVR inquirere. Vtrum fuit passibilis per corporis dissolutionem.

¶ QVOD sic, videtur: omne compositum est natura dissolubile: vnde corpus Adæ quia fuit tale: ergo &c.

¶ ITEM Damascenus compositio est principium pugnæ, & pugna distantiæ, distantia dissolutionis. Ergo compositio est principium solutionis. Sed quod habet in se principium solutionis, est passibile per dissolutionem: corpus Adæ fuit tale: ergo &c. | Dam lib. 1. cap. 4.

¶ ITEM, corpus illius erat compositum ex quatuor elementis. Sed quatuor elementa adinuicem contraria sunt, & actiua & passiua: ergo inducentia corruptionem: quia passio necessario inducit corruptionem: ergo dissolutionem.

¶ SI dicatur, quod non erant in ipso elementa agentia & patientia: quia erant æque librata, & in æquali proportione. Contra: vt habetur à Philosopho, elementa in suis sphæris æqualem habent potestatem: nihilominus agunt, & patiuntur adinuicem.

¶ ITEM Augustinus dicit. *Corpus Adæ non erat tale, quod impassibile videretur esse:* sed gustus à boris vitæ corruptionem inhibebat. Igitur videtur, quod corpus in se dissolubile erat: licet ab extrinseco reseruari poterat sine dissolutione. | August. in quæst. super Genes.

¶ ITEM, Omne, quod est animale, id est, indigens alimonia, est dissolubile, deficiente alimonia: sed omne tale est passibile per dissolutionem: corpus Adæ fuit tale: ergo, &c.

¶ CONTRA. Materiatum ordinatum per naturam ad formam indissolubilem, debet esse indissolubile per naturam: quod patet per rationem, & per exemplum in corporibus supercœlestibus, & in alijs indissolubilibus: sed corpus primi hominis fuit tale: ergo &c. Nec est instantia in nobis, qui damnati sumus dissolutioni propter peccatum.

¶ ITEM, Vt dicit Plato in Timæo; quod bona ratione iunctum est, dissolui velle non est Dei. Corpus primi hominis bona ratione iunctum fuit. *Bona* (inquam) *ratione, secundum quod ratio dicit ordinationem in finem:* ordinatum enim fuit ad finem vltimum vel optimum, secundum quod possibile erat naturæ corporis. Similiter iunctum erat bona ratione, secundum quod ratio dicit proportionem conuenientem, & ordinatam miscibilium siue componentium in composito; secundum Augustin. dicentem, quod *summa salus erat in corpore illius.* | August. lib. I. Ex. 2. de Genesi.

¶ ITEM Philosophus in libro de genera. & corrupt. | tio & corruptio.1 Tex. 59. Naturam inquimus semper desiderare, quod melius est. Sed elementa non possunt esse sub forma meliori, quam erat forma illa, quæ erat perfectio illius hominis: ergo secundum naturam stabat, & terminatus fuit eorum appetitus: ergo natura fuit corpus illud indissolubile.

RESOLVTIO.

Adam potentia disposita nullatenus secundum corporis dissolutionem passibilis fuit, hoc est nullam dispositionem inclinationis habuit ad corporis dissolutionem: sed bene in potentia obedientiæ, siue materiali fuit, vt dissolueretur. Quod est dictu, potuit dissolutionem suscepisse actione creaturæ, multiplici medio corpus suum ad dissolutionem disponente, nullo eius ad hoc prauio appetitu, inclinatione.

¶ RESPONSIO. Supposita distinctione superius habita, dicendum, quod primus homo fuit passibilis per corporis dissolutionem, secundum quod [*passibilis*] dicit potentiam obedientiæ vel materialem: non secundum quod dicit potentiam aliquo modo dispositam.

¶ AD primum obiectum, quo dicitur: compositum esse natura dissolubile &c. Dicendum, quod natura dicitur multipliciter, scilicet creata & increata, siue naturans & naturata. Secundum quod natura sumitur pro natura naturante: verum est, quod omne compositum, natura est dissolubile, id est, adiunctum naturæ huiusmodi vel nisi hac natura conseruaretur. Natura naturata potest esse vel principium agens intra: secundum quod natura dicitur principium motus & quietis eius in quo est &c. & hac natura non est dissolubile, quicquid est compositum. Vel naturalis intelligentia: & sic omne compositum dissolubile: quia naturalis intelligentia dissoluit semper compositum, discernendo inter partem & partem. Sed neque huiusmodi modus dissolutionis, neque alius; secundum quod dissolubile natura dicitur à natura naturante; inducit dissolutionem.

¶ AD ILLVD, quod dicit Damascenus quod compositio est principium pugnæ. Dici potest, quod verbum Damasceni intelligi potest compositione contrariorum, in quibus est quædam pugna ex mutua actione illorum & passione: huiusmodi autem pugna nec actio nec passio erat in corpore primi hominis, in quo erant componentia in quadam amicitia: vt supra dictum est: pugna autem violentam signat actionem. Sed videtur ex serie verborum suorum, quod ipse non intelligit de compositione simpliciter: immo de compositione, secundum quod omnis creatura dicitur composita respectu simplicis primi. Quod ostendit ibidem, quod omnis creatura ratione suæ compositionis est dissolubilis: & solus Deus, qui nullo genere compositionis est compositus; nullo modo est dissolubilis. Propter quod videtur aliter dicendum: potest ergo dici, quod omnis creatura ratione, qua est ex nihilo; quantum est de se; vt est talis; in nihilum tendit. Vnde GREGORIVS. *Cuncta ex nihilo facta sunt: eorumque essentia ad nihilum tenderet, nisi ea autor omnium manu regiminis contineret.* PRÆTEREA, creaturæ inquantum productæ sunt in esse diuina virtute, sic potentia; communicant esse diuinum; & appetunt illius continuationem: secundum quod dicit Philosophus. *Omnia bonum appetunt,* id est, esse diuinum, siue illius esse continuationem. Vnde in omni creatura est quasi duplex existentia, ratione duplicis principij illius: sumpto [*principio*] nomine extenso: secundum quod [*nihil*] dicitur quasi originale principium creaturarum. Sicut ergo dicitur pugna quædam esse inter corpus & animam, siue inter sensualitatem & partem rationabilem, propter contrarios appetitus, siue concupiscentias: similiter secundum quendam modum loquendi dicitur in vnaquaque creatura esse pugna ratione duplicis tendentiæ contrariæ, siue inclinationis. Huiusmodi autem pugna non ponit necessitatem vel dispositionem ad dissolutionem aliquam, quæ sit reducibilis ad actum: nisi hoc supposito, quod sibi relinqueretur, vel subtraheretur virtus diuina à qua acce- | Greg. li. 16. Moral. c. 18 non longe à medio. | Phil. 1. Ethic. c. 1

pit

Gregorius pit esse, & continuationem esse. Vnde Greg. *Omnia, quæ creata sunt, per se subsistere non valent, nec moueri: sed in tantum subsistunt, inquantum vt esse debeat, acceperunt.*

¶ Ad aliud, quod postea obiicitur: quod illud compositum erat ex quatuor elementis &c. Dicendum, quod licet corpus illud esset ex quatuor elementis: tanta autem erat æqualitas virtutum elemẽtarium, & pax, & harmonia ratione commensurationis; vt vnum in aliud omnino non ageret, aliquid abiiciendo à substantia illius corporis.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod æqua libratio elementorum secundum eorum virtutem, non impedit, quin sit ibi actio & passio: sicut nec illorum, secundum quod sunt in sphæris suis &c. Dicendum, quod hoc non est inquantum sunt huiusmodi; sed inquantum augmentatur virtus vnius, & diminuitur virtus alterius per motum solis in aliquo circulo. Vnde per appropinquationem solis augmentatur virtus alicuius elementi in aliqua parte illius: propter quod habet potestatem agendi, & prædominium respectu alterius elementi in parte aliqua illius. Vel forte & si esset in illo contrarietas elementorum, & non esset æqua libratio qualitatum: non datum fuit illis agere in illo aliquo modo ad dissolutionem: quod videtur ex illo

Cap. vlt. verbo Sap. vlt. *Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens eius præceptis: vt pueri tui custodirentur illæsi.* Ex quo videtur, quod omnis creatura quo ad eius primam conditionem fuit quasi deputata ad tuitionem & custodiam hominis, & nullam potestatem habuit lædendi eum.

¶ Ad aliud, quod sequitur: quod corpus illud non erat tale, quod impossibile videretur dissolui: sed gustus arboris vitæ inhibebat corruptibilitatem. Dicendum, quod reuera corpus illud possibile fuit dissolui, secundum quod [*possibile*] dicit potentiam materialem; non secundum quod dicit dispositam. Vnde quod dicit Aug. quod gustus arboris vitæ inhibebat corruptionem: non dicit, quia dispositus fuerit ad corruptionem aliquo modo: sed quia gustus arboris conseruabat illum in integritate sua. Vnde inhibitio illa non est aliud, quam conseruatio indissolubilitatis, siue integritatis habitæ.


¶ Ad aliud, quod sequitur dicendum, quod licet primus homo esset animalis: nec tamen fuit dissolubilis &c. id est, potens dissolui potentia inclinata, vel disposita ad dissolutionem: sed solum propter defectum externus conseruantis. Licet enim in homine primo nulla erat necessitas vel dispositio ad dissolutionem: tamen quia erat animalis, indigebat alimento conseruante illum in sua integritate: quo deficiente, necessario deficeret, & dissolueretur non propter aliquam dispositionem vel aptitudinem intrinsecam ad dissolutionem. Responsiones inductæ pro alia parte: quia verum concludunt, concedantur.

QVÆSTIO LXXVII.

De Vita.

In tria Membra, & vndecim Articulos diuisa.

D. Tho. 1. par q. 18. 4 art. VLTIMO pro complemento præcedentis quæstionis quærendum remanebat, si fuerit primus homo passibilis per animæ separationem: si hoc est, fuit mortalis, vel immortalis. Sed quia, vt dicit Philosophus, recto recto cognoscimus, & obliquum: priuationes per habitus. Prius inquirendum est de vita, & post de vitæ priuatione, id est de mortalitate, siue mortis passibilitate. ¶ De vita ergo inquirenda sunt hæc. Primo, quid est vita. Secundo, à quo est immediate. Tertio cuius est vt subiecti proprii.



MEMBRVM I.

Quid sit vita.

CIRCA primum duo sunt quærenda. Primo, quid est vita secundum diffinitionem. Secundo, quid postea est secundum rem.

ARTICVLVS I.

Quid sit vita secundum definitionem.

CIRCA primum, quo quæritur, quid sit vita secundum definitionem: certe à multis diuersimode describitur. Nam Bern. *Vita est interius & naturalis motus, tantum vigens intrinsecus.* ¶ Item, Philosophus *vita est primus, & continuus actus viuentis.* ¶ Item, lib. de Motu cordis. *Vita est primus actus animæ, & corporis adaptati ad mouendum.* ¶ Item Ambr. *Vita est frui spirandi munere.* ¶ Item, *Vita est processio, procedens ab ente quieto & sempiterno, & primus motus.* ¶ Item Diony. *Vita est processio theophaniarum, id est diuinarum apparitionum ab ente quieto & sempiterno.* Bern. de libere arb. Philosop. Idem Amb. de Bono mortis. Idem lib. de intelligentiis in Commen Dionys.

¶ Contra hoc obiicitur sic. Vnius rei vnum est esse: diffinitio autem dicit, quid est esse: vnius ergo rei non debet esse nisi diffinitio vna.

RESOLVTIO.

Diuersa consideratione, diuerse a diuersis vita definitur.

¶ HVIVS responsione apparere potest diffinitionũ differentia manifestata. Nota ergo quod prima diffinitio, scilicet vita est internus & naturalis motus &c. assignata est secundum substantiam: in qua [*motus*] ponitur quasi pro genere: internus vero & naturalis pro differentiis distinguentibus vitam ab actu, qui est extrinsecus, & ab actu, qui est præter naturam, siue non naturalis. ¶ Alia, scilicet Vita est primus, & continuus actus viuentis: assignata est in relatione ad subiectum: in qua supra prædictam additur comparatio ad viuentem, siue viuificatum.

¶ Tertia, scilicet Vita est primus actus animæ & corporis adaptati &c. assignata est in relatione ad subiectum dispositum; in qua additur comparatio ad corpus aptatum ad motum, siue ad mouendum. ¶ Quarta, scilicet ista, Vita est frui spirandi munere: assignata est in relatione ad actum vitæ conseruatiuum & manifestatiuum: vita enim animalis conseruatur & manifestatur per spirationem. Vnde *Inspirauit in faciem eius spiraculum.* Propter hoc potest anima siue spiritus dici spiraculum vitæ; quia potestate spirandi, quæ est à spiritu; conseruatur vita, & manifestatur. Gen. 2.
¶ Quinta, scilicet hæc, Vita est processio procedens ab ente quieto &c. assignata est in relatione ad primum principium: & hoc generaliter exprimendo comparationem vitæ ad ens sempiternum, à quo vita procedit. ¶ Sexta, scilicet Vita est processio theophaniarum &c. assignata est in relatione ad primum principium: & hoc specialiter secũdum quod respicit esse gratuitum, ad quod spectant diuinæ apparitiones, siue illuminationes, quæ theophaniæ dicuntur.

¶ ALIVD considerandum est in prædictis diffinitionibus: quod quædam respiciunt vitam generaliter, scilicet illa, quam est Philosophi, scilicet *Vita est primus actus &c.* illa etiam, quam assignat Commentator Li. intelligentiarum, scilicet *vita est processio procedens &c.* Quædam autem specialius vitam naturalem, vt quæ est Bern. scilicet *Vita est naturalis &c.* & illa, quæ est de Motu cordis, scilicet *Vita est primus actus animæ & corporis &c.* Adhuc quædam specialius vitam sensibilem, sicut illa Ambro. quæ est, *Vita est frui &c.* Quædam specialissime vitam rationalem, vt quæ est Dion. scilicet *Vita est processio theophaniarum &c.* Philosop. Commentator. Bernardus. Ambr. Dionys.

ARTICVLVS II.

Quid sit vita secundum rem.

SEQVITVR de vita quid sit secundum rem. Primo ergo quærendum est. Vtrum sit substantia, vel accidens. Secundo, vtrum sit anima, vel aliquid illius. Et si aliquid animæ, vtrum potentia, vel actus, aut habitus eius.

An vita substantia, vel accidens sit. §. 1.

¶ CIRCA primum arguitur sic. Vita est forma, siue

perfectio viuentis: dicit enim Philosophus *viuere viuentis est esse*: sed accidens non est forma, siue perfectio substantiæ, siue esse: sicut dicit Auerrois Li. de anima: ergo &c. sicut enim anima est forma, & perfectio animati: sic vita est, quod viuit, inquantum huiusmodi.

Philosophus Auerrois Ex. 2. de anima. 37.

¶ Item, Commentator Lib. de intelligen. *Vita est id, quod primo fluit ab ente quieto & sempiterno. Ens quietum & sempiternum est prima causa, quod vero primo fluit ab ipso ad esse viuentium, non est accidens, sed substantia: quia neque prius tempore, neque natura in conditione rerum viuentium fluit ab ipso accidens, quam substantiæ.* ¶ Item Lib. de Motu cordis. *Vita est principium actus animæ. Sed principium actus animæ non est accidens, sed substantia, vel potius vtrumque: quia actus solent egredi à substantia mediante potentia: ergo cum vita non sit aliqua de potentiis animæ* (vt patet inducendo per singulas) relinquitur quod est principium vt substantia.

Commentator. Auctor libri de motu cordis.

¶ Contra, Vita est iucunditas corporis humani (vnde Eccle. 30. *Iucunditas cordis est vita hominis*) iucunditas autem huiusmodi est accidens: ergo &c. ¶ Item nullus motus est substantia: sed vita est motus, vt patet ex illa diffinitione assignata in Commento super Li. Intellig. scilicet. *Vita est processio &c.* ergo vita est accidens: ergo &c. ¶ Item, mors est priuatio vitæ: ergo mors & vita opponuntur, sicut priuatio & habitus: vita ergo est habitus, cui est opposita priuatio: ergo est accidens &c. ¶ Item, cum vita sit actus, siue actio; hæc vera est, viuens est agens, siue operans: sed quod dicit pater, dicit relationem, vel est in genere ad aliquid: & hoc non ratione substantiæ suppositæ, sed ratione formæ scil. paternitatis: & hoc quia paternitas est relatio, siue in genere ad aliquid. A simili videtur, quod cum viuens licet ratione substantiæ quæ viuit, sit in genere substantiæ; debet dici in genere actionis esse, ratione formæ comportatæ scilicet vitæ, quæ est actio quædam, siue operatio: & ita vita erit in genere accidentis, non substantiæ.

Eccles. 30.

RESOLVTIO.

Vita substantia potius quam accidens dicenda est: quia nec per se & proprie, sed reductiue tantum in genere substantiæ reperitur.

¶ RESPONSIO. Ad hoc potest dici, quod vita non est substantia, proprie dicendo substantiam: secundum quod illa solummodo dicunt substantiæ, quæ secundum ordinationem linearem prædicabilium sunt in genere substantiæ. Secundum autem quod nomine extenso dicuntur substantiæ, immo potius substantialia, quæ aliquo modo reducuntur ad illa, quæ per se ordinantur in genere illo: dici potest substantia, vel potius substantiale. Cum enim modus reducendi ad genus sit multiplex: quædam enim reducuntur ad genus sicut principia, vt materia & forma ad genus substantiæ (iuxta illud Boetii, *relictis extremis agit de medio, id est de substantia composita*) similiter punctus ad genus quantitatis. Quædam autem reducuntur vt differentiæ substantiales. Quædam vt potentiæ, quæ reducuntur ad genus illud, in quo est substantia, id est, quorum sunt potentiæ: vt potentiæ animæ ad genus illud, in quo est anima. Quædam vt actus proprius & primus, qui dicit esse eius, cuius est actus: secundum quod esse dicitur actus entis. Hoc vltimo modo reducitur vita ad illud genus, in quo est viuens: iuxta illud Philosophi dicentis, *viuere viuentis est esse*. Quærenti ergo, vtrum vita sit substantia, vel accidens: Dicendum, quod est substantia, id est reducibile ad substantiam, siue ad genus substantiæ. Vtrum autem aliqua consideratione sit de genere accidentis; infra plenius videbitur.

Phil. Loco alleg.

§.V.

¶ Ad illa ergo, quæ videntur ostendere, quod sit substantia: & primo per hoc quod accidens non est perfectio substantiæ. Dicendum quod hoc verum est, secundum quod substantiale nomine extenso dicitur substantia. ¶ Similiter, quod dicitur: quod fluit à prima causa primo ad esse viuentium, non est accidens, sed substantia. Verum est, sumpta substantia modo iam dicto. ¶ Similiter, quod dicit: accidens non est principium actus animæ, sed substantia. Hoc verum est, sumpta substantia modo prædicto.

¶ AD ea, quæ inducuntur pro alia parte. Respondendum est, & primo ad primum: cum ergo obiicitur, quod iucunditas est vita &c. Dicendum, quod loquitur de vita gratiæ, quæ est ex charitate, quam debet concomitari iucunditas spiritus. Vnde Interlinear. super illud [iucunditas cordis.] dicit, quæ est ex vera charitate, hoc est vita scilicet per concomitantiam, non per essentiam.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod nullus motus est substantia &c. Dicendum, quod secundum quod proprie dicitur motus, prout diuiditur per generationem & corruptionem, augumentum & diminutionem, & loci mutationem, verum est, quod motus non est substantia. Secundum autem, quod motus concernit actum sumptum modo supradicto: prout scilicet dicitur actus primus & proprius, qui dicit esse eius, cuius est actus, & substantia nomine extenso, dicitur substantiale, siue reducibile ad substantiam: sic aliquis motus est substantia.

¶ Ad aliud quod sequitur. Dicendum: quod est quædam priuatio, qua priuatur esse simpliciter: quædam, qua priuatur esse partis: sicut à cæcitate priuatur esse oculi: oculus enim cæcus non est nisi æquiuoce dictus sicut oculus erutus. Illa ergo priuatio, qua priuatur esse partis; priuat habitum sibi oppositum, qui est accidens: illa autem priuatio, qua totum esse rei tollitur, non priuat habitum, eo modo sumpto habitu, quo habitus & priuatio opponuntur priuatiue: neque habitum, qui est accidens: cuiusmodi mors, qui priuat esse, siue actum proprium & primum ipsius rei, siue substantiæ. Si tamen vita sit aliquo modo habitus infra dicetur.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet hoc quod dico [*viuens*] imponatur à causa, quæ quodammodo est actio, vel operatio, vel aliquid huiusmodi: quia tamen actio illa vel actus est primus & proprius ipsius substantiæ, qui dicit esse illius, cuius est actus: non debet poni in alio genere, quam in genere substantiæ. Nec est simile de hoc quod dico, pater: quia imponitur à forma, quæ est remota, & accidentalis esse rei suppositi.

Hoc eodē art. 5.

An vita sit anima, vel aliquid animæ? §. ij.

¶ SEQVITVR, si vita sit anima, vel aliquid animæ. Et primo si sit anima: quod sic videtur. Ambro. ostendit: quod anima non potest mori, quia est vita, & vita est contraria morti. Vnde dicit. *Anima vita est: quomodo potest mortem suscipere, cum sit contraria.* ¶ Item, *Anima animalis vna simplex est: & ex ea tantum viuit animal.* Sed vita est illud, quo viuunt animalia: & animalia viuunt tantum anima: ergo idem est vita, quod anima: ergo vita est anima. ¶ Item, probat, quod anima est vita, sic: *cui anima infunditur, vita infunditur: à quo anima discedit, vita discedit*: anima ergo est vita. ¶ Item Isido. *Vita corporis anima:* anima ergo vita est. ¶ Item *anima viuit seipsa*, vt vult Philosophus: ergo anima est sua vita: ergo &c. ¶ Hoc etiam potest ostendi sic: anima viuit, aut ergo viuit seipsa, aut alio. Si alio, tunc similiter erit quæstio de illo: aut viuit, aut non: si non: ergo non dat vitam: si viuit, aut ergo seipso, aut alio: tunc similiter quæritur de illo alio. Si ergo non est abire in infinitum, relinquitur quod ipsa, vel illud quo viuit, viuit seipso. Sed verisimilius est quod anima ipsa viuit seipsa, quam sit aliud quo viuit: ergo anima viuit seipsa vita: ipsa ergo vita est anima. ¶ Item, in prædicatis essentialibus si concretum de concreto, & abstractum de abstracto: sed animare est viuificare, & animari viuificari; & animatum viuificatum siue viuum (essentialiter loquendo) ergo anima est vita.

Amb. in li. de bono mortis.
Idem lib. de motu cordis.
Idem lib. de bono mortis.
Isid. lib. de summo bono.
Philosophus.

¶ Contra, Nihil creatum est actus eius, siue actus egrediens à se: sed vita est actus egrediens ab anima, vnde Li. de Motu cordis dicitur: *primus & continuus actus animæ vita est.* ¶ Item aliud est, quod infunditur ab aliquo; & illud à quo infunditur: sed dicit Ambro. *quomodo substantia tua* id est, animæ *nutrire potest: cum anima sit, qua vitam infundit?*

Amb. lib. de bono mortis.

RESOLVTIO.

Vitam non animam ipsam dicimus: sed vel quidquam ab ea causatum (respectum habendo ad vitam, qua corpus viuit) vel aliquid in ipsamet causatum ab eodem, à quo & ipsa causata est, (respectum habendo ad vitam, qua anima viuit)

¶ Ex his patet, quod vita non est anima, nec econuerso, forma-

tot... liter loquendo. Quod concedimus. Dicendum ergo est: quod anima est causa vitæ in corpore: & causa animæ est causa vitæ in ipsa. Vnde vitæ, qua anima in se viuit, anima non est causa: sed illud, quod est causa animæ.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc, per illud *Idem.* Ambro. *Anima est vita &c.* Dicendum, quod prædicatio illa (vt patet ex verbis Ambro.) est effectus de causa. Nec dicitur mors contraria animæ proprie: sed eo modo loquendi, quo incontingentia siue incompossibilia dicuntur contraria. Et hoc patet ex serie verborum Ambro. subiungit enim. Sicut nix calorem non recipit, nam statim resoluitur: & lux non recipit tenebras, nam statim discurrit (infuso enim lumine, tenebrarum horror aufertur) & sicut admoto igne, niuium rigor desinit. Ita & anima, quæ vitam causat, mortem non recipit, & non moritur. Ecce dicit, quod anima causat vitam, quo significatur animam esse causam vitæ. Per exempla autem, in quibus à simili declarat quod anima non recipit mortem, patet, quod anima non est morti contraria proprie: nisi eo modo, quo dicuntur contraria incontingentia.

¶ Ad aliud dicendum: quod animal viuit tantum ex anima, & nihilominus anima viuit vita: quia enim vita animalis est ab anima, per hoc quod dicitur, animal tantum viuere ex anima, non excluditur quin ipsum viuat vita: cũ enim dicitur, tantum viuit anima, notatur præcisio causæ primæ, siue principalis. Et hoc intelligendum est ratione viuificationis, siue vitæ partis animalis, scilicet corporis: quia animal ratione totius viuit vita; sed ratione partis, id est corporis viuit anima. Anima enim non viuit se (formaliter loquendo) neque effectiue: anima autem viuit vita. Præterea, cum dicitur, animal viuit vita, & animal viuit anima; habito respectu ad idem, scilicet ad animal ratione corporis; ratio diuersa causalitatis notatur: notatur enim in prima ratio causalitatis formalis, in secunda effectiuæ: anima enim est causa effectiua vitæ in corpore: vita autem est forma ipsius viuentis. ¶ Ex his patet responsio ad duo, quæ sequuntur: quod anima dicitur vita per concomitantiam causalitatis: vt patet ex ipsis verbis Ambro. Præterea, etsi vita corporis sit anima, vt vult Isid. quia hoc intelligendum est per concomitantiam causalem; non ex hoc sequitur, quod sit anima per identitatem essentialem.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod anima viuit seipsa &c. Dicendum quod anima dicitur viuere seipsa, quia principium vitæ est in ipsa, nec est ab aliquo extra ipsam: sicut est de vita corporis, quod est ab extrinseco, scilicet ab anima: secundum quod dicit Amb. quod anima causat vitam, scilicet facit quod vita sit in corpore.

¶ Nota ergo, quod viuere seipso est dupliciter: aut sicut se toto: aut sicut aliquo sui. Verbi gratia: aliter viuit anima seipsa, aliter vita. Vita enim viuit seipsa tota, sicut est: vnde viuere vitæ est esse: in vita enim non est aliquid, quod non sit vita. Sed anima viuit seipsa, id est aliquo sibi intrinseco, vtpote formali principio: quod non est alterius naturæ, quam ipsa anima: & ideo ex hoc non sequitur, quod anima sit vita. Si enim hæc esset vera: anima est vita: necessario oporteret, quod idem in ea esset informans & informatum, id est ipsa esset sua forma: & idem esset illi esse & viuere: quia vita seipsa viuit (hoc autem dico de anima rationali.) *Bern. 79. sermone super Cantica.* Vnde Bern. *Vita animæ est viuens, sed non aliunde quam seipsa: ac per hoc non tam viuens, quam vita, vt proprie de ea loquamur. Inde est, quod infusa corpori viuificat corpus: vt sit illud corpus de vita præsentia, non vita semper viuens.* Vnde liquet, quod nec, viuo quidem corpori illud viuere est, quod esse: cum à se minime viuere possit. ¶ Per hæc respondemus ad illud, quod sequitur: & potest esse instantia: animal seipso mouetur: animal mouetur motu: ergo animal est motus. Animal enim dicitur seipso moueri, id est ab aliquo principio sibi intrinseco: eo modo quo dicitur anima viuere se. Dicitur animal moueri motu (formaliter loquendo) eo modo quo anima dicitur viuere vita. Vnde sicut ibi non sequitur, animal est motus: sic nec in proposito, anima est vita.

¶ Ad vltimum, quod obiicitur per locum à coniugatis. Dicendum, quod non valet: quia cum dicitur, animare est viuificare, potius est prædicatio per concomitantiam; quã per formam, siue essentiam: & ideo non sequitur, quod anima sit vita. Illa enim consequentia tenet in prædicatione formali. Quod autem illud dicatur per concomitantiam, manifestum est: quia sicut esse hominem, dicit formam cõsequentem totum compositum: sic esse viuum, respectu animæ & corporis: animatum autem dicit perfectionẽ partis, quæ est altera pars compositi, sc. corporis. Sicut ergo nõ sequitur: perfectum anima rationali, est esse perfectum humanitate; ergo anima est humanitas: sic nec in proposito: perfectum enim anima rationali, est homo ratione partis, sc. corporis: perfectum humanitate est homo secundum se totum.

An vita potentia animæ sit. §. 3.

¶ Ex quo autem vita aliquid animæ est; quæritur primo, Vtrum vita sit potentia animæ. ¶ Quod sic videtur. Commentator. 9. Ethic. *Vita plantæ est potentia, quæ nutrit, augmentat, & generare facit.* ¶ Item, vita animalis est potentia sentire faciens, & quod illam habet, tam delectans, quam tristans. ¶ Item, vt supra tactum est: *anima viuit seipsa*: quia si *Supra §. Immediate præcedenti.* alio à se, erit processus in infinitum: ergo seipsa. Aut ergo tota se viuit, aut aliqua sui potentia. Si tota: ergo cum non possit priuari sua vita, nec mori: & ita quælibet anima esset immortalis, quod est falsum. Si aliquo sui vt potentia, ergo vita est potentia. ¶ Item, omnis actus egrediens à substantia creata, egreditur ab ea mediante aliqua potentia: solum n. essentia prima, sc. increata seipsa agit, sine aliqua potentia, siue virtute: ergo si actus intelligendi exit ab anima, hoc erit mediante aliqua potentia, siue virtute. Vnde sicut actus viuendi exit ab anima mediante virtute siue potentia intellectiua: similiter (vt videt) & actus viuendi mediante aliqua potentia siue virtute, quæ sit propria huius actus: sed nulla potest esse hæc, nisi vita, quæ est præuia omnium actuũ potentiarum, & à qua omnes habent, quod possunt exire in actus suos: quæ secundum quod habetur Lib. de m. o u cordis) est potentia præuia aliarum: dicitur enim ibi. *Et vegetatur animal, sentit, & mouetur, discernit & intelligit*, & quæ ex eis oriuntur; non facile numerabilia habet efficere: & harum potentiarum hæc prima distantia est: quod vitã quasi præuiam ceteræ sequuntur: sine qua ceterarũ nullam inesse possibile est. Cum ergo vita sit præuia aliarum potentiarum, & vna illarum, vt patet ex verbo prædicto: relinquitur quod ab ipsa est actus viuendi.

¶ Contra. Vita in eodem animali est vna & indiuisa, potentia multiplex: ergo vita non est potentia: ostendentesq; qualemcunq; differentiam, ostendentes erimus quoniam non idem. ¶ Item, vita non est potentia visiua, neque sensitiua, & ita de aliis: quia tunc sequeretur, quod corrupta visiua, corrũperetur vita: quod falsum est. ¶ Præterea, membrum paralyticum viuit, & non sentit: quare vita membri non est potentia sensus. ¶ Item, si vita esset potẽtia animæ, aut ergo quælibet potentia: aut vnam solum, aut duæ, vel tres. Si esset quælibet potentia: tunc visiua potentia esset vita: quod nullus dicit. Si omnes insimul, tunc planta non haberet vitam, neq; brutum animal; sed solus homo: quia ille solus habet oẽs potentias animæ in simul. Si aliqua vna solũ, vt sensitiua: tunc nõ viueret planta. Si vegetatiua solũ esset vita; tunc nõ esset alia vita plãtæ & animalis: q. falsum est & contra Arist. Si duæ vel tres insimul, vt vegetatiua & sensitiua; tũc nõ esset planta viua, & ita de aliis cõbinationib. quare videtur, q̃ non est potentia. ¶ Itẽ, si vita est potẽtia, potest exire in actũ: quod a. exit in actũ completũ; exit in actũ mediante aliqua dispositione: ergo vita exit in actũ mediante aliqua dispositione: ergo vita existit in distantia ab actu: hoc a. est falsum: vita n. est indistans ab actu. ¶ Itẽ, si est potentia, diminutus est Philosophus ponendo & distinguendo potentias animæ L. de Anima non assignando illam inter alias. Si non, tunc sunt superflui noti in scientia medicinali, qui ponunt virtutem vitæ esse talem inter alias virtutes.

RESOLVTIO.

Vita non profecto potentia, sed virtus magis animæ dicatur.

¶ Ad hoc potest dici, quod cum vita dicatur multipliciter,

Imme diate se quens.

citer, vt [illegible] diceni. ; in vna acceptione extento nomine potentiæ, eo modo, quo virtus dicitur potentia: vita potest dici potentia: proprius tamen virtus dicitur, eo quod est actui coniuncta. Licet enim potentia & virtus quandoque idem dicant: id tamen proprius dicitur potentia, quod ab actu est remotius: virtus vero quod actui est magis coniunctum. Concedi ergo potest: quod vita est potentia siue virtus, vt ostendunt proposita pro prima parte istius problematis. Vnde Lib. de Motu cordis. *Prima virtus*, id est vita * *certum præcipue organum vendicauit*. Et hæc forte est virtus vitalis, vt videtur ex verbis Auicen. *Vita enim quæ est esse viuentis, vigens virtute efficaciore in primo organo, id est corde, motu ipsius aliis operatiuis virtutem operandi ministrat: propter quod dicitur virtus*. Et hæc plane determinata sunt Lib. de motu cordis in Cap. quo ostenditur; quod motus cordis est principium omnium aliarum virtutum.

*Alias, cardiacum. Auicenna.

¶ Ad primum cōtra hoc inductum, dicendum: quod vita est alia ab illa potentia, quæ diuiditur: non enim est potentia siue virtus apprehensiua, neque motiua: quarum vtraque diuiditur: quia comprehēsiua diuiditur in comprehensiuam interiorem & exteriorem motiua: in motiuam naturalem & animalem: & vt sit ad vnum dicere, nulla est illarum, quæ diuiditur. Præterea, non omnis potentia diuiditur: sicut illa quæ habet esse determinatum in vltima differentia: propter quod non sequitur: vita est indiuisa, potentia diuisa vel multiplex: ergo vita non est potentia vel virtus: non enim omnis virtus vel potentia diuiditur. Ratio autem, quare vita manet indiuisa, & non diuiditur siue multiplicatur, sicut potentia vel virtus; vna est quod illa immediate egreditur à substantia animæ in corpus per indistantiam ab esse: vnde viuere dicitur viuentis esse: vnde sicut esse in eodem manet indiuisum: sic vita. Hæc ergo est ratio, quare manet indiuisa: secundū quod refertur ad actū primum à quo dicitur viuens esse. Alia est, secundum quod refertur ad actum secundum: qui distinguitur per sensum & motum: prout determinat sibi organum vnum scilicet cor. Vnde Auicen. li. 1. *Vitalis virtus est illa, quæ spiritus esse conseruat, qui sensus & motus vehiculum existit, & reddit aptum ad eorum impressiones recipiendas: cum ad cerebrum peruenerit: & facit ipsum potentem dandi vitam, vbicunque expanditur: & huius quidem virtutis sedes, & operationis eius processus est cor. Vnde neque in relatione ad actum primum, quo perficit suum perfectibile, neque in relatione ad organum, quo egrediuntur in esse operationes illius, est diuisibilis: neque etiam ex relatione ad motorem: immo quia egrediuntur operationes illius in esse ex immediata coniunctione cum primo motore, debet esse indiuisa*. Vnde Lib. de Motu cordis: *semper enim motor est proximum, quod ab eo est primum: omnis vero virtus quo magis accedit principio, perfectior est multitudine, & diuisione minor, potentia & vnitate præstantior, perseuerantia & operationi accommodatior, essentia integrior, sibi sufficientior. Hoc autem non est reperire in potentiis & virtutibus, quæ diuiduntur*. ¶ Ex his patet in parte ratio ad ea, quæ sequuntur, quia vita neque est potentia visiua &c. neque est vna potentia, neque duæ, vel tres, neque oēs insimul &c. est tamen alia ab his (vt ex dictis patet) quæ est prima & quasi origo aliarum. Vnde Auic. *Nos autem dicimus, quod ex humorum spissitudine secundum aliquam complexionem substantia generatur spissa, quæ est membrum, aut pars membri, ita ex humorum vaporibus, & eorum subtilitate secundum aliquam complexionem substantia generatur subtilis, quæ est spiritus. Et hic quidem spiritus cum secundum complexionem prouenit, quam debet habere, ad hanc recipiendam virtutem præparatur, deinde omnia alia præparat membra ad recipiendum omnes alias virtutes animales, & reliquas. Virtutes equidem animales in spiritu & membris non proueniunt, nisi postquam hæc vitalis prouenit virtus: ideoque licet virtutes animales alicuius membri destruantur, viuum tamen adhuc existit, nisi hæc virtus in eo fuerit destructa. Et dicuntur hic virtutes animales communiter ab anima*.

Idem lib. 1

Phil. lib. de motu cordis.

Idem lib 1 cap. 4.

¶ Ad aliud quod obiicitur: quod omnis potentia exit in actum mediante aliqua dispositione: sed vita existit in distantia à suo actu &c. Dicendum, quod actus perfectionis, qui est ex coniunctione formæ substantialis cum suo perfectibili; non exit in esse mediante aliqua dispositione: forma enim huiusmodi seipsa vnit se suo perfectibili: ex cuius vnione relinquitur in perfectibili actus primus siue perfectionis primæ. Vnde quia actus vitæ, siue qui est vita, est primus, vt [illegible] esse viuentis omnino est indistans à suo actu, inquantum huiusmodi. Vnde supposito, quod vita sit potentia, à qua exit viuere, quod est actus primus: non oportet, quod hoc fiat mediante aliqua dispositione: potentia autem, quæ egreditur in actum, qui non est primus, neque perfectionis primæ, sed potius in actum extrinsecum, vel secundum; requirit aliquam dispositionem mediam. Verbi gratia, potentia, siue virtus visiua, inquantum exit in actum videndi, requirit aliquam dispositionem mediam, scilicet ex parte organi, & consequenter ex parte sui, qua excitetur ad actū videndi: virtus enim animæ, inquantum est ex parte sui; non fatigatur, neque debilitatur: ratione tamen, qua est coniuncta organo eius, participat passiones. Similiter potest dici de vita, siue virtute vitali: & inquantum mediante motu cordis & spiritib. vitalibus exit in actum extrinsecum, qui non est primus, neq; perfectionis primæ; hoc facit mediante aliqua dispositione. Vnde Li. de motu cordis dicitur, quod ipsius cordis effectus ad reliquorum operationes est medius scilicet inter vitam, siue virtutem vitalem agentem, & actus potentiarum.

¶ Ad vltimum potest dici quod alterius intentionis est medicus, & physicus in determinatione eorum, quæ ad animam referuntur. Medicus enim primo & per se intendit de illis, quæ animam in vnione cum corpore, siue vitam conseruant: propter quod eius est proprie & per se de vita profundiore & perfectiore inquisitione inuestigare & determinare. Physicus autem de illis intendit, quibus peruenitur in cognitionem illius: per obiecta autem, actus, & potentias conuenientissime peruenitur in cognitionem illius (& dico de obiectis, actibus, & potentiis exterioribus scilicet quæ respiciunt sensum & motum exteriorem) propter quod Physici est inuestigare profundius & perfectius de his: medici perfectius de vita. Propter quod conueniebat, quod medicus determinaret de vita, secundum quod est actus; & de virtute vitali, & de aliis pertinentibus ad vitam, quæ non oportuit à physico determinari. Determinat autem philosophus in principio Secundi de Anima de vita sufficienter, secundum eius intentionem, scilicet in comparatione ad subiectum illius scilicet corpus physicum. Vbi determinat, quæ corpora physica animam participant, vt quæ recipiunt alimentum, augmentum, & decrementum: & in comparatione ad suam causam, scilicet animam: vbi determinatur, scilicet quod anima non est actus corporis, nisi habentis vitam: & in ordine ad potentias, vel actus animæ, vbi determinat, quod viuere dicitur multipliciter secundum distinctionem potentiarum, & actuum animæ: & quod præuium est ordine naturæ.

¶ Ad vltimum ergo dicendum: quod intentio medici est per se circa vitam, physici non: multiplicius habet determinare medicus de vita, quam physicus. Et potest dici (sine præiudicio) in Secundo Lib. de Anima, cum dicitur. *Multipliciter autem ipso viuere: etsi vnum aliquod horum insit solum, viuere dicimus ipsum, vt intellectus, motus, status, & sensus: & adhuc secundum motus alimentum, & decrementum, & augmentum &c.* quod illa multiplicitas viuendi est à virtute vitali. Vnde ibi fit comparatio actuum consequentium ad vitam, siue virtutem vitalem, prout est quodammodo causa illorum. Quod videtur ex verbis Philosophi, quæ ibidem subiunguntur, quæ sunt: *Viuere autem in seipsis habentia principium, & potentiam huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum recipiunt &c.* Hoc autem principium, & hæc potentia secundum seriem Textus videtur esse vita, siue virtus vitalis.

Phil. 2. de anima tex. com. 13.

Idem ibid.

¶ Ad argumenta introducta pro alia parte: quia concludunt ex mediis non necessariis, respondendum est. Et primo ad primum: cum enim dicitur, aut anima viuit se tota, aut aliqua sui potentia. Dicendum, quod neque se tota, neque aliqua sui potentia: sed aliquo suo, scilicet suo quo est.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: scilicet quod omnis actus exiens à substantia, egreditur in esse mediante aliqua potentia. Dicendum, quod hoc non est verum de actibus primis, qui exeunt in esse ex coniunctione formæ substantialis cum sua materia, siue perfectibili: anima enim vnit se cum sua materia, nulla interueniente dispositione media, ex cuius vnione relinquitur aliquis

actus in corpore scilicet actus animandi, siue viuendi.

An vita animæ actus sit? §. 3.

Arist. 9. eth. idem lib. de motu cordis. Eodem Bern de lib. arb. & gratia.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An vita sit actus animæ. Quod sic, videtur per Aristot. dicentem, *quod vita est actus.* ¶ Item, Lib. de Motu cordis: *primus, & continuus actus animæ vita est.* ¶ Item, eodem Lib. *æqualis & continua est vita, & primus actus formæ ex quieto, & sempiterno fluens.* ¶ Item, Bern. *Vita est internus, & naturalis motus &c.* sed omnis motus in actione firmatur; secundum quod dicitur Lib. Sex Principiorum: ergo vita est actio, vel actus. ¶ Item, Ambr. *Vita est frui spirandi munere*; frui autem est actus quidam: ergo &c.

Ambros.

¶ Contra. Vita est perfectio viuentis, vel animalis, vel hominis, vel alterius huiusmodi: sed actus cum sit accidés, non potest esse talium perfectio. Si autem diceretur, quod non est actus, qui est accidens; sed substantia, siue substantialis. Contrarium videtur per hoc, q dicitur Lib. de Motu cor. *Primus & continuus animæ actus vita est: quæ motu cordis efficitur*, quod a. motu cordis efficitur, actus est. ¶ Itē, in actione, siue actu est difformitas, siue dissimilitudo terminorum ab inuicem, & à medio: in vita nulla est difformitas, siue dissimilitudo: ergo &c. ¶ Item actus est signum vitæ: signatum a. & signum differunt: & nihil est signum sui. ¶ Item, differunt actus & potentia in vnoquoque: sed vita est potentia, vt ex autoritatibus supradictis patet: ergo non est actus. ¶ Item omnis actus est actus alicuius potentiæ: ergo si vita est actus; est &c. non est autem reperire aliquam potentiam, cuius possit esse actus: ergo &c. Si diceretur, quod est actus virtutis vitalis. Hoc non est verum: quia virtus vitalis posterior est vita, quæ dicitur esse viuentis: de qua hic propriè intenditur. ¶ Item, si vita est actus, aut primus, aut secundus. Non primus, quia talis est ipsa anima: vnde diffinitur sic. Anima est actus primus corporis physici potentia vitam habentis: duo autem actus primi in eodem esse non possunt: ergo est actus secundus: sed talis est accidens: ergo non est esse viuentis: sed de vita huiusmodi est quæstio: ergo &c.

Auctor lib de motu cordis.

RESOLVTIO.

Formaliter & essentialiter loquendo, vita est actus primus & continuus substantiæ nobilis mouentis, vel cognoscentis, vel vtrumque facientis.

¶ RESPONDENDVM, quod vita est actus (formaliter loquendo, siue essentialiter) & actus primus & continuus, sc. substantiæ nobilis. Quod sic patet: omne illud, quod primo perficit, est actus primus: vita est id, quod primo perficit: propter quod vita* dicitur esse viuentis. Præterea oēs actus rei viuentis vitam subsequunt,* quasi radicem & principium. Vnde Li. de Motu cor. *Potentiarum hæc prima distantia est, quod vitam quasi primam, vel præuiam cætera consequuntur.* Præterea, est actus continuus: licet enim viuens aliorum actuum recipiat interpolationem: tamen vitæ interpolationem non recipit. Vnde li. de Motu cor. *Vita actus necessario continuus est: cæterorum vero minime*: intercipiuntur enim natura, aut ægritudine sensus, motus, & similia, vt somno, apoplexia: his demum solutis, in statum redeuntes. Sed quia vita est forma nobilis, & inter formas nobilissima: non potest esse actus cuiuslibet substantiæ nobilis: vnde vita est actus primus & continuus substantiæ nobilis. Et quia nobilitas substantiæ consistit principaliter in duobus scilicet in mouendo, & cognoscendo (propter quod omnes diffinientes animam, quæ est substantia nobilis; diffinibant eam penes motum & cognitionem: vt dicit Philosophus) vita ergo est actus primus, & continuus substantiæ nobilis mouentis, vel cognoscentis, vel vtraque facientis. Dicendum ergo, quod vita est actus huiusmodi: vt patet ex autoritatib. pro parte ista inductis.

*Alias. dicit. * Alias, quia. Auctor lib de motu cordis. Ibidem in eodem. Phil. in 1. de anima.

¶ AD primum inductum contra hoc. Dicendum, quod est primus actus formæ substantialis, siue formæ substantiæ: & est actus consequens ad primum. Licet autem consequentium actuum aliquid sit accidens: non tamen actus primus, quæ est perfectio, & actus substantiæ: cuiusmodi actus est vita.

¶ Ad illud, quod dicitur in Li. de Mot. cor. *quod vita est, quæ motu cordis efficitur.* Dicendum, quod vita multipliciter dicitur: quandoque dicitur actus primus simpliciter, siue perfectio viuentis: vt quæ in coniunctione animæ & corporis talis, ipsum corpus viuificatur. Alio modo dicitur potentia, inquantum vigens virtute abundantiore in corde, motu ipsius aliis operatiuis virtutem ministrat operandi. Tertio modo dicitur actus, vel operatio vitæ. Sicut enim nomine intellectus quandoque intelligitur ipsa potentia intellectus, quandoque actus eiusdem: vt actus (dico) accidentalis: vt qui prouenit ex comprehēsione rerum extrinsecarum. Similiter est de vita: vnde vita quandoque nominat actum vitæ accidentalem, siue secundum: & vita sic dicta est accidens: & hæc est, de qua dicitur in Li. de Mo. cor. *hæc efficitur motu cordis* & subditur ibi *ergo est mouens* s. anima, in corde enim est anima mouens: & ex hoc motu efficitur vita, quæ est effectus huius motus.

Auctor lib de motu cordis.

¶ Si obiicitur ex serie literæ ibidem, qua videri posset, quod Auctor intelligit de vita; quæ est primus actus: dicit enim sic. *Primus & continuus actus animæ vita est: hæc cordis motu efficitur*, ibi ergo est mouens. Potest dici, quod vita perficit viuentem: & sic dicitur actus primus, id est perfectio prima, & aliis operatiuis ministrat virtutem operandi, mediantibus spiritibus vitalibus, & operationibus, siue motibus; quæ exercet mediante primo organo, scilicet corde: & secundum hoc dicitur potentia, siue virtus: & potest dici prima. Præter hos modos dicitur motus vel actus, quo ministratur virtus operandi aliis operatiuis: & secundum hunc modum dicitur actus primus, scilicet ratione prioritatis, & præcessionis actuum aliarum operatiuarum. Vel aliter posset intelligi verbum illud, scilicet vita motu cordis efficitur: eo modo quo aliquid dicitur effici, id est extra fieri in suo effectu, id est in operibus operatiuarum, quæ ab ipsa vita habent principium, id est potentiam operandi: & secundum hunc intellectum sumitur vita in sua prima significatione.

¶ Ad aliud dicendum, quod vita prout dicitur actus, primo modo sumptus, nullam dicit dissimilitudinem, siue difformitatem: sicut nec esse. Prout autē vita dicitur actus vel motus, qui est accidens, sc. secundum quod tertio modo dicitur: sic dicit difformitatem: quia sic non est semper coniuncta suo termino, vel fini. ¶ Ad aliud dicendum, q secundum quod dicunt quidam: quod vita quandoque dicitur continuatio esse viuentis; quandoque ipsa vis continuatiua, quandoq; ipsa operatio siue actus sequens: q (inq̄) operatio est effectus vis illius, & signū cōtinuationis illius.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod actus est signū vitæ &c. Patet responsio: quia actus siue operatio sequens ipsam continuationem, signum est continuationis ipsius: & sic vita est signum vitæ, secundum q vita sumitur in diuersis acceptionibus. Nec est hoc magis inconueniens, quam si diceretur, continuationis esse viuentis signum, est actus, vel operatio sequens ipsam.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Potest dici, quod vita secundum diuersas acceptiones est actus & potentia: vt patet ex dictis. Nec est hoc inconueniens: simile enim reperitur de intellectu, & aliis potentiis animæ.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod (vt supra tactum est) non omnis actus est actus alicuius potentiæ: sicut actus primus, à quo est esse: actus enim animandi non est ab aliqua potentia animæ: immo potius ab ipsa essentia animæ. Similiter dici potest de vita, quod non est actus alicuius potentiæ: immo potius (vt dictum est) inest viuenti in coniunctione animæ cum corpore: non mediante aliqua potentia, sed ab ipsa essentia animæ, quæ vnitur immediate cum corpore seipsa, non mediante potentia, vel dispositione aliqua.

¶ Ad vltimum dicendum, q alio modo est anima actus primus: & alio modo vita. Cum enim actus quidam sit, vt scientia: quidam vt considerare: vt habetur à Philosopho; *anima est actus primus simpliciter, & respectu actuum qui sunt vt scientia, qui sunt vt considerare.* Vita a. est actus, vt cōsiderare: & primus respectu actuum, qui sunt vt considerare: esse enim vitæ, siue vita ipsa, inquantum huiusmodi est actus vt considerare, non vt scientia. Consideratis

Philosop.

ergo

ergo omnino actibus, quorum principium est anima (actibus dico existentibus vt considerare) primus omnium est vita: primus (dico) natura, vt à quo non conuertitur consequentia: & primus, vt à quo alia habent motus, & operationes: Vnde in Li. de Motu cordis determinatur, quod vnũ est organum primum, scilicet cor, & vnus est actus primus: & ab his est motus & operatio aliorum: dicitur enim vita in animali est prima: dicimus autem sic primam: vt à quo non existente, reliqua, nec actus inuenit, nec intellectus attribuit, ipsum autem vel sine reliquis existere, vel saltem intelligi possit. Sic igitur vita sensu, motu, ceterisque similibus prior: neque enim coęquæui sunt sensus & similes potentiæ cum vita: vnius autẽ vna est anima, & ipsius aliquid instrumentum primum: ipsius igitur effectus ad reliquorũ operationes* est medius: ipsumque reliquis motus & operationis principium. Vel potest aliter dici, quod anima est actus primus simpliciter: vita est actus primus, sequens vnionem animæ cum corpore. Sed ad hoc notandum, quod duplex est genus formę in genere formarum, quę sunt substantię. Quædam enim est forma, quæ est substantia tantũ: quædam, quæ est substantia & motor: qualis forma est anima. Ex coniunctione a. animæ cum corpore tali, in quantũ est substantia, est esse animatum: ex coniunctione autem animæ cum corpore tali, inquantum est motor, est esse viuum. ex eo enim ex quo aliquid habet motum ex se, ex hoc est viuum siue viuens. Ex se dico, propter grauia & leuia, quæ habent motum, non ex se, sed à generante, vel remouente, prohibens. Est ergo vita actus primus, sequens vnionem animæ cum corpore, inquantum anima est motor, & actus primus, relictus ex coniunctione animæ cum corpore, inquantum anima est huiusmodi.

*Alias, cũ modiis.

An vita habitus animæ sit. §. 5.

¶ CONSEQVENTER quæritur. An vita sit habitus: Quod sic, videtur vt habetur à Philosopho, *habitus est qualitas, difficile mobilis*: talis est vita: ergo &c. Quod autem vita sit qualitas, videtur: quia à vita dicimur viuentes: sicut à scientia scientes: & qualitas est, secundum quam quales esse dicimur. Quod autem difficile mobilis, patet: cum non sit separabilis à viuente, donec anima sit vnita corpori. ¶ Item Habitus est, quo habilitatur virtus, vel potentia ad exitum in opus, siue actum sibi conuenientem: sed vita est, qua habilitantur potentiæ vel virtutes animæ, siue animalis ad exeundum in opera, vel actus conuenientes: ergo &c. ¶ Item mors est priuatio, siue de genere priuationum: sed habitus tollitur priuatione: vita autem tollitur morte: ergo &c.

Phil. in Prædicamentis. Cap. de Quali & quantate

¶ Contra, Habitus consistit in distantia ab actu: vita nequaquam: ergo &c. ¶ Item, Habitus actiuum habilem reddit ad agendum: actiuum enim ex habitu habilitatur ad opus, vel actum: vita autem est ipse actus: ergo &c. ¶ Item, vt habetur ex supra dictis: vita est vis, vel potentia: ergo non est habitus.

RESOLVTIO.

Non habitus proprie, sed magis vis, vel potentia habitualis dicatur.

¶ RESP. Dicendum ad hoc, quod (vt supra tactum est) vita dicitur multipliciter. Dicitur enim actus, & actus primus. Et hoc dupliciter: quia vel vt actus dicit esse viuentis substantiale, vel accidentale. Dicitur etiam potentia, vel virtus nomine extenso: qua ratione alicuius proprietatis habitus, potest dici vis, vel virtus habitualis, scilicet propter facilitatem exeundi in actus sibi proprios. Sicut enim liberum arbitrium dicitur potentia habitualis propter facilitatem exeundi in actus suos: sic potest dici virtus vitalis virtus habitualis propter facilitatem siue habilitatem exeundi in actus suos, & continuandi se in eisdem. Non est autem habitus (proprie sumendo habitum) licet quodammodo habeat proprietatem habitus, siue potius potentiæ habitualis.

Supra §. 3. Supra immediate præcedẽte.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc scilicet quod vita est qualitas, difficile mobilis. Dicendum, quod hoc non est verum. Cum autem obiicitur, quod secundum vitam dicimur quales, quia viuentes. Dicendum, quod est prædicatio in quale accidentale, eo modo quo differentia prædicatur in quale: & in quale accidentale, eo modo quo accidens prędicatur in quale. Tunc dicitur, quod non dicimur quales secundũ vitam, secundum q; quale dicit accidens, & qualitatẽ: sed secundum q; quale dicit substãtiam, vel substantiale: viuens n. licet dicat modum qualitatis: res tamen, q̃ subest modo, dicit substantiam, vel substantiale.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod licet vita quodammodo expediat, siue habilitet potentias animæ, siue animalis ad exeundum in opera sua; non propter hoc debet dici habitus. Quia si hoc: vna potentia, vel habitus vnius potentiæ esset habitus alterius potentiæ: potentia enim siue habitus cognitiuæ ipsam affectiuam reddit habilem quodammodo ad exitum in actum suum: cognitio enim habilitat & excitat affectiuam ad amandum: Sed quando aliquid est additum ipsi potentiæ vt inhærens eidem, disponens illam, & habilitans, & efficiens facilem in actum proprium, illud potest dici habitus. Non sic ęst de vita: quæ quia est quasi radix virtutis & vigoris ipsarum potentiarum, & etiam esse earundem: & quia mediante spiritu vitæ vel potius irradiatione virtutis vitalis ad organa potentiarum, iuuantur ipsa operatiua. Vnde in Li. de Motu cordis. *Motus quoque & sensus vitæ obnoxii sunt*: ex ea enim sunt: spiritum enim animalem primum spiritum vitæ in actum produci, necesse est & dicitur vita potentias expedire, & habiles ad actus suos efficere.

Auctor lib. de mot. co.

¶ Ad vltimum dicendum: quod mors (proprie loquẽdo) non est priuatio, sed potius corruptio, vel destructio: priuatio enim aptitudinem relinquit ad habitum, priuatione sublatum: & hoc ratione vitæ subtractæ, quæ non tollitur, ipso habitu sublato. Præterea, habitus habet esse determinatum circa potentiam, siue virtutem aliquam: vita enim non determinat sibi esse circa potentiam aliquam: neque ipsa morte sublata, relinquitur aliqua aptitudo naturalis ad eandem: cum omnis aptitudo naturalis ad vitam sit ex aliqua influentia animæ: vel præparantis corpus ad susceptionem vitæ, vel perficientis illud. (Licet forte secundum aliquos aptitudo & appetitus aliquis relinquatur ad eandem, siue ad vnionem cum anima ex ordine diuinæ iustitiæ) Vnde in Li. de Motu cordis. *Vitam constare necesse est, aut * vniuersum animalis deperire*: idem autem est mori.

Idem ibid. *Alias, in vniuersum animal.

MEMBRVM II.

A quo vita immediate sit.

DETERMINATO de vita, quid sit: sequitur determinare, à quo immediate sit. Primo ergo quæritur, à quo est effectiue. Secundo, à quo est originaliter.

ARTICVLVS I.

A quo vt à causa efficiente immediate vita sit.

PRIMO circa primum quæritur de causa efficiente, & immediata ipsius vitæ. Et hoc dupliciter primo de causa efficiente vitæ rationalium: secundo irrationalium, vt animalium, & plantarum.

A quo sit vti à causa efficiente, & immediata animantium rationalium vita, à Creatore an à Creatura. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo, si vita rationalium sit à creatore, vel à creatura, vt à causa immediata. ¶ Quod à creatore, videtur sic. *Formauit Deus hominem de limo terræ & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*: ab eodem a. & modo indifferenti est spiraculum vitæ, & ipsa vita: non enim alia operatione venit in esse vita, & alia spiraculum vitæ: nec ab alio producebatur in esse vita primi hominis, & aliorum: ergo vita immediate est à Deo: vita (dico) hominis, de qua principaliter hic intenditur. ¶ Item, actus vitæ, siue qui est vita, infatigabilis est: vnde Lib. 6. de Motu cordis. *Vita actus necessario continuus est: cerebrum vero minime.* Sed vt habetur in Li. de som. & vigil. *omne illud, cuius opus est secundum naturã, contingit fatigari & languere, si indesinenter agat.* Dicitur ibi. Quorumcunque est aliquod opus secundum naturam; quando excedunt aliquod tempus, vel aliquod horum, quæ possunt tempore facere; necesse est ea languere, vt oculos videntes & quiescere facientes hoc: similiter

Qõ. lateral
Gen. 2.
Aucto. lib. de mo. co. li. 6. Phil. de som. & vig.

autem

autē manum, & aliud omne, cuius est aliquod opus. Quare si aliquorum est opus aliquid sentire continue: languebit, & non hoc faciet. Ergo vita non est actus alicuius agentis secundum naturam: ergo est actus progrediens ab agente supra naturam. ¶ Item, *Motus, quo viuit anima in se*; (vt dicit Plato & Macrobius exponit) *essentia est animæ*: sed constat quod essentia animæ est à creatore: ergo &c. ¶ Item, Dion. *Omnis vita, & vitalis motus ex vita ipsa, quæ est supra omnem vitam.* ¶ Item, Lib. de Motu cor. *Vita est primus motus ex quieto sempiterno fluens*: sed quietum sempiternum est solum primum: ergo &c. ¶ Item, in Li. de Intelligentiis elicitur. *Vita est processio ex ente primo quieto & sempiterno primus motus.*

Plato. Dion. de diuinis nominib. cap. de vita. Auctor in lib. de mo. cordis. Idem lib. de intelligentiis.

¶ Contra, in Lib. de motu cor. *Primus & continuus vitæ actus vita est: hæc motu cordis efficitur*: quod autem motu cordis efficitur non est immediate a Deo. ¶ Item in eodem. *Idem primum est animæ organum, cuius actus primus vita, qua mediante cæteras corporis virtutes producit.* Et ita idem quod prius. ¶ Item, Plato & eius sequaces ponunt animam esse principium motus ex seipsa: & illum motum dicunt vitam: sicut Bernardus dicit vitam esse motum internum: & ex hoc ponunt & ostendunt animam esse immortalem: ex quo sequitur, quod nō est à Deo immediate, sed ab anima. ¶ Item Boetius *omne esse in causatis est ex forma*: sed viuere est viuentium esse: ergo est ex forma. ¶ Item, idem. *Nullum esse est ex forma, vbi non est materia vnita*: igitur non est nisi ex coniunctione formæ cum materia: vnde philosophi diffiniunt, esse effectum formæ in materia. Cum autem forma in materiæ vnitur; ex coniunctione vtriusque necessario aliquid vnum constituitur; quod autem est tale, non est immediate à Deo, sed mediante forma, & vnitate formæ cum materia.

Idem lib. de motu cordis. Idem in eodem. Plato. Bernardus. Boetius de vnitate & vno idem.

RESOLVTIO.

Angelicorum rationaliumque spirituum id est, angelorum, & animarum rationalium vita à Deo creatore immediatè est: corporum vero à Deo etiam creatore, sed eisdem ipsis mediantibus.

¶ Ad hoc dicendum, quod est aliquid, quod viuit ex se, in se, & per se: vt vita prima, quæ Deus est. Et est aliquid, quod viuit in se, & per se, sed non ex se: vt angelus, & anima, siue spiritus rationalis. Et est aliquid, quod viuit in se, sed non ex se, neque per se: vt anima sensibilis & vegetabilis. Illorum autem, quæ viuunt per se & in se; quædam possunt cōmunicare vitam aliis: vt animæ rationales corporibus organicis potentia vitam habentibus: quædam autem non possunt, vt spiritus angelici. Ex his patet, quod quædam sunt, quæ per se viuunt: sicut spiritus angelici, & spiritus rationales: quædam; quæ non per se, sed solum participando vitam, illis mediantibus, quæ per se viu[illegible]: vt corpora humana. Dicendum ergo, quod vita illorum quæ per se viuunt, est immediate à Deo: sicut eorum substantia, siue essentia. Vita autem illorum, qui viuunt participando vitam mediantibus illis, quæ viuunt per se; non est immediate à Deo; sed illis mediantibus, quæ viuunt per se.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, quod vita est à Deo per illud Gen. 2. *Inspirauit &c.* quod videtur debere intelligi non de vita eorum, quæ viuunt per se: sed de vita eorum, quæ vitam participant: & ita videtur recte contra hoc, quod dictum est: Quid enim aliud significatur per spiraculum vitæ, quam vita, quæ mediantibus spiritibus vitalibus, & motu cordis participatur à corpore, & à partibus siue organis corporis? Dicendum, quod per spiraculum vitæ signatur anima rationalis, vel vita animæ rationalis. Vnde Glo. ibi. *Inspirauit in faciem &c.* vita rationali animauit. i. anima. Vnde August. ait. *Cur animam ipsum Dei flatum dicere dubitemus? dum intelligatur non esse Dei natura, atque substantia: sed hoc ipsum est sufflare, quod est flatum facere, quod autem flatum facere, hoc animam facere.* Et dicitur anima vita, inquantum participatur à corpore, ea mediante: spiraculum vitæ, metaphorice ad similitudinem inspirandi interius, & respirandi exterius. Vita enim, quæ ab anima est; quidam motus est reciprocus, & in se reflexus: vitalis enim motus animæ est quædam de se spiritalis egressio, & in se reciproca reuersio: & ex hac reciprocatione motus animæ in se sequitur motus cordis, qui in se reciprocatur: mouetur enim cor continue secundum systolem, & diastolem, siue secundum dilatationem & constrictionem; mutans vt * potest, per dilationem corporalem extensionem virtutis animæ vitalis, & per constrictionem corporalem, reciprocationem spiritualem: & sequitur ex motu cordis naturaliter motus inspirationis & respirationis. Quia ergo anima, secundum quod est vita; est quædam sui de se spiratio in se reflexa, mouens proportionaliter corpus, cui vnitur; sicut motor & forma: & primo primum membrum organicum: non inconuenienter dicitur, spiraculum vitæ.

Gen. 2. Glossa super Gen. 2. Aug. super Gen. 7. ad lit. cap. 1 post med.

* Alias patet.

¶ Ad aliud dicendum, quod operatiuum, siue actiuum fatigatur in operando, cuius operatio exit in esse per organum fatigabile, cuius illud est perfectiuum. Vita autem secundum quod est actus primus simpliciter non determinat sibi organum aliquod, sed totum corpus organizatum, habens vitam potentia: vnde vita diffinitur, principium actus animæ in corporis adaptati motu. Secundum autem quod vita est virtus quædam, eo modo quo dictum est, vendicat sibi cor tanquam domicilium & organum secundum quod dicitur in Li. de Motu cordis, *Cor est organum & domicilium vitæ: & illius motu vita, quæ est actus secundus; quæ rationabiliter accidens dici potest: distribuitur aliis partibus corporis.* Vnde in eodem. *Virtus cordis in motu est: & motu vitam distribuit.* Et quia (vt habetur in Lib. eodem) solus motus cordis est infatigabilis: propter hoc est continuus: vnde ista consequenter se habent, infatigabilitas, & continuitas. ¶ Quare autem motus cordis est infatigabilis, causa vna est maior approximatio & influentia à motore scilicet anima. Vnde in Lib. de Motu cordis, *Ibi* (id est in corde) *est mouens*: scilicet anima: semper enim est motori proximū: quod ab eo est primum: omnis vero virtus, quo magis accedit principio, perfectior est, multitudine & diuisione minor, potentia & virtute præstantior, & virtuti accōmodatior. Alia causa est perfectio organi: primo enim organo secundum exigentiam officii sui, & situm, & perfectionem contulit artifex optimus & potentissimus, scilicet Deus. Vnde de Motu cor. *Anima cum ex se immobilis & impartibilis vsquequaque sit, cumque certam in corpore sedem obtineat: instrumento, cuius actu & ministerio vitam virtutesque corpori ministraret, indigebat.* Creator ergo vt optimus perfectum efficeret instrumentum, animam actu & materialiter primæ materiæ impressit: quod velut à centro in circumferentiam potentias circumquaque deferret. Primam naturam vocat ipse primum instrumentum, cui Deus animam virtuali præeminentia impressit. Vel potest aliter dici, quod est spiritus vitalis & animalis: similiter est virtus siue vis, cuius operatio est mediante spiritu vitali; quædam, cuius operatio est mediante spiritu animali. Opus spiritus vitalis à causa intrinseca perficitur; propter quod eius causa sibi sufficit, nec recipit fatigationē. Opus spiritus animalis est ab extrinseco adueniente, & excitante: vnde quando illud extrinsecum excedit, vis, siue virtus operans fatigatur. Vnde Li. de Mot. cor. *Duplex est spiritus, animalis & vitalis*: ani[illegible]lis interpolatur operatione, vitalis nequaquam: spiritus enim vitalis opere vniformis, animalis vero multifariam partibilis: vitalis irradiando viuificat, animalis vero resolutione sensum & motum exterius inducit. Et primi quidem spiritus opus, scilicet vitalis intrinseca causa perficit & mouet; ideo sibi sufficiens est, & semper in actu: animalis vero in effectu extrinsecus aliquid adueniens, tanquam minus perfectum excitat; complet autem innatum: ideo quando metam excedit, fatigatur potentia, & dolet animal. Ex his patet, qualiter ad propositum respondendum est: quia quod dicitur in Li. de somno & vigilia, intelligitur de illis, quorum operationes fiunt mediantibus spiritibus animalibus: & quæ sine aliquo intrinseco cooperante in actum non egrediuntur.

Auct. lib. de motu cordis. Idem ibid. Idem in eodem. Idem in eodem.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod motus, quo viuit anima in se, est essentia animæ. Dicendum, quod hæc prædicatio; motus, quo viuit anima in se, est essentia animę: non est formalis, siue essentialis: sed causalis. Vnde sensus est motus, quo viuit anima, fundatur in principiis substantialib. siue essentialibus; siue causatur ab illis. Cum enim esse rei causetur ex eisdem principiis; ex quibus res ipsa, cum viuere

sit viuentibus esse, in eodem principio fundatur, siue ab eo causatur, a quibus & ipsa.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. verbum Dionysii. Dicendum, quod intelligitur de vita eorum, quæ per se viuunt: cuiusmodi est vita angelica: de qua ibi principaliter loquitur: sicut patet ex serie textus, & commento.

¶ Ad aliud, quod postea sequitur: quod vita est motus ex quieto &c. Dicēdum, quod anima dicitur quieta & sempiterna, inquantum anima est principium motus in seipsa: qui quidem motus internus est, & dicitur vita. Et ad huius determinationem nota, quod Plato & eius sequaces posuerunt, quod anima est principium motus: & ex seipsa mouetur semper, & continue mouetur: & motus ab ea non potest separari: ideo illum motum posuerunt in anima sempiternum: & animā immortalē propter ipsum. Sed huic positioni videtur Arist. contradicere, ostendens: principiū motus in omnibus esse immobile: cui etiam videtur Aug. consentire: idem ostendens, sc. principium motus esse immobile. Macrobius autem in fine libri sui hanc cōtrarietatem dissoluit, vtriusque enim rationes recitat: & ostendit, quod Arist. Platoni non contradicit, dicens: quod illud, cui innititur Arist. & quod in omnibus rationibus suis probare intendit, videl. quod omne, quod mouetur, necesse est ab alio moueri; verum est in eis, in quibus motus non est de essentia rei: in quibus autem motus ipse est rei essentialis, vel rei essentia, ex se mouetur: vnde duo ibi, sc. motum & mouens contingit ponere. Exemplum autem huius in igne & ferro calido ponit: ignis enim seipso calet, nec duo ibi ponere contingit; vnum, quod calefiat: & alterum quod calefaciat: sed idem est, quod seipso calet: in ferro autem calido, quia ex se non calet; duo ponere contingit. Sic dicit, quod animæ motus est eius essentia, vel ei essentialis: ideo in anima mouens & motum ponere duo non contingit. Et sic contrarietatem inter eos dissoluit: ponens tamen cum Platone, motu continuo & sempiterno intrinsecus moueri: & per hoc in se habere principium vitæ immortalis. Motus ergo iste in anima causa est immutabilitatis: nec facit distare quod est: vnde moueri in ipsa nō cedit in genus passionis, nec cum aliis motibus est eiusdem generis: & propter hoc dicitur quieta anima in huiusmodi motu.

Aug. 8. Gen. cap. 21. & deinceps. Macrob. li. 2. de somnio Scipionis à c. 13. vsque ad 17.

Ad aliud quod sequitur. Dicendum, quod Commentator loquitur de vita illorum, qui per se viuunt; exponit enim illud verbum [*res viuæ sunt omnes motæ per essentiam suam propter vitam primam.*] res autem viuæ, quæ secundum essentiam suam mouentur, sunt illæ, quæ per se viuunt: harum vita est causa prima: quod intendit determinare Commentator, vt patet per hoc, quod dicit [*ex ente primo quieto & sempiterno*] vnde subiungit ibidem: ens primum est quietum, & est causa causarum.

¶ Ad primum quod obiicitur pro alia parte. Dicendū, quod illud verbum de Motu cordis [*vita motu cordis efficitur*] non intelligitur de vita, à qua est esse viuentis: & quæ est actus primus simpliciter: sed de illa, quæ accidentalis. Quomodo autem illud verbum sit intelligendum, sc. vtrum de actu primo, vel secundo, supra tactum est, vbi quærebatur, si vita est actus animæ. ¶ Ex hoc etiam patet responsio ad illud, quod sequitur: quia loquitur ibi de vita, quæ est actus secundus: licet sit primus respectu actuum, quorum motus cordis est causa. Et etiam illud verbum [*idem primum est animæ organum, cuius actus, &c.*] valet ad expositionē verbi præcedentis: quia illo determinatur, quomodo vita, quæ fit motu cordis, est actus primus: quia respectu ceterarū corporis virtutum.

Memb. 1. huius quæstio 9. 4.

Ad illud, quod postea obiicitur: quod esse in causatis est ex forma &c. Dicendum, quod hoc non impedit quin esse sit ex causa prima: ex forma enim est formaliter: ex causa prima effectiue. Forma enim dat esse formaliter, sicut principium intra perfectiuum: efficiens vero dat esse, sicut principium extra effectiuum.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. quod esse est ex cōiunctione formæ cum materia &c. Dicendum, quod hoc est, formaliter, siue essentialiter loquendo; eo modo quo dicitur aliquid esse ex suis principiis essentialibus, siue ex illorum vnione. Appropriate autem loquendo, forma dat esse materiæ: & compositio materiæ cum forma dat esse cōposito: sed sic esse vel à forma, vel ex coniunctione formæ cū materia nō excludit esse à causa prima, sicut ab efficiente immediate, & hoc maxime, cum res exit à primo vt à tota causa.

An vita in brutis & plantis à Deo immediate causetur?

9. 2.

¶ SEQVITVR inquirere. Vtrum vita in plantis & brutis sit immediate à Deo causata. Quod sic: videtur Gen. 1. Creauit Deus omnem animam viuentem, atque motabilem. ¶ Si diceretur, quod in principio conditionis rerum animæ brutorum & vniuersaliter omnium viuentium exierunt à Deo immediate, siue per creationem: non autem sic modo.

¶ Contra in Psal. 103. dicitur. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Hoc intelligitur de vitis animalium & plantarum: vnde Comment. dicit: *Vita irrationabilium & germinum non sunt diuinæ, sed materialis ignis, & spiritus.* De his ergo solis nouissimis vitis (ait) illud Dauidicum fieri. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum conuertentur: emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. In sensitiua enim tantum anima, & natiua vita hæc accipit diuina eloquia, pater ille. ¶ Item August. *Nulla vita est, quæ non sit ex Deo: quia Deus summa vita est, & ipse fons vitæ.* Si diceretur, quod verum est mediate, non immediate. Hoc non videtur, quia verbum August. ad commendandam vitam: sed in nullo commendaretur vita, si sic intelligeretur: quia etiam creaturæ vilissimæ sunt à Deo mediate. ¶ Item August. *Attendendum est, quæ sit natura vitalis, quæ cuncta sentit: quæ profecto, quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est: non enim qualiscunque moles, quanquam ista visibili luce præfulgeat, si vita caret, magna æstimanda est, quælibet namque viua substantia cuilibet non viuæ substantiæ naturæ lege præponitur.* Si ergo maliorum non viuentium creatio est immediate à Deo, & nobilitas causati attestetur nobilitati causæ; omnis vita, cuiuscunque sit conditionis, debet esse immediate à Deo. ¶ Itē, non solum anima rationalis, sed & animalis, & plantæ motor est corporis, cuius est perfectio: quod autē tale est, est substātia simplex: quod autem est simplex, totum suum esse habet simul: ergo quod est causa ipsius, potest in totum esse illius: hoc autē est proprium solius Dei. Ex quo concluditur nullam creaturam etiam spiritualem posse animam animalis, vel plantæ producere in esse: vnde nec vitam illarum. ¶ Item, si causatur à creatura, aut à creatura corporali, aut spirituali. Non à corporali: quia ex corpore incorporeum fieri impossibile est. (Vnde super Genes. 7. ad literam. *Omne corpus in omne corpus mutari credibile est: quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est creatio autem corporis inquantum huiusmodi non est nisi per productionem eius in esse ex parte illius, quod est causa, vel ex toto.* Nec etiam potest fieri à virtute corporali: non enim contingit virtutem corpoream conuerti in naturam incorpoream. Vnde non potest esse sicut ex quo fiat substantia spiritualis: nec sicut à quo, quia tunc effectus esset nobilior sua causa: quælibet enim substantia simplex nobilior est omni substantia, & virtute corporali: ideo Augustinus: *Si Deus vita non esset, non viuentia corpora non fecisset: non enim facit rem non viuentem, nisi res viuens.* Ex hoc potest argui, quod vita siue res viuens non potest esse nisi à vita: quia si Deus non esset vita, non fecisset corpora non viuentia: multo fortius si non esset vita, non fecisset vitam, vel corpora viuentia. Ergo cum corpus inquantum corpus non sit vita &c. Vnde videtur, quod vita non possit esse nisi à vita. Nec potest esse à creatura spirituali: quod videtur sic: spiritualis creatura & maxime spiritualium nobilissima, vt angelus; in productione rerum naturalium in esse non operatur vt natura, sed potius vt ars. Dicit enim August. *In ipso mundo gemina operatio prouidentiæ reperitur: partim naturalis, partim voluntaria: voluntaria per angelorum opera & hominum, &c.* Ex quo patet, quod quantum ad ea, quæ operatur angelus in mundo, operatio eius est voluntaria: & operatio eius operatio artis: & operatum artificiatum inquantum huiusmodi: animæ autem animalis & plantæ productio in esse, non est opus artis. ergo productio huius nō est opus angelicum: nec esse potest. Hac eadem ratione patet

Psal. 103.

Commentator sup. lib. de diu. nom. cap. de vita.

August. de vera relig.

Idem de eadem.

Idem sup. 3. vel. 7. ad literam

Idem de fide ad Petrum.

Idem super Genes. 8.

huius-

huiusmodi productionem in esse fieri non posse à creatura spirituali, quæ est anima rationalis. Item si ab aliqua creatura spirituali possent hæc in esse produci: hoc maxime videtur posse fieri à consimilibus in specie, sc. ab anima animalis, & plantæ: sed hoc esse non potest, vt videtur: quia hoc non potest fieri per modum diuisionis. Cum enim animæ huiusmodi sint impartibiles, quæ huiusmodi sunt, impossibile est diuidi: ergo &c.

¶ Si autem diceretur, hoc esse substantiæ tali impossibile secundum se: sed quia virtus est impressa materiæ, ad ipsius diuisionem, partitionem recipere potest: vnde etiam anima rationalis, eo quod non est impressa materiæ, diuisionem non recipit: neque est ex traduce. Adhuc istud non sufficit dicere: quia cum diuiditur materia, aut cum ipsa cedit aliquid, quod sit animæ: aut nihil. Si nihil, quomodo ex eo, quod decisum est, fit idem in specie: & quid erit in materia illa principium vitæ: Si aliquid, aut illa erit virtus sola, aut de substantia animæ. Si substantia animæ, ergo accidit, quod est impartibile secundum essentiam, esse diuisibile. Si autem sola virtus descinditur, cum virtus sit accidens, quod ex ea fiat anima & substantia, non solum vt forma, sed sicut quid, videtur impossibile: accidens enim non potest esse principium essentiale substantiæ.

Gen. 1. ¶ Contra. *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Et in eodem. *Producat terra animam viuentem in genere suo.* Si autem Ibidem. immediate essent à Deo, sicut illa, quæ ex nihilo fiunt, quorum Deus est tota causa: quomodo verificarentur, quæ hic dicuntur. Producant aquæ reptile animæ viuentis: & Producat terra herbam virentem: viror enim est vita virentium: vt habetur à B. Grego. ¶ Item Philosophus. *Omne* Philosop. *corruptibile est generabile:* sensitiua in brutis, & vegetatiua in plantis est corruptibilis per se, vel per accidens: ergo est generabilis per se, vel per accidens; nullum creatum generatum per se vel per accidens; ergo &c. ¶ Item, nulla forma constituta in esse per suum subiectū creatur, nisi illud subiectum concreetur: vegetatiua in plantis est forma constituta in esse per suum subiectum (quod patet per hoc, quod forma diuisibilis per diuisionem sui subiecti, constituitur in esse per ipsum) ergo &c. Similiter est de anima sensitiua; vt patet in anulosis: ergo &c. ¶ Item, sola anima rationalis siue intellectiua exit in esse immediate à Deo: vt vult Philosophus dicens, quod solus intellectus ab extrinseco intrat: de sensitiua dicit. Sensitiuæ vero prima mutatio fit à generante: quia vero ab eodem est anima, & vita in brutis, & plantis; medio quo ostenditur animam esse immediate à Deo; ostenditur consimiliter & vita.

RESOLVTIO.

Explosis aliorum sententiis, veluti vndequaque non constantibus: si propriam in medium proferre licet, dicimus: plantarum, brutorumque vitam non à Deo immediate originem principiumue ducere, sed ex partibus mundi virtute animæ (iuxta Philosophi sententiam) plenis, siue ex rationibus (quas vocat Augustinus) seminalibus, quibus mundus est grauidus, concurrentibus tamen virtute primi orbis, orbiumque inferiorum nec non virtute generatiua in plantis ipsis & brutis, tum pariter virtute simplici elementis indita.

¶ Circa materiam istam diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim ponunt progressum animarum huiusmodi in esse fieri per partitionem & multiplicationem animarum. Modum autem partitionis & multiplicationis assignare volentes, ponunt exemplum tale: quod linea quantum diuiditur, sectio eius fit in puncto: nec tamen punctus diuiditur: sed ipsa diuisione totus cadit ad vtramque partem: & existit in vtraque linea. Similiter anima cum sit impartibilis, non diuiditur: sed ad diuisionem materiæ siue decisionem tota cadit vtrobique in partibus diuisis: & hoc quia impressa est materiæ: quia enim sequitur materiam, & non potest diuidi, tota cadit vtrobique. Hoc autem non videtur verum; nec est simile, quia si punctus actu esset in linea, linea vt linea esset ex punctis: sicut anima actu est in corpore: nec punctus diuideretur in linea: nec in duo caderet: sed si secantis operationem susciperet, destrueretur. Nunc vero quia ibi est in sola potentia, quod erat in potentia, in actum reducitur: nec quod erat vnus punctus in potentia, efficitur duo: sed duo potentia, deducuntur in actum, & sunt duo actu.

¶ Alii vero modum multiplicationis per simile volunt ostendere in aliis, in quibus est potentia multiplicandi se: vt in igne, & luce; quæ se multiplicant sine sui diminutione: candela enim accensa multas potest accendere sine sui diminutione, & lux seipsam multiplicare in qualibet parte aeris circumadiacentis: similiter dicunt de anima. Quod non videtur verum: nec est simile de anima & de illis: quia multiplicatio ignis & lucis non est per diuisionem vel decisionem alicuius materiæ: cum enim ignis multiplicat se, non diuiditur materia, in qua est ignis: quia si sic, minoraretur: sicut quando ligna subtrahuntur. Similiter si subiectum lucis diuideretur in duo, vel plura; de luce minus esset in partibus, quam in toto. Cum ergo ponitur, productionem animatum huiusmodi in esse fieri per diuisionem materiæ, non per sui operationem solum; sicut est de igne, & luce: patet, quod non est simile. ¶ Item, aliter quidam posuerunt: scilicet eas fieri ex formis substantialibus elementorum, quæ simplices sunt: vt generatio simplicis ex simplici fieret: sicut fit corporalis ex corporali.

¶ Et quemadmodum ex qualitatibus actiuis & passiuis elementorum generatur forma complexionis: ita ex eorum formis substantialibus forma addita complexioni. Et sicut ex accidentibus accidentalis: ita ex substantialibus substantialis. Hæc autem positio euidenter apparet falsa. Primo per hoc, quod aliquid fieri ex formis puris est impossibile: forma enim pura non est * ex quo. Præterea, ex substantia ex formis fieri non posset, nisi per earum mutationem, forma autem pura de se est inuariabilis. Præterea, si ex formis puris substantialibus elementorum fit forma huiusmodi, quæ est forma & substantia: aut ergo erit ex formis eorum, in quibus subsistit: aut aliorum. Si aliorum, tunc ab aliquo formam suam substantialem separari contingeret, ipsa in essentia manente præter illud, cuius erat forma: quod est impossibile. Si ex formis eorum, in quibus subsistit: tunc aut ipsa manebunt sine forma, substantiali: aut necesse est animam esse formam, qua sint substantiæ: & non solum animatæ, quod falsum est: aut aliam nouam formam recipient, quæ vnde contingat, non erit assignare. Non ergo corpus potest esse, nec forma corporis, ex quo fiat anima vegetabilis, & sensibilis.

*Alias & puro quo.

¶ Aliter autem existimant aliqui sc. spiritus brutales esse ex traduce, & educi de potētia in actum mediantib. corporibus cęlestibus ab eorum motoribus: qui motores, quia spiritus rationales sunt (vt ponunt) possunt in productionem spiritus in esse: sed quia non immediate, sed mediante corpore cęlesti; ideo spiritum producunt rationali ignobiliorem: & talem quidem, qui sine corpore non viuit: eo quod per corpus cęleste in esse productus est. Sed hęc opinio potest refelli rationibus supradictis sc. per hoc quod motores orbium intelligentiæ sunt; quorum operatio est operatio artis: & per hoc, quod virtus corporum cęlestium est virtus corporalis, qui sunt minoris nobilitatis nobilitate spirituum.

¶ Alii ponunt huiusmodi spiritus omnino creati, & nullo modo esse ex traduce: sicut nec spiritus rationales. Dicentes, quod ideo dicitur Gen. 1. animam de terra produci: quia corpus organicum de terra producitur: & ei infuit seminaliter cum omnibus dispositionibus materialibus, facientibus necessitatem respectu animæ: cui materiæ sic dispositæ Dei bonitas animam infundit. Quia ergo in terra sunt rationes seminales, non tantum intendentes corpus; sed etiam intendentes eius vltimam completionem scilicet animam, & habentes naturalem appetitum talis formæ: ideo dicitur terra animas producere. ¶ Aliter videtur insipientiæ meæ dicendum scilicet quod in elementis mundi indita est à conditore eorum natura quædam, quæ est alia à natura elementari, quæ est simplex & incorporea: vt possit esse principium substantiæ simplicis: vnde Philosophus omnia ista inferiora plena esse virtute Phil. lib. de animæ posuit. Augustin. vero dicit, rationes seminales an. malib.

inditas mundo, siue partibus mundi; ex quibus mundus grauidus est: ex quo accepta opportunitate, prodeunt plantæ, & animalia: non tamen secundum animas. Vnde

Aug 3 de Trin.

August. *Aliud est ex intimo & summo causarum cardine condere atque administrare creaturam: quod qui facit, solus creator est Deus. Aliud vero pro distributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinsecus admouere: vt tunc vel tunc, sic vel sic exeat, quod creatur. Ista quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt: sed acceptis opportunitatibus, prodeunt. Nam sicut matres grauidæ sunt fœtibus: sic ipse mundus grauidus est causis nascentium, quæ in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia: vbi nec oritur, nec moritur aliquid: nec incipit esse, nec desinit.*

Phi 2. Cœl 68 nec ad huc verba hæc forma iam in vulgata translatione habemus.

Præterea, virtus primi orbis & aliorum inferiorum cooperatur vitæ, siue productioni rei viuentis. Vnde de Cœlo & mundo. Li.2. secundum veterem translationem dicitur: quod orbis primus est principium, & causa in vita omnis viui, plusquam reliqui orbes valde. Et in noua translatione. Sciendum est, quod primus orbis principium est potentiæ, & causa in vita cuiuslibet viui, *priusquam alii orbes* & per naturam lucis suæ, quam vbique diffundit; quæ vitam & motum operatur in omnibus, in quibus est vita, & motus vitalis. Sed hoc solum potest esse per modum disponentis & cooperantis siue adiuuantis: quia quodlibet corpus, siue cæleste siue aliud; aut virtutem corporis conuerti in naturam incorpoream non contingit. Vnde non potest esse, sicut ex quo fiat substantia spiritualis: nec sicut à quo, vt dictum est. Ex his ergo mundi partibus, quæ sunt plenæ virtute animæ secundum Philosophum, siue rationibus seminalibus, quibus mundus est grauidus, secundum Aug. opportunitate sic accepta; vt quando confluunt virtus primi orbis, & orbium inferiorum, & virtus generatiua in planta, & in animali, & virtus simplex indita ipsis elementis, fit corporis organizatio, & productio animæ sensibilis in esse, & animæ vegetabilis. Vnde Augustin.

Aug. de ecc. dogm.

Animalium animæ non sunt substantiuæ: sed cum carne ipsa carnis viuacitate nascuntur. Ex his ergo scilicet rationibus seminalibus siue virtute animæ, qua plena sunt hæc inferiora; est origo & principium animæ vegetabilis, & sensibilis. Sicut autem substantiarum corporalium ab initio rerum creator creauit principia, scilicet ipsa elementa: sic in elementis corporalibus substantiarum simplicium, quæ à corpore dependent, creauit elementa. Et sicut corpora ex elementis generantur; elementa tamen non sunt generata, sed creata: sic animæ habent principia, vnde generantur: tamen illa principia non sunt generata, sed creata. Et iterũ, sicut corpora, quæ sunt ex elementis, sunt corruptibilia: elementa tamen, in quæ resoluuntur, incorruptibilia: sic animæ vegetabilium & sensibilium sunt corruptibiles, semina tamen eorum incorruptibilia.

¶ Ad illud, quod primo obiectum est. Dicendum, quod *creare* nomine extenso sumitur pro producere: eo modo quo sumitur in verbo illo Augustin.

August.

Quosdam spiritus sic Deus creauit &c. Et post exponendo, quod dicit *creare* subdit. *Illos itaque sic dicturos, quosdam ex aqua produxit &c.* vnde producere ex aqua, siue terra, dicit ipse creare. Præterea, intentio Commentatoris est ostendere differentiam inter vitam intellectiuam, & sensitiuam, & vegetatiuam quantum ad hoc, quod vita intellectiua est perpetua, sensitiua & vegetatiua nequaquam, immo pereunt, & aliæ creantur: & quod intellectiua est diuina, id est, omnino ex nihilo creata: aliæ ex materiali conditæ. Vnde dicit.

Idem.

Semel vitam essentialiter condens in immortalitate Deus, in intelligibilibus & animabus nostris non vtique auferet eorum viuere: alioquin nec essentia erunt: sed de viuis seu animalibus renouatis ex terra aut non tamen de illis. Vnde ex verbis eius patet; quod non intelligit, quod hæ sint ex nihilo creata, sed potius originem habent ex elementis. Quod patet per hoc, quod dicit, ꝙ sunt renouatæ ex terra: & quod non sunt diuinæ sed materialis ignis, & spiritus.

¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod Aug. non intendit ponere omnem vitam immediate esse à Deo, sed vitam rationabilem. Vnde quod dicit *nulla vita est &c.* intelligitur de vita rei rationalis. Vult enim dicere, quod omnis vita huiusmodi est à Deo, qui simpliciter est, scilicet à Deo: & vita mala inquantum est vita: quia inquantum est vita mala, non est à Deo, sed ex eo, qui non est siue * nequaquam est. Vnde verbo prædicto in opponendo subditur. Nec aliqua vita in quantum est vita, est malum: sed inquantum vergit ad mortem: mors autem vitæ non est nisi nequitia, quæ ab eo quod ne quidquam sit: dicta est: & ideo nequissimi homines nihili homines appellantur.

* Alias nequam.

¶ Ad aliud, quod sequitur: Dicendum, quod & si nobilitas creati quandoque attestetur nobilitati causæ: hoc non est generaliter verum, proportionabiliter loquendo: ita ꝙ illud, quod nobilius est, sit à causa nobiliore. Et maxime, quando agens agit per electionem: agens enim per electionem, diuersa habita consideratione, nunc nobiliorem, nunc minus nobilem producit effectum. Vnde quia in actionibus, vbi Deus est tota causa, ipsa voluntas est causa per se secundum beneplacitum suæ voluntatis omnino indifferentis in se, effectus producit differentes.

¶ Ad illud, quod sequitur, scilicet quod illud, quod est causa alicuius simplicis, potest in totum esse illius &c. Dicendum, ꝙ omnis causa causata operatur ex suppositione materiæ: vnde solus Deus potest in totã rei substantiam, id aliquid de nihilo facere. Cum ergo anima vegetabilis & sensibilis originem habeant ex rationibus seminalibus, inditis partibus mundi, in quibus sunt aliquo modo: patet ꝙ natura producens eas in esse, operatur ex suppositione materiæ aliquo modo.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod anima huiusmodi est simplex &c. Dicendum, quod simplex est secundum quod *simplex* dicit carentiam partium quantitatiuarũ: non tamen secundum ꝙ simplex dicit carentiam partium substantialium: eo modo *quod & quo* dicuntur partes substantiales rerum quodammodo simplicium. Habent n. huiusmodi animæ, ꝙ est, & quo est, qua sunt quasi partes substantiales earum: alioquin nõ esset actus eius interior. Vnde cum *quod est* animarũ huiusmodi, sit in seminalib. rationib. inditis partibus mundi: licet natura producat huiusmodi in esse: non propter hoc dicenda est posse in totã rei substantiam: cum agat siue operetur ex suppositione eius, ꝙ est quasi materia.

¶ Ad aliud, quod quæritur, vtrum causetur à creatura corporali, vel spirituali. Dicendum (vt supra tactum est) ꝙ elementis mundi indita est quædam natura simplex & incorporea, alia à natura elementari: quæ cooperans virtuti operatiuæ in plantis & animalibus, concurrente virtute corporum cælestium, modo conuenienti prodeunt in esse animæ vegetabilium & animalium. Hæ autem virtutes, siue naturæ possunt dici corporales: quia radicantur in corporibus, siue naturis corporum: & spirituales, quia mole carent corporali. A tali autem corporali, & ex tali, potest fieri spirituale: sed non ex corporali habente molem corporis inquantum huiusmodi. Dico ergo opinando, non asserendo: quod illa natura, quæ est simplex & incorporea, indita partibus mundi; qua dicit Philosophus inferiora ista plena esse; est principium & origo vt ex quo est, *quod est* animarum huiusmodi: à virtute vero decisa à generante est *quo est* à virtute demum primi orbis & aliorum corporum supercælestium sunt ipsæ animæ huiusmodi, vt à disponente & corroborante alia operatiua, ad hoc quod prodeant in actum. Et sic intelligitur verbum Philosophi, quod est: quod primus orbis est principium, & virtus & causa, & vita omnis viui. Ad hoc videtur valere illud, quod ponit Philosophus, scilicet, de virtute animæ decisa à generante, sit anima sensitiua: & quodam modo consimili anima vegetatiua. Dicit enim Philosophus, quod virtus descinditur à generante, quæ organizat materiam: qua organizata, ingreditur eam, sicut artifex in artificio: & fit eius non solum motor, sed actus & perfectio. Virtus enim animæ, quia cum materia sibi proportionali descinditur in ipsa fortius radicatur, & vehementius vnitur (vnde ab ipsa facile non recidit) & iterum à calore matricis adiuuatur, calescit, vigoratur, fortificatur vt robur accipiat animæ. Hoc autem dico, quia videmus aliquam virtutem per elongationem ab ipso cuius est, debilitari vt in motu proiectorum, & in similibus. In hac au-

Philos.

Idem.

tem

tem virtute secus est, propter causas prædictas. Ex hoc autem verbo Philosophi videtur, quod virtus decisa à generante illam virtutem, siue naturam, quæ erat elementis indita; quæ erat sola potentia ad animam, perducit in actum. ¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur, quo concluditur; quod vita non potest esse nisi à vita, & hoc verum est.

¶ Ad hoc quod postea obiicitur: quod non possit esse ab intelligentia. Bene concedo, vt à causa efficiente simpliciter: licet productio earum in esse, posset ministerio angelico accelerari. Angeli enim siue boni, siue mali causas rerum originales non possunt facere, sed per temperamenta & accelerationes quasi subito ex causis originalibus inditis à Deo huius mundi elementis, possunt aliquid producere, quod videtur mirabile: vt cum virgas & serpentes Magi Pharaonis per dæmones subito conuerterunt: sed de hoc alibi plenius tactum est.

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur: quod videtur, quod huiusmodi animæ non possunt fieri à spiritualibus substantiis, quæ sunt consimiles in specie: quia nec per diuisionem substantiæ &c. Potest dici sine præiudicio: quod (vt tactum est) per diuisionem virtutis fiunt. Nec dico, quod illa virtus accidens est, sed substantia: extenso nomine dicta, substantia. Neque enim est simplex substantia, neque accidēs: proprie sumendo substantiam, & accidens: sicut nec multa alia. Diuisionem vero entis in substantiam & accidens præcedunt diuisiones istæ. Entium aliud in potentia, aliud in actu: aliud vnum, aliud multa: hæc autem sequitur hæc: vnum aliud substantia, aliud accidens. Ergo diuisio in substantiam & accidens, est entis completi: sed virtus non est ens completum: ideo neq; substantia, neque accidens. Ad substantiam tamen, cuius est principium; est reducibile: & ideo fieri potest substantia. Sed quoniam aliquibus videtur insolitum, & minus bene dictum virtutem substantiam fieri posse: ideo aliter dicunt exponendo illud verbum scilicet *virtutem descindi à generante* manifestando, quæ sit ista virtus, dicentes: quod anima vegetabilis, cuius est potentia generatiua, alimentum attrahit & sibi assimilat: assimilat autem sibi, non partem sui, vel virtutem in eo relinquendo: sed virtutem sibi similem, quæ in alimento erat in potentia remota, in proxima faciendo. In ipso enim alimento est virtus animæ indita à creatore scilicet ratione seminalis, quæ per virtutem animæ assimilantem alimentum, & disponentem ad organizationem, de potentia in actum educitur. Et hæc virtus nec est de substantia animæ, quæ in alimentum agit & assimilat: nec virtus eius: sed ei similis. Et sic virtus, quæ erat semini originaliter indita, cum semine descinditur: non autem de substantia animę generantis, & descindentis semen descinditur, nec etiam virtus eius, quæ cadat in animam generati. Secundum hanc expositionem dicendum, quod animæ huiusmodi & quantum ad quod est, & quo est, sunt de illa natura, quæ est indita partibus mundi à conditore illorum: & quantum ad vtrumque erant in illis potentia: & quod producuntur in esse à virtute, cooperante virtute cœlesti. Vt enim habetur 14. primæ philosophiæ: omne, quod fit; fit ex aliquo, in potentia illud, quod fit. Vnde animæ huiusmodi cum fiunt; fiunt illud, quod fiunt, ex aliquo ente in potentia, scilicet in rebus seminalibus.

Superius. q. 42. & 43.

ARTICVLVS II.

A quo originaliter vita sit.

SEQVITVR determinare, à quo sit vita originaliter: hoc est determinare, quid sit in substantia viuente, vnde ipsa viuit. Et primo, si aliquid sit in illa, vnde viuit in se. Secundo, vnde alii vitam tribuit, scilicet illi, qui viuit per participationem.

An aliquid sit in substantia viuente, vnde in se viuat? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo, vtrum aliquid sit in substantia viuente * ex se (cuiusmodi est anima) vnde viuit. ¶ Quod sic, videtur: sicut tactum est, quædam viuunt ex se: quædam per participationem eorum, quæ viuunt ex se: sicut anima dicitur viuere ex se: corpus per participationem. Quæ autem viuunt per participationem, non viuunt per aliquid, quod sit in eorum substantia, siue de illis: sed per aliquid, quod est aliquid aliud ab illis secundum substantiam. Ergo ab oppositis videtur, quod ea, quæ viuunt ex se, viuunt per aliquid quod est eorum substantia: & non per aliquid, quod sit aliquid secundum substantiam. ¶ Hoc etiam patet per hoc, quod dicuntur viuere ex se: nulla n. ratione videtur debere dici viuere ex se, quod viuit per aliquid quod non est de substantia viuentis: & ita quæ viuunt ex se, habent aliquid in se, quod est illis origo, siue principium intrinsecum vitæ. ¶ Item, illud, quo viuit anima (vt habetur à Platone, & exponit Macrobius) essentia est animæ: sed constat, quod in ente est aliquid, vnde est essentia: cum rei siue entis essentia sit originaliter ex principiis illius: ergo &c.

* Alias, in

Plato.

¶ Contra. Vt dicit Ambrosius: *anima vita est*: sed anima non est originaliter à seipsa: nec ab aliqua illius parte, cum sit simplex, & ita non habet partem: ergo vita non habet originem in viuente ex se scilic. anima. ¶ Item, in re viuente ex se non sunt nisi duo principia, materia, & forma: siue illud, quod est quasi materia: & illud, quod est quasi forma: quæ in simplicibus dicuntur ab aliquibus, quod, & quo: vel potentia, & actus. Sed à materia, vel quasi materia non est vita, sicut ab originali principio; cum sit actus primus viuentis, & inter omnes actus nobilissimus; sicut ille à quo, vel qui est esse. ¶ Item, Vita semper est in suo actu: vnde diffinitur per actum continuum, vt ex dictis patet: quod autem est tale, non est à materia sicut à principio originali. Neque (vt videtur) est à forma, vel quasi à forma: cum forma non sit ex forma: vita autem est forma quædam. Vnde cum res sit ex illo, quod est eius principium originale, siue eius origo: videtur quod illud, quod est forma viuentis, nō sit origo vitæ eiusdem. ¶ Item, *origo rei est principium eiusd. m: principium & causa idem*, vt dicit Philosophus: ergo origo rei est causa eiusdem. Ergo cum in genere formarum vita est nobilissima: causa autem est nobilioris conditionis illo, cuius est causa: nulla forma est causa, siue origo vitæ. ¶ Si autem diceretur, quod vita non est à materia viuentis neque à forma, sed ab vtroque. Contrarium potest argui ex dictis iuxta modum, quo arguit Philosophus, concludens illud, quod est ex neutro aliquorum duorum, non esse ex vtroque.

Ambros.

Superius Memb. 1. huius ee q. 6 art. 2. §. 4

Philosop.

RESOLVTIO.

Cum vita motus, vigorque quidam internus sit, super essentialibus rei principiis fundatus, iure essentialia ipsa rei principia esse affirmabimus, in quibus vitæ principia radicentur, quibusque substantia viuens in se vigere dicatur.

¶ RESPONSIO Ad horum determinationem intelligendum, quod vita est quidam motus, vel actus, & vigor internus: vt enim dicit Bern. *vita est internus motus, tantum vigens intrinsecus.* Videndum est ergo, quid sit in substantia viuente ex se, vnde sit motus iste, & vigor, qui est vita. Quod (vt competentius fiat) incipiatur à generali principio motus intrinsecus in omnibus. Est enim principium motus duplex scilicet extrinsecum, & intrinsecum: hic autem intenditur de principio intrinseco.

Bern lib. de lib. arb.

¶ Nota ergo, quod in omni motu, siue ad formam, siue ad situm, primum principium motus * intrinsecum est appetitus: hic etenim est vis à creatore omnibus indita creaturis, per quam ad sui complementum ordinantur: & in suo complemento stant, & radicantur. Nec solum sic est in creaturis: sed etiam in creaturarum essentialibus principiis, quæ sunt materia & forma, actus & potentia: neque enim materia seipsa mouetur ad formam: quia cum nullam determinet, non magis moueretur ad hanc quam ad illam: neque forma seipsam facit in materia, sed per appetitum insitum vtraque ad inuicem ordinantur: & per appetitum huiusmodi inseparabiliter coniunguntur. Nec solum appetitus rem completam in esse, sequitur: sed in ipsis rerum principiis essentialibus radicatur & fundatur. Et sicut est in motu ad formam, sic est in omni motu non violento: in omni n. motu appetitus excitat motorem ad motum. Ex quo patet ipsum esse principium motus intrinsecū vni-

*Alias, intrinsecus.

uersale. Ex hoc ergo patet, quod appetitus in omnibus excitat ad motum: & quendam efficit vigorem in illis. Non tamen vigorem vitæ facit in omnibus: sed solum in simplicibus. Quod manifestius patebit per differentias appetituum; & eorum in quibus est appetitus. Supponatur ergo, quod omnibus rebus naturalibus inest appetitus, sed differenter: sicut & diuersæ sunt. Rerum n. naturalium quædã magis habent de specie, & minus de materia: quædam ecõuerso magis de materia, & minus de specie: quædam vero quasi totaliter species siue actus sunt: sicut substantiæ simplices, quæ semper in actu sunt. In quibus autẽ est magis de materia, & minus de specie; vt est terra; quasi sopitus & obtusus est appetitus. In quibus vero magis de specie, & minus de materia; vt in igne; quasi acutus & vigens est appetitus: vnde ignis semper est in actu, & cito generatur. Quare in eis, quæ quasi toti actus sunt, validior adhuc & acutior erit appetitus. Ergo cum anima sit substantia simplex, & semper in actu; in ea fortis & potens actus & vigens erit appetitus. Huius vigoris modum exprimẽs maximus poe-
Æneid. 6. tarum Virgilius, dixit. *Igneus est ollis vigor, & cælestis origo Seminibus &c.* Igneus vigor, quia subtilis & acutus: & cælestis origo, quia vis est indita diuinitus. Ecce, vnde tantus est motus, & vigor in animabus: manifestum etiam est, si vita est vigor & motus internus: quare appetitus vitam operatur in simplicibus. In quibusdam tamen corporeis, vt in illis, quæ minus habent de materia, & magis de specie & de actu (vt in igne & luce) quandam imaginariam vitæ operatur: quia semper in actu sunt. Vnde & argentum fusile, viuum vocatur: quia semper & continue mouetur: & eadem ratione fons viuus dicitur. Appetitus autem iste, qui vigorem internum & vitam operatur in substantiis simplicibus; fundatur in earum principiis essentialibus. Sicut enim corporalium principia sunt, materia, & forma: sic simplicium actus & potentia, siue quod & quo: per appetitum enim potentia actui coniungitur & perficitur. Et sicut per appetitum medium forma cum materia vnitur, & actus cum potentia: vt fiat substantia: sic per appetitum fortem, acutum, & vigentem potentia simplicis cum actu ipsius ordinatur: vt fiat non solum substantia, sed substantia viuens: Vnde manifestum est, principia vitæ fundari in essentialibus rei principiis. Addunt tamen aliquid supra * prin-
* Alias simplicia. cipia substantiæ principia substantiæ viuentis. Patet ergo, quid est illud, quod vigorem facit in substantiis simplicibus: & quod vigor ille fundatur in principiis earum essentialibus, & vitam operatur. Patet etiam, quid viuere addat super esse in substantiis viuentibus: & quod motus internus substantiæ simplicis est vigens appetitus, qui vitam operatur in simplicibus. Et ita videtur necesse ponere: quia præter appetitum, aut desiderium impossibile est aliquid reperire, quod vigeat intrinsecus.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur contra hoc, scilicet quod anima est vita: & quod anima non est origina-
Memb. 1 §. 1 huiusce quo. liter à seipsa &c. Dicendum, quod (vt supra tactum est) anima dicitur vita per concomitantiam causalitatis, non per identitatem substantiæ. ¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod (vt ex dictis patet) principia vitæ fundantur quodammodo in principiis essentialibus rei viuentis: vnde ab ipsis quodammodo vita habet originem. Licet enim materia, inquantum huiusmodi, non sit per se actiua, siue operatiua; tamen ratione, qua habet appetitum inclinatiuum ad actum, potest esse origo quodammodo formæ: quæ est omnino actiua, potest esse origo quodammodo formæ: quæ est omnino actiua, siue in actu, quæ est vita. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod formæ non est forma &c. Dicendum, quod hoc verum est, per se loquendo, scilicet in ratione, qua forma est informans: forma enim (per se loquendo) non est perfectibilis forma: neque forma est perfectiua formæ, sed potius materiæ, siue existentis in potentia, inquantum huiusmodi. Potest tamen forma vna esse originale principium alterius formæ: forma enim, siue perfectio totius quodammodo originem habet à forma, quæ est forma, siue perfectio materiæ. ¶ Ad aliud, quod sequitur: quod causa est nobilioris conditionis eo, cuius est causa &c. Dicendum, quod hoc non est verum de quacunque causa, sed de causa efficiente, completa, & sufficiente. Principium aũt originale rei non de necessitate est huiusmodi: sed potius est deterioris conditionis eo, cuius est origo: vt patet de limo, qui fuit quodammodo originale principium corporis primi hominis.

¶ Ad vltimum. Dicendum, quod in multis sortitur aliquid esse à duobus, quod à neutro per se. Quod autem dicit Autor Sex Principiorum. Si quis primam & secundam destruxerit, vtique & tertiam destruxit; quæ ex vtriusque efficitur coniunctione: intelligitur, vbi aliquid ponitur esse ex vtroque aliquorum, diuisim sumptorum. Quod patet ex casu, in quo loquitur: intendit enim determinare, à quo dicitur aliquid suscipere magis & minus? Et ponebant quidam hoc esse à cremento vel decremento suscipientis: quidam à cremento & decremento eius, quod suscipitur: quidam ab vtroque scilicet ab hoc, & ab illo. Et in hoc casu dicit, quod si non dicitur aliquid magis & minus à suscipiente, siue subiecto: neque ab illo, quod suscipitur: scilicet forma, vel qualitas; non suscipit ab vtroque.

Anima; quæ viuens ex se dicitur; vnde corpori vitam tribuat? §. 2.

¶ SEQVITVR inquirere, vnde viuens ex se alii vitam tribuit: scilicet illi, quod viuit per participationem, scilicet anima corpori. ¶ Circa hoc proceditur sic. Augu. de ciuit. Dei, 13. c. 2. Viuit corpus ex anima, cum anima viuit in corpore: seu viuat ipsa, seu non viuat ex Deo. Sed vt habetur à 2. de Anima tex. com. 4.
Philosopho, anima est actus, siue perfectio corporis physici organizati, potentia vitam habentis: corpus ergo viuit ab anima, vt ab ea, quæ est eius perfectio: & anima vitam tribuit corpori, vt eius perfectibili. Cum autem illud, quod est perfectio, tribuat aliquid perfectibili, inquantum huiusmodi, vnde illi hoc tribuit, est aliquo modo originaliter in ipso tribuente: ergo viuens ex se habet aliquo modo originaliter, vnde tribuat vitam viuenti per participationem. ¶ Item, cum viuens per participationem recipit vitam à viuente per se, vel ex se, hoc est per aliquod, quod originaliter est in ipso recipiente: à simili videtur ex parte dantis, quod &c.

¶ Contra substantia diuiditur in substantiam spiritualẽ & corporalem: sicut animal in rationale & irrationale: vnde idem est genus distantiæ inter substantiam spiritualem & corporalem, quæ est inter animal rationale: & irrationale: substantia autem viuens ex se est spiritualis, viuens per participationem est corporalis: sed animali rationali nihil est inditum, neque habet vnde tribuat, vel tribuere appetat animali rationali illud, quod est in ipso nobilissimum, vel inter nobilia illius potissimum: eadem ratione videtur, quod nihil est inditum substantiæ spirituali: neque habet aliquid, vnde tribuat, vel tribuere appetat substantiæ corporali, quod est in illo nobilissimum, siue inter nobilia illius potissimum: cuiusmodi est vita. Ergo videtur, quod nihil sit in substantia viuente ex se, vnde vitam tribuat illi, quod viuit per participationem. ¶ Item actus, vel perfectio nobilis requirit perfectibile nobile, siue conuenienter respondens. Ergo cum vita sit de perfectionibus nobilissimis, eius appetitus est determinatus circa perfectibile, quod est de genere nobilium: talis autem est substantia spiritualis, non autem corporalis: ergo fixus est eius appetitus circa substantiam spiritualem, quæ viuit ex se: & non extendit se ad illud, quod non viuit ex se: & ita nihil habet in se, vnde appetat attribuere vitam illi, quod viuit per participationem. ¶ Item conditiones istæ, quæ sunt vnitas, simplicitas, attestantur nobilitati eorum, quorum sunt conditiones. Ergo cum formæ minus nobiles quam vita, habeant esse determinatum circa vnum & idem: nec diffunduntur, nec extenduntur ad plura: multo fortius videtur, quod ita debeat esse de vita: secundum quod in quadam indiuisione, siue vnitate habeat esse in vno materiali, & non in diuisione & extensione ad plura, scilicet spirituale & corporale. ¶ Item, quando aliqua proprietas communicatur à duobus; necesse est hoc esse mediante aliquo vno, in quo conueniunt: & non dico vno generali, sed vno propinquiori. Sed substantia

spiritualis, & corporalis non habent conuenientiam, nisi in genere. nec videntur conuenire in aliquo propinquiori, secundum quod requirit communicatio vitæ; & ita videtur quod nihil habet substantia spiritualis in se, vnde cómunicet vitam corporali.

RESOLVTIO.

Anima eodem vigore, quo in se vigoratur eodem & corpori vigorem præstat: appetitu in se viuit, vigoraturque, appetitu etiam corpori vitam tribuit, atque operatur.

¶ RESPONSIO. Ad horum notificationem nota: quod sicut per appetitum anima in se vigoratur: sic per appetitum in corpore, quod viuificat; vitam operatur. Per appetitum enim corpori vnitur: & per appetitum corpus varijs motibus mouet, vt & ipsum perficiat: & vt ipsa etiam perficiatur. Quod vt manifestius fiat, modum vnitionis animæ cum corpore, & quare necessarium est ipsam vniri corpori: videamus. Sciendum est ergo, quod appetitus in substantia simplici, nec vigorem actualem facit, nec vitam operatur ibi, nisi cum perficitur. Cum autem suo actui coniungitur, & suo desiderabili vnitur, & in eius vnione delectatur, perfectus est, & vitam operatur: tunc enim viget anima, & delectatur. Sicut autem dicit Auicenna delectatio cuiusque virtutis plena est acquisitio suæ perfectionis: cum autem caret suo desiderabili, minuitur, aut deficit appetitus: & vita languet, aut extinguitur. Vnde argumentum efficax sumitur, quod supra appetitum vita fundatur: si enim completo appetitu vita perficitur, debili ato debilitatur, & deficiente extinguitur: aut sunt idem appetitus & vita: aut vnum est causa alterius. Quia ergo appetitus vitam non facit in actu, nisi perficiatur: in quibusdam vero non est completus de se, sed aliquo indiget exteriori, vt perficiatur: in eis vitam non facit in actu; nisi ei, quo indiget, coniungatur. Et hæc est ratio, quare substantia simplex corpori vnitur: vt videlicet appetitus suo desiderabili coniungatur: & sic in actu vigeat: & vita in ea perficiatur. Si enim completus esset in se eius appetitus, nunquam corpori essentialiter vniretur. Per appetitum ergo corpori vnitur, & inseparabiliter se tenet; nisi sit defectus ex parte corporis. Et vt per hoc suo actui coniungatur & perficiatur; per appetitum etiam varijs motibus mouet corpus, vt etiam ipsum perficiat, & ipsa perficiatur. Et hæc est ratio colligationis animæ cum corpore: quamuis hæc ratio colligationis multiplex sit & differens in diuersis: in quibusdam enim maior, in alijs minor reperitur vis colligationis. In quibusdam enim quodammodo idem est viuere, & vitam alij tribuere. Vnde quarundam animarum & corporum est quasi vita vna & vnum vitæ complementum: vt in vegetabili & sensibili: hæ enim de se non habent aliquam differentiam vitæ, nisi quam contrahunt à corpore: vnde & secundum vitam suam dependent à corpore: & ideo vita eorum non est separabilis. In alijs vero, vt in rationali, nó est idem viuere, quod vitam alij tribuere; quamuis ab eodem sit vt ab appetitu, modo quo tactum est: hæc enim habet vitam propriam, quæ non est corporis: ab ipsa tamen deriuatur: vnde tribuit vitam corpori: & ideo hæc sola est secundum suam vitam à corpore separabilis. Sic ergo patet, quomodo per appetitum vitam corpori tribuit: & quomodo per ipsum est ratio vnionis & colligationis animæ cum corpore: & quomodo in diuersis diuersimode est. Et ex his patet, quod scilicet eodem vigore, quo viuit anima, vitam potest corpori tribuere.

¶ AD ILLVD, quod primo obijcitur, quo videtur ostendi, quod nihil est inditum substantiæ spirituali, vnde tribuat, siue tribuere appetat vitam corpori propter distantiam eorum, &c. Dicendum, quod licet sit distantia illorum ea, quæ tacta est in opponendo; inquantum hoc est corporale, & illud spirituale: est tamen quidam illorum ordo & respectus; qui est perfectionis ad perfectibile: vnde est illorum appetitus mutuus, quo est quædam ratio colligationis eorum adinuicem: quibus mediantibus est influentia vitæ ab vno in aliud. Licet ergo nihil sit inditum substantiæ spirituali, vnde appetat tribuere vitam corporali; inquantum distant vt corporale & spirituale: inquantum tamen est appetitus huius perficiendi illud; & etiam in perficiendo illud, sibi pleniorem acquirere perfectionem: habet aliquid, vnde sibi vitam appetit tribuere.

¶ AD ILLVD, quod sequitur. Dicendum, quod est aliqua substantia spiritualis, cuius perfectio nullo modo dependet aliquo modo à corporali: Est & alia, cuius perfectio aliquo modo dependet. Quia ergo appetitus rei nullo modo terminatur, nisi adepta ipsius perfectione: illius substantiæ spiritualis appetitus, cuius perfectio dependet aliquo modo à corporali; non terminatur nisi in coniunctione cum substantia corporali. In nullo ergo deterioratur conditio vitæ ex hoc, quod conditio substantiæ spiritualis viuentis est, vt coniungatur cum substantia corporali; à cuius coniunctione pleniorem sortitur perfectionem, immo melioratur. Nobilitas ergo huius actus, quæ est vita; non impedit, quin appetitus substantiæ spiritualis viuentis conuenienter se extendat ad hoc, quod vniatur cum substantia corporali.

¶ AD ILLVD, quod sequitur. Dicendum quod verum est, quod vnitas attestatur nobilitati, cuius cõditio in nullo deterioratur ex ipsius vnionis multiplicatione: immo magis perficitur, & perfectior ostenditur: sicut patet de luce, cuius virtus ipsius multiplicatione perficitur, & perfector ostenditur. Similiter est in proposito: vita enim (vt tactum est) ex coniunctione substantiæ spiritualis cum corporali, ex qua quodammodo multiplicatur in substantia corporali; magis viget, & efficitur iocundior & perfectior, nec hæc multiplicatio aliquid tollit de virtute ipsius vitæ: cum semper illa sit vna, quæ est substantiæ spiritualis: sed est causa perfectionis illius, & ostensio nobilitatis.

¶ AD ILLVD, quod sequitur, Dicendum quod substantiæ spiritualis, scilicet animæ, & corporalis, quæ ab anima perficitur, est conuenientia quædam præter illam, quæ est generalis, quæ attenditur in multiplicitate potẽtiarum siue virtutum operatiuarum ex parte animæ, & multiplicitate naturarum siue partium organicarum ex parte corporis. Vt enim supra tactum est, corpus humanum inter omnia corpora compositissimum est; & hoc requiritur propter hoc, quod anima, quæ est perfectio eius & motor, est multarum operationum effectiua: quarum cum non possit anima esse effectiua per se, immo necessarium est vt exerceatur per corpus, necesse est vt corpus huiusmodi multiplicitatem habeat organorum. Præterea, conueniunt in mutuo appetitu perfectionis: appetitus enim corporis est ab anima, vt perficiatur: similiter & appetitus animæ est, vt corpus perficiat: & illud perficiendo, pleniorem sortiatur perfectionem. Iste autem appetitus mutuus est causa colligationis illorum adinuicem, & communicationis vitæ.

Auicenna. Quæst. 77. Memb. 1. art. 1.

MEMBRVM III.

Vita cuius est vt subiecti proprij.

IN progressu inquisitionis de vita tria proponebantur quærenda. Primo, quid est vita. Secundo, à quo est vita. Tertio, cuius est vita. Iam determinatum est de duobus: sequitur de tertio, scil. cuius est vita, vt subiecti proprij. ¶ Primo ergo quæritur, vtrum vita sit in natura increata. Secundo quæritur, vtrum vita creatoris & creaturæ in aliqua re conueniant. Tertio, vtrum vita sit in creatura corporali, an tantum in spirituali. Quarto supposito quod in corporali, vtrum sit in corporibus supercœlestibus. Quinto; vtrum sit in animalibus, quæ carent sanguine. Sexto; vtrum sit in embrione, vel in humoribus.

ARTICVLVS I.

An in natura increata, id est, in Deo ipso vita sit.

CIRCA primum, quo quæritur, Vtrum vita sit in natura increata. Quod sic, videtur: nam Damascen. *Excepta diuina, tres sunt species vitæ, plantatiua, sensitiua, intellectiua.*

¶ ITEM, Augustinus: *Deus naturaliter vita est.*

¶ ITEM. *Non colo idola manu facta, sed viuentem Deum, qui fecit cælum & terram.* Ex his patet, quod in Deo est vita.

¶ ITEM, quod solus Deus viuat, sic secundum Philos. *viuere*

Damas. li. 3. Aug. lib. de fide ad Petrum Dam 14. Phil ex 2. de Anima. 37.

viuentis est esse: ergo viuentis essentia est eius vita: ergo illud solum viuit, cuius essentia est vita: hoc est solus Deus. ¶ Item lib. de motu cordis. *Oportet nosse, quoniam vita actio est, & vita est esse viuentis.* Ergo viuentis essentia est sua actio: ergo illud solum viuit, cuius sua essentia est sua actio: hoc est solus Deus: in omni enim creatura differunt essentia, virtus, & actio: vt vult August.

Idem li. de motu cord.

¶ CONTRA, Vita addit super esse: in illo ergo, in quo nihil additur ad esse, hoc est in illo, de quo dicitur. *Ego sum, qui sum:* non est vita. Si enim aliquid esset in ipso, quod adderet ad esse, esset in ipso compositio aliqua. ¶ ITEM, vita cadit sub aliqua differentia entis: vnde contrahit ens, cui conuenit, in genus. Eorum enim, quæ continentur in genere; quædam viuunt: quædam non viuunt. Ergo non conuenit illi, quod non est in genere; sed supra omne genus, scilicet Deo. ¶ ITEM, esse viuentem, & habere animam, conuertuntur. Dicitur enim in libro de motu cord. *Animatum & viuens ad se inuicem paria sunt.* Sed Deus non habet animam: ergo &c. ¶ ITEM, in quo est vita, est appetitus & desiderium, vt ex dictis patet: sed in nullo est desiderium alicuius, quin sit indigentia respectu illius: sed in Deo nulla est indigentia: ergo &c. ¶ ITEM, secundum Bernar. *Vita est motus internus:* & hoc vitæ conuenit per se: sicut illud, quod ponitur in eius ratione: ergo conuenit omni habenti vitam: sed in Deo non est motus: ergo &c. ¶ Item, dicit Dionys. *Super essentialitatem diuinam neque vt verbum, aut virtutem, neque vt animam, aut vitam aut essentiam laudare est iniustum. Sed omnia, quæ sunt in superessentialitate diuina, id est, Deo, Deum reddunt laudabilem:* ergo neque anima, neque vita sunt in Deo.

Exod. 3. — Phil. lib. de mot. cord. — Bern. — Dionys. de diu. nom. cap. 1.

RESOLVTIO.

Est procul dubio in Deo vita, sed non differens ab eius substantia: quinimmo sua essentia sua vita est: proinde & summa vita recte dicitur.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod in Deo est vita, non per differentiam à substantia, sed ipse est sua vita, & suum viuere: & tanto nobilior est eius vita, quanto simplicior: quia autem diuinum esse est simplicissimum, nihil habens de passibilitate admixtum: ideo est in plena actualitate & vigore. Quia ergo vita est quidam vigor internus, viuere est vigere quoddam, vt supra tactum est: hinc est quod in Deo est vitam reperire, & in vltima perfectione ratione prætacta. Vnde rationes pro illa parte concedendæ sunt.

Ex præcrib. ... huiu[s] ... quæst. ... spatium.

AD ILLVD, quod primo objicitur: quod viuere addit supra esse, &c. Dicendum, quod hoc verum est, in eis, in quibus vita est per differentiam aliquam: ita quod differt in viuente illud, quod viuit: & quo viuit: hoc autem est in rebus creatis, quæ habent possibilitatem permixtam esse actui: solus autem Deus est in puritate actus, siue actus purus: & ideo in ipso viuere non addit esse: sed sua essentia est sua vita.

¶ AD aliud, quod objicitur: quod vita contrahit in aliquod genus entis, &c. Dicendum, quod est duplex vita. Vna scilicet, quæ est origo omnis vitæ, quæ non cadit sub determinatione temporis vel motus; sed est æterna: & hæc est per se viuifica, & substantifica. Alia est vita, quæ est participata per distinctionem & proprietatem conuenientem vnicuique viuenti. Prima vita est causalis, siue causa secundæ. Vnde Dionys. *Nunc laudanda est laudabilis vita æterna, ex qua per seipsam vita, & omnis vita: & à qua in omnia vtique vitam participantia, viuere propriè vnicuique exseminatur.* Et post, *Et sicut ... esse diuinum, quod eiusdem esse est causalis: sic & ibi.* Iterum, *quia ... per seipsam vita est diuina vita, vitalis, & substantialis.* Vt ... a Commentatore [ὤν] a Græcis essentia dicitur diuina. Vnde vult dicere, quod sicut eiusdem est esse causalis in diuinis: sic per se ipsam est vita diuina. Et post subdit. Et omnis vita & vitalis motus ex vita ipsa, quæ est super omnem vitam, & omne principium totius vitæ. Vita autem primo modo sumpta est naturæ increatæ, secundo modo sumpta creatæ. Prima est super omne genus, nec cadit in aliqua differentia, quæ cadit in genus: sed est idem ... quod est simpliciter & per se: vt patet ex verbo ... Secundo modo sumpta ... in genus.

Dionys. de diui. nomi. c. de vita. Quod est ... in pr... ... translat.

¶ AD ILLVD, quod sequitur scilicet quod viuere & habere animam conuertuntur. Dicendum, quod sicut descendunt scientiæ, sic & vocabula scientiarum. Autor autem libr. de Motu cord. inquit in illo de vita, quæ habet esse in corporibus: & de illa verum est, quod animatum & viuens ad se inuicem paria sunt. Sed (generaliter loquendo) non est verum: spiritualis enim creatura, sicut intelligentia viuit; licet animam non habeat.

Auctor libri de motu cordis.

¶ AD ALIVD, quod sequitur. Dicendum, quod est appetitus rei distantis, & ille appetitus habet annexam imperfectionem. Est & appetitus rei indistantis: & hoc potest esse dupliciter: vel quia coniungitur appetitus appetibili: vel quia est idem per essentiam. Quandoque enim est appetitus coniunctus appetibili; tamen est aliud per essentiam ab illo; quandoque autem idem est appetitus & appetibile per essentiam: & hoc est in primo, vbi idem est delectans, & in quo delectatur, fruens & quo fruitur: vbi autem est talis appetitus, nullus est defectus, sed vita perfecte delectabilis, nullo indigens, existens in fine nobilitatis & delectationis: qualis est in primo & summo bono.

¶ AD ALIVD quod sequitur: quod vita est motus &c. Dicendum, quod illa prædicatio est causalis: quia vita est causa motus. Sed quædam est vita, quæ est principium siue causa motus in ipso viuente, quædam in alio. Illa, quæ est principium motus in ipso viuente, habet imperfectionem coniunctam: quia motus passio attestatur imperfectioni: sed quia Deo non conuenit, nisi quod est perfectionis: ideo vita in Deo est principium motus: non quo Deus moueatur; sed quo omnia mouet, & viuentia viuificat. Propter quod (vt vult Dionysius) diuina vita est vitalis, causalis, & substantialis, id est, viuifica, & substantifica. Et secundum Boe. stabilisq; manens dat cuncta moueri. Vel si videatur dicendum, quod vita sit motus essentialiter: secundum quod motus internus est vigor appetitus. Dicendum, quod illa ratio Bernard. Vita est motus internus, &c. est vitæ, quæ differt per essentiam ab eo, quod viuit eadem vita.

¶ AD ILLVD Dionys. quo videtur, quod vita non sit in Deo. Patet responsio per hoc, quod sequitur ibidem, vbi ostenditur: quod nominandus est Deus omnium ablatione, siue negatione, superpositione, & causalitate. Vnde autoris intentio est ostendere: neque vitam, neque alia dicta de Deo, proprie in propria acceptione sumpta, Deo conuenire. Vnde Commentator ibidem. *Ratio in hoc vniuersaliter studet, vt suadeat, certisq; veritatis instigationibus approbet: nil de Deo proprie dici posse, quoniam superat omnem intellectum, omnesque sensibiles, intelligibilesque significationes: quia melius nesciendo scitur: cuius ignorantia est vera sapientia: qui verius fideliusque negatur in omnibus, quam affirmatur: quodcunque enim de ipso negaueris, vere negabis: siquidem siue approbaueris hoc, vel hoc illum esse: falsitatis redargueris: quia omnium, quæ sunt, quæ dici, vel intelligi possunt, nihil est.*

Commentator super Dionys. de diui. nom.

¶ AD ILLA, quæ objiciebantur pro alia parte, quibus concluditur, quod solus Deus viuit. Dicendum, quod illud argumentum non valet: viuere est esse viuentis: ergo vita est essentia viuentis: nec est hic locus à coniugatis. Non enim se habet vita ad viuere, sicut essentia ad esse. vita enim & viuere non differunt nisi in modo nominandi: quia vita est actus, sicut & viuere: essentia enim, quæ est ipsa quidditas rei dicit, ipsam rei substantiam, esse vero actum: esse enim est actus entis. Præterea, cum dicit: viuere est esse viuentis: esse dicitur viuentis vt est viuens: non vt est substantia. Cum infertur, ergo vita est essentia viuentis: ibi sumitur essentia, vt est quidditas rei, quæ viuit: non vt dicit quidditatem actus, quo viuens inquantum viuens est in actu viuendi. Vñ non est debita coniugatio in argumento. Vñ in argumento non infertur essentia de essentia: sicut proponitur actus de actu: immo est duplex defectus ibi: Vnus ex hoc quod infertur essentia de actu (vita enim actus est) Alius ex hoc, quod sumitur essentia in conclusione, vt est quidditas rei, quæ subest actui viuendi: non vt dicit quidditatem ipsius actus.

¶ Si objicitur adhuc, quod vita est essentia viuentis per hoc, quod dicit Dionys. *Videris qualemcunque vitam, aut vitæ principium, aut ... essentiam ... ex ipsa, scilicet ... vita ...*

Dionys. de diui. nom. c. de vita.

bi

Vbi Commentator. *Vitæ essentia intelligibiles sunt virtutes: & nostræ animæ essentiam quippe, cum sint vita; habent vt materiam quandam, atque subiectam, & ipsam speciem, quæ vita est, existente: vnde & viuificant corpora animæ.* Ecce quod in Textu dicitur essentia vitæ: in Commento dicitur, intelligibiles virtutes, id est, intelligentiæ sunt essentiæ vitæ. Responsio est ad hoc, quod essentia vitæ dicitur substantia, in qua radicatur vita. Sed contra in translatione Abbatis est [*substantia vitæ*] & in Commento dicitur essentiam, quippe cum sint vita; habent &c. (Loquitur de animabus nostris) ibi dicitur plane, quod animæ nostræ vita sunt. Respondeo, prædicatio illa non est per conuenientiam identitatis, sed potius per conuenientiam relationis actus ad substantiam, vel effectus ad causam: sub hoc sensu: animæ nostræ sunt vitæ, id est, sunt substantiæ, in quibus sunt radicatæ siue substantificatæ vitæ: & quæ sunt principia vitæ corporibus: & hoc dicit textus, qui est secundum translationem Abbatis [*si dicas, vitæ principium, aut substantia: ex ipsa viuunt & viuificant*] Dicit enim animam nostram esse substantiam vitæ, qua viuit: & principium vitæ, inquantum viuificat corpora: & vtrunque esse à prima vita. Vnde dicitur in Textu [*ex ipsa viuunt, & viuificant*] viuunt in se: & viuificant corpora sibi subiecta: vt dicit Commentator. Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur.

ARTICVLVS II.

An vita vniuoce dicatur de vita in Deo, & de vita in creaturis.

SECVNDO quæritur. Vtrum vita conueniens creatori, & vita conueniens creaturæ, in re aliqua vna conueniant. ¶ Quod conueniant, videtur sic: quæcunque sunt ad inuicem comparabilia, conueniunt in aliquo vno (participantis enim ad non participans nulla est comparatio) sed vita increata, & creata, siue Dei & creaturæ comparabiles sunt ad inuicem; secundum prius, & posterius, plus & minus: ergo conueniunt in aliquo vno. ¶ ITEM, omne creatum est vestigium & similitudo suæ causæ: vita creata est causata ab increata: ergo est vestigium, & similitudo eius: sed similitudo aliquorum est conuenientia eorum in aliquo vno: ergo vita creata & increata conueniunt in aliquo vno. ¶ ITEM, omne exemplar conuenit cum exemplato: vita increata est exemplar vitæ creatæ: ergo vita increata conuenit in aliquo cum creata.

¶ AD oppositum videtur sic: quæcunque conueniunt, & non sunt simpliciter idem; penes vnum conueniunt, & penes aliud differunt: non enim penes idem conueniunt, & differunt. Si ergo vita increata, & creata per aliquod cõueniunt, per illud non differunt: quare per aliud: ergo in vita increata est vnum, & aliud: ergo non est omnino simplex: quod est impossibile.

¶ ITEM, si vita increata & creata conueniunt non in nomine tantum, sed in aliqua re vna, per nomen signata: ergo illa res nec est simpliciter vita increata, nec creata: sed aliqua res naturaliter prior illis: quod est impossibile.

RESOLVTIO.

Nec vniuoce, nec æquiuoce: sed analogice.

¶ AD HOC dicendum, quod differt vnum vniuocationis, & analogiæ. Vnum enim vniuocationis est, quando vnum inest pluribus vniens illa in aliqua re vna, priore illis naturaliter: sic autem non conueniunt vita increata & creata. Vnum autem analogiæ est, quando vnum inest pluribus: ita quod alicui eorum primo & principaliter, in quo est prima origo omnium aliorum; alijs vero posterius & secundario, & per modum quo descendunt ab origine prima. Et tale vnum non vnit ea, quibus inest, in aliqua re vna, naturaliter priore illis: sed tota prioritas est in aliquo eorum naturaliter; sicut in causa respectu causati. Et istud vnum licet non sit penitus vniuocum; non est penitus æquiuocum: sed medium: & dicitur analogum: & sic vita creata & increata conueniunt in aliquo vno. Quod autem vita increata sit origo aliarum omnium, & causa: patet ex verbo Dionysij supradicto. Cum ergo quæritur: vtrum vita creatoris, & creaturæ conueniant in aliqua re vna. Dicendum, quod conueniunt in re vna vnitate analogiæ, non vnitate vniuocationis.

¶ AD ILLA, quæ inducuntur pro prima parte, quibus videtur ostendi, quod conueniunt in re aliqua vna, tum ratione qua sunt comparabilia; tum ratione similitudinis, quæ est vestigij ad illud, cuius est vestigium: tum ratione conuenientiæ exemplari & exemplaris, bene possunt concedi: secundum quod res dicitur vna vnitate analogiæ: non autem secundum quod dicitur vna vnitate vniuocationis, neque enim comparatio, neque similitudo, neque conuenientia, quæ est creati ad increatum concludit vnitatem vniuocationis. Si autem opponatur per verbum Philosophi, dicentis: quod solum vniuocum est comparabile. Dicendum, quod ibi sumitur vniuocum, nomine extenso: secundum quod etiam conuenit analogo: facta exclusione solius æquiuoci.

ARTICVLVS III.

An præter creaturas spirituales Angelum, scilicet & hominem etiam creaturis corporalibus vita insit?

SEQVITVR inquirere, Vtrum in corporalibus creaturis sit vita, qua viuunt.

¶ QVOD sic, patet: super illud Marci vltimo. *Prædicate euangelium omni creaturæ*: dicit Gregor. *omnis creaturæ aliquid habet homo: habet namque esse commune cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus.* Ex quo patet, quod arbores viuunt & animalia. Marci vlt. Gregorius

¶ ITEM vegetari, sentire, intelligere, sunt actus consequentes ad actum viuendi, siue qui est vita: nec insunt alicui, cui non inest vita: vnde in Libro de Mot. cord. *viuit & vegetatur animal, sentit & mouetur, discernit & intelligit*: & quæ ex eis oriuntur, non facile enumerabilia efficere habet: & harum potentiarum hæc prima distantia est, quod vitam quasi præuiam cæteræ sequuntur: sine qua cæterarum nullam inesse, possibile est. Si ergo hi actus sunt creaturarum corporalium (quod patet manifeste de actu vegetandi & sentiendi, qui sunt actus plantarum & brutorum: similiter patet de actu intelligendi per verbum Philosophi dicentis, *qui dicit animam intelligere, nihil aliud est, quam si diceret animam texere vel ædificare*) relinquitur ergo, quod actus viuendi, siue qui est vita, sit creaturarum corporalium. Libr. de mo cor. Phil. 1. de Anima. 64

¶ CONTRA, vita est forma, siue actus præcipuus, & maxime essentialis substantiæ spirituali, scilicet angelo & animæ rationali: quod autem est substantijs spiritualibus præcipuum, & maxime essentiale, non conuenit substantijs corporalibus, sicut nec econuerso: ergo corporales substantiæ non viuunt.

¶ ITEM, inter omnia, quæ in genere actuum præcipue, & proprie, & essentialiter conueniunt substantijs spiritualibus, cuiusmodi sunt discernere, sapere, diligere; prius & essentialius conuenit actus, qui est vita. Si ergo actus discernendi, intelligendi, sapiendi, diligendi non sunt actus corporales, neque corporalibus creaturis conueniunt: multo fortius nec actus, qui est vita.

¶ ITEM, Vt dicit August. contra Maximinum. *In illis, quæ mutantur, nonnulla mors est ipsa mutatio.* Sed creaturæ corporales continuas sustinent mutationes: vtpote mutationes generationis vel corruptionis, vel augmenti vel diminutionis, vel alterationis, vel loci mutationis: ergo (vt videtur,) sunt in continuitate mortis, ergo non viuunt. Aug. cõtra Maximin.

¶ ITEM, si creaturæ corporales viuunt: quæ est differentia vitæ corporalium creaturarum, & spiritualium? spirituales creaturas dico homines & angelos.

RESOLVTIO.

Est certe & in corporalibus creaturis vita: sed longe inferiori gradu à creaturis spiritualibus.

¶ RESPONSIO. Ad propositi manifestationem. Notandum, quod est differentia vitæ multiplex: trahitur enim in species, secundũ q variatur apperitus in simplicib: substantijs siue spiritualibus, & corporeis. Sicut enim supra

tactum est, appetitus substantiæ spiritualis nisi suo actui coniungatur, & sic perficiatur, nec in se viget, nec vitam operatur. [Mẽb 2 huius q. art. 2. §. 1.] Vnde ex coniunctione cum suo desiderabili in se viget, & quasi suscitatur ad vitam: cum autem caret suo desiderabili, aut languet vita, aut extinguitur. Sed intelligendum est, quod non vno modo appetitus iste perficitur, sed differenti: & secundum hoc varias vitæ differentias operatur. Aut enim iste appetitus in substantijs simplicibus intrinsecus omnino finitur: aut totaliter extrinsecus terminatur: aut partim sic, partim sic. Si autem intrinsecus totaliter finitur, vt nullo penitus indigeat, neque propter esse, neque propter bene esse; sed in se & ex se habet quicquid requiritur ad esse & ad bene esse: vtpote vbi est idem appetitus siue appetens & appetibile, siue fruens & quo fruitur: tunc est vita per se, & secundum se delectabilis, & perfecta, scilicet in fine perfectionis & nobilitatis, sicut in primo bono & summo. Si autem totaliter extrinsecus terminatur, vtpote ad aliquid, quo indiget ad esse, & sine quo neque etiam vita esse potest: tunc est vita ipsa minime delectabilis, & minimæ perfectionis: vt in vegetabilib. & sensibilibus. [Dionys. de diui. nom. c. de vita.] Vnde Dionysius. *Animalia omnia & germina secundum nouissimam consonantiam vita habent viuere*; Cum autem appetitus partim terminatur extrinsecus partim intrinsecus: tunc aliquo indiget, non propter vitam, sed propter vitæ illustrationem & delectationem: hoc est non propter esse, sed propter bene esse. Illud autem, quo indiget, aut seipso potest adipisci, id est, sine aliquo corpore sibi vnito; & sic est vita in angelis: aut seipso non potest, sed indiget vnione cum corpore, vt illud possit adipisci: sic est vita animæ rationalis. [Auicenna.] Vnde dicit Auicen. quod anima vnitur corpori, vt perficiatur.

¶ Item notandum, quod appetitus substantiæ simplicis terminatur extrinsecus, quando indiget aliquo extrinseco, sine quo non est in sua perfectione. Sed hoc potest esse multipliciter: illud enim extrinsecum potest esse vel res, vel rei species siue similitudo: vel vtrumque: quia substantia spiritualis, cuius est vita; aut indiget re tantum, à qua dependet quantum ad essentiam: aut specie rei quantum ad illustrationem, & bene esse. Si autem illud extrinsecum, quo indiget, sit solummodo res, à qua dependet essentialiter, siue secundum essentiam; tunc est vita vegetabilis. Si autem illud extrinsecum sit res, à qua dependet quantum ad essentiam: & species siue similitudo rei, à qua dependet quantum ad illustrationem: tunc est vita sensibilis: substantia namque animæ sensibilis essentialiter dependet à corpore: & quia vita in sensibilibus est cognitiua; non solum re, siue corpore indiget; sed specie rei, siue similitudine. Vis autem sensitiua est bipartita: habet enim quosdam sensus propter esse, quosdam propter bene esse; quosdam propter vitam, quosdam propter illustrationem vitæ. Vnde duplici principio naturali indiget, scilicet calore, & luce: siue qualitate feruida, & luculenta, secundum August. [August.] calore siue qualitate feruida propter vitam; luce siue qualitate luculenta propter vitæ illustrationem; qualitas autem luculenta est in cerebro, vnde est origo sensuum. [Idem 7. super Genes. ad litt.] Dicit enim August. *Omnis caro habet aliquid ignis: non solum feruidam qualitatem, cuius sedes est in iecore & in cerebro: verum & luculentam; quam velut eliquari, ac subuolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri; vnde & radij emicant oculorum; & de cuius medio velut centro quodam, non solum ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenues fistulæ seducuntur: ad aures, scilicet ad nares, ad palatum propter audiendum; olfaciendum, atque gustandum*, &c. [Phil. lib. de anima.] Et Philosophus dicit *sine igne non est sentire*. Quando autem extrinsecum, quo indiget substantia spiritualis non est res, à qua dependet quantum ad essentiam, sed similitudo quantum ad illustrationem, tunc est vita rationalis: vita enim rationalis non dependet essentialiter à corpore; indiget tamen rei specie propter bene esse, vel propter illustrationẽ vitæ, quæ fit per rei similitudinẽ: quæ accepta ducit in aliud; & facit cognitionem, quæ est vitæ illustratio: & ideo hæc vita est separabilis. Vita ergo ista continetur quodammodo sub duplici membro diuisionis prædictæ: quia & vita eius interius est terminata, & non terminata interius: quantum ad esse terminata, quo ad bene esse non terminata. Similiter ex parte creaturarum corporearum variatur appetitus secundum variationem animarum, à quibus vitam habent: vnicuique enim corpori inditus est ab eius causa proprius appetitus respectu sui delectabilis, siue suæ perfectionis, à qua vitam participat: sicut ex parte perficientis formaliter est inditus appetitus respectu sui perfectibilis: & ex isto duplici appetitu est colligantia eorum ad inuicem. Concedendæ ergo sunt rationes, quibus ostenditur: quod in corporalibus creaturis est vita.

¶ Ad illvd, tamen quod persuasum est: quod actus intelligendi sit actus corporis, per verbum Philosophi. Qui dicit animam intelligere, &c. Dicendum, quod duplex est intellectus, scilicet phantasticus, & impermixtus phantasiæ. Quod ergo dicit Philosophus. Qui dicit animam intelligere, &c. intelligit de actu intellectus phantastici: qui non exit à potentia, nisi in adminiculo sensus & phantasiæ. Quia igitur sensui phantasiæ deseruiunt organa corporalia; conuenienter attribuit actum huiusmodi ipsi composito ex anima & corpore. Aliter autẽ est de actu intellectus impermixti phantasiæ.

¶ Ad illvd, quod primo obijcitur contra hoc. Dicendum, quod illud, quod est essentiale substantiæ spirituali, bene potest participari, siue communicari corporali: anima enim essentialiter viuit, corpus animatum per participationem seu communicationem: anima enim perficiens corpus, communicat illi vitam. Huiusmodi autem cõmunicatio attestatur nobilitati creaturarum & bonitati: nobiliores enim creaturæ, ea, quæ essentialiter earum sunt, communicant alijs per influentiam quandam, vel per multiplicationem: sicut corpora superiora inferioribus, & substantiæ spirituales corporalibus. Sed illud, quod est essentiale, & præcipuum substantiæ spirituali, non est essentiale & præcipuum corporali: bene tamen est illi aliquo modo communicabile. Vel potest dici secundum Dionysium [Diony. c. 6. li. de Diui. Nominib.] cap. de Vita. quod solus Deus essentialiter viuit, cuius vita est essentia: creaturæ autem per participationem; quia earum vita non est earum essentia. Sed quædam participant vitam à prima vita, vt substantiæ spirituales. [Idem ibid.] (Vnde Dionysius cap. de vita. *Laudanda est laudabilis vita æterna, ex qua per seipsam vita, est omnis vita; & à qua omnis vtcunque vitam participantia, viuere proprie vnicuique exseminatur*.) [Idem ibid.] Sed corporales creaturæ participant vitam ab animabus. Vnde Dionysius cap. de vita. *Siue intellectualem dixeris, siue rationalem, siue nutritiuam & actiuam, siue qualemcunque vitam, aut vitæ principium, aut vitæ essentiam: ex ipsa viuit, & viuunt, quæ est super omnem vitam*. Super illud [*vitæ principium*] Commentator. [Commentator.] *Vitæ principium, ait, vtputa nostram animam, sensibilemque*. Ipsæ quippe principium sunt vitæ his, quæ per ea in vitam incipiunt moueri corporibus. Et hoc ad idem redit, quod supra tactum est: quia substantiæ spirituales, licet non essentialiter viuant eo modo, quo Deus: essentialiter tamen viuunt: quia vita est illis essentialis. Non sic est de corporibus, quibus vita communicatur per influentiam à substantijs spiritualibus, id est, animabus.

¶ Ad illvd, quod sequitur. Dicendum, quod anima seipsa est actus, vel perfectio corporis organici, &c. non sui parte. Vnde seipsa communicat vitam corpori, cuius est actus: sed secundum Philosophum [Philos.] oportet accipere quod est in parte, in toto viuente corpore: simile namque habet, sicut pars ad partem: sic totus sensus ad totum corpus. Vnde est aliquis actus ab anima ipsa in corpore indistincto, sicut viuere: non enim viuit alia * parte vitæ oculus, quam auris: sicut alia specie sensus sentit. [*Alias, specie.] Actus ergo, qui est ab ipsa secundum se totam, cuiusmodi est viuere; communicatur corpori, & toti corpori: sicut anima illius totius est perfectio. Similiter actus, qui est à parte, seu potentia animæ, quæ est perfectio partis, communicatur parti, sicut audire, videre, & huiusmodi. Sed actus intelligendi, & qui ad actum intellectus sequuntur, non possunt corpori cõmunicari: quia pars animæ intellectiua neque corporis, neque partis corporis est actus: vt vult Philosophus. Licet ergo actus viuendi sit præcipuus actus: & maxime essentialis substantiæ spirituali, id est, animæ: tamen quia est actus animæ secundum se, quæ est perfectio corporis, corpori communicatur. Actus autem intelligendi, & qui ad

ipsum

ipsum sequuntur, quia non est actus animæ ratione alicuius partis, seu potétiæ animæ, quæ est actus corporis, vel partis illius, corpori non communicatur.

¶ Ad illvd, quod sequitur, scilicet quod corpora, quæ continuis subiacent mutationibus, non viuunt: quia nonnulla mors est ipsa mutatio. Dicendum, quod ibi sumitur mors pro declinatione, siue tendentia ad non esse: Vnde dicit; nonnulla mors, id est, aliquod genus, siue modus mortis. Vnde intellectus verbi Augustini est: quod illa, quæ subiacent mutationibus; si sibi essent derelicta, deficerent, & in nihilum declinarent. Vnde mors secundum intellectum verbi supradicti, non dicit priuationem vitæ; secundum quod hic intenditur de vita: sed potius sumitur per oppositionem ad immortalitatem. De qua. *Qui solus habet immortalitatem.* De qua August. Lib. 1. de Trinit. Cum anima modo quodam immortalis esse dicatur & sit: non autem diceret, solus habet immortalitatem, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est: quam nulla potest habere creatura. Vel mutatio dicitur nonnulla mors, quia mutatio facit aliquid non esse in re mutabili, quod ante erat. De hoc Libro 1. Senteut. distinct. 8. capit. 4. Etenim ait.

1 Timot 6. Aug. li. 1 de Trinit c. 1.

¶ Ad vltimum quæsitum patet responsio ex prædictis: scilicet vbi tactum est de differentia vitæ corporalis creaturarum, & spiritualium.

ARTICVLVS IV.

An in corporibus supercœlestibus vita sit?

Sequitvr inquirere. Vtrum vita sit in corporibus supercœlestibus.

Text. Cō ment. 68.

¶ Quod sic, videtur. In Secundo de Cœlo & mundo dicitur. Sciendum est, quod primus orbis principium est potentiæ, & causa in vita cuiuslibet viui, plusquam alij orbes. Et dicit ibi Commentat. isti orbes non sunt causæ vitæ eorum, quæ sunt hic, nisi per stellas: cum sit visum, quod nobiliora, quæ sunt illic, sunt stellæ; principia, quæ sunt in istis orbibus, sunt viua, & sunt principia vitæ, quæ est hic. Ex his videtur, quod stellæ sint viuæ: si enim orbes sunt causa & principia vitæ per stellas: ergo stellæ sunt causa & principium vitæ, quæ est hic: & principia, quæ sunt in istis orbibus, scilicet stellæ sunt viuæ: vt ipse dicit: ergo, &c.

¶ Item, nulla causa efficiens principaliter & per se, est minus nobilis causato: corpus cœleste est causa efficiens per se & principaliter tam vegetatiuæ, quam sensitiuæ. (vt vult Aristoteles in multis locis) ergo corpus cœleste non est minus nobile vegetatiua & sensitiua. Sed omne non habens vitam, est minus nobile vita: ergo corpus cœleste non est non habens vitam: immo de necessitate habet eam.

Aristot.

¶ Item, omne generans habet speciem rei generandæ apud se: & efficiens vel producens rei producendæ: sicut dicit Aristot. & etiam Auicenna super 11. primæ philosophiæ. Species autem rei viuentis non potest esse, nisi apud viuentem: cum species rei non sit minus spiritalis ipsa re, sed magis, vel æque: cum ergo corpora supercœlestia sint producentia in esse res viuentes: ergo &c.

Aristot. Et Auicen.

¶ Item, Nihil dat quod non habet: sed omne dans, vel agens habet illud, quod dat, siue agit; vel vniuoce cum recipiente; vel aliquo modo excellentiore: sed nullus est modus excellentior habendi vitam, quam viuendo: igitur si aliquid dat vitam, vel eam agit in aliquo; necesse est quod viuat.

¶ Item, August. 10. Confessionum. *Nullum corpus*, scilicet tantum corpus, *corpori vitam præstat.* Sed generans siue producens animalia ex putrefactione siue materia putrefacta, non est nisi cœlum cum stellis & virtutibus, quæ agunt in ipsa materia putrefacta: ergo cœlum cum stellis & virtutibus cœlestibus est res viuens.

August. 10. Confess.

¶ Item, corpus natum est ad formam, & corpus nobilius ad nobiliorem: sed corpus cœli est nobilius, quam corpus plantæ, vel bruti: ergo corpus cœli natum est ad nobiliorem formam: sed tam corpus plantæ, quam corpus bruti natum est ad formam, quæ est vita: ergo corpus cœli natum est ad formam nobiliorem: sed talis non potest esse, nisi aliqua vita: ergo corpus cœli natum est ad aliquam vitam: cum ergo natura non agat frustra, neque deficiat à necessarijs: relinquitur, quod viuunt, & habent vitam.

¶ Item, 12. primæ philosophiæ dicitur: quod *principium mouens cœlum, mouet, sicut mouet desideratum & intellectum.* Ex quo potest argui cum Commentatore, quod cœlum est animatum: quia si mouet cœlum, sicut mouet desideratum & intellectum, tunc illud mobile, quod mouetur ab illo, scilicet cœlum est desiderans & intelligens: ergo est animatum.

Philos. & 12. Metaph 36.

¶ Contra. Non est nisi triplex vita creata, scilicet vegetatiua, qua viuunt plantæ: sensitiua, qua viuunt animalia: intellectiua, qua viuunt angeli & homines. Si ergo cœlestia corpora neque sunt plantæ, neque animalia, neque angeli vel homines: relinquitur, quod nulla istarum vitarum viuunt: & ita non viuunt.

¶ Item, incidenter hic potest quæri, Quare non est nisi triplex hæc vita?

RESOLVTIO.

Absit vt cœlos formaliter animatos credamus nos fideles: sed solum effectiue: quia principia vitæ viuorum, viuaque ipsa in in vita conseruantia.

¶ Responsio. quod corpora cœlestia non sunt viua. Hæc autem quæstio non sine ratione disputatur à Theologis: quia positio, qua quidam ponebant cœlos habere vitam; hæresim inducebat. Ex hoc enim ponebant corpora huiusmodi esse Deos, vt alibi scriptum est. Propter hoc sacri doctores determinant, corpora cœlestia non esse animata, neque vitam habere. Vnde Damascenus. *Nullus animatos cœlos, vel luminaria existimet: inanimati enim sunt, & insensibiles.* Dicendum ergo, quod non habent vitam, sicut formam, siue actum: sed tantum effectiue: sicut tantum effectiue habent frigus & calorem, nec sunt frigida vel calida, formaliter loquendo. Et illud videtur velle Philosophus, dicens: quod primus orbis est principium potentiæ & causa in vita.

Superius q 18. Memb. 4

Damas.

¶ Qvod autem dicit Commenta. quod principia, quæ sunt in orbibus, sunt viua: potest intelligi de intelligentijs, quæ viuunt; quas ponebant esse motores orbium. Vel potest dici, quod dicuntur viua effectiue.

¶ Si obijciatur, quod dicit; quod principia sunt viua, & cum hoc quod sunt principia vitæ. Dicendum. quod intellectus Commentatoris est, quod orbis primus non solummodo est principium vitæ, sed est causa conseruationis viuentium in vita. Et hoc videtur velle verbum Philosophi, quod est: quod orbis primus est principium potentiæ: vt per hoc intelligatur, quod est principium vitæ; & quod est causa in vita cuiuslibet viui: per hoc intelligens quod sit causa conseruatiua viuentium in vita. Dicit ergo Comment. quod principia sunt viua effectiue, id est, conseruantia viuentes in vita.

¶ Ad alivd, quod sequitur, scilicet quod nulla causa efficiens est minus nobilis, &c. Respondendum est per distinctionem inter nobile & nobile: forma enim corporis cœlestis licet vita non sit, tamen nobilior est quo ad quædam omni vita in istis inferioribus. Forma enim corporis cœlestis omnino separata est à contrarietate: & ideo incorruptibilis est per se, & per accidens, physice dico: & quantum ad hoc forma corporis cœlestis, est nobilior tam vita sensitiua quam vegetatiua. Licet enim neutra composita sit ex contrarijs; vtraque tamen sequitur mixtionem contrariorum; & ideo vtraque corruptibilis.

¶ Item, forma corporis cœlestis est omnino inalterabilis & impassibilis: & quantum ad hoc nobilior est vita intellectiua in hominibus. Huiusmodi enim vita est alterabilis & passibilis, quodammodo, sequendo complexionem corporis. Præterea; quantum ad virtutem, quam influunt in inferiora, qua producuntur in esse & conseruantur: & quantum ad nobilitatem formæ earum, qua omnino terminatur appetitus materiæ: quæ non inuenitur in illis, quæ vita perficiuntur, nobilioris sunt conditionis. Vel potest dici, quod verbum propositum, sc. nulla

causa

[illegible] & perfect[illegible] nobili[illegible] &c. [illegible] proprio & immediato in producendo [illegible], vt quando animal producitur ex animali, vel planta.

¶ Ad illud, quod sequitur, scilicet quod omne generans vel producens habet speciem rei generandæ vel producendæ. Dicendũ, quod licet (vt vult Philos. & Commenta. 7. primæ philosophiæ *forma quod [illegible] fit ex [illegible], tam in naturalibus quam in artificialibus*) In naturalibus, vt quando animal facit animal: in artificialibus, vt quãdo mediante forma in mẽte artificis efficitur forma consimilis in re artificiali. Sed determinatur ibidem à Commenta. quibus concurrentibus hoc intelligi debet: vt forma, scilicet rei vel similitudo sit in agente, non in instrumento: & in agente propinquo, non remoto: & in agente essentialiter, non accidentaliter. Species enim rei producendæ in esse per instrumẽtum aliquod, nõ est in ipso instrumento: vt species imaginis non est in scalpro vel dolabro: nec species hominis producendi in esse est in sole: neque in agente accidentaliter, vt in agente non secundum intentionem, nec propter finem. Sed quando est agens proprie, non vt instrumentum: & agens propinquum, vt homo agit in generando hominem: & essentialiter, non casu; vt est in eis, quæ fiunt ex causis agentibus propter aliquid; tunc fit quod fit ex conuenienti: & generans vel producens habet speciem rei generandæ vel producendæ.

Philos. 7. Com. 22.

Vide 12. Metaphys. Commẽ 13

¶ Ad aliud, quod sequitur: quod omne dans vel agẽs aliquid, habet illud modo vniuoco, vel excellentiore &c. Dicendum, quod dans vel agens aliquid actione vniuoca, habet illud modo vniuoco: agens autem siue dans speciem alicui ex proposito, habet illud quod dat, scilicet speciem illius modo excellentiore. Agens enim aliquid ex proposito, quia agit comprehendẽdo, habet speciem eiusdem in intellectu: species autem rei modo excellentiore est in intellectu, quam in re ipsa: quia est in maiori puritate & immaterialitate. Et hoc maxime verum est in primo agente, in quo excellentiori modo sunt species rerum, quam in ipsis rebus. Etenim dicitur 11. primæ philosophiæ: *causa non tantum sunt [illegible], quæ [illegible], sed ea quæ sunt extrinseca, sunt causa.* Super quod dicit Commentator, quod primum mouens mouet ad omnes formas: & quod forma primi mouentis aliquo modo est omnes formæ. Vt autem ibidem exponitur: est principium extrinsecum duplex, primum & secundum. Primum est commune omnibus mouentibus: & hoc est principium, de quo dicit: quod forma primi mouentis est aliquo modo omnes formæ. Secundum autem principium, quod est commune & remotum; non de necessitate est conueniens, id est, conforme: hoc autem principium est illud, quo est actio cœli; quod est agens ex natura, non ex proposito. Vnde tale agens vel dans aliquid, non habet illud, quod dat.

Philos. 12. Metaphys.

¶ Ad illud, quod sequitur, scilicet quod dicit Augustinus, quod nullum corpus corpori vitam præstat, &c. Dicendum, quod hoc verum est de principio intrinseco, quod per sui vnionem viuificat, tale enim non potest esse nisi forma spiritualis. Et huius ratio est: quia (vt supra tactum est) vita est vigor, qui non potest procedere nisi à substantia simplici carente extensione propter suam actualitatem & nobilitatem. Si autem intelligatur de principio extrinseco, sic non est verum: nisi intelligatur, quod non dat vitam per virtutem omnino corporalem. Potest tamen corpus cœleste habere virtutem aliquam viuificatiuam, per quam dat vitam aliquo modo: quæ quidem non est omnino corporalis, licet habeat esse in corpore: & ideo ex hoc non sequitur, quod huiusmodi corpus viuat. Potest etiam & aliter dici ad hæc & præobiecta: quod illud est verum de eo, quod dat vitam, sicut principium effectiuum, cui principaliter attribuitur forma rei generandæ. Et ideo [illegible] quando agens exterius se habet in ratione [illegible], quod latitat interius: sicut patet quod calor [illegible] quod experientia docet de ouo fit pullus [illegible] de ouis positis in fimo producuntur [illegible] incubatione gallinæ; nec tamen habet [illegible] virtutem: sed per corporale exterius [illegible] interius. Nec huiusmodi productio attribui debere [illegible] gis illi, qui [illegible] quæ illa explicat tempore oportuno. [illegible] *operatur. [illegible] formas [illegible] modi [illegible] aspicimus decora [illegible].* Et hic intelligentis in proposito: sicut enim ex causis [illegible], quibus mundus grauidus est, secundum August. *tempore oportuno animalia quædam producuntur in esse operatione consimilis in specie, virtute cœlesti cooperante: vt in generatione vniuoca.* Simili modo ex eisdem causis producuntur quædam animalia in esse mediante virtute cœlesti, excitanti virtutem intra latentem sine operatione consimilis: cuiusmodi sunt illa, quæ exeunt in esse corporum corruptione. Et sicut prima productio fuit virtus ad producendum est indita creaturis modo isto à prouidentia conditoris: sic & secunda modo secundo. August. ad Orosium. Multa vtique videmus animalia, ex corruptione corporum maxime mortuorum nasci: nunquid tunc creata sunt, quando ipsa corpora tabuit? vt tunc dicantur creata, quando ipsa corpora, si corporibus indita sunt, & quodammodo initiata, quæ sunt suo tempore exoritura. Sicut enim semen cuiuslibet arboris habet quandam vim, vt cum obrutum fuerit in terra, oriatur, & virgultum producatur: deinde ramis nihilominus constipata dilatetur; frondibus de eisdem floribus decorata, fructificet: ita & in corpore (vt ita dicam) est quoddam seminarium: vnde suo tempore (curante prouidentia Dei) aliqua genera oriantur. Sed de hoc supra.

Aug. 11 de ciui. Dei. * Alias qui est in hoc explicat. Id m.

¶ Ad aliud, quod sequitur, scilicet quod corpus cæleste est nobilius, &c. Dicendum, quod licet sit nobilius quantum ad proprietates luminositatis & incorruptibilitatis: nõ tamen quantũ ad dignitatem suscipiendi vitam: pro eo quod forma viuificatiua est multarum operationũ principium: ideo corpus aptum ad talem formam, non potest esse nisi corpus heterogeneum: & quantum ad naturam complexionis, quæ ex multis causis, & quantum ad esse organizationis: quam quidem nullum corpus cœleste habet: & ideo non habet tantam idoneitatem respectu vitæ. Ac per hoc ratio illa non est à minori: quamuis enim sint nobiliora quantum ad aliquas conditiones; nõ tamen quantum ad omnes; vt visum est.

Quæst. 54. Memb. 2. quæst. 80. Memb. 2.

¶ Ad vltimvm, dicendum: quod Philosophus loquitur de vltimo mouente, qui nullo modo mouetur per se, neque per accidens: qui dicitur mouere vt desideratum & intellectũ; non quia sit desideratum, & intellectum ab ipso primo orbe, vel alijs; sed à motore primi orbis: & hoc * quia posuit intelligentias motores orbium. Dicitur enim mouere vt desideratum, & quantum ad effectus, qui fiunt in inferioribus per motum orbis primi & aliorum: & quãtum ad effectum assimilationis ipsorum orbium ipsi primo. Motores enim orbium desiderant & intelligunt ab ipso primo mouente, aliquos effectus fieri in istis inferioribus mediante motu corporum supracælestium, & etiam in ipsis corporibus cœlestibus, quorum ipsi sunt motores coniuncti effectus in orbibus ipsis, est assimilatio ipsi primo. Vel potest aliter dici; quod dicit Philosophus, quod primum mouet sicut mouet desideratum & intellectum, non quia ipsa mobilia seu mota, scilicet corpora cœlestia desiderant & intelligunt ipsum: sed quia ipsum primum mouens mouet, sicut illud mouet, quod desideratur & intelligitur, id est, sicut finis mouet desiderantes ipsum, & intelligentes: hoc est mouet, nullo modo motus. Vnde Cõmenta. *Cum primum mouens mouet, & non mouetur, neque secundum accidens, neque secundum seipsum, sicut mouetur anima, quæ est in corpore, necesse est vt iste motor moueat, quemadmodum desideratum & affectum mouet nos.* Nota quod dicit [*mouet nos*] Si autem videatur alicui Commentatorem sensisse (vt videtur ex verbis eius) corpora cœlestia habere vitam. Non est in hoc ei s[illegible] cum ille & alij commentatores in multis male senserunt, & in opinionibus suis errauerunt.

*Alias, propter ponẽtes.

Comment.

¶ Ad illud, quod quærebatur in alia parte, scilicet quare vita huiusmodi [illegible] est. Potest dici, quod vita in his inferioribus actus animæ est: [illegible] vero non põt esse nisi ad vegetandum, vel co[illegible] ad vegetandum est vegetatiua:

ad cognoscendum vero potest esse vel respectu sensibilis, & sic est sensitiua: vel respectu intelligibilis, & sic est intellectiua. Item sicut dimensio in corporibus non stat citra ternarium, nec excedit ipsum; propter huius numeri completionem, vt habetur in principio cœli & mundi: sic vita siue anima, quæ est completio siue perfectio corporum, in numero eodem completur.

ARTICVLVS V.

An in animalibus sanguine carentibus vita sit.

SEQVITVR inquirere: Vtrum carentia sanguine viuant. ¶ Quod sic, videtur, cũ certa experientia sciamus, quod multa sunt genera piscium, quæ carent sanguine, quæ nihilominus viuunt. ¶ Contra, super illud: *Carnem cum sanguine non comedetis.* Interlin. quia sedes animæ in sanguine est. Et: *Ceruum comedes, absque esu,* duntaxat sanguinis. Interlinear. sanguis pro anima ponitur: quia sedes animæ, i. humanæ vitæ in sanguine est. Ex his videtur, quod carentia sanguine non habeant animã, neq; vitam: cum hæc habeant esse in sanguine. ¶ Præterea, cum anima sit substantia spiritualis non habens situm, neq; determinans sibi partẽ, in qua sit per positionem: quare dicitur habere sedem in sanguine? ¶ Præterea, si sedes animæ, id est, humanæ vitæ est in sanguine; cum in omnibus membris sit sanguis, in omnibus membris est vitæ sedes: cuius contrarium videtur ex lib. de Mo. cor. vbi dicitur: quod proprium domicilium vitæ est cor. ¶ ITEM, quandoque dicitur sanguis esse sedes animæ, siue vitæ: quandoque cor: sicut habetur à Cassiodor. & ex lib. de Motu cor. quandoque caput: sicut habetur à Cassiodor. quandoque cerebrum, sicut habetur à medicis: quæ est ratio huiusmodi differentis assignationis?

Gen. 9.

Deut. 12.

Auctor libri de motu cordis.

RESOLVTIO.

Adhuc & ijs vitam inesse, experientia docet; nec ratio abducit.

¶ RESPONSIO, quod carentia sanguine viuunt & habent vitam, & animas. Cum autem dicitur, quod sedes animæ est in sanguine: ibi dicitur anima, vita carnalis: quæ finitur morte. Vnde Leuit. 17. *Anima carnis est in sanguine.* Ibi Aug. *Aliquid vitale est in sanguine: quia per ipsum maxime in hac carne viuitur: qui per omnes venas corporis diffunditur, ipsam vitam corporis vocauit animam, non vitam, qua migrat, sed qua morte finitur, qua locutione dicimus, istam vitam temporalem esse, non æternam; mortalem, non immortalem; cum sit immortalis anima, quæ portatur ab angelis in sinu Abrahæ.* Luc. 16. Et hoc est, quod dixit Apost. Act. 20. *Non facio animam meam preciosiorem, quã me:* ibi vocat animam vitam temporalem. Vita ergo temporalis hominis, & vita pecudum dicitur esse in sanguine; quia inter quatuor humores sanguis est temperatissimus, & maxime amicus naturæ: & omnia membra tam solida, quam mollia ortum habent à sanguine, tanquam à nutrimento: omnium n. membrorum sanguis est nutrimẽtum. ¶ Cum ergo obijcitur, quod cum anima & vita habeant esse in sanguine, &c. Dicendum, quod verbum prædictum intelligi debet in habentibus sanguinem.

Leuit. 17.
Aug. ibi.

Act. 20.

¶ AD illud, quod consequenter quæsitum est, sc. quare anima, cum sit substantia spiritualis, &c. Similiter & vita. Dicendum, quod anima nõ sumitur pro substantia spirituali, cum dicitur quod sedes animæ est in sanguine, quæ est perfectio corporis organici, & quæ sua præsentia corpus viuificat: vt dicit Augustin. in Lib. de Anima & spiritu: sed sumitur pro vita corporali: cuius sedes dicitur esse in sanguine, quia sanguis est amicus naturæ: vnde maxime est conseruatiuus eiusdem; & ita vitæ per consequens. Et dicitur in Lib. de Mo. cor. quod calor, & humor sunt conseruatiua vitæ, quæ sunt propriæ qualitates sanguinis, & quia sanguis maxime est nutrimentum membrorum; quorum esse & ordo est propinqua dispositio ad informationem animæ, ex cuius colligantia cum corpore est vita corporalis.

Aucto: de motu cordis.

¶ AD illud, quod sequitur. Dicendum, quod cor dicitur domicilium vitæ ratione præsidentiæ vis vitalis: quod non impedit, quin vita sit in alijs membris corporis: Vt enim dicit Augu[illegible] *vita[illegible] corde, quæ ad con[illegible] dum feruorem cordis, a ren[illegible] ando, atque reddendo, vitam & salutem toto corpori tribuit. Aere namque puro sanguinem perfusatum per totum corpus repellit per venas pulsatiles; quæ arteria vocatur: ex quarum motu temperantiam atque distemperantiam cordis Physici cognoscunt.* Et Cassio[illegible] *Quidam sedem animæ, quamuis sit toto corpore diffusa, in corde esse voluerunt, dicentes: quod ibi est purissimus sanguis, & vitalis spiritus continetur.*

Aug. in li. de anima & spiritu.

Cassiod. li. lib. de anima.

¶ AD vltimum quæsitum iam patet responsio, sc. quare sanguis dicitur sedes vitæ: similiter quare cor dicitur domicilium vitæ. ¶ Quare autem animæ sedes dicitur caput: ratio est sublimitas membri & figura: quod bene cõpetit sublimitati figuræ rationalis creaturæ. Vnde Cassiodor. Plurimi in capite insidere manifestant, sc. animam (si fas est cum reuerentia tamen dicere) ad similitudinem aliquam diuinitatis: quæ licet omnia ineffabili substãtia sua repleat; scriptura tamen cœlis insidere cõfirmat. Dignum est enim vt arcem peteret, quæ se nouetat cœlesti operatione sublimem: & tali loco præ cæteris versari; vnde reliqua membra debuissent competenti regimine gubernari. Nam & ipsa figura capitis sphæra pulcherrima est, in qua sibi immortalis atq; rationalis anima dignam faceret mansionem. Item, medici ponunt cerebrum esse templum, siue sedem animæ, & hoc maxime quantum ad illam partem animæ, quæ est cognitiua. Sicut n. in templo sunt tres partes principales, vestibulum, consistorium, & apoteca. Ita phantastica cellula, logistica, & memorialis, partes sunt cerebri principales. Anima ergo in phantastica cellula quasi in vestibulo diuersas per imaginationem suscipit formas: in logistica cellula quasi in consistorio de imaginatis ratione discernit: in memoriali cellula quasi in apoteca anima ea, quæ imaginatio recipit, ratio discernit, per memoriam conseruat.

ARTICVLVS VI.

An & in Embrione vita sit?

SEQVITVR inquirere: Vtrum vita sit in embrione ante organizationem? Quod sic, videtur per Philos. vbi dicitur: *Omne conceptum viuit, sicut viuunt arbores:* & vocat [*conceptum*] semen relictum in matrice à generante. ¶ Item, in eodem: *Non potest aliquis dicere, quod conceptum non habet animam omnino, & quod est priuatum vita.* ¶ Item, in Lib. de Mo. cor. *ordinantur actus animæ:* dicitur enim sic. Viuit & vegetatur animal, sentit & mouetur, discernit & intelligit: & quæ ex eis oriuntur, non facile numerabilia efficere habet. Et harum potentiarum hæc prima distantia est: quod vitam quasi præuiant cæteræ sequuntur; sine qua nullam cæterarum inesse possibile est: actus enim consequentes necessario præsupponunt priorem. Ergo cum in embrione vigeant actus consequentes ad vitam, sicut actus vegetandi, & augmentandi, & huiusmodi: relinquitur quod in illo est actus prior, qui est vitæ, siue vita. ¶ Item, cum sine virtute animæ vegetabilis & sensibilis non possit corpus hominis organizari, & præparari conuenienter ad susceptionem animæ rationalis, necesse est prius esse animã vegetabilem & sensibilem in semine, quam corpori organizato infundatur anima rationalis. Et hoc videtur Philos. velle. dicit enim: *Necessario erit in concepto prius anima cibatiua; & cum creuerit, erit in eo anima sensibilis per quam dicitur animal: & non est animal simul & homo.* Ex hoc videtur, quod embrio, vel semen sit animatum in matrice: & si hoc, viuit: dicitur enim in Lib. de Mo. cor. *Animatum & viuens ad seinuicem paria sunt.* ¶ Item, in Lib. de Mo. cor. *Vitam actu omnibus æqualiter inesse, necesse est: æquè n. est viuens embrio & adolescens.* Ex his patet propositum.

Philos. 16. animaliũ. Idem in eodem.

Auctor de motu cordis.

Philos. 16 de animal.

Auctor in lib. de motu cordis.

¶ CONTRA, sicut tactum est; dicitur in Lib. de Mo. cor. animatum & viuens ad seinuicem paria sunt: si ergo embrio viuit, est corpus animatum: ergo vel planta; vel animal: quorum vtrumque est falsum. ¶ Item, ex hoc sequeretur, quod plures animæ secundum substantiã essent in homine: contrarium dicit August. sic: *Neque duas animas esse dicimus in vno homine (sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt) vnam animalem, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini: & alteram spiritualem, quæ rationem ministret. Sed dicimus animam esse vnã eandemq; in homine: quæ & corpus societate sua viuificet, &*

In eodem.

Aug. in lib. de ecclesiæ dogmatib. cap. 15.

semetipsam sua ratione disponat: habens in se libertatem arbitrij, & in sua substantia eligat cogitatione, quod vult. Idem dicit in Lib. de Spiritu & anima.

Idem.

RESOLVTIO.

Et in Embrione etiam vitam inesse asserimus: verum extenso nomine vitæ. Quia non ex præsentia animæ informantis: sed ex influentia, quam à corpore continente recipit, viuit.

¶ RESPONSIO. Circa hanc materiam diuersi diuersa sentiunt. Quidam n. dicunt, quod embrio viuit ante organizationem, & habet animam vegetatiuam, & sensitiuam ante infusionem animæ rationalis: innitentes verbo Philosophi supradicto: & isti ponunt hominem habere tres animas, vel saltem tres substantias animæ. Notandum ergo, quod quidã dixerunt tres substantias incorporeas esse in homine, sicut tres vitas, sc. vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Dicunt etiam, quod homo habet substantiã incorporeã, qua viuit, crescit, & nutritur: & hoc ex traduce generatione, in qua conuenit cum plantis: habet substantiam incorpoream, qua sentit, ex cœlo & stellis, secundum quam conuenit cum brutis: habet & substantiam, qua viuit & intelligit, immediate à Deo per creationem: vnde ponunt tres animas in homine.

¶ Alij dicunt, quod quamuis sint tres substantiæ; non tamen tres animę in homine: quia anima nomen est perfectionis: ideo substantia vegetabilis non est anima, nisi in plantis, quarum est perfectio: sensibilis vero nisi in brutis: in homine autem sunt quasi materiales ad rationalem, & rationalis est cõpletio, & ideo ipsa sola est anima in homine, alijs existentibus vt dispositionibus materialibus ad ipsam. De vnione autem illarum adducunt exemplum in radijs ignis, & solis, qui quandoque vniuntur in aere, in quo non est nisi quasi vnus; & hoc propter eorum simplicitatem. Et sicut contingit quod radius ignis cum igne corruptibilis est, radius solis cum sole incorruptibilis: sic duæ corrũpuntur * cum corpore, sc. vegetabilis, & sensibilis: tertia remanet & separatur à corpore vt radius ab aere. Et dicunt, quod prius tempore est in semine ipsa vegetatiua, qua nutritur & crescit: deinde cum creuerit, subsequitur per influentiam corporis cœlestis sensitiua: vltimo vero infunditur per creationem rationalis vt perfectio vltima. Nec sequitur; ante infusionem animæ rationalis, qua est homo, est sensibile & animatum: ergo leo, vel capra &c. quia est animal imperfectum: imperfectum (dico) non sicut dicitur animal imperfectum, quod non habet omnem sensum, sed imperfectum, quod est materiale ad vltimum completiuum. Non sunt etiam differentes specie, quamuis differentes substantiales perfectiones, quia vna est materia vel dispositio ad aliam, & ideo est simplex vna perfectio * vltima, sc. rationalis. Sed hæc positio est simpliciter contra August. dicentem, plures animas non esse in vno homine: non enim intendit per hoc non esse plures perfectiones vltimas in homine, sed intendit instruere vnam animam rationalem esse in homine: cuius potentiæ, siue ex cuius essentia sunt vegetatiua & sensitiua. Quod patet per hoc, quod dicit in Lib. de Anima & spiritu. *Anima dum carne exuta est, viuit, videt, & audit; & omnes sensus atque ingenia viuaciter tenet.* Non n. poneret animam exutam sentire, nisi ex sua essentia haberet potentiam sentiendi, & illa virtute, qua anima sentit, sensificat corpus, quod perficit.

* Alias, in.

* Alias, sc. vltima rationalis.

Aug. in li. de anima & spiritu.

¶ Alij ponunt (supposito quod rationalis habeat suam vegetatiuam, & sensitiuam) necessario duas vegetatiuas & duas sensitiuas in eodem esse, & priores cessare ab operatione, fortiore virtute superueniente. Hoc non videtur probabile, quia cum natura nihil agat frustra, vt vult Philosophus: multo fortius nec autor naturæ, sed si duæ essent vegetatiuæ, & duæ sensitiuæ in homine; altera esset frustra. Præterea, ex hoc sequitur, quod in homine sunt plures animæ distinctæ secundum substantiam: cum potentia animæ non sit sine substantia. quod est contra August.

1. Cœ. 32.

¶ Quidam aũt ponunt priores corrumpi, rationali aduenienre, & tanquam ad tempus commissas, completa organizatione, deficere. Hoc aũt nõ videtur probabile, cum organizatione completa, fortius vigeant vegetatiua, & sensitiua, eo quod sunt fini suo magis coniunctæ. Præterea, vnde esset illis ratio deficiendi; cum huiusmodi animæ non habent defici nisi ex aliqua dissolutione, siue corruptione facta circa subiecta earum. ¶ Propter hoc videtur aliter dicendum, & põt quidem dici sine præiudicio, quod (propriè loquendo) embrio non viuit eo modo, quo illud dicitur viuere, quod habet animam formã, & sui perfectionem: huiusmodi n. propriè dicuntur viuere. Impropriè aũt loquẽdo, & extenso nomine vitæ; eo modo loquendi, quo omnia illa dicuntur viuere, quib. cõmunicatur aliqua operatio vitæ; siue hoc fit ex præsentia animæ viuificãtis & informantis illud; siue ex contiguatione vel continentia alicuius viuificati vel viuentis ex præsentia animæ informantis illud: sic potest dici viuere: eo profecto modo quo poma possunt dici viuere, non quia viuificãtur ex præsentia animæ viuificantis siue informantis, sed ex influentia quam recipiunt ex planta, cui contigua sunt. Potest ergo dici quod embrio viuit, extenso nomine vitæ, nec viuit ex præsentia animæ informantis; sed ex influentia, quam recipit à corpore continente.

¶ AD illud ergo, quod primo obijcitur illud Philosophi: quod conceptum viuit, sicut viuunt arbores. Dicendum, quod [*viuere*] sumitur ibi pro vegetari, sub hoc sensu: conceptũ vegetatur, sicut vegetantur arbores: ita tamẽ quod per hoc, quod dicitur [*sicut*] notetur similitudo quãtum ad genus actus: non quantum ad modum, id est, conceptum, & arbores habent similitudinem in hoc, quod vtrumq; vegetatur.

¶ AD illud, quod obijcitur, sc. quod non põt dici, quod conceptum non habet animam omnino. Dicẽdum, quod hoc verũ est: quia habet animam operantem aliquo modo in ipso, i. operationem animæ: non tamen habet animam informantem. Vnde facienda est vis in hoc, quod dicit, omnino: quia nõ potest vere dici separari anima omnino à concepto, sc. quantum ad operationẽ, & quantum ad substantiam. Quod autem subditur [*& quod priuatum est vita*] sic intelligendum est, cum hac determinatione, omnino: quia aliquo modo viuit, vt dictum est.

¶ AD illud, quod obijcitur, ꝙ viuere est primus actus animæ, quem præsupponunt consequentes. Dicendum, quod eo modo quo habent esse; habent ordinem: cum n. datur vita alicui mediante anima informante illud, & cõsequenter vegetatur & sentit mediante eadem: cum autẽ datur vita alicui aliquo modo ex contiguatione & continentia alicuius alius, quod viuificatur ex præsentia animæ informantis illud; & consequenter vegetatur & sentit mediante illo, à quo cõtinetur: & hoc per influentiam, quam recipit ab illo.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod corpus organizatur, & præparatur ad susceptionẽ animæ rationalis mediante virtute animæ vegetatiuæ, &c. Dicendum, quod in decisione seminis à generante derelinquitur virtus in semine, quæ inualescit, & vigoratur à virtute continentis: sicut natura quandoq; confortatur, & roboratur opere artificis. Vnde ipsa virtus relicta in semine sic vigorata & roborata, operatur ad organizationem; & præparat corpus, & reddit congruum ad animæ rationalis susceptionem, instãter cooperante, & influente ipso continente. Vnde non est necesse prius inesse animam vegetabilẽ & sensibilem ipsi embrioni per modum informantis, vt sic præparetur ad animæ rationalis susceptionem: sed solummodo per modũ exterioris, præparantis ipsum corpus, quod debet esse organum, siue perfectibile ipsius animæ perficientis. Quod autem dicit Philosophus, *necessario erit in concepto prius anima cibatiua, & cum creuerit, erit in eo anima sensibilis*, & c. hoc intelligitur quantum ad virtutem operatiuam, non quantũ ad substantiã informatiuã: prius n. fiunt in eo operationes vegetatiuæ, quæ sunt, alimento vti, & augmentari; ꝗ operationes sensitiuæ, & sensitiuæ, ꝗ intellectiuæ. Vnde verbũ Philos. debet intelligi quantum ad esse per virtutem operatiuam; non quantum ad esse per essentiam informatiuam. Philos.

¶ Si obijciatur, ꝙ non est virtus sine substantia. Dicendum, ꝙ hoc verũ est, sed est substantia, in qua radicatur virtus, & est substantia, qua quasi q; defertur virtus: vnde nunquam est virtus sine substantia radicali vel deferente.

¶ Quod

Auctor lib. de motu cordis.

¶ Quod autem dicitur in Lib. de Mo. cor. *quod animatum & viuens ad seminicem patria sunt*. Potest dici, quod hoc intelligi debet de viuente, propriè dicto, id est, de viuente per præsentiam animæ viuificantis.

In eodem.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod dicitur in Lib. de Mo. cor. quod *æquè est viuens embrio & adolescens*. Dicendum, quod embrio dicitur nomine extenso foetus formatus, & organizatus.

ARTICVLVS VII.

An & in humoribus vita sit?

SEQVITVR inquirere: Vtrum humores viuant? Quod sic, videtur, nihil resurget, nisi quod viuit: cum illud, quod resurget, sit de veritate humanæ naturæ: ergo si humores non viuunt, non resurgent: sed resurgent, sicut patet in Christo, in quo resurrexit sanguis: cuius Sacramentum est species vini in Sacramento altaris: sanguis n. qui ibi sumitur, est glorificatus. ¶ ITEM, Christus secundum corpus factus est ex purissimis sanguinibus beatæ Virginis: sed constat quod ipse sumpsit carnem ex substantia, quæ viua fuit in Virgine: ergo sanguis vixit in illa: similiter videtur in alijs. ¶ ITEM, omne illud viuit, in quo est sedes animæ, siue vitæ: sed humor sanguineus est huiusmodi; vt ex dictis patet: ergo viuit: consimili ratione videtur quia & alij humores similiter. ¶ ITEM, cor est domicilium vitæ, vt habetur in Lib. de Mo. cor. Sed (vt recitat Cassiod.) *in corde purissimus sanguis, & vitalis spiritus continetur*: ergo humor huiusmodi, sc. sanguineus maxime approximatur principio vitæ, i. cordi: sed quãto aliquid est principio vitæ proximius, tanto magis vitam participat: ergo videtur, quod huiusmodi humor magis participat vitam, quam extremitates corporis; quæ magis distant à corde. ¶ ITEM, humores nutriuntur, augmentantur, & diminuuntur: nutriuntur n. & augmentantur ex cibis sanis & amicis naturæ: huiusmodi autem actus sunt animæ vegetatiuæ: ergo &c.

Cassiod.

¶ CONTRA, nihil viuit, quod non est colligatũ membro: humores autem non sunt colligati membris (sunt n. in partibus corporis sicut in vase, sc. in venis: vnde sine læsione fit horum diminutio: ergo &c. ¶ ITEM, ipsis humoribus nutriuntur membra: alimentum autẽ, quo membra nutriuntur; antequam conuersum fuerit in membrum, nõ est subiectum vitæ: ergo &c. ¶ ITEM, nihil viuificatur ab anima, nisi quod habet stabilitatem & fixionem in corpore, sed humores non sunt huiusmodi; quia continuè fluunt: ergo &c.

RESOLVTIO.

Nec dum ab humoribus vitam auferimus: sed bene minime propriè illis inesse autumamus.

¶ RESPOND. quod viuere dictum de corpore, triplicitur accipitur, scil. propriè, minus propriè, & minime propriè. Propriè viuere dicitur illud corpus, quod vnitur animæ, ipsum perficienti: sicut corpus organizatum iam actu ab anima perfectum. Minus propriè dicitur viuere, quod licet non sit vnitum animæ perficienti, coniunctum tamen est corpori habenti animam vt perfectionem: & licet non habeat animam, habet tamen aliquam virtutem vitalem, per quam vt per virtutem alienam (sc. alicuius contigui, vel continentis) habet operationes consimiles rei viuæ: sicut est in præcedentibus dictum de Embrione, & sicut est de capillis, & vnguibus. Minime dicitur viuere, quod ex colligatione sui cum corpore viuente, recipit aliquam vegetationem: vnde est in dispositione ad vnionem cum corpore viuificato, & est sicut instrumentum respectu virtutis vitalis: quamuis non sit vnitum animæ, nec habeat virtutem vitalem intra se. Et per hunc modum dicuntur viuere spiritus & humores, qui deseruiunt virtuti vitali; & per illam in corpore quodãmodo vegetantur, & augmentantur, & restaurantur. Vegetantur (dico) communiter loquendo: eo modo quo vegetari dicitur in corpore, quod non putrescit, vel corrumpitur. Sic igitur (impropriè loquendo, vel accepto viuere) concedi potest, quod humores viuunt. Si autem propriè accipitur: sic dicendum, quod non viuunt: sicut rationes ad secũdam partem ostendunt.

Art. immediate præcedenti.

¶ AD primum, quo ostenditur, quod viuunt propriè, quia resurgent. Potest dici, quod nõ solum resurget, quod viuit, primo modo viuendi dicto, sed secundo, sicut capilli, & vngues: & etiam quo tertio, sicut humores, qui resurgent (vt dicunt qui dam) forte ad decentiam repletionis vacuitati. in corpore, siue in venis: vel ad complementum corporis humani. Supponatur autem hoc de resurrectione humorum, de qua erit quæstio in loco suo.

¶ AD illud, quod sequitur; quod cum dicitur: quod Christus factus est secundum corpus ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis: sicut dicit Damasc. & recitat Magister in Senten. non intelligitur de sanguine, qui est vnus de quatuor humorib. sed sanguis sumitur ibi pro carne. Vnde quandoq. dicitur factus de carne, quandoq; de sanguinibus. Ratio autẽ, quare dicitur Christus assumpsisse carnem de sanguinibus Beatæ Virginis, potest esse, quod illa portio carnis, de qua factus est Christus secundum corpus, vim habebat seminis: propter quod conuenienter sanguis nominatur, qui est in propinquiore conformitate ad semẽ, quam caro. Vnde sicut dicit Magister in Sent. Spiritus S. potentiam contulit generandi B. Virgini absq; semine virili, & Damasc. dicit, quod in virgine erat semen diuinum.

Damasc. & Magister.

Idem.

¶ AD illud, quod sequitur. Patet responsio ex supradictis, vbi tactum est: propter quid sanguis dicitur sedes animæ, & quis est intellectus verbi huius.

Memb. 3. huiusce quæst. ar. 5.

¶ AD aliud; quod sequitur: quod sanguis est propinquior principio vitæ, &c. Potest dici, quod huiusmodi propinquitas non est causa vitæ siue viuificationis, sed potius aptitudo suscipiendi vitam, siue viuificationem ab anima, quæ prouenit ex propinquitate, siue conformitate harmoniæ, & neruorum; quæ est rei viuentis ad animam viuificantem.

¶ AD vltimum dicendum, quod humores non nutriũtur, vel augmentantur; sicut illa, quæ viuunt ex influentia animæ perficientis illud, quod continet ipsos humores. Vnde illa eadem proprietate, qua dicuntur viuere, dicuntur nutriri, & augmentari: prout nutriri & augmentari dicuntur opera vegetatiuæ. Hoc dico, quia in aliquo, vegetare, & augmentari, non est opus vegetatiuæ, sicut in igne; qui dicitur nutriri, & augmentari.

QVÆST. LXXXVIII.

De mortalitate primi hominis.

In quatuor Membra diuisa.

QVONIAM à principio intendebatur in parte ista determinari de passibilitate primi hominis per separationẽ animæ à corpore: hoc est, vtrum erat mortalis; mors autem est quasi priuatio vitæ, & cognitio habitus confert ad cognitionem priuationis: aliqua sunt tacta de vita. Propterea nunc sequitur de mortalitate: de qua quatuor quærentur. Primo quæretur absolute de eius mortalitate, & immortalitate: si erat mortalis primus homo, vel immortalis. Secundo, habito quod immortalis, à quo erat illa immortalitas. Tertio, vtrum eadem erat cum immortalitate gloriæ. Quarto, vtrum eadem erat potentia, qua erat mortalis & immortalis.

D. Tho. 1. par. q. 97. ar. 4. S. Bo. in 2. d. 19. art. 3. Sco. ibid. q. 1.

MEMBRVM I.

Adam mortalis, an immortalis fuerit secundum corpus?

QVÆRITVR primo: Vtrum primus homo in statu innocentiæ erat passibilis per separationẽ animæ à corpore: & hoc est: Vtrum erat mortalis quantum ad corpus. Hanc quæstionem determinat Magister dicens sic. *Primus homo secundum naturam corporis terreni immortalis fuit quodammodo secundum aliquid; quia potuit non mori: & mortalis quodãmodo, quia potuit mori*. Sed ostenditur, quod fuit immortalis tunc, id est, nõ potens mori, sicut dicit Apost. *Stipendia peccati mors*: ergo nullo modo infligenda est mors, nisi post peccatum: ergo ante peccatum nulla est passibilitas ad mortem, quia peccatum est medium, sine quo nullo modo potest suscipi ex parte susceptibilis pœna, neq; infligi ex parte infligentis: ergo videtur, quod in statu innocentiæ nul-

Magist. in sent. lib. 2.

Rom. 6.

tiæ, nullo modo fuit corpus susceptibile mortis. ¶ ITEM, Mortem corporis concomitatur passio animæ, sc. pœnalis, sed impossibile fuit, animam passibilem esse passione pœnali in statu innocentiæ: ergo & corpus esse mortale.

¶ ITEM, nulla creatura poterat inferre passioné animæ Adæ in statu innocentiæ: ergo nec corpori eius mortem: ergo corpus eius fuit immortale: passibilitas autem passiua dicitur respectu potestatis actiuæ. Maior patet per Isid. dicentem. *Dum homo in Paradiso innocenter viueret, ignis eum non vreret, aqua non mergeret, nec spinarum aculei vulnerarent: non absintia acru suffocaret: nec omnia, quæ nocent mortalibus, impedirent.*

Isidor. in lib. de Trinit.

¶ ITEM, Potentia obedientiæ in creatura est respectu totius potestatis diuinæ: ergo si Deus non potuit infligere mortem in illo statu; quia minimum inconueniens est impossibile Deo, nec homo secundum corpus fuit possibilis ad hoc*: possibilitas n. amplissima est omnium, quæ sunt ipsius creaturæ.

*Alias, passibilis n. potentiæ.

¶ CONTRA, Aug. *Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret.* Ex hoc verbo videtur, quod dissolubilis erat senecta, quantum fuit de sua natura, sed si erat dissolubilis senecta, erat mortalis.

Aug. 14. de ciuit. Dei. cap. 26.

¶ ITEM, Aug. *Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.* Et ita videtur, quod de natura sua fuit defectibilis & passibilis ad vetustatem: & similiter fuit potens mori.

Idem de baptismo paruulorũ.

¶ ITEM, In primo statu habebat potestatem peccandi; ergo & moriendi. Vnde Hugo. *Primus homo quantum ad naturam corporis terreni, & immortalis factus est secundum aliquid; quia potuit non mori: & mortalis secundũ aliquid, quia potuit mori.* Sicut n. in illo primo statu habuit posse peccare, & posse nõ peccare, quoniam hæc fuit primi arbitrij libertas: ita etiam in eodem statu habuit posse mori, & posse non mori: quoniam ista fuit prima corporis humani immortalitas secundum aliquid.

Hugo.

RESOLVTIO.

Si mortale dicat possibilitatem tantum absque inclinatione aliqua ad actum moriendi, mortalis fuit: aliàs quomodocunque immortalis.

¶ INTELLIGENDVM est, quod præter illam potentiam, quæ est obedientiæ: est potentia, quæ est solum materialis, vt illa, quæ est tñ passiua, nullam habés inclinationem ad actum illius potentiæ. Est & alia, quæ est possibilis; vt illa, quæ habet inclinationé ad actũ. Est & alia, quæ habet dispositionem superadditam inclinationi. Est & alia, quæ est necessitas. Quælibet aũt istarum trium potentiarum vltimo dictarum, est aliquo modo disposita respectu primæ, quæ est materialis solum: sed quædam remotiore dispositione, quædam propinquiore: de hoc supra, vbi quæsitum est de passibilitate primi hominis. Cum ergo quæritur, vtrum erat mortalis, &c. Dicendum, quod secundum quod mortale dicit possibilitatem ad actum moriendi primo modo, id est, solum materialem, & in nulla inclinatione ad actum huiusmodi, sic fuit mortalis. Præterea, secundum quod immortalis dicit priuationem possibilitatis, siue potentiæ tribus vltimis modis dictæ, scil. priuationem necessitatis, & dispositionis propinquioris, & remotioris; sic fuit immortalis, quia neque fuit in necessitate moriendi, neq; in dispositione propinqua, neque in remota. Concedendæ ergo sunt rationes secundæ partis, quibus ostenditur, quod poterat mori.

¶ AD primum, quod inducitur pro alia parte, sc. peccatum est medium, sine quo primus homo non erat susceptibilis pœnæ, neque poterat ab alia infligi, &c. Dicendũ, quod ex hoc non sequitur, quod non poterat mori: quia illud medium, sc. peccatum poterat induci. Vnde ad hoc, quod argumentum esset necessarium, esset addendum [*& in statu illo non erat potens peccare.*] Si enim non fuit susceptibilis pœnæ in statu primo; non interueniente peccato, & nõ poterat peccare: ex his sequeretur, quod poterat mori.

¶ AD aliud, quod sequitur: scil. quod impossibile fuit animam esse passibilem in statu innocentiæ, &c. Dicendum, quod secundum quod hoc, quod dico [passibile] dicit potentiam ad actum patiendi, dispositam aliquo modo: & hæc determinatio in statu innocentiæ referatur ad illud; vera est: si autem referatur ad hoc, quod dico, *impossibile* non est verum.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod nulla creatura poterat inferre passionem Adæ in statu primo, per autoritatem Isidor. &c. Dicendum, quod licet dum staret in statu innocentiæ nihil poterat inferre illi læsionem: non ex hoc sequitur, quod omnino fuit impassibilis: quia habebat potentiam deficiendi ab innocentia, quæ fuit causa, quare nihil pœnale poterat sibi inferri. Vnde sicut non sequitur, non poterat lædi in statu illo, id est, dum erat in statu illo: ergo ille, qui erat in statu illo, non potuit lædi, siue fuit illæsibilis: sic nec sequitur in proposito.

¶ AD vltimum potest dici: quod hæc est duplex. Homo secundum corpus in statu innocentiæ non fuit possilis mori, siue ad moriendum: ex hoc quod hæc determinatio [*in statu innocentiæ*] potest determinare hoc, quod dico [*mori*] & sic est vera: & hoc vltimo modo sequitur ex prima, scilicet hac. Deus non potuit infligere illi mortem in statu innocentiæ. Quæ similiter est duplex: in statu n. illo poterat Deus infligere mortem, sed non poterat infligere mortem in statu illo, &c.

MEMBRVM II.

Adæ immortalitas in statu primo an à natura, vel à gratia fuerit?

SEQVITVR inquirere, à quo erat illa immortalitas. Quæritur ergo: Vtrum illa immortalitas fuit illi à natura, vel à gratia? Quod à gratia, ostenditur Luc. 10. *Homo quidam descendit de Hierusalem in Hierico; & incidit in latrones,* &c. Ibi Gloss. quod fuit spoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus, sed fuit spoliatus immortalitate: ergo fuit de gratuitis. ¶ ITEM, Aug. dicit: quod mortalis erat conditione corporis, immortalis beneficio conditoris. Ergo conditioni naturæ corporis fuit aliquid additum beneficio Dei, quo erat immortale: hoc nihil est nisi gratia.

Lucæ 10.

Aug super Genes. ad literam.

¶ ITEM, cum naturale sit, compositum ex contrarijs vt contrarijs, dissolui: dissolueretur homo, nisi aliquid esset superadditum naturæ, inhibés huiusmodi dissolutionem naturæ quod videtur dicere August. dicens: *Lignum vitæ aderat, ne illum vlla senectus dissolueret:* ergo non videtur, quod à natura infuerit ei immortalitas. ¶ ITEM, Magister Hugo distinguit triplicem statũ, in primo potuit mori & non mori: in secundo potuit mori, & non potuit non mori: in tertio poterit non mori, & non poterit mori. Primus status est innocentiæ, secundus culpæ, tertius gloriæ. Dicit ergo de statu tertio. Ad hunc statum pertinet & moriendi & peccandi impossibilitas: vtraque tamen ex gratia, non ex natura, quia si gratia non adesset, in altero moriendi, in altero peccandi naturæ possibilitas non deesset. Si ergo vltima immortalitas ex gratia erit, vbi moriendi possibilitas non erit: quanto magis prima immortalitas ex natura non fuit; vbi moriendi possibilitas fuit? Ex hoc patet, quod immortalitas fuit à gratia. Idem habetur à Magistro Sent. ¶ ITEM, Homo per naturam poterat mori: ergo non erat immortalis per naturam, cum sit impossibile duo opposita inesse eidem secundum eadem principia.

Idem 14. de ciuit. Dei.

Hugo lib. 1. pa. 6. c. 18

Magister.

¶ CONTRA, à natura habuit corpus in perfecta æqualitate, & optima libratione qualitatum, vt ex dictis patet: illud n. dicitur esse à natura, quod est alicui inditum in sua conditione.

¶ PRÆTEREA, à natura habuit ex parte animæ potentiam nutritiuam; qua appositione nutrimenti conseruatur indiuiduum. Item, alimenta naturalia erant sibi data in vsum, scilicet, fructus lignorum Paradisi. Cum ergo hæc omnia à natura fuerunt, siue naturalia: his autem poterat vita in ipso perpetuari: relinquitur, quod immortalitas fuit illi à natura. ¶ ITEM in statu innocentiæ habuit, vnde posset stare, licet non vnde posset proficere: & hoc à natura, quia nihil erat corruptionis in illo, quod esset motiuum ad malum: sed stando non peccauit, & non peccando non moreretur: quare si sine gratia poterat stare, sine gratia poterat vitam cõtinuaré, vel perpetuare: ergo

ergo immortalitas fuit à natura. ¶ Item, immortalitas est à potentia continuandi vitam: sed constat, quod potentia viuendi est naturalis: cum contrahatur ex coniunctione animæ cum corpore, quæ naturalis est. Sed eadem est potentia continuandi vitam, quæ est viuendi, vt videtur: sicut eadem est gratia, quæ viuificat, & consummat per perseuerantiam: ergo potentia continuandi vitam est naturalis. ¶ Item, eadem potentia est principium vitæ, & principium continuationis vitæ: naturaliter habuit in se principium vitæ: ergo &c. ¶ Item, natura est ad hoc, vt saluetur diuinum esse, quantum potest: diuinum autem esse est similiter se habere: ergo natura est ad hoc, vt illud, in quo est, similiter se habeat: quod autem non potest natura in hoc, vt saluetur esse diuinum in eodem, hoc est propter corruptionem peccati: ergo & natura non corrupta, scilicet bene instituta in hoc potest: ergo est causa immortalitatis. ¶ Item, in primo statu nihil erat in primo homine impellens ad corruptionem: igitur de natura propria erat immortalis. Et cum nihil extra illum lædere poterat. ¶ Item, Eo quod erat innocens, erat immortalis: ergo à quo erat innocentia, erat immortalitas: sed innocentia erat à natura: ergo & immortalitas erat à natura. ¶ Item, August. *Deus est vita animæ: anima est vita corporis.* (Vnde anima sicut medium inter Deum, & corpus; recipiens vitam à Deo, tribuit vitam corpori.) Ergo si anima semper esset coniuncta suæ vitæ, semper esset corpus coniunctum suæ: sed statu durante innocentiæ, semper esset anima coniuncta suæ vitæ: ergo &c. igitur semper dedisset vitam corpori, & ita immortalitatem.

Aug. de ciuit. Dei.

¶ Si diceretur, quod hoc non sequeretur: quia hac ratione homo in gratia non moreretur. Hoc tamen non est simile: quia modo est corpus necessario morti addictum, Præterea. Illa influentia à Deo in Adam non fuit gratuita, sed naturalis. ¶ Item, vt dicit August. Nihil erat corruptionis in corpore, vel ex corpore: nullas molestias vllis eius sensibus ingerebat: nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus ictus metuebatur: Et ita sine gratia fuit remota ab homine omnis causa mortis: quare fuit immortalitas sine gratia. ¶ Item, immortalitas fuit illi ex ligno vitæ. Dicit enim August. *quodam modo creatus est homo immortalis*: quod ei erat ex ligno vitæ, non conditione naturæ: mortalis erat ratione corporis animalis: immortalis beneficio conditoris. Et Hugo dicit, quod primus ille homo nō secundum qualitatem corporis terreni, sed ex beneficio vitalis edulij non mori potuit, manifestè scriptura ostendit: vbi cum ab eodem ligno eiectum, ne vitam ipsam perpetuam conseruare posset, testatur, dicens: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus. Et ita videtur, quod neque de natura sua, neque ex gratia erat immortalis, sed ex ligno vitæ. ¶ Item, incidenter quæritur: si bruta essent vsa ligno vitæ, vtrum continuarent vitam suam huiusmodi vsu.

Idem 13. de eadem.

Idem super Genesim. Hugo.

Quæstio incidentalis.

RESOLVTIO.

Adæ immortalitas in primo statu non à natura, sed gratia, naturæ superaddita fuit à gratia (inquam) gratis data.

¶ Respondeo. Quidam ponebant, quod immortalitas in primo homine esset à natura: quia sua natura haberet aptitudinem ad immortalitatem. Quidam, quod à gratia, quia à dono gratuito habebat completionem. Et potest esse exemplum ad hoc: cum dicitur, homo est beatificabilis; notatur ibi aptitudo & dispositio superaddita: similiter cum dicitur; homo est immortalis. Vnde sicut homo quodammodo potest dici beatificabilis per naturam: quodammodo per gratiam similiter primus homo immortalis: prout enim hoc quod dico [*beatificabile*] importat aptitudinem, conuenit homini per naturam: à natura enim sua habet aptitudinem ad beatitudinem: secundum autem quod importat dispositionem, per quam quis sufficienter disponitur ad susceptionem actus beatitudinis, inest illi per gratiam, non per naturam. Sicut ergo licet homo à natura habeat aptitudinem ad beatitudinem, non propter hoc dicendus est beatificabilis à natura; nisi valde per accidens: sed potius à gratia, quæ est disponens & ordinans ad susceptionem beatitudinis immediate: sic in proposito. Propter hoc dicendum est, quod immortalitas primi hominis non fuit à natura; sed à gratia: vt habetur à Magistro. dicente: *Alterum habebat a natura corporis*, scilicet posse mori: *alterum vero ex dono gratiæ.* Hoc idem dicitur ab Hugo. vt patet ex dictis. ¶ Nota ergo, quod sicut triplex est status, scilicet innocētiæ, in quo poterat primus homo peccare & non peccare, similiter mori & non mori. Secundus, in quo poterat peccare, & non poterat non peccare, similiter poterat mori & nō poterat non mori. Tertius, in quo poterit nō peccare & non poterit peccare, similiter poterit non mori & non poterit mori. Similiter triplex est gratia, scilicet perfecta, & imperfecta in duplici differentia: quia imperfecta est gratia gratis data respectu gratiæ gratum facientis. Similiter gratia gratum faciens secundum quod est viatoris inquantū huiusmodi, qua solum tollitur miseria culpæ, respectu gratiæ gratum facientis, secundum quod est comprehensoris, qua tollitur non solum miseria culpæ, sed pœnæ. Fuit ergo immortalitas primi status, id est, possibilitas non moriendi à gratia gratis data, non gratum faciente. In secundo statu est immortalitas, id est, possibilitas non moriendi spiritualiter, à gratia gratum faciente (dicit enim Hugo. quod in secundo statu est moriendi & peccandi necessitas: sed moriendi necessitas, quādiu adest vita; peccandi necessitas quamdiu abest gratia; ex quo patet, quod ex præsentia gratiæ est possibilitatis non peccandi.) In tertio statu erit immortalitas, id est, possibilitas non moriendi ex gratia perfecta. Possunt ergo rationes concedi, quibus ostenditur: quod hæc immortalitas non erat à natura, sed à gratia naturæ superaddita.

Magist. li. 2. sent.

¶ Ad illa, quæ obijciuntur in contrarium respondendum. Ad id ergo, quod obijcitur: quod æquelibrata erant elementa à natura: similiter virtus nutritiua, & alimētum similiter. Dicendum, quod huiusmodi immortalitatis erat causa multiplex, siue vna ex multis. Vna illarum erat proportio mixtorū in conueniēti æqualitate virtutum elementarium, & harmonia, quæ magis esset causa pacis quàm pugnæ: iuxta quod exigebat optima complexio, & sanitas perfectissima: qualis erat ipsius Adæ: vnde August. de ciuit. Dei, dicit: quod in carne eius summa sanitas erat. Huiusmodi autem mixtio & harmonia defectibilis erat, nisi conseruaretur, & mortis introductio possibilis. Et hoc ex triplici causa intrinseca; vt si consumeretur humidum intrinsecū, si mixtorum esset pugna, & consequenter abiectio à substantia; & si illorum contraria esset inclinatio. Secundum n. quod vult Philos. propter humidi consumptionem, propter mixtorum pugnā, & consequentem abiectionem à substantia eorundem, & cōtrariam eorundem inclinationem, solet esse dissolutio in mixto. Prima causa remouebatur ab Adam per esum lignorū: nam duplex est consumptio humidi, sc. radicalis, & nutrimentalis: cōsumptio humidi radicalis impediebatur propter esum ligni vitæ, quod ideo lignum vitæ dicebatur, ꝙ per illud vegetabatur illud humidum, in quo radicatur vita: consumptio vero humidi nutrimentalis impediebatur per esum aliorū lignorum Paradisi, quæ optimum ipsi Adæ stanti præstabant alimentum: sic ergo prima causa tollebatur per esum lignorū paradisi. Secunda vero causa dissolutionis, quæ est pugna in agendo & patiendo, tollebatur tribus cōcurrentibus, sc. æqualitate mixtionis in optima proportione, & virtute lucis conciliate contraria, & ad quandam amicitiam reducente, & virtute amicitiæ cōtinente: quæ quidem virtus consequebatur ipsam animam in statu innocētiæ, inerat ei per donum gratiæ gratis datæ. Tertia causa dissolutionis, quæ quidē erat ex inclinatione elementorū ad sua loca; tollebatur propter nobilitatem formæ secundum statum innocentiæ: quia anima rationalis omnino pura à peccato, adeo nobilis erat, quod ita terminabat appetitum naturæ: vt illa, quæ perficiebantur ab ea, nequaquam sub alia forma, vel situ appeterent esse. Nec mirum, cum secundum ordinem naturæ (vt dicit Philosophus) ceteræ formæ naturales ordinem habeant ad animam rationalem, sicut ad complementum & finem. Et hac igitur triplici causa erat in Adam proprietas immortalitatis.

Aug. de ciuit. Dei.

uersale. Ex hoc ergo patet, quod appetitus in omnibus excitat ad motum: & quendam efficit vigorem in illis. Non tamen vigorem vitæ facit in omnibus: sed solum in simplicibus. Quod manifestius patebit per differentias appetituum, & eorum in quibus est appetitus. Supponatur ergo, quod omnibus rebus naturalibus inest appetitus, sed differenter: sicut & diuersæ sunt. Rerum n. naturalium quædã magis habent de specie, & minus de materia: quædam ecõuerso magis de materia, & minus de specie: quædam vero quasi totaliter species siue actus sunt: sicut substantiæ simplices, quæ semper in actu sunt. In quibus autẽ est magis de materia, & minus de specie; vt est terra; quasi sopitus & obtusus est appetitus. In quibus vero magis de specie, & minus de materia; vt in igne; quasi acutus & vigens est appetitus: vnde ignis semper est in actu, & cito generatur. Quare in eis, quæ quasi toti actus sunt, validior adhuc & acutior erit appetitus. Ergo cum anima sit substantia simplex, & semper in actu; in ea fortis & potens actus & vigens erit appetitus. Huius vigoris modum exprimẽs maximus poetarum Virgilius, dixit. *Igneus est ollis vigor, & cælestis origo Seminibus &c.* Igneus vigor, quia subtilis & acutus: & cælestis origo, quia vis est indita diuinitus. Ecce, vnde tantus est motus, & vigor in animabus: manifestum etiam est, si vita est vigor & motus internus: quare appetitus vitam operatur in simplicibus. In quibusdam tamen corporeis, vt in illis, quæ minus habent de materia, & magis de specie & de actu (vt in igne & luce) quandam imaginem vitæ operatur: quia semper in actu sunt. Vnde & argentum fusile, viuum vocatur: quia semper & continue mouetur: & eadem ratione fons viuus dicitur. Appetitus autem iste, qui vigorem internum & vitam operatur in substantiis simplicibus; fundatur in earum principiis essentialibus. Sicut enim corporalium principia sunt, materia, & forma: sic simplicium actus & potentia, siue quod & quo: per appetitum enim potentia actui coniungitur & perficitur. Et sicut per appetitum medium forma cum materia vnitur, & actus cum potentia: vt fiat substantia: sic per appetitum fortem, acutum, & vigentem potentia simplicis cum actu ipsius ordinatur: vt fiat non solum substantia, sed substantia viuens: Vnde manifestum est, principia vitæ fundari in essentialibus rei principiis. Addunt tamen aliquid supra * principia substantiæ principia substantiæ viuentis. Patet ergo, quid est illud, quod vigorem facit in substantiis simplicibus: & quod vigor ille fundatur in principiis earum essentialibus, & vitam operatur. Patet etiam, quid viuere addat super esse in substantiis viuentibus: & quod motus internus substantiæ simplicis est vigens appetitus, qui vitam operatur in simplicibus. Et ita videtur necesse ponere: quia præter appetitum, aut desiderium impossibile est aliquid reperire, quod vigeat intrinsecus.

Æneid. 6.

* Alias simplicia.

¶ Ad hoc ergo, quod primo obiicitur contra hoc, scilicet quod anima est vita: & quod anima non est originaliter à seipsa &c. Dicendum, quod (vt supra tactum est) anima dicitur vita per concomitantiam causalitatis, non per identitatem substantiæ. ¶ Ad aliud, quod sequitur. Dicendum, quod (vt ex dictis patet) principia vitæ fundantur quodammodo in principiis essentialibus rei viuentis: vnde ab ipsis quodammodo vita habet originem. Licet enim materia, inquantum huiusmodi, non sit per se actiua, siue operatiua; tamen ratione, qua habet appetitum inclinatiuum ad actum, potest esse origo quodammodo formæ: quæ est omnino actiua, potest esse origo quodammodo formæ: quæ est omnino actiua, siue in actu, quæ est vita. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod formæ non est forma &c. Dicendum, quod hoc verum est, per se loquendo, scilicet in ratione, qua forma est informans: forma enim (per se loquendo) non est perfectibilis forma: neque forma est perfectiua formæ, sed potius materiæ, siue existentis in potentia, inquantum huiusmodi. Potest tamen forma vna esse originale principium alterius formæ: forma enim, siue perfectio totius quodammodo originem habet à forma, quæ est forma, siue perfectio materiæ. ¶ Ad aliud, quod sequitur: quod causa est nobilioris conditionis eo, cuius est causa &c. Dicendum, quod hoc non est verum de quacunque causa,

Memb. 1 §. 1 huiutce quo.

sed de causa efficiente, completa, & sufficiente. Principium aũt originale rei non de necessitate est huiusmodi: sed potius est deterioris conditionis eo, cuius est origo: vt patet de limo, qui fuit quodammodo originale principium corporis primi hominis.

¶ Ad vltimum. Dicendum, quod in multis sortitur aliquid esse à duobus, quod à neutro per se. Quod autem dicit Autor Sex Principiorum. Si quis primam & secundam destruxerit, vtrunque & tertiam destruxit; quæ ex vtriusque efficitur coniunctione intelligitur, vbi aliquid ponitur esse ex vtroque aliquorum, diuisim sumptorum. Quod patet ex casu, in quo loquitur: intendit enim determinare, à quo dicitur aliquid suscipere magis & minus: Et ponebant quidam hoc esse à cremento vel decremento suscipientis: quidam à cremento & decremento eius, quod suscipitur: quidam ab vtroque scilicet ab hoc, & ab illo. Et in hoc casu dicit, quod si non dicitur aliquid magis & minus à suscipiente, siue subiecto: neque ab illo, quod suscipitur: scilicet forma, vel qualitas; non suscipit ab vtroque.

Anima (quæ viuens ex se dicitur) vnde corpori vitam tribuat? §. 2.

¶ SEQVITVR inquirere, vnde viuens ex se alii vitam tribuit: scilicet illi, quod viuit per participationem, scilicet anima corpori. ¶ Circa hoc proceditur sic. Augu. de ciuit. Dei, 13. c. 2. Viuit corpus ex anima, cum anima viuit in corpore: seu viuat ipsa, seu non viuat ex Deo. Sed vt habetur à Philosopho, anima est actus, siue perfectio corporis physici organizati, potentia vitam habentis: corpus ergo viuit ab anima, vt ab ea, quæ est eius perfectio: & anima vitam tribuit corpori, vt eius perfectibili. Cum autem illud, quod est perfectio, tribuat aliquid perfectibili, inquantum huiusmodi, vnde illi hoc tribuit, est aliquo modo originaliter in ipso tribuente: ergo viuens ex se habet aliquo modo originaliter, vnde tribuat vitam viuenti per participationem. ¶ Item, cum viuens per participationem recipit vitam à viuente per se, vel ex se; hoc est per aliquod, quod originaliter est in ipso recipiente: à simili videtur ex parte dantis, quod &c.

2. de Anima tex. com. 4.

¶ Contra substantia diuiditur in substantiam spiritualẽ & corporalem: sicut animal in rationale & irrationale: vnde idem est genus distantiæ inter substantiam spiritualem & corporalem, quæ est inter animal rationale: & irrationale: substantia autem viuens in se est spiritualis, viuens per participationem est corporalis: sed animali rationali nihil est inditum, neque habet vnde tribuat, vel tribuere appetat animali rationali illud, quod est in ipso nobilissimum, vel inter nobilia illius potissimum: eadem ratione videtur, quod nihil est inditum substantiæ spirituali: neque habet aliquid, vnde tribuat, vel tribuere appetat substantiæ corporali, quod est in illo nobilissimum, siue inter nobilia illius potissimum: cuiusmodi est vita. Ergo videtur, quod nihil sit in substantia viuente ex se, vnde vitam tribuat illi, quod viuit per participationem. ¶ Item actus, vel perfectio nobilis requirit perfectibile nobile, siue conuenienter respondens. Ergo cum vita sit de perfectionibus nobilissimis, eius appetitus est determinatus circa perfectibile, quod est de genere nobilium: talis autem est substantia spiritualis, non autem corporalis: ergo fixus est eius appetitus circa substantiam spiritualem, quæ viuit ex se: & non extendit se ad illud, quod non viuit ex se: & ita nihil habet in se, vnde appetat attribuere vitam illi, quod viuit per participationem. ¶ Item conditiones istæ, quæ sunt vnitas, simplicitas, attestantur nobilitati eorum, quorum sunt conditiones. Ergo cum formæ minus nobiles quam vita, habeant esse determinatum circa vnum & idem: nec diffunduntur, nec extenduntur ad plura: multo fortius videtur, quod ita debeat esse de vita: secundum quod in quadam indiuisione, siue vnitate habeat esse in vno materiali, & non in diuisione & extensione ad plura, scilicet spirituale & corporale. ¶ Item, quando aliqua proprietas communicatur à duobus; necesse est hoc esse mediante aliquo vno, in quo conueniunt: & non dico vno generali, sed vno propinquiori. Sed substantia

spiri-

spiritualis, & corporalis non habent conuenientiam, nisi in genere: nec videntur conuenire in aliquo propinquiori, secundum quod requirit communicatio vitæ; & ita videtur quod nihil habet substantia spiritualis in se, vnde cõmunicet vitam corporali.

RESOLVTIO.

Anima eodem vigore, quo in se vigoratur eodem & corpori vigorem præstat: appetitu in se viuit, vigoraturque, appetitu etiam corpori vitam tribuit, atque operatur.

¶ RESPONSIO. Ad horum notificationem nota: quod sicut per appetitum anima in se vigoratur: sic per appetitum in corpore, quod viuificat; vitam operatur. Per appetitum enim corpori vnitur: & per appetitum corpus varijs motibus mouet, vt & ipsum perficiat: & vt ipsa etiam perficiatur. Quod vt manifestius fiat, modum vnitionis animæ cum corpore, & quare necessarium est ipsam vniri corpori: videamus. Sciendum est ergo, quod appetitus in substantia simplici, nec vigorem actualem facit, nec vitam operatur ibi, nisi cum perficitur. Cum autem suo actui coniungitur, & suo desiderabili vnitur, & in eius vnione delectatur, perfectus est, & vitam operatur: tunc enim viget anima, & delectatur. Sicut autem dicit Auicenna (Auicenna.) delectatio cuiusque virtutis plena est acquisitio suæ perfectionis: cum autem caret suo desiderabili, minuitur, aut deficit appetitus. & vita languet, aut extinguitur. Vnde argumentum efficax sumitur, quod supra appetitum vita fundatur: si enim completo appetitu vita perficitur, debilitato debilitatur, & deficiente extinguitur: aut sunt idem appetitus & vita: aut vnum est causa alterius. Quia ergo appetitus vitam non facit in actu, nisi perficiatur: in quibusdam vero non est completus de se, sed aliquo indiget exteriori, vt perficiatur in eis vitam non facit in actu; nisi ei, quo indiget, coniungatur. Et hæc est ratio, quare substantia simplex corpori vnitur: vt videlicet appetitus suo desiderabili coniungatur: & sic in actu vigeat: & vita in ea perficiatur. Si enim completus esset in se eius appetitus, nunquam corpori essentialiter vniretur. Per appetitum ergo corpori vnitur, & inseparabiliter se tenet; nisi sit defectus ex parte corporis. Et vt per hoc suo actui coniungatur & perficiatur, per appetitum etiam varijs motibus mouet corpus, vt etiam ipsum perficiat, & ipsa perficiatur. Et hæc est ratio colligationis animæ cum corpore: quamuis hæc ratio colligationis multiplex sit & differens in diuersis: in quibusdam enim maior, in alijs minor reperitur vis colligationis. In quibusdam enim quodammodo idem est viuere, & vitam alij tribuere. Vnde quarundam animarum & corporum est quasi vita vna & vnum vitæ complementum: vt in vegetabili & sensibili: hæ enim de se non habent aliquam differentiam vitæ; nisi quam contrahunt à corpore: vnde & secundum vitam suam dependent à corpore: & ideo vita eorum non est separabilis. In alijs vero, vt in rationali, nó est idem viuere, quod vitam alij tribuere; quamuis ab eodem sit vt ab appetitu, modo quo tactum est: hæc enim habet vitam propriam, quæ non est corporis: ab ipsa tamen deriuatur: vnde tribuit vitam corpori: & ideo hæc sola est secundum suam vitam à corpore separabilis. Sic ergo patet, quomodo per appetitum vitam corpori tribuit: & quomodo per ipsum est ratio vnionis & colligationis animæ cum corpore: & quomodo in diuersis diuersimode est. Et ex his patet, quod scilicet eodem vigore, quo viuit anima, vitam potest corpori tribuere.

¶ AD ILLVD, quod primo obijcitur, quo videtur ostẽdi, quod nihil est inditum substantiæ spirituali, vnde tribuat, siue tribuere appetat vitam corpori propter distantiam eorum, &c. Dicendum, quod licet sit distantia illorum ea, quæ tacta est in opponendo; inquantum hoc est corporale, & illud spirituale: est tamen quidam illorum ordo & respectus; qui est perfectionis ad perfectibile: vnde est illorum appetitus mutuus, quo est quædam ratio colligationis eorum adinuicem: quibus mediantibus est influentia vitæ ab vno in aliud. Licet ergo nihil sit inditum substantiæ spirituali, vnde appetat tribuere vitam corporali; inquantum distant vt corporale & spirituale: inquantum tamen est appetitus huius perficiendi illud; & etiam in perficiendo illud, sibi pleniorem acquirere perfectionem: habet aliquid, vnde sibi vitam appetit tribuere.

¶ AD ILLVD, quod sequitur. Dicendum, quod est aliqua substantia spiritualis, cuius perfectio nullo modo dependet aliquo modo à corporali: Est & alia, cuius perfectio aliquo modo dependet. Quia ergo appetitus rei nullo modo terminatur, nisi adepta ipsius perfectione: illius substantiæ spiritualis appetitus, cuius perfectio dependet aliquo modo à corporali; non terminatur nisi in coniunctione cum substantia corporali. In nullo ergo deterioratur conditio vitæ ex hoc, quod conditio substantiæ spiritualis viuentis est, vt coniungatur cum substantia corporali; à cuius coniunctione pleniorem sortitur perfectionem, immo melioratur. Nobilitas ergo huius actus, quæ est vita, non impedit, quin appetitus substantiæ spiritualis viuentis conuenienter se extendat ad hoc, quod vniatur cum substantia corporali.

¶ AD ILLVD, quod sequitur. Dicendum quod verum est, quod vnitas attestatur nobilitati, cuius cõditio in nullo deterioratur ex ipsius vnionis multiplicatione: immo magis perficitur, & perfectior ostenditur: sicut patet de luce, cuius virtus ipsius multiplicatione perficitur, & perfector ostenditur. Similiter est in proposito: vita enim (vt tactum est) ex coniunctione substantiæ spiritualis cum corporali, ex qua quodammodo multiplicatur in substantia corporali; magis viget, & efficitur iocundior & perfectior, nec hæc multiplicatio aliquid tollit de virtute ipsius vitæ: cum semper illa sit vna, quæ est substantiæ spiritualis: sed est causa perfectionis illius, & ostensio nobilitatis.

¶ AD ILLVD, quod sequitur, Dicendum quod substantiæ spiritualis, scilicet animæ, & corporalis, quæ ab anima perficitur, est conuenientia quædam præter illam, quæ est generalis, quæ attenditur in multiplicitate potẽtiarum siue virtutum operatiuarum ex parte animæ, & multiplicitate naturarum siue partium organicarum ex parte corporis. Vt enim supra tactum est, corpus humanum inter omnia corpora compositissimum est; & hoc requiritur propter hoc, quod anima, quæ est perfectio eius & motor, est multarum operationum effectiua: quarum cum non possit anima esse effectiua per se, immo necessarium est vt exerceatur per corpus, necesse est vt corpus huiusmodi multiplicitatem habeat organorum. Præterea, conueniunt in mutuo appetitu perfectionis: appetitus enim corporis est ab anima, vt perficiatur: similiter & appetitus animæ est, vt corpus perficiat: & illud perficiendo, pleniorem sortiatur perfectionem. Iste autem appetitus mutuus est causa colligationis illorum adinuicem, & communicationis vitæ. (Quæst. 77. Memb. 1. art. 1.)

MEMBRVM III.

Vita cuius est vt subiecti proprij.

IN progressu inquisitionis de vita tria proponebantur quærenda. Primo, quid est vita. Secundo, à quo est vita. Tertio, cuius est vita. Iam determinatum est de duobus: sequitur de tertio, scil. cuius est vita, vt subjecti proprij. ¶ Primo ergo quæritur, vtrum vita sit in natura increata. Secundo quæritur, vtrum vita creatoris & creaturæ in aliqua re conueniant. Tertio, vtrum vita sit in creatura corporali, an tantum in spirituali. Quarto supposito quod in corporali, vtrum sit in corporibus supercælestibus. Quinto; vtrum sit in animalibus, quæ carent sanguine. Sexto; vtrum sit in embrione, vel in humoribus.

ARTICVLVS I.

An in natura increata, id est, in Deo ipso vita sit.

CIRCA primum, quo quæritur, Vtrum vita sit in natura increata. Quod sic, videtur: nam Damascen. (Damasc. li. 3.) *Excepta diuina, tres sunt species vitæ, plantatiua, sensitiua, intellectiua.*

¶ ITEM, Augustinus: *Deus naturaliter vita est.* (Aug. lib. de fide ad Petrum Diacon.)

¶ ITEM. *Non colo idola manu facta, sed viuentem Deum, qui fecit cælum & terram.* Ex his patet, quod in Deo est vita.

¶ ITEM, quod solus Deus viuat, sic secundum Philos. *viuere* (Phil. ex 2. de Anima. 37.)

viuentis est esse. ergo viuentis essentia est eius vita: ergo illud solum viuit, cuius essentia est vita: hoc est solus Deus. ¶ Item lib. de motu cordis. *Oportet nosse, quoniam vita actio est, & vita est esse viuentis*. Ergo viuentis essentia est sua actio: ergo illud solum viuit, cuius sua essentia est sua actio: hoc est solus Deus: in omni enim creatura differunt essentia, virtus, & actio: vt vult August.

Idem li. de motu cord.

¶ CONTRA, Vita addit super esse: in illo ergo, in quo nihil additur ad esse, hoc est in illo, de quo dicitur. *Ego sum, qui sum*: non est vita. Si enim aliquid esset in ipso, quod adderet ad esse, esset in ipso compositio aliqua. ¶ ITEM, vita cadit sub aliqua differentia entis: vnde contrahit ens, cui conuenit, in genus. Eorum enim, quæ continentur in genere; quædam viuunt: quædam non viuunt. Ergo non conuenit illi, quod non est in genere; sed supra omne genus, scilicet Deo. ¶ ITEM, esse viuentem, & habere animam, conuertuntur. Dicitur enim in libro de motu cord. *Animatum & viuens ad se inuicem paria sunt*. Sed Deus non habet animam: ergo &c. ¶ ITEM, in quo est vita, est appetitus & desiderium, vt ex dictis patet: sed in nullo est desiderium alicuius, quin sit indigentia respectu illius: sed in Deo nulla est indigentia: ergo &c. ¶ ITEM, secundum Bernar. *Vita est motus internus*: & hoc vitæ conuenit per se: sicut illud, quod ponitur in eius ratione: ergo conuenit omni habenti vitam: sed in Deo non est motus: ergo &c. ¶ Item, dicit Dionys. *Super essentialitatem diuinam neque vt verbum, aut virtutem, neque vt animam, aut vitam, aut essentiam laudare est iustum. Sed omnia, quæ sunt in superessentialitate diuina, id est, Deo, Deum reddunt laudabilem*: ergo neque anima, neque vita sunt in Deo.

Exod. 3.

Phil. lib. de mot. cord.

Bern.

Dionys. de diui. nom. cap. 6.

RESOLVTIO.

Est procul dubio in Deo vita, sed non differens ab eius substantia: quinimmo sua essentia sua vita est: proinde & summa vita rectè dicitur.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod in Deo est vita, non per differentiam à substantia, sed ipse est sua vita, & summè viuere & tanto nobilior est eius vita, quanto simplicior: quia autem diuinum esse est simplicissimum, nihil habens de passibilitate admixtum: ideo est in plena actualitate & vigore. Quia ergo vita est quidam vigor internus, viuere est vigere quoddam, vt supra tactum est: hinc est quod in Deo est vitam reperire, & in vltima perfectione ratione prætacta. Vnde rationes pro illa parte concedendæ sunt.

Ex primo ib. mēb. huiu sec quæst. spatium.

AD ILLVD, quod primo obijcitur: quod viuere addit supra esse, &c. Dicendum, quod hoc verum est, in eis, in quibus vita est per differentiam aliquam: ita quod differt in viuente illud, quod viuit: & quo viuit: hoc autem est in rebus creatis, quæ habent possibilitatem permixtam esse actui: solus autem Deus est in puritate actus, siue actus purus: & ideo in ipso viuere non addit esse: sed sua essentia est sua vita.

¶ AD aliud, quod obijcitur: quod vita contrahit in aliquod genus entis, &c. Dicendum, quod est duplex vita. Vna scilicet, quæ est origo omnis vitæ, quæ non cadit sub determinatione temporis vel motus; sed est æterna: & hæc est per se viuifica, & substantifica. Alia est vita, quæ est participata per distinctionem & proprietatem conuenientem vnicuique viuenti. Prima vita est causalis, siue causa secundæ. Vnde Dionys. *Nunc laudanda est laudabilis vita æterna, ex qua per seipsam vita, & omnis vita: & a qua in omnia vtique vitam participantia, viuere propriè vnicuique exseminatur*. Et post, *Et sicut in ente diximus, quod eiusdem esse est causalis: sic & ibi*. Iterum, *vita & per seipsam vita est diuina vita, vitalis, & substantialis*. Vt habetur a Commentatore [ὤν] à Græcis essentia dicitur diuina. Vnde vult dicere, quod sicut eiusdem est esse causalis in diuinis: sic per se ipsam est vita diuina. Et post subiungit. Et omnis vita & vitalis motus ex vita ipsa, quæ est super omnem vitam, & omne principium totius vitæ. Vita autem in primo modo [illegible] est naturæ increatæ, secundo modo sumpta creatæ. Prima est super omne genus, nec cadit sub aliqua [illegible] quæ cadit in genus sed est idem [illegible] simpliciter & per se vt patet ex verbo [illegible] Secundo modo sumpta cadit in genus.

Dionys. de diui. nom. c. de vita Quod est [illegible]

¶ AD ILLVD, quod sequitur scilicet quod viuere & habere animam conuertuntur. Dicendum, quod sicut descendunt scientiæ, sic & vocabula scientiarum. Autor autem libr. de Motu cord. inquirit in illo de vita, quæ habet esse in corporibus: & de illa verum est, quod animatum & viuens ad se inuicem paria sunt. Sed (generaliter loquendo) non est verum: spiritualis enim creatura, sicut intelligentia viuit; licet animam non habeat.

Auctor libri de motu cordis.

¶ AD ALIVD, quod sequitur. Dicendum, quod est appetitus rei distantis, & ille appetitus habet annexam imperfectionem. Est & appetitus rei indistantis: & hoc potest esse dupliciter: vel quia coniungitur appetitus appetibili: vel quia est idem per essentiam. Quandoque enim est appetitus coniunctus appetibili; tamen est aliud per essentiam ab illo; quandoque autem idem est appetitus & appetibile per essentiam: & hoc est in primo, vbi idem est delectans, & in quo delectatur, fruens & quo fruitur: vbi autem est talis appetitus, nullus est defectus, sed vita perfectè delectabilis, nullo indigens, existens in fine nobilitatis & delectationis: qualis est in primo & summo bono.

¶ AD ALIVD quod sequitur: quod vita est motus &c. Dicendum, quod illa prædicatio est causalis: quia vita est causa motus. Sed quædam est vita, quæ est principium siue causa motus in ipso viuente, quædam in alio. Illa, quæ est principium motus in ipso viuente, habet imperfectionem coniunctam: quia motus passio attestatur imperfectioni: sed quia Deo non conuenit, nisi quod est perfectionis: ideo vita in Deo est principium motus: non quo Deus moueatur; sed quo omnia mouet, & viuentia viuificat. Propter quod (vt vult Dionysius) diuina vita est vitalis, causalis, & substantialis, id est, viuifica, & substantifica. Et secundum Boe. stabilisq; manens dat cuncta moueri. Vel si videatur dicendum, quod vita sit motus essentialiter: secundum quod motus internus est vigor appetitus. Dicendum, quod illa ratio Bernard. Vita est motus internus, &c. est vitæ, quæ differt per essentiam ab eo, quod viuit eadem vita.

¶ AD ILLVD Dionys. quo videtur, quod vita non sit in Deo. Patet responsio per hoc, quod sequitur ibidem, vbi ostenditur: quod nominandus est Deus omnium ablatione, siue negatione, superpositione, & causalitate. Vnde autoris intentio est ostendere: neque vitam, neque alia dicta de Deo, proprie in propria acceptione sumpta, Deo conuenire. Vnde Commentator ibidem. *Ratio in hoc vniuersaliter studet, vt suadeat, certumq; veritatis instigationibus approbet: nil de Deo propriè dici posse, quoniam superat omnem intellectum, omnesque sensibiles, intelligibilesque significationes: quia melius nesciendo scitur: cuius ignorantia est vera sapientia: qui verius fidelius que negatur in omnibus, quam affirmatur: quodcunque enim de ipso negaueris, vere negabis: siquidem siue approbaueris hoc, vel hoc illum esse: falsitatis redargueris: quia omnium, quæ sunt, quæ dici, vel intelligi possunt, nihil est.*

Commentator super Dionys. de diui. nom.

¶ AD ILLA, quæ obijciebantur pro alia parte, quibus concluditur, quod solus Deus viuit. Dicendum, quod illud argumentum non valet: viuere est esse viuentis: ergo vita est essentia viuentis: nec est hic locus à coniugatis. Non enim se habet vita ad viuere, sicut essentia ad esse: vita enim & viuere non differunt nisi in modo nominandi: quia vita est actus, sicut & viuere: essentia enim, quæ est ipsa quidditas rei dicit, ipsam rei substantiam, esse vero actum: esse enim est actus entis. Præterea, cum dicit: viuere est esse viuentis: esse dicitur viuentis vt est viuens: non vt est substantia. Cum infertur, ergo vita est essentia viuentis: ibi sumitur essentia, vt est quidditas rei, quæ viuit: non vt dicit quidditatem actus, quo viuens inquantum viuens est in actu viuendi. Vñ non est debita coniugatio in argumento. Vñ in argumento non infertur essentia de essentia: sicut proponitur actus de actu: immo est duplex defectus ibi. Vnus ex hoc quod infertur essentia de actu (vita enim actus est) Alius ex hoc, quod sumitur essentia in conclusione, vt est quidditas rei, quæ subest actui viuendi: non vt dicit quidditatem ipsius actus.

¶ Si obijcitur adhuc quod vita est essentia viuentis per hoc, quod [illegible] Dion[illegible] *dixerit qualem* [illegible] *aut vitæ principium* [illegible]

Dionys. [illegible]

Vbi Commentator. *Vitae essentiae intelligibiles sunt virtutes: & nostrae animae essentiam quippe, cum sint vita; habent vt materiam quandam, atque subiectam, & ipsam speciem, quae vita est, existente: vnde & viuificant corpora anima.* Ecce quod in Textu dicitur essentia vitae: in Commento dicitur, intelligibiles virtutes, id est, intelligentiae sunt essentiae vitae. Responsio est ad hoc, quod essentia vitae dicitur substantia, in qua radicatur vita. Sed contra in translatione Abbatis est [*substantia vitae*] & in Commento dicitur essentiam, quippe cum sint vita; habent &c. (Loquitur de animabus nostris) ibi dicitur plane, quod animae nostrae vita sunt. Respondeo, praedicatio illa non est per conuenientiam identitatis, sed potius per conuenientiam relationis actus ad substantiam, vel effectus ad causam: sub hoc sensu: animae nostrae sunt vitae, id est, sunt substantiae, in quibus sunt radicatae siue substantificatae vitae: & quae sunt principia vitae corporibus: & hoc dicit textus, qui est secundum translationem Abbatis [*si dicas, vitae principium, aut substantia: ex ipsa viuunt & viuificant*] Dicit enim animam nostram esse substantiam vitae, qua viuit: & principium vitae, inquantum viuificat corpora: & vtrunque esse à prima vita. Vnde dicitur in Textu [*ex ipsa viuunt, & viuificant*] viuunt in se: & viuificant corpora sibi subiecta: vt dicit Commentator. Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur.

ARTICVLVS II.

An vita vniuoce dicatur de vita in Deo, & de vita in creaturis.

SECVNDO quaeritur. Vtrum vita conueniens creatori, & vita conueniens creaturae, in re aliqua vna conueniant.

¶ Quod conueniant, videtur sic: quaecunque sunt ad inuicem comparabilia, conueniunt in aliquo vno (participantis enim ad non participans nulla est comparatio) sed vita increata, & creata, siue Dei & creaturae comparabiles sunt ad inuicem, secundum prius, & posterius, plus & minus: ergo conueniunt in aliquo vno. ¶ ITEM, omne creatum est vestigium & similitudo suae causae: vita creata est causata ab increata: ergo est vestigium, & similitudo eius: sed similitudo aliquorum est conuenientia eorum in aliquo vno: ergo vita creata & increata conueniunt in aliquo vno. ¶ ITEM, omne exemplar conuenit cum exemplato: vita increata est exemplar vitae creatae: ergo vita increata conuenit in aliquo cum creata.

¶ AD oppositum videtur sic: quaecunque conueniunt, & non sunt simpliciter idem; penes vnum conueniunt, & penes aliud differunt: non enim penes idem conueniunt, & differunt. Si ergo vita increata, & creata per aliquod cõueniunt, per illud non differunt: quare per aliud: ergo in vita increata est vnum, & aliud: ergo non est omnino simplex: quod est impossibile.

¶ ITEM, si vita increata & creata conueniunt non in nomine tantum, sed in aliqua re vna, per nomen signata: ergo illa res nec est simpliciter vita increata, nec creata: sed aliqua res naturaliter prior illis: quod est impossibile.

RESOLVTIO.

Nec vniuoce, nec aequiuoce: sed analogice.

¶ AD HOC dicendum, quod differt vnum vniuocationis, & analogiae. Vnum enim vniuocationis est, quando vnum inest pluribus vniens illa in aliqua re vna, priore illis naturaliter: sic autem non conueniunt vita increata & creata. Vnum autem analogiae est, quando vnum inest pluribus: ita quod alicui eorum primo & principaliter, in quo est prima origo omnium aliorum: alijs vero posterius & secundario, & per modum quo descendunt ab origine prima. Et tale vnum non vnit ea, quibus inest, in aliqua re vna, naturaliter priore illis: sed tota prioritas est in aliquo eorum naturaliter, sicut in causa respectu causati. Et istud vnum licet non sit penitus vniuocum; non est penitus aequiuocum: sed medium: & dicitur analogum: & sic vita creata & increata conueniunt in aliquo vno. Quod autem vita increata sit origo aliarum omnium, & causa: patet ex verbo Dionysij supradicto. Cum ergo quaeritur: vtrum vita creatoris, & creaturae conueniant in aliqua re vna. Dicendum, quod conueniunt in re vna vnitate analogiae, non vnitate vniuocationis.

¶ AD ILLA, quae inducuntur pro prima parte, quibus videtur ostendi, quod conueniunt in re aliqua vna, tum ratione qua sunt comparabilia; tum ratione similitudinis, quae est vestigij ad illud, cuius est vestigium: tum ratione conuenientiae exemplari & exemplaris, bene possunt concedi: secundum quod res dicitur vna vnitate analogiae: non autem secundum quod dicitur vna vnitate vniuocationis, neque enim comparatio, neque similitudo, neque conuenientia, quae est creati ad increatum concludit vnitatem vniuocationis. Si autem opponatur per verbum Philosophi, dicentis: quod solum vniuocum est comparabile. Dicendum, quod ibi sumitur vniuocum, nomine extenso: secundum quod etiam conuenit analogo: facta exclusione solius aequiuoci.

ARTICVLVS III.

An praeter creaturas spirituales Angelum, scilicet & hominem etiam creaturis corporalibus vita insit?

SEQVITVR inquirere, Vtrum in corporalibus creaturis sit vita, qua viuunt.

¶ QVOD sic, patet: super illud Marci vltimo. *Praedicate euangelium omni creaturae:* dicit Gregor. *omnis creaturae aliquid habet homo: habet nanque esse commune cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus.* Ex quo patet, quod arbores viuunt & animalia. Marci vlt. Gregorius

¶ ITEM vegetari, sentire, intelligere, sunt actus consequentes ad actum viuendi, siue qui est vita: nec insunt alicui, cui non inest vita: vnde in Libro de Mot. cord. *viuit & vegetatur animal, sentit & mouetur, discernit & intelligit:* & quae ex eis oriuntur, non facile enumerabilia efficere habet: & harum potentiatum haec prima distantia est, quod vitam quasi praeuiam caeterae sequuntur: sine qua caeterarum nullam inesse, possibile est. Si ergo hi actus sunt creaturarum corporalium (quod patet manifeste de actu vegetandi & sentiendi, qui sunt actus plantarum & brutorum: similiter patet de actu intelligendi per verbum Philosophi dicentis, *qui dicit animam intelligere, nihil aliud est, quam si diceret animam texere vel aedificare*) relinquitur ergo, quod actus viuendi, siue qui est vita, sit creaturarum corporalium. Libr. de mo cor. Phil. 1. de Anima. 64

¶ CONTRA, vita est forma, siue actus praecipuus, & maxime essentialis substantiae spirituali, scilicet angelo & animae rationali: quod autem est substantijs spiritualibus praecipuum, & maxime essentiale, non conuenit substantijs corporalibus, sicut nec e conuerso: ergo corporales substantiae non viuunt.

¶ ITEM, inter omnia, quae in genere actuum praecipue, & proprie, & essentialiter conueniunt substantijs spiritualibus, cuiusmodi sunt discernere, sapere, diligere; prius & essentialius conuenit actus, qui est vita. Si ergo actus discernendi, intelligendi, sapiendi, diligendi non sunt actus corporales, neque corporalibus creaturis conueniunt: multo fortius nec actus, qui est vita.

¶ ITEM, Vt dicit August. contra Maximinum. *In illis, quae mutantur, nonnulla mors est ipsa mutatio.* Sed creaturae corporales continuas sustinent mutationes: vtpote mutationes generationis vel corruptionis, vel augmenti vel diminutionis, vel alterationis, vel loci mutationis: ergo (vt videtur,) sunt in continuitate mortis, ergo non viuunt. Aug. cõtra Maximin.

¶ ITEM, si creaturae corporales viuunt: quae est differentia vitae corporalium creaturarum, & spiritualium? spirituales creaturas dico homines & angelos.

RESOLVTIO.

Est certe & in corporalibus creaturis vita: sed longe inferiori gradu à creaturis spiritualibus.

¶ RESPONSIO. Ad propositi manifestationem. Notandum, quod est differentia vitae multiplex: trahitur enim in species, secundũ q̃ variatur appetitus in simplicib. substantijs siue spiritualibus, & corporeis. Sicut enim supra

factum

tactum est, appetitus substantiæ spiritualis nisi suo actui coniungatur, & sic perficiatur, nec in se viget, nec vitam operatur. Vnde ex coniunctione cum suo desiderabili in se viget, & quasi fulcitatur ad vitam: cum autem caret suo desiderabili, aut languet vita, aut extinguitur. Sed intelligendum est, quod non vno modo appetitus iste perficitur, sed differenti: & secundum hoc varias vitæ differentias operatur. Aut enim iste appetitus in substantijs simplicibus intrinsecus omnino finitur: aut totaliter extrinsecus terminatur: aut partim sic, partim sic. Si autem intrinsecus totaliter finitur, vt nullo penitus indigeat, neque propter esse, neque propter bene esse; sed in se & ex se habet quicquid requiritur ad esse & ad bene esse: vtpote vbi est idem appetitus siue appetens & appetibile, siue fruens & quo fruitur: tunc est vita per se, & secundum se delectabilis, & perfecta, scilicet in fine perfectionis & nobilitatis, sicut in primo bono & summo. Si autem totaliter extrinsecus terminatur, vtpote ad aliquid, quo indiget ad esse, & sine quo neque etiam vita esse potest: tunc est vita ipsa minime delectabilis, & minimæ perfectionis: vt in vegetabilib. & sensibilibus. Vnde Dionysius. *Animalia omnia & germina secundum nouissimam consonantiam vitæ habent viuere*; Cum autem appetitus partim terminatur extrinsecus partim intrinsecus: tunc aliquo indiget, non propter vitam, sed propter vitæ illustrationem & delectationem: hoc est non propter esse, sed propter bene esse. Illud autem, quo indiget, aut seipso potest adipisci, id est, sine aliquo corpore sibi vnito; & sic est vita in angelis: aut seipso non potest, sed indiget vnione cum corpore, vt illud possit adipisci: sic est vita animæ rationalis. Vnde dicit Auicen. quod anima vnitur corpori, vt perficiatur.

[Mēb. 2 huius q. art. 1. §. 1.] [Dionys. de diui. nom. c. de vita.] [Auicenna.]

¶ Item notandum, quod appetitus substantiæ simplicis terminatur extrinsecus, quando indiget aliquo extrinseco, sine quo non est in sua perfectione. Sed hoc potest esse multipliciter: illud enim extrinsecum potest esse vel res, vel rei species siue similitudo: vel vtrumque: quia substantia spiritualis, cuius est vita; aut indiget re tantum, à qua dependet quantum ad essentiam: aut specie rei quantum ad illustrationem, & bene esse. Si autem illud extrinsecum, quo indiget, sit solummodo res, à qua dependet essentialiter, siue secundum essentiam; tunc est vita vegetabilis. Si autem illud extrinsecum sit res, à qua dependet quantum ad essentiam: & species siue similitudo rei, à qua dependet quantum ad illustrationem: tunc est vita sensibilis: substantia namque animæ sensibilis essentialiter dependet à corpore: & quia vita in sensibilibus est cognitiua; non solum re, siue corpore indiget; sed specie rei, siue similitudine. Vis autem sensitiua est bipartita: habet enim quosdam sensus propter esse, quosdam propter bene esse; quosdam propter vitam, quosdam propter illustrationem vitæ. Vnde duplici principio naturali indiget, scilicet calore, & luce: siue qualitate feruida, & luculenta, secundum August. calore siue qualitate feruida propter vitam; luce siue qualitate luculenta propter vitæ illustrationem; qualitas autem luculenta est in cerebro, vnde est origo sensuum. Dicit enim August. *Omnis caro habet aliquid ignis: non solum feruidam qualitatem, cuius sedes est in iecore & in cerebro: verum & luculentam; quam velut eliquari, ac sebuolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri; vnde & radij emicant oculorum; & de cuius medio velut centro quodam, non solum ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenues fistulæ seducuntur: ad aures, scilicet ad nares, ad palatum propter audiendum; olfaciendum, atque gustandum*, &c. Et Philosophus dicit *sine igne non est sentire*. Quando autem extrinsecum, quo indiget substantia spiritualis non est res, à qua dependet quantum ad essentiam, sed similitudo quantum ad illustrationem, tunc est vita rationalis: vita enim rationalis non dependet essentialiter à corpore; indiget tamen rei specie propter bene esse, vel propter illustrationē vitæ, quæ fit per rei similitudinē: quæ accepta ducit in aliud; & facit cognitionem, quæ est vitæ illustratio: & ideo hæc vita est separabilis. Vita ergo ista continetur quodammodo sub duplici membro diuisionis prædictæ: quia & vita eius interius est terminata, & non terminata interius: quantum ad esse terminata, quo ad bene esse non terminata. Similiter ex parte creaturarum corporearum variatur appetitus secundum variationem animarum, à quibus vitam habent: vnicuique enim corpori inditus est ab eius causa proprius appetitus respectu sui delectabilis, siue suæ perfectionis, à qua vitam participat: sicut ex parte perficientis formaliter est inditus appetitus respectu sui perfectibilis: & ex isto duplici appetitu est colligantia eorum ad inuicem. Concedendæ ergo sunt rationes, quibus ostenditur: quod in corporalibus creaturis est vita.

[August.] [Idem 7. super Genes. ad litt.] [Phil. lib. de anima.]

¶ Ad illvd, tamen quod persuasum est: quod actus intelligendi sit actus corporis, per verbum Philosophi. Qui dicit animam intelligere, &c. Dicendum, quod duplex est intellectus, scilicet phantasticus, & impermixtus phantasiæ. Quod ergo dicit Philosophus. Qui dicit animam intelligere, &c. intelligit de actu intellectus phantastici: qui non exit à potentia, nisi in adminiculo sensus & phantasiæ. Quia igitur sensui phantasiæ deseruiunt organa corporalia; conuenienter attribuit actum huiusmodi ipsi composito ex anima & corpore. Aliter autē est de actu intellectus impermixti phantasiæ.

¶ Ad illvd, quod primo obijcitur contra hoc. Dicendum, quod illud, quod est essentiale substantiæ spirituali, bene potest participari, siue communicari corporali: anima enim essentialiter viuit, corpus animatum per participationem seu communicationem: anima enim perficiens corpus, communicat illi vitam. Huiusmodi autem cōmunicatio attestatur nobilitati creaturarum & bonitati: nobiliores enim creaturæ, ea, quæ essentialiter earum sunt, communicant alijs per influentiam quandam, vel per multiplicationem: sicut corpora superiora inferioribus, & substantiæ spirituales corporalibus. Sed illud, quod est essentiale, & præcipuum substantiæ spirituali, non est essentiale & præcipuum corporali: bene tamen est illi aliquo modo communicabile. Vel potest dici secundum Dionysium cap. de Vita. quod solus Deus essentialiter viuit, cuius vita est essentia: creaturæ autem per participationem; quia earum vita non est earum essentia. Sed quædam participant vitam à prima vita, vt substantiæ spirituales. (Vnde Dionysius cap. de vita. *Laudanda est laudabilis vita æterna, ex qua per seipsam vita, est omnis vita; & à qua omnia vtcunque vitam participantia, viuere proprie vnicuique exseminatur.*) Sed corporales creaturæ participant vitam ab animabus. Vnde Dionysius cap. de vita. *Siue intellectualem dixeris, siue rationalem, siue nutritiuam & actiuam, siue qualemcunque vitam, aut vitæ principium, aut vitæ essentiam: ex ipsa viuit, & viuunt, quæ est super omnem vitam.* Super illud [*vitæ principium*] Commentator. *Vitæ principium, ait, vtputa nostram animam, sensibilemque.* Ipsæ quippe principium sunt vitæ his, quæ per ea in vitam incipiunt moueri corporibus. Et hoc ad idem redit, quod supra tactum est: quia substantiæ spirituales, licet non essentialiter viuant eo modo, quo Deus: essentialiter tamen viuunt: quia vita est illis essentialis. Non sic est de corporibus, quibus vita communicatur per influentiam à substantijs spiritualibus, id est, animabus.

[Diony. c. 6. li. de Diui. Nominib.] [Idem ibid.] [Idem ibid.] [Commentator.]

¶ Ad illvd, quod sequitur. Dicendum, quod anima seipsa est actus, vel perfectio corporis organici, &c. non sui parte. Vnde seipsa communicat vitam corpori, cuius est actus: sed secundum Philosophum oportet accipere quod est in parte, in toto viuente corpore: simile namque habet, sicut pars ad partem: sic totus sensus ad totum corpus. Vnde est aliquis actus ab anima ipsa in corpore indistincto, sicut viuere: non enim viuit alia * parte vitæ oculus, quam auris: sicut alia specie sensus sentit. Actus ergo, qui est ab ipsa secundum se totam, cuiusmodi est viuere; communicatur corpori, & toti corpori: sicut anima illius totius est perfectio. Similiter actus, qui est à parte, seu potentia animæ, quæ est perfectio partis, communicatur parti, sicut audire, videre, & huiusmodi. Sed actus intelligendi, & qui ad actum intellectus sequuntur, non possunt corpori cōmunicari: quia pars animæ intellectiua neque corporis, neque partis corporis est actus: vt vult Philosophus. Licet ergo actus viuendi sit præcipuus actus: & maxime essentialis substantiæ spirituali, id est, animæ: tamen quia est actus animæ secundum se, quæ est perfectio corporis, corpori communicatur. Actus autem intelligendi, & qui ad

[Philos.] [*Alias, specie.]

ipsum sequuntur, quia non est actus animæ ratione alicuius partis, seu potétiæ animæ, quæ est actus corporis, vel partis illius; corpori non communicatur.

¶ Ad illvd, quod sequitur, scilicet quod corpora, quæ continuus subiacent mutationibus, non viuunt: quia nonnulla mors est ipsa mutatio. Dicendum, quod ibi sumitur mors pro declinatione, siue tendentia ad non esse: Vnde dicit; nonnulla mors, id est, aliquod genus, siue modus mortis. Vnde intellectus verbi Augustini est: quod illa, quæ subiacent mutationibus; si sibi essent derelicta, deficerent, & in nihilum declinarent. Vnde mors secundum intellectum verbi supradicti, non dicit priuationem vitæ, secundum quod hic intenditur de vita: sed potius sumitur per oppositionem ad immortalitatem. De qua. *Qui solus habet immortalitatem.* De qua August. Lib. 1. de Trinit. Cum anima modo quodam immortalis esse dicatur & sit: non autem diceret, solus habet immortalitatem, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est: quam nulla potest habere creatura. Vel mutatio dicitur nonnulla mors, quia mutatio facit aliquid non esse in re mutabili, quod ante erat. De hoc Libro 1. Sentent. distinct. 8. capit. 4. Etenim ait.

1. Timot 6. Aug. li. 1 de Trinit. c. 1.

¶ Ad vltimum quæsitum patet responsio ex prædictis: scilicet vbi tactum est de differentia vitæ corporalisi creaturarum, & spiritualium.

ARTICVLVS IV.

An in corporibus supercœlestibus vita sit?

Text. Cõment. 68.

SEQVITVR inquirere. Vtrum vita sit in corporibus supercœlestibus.

¶ Quod sic, videtur. In Secundo de Cœlo & mundo dicitur. Sciendum est, quod primus orbis principium est potentiæ, & causa in vita cuiuslibet viui, plusquam alij orbes. Et dicit ibi Commentat. isti orbes non sunt causæ vitæ eorum, quæ sunt hic, nisi per stellas: cum sit visum, quod nobiliora, quæ sunt illic, sunt stellæ; principia, quæ sunt in istis orbibus, sunt viua, & sunt principia vitæ, quæ est hic. Ex his videtur, quod stellæ sint viuæ: si enim orbes sunt causa & principia vitæ per stellas: ergo stellæ sunt causa & principium vitæ, quæ est hic: & principia, quæ sunt in istis orbibus, scilicet stellæ sunt viuæ: vt ipse dicit: ergo, &c.

Aristot.

¶ Item, nulla causa efficiens principaliter & per se, est minus nobilis causato: corpus cœleste est causa efficiens per se & principaliter tam vegetatiuæ, quam sensitiuæ. (vt vult Aristoteles in multis locis) ergo corpus cœleste non est minus nobile vegetatiua & sensitiua. Sed omne non habens vitam, est minus nobile vita: ergo corpus cœleste non est non habens vitam: immo de necessitate habet eam.

Aristot. Et Auicen.

¶ Item, omne generans habet speciem rei generandæ apud se: & efficiens vel producens rei producendæ: sicut dicit Aristot. & etiam Auicenna super 11. primæ philosophiæ. Species autem rei viuentis non potest esse, nisi apud viuentem: cum species rei non sit minus spiritalis ipsa re, sed magis, vel æque: cum ergo corpora supercœlestia sint producentia in esse res viuentes: ergo &c.

¶ Item, Nihil dat quod non habet: sed omne dans, vel agens habet illud, quod dat, siue agit; vel vniuoce cum recipiente; vel aliquo modo excellentiore: sed nullus est modus excellentior habendi vitam, quam viuendo: igitur si aliquid dat vitam, vel eam agit in aliquo; necesse est quod viuat.

August. 10. Confess.

¶ Item, August. 10. Confessionum. *Nullum corpus*, scilicet tantum corpus, *corpori vitam præstat*. Sed generans siue producens animalia ex putrefactione siue materia putrefacta, non est nisi cœlum cum stellis & virtutibus, quæ agunt in ipsa materia putrefacta: ergo cœlum cum stellis & virtutibus cœlestibus est res viuens.

¶ Item, corpus natum est ad formam, & corpus nobilius ad nobiliorem: sed corpus cœli est nobilius, quam corpus plantæ, vel bruti: ergo corpus cœli natum est ad nobiliorem formam: sed tam corpus plantæ, quam corpus bruti natum est ad formam, quæ est vita: ergo corpus cœli natum est ad formam nobiliorem: sed talis non potest esse, nisi aliqua vita: ergo corpus cœli natum est ad aliquam vitam: cum ergo natura non agat frustra, neque deficiat à necessarijs: relinquitur, quod viuunt, & habent vitam.

Philos. Ex 12. Metaph 36.

¶ Item, 12. primæ philosophiæ dicitur: quod *principium mouens cœlum, mouet, sicut mouet desideratum & intellectum*. Ex quo potest argui cum Commentatore, quod cœlum est animatum: quia si mouet cœlum, sicut mouet desideratum & intellectum, tunc illud mobile, quod mouetur ab illo, scilicet cœlum est desiderans & intelligens: ergo est animatum.

¶ Contra. Non est nisi triplex vita creata, scilicet vegetatiua, qua viuunt plantæ: sensitiua, qua viuunt animalia: intellectiua, qua viuunt angeli & homines. Si ergo cœlestia corpora neque sunt plantæ, neque animalia, neque angeli vel homines: relinquitur, quod nulla istarum vitarum viuunt: & ita non viuunt.

¶ Item, incidenter hic potest quæri, Quare non est nisi triplex hæc vita?

RESOLVTIO.

Absit vt cœlos formaliter animatos credamus nos fideles: sed solum effectiue: quia principia vitæ viuorum, viuaque ipsa in in vita conseruantia.

Superiusq. 18. Mẽb. 4

Damasc.

¶ Responsio. quod corpora cœlestia non sunt viua. Hæc autem quæstio non sine ratione disputatur à Theologis: quia positio, qua quidam ponebant cœlos habere vitam; hæresim inducebat. Ex hoc enim ponebant corpora huiusmodi esse Deos, vt alibi scriptum est. Propter hoc sacri doctores determinant, corpora cœlestia non esse animata, neque vitam habere. Vnde Damascenus. *Nullus animatos cœlos, vel luminaria existimet: inanimati enim sunt, & insensibiles.* Dicendum ergo, quod non habent vitam, sicut formam, siue actum: sed tantum effectiue: sicut tantum effectiue habent frigus & calorem, nec sunt frigida vel calida, formaliter loquendo. Et illud videtur velle Philosophus, dicens: quod primus orbis est principium potentiæ & causa in vita.

¶ Qvod autem dicit Commenta. quod principia, quæ sunt in orbibus, sunt viua: potest intelligi de intelligentijs, quæ viuunt; quas ponebant esse motores orbium. Vel potest dici, quod dicuntur viua effectiue.

¶ Si obijciatur, quod dicit; quod principia sunt viua, & cum hoc quod sunt principia vitæ. Dicendum. quod intellectus Commentatoris est, quod orbis primus non solummodo est principium vitæ, sed est causa conseruationis viuentium in vita. Et hoc videtur velle verbum Philosophi, quod est: quod orbis primus est principium potentiæ: vt per hoc intelligatur, quod est principium vitæ; & quod est causa in vita cuiuslibet viui: per hoc intelligens quod sit causa conseruatiua viuentium in vita. Dicit ergo Comment. quod principia sunt viua effectiue, id est, conseruantia viuentes in vita.

¶ Ad alivd, quod sequitur, scilicet quod nulla causa efficiens est minus nobilis, &c. Respondendum est per distinctionem inter nobile & nobile: forma enim corporis cœlestis licet vita non sit, tamen nobilior est quo ad quædam omni vita in istis inferioribus. Forma enim corporis cœlestis omnino separata est à contrarietate: & ideo incorruptibilis est per se, & per accidens, physice dico: & quantum ad hoc forma corporis cœlestis, est nobilior tam vita sensitiua quam vegetatiua. Licet enim neutra composita sit ex contrarijs; vtraque tamen sequitur mixtionem contrariorum, & ideo vtraque corruptibilis.

¶ Item, forma corporis cœlestis est omnino inalterabilis & impassibilis: & quantum ad hoc nobilior est vita intellectiua in hominibus. Huiusmodi enim vita est alterabilis & passibilis, quodammodo, sequendo complexionem corporis. Præterea; quantum ad virtutem, quam influunt in inferiora, qua producuntur in esse & conseruantur: & quantum ad nobilitatem formæ earum, qua omnino terminatur appetitus materiæ: quæ non inuenitur in illis, quæ vita perficiuntur, nobilioris sunt conditionis. Vel potest dici, quod verbum propositum, sc. nulla

[illegible] perfect[illegible] & perfe[illegible] animali, &c. [illegible] proprio & immediato in produ-ctione [illegible] vniuoca, vt quando animal producitur ex animali, vel planta.

¶ Ad illud, quod sequitur: scilicet quod omne generans vel producens habet speciem rei generandæ vel producendæ. Dicendum, quod re vera (vt vult Philos. & Commenta. 7. primæ philosophiæ) *omne quod fit, fit ex conuenienti, tam in naturalibus, quam in artificialibus*. In naturalibus, vt quando animal facit animal [illegible] artificialibus, vt quando mediante forma in mente artificis efficitur forma consimilis in re artificiali. Sed determinatur ibidem à Commenta. quibus concurrentibus hoc intelligi debet: vt forma, scilicet rei vel similitudo sit in agente, non in instrumento: & in agente propinquo, non remoto: & in agente essentialiter, non accidentaliter. Species enim rei producendæ in esse per instrumentum aliquod, nó est in ipso instrumento: vt species imaginis non est in securi vel dolabro: nec species hominis producendi in esse est in sole: neque in agente accidentaliter, vt in agente non secundum intentionem, nec propter finem. Sed quando est agens propriè, non vt instrumentum: & agens propinquum, vt homo agit in generando hominem: & essentialiter, non casu; vt est in eis, quæ fiunt ex causis agentibus propter aliquid; tunc fit quod fit ex conuenienti: & generans vel producens habet speciem rei generandæ vel producendæ.

Philos. Tex. Com. 28.

Vide 12. Metaphys. Commẽ 13.

¶ Ad illvd, quod sequitur: quod omne dans vel agẽs aliquid, habet illud modo vniuoco, vel excellentiore &c. Dicendum, quod dans vel agens aliquid actione vniuoca, habet illud modo vniuoco: agens autem siue dans speciem alicui ex proposito, habet illud quod dat, scilicet speciem illius modo excellentiore. Agens enim aliquid ex proposito, quia agit comprehendẽdo, habet speciem eiusdem in intellectu. Species autem rei modo excellentiore est in intellectu, quam in re ipsa: quia est in maiori puritate & immaterialitate. Et hoc maximè verum est in primo agente, in quo excellentiori modo sunt species rerum, quam in ipsis rebus. Vt enim dicitur 12. primæ philosophiæ: *causa non tantum sunt mota, [illegible], sed ea quæ sunt extrinsecus, sunt causæ*. Super quod dicit Commentator, quod primum mouens mouet ad omnes formas. & quod forma primi mouentis aliquo modo est omnes formæ. Vt autem ibidem exponitur: est principium extrinsecum duplex, primum & secundum. Primum est commune omnibus mouentibus: & hoc est principium, de quo dicit: quod forma primi mouentis est aliquo modo omnes formæ. Secundum autem principium, quod est commune & remotum; non de necessitate est conueniens, id est, conforme: hoc autem principium est illud, quo est actio cœli; quod est agens ex natura, non ex proposito. Vnde tale agens vel dans aliquid, non habet illud, quod dat.

Philos. 12. Metaphys.

¶ Ad illvd, quod sequitur, scilicet quod dicit Augustinus, quod nullum corpus corpori vitam præstat, &c. Dicendum, quod hoc verum est de principio intrinseco, quod per sui vnionem viuificat, tale enim non potest esse nisi forma spiritualis. Et huius ratio est: quia (vt supra tactum est) vita est vigor, qui non potest procedere nisi à substantia simplici carente extensione propter suam actualitatem & nobilitatem. Si autem intelligatur de principio extrinseco, sic non est verum: nisi intelligatur, quod non dat vitam per virtutem omnino corporalem. Potest tamen corpus cœleste habere virtutem aliquam viuificatiuam, per quam dat vitam aliquo modo: quæ quidem non est omnino corporalis, licet habeat esse in corpore: & ideo ex hoc non sequitur, quod huiusmodi corpus viuat. Potest etiam & aliter dici ad hæc & præobiecta: quod illud est verum de eo, quod dat vitam, sicut principium effectiuum, cui principaliter attribuitur forma rei generandæ. Et ideo [illegible] non [illegible], quando agens exterius se habet in ratione excitantis illud, quod latitat interius (sicut patet quod [illegible] secundum quod experientia docet, de ouo [illegible] pullorum. In Aegypto enim de ouis positis in fimo produ-cuntur pulli sine decubatione gallinæ; nec tamen habet vitam [illegible] spiritualem [illegible] per corporale extrinsecus excitatur spiritus [illegible]. Nec huiusmodi productio attri-buendebet excitanti [illegible] gis illi, qui [illegible] tempore oportuno. Vnde August. [illegible] *operatur, sicut vt numeros [illegible] forma [illegible] aspectibus decoris euoluant*. Et sic intelligimus in proposito: sicut enim ex causis [illegible], quibus mundus grauidus est, secundum August. *tempore oportuno animalia quædam producuntur in esse operatione consimili in specie, virtute cœlesti cooperante: vt in generatione vniuoca*. Simili modo ex eisdem causis producuntur quædam animalia in esse mediante virtute cœlesti, excitanti virtutem intra latentem sine operatione continuli: cuiusmodi sunt illa, quæ exeunt in esse corporum corruptione. Et sicut prima productio siue virtus ad producendum est indita creaturis modo isto à prouidentia conditoris: sic & secunda modo secundo. August. ad Orosium. Multa vtique videmus animalia, ex corruptione corporum maximè mortuorum nasci: nunquid tunc creata sunt, quando ipsa corpora: absit vt tunc dicantur creata, quando ipsa corpora, si corporibus insita sunt, & quodammodo initiata, quæ sunt suo tempore exoritura. Sicut enim semen cuiuslibet arboris habet quandam vim, vt cum obrutum fuerit in terra, oriatur, & virgultum producatur: deinde ramis nihilominus constipata dilatetur; frondibus de eisdem floribus decorata, fructificet: ita & in corpore (vt ita dicam) est quoddam seminarium: vnde suo tempore (curante prouidentia Dei) aliqua genera oriantur. Sed de hoc supra.

Aug. 11. de ciu. Dei [illegible] in hoc explicat. [illegible]

¶ Ad alivd, quod sequitur, scilicet quod corpus cæleste est nobilius, &c. Dicendum, quod licet sit nobilius quantum ad proprietates luminositatis & incorruptibilitatis: nõ tamen quantũ ad dignitatem suscipiendi vitam: pro eo quod forma viuificatiua est multarum operationũ principium: ideo corpus aptum ad talem formam, non potest esse nisi corpus heterogeneum: & quantum ad naturam complexionis, quæ ex multis causis, & quantum ad esse organizationis: quam quidem nullum corpus cœleste habet: & ideo non habet tantam idoneitatem respectu vitæ. Ac per hoc ratio illa non est à minori: quamuis enim sint nobiliora quantum ad aliquas conditiones; nõ tamen quantum ad omnes; vt visum est.

Quæst. 54. Memb. 2. quæst. 80. Memb. 2.

¶ Ad vltimvm, dicendum: quod Philosophus loquitur de vltimo mouente, qui nullo modo mouetur per se, neque per accidens: qui dicitur mouere vt desideratum & intellectũ; non quia sit desideratum, & intellectum ab ipso primo orbe, vel alijs; sed à motore primi orbis: & hoc * quia posuit intelligentias motores orbium. Dicitur enim mouere vt desideratum, & quantum ad effectus, qui fiunt in inferioribus per motum orbis primi & aliorum: & quãtum ad effectum assimilationis ipsorum orbium ipsi primo. Motores enim orbium desiderant & intelligunt ab ipso primo mouente, aliquos effectus fieri in istis inferioribus mediante motu corporum supracælestium, & etiam in ipsis corporibus cœlestibus, quorum ipsi sunt motores, coniuncti effectus in orbibus ipsis, est assimilatio ipsi primo. Vel potest aliter dici; quod dicit Philosophus, quod primum mouet sicut mouet desideratum & intellectum, non quia ipsa mobilia seu mota, scilicet corpora cœlestia desiderant & intelligunt ipsum: sed quia ipsum primum mouens mouet, sicut illud mouet, quod desideratur & intelligitur, id est, sicut finis mouet desiderantes ipsum, & intelligentes: hoc est mouet, nullo modo motus. Vnde Cõmenta. *Cum primum mouens mouet, & non mouetur, neque secundum accidens, neque secundum seipsum; sicut mouetur anima, quæ est in corpore, necesse est vt iste motor moueat, quemadmodum desideratum & affectum mouet nos.* Nota quod dicit, *mouet nos*. Si autem videatur alicui Commentatorem sensisse (vt videtur ex verbis eius) corpora cœlestia habere vitam. Non est in hoc vis facienda: cum ille & alij commentatores in multis male senserunt, & in opinionibus suis errauerunt.

*Alias, propter ponẽtes.

Comment.

¶ Ad illud, quod quærebatur in alia parte: sc. quare vita huiusmodi tantum triplex est. Potest dici, quod vita in huiusmodi [illegible] inferioribus actus animæ est [illegible] vero non [illegible] vegetandũ, vel co[illegible] vegetandũ [illegible]

ad cognoscendum vero potest esse vel respectu sensibilis, & sic est sensitiua: vel respectu intelligibilis, & sic est intellectiua. Item sicut dimensio in corporibus non stat citra ternarium, nec excedit ipsum; propter huius numeri completionem, vt habetur in principio cœli & mundi: sic vita siue anima, quæ est completio siue perfectio corporum, in numero eodem completur.

ARTICVLVS V.

An in animalibus sanguine carentibus vita sit.

SEQVITVR inquirere: Vtrum carentia sanguine viuant. ¶ Quod sic, videtur, cũ certa experientia sciamus, quod multa sunt genera piscium, quæ carent sanguine, quæ nihilominus viuunt. ¶ Contra, super illud: *Carnem cum sanguine non comedetis.* Interlin. quia sedes animæ in sanguine est. Et: *Ceruum comedes, absque esu*, duntaxat sanguinis. Interlinear. sanguis pro anima ponitur: quia sedes animæ, i. humanæ vitæ in sanguine est. Ex his videtur, quod carentia sanguine non habeant animã, neq; vitam: cum hæc habeant esse in sanguine. ¶ Præterea, cum anima sit substantia spiritualis non habens situm, neq; determinans sibi partẽ, in qua sit per positionem: quare dicitur habere sedem in sanguine? ¶ Præterea, si sedes animæ, id est, humanæ vitæ est in sanguine; cum in omnibus membris sit sanguis, in omnibus membris est vitæ sedes: cuius contrarium videtur ex lib. de Mo. cor. vbi dicitur: quod proprium domicilium vitæ est cor. ¶ ITEM, quandoque dicitur sanguis esse sedes animæ, siue vitæ: quandoque cor: sicut habetur à Cassiodor. & ex lib. de Motu cor. quandoque caput: sicut habetur à Cassiodor. quandoque cerebrum, sicut habetur à medicis: quæ est ratio huiusmodi differentis assignationis?

Gen. 9.
Deut. 12.
Auctor libri de motu cordis.

RESOLVTIO.

Adhuc & ijs vitam inesse, experientia docet; nec ratio abducit.

¶ RESPONSIO, quod carentia sanguine viuunt & habent vitam, & animas. Cum autem dicitur, quod sedes animæ est in sanguine: ibi dicitur anima, vita carnalis: quæ finitur morte. Vnde Leuit. 17. *Anima carnis est in sanguine.* Ibi Aug. *Aliquid vitale est in sanguine: quia per ipsum maxime in hac carne viuitur: qui per omnes venas corporis diffunditur, ipsam vitam corporis vocauit animam; non vitam, qua migrat, sed quæ morte finitur, qua locutione dicimus, istam vitam temporalem esse, non æternam; mortalem, non immortalem; cum sit immortalis anima, quæ portatur ab angelis in sinu Abrahæ.* Luc. 16. Et hoc est, quod dixit Apost. Act. 20. *Non facio animam meam pretiosiorem, quã me*: ibi vocat animam vitam temporalem. Vita ergo temporalis hominis, & vita pecudum dicitur esse in sanguine; quia inter quatuor humores sanguis est temperatissimus, & maxime amicus naturæ: & omnia membra tam solida, quam mollia ortum habent à sanguine, tanquam à nutrimento: omnium n. membrorum sanguis est nutrimẽtum. ¶ Cum ergo obijcitur, quod cum anima & vita habeant esse in sanguine, &c. Dicendum, quod verbum prædictum intelligi debet in habentibus sanguinem.

Leuit. 17.
Aug. ibi.
Act. 20.

¶ AD illud, quod consequentur quæsitum est, sc. quare anima, cum sit substantia spiritualis, &c. Similiter & vita. Dicendum, quod anima nõ sumitur pro substantia spirituali, cum dicitur quod sedes animæ est in sanguine, quæ est perfectio corporis organici, & quæ sua præsentia corpus viuificat: vt dicit Augustin. in Lib. de Anima & spiritu: sed sumitur pro vita corporali: cuius sedes dicitur esse in sanguine, quia sanguis est amicus naturæ: vnde maxime est conseruatiuus eiusdem; & ita vitæ per consequens. Et dicitur in Lib. de Mo. cor. quod calor, & humor sunt conseruatiua vitæ, quæ sunt propriæ qualitates sanguinis, & quia sanguis maxime est nutrimentum membrorum; quorum esse & ordo est propinqua dispositio ad informationem animæ, ex cuius colligantia cum corpore est vita corporalis.

Auctor de motu cordis.

¶ AD illud, quod sequitur. Dicendum, quod cor dicitur domicilium vitæ ratione præsidentiæ vis vitalis: quod non impedit, quin vita sit in alijs membris corporis: Vt enim dicit Augu[...] *vita[...] corde, quæ ad concu[...] dum feruorem cordis, a ren[...]endo, atque reddendo, vitam & salutem to[...] corpori tribu[...] aere namque puro sanguinem purificatum per tot[...]m corpus impellit per venas pulsatiles, quæ arteriæ vocãtur: ex quarum mot[...] temperantiam atque distemperantiam cordis Physici cognoscunt.* E[t] Cassio[d]. *Quidam sedem animæ, quamuis sit toto corpore diffusa, in corde esse voluerunt, dicentes: quod ibi est purissimus sanguis, & vitalis spiritus continetur.*

Aug. in li. de anima & spiritu.
Cassiod. li. lib. de anima.

¶ AD vltimum quæsitum iam patet responsio, sc. quare sanguis dicitur sedes vitæ: similiter quare cor dicitur domicilium vitæ. ¶ Quare autem animæ sedes dicitur caput: ratio est sublimitas membri & figura: quod bene cõpetit sublimitati figuræ rationalis creaturæ. Vnde Cassiodor. Plurimi in capite insidere manifestant, sc. animam (si fas est cum reuerentia tamen dicere) ad similitudinem aliquam diuinitatis: quæ licet omnia ineffabili substãtia sua repleat; scriptura tamen cœlis insidere cõfirmat. Dignum est enim vt arcem peteret, quæ se nouerat cœlesti operatione sublimem: & tali loco præ cæteris versari; vnde reliqua membra debuissent competenti regimine gubernari. Nam & ipsa figura capitis sphæra pulcherrima est, in qua sibi immortalis atq; rationalis anima dignam faceret mansionem. Item, medici ponunt cerebrum esse templum, siue sedem animæ, & hoc maxime quantum ad illam partem animæ, quæ est cognitiua. Sicut n. in templo sunt tres partes principales, vestibulum, consistorium, & apoteca. Ita phantastica cellula, logistica, & memorialis, partes sunt cerebri principales. Anima ergo in phantastica cellula quasi in vestibulo diuersas per imaginationem suscipit formas: in logistica cellula quasi in consistorio de imaginaris ratione discernit: in memoriali cellula quasi in apoteca anima ea, quæ imaginatio recipit, ratio discernit, per memoriam conseruat.

ARTICVLVS VI.

An & in Embrione vita sit?

SEQVITVR inquirere: Vtrum vita sit in embrione ante organizationem? Quod sic, videtur per Philos. vbi dicitur: *Omne conceptum viuit, sicut viuunt arbores*: & vocat [*conceptum*] semen relictum in matrice à generante. ¶ Item, in eodem: *Non potest aliquis dicere, quod conceptum non habet animam omnino, & quod est priuatum vita.* ¶ Item, in Lib. de Mo. cor. *ordinantur actus animæ*: dicitur enim sic. Viuit & vegetatur animal, sentit & mouetur, discernit & intelligit: & quæ ex eis oriuntur, non facile numerabilia efficere habet. Et harum potentiarum hæc prima distantia est: quod vitam quasi præuiam cæteræ sequuntur; sine qua nullam cæterarum inesse possibile est: actus enim consequentes necessario præsupponunt priorem. Ergo cum in embrione vigeant actus consequentes ad vitam, sicut actus vegetandi, & augmentandi, & huiusmodi: relinquitur quod in illo est actus prior, qui est vitæ, siue vita. ¶ Item, cum sine virtute animæ vegetabilis & sensibilis non possit corpus hominis organizari, & præparari conuenienter ad susceptionem animæ rationalis, necesse est prius esse animã vegetabilem & sensibilem in semine, quam corpori organizato infundatur anima rationalis. Et hoc videtur Philos. velle. dicit enim: *Necessario erit in concepto prius anima cibatiua; & cum creuerit, erit in eo anima sensibilis, per quam dicitur animal: & non est animal simul & homo.* Ex hoc videtur, quod embrio, vel semen sit animatum in matrice: & si hoc, viuit: dicitur enim in Lib. de Mo. cor. *Animatum & viuens ad seinuicem paria sunt.* ¶ Item, in Lib. de Mo. cor. *Vitam actu omnibus æqualiter inesse, necesse est: æquè n. est viuens embrio & adolescens.* Ex his patet propositum.

Philos. 16. animaliũ.
Idem in eodem.
Auctor de motu cordis.
Philos. 16 de animal.
Auctor in lib. de motu cordis.

¶ CONTRA, sicut tactum est; dicitur in Lib. de Mo. cor. animatum & viuens ad seinuicem paria sunt: si ergo embrio viuit, est corpus animatum: ergo vel planta; vel animal: quorum vtrumque est falsum. ¶ Item, ex hoc sequeretur, quod plures animæ secundum substantiã essent in homine: contrarium dicit August. sic: *Neque duas animas esse dicimus in vno homine (sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt) vnam animalem, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spiritalem, quæ rationem ministret. Sed dicimus animam esse vnã eandemq; in homine: quæ & corpus societate sua viuificet, &*

In eodem.
Aug. in lib. de ecclesiæ dogmat. cap. 15.

semetipsam sua ratione disponat: habens in se libertatem arbitrij, & in sua substantia eligat cogitatione, quod vult. Idem dicit in Lib. de Spiritu & anima.

Idem.

RESOLVTIO.

Et in Embrione etiam vitam inesse asserimus: verum extenso nomine vita. Quia non ex præsentia animæ informantis: sed ex influentia, quam à corpore continente recipit, viuit.

¶ RESPONSIO. Circa hanc materiam diuersi diuersa sentiunt. Quidam n. dicunt, quod embrio viuit ante organizationem, & habet animam vegetatiuam, & sensitiuam ante infusionem animæ rationalis: innitentes verbo Philosophi supradicto: & isti ponunt hominem habere tres animas, vel saltem tres substantias animæ. Notandum ergo, quod quidā dixerunt tres substantias incorporeas esse in homine, sicut tres vitas, sc. vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Dicunt etiam, quod homo habet substantiā incorporeā, qua viuit, crescit, & nutritur: & hoc ex traduce generatione, in qua conuenit cum plantis: habet substantiam incorpoream, qua sentit, ex cœlo & stellis, secundum quam conuenit cum brutis: habet & substantiam, qua viuit & intelligit, immediate à Deo per creationem: vnde ponunt tres animas in homine.

¶ Alij dicunt, quod quamuis sint tres substantiæ; non tamen tres animę in homine: quia anima nomen est perfectionis: ideo substantia vegetabilis non est anima, nisi in plantis, quarum est perfectio: sensibilis vero nisi in brutis: in homine autem sunt quasi materiales ad rationalem, & rationalis est cōpletio, & ideo ipsa sola est anima in homine, alijs existentibus vt dispositionibus materialibus ad ipsam. De vnione autem illarum adducunt exemplum in radijs ignis, & solis, qui quandoque vniuntur in aere, in quo non est nisi quasi vnus; & hoc propter eorum simplicitatem. Et sicut contingit quod radius ignis cum igne corruptibilis est, radius solis cum sole incorruptibilis: sic duæ corrūpuntur* cum corpore, sc. vegetabilis, & sensibilis: tertia remanet & separatur à corpore vt radius ab aere. Et dicunt, quod prius tempore est in semine ipsa vegetatiua, qua nutritur & crescit: deinde cum creuerit, subsequitur per influentiam corporis cœlestis sensitiua: vltimo vero infunditur per creationem rationalis vt perfectio vltima. Nec sequitur; ante infusionem animæ rationalis, qua est homo, est sensibile & animatum: ergo leo, vel capra &c. quia est animal imperfectum: imperfectum (dico) non sicut dicitur animal imperfectum, quod non habet omnem sensum, sed imperfectum, quod est materiale ad vltimum completiuum. Non sunt etiam differentes specie, quamuis differentes substantiales perfectiones, quia vna est materia vel dispositio ad aliam, & ideo est simplex vna perfectio* vltima, sc. rationalis. Sed hæc positio est simpliciter contra August. dicentem, plures animas non esse in vno homine: non enim intendit per hoc non esse plures perfectiones vltimas in homine, sed intendit instruere vnam animam rationalem esse in homine: cuius potentiæ, siue ex cuius essentia sunt vegetatiua & sensitiua. Quod patet per hoc, quod dicit in Lib. de Anima & spiritu. *Anima dum carne exuta est, viuit, videt, & audit; & omnes sensus atque ingenia viuaciter tenet.* Non n. poneret animam exutam sentire, nisi ex sua essentia haberet potentiam sentiendi, & illa virtute, qua anima sentit, sensificat corpus, quod perficit.

* Alias, in.

* Alias, sc. vltima rationalis.

Aug. in li. de anima & spiritu.

¶ Alij ponunt (supposito quod rationalis habeat suam vegetatiuam, & sensitiuam) necessario duas vegetatiuas & duas sensitiuas in eodem esse, & priores cessare ab operatione, fortiore virtute superueniente. Hoc non videtur probabile, quia cum natura nihil agat frustra, vt vult Philosophus: multo fortius nec autor naturæ, sed si duæ essent vegetatiuæ, & duæ sensitiuæ in homine; altera esset frustra. Præterea, ex hoc sequitur, quod in homine sunt plures animæ distinctæ secundum substantiam: cum potentia animæ non sit sine substantia: quod est contra August.

1. Cœl. 32.

¶ Quidam aūt ponunt priores corrumpi, rationali aduenientē, & tanquam ad tempus commissas, completa organizatione, deficere. Hoc aūt nō videtur probabile, cum organizatione completa, fortius vigeant vegetatiua, & sensitiua, eo quod sunt fini suo magis coniunctæ. Præterea, vnde esset illis ratio deficiendi; cum huiusmodi animæ non habent defici nisi ex aliqua dissolutione, siue corruptione facta circa subiecta earum. ¶ Propter hoc videtur aliter dicendum. & pōt quidem dici sine præiudicio, quod (proprie loquendo) embrio non viuit eo modo, quo illud dicitur viuere, quod habet animam formā, & sui perfectionem: huiusmodi n. propriè dicuntur viuere. Impropriè aūt loquēdo, & extenso nomine vitæ; eo modo loquendi, quo omnia illa dicuntur viuere, quib. cōmunicatur aliqua operatio vitæ; siue hoc sit ex præsentia animæ viuificātis & informantis illud; siue ex contiguatione vel continentia alicuius viuificati vel viuentis ex præsentia animæ informantis illud: sic potest dici viuere: eo profecto modo quo poma possunt dici viuere, non quia viuificātur ex præsentia animæ viuificantis siue informantis, sed ex influentia quam recipiunt ex planta, cui contigua sunt. Potest ergo dici quod embrio viuit, extenso nomine vitæ, nec viuit ex præsentia animæ informantis; sed ex influentia, quam recipit à corpore continente.

¶ AD illud ergo, quod primo obijcitur illud Philosophi: quod conceptum viuit, sicut viuunt arbores. Dicendūm, quod [*viuere*] sumitur ibi pro vegetati, sub hoc sensu: conceptū vegetatur, sicut vegetantur arbores: ita tamē quod per hoc, quod dicitur [*sicut*] notetur similitudo quātum ad genus actus: non quantum ad modum, id est, conceptum, & arbores habent similitudinem in hoc, quod vtrumq; vegetatur.

¶ AD illud, quod obijcitur, sc. quod non pōt dici, quod conceptum non habet animam omnino. Dicēdum, quod hoc verū est: quia habet animam operantem aliquo modo in ipso, i. operationem animæ: non tamen habet animam informantem. Vnde facienda est vis in hoc, quod dicit, omnino: quia nō potest vere dici separati anima omnino à concepto, sc. quantum ad operationē, & quantum ad substantiam. Quod autem subditur [*& quod priuatum est vita*] sic intelligendum est, cum hac determinatione, omnino: quia aliquo modo viuit, vt dictum est.

¶ AD illud, quod obijcitur, ꝙ viuere est primus actus animæ, quem præsupponunt consequentes. Dicendum, quod eo modo quo habent esse; habent ordinem: cum n. datur vita alicui mediante anima informante illud, & cōsequenter vegetatur & sentit mediante eadem: cum autē datur vita alicui aliquo modo ex contiguatione & continentia alicuius alius, quod viuificatur ex præsentia animæ informantis illud; & consequenter vegetatur & sentit mediante illo, à quo cōtinetur: & hoc per influentiam, quam recipit ab illo.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod corpus organizatur, & præparatur ad susceptionē animæ rationalis mediante virtute animæ vegetatiuæ, &c. Dicendum, quod in decisione seminis à generante derelinquitur virtus in semine, quæ inualescit, & vigoratur à virtute continentis: sicut natura quandoq; confortatur, & roboratur opere artificis. Vnde ipsa virtus relicta in semine sic vigorata & roborata, operatur ad organizationem; & præparat corpus, & reddit congruum ad animæ rationalis susceptionem, incessanter cooperante, & influente ipso continente. Vnde non est necesse prius inesse animam vegetabilē & sensibilem ipsi embrioni per modum informantis, vt sic præparetur ad animæ rationalis susceptionem: sed solummodo per modū exterioris, præparantis ipsum corpus, quod debet esse organum, siue perfectibile ipsius animæ perficientis. Quod autem dicit Philosophus, *necessario erit in concepto prius anima cibatiua, & cum creuerit, erit in eo anima sensibilis*, &c. hoc intelligitur quantum ad virtutem operatiuam, non quantū ad substantiā informatiuā: prius n. fiunt in eo operationes vegetatiuæ, quæ sunt, alimento vti, & augmentari; ꝗ opera sensitiuæ, & sensitiuæ, ꝗ intellectiuæ. Vnde verbū Philos. debet intelligi quantum ad esse per virtutem operatiuam; non quantum ad esse per essentiam informatiuam.

Philos.

¶ Si obijciatur, ꝙ non est virtus sine substantia. Dicendum, ꝙ hoc verū est, sed est substantia, in qua radicatur virtus, & est substantia, qua qñq; defertur virtus: vnde nunquam est virtus sine substantia radicali vel deferente.

¶ Quod

Auctor lib. de motu cordis. ¶ Quod autem dicitur in Lib. de Mo. cor. *quod animatum & viuens ad se inuicem partia sunt.* Potest dici, quod hoc intelligi debet de viuente, propriè dicto, id est, de viuente per præsentiam animæ viuificantis.

In eodem. ¶ Ad illud, quod sequitur: quod dicitur in Lib. de Mo. cor. quod *aequè est viuens embrio & adolescens.* Dicendum, quod embrio dicitur nomine extenso fœtus formatus, & organizatus.

ARTICVLVS VII.

An & in humoribus vita sit?

SEQVITVR inquirere: Vtrum humores viuant? Quod sic, videtur, nihil resurget, nisi quod viuit: cum illud, quod resurget, sit de veritate humanæ naturæ: ergo si humores non viuunt, non resurgent: sed resurgent, sicut patet in Christo, in quo resurrexit sanguis: cuius Sacramentum est species vini in Sacramento altaris: sanguis n. qui ibi sumitur, est glorificatus. ¶ ITEM, Christus secundum corpus factus est ex purissimis sanguibus beatæ Virginis: sed constat quod ipse sumpsit carnem ex substantia, quæ viua fuit in Virgine: ergo sanguis vixit in illa: similiter videtur in alijs. ¶ ITEM, omne illud viuit, in quo est sedes animæ, siue vitæ: sed humor sanguineus est huiusmodi; vt ex dictis patet: ergo viuit: consimili ratione videtur quia & alij humores similiter. ¶ ITEM, cor est domicilium vitæ, vt habetur in Lib. de Mo. cor. Sed (vt recitat Cassiod.) *in corde purissimus sanguis, & vitalis spiritus continetur:* ergo humor huiusmodi, sc. sanguineus maxime approximatur principio vitæ, i. cordi: sed quãto aliquid est principio vitæ proximius, tanto magis vitam participat: ergo videtur, quod huiusmodi humor magis participat vitam, quam extremitates corporis; quæ magis distant à corde. ¶ ITEM, humores nutriuntur, augmentantur, & diminuuntur: nutriuntur n. & augmentantur ex cibis sanis & amicis naturæ: huiusmodi autem actus sunt animæ vegetatiuæ: ergo &c.

Cassiod.

¶ CONTRA, nihil viuit, quod non est colligatũ membro: humores autem non sunt colligati membris (sunt n. in partibus corporis sicut in vase, sc. in venis: vnde sine læsione fit horum diminutio: ergo &c. ¶ ITEM, ipsis humoribus nutriuntur membra: alimentum autẽ, quo membra nutriuntur; antequam conuersum fuerit in membrum, nõ est subiectum vitæ: ergo &c. ¶ ITEM, nihil viuificatur ab anima, nisi quod habet stabilitatem & fixionem in corpore, sed humores non sunt huiusmodi; quia continuè fluunt: ergo &c.

RESOLVTIO.

Nec dum ab humoribus vitam auferimus: sed bene minime propriè illis inesse autumamus.

¶ RESPOND. quod viuere dictum de corpore, tripliciter accipitur, scil. propriè, minus proprie, & minime proprie. Propriè viuere dicitur illud corpus, quod vnitur animæ, ipsum perficienti: sicut corpus organizatum iam actu ab anima perfectum. Minus proprie dicitur viuere, quod licet non sit vnitum animæ perficienti, coniunctum tamen est corpori habenti animam vt perfectionem: & licet non habeat animam, habet tamen aliquam virtutem vitalem, per quam vt per virtutem alienam (sc. alicuius contigui, vel continentis) habet operationes consimiles rei viuæ: sicut est in præcedentibus dictum de Embrione, & sicut est de capillis, & vnguibus. Minime dicitur viuere, quod ex colligatione sui cum corpore viuente, recipit aliquam vegetationem: vnde est in dispositione ad vnionem cum corpore viuificato, & est sicut instrumentum respectu virtutis vitalis: quamuis non sit vnitum animæ, nec habeat virtutem vitalem intra se. Et per hunc modum dicuntur viuere spiritus & humores, qui deseruiunt virtuti vitali; & per illam in corpore quodãmodo vegetantur, & augmentantur, & restaurantur. Vegetantur (dico) communiter loquendo: eo modo quo vegetari dicitur in corpore; quod non putrescit, vel corrumpitur. Sic igitur (impropriè loquendo, vel accepto viuere) concedi potest, quod humores viuunt. Si autem proprie accipitur: sic dicendum, quod non viuunt: sicut rationes ad secũdam partem ostendunt.

Art. immediate præcedenti.

¶ AD primum, quo ostenditur, quod viuunt propriè, quia resurgent. Potest dici, quod nõ solum resurget, quod viuit, primo modo viuendi dicto, sed secundo, sicut capilli, & vngues: & etiam quod tertio, sicut humores, qui resurgent (vt dicunt quidam) forte ad decentiam repletionis vacuitatis in corpore, siue in venis: vel ad complementum corporis humani. Supponatur autem hoc de resurrectione humorum, de qua erit quæstio in loco suo.

¶ AD illud, quod sequitur; quod cum dicitur: quod Christus factus est secundum corpus ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis: sicut dicit Damasc. & recitat Magister in Senten. non intelligitur de sanguine, qui est vnus de quatuor humorib. sed sanguis sumitur ibi pro carne. Vnde quandoq; dicitur factus de carne, quandoq; de sanguinibus. Ratio autẽ, quare dicitur Christus assumpsisse carnem de sanguinibus Beatæ Virginis, potest esse, quod illa portio carnis, de qua factus est Christus secundum corpus, vim habebat seminis: propter quod conuenienter sanguis nominatur, qui est in propinquiore conformitate ad semẽ, quam caro. Vnde sicut dicit Magister in Sent. Spiritus S. potentiam contulit generandi B. Virgini absq; semine virili, & Damasc. dicit, quod in virgine erat semen diuinum. Damasc. & Magister. Iidem.

¶ AD illud, quod sequitur. Patet responsio ex supradictis, vbi tactum est: propter quid sanguis dicitur sedes animæ, & quis est intellectus verbi huius. Memb. 3. huiusce quæst. ar. 5.

¶ AD aliud; quod sequitur: quod sanguis est propinquior principio vitæ, &c. Potest dici, quod huiusmodi propinquitas non est causa vitæ siue viuificationis, sed potius aptitudo suscipiendi vitam, siue viuificationem ab anima, quæ prouenit ex propinquitate, siue conformitate harmoniæ, & neruorum, quæ est rei viuentis ad animam viuificantem.

¶ AD vltimum dicendum, quod humores non nutriũtur, vel augmentantur; sicut illa, quæ viuunt ex influentia animæ perficientis illud, quod continet ipsos humores. Vnde illa eadem proprietate, qua dicuntur viuere, dicuntur nutriri, & augmentari: prout nutriri & augmentari dicuntur opera vegetatiuæ. Hoc dico, quia in aliquo, vegetare, & augmentari, non est opus vegetatiuæ, sicut in igne, qui dicitur nutriri, & augmentari.

QVÆST. LXXXVIII.

De mortalitate primi hominis.

In quatuor Membra diuisa.

QVONIAM à principio intendebatur in parte ista determinari de passibilitate primi hominis per separationẽ animæ à corpore: hoc est, vtrum erat mortalis; mors autem est quasi priuatio vitæ, & cognitio habitus confert ad cognitionem priuationis: aliqua sunt tacta de vita. Propterea nunc sequitur de mortalitate: de qua quatuor quærentur. Primo quæretur absolute de eius mortalitate, & immortalitate: si erat mortalis primus homo, vel immortalis. Secundo, habito quod immortalis, à quo erat illa immortalitas. Tertio, vtrum eadem erat cum immortalitate gloriæ. Quarto, vtrum eadem erat potentia, qua erat mortalis & immortalis.

D. Tho. 1. par. q. 97. ar. 4. S. Bo. in 2. d. 19. art. 3. Sco. ibid. q. 1.

MEMBRVM I.

Adam mortalis, an immortalis fuerit secundum corpus?

QVÆRITVR primo: Vtrum primus homo in statu innocentiæ erat passibilis per separationẽ animæ à corpore: & hoc est: Vtrum erat mortalis quantum ad corpus. Hanc quæstionem determinat Magister dicens sic. *Primus homo secundum naturam corporis terreni immortalis fuit quodammodo secundum aliquid; quia potuit non mori: & mortalis quodãmodo, quia potuit mori.* Sed ostenditur, quod fuit immortalis tunc, id est, nõ potens mori, sicut dicit Apost. *Stipendia peccati mors:* ergo nullo modo infligenda est mors, nisi post peccatum: ergo ante peccatum nulla est passibilitas ad mortem, quia peccatum est medium, sine quo nullo modo potest suscipi ex parte susceptibilis pœna, neq; infligi ex parte infligentis: ergo videtur, quod in statu innocentiæ nul-

Magist. in sent. lib. 2.

Rom. 6.

ergo immortalitas fuit à natura. ¶ ITEM, immortalitas est à potentia continuandi vitam: sed constat, quod potentia viuendi est naturalis: cum contrahatur ex coniunctione animæ cum corpore, quæ naturalis est. Sed eadem est potentia continuandi vitam, quæ est viuendi, vt videtur: sicut eadem est gratia, quæ viuificat, & consummat per perseuerantiam: ergo potentia continuandi vitam est naturalis. ¶ ITEM, eadem potentia est principium vitæ, & principium continuationis vitæ: naturaliter habuit in se principium vitæ: ergo &c. ¶ ITEM, natura est ad hoc, vt saluetur diuinum esse, quantum potest: diuinum autem esse est similiter se habere: ergo natura est ad hoc, vt illud, in quo est, similiter se habeat: quod autem non potest natura in hoc, vt saluetur esse diuinum in eodem, hoc est propter corruptionem peccati: ergo & natura non corrupta, scilicet bene instituta in hoc potest: ergo est causa immortalitatis. ¶ ITEM, in primo statu nihil erat in primo homine impellens ad corruptionem: igitur de natura propria erat immortalis. Et cum nihil extra illum lædere poterat. ¶ ITEM, Eo quod erat innocens, erat immortalis: ergo à quo erat innocentia, erat immortalitas: sed innocentia erat à natura: ergo & immortalitas erat à natura. ¶ ITEM, August. *Deus est vita animæ: anima est vita corporis.* (Vnde anima sicut medium inter Deum, & corpus; recipiens vitam à Deo, tribuit vitam corpori.) Ergo si anima semper esset coniuncta suæ vitæ, semper esset corpus coniunctum suæ: sed statu durante innocentiæ, semper esset anima coniuncta suæ vitæ: ergo &c. igitur semper dedisset vitam corpori, & ita immortalitatem.

Aug. de ciuit. Dei.

¶ SI diceretur, quod hoc non sequeretur: quia hac ratione homo in gratia non moreretur. Hoc tamen non est simile: quia modo est corpus necessario morti addictum. Præterea. Illa influentia à Deo in Adam non fuit gratuita, sed naturalis. ¶ ITEM, vt dicit August. Nihil erat corruptionis in corpore, vel ex corpore: nullas molestias vllis eius sensibus ingerebat: nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus ictus metuebatur: Et ita sine gratia fuit remota ab homine omnis causa mortis: quare fuit immortalitas sine gratia. ¶ ITEM, immortalitas fuit illi ex ligno vitæ. Dicit enim August. *quodam modo creatus est homo immortalis*: quod ei erat ex ligno vitæ, non conditione naturæ: mortalis erat ratione corporis animalis: immortalis beneficio conditoris. Et Hugo dicit, quod primus ille homo nō secundum qualitatem corporis terreni, sed ex beneficio vitalis edulij non mori potuit, manifestè scriptura ostendit: vbi eum ab eodem ligno eiectum, ne vitam ipsam perpetuam conseruare posset, testatur, dicens: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus. Et ita videtur, quod neque de natura sua, neque ex gratia erat immortalis, sed ex ligno vitæ. ¶ ITEM, incidenter quæritur: si bruta essent vsa ligno vitæ, vtrum continuarent vitam suam huiusmodi vsu.

Idem 13. de eadem.

Idem super Genesim.

Hugo.

Quæstio incidentalis.

RESOLVTIO.

Adæ immortalitas in primo statu non à natura, sed gratia, naturæ superaddita fuit à gratia (inquam) gratis data.

¶ RESPONDEO. Quidam ponebant, quod immortalitas in primo homine esset à natura: quia sua natura haberet aptitudinem ad immortalitatem. Quidam, quod à gratia, quia à dono gratuito habebat completionem. Et potest esse exemplum ad hoc: cum dicitur, homo est beatificabilis; notatur ibi aptitudo & dispositio superaddita: similiter cum dicitur; homo est immortalis. Vnde sicut homo quodammodo potest dici beatificabilis per naturam: quodammodo per gratiam similiter primus homo immortalis: prout enim hoc quod dico [*beatificabile*] importat aptitudinem, conuenit homini per naturam: à natura enim sua habet aptitudinem ad beatitudinem: secundum autem quod importat dispositionem, per quam quis sufficienter disponitur ad susceptionem actus beatitudinis, inest illi per gratiam, non per naturam. Sicut ergo licet homo à natura habeat aptitudinem ad beatitudinem, non propter hoc dicendus est beatificabilis à natura; nisi valde per accidens: sed potius à gratia, quæ est disponens & ordinans ad susceptionem beatitudinis immediate: sic in proposito. Propter hoc dicendum est, quod immortalitas primi hominis non fuit à natura; sed à gratia: vt habetur à Magistro, dicente: *Alterum habebat a natura corporis*, scilicet posse mori: *alterum vero ex dono gratiæ.* Hoc idem dicitur ab Hugo. vt patet ex dictis. ¶ Nota ergo, quod sicut triplex est status, scilicet innocētiæ, in quo poterat primus homo peccare & non peccare, similiter mori & non mori. Secundus, in quo poterat peccare, & non poterat non peccare, similiter poterat mori & nō poterat non mori. Tertius, in quo poterit nō peccare & non poterit peccare, similiter poterit non mori & non poterit mori. Similiter triplex est gratia, scilicet perfecta, & imperfecta in duplici differentia: quia imperfecta est gratia gratis data respectu gratiæ gratum facientis. Similiter gratia gratum faciens secundum quod est viatoris in quantum huiusmodi, qua solum tollitur miseria culpæ; respectu gratiæ gratum facientis, secundum quod est comprehensoris, qua tollitur non solum miseria culpæ, sed pœnæ. Fuit ergo immortalitas primi status, id est, possibilitas non moriendi à gratia gratis data, non gratum faciente. In secundo statu est immortalitas, id est, possibilitas non moriendi spiritualiter, à gratia gratum faciente (dicit enim Hugo. quod in secundo statu est moriendi & peccandi necessitas: sed moriendi necessitas, quādiu adest vita; peccandi necessitas quamdiu abest gratia; ex quo patet, quod ex præsentia gratiæ est possibilitas non peccandi.) In tertio statu erit immortalitas, id est, possibilitas moriendi ex gratia perfecta. Possunt ergo rationes concedi, quibus ostenditur: quod hæc immortalitas non erat à natura, sed à gratia naturæ superaddita.

Magist. li. 2. sent.

¶ AD illa, quæ obijciuntur in contrarium respondendum. Ad id ergo, quod obijcitur: quod æquelibrata erant elementa à natura: similiter virtus nutritiua, & alimētum similiter. Dicendum, quod huiusmodi immortalitatis erat causa multiplex, siue vna ex multis. Vna illarum erat proportio mixtorū in conuenienti æqualitate virtutum elementarium, & harmonia, quæ magis esset causa pacis quàm pugnæ: iuxta quod exigebat optima complexio, & sanitas perfectissima: qualis erat ipsius Adæ: vnde August. de ciuit. Dei, dicit: quod in carne eius summa sanitas erat. Huiusmodi autem mixtio & harmonia defectibilis erat; nisi conseruaretur, & mortis introductio possibilis. Et hoc ex triplici causa intrinseca; vt si consumeretur humidum intrinsecū, si mixtorum esset pugna, & consequenter abiectio à substantia; & si illorum contraria esset inclinatio. Secundum n. quod vult Philos. propter humidi consumptionem, propter mixtorum pugnā, & cōsequentem abiectionem à substantia eorundem, & cōtrariam eorundem inclinationem, solet esse dissolutio in mixto. Prima causa remouebatur ab Adam per esum lignorū: nam duplex est consumptio humidi, sc. radicalis, & nutrimentalis: cōsumptio humidi radicalis impediebatur propter esum ligni vitæ, quod ideo lignum vitæ dicebatur, ꝙ per illud vegetabatur illud humidum, in quo radicatur vita: consumptio vero humidi nutrimentalis impediebatur per esum aliorū lignorum Paradisi, quæ optimum ipsi Adæ stanti præstabant alimentum: sic ergo prima causa tollebatur per esum lignorū paradisi. Secunda vero causa dissolutionis, quæ est pugna in agendo & patiendo, tollebatur tribus cōcurrentibus, sc. æqualitate mixtionis in optima proportione, & virtute lucis conciliare contraria, & ad quandam amicitiam reducente, & virtute amicitiæ cōtinente: quæ quidem virtus consequebatur ipsam animam in statu innocētiæ, inerat ei per donum gratiæ gratis datæ. Tertia causa dissolutionis, quæ quidē erat ex inclinatione elementorū ad sua loca; tollebatur propter nobilitatem formæ secundum statum innocentiæ: quia anima rationalis omnino pura à peccato, adeo nobilis erat, quod ita terminabat appetitum naturæ: vt illa, quæ perficiebantur ab ea, nequaquam sub alia forma, vel situ appeterent esse. Nec mirum, cum secundum ordinem naturæ (vt dicit Philosophus) ceteræ formæ naturales ordinem habeant ad animam rationalem, sicut ad complementum & finem. Et hac igitur triplici causa erat in Adam proprietas immortalitatis.

Aug. de ciuit. Dei.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod à natura habuit corpus in perfecta æqualitate, &c. Dicendum, quod etsi quædam naturaliter cooperabantur illi immortalitati, vt complexio, & alia quædam: Forte tamen quia à continentia animæ, & à ligno vitæ principaliter erat immortalitas illa: anima vero in statu illo vnita vitæ suæ mediante gratia gratis data, habuit ex illa vnione potestatem perpetuandi vitam, & participãdi suo coniuncto, scilicet corpori, dicitur fuisse à gratia. Anima enim habebat à gratia, quam habuit vnita vitæ suæ, quæ erat summa immortalitas; potestatem participandi quandam immortalitatem corpori sibi vnito: quæ fuit subtracta sibi in prima separatione, iuxta sententiam Domini: *Quacunque die comederis*, &c. Similiter concessio ligni vitæ ad vsum fuit gratuita, quod habuit potestatem firmandi corpus stabili sanitate. Vnde August. de ciuit. Dei. Lib. 13. c. 20. *Alebantur alijs, quæ sumebant, vt alia corpora; ne molestiæ aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndecunque subreperet, vel senectute confecta decursis temporum spatijs interirent: tanquam cætera essent alimento, illud Sacramento. Istud Sacramentum fuit quantum ad hoc, quod præstitit vitam corporalem; sicut Christus vitam spiritualem, qui dicitur lignum vitæ.* Vnde subiungitur ab Aug. *Vt sic fuisse accipiatur lignum vitæ in Paradiso corporali, sicut in spirituali*: hoc est intelligibili Paradiso sapiẽtia Dei: de qua scriptum est. *Lignum vitæ est amplectentibus eam.*

Gen. 2.

Aug. de ciuit. Dei. lib. 13. c. 20

Idem.

Prouer. 3.

¶ Ad aliud, quod sequitur, sc. quod potuit à natura, & sine gratia, &c. Dicendũ, quod hoc non est verum. Quod enim potuit stare, fuit à gratia, non gratum faciẽte, sed gratis data: sicut enim ad hoc quod proficeret, requirebatur gratia gratum faciens: sic ad hoc quod staret, requirebatur gratia gratis data.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. quod eadem est potentia continuandi vitam, quæ est viuendi, &c. Dicendum, quod sumendo potentiam passiuam, verum est: non autem sumendo potentiam actiuam: hoc est illa potentia, qua fuit in illo possibilitas ad viuendum, ipsa eadem fuit possibilitas ad continuandum vitam: non tamen effectiuè potuit illa potentia perpetuare vitam, qua potuit viuere. Nec est simile de gratia, qua est viuificatio spiritualis: & potentia, qua est viuificatio naturalis: gratia enim est forma quædam, quæ non solum saluatur in suo subiecto, sed perpetuatur ab influentia, quæ continua est, à primo bono; nisi fiat auersio ab ipso: & ex illa influentia illa eadem gratia, quæ viuificat, consumat per perseuerantiam. Potentia autem in corporibus huiusmodi determinata est, & limitata vsq; ad tempus: & tunc defectiua, quantum est de natura sua. Prætereà; hoc supposito, quod eadem est potentia viuendi, & continuandi: nõ sequitur ex hoc, quod illa potentia, quæ est viuendi, siue quæ est principium viuendi, & etiam continuandi, quod illa potest esse perpetuatio vitæ: quia (vt dictum est) limitata est, & defectibilis, secundum determinationem periodi. ¶ Ex hoc patet responsio ad illud (quod sequitur scilicet quod natura est ad hoc, vt saluetur diuinum esse, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod natura potest perpetuare se simpliciter in hoc subiecto: quia si hoc, omnia essent natura perpetua. Intendit n. natura saluare diuinum esse in subiecto proprio, si potest: sin autem in consimili.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod nihil fuit impellens, &c. Dicendum, quod ipsa nihilominus natura creaturæ talis declinabilis fuit, & defectibilis: licet n. nihil fuit impellens in illo per violentiam, sicut in natura corrupta: nihilominus fuit ibi quædam inclinatio ad defectum, ratione, qua erat creatura talis; & defecisset, nisi beneficio conditoris fulciretur.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod innocentia erit à natura, &c. Dicendum quod innocentia dicitur dupliciter. Vno modo vt dicit priuationem, sc. à culpa: & sic erat à natura, & non erat causa immortalitatis. Alio modo, vt dicit potentiã, sc. iustitiæ originalis, & sic est causa immortalis, & sic non erat omnino à natura.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod Deus est vita animæ, &c. Dicendum, quod hoc verum est, & quod nisi anima Adæ esset separata à sua vita, nunquam fuisset damnatus ad separationem à sua, neque esset separatus: sed nihilominus à se non habuisset hanc inseparabilitatem, sed à causis supradictis.

¶ Ad illud, quod sequitur, scil. quod durante statu innocentiæ, anima semper esset coniuncta suæ vitæ, &c. Dicendum, quod hoc verum est: nec tamẽ esset illa coniunctio, sc. corporis cum sua vitã à natura; sed à beneficio conditoris naturæ: similiter & immortalitas eiusdem.

¶ Ad illud, quod sequitur, scilicet quod illa influentia fuit naturalis. Dicendum, quod est quædam influentia in creaturam rationalem, qua saluatur in esse: & hæc est naturalis: secundum quod illud dicitur naturale, quod est idem apud omnes: vt dicit Boetius. Est & alia, qua perpetuatur in esse immortali, & hæc est gratuita. Et dico esse immortale illud, quod perpetuatur ex coniunctione corporis cum sua vita, & hoc ex continentia animæ coniunctæ cum sua vita.

¶ Ad illud August. *Nihil erat corruptionis*, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sumendo corruptionem propriè, secundum quod est motus à cõtrario agente per violentiam: fuit tamen quædam possibilitas ad declinationem ad non esse, ratione defectus creaturæ talis, id est, complexionatæ.

¶ Ad illud, quod sequitur: Dicendum, quod eo ipso quod immortalis fuit beneficio fructus ligni vitæ, fuit immortalis ex gratia: quia ex dono gratuito illi præstito à conditore ipsius.

¶ Ad illud, quod quæritur: Si bruta animalia ex vsu ligni vitæ possent continuare vitam suam. Dicendum, quod non: & hæc est ratio: immortalitas huiusmodi fuit conditio corporis; ex coniunctione cum suo actu, siue perfectione apta nata cõiungi cum summa vita; à qua fuit apta recipere influentiam: qua potuit continere corpus, & idem sibi vnitum viuificare, & in vita perpetuare. Vnde hæc immortalitas præstita beneficio ligni vitæ, fuit imperfecta, & quasi dispositio respectu illius, quæ fuit perfecta, & subsequenda in patria: perfecta enim immortalitas est non posse mori. Quia ergo bruta non habent aptitudinem aliquam ad immortalitatem perfectam, quæ est non posse mori: & hæc est mediante influentia gratuita, existente à prima vita; non esset perpetuata vita in illis, licet fuissent potita fructu ligni vitæ.

MEMBRVM III.

An immortalitas innocentiæ eadem erat cum immortalitate gloriæ.

Seqvitvr inquirere: Vtrum immortalitas innocentiæ sit eadem cum immortalitate gloriæ. Quod sic, videtur: potentia disposita, & potentia, quæ est necessitas, non differunt in substantia: sicut nec differunt secundum essentiam dispositio & habitus: sed immortalitas innocentiæ & patriæ non differunt, nisi sicut potentia disposita, & potentia quæ est necessitas: ergo non essentialiter differunt. ¶ Item, potentia determinata, & indeterminata non differunt secundum essentiam: sicut patet de angelis; quorũ erat potentia indeterminata ante confirmationem; determinata post: qua non poterant nisi bonum: eadem tamen erat. Sicut charitas viæ & patriæ est eadem numero: quia in patria manet charitas viæ: licet eius imperfectio tollatur. Cum ergo immortalitas in statu innocentiæ, & immortalitas in statu gloriæ non differant, nisi secundum determinationem & indeterminationem, siue mutabilitatem & immutabilitatem: non differunt secundum substantiam.

¶ Item, si immortalitas patriæ non est eadem cum immortalitate innocentiæ: ergo est aliqua potentia noua creata à Deo post opera sex dierum: ergo nõ cessauit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat, &c. cuius contrarium dicitur Gen. 2. ¶ Item, mortalitas ante lapsum, & mortalitas post lapsum non differunt in substantia, sed ante lapsum erat mortalitas solum potentia ad moriendũ; post potentia, q̃ est necessitas: ergo simpliciter potentiã ad non moriendum, & potẽtia, quæ est necessitas ad non moriendum, similiter erunt* indifferentes secundũ substantiam.

*Alias, indifferẽtia.

¶ Item, idem est liberum arbitriũ viæ & patriæ: licet

homo

h[illegible] poſſit peccare, non ſecundo; ſimiliter videtur de immortalitate. ¶ Item, immortalitas in via eſt potentia quædam viuendi; in patria eſt potentia ſemper viuendi: hæc autem eſt eadem. ¶ Item, Aug. *Per Christum recuperauimus quod perdidimus in Adam: in Adam autem perdidimus immortalitatem viæ: in Christo autem recuperauimus immortalitatem patriæ:* ergo eadem eſt immortalitas viæ & patriæ. ¶ Item, ſi homo ſteteiſſet, transferretur ad immortalitatem gloriæ: ita quod nullius proprietatis nobilis in eo fieret deperditio: ergo cum immortalitas in homine primo erat nobilis conditionis; non fuiſſet in illo illius cõditionis deperditio in illa tranſlatione: ergo duæ immortalitates ſimul eſſent in eo: ſed alia eſt immortalitas viæ, & alia patriæ. ¶ Item, ſi ſteriſſet primus homo, eadem fuiſſet vita illius in via, & in gloria: quia vna & continua (vnum enim continuum dicit modum vnius ſimpliciter) cum ergo immortalitas innocentiæ & immortalitas gloriæ ſint propriæ conditiones ſiue proprietates vitæ talis vel talis: immortalitas hęc & illa erit eadem.

Aug. [illegible] ration.

¶ CONTRA. Immortalitas viæ eſt vel à natura, vel à gratia gratis data; illa, quæ eſt gloriæ à gratia gratum faciente; ergo ſunt à diuerſis cauſis: quare & ipſa diuerſa. ¶ Item, non eſt idem corruptibile, & incorruptibile: ſed illa, quæ eſt viæ, poteſt non eſſe: quæ eſt gloriæ, non poteſt non eſſe: ergo non ſunt eadem. ¶ Item, non eſt ſolum horum differentia, quæ eſt inter potentiam ſimpliciter, & illam, quæ eſt neceſſitas: cum illa, quæ eſt viæ, corrupta ſit & adnihilata per peccatum: quando enim potentia ſimpliciter fit potentia, quæ eſt neceſſitas; neceſſe eſt vt maneat, & ſtabiliatur in eſſe neceſſario. ¶ Item, immortalitas gloriæ eſt dos, viæ autem donum. ¶ Item, immortalitas gloriæ priuat omnem potentiam moriendi: alia non. ¶ Item, Aug. *Alia eſt immortalitas carnis, quam in Adam accepimus: alia eſt, quam per Christum in reſurrectione ſperamus: ille enim factus eſt immortalis, vt poſſet non mori, ſi non peccaret: filij reſurrectionis nec vltra poterunt peccare, nec mori.* ¶ Item, non eſt tranſitus ab eodem ad idem: ſed tranſitus erit ab immortalitatẽ viæ ad immortalitatem patriæ: ergo &c. ¶ Item, 2. Sent. *Aliud eſt non poſſe mori, & aliud poſſe non mori:* ſed non poſſe mori, idem eſt, quod immortalitatis patriæ: poſſe non mori, immortalitas viæ; ergo &c. ¶ Item, immortalitas viæ & immortalitas patriæ ſtatus vitæ diſtinguunt, & diuerſificant: ſed conſtat, quod ſtatus illi ſunt diuerſi: ergo & immortalitas hæc & illa diuerſæ ſunt.

Aug.

Mag. 2. ſen dist. 19.

Qõ. lateralis.

¶ ITEM, ratione huius quæritur: ſi potentia non moriendi, ex toto ſublata ſit, ita quod non remaneat potentia: aut remanet, ſed non ad hunc actum, ſcilicet non moriendi? Quod aũt non auferatur, videtur per hoc, quod potentiæ naturales non auferuntur. Item, non creantur nouę potentiæ in ſpecie (quieuit enim Dominus poſt opera ſex dierum à creatione quantum ad ſpecies, & genera) ergo manſit potẽtia; ſed non ad hoc. Quæritur ergo, ſi ſecundũ illam cõtingit dici in via, iſte poterit nõ mori neceſſario in patria. Et hoc videtur, cum non ſit noua potentia ſuperinducta, qua homo dicitur immortalis immortalitate patriæ.

¶ CONTRA. Non videtur poſſe dici in patria, iſte habet potentiam, qua neceſſe habuit mori in via: quia omnis potentia, quam habebit in patria, erit neceſſitate contrarij. Ergo nec in via poterit dici, iſte habet potentiam, * qua nunquam poterit mori in patria. Præterea, nonne ſpoliatus fuit homo prima immortalitate?

* Alias, quia.

RESOLVTIO.

Quo ad habitum quidem, aliam, & aliam dicimus immortalitatem innocentiæ, & immortalitatem gloriæ: quia alia & alia potentia in ratione potentiæ: licet ſubiectum, ſiue eſſentia earundem vna atq; eadem ſit.

¶ RESPON. Quidam dicunt, quod eadem eſt potentia ſecundum ſubſtantiam, differens ſecundum maiorem appropinquationẽ, ad ſuum actum, ſiue finẽ. Vnde potentia, quæ primo fuit moriendi, & non moriendi indeterminate, poſt erat per peccatum determinata ad vnum, ſcilicet ad moriendũ: & hæc eadem per meritum gratiæ & præmium ſuperuenientis gloriæ erit in patria determinata ad viuendum. Et ita immortalitas in ſtatu innocentiæ, & immortalitas in ſtatu gloriæ eadem potentia ſunt ſecundũ ſubſtantiam. Et loquor de his, prout nomine potentiæ cenſetur, ſicut rationalitas; non per modum habitus.

¶ Ad id, quod obiicitur, quod hæc eſt à gratia &c. Dicunt per hoc, quod dicitur quod hæc eſt à gratia gratis data; illa &c. non dicitur aliqua diuerſitas quantum ad eſſentiam potentiæ; ſed diſpoſitionis: quod enim additur ipſi potentiæ eſſe à gratia tali, vel tali; eſſentiam non dicit, ſed diſpoſitionem: immortalitas autem dicit potentiam præter concretionem ad neceſſitatem, vel non neceſſitatem: vnde non nominat ipſam diſpoſitionem, ſed ipſam potentiam.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non eſt idem corruptibile &c. Dicunt, quod non eſt verum, habito reſpectu ad ſubiectum corruptibilitatis & incorruptibilitatis: quia idem in eſſentia ſecundum ſtatus diuerſos poteſt eſſe corruptibile & incorruptibile: ſicut idem in eſſentia facile mobile, & difficile mobile: quod enim eſt facile mobile in prima conceptione in anima, poſt efficitur difficile mobile per continuationem.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod illa, quæ eſt vię, corrupta eſt per peccatum: vnde non eſt ibi differentia ſolum, quæ eſt potentia ſimpliciter, ad illam quæ eſt vt neceſſitas. Dicunt, quod per peccatum non fuit corrupta potentia immortalitatis, niſi vt erat ad actum: vnde manebat ipſa potentia cum inclinatione ad actum: vnde corruptio erat habitus, non potentiæ.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod immortalitas gloriæ priuat &c. Dicunt, quod hæc priuatio ſiue potentia priuandi, vel non priuandi, non cauſatur ex diuerſitate primæ potentiæ: ſed ex diuerſis diſpoſitionibus ſuperadditis, quæ ſunt gloria & gratia. Quod autem dicit Auguſtinus: Alia eſt immortalitas carnis &c. hoc retorquendum eſt ad alietatem ſtatus diuerſificati per diſpoſitiones additas ipſi potentiæ, mediante gratia perfecta & gratia imperfecta: non autem ad alietatem ipſius primæ poſſibilitatis. Vnde ibi eſt diſcontinuatio ſtatuum: quia quod erat potentia in ſtatu innocẽtiæ, ſcilicet mortalitas, ſiue potentia moriendi; factum eſt neceſſitas in ſtatu peccati. Similiter eſt ex parte immortalitatis. Ad aliud dicunt, quod idẽ poteſt eſſe donũ, & dos: quia donũ dicitur reſpectu dãtis: dos reſpectu ſponſi dantis, ſecundum quod ſponſus eſt.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod non eſt tranſitus ab eodem in idem. Dicunt, quod tranſitus iſte, qui eſt ab immortalitate innocentiæ ad illam, quæ eſt gloriæ, eſt per diuerſitatem ſtatuum: quia eſt tranſitus à ſtatu in ſtatum. Vnde, ſicut quod proficit in moribus, proficiendo à vita imperfecta ad vitam perfectam, non dicitur habuiſſe aliam, & aliam vitam; ſed eandem, propter vitæ vnitatem, & continuitatem: licet alium & alium ſtatum vitæ. Sic eſt in propoſito.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod aliud eſt poſſe non mori &c. Dicendum ſecundum hos: quod cum dicitur, poſſe non mori, & non poſſe mori; licet habilitas potentię ſit alia & alia reſpectu actus, qui eſt terminus potẽtiæ: quia in vna notatur habilitas, quæ eſt facilitas, ſiue poſſibilitas: in alia, quæ eſt impoſſibilitas ad moriendum: non tamen potentia alia & alia.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod immortalitas viæ & patriæ ſtatus vitæ diſtinguunt &c. Dicendum iuxta hos: quod hoc verum eſt, propter ipſam diſpoſitionem additam potentiæ: non quia potentia prima variatur. ¶ Ex his patet, quomodo reſpondendum eſt ad aliud, quod quæritur poſtea, Vtrum ſublata fuit potentia ex toto non moriendi. Dicendum, quod non: ſed ſolum in quantum erat habitus ſiue actus huiuſmodi.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non poterit vere dici in patria, iſte habet potentiam, qua neceſſe habuit mori in via &c. Dicendum, quod hoc falſum eſt: quia hoc quod dico [neceſſitas, non neceſſitas] modos dicunt potentiæ ſiue diſpoſitionis, non ſubſtantiam. Sic videtur poſſe dici ad illa, quæ tacta ſunt.

¶ QVIA tamen alia eſt ratio eſſentiæ, & alia potentiæ & alia potentiæ habitualis: quia eſſentia abſolute dicta eſt: potentia addit ſupra eſſentiam relationem, ſiue inclina-

Opinio propria.

& malefaciendi: Præterea, eadem est potentia ad vitam gratiæ & priuationem vitæ. Quare videtur, quod vna erit potentia in corpore, aut cõiuncto mortalitatis & immortalitatis, siue moriendi & non moriendi. ¶ ITEM, mortalitas & immortalitas priuatiue opponuntur, sicut mors & vita, sed priuatiuè oppositorum eadem est potentia: quia priuatio prouenit ex defectu alicuius potentiæ agentis vsque ad tempus, & tunc deficientis. ¶ ITEM, per peccatum facta fuit necessitas moriendi in Adam: sed constat, quod illa necessitas aduenit alicui potentiæ: non autem ante aduentum illum infuit illi potentiæ necessitas moriendi: ergo illa potentia fuit oppositorum. ¶ ITEM, potentia moriendi in Adam aut erat ad opposita, & si hoc, habeo propositum, scilicet quod eadem est potentia oppositorum, sc. moriendi & non moriendi. Aut ad vnum tantum, sed si hoc; necesse fuit illum mori, sicut necesse est cœlum moueri.

¶ CONTRA. Potentia moriendi erat naturalis impotentia: potentia non moriendi naturalis potentia: ergo si hæc eiusdem potentiæ sunt, eadem potentia est naturaliter potens, & naturaliter impotens. ¶ ITEM, non est eadem potẽtia sanatiuitatis & ægrotatiuitatis, & ita de alijs huiusmodi: ergo nec mortalitas, & immortalitas. ¶ ITEM, mortalitatis & immortalitatis causæ sunt contrariæ: mortalitatis enim causa est compositio ex contrarijs vt contrarijs, i. adinuicem repugnantibus (propter n. huiusmodi repugnantiam sequitur compositi dissolutio naturaliter, & ad hoc separatio animæ, sc. immortalis à corpore) causa autẽ immortalitatis erat ex gratia (vt dicamus causam extrinsecam) vel ex coniunctione corporis cum anima nõ separata à summa vita, sed potentia moriendi est illius propriè, quæ est receptibilis dissolutionis: potentia non moriendi illius, quæ est susceptibilis inseparabilitatis animæ coniunctæ cum sua vita, & corporis sc. coniuncti. (Vnde potentia moriendi est ipsius corporis, non moriendi coniuncti.) Ergo est alia & alia, propriè & per se loquendo: immortalitas n. determinat sibi corpus & animam, vt cuius est: mortalitas corpus tantum, vt videtur.

RESOLVTIO.

Potentia à qua siue effectiua, alia & alia quidem immortalis mortalisq; Adam fuit: at vero potentia in qua, siue susceptiua: tum eadem tum diuersa, iuxta multiplicem respectum.

¶ RESPON. Est considerare potentiam in triplici differentia. Est n. potentia nuda, siue prima: est & potentia disposita: est & potentia, quæ est necessitas. Hanc triplicem differentiam est considerare circa potentiam immortalitatis, & mortalitatis. Potentia autem materialis siue prima, qua aliquis dicitur immortalis; est potentia viuendi vita rationali. Potentia disposita est potentia viuendi vita rationali concurrentibus æqualitate mixtionis in optima harmonia, virtute cœlesti reconciliante contraria, & conseruante in quadam amicitia: sufficientia ex parte alimenti, stabilientis & conseruantis ipsum alendum, ne patiatur dissolutionem: & virtus ex parte spiritus rationalis, contentiua corporis sibi vniti. Potentia autem, quæ est necessitas, est potentia viuendi, habens æqualitatem indissolubilem ex parte corporis, & virtutem contentiuam, immutabiliter stabilitam ex parte spiritus rationalis. Per hunc etiam modum intelligatur ex parte mortalitatis: quia potentia prima est potentia viuendi: secunda, quæ est disposita, est facilitas dissolutionis ex parte corporis, & facilitas separationis ex parte formæ viuificantis: potentia vero, quæ est necessitas, est facilitas dissolutionis cum intrinseca pugna, ex parte corporis, & defectu virtutis regentis, siue continentis ex parte formæ perficientis. Si igitur has potentias comparemus, inueniemus potentiam primam, quæ dicit potentiam nudam, esse vnam: potentiã vero dispositã, & quæ est effecta necessitas, differre; sicut differt potentia & defectus sibi oppositus. Nam immortalitas dicit potentiam viuendi cum virtute in perpetuum continuandi vitam, sed mortalitas dicit potentiam viuendi cum priuatione illius. Et sic quodam modo potentia mortalitatis & immortalitatis in Adam erant vna potentia: quodam etiam modo diuersæ. Potentia ergo mortalitatis & immortalitatis, sc. in qua, sic sumpta, est eadem: sic sumpta nequaquam. Potentia enim viuendi est potentia mortalitatis vt in qua: quia potest deficere, & immortalitatis similiter, quia potest perpetuari. Potentia autem à qua, non est eadem: quia potentia, à qua est immortalitas, est virtus animæ continentis recipientis influentiam à sua vita, id est, Deo, à qua est illi virtus ista: & virtus cibi lignorum Paradisi, & principaliter ligni vitæ, à quo poterat stabiliri contra defectũ senectæ & dissolutionis cum alijs supra tactis. Potentia autem, à qua est mortalitas (si potentia debeat dici, & non magis defectus potentiæ) fuit defectibilitas & dissolubilitas naturæ illius in quãtum huiusmodi, propter quæ indiguit alimonijs fructuum Paradisi. Vnde Aug. de Baptis. paruulorum. Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Ex quo patet, quod alia fuit potentia, à qua mortalitatis, & immortalitatis: potentia autem in qua, vna consideratione eadem, alia consideratione diuersa, vt dictum est.

¶ AD illud, quod primo obijcitur per simile de naturali potentia, quia in aere est eadem potentia condensationis & rarefactionis, &c. Dicendum, quod hoc verũ est de potentia passiua remota; quia propinqua quodammodo est diuersa. Aer n. existens in eadẽ dispositione, non rarefit & condensatur; sed differentes recipit dispositiones secundũ q; recipit diuersas imutationes à calido agente, & frigido; hoc quidem dissoluente & subtiliante; illo vero congregante, & partes magis confertas efficiente.

¶ AD simile, quod inducit in actiuis, vt in potentia currendi, & non currendi, &c. Dicendum, quod non est simile in effectiuis voluntarijs, & in alijs: vtraq; n. potentia, sc. currendi & non currendi est potentia voluntaria: vnde sunt ab vno codemq; principio: principium autem voluntarium indifferenter est in opposita. Vnde non est simile in voluntarijs potentijs, & operibus quæ ex eis sunt: & in alijs, cuiusmodi sunt, posse mori, non posse mori, vel posse non mori.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod vitæ & mortis spiritualis, siue animæ est eadem potentia, &c. Dicendum, quod licet in anima sit eadem potentia bene operandi, & male (eadem n. potentia, sc. voluntate, siue libero arbitrio fuit bona & mala) non tamen est eadem potentia effectiua vitæ spiritualis, & mortis: nam vita est à Deo, mors à nobis. Licet ergo eadem sit potentia bene operandi, & male: non tñ est eadẽ potentia effectiua vitæ spiritualis & mortis. Præterea, si diceretur, q eadẽ esset potentia vitæ spũlis, & mortis: quia eadem est potentia bene operãdi, & male: non tñ sequeretur ex hoc, quod eadẽ esset potentia mortalitatis & imortalitatis ipsius corporis: quia ex parte corporis non est principium effectiuum, neq; coeffectiuum, siue cooperatiuum vitæ corporalis: sicut est ex parte animæ vitæ spiritualis. Quantum autem ad aliquid est simile: nam sicut nec mortalitas nec immortalitas ab eadem potentia, licet in eadem: similiter nec mors & vita ab eadem: nam hæc à libero arbitrio, illa autem à Deo: idem tamen est principium, siue potentia susceptibilis vtriusque sc. vitæ & mortis spiritualis; vt voluntas, aut liberũ arbitrium.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod eadem est potentia ad vitam gratiæ & priuationem, &c. Dicendum, quod verum est de potẽtia susceptiua, siue in qua: non autem de effectiua, siue à qua.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod eadem est potentia oppositorũ priuatiuè, &c. Patet responsio: quia eadem est susceptiua, siue in qua: non à qua, siue effectiua. Nisi forte dicatur, quod ipsa vt est defectiua, est effectiua.

¶ AD aliud, quod sequitur, similiter patet responsio; quia necessitas moriendi aduenit potentiæ in qua, siue susceptiua immortalitatis: non autem effectiuæ, siue potentiæ à qua.

¶ SIMILITER patet respõsio ad aliud, quod sequitur: quod potẽtia susceptiua, siue in qua fuit ad opposita, siue respectu oppositorum: non illa, quæ fuit effectiua.

¶ AD alia, quæ obijciuntur pro alia parte; quibus videtur ostendi, quod nullo modo est eadem potentia mortalitatis

&c. tumma: & maxime in prima cognitione, sine membrorum genitalium motu, & virgæ virilis erectione: quod cōtigisset ante peccatum. ¶ Item, non esset commixtio huiusmodi sine sacramento matrimonij: sacramenta autem omnia data sunt in remedium peccati.

RESOLVTIO.

Adam, Eua'q; in paradiso terrestri tametsi non peccassent, adhuc etiam coissent. Etenim cum in suppletionem numeri electorum primum, ex consequenti in reparationem ruinæ Angelorum multiplicandi forent, oportebat, semen, quod prolis procreandæ materia ordinaria est, ex ambobus ita ordinarie descendi.

¶ RESPONDENDVM, quod si in statu illo stetissent primi parentes, fuisset decisio seminis: sicut patet ex verbis Augustini supratactis. Qui etiam dicit super Genes. 9. *Non video, quid prohibere potuerit, vt non essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus; hoc Deo præstante fideliter iusteq; viuentibus, vt sine vllo inquieto ardore, ac dolore pariendi fætus ex eorum semine gignerentur.* Et sic patet ex verbo Augustini, quod tunc, sicut nunc fuisset prolis processio ex commixtione seminis maris & fœminæ. Licet enim sit de ordine & potestate naturæ, quod proles procreetur per coniunctionem & commixtionem duorum sexuum in hominibus: qui respectu prolis se habent per modum materialis & efficientis: differenter tamen, quia ratio materialis plus residet penes mulierem; & efficientis, siue actiui penes virum. Vnde oportet, quod semen, quod est materia prolis procreandæ, descindatur à viro & muliere: & hoc requirit natura bene instituta, sicut & natura lapsa.

Cap. 3. Aug. super Genes. 9.

¶ AD primum ergo contra hoc obiectum, dicendum, quod licet secundum intentionē naturæ inferioris data est vis generatiua, vt saluetur esse diuinum in eodem secundū speciem; cum nō possit saluari in eodē secundū numerum: tamen secundū intentionē & ordinationē diuinæ prouidētiæ, data est homini vis generatiua ad completionē numeri electorū. Vnde ratio prædicta, quam ponit Philosophus, non est ratio tota: sed præcipua est multiplicatio numeri electorum, & consequens reparatio ruinæ angelicæ.

¶ AD illud, quod dicit Damasc. dicendū, quod hoc dicit, vt insinuet, quod Deus aliter genus humanū multiplicare potuit; quod verū est: vnde nō dicit, quid faceret, sed quid facere posset. Quod aūt dicit, quod sciens Deus, quod præuaricaturi erant, fecit eos marē & fœminam &c. Dicendū, quod hoc non dicit quod & si non essent futuri in præuaricationem, non fecisset eos tales: sed vt sic ostendat diuinam prouidētiam respectu euentus rei. Vnde hoc participium *sciens* secundum quod dicitur, Sed sciens Deus præcognitione sua &c. non est causale, id est, non connotat causam respectu actus, qui consequitur: sed simpliciter præstat consequentiam respectu actus consequentis. Vnde non est sensus, quia præsciuit hoc, sic fecit; sed sensus est: sciuit, quod caderent: & ordinauit quod casuri, nihilominus multiplicarentur secundum modum, secūdum quem multiplicant se, quæ sunt eiusdem generis in diuersitate sexus.

¶ AD illud Aug. quod concubitus non potuit esse, nisi mortalium. Dicendum, quod *mortale* dupliciter dicitur: vel quod est potens mori: vel quod habet necessitatē moriendi. Primo modo sumpto mortale, primi parentes in statu innocentiæ erant immortales: non autem secundo. Primo autem modo sumitur in autoritate Aug. vnde mortale dicitur ibi, quod est animale, cui cōgruit potestas generandi.

¶ AD illud, quod sequitur, scilicet quod spirituales animæ parentum non debuerunt voluptati carnali deseruire &c. Dicendum, quod in commixtione viri cum muliere, non esset voluptas carnalis, prout carnale sonat in vitium: quia (vt vult Aug.) in paradiso si non peccassent primi parentes, fuissent nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, & sine ardore libidinis, & labore parendi.

¶ NOTA ergo, quod caro vno modo sonat in vitium, vt: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Alio modo naturam dicit, vt: *Nemo carnem suam odio habuit.* Et sic carnale dicitur dupliciter: vel vt sonat in vitium: vel in naturam. Prout sumitur primo modo, non poterant vacare voluptati carnali: prout secundo, potuerunt.

Ad Gala. 5. Ad Eph. 5.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. de superfluitate seminis. Dicendum, quod propagatio prolis de parentibus, non fit per decisionem seminis, quod quidem semen est totaliter de superfluo cibo: quod patet ex verbis sacrorum Doctorum ponentium totam posteritatem fuisse seminaliter, siue materialiter in primo homine. Dicit enim Aug. *Omnes fuimus in illo vno: quando fuimus ille vnus, qui per peccatum lapsus est.* Item, Ansel. *Tota in primis parentibus erat humana natura, & extra ipsos nil erat.* Et alibi in eodem Lib. *Poterat Deus de Adam, in quo semen omnium hominum creauerat, aliam facere mulierem, &c.* Veruntamen æstimo, quod caro prolis, quæ est secundum materiā, quodammodo originaliter est ex illo, quod est in semine de superfluo cibi. Et nota, quod duplex est superfluitas, sc. residuitatis, & impuritatis. Superfluitas autem residuitatis est in semine, & hoc modo superfluum est necessarium, scil. necessarium conseruationi speciei; superfluum tñ indiuiduo: necessarium, quia est principium quodammodo generationis: superfluum, quia nō necessariū ad nutriendū. Et hæc superfluitas non sonat in vitium, sed est indicium cōpletionis naturæ; & perfectionis eiusdem attestatur, idm illud Philos. *tunc vnum quodq; perfectum est, cum potest attingere propria virtuti:* hoc est facere tale, quale ipsum est. Superfluitas impuritatis est in illis, quæ per organum egestionis, & alia, quæ deseruiunt purgationi naturæ, emittuntur, sicut reuma per nares, & vrina per membrum, emissioni illius deputatum, & sudor per poros corporis emittitur. Et hæc est in duabus differentijs. Quædam n. superfluitas venit ex debilitate virtutis contentiuæ & conuersiuæ; sicut reuma & sudor: & talis non fuit in primo homine in statu illo, & hoc propter essentiam virtutum naturalium existentium in illo. Quædam venit ex nutrimenti qualitate, & nutrimēti puritate; qualis est quæ est egestionis & vrinæ, quæ fit per separationem puri ab impuro, & hæc fuisset in homine illo, si stetisset: sed non in illa immundicia & corruptione, in qua est modo, vt supratactum est: horum indicia sunt vasa intestina, & foramina, quæ sunt homini à sua natura prima conditione naturaliter deputata. Ex his patet, quod non omnis superfluitas sonat in vitium, sed potius in perfectionem, & complementum naturæ.

Aug. 13. de ciuit. Dei cap. 14. Anselm. de conceptu virginis. Idem.

Philosoph. 2. de anima 34. & 4. Meteph. 19.

¶ AD aliud, quod sequitur, sc. quod semen aut erat cōueniens naturæ, &c. Dicendum, quod licet semen super fluum sit quantum ad nutritiuam, est tamen necessarium quantum ad generatiuam: & licet non conueniat naturæ, vt est saluans subiectum suum in se: conuenit tñ vt est saluans in suo simili: vnde natura non appetit illud retinere, sed vt in alio saluetur, in alterο transfundere. Vnde separatio seminis nullo modo esset violenta, sed naturalis.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod non huiusmodi decisio esset via ad corruptionem. Dicendum, quod non est verum: decisio n. quæ est via ad corruptionem, est solum modo, vbi est separatio partis necessariæ ad salutem generantis in se, & quadam violentia facta, & sine sufficienti restauratione, quod non fuisset in statu illo.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod non poterat esse cōmixtio viri cum muliere sine motu membrorum genitalium, &c. Dicendum, quod ante peccatum non esset motus huiusmodi, quia (vt vult Aug.) si conuenissent in statu illo, esset thorus immaculatus, & cōmixtio sine concupiscentia, & genitalibus membris ad procreationem prolis imperare potuissent, & sicut cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu vterentur. Et quomodo posset cognosci mulier in statu illo, & claustrum integritatis sine carnis fractione reserari: dictum est supra, vbi actum est de integritate primæ mulieris.

Aug. super Genes. ad litteram.

¶ AD aliud dicendum, quod sicut dicit Aug. super Gen. quod *sanis esset in officium, ægrotis in remedium.* Vnde ante peccatum matrimonium datum fuit in officium, post autem in remedium. Vnde quod Dominus dixit: *Faciamus ei adiutorium, &c.* non fuit propter necessitatem, quam habuit Adam: sed (vt dicit August. super Genes.) illud adiutorium fuit propter filios procreandos: sicut adiutorium semini est terra, vt virgultum ex vtroque nascatur. Vnde in officium procreationis data fuit Adæ vxor ante peccatum. Vnde bis fuit institutum matrimoniū: semel ante pecca-

Q. 85. Mem. 4. Idem super eandē Genes.

peccatum: & hoc quoad officium, vt habetur in 1. Genes. & semel post peccatum, & hoc quoad remedium, vt habetur Genes. 9.

MEMBRVM II.

An in eodem innocentiæ statu fuisset in coeundo intensa delectatio.

Philos. SEQVITVR inquirere. Vtrum in statu illo poterat esse delectatio intensa in coitu. Quod sic, videtur: vt habetur à Philosopho: *Delectatio est ex coniunctione conuenientis cum conuenienti, & sensu eiusdem*: sed tanta erat conuenientia tunc in coniunctione membrorum genitalium, quanta est nunc, & maior: ergo (vt videtur) maior delectatio, vel tanta. Vt enim dicunt Naturales; delectatio est in coitu propter transitum humoris per locum neruosum, in quo magis viget sensus.

Bernar. ¶ Item, Bern. *Nemo sane mentis maiorem in vitiis, quam in virtutibus esse delectationem æstimat.* In opere ergo naturæ vitiatæ & peccati non est maior delectatio, quam in opere naturæ integræ, & sine peccato; & etiam opus virtutis, quia obedientiæ (dederat enim eis Dominus præceptum Genes. 2. de opere multiplicationis, Genes. 2. ibi: *Crescite, & multiplicamini*) coitus in statu naturæ lapsæ est opus naturæ corruptæ & cum peccato: ergo &c. ¶ Item, hoc habetur ab August. Aug. *Plus diligit charitas Deum, quam cupiditas aurum* (plus dico, quia incomparabiliter.) Sed inter statum gratiæ siue charitatis, & statum cupiditatis siue peccati, medium est status originalis iustitiæ: ergo medio modo se habet in diligendo suum bonum: ita quod non tantum diligit suum bonum, quantum charitas suum, & plus quam cupiditas suũ: sed quãto maiori amore appetitur aliqd, tanto maiori delectatione habetur: & hoc regulariter currit in his, quæ sunt in fieri, & in facto esse. Ex iis videtur, quod opera gratuita, quæ fiunt ex charitate; maiori fiũt delectatione, quã fiũt ex indicto originalis iustitiæ: & ea, quę sic fiũt; fiũt ea q̃ cum maiori delectatione, quam illa quę fiunt ex motu volũtatis inordinatæ per peccatum. Et ita videtur, quod coniunctio maris & fœminæ in primo statu facta instinctu iustitiæ originalis, esset cum maiori delectatione, quam quæ fit in statu peccati, siue cum voluntate peccandi.

¶ Item, Vnaquæque virtus cognitiua delectatur in facilitate, & complemẽto suæ operationis: hoc per se verum est: ergo quanto maior esset completio & facilitas alicuius operationis, tanto maior esset delectatio: sed vis generatiua, in qua viget sensus tactus, facilius & completius exiuisset tunc in actum suum, quam nunc: ergo maior esset tunc delectatio, quam nunc. ¶ Item, oculus Adæ in statu illo plus delectabatur in aspectu lucis, & auditus in auditu cantus sonori, quam aspectus vel auditus hominis lapsi modo delectatur in consimilibus: & hoc quia maioris harmoniæ & maioris vigoris prædíti erãt sensus illius: propter quod magis erant apti ad delectandum propriis obiectis, quam sensus hominis lapsi. Ergo pari ratione in gustu & tactu, apposito sibi conuenienti, maiorem haberet delectationem, quam homo lapsus: ergo in cognitione vxoris maiorem habuisset delectationem, quam &c.

¶ CONTRA, Generatiua in statu illo non erat deordinata, sicut nec alia vis aliqua: sed si tanta esset delectationis intensio, quanta est nunc: cum modo sit deordinatio generatiuæ, & maxime in actu generandi, & hoc propter intensionem delectationis; tunc fuisset consimilis deordinatio in eadem.

Aug. 14. de ciuit Dei cap. 22. ¶ Item, Aug. *Non incredibile debet videri, illud vnum, id est, membrum genitale sine ista libidine voluptatis potuisse seruire: cui tot membra nunc seruiunt. An non manus & pedes mouemus, cum volumus, ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine vllo renisu, tanta facilitate, quanta & in nobis & in aliis videmus: & non credimus ad opus generationis filiorum, si libido non fuisset, quæ peccato inobedientiæ retributa est; obedienter hominibus ad voluntatis nutum, similiter vt cætera potuisse illa membra seruire?* Ex hoc patet, quod sine libidine aliqua posset in statu illo opus generatiuæ exerceri. ¶ Item, si tanta esset tunc delectatio, quanta modo, in huius operis exercitio tanto fuisset moti appetitu ad illud exercendum opus, quantum & nunc mouentur: sed tunc non essent moti aliquo appetitu ad huiusmodi opus: Vnde Aug. *Honestius & melius creditur ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in Paradiso, nondum lege mortis damnatum; vt non haberent appetitum carnalis voluptatis: qualem non habent ista corpora, quæ iam ex mortis propagatione ducta sunt.* Ex hoc verbo patet, quod huiusmodi voluptatis causa fuit primorum parentum culpa. August. 9. super Gen. ad litteram

Magist. 2. sent. Dist. 20. cap. 1. ¶ Item, Magist. dicit, & dicti auctoritatem habet ab Aug. *Quod si homo non peccasset, sic membra genitalia applicarentur ad inuicem, sicut modo applicatur manus ori: sed in applicatione manus ad os, aut nulla, aut modica habetur delectatio: ergo pari ratione videtur, quod nec in contactu illorum membrorum.* Istud autem verbum Magistri videtur habere dubitationem, quia opus naturale, quod omni conuenientia, quam requirit natura, exercetur; & maxime illud opus, quod est ad saluandum esse diuinum; non potest sine delectatione exerceri: & maxime natura existente sana: sed in appositione manus ad os nulla videtur esse delectatio.

RESOLVTIO.

Fuisset equidem & tunc in coeundo delectatio, sed non quanta nunc, quia nec immoderate vt hic, sed ordinate ibi coissent.

¶ RESPONDENDVM. Intelligendum est hic duplicem modũ esse dicendi. Quidam enim dicere voluerunt, quod tanta, vel maior erat delectatio tunc, quam nunc; & tamen non erat immoderata. Tanta erat, propter naturalis virtutis perfectionẽ: ĩmoderata non erat, propter inferiorũ virtutũ subiectionẽ. Ratio enim dominabatur illi delectationi, & eam deferebat in suum finẽ: & ideo non absorbebatur; nec erat ibi repugnantia: & per hoc voluerunt soluere obiecta.

¶ Est & alius modus dicendi, qui magis concordat verbis Aug. & probabilitati rationis, scilicet quod in decisione seminũ & cõmixtione sexuum tẽpore naturæ institutæ aliqua fuisset delectatio; moderata tamẽ & mensurata: secundũ quod exigebat hominis rectitudo: & ideo non erat tanta, quanta est modo. Nunc enim quia virtus illa maxime exuit rationis imperium, dum ratio amisit originalis iustitiæ vinculum & retinaculum, per quod imperabat viribus inferioribus: ideo laxatis sibi habenis, toto impetu & conatu se præcipitat in delectabile sibi oblatum: non propter intensionẽ virtutis mouentis, sed propter defectũ virtutis retardantis. Vnde sicut equus lasciuus rupto frœno velocius currit & impetuosius, quam cum infrœnatur & detinetur à suo sessore, licet non habeat maiorem virtutem: sic & in proposito intelligendũ est se habere. Et hoc est, quod dicit Aug. de ciuit. Dei. Nuptiæ illæ dignæ felicitate paradisi, si peccatũ non fuisset; & diligendã prolẽ gignerent, & pudendã libidinẽ non haberent. Et ideo concedendæ sunt rationes, ostendentes quod non esset tunc tanta delectationis intensio, quanta & nunc: cum modo tanta sit, vt modum & ordinem debitum non obseruet.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur in contrarium, scilicet quod delectatio est ex coniunctione conuenientis cũ conuenienti, & sensu eiusdem. Dicendum, quod non tantum venit ex coniunctione: sed etiam ex virtutis conuersione super delectabile. In statu autem naturæ institutæ, etsi esset coniunctio conuenientis cum conuenienti, & sensus; non tamen tanta esset virtutis incuruatio & inclinatio, quanta est modo: & ideo non esset tã improba, & tam intensa delectatio. ¶ Ad duo, quæ sequuntur, dicendum, quod est duplex delectatio: carnalis siue carnis, & spiritualis siue spiritus: maior autem est delectatio spiritualis siue spiritus in operibus virtutis, siue quæ fiunt motu virtutis, quam in operibus peccati, siue quæ fiunt motu peccati. Et sic bene potest concedi, quod maior fuit delectatio spiritus in coniunctione maris & fœminæ in statu primo, quam in statu moderno: & hoc concludunt rationes istæ. Non autem sic est de delectatione carnali, sed econuerso. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod virtus delectatur in completione & facilitate sui actus. Dicendũ, quod verum est: sed tamen adhuc illa delectatio terminũ fixũ debet habere: & haberet vtiq; si homo stetisset: & quoniam illũ merito peccati egreditur; hinc est, quod amplius delectatur: quamuis delectationis materia non sit maior. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod amplius delectaretur homo in sensu visus & auditus. Dicendum, quod verum est de delectatione naturali, sed hoc

non est

non est verum de delectatione curiositatis. Nec est simile de delectatione, quæ est in visu, & quæ est in tactu: quoniam visus delectatur in obiecto, quod est nobile; & magis accedit ad naturam spiritualē; similiter & auditus: & ideo in beatis delectatio visus potissime intenditur. Tactus vero delectatur in re magis grossa & materiali: ideo intensio suæ delectationis magis repugnat statui spirituali & magis reddit hominem carnalem & animalem, qualis est homo in statu miseriæ: & sic patet, quod illud non est simile. Ad illud, quod quæritur de verbo Magistri, dicendum, quod non intendit Magister dicere, quod non esset delectatio in coniunctione membrorum genitalium, sicut non est delectatio in coniunctione manus ad os: sed intendit, quod est similitudo in duobus, scilicet in hoc, quod vtrumque opus fieret in omnimoda obedientia voluntatis: & in hoc, quod in neutro accideret ardor libidinis. Et hoc patet ex
Aug. 14. de ciuit. Dei c. 16. tom. 5. verbis ipsius; & est id, quod vult Augustinus dicens: *In tanta felicitate hominum absit, vt suspicemur, non potuisse semen seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera & sine ardore & illecebroso stimulo.*

MEMBRVM III.

An primi parentes in statu innocentiæ coissent semper causa prolis habendæ tantum, vel interdum etiam delectationis capessendæ gratia?

SEQVITVR inquirere, Vtrum solum causa prolis habendæ fuisset maris & fœminæ commixtio: aut aliquando causa delectationis. Quod solummodo causa prolis, videtur sic. Matrimonium pro tempore innocentiæ solum-
Aug. 9. super Gē. c. 7. modo institutum fuit in officium, dicit enim Augustinus: quod ægris datum est in remedium, datum fuit sanis in officium. Sed officium consistit in procreando prolem: ergo solummodo ad hoc erat in statu illo: si ergo mulier & vir non coniungebantur, nisi propter quod erat matrimoniū, videtur quod nunquam essent coniuncti, nisi propter prolis procreationem. ¶ Item, qui debitum petit in statu naturæ lapsæ præter intentionem prolis procreandæ; vt pote causa delectationis; peccat: saltem venialiter: nec hoc impedit natura corrupta, ad hoc violenter prouocatiua: multo fortius tunc conuenientes delectationis causa: sed tunc non poterant peccare venialiter; ergo peccassent mortaliter: & sic caderent à statu innocentiæ. ¶ Item, delectari in aliquo propter se, est frui illo: quia frui est amore inhærere alicui propter se: frui autem creatura, est vtendo frui; quod est peccatū. Si ergo primus homo causa delectationis, non causa prolis procreandę vxorem suam cognouisset, ea frueretur: quod fieri non posset sine peccato. ¶ Præterea, videtur quod in qualibet coniunctione esset procreatio fœtus, sic: nunquā homo comedisset, quin ex illa comestione sensisset refectionē: nec vnquam nutritiua in suo actu priuata fuisset proprio effectu: ergo pari ratione nec generatiua in suo actu priuata fuisset debito fructu: sed fructus eius est proles: ergo &c. ¶ Item, in statu illo non esset priuatus debita intentione, nec intentio debito fine: priuatio enim intentionis rectæ non est sine culpa: priuatio vero vtilitatis intentæ non est sine pœna: neutrum autem istorum poterat esse in statu illo: cum ergo finis actus generatiuæ est procreatio prolis: relinquitur quod nunquam caruisset illa.

¶ CONTRA, appetitus coeundi non erat tunc libidinosus, sed naturalis: ergo sicut necesse fuit præuenire appetitum nutritiuę, scilicet famem & sitim: ita & appetitum generatiuæ: ergo non oportuit semper coire causa prolis: sed causa præueniendi appetitum, ne degeneraret in deordinationem. ¶ Item, cum ille appetitus sit generatiuæ, esset naturalis: videtur quod sicut appetitus alimenti non esset subiectus semper libero arbitrio in statu illo: sic nec appetitus ille: ergo semper fluxisset sicut & iste, nisi præueniretur: si semper fluxisset, & non esset subiectus libero arbitrio; prouocasset aliquando ad opus causa delectationis, & non semper causa prolis. ¶ Item, vis nutritiua semen administrat: ergo cum homo continue nutriretur, humor seminarius generatiuæ administrabatur: ergo vel oportebat hominem extra ordinem pollui, vel naturam grauari extensione seminis: vel aliquando mulierem cognoscere, quando non esset apta generare: vt pote quando esset grauida: si ergo duo prima sunt inconuenientia: restat tertium; scilicet quod vxorem aliquando cognouisset, quādo prolem non procreasset. ¶ Si autem diceretur, quod in statu naturæ instituręnō fieret huiusmodi multiplicatio humoris seminatij. Hoc non videtur verum, quia ex quo nutritiua semper ministraret humorem huiusmodi, cum non esset subiecta rationi, non videtur quod illius cessasset augmentum. ¶ Item, sicut comedere est actus naturalis, ita & coire: sed homo naturaliter appetit comedere, non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam institutæ: ergo pari ratione naturaliter appetebat coire: sed homo tempore naturæ institutæ debebat naturæ satisfacere, cum natura esset ordinata, & ordinate appeteret; alioquin pœnam sentiret: ergo videtur, quod siue mulier posset concipere, siue non; vir præter necessitatem prolis generandæ, aliquando mulierem cognosceret.

¶ ITEM, Ponatur quod Adam cognosceret vxorē suam prægnantem: quæro aut peccaret, aut non. Si non, ergo non erat necesse, quod in omni coitu generaret. Si sic: contra sanctius erat tunc matrimonium, quam tempore naturæ lapsæ: & æque magnæ, vel maioris efficaciæ: sed nunc propter bonum matrimonij excusatur coitus à culpa, etiam quando nulla est prolis generandæ necessitas: ergo videtur quod multo fortius tunc. ¶ Item, non erat maior inordinatio in contactu illorum membrorum, quam in admouendo manum ad os: sed manus admoueri potest ad os sine aliquo peccato, etiam præter necessitatem: ergo videtur, quod Adam potuit cognoscere vxorem suam absq; peccato, & præter necessitatem prolis generandæ.

RESOLVTIO.

Adam in statu primo nunquam cum Eua, nisi causa prolis coisset: quia non nisi ordinate eam cognouisset.

¶ RESPON. Dicendum, quod vir in quolibet actu, quo cognouisset vxorem, suscepisset ex ea prolem: ratio huius est, quia congruentia ordinis exigebat, & perfectio virtutis ad hoc sufficiebat. Exigebat namque hæc duplicis ordinis congruentia, siue virtutis generatiuæ ad rationem, & vtriusque ad suum finem. Vis enim generatiua ordinem habebat ad rationem: ordinem (inquam) perfectæ subiectionis: & ideo in actum non exibat nisi secundum quod ratio dictabat, ratio autem recta & ordinata dictabat, nulla re esse vtendum, nisi ad id, propter quod est: & quia vis generatiua data fuit homini ad prolis multiplicationē, ideo recta ratio nunquam dictaret, & vis generatiua nunquam exiret in actum, nisi propter prolis generationem: hoc enim congruentia ordinis exigebat. Perfectio autem virtutis aderat, quæ ad hoc sufficiebat: quia enim vis generatiua in viro ad generandum erat potens & sufficiens, nec habebat impedimentum: similiter & in muliere pro suo loco & tempore: ideo cum ordinate cognouisset vir vxorem, semper ex ea prolem susciperet, propter exigentiam duplicis ordinis, & sufficientiam duplicis virtutis, scilicet generantis & suscipientis: nec coissent in statu illo, nisi causa prolis; nec causa delectationis, nec causa præueniendi fluxum appetitus.

¶ AD illud, quod primo obiicitur contra hoc, dicendum, quod licet appetitus generatiuæ fuerit naturalis, non oportuit illum præueniri: quia omnino fuit sub obedientia rationis rectæ. Similiter non fuit de appetitu nutritiuæ: & ratio huius est, vt dicūt aliqui, quod appetitus nutritiuæ dependet à natura eorum, quæ concurrebant ad esse: sed esse alicuius creaturæ non subiacet eius arbitrio: similiter nec natura eorum, quæ ad esse requiruntur: quia ergo appetitus nutritiuæ dependebat ab illis, quæ requiruntur ad esse, non subiacebat arbitrio illius, cuius erat. Sed quod hæc ratio nulla sit, videtur: quia nutritiua non data fuit creaturæ ad hoc, quod per illam haberet esse; sed ad hoc per illam saluaretur siue conseruaretur in esse: conseruatio proprij esse subest arbitrio eius, cuius est: sicut productio consimilis in esse. Præterea cum ipsa generatiua in statu illo erat omnino ordinata, sicut etiam nutritiua; & de natura sibi indita habuit posse regendi se in omnimoda ordinatione: quæ fuit necessitas, vel congruentia; quare

[illegible] perfectius animæ nobilis &c. [illegible] proprio & immediato in productione vniuoca, vt quando animal producitur ex animali, vel planta.

¶ Ad illud, quod sequitur, scilicet quod ei generans vel producens habet speciem rei generandæ vel producendæ. Dicendum, quod licet ita (vt vult Philos. & Commenta. 7. primæ philosophiæ) *omne quod fit, fit ex consimili, tam in naturalibus, quam in artificialibus*: in naturalibus, vt quando animal facit animal: in artificialibus, vt quando mediante forma in mente artificis efficitur forma consimilis in re artificiali. Sed determinatur ibidem à Commenta. quibus concurrentibus hoc intelligi debet: vt forma, scilicet rei vel similitudo sit in agente, non in instrumento. & in agente propinquo, non remoto: & in agente essentialiter, non accidentaliter. Species enim rei producendæ in esse per instrumentum aliquod, nõ est in ipso instrumento: vt species imaginis non est in securi vel dolabro: nec species hominis producendi in esse est in sole: neque in agente accidentaliter, vt in agente non secundum intentionem, nec propter finem. Sed quando est agens proprie, non vt instrumentum: & agens propinquum, vt homo agit in generando hominem. & essentialiter, non casu; vt est in eis, quæ fiunt ex causis agentibus propter aliquid; tunc fit quod fit ex conuenientium: & generans vel producens habet speciem rei generandæ vel producendæ.

¶ Ad illvd, quod sequitur: quod omne dans vel agẽs aliquid, habet illud modo vniuoco, vel excellentiore &c. Dicendum, quod dans vel agens aliquid actione vniuoca, habet illud modo vniuoco: agens autem siue dans speciem alicui ex proposito, habet illud quod dat, scilicet speciem illius modo excellentiore. Agens enim aliquid ex proposito, quia agit comprehendẽdo, habet speciem eiusdem in intellectu: species autem rei modo excellentiore est in intellectu, quam in re ipsa: quia est in maiori puritate & immaterialitate. Et hoc maxime verum est in primo agente, in quo excellentiori modo sunt species rerum, quam in ipsis rebus. Vnde enim dicitur. 11. primæ philosophiæ: *causa non tantum sunt in eis, quæ fiunt, sed ea quæ sunt extra, sunt sicut causa.* Super quod dicit Commentator, quod primum mouens mouet ad omnes formas: & quod forma primi mouentis aliquo modo est omnes formæ. Vt autem ibidem exponitur: est principium extrinsecum duplex, primum & secundum. Primum est commune omnibus mouentibus: & hoc est principium, de quo dicit: quod forma primi mouentis est aliquo modo omnes formæ. Secundum autem principium, quod est commune & remotum; non de necessitate est conueniens, id est, conforme: hoc autem principium est illud, quo est actio cœli; quod est agens ex natura, non ex proposito. Vnde tale agens vel dans aliquid, non habet illud, quod dat.

¶ Ad illvd, quod sequitur, scilicet quod dicit Augustinus, quod nullum corpus corpori vitam præstat, &c. Dicendum, quod hoc verum est de principio intrinseco, quod per sui vnionem viuificat, tale enim non potest esse nisi forma spiritualis. Et huius ratio est: quia (vt supra dictum est) vita est vigor, qui non potest procedere nisi à substantia simplici carente extensione propter suam actualitatem & nobilitatem. Si autem intelligatur de principio extrinseco, sic non est verum: nisi intelligatur, quod non dat vitam per virtutem omnino corporalem. Potest tamen corpus cœleste habere virtutem aliquam viuificatiuam, per quam dat vitam aliquo modo: quæ quidem non est omnino corporalis, licet habeat esse in corpore: & ideo ex hoc non sequitur, quod huiusmodi corpus viuat. Potest etiam & aliter dici ad hæc & præobiecta: quod illud est verum de eo, quod dat vitam, sicut principium effectiuum, cui principaliter attribuitur forma rei generandæ. Et ideo locum non habet, quando agens exterius se habet in ratione excitantis illud, quod latitat interius: sicut patet quod calor [illegible] quod experientia docet de ouo facit pullum. In [illegible] de ouis positus in fimo produc[illegible] pulli [illegible] incubatione gallinæ, nec tamen habe[illegible] vitam, nec principium [illegible] per corporale extrinsecus excitatur spirituale latens. Nec huiusmodi productio animalis [illegible] tamen [illegible] sicut [illegible] gralli, qui illam animam [illegible] dit* quod illam [illegible] pore oportuno. Vnde August. *De [illegible] operatione, qua mirum [illegible] operatur, facit vt numeros [illegible] explicent semina, [illegible] latentibus ac inuisibilibus [illegible] formæ [illegible] quas aspicimus, decoris euoluit.* Et sic intelligimus in proposito: sicut enim ex causis [illegible], quibus mundus grauidus est, secundum August. *tempori opportuno animalia quædam producuntur in esse operatione consimilis in specie, virtute cœlesti cooperante: vt in generatione vniuoca.* Simili modo ex eisdem causis producuntur quædam animalia in esse mediante virtute cœlesti, excitanti virtutem intra latentem sine operatione consimilis: cuiusmodi sunt illa, quæ exeunt in esse corporum corruptione. Et sicut prima productio siue virtus ad producendum est indita creaturis modo isto à prouidentia conditoris: sic & secunda modo secundo. August. ad Orosium. Multa vtique videmus animalia, ex corruptione corporum maxime mortuorum nasci: nunquid tunc creata sunt, quando ipsa corpora [illegible] vt tunc dicantur creata, quando ipsa corpora, si corporibus initia sunt, & quodammodo initiata, quæ sunt suo tempore exortura. Sicut enim semen cuiuslibet arboris habet quandam vim, vt cum obrutum fuerit in terra, oriatur, & virgultum producatur: deinde ramis nihilominus constipata dilatetur; frondibus de eisdem floribus decorata, fructificet: ita & in corpore (vt ita dicam) est quoddam seminarium: vnde suo tempore (curante prouidentia Dei) aliqua genera oriantur. Sed de hoc supra.

¶ Ad alivd, quod sequitur, scilicet quod corpus cœleste est nobilius, &c. Dicendum, quod licet sit nobilius quantum ad proprietates luminositatis & incorruptibilitatis: nõ tamen quantũ ad dignitatem suscipiendi vitam: pro eo quod forma viuificatiua est multarum operationũ principium: ideo corpus aptum ad talem formam, non potest esse nisi corpus heterogeneum: & quantum ad naturam complexionis, quæ ex multis causis, & quantum ad esse organizationis: quam quidem nullum corpus cœleste habet: & ideo non habet tantam idoneitatem respectu vitæ. Ac per hoc ratio illa non est à minori: quamuis enim sint nobiliora quantum ad aliquas conditiones; nõ tamen quantum ad omnes; vt visum est.

¶ Ad vltimvm, dicendum: quod Philosophus loquitur de vltimo mouente, qui nullo modo mouetur per se, neque per accidens: qui dicitur mouere vt desideratum & intellectũ; non quia sit desideratum, & intellectum ab ipso primo orbe, vel alijs; sed à motore primi orbis: & hoc * quia posuit intelligentias motores orbium. Dicitur enim mouere vt desideratum, & quantum ad effectus, qui fiunt in inferioribus per motum orbis primi & aliorum: & quantum ad effectum assimilationis ipsorum orbium ipsi primo. Motores enim orbium desiderant & intelligunt ab ipso primo mouente, aliquos effectus fieri in istis inferioribus mediante motu corporum supracælestium, & etiam in ipsis corporibus cœlestibus, quorum ipsi sunt motores coniuncti: effectus in orbibus ipsis, est assimilatio ipsi primo. Vel potest aliter dici; quod dicit Philosophus, quod primum mouet sicut mouet desideratum & intellectum, non quia ipsa mobilia seu mota, scilicet corpora cœlestia desiderant & intelligunt ipsum: sed quia ipsum primum mouens mouet, sicut illud mouet, quod desideratur & intelligitur, id est, sicut finis mouet desiderantes ipsum, & intelligentes: hoc est mouet, nullo modo motus. Vnde Cõmenta. *Cum primum mouens mouet, & non mouetur, neque secundum accidens, neque secundum seipsum, sicut mouetur anima, quæ est in corpore, necesse est vt iste motor moueat, quemadmodum desideratum & affectum mouet nos.* Nota quod dicit [*mouet nos*]. Si autem videatur alicui Commentatorem sensisse (vt videtur ex verbis eius) corpora cœlestia habere vitam. Non est in hoc vis facienda: cum ille & alij commentatores in multis male senserint, & in opinionibus suis errauerunt.

¶ Ad illud, quod quærebatur in alia parte scilicet quare vita huiusmodi [illegible] triplex sit. Potest dici, quod vita in huiusmodi [illegible] inferioribus [illegible] non potest esse nisi ad vegetandum, vel [illegible] vegetat [illegible]

Philos. 7. Text. Com. 28.

Vide 12. Metaphys. Comme. 13

Philos. [illegible] Metaphysic.

August. 12 de ciui. Dei

* Alias. qui & in hoc explicat. Litem.

Quæst. 54. Memb. 2. quæst 80. Memb. 2.

*Alias, propter ponẽtes.

Comment.

ad cognoscendum vero potest esse vel respectu sensibilis, & sic est sensitiua: vel respectu intelligibilis, & sic est intellectiua. Item sicut dimensio in corporibus non stat citra ternarium, nec excedit ipsum; propter huius numeri complectionem, vt habetur in principio cœli & mundi: sic vita siue anima, quæ est completio siue perfectio corporum, in numero eodem completur.

ARTICVLVS V.

An in animalibus sanguine carentibus vita sit.

SEQVITVR inquirere: Vtrum carentia sanguine viuant. ¶ Quod sic, videtur, cũ certa experientia sciamus, quod multa sunt genera piscium, quæ carent sanguine, quæ nihilominus viuunt. ¶ Contra, super illud: *Carnem cum sanguine non comedetis.* Interlin. quia sedes animæ in sanguine est. Et: *Ceruum comedes, absque esu,* duntaxat sanguinis. Interlinear. sanguis pro anima ponitur: quia sedes animæ, i. humanæ vitæ in sanguine est. Ex his videtur, quod carentia sanguine non habeant animã, neq; vitam: cum hæc habeant esse in sanguine. ¶ Præterea, cum anima sit substantia spiritualis non habens situm, neq; determinans sibi partẽ, in qua sit per positionem: quare dicitur habere sedem in sanguine? ¶ Præterea, si sedes animæ, id est, humanæ vitæ est in sanguine; cum in omnibus membris sit sanguis, in omnibus membris est vitæ sedes: cuius contrarium videtur ex lib. de Mo. cor. vbi dicitur: quod proprium domicilium vitæ est cor. ¶ ITEM, quandoque dicitur sanguis esse sedes animæ, siue vitæ: quandoque cor: sicut habetur à Cassiodor. & ex lib. de Motu cor. quandoque caput: sicut habetur à Cassiodor. quandoque cerebrum, sicut habetur à medicis: quæ est ratio huiusmodi differentis assignationis?

Gen. 9.
Deut. 12.
Auctor libri de motu cordis.

RESOLVTIO.

Adhuc & ijs vitam inesse, experientia docet; nec ratio abducit.

¶ RESPONSIO, quod carentia sanguine viuunt & habent vitam, & animas. Cum autem dicitur, quod sedes animæ est in sanguine: ibi dicitur anima, vita carnalis: quæ finitur morte. Vnde Leuit. 17. *Anima carnis est in sanguine.* Ibi Aug. *Aliquid vitale est in sanguine: quia per ipsum maxime in hac carne viuitur: qui per omnes venas corporis diffunditur, ipsam vitam corporis vocauit animam; non vitam, quæ migrat, sed quæ morte finitur, qua locutione dicimus, istam vitam temporalem esse, non æternam; mortalem, non immortalem; cum sit immortalis anima, quæ portatur ab angelis in sinu Abrahæ.* Luc. 16. Et hoc est, quod dixit Apost. Act. 20. *Non facio animam meam pretiosiorem, quã me:* ibi vocat animam vitam temporalem. Vita ergo temporalis hominis, & vita pecudum dicitur esse in sanguine; quia inter quatuor humores sanguis est temperatissimus, & maxime amicus naturæ: & omnia membra tam solida, quam mollia ortum habent à sanguine, tanquam à nutrimento: omnium n. membrorum sanguis est nutrimẽtum. ¶ Cum ergo obijcitur, quod cum anima & vita habeant esse in sanguine, &c. Dicendum, quod verbum prædictum intelligi debet in habentibus sanguinem.

Leuit. 17.
Aug. ibi.
Act. 20.

¶ AD illud, quod consequenter quæsitum est, sc. quare anima, cum sit substantia spiritualis, &c. Similiter & vita. Dicendum, quod anima nõ sumitur pro substantia spirituali, cum dicitur quod sedes animæ est in sanguine, quæ est perfectio corporis organici, & quæ sua præsentia corpus viuificat: vt dicit Augustin. in Lib. de Anima & spiritu: sed sumitur pro vita corporali: cuius sedes dicitur esse in sanguine, quia sanguis est amicus naturæ: vnde maxime est conseruatiuus eiusdem; & ita vitæ per consequens. Et dicitur in Lib. de Mo. cor. quod calor, & humor sunt conseruatiua vitæ, quæ sunt propriæ qualitates sanguinis, & quia sanguis maxime est nutrimentum membrorum; quorum esse & ordo est propinqua dispositio ad informationem animæ, ex cuius colligantia cum corpore est vita corporalis.

Auctor de motu cordis.

¶ AD illud, quod sequitur. Dicendum, quod cor dicitur domicilium vitæ ratione præsidentiæ vis vitalis: quod non impedit, quin vita sit in alijs membris corporis: Vt enim dicit August. [illegible] *vita* [illegible] *in corde, quæ ad con*[illegible]*randum feruorem cordis, a re*[illegible]*endo, atque reddendo, vitam & salutem toto corpori tribuit: aere namque puro sanguinem perfusum per ta*[illegible] *in corpus dispergit per venas pulsatiles, quæ arteriæ vocãtur: ex quarum motu temperantiam atque distemperantiam cordis Physici cognoscunt.* Et Cassiod. l. *Quidam sedem animæ, quamuis sit toto corpore diffusa, in corde esse voluerunt, dicentes: quod ibi est purissimus sanguis, & vitalis spiritus continetur.*

Aug. in lib. de anima & spiritu.
Cassiod. li. lib. de anima.

¶ AD vltimum quæsitum iam patet responsio, sc. quare sanguis dicitur sedes vitæ: similiter quare cor dicitur domicilium vitæ. ¶ Quare autem animæ sedes dicitur caput: ratio est sublimitas membri & figura: quod bene cõpetit sublimitati figuræ rationalis creaturæ. Vnde Cassiodor. Plurimi in capite insidere manifestant, sc. animam (si fas est cum reuerentia tamen dicere) ad similitudinem aliquam diuinitatis: quæ licet omnia ineffabili substãtia sua repleat; scriptura tamen cœlis insidere cõfirmat. Dignum est enim vt arcem peteret, quæ se nouerat cœlesti operatione sublimem: & tali loco præ cæteris versari; vnde reliqua membra debuissent competenti regimine gubernari. Nam & ipsa figura capitis sphæra pulcherrima est, in qua sibi immortalis atq; rationalis anima dignam faceret mansionem. Item, medici ponunt cerebrum esse templum, siue sedem animæ, & hoc maxime quantum ad illam partem animæ, quæ est cognitiua. Sicut n. in templo sunt tres partes principales, vestibulum, consistorium, & apoteca. Ita phantastica cellula, logistica, & memorialis, partes sunt cerebri principales. Anima ergo in phantastica cellula quasi in vestibulo diuersas per imaginationem suscipit formas: in logistica cellula quasi in consistorio de imaginatis ratione discernit: in memoriali cellula quasi in apoteca anima ea, quæ imaginatio recipit, ratio discernit, per memoriam conseruat.

ARTICVLVS VI.

An & in Embrione vita sit?

SEQVITVR inquirere: Vtrum vita sit in embrione ante organizationem? Quod sic, videtur per Philos. vbi dicitur: *Omne conceptum viuit, sicut viuunt arbores:* & vocat [*conceptum*] semen relictum in matrice à generante. ¶ Item, in eodem: *Non potest aliquis dicere, quod conceptum non habet animam omnino, & quod est priuatum vita.* ¶ Item, in Lib. de Mo. cor. *ordinantur actus animæ:* dicitur enim sic. Viuit & vegetatur animal, sentit & mouetur, discernit & intelligit: & quæ ex eis oriuntur, non facile numerabilia efficere habet. Et harum potentiarum hæc prima distantia est: quod vitam quasi præuiam cæteræ sequuntur; sine qua nullam cæterarum inesse possibile est: actus enim consequentes necessario præsupponunt priorem. Ergo cum in embrione vigeant actus consequentes ad vitam, sicut actus vegetandi, & augmentandi, & huiusmodi: relinquitur quod in illo est actus prior, qui est vitæ, siue vita. ¶ Item, cum sine virtute animæ vegetabilis & sensibilis non possit corpus hominis organizari, & præparari conuenienter ad susceptionem animæ rationalis, necesse est prius esse animã vegetabilem & sensibilem in semine, quam corpori organizato infundatur anima rationalis. Et hoc videtur Philos. velle. dicit enim: *Necessario erit in concepto prius anima cibatiua; & cum creuerit, erit in eo anima sensibilis, per quam dicitur animal: & non est animal simul & homo.* Ex hoc videtur, quod embrio, vel semen sit animatum in matrice: & si hoc, viuit: dicitur enim in Lib. de Mo. cor. *Animatum & viuens ad seinuicem paria sunt.* ¶ Item, in Lib. de Mo. cor. *Vitam actu omnibus æqualiter inesse, necesse est: æquè n. est viuens embrio & adolescens.* Ex his patet propositum.

Philos. 16. animaliũ.
Idem in eodem.
Auctor de motu cordis.
Philos. 16 de animal.
Auctor in lib. de motu cordis.

¶ CONTRA, sicut tactum est; dicitur in Lib. de Mo. cor. animatum & viuens ad seinuicem paria sunt: si ergo embrio viuit, est corpus animatum: ergo vel planta; vel animal: quorum vtrumque est falsum. ¶ Item, ex hoc sequeretur, quod plures animæ secundum substantiã essent in homine: contrarium dicit August. sic: *Neque duas animas esse dicimus in vno homine; sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt) vnam animalem, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini: & alteram spiritalem, quæ rationem ministret. Sed dicimus animam esse vnã eandemq; in homine: quæ & corpus societate sua viuificet, &*

In eodem.
Aug. in lib. de ecclesiæ dogmatib. cap. 15.

semetipsam sua ratione disponat: habens in se libertatem arbitrij, & in sua substantia eligat cogitatione, quod vult. Idem dicit in Lib. de Spiritu & anima.

Idem.

RESOLVTIO.

Et in Embrione etiam vitam inesse asserimus: verum extenso nomine vita. Quia non ex præsentia animæ informantis: sed ex influentia, quam à corpore continente recipit, viuit.

¶ RESPONSIO. Circa hanc materiam diuersi diuersa sentiunt. Quidam n. dicunt, quod embrio viuit ante organizationem, & habet animam vegetatiuam, & sensitiuam ante infusionem animæ rationalis: innitentes verbo Philosophi supradicto: & isti ponunt hominem habere tres animas, vel saltem tres substantias animæ. Notandum ergo, quod quidã dixerunt tres substantias incorporeas esse in homine, sicut tres vitas, sc. vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Dicunt etiam, quod homo habet substantiã incorporeã, qua viuit, crescit, & nutritur: & hoc ex traduce generatione, in qua conuenit cum plantis: habet substantiam incorpoream, qua sentit, ex cœlo & stellis, secundum quam conuenit cum brutis: habet & substantiam, qua viuit & intelligit, immediate à Deo per creationem: vnde ponunt tres animas in homine.

¶ Alij dicunt, quod quamuis sint tres substantiæ; non tamen tres animę in homine: quia anima nomen est perfectionis: ideo substantia vegetabilis non est anima, nisi in plantis, quarum est perfectio: sensibilis vero nisi in brutis: in homine autem sunt quasi materiales ad rationalem, & rationalis est cõpletio, & ideo ipsa sola est anima in homine, alijs existentibus vt dispositionibus materialibus ad ipsam. De vnione autem illarum adducunt exemplum in radijs ignis, & solis, qui quandoque vniuntur in aere, in quo non est nisi quasi vnus; & hoc propter eorum simplicitatem. Et sicut contingit quod radius ignis cum igne corruptibilis est, radius solis cum sole incorruptibilis: sic duæ corrũpuntur * cum corpore, sc. vegetabilis, & sensibilis: tertia remanet & separatur à corpore vt radius ab aere. Et dicunt, quod prius tempore est in semine ipsa vegetatiua, qua nutritur & crescit: deinde cum creuerit, subsequitur per influentiam corporis cœlestis sensitiua: vltimo vero infunditur per creationem rationalis vt perfectio vltima. Nec sequitur; ante infusionem animæ rationalis, qua est homo, est sensibile & animatum: ergo leo, vel capra &c. quia est animal imperfectum: imperfectum (dico) non sicut dicitur animal imperfectum, quod non habet omnem sensum, sed imperfectum, quod est materiale ad vltimum completiuum. Non sunt etiam differentes specie, quamuis differentes substantiales perfectiones, quia vna est materia vel dispositio ad aliam, & ideo est simplex vna perfectio * vltima, sc. rationalis. Sed hæc positio est simpliciter contra August. dicentem, plures animas non esse in vno homine: non enim intendit per hoc non esse plures perfectiones vltimas in homine, sed intendit instruere vnam animam rationalem esse in homine: cuius potentiæ, siue ex cuius essentia sunt vegetatiua & sensitiua. Quod patet per hoc, quod dicit in Lib. de Anima & spiritu. *Anima, dum carne exuta est, viuit, videt, & audit; & omnes sensus atque ingenia viuaciter tenet.* Non n. poneret animam exutam sentire, nisi ex sua essentia haberet potentiam sentiendi, & illa virtute, qua anima sentit, sensificat corpus, quod perficit.

* Alias, io.

* Alias, sc. vltima rationalis.

Aug. in li. de anima & spiritu.

¶ Alij ponunt (supposito quod rationalis habeat suam vegetatiuam, & sensitiuam) necessario duas vegetatiuas & duas sensitiuas in eodem esse, & priores cessare ab operatione, fortiore virtute superueniente. Hoc non videtur probabile, quia cum natura nihil agat frustra, vt vult Philosophus: multo fortius nec autor naturæ, sed si duæ essent vegetatiuæ, & duæ sensitiuæ in homine; altera esset frustra. Præterea, ex hoc sequitur, quod in homine sunt plures animæ distinctæ secundum substantiam: cum potentia animæ non sit sine substantia. quod est contra August.

1. Cœl. 32.

¶ Quidam alij ponunt priores corrumpi, rationali aduenıente, & tanquam ad tempus commissas, completa organizatione, deficere. Hoc etiã nõ videtur probabile, cum organizatione completa, fortius vigeant vegetatiua, & sensitiua, eo quod sunt fini suo magis coniunctæ. Præterea, vnde esset illis ratio deficiendi; cum huiusmodi animæ non habent defici nisi ex aliqua dissolutione, siue corruptione facta circa subiecta earum. ¶ Propter hoc videtur aliter dicendum. & põt quidem dici sine præiudicio, quod (proprie loquendo) embrio non viuit eo modo, quo illud dicitur viuere, quod habet animam formã, & sui perfectionem: huiusmodi n. propriè dicuntur viuere. Impropriè aũt loquẽdo, & extenso nomine vitæ; eo modo loquendi, quo omnia illa dicuntur viuere, quib. cõmunicatur aliqua operatio vitæ; siue hoc sit ex præsentia animæ viuificãtis & informantis illud; siue ex contiguatione vel continentia alicuius viuificati vel viuentis ex præsentia animæ informantis illud: sic potest dici viuere: eo profecto modo quo poma possunt dici viuere, non quia viuificãtur ex præsentia animæ viuificantis siue informantis, sed ex influentia quam recipiunt ex planta, cui contigua sunt. Potest ergo dici quod embrio viuit, extenso nomine vitæ, nec viuit ex præsentia animæ informantis; sed ex influentia, quam recipit à corpore continente.

¶ AD illud ergo, quod primo obijcitur illud Philosophi: quod conceptum viuit, sicut viuunt arbores. Dicendum, quod [*viuere*] sumitur ibi pro vegetari, sub hoc sensu: conceptũ vegetatur, sicut vegetantur arbores: ita tamẽ quod per hoc, quod dicitur [*sicut*] notetur similitudo quãtum ad genus actus: non quantum ad modum, id est, conceptum, & arbores habent similitudinem in hoc, quod vtrumq; vegetatur.

¶ AD illud, quod obijcitur, sc. quod non põt dici, quod conceptum non habet animam omnino. Dicẽdum, quod hoc verũ est: quia habet animam operantem aliquo modo in ipso, i. operationem animæ: non tamen habet animam informantem. Vnde facienda est vis in hoc, quod dicit, omnino: quia nõ potest vere dici separari anima omnino à concepto, sc. quantum ad operationẽ, & quantum ad substantiam. Quod autem subditur [*& quod priuatum est vita*] sic intelligendum est, cum hac determinatione, omnino: quia aliquo modo viuit, vt dictum est.

¶ AD illud, quod obijcitur, ꝙ viuere est primus actus animæ, quem præsupponunt consequentes. Dicendum, quod eo modo quo habent esse; habent ordinem: cum n. datur vita alicui mediante anima informante illud, & cõsequenter vegetatur & sentit mediante eadem: cum autẽ datur vita alicui aliquo modo ex contiguatione & continentia alicuius alius, quod viuificatur ex præsentia animæ informantis illud; & consequenter vegetatur & sentit mediante illo, à quo cõtinetur: & hoc per influentiam, quam recipit ab illo.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod corpus organizatur, & præparatur ad susceptionẽ animæ rationalis mediante virtute animæ vegetatiuæ, &c. Dicendum, quod in decisione seminis à generante derelinquitur virtus in semine, quæ inualescit, & vigoratur à virtute continentis: sicut natura quandoq; confortatur, & roboratur opere artificis. Vnde ipsa virtus relicta in semine sic vigorata & roborata, operatur ad organizationem; & præparat corpus, & reddit congruum ad animæ rationalis susceptionem, incessanter cooperante, & influente ipso continente. Vnde non est necesse prius inesse animam vegetabilẽ & sensibilem ipsi embrioni per modum informantis, vt sic præparetur ad animæ rationalis susceptionem: sed solummodo per modũ exterioris, præparantis ipsum corpus, quod debet esse organum, siue perfectibile ipsius animæ perficientis. Quod autem dicit Philosophus, *necessario erit in concepto prius anima cibatiua, & cum creuerit, erit in eo anima sensibilis,* &c. hoc intelligitur quantum ad virtutem operatiuam, non quantũ ad substantiã informatiuã: prius n. fiunt in eo operationes vegetatiuæ, quæ sunt, alimento vti, & augmentari; ꝗ opera sensitiuæ, & sensitiuæ, ꝗ intellectiuæ. Vnde verbũ Philos. debet intelligi quantum ad esse per virtutem operatiuam; non quantum ad esse per essentiam informatiuam.

Philos.

¶ Si obijciatur, ꝙ non est virtus sine substantia. Dicendum, ꝙ hoc verũ est, sed est substantia, in qua radicatur virtus, & est substantia, qua qñq; defertur virtus: vnde nunquam est virtus sine substantia radicali vel deferente.

¶ Quod

Auctor lib de motu cordis.

¶ Quod autem dicitur in Lib. de Mo. cor. *quod animatum & viuens ad seminucem partia fiunt*. Potest dici, quod hoc intelligi debet de viuente, propriè dicto, id est, de viuente per præsentiam animæ viuificantis.

In eodem.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod dicitur in Lib. de Mo. cor. quod *aequè est viuens embrio & adolescens*. Dicendum, quod embrio dicitur nomine extenso fœtus formatus, & organizatus.

ARTICVLVS VII.

An & in humoribus vita sit?

SEQVITVR inquirere: Vtrum humores viuant? Quod sic, videtur, nihil resurget, nisi quod viuit: cum illud, quod resurget, sit de veritate humanæ naturæ: ergo si humores non viuunt, non resurgent: sed resurgent, sicut patet in Christo, in quo resurrexit sanguis: cuius Sacramentum est species vini in Sacramento altaris: sanguis n. qui ibi sumitur, est glorificatus. ¶ ITEM, Christus secundum corpus factus est ex purissimis sanguinibus beatæ Virginis: sed constat quod ipse sumpsit carnem ex substantia, quæ viua fuit in Virgine: ergo sanguis vixit in illa: similiter videtur in alijs. ¶ ITEM, omne illud viuit, in quo est sedes animæ, siue vitæ: sed humor sanguineus est huiusmodi; vt ex dictis patet: ergo viuit: consimili ratione videtur quia & alij humores similiter. ¶ ITEM, cor est domicilium vitæ, vt habetur in Lib. de Mo. cor. Sed (vt recitat Cassiod.) *in corde purissimus sanguis, & vitalis spiritus continetur*: ergo humor huiusmodi. sc. sanguineus maxime approximatur principio vitæ, i. cordi: sed quāto aliquid est principio vitæ proximius, tanto magis vitam participat: ergo videtur, quod huiusmodi humor magis participat vitam, quam extremitates corporis; quæ magis distant à corde. ¶ ITEM, humores nutriuntur, augmentantur, & diminuuntur: nutriuntur n. & augmentantur ex cibis sanis & amicis naturæ: huiusmodi autem actus sunt animæ vegetatiuæ: ergo &c.

Cassiod.

¶ CONTRA, nihil viuit, quod non est colligatū membro: humores autem non sunt colligati membris (sunt n. in partibus corporis sicut in vase, sc. in venis: vnde sine læsione fit horum diminutio: ergo &c. ¶ ITEM, ipsis humoribus nutriuntur membra: alimentum autē, quo membra nutriuntur; antequam conuersum fuerit in membrum, nō est subiectum vitæ: ergo &c. ¶ ITEM, nihil viuificatur ab anima, nisi quod habet stabilitatem & fixionem in corpore, sed humores non sunt huiusmodi; quia continuè fluunt: ergo &c.

RESOLVTIO.

Nec dum ab humoribus vitam auferimus: sed bene minime propriè illis inesse autumamus.

¶ RESPOND. quod viuere dictum de corpore, tripliciter accipitur, scil. propriè, minus propriè, & minime propriè. Propter viuere dicitur illud corpus, quod vnitur animæ, ipsum perficienti: sicut corpus organizatum iam actu ab anima perfectum. Minus propriè dicitur viuere, quod licet non sit vnitum animæ perficienti, coniunctum tamen est corpori habenti animam vt perfectionem: & licet non habeat animam, habet tamen aliquam virtutem vitalem, per quam vt per virtutem alienam (sc. alicuius contigui; vel continentis) habet operationes consimiles rei viuæ: sicut est in præcedentibus dictum de Embrione, & sicut est de capillis, & vnguibus. Minime dicitur viuere, quod ex colligatione sui cum corpore viuente, recipit aliquam vegetationem: vnde est in dispositione ad vnionem cum corpore viuificato, & est sicut instrumentum respectu virtutis vitalis: quamuis non sit vnitum animæ, nec habeat virtutem vitalem intra se. Et per hunc modum dicuntur viuere spiritus & humores, qui deseruiunt virtuti vitali; & per illam in corpore quodāmodo vegetantur, & augmentantur, & restaurantur. Vegetantur (dico) communiter loquendo: eo modo quo vegetari dicitur in corpore, quod non putrescit, vel corrumpitur. Sic igitur (impropriè loquendo, vel accepto viuere) concedi potest, quod humores viuunt. Si autem propriè accipitur: sic dicendum, quod non viuunt: sicut rationes ad secūdam partem ostendunt.

Art. immediate præcedenti.

¶ AD primum, quo ostenditur, quod viuunt propriè, quia resurgent. Potest dici, quod nō solum resurget, quod viuit, primo modo viuendi dicto, sed secundo, sicut capilli, & vngues: & etiam quo ad tertio, sicut humores, qui resurgent (vt dicunt quidam) forte ad decentiam repletionis vacuitatis in corpore, siue in venis: vel ad complementum corporis humani. Supponatur autem hoc de resurrectione humorum, de qua erit quæstio in loco suo.

¶ AD illud, quod sequitur; quod cum dicitur: quod Christus factus est secundum corpus ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis: sicut dicit Damasc. & recitat Magister in Senten. non intelligitur de sanguine, qui est vnus de quatuor humorib. sed sanguis sumitur ibi pro carne. Vnde quandoq; dicitur factus de carne, quandoq; de sanguinibus. Ratio autē, quare dicitur Christus assumpsisse carnem de sanguinibus Beatæ Virginis, potest esse, quod illa portio carnis, de qua factus est Christus secundum corpus, vim habebat seminis: propter quod conuenienter sanguis nominatur, qui est in propinquiore conformitate ad semē, quam caro. Vnde sicut dicit Magister in Sent. Spiritus S. potentiam contulit generandi B. Virgini absq; semine virili, & Damasc. dicit, quod in virgine erat semen diuinum.

Damasc. & Magister.

Iidem.

¶ AD illud, quod sequitur. Patet responsio ex supradictis, vbi tactum est: propter quid sanguis dicitur sedes animæ, & quis est intellectus verbi huius.

Memb 3. huiusce quæst. ar. 5.

¶ AD aliud; quod sequitur: quod sanguis est propinquior principio vitæ, &c. Potest dici, quod huiusmodi propinquitas non est causa vitæ siue viuificationis, sed potius aptitudo suscipiendi vitam, siue viuificationem ab anima, quæ prouenit ex propinquitate, siue conformitate harmoniæ, & neruorum; quæ est rei viuentis ad animam viuificantem.

¶ AD vltimum dicendum, quod humores non nutriūtur, vel augmentantur; sicut illa, quæ viuunt ex influentia animæ perficientis illud, quod continet ipsos humores. Vnde illa eadem proprietate, qua dicuntur viuere, dicuntur nutriri, & augmentari: prout nutriri & augmentari dicuntur opera vegetatiuæ. Hoc dico, quia in aliquo, vegetare, & augmentari, non est opus vegetatiuæ, sicut in igne; qui dicitur nutriri, & augmentari.

QVÆST. LXXXVIII.

De mortalitate primi hominis.

In quatuor Membra diuisa.

QVONIAM à principio intendebatur in parte ista determinari de passibilitate primi hominis per separationē animæ à corpore: hoc est, vtrum erat mortalis; mors autem est quasi priuatio vitæ, & cognitio habitus confert ad cognitionem priuationis: aliqua sunt tacta de vita. Propterea nunc sequitur de mortalitate: de qua quatuor quærentur. Primo quæretur absolute de eius mortalitate, & immortalitate: si erat mortalis primus homo, vel immortalis. Secundo, habito quod immortalis, à quo erat illa immortalitas. Tertio, vtrum eadem erat cum immortalitate gloriæ. Quarto, vtrum eadem erat potentia, qua erat mortalis & immortalis.

D. Tho. 1. par. q. 97. ar 4. S Bo. in 2. d. 19. art. 3. Sco. ibid. q. 1.

MEMBRVM I.

Adam mortalis, an immortalis fuerit secundum corpus?

QVÆRITVR primo: Vtrum primus homo in statu innocentiæ erat passibilis per separationē animæ à corpore: & hoc est: Vtrum erat mortalis quantum ad corpus. Hanc quæstionem determinat Magister dicens sic: *Primus homo secundum naturam corporis terreni immortalis fuit quodammodo secundum aliquid; quia potuit non mori: & mortalis quodāmodo, quia potuit mori*. Sed ostenditur, quod fuit immortalis tunc, id est, nō potens mori, sicut dicit Apost. *Stipendia peccati mors*: ergo nullo modo infligenda est mors, nisi post peccatum: ergo ante peccatum nulla est passibilitas ad mortem, quia peccatum est medium, sine quo nullo modo potest suscipi ex parte susceptibilis pœna, neq; infligi ex parte infligentis: ergo videtur, quod in statu innocen-

Magist. in sent. lib. 2.

Rom. 6.

ergo immortalitas fuit à natura. ¶ ITEM, immortalitas est à potentia continuandi vitam: sed constat, quod potentia viuendi est naturalis: cum contrahatur ex coniunctione animæ cum corpore, quæ naturalis est. Sed eadem est potentia continuandi vitam, quæ est viuendi, vt videtur: sicut eadem est gratia, quæ viuificat, & consummat per perseuerantiam: ergo potentia continuandi vitam est naturalis. ¶ ITEM, eadem potentia est principium vitæ, & principium continuationis vitæ: naturaliter habuit in se principium vitæ: ergo &c. ¶ ITEM, natura est ad hoc, vt saluetur diuinum esse, quantum potest: diuinum autem esse est similiter se habere: ergo natura est ad hoc, vt illud, in quo est, similiter se habeat: quod autem non potest natura in hoc, vt saluetur esse diuinum in eodem, hoc est propter corruptionem peccati: ergo & natura non corrupta, scilicet bene instituta in hoc potest: ergo est causa immortalitatis. ¶ ITEM, in primo statu nihil erat in primo homine impellens ad corruptionem: igitur de natura propria erat immortalis. Et cum nihil extra illum lædere poterat. ¶ ITEM, Eo quod erat innocens, erat immortalis: ergo à quo erat innocentia, erat immortalitas: sed innocentia erat à natura: ergo & immortalitas erat à natura. ¶ ITEM, August. *Deus est vita animæ: anima est vita corporis.* (Vnde anima sicut medium inter Deum, & corpus; recipiens vitam à Deo, tribuit vitam corpori.) Ergo si anima semper esset coniuncta suæ vitæ, semper esset corpus coniunctum suæ: sed statu durante innocentiæ, semper esset anima coniuncta suæ vitæ: ergo &c. igitur semper dedisset vitam corpori, & ita immortalitatem. — Aug. de ciuit. Dei.

¶ SI diceretur, quod hoc non sequeretur: quia hac ratione homo in gratia non moreretur. Hoc tamen non est simile: quia modo est corpus necessario morti addictum. Præterea. Illa influentia à Deo in Adam non fuit gratuita, sed naturalis. ¶ ITEM, vt dicit August. Nihil erat corruptionis in corpore, vel ex corpore: nullas molestias vllis eius sensibus ingerebat: nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus ictus metuebatur: Et ita sine gratia fuit remota ab homine omnis causa mortis: quare fuit immortalitas sine gratia. ¶ ITEM, immortalitas fuit illi ex ligno vitæ. Dicit enim August. *quodam modo creatus est homo immortalis*: quod ei erat ex ligno vitæ, non conditione naturæ: mortalis erat ratione corporis animalis: immortalis beneficio conditoris. Et Hugo dicit, quod primus ille homo nō secundum qualitatem corporis terreni, sed ex beneficio vitalis edulij non mori potuit, manifestè scriptura ostendit: vbi cum ab eodem ligno eiectum, ne vitam ipsam perpetuam conseruare posset, testatur, dicens: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus. Et ita videtur, quod neque de natura sua, neque ex gratia erat immortalis, sed ex ligno vitæ. ¶ ITEM, incidenter quæritur: si bruta essent vsa ligno vitæ, vtrum continuarent vitam suam huiusmodi vsu. — Idem 13. de eadem. — Idem super Genesim. — Hugo. — Quæstio incidentalis.

RESOLVTIO.

Adæ immortalitas in primo statu non à natura, sed gratia, naturæ superaddita fuit à gratia (inquam) gratis data.

¶ RESPONDEO. Quidam ponebant, quod immortalitas in primo homine esset à natura: quia sua natura haberet aptitudinem ad immortalitatem. Quidam, quod à gratia, quia à dono gratuito habebat complectionem. Et potest esse exemplum ad hoc: cum dicitur, homo est beatificabilis; notatur ibi aptitudo & dispositio superaddita: similiter cum dicitur; homo est immortalis. Vnde sicut homo quodammodo potest dici beatificabilis per naturam: quodammodo per gratiam similiter primus homo immortalis: prout enim hoc quod dico [*beatificabile*] importat aptitudinem, conuenit homini per naturam: à natura enim sua habet aptitudinem ad beatitudinem: secundum autem quod importat dispositionem, per quam quis sufficienter disponitur ad susceptionem actus beatitudinis, inest illi per gratiam, non per naturam. Sicut ergo licet homo à natura habeat aptitudinem ad beatitudinem; non propter hoc dicendus est beatificabilis à natura; nisi valde per accidens: sed potius à gratia, quæ est disponens & ordinans ad susceptionem beatitudinis immediate: sic in proposito. Propter hoc dicendum est, quod immortalitas primi hominis non fuit à natura; sed à gratia: vt habetur à Magistro. dicente: *Alterum habebat à natura corporis*, scilicet posse mori: *alterum vero ex dono gratiæ*. Hoc idem dicitur ab Hugo. vt patet ex dictis. ¶ Nota ergo, quod sicut triplex est status, scilicet innocētiæ, in quo poterat primus homo peccare & non peccare, similiter mori & non mori. Secundus, in quo poterat peccare, & non poterat non peccare, similiter poterat mori & nō poterat non mori. Tertius, in quo poterit nō peccare & non poterit peccare, similiter poterit non mori & non poterit mori. Similiter triplex est gratia, scilicet perfecta, & imperfecta in duplici differentia: quia imperfecta est gratia gratis data respectu gratiæ gratum facientis. Similiter gratia gratum faciens secundum quod est viatoris inquantu huiusmodi, qua solum tollitur miseria culpæ, respectu gratiæ gratum facientis, secundum quod est comprehensoris, qua tollitur non solum miseria culpæ, sed pœnæ. Fuit ergo immortalitas primi status, id est, possibilitas non moriendi à gratia gratis data, non gratum faciente. In secundo statu est immortalitas, id est, possibilitas non moriendi spiritualiter, à gratia gratum faciente (dicit enim Hugo. quod in secundo statu est moriendi & peccandi necessitas: sed moriendi necessitas, quādiu adest vita; peccandi necessitas quamdiu abest gratia; ex quo patet, quod ex præsentia gratiæ est possibilitatis non peccandi.) In tertio statu erit immortalitas, id est, possibilitas moriendi ex gratia perfecta. Possunt ergo rationes concedi, quibus ostenditur: quod hæc immortalitas non erat à natura, sed à gratia naturæ superaddita. — Magist. li. 2. sent.

¶ AD illa, quæ obijciuntur in contrarium respondendum. Ad id ergo, quod obijcitur: quod æquelibrata erant elementa à natura: similiter virtus nutritiua, & alimētum similiter. Dicendum, quod huiusmodi immortalitatis erat causa multiplex, sine vna ex multis. Vna illarum erat proportio mixtorū in conueniēti æqualitate virtutum elementarium, & harmonia, quæ magis esset causa pacis quàm pugnæ: iuxta quod exigebat optima complexio, & sanitas perfectissima: qualis erat ipsius Adæ: vnde August. de ciuit. Dei, dicit: quod in carne eius summa sanitas erat. Huiusmodi autem mixtio & harmonia defectibilis erat, nisi conseruaretur, & mortis introductio possibilis. Et hoc ex triplici causa intrinseca; vt si consumeretur humidum intrinsecū, si mixtorum esset pugna, & consequenter abiectio à substantia; & si illorum contraria esset inclinatio. Secundum n. quod vult Philos. propter humidi consumptionem, propter mixtorum pugnā, & consequentem abiectionem à substantia eorundem, & cōtrariam eorundem inclinationem, solet esse dissolutio in mixto. Prima causa remouebatur ab Adam per esum lignorū: nam duplex est consumptio humidi, sc. radicalis, & nutrimentalis: cōsumptio humidi radicalis impediebatur propter esum ligni vitæ, quod ideo lignum vitæ dicebatur, ꝙ per illud vegetabatur illud humidum, in quo radicatur vita: consumptio vero humidi nutrimentalis impediebatur per esum aliorū lignorum Paradisi, quæ optimum ipsi Adæ stanti præstabant alimentum: sic ergo prima causa tollebatur per esum lignorū paradisi. Secunda vero causa dissolutionis, quæ est pugna in agendo & patiendo, tollebatur tribus cōcurrentibus, sc. æqualitate mixtionis in optima proportione, & virtute lucis conciliāte contraria, & ad quandam amicitiam reducente, & virtute amicitiæ cōtinente: quæ quidem virtus consequebatur ipsam animam in statu innocētiæ, inerat ei per donum gratiæ gratis datæ. Tertia causa dissolutionis, quæ quidē erat ex inclinatione elementorū ad sua loca; tollebatur propter nobilitatem formæ secundum statum innocentiæ: quia anima rationalis omnino pura à peccato, adeo nobilis erat, quod ità terminabat appetitum naturæ: vt illa, quæ perficiebantur ab ea, nequaquam sub alia forma, vel situ appeterent esse. Nec mirum, cum secundum ordinem naturæ (vt dicit Philosophus) ceteræ formæ naturales ordinem habeant ad animam rationalem, sicut ad complementum & finem. Et hac igitur triplici causa erat in Adam proprietas immortalitatis. — Aug. de ciuit. Dei.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod à natura habuit corpus in perfecta æqualitate, &c. Dicendum, quod etsi quædam naturaliter cooperabantur illi immortalitati, vt complexio, & alia quædam: Forte tamen quia à continentia animæ, & à ligno vitæ principaliter erat immortalitas illa: anima vero in statu illo vnita vitæ suæ mediante gratia gratis data, habuit ex illa vnione potestatem perpetuandi vitam, & participãdi suo coniuncto, scilicet corpori, dicitur fuisse à gratia. Anima enim habebat à gratia, quam habuit vnita vitæ suæ, quæ erat summa immortalitas; potestatem participandi quandam immortalitatem corpori sibi vnito: quæ fuit subtracta sibi in prima separatione, iuxta sententiam Domini: *Quacunque die comederis*, &c. Similiter concessio ligni vitę ad vsum fuit gratuita, quod habuit potestatem firmandi corpus stabili sanitate. Vnde August. de ciuit. Dei. Lib. 23. c. 20. *Alebantur alijs, quæ sumebant, vt alia corpora; ne molestia aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndecunque subreperet, vel senectute confecta decursis temporum spatijs interirent: tanquam cætera essent alimento, illud Sacramento. Istud Sacramentum fuit quantum ad hoc, quod præstitit vitam corporalem; sicut Christus vitam spiritualem, qui dicitur lignum vitæ.* Vnde subiungitur ab Aug. *Vt sic fuisse accipiatur lignum vitæ in Paradiso corporali, sicut in spirituali*: hoc est intelligibili Paradiso sapiẽtia Dei: de qua scriptũm est. *Lignum vitæ est amplectentibus eam.*

Gen. 1.

Aug. de ciuit. Dei. lib. 23. c. 20

Idem.

Prouer. 3.

¶ Ad aliud, quod sequitur, sc. quod potuit à natura, & sine gratia, &c. Dicendũ, quod hoc non est verum. Quod enim potuit stare, fuit à gratia, non gratum faciẽte, sed gratis data: sicut enim ad hoc quod proficeret, requirebatur gratia gratum faciens: sic ad hoc quod staret, requirebatur gratia gratis data.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. quod eadem est potentia continuandi vitam, quæ est viuendi, &c. Dicendum, quod sumendo potentiam passiuam, verum est: non autem sumendo potentiam actiuam: hoc est illa potentia, qua fuit in illo possibilitas ad viuendum, ipsa eadem fuit possibilitas ad continuandum vitam: non tamen effectiuè potuit illa potentia perpetuare vitam, qua potuit viuere. Nec est simile de gratia, qua est viuificatio spiritualis: & potentia, qua est viuificatio naturalis: gratia enim est forma quædam, quæ non solum saluatur in suo subiecto, sed perpetuatur ab influentia, quæ continua est, à primo bono; nisi fiat auersio ab ipso: & ex illa influentia illa eadem gratia, quæ viuificat, consumat per perseuerantiam. Potentia autem in corporibus huiusmodi determinata est, & limitata vsq; ad tempus: & tunc defectiua, quantum est de natura sua. Præterea; hoc supposito, quod eadem est potentia viuendi, & continuandi: nõ sequitur ex hoc, quod illa potentia, quæ est viuendi, siue quæ est principium viuendi, & etiam continuandi, quod illa potest esse perpetuatio vitæ: quia (vt dictum est) limitata est, & defectibilis, secundum determinationem periodi. ¶ Ex hoc patet responsio ad illud (quod sequitur scilicet quod natura est ad hoc, vt saluetur diuinum esse, &c. Dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod natura potest perpetuare se simpliciter in hoc subiecto: quia si hoc, omnia essent natura perpetua. Intendit n. natura saluare diuinum esse in subiecto proprio, si potest: sin autem in consimili.

¶ Ad illud, quod sequitur: quod nihil fuit impellens, &c. Dicendum, quod ipsa nihilominus natura creaturæ talis declinabilis fuit, & defectibilis: licet n. nihil fuit impellens in illo per violentiam, sicut in natura corrupta: nihilominus fuit ibi quædam inclinatio ad defectum, ratione, qua erat creatura talis; & defecisset, nisi beneficio conditoris fulciretur.

¶ Ad hoc, quod objicitur: quod innocentia erit à natura, &c. Dicendum quod innocentia dicitur dupliciter. Vno modo vt dicit priuationem, sc. à culpa: & sic erat à natura, & non erat causa immortalitatis. Alio modo, vt dicit potentiã, sc. iustitiæ originalis, & sic est causa immortalis, & sic non erat omnino à natura.

¶ Ad illud, quod objicitur: quod Deus est vita animæ, &c. Dicendum, quod hoc verum est, & quod nisi anima Adæ esset separata à sua vita, nunquam fuisset damnatus ad separationem à sua, neque esset separatus: sed nihilominus à se non habuisset hanc inseparabilitatem, sed à causis supradictis.

¶ Ad illud, quod sequitur, scil. quod durante statu innocentiæ, anima semper esset coniuncta suæ vitæ, &c. Dicendum, quod hoc verum est: nec tamẽ esset illa coniunctio, sc. corporis cum sua vita à natura; sed à beneficio conditoris naturæ: similiter & immortalitas eiusdem.

¶ Ad illud, quod sequitur, scilicet quod illa influentia fuit naturalis. Dicendum, quod est quædam influentia in creaturam rationalem, qua saluatur in esse: & hæc est naturalis: secundum quod illud dicitur naturale, quod est idem apud omnes: vt dicit Boetius. Est & alia, qua perpetuatur in esse immortali, & hæc est gratuita. Et dico esse immortale illud, quod perpetuatur ex coniunctione corporis cum sua vita, & hoc ex continentia animæ coniunctæ cum sua vita.

¶ Ad illud August. *Nihil erat corruptionis*, &c. Dicendum, quod hoc verum est, sumendo corruptionem propriè, secundum quod est motus à cõtrario agente per violentiam: fuit tamen quædam possibilitas ad declinationem ad non esse, ratione defectus creaturæ talis, id est, complexionatæ.

¶ Ad illud, quod sequitur: Dicendum, quod eo ipso quod immortalis fuit beneficio fructus ligni vitæ, fuit immortalis ex gratia: quia ex dono gratuito illi præstito à conditore ipsius.

¶ Ad illud, quod quæritur: Si bruta animalia ex vsu ligni vitæ possent continuare vitam suam. Dicendum, quod non: & hæc est ratio: immortalitas huiusmodi fuit conditio corporis; ex coniunctione cum suo actu, siue perfectione apta nata cõiungi cum summa vita; à qua fuit apta recipere influentiam: qua potuit continere corpus, & idem sibi vnitum viuificare, & in vita perpetuare. Vnde hæc immortalitas præstita beneficio ligni vitæ, fuit imperfecta, & quasi dispositio respectu illius, quæ fuit perfecta, & subsequenda in patria: perfecta enim immortalitas est non posse mori. Quia ergo bruta non habent aptitudinem aliquam ad immortalitatem perfectam, quæ est non posse mori: & hæc est mediante influentia gratuita, existente à prima vita; non esset perpetuata vita in illis, licet fuissent potita fructu ligni vitæ.

MEMBRVM III.

An immortalitas innocentiæ eadem erat cum immortalitate gloriæ.

SEQVITVR inquirere: Vtrum immortalitas innocentiæ sit eadem cum immortalitate gloriæ. Quod sic, videtur: potentia disposita, & potentia, quæ est necessitas, non differunt in substantia: sicut nec differunt secundum essentiam dispositio & habitus: sed immortalitas innocentiæ & patriæ non differunt, nisi sicut potentia disposita, & potentia quæ est necessitas: ergo non essentialiter differunt. ¶ ITEM, potentia determinata, & indeterminata non differunt secundum essentiam: sicut patet de angelis; quorũ erat potentia indeterminata ante confirmationem; determinata post: qua non poterant nisi bonum: eadem tamen erat. Sicut charitas viæ & patriæ est eadem numero: quia in patria manet charitas viæ: licet eius imperfectio tollatur. Cum ergo immortalitas in statu innocentiæ, & immortalitas in statu gloriæ non differant, nisi secundum determinationem & indeterminationem, siue mutabilitatem & immutabilitatem: non differunt secundum substantiam.

¶ ITEM, si immortalitas patriæ non est eadem cum immortalitate innocentiæ: ergo est aliqua potentia noua creata à Deo post opera sex dierum: ergo nõ cessauit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat, &c. cuius contrarium dicitur Gen. 2. ¶ ITEM, mortalitas ante lapsum, & mortalitas post lapsum non differunt in substantia, sed ante lapsum erat mortalitas solum potentia ad moriendũ; post potentia, q̃ est necessitas: ergo simpliciter potentiá ad non moriendum, & potẽtia, quæ est necessitas ad non moriendum, similiter erunt * indifferentes secundũ substantiam.

*Alias, indifferẽtia.

¶ ITEM, idem est liberum arbitriũ viæ & patriæ: licet

homo

[illegible] poſſit peccare, non ſecundo; ſimiliter videtur [illegible] ſtate. ❡ Item, immortalitas in via eſt potentia [illegible] viuendi: in patria eſt potentia ſemper viuendi: [illegible] eſt eadem. ❡ Item, Aug. *Per Christum recuperamus, quod perdidimus in Adam: in Adam autem perdidimus im*[illegible] *viæ: in Christo autem recuperauimus immortalitatem* [illegible] eadem eſt immortalitas viæ & patriæ. ❡ Item, [illegible] transferretur ad immortalitatem gloriæ: ita quod nullius proprietatis nobilis in eo fieret deperditio: ergo cum immortalitas in homine primo erat nobilis conditionis; non fuiſſet in illo illius cōditionis deperditio in illa translatione: ergo duæ immortalitates ſimul eſſent in eo: ſed alia eſt immortalitas viæ, & alia patriæ. ❡ Item, ſi ſteriſſet primus homo, eadem fuiſſet vita illius in via, & in gloria: quia vna & continua (vnum enim continuum dicit modum vnius ſimpliciter) cum ergo immortalitas innocentiæ & immortalitas gloriæ ſint propriæ conditiones ſiue proprietates vitæ talis vel talis: immortalitas hęc & illa erit eadem.

Aug. de ve... [illegible]

❡ Contra. Immortalitas viæ eſt vel à natura, vel à gratia gratis data; illa, quæ eſt gloriæ à gratia gratum faciente; ergo ſunt à diuerſis cauſis: quare & ipſa diuerſa. ❡ Item, non eſt idem corruptibile, & incorruptibile: ſed illa, quæ eſt viæ, poteſt non eſſe: quæ eſt gloriæ, non poteſt non eſſe: ergo non ſunt eadem. ❡ Item, non eſt ſolum horum differentia, quæ eſt inter potentiam ſimpliciter, & illam, quæ eſt neceſſitas: cum illa, quæ eſt viæ, corrupta ſit & adnihilata per peccatum: quando enim potentia ſimpliciter ſit potentia, quæ eſt neceſſitas; neceſſe eſt vt maneat, & ſtabiliatur in eſſe neceſſario. ❡ Item, immortalitas gloriæ eſt dos, viæ autem donum. ❡ Item, immortalitas gloriæ priuat omnem potentiam moriendi: alia non. ❡ Item, Aug. *Alia est immortalitas carnis, quam in Adam accepimus: alia est, quam per Christum in resurrectione speramus: ille enim factus est immortalis, vt posset non mori, si non peccaret: filij resurrectionis nec vltra poterunt peccare, nec mori.* ❡ Item, non eſt tranſitus ab eodem ad idem: ſed tranſitus erit ab immortalitate viæ ad immortalitatem patriæ: ergo &c. ❡ Item, 2. Sent. *Aliud est non posse mori, & aliud posse non mori:* ſed non poſſe mori, idem eſt, quod immortalitatis patriæ: poſſe non mori, immortalitas viæ; ergo &c. ❡ Item, immortalitas viæ & immortalitas patriæ ſtatus vitæ diſtinguunt, & diuerſificant: ſed conſtat, quod ſtatus illi ſunt diuerſi: ergo & immortalitas hæc & illa diuerſæ ſunt.

Aug.

Mag. 2. ſen. diſt. 19.

❡ Item, ratione huius quæritur: ſi potentia non moriendi, ex toto ſublata ſit, ita quod non remaneat potentia: aut remanet, ſed non ad hunc actum, ſcilicet non moriendi? Quod aũt non auferatur, videtur per hoc, quod potentiæ naturales non auferuntur. Item, non creantur nouę potentiæ in ſpecie (quieuit enim Dominus poſt opera ſex dierum à creatione quantum ad ſpecies, & genera) ergo manſit potẽtia, ſed non ad hoc. Quæritur ergo, ſi ſecundũ illam cõtingit dici in via, iſte poterit nõ mori neceſſario in patria. Et hoc videtur, cum non ſit noua potentia ſuperinducta, qua homo dicitur immortalis immortalitate patriæ.

Qō. lateralis.

❡ Contra, Non videtur poſſe dici in patria, iſte habet potentiam, qua neceſſe habuit mori in via: quia omnis potentia, quam habebit in patria, erit neceſſitate contrarij. Ergo nec in via poterit dici, iſte habet potentiam, * qua nunquam poterit mori in patria. Præterea, nonne ſpoliatus fuit homo prima immortalitate?

* Alias, quia.

RESOLVTIO.

Quo ad habitum quidem, aliam, & aliam dicimus immortalitatem innocentiæ, & immortalitatem gloriæ: quia alia & alia potentia in ratione potentiæ: licet ſubiectum ſiue eſſentia earundem vna atq; eadem ſit.

❡ Respon. Quidam dicunt, quod eadem eſt potentia ſecundum ſubſtantiam, differens ſecundum maiorem appropinquationẽ ad ſuum actum, ſiue ſinẽ. Vnde potentia, quæ primo fuit moriendi, & non moriendi indeterminate, poſt erat per peccatum determinata ad vnum, ſcilicet ad moriendũ: & hæc eadem per meritum gratiæ & præmium ſuperuenientis gloriæ erit in patria determinata ad viuendum. Et ita immortalitas in ſtatu innocentiæ, & immortalitas in ſtatu gloriæ eadem potentia ſunt ſecundũ ſubſtantiam. Et loquitur de his, prout nomine potentiæ cenſetur, ſicut rationalitas; non per modum habitus.

❡ Ad id, quod obiicitur, quod hæc eſt à gratia &c. Dicunt per hoc, quod dicitur quod hæc eſt à gratia gratis data; illa &c. non dicitur aliqua diuerſitas quantum ad eſſentiam potentiæ; ſed diſpoſitionis: quod enim additur ipſi potentiæ eſſe à gratia tali, vel tali; eſſentiam non dicit, ſed diſpoſitionem: immortalitas autem dicit potentiam præter concretionem ad neceſſitatem, vel non neceſſitatem: vnde non nominat ipſam diſpoſitionem, ſed ipſam potentiam.

❡ Ad illud, quod obiicitur: quod non eſt idem corruptibile &c. Dicunt, quod non eſt verum, habito reſpectu ad ſubiectum corruptibilitatis & incorruptibilitatis: quia idem in eſſentia ſecundum ſtatus diuerſos poteſt eſſe corruptibile & incorruptibile: ſicut idem in eſſentia facile mobile, & difficile mobile: quod enim eſt facile mobile in prima conceptione in anima, poſt efficitur difficile mobile per continuationem.

❡ Ad illud, quod obiicitur: quod illa, quæ eſt vię, corrupta eſt per peccatum: vnde non eſt ibi differentia ſolum, quæ eſt potentiæ ſimpliciter, ad illam quæ eſt vt neceſſitas. Dicunt, quod per peccatum non fuit corrupta potentia immortalitatis, niſi vt erat ad actum: vnde manebat ipſa potentia cum inclinatione ad actum: vnde corruptio erat habitus, non potentiæ.

❡ Ad aliud, quod obiicitur: quod immortalitas gloriæ priuat &c. Dicunt, quod hæc priuatio ſiue potentia priuandi, vel non priuandi, non cauſatur ex diuerſitate primæ potentiæ: ſed ex diuerſis diſpoſitionibus ſuperadditis, quæ ſunt gloria & gratia. Quod autem dicit Auguſtinus: Alia eſt immortalitas carnis &c. hoc retorquendum eſt ad alietatem ſtatus diuerſificati per diſpoſitiones additas ipſi potentiæ, mediante gratia perfecta & gratia imperfecta: non autem ad alietatem ipſius primæ poſſibilitatis. Vnde ibi eſt diſcontinuatio ſtatuum: quia quod erat potentia in ſtatu innocẽtiæ, ſcilicet mortalitas, ſiue potentia moriendi; factum eſt neceſſitas in ſtatu peccati. Similiter eſt ex parte immortalitatis. Ad aliud dicunt, quod idẽ poteſt eſſe donũ, & dos: quia donũ dicitur reſpectu dãtis: dos reſpectu ſponſi dantis, ſecundum quod ſponſus eſt.

❡ Ad aliud, quod obiicitur: quod non eſt tranſitus ab eodem in idem. Dicunt, quod tranſitus iſte, qui eſt ab immortalitate innocentiæ ad illam, quæ eſt gloriæ, eſt per diuerſitatem ſtatuum: quia eſt tranſitus à ſtatu in ſtatum. Vnde, ſicut quod proficit in moribus, proficiendo à vita imperfecta ad vitam perfectam, non dicitur habuiſſe aliam, & aliam vitam; ſed eandem, propter vitæ vnitatem, & continuitatem: licet alium & alium ſtatum vitæ. Sic eſt in propoſito.

❡ Ad illud, quod obiicitur: quod aliud eſt poſſe non mori &c. Dicendum ſecundum hos: quod cum dicitur, poſſe non mori, & non poſſe mori; licet habilitas potentię ſit alia & alia reſpectu actus, qui eſt terminus potẽtiæ: quia in vna notatur habilitas, quæ eſt facilitas, ſiue poſſibilitas: in alia, quæ eſt impoſſibilitas ad moriendum: non tamen potentia alia & alia.

❡ Ad aliud, quod obiicitur: quod immortalitas viæ & patriæ ſtatus vitæ diſtinguunt &c. Dicendum iuxta hos: quod hoc verum eſt, propter ipſam diſpoſitionem additam potentiæ: non quia potentia prima variatur. ❡ Ex his patet, quomodo reſpondendum eſt ad aliud, quod quæritur poſtea, Vtrum ſublata fuit potentia ex toto non moriendi. Dicendum, quod non: ſed ſolum in quantum erat habitus ſiue actus huiuſmodi.

❡ Ad illud, quod obiicitur: quod non poterit vere dici in patria, iſte habet potentiam; qua neceſſe habuit mori in via &c. Dicendum, quod hoc falſum eſt: quia hoc quod dico [neceſſitas, non neceſſitas] modos dicunt potentiæ ſiue diſpoſitionis, non ſubſtantiam. Sic videtur poſſe dici ad illa, quæ tacta ſunt.

❡ Quia tamen alia eſt ratio eſſentiæ, & alia potentiæ & alia potentiæ habitualis: quia eſſentia abſolute dicta eſt: potentia addit ſupra eſſentiam relationem, ſiue incliua-

Opinio propria.

& malefaciendi: Præterea, eadem est potentia ad vitam gratiæ & priuationem vitæ. Quare videtur, quod vna erit potentia in corpore, aut cõiuncto mortalitatis & immortalitatis, siue moriendi & non moriendi. ¶ Item, mortalitas & immortalitas priuatiue opponuntur, sicut mors & vita, sed priuatiuè oppositorum eadem est potentia: quia priuatio prouenit ex defectu alicuius potentiæ agentis vsque ad tempus, & tunc deficientis. ¶ Item, per peccatum facta fuit necessitas moriendi in Adam: sed constat, quod illa necessitas aduenit alicui potentiæ: non autem ante aduentum illum infuit illi potentiæ necessitas moriendi: ergo illa potentia fuit oppositorum. ¶ Item, potentia moriendi in Adam aut erat ad opposita, & si hoc, habeo propositum, scilicet quod eadem est potentia oppositorum, sc. moriendi & non moriendi. Aut ad vnum tantum, sed si hoc; necesse fuit illum mori, sicut necesse est cœlum moueri.

¶ Contra. Potentia moriendi erat naturalis impotentia: potentia non moriendi naturalis potentia: ergo si hæc eiusdem potentiæ sunt, eadem potentia est naturaliter potens, & naturaliter impotens. ¶ Item, non est eadem potẽtia sanatiuitatis & ægrotatiuitatis, & ita de alijs huiusmodi: ergo nec mortalitas, & immortalitas. ¶ Item, mortalitatis & immortalitatis causæ sunt contrariæ: mortalitatis enim causa est compositio ex contrarijs vt contrarijs, i. adinuicem repugnantibus (propter n. huiusmodi repugnantiam sequitur compositi dissolutio naturaliter, & ad hoc separatio animæ, sc. immortalis à corpore) causa autẽ immortalitatis erat ex gratia (vt dicamus causam extrinsecam) vel ex coniunctione corporis cum anima nõ separata à summa vita, sed potentia moriendi est illius propriè, quæ est receptibilis dissolutionis: potentia non moriendi illius, quæ est susceptibilis inseparabilitatis animæ coniunctæ cum sua vita, & corporis sc. coniuncti. (Vnde potentia moriendi est ipsius corporis, non moriendi coniuncti.) Ergo est alia & alia, propriè & per se loquendo: immortalitas n. determinat sibi corpus & animam, vt cuius est: mortalitas corpus tantum, vt videtur.

RESOLVTIO.

Potentia à qua siue effectiua, alia & alia quidem immortalis mortalisq; Adam fuit: at vero potentia in qua, siue susceptiua: tum eadem tum diuersa, iuxta multiplicem respectum.

¶ Respon. Est considerare potentiam in triplici differentia. Est n. potentia nuda, siue prima: est & potentia disposita: est & potentia, quæ est necessitas. Hanc triplicem differentiam est considerare circa potentiam immortalitatis, & mortalitatis. Potentia autem materialis siue prima, qua aliquis dicitur immortalis; est potentia viuendi vita rationali. Potentia disposita est potentia viuendi vita rationali concurrentibus æqualitate mixtionis in optima harmonia, virtute cœlesti reconciliante contraria, & conseruante in quadam amicitia: sufficientia ex parte alimenti, stabilientis & conseruantis ipsum alendum, ne patiatur dissolutionem: & virtus ex parte spiritus rationalis, contentiua corporis sibi vniti. Potentia autem, quæ est necessitas, est potentia viuendi, habens æqualitatem indissolubilem ex parte corporis, & virtutem contentiuam, immutabiliter stabilitam ex parte spiritus rationalis. Per hunc etiam modum intelligatur ex parte mortalitatis: quia potentia prima est potentia viuendi: secunda, quæ est disposita, est facilitas dissolutionis ex parte corporis, & facilitas separationis ex parte formæ viuificantis: potentia vero, quæ est necessitas, est facilitas dissolutionis cum intrinseca pugna, ex parte corporis, & defectu virtutis regentis, siue continentis ex parte formæ perficientis. Si igitur has potentias comparemus, inueniemus potentiam primam, quæ dicit potentiam nudam, esse vnam: potentiã vero dispositã, & quæ est effecta necessitas, differre; sicut differt potentia & defectus sibi oppositus. Nam immortalitas dicit potentiam viuendi cum virtute in perpetuum continuandi vitam, sed mortalitas dicit potentiam viuendi cum priuatione illius. Et sic quodam modo potentia mortalitatis & immortalitatis in Adam erant vna potentia: quodam etiam modo diuersæ. Potentia ergo mortalitatis & immortalitatis, sc. in qua, sic sumpta, est eadem: sic sumpta nequaquam. Potentia enim viuendi est potentia mortalitatis vt in qua: quia potest deficere, & immortalitas similiter, quia potest perpetuari. Potentia autem à qua, non est eadem: quia potentia, à qua est immortalitas, est virtus animæ continentis recipientis influentiam à sua vita, id est, Deo, à qua est illi virtus ista: & virtus cibi lignorum Paradisi, & principaliter ligni vitæ, à quo poterat stabiliri contra defectũ senectæ & dissolutionis cum alijs supra tactis. Potentia autem, à qua est mortalitas (si potentia debeat dici, & non magis defectus potentiæ) fuit defectibilitas & dissolubilitas naturæ illius in quãtum huiusmodi, propter quæ indiguit alimonijs fructuum Paradisi. Vnde Aug. de Bapt. paruulorum. Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Ex quo patet, quod alia fuit potentia, à qua mortalitatis, & immortalitatis: potentia autem in qua, vna consideratione eadem, alia consideratione diuersa, vt dictum est.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur per simile de naturali potentia, quia in aere est eadem potentia condensationis & rarefactionis, &c. Dicendum, quod hoc verũ est de potentia passiua remota; quia propinqua quodammodo est diuersa. Aer n. existens in eadẽ dispositione, non rarefit & condensatur; sed differentes recipit dispositiones secundũ q recipit diuersas immutationes à calido agente, & frigido; hoc quidem dissoluente & subtiliante; illo vero congregante, & partes magis consertas efficiente.

¶ Ad simile, quod inducit in actiuis, vt in potentia currendi, & non currendi, &c. Dicendum, quod non est simile in effectiuis voluntarijs, & in alijs: vtraq; n. potentia, sc. currendi & non currendi est potentia voluntaria: vnde sunt ab vno eodemq; principio: principium autem voluntarium indifferenter est in opposita. Vnde non est simile in voluntarijs potentijs, & operibus quæ ex eis sunt: & in alijs, cuiusmodi sunt, posse moti, non posse moti, vel posse non moti.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. quod vitæ & mortis spiritualis, siue animæ est eadem potentia, &c. Dicendum, quod licet in anima sit eadem potentia bene operandi, & male (eadem n. potentia, sc. voluntate, siue libero arbitrio fuit bona & mala) non tamen est eadem potentia effectiua vitæ spiritualis, & mortis: nam vita est à Deo, mors à nobis. Licet ergo eadem sit potentia bene operandi, & male: non tñ est eadẽ potentia effectiua vitæ spiritualis & mortis. Præterea, si diceretur, q eadẽ esset potentia vitæ spũlis, & mortis: quia eadem est potentia bene operãdi, & male: non tñ sequeretur ex hoc, quod eadẽ esset potentia mortalitatis & imortalitatis ipsius corporis: quia ex parte corporis non est principium effectiuum, neq; coeffectiuum, siue cooperatiuum vitæ corporalis: sicut est ex parte animæ vitæ spiritualis. Quantum autem ad aliquid est simile: nam sicut nec mortalitas nec immortalitas ab eadem potentia, licet in eadem: similiter nec mors & vita ab eadem: nam hæc à libero arbitrio, illa autem à Deo: idem tamen est principium, siue potentia susceptibilis vtriusque sc. vitæ & mortis spiritualis; vt voluntas, aut liberũ arbitrium.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. quod eadem est potentia ad vitam gratiæ & priuationem, &c. Dicendum, quod verum est de potẽtia susceptiua, siue in qua: non autem de effectiua, siue à qua.

¶ Ad illud, quod sequitur, sc. quod eadem est potentia oppositorũ priuatiuè, &c. Patet responsio: quia eadem est susceptiua, siue in qua: non à qua, siue effectiua. Nisi fortè dicatur, quod ipsa vt est defectiua, est effectiua.

¶ Ad aliud, quod sequitur, similiter patet responsio; quia necessitas moriendi aduenit potentiæ in qua, siue susceptiua immortalitatis: non autem effectiuæ, siue potentiæ à qua.

¶ Similiter patet respõsio ad aliud, quod sequitur: quod potẽtia susceptiua, siue in qua fuit ad opposita, siue respectu oppositorum: non illa, quæ fuit effectiua.

¶ Ad alia, quæ obijciuntur pro alia parte; quibus videtur ostendi, quod nullo modo est eadem potentia mortalitatis

talitatis & immortalitatis. Respondendum est, & primo ad illud, quod obiicitur: quod potentia moriendi est naturalis potentia &c. Dicendũ, quod naturalis potentia (sumpta nomine extenso) se habet in triplici differentia. Quædam enim se habet in quadam æqualitate, & in differentia ad opposita (& hoc tam in actiuis quam in passiuis: in actiuis, vt est potentia extendendi se vel non extendendi, ambulandi vel non ambulandi: in passiuis, vt est potentia rarefiendi, vel condensandi.) Quædam autẽ magis se habent ad vnum, quam ad alterum. Et hoc potest esse dupliciter: quia aut forma vincit supra materiam, & tunc magis se habet ad agendum quam ad patiendum: & tunc est facilis ad agendum, & difficilis ad patiendum: & dicitur potentia naturalis. Aut materia vincit supra formam: & tunc est facilis ad patiendum, & difficilis ad agendum, & dicitur naturalis impotentia. Quædam autem est tantum ad vnum, vt in homine rationalitas, quæ est tantum ad ratiocinari. Potentia naturalis prout sumitur primo modo & tertio, non sumitur eo modo, quo dicitur naturalis potentia in Prædicamentis: sed prout dicitur medio modo. Vnde potentia moriendi, & non moriendi, id est, potẽtia susceptiua vitæ perpetuæ, vel non perpetuæ; non dicitur potentia naturalis secundũ modum secundum: sed si debet ad aliquẽ modũ reduci: debet reduci ad primũ. Quia sicut potentia, quæ est extendendi se & non extendendi se, quadam facilitate, & quasi indifferenti potest exire in vtrumq; actum: & sicut potentia, quę erat rarefiendi & cõdensandi in quadam facilitate respectu vtriusque: similiter potentia, quæ erat viuendi & moriendi, siue viuendi perpetuo & non viuendi perpetuo; fuit in quadam facilitate ad susceptionem vtriusq;. Potentia ergo mortalitatis & immortalitatis reducitur ad primum modum, non ad secundum: vt patet ex dictis. Neq; ad tertium, in quo scilicet subiecto est potentia vltimo modo sumpta, non potest esse oppositum illius; vt in quo est rationalitas, nõ potest esse irrationalitas: sed in quo est potẽtia modo medio sumpta, potest esse eius oppositũ: sed non cum illa. Sed in quo est potentia primo modo sumpta, huius est & simul potentia oppositi: quia vna est * huius & eius oppositi.

*A'ias, huiusmodi.

¶ Ad aliud patet responsio ex dictis: quia licet sanatiuitatis & ægrotatiuitatis non sit eadẽ potentia (sanatiuum enim & ægrotatiuum cõprehendũtur sub illo genere qualitatis, quod est naturalis potentia & impotentia) non propter hoc sequitur, quod mortalitas & immortalitas non sit eadem. Vt enim tactum est, potentia susceptiua vitę perpetuę in primo homine, non fuit potentia naturalis, neq; potentia susceptiua vitæ non perpetuæ fuit potentia innaturalis: eo modo quo potentia naturalis & innaturalis determinata sunt in genere Prædicamenti qualitatis.

¶ Ad vltimum similiter patet responsio: quia (sicut tactum est) potentia à qua est immortalitas, est alia ab illa, à qua mortalitas; & hoc concludit argumẽtum prædictum: potentia autem in qua, est tamen eadem vt est prima, siue indisposita. ¶ Ad maiorem euidentiam aliquorum prædictorum notandum: quod immortalitas non est nomen passionis; quia passiones vicissitudinariæ sunt: neque potentiæ simpliciter: potentiæ enim non tolluntur: sed est nomen habitus, siue potentiæ habitualis: & est proprie ipsius compositi: quia cum vita sit coniuncti: & immortalitas, quæ dicit vitæ continuationem, siue perpetuitatem, erit coniuncti. Similiter & mortalitas: quia mortalitas & immortalitas non solum nominant potentias, sed cum potentiis habitus concernunt: non tenent regulam consequentiæ potentiarum. Vnde & si concedi possit aliquo modo, quod erat in Adam potentia moriendi & non moriendi eadem, vt tactum est: non tamen sequitur, quod immortalitas & mortalitas idem. Similiter non sequitur, idem fuit potens mori, & potens non mori, vel non potens mori: ergo eadem fuit potentia moriendi & non moriendi. Simpliciter dico, id est, sine distinctione: quia alia est ratio potentiæ & essentiæ: & alia potentiæ habitualis & potentiæ simpliciter.

QVÆSTIO LXXXIX.

De modo propagandi prolem in primo statu.

In quatuor Membra diuisa.

DETERMINATO de passibilitate humanæ naturæ ante casum: sequitur de prolis propagatione. Primo ergo quæritur de modo, siue de via propagandi, id est, coitu primorum parentum. Secundo de ipsa prole propagata. ¶ Circa primum quæruntur quatuor. Primum est, si in statu innocentiæ poterat esse seminis decisio. Secundum est, si in decisione huiusmodi fuisset libidinosa, vel saltem intensa delectatio. Tertium, si solum causa prolis habendæ fuisset maris & fœminæ commixtio. Quartum, si illicita fuisset continentia, siue à commixtione huiusmodi cessatio.

D.Tho.1. par.q 98 99. & 100. S.Bõn 2.d 20 per totum. S.to.

MEMBRVM I.

An Adam & Eua in statu innocentiæ coissent.

QVÆRITVR ergo primo, Vtrum primi parentes poterant coire in statu illo. ¶ Quod sic; habetur plane ab Augustino, dicit enim sic: *Quisquis dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent: quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium fuisse hominis peccatum?* Et post cap eodem: *Illæ nuptiæ dignæ felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent.* Hoc autem esse non posset, nisi habuissent potestatem coeundi in statu illo: ergo &c. ¶ Item, Genes. 2. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium sibi simile:* super illud August. *Si autem quæritur, ad quam rem oportuit fieri hoc adiutorium: nihil aliud probabiliter occurrit: quam propter filios procreandos.* Et post eodem loco: *Non inuenio, ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur.* Sed constat, quod ex viro & fœmina filij procreari non possunt, nisi mediante coitu: ergo &c.

Aug.14 de ciuit. Dei cap.23. Idẽ ibidẽ.

Genes.2.

Aug 9. super Genes. ad litterã cap.5. Idẽ ibidẽ.

¶ CONTRA. Data est homini virtus generatiua, vt saluetur esse diuinum, id est perpetuum. Vnde quia res corruptibiles saluari non poterant secundum numerum, data est generatiua potentia, vt saluetur secundum speciem: cum secundum numerum saluari non possunt. Vnde sol, & huiusmodi substantiæ incorruptibiles, quia saluari possunt secundum numerum; non habent virtutem generatiuam: sic primus homo poterat esse suum perpetuare secundum numerũ: ergo superfluit in eo potentia generatiua. ¶ Item, Damasc. super illud, *Crescite & multiplicamini,* dicit. *Poterat Deus hoc genus multiplicare, si mandatum suum vsq; in finem seruassent. Sed sciens Deus præcognitione sua, quia omnia sciuit ante generationem eorum, quia futuri erant in præuaricationem; fecit eos masculum & fœminam, eos multiplicando esse, & crescere iussit.* Ecce hic dicit plane, quod quia eos præuidit præuaricaturos; fecit eos masculum & fœminam: & nisi hoc præuidisset, aliter multiplicaretur homo, quam copula carnali; ergo videtur quod casus erat causa copulæ carnalis. ¶ Item, August. *Concubitus non nisi mortalium potuit esse.* ¶ Item, idem: *Spirituales animæ parentũ non debuerunt voluptati carnali deseruire* Ex his auctoritatibus patet: quod concubitus non nisi carnalium & mortalium esse potuit. Si ergo primi parentes in primo statu erãt spirituales, & immortales: ergo &c. ¶ Itẽ, semen est superfluum nutrimenti: superfluitas autem vitio attestatur; quod non erat in statu illo: ergo & non poterat esse semen in statu illo. ¶ Item, semen in statu illo aut erat conueniens naturæ siue complexioni tunc existẽtium, aut non. Si sic, sed quod est naturæ conueniens, non separatur nisi per violẽtiam, & cum quadam deterioratione naturæ, siue debilitate (deterioratur enim natura in separatione conuenientis sibi) quod non conueniebat in statu illo. Si non erat conueniens, non videtur quod possit esse principium prolis procreandæ: cũ proles debeat esse de substantia parentum. ¶ Item, diuisio alicuius partis substantiæ ab aliquo, est dispositio & via ad corruptionẽ: ergo cum proles fit de substantia parentum per decisionẽ seminis huiusmodi, decisio est via & dispositio ad corruptionẽ: hoc autẽ non contingebat in statu illo: ergo &c. ¶ Item, nec videtur tunc, sicut nec nunc, commixtionem posse esse maris

Damasc. Genes.1. & sæpius.

Aug. de bono coniug.

&c. maxime in prima cognitione, sine membrorum genitalium motu, & virgæ virilis erectione: quod cõtigisset ante peccatum. ¶ Item, non esset commixtio huiusmodi sine sacramento matrimonij: sacramenta autem omnia data sunt in remedium peccati.

RESOLVTIO.

Adam, Euaq; in paradiso terrestri tametsi non peccassent, adhuc etiam coissent. Etenim cum in suppletionem numeri electorum primum, ex consequenti in reparationem ruinæ Angelorum multiplicandi forent, oportebat, semen, quod prolis procreandæ materia ordinaria est, ex ambobus ita ordinarie descendi.

¶ RESPONDENDVM, quod si in statu illo stetissent primi parentes, fuisset decisio seminis: sicut patet ex verbis Augustini supratactis. Qui etiam dicit super Genes. 9. *Non video, quid prohibere potuerit, vt non essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus; hoc Deo præstante fideliter iusteq; viuentibus, vt sine vllo inquieto ardore, ac dolore pariendi fœtus ex eorum semine gigneretur.* Et sic patet ex verbo Augustini, quod tunc, sicut nunc fuisset prolis procreatio ex commixtione seminis maris & fœminæ. Licet enim sit de ordine & potestate naturæ, quod proles procreetur per coniunctionem & commixtionem duorum sexuum in hominibus: qui respectu prolis se habent per modum materialis & efficientis: differenter tamen, quia ratio materialis plus residet penes mulierem; & efficientis, siue actiui penes virum. Vnde oportet, quod semen, quod est materia prolis procreandæ, descindatur à viro & muliere: & hoc requirit natura bene instituta, sicut & natura lapsa.

Cap. 1. Aug. super Genes. 5.

¶ AD primum ergo contra hoc obiectum, dicendum, quod licet secundum intentionẽ naturæ inferioris data est vis generatiua, vt saluetur esse diuinum in eodem secundũ speciem, cum nõ possit saluari in eodẽ secundũ numerum: tamen secundũ intentionẽ & ordinationẽ diuinę prouidẽtię, data est homini vis generatiua ad completionẽ numeri electorũ. Vnde ratio prædicta, quam ponit Philosophus, non est ratio tota: sed præcipua est multiplicatio numeri electorum, & consequens reparatio ruinæ angelicæ.

¶ AD illud, quod dicit Damal. dicendũ, quod hoc dicit, vt insinuet, quod Deus aliter genus humanũ multiplicare potuit; q verũ est: vnde nõ dicit, quid faceret, sed q d facere posset. Quod aũt dicit, quod sciens Deus, quod præuaricaturi erant; fecit eos marẽ & fœminam &c. Dicendũ, quod hoc non dicit quod & si non essent futuri in præuaricationem, non fecisset eos tales: sed vt sic ostendat diuinam prouidẽtiam respectu euentus rei. Vnde hoc participium *sciens* secundum quod dicitur, Sed sciens Deus præcognitione sua &c. non est causale, id est, non connotat causam respectu actus, qui consequitur: sed simpliciter præstat consequentiam respectu actus consequentis. Vnde non est sensus, quia præsciuit hoc, sic fecit; sed sensus est: sciuit, quod caderent: & ordinauit quod casuri, nihilominus multiplicarentur secundum modum, secũdum quem multiplicant se, quæ sunt eiusdem generis in diuersitate sexus.

¶ AD illud Aug. quod concubitus non potuit esse, nisi mortalium. Dicendum, quod *mortale* dupliciter dicitur: vel quod est potens mori: vel quod habet necessitatẽ moriendi. Primo modo sumpto mortale, primi parentes in statu innocentiæ erant immortales: non autem secundo. Primo autem modo sumitur in autoritate Aug. vnde mortale dicitur ibi, quod est animale, cui cõgruit potestas generandi.

¶ AD illud, quod sequitur, scilicet quod spirituales animæ parentum non debuerunt voluptati carnali deseruire &c. Dicendum, quod in commixtione viri cum muliere, non esset voluptas carnalis, prout carnale sonat in vitium: quia (vt vult Aug.) in paradiso si non peccassent primi parentes, fuissent nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, & sine ardore libidinis, & labore pariendi.

¶ NOTA ergo, quod caro vno modo sonat in vitium, vt: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Alio modo naturam dicit, vt: *Nemo carnem suam odio habuit.* Et sic carnale dicitur dupliciter: vel vt sonat in vitium: vel in naturam. Prout sumitur primo modo, non poterant vacare voluptati carnali: prout secundo, potuerunt.

Ad Gala. 5.
Ad Eph. 5.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. de superfluitate seminis. Dicendum, quod propagatio prolis de parentibus, non fit per decisionem seminis, quod quidem semen est totaliter de superfluo cibo: quod patet ex verbis sacrorum Doctorum ponentium totam posteritatem fuisse seminaliter, siue materialiter in primo homine. Dicit enim Aug. *Omnes fuimus in illo vno: quando fuimus ille vnus, qui per peccatum lapsus est.* Item, Ansel. *Tota in primis parentibus erat humana natura, & extra ipsos nil erat.* Et alibi in eodem Lib. *Poterat Deus de Adam, in quo semen omnium hominum creauerat, aliam facere mulierem, &c.* Verumtamen æstimo, quod caro prolis, quæ est secundum materiã, quodammodo originaliter est ex illo, quod est in semine de superfluo cibi. Et nota, quod duplex est superfluitas, sc. residuitatis, & impuritatis. Superfluitas autem residuitatis est in semine, & hoc modo superfluum est necessarium, scil. necessarium conseruationi speciei; superfluum tñ indiuiduo: necessarium, quia est principium quodammodo generationis: superfluum, quia nõ necessariũ ad nutriendũ. Et hæc superfluitas non sonat in vitium, sed est indicium cõpletionis naturæ; & perfectionẽ eiusdem attestatur, idm illud Philos. *tunc vnum quodq; perfectum est, cum potest attingere propriæ virtuti*: hoc est facere tale, quale ipsum est. Superfluitas impuritatis est in illis, quæ per organum egestionis, & alia, quæ deseruiunt purgationi naturæ, emittuntur, sicut reuma per nares, & vrina per membrum, emissioni illius deputatum, & sudor per poros corporis emittitur. Et hæc est in duabus differentijs. Quædam n. superfluitas venit ex debilitate virtutis contentiuæ & conuersiuæ; sicut reuma & sudor: & talis non fuit in primo homine in statu illo, & hoc propter essentiam virtutum naturalium existentium in illo. Quædam venit ex nutrimenti qualitate, & nutrimẽti puritate; qualis est quæ est egestionis & vrinæ, quæ fit per separationem puri ab impuro, & hæc fuisset in homine illo, si stetisset: sed non in illa immundicia & corruptione, in qua est modo, vt supratactum est: horum indicia sunt vasa intestina, & foramina, quæ sunt homini à sua natura prima conditione naturaliter deputata. Ex his patet, quod non omnis superfluitas sonat in vitium, sed potius in perfectionem, & complementum naturæ.

Aug. 11. de ciuit. Dei cap. 14.
Anselm. de conceptu virginis.
Idem.

Philosoph. 2. de anima 34. & 4. Metaph. 19.

¶ AD aliud, quod sequitur, sc. quod semen aut erat cõueniens naturæ, &c. Dicendum, quod licet semen superfluum sit quantum ad nutritiuam, est tamen necessarium quantum ad generatiuam: & licet non conueniat naturæ, vt est saluans subiectum suum in se: conuenit tñ vt est saluans in suo simili: vnde natura non appetit illud retinere, sed vt in alio saluetur, in alterũ transfundere. Vnde separatio seminis nullo modo esset violenta, sed naturalis.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod non huiusmodi decisio esset via ad corruptionem. Dicendum, quod non est verum: decisio n. quæ est via ad corruptionem, est solum modo, vbi est separatio partis necessariæ ad salutem generantis in se, & quadam violentia facta, & sine sufficienti restauratione, quod non fuisset in statu illo.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod non poterat esse cõmixtio viri cum muliere sine motu membrorum genitalium, &c. Dicendum, quod ante peccatum non esset motus huiusmodi, quia (vt vult Aug.) si conuenissent in statu illo, esset thorus immaculatus, & cõmixtio sine concupiscentia, & genitalibus membris ad procreationem prolis imperare potuissent, & sicut cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu vterentur. Et quomodo posset cognosci mulier in statu illo, & claustrum integritatis sine carnis fractione reserari: dictum est supra, vbi actum est de integritate primæ mulieris.

Aug. super Genes. ad litteram.

¶ AD aliud dicendum, quod sicut dicit Aug. super Gen. quod *sanis esset in officium, ægrotis in remedium.* Vnde ante peccatum matrimonium datum fuit in officium, post autem in remedium. Vnde quod Dominus dixit: *Faciamus ei adiutorium,* &c. non fuit propter necessitatem, quam habuit Adam: sed (vt dicit August. super Genes.) illud adiutorium fuit propter filios procreandos: sicut adiutorium semini est terra, vt virgultum ex vtroque nascatur. Vnde in officium procreationis data fuit Adæ vxor ante peccatum. Vnde bis fuit institutum matrimoniũ: semel ante

Q. 8. Mem. 4. Idem super eandẽ Genes.

peccá-

peccatum: & hoc quoad officium; vt habetur in 1. Genes. & semel post peccatum, & hoc quoad remedium, vt habetur Genes. 9.

MEMBRVM II.

An in eodem innocentiæ statu fuisset in coeundo intensa delectatio.

SEQVITVR inquirere. Vtrum in statu illo poterat esse delectatio intensa in coitu. Quod sic, videtur: vt habetur à Philosopho: *Delectatio est ex coniunctione conuenientis cum conuenienti, & sensu eiusdem*: sed tanta erat conuenientia tunc in coniunctione membrorum genitalium, quanta est nunc, & maior: ergo (vt videtur) maior delectatio, vel tanta. Vt enim dicunt Naturales; delectatio est in coitu propter transitum humoris per locum neruosum, in quo magis viget sensus.

Philos.

¶ Item, Bern. *Nemo sanæ mentis maiorem in vitiis, quam in virtutibus esse delectationem æstimat.* In opere ergo naturæ viciatæ & peccati non est maior delectatio, quam in opere naturæ integræ, & sine peccato; & etiam opus virtutis, quia obedientiæ (dederat enim eis Dominus præceptum de opere multiplicationis, Genes. 1. ibi: *Crescite, & multiplicamini*) coitus in statu naturæ lapsæ est opus naturæ corruptæ & cum peccato: ergo &c. ¶ Item, hoc habetur ab Aug. *Plus diligit charitas Deum, quam cupiditas aurum* (plus dico, quia incomparabiliter.) Sed inter statum gratiæ siue charitatis, & statum cupiditatis siue peccati, medium est status originalis iustitiæ: ergo medio modo se habet in diligendo suum bonum: ita quod non tantum diligit suum bonum, quantum charitas suum, & plus quam cupiditas suũ: sed quãto maiori amore appetitur aliqd, tanto maiori delectatione habetur: & hoc regulariter currit in his, quæ sunt in fieri, & in facto esse. Ex iis videtur, quod opera gratuita, quæ fiunt ex charitate; maiori fiũt delectatione, quã fiũt ex indicto originalis iustitiæ: & ea, quę sic fiũt; fiũt ea q̃ cum maiori delectatione, quam illa quę fiunt ex motu volũtatis inordinatæ per peccatum. Et ita videtur, quod coniunctio maris & fœminæ in primo statu facta instinctu iustitiæ originalis, esset cum maiori delectatione, quam quæ fit in statu peccati, siue cum voluntate peccandi.

Bernar.

Genes. 1.

August.

¶ Item, Vnaquæque virtus cognitiua delectatur in facilitate, & complemẽto suæ operationis: hoc per se verum est: ergo quanto maior esset completio & facilitas alicuius operationis, tanto maior esset delectatio: sed vis generatiua, in qua viget sensus tactus, facilius & completius exiuisset tunc in actum suum, quam nunc: ergo maior esset tunc delectatio, quam nunc. ¶ Item, oculus Adæ in statu illo plus delectabatur in aspectu lucis, & auditus in auditu cantus sonori, quam aspectus vel auditus hominis lapsi modo delectatur in consimilibus: & hoc quia maioris harmoniæ & maioris vigoris præditi erãt sensus illius: propter quod magis erant apti ad delectandum propriis obiectis, quam sensus hominis lapsi. Ergo pari ratione in gustu & tactu, apposito sibi conuenienti, maiorem haberet delectationem, quam homo lapsus: ergo in cognitione vxoris maiorem habuisset delectationem, quam &c.

¶ CONTRA, Generatiua in statu illo non erat deordinata, sicut nec alia vis aliqua: sed si tanta esset delectationis intensio, quanta est nunc: cum modo sit deordinatio generatiuæ, & maxime in actu generandi, & hoc propter intensionem delectationis; tunc fuisset consimilis deordinatio in eadem.

¶ Item, Aug. *Non incredibile debet videri, illud vnum, id est, membrum genitale sine ista libidine voluptati potuisse seruire: cui tot membra nunc seruiunt. An non manus & pedes mouemus, cum volumus, ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine vllo renisu, tanta facilitate, quanta & in nobis & in aliis videmus: & non credimus ad opus generationis filiorum, si libido non fuisset, quæ peccato inobedientiæ retributa est; obedienter hominibus ad voluntatem nutum, similiter vt cætera potuisse illa membra seruire?* Ex hoc patet, quod sine libidine aliqua posset in statu illo opus generatiuæ exerceri. ¶ Item, si tanta esset tunc delectatio, quanta modo, in huius operis exercitio tanto fuisset moti appetitu ad illud exercendum opus, quantum & nunc mouentur: sed tunc non essent moti aliquo appetitu ad huiusmodi opus: Vnde Aug. *Honestius & melius creditur ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in Paradiso, nondum lege mortis damnatum; vt non haberent appetitum carnalis voluptatis: qualem non habent ista corpora, quæ iam ex mortis propagatione ducta sunt.* Ex hoc verbo patet, quod huiusmodi voluptatis causa fuit primorum parentum culpa.

Aug. 14 de ciuit Dei cap. 22.

August. 9. super Gen. ad litteram

¶ Item, Magist. dicit, & dicti auctoritatem habet ab Aug. *Quod si homo non peccasset, sic membra genitalia applicarentur adinuicem, sicut modo applicatur manus ori: sed in applicatione manus ad os, aut nulla, aut modica habetur delectatio: ergo pari ratione videtur, quod nec in contactu illorum membrorum.* Istud autem verbum Magistri videtur habere dubitationem, quia opus naturale, quod omni conuenientia, quam requirit natura, exercetur; & maxime illud opus, quod est ad saluandum esse diuinum; non potest sine delectatione exerceri: & maxime natura existente sana: sed in appositione manus ad os nulla videtur esse delectatio.

Magist. 2. sent. Dist. 20. cap. 1.

RESOLVTIO.

Fuisset equidem & tunc in coeundo delectatio, sed non quanta nunc, quia nec immoderate vt hic, sed ordinate ibi coissent.

¶ RESPONDENDVM. Intelligendum est hic duplicem modũ esse dicendi. Quidam enim dicere voluerunt, quod tanta, vel maior erat delectatio tunc, quam nunc; & tamen non erat immoderata. Tanta erat, propter naturalis virtutis perfectionẽ: imoderata non erat, propter inferiorũ virtutũ subiectionẽ. Ratio enim dominabatur illi delectationi, & eam deferebat in suum finẽ: & ideo non absorbebatur; nec erat ibi repugnantia: & per hoc voluerunt soluere obiecta.

¶ Est & alius modus dicendi, qui magis concordat verbis Aug. & probabilitati rationis, scilicet quod in decisione seminiũ & cõmixtione sexuum tẽpore naturæ institutæ aliqua fuisset delectatio; moderata tamẽ & mensurata: secundũ quod exigebat hominis rectitudo: & ideo non erat tanta, quanta est modo. Nunc enim quia virtus illa maxime exuit rationis imperium, dum ratio amisit originalis iustitiæ vinculum & retinaculum, per quod imperabat viribus inferioribus: ideo laxatis sibi habenis, toto impetu & conatu se præcipitat in delectabile sibi oblatum: non propter intensionẽ virtutis mouentis, sed propter defectũ virtutis retardantis. Vnde sicut equus lasciuus rupto fræno velocius currit & impetuosius, quam cum infrænatur & detinetur à suo sessore, licet non habeat maiorem virtutem: sic & in proposito intelligendũ est se habere. Et hoc est, quod dicit Aug. de ciuit. Dei. Nuptiæ illæ dignæ felicitate paradisi, si peccatũ non fuisset; & diligendã prolẽ gignerent, & pudendã libidinẽ non haberent. Et ideo concedendæ sunt rationes, ostendentes quod non esset tunc tanta delectationis intensio, quanta & nunc: cum modo tanta sit, vt modum & ordinem debitum non obseruet.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur in contrarium, scilicet quod delectatio est ex coniunctione conuenientis cũ conuenienti, & sensu eiusdem. Dicendum, quod non tantum venit ex coniunctione: sed etiam ex virtutis conuersione super delectabile. In statu autem naturæ institutæ, etsi esset coniunctio conuenientis cum conuenienti, & sensus; non tamen tanta esset virtutis incuruatio & inclinatio, quanta est modo: & ideo non esset tã improba, & tam intensa delectatio. ¶ Ad duo, quæ sequuntur, dicendum, quod est duplex delectatio: carnalis siue carnis, & spiritualis siue spiritus: maior autem est delectatio spiritualis siue spiritus in operibus virtutis, siue quæ fiunt motu virtutis, quam in operibus peccati, siue quæ fiunt motu peccati. Et sic bene potest concedi, quod maior fuit delectatio spiritus in coniunctione maris & fœminæ in statu primo, quam in statu moderno: & hoc concludunt rationes istæ. Non autem sic est de delectatione carnali, sed econuerso. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod virtus delectatur in completione & facilitate sui actus. Dicendũ, quod verum est: sed tamen adhuc illa delectatio terminũ fixũ debet habere: & haberet vtriq; si homo stetisset: & quoniam illũ merito peccati egreditur; hinc est, quod amplius delectatur: quamuis delectationis materia non sit maior. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod amplius delectaretur homo in sensu visus & auditus. Dicendum, quod verum est de delectatione naturali, sed hoc

non est verum de delectatione carnalitatis. Nec est simile de delectatione, quæ est in visu, & quæ est in tactu: quoniam visus delectatur in obiecto, quod est nobile; & magis accedit ad naturam spiritualē; similiter & auditus: & ideo in beatis delectatio visus potissime intenditur. Tactus vero delectatur in re magis grossa & materiali: ideo intensio suæ delectationis magis repugnat statui spirituali & magis reddit hominem carnalem & animalem, qualis est homo in statu miseriæ: & sic patet, quod illud non est simile. Ad illud, quod quæritur de verbo Magistri, dicendum, quod non intendit Magister dicere, quod non esset delectatio in coniunctione membrorum genitalium, sicut non est delectatio in coniunctione manus ad os: sed intendit, quod est similitudo in duobus, scilicet in hoc, quod vtrumque opus fieret in omnimoda obedientia voluntatis: & in hoc, quod in neutro accideret ardor libidinis. Et hoc patet ex verbis ipsius; & est id, quod vult Augustinus dicens: *In tanta felicitate hominum absit, vt suspicemur, non potuisse semen seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera & sine ardore & illecebroso stimulo.*

Aug. 14. de ciuit. Dei c. 16. tom. 5.

MEMBRVM III.

An primi parentes in statu innocentiæ coissent semper causa prolis habendæ tantum, vel interdum etiam delectationis capessendæ gratia?

SEQVITVR inquirere, Vtrum solum causa prolis habendæ fuisset maris & fœminæ commixtio: aut aliquando causa delectationis. Quod solummodo causa prolis, videtur sic. Matrimonium pro tempore innocentiæ solummodo institutum fuit in officium, dicit enim Augustinus: quod ægris datum est in remedium, datum fuit sanis in officium. Sed officium consistit in procreando prolem: ergo solummodo ad hoc erat in statu illo: si ergo mulier & vir non coniungebantur, nisi propter quod erat matrimoniū, videtur quod nunquam essent coniuncti, nisi propter prolis procreationem. ¶ Item, qui debitum petit in statu naturæ lapsæ præter intentionem prolis procreandæ; vt pote causa delectationis; peccat: saltem venialiter: nec hoc impedit natura corrupta, ad hoc violenter prouocatiua: multo fortius tunc conuenientes delectationis causa: sed tunc non poterant peccare venialiter; ergo peccassent mortaliter: & sic caderent à statu innocentiæ. ¶ Item, delectari in aliquo propter se, est frui illo: quia frui est amore inhærere alicui propter se: frui autem creatura, est vtendo frui; quod est peccatū. Si ergo primus homo causa delectationis, non causa prolis procreandę vxorem suam cognouisset, ea frueretur: quod fieri non posset sine peccato. ¶ Præterea, videtur quod in qualibet coniunctione esset procreatio fœtus, sicut nunquā homo comedisset, quin ex illa comestione sensisset refectionē: nec vnquam nutritiua in suo actu priuata fuisset proprio effectu: ergo pari ratione nec generatiua in suo actu priuata fuisset debito fructu: sed fructus eius est proles: ergo &c. ¶ Item, in statu illo non esset priuatus debita intentione, nec intentio debito fine: priuatio enim intentionis rectæ non est sine culpa: priuatio vero vtilitatis intentæ non est sine pœna: neutrum autem istorum poterat esse in statu illo: cum ergo finis actus generatiuæ est procreatio prolis: relinquitur quod nunquam caruisset illa.

Aug. 9. super Gē. c. 7.

¶ CONTRA, appetitus coeundi non erat tunc libidinosus, sed naturalis: ergo sicut necesse fuit præuenire appetitum nutritiuę, scilicet famem & sitim: ita & appetitum generatiuæ: ergo non oportuit semper coire causa prolis: sed causa præueniendi appetitum, ne degeneraret in deordinationem. ¶ Item, cum ille appetitus sit generatiuæ, esset naturalis: videtur quod sicut appetitus alimenti non esset subiectus semper libero arbitrio in statu illo: sic nec appetitus ille: ergo semper fluxisset sicut & iste, nisi præueniretur: si semper fluxisset, & non esset subiectus libero arbitrio; prouocasset aliquando ad opus causa delectationis, & non semper causa prolis. ¶ Item, vis nutritiua semen administrat: ergo cum homo continue nutriretur, humor seminarius generatiuæ administrabatur: ergo vel oportebat hominem extra ordinem pollui, vel naturam grauari extensione seminis: vel aliquando mulierem cognoscere, quando non esset apta generare: vt pote quando esset grauida: si ergo duo prima sunt inconuenientia: restat tertium; scilicet quod vxorem aliquando cognouisset, quādo prolem non procreasset. ¶ Si autem diceretur, quod in statū naturæ institutę nō fieret huiusmodi multiplicatio humoris seminarij. Hoc non videtur verum, quia ex quo nutritiua semper ministraret humorem huiusmodi, cum non esset subiecta rationi, non videtur quod illius cessasset augmentum. ¶ Item, sicut comedere est actus naturalis, ita & coire: sed homo naturaliter apperit comedere, non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam institutæ: ergo pari ratione naturaliter apperebat coire: sed homo tempore naturæ institutæ debebat naturæ satisfacere, cum natura esset ordinata, & ordinate appeteret; alioquin pœnam sentiret: ergo videtur, quod siue mulier posset concipere, siue non; vir præter necessitatem prolis generandæ, aliquando mulierem cognosceret.

¶ ITEM, Ponatur quod Adam cognosceret vxorē suam prægnantem: quæro aut peccaret, aut non. Si non, ergo non erat necesse, quod in omni coitu generaret. Si sic: contra sanctius erat tunc matrimonium, quam tempore naturæ lapsæ: & æque magnæ, vel maioris efficaciæ: sed nunc propter bonum matrimonij excusatur coitus à culpa, etiam quando nulla est prolis generandæ necessitas: ergo videtur quod multo fortius tunc. ¶ Item, non erat maior inordinatio in contactu illorum membrorum, quam in admouendo manum ad os: sed manus admoueri potest ad os sine aliquo peccato, etiam præter necessitatem: ergo videtur, quod Adam potuit cognoscere vxorem suam absq; peccato, & præter necessitatem prolis generandæ.

RESOLVTIO.

Adam in statu primo nunquam cum Eua, nisi causa prolis coisset: quia non nisi ordinate eam cognouisset.

¶ RESPON. Dicendum, quod vir in quolibet actu, quo cognouisset vxorem, suscepisset ex ea prolem: ratio huius est, quia congruentia ordinis exigebat, & perfectio virtutis ad hoc sufficiebat. Exigebat namque hæc duplicis ordinis congruentia, siue virtutis generatiuæ ad rationem, & vtriusque ad suum finem. Vis enim generatiua ordinem habebat ad rationem: ordinem (inquam) perfectæ subiectionis: & ideo in actum non exibat nisi secundum quod ratio dictabat, ratio autem recta & ordinata dictabat, nulla re esse vtendum, nisi ad id, propter quod est: & quia vis generatiua data fuit homini ad prolis multiplicationē, ideo recta ratio nunquam dictaret, & vis generatiua nunquam exiret in actum, nisi propter prolis generationem: hoc enim congruentia ordinis exigebat. Perfectio autem virtutis aderat, quæ ad hoc sufficiebat: quia enim vis generatiua in viro ad generandum erat potens & sufficiens, nec habebat impedimentum: similiter & in muliere pro suo loco & tempore: ideo cum ordinate cognouisset vir vxorem, semper ex ea prolem susciperet, propter exigentiam duplicis ordinis, & sufficientiam duplicis virtutis, scilicet generantis & suscipientis: nec coissent in statu illo, nisi causa prolis; nec causa delectationis, nec causa præueniendi fluxum appetitus.

¶ AD illud, quod primo obiicitur contra hoc, dicendum, quod licet appetitus generatiuæ fuerit naturalis, non oportuit illum præueniri: quia omnino fuit sub obedientia rationis rectæ. Similiter non fuit de appetitu nutritiuæ: & ratio huius est, vt dicūt aliqui, quod appetitus nutritiuæ dependet à natura eorum, quæ concurrebant ad esse: sed esse alicuius creaturæ non subiacet eius arbitrio: similiter nec natura eorum, quæ ad esse requiruntur: quia ergo appetitus nutritiuæ dependebat ab illis, quæ requiruntur ad esse, non subiacebat arbitrio illius, cuius erat. Sed quod hæc ratio nulla sit, videtur: quia nutritiua non data fuit creaturæ ad hoc, quod per illam haberet esse; sed ad hoc per illam saluaretur siue conseruaretur in esse: conseruatio proprij esse subest arbitrio eius, cuius est: sicut productio consimilis in esse. Præterea cum ipsa generatiua in statu illo erat omnino ordinata, sicut etiam nutritiua, & de natura sibi indita habuit posse regendi se in omnimoda ordinatione: quæ fuit necessitas, vel congruentia; quare omnino

omnino debuit subesse imperio liberi arbitrij, magis quã nutritiua. Dicendum, quod (sicut dictum est) nutritiua non subiacet imperio liberi arbitrij, sicut generatiua: præsente n. nutrimento, ipsa nutritiua assurrexisset in actum, vel opus proprium; siue vellet, siue nollet liberam arbitrium: sed præsentibus personis aptis ad coeundum, imo etiam coniunctis membris genitalibus non assurrexisset generatiua in actum sine cõsensu liberi arbitrij. Vnde Ansel. *Cum Deus fecit Adam, fecit in eo naturam propagandi; quam subiecit eius potestati, vt ea pro sua voluntate vteretur, quamdiu ipse vellet subditus esse Deo.*

Ansel. de cõceptione Virginis.

¶ Ad euidentiam autẽ quæsitorum, nota quod in primo homine vires inferiores erant subiectæ rationi: & hoc propter duplicem ordinem conseruandum. Debuit enim homo ordinari in se, & in finem. Propter ordinem in se oportuit vires inferiores subdi rationi: sicut minus nobile magis nobili, & inferius superiori. Propter ordinem in finem, quia ille solus actus est meritorius, qui est voluntatis, vel à voluntate imperatur. Vt ergo voluntas non tantum mereretur in actu suo, sed etiam in actibus virium inferiorum; debebant vires inferiores eis subijci, secundum quod poterant saluo iure naturæ. Inter vires autem partis vegetatiuæ magis subiecta fuit generatiua: quam vegetatiua: cuius multiplex est ratio. Vna sumitur ex parte eius ad quod sunt: nutritiua n. erat ad cõseruandum hominem in seipso: generatiua ad multiplicandum & conseruandum in simili: & sic nutritiua ordinabatur ad conseruationem esse proprij. Et quia naturalis appetitus maximè tendit ad conseruationem esse, & esse proprij, magis quam alieni: cum natura sit recurua; hinc est, quod appetitus & opus nutritiuæ magis erat secundum modum naturæ. Et quia natura determinatè mouet ad vnum: potestas vero rationalis se habet ad opposita: hinc est, quod cum appetitus & opus nutritiuæ magis sequerẽtur imperium naturæ, quam opus generatiuæ, quod minus poterat subijci imperio rationis; econtra generatiua magis, quia erat ad multiplicandum & conseruandum in simili; & ita ordinabatur ad alterum, vt ad complementum numeri electorum; & per hoc ad bene esse: talia autem habent esse sub regimine rationis: hinc est, quod generatiua magis erat subiecta. Item, alia ratio est congruentiæ: quia sc. generatiua ordinatur ad effectum dignissimum, sc. ad generationem similis (homo n. generat hominem) ideo dignum est, quod actus illius potentiæ subiaceret ei, quod est in homine dignissimum, sc. rationi. Alia ratio est: in actu generatiuæ est quidam motus membrorũ organizatorum in coniunctione coeuntium, qui reducitur ad motum progressiuum: & ideo cum motus progressiuus in ratione vtentibus ortum habeat à ratione, siue ab intelligẽtia practica; sicut vult Philosophus: in primo homine, qui perfectè ratione vtebatur vel regebatur, debuit subdi opus membrorum genitalium rationi; sicut motus manuum, & aliorum membrorũ. Item, alia est: quia nutritiua est in attrahendo alienum, quo indiget: sed generatiuæ actus consistit in percipiendo aliquid, quo non indiget: imo quo abundat: & ita quodammodo detrahitur esse magis in actu generationis, quam nutritionis: & ideo ne fiat excessus in huiusmodi detractione, actus huiusmodi potentiæ magis debuit regi ratione, quam actus nutritiuæ. ¶ Item, alia ratio est quia licet actui generatiuæ videantur sola membra genitalia deseruire: omnia tamen membra corporis ei deseruiunt, vel delegando semen, vel delegando virtutem, vt ex semine, cooperante virtute, producatur corpus perfectè organizatum: & ideo cõueniens erat, vt vis illa subderetur eius regimini; quod debeat habere dominium in toto corpore in statu naturæ institutæ magis quam vna aliarum potentiarum minus generalium: propterea magis debuit generatiua subdi rationi, quam nutritiua: nutritiua n. magis famulatur, quam recipiat famulatum: verum tñ & ipsa secundum quod recipit famulatum à manu & ab ore, quorũ ministerio intromittitur alimentum, subiacebat imperio rationis. Et sic patet quod & vis vtraque, imo & omnes debuerunt subiacere rationi in primo homine: magis tamen generatiua debuit esse subiecta, quam nutritiua, multiplici congruentia hoc exigente.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod quærebatur consequẽter, sc. cum ipsa generatiua esset omnino ordinata, quæ esset necessitas, vel congruentia, &c. ¶ Similiter patet responsio ad illud, quod sequitur, sc. quod sicut appetitus nutritiuæ, eo quod esset naturalis, non esset subiectus rationi: nec appetitus generatiuæ, cum esset naturalis: quia alia est ratio subiectionis huius, & illius: vt ex dictis patet. ¶ Ad illud, quod obijcitur; quod nutritiua semper deseruiret generatiuæ, &c. Dicendum, quod ita esset natura ordinata, vt nunquã de cibo sumeret, nisi adeo tẽperatè, quod superfluitas digestionis illius, quæ semen dicitur, non esset sufficienter coadunata, quousq; veniret hora debita generandi. Adam enim in statu illo posse suæ naturæ cognouisset, & sufficiẽtiam alimenti; & tempus ac horam, quando generare debuisset: & ita viueret modestè & sobriè, quod nec ad superabundantiã, nec ad indigentiã declinaret. ¶ Ad aliud quod obijcitur: quod naturaliter oportet coire, sicut comedere, &c. Dicendum, quod non est simile, quia actus comestionis ordinatus est ad salutem indiuidui, vel per restaurationem deperditi, vel per præuentionem deperditionis ad conformitatem speciei, & multiplicationem similis: naturalis autem appetitus maiorem habet inclinationem ad conseruationem sui in proprio subiecto, quam in consimili: & ideo non sic esset appetitus naturalis ad coitum, sicut ad cibum; nec ita contrarius, nec ita frequens. Si enim in viris castis (etiam tempore naturæ lapsæ) nõ sic est inclinatio ad coitum, sicut ad cibum: multominus nec esset in Adam: quod aũt intenditur appetitus vis generatiuæ; hoc potius est corruptionis naturæ quam institutionis primæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod si cognosceret prægnantem, non peccaret, &c. Dicendum, quod prægnans non posset cognosci sine deordinatione; vel quæ sit, vel quæ videtur: & quia in statu innocentiæ deordinationẽ timere non poterat: quia non erat in illo titillatio, vel pruritus: ideo si tunc cognouisset, ex quo sciret se inutiliter cognoscere, inordinatus fuisset, & ita peccasset. Nec est simile, quod inducitur de matrimonio in statu naturæ lapsæ: quia non solum est in officium procreandæ prolis, sed in remedium vitandæ fornicationis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod non esset ibi maior deordinatio, quam in admouendo manus ad os, &c. Dicendum, similitudo illa attenditur quãtum ad hoc, quod vtrumque membrum rationi subiacebat, vt supra dictum est. In hoc tamen dissimilitudo est: quia magis oportebat actum illum ad finem debitum ordinare; quam qualemcunque motum manus vel pedis, propter determinationem actus illorum membrorum ad procreationem prolis: vsus autem manus, vel pedis non est ita determinatus: & ideo non oportuit cum tanta discretione exerceri.

¶ Ad illud, quod obijcitur pro alia parte, scil. quod delectãs in vxorem suam causa delectationis, peccat mortaliter. Potest dici, quod duplex est delectatio; sicut & appetitus, naturalis, sc. & voluntaria. Delectatio quidem naturalis, quæ est scilicet ex appetitu, siue amore naturali, nullo modo est fruitio, nec meritoria, nec demeritoria: sed illa solum, quæ est ex amore voluntario, & non voluntaria: talis autem delectatio si appetitur propter se, id est, solummodo causa sui, id est, ipsius delectationis, ita quod nulla habeatur consideratio nisi ad ipsam: tunc sortitur rationem fruitionis. Verbi gratia, iste appetit delectari in vxore sua: nec attendit quod licitum est sibi illam cognoscere; sed solummodo quærit in illa delectationem: & etiam si sua non esset, idem quæreret: hæc delectatio fruitio interpretatur, & est peccatum mortale. Si autem quæret in ea delectari, considerans quod sua est; non quærens solum delectationem, sed delectationem, in sua: nec aliter quæreret: huiusmodi delectari non est frui. Adam vero in primo statu si appetiuisset delectari in sua, quia huiusmodi appetitus & delectatio fuisset voluntaria, peccasset.

MEM-

MEMBRVM IV.

An in prædicto primo statu licitum fuisset primis parentibus continere.

August. Aug super Gen. ad lit.

SEQVITVR inquirere. Vtrum illicita fuisset continentia, siue cessatio à commixtione carnali. Quod sic, videtur: sicut habetur ab Augustino: *Matrimonium datum fuit sanis in officium, scilicet multiplicandæ prolis*: sed vt habetur ab eodem Augustino: *Officium est congruus actus vniuscuiusq; personæ secundum instituta Dei*: ergo secundum diuinam institutionem erant primi parêtes conditi, vt genus suum multiplicarent ad cultum Dei. Si autem multiplicatio fieri non posset, nisi per carnalem commixtionem; contra diuinam institutionem esset continentia primorum parentum: ergo illicita fuit eorum continentia.

Genes. 1. Glossa. August.

¶ Item, Dominus dedit præceptum primis parentibus de prolis multiplicatione: *Masculum & fœminam creauit eos, benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Ibi Gloss. Aug. *Multiplicatio hominum coniunctione maris & fœminæ perficitur: negligere autem præceptum Domini, vel contra ire est illicitum*: ergo &c.

¶ CONTRA, Temperantia omni tempore fuit virtus: ergo in omni têpore habenda: sed continentia à coitu continetur sub Temperantia: ergo &c. ¶ Item, quanto status alicuius est nobilior & excellentior, tanto magis de bono & æquo incumbit ei obseruantia virtutum: & hoc quantũ ad omnes species & differentias virtutũ. Sed status ille nobilior erat, quam status naturæ lapsæ: ergo magis incumbebat existêtibus in statu illo perfecta obseruantia virtutum, quantum ad omnes illarum species: sed continêtia est species temperantiæ; vt dictum est: ergo &c. ¶ Si diceretur, quod tenebantur coire, quia Dominus præceperat illis: *Crescite, & multiplicamini* &c. Contra, Magister: *Deus nondum iusserat, vt coirent: & poterat diuina expectari autoritas, vbi concupiscentia non angebat.* Similiter dicit Aug. *Potest dici quod nunquam Deus iusserat, vt coirent. Item, supposito quod præceptum Domini erat datum de multiplicatione prolis, quæ non poterat fieri nisi per coitum, propter quod continere esset contra præceptum Domini.*

Genes. 1. Magist. 2. sen. dist. 20. Aug. 9. super Genes.

Contra, Abel secundũ Aug. mortuus est in virginitate: & ex hoc commendatur à perfectioni iustitia: *A sanguine Abel iusti* &c. vt enim habetur ab Aug. à triplici commendatur iustitia, scilicet sacerdotij, virginitatis, & martyrij: qñtum ad quæ etiam perfecte gessit typum Christi; dicit enim sic: *Tota iustitia, hæc est virginitas, sacerdotium, & martyrium; quæ triplex iustitia in Abel primo fuit: qui etiam munera Deo placita obtulit prosapiam generis non dereliquit, & martyrij coronam sanguinis effusione promeruit.* Ex quo patet, quod stante præcepto de multiplicatione prolis, continentia virginitatis licita fuit, immo grata.

Idem. Matth. 23. Lib. 1. ca 3. Aug. lib. de mirabilib. sacræ scrip.

¶ Item, currente lege naturæ aliquis de perfectiorib. sicut Abel finaliter fuit virgo, & ex hoc commendatur, vt ex dictis patet. Similiter currente lege scripta, sicut Helias, qui vixit in virginitate: sicut dicit Hiero. similiter B. Virgo: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco*, id est, cognoscere non propono. ¶ Item: *Volo omnes homines sicut meipsum*, id est, castos, dicit Gloss. *Ex quibus videtur, quod illud præceptum de multiplicatione prolis non cogebat.* ¶ Item, super illud: *Despondi vos vni viro virginem castam. Hæc virgo casta ecclesia est*, vt dicit Gloss. & dicit Aug. *Absit, vt membris prohibeatur virginitas: cum sponsæ conceditur*: sponsam vocat corpus Christi mysticum: sed Adam fuit de corpore: ergo illi non fuit prohibita virginitas.

Hieronym contra Iouinianum. Lucæ 1. 1. Cor. 7. Glossa. 1. Corin. 11. Glossa. August.

¶ ITEM, Augustinus videtur velle, quod alius modus fuit tunc conueniens siue possibilis propagationis ex viro & muliere, quam mediante copula carnali, scilicet per affectum charitatis; dicit enim sic super Genes. 3. ad litteram: *Illud, quod dictum est, Crescite & multiplicamini, & implete terram; quanquam nisi per concubitum maris & fœminæ fieri posse videatur (vnde hoc quoq; mortalium corporum extitit indicium) potest tamen dici alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, vt solo piæ charitatis affectu nulla corruptionis concupiscentia filij nascerentur.* Ex hoc videtur, quod nulla fuit necessitas coeundi in statu illo. ¶ Item, potest quæri, si fuit præceptum, nec videtur quod adhuc fuerit reuocatum; ergo adhuc est continentia (saltem ill[illegible] est ex voto) illicita. Si autem dicitur, quod sit reuo[illegible]um, quæritur quando.

Aug. super Gê. 3. ad lit.

RESOLVTIO.

Continentiam seruare nequaquam primis parentibus in primo statu licuisset: siquidem ex eis humanum genus totum deducendum erat, quod aliter quam per carnis commixtionem fieri vix poterat.

¶ RESPON. Ad solutionem prædictorum notandum, ꝙ circa statum virginitatis plura sunt attendenda. Vnum est carnis integritas: hæc aũt nullo tempore fuit meritoria per se, quia neq; virtus, neq; actus virtutis. Vnde Aug. *Continêtia non corporis, sed animæ virtus est.* Vnde Mat. 25. legitur de talibus quod fuerunt reprobatæ. Aliud est propositum cõseruandi carnis integritatem: hoc fuit meritorium in tempore aliquo, in tempore alio nõ meritorium, imo illicitũ, sc. tempore naturæ institutæ. Cum n. Dominus creasset primum hominem, qui erat principium omnium; sicut in quo erat seminarium totius suæ posteritatis: & dederat illi præceptum de multiplicatione sui generis, quæ fieri non poterat nisi per commixtionem maris & fœminæ: & hæc illum non latuerunt (Bene n. sciuit, quod ex ipso & muliere, data sibi in adiutorium, debebat genus humanum propagari: vnde vocauit vxorem suam Heuam: *eo quod mater esset cunctorum viuentium.* Gen. 3.) nullo modo poterat simpliciter continere, nisi fieret præuaricator diuini præcepti, & neglector voluntatis eiusdem. Similiter tempore legis naturæ & legis scriptæ continentia generalis fuit illicita; dispensatione tamen licebat alicui personæ continere. Tempore aũt legis gratiæ fuit licita & meritoria: propter quod multi castrauerunt se propter regnum cœlorum tempore illo. Matth. 19. Tertiũ est habitus generalis ad omnes modos continentiæ, qui attenditur in voluntate & detestatione omnis coitus illiciti: & istud ratione sui generis, sc. cõtinentiæ virtutis est: iste habitus sine voluntate habentis auferri nõ potest: sicut potest carnis integritas. Vnde Aug. *De pudicitia vero quis dubitauerit, quin ea sit in ipso animo constituta, quando quidem virtus est: vnde à violento stupratione nec ipsa eripi potest.* Patet ergo, ꝙ continentia à carnali cõcubitu in statu primo non erat virtus: nec actus virtutis, neq; propositum continẽdi: non n. fuisset circa bonũ, neq; circa difficile, circa quæ est virtus. Licet n. in statu illo virtus sine actus virtutis non fuisset circa difficile, fuisset tamen circa bonum: continentia autem tempore illo non fuisset aliquo modo bona; cum in nullo ordinasset in finem; sed potius auertisset à fine: quia induxisset præuaricationem præcepti Dei, & voluntatis eiusdem deformitatem.

Aug. de bono coniug. Matth. 25. Genes. 3. Heua, viua, vel viuens interpretatur. Matth. 19. Aug. lib. de libero arbi.

¶ Ex his patet, quomodo ad duo obiecta prima respondendum est: continentia n. à coitu attenditur penes voluntatẽ omnis illiciti coitus: coire aũt cum sua, tunc nullo modo erat illicitũ: neq; eo modo quo dicenda sunt illicita mortalia, neq; illo modo quo venialia: tum quia thorus erat immaculatus, & absq; omni motu illicito: tum propter fructum prolis generandæ ad cultum Dei. ¶ AD illud, quod obijcitur per Aug. & Magistrum in Sent. quod Dominus nondum iusserat, vt coirent, &c. Dicendum, ꝙ hoc intelligitur quantũ ad specificationem actus determinati in tempore, hoc est, non determinauerat eis tempus, quo debebant coire, sed in generali dederat illis præceptũ, quando dederat eis præceptum de generis sui multiplicatione. Gen. 1. Vnde habebant in præcepto, vt aliquando coirent; non autem vt coirent tunc vel tunc: vnde non peccabant ex hoc quod non statim coierunt; sed peccassent, si nunquam coissent.

Genes. 1.

¶ AD hoc, quod obijcitur de virginitate Abel. Dicendũ, ꝙ si semper vixisset, iniisset coniugium, & non permansisset in virginitate. Vnde Aug. *Si longiore tempore, vt Enoch maneret, sine vlla dubitatione coniugium iniret: quippe qui in tempore illius legis viueret, quæ dicit. Crescite & multiplicamini, & si illud mandatum impleret, profecto nequaquam virgo esset.* ¶ Si autem quæritur, quare commendatur à virginitate: ex quo causa virginitatis in ipso erat mortis acceleratio: si n. diu vixisset, vxorem duxisset. Dicendum, quod hoc est: quia totius iustitiæ forma in eo seruabatur: quantum tamen ad hoc quod virgo fuit, commẽdatur magis ex præfiguratione virginitatis saluatoris, quã ex actu continentiæ à coitu. Vnde Aug. *Recte competebat, vt qui primus in terra iustus eligitur, in eo totius iustitiæ forma seruaretur: cuiq; primo in hominibus post*

Aug. de mirabilibus sacræ script. Idem de iisdem.

delictum figuram gestare conceditur saluatoris, qui virgo, & martyr, & Sacerdos esse videtur. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in omni statu, siue tempore aliqui de perfectioribus continebant: propter quod videbatur, quod præceptum de prolis multiplicatione non cogebat. Dicendum, quod hoc fuit ex speciali dispositione, & dispẽsatione Dei. Sicut n. tactũ est, conueniebat quod Abel in virginitate conseruaretur: quia primus iustus fuit, in quo totius iustitiæ forma fuit conseruanda, vt qui fuit principiũ Ecclesiæ iustorum. Ab Abel aũt dr incepisse Ecclesia iustorũ, sicut Ecclesia malignantiũ à Cain: & ratio huius est, quia q̃uis Adam fuerit primus iustus, tñ si propter hoc ab ipso diceretur incipere Ecclesia iustorũ: tunc eodẽ modo cum ipse fuerit primus homo peccator, deberet dici, quod ab ipso incepit Ecclesia malignantium: sed hoc non erat decens, vt ab eodẽ diceretur incipere Ecclesia vtraque. Et ideo rectè distinguuntur duo; vt ab eo qui nunquam fuit iniustus, sed iustus, primo inciperet Ecclesia iustorum: cuiusmodi fuit Abel: & econtra ab eo, qui finaliter fuit malus, similiter inciperet Ecclesia malignantiũ: cuiusmodi fuit Cain. Hac ergo ratione cõueniebat, vt in eo totius iustitiæ forma seruaretur; quia ex diuina dispensatione & dispositione facta est. Similiter de Helia, & alijs viris sanctis in lege, sicut de Heliseo; & si qui alij erant, qui continebant currente lege scripta, dispositione & dispensatione diuina, sc. vt figura essent futurorum. Vnde Hier. *Obsecro te lector, & id ipsum sæpe cõmoneo, vt me scias, quæ loquor, necessitate ducere, nec detrahere ijs, qui in lege præcesserunt, sed seruasse eos temporibus & conditionibus suis: & illam Domini implesse sententiam: Crescite & multiplicamini & replete terram: & quod his maius est, futurorum typos præbuisse. Nobis aũt, quibus dicitur tempus in collecto est; superest, vt & qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant; aliud præcipi & virginitatem a saluatore virgine dedicari: Heliam & Heliseum quã stultè posuerit in catalogo maritorum, me tacente, mirum est. Si n. Ioan. venit in spiritu & virtute Heliæ. & Ioan. virgo est: vtique non solũ in spiritu eius venit, sed etiã in corporis castitate. B. aũt Virgo non solum virgo fuit quantum ad carnis integritatẽ, sed quantum ad mentis sanctitatem: & hoc diuina inspiratione.* Præterea illud præceptum de multiplicatione erat affirmatiuum: præceptum affirmatiuum non ligat ad semper, neque secundum omnem conditionem & circunstantiam: sed pro loco, & tempore, & circunstantijs alijs debitis: & maximè prout cadit sub intentione illius, qui dedit. Præceptum aũt illud datum fuit ad multiplicandũ genus humanum: vnde quia præceptum illud datum fuit generaliter omnib. non distinctè huic, vel illi, exceptis primis parentib. existente numero sufficiente ad huiusmodi multiplicationem expeditè faciendam, nulli singulariter prohibebatur non tenere virginitatẽ. Licet n. aliquis contineret, erant tñ alij, per quos poterat genus humanum multiplicari. Sed tunc demum teneretur quilibet illi præcepto, cum videret alium deesse, per quem præceptum illud possit impleri: quilibet n. tenebatur ad hoc, vt illud præceptum nõ remaneret incompletũ, etiam per seipsum: si videret quod per alium non posset impleri: aut q Dñs aliter non disponeret. ¶ Ad aliud, q nulli membro erat castitas prohibita, &c. Dicendum, quod hoc verum est de castitate fidei: non aũt de castitate carnis. Ecclesia n. non est virgo per integritatẽ carnis, sed fidei: sic intelligitur verbum Aug. sc. illud. *Absit vt à membris prohibeatur castitas, cũ sponsa conceditur*: loquitur n. de prohibitione virginitatis fidei. ¶ Ad illud, quod dicit Aug. super Gen. 3. Potest dici, aliam modum esse potuisse in corporibus immortalibus, vt solo piæ charitatis affectu, &c. quod Aug. exprimit modũ aliũ posse fuisse à Deo: vnde dicit, quod potetat fuisse: nõ quid cõueniebat: conueniebat n. vt mulier de viro formaretur: & de illis duobus humanum genus propagaretur, propter [illegible]. ¶ Ad illud, quod quæritur de reuocatione præcepti de multiplicatione prolis. Dicendum, quod illud præceptum, *Crescite, & multiplicamini*; non solum datũ [illegible] augmentum, & multiplicationem prolis carnalis, [illegible]. Vnde sicut in primo statu melior fuit [illegible] coniugalis, quam virginalis propter paucitatem [illegible]: sic post sufficientem hominum multiplicationem maior erat necessitas multiplicare filios spirituales, quam carnales. Vnde Hugo. *Pro tempore illo apud Deum excellit virginitas: quia cum ad templandũ numerum sanctorum largissima suppetat copia: libido sibi nunc non vendicat, quod tam suscipiẽ de prolis necessitudo non postulat. Et ita virginitas melior: propter quod conueniens fuit, vt præceptum illud quantum ad multiplicationem prolis carnalis reuocaretur.*

Hieron in libro contra Iouinianum.

Augus.

Gen. 1.

Hugo.

¶ Nota ergo, quod præceptum illud erat multipliciter, & multis locis reuocatũ, sc. præfiguratione, id est, præfigurata fuit eius reuocatio: & hoc ante legem, sc. in virginitate Abel, in qua fuit præfigurata virginitas Christi, vt habetur ab August. in verbo supradicto. Et in lege, sc. in virginitate Heliæ, in qua præfigurata fuit virginitas Ioannis Baptistæ: vt patet ex verbo Hieron. supradicto. Fuit etiam reuocatum inspiratione, sc. in virginitate B. Virginis, & Beati Ioan. Baptistæ. Fuit etiã reuocatum exemplo, sc. in virginitate Christi, qui fuit forma viuendi perfectis. Vnde *Perfectus aũt omnis erit, si sit sicut magister eius.* Fuit etiam reuocatũ doctrina Christi. *Dicunt ei discipuli eius; si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere: qui dixit eis*, &c. Supra quod Hieron. contra Iouinianum, Apostoli vxoris onere contẽplato, si talis est (inquiunt) causa hominis cum vxore, non expedit nubere: quorum Dominus sententias probans, rectè quidem sentitis, ait: quod non expedit homini ad regna cœlorũ tendenti, accipere; sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud: verum quibus datum est. *Et sunt Eunuchi, qui castrauerunt se propter regnum cælorum: qui potest capere capiat.* Hieron. *Mihi illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas: libenter eos recipio in meos sinus, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, & ob meum cultum voluerunt esse, quod nati sunt.*

August. de mirab. sacræ scripturæ.

Lucæ 6.
Matth. 19.

Matt. cap. eodem.
Hierony. contra Iouinianum.

QVÆST. LXXXIX.

De prole propagata in primo statu.

In quatuor Membra, & in tres Articulos diuisa.

DETERMINATO de modo, siue de via propagãdi, id est, de coitu primorum parẽtũ, sequitur de ipsa prole propagata, Vnde intentio huius partis est determinare, quales liberos genuissent primi parentes, si non peccassent, & posteri eorum. ¶ Primo ergo quæritur, quales liberos genuissent quantum ad iustitiam. Secundo quales quantum ad scientiam. Tertio, quales quantum ad virtutem corporalem. Quarto quantum ad sexum.

D. Thom. 1. par. q. 100. Scot. in 2. d. 19. q. 2.

MEMBRVM I.

Quales liberos genuissent primi parentes quo ad iustitiam, si non peccassent?

CIRCA primum, quo quæritur: Quales liberos genuissent primi parentes quantum ad iustitiam, quæruntur tria. Primum est, si geniti in statu illo, essent hæredes paternæ iustitiæ quantum ad iustitiam originalem. Secundum est; si quantum ad iustitiam gratuitam. Tertium est, quantum ad iustitiam confirmatam.

ARTICVLVS I.

An geniti in statu innocentiæ hæredes fuissent originalis iustitiæ?

QVÆRITVR ergo primo, si essent hæredes originalis iustitiæ. Quod sic, videtur per hoc, quod ex merito obedientiæ eorundem si stetissent, genuissent alios hæredes iustitiæ parentum: quia si oppositum de opposito, & propositum de proposito. ¶ ITEM, Ansel. *Si Adam nequiuisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam suam producere, nequaquam posset eis iniustitiam transmittere.* ¶ ITEM *Dedit Deus Adam hanc gratiam, vt sicut quando illum condidit nulla propagandi operante natura, aut voluntate, simul fecit eum, & rationalem, & iustum: ita simul cum rationalem haberent animam, iusti essent; quos generaret, operante natura & voluntate, si non peccaret.*

Ansel. de cõceptione Virgi. cap. 24. Idem c. 10. eiusdem libri.

ITEM, Nihil est medium inter iustum & iniustum in hominibus: sed Adam si stetisset, non genuisset filios iniustos: ergo

ergo genuisset filios iustos, scilicet naturali iustitia. ¶ Item, cum minimum bonum est maius bonum, quam maximum malum est malum: videtur, quod non minus debuit remunerari meritum obedientiæ primorum parentum, sed magis, quam inobedientiæ demeritum puniri: sed inobedientiæ demeritum fuit punitum transfusione iniustitiæ paternæ: ergo &c.

Hugo li. 1. de Sacram. par. 6. c. 13. circa medium & 14

¶ CONTRA, Hugo: *Si primus homo tempore obedientiæ suæ casto coniugio ad propagationem posteritatis institutioni diuinæ deseruiens, filios generaret sine peccato quidem: quoniam ex natura ab omni vitio libera: sed non similiter paternæ iustitiæ hæredes.* ¶ Item, impossibile est fieri transfusionem alicuius proprietatis; nisi per transfusionem, siue traductionem subiecti illius vel causæ: (causæ dico propter transfusionem originalis peccati, quod transfunditur à parentibus in prolem per traductionem carnis corruptæ, quæ est causa ipsius peccati originalis) ergo cum in generatione prolis non sit traductio subiecti, vel causæ originalis iustitiæ, nullo modo potest esse transfusio originalis iustitiæ à parentibus in prolem: subiectum autem originalis iustitiæ est ipsa anima, quæ non est ex traduce. ¶ Item, anima Adæ nullo modo poterat efficere peccatum in anima pueri geniti ab eo: sed quia persona Adæ corrupit naturam in eo; quę natura non erat eius solummodo, vt erat singularis personæ, sed vt erat generalis; ex transfusione illius naturæ corruptæ corrupta erat natura pueri: & hoc ratione qua aliquid erat commune patri & proli. Si autem natura, quæ erat in puero, non esset cum suo vitio traducta à patre, nulla fuisset corruptio in puero. Si ergo nihil, quod erat commune patri, & proli, erat subiectum gratiæ, vel causæ: ergo &c.

RESOLVTIO.

Anselmus affirmatiuam, Hugo negatiuam partem sustinet, tu quamuis eluce, & insectare.

¶ RESPONSIO. Potest dici secundum Anselmũ, quod si stetissent primi parentes, quod genuissent filios hæredes paternæ iustitiæ, quantum ad iustitiam originalem: sicut patet ex verbis eius supradictis. ¶ Ad illud, quod dicit Hugo: quod non genuissent filios, paternæ iustitiæ hæredes. Dicendum, quod hoc intelligitur sic: paterna iustitia non descenderet ad eos hæreditarie: illud autem dicitur descendere hæreditarie ad filios, quod filij habent à patre domino & possessore iure filiationis: illi autem filij non hæreditarent bona gratuita à patre, vt à domino & possessore illorum: sed potius à gratia conditoris. Vt enim haberi potest ex verbis Anselmi, in hoc ostendebatur magnitudo bonitatis Dei, & plenitudo gratiæ illius, quod qualis erat primus homo iustitia & felicitate, tales propagaret: nec hoc est, quia ex sola propagatione essent tales, sed quia propagati, dono Dei essent tales: omne enim donum gratuitum faciens gratum, immediate est à Deo, vt à per se efficiente.

¶ Ex hoc patet responsio ad alia, quæ sequuntur: quia non intelligi debet transfusionem fuisse iustitiæ, sicut corruptionis: neque animam infusam carni incorruptæ contraxisse à carne iustitiam originalem: sicut anima infusa carni corruptæ contrahit ab illa culpam originalem: sed quadam impropietate locutionis dicitur iustitia originalis transfusa fuisse: quia natura fuisset transfusa integra, ex qua anima habens originalem iustitiam, ex sui conditione nihil contraxisset vitij, quo defecisset à sua rectitudine, nec à stabilitate confirmationis superadditæ gratia conditoris. Addendum est etiam, quod iustitiæ paternæ dicitur transfusio fuisse: quia iustitia paterna quodammodo meruisset posteris gratiæ huiusmodi collationem. Quia ergo ex parte naturæ transfusæ non fuisset aliquid, quo declinassent posteri à rectitudine sua: & quia paterna iustitia aliquo modo cooperata fuisset, scilicet merendo illorum iustitiæ, dicitur transfusio iustitiæ à patre in prolem.

Hugo li. 1. de Sacram. par. 6. c. 24 post mediũ

¶ SVNT quidam tenentes contrariũ, sc. filios nõ fuisse hæredes paternæ iustitiæ; quod videtur sentire Hug. dicit enim sic. *Sunt qui credunt veraciter asserendum, quod primus homo, si non peccasset, nullos nisi bonos filios genuisset, & nemo omnium, qui ex eius carne nascerentur, & damnarentur.* Tamen illud merito quæritur, si sola primi hominis obedientia probata omnib. posteris ex eo nascituris ad meritum sufficere debuisset: aut si singuli quiq; temporib. suis post eum, quẽadmodum primus homo probatus est: siue eiusdem, siue alterius cuiuslibet mandati obseruantia probandi fuissent? Et põt fortassis non absurdè credi, quod idem mandatum, quod primo parenti datũ est; posteri quoq; illius obseruare debuerunt, vt singuli propria obedientia probarentur: & singuli pro suis meritis digna remuneratione glorificarentur.

¶ Tenentes hanc opinionem, sic possunt respondere ad obiecta contra partem istam. Ad illud, quod primo obijcitur, sc. quod ex quo cum culpa transgressionis generantur filij culpæ paternæ, &c. Dicendum, quod non oportet: non n. ex carne incorrupta contrahit anima iustitiam, sicut ex corrupta culpam. Præterea, in obedientia vnius præuaricationis perfecta est: obedientia, quæ deficit ante finem, siue finis consumationem, nõ est perfecta: vnde adimpletio obedientiæ particularis nõ debuit esse ita efficax in bono sicut inobedientia huius in malo. Vnde Hug. de Sacramentis Temere asserendum non est, quia non similiter videtur, quod quemadmodum nunc, i. tempore naturæ lapsæ natura per inobedientiam ad corruptionem mutata cernitur ita etiam tunc i. in statu conditæ per obedientiam seruatam nisi vsq; ad tempus prædiffinitum à Deo seruata fuisset, ad incorruptionem mutaretur. Semel n. transgredi plena inobedientia fuit: sed non similiter perfecta obedientia fuisset, si in ipsa obedientia homo vsq; in finem nõ perstitisset. Propterea sicut inobedientia vno tempore consummata naturam ad corruptionẽ mutauit: ita etiam obedientia naturam ad incorruptionem nõ mutasset, donec tempore suo vsq; in finem seruata perfecta fuisset.

¶ AD illud, quod obijcitur: si oppositum de opposito, & propositũ de proposito, &c. Dicendum; quod maxime hoc tenet, vbi fit comparatio oppositorum per se, & propositorũ, quæ sunt propriè respondentia, siue propria ipsis oppositis: verbi gratia: si albedo disgregat, nigredo congregat: non est autem proprium peccati siue culpæ transfundere suam inordinationem ad personam aliquam à delinquente: quod autem primum peccatum transfunditur ad prolem peccantis, magis fuit ex congruentia diuinæ iustitiæ, quam ex efficacia peccati. Præterea, ad inducendum inordinationem aliquam, siue demeritum vnicus sufficit defectus: non autem ad inducendum ordinem siue meritum vnicus sufficit actus ordinatus: imo requiruntur multæ circumstantiæ. Propter hoc non se habet oppositum ad oppositum, sicut propositum ad propositum generaliter in moribus.

¶ AD aliud, quod obijcitur si nequiuisset producere iustitiam suam, &c. Dicendum, quod producere iustitiam, siue transmittere, dicitur dupliciter, sc. influendo illam: & sic est solius Dei, qui animam creat & perficit. Vel trãsfundendo, siue transmittendo carnem omnino consonantem spiritui infuso, & iustitiæ, siue rectitudini eius: & hoc modo dici potest Adam transmisisse iustitiã in posteros; quia talem transmisisset carnem, si stetisset, quæ nequaquam iustitiæ obuiasset, imo per omnia spiritui subiaceret. Vnde cum Adam generaret filium sine omni corruptela & rebellione ex parte carnis: & deus infunderet animam innocentem & rectam: omnes posteri eius recti & iusti essent. Et licet illa iustitia principaliter quidem esset à Deo, qui eam tribueret animæ: nihilominus tamẽ dici posset, quod Adam eam transmitteret, quia carnem propagaret, innocentiæ & iustitiæ consonantem. Et secundum hanc viam sunt intelligendæ omnes autoritates; quæ inducuntur ad istam partem.

¶ Et per hoc patet responsio ad sequens, quod dicitur quod generasset filium iustum: hoc n. non esset iustitiam, in animam filij infundendo, sed carnem mundam propagando, quæ nata esset rectitudini iustitiæ subiacere.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod nihil est medium iniustum. Dicendum, quod verum erat tunc de iustitia originali, & iniustitia sibi opposita, sed de gratuita iustitia nõ habet virtutem: poterat n. hoc esse in statu solius rectitudinis naturalis. Et ideo ex ratione illa hoc solum haberi põt, quod Adam generaret filios innocentes, & hoc quidẽ verum est:

rum est: sed tamen ex hoc non habet, quod transmitteret: vel quod filij principaliter ab ipso iustitiam obtinerent.

Inferius hac eadem part. q. 106

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Adam debuit transmittere meritum sicut demeritum. Dicendum, quod (sicut tactum est in præcedentibus) illud non sequitur: quia plura requiruntur ad constituendum bonum, quã ad inducendũ malum, sicut patet in Tractatu de originali peccato: inordinatio autem poterat habere causam in carne: non sic autem radix meriti, quæ est gratia desursum descendens: & ideo non sequitur, quod si transmisit demeritum, quod propter hoc meritum transmisisset.

ARTICVLVS II.

An geniti in statu innocentiæ hæredes fuissent paternæ iustitiæ gratuitæ.

DEINDE quæritur, si essent hæredes paternæ iustitiæ, quantum ad iustitiam gratuitam. Quod sic, videtur: Adam peccans transmisit nobis demeritum damnationis: ergo si stetisset, siue profecisset in gratia, trãsmisisset posteris meritum saluationis, iuxta illud si oppositũ in opposito &c. sed saluari nullus vnquã poterat sine gratia: ergo &c.

¶ Item, Adam peccando, non solum sibi, sed nobis demeruit: ergo si stetisset, siue profecisset, aliquid posteris meruisset: sed non meruisset, quod erat naturæ: ergo meruisset aliquid vltra. Ergo videtur, quod non solum iustitiam originalem, sed gratuitam aliis meruisset.

¶ CONTRA, omne quod transfunditur, & etiam quod tunc transfusum esset, fuisset naturale: transfusio enim illa naturalis fuisset, sicut & illa, quæ nunc est: sed gratia, siue gratuita iustitia non est naturalis, neq; eius transfusio: ergo &c. ¶ Item, iustitia gratuita tantum infunditur immediate à Deo: ergo &c.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum isthæc iustitia à Deo immediate infundatur.

¶ QVOD concedimus, respondentes ad primum, scilicet transmisisset posteris meritum saluationis, sicut transmisit demeritum damnationis. Dicendum, quod re vera aliquid meruisset illis; (vnde Hugo: *Potest forte esse non absurde credi primam obedientiam obseruatam causam fore augmenti gratiæ in omnes sequentes, & ipsam obedientiam obedientiæ imitantes*) sed hoc esset potius meritum congrui, quam condigni: sed tamen non propter hoc diceretur transfundere posteris iustitiam gratuitã: nisi aliquis valde vocabulo abutatur. Qualiter autem intelligenda est maxima illa; si oppositũ de opposito &c. dictũ est supra. ¶ Ex his patet responsio ad aliud, quod sequitur: quod bene potest concedi, quod aliquid posteris meruisset superadditum naturæ: nec ex hoc sequitur, quod transfudissent eis iustitiam gratuitam.

Hugo.

Art. immediate præcedenti: ad arg.

ARTICVLVS III.

An itidem in eodem statu geniti hæredes fuissent paternæ iustitiæ confirmatæ.

SEQVITVR inquirere, Vtrum essent hæredes paternæ iustitiæ quantum ad iustitiam confirmatam. ¶ Quod sic, videtur: quia malũ non est potentius in malum, quam bonum in bonum: sed Adam peccando, transmisit posteris necessitatẽ peccandi, saltem venialiter: ergo videtur, quod stans, siue proficiens, transmisisset illis necessitatem proficiendi, siue merẽdi: hic autem status, scilicet necessitas merendi est confirmatorum in illa: ergo transmisisset illis iustitiam confirmatam. ¶ Item, angeli stantes, statim confirmati sunt: si ergo meritũ Adæ non fuisset minus quam meritum angeli) quod patet per hoc quod non erat tantę fortitudinis) videtur quod ipse si stetisset, statim esset confirmatus: sed tales filios generasset, qualis statim fuisset: ergo &c. ¶ Itẽ, hoc etiam videtur haberi ab Anselmo de cõcept. virg. dicente. Quid conuenientius ad ostendẽdum magnitudinem bonitatis Dei, & plenitudinem gratiæ, quàm Adę concedebat, quam vt quorum esse in illius potestate sic erat, vt quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent: ita quoq; in eius esset arbitrij libertate, vt qualis erat ipse iustitia & felicitate, tales vero propagaret. Ex hoc verbo videtur, quod filij fuissent hęredes paternę iustitiæ, & quantum ad iustitiam gratuitam, & quantum ad iustitiam confirmatam. Non enim generasset similes illi iustitia & felicitate, nisi generasset habentes iustitiam confirmatam. Vt enim dicit Philos. *Nullus felicitatem laudat, quemadmodum iustum; sed vt diuinum quid, & melius beatificat.* Vnde non diceretur felicitas quid diuinum, si determinaret statũ possibilẽ ad miseriam: neq; enim videntur felices, qui à statu iustitię cadere possunt. ¶ Itẽ, status primus fuit inter necesse mori, & impossibile mori; nihilominus magis ordinatus fuit ad impossibile mori, quam ad necesse mori. Ex quo videtur, quod faciliter potuit illud assequi: cum illud facilius possit attingi, ad quod est maior ordinatio. Sicut ergo primi parentes cadentes à primo statu, incurrerũt necessitatẽ moriendi, & similiter eorũ posteritas: sic similiter videtur etiam ratione fortiori, quod si profecissent in primo statu, assurrexissent ad impossibilitatẽ moriendi, & eorũ posteritas similiter. Hoc nõ posset esse, nisi essent cõfirmati, sc. parentes & filij: dum enim haberent potestatem peccandi, & haberent similiter potestatẽ moriendi: & ita videtur, quod parentes & filij in statu illo fuissent confirmati. ¶ CONTRA, Aug. *Quam felices erant, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tam felix vniuersa societas esset humana si nec illi malum, quod etiam in posteros traijcerẽt, nec quisquam ex stirpe iniquitatem cõmitteret, quæ damnationem reciperet.* Ex hoc verbo Aug. videtur: ad hoc, quod posteri primorum parentum stetissent in prima fœlicitate, necesse fuisset, quod nec parentes eorũ, nec illi peccarent. Ex quo videtur, quod si parentes stetissent, quod adhuc posteri peccare potuissent: ergo poterant esse alieni à paterna iustitia, & ita non esse hæredes iustitiæ confirmatæ. ¶ ITEM, homo de natura suæ cõditionis vertibilis est ad bonũ à malo, & econuerso: fuit n. conditus mutabilis vertibiliter: vnde neq; auersus per culpam efficitur confirmatus in malo: neque conuersus per gratiam, efficitur confirmatus in bono. Ex quo videtur, quod sicut primus parens non fuit confirmatus in malo peccando: similiter neq; fuisset cõfirmatus in bono stando, neque proficiendo; nec posteros multo fortius genuisset tales.

Philos. 1. Ethicorũ

Aug. 14. de ciuit. Dei. cap 10. A medio Tom. 5.

RESOLVTIO.

Quidquid sit de Hugone, si ad concordiam decinoluerit, arbitrati sunt quique fere maiores, quod si primi parentes stetissent & ipsi, & eorum posteri ita confirmati essent, vt nullatenus peccare possent.

¶ RESPON. Ad hoc dicendum secundum Ansel. quod si stetissent primi parentes, genuissent filios hæredes paternæ iustitiæ quantum ad iustitiam confirmatam, sed hæc confirmatio esset quantum ad iustitiam originalem. Vnde Ansel. *Quamuis nondum proueherentur ad illam æqualitatem angelorum, ad quam peruenturi erant homines, cum perfectus erat numerus de illis assumendus: in illa tamen iustitia, in qua erant, videtur quod si vicissent, tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt vltra peccare non possent: quemadmodum quia victi peccauerunt, sic infirmati sunt, vt quantum in ipsis est, sine peccato esse non possunt. Quis n. audeat dicere plus valere iniustitiam ad alligandum in seruitutem hominem, in prima suasione sibi consentientem: quam valeret iustitia ad confirmandum eum in libertate, sibi in eadem tentatione prima adhærentem? Nam quemadmodum quoniam humana natura tota erat in primis parentibus, tota in illis victa est, vt peccarent, excepto illo solo homine, quem Deus sciuit sine semine viri de Virgine facere, sic sciuit à peccato Adæ secernere: ita in eisdem tota vicisset, si non peccassent.* Hoc idem videtur sentire Boetius dicens: *Quoniam angelorum numerum, id est, supernæ ciuitatis, cuius ciues angeli sunt, imminutum voluit conditor permanere; formauit ex terra hominem, atque spiritu vitæ animauit, cumq; præfixa lege in Paradisi delitijs constituit; vt si sine peccato manere vellet, tam ipsum, quam eius progeniem angelicis cætibus sociaret.* Ex hoc verbo videtur, quod si ipse stetisset, nullus de posteris eius periisset: quod non videtur posse accidisse, nisi confirmati essent. Et hoc videtur posse haberi ab Aug. qui videtur dicere, quod nulli de posteris primorum parentum fuissent morituri, nisi primi parentes peccassent: & constat quod si non fuissent morituri, non peccassent: dicit n. sic: *Neque hoc genus fuisse in singulis quibuscunque moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est vnus ex nullo, alter ex illo, id inobedientia meruissent, à quibus admissum est tam grande peccatũ, vt in deterius eo natura mutaretur humana; etiam in posteros obligatione peccati & mortis necessitate transmissa.*

Ansel. lib. 1 Cur Deus homo. cap. 17.

Boetius de fide Christiana.

Aug. de ciuit. Dei. lib. 14. c. 1.

¶ AD illud, quod primo obijcitur per verbum August.

Dicendum, quod illud verbum videtur cōsonum, esse sententiæ Ansel. sub hoc sensu: *fœlix esset societas humana, si primi parentes non traijcerent malū in posteros: quia tunc nec aliquis de posteritate iniquitatem cōmitteret.* Quod aūt subditur [*quæ damnationē reciperet*] nota est expressionis: quia omnis iniquitas in statu illo damnationē induceret. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod homo erat conditus vertibilis à bono in malū, & econuerso, &c. Dicendum, quod licet talis fuerit de natura: tamen superueniente gratia, poterat in bono indeclinabiliter stabiliri: sicut dictū est de primo homine, quod mortale erat conditione corporis animalis, immortale beneficio conditoris, & est euidens exemplum in Beata Virgine. (Anselmus.)

¶ Sunt aūt quidam non acquiescētes sententiæ Ans. dicentes quod semper fuissent geniti filij in statu illo in possibilitate peccandi: quod videtur sentire Hug. qui possunt respondere rationibus contra hoc propositis sic. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod transmisisset necessitatem proficiendi, sicut transmisit necessitatē peccandi. Dicendum, quod necessitatem peccandi dupliciter potest intelligi aliquis habere: aut quia necesse habet secundum statum, in quo est, in aliquod peccatum incidere: aut quia necesse habet in peccato permanere. Primo quidem modo reperitur necessitas in statu naturæ humanæ post lapsum: sed secundo modo modo in statu ruinæ angelicæ. Si quis ergo recto intellectu velit arguere; ex hoc non habebit, quod Adam si obediuisset, necessitatem habuisset permanendi in iustitia: sicut habent angeli, qui nō possunt labi, sed quod statu illo manente, necesse esset ipsum in aliquod opus bonum & laudabile exire: & hoc vtrique verum est, quia sicut status naturæ corruptæ ponit defectus & deordinationes: sic status ille requireret rectas & ordinatas operationes & cogitationes: nunquā n. homo in statu innocentiæ ociosus fuisset. ¶ Ad illud, quod obijcitur de angelis, &c. Dicendum, quod non est simile: & hoc diffusius habet explicari, cum agitur de Irremediabilitate peccati angelici: sed nunc tantum sufficiat dixisse, quod ratione nobilitatis, & simplicitatis, & incorporeitatis, & deiformitatis naturæ angelicæ, quæ nullum habebat retardans; & ratione status merendi sunt præfixi: sicut volunt Damasc. & Aug. Angelus statim in primo conflictu fuit confirmatus in bono, vel obstinatus in malo: homo vero quia erat alterius conditionis, sicut per demeritum non fuit in malo obstinatus, secundum quod patet, nec in se, nec in posteris: sic non fuit in bono cōfirmatus: ideo non oportuit ipsum iustitiam cōfirmatam in posteros transfudisse. ¶ Ad aliud de autoritate Ans. Dici pōt, quod hoc opinatus fuit: tñ ex illo verbo non pōt haberi nisi secundū quandā congruentiam & dispositionem: quæ non ponit necessario ita esse. Præterea, pōt fieri vis in verbo, vt per iustitiam intelligamus naturalem rectitudinem: per fœlicitatem priuationē omnis pœnæ, non confirmationem in statu iustitiæ. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod facilius poterat assurgere ad impossibilitatem moriendi, q̄ declinare ad necessitatem, &c. Dicendum, quod ordinatus fuit ad impossibilitatem moriendi, non vt ad illud, quod assequi debuit in vita animali & terrena: sed potius in vita spirituali & cœlesti. Vnde Aug. *Fœlix vniuersa societas esset humana, si nec illi*, &c. vt sup. atq; ista permanente fœlicitate, donec per illam benedictionē, qua dictum est, Crescite & multiplicamini, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur: alia maior daretur, quæ beatissimis angelis data est: vbi iam esset certa securitas peccaturum neminem, neminemq; moriturum. ¶ Contrarietas aūt, quæ videtur inter Hug. & Ansel. potest dissolui: dicit enim Hug. in sent. suis: *stultum videtur dicere, quod in hac vita confirmatus sit ita aliquis, quod non possit fieri malus: quod in alia vita tantum promittitur.* Ans. dicit, *quod si primi parentes vicissent in illa prima tentatione, quod ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt vltra peccare non possent.* Quod autem dicit Hugo, quod nullus debet dici ita confirmatus in hac vita, quod non possit fieri malus; intelligitur [*non possit*] negatiuè simpliciter, i. nullo modo possit: quod patet per hoc quod subiungitur, sc. [*quod in alia vita tantū promittitur*] quod aūt dicit Ansel. quod ita confirmarentur, quod vltra peccare non possent: nō intelligitur [*non possent*] negatiuè, sed potius expressiuè: notatur n. per hoc expressio stabilitatis in bono, sub hoc sensu: ita essent stabiles in bono, quod quasi esset illis impossibile facere malum; sicut dicitur aliquando de aliquo viro excellenter bono, quod nescitet facere malum: vel quod non posset. ¶ Opinio autem fuit fere omnium, & etiam maiorum: quod si stetissent primi parentes, ita fuissent confirmati & illi, & posteri, quod nullo modo peccare potuissent.

Margin notes (left column): Hugo de S. Victore. — Infr. q. 98. Memb. 4. — Aug. 14. de ciuit. Dei. cap. 10. — Hug. in sent. suis. — Anselmus. Hugo.

MEMBRVM II.

An geniti in primo statu perfecti in scientia generarentur?

SEQVITVR inquirere, quales filios genuissent quantum ad scientiam. Et quæritur: Vtrum genuissent filios perfectos scientia. ¶ Quod sic, videtur. Omnis ignorantia in rationali creatura est pœna peccati. (Vt n. dicit Beda *quatuor sunt nobis inflicta propter peccatum primorum parentum, sc. ignorantia, infirmitas, malitia: & ex his conflata mali concupiscentia.*) In statu primo nullum fuit peccatum, nec pœna peccati: & ita nec ignorantia: ergo filij procreati in statu illo, fuissent perfecti scientia sine omni ignorātia. ¶ Item secundum Philosophum: *si senex haberet oculum iuuenis, videret vtiq; ita bene, sicut & iuuenis.* Ex hoc patet, quod si defectus aliquis sit in anima ex parte illa, quæ spectat ad cognitiuam; hoc est propter defectum aliquem ex parte organi, aliquo modo ipsi cognitiuæ deseruientis; vel ex parte corporis, cuius anima est perfectio. Sed corpora genitorum in statu illo fuissent optimæ harmoniæ, & sanitatis perfectissimæ: sicut habetur ab August. de corpore primi hominis. Ergo ex parte corporum illorum non fuisset impedimentum; propter quod animæ incurrissent aliquem defectum quantum ad cognitionem, vel scientiam. (Beda. — Philoso. 1. de Anima Text. 65.)

¶ Item, corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Sapient. 9. Si in illis nulla fuisset corruptio in corpore: ergo nulla aggrauatio in anima: ergo in omni libertate, qua gaudet ipsa substantia animæ, posset vti scietia sibi indita, & alijs bonis similiter; nullo existente impedimento in corporibus illorum. Et ita videtur, quod statim habuissent perfectionem scientiæ, quæ competit animæ secundum se, nullo occurrente impedimento: & ita vt prius. ¶ Item, duplex erat perfectio hominis in statu primo: vna iustitiæ originalis, quæ spectabat ad ipsam affectiuam. Alia scientiæ rationalis, quæ spectabat ad ipsam cognitiuam. Sed statim habuissent perfectè iustitiam originalem: ergo pari ratione habuissent perfectè scientiā rationalem. ¶ Item, quod habuissent statim vsum rationis videtur, per hoc: quod quædam, quorum perfectio est anima sensibilis, statim abundant cognitione agendorum, & notitia expedientium, & nociuorum: vnde statim habent vsum suæ cognitiuæ. Sed constat, quod non fuisset homini subtractum, quod est animalibus concessum: nisi hoc esset de merito peccati: ergo si non processisset peccatum, homo statim in ortu, siue post ortum suum haberet vsum rationis; & sciret quæ agenda, & quæ fugienda: & ita vt prius. ¶ Item, duo creauit Deus ad imaginem suā, sc. angelum, & animam: quæ sunt creaturæ rationales & perfectissimæ in genere creaturarum. Angelus statim conditus habuit perfectionem cognitionis, & hoc requirebat eius perfectio: similiter videtur, quod anima creata, statim sit perfecta scientia secundum quod debeat esse, nisi culpa interueniente impeditur: vel quare non? cum homo sit perfectionis maioris. ¶ Si dicatur, quod anima nō est statim perfecta scientia propter coniunctionem cum corpore tali. Hoc videtur inconueniens: vt n. dicit Auic. *Anima vnitur corpori, vt perficiatur:* ergo sortitur perfectionem ex coniunctione cum corpore, & non imperfectionem: & maximè ex coniunctione cum corpore, existente sine corruptione. ¶ Item, in primo statu geniti essent perfecti cognitione sensitiua: non n. fuissent in aliquo defectu quantum ad sensitiuam cognitionem: multo fortius videtur, quod perfecti fuissent cognitione intellectiua: & ita essent in statu illo scientia perfecti. Dicit enim Philosophus, *quod intelligere est in anima, cum velit: sentire autem non est in ipsa*, supple cum velit. Ex quo videtur, quod actus intellectiuæ magis subsit libertati voluntatis, quam actus sensitiuæ: ex quo videtur sequi propositum. (Auicenna. — Philos.)

talitatis & immortalitatis. Respondendum est, & primo ad illud, quod obiicitur: quod potentia moriendi est naturalis potentia &c. Dicendũ, quod naturalis potentia (sumpta nomine extenso) se habet in triplici differentia. Quædam enim se habet in quadam æqualitate, & in differentia ad opposita (& hoc tam in actiuis quam in passiuis: in actiuis, vt est potentia extendendi se vel non extendendi, ambulandi vel non ambulandi: in passiuis, vt est potentia rarefiendi, vel condensandi.) Quædam autẽ magis se habent ad vnum, quam ad alterum. Et hoc potest esse dupliciter: quia aut forma vincit supra materiam, & tunc magis se habet ad agendum quam ad patiendum: & tunc est facilis ad agendum, & difficilis ad patiendum: & dicitur potentia naturalis. Aut materia vincit supra formam: & tunc est facilis ad patiendum, & difficilis ad agendum, & dicitur naturalis impotentia. Quædam autem est tantum ad vnum, vt in homine rationalitas, quæ est tantum ad ratiocinari. Potentia naturalis prout sumitur primo modo & tertio, non sumitur eo modo, quo dicitur naturalis potentia in Prædicamentis: sed prout dicitur medio modo. Vnde potentia moriendi, & non moriendi, id est, potẽtia susceptiua vitæ perpetuæ, vel non perpetuæ; non dicitur potentia naturalis secundũ modum secundum: sed si debet ad aliquẽ modũ reduci: debet reduci ad primũ. Quia sicut potentia, quæ est extendendi se & non extendendi se, quadam facilitate, & quasi indifferenti potest exire in vtrumq; actum: & sicut potentia, quę erat rarefiendi & cõdensandi in quadam facilitate respectu vtriusque: similiter potentia, quæ erat viuendi & moriendi, siue viuendi perpetuo & non viuendi perpetuo; fuit in quadam facilitate ad susceptionem vtriusq;. Potentia ergo mortalitatis & immortalitatis reducitur ad primum modum, non ad secundum: vt patet ex dictis. Neq; ad tertium, in quo scilicet subiecto est potentia vltimo modo sumpta, non potest esse oppositum illius; vt in quo est rationalitas, nõ potest esse irrationalitas: sed in quo est potẽtia modo medio sumpta, potest esse eius oppositũ: sed non cum illa. Sed in quo est potentia primo modo sumpta, huius est & simul potentia oppositi: quia vna est* huius & eius oppositi.

*A'ias, huiusmodi.

¶ Ad aliud patet responsio ex dictis: quia licet sanatiuitatis & ægrotatiuitatis non sit eadẽ potentia (sanatiuum enim & ægrotatiuum cõprehendũtur sub illo genere qualitatis, quod est naturalis potentia & impotentia) non propter hoc sequitur, quod mortalitas & immortalitas non sit eadem. Vt enim tactum est, potentia susceptiua vitę perpetuę in primo homine, non fuit potentia naturalis, neq; potentia susceptiua vitæ non perpetuæ fuit potentia innaturalis: eo modo quo potentia naturalis & innaturalis determinata sunt in genere Prædicamenti qualitatis.

¶ Ad vltimum similiter patet responsio: quia (sicut tactum est) potentia à qua est immortalitas, est alia ab illa, à qua mortalitas; & hoc concludit argumẽtum prædictum: potentia autem in qua, est tamen eadem vt est prima, siue indisposita. ¶ Ad maiorem euidentiam aliquorum prædictorum notandum: quod immortalitas non est nomen passionis; quia passiones vicissitudinariæ sunt: neque potentiæ simpliciter: potentiæ enim non tolluntur: sed est nomen habitus, siue potentiæ habitualis: & est proprie ipsius compositi: quia cum vita sit coniuncti: & immortalitas, quæ dicit vitæ continuationem, siue perpetuitatem, erit coniuncti. Similiter & mortalitas: quia mortalitas & immortalitas non solum nominant potentias, sed cum potentiis habitus concernunt: non tenent regulam consequentiæ potentiarum. Vnde & si concedi possit aliquo modo, quod erat in Adam potentia moriendi & non moriendi eadem, vt tactum est: non tamen sequitur, quod immortalitas & mortalitas idem. Similiter non sequitur, idem fuit potens mori, & potens non mori, vel non potens mori: ergo eadem fuit potentia moriendi & non moriendi. Simpliciter dico, id est, sine distinctione: quia alia est ratio potentiæ & essentiæ & alia potentiæ habitualis & potentiæ simpliciter.

QVÆSTIO LXXXIX.

De modo propagandi prolem in primo statu.

In quatuor Membra diuisa.

DETERMINATO de passibilitate humanæ naturæ ante casum: sequitur de prolis propagatione. Primo ergo quæritur de modo, siue de via propagandi, id est, coitu primorum parentum. Secundo de ipsa prole propagata. ¶ Circa primum quæruntur quatuor. Primum est, si in statu innocentiæ poterat esse seminis decisio. Secundum est, si in decisione huiusmodi fuisset libidinosa, vel saltem intensa delectatio. Tertium, si solum causa prolis habendæ fuisset maris & fœminæ commixtio. Quartum, si illicita fuisset continentia, siue à commixtione huiusmodi cessatio.

D.Tho.1. par.q.98 99. & 100. S.Bõ.in 2.d 20 per totum. S.o.

MEMBRVM I.

An Adam & Eua in statu innocentiæ coissent.

QVÆRITVR ergo primo, Vtrum primi parentes poterant coire in statu illo. ¶ Quod sic; habetur plane ab Augustino, dicit enim sic: *Quisquis dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent: quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium fuisse hominis peccatum?* Et post cap eodem: *Illæ nuptiæ dignæ felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent.* Hoc autem esse non posset, nisi habuissent potestatem coeundi in statu illo: ergo &c. ¶ Item, Genes. 2. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium sibi simile:* super illud August. *Si autem quæritur, ad quam rem oportuit fieri hoc adiutorium: nihil aliud probabiliter occurrit: quam propter filios procreandos.* Et post eodem loco: *Non inuenio, ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur.* Sed constat, quod ex viro & fœmina filij procreari non possunt, nisi mediante coitu: ergo &c.

Aug.14 de ciuit. Dei cap.23. Idẽ ibidẽ. Genes.2. Aug 9. super Genes. ad literã cap.3. Idẽ ibidẽ.

¶ CONTRA. Data est homini virtus generatiua, vt saluetur esse diuinum, id est perpetuum. Vnde quia res corruptibiles saluari non poterant secundum numerum, data est generatiua potentia, vt saluetur secundum speciem: cum secundum numerum saluari non possunt. Vnde sol, & huiusmodi substantiæ incorruptibiles, quia saluari possunt secundum numerum; non habent virtutem generatiuam: sic primus homo poterat esse suum perpetuare secundum numerũ: ergo superfluit in eo potentia generatiua. ¶ Item, Damasc. super illud, *Crescite & multiplicamini*, dicit. *Poterat Deus hoc genus multiplicare, si mandatum suum vsq; in finem seruassent. Sed sciens Deus præcognitione sua, qua omnia sciuit ante generationem eorum, quia futuri erant in præuaricationem; fecit eos masculum & fœminam, eos multiplicando esse, & crescere iussit.* Ecce hic dicit plane, quod quia eos præuidit præuaricaturos; fecit eos masculum & fœminam: & nisi hoc præuidisset, aliter multiplicaretur homo, quam copula carnali; ergo videtur quod casus erat causa copulæ carnalis. ¶ Item, August. *Concubitus non nisi mortalium potuit esse.* ¶ Item, idem: *Spirituales animæ parentũ non debuerunt voluptati carnali deseruire* Ex his auctoritatibus patet: quod concubitus non nisi carnalium & mortalium esse potuit. Si ergo primi parentes in primo statu erãt spirituales, & immortales: ergo &c. ¶ Itẽ, semen est superfluum nutrimenti: superfluitas autem vitio attestatur; quod non erat in statu illo: ergo & non poterat esse semen in statu illo. ¶ Item, semen in statu illo aut erat conueniens naturæ siue complexioni tunc existẽtium, aut non. Si sic, sed quod est naturæ conueniens, non separatur nisi per violẽtiam, & cum quadam deterioratione naturæ, siue debilitate (deterioratur enim natura in separatione conuenientis sibi) quod non conueniebat in statu illo. Si non erat conueniens, non videtur quod possit esse principium prolis procreandæ: cũ proles debeat esse de substantia parentum. ¶ Item, diuisio alicuius partis substantiæ ab aliquo, est dispositio & via ad corruptionẽ: ergo cum proles sit de substantia parentum per decisionẽ seminis huiusmodi, decisio est via & dispositio ad corruptionẽ: hoc autẽ non contingebat in statu illo: ergo &c. ¶ Item, nec videtur tunc, sicut nec nunc, commixtionem posse esse maris

Damasc. Genes.1. & sæpius.

Aug. de bono coniug.

& fœmi-

& fœminæ. & maxime in prima cognitione, sine membrorum genitalium motu, & virgæ virilis erectione: quod contigisset ante peccatum. ¶ Item, non esset commixtio huiusmodi sine sacramento matrimonij: sacramenta autem omnia data sunt in remedium peccati.

RESOLVTIO.

Adam, Euaq; in paradiso terrestri tametsi non peccassent, adhuc etiam coissent. Etenim cum in suppletionem numeri electorum primum, ex consequenti in reparationem ruinæ Angelorum multiplicandi forent, oportebat, semen, quod prolis procreandæ materia ordinaria est, ex ambobus ita ordinarie descindi.

¶ RESPONDENDVM, quod si in statu illo stetissent primi parentes, fuisset decisio seminis: sicut patet ex verbis Augustini supratactis. Qui etiam dicit super Genes. 9. *Non video, quid prohibere potuerit, vt non essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus; hoc Deo præstante fideliter iusteq; viuentibus, vt sine vllo inquieto ardore, ac dolore pariendi fœtus ex eorum semine gigneretur.* Et sic patet ex verbo Augustini, quod tunc, sicut nunc fuisset prolis procreatio ex commixtione seminis maris & fœminæ. Licet enim sit de ordine & potestate naturæ, quod proles procreetur per coniunctionem & commixtionem duorum sexuum in hominibus: qui respectu prolis se habent per modum materialis & efficientis: differenter tamen, quia ratio materialis plus residet penes mulierem; & efficientis, siue actiui penes virum. Vnde oportet, quod semen, quod est materia prolis procreandæ, descindatur à viro & muliere: & hoc requirit natura bene instituta, sicut & natura lapsa.

Cap. 1. Aug. super Genes. 9.

¶ AD primum ergo contra hoc obiectum, dicendum, quod licet secundum intentionẽ naturæ inferioris data est vis generatiua, vt saluetur esse diuinum in eodem secundũ speciem; cum nõ possit saluari in eodẽ secundũ numerum: tamen secundũ intentionẽ & ordinationẽ diuinę prouidẽtię, data est homini vis generatiua ad completionẽ numeri electorũ. Vnde ratio prædicta, quam ponit Philosophus, non est ratio tota: sed præcipua est multiplicatio numeri electorum, & consequens reparatio ruinæ angelicæ.

¶ AD illud, quod dicit Damas. dicendũ, quod hoc dicit, vt insinuet, quod Deus aliter genus humanũ multiplicare potuit; quod verũ est: vnde nõ dicit, quid faceret, sed quid facere posset. Quod aũt dicit, quod sciens Deus, quod præuaricaturi erant; fecit eos marẽ & fœminam &c. Dicendũ, quod hoc non dicit quod & si non essent futuri in præuaricationem, non fecisset eos tales: sed vt sic ostendat diuinam prouidẽtiam respectu euentus rei. Vnde hoc participium *sciens* secundum quod dicitur, Sed sciens Deus præcognitione sua &c. non est causale, id est, non connotat causam respectu actus, qui consequitur: sed simpliciter præstat consequentiam respectu actus consequentis. Vnde non est sensus, quia præsciuit hoc, sic fecit; sed sensus est: sciuit, quod caderent: & ordinauit quod casuri, nihilominus multiplicarentur secundum modum, secũdum quem multiplicant se, quæ sunt eiusdem generis in diuersitate sexus.

¶ AD illud Aug. quod concubitus non potuit esse, nisi mortalium. Dicendum, quod *mortale* dupliciter dicitur: vel quod est potens mori: vel quod habet necessitatẽ moriendi. Primo modo sumpto mortale, primi parentes in statu innocentiæ erant immortales: non autem secundo. Primo autem modo sumitur in autoritate Aug. vnde mortale dicitur ibi, quod est animale, cui cõgruit potestas generandi.

¶ AD illud, quod sequitur, scilicet quod spirituales animæ parentum non debuerunt voluptati carnali deseruire &c. Dicendum, quod in commixtione viri cum muliere, non esset voluptas carnalis, prout carnale sonat in vitium: quia (vt vult Aug.) in paradiso si non peccassent primi parentes, fuissent nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, & sine ardore libidinis, & labore pariendi.

¶ NOTA ergo, quod caro vno modo sonat in vitium, vt: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Alio modo naturam dicit, vt: *Nemo carnem suam odio habuit.* Et sic carnale dicitur dupliciter: vel vt sonat in vitium: vel in naturam. Prout sumitur primo modo, non poterant vacare voluptati carnali: prout secundo, potuerunt.

Ad Gala. 5. Ad Eph. 5.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. de superfluitate seminis. Dicendum, quod propagatio prolis de parentibus, non fit per decisionem seminis, quod quidem semen est totaliter de superfluo cibo: quod patet ex verbis sacrorum Doctorum ponentium totam posteritatem fuisse seminaliter, siue materialiter in primo homine. Dicit enim Aug. *Omnes fuimus in illo vno: quando fuimus ille vnus, qui per peccatum lapsus est.* Item, Ansel. *Tota in primis parentibus erat humana natura, & extra ipsos nil erat.* Et alibi in eodem Lib. *Poterat Deus de Adam, in quo semen omnium hominum creauerat, aliam facere mulierem, &c.* Veruntamen æstimo, quod caro prolis, quæ est secundum materiã, quodammodo originaliter est ex illo, quod est in semine de superfluo cibi. Et nota, quod duplex est superfluitas, sc. residuitatis, & impuritatis. Superfluitas autem residuitatis est in semine, & hoc modo superfluum est necessarium, scil. necessarium conseruationi speciei; superfluum tñ indiuiduo: necessarium, quia est principium quodammodo generationis: superfluum, quia nõ necessariũ ad nutriendũ. Et hæc superfluitas non sonat in vitium, sed est indicium cõpletionis naturæ; & perfectionẽ eiusdem attestatur, idem illud Philos. *tunc vnum quodq; perfectum est, cum potest attingere propria virtuti*: hoc est facere tale, quale ipsum est. Superfluitas impuritatis est in illis, quæ per organum egestionis, & alia, quæ deseruiunt purgationi naturæ, emittuntur, sicut reuma per nares, & vrina per membrum, emissioni illius deputatum, & sudor per poros corporis emittitur. Et hæc est in duabus differentijs. Quædam n. superfluitas venit ex debilitate virtutis contentiuæ & conuectiuæ; sicut reuma & sudor: & talis non fuit in primo homine in statu illo, & hoc propter essentiam virtutum naturalium existentium in illo. Quædam venit ex nutrimenti qualitate, & nutrimẽti puritate; qualis est quæ est egestionis & vrinæ, quæ fit per separationem puri ab impuro, & hæc fuisset in homine illo, si stetisset: sed non in illa immundicia & corruptione, in qua est modò, vt supratactum est: horum indicia sunt vasa intestina, & foramina, quæ sunt homini à sua natura prima conditione naturaliter deputata. Ex his patet, quod non omnis superfluitas sonat in vitium, sed potius in perfectionem, & complementum naturæ.

Aug. 11. de ciuit. Dei cap. 14. Anselm. de conceptu virginis. Idem.

Philosoph. 2. de anima 34. & 4. Metaph. 19.

¶ AD aliud, quod sequitur, sc. quod semen aut erat conueniens naturæ, &c. Dicendum, quod licet semen superfluum sit quantum ad nutritiuam, est tamen necessarium quantum ad generatiuam: & licet non conueniat naturæ, vt est saluans subiectum suum in se: conuenit tñ vt est saluans in suo simili: vnde natura non appetit illud retinere, sed vt in alio saluetur, in altero transfundere. Vnde separatio seminis nullo modo esset violenta, sed naturalis.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod non huiusmodi decisio esset via ad corruptionem. Dicendum, quod non est verum: decisio n. quæ est via ad corruptionem, est solum modo, vbi est separatio partis necessariæ ad salutem generantis in se, & quadam violentia facta, & sine sufficienti restauratione, quod non fuisset in statu illo.

¶ AD illud, quod sequitur, sc. quod non poterat esse commixtio viri cum muliere sine motu membrorum genitalium, &c. Dicendum, quod ante peccatum non esset motus huiusmodi, quia (vt vult Aug.) si conuenissent in statu illo, esset thorus immaculatus, & cõmixtio sine concupiscentia, & genitalibus membris ad procreationem prolis imperare potuissent, & sicut cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu vterentur. Et quomodo posset cognosci mulier in statu illo, & claustrum integritatis sine carnis fractione reserari: dictum est supra, vbi actum est de integritate primæ mulieris.

Aug. super Genes. ad litteram.

¶ AD aliud dicendum, quod sicut dicit Aug. super Gen. quod *sanis esset in officium, ægrotis in remedium.* Vnde ante peccatum matrimonium datum fuit in officium, post autem in remedium. Vnde quod Dominus dixit: *Faciamus ei adiutorium, &c.* non fuit propter necessitatem, quam habuit Adam: sed (vt dicit August. super Genes.) illud adiutorium fuit propter filios procreandos: sicut adiutorium semini est terra, vt virgultum ex vtroque nascatur. Vnde in officium procreationis data fuit Adæ vxor ante peccatum. Vnde bis fuit institutum matrimoniũ: semel ante peccá-

Q. 85. Mem. 4. Idem super eandẽ Genes. 2.

non est verum de delectatione curiositatis. Nec est simile de delectatione, quæ est in visu, & quæ est in tactu: quoniam visus delectatur in obiecto, quod est nobile; & magis accedit ad naturam spiritualē; similiter & auditus: & ideo in beatis delectatio visus potissime intenditur. Tactus vero delectatur in re magis grossa & materiali: ideo intensio suæ delectationis magis repugnat statui spirituali & magis reddit hominem carnalem & animalem, qualis est homo in statu miseriæ: & sic patet, quod illud non est simile. Ad illud, quod quæritur de verbo Magistri, dicendum, quod non intendit Magister dicere, quod non esset delectatio in coniunctione membrorum genitalium, sicut non est delectatio in coniunctione manus ad os: sed intendit, quod est similitudo in duobus, scilicet in hoc, quod vtrumque opus fieret in omnimoda obedientia voluntatis: & in hoc, quod in neutro accideret ardor libidinis. Et hoc patet ex verbis ipsius; & est id, quod vult Augustinus dicens: *In tanta felicitate hominum absit, vt suspicemur, non potuisse semen seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera & sine ardore & illecebroso stimulo.*

Aug. 14. de ciuit. Dei c. 16. tom. 5.

MEMBRVM III.

An primi parentes in statu innocentiæ coissent semper causa prolis habendæ tantum, vel interdum etiam delectationis capessendæ gratia?

SEQVITVR inquirere, Vtrum solum causa prolis habendæ fuisset maris & fœminæ commixtio: aut aliquando causa delectationis. Quod solummodo causa prolis, videtur sic. Matrimonium pro tempore innocentiæ solummodo institutum fuit in officium, dicit enim Augustinus: quod ægris datum est in remedium, datum fuit sanis in officium. Sed officium consistit in procreando prolem: ergo solummodo ad hoc erat in statu illo: si ergo mulier & vir non coniungebantur, nisi propter quod erat matrimoniū, videtur quod nunquam essent coniuncti, nisi propter prolis procreationem. ¶ Item, qui debitum petit in statu naturæ lapsæ præter intentionem prolis procreandæ; vt pote causa delectationis; peccat: saltem venialiter: nec hoc impedit natura corrupta, ad hoc violenter prouocatiua: multo fortius tunc conuenientes delectationis causa: sed tunc non poterant peccare venialiter; ergo peccassent mortaliter: & sic caderent à statu innocentiæ. ¶ Item, delectari in aliquo propter se, est frui illo: quia frui est amore inhærere alicui propter se: frui autem creatura, est vtendo frui; quod est peccatū. Si ergo primus homo causa delectationis, non causa prolis procreandę vxorem suam cognouisset, ea frueretur: quod fieri non posset sine peccato. ¶ Præterea, videtur quod in qualibet coniunctione esset procreatio fœtus, sic: nunquā homo comedisset, quin ex illa comestione sensisset refectionē: nec vnquam nutritiua in suo actu priuata fuisset proprio effectu: ergo pari ratione nec generatiua in suo actu priuata fuisset debito fructu: sed fructus eius est proles: ergo &c. ¶ Item, in statu illo non esset priuatus debita intentione, nec intentio debito fine: priuatio enim intentionis rectæ non est sine culpa: priuatio vero vtilitatis intentæ non est sine pœna: neutrum autem istorum poterat esse in statu illo: cum ergo finis actus generatiuæ est procreatio prolis: relinquitur quod nunquam caruisset illa.

Aug. 9. super Gē. c. 7.

¶ CONTRA, appetitus coeundi non erat tunc libidinosus, sed naturalis: ergo sicut necesse fuit præuenire appetitum nutritiuę, scilicet famem & sitim: ita & appetitum generatiuæ: ergo non oportuit semper coire causa prolis: sed causa præueniendi appetitum, ne degeneraret in deordinationem. ¶ Item, cum ille appetitus sit generatiuæ, esset naturalis: videtur quod sicut appetitus alimenti non esset subiectus semper libero arbitrio in statu illo: sic nec appetitus ille: ergo semper fluxisset sicut & iste, nisi præueniretur: si semper fluxisset, & non esset subiectus libero arbitrio; prouocasset aliquando ad opus causa delectationis, & non semper causa prolis. ¶ Item, vis nutritiua semen administrat: ergo cum homo continue nutriretur, humor seminarius generatiuæ administrabatur: ergo vel oportebat hominem extra ordinem pollui, vel naturam grauari extensione seminis: vel aliquando mulierem cognoscere, quando non esset apta generare: vt pote quando esset grauida: si ergo duo prima sunt inconuenientia: restat tertium; scilicet quod vxorem aliquando cognouisset, quādo prolem non procreasset. ¶ Si autem diceretur, quod in statu naturæ institutę nō fieret huiusmodi multiplicatio humoris seminarij. Hoc non videtur verum, quia ex quo nutritiua semper ministraret humorem huiusmodi, cum non esset subiecta rationi, non videtur quod illius cessasset augmentum. ¶ Item, sicut comedere est actus naturalis, ita & coire: sed homo naturaliter appetit comedere, non solum in statu naturæ lapsæ, sed etiam institutæ: ergo pari ratione naturaliter appetebat coire: sed homo tempore naturæ institutæ debebat naturæ satisfacere, cum natura esset ordinata, & ordinate appeteret; alioquin pœnam sentiret: ergo videtur, quod siue mulier posset concipere, siue non; vir præter necessitatem prolis generandæ, aliquando mulierem cognosceret.

¶ ITEM, Ponatur quod Adam cognosceret vxorē suam prægnantem: quæro aut peccaret, aut non. Si non, ergo non erat necesse, quod in omni coitu generaret. Si sic: contra sanctius erat tunc matrimonium, quam tempore naturæ lapsæ: & æque magnæ, vel maioris efficaciæ: sed nunc propter bonum matrimonij excusatur coitus à culpa, etiam quando nulla est prolis generandæ necessitas: ergo videtur quod multo fortius tunc. ¶ Item, non erat maior inordinatio in contactu illorum membrorum, quam in admouendo manum ad os: sed manus admoueri potest ad os sine aliquo peccato, etiam præter necessitatem: ergo videtur, quod Adam potuit cognoscere vxorem suam absq; peccato, & præter necessitatem prolis generandæ.

RESOLVTIO.

Adam in statu primo nunquam cum Eua, nisi causa prolis coisset: quia non nisi ordinate eam cognouisset.

¶ RESPON. Dicendum, quod vir in quolibet actu, quo cognouisset vxorem, suscepisset ex ea prolem: ratio huius est, quia congruentia ordinis exigebat, & perfectio virtutis ad hoc sufficiebat. Exigebat namque hæc duplicis ordinis congruentia, siue virtutis generatiuæ ad rationem, & vtriusque ad suum finem. Vis enim generatiua ordinem habebat ad rationem: ordinem (inquam) perfectæ subiectionis: & ideo in actum non exibat nisi secundum quod ratio dictabat, ratio autem recta & ordinata dictabat, nulla re esse vtendum, nisi ad id, propter quod est: & quia vis generatiua data fuit homini ad prolis multiplicationē, ideo recta ratio nunquam dictaret, & vis generatiua nunquam exiret in actum, nisi propter prolis generationem: hoc enim congruentia ordinis exigebat. Perfectio autem virtutis aderat, quæ ad hoc sufficiebat: quia enim vis generatiua in viro ad generandum erat potens & sufficiens; nec habebat impedimentum: similiter & in muliere pro suo loco & tempore: ideo cum ordinate cognouisset vir vxorem; semper ex ea prolem susciperet, propter exigentiam duplicis ordinis, & sufficientiam duplicis virtutis, scilicet generantis & suscipientis: nec coissent in statu illo, nisi causa prolis; nec causa delectationis, nec causa præueniendi fluxum appetitus.

¶ AD illud, quod primo obiicitur contra hoc, dicendum, quod licet appetitus generatiuæ fuerit naturalis, non oportuit illum præueniri: quia omnino fuit sub obedientia rationis rectæ. Similiter non fuit de appetitu nutritiuæ: & ratio huius est, vt dicūt aliqui, quod appetitus nutritiuæ dependet à natura eorum, quæ concurrebant ad esse: sed esse alicuius creaturæ non subiacet eius arbitrio: similiter nec natura eorum, quæ ad esse requiruntur: quia ergo appetitus nutritiuæ dependebat ab illis, quæ requiruntur ad esse, non subiacebat arbitrio illius, cuius erat. Sed quod hæc ratio nulla sit, videtur: quia nutritiua non data fuit creaturæ ad hoc, quod per illam haberet esse; sed ad hoc per illam saluaretur siue conseruaretur in esse: conseruatio proprij esse subest arbitrio eius, cuius est: sicut productio consimilis in esse. Præterea cum ipsa generatiua in statu illo erat omnino ordinata, sicut etiam nutritiua; & de natura sibi indita habuit posse regendi se in omnimoda ordinatione: quæ fuit necessitas, vel congruentia; quare

omnino debuit subesse imperio liberi arbitrij, magis quã nutritiua. Dicendum, quod (sicut dictum est) nutritiua non subiacet imperio liberi arbitrij, sicut generatiua: præsente n. nutrimento, ipsa nutritiua assurrexisset in actum, vel opus proprium; siue vellet, siue nollet liberum arbitrium: sed præsentibus personis aptis ad coeundum, imo etiam coniunctis membris genitalibus non assurrexisset generatiua in actum sine cõsensu liberi arbitrij. Vnde Ansel. *Cum Deus fecit Adam, fecit in eo naturam propagandi; quam subiecit eius potestati, vt ea pro sua voluntate vteretur, quamdiu ipse vellet subditus esse Deo.*

Ansel. de cõceptione Virginis.

¶ Ad euidentiam autẽ quæsitorum, nota quod in primo homine vires inferiores erant subiectæ rationi: & hoc propter duplicem ordinem conseruandum. Debuit enim homo ordinari in se, & in finem. Propter ordinem in se oportuit vires inferiores subdi rationi: sicut minus nobile magis nobili, & inferius superiori. Propter ordinem in finem, quia ille solus actus est meritorius, qui est voluntatis, vel à voluntate imperatur. Vt ergo voluntas non tantum mereretur in actu suo, sed etiam in actibus virium inferiorum; debebant vires inferiores eis subijci, secundum quod poterant saluo iure naturæ. Inter vires autem partis vegetatiuæ magis subiecta fuit generatiua: quam vegetatiua: cuius multiplex est ratio. Vna sumitur ex parte eius ad quod sunt: nutritiua n. erat ad cõseruandum hominem in seipso: generatiua ad multiplicandum & conseruandum in simili: & sic nutritiua ordinabatur ad conseruationem esse proprij. Et quia naturalis appetitus maximè tendit ad conseruationem esse, & esse proprij, magis quam alieni: cum natura sit recurua; hinc est, quod appetitus & opus nutritiuæ magis erat secundum modum naturæ. Et quia natura determinatè mouet ad vnum: potestas vero rationalis se habet ad opposita: hinc est, quod cum appetitus & opus nutritiuæ magis sequerẽtur imperium naturæ, quam opus generatiuæ, quod minus poterat subijci imperio rationis; econtra generatiua magis, quia erat ad multiplicandum & conseruandum in simili; & ita ordinabatur ad alterum, vt ad complementum numeri electorum; & per hoc ad bene esse: talia autem habent esse sub regimine rationis: hinc est, quod generatiua magis erat subiecta. Item, alia ratio est congruentiæ: quia sc. generatiua ordinatur ad effectum dignissimum, sc. ad generationem similis (homo n. generat hominem) ideo dignum est, quod actus illius potentiæ subiaceret ei, quod est in homine dignissimum, sc. rationi. Alia ratio est: in actu generatiuæ est quidam motus membrorũ organizatorum in coniunctione coeuntium, qui reducitur ad motum progressiuum: & ideo cum motus progressiuus in ratione vtentibus ortum habeat à ratione, siue ab intelligẽtia practica; sicut vult Philosophus: in primo homine, qui perfectè ratione vtebatur vel regebatur, debuit subdi opus membrorum genitalium rationi; sicut motus manuum, & aliorum membrorũ. Item, alia est: quia nutritiua est in attrahendo alienum, quo indiget: sed generatiuæ actus consistit in percipiendo aliquid, quo non indiget: imo quo abundat: & ita quodammodo detrahitur esse magis in actu generationis, quam nutritionis: & ideo ne fiat excessus in huiusmodi detractione, actus huiusmodi potentiæ magis debuit regi ratione, quam actus nutritiuæ. ¶ Item, alia ratio est quia licet actui generatiuæ videantur sola membra genitalia deseruire: omnia tamen membra corporis ei deseruiunt, vel delegando semen; vel delegando virtutem, vt ex semine, cooperante virtute, producatur corpus perfectè organizatum: & ideo cõueniens erat, vt vis illa subderetur eius regimini; quod debeat habere dominium in toto corpore in statu naturæ institutæ magis quam vna aliarum potentiarum minus generalium: propterea magis debuit generatiua subdi rationi, quam nutritiua: nutritiua n. magis famulatur, quam recipiat famulatum: verum tñ & ipsa secundum quod recipit famulatum à manu & ab ore, quorũ ministerio intromittitur alimentum, subiacebat imperio rationis. Et sic patet quod & vis vtraque, imo & omnes debuerunt subiacere rationi in primo homine: magis tamen generatiua debuit esse subiecta, quam nutritiua, multiplici congruentia hoc exigente.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod quærebatur consequẽter, sc. cum ipsa generatiua esset omnino ordinata, quæ esset necessitas, vel congruentia, &c. ¶ Similiter patet responsio ad illud, quod sequitur, sc. quod sicut appetitus nutritiuæ, eo quod esset naturalis, non esset subiectus rationi: nec appetitus generatiuæ, cum esset naturalis: quia alia est ratio subiectionis huius, & illius: vt ex dictis patet. ¶ Ad illud, quod obijcitur; quod nutritiua semper deseruiret generatiuæ, &c. Dđm, quod ita esset natura ordinata, vt nunquã de cibo sumeret, nisi adeo tẽperatè, quod superfluitas digestionis illius, quæ semen dicitur, non esset sufficienter coadunata, quousq; veniret hora debita generandi. Adam enim in statu illo posse suæ naturæ cognouisset, & sufficiẽtiam alimenti; & tempus ac horam, quando generare debuisset: & ita viueret modestè & sobriè, quod nec ad superabundantiã, nec ad indigentiã declinaret. ¶ Ad aliud quod obijcitur: quod naturaliter oportet coire, sicut comedere, &c. Dđm, quod non est simile, quia actus comestionis ordinatus est ad salutem indiuidui, vel per restaurationem deperditi, vel per præuentionem deperditionis ad conformitatem speciei, & multiplicationem similis: naturalis autem appetitus maiorem habet inclinationem ad conseruationem sui in proprio subiecto, quam in consimili: & ideo non sic esset appetitus naturalis ad coitum, sicut ad cibum; nec ita contrarius, nec ita frequens. Si enim in viris castis (etiam tempore naturæ lapsæ) nõ sic est inclinatio ad coitum, sicut ad cibum: multominus nec esset in Adam: quod aũt intenditur appetitus vis generatiuæ; hoc potius est corruptionis naturæ quam institutionis primæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod si cognosceret prægnantem, non peccaret, &c. Dicendum, quod prægnans non posset cognosci sine deordinatione; vel quæ sit, vel quæ videtur: & quia in statu innocentiæ deordinationẽ timere non poterat: quia non erat in illo titillatio, vel pruritus: ideo si tunc cognouisset, ex quo sciret se inutiliter cognoscere, inordinatus fuisset, & ita peccasset. Nec est simile, quod inducitur de matrimonio in statu naturæ lapsæ: quia non solum est in officium procreandæ prolis, sed in remedium vitandæ fornicationis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod non esset ibi maior deordinatio, quam in admouendo manus ad os, &c. Dicendum, similitudo illa attenditur quãtum ad hoc, quod vtrumque membrum rationi subiacebat, vt supra dictum est. In hoc tamen dissimilitudo est: quia magis oportebat actum illum ad finem debitum ordinare; quam qualemcunque motum manus vel pedis, propter determinationem actus illorum membrorum ad procreationem prolis: vsus autem manus, vel pedis non est ita determinatus: & ideo non oportuit cum tanta discretione exerceri.

¶ Ad illud, quod obijcitur pro alia parte, scil. quod delectãs in vxorem suam causa delectationis, peccat mortaliter. Potest dici, quod duplex est delectatio; sicut & appetitus, naturalis, sc. & voluntaria. Delectatio quidem naturalis, quæ est scilicet ex appetitu, siue amore naturali, nullo modo est fruitio, nec meritoria, nec demeritoria: sed illa solum, quæ est ex amore voluntario, & non voluntaria: talis autem delectatio si appetitur propter se, id est, solummodo causa sui, id est, ipsius delectationis, ita quod nulla habeatur consideratio nisi ad ipsam: tunc sortitur rationem fruitionis. Verbi gratia, iste appetit delectari in vxore sua: nec attendit quod licitum est sibi illam cognoscere; sed solummodo quærit in illa delectationem: & etiam si sua non esset, idem quæreret: hæc delectatio fruitio interpretatur, & est peccatum mortale. Si autem quæret in ea delectari, considerans quod sua est; non quærens solum delectationem, sed delectationem, in sua: nec aliter quæreret: huiusmodi delectari non est frui. Adam vero in primo statu si appetiuisset delectari in sua, quia huiusmodi appetitus & delectatio fuisset voluntaria, peccasset.

MEM-

MEMBRVM IV.

An in prædicto primo statu licitum fuisset primis parentibus continere.

SEQVITVR inquirere. Vtrum illicita fuisset continentia, siue cessatio à commixtione carnali. Quod sic, videtur: sicut habetur ab Augustino: *Matrimonium datum fuit sanis in officium, scilicet multiplicandæ prolis*: sed vt habetur ab eodem Augustino: *Officium est congruus actus vniuscuiusq; personæ secundum instituta Dei*: ergo secundum diuinam institutionem erant primi parêtes conditi, vt genus suum multiplicarent ad cultum Dei. Si autem multiplicatio fieri non posset, nisi per carnalem commixtionem; contra diuinam institutionem esset continentia primorum parentum: ergo illicita fuit eorum continentia.

August.
Aug. super Gen. ad lit.

¶ Item, Dominus dedit præceptum primis parentibus de prolis multiplicatione: *Masculum & fœminam creauit eos, benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Ibi Gloss. Aug. *Multiplicatio hominum coniunctione maris & fœminæ perficitur: negligere autem præceptum Domini, vel contra ire est illicitum*: ergo &c.

Genes. 1.
Glossa
August.

¶ CONTRA, Temperantia omni tempore fuit virtus: ergo in omni tẽpore habenda: sed continentia à coitu continetur sub Temperantia: ergo &c. ¶ Item, quanto status alicuius est nobilior & excellentior, tanto magis de bono & æquo incumbit ei obseruantia virtutum: & hoc quantũ ad omnes species & differentias virtutũ. Sed status ille nobilior erat, quam status naturæ lapsæ: ergo magis incumbebat existẽtibus in statu illo perfecta obseruantia virtutum, quantum ad omnes illarum species: sed continẽtia est species temperantiæ; vt dictum est: ergo &c. ¶ Si diceretur, quod tenebantur coire, quia Dominus præceperat illis: *Crescite, & multiplicamini* &c. Contra. Magister: *Deus nondum iusserat, vt coirent: & poterat diuina expectari autoritas, vbi concupiscentia non angebat.* Similiter dicit Aug. *Potest dici quod nunquam Deus iusserat, vt coirent. Item, supposito quod præceptum Domini erat datum de multiplicatione prolis, quæ non poterat fieri nisi per coitum, propter quod continere esset contra præceptum Domini.* Contra, Abel secundũ Aug. mortuus est in virginitate: & ex hoc commendatur à perfectione iustitiæ: *A sanguine Abel iusti* &c. vt enim habetur ab Aug. à triplici commendatur iustitia, scilicet sacerdotij, virginitatis, & martyrij: quãtum ad quæ etiam perfecte gessit typum Christi; dicit enim sic: *Tota iustitia, hæc est virginitas, sacerdotium, & martyrium; quæ triplex iustitia in Abel primo fuit: qui etiam munera Deo placita obtulit prosapiam generis non dereliquit, & martyrij coronam sanguinis effusione promeruit.* Ex quo patet, quod stante præcepto de multiplicatione prolis, continentia virginitatis licita fuit, immo grata. ¶ Item, currente lege naturæ aliquis de perfectiorib. sicut Abel finaliter fuit virgo, & ex hoc commendatur, vt ex dictis patet. Similiter currente lege scripta, sicut Helias, qui vixit in virginitate: sicut dicit Hiero. similiter B. Virgo: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco*, id est, cognoscere non propono. ¶ Item: *Volo omnes homines sicut meipsum*, id est, castos, dicit Gloss. *Ex quibus videtur, quod illud præceptum de multiplicatione prolis non cogebat.* ¶ Item, super illud: *Despondi vos vni viro virginem castam. Hæc virgo casta ecclesia est*, vt dicit Gloss. & dicit Aug. *Absit, vt membris prohibeatur virginitas: cum sponsæ conceditur*: sponsam vocat corpus Christi mysticum: sed Adam fuit de corpore: ergo illi non fuit prohibita virginitas.

Genes. 1.
Magist. 2. sen. dist. 20
Aug. 9. super Genes.
Idem.
Matth. 23.
Lib. 1. ca. 3.
Aug. lib. de mirabilib. sacræ scrip.
Hieronym contra Iouinianum.
Lucæ 1.
1. Cor. 7.
Glossa.
1. Corin. 11.
Glossa.
August.

¶ ITEM, Augustinus videtur velle, quod alius modus fuit tunc conueniens siue possibilis propagationis ex viro & muliere, quam mediante copula carnali, scilicet per affectum charitatis; dicit enim sic super Genes. 3. ad literam: *Illud, quod dictum est, Crescite & multiplicamini, & implete terram; quanquam nisi per concubitum maris & fœminæ fieri posse videatur (vnde hoc quoq; mortalium corporum extitit indicium) potest tamen dici alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, vt solo piæ charitatis affectu nulla corruptionis concupiscentia filij nascerentur.* Ex hoc videtur, quod nulla fuit necessitas coeundi in statu illo. ¶ Item, potest quæri, si fuit præceptum, nec videtur quod adhuc fuerit reuocatum; ergo adhuc est continentia (saltem ill[illegible] est ex voto) illicita. Si autem dicitur, quod sit reuocatum, quæritur quando.

Aug. super Gẽ. 3. ad lit.

RESOLVTIO.

Continentiam seruare nequaquam primis parentibus in primo statu licuisset: siquidem ex eis humanum genus totum deducendum erat, quod aliter quam per carnis commixtionem fieri vix poterat.

¶ RESPON. Ad solutionem prædictorum notandum, q; circa statum virginitatis plura sunt attendenda. Vnum est carnis integritas: hæc aũt nullo tempore fuit meritoria per se, quia neq; virtus, neq; actus virtutis. Vnde Aug. *Continẽtia non corporis, sed animæ virtus est.* Vnde Mat. 25. legitur de talibus quod fuerunt reprobatæ. Aliud est propositum cõseruandi carnis integritatem: hoc fuit meritorium in tempore aliquo, in tempore alio nõ meritorium, imo illicitũ, sc. tempore naturæ institutæ. Cum n. Dominus creasset primum hominem, qui erat principium omnium; sicut in quo erat seminarium totius suæ posteritatis: & dederat illi præceptum de multiplicatione sui generis, quæ fieri non poterat nisi per commixtionem maris & fœminæ: & hæc illum non latuerunt (Bene n. sciuit, quod ex ipso & muliere, data sibi in adiutorium, debebat genus humanum propagari: vnde vocauit vxorem suam Heuam: *eo quod mater esset cunctorum viuentium*. Gen. 3.) nullo modo poterat simpliciter continere, nisi fieret præuaricator diuini præcepti, & neglector voluntatis eiusdem. Similiter tempore legis naturæ & legis scriptæ continentia generalis fuit illicita; dispensatione tamen licebat alicui personæ continere. Tempore aũt legis gratiæ fuit licita & meritoria: propter quod multi castrauerunt se propter regnum cœlorum tempore illo. Matth. 19. Tertiũ est habitus generalis ad omnes modos continentiæ, qui attenditur in voluntate & detestatione omnis coitus illiciti: & istud ratione sui generis, sc. cõtinentiæ virtutis est: iste habitus sine voluntate habentis auferri nõ potest: sicut potest carnis integritas. Vnde Aug. *De pudicitia vero quis dubitauerit, quin ea sit in ipso animo constituta, quando quidem virtus est: vnde à violento stupratore nec ipsa eripi potest.* Patet ergo, q; continentia à carnali cõcubitu in statu primo non erat virtus: nec actus virtutis, neq; propositum continẽdi: non n. fuisset circa bonũ, neq; circa difficile, circa quæ est virtus. Licet n. in statu illo virtus sine actus virtutis non fuisset circa difficile, fuisset tamen circa bonum: continentia autem tempore illo non fuisset aliquo modo bona; cum in nullo ordinasset in finem; sed potius auertisset à fine: quia induxisset præuaricationem præcepti Dei, & voluntatis eiusdem deformitatem. ¶ Ex his patet, quomodo ad duo obiecta prima respondendum est: continentia n. à coitu attenditur penes voluntatẽ omnis illiciti coitus: coire aũt cum sua, tunc nullo modo erat illicitũ: neq; eo modo quo dicenda sunt illicita mortalia, neq; illo modo quo venialia: tum quia thorus erat immaculatus, & absq; omni motu illicito: tum propter fructum prolis generandæ ad cultum Dei. ¶ AD illud, quod obijcitur per Aug. & Magistrum in Sent. quod Dominus nondum iusserat, vt coirent, &c. Dicendum, q; hoc intelligitur quantũ ad specificationem actus determinati in tempore, hoc est, non determinauerat eis tempus, quo debebant coire, sed in generali dederat illis præceptũ, quando dederat eis præceptum de generis sui multiplicatione. Gen. 1. Vnde habebant in præcepto, vt aliquando coirent; non autem vt coirent tunc vel tunc: vnde non peccabant ex hoc quod non statim coierunt; sed peccassent, si nunquam coissent.

Aug. de bono coniug.
Matth. 25.
Genes. 3.
Heua, viua, vel viuens interpretatur.
Matth. 19.
Aug. lib. de libero arbi
Genes. 1.

¶ AD hoc, quod obijcitur de virginitate Abel. Dicendũ, q; si semper vixisset, iniisset coniugium, & non permansisset in virginitate. Vnde Aug. *Si longiore tempore, vt Enoch maneret, sine vlla dubitatione coniugium iniret: quippe qui in tempore illius legis viueret, quæ dicit. Crescite & multiplicamini, & si illud mandatum impleret, profecto nequaquam virgo esset.* ¶ Si autem quæritur, quare commendatur à virginitate: ex quo causa virginitatis in ipso erat mortis acceleratio: si n. diu vixisset, vxorem duxisset. Dicendum, quod hoc est: quia totius iustitiæ forma in eo seruabatur: quantum tamen ad hoc quod virgo fuit, commẽdatur magis ex præfiguratione virginitatis saluatoris, quã ex actu continentiæ à coitu. Vnde Aug. *Recte competebat, vt qui primus in terra iustus eligitur, in eo totius iustitiæ forma seruaretur: cumq; primo in hominibus post*

Aug. de mirabilibus sacræ script.
Idem de iisdem.

delictum figuram gestare conceditur saluatoris, qui virgo, & martyr, & Sacerdos esse videtur. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in omni statu, siue tempore aliqui de perfectioribus continebant: propter quod videbatur, quod præceptum de prolis multiplicatione non cogebat. Dicendum, quod hoc fuit ex speciali dispositione, & dispẽsatione Dei. Sicut n. tactũ est, conueniebat quod Abel in virginitate conseruaretur: quia primus iustus fuit, in quo totius iustitiæ forma fuit conseruanda, vt qui fuit principiũ Ecclesiæ iustorum. Ab Abel aũt dr incepisse Ecclesia iustorũ, sicut Ecclesia malignantiũ à Cain: & ratio huius est, quia q̃uis Adam fuerit primus iustus, tñ si propter hoc ab ipso diceretur incipere Ecclesia iustorũ: tunc eodẽ modo cum ipse fuerit primus homo peccator, deberet dici, quod ab ipso incepit Ecclesia malignantium: sed hoc non erat decens, vt ab eodẽ diceretur incipere Ecclesia vtraque. Et ideo rectè distinguuntur duo; vt ab eo qui nunquam fuit iniustus, sed iustus, primo inciperet Ecclesia iustorum: cuiusmodi fuit Abel: & econtra ab eo, qui finaliter fuit malus, similiter inciperet Ecclesia malignantiũ: cuiusmodi fuit Cain. Hac ergo ratione cõueniebat, vt in eo totius iustitiæ forma seruaretur; quia ex diuina dispensatione & dispositione facta est. Similiter de Helia, & alijs viris sanctis in lege, sicut de Heliseo; & si qui alij erant, qui continebant currente lege scripta, dispositione & dispensatione diuina, sc. vt figura essent futurorum. Vnde Hier. *Obsecro te lector, & id ipsum sæpe commoneo, vt me scias, quæ loquor, necessitate ducere; nec detrahere ijs, qui in lege præcesserunt, sed seruasse eos temporibus & conditionibus suis: & illam Domini implesse sententiam: Crescite & multiplicamini & replete terram: & quod bis maius est futurorum typos probasse. Nobis aũt, quibus dicitur tempus iam collectũ est; superest, vt & qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant, aliud præcipit & virginitatem à saluatore virgine dedicari: Heliam & Heliseum quã plurimos post eos in catalogo martirum, me tacente, notum est. Si n. Ioan. venit in spiritu & virtute Heliæ, & Ioan. virgo est: vtique non solũ in spiritu eius venit, sed etiã in corporis castitate. B. aũt Virgo non solum virgo fuit quantum ad carnis integritatẽ, sed quantum ad mentis sanctitatem: & hoc diuina inspiratione.* Præterea, illud præceptum de multiplicatione erat affirmatiuum: præceptum affirmatiuum non ligat ad semper, neque secundum omnem conditionem & circũstantiam: sed pro loco, & tempore, & circumstantijs alijs debitis: & maximè prout cadit sub intentione illius, qui dedit. Præceptum aũt illud datum fuit ad multiplicandũ genus humanum: vnde quia præceptum illud datum fuit generaliter omnib. non distinctè huic, vel illi, exceptis primis parentib. existente numero sufficiente ad huiusmodi multiplicationem expeditè faciendam, nulli singulariter prohibebant non tenere virginitatẽ. Licet n. aliquis contineret, erant tñ alij, per quos poterat genus humanum multiplicari. Sed tunc demum teneretur quilibet illi præcepto, cum videret alium deesse, per quem præceptum illud posset impleri: quilibet n. tenebatur ad hoc, vt illud præceptum nõ remaneret incompletũ, etiam per seipsum: si videret quod per alium non posset impleri: aut quod Dñs aliter non disponeret. ¶ Ad aliud, quod nulli membro erat castitas prohibita, &c. Dicendum, quod hoc verum est de castitate fidei: non aũt de castitate carnis. Ecclesia n. non est virgo per integritatẽ carnis, sed fidei; ut intelligitur verbum Aug. sc. illud. *Absit vt à membris prohibeatur castitas, aũ sponsa conceditur*, loquitur n. de prohibitione virginitatis fidei. ¶ Ad illud, quod dicit Aug. super Gen. 3. Potest dici, alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, vt solo puræ charitatis affectu, &c. quod Aug. exponit modũ aliũ posse fuisse à Deo: vnde dicit, quod potuisset fuisse: nõ quod cõueniebat: conueniebat n. vt mulier de viro formaretur: & de illis duobus humanum genus propagaretur, propter rationes tactas. ¶ Ad illud, quod quæritur de renouatione præcepti de multiplicatione prolis. Dici pot, quod illud præceptum, *Crescite, & multiplicamini*, non solum datũ [illegible] multiplicationem prolis carnalis, [illegible] spiritualis. Vnde sicut in primo statu melior fuit [illegible] coniugalis, quam virginalis propter paucitatem [illegible], sic post sufficientem hominum multiplicationem [illegible] erat necessitas multiplicare filios spirituales, quam carnales. Vnde Hugo. *Pro tempore illo apud Deum excellit virginitas: quia cum ad impletionem numerum sanctorum largissima suppetat copia: libido sibi nunc non vendicat, quod iam suscipiẽdæ prolis necessitudo non postulat.* Et ita virginitas melior: propter quod conueniens fuit, vt præceptum illud quantum ad multiplicationem prolis carnalis reuocaretur.

Hieron. in libro contra Iouinianum.

August.

Gen. 1.

H. go.

¶ Nota ergo, quod præceptum illud erat multipliciter, & multis locis reuocatũ, sc. præfiguratione, id est, præfigurata fuit eius reuocatio: & hoc ante legem, sc. in virginitate Abel, in qua fuit præfigurata virginitas Christi, vt habetur ab August. in verbo supradicto. Et in lege, sc. in virginitate Heliæ, in qua præfigurata fuit virginitas Ioannis Baptistæ: vt patet ex verbo Hieron. supradicto. Fuit etiam reuocatum inspiratione, sc. in virginitate B. Virginis, & Beati Ioan. Baptistæ. Fuit etiã reuocatum exemplo, sc. in virginitate Christi, qui fuit forma viuendi perfectis. Vnde *Perfectus aũt omnis erit, si sit sicut magister eius.* Fuit etiam reuocatũ doctrina Christi. *Dicunt ei discipuli eius, si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere: qui dixit eis,* &c. Supra quod Hieron. contra Iouinianum, Apostoli vxoris onere contẽplato, si talis est (inquiunt) causa hominis cum vxore, non expedit nubere: quorum Dominus sententias probans, rectè quidem sentitis, ait: quod non expedit homini ad regna cœlorũ tendenti, accipere; sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud: verum quibus datum est. *Et sunt Eunuchi, qui castrauerunt se propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat.* Hieron. *Mihi illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas: libenter eos recipio in meos sinus, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, & ob meum cultum voluerunt esse, quod nati sunt.*

August. de mirabil. sacræ scripturæ.

Lucæ 6.

Matth. 19.

Matt. cap. eodem

Hierony. contra Iouinianum.

QVÆST. LXXXIX.

De prole propagata in primo statu.

In quatuor Membra, & in tres Articulos diuisa.

DETERMINATO de modo, siue de via propagãdi, id est, de coitu primorum parẽtũ, sequitur de ipsa prole propagata, Vnde intentio huius partis est determinare, quales liberos genuissent primi parentes, si non peccassent, & posteri eorum. ¶ Primo ergo quæritur, quales liberos genuissent quantum ad iustitiam. Secundo quales quantum ad scientiam. Tertio, quales quantum ad virtutem corporalem. Quarto quantum ad sexum.

D. Thom. 1. par. q. 100. Scot. in 2. d. 19. q. 2.

MEMBRVM I.

Quales liberos genuissent primi parentes quo ad iustitiam, si non peccassent?

CIRCA primum, quo quæritur: Quales liberos genuissent primi parentes quantum ad iustitiam, quærũtur tria. Primum est, si geniti in statu illo, essent hæredes paternæ iustitiæ quantum ad iustitiam originalem. Secundum est, si quantum ad iustitiam gratuitam. Tertium est, quantum ad iustitiam confirmatam.

ARTICVLVS I.

An geniti in statu innocentiæ hæredes fuissent originalis iustitiæ?

QVÆRITVR ergo primo, si essent hæredes originalis iustitiæ. Quod sic, videtur per hoc, quod ex merito obedientiæ eorundem si stetissent, genuissent alios hæredes iustitiæ parentum: quia si oppositum de opposito, & propositum de proposito. ¶ ITEM, Ansel. *Si Adam nequiuisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam suam producere, nequaquam posset eis iniustitiam transmittere.* ¶ ITEM *Dedit Deus Adam hanc gratiam, vt sicut quando illum condidit nulla propagandi operante natura, aut voluntate, simul fecit eum, & rationalem, & iustum: ita simul cum rationalem haberent animam, iusti essent; quos generaret, operante natura & voluntate, si non peccaret.*

Ansel. de cõceptione Virgi. cap. 24. Idem c. 10. eiusdem libri.

ITEM, Nihil est medium inter iustum & iniustum in hominibus: sed Adam si stetisset, non genuisset filios iniustos: ergo

ergo genuisset filios iustos, scilicet naturali iustitia. ¶ Item, cum minimum bonum est maius bonum, quam maximum malum est malum: videtur, quod non minus debuit remunerari meritum obedientiæ primorum parentum, sed magis, quam inobedientiæ demeritum puniri: sed inobedientiæ demeritum fuit punitum transfusione iniustitiæ paternæ: ergo &c.

Hugo li. 1. de Sacram. par. 6. c. 13. circa medium & 24 ¶ CONTRA, Hugo: *Si primus homo tempore obedientiæ suæ casto coniugio ad propagationem posteritatis institutioni diuinæ deseruiens, filios generaret sine peccato quidem: quoniam ex natura ab omni vitio libera: sed non similiter paternæ iustitiæ hæredes.* ¶ Item, impossibile est fieri transfusionem alicuius proprietatis; nisi per transfusionem, siue traductionem subiecti illius vel causæ: (causæ dico propter transfusionem originalis peccati, quod transfunditur à parentibus in prolem per traductionem carnis corruptæ, quæ est causa ipsius peccati originalis) ergo cum in generatione prolis non sit traductio subiecti, vel causæ originalis iustitiæ, nullo modo potest esse transfusio originalis iustitiæ à parentibus in prolem: subiectum autem originalis iustitiæ est ipsa anima, quæ non est ex traduce. ¶ Item, anima Adæ nullo modo poterat efficere peccatum in anima pueri geniti ab eo: sed quia persona Adæ corrupit naturam in eo; quę natura non erat eius solummodo, vt erat singularis personæ, sed vt erat generalis; ex transfusione illius naturæ corruptæ corrupta erat natura pueri: & hoc ratione qua aliquid erat commune patri & proli. Si autem natura, quæ erat in puero, non esset cum suo vitio traducta à patre, nulla fuisset corruptio in puero. Si ergo nihil, quod erat commune patri, & proli, erat subiectum gratiæ, vel causæ: ergo &c.

RESOLVTIO.

Anselmus affirmatiuam, Hugo negatiuam partem sustinet, tu quamuis elice, & insectare.

¶ RESPONSIO. Potest dici secundum Anselmū, quod si stetissent primi parentes, quod genuissent filios hæredes paternæ iustitiæ, quantum ad iustitiam originalem: sicut patet ex verbis eius supradictis. ¶ Ad illud, quod dicit Hugo: quod non genuissent filios, paternæ iustitiæ hæredes. Dicendum, quod hoc intelligitur sic: paterna iustitia non descenderet ad eos hæreditarie: illud autem dicitur descendere hæreditarie ad filios, quod filij habent à patre domino & possessore iure filiationis: illi autem filij non hæreditarent bona gratuita à patre, vt à domino & possessore illorum: sed potius à gratia conditoris. Vt enim haberi potest ex verbis Anselmi, in hoc ostendebatur magnitudo bonitatis Dei, & plenitudo gratiæ illius, quod qualis erat primus homo iustitia & felicitate, tales propagaret: nec hoc est, quia ex sola propagatione essent tales, sed quia propagati, dono Dei essent tales: omne enim donum gratuitum faciens gratum, immediate est à Deo, vt à per se efficiente.

¶ Ex hoc patet responsio ad alia, quæ sequuntur: quia non intelligi debet transfusionem fuisse iustitiæ, sicut corruptionis: neque animam infusam carni incorruptæ contraxisse à carne iustitiam originalem: sicut anima infusa carni corruptæ contrahit ab illa culpam originalem: sed quadam improprietate locutionis dicitur iustitia originalis transfusa fuisse: quia natura fuisset transfusa integra, ex qua anima habens originalem iustitiam, ex sui conditione nihil contraxisset vitij, quo defecisset à sua rectitudine, nec à stabilitate confirmationis superadditæ gratia conditoris. Addendum est etiam, quod iustitiæ paternæ dicitur transfusio fuisse: quia iustitia paterna quodammodo meruisset posteris gratiæ huiusmodi collationem. Quia ergo ex parte naturæ transfusæ non fuisset aliquid, quo declinassent posteri à rectitudine sua: & quia paterna iustitia aliquo modo cooperata fuisset, scilicet merendo illorum iustitiæ, dicitur transfusio iustitiæ à patre in prolem.

Hugo li. 1. de Sacram. par. 6. c. 24 post mediū ¶ SVNT quidam tenentes contrariū, sc. filios nō fuisse hæredes paternæ iustitiæ; quod videtur sentire Hug. dicit enim sic. *Sunt qui credunt veraciter asserendum, quod primus homo, si non peccasset, nullos nisi bonos filios genuisset, & nemo omnium, qui ex eius carne nascerentur, & damnarentur.* Tamen illud merito quæritur, si sola primi hominis obedientia probata omnib. posteris ex eo nascituris ad meritum sufficere debuisset: aut si singuli quiq; temporib. suis post eum, quēadmodum primus homo probatus est: siue eiusdem, siue alterius cuiuslibet mandati obseruantia probandi fuissent? Et pōt fortassis non absurdè credi, quod idem mandatum, quod primo parenti datū est; posteri quoq; illius obseruare debuerunt, vt singuli propria obedientia probarentur: & singuli pro suis meritis digna remuneratione glorificarentur.

¶ Tenentes hanc opinionem, sic possunt respondere ad obiecta contra partem istam. Ad illud, quod primo obijcitur, sc. quod ex quo cum culpa transgressionis generantur filij culpæ paternæ, &c. Dicendum, quod non oportet: non n. ex carne incorrupta contrahit anima iustitiam, sicut ex corrupta culpam. Præterea, in obedientia vnius præuaricationis perfecta est: obedientia, quæ deficit ante finem, siue finis consumationem, nō est perfecta: vnde adimpletio obedientiæ particularis nō debuit esse ita efficax in bono sicut inobedientia huius in malo. Vnde Hug. de Sacramentis Temere asserendum non est, quia non similiter videtur, quod quemadmodum nunc, i. tempore naturæ lapsæ natura per inobedientiam ad corruptionem mutata cernitur ita etiam tunc i. in statu conditæ per obedientiam seruatam nisi vsq; ad tempus prædiffinitum à Deo seruata fuisset, ad incorruptionem mutaretur. Semel n. transgredi plena inobedientia fuit: sed non similiter perfecta obedientia fuisset, si in ipsa obedientia homo vsq; in finem nō perstitisset. Propterea sicut inobedientia vno tempore consummata naturam ad corruptionē mutauit: ita etiam obedientia naturam ad incorruptionem nō mutasset, donec tempore suo vsq; in finem seruata perfecta fuisset.

¶ AD illud, quod obijcitur: si oppositum de opposito; & propositū de proposito, &c. Dicendum, quod maxime hoc tenet, vbi fit comparatio oppositorum per se, & propositorū, quæ sunt propriè respondentia, siue propria ipsis oppositis: verbi gratia: si albedo disgregat, nigredo congregat: non est autem proprium peccati siue culpæ transfundere suam inordinationem ad personam aliquam à delinquente: quod autem primum peccatum transfunditur ad prolem peccantis, magis fuit ex congruentia diuinæ iustitiæ, quam ex efficacia peccati. Præterea, ad inducendum inordinationem aliquam, siue demeritum vnicus sufficit defectus: non autem ad inducendum ordinem siue meritum vnicus sufficit actus ordinatus: imo requiruntur multæ circumstantiæ. Propter hoc non se habet oppositum ad oppositum, sicut propositum ad propositum generaliter in moribus.

¶ AD aliud, quod obijcitur si nequiuisset producere iustitiam suam, &c. Dicendum, quod producere iustitiam, siue transmittere, dicitur dupliciter, sc. influendo illam: & sic est solius Dei, qui animam creat & perficit. Vel trāsfundendo, siue transmittendo carnem omnino consonantem spiritui infuso, & iustitiæ, siue rectitudini eius: & hoc modo dici potest Adam transmisisse iustitiā in posteros; quia talem transmisisset carnem, si stetisset, quæ nequaquam iustitiæ obuiasset, imo per omnia spiritui subiaceret. Vnde cum Adam generaret filium sine omni corruptela & rebellione ex parte carnis: & deus infunderet animam innocentem & rectam: omnes posteri eius recti & iusti essent. Et licet illa iustitia principaliter quidem esset à Deo; qui eam tribueret animæ: nihilominus tamē dici posset, quod Adam eam transmitteret, quia carnem propagaret, innocentiæ & iustitiæ consonantem. Et secundum hanc viam sunt intelligendæ omnes autoritates; quæ inducuntur ad istam partem.

¶ Et per hoc patet responsio ad sequens, quod dicitur quod generasset filium iustum: hoc n. non esset iustitiam; in animam filij infundendo, sed carnem mundam propagando, quæ nata esset rectitudini iustitiæ subiacere.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod nihil est medium inter iustum. Dicendum, quod verum erat tunc de iustitia originali, & iniustitia sibi opposita, sed de gratuita iustitia nō habet virtutem: poterat n. hoc esse in statu solius rectitudinis naturalis. Et ideo ex ratione illa hoc solum haberi pōt, quod Adam generaret filios innocentes, & hoc quidē verum est:

rum est: sed tamen ex hoc non habet, quod transmitteret: vel quod filij principaliter ab ipso iustitiam obtinerent.

Inferius hac eadem part. q. 106

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Adam debuit transmittere meritum sicut demeritum. Dicendum, quod (sicut tactum est in præcedentibus) illud non sequitur: quia plura requiruntur ad constituendum bonum, quā ad inducendū malum, sicut patet in Tractatu de originali peccato: inordinatio autem poterat habere causam in carne: non sic autem radix meriti, quæ est gratia desursum descendens: & ideo non sequitur, quod si transmisit demeritum, quod propter hoc meritum transmisisset.

ARTICVLVS II.

An geniti in statu innocentiæ hæredes fuissent paternæ iustitiæ gratuitæ.

DEINDE quæritur, si essent hæredes paternæ iustitiæ, quantum ad iustitiam gratuitam. Quod sic, videtur: Adam peccans transmisit nobis demeritum damnationis: ergo si stetisset, siue profecisset in gratia, trāsmisisset posteris meritum saluationis, iuxta illud si oppositū in opposito &c. sed saluari nullus vnquā poterat sine gratia: ergo &c.

¶ Item, Adam peccando, non solum sibi, sed nobis demeruit: ergo si stetisset, siue profecisset, aliquid posteris meruisset: sed non meruisset, quod erat naturæ: ergo meruisset aliquid vltra. Ergo videtur, quod non solum iustitiam originalem, sed gratuitam aliis meruisset.

¶ CONTRA, omne quod transfunditur, & etiam quod tunc transfusum esset, fuisset naturale: transfusio enim illa naturalis fuisset, sicut & illa, quæ nunc est: sed gratia, siue gratuita iustitia non est naturalis, neq; eius transfusio: ergo &c. ¶ Item, iustitia gratuita tantum infunditur immediate à Deo: ergo &c.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum isthæc iustitia à Deo immediate infundatur.

¶ QVOD concedimus, respondentes ad primum, scilicet transmisisset posteris meritum saluationis, sicut transmisit demeritum damnationis. Dicendum, quod reuera aliquid meruisset illis, (vnde Hugo: *Potest fortasse non absurde credi, primam obedientiam obseruatam causam fore augmenti gratiæ in omnes sequentes, & ipsam obedientiam obedientiæ meritantes*) sed hoc esset potius meritum congrui, quam condigni: sed tamen non propter hoc diceretur transfundere posteris iustitiam gratuitā: nisi aliquis valde vocabulo abuteretur. Qualiter autem intelligenda est maxima illa; si oppositū de opposito &c. dictū est supra. ¶ Ex his patet responsio ad aliud, quod sequitur: quod bene potest concedi, quod aliquid posteris meruisset superadditum naturæ: nec ex hoc sequitur, quod transfudissent eis iustitiam gratuitam.

Hugo.

Art. immediate præcedenti: ad arg.

ARTICVLVS III.

An vidēt in eodem statu geniti hæredes fuissent paternæ iustitiæ confirmatæ.

SEQVITVR inquirere, Vtrum essent hæredes paternæ iustitiæ quantum ad iustitiam confirmatam. ¶ Quod sic, videtur: quia malū non est potentius in malum, quam bonum in bonum: sed Adam peccando, transmisit posteris necessitatē peccandi, saltem venialiter: ergo videtur, quod stans, siue proficiens, transmisisset illis necessitatem proficiendi, siue merēdi: hic autem status, scilicet necessitas merendi est confirmatorum in illa: ergo transmisisset illis iustitiam confirmatam. ¶ Item, angeli stantes, statim confirmati sunt: si ergo meritū Adæ non fuisset minus quam meritum angeli) quod patet per hoc quod non erat tantę fortitudinis) videtur quod ipse si stetisset, statim esset confirmatus: sed tales filios generasset, qualis statim fuisset: ergo &c. ¶ Itē, hoc etiam videtur haberi ab Anselmo de cōcept. virg. dicente. Quid conuenientius ad ostendēdum magnitudinem bonitatis Dei, & plenitudinem gratiæ, quàm Adę concedebat, quam vt quorum esse in illius potestate sic erat, vt quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent: ita quoq; in eius esset arbitrij libertate, vt qualis erat ipse iustitia & felicitate, tales vero propagaret. Ex hoc verbo videtur, quod filij fuissent hęredes paternę iustitiæ, & quantum ad iustitiam gratuitam, & quantum ad iustitiam confirmatam. Non enim generasset similes illi iustitia & felicitate, nisi generasset habentes iustitiam confirmatam. Vt enim dicit Philos. *Nullus felicitatem laudat, quemadmodum iustum; sed vt diuinum quid, & melius beatificat.* Vnde non diceretur felicitas quid diuinum, si determinaret statū possibilē ad miseriam: neq; enim videntur felices, qui à statu iustitię cadere possunt. ¶ Itē, status primus fuit inter necesse mori, & impossibile mori; nihilominus magis ordinatus fuit ad impossibile mori, quam ad necesse mori. Ex quo videtur, quod faciliter potuit illud assequi: cum illud facilius possit attingi, ad quod est maior ordinatio. Sicut ergo primi parentes cadentes à primo statu, incurrerūt necessitatē moriendi, & similiter eorū posteritas: sic similiter videtur etiam ratione fortiori, quod si profecissent in primo statu, assurrexissent ad impossibilitatē moriendi, & eorū posteritas similiter. Hoc nō posset esse, nisi essent cōfirmati, sc. parentes & filij: dum enim haberent potestatem peccandi, & haberent similiter potestatē moriendi: & ita videtur, quod parentes & filij in statu illo fuissent confirmati. ¶ CONTRA, Aug. *Quam felices erant, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tam felix vniuersa societas esset humana si nec illi malum, quod etiam in posteros traiicerēt, nec quisquam ex stirpe iniquitatem cōmitteret, quæ damnationem reciperet.* Ex hoc verbo Aug. videtur: ad hoc, quod posteri primorum parentum stetissent in prima fœlicitate, necesse fuisset, quod nec parentes eorū, nec illi peccarent. Ex quo videtur, quod si parentes stetissent, quod adhuc posteri peccare potuissent: ergo poterant esse alieni à paterna iustitia, & ita non esse hæredes iustitiæ confirmatæ. ¶ ITEM, homo de natura suæ cōditionis vertibilis est ad bonū à malo, & e conuerso: fuit n. conditus mutabilis vertibiliter: vnde neq; auersus per culpam efficitur confirmatus in malo: neque conuersus per gratiam, efficitur confirmatus in bono. Ex quo videtur, quod sicut primus parens non fuit confirmatus in malo peccando: similiter neq; fuisset cōfirmatus in bono stando, neque proficiendo; nec posteros multo fortius genuisset tales.

Philos. 1. Ethicorū

Aug. 14. de ciuit. Dei. cap 10. A medio Tom 5.

RESOLVTIO.

Quidquid sit de Hugone, si ad concordiam duci noluerit, arbitrati sunt quique fere maiores. quod si primi parentes stetissent & ipsi, & eorum posteri ita confirmati essent, vt nullatenus peccare possent.

¶ RESPON. Ad hoc dicendum secundum Ansel. quod si stetissent primi parentes, genuissent filios hæredes paternæ iustitiæ quantum ad iustitiam confirmatam, sed hæc confirmatio esset quantum ad iustitiam originalem. Vnde Ansel. *Quamuis nondum proueherentur ad illam æqualitatem angelorum, ad quam peruenturi erant homines, cum perfectus erat numerus de illis assumendus: in illa tamen iustitia, in qua erant, videtur quod si vicissent, tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt vltra peccare non possent: quemadmodum quia victi peccauerunt, sic infirmati sunt, vt quantum in ipsis est, sine peccato esse non possunt. Quis n. audeat dicere plus valere iniustitiam ad alligandum in seruitutem hominem, in prima suasione sibi consentientem: quam valeret iustitia ad confirmandum eum in libertate, sibi in eadem tentatione prima adhærentem? Nam quemadmodum quoniam humana natura tota erat in primis parentibus, tota in illis victa est, vt peccarent, excepto illo solo homine, quem Deus sicut sine semine viri de Virgine facere, sic sciuit à peccato Adæ secernere: ita in eisdem tota vicisset, si non peccassent.* Hoc idem videtur sentire Boetius dicens: *Quoniam angelorum numerum, id est, supernæ ciuitatis, cuius ciues angeli sunt, imminutum voluit conditor permanere; formauit ex terra hominem, atque spiritu vitæ animauit, eumq; præfixa lege in Paradisi delitijs constituit; vt si sine peccato manere vellet, tam ipsum, quam eius progeniem angelicis cætibus sociaret.* Ex hoc verbo videtur, quod si ipse stetisset, nullus de posteris eius periisset: quod non videtur posse accidisse, nisi confirmati essent. Et hoc videtur posse haberi ab Aug. qui videtur dicere, quod nulli de posteris primorum parentum fuissent morituri, nisi primi parentes peccassent: & constat quod si non fuissent morituri, non peccassent: dicit n. sic: *Neque hoc genus fuisse in singulis quibuscunque moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est vnus ex nullo, alter ex illo, id inobedientia meruissent, à quibus admissum est tam grande peccatū, vt in deterius eo natura mutaretur humana; etiam in posteros obligatione peccati & mortis necessitate transmissa.*

Ansel. lib. 1 Cur Deus homo. cap. 17.

Boetius de fide Christiana.

Aug. de ciuit. Dei. lib. 1. c. 14.

¶ AD illud, quod primo obijcitur per verbum August.

Dicen-

Anselmus. Dicendum, quod illud verbum videtur cōsonum, esse sententiæ Ansel. sub hoc sensu: *fœlix esset societas humana, si primi parentes non traijcerent malū in posteros: quia tunc nec aliquis de posteritate iniquitatem cōmitteret.* Quod aūt subditur [*qua damnationē reciperet*] nota est expressionis: quia omnis iniquitas in statu illo damnationē induceret. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod homo erat conditus vertibilis à bono in malū, & econuerso, &c. Dicendum, quod licet talis fuerit de natura: tamen superueniente gratia, poterat in bono indeclinabiliter stabiliri: sicut dictū est de primo homine, quod mortale erat conditione corporis animalis, immortale beneficio conditoris, & est euidens exemplum in Beata Virgine.

Hugo de S. Victore. ¶ Sunt aūt quidam non acquiescētes sententiæ Ans. dicentes quod semper fuissent geniti filij in statu illo in possibilitate peccandi: quod videtur sentire Hug. qui possunt respondere rationibus contra hoc propositis sic. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod transmisisset necessitatem proficiendi, sicut transmisit necessitatē peccandi. Dicendum, quod necessitatem peccandi dupliciter potest intelligi aliquis habere: aut quia necesse habet secundum statum, in quo est, in aliquod peccatum incidere: aut quia necesse habet in peccato permanere. Primo quidem modo reperitur necessitas in statu naturæ humanæ post lapsum: sed secundo modo modo in statu ruinæ angelicæ. Si quis ergo recto intellectu velit arguere; ex hoc non habebit, quod Adam si obediuisset, necessitatem habuisset permanendi in iustitia: sicut habent angeli, qui nō possunt labi, sed quod statu illo manente, necesse esset ipsum in aliquod opus bonum & laudabile exire: & hoc vtique verum est, quia sicut status naturæ corruptæ ponit defectus & deordinationes: sic status ille requireret rectas & ordinatas operationes & cogitationes: nunquā n. homo in statu innocentiæ ociosus fuisset. ¶ Ad illud, quod obijcitur de angelis, &c. Dicendum, quod non est simile: & hoc diffusius haber explicari, cum agitur de Irremediabilitate peccati angelici: sed nunc tantum sufficiat dixisse, quod ratione nobilitatis, & simplicitatis, & incorporeitatis, & deiformitatis naturæ angelicæ, quæ nullum habebat retardans; & ratione status merendi sunt præfixi: sicut volunt Damasc. & Aug. Angelus statim in primo conflictu fuit confirmatus in bono, vel obstinatus in malo: homo vero quia erat alterius conditionis, sicut per demeritum non fuit in malo obstinatus, secundum quod patet, nec in se, nec in posteris: sic non fuit in bono cōfirmatus: ideo non oportuit ipsum iustitiam cōfirmatam in posteros transfudisse. ¶ Ad aliud de autoritate Ans. Dici pōt, quod hoc opinatus fuit: tñ ex illo verbo non pōt haberi nisi secundū quandā congruentiam & dispositionem: quæ non ponit necessario ita esse. Præterea, pōt fieri vis in verbo, vt per iustitiam intelligamus naturalem rectitudinem: per fœlicitatem priuationē omnis pœnæ, non confirmationem in statu iustitiæ. ¶ Ad illud, quod obijcitur: quod facilius poterat assurgere ad impossibilitatem moriendi, q̃ declinare ad necessitatem, &c. Dicendum, quod ordinatus fuit ad impossibilitatem moriendi, non vt ad illud, quod assequi debuit in vita animali & terrena: sed potius in vita spirituali & cœlesti. Vnde Aug. *Fœlix vniuersa societas esset humana, si nec illi.* &c. vt sup. atq; ista permanente fœlicitate, donec per illam benedictionē, qua dictum est, Crescite & multiplicamini, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur: alia maior daretur, quæ beatissimis angelis data est: vbi iam esset certa securitas peccaturum neminem, neminemq; moriturum.

Infr. q. 98. Memb. 4.

Aug. 14. de ciuit. Dei. cap. 10.

Hug. in sent. suis. ¶ Contrarietas aūt, quæ videtur inter Hug. & Ansel. potest dissolui: dicit enim Hug. in sent. suis: *stultum videtur dicere, quod in hac vita confirmatus sit ita aliquis, quod non possit fieri malus: quod in alia vita tantum promittitur.* Ans. dicit, *quod si primi parentes vicissent in illa prima tentatione, quod ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt vltra peccare non possent.* Quod autem dicit Hugo, quod nullus debet dici ita confirmatus in hac vita, quod non possit fieri malus; intelligitur [*non possit*] negatiuè simpliciter, i. nullo modo possit: quod patet per hoc quod subiungitur, sc. [*quod in alia vita tantū promittitur*] quod aūt dicit Ansel. quod ita confirmarentur, quod vltra peccare non possent: nō intelligitur [*non possent*] negatiuè, sed potius expressiuè: notatur n. per hoc expressio stabilitatis in bono, sub hoc sensu: ita essent stabiles in bono, quod quasi esset illis impossibile facere malum; sicut dicitur aliquando de aliquo viro excellenter bono, quod nescit facere malum: vel quod non posset. ¶ Opinio autem fuit fere omnium, & etiam maiorum: quod si stetissent primi parentes, ita fuissent confirmati & illi, & posteri, quod nullo modo peccare potuissent.

Anselmus. Hugo.

MEMBRVM II.

Angeniti in primo statu perfecti in scientia generarentur?

SEQVITVR inquirere, quales filios genuissent quantum ad scientiam. Et quæritur: Vtrum genuissent filios perfectos scientia. ¶ Quod sic, videtur. Omnis ignorantia in rationali creatura est pœna peccati. (Vt n. dicit Beda *quatuor sunt nobis inflicta propter peccatum primorum parentum, s. ignorantia, infirmitas, malitia: & ex his conflata mali concupiscentia.*) In statu primo nullum fuit peccatum, nec pœna peccati: & ita nec ignorantia: ergo filij procreati in statu illo, fuissent perfecti scientia sine omni ignorātia. ¶ ITEM secundum Philosophum: *si senex haberet oculum iuuenis, videret vtiq; ita bene, sicut & iuuenis.* Ex hoc patet, quod si defectus aliquis sit in anima ex parte illa, quæ spectat ad cognitiuam; hoc est propter defectum aliquem ex parte organi, aliquo modo ipsi cognitiuæ deseruientis; vel ex parte corporis, cuius anima est perfectio. Sed corpora genitorum in statu illo fuissent optimæ harmoniæ, & sanitatis perfectissimæ: sicut habetur ab August. de corpore primi hominis. Ergo ex parte corporum illorum non fuisset impedimentum; propter quod animæ incurrissent aliquem defectum quantum ad cognitionem, vel scientiam.

Beda.

Philoso. 1. de Anima Text. 65.

¶ Item, corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Sapient. 9. Si in illis nulla fuisset corruptio in corpore: ergo nulla aggrauatio in anima: ergo in omni libertate, qua gaudet ipsa substantia animæ, posset vti sciētia sibi indita, & alijs bonis similiter; nullo existente impedimento in corporibus illorum. Et ita videtur, quod statim habuissent perfectionem scientiæ, quæ competit animæ secundum se, nullo occurrente impedimento: & ita vt prius. ¶ ITEM, duplex erat perfectio hominis in statu primo: vna iustitiæ originalis, quæ spectabat ad ipsam affectiuam. Alia scientiæ rationalis, quæ spectabat ad ipsam cognitiuam. Sed statim habuissent perfecte iustitiam originalem: ergo pari ratione habuissent perfecte sciētiā rationalem. ¶ Item, quod habuissent statim vsum rationis videtur, per hoc: quod quædam, quorum perfectio est anima sensibilis, statim abundant cognitione agendorum, & notitia expedientium, & nociuorum: vnde statim habent vsum suæ cognitiuæ. Sed constat, quod non fuisset homini subtractum, quod est animalibus concessum: nisi hoc esset de merito peccati: ergo si non processisset peccatum, homo statim in ortu, sine post ortum suum haberet vsum rationis; & sciret quæ agenda, & quæ fugienda: & ita vt prius. ¶ Item, duo creauit Deus ad imaginem suā, sc. angelum, & animam: quæ sunt creaturæ rationales & perfectissimæ in genere creaturarum. Angelus statim conditus habuit perfectionem cognitionis, & hoc requirebat eius perfectio: similiter videtur, quod anima creata, statim sit perfecta scientia secundum quod debeat esse, nisi culpa interueniente impeditur: vel quare non? cum homo sit perfectionis maioris. ¶ Si dicatur, quod anima nō est statim perfecta scientia propter coniunctionem cum corpore tali. Hoc videtur inconueniens: vt n. dicit Auic. *Anima vnitur corpori, vt perficiatur:* ergo sortitur perfectionem ex coniunctione cum corpore, & non imperfectionem: & maximè ex coniunctione cum corpore, existente sine corruptione. ¶ Item, in primo statu geniti essent perfecti cognitione sensitiua: non n. fuissent in aliquo defectu quantum ad sensitiuam cognitionem: multo fortius videtur, quod perfecti fuissent cognitione intellectiua: & ita essent in statu illo scientia perfecti. Dicit enim Philosophus, *quod intelligere est in anima, cum velit: sentire autem non est in ipsa,* supple cum velit. Ex quo videtur, quod actus intellectiuæ magis subsit libertati voluntatis, quam actus sensitiuæ: ex quo videtur sequi propositum.

Auicenna.

Philos.

Hugo. ¶ Contra hoc arguit Hugo sic: *prima omnia perfecta sunt: cætera autem omnia, quæ ex ipsis oriuntur, & post ipsa sequuntur, nisi per interualla temporum crescendo ad perfectionem venire non possunt.* Et hoc ostendit per inductionem in plantis & animalibus: ex hoc intendens concludere, hoc idem contigisse de cognitione sensus, & intelligētia mentis. ¶Item, Auicenna. vt habetur ab Auic. *Anima rationalis cōiungitur corpori, vt in eo perficiatur scientijs & virtutibus, & sic perfecta cōiungatur seculo altiori.* Sed hoc est verbum Catholicum; & est generale ad omnem statum: ergo in statu innocentiæ anima peruenisset ad habitum sciētiæ mediante adminiculo corporis: ergo non habuisset habitus scientiarum sibi innatos, sed eos tempore acquisiuisset: ergo in statu illo geniti non oriētur perfecta scientia. ¶Item si Adam stetisset, filij eius per successionem temporis peruenissent ad perfectionem staturæ ex parte corporis: ergo à simili videtur, quod successione temporis peruenissent ad perfectionem scientiæ ex parte mentis: aut si non, quare non.

RESOLVTIO.

Paruulos in primo statu sicut rationabiliter cogimur fateri, rectitudinem affectus habituros fore, tum respectu eorum, quæ sunt de genere commodi, tum respectu eorum, quæ sunt de genere honesti. Ita æquè rationabiliter asserere ducimur, respectu vtrorumque illuminationem scientia habituros esse, qua habiles & expediti forent ad vtraque illa discernenda: ne sic aut ignorantia, aut errore aliquo per deuia aberrarent. At vero huiusce illuminationis vel scientiæ vsum circa priora statim ab ortu duxissent, circa autem posteriora, non nisi ad tempus.

¶ Respon. Dicendum quod paruuli geniti ab Adam in suæ natiuitatis primordio illuminationem aliquam cognitionis, & scientiæ absq; dubio habuissent. Si n. natura Philos. (secundum quod vult Philosophus generaliter de ipsa loquens) non deficit in necessarijs: multo fortius colligi potest de illa natura tam nobili & tam bene instituta, quod non defuisset illuminatio necessaria intellectui ad iudicandum: sicut non defuit rectitudo iustitiæ ipsi affectui in appetendis & respuendis: rectum n. appetitum voluntatis antecedit rectum iudicium rationis: & ideo rectitudinem iustitiæ præit illuminatio scientiæ in his, quæ sunt capacia vtriusque. Sicut ergo indubitāter dici oportet, quod filij Adæ rectitudinem affectus haberent tam respectu appetibilium, quæ sunt de genere commodi; quam respectu eorum, quæ sunt de genere honesti: sic etiam ponendum est, quod respectu vtrorumq; haberet paruulus illuminationem scientiæ statim cum nasceretur, per quam esset habilis & idoneus & expeditus ad illa discernenda: ne per ignorantiam, vel errorem cogeretur affectus in aliquo deuiare. Et hoc quidē dicere possumus sine calumnia, cum non sit dissonum rationi: nec autoritas aliqua contradicat.

¶ Verum, si vlterius procedatur ad illius illuminationis, & scientiæ vsum, & statum, difficile est determinare: quia autoritates super hoc non reperiuntur expresse: tum etiam quia ad hoc vix haberi pñt, nisi rationes congruentiæ, quæ frequenter sunt ad vtramq; partem: tum etiam quia in statu sumus caliginis & miseriæ, adeo vt vix possimus cogitare, quæ in statu illo fuissent: propter hoc quod sumus in aspectu multiplicium defectuum assueti. Vnde quibusdam videtur dicendū, quod statim paruuli habuissent rationis vsum, cum corpus non aggrauaret spiritum; profecissent tamen in scientia per experientiam: sicut etiā datū erat eis proficere in iustitia & bona vita per obedientiam. Alijs videtur, quod paruuli non statim habuissent vsum rationis, sicut nec in matrum vteris: & hoc propter humiditatē, quæ per naturam erat in organis deseruientib. vsui potentiæ cognitiuæ. Vnde per naturam fuissent aliquātulum retardati: & hoc quidem non fuisset pœna, nec ignorantia eorum: sed potius ordo naturæ esset: qui ab imperfecto inchoat & tendit ad complementum. Non tamē fuissent ita diu retardati, sicut & nunc: quia pœnalis corruptio superadiecta imperfectioni corporis, multum retardat, & impedit vsum rationis. Quod autem verius sit, difficile est videre. Possumus tamen sine præiudicio mediam viam tenere: vt dicamus, quod paruuli illi statim nouissent, quod pro illo tempore esset naturæ suæ consonū, vel nociuum: & hoc per industriā naturalem. Si n. natura hoc concessit agniculis, vt per instinctum naturæ lupum refugiant, quem nunquam viderunt; & mamillas matrum sequātur: nequaquam credendum est, hoc filijs Adæ fuisse negatum. Quantum vero ad quædam, quæ spectant ad bonum honesti: sicut distinctio præceptorum & cultuum, quibus Deus est venerandus, & similia; videtur probabile, quod cognitionis vsus fuisset dilatus: quamuis non absurde concedi possit, quod eis habitus ad hoc esset datus.

¶ His visis, patet in parte responsio ad quæstionē propositam: patet etiam pro magna parte responsio ad obiecta. Nam rationes, quæ probant quod non generaret filios habentes perfectionem scientiæ; ostēdunt, quod filij Adam non statim à principio habuissent cognitionem in tanta plenitudine & perfectione, in quanta erant per successionem temporis habituri, & hoc quidem verum est, & ideo concedi possunt.

¶ Attamen ad illam rationem, quam vltimo inducit de similitudine staturæ. Dici potest, quod non est simile: quia paruitas corporis & staturæ est propter exigentiā matricis, & corpus natum paulatim proficere: sed anima æquè virtutis est in paruo corpore, vt in magno, quantum est de se: sicut vult August. Aug. in libro de quātitate animæ.

¶ Ad illud, quod primo in contrarium obijcitur: quod ignorantia est pœna peccati. Iam patet respōsio: quia ignorantia, prout est pœna, nominat priuationem scientiæ, quæ nata est in esse, sicut excæcitas priuationem visus. Vnde catulus non dicitur cæcus ante nonum diem. Vnde Hug. *Non omnis, qui aliquid nescit, aut aliquid minus perfecte scit, statim ignorantiam habere, siue in ignorantia esse dicendus est: quia ignorantia non dicitur nisi tunc solum, cum id quod ignorari non debuisset, nescitur.* Talis itaq; ignorantia non nisi ex pœna peccati inesse cognoscitur, cum mens à lumine veritatis excæcata, ne ea, quæ scire deberet, cognoscere valeat; proprio vitio obscuratur. Illa vero, quæ in nascentibus cunctis, & nunc à principio inesse videtur; & tunc quoq; inesse debuisse creditur, sensus siue cognitionis imperfectionem naturæ esse, non culpæ: concessum est autem quod in primordio suæ natiuitatis habebant habitum conuenientem illi tempori, & vsum, secundum q. competebat illi statui, correspondentem. Et ideo quamuis aliqua esset in eis imperfectio sciētiæ; non propter hoc sequitur, quod in eis fuerit priuatio & pœna ignorantiæ: nec sequitur, si non habuerunt ignorantiæ pœnam, quod propter hoc habuerunt perfectam scientiam. Hugo de Sacramētis.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod imperfectio cognitionis sensitiuæ venit à parte organi: sicut patet in visu senis. Dicendum, quod ratio ista deficit dupliciter: primum quidem quia hoc verum est in cognitione sensitiua, quæ non habet ad perfectionem deduci per aliquē habitum acquisitum: nos autē quærimus hic de cognitione intellectiua, quæ ab experientia temporum recipit incremētum. Alius etiam defectus est ibi: quia quamuis in corpore paruuli non esset pro statu corruptio aggrauans: erat tamen imperfectio retardans: licet enim habuissent corpora optimæ harmoniæ secundum congruentiam status illius: non tamen optime simpliciter: status n. infantilis semper haberet aliqua syntomata impedientia actum cognitiuæ & vsum rationis aliquo modo. Vt n. dicit Cassiod. de anima: *Datum est animabus ad tempus suorum sequi corporum necessitates.* Syntomata autem huiusmodi in statu illo essent ex naturæ conditione, non ex vitio culpæ: sicut sunt illa, quæ modo istum statum circumstant. Cassiodor. Συντομία concisio. ἀπὸ τοῦ συντέμνω.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod in statu illo in nullo fuisset anima aggrauata; cum in corpore nulla fuisset corruptio. Iam patet respōsio in parte: quia licet nō fuisset corruptio aggrauans: esset tamen imperfectio retardans. Præterea verbum illud Sap. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*: intelligitur de aggrauatione, quæ rectitudinem tollit originalis iustitiæ, quæ in statu illo esse non posset. Sapien. 9. vnde nihil deperisset animabus paruulorum in statu illo de libertate sua quantum ad rectitudinem naturalis institutiæ: habuissent n. paruuli in statu illo naturalem iustitiam nec in aliquo declinassent ab illa.

¶ Ad

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod statim essent perfecti quātum ad originalem iustitiam, &c. Dicendum, quod non est simile de perfectione orginalis iustitiæ, & de perfectione scientiæ: quia (sicut tactum est) syntomata illius ætatis impedissent actum cognitiuæ, & vsum rationis quodammodo; non autem sic rectitudinem iustitiæ originalis. Ratio autem huius est, quia originalis iustitia est ipsius voluntatis propriè, siue libertatis arbitrij: perfectio scientiæ est ipsius cognitiuæ, siue intellectiuæ: actus autem voluntatis, siue liberi arbitrij non potest impediri, nisi forte ex defectu aliquo ex parte cognitiuæ: sicut nec eius potestas, vel libertas. Propter quod rectitudo, quæ erat originaliter illius, non nisi per seipsam poterat amitti, siue inclinari. Virtus autem intellectiua non gaudet tanta libertate: tum quia indiget adminiculo aliarum potentiarum, & organorum eorundem ad hoc, quod exeat in actum suum: tum quia necessaria est multorum cognitio, & multiplex ordinatio & collatio ad hoc quod perueniat ad perfectionem scientiæ. Propter quod multis modis & de causis potest retardari actus sciendi siue perfectio scientiæ: & sic impediri non potest iustitia originalis, quæ solummodò auersione voluntatis amittitur. Præterea, perfectio originalis iustitiæ haberetur ex gratia, siue ex dono Dei. Quia ergo omnino ex dono Dei est, & nullum habet impedimentum ex parte recipientis. non sic autem est de perfectione scientiæ: aliter est de perfectione huius, & illius.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod statim habuissent vsum rationis, quia habuissent vsum cognitiuæ, sicut animalia habent vsum suæ cognitiuæ. Dicendum, quod non oportet. sed (sicut tactum est) cognoscerent, quod pro illo tempore esset naturæ eorum consonum: & hoc per instinctum, siue industriam naturalem: & in hoc perfectius & excellentius quam animalia, quia instinctus ille, siue industria quodammodo dirigeretur ratione, ne posset errare. Hoc tamen dico opinando, non asserendo: valde enim videtur mihi absurdum, ponere hominem cōpletum habere rectitudinem iustitiæ originalis, & omnino carere vsu rationis. Hominem completum (dico) ad differentiam illorum, qui in vteris maternis nutriuntur, & ibi sunt in productione ad esse completum.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod angelus statim habuit perfectionem cognitionis, &c. Dicendum, quod non est simile de angelo & de anima rationali: anima enim rationalis ratione qua est perfectio corporis, & sensibus corporalibus, & organis indiget ad hoc, quod perueniat ad sui perfectionem in cognoscendo, siue sciendo; quibus non indiget angelus: non est ita expedita ad assequendum perfectionem suam quantum ad scientiam, sicut est angelus. Quando enim est defectus aliquis ex parte organi, propter quem non est expeditum ad cooperandum illis, quæ requiruntur ad habendam scientiam siue perfectionem scientiæ; oportet ipsam animam deficere ab illa perfectione. Præterea, intellectiua est plena formis: vnde quia illa lux intima, per quam visio siue cognitio actualis semper illi præsens est, post conuersionem ad primā lucem semper est in cognitione & scientia perfecta. Non sic est de anima humana, quæ secundum Philosophum creata est quasi tabula rasa, & perfectibilis virtutibus & scientijs. Præterea, intellectiua secundum Dionys. est deiformis ratione comprehensionis instantaneæ, & collationis: anima autem non sic: imo intelligit & confert cum continuo & tempore. Vnde intellectus humanus per naturam magis est cum collatione & inquietudine, & cum continuo & tempore, quam angelicus: vt vult Dionysius.

Philos. 3. de Anima. text. com. 44. Dionys.

Dionys.

¶ Ad hoc, quod subiungitur: quod anima vnitur corpori vt perficiatur, &c. propter quod ex cōiunctione cum corpore non debet aliquo modo impediri à sua perfectione. Dicendum, quod perfectio animæ depēdet à corpore quodammodo, quātum ad satisfactionē appetitus ipsius: nullo enim modo potest omnino satisfieri appetitui animæ, nisi in coniunctione cum corpore: vt habetur ab August. & quantum ad hoc statim perficitur in coniunctione. Dependet etiam quantū ad virtutem & scientiam, & quantum ad hoc non statim perficitur in coniunctione, sed per processum temporis assequitur huius perfectionem, adminiculo & cooperatione corporis.

Aug. super Genes. ad literam.

¶ Ad hoc, quod postea obijcitur, quod geniti in primo statu essent perfecti quantum ad cognitionem sensitiuæ, &c. Dicendum, quod non est simile de perfectione sensitiuæ, & intellectiuæ. Perfectio enim sensitiuæ à natura est: non sic autem est de perfectione intellectus. Dicit enim Philosophus, quod *sensus est à natura aliqua: intellectus non.*

¶ Propter quod natura sensitiuæ existente in complexione sua, & actus eiusdem existit perfectus: perfectio autem intellectiuæ habetur per electionem & acquisitionem, & acquireretur in statu primo, licet maiori facilitate, & minori tempore.

¶ Ad illud, quod subditur, sc. quod intelligimus, cum volumus, &c. Dicendum, quod hoc intelligitur secūdum quod hoc quod dico [*intelligimus*] copulat actum intellectus in habitu. Loquitur enim Philosophus de actu intelligendi, qui est ex conuersione virtutis supra speciem habitam, siue receptam in anima: actus autem sentiendi impeditur ex hoc, quod defectus est ex parte medij, vel ex absentia obiecti. Philos.

MEMBRVM III.

An ijdem geniti in statu innocentiæ mox nati, in opera virium, & organorum corporalium exire potuissent?

SEQVITVR inquirere, quales filios genuissent quantum ad virtutem corporalem. Vtrum scil. genuissent filios tantæ virtutis, quod statim possent exire in opera propria organorū, hoc est ambulare, loqui, & huiusmodi. Quod sic, videtur per similitudinem sumptam à brutis: videmus enim quod multa animalia bruta mox vt nascuntur, vadunt, fugiunt mammas, & sequuntur matres: sed minimè æstimandum est, quod illud, quod est brutis præstitum; rationali creaturæ ad hoc aptæ sine demerito peccati aliquo modo denegaretur. Ex hoc videtur, quod paruuli in statu illo nati, statim habuissent vsum membrorum.

¶ Item, duæ sunt ætates, in quibus minimè solent virtutes organorum humanorum sufficere ad opera eorum exercenda, sc. prima & vltima, id est, infantilis & senilis. Et hoc dico in statu naturæ lapsæ, sed in statu naturæ conditæ quantumcunque esset ætas prouecta, bene sufficeret virtus organorum ad opera eorum exercenda: pari ratione videtur, quod quantula fuisset ætas in statu illo, sufficeret ad idem: vel quare non?

¶ Item, infirmitas membrorum in paruulis, vnde impotentes sunt exire in opera sua in statu naturæ lapsæ, cōgruit ipsi statui, in quo animæ, quæ sunt corporum perfectiones, sunt infirmæ: vnde August. propriæ infirmitati mentis congruit hæc infirmitas carnis. Ergo in statu illo, in quo non esset aliqua infirmitas animarum, non euenisset aliquo modo infirmitas huiusmodi: ergo geniti in statu illo non habuissent membra ita infirma, quod non possent exire in officia, siue opera illis deputata.

¶ Item, si aliquid delectabile in statu illo mouisset appetitu alicuius paruuli; nec haberet vsum membrorum, quo illud posset comprehendere: nonne ex carentia sibi delectabilis, & impotentia pertingendi ad illud affligeretur: & ita pœna præcessisset culpam: ergo &c.

¶ Contra. Fortitudo & debilitas virtutis motiuæ in corpore proportionatur qualitati membrorum. (Vnde homines habentes membra solidiora, solent esse fortiores) sed paruuli tunc temporis membra tenera habuissent) cum essent nobilis complexionis (magis enim solent esse teneri, qui sunt nobilioris complexionis & melioris naturæ (vnde dicitur de Christo, quod tenerrimus erat propter nobilitatem naturæ ipsius) ergo videtur quod sicut paruuli nunc non possunt gradi propter membrorū teneritudinē: nec pondus corporis proprij supportare propter eorū debilitatem; similiter nec tunc. ¶ Item, nunc tpis

proficit

proficit simul virtus corporis cum statura: sed si homo stetisset, consimilis fuisset in paruulis profectus à parte staturæ illi, qui nunc est. Ergo videtur, quod similiter esset à parte virtutis: ergo videtur quod sicut nunc paruuli in principio feruntur ab alijs, quasi impotentes ferre seipsos; & post paulatim vadunt, & postmodum currunt: ita videtur quod & tunc. ¶ ITEM, vis generatiua in paruulis, quantum ad vsum fuisset dilata tunc, sicut & nunc: nec esset impotentiæ tunc non posse generare ante tempus præfinitum a natura, sicut nec nunc. Similiter videtur de motiua in alijs & alijs membris: cum virtus illa similiter dependeat à corpore. ¶ ITEM, mammillæ datæ sunt matribus à natura: ergo in statu illo fuissent necessariæ, & non frustra: cum natura nihil agat frustra: ergo fuissent deputatæ ad officium siue opus lactationis paruulorum, qui propter debilitatem illorum, & dentium carentiam sic nutriri habent necesse: ergo quantum ad hoc consimiles essent in infirmitate paruulis, natis in statu naturæ lapsæ: eadem ratione & in alijs, quæ statum circumstant infantilem; vt videtur.

RESOLVTIO.

Paruuli tunc, in statu, scilicet innocentiæ mox nati in opera manuum, pedum, & linguæ quo ad gustum & esse (quid, quid sit quo ad interpretationem) exissent. Si enim naturam pluribus brutorum pullis nunc id indulgere cernimus, quare non multo magis hominum rationalium pueruli tunc idem indulturam fore arbitrandum est.

¶ RESPONSIO. Dicendum sine præiudicio: quod hæc infirmitas, propter quam paruuli in statu naturæ non possunt assurgere ad officia membrorum, est pœna peccati. Vnde si primi parentes genuissent filios in statu innocentiæ: sicut quorundam animalium fœtus, statim cum nati fuerint, habent vsus & officia membrorum, & illi similiter habuissent: vnde statim gradi possent, & matres sequi, & iuxta congruentiam opportunitatis illius status aliqua officia membrorum exercere. Absurdum enim videtur ponere, quod rationalis creatura, quæ nunquam fuerit vitio incuruata, sed prædita rectitudine iustitiæ originalis; aliquando modo bestiali, contra vsum naturæ propriæ ambularet: sicut faciunt modo paruuli, qui manibus & pedibus ambulantes, se de loco ad locum transferunt. Potest ergo dici, quod infirmitas moderna paruulorum, qua non possunt assurgere ad officia membrorum, est pœna peccati: & infirmitati originalis culpæ attestatur. Et hoc videtur Augustin. sentire dicens sic: *Mouet nos, si illi primi parentes vel homines non peccassent, vtrum tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus vterentur: nam propter vteri capacitatem forte necesse fuit paruulos nasci. Sed poterat* (sc. Deus) *certe quod multis etiam pecoribus præstitit, quorum pulli quamuis sint paruuli, accedentibus corporis incrementis, etiam mente proficiant; quoniam rationalem animam non habent neque tamen etiam minutissimi & currunt, & matres agnoscunt, nec sugendis vberibus cura & opere admonentur aliena; sed ea ipsi in materno corporis loco abdito posita, mirabili facilitate nouerunt. Contra homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi opere nutricis admotis labijs papillæ vberis ingeruntur: nec vbi sint, sentiunt: & iuxta se iacentibus mammis, magis possunt esurientes flere, quam sugere: proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis.* Ecce quod plane dicit: quod hæc infirmitas corporis congruit infirmitati mentis. Nec istud sentire de statu illo debetur difficile videri; cum multa maiori admiratione digna ibi accessissent, vt paruulos in ætate tenerrima sine veste, vel indumento, pariter & tecto, absq; omni difficultate quasi feliciter viuere, sine strato & stramento sedere & decubare, & alia multa huiusmodi, quæ nos latent. Sed vix creduntur talia: quia horum contraria consuetudinis sunt. Vnde Aug. loquens de his, quæ accidissent homini, si sine peccato vixisset, dicit. *Qui hæc fieri potuisse non credunt, nihil aliud quam consuetudinem naturæ iam post peccatum pœnamq; humanam sic currentis, attendunt: non autem in eorum genere nos esse debemus, qui non credunt, nisi quod videre consueuerant.* Potest ergo concedi, quod paruuli in statu illo habuissent vsus naturales pedum, & manuum, & linguæ quantum ad gustum: cum n. lingua congruat in duo opera secundum Philosophum, scilicet gustui, & interpretationi; habuissent vsum linguæ quantum ad gustum, qui naturalis est, & ad esse. Quid autem quantum ad interpretationem, non diffinio: cum vsus ille non sit tam naturalis, neq; ad esse: sed quodammodo ab acquisitione, & ad bene esse. Concedendæ ergo sunt rationes, quæ inductæ sunt pro parte illa.

¶ AD illud, quod primo objicitur contra hoc: quod propter teneritudinem membrorum, & debilitatem, neque gradi possent, neq; pondus corporis proprij portare. Dicendum, quod licet membra habuissent tenera, minime tamen passibilia, vel omnino impassibilia eo modo, quo supra determinatum est de primi hominis corpore. Vnde nullam læsionem incurrissent, quantumcunq; fortiter fixissent pedem in gradiendo. Præterea, quia corpus fuisset omnino animæ subiectum, maiorem recepisset virtutem à sua viuificatiua & regitiua, scilicet anima tunc, quam nunc: vnde sufficeret virtus tibiarum ad corpusculum suum supportandum. Præterea, natura corporalis in statu illo maioris erat virtutis, quam in statu naturæ lapsæ.

¶ AD aliud dicendum, quod quamuis profecisset virtus corporis proportionaliter profectui staturæ eiusdem tunc sicut nunc: nō tamen sequitur, quod tunc tantæ fuissent debilitatis, quantæ sunt nunc. Ratio autem illa non concludit nisi ordinem in progressu virtutis à minori ad maiorem tunc, sicut est nunc.

¶ SI autem objicitur, quod ab eadem imperfectione incepit statura tunc, & nunc: ergo ab eadem imperfectione incepisset virtus tunc, & nunc. Potest responderi, vel per interemptionem; quia perfectioris staturæ fuissent tunc, quam nunc. Vel per dissolutionem similitudinis: quia licet consimilis esset capacitas vterorum maternorū tunc, & nunc: propter quod oporteret tunc natos, & nunc ab eadem imperfectione staturæ incipere: non tamen fuisset consimilis virtus in corporibus status illius, & istius: quia virtus naturalis fuit fortior tunc, quam nunc: sic nec tantam recipit nunc virtutem corpus à sua regitiua, id est, anima, quantam recepisset tunc. Propter quod non sequitur, si ab eadē imperfectione staturæ incepissent tunc, & nunc; quod propter hoc incepissent ab eadem imperfectione virtutis.

¶ AD hoc, quod objicitur per simile virtute generatiua. Dicendum, quod non est simile: virtus n. generatiua habet à natura determinatum tempus, & statū exitus sui in esse: quia antequam homo sit perfectus ætate conuenienti, & virtute sufficienti; non potest exire in actum generatiuæ. Vnde actus iste non est nisi hominis perfecti. Vnde Philosophus, *vnumquodq; perfectum est, cum attingit propria virtuti.* Secundum aut Philosophum tunc dicitur aliquid attingere propriæ virtuti; quando producit in esse tale, quale ipsum est. Et hoc insinuatum est cum dicitur: *Crescite & multiplicamini:* crescere enim in virtute & statura oportet primo: & post multiplicare sibi consimile.

¶ AD illud, quod vltimo objicitur. Potest dupliciter responderi. Vno modo sic: quod & si paruuli in statu illo essent edentuli, & indigerent alimento matrum, scilicet lactis: nō propter hoc sequeretur, quod carerent vsu pedum, vel manuum: videmus n. pullos animaliū indigere huiusmodi alimento, non tamen carent vsu pedum. Vnde ista non cōsequenter se habent, vti lacte materno, & carere vsu membrorum. Vnde non sequitur, fuissent consimiles paruulis genitis in statu naturæ lapsæ in hoc: ergo in alijs. hæc enim, & alia non se habent consequenter, sine conuertibiliter. Alio modo potest dici, quod non nati fuissent edentuli; sed muniti dentibus, sicut multi fœtus brutorum. Omnino n. absurdum videtur, quod corpus illud, in quo omnia corpora animalium habent completionem; & propter quod sunt omnia corpora huiusmodi, deficeret ab aliqua perfectione, quæ in corpore animalis reperitur, sine demerito peccati. Præterea, vbi fuissent, & nutriti essent fructibus Paradisi: quorum quidam forte erant teneriores, & magis paruulis congrui: & quidam solidiores, & magis conuenientes adultis. Non enim reperitur scriptum, quod aliquid aliud genus alimenti à fructibus Paradisi in statu illo homini concederetur ante lapsum. Nec propter hoc frustra essent vberra data mulieri, sicut nec data sunt viro frustra: sed essent illis data ad decorem & integritatem corpo-

Marginal notes: Aug. in lib. de Baptismo paruulorum. — August. 9. sup. et Genes. — Ex 2. de Anima. 124 & in 3c. — Quæst 86. — Philos. 7. Physi. 18. & 2. de Anima. 34. — Gen. 1.

corpori humani. Et hæc ratio videtur mihi magis appropinquare veritati, & magis consona esse nobilitati illius status.

MEMBRVM IV.

An in statu primo famellæ æquales numero ac masculi generarentur?

SEQVITVR inquirere, quales liberos genuissent quãtum ad sexum. Quæritur ergo, vtrum tot generassent filios, quot filias: vel plures filios quam filias: vel econuerso. Et hæc quęstio non est solummodo de genitis à primis parentibus, sed vniuersaliter de genitis in statu illo.

¶ Quod autem tot generassent filios, quot filias, videtur sic: natura sic processisset in generando, sicut eam Deus instituit: sed Deus cum produxit naturã humanam, produxit masculum & fœminam in pari numero: ergo similiter & natura in pari numero eos multiplicasset.

¶ ITEM, generatio hominis non poterat continuari, nisi per masculum & fœminam: & ita necessaria est ad generationem mulier, sicut & masculus: ergo videtur quod natura intenderet æqualiter vtrumq; sexum: sed sicut intendebat, multiplicabat: ergo &c.

¶ ITEM, sicut vir intendit se saluare in simili, sc. in viro, quem generat: sic & mulier in consimili, sc. in muliere: sed natura æquè bene esset ordinata in muliere, sicut in viro: ergo si vir non frustaretur sua intentione; similiter nec mulier: ergo quot conciperet masculos ad cõseruationem sexus virilis; tot conciperet fœminas ad conseruationem sexus mulieris.

¶ ITEM, in statu innocentiæ sicut quilibet comederet, ita quilibet prolem multiplicaret: cum omnibus esset dictum: *Crescite & multiplicamini*, &c. ergo quilibet haberet vxorem: si ergo matrimonium requirit, quod sint duo in carne vna; tot essent viri, quot mulieres: nec plures, nec pauciores. (Gen. 1.)

¶ CONTRA. Sicut dicit Philos. *Fœmina est mas occasionatus*: ergo videtur esse præter naturæ intentionem. Sed tempore naturæ institutæ cum natura esset recta, nihil produceretur præter intentionem ipsius: ergo videtur, quod nulla mulier generaretur, vel saltem paucæ: ergo plures essent viri, quam mulieres. ¶ Item, sicut vult Philos. *natura semper desiderat, quod melius est*: sed sexus virilis perfectior est, & melior, quam sexus muliebris: ergo natura magis desideraret virum, quam mulierem. Si ergo sic produceret, secundum quod desideraret, plures produceret viros, quam mulieres. ¶ Item, generatio maris est propter vigorem virtutis generantis & seminis decisi: sicut dicunt Naturales & Medici: sed in statu naturæ institutæ virtus generatiua & semen decisum cõpletam & sufficientem haberent virtutem: ergo semper, vel plures masculos generari contingeret. Item, quando semen viri prædominatur semini mulieris, tunc ad propriam naturam trahit & conuertit: sed secundum ordinem naturæ masculus potentior est fœmina: ergo stante natura, semper, vel pluries vinceret semen virile: ergo plures generaret natura masculos, quam mulieres. ¶ Item, eisdem rationibus potest ostendi, quod tantum viri fuissent geniti tum propter vigorem maiorem generantis, & seminis decisi: tum propter dominium seminis virilis: tum propter appetitum naturæ, qui semper fertur ad illud, quod melius est. ¶ Item, videtur, quod tantum fœminæ genitæ fuissent, sic: vt habetur à B. August. *sexus muliebris deuotior est sexu virili* (vocat enim sexum fœmineum sexum deuotum in sermone de assumptione B. Virginis) si ergo deuotio est maxima dispositio & optimè præparatoria ad gratiam obtinendam, & ad obtentam perficiendam, & per consequens ad excellentiam gloriæ cumulandam: videtur, quod fœminæ erunt excellentiores in gloria, quam viri. Si ergo conuenit diuinæ prouidentiæ, quæ omnia optimè disponit, illam ciuitatem supernam personis gloriosis reparare: & quanto personæ, quib. reparabitur: sunt gloriosiores, tanto gloriosius reparabitur, videtur, q̃ solum personis sexus fœminei reparabitur. Sed si in statu innocentiæ non essent personæ aliquæ genitæ, nisi per quas repararetur ciuitas illa: ergo &c.

(Philos. lib. 2. de Generat. Animal. cap. 4. — Idem 2. de Genera. & corruptio. text. com. 59. — August.)

¶ AD hoc persuadet exemplum B. Virginis, ad cuius perfectionem nulla persona virilis sexus, quæ fuit pura creatura, peruenit; nec habuit aptitudinem perueniendi: cum tantæ erat sanctitatis, quod maior sub Deo non poterat intelligi. Vnde Ansel. *Quia decebat, vt hominis illius conceptio de matre purissima fieret; decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret.* Probabile enim est, quod qui vnicuiq; dat secundũ propriam virtutem. (Matth. 25.) quod si alius fuisset tantæ virtutis, id est tantæ capacitatis gratiæ, quanta fuit illa; tantam illi dedisset. (Anselm. Lib. de Cõcept. virgi. cap. 18.)

RESOLVTIO.

In statu primo plures masculi quam fœminæ generarentur, & ratione numeri electorum complendi, & ratione naturæ, semper quod melius & nobilius est appetentis.

¶ RESPON. quod huiusmodi quæstiones, quæ nõ probantur autoritatibus, neq; rationib. euidentibus, licet curiosæ videantur, non sunt paruæ vtilitatis: vnde Hug. vbi ponit quæstionem de qualitate genitorum in statu innocentiæ, dicit: *Quæ nec autoritas probat, nec ratio arguit manifesta, inter dubia relinquuntur: tamen etiã ista non inutiliter aliquando in quæstionẽ admittuntur: vt vel inueniatur, q̃ verum est: vel saltem, q̃ falsum est, non credatur.* Et de hac quæstione diuersi diuersa sentiunt. ¶ Quidam n. sentiunt: q̃ si stetissent parentes nostri, q̃ æqualis fuisset multiplicatio virorũ & mulierum: & huius tales ponunt rationes. Vna est ex parte finis, ad quem, sc. talem: quia distinctio sexuum esset propter multiplicationem generis humani & cõpletionem numeri electorũ, & illa multiplicatio ad oẽs spectaret; & hoc solum sdm legem matrimonij, in qua vni vna erat vnius; necesse est, si stetisset natura, tot fuissent mulieres, quot viri: cum nulla mulier careret viro, & nullus vir careret vxore, nec vna esset pluriũ, nec plures vnius. Aliam ponunt ex parte principij, sc. talem: cum multiplex sit ratio, quare variatur generatiua in actu generandi; vna sumitur ex parte animæ: vis n. generatiua multũ conformatur accidentib. animæ & imaginationibus: sdm quod per experimentũ patet: nam ex memoria delectationis frequenter fit excitatio pruritus carnis: & ex imaginatione forti in somno fit effusio seminis, sicut ad præsentiam mulieris: & vis formatiua, quæ est præcipua virtus in semine, multũ adiuuatur ab imaginatiua: secundum q̃ exempla ponuntur, & sunt in sacra scriptura, & in medicina: vt patet in ouibus Iacob. Gen. 30. & hoc asseritur ibid. in glo. & exemplis ostenditur. Dicit n. sic: *Nec mirũ hanc in conceptu fœminarũ esse naturã, vt qualem conspexerint, sic mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt sobolẽ procreent*: & hoc ipsum in equorũ gregibus, & apud Hispanos dicitur: q̃ Quintilianus in sua conuersia, qua accusatur matrona, quod Æthiopẽ peperit, pro defensione illius argumentetur, hanc conceptuũ esse naturam, q̃ supra diximus: & scriptũ reperitur in Libris Hippocratis, q̃ quædam suspitione adulterij fuerat punienda, cum pulcherrimum peperisset, vtriq; parenti, generiq; dissimilẽ: nisi memoratus medicus soluisset quæstionẽ: monens quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo; qua inuenta, mulier à suspitione liberata est. Nõ solum aũt variatio generationis accidit à parte virtutis animalis mouentis & imaginantis in statu naturæ lapsæ: sed in statu institutæ potius. Tempore n. naturæ institutæ, in quo corpus subiectũ erat animæ, cum vir intenderet generare virum; ex hoc q̃ imaginaret virũ: vigoraretur virtus naturalis in agendo, & esset semen maioris virtutis, & generaretur sexus vigorosus, siue masculus: qñ vero vellet, & imaginaretur sexum fœmineũ, tunc minus forti impressione ageret in naturam inferiorem corporalẽ: & tunc semen esset minus forte, & generaretur sexus fœmineus. Et ideo in tpe naturę institutę generatio maris & fœminæ subesset voluntati rõnali. Et qm̃ dictaret rõ omnia facienda esse ordinate, & tot producere mulieres, quot viros; & quilibet vir haberet adiutoriũ sibi simile secundum exigentiam legis matrimonij; ideo tunc viros & mulieres produceret in numero æquali. Nunc aũt, quia generatiua non omnino subest virtuti animali, siue imaginatiuæ, neq; ẽt rationali; licet ei aliquo modo conformetur: sed magis variatur, propter alias causas, quæ in alijs scientijs determinantur: hinc est, quod non est certa determinatio numeri in viris, nec in mulieribus generandis. His ergo rationibus dicunt, quod si stetisset homo, in æquali numero fieret multiplicatio virorum & mulierum.

(Hugo de sacramentis lib. par. 6. c. 22. — Glos. ordinaria, & est Gl. B. Hieronymi.)

¶ Hanc

¶ Hanc ergo suscipientes opinionē, ad obiecta in contrarium sic possunt respondere: Ad illud ergo, quod primo obijcitur, quod fœmina dicitur mas occasionatus. Dicendum, quod Philosophus non vult dicere, quod fœmina sit præter naturæ intentionem, sed quod virtus naturæ aliquem defectū habet in productione mulieris respectu productionis viri: ille aūt defectus nō repugnat ordini naturæ; sed potius saluat. Secundum n. ordinem naturæ sicut producuntur in eodem corpore quædam membra magis fortia, quædam minus: sic producuntur in eadem specie, quædam indiuidua vnius sexus, quædam alterius. Et licet ille defectus, qui ordinem naturæ corrumpit, vtpote est ille, qui est causa defectus membri, vel bonæ complexionis, sit præter naturæ intentionem: generatio tamen mulieris non est præter naturam, nec contra naturam, sed secundum nām. Ad aliud, quod obijcitur: ꝙ natura semper desiderat illud, quod melius est. Dicendum, quod non intelligitur, quod semper desideret melius simpliciter, sed melius in ordine: licet autem sexus masculinus melior sit in se quam fœmineus; non tamen esset ita sufficienter salus naturæ in solo virili sexu, sicut est in virili & muliebri: & ideo natura desiderat magis vtrumque quam alterum solum. Ad illud, quod obijcitur: quod semen viri prædominabatur semini mulieris, &c. Dicendum, quod hoc verum est: nunquam enim (propriè loquendo) semen mulieris prædominatur semini viri: quandoq; tamen semen viri adeo debilis virtutis est, quod magis est idoneum ad productionem mulieris, quā viri. Sicut enim vult Philosophus, principaliter mouens in generatione, siue viri, siue mulieris, est semen virile. Et ideo semen mulieris (propriè loquendo) semini viri non prædominatur: dicitur tamen prædominari propter debilitatē seminis virilis, quia accedit ad conformitatem seminis mulieris. Licet tamen hoc non accidisset in statu naturæ conditæ secundum naturam, vt erat natura: tamen quando vir imaginaretur, & vellet generare sexum fœmineum, tunc minus forti impressione ageret in naturam maiorem corporalem: & tunc semen esset minus forte ratione prætacta, & generaretur mulier. Et per hoc patet responsio ad aliud quod obijcitur de fortitudine caloris & virtutis: gradus enim ibi fuissent secundum ordinem rationis, & secundum exigētiam finis: ita quod vir aliquādo operaretur actione magis fortificata in productione viri, & aliquando minus fortificata in productione mulieris.

¶ Aliqui aūt existimant, quod mulier semper geminos conciperet: ita quod pars dextra attraheret, quod est magis virtutis de semine ad generationem viri: & pars sinistra, quod est virtutis debilioris ad generationem fœminæ. Secundum istos facile est ad ea, quæ obiecta sunt, respondere. Sed quia hoc non videtur consonum rationi: ideo modus soluendi præhabitus magis videtur tenendus.

Philos.

¶ Alij autem sentiunt, sc. quod plures genuissent filios, quam filias; hac ratione, vt habetur ab Aug. *Completo numero electorum, danda erat illis vita angelica, quæ est vita perfectæ beatitudinis*: sed sicut habetur ab Aug. data fuit mulier viro in adiutorium ad filios procreandos: dicit enim: *Non inuenio, ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur.* Sed constat, quod geniti ex vltimis parentibus, ex quibus genitis compleretur numerus electorum, nuptijs non vterentur: ergo nulla fuit necessitas viro adiutorij mulieris: ergo cessare debuit procreatio mulierum: nec deberet aliqua generari ab vltimis parentibus, sed viri solummodo. Item, natura semper appetit producere id, quod est nobilius in genere suo: & maxime natura bene ordinata: & si quandoq; appetit producere id, quod minus nobile; hoc est, quatenus est ad id, quod nobilius. Vnde si natura instituta appeteret producere mulierem; hoc fuit, quia mulier deberet esse adiutorium viro ad saluandum ipsum in consimili: cessante ergo necessitate huius adiutorij, sicut fuisset in productione vltimo genitorum, nullus erat appetitus naturæ, vt mulier generaretur; ergo nullus vltimo genitorum debuit esse mulier. Item, hoc idem potest ostendi per appetitum & voluntatem generantium: irrationalis enim esset eorum appetitus & voluntas, si cessante causa, quare mulier erat data viro, appeteretur eius productio in esse, & non potius viri, qui esset nobilioris conditionis & dignitatis maioris. Si ergo in statu innocentiæ neq; ex parte naturæ vt esset natura; neq; ex parte naturæ vt esset rationabilis, fuisset deordinatio in appetitu, neque frustratio in affectu; videtur quod vltimo generantes tantum filios genuissent, vel saltem plures.

Aug. 14 de ciuit. Dei. cap. 10
August. 9. super Genes. cap. 3. & 5.

¶ Si autem diceretur, quod & tunc debuit natura appetere, quod generaretur mulier: quia melius saluaretur in vtroque sexu, quām in virili tantum. Hoc supposito, saltem deberet appetere, quod persona virilis sexus frequentius generaretur: cum melius saluaretur natura humana in eo tanquam in nobiliori, & digniori, quam persona sexus muliebris: & ita plures fuissent mares, quam fœminæ.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur: quod natura sic processisset in generando, quemadmodum eam Deus instituit, &c. Dicendū, ꝙ hoc verum est ex parte generantium, non autem ex parte generatorum. Sicut enim Deus instituit æquales diuersi sexus ad multiplicandum consimiles in specie: similiter processisset natura in generando æquales diuersi sexus; quoadusque sufficerent ad multiplicandum numerum electorum. Vnde natura processisset in generando æquales in diuersitate sexus vsque ad vltimos generantes (vsque dico inclusiue) ad illos tantum spectabat illud præceptum. *Crescite & multiplicamini.* Genes. 1.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod generatio non poterat continuari nisi per masculum & fœminam, &c. Iam patet responsio, quia natura intenderet virum & mulierem, quatenus personæ essent necessariæ ad generandum & multiplicandum electos: sed illis sufficientibus, satis probabile videtur, quod intenderet illum sexum, qui est nobilioris dignitatis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod sicut vir intendit, & tunc intenderet in consimili se saluare in viro, sicut mulier in muliere, &c. Dicendum quod hoc non est generaliter verum: natura enim in muliere, quatenus potest, intendit sexum nobiliorem, & tunc intenderet, nisi subesset voluntati rationali. Vnde sufficientibus personis ad multiplicationem numeri electorum, consonum est rationi, voluntatem rationalem velle magis fieri generationem personarum sexus nobilioris, & idem appeti à natura obediente eidem.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod in illo statu sicut quilibet comederet, ita quilibet generaret. Dicendum, quod hoc est falsum: non enim intenderet quilibet saluari in alio, sicut in se: cum necessariū esset, secundum diuinā prouidentiam & dispositionem generationem stare: suppositio enim propositionis ponit generationem illius status processisse in infinitum, quod simpliciter est falsum.

¶ Ex his patet, rationes assignatas pro alia parte non esse magnæ efficaciæ. Ratio aūt posita ex parte finis ponit multiplicationem actiuam spectare ad omnes: quod falsum est: quia ex hoc sequitur generationem debere procedere in infinitū. Similiter patet de alia sumpta ex parte principij; cum existentibus personis, quibus intenderet secundum diuinam dispositionem numerum complere electorum, deberet voluntas rationalis velle tales generari, qui essent nobilioris conditionis, & maioris dignitatis.

¶ Hæc autem opinio videtur probabilior, & magis consona rationi, & illius status nobilitati conueniens.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod plures fuissent mulieres: quia sexus deuotior, &c. Dicendum, ꝙ & si sit sexus deuotior: sexus tum virilis est fortior & constantior, sexus muliebris debilior: de facili n. assurgūt ad bonū, & de facili labuntur: viri n. licet cum maiori difficultate assurgant, constantius stant: perfectio autem gratiæ est potius à constantia in stando, quam à facilitate in assurgendo. Vnde illud bonum, quod est deuotio in sexu muliebri, recompensatur maiori bono in sexu virili. Ad illud verbum Anselm. *Decens erat, vt ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi*, &c. Dicendum, ꝙ est intelligere in intellectu; & est intelligere in re. Intelligere in intellectu est respectu veritatis, quæ potest esse: intelligere in re, respectu veritatis, quæ est. Quod ergo dicitur, quod maior puritas nequit intelligi, hoc debet intelligi in re. & hoc datur intelligi per hoc, quod dicitur [*nequit*] nequit enim intelligi, im- Anselm.

portat

portat non quid intelligi. Secundum enim veritatem nulla creatura peruenit ad Beatæ Virginis puritatem: nulla enim creatura pura habuit maiorem puritatem quantum ad illam puritatem, quæ est per elongationem à peccato, nec quantum ad illam, quæ est ex perfectione virtutum. Habebat enim omnes virtutes in plenitudine: quia prærogatiuam in omnibus virtutibus: propter quod dicebatur plena gratia secundum Hieronymũ, qua plenitudine solum illa, quæ fuit Christi, maior erat. Quantum ad puritatem, quæ est ex vnione per charitatem cum Deo; nulla pura creatura ad eius peruenit puritatem: propter hoc nulla intelligitur fuisse maior puritas illa, quæ fuit Beatæ Virginis. Vtrum autem Deus posset facere puram creaturam præditam maiori puritate, & intellectus capere; * quæ nouit finito addere finitum, & sic multiplicare quasi in infinitum, non distinio.

*Alias, qui

Idem Ans.

¶ AD ILLVD, quod subiungitur: *quod qui vnicuique dat secundum propriam virtutem, dedisset alij,* &c. Dicendum, quod virtus non intelligitur ibi, secundum quod est in sola potentia siue aptitudine capacitatis; sed secundum quod est in effectu operationis, vel præparando, vel operando: nũquam enim subtrahit dominus beneficium collationis gratiæ: quin semper conferat plus & plus, secundum quod aliquis plus & plus operatur, vel præparando se ad recipiendum gratiam, vel cooperando ad augmentum gratiæ receptæ. Quia ergo Beata Virgo efficacissime & excellentissime operabatur in præparando, & cooperando; dominus illi infudit gratiam abundantissime: nec alicui alij tantam: quia nullus ita effectus est dignus operatione præparationis, vel cooperationis.

QVÆSTIO XC.

De gratia primorum parentum.

In duo Membra, & in quinque Articulos diuisa.

D. Tho. 1. part. q. 95. S. Bon. int. d. st. 29. Sẽ ibid.

DETERMINATO de primo homine quantum ad passibilitatem naturæ, & etiam quantum ad prolis propagationem: sequitur determinare de ipso quantum ad adiutorium gratiæ. ¶ Primo ergo quæritur de gratia in conditione data. Secundo de gratia superaddita.

MEMBRVM I.

De gratia primis parentibus in sui conditione data.

DE PRIMO quæruntur tria. Primum est, vtrum primus homo conditus fuit in gratia & virtutibus: aut in solis naturalibus. Secundo, vtrum potuit stare ex accepto in sui conditione. Tertio, vtrum ex accepto potuit proficere.

ARTICVLVS I.

An Adam in solis naturalibus, vel etiam in gratuitis, hoc est, in gratia & virtutibus conditus sit?

QVÆRITVR ergo primo, vtrum primus homo conditus fuit in gratia, siue virtute. Quod sic, videtur: circa susceptibile contraria sunt immediata virtus & vitium, vel charitas & cupiditas: ergo alterum semper inest susceptibili; nisi impediat tempus determinatum à natura: sicut licet cæcus & videns sint contraria immediata: tamen neutrum inest catulo ante nonum diem. Sed spiritus rationalis non subiacet tempori, sed est quasi in horizonte æternitatis & temporis: ergo alterum contrariorum, quæ sunt secundum ipsum, scilicet charitas vel cupiditas, semper inest ei. Sed non cupiditas; tunc enim non fuisset status innocentiæ, sed peccati: ergo charitas.

¶ ITEM, Deus de sua summa liberalitate dat cuilibet gratiam secundum eius capacitatem. *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem*) sed anima Adæ statim creata & infusa corpori virili, non puerili, apta fuit respectu gratiæ: ergo statim habuit gratiam. Quod autem statim vt creata est, fuit apta respectu gratiæ, patet: non enim fuit imperfectior quam anima pueri baptizati, cum creatus fuerit in statu virili, & corpore incorrupto. Nec potest dici quod non obtulit statim gratiam: alioquin non esset summe bonus. *Qui dat omnibus affluenter.* Ergo cum Deus offerret ei gratiam; si

Matth. 25

Iob. 1.

noluit recipere; innocens non fuit (vt enim dicit August. *vera innocentia est, qua quis nec sibi, nec alij nocet*) & si innocens fuit, statim recepit: quia aptus ad recipiendum fuit.

August.

¶ ITEM Ansel. *Ideo homo non habet gratiam; non quia Deus non dat: sed quia ipse non recipit.* Dicitur autem non recipere, eo quod non præparat se ad recipiendum. Sed nulla est melior præparatio ad gratiam recipiendam, quam pura innocentia, & recta voluntas: hæc autem semper fuit in primo homine ante lapsum; ergo semper habuit gratiam ante lapsum, hoc esse non posset, nisi esset conditus in gratia: ergo &c. ¶ ITEM, Deus fecit creaturam rationalem, id est, hominem ad habitandum in ea: & hoc est quod ipse Deus vult, scilicet habitare in ea. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum:* habitare autem eius est per gratiam: quod autem non inhabitet, prouenit ex aliquo vitio ex parte illius, in quo vellet habitare: sed in primo homine nullum erat vitium: imo omnimoda idoneitas ad gratiam: ergo &c. ¶ Item, velle est actus voluntatis, quem ipsa semper exercet; sicut lux lucere: vnde voluntas primi hominis statim actum volendi exercuit: sed illud vel fuit boni, quod esse non potest sine gratia: vel mali, quod non potest esse sine culpa: ergo &c. ¶ Item, vt dicit Magist. 2. Sen. & Hug. triplici cognitione præditus fuit primus homo, creatoris sui, & suipsius, & rerum propter seipsum factarum: vt quid deberet superiori, quid æquali, quid inferiori, non ignoraret. Hæc autem cognitio non poterat esse sine dilectione: aut ergo diligebat se propter se, aut Deum propter Deum, aut se propter Deũ, aut Deum propter se. Si diligebat se propter se: ergo creaturæ, scilicet sibi inhærebat propter se: ergo per diffinitionem eius quod est frui, fruebatur creatura: hoc autem est peccatum. (Dicit enim August. *omnis humana peruersio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui.*) Si se propter Deum, hæc dilectio est perfecta charitas: vt habetur à Ber. in Lib. de Amore, & similiter de Diligendo Deo. Si Deum propter se, ergo se magis: vnumquodque enim propter quod & illud magis: hoc autem est peccatum. Si Deum propter Deum, hæc dilectio est charitatis: & ita necessario sequitur, quod aut habuit charitatem, aut erat in peccato: & ita vt prius.

Ansel.

P. ouer. 8.

Magist. 2. Sent. Hug. 1. de Sacrã. Par. 6 c. 12

Aug. in lib. 83. qq.

Bern. in libro de amore.

1 Posterio Tex. 15.

¶ ITEM, vt ostendit Philosophus *actu melior est potentia:* & ideo cum aliquid est in actu, melius est, quam cum fuerit in potentia tantum. Ergo cum voluntas in statu innocentiæ potuerit in aliquem actum bonum, melior fuit voluntas Adæ exercens illam actionem, quam non exercens: ergo cum nihil faciat se melius, non potuit potentia illa exire in actum, nisi adiutorio melioris educentis eam in actum: nihil autem in creaturis melius voluntate, præter gratiam: ergo tantum per gratiam Dei adiuuantem potuit tunc voluntas in suum actum. ¶ Item, diuina bonitas, quæ summa est; ita apta est diffundere se ad creaturas perficiendum spirituales, vt ad perficiendum corporales: & non minus hoc illi congruit. Sed constat quod primus homo conditus fuit perfectus in corpore: à simili videtur quod perfectus factus fuit in anima: animę enim perfectio est ab informatione gratiæ: ergo &c. ¶ ITEM, anima primi hominis condita fuit in perfectione scientię: vnde Hug. ipse primus homo & secundum staturam corporis, & secundum statum mentis perfectus mox conditus est. A simili videtur, quod in perfectione virtutis, vel gratiæ: vel quare non?

Philos. 9. Metaphy s Tex cõ. 19

¶ ITEM, illa, quæ fecit Deus propter hominem sustentandum, fecit perfecta & completa in genere suo: vnde arbores perfectas fecit, & fructu abundantes: quod patet per hoc quod exposuit illas humano vsui, homine formato. *Ex omni ligno paradisi comedetis &c.* Ergo cum maior fuerit cura Deo de homine, & de eius perfectione, quam de perfectione huiusmodi creaturarum; videtur quod fecit hominem perfectum scientia & virtute, penes quæ attenditur eius completio.

Genes. 2.

¶ ITEM. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* sed (sicut exponit August. & habetur. 2. Sent. di. 16.) imago est in naturalibus, similitudo in gratuitis: ergo homo conditus fuit in naturalibus, & in gratuitis.

Genes. 1.

Aug. & 2. Sentent.

¶ ITEM, *Deus de terra creauit hominem, & post vestiuit illum virtute.* Ergo à primaria sui conditione fuit vestitus virtute.

Eccles. 17.

naturalia non meretur laudari, vel vituperari; illi statui neque virtus neque vitium debet attribui. Et propter hoc potest dici, quod homo in illo statu, qui fuit pure naturalis: neque debuit dici habere vitium, neque virtutem: in alijs autem statibus, qui currunt per distinctionem meriti & præmij: dicendus est quilibet habere virtutem, vel vitium: status enim illi digni sunt laude, vel vituperio: quia respiciunt meritum vel demeritum.

¶ Ad illvd, quod subditur: quod anima rationalis non subiacet tempori &c. Dicendum, quod licet non subiaceat tempori secundum substantiam, subiacet tamen secundum actum. Vt enim dicit Philosophus, *est aliquid, quod secundum substantiam & actum est in momento æternitatis: aliquid, quod secundum substantiam & actum est in momento temporis: aliquid, quod secundum substantiam est in momento æternitatis, secundum actum in momento temporis: & hoc est anima rationalis.*

Philos.

¶ Ad alivd, quod obijcitur: quod Deus dat omnibus secundum sui capacitatem, quia dat vnicuique secundum propriam virtutem &c. Dicendum, quod capacitas siue virtus, secundum quam Deus dat vnicuique; non est in sola potentia vel aptitudine: sed in præparatione & dispositione per motum liberi arbitrij: quæ quidem præparatio, siue dispositio cadit in genus meriti, scilicet de congruo. Cum his intelligendum est, quod licet dominus sit summe liberalis: sua tamen liberalitas in nullo præiudicat ordini suæ sapientiæ, immo liberalis est saluo ordine sapientiæ & iustitiæ. Quamuis enim ab instanti creationis cuiuslibet hominis posset eum beatificare, tamen longo tempore tardat: similiter quamuis posset cuilibet paruulo gratiam dare sine baptismate, sicut cum baptismate: tamen non dat: & ratio huius est, quod gloria est bonum laudabile, ideo non dat nisi per meritum laudabile: & ideo conuenit eam dare præcedente aliquo merito. Similiter quando confert gratiam, si confert adulto, cum gratia faciat habentem dignum gloria; non confert nisi ad motum liberi arbitrij, si habet vsum: si vero non habet; confert ad motum fidei alienæ, siue ad meritum Christi: ideo secundum ordinem sapientiæ non statim debuit eis dare, sed expectare motum liberi arbitrij: quod & fecit. Patet ergo responsio ad illud, quod obijcitur de libertate & habilitate: quia non tantum exigit innocentiam vt dispositionem, sed motum liberi arbitrij in adulto: paruulo vero potest alienum meritum suffragari, sicut demeritum nocere.

¶ Ex hoc patet responsio ad aliud, quod sequitur: quia licet anima Adæ fuerit in pura innocentia, & recta voluntate: tamen quia hæc illi erant, quasi naturaliter insita, siue naturæ à primaria conditione indita; vt habetur ab Hugone: non erat sufficienter præparata: sed requirebatur, vt processu temporis disponeretur motu lib. ar. in Deum, & bono vsu gratis datorum: quo facto congruebat, vt gratuita gratum facientia apponerentur.

¶ Qvod autem dicitur, quod nulla est melior præparatio quam pura innocentia & recta voluntas. Dicendum, quod hoc verum est, quando hæc insunt per motum liberi arbitrij, siue vsu rationis disponente & præparante ipsam animam, & efficiente illam dignam, dignitate congruitatis.

¶ Ad alivd, quod obijcitur: quod Deus non inhabitet animam, hoc prouenit ex vitio aliquo, &c. Dicendum, quod hoc non est generaliter verum: nisi extenso nomine defectus dicatur vitium. Vnde in primo homine causa, quare statim non inhabitauit Deus animam illius, fuit defectus gratiæ, non vitium aliquod: secundum quod vitium proprie sumitur, sc. pro culpa.

¶ Ad illvd, quod obiicitur: quod velle boni non potest esse sine gratia &c. Dicendum, quod hoc verum est, secundum quod bonum dicitur meritoriũ: sicut enim dicit Hugo, *ad bonitatem & iustitiam exequendam naturali appetitu trahebatur primus homo*: ex quo patet quod potuit velle bonum sine gratia.

Hugo.

¶ Ad illvd, quod obiicitur de multiplici dilectione sui & Dei Dici potest, quod duplex est dilectio: voluntaria pure naturalis: & voluntaria, quæ non est pure naturalis, sed est deliberatiua: & vtraque respectu sui & respectu Dei. Voluntaria naturalis respectu sui est, qua summe quis diligit se ipsum, & sui conseruationem: & illud semper magis, quod magis est necessarium sibi adesse; vt caput, quam manum, vel pedem: hac dilectione moti, exponimus alia membra pro capite: & hæc dilectio curua est: & est communis nobis & brutis. Respectu Dei est dilectio naturalis, qua diligimus summum bonum: hæc autem dilectio est naturalis: dicit enim Boetius, quod amor & notitia summi boni naturaliter fuit insetta animæ humanæ. His dilectionibus non meretur quis, neque demeretur: quia naturali appetitu trahitur homo ad hæc.

Boetius.

¶ Item, est dilectio voluntaria deliberatiua, quæ diuiditur in concupiscentiam & amicitiam. Dilectio amicitiæ est, qua appetimus bonum illi, quem diligimus propter ipsum: secundum quod dicit Philosophus, quod diligimus amicos propter se, & si * nihil debeat nobis ab ipsis esse. Dilectio concupiscentiæ, qua quis affectat bonum, quia sibi bonum, vel delectabile. Vtroque modo diligitur Deus: primo modo ex consideratione beneficiorum eius: quibus consideratis, appetitur ei bonum; & si nihil boni debeat inde prouenire appetenti, secundo modo cogitata suauitate illius, appetitur & affectatur dulcedo illius, & delectari in illo. Huiusmodi autem delectationem quærere in illo propter se, non est peccatum: quærere autem in alio est peccatum: propter se dico. Potest ergo dici, quod primus homo diligebat se propter se, scilicet amore amicitiæ, non amore concupiscentiæ: sic autem diligere se propter se, non est frui: quia frui se est delectari in se: quod est delectationis concupiscentiæ. Vtroque istorum modorum poterat primus homo diligere Deum, scilicet dilectione amicitiæ & concupiscentiæ: nec oportet illum habuisse charitatem, siue virtutem aliquam gratum facientem: quia naturali dilectione poterat iis duobus modis moueri in Deum.

Philos.
*Alias, nihil boni.

¶ Ad cuius euidentiam nota, quod motus dilectionis, siue dilectio aliter est gratiæ, aliter est naturæ. Naturæ vero est, & maxime institutæ ex quadam habilitate & rectitudine respectu boni: gratiæ vero est, inquantum captiuatur affectus in obsequium Christi diligendo: sicut intellectus per fidem, siue credendo. Tunc autem captiuatur intellectus in obsequium Christi, quando contra id, quod dictat ratio; assentit primæ veritati: sic & affectus quando id, ad quod diligendum naturaliter inclinatur; amore Christi paratus est odire, vel econuerso: vt quando ad id, quod odiendum naturaliter inclinatur; paratus est amare: & talis est affectus, qui contemnit honores, diuitias, & omne delectabile carni: & amat odientes se & persequentes propter Deum: & huiusmodi affectus non est à natura, sed solum à gratia: non tamen in statu naturæ conditæ fuisset ista dilectio.

¶ Alia est differentia, quod quandoque dilectio est à cognitione naturali, & illa similiter est naturalis: alia est à cognitione fidei. Et differt hæc cognitio ab illa: quia cognitio naturalis cognoscit Deum summe bonum propter diffusionem suæ bonitatis in effectibus causatis: sed fides dictat Deum summe bonum propter cõmunicationem suæ bonitatis in diuinis personis. Et vtraq; cognitio dicit Deũ summe bonum & summe diligendum: sed melius fides, siue cognitio gratuita. Per hunc modum vtraque dilectio est summa respectu Dei: sed modo nobiliori dilectio gratuita.

¶ Alia est differentia: quia dilectione naturali diligit Deum animus, siue affectus rectus, quia bonus sibi: & ideo summe diligit; quia sibi summe bonus: & omne bonum quod est, & quod habet, ab ipso est: & nihil esset, nisi per ipsum: ideo plus illum diligit, quam se ipsum. Sed dilectione gratuita diligit quis Deum; quia simpliciter bonus: & quia summe bonus, summe diligit: & quia ipse homo non est bonus, nisi inquantum est ad Deum: diligit se propter Deum, sc. dilectione gratuita. Et sic triplex est differentia: prima est à parte modi diligendi: secunda à parte cognitionis disponentis, siue principii: tertia à parte motiui. Et sic patet, quod primus homo poterat diligere Deum dilectione naturali; ratione qua erat in optima habilitate & rectitudine naturali respectu boni: & ratione qua habebat co-

gnitionem naturalem bene disponentem ad hoc; & ratione qua Deus erat sibi summe bonus, non tamen hoc poterat dilectione gratuita, quam concomitantur tres differétiæ oppositæ.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod melior fuit voluntas Adæ exercens aliquam actionem &c. Dicendum, quod voluntas non solum est vis, siue virtus actiua: sed est quasi instrumentum respectu mouentis sui: vt enim dicit Ansel. voluntas est instrumentũ se ipsum mouens: propter quod nihil est ita in potestate hominis sicut sua voluntas: propter quod à sua natura siue virtute naturali potest exire in actum. Quod actum dicit Philosophus, *melior est actus, quã potentia*. Dicendum, quod hoc verum est, per se loquendo. Similiter voluntas est melior exercens aliquam bonam actionem (per se loquendo) quam ipsa cessans ab eadem. Quod autem dicitur, quod non potest facere se ipsum melius. Dicendum, quod hoc verum est, præcise loquendo secundum quod [*melius*] dicit comparationem in merito, siue in gratuitis: sed necessario requiritur adiutorium gratiæ. Cum enim sit bonum triplex, honestum, vtile, & expediens: secundum quod [*melius*] dicit comparationem ad bonum honestum, non potest aliquis sine adiutorio gratiæ facere se meliorem: potest tamen, secundum quod [*melius*] dicit comparationem respectu boni vtilis, vel expedientis.

Philos.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod diuina bonitas ita apta est diffundere se ad perficiendum creaturas spirituales &c. Dicendum, quod hoc verum est, saluo ordine diuinæ sapientiæ: quod autem congrueb it diuinæ sapientiæ dilatio perfectionis gratuitæ similiter & diuinæ maiestati, ex dictis patet. Præterea, diuina bonitas ea perfectione perfecit primum hominem quantum ad animam, qua animam, qua quantum ad corpus: quia vtrunque perficiebat perfectione naturali: siue quantum ad ea, quæ requirebat perfectio naturæ. vnde patet quod ratio illa nulla est.

Quæst. im mediate sequenti.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur: quia non fuit similis ratio dilectionis perfectionis eius, quantum ad scientiam, & quantum ad virtutem. Multiplex enim fuit ratio dilationis perfectionis quantum ad virtutem, vt ex dictis patet: quarum nulla fuit dilationis perfectionis quantum ad scientiam: ideo multis rationibus cógruebat, vt statim conditus fuisset præditus scientia, vt infra patebit. Præterea addendum ex prædictis, quod non est simile de perfectione ætatis & cognitionis, & de perfectione virtutis: perfectio enim ætatis & cognitionis non tantum elógatur à perfectione naturæ, sicut perfectio gratiæ. Homo enim per vim naturæ sibi inditam, potest peruenire ad perfectam ætatem, & potest proficere ad cognitionem: sed nunquam per se potest homo in perfectionem gratiæ: immo requiritur necessario, quod infundatur à domino.

Quæst. 92. Memb. 1.

¶ Ad illud quod obijcitur de perfectione illorum, quæ erant ad sustentandum hominem, id est, arborum. Dicendum, quod non fuit ratio similis harum, & illius: istarum enim non erat, nec debuit esse nisi vnica perfectio, scilicet naturalis: hominis autem secundum animam triplex, scilicet naturalis, gratiæ, & gloriæ: quæ debebant rationibus prætactis discerni, & secundum temporis & status opportunitatem distingui.

¶ Ad illud, quod obijcitur de illo verbo. *Faciamus hominem ad imagi. &c.* Dicendum, quod similitudo attenditur ibi in gratuitis gratis datis. Vel dicendum, quod Deus dicitur fecisse hominem ad suam imaginem & similitudinem; non quia statim cum dedit ei imaginem, simul etiam dederit similitudinem: sed quia alterum dedit, scilicet imaginem, & ad alterum habilem fecit, videlicet ad similitudinem: quam postmodum pro loco & tempore ei dedit. Et quantum est ex vi verbi, non potest concludi, quod simul & semel fuit in homine imago Dei & similitudo.

Genes. 1.

¶ Et per hoc patet responsio ad duas auctoritates sequentes, Eccli. videlicet, & Damascen. quia sic intelliguntur, non quia Deus statim vt condidit hominem, virtute vestiuerit & ornauerit: sed quia tunc dispositum fecerit, & non longe post tempore compleuit.

ARTICVLVS II.

Si primus homo stare poterat ex accepto in sui conditione?

Seqvitvr inquirere, Vtrum poterat stare ex accepto in sui conditione. De quo quæruntur tria.

¶ Primum est, vtrum ex accepto potuit stare simpliciter.

¶ Secundum, vtrum ex illo accepto fuerit inuertibilis.

¶ Tertium, vtrum potuit illi dari inuertibilitas, per naturam scilicet, sine additamento gratiæ.

An Adam simpliciter stare potuit ex iis, quæ in prima sui conditione acceperat. §. 1.

¶ Qværitvr ergo primo, Vtrum ex accepto in sui conditione poterat stare simpliciter. Quod autem sic, videtur ex verbis Magistri. Dicit enim. *Secundum est, quod homini in creatione datum est per gratiam auxilium, & collata potentia per quam stare poterat, id est non declinare ab eo, quod acceperat sed non poterat proficere intantum, vt per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret.* Et ad hoc ostendendum plures inducit autoritates. Dist. allegata cap. 1. Magist. 2. Sẽt. dist. 24

¶ Item, Anselmus *liberum arbitrium est potestas seruandi rectitudinem propter se*: sed seruando rectitudinem, non declinasset ab eo, quod acceperat: ergo cum in conditione datum fuerit ei liberum arbitrium &c. Ansel.

¶ Item, *si non posset stare, cum nullus peccet ex eo, quod vitare non posset*: vt habetur ab August. si cecidisset, non esset illi imputandum ad culpam: sed constat, quod hoc est falsum. Aug. de lib. arbitrio.

¶ Item, natura nulli dat esse, quin etiam det ei aliquam potentiam permanendi: cum non deficiat in necessarijs. Vnde sicut aliquid naturaliter propagatur, sic etiam in naturali virtute in esse conseruatur. Si ergo liberum arbitrium homini datum, per naturam propriam innocens erat, & immune à culpa: ergo per naturam propriam, absque omni gratia permanere poterat in sua innocentia: ergo, &c.

¶ Item, Voluntatis rectitudo solo actu seruatur: qui enim rectus est, obliquus esse non potest, quamdiu ipse vult esse rectus. Sed nihil tam est in voluntate nostra, quam ipsa voluntas: nihil facilius homini recto, quam velle rectitudinem. Si ergo liberum arbitrium, quantum est de sua conditione primaria, rectum erat: absque omni gratia superaddita rectitudinem seruare poterat: ergo &c.

¶ Contra. *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur* (dicitur de *Behemoth*) ex quo patet, quod nulla potestas naturalis est potestati suæ comparabilis: ergo homine habente solummodo naturalia, in quibus conditus erat; fortior erat diabolus: ergo ex accepto in conditione non poterat primus homo illi resistere: sed illo impetente, necesse habuit cadere. Iob 41.

¶ Item, August. *Natura humana & si in illa integritate, in qua condita est, permaneret: nullo modo se ipsam sine creatore adiuuante seruaret.* Ex hoc patet, quod sine gratia stare non potuit. August. de gratia & vera innocentia.

¶ Item, si virtute propria posset homo absque omni gratia tentationi resistere; potuisset etiam de inimico obtinere victoriam: sed victoriæ respondet corona; ergo absque omni gratia potuisset mereri, & peruenire ad gloriam: quod si euidenter falsum est, restat &c.

¶ Item, maioris difficultatis est resistere tentationibus, quam opera virtutum exercere. (Hoc bene nouerunt experti difficultatem tentationum) ergo maioris difficultatis est stare in bono accepto, quam in bonum acquirendum proficere: si ergo non poterat tunc proficere, &c.

¶ Item, vitiũ culpæ nõ opponitur naturæ per se, sed potius

gratiæ: similiter vitium naturæ non opponitur gratiæ per se, sed potius naturæ: ergo est similis comparatio vitij culpæ ad gratiam, & vitij naturæ ad naturam: & permutatim scilicet naturæ ad gratiam, & vitij naturæ ad vitium culpæ. Ergo si per gratiam, siue gratuita nō potest quis stare, quin labatur in vitium naturæ: ergo consimili ratione nec per naturam aliquam, siue naturalia quæcunq; potest quis stare, quin labatur in vitium culpæ. Ergo primus homo per naturalia non poterat stare, quin caderet in culpam.

RESOLVTIO.

Adam ex acceptis in conditione sui, & stare potuit, & Diaboli tentationi resistere: tametsi non vincere. Nec ita vt excludamus continuam influentiam virtutis diuinæ, sed nouam ab illo appositionem gratiæ.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod primus homo ex acceptis in conditione poterat stare, & resistere omni tentationi: sicut habetur à Magistro Sent. Nec oportebat illū cadere, nisi vellet. Vnde August. *Tunc dederat Deus homini bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat: qui fecerat rectum; dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius reliquit libero arbitrio.* Posset ergo permanere, si vellet: quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet. Cum hoc autem intelligendum (sicut supradictum est) quod primus homo conditus fuit in gratia; eo modo quo gratia dicitur communiter, scilicet secundum quod comprehendit, quicquid est additum naturalibus; quæ sunt de constitutione generali rerum: & quod est additum libero arbitrio, disponens & faciens ad eius rectitudinem. Nota ergo, quod primus homo duplicem habuit gratiam in primo statu, hoc est antequam habuerit gratiam gratum facientem, scilicet gratisdatam (communiter dicta gratia eo modo, quo dictum est) & gratiam superinfusam: quæ erat continua influentia virtutis à causa prima. Cum ergo dicitur, quod primus homo poterat stare ex acceptis in conditione absque gratia: hoc potest intelligi dupliciter. Vel ita quod excludatur continuatio diuinæ influentiæ: vel ita quod excludatur appositio nouæ gratiæ. Primum simpliciter est impossibile: nunquam enim tentationi liberum arbitrium resistere posset; nisi Deus suæ bonitatis influentia illud in bono conseruaret. Secundo modo veritatem habet pro statu innocentiæ. Dicit enim Magist. *Illud adiutorium homini datum in creatione, quo poterat manere, si vellet: fuit libertas arbitrij, ab omni labe & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum animæ sinceritas atque viuacitas.*

August. de correctione & gratia

Magist. 2. sen. dist. 24 Hic considerandum.

¶ AD ILLVD ergo, quod primo obijcitur contra hoc per illud Iob. Non est potestas super terram &c. Potest dici: quod licet potestas diaboli sit maior per naturam, tamen tum quia eneruata est per peccatum; tum quia non permittitur totam potentiam suam exercere in tentando; tum quia tentat suggerendo, non violentiam inferendo; non est tantæ potestatis, neque fuit tunc, quod primum hominem vel etiam alium non subiectum sibi per peccatum, posset, vel poterat superare. Præterea, nullus superari potest nisi volens. Vnde nullius potestatis est diabolus respectu hominis: potestatis (dico) ad vincendum. Greg. *debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem.*

Gregor. August. de vera innocentia.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur per August. scilicet quod *nulla natura in quacunque sit innocentia, vel rectitudine, potest se seruare sine diuino adiutorio.* Dicendum, quod hoc non dicitur: quia natura instituta in primo homine, eo modo quo fuit instituta ad hoc, quod stare posset, necesse habuit noua gratia fulciri: sed quia in quocunque statu esset, indiguit influentia diuinæ virtutis sustentantis illam.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: si posset stare, posset de tentatione victoriam obtinere, &c. Dicendum quod plus est victoriam de hoste obtinere, quam stare, siue hosti resistere. Ad hoc enim quod aliquis victoriam obtineat de hoste; requiritur quod assequatur oppositum illius, quod ab hoste intenditur: hoc autem est, quando non solum illi resistit voluntarie: verum etiam meritorie. Tunc enim recte vincitur hostis diabolus, quando ex vexatione tentationis, per quam intendit incuruare ad demeritum, homo proficit ad meritum: hoc autem facere non potest liberum arbitrium nisi per adiutorium gratiæ; nec potuit in primo homine: quamuis per se posset refugere peccatum.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod maioris difficultatis est tentationi resistere, quam &c. Dicendum, quod quidam posuerunt bonos angelos magna difficultate restitisse tentationi illi, à qua apostatæ ceciderunt. Secundum istos non modica difficultate restitissent primi parentes primæ tentationi: quæ ratione arduitatis habendæ, quam proposuit, violentissime allexit; vt illi ponunt. Sed hoc est simpliciter falsum: quia tentatio non potest esse alicui violenta sine pœna: pœnam autem non ingerit tentatio, nisi illis, in quibus est aliquid, quod ad malum compellit: hoc non potuit esse in primo homine ante peccatum, vt habetur à Magistro. Aliter ergo dicendum est, scilicet quod in primo statu nullius erat difficultatis resistere tentationi, etiam non habita gratia gratum faciente: proficere autem in merito, ipsa non habita, fuit impossibile. Si autem in illo statu primus homo exercuisset opera de genere virtutum: non propter hoc profecisset in merito: quia opera illa non essent progressa de radice meriti, sed potius de virtute & appetitu naturali. Non enim semper proficit homo in meritum, cum facit opus bonum bonitate morali, siue de genere virtutis: sed solummodo quando ipse agens est bonus bonitate gratiæ informantis.

Mag. lib. 2 sen. dist. 24

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod similis est comparatio vitij culpæ ad gratiam, & vitij naturæ ad naturam: & permutatim, &c. Dicendum, quod alia fuit comparatio istorum adinuicem in statu naturæ conditæ: & alia in statu naturæ lapsæ. In statu enim naturæ conditæ consequebatur integritas naturæ ad informationem gratiæ, immo ad absentiam culpæ: vitium enim culpæ introduxit vitium naturæ: ex culpa enim siue peccato primi hominis introducta est corruptio humanæ naturæ; vnde culpa personæ fuit causa vitij, siue corruptionis naturæ. Vnde in statu illo gratia non solum erat incontingens vitio culpæ; sed vitio naturæ: similiter integritas naturæ non solum erat incontingens vitio naturæ; sed vitio culpæ. Propter hoc licet in statu lapsus gratia sustineat lapsum in vitium naturæ: tamen in statu illo nullo modo sustinuisset: omnino enim erant tunc incompassibilia. Similiter licet naturalia in statu lapsus, quantumcunque sint bona (iuxta quod sustinet status huiusmodi) sustineant lapsum in vitium culpæ, ipsis non cadentibus in oppositum genus: in statu illo non sustinuissent; immo necessario cecidissent in genus oppositum: quia in corruptionem ab integritate. Propter quod non valet argumentum illud: si per gratiam non potest quis stare, quin labatur, &c. ergo primus homo per naturalia &c.

An Adam ex eisdem in eadem conditione acceptis potuerit inuertibilis fuisse ad malum? §. 2.

SEQVITVR inquirere, Vtrum ex acceptis poterat in conditione stare inuertibilis in malum. Quod sic videtur: duas fecit Deus creaturas rationales à principio, scilicet angelum, & animam: angelum autem fecit vertibilem in malum: ad hoc ergo quod esset vniuersum completum, decuit illum animam facere inuertibilem in malum: sed constat, quod fecit illam talem, qualem decuit illam facere: ergo &c. Et hoc videtur per Augustin. dicentem. *Ad plenam perfectionem vniuersi decuit fieri omnem creaturam, quæ à recta ratione potuit excogitari: sed recta ratione potest excogitari ad perfectionem vniuersi spectare creaturam talem:* quod patet per hoc, quod quando vniuersum erit in vltima completione, tunc erit creatura talis: ergo &c.

Aug. in lib. de libero arbit.

¶ ITEM, honestum propria virtute allicit, ergo magis honestum magis allicit, ergo summe honestum summe allicit, & infinitum infinite: ergo cum primus homo conditus fuit in notitia & amore summi boni (dicit enim Boet. quod *amor & notitia boni naturaliter sunt insita humanæ animæ*) ex quo sequitur, quod si fuit illo bono allectus: summe fuit allectus illo, qui est summe honestus: nihil tale vertibile est ab eo: ergo &c.

Boet. lib. 3. de Consol. prosa. 2.

¶ ITEM, primus homo conditus fuit secundum animam in esse naturali communi, & rectitudine, siue iustitia naturali: ratione qua conditus erat ex nihilo, fuit inpossibilitate quadã & ad nõ esse, quia ad esse naturale, si sibi esset relictus: & similiter ad nõ esse naturalis iustitiæ: sed in vtroque esse conseruabatur per influentiam virtutis diuinæ: sed melius & magis acceptum fuit Deo, esse naturalis rectitudinis siue iustitiæ, quàm esse naturæ simpliciter: & quanto aliquid est nobilius & magis acceptum Deo, magis decet illum in statu illo, influendo, virtutem illi conseruare: ergo si continua influentia virtutis anima primi hominis inuertibilis fuit quantum ad esse naturæ; multo fortius videtur, quod fuit inuertibilis quantum ad esse naturalis iustitiæ.

¶ ITEM, hoc etiam videtur per diuinam bonitatem: vt enim dicit Dionys. *Optimi est optima * adducere*: sed melior est natura rationalis; quæ non potest peccare, quam quæ potest: cum ergo conueniat optimum, scilicet Deum optima producere: sed secundum quod sibi conuenit, adduxit naturam rationalem, scilicet hominem primum impotentem peccare, & ita inuertibilem ad peccandum.

Dionys. * Alias, producere.

¶ ITEM, hoc idem videtur per liberalitatem ipsius: liberalis enim est (& maxime conferentis ex mera gratia) statim dare indigenti quod intendit. Ad quod hortatur diuina sapientia Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi; cum statim possis dare: mora enim in dando gratiam dantis denigrat. Sed constat quod Deus intendebat facere primum hominem aliquando inuertibilem: ergo videtur, quod statim fecit eum talem.

¶ ITEM, idem videtur per diuinam sapientiã, quæ summa est, maioris n. scientiæ est scire malũ præcauere, quam malo facto remediũ adhibere: melius enim prouidet sibi, & alij, qui præcauet, ne in malũ incidat; quam qui post casum remedium adhibet. Ergo si diuina sapientia maxime manifestanda erat in hominis conditione, videtur quod talem debuit eum fecisse, & tanta cautela ipsum muniuisse, quod non posset incidere in eum.

¶ ITEM, Idem videtur per diuinam potentiam: quod ex eo, quod infinita est; influit vnicuique quantum potest capere. Videtur enim eo quod diuina potentia indiuisibilis est in se, & cum hoc infinita; non minus influere in dando, quam sit creatura capax in accipiendo. Sed primus homo fuit capax inuertibilitatis: ergo &c.

¶ CONTRA. Gloria est bonum laudabile: sed nullus est laudabilis in eo, quod habet: nisi habeat illud per merita: ergo si Deus fecit hominem ad hoc vt perueniret ad statum gloriæ & præmij, videtur quod debuit etiam facere hominem in statu meriti: sed status meriti & præmij sunt distincti, sicut status viæ & patriæ secundum legem communem: ergo & dona viæ & patriæ. Si ergo habere impossibilitatem ad peccandum, hoc spectat ad securitatem beatitudinis, videtur quod à principio non debuit homini dari.

¶ ITEM, vniuersum ex oppositione mali ad bonum decoratur quasi quibusdam antithetis, sicut dicit August. & sapiens innuit. *Contra bonum malum, &c.* Si ergo Deus vniuersum debuit venustare & decorare, videtur quod hunc decorem vniuerso non debuit auferre: sed si fecisset hominem inuertibilem, jam hic decor non esset ergo &c.

Aug lib. 11. de ciui. Dei cap. 18. Ecclesi. 33.

¶ ITEM, hoc idem videtur: quia Deus vniuersum fecit ad sui ipsius manifestationem: & sicut Deus est summe potens, & sapiens, sic est summe iustus & misericors: ergo tale debuit facere vniuersum, in quo manifestaretur eius summa iustitia. & summa misericordia: sed summa iustitia non manifestatur, nisi in se veritate punitionis malorum: summa misericordia non manifestatur perfecte nisi in liberatione miserorum, & remissione delictorum: hæc autem non possent esse nisi rationalis creatura facta esset in statu, in quo posset peccare: ergo diuina iustitia & misericordia exigebat hominem vertibilem fieri.

¶ RESPONSIO. Vt ex prædictis patet, DEVS creaturas, & maxime rationales condidit: & etiam modum & qualitatem in conditione conuenienter obseruauit, ad sui magnificentiam declarandam, & creaturæ rationalis vtilitatem. Nota ergo, quod & si diuina operatio non indigeat approbatione: pro eo quod quicquid DEVS facit, optime facit: veruntamen ad excitandam deuotionem in mentibus fidelium, & compescendam rabiem in orbe blasphemantium, & DEVM in suis operibus inculpantium, multiplex potest assignari ratio, quare DEVS fecit hominem vertibilem in malum. Vna est manifestatio diuinæ potentiæ: voluit enim DEVS ostendere homini, quod sicut sine eo factus non erat, ita nec sine ipso persistere poterat. Vt ergo homo nosceret, quod diuinum posse non solummodo est omnis potentiæ causatiuum, sed etiam omnis potentiæ conseruatiuum: & quod ipse solus est indefectibilis, & inuertibilis: ideo placuit sibi creaturam rationalem facere vertibilem: nec ipsam confirmare in bono, quousque illi constaret, quod ipse solus est, in quo non cadit, non posse.

¶ SECVNDA ratio est manifestatio diuinæ sapientiæ, quæ ostenditur ex tribus, scilicet ex ordine malorum cum bonis siue ad bonum, virtutis ad actum proprium, meriti ad præmium. Ex vertibilitate enim hominis in malum, quod quidem malum DEVS ordinat cum bonis, & ex quo bonum elicit; diuina sapientia manifestatur. Maioris enim sapientiæ est scire ordinare bona cum malis, & elicere bonum ex malis; quam ordinare solummodo bona cum bonis, & ex bonis elicere bona: & ideo cum non deceret DEVM facere mala, debuit talem facere creaturam, quæ posset in operando deficere, & malum committere; vt DEVS mala illa ordinando, suam sapientiam declararet. Dicit enim Augustinus vndecimo, de ciuitate Dei capite decimooctauo. *Neque Deus vllum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret.* Ostenditur etiam diuina sapientia ex ordine virtutis ad actum proprium: sic enim diuina prouidentia omnes res administrat, vt eas agere propriis motibus sinat: & ideo hominem condidit in libertate arbitrij, & in manu consilij sui reliquit: hoc enim competebat regimini diuinæ sapientiæ in conseruatione ordinis, qui attenditur ex comparatione virtutis ad actum proprium. Ostenditur etiam ex ordine, qui attenditur ex comparatione meriti ad præmium: *quia nemo dignus est coronari, nisi qui legitime certauerit.* 2. Timoth. 2. Ideo decuit diuinam sapientiam hominem prius quasi in campo certaminis examinare, quam in gloria exaltari.

August.

2. Timot. 2

¶ ALIA ratio est manifestatio diuinæ misericordiæ; quæ potissime manifestata est, cum vnigenitum suum tradidit pro serui liberatione.

¶ ALIA ratio est manifestatio diuinæ iustitiæ: quæ potissime manifestatur in hoc, quod Deus retribuit vnicuique secundum opera sua, bonis scilicet bona æterna retribuendo; malis, æterna pœna puniendo: hæc autem retributio & punitio, & præfata misericordiæ liberatio, non esset, nisi Deus hominem in statu vertibilitatis condidisset.

¶ ALIA ratio est augmentum gloriæ bonorum: gloriosius enim est homini in vertibilitate ad malum condito quodammodo ex meritis gloriam obtinere, quam in inuertibilitate conditum fuisse; & sic sine aliquo genere meriti beatificari: propter hoc ad commendationem iusti vertibilis in malum dicitur. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere malum, & non fecit.* His ergo rationibus patet quod congruit Deum hominem vertibilem fecisse: vnde rationes ad hoc inductæ sunt concedendæ.

Eccl. 31.

¶ AD illud, quod primo obijcitur contra hoc, scilicet de completione vniuersi. Dicendum, quod ex hoc potius esset deformatio vniuersi, & defectus; quam completio. Ad completionem enim vniuersi & decorem est, solummodo Deum deficere non posse, nec vertibilem esse, & rationalẽ creaturam defectibilem, & vertibilem. Et hoc duob. modis, ita quod aliqua sit vertibilis semel, id est, vertibilis cum impossibilitate reuertendi, scilicet angelica. Alia vertibilis pluries, i. vertibilis cum possibilitate reuertendi. Magis ergo est ad completionem & decorem vniuersi hominem

fuisse

fuisse conditum vertibilem, quam inuertibilem. Præterea magis conueniebat ad diuinam potentiam, bonitatem, & sapientiam manifestandam hominem fuisse sic conditum, quam sic: & ad hominis gloriam. ¶ Ad illud, quod subditur, quod ad plenam perfectionem vniuersi decuit fieri omnem creaturam, quæ à ratione recta potuit excogitari. Dicendum, quod aliud est dicere omnem creaturam, & dicere singulas creaturas vel vnamquamque: omnē enim dicit multitudinem in ordine. Præterea excogitare, non dicit solummodo conceptionem intellectus, siue apprehensionem; sed cum ratione & iudicio:* excogitatio enim est simul agitatio: vnde excogitate dicit conceptionem intellectus cum ratione & iudicio perfecto. Hæc etiam præpositio [ex] auget in compositione, cum dicitur, excogitare. Vnde licet hominem fuisse conditum inuertibilem, potuit à recta ratione concipi, siue apprehendi, vt erat de numero singulorum; non tamē, vt erat de numero omnium, potuit excogitari. ¶ Ad illud, quod subditur: quod quando vniuersum erit in vltima completione, tunc erit homo talis. Dicendum, quod tunc erit status præmii: & anima erit in quadam Dei formitate: propter quod tunc erit, quod nunc non est. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod summe honestum summe allicit &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum est de aptitudine & efficacia allicientis: ipsa tamen anima quantumcunque sit naturalibus prædita, nisi fuerit gratia disposita & informata; non sic allicitur. Nisi enim fuerit à curuitate naturæ per gratiam erecta, & à tenebris obscuritatis naturalis purgata; ita quod apta sit ad agendum aspectum in candore luminis æterni: non erit apta, neque possibilis ad hoc, quod summe alliciatur: sed inspecto candore illo lucis æternæ, quæ est inaccessibilis viatoribus; perfecte rapietur anima in summe honestum, & summe allicietur. Vnde sic allici comprehensorum est, non viatorum. ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quanto aliquid est melius, & magis acceptum Deo: tanto &c. Dicendum quod hoc verum est, conseruatis congruitate & condecētia diuinæ excellentiæ, modo & ordine profectionis statuum, & retributionis perfectione. Vt enim ex dictis patet, plus congruit diuinæ excellentiæ, scil. potentiæ, patientiæ, iustitiæ, & misericordiæ hominem fuisse conditum vertibilem, quam inuertibilem: & etiam magis congruit statui perfectionis humanæ, & gloriæ eiusdem perfectionis: sicut infra patebit. ¶ Ad illud, quod obiicitur per auctoritatem. Dionys. quod *eius est facere hominem optimum, &c.* Dicēdum, quod est optimum simpliciter; & est optimum in ordinem: cum autem dicit Dionys. *quod optimi est optima adducere*, non intelligit absolute, sed in ordine: & ideo ex hoc non sequitur, quod homo debuit fieri in optimo statu simpliciter: sed in quo optime saluaretur vniuersitatis ordo, & pulchritudo: & sic factus est, cum productus fuit in statu vertibilitatis, vt ordinato processu perueniret à merito ad præmium, & ab imperfectione ad perfectum, & ab inferiori ad supremum. ¶ Ad aliud, quod obiiciatur de summa liberalitate. Dicendum, quod & si Deus sit liberalissimus: tamen liberalitas non præcludit viam iustitiæ & sapientiæ. Ideo sic dona sua distribuit largiter, vt tamen non excludatur sapientiæ recta ordinatio, vel iustitiæ iusta retributio: ideo statim non debuit beatificare, & confirmare: sed merita hominis expectare.

Ad illud, quod obiicitur: quod maioris sapientiæ est præcauere malum &c. Dicendum, quod falsum est: immo multo maioris sapientiæ est, morbum bene curare, quam naturam à morbo præseruare. Vnde August. *Melius iudicauit Deus, de malis bona facere: quam mala nulla permittere.* Et maiori etiam sapientiæ attestatur (vt prædictum est) sic res ordinate, vt superueniente deordinatione non deturpentur; sed eorum decoretur ordinatio. ¶ Ad aliud, quod obiicitur per potentiam diuinam, quæ infinita est, & simplex &c. Dicēdum, quod licet sit infinita: eo tamen quod influit, agit per electionem; moderate, secundum quod exigit quantitas effectus inducendi, operatur. Omnipotentia enim conditoris non solum potest in omnia, quæ vult ipsa diuina voluntas: sed potest in omnia, vt vult: propter quod in effectus nobiliores & minus nobiles, maiores & minores, secundum electionem suæ voluntatis. Et licet diuina sapientia simplex sit, non propter hoc exerit se totaliter in agendo: imo moderate operatur, iuxta beneplacitum suæ voluntatis. Vnde quod est in se impartibile, partitur in suis effectibus: sicut legitur Sap. 7. de spiritu intelligentiæ, quod est multiplex & vnicus.

* Alias cogitatio.

c. immediate seq. Dionys.

Idem.

August. in Ench. c. 11.

An dari potuit libero arbitrio hominis, aut alterius creaturæ, quod per naturam inuertibile esset ad malum. §. 3.

¶ SEQVITVR inquirere. Vtrum libero arbitrio hominis primi, vel alicuius creaturæ potuit conferri, quod esset inuertibile per naturam, scil. sine gratia superaddita. ¶ Quod sic, videtur; & primo à simili sumpto à luce corporali: contingit enim reperire lucem corporalem, quam impossibile est in se per naturam obnubilari, sicut lucem empyrei, vel lucem solis: si ergo lux spiritualis multo prior est, quam corporalis: videtur, quod anima humana potuit fieri in perfectione tanti luminis per naturam, quod nullo modo posset obscurari, nec per ignorantiam, nec per culpam. ¶ Item, contingit reperire aliquam substantiam corporalem intransmutabilem quantum ad substantiam & quantum ad proprietates; sicut est corpus vltimum, scilicet empyreum: & hoc non habet solum per gratiam, sed per naturam. Ergo pari ratione est spiritualem substantiam per naturam in tanta subtilitate fieri, quod nullo modo valeat permutari à rectitudine naturali. Si enim hoc reperitur in substantia corporali; multo fortius reperiri potest in substantia digniori. ¶ Item, gratia est perfectio naturæ, & perfectio conformatur suo perfectibili: si ergo gratia confirmationis omnino reddit naturam impossibilem ad peccandum: videtur, quod anima humana naturaliter capax sit talis subtilitatis, & inuertibilitatis.

¶ Si tu dicas, quod non est capax talis inuertibilitatis, nisi mediante gratia. Obiicitur contra hoc: quia talis vertibilitas ad malum, aut est essentialis ipsi naturæ, aut non. Si est essentialis, ergo videtur, quod per gratiam non possit auferri. Si non est essentialis: ergo videtur quòd sine tali vertibilitate ad malum possit natura rationalis fieri, salua sua natura, & nulla superaddita gratia. Propter hoc est quæstio, cum tam liberum arbitrium hominis, quam gratia sit creatum, vt quid dari potest gratiæ inflexibilitas ad malum, & non potest dari creaturæ rationali? Videtur enim ratione consimili, quod si potest dari vni, potest dari alteri. ¶ Item, licet omnis creatura per se sit vertibilis secundum naturam: aliquæ tamen tales creantur à sua origine, quod impossibile est eas corrumpi: & hoc habent, sine aliquo addito naturalibus: sicut patet in aliis simplicibus. Vnde angeli, & animæ per naturam sunt immortales: ergo pari ratione videtur, quod aliquæ animæ possint creari per naturam ad malum inflexibiles. Videtur ergo possibile tale adiutorium à Deo conferri, per quod naturaliter ad malum non posset inflecti.

¶ Contra. Ista duo sunt conuertibilia, sicut vult Damas. & etiam August. videlicet esse creaturam, & esse vertibile: sed in substantia spirituali non est aliqua vertibilitas secundum substantiam, ergo necesse est, quod sit secundum electionem: ergo impossibile est substantiam creatam habere liberum arbitrium per naturam inflexibilem.

¶ Item, non est per naturam magis arctatus affectus, quam intellectus: sed intellectus eo ipso quo intellectus est, per naturam suam est natus omnia intelligere: ergo pari ratione affectus per naturam suam est potens hoc vel illud appetere: ergo ab vno oppositorum in alterum transire: ergo omnis affectus creatus, quantum est de natura sua; non solum bonum simpliciter, sed apparens etiam; non solum bonum concessum, sed etiam prohibitum potest velle, & potest eligere: ergo, &c.

¶ Item, liberum arbitriū creatum, hoc ipsum quod creatum est, factum est debens aliquid suo creatori, videlicet honorem: ergo si dominatur suo actui, potest non reddere, quod debet: sed hoc est peccatum: ergo necessarium est liberum arbitrium, quantum est, de sua natura, fieri flexibile ad peccatum. ¶ Item, si liberum arbitrium per naturam suam esset inflexibile ad malum: ergo stare in bono, & facere bonum, esset ei naturale: ergo omne

Damasc & August.

opus egrediens à libero arbitrio, esset in genere operis naturalis, & nullum esset in genere moris: ergo si hoc verum est, nullum esset meritorium, nullum etiam esset laudabile; per nullum etiam opus, quod faceret; esset liberum arbitrium ad gloriam ordinabile: sed hoc est contra naturalem liberi arbitrii institutionem: ergo impossibile est alicui creaturæ dari liberum arbitrium per naturam inflexibile.

RESOLVTIO.

Neutiquam, foret enim hominem non esse hominem, nec creaturam esse creaturam.

¶ RESPONSIO. Cum dicitur aliquid dari alicui, per hoc quod dicitur [*dari alicui*] notatur aliquod medium inter dantem & accipientem. Cum ergo quæritur, vtrum potuit dari libero arbitrio primi hominis per naturam, quod esset inuertibile in malum. Dicendum, quod inquantum hoc quod dicitur] *dari*] dicit rem suam relatam ad accipientem; non potest (per naturalem dico) quia hoc est priuare lib. arb. natura propria; & esse eius naturali repugnat: vt infra patebit. Secundum autem quod dicit rem suam relatam ad ipsum dantem, scilic. Deum (loquendo de potestate absoluta) potuit: loquendo de potestate ordinata, non potuit. Art. immediate sequenti §.1. Et dico potestatem ordinatam, qua instituit esse rebus; secundum quod præuidit & ordinauit eas fiendas & ordinandas ab æterno. Potestatem absolutam dico, qua potuit aliter ab æterno præuidisse res fiendas & ordinandas; & illis naturas alias in tempore indidisse. Potuit enim ab æterno præuidisse primum hominem futurum inuertibilem quantum ad liberum arbitrium; & illum talis naturæ condidisse in tempore. Ex his patet, quod impossibile fuit hominem primum, vel aliquam creaturā rationalem habere liberum arbitrium inuertibile ad malum: quia hoc repugnat naturæ ipsius creaturæ rationalis, & à parte principii initialis, & à parte termini finalis. Quod sic patet: si liberum arbitrium creaturæ rationalis fieret naturaliter inuertibile ad malum, aut hoc esset propter ipsius arctationem ad bonum, aut propter ipsius determinationem ad bonum. Si propter arctationem, vt sc. faceret bonum, sicut lapis tendit deorsum: iam reuera nec liberum arbitrium esset liberum: nec opus eius laude dignum: & ita ineptum esset ad finem, propter quem est factum, scil. ad præmium gloriæ. Si autem inflexibile esset ad malum propter determinationem ad bonum; quia sic potens esset per naturam propriam in bonum, vt non posset verti in malū: sicut est de libero arbitrio diuino, quod ad sola bona determinatum est: iam tale lib. arb. careret vanitate per naturam suam: ergo iam non esset creatura, nec productum ex nihilo: & ita hoc esset contra naturam principii initialis, quantum ad hoc quod dicimus, creaturam rationalem ex nihilo esse productam. Repugnante ergo natura rationalis creaturæ, & ex parte principii initialis, & ex parte termini finalis, impossibile fuit primum hominem, vel aliam creaturam rationalem habere liberum arbitrium per naturam inuertibile ad malum. Per naturam dico, propter illos, qui habent hoc per beneficium gratiæ perfectæ: sicut illi, qui iam gaudent beatitudine. ¶ Si obiiciatur, quod Deus de potentia absoluta posset creaturæ rationali contulisse naturā talem, vt supra tactum est: Supra in opponendo. & nihilominus essent creaturæ, & producta in esse de nihilo. Dicendum, quod Deus de potentia absoluta non posset creaturæ rationali contulisse naturam etiam, sc. quod staret per naturam propriam in inuertibilitate tali. Posset tamen contulisse naturam talem, quod posset stare in tali inuertibilitate, gratia superinfusa continue influente, & ipsum liberum arbitrium in hoc cōseruante. Vnde talis inuertibilitas non posset esse per naturam, sed solummodo beneficio conditoris. Possunt ergo concedi rationes hoc ostendentes.

¶ AD hoc, quod primo obiicitur contra hoc de luce corporali. Dicendum, quod non est simile: tum propter hoc quod fons lucis spiritualis reperiri potest in genere creaturæ, fons autē lucis corporalis reperiri pōt in genere creaturæ nequaquam, sed est ipse creator (iuxta illud Eccle. 1. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*) tum etiam, quia lux corporalis respectu actus lucendi ad elationem habet a conditore suæ naturæ: vnde eius lucere non est laudabile, quia pure naturale. Non sic est de rectitudine & operatione rationalis creaturæ, siue voluntatis deliberatiuæ. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod aliqua substantia corporalis per naturam est immutabilis, &c. Iam patet responsio, quia non valet; creatura rationalis vt est creatura in sua natura condita, nec deceret illam sic esse arctatam ad suum opus, sicut corporalem ad suum: siue etiam quia non tenet summum in genere spiritus, sicut aliqua creatura corporalis tenet summum in genere corporum. Verumtamen dici posset, quod omne corpus mutabile est aliquo genere mutationis, vt vult August. August. siue quia ipsum mutatur in se, sicut ista corpora inferiora: siue quia aliqua mutantur in ipso: & hoc vltimo modo posset esse mutatio in supremo corpore, scil. in cœlo empyreo: iste tamen modus dicendi mutationem, est extraneus. ¶ Ad illud, quod obiicitur de gratia confirmante. Dicendum, quod gratia dicitur esse perfectio naturæ, non solum quia illam adiuuat: sed quia defectum eius excludit. Vnde in omni natura creaturæ rationalis est aliquis defectus naturalis, qui per gratiam habet excludi; quantumcunque illa natura in genere creaturæ sit perfecta: & ideo non sequitur, quod si aliquid conuenit alicui per gratiam, quod conueniat per naturam. Et si obiiciatur, quod Deus potuit dare naturæ, quod dedit gratiæ. Dicendum, quod natura vt est natura hæc, non fuit nata suscipere hoc, quod Deus dedit gratiæ: sicut enim alia est natura operis moralis, alia operis naturalis: nec proprietas operis moralis potest conuenire operi naturali; nisi naturale desineret esse naturale: sic in proposito intelligendum: laus enim & vituperium, quæ est proprietas operis moralis, secūdum quod huiusmodi, non potest competere operi naturali inquantum huiusmodi. ¶ Ad illud, quod obiicitur de inuertibilitate. Iam patet respōsio per prædicta: quod enim naturaliter est immortale, non est laudabile, vel vituperabile. Et ita si liberum arbitrium inflexibile creatum esset; nec laudis, nec vituperii capax esset.

ARTICVLVS III.

Si Adam ex acceptis in conditione in bonum proficere poterat.

SEQVITVR inquirere. Vtrum ex acceptis in conditione poterat in bonū proficere quia in bonum proficere non potest quis, nisi gratus sit Deo, siue acceptus. Et primo quæratur: vtrum in statu illo fuerit gratus, siue acceptus Deo. Secundo, vtrum in illo statu poterat proficere.

An Adam in statu innocentiæ acceptus, gratusque Deo fuerit. §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo. Vtrum fuerit in statu illo acceptus Deo. Quod sic, videtur: solummodo culpa, siue peccatum est, quod facit creaturam displicere Deo, & creaturam inimicam Deo. Vnde hoc est, quod Deus, siue corpus Christi mysticum intendit vlcisci in creatura rationali: secundum illud Psalm. *Vltus sum in eos*: Psal. 117. quod introducens August. Aug. in serm. v. n. us Martyrus. *Quid est (inquit) vltus sum in eos? id est, vindicaui me de ipsis inimicis meis. Quomodo me vindicaui? occidendo in eis errorem*, &c. Ergo omnis illa creatura rationalis grata, & accepta est Deo; & semper fuit, antequam auersa fuit à Deo per peccatum. Cum igitur in primo statu primus homo non habuit peccatum, &c. Item, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Genes. 1. Sed summo bono nō potest non complacere illud, quod est valde bonum: ergo homo inter creaturas cæteras inferiores principatum obtinebat; videtur quod ipse valde bonus erat: & si hoc, ergo Deus illum acceptabat. ¶ Item, Sapien. 11. *Diligis omnia Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sed homo in statu innocentiæ nihil habebat, quod esset dignū odio, & totum quod habebat, à Deo factū erat: ergo Deus ipsum totaliter diligebat: Prouerb. 8. sed quod sic à Deo diligitur, ab eo acceptatur: ergo &c. ¶ Item, *Ego diligentes me diligo*: sed hoc secundum statum naturæ institutæ diligebat Deum propter se, & super omnia, quia rectus erat: ergo videtur, quod etiam præter omnem gratiam Deus eum amabat: & si hoc, ergo Deo acceptus erat. ¶ Item, artifex creatus complacet sibi in opere suo: & illud acceptat, quando ipsum fabricat ad

volun-

voluntatem suam. Sed Deus, qui est summus artifex, hominem fabricauerat ad imaginem suam, & optima ratione eum condiderat: ergo videtur, quod ex naturalib. sibi datis homo Deo placebat. ¶ Item; nihil est, quod plus faciat animam coram Deo acceptam, quam quod tota sit pulchra, & nulla sit in ea macula: sed anima Adæ in statu innocentiæ tota erat pulchra, & non erat in ea macula, quantum erat ex naturali conditione: ergo absque omni gratia superaddita Deo erat accepta.

¶ Item, aut Deus poterat facere aliquam creaturam ita bonam, quod ex puris naturalibus sibi placeret: aut non. Si non: videtur, quod non esset opus. Si sic: ergo non videtur, quod ad hoc quod natura placeat Deo, necessarium sit superaddi donum gratiæ. Si ergo homo perfecte cõditus fuit secundum exigẽtiam status naturæ; videtur quod Deo placebat absque omni dono gratiæ superaddito. ¶ Sed contra, *sine fide impossibile est placere Deo*: sed fides est donum superadditum naturæ, secundum quod dicitur 1. Cor. 12. ergo sine dono gratiæ, naturæ superaddito, nullus potest placere Deo. ¶ Item, *Neminem diligit Deus, nisi illum, quo cum sapientia inhabitat.* Sed sapientia est donum Dei, naturæ superadditũ, secundum quod infra subiungitur, *Mitte illam de cælis sanctis tuis, &c.* ergo absque dono gratiæ naturæ superaddito, impossibile est Dei amicum esse. ¶ Item, nihil est excellentius secundum naturam in homine ipsa imagine: non tamen ex esse ad imaginem placet creatura Deo, nec est ei accepta. Ad hoc ergo quod persona aliqua Deo placeat, & acceptetur ab illo, requiritur aliquod donum ipsi naturæ superadditum. ¶ Item, si naturalia redderent personam Deo acceptam, dæmones essent Deo accepti; cum habeant naturalia optima. Dicit enim Dionys. de dæmonibus. *Datas eis angelicas donationes, nunquam ipsas commotas fuisse dicimus, scil. sunt integri & clarissimi.* Alia translatio dicit, *data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus: sed sunt integra & splendidissima.*

Heb. 11.
Sap 7.
Sap. 19
Dionys. lib. de diuin. nomin. part. 4. cap. 4.

RESOLVTIO.

Communiter & proprie sumendo acceptationem, gratitudinemque: eo scil. modo quo humana vel ars, vel benignitas in rebus dignioribus vel editis, vel oblatis ardentius sibi complacet: fuit & quidem primus homo acceptus gratusve Deo ex solis naturalibus. At magis proprie illas sumendo, pro gratitudine videlicet, & acceptatione, qua Deus creaturam aliquam rationalem sibi consecrat, vt sit sibi in templum, in filiam & in sponsam, nequaquam absque gratia superaddita. Si quidem acceptatio isthac & gratitudo æterna vita dignum reddit, quod puris naturalibus haudquaquam fit.

¶ RESPONDEO: quod complacentia, acceptatio, amor Dei respectu creaturarum, non dicit aliquam affectionem incidentem, vel accidentem in ipso. Vnde Bernard. *Nos te diligimus affectu amoris, à te nobis indito: tu vero conditor omnium & affectuum bonorum, & animarum afficiendarum, nunquid accidenti, vel incidenti amoris affectu amas, quos amas? vel aliquo in aliquo afficeris, qui & omnes facis, & omnia? absit: absurdum est, à fide procul, alienum ab omni creatore.* Acceptatio autem & amor eius respectu creaturarum est effectus in creatura, non affectus in creatore: quod patet per Bernard. dicentem: *Hoc est amare tuum, quo tu amas te amantes, dulcedinem bonitatis tuæ, quam habes ad creaturam tuam (creator bone) inspirare eis hoc desiderium amandi te, & amorem quo te amant, & amare te: non enim afficeris ad nos, vel à nobis, cum nos amas.* Solummodo ergo Deus complacendo, & amando afficitur ad se, siue de se. Sed hoc potest esse, & amando se, & complacendo sibi in se: & amando se, & complacendo sibi in nobis. Vnde Bernard. *Amas te (amabilis Domine) in te ipso: & a Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus, amor Patris ad Filium, & Filii ad Patrem: & tantus est amor, vt sit vnitas, tanta vnitas, vt sit homousion, id est, Patris & Filii substantia. Amas & te ipsum in nobis, mittendo Spiritum Filii tui in corda nostra: à dulcedine amoris, à vehementia inspirata à te nobis voluntatis, clamantes, abba, pater. sic nos efficiens tui amatores.* Complacere ergo sibi in nobis, est complacere sibi efficiendo aliquid in nobis, & alicui effectui eius in nobis. ¶ Notandum ergo, quod acceptatio & complacentia, siue amor Dei vt intelliguntur respectu sui, quodam genere loquendi, affectiones dici possunt: quia summe delectatur in

Bernard. de amore Dei.
Bernard. eod. lib.
Idem in eodem.
ὁμοούσιον.

se, & perfectissime fruitur se. Vt autem intelliguntur respectu creaturæ, dicunt effectus in ipsa creatura, non affectiones (vt ex dictis patet) nisi interpretando complacentiam, vel acceptationem, Deum efficientem aliquid in creatura. Quodam ergo modo loquendi iuxta modum humanum, secundum quem nobiliora dicuntur magis accepta, possunt dici (quodam modo generali sumendo acceptationem) omnia facta à Deo, illi esse accepta. Specialiori modo & propriori creatura rationalis, inquantum est creatura huiusmodi. Specialissime, siue propriissime creatura rationalis, inquantum consecratur Deo, vt sit eius templum, adoptatur in filium; & sumitur in sponsam. Hæc autem sublimatio creaturæ rationalis est supra naturale complementum: & ideo nec conseruatio, nec *adoptio, nec assumptio huiusmodi fit per aliquam proprietatem naturæ, sed per donum superadditum naturæ; consecrans animam, vt sit templum; assimilans Deo, vt sit filius vel filia; confœderans Deo, siue vniens per conformitatem voluntatis, vt sit sponsa: hoc autem fit à Deo mediante gratia gratum faciente. Quod autem creatura rationalis efficiatur templum per gratiam, habetur. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei in vobis habitat.* Gloss. *Spiritus sanctus habitat in templo suo, id est sanctis, qui sunt templum Dei, modo secundum fidem ambulantes*: & ad Ephes. dicitur: Per spiritum eius in interiori homine habitare Christum in cordibus nostris per fidem. Quod autem efficiatur filius per gratiam, habet: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* Quod autem sponsa similiter. Osee 2. Spõsabo te mihi in fide. Concedi ergo possunt rationes, quibus obiicitur, primum hominem nõ fuisse acceptum Deo modo isto vltimo: nulla enim naturalia efficiũt hominem isto modo acceptum: Hæc enim acceptatio reddit creaturam rationalem dignam beatitudine æterna: talis autem non fit puris naturalibus. Primo autem modo, & secundo sumendo acceptationem, fuit acceptus.

*Alias, adaptatio, vel adoptatio.
1. Cor. 3. Glossa.
Ioan. 1.

¶ Ad primum, quod obiicitur, quod solummodo culpa facit creaturam displicere Deo, &c. Dicendum, quod inter displicentiam & acceptationem eo modo, quo peccatores displicent, & habentes gratiam gratum facientem placent; est media acceptatio, secundo modo sumpta. Vnde non sequitur: primus homo non displicuit Deo per peccatum in illo statu: ergo fuit acceptus eo modo, quo gratia & virtus efficiunt hominem acceptum. ¶ Ad duas auctoritates, quæ sequuntur, patet responsio: nam intelliguntur de acceptatione & dilectione, primo & secundo modo sumptis. ¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo illo. *Ego diligentes me diligo &c.* Dicendum, quod non intelligitur de dilectione naturali, qua primus homo dilexit Deum in primo statu: vt supra tactum est: sed de dilectione charitatis, quæ non potest esse sine gratia: sub hoc sensu: qui diligunt me dilectione charitatis, sunt mihi vniti, & conformes; & hoc habent à me: amor enim est copula amantis & amati, & amantem transformat in amatum secundum Augustin. & Hugon. Vnde diligere Dei est copulare sibi & efficere consimilem sibi diligentem illam. Præterea, illo verbo nihil aliud dicitur, nisi dilectionem, qua diligitur Deus à creatura rationali, esse à Deo, siue donum Dei. Vnde per hoc quod dicitur [*diligo*] notatur effectus dilectionis, qua Deus diligitur esse à Deo: & hoc patet per Bernard. *Hoc est amare tuum, quo tu amas te amantes, dulcedine bonitatis tua &c.* vt supra. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod artifex creatus complacet sibi in opere suo &c. Dicendum, quod non est simile de artifice creato & increato: complacentia enim artificis creati in opere suo, importat quendam motum affectionis respectu operati: non enim solummodo complacet sibi, qui est causa operis; sed afficitur circa opus ipsum; quod non contingit artifici increato; vt ex dictis patet.

Prou. 8.
Memb. 1. art. 2.
Bernar. in Resol.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod natura instituta absq; omni gratia erat tota pulchra, & sine macula. Dicendum, quod & si esset sine macula; non tamen tota pulchra: quæ quidem pulchritudo est ex gratia, quæ est nitor quidam, vt dicit Glo. super illud. *Vt exhilaret faciem in oleo*: & ex virtutib. & maxime ex charitate. Vnde Aug. super illud: *Quoniam ipse prior dilexit nos.* Anima amãdo Deũ, pulcra efficitur: pulchri erimus amando Deũ, qui semper est pulcher: quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo.

Gl. super Psal. [illegible] Aug. super [illegible]

¶ Ad

¶ Ad hoc, quod obiicitur, vtrum Deus posset naturam facere, quæ esset ei accepta sine dono gratiæ. Dicendum, quod posset de potentia absoluta; non autem de ordinata: & sumatur potentia absoluta eo modo, quo dictum est supra: similiter & ordinat. Præterea, supposito quod omnipotentia eius hoc posset: natura tamen vt est condita, esset impossibilis ad hoc. Vnde impossibilitas ista prouenit ex parte creaturæ: si enim hoc fieret, nihil aliud faceret, quam donum gratiæ esse donum naturæ, & gratiam esse naturā. Hoc autem impossibile est, quātum est ex parte creaturæ: cum donum gratiæ sit vltra terminos naturæ: vnde sicut impossibile est, quod homo fiat beatus à Deo per naturam, quamuis possit creari beatus: quia beatitudo consistit in bono, quod est supra omnem naturam: sic intelligendum est de gratia, & natura primi hominis. Præterea, & si hoc facere posset; minus congrueret, & deceret: cuius ratio multiplex haberi potest ex prædictis.

An Adam ex acceptis in sui conditione in bono proficere potuit. §. 2.

SEQVITVR inquirere, Vtrum primus homo poterat ex acceptis in sua conditione in bono proficere. ¶ Quod sic, videtur primo per auctoritatem. Damasc. dicit enim sic: *Deus fecit hominem innocentem, rectum, & virtuosum &c.* qui autem talis est potest proficere. ¶ Item, *Fecit eum natura impeccabilem: & voluntate per se potestatiuum: in electione vero sua fecit potestatem habentem, manere, & proficere in bono.* ¶ Item Damasc. *manentes in eo, quod est secundum naturam, in virtute sumus.* Qui autem est in virtute, potest facere opera meritoria, & proficere: cum ergo primus homo conditus fuerit in integritate naturæ, & nulla poterat manere, poterat ergo & proficere. ¶ Item August. *Quis nesciat ita factum hominem, vt in eo liberum arbitrium ad iuste viuendum pro possibilitate & capacitate sua constitueretur.* Ex hoc videtur, quod ex naturali libertate arbitrii posset iuste viuere, & ita mereri, & proficere. ¶ Item in Cantico Deuter. *Dei perfecta sunt opera, & perfectum est aliquid* (vt vult Philosophus) *cum attingit propria virtuti*: ergo si homo perfectus conditus est, poterat exire in operationem, propter quam factus est: hæc autem est operatio, per quam peruenitur ad gloriam: ergo &c.

¶ Item, in omnibus creaturis si distant à suo termino, ad quem ordinantur, data est virtus, per quam possunt ad illū finem peruenire: sicut patet in igne, qui cum deorsum est, sua leuitate potest ferri sursum. Igitur aut liberum arbitriū miserabilius fuit inter creaturas cæteras: aut si aliæ creaturæ per naturam habent potestatem perueniendi ad suum finem, videtur multo fortius quod & hoc homo posset per virtutem naturæ ante statum miseriæ. ¶ *Item, natura nihil facit frustra*, nec deficit in necessariis: sed nihil est magis necessarium homini, quam illud, sine quo non potest beatificari, ergo cum potestas merendi huiusmodi sit, videtur quod hoc inesset ei per naturam, Dei gratia circumscripta. ¶ Item circumscripta gratia intelligamus hominem in statu naturæ conditæ seruare diuina mandata: aut ergo meretur aliquid: aut nihil. Si nihil, ergo frustra operatur: sed frustra operari non potest esse sine pœna aliqua: hoc autem nō poterat esse in natura instituta. Si aliquid meretur, cum opus rectum sit ad beatitudinem ordinatum, videtur quod ex puris naturalibus mereri possit præmium æternum. ¶ Si autem diceretur, quod opus illud non fuisset meritorium beatitudinis: sed alicuius boni temporalis. * Sed constat, cum opus huiusmodi in statu illo nō esset peruersum, esset ordinatum ad bonum alterius, quod esset ordinatum ad finem: sed prius est comparatio ipsius boni ad finem, quam ad ea, quæ sunt ad finem: quia finis primo mouet: ergo cū in posteriori posito supponatur prius; & poterat mereri aliquid ordinatum ad gloriam, poterat mereri gloriam.

Item, liberum arbitrium essentialius comparatur ad bonum, quam ad malum: ergo si de se potest ad malum, multo fortius potest per se ad bonum: ergo &c. ¶ Item, si de se poterat ad malum, non ad bonum: ergo videtur quod affectus illius non erat rectus: immo quod conditus fuisset in quadam inclinatione ad malum. ¶ Item, si lapis esset creatus sursum, virtus illa, quæ sine difficultate sufficeret ad tenendum illum ibi, sufficeret ad subleuandum eum de loco deorsum ad locum sursum, siue ad locum eminentiorem, quam esset locus, in quo crearetur. Ratione consimili videtur, quod ad hoc quod primus homo staret in statu innocentiæ, in quo conditus fuit, requirebatur vis eadem vel tanta; qua vel quanta posset proficere in melius. Ergo si stare poterat tunc ex bonis acceptis in conditione, vt dicit Magister Sen. & alii Doctores sacræ Scripturæ; videtur quod ex eisdem poterat proficere. ¶ Item, constat, quod primus homo poterat in statu primo facere opera de genere bonorum. Sed secundum Pelagium potest argui sic: cum maiori difficultate Deo seruit, qui solis naturalibus, quam naturalibus & gratuitis ergo meretur maius præmium: sed qui Deo seruit naturalibus & gratuitis meretur vitam æternam: ergo multo fortius qui seruit solis naturalibus meretur vitam æternam. Item Augustin. Seruitia quanto magis indebita, tanto gratiora: sed seruitium seruientis ex solis naturalibus magis est indebitum, quam seruientis ex naturalibus & gratuitis (quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur) ergo magis gratū: ergo magis remunerabile. ¶ Item, Regis terreni meretur quis beneuolentiam ex solis naturalibus: sed Rex cœlestis in infinitum est beneuolentior rege terrestri, & ad miserendum pronior: ergo apud eum mereri potest quis beneuolentiam ex puris naturalibus. ¶ Item, vis intellectiua nobilior est, & potior & perfectior, quam sensitiua vel vegetatiua: sed hæ possunt in suas operationes sine aliquo superaddito suæ naturæ: ergo multo fortius vis intellectiua. Ex his similiter potest argui, primum hominem in statu primo posse peccare.

¶ CONTRA, Deus est summa veritas, creatura autem est vanitas: ergo nullo modo potest vniri illo, nisi per mediū, quod sit partim sicut veritas, partim sicut vanitas; hoc autē est gratia, quæ veritas est, inquantum est à Deo; inquantum à creatura vanitas: ergo impossibile fuit hominem mereri sine gratia. ¶ Hoc idem videtur auctoritatibus. *Exaquabit gratiam gratia. Dabit gratiam pro gratia. Gratia Dei vita æterna.* Et Gloss. *nihil aliud Deus in nobis coronat, quam munera sua.* Tam ergo ex textu, quam ex Gloss. colligitur, quod vitam æternam non contingit mereri absque gratia. ¶ Item, meritum & præmium debent esse proportionalia: sed natura quantumcunque est eminens, improportionabilis est, & alterius generis est, quam sit beatitudo gloriæ: ergo impossibile est mereri gloriam per pura naturalia. ¶ Item, nobilior est substantia, quam operatio: sed Deus nunquam acceptat hominem absque munere gratiæ: ergo nec operationem hominis reputat meritoriam, nisi procedat à libero arbitrio & gratia.

RESOLVTIO.

Nullatenus Adam in statu institutionis ex solis naturalibus, absque dono gratia in bono proficere potuisset, tum quidem ex parte retribuentis, tum vero ex parte retributionis. Sicuti nec nunc in præsenti statu destitutionis præcipue ob infirmitatem operantis, & difficultatem operationis.

¶ RESPONSIO. Dicendum: quod non solummodo gratia necessaria est ad merendum secundum statum naturæ lapsæ: sed etiam secundum statum naturæ institutæ: licet secundum statum naturæ lapsæ magis indigeat liberum arbitrium dono gratiæ. In statu namque naturæ conditæ necessaria erat gratia, tum propter conditionem retribuentis; tum propter conditionem retributionis. Propter conditionem retribuētis, quoniam ipse Deus bonorum nostrorum non eget: ideo nec acceptat hominem propter opera: nec aliquod meritum obligare potest ipsum secundum rationem dati & accepti. Ideo ad hoc quod aliquod bonum opus creaturæ suæ ad remunerandum Deo complaceat, necesse est quod ipsius gratuitæ bonitatis influentia in operante præcedat, per quam creatura ipsi creatori * gratia existat. Similiter propter conditionem retributionis: impossibile enim erat libero arbitrio mereri sine auxilio gratiæ gratum facientis: pro eo quod illud præmium, quod meremur, est beatitudo æterna: beatitudo autem æterna consistit in habendo eum, quod est omne & summum bonum: & qui est super omnem naturam exaltatus: *& lucem habitat inaccessibilem.* Et ideo impossibile est, quod homo

Marginalia: Damasc. lib. 2. — Idem in eodem. — Damasc. — August. in lib de nat. & gratia. — Cantic. Deuteron. — Philos. 7. Phys. tex. 18. — Philos. 1. Cœl. 31. — * Alias, contra. — Iacob 4. — Ioan 1. — Rom. 6. — Glossa. — * Alias, grata. — 1. Tim. 4.

merendo

merendo ad illud summum bonum ascẽdat, & perueniat: nisi per aliquod adiutorium, quod sit vltra naturam. Sic ergo homo in statu naturæ institutæ absque dono gratiæ nõ poterat mereri: tum propter conditionem retribuentis, tũ propter conditionem retributionis. In statu vero naturæ lapsæ non solummodo indiget gratia ad merendum propter has conditiones: sed etiam propter conditionem operantis & operationis meritoriæ. Operans enim in statu naturæ lapsæ semper est in peccato, & Dei aduersarius, & inimicus; nisi à peccato releuetur per gratiæ donum: & ideo quicquid faciat, nisi volũtas eius præueniatur à gratia, quæ Deo reconciliet, nihil meretur merito condigni: pro eo quod Dei est aduersarius & inimicus: Deus autem opera non acceptat, nisi prius acceptet personam: sicut innuitur:

Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: prius dicit [*ad Abel*] postea dicit [*ad munera*] Propter conditionem etiam operationis necessaria est gratia: quia nulla est operatio meritoria nisi recta: & nulla est recta, nisi fiat recta intentione: & nulla potest esse recta intentio, nisi quæ summum bonum omni bono præponit: nulla autem intẽtio potest hoc facere in statu naturæ lapsæ sine dono gratiæ: & propterea qualemcunque vel quantamcunque faciat homo operationem sine gratia, non meretur: quia non pensat Deus quantum, sed ex quanto. Patet ergo, quod multiplex est necessitas gratiæ ad merendum, scil. propter conditiones retribuentis & retributionis, operantis & bonæ operationis. Ita quod hic quadruplex cõcurrit ad statum naturæ lapsæ: etiam præter illa, quæ proueniunt ex pœnis inflictis propter primum peccatum, quæ multum impediunt opus

Beda. bonum. Quatuor enim sunt secundum Bedam inflicta homini propter peccatum primum, quod accidit ex auersione à bono incommutabili, sc. Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & conuersione ad bonum commutabile: scil. ignorantia, infirmitas, malitia, & concupiscentia. Propter ignorantiam agendorum necessaria est gratia, quæ est lux spiritualis, ipsam animam illuminans. Propter infirmitatem, qua homo impotens est assurgere ad opus virtutis, quod est difficile (virtus enim est circa opus bonum & difficile) necessaria est gratia, quæ virtutem animæ ministrat. Propter malitiam, qua homo pronitatem habet ad malũ, & auersionem à Deo, necessaria est gratia, quæ animam ad Deum erigat, & à malo auertat. Propter concupiscentiam, qua ipsa anima corrupta immoderate concupiscendo, cõcupiscibilibus adhæret, necessaria est gratia, quæ æternorum saporem inducit: & sic vehementiam concupiscentiæ diminuat. Sic ergo multiplex necessitas in statu naturæ lapsæ concurrit, propter quam necessaria est gratia. Duplex autem concurrit in statu naturæ institutæ: vt tactum est. Et

Magist. in lib. 2. sent. dist. 29. hoc innuit Magister dicens: *quod homo indigebat gratia operante & cooperante in primo statu, licet non secundum omnem modum operantis.*

¶ Ad illud, quod obiicitur in contrarium per illud ver-

Damasc. bum Damasc. quo dicitur: *quod fecit primum hominem virtuosum &c.* Dicendum, quod hoc sic intelligitur: nõ quia Deus illum in sui conditione fecerit virtuosum: sed quia tunc aptum, & quodam modo dispositum ad hoc fecerit, quod non longo post tempore compleuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur postea, quod in electione sua habebat potestatem manere, & proficere in bono &c. Dicendum, quod hoc non intelligitur quod statim conditus, poterat proficere, scil. ex datis sibi in conditione: sed quia stare poterat, & stando peruenire ad statum, quo posset proficere in bono. Vel potest aliter dici, quod si proficere dicatur in merito gloriæ, secundum quod aliquis magis & minus meretur: sic Adam proficere non poterat ex acceptis à creatione, nisi daretur ei gratia gratum faciens. Potest alio modo profectus nominari largius, vt profectus dicatur respectu quorumcunque: & sic Adam sine gratia gratum faciente poterat proficere in cognitione accepta, & in amore naturali, & in huiusmodi. Et sic intelligitur verbum Damasc. loquitur enim de profectu secundo modo. Vel potest dici, quod si intelligitur primo modo, id est, de profectu in merito, non intelligit illud absolute: sed cum eo quod additur, cum dicit [*fecit hominem potentem proficere per diuinam cooperationem*] quæ est mediante gratia.

¶ Ad illud, quod dicit Augustin. *Quis nesciat ita factum primum hominem &c.* Hoc non intelligitur, quod liberum arbitrium in eo poterat in opus meritorium: sed quia erat tunc in possibilitate quadam ad recte viuẽdum, & in quadam capacitate gratiæ: quia nihil erat in illo repugnans gratiæ. Idem. August.

¶ Ad illud, quod dicit Damasc. quod *manentes in eo, quod est secundum naturam, in virtute sumus, &c.* Dicendum, quod illo verbo non intelligitur; quod naturæ integræ fuit statim addita virtus: ita vt haberent primi parentes statim cum natura virtutem gratuitam: sed quia stantibus & manentibus in natura integra, superaddita fuit virtus: non enim dicit [*existentes in eo quod est secundum naturam, in virtute sumus*] sed [*manentes*] manere enim addit moram super esse. Damasc.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod perfecta sunt Dei opera &c. Dicendum, quod est perfectio quantum ad esse primum: & est perfectio quantum ad esse secundum. Perfectio quantum ad esse secundum, duplex est: quædam enim est, quæ habet ortum à perfectione secundum esse primum: sicut illa perfectio, quæ attenditur in accidentibus, quæ oriuntur ex principiis subiecti. Est alia perfectio quãtum ad esse secundum, quæ non causatur à perfectione secundum esse primum: sed potius est super illud: sicut est perfectio in esse gratuito vel glorioso, quæ quidem est in nobis, non ex nobis, sed ex Deo. Cum ergo dicitur, quod perfecta sunt Dei opera: hoc intelligitur quantum ad esse primum, & quantum ad esse secundum, quod causatur ab illo. Quantum autem ad illud secundum, quod non causatur à perfectione secundum esse primum, veritatem non habet: non enim fecit Deus omnes beatos, sed illos solos beatificauit, quos prædestinauit conformes fieri imagini filii sui. Roman. 8. hoc enim disposuit dare per merita tanquam bonum laudabile: & ratio huius assignata fuit supra.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod aliæ creaturæ possunt peruenire ad finem, ad quem sunt, per virtutem naturæ. Dicendum, quod non est simile; quia finis creaturæ rationalis est summum bonum, quod est supra omnem naturam: finis vero aliarum creaturarum est bonum creatum, & quod est infra terminos naturæ: ideo creatura rationalis magis indiget bono gratiæ, vt possit peruenire in suum finem; quam aliæ creaturæ. Memb. 1. huiusce quæst. art. 2. & 3. in re sol.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod natura non deficit in necessariis. Iam patet responsio ex prædictis: hoc enim intelligitur de necessariis, quæ quidem attenduntur quantum ad esse primum, vel quantum ad esse secundum, quod creatur ex principiis naturæ. Quantum vero ad illud esse secundum, quod supra naturam est, necesse est naturam deficere: & tale est esse gratuitum & gloriosum. Ex hoc tamen nullum fit naturæ præiudicium: quia Deus defectum naturæ supplet, & semper præsto est, cum se offert tempus & locus, complere & dare, quod natura non poterat. Ex 3. de anima tex. com. 45.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod circumscripta gratia seruando mandata, vtrum mereretur &c. Dicendum, quod mereretur: quia disponeret se ad gratiam, quam Deus daret illi; Mereretur (dico) de congruo: quia nihil meretur de condigno sine gratia: & ita bona illa ex consequenti remunerarentur in gloria.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod prior est comparatio ad finem &c. Dicẽdum, quod [*prius*] dicitur dupliciter: vel prius, i. essentialius: vel prius, i. efficacius. Prior est comparatio ad finem; id est, essentialior, quia tanquam ad vltimũ: sed non prior, id est, efficacior, imo efficacior est quantum ad ea, quæ sunt ad finem: quia minora sunt: & ideo magis potest in illa. Ergo si inferatur, potest in hoc, ergo in finem: fit fallacia consequentis: sicut si inferatur, potest in minus, ergo potest in maius. Potest tamen & aliter dici, quod cõparatio ad finẽ prior est secundũ intentionẽ: sed ad ea, quæ sunt ad finem, prior est secundum rem: & ideo non valet.

¶ Ad aliud iam patet responsio, quod quãuis liberum arb. essentialius cõparetur ad bonum: non tamen ita efficacius: quia facilius est facere malum, quam bonum: quia hoc potest de sua natura, quæ est ex nihilo: aliud non potest sine

adiu-

ante lapsum gratiam gratum facientem habuit: per quam non solum malo resistere, sed etiam in bono proficere potuit: & illa gratia adiutus, ita bene meruisset, mandatum domini obseruando: sicut demeruit transgrediendo. Hanc igitur opinionem sustinendo, concedere possumus rationes, quæ ad primam partem inducuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus sciebat statim ipsum esse lapsurum. Dicendum, quod propter hoc nō debuit amittere donum gratiæ, sibi datæ, duplici ratione. Primo quidem, quia simul cum hoc præsciebat, quod bonum debebat de lapsu eius elicere. Secundo vero, quia Deus conferendo gratiam, non attendit futura peccata: sed idoneitatem præsentem ad gratiam, sicut pater cum confert gratiam in tempore præscitis, & eis quos ab æterno reprobauit. Et in vtroque eorum commendatur Dei largitas & sapientia: & arguitur hominis ingratitudo, & stultitia in hoc, quod à tam benefico & tam benigno se auertit sine causa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod non potuit recuperare originalem iustitiam, quam habuit, quando peccauit. Dicendum, quod hæc non est tota ratio, s. quod voluntarie amisit iustitiam illam: sed simul cum hoc facit, quia iustitia originalis non tantum respiciebat voluntatē deliberatiuam, sed etiam respiciebat ipsam naturam institutam: gratia a. respicit ipsam voluntatem liberam, vt est libera: & quoniam voluntas de facili vertitur & reuertitur: natura a. cum corruptione non sic de facili releuatur: hinc est, quod magis potest recuperari gratia, quam prima iustitia: quamuis vtraq; fuerit per peccatum amissa. Non de facili, dico: quia non ante naturæ reparationem.

¶ Ad huius euidentiam nota, quod Deus condidit duas creaturas vicissitudinarie inuertibiles s. nobilissimam, id est angelicam: & vilissimam, id est irrationalem. Inuertibilitas autem illius suæ attestatur nobilitati: huius suæ vilitati. Mediam creaturam s. hominem, qui secundum aliquid est rationalis, secundum aliquid irrationalis; fecit Deus vertibilem. Angelicam naturam fecit Deus talem, quod se cōuerteret, illi inuertibiliter adhæret. Irrationalem fecit talem, quod quantum esset de sua natura, sibi inhæreret: nec aliquid supra se, nec nisi propter se appeteret. Hominem autem fecit Deus vertibilem vicissitudinarie quantum ad liberum arbitrium, siue quantum ad partem rationalem: inuertibilem de sua natura quantum ad partem irrationalem. Pars autem rationalis dum per obedientiam suberat dominio sui conditoris, parti irrationali dominabatur (vnde Aug. *In paradiso enim & si non omnia poterat ante peccatum; quicquid tamen non poterat, non volebat: & ideo poterat omnia quæ volebat*) *sed nolens subesse dominio sui superioris, dominium amisit sui inferioris.* Vnde idem Aug. ibidem. Denique (vt breuiter dicatur) in illius peccati pœna quid inobedientiæ nisi inobedientia retributa est. Nam quæ est hominis alia miseria, nisi aduersus eum ipsum inobedientia eius ipsius: vt quoniam noluit, quod potuit: quod quidem non potest, velit. Quis enim enumerat, quam multa, quæ non potest, velit: dum sibi ipse, i. voluntati eius ipse animus eius, & eo inferior caro eius non obtemperat? Ipso namque inuito, & animus plerunque turbatur: & caro dolet, & veterascit, & moritur: & quicquid aliud patimur; quod non pateremur inuiti, si voluntati nostræ nostra natura omni modo atque ex omnibus partibus obediret. Irrationalis ergo pars quantum est de sua natura, & maxime inquantum corrupta; tantum est conuertibilis ad se: nec potest erigi siue conuerti, secundū debitum iustitiæ originalis, ad suum superius dominio siue potestate partis rationalis, cuius inobedientiæ inobedientia retributa est. Propter autem colligantiam partis rationalis & irrationalis, necesse est partem rationalem defici & declinare secundum motum partis irrationalis: propter quod ante reparationem naturæ corruptæ non recuperabitur perfecte naturalis iustitia.

Aug. 14. de ciu. Dei cap. 15.

Idem ibid.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si Adam habuisset gratiam, inseparabiliter Deo adhæsisset. Dicendum, quod hoc non oportet: quia liberum arbitrium habens gratiam de sua libertate, quæ cogi non potest, dum manet in vertibilitate, in qua conditum est; moueri potest præter gratiæ inclinationem: & frequenter mouetur, nihil considerans de eo, ad quod mouet gratia. Vnde frequenter contingit, quod homo valde præditus gratia & virtutibus, inordinate afficitur: pro eo quod non semper fertur actualiter in illud summum bonum, ad quod desiderium illius assurgit per gratiam: & sic intelligendum est accidisse ipsi Adæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confirmatus esset vt angelus. Dicendum, quod non est simile: tum quia angelus habet naturalia nobiliora: tum propter corpus, quod habebat adhærens, ratione cuius retardabatur, ne totaliter ferretur in Deum: erat enim corpus illud tunc animale. Nihilominus aliter retardabat tunc, aliter nunc: quia nunc retardat mouendo ad contrarium: tunc retardabat, non sinendo libere & expedite ferri, & moueri in Deum, propter quod non sequitur, quod fuisset confirmatus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Lucifer non habuit gratiam gratum facientem &c. Dicendum, quod verum est: ex hoc tamen non sequitur, quod homo peccauerit maiori ingratitudine: pro eo quod Lucifer optima habuit naturalia: propter quod dicitur quodammodo Deiformis: pro eo quod proximior erat statui gloriæ: vnde simul recepisset gratiam & gloriam. Homo vero nec talibus fuit præditus naturalibus: etiam conditus fuit vt magno temporis interuallo haberet gratiam ante gloriam: in cuius signum positus erat in terra, quæ est locus longe distans à cœlo. Vnde in transgrediendo, nec adeo cecidit de alto, vt Lucifer: nec adeo fuit ingratus: nec adeo per peccatum deprauatus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod prius debet homo tentari, quam in amicum sumi. Dicendum, quod illud intelligitur de illa amicitia, quæ facit hominem Deo priuatum & familiarem: per quem modum dicit ipse Dominus apostolis. *Vos autem dixi amicos &c.* De amicitia autem large sumpta, hoc non potest intelligi de amicitia apud Deum: licet possit intelligi de amicitia apud homines. Pro eo quod nisi Deus daret gratiam in probando, potius reprobaret; quam approbaret: non enim habemus, per quod possimus approbari à Deo, nisi per eius donum: non autem sic est de homine respectu hominis: & sic patet responsio ad illud.

Ioan. 15.

Membrum II.

De quantitate gratiæ & virtutum primorum parentum.

SEQVITVR inquirere de quantitate gratiæ, & virtutum: Et primo quantum ad numerum donorum, virtutum, & gratiarum. Secundo de quantitate quantum ad potestatem & efficaciam earundem.

¶ Et quæruntur quatuor. Primo, vtrum habuit fidem. Secundo, vtrum habuit vniuersitatem virtutum ante lapsum, siue tot, quot habuit post. Tertio, si primus homo poterat illis mereri ante lapsum. Quarto, vtrum gratuita erant efficaciora ante lapsum, quam post?

An Adam in statu primo fidem habuerit. §. I.

¶ QVÆRITVR ergo primo, Vtrum habuit fidem. Quod sic, videtur. Fides est fundamentum ædificii spiritualis. *Fides est substantia rerum sperandarum &c.* Glossa *id est, fundamentum: sed deficiente fundamento, deficit totum ædificium:* ergo &c.

Heb. 11. Glos.

¶ Item, tres sunt virtutes theologicæ, fides, spes, charitas: habuit spem & charitatem, consimili ratione & fidem habuit: vel quare non? Hoc etiam videtur per supradictum verbum Bern. ad Eugenium. *Cum videret patrem omnium hominum æmulus circundatum charitate, & omni virtute vestitum &c.*

Bern. sup. Euang.

¶ Item, fides distinguitur per fidem formatam, & informem: & hæc duplex fides duplici statui hominis respōdet, sc. statui gratiæ, & statui peccati: & ita patet quod existentes in peccato, habent fidem informem: existentes in gratia, fidem formatam. Sed constat, quod Adam lapsus per peccatum habuit fidem informem: ergo stans in gratia habuit fidem formatam.

Mag. lib. 4. sen. dist. 23. cap. Cognitionē quoque.

¶ Contra, sicut dicit Magister *cognouit primus homo, à quo*

Lib. de Sacram. par. 6. c. 14. *creatus fuit, non ita excellenter, sicut post hanc vitam Sancti visuri sunt, neque ita in ænigmate, sicut in hac vita videmus*: sed constat, quod fides est cognitio in ænigmate: ergo &c.

¶ Item, Hug. Cognouit homo creatorem suum, non ea cognitione, qua Deus modo à credentib. absens fide quæritur: sed ea, qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestus cernebatur. Ex hoc patet manifeste, quod fidem non habuit.

¶ Item, si habuit fidem: ergo habuit cognitionem articuli de reparatione: ergo cognitionem de lapsu habuit: ergo cognouit casum suum: ergo habuit ante pœnam, quam culpam: quod est contra diuinam iustitiam.

Rom 10. Hugo. ¶ Item, Cognitio fidei est ex auditu (*vnde fides ex auditu*) at dixit Hugo, *cognouit homo creatorem suum non ea cognitione, qua foris ex auditu solo percipitur: sed ea potius, qua intus per inspirationem ministratur.*

RESOLVTIO.

Adam primus homo in primo statu fidem habuit, & quantum ad id quod in ea formale est, s. adhærentia primæ veritati: & quantum ad id, quod in ea materiale est, videlicet cognitio. Qua longe clarius quam nos in via, paulo minus ac beati in patria Deum vidit: talis propemodum, qualis fuit illa Christi in terris.

¶ RESPOND. quod primus homo ante lapsum habuit fidem. Sed intelligendum est, quod fides duo concernit; quæ sunt, cognitio, & adhærentia primæ veritati propter se, quæ est firmitas credendi: penes cognitionem determinatur eius esse materiale: penes adhærentiam siue firmitatem eius esse formale. Vnde Hugo. *Duo sunt, in quibus fides constat, cognitio, & affectus, id est constantia, vel firmitas credendi. In altero constat, quod ipsa illud est: in altero constat, quia ipsa in illo est.* In affectu enim fidei inuenitur substantia, in cognitione materia: aliud enim est fides, qua creditur: aliud, quod fide creditur: in affectu inuenitur fides: in cognitione id, quod creditur fide. Propterea fides in affectu habet substantiam, quia affectus ipse fides est: in cognitione habet naturam; quia de illo & ad illud, quod in cognitione est, fides est.

1 Cor. 13. Præterea cognitio, quæ fidei est, duplex est: quædam imperfectionis est sc. illa, quæ est ænigmatica: de qua. *Videmus nũc per speculum in ænigmate*: ænigma enim est similitudo obscura: vnde videre per speculum, est videre per creaturas aliquas, in quibus similitudo Dei relucet, & in ænigmate, id est in obscura similitudine. Est alia, quæ perfectionis est sc. illa, quæ non est ænigmatica, sed lucida: qualis fuit illa, quã habuit Christus. Cum enim haberet fidem, secũdum illud quod erat perfectionis in illa, habuit illam id est, non ratione visionis ænigmaticæ, sed cognitionis lucidæ. Huiusmodi cognitionem fidei habuit primus homo in statu innocentiæ id est non illam, quæ est ænigmatica; sed illam, quæ est lucida. Triplex enim est cognitio sc. per speciem & lumen, per speculum in lumine, per speculum in ænigmate. Prima est patriæ, secunda erat in statu innocentiæ, tertia in statu naturę lapsę. Habuit ergo primus homo fidem quantum ad illud, quod est substantiale in fide, siue formale: quantum ad illud autem, quod est materiale, habuit illud, quod est perfectionis: vt tactum est. Concedendæ ergo sunt rationes, quæ hoc ostendunt.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc, quod nõ habuit cognitionem ænigmaticam. Iam patet responsio: quia licet non habuerit cognitionem ænigmaticam, non propter hoc sequitur, quod habuit illud, quod erat maioris cognitionis, & perfectionis in fide: vnde habuit cognitionem certiorem illa, quæ est fidei in statu naturæ lapsæ. Et

Hugo. hoc innuit Hugo, dicens: *Sciendum, quod illam primam cognitionem hominis, quam de creatore suo habuit, sicut maiorem & certiorem illa cognitione, quæ nunc in sola fide constat, veraciter dicimus: ita etiam illa, quæ post modum in excellentia contemplationis diuinæ manifeste reuelabitur, maiorem necesse est confiteamur.*

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod non ea cognitione cognouit, qualiter modo à credentibus absens &c. Dicendum, quod hoc dicitur: quia modo quæritur, siue cognoscitur cognitione ænigmatica. Ob hoc enim dicitur modo absens, sc. propter ænigma interpositum inter ipsum & intuitum mentis, siue cognitiuæ: & tunc dicitur fuisse contemplatio per præsentiam; quia erat in lumine: sicut tactũ est. Nec intelligendum est, quod tunc vidit per præsentiam speciei: sed per præsentiam luminis, certiorem efficientem cognitionem ea, quæ est per ænigma. Vnde cognitio illa fuit media inter illam, quæ est modo: & illam, quæ est in gloria.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod si habuit fidem, habuit cognitionem de articulo recuperationis. Dicunt quidam, quod habuit reuera: sed tamen non contulit, nec aduertit: & sic non cognoscebat se casurum actu: vnde nec ex casu eius cõtristabatur. Vel potest dici, quod habuit fidem articuli de reparatione implicite, cognoscens quod ille, qui hominem parauit, illum repararet, quocunque modo indigeret reparatione, siue perficiendo quod erat defectus naturæ conditæ, siue aliqui alii defectus contingerent: bene n. sciuit, quod Deus parauerat, siue condiderat hominẽ ad hoc, quod perficeretur perfectione gloriæ: & quod ille, qui hominem parauerat ad hoc, tempore oportuno illum repararet, tollendo omnes defectus, gloriæ incontingentes. Vel potest dici secundum opinionem illam, qua ponitur quod posteri eius non essent confirmati, primis parentibus stantibus, quod habuit fidem de articulo reparatione. Nec propter hoc tristabatur, quia nõ cognouit, quod propter casum illius futura, & necessaria erat reparatio.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod fides est ex auditu &c. Dicendum, quod duplex est auditus: interior, & exterior: non autem est necessarius auditus exterior ad hoc, quod fit cognitio fidei: sed quandoque sufficit interior. Sicut supposito, quod aliquis esset semotus à fidelibus; nec esset, qui eum instrueret in fide, dummodo omnino viueret secundũ dictamen rationis, & se ordinaret; & præpararet quantum posset ad bonum; auditu interiori fidem reciperet, & informaretur illis, quæ essent sibi necessaria ad salutem. Vnde nõ fuit auditus exterior necessarius primo homini ad hoc; quod haberet fidem: sed inspiratione interna fidei recepit cognitionem: hoc est, illud, quod fuit perfectionis in cognitione fidei.

An in statu iustitiæ tot dona & virtutes fuerint, habueritque Adam, quot in præsenti culpæ statu sunt, nosque habemus? §. 2.

¶ SEQVITVR inquirere, Vtrum habuit vniuersitatem virtutum ante lapsum adinstar tot, quot habuit post.

¶ Quod a. non habuit, videtur primo per Dam. dicentem: quod Deus fecit hominem omni virtute circundatũ, & omnibus bonis ornatum. Ergo non videtur, quod aliquis habitus virtutis, qui sit in nobis, deesset eidem.

¶ Item, Ex parte cognitionis non cognoscimus plura, q̃ Adam cognouit: nec plures habemus in nobis scientias: ergo pari ratione ex parte affectionis nõ videtur, quod plures habeamus habitus, quam habuit primus homo.

¶ Item, sicut Sancti dicunt, connexio est in virtutibus: qui habet vnam, habet omnes: ergo si Adam habuit aliquã virtutem, necesse fuit, quod omnes habuerit: ergo tot habuit, quot nos habemus.

¶ Item, aut aliquam virtutem habemus, quam non habuit Adam: aut non. Si non, ergo tot virtutes habuit, quot nos habemus. Si sic, aut ergo illius virtutis fuit Adam capax: aut non. Si non, ergo videtur, quod per peccatum venerit in nobis boni capacitas: quod absurdum est dicere. Si sic, cum Deus daret gratiam Adæ secundum capacitatem suam, videtur quod omnem virtutem, quam in nobis confert post lapsum, & ipsi contulerit ante lapsum.

¶ Contra, Virtus fortitudinis consistit in perpessione terribilium: sed in Adam in statu innocentiæ non potuit esse talis perpessio: ergo nec fortitudo.

¶ Item, temperantia consistit in coercendis prauis carnis passionibus: sed tales non poterant reperiri in natura instituta: ergo nec temperantia.

¶ Item, Pœnitentia consistit in detestatione malorum perpetratorum, & dolore: sed nullo modo conuenit in statu innocentiæ de malis commissis dolere: ergo non poterat in primo homine esse virtus pœnitentiæ.

¶ Item, qui habet donum perseuerantiæ, non cadit à iustitia: sed Adam à iustitia cecidit: ergo perseuerantiam non habuit: hanc autem multi habent in statu naturæ lapsæ:

ergo non omnis virtus, quæ nunc est, fuit in statu innocentiæ.

¶ Item, Numerus sacramentorum post lapsum non respondet per æqualitatem numero sacramentorum ante lapsum: neque primi parentes si stetissent, habuissent exercitium tot sacramentorum, quot habuerunt post exercitium post lapsum: cuius ratio est, quia homo pluribus indiguit adiutoriis post lapsum, quam ante. Eadem ratione videtur, quod numerus virtutum ante lapsum non debuit respondere numero virtutum post lapsum: nec quod primi parẽtes si stetissent, præditi essent tot virtutibus ante, quot post: quia pluribus indiguerunt post, quam ante.

Esa. 11. Item, idem ostenditur per comparationem donorum: cum enim sint septem dona, vt habetur Esa. 11. sc. donum sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris domini: ante lapsum (vt videtur) non fuit pietas, quæ est circa opera pietatis, quæ non fuissent in statu innocentiæ: neque fortitudo, quæ consistit in aggressu difficilium: & perpessione aduersorum, quæ necessaria sunt tempore lapsus.

Matth. 5. Item, Idem videtur per comparationem beatitudinum Matth. 5. quia ante lapsum non fuit beatitudo luctus, neque beatitudo misericordiæ: quia misericordia miseriam respicit, quæ necessaria erat post lapsum.

Galat. 5. ¶ Item, videtur idem per comparationem fructuum, de quibus dicitur Gal. 5. quia ante lapsum nõ fuit fructus, qui est patientia; quæ consistit in tolerantia aduersorum, sicut post. Ex iis omnibus videtur, quod non habuit tot virtutes ante lapsum, quot habuit post.

RESOLVTIO.

Non tot fuere virtutes vel dona gratiæ gratisdatæ in statu instituto, nec Adam habuit; quot nunc sunt in præsenti statu destituto, habeaturque à nobis: quia nec illi tempori, aut homini expediebant. At bene dona, atque virtutes gratiæ gratumfacientis: nec vtcunque, sed quo ad habitus & actus tantum, qui perfectionis sunt.

¶ RESPONS. Dicendum, ꝙ cum sit comparatio multitudinis donorum gratiæ ad statum naturæ lapsæ, & statum naturæ institutæ; hoc potest intelligi, vel de donis gratiæ gratis datæ: vel de donis gratiæ gratumfacientis. Si intelligitur de donis gratiæ gratisdatæ, sic se habent sicut excedẽtia & excessa: pro eo quod aliqua dona gratiæ gratisdatæ habuit Adam in statu illo: vtpote immortalitatem, & impassibilitatem: quæ non habuit aliquis posterorum eius: & aliqua dona gratiæ gratisdatæ habent posteri eius, quæ ipse non habuit: sicut sunt gratia sanitatum, & operatio virtutum, & genera linguarum, & consimilia. Ratio autem huius diuersitatis venit ex hoc, quod illa dona expediebãt illi tempori, & alia competunt isti. Si autem loquimur de donis gratiæ gratumfacientis: quia dona illa cõnexionem habent quantum ad habitus, & quantum ad actus, qui perfectionis sunt; sic concedendum est, quod in æquali multitudine fuerunt in primo homine; in qua reperitur in eius posteritate (Hoc dico quantum ad habitus, & quantũ ad actus, qui perfectionis sunt) sicut rationes ad primam partem inductæ ostendunt. Quantum vero ad actus, qui habent imperfectionem annexam, non contingebat virtutes secundum statum illam in Adam ponere. Sicut enim habetur ab Aug. & Magister recitat. virtutes habebũt alios actus in patria: quia maioris perfectionis, quam habeant in via. Actus enim, siue vsus prudentiæ erit, nullum bonum Deo præponere, vel æquare: fortitudinis, ei firmissime adhærere: temperantiæ nullo defectu nouo delectari. Hos eosdem actus & vsus habuerunt primi parentes in illa felicitate, in qua fuerunt, quando habuerũt gratiam gratumfacientem: licet non in illa perfectione, in qua habent in patria: plurimum tamen erant conformes.

August. in lib. de Trinit. 14 & Magister 3. sent. dist. 33.

¶ Per hæc patet responsio ad duo obiecta, quorum vnũ erat de fortitudine, alterum de temperantia, quæ procedebant secundum actus habentes imperfectionem aliquam annexam: quæ quidem perfectio competit solum secundũ statum præsentis miseriæ.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur de pœnitentia: Dicendum, quod pœnitentia reduci habet ad virtutem iustitiæ: est enim de speciebus iustitiæ, existente statu per lapsæ: non autem fuisset de speciebus illius, si permansisset status naturæ conditæ: tunc enim esset actus iustitiæ, Deo regenti subiectum esse.

¶ Ad illud autem quod obiicitur de perseuerantia. Dicendum, quod perseuerantia vno modo dicitur propositum perseuerandi in bono: & hoc modo est virtus, vel dispositio consequens virtutes inseparabiliter. Alio modo perseuerantia est continuatio in bono vsque in finem: & sic non dicit habitum, sed potius dicit actum: & hanc primus homo nõ habuit: ex hoc tamen nõ sequitur, quod aliqua virtute caruerit pro eo tempore, quo in gratia permansit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod numerus sacramentorum post lapsum non respondet &c. Dicẽdum, quod hoc verum est: & ratio huius est necessitas humanæ reparationis post lapsum: cecidit enim homo in morbum grauem per peccatum suum: propter quem indigebat sacramentis aliis ab illo, quod fuit institutum tempore naturæ conditæ, scil. matrimonio, quibus curaretur: vnde Hugo. Ex quo homo à statu primæ incorruptionis lapsus, in corpore per mortalitatem, & in anima per iniquitatem ægrotare cœpit, continuo Deus reparando inde sacramentis suis medicinã præparauit: quæ (prout ratio postulabat, & causa) diuersis temporibus & locis ad curationem illius exhibuit: virtutes autem necessariæ erant in omni statu, & in omni tempore; & quantum ad substantiam, & quantum ad numerum: tamen secundum diuersitatem statuum necessaria erat actuũ variatio, secundum quod tactum est.

¶ Ad illa, quæ consequuntur. Dici potest: quod dona, fructus, beatitudines conferuntur à Deo ad perfectionem naturæ lapsæ, non institutæ. Ad cuius declarationem nota, quod virtutes (secundum quod ex auctoritatibus Sanctorum potest rationabiliter colligi) sunt ad informandum, siue ad rectificandum liberum arbitrium: tunc autem est liberum arbitrium informatum, quando est in iustitia rectificatum: Hæc autem informatio rectitudinis in statu naturæ institutæ potentias animæ reddidit habiles ad agendum bonum recte, expedite, delectabiliter, & perfecte, propter conformitatem & obedientiam naturæ respectu gratiæ. Sed primus homo in lapsu in culpam, spoliatus fuit gratuitis, & vulneratus in naturalibus: expoliationem autem istam subsecuta est deformatio, & impotentia ad bonum, & ex illa vulneratione effecta est natura humana infirma, & subsecuta est difficultas ad bonum: ex hac autem difficultate subsecuta est fatigatio & fastidium in progressu in bono, siue in exercitio bonorum operum: & ex his oritur quædam vitæ imperfectio, siue versatio in operibus imperfectionis. Homo autẽ sic deiectus, siue humana natura sic lapsa, non poterat per se reparari: nec illa, quæ sufficiebant ad recte agendum, expedite, delectabiliter, & perfecte in statu naturæ conditæ, sufficiebant post lapsum, scil. virtutes solæ. Propterea diuinæ benignitatis largitas habitus multiplices contulit homini propter multiplicia incõmoda iam tacta; vt sic humanæ naturæ lapsæ defectus releuaret. Ita vt per collationem gratiæ in virtutibus reformetur ipsa anima, & efficiantur potentiæ potentes ad bene & recte operandum: per collationem gratiæ in donis ad expedite operãdum; per collationem gratiæ in fructibus ad delectabiliter operandum: per collationem gratiæ in beatitudinibus ad perfecte operandum. A virtutibus enim est anima potens ad operandum, ex donis ad expedite operandũ ex fructibus ad delectabiliter operandum, ex beatitudinibus ad perfecte operandum. Ita quod contra quadruplicẽ oppressionem siue defectionem, quę ex culpa habet originem, auctor & reparator humanæ naturæ quadruplicem apposuit releuationem. Ex his ergo patet, quod dona, fructus, & beatitudines proprie respiciũt status naturæ lapsæ: virtutes autem semper fuerunt necessariæ. Propter quod non est simile de comparatione fructuum, donorum, & beatitudinum, & ipsarum virtutum ad statum ante culpam, & post.

An Adam ex donis, & virtutibus gratuitis, quas ante lapsum habuit, mereri potuerit? §. 3.

¶ Ad tertium, quo quæritur: si primus homo poterat il-

naturalia non meretur laudari, vel vituperari; illi statui neque virtus neque vitium debet attribui. Et propter hoc potest dici, quod homo in illo statu, qui fuit pure naturalis: neque debuit dici habere vitium, neque virtutem: in alijs autem statibus, qui currunt per distinctionem meriti & præmij: dicendus est quilibet habere virtutem, vel vitium: status enim illi digni sunt laude, vel vituperio: quia respiciunt meritum vel demeritum.

¶ AD ILLVD, quod subditur: quod anima rationalis non subiacet tempori &c. Dicendum, quod licet non subiaceat tempori secundum substantiam, subiacet tamen secundum actum. Vt enim dicit Philosophus, *est aliquid, quod secundum substantiam & actum est in momento æternitatis: aliquid, quod secundum substantiam & actum est in momento temporis: aliquid, quod secundum substantiam est in momento æternitatis, secundum actum in momento temporis: & hoc est anima rationalis.* Philos.

¶ AD ALIVD, quod obijcitur: quod Deus dat omnibus secundum sui capacitatem, quia dat vnicuique secundum propriam virtutem &c. Dicendum, quod capacitas siue virtus, secundum quam Deus dat vnicuique; non est in sola potentia vel aptitudine: sed in præparatione & dispositione per motum liberi arbitrij: quæ quidem præparatio, siue dispositio cadit in genus meriti, scilicet de congruo. Cum his intelligendum est, quod licet dominus sit summe liberalis: sua tamen liberalitas in nullo præiudicat ordini suæ sapientiæ, immo liberalis est saluo ordine sapientiæ & iustitiæ. Quamuis enim ab instanti creationis cuiuslibet hominis posset eum beatificare, tamen longo tempore tardat: similiter quamuis posset cuilibet paruulo gratiam dare sine baptismate, sicut cum baptismate: tamen non dat: & ratio huius est, quod gloria est bonum laudabile, ideo non dat nisi per meritum laudabile: & ideo conuenit eam dare præcedente aliquo merito. Similiter quando confert gratiam, si confert adulto, cum gratia faciat habentem dignum gloria; non confert nisi ad motum liberi arbitrij, si habet vsum: si vero non habet; confert ad motum fidei alienæ, siue ad meritum Christi: ideo secundum ordinem sapientiæ non statim debuit eis dare, sed expectare motum liberi arbitrij: quod & fecit. Patet ergo responsio ad illud, quod obijcitur de libertate & habilitate: quia non tantum exigit innocentiam vt dispositionem, sed motum liberi arbitrij in adulto: paruulo vero potest alienum meritum suffragari, sicut demeritum nocere.

¶ EX HOC patet responsio ad aliud, quod sequitur: quia licet anima Adæ fuerit in pura innocentia, & recta voluntate: tamen quia hæc illi erant, quasi naturaliter inserta, siue naturæ à primaria conditione insita; vt habetur ab Hugone: non erat sufficienter præparata: sed requirebatur, vt processu temporis disponeretur motu lib. ar. in Deum, & bono vsu gratis datorum: quo facto congruebat, vt gratuita gratum facientia apponerentur.

¶ QVOD autem dicitur, quod nulla est melior præparatio quam pura innocentia & recta voluntas. Dicendum, quod hoc verum est, quando hæc insunt per motum liberi arbitrij, siue vsu rationis disponente & præparante ipsam animam, & efficiente illam dignam, dignitate congruitatis.

¶ AD ALIVD, quod obijcitur: quod Deus non inhabitet animam, hoc prouenit ex vitio aliquo, &c. Dicendum, quod hoc non est generaliter verum: nisi extenso nomine defectus dicatur vitium. Vnde in primo homine causa, quare statim non inhabitauit Deus animam illius, fuit defectus gratiæ, non vitium aliquod: secundum quod vitium proprie sumitur, sc. pro culpa.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur: quod velle boni non potest esse sine gratia &c. Dicendum, quod hoc verum est, secundum quod bonum dicitur meritoriũ: sicut enim dicit Hugo, *ad bonitatem & iustitiam exequendam naturali appetitu trahebatur primus homo*: ex quo patet quod potuit velle bonum sine gratia. Hugo.

¶ AD ILLVD, quod obiicitur de multiplici dilectione sui & Dei Dici potest, quod duplex est dilectio: voluntaria pure naturalis: & voluntaria, quæ non est pure naturalis, sed est deliberatiua: & vtraque respectu sui & respectu Dei. Voluntaria naturalis respectu sui est, qua summe quis diligit se ipsum, & sui conseruationem: & illud semper magis, quod magis est necessarium sibi adesse; vt caput, quam manum, vel pedem: hac dilectione moti, exponimus alia membra pro capite: & hæc dilectio curua est: & est communis nobis & brutis. Respectu Dei est dilectio naturalis, qua diligimus summum bonum: hæc autem dilectio est naturalis: dicit enim Boetius, quod amor & notitia summi boni naturaliter fuit inserta animæ humanæ. His dilectionibus non meretur quis, neque demeretur: quia naturali appetitu trahitur homo ad hæc. Boetius.

¶ ITEM, est dilectio voluntaria deliberatiua, quæ diuiditur in concupiscentiam & amicitiam. Dilectio amicitiæ est, qua appetimus bonum illi, quem diligimus propter ipsum: secundum quod dicit Philosophus, quod diligimus amicos propter se, & si * nihil debeat nobis ab ipsis esse. Dilectio concupiscentiæ, qua quis affectat bonum, quia sibi bonum, vel delectabile. Vtroque modo diligitur Deus: primo modo ex consideratione beneficiorum eius: quibus consideratis, appetitur ei bonum; & si nihil boni debeat inde prouenire appetenti, secundo modo cogitata suauitate illius, appetitur & affectatur dulcedo illius, & delectari in illo. Huiusmodi autem delectationem quærere in illo propter se, non est peccatum: quærere autem in alio est peccatum: propter se dico. Potest ergo dici, quod primus homo diligebat se propter se, scilicet amore amicitiæ, non amore concupiscentiæ: sic autem diligere se propter se, non est frui se: quia frui se est delectari in se: quod est delectationis concupiscentiæ. Vtroque istorum modorum poterat primus homo diligere Deum, scilicet dilectione amicitiæ & concupiscentiæ: nec oportet illum habuisse charitatem, siue virtutem aliquam gratum facientem: quia naturali dilectione poterat iis duobus modis moueri in Deum. Philos. *Alias, nihil boni.

¶ AD cuius euidentiam nota, quod motus dilectionis, siue dilectio aliter est gratiæ, aliter est naturæ. Naturæ vero est, & maxime institutæ ex quadam habilitate & rectitudine respectu boni: gratiæ vero est, inquantum captiuatur affectus in obsequium Christi diligendo: sicut intellectus per fidem, siue credendo. Tunc autem captiuatur intellectus in obsequium Christi, quando contra id, quod dictat ratio, assentit primæ veritati: sic & affectus quando id, ad quod diligendum naturaliter inclinatur, amore Christi paratus est odire, vel econuerso: vt quando ad id, quod odiendum naturaliter inclinatur; paratus est amare: & talis est affectus, qui contemnit honores, diuitias, & omne delectabile carni: & amat odientes se & persequentes propter Deum: & huiusmodi affectus non est à natura, sed solum à gratia: non tamen in statu naturæ conditæ fuisset ista dilectio.

¶ ALIA est differentia, quod quandoque dilectio est à cognitione naturali, & illa similiter est naturalis: alia est à cognitione fidei. Et differt hęc cognitio ab illa: quia cognitio naturalis cognoscit Deum summe bonum propter diffusionem suæ bonitatis in effectibus causatis: sed fides dictat Deum summe bonum propter cõmunicationem suæ bonitatis in diuinis personis. Et vtraq; cognitio dicit Deũ summe bonum & summe diligendum: sed melius fides, siue cognitio gratuita. Per hunc modum vtraque dilectio est summa respectu Dei: sed modo nobiliori dilectio gratuita.

¶ ALIA est differentia: quia dilectione naturali diligit Deum animus, siue affectus rectus, quia bonus sibi: & ideo summe diligit; quia sibi summe bonus: & omne bonum quod est, & quod habet, ab ipso est: & nihil esset, nisi per ipsum: ideo plus illum diligit, quam se ipsum. Sed dilectione gratuita diligit quis Deum; quia simpliciter bonus: & quia summe bonus, summe diligit: & quia ipse homo non est bonus, nisi inquantum est ad Deum: diligit se propter Deum, sc. dilectione gratuita. Et sic triplex est differentia: prima est à parte modi diligendi: secunda à parte cognitionis disponentis, siue principii: tertia à parte motiui. Et sic patet, quod primus homo poterat diligere Deum dilectione naturali; ratione qua erat in optima habilitate & rectitudine naturali respectu boni: & ratione qua habebat co-

gnitionem naturalem bene disponentem ad hoc; & ratione qua Deus erat sibi summe bonus, non tamen hoc poterat dilectione gratuita, quam concomitantur tres differétiæ oppositæ.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod melior fuit voluntas Adæ exercens aliquam actionem &c. Dicendum, quod voluntas non solum est vis, siue virtus actiua: sed est quasi instrumentum respectu mouentis sui: vt enim dicit Ansel. voluntas est instrumentũ se ipsum mouens: propter quod nihil est ita in potestate hominis sicut sua voluntas: propter quod à sua natura siue virtute naturali potest exire in actum. Quod actum dicit Philosophus, *melior est actus, quã potentia.* Dicendum, quod hoc verum est, per se loquendo. Similiter et voluntas est melior exercens aliquam bonam actionem (per se loquendo) quam ipsa cessans ab eadem. Quod autem dicitur, quod non potest facere se sum melius. Dicendum, quod hoc verum est, præcise loquendo secundum quod [*melius*] dicit comparationem in merito, siue in gratuitis: sed necessario requiritur adiutorium gratiæ. Cum enim sit bonum triplex, honestum, vtile, & expediens: secundum quod [*melius*] dicit comparationem ad bonum honestum, non potest aliquis sine adiutorio gratiæ facere se meliorem: potest tamen, secundum quod [*melius*] dicit comparationem respectu boni vtilis, vel expedientis.

Philos.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod diuina bonitas ita apta est diffundere se ad perficiendum creaturas spirituales &c. Dicendum, quod hoc verum est, saluo ordine diuinæ sapientiæ: quod autem congruebat diuinæ sapientiæ dilatio perfectionis gratuitæ similiter & diuinæ maiestati, ex dictis patet. Præterea, diuina bonitas ea perfectione perfecit primum hominem quantum ad animam, qua animam, qua quantum ad corpus: quia vtrunque perficiebat perfectione naturali: siue quantum ad ea, quæ requirebat perfectio naturæ: vnde patet quod ratio illa nulla est.

¶ Ex his patet responsio ad illud, quod sequitur: quia non fuit similis ratio dilectionis perfectionis eius, quantum ad scientiam, & quantum ad virtutem. Multiplex enim fuit ratio dilationis perfectionis quantum ad virtutem, vt ex dictis patet: quarum nulla fuit dilationis perfectionis quantum ad scientiam: ideo multis rationibus cõgruebat, vt statim conditus fuisset præditus scientia, vt infra patebit. Præterea addendum ex prædictis, quod non est simile de perfectione ætatis & cognitionis, & de perfectione virtutis: perfectio enim ætatis & cognitionis non tantum elõgatur à perfectione naturæ, sicut perfectio gratiæ. Homo enim per vim naturæ sibi inditam, potest peruenire ad perfectam ætatem, & potest proficere ad cognitionem: sed nunquam per se potest homo in perfectionem gratiæ: immo requiritur necessario, quod infundatur à domino.

Quæst. immediate sequenti.

Quæst. 92. Memb. 1.

¶ Ad illvd quod obijcitur de perfectione illorum, quæ erant ad sustentandum hominem, id est, arborum. Dicendum, quod non fuit ratio similis harum, & illius: istarum enim non erat, nec debuit esse nisi vnica perfectio, scilicet naturalis: hominis autem secundum animam triplex, scilicet naturalis, gratiæ, & gloriæ: quæ debebant rationibus prætactis discerni, & secundum temporis & status opportunitatem distingui.

Genes. 1.

¶ Ad illvd, quod obijcitur de illo verbo. *Faciamus hominem ad imagi. &c.* Dicendum, quod similitudo attenditur ibi in gratuitis gratis datis. Vel dicendum, quod Deus dicitur fecisse hominem ad suam imaginem & similitudinem; non quia statim cum dedit ei imaginem, simul etiam dederit similitudinem: sed quia alterum dedit, scilicet imaginem, & ad alterum habilem fecit, videlicet ad similitudinem: quam postmodum pro loco & tempore ei dedit. Et quantum est ex vi verbi, non potest concludi, quod simul & semel fuit in homine imago Dei & similitudo.

¶ Et per hoc patet responsio ad duas auctoritates sequentes, Eccli. videlicet, & Damascen. quia sic intelliguntur, non quia Deus statim vt condidit hominem, virtute vestiuerit & ornauerit: sed quia tunc dispositum fecerit, & non longe post tempore compleuit.

ARTICVLVS II.

Si primus homo stare poterat ex accepto in sui conditione?

Seqvitvr inquirere, Vtrum poterat stare ex accepto in sui conditione. De quo quæruntur tria.

¶ Primum est, vtrum ex accepto potuit stare simpliciter.

¶ Secundum, vtrum ex illo accepto fuerit inuertibilis.

¶ Tertium, vtrum potuit illi dari inuertibilitas, per naturam scilicet, sine additamento gratiæ.

An Adam simpliciter stare potuit ex iis, quæ in prima sui conditione acceperat. §. 1.

¶ Qværitvr ergo primo, Vtrum ex accepto in sui conditione poterat stare simpliciter. Quod autem sic, videtur ex verbis Magistri. Dicit enim. *Sciendum est, quod homini in creatione datum est per gratiam auxilium, & collata potentia per quam stare poterat, id est non declinare ab eo, quod acceperat: sed non poterat proficere intantum, vt per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret.* Et ad hoc ostendendum plures inducit autoritates. Dist. allegata cap. 1.

Magist. 2. Sẽt. dist. 24

¶ Item, Anselmus *liberum arbitrium est potestas seruandi rectitudinem propter se*: sed seruando rectitudinem, non declinasset ab eo, quod acceperat: ergo cum in conditione datum fuerit ei liberum arbitrium &c.

Ansel.

¶ Item, *si non posset stare, cum nullus peccet ex eo, quod vitare non posset*: vt habetur ab August. si cecidisset, non esset illi imputandum ad culpam: sed constat, quod hoc est falsum.

Aug. de lib. arbitrio.

¶ Item, natura nulli dat esse, quin etiam det ei aliquam potentiam permanendi: cum non deficiat in necessarijs. Vnde sicut aliquid naturaliter propagatur, sic etiam in naturali virtute in esse conseruatur. Si ergo liberum arbitrium homini datum, per naturam propriam innocens erat, & immune à culpa: ergo per naturam propriam, absque omni gratia permanere poterat in sua innocentia: ergo, &c.

¶ Item, Voluntatis rectitudo solo actu seruatur: qui enim rectus est, obliquus esse non potest, quamdiu ipse vult esse rectus. Sed nihil tam est in voluntate nostra, quam ipsa voluntas: nihil facilius homini recto, quam velle rectitudinem. Si ergo liberum arbitrium, quantum est de sua conditione primaria, rectum erat: absque omni gratia superaddita rectitudinem seruare poterat: ergo &c.

¶ Contra. *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur* (dicitur de *Behemoth*) ex quo patet, quod nulla potestas naturalis est potestati suæ comparabilis: ergo homine habente solummodo naturalia, in quibus conditus erat; fortior erat diabolus: ergo ex accepto in conditione non poterat primus homo illi resistere: sed illo impetente, necesse habuit cadere.

Iob 41.

¶ Item, August. *Natura humana & si in illa integritate, in qua condita est, permaneret: nullo modo se ipsam sine creatore adiuuante seruaret.* Ex hoc patet, quod sine gratia stare non potuit.

August. de gratia & vera innocentia.

¶ Item, si virtute propria posset homo absque omni gratia tentationi resistere; potuisset etiam de inimico obtinere victoriam: sed victoriæ respondet corona; ergo absque omni gratia potuisset mereri, & peruenire ad gloriam: quod si euidenter falsum est, restat &c.

¶ Item, maioris difficultatis est resistere tentationibus, quam opera virtutum exercere. (Hoc bene nouerunt experti difficultatem tentationum) ergo maioris difficultatis est stare in bono accepto, quam in bonum acquirendum proficere: si ergo non poterat tunc proficere, &c.

¶ Item, vitiũ culpæ nõ opponitur naturæ per se, sed potius

gratiæ: similiter vitium naturæ non opponitur gratiæ per se, sed potius naturæ: ergo est similis comparatio vitij culpæ ad gratiam, & vitij naturæ ad naturam: & permutatim scilicet naturæ ad gratiam, & vitij naturæ ad vitium culpæ. Ergo si per gratiam, siue gratuita nō potest quis stare, quin labatur in vitium naturæ: ergo consimili ratione nec per naturam aliquam, siue naturalia quæcunq; potest quis stare, quin labatur in vitium culpæ. Ergo primus homo per naturalia non poterat stare, quin caderet in culpam.

RESOLVTIO.

Adam ex acceptis in conditione sui, & stare potuit, & Diaboli tentationi resistere: tametsi non vincere. Nec ita vt excludamus continuam influentiam virtutis diuinæ, sed nouam ab illo appositionem gratiæ.

¶ RESPONSIO. Dicendum, quod primus homo ex acceptis in conditione poterat stare, & resistere omni tentationi: sicut habetur à Magistro Sent. Nec oportebat illū cadere, nisi vellet. Vnde August. *Tunc dederat Deus homini bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat: qui fecerat rectum; dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius reliquit libero arbitrio.* Posset ergo permanere, si vellet: quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet. Cum hoc autem intelligendum (sicut supradictum est) quod primus homo conditus fuit in gratia; eo modo quo gratia dicitur communiter, scilicet secundum quod comprehendit, quicquid est additum naturalibus; quæ sunt de constitutione generali rerum: & quod est additum libero arbitrio, disponens & faciens ad eius rectitudinem. Nota ergo, quod primus homo duplicem habuit gratiam in primo statu, hoc est antequam habuerit gratiam gratum facientem, scilicet gratis datam (communiter dicta gratia eo modo, quo dictum est) & gratiam superinfusam: quæ erat continua influentia virtutis à causa prima. Cum ergo dicitur, quod primus homo poterat stare ex acceptis in conditione absque gratia: hoc potest intelligi dupliciter. Vel ita quod excludatur continuatio diuinæ influentiæ: vel ita quod excludatur appositio nouæ gratiæ. Primum simpliciter est impossibile: nunquam enim tentationi liberum arbitrium resistere posset; nisi Deus suæ bonitatis influentia illud in bono conseruaret. Secundo modo veritatem habet pro statu innocentiæ. Dicit enim Magist. *Illud adiutorium homini datum in creatione, quo poterat manere, si vellet: fuit libertas arbitrij, ab omni labe & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum animæ sinceritas atque viuacitas.*

August. de correctione & gratia

Magist. 2. sen. dist. 24. Hic considerandum.

¶ AD ILLVD ergo, quod primo obijcitur contra hoc per illud Iob. Non est potestas super terram &c. Potest dici: quod licet potestas diaboli sit maior per naturam, tamen tum quia eneruata est per peccatum; tum quia non permittitur totam potentiam suam exercere in tentando; tum quia tentat suggerendo, non violentiam inferendo; non est tantæ potestatis, neque fuit tunc, quod primum hominem vel etiam alium non subiectum sibi per peccatum, posset, vel poterat superare. Præterea, nullus superari potest nisi volens. Vnde nullius potestatis est diabolus respectu hominis: potestatis (dico) ad vincendum. Greg. *debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem.*

Gregor.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur per August. scilicet quod *nulla natura in quacunque sit innocentia, vel rectitudine, potest se seruare sine diuino adiutorio.* Dicendum, quod hoc non dicitur: quia natura instituta in primo homine, eo modo quo fuit instituta ad hoc, quod stare posset, necesse habuit noua gratia fulciri: sed quia in quocunque statu esset, indiguit influentia diuinæ virtutis sustentantis illam.

August. de vera innocentia.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: si posset stare, posset de tentatione victoriam obtinere, &c. Dicendum quod plus est victoriam de hoste obtinere, quam stare, siue hosti resistere. Ad hoc enim quod aliquis victoriam obtineat de hoste; requiritur quod assequatur oppositum illius, quod ab hoste intenditur: hoc autem est, quando non solum illi resistit voluntarie: verum etiam meritorie. Tunc enim recte vincitur hostis diabolus, quando ex vexatione tentationis, per quam intendit incuruare ad demeritum, homo proficit ad meritum: hoc autem facere non potest liberum arbitrium nisi per adiutorium gratiæ; nec potuit in primo homine: quamuis per se posset refugere peccatum.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod maioris difficultatis est tentationi resistere, quam &c. Dicendum, quod quidam posuerunt bonos angelos magna difficultate restitisse tentationi illi, à qua apostatæ ceciderūt. Secundum istos non modica difficultate restitissent primi parentes primæ tentationi: quæ ratione arduitatis habendæ, quam proposuit, violentissime allexit; vt illi ponunt. Sed hoc est simpliciter falsum: quia tentatio non potest esse alicui violenta sine pœna: pœnam autem non ingerit tentatio, nisi illis, in quibus est aliquid, quod ad malum compellit: hoc non potuit esse in primo homine ante peccatum, vt habetur à Magistro. Aliter ergo dicendum est, scilicet quod in primo statu nullius erat difficultatis resistere tentationi; etiam non habita gratia gratum faciente: proficere autem in merito, ipsa non habita, fuit impossibile. Si autem in illo statu primus homo exercuisset opera de genere virtutum: non propter hoc profecisset in merito: quia opera illa non essent progressa de radice meriti, sed potius de virtute & appetitu naturali. Non enim semper proficit homo in meritum, cum facit opus bonum bonitate morali, siue de genere virtutis: sed solummodo quando ipse agens est bonus bonitate gratiæ informantis.

Mag. lib. 2. sen. dist. 24

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod similis est comparatio vitij culpæ ad gratiam, & vitij naturæ ad naturam: & permutatim, &c. Dicendum, quod alia fuit comparatio istorum adinuicem in statu naturæ conditæ: & alia in statu naturæ lapsæ. In statu enim naturæ conditæ consequebatur integritas naturæ ad informationem gratiæ, immo ad absentiam culpæ: vitium enim culpæ introduxit vitium naturæ: ex culpa enim siue peccato primi hominis introducta est corruptio humanæ naturæ; vnde culpa personæ fuit causa vitij, siue corruptionis naturæ. Vnde in statu illo gratia non solum erat incontingens vitio culpæ; sed vitio naturæ: similiter integritas naturæ non solum erat incontingens vitio naturæ; sed vitio culpæ. Propter hoc licet in statu lapsus gratia sustineat lapsum in vitium naturæ: tamen in statu illo nullo modo sustinuisset: omnino enim erant tunc incompassibilia. Similiter licet naturalia in statu lapsus, quantumcunque sint bona (iuxta quod sustinet status huiusmodi) sustineant lapsum in vitium culpæ, ipsis non cadentibus in oppositum genus: in statu illo non sustinuissent; immo necessario cecidissent in genus oppositum: quia in corruptionem ab integritate. Propter quod non valet argumentum illud: si per gratiam non potest quis stare, quin labatur, &c. ergo primus homo per naturalia &c.

An Adam ex eisdem in eadem conditione acceptis potuerit inuertibilis fuisse ad malum? §. 2.

SEQVITVR inquirere, Vtrum ex acceptis poterat in conditione stare inuertibilis in malum. Quod sic videtur: duas fecit Deus creaturas rationales à principio, scilicet angelum, & animam: angelum autem fecit vertibilem in malum: ad hoc ergo quod esset vniuersum completum, decuit illum animam facere inuertibilem in malum: sed constat, quod fecit illam talem, qualem decuit illam facere: ergo &c. Et hoc videtur per Augustin. dicentem. *Ad plenam perfectionem vniuersi decuit fieri omnem creaturam, quæ à recta ratione potuit excogitari: sed recta ratione potest excogitari ad perfectionem vniuersi spectare creaturam talem:* quod patet per hoc, quod quando vniuersum erit in vltima completione, tunc erit creatura talis: ergo &c.

Aug. in lib. de libero arbit.

¶ ITEM, honestum propria virtute allicit, ergo magis honestum magis allicit, ergo summe honestum summe allicit, & infinitum infinite: ergo cum primus homo conditus fuit in notitia & amore summi boni (dicit enim Boet. quod *amor & notitia boni naturaliter sunt insita humanæ animæ*) ex quo sequitur, quod si fuit illo bono allectus: summe fuit allectus illo, qui est summe honestus: nihil tale vertibile est ab eo: ergo &c.

Boet. lib. 3. de Consol. prosa. 2.

¶ ITEM, primus homo conditus fuit secundum animam in esse naturali communi, & rectitudine, siue iustitia naturali: ratione qua conditus erat ex nihilo, fuit impossibilitate quadã & ad nõ esse, q̃m ad esse naturale, si sibi esset relictus: & similiter ad nõ esse naturalis iustitiæ: sed in vtroque esse conseruabatur per influentiam virtutis diuinæ: sed melius & magis acceptum fuit Deo, esse naturalis rectitudinis siue iustitiæ, quam esse naturæ simpliciter: & quanto aliquid est nobilius & magis acceptum Deo, magis decet illum in statu illo, influendo, virtutem illi conseruare: ergo si continua influentia virtutis anima primi hominis inuertibilis fuit quantum ad esse naturæ; multo fortius videtur, quod fuit inuertibilis quantum ad esse naturalis iustitiæ.

¶ ITEM, hoc etiam videtur per diuinam bonitatem: vt enim dicit Dionys. *Optimi est optima* * *adducere*: sed melior est natura rationalis, quæ non potest peccare, quam quæ potest: cum ergo conueniat optimum, scilicet Deum optima producere: sed secundum quod sibi conuenit, adduxit naturam rationalem, scilicet hominem primum impotentem peccare, & ita inuertibilem ad peccandum.

Dionys.
* Alias, producere.

¶ ITEM, hoc idem videtur per liberalitatem ipsius: liberalis enim est (& maxime conferentis ex mera gratia) statim dare indigenti quod intendit. Ad quod hortatur diuina sapientia Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi; cum statim possis dare: mora enim in dando gratiam dantis denigrat. Sed constat quod Deus intendebat facere primum hominem aliquando inuertibilem: ergo videtur, quod statim fecit eum talem.

¶ ITEM, idem videtur per diuinam sapientiã, quę summa est, maioris n. scientiæ est scire malũ præcauere, quam malo facto remediũ adhibere: melius enim prouidet sibi & alij, qui præcauet, ne in malũ incidat; quam qui post casum remedium adhibet. Ergo si diuina sapientia maxime manifestanda erat in hominis conditione, videtur quod talem debuit eum fecisse, & tanta cautela ipsum muniuisse, quod non posset incidere in eum.

¶ ITEM, Idem videtur per diuinam potentiam: quod ex eo, quod infinita est; influit vnicuique quantum potest capere. Videtur enim eo quod diuina potentia indiuisibilis est in se, & cum hoc infinita; non minus influere in dando, quam sit creatura capax in accipiendo. Sed primus homo fuit capax inuertibilitatis: ergo &c.

¶ CONTRA. Gloria est bonum laudabile: sed nullus est laudabilis in eo, quod habet: nisi habeat illud per merita: ergo si Deus fecit hominem ad hoc vt perueniret ad statum gloriæ & præmij, videtur quod debuit etiam facere hominem in statu meriti: sed status meriti & præmij sunt distincti, sicut status viæ & patriæ secundum legem communem: ergo & dona viæ & patriæ. Si ergo habere impossibilitatem ad peccandum, hoc spectat ad securitatem beatitudinis, videtur quod à principio non debuit homini dari.

¶ ITEM, vniuersum ex oppositione mali ad bonum decoratur quasi quibusdam antithetis, sicut dicit August. & sapiens innuit. *Contra bonum malum, &c.* Si ergo Deus vniuersum debuit venustare & decorare, videtur quod hunc decorem vniuerso non debuit auferre: sed si fecisset hominem inuertibilem, iam hic decor non esset ergo &c.

Aug lib. 11. de ciui. Dei cap. 18.
Eccles. 33.

¶ ITEM, hoc idem videtur: quia Deus vniuersum fecit ad sui ipsius manifestationem: & sicut Deus est summe potens, & sapiens, sic est summe iustus & misericors: ergo tale debuit facere vniuersum, in quo manifestatetur eius summa iustitia. & summa misericordia: sed summa iustitia non manifestatur, nisi in se veritate punitionis malorum: summa misericordia non manifestatur perfecte nisi in liberatione miserorum, & remissione delictorum: hæc autem non possent esse nisi rationalis creatura facta esset in statu, in quo posset peccare: ergo diuina iustitia & misericordia exigebat hominem vertibilem fieri.

¶ RESPONSIO. Vt ex prædictis patet, DEVS creaturas, & maxime rationales condidit: & etiam modum & qualitatem in conditione conuenienter obseruauit, ad sui magnificentiam declarandam, & creaturæ rationalis vtilitatem. Nota ergo, quod & si diuina operatio non indigeat approbatione: pro eo quod quicquid DEVS facit, optime facit: veruntamen ad excitandam deuotionem in mentibus fidelium, & compescendam rabiem in orbe blasphemantium, & DEVM in suis operibus inculpantium, multiplex potest assignari ratio, quare DEVS fecit hominem vertibilem in malum. Vna est manifestatio diuinæ potentiæ: voluit enim DEVS ostendere homini, quod sicut sine eo factus non erat, ita nec sine ipso persistere poterat. Vt ergo homo nosceret, quod diuinum posse non solummodo est omnis potentiæ causatiuum, sed etiam omnis potentiæ conseruatiuum: & quod ipse solus est indefectibilis, & inuertibilis: ideo placuit sibi creaturam rationalem facere vertibilem: nec ipsam confirmare in bono, quousque illi constaret, quod ipse solus est, in quo non cadit, non posse.

¶ SECVNDA ratio est manifestatio diuinæ sapientiæ, quæ ostenditur ex tribus, scilicet ex ordine malorum cum bonis siue ad bonum, virtutis ad actum proprium, meriti ad præmium. Ex vertibilitate enim hominis in malum, quod quidem malum DEVS ordinat cum bonis, & ex quo bonum elicit; diuina sapientia manifestatur. Maioris enim sapientiæ est scire ordinare bona cum malis, & elicere bonum ex malis; quam ordinare solummodo bona cum bonis, & ex bonis elicere bona: & ideo cum non deceret DEVM facere mala, debuit talem facere creaturam, quæ posset in operando deficere, & malum committere; vt DEVS mala illa ordinando, suam sapientiam declararet. Dicit enim Augustinus vndecimo, de ciuitate Dei capite decimooctauo. *Neque Deus vllum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret.* Ostenditur etiam diuina sapientia ex ordine virtutis ad actum proprium: sic enim diuina prouidentia omnes res administrat, vt eas agere propriis motibus sinat: & ideo hominem condidit in libertate arbitrij, & in manu consilij sui reliquit: hoc enim competebat regimini diuinæ sapientiæ in conseruatione ordinis, qui attenditur ex comparatione virtutis ad actum proprium. Ostenditur etiam ex ordine, qui attenditur ex comparatione meriti ad præmium: *quia nemo dignus est coronari, nisi qui legitime certauerit.* 2. Timoth. 2. Ideo decuit diuinam sapientiam hominem prius quasi in campo certaminis examinare, quam in gloria exaltari.

August.

2. Timot. 2

¶ ALIA ratio est manifestatio diuinæ misericordiæ; quæ potissime manifestata est, cum vnigenitum suum tradidit pro serui liberatione.

¶ ALIA ratio est manifestatio diuinæ iustitiæ: quæ potissime manifestatur in hoc, quod Deus retribuit vnicuique secundum opera sua, bonis scilicet bona æterna retribuendo; malis, æterna pœna puniendo: hæc autem retributio & punitio, & præfata misericordiæ liberatio, non esset, nisi Deus hominem in statu vertibilitatis condidisset.

¶ ALIA ratio est augmentum gloriæ bonorum: gloriosius enim est homini in vertibilitate ad malum condito quodammodo ex meritis gloriam obtinere, quam in inuertibilitate conditum fuisse; & sic sine aliquo genere meriti beatificari: propter hoc ad commendationem iusti vertibilis in malum dicitur. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere malum, & non fecit.* His ergo rationibus patet quod congruit Deum hominem vertibilem fecisse: vnde rationes ad hoc inductæ sunt concedendæ.

Eccl. 31.

¶ AD illud, quod primo obijcitur contra hoc, scilicet de completione vniuersi. Dicendum, quod ex hoc potius esset deformatio vniuersi, & defectus; quam completio. Ad completionem enim vniuersi & decorem est, solummodo Deum deficere non posse, nec vertibilem esse, & rationalẽ creaturam defectibilem, & vertibilem. Et hoc duob. modis, ita quod aliqua sit vertibilis semel, id est, vertibilis cum impossibilitate reuertendi, scilicet angelica. Alia vertibilis pluries, i. vertibilis cum possibilitate reuertendi. Magis ergo est ad completionem & decorem vniuersi hominem

fuisse conditum vertibilem, quam inuertibilem. Præterea magis conueniebat ad diuinam potentiam, bonitatem, & sapientiam manifestandam hominem fuisse sic conditum, quam sic: & ad hominis gloriam. ¶ Ad illud, quod subditur, quod ad plenam perfectionem vniuersi decuit fieri omnem creaturam, quæ à ratione recta potuit excogitari. Dicendum, quod aliud est dicere omnem creaturam, & dicere singulas creaturas vel vnamquamque: omnē enim dicit multitudinem in ordine. Præterea excogitare, non dicit solummodo conceptionem intellectus, siue apprehensionem; sed cum ratione & iudicio:* excogitatio enim est simul agitatio: vnde excogitare dicit conceptionem intellectus cum ratione & iudicio perfecto. Hæc etiam præpositio [ex] auget in compositione, cum dicitur, excogitare. Vnde licet hominem fuisse conditum inuertibilem, potuit à recta ratione concipi, siue apprehendi, vt erat de numero singulorum; non tamē, vt erat de numero omnium, potuit excogitari. ¶ Ad illud, quod subditur: quod quando vniuersum erit in vltima completione, tunc erit homo talis. Dicendum, quod tunc erit status præmii: & anima erit in quadam Dei formitate: propter quod tunc erit, quod nunc non est. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod summe honestum summe allicit &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum est de aptitudine & efficacia allicientis: ipsa tamen anima quantumcunque sit naturalibus prædita, nisi fuerit gratia disposita & informata; non sic allicitur. Nisi enim fuerit à cæcitate naturæ per gratiam erecta, & à tenebris obscuritatis naturalis purgata; ita quod apta sit ad agendum aspectum in candore luminis æterni: non erit apta, neque possibilis ad hoc, quod summe alliciatur: sed inspecto candore illo lucis æternæ, quæ est inaccessibilis viatoribus; perfecte rapietur anima in summe honestum, & summe allicietur. Vnde sic allici comprehensorum est, non viatorum. ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod quanto aliquid est melius, & magis acceptum Deo: tanto &c. Dicendum quod hoc verum est, conseruatis congruitate & condecētia diuinæ excellentiæ, modo & ordine profectionis statuum, & retributionis perfectione. Vt enim ex dictis patet, plus congruit diuinæ excellentiæ, scil. potentiæ, patientiæ, iustitiæ, & misericordiæ hominem fuisse conditum vertibilem, quam inuertibilem: & etiam magis congruit statui perfectionis humanæ, & gloriæ eiusdem perfectionis: sicut infra patebit. ¶ Ad illud, quod obiicitur per auctoritatem. Dionys. quod *eius est facere hominem optimum, &c.* Dicēdum, quod est optimum simpliciter; & est optimum in ordinem: cum autem dicit Dionys. *quod optimi est optima adducere*, non intelligit absolute, sed in ordine: & ideo ex hoc non sequitur, quod homo debuit fieri in optimo statu simpliciter: sed in quo optime saluaretur vniuersitatis ordo, & pulchritudo: & sic factus est, cum productus fuit in statu vertibilitatis, vt ordinato processu perueniret à merito ad præmium, & ab imperfectione ad perfectum, & ab inferiori ad supremum. ¶ Ad aliud, quod obiicitur de summa liberalitate. Dicendum, quod & si Deus sit liberalissimus: tamen liberalitas non præcludit viam iustitiæ & sapientiæ. Ideo sic dona sua distribuit largiter, vt tamen non excludatur sapientiæ recta ordinatio, vel iustitiæ iusta retributio: ideo statim non debuit beatificare, & confirmare: sed merita hominis expectare.

* Alias cogitatio.

¹. immediate seq. Dionys.

Idem.

Adillud, quod obiicitur: quod maioris sapientiæ est præcauere malum &c. Dicendum, quod falsum est: immo multo maioris sapientiæ est, morbum bene curare, quam naturam à morbo præseruare. Vnde August. *Melius iudicauit Deus, de malis bona facere: quam mala nulla permittere.* Et maiori etiam sapientiæ attestatur (vt prædictum est) sic res ordinare, vt superueniente deordinatione non deturpentur; sed eorum decoretur ordinatio. ¶ Ad aliud, quod obiicitur per potentiam diuinam, quæ infinita est, & simplex &c. Dicēdum, quod licet sit infinita: eo tamen quod influit, agit per electionem; moderate, secundum quod exigit quantitas effectus inducendi, operatur. Omnipotentia enim conditoris non solum potest in omnia, quæ vult ipsa diuina voluntas: sed potest in omnia, vt vult: propter quod in effectus nobiliores & minus nobiles, maiores & minores, secundum electionem suæ voluntatis. Et licet diuina sapientia simplex sit, non propter hoc exerit se totaliter in agendo: immo moderate operatur, iuxta beneplacitum suæ voluntatis. Vnde quod est in se impartibile, partitur in suis effectibus: sicut legitur Sap. 7. de spiritu intelligentiæ, quod est multiplex & vnicus.

August. in Ench. c. 11.

An dari potuit libero arbitrio hominis, aut alterius creaturæ, quod per naturam inuertibile esset ad malum. §. 3.

¶ SEQVITVR inquirere. Vtrum libero arbitrio hominis primi, vel alicuius creaturæ potuit conferri, quod esset inuertibile per naturam, scil. sine gratia superaddita. ¶ Quod sic, videtur; & primo à simili sumpto à luce corporali: contingit enim reperire lucem corporalem, quam impossibile est in se per naturam obnubilari, sicut lucem empyrei, vel lucem solis: si ergo lux spiritualis multo purior est, quam corporalis: videtur, quod anima humana potuit fieri in perfectione tanti luminis per naturam, quod nullo modo posset obscurari, nec per ignorantiam, nec per culpam. ¶ Item, contingit reperire aliquam substantiam corporalem intransmutabilem quantum ad substantiam & quantum ad proprietates; sicut est corpus vltimum, scilicet empyreum: & hoc non habet solum per gratiam, sed per naturam. Ergo pari ratione est spiritualem substantiam per naturam in tanta subtilitate fieri, quod nullo modo valeat permutari à rectitudine naturali. Si enim hoc reperitur in substantia corporali; multo fortius reperiri potest in substantia digniori. ¶ Item, gratia est perfectio naturæ, & perfectio conformatur suo perfectibili: si ergo gratia confirmationis omnino reddit naturam impossibilem ad peccandum: videtur, quod anima humana naturaliter capax sit talis subtilitatis, & inuertibilitatis.

¶ Si tu dicas, quod non est capax talis inuertibilitatis, nisi mediante gratia. Obiicitur contra hoc: quia talis vertibilitas ad malum, aut est essentialis ipsi naturæ, aut non. Si est essentialis, ergo videtur, quod per gratiam non possit auferri. Si non est essentialis: ergo videtur quod sine tali vertibilitate ad malum possit natura rationalis fieri, salua sua natura, & nulla superaddita gratia. Propter hoc est quæstio, cum tam liberum arbitrium hominis, quam gratia sit creatum, vt quid dari potest gratiæ inflexibilitas ad malum, & non potest dari creaturæ rationali? Videtur enim ratione consimili, quod si potest dari vni, potest dari alteri. ¶ Item, licet omnis creatura per se sit vertibilis secundum naturam: aliquæ tamen tales creantur à sua origine, quod impossibile est eas corrumpi: & hoc habent, sine aliquo addito naturalibus: sicut patet in aliis simplicibus. Vnde angeli, & animæ per naturam sunt immortales: ergo pari ratione videtur, quod aliquæ animæ possint creari per naturam ad malum inflexibiles. Videtur ergo possibile tale adiutorium à Deo conferri, per quod naturaliter ad malum non posset inflecti.

¶ Contra. Ista duo sunt conuertibilia, sicut vult Damas. & etiam August. videlicet esse creaturam, & esse vertibile: sed in substantia spirituali non est aliqua vertibilitas secundum substantiam, ergo necesse est, quod sit secundum electionem: ergo impossibile est substantiam creatam habere liberum arbitrium per naturam inflexibilem.

Damasc & August.

¶ Item, non est per naturam magis arctatus affectus, quam intellectus: sed intellectus eo ipso quo intellectus est, per naturam suam est natus omnia intelligere: ergo pari ratione affectus per naturam suam est potens hoc vel illud appetere: ergo ab vno oppositorum in alterum transire: ergo omnis affectus creatus, quantum est de natura sua; non solum bonum simpliciter, sed apparens etiam; non solum bonum concessum, sed etiam prohibitum potest velle, & potest eligere: ergo, &c.

¶ Item, liberum arbitriū creatum, hoc ipsum quod creatum est, factum est debens aliquid suo creatori, videlicet honorem: ergo si dominatur suo actui, potest non reddere, quod debet: sed hoc est peccatum: ergo necessarium est liberum arbitrium, quantum est, de sua natura, fieri flexibile ad peccatum. ¶ Item, si liberum arbitrium per naturam suam esset inflexibile ad malum: ergo stare in bono, & facere bonum, esset ei naturale: ergo omne

opus egrediens à libero arbitrio, esset in genere operis naturalis, & nullum esset in genere moris: ergo si hoc verum est, nullum esset meritorium, nullum etiam esset laudabile; per nullum etiam opus, quod faceret; esset liberum arbitrium ad gloriam ordinabile: sed hoc est contra naturalem liberi arbitrii institutionem: ergo impossibile est alicui creaturæ dari liberum arbitrium per naturam inflexibile.

RESOLVTIO.

Neutiquam, foret enim hominem non esse hominem, nec creaturam esse creaturam.

¶ RESPONSIO. Cum dicitur aliquid dari alicui, per hoc quod dicitur [*dari alicui*] notatur aliquod medium inter dantem & accipientem. Cum ergo quæritur, vtrum potuit dari libero arbitrio primi hominis per naturam, quod esset inuertibile in malum. Dicendum, quod inquantum hoc quod dicitur] *dari*] dicit rem suam relatam ad accipientem; non potest (per naturalem dico) quia hoc est priuare lib. arb. natura propria; & esse eius naturali repugnat: vt infra patebit. Secundum autem quod dicit rem suam relatam ad ipsum dantem, scilic. Deum (loquendo de potestate absoluta) potuit: loquendo de potestate ordinata, non potuit. Et dico potestatem ordinatam, qua instituit esse rebus; secundum quod prævidit & ordinauit eas fiendas & ordinandas ab æterno. Potestatem absolutam dico, qua potuit aliter ab æterno præuidisse res fiendas & ordinandas; & illis naturas alias in tempore indidisse. Potuit enim ab æterno præuidisse primum hominem futurum inuertibilem quantum ad liberum arbitrium; & illum talis naturæ condidisse in tempore. Ex iis patet, quod impossibile fuit hominem primum, vel aliquam creaturā rationalem habere liberum arbitrium inuertibile ad malum: quia hoc repugnat naturæ ipsius creaturæ rationalis, & à parte principii initialis, & à parte termini finalis. Quod sic patet: si liberum arbitrium creaturæ rationalis fieret naturaliter inuertibile ad malum, aut hoc esset propter ipsius arctationem ad bonum, aut propter ipsius determinationem ad bonum. Si propter arctationem, vt sc. faceret bonum, sicut lapis tendit deorsum: iam reuera nec liberum arbitrium esset liberum: nec opus eius laude dignum: & ita ineptum esset ad finem, propter quem est factum, scil. ad præmium gloriæ. Si autem inflexibile esset ad malum propter determinationem ad bonum; quia sic potens esset per naturam propriam in bonum, vt non posset verti in malū: sicut est de libero arbitrio diuino, quod ad sola bona determinatum est: iam tale lib. arb. careret vanitate per naturam suam: ergo iam non esset creatura, nec productum ex nihilo: & ita hoc esset contra naturam principii initialis, quantum ad hoc quod dicimus, creaturam rationalem ex nihilo esse productam. Repugnante ergo natura rationalis creaturæ, & ex parte principii initialis, & ex parte termini finalis, impossibile fuit primum hominem, vel aliam creaturam rationalem habere liberum arbitrium per naturam inuertibile ad malum. Per naturam dico, propter illos, qui habent hoc per beneficium gratiæ perfectæ: sicut illi, qui iam gaudent beatitudine. ¶ Si obiiciatur, quod Deus de potentia absoluta posset creaturæ rationali contulisse naturā talem, vt supra tactum est: & nihilominus essent creaturæ, & producta in esse de nihilo. Dicendum, quod Deus de potentia absoluta non posset creaturæ rationali contulisse naturam etiam, sc. quod staret per naturam propriam in inuertibilitate tali. Posset tamen contulisse naturam talem, quod posset stare in tali inuertibilitate, gratia superinfusa continue influente, & ipsum liberum arbitrium in hoc cōfectuante. Vnde talis inuertibilitas non posset esse per naturam, sed solummodo beneficio conditoris. Possunt ergo concedi rationes hoc ostendentes.

Art. immediate sequenti §.1.

Supra in opponendo.

¶ AD hoc, quod primo obiicitur contra hoc de luce corporali. Dicendum, quod non est simile: tum propter hoc quod fons lucis spiritualis reperiri potest in genere creaturæ, fons autē lucis corporalis reperiri pōt in genere creaturæ nequaquam, sed est ipse creator (iuxta illud Eccle. 1. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*) tum etiam, quia lux corporalis respectu actus lucendi arctationem habet à conditore suæ naturæ: vnde eius lucere non est laudabile, quia pure naturale. Non sic est de rectitudine & operatione rationalis creaturæ, siue voluntatis deliberatiuæ. ¶ Ad illud, quod obiicitur, quod aliqua substantia corporalis per naturam est immutabilis, & c. Iam patet responsio, quia non valet; creatura rationalis vt est creatura in sua natura condita, nec deceret illam sic esse arctatam ad suum opus, sicut corporalem ad suum: siue etiam quia non tenet summum in genere spiritus, sicut aliqua creatura corporalis tenet summum in genere corporum. Verumtamen dici posset, quod omne corpus mutabile est aliquo genere mutationis, vt vult August. siue quia ipsum mutatur in se, sicut ista corpora inferiora: siue quia aliqua mutantur in ipso: & hoc vltimo modo posset esse mutatio in supremo corpore, scil. in cœlo empyreo: iste tamen modus dicendi mutationem, est extraneus. ¶ Ad illud, quod obiicitur de gratia confirmante. Dicendum, quod gratia dicitur esse perfectio naturæ, non solum quia illam adiuuat: sed quia defectum eius excludit. Vnde in omni natura creaturæ rationalis est aliquis defectus naturalis, qui per gratiam habet excludi; quantumcunque illa natura in genere creaturæ sit perfecta: & ideo non sequitur, quod si aliquid conuenit alicui per gratiam, quod conueniat per naturam. Et si obiiciatur, quod Deus potuit dare naturæ, quod dedit gratiæ. Dicendum, quod natura vt est natura hæc, non fuit nata suscipere hoc, quod Deus dedit gratiæ: sicut enim alia est natura operis moralis, alia operis naturalis: nec proprietas operis moralis potest conuenire operi naturali; nisi naturale desineret esse naturale: sic in proposito intelligendum: laus enim & vituperium, quæ est proprietas operis moralis, secūdum quod huiusmodi, non potest competere operi naturali inquantum huiusmodi. ¶ Ad illud, quod obiicitur de inuertibilitate. Iam patet respōsio per prædicta: quod enim naturaliter est immortale, non est laudabile, vel vituperabile. Et ita si liberum arbitrium inflexibile creatum esset, nec laudis, nec vituperii capax esset.

August.

ARTICVLVS III.

Si Adam ex acceptis in conditione in bonum proficere poterat.

SEQVITVR inquirere. Vtrum ex acceptis in conditione poterat in bonū proficere quia in bonum proficere non potest quis, nisi gratus sit Deo, siue acceptus. Et primo quæratur: vtrum in statu illo fuerit gratus, siue acceptus Deo. Secundo, vtrum in illo statu poterat proficere.

An Adam in statu innocentiæ acceptus, gratusque Deo fuerit. §.1.

¶ QVÆRITVR ergo primo. Vtrum fuerit in statu illo acceptus Deo. Quod sic, videtur: solummodo culpa, siue peccatum est, quod facit creaturam displicere Deo, & creaturam inimicam Deo. Vnde hoc est, quod Deus, siue corpus Christi mysticum intendit vlcisci in creatura rationali: secundum illud Psalm. *Vltus sum in eos*: quod introducens August. *Quid est* (inquit) *vltus sum in eos? id est, vindicaui me de ipsis inimicis meis. Quomodo me vindicaui? occidendo in eis errorem*, &c. Ergo omnis illa creatura rationalis grata, & accepta est Deo, & semper fuit, antequam auersa fuit à Deo per peccatum. Cum igitur in primo statu primus homo non habuit peccatum, &c. Item, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed summo bono nō potest non complacere illud, quod est valde bonum: ergo homo inter creaturas cæteras inferiores principatum obtinebat; videtur quod ipse valde bonus erat: & si hoc, ergo Deus illum acceptabat. ¶ Item, *Diligis omnia Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sed homo in statu innocentiæ nihil habebat, quod esset dignū odio, & totum quod habebat, à Deo factū erat: ergo Deus ipsum totaliter diligebat: sed quod sic à Deo diligitur, ab eo acceptatur: ergo & c. ¶ Item, *Ego diligentes me diligo*: sed hoc secundum statum naturæ institutæ diligebat Deum propter se, & super omnia, quia rectus erat: ergo videtur, quod etiam præter omnem gratiam Deus eum amabat: & si hoc, ergo Deo acceptus erat. ¶ Item, artifex creatus complacet sibi in opere suo: & illud acceptat, quando ipsum fabricat ad volun-

Psal. 117. August. in eum. v. o. us Martyris.

Genes. 1.

Sapien 11.

Prouerb. 8.

voluntatem suam. Sed Deus, qui est summus artifex, hominem fabricauerat ad imaginem suam, & optima ratione eum condiderat: ergo videtur, quod ex naturalib. sibi datis homo Deo placebat. ¶ Item; nihil est, quod plus faciat animam coram Deo acceptam, quam quod tota sit pulchra, & nulla sit in ea macula: sed anima Adæ in statu innocentiæ tota erat pulchra, & non erat in ea macula, quantum erat ex naturali conditione: ergo absque omni gratia superaddita Deo erat accepta.

¶ Item, aut Deus poterat facere aliquam creaturam ita bonam, quod ex puris naturalibus sibi placeret: aut non. Si non: videtur, quod non esset opus. Si sic: ergo non videtur, quod ad hoc quod natura placeat Deo, necessarium sit superaddi donum gratiæ. Si ergo homo perfecte cõditus fuit secundum exigẽtiam status naturæ; videtur quod Deo placebat absque omni dono gratiæ superaddito. ¶ Sed contra, Heb. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*: sed fides est donum superadditum naturæ, secundum quod dicitur 1. Cor. 12. ergo sine dono gratiæ, naturæ superaddito, nullus potest placere Deo. Sap 7. ¶ Item, *Neminem diligit Deus, nisi illum, qui cum sapientia inhabitat.* Sed sapientia est donum Dei, naturæ superadditũ, secundum quod infra subiungitur, Sap. 19 *Mitte illam de cælis sanctis tuis, &c.* ergo absque dono gratiæ naturæ superaddito, impossibile est Dei amicum esse. ¶ Item, nihil est excellentius secundum naturam in homine ipsa imagine: non tamen ex esse ad imaginem placet creatura Deo, nec est ei accepta. Ad hoc ergo quod persona aliqua Deo placeat, & acceptetur ab illo, requiritur aliquod donum ipsi naturæ superadditum. ¶ Item, si naturalia redderent personam Deo acceptam, dæmones essent Deo accepti; cum habeant naturalia optima. Dicit enim Dionys. de dæmonibus. Dionys. lib. de diuin. nominib. part. 4. cap 4. *Data eis angelicas donationes, nunquam ipsas commotas fuisse dicimus, scil. sunt integri & clarissimi.* Alia translatio dicit, *data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus: sed sunt integra & splendidissima.*

RESOLVTIO.

Communiter & proprie sumendo acceptationem, gratitudinemque: eo scil. modo quo humana vel ars, vel benignitas in rebus dignioribus vel editis, vel oblatis ardentius sibi complacet: fuit & quidem primus homo acceptus gratusve Deo ex solis naturalibus. At magis proprie illas sumendo, pro gratitudine videlicet, & acceptatione, qua Deus creaturam aliquam rationalem sibi consecrat, vt sit sibi in templum, in filiam & in sponsam, nequaquam absque gratia superaddita. Si quidem acceptatio isthæc & gratitudo æterna vita dignum reddit, quod puris naturalibus haudquaquam sit.

¶ RESPONDEO: quod complacentia, acceptatio, amor Dei respectu creaturarum, non dicit aliquam affectionem incidentem, vel accidentem in ipso. Vnde Bernard. Bernard. de amore Dei. *Nos te diligimus affectu amoris, à te nobis indito: tu vero conditor omnium & affectuum bonorum, & animarum afficiendarum, nunquid accidenti, vel incidenti amoris affectu amas, quos amas? vel aliquo in aliquo afficeris, qui & omnes facis, & omnia? absit: absurdum est, à fide procul, alienum ab omni creatore.* Acceptatio autem & amor eius respectu creaturarum est effectus in creatura, non affectus in creatore: quod patet per Bernard. dicentem: Bernard. eod. lib. *Hoc est amare tuum, quo tu amas te amantes, dulcedinem bonitatis tuæ, quam habes ad creaturam tuam, (creator bone) inspirare eis hoc desiderium amandi te, & amorem quo te amant, & amare te: non enim afficeris ad nos, vel à nobis, cum nos amas.* Solummodo ergo Deus complacendo, & amando afficitur ad se, siue de se. Sed hoc potest esse, & amando se, & complacendo sibi in se: & amando se, & complacendo sibi in nobis. Vnde Bernard. Idem in eodem. *Amas te (amabilis Domine) in te ipso: & à Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus, amor Patris ad Filium, & Filii ad Patrem: & tantus est amor, vt sit vnitas, tanta vnitas, vt sit homousion, id est, Patris & Filii substantia.* ὁμοούσιον. *Amas & te ipsum in nobis, mittendo Spiritum Filii tui in corda nostra: à dulcedine amoris, à vehementia inspirata à te nobis voluntatis, clamantes, abba, pater: sic nos efficiens tui amatores.* Complacere ergo sibi in nobis, est complacere sibi efficiendo aliquid in nobis, & alicui effectui eius in nobis. ¶ Notandum ergo, quod acceptatio & complacentia, siue amor Dei vt intelliguntur respectu sui, quodam genere loquendi, affectiones dici possunt: quia summe delectatur in se, & perfectissime fruitur se. Vt autem intelliguntur respectu creaturæ, dicunt effectus in ipsa creatura, non affectiones (vt ex dictis patet) nisi interpretando complacentiam, vel acceptationem, Deum efficientem aliquid in creatura. Quodam ergo modo loquendi iuxta modum humanum, secundum quem nobiliora dicuntur magis accepta, possunt dici (quodam modo generali sumendo acceptationem) omnia facta à Deo, illi esse accepta. Specialiori modo & propriori creatura rationalis, inquantum est creatura huiusmodi. Specialissime, siue propriissime creatura rationalis, inquantum consecratur Deo, vt sit eius templum, adoptatur in filium; & sumitur in sponsam. Hæc autem sublimatio creaturæ rationalis est supra naturale complementum: & ideo nec consecratio, nec* adoptio, nec assumptio huiusmodi fit per aliquam proprietatem naturæ, sed per donum superadditum naturæ; consecrans animam, vt sit templum; assimilans Deo, vt sit filius vel filia; confœderans Deo, siue vniens per conformitatem voluntatis, vt sit sponsa: hoc autem fit à Deo mediante gratia gratum faciente. Quod autem creatura rationalis efficiatur templum per gratiam, habetur. 1. Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei in vobis habitat.* Gloss. Glossa. *Spiritus sanctus habitat in templo suo, id est sanctis, qui sunt templum Dei, modo secundum fidem ambulantes:* & ad Ephes. dicitur: Per spiritum eius in interiori homine habitare Christum in cordibus nostris per fidem. Quod autem efficiatur filius per gratiam, habetur: Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* Quod autem sponsa similiter. Osee 2. Spõsabo te mihi in fide. Concedi ergo possunt rationes, quibus obiicitur, primum hominem nõ fuisse acceptum Deo modo isto vltimo: nulla enim naturalia efficiũt hominem isto modo acceptum: Hæc enim acceptatio reddit creaturam rationalem dignam beatitudine æterna: talis autem non fit puris naturalibus. Primo autem modo, & secundo sumendo acceptationem, fuit acceptus.

*Alias, adaptatio, vel adoptatio.

¶ Ad primum, quod obiicitur, quod solummodo culpa facit creaturam displicere Deo, &c. Dicendum, quod inter displicentiam & acceptationem eo modo, quo peccatores displicent, & habentes gratiam gratum facientem placent; est media acceptatio, secundo modo sumpta. Vnde non sequitur: primus homo non displicuit Deo per peccatum in illo statu: ergo fuit acceptus eo modo, quo gratia & virtus efficiunt hominem acceptum. ¶ Ad duas auctoritates, quæ sequuntur, patet responsio: nam intelliguntur de acceptatione & dilectione, primo & secundo modo sumptis. ¶ Ad illud, quod obiicitur de verbo illo. Prou. 8. *Ego diligentes me diligo &c.* Dicendum, quod non intelligitur de dilectione naturali, qua primus homo dilexit Deum in primo statu: vt supra tactum est: sed de dilectione charitatis, quæ non potest esse sine gratia: sub hoc sensu: qui diligunt me dilectione charitatis, sunt mihi vniti, & conformes; & hoc habent à me: amor enim est copula amantis & amati, & amantem transformat in amatum secundum Augustin. & Hugon. Memb. 1. art. 2. Vnde diligere Dei est copulare sibi & efficere consimilem sibi diligentem illum. Præterea, illo verbo nihil aliud dicitur, nisi dilectionem, qua diligitur Deus à creatura rationali; esse à Deo, siue donum Dei. Vnde per hoc quod dicitur [*diligo*] notatur effectus dilectionis, qua Deus diligitur esse à Deo: & hoc patet per Bernard. Bernar. in Resol. *Hoc est amare tuum, quo tu amas te amantes, dulcedine bonitatis tuæ &c.* vt supra. ¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod artifex creatus complacet sibi in opere suo &c. Dicendum, quod non est simile de artifice creato & increato: complacentia enim artificis creati in opere suo, importat quendam motum affectionis respectu operati: non enim solummodo complacet sibi, qui est causa operis; sed afficitur circa opus ipsum; quod non contingit artifici increato; vt ex dictis patet.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod natura instituta absq; omni gratia erat tota pulchra, & sine macula. Dicendum, quod & si esset sine macula; non tamen tota pulchra: quæ quidem pulchritudo est ex gratia, quæ est nitor quidam, vt dicit Glo. super illud. *Vt exhilaret faciem in oleo:* & ex virtutib. & maxime ex charitate. Vnde Aug. super illud: Gl. super Psal. Aug. super I. *Quoniam ipse prior dilexit nos.* Anima amãdo Deũ, pulcra efficitur: pulchri erimus amando Deũ, qui semper est pulcher: quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo.

¶ Ad

¶ Ad hoc, quod obiicitur, vtrum Deus possit naturam facere, quæ esset ei accepta sine dono gratiæ. Dicendum, quod posset de potentia absoluta; non autem de ordinata: & sumatur potentia absoluta eo modo, quo dictum est supra: similiter & ordinat. Præterea, supposito quod omnipotentia eius hoc posset: natura tamen vt est condita, esset impossibilis ad hoc. Vnde impossibilitas ista prouenit ex parte creaturæ: si enim hoc fieret, nihil aliud faceret, quam donum gratiæ esse donum naturæ, & gratiam esse naturã. Hoc autem impossibile est, quãtum est ex parte creaturæ: cum donum gratiæ sit vltra terminos naturæ: vnde sicut impossibile est, quod homo fiat beatus à Deo per naturam, quamuis possit creari beatus: quia beatitudo consistit in bono, quod est supra omnem naturam: sic intelligendum est de gratia, & natura primi hominis. Præterea, & si hoc facere posset; minus congrueret, & deceret: cuius ratio multiplex haberi potest ex prædictis.

An Adam ex acceptis in sui conditione in bono proficere potuit. §. 2.

Damasc. lib. 2. SEQVITVR inquirere, Vtrum primus homo poterat ex acceptis in sua conditione in bono proficere. ¶ Quod sic, videtur primo per auctoritatem. Damasc. dicit enim sic: *Deus fecit hominem innocentem, rectum, & virtuosum &c.* qui

Idem in eodem. autem talis est potest proficere. ¶ Item, *Fecit eum natura impeccabilem: & voluntate per se potestatiuum: in electione vero sua fecit potestatem habentem, manere, & proficere in bono.* ¶ Item Damasc. *manentes in eo, quod est secundum naturam, in virtute sumus.* Qui autem est in virtute, potest facere opera meritoria, & proficere: cum ergo primus homo conditus fuerit in integritate naturæ, & in illa poterat manere, poterat ergo & proficere. ¶ Item August. *Quis nesciat ita factum hominem, vt in eo liberum arbitrium ad iuste viuendum pro possibilitate & capacitate sua constitueretur.* Ex hoc videtur, quod ex naturali libertate arbitrii posset iuste viuere, & ita mereri, & proficere. ¶ Item in Cantico Deuter. *Dei perfecta sunt opera, & perfectum est aliquid* (vt vult Philosophus) *cum attingit propriæ virtuti:* ergo si homo perfectus conditus est, poterat exire in operationem, propter quam factus est: hæc autem est operatio, per quam peruenitur ad gloriam: ergo &c.

Damasc.

August. in lib. de nat. & gratia.

Cantic. Deuteron. Philos. 7. Phys. tex. 18.

¶ Item, in omnibus creaturis si distant à suo termino, ad quem ordinantur, data est virtus, per quam possunt ad illũ finem peruenire: sicut patet in igne, qui cum deorsum est, sua leuitate potest ferri sursum. Igitur aut liberum arbitriũ miserabilius fuit inter creaturas cæteras: aut si aliæ creaturæ per naturam habent potestatem perueniendi ad suum finem, videtur multo fortius quod & hoc homo posset per virtutem naturæ ante statum miseriæ. ¶ *Item, natura nihil facit frustra,* nec deficit in necessariis: sed nihil est magis necessarium homini, quam illud, sine quo non potest beatificari, ergo cum potestas merendi huiusmodi sit, videtur quod hoc inesset ei per naturam, Dei gratia circumscripta. ¶ Item circumscripta gratia intelligamus hominem in statu naturæ conditæ seruare diuina mandata: aut ergo meretur aliquid: aut nihil. Si nihil, ergo frustra operatur: sed frustra operari non potest esse sine pœna aliqua: hoc autem nõ poterat esse in natura instituta. Si aliquid meretur, cum opus rectum sit ad beatitudinem ordinatum, videtur quod ex puris naturalibus mereri possit præmium æternum. ¶ Si autem diceretur, quod opus illud non fuisset meritorium beatitudinis: sed alicuius boni temporalis. * Sed constat, cum opus huiusmodi in statu illo nõ esset peruersum, esset ordinatum ad bonum alterius, quod esset ordinatum ad finem: sed prius est comparatio ipsius boni ad finem, quam ad ea, quæ sunt ad finem: quia finis primo mouet: ergo cũ in posteriori posito supponatur prius; & poterat mereri aliquid ordinatum ad gloriam, poterat mereri gloriam.

Phi'os. 3. Cœl. 31.

* Alias, contra.

Item, liberum arbitrium essentialius comparatur ad bonum, quam ad malum: ergo si de se potest ad malum, multo fortius potest per se ad bonum: ergo &c. ¶ Item, si de se poterat ad malum, non ad bonum: ergo videtur quod affectus illius non erat rectus: immo quod conditus fuisset in quadam inclinatione ad malum. ¶ Item, si lapis esset creatus sursum; virtus illa, quæ sine difficultate sufficeret ad tenendum illum ibi, sufficeret ad subleuandum eum de loco deorsum ad locum sursum, siue ad locum eminentiorem, quam esset locus, in quo crearetur. Ratione consimili videtur, quod ad hoc quod primus homo staret in statu innocentiæ, in quo conditus fuit, requirebatur vis eadem vel tanta; qua vel quanta posset proficere in melius. Ergo si stare poterat tunc ex bonis acceptis in conditione, vt dicit Magister Sen. & alii Doctores sacræ Scripturæ, videtur quod ex eisdem poterat proficere. ¶ Item, constat, quod primus homo poterat in statu primo facere opera de genere bonorum. Sed secundum Pelagium potest argui sic: cum maiori difficultate Deo seruit, qui solis naturalibus, quam naturalibus & gratuitis ergo meretur maius præmium: sed qui Deo seruit naturalibus & gratuitis meretur vitam æternam: ergo multo fortius qui seruit solis naturalibus meretur vitam æternam. Item Augustin. Seruitia quanto magis indebita, tanto gratiora: sed seruitium seruientis ex solis naturalibus magis est indebitum, quam seruientis ex naturalibus & gratuitis (quia, cui plus committitur, plus ab eo exigitur) ergo magis gratũ: ergo magis remunerabile. ¶ Item, Regis terreni meretur quis beneuolentiam ex solis naturalibus: sed Rex cœlestis in infinitum est beneuolentior rege terrestri, & ad miserendum pronior: ergo apud eum mereri potest quis beneuolentiam ex puris naturalibus. ¶ Item, vis intellectiua nobilior est, & potior & perfectior, quam sensitiua vel vegetatiua: sed hæ possunt in suas operationes sine aliquo superaddito suæ naturæ: ergo multo fortius vis intellectiua. Ex his similiter potest argui, primum hominem in statu primo posse peccare.

¶ CONTRA, Deus est summa veritas, creatura autem est vanitas: ergo nullo modo potest vniri illo, nisi per mediũ, quod sit partim sicut veritas, partim sicut vanitas; hoc autẽ est gratia, quæ veritas est, inquantum est à Deo; inquantum à creatura vanitas: ergo impossibile fuit hominem mereri sine gratia. ¶ Hoc idem videtur auctoritatibus. *Exequabit gratiam gratia. Dabit gratiam pro gratia. Gratia Dei vita æterna.* Et Gloss. *nihil aliud Deus in nobis coronat, quam munera sua.* Tam ergo ex textu, quam ex Gloss. colligitur, quod vitam æternam non contingit mereri absque gratia. ¶ Item, meritum & præmium debent esse proportionalia; sed natura quantumcunque est eminens, improportionabilis est, & alterius generis est, quam sit beatitudo gloriæ: ergo impossibile est mereri gloriam per pura naturalia. ¶ Item, nobilior est substantia, quam operatio: sed Deus nunquam acceptat hominem absque munere gratiæ: ergo nec operationem hominis reputat meritoriam, nisi procedat à libero arbitrio & gratia.

Iacob 4. Ioan 1. Rom. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Nullatenus Adam in statu institutionis ex solis naturalibus, absque dono gratiæ in bono proficere potuisset, tum quidem ex parte retribuentis, tum vero ex parte retributionis. Sicuti nec nunc in præsenti statu destitutionis præcipue ob infirmitatem operantis, & difficultatem operationis.

¶ RESPONSIO. Dicendum: quod non solummodo gratia necessaria est ad merendum secundum statum naturæ lapsæ: sed etiam secundum statum naturæ institutæ: licet secundum statum naturæ lapsæ magis indigeat liberum arbitrium dono gratiæ. In statu namque naturæ conditæ necessaria erat gratia, tum propter conditionem retribuentis; tum propter conditionem retributionis. Propter conditionem retribuẽtis, quoniam ipse Deus bonorum nostrorum non eget: ideo nec acceptat hominem propter opera: nec aliquod meritum obligare potest ipsum secundum rationem dati & accepti. Ideo ad hoc quod aliquod bonum opus creaturæ suæ ad remunerandum Deo complaceat, necesse est quod ipsius gratuitæ bonitatis influentia in operante præcedat, per quam creatura ipsi creatori * gratia existat. Similiter propter conditionem retributionis: impossibile enim erat libero arbitrio mereri sine auxilio gratiæ gratum facientis: pro eo quod illud præmium, quod meremur, est beatitudo æterna: beatitudo autem æterna consistit in habendo eum, quod est omne & summum bonum: & qui est super omnem naturam exaltatus: *& lucem habitat inaccessibilem.* Et ideo impossibile est, quod homo

* Alias, grata.

1. Tim. 4.

merendo ad illud summum bonum ascédat, & perueniat: nisi per aliquod adiutorium, quod sit vltra naturam. Sic ergo homo in statu naturæ institutæ absque dono gratiæ nõ poterat mereri: tum propter conditionem retribuentis, tũ propter conditionem retributionis. In statu vero naturæ lapsæ non solummodo indiget gratia ad merendum propter has conditiones: sed etiam propter conditionem operantis & operationis meritoriæ. Operans enim in statu naturæ lapsæ semper est in peccato, & Dei aduersarius, & inimicus; nisi à peccato releuetur per gratiæ donum: & ideo quicquid faciat, nisi volũtas eius præueniatur à gratia, quæ Deo reconciliet, nihil meretur merito condigni: pro eo quod Dei est aduersarius & inimicus: Deus autem opera non acceptat, nisi prius acceptet personam: sicut innuitur:

Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: prius dicit [*ad Abel*] postea dicit [*ad munera*] Propter conditionem etiam operationis necessaria est gratia: quia nulla est operatio meritoria nisi recta: & nulla est recta, nisi fiat recta intentione: & nulla potest esse recta intentio, nisi quæ summum bonum omni bono præponit: nulla autem intẽtio potest hoc facere in statu naturæ lapsæ sine dono gratiæ: & propterea qualemcunque vel quantamcunque faciat homo operationem sine gratia, non meretur: quia non pensat Deus quantum, sed ex quanto. Patet ergo, quod multiplex est necessitas gratiæ ad merendum, scil. propter conditiones retribuentis & retributionis, operantis & bonæ operationis. Ita quod hic quadruplex concurrit ad statum naturæ lapsæ: etiam præter illa, quæ proueniunt ex pœnis inflictis propter primum peccatum, quæ multum impediunt opus

Beda. bonum. Quatuor enim sunt secundum Bedam inflicta homini propter peccatum primum, quod accidit ex auersione à bono incommutabili, sc. Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & conuersione ad bonum commutabile: scil. ignorantia, infirmitas, malitia, & concupiscentia. Propter ignorantiam agendorum necessaria est gratia, quæ est lux spiritualis, ipsam animam illuminans. Propter infirmitatem, qua homo impotens est assurgere ad opus virtutis, quod est difficile (virtus enim est circa opus bonum & difficile) necessaria est gratia, quæ virtutem animæ ministrat. Propter malitiam, qua homo pronitatem habet ad malũ, & auersionem à Deo, necessaria est gratia, quæ animam ad Deum erigat, & à malo auertat. Propter concupiscentiam, qua ipsa anima corrupta immoderate concupiscendo, cõcupiscibilibus adhæret, necessaria est gratia, quæ æternorum saporem inducit: & sic vehementiam concupiscentiæ diminuat. Sic ergo multiplex necessitas in statu naturæ lapsæ concurrit, propter quam necessaria est gratia. Duplex autem concurrit in statu naturæ institutæ: vt tactum est. Et

Magist. in lib. 2. sent. dist. 29. hoc innuit Magister dicens: *quod homo indigebat gratia operante & cooperante in primo statu, licet non secundum omnem modum operantis.*

Damasc. ¶ Ad illud, quod obiicitur in contrarium per illud verbum Damasc. quo dicitur: *quod fecit primum hominem virtuosum &c.* Dicendum, quod hoc sic intelligitur: nõ quia Deus illum in sui conditione fecerit virtuosum: sed quia tunc aptum, & quodam modo dispositum ad hoc fecerit, quod non longo post tempore compleuit.

¶ Ad illud, quod obiicitur postea, quod in electione sua habebat potestatem manere, & proficere in bono &c. Dicendum, quod hoc non intelligitur quod statim conditus, poterat proficere, scil. ex datis sibi in conditione: sed quia stare poterat, & stando peruenire ad statum, quo posset proficere in bono. Vel potest aliter dici, quod si proficere dicatur in merito gloriæ, secundum quod aliquis magis & minus meretur: sic Adam proficere non poterat ex acceptis à creatione, nisi daretur ei gratia gratum faciens. Potest alio modo profectus nominari largius, vt profectus dicatur respectu quorumcunque: & sic Adam sine gratia gratum faciente poterat proficere in cognitione accepta, & in amore naturali, & in huiusmodi. Et sic intelligitur verbum Damasc. loquitur enim de profectu secundo modo. Vel potest dici, quod si intelligitur primo modo, id est, de profectu in merito, non intelligit illud absolute: sed cum eo quod additur, cum dicit [*fecit hominem potentem proficere per diuinam cooperationem*] quæ est mediante gratia.

¶ Ad illud, quod dicit Augustin. *Quis nesciat ita factum primum hominem &c.* Hoc non intelligitur, quod liberum arbitrium in eo poterat in opus meritorium: sed quia erat tunc in possibilitate quadam ad recte viuẽdum, & in quadam capacitate gratiæ: quia nihil erat in illo repugnans gratiæ. Idem. August.

¶ Ad illud, quod dicit Damasc. quod *manentes in eo, quod est secundum naturam, in virtute sumus, &c.* Dicendum, quod illo verbo non intelligitur; quod naturæ integræ fuit statim addita virtus: ita vt haberent primi parentes statim cum natura virtutem gratuitam: sed quia stantibus & manentibus in natura integra, superaddita fuit virtus: non enim dicit [*existentes in eo quod est secundum naturam, in virtute sumus*] sed [*manentes*] manere enim addit moram super esse. Damasc.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod perfecta sunt Dei opera &c. Dicendum, quod est perfectio quantum ad esse primum: & est perfectio quantum ad esse secundum. Perfectio quantum ad esse secundum, duplex est: quædam enim est, quæ habet ortum à perfectione secundum esse primum: sicut illa perfectio, quæ attenditur in accidentibus, quæ oriuntur ex principiis subiecti. Est alia perfectio quãtum ad esse secundum, quæ non causatur à perfectione secundum esse primum: sed potius est super illud: sicut est perfectio in esse gratuito vel glorioso, quæ quidem est in nobis, non ex nobis, sed ex Deo. Cum ergo dicitur, quod perfecta sunt Dei opera: hoc intelligitur quantum ad esse primum, & quantum ad esse secundum, quod causatur ab illo. Quantum autem ad illud secundum, quod non causatur à perfectione secundum esse primum, veritatem non habet: non enim fecit Deus omnes beatos, sed illos solos beatificauit, quos prædestinauit conformes fieri imagini filii sui. Roman. 8. hoc enim disposuit dare per merita tanquam bonum laudabile: & ratio huius assignata fuit supra.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod aliæ creaturæ possunt peruenire ad finem, ad quem sunt, per virtutem naturæ. Dicendum, quod non est simile: quia finis creaturæ rationalis est summum bonum, quod est supra omnem naturam: finis vero aliarum creaturarum est bonum creatum, & quod est infra terminos naturæ: ideo creatura rationalis magis indiget bono gratiæ, vt possit peruenire in suum finem; quam aliæ creaturæ. Memb. 1. huiusce quæst. art. 2. § 3. in resol.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod natura non deficit in necessariis. Iam patet responsio ex prædictis: hoc enim intelligitur de necessariis, quæ quidem attenduntur quantum ad esse primum, vel quantum ad esse secundum, quod creatur ex principiis naturæ. Quantum vero ad illud esse secundum, quod supra naturam est, necesse est naturam deficere: & tale est esse gratuitum & gloriosum. Ex hoc tamen nullum fit naturæ præiudicium: quia Deus defectum naturæ supplet, & semper præsto est, cum se offert tempus & locus, complere & dare, quod natura non poterat. Ex 3. de anima tex. com. 45.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod circumscripta gratia seruando mandata, vtrum mereretur &c. Dicendum, quod mereretur: quia disponeret se ad gratiam, quam Deus daret illi; Mereretur (dico) de congruo: quia nihil meretur de condigno sine gratia: & ita bona illa ex consequenti remunerarentur in gloria.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod prior est comparatio ad finem &c. Dicẽdum, quod [*prius*] dicitur dupliciter: vel prius, i. essentialius: vel prius, i. efficacius. Prior est comparatio ad finem; id est, essentialior, quia tanquam ad vltimũ: sed non prior, id est, efficacior, imo efficacior est quantum ad ea, quæ sunt ad finem: quia minora sunt: & ideo magis potest in illa. Ergo si inferatur, potest in hoc, ergo in finem: fit fallacia consequentis: sicut si inferatur, potest in minus, ergo potest in maius. Potest tamen & aliter dici, quod cõparatio ad finẽ prior est secundũ intentionẽ: sed ad ea, quæ sunt ad finem, prior est secundum rem: & ideo non valet.

¶ Ad aliud iam patet responsio, quod quãuis liberum arb. essentialius cõparetur ad bonum: non tamen ita efficacius: quia facilius est facere malum, quam bonum: quia hoc potest de sua natura, quæ est ex nihilo: aliud non potest sine

adiu-

ante lapsum gratiam gratum facientem habuit: per quam non solum malo resistere, sed etiam in bono proficere potuit: & illa gratia adiutus, ita bene meruisset, mandatum domini obseruando: sicut demeruit transgrediendo. Hanc igitur opinionem sustinendo, concedere possumus rationes, quæ ad primam partem inducuntur.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Deus sciebat statim ipsum esse lapsurum. Dicendum, quod propter hoc nō debuit amittere donum gratiæ, sibi datæ, duplici ratione. Primo quidem, quia simul cum hoc præsciebat, quod bonum debebat de lapsu eius elicere. Secundo vero, quia Deus conferendo gratiam, non attendit futura peccata: sed idoneitatem præsentem ad gratiam, sicut patet cum confert gratiam in tempore præscitis, & eis quos ab æterno reprobauit. Et in vtroque eorum commendatur Dei largitas & sapientia: & arguitur hominis ingratitudo, & stultitia in hoc, quod à tam benefico & tam benigno se auertit sine causa.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod non potuit recuperare originalem iustitiam, quam habuit, quando peccauit. Dicendum, quod hęc non est tota ratio, s. quod voluntarie amisit iustitiam illam: sed simul cum hoc facit, quia iustitia originalis non tantum respiciebat voluntatē deliberatiuam, sed etiam respiciebat ipsam naturam institutam: gratia a. respicit ipsam voluntatem liberam, vt est libera: & quoniam voluntas de facili vertitur & reuertitur: natura a. cum corruptione non sic de facili releuatur: hinc est, quod magis potest recuperari gratia, quam prima iustitia: quamuis vtraque fuerit per peccatum amissa. Non de facili, dico: quia non ante naturæ reparationem.

¶ Ad huius euidentiam nota, quod Deus condidit duas creaturas vicissitudinarie inuertibiles s. nobilissimam, id est angelicam: & vilissimam, id est irrationalem. Inuertibilitas autem illius suę attestatur nobilitati: huius suę vilitati. Mediam creaturam s. hominem, qui secundum aliquid est rationalis, secundum aliquid irrationalis; fecit Deus vertibilem. Angelicam naturam fecit Deus talem, quod se conuerteret, illi inuertibiliter adhæreret. Irrationalem fecit talem, quod quantum esset de sua natura, sibi inhæreret: nec aliquid supra se, nec nisi propter se appeteret. Hominem autem fecit Deus vertibilem vicissitudinarie quantum ad liberum arbitrium, siue quantum ad partem rationalem: inuertibilem de sua natura quantum ad partem irrationalem. Pars autem rationalis dum per obedientiam suberat dominio sui conditoris, parti irrationali dominabatur (vnde Aug. *In paradiso enim & si non omnia poterat ante peccatum; quicquid tamen non poterat, non volebat: & ideo poterat omnia quæ volebat*) *sed nolens subesse dominio sui superioris, dominium amisit sui inferioris.* Aug. 14. de ciu. Dei cap. 15. Vnde idem Aug. ibidem. Idem ibid. Denique (vt breuiter dicatur) in illius peccati pœna quid inobedientiæ nisi inobedientia retributa est. Nam quæ est hominis alia miseria, nisi aduersus eum ipsum inobedientia eius ipsius: vt quoniam noluit, quod potuit: quod quidem non potest, velit. Quis enim enumerat, quam multa, quæ non potest, velit: dum sibi ipse, i. voluntati eius ipse animus eius, & eo inferior caro eius non obtemperat? Ipso namque inuito, & animus plerunque turbatur: & caro dolet, & veterascit, & moritur: & quicquid aliud patimur; quod non pateremur inuiti, si voluntati nostræ nostra natura omni modo atque ex omnibus partibus obediret. Irrationalis ergo pars quantum est de sua natura, & maxime inquantum corrupta; tantum est conuertibilis ad se: nec potest erigi siue conuerti, secundū debitum iustitiæ originalis, ad suum superius dominio siue potestate partis rationalis, cuius inobedientiæ inobedientia retributa est. Propter autem colligantiam partis rationalis & irrationalis, necesse est partem rationalem defici & declinare secundum motum partis irrationalis: propter quod ante reparationem naturæ corruptæ non recuperabitur perfecte naturalis iustitia.

¶ Ad aliud, quod obiicitur, quod si Adam habuisset gratiam, inseparabiliter Deo adhæsisset. Dicendum, quod hoc non oportet: quia liberum arbitrium habens gratiam de sua libertate, quæ cogi non potest, dum manet in vertibilitate, in qua conditum est; moueri potest præter gratiæ inclinationem: & frequenter mouetur, nihil considerans de eo, ad quod mouet gratia. Vnde frequenter contingit, quod homo valde præditus gratia & virtutibus, inordinate afficitur: pro eo quod non semper fertur actualiter in illud summum bonum, ad quod desiderium illius assurgit per gratiam: & sic intelligendum est accidisse ipsi Adæ.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod confirmatus esset vt angelus. Dicendum, quod non est simile: tum quia angelus habet naturalia nobiliora: tum propter corpus, quod habebat adhærens, ratione cuius retardabatur, ne totaliter ferretur in Deum: erat enim corpus illud tunc animale. Nihilominus aliter retardabat tunc, aliter nunc: quia nunc retardat mouendo ad contrarium: tunc retardabat, non sinendo libere & expedite ferri, & moueri in Deum, propter quod non sequitur, quod fuisset confirmatus.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod Lucifer non habuit gratiam gratum facientem &c. Dicendum, quod verum est: ex hoc tamen non sequitur, quod homo peccauerit maiori ingratitudine: pro eo quod Lucifer optima habuit naturalia: propter quod dicitur quodammodo Deiformis: pro eo quod proximior erat statui gloriæ: vnde simul recepisset gratiam & gloriam. Homo vero nec talibus fuit præditus naturalibus: etiam conditus fuit vt magno temporis interuallo haberet gratiam ante gloriam: in cuius signum positus erat in terra, quæ est locus longe distans à cœlo. Vnde in transgrediendo, nec adeo cecidit de alto, vt Lucifer: nec adeo fuit ingratus: nec adeo per peccatum deprauatus.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod prius debet homo tentari, quam in amicum sumi. Dicendum, quod illud intelligitur de illa amicitia, quæ facit hominem Deo priuatum & familiarem: per quem modum dicit ipse Dominus apostolis. *Vos autem dixi amicos &c.* De amicitia autem large sumpta, hoc non potest intelligi de amicitia apud Deum: licet possit intelligi de amicitia apud homines. Ioan. 15. Pro eo quod nisi Deus daret gratiam in probando, potius reprobaret, quam approbaret: non enim habemus, per quod possimus approbari à Deo, nisi per eius donum: non autem sic est de homine respectu hominis: & sic patet responsio ad illud.

MEMBRVM II.

De quantitate gratiæ & virtutum primorum parentum.

SEQVITVR inquirere de quantitate gratiæ, & virtutum: Et primo quantum ad numerum donorum, virtutum, & gratiarum. Secundo de quantitate quantum ad potestatem & efficaciam earundem.

¶ Et quæruntur quatuor. Primo, vtrum habuit fidem. Secundo, vtrum habuit vniuersitatem virtutum ante lapsum, siue tot, quot habuit post. Tertio, si primus homo poterat illis mereri ante lapsum. Quarto, vtrum gratuita erant efficaciora ante lapsum, quam post?

An Adam in statu primo fidem habuerit. §. I.

¶ QVÆRITVR ergo primo, Vtrum habuit fidem. Quod sic, videtur. Fides est fundamentum ædificii spiritualis. *Fides est substantia rerum sperandarum &c.* Glossa *id est, fundamentum: sed deficiente fundamento, deficit totum ædificium:* Heb. 11. Glos. ergo &c.

¶ Item, tres sunt virtutes theologicæ, fides, spes, charitas: habuit spem & charitatem, consimili ratione & fidem habuit: vel quare non? Hoc etiam videtur per supradictum verbum Bern. ad Eugenium. *Cum videret patrem omnium hominum æmulus circundatum charitate, & omni virtute vestitum &c.* Bern. sup. Euang.

¶ Item, fides distinguitur per fidem formatam, & informem: & hæc duplex fides duplici statui hominis respondet, sc. statui gratiæ, & statui peccati: & ita patet quod existentes in peccato, habent fidem informem: existentes in gratia, fidem formatam. Sed constat, quod Adam lapsus per peccatum habuit fidem informem: ergo stans in gratia habuit fidem formatam. Mag. lib. 2. sen. dist. 23. cap. Cognitionē quoque.

¶ Contra, sicut dicit Magister *cognouit primus homo, à quo*

ergo non omnis virtus, quæ nunc eſt, fuit in ſtatu innocentiæ.

¶ Item, Numerus ſacramentorum poſt lapſum non reſpondet per æqualitatem numero ſacramentorum ante lapſum: neque primi parentes ſi ſtetiſſent, habuiſſent exercitium tot ſacramentorum, quot habuerunt poſt exercitium poſt lapſum: cuius ratio eſt, quam homo pluribus indiguit adiutoriis poſt lapſum, quam ante. Eadem ratione videtur, quod numerus virtutum ante lapſum non debuit reſpondere numero virtutum poſt lapſum: nec quod primi parētes ſi ſtetiſſent, prędīti eſſent tot virtutibus ante, quot poſt: quia pluribus indiguerunt poſt, quam ante.

Eſa.11. Item, idem oſtenditur per comparationem donorum: cum enim ſint ſeptem dona, vt habetur Eſ.11.ſc. donum ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris domini: ante lapſum (vt videtur) non fuit pietas, quæ eſt circa opera pietatis, quæ non fuiſſent in ſtatu innocentiæ: neque fortitudo, quæ conſiſtit in aggreſſa difficilium: & perpeſſione aduerſorum, quæ neceſſaria ſunt tempore lapſus.

Matth.5. Item, Idem videtur per comparationem beatitudinum Matth.5. quia ante lapſum non fuit beatitudo luctus, neque beatitudo miſericordiæ: quia miſericordia miſeriam reſpicit, quæ neceſſaria erat poſt lapſum.

Galat.5. ¶ Item, videtur idem per comparationem fructuum, de quibus dicitur Gal.5. quia ante lapſum nō fuit fructus, qui eſt patientia; quæ conſiſtit in tolerantia aduerſorum, ſicut poſt. Ex iis omnibus videtur, quod non habuit tot virtutes ante lapſum, quot habuit poſt.

RESOLVTIO.

Non tot fuere virtutes vel dona gratiæ gratisdatæ in ſtatu inſtituto: nec Adam habuit; quot nunc ſunt in præſenti ſtatu deſtituto, habenturque à nobis: quia nec illi tempori, aut homini expediebant. At bene dona, atque virtutes gratiæ gratumfacientis: nec vtcunque, ſed quo ad habitus & actus tantum, qui perfectionis ſunt.

¶ RESPONS. Dicendum, ꝙ cum fit comparatio multitudinis donorum gratiæ ad ſtatum naturæ lapſæ, & ſtatum naturæ inſtitutæ; hoc poteſt intelligi, vel de donis gratiæ gratisdatæ: vel de donis gratiæ gratumfacientis. Si intelligitur de donis gratiæ gratisdatæ, ſic ſe habent ſicut excedētia & exceſſa: pro eo quod aliqua dona gratiæ gratisdatæ habuit Adam in ſtatu illo: vtpote immortalitatem, & impaſſibilitatem: quæ non habuit aliquis poſterorum eius: & aliqua dona gratiæ gratisdatæ habent poſteri eius, quæ ipſe non habuit: ſicut ſunt gratia ſanitatum, & operatio virtutum, & genera linguarum, & contumilia. Ratio autem huius diuerſitatis venit ex hoc, quod illa dona expediebāt illi tempori, & alia competunt iſti. Si autem loquimur de donis gratiæ gratumfacientis: quia dona illa cōnexionem habent quantum ad habitus, & quantum ad actus, qui perfectionis ſunt; ſic concedendum eſt, quod in æquali multitudine fuerunt in primo homine; in qua reperitur in eius poſteritate (Hoc dico quantum ad habitus, & quantū ad actus, qui perfectionis ſunt) ſicut rationes ad primam partem inductæ oſtendunt. Quantum vero ad actus, qui habent imperfectionem annexam, non contingebat virtutes ſecundum ſtatum illum in Adam ponere. Sicut enim habetur ab Aug. & Magiſter recitat. virtutes habebūt alios actus in patria: quia maioris perfectionis, quam habeant in via. Actus enim, ſiue vſus prudentiæ erit, nullum bonum Deo præponere, vel æquare: fortitudinis, ei firmiſſime adhærere: temperantiæ nullo defectu nouo delectari. Hos eoſdem actus & vſus habuerunt primi parentes in illa felicitate, in qua fuerunt, quando habuerūt gratiam gratumfacientem: licet non in illa perfectione, in qua habetur in patria: plurimum tamen erant conformes.

August. in lib de Trinit.14 & Magiſter 3.ſent.diſt.33.

¶ Per hæc patet reſponſio ad duo obiecta, quorum vnū erat de fortitudine, alterum de temperantia, quæ procedebant ſecundum actus habentes imperfectionem aliquam annexam: quæ quidem perfectio competit ſolum ſecundū ſtatum præſentis miſeriæ.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur de pœnitentia. Dicendum, quod pœnitentia reduci habet ad virtutem iuſtitiæ: eſt enim de ſpeciebus iuſtitiæ, exiſtente ſtatu pœnitentiæ lapſæ: non autem fuiſſet de ſpeciebus illius, ſi permanſiſſet ſtatus naturæ conditæ: tunc enim eſſet actus iuſtitiæ, Deo regenti ſubiectum eſſe.

¶ Ad illud autem quod obiicitur de perſeuerantia. Dicendum, quod perſeuerantia vno modo dicitur propoſitum perſeuerandi in bono: & hoc modo eſt virtus, vel diſpoſitio conſequens virtutes inſeparabiliter. Alio modo perſeuerantia eſt continuatio in bono vſque in finem: & ſic non dicit habitum, ſed potius dicit actum: & hanc primus homo nō habuit: ex hoc tamen nō ſequitur, quod aliqua virtute caruerit pro eo tempore, quo in gratia permanſit.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod numerus ſacramentorum poſt lapſum non reſpondet &c. Dicēdum, quod hoc verum eſt: & ratio huius eſt neceſſitas humanæ reparationis poſt lapſum: cecidit enim homo in morbum grauem per peccatum ſuum: propter quem indigebat ſacramentis aliis ab illo, quod fuit inſtitutum tempore naturę conditæ, ſcil. matrimonio, quibus curaretur: vnde Hugo. Ex quo homo à ſtatu primæ incorruptionis lapſus, in corpore per mortalitatem, & in anima per iniquitatem ægrotare cæpit, continuo Deus reparando inde ſacramentis ſuis medicinā præparauit: quæ (prout ratio poſtulabat, & cauſa) diuerſis temporibus & locis ad curationem illius exhibuit: virtutes autem neceſſariæ erant in omni ſtatu, & in omni tempore; & quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad numerum: tamen ſecundum diuerſitatem ſtatuum neceſſaria erat actuū variatio, ſecundum quod tactum eſt.

¶ Ad illa, quæ conſequuntur. Dici poteſt: quod dona, fructus, beatitudines conferuntur à Deo ad perfectionem naturæ lapſæ, non inſtitutæ. Ad cuius declarationem nota, quod virtutes (ſecundum quod ex auctoritatibus Sanctorum poteſt rationabiliter colligi) ſunt ad informandum, ſiue ad rectificandum liberum arbitrium: tunc autem eſt liberum arbitrium informatum, quando eſt in iuſtitia rectificatum: Hæc autem informatio rectitudinis in ſtatu naturæ inſtitutæ potentias animæ reddidit habiles ad agendum bonum recte, expedite, delectabiliter, & perfecte, propter conformitatem & obedientiam naturæ reſpectu gratiæ. Sed primus homo in lapſu in culpam, ſpoliatus fuit gratuitis, & vulneratus in naturalibus: expoliationem autem iſtam ſubſecuta eſt deformatio, & impotentia ad bonum, & ex illa vulneratione effecta eſt natura humana infirma, & ſubſecuta eſt difficultas ad bonum: ex hac autem difficultate ſubſecuta eſt fatigatio & faſtidium in progreſſu in bono, ſiue in exercitio bonorum operum: & ex his oritur quædam vitæ imperfectio, ſiue verſatio in operibus imperfectionis. Homo autē ſic deiectus, ſiue humana natura ſic lapſa, non poterat per ſe reparari: nec illa, quæ ſufficiebant ad recte agendum, expedite, delectabiliter, & perfecte in ſtatu naturæ conditæ, ſufficiebant poſt lapſum, ſcil. virtutes ſolæ. Propterea diuinæ benignitatis largitas habitus multiplices contulit homini propter multiplicia incōmoda iam tacta; vt ſic humanæ naturæ lapſæ defectus releuaret. Ita vt per collationem gratiæ in virtutibus reformetur ipſa anima, & efficiantur potentiæ potentes ad bene & recte operandum: per collationem gratię in donis ad expedite operādum; per collationem gratiæ in fructibus ad delectabiliter operandum: per collationem gratiæ in beatitudinibus ad perfecte operandum. A virtutibus enim eſt anima potens ad operandum, ex donis ad expedite operandū ex fructibus ad delectabiliter operandum, ex beatitudinibus ad perfecte operandum. Ita quod contra quadruplicē oppreſſionem ſiue defectionem, quę ex culpa habet originem, auctor & reparator humanæ naturæ quadruplicem appoſuit releuationem. Ex his ergo patet, quod dona, fructus, & beatitudines proprie reſpiciūt ſtatus naturæ lapſæ: virtutes autem ſemper fuerunt neceſſariæ. Propter quod non eſt ſimile de comparatione fructuum, donorum, & beatitudinum, & ipſarum virtutum ad ſtatum ante culpam, & poſt.

An Adam ex donis, & virtutibus gratuitis, quas ante lapſum habuit, mereri potuerit? §.3.

¶ Ad tertium, quo quæritur: ſi primus homo poterāt il-

¶ Item, natura destituta ad hoc quod perueniat ad suum finem, adiutorio indiget maiori, quam natura constituta. Ergo cum dona gratuita, vt gratia, & virtutes data sint à summa bonitate, quæ omnibus dat affluenter. (Iac. 1.) in subsidium & adiutorium naturæ; vt illis mediantibus perueniat ad finem: relinquitur, quod gratuita data post lapsum, sunt maioris efficaciæ, quam quæ data erant ante lapsum. Non enim dedisset vnicuiq; affluenter: nisi magis indigenti dona maiora dedisset. Quod autem natura humana magis indigeat nunc, quam in illo statu; patet per hoc quod multa sunt inflicta homini propter peccata primorum parentum, ex quibus debilitata est, & deteriorata.

¶ Item, hoc videtur per hoc, quod natura inferior magis subuenit, & efficacius magis indigenti (quod patet per hoc quod membro læso magis & efficacius subuenit natura, quam membro sano: & hoc attestatur eius bonitati) ergo multo fortius hoc conuenit bonitati authoris naturæ: ergo &c.

2. Tim. 2. ¶ Item, status post lapsum est status pugnæ: vnde magis impugnatur homo, quam ante lapsum. *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*, &c. Sed has vincendo pugnas, gloriosius triumphat, & maiorem meretur coronam: sed maior corona debetur maiori merito: maius autem meritum gratiæ maiori, siue gratuitis maioribus siue maioris efficaciæ: ergo cum homo in statu naturæ lapsæ gloriosius triumphat, quam ante; relinquitur quod gratuita habet maioris efficaciæ.

Philos. Item, habito respectu ad statum naturæ lapsæ intelligendum est verbum Philosophi; *ars & virtus sunt circa difficilia*: sed hoc per se verum est, quanto actus virtutis est difficilior, tanto virtuosior: & quanto virtuosior, tanto ad merendum efficacior. Si ergo maior est difficultas in perficiendis mandatis nunc, quam esset in statu naturæ institutæ; videtur quod maior sit merendi efficacia: efficacia autem merendi est ab efficacia gratuitorum: & ita vt prius.

Hugo lib. de Sacrament. 1. ¶ Item, sacramenta priora erant maioris efficaciæ succedentibus. Vnde Hug. *Semper quæ tempore posteriora fuerunt, effectu gratiæ spiritualis digniora inueniantur*. Ex hoc verbo patet, quod gratia in sacramentis, siue sacramentalis minoris erat efficaciæ in primis temporibus, quam sit nunc. Similiter videtur, quod gratia in virtutibus, & ipsæ virtutes, quæ efficaciam habent à gratia; non fuerunt tantæ efficaciæ primo, quantæ sunt nunc.

¶ Item, secundum quod magis appropinquauit ab initio aduentus saluatoris, maioris, maior erat effectus salutis. Hugo. Vnde Hugo. *Sciendum quod diuinæ dispensationis ordo, & ratio hoc poscunt: vt sicut ab initio * procedente tempore, magis semper ac magis aduentus saluatoris appropinquauit: sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret, & cognitio veritatis*. Sed maior effectus salutis est ex maiori efficacia gratuitorum: & ita vt prius.

*Alias, per currente.

RESOLVTIO.

Si fiat comparatio personarum vnius status ad personas alterius status; sic gratuita quo ad efficaciam se habebunt vt excedentia & excessa: vt scilicet modo has illis, modo illas his præferamus. At si status ad statum collatio fiat, gratuita primi status (habito respectu ad suscipientes) validiora erant quam gratuita secundi. Secus si ad gratuita ipsa secundum se respectus habeatur.

¶ Responsio. Quod loqui possumus de efficacia gratuitorum secundũ comparationẽ personę ad personam: aut status ad statum. Si primo modo, sic se haberent sicut excedentia & excessa. Probabiliter enim præsumi potest, quod aliqui fuerunt post lapsum, qui maiorem gratiam habuerunt, & in meritis efficaciorem; quam aliqui, qui fuissent in statu innocentiæ, si status ille perseuerasset: aliqui vero minorem, sicut creditur de personis existentibus, currente lege Moysi: & existentibus, currente lege Euangelica. Sed si secundo modo id est si comparemus generaliter statum ad statum; adhuc concurrit duplex consideratio; quia gratia, siue virtutes possunt considerari, vel comparatione ad illos, quos informant & perficiunt, hoc est ad suscipientes: vel in se, siue secundũ se. Si cõsiderentur in comparatione ad suscipientes: quia efficacia gratiæ & virtutum maior est ex idoneitate suscipientis: quæ quidem idoneitas est ex consentaneitate voluntatis, & promptitudine obediendi siue subiiciendi se gratiæ ipsi, & virtutibus: potest dici quod gratiæ & virtutes efficaciores erant in statu naturæ conditæ, quam in statu naturæ lapsæ. Si considerentur gratia & virtutes secundum se, non vsquequaque certum est, in quo statu dominus gratiam contulerit maiorem, & virtutes potentiores & efficaciores; pro eo quod magnitudo gratiæ distributæ, & efficacia virtutum attenditur secundũ discretionem distribuentis, quæ cognitionem nostrã latet: & etiam secundũ maiorẽ præparationem ex parte suscipientis. Pie tamen (& nec omnino absque probabilitate) supponendum est: quod maiora munera gratiæ & virtutũ est largitus homini lapso, quam dedisset homini, si in statu innocentiæ permansisset, tum quia homo maiori gratiæ adiutorio indiget: tum etiam quia decet Deum de malo maius bonum elicere, quam sit illud bonum, quod adimendo malum, nocet. Ex hac ergo duplici ratione, quarum vna est in commendatione misericordiæ diuinæ; alia in commendatione sapientiæ: nõ irrationabiliter colligitur, quod dona gratuita secũdũ se sint maiora & efficaciora post lapsum, quam ante: & maxime post aduentum saluatoris, qui mediator & intercessor pro nobis interpellat: quem decet exaudiri in omnibus pro sua reuerentia. Vnde cum appareat vultui Dei semper ad interpellandum pro nobis: & pro nobis in cruce oblatus fuerit, & quotidie offeratur: valde probabile videtur, quod maius munus gratiæ tribuatur nobis, quam si ipse non fuisset incarnatus. Et pro nobis oblatus. Et hoc expresse videtur innui Ioann. 7. cum dicitur: quod spiritus nondum erat datus: quia Iesus nondum erat glorificatus. Vnde cum ascendit in altum, &c. tunc dedit dona hominibus. Ioan. 7.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur contra hoc, scilicet quod nobiliori perfectibili debetur nobilior perfectio. Dicendum, quod hoc verum est de perfectibili & perfectione quantum ad esse primum: quia sibiinuicem respondent secundum quandam præcisionem & adæquationem: gratia autem & virtutes perficiunt quantum ad esse secundum. Præterea, hæc scilicet gratia & virtutes sunt pure gratuita, & secundũ libitũ & electionem Dei collata: qui quandoque personæ viliori (quantum est de naturalibus) gratiam confert maiorem: & nobiliori minorem, secundum iudiciũ profunditatis sapientiæ illius, humanæ sciẽtiæ incõprehensibile, iuxta illud. *O altitudo diuitiarũ*, &c. Rom. 11.

Ad illud, quod obiicitur: quod habitus cognitiuæ erat melior, & efficacior ante lapsum, quam post, &c. Dicendum, quod verum est: sed hoc non est in ratione illa, qua gratuitus est: sed hoc est propter potentiam cognitiuam, quæ demerito peccati obnubilata est, & ignorantia inflicta. Sicut enim videtur manifeste in visiua exteriori; quod licet ipsa potentia secundum se non recipiat variationem deteriorationis; nihilominus melius videt iuuenis, quã senex propter defectũ organi: similiter est in ꝓposito.

¶ Ad hoc, quod dicitur: quod quantum cognoscis, tantum diligis &c. Dicendum, quod hoc intelligitur de cognitione & dilectione adinuicem comparatis in statu vno, scilicet, vel in statu naturæ lapsæ vel conditæ, non autem in diuersis. In statu n. naturæ lapsæ quantũ cognoscit, tãtum diligit: & similiter in alio. Nec intelligitur de quacunque cognitione: sed de illa, quæ est experientiæ; siue sapientiæ; quæ est cum gustu: & hæc etiam, quæ dico [*tantum quantum*] non dicunt præcisionem, sed proportionem in genere, sub hoc sensu: si multum cognoscis, multum diligis.

¶ Ad illud, quod obiicitur de fide, quæ videtur fuisse tunc excellentior & efficacior, quam illa quæ est nunc, &c. Dicendum, quod (sicut tactum est) gratuita in statu innocentiæ habebant efficaciam quandam ex ordinatione & obedientia potentiarum ipsius animæ & subiectione respectu gratuitorum: vnde efficacius mouebant & ipsam affectiuam & ipsam operatiuam, quam faciant nunc: cum amissa rectitudine naturali inclinatus est affectus per concupiscentiam, & operatiua debilitata. Et sic comparationẽ fidei

dei,& aliarum virtutum ad potentias recipiētes bene poteſt concedi, quod habebant quandam efficaciam in ſtatu illo,quam poſt non habuerunt. Vnde bene poteſt concedi,quod ſecundum hanc comparationem fide tunc purius & quietius adhærebant primę veritati:nec propter hoc neceſſe eſt,quod fides & aliæ virtutes ſecundum ſe conſideratæ,eſſent tunc maioris efficaciæ, quam nunc. Si autem loquamur de viſione fidei,poteſt dici, quod quia viſiua interior nullatenus erat obnubilata, luculentior fuit quam ſit modo: vnde clara fuit tunc & ſine ænigmate: & quantum ad hoc (vt vult Hugo) fides tunc, erat maior & efficacior: non tamen vt eſt virtus, ſiue habitus virtutis.

Hugo

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod albius eſt, quod eſt nigro impermixtius &c. Dicendum, quod efficacia meriti ex pluribus venit, ſc. ex difficultate operis, & promptitudine voluntatis, ex magnitudine charitatis, & conſequenter aliarum virtutum. Difficultas enim operis multum valet ad meritum, vt in operibus ſupererogatiuis, quorum quędam efficaciter diſponunt ad augmentum gratiæ, & per conſequens ad augmentum meriti: in aliquo autem vt in martyrio augmentatur gratia & meritum ſimiliter. Promptitudo etiam voluntatis plurimum facit ad meritum; quantumcunque enim ſit gratia in homine, niſi ſit voluntas gratiæ conſentanea, nunquam elicit opera meritoria: & quanto magis voluntas gratiæ ſubiacet & conformatur, tanto fructuoſius hō in operibus meritoriis exercetur: proptea enim voluntate & hilari operantes, plus merentur, quam illi qui minus ſunt huiuſmodi: propter hoc dicitur, *Hilarem datorē diligit Deus.* Magnitudo charitatis efficaciſſime facit ad meritū: quia ſecundum illius quantitatē attēditur remuneratio præmii ſubſtantialis: pondus n. amoris opera meritoria facit eſſe ponderis & valoris. Quantum ergo ad primā conditionem, ſc. difficul[...]m, efficaciores ſunt virtutes nunc, quā tunc fuerunt: nunc enim magis impugnatur, & impugnando probatur & examinatur virtus, quā tunc: ſicut patet in exercentibus ſe in operibus ſupererogatiuis: & maxime in martyribus. Quantum ad ſecundam conditionem, ſc. promptitudinem voluntatis, efficacioris fuiſſent virtutis in merendo tunc, quam nunc: quia voluntas tunc continua fuiſſet in bonis operibus Deo placentibus ſine retardatione: nunc autem ſiue ex fatigatione, ſiue ex ſurreptione frequenter ceſſat à bonis operibus, & nociuis intendit, & inutilibus: tum propter difficultatem ad bonum: tum propter pronitatem ad malum. ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod meritum magis erat impermixtum in ſtatu innocentiæ &c. Dicendum, quod hoc eſt, ex eo quod voluntas non eſt ita prompta & cōſentanea gratiæ, ſicut fuit tūc; propter grauitatem carnis coniunctæ & pronitatem concupiſcētiæ contractæ. Poteſt ergo concedi, quod ſecūdum quod efficacia merendi venit ex promptitudine voluntatis: ſic erant gratuita tunc efficaciora, quam nunc. ¶ Ad aliud, quod obiicitur quod liberū arbitrium magis obediat gratiæ &c. Iā patet reſponſio: quia dictū eſt, quod quantum ad promptitudinem voluntatis (quod idē dicit iure quod obedientia prompta libe. arbe.) efficaciores erant tunc virtutes ad merendum, quā nunc. Ex his tamen non ſequitur, quod gratia & virtutes erant ſecundum ſe maiores & efficaciores, quā ſint nunc. ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod naturalis rectitudo erat tunc magnū expedimentum &c. Iā patet reſponſio: quia ex illa naturali rectitudine erat voluntas prompta & conſentanea gratiæ: & licet ita ſit quod efficaciores erāt virtutes, non tamen ex hoc ſequitur, quod ipſæ ſecundum ſe & ſua propria voluntate erant tunc efficaciores, quam ſint nunc: vt ex dictis patet.

2. Cor. 9.

QVÆSTIO XCII.

De ſcientia & cognitione Adæ.

In duo Membra, & in quatuor Articulos diuiſa.

D.Tho. 1. par. q. 94. S. Bon. in 2. d. 23. art. 2. Ex Sco. in 2. d. 22. q. 2.

DICTO de paſſibilitate primi hominis, de prolis propagatione, & de adiutorio gratiæ: ſequitur conſequenter inquirere de illuminatione ſcientiæ. Quæritur ergo de cognitione, ſiue ſcientia primi hominis: ſcilicet cuiuſmodi ſcientiam, ſiue cognitionem habuit in primo ſtatu. Et primo, de cognitione quantum ad tempus. Secundo, quātum ad cognoſcibilia.

MEMBRVM I.

Adam an ſtatim conditus perfectam ſcientiam habuit, vel ſtudiis & vigiliis in illa profecit?

QVÆRITVR ergo, Vtrum conditus ſtatim habuit ſcientiam, ſiue cognitionem perfectam: an proficiendo ſtudio & diſciplina, peruenit ad illam. Quod primo modo, videtur ſic: vt habetur ab Augu. *Primus homo perfectus conditus fuit ſecundum corpus: & in ea perfectione, quam competebat habere in virili ætate.* Sed multum dedecuiſſet hominem talis perfectionis ſecundum corpus, fuiſſe in tenebris ignorantiæ ſecundum animam: ergo cum nihil exeat immediate ab optimo cum nota indecentiæ: relinquitur quod conditus fuit perfectus in ſcientia: perfectus (dico) ea perfectione, quam requirebat perfectio animæ perficientis corpus huiuſmodi. ¶ Item, Hugo *Sicut quantum pertinet ad perfectionem ſtaturæ & ætatis humani corporis, primum hominem perfectum factum credimus: ita quoque quantum ad animam, cognitionem veritatis & ſcientiam; eam duntaxat, quæ primæ perfectioni congrua fuit, perfectam mox conditum accepiſſe putamus: & ad illam non ſtudio & diſciplina aliqua per interualla temporis profeciſſe, ſed ſimul & ſemel ab ipſo ſuæ conditionis exordio; vna, ac ſimplici diuinæ inſpirationis illuminatione, illam percepiſſe.* Hoc idem habetur à Magiſtro.

Aug. ſuper Geneſ. ad litteram.

Hugo de ſacram li. 1 par. 6. c. 12.

Magiſt. 2. ſent. diſt. 23.

¶ CONTRA, *Conſumpta eſt caro mea.* Glo. *primus homo ante peccatum: neque ſtultus, neque ſapiens fuit.* ¶ Item, Diſtinguitur natura angelica ab anima humana, quia illa creata eſt plena formis; hæc autem nata eſt in corpore perfici: vnde facta eſt ſicut tabula raſa. Si igitur anima Adę condita eſt plena cognitione & multitudine formatū: ergo videtur, quod anima eius non ſit eiuſdem ſpeciei cum animabus aliis. ¶ Itē, duplex eſt rationalis creatura: angelica, & humana. Angelica natura in omnibus eius ſuppoſitis fuit prædita eadē ſiue conſimili illuſtratione ſcientiæ & cognitionis in ſuo exitu in eſſe: omnes enim angeli in ſui conditione prædit fuerunt perfectione ſcientiæ. A ſimili videtur de humana creatura, quod in omnibus ſuppoſitis debuit eſſe prædita conſimili illuſtratione ſcientiæ & cognitionis: & ita omnes homines debebant in ortu primo eſſe ſapientes. Ergo cum poſteri Adæ in ortu ſuo ſunt ignorantes, & ſtudio & diſciplina per temporis interuallum proficiant; videtur quod ſimiliter fuit de illo.

Iob 33. Glosſa.

Ex 3. de Anima.

RESOLVTIO.

Adam in plenitudine ſcientiæ creatum dicimus: exigentibus id & principio ab ipſo colendo & poſteris ab eo propagandis, & animantibus brutis per ipſum gubernandis.

¶ RESPON. Quod Adam ab exordio ſuæ conditionis (ſicut vult Hugo & Magiſter Sent.) hēbat ſcientiæ complementum. Et hoc conueniebat tū propter comparationē ipſius ad principium ſuum ab ipſo colendum: tum propter cōparationem ad genus ex ipſo propagandū: tum propter comparationē ipſius ad genus animaliū ab ipſo gubernandum. Primo ergo ſecundum comparationem ipſius ad ſuū principium decuit fieri ſcientia cōpletum. Si n. decet Deum opera perfecta facere, quāto magis ipſum natura decuit facere perfectum, & quantū ad eius præmium, & quantū ad eius bene eſſe: ſecundum ꝙ exigebat ſtatus naturæ, qui origo omnium ſui generis, & quodāmodo eſt finis omnium? Et quia factus erat ad Deum colendum, leges diuinas ſcire debuit, ſecūdum quarum obſeruationem poſſet Deo placere, & in via morū recte ambulare. Secundo per comparationem ad genus humanum ex ipſo propagandum. Si enim ipſe conditus eſt, vt quaſi eſſet paterfamilias in tota domo paradiſi terreſtris: & optime ſedet ſapientia & ſcientia in genitoribus, vt exempla præbeant poſteris recte ambulandi & ſequendi ſe; indubitanter decens fuit, vt Deus hominem primum totius humani generis patrem; principium, & ſeminarium ſecundum poſſibilitatem naturæ & exigentiam eius facere in cognitione perfectum. Tertio per comparationem ad genus anima[...]um regendum, hoc ipſum decens erat & idoneum. Si enim Deus hominem præpoſuerat cæteris beſtiis & animalibus, vt ad nutū eius

Hugo & Magiſter.

cætera

cætera obedirent: sicut non decet sapientem dominum curam rerum suarum stulto gubernatori committere, sed prudenti (*quoniam acceptus est regi minister intelligens*: sicut dicitur) sic nō decuit Deū facere hominem non intelligenté, sed intelligentem & cognoscentem, vt sciret quid vnicuique expediret: quod & fecit. Cuius signum est, quod Adam omnibus nomina imposuit: & hoc fuit eius nomen, quod Adam primo nominauit: quod certe recte facere non potuisset, nisi omnium naturas & proprietates à prima conditione cognouisset. Vnde Hugo. *Idcirco ipse creator non à se, aut ab angelo aliquo singulis quibusque animalibus, sed ab homine nomina formari voluit: vt manifeste ostenderet, quod singulorum naturam, & vsum, & officia, ex infita sibi homo ratione agnouit: quæ enim propter illum creata erant, ab illo regenda & disponenda erant: & idcirco horum omnium Deus illi & scientiam tribuit, & prouidentiam reliquit.* Super omnes has rationes est ratio ex parte status: quia cum homo in statu suo deberet esse rectus & expediens in actibus affectus, vt non claudicaret; expeditus & rectus esse debuit in considerationibus intellectus: hoc autem est per scientiæ complementum. Et sic (vt rationibus prędictis apparet) decebat sapientiam diuinam facere hominem in scientiæ complemento.

Proverb. 14

Hug. lib. 1. par. 6. c. 13.

¶ AD ILLVD, quod primo obijcitur contra hoc per Gloss. quæ dicit: quod primus homo neque fuit stultus, neque sapiens. Dicendum, quod intellectus Glos. non est, illum caruisse scientia vel sapientia ante peccatum; & post peccatum fuisse sapientem: sed intellectus est, ipsum quantum ad considerationem actus peccati, & ad commissionem eiusdem, neque fuisse sapientem, neque stultum: sapientem non, quia horum obseruatione non cauit sibi: stultum non, quia non ignorans peccauit. Et hoc videtur ex verbis Glo. quæ sunt. *Hic nota, cum ante peccatum neque sapientem, neque stultum fuisse: neque sapienter, neque stulte peccasse.* Sapiens enim est, qui obseruatione peccati, agenda, vel vitanda nouit: stultus vero, qui seruanda, vel vitanda ignorat.

Glossa.

¶ AD HOC, quod obijcitur: quod natura angelica distinguitur ab anima humana per hoc quod illa creatura est plena formis, &c. Dicendum, quod hæc intelligentia angelica * est plena formis, &c. de natura illius est: eo enim quod non est nata vniri alicui corpori, non est nata in corpore perfici: neque per progressum à cognitiua exteriori ad interiores, & ab interioribus proximis & medijs ad primam simpliciter, & supremam, in cognitionem exteriorum peruenire: sed perficitur quantum ad cognitionem actu plenitudine scientiarum, in sui conditione impressarum. Quod autem anima Adæ fuit condita in plenitudine specierum; hoc non fuit illi naturale, siue ex sua natura: sed ex gratia superaddita, scilicet gratis data. Vnde hoc non facit, quod anima Adæ sit eiusdem speciei cum natura angelica: quia hoc habet angelica natura ex sui natura: sed anima Adæ ex gratia superaddita. Neque hoc iterum facit animam Adæ alterius naturæ, quam sint aliæ animæ: sicut neque arbores, quæ statim in sua productione fuerunt plenæ fructibus; fuerunt alterius speciei; quam illæ quæ procedunt modo secundum temporis diuturnitatem & varietatem.

*Alias, sit.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur: quod angelica natura in omnibus suppositis fuit prædita consimili illustratione scientiæ, &c. Dicendum, quod non est similis comparatio primi hominis ad alios quæ est angelorum adinuicem. Primus homo erat origo, & * principium seminarium omniū hominum: propter quod conueniebat, ipsum creari perfectum quantum ad ea, quæ requirit perfectio naturæ; & quantum ad corpus, & quantum ad animam: sicut supra tactum est. Præterea (vt ex dictis patet) plures sunt rationes, quare primus homo creari debuit in complemento scientiæ: quarum nulla est, quod procreati ab ipso debebant in consimili procreari complemento: vt patet intuenti.

*Alias, primum. Vel, principiū, & seminarium.

MEMBRVM II.

De cognitione primi hominis quantum ad cognoscibilia.

SEQVITVR de cognitione primi hominis quantum ad cognoscibilia, tam de cognitione creatoris, quam de cognitione creaturæ. Sed quia supra tactum est de cognitione creatoris quantum ad illam, quæ est fidei: quæ est cum cognitione ænigmatica; vbi determinatum est, quod non habuit illam, quæ est ænigmatica: inquirentur de cognitione creatoris quatuor. Primum est, si cognouit Deum in specie, siue facie ad faciem. Secundum est, si cognouit eum cum speculo creaturæ. Tertium, si profecisset in cognitione. Quartum, vtrum posset in cognitione errare.

Quæst. 9. memb. 2. articu. 2. §. 1.

ARTICVLVS I.

An Adam cognouerit Deum in specie, siue facie ad faciem?

AD PRIMVM, quo quæritur: si cognouit Deum in specie, siue facie ad faciem.

¶ QVOD sic, videtur. Dicit enim Hugo. *Cognouit creatorem suum, non ea cognitione, quæ modo à credentibus absens fide quæritur: sed ea, quæ tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur.* Sed cernere Deum manifestum, est cernere cum facie ad faciem: ergo &c.

Hug. lib. 1. de Sacram. par. 6. c. 14.

¶ ITEM, *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo ad amicum suum.* Sed multo excellentior fuit status Adæ ante lapsum, quam status Moysi: ergo videtur, si videbatur à Moyse facie ad faciem, quod fortiori ratione ab Adam.

Exod. 33.

¶ SI dicatur, quod illa visio fuit in subiecta creatura. CONTRA. *Palam, & non per figuras & ænigmata Deum videt.*

Num. 12

¶ ITEM, sicut habetur à Damascen. & alijs orthodoxis, Adam non solum fuit constitutus in paradiso corporali, immo & in spirituali quantum ad mentis delitias: vnde Deo fruebatur, sicut dicit Damascen. sed frui Deo non potest quis, nisi videat eum in specie: ergo &c.

Damasc.

¶ ITEM, Adam ante lapsum Deum in se & immediate amabat: ergo si ita facilis est intellectus ad cognoscendum, sicut affectus ad amandum per naturam, videtur quod sicut Deum in seipso amabat, ita & in seipso videbat.

¶ ITEM, omnis recta anima desiderat Deum videre in se: ergo Adam in illo statu hoc desiderabat. Sed vt habetur ab August. *Adam in paradiso quicquid volebat, facere poterat:* ergo si volebat Deum videre, poterat eum videre; & vidit.

August. de ciuit. Dei. Idem de ead. lib. 14. cap. 10.

¶ ITEM August. *In paradiso non deerat quicquam, quod non bona voluntas adipisceretur.* Ergo cum visionem Dei in se adipiscitur bona voluntas &c.

¶ ITEM, mente humana nihil Deo propinquius est: maxime quando est immunis ab omni culpa & pœna: sed talis fuit mens Adæ ante culpam; neque oculus mentis aliquam habebat nubem obscuritatis: ergo videtur, quod in ipsum Deum immediate poterat figere aspectum: quod est videre Deum in se: ergo &c.

¶ CONTRA. *Non videbit me homo, & viuet*: hoc intelligitur de vita animali: sed Adam ante lapsum viuebat vita animali: ergo videre Deum non poterat.

Exod. 33.

¶ ITEM. *Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus &c.* Si ergo nullus vnquam vidit Deum, & maxime ante aduentum Christi: ergo nec Adam.

Ioan. 1.

¶ ITEM, visio Dei in specie est tota merces: ergo qui visionem Dei habet in se, habet totam mercedem, seu plenam: & qui hoc habet, plenam gloriam habet: nullus talis potest cadere: ergo si Adam cecidit &c.

¶ ITEM, lux increata perfecta delectatione delectat aspicientes: ergo si Adam illam summam lucem aspexisset, perfecte in ea delectatus fuisset: ergo nunquam ab ea auerti consensisset.

¶ ITEM, status viæ & status patriæ sunt distincti: ergo pari ratione & visio viæ, & visio patriæ: sed Adam fuit viator, ergo non videbat visione patriæ, quæ est visio Dei in se.

¶ ITEM, quædam sunt media ad idem generaliora, scilicet talia: cognoscens super cognoscibile habet potentiam quantum ad illud, per quod cognoscit: intellectus creatus

no[illegible] elucet in se [illegible] in se, quantumcunque eleuetur per gratiam, quia illa semper in infinitum excedit. ergo impossibile est, quod oculus interior, siue intell. eius ipsam lucem increatam videat in seipsa.

¶ ITEM, cognoscentis ad cognoscibile debet esse proportio: & maxime in cognitione, in qua est magna delectatio. Si ergo illius lucis summæ respectu intellectus nostri est excessus improportionabilis, & tantus, vt per nihil additum posset ei proportionari, quin semper excedat illum, & in infinitum: videtur, quod nunquam intellectus noster posset lucem illam contemplari.

RESOLVTIO.

Tametsi facie ad faciem non viderit Adam in statu innocentiæ Deum: (siquidem hoc comprehensorum tantum in patria est) longe tamen clarius ac melius, quam viatores hic in terris videant: ita vt iure cognitionem, visionemque eius mediam inter patriæ, & viæ visionem statuere liceat.

¶ RESPONSIO. Ad prædictorum intelligentiam notandum: quod fere omnes ponunt cognitionem, quam habebat Adam de Deo, mediam fuisse inter cognitionem status miseriæ, & cognitionem status gloriæ. Sed in medio ponendo multa est differentia: quidam enim innitentes auctoritatibus male intellectis, & rationibus sophisticis dixerunt: nunquam in se, siue in sua essentia videri, nec in via, nec in patria: suum tuentes errorem per verbum Chrysost. dicentis. *Christum, qui Deus est, non solum Prophetæ, sed nec etiam angeli vident*: similiter & alijs consimilibus auctoritatibus male intellectis: putantes quod Deus immediate, & in sua essentia videri non possit, propter improportionabilitatem lucis increatæ ad oculum mentis creatæ. Sed dicunt, quod Deus per quasdam luminosas influentias siue lugubrationes, id est, paruas luces videri habet in statu viæ, & in statu innocentiæ videbatur, & in statu gloriæ videtur: & in ijs influentiis dicunt Deum in his statibus videri magis clare, & minus clare; secundum quod Deus magis se oculo creatæ mentis vult contemperare, & clarioribus Theophanijs ostendere. Sed ista positio hæretica est, nec immerito: quia est plane contra sacram scripturam. Nam dicitur: *Tunc cognoscam sicut & cognitus sum*. Et. *Videbimus eum sicuti est*: & aliæ multæ sunt consimiles auctoritates, quibus error iste est reprobandus. Si autem videantur aliquæ auctoritates esse pro illis, omnes exponendæ sunt: quia loquuntur de cognitione comprehensionis, qua dicitur aliquid cognosci totaliter: hac autem cognitione Deus sibi soli cognoscibilis est. Et etiam contra rationem est: cum anima non possit perfecte quiescere, donec ipsam lucem increatam videat in seipsa.

Chrys. Super Ioan. I. exponens illud Deũ nemo vidit v[illegible].

.Cor 13. 1.Io .n.3.

¶ ITEM, alij dixerunt: quod Deus à purgatis mentibus non solum in patria, sed etiam in statu innocentiæ & in statu innocentiæ & in statu viæ in seipso videri habet: nec est differentia nisi in gradibus: quia clarius & perfectius in statu gloriæ videbitur: & minus perfecte in statu innocentiæ, & minime in statu naturæ lapsæ. Differentia autem istorũ graduum venit ex hoc, quod anima in statu gloriæ est omnino à sarcina corporis absoluta, aut omnino habet corpus spirituale: quod nullo modo impediat ipsam, quin possit immediate in Deum tendere, & secundum totum suum posse. In statu vero naturæ lapsæ, quia habet corpus corruptibile & animale, impeditur & aggrauatur ex terrena inhabitatione, ne possit in ipsam lucem intendere perfecte. In statu vero naturæ institutæ medio modo se habebat: quia corpus Adæ, & si non esset subiectum necessitati moriendi & passibilitati; erat tamen indigens alimonijs; & oportebat animam circa regimen & vegetationem sui corporis aliquando occupari: & ideo nec adeo excellenter intuebatur primus homo Deum, sicut Sancti intuentur in gloria: nec adeo exiliter, sicut viri Sancti intuentur in præsenti miseria. Hanc autem positionem ex auctoritatibus August. volunt elicere, cum dicit quod etiam in præsenti vita potest homo notiorem habere Deum, quam fratrem: & docet in eodem libro per contuitum veritatis & bonitatis internæ Deum: & etiam alibi dicitur: à purgatissimis mentibus cernitur. Hæc autem positio non est sustinenda:

Aug. lib de Trinit. 8.

quia auctoritatibus sanctorum non consonat: dicit enim Dionysius quod excellentissimus modus contemplandi est ignote ascendere: quia nec ipse Moises Deum valuit videre: & ideo introductus, dicitur fuisse in caliginem: vnde Dionysius vocat eos indoctos, qui dicunt se nosse eum, *qui posuit tenebras latibulum suum, &c*. August. 8. de Trinit. Veritatem ipsam, qua creata sunt, nemo potest intueri: & loquitur de cognitione in via. Et Gregor. dicit, quod quantumcunque mens in contemplando profecerit, non pertenit ad conturum Dei. Et communiter Doctores in hoc concordant; intelligentes illud, quod dicit Apostolus: quod quandiu sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino; & per fidem ambulamus, non per spem. Vnde si quæ auctoritates id dicere inueniantur, quod Deus ab homine videtur in præsenti & cernitur; non sunt intelligendæ, quod videtur in sua essentia; sed quod in aliquo effectu interiori cognoscitur. Nisi fortassis in his, qui rapiuntur (sicut existimatur fuisse in Paulo) qui quadam specialitate priuilegiata statum viatorum in via supergrediuntur: vbi non aliquid agunt, sed solum aguntur.

Dionys. in li. de mystica Theolog. cap. 1 circa finẽ. Item. Psal. 17. Aug. 8. de Trinit.

Apost 2. Cor. 5.

¶ ALII autem ponunt, quod in patria videtur Deus immediate & plene siue perfecte, quantum est ex parte vidẽtis: in statu miseriæ mediate & diminute: in statu innocentiæ medio modo, scilicet immediate & diminute. Diminute (dico) in statu innocentiæ: quia plena visio & perfecta est plena & perfecta remuneratio: quæ adhuc non competebat meritis primi hominis. Immediate autem, quia nullam habebat velaminis interpositionem. Et hoc videntur sentire verba Hugo dicendum quod cognouit homo creatorem suum, non ea cognitione qua modo Deus à credentibus &c. vt supra: per hoc quod dicit [*sed ea qua tunc per præsentiam cõtemplationis scienti manifestius cernebatur*] insinuatur nullum fuisse velamen ex parte contemplantis: quia tunc est præsentia contemplati quodammodo in contemplatione, quando nullum velamen ex parte contemplantis impedit, quin templum templo coniungatur. Et hoc idem vult Magister, &c. dicens. *Homo; qui ante peccatum Deum sine medio videbat, per peccatum à Deo abijt*. Non est ergo intelligendum, quod homo in statu innocentiæ videret Deum in sua essentia, siue facie ad faciem: sed in quadam claritate nõ obnubilata: in qua quidem claritate longe manifestius apparuit, & cernebatur Deus; quam in speculo & ænigmate. Vnde illa euidentia visionis in quandam certitudinem scientiæ inducebat secundum Hugo. Tenendum est ergo, quod cognitio in statu innocentiæ media est inter cognitionem status gloriæ, & status miseriæ: sicut & locus paradisi medius est inter hanc vallem miseriæ, & patriam cœlestem: & quemadmodum paradisus terrestris plus se tenet cum terra, quam cum cœlo: sic Adæ cognitio siue status innocentiæ plus se tenet, seu conformis est cognitioni status præsentis, quam futuri. Vnde in solo statu gloriæ videbitur Deus immediate in sui substantia. Vnde rationes inductæ pro illa parte concedendæ sunt. Quod autem in statu innocentiæ videbatur Deus mediante aliquo, & infra dicetur.

Hug. in opponẽdo.

Magist. li 4 sent. dist 1. c. Triplici autem &c.

¶ AD ILLVD, quod primo obijcitur contra hæc: patet responsio ex dictis.

Ari immediate seq.

¶ AD ILLVD Exod. *Loquebatur Deus Moysi facie ad faciem*. Respondendum secundum Gloss. interlin. quæ est; *manifesta visione*: & alia Glos. dicit, *secundum opinionem populi loquitur scriptura: qui putabat Moysen loqui ore ad os cum Deo: cum per subiectam creaturam, id est, per angelum & nubem ei loqueretur & appareret*. Nam eius substantiam nec hominum, nec angelorũ quisquam, sicut est, videre potuit.

Exod 33. Glosa ordina. Alia Gloss.

¶ AD HOC, quod obijcitur de illo. *Palam, & non per ænigmata*, &c. Dicendum, quod est videre palam in via, & in patria: & est differens visio hæc & illa: quod sic patet. Est enim videre tripliciter, scilicet per ænigma, id est, per similitudinem obscuram, & hoc visione corporali. Secundo per figuram, id est, per formam, à materia, & si non à conditionibus materiæ abstractam: & hæc est visio per imaginem, id est, per formam spiritualem, quæ dicitur imago: quia ductiua est in aliud, cuius est forma, vel species. Tertio modo est videre visione intellectuali: & est visio intellectualis, cum aliquid mente conspicimus, non per imagi-

Num. 12.

nes,

nes; sed sicut est, sicut habetur in prologo Apocalyp. Si autem videre, est videre palam in via: quia sic videre, est perfecte videre in via, secundum quod possibile est. Videre aũt per speciem, hoc est videre sine medio ipsam lucem spiritualem per speciem, quæ ipsa est; est videre in patria palam. Vidit ergo Moyses Deum palam, id est, visione intellectuali.

¶ Si obijciatur, quod videre aliquid visione intellectuali, est videre aliquid sicut est: ergo Moyses vidit Deum, sicut est, hoc est per speciem. Dicendum, quod videre sicut est, est duobus modis. Vno modo per speciem, & hoc modo neque Moyses, neque primus homo vidit Deum. Alio modo per effectum: verbi gratia: est intelligere illum præsentem animæ, non per imaginem aliquam, sed per aliquã influentiam, quæ est ab ipso solo, & immediate; vt in manifestatione alicuius veritatis, vel infusione alicuius suauitatis, vel ex aliquo inconsueto effectu: ex quo euidenter cognoscitur bonitas vel sapientia Dei efficientis vel operantis: & hoc modo poterat videre Deum sicut est.

¶ Ad hoc, quod obijcitur, scilicet quod fruebatur, &c. Dicendum, quod est fruitio viæ, & patriæ. Primus homo in statu illo non fruebatur Deo fruitione patriæ, quæ requirit visionem, sine speciem: sed viæ: modo tamen perfectiori, quam iusti post lapsum: quia perfectius adhærebat Deo, nullo existente impedimẽto diuisionis in ipso, quod reuocaret, vel retardaret ipsum ab adhærentia perfecta.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod amabat Deum immediate, &c. Dicendum, quod non est simile: amor enim (sicut vult Bern.) multo plus se extendit, quam visio, sola n. æstimatione sequitur dilectio: & ipse etiam dicit in Lib. de amore Dei: quod vbi deficit intellectus, ibi proficit affectus. Et ratio huius est, quia visio est solummodo rei præsentis: sed delectatio non solummodo rei præsentis, sed etiam absentis. Præterea, visio huiusmodi non dicit qualemcunque modum cognoscendi, sed modum cognoscendi completum: dilectio vero & perfecta potest esse, & imperfecta: ideo quamuis immediata sit Dei dilectio in via: non tamen oportet, quod visio siue cognitio sit immediata.

Bernard.

Idem in li. de amore Dei.

¶ Ad aliud, quod obijcitur: quod desiderabat videre Deum &c. Dicendum, quod desiderabat videre Deum, eo modo quo ratio recta dictabat: nõ enim dictabat ratio recta, eũ in statu illo debere desiderare illam visionem quæ est per speciem, quæ est perfecta merces bonorum: sed illa, quæ intellectualis dicitur: qua reficiebatur & delectabatur, secundum quod statui illi competebat. Hac ergo visione desiderabat videre Deum in statu illo: illa vero, quæ est per speciem, desiderabat videre in statu gloriæ, siue vltimæ beatitudinis.

¶ Et per hoc patet responsio ad aliud, quod sequitur: quod in paradiso non aberat quicquam, quod bona volũtas non adipisceretur, &c. quia bona voluntas dicitur illa, quæ est ordinata secundum dictamen rationis rectæ.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod in statu illo nihil erat propinquius mente humana, &c. Dicendum, quod reuera nihil erat propinquius, iuxta quod exigit propinquitas status naturæ; quia nihil secundum esse naturale erat propinquius: non tamen erat in illa propinquitate, quam requirit status gloriæ. Vnde erat in propinquitate quadam, promouẽda nihilominus ad propinquitatem vlteriorem: erat enim in similitudine gratiæ, sed perducenda erat ad Deiformitatem gloriæ: in qua non solum aspiceret diuinũ effectum, sed etiam ipsum vultum desideratum: illa autem propinquitas, in qua erat Adam in illo statu, non ponit aspectum mentis illius immediate figi in lucem æternam.

¶ Ad duo vltimo obiecta pro alia parte: quia illis medijs concluditur Deum in nullo statu videri per speciem, siue secundum essentiam. Respondendum est. & primo ad illud, quod obijcitur: quod cognoscens habet potentiam super cognoscibile &c. Dicendum, quod anima in videndo Deum non agit in Deum: vnde non est necesse, quod sit potens super cognoscibile. Vnde sicut visio materialis potius est in suscipiendo, quam in agendo: & maxime cum videtur lumen, vel luminosum: quia tunc videtur per se in transmittendo: ita est in proposito.

¶ Ad illud, quod subiungitur: quod intellectus creatus non potest in lucem increatam, quæ est infinita. Dicendum, quod licet lux illa sit infinita: tamen quia est in ratione finis, ad quam vt ad suum optimum ordinatus est intellectus humanus; potest in illam sicut perfectibile, siue possibile in suum finem: non tamen in quantum est infinitum; sed inquantum est finis.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod cognoscentis ad cognoscibile debet esse proportio, &c. Dicendum, quod in visione Dei non requiritur proportio quantitatiua, scilicet quantum ad infinitatem: sed sufficit conformitas similitudinis expresse: secundum * eius maiorem & minorem participationem erit ordo in gradibus præmiorum in gloria; proportio autem requiritur, vbi excellentia rei visibilis * ostendit, vel obtundit. Vnde aliqui posuerunt, videri Deum per medium deducens, sine contemperans: ne pro excellentia lucis obtunderetur acies intellectus: & potius deijceretur, quam sensificaretur. Sed hoc ponere, non est sanum, nec habet rationem: quia lumen illud potius est saluatiuum, quam corruptiuum. Vnde excellentia in nullo obest, sed potius confert: & quia pax, & gaudium, & lux illa superat omnem sensum: ideo homo totus vndique completur, vt nihil aliud quærat: sed potius absorbeatur ipsa nostra intelligentia ab eminentia lucis, sicut & ipsa nostra affectio à torrente voluptatis.

*Alias, cuius.

*Alias, ostendit.

ARTICVLVS II.

An Adam per creaturæ speculum Deum cognouerit?

AD secvndvm, quo quæritur, Vtrum Adam cognouit Deum per speculum creaturæ.

¶ Quod sic, videtur: quia alius est status viæ, alius status patriæ: & similiter modus videndi alius & alius. Sed modus videndi, qui est patriæ, est sine medio: & modus videndi, qui est viæ, est per medium: medium autem illud non est aliud, quam speculum creaturæ: ergo &c.

¶ Item, Damasc. *Hunc posuit in paradiso & intelligibili, & sensibili: in sensibili enim super terram dictabatur corporaliter; animaliter cum angelis conuersabatur, & diuinis intelligentiis: & his nutriebatur; nudus simplicitate, & inartificialis vita, ad solum conditorem per creaturas inducebatur, & eius contemplatione voluptabatur.* Idem. lib. 2

¶ Contra, visio per speculum est per medium: tunc autem nihil erat Deo coniunctius vel immediatius anima humana (maxime quantum ad illam partem, quia contemplabatur Deum maxime statu illo, in quo non erat nubes, vel velamen aliquod in anima de merito peccati) ergo anima seipsa speculabatur Deum, non manuductione speculi alicuius: ergo &c.

¶ Hoc idem videtur per verbum Magistri dicentis. *Homo ante peccatum sine medio Deum videbat.* Magist. 4 Sent. dist. 1.

¶ Item, quanto aliquid expressius repræsentat aliquid: tanto manifestius ducit in cognitionem illius: & quanto minus, minus. Sed anima humana, siue homo expressissime Deum repræsentat: & maxime quantum ad mentem, qua intuetur Deum: quæ est expressissime imago eius: ergo manifestissime ducit in cognitionem eius: ergo seipso luculentius videret Deum, quam manuductione alicuius creaturæ: maxime si esset omnino absque velamine & obnubilatione, quam contraxit ex corruptione carnis, qualis fuit anima Adæ in illo statu. Ergo si quanto est status nobilior, tanto limpidius videtur Deus; & tanto assurgit oculus mentis ad modum videndi altiorem & perfectiorem: videtur quod in illo statu tam nobili oculus mentis primi hominis assurgebat ad intuitum illum pro posse suo, qui fuit nobilior & perfectior: & ita non conuertebat se, siue declinabat ad videndum Deum per creaturas inferiores: ergo &c.

¶ Item, habetur ab Ansel. qui dicit. *Certum est, quia per illud magis ad cognitionem eius acceditur, quod illi magis per similitudinem propinquat. Quicquid enim inter creata constat illo esse similius, id necesse est esse natura præstantius. Quapropter illud & per maiorem similitudinem plus monet, & iuuat mentem indagantem summæ menti propinquare: & per excellentiorem creatam essentiam, plus docet, quid de creante mens ipsa debeat æstimare. Proculdubio itaque tanto altius creatrix essentia cognoscitur, quanto per propinquiorem sibi creaturam indagatur.* Ansel. in Monolog.

terminatum est: quæritur, si stetisset, vtrum profecisset in cognitione, quantum ad creaturas.

¶ Quod sic, videtur: per interualla temporum profecisset ad gratiam, & in gratia (alioquin peior esset sua conditio, quam nostra; cum nos multiplici merito crescamus in gratia) ergo pari ratione per interualla temporum profecisset in rerum notitia.

¶ Item, aut Adam sciebat, quæ ventura erant; aut nõ sciebat. Si sic, ergo præsciuit lapsum suum: & quid ex illo posteris suis erat euenturum: quod plane apparet esse falsum. Si futura non cognoscebat, & rerum naturæ variantur in tempore; ergo multa incipiebat cognoscere secundũ temporum variationem: ergo profecisset in cognitione.

¶ Item, si Adam omnia viderat, nec omnia audierat; esto ergo quod videret aliquam rem, quam prius non vidisset: cum videre sit cognoscere, sicut intelligere: videtur quod sicut necessario sequitur, si incepit intelligere, incepit cognoscere: similiter si incepit videre, incepit cognoscere: si ergo multa sensibilia vidisset, quæ prius non viderat: videtur quod multa didicisset sensibilia per temporis interualla.

¶ Item, si homo stetisset aut vnus homo sciret voluntatem & cogitationem alterius: aut non. Si sic, ergo frustra egeret sermone. Si non, ergo cum posset ab alio edoceri, videtur quod in statu innocentiæ multa discere potuisset.

August de ciuit. Dei cap. 14. ¶ Contra, in illa felicitate prima non defuit homini primo, quod habere volebat. (Vnde August. *Nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur.*) Ergo habebat omnem substantiam, quam habere volebat, & scientiarum perfectionem: ergo non erat in voluntate proficiendi: ergo non profecisset.

Prouer. 14. ¶ Item, non profecisset per temporum interualla, nisi fuisset in voluntate & spe proficiendi: sed dicitur. *Spes, quæ differtur, affligit animam*: ergo si fuisset in spe proficiendi per temporum interualla, & spei dilatio non est sine afflictione, afflictus esset in statu illo: quod non est verum.

¶ Item, si profecisset per temporum interualla, hoc contigisset vel per doctrinam, vel per inuentionem: *quæcunque enim scimus* (vt dicit Philosophus) *aut addiscendo, aut inueniendo scimus.* Sed non doctrina: non est enim verisimile, immo rationi dissonum; quod aliquis successisset illi, cuius doctrina profecisset. Ergo profecisset inuentione: sed hoc esse non posset sine sollicitudine & pœna, quæ in statu illo non fuisset: ergo &c.

Phil. ex. 1. Posterio.

¶ Item, conditus fuit in perfectione corporali completa; & completione tanta, vltra quam non profecisset. A simili videtur de completione animæ quantum ad ea, quæ sunt naturæ, siue in quæ potest natura. Sicut enim conditus fuit in perfectione corporali, in quam potuit natura in illo: ita (vt videtur) in perfectione animæ, in quam potuit natura in illo: ergo non profecisset nec per doctrinam, nec per inuentionem.

¶ Item. Quicquid homo addiscit mediante via sensus, memoriæ, & experientiæ: & ita ab inferiori & ab exteriori. Si ergo homo in statu innocentiæ didicisset, per inferiora & exteriora ad perfectionem venisset: sed talis ordo non congruit naturæ institutæ & bene ordinatæ: sed solum lapsæ: cum omni creaturæ præesset: videtur ergo quod nihil sensibilium in statu illo didicisset.

RESOLVTIO.

Cum tria sint creatarum rerum genera; quædam scilicet quæ naturali cursu fiunt: quædam, quæ supernaturale; & quædam, quæ voluntario. Circa priora & profecisset quodammodo Adam, & quodammodo non profecisset, diuersa ratione: at circa posteriora simpliciter illum profecisse autumamus.

¶ Responsio. Ad prædictorum intelligentiam est notandum: quod profectus scientiæ triplici via potest considerari: vel à parte scibilium: vel à parte modorum sciendi, siue cognoscendi: vel à parte maioris habilitatis in cognoscendo. Secundum primum modum loquendo, intelligendum est: quod quædam sunt res, quæ fiunt cursu naturali: quædam, quæ fiunt cursu mirabili, siue supernaturali: quædam, quæ fiunt cursu voluntario: secundum

Ansel.

quod declarat Anselmus. In earum ergo rerum cognitione, quæ fiunt cursu naturali; non profecisset Adam, quantum ad noui habitus acquisitionem: accepit enim (sicut habetur ab August. & à Magistro. Sent.) à sui exordio omnium generum rerum plenam notitiam. Proficere tamen potuisset quantum ad alium modum cognoscendi, & quantum ad perfectiorem habitum sciendi. Quantum ad alium modum (dico) quod proficere poterat; quia quod nouerat simplici notitia, cognoscere poterat experientia: quod nouerat intellectu, cognosceret poterat & sensu. Proficere etiam poterat quantum ad maiorem habilitationem: quia ex frequenti consideratione rerum, quas nouerat, promptior fuisset & paratior ad iudicandum de eisdem, quarum habebat cognitionem per habitum innatum. Et licet primus homo non haberet tarditatem hebetudinis propter aggrauationem corporis corrupti; habebat tamen spiritus eius velocitatem tardiorem, siue minorem, propter corporis animalis vegetabilitatem. Et sic in cognitione rerum naturalium Adam quodammodo profecisset: quodammodo minime, si stetisset. In earum vero rerum cognitione, quæ fiunt cursu voluntario, & mirabili, siue supernaturali; simpliciter proficere potuisset; non solum quantum ad modum cognoscendi: sed etiam inquirendo nouam cognitionem. Nec mirum, quia ad hoc quod cognosceret et diuina mysteria, indigebat superna illustratione: ad hoc vero quod cognosceret secreta alterius, indigebat ipsius detectione. Nec talis profectus statui innocentiæ derogabat: cum etiam beati angeli in cognitione diuinorum mysteriorum & humanorum secretorum proficiant: propter quod dicitur Ephes. 3. vt innotescat principibus & potestatibus per ecclesiam multiformis sapientiæ Dei. Et sic patet responsio ad propositam quæstionem: quia si homo stetisset, per temporum interualla in cognitione profecisset.

August. & Magister

¶ Ad primum, quod obijcitur contra hoc: quod nihil deficiebat primo homini, quod volebat, &c. Dicendum, quod hoc verum est, quantum ad tunc temporis, in quo volebat: semper enim habebat, quod volebat habere, tempore illo, quo volebat: sed hoc non impedit, quin vellet habere aliquid tempore consequenti, quod defuit illi tempore præcedenti.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod spes, quæ differtur, affligit animam, &c. Dicendum, quod sermo est de dilatione spei naturæ lapsæ, & in statu naturæ conditæ. Licet enim dilatio spei affligat in statu naturæ lapsæ: non sic fuit in statu naturæ conditæ: cuius ratio est, quod nihil tunc desiderabat, quantum ad rem desideratam, nec quantum ad tempus assecutionis desiderati, nisi secundum dictamen rationis rectæ: & propter hoc si quid tunc sperabatur, quia assecutio sperati non appetebatur ante tempus assecutionis eiusdem, iuxta quod dictabat ratio illud fore assequendum; nulla fuisset afflictio ex spei dilatione.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod neque per doctrinam, neque per inuentionem profecisset. Dicendum, quod extenso nomine [*doctrinæ*] eo modo quo addiscimus à magistro exteriore; secundum quod dicit August. *Et etiam à quocunque detegente nobis secreta mentis suæ; profecisset per doctrinam: similiter forte per inuentionem profecisset. Nec fuisset illi sollicitudo inueniendi pœnalis, sicut nec labor indictus eidem in paradiso.* Dicit enim August. *Credibile est hominem in paradiso positum, vt operaretur, non laboriose, sed delitiose.* Similiter potest dici de sollicitudine inueniendi, quod magis fuisset illi ad voluptatem & solatium, quam ad fastidium & pœnam: & propter facilitatẽ inueniendi, & propter delectationem in inueniendo. Actioni enim consonum est, quod sine difficultate peruenisset ad notitiam, quam tunc quæreret; tũ quia rerum naturas & potestates cognosceret perfecte, tũ propter ingenij excellentiam, qua ipsum præditum fuisse non dubito.

Aug. in lib. de magist.

Idem s. super Genel. ad litt.

¶ Ad hoc, quod obijcitur: quod conditus fuit in perfectione completa corporali, vltra quam natura non processisset &c. Dicendũ, quod non est simile de perfectione corporis quantum ad naturam: & de perfectione animæ quantum ad gloriam: quia enim anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, omnium in se similitudinem gerit, vt di-

aut ita quod paralogizetur ab aliquo. Neutrum autem horum in Adam fuisset: sicut enim in eo nulla fuisset passio intrinseca; quia virtus animæ regitiua perfectè suo corpori præsidebat; & ipsum in statu debito conseruabat, vel propter aliquam aliam causam. Sic nulla fuisset deceptio veniens ab intrinseco; quia iudicium rationis omnibus viribus inferioribus præsidebat: nec ipsæ in contrarium rationi aliquo modo mouebantur; sed potius ab ea sufficienter dirigebantur. Præterea, quemadmodum pati non poterat passione illata ab extrinseco; siue quod nullus in tempore illo esset, qui inferret; siue quia si adhæsisset, diuina virtus eum protegeret; siue propter aliam causam, superius tactũ: sic etiam in statu illo nemo esset, qui hominem circumueniret aut paralogizaret. Nam vnusquisque loqueretur veritatem cum proximo suo: aut si esset, diuinæ inspirationis reuelatio, siue per se, siue per angelum ei manifestando veritatem, ne falleretur, subueniret: sicut virtus diuina succurreret, ne in corpore læderetur. Et sic Adam stante, nulla in eo fuisset deceptio, nec ab intrinseco, nec ab extrinseco.

Quæst. 86.

¶ Ad ea, quæ contra hoc obijciuntur. Respondendum est, & primo ad illa, quæ obijciuntur de deceptione mulieris, & falsa viri credulitate: Potest dici, quod licet præcesserit peccatum inobedientiæ: tamen illa præcessit peccatum præsumptionis, siue superbiæ: cuius merito extinctus est in eis oculus rationis; vt falsum esse verum æstimarent. Vnde Augustinus & Magister idem recitat dicens. *Non est putandum, quod homo deijceretur, nisi præcessisset in eo quadam elatio comprimenda.* Et idem in eodem. *Quomodo verbis tentationis crederet mulier, Deum se à re bona & vtili prohibuisse: nisi inesset eius menti amor propriæ potestatis; & de se superba præsumptio? mulier enim audita prolatione serpentis, de seipsa præsumpsit: & ita primo peccauit peccato superbiæ*: sic & vir: vt habetur ab August. super Genesi: cuius verba recitantur in Gloss. super illud. *Adam non fuit seductus*: similiter. 2. Sent. *& ita excæcati peccato superbiæ, mulier æstimauit per comestionem assequi posse diuinam excellentiam: & vir de transgressione mandati assequi veniam.*

Aug. super Gen. ad lit. & Magist. in 2. Sent.

1. Timot. 2. Magist. 2. Sēt. dist. 22.

¶ Ad illvd, quod obijcitur per autoritatem Magistri, quod mulier putauit serpentem habere officium loquendi. Dicendum, quod aut talis putatio fuit in muliere post peccatũ (quia alioquin nulla esset quæstio; cum ante peccatum non poterat esse in ipsa muliere passio timoris) aut si fuit ante, non putauit quod hoc haberet determinate, virtute aliqua sibi naturaliter data, sed ab aliqua latente virtute, diuina prouidentia permittente: quæ res omnes gubernabat, & regebat, sicut creauerat. Vnde mulier audiendo serpentem loqui, non propter hoc falsum pro vero approbauit: quia aliquam ibi virtutem latentem, qua loquebatur, æstimauit.

¶ Ad illvd, quod obiicitur de somnio. Dicendum, quod in statu innocentiæ non fuisset somnium ex perpessione phantasiarum, secundum quod dicitur. *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, &c.* huiusmodi enim somnium venit ex hoc, quod vires inferiores non sunt subiectæ rationi: & corpus non obedit spiritui: & si tunc fuisset somnium, hoc esset quia ab altissimo mitteretur aliqua visitatio, in qua homo non deciperetur, sed potius illustraretur. Præterea, licet ibi esset somnium, non propter hoc esset ibi deceptio: deceptio enim non est sine vsu rationis, qui non est in somnis: & si tunc esset, potius purgaret deceptionem phantasiæ, quam ei consentiret: potius enim diceret in somnis homini somnianti [*tu somnias*] quam diceret *quod vides, est veritas.*

Eccles. 34

¶ Ad illvd, quod obijcitur de visu. Dicendum, quod nulla fuisset deceptio; quia bene nosset Adam, quod res à remotiori minor esse apparet; & quantæ quantitatis distantiæ quanta respondet quantitas rei visæ: & ideo non iudicaret secundum apparentiam oculi tantum, sed pensata distantia medij, & rei visæ quantitate: & ideo non falleretur, sed haberet rectum iudicium.

¶ Ad illvd, quod vltimo obijcitur. Dicendum, quod vel Adam manifesto signo deprehenderet mentientem sibi peccasse (quod satis videtur probabile: cum valde magna transmutatio facta fuerit in rationali natura per commissionem culpæ) & tunc non crederet ei in aliquo: nisi quatenus in alia ratione videret sibi fore credendum. Aut si non deprehenderet eum peccasse, vbi sua non sufficeret cautela, subueniret diuinæ prouidentiæ diligentia: quæ nec permitteret eum lędi in corpore, nec falli in mente: dũmodo eius ordinationi & imperio obtemperanter subiectus esset.

¶ Licet autem ad prædictam Quæstionem sic posset probabiliter responderi: minus tamen rectum videtur quibusdam sentire primos parentes in statu primo non posse credere, siue opinari, quod erat verum, esse falsum, vel econuerso: tum quia & si haberent rerum notitiam perfectam, non tamen innotuit illis, quicquid erat veritatis & virtutis in rebus conditis: tum quia non erat illis datum videre & cognoscere secreta intellectuum, tum quia nõ habuerunt intellectum Deiformem: tum quia autoritates plures videntur dicere credulitatem falsam præcessisse primum peccatum hominis: quia falsa credulitas videtur fuisse causa præsumptionis & elationis in muliere. Vnde enim fuisset in ea præsumptio & elatio, nisi vtrunque credidisset verum fuisse, quod dixit serpens? Licet enim (vt haberi potest ab Augustinus & vt ponunt multi) non credidit verbo serpentis cum iudicio rationis ante elationem, quæ comprimenda erat: quædam tamen videtur in ea fuisse credulitas, scilicet per subreptionem: & quia vbi non potest esse subreptio credulitatis, potest esse plena credulitas; videtur quod ante peccatum poterat plenam habere credulitatem. Præterea, non videtur aliquibus verum, quod Dominus per inspirationem, vel per angelum semper manifestaret illis veritatem in casu proposito, vel consimili: eo quod in tentatione serpentis hoc non fecerit mulieri: vbi maxime necessaria esset huiusmodi manifestatio. Quia igitur non innotuit quicquid erat virtutis & veritatis in rebus, nec datum fuit illis cognoscere secreta intellectuum; tam circa hæc quam circa illa decipi potuit: & quia non habuit Deiformem intellectum, poterat in illo esse subreptio falsæ credulitatis sine iudicio & collatione. Secundum hanc opinionem potest dici, quod primi parentes potuerunt decipi, extenso nomine deceptionis, scilicet prout quis dicitur decipi, qui qualicunque æstimatione, siue credulitate putat, quod est falsum, esse verũ. Sic autem errare siue decipi conuenit existentes in statu innocentiæ: sic enim errauerunt angeli ante casum suum, putantes beatitudinem eorum semper duraturam. Vnde Augustinus. *Si vere perfecteque beata vita non nisi æterna est, non erat talis istorum quandoq; desitura: & propterea non æterna, siue id scirent, siue nescientes putarent: quia scientes timor, & nescientes error, bonos esse vtique non sinebat.*

August.

Aug. 11. de ciuit Dei cap. 11.

¶ Ad illvd, quod primo obiicitur contra hoc per illud Augustinus quod approbare falsa pro veris, est pœna hominis damnati, &c. Dicendum, quod August. loquitur de errore in motibus: vt patet ibidem: loquitur enim de duobus inflictis propter primum peccatum, quæ sunt ignorantia agendorum, & difficultas: determinat enim ibi, quod per peccatum amisit homo scire bonum, & posse: dicit enim sic. Illa est pœna peccati iustissima, vt amittat quisque, quo bene vti noluit: cum sine vlla posset difficultate, si vellet, id est ante: vt qui sciens recte facere, non facit; amittat scire, quid rectum sit: & qui recte facere cum posset, noluit; amittat posse cum velit. Nam sunt reuera peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas: & posse approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque retorquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare: non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.

¶ Ad alivd, quod obijcitur: quod ipse error, siue paruus, siue magnus, semper est malus, &c. Dicendum, quod August. ibi vocat errorem, quando pro vero approbatur falsum: approbatio autem importat certam credulitatem, & firmam æstimationem. Vnde Augustinus. *Quamuis error, quanta possumus cura, cauendus sit; non solum in maioribus, verumetiam in minoribus rebus: nec nisi in rerum ignorantia possit errari*: non est tamen consequens, vt continuò erret, quisquis aliquid nescit: sed quisquis æstimat scire quod nescit, pro vero quippe approbat falsum: quod erroris est proprium: & de tali intelligit Augustinus. Vnde subdit

Idem in Enchrid. cap 17.

Idẽ in eod. cap. 20.

verbo, scilicet quod *ipse per seipsum error &c. est semper malum. Quis enim nisi errans, malum neget, approbare falsa pro veris: aut improbare vera pro falsis: aut habere certa pro incertis?* Ecce euidenter patet, quod loquitur non de quacunque leui putatione, siue æstimatione: sed de illa, quæ approbat vera pro falsis.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod miseriores sunt, qui fallunt, quam qui falluntur, &c. Dicendum quod August. loquitur de existentibus in statu præsentis miseriæ: vt patet ex verbis eius: dicit enim [*hic homines fallunt atque falluntur*] nota quod dicit [*hic*] & vt patet ex verbis August. ibidem, loquitur de credulitate firma, qua falsum pro vero approbatur; sicut patet in principio illius Capituli: non autem falsum qualicunq; leui æstimatione siue opinione verum putatur.

¶ Ad illvd, quod obijcitur, quod rationalis natura refugit falsitatem, &c. Dicendum, quod hoc verum est, loquendo de falsitate cognita, non suspicata: & hoc patet per verba ibidem posita, quæ sunt *quantum potest, deuitat errorem, vt falli nolint, etiam quicunque amant fallere.*

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod voluntas in statu illo nolebat decipi, neque assentire errori, &c. Dicendum, quod verum est de voluntate deliberata; & de huiusmodi voluntate intelligitur illud Augustini de ciuitate Dei. Poterat omnia, quæ volebat. Præterea, sicut simul possint stare, iste non vult peccare (per se loquendo) vult tamen facere opus, vnde necessario peccat. Similiter, ista duo possunt simul stare: iste non vult decipi, vult tamen assentire illi, vnde sequitur necessario ipsum decipi. Sic potuit esse in primis parentibus, quod licet non mouerentur aliqua ratione actuali voluntate ad assentiendum; falso, & sic decipi, siue errare: poterant nihilominus moueri ad assentiendum alicui, vnde deciperentur, & assentire.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod nulla fuisset passio in corpore, si stetisset: ergo nulla deceptio in Adam. Dicendum, quod hoc non sequitur: corpus enim immo potius animam pati (vt enim dicit Ansel. *corpus pati, est animam pati in corpore*) ante peccatum præiudicasset diuinæ bonitati sed animam qualicunque credulitate credere falsum esse verum, in nullo præiudicat Deo, qui hominem vel animam condidit in aliqua perfectione, in statu vltimo perficiendam, id est, in gloria. Immo consonum videtur diuinæ sapientiæ; vt hominis status ita distingueretur, quod ista imperfectio, scilicet prima qualitercunque decipi posset; sine culpa tamen in statu perfecto, id est, vltimo ita perficiendus, quod nullo modo decipi posset: ideo decepta est mulier quodammodo non cognoscendo Diabolum, tentantem illam in specie serpentis. Præterea posset in tali forma venisse, quod prorsus ei fuisset occultus. Ex quo patet, quod decipi potuit in illo statu. Vnde Hugo. *Nec fraus illius omnino nulla esset, si nimis manifestaretur, in propria forma venire non debuit, ne manifeste cognosceretur, & nullatenus reciperetur.*

Ansel.

Hug. lib 1. part. 7. c 1.

¶ Item, ne nimis violenta esset eius fraus, si prorsus occultaretur: & homo simul, si Deus cum tali fraude, quæ caueri non posset, decipi permitteret, iniuriam pati videretur. Præterea, non est simile de passione corporis, & credulitate animæ. Propria enim conditio corporis fuit subiectio omnimoda animæ: omnino enim fuit subiectum animæ à natura suæ conditionis: propter quod dum esset subiectum, & staret in sua natura, nihil debuit illi accidere, quod esset contra naturam: & ita nec passio aliqua. Animæ conditio propria fuit libertas faciendi, vel non faciendi; credendi vel non credendi hoc, vel eius contrarium: vnde anima ratione suæ libertatis potuit hoc & illud credere: & quia nondum innotuerunt omnia perfecte illi, nec habuit Deiformem intellectum, circa vtrumq; decipi potuit: nec sic declinasset terminos suæ naturæ: nec statum suum quantum ad perfectionem gratiæ, quam habuit ante lapsum. Quia ergo passionis illatio erat contra naturam corporis; qualiscunque deceptio non erat contra naturam animæ, nec contra perfectionem gratiæ quantum ad statum, in quo fuit ante lapsum; non est simile de corporis passione, & animæ deceptione. Non autem negandum mihi videtur, quin stando in gratia, posset tantum in scientia & gratia profecisse; quod aliquo modo decipi non posset.

¶ Ad illvd August. quo videtur opinio prædicta confirmari, scilicet cum nihil aliud sit errare, quam verum putare falsum, &c. Dicendum, quod idem est putare, quod approbare. August. enim indistincte dicit quandoque putare, quandoque approbare, quandoque existimare. Non enim est error nisi vbi est approbatio: quod patet per Aug. dicentem. *Si quis existimat scire quod nescit, pro vero quippe approbat falsum: quod est erroris proprium.* Ex hoc patet, quod error (proprie loquendo) non est sine approbatione: quia (vt dictum est) firmam dicit credulitatem, quæ est quodammodo cum iudicio & deliberatione: hoc autem quando est falsi, aliquid difformitatis & indecentiæ aggenerat in anima; & est semper cum vitio.

August.

¶ Ad illvd, quod posset obijci de illo verbo August. *Quomodo verbum tentationis crederet mulier, Deum se à re bona & vtili prohibere, nisi inesset, &c.* & ita videtur, quod posset decipi, nisi præcessisset culpa. Dicendum, quod hac tentatione non posset decipi, scilicet quia crederet Deum, qui est summe bonus, & summe liberalis, propter causam suggestã illam fecisse inhibitionem, nisi excæcata esset peccato: posset tamen in alio casu, qualitercunque credidisse factum: & ita aliquo modo decipi.

August.

¶ Hæc opinando, & aliorum opiniones recitando, posui, nihil asserendo; vt prudens lector, vel auditor, qui ex paucis multa, ex probabilibus verã sciuerit elicere; veritati scilicet, quæ est in dictis, assentiat: vel profundiori indagine ex opinatis ad veritatem assurgat.

QVÆSTIO XCIIII.

De dominio præsidentiæ primi hominis.

In tria Membra diuisa.

Determinatvm est in ista parte de primo homine, in quantum est coniunctus ex corpore & anima. Et primo de passibilitate naturæ: secundo de prolis propagatione: tertio de adiutorio gratiæ: quarto de illuminatione scientiæ: sequitur quinto, scilicet de dominio præsidentiæ.

D. Thom. par. q 96. S Bon. in 2. d. 44 art. 2. & 3.

¶ Primo ergo quæritur, si præsidebat, siue dominabatur creaturis vtentibus ratione, id est, hominibus.

¶ Secvndo, si creaturis vtentibus tantum sensu.

¶ Tertio, si creaturis carentibus sensu.

MEMBRVM I.

Adam si stetisset, an à se descendentibus, & ita successiue alter alteri dominatus fuisset?

Qvod autem dominabatur creaturis habentibus rationem, scilicet hominibus; videtur sic Augustinus. *In domo iusti viuentis, ex fide, & adhuc ab illa iusti ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare. neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia: hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit.* Ex his verbis Augustini patet, quod ordo naturalis exigit; & Deus hominem ita condidit, vt vnus alij imperaret, & dominaretur. Sed si quis debebat dominari, hoc * habebat maxime primus homo; qui fuit principalis & paterfamilias in domo generis humani: ergo &c.

Aug 19. de ciuit. Dei c. 14. in fin. & c. 15. in principio.

* Alias debebat.

¶ Item, de dictamine rationis est, quod ordo & præsidentia sit in genere hominum: & quod prioribus ætate & origine ministrent & seruiant posteriores eisdem: hoc enim dictat ratio ordinata, quod pater filio dominetur, & filius patri seruiat: ergo in omni statu erat aliquis alij dominaturus, & aliquis alij seruiturus. Ergo si stetissent primi parentes, ista lex cucurrisset: sed si aliquis debebat alij dominari, hoc maxime debebat primus homo: ergo &c.

¶ Item, in creaturis irrationalibus animatis & inanimatis vna alij dominatur, suo modo dominandi: corpora

enim supercœlestia dominantur corporibus inferioribus: & vnum elementum alij dominatur: & hoc habent ab ordine naturæ: eo enim quod inæquales sunt virtute & potestate, dominatur scilicet maior minori. A simili videtur, quod in genere hominum &c. in quibus natura ordinatissime regularetur, si lapsa non esset.

Isidor. in Ethymol.

¶ CONTRA. Isidorus. *Ius naturale est commune omnium nationum: vt viri & fœmina coniunctio, liberorum successio & educatio; communis omnium possessio, & omnium vna libertas.* Si ergo omnium vna erat libertas, nullus alij dominabatur.

Augúst. 19. de ciui. Dei cap. 15.

¶ ITEM, August. *Rationale factum ad imaginem suam voluit nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori: inde primi iusti pastores pecorum, magis quam reges hominum constituti sunt: vt etiam sic insinuaret Deus, quid postulet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum: conditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori.*

Glos. super Genes. 9.

¶ ITEM, Gregorius & habetur in Glo. super illud. *Terror ac tremor vester sit super cuncta animalia.* Homo non rationalibus, sed irrationalibus prælatus est natura: ideo dicitur ei vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur: quia contra naturam superbire est, ab æqualibus velle timeri: omnes ergo homines natura æquales genuit. Hac auctoritate videtur idem, quod prius.

RESOLVTIO.

Adam si stetisset, vniuersis ab eo descendentibus, scilicet alter alteri successiue dominatus fuisset: at non dominio contractionis & violentiæ, vt modo propter peccatum; sed dominio liberalitatis & dilectionis.

¶ RESPONSIO. Quod est loqui de dominio; secundum quod communiter dicitur dominium, siue nomine extenso: & sic potest esse dominium prælationis, siue præexcellentiæ dignitatis: quæ est digna veneratione, & obsequio, vel ratione originis, vel ratione prioritatis temporis, vel ratione scientiæ, vel virtutis: & hoc modo loquendo maiores à minoribus Domini appellantur. Et est loqui de dominio, secundum quod proprie & specialius dicitur dominium auctoritas præsidendi, immo potius possidendi: eo modo quo Dominus rei dicitur præesse eidem; sicut possessor possessioni. Hoc modo duplici sumendo dominium, dupliciter dicitur seruitus respondens, scilicet obsequium reuerentiæ & libertatis: & ab hac seruitute nomine extenso dicitur seruus, qui maiori se ex liberalitate & amore obsequium exhibet honoris & ministerij: & etiam obsequium * debitum & necessitatis: necessitatis (dico) conditionis seruilis. Hanc duplicem seruitutem videtur Augustinus distinguere exponens illud. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, dicens sic. *Quid est, quod dictum est. Et ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui? Videndum est, quemadmodum proprie possit accipi. Neque enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem; nisi vt vir ei dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur. Sed recte potest accipi hanc seruitutem significatam, quæ cuiusdam contradictionis est potius, quam dilectionis, vt etiam ipsa talis seruitus, qua homines hominibus postea serui esse cœperunt: de pœna peccati reperiatur exorta.* Ecce, hic distinguit August. duplicem seruitutem, sc. liberalitatis siue dilectionis, & contradictionis siue violentiæ. Primo modo sumendo dominium & seruitutem, potest dici quod Adam dominatus fuisset alijs hominibus: & illi serui eius. Omni ergo rationi consonum est, quod si stetisset, filij eius officiosi fuissent sibi in exhibitione honoris, & reuerentiæ, & obsequijs corporalibus: vt si vellet comedere, in allatione fructuum, & consimilibus obsequijs. Sumendo autem dominium, & seruitutem secundo modo, neque ipse fuisset illis dominatus, neque illi serui eius: huiusmodi enim seruitutis causa est peccatum. Vnde August. *Nullus natura, in qua Deus prius hominem condidit, seruus est hominis, aut peccati. Verumetiam pœnalis seruitus ea lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conseruari iubet, perturbari vetat: quia si contra eam legem non esset factum, nihil esset pœnali seruitute coercendum.* Ecce quod Augustinus hanc seruitutem vocat pœnalem, ad differentiam illius, quæ est amoris & libertatis. Autoritates autem, quibus ostensum est: quod non dominaretur, intelligend[illegible] sunt de dominio secundo modo sumpto, & [illegible] tute similiter.

* Alias, debiti.

Aug. super Genes. 3. ad litt. cap. 37. Tomo. 3.

Idem.

Idem 19 de ciuit. Dei cap. 15.

¶ AD ILLVD, quod primo obijcitur: quod Deus condidit hominem, vt imperaret, non cupiditate dominandi, sed officio consulendi, &c. Dicendum, quod verbo illo non exprimitur hominem conditum vt homini dominetur, proprie sumendo dominium: sed notantur duo in omni statu conuenire parenti, siue prælato respectu inferioris, scilicet officium instructionis: quod notatur cum dicitur [*officio consulendi*] & condescensus benignitatis, quod notatur cum dicitur, [*sed prouidendi misericordia*] Probabiliter enim præsumitur, si stetissent primi parentes, instruxissent filios suos, saltem cum essent paruuli: & benigne prouidissent in his, quibus ratione qua animales essent, indiguissent: Vt enim supra dictum est, & dicit Hugo; illos qui nascerentur ex primo homine, fuisse nascituros eadem lege, qua & nunc natiuitatem humanam ordinatam cernimus, paruos nascituros, ac deinde per interualla temporis tam in sensu, quam in statura corporalia incrementa accepturos.

Hugo.

¶ Præterea, instruendi erant, & alendi: vnde maioribus illorum incumbebat officium instruendi, & misericordia, & benignitas prouidendi.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur, scilicet quod ratio dictat, quod posteriores ministrent prioribus, & seruiant &c. Dicendum, quod verum est: sed non seruitio coacto & pœnali, sed seruitio gratis, & ex dilectione exhibito.

¶ AD ILLVD, quod obijcitur, quod & in rebus animatis & inanimatis est reperire dominium violentiæ &c. Dicendum, quod homo conditus fuit, vt soli Deo subditus esset, & ei immediate vniretur: vnde Hugo. Bonum hominis supra hominem erat: solus ille bonum hominis erat, scilicet Deus: Vnde quamdiu huic bono in ordine conditionis suæ perstitit, immediate iugebatur: vnde solus Deus homini dominabatur. Sed iusto Dei iudicio demerito peccati, homo homini subditus est. Vnde Augustinus. *Prima seruitutis causa peccatum est: vt homo homini contradictionis vinculo subderetur: quod non fit, nisi Deo iudicante: apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentium.* Non sic fuit de rebus alijs animatis & inanimatis: sed dispositionis diuinæ prouidentia ordine congruo, & conueniente pulchritudini vniuersi, quædam erant quibusdam superiores virtute, & alijs damnantur suo modo dominandi, & agunt in illis: cuiusmodi actione ea, quæ minoris sunt virtutis; transmutantur. Vnde Augustinus. *Habent omnia, quamdiu sunt, mensuras, numeros, ordines suos: qua cuncta merito considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere moderatione pulchritudinis temporalis, etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur.* Ordo ergo virtutis in rebus: vnde est quod vna alij dominatur; hoc est illis à natura. Non sic est de homine: vnde non est simile de dominio hominis, & aliarum rerum. Duplici autem ratione voluit Deus, & secundum voluntatem suam ordinatissimam disposuit, vt homo illius solius subderetur dominio. Vna sumpta est ex parte principij: & alia ex parte finis. Ex parte principij conditio ipsius hominis ad expressam eius imitationem, id est, ad imaginem illius: sicut enim nihil fuit medium inter Deum & hominem quantum ad conformitatem & imitationem in natura: sic disposuit Domini sapientia, vt nihil esset medium in debito obsequii, vel personæ. Præterea, solus Deus erat bonum hominis, quem cultus obsequio erat assecuturus: vt enim dicit Hugo. *homo ita factus erat, vt bonum eius solus ille esset, à quo erat; cætera omnia sub ipso facta sunt: non vt in eis esset eius bonum, sed vt ex eis esset eius obsequium: propter quod Deus hominem condidit & instituit in libertate, vt nullius obligaretur obsequio, vt libere & expedite assequeretur suum bonum siue finem, ad quem obtinendum factus erat.* Sunt ergo istæ rationes, quarum vna est sumpta ex parte principii, & alia ex parte finis: propter quas congruebat hominem nullius esse dominio subditum, quamdiu suo superiori, id est, Deo vellet esse subditus. Aliter autem est de aliis creaturis, quæ sunt conditæ in maiori distantia à Deo: quæ ad maiorem decorem vniuersi conditæ sunt in distinctione quadam potestatis & virtutis: quia de natura sua actus suos non discernunt: sed secundum impetum agunt: quæ erant maioris

Aug. 19. de ciuit. Dei cap. 15.

Idem super Genes. 3. ad litteram.

Hugo.

amisit homo naturalem potestatem domini,id est, rationis imperatiuam potestatem: sed sicut potestas eius est infirmata,& per peccatum vitiata: ita ipsa quoque ratione cārentia,labente homine, sunt deteriorata: & ad obediendū imperanti rationi minus habilia, & minoris mansuetudinis,& maioris crudelitatis. Quod patet per hoc,quod ante peccatum animalia animalium esu non viuebant; vnde. *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Ibi dicit Gloss. Bedæ: *patet quod ante peccatum hominis terra nihil noxium protulit, non herbam venenatam, non arborem sterilem, omnibus enim herba & ligna data sunt hominibus, & volatilibus, & animantibus terræ in escam.* Vnde patet quod tunc animalia animalium esu non viuebant,sed concorditer herbis & fructibus vescebantur. Augustin.tamen videtur dicere contrarium dicens. *Hinc quiuis admoneri debet, non carnaliter hæc esse intelligenda: quia herbæ virides, & ligna fructifera omni generi bestiarum, & omnibus volatilibus, & omnibus serpentibus. (Genes.3.) dantur in cibum: cum videamus accipitres, & miluos, & aquilas non pasci nisi carnibus.* Respondetur intellectus August. referendus est ad statum post peccatum: quia ante esu animalium non sustentabantur. Quod autem animalia erant domestica & mansueta ante peccatum,patet ex Gloss.supradicta, quæ est. *In testimonium in prima creationis legimus, aues viris sanctis seruiuisse, & ritus bestiarum & serpentum venenum cessisse sicut experimento scitur de sancto * Ruberto, in cuius insulam aues intrantes domestica & mansueta fiunt: exeuntes autem fiunt syluestres.*

Genes.1. Glo. Bedæ. — Augus t.1. contra Manichæum. — Glossa. — * Alias, Tuberto.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod animalia non erant homini subiecta, per hoc quod adducta fuerant ad Adam per ministerium angelorum, &c. Dicendum, quod hoc non oportet: sicut enim ponit August. mirabilia, quæ fiebant in Ægypto, vtpote in conuersione virgæ Moysi in colubrum & in conuersione aquæ in sanguinem, & huiusmodi quodammodo erant naturalia; quia in illis, ex quorum conuersione fiebant colubri & sanguis, scilicet in virga & aqua seminaliter erant coluber, & sanguis, tempore prolixiore possent ex eisdem fieri operatione naturæ: sed quia hæc ex illis repente producebantur in esse ministerio angelorum, quod non posset natura fieri, huiusmodi productio est mirabilis. Sicut ergo in illis operibus, quæ facta fuerunt ministerio angelorum, fieri possent natura inferiori, sed non eo modo, id est, ita repente. Similiter potest dici in proposito: quod bene posset Adam animalia omnia congregasse; sed ipsa congregatio non fuisset ita repentina, sicut illa, quæ fiebat per ministerium angelorum.

August.

¶ Ad illvd, quod obijcitur: quod vires naturales non erant omnino subiectæ, &c. Dicendum, quod in statu illo natura ita obediebat voluntati, & voluntas ita fuit cōcors & conformis naturæ, quod etiam vires naturales non excesserunt terminos voluntatis. Præterea, non est omnino simile de viribus, & huiusmodi animalibus: quia animalia erant quodammodo capacia disciplinæ, vt illa quæ habent auditum & memoriam quandam: & nata sunt moueri ad partes oppositas: huiusmodi vires non sunt natæ moueri, nisi ad vnam partem.

¶ Ad illvd, quod subiungitur: quod siue vellet, siue nollet, exercet officia sua secundum instinctum naturæ. Dicendum, quod in statu illo voluntas fuit omnino concors naturæ: quia enim natura omnino fuit ordinata, & voluntas similiter; propterea penitus fuerunt concordes: supposito autem quod primus homo, siue liberum arbitrium eiusdem aliquid imperaret, vel viribus naturalibus ipsius hominis primi, vel animalibus quibuscunque, quod esset contra eorum naturam; quia imperium illius minus esset rationabile, non videtur mihi necesse, quod obediret imperanti. In alijs autem, quæ non essent contra, obedirent.

¶ Ad illvd, quod obijcitur per verbum Hieronym. Dicendum, quod non est intelligendum ex verbis Hieron. quod homo caruisset dominio animalium, nisi fuisset lapsurus: sed quod illi primordiali dominio ante peccatum accessit, qualis nunc est adminiculatio post peccatum. Ex illo namque dominio primo habet adhuc homo, quod edomat cætera animalia, & eis vtitur ad necessarium huius vitæ pœnalis subsidium: cuiusmodi vsu nō indiguisset homo, nisi peccasset. Huiusmodi autem adiutorium præordinauit Dominus homini lapso de animalibus futurum; sic enim sua sapientia disposuit rerum ordinem: vt siue laberetur homo, siue perseueraret absque peccato: omnia ei subiecta forent, & deseruirent congruenti ministerio. Veruntamen si non peccasset homo, ministrassent homini leui & obedienti obsequio: postquam autem peccauit homo, excanduit creatura in tormentum aduersus iniustos. Nec tamen in torquendo destitit ab obsequendo: quia ea, quæ nociua dicuntur, aut pœnaliter (vt iustum est) lædunt: aut salubriter exercent: aut vtiliter probant aut ignorantes docent: & sic semper aliquem vsum vtilem homini subministrant.

MEMBRVM III.

An & creaturis insensatis dominabatur, dominareturue Adam.

Seqvitvr inquirere, Vtrum prædominabatur creaturis carentibus sensu. Quod sic, videtur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs terræ, vniuersæque creaturæ.* Ecce, quod datum fuit illi dominium super vniuersam creaturam. Gen.1.

¶ Item, sicut habetur ab August. curam animalium Deus homini reliquit; vt dominationi illius subijceretur, à quibus debuerat obsequium accipere. Sed si animalia subijciebantur dominationi hominis, quia homo ab illis debuit accipere obsequium; multo fortius carentia sensu, vt plantæ, eius debebant subdi dominio, à quibus debebat accipere alimentum. Dicitur enim. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Gen.1.

¶ Item, Hugo. *Prius opifex Deus mundum fecit, & deinde Hominem possessorem & dominum mundi, vt cæteris omnibus iure conditionis dominaretur, hic vero ipsi, à quo factus fuerat, soli voluntaria libertate subiectus.* Hugo.

¶ Item, idem. *Homo factus est, vt Deo seruiret, propter quem factus est: & mundus factus est, vt seruiret homini, propter quem factus est.* Ex his patet, quod homo non solum accepit dominium sensibilium, sed etiam insensibilium, & omnino partium mundi, siue ipsius mundi: sicut etiam dicit Damasc. Idem.

¶ Contra hoc est multipliciter instare: primo in corporibus cælestibus, quorum motus non est electiuus, sed ex necessitate, & secundum necessitatem motus est necessitas influentiæ: Vnde neque quantum ad motum, neque quantum ad influentiam subiacent hominis imperio: neq; subiecta essent, si homo stetisset. Præterea, probabiliter præsumitur, si homo stetisset, quod aliquæ impressiones & innouationes accidissent circa corpus humanum, ex necessaria influentia corporum cælestium in corpora inferiora: cum illa influentia sit à dispositione diuinæ prouidentiæ illis naturaliter indita respectu corporum animalium, & mutabilium. Sed propter influentiam corporum supercælestium in inferiora, & impressiones, & immutationes relictas, dicuntur corpora superiora dominari inferioribus: ergo videtur, quod, in statu ante lapsum corpora supercælestia dominabantur corpori primi hominis: propter quod magis subijciebatur primus homo corporibus cælestibus, quam e conuerso.

¶ Similiter videtur instantia in elementis, quorum est continua actio & passio: & ex necessitate secundū motum corporum superiorum per accessum & recessum, & generatio & corruptio in partibus mundi; quorum autem actio est secundum impetum, & ex necessitate, non videtur aliquo modo hominis subiacere imperio, nec eius dominio subesse.

¶ Similiter videtur instantia in leuibus & grauibus: quæ secundum naturam eis inditam necesse habent vniformiter moueri: grauia scilicet deorsum, & leuia sursum: quæ (vt probabiliter præsumitur) nullius hominis imperio ad motus contrarios se inclinarent.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, & esse & non esse malum, dicere possumus.

¶ Respon. ad obiecta, quod malum vno modo est: alio modo non est. Esse enim dicitur multipliciter. Est enim esse rationis: secundum quem modum quæcunque veritatem habent id est adæquationem rei & intellectus, dicuntur entia: secundum hunc modum malitia est, cum deformet illud, in quo est. Est etiam esse naturæ: & secundum hunc modũ ratione eius, quod substernitur malitiæ, dicitur malum esse aliquid: vt mala actio ratione actionis dicitur esse aliquid. Est iterum, *esse moris, prout esse est, quod ordinem retinet, seruatque naturam*: & sic definit Boe. secundũ quem modum dicuntur mali hões, id est eo quod mali, non esse: secundum hunc modum dicitur esse, quod recte ordinatũ est ad finem supremum s. Deum: & sic malum non est. Sed attendendum est, quod quoddam esse naturæ ponit, quoddã priuat, vel minuit. Est n. esse, ꝙ non minuitur per peccatũ; vt quod homo est homo, vel ꝙ anima est anima, & istud seruat malum. Est & aliud esse, quod priuatur vel minuitur; ꝙ modo, specie, & ordine determinatur: & tale non omnino seruat malum: & ratione illius dicit Boe. non esse malum. (Boe. de cõ. sol. lib. 4 prof. 2. post medium.)

¶ Per iam dicta respondendum est ad obiecta.

¶ Ad primum sic. Malum enim dicitur nihil esse; quia priuatur, ratione, qua est malum; ordine, & ad summum bonum, & à summo bono.

¶ Per illud soluitur, quod dicit Isid. assumens illud verbum Euangelii. Sine Deo factum est nihil. (Ioan. 1.)

¶ Ad secundum dicendum, quod est loqui de malo ratione eius, quod subiectum est malitiæ: & sic malum est aliqua natura. Et est loqui de eo ratione defectus ipsius boni vel bonitatis: & sic non est aliqua natura, immo priuatio boni naturæ.

¶ Per idem soluendum est tertio obiectum.

¶ Ad illud vero, quod quarto obiicitur de autoritate Diony. Dicendum, quod malum dicitur esse non ens, quia priuatur fine: & hoc vocatur esse moris in superiori distinctione. Vnde sicut bonum dicitur ens, ita malum dicitur non ens; sed non omnino: sicut bonũ dicitur ens omnino.

¶ Per hoc soluendum est, quod quinto obiicitur: sicut enim remouetur bonum, ita remouetur ens.

¶ Ad illud vero, quod sexto obiicitur. Dicẽdum, quod substantia dicitur dupliciter: vel forma, vel materia. Si forma, tunc est malum contra substantiam. Si materia, vel quasi materia, tunc malum non est contra substantiam, sed in substantia fundatur.

¶ Ad septimum dicendum, quod non intelligit Dion. quod nullatenus inueniatur malum in illis rebus: sed intelligit ostendere, quod non est naturam malum in illis, neque omnino malum: licet sint ibi quidam defectus particulares; sicut turpitudo, vel infirmitas est in corpore: & furor, vel concupiscentia in anima irrationali: & ita de aliis: sed non propter hoc naturæ eorum sunt malæ.

¶ Ad octauum dicendum est: quod dicit Ansel. quod malum dicitur non ens, propter defectum formæ, aut finis: secundum illam rationem, secundum quam dicitur habere formam, aut finem ens simpliciter. Nec propter hoc tollitur omnino esse ab eo quod est malum, vtpote esse naturæ subiectæ.

¶ Ad nonum dicendum, quod sicut in silentio dicitur quoddam ens s. sonus: ratione cuius dicitur non ens s. priuatio in illo genere, & cæcitas similiter: ita est de malo, ꝙ priuatur debita perfectione, qua ordinatur homo ad suum finem. Loquitur enim de malo culpæ, inquantum tollit iustitiam, quę est perfectio generalis hominis ad suum finem ordinati.

¶ Ad illud vero, quod dicit Greg. Quod malum est sine substantia & fundamento. Hoc intelligitur non ratione boni, in quo subsistit malum: sed ratione boni, quod priuatur, ratione cuius nec dicitur subsistere, nec fundamentum, id est stabilitatem esse habere.

¶ Similiter rationes in contrariam partem inductæ intelligendæ sunt ratione entis secundum quid, quod in malo datur intelligi.

¶ Ad primum enim dicendum, quod actiuum dicitur dupliciter: communiter, & proprie. Communiter, secundum quod inductiuum esse, vel destructiuum esse, dicitur actiuum: & hoc modo malum dicitur actiuum, sed non est simpliciter, sed inducens nõ esse. Proprie vero dicitur actiuum, quod inducit esse: & sic malum non est actiuum, nisi per bonum, in quo est. Vnde Dion. *malum non est existens, nec existentium effectiuum: propter bonum autem existens, & bonorum effectiuum.* Aliter enim dicitur corrumpere de malo siue malitia: & aliter de igne, cum corrumpit aquam: nam ignis ex ratione formæ suæ contrariatur aquæ, & ratione illius dicitur agere per se: quia intendit non tantum destructionem formæ aquæ, sed vt fiat forma ignis, vel caliditatis in materia: vnde ibi dicitur vnius corruptiuum, alterius actiuum. Hic autem non sic, immo malum non est nisi destructio boni. (Dionys.)

¶ Ad secundum vero, quod malum dicitur ordinatum. Dicendum est, quod malum culpæ quantum de se est, inordinatum est: nihilominus tamen (sicut dicit Dion.) inquantum ex ipso elicitur bonum, habet quendam ordinẽ; qui est magis in ipso bono, quam in ipso malo. Similiter cũ dicitur, quod malum pœnæ ordinatũ est ad malum culpæ, ordo iste magis fundatur in malo pœnæ, secundum quod iustum est: & ita ordo ex parte entis habet fundationem. Cum autem dicitur, quod malum bene ordinatur in suo loco. Dicendum, quod ordo attenditur inter locum & substantiam priuatam: priuatio enim secundum se ipsam dicta, nec habet ordinem, nec locum: vnde dicit Dionysius: malum non est collocatum, nec ordinatum: malum enim priuat bonum.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod malum recipit magis & minus. Respon. quod hoc non habet in se: non enim dicitur magis malum, quod accedit plus ad terminum mali (malum enim non habet terminum) sed quia recedit à bono: & propter hoc non dicitur vere intendi ad modum formatum, quæ magis accedunt ad speciem vltimam.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de pugna mali. Dicendum, quod pugnat per bonum. Vnde Dion. *Si oportet verum dicere, & aduersantia bono ipsius virtute sunt, & aduersari possunt.* (Dionys.)

¶ Ad illud vero, quod dicit Dion. Dicendum est, quod per hoc intendit concludere, quod aliquo modo est malum; sicut priuationes dicuntur esse. Quod autem dicit sequi, malitiam esse idem quod virtutem; non aliud est dictu, nisi quod tantum virtus esset; & non essent duo genera bonorum & malorum: non enim hic intenditur, vt si malum non esset, malum esset: potest enim intelligi quod malum non sit: nec ex hoc ponitur malum esse: sed non potest intelligi malum esse, quin intelligatur bonum esse.

¶ Ad sequens vero, quod dicitur: verum & ens conuerti. Dicendum, quod accipiendo esse rationis, dicuntur priuationes esse: & ex iis relinqui veritatem, secundum quod est adæquatio rei & intellectus: & sic dicitur esse secundum * naturam: non tamen dicitur esse secundum naturam ratione naturæ, aut boni, quod priuat. (* Alias rationem.)

¶ Ad illud vero, quod dicit Dio. Dicendum quod nullum malum est omnino expers boni, & ideo ratione illius dicitur habere esse secundum quid, non simpliciter. Colligitur autem ex præmissis verbum illud Dion. Malum non est in existentibus, neque in non existentibus, sed ab ipso non existente magis existens à bono quam alienum & magis non substantia.

MEMBRVM II.

Quid sit malum?

Deinde quæritur. Quid est malum. August. autem diffiniens malum, secundum quod commune est malum culpæ, & ad malum pœnæ dicit: *quod malum est affectio, non natura.* Sed videtur, quod ibi priuetur natura, prout est communis decem generibus: ponit ergo malum extra decem genera. (Aug. 3 de l. b. arb.)

¶ Sed tunc dubitatur, quomodo malum dicat esse affectionẽ; quia videtur, ꝙ contingat oẽm affectionẽ reducere ad genus qualitatis, cũ omnis affectio sit inclinatio ad actũ

interiorem, vel exteriorem: & omnis inclinatio qualitas est. Quæritur ergo de intellectu huius diffinitionis datæ de malo.

¶ Item, affectio ad aliquam potentiam reducitur: sed malum cum sit priuatio, non potest reduci ad aliquam potentiam: ergo malum non est affectio.

Damaſ. Eiſ*ac*. ¶ Item Ioh. Dama. sic diffinit malum. *Malum non est aliqua substantia: neque substantia ydeoma* id est forma: *sed est accidens.* Sed videtur, quod in hac diffinitione sit contradictio: quoniam omne accidens in genere accidentis est forma substantiæ: quare videtur malum esse forma substantiæ: quod tamen negatur in diffinitione, quæritur ergo quid ibi appelletur accidens.

August. Id m de lib ar. it. Idem de natura boni. Idem Anſ. D maſ. *Alias, cō ue. ſio. ¶ Item, Aug. & concordat Dama. dicit. *Quod malum est tenebra intellectus.* Et in Lib. de li. ar. dicit, *quod malum est auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile.* Et in Lib. de Natura boni, *quod malum est priuatio boni*: & iterum, *quod malum est priuatio modi, speciei, & ordinis.* Et Ansel. *Malum est absentia boni.* Et Dama. *Malum est ab eo quod est secundum naturam, in id, quod est contra naturam* conuersio.* Quæritur ergo cum diffinitiones diuersæ eiusdem rei sint datæ propter diuersa, quomodo differunt istæ diffinitiones mali?

RESOLVTIO.

Secundum diuersas comparationes diuersas malum sortitur definitiones.

¶ Resp. diffinitiones distinguuntur sic. Malum enim vel respicit creatum, vel increatum, vt illud cuius dicit priuationem. Si increatum, aut quod est perfectio cognitiuæ: & sic dicitur tenebra intellectus: aut quod affectiuæ: & sic dicitur auersio ab incommutabili bono &c. Respectu vero boni creati, aut est respectu boni substrati, & sic dicitur affectio in materia: aut respectu boni priuati; & secundum hoc dicitur priuatio boni, vel absentia boni, siue priuatio modi, speciei, & ordinis. Sed quia ista priuando facit in anima aliquam immutationem, & relinquit potentiam malā,

Damaſ. ad idem pertinet alia diffinitio Dam. quæ est: *malum est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est contra naturam conuersio:* Vnde aliæ dicunt puram priuationem boni substrati: ista superaddit potentiam prauam. Aut respectu boni intenti à

Idem. Eiſ*ac*. quo deficit: & secundum hoc dicit Dam. *quod non est substantia, vel ydeoma: sed accidens,* id est præter intentionem.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod malum est affectio, & affectio de malo ponitur vt genus (secundum quod est loqui de genere respectu mali) quia proprie malum non habet genus.

¶ Sed ad illud; quod obiicitur in contrarium. Dicendum, quod affectio dupliciter sumitur. Vno modo proprie, secundum quod dicit inclinationem ad actum interiorem vel exteriorem. Verbi gratia, cum dico, volo me velle *volo* significat affectionem ad actum interiorem: cum vero dico, volo currere, ad actum exteriorem. Et sic proprie

*Interpretatur, deficientem ad agere & facere. dicitur affectio * de. ad. & facere: quia sic proprie ad actum est ordinata: & sic dicimus gaudium & spem esse affectiones. Alio modo dicitur affectio (sed improprie) voluntas deficiens non recte agendi, quæ est respectu malæ actionis. Cum enim dico, volo: ibi est voluntas vt affectio quædam; sed cum dicitur postea; volo peccare, vt addatur actus malus; signatur quod potentia deficiens vt deficiens est circa actum malum: sed hæc affectio potius infectio dicitur, quā affectio. Primo modo est affectio bonum naturale: sed non secundo: & secundo modo intelligitur, cum dicitur, malum est affectio, non natura.

¶ Ad secundum dicendum, quod Io. Dam. accipit accidens, non proprie, sed secundum quod accidens dicitur, quod accidit præter id, quod intendit ipse operans: secun-

Dion. lib. de Diu no. c. 4. par. 4. August. dum quod dicit Dion. *nullus agit aliquid inspiciens ad malum, sed magis ad bonum*: & propter hoc accidit præter intentionem, secundum quod est directa ad actionem: & propter hoc dicit Aug. quod peccatum est actus incidens ex defectu boni: tale accidens non est proprie forma actionis, nec nec actio. Sed accidens, prout reducitur ad aliquod 10. generum proprie sumitur, vt est forma substantiæ.

¶ Ad vltimum dicendum, quod malum potest considerari dupliciter: vel secundum quod vim cognitiuam respicit: vel secundum quod affectiuam: in vtraq; enim malum priuationem relinquit. Primo modo non est tenebra intelligibilis. Sed secundum quod respicit affectiuam, potest considerari dupliciter: quia anima de se ordinatur ad incommutabile bonum, sicut ad finem: & malum secundum quod per ipsum priuatur hæc inordinatio animæ in affectiua, dicitur auersio ab immutabili bono, & conuersio ad bonum commutabile: nunquam enim fit auersio ab incommutabili bono, nisi fiat conuersio ad bonum commutabile. Item, anima secundum vim affectiuam respicit summum bonum: secundum quod per ipsum relinquitur aliquid in anima, sicut ipsa gratia: sed malum priuat istum respectum: & secundum hoc dicitur quod est priuatio vel absentia boni: & quod non est substantia, vel ideoma substantiæ, sed accidens: & quod est affectio, non natura. Primo modo comparatur ad summum bonum vt ad suum finem: secundo modo vt ad suam causam formalem. Item, bonum respicit habilitationem naturalem, quæ est in anima ad bonum gratuitum: & quia malum est priuatio huius habilitationis; ideo dicitur malum priuatio modi, speciei, & ordinis. Item, cum malum est corruptio boni, facit aliquam commutationem, commutando sc. habilitationes naturales quasi in non naturales: diminuendo tamen eas, non corrumpendo: & sic malum est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est contra naturam, euersio &c.

MEMBRVM III.

A quo malum sit?

CONSEQVENTER quæritur de causa mali: quod est quærere, à quo sit malum.

¶ Et primo quæritur, vtrum malum habeat causam, vel non. Secundo, si habet causam: vtrum Deus sit causa, vel creatura. Tertio, si creatura: vtrum quia ex nihilo, vel quia ex aliquo sc. bono. Quarto; quia malum culpæ non est in omni creatura, sed tantum in rationali; vtrum sit tantum à diabolo: aut etiam ab homine. Quinto, si est ab homine ratione lib. arb. aut tantum ratione sui, aut ratione alicuius dispositionis superadditæ, vt libidinis vel alicuius alterius. Sexto, si est ratione dispositionis alicuius superadditæ, quę sit differentia inter libidinem, secundum quod est causa; & cupiditatem, & ignorantiam.

ARTICVLVS I.

An malum causam habeat?

AD primum, quo quæritur, Vtrum malum habeat causam, vel non. Quod non, facit quod dicit Dion. *malum est imperfectum, & non collocatum, & sine causa.* Dion. in li. de diu. no. Idem.

¶ Item, si malum habet causam, aut habet bonum; aut habet malum. Bonum non est causa: *quia boni est bona producere,* sicut dicit Dion. Si malum, erit abire in infinitum: aut ponere malum non creatum: quod impossibile est (eo quod nulla est sempiterna, vel æterna voluntas mala) ergo malum non habet causam. Hæc vltima pars elicitur ex eo quod dicit Aug. *non poterat esse sempiterna voluntas mala.* Si ergo non est sempiterna, quis eam facit, quæro. Aug. de ciu. Dei.

¶ Contra, Dionysius *bonorum est vna causa: si bono malum est contrarium, mali sunt causa multa.* Dionyſ.

¶ Item, omne quod cœpit esse, habet causam: *Nihil fit in terra sine causa.* Sed malum cœpit esse: ergo malum habet causam: ergo non est incausabile. Iob. 5.

RESOLVTIO.

Malum causam habet, verum nec propriam, nec efficientem, sed deficientem.

¶ Resp. Dicendum, quod malum non habet causam propriam, quæ reducatur, secundum quod huiusmodi, ad causam primam: nec habet causam efficientem; sed deficientem: sicut dicit Aug. *Mali non est causa bonum, sed defectus à bono.* Aug. 11. de ciu. Dei cap. 9.

¶ Si autem dicatur, quod si malum habet causam deficientem: tandem est venire ad primum defectum; qui defectus cum non sit semper, causam habebit. Respon-

deo,

deo, quod causa ipsa est ipsum lib. arb. qui seipso deficit, quantum ad bene esse: sicut dicit Aug. *Ipsum malum si quaeritur causa eius, hac est, lib. arb.* Dicit enim peccare est, spreto incommutabili bono mutabili adhærere: quod facimus propriæ voluntatis arbitrio.

¶ Et si obiiciatur, vtrum malum habeat causam propriam: Resp. est, quod habet causam deficientem, sed propriam, oportet enim quod in infinitum esset processus: nec oportet in voluntariis causam propriam quærere.

ARTICVLVS II.

An malum à Deo sit?

SVpposito, quod malum habeat causam secundum aliquem modum: quæritur, Vtrum Deus sit causa mali, vel creatura tantum.

Aug. in lib de grat. & lib arb. ¶ Quod Deus sit causa mali, videtur dicere Aug. *Existimo operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit; siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum: iudicio vtique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto.* Ergo ipse Deus inclinat voluntates hominum ad mala: ergo ipse est causa malæ voluntatis: ergo est causa mali.

Idem in eodem. ¶ Item, August. *Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in eius corde, cui iuste irascebatur: vt admonitionem salubrem non audiret; sed contempta, iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet:* & tangit B. August. quod habetur de Amasia Rege Iuda: dicitur enim sic. Aug 2. Paral. 25. *Noluit audire Amasias, eo quod Domini voluntas, vt traderetur in manibus hostium propter Deos Edom.* Secundum ergo verbum. B. August. hoc operatus est Dominus in corde eius, vt non audiret admonitionem salubrem: sed non audire admonitionem salubrem est malum: ergo Deus operatus est malum.

Psal. 104. Glo. ordi. ¶ Item, ad idem super illud *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.* Glos. *dum auxit felicitatem Israel, hoc Dei beneficio ad inuidendum Israel conuersi sunt: quia iam mali erant.* Ergo ipse Deus fuit causa inuidiæ ipsorum: ergo causa mali.

Psal. 72. Glo. ord. & est Aug. ¶ Item, super illud *Verum tamen propter dolos posuisti &c.* Glos. *more dolosi fecisti eis, sub specie boni dans mala:* dum enim dolosus alium deiicere vult, iuxta lubricum eum ponit. Vnde sequitur. *Deiecisti* &c. ergo Deus & facit dolum, & facit malum.

Ansel. in lib. de casu diab. ca. 20. ¶ Item, Ansel. *Quid mirum, si quemadmodum Deus dicitur inducere in tentationem, quando non liberat ab ea: ita fatemur eum dare malam voluntatem, non prohibendo eam, cum potest: præsertim cum potestas volendi quod licet, non nisi ab illo sit.* Ergo Deus dat malam voluntatem: ergo est causa malæ voluntatis.

Idem in eodem. ¶ Item, idem *Non solum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat: sed etiam quod iniuste rapit, Deo permittente: & sicut Deus dicitur facere, quod permittit fieri: ita dicitur dare, quod permittit rapi.* Sed permittit mala rapi, vel fieri: ergo Deus dat mala: ergo est author malorum.

¶ Item, quicquid est causa causæ, est causa causati: sed malum est à libero arbitrio. lib. arb. secundum quod huiusmodi est à Deo: ergo malum est à Deo. Quod autem malum sit à libero arbitrio dicit Aug.

Aug. in lib. de lib. arb. circa fin. prim. lib. ¶ Item, Isa. 10. *Nunquid eleuabitur securis &c.* Glos. *sicut huiusmodi instrumenta nihil per se sunt agentia: ita Sennacherib nihil per se operatus est.* Sed operatus est malum: ergo malum illud erat à Deo.

Glos. sup. Rom. 3. ¶ CONTRA, super illud *Qui infert iram &c.* Glos. *illius rei Deus est vltor, cuius non est actor* id est iniquitatis: ergo Deus non est iniquitatis causa: ergo non est causa mali.

Ad Rom 6 Glos. ¶ Item, super illud, *Quod enim mortuus est peccato.* Glos. *non Deo auctore fit homo deterior: sed voluntatis vitium est, quo homo deterior est:* ergo vt supra, Deus non est autor mali.

Psal. 104. Glos. ¶ Item, super illud *Vt dolum facerent in seruos eius.* Glos. *istorum tam grauium peccatorum non author Deus, qui nullius etiam peccati leuissimi author credendus est.*

Aug in lib. 83. qq q. 3. Tom. 4. ¶ Item, Augustin. *Nullo sapiente homine fit homo deterior:* est autem Deus omni sapiente homine præstantior, multominus igitur non fit Deo autore homo deterior: cum quod dicitur illo autore, dicitur illo volente: sed Deus non vult malum: ergo non est author mali.

¶ Item, si est causa mali, est in Deo, vel in homine, aut in eo, quod nec est homo, nec Deus. Sed non est in Deo: bonorum enim Deus est causa, ergo est in homine, vel in aliquo alio.

¶ Item, Dion. *malum non est in Deo:* & malum non est res mota à Deo: ergo Deus non est causa mali. Dionys. Lib. de diu. nom. par. 4 cap. 4.

¶ Item, August. *Vide, quo pertineat defectus: & ad Deum pertinere non dubites.* Sed malum est priuatio vel defectus boni: ergo nullo modo pertinet ad Deum: ergo Deus non est causa mali. Aug lib. de lib. arb.

¶ Item, super illud Luc. 6. *Licet animam saluam facere &c.* Glo. *non est author mali Deus.* Ex his concluditur, quod non est malum ab ipso Deo. Luc. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Mali pœnæ Deus author est, mali culpæ nequaquam.

¶ RESPON. Malum culpæ non est à Deo: sed malum pœnæ est à Deo, inquantum est pœna. Et respondendum ad obiecta.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Augu. intelligitur de malo pœnæ. Peccatum enim est aliquando peccati pœna: quando sc. homo incidit in peccatum ex merito suo: & inquantum pœna, est à Deo: inquantum vero peccatum, ab homine est. Et hoc patet per hoc, quod dicit Aug. *Iudicio Dei aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto.* Aug.

¶ Simili modo respondendum est ad secundum obiectum. Nam obduratio in non audiendo admonitionem salubrem, est pœna peccati præcedentis: & sic à Deo est.

¶ Ad tertium dicendum, quod hoc quod dicitur in Glo. super illud Psal. *Conuertit cor eorum &c. non ideo dicit conuertit Deus corda eorum, quod Deus sit autor mali: sed quia cum ipsi suo vitio essent mali, ille de malo illorum benefecit.* Vnde in eadem Glos. *Dum auxit felicitatem &c.* vt supra: & sequitur. *Conuertit cor eorum, non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo.* In quo notatur, quod illud factum fuit à domino sc. prosperitas Isrӕel, esset occasio quædam ipsis mali: non quod Deus sit occasio, vel causa mali. Glo. super Psalm. Eadem. Eadem.

¶ Ad quartum dicendum quod illud intelligitur de bonis temporalibus, quæ dantur à Deo, & sunt mala, vel occasio cadendi in aliquod malum: non quod Deus faciat cadere in malum. Et quod dicitur *in dolosi more* non intelligitur, quod Deus habeat morem dolosi: sed quædam remota similitudo, vel proportio intelligitur.

¶ Ad quintum, quod dicit Ansl. Dicendum, quod non dicitur Deus dare proprie malam voluntatem: sed dat voluntatem, & homo efficit eam malam: sed dare respectu malæ voluntatis, inquantum est mala, est permittere.

¶ Ad sextum dicendum, quod *dare* sumitur ibi pro permittere. Vnde dicitur in autoritate: sicut Deus dicitur facere, quod permittit, fieri: ita dicitur dare, quod permittit rapi.

¶ Ad septimum dicendum, quod tenet ratio in his, vbi causa media tenet rationem extremorum secundum vnum modum: sed non sic est hic: nam lib. arb. deficiens est causa mali: Deus autem causa lib. ar. non secundum rationem deficientis: & ita non est continuatio in medio & extremis: propter quod non valet ratio illa.

¶ Ad autoritatem vero Isa. 10. dicendum est, quod *operatum* dicitur dupliciter. Vno, ipsa pœna illata peccatoribus mediante Senacherib, tanquam instrumento: & secundum hunc modum operatum est à Deo. Alio vero modo ipsa actio mala est operata, & ratione actionis in se, adhuc est dicere, quod à Deo est mediante Sennacherib: ratione vero mali non est à Deo, sed fuit in libero arb. deficiente. Ex iam dictis patent ea, quæ obiecta sunt in contrarium.

ARTICVLVS III.

An malum à creatura fit, quia ex nihilo, vel quia ex aliquo, scilicet ex bono?

CONSEQVENTER quæritur, supposito quod malum non sit à Deo, sed à creatura, Vtrum sit à creatura, quia ex nihilo; vel quia ex aliquo scilicet bono.

¶ Quod autem, quia ex nihilo, ostenditur in hunc modum. Aug. *omnis defectus est ex nihilo*: sed omne malum est defectus: ergo omne malum est ex nihilo. — Aug. lib. 2. de lib. arb.

¶ Item, Aug. *Non ex bono potuit oriri mala voluntas, quia bonum factum est à bono Deo: sed quia de nihilo factum est, non de Deo.* — Idem lib. 2. ad Valentinum.

¶ Item, Aug. *Voluntatis malæ non est affectio, sed defectio: deficere autem est ab eo, quod summe est, ad id quod minus est, tendere.* Sed deficere est, quia est ex nihilo (quod patet in summo bono, quod nullatenus deficit) ergo malum est, quia est ex nihilo. — Idem 12. de ciu. Dei cap. 7.

¶ Item, idem. *Naturæ, quæ corrumpi possunt, quod corruptionem habent, hoc est, quia de nihilo fiunt.* Sed omne malum corruptio est: ergo malum reducitur ad hoc, quod res sit de nihilo. — Idem contra ep. fundamenti.

¶ Item, Dion. *Malum non est ex bono: etsi ex bono est, non est malum: neque enim ignis est infrigidare, neque boni non bona facere scilicet mala.* Sed omne, quod est aliquid, bonum est, ergo malum non est ex aliquo; & est ex aliquo, vel ex nihilo inquantum tale: ergo est ex nihilo. — Dion. de diu. nom.

¶ Contra, Ansel. & similiter in Prosologion dicit: quod nihil est nullius causa: ergo res quia est ex nihilo, nullius causa est: ergo nec mali: cum malum aliquo modo sit. — Ansel. de peccato orim. c. 7.

¶ Item, quod malum sit ex aliqua creatura, habetur ex hoc quod dicit Aug. sic enim ratiocinatur. *Malum non est à Deo, cum bonorum sit causa*: ergo est in homine, vel in aliqua re, quæ nec est Deus, nec homo. Si enim in homine, aut hoc est vi, aut suasione. Sed vi nullo modo; cum quod violentia fit, omnino non sit culpabile: Deus autem optime fecit hominem, vt si vellet manere bonus, nullo resistente impediretur: non ergo fuit homo malus violentia alterius hominis. Suasione autem alterius hominis (si concedimus hominem deprauari) quærendum est de suasore, à quo deprauetur: non enim potest non esse prauus talium suasor. Si vero nec est homo, nec Deus, quicquid illud sit, aut vim intulit, aut suasit. De vi respondetur idem quod supra. De suasione autem quidquid est; quia suasio non cogit inuitum, ad eiusdem hominis voluntatem deprauationis causa accedit; sine aliquo, siue à nullo sit suadente deprauatus: ergo mali, quod est in homine, causa est ipse homo: siue alio suadente, siue non suadente. — Aug. lib. 83. qq.

¶ Ad contrarium vero obiicitur sic: mala voluntas est efficiens operis mali: mala ergo voluntas aut habet aliquã voluntatem pro causa aut aliquam naturam. Si habet voluntatem pro causa, aut habet bonam, aut malam: sed bona voluntas nullatenus facit voluntatem malam: ergo habet voluntatem malam pro causa: sed iterum illa cum sit facta, habet aliquam causam: oportet ergo quod in aliqua natura: nam si in nulla, omnino non fuit: in mala vero natura non potest esse mala voluntas: nam mala voluntas priuat bonum: ergo voluntas mala est in bona natura: ergo cum malum sit voluntas mala, erit malum in bona natura: ergo malum erit in aliquo tanquam in causa.

RESOLVTIO.

A creatura malum est, non quia ex aliquo, scilicet ex summo bono, sed quia ex nihilo.

¶ AD quod dicendum: quod malum est in bono; & ita in aliquo: sed non ex hoc quod ex summo bono, est malum: immo ex hoc quod est ex nihilo.

¶ AD obiecta autem in contrarium. Dicendum quod illa propositio Ansel. nihil nullius est causa: intelligitur de hoc, quod omnino nihil est: sed non negatur, quin res defectibilis sit causa defectus; sicut est hic dicere causam.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur quod malum est ex aliquo. Dicendum, secundum quod dicit Aug. quærens causam mali: *quod malum est in bono; mutabili tamen.* Vnde quærendo causam, vt subiectum: dicendum quod malum est ex aliquo, & in aliquo. Quærendo vero causam efficientem, siue exemplarem: dicendum quod malum non est ex bono tanquam efficiente, vel exemplari: sed est ex mutabili, inquantum est ex nihilo: loquimur autem hic de malo, secundum quod dicit defectum, siue naturalem, siue voluntarium. Sed de defectu voluntario, quia superaddit, inferius quæstio habebitur. — Aug. in 11. de ciu. Dei

¶ Ad obiectum in contrarium ex verbo Dionysii. Dicendum, quod licet malum sit in bono: non tamen sic efficit bonum malum, sicut nec calidum efficit frigidum: deficiendo tamen fit ex bono. — Art. 5. immediate sequen.

¶ Ad illud, quod videtur obiici in contrarium; quod causa mali sit in homine. Respon. quod intendit ibi Aug. vtramque causam mali culpabilis tangere, videlicet ipsum liber. arbit. quod non cogitur ad malum: & quia ex nihilo est, vertibile est in malum: cum autem vertitur, sua voluntate vertitur. Et hoc est quod dicit Aug. *Est vitium voluntatis, quo homo est deterior: quod vitium longe abest à Dei voluntate: vt ratio docet.* — Aug. in lib. 83 qq.

ARTICVLVS IV.

An malum à diabolo tantum fit, vel etiam ab homine?

SVPPOSITO quod malum culpæ sit tantum à creatura, quæritur, Vtrum tantum sit à diabolo, an etiam ab homine.

¶ Quod autem sit à Diabolo, Aug. *Quis nesciat fidelium à Satana primam venisse mali suasionem: & quod ille primus sit autor omnium peccatorum?* — Aug. in lib. de natura & gratia.

¶ Item, Aug. *Malum, vel malitia non est à Deo creata, sed à diabolo inuenta.* Idem Isid. *Malum à diabolo non est creatum, sed inuentum: non quia alicubi, aut aliquando erat malum, vnde fieret diabolus malus: sed quia vitium est, cum esset angelus bonus, superbiendo effectus est malus: propter quod ab ipso inuentum dicitur.* Ergo diabolus fuit prima causa mali. — Idem de Eccles. dogmatib. lib. 1. cap. 9. Isid. de summo bono.

¶ CONTRA obiicitur, quod non tantum diabolus est prima causa mali, immo etiam homo. Cum enim homo habeat liberum arbitrium, sicut & angelus: malum vero culpæ sit ex libero arbitrio. Vnde Aug. *Versatur quæstio, vnde sit malum? me asserente, exortum fuisse hominis malum ex liber. voluntatis arbitrio, erit causa mali homo, secundum lib. arb.* Non ergo tantum diabolus est causa mali. — Aug. in lib retractation.

¶ Item, malum culpæ efficitur in eo, quod creatura viuit secundum se, propriam quærendo voluntatem: sicut habetur ab Ansel. Ergo cum propria voluntas sit hominis, sicut & angeli: erit causa mali culpabilis non tantum in angelo, sed etiam in homine. — Ansel in lib. de similit.

¶ Item, super illud. *Dixerunt animæ tuæ, incuruare, vt transeamus.* Glo. *nisi teipsum subdideris, dæmones non nocebunt tibi.* Et Hiero. super eundem locum. *Illis dicentibus, incuruata est propria voluntate*: Ergo malum non tantum est à diabolo, sed etiam à voluntate hominis. — Isa. 51. Glossa. Hierom.

RESOLVTIO.

Et à diabolo, & ab homine. A diabolo vt à primo inuentore & approbatore: ab homine vt à sectatore & imitatore.

¶ AD quod dicendum: quod malum est primo à Diabolo, sicut habetur super illud. *Ille fuit homicida ab initio.* Et postea, *Mendax est, & pater eius*, dicit Glo. *Nota homicidam, non solum qui ferro, sed qui verbo occidit: vt diabolus primos parentes.* Et post sequitur, *Homo mendax, qui non habet de proprio, sed ab alio accepit, id est diabolo*: & addit: *& pater eius pater est ipsius mendacii, quod inuenit.* Mendacium autem dicitur peccatum, sicut habetur ab Aug. *omne peccatum est mendacium.* Sed hæc prioritas non attenditur, nisi tempore, & quadam dignitate: qua angelus dicitur prior homine: non quod homo nõ habeat de se, vt possit peccare sine diaboli suggestione: sicut enim lib. arbit. eius de se vertibile est in malum, ita de se potest cadere, siue habeat suggestionem, siue non. Cum ergo dicitur, quod omne malum est à diabolo, hoc est ratione prioritatis, vt pater: & ratione occasionis, qua diabolus inuidit humanæ naturæ, seu creaturæ; & inuidendo suggessit. Vnde dicit B. Bern. *Vidit, & in liuore suo inuidit, & molitus est habere subiectos, socios dedignatus: infirmiores* (inquit) *& inferiores natura non decet esse continentes in gloria.* Et Aug. *Superbia diaboli* — Ioan. 8. Ibidem Gloss. Ibidem. Ibidem. Aug. in lib. 11. de ciu. Dei. Bern. in hom. 17. sup. Can. Aug. in lib de virgin.

Aug. 3o. Aec. ca u.n.n.a. to.

successit inuidia; quibus duobus diabolus est diabolus.

¶ Ex iam dictis patet, qualiter vera sunt, quæ obiecta sunt. Nam quæ concludunt diabolum esse principium mali; ad hoc spectant, quod primus peccauit: & alii cum ipso peccauerunt, sicut angeli: vel ad eius suggestionem, vt homines. Quod autem dicitur, quod malum est inuentum à diabolo: non excludit, quin homo possit per se inuenire peccatum: sicut habetur. *Adinuentiones eorum contra Dominum.* Sed quia diabolus primo malum approbauit: & ita nouit per approbationem: & sic inuenit, id est in notitiam per approbationem venit.

Esai. 3.

ARTICVLVS V.

An malum à libero arbitrio absolute sit, vel ratione alicuius dispositionis superaddita?

DEINDE quæritur, supposito quod malum sit ab homine, Vtrum ratione li.ar. secundum seipsum: aut ratione alicuius dispositionis superadditæ. Quod ratione ipsius liber. arbit. arguitur sic. Fructus malus procedit ab arbore mala: arbor vero mala dicitur voluntas mala: voluntas ergo mala cum non habeat ante se proximo nisi lib. arbit. secundum quod est facultas voluntatis & rationis: ex ipso liber arbit. causabitur. Et quæritur hoc de prima voluntate mala: nam si esset aliqua voluntas mala, de illa similiter quærendum esset: & quia non est transitus in infinitum, oportet stare: cum ergo illa prima voluntas non habeat ante se nisi ipsum lib. arbit. quod est facultas voluntatis; erit primum malum culpæ ab ipso lib. arb.

¶ Ad idem Aug. *Malum sive peccatum est, spreto incommutabili bono, bonis commutabilibus adhærere: quod fit lib. voluntatis arb.* Ergo malum proprie est à lib. arb.

Aug. in lib. de arb. lib.

¶ CONTRA, videtur quod principium mali sit alia superaddita dispositio, vt libido. Vnde Aug. *Clarum est, iam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari:* ergo libido est causa omnis mali.

Idem lib. 1. de eodem cap. 2.

¶ Item, videtur, quod error & peruersus amor sint principia mali. Aug. loquendo de malis, dicit. *Hac hominum sunt malorum, ab illa erroris & peruersi amoris radice venientia: cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis, qua iam infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vana cupiditatis, qua in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam: ita vt si dimittatur viuere vt velit, & facere quicquid velit, in hac facinora & flagitia, qua commemoraui, & qua commemorare non potui, vel cuncta, vel multa perueniat.* Ergo ipsa mala hominum perueniunt à radice erroris & peruersi amoris: ergo sunt causa mali error & peruersus amor.

Idem 22. de ciu Dei

¶ Item, videtur quod ipsa cupiditas sit causa 1. Tim. vlt. Radix omnium malorum est cupiditas.

RESOLVTIO.

Malum à libero arbitrio solo vt à potentia & radice prima est, à libidine vero & huiusmodi aliis vt à prauis dispositionibus huiusce potentia & radicis pracipua.

¶ RESPONDETVR. Lib. arb. est principium omnis mali culpabilis: si attendamus ad potentiam. Vnde August. *Quid opus est quærere, vnde ille motus existat, quo voluntas auertitur ab immutabili bono ad bonum mutabile? cum eum non nisi animi & voluntatum, & ob hoc culpabilem esse fateamur.* Sed libido, & alia, quæ enumerantur, sunt causæ siue radices malorum, sicut prauæ dispositiones ipsius potentiæ, quæ est liberum arbitrium. Et attendendum est, quod lib. arbit. est facultas voluntatis & rationis: ex parte facultatis deficientis, sumitur libido, secundum quod dicitur ab eo, quod libet: sicut dicit Augustin. error vero ex parte rationis deficientis est causa malorum. Amor vero peruersus ex parte voluntatis est causa mali. Sed agetur de his inferius diffusius in Tractatu, de Peccato: vbi agetur de diuersis radicibus peccatorum.

Aug. in lib de lib. arb.

Idem in hyponost. Qō 97. & deinceps.

ARTICVLVS VI.

De malo voluntatis, & malo actionis.

COGNITA causa mali, quod est defectus. Item secundum quod dicitur malum culpę, quod prius est quam malum pœnæ, & addit super defectum: malum enim culpæ est defectus culpabilis: sequitur quærere determinate de malo voluntatis, & malo actionis.

A quo sit mala voluntas? §. 1.

¶ QVÆRITVR ergo primo de causa malæ voluntatis, sic. Nihil est, cuius ortum legitima causa non præcesserit. Et *Nihil fit in terra sine causa.* Sed malum voluntatis fit: ergo habet causam: non voluntatem malam, tunc enim esset processus in infinitum: nec bonam, cum oppositum contrarie non sit causa oppositi: bona autem & mala voluntas sunt contraria: ergo bona voluntas non est causa malæ voluntatis. Iob 5.

¶ Si autem dicatur, quod ipsa voluntas sit causa malæ voluntatis. Contra ipsa est indifferens ad bonum & ad malum: ergo non est causa necessaria huius. Si vero dicatur liberum arbitrium, cum li. ar. sit à Deo, erit malum à Deo: secundum illud, quicquid est causa causæ, est causa causati.

¶ Forte dicetur, quod Deus est causa per se liberi arbitrii: si vero liberum arbitrium causa est, est causa per accidens mali: & ita non procedit virtus propositionis præcedentis: quia non secundum vnum modum causæ. Contra, malum culpæ, quod est primo in voluntate mala; est malum voluntarium: sed malum voluntarium per se est in voluntate: voluntas autem per se in liber. arbitr. ergo malum voluntatis per se est in lib. arbitr. sicut in causa.

¶ Item, obiicit sic August. *Sunt duo aequaliter affecti animo & corpore, & pares in omnibus: & vident vnam rem pulchram, vel mulierem, vel equum, vel aliud huiusmodi: qua re visa, vnus illicite fruatur, alter non: quæ ergo fuit causa? Non rei pulchritudo, cum eadem esset, & quemlibet aequaliter de se moueret. Non caro. cum similiter se habeat, quantum ad carnis dispositionem. Nec animus, cum similis essent animi. Non suggestio maligni spiritus, cum malignus spiritus aeque tenget vtrunque, quantum est de se. Nihil ergo videtur, nisi propria voluntas esse causa ipsius mali. Sed illam quis fecit? cum ante non esset, nisi natura bona? natura autem bona Deus est causa: illius autem mali nullatenus est causa: quæ ergo est causa?* Aug. 12. de ciu. Dei.

RESOLVTIO.

A se ipsa.

¶ RESPONDETVR ad primum per hoc, quod dicit Aug. *Liberum arbitrium, siue voluntas, siue potentia dupliciter potest considerari. Vel inquantum est natura: & secundum hoc non est causa mali. Vel in quantum est ex nihilo, vel seipso deficiens & conuersum ad vanum: & secundum hunc modum est causa mala voluntatis: prout mala voluntas dicit actum interiorem.* Sed non ex hoc accipiendum est, quod malum primo sit in voluntate potentia, quam in voluntate actu: sed econtrario, in actu prius, quam in potentia, & propter hoc non sequitur, Deus est causa lib. arb. & lib. arb. est per se causa mali: ergo Deus est causa mali: quia lib. arb. ratione alterius & alterius est causa & causatum: est enim causatum vt effectus: est causa vt deficiens: qui tamen defectus dicitur secundum alterum genus defectus, quam ipse actus: actus enim dicitur defectus culpabilis, qui non habet ante se defectum culpabilem. Aug. in lib. de ciu. Dei

¶ Ad secundum vero dicendum, quod paribus existentibus conditionib. non est dicere rationem mali in voluntate, nisi ipsam voluntatem, quæ seipsa vertibilis est. Et quod seipsa vertitur in isto, & non in alio; non est assignare aliquam causam à seipsa: quia quod ille vertitur ad malum, non est nisi quod placet: placiti autem nulla alia ratio est quærenda: sicut in bonis cum peruentum est ad voluntatem Dei, nulla est alia ratio: ita & in malis, cum peruentum est ad voluntatem vertibilem, sibi relictam (hoc autem dicitur propter voluntatem in bono per gratiam confirmatam.

¶ Si vero obiiciatur, quod si liber. arbit. aut voluntas sit causa mali in voluntate, eo quod ex nihilo, cum qualibet creatura sit ex nihilo, qualibet esset causa mali. Dicendum, quod liber. arb. siue voluntas dicitur ex nihilo, & vt est

est natura, & vt est voluntas. Si vt natura, secundum illum modum conuenit et etiam aliis creaturis, quæ sunt naturæ. Si vero vt lib. arb. siue voluntas in actu, in quantum est ex nihilo, secundum hoc est causa mali. Ratio est, quia vt est natura, non determinatur nisi ad vnum: vt est voluntas, vel lib. arb. est oppositorum: & vnius de se s. mali, alterius vero non prima est causa, nec tota.

An actio mala inquantum mala, à Deo sit? §. 2.

¶ CONSEQVENTER quæritur de malo actionis, à quo sit: vtrum s. à Deo, vel à solo lib. arb. Quæritur ergo vtrum actio mala sit à Deo: Et primo vtrum mala actio in quantum mala, sit à Deo. Secundo, vtrum mala actio in quantum actio, sit à Deo.

¶ Quantum ad primum, quod mala actio in quantum mala sit à Deo, ostenditur in hunc modum: quoniam dare eleemosynam propter inanem gloriam, est quædam actio mala ex circumstantia: sed hæc actio & inquantum actio, & inquantũ mala, est à Deo. Nam quod ratione eius quod est actio, sit à Deo, patet. Similiter etiam videtur ratione superadditi, videlicet, quia illa actio refertur ad inanem gloriam, quod sit à Deo: quia hæc relatio est à Deo: sed ratione huius relationis dicitur mala: ergo ipsa actio ratione qua mala est, est à Deo.

Aug. in lib. 83. qq. q. om. 4. ¶ Item, Aug. *Quod Deo autore dicitur fieri, dicitur fieri Deo volente: & econuerso.* Sed malum inquantum malum fit Deo volente, quia si nollet, non fieret: ergo malum inquantum malum fit, Deo autore: ergo mala actio inquantum mala fit à Deo. Vnde Aug. *Si dominus nollet mala fieri, non fierent.* Ergo fiunt Deo volente, ergo & Deo autore: ergo &c. Idem in Enchirid.

¶ Item, duplex est lux s. corporalis, & spiritualis. Lux autem corporalis eadem est causa lucis & tenebrarum: sicut sol per sui præsentiam est causa lucis: per sui absentiam est causa tenebrarum: ergo similiter lux spiritualis, quæ Deus est. (Ioan. 1. & 8.) erit causa lucis id est boni; & causa tenebrarum, id est mali. Ergo Deus est causa malæ actionis inquantum mala est: sicut sol causa tenebrarum.

¶ CONTRA. Ab eodem agente penitus non diuersificato in se, non egreditur perfectum & imperfectum. Sed bonum dicit perfectionem, malum vero imperfectionem; quia dicit priuationem boni, modi s. speciei, & ordinis; penes quæ determinatur perfectio creaturæ: sed Deus est agens perfectissimus, non diuersificatus in se: ergo cum bona actio sit ab ipso, non erit mala ab eodem. Et ad hoc facit illud *Dei perfecta sunt opera.* Deut. 32.

¶ Item, illius rei Deus est vltor, cuius non est autor: sed malæ actionis Deus est vltor: ergo illius non est autor.

¶ Item, Deus inhibuit Adæ, ne comederet de pomo: ergo noluit quod comederet: ergo non fuit autor illius actionis: si enim autor fuisset; contra se, vel contra præceptum suum fecisset.

¶ Item, quicquid est à Deo, bonum est, inquantum est ab eo aliquo modo: sed huiusmodi actiones, blasphemare, fornicari, nullo modo sunt bonæ: ergo nullo modo sunt à Deo.

¶ Item, Omne, quod est à Deo, ordinatur ad finem bonum: sed sunt aliquæ actiones malæ, quarum non potest esse bonus finis, vt fornicari, adulterari, mentiri: ergo nullo modo sunt à Deo.

¶ Item, hæc actio mala, inquantum est actio, est à Deo: in quantum mala, non est à Deo, sed à diabolo: vel liber. arbitr. ergo actio est à Deo, vel à diabolo, ergo Deus & diabolus sunt eiusdem rei principium: quod est contra Apostolum, dicentem 2. Cor. 6. *Non est conuentio Christi ad Belial.*

RESOLVTIO.

Actio mala à Deo esse potest; nequaquam ratione malitiæ.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod actio mala ratione malitiæ non est à Deo.

¶ Ad illud, quod primo obiicitur in contrarium. Dicendum, quod in illa ratione sunt duo: cum enim dico relationem ad indebitum finem, duo dico: ipsam relationem, & hoc est aliquid, siue aliqua natura: & hæc est à Deo. Etiam dico ibi hoc, quod est *ad indebitum finem* quæ est circumstantia mali, substantificata in illa: & hoc nõ est à Deo. Vnde relatio de ratione relationis est à Deo; non quantum ad hoc quod dicitur *ad indebitum finem* quia ex parte illa determinatur in ea malitia. Et hoc est, quod dicit Ansel. in lib de casu diaboli. Diabolus conuertit voluntatem ad id, quod non debuit: & ipsum velle, & ipsa conuersio aliquid fuit: & non nisi à Deo aliquid habuit. Inquantum autem iustitia caret, sine qua esse non debet, non est simpliciter malum: sed est aliquod malum s. in illo genere. Vnde patet, quod ipsa conuersio, siue relatio est aliquid, quod est à Deo: & quod non dicit de se malitiam; sed inquantum iustitia caret, quod est, ad indebitum finem conuerti, est ponere ibi malitiam: & illa malitia non est à Deo. Vnde ipsum superadditum non est à Deo, licet ipsa relatio sit à Deo.

¶ Ad secundum dicendum, quod duplex est voluntas Dei, s. permissionis, & approbationis. De voluntate permissionis verum est, quod Deo volẽte fit malum: ita quod notetur hic concomitantia per illum ablatiuum, & non causalitas aliqua: quia permissio, secundum quod huiusmodi, non ponit causam respectu permissi. Voluntas autem approbationis non ponit aliquam causalitatem respectu voliti. Et ita loquendo de hac voluntate, non est concedendum, quod malum fiat Deo volente: quia sic ipse ablatiuus importat causalitatem: nulla autem causalitas est in Deo respectu mali.

¶ Quod obiicitur, quod fit Deo volente, fit Deo autore: intelligendum est de voluntate, quæ ponit causalitatem respectu voliti, quæ est voluntas approbationis: non de voluntate permissionis, quæ (sicut dictum est) non ponit causalitatem in eo, respectu cuius est: immo de* hoc sequitur, non ergo Deo autore fit malitia, sed illud, quod subiternitur malitiæ: quia ad illud comparatur Dei voluntas in ratione causalitatis. *Aliàs, hoc

¶ Ad tertium dicendum, quod nõ est simile de luce, siue sole corporali, & spirituali respectu lucis & tenebræ: quia sol materialis agit per naturam: & ideo per sui præsentiam est) causa lucis, & per sui absentiam causa tenebrarum. Sol autem spiritualis, sol iustitiæ agit per voluntatem, non per naturam respectu lucis spiritualis, siue boni: ideo per sui præsentiam est causa boni; non autem per sui absentiam est causa mali: immo potius ipsum malum est causa absentiæ spiritualis solis. Vnde dicit Ansel. *de bono angelo: quia Deus dedit illi perseuerantiam, ideo ille accepit:* & de malo dicit, *quia non accepit perseuerantiam, ideo Deus non dedit.* Vnde super illud. *Tradidit illos Deus in desideria &c.* Quia cultum & religionem Dei imaginibus tradiderunt, tradidit illos Deus id est subtrahendo gratiam, permisit: nihil enim absque eius permissione fit in malis. Vnde defectus lib. arb. est causa recessus solis spiritualis: & non econuerso. Ideo non est dicendum, quod sol spiritualis per sui absentiam sit causa tenebrarum: nam ipse sol spiritualis est agens vniuersale; quia vbique se diffundit: vnde de se nunquam abest: sed alia desunt ab ipso, quando recedunt per peccatum: ideo non est dicere quod sua absentia sit causa tenebræ, siue mali: immo ipsum lib. arb. deficiens est causa quare ei abest spiritualis sol. Cum enim de se nulli absit, non est sui absentia causa alicuius, immo econuerso. Sol autem materialis est naturaliter agens; vnde est agens particulare, non vbique se diffundens: immo naturaliter mouetur ab hoc situ in illum: & cum est in hoc situ, non illuminat in alio: quia non vbique se diffundit: & propter hoc abest aliquibus, & est causa tenebræ: sic ergo patet, quod non est simile hic & ibi. Ansel. in lib. de casu diaboli. Rom. 1.

An actio mala inquantum actio à Deo sit. §. 3.

¶ POSTEA quæritur. Vtrum mala actio, secundum quod actio, sit à Deo? Et videtur quod non: quia lib. arb. est mouens sub alio, s. Deo: vnde est motor particularis: hoc autem agens particulare aliquando continuatur cum summo agente Deo: qui est agens vniuersale: aliquando discontinuatur, & separatur ab ipso: cum autem continuatur in actione sua cum primo agente, tunc dicitur ab ipso libero arbitrio procedere actio bona: cum autem discontinuatur in actione sua ab ipso; tunc dicitur actio mala. Ex hoc obiicitur sic; nihil, quod procedit ab ipso libero arbitrio per discontinuationem & separationem

tionem à Deo, potest dici procedere à Deo aliquo modo: sed mala actio est huiusmodi: omne enim quod procedit à libe. arb. inquantum est deficiens, procedit ab ipso per discontinuationem, & separationem à Deo: sed mala actio procedit à libero arbitrio, inquantum deficiens est: ergo procedit ab ipso lib. arb. per discōtinuationem eius à Deo: ergo nullo modo procedit à Deo, nec etiam mediante libero arbitrio.

Psal. 49. ¶ Item, qui adiuuat furem in opere furti, particeps est furti. Iuxta illud Psal. *Si videbas furem &c.* hoc habetur ibi in Gloss. ergo quod adiuuat peccatorem in opere peccati. Sed Deus nūquam est, nec potest dici particeps peccati siue mali: ergo cum actio mala sit peccatum, nunquam Deus adiuuat peccatorem in actione mala: non ergo adiuuat ipsum lib. arb. in actione mala: sed adiuuaret, si cum illo malam actionem faceret: ergo nullo modo est ipsa actio mala, inquantum actio, à Deo: imo solum à libe. arb.

Matth. 7. Matth. 12. ¶ Item, *Non potest arbor bona fructus malos facere*: immo *arbor mala facit fructus malos*: sicut habetur ibidem & c.12. Fructus ergo mali procedunt ab arbore mala: & nullo modo à bona: fructus mali sunt opera mala: arbor autē summe bona, à qua omnis fructus bonus, est Deus: ergo mala actio nullo modo est à Deo.

Genes. 1. ¶ Item, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona*: sed mala actio non est valde bona, etiam inquātum actio: ergo non est à Deo facta.

August. in enchirid. Cap. 12. ¶ CONTRA, Videtur quod mala actio inquantum actio, sit à Deo Aug. *Quamdiu natura corrumpitur, inest ei bonum, quo priuatur: at per hoc si naturæ aliquid remanebit, quod corrumpi nequeat, profecto natura incorruptibilis est.* Ergo quod corrumpitur ab ipsa malicia, natura aliqua est, quæ aliquo modo priuatur: sed actio corrumpitur per maliciam: ergo actio mala ratione actionis est natura aliqua: sed omnis natura est à Deo: ergo & ipsa actio.

Idem in li. de vera religione. ¶ Item, Aug. dicit: *quod mala actio ratione maliciæ deformat, & corrumpit bona naturalia, quæ sunt modus, species, & ordo*: ergo malicia deformat & corrumpit naturam: sed illud quod malicia deformat & corrumpit in actione mala, est ipsa actio: ergo ipsa actio est natura aliqua, quæ priuatur modo, specie, & ordine: sed omnis naturæ principium est Deus: ergo mala actio ratione actionis est à Deo.

Item in eodem. ¶ Item, Aug. *Omnis res, vel substantia, vel essentia, vel natura, vel si aliquo alio verbo melius enunciatur; simul habet hæc tria, vt vnum aliquid sit, & specie discernatur, & rerum ordinem non excedat.* Ergo mala actio ratione actionis est à Deo.

Author L. de causis. ¶ Item, Philosophus, in Lib. de causis dicit. *Causa prima & vniuersalis, plus est influens super suum causatum, quam causa secundaria & particularis.* Ergo causa secundaria & particularis non agit sine prima causa & vniuersali: quia ob hoc dicitur prima & vniuersalis respectu illius. Sed causa secundaria & particularis est li. ar. nostrum, quod vertibile est: prima causa & vniuersalis Deus, qui est inuertibilis: si ergo aliquid egreditur à nostro libe. arb. hoc est, secundum quod recipit influētiam à Deo: ergo cum mala actio secundum quod actio procedat à li. ar. erit etiam ipsa procedens à Deo.

August. Ex 2. phy. 17. & inde. ¶ Item, dicit Aug. *Quicquid est, inquantum est, & bonum est, & à Deo*: ergo mala actio inquantum est, à Deo est.

¶ Item, quicquid est causa cāæ, est cā causati: ita vt sit omnimoda vniformitas (sic enim non hēt instantiam) Ergo cum potentia, à qua exit actio mala, sit cā illius inquantum est; inquantum autem est potentia, est à Deo sicut à cā: ergo Deus est causa malæ actionis, inquantum est.

¶ Item, vnus est fons essendi, quia non sunt plura principia eorum, quæ sunt: ergo non est aliquid, quod non sit à Deo: ergo si mala actio est aliquid, mala actio inquantum est aliquid, est à deo.

¶ Item, Vt tu dicis, mala actio est aliquid, & non est à Deo: ergo habet aliud principium scilicet liberum arbitrium: ergo est aliquod principium malorum, quæ sunt: & hæc est Manichæi hæresis.

¶ Item, mala actio est in genere actionis: genera autem rerum sunt à Deo. Sic ergo ostēditur rationibus, quod mala actio inquantum actio, est à Deo.

Ioann. 11. ¶ Item, hoc idem ostenditur per exempla. Primum est de Capha, *quia à semetipso non dixit, Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit &c.* Ergo eius dictio fuit [illegible]: & constat quod fuit mortale peccatum (ad hoc enim dixit, vt Dominus interficeretur) ergo mala actio est à Deo.

Isaiæ 7. Glossa. ¶ Item, *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Aegypti.* Glos. *Sibilatio est diuina inspiratio, muscæ sunt Aegyptij imbelles & immundi.* Hoc autem dicitur contra Iudæos, quia dominus inspirauit Ægyptijs voluntatem destruendi Iudæos: & constat quod voluntas eorum fuit mala: ergo primum.

Isa. 10. Glossa. ¶ Item, *Nunquid eleuabitur securis aduersus eum, qui secat in ea*: ibi dicitur Sennacherib, virga, serra, baculus Dei. Glo. *Sicut huiusmodi instrumenta nihil sunt per se agentia: ita Senacherib nihil per se operatus est.* Sed quod eius voluntas fuit mala, constat; quia superbiuit (vnde ei improperatur. Nunquid eleuabitur, &c.) & tamen dicitur instrumentum Dei in ista actione: actio autem magis attribuitur agenti per instrumentum, quam instrumento: ergo primum.

Isa 45. Glossa. ¶ Item, *Ego Dominus creans tenebras, & faciens mala.* Glo. *non malum in quantum malum; sed in quantum iustum.* Aut illud intelligitur de malo culpæ, aut pœnæ: non pœnæ, quia illud inquantum tale, est à Deo: ergo de malo culpæ.

Isa. 37. Glossa. ¶ Item, *Reuersus est Rabsaces.* Glo. *domino permittente venit: & domino præcipiente recessit.* Sed constat, quod in recessu peccauit mortaliter, sicut in aduētu (ita enim quærebat facere voluntatem idololatriæ domini sui in recessu, sicut in aduentu) ergo Domino præcipiente peccauit mortaliter: ergo mala actio est à Deo.

Exod. 12. ¶ Item, Iudæi spoliauerūt Ægyptios ex præcepto Domini, quod factum fuit in præcepto, sed modus in permissione: Sed quod illorum spoliauerunt ex cupiditate: ergo mala eorum actio secundum quod actio, fuit à Deo.

RESOLVTIO.

Et quidem, cum inquantum huiusmodi aliquid sit, & per consequens bonum sit.

¶ RESPON. Dicendum, quod mala actio, secundum quod actio, est à Deo: sed non secundum quod mala. Nam mala actio secundum quod mala, est à voluntate mala: dicendo autem malam voluntatem, duo dico scilicet ipsam voluntatem, quæ est motus potentiæ, & defectuum ipsius, quod est malicia. Voluntas ergo ratione potentiæ reducitur ad causam primam & potentiam: quod autem ibi dico malum, sistit in ipsa, secundum quod est deficiens, & non vlterius procedit: hoc enim non habet à Deo, sed quia ex nihilo, & ideo vertibilis ad malum, vt supra ostensum est. Et ideo licet voluntas sit à Deo, & malum à voluntate, non tamen malum à deo: non enim est à voluntate secundum quod ad Deum refertur. Similiter etiam dicēdum est de actione: nam inquantum actio, procedit à voluntate, secundum quod est potentia à Deo: sed inquantum mala, procedit à potentia, vt deficiens.

AD primum ergo, quod obiicitur in contrarium. Dicendum, quod cum dico discontinuationem libe. arbi. à Deo, duo dico, dico enim ibi separationē libe. arb. à Deo, quantum ad affectum, vel effectum: dico etiam coniunctionem ipsius quantum ad esse. Separatio ergo illa inducit deformitatem, siue maliciam: (hoc enim est voluntatis deficientis) sed ipsa coniunctio cum summo bono quantum ad esse, inducit actionem. Sic ergo mala actio ratione maliciæ vel deformitatis procedit à libe. arb. per discontinuationem eius à Deo: sed non ratione actionis immo ratione actionis procedit ab ipso per continuationem eius cum Deo, & ideo mala actio in quantum est actio, est à Deo: sed inquantum mala, à lib. arbitrio deficiente tamen, vel discontinuante se à Deo.

Ad secundum dicendum, quod non adiuuat ipse Deus lib. arb. in malo: adiuuat enim ipsum tantum, quantum ad actionem: sed non quantum ad maliciam, vel defectum. Dat. enim potentiam ad actionem, inquantum actio nominat naturam, siue quid bonum: sed non dat po-

tentiam ipsi voluntati, vel libe. arb. ad malum vel defectum: quia illud non est posse, immo non posse: non enim hoc habet natura vel potentia à Deo, quod deficiat; sed à se, quia de nihilo: tamen non potest esse ille defectus sine bono, quod Deus facit: nec tamen Deus facit defectum. Vnde Diony. *Bonum sustentificat suam priuationem.* Non ergo adiuuat Deus liberum arbitrium in malo: sed adiuuat ipsum in actionem, in qua est malum: quia dat potentiæ, siue lib. ar. quod possit operari: sed non quod possit male operari.

Dionys.

¶ Ad tertium, quod obijcitur: quod non potest arbor bona fructus malos facere. Dicendum, quod mala actio, secundum quod actio, non est fructus malus: secundum enim quod actio, est aliquid; omne autem quod est, inquantum est, bonum est (secundum quod opponebatur pro altera parte) ergo mala actio secundum quod actio, bona est: & est ab arbore bona scilicet Deo.

Genes.

¶ Ad quartum, quod obijcitur. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat &c.* Dicendum, quod illud non intelligitur, ita quod singula sint valde bona in se: sed intelligitur de ipso vniuerso, quod est valde bonum, & propter hoc non sequitur, si hoc non est valde bonum in se, quod non sit à Deo.

MEMBRVM IV.

De permissione mali.

QVARTO quæritur de permissione mali. Et habet duos articulos. Primus, vtrum Deus permittat mala fieri. Secundus, quare Deus mala ipsa permittat fieri.

ARTICVLVS I.

An Deus permittat mala fieri?

Dionys. de diuin. nominibus.

AD primum, Vtrum Deus permittat malū fieri. Quod non, videtur Diony. *Optimi est optima adducere*: meliores autem essent res, si essent malis impermixtæ: ergo Dei summe potentis, & summe boni, & summe sapientis non est permittere mala fieri.

¶ Ad idem, Nullus rex potens sufficienter, permitteret scienter in regno suo fieri aliquid, quod regno suo aduersaretur: sed malum aduersatur ei, in quo regnat Deus: ergo non permittit Deus malum fieri in mundo.

August. in quæstionibus veteris testamenti.

¶ Item, permissio Dei est actio eius: vnde Aug. *Omne, quod permittit Deus, facere dicitur: quia si non permittat, non fit*: vnde. *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper*: sed actio eius est essentia eius: ergo quod fit à permissione, fit ab essentia: sed malum non fit ab essentia: ergo nec à permissione: ergo Deus non permittit mala fieri.

Ioan. 19.

Augu. 20. de ciuit. Dei. Cap. 19. in fine.

¶ Contra, Aug. *Nullus hominum agit recte, nisi diuino adiuuante auxilio: nullus dæmonum, aut hominum agit inique, nisi diuino eodemque iustissimo iudicio permittatur.* Ergo nullum malum fit, nisi diuina permissione.

Ad Thessal. 2.

¶ Item, idem in eodem. Non dubitauit Apost. dicere, *Mittet Deus illis operationem erroris, vt credant mendacio*: Deus enim mittet, quia diabolum ista facere permittet: vnde *Mitte manum* id est permitte, *& da potestatem*.

Iob. 1.

Psal. 148. Glossa.

¶ Item, super illud *Dixit, & facta sunt.* Glo. *ideo nihil possunt nisi quod permittit: cupiditatem nocendi per te habes; potestatem autem nocendi, si ille non dat, non habes.*

Psal. 77. Glossa.

¶ Item, super illud *Indignationem, & iram, & tribulationem.* Glo. *hæc immisit Deus in eos, non impertiendo malitiam; sed gratiæ subtractione hæc eadem permittendo.*

Psal. 104. Glossa.

¶ Item, super illud *Eduxit eos cum argento, & auro &c.* Glo. *præcepit vt facerent: sed cum permisit, non percepit, vt ita facerent*: qualitas ergo facti fuit in permissione; sed factum fuit in præceptione. Sed constat, quod qualitas facti illis, qui asportauerunt ex cupiditate, fuit mala: ergo mala fiunt ex permissione diuina.

Psal 47. Glossa.

¶ Item, super illud *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Glo. *frigus dicitur esse eius, non quod faciat illud; sed quia fieri permittit.*

August. in Enchir.

¶ Item, August. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit: vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.* Ergo cum illud intelligatur de malis: omnipotens Deus permittit mala fieri.

RESOLVTIO.

Permittit, & quia quemque secundum proprium libitum agere sinit, & quia inde meliora elicit.

¶ AD quod dicēdum, quod Deus permittit mala fieri.

¶ Ad obiectum autem primo in contrarium. Dicendū, quod [*melius*] dicitur dupliciter. Vel secundum primum statum, in quo res sunt conditæ: & secundum hoc verum est, quod res meliores essent impermixtæ malis. Vel secundum statum secundum, in quo res reparantur à lapsu: & secundum hoc meliores dicuntur res, quia magis proficiūt per malorum exercitationem: vnde nisi meliores fierent aliquo modo, non permitteret summe potens, & summe bonus, & summe sapiens mala fieri.

¶ Ad secundum, dicendum, quod malum vno modo aduersatur bono, quod est in regno Dei. Alio modo est occasio profectus; & non est extra dominium ipsius summe potentis. Ipsum enim malum cum est, est sub dominio, & proficit ad aliquod bonum: immo ad maius aliquando eo, quod destruit.

¶ Sed adhuc obijcere potest aliquis, quod non esset permittendum malum in regno Dei, id est, in hoc mundo; eo quod elicit bonum ex illo: quia bonum, quod corrumpitur à malo, maius est, quam quod elicitur aliquando: & ita non est permittendum: non enim Rex hoc permitteret scilicet regnum suum damnificari plus in vna parte, vt ex alia parte minus bonum adderetur. Propter quod dicendum, quod omnibus consideratis, quæ sunt in mundo, plus est bonum, vel numero, vel quantitate, quod elicit Deus ex malo; quam sit bonum, quod destruitur per malum.

¶ Ad tertium dicendum, quod permissio non dicitur actio, sicut impletio. Vnde sicut impletum dicitur ab impletione, quæ est actio diuina, non sic est permissio à permissione diuina: nec proprie dicitur permissio actio, secundum quod actio dicitur essentia diuina: non enim dicendum est, quod permissio sit essentia diuina: cum tamen dicitur, Deus permittit, notatur essentia diuina, & connotatur non impedimentum libe. arbit. quod est ex parte creaturæ vertibilis in malum.

ARTICVLVS II.

Ad quid Deus mala fieri permittat? num. s. ad ostensionem suæ potentiæ, sapientiæ, benignitatis, vel iustitiæ?

AD secundum, quare Deus permittit mala fieri. Permissio enim diuina cum sit actio, vt supra habitum est; actio vero principaliter respicit vel ostensionem potētiæ diuinæ, vel sapientiæ; vel benignitatis, vel iustitiæ, quæritur ergo ad quod illorum principaliter ostendēdum sit permissio mali? Et videtur, quod sit ad ostensionem potentiæ: plus enim est posse, cum ex bonis eliciuntur bona, & ex malis bona; quam cum ex bonis tantum.

¶ Item, posse super bona & super mala, est amplius posse, quam super bona tamen: sed posse super mala, non esset, nisi Deus permitteret mala fieri; quia non essent mala: ergo permissio mali est ad ostensionem potentiæ.

¶ Quod autem sit ad ostensionem sapientiæ, habetur per hoc, quod dicit Isido. *Non permitteret Deus mala oboriri, nisi ex contrarijs malis natura bona decor eminere.* Sed pulchritudo est ad ostensionem ipsius sapientiæ: ergo permissio mali est ad ostensionem sapientiæ. Isid. in lib. de summo bono.

¶ Ad idem Aug. *Sicut contraria contrarijs opposita, sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur.* Et alibi. *Sicut pictura cum colore nigro suo loco posita: ita vniuersitas rerum (si quis posset intueri) cum peccatoribus pulchra est: quamuis per seipsos consideratos sua deformitas turpet.* Aug. 11. de ciuit. Dei Cap. 18. Item Cap. 23.

¶ Quod autem sit ad ostensionem benignitatis, haberi potest ex hoc: quod mali sunt ad exercitium iustorum: sed quod exercitentur iusti, hoc est benignitatis diuinæ, sicut patuit in Iob. *Dixit enim Sathan, mitte manum tuam, & tange os eius & carnem* [& postea dixit Dominus] *ecce in* Iob. 2.

manu

manu tua est; vbi notatur permissio diuina: ex malis autem illatis eius patientia probabatur. Et Isido. *Non amplius tentat diabolus, quam Dei voluntas permittat: tentando autem, sanctorum profectibus deseruit, & sic nolens vtilitati Sanctorum seruit diabolus: quando eos tentationibus suis non decipit, sed potius erudit.* Nam tentationes, quas ad humanum interitum mouet, Christus ad exercitium virtutum salubri vtilitate conuertit.

Isidorus in li. de summo bono

¶ Quod autem sit ad ostensionem iustitiæ; patet in Glo. super illud. *Non est ptãs nisi à Deo.* Iniustum non est, vt improbis accipientibus nocendi potestatem, malorum iniquitas puniatur.

Rom. 13.

¶ Præterea, mala pœnæ non essent, nisi mala culpæ præcessissent: sed non præcederent mala culpæ, nisi diuina permissione: ergo mala pœnæ per se sunt ad ostensionem iustitiæ: quod ergo permittit Deus mala culpæ fieri, hoc est ad ostensionem iustitiæ in pœnis. Vnde Aug. *Peccantes in supplicijs ordinantur; quæ ordinatio, quoniam naturæ eorum non competit, ideo pœna est: sed quia culpa conueniens, iustitia est.* Et iterum Aug. *Melius est ordinata natura, vt doleat pro peccato; quam vt gaudeat sine pœna.* Ex his enim colligitur, quod permissio malorum est ad ostensionem iustitiæ.

August. in lib. de natura boni. Item in li. de libero arbitrio.

RESOLVTIO.

Ad ostensionem omnium earum simul.

¶ Ad quod dicendum: quod permissio malorum est ad ostensionem omnium supradictorum; sed altera, & altera ratione. Ad ostensionem enim potentiæ est, vt super plura declaretur potentia diuina: non quod in hoc sit magna potentia. Ad ostensionem vero sapientiæ, vt bona decentius collocentur: collocatur enim tunc decentius, cum malo superfertur. Præterea, quia contraria iuxta se posita magis apparent; bonum, iuxta quod est malum, pulchrius apparet. Ad ostensionem vero benignitatis est permissio mali, vt in hoc natura laudetur; & per consequens author naturæ. Vnde Aug. *Cuius recte vituperatur vitium, proculdubio natura laudatur.* Sicut cum dicitur vitium oculorum cæcitas, id ostenditur, quod ad naturam oculorum visus pertinet: ita cum vitium rationalis creaturæ dicitur, quod non adhæret Deo; hinc declaratur eius natura, vt Deo adhæreat conuenienter. Ad ostensionem vero iustitiæ, vt nullum malum sit impunitum. Aug. *Melius ordinatur natura, vt iuste doleat in supplicio, quam vt impune gaudeat in peccato.*

Augu. 12. de ciuit. Dei.

Item de natura boni.

MEMBRVM V.

In quo malum sit?

QVINTO quæritur, in quo sit malum? Et habet tres Articulos. Primus, in quo sit malum simpliciter vt in subiecto. Secundus, in quo sit malum culpæ. Tertius, in quo sit malum, quod quidem est defectus naturæ.

ARTICVLVS I.

An malum in bono sit?

AD PRIMVM. Cum enim malum sit priuatio, malum est in aliquo sicut in subiecto, quod priuatur aliquo bono. Quærendum est ergo, cum malum non possit esse sine subiecto, vtrum sit in bono, vel in malo. Si enim est in bono: aut in bono, quod non potest corrumpi: aut quod potest corrumpi. Si in bono, quod non potest corrumpi: ergo non potest ei noceri: ergo malum non est in eo. Si in bono, quod potest corrumpi; opponitur malum ei: oppositum autem non est in suo opposito: ergo malum non est in bono.

¶ Item, quod malum non sit in bono, videtur dicere Diony. *Non est frigidum in igne, sic nec malum in bono.*

Dionys. in lib. de diuin. nominibus.

¶ Item, non est aliquid sibiipsi contrarium: sed si idem sit bonum & malum; aliquid sibi erit contrarium: non ergo idem est bonum & malum: sed si malum est in bono, idem diceretur bonum & malum: ergo idem sibi contrarium: sed hoc est impossibile: ergo malum non est in bono. Si vero est in malo, in infinitum esset abire: quod cum non sit: non videtur malum esse in subiecto: quia neque in bono, neque in malo.

¶ Quod autem sit in bono; Aug. *Malum est corruptio:* corruptio autem non seipsam corrumpit: ergo malum non corrumpit malum: & corrumpit bonum, vel malum: ergo corrumpit bonum: sed corruptio illa est minuendo: ergo bonum minuitur: sed cum bonum minuitur, adhuc bonum est: ergo malum est in bono.

August. in li. de moribus Manichæorũ

¶ Item, priuatio est in eo, quod priuatur: sed malum non priuat malum: ergo non est in eo, sicut quod priuatur: & est in aliquo: ergo in bono. Et hoc est, quod dicit Diony. *Bonum sustentificat suam priuationem.*

Dionys.

RESOLVTIO.

Ex sententia Beati Augustini, malum in bono est.

¶ Ad quod dicendum, per hoc quod dicit Augustinus quod malum est in bono, quod significat ijs verbis. *Mala ex bonis orta esse dicimus:* Et iterum. *Non potest esse malum nisi in aliquo bono: nec poterat esse aliud, vnde oriretur mali natura.* Nec est hoc contrarium ei, quod dicitur. *Væ his, qui dicunt, bonum malum, & malum bonum.* Ibi enim accipiuntur bonũ & malum, vt per se contraria: sicut dicimus de bonitate & malitia: vel de homine habente bonitatem, quod sit malus, & de habente malitiam, quod sit bonus. Hic autem cum dicitur, malum esse in bono; bonum accipitur pro bono naturæ: malum vero pro malo culpæ.

August in Enchiridio.

Isaia 5.

¶ Per hoc possunt solui ea, quæ obiecta sunt pro vtraque parte. Nam cum dicitur, bonum est contrarium malo per se; hoc intelligitur ratione boni in esse moris. Si vero dicatur, quod malum est contrarium bono naturæ: hoc est ratione illius partis boni, quam abijcit: & ratione illius non est subiectum. Et si dicatur, quod ei contrariatur, paulatim diminuendo: hæc contrarietas dicitur secundum alium modum, quam secundum illum, quo dicitur contrarium non esse in suo contrario: vel quod contraria nõ sunt simul in eodem: nec de eodem dicitur secundum hoc bonum & malum, prout bonum & malum sunt contraria: sed ei attribuitur bonum naturę: & quod ab eo tollitur, vel diminuitur bonum moris, vel bonum naturæ in parte.

¶ Ad hoc autem, quod supra obijcitur authoritate Diony. Dicendum, quod loquitur ibi de bono, quod est per se contrarium malo: sicut virtus est contrarium vitio: neque enim virtus est in vitio, neque vitium in virtute.

¶ Et per hoc etiam soluitur inconueniens, quo dicitur esse idem bonum & malum: nam si bonum, quod est virtus, esset subiectum vitij; idem diceretur tunc bonum & malum. Non sic autem accipimus, cum dicimus; malum esse in malo: sed bonum secundum quid, est malum alio modo.

ARTICVLVS II.

In quo sit malum culpæ.

DEINDE supposito, quod malum sit in loco: cum sit malum culpę, & malum quod est defectus naturę, restat quærere adhuc de malo culpæ, in quo sit. Malum culpæ cum sit illud, propter quod aliquid dicitur culpabile: culpabile autem non est nisi voluntarium: erit ergo malum culpæ in voluntate: voluntas autem in ipso libe. arbi. quod dicitur facultas voluntatis & rationis: ergo malum culpæ erit in lib. arb. tanquam in subiecto.

¶ Quod non, videtur: distant enim naturaliter agens & recipiens; & faciens, & illud in quo fit. Sed liberum arbitrium est causa efficiens mali, sicut habitum est: ergo libe. arbi. non est, in quo sit malum: non ergo est subiectum mali.

¶ Quod etiam per simile apparet: non enim ignis caliditatem facit in se, sed in aere: & ita est in alijs: Et si in se, secundum alterum est efficiens, & secundum alterum recipiens.

¶ Præterea, diuersæ sunt vires ipsius animæ, vtpote ratio, & voluntas: sed secundum rationem contingit errare: error autem malum est culpæ: ergo malum culpæ est in ratione.

¶ Item, sicut dicit Aug. *Duplex est portio rationis: vna superior, altera inferior:* sed secundum vtramque contingit esse

August. de Trinitate Lib. 12 c.

defectum culpabilem (*vna enim comparatur viro, & altera mulieri*: sicut dicitur. 12. de Trinitate.) ergo cum malum culpæ sit defectus culpabilis: malum culpæ est tam in superiori parte rationis, quam in inferiori.

Item de eadem 12.

¶ Quod autem sit malum culpæ in synteresi, videtur p hoc, quod dicit B. Greg. super illud Ezechiel. *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, vbi dicitur. Hanc præcipitare videmus, & amittere locum suum: sed præcipitatio est per peccatum: ergo in synteresi est malum culpabile.

Gregor. super Ezechiel.

¶ Item, videtur esse malum culpæ in intellectu: quia malum culpæ opponitur fidei: sed opposita sunt in eodem, tanquam in subiecto; fides autem est in intellectu: ergo malum culpæ, quod opponitur illi, erit in intellectu.

¶ Item, videtur esse in sensualitate: primus enim motus, qui dicitur esse serpens, secundum Aug. est in sensualitate. (Distinguit enim in Lib. de Trinitate suggestionem diaboli, per serpentem: & primus motus dicitur, qui est in sensualitate & delectatione, quæ est in muliere: & consilium in viro: vt mulier dicatur inferior portio rationis, superior vero comparetur viro) sed primus motus est mali culpæ: ergo malum aliquod culpæ est in sensualitate: sed differt lib. arb. ab intellectu, à synteresi, & à sensualitate: ergo non tantum est libe. arbi. subiectum mali culpæ.

August.

¶ Item, si malum culpæ inest lib. arb. vel alteri potentiæ ipsius animæ, & non inest alijs viribus, siue potentijs: ergo aliqua ratio est ex parte lib. arb. propter quam conuenit ei malum culpæ; & non conuenit alijs viribus: cum in alijs contingat esse defectus.

¶ Præterea, cum lib. ar. sit facultas rationis & voluntatis; & non conueniat vtrique malum culpæ per se; sed potius voluntati: propter quid dicitur conuenire voluntati, potius quam rationi: cum rationem contingat esse rectam, & non rectam, sicut & voluntatem?

RESOLVTIO.

Malum culpæ sicut à libero arbitrio est vt ab agente: ita & in eo est, vt in recipiente.

¶ Ad quod dicendum: quod malum culpæ est in lib. arbi. non tantum vt agente, sed etiam vt recipiente.

¶ Et cum obijcitur, quod differt agens à recipiente. Respondetur, quod intelligitur; vbi sunt veræ actiones, & veræ passiones. Hic autem, quia per quendam modum loquimur de actione & passione, agens differt à patiente secundum rationem: vnde quod dicatur agens, hoc est ratione eius, quod est formale in ipso: quod dicatur patiens, hoc est ratione eius, quod est materiale: & sic ad differentiam est reducere.

¶ Ad secundum dicendum, quod loquitur ibi de vere actionibus & vere passionibus, cum dicitur; ignis agit in aera: hic autem non est simile.

¶ Ad tertium vero dicendū, quod sunt differentes vires in anima, secundum quas sunt actus. Sunt enim vires partis irrationalis tum cognitiuæ, tum motiuæ. Secundum cognitiuam non est motus culpabilis, nisi inquantum motus ille est ex lib. arb. imperante: vt si ex lib. arb. defigatur intuitus ad mulierem, ad quod sequatur delectatio illicita: secundum se autem non. Secundum motiuam vero dupliciter est attendendum. Est enim quædam motiua, quæ respicit tantum ea, quæ sunt naturæ sensibilis, præter ordinem ad rationem, quomodo dicitur phantasia esse motiua: & secundum hunc modum iterum non est malum culpæ. Est iterum motiua, quæ respicit illicitum rationi, vel licitum: & in hac contingit esse malum culpæ, non in se, sed in ordine ad rationem: & hoc modo dicitur esse primus motus in sensualitate: sensualitas enim dicit quiddam mixtum ex motiua sensibili, & rationali. Sunt iterum vires partis rationalis, & has contingit esse dupliciter cognitiuas, & motiuas. Cognitiua autem contingit esse dupliciter. Vel cum admiscetur cum motiua in suo actu: sicut est in hoc actu, credere, vel assentire: & tunc si fiunt contra ea, quæ sunt conuenientia, vel inconuenientia rationi, contingit esse malum culpæ: sicut est in infidelitate. Si vero fuerit non adiuncta motiuæ, sed in se pure considerata; non erit in ea malum culpæ: cum eius inclinatio tantum sit in verum. Si vero fuerit motiua, aut naturalis, aut non naturalis: sed ex apprehensione præcedenti. Si naturalis, secundum eam non est malum culpæ. Si vero est ex apprehensione præcedente in id, quod est licitum, vel illicitum; aut est motiua per modum imperij: & sic malum culpæ est in lib. ar. aut per modum appetitus: & sic est in voluntate: aut per modum consilij: & hoc dupliciter: deliberantis, vel diffinientis per electionem: si deliberantis non est in ea malum culpæ: si diffinientis per electionem; est in ea malum culpæ.

¶ Per hæc possunt solui ea, quæ obiecta sunt: & ad primum obiectum sic. Est enim rationem accipere dupliciter: vt cognitiuam pure: & sic non est in ea peccatum. Vel motiuam: & secundum hoc contingit dupliciter: vel deliberando; & sic non est iterum in ea malum culpæ: aut diffiniendo per electionem: & sic est in ea. Vnde cum dicitur esse superioris partis rationis, vel inferioris, hoc est ratione diffinitionis per electionem: inferior enim præelegit delectationem illicitam, & superior consentit.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de synteresi, quod in ea est malum culpæ. Dicendum, quod non: cum non sit vis motiua naturalis à malo vel in bonum. Quod autem dicitur præcipitari: hoc non est quia ipsa peccet: sed quia ipsa non habet effectum suum omnino; cum lib. ar. obduratur in peccato.

¶ Ad aliud, quod obijcitur de intellectu circa credenda. Dicendum, quod ibi est cognitiua mixta cum motiua, ratione cuius dicitur malum culpæ esse in non credendo, quod credendum est: vel discernendo: sed hoc per se refertur ad motiuam, materialiter vero ad cognitiuam.

¶ Ad illud, quod obijcitur de sensualitate. Dicendum, quod si sensualitas acciperetur pro sensualitate, vt pure esset irrationalis partis, nullatenus esset in ea peccatum. Et si dicatur esse malum culpæ in ea; hoc est propter rationem admixtam, cuius per se dicitur malum culpæ.

¶ Ad illud vero, quod postea obijcitur de libero arbitrio; quare potius dicitur malum culpæ esse in lib. arb. quā in alijs viribus. Respondendum, per hoc quod dicitur in Lib. quinque Responsionum: dicitur enim ibi, quod ideo dicitur liberum arbitrium, quia in sua sit positum potestate agendi, quod velit, vel non agendi; & agendi sic vel sic. Item in eodem Lib. dicitur, quod potest facere quodlibet: vt hoc quod dicitur [*quodlibet*] commune sit ad bonum & ad malum. Hac ergo ratione dicitur malum culpæ esse in libe. arb. non eo quod habet libertatem communem cum Deo: sed ratione flexibilitatis proprię: quæ est ex eo quod est ex nihilo. Et ideo dicitur in Lib. de lib. arb. *defectus mali, quoniam est voluntarius, in nostra positus est ptāte:* hæc autem potestas est ipsa libe. arbi. facultas: quia vero hæc sola vis habet sic potestatem ad opposita, ideo cum refertur motus eius ad illicitum, siue ad indebitum, dicetur culpabilis. Vnde August. *Quid opus est quærere, vnde motus exsistat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum: cum non nisi animi, & voluntarium motum, & ob hoc culpabilem esse fateamur.*

Aug. in lib. de libero arbitrio.

Item in eodem.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod malum culpæ plus dicitur esse in voluntate, quam in ratione: inclinatio enim voluntatis proxima est ad indebitum: inclinatio vero rationis remotior: ratio enim præelegit, voluntas vero præelectum appetit. Quod autem principaliter sit in voluntate, dicit Aug. *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et infra. *Postremo si non voluntate male facimus, nemo obiurgandus est omnino, aut monendus: quibus sublatis, Christiana lex, & disciplina omnis religionis vt auferatur, necesse est.* Ex quo patet, quod malum culpæ principaliter est in voluntate. Hoc etiam apparet ex ratione vitij, quam ponit August. *Vitium primum animæ rationalis est voluntas faciendi ea, quæ vetat summa & intima veritas.*

Item in libro de vera religione cap. 14.

Item in eodem libro.

ARTICVLVS III.

In quo sit malum, quod defectus naturæ dicitur.

Consequenter quæritur, in quo sit malum, quod est defectus naturæ. Cum enim malum non subsistat sine bono; necesse est aliquod bonum esse, in quo sit malum, quod est defectus naturæ. Hoc autem non videtur esse bonum naturæ, cum ei opponatur: oppositum enim per se non est in suo opposito. Nec iterum bonum voluntatis, cum bonum voluntatis, sit posterius bono naturæ: nec est commune omnibus, in quibus est defectus naturæ.

¶ Præterea, malum quod est defectus naturæ, aliquando minuit naturam: & tunc potest adhuc remanere in bono: cum autem omnino tollit naturam, nullum habet bonum, in quo fundetur. Ergo non videtur malum naturæ esse in aliquo subiecto vniuersaliter.

¶ Contra, malum quod est defectus naturæ; cum sit defectus, est in deficiente: deficiens vero dicitur, quod est: quod autem est, bonum est: ergo defectus est in bono: sed non est bonum creatum prius bono naturæ: ergo malum illud est in bono naturæ.

RESOLVTIO.

In eo, in quo boni illius priuationem inducit.

¶ Ad quod dicendum, quod malum illud est in bono; secundum quod malum sonat in priuationem: nec est in illo bono, quod priuat; sed in illo, in quo priuationem inducit. Si vero quæratur de malo, quod tollit omnino bonum: hoc non est malum, quod est priuatio: sed malum, quod sonat in negationem: vt sicut esse, & esse bonum cõuertuntur: ita & non esse, & malum. Vnde mors dicitur dupliciter: vel ipse defectus morientis: & secundum hoc dicit priuationem proprie. Vel defectus, qui est in mortuo: & secundum hoc sonat in non esse in illo genere: ei enim quod est non esse, est oppositum. Nullatenus enim potest intelligi malum, nisi ex intellectu boni: & semper quandam relationem habet ad bonum præexistens, & sic semper est vel vt priuatio, vel vt negatio in bono. Malum enim vtroque modo nocet: & quod nocet, non inest, nisi illi, cui nocet: nocet autem bono naturæ: ergo est in bono naturæ. Vnde bonum naturæ potest esse sine malo: sed non è conuerso. Vnde Aug. 12. de ciui. Dei. Sola bona alicubi esse possunt: sola vero mala nusquam.

MEMBRVM VI.

An malum sufficienter diuidatur per malum culpæ, & pœnæ.

Sexto quæritur de diuisione mali per malum culpæ, & malum pœnæ, & si quæ est alia differentia. Quod autem sit malum culpæ, & malum pœnæ; habetur ab Aug. *Geminum est creaturæ rationalis malum, id est vnum, quo voluntarie deficit à summo bono: alterum, quo in vita punitur ignis æterni supplicio.* Sed vnum est malum culpæ, alterum malum pœnæ: ergo videtur, quod in rationali tantum sunt duæ differentiæ malorum. (Augu∫t. in libro de fide ad Petrum.)

¶ Similiter in principio Lib. de lib. arb. vbi ostendit, quod vnius mali non est Deus autor: alterius vero est autor. (Item de libero arbit.)

¶ Præterea, malum est defectio: defectio autem omnis, vel est voluntaria, vel inuoluntaria: ergo omne malum vel est defectio voluntaria, vel inuoluntaria. Sed defectio voluntaria est malum culpæ, defectio inuoluntaria est malum pœnæ: ergo omne malum vel est culpa, vel pœna ad minus in rationali creatura.

¶ Contra, vnaquæque creatura quantum est de se, defectibilis est, si sibi relinquitur. Vnde Aug. *Causa subsistendi omnis creaturæ est virtus omnipotentis, quæ si aliquando cessaret ab eis, quæ creata sunt, regendis; omnis species naturaque concideret.* Ergo res creatæ si sibi relinquerentur, deficerent: defectus autem ille non est malum culpæ: cum sit communis omni creaturæ: nec est malum pœnæ: ergo cum iste defectus sit malum, non omne malum est malum pœnæ, vel malum culpæ. Quod enim non sit malum pœnæ, patet per hoc: quod malum pœnæ posterius est malo culpæ: sed hoc si est, prius est: ergo non est malum pœnæ. (Item lib. 4 super Genes.)

¶ Præterea, tentatio est malum: & non est malum culpæ: cum præcedat malum culpæ tanquam cã eius: nec est malum pœnæ: cum malum pœnæ sit sequela mali culpæ, tentatio vero præcedat malum culpæ: ergo tentatio non est malum pœnæ.

RESOLVTIO.

Sufficienter quidem, saltem pro natura rationali.

¶ Ad quod dicendum, quod omne malum, quod est in rationali creatura; aut est malum culpæ, aut pœnæ. Rationalis enim creatura constituta à Deo est sic, vt si velit, conuertatur ad Deum: si velit, auertatur: si vero auertatur voluntarie, subijcietur pœnæ inuoluntariæ. Si vero obijciatur, quod est natura corruptibilis in se, sicut & aliæ naturæ inquantum sunt ex nihilo: illa aũt corruptio siue defectus non est malum culpæ, vel pœnæ. Resp. quod aliter est in natura rationali, & in alijs. Nam in creatura rationali licet corruptibilis esset, id est potens corrumpi: non tamen corrumperetur, nisi præcedente peccato: & ita corruptio illa est malum pœnæ. In aliis vero creaturis non sic est, quæ nõ sunt ordinatæ ad perpetuitatem vitæ: vnde de se hñt defectum: & quædam illarum deficiunt, quædam non: quod autem quædam non deficiunt, cum possint; hoc est per virtutem diuinam contentiuam, quæ ordinat res illas ad aliquod perpetuum. Potest ergo in alijs creaturis esse aliquis defectus naturæ, qui nec est culpabilis, nec pœnalis: in homine autem nullus est, nisi altero istorum modorum. Vnde Aug. *Nullus de vitiis naturalibus, sed de voluntariis pœnas luit. Nam quod vitium consuetudine, nimioue progressu roboratum, velut naturaliter inoleuit; à voluntate sumpsit exordium. De vitiis quippe loquimur eius naturæ, cuius mẽs inest capax intellectualis lucis, qua discernitur iustum ab iniusto. Cæterum vitia pecorum, arborum, aliarumque rerum mutabilium: quibus eorum natura dissolubilis corrumpitur; damnabilia putare, ridiculum est.* Ex hac autoritate patent differentiæ malorum. (Aug. 12. de ciuit. Dei.)

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de tentatione. Dicendum, quod tentatio non dicitur esse malum, nisi occasionaliter: tentatio enim est bonum tentato, si non succumbit: vnde de se non dicit malum, sed est occasio mali: defectus autem ille, qui est in eo, quod acquiescit tentationi, vel sequitur tentationem; est malum culpæ: hoc enim est primum malum creaturæ rationalis: sicut dicit Aug. Si vero dicatur de tentatione actiua: ipsa est malum culpæ in tẽtante; cum tentat ad seductionem: non enim tentatio ratione gñis est malum: sed cum ad hunc finem ordinatur. Quod autem tentatio, qua tentatur aliquis; de se non sit malum: habetur super illud. *Datus est mihi angelus satanæ &c.* Glo. *tentatio, cum non consentit, non est peccatum: sed materia exercendæ virtutis.* Hoc autem intelligendum est de tentatione, quæ fit ab hoste, secundum quod ibidem dicitur. Nam si fit à carne, vel est peccatum, vel cum peccato veniali. Item, fuerunt, qui dixerunt hanc differentiam esse mali: vt quoddam esset malum culpæ: quoddam malum damni quoddam malum pœnæ: ponentes malum culpæ contra bonum, quod est honestum: malum vero damni contra bonum conferens: malum vero pœnæ contra bonum delectabile. Sed videtur non conueniens diuisio. Malum enim damni est malum pœnæ: cum sit inflictum pro malo culpæ: quod patet in malo damni, quod est carentia visionis Dei, quod infligitur pro peccato originali: sed quod infligitur pro peccato, est malum pœnæ: ergo malum damni est malum pœnæ. Hoc etiam accipitur ex hoc, quod dicit Augu. quod malum pœnæ est defectio inuoluntaria: sed hæc ratio conuenit malo damni: ergo malum damni est malum pœnæ. Præterea, punitur aliquis dupliciter: vel in subtractione bonorum, quæ habuit, vel habere potuit: vel in præsentia malorum. Sed cum punitur in subtractione bonorum, quæ habuit, vel habere potuit, malum damni dicitur: ergo malum damni continetur sub malo pœnæ. Item, non recte opponitur malum damni bono conferenti. (Augu∫t. ibid. / 2. Cor. 12. Glossa. / Augu∫t. in libro de libero arbitrio.)

ferenti. Cum enim carentia visionis diuinę opponatur pręsentiæ visionis diuinæ, pręsentia autem visionis diuinæ cōtinetur sub bono, quod est honestum: eo quod est propter se appetendum: ergo malum damni, quod est carentia visionis diuinæ, opponitur honesto. Similiter malum damni, quod est spoliatio gratuitorum, opponitur habitui virtutum: sed habitus virtutum in genere honesti continetur: ergo malum damni non opponitur tantum bono conferenti, sed etiam bono, quod est honestum.

¶ Ad quod dicendum, quod malum pœnæ dupliciter accipitur. Vno modo, prout commune est ad omne, quod inflictum est pro peccato: & secundum hoc continet in se malum damni. Alio modo, prout appropriatur præsentiæ alicuius entis afflictiui, siue tristabilis: sicut dicitur ignis gehennæ, vel ignis purgatorius, vel tribulatio aliqua in præsenti afflictiua, siue contristans: & secundum hoc è diuerso diuiduntur malum damni & malum pœnæ: & sic vtuntur Magistri cum dicunt, quod paruuli, qui decedunt in originali peccato, malum habent damni: sed non habent malum pœnæ sensibilis. Augu. vero vtitur malo pœnæ, communiter.

Item. ¶ Ad aliud vero dicendum, quod conferens non tantum opponitur malo damni, sed etiam bono, quod est honestum. Si tamen restringeretur malum damni ad ea, quæ ducunt in finem, & non ad priuationem ipsius finis: posset tunc malum damni bono conferenti opponi.

¶ Sed est alia ratio istarum differentiarum: malum enim culpæ opponitur bono virtutis, siue meriti. Malum vero damni, & malum pœnæ continent in se duo genera malorum inflictorum. Malum enim inflictum vel sumitur ex carentia boni, vel ex præsentia afflictiui alicuius & ita malum inflictum ex absentia boni conuenientis, dicitur malum damni: ex præsentia vero boni disconuenientis, quod contristat; dicitur malum pœnæ.

MEMBRVM VII.

An malum ordinatum sit?

SEPTIMO quæritur de ordine mali. Vtrum videlicet malum sit ordinatum, vel non. Quod non, sic ostenditur. Malum est priuatio modi, speciei, & ordinis: ergo priuat ordinem: sed quod priuat ordinem, non est ordinatum: ergo malum non est ordinatum.

Dionys. ¶ Item, Diony. *Malum est defectus, & deformitas, & inordinatum, & immoderantia.* Sed quod tale est, non est ordinatum: ergo malum non est ordinatum.

¶ Item, bonum & malum opponuntur: ordinatum & inordinatum opponuntur: sed bonum & ordinatum conuertuntur (omne enim bonum est ordinatum; & econuerso) ergo malum est inordinatum.

Genes. 1. ¶ Ad idem, cum dictum est. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona*: in hoc comprehenditur quicquid est in vniuerso: sed malum nondum erat: ergo non pertinebat ad vniuersum: & hoc dicitur ordinatum, quod ad vniuersum pertinet: ergo malum non est ordinatum.

Aug. lib. 3. super Genes. ¶ CONTRA Aug. *Ea, quæ peccando amittunt decus proprium, nullo modo efficiunt, vt non etiam ipsa recta sint ordinata.*

Item de ciuit. Dei lib. 11. ¶ Item, August. *Sicut Deus bonarum naturarum optimus est creator: ita malarum voluntatum iustissimus ordinator.* Ergo malum est ordinatum.

Item in 1. libro retractationum. ¶ Item, Aug. *Quamuis omnia deficientia sic ordinentur, vt ibi sint, vbi congruentissime possint esse: illi, qui non recurrunt ad Deum, congruentissime in pœna sunt.*

¶ Item, omne illud, quo bene vtitur Deus, ordinatū est: sed malo bene vtitur Deus: ergo malum ordinatum est. Item libro de prædestinatione sanctorum. Quod autem bene vtatur Deus malo, dicit August. *Nouit Deus bene vti malis; non vt ei prosint vasa iræ; sed vt ipso illis bene vtente, prosint vasis misericordiæ.* Et post sequitur. *In malorum potestate est peccare; vt autem peccando, hoc vel hoc malitia faciant; non est in eorum potestate: sed Dei, diuidentis tenebras, & ordinantis eas.*

RESOLVTIO.

Malum ordinatum est, sed non ratione qua malum: nisi secundum oppositionem ad bonum.

¶ AD quod dicendum, quod malum non secundum rationē mali est ordinatum; nisi ordine, qui est secundum oppositionem. Est enim ordo ad superius, & inferius, & ad oppositum: malum ergo inquantum malum, est ordinatum ad suum bonum per oppositum: sicut habetur. *Cōtra bonum est malum, & contra vitam mors*: ordinatum autem est ad bonum, secundum quod ex eo elicitur bonum: & secundum quod diuersimode elicitur, diuersimode habet rationem conferentis. Eccles. 33.

¶ AD illud, quod primo obijcitur, quod malum non est ordinatum. Dicendum, quod malum cum sit priuatio ordinis, non habet illum ordinem, quem priuat: sed quendam ordinem priuat, & alium relinquit: aliter enim esset processus in infinitum.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod malum dicitur inordinatio, ratione malitiæ, quæ priuat ordinem rectum ad summum bonum: quod est efficiens causa, & finalis illius causa: malum vero & si non habeat illum ordinem, quia non est à summo bono; non tamen est omnino præter illum.

¶ Ad tertium dicendum, quod cum dicitur malum inordinatum, hoc est, quia priuat quendam ordinem, scilicet ordinem inhærentem ei, quod causatur à summo bono. Et cum dicitur, quod malum ordinatur ad bonum: ordo potius iste est in illo bono, quam etiam in isto malo: nihilominus tamen sicut malum est secundum * quòd bonum, ita quod ad hoc habet ordinem. Attendendum est autem, quod ordo dicitur dupliciter. Vel alicuius particularis boni, quod priuatur à malo: & illo ordine non ordinatur malum. Vel dicitur ordo vniuersi, & hoc ordine ordinatur malum. * Alias, quod.

¶ Si obijciatur, quod malum est præter illud vniuersum, de quo dicitur: quod cuncta erant valde bona. Dicendum, quod est accipere illud vniuersum pro illo statu, in quo conditum est: & sic ad ipsum non pertinet malum. Vel pro statu, in quo nunc est: & sic malum pertinet ad ordinem vniuersi. Sed aliter malum culpæ, aliter malum pœnæ, malum enim culpæ secundum accidens ordinatur, sicut dicit Dionys. malum pœnæ per se. Dionys.

MEMBRVM VIII.

De oppositione mali.

OCTAVO quæritur de oppositione mali. Circa quod quæruntur hæc. Primo, vtrum malum opponitur bono increato. Secundo, vtrum opponitur bono creato. Tertio, cui bono creato, naturæ, vel gratiæ. Quarto, si opponitur bono naturæ; vtrum sit idem bonum naturæ, quod ei opponitur, & quod ei substernitur. Quinto, vtrum bonum naturæ, quod minuitur per malum; sit finitum, vt omnino possit tolli, vel infinitum?

ARTICVLVS I.

An malum bono increato. s. Deo contrarium sit?

PRIMO ergo quæritur. Vtrum malum opponitur bono increato. Et videtur, quod sic, per hoc quod dicit Aug. *Vitium, quo resistunt Deo, quod eius appellantur, inimici, non est Deo, sed ipsis malum.* Et post sequitur. *Vitium illud contrarium est Deo, tanquam malum bono: natura vero, quam vitiat, non tamen malum, sed etiam noxium.* Ergo malum est contrarium bono summo, siue Deo. Aug 11. de ciuit. Dei.

¶ Præterea, aliquod est malum, quo non est malum deterius: sed illud malum, quo non est aliquod malum deterius, dicitur esse summum malum: sed summum malum opponitur summo bono: ergo malum est contrarium summo bono.

¶ Item: quorum effectus sunt contrarij, ipsa sunt contraria: sed boni est saluare (& hoc maxime summe boni) mali vero est corrumpere: ergo bonum & malum sunt cōtraria: & summum bonum est terminus boni: ergo summū bonum & malum sunt contraria. Quod autem bono

sit con-

fit contrarium malum, habetur ex hoc quod dicit Dionyf. *Bono malum est contrarium bonorum vero causa est ex vna causa, mali vero sunt causæ multæ.* Ex quo arguitur quod malum est contrarium summo bono.

¶ CONTRA, esse contrarium non habet nisi non esse: sed malum non est omnino non esse: ergo malum non est contrariũ ipsi esse, sed Deus est causa ipsius esse & summè ens: ergo malum non est contrarium summo bono.

¶ Item, omne contrarium natum est nocere suo contrario, sed malum non potest nocere summo bono: ergo malum non est contrarium summo bono.

¶ Item, nihil est ita summe malum, quod nõ habeat de bono, non enim est summe malum, cui bonum admittit, dum nocetur, nec summum bonum, quod deficere à bono potest: sicut dicit Aug. Ergo malum non est contrarium summo bono: habet n. in se aliquid, quod est à summo bono: contrarium vero nihil habet à suo contrario.

¶ Item, *bonum sustentificat sui priuationem:* sicut dicit Dionys. sed causa boni est summum bonum: ergo summum bonum dat effectiue substantiam, vel esse ipsi malo: ergo malum non est contrarium ei: effectus enim, vel in quo saluatur effectus, non contrariatur suæ causæ.

RESOLVTIO.

Malum summo bono contrarium est, verum non ratione eius in se, sed ratione effectus.

¶ AD quod dicendum, quod contrarium dicitur dupliciter: vel ratione alicuius in se: vel ratione sui effectus. Malum autem non est contrarium summo bono ratione eius in se, sed ratione effectus. Et ideo dicit Augu. *Bonum est natura, quam vitiat malum. Vnde huic bono malum est contrarium: natura n. quam vitiat, non tantum est malum, sed etiam noxiũ.* Est ergo quædã oppositio ratione eius, quod dico [*bonum & malũ*] & alia oppositio ratione eius quod dico [*noxium & conueniens.*] Ratione ergo boni & mali dicitur oppositio inter summum bonum & malum: ratione vero noxij & conuenientis malum & bonũ circa creaturam oppositionem habent. Malum ergo dicitur esse cõtrarium summo bono; quia dissimile est ei in hac intentione, & respectu effectus eius habet oppositionem.

¶ PER hoc patet, qualiter respondendum est ad primũ obiectum in contrarium. Si n. accipiatur [*contrarium*] pro omnino opposito, sicut dicitur illud quod est secundum negationem, oppositum affirmationi: hoc modo non est malum contrariũ bono. Si vero accipiatur contrariũ, pro eo q est priuatiuè oppositũ: sdm quod priuatiuè opposita nata sunt fieri circa idem: nec sic dicetur malum contrariũ summo bono: non n. nata sunt fieri circa idem. Si vero accipiatur contrarium, sdm quod contraria nata sunt fieri vicissim in eodem subiecto, nec sic dicetur malum contrariũ summo bono. Si vero dicantur contraria, quorum vnum remouetur ab altero, nec vnum põt conuenire alteri: secundum hunc modum summum bonum non est malum; nec malum est sumũ bonum, & sic sunt contraria. Ratio aũt proposita processit, sdm quod malum opponitur priuatiue bono, & nihilominus habet bonum sibi substratum siue ens.

¶ AD secundum obiectum dicendum, quod contrariũ, prout dicitur priuatiue oppositum contrarium: vel quod est actiuum vel passiuum à suo contrario: sdm hoc contrarium nocet contrario. Secundum autẽ quod contrarium dicitur disparatum, cum non conueniant ad idem subiectum, nec vnum põt nocere alteri: eo quod alterum non sit passiuum ab altero: sic dicendo contrarium, vnum cõtrarium non nocet alteri. Et per hunc modum* contrarium dicitur malum summo bono, secundum alterum vero modum non dicitur* secundum quem procedit ratio.

¶ AD tertium vero dicendum, quod summum malum dicitur dupliciter. Vel quo non est deterius; & secundum hunc modum cõparatione ad alia dicitur diabolus summe malus. Vel quo deterius non potest esse: & sic diabolus cum possit esse deterior, quam sit; non est summe malus. Dicitur etiam summe malum, quod nihil habet de bono, & secundum hunc modum nihil est sumẽ malum, secundum primum vero modum contingit. Si vero dicatur summe malum eo modo, quo dicitur summe nigrum: sicut summe nigrum contrarium est summe albo: sic summe malum contrarium esset summo bono, sed non sic se habet summe malum; non enim sicut summe nigrum remouet à se penitus album: ita summe malum remouet à se penitus bonum. Vnde Beatus Augustin. qui ponebant summum malum, & ponebant esse sicut quandam naturam; sic obijcit. *Si summum malum est natura, & summum malum est, quod nihil habet de bono: bonum autem & esse conuertuntur: ergo summum malum nihil habet de esse, ergo non est natura. Præterea, si summum malum natura est, & ratione naturæ habet aliquid boni, ergo summum malum habet aliquid boni.* Restat ergo, quod non dicetur sic summe malum, sicut dicitur summe nigrum, & ita malum non dicetur esse contrariũ summo bono eo modo, quo dicitur nigrũ esse contrarium summe albo. Aliter n. est in his contrarijs, & illis: nam ibi dicuntur esse contraria magis & minus, secundum quod plus accedunt ad suum proprium terminum, vt album ad maxime album, & nigrum ad maxime nigrum: hic autem dicitur malum magis & minus secundum maiorem recessum vel minorem à bono: bonum vero magis vel minus secundum accessum maiorem ad summum bonum.

¶ AD quartum obiectum dicendum: quod malum non est contrarium summo bono, sicut omnino noxium illi: licet sit contrarium secundum reliquum modum iam dictum. Vnde licet malum opponatur priuatiue bono particulari, quod destruit; non tamen bono, à quo capit substantiam: & si illi aliquo modo contrarietur, quia minui potest per ipsum; non tamen summo bono, quia nullatenus potest corrumpi, vel minui per ipsum. Summum enim bonum cum sit incorruptibile, eo quod est sumũ; non est passiuum, nec respectu alterius corruptiuum, & ideo non est receptiuum priuationis: si enim non est receptiuum habitus, vel alicuius boni, multo fortius non est receptiuum priuationis vel mali. Ex iam dictis patet, quod cum bonum & malum sint contraria, & cum aliquo modo malum sit contrarium summo bono; secundum alium modum non est ei contrarium.

ARTICVLVS II.

An malum bono creato contrarium sit?

SECVNDO quæritur: Vtrum malum opponatur bono creato.

¶ AD quod sic: non dicuntur contraria, quorum alterum sustentificat alterum: bonum vero sustentificat malum: ergo bonum creatum, & malum non sunt contraria.

¶ CONTRA, malum nocet bono creato, & quod nocet bono creato, dicitur ei contrarium: ergo malum & bonum creatum sunt contraria.

RESOLVTIO.

Vtique: sed non ita vt vicissim permutentur. Nisi intelligatur de bono, & malo in habitibus.

¶ AD quod dicendum, quod contrarium dicitur dupliciter: sicut supra habitum est. Vno enim modo dicitur contrarium, quod vicissim permutabile est in eodem subiecto: & hoc accidit per hoc, quod vicissim vnum nocet alteri: & secundum hoc bonum creatum & malum non dicuntur contraria, quia hæc inuicem non sibi nocent: bonum enim non nocet malo. Alio vero modo dicitur esse contrarium alicui alteri, cum alterum nocet alteri; sed non vicissim permutatur in subiecto; & secundum hoc malum est contrarium bono, in quo etiam sustentificatur: & secundum hæc procedit ratio prædicta. Nihilominus tamen est bonum quoddam, quod opponitur malo vicissim: vt pote bonum in habitibus bonis, & malum in habitibus malis, quæ quidem in creaturis rationalibus siue rationabilibus sibi inuicem succedunt.

* *
*

Marginal notes (left): ...c. in ... de diu. nominibus. — August. de moribus Manich. Lib. 2. c. 3. tom. 1. — Dionys. — August. 11. de ciuit. Dei. — *Alias passiuum malũ dicitur summo bono contrarium — *Alias, sed quẽadmodum procedit ratio

Marginal notes (right): August. cõtra Manichæos. — Art. immediate præcedenti in resolutione.

ARTICVLVS III.

An idem malum sit, quod bono gratia, & bono natura opponitur?

DEINDE quæritur, cum malũ opponatur bono creato: Vtrum idem sit malum, quod opponitur bono gratiæ, & bono naturæ? Quod sic, videtur: malum opponitur bono gratiæ: non enim possunt simul inesse, & commune habere subiectum, cui inuicem succedunt (& intelligitur hoc de malo culpæ) sed malum culpæ est corruptio modi, speciei, & ordinis: hoc autem opponitur bono naturæ: ergo malum idem opponitur bono naturæ, & bono gratiæ.

¶ Contra, bono naturæ opponitur malum pœnæ, bono gratiæ opponitur malum culpæ, non autem idem est malum pœnæ, & malum culpæ, nõ ergo malum idem opponitur bono gratiæ, & bono naturæ. Quod autem malũ pœnæ opponatur bono naturæ, patet per hoc, quod malum pœnæ est vulneratio bonorum naturalium, sed vulneratio bonorum naturalium opponitur bono naturæ, ergo malum pœnæ opponitur bono naturæ.

RESOLVTIO.

Nequaquam proximè: sed communiter, & adhuc per prius & posterius.

¶ AD quod dicendum, quod non est idem malum, quod opponitur bono gratiæ, & bono naturæ, vt tangatur proxima oppositio. Si vero dicatur idem malum, quod vni per se & primo opponitur; alteri vero per consequens: secundum hoc malum culpæ dicetur opponi bono gratiæ & virtutis, & bono naturæ. Nam primo & per se opponitur bono gratiæ & virtutis: secundario vero opponitur bono naturæ, quia est causa vulnerationis bonorum naturalium.

¶ Cum autem dicitur, malum est corruptio modi, speciei, & ordinis, hoc dupliciter potest dici, vel vt dicatur corruptio formaliter, vel effectiue. Si effectiue; secundum hunc modum dicitur malum culpæ corruptio, & potest idem esse malum, quod opponitur bono gratiæ, & bono naturæ. Si vero accipiatur formaliter: secundum hoc non erit idem malum culpæ, quod opponitur bono gratiæ & virtutis, & malum quod est corruptio modi, speciei, & ordinis. Quod autem bono naturæ per se & primo opponatur malum pœnæ, patet per hoc, quod malum pœnæ est inuoluntaria defectio, defectio vero opponitur perfectioni, perfectio autem illa est bonum naturæ, & ita malo pœnæ opponitur bonum naturæ. Sed malum culpæ est defectio voluntaria, defectio autem voluntaria opponitur dispositioni bonæ voluntariæ: ergo cum bonum virtutis vel gratiæ sit dispositio bona voluntaria; non à voluntate data, vel facta, sed cui consonat voluntas, ergo malum culpæ opponitur bono gratiæ vel virtutis.

ARTICVLVS IV.

An idem bonum naturæ sit, quod pro malo & opponitur, & substernitur?

QVARTO quæritur: Vtrum idem sit bonum naturæ, quod malo opponitur, & quod ei substernitur? Quod non, videtur: bonum enim quod substernit, est subiectũ, subiectum autem dat esse ei, quod est in subiecto: ergo nõ est ei contrarium: contrarium enim tollit esse à suo contrario.

¶ ITEM, communis animi conceptio est, quod nullum oppositũ sit in suo opposito, sed malum est in bono, quod sibi substernitur: ergo non est oppositum, & maxime contrariè.

¶ Item, quod denominat aliud, non destruit ipsum, sed contrarium siue oppositum destruit illud, cui est contrarium vel oppositum: ergo malum non est contrarium illi bono, quod ei substernitur.

¶ Contra omne corruptiuum est contrarium ei, cuius est corruptiuum, sed malum est corruptiuum boni, quod ei substernitur: ergo ei est contrarium. ¶ Item, dicit Aug. quod hic fallit regula Dialecticorum, qua dicitur: *contraria non sunt simul in eodem*. Per quod innuit, quod malum, quod in est bono; est contrarium ei: & ita contrarium est in suo contrario. Auguſt. in Enchi. Cap. 14. tom 3.

¶ Item, omne, quod diminuit alterum inquantũ huiusmodi, contrariatur ei: sed malũ diminuit ipsum bonum naturæ, quod ei substernitur, habitudinem, sc. naturalem ad bonum gratiæ vel virtutis. (Vnde Dionys. *Corruptio est naturæ infirmitas, & defectus naturalium habitudinum & operationum & virtutum*) ergo malum contrariatur bono, quod ei substernitur. Dionys. libro de diuin. nom.

RESOLVTIO.

Idem profecto: sed non omne: verumtamen illud, quod per malum culpæ diminui potest.

¶ AD quod dicendum, quod malum culpæ est in bono naturæ, cui etiã aduersatur: & ita quodammodo est in suo contrario: sicut dicit Aug. Sed sciẽdum, quod duplex est bonum naturæ, est n. quoddam bonum naturæ, quod non potest tolli per malum culpæ: & in tali bono naturæ est malum culpæ, nec est ei contrarium. Est & aliud bonum naturæ, quod potest diminui, vel tolli per malũ culpæ, vel pœnæ: & huic bono aduersatur diminuendo, vel tollendo, cum autem diminuit, aliquid est, quod remanet, & in illo etiam dicitur esse sicut in subiecto. Verbi gratia, anima habet quoddam bonum naturæ quo est anima, & habet bonum naturæ, sc. habitudinem quandam naturalem ad bonum moris vel gratiæ. Primum bonum est, in quo contingit esse malum culpæ: & non aduersatur illi naturæ tollendo, nec diminuendo, quantumcunque enim fiat corruptio per malum culpæ, non minus est anima rationalis anima rationalis. Sed aliud bonum naturæ sc. habitudo naturalis (vt vult Dionys.) diminui potest: & ei, quod diminuitur, aduersatur malum culpæ: ei vero, quod remanet, inest tanquam ei, quod substernitur malo culpæ: huic autem potest aduersari. Contingit n. animam minus esse habilem ad bonum quam prius, & etiam bonum naturæ, quod potest tolli per malum pœnæ vel per malum culpæ, tanquã meritorium illius: sicut vita in corpore humano tollitur ab ipso corpore ex merito primæ culpæ hominis: quod autem tollit est malum pœnæ, scil. mors. Sic ergo est quoddam bonum, quod nec potest tolli, nec diminui per malum culpæ vel pœnæ, est & aliud, quod potest diminui, sed non potest tolli, sicut habitudo naturalis: est tertium, quod omnino potest tolli, sicut vita in re animata. Bonum ergo naturæ secundo modo dictum est, cui malum aduersatur diminuendo: sed non omnino tollit. Vnde Auguſt. *Cum natura corrumpitur, ideo malum est eius corruptio; quia eam qualicunque priuat bono: nam si nullo modo priuat, non nocet: nocet aũt adimendo bonum.* Quamdiu ergo natura corrumpitur, inest ei bonũ *quo priuetur: ac per hoc si naturæ aliquid remanebit, quod corrumpi nequeat, profecto natura incorruptibilis erit, & ad hoc tam magnũ bonum corruptio non perueniet. Ex quo accipitur, quod est bonum, quod nõ põt corrumpi per malum, & est aliud bonum quod potest corrumpi per malum. Huic ergo aduersabitur malum, illi non aduersabitur, tanquam contrario: & cum aduersatur, nihilominus est in eo, sed secundum aliam, & aliam rationem, sicut dictum est.

Dionyſ. | Auguſt. in Enchirid. | Auguſt. in enchir. | * Alias, quod.

¶ AD obiectum ergo primum dicendum est, quod bonum, ratione cuius malum dicitur habere esse, non est ei contrarium; sed ratione eius quod malum priuat esse, siue bonum: ratione vero priuationis non dat ei: & ita ex alio habet esse, & ex alio illic habet contrarietatem.

¶ AD secundum vero dicendum, quod [contrarium] accipitur duobus modis. Vno modo propriè, secundum quod contraria nata sunt fieri circa idem vicissim, incompossibilia eidem inesse: secundum hunc modum contrarium non est in contrario: sed sese adinuicem expellunt: sicut sese habent malum culpæ, & bonum gratiæ vel virtutis. Alio modo dicitur contrarium, quod nocet alteri adimendo aliquid de ipso, & secundum hunc modum contrarium potest esse in suo contrario. Illa autem communis animi conceptio, quod contrarium non

est in suo contrario, intelligitur de contrarijs primo modo dictis.

¶ Ad tertium vero obiectum dicẽdum, quod duplex est denominatio, formæ, scil. & priuationis: forma vero, quæ denominat, non contrariatur ei, quod ab ipsa denominatur, sed priuatio, quæ denominat, potest contrariari ei, quod ab ipsa denominatur; scilicet ipsi priuato, & diminuens deminuendo.

ARTICVLVS V.

An natura bonum, quod per malum minuitur, finitum, vel infinitum sit?

QVINTO quæritur: Vtrum bonum naturæ, quod minuitur per malum; sit finitum, vel infinitũ. Sed quod sit finitum, accipitur ex hoc, quod omne bonum creatum est finitum: ergo cum illud bonum, quod diminuitur per malum, sit creatum: illud erit finitum, & si est finitum est finitum est in diminuendo: cum enim diminuitur, aliquid eius tollitur: ergo in fine nihil remanebit: cum finitum habeat partes finitas: ergo bonum naturæ, quod recipit diminutionem; potest vsq; quaq; tolli.

¶ Præterea, si esset infinitum, aut esset infinitum magnitudine, aut virtute: sed infinitũ virtute est solus Deus: infinitum vero magnitudine nihil est; sicut ostenditur in Naturali Philosophia: ergo bonum naturæ, quod recipit diminutionem, non est infinitum. Nam si dicatur, quod sit infinitum duratione: qualiter stare potest, existente diminutione continua, cum in omni parte diminutionis aliquid eius minuatur? ergo tandem deuenietur ad hoc, vt nulla pars eius remaneat, & ita duratio eius cessabit: nõ ergo est infinitum duratione.

Ex 3. Phys.

¶ Forte dicetur, quod licet sit bonum finitum; semper tamen permanebit, quia non est continua diminutio, sed stabit ad aliquod, quod non potest diminui. Contra, possibile est malum culpæ magis & magis crescere: ergo possibile est corruptionem esse maiorem & maiorem. Sed quantum crescit corruptio, tantum minuitur bonum, sed corruptio, non habet statum in ascendendo,* sicut nec malum culpæ: quin possit maior esse, manente eo, quod corrumpi potest: ergo diminutio boni similiter se habebit in descendendo. Eiusdem autem naturæ est totum bonum habitudinis (qua enim ratione vna pars habitudinis potest minui, eadem ratione alia) ergo non erit status in diminuendo: dum aliquid illius boni naturæ remaneat: necesse est ergo, cum illud bonum sit finitum, in fine omnino tolli.

*Alias, sicut malum culpæ.

¶ Quod autem sit bonum infinitum in diminuendo, sic ostenditur: malum enim est corruptio habitudinis naturalis, sed habitudo illa naturalis semper manet, manente ipsa natura animæ, sed natura animæ est immortalis: ergo bonum habitudinis ratione alicuius subiecti semper remanebit, & patet ex alia parte esse continua corruptio; & cum est continua corruptio, semper est alicuius boni diminutio: ergo bonum habitudinis naturalis est infinitum in diminuendo.

¶ Item, dicit August. *Si corrumpi non desineret, nec vtique bonum habere non desinet, quo naturam posset priuare corruptio: quã si penitus totamq; consumpserit; ideo nullum bonum inerit; quia nec vna natura erit, quocirca bonum consumere corruptio non potest, nisi consumendo naturam.* Ex quo accipitur, si habitudo naturalis non desinit corrumpi, nõ desinit habere aliquod bonum, quod corrumpitur, & ita erit bonum habitudinis naturalis infinitum in diminuendo.

August. in Enchirid.

RESOLVTIO.

Et finitum, & infinitum: finitum virtute & essentia: infinitum diminutione, siue diuisione.

¶ Ad quod dicendum, quod bonum habitudinis naturalis dicitur vno modo finitum, & alio modo infinitum. Dicitur n. finitum virtute & essentia (quo modo dicitur Deus infinitum) sed non propter hoc est finitum in diminuendo, vt perueniat ad omnimodam ablationem. Nec est dicere, quod tantum diminuatur, quin possit amplius diminui, sed ad omnimodam corruptionem non deuenitur, natura ipsius animæ manente. Dicitur autem alio modo infinitum, quod est per modum infiniti diuisione, & hoc proprie dicitur infinitum diminutione, & secundum hunc modum bonum habitudinis naturalis dicitur infinitum; non enim tantũ diminuitur, quin amplius possit diminui, sed non dicitur infinitum virtute, quia tantæ est potentiæ, & non amplioris. Ascendere ergo non potest, sed descendere potest: ascensus autem determinatur, quia magnitudo boni creati est determinata: descensus vero est indeterminatus; quia licet tendat ad nihilum diminuendo, non tamen fiet omnino nihil aliquando.

¶ Per iam dicta potest solui, quod primo obiectum est: concedendum enim est, cum sit bonum creatũ, quod finitum est in magnitudine virtutis; vt sit tanta, & non maior.

¶ Ad secundum vero obiectum dicendum, quod nec magnitudine, nec virtute est infinitum, sed duratione, eo quod semper aliquid habitudinis naturalis permanet, manente ipsa natura animæ. Sed hoc infinitum duratione non habet ex se, sed ex ipsa animæ natura: habet etiam ex hoc, quod sicut corpus dicitur esse infinitum diminutione, manente natura corporis: ita hoc bonum habitudinis naturalis infinitum est diminutione, manente natura ipsius animæ. Stat autem aliquando diminutio, secundum quod stat multitudo vel magnitudo peccatorum.

¶ Et si dicatur, quod bonum habitudinis cum sit finitum bonum, habet partes finitas, & ita aliquando stabit diminutio. Dicendum est, quod non propriè dicitur habere partes, sed metaphoricè: sicut dicitur de albedine, secundum quod recipit magis & minus: albedo autem in diminutione habet terminum ipsam albedinis corruptionem: bonum autem habitudinis naturalis ex illa parte, quã diminuitur, non habet finem. Nec dicitur esse finitum in partibus metaphoricè dictis, cum enim aliquid eius tollitur, adhuc eius aliquid remanet, & sic in infinitum diminuendo. Quod autem dicitur, finitum habere finitas partes: hoc attenditur in finito secundum quantitatem: bonum autem habitudinis naturalis non est finitum secundum quantitatem, nec infinitũ, cum magnitudinem, quæ corpori debetur, non habeat: sed dicitur finitum essentia & virtute, sicut creatura, sed non finitum remissione, quin amplius possit remitti. Vtrum autem infinitum dicatur intensione, vt non tantum bonum sit, quin possit melius fieri (& sit hic sermo de bono voluntario) alterius est considerationis.

MEMBRVM IX.

An malum alicuius causa sit?

NONO & vltimo quæritur: Vtrum malum sit causa alicuius, & si est causa, cuius, vel quorum dicatur causa, & secundum quem modum? Quod autem non sit causa alicuius, videtur: quod enim esse non habet, nec causalitatem, quæ est dispositio consequens esse, sed malum non habet esse (sicut supra habitum est) ergo nec causalitatem: cum causalitas sit dispositio consequens esse: sicut apparet in diuisione entis.

¶ Prætérea, dicit Dionys. *Malum est sine germine, & vacuum, & non operans.* Sed quod est huiusmodi, non est causa alicuius: ergo malum non est causa alicuius.

Dionys. in lib. de diu. nomin.

¶ Idem in eodem: *Malum, secundum quod malum, nullam substantiam, aut generationem facit.* Sed quod nullam facit generationem, vel substantiam, non est causa alicuius: ergo malum non est causa alicuius.

Idem in eodem.

¶ Item, omnis causa, aut est efficiens, aut formalis, aut materialis, aut finalis: *Sed malum* (sicut dicit Augustin. *Non est causa efficiens: nec est causa formalis* (malum enim est priuatio formæ) ergo non habet rationem formæ: ergo nec causæ formalis. Similiter non est causa finalis (est enim priuatio finis) nec est causa materialis: alterum enim est, quod priuatur, & ipsa priuatio: sed quod priuatur, ad causam materialem reducitur: subiectum n.

Aug. in lib. de ciu. Dei

ad

ad causam materialem pertinet, siue ad materiam. Praeterea, priuatio nata est fieri in aliquo susceptibili: sed susceptibile dicitur materia: malum vero priuatio: ergo malum natũ est fieri in materia; & non est ipsa materia. Item, Dionys. *Non enim est in materia malum, secundum quod est materia:* Etenim ipsa ornatus & formae & speciei habet participationem: sed malum non habet: ergo malum non est materia: quomodo etiam materia malum: si quidem n. est, nihil est. Ex his arguitur, quod malum non est in aliquo genere causae, & ita non est causa.

Dionys. in lib. de diu. nomin.

¶ Item, Dionys. *Malum, secundum quod malum nullius est generatiuum, aut nutritiuum, aut totaliter effectiuum, aut saluatiuum.* Ergo malum non est causa alicuius.

Ibid. cap. 4. par. 4. sparsim

¶ Quod autem econtrario malum sit causa alicuius, habetur à Dionys. Haec est boni virtutis superexcellens magnitudo, quia priuata & suimet priuationem posse facit. Sed quod habet posse, consequenter potest agere: & quod potest agere, alicuius potest esse causa: ergo malum alicuius potest esse causa.

Dionys. in eodem.

¶ Item, malum est causa poenae; sicut dicitur. Sapien. 1. Iniustitia est mortis acquisitio. Sed quod est causa poenae, est causa alicuius: cum poena iustum sit: & ita aliquid sit: ergo malum est causa alicuius.

¶ Item, Aug. *Clarum est, nihil aliud, quam libidinem esse malorum causam.* Sed libido malum est: ergo malum alicuius causa est.

August. in libro de libero arbitrio.

¶ Praeterea, dicit B. Greg. *Peccatum, quod per poenitentiam non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit.* Ergo peccatum est causa peccati: ergo malum est causa mali.

Gregor.

¶ Item, super illud: *Propterea tradidit illos Deus*, &c. Glos. *inter primum peccatum apostasiae, & vltimam poenam ignis aeterni media sunt peccata, & poena peccatorum.* Sed cum sint poenae praecedentium, causantur ab illis: ergo malum est causa alicuius, vel aliquorum.

Rom. 1. Glossa.

RESOLVTIO.

Malum & boni & mali causa est: boni quidem per accidens: mali vero secundum se.

¶ Ad quod dicendum, quod malum non est causa boni, nisi secundum accidens: sicut enim habet esse secundũ accidens (quemadmodum dicit B. Dionys.) ita & habet rationem causae secundum accidens respectu boni: prout Deus qui sinit mala fieri, ex malis elicit bona: malum autem mali potest esse causa: vnde B. Dionys. *Malorum non sunt factiua rationes & virtutes: sed impotentia, & infirmitas, & mixtura dissimilium immoderata*: & ita patet quod malorum est causa.

Dionys.

Idem in libro de diu. nominib.

¶ Ad obiecta ergo respondendũ, quibus concluditur, quod malum non est causa: & primo ad primũ: malum n. licet non habeat esse simpliciter, secundum quod esse dicitur, quod ordinem retinet, seruatq; naturam: nihilominus tamen habet esse priuationis: ratione cuius potest esse priuatio, non causa: habet etiam esse secundum quid, ratione boni, in quo est: propter quod potest esse causa secundum accidens, vel occasio ipsius boni.

¶ Ad secundum dicendum, quod illud intelligitur de simpliciter causa bonorum, quod sc. remouetur à malo: neque n. malum ratione malitiae habet germinare bona, vel plenitudinem bonorum, vel per se operari bona: nihilominus tamen ex malo procedit germen malorum: sicut dicitur: *Perdam Babylonis nomen, reliquias, & progeniem, & germen.*

Isaiae 14.

¶ Eodem modo respondetur ad tertium.

¶ Ad quartum dicendum, quod malum non est causa simpliciter secundum differentias causae dictas: causa n. efficiens dicitur, quae producit esse: & ita etiam de alijs causis, quae ad esse & bonum referuntur: malum tamen dicitur esse causa efficiens mali, sicut dicit Philosophus, quod lis est ab odio. Aug. vero de ciuit. Dei, defectuum posuit causam esse deficientem.

August. de ciuit. Dei.

¶ Ad quintum dicendum, quod malum cum sit corruptiuum; quod aũt est corruptiuum alicuius, nõ dicitur facere aliquid, sed destruere; per hunc modum dicetur de malo; quod non dicitur quid facere, sed quid destruere. Aliter vero dicitur malum culpae causa mali poenae, & causa mali culpae: mali n. poenae dicitur meritoria causa: mali vero culpae causa efficiens deficiendo.

QVÆSTIO XCV.

De effectibus mali culpae.

In tria Membra & nouem Articulos diuisa.

D. Thom. 1 par. q. 48. & 49. S. Bō. in 2. di. 35. Sco. ibid.

Deinde procedendum est ad effectus mali culpae. Sunt autem effectus mali culpę: primus spoliatio gratuitorum: secundus vulneratio naturalium. (Naturalia autem, quae vulnerantur, sunt ipsae potentiae habituales:) tertius vero effectus est priuatio siue corruptio modi, speciei, & ordinis. Ratio autem numeri istorum effectuum est: quod malum culpae habet respectu ad triplex bonum. Est n. bonum potentiae siue virtutis: & est bonum habitudinis naturalis, & est bonum gratiae siue virtutis datae, vel acquisitae. Respectu ergo boni gratiae seu virtutis gratuitae, aut moralis dicitur spoliatio: respectu vero potentiae habitualis siue virtutis naturalis, dicitur vulneratio: respectu vero virtutis, quae media est; quae consistit in modo, specie, & ordine, dicitur corruptio.

MEMBRVM I.

De primo effectu mali culpae, qui est gratuitorum expoliatio.

Dicendum est ergo primo de effectu, qui est spoliatio. Est autem duplex spoliatio, virtutis gratuitae siue gratiae gratum facientis, & virtutis moralis. Primo ergo quaerendum est de spoliatione virtutis gratuitae siue gratiae. Secundo de alia spoliatione.

ARTICVLVS I.

An spoliatio gratuitorum à Deo sit?

Quaeritur ergo primo: Vtrum spoliatio gratuitorum sit à Deo. Quod sic, videtur: spoliatio enim illa poena est: & poena iusta est; cum iuste fit: ergo spoliatio gratuitorum est iusta: & quod iustum est, à Deo est: ergo spoliatio gratuitorum à Deo est.

¶ Item, Aug. super illud: *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Obscuratio poena fuit, & vindicta: per quam deserente luce sapientiae, in plura peccata sunt prolapsi. Ergo lux sapientiae deserit peccatorem: sed desertio illa nihil aliud est, quam subtractio gratiae: subtractio autem gratiae non potest esse nisi ab eo, qui dat gratiam: ergo est à Deo: sed hoc est spoliatio gratuitorum: ergo spoliatio gratuitorum est à Deo.

August. in libro de natura & gratia super Rom. 1.

¶ Item, super illud: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, dicitur: Deserit Deus, non apponendo gratiam, sed appositam subtrahendo. Sed haec desertio est à Deo: ergo & spoliatio gratuitorum.

Rom. 1.

¶ Item, in eodem Glos.* infra: *Sicut apponit gratiam, vnde inclinetur voluntas hominem ad bonum: ita subtrahitur quibusdam, qua subtracta, incuruatur voluntas eorum ad malum.* Sed subtractio gratiae est à Deo subtrahente: ergo & spoliatio.

Glossa. *Alias, ista

¶ Item, Aug. *Vna lucis substantia noctem & diem facere videtur; sed non eodem modo: diem n. facit cum venit: noctem vero cũ recedit.* Ergo similiter vna lux spiritualis facit illam spoliationem: sed Deus est lux spiritualis: ergo spoliatio illa est à Deo.

Aug. cõtra Felicianũ.

¶ Item, est subtractio bonorum temporalium, & subtractio bonorum spiritualium. Sed à Deo est subtractio bonorum temporalium, aliquando propter hominum indignitatem: ergo similiter à Deo est subtractio bonorum spiritualium propter peccantium indignitatem.

¶ Contra Aug. in oratione ad Dominum loquens, ait: *Tu enim si deseris, peritur: sed non deseris: quia tu es summum bonum*: Ergo Deus nunquam deserit: est autem lux natura: ergo lucem nunquam subtrahit, propriè loquendo.

Idem 1. Soliloq.

¶ Item, sole praesente, non facit sol, vt non illuminetur corpus, quod est in muro: sed interpositio muri, quae propriè subtrahit radios solis; non ipse sol. Ergo similiter cum dicat Isai. 59. quod iniquitates nostrae diuiserunt inter nos & Deum: peccata erunt, quae propriè subtrahunt gratiam, & non Deus.

Esaiae 59.

Sapien. 8. ¶ ITEM, *Attingit vbique propter sui munditiam.* Ergo vbique præsens est: nunquam ergo deserit.

Ioan. 1. August. tracta. 1. super Ioan. circa fine. ¶ ITEM, *Lux in tenebris lucet*: super illud August. in originali. *Quomodo caeco in sole posito, præsens est sol; sed ipsius oculis absens est: sic si quo caeco corde præsens est sapientia, & oculis eius absens, non quia illi absens est illa; sed quia ille absens est ab illa.* Nunquam ergo Deus subtrahit lumen gratiæ: sed cæcitas, quæ est peccatum.

Anselm. ¶ ITEM, Anselm. *Peccator non habet gratiam, non quia Deus non dat, sed quia homo non accipit.* Ipse ergo peccator gratiā sibi subtrahit: facit n. aliquid, quo amittit gratiam. Ideo dicit Apost. ad Hebr. 12. Apostol. *Videte, ne quis desit gratiæ Dei.* quasi diceret: videte, semper parata est gratia: Deus non deserit: ne vos ergo deseratis.

RESOLVTIO.

Non Deus propriè est, qui gratuitis spoliat, sed ipsi nos iniquitate nostra spoliamus.

¶ AD quod dicendum, quod impropriè dicitur Dominus subtrahere gratiam: hoc n. non aliud est, quam non apponere, vel non continuare. Propriè autem dicitur peccator subtrahere sibi gratiam: vel peccatum subtrahere gratiam à peccatore.

¶ AD obiecta autem respondendum. Ad primum cum dicitur. Iustum est, &c. iustum dicit iustitiam ordinis, quæ iustitia ordinis est à Deo: Deus enim iustè ordinat mala: neutrum tamen extremorum, sc. malum, & subtractio gratiæ propriè est à Deo. Sed si dicatur subtractio gratiæ, vt est pœna; ratione qua est pœna, est à Deo.

¶ AD secundum dicendum, quod obscuratio, prout est huiusmodi, non est à Deo: prout tamen est pœna, est ab ipso. Concedendum est etiam, quod lux sapientiæ deserit peccatores: sed non deserit, nisi prius deseratur. Vnde Aug. in li. de bono perseuerantiæ. Aug. *Voluntate sua quisq; deserit Deum, vt merito deseratur à Deo.* Et iterum: *Si dereliqueris illum, projiciet te Deus in æternum.* Et: 1. Paral. 28. 2. Paral. 12. *Vos reliquistis me, & ergo reliqui vos in manu Sesach.*

¶ AD tertium dicendum, quod aliud est de appositione gratiæ, & subtractione. Appositio enim gratiæ cum sua sequela est à Deo: subtractio vero gratiæ propriè est à peccato. Cum autem dicitur, Deus subtrahit quibusdam, qua subtracta, &c. hoc est, non apponit gratiam propter indignitatem personæ. Quod autem dicitur [*qua subtracta*, &c. non intelligitur, quod causa sit illius sequelæ. Vnde licet Deus subtrahat quibusdam gratiam, non tamen incuruat voluntatem ad malum: sed homo suam incuruat voluntatem.

¶ Per hoc soluitur illud, quod dicitur: deserit Deus nō apponendo gratiam, vel appositam subtrahendo: secus n. est de non appositione, & de subtractione gratiæ: subtractio n. gratiæ pœnam dicit pro peccato: non appositio vero, nisi aliud addatur, non dicit pœnam. Supposito n. quod homo conditus esset in naturalibus; & non apponeretur gratia; non diceretur non appositio gratiæ pœna: cum nulla præcessisset culpa.

¶ AD illud, vero, quod dicit Aug. ad Felicianum. Dicendum est, quod non est simile de luce corporali, & spirituali: lux enim corporalis per sui præsentiam & absentiam est causa appositiua, luminis, sc. & tenebrarum: & hoc quia aliqñ adest, aliqñ abest: per hoc q̄ de loco ad locū mouetur. Lux vero spiritualis vbiq; est; & ideo non est causa tenebrarum spiritualium: sed lib. arbi. in quo ponitur obex. Sicut enim corpus opacum interpositum causa est tenebræ corporalis aliquando: ita lib. arb. ratione peccati: & Isaiæ 59. ideo dicitur: *Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum.*

¶ AD illud vero, quod obijcitur de subtractione bonorum temporalium, &c. Dicendum est, quod non est simile: subtractio enim temporalium ab indignis bona est, & etiam eis bona aliquando; per hoc quia conuertuntur ad pœnitentiam & humiliantur. Subtractio vero gratiæ nec in se bonum est, nec est bonum illi, à quo subtrahitur occasionaliter, cum posset esse bonum, secundum illud, Rom. 8. quod dicitur: *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Subtractio enim gratiæ posset esse occasio, vt peccator humiliaretur, & cōfugeret ad Dei misericordiam: cum n. aliquis considerat se destitutum à Deo propter peccatum, dolet, & dolens, siue attritus confugit ad Dei misericordiam.

¶ Quæritur etiam de duobus peccatis æqualibus: quorum vnum est prius, aliud posterius. (Quæstio literalis.) Videtur enim, quod primum peccatū, cum sit æquale secundo, æqualis ei pœna debeatur. Sed ei debetur subtractio gratiæ: ergo cum hoc sit maxima pœna (secundum quod dicitur super illud Psal. 105. Glossa. Psal. *Abominatus est hereditatem suam.* Gloss. *Deum auerti ab eis, extremum omnium malorum præsentium est.*) & secundo peccato debetur similiter maxima pœna, scil. subtractio gratiæ.

¶ CONTRA, per primum peccatum mortale subtracta est gratia: non ergo in secundo peccato subtrahitur: ergo pœna inæqualis debetur pro æqualibus peccatis: quod est falsum: dicitur enim: *Iuxta ea, quæ fecit; facite illi.* Et: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Vnde Aug. *Pro disparibus ponderibus peccatorum sunt disparia tormenta pœnarum: & pro æqualitate criminum æqualitas pœnarum.* Ergo secundum quantitatem peccatorum debetur quantitas pœnarum. (Ierem. 50. Deut. 25. August. de baptismo cōtra Donatistas.)

¶ AD quod dicendum, quod subtractio gratiæ duobus modis potest accipi. Vel pro ipsa amissione gratiæ quæ habita est; vel pro elongatione gratiæ. Si pro elongatione gratiæ, æquali peccato debetur æqualis pœna, sc. æqualis subtractio. Si vero accipiatur subtractio gratiæ pro amissione gratiæ, non debetur secundo peccato ista pœna: licet debeteur, si infuisset gratia: hoc enim non est ex parte peccati, sed ex parte subiecti, in quo non inuenitur huiusmodi bonum, quod subtrahendum esset.

ARTICVLVS II.

An omnis virtus moralis per malum culpæ auferatur, expolieturve?

CONSEQVENTER quæritur de spoliatione, siue ablatione virtutis moralis, (malo enim culpæ fit ablatio virtutis moralis.) Quæritur vtrum omnis virtus moralis auferatur, siue spolietur per malum culpæ: sicut spoliatur omnis virtus gratuita? Et videtur, quod sic: cum enim malum culpæ opponatur virtuti morali, quemadmodum & virtuti gratuitæ: malum autem culpæ aufert insimul, siue spoliat omnem virtutem gratuitam: ergo consimili ratione aufert, vel spoliat omnem virtutem moralem.

¶ PRÆTEREA, cōnexa videntur esse vitia: dicit enim August. (August. in libro de cōtra Donatistas.) *Cum quis est hæreticus, non potest esse quin & alia vitia consequantur*: ergo cum vnumquodque vitium tollat suam virtutem moralem; vno vitio posito, tolletur omnis virtus moralis.

¶ ITEM, bonum & malum sunt contraria: ergo non conuenit illa duo inesse eidem. Sed vno malo culpæ posito, inest malum: ergo non conuenit eidem subiecto bonum: sed quælibet virtus moralis ponit bonum: ergo remouetur omnis virtus moralis, ergo spoliatio omnium moralium est pœna consequens ad malum culpæ, siue vitium.

¶ CONTRA, malum culpæ siue vitium est ab homine, siue ab intellectuali creatura: sed vno actu perpetrato, non perpetratur actus disparatus: malum autem culpæ mediante actu inest: ergo contingit vnum malum culpæ inesse, alio non existente in eodem subiecto: sed non aufertur virtus moralis, nisi per suum oppositum: ergo vno malo culpæ existente, non omnis virtus moralis aufertur.

¶ ITEM, August. (Idem lib. 4. de eod. cōtra eosdem.) *Vnum aliquod vitium non omnia cætera consequuntur.* Non ergo est vitiorum connexio: sed virtutes morales opponuntur vitijs ipsis: ita quod quælibet habet suum oppositum: ergo non est connexio virtutū moralium: ergo vnum malum culpæ non aufert, siue spoliat omnem virtutem moralem.

¶ ITEM, occasione huius quæritur, si malū culpæ spoliat virtutem moralē, secundum quem modum fiat spoliatio? (Quæstio incidentalis.) Cum n. virtus moralis exercitio bonorum operum acquiratur: malum aūt culpæ vno modo perpetretur; nō videtur per vnum malū culpæ spoliatio fieri omnis virtutis moralis. Sicut n. habitus bonus moralis exercitio bonorum operum acquiritur; ita malum ei oppositum exer-

citio malorum operum videtur acquiri. Non ergo vnicum malum culpæ aufert virtutem moralem. Sicut n. malum & bonum opponuntur, ita malum consuetudinale, & bonum consuetudinale: ergo ad spoliationem virtutis consuetudinalis videtur, quod exigatur vitiũ consuetudinale. Quod etiã videtur per hoc, quod dicitur in Lib. de Natura & gratia. Dicitur n. ibi: quod *vitium est mala qualitas mentis*: sed quæ qualitas dicetur: nisi fuerit habitus, vel dispositio? habitus autem cum sit de difficili mobilis, qualiter generabitur vnico actu? Ergo malum culpæ cum fiat vnico actu, non inducet malum habitum: sed malus habitus expellit habitum bonum? ergo malum culpæ de se non expellit habitum bonum.

Augu. lib. de natura & gratia.

¶ CONTRA. In eadem vi non possunt inesse opposita secundum denominationem: cum ergo malum culpæ insit, & per consequens denominet subiectum, in quo est; non denominabitur subiectum ab opposito: sed oppositum est dispositio bona, & habitus; ergo neutrum illorum potest inesse: malum ergo culpæ vnicum spoliat habitum moralem.

RESOLVTIO.

Malum culpæ non omnem habitum moralem expoliat, sed sibi tantum directè oppositum.

¶ AD quod dicendum, quod malum culpæ non spoliat habitum omnem moralem: sed spoliat habitum sibi oppositum.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium per simile de habitu gratuito. Dicendum est, quod non est simile: habitus enim gratuiti ratione gratiæ sunt connexi: & propter hoc malum culpæ, quod opponitur vni habitui gratuito, ratione malitiæ opponitur ipsi gratiæ gratum facienti: gratia vero gratum faciens est causa connexionis virtutum gratuitarum: propter quod malum culpæ, quod opponitur gratiæ, auferendo gratiam, spoliat à virtutibus gratuitis vniuersaliter: secundum quod sunt gratiæ. Non sic autem est in virtutibus moralibus secundum seipsas acceptis: contingit enim vnam virtutem moralem inesse sine alia: propter hoc vitium, quod opponitur vni; non necessario tollit aliam, vel spoliat animam ab alia.

¶ AD secundum vero dicendum, quod dicitur in Libro August. contra Donatistas; non dat intelligere connexionem essentialem vitiorum: sed quæ contingit frequenter in quibusdam vitijs, & hoc patet ex verbis eius cum dicitur: *Si quis dicat, quod hæreticus est, non põt hoc solũ esse, quin & alia consequantur: carnalis enim & animalis est; ac per hoc necesse est, vt odiosus sit, & inuidus & inimicus ipsius veritatis, ab eaq; dissentiens.* Similiter loquitur de ebrioso. *Quis ebriosus, & non contentiosus, & odiosus & inuidus, & arguentibus se grauiter inimicus.* Hæc autem connexio non est, eo quod simul sint vitia necessario: sed quia illud vitium disponit ad alia consequenter: & hoc in pluribus. Vnde licet vnum vitium siue malum culpæ tollat habitum moralem sibi oppositum, non propter hoc tollit alios habitus in eodem nunc: non enim in eodem nunc necessario insunt alia vitia.

Aug libro cõtra Donatistas.

¶ AD tertium vero dicendum, quod licet bonum & malum sint contraria; nec possint simul inesse eidem subiecto, nihilominus vnum malum culpæ non expellit omnes alios habitus morales, sed habitum directè sibi oppositum. Vnde ex hoc sequitur, quod vitium incontinentiæ expellit continentiam moralem; sed non propter hoc expellit sobrietatem: licet enim sobrietas & continentia respiciant idem subiectum in quo; non tamen eundem actum in specie circa quem. Ad hoc autem quod sit oppositio directa: necessarium est, quod respiciat idem subiectum: & eundem actum in specie; vt pote castitas & incontinentia circa delectationem, quæ est in coitu; sobrietas & suum oppositum circa illam, quæ est in gustu. Ex quo accipitur, quod nihil prohibet habere malitiam moralem circa vnum actum, & bonitatem moralem circa alium actum: vnde nihil prohibet dicere, quod sit bonus in moribus quantũ ad hoc, & sit malus in moribus quantum ad aliud.

¶ Deinde respondendum quantum ad secundo quæsitum, quid per se spolietur, & tollatur ex ipso malo culpæ. Ad quod dicendum, quod siue habitus moralis dicatur dispositio, siue habitus; tollitur per malum culpæ, quod vno actu perpetratur. Nec oportet vitium esse consuetudinale ad tollendum virtutem consuetudinalem: habitus enim bonus moralis, eo quod est habitus, est dispositio: dispositio vero bona tollitur per dispositionem malam. Malum autem culpæ actualis est dispositio mala: ergo tollit habitum bonum moralem sibi oppositum. Sic ergo malum culpæ non potest simul esse cum habitu bono morali: qui circa eundem actum in specie versatur: vt malum incontinentiæ non potest simul esse cum castitate morali. Et si dicatur, quod vitium morale colligitur in exercitio malorum operum: sicut virtus moralis in exercitio bonorum operum. Potest quidem, sed non est necesse ad expulsionem ipsius virtutis. Prima enim oppositio est inter bonum & malum circa eundem actum in specie: secunda vero est inter exercitium bonorum operum, & exercitium malorum operum: nos autem loquimur hic de oppositione prima.

¶ AD aliud vero dicendum, quod est loqui de malo culpæ dupliciter: vel ratione ipsius deformitatis: vel ratione ipsius dispositionis, quæ deformatur. Si fiat sermo de ipsa deformitate, cum deformitas vitij & speciositas veritatis non se compatiantur in eodem subiecto secundum idem, opponentur malum culpæ & virtus moralis secundum idem genus. Si vero accipiatur vitium ratione dispositionis: secundum hoc non vsque quaq; tollitur habitudo ad bonum per vnum actum malum: nisi actus ille propter hoc dicatur dispositio difficilè mobilis: quia homo de facili potest cadere in illum: sed per se non potest resurgere, nec sine quadam difficultate. Vnde quo ad hoc est differentia in bono & malo: quia existens in bono tum de facili, tum de difficili potest cadere in malum: existens vero in malo, non nisi de difficili potest venire ad bonum

MEMBRVM II.

De secundo effectu mali culpæ, scilicet de vulneratione naturalium?

DEINCEPS dicendum est de secundo effectu mali, qui est vulneratio naturalium: vulneratio autem ista | naturalium potentiarum habitualium dicitur. Quæritur autem, quæ sint illa vulnera: & per quid fiat vulneratio. Sicut autem dicit Beda, quatuor sunt vulnera, in quibus vulnerata est humana natura, scil. infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia. Augustinus vero duo hæc vulnera esse dicit: ait enim sic: *Omni animæ peccanti duo ista sunt pœnalia, ignorantia, & difficultas: ex ignorantia dehonestat error: ex difficultate cruciatus affligit.* Item Augustin. dicit primum creaturæ rationalis malum est ipsa prima priuatio boni: deinde ipsis nolentibus, subintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum: quibus comites subinferuntur error, & dolor. Consimile dicit. Super illud autem Psalm. *Retribue seruo tuo, &c.* Dicit Gloss. *Humana indigentia multiplex est, infirmitas, ignorantia, exilium, tentatio hostium.* Item, August. super illud: *Confitemini Domino, &c.* Designat quatuor, errorem, difficultatem vitandæ concupiscentiæ, tædium benefaciendi, tempestatem seculi. B. vero Gregor. ponit septem pœnalitates, quib. vulneratur humana natura; stultitiam, hebetudinẽ, præcipitationem, timorem siue timiditatem, ignorantiam, duritiam, animi excellentiam siue superbiam, prout sonat in pœnam.

Beda.

Aug. in lib. de natura & gratia, Idem in Enchirid.

Idem lib. 3. de libero arbitrio. Psal. 118. Glossa. Aug. super Psal. Gregor.

¶ Quæri ergo potest primo de ratione illius numeri, quem ponit Beda. Secundo de differentia illius numeri respectu aliarum pœnarum, siue vulnerum, quæ nominantur in alijs diuisionibus (pœnæ enim contractæ vulnera dicuntur.) Tertio de singulis vulneribus illis, quæ ponit Beda sigillatim tractandum est.

Beda.

* * *

ARTICVLVS I.

An sufficienter recenseat Beda vulnera, per peccatum nobis inflicta.

AD PRIMVM; quo quæritur de ratione quatuor vulnerum à Beda positorum; arguitur sic: malitia designat ipsum malum culpæ: efficiens autem causa non est ipse effectus: ergo malitia non est effectus mali culpæ.

¶ ITEM, *concupiscentia est radix omnium malorum*, sicut dicit Augustinus sic. *Hoc ideo elegit Apostolus malum, in quo cuncta complexus est.* Cum ergo concupiscentia sit malum generale, non diuiditur contra infirmitatem, ignorantiam, & malitiam.

¶ ITEM, duæ sunt tantum vires ipsius animæ rationalis in genere, cognitiua scilicet & motiua siue affectiua. Ergo cum vulneratio fiat in anima mediantibus potentijs, erunt tantum duo vulnera in genere, ignorantia qua vulneratur cognitiua, & concupiscentia qua vulneratur motiua vel affectiua: superfluunt ergo infirmitas & malitia.

¶ ITEM, triplex est peccatum, in Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum, & non est quarta differentia. Sed peccatum in patrem est ex infirmitate, peccatum in filium ex ignorantia, peccatum in spiritum sanctum ex malitia: non ergo conuenit, vt quartum vulnus ponatur, scilicet concupiscentia.

¶ SED dicet aliquis, quod ponuntur ista quatuor secundum recessum à summa vnitate, & trinitate: vt infirmitas sit secundum recessum à summa potentia, ignorantia à sapientia, malitia à summa bonitate, concupiscentia vero à summa essentia, quæ vna est in tribus appropriatis: concupiscentia enim cum se diuidat per concupiscibilia, recedit à summe vno: diuisio enim contraria est vnitati, siue defectus ab vnitate. Sed contra, concupiscentia est boni, vel apparentis boni: cum ergo hæc concupiscentia, de qua loquimur, sit apparentis, & non existentis boni, erit defectus à summa bonitate: vel non per appropriationem respectu summæ essentiæ: concupiscentia enim non respicit multa propter rationem multorum, sed propter rationem apparentium bonorum.

¶ ITEM, dupliciter contingit deficere à summo bono: vno modo recedendo ab ipso: altero modo conuertendo se indebite ad aliud, secundum quod duplex est motus, fugæ & appetitus, recessus vel accessus. Cum ergo concupiscentia sumatur ex parte ipsius accessus indebiti ad aliud: malitia, quæ est altera pœna, sumetur ex parte ipsius recessus: & ita dupliciter pœnalitas sumetur ex illa parte.

¶ SED secundum hoc obijcitur, quod eadem ratione duplex sumenda esset pœnalitas: vna respectu sapientiæ aut veritatis, scilicet ignorantia: alia ex conuersione ad falsitatem, quæ dicitur error: & ita error & ignorantia secundum hoc dicerent pœnas. Dicit enim August. quod errare est approbare falsa pro veris: hoc autem nõ est natura hominis instituti, sed pœna damnati. August. in Enchirid.

RESOLVTIO.

Si defectus termini à quo & accessum ad terminum ad quem diligenter inspexeris: rite & recte Bedam istha͡ec peccati vulnera enumerare dixeris.

¶ AD quod dicendum: quod accipiuntur hæc quatuor vulnera, siue pœnæ secundum hoc quod tria sumuntur ex defectu potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: sed quia iste defectus triplex non occurrit, nisi per conuersionem ad apparens delectabile, & non existens; ideo quarta adiungitur pœnalitas, quæ est pronitas respectu huiusmodi apparentis delectabilis: & hoc est concupiscentia. Sumuntur ergo tres pœnæ secundum triplicem defectum termini à quo: secundum vero motum ad terminum in quem, quarta pœna designatur. Non enim recedit homo à summe conuenienti, nisi secundum accessum ad inconueniens, quod videtur, siue apparet conueniens.

¶ AD obiecta ergo respondendum est, quod malitia est nomen æquiuocum ad malum culpæ, & ad malum pœnæ. Hic autem sumitur pro malo pœnæ: dicitur enim quædam defectibilitas à bonitate: & hæc defectibilitas est pœna quædam.

¶ AD ALIVD vero dicendum, quod cum dicitur: concupiscentia est radix omnium malorum, aliter accipitur: & cum dicitur concupiscentia est pœna. Fomes enim peccati est concupiscentia, & est iterum pœna peccati. Vno ergo modo est pœna peccati: alio modo est causa peccati. Prout autem est pœna, sic diuiditur contra prædictas pœnas: prout autem est causa peccati, non sic diuiditur: sed est vna causa.

¶ AD TERTIVM dicendum, quod diuisio pœnarum, siue vulnerum potest accipi multipliciter. Vel secundum numerum ipsarum potentiarum rationabilium in genere, prout deficiunt à suis appetibilibus, quæ sunt vnum, & bonum: & secundum hoc aliquando ponuntur duæ tantum pœnalitates: scilicet ignorantia, & concupiscentia; vel ignorantia, & difficultas: secundum autem hunc modum non accipitur * hæc differentia vulnerum, siue pœnarum: immo secundum prædictam rationem. *Alias, hic.

¶ AD QVARTVM dicendum, quod illa differentia peccati secundum ternarium habet cõcupiscentiam tanquam communem in illis tribus generibus peccatorum: aliquis enim pronus est ad malum ex infirmitate, aliquis ex ignorantia, aliquis ex malitia: in omnibus autem est concupiscentia.

¶ AD QVINTVM dicendum, quod non accipitur ratio diuisionis hoc modo, vt concupiscentia per se respiciat diuisionem à summa essentia: concupiscentia enim ad concupiscibile dicitur: concupiscibile vero dicit terminum in quem, non terminum à quo est motus, vel à quo est recessus: & ideo si dicit diuisionem à summa essentia, vel pronitatem diuisionis, hoc est ex consequenti.

ARTICVLVS II.

Quomodo sumatur numerus, & sufficientia recensitorum mali culpæ vulnerum.

SECVNDO quæritur de differentia istarum pœnarum, siue vulnerum ad alias pœnas.

¶ AD quod dicendum, quod differens accipitur diuisio secundum diuersam considerationem. Bimembris enim diuisio, vna accipitur secundum differentiam cognitiuæ & motiuæ, siue operatiuæ: vt ignorantia pertineat ad defectum cognitiuæ: difficultas ad defectum operatiuæ.

¶ ALITER vero bimembris accipitur secundum differentiam virium, cognitiuæ scilicet & affectiuæ, vt ad cognitiuam pertineat ignorantia: ad affectiuam concupiscentia.

¶ TERTIA vero diuisio, quæ est quadrimembris; accipitur secundum defectum conuenientis triplicis, & causam eius extrinsecam. Sicut enim prima diuisio accipitur secundum defectum triplicis conuenientis; & causam intrinsecam eius scilicet cõcupiscentiam, quæ tamen est pœna quædam. Sic quarta diuisio accipitur secundum defectum triplicis conuenientis: & causam extrinsecam eius; tentatio enim hostium est causa extrinseca: passibilitas autem tentationis est quædam pœna respiciens illam causam. Infirmitas autem, ignorantia, & exilium determinant defectum triplicem à triplici conuenienti: Infirmitas enim determinat defectum potentiæ: ignorantia defectum scientiæ: exilium defectum coniunctionis cum summa bonitate. Sicut enim homo exul dicitur, quando est extra locum suum naturalem sibi conuenientem; & priuatur bonis suis: ita exilium spirituale patitur, qui est extra locum spiritualis bonitatis, in qua est quies, & priuatur bonis gratuitis.

¶ QVINTA vero diuisio accipitur secundum defectũ, pertinentem ad triplicem vim animæ, & causam eius extrinsecam. Nam error accipitur secundum rationem, difficultas vero vitandæ concupiscentiæ ad concupiscibilem siue affectiuam: tædium benefaciendi ad operatiuam, siue irascibilem secundum alium modum: tempestas vero sæculi causam extrinsecam dicit. Sunt autem tres vires animæ secundum prius & posterius: ratio siue cognitiua, & affectiua, & operatiua: vel vis rationabilis, concupiscibilis, & irascibilis.

¶ DIVISIO autem septimembris accipitur secundum

defectus, qui sunt in cognitiua, & motiua. Defectus autem multiplex est in cognitiua secundum differentem modum cognitionis: est enim cognitio finis, & eorum quæ sunt ad finem. Cognitio autem finis est duobus modis: vel in ratione veris, & sic dicitur intellectus, vel in ratione boni, & sic dicitur sapientia. Propter quod duplex est defectus siue pœnalitas respondens, stultitia, scilicet & hebetudo: vt stultitia sit contra sapientiam: hebetudo cõtra intellectum. Respectu autem eorum, quæ sunt ad finem, duplex est cognitio: arduorum, & non arduorum: defectus autem cognitionis arduorum dicitur præcipitatio, sicut cõsilium, quod ei opponitur, est respectu arduorum: ignorantia vero, quæ opponitur scientiæ, est respectu non arduorum: quæ tamen sunt ad salutem: sicut scientia est cognitio talium. Ex parte vero motiuæ accipiuntur tres pœnalitates: ex parte enim ipsius cõcupiscibilis vnus defectus siue pœna, quæ dicitur duritia, quæ est circa pietatem; ex parte vero irascibilis duplex attenditur defectus secundum excessum: excellentia siue superbia, quando homo pronus est supra id, quod potest ex quadam temeritate; & ita opponitur timori: reliquus vero defectus est secundum indigentiam, vel diminutionem; & dicitur timiditas, quæ est cõtra fortitudinem donum. Sic ergo sunt septem pœnalitates, in quibus vulneratur anima, & reparatur per septem dona.

ARTICVLVS III.

De singulis vulneribus mali culpæ, à Beda enumeratis.

TERTIO quæritur de singulis vulneribus illis, quæ enumerat Beda. Et habet quinque perlustranda. Primo de vulnere infirmitatis. Secundo de pœna ignorantiæ. Tertio, de vulnere malitiæ. Quarto, de vulnere concupiscentiæ. Quinto, de modo vulneris, & causa vulnerationis.

An infirmitas vulnus pœnaq; peccati sit? §. 1.

¶ PRIMO quæritur de vulnere infirmitatis. Infirmitas autem est impotentia resistendi malo: sed qui non potest resistere malo, id est peccato, necessitatem habet: sed dicit Augus. *quis peccat in eo quod vitare non potest?* quasi dicat nullus: ergo videtur, quod habenti huiusmodi infirmitatem non imputetur peccatum.

Aug in lib. de natura & gratia.

RESOLVTIO.

Et quidem: at non quæ ex conditione: sed quæ ex vitiis naturæ est.

Aug. in lib. de natura & gratia cap. 66.

¶ AD quod respondendum est per hoc, quod dicit August. quod ex vitijs naturæ, non ex conditione sit quædam peccandi necessitas. *Audeat homo, atque vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere. De necessitatibus meis educ me: quia & huiusmodi oratione certamen est aduersus tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem.* Ex hoc verbo August. patet, quod quædam est necessitas ex vitio: & alia est necessitas ex conditione naturæ. Si peccaret homo ex necessitate naturæ conditæ, non imputaretur ei ad peccatum: quia vitare non posset: sed cum peccet ex necessitate, quæ est ex vitio naturæ, cuius ortum fecit voluntas, imputatur ei ad peccatum, eo quod se homo in hanc necessitatem præcipitauit. Non est autem talis necessitas, quæ non possit tolli adiutorio gratiæ: & ideo petendum est adiutorium gratiæ, ne talis necessitas, vel infirmitas præualeat.

¶ ITEM ex peccato primo prouenit infirmitas: si ergo addatur peccatum, erit maior infirmitas: ergo quantumcunque multiplicetur peccatum, erit maior infirmitas: nõ ergo eadem facilitate surgit homo in secundo peccato, vel in tertio, qua facilitate resurgit in peccato primo. Quod videtur per simile de homine cadente in foueam profundiorem, & de cadente in minus profundam. Ad quod dicendum est, quod est quædam facilitas vel difficultas ex parte hominis: & est facilitas alia ex parte eius, per quem resurgit. Quantum ad illum, per quem resurgit, æqualis est facilitas resurgendi à prima infirmitate, & à secũda, vel tertia. Quãtum autem est ex parte ipsius hominis, non est æqualis facilitas, secundum quod maior est vel minor infirmitas. Et istud designatur in cæco, cui Dominus imposuit manus: & postea sequitur, *video homines velut arbores ambulantes: deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita vt videret clare omnia*: Non enim ex parte Dei fuit difficultas, quin statim clare videret: sed ostendere voluit Dominus infirmitatem maiorem vel minorem ex parte peccantis.

Marc. 8.

Dubitatio.

¶ ADHVC etiam quæritur: si homo per peccatum vulneratur vulnere infirmitatis: ergo per maximum peccatum cadit in maiorem infirmitatem: sed maximũ peccatum est peccatum hæreseos (sicut habetur in li. de Baptis.) ergo peccans illo peccato, cadit in maximam infirmitatem. Sed videtur contrarium, quia quidam illorum, vtpote Hæresiarchæ, qui magis peccant, fortiores sunt; aggrediuntur enim mortem; quæ est de rebus difficillimis: sicut dicit Philos. Ex quo videtur, quo ex peccato non proueniat infirmitas: immo quod ex aliquo peccato proueniat maior fortitudo. Similiter obijcitur de desperato, qui ex desperatione aggreditur mortem, cum desperatio sit maximum vitium. Ad quod dicendum, quod ex peccato secundum quantitatem peccati accidit infirmitas maior vel minor: quod autem in quodam peccato est fortitudo sustinendi ardua, vtpote tribulationem maximam, vel mortem; hoc est propter opinionem vel æstimationem fidei rectæ, quæ est apud illum, qui est hæreticus. Nam si non recte crederet, & se crederet non recte credere, non esset apud ipsum hæc rectitudo: sed quia nõ recte credit, & credit se recte credere, innuit ex hac opinione fidei apparentis fortitudinem quandam similem fortitudini fidei: quæ tamen non vsquequaque tanta est, quanta est fortitudo fidei. Ad illud vero, quod obijcitur de desperatione. Dicendũ est, quod ratione peccati desperationis maxima prouenit infirmitas respectu tentationis. Quod autem aggreditur mortem, hoc est ex quadam opinione euadendi miseriam illam, quæ duxit eum in desperationem: vel quæ est cum desperatione: nullus enim simpliciter eligit mortem. Vnde August. *Nullus recte potest eligere, vt non sit: sed eligit ex quadam opinione non recta*: æstimat enim euadere miseriam. Vnde August. *Cum quisque credens, quod post mortem non erit: intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur: & decernit atque arripit mortẽ: in opinione habet errorem omnimodæ defectionis; in sensu autem naturale desiderium quietis.* Omnis itaque appetitus in voluntate mortis non est; vt qui moritur nõ sit: sed vt requiescat, intenditur.

Aug. in lib. de Baptismo contra Donat. ftas.

Philos. 3. Ethi. c. 9.

Aug. in lib. 3. de libero arbitrio. Idem in eodem.

Dubitat.

¶ ADHVC etiam quæritur de illo peccato, quod dicitur peccatum ignorãtiæ, secundum quod dicit B. Ambros. *Grauissime peccat, qui ignorat*: super illud. *An ignoras &c.* cum enim maximum sit peccatum, inducit maximam infirmitatem: talis autem non sentit suam infirmitatem: vnde paralysim habet spiritualem, sed qui paralysim habet spiritualem, non timet adiungi nociuo, cum non sentiat: sicut est de paralytico corporaliter: ergo ex huiusmodi peccato consequitur quædam fortitudo ad sustinendum nociuum: non ergo ex maiori peccato maior infirmitas. Ad quod dicendum, quod sicut in præcedentib. peccatis ratione æstimationis cõsequebatur quædam fortitudo: ita in hoc peccato ratione non æstimationis consequitur quædam fortitudo. Æstimat enim de nociuo non esse nociuum, vel minus nociuum; & ex hoc habet quandam fortitudinem sustinendi. Ex alio ergo surgit infirmitas, scilicet ex ignorantia morbi spiritualis: ex alio surgit fortitudo, sc. æstimatione recta, vel non æstimatione recta.

Rom. 2.

An ignorantia pœna vulnusque peccati sit? §. 2.

¶ DEINDE quæritur de pœna ignorantiæ. Si enim pœna ignorantiæ consequitur ad peccatum: ergo ad maius peccatum maior ignorantia. Quod tamen videtur dupliciter esse falsum: tum quia peccator aliquando magis nouit, quid sit agendum, quam iustus: tum quia in maiori peccato existens, magis nouit aliquando, quam ille, qui est in minori. Non ergo videtur, quod anima per peccatum vulneretur vulnere ignorantiæ.

RESOLVTIO.

Et ignorantia peccati vulnus est: verum non omnis proprie: sed quæ experientiæ, siue scientiæ approbationis opponitur.

¶ Ad quod dicendum, quod est duplex ignorantia. Est enim ignorantia, quæ opponitur scientiæ speculatiuæ: & talis ignorantia licet sit pœna peccati originalis; non tamen semper est propria pœna peccati actualis: qui enim perpetrat homicidium, multotiens nouit homicidium esse mortale peccatum. Est etiam ignorantia, quæ opponitur scientiæ experientiæ, siue scientiæ approbationis: & hæc ignorantia respondet tanquam propria pœna mortali peccato: ita quod diuerso peccato mortali respondet diuersa ignorantia. Secundum hunc modum dicitur à Philosopho *omnis malus ignorat*. Cum enim peccat aliquis mortaliter, non noscit bonum oppositum notitia approbationis: cum enim noscere malum notitia approbationis, & noscere bonum notitia approbationis, sint opposita: peccator autem noscat malum notitia approbationis, ab eo remouetur altera notitia: ignorantia ergo secundum hunc modum augetur per augmentum peccati.

Philos.

¶ Adhvc etiam quæritur, cum sit malum veniale, sicut & mortale: vtrum malum veniale inducat vulnus ignorantiæ? Quod non, videtur: vulneratio enim naturalium sequitur ad spoliationem gratuitorum: sed spoliatio gratuitorum non fit nisi per mortale peccatum: non ergo ignorantia, quæ est vulnus; sequitur ex veniali peccato. Quod autem ad spoliationem gratuitorum sequatur vulneratio naturalium, apparet per ordinem contentum in parabola euangelica. Luc. 10. dicitur enim ibi, quod homo incidit in latrones, qui etiam spoliauerunt eum, & plagis impositis, abierunt, semiuiuo relicto: prior ergo est spoliatio, & consequens est vulneratio.

Dubitatio

¶ Contra, peccatum veniale diminuit speciem, modum, & ordinem: secundum quod sunt bona naturalia: & dicit B. Gregorius: quod *peccatum veniale obscurat*. Ergo per peccatum veniale fit vulneratio naturalium: & inducitur vulnus ignorantiæ. Præterea, qui perpetrat peccatum veniale, noscit illud notitia approbationis: ergo ignorat oppositum bonum: cecidit ergo in vulnus ignorantiæ.

Gregor.

¶ Ad quod dicendum, quod licet peccatum veniale non per se inducat spoliationem gratuitorum, inducit tamen quendam defectum bonorum naturalium. Vnde pœna ignorantiæ cuiusdam potest consequi ad peccatum veniale.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod ordo ille parabolæ euangelicæ attendit vulnerationem illam naturalium, quæ consequitur ex peccato mortali per spoliationem gratuitorum. Hic autem loquimur de illa vulneratione, quæ immediate consequitur ex peccato ipso veniali: quæ non est tanta, quanta est illa, quæ consequitur ex peccato mortali: non. n. in veniali peccato fit vulneratio, aut diminutio boni, nisi quantum ad quendam actum ipsius potentiæ. Per mortale autem fit vulneratio ipsius potentiæ naturalis, quantum ad omnem actum ipsius potentiæ ordinabilis in salutem.

An malitia pœna vulnusque peccati sit? §. 3.

¶ Postmodvm quæritur de tertio vulnere, quod est malitia. Et quæritur primo de differentia malitiæ, secundum quod vna differentia peccati est; qua quis peccat ex malitia: & de malitia, secundũ quod est tertia pœna. Cum enim malitia hic dicta sit pœna peccati: malitia vero ibi dicta sit causa peccati; differunt malitia hic dicta, & malitia ibi dicta: & ita non idem supponetur per vtrunque.

¶ Sed videtur contrarium per differentias condiuidentes: differentiæ enim condiuidentes sunt infirmitas, & ignorantia: infirmitas autem & ignorantia, prout dicuntur dispositiones ad peccatum; sunt idem cum pœnis hic dictis: ergo à simili dispositio, quæ est ad peccatum, erit idem in substantia cum malitia, quæ est dispositio peccati.

¶ Præterea, malitia secundum ꝙ est pœna, dicetur vulnus alicuius boni naturalis: cuius ergo boni naturalis dicetur vulnus esse? Videtur enim quod indifferenter respiciat omne bonum. Sicut enim malitia culpabilis non distinguit aliquod bonum sibi oppositum: ita nec malitia pœnalis.

¶ Præterea, malitia secundum quod est pœna, contrahitur ex malo culpæ: ergo ex differenti malo culpæ erit differens malitia, secundum quod est pœna: & ex augmento culpæ erit augmentum ipsius pœnæ: in quo ergo dicetur ipse deterior ratione istius pœnæ?

RESOLVTIO.

Adhuc & malitiam peccati pœnam vulnusque arbitramur: modo pro malitia pœna ex peccato mortali consequente, & pro defectu boni simpliciter sumatur.

¶ Ad qvod dicendum, quod malitia, secundum quod hic sumitur; & prout sumitur in illa diuisione, peccatum scilicet aliud ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex certa malitia; differenter sumitur. Hic enim sumitur pro malitia pœnæ, quæ ex peccato mortali consequitur: ibi vero sumitur pro malitia culpæ: non quæ necessario præcedit peccatum in Spiritum sanctum: sed dicitur certa malitia, cum homo scienter peccat, non eo modo quo dicitur peccare ex certa malitia, impugnando gratiam Spiritus Sancti per quam fit remissio peccatorum in ecclesia. Dicitur ergo certa malitia, quia certitudo præcedit respectu huiusmodi generis peccati. Et ita differenter sumitur malitia, cum dicitur, quod quis peccat ex certa malitia: & cum dicitur, quod peccans cadit in malitiam pœnæ.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod malitia cum sit defectibilitas boni naturalis, non accipitur malitia, secundum quod est pœna, pro defectu cuiuscunque boni (potentia enim dicitur bonum, & scientia dicitur bonum) sed accipitur pro defectu boni simpliciter: à quo quis dicitur bonus. Et ita non erit malitia commune ad alia genera pœnarum: sed e diuerso * diuidetur: sicut bonum differenter sumitur.

* Alias, diceret vel, differet.

¶ Si vero quæratur, Vtrum ex quocunq; peccato mortali proueniat hæc pœna: sicut & præcedentes pœnæ, infirmitas, scilicet & ignorantia. Dicendum est, quod proueniunt singulæ istæ pœnę ex quolibet genere peccati mortalis: hæc autem pœna non est nisi defectibilitas recedendi à bono simpliciter, vel elongandi se.

Dubitatio.

¶ Et si obijciatur, quod ista defectibilitas nihil aliud est, quam infirmitas: & ita hæc pœna non differt ab illa. Dicendum est, quod infirmitas respicit pœnam animæ, secundum quod contrahit debilitatem quandam ratione carnis adiunctæ: malitia vero dicit defectibilitatem voluntatis secundum se ipsam: quæ tamen nascitur ex corruptione voluntatis præcedentis. Et ita differt ratio potentiæ secundum quod infirmitas dicitur defectus potentiæ: & secundũ quod malitia dicit defectibilitatem potentiæ, quæ est voluntas ex propria corruptione.

¶ Ad aliud dicendum, quod malitia, secundum quod est pœna, derelinquitur ex malitia culpæ: & crescente malitia culpæ, crescit etiam malitia pœnæ, malitia autem illa pœnæ reddit ipsum deteriorem: quia plus elongatur à bono simpliciter: & ita magis inhabilis est. Nec dicitur deterior eo modo, quo ille, qui magis peccat malitia culpæ, dicitur deterior: sed eo modo quo pœna reddit hominem deteriorem.

An & concupiscentia peccati vulnus, pœnaque censenda sit? §. 4.

¶ Qvarto quæritur de vulnere concupiscentiæ. Circa quod quæritur, quæ sit ista concupiscentia, quæ dicitur esse pœna peccati. Si enim dicitur concupiscentia illa, quæ est fomes peccati: secundum hoc erit pœna originalis peccati: hoc autem modo dicetur esse pœna peccatorum singulorum mortalium: sed dicitur illa, de qua dicitur super illud, *Neque exhibeatis membra vestra* & c. Glo. *Languor iste tyrannus est, qui commouet in nobis mala desiderata*. Est ergo in nobis mala concupiscentia, quæ non est in nobis permittenda regnare: sunt & eius desideria, quæ sunt actuales concupiscentiæ: quæ sunt arma diaboli: hæc ergo concupiscentia

Rom. 6. Glossa.

est pœna originalis peccati: sed actuale peccatum differt ab originali: ergo alia respondet ei pœna. Vel si dicatur, quod omnes istæ pœnæ referuntur ad originale peccatum tantū: hoc non videtur: infirmitas enim vel ignorantia respiciunt indifferenter quodcunque mortale peccatum: ergo concupiscentia, quæ est pœna condiuidens, similiter respiciet indifferenter quodcunque peccatum mortale.

RESOLVTIO.

Et concupiscentiam pariter inter peccati vulnera connumeramus: verumtamen eam, quæ tanquam pœna, sequelaue peccatum omne mortale circuit.

¶ Ad quod dicendum, quod concupiscentia, de qua fit hic sermo, est circuiens tanquam pœna quodcunque peccatum mortale: concupiscentia vero, de qua dicit August. est propria pœna originalis peccati: & dicitur pronitas ad omne peccatum, siue veniale, siue mortale. Concupiscentia vero, prout hic sumitur, est pronitas ad aliquod peccatum, quod est sequela præcedentis: vel ad illud, quod est eiusdem generis. Ex peccato enim mortali prouenit concupiscentia apparentis delectabilis: quæ consequentiam habet ad illud.

Aug. super Epistol. ad Rom.

¶ Item, quæritur de differentia istius concupiscentiæ, & illius, qua quæritur. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis &c.*

1. Ioan. 2.

¶ Ad quod dicendum, quod nomine concupiscentiæ ibi designatæ intelligitur concupiscentia, quę est radix malorum: hic autem intelligitur concupiscentia, quæ est sequela peccati. Concupiscit enim aliquis peccare, & sic efficitur peccans: peccando vero fit pronus ad concupiscendum: & hæc pronitas concupiscentiæ est sequela peccati præcedentis.

¶ Item, quæritur, cum concupiscentia sit pœna: pœna autem nō est sine afflictione: habet ergo in se afflictionem.

¶ Contra, concupiscentia est rei amatæ: res autem amata, cum coniungitur, sonat in delectationem: cum aūt non est habita, sed speratur haberi; nihilominus adducit delectationem (spes enim & gaudium non sunt sine delectatione) concupiscentia ergo de se pœnam importat.

¶ Item, dicit Chrys. *Indigentia est principium concupiscentiæ*: aucta ergo concupiscentia, fiet aliquis indigentior: sed aucta pœna iam dicta, augetur concupiscentia: ergo aucta pœna iam dicta, fiet aliquis indigentior. Sed contrarium videtur: quia augetur concupiscentia in approximatione ad concupiscibile: ergo cum minor sit indigentia, aucta concupiscentia, minuitur indigentia.

Chrysost.

¶ Ad quod dicendum, quod concupiscentia respectu rei debito modo concupiscendæ, non sonat in rationem pœnæ: sicut nec dilectio summi boni. Sed concupiscentia rei indebito modo concupiscendæ cedit in pœnam. Nullus enim in ea inuenit satietatem: sed quanto plus credit satiari, tanto magis euacuatur. Et ideo huiusmodi concupiscentia inducit afflictionem: etsi nō semper sentiatur (quidam enim paralyticantur spiritualiter.) Cum enim loquimur, quod concupiscentia est pœna: intelligendum est de concupiscentia rei non concupiscendæ: vel non in his circunstantijs concupiscendæ: & ideo cedit in rationem pœnæ.

¶ Quod autem obiicitur in contrarium, quod concupiscentia cōiuncta delectabili inducit delectationem. Respondendum est, quod hæc non est vera delectatio, quæ non est sine afflictione; sed est mixta cum afflictione: de qua dicitur Prouerb. 14. Risus dolore miscebitur. Vnde licet delectatio sit secundum sensualem partem, nihilominus tamen vere est pęna siue afflictio, secundum rationem in se consideratam.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod cum indigentia sit principium concupiscentiæ, maior potest dici concupiscentia duobus modis: vel propter defectum ex parte concupiscentis, vel propter attractionem concupiscibilis. Si propter defectum ex parte concupiscentis tunc maior indigentia est maioris concupiscentiæ principium: & maior *indigentia attestatur maiori concupiscentiæ. Si vero fiat consideratio quantum ad attractionē concupiscibilis, eo quod magis attrahit, quod sibi approximatum est; quanto maior est approximatio, tanto maior erit concupiscentia: id est, feruentior. Et intelligitur hoc de motu naturali: est enim quidam appetitus naturalis concupiscentis respectu concupiscibilis.

*Alias, cō-cupiscētia attestatur maiori indigentiæ.

An, & quomodo malum bonum vulnerare dicatur? §. 5.

¶ His habitis de diuersis vulneribus, quibus vulnerata est humana natura per malum culpæ: consequenter dicendum est de modo vulneris, & causa vulnerationis.

¶ Ad quod sic obijcitur. Malum culpæ non corrumpit nisi agendo: actio autem illa est alicuius naturæ: natura autem bona est, in eo quod huiusmodi: ergo cum ei attribuatur corruptio, cuius est actio: bonum erit corrumpens: & non aliud quam se: ergo bonum se ipsum corrumpit.

¶ Ad idem facit, quod dicit Dionysius. *Non agit malum in bonum, nisi per virtutem boni*: sed actio mali est corruptio: ergo malum non corrumpit nisi per virtutem boni: sed malum non corrumpit, nisi illud, in quo est: ergo bonum per virtutem ipsius boni corrumpitur.

Dionys. de diui. nom.

¶ Item, Dionys. *Boni superexcellens magnitudo & priuata sui priuationem posse facit: secundum quod vniuersaliter est sui participare.* Sed priuata non sunt nisi mala: priuatio non est nisi malitia: ergo malum vel malitia non habet posse nisi per bonum: & sicut se habet ad posse, ita ad agere: ergo agit per bonum: sed actio ipsius mali est corruptio: ergo malum per bonum corrumpitur: & ita habetur propositum, quod aliquid se ipsum corrumpit: quod est impossibile. Communis animi conceptio est, quod nihil in se agit: eo quod nihil omnino vnum est per se agens & patiens.

Idem in eodem.

RESOLVTIO.

Malum non alias, quam in eo quod malum bonum vulnerare dicitur. Ita profecto, vt verbum vulnerare *non tam agere, quam corrumpere, vel destruere inferat.*

¶ Ad quod dicendum, quod malum in eo quod malum vulnerat bonum.

¶ Cum autem dicitur: malum dicitur priuatio in subiecto, siue subiectum priuatum; vt vulneratio nō attribuatur priuationi tantum, nec ipsi bono secundum quid tantum: sed ipsi toti: nihilominus tamen quia corrumpere nō dicit per se agere, sed per se destruere, bene cōuenit ipsi priuationi existenti in subiecto, secundum quod huiusmodi. Aliter enim debet fieri iudicium cum hoc verbo *corrumpere* & cum hoc verbo *agere.* Si enim ponatur hoc verbum *agere* retorquetur actio principalius ad ipsum bonū. Si vero sumatur hoc verbum *corrumpere* principalius, refertur ad malum, siue ad malitiam.

¶ Cum ergo dicit Dionys. quod malum non agit in bonum nisi per virtutem boni; aut *corrumpere* sumitur ibi vt dicatur agere quadam communi ratione: & tunc dicendum, quod non est verum. Si vero sumatur *agere* proprie: tunc verum est, quod malum non agit nisi per virtutem boni: ita ex prædictis non sequitur, quod aliquis seipsum corrumpat: accidit tamen, quod aliquid in seipso deficit. Et hoc modo potest dici, quod creatura est causa sui defectus, prout in defectum vertitur: sed hoc non est ex ratione boni: quia tunc oporteret primam causam bonitatis esse causam horum defectuum.

¶ Similiter respondendum est ad aliam autoritatem Dionysij, qua dicitur: quod malum habet posse per bonū. Est enim posse duplex, vel posse à potentia actiua: vel posse à possibilitate defectiua. Si posse à potentia actiua, non habet malum nisi à bono. Si vero posse à possibilitate defectiua; secundum hoc malum inquantum malum id est subiectum priuatum dicitur posse; vt est posse corrumpi, vel minui: & ita de aliis. Et eodem modo est de posse corrumpere, vt ad malitiam retorqueatur. Vnde dicit August. *Abstinere à cibo non est substantia: & tamen substantia corporis si omnino abstinetur à cibo, ita languescit, & inæqualitate morbi corrumpitur, & à lassitudine debilitatur & frangitur: sic etiam de malo, quo natura animæ corrumpitur.*

August. in libr. de natura & gratia.

¶ Ad idem. Si vulneratur potentia naturalis per malum culpæ: non nisi ipsa potentia liberi arbitrij: sed ipsa

potentia liberi arbitrij, est potentia peccandi: ergo potentia peccandi vulneratur per malum culpæ: sed hæc vulneratio non est nisi boni diminutio: ergo quanto magis homo peccat: tanto magis diminuitur in eo potentia peccandi: ergo quanto magis peccat, tanto minus potest peccare. Contra, quanto magis peccat, tanto fragilior est ad peccandum: ergo quanto magis peccat: tanto potest magis peccare.

¶ AD QVOD dicendum, quod cum dicitur potentia liberi arbitrij vulnerari per malum culpæ: & vulneratio illa est boni diminutio: intelligitur non ex illa parte, qua liberum arbitrium est potentia peccandi; sed ex illa parte, qua dicitur potentia non peccandi. Ex illa enim parte (sicut dicit Anselmus) dicitur libertas: non dico à coactione; sed illa libertas, quæ est à miseria: qua dicitur, qui magis peccat, minus liber. (Vnde dicit in Libello de libero arbitrio) potentiam, prout huiusmodi, nec esse libertatem, nec partem libertatis. Sed non sic est de potentia non peccandi, siue benefaciendi: secundum hoc enim qui magis peccat peccato mortali, minus potest. Vnde in prædicta ratione est commutatio ab eo quod est quid, in quale, vel quomodo se habeat; cum dicitur, malum vulnerat liberum arbitr. & libr. arb. est potentia peccandi: ergo vulnerat potentiam peccandi vulneratione, quæ est diminutio: liberum enim arbitriũ dicit quid, potentia vero peccandi dicit, quomodo se habet. Ansel.

¶ ITEM, dicit Dionys. *Nihil corrumpitur à malo, secundum quod est essentia, vel natura*: ergo non vulneratur ipsa natura: sed natura nihil aliud est, quam ipsum bonum naturæ: ergo non vulneratur bonum naturæ: quid ergo vulneratur? Dionys. in libro de diuinis nom.

¶ AD HOC respondendum per hoc, quod in eodem Lib. dicitur. *Non corrumpitur quid existentium, secundum quod est essentia vel natura: sed ex defectu iuxta naturam ordinis, harmoniæ, & commensurationis.* Circumloquitur ergo per ordinem, harmoniam, & commẽsurationem bonum modi, speciei, & ordinis: ratione quorum dicitur esse diminutio siue vulneratio in ipsa potentia habituali. Natura autem dicitur dupliciter: vel pro bonis naturalibus ipsius animæ ordinabilis ad bonum: vel pro ipsa natura animæ. Si accipiatur ergo natura ipsius animæ: secundum hoc est verum, quod non corrumpitur quid existentium, secundum quod est natura. Si vero accipiatur pro bonis naturalibus eius, inquantum ordinabilis est ad bonum: sic corrumpitur natura.

¶ SED ad hoc attendendum est: quod duplex est corruptio: simplex, & secundum quid. Corruptio simplex dicitur omnimoda desitio: & secundum hoc bonum naturæ non corrumpitur per malum culpæ. Si vero dicatur corruptio permutatio ab eo quod est magis in minus: secundum hoc corrumpitur quid existẽtium, ratione huiusmodi boni naturalis.

MEMBRVM III.

De tertio effectu mali culpæ: qui est priuatio modi, speciei, & ordinis.

CONSEQVENTER quæritur de tertio effectu mali, qui est priuatio modi, speciei, & ordinis: circa quem effectum quæruntur hæc quatuor.

¶ PRIMO, quid vnumquodque horum dicatur; & quæ sit inter illa differentia.

¶ SECVNDO, qualiter priuentur per malum culpæ.

¶ TERTIO, vtrum simul priuentur.

¶ QVARTO, vtrum æqualiter priuentur.

ARTICVLVS I.

Quis modus, quæue species, & ordo per malum culpæ priuari dicantur.

AD PRIMVM sic est procedendum: *modus species, & ordo* (sicut dicit August.) *insunt omni rei existenti*: & idem potest haberi ex Libr. de Natura boni. Sed (secundum quod dicit August.) *modus sumitur, secundum quod est dispositio rei in esse terminata*: & hoc modo refertur ad ipsam causam efficientem, cuius est dare esse terminatum & mensuratum. Species vero est dispositio rei formatæ, secundum quod ab alia distinguitur: vnde est in relatione ad causam formalem. Ordo vero est dispositio rei, prout refertur ad finem: vnde relatione ad causam finalem designatur. Sed si hoc modo accipiuntur, modus, species & ordo: non erit dicere, quod malũ sit priuatio modi, speciei, & ordinis: illud enim quod est commune homini cum omni creatura, non priuatur: oportet ergo sub alia ratione designare. Aug. in lib. de ciui. Dei Idem super Genes.

¶ PRÆTEREA, malum culpæ non aufert ab anima habitudinem ad suam causam efficientem, vel ad suam causam formalem (non enim anima est minus anima, etsi peccet) non ergo modus, & species secundum dictam rationem priuantur vel minuuntur per malum: sed ordo tãtum videtur priuari vel minui.

¶ ITEM, Bonum, quod priuatur per malum culpæ, est bonum habitudinis naturalis: oportet ergo quod hæc tria, modus, species, & ordo determinentur circa habitudinem: sed habitudo illa dicitur in ordine ad finem: ergo videtur, quod modus, species, & ordo; secundum quod hic accipiuntur, ex parte ordinis accipiantur. Sed hoc qualiter cõtinget, vt ordo diuidatur per modum, speciem, & ordinem: cum modus, & species dicantur partes ordinis.

¶ PRÆTEREA, omni rei insunt hæc tria (& accipitur res communiter) ergo insunt habitudini: habitudo ergo habebit modum, speciem, & ordinem: sed (sicut dictum est) modus, species, & ordo accipiebantur in essentia, siue natura in relatione ad tres causas, efficientem, formalem, exemplarem, & finalem: ergo habitudo cum habeat hæc tria, habebit illa in relatione ad has tres causas. Modus ergo dicetur penes esse ipsius habitudinis terminatum: species penes esse habitudinis formatum & distinctum: ordo penes ipsum esse habitudinis ordinatum in finem.

¶ SED videtur contrarium: si enim habitudo illa infinita dicitur in diminuendo, non videtur ex illa parte habere terminum: ergo nec esse terminatam: ergo non videtur habere modum. Similiter si species dicit distinctionem habitudinis ad habitudinem: cum huiusmodi distinctio habitudinis ab habitudine per malum culpę non priuetur, non priuatur species per malum culpæ: sed priuatur: ergo non secundum hanc rationem intelligitur.

¶ ITEM, fuerunt, qui dicerent, modum, speciem, & ordinem sic distingui: vt species attenderetur secundum speciem actionis: modus vero secundum circunstantias actionis: ordo vero comparatione ad finem: Sed his modis non videtur malum culpę, quod sit priuatio modi, speciei, & ordinis: quia species actionis non tollitur per malum culpæ.

¶ PRÆTEREA, modus est dispositio antecedens speciem, secundum August. ergo non debet attendi secundũ posterius, & species secundum prius. Sed actio secundum speciem suam est prior, quam circunstantia actionis: ergo modus non debet determinari penes circumstantiam, & species penes speciem actionis. August.

RESOLVTIO.

Is modus, ea species atque ordo per malum culpæ priuari dicuntur, qui in voluntate ad finem ordinabili sunt: non qui in substantia, vel essentia, vel potentia animæ, prout potentia est, existunt.

¶ AD quod dicendum, quod modus, species, & ordo accipiuntur hic, secundum quod sunt in voluntate ordinabili ad finem. Nec accipiuntur hic modus, species, & ordo; prout sunt in natura, vel essentia ipsius animæ: vel prout sunt in potentia vt potentia est, in se considerata: modus enim & species, & ordo animæ, inquantum est substantia quædam, & modus potentiæ (verbi gratia rationalis aut irrationalis & concupiscibilis) cum specie & ordine non recipiunt priuationem per malum culpæ: non enim anima rationalis minus est rationalis cum peccat: nec minus habet potentiam rationabilem, vel concupiscibilem, vel irascibilem. Et ideo secundum illum modum non accipiuntur modus, species, & ordo; prout dicuntur modus species, & ordo priuari, vel corrumpi per malum culpæ.

¶ PER hoc potest patere, qualiter respondendum est ad primo obiectum: loquitur enim ibi August. de modo, specie, & ordine; secundum quod in ijs conuenit omnis crea-

tura:& est vestigium Dei:non secundum quod est propriũ creaturæ rationalis,inquantum est in ea malum culpæ.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod malum culpæ non aufert, vel minuit modum, speciem, & ordinem; secundum quod insunt naturæ ipsius animæ vel essentiæ: sed secundum quod insunt voluntati ordinabili ad bonum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod cum hæc tria insint habitudini, prout per peccatum priuantur: de illa tamen habitudine voluntatis est loqui multipliciter: & secundum hoc potest habere modum, speciem, & ordinem. Est enim modus ipsius voluntatis, inquantum habet habitudinem ad summam bonitatem boni effectiuam: modus enim dicit mensuram, mensura autem dicitur esse voluntatis, in eo quod conformat voluntatem suam voluntati diuinæ: hæc autem est mensura voluntatis, vt non præferat voluntatem suam voluntati diuinæ: sed sequatur eam. Similiter species dicitur esse ipsius voluntatis, secundũ quod voluntas habet rectitudinem naturalem: & hæc rectitudo naturalis dicitur species eius. Non autem loquor modo de illa rectitudine naturali, cuius carentia dicitur peccatum originale, quam habuit homo à principio: sed de rectitudine naturali, quæ sequitur ipsam voluntatem, licet deformetur per malum culpæ: nõ enim omnino tollitur species rectitudinis, sed minuitur. Ordo vero attenditur in ipsa voluntate secundum quod refertur ad finem. Nec oportet dicere, quod licet hæc habitudo sit voluntatis ordinabilis ad finem, quod omnes istæ tres conditiones accipiantur penes rationem ordinabilis in finem: sed in comparatione ad tres causas secundum genus illud: Voluntas enim Dei bona dicitur efficiens, dicitur etiam forma, & dicitur finis: voluntas autem rationalis potest habitudinem habere debitam ad voluntatem sic vel sic dictam: & secundum hæc in ea dicuntur esse modus, species, & ordo.

¶ Ad quarto obiectum, Dicendum quod (sicut dictum est) habitudo habet ista tria in se, quæ priuantur, vel minuuntur per peccatum. Quod autem dicitur, habitudo non habet esse suum vtrobique determinatum; & ita non habet modum. Dicendum est, quod quodammodo habet terminatum: & quodammodo non habet. Vno enim modo dicitur hæc habitudo voluntatis medium inter voluntatem diuinam, & ipsam animam volentem; & sic dicitur habere esse mensuratum & terminatum: citra enim summam voluntatem est, & progreditur ab ipsa anima volente: & per hunc modum bene dicitur esse modus ipsius voluntatis rationalis terminatus. Alio vero modo dicitur habitudo voluntatis rationalis habere mensuram secundum quantitatem; vt si dicatur tanta esse habitudo, quod non possit vlterius ascẽdere in hoc, quod magis sit habilis; nec descendere, vt citra non sit minus habilis: & secundum hũc modum nec dicitur habere terminum vtrobique: non n. tam habilis est, quin possit esse habilior: nec ita minus habilis, quin etiam possit minui. Tamen in creatura rationali est dicere summum, sicut in Christo: tam enim habilis fuit quod vltra non erat habilitatio rationalis creaturæ: sed infimum non est ponere: non enim aliqua habitudo ita decrescit, quin possit vlterius decrescere.

¶ Ad illvd vero, quod vltimo dictum est secundum opinionem quorundam. Dicendum est, quod secundum intentionem August. de modo, specie, & ordine, non recte distinxerunt: modus enim præcedit naturaliter speciem, & species naturaliter ordinem: ipsi vero speciem modo præposuerunt. Vnde illa distinctio nõ habet locum in modo, specie, & ordine, secundum quod dicuntur priuari vel minui per malum culpæ. Præterea, contingit malum culpæ aliquando ex defectu boni, quantum ad circunstantiam actionis: aliquando ex defectu intentionis respectu debiti finis. Malum autem culpæ secundum hoc aliquando priuaret speciem, & non modum, vel ordinem: aliquando ordinem, & non priuaret speciem, vel modum: sed hoc non est, secundum quod in omni malo culpæ est priuatio modi speciei, & ordinis.

ARTICVLVS V.

An & quomodo modus, species, & ordo per malum culpæ priuari dicantur?

Deinde procedendum est ad secundo quæsitum, scilicet qualiter modus, species, & ordo priuentur per malum culpæ. Et videtur illud ostendi per hoc, quod dicit August. in lib. de ciuit. Dei: quod sicut morbis corrumpuntur corpora, ita mentes vitijs corrumpuntur: vnde sicut morbo corrumpitur bonum corporis, ita malo culpæ siue vitio bonum naturale animi. Sed ita est in morbo corporali, quod aliquando infirmatur corpus per incommensurationem humorum: aliquando per deformitatem membri: aliquando per prauam membri ordinationem: sicut quando fit dislocatio: sic ergo in morbo corporali potest esse defectus in modo, aliquando in specie membri, aliquando in ordine. In modo autem vel per incommensurationem humorum, vel per superfluitatem, siue indigentiam membrorum: pari ergo ratione in anima ita est, quod continget priuationem fieri sanitatis spiritualis per peccatum ratione modi, speciei, aut ordinis.

¶ Item, per bonum gratiæ habetur modus, species & ordo in re gratuita: peccatum autem mortale est priuatio gratiæ: ergo peccatum priuat modum, speciem, & ordinẽ: qui eliciuntur ex ipso actu gratiæ: malum ergo culpæ est priuatio horum.

¶ Contra. Modus, species, & ordo adhærent ipsi animæ, vel alteri creaturæ spirituali: sed anima rationalis, siue altera creatura spiritualis immortalis est: ergo ab ea non tollitur esse, secundum quod est creatura: ergo nec modus, species, & ordo: quæ adhærent ipsi creaturæ; sine quibus etiam ipsa creatura nec esse, nec intelligi potest omnino. Vnde August. *Non est vlla natura, quam non ille constituit: à quo est omnis modus, species, & ordo. sine quibus nihil rerum inueniri, vel cogitari potest.* Ergo modus, species, & ordo, prout adhærent creaturæ spirituali; priuari non possunt. Aug. 11. de ciuit. Dei.

¶ Præterea, manente esse naturæ spiritualis, ratione sui, & ratione potentiæ suæ manet habitudo naturalis ad bonum: sed manente naturali habitudine ad bonum, manent modus, species, & ordo: ergo manente esse rei spiritualis, ratione sui, & ratione potentiæ suæ; manent modus species & ordo: sed peccato existente manet esse rei spiritualis: ergo peccato existente manent modus, species, & ordo: non ergo priuantur.

RESOLVTIO.

Diuersa consideratione & in esse gratuito, & in esse quodam naturali priuari dicuntur.

¶ Ad quod dicendum, quod priuatio dicitur duobus modis: pro ipsa ablatione vniuersaliter: vel pro ipsa permutatione ab eo quod est magis, in minus. Si pro ipsa ablatione vniuersaliter, secundum hoc est priuatio modi, speciei, & ordinis in esse gratuito: habens enim modum culpæ mortalis, nec habet modum, nec speciem, nec ordinem esse gratuiti; quod est à gratia gratumfaciente. Si vero sumatur priuatio pro permutatione ab eo, quod est magis, in minus; secundum hoc dicitur esse priuatio modi, speciei, & ordinis in quodam esse naturali.

¶ Ad obiecta autem respondendum, quod quodam modo est simile in morbo corporali & spirituali: quodammodo dissimile. In hoc enim est simile, quod vtrobique est defectus sanitatis. Sed in hoc est dissimile, quod morbus corporalis aliquando potest esse ex defectu modi, aliquando ex defectu ordinis: morbus enim spiritualis ponit defectum omnium horum, secundum quod de his intendimus. Possent tñ aliter considerari: & secundum hoc aliquando contingeret esse defectum in modo; ita quod non esset defectus in specie, & ordine: vel econuerso: vt infra tangetur.

¶ Ad id autem, quod obiicitur in contrarium. Dicendũ est, quod modus, species, & ordo possunt accipi dupliciter. Art. immediate seq.

Vel

Vel prout inseparabiles sunt à natura animæ rationalis inquantum huiusmodi: & secundum hoc non possunt priuari per malum culpæ altera duarum priuationum: videlicet illa, quæ est per omnimodam ablationem: vel quæ est per mutationem ab eo quod est magis, in minus. Si vero accipiantur, secundum quod disponunt habitudinem naturalem ad bonum per malum culpæ, potest vno modo fieri priuatio horum: possunt enim minui, sed non vsquequaque tolli. Vnde per hoc potest solui, quod consequenter obiectum est: modus enim species, & ordo, prout adhærent habitudini naturali ad bonum, licet diminui possint, omnino tamen tolli non possunt.

ARTICVLVS III.

An tria isthæc dicta, modus, species, & ordo simul & semel priuari dicantur?

TERTIO quæritur, Vtrum ista tria, modus, species & ordo simul priuentur per malum culpæ. Et videtur, quod non: per simile in aliis creaturis. Nam in animalibus potest priuari modus, cum non priuetur ordo, vel species: potest etiam priuari ordo, ita quod non priuetur modus vel species: & similiter de specie: ergo non simul priuantur ista: pari ergo ratione erit in ipso homine secundum animam rationalem, quod vnum poterit priuari sine aliis duobus.

¶ Præterea, in aliis bonis spiritualibus contingit hoc, quod vnum poterit priuari sine alio: verbi gratia, potest priuari memoria, non priuata imaginatione: potest priuari imaginatio, non priuata memoria: & hæc possunt priuari, manenre vsu quodam rationis intermedio: secũdum quod diuersæ fiunt ægritudines, quibus fiunt læsiones in diuersis capitis partibus: similiter contingit de aliis bonis naturalibus, sicut sunt castitas naturalis, & pietas naturalis: & ita de aliis: potest enim vnum esse sine alio. Pari ergo ratione poterit priuatio esse modi sine priuatione speciei; & ordinis: vel econuerso.

Aug in lib. de natura boni ca. 3. in medio Tom. 6.

¶ CONTRA, Dicit Aug. *vbi modus, species, & ordo magna bona sunt, magnum bonum est: vbi parua bona sunt; paruum bonum est: vbi vero mediocria, mediocre bonum est.* In quo vult designare, quod per quandam connexionem vbi modus est magnum bonum, species est magnum bonum, & ordo similiter: & econuerso.

¶ Item, ista sunt vestigia Trinitatis summæ: sed in summa trinitate est omnimoda æqualitas: ergo in hac trinitate, quæ est vestigium, est suo modo æqualitas. Ergo si plus est de modo, plus erit de specie, & ordine: & si minus, minus: ergo simul priuantur.

RESOLVTIO.

Quinimmo ita simul, vt alterum sine altero priuari nullatenus contingat.

¶ AD quod dicendum; quod modus, species, & ordo si dicerentur secundum illum modum, secundum quem accipiuntur in animalibus, inquantum sunt animalia (non dico inquantum sunt creaturę) posset esse priuatio modi sine priuatione speciei, & ordinis. Sed non sic accipiuntur hic: sed secundum hoc quod modus, & species, & ordo in qualibet creatura repræsentant quodammodo summã trinitatem: & ideo cum priuatur modus, priuantur species, & ordo: & econuerso.

¶ Per hoc potest solui; quod obiectum est per simile in animalibus: modus enim species, & ordo aliter accipiuntur, secundum quod conueniunt animali, inquantum est creatura (sic enim simul sunt.) Aliter secundum quod conueniunt animali, inquantum est animal: sic enim modus potest esse sine specie, & ordine in ipsa compositione membrorum animalis. In anima vero rationali prout malum culpæ dicitur priuatio modi, speciei, & ordinis (secundum quod intelligit Aug.) simul est priuatio omnium: cum n.amatur creatura vt Deus, vel plus Deo, est defectus modi siue mensuræ; existente autem defectu isto, exit voluntas ab extremis (extrema autẽ dico Deum, vt est principium, & vt est finis) ergo est defectus rectitudinis: & ita per cõsequens speciei: rectitudo enim est forma siue species ipsius extensionis mediæ: cum autem exit voluntas ab extremis, non amat Deum propter se, & super omnia; propter quod est defectus ordinis: simul ergo est priuatio modi, speciei, & ordinis per malum culpæ mortalis.

¶ Ad secundum obiectum dicendum, quod aliter est in his bonis spiritualibus, & in aliis quibusdam. Quædam enim sunt bona spiritualia, quæ non simul tolluntur: quædam vero sunt, quæ simul tolluntur. Bona enim spiritualia, quæ per se sunt gratiæ gratum facientis; simul priuantur: quæ vero non sunt huiusmodi, sed sunt gratiæ gratis datæ, possunt non simul priuari. Bona vero naturalia, quæ sunt naturæ ordinabilis ad bonum; nec omnino se habent sicut illa bona, vel illa, sed minui possunt, omnino autem priuari non possunt: talia autem sunt modus, species, & ordo. Simul tamen minuuntur propter supradictam rationem; eo quod diminutio, quæ est ipsius habitudinis ad efficientem; ponit diminutionem habitudinis ad ipsam formalem, & similiter ad finalem: & econuerso.

ARTICVLVS IV.

An tandem & æque priuari dicantur.

QVARTO quæritur, Vtrum modus, species, & ordo æqualiter priuentur. Quod non, videtur: modus enim appropriatur potentiæ siue virtuti: species vero pulchritudini: ordo autem bonitati. Sed contingit defectum esse in potentia, non existente defectu in pulchritudine, vel bonitate: similiter in pulchritudine contingit esse defectum, non existente defectu in potentia vel bonitate: & eodem modo contingit esse defectum in bonitate, non existente defectu in pulchritudine, aut potentia. Contingit ergo minui modum sine diminutione speciei, & ordinis.

¶ Præterea, in virtutibus naturalibus contingit intensionem fieri vnius sine intensione alterius: & diminutionem vnius sine diminutione alterius: vt castitas naturalis potest minui vel intendi sine pietate naturali, vel sine iustitia: Pari ergo ratione, cum modus, species, & ordo ad bona naturalia referantur, poterit minui modus sine specie, vel ordine: vel econuerso.

¶ CONTRA, modus, species, & ordo sunt ipsius habitudinis potentiæ, prout ordinabilis est ad bonum gratiæ: quemadmodum ergo est in bono gratiæ, quod secundum minoritatem gratiæ est minoritas virtutum gratuitarum: & cum minor est fortitudo gratuita, minor est castitas gratuita: & ita de aliis: eodem modo videtur esse de modo, specie, & ordine: vt cum minuitur modus, minuatur species, & ordo.

¶ Item, si minueretur modus per malum culpæ, non facta diminutione speciei, & ordinis; cum ad diminutionem modi sequatur, quod minus habilis sit anima ad bonum: non facta autem diminutione speciei & ordinis, sit anima habilis ad bonum; esset simul habilis ad bonum, & inhabilis: quod est inconueniens. Non ergo per malum culpæ fit priuatio siue diminutio modi, quin insimul fiat diminutio speciei, & ordinis: & econuerso.

¶ Item cum voluntas humana conformat se voluntati diuinæ, rectitudinem habet in sua operatione: cum a.habet rectitudinem in sua operatione, ordinatur debito modo ad suum finem, & econuerso: ergo defectu existente in aliquo horum, est defectus in aliis. Sed habitudo naturalis refertur ad omnia ista, & potest recipere intensionem & diminutionem: ergo cum diminuitur respectu vnius istorum, diminuitur respectu aliorum: & econuerso.

RESOLVTIO.

Æque, cum vnius & æqualis conditionis sint.

¶ AD quod dicendum, quod simul æque fit omnium istorum diminutio per malum culpæ mortalis.

¶ AD obiectum autem dicendum est, quod licèt modus appropietur potentiæ siue virtuti, & ita de aliis: tamen quia potentia dicitur dupliciter, vno modo appropriatur hic modus potentiæ: alio modo non appropriatur. Si enim accipiatur hic potentia pro ipsa habitudine naturali voluntatis ad summam bonitatem: secundum hoc modus appropriatur potentiæ: & contingit minui, secundum quod minuitur illa habitudo naturalis. Si vero accipiatur

potentia pro fortitudine naturali: secundum hoc modus non appropriatur potentiæ: quia contingit fortitudinem naturalem esse sine pulchritudine, vel bonitate, & etiam in ipsa anima: secundum hoc modus hic non appropriatur potentiæ: & secundum hoc non dicitur hic per malum culpæ fieri priuatio modi, speciei, & ordinis. Eodem modo dicendum est de aliis scilicet specie, & ordine.

¶ Ad secundum dicendum, quod secus est in bonis naturalib. quæ dicũtur virtutes; & in bonis naturalib. quæ dicuntur modus, species, & ordo: potest n. vna virtus naturalis inesse sine alia: & econuerso. Modus a. species, & ordo sic se habent, q̃ si vnũ potest inesse sine aliis: nec econuerso: eo quod sunt vnius conditionis: & propter hoc cum vnum intenditur, alia duo intendũtur: cum vnum minuitur, alia duo minuuntur. Attendendum est autem, quod loquimur hic de modo, specie, & ordine; prout horum priuatio non est ipsa essentia mali culpæ: sed est defectus consequens malum culpæ.

QVÆSTIO XCVI.

De diuisionibus mali culpæ.

In tria Membra & quatuordecim Articulos diuisa.

D.Tho.1. par.q 98. & 99. S Bo. in 2.d. 34. 35. & 40. COMPLETO tractatu de malo, & de primis differentiis mali: transitum facientes ad considerationem peccati, primo dicamus dispositionem quandam materialem ad peccatum, secundum quandam mali culpabilis diuisionẽ. Malum enim culpabile aut est malum ex genere actus: aut ex circumstantia actus: aut ex intensione finis indebiti.

MEMBRVM I.

De malo ex genere?

QVIA vero prior est in hac consideratione malitia ex genere actus: deinde vero malitia ex circumstantia: tertio vero malitia ex intentione. Potest enim actus esse bonus in genere, & circumstantiæ bonæ: nihilominus tamen malus ex intentione: bonitas vero intentionis non potest esse, nisi fundetur super bonitatem ex genere, & ex circumstantiis: ideo primo dicendum est de malo in genere.

¶ Circa quod est consideratio. Primo, quid sit malum in genere, vel ex genere. Secundo, de oppositione mali in genere respectu boni in genere: vtrum sit oppositio contrarietatis s. & oppositio immediata. Tertio vero de comparatione malitiæ in proportionabilitate ipsius habitus ad actum. Quarto, de oppositione proportionabilitatis malitiarum inter se respectu bonitatum.

ARTICVLVS I.

Quid sit, dicaturue malum ex genere, vel in genere?

CIRCA primum sic est procedendum: quæritur. Vtrum malum in genere, siue ex genere dicatur illud; quod nullo modo per circumstantiam formari potest, vt sit bonum. Et hoc videtur: fornicari n. est tale malum; quod per nullam creaturam potest formari, vt sit bonum: & Philosophus dicit quædam statim nominata, mox coniuncta sunt malo, vt adulterium. Si ergo hoc modo dicitur malum in genere; tunc malum in genere continebit in se malum ex circumstantia: (nullum enim malum est omnino informabile ad bonum, nisi contineat in se defectum circunstantiæ, vel circumstantiarum) sed hoc non videtur, cum malum in genere diuidatur contra malum ex circunstantia.

¶ Præterea, non dicetur malum in genere, quod genus est malorum: secundum hoc enim non connumeraretur malum in genere cum speciebus mali: genus enim non cõnumeratur cum suis speciebus: relinquitur ergo, quod malum in genere dicetur malum, quod est ex genere actus; quando in ipso actu secundum seipsum considerato inuenitur defectus. Sed in nullo actu secundum seipsum considerato inuenitur ita defectus quin possit cum aliqua materia coniunctus dici bonum: verbi gratia, odire, si respiciat personam, dicit malum: si respiciat peccatum; secundũ quod dicitur in Psal. *Iniquitatem odio habui*, dicet bonum: ergo odire secundum se ipsum consideratum dicit bonum: aut nec dicit bonum, nec malum. Psal. 118. Et similiter est de hoc, q̃ est, irasci: irasci enim si fit ex odio personæ, malum est: si vero fit ex odio vitii, bonum est. Similiter ille actus occidere, si fit autoritate legis ab eo, ad quem spectat, & respectu eius materiæ, quæ debita est, bonum est: si vero alio modo malum est: ergo occidere secundum se ipsum consideratum erit indifferens: & similiter in aliis actibus: ergo malum in genere non dicetur ex genere actus: quo ergo modo dicetur malum in genere? Si autem dicatur genus pro subiecta materia, quæ conuenit actui, secundum hoc dicetur, occidere hominem, malum in genere. Sed hoc qualiter dicetur, cum præcipiatur in lege, occidere maleficum? occidere autem maleficum, est occidere hominem: & ita malum implicabitur in bono. Similiter præcepit dominus Abrahæ immolare filium suum: & immolare filium, est occidere hominem: ergo in bono meritorio implicabitur malũ: quod non videtur: ergo malum in genere dicetur non secundum hunc modum.

¶ Dicunt aliqui, quod interficere hominẽ, est malum in genere: quoniam est malum in se, sed non secundum se. Sed quæ est ista differentia. Si n. aliquid est malum in se: ergo de se importat malitiam: sed quod importat de se malitiam; dicitur esse malum secundum se, aut per se: ergo interficere hominem, est malum secundum se.

RESOLVTIO.

Tametsi malum ex genere, vel in genere multipliciter dicatur: præcise tamen hic illud intelligimus, quando actus in se & defectum dicit, & cum materia indebita coniungitur.

¶ Ad quod dicendum, quod licet multis modis possit dici malum in genere: vt quod per nullam circunstantiam potest formari, vt sit bonum; vt fornicari, vel adulterari: vel quod dicit genus malorum. Specialiter tamen hic accipitur malum in genere, quando actus dicit defectum boni, & respicit materiam indebitam: vt genus subiectum dicatur ipsa materia indebita: nomen vero actus determinet defectum. Sicut enim bonum in genere multis modis potest dici: vel quod est genus bonorum; sicut est virtus, quæ dicitur bonum in genere: vel quod per circumstantiam nullatenus potest fieri malum, sicut habere charitatem: vel quod dicit bonum in genere actus, & respicit materiam debitam, vt dare eleemosynam, vel pascere esurientem (Et quod ita dicit Aug.) ostendens; quod bona opera in genere non sufficiunt sine charitate. *Quicquid boni in orationibus & eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum christianæ societatis & pacis incorporaretur ecclesiæ.* Aug. in lib de bapt. contra Donat. Et lib. de spiritu & litera. *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus vita ista non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio bona opera: sine quibus vita cuiuslibet impii vix inuenitur.* Idem lib de spirit. & & litter. Dare enim dicit bonum in genere actus: eleemosyna vero dicit conuenientem materiam: sicut habetur in sen. Sic ex opposito dicetur malum in genere secundum tot modos: hic autem specialiter contrahimus malum in genere; quando actus in se dicit defectum, & coniungitur cum materia indebita. Mag lib. 2. se 2.dist. 36 cap. satis diligent.

¶ Si vero obiiciatur, quod tale potest bene fieri, vel male fieri: & ita erit indifferens. Dicendum est, quod illud, quod dicitur bene fieri, vel male fieri; hoc refertur ad circumstantiam, vel ad intentionem: cum autem circumstantia additur, quæ bona est; trahitur malum extra rationem suam: sicut bonum in genere trahitur extra rationem suam, quando additur circumstantia mala. Vnde non est dicendum, quod malum sit pars boni: eo enim dicebatur malum; quia dicebat defectum in se, & coniungebatur cum materia indebita: nec addebatur circumstantia, per quam ad bonum traheretur. Vnde occidere maleficum, licet importet in se occidere hominem; occidere autem hominem sit prohibitum in Decalogo, cum dicitur, *non occides*: non tamen ille peccat, qui maleficum occidit, transgrediendo præceptum decalogi: si autoritate legis faciat, & ad eum spectet. Vnde August. *Si homicidium est hominem occidere, potest accidere aliquando sine peccato: nam & miles hostem, & iudex vel minister eius nocentem si occiderit; non* Aug. in lib de lib. arb.

mihi

mihi videtur peccare. Tamen non dicitur rectè homicidium, nisi extenso vocabulo: vnde sequitur ibi *non mihi videntur hi homicidæ dici.* Vnde occidere hominem tunc proprie dicitur malum in genere; quando non additur circumstantia trahens ad bonum.

¶ Similiter intelligendum est de eo, quod obiicitur de immolatione: licet enim oblatio in holocaustum, siue immolatio ex præcepto Domini sit bonum: in eo autem intelligatur occidere hominem, non intelligitur ibi secundum rationem mali: addita enim est circumstantia, per quam illud, quod sibi relictum, esset malum, per additionem circumstantiæ formatum dicit bonum. Nec est distinguendum, quod aliquid dicatur in se malum, sed non secundum se malum: non enim hæc distinctio ex intentionibus vocabulorum per se elicitur: nec expositores Sacræ scripturæ istis vtuntur differentiis.

MEMBRVM II.

An malum in genere, & bonum in genere opponantur? & an sint essentiales differentiæ actionis?

SECVNDO quæritur de oppositione mali in genere respectu boni in genere. Videtur enim esse contrarietas: contraria enim dicuntur, quæ sub eodem genere posita, maxime distant: sed bonum in genere, & malum in genere communicant in intentione generis; & differunt secundum bonum & malum, quæ sunt maxime distantia: ergo bonum in genere & malum in genere sunt contraria.

¶ Item, eidem actioni est impossibile simul inesse malum in genere, & bonum in genere: ergo malum in genere, & bonum in genere sunt contraria, vel adminus opposita.

¶ CONTRA: contraria sunt, quæ nata sunt fieri circa idem subiectum: sed bonum in genere, & malum in genere non sunt nata fieri circa idem subiectum: ergo bonum in genere, & malum in genere non sunt contraria. Quod autem non sint nata fieri circa idem subiectum, per hoc patet: quod eadem actio non potest esse secundum diuersa tempora bona in genere, & mala in genere: sed quæ semel est mala in genere, semper est huiusmodi.

¶ Item, malum in genere, & bonum in genere genera sunt bonorum & malorum; nec habent commune genus: contraria vero proprie dicta habent commune genus: ergo malum in genere & bonum in genere non sunt contraria.

¶ Item, malum in genere per additionẽ potest fieri bonum: & bonum in genere per additionem circumstantiæ potest fieri malum: ergo bonum in genere, & malum in genere non sunt contraria: cum possint oppositam rationem communicare: non enim album manens album potest communicare rationem nigri: nec econuerso.

Quæstio lateralis. ¶ Hac de causa quæritur, cuiusmodi differentiæ sint malum in genere, & bonum in genere respectu actionis, vtrum sint differentię essentiales, vel accidentales? Non videntur essentiales esse: bonum enim & malum accidunt actioni, & similiter agenti. Potest enim actio intelligi præter intellectum boni, & præter intellectum mali: secundũ quod nos dicimus bonum in genere, & malum in genere. (Differentia vero essentialis est, præter cuius intellectum non intelligitur illud, cuius est differentia essentialis) ergo bonum in genere, & malum in genere non sunt differentiæ essentiales actionis.

¶ Quod autem non sint accidentales, videtur ex hoc, quod non possunt inesse vni, & eidem actioni: accidentia vero opposita ad minus possunt intelligi secundum prius & posterius inesse.

¶ Forte, dicetur, quod essent accidentia inseparabilia: quæ licet possint adesse & abesse per intellectum, tamen non absunt à suis subiectis; nisi sint talia accidentia inseparabilia: quæ insint alicui rei separabili, vt coruus dicitur niger ratione pennarum, & cignus albus: ablatis autem pennis, potest cignus dici niger, & coruus albus. Non sic autẽ videtur de his differentiis bonum in genere, & malum in genere: actio enim mala in genere nõ intelligitur hic actio sine ipsa malitia generis: nec actio bona in genere intelligitur hic actio sine bonitate generis: ergo non se habent sicut accidentia: subiectum enim intelligitur sine accidentibus, quæ sunt in subiecto.

RESOLVTIO.

Opponuntur quidem, sed oppositione disparata. Non sunt deinde differentia nec accidentales, nec substantiales actionis, sed proprietates quadam illius.

¶ AD quod dicendum, quod oppositio est inter bonũ in genere, & malum in genere: & est oppositio disparationis: disparata enim sunt, vbi separantur ab inuicem secundum rationem, siue formam, & subiectum.

¶ Ad illud autem, quod obiectum est in contrarium: vbi ostenditur, quod bonum in genere, & malum in genere sunt contraria. Dicendum est, quod non proprie sumendo contraria: nec eis conuenit diffinitio contrariorum, quę est, quod posita sub eodem genere, maxime distant: genus enim ibi non dicitur materia subiecta, sed genus prædicabile: bonum autem in genere & malum in genere non sunt in vno genere prædicabili: ens enim non dicit genus respectu boni, & mali.

¶ Ad secundum dicendum, ꝙ licet malum in genere, & bonum in genere sint incompossibilia simul inesse eidem: non ex hoc sequitur, ꝙ sint contraria: quia non sunt nata fieri circa idem subiectum: sed erunt opposita vt disparata. Sicut enim bonitas & malitia disparata sunt inter se: ita & actiones, quibus conueniunt, sunt inter se disparatæ.

¶ Item, respondendum est ad hoc, quod secundo obiiciebatur: cuiusmodi differentiæ essent bonum in genere, & malum in genere circa actionem. Dicendum est, quod distinguunt actiones; sicut proprietates distinguunt ea, quorum sunt proprietates: appropriatur enim bonitas suæ actioni in genere: & malitia in genere suæ actioni. Nec est hoc contrarium, quod bonũ & malum possunt accidere eidem actioni: hoc enim non est de bonitate & malitia generis, sed de bonitate & malitia intentionis: quæ extrinseca est à bonitate generis. Bona enim actio in genere potest esse mala ex intentione, vel bona: simpliciter autem non potest eadem actio numero esse bona & mala. Vnde aliter se habent bonum & malum circa actionem, & circa agentem: circa agentem a. sic se habent, quod possunt vni & eidem agenti numero inesse bonum & malum sed nõ simul: vni vero & eidem actioni numero non possunt simul numero secundum prius & posterius inesse bonum & malum. Ratio autem est; quia agens numeratur propria numeratione præter bonum & malum, quæ ei accidunt: actio vero, cum non sit in se stans, sed transiens; numeratur cum suis conditionibus. Vnde alia numeratio est actio bona, & alia numeratio est actio mala.

MEMBRVM III.

An malum in genere habitus deterius sit malo in genere actus? & an omnia mala in genere actus æque mala sint?

CONSEQVENTER quæritur de comparatione malitiæ in proportionabilitate habitus ad actum sc. vtrum habitus sit deterior actu, vel econuerso: Quod autem sit deterior in genere, videtur: opponitur enim bono in genere actus, malum in genere actus: sed bonum in genere actus plus coniungit fini: ergo malum in genere actus plus disiungit à fine: ergo malum in genere actus deterius est malo in genere habitus.

¶ Item, posito malo in genere actus, ponitur malum in genere habitus: malum enim in genere actus est causa mali in genere habitus: ergo malum in genere actus est deterius malo in genere habitus: cum sit causa propria illius.

¶ Contra, quod diuturnius est malum, deterius est malum: sed diuturnius est malum in genere habitus: ergo malum in genere habitus est deterius malum: actus enim transit, sed remanet habitus; ratione cuius etiam est reatus.

¶ Item, bonum in habitibus melius est bono in actibus: ergo per oppositũ malum in habitibus erit deterius malo in ge-

in genere actus. Sicut enim se habent per oppositum malum in genere habitus, & bonum in genere habitus: ita malum in genere actus & bonum in genere actus: ergo permutatim, sicut se habet bonũ in genere habitus ad bonum in genere actus, ita se habet malum in genere habitus ad malum in genere actus. Ergo cum bonum in genere habitus sit melius bono in genere actus: malum in genere habitus erit deterius malo in genere actus.

¶ Item, malum in genere habitus est ratio multiplicandi malum in actu: ergo est illo deterius.

RESOLVTIO.

Malum in genere habitus diuersa consideratione & deterius, & non deterius malo in genere actus affirmare possumus. Quod quidem & de aequalitate malorum in genere actus indubitanter decernimus.

¶ Ad quod dicendũ, quod malum in genere actus quo ad quid est deterius malo in genere habitus, quo ad quid est minus malum. Quo ad hoc enim quod malum in genere actus est causa mali in genere habitus, ratione causalitatis est deterius. Attendendum autem, quod malum in genere actus potest accipi dupliciter. Potest enim accipi pro malitia generis actus: vel potest accipi generaliter pro quacunque malitia existente in ipso actu: & siue sic, siue sic accipiatur, prima malitia in genere actus causat malitiam in genere habitus. Nec tamen malum in genere actus simpliciter est deterius malo in genere habitus: sed e conuerso, in hoc, quod plus adhaeret ipsi animae, à qua priuatur bonum.

¶ Ad obiectum vero primo dicendum est: quod non est simile ex parte bonorum, & ex parte malorum. Ex parte enim bonorum est, quod bonus habitus generat bonum actum vniuersaliter (nisi fieret sermo de habitu consuetudinali inquantum huiusmodi.) Ex parte vero malorum actus malus primo generat habitum malum. Licet ergo actus immediatius coniungat habentem fini: in malis tamen habitus malus immediatius disiungit à fine: non enim eadem est lex in bonis, & in malis: sed contingit fieri econtrario. Et si dicatur, quod malum in genere actus immediatius disiungit, quia posito per impossibile, quod malum in genere habitus non sequeretur; nihilominus disiungeret à fine: malum autem in genere habitus non disiungit à fine, nisi praecedente malo in genere actus. Dicendum est, quod haec non est ratio eius quod est immediatum: sed eius quod est, primum: vnde malum in genere actus primo disiungit: sed malum in genere habitus proximius disiungit.

¶ Ad obiectum vero secundo, dicendum est: quod licet malum in genere actus sit causa mali in genere habitus: tamen non est simpliciter deterius. In malis enim econtrario est quam in bonis: in parte s. dissimile, & in parte simile. In hoc n. est dissimile, quod bonum in genere habitus causat bonum in genere actus primo: malum vero in genere actus primo causat malum in genere habitus. In hoc a. est simile: quod habitus vtrobique est melior actu. Et si dicatur: quod actus bonus magis coniungit fini, & ideo melius est. Dicendum est, quod non sequitur: habitus n. gratuitus in paruulo, qui non operatur; coniungit cum fine: actus autem nunquam coniungit fini sine habitu.

Quaestio lateralis. ¶ QVAERITVR etiam huiusmodi gratia. Vtrum omnia mala in genere actus sint aeque mala? Et videtur quod sic: quia omnia obligatoria sunt poenae aeternae: & omnia, quae sunt obligatoria poenae aeternae, in genere aeque mala sunt: ergo omnia mala in genere aeque mala sunt.

¶ Contra, fornicatio est malum in genere: adulterium est aliud malum in genere: fornicatio autem non est aeque malum, sicut adulterium: ergo non omnia mala in genere sunt aeque mala. Similiter homicidium est malum in genere: & adulterium est malum in genere: homicidio autem debetur maior poena, quam adulterio: ergo maior est reatus: ergo homicidium est maius malum: non ergo omnia mala in genere sunt aeque mala.

¶ Ad quod dicendum, quod esse aeque malum in genere, dicitur dupliciter. Dicitur n. aeque malum, quia aeque deformat suum genus: & secundum hunc modum omnia mala in genere sunt aeque mala: sicut enim malitia homicidii deformat suum actum: ita malitia adulterii deformat suum actum: & haec aequalitas dicitur esse aequalitas generis: & huic respondet meritum poenae aeternę. Vel potest dici malum aeque, quia aequaliter deformat ipsam animam: & secundum hoc non omnia mala in genere sunt aeque mala: plus enim deformat ipsam animam homicidium perpetratum, quam adulterium perpetratum, omnibus aliis paribus.

¶ Hic autem notandum: quod malum in genere dicitur multipliciter. Vno enim modo dicitur adulterium malum in genere: & alio modo malum ex circumstantia. Si n. comparatur adulterium fornicationi, dicuntur esse duo mala in genere luxuriae. Alio modo dicitur esse malum ex circumstantia: secundum quod coire cum non sua, est malum in genere: coire autem cum non sua, coniugata alterius; est malum ex circumstantia: in hoc enim quod dicitur *coniugata alterius* dicitur circumstantia: & similiter coire cũ soluta: & secundum hoc fornicatio & adulterium cadunt sub eo quod est malum ex circumstantia ratione sui: ratione vero eius quod est coire cum non sua, cadunt sub eo quod est malum in genere.

¶ Adhuc etiam quaeritur. Vtrum aliquis possit praecise facere tantum malum, quantum est aliquod malum in genere? Quod videtur, quia potest aliquis perpetrare malum in genere, non addendo aliquam circumstantiam malam: sed si non additur circumstantia mala, vel intentio mala, non contrahitur malitia nisi ex genere actus: ergo potest aliquis perpetrare pręcise tantum malum, quantum est malum in genere. Qō. lateralis.

¶ Contra, malitia qua quis malus est, ex actu particulari contrahitur: ergo nisi addatur super malum in genere aliquid, nullus ex hoc dicitur malus: ergo non sufficit malitia in genere, nisi fiat additio.

¶ Ad hoc dicendum, quod malum in genere dicitur dupliciter. Vno modo secundum quod malum in genere dicitur, quod generaliter dicitur malum: & secundum hoc non est comparabile ad malum particulare, maxime cum particulare fuerit eiusdem generis: secundum hunc modũ nulla est quaestio, si quaeratur, vtrum aliquis possit facere tantum malum, quantum est malum in genere. Alio vero modo dicitur malum in genere, secundum quod malum in genere diuidit contra malum ex circumstantia: & secundum hoc potest aliquis perpetrare malum in genere, non addita aliqua circumstantia aggrauante: & hoc modo potest aliquis tantum malum facere, quantum est malum in genere. Et per hoc soluitur, quod obiectum est.

¶ Adhuc etiam quaeritur: si aliquis appetat fornicari cum muliere in genere: & alius intendat fornicari cum aliqua determinate: quod illorum sit deterius? Et videtur, quod ille, qui intendit fornicari cum aliqua determinate: quia malitia speciei addit supra malitiam generis: ergo qui intendit fornicari determinate cum aliqua, plus peccat, quam ille, qui non intendit fornicari cum aliqua determinate. Qō. lateralis.

¶ Contra, nulla circumstantia additur supra malitiam generis: quod enim dicitur *cum ista*, non dicit circumstantiam: ergo non magis peccat, qui intendit fornicari cum ista; quam ille, qui intendit indeterminate cum aliqua. Praeterea, si diceretur: quod per demonstrationem intelligeretur aliqua circumstantia; illa posset diminuere: & ita minus posset peccare, quam qui intenderet fornicari indeterminate cum aliqua.

¶ Ad quod dicendum, quod cum dicitur, fornicari cũ ista; potest intelligi illa substantia mulieris sine circumstantiis, quae aggrauant, vel minuunt: & secundum hoc nō comparantur adinuicem secundum magis & minus, fornicari cum aliqua muliere, & fornicari cum ista: non enim malum in genere comparabile est cum hoc indiuiduo: nec est ibi additio mali propter indiuiduationem, sed est additio indifferentis. Si vero virtute demonstrationis intelligatur circumstantia; vel circumstantia est aggrauans, vel diminuens. Si est aggrauans, tunc maius est peccatum. Si diminuens, tunc minus est peccatum.

MEMBRVM IV.

An omne bonum sit magis bonum, quam aliquod malum sit malum?

QVARTO quæritur de proportionabilitate malorum inter se respectu bonorum in genere. Et est quæstio. Vtrum omne bonum sit magis bonum: quam aliquod malum sit malum. Quod videtur per hoc quod dicitur super illud. *Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti*: dicit B. Aug. *magis diligit charitas legem Dei, quam cupiditas milia auri & argenti.* Hoc autem intelligitur de interiori motu: de exteriori enim non posset: quia aliquis malus feruentius operatur mala, quam aliquis bonus bona: ergo interior motus boni magis est intensus, quam interior mali: ergo aliquod bonum in genere magis est bonũ, quam aliquod malum malum.

Psal. 118. August.

¶ Item, per bonum in genere est meritum vitæ æternæ: per malum vero est meritum pœnæ æternæ: sed vita æterna magis bonum est, quam pœna æterna sit mala: ergo bonum est magis bonum, quam malum sit malum.

Gregor. ¶ Item, dicit B. Greg. *Absit quod tanta delectatio sit in vitiis, quanta est in virtutibus.* Sed secundum quantitatem delectationis est quantitas boni vel mali: ergo bonum est magis bonum, quam malum malum.

¶ Item, bonum omnino aufert malum: sed malum nõ omnino aufert bonum: ergo bonum est magis bonum, quam malum sit malum.

Rom. 6. ¶ CONTRA, dicit Apost. *Sicut exhibuistis membra seruire iniquitati ad iniquitatem: ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Ergo tantum potest seruire aliquis bono propter bonum, quantum seruiuit malo propter malum, siue propter apparens bonum: ergo aliquod malum tantum est malum, quantum aliquod bonum est bonum.

¶ Item, maior est inclinatio ad malum, quam ad bonũ: & fortiori inclinatione existente, vehementior erit motus: ergo aliquod malum est magis malum, quam aliquod bonum sit bonum: & intelligitur hoc de ipsis motibus.

¶ Item, malum & bonum sunt opposita: ergo quantũ ponit vnum, tantum demit aliud: sed quantum ponit vnũ, tantum est ibi de bonitate: quantum demit aliud, tantum est ibi de malitia: ergo non est bonum magis bonum, quam malum malum; sed videntur adæquari.

¶ Item, aliquis malus feruentior est ad malum, quam sit bonus ad bonum: & respectu cuius dicitur feruentior, dicitur potentior: ergo malus est potentior respectu mali, quam bonus respectu boni: ergo aliquod malum dicitur magis malum, quam aliquod bonum bonum. Quod quidem videtur in aliquo hæretico, & in aliquo fideli: hæreticus enim feruentior est ad sustinentiam mortis pro causa mortis indebita, quam fidelis aliquis pro causa debita.

RESOLVTIO.

Diuersa comparatione alterum alterum excedere potest.

¶ AD quod dicendum, quod potest fieri comparatio secundum genus boni & mali: & secundum hoc aliquod bonum est magis bonum in genere, quam aliquod malum sit malum: eo quod aliquid est summe bonum, quo melius excogitari non potest; nihil autem est summe malum: & ratione huius intelligitur, quod dicitur in Psal. quod magis diligit charitas &c. Alio vero modo potest fieri comparatio ratione feruoris in motu: & secundum hoc potest aliquid esse magis malum in genere, quam aliquod bonum bonum: non vniuersaliter, sed particulariter.

¶ Ad hoc autem quod obiicitur in contrarium. Dicendum, quod licet plures sint inclinationes in malum: non tamen ipse motus in quantum procedit à propria radice, est magis malum: sed potest esse feruentior, vel natura corrupta pronior: & hoc non est ex parte radicis, sed ex parte subiecti.

Rom. 6. ¶ Ad aliud vero dicendum, quod cum dicitur. *Sicut exhibuistis &c.* intelligitur illa comparatio æqualitatis secundum æqualitatem quantum ad motum liberi ar. & ratione li. ar. non ex ratione boni in genere, vel mali in genere.

¶ Et per hoc idem soluitur, quod consequenter obiectũ est.

MEMBRVM II.

De malo ex circumstantia.

CONSEQVENTER dicendum est de malo ex circumstantia. Ad hoc autem sciendum est, quod circumstãtia dicitur proprietas personæ, vel actus pertinens ad diminutionem, vel ad aggrauationem peccati. Circumstantiæ autem notantur in hoc versu: *Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

¶ Primo ergo quæritur de malo circumstantiæ in communi: videlicet, vtrum malum ex intentione dicatur malum ex circumstantia. Secundo vtrum malum ex genere sit malum ex circumstantia. Tertio de comparatione mali ex circumstantia respectu mali ex intentione, & mali ex genere. Quarto de malo ex circumstantiis in particulari.

ARTICVLVS I.

An malum ex intentione dicatur malum ex circumstantia?

AD primum, quo quæritur, Vtrum malum ex intentione dicatur malum ex circumstantiis? arguitur sic. Malum ex intentione dicitur malum ex defectu finis debiti: sed malum ex defectu finis debiti, dicitur malum ex circumstantia finis (qua enim de causa fecit, dicitur circumstantia finis) ergo malum ex intentione dicitur malum ex circumstantia.

¶ Item, sicut actio habet causam efficientem, ita habet causam materialem, & formalem, & finalem: sed causa efficiens, & formalis, & finalis ad circumstantias reducuntur: ergo causa finalis eodem modo: cum causa finalis respectu actionis sit principalior, prout est in genere moris.

¶ Contra, malum ex intentione est malum, quod formatur ex nobis: malum vero ex genere, vel circumstantia formatur ex ipsis rebus: ergo malum ex intentione contra alia duo distinguitur.

¶ Item, cum dicitur: quod intentio finem operi imponit; intentio diuiditur contra omnia, quæ materialia sũt in opere: sed quæcunque sunt in opere, quasi dispositio quædam materialis, sunt respectu ipsius finis: ergo malum ex intentione diuiditur contra malum ex circumstantia, & ex genere.

¶ Præterea, in genere causarum finis diuiditur contra formalem & materialem: sed finis est causa finalis: circumstantia operis est causa formalis: ipsum genus est causa materialis: ergo malum, quod accipitur ex defectu istorum, habebit propriam diuisionem. Malum ergo ex intentione cum respiciat finem, malum ex circumstantia cum respiciat formam, malum ex genere cum respiciat materiam, diuidentur inter se secundum differentias proprias mali.

RESOLVTIO.

Et idem, & ab eo contra distinctum, iuxta multiplicem eius acceptionem.

¶ AD quod dicendum, quod malum ex intentione (secundum quod hic accipimus) diuiditur contra malum ex circumstantia: circumstantiæ autem dicuntur, quæ sunt circa ipsum actum superadditæ ipsi generi actionis, quæ disponunt ad finem: vt quicquid est inter initium actionis, & finem actionis dicatur circumstantia: secundum hunc modum malum ex circumstantia diuiditur contra malum ex intentione. Alio vero modo dicitur circumstantia, quicquid circumstat essentiam actionis: & secundum hoc finis dicitur circumstantia: quæritur enim, qua de causa aliquis fecit hoc: dicitur esse finis siue vtilitas.

¶ Per hoc patet solutio ad primum.

¶ Ad secundum autem dicendum, quod circumstantia vno modo dicitur generaliter, quicquid pertinet ad actionem secundum seipsam: & secundum hunc modum malum ex intentione continebitur sub malo ex circũstantia. Alio vero modo, prout diuiduntur causæ actionis inter se, diuiduntur & defectus consequenter: & sic non continetur.

MEMBRVM II.

An malum ex genere dicatur malum ex circumstantia?

DEINDE quæritur. Vtrum malum in genere dicatur malum ex circũstantia. Quod videtur per hoc, quod dicit Tullius: dicit enim quod proprietas negotii diuiditur in sex: in genus actionis, finem, facultatem, locum, tempus, & modum: Genus autem actionis appellatur ipsa actio considerata respectu materiæ suæ, vt quid egit? secundum hoc sicut ipsum genus pertinet ad circunstantiam; ita malum ex genere erit malum ex circumstantia. Cicero.

¶ Præterea, attributa personæ, siue circumstantiæ personæ diuiduntur contra attributa siue circunstantias negocii: sed attributa siue circumstantiæ personæ continentur sub circumstantia, secundum quod dicitur malum ex circumstantia: ergo multo fortius malum ex genere actionis continebitur sub malo ex circumstantia.

¶ Contra, circumstantia dicitur respectu alicuius existentis ante circumstantiam: ergo alius defectus est ex defectu ipsius in se; & ex defectu circumstantiæ ipsius: ergo malum ex circunstantia diuidetur cõtra malum ex genere.

¶ Præterea, in omni genere materia diuiditur cõtra formam: ergo in genere actionis: ergo cum circumstantia dicat formam actionis, genus vero dicat materiam: malum ex circumstantia distinguetur à malo ex genere, & econuerso.

RESOLVTIO.

Nequiquam, intelligendo tamen circumstantias, eas pote, quæ inter initium & finem actionis sunt.

¶ AD quod dicendum: quod malum ex circumstantia aliter accipitur hic: aliter prout determinat Tullius. Secundum enim quod accipit Tullius, malum ex circumstantia continet in se omnia pertinentia ad negotium, siue actionem. Hic vero dicuntur tantum circumstantiæ, quæ sunt inter initium & finem actionis. Dico autem initium actionem relatam ad suam materiam: & hoc vocatur genus actionis. Ratio autem est: quia Tullius diuidit circumstantias secundum duo, quæ sunt in ipsa causa s. persona, & negotium, siue actio: & propter hoc dicuntur attributa, siue circumstantiæ ex parte personæ, & parte negotii. Hic autem diuidimus, secundum quod maior deformitas & minor est in ipsa actione, ex diuersis causis principalibus ipsius actionis. Cicero. Idem.

¶ Si vero quærat aliquis: propter quid efficiens causa non distinguit quoddam genus mali, sicut aliæ causæ. Dicendum, quod circumstantiæ ex parte efficientis non dicũt nisi aggrauationem super malum actionis in genere: in hac enim parte primo quæritur; cuius generis sit actio? & hoc est quid sit: secundo, cui insit: & in illo comprehenduntur circumstantiæ personæ. Vnde in hac consideratione tam circumstantiæ personæ, quam actionis adiacent generi actionis: & propter hoc malum, quod prouenit ex defectu circumstantiæ ex parte personæ, continetur sub malo ex circumstantia.

¶ Ex iam dictis patet, qualiter respondendum est ad primo obiecta.

ARTICVLVS III.

De comparatione mali ex circumstantia, ex genere, & ex intentione.

QVÆRITVR tertio de comparatione mali ex circumstantia respectu mali ex genere, & mali ex intentione. Circa quod quæruntur tria. Primo, vtrum circumstantia addita super genus actionis aggrauet peccatum. Secundo, vtrum malum ex circumstantia sit deterius malo ex genere, vel econuerso. Tertio, vtrum malum ex circumstantia dicatur demeritorium præter hoc, quod addatur malum ex intentione.

An circumstantia super genus actionis addita, peccatum aggrauet? §. 1.

¶ AD primum, videtur enim quod circumstantia aggrauet peccatum: qui dicit Grego. *vbi maius est donum scientiæ, ibi transgressor maiori subiacet culpæ*: ergo circumstantia personæ aggrauat ratione scientiæ: eodem modo ratione aliarum conditionum: restat ergo quod circumstantia potest aggrauare super malum generis. Gregor.

¶ Videtur etiam per hoc, quod plus peccat, qui committit adulterium vel in loco sacro, vel tempore sacro; quam qui committit adulterium simpliciter: ergo circumstantia potest aggrauare super malitiam generis.

¶ Contra, bona circumstantia nõ auget meritum apud Deum: ergo nec mala aggrauabit demeritum: ergo malum ex circumstantia non aggrauabit malum super malum generis actionis.

¶ Item, pronior est Deus ad miserendum, quam ad puniendum: sed bona circumstantia non auget effectum miserationis: ergo mala circunstantia non auget effectum punitionis. Quod autem bona circumstantia non augeat, patet ex hoc, quod ex charitate est meritum: ex maiori ergo charitate maius est meritum: & ex minori minus: sed circumstantia non facit ad hoc quod sit minor charitas, vel maior: ergo circumstantia bona non auget meritum.

¶ Præterea, opus virtutis est opus perfectum: sed opus perfectum est, quod attingit suæ virtuti: attingit autem suæ virtuti, cum nulla circumstantia deest: ergo vbi est opus factum ex charitate, nulla deest circumstantia: ergo circumstantia bona cum non requiratur ad esse meriti: non auget ipsum meritum.

RESOLVTIO.

Cum circumstantia mala deformitatem quandam super deformitatem generis addat, iure malum culpæ aggrauat.

¶ AD quod dicendum: quod circumstantia mala potest augere demeritum, eo quod circumstantia mala addit quandam deformitatem super deformitatem generis: & secundum hoc aggrauatur malum culpæ.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod aliter est in circumstantia bona, & aliter in circumstantia mala. Circumstantia enim bona requiritur ad esse ipsius meriti: bonum enim quod meritorium est, ponit quod perfectum est: perfectum autem dicitur, cui nihil deest: ergo bonum meritorium dicetur, quod est bonum ex genere, & circumstantia, & intentione. Non sic autẽ est ex parte mali: malum enim dicit defectum, quem contingit esse ex pluribus causis, sicut dicit Dion. *Boni est causa vna mali vero sunt causæ multæ.*

¶ Ad illud vero, quod obiicitur secundo. Dicendum est: quod licet Deus sit promptior ad miserendum, quam ad puniendum: nihilominus tamen ad miserendum in adultis, vbi cooperatur li. ar. requirũtur plura ad hoc, quod sit bonum meritorium, quam ad hoc quod sit ei malum oppositum. Ad malum enim sufficit defectus vnius circũstantiæ: ad bonum vero concursus omnium, quæ necessaria sunt, requiritur. Nec hoc tollit, quin Deus pronior sit ad miserendum: sed ad hoc facit, quod ostendatur Dei iustitia & respectu bonorum, & respectu malorum. Respectu bonorum, vt perfectioni in merito respondeat perfectio in præmio: defectioni autem in merito respondeat defectio in præmio. Dion in lib. de diu. nom ca 4 par 4. aliquantulum ante finem.

¶ Adhuc etiam quæritur de comparatione circumstantiæ malæ ad bonam. Si enim circumstantia mala non facit ad meritum, sed magis destruit: per oppositum circunstantia bona non faciet ad demeritum, sed magis tollet: ergo virtus, vel scientia in ipsa persona non facient ad demeritum.

¶ Contra, quanto maius est donum, tanto magis peccat, qui abutitur. Præterea iste scienter peccat, & alius ignoranter: paribus omnibus aliis, minus peccat, qui ignoranter quam qui scienter peccat (ignorantia enim in quibusdam excusat: scientia vero in nullo excusat) ergo bona circunstantia plus aggrauat, quam mala.

¶ Ad quod dicendum, quod bona circunstantia non dicitur aggrauare malitiam per se, sed occasionaliter: mala vero circumstantia per se auget demeritum. Quod autem bona circunstantia augeat demeritum, hoc est ratione contemptus, vel ingratitudinis: quanto enim maius est

donum, tanto maior ingratitudo in illo, qui non bene vtitur. Nec est simile de mala circumstantia respectu meriti, & de bona respectu demeriti: mala enim circumstantia nec per se nec per occasionem est causa meriti, eo quod malum non stat cum bono perfecto, quod est bonum meritorium: bonum vero, quod est gratis datum, stat cum malo, quod est demeritorium: & ideo potest esse occasio: licet non sit causa aggrauationis in demerito.

An malum ex circumstantia deterius sit malo ex genere, vel econuerso. §. 2.

Quæstio lateralis. ¶ Consequenter quæritur de comparatione mali ex circumstantia respectu mali ex genere, quod illorum sit deterius altero? Idque ratione cuiusdam verbi, quod 2. Petri 2. dicitur super illo verbo. *Iniquos vero in die iudicii reseruare* Beda. *cruciandos, magis autem eos &c.* Beda *fornicatores dicit, qui pro reatu fœdæ corruptionis maiora in iudicio patientur tormenta, quam* Glossa. *generales iniqui.* Et alia Glo. ibidem. *Superbos dicit, & arrogantes: qui & ipsi grauiora generalibus luituri sunt supplicia.* Sed qui sunt generales iniqui, nisi qui in genere peccant? fornicatores vero sunt, qui peccant ex circumstantia. Ergo qui faciunt malum ex circumstantia, grauius punientur illis, qui faciunt ex genere: ergo malum ex circumstantia est deterius, quam malum in genere.

2. Petri 2. Glossa. ¶ Præterea, super illud. *Iniquos vero &c.* dicit Glo. *sicut diabolum & originalem mundum.* Ergo videtur, quod ipsi fornicatores magis peccent, inter quos computatur diabolus.

¶ Contra, in generalibus iniquis intelliguntur diabolus & eius sequaces: sed malum in genere, quod pertinet ad illos: est deterius malo ex circumstantia, quod est in fornicatoribus: ergo deterius est malum in genere, quam sit malum ex circumstantia.

RESOLVTIO.

Quia malum ex circumstantia infert malum ex genere, ab eo autem non infertur; quomodo non deterius illo erit?

¶ Ad quod dici potest, quod generales dicuntur illi, qui peccant communibus peccatis: fornicatores vero dicuntur, qui addunt circumstantiam enormem: sicut illi, Glossa. qui peccant contra naturam: sicut videtur Glo. Interl. dicere: & secundum hunc modum non dicitur iniquus generalis, qui tantum perpetrat malum in genere; sed qui in communibus peccatis delinquit. Hoc ergo modo non fit comparatio inter malum in genere, & malum ex circumstantia: sed inter malum ex circumstantia secundum alium modum. Aliter tamen exponitur: vt generales iniqui dica-*Alias, vt tur, qui perpetrant aliquam iniquitatem in genere* nō addendo deformitatem ex circumstantia: vt qui non suam cognoscit: nec superaddit aliquam circumstantiam aggrauantem. Fornicatores autem vocat coeuntes, qui superaddunt malo in genere malum ex circumstantia. Secundum hoc ergo concedendum, quod deterius est malum ex circumstantia, quam malum ex genere: eo quod hic ponit illud, & superaddit; & non econuerso.

¶ Nec hoc est verum, quod obiicitur in contrarium: quod enim dicitur de diabolo, & sequacibus eius, non refertur ad statum generalium iniquorum: sed ad statum quorumcunque, qui reseruantur in die iudicii cruciandi. Quod enim non ad generales iniquos pertineat illa Interlin. patet per hoc, quod sequitur, vbi angeli fortitudine & virtute cum sint maiores, non portant aduersus se execrabile iudicium.

An malum ex circumstantia demeritorium dicatur absque hoc, quod ei malum ex intentione adiciatur? §. 5.

¶ Postmodum dicendum est de comparatione mali ex circumstantia respectu mali ex intentione; & quæritur, Vtrum malum ex circumstantia dicatur demeritorium præter hoc, quod addatur malum ex intentione.

¶ Quod videtur: malum enim ex circumstantia est, cui debetur pœna, non tantum in præsenti, sed etiam in futuro, sicut debetur malo in genere: potest enim esse, quod aliquis adulteretur, & non intendat se adulterari: sed sic adulterādo peccat: ergo malum ex circumstantia, non adiecto malo per intentionem, est demeritorium.

¶ Et Gen. 4. Lamech interfecit Cain, licet non intendebat ipsum interficere; punitus tamen est grauissime: ergo malum ex circumstantia est demeritorium, non adiecto malo per intentionem. Gen. 4.

¶ Contra, intentio nomen operi imponit, sicut dicit Ambr. si ergo non adest intentio ipsi operi, nec dicetur esse meritorium, nec demeritorium. Ambr.

¶ Item Matth. 12. de bono thesauro &c. Glo. *Thesaurus est cordis intentio, ex qua Dominus iudicat opera.* Sed ex quo iudicatur opus, ex eo dicitur meritorium, vel demeritorium: ergo ex intentione dicetur opus meritorium. Si ergo non adest malū ex intentione, non dicetur opus demeritorium. Matt. 12. Glossa.

¶ Item, Beda *ex merito intentionis discernuntur opera, an sint lucis, aut tenebrarum.* Præter ergo malum intentionis non dicetur opus tenebrosum: sed ad opus pertinet genus operis cum circumstantia: ergo malum ex circumstantia non erit demeritorium, nisi addatur malum ex intentione. Beda.

RESOLVTIO.

Malum ex circumstantia nullatenus demeritorium dicetur, nisi intentio, & si non semper specialis, saltem generalis addetur.

¶ Ad quod respondendum: quod intentio dicitur dupliciter. Dicitur enim intentio generalis siue indeterminata: & dicitur intentio determinata & specialis. Intentio generalis est, cum intendit percutere, vel aliquod huiusmodi opus agere. Intentio specialis & determinata est, cum intēdit agere hic, vel in hunc, vel sic agere, & ita de aliis circumstantiis. Cum ergo dicitur, quod demeritum non est præter malum ex intentione: hoc est, quod non est præter malum ex intentione generali aut speciali: sed non semper est ex intentione speciali.

¶ Ad obiecta ergo respondendum: ad primum s. quod ille, qui adulteratur, licet non intendat adulterari; intendit tamen illud, quo existente, est adulterium: intendit enim cognoscere hanc mulierem, qua cognita, est adulterium: sicut aliquis non intendit peccare mortaliter, intendit tamen illud, quo facto, est peccatum mortale.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de Lamech. Dicendū est, quod licet non intenderet interficere Cain, sed interficere feram: intendebat tamen sagittam emittere præter cōsiderationem cum diligentia adhibita: & ideo peccauit mortaliter.

¶ Sed adhuc posset obiici: si minus erat in intentione ipsius Lamech, quam in intentione ipsius Cain (Cain enim intendebat non tantum occidere fratrem suum Abel: Lamech vero intendebat percutere, siue occidere: sed non ipsum Cain.) Cum ergo minus esset in intētione illius: maior pœna debebatur ipsi Cain quam Lamech. Sed econtra videtur accidere, quia Lamech punit⁹ fuit septuagies, Cain vero septies: dicitur enim *septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies.* Ad quod dicendum, quod Lamech amplius punitus fuit: non propter hoc, quod malum ex intentione additum malo ex genere & ex circumstantia, esset deterius (quo enim ad peccatum homicidii maius erat homicidium ipsius Cain, quam ipsius Lamech in genere peccati) sed hoc fuit, quia Lamech coniunxit homicidium bigamiæ: Cain vero tantum perpetrauit homicidium. Gen 4.

ARTICVLVS IV

Quæ & quot sint circumstantiæ, malum ex circumstantia constituentes.

Dicto de malo ex circumstantia in communi: dicendum est de malo ex circumstantia in particulari. Sed duplex est consideratio: vno modo secundum quod singulæ circumstantiæ dicuntur aggrauare, vel minuere peccatum: & secundum hunc modum agetur infra, cum fiet Tractatus de conditionibus peccati actualis. Alio modo est agere de his, secundum quod faciunt ad malum ex circumstantia: & per hunc modum hic agendum est. Distinguūntur autem circumstantiæ à diuersis differenter, dicitur

enim in morali Philosophia de istis circumstantiis, quæ sic enumerantur, *quis agit, & quid agit, & in quod agit, & quo agit, & propter quod agit, & qualiter agit.* Quod iis verbis designatur: oportet agentem determinare ea, quæ agit, & scire quæ sunt, & quot sunt: qui sagit, & quid est illud, quod agit, & in quid agit, & quo agit: verbi gratia instrumento: & propter quid agit, vt propter finem: & qualiter agit verbi gratia remisse aut intense: sic ergo eorum sex circumstantiæ, secundum alium vero modum assignantur 7. circumstantiæ, quæ in prædicto versu notantur. *Quis, quid vbi &c.* & notantur ibi locus, tempus, quæ non nominantur in prædicta distinctione.

¶ Tertio vero modo enumerantur circumstantiæ iuxta attributa personæ & negotio: quæ sunt ex parte personæ 11. Nomen, natura, conuictus, fortuna, habitus, affectio, studium, consilium, casus, facta, & orationes. Nomen, quod vnicuique personæ attribuitur: & sub nomine intelligitur cognomen, & agnomen. Natura continet in se speciem, vt quod homo est: sexum, vt quod vir vel mulier: nationem, vt quod latinus aut barbarus: patriam, vt quod Gallus vel Hispanus: cognationem, vt quibus maioribus, quibus consanguineis: ætatem, puer aut adolescens, commoda & incommoda, à natura data animo aut corpori: vt quod valens est aut imbecillis, formosus aut deformis, acutus aut hebetior, memor aut obliuiosus. In conuictu autem considerare oportet: apud quos, & quo more sit educatus: & quos magistros artium, quos viuendi præceptores: quo in negotio, quæstu, aut ædificio sit occupatus, in qua consuetudine domestica sit. In fortuna vero quæritur, seruus sit aut liber; pecuniosus aut pauper, priuatus aut cum potestate, nobilis aut ignobilis. Habitum vero dicimus, animi aut corporis constantem & absolutam in aliqua re perfectionem, aut virtutis aut artis præceptionem: vt quod pugil sit, quod ciuilem scientiam nouerit, quod bonus sit aut malus. Affectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, vt lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & ita huiusmodi. Studium est animi assidua & vehemens ad aliquam rem applicata cum magna voluntate occupatio: vt quod studeat in medicina, vel artibus, vel iure ciuili, aut canonico, aut diuino. Consilium est aliquid faciendi vel non faciendi excogitata ratio. Facta, casus, orationes, ex tribus temporibus considerantur: quid fecerit, quid sibi acciderit, quid dixerit: & quid faciat, quid sibi accidat, quid dicat: & ita de futuro. Circumstantiæ vero sumptæ iuxta attributa negotio, sunt hæ: prima est ipsum genus actionis, vt parentis occisio: secunda cuius rei causa factum sit: tertia est locus: quarta tempus: quinta modus: sexta occasio: septima facultas: octaua euentus: nona, quæ consequuntur ipsum factum. Locus consideratur, in quo res gesta sit, vtrum sit sacer an prophanus, publicus aut priuatus, & ita de aliis conditionibus loci. Tempus, vt dies aut nox, solennis aut ferialis, ieiuniorum aut extra ieiunium. Modus est, in quo consideratur, quemadmodum factum sit, vtrum vi aut suasione, & ita de aliis conditionibus. Occasio est pars temporis, habens in se idoneam alicuius rei faciendi vel non faciendi opportunitatem. Facultas est, quo aliquid facilius fit, aut sine quo aliquid fieri non potest. Euentus est exitus alicuius negotii, in quo quæri solet, quid ex qua re euenit, eueniat, euenturumque sit.

¶ His notificationibus positis, quæritur de comparatione istarum diuisionum inter se, & vniuscuiusque per seipsam: & vtrum omnia ista conferant ad malum ex circumstantia, vt dicatur esse vnum malum, vel multa mala. Videtur enim quod insufficiens sit illa diuisio prima: eo quod non sit in ea mentio de loco & tempore: locus autem & tempus sunt circumstantiæ, quę faciunt maxime ad augmentum ipsius mali: grauius enim delinquit, qui in loco sacro perpetrat mala, quam qui in non sacro: & similiter in tempore; cum est dies solennis, quam cum est dies ferialis: & cum est tempus ieiunii, quam cum non est: maius enim est peccatum crapulæ tunc.

¶ Præterea hæc circumstantia *quibus auxiliis* non designatur ibi, cum sit ratio voluntarii: cuius principium est in ipso cognoscente singula, in quibus est operatio: singula autem dicuntur singulæ circumstantiæ: hæ autem sunt circumstantiæ actionis, quæ dictæ sunt.

¶ Similiter obiicitur de secunda diuisione. In secunda enim diuisione non ponitur circumstantia facultatis, aut actionis, siue euentus: quæ omnes circumstantię pertinent ad actionem, secundum quas potest dici actio deterior, vel aggrauata.

¶ Ratione etiam tertiæ diuisionis quæritur: ponuntur enim circumstantiæ, nomen, & facta, & casus, & orationes: sed nomen non est de attributis personæ, quod faciat ad malitiam actionis, sicut nec ad bonitatem: similiter facta, & dicta, & orationes; quæ præcesserunt ex parte personæ: cum sint separata ab ipso facto, quod dicitur malum: sicut autem sunt separata facta, ita sunt separatæ malitiæ: ergo non erunt circumstantiæ conferentes ad malum ex circumstantia ipsius actionis.

¶ Item, quod omnino separatum est ab actione, nec facit ad esse ipsius actionis; non dicitur augere malitiam: sicut nec facit ad bonitatem: ergo euentus sequens non confert ad malitiam actionis ex circumstantia.

¶ Præterea, illæ circumstantiæ vt in pluribus bonæ sunt: bonum autem secundum quod huiusmodi, sicut nec est causa mali per se, ita nec augmenti: ergo nec malum ex circumstantia colligitur ex bonis circumstantiis.

RESOLVTIO.

Sex scilicet quis agit, quid agit, in quod agit, quo agit, propter quid agit, & qualiter agit. Si qua vero alia videbuntur, ad hæc profecto reduci poterunt.

¶ Ad quod dicendum, quod prima diuisio circumstantiarum attenditur penes ea, quæ essentialiter se habent ad actionem: sunt enim quatuor causæ, efficiens, materialis, formalis, & finalis. Efficiens a. dicitur per se, vel per alterũ: forma vero actionis dicitur vel ipsa species actionis in se, vel secundũ quod refertur ad agẽtem. Propter quid sex dicuntur in vniuerso: nam per *quis* denotatur efficiens per se; per hoc autem quod dicitur *quo agit* notatur causa efficiens media, per quam agit, sc. per *quid* vero notatur forma ipsius actionis in seipsa: per *qualiter* forma, quam ponit agens in actione: per *in quid*, vel *in quo* notatur materia subiecta, per *cuius gratia, siue cuius causa* notatur finalis.

¶ Hoc autem attendendum est, & in hac diuisione, & in aliis: quod ipsum genus actionis dicitur circumstantia: sed hoc est supra actionem in se consideratam: cum enim dicitur, quod aliquis agit; quæritur quid agit: prout autem dicimus malum ex circumstantia, vel bonum contra malũ in genere, vel bonũ in genere, non intelligimus hoc ipsum quid, dicere circumstantiam, nec hoc ipsum in quo, in sua generalitate: nisi cum sit determinatio.

¶ Ad illud quod obiicitur de loco & tempore. Dicendum est, quod locus & tempus non pertinent ad essentiam actionis: sed concomitantur ipsam actionem: & ideo non ponebantur in prædicta diuisione: licet faciant ad aggrauationem malitiæ: & secundum ea distinguatur malum ex circumstantia.

¶ Ad illud vero, quod quæritur de illa circumstantia, *quibus auxiliis.* Dicendum est, quod illa potest intelligi in generalitate huius circumstantiæ, in quo agit.

¶ Ad secundam vero diuisionem dicendum, quod in ea exprimuntur, & ea quæ essentialiter se habent ad actionem, & quæ se habent, vt proprietates inseparabiles. Pręter enim causam efficientem, quæ in duo diuiditur, cum dicitur *quis, quibus auxiliis* & causam formalem, quæ notatur per *quomodo* & in parte per *quid* intelligitur causa materialis, per hoc quod dicitur *quid*, concernitur enim materia: & intelligitur causa finalis per hoc, quod dicitur *cur*, superadduntur autem duæ proprietates per hoc quod dicitur, locus & tempus: sine quibus non indiuiduatur actio.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod multæ circumstantiæ ponuntur, quæ in his intelliguntur: sicut sunt facultas, vel occasio. Dicendum est, quod facultas & occasio intelliguntur per has duas circumstantias s. quibus auxiliis, & quo tempore, siue quando.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de illis attributis, quæ sunt, nomen, facta, casus, orationes. Dicendum est, quod

non

non sunt circumstantiæ personæ, facientes ad diuisionem mali ex circunstantia. Aliæ vero circunstantiæ personæ, vt natura, conuictus, fortuna, habitus, affectio, studium, consilium, conferunt ad distinguendam malitiam actionis, quæ est circunstantia ratione personæ agentis, & non tantum ad aggrauandam malitiam, immo ad minuendam ratione oppositarum conditionum: sicut suo loco determinabitur. Et accipiuntur secundum hoc quod circunstātiæ aggrauantes vel minuentes accipiuntur, vel ratione naturæ, vel ratione animæ voluntarie operantis, vel ratione eorum, quæ accidunt, siue extrinsecus contingunt. Ex parte vero naturæ duæ accipiuntur sc. natura proprie dicta, & conuictus: conuictus enim ad educationem pertinet, quæ est altera natura: vel aliter vt natura per se includat omnes circunstantias naturales. Ratione vero animæ voluntarie operantis, sunt duæ differentiæ: vel inquantum recipit ab aliis: & secundum hoc dicuntur circunstantiæ ex conuictu: vel secundum ea, quæ habet in se; & hoc est, vel comparatione passionum, vel operationum. Si comparatione operationum, duplex est differentia: ex parte rationis, consilium: ex parte voluntatis, habitus. Si ratione passionum, similiter est duplex: vel respectu eius quod est in cognitiua, & sic dicitur, studium: vel quod est in motiua, & sic dicitur, affectio. Vel aliter, vt sic accipiatur differentia ex parte animæ secundum seipsam ad patiendum dicitur affectio: ad operandum vero aut est ex parte ipsius rationis: aut est ex parte ipsius voluntatis. Si ex parte voluntatis, dicitur habitus: habitus enim dicitur perfectio constans, & absoluta animi, vel corporis ex animo. Si vero fuerit ex parte rationis, hoc contingit dupliciter: vel ad contemplādum siue cognoscendum & tunc dicitur studium: vel ad bonum operandum in his, quæ pertinent ad mores: & secundum hoc dicitur consilium. Circunstantiæ vero, quæ sunt ex parte actionis, quę faciunt ad aggrauandum vel minuendum, in tertia diuisione secundum hanc rationem accipiuntur: vt ex parte efficientis sumantur hæ duæ, occasio, & facultas: sed facultas in dispositionibus, quæ per se efficiunt: occasio vero in his, quæ secūdum accidens efficiunt. Ex parte vero finis, cuius rei causa, siue gratia: ex parte vero formæ modus: ex parte vero materiæ vel formæ in materia ipsum genus: conditiones vero indiuiduantes, quæ superadduntur, sunt, locus, & tempus. Quod dicitur de euentu: hoc non est circunstantia per se aggrauans, nisi cum euentus potuit præuideri: vnde euentus non est de primis circunstantiis: sed de circunstantiis consequentibus.

¶ Ex iam dictis ostenditur, quæ & quot sunt circumstantię, quę faciunt ad hoc, quod sit malum ex circunstātia vel aggrauatum, vel diminutum: & faciunt ad diuisionem mali ex circunstantia. Hoc autem attendendum; quod finis (large accipiendo circunstantiam) inter circunstantias computatur: stricte vero accipiendo: illæ circunstantiæ dicuntur, quæ sunt inter genus operis & finem operis: & hoc modo diuiditur malum ex circunstantia, contra malum ex genere, & contra malum ex intentione finis. Et quod hæ distinguantur ab aliis, patet ex Philosopho dicente, quid & cuius gratia si ignorat, nullus excusabitur: in aliis vero contingit esse excusationem.

MEMBRVM III.

De malo ex intentione.

DEINDE procedendum est ad malum ex intentione. Et ad huius euidentiam, primo considerandum est de intentione in genere: & postea de intentione bona: vt per hoc cognoscatur melius id, quod pertinet ad intentionem malam (malum enim per bonum cognoscitur) tertio subiungendum est de intentione mala, siue malo ex intentione.

ARTICVLVS I.

De intentione in genere.

CIRCA intentionem vero in genere quæritur primo, quid sit intentio: & vtrum intentio sit idem quod voluntas, aut differens à voluntate. Secundo vtrum attendatur meritum vel demeritum secundum intentionem. Tertio, vtrum intentio vel voluntas pro facto reputetur.

An intentio idem sit quod voluntas? §. I.

¶ AD primum sic, super illud. *Si ergo lumen &c.* Glo. *intentio, qua bonum quodcunque facimus; lumen est cognitiuæ partis.* Ergo rationis: ergo intentio est rationis. Intentio ergo erit aspectus rationis: sed non nisi respectu finis; quod accipitur ex hoc, quod intentio imponit nomen operi: sed non imponitur nomen operi, nisi à fine: ergo intentio respicit finem: erit ergo intentio aspectus rationis in finem. Matt. 6. Glossa.

¶ Item, Dam. Intelligentia est primus motus: quæ vero circa aliquid est, intentio dicitur: ergo intentio addit super intellectum: sed intellectus est ipsius rationis: ergo intentio erit ipsius rationis: & respectu alicuius determinati, sicut dictum est; non nisi respectu optimi: optimum autem dicitur finis: ergo intentio est motus ipsius rationis in finē.

¶ Sed videtur contrarium: dicit enim B. Bern. *Vt oculus sit simplex, duo sunt necessaria: castitas in intentione, veritas in electione*: sed electio est ipsius rationis præeligentis bonum, vel quod melius est. Intentio ergo cum diuidat contra electionem, erit in altera parte lib. arb. s. in voluntate: erit ergo intentio inclinatio voluntatis in bonum, vel quod videtur. Bern. in lib ad Eugen.

RESOLVTIO.

Et idem, & non idem, varia consideratione.

¶ AD quod dicendum, quod intentio dicitur ab eo, quod est, tendere, & in. Sed quia tendere in finem, quod est bonum, vel apparens bonum, dicitur de voluntate, & de ratione (vtraque enim tendit in bonum, vel quod videtur) ideo nomen intentionis vno modo communiter dicitur: & secundum hoc potest dici, quod intentio imponit nomē operi: & illud, quod dicitur. Mat. 12. thesaurus est cordis intentio, ex qua Dominus iudicat opera. Alio vero modo potest appropriari, vel rationi, vel voluntati: secundum quod diuersimode tendit vtraque in bonum, vel quod videtur: tendit enim ratio præcognoscendo bonum, & diffiniendo, & præeligendo: tendit ipsa voluntas in appetendo non habitum, vel perseuerando, siue continuando in iam habito. Matt. 12.

¶ Illud ergo, quod intentio dicitur esse oculus, magis ad rationem pertinet, cuius est præuidere, & dirigere: vnde Aug. dicit quod fides dirigit intentionē: intentio vero vlterius dirigit in finem: & hoc ad rationem videtur pertinere. August.

¶ Quod autem dicit Dam. quod intentio est intelligētia, circa aliquid determinata: intelligitur ex parte cognitiui intellectus. Quod patet per hoc, quod sequitur quod autem permanens & figurans animam ad id quod intelligitur, excogitatio dicitur: excogitatio vero manens in eodem, & seipsam examinans & diudicans, sapientia nominatur. Ex prædictis ergo & consequentibus patet, quod intentio accipitur ibi ex parte virtutis cognitiuæ: hic autem accipimus intentionem ex parte virtutis practicæ. Damasc.

¶ Illud autem, quod dicit B. Ber. de intentione: ad intentionem voluntatis refertur.

¶ Ex iam dictis patet, qualiter intentio se habeat ad voluntatem. Vno enim modo intentio non est aliud nisi voluntas tendens in bonum, vel quod videtur. Alio vero modo differt: Volebant autem quidam voluntatem & intentionem sic differre, vt voluntas esset rationalis appetitus in se consideratus: idem autem rationalis appetitus cum consideratione finis diceretur intentio. Sed videmus in vtroque nomine respectum esse respectu finis: siue respectu boni, vel apparentis boni: propter quod non videtur hæc esse differentia intentionis & voluntatis. Item dicitur quod intentio respicit illud, propter quod volumus: voluntas vero illud, quod volumus: Verbi gratia: si velim esurientem reficere, vt habeam vitam æternam: voluntas est reficere esurientem: intentio vero, qua sic ad vitam peruenire volo Vnde videtur dicere, quod voluntas respicit id, quod est ad finem: intentio vero respicit ipsum finem. Sed hæc differentia non videtur esse, nisi per quandam appropriationem: sicut enim dicit Philosophus, voluntas est finis, & eius quod est ad finem, & magis ipsius finis: ergo intentio non sic differt à voluntate, secundum quod vtrumque respicit finem. Magist. in 2. lib. sent. dist. 37. cap. solet quæri &c.

An meritum, vel demeritum penes intentionem attendatur? §. 2.

*Alias, cōmunem intentionē.

¶ Deinde quæritur, Vtrum meritum attendatur penes* intentionem. Quod sic, videtur: dicit enim Isidor. Ex intentione aut probatur bonum, aut reprobatur indignū: vniuscuiusque opus bonum, quod agit intentione bona, apparet: quoniam pro mala intentione plerunque bonum opus, quod agimus, perdimus. Ergo penes intentionem consistit bonum.

Beda.

¶ Item, Beda: *In merito intentionis discernuntur opera, an sint lucis, an tenebrarum*: ergo penes intentionem residet meritum.

¶ Contra, intentio rationis est: sed quod rationis est, non sufficit ad meritum sine voluntate: ergo penes intentionem non mensuratur meritum, vel demeritum.

August.

¶ Item, Aug. *Non diuturnitas temporum non immensitas operum, sed sola charitas & voluntas facit meritum.* Non ergo tantum residet mensura meriti vel demeriti penes intentionem.

¶ Præterea, præter bonum vel malum ex intentione, est bonum in genere vel malum, & malum ex circumstantia vel bonum. Non ergo tantum residet mensura meriti, vel demeriti penes intentionem.

RESOLVTIO.

Saltem principaliter semper meritum, vel demeritum penes intentionem attenditur.

¶ Ad quod dicendum, quod mensura meriti vel demeriti attenditur penes intentionem, secundum quod vno modo accipitur intentio; prout enim intendere est tendere in aliquid per aliquid, intentio non tantum respicit finem; sed respicit illud, per quod venitur in finem: & ita complectitur genus operis cum circumstantia: secundum hunc modum mēsura meriti vel demeriti attenditur penes intentionem. Si vero intentio respiciat tantum finem, nō omnino attenditur mensura meriti vel demeriti penes intentionem, sed principaliter.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quod intentio respicit rationem &c. Dicendum est, quod cum dicitur meritum vel demeritum est penes intentionem; non excluditur voluntas: sed datur intelligi: sed hoc attenditur, vt dicatur ratio meriti ex parte rationis, sicut ratio meriti est in voluntate ex parte illius potentiæ: vel vt intentio communiter se habeat ad rationem & voluntatem. Similiter cum dicitur, quod sola charitas & voluntas facit meritum; hoc intelligitur principaliter: nec ex hoc excluditur intentio: quia in voluntate cointelligitur intentio: sed hoc datur intelligi, quod penes genus operis, vel diuturnitatem operis non tota residet ratio meriti, vel non principaliter.

An intentio, siue voluntas pro facto reputetur? §. 3.

¶ Quæritur postmodum, Vtrum intentio, vel voluntas pro facto reputetur. Quod sic, videtur per hoc,

Psal. 31. Glossa.

quod dicitur super illud. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Glo. *votum pro operatione iudicatur*: sed votum accipitur pro desiderio: ergo desiderium pro facto reputatur.

Psal. 57. Glossa.

¶ Item, super illud *Manus vestra concinnant* Glo. *Quicquid vis, & non potes, Dominus factum imputat.* Ergo voluntas, siue intentio apud Dominum pro facto iudicatur.

Aug. in lib. 1. de lib. arb.

¶ Item, Aug. *Sicut non contingat facultas concūbendi cum coniuge aliena, planum autem sit aliquo modo id eum cupere, & si potestas detur esse facturum, non minus reus est, quam si in ipso facto comprehenderetur.* Ergo voluntas, siue intentio mala pro facto reputatur: & similiter in bonis: vnde super illud.

Psal. 111.

In mandatis eius volet nimis, &c. sufficit velle, si perficiendi mandata desit facultas. Ex his ergo accipitur, quod voluntas, siue intentio pro facto reputatur.

2. Cor. 8. Glossa.

¶ Contra, super illud *Velle facere cœpistis.* Glo. *nunc facto perficite, vt non solum voto, sed opere perficiatis.* Ergo post voluntatem requiritur opus.

2. Cor. 9.

¶ Item, *Qui parce seminat, parce & metet*: ergo ipsum seminare, secundum quod minus est, vel magis, facit ad meritum magis, vel minus: non ergo sola voluntas.

¶ Item, *Fides sine operibus mortua est, &c.* ergo ex fide viua est meritum: ergo non sufficit ipsa intentio directa ex fide, nisi adsint opera. Iacob. 2.

RESOLVTIO.

Et quidem voluntas plena, sed minime semiplena.

¶ Ad quod dicendum, quod est duplex voluntas (sicut dicit Aug.) plena, & semiplena. Plena dicitur, quando nihil deest ex parte volentis, quin faceret, si posset: & tunc voluntas pro facto reputatur ad meritum vel demeritum, si non potest facere. Si autem potest facere, principaliter imputatur ei ad meritum voluntas vel intentio, tanquam radix operis: non quod ipsum opus non faciat ad meritum, vel demeritum. Illa ergo autoritas, quæ sumitur ex Psal. vbi dicitur, quod votum pro operatione iudicatur: & illa similiter. *Quicquid vis, & non potes, Deus factum iudicat*, & alia, quæ sequuntur: referuntur ad voluntatem plenam. Vbi vero est facultas perficiendi, voluntas sola non sufficit ad meritum vel demeritum: & sic intelligitur illud. 2. Cor. 8 & 2. Cor. 9. & Iaco. 2. Si vero est voluntas semiplena, tunc illa sola non facit meritum, vel demeritum. Aug. in lib. confes. Glossa super psal. 57

¶ Hvivs gratia quæritur de aliquo, qui habuit voluntatem plenam, & defuit facultas; & de alio, qui habuit voluntatem plenam exeuntem in opus; vtrum ad paria iudicentur in merito pœnæ, vel præmii? Quod non, videtur: qui enim voluntatem plenam exeuntem in opus habuit, recipiet similiter & ratione voluntatis & ratione actus: qui vero habuit tantum voluntatem, non recipiet nisi pro voluntate: non enim recipiet pro eo, quod non habuit: ergo hi duo non ad paria in merito iudicantur. Qō. lateralis.

¶ Quod etiam apparere potest in eo, qui vult sustinere martyrium & sustinet: remuneratur enim & ratione voluntatis, & ratione sustinentiæ: vnde non tantum habet auream, sed & aureolam: qui vero tantum habet voluntatem, auream consequitur tantum: ergo non ad paria iudicantur.

¶ Similiter potest intelligi in eo, qui solam habuit voluntatem occidendi, cum non posset; & in eo, qui voluit, & occidit.

¶ Contrarium videtur haberi in Li. de Bapt. dicitur n. ibi. Quid valeat, & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti: sine qua tamen latro ille non fuit, quia non eius accipiendæ voluntas defuit: sed nō accipiendæ necessitas affuit, difficile est dicere. Vbi datur intelligi, quod latro ille effectum habuit sacramenti ratione voluntatis plenæ cum impossibilitate. Et ita videtur, quod tantum valeat ipsa voluntas plena cum impossibilitate actus; quantum voluntas plena cum actu: cum vtrobique sit dimissio culpæ & pœnæ. Aug. in lib. de baptis. contra Donatistas.

¶ Item, super illud. *Qui longe post eum vixerunt.* Glo. *solius Dei est nosse post Iesum inter seniores, quis longiorem diem fecerit* i. quis maiorem ex se lucem emiserit, vtrum Paulus an Petrus, Barth. an Ioan. Sed 1. Cor. 15. habetur in Glo. quod Paulus plus omnibus laborauit: sicut etiam ex Textu accipitur. Si ergo secundum opera addita voluntati determinaretur præmium; certum esset, quod Paulus plus haberet de præmio: ergo videtur, quod mensura meriti non attenditur, nisi secundum intentionem, aut voluntatem, quam solus Deus nouit: & ita tantam remunerationem recipiat ipsa voluntas plena, cum non adest facultas; quantam, cum adest facultas & opus. 2 Iudicum. Glossa. 1. Cor. 15. Glossa.

¶ Item, ex parte mali videtur similiter: quia tanta fuit delectatio libidinosa, quanta voluntas: ergo cum æqualis erat voluntas, æqua erat delectatio libidinosa: sed secundum quantitatem delectationis libidinosæ mensuratur pœna: ergo tanta pœna est illius, qui voluit plene, & non potuit; quanta illius, qui voluit, & fecit. (& fit sermo de æterna pœna) ergo æquale demeritum vtrobique attenditur.

¶ Ad quod dicendum, quod in bonis & in malis est indifferenter quodammodo, & quodammodo similiter. In bonis enim sic est, quod est præmium substantiale & principale, quod consistit in visione: & est præmium adiunctum, quod consistit in gaudio de aliquo bono præcedēti

perpe-

perpetrato, vel aliquo in præsenti superaddito. Quantum ad præmium substantiale & principale pacificatur voluntas plena, vbi deest facultas; voluntati plenæ, vbi adest facultas cum actu; dummodo sit par charitas, siue par gratia gratumfaciens. Quantum vero ad præmium adiunctum plus meretur voluntas plena cum actu, quam volũtas plena sine actu: & non solum quantum ad adeptionem boni, sed etiam quantum ad dimissionem mali pœnæ. In malis vero sic est, quod ratione voluntatis, & ratione etiam actus debetur pœna: & propter hoc qui habuit voluntatem plenam cum actu, plus punitur, quam ille, qui habuit voluntatem plenam, sed non cum actu, quantum ad afflictionẽ actualem: sed quantum ad pœnam carentiæ visionis Dei æquales sunt in pœna.

¶ Per iam dicta possunt solui ea, quæ obiecta sunt. Quod enim primo dicitur de illo, qui vult bonum, & non potest; & de illo, qui vult bonum, & facit: & vtrunque ex charitate fit. Dicendum quod æquale debetur præmium substantiale & primum: sed nõ æquale, quod est adiunctũ.

¶ Et per hoc idem patet illud, quod secundo obiicitur de illo, qui vult sustinere martyrium, & non sustinet: & de illo, qui vult sustinere, & sustinet: volenti enim plene facultate deficiente, debetur aurea: cum autem adest actus, superaddit aureolam: & ita ad paria iudicantur quantum ad primum, sed non ad paria quantum ad secundum.

¶ Ad illud contra vero, quod opponitur in auctoritate Aug. Dicendum est, quod ibi non diffinit Aug. quantum efficiat volũtas plena baptismi, cum deest facultas: sed hoc tantum, quod latro ille bonus, qui quodammodo sustinuit martyrium, non fuit sine sanctificatione, ad quam disponit sacramentum baptismi. Vnde licet non esset baptizatus, nihilominus tamen sanctificationem gratiæ obtinuit. (Aug. in lib. de baptis. contra Donatistas.)

¶ Ad illud vero, quod obiicitur ratione Glo. super illud *Qui longe &c.* Dicendum, quod ex virtute Glos. habetur, quod solius Dei est cognoscere, quantum est meritum ex parte ipsius intentionis: sed non ex hoc negatur, quin aliquod meritum sit ex parte boni operis. (Iudic. 2.)

¶ Ad illud vero, quod obiicitur ex parte mali. Dicendum est, quod vbi est æqualis voluntas libidinosa, æqualis debetur pœna carentiæ visionis Dei: sed vbi superadditur actus mortalis, maior debetur pœna afflictionis actualis. Solet enim libidinosa voluntas in ipso actu libidinis augmentari: de hoc autem amplius dicetur inferius. Quod ergo dicitur in auctoritate Aug. *quod non minus reus est*, &c. intelligendum est, quantum ad reatum pœnę in futuro: non autem quantum ad reatum pœnæ in præsenti. Adulter enim plus punitur, qui actu adulter est, pœna in præsenti; quam qui est adulter sola voluntate: & si crescit libido vel delectatio in ipso actu, plus punitur etiam pœna in futuro. (Aug. de lib. arbitr.)

ARTICVLVS II.

De pertinentibus ad bonam intentionem?

CONSEQVENTER quæritur de his, quæ pertinent ad intentionem bonam. Primo quæritur, vtrum qualitas boni operis addat in bonitate & in merito consequenter super bonitatem intentionis. Secundo, vtrum operum numerositas addat in merito super bonitatem intentionis. Tertio, vtrum quantitas ex parte materiæ operis addat in merito super bonitatem intentionis.

An qualitas boni operis supra bonitatem intentionis in merito addat? §. 1.

¶ AD primum sic: qualitas operis dicitur, cum opus est priuilegiatum, sicut est martyrium, vel prædicatio: sed huiusmodi operibus debetur speciale præmium: sicut habetur super illud. *Quæ sit supereminens magnitudo virtutis*: vbi dicit Gl. *quoddam incrementum gloriæ habebunt summi doctores vltra illud, quod communiter habebunt.* Similiter patet de martyrio, sicut habetur super illud Exo. 25. vbi loquitur de aureola. Ergo qualitas operis addit super ipsam bonitatem intentionis. (Ephes. 1. Glossa.) (Exod. 25.)

¶ Contra, super illud. *Qui multum non abundauit, &c.* dicit glo. *Si æqua sit voluntas, æqualem habet mercedem.* Ergo æqualis est merces eius, qui æqualem habet voluntatem sustinendi martyrium vel prædicandi, cum non adest facultas; ei, cui adest facultas. (2. Cor. 8. Glossa.)

¶ Ad idem dicit Isidorus. Si bonum in factis appareat; bonum non est; quia ex intentione aut probatur bonum, aut reprobatur. Vnde innuitur, quod tota bonitas operis sit ex intentione.

¶ Item, sicut dicit B. Bern. *intentio sufficit ad meritum, actio ad exemplum.* (Bernardus)

¶ Deinde quæritur de duobus, quorum vnus ex minori charitate facit opus priuilegiatum; alius ex maiori charitate facit minus opus; quis illorum plus mereatur? Et videtur, quod qui ex maiori charitate: secundum quantitatem enim charitatis attenditur meritum: ergo qui facit ex maiori charitate, plus meretur. (Qō. lateralis.)

¶ Contra, maius est meritum martyrii, quam alterius operis* non priuilegiati: ergo qui facit huiusmodi opus, plus meretur: licet fiat ex minori charitate. (*Alias, nisi)

¶ Item, ponatur quod aliquis incipiat opus priuilegiatum ex minori charitate, & postea consummat ex maiori: quæritur, secundum cuius intentionis meritum, aut primę, aut posterioris debeat attendi retributio: Si enim secundũ meritum primæ intentionis formatæ in charitate, cum illa intentio minor sit ratione minoris charitatis, debetur ei minus præmium: sed altera charitas fuit finalis; ergo magis secundum eam debet attendi.

RESOLVTIO.

Addit, verum non quantum ad præmium substantiale & præcipuum, sed quantum ad accidentale & superadditum.

¶ AD quod dicendum: quod est meritum ex intentione formata per charitatem: & est meritum ex opere formato charitate: & est meritum ex opere priuilegiatο formato charitate. Quantum est de primo, vbi maior est charitas, maius est præmium, quod ei respondet. Si vero respectus habeatur ad opus, vbi maius est opus, maius est* præmium; quod respondet ex parte operis. Cum ergo quæritur; Vtrũ qualitas operis addat? Respondendum est, quod addit: sed non quantum ad quantitatem primi præmii, & substantialis præmii, quod consistit in visione Dei: sed addit quantum ad præmium superadditum: sicut supra dictum est. (*Alias meritum.)

¶ Per hoc potest patere, qualiter respondendum est ad hoc, quod dicitur in Glo. 2. Cor. 8. Æqua enim voluntas habet æqualem mercedem in principali præmio, quod est in delectatione summæ bonitatis. (§. immediate præcedenti.)

¶ Ad secundum vero dicendum, quod cum sit comparatio, &c. dicendum est, quod sunt excedentia & excessa: cum enim aliquis facit ex maiori charitate, excedit in quãtitate principalis præmii: cum autem facit quod maius est, verbi gratia, opus priuilegiatum, maius est præmium vel in præsenti, vel in futuro, quod ei respondet.

¶ Ad tertium vero dicendum est: quod cum aliquis incipit ex minori charitate opus priuilegiatum, & postea cõsummat in maiori; cum illud opus diuisibile sit, prima pars operis mensuratur in merito secundum quantitatem minoris charitatis: secunda vero pars secundum quantitatem maioris: probabile autem est, quod in huiusmodi operibus crescat charitas. Vnde illud, quod dicit Aug. ibi maxime videtur habere locum, charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici: & illud, quod dicitur. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam prouentum.* (1. Cor. 10.)

An multiplicatio, siue numerositas bonorum operum supra bonitatem intentionis in merito addat? §. 2.

¶ POSTEA quæritur de multiplicatione operum, vtrũ addat in merito supra bonitatem intentionis. Videtur quod non: dicit enim Aug. *non diuturnitas temporum, non multitudo operum, sed sola charitas & voluntas meritum facit.* Ergo multitudo operum illud non facit: ergo multitudo operum non facit ad meritum. (Qō. later.) (August.)

¶ Præterea, voluntate meremur visionem Dei: operė vero meremur præmium* operatiuæ: sed cum neutra istorum multiplicetur per multiplicationem operum, non videtur multitudo operum multiplicare meritum. (*Alias, corporale.)

radix sui actus. Differentia autem est in ipsis actibus; quia in actu corporali præter hoc quod homo iniuriatur Deo, vel sibi, iniuriatur etiam proximo: in actu vero spirituali iniuriatur tantum Deo, vel sibi: Pœna ergo statuta est in ipsis actibus corporalibus, qui manifesti sunt in iudicio hominum: & propter hoc aliter iudicatur de istis actibus, & de illis, quo ad pœnam in præsenti: quo ad pœnam vero in futuro consimilis in genere determinatur pœna: sicut enim vni determinatur ignis vel vermis, & ita & alij.

An ex actu, intentioneq; mala simplex, vel duplex peccatum exurgat? §. 3.

Quæstio lateralis. Exod. 20. Glossa.

¶ Tertio quæritur, si actus additus intentioni facit duo peccata. Videtur, quod sic. *Non mœchaberis.* Gloss. *qui opus adijcit voluntati, iniquitatem adijcit iniquitati.* Ergo sunt duo peccata.

¶ Contra, omne peccatum est ex contemptu, contemptus autem in affectu, affectus vero operi nomen imponit: & ita idem peccatum est actus, & intentionis.

RESOLVTIO.

Et duplex, & simplex, duplex quidem boni defectu, simplex autem radice.

¶ Respon. Peccatum habet duas rationes: est enim peccatum actus incidens ex defectu boni: item, peccatum est malum voluntarium. Secūdum primam diffinitionem dico, quod duplex est peccatum: quia est defectus duplicis boni: & præterea, vtrobique est actus, sed vnus exterior, alius interior: bonitas enim actus exigit quod sit in debita materia & debitis circumstantijs: & quando non sic ordinatur, dicitur defectus boni: cum enim dicitur coire cum vxore alterius, dicitur defectus boni: quia deest materia debita actui: item, volūtas deficit in bono per auersionem à summo bono. Secundum vero secundam diffinitionem, in qua attenditur radix peccati, est vnum peccatum: & hoc est intelligendum de voluntate, quæ non distinguitur tēpore ab actu: planum est autem de voluntate præcedente tempore peccatum actus.

Actui, intentioniq; malæ eadem, an differens pœna respondeat? §. 4.

Quæstio lateralis.

¶ Quarto quæritur, si punitur peccator pro mala intentione, & actu; quæ pœna respondet vtrique; Cum enim sit alterum peccatum actus, & alterum intentionis siue voluntatis; differens debet eis pœna respondere.

RESOLVTIO.

Eadem afflictionis gehennalis, sed differens vermis.

¶ Responsio. Est pœna vermis, & ipsa potest esse duplex, siue differens ꝑ volūtate, & pro actu malo addito voluntati. Sed pœna afflictionis gehennalis vtrique debetur, aut communis, vna, indistincta. Vnde siue peccet actu, siue non; nihilominus tam corpus quam anima punientur in futuro, si sic decedunt.

Quod maius peccatum faciat, actus peior intentioni minus malæ additus, vel econuerso intentio peior actui minus malo adiuncta? §. 5.

Quæstio lateralis.

¶ Quinto quæritur, iste intendit adulterari, & fornicatur: alter intendit fornicari, & adulteratur; quæritur, quod istorum debeat dici maius peccatum? Quantum enim quis intendit, tantum facit: ergo qui intendit adulterari, magis peccat.

¶ Contra, iste non adulteratur, & alter adulteratur: ergo magis peccat.

RESOLVTIO.

Tum hoc, tum illud, diuersa comparatione.

¶ Respondendum. Hic sunt excedentia, & excessa: vbi enim est deterior intentio, quantum ad radicem culpæ: deterius est peccatum: & maior erit culpa, quæ respondet intentioni vel voluntati. Vbi autem deterior est actus, deterius est peccatum, quantum ad genus peccati, quod attenditur secundum genus operis.

Dubitatio.

¶ Postea quæritur, quomodo intelligitur hoc, quantum intendis, tantum facis: & vtrum *tantum & quantum* teneantur nominaliter, vel aduerbialiter. Respondeo. Dicendum, quod hæ dictiones determinant radicem: vnde sensus est: ex quam mala intentione intendis aliquid, ex tam mala intentione diceris reus reatu voluntatis in illo actu: non quod ille actus in se sit adeo malus.

Ab intentione ad actum quare teneat consequentia in genere peccati mortalis, & si non in specie. Tum quare in specie venialis non teneat sicut in specie mortalis. §. 6.

Quæstio lateralis.

¶ Sexto quæritur. Iste intendit peccare mortaliter, ergo peccat mortaliter, bene sequitur: sed non sequitur, iste intendit adulterari, ergo adulteratur simpliciter; licet adulteretur in corde.

¶ Item, iste intendit peccare mortaliter, ergo peccat mortaliter: non tamen sequitur, iste intendit peccare venialiter, ergo peccat venialiter, & quare hoc?

RESOLVTIO.

Quia mortale in intentione radicatur: & eidem sufficit, vt vel intentio, vel opus mortale sit. Secus de veniali, cui & intentionem, & genus operis veniale esse congruit.

¶ Respon. Mortale peccatum in eo quod est mortale, radicatur in intentione: quod autem sit secundum genus hoc, vel illud; non est ex ipsa voluntate, sed ab ipso actu. Omne ergo mortale est ab intentione: vnde bene sequitur, intendit mortaliter peccare, ergo mortaliter peccat. Sed adulterari proprie se extendit ad actum exteriorem: vnde non sequitur, intendit adulterari, ergo adulteratur.

¶ Ad aliud dicendum, quod mortale peccatum est secundum duas differentias. Vel quando intendit id, quod est mortale in genere: vt si intendit peccare mortaliter, puta adulterari, vel aliud huiusmodi. Vel quando intendit aliquid, quod est mortale, quod tamen nō credit esse mortale. Vtroque autem modo dicitur esse intentio mortalis: mortale enim peccatum in intentione radicatur: & sufficit ad rationem mortalis, quod alterum sit mortale, vel intentio, vel opus: ad hoc autem quod sit veniale, requiritur vtrunque esse veniale, intentionem scilicet & genus operis.

QVÆSTIO XCVII.

De peccato in genere.

Quid sit peccatum.

D. Tho. 1. 2. q. 71. S. Bonau. in 2. dis. 35. in dubijs literalibus. Etiā ex Sco. in 2. di 34. 35. 36. 37.

HABITA consideratione de malo secundum differentias mali: consequenter dicendum est de peccato.

Primo ergo quæritur, quid sit peccatum. Secundo, quæ diuisio peccati, & quæ species peccati materiales, siue formales. Tertio, quæ causa peccati. Quarto, de gradibus peccati. Quinto, de effectibus propinquis peccati. Sexto, de comparatione peccati ad peccatum in quantitate. Septimo, de oppositione peccati. Octauo, de reditu peccati, siue peccatorum. Nono, Vtrum peccatum sit causa peccati. Decimo, de conditionibus aggrauantibus peccatum. Vndecimo, & vltimo de ipsa pœna peccati.

Aug. in lib. de vera religione. Idem in li. Retractat. Anselmus. Li. de casu diaboli c. 9. Aug. in lib. de natura boni. Et in libro de ciui. Dei Dam. lib 4. cap de circūcisione. Ans. in lib. de casu diaboli Aug. in lib. 12. de ciuit. Dei. Idem in li. de libero arbitrio.

¶ Diffinitvr autem peccatum, secundum quod dicit August. *Peccatum est malum voluntarium:* & similiter in libr. Retract. Dicitur etiam peccatum carentia debitæ iustitiæ: & hanc ponit Ans. Dicitur etiam peccatum priuatio boni: sicut habetur ab Aug. Dicitur etiam peccatum superfluitas concupiscentiæ: sicut dicit Io. Dam. ¶ His rationibus positis, cum sint cōes, videndum est, quæ sit differentia istarum inter se: deinde quæ sit explanatio vniuscuiusque. Dicendū ergo, quod hæ quatuor diffinitiones assignantur in comparatione ad quatuor causas. Comparatione .n. causæ efficientis, assignatur illa diffinitio: peccatum est malum voluntarium: voluntas enim causa est efficiens omnis peccati. Vnde Ansel. *Voluntas nullam habet aliam causam, qua impellatur, aut trahatur: sed ipsa sibi efficiens causa potest* (scilicet dici) ad defectum. Et dicit Aug. *Voluntatis malæ causa efficiens si quæratur, nihil inuenitur: ipsa enim voluntas causa est.* Similiter habetur in Lib. de lib. arb. *Quid opus est quærere, vnde motus ille exsistat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono? cum eum non nisi voluntarium esse dicamus.* Ex quibus elicitur, quod prima diffinitio data est secundum causam efficientem.

QVÆSTIO XCVIII.
De peccato Luciferi.

In vndecim Membra, & totidem Articulos diuisa.

D Tho 1. par. q. 63. CONSEQVENTER dicendum est de diuisione peccati. Et primo accipienda est illa diuisio materialis, quæ fit secundum diuersitatem subiectorum: peccatum aliud est angeli, aliud hominis. Ratio autem est, quia in angelo primo fuit peccatum, & per suggestionem angeli consequenter in homine: sicut habetur super illud *Initium superbia hominis &c.* Eccles. 10. Glo. non est maior apostasia, quam creaturam à creatore recedere: quæ merito ascribitur superbiæ. Superbia enim est, si creatura velit assimilari creatori: hoc diabolo & homini fuit initium perditionis. Exponitur etiam illud, initium omnis peccati est superbia; de peccato ipsius diaboli: quia illud fuit initium omnium peccatorum secundum vnam expositionem: & ideo dicit Isido. quod malum à diabolo fuit inuentum. Isidorus. Ratio autem diuisionis huius hæc est: creatura intellectualis vertibilis est secundum electionem: sicut dicit Ioan. Dama. quod autem vertibile est secundum electionem, potest verti in malum: Damasc. quod autem vertitur in malum, peccat: creatura ergo intellectualis cum vertitur secundum electionem, peccat: cum ergo tam angelus, quam homo fuerit creatura intellectualis, erat vtraque creatura vertibilis secundum electionem.

¶ Forte diceret aliquis, quod hæc non debet esse prima diuisio: quia vtraque pars sub actuali peccato continetur: vnde videtur illa esse prima: peccatum aliud originale, aliud actuale. Sed attendendum est, quod originale processit ex actuali primi parentis: actuale vero primi parentis processit ex suggestione diaboli. Prima ergo multiplicatio peccati fuit secundum hæc diuersa subiecta: sequens vero multiplicatio in homine fuit per actuale & originale. Vnde licet diuisiones sint excedentes & excessæ: tamen quia originale originem sumpsit aliunde, volentibus inuestigare peccatum secundum originem peccati, primo occurrit dicere de peccato angeli, siue angelorum.

¶ Circa quod quæruntur duo. Primo de peccato eius & de pertinentibus ad ipsum. Secundo de peccato eius in comparatione ad hominem: quo scilicet inuidens homini tentauit ipsum, & adhuc tentare non cessat.

¶ Ad cognitionem vero primi peccati, primo considerandum est de ipso peccato in se: deinde de ipsa pœna peccati. Peccatum vero angeli aut fuit peccatum Luciferi, aut aliorum singulorum, ei in peccato consentientium. Primo dicendum est de peccato Luciferi: deinde de peccato aliorum.

¶ Circa peccatum vero Luciferi primo quæritur ex parte subiecti, quis fuerit ille angelus, hoc est de quo ordine, vtrum fuerit supremus angelorum, & cætera, quæ spectant ad ipsum subiectum. Secundo, quod fuit eius peccatum. Tertio, quod fuit motiuum. Quarto de qualitate peccati, vtrum scilicet remediabile, vel irremediabile: & vtrum posset esse veniale, vel tantum mortale. Quinto, vtrum adhuc peccet illo genere peccati. Sexto, si peccatum illud est causa peccati, & quomodo. Septimo de hoc, quod diabolus dicitur caput malorum, videlicet de capite & corpore. Octauo quæritur, quare scriptura non fecit mentionem expresse de hoc peccato: sicut facit de secundo, quo hominem tentauit. Nono, vtrum illi peccato statim annexum esset aliud, scilicet peccatum inuidiæ, aut non statim. Decimo, quæ sunt peccata diaboli secundum seipsum, videlicet quot sint peccata, quæ conueniunt spirituali naturæ, & quæ non conueniunt. Vndecimo, & vltimo vtrum statim peccauit, cum factus fuit, aut non statim?



MEMBRVM I.

De quorum ordine Lucifer fuerit?

CIRCA primum hæc tria sunt quærenda. Primo, vtrum fuerit de superiori ordine, vel non. Secundo, si fuit supremus. Tertio, vtrum ei creatus fuerit malus, an non creatus: sed factus est à seipso? propter hæresim quorundam peruersorum, qui dicebant ipsum esse creatũ malum.

ARTICVLVS I.

An Lucifer de superiori angelorum ordine fuerit?

QVÆRITVR ergo primo, Vtrum Lucifer fuerit de superiori ordine angelorum. Et videtur, quod non. Io. Dama. Ex his angelicis virtutibus, qui præerat terrestri ordini, & cui à Deo custodia commissa erat, non natura malus factus, sed bonus existens: & nequaquam in se ipso à conditore malitiæ semitam habens, liberi sui arbitrij electione, versus est ex eo, quod est secundum naturam, in id, quod est præter naturam. Ex quo videtur, quod non fuerit de superiori ordine: illi enim quibus per appropriationem commissa est custodia terræ, dicuntur de inferiori ordine.

¶ Præterea, dicit Aug. *Dicere autem de aliquibus angelis, quod in suo quodam genere beati esse possint futura iniquitatis vel certe perpetua salutis incerti, quibus nec etiam spes subesset, vix ferenda est præsumptio: nisi forte dicatur ita creatos istos angelos mundanis ministerijs distributos, vt pro recte gestis præposituris acciperent illam vitam beatam, de qua possint esse certissimi: cuius spe gaudentes, possint dici beati. Ex quorum numero si diabolus cecidit cum socijs iniquitatis sua, simile est hoc ei: quod cadunt à iustitia fidei etiam homines, simili superbia præuaricati, vel se ipsos seducendo, vel seductori consentiendo.* August. 11. super Gen. ad litt. Cap. 19. vide locũ. Ex quo videtur innuere, quod angelus ille primus qui cecidit cum suis complicibus, fuerit de inferiori ordine, cui commissa est administratio rerum terrenarum.

¶ Econtrario videtur Aug. dicere, quod fuerit de superiori ordine, ita dicens. *Lucifer erat quasi princeps multorum, inter quos clarior erat; quorum societate ad impium descendit certamen.* August. in lib. quæstionum veteris testamenti.

¶ Item, B. Greg. *Creatum primum angelum Deus reliquis angelis, quorum nouem ordines inueniuntur, eminentiorem fecit.* Greg. 32. Moralium Sed non poterat esse eminentior nouem ordinibus, nisi esset de superiori ordine: ergo fuit de superiori ordine.

¶ Similiter videtur per hoc, quod Lib. eodem dicit, exponens illud, *Tu Cherub extentus, & protegens in monte sancto Dei,* Idẽ super Ezech. 28. quia comparatione claritatis suæ cæterorum obumbrasse claritatem creditur: ipse extensus & protegens perhibetur: reliquos enim quasi obumbrando operuit: qui magnitudinem aliorum excellentia maiori transcendit. Sed non potuit magnitudinem aliorum excellentia maiori transcendere: nisi esset de superiori ordine: ergo fuit de superiori ordine.

¶ Item, ibid. exponens illud, In medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti &c. dicit, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulauit, quoniam inter angelorũ corda, charitatis igne succenso, clarus gloria extitit conditionis. Cum ergo angeli incendentes, vel incensi dicantur Seraphin; videtur quod esset de illo ordine. Et ipsa littera in Ezech. 28. videtur dicere, quod esset de ordine Cherubin, ad quos pertinet plenitudo scientiæ. Vnde Greg. *Idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur.* Gregor. Ex his videtur, quod fuerit angelus ille de aliquo superiorum ordinum, vel de Cherubin, vel de Seraphin.

RESOLVTIO.

Affirmatiuam partem ex Scripturis & Doctoribus elicere quam facile est: negatiuam perdifficile, & fere impossibile.

¶ AD quod dicendum, quod (sicut videntur autoritates sanctorum dicere) fuit de superiori ordine.

¶ Ad illud vero, quod dicit Io. Dama. respondendum est: quod non per hoc tollitur, quin fuerit de superiori ordine, quia habuit custodiam hominum, & eorum quæ geruntur in terra: omnes enim spiritus ordinati erant; vt essent administratorij: sicut habetur Heb. 1. Vnde licet aliqui dicantur Cherubin, vel Seraphin Hebr. 1.

ex præeminentia charitatis, vel scientiæ: nihilominus tamen, cum vult Dominus, mittuntur & hi in ministerium. Sed si intelligebat dicere, quod ille esset de infimis angelis: dicendum est cum August. *Mihi fateor, vnde hæc secundum scripturas asseram, non interim occurrit. Asserant, qui potuerint, hæc duo genera bonorum angelorum: vnum supercælestium, in quibus nunquam fuit, qui cadendo diabolus factus est: alterum mundanorum, in quibus fuit.* Vnde hanc opinionem reprobat, vel ex scriptura non esse certam, affirmat. (Aug. lib. 11. super Gen. cap. 16.)

¶ Similiter respondendum ei, quod introducit, tanquam aliorum recitando opinionem in Lib. super Gen. 11. Adhærendum est ergo ipsi expressioni scripturæ. (Idem li. 11. super Gen 8)

ARTICVLVS I.

An Lucifer supremus fuerit Angelorum?

DEinde quæritur, Vtrum ille angelus fuit supremus? Quod videtur: dicitur enim. *Ipse est principium viarum Dei:* per vias autem operationes Dei intelliguntur, ergo fuit primus inter opera: ergo supremus inter angelos: cum hæc prioritas non attendatur nisi dignitate. Similiter *omnis lapis pretiosus operimentum tuum;* & enumerat ibi nouem genera lapidum: per quæ nouem ordines angelorum intelliguntur: sicut dicit B. Gregorius. Cum ergo ille, cuius est operimentum, dicatur dignior operimento; angelus dignior erat natura alijs angelis. Vnde B. Gregor. *Ille primus angelus ideo ornatus & opertus extitit illis: quia eos quasi vestem ad ornamentum sui habuit * & dum cunctis agminibus angelorum prælatus, eorum claritatem transcenderit; ex eorum comparatione clarior fuit.* (Iob. 40. Ezech. 28. Gregor. Idem. * Alias, & dicitur cũctis agminibus angelorum prælatus, eorum claritatem transcendens, &c.)


¶ Item. *Cedri non fuerunt altiores illo paradiso Dei: abietes non adæquauerunt summitatem eius: omne lignum paradisi non est assimilatum illi & pulchritudini eius.* Quod sic exponit B. Gregorius. *Quid per cedros & abietes nisi virtutum cælestium procera celsitudinis agmina? quæ quamuis excelsa sint condita; huic tamen nec sunt prælata, nec æquata: tanta species illum pulchriorem reddidit, quanta & supposita angelorum multitudo * decorauit.* Ex quo accipitur, quod fuit supremus: cum nullus esset ei æquatus, nec prælatus. (Ezech 31. Gregor. *Alias, decorauit)

¶ Item, Augustinus. *Vidit infra se multas spirituales creaturas: quippe cum in paradiso Dei præstantior esset cognitione ministerij cælestis.* (Aug. in lib. quæst. veteris testamenti.)

¶ Similiter (sicut in Isa. 14. habetur) ille angelus dictus est Lucifer: sed non est dictus Lucifer, nisi ex quadam similitudine: sicut enim Lucifer mane oritur, & vicinior est soli: ita & ille vicinior erat natura supremo soli, scilicet Deo. Vnde & signaculum similitudinis dicitur, Ezech. 28. exponit B. Gregorius. *Signaculum similitudinis dicitur: vt quo subtilior est natura, eo in illum similitudo Dei plenius credatur expressa.* Per quod videtur, quod plenissime expressa similitudo secundum naturam diceretur ille angelus, sicut contingit in ipsa creatura. (Isa. 14. Ezech 28 Gregor.)

¶ Præterea, videtur hoc ex suo inordinato appetitu: sicut dicitur. *Conscendam in cælum:* & constat, quod fuit in cœlo empyreo: ergo de illo cœlo non intelligitur: sed si esset de inferioribus angelis, sufficeret ei in peruerso appetitu parificari superiori angelo: sed iste voluit quodammodo parificari Deo, qui intelligitur per illud cœlum, quod est Trinitatis, ad quod dixit se ascensurum. Isa. 14. ergo fuit supremus angelus. (Isa. 14.)

¶ Sed obijcitur in contrarium: si supremus erat angelus, supposito quod angeli conditi sint in naturalibus & gratuitis; eminentiorem habuit naturam, eminentiorem etiam gratiam: ergo plura habuit inclinantia liberum arbitrium eius, vt conuerteretur ad Deum: quam inclinantia, vt auerteretur: ergo magis ordinatus erat, vt conuerteretur, quam auerteretur: sed cum auersus sit magis alijs, qui auersi sunt; habuit plus de inclinatione ad auertendum: ergo non fuit supremus. (Isa. 14.)



RESOLVTIO.

Supremum omnium quamplures authoritates illum statuunt: supremum & nos vna eundem censeamus.

¶ Ad quod dicendum quod fuit supremus: sicut ex prædictis authoritatibus accipitur.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur in contrarium: quod licet haberet plura inclinantia ad conuersionem, & magis esset inclinatus ad hoc: tamen quia super alios erat, & respexit ad inferius, considerando se esse super alios: plus existimauit de se, vt præesset, & nulli subesset. Vnde dicit Gregorius. *Relicto eo principio, cui inhærere debuit, suum sibi quodammodo principium esse appetijt: relicto eo, qui vere poterat ei sufficere, se sibi posse sufficere iudicauit.*

ARTICVLVS III.

An Lucifer malus à Deo creatus sit?

POstmodvm quæritur, Vtrum creatus fuerit malus, vel non creatus, sed factus à seipso? Quod videtur: dicitur enim secundum aliam litteram. *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit, vt illudatur ab angelis eius.* Et. *Draco iste, quem finxisti ad illudendum ei.* Si ergo fuit initium figmenti: ergo fuit figmentum: sed figmentum non dicitur ipsa natura per se; sed aliquid, quod fictum est: fictio autem dicitur malitiæ: ergo malus creatus fuit. Quod etiam videtur propter hoc, quod sequitur [*vt illudatur ab angelis eius*] non enim illusio est ab angelis bonis ratione naturæ, sed ratione malitiæ: ergo creatus fuit malus. (Iob. 40. Psal. 103.)

¶ Item, Ioan. 8. *Ab initio in veritate non stetit.* Sed quid est, ab initio, nisi ab instanti conditionis? ergo in instanti conditionis fuit malus: sed in instanti conditionis non potuit esse à se malus: cum prius sit esse, quam velle: ergo fuit malus creatus. (Iob. 8.)

¶ Contra, à summo bono non procedit primo, quod dissimile est bonitati: sed malum est dissimile: ergo à summo bono non procedit primo malum: sed Angelus ille (sicut dictum est) principium fuit viarum Domini: ergo primo creatus: ergo non fuit ex creatione malus.

¶ Item, sicut habetur. *Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem:* cecidit ergo: sed non cecidit, si talis est factus: vnde Augustinus. *Quod putatur, nunquam Diabolus in veritate stetisse: nunquam cum Angelis vitam beatam duxisse: non sic accipiendum est, vt non propria voluntate deprauatus, sed malus à bono Deo creatus putetur: alioquin non ab initio cecidisse diceretur: non enim cecidit, si talis est factus: sed factus, continuo sese à luce veritatis auertit.* (Lucæ 10. Aug. 11. super Genes.)

¶ Item Augustinus accipiens illud verbum. *Ambulasti perfectus in viis tuis à diebus conditionis tuæ, donec est inuenta iniquitas in te,* &c. dicit: *intelligitur ex hoc fuisse aliquando sine peccato:* vnde hanc litteram ponit, *Ambulasti in diebus tuis sine vitio.* (Idem 11. de ciuit. Dei. c. 15. super Ezech.)

RESOLVTIO.

Non prauum à Deo creatum Luciferum dicimus: sed propria sponte deprauatum contendimus.

¶ Ad quod dicendum, quod angelus ille non fuit malus ex creatione, siue conditione; sed propria voluntate deprauatus.

¶ Ad illvd vero, quod obijcitur primo in contrariũ. Dicendum est, quod ob hoc dicitur initium figmenti, non quia ab initio malum eum condidit: sed quia cum sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum, vt bonis noceret; creauit ad hoc illum, vt de illo bonis ipse prodesset. Hoc enim est *vt illudatur ab angelis eius* quoniam sic illuditur, cum sanctis prosunt tentationes eius, quibus eos deprauare conatur; vt malitia, in qua ipse esse voluit; eo nolente, fit vtilis seruis Dei: sicut dicit Augustinus. Figmentum autem dicitur ibi pro factura: non sicut idola dicuntur figmenta, vel peccata. (August.)

¶ Et per hoc patet, qualiter respondendum est ad primo obiectum.

¶ Ad secundum vero obiectum dicendum est, quod illud. *Ab initio in veritate non stetit;* non intelligitur, quod in instanti conditionis fuerit malus: sed post. Vnde Augustinus (Ioan. 8. August. in lib. de cor-)

rectione & gratia. August. 11. de ciuit. Dei cap. 15.

nus. *Dictũ est de diabolo, in veritate nõ stetit: quia fuit ibi, sed nõ permansit.* Et 11. de ciu. Dei. *Quod dicitur, ab initio diabolus peccat, non ab initio peccare putandus est: sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia caperit esse peccatum.*

MEMBRVM II.

Quod fuerit Luciferi peccatum?

August. super Gen. Albinus super Gen. August. 12. de ciuit. Dei.

CONSEQVENTER quæritur, quod fuit eius peccatum? Et videtur, quod superbia: dicit enim Aug. *Fastus continuo se à luce veritatis auertit, superbus, tumidus, & sua potestatis delectatione deprauatus.* Item, Albinus *Ad seipsos conuersi sunt, & sua propria sunt delectati potestate: & iste est primus defectus, & prima inopia rationalis creaturæ: & hoc vitium quid aliud, nisi superbia nuncupatur:* Item, Aug. *Habentes elationis fastum pro excellentissima æternitate, vanitatum astutiam pro certissima veritate, studia partium pro indiuidua charitate, superbi, fallaces, inuidi effecti sunt.* In hac autem serie primum est superbia: ergo superbia fuit primum peccatum. Item Augu. *Superbia quendam appetitum vnitatis & omnipotentiæ habet.* Sed hoc fuit in primo angelo (appetijt enim non subesse, & super alios esse) ergo peccauit peccato superbiæ. Item, Aug. *angelus magis seipsum, quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiam.* Item, *Videbam sathanam* &c. Glo. *qui singulariter erat, vt in eius ruina discerent, * quid de elatione timerent:* Ergo manifestum est, quod eius ruina fuit superbia. Item, Isid. *Lucifer eminentiam naturæ & profunditatem scientiæ suæ perpendens, in creatorem suum superbiuit intantum, quod etiam Deo æquari voluit.*

Idem in lib. de vera religione. Idem in eodem. Lucæ 10. Glossa. * Alias, qui elatione tumerent. Isidor. Ansel Hugo.

¶ Sed contra videtur, quod cupiditas fuit initium sui peccati. Ansel. distinguit duo appetibilia, scilicet honestum, & commodum. Hugo de Sancto Vict. loco honesti ponit iustitiam: vnde dicit duo esse appetibilia, iustitiam, & commodum. Sed aliquando deseritur iustitia, vel honestum propter commodum: sed sic fecit angelus, qui primo peccauit: deseruit enim honestum vel iustitiam, & appetijt quod sibi videbatur commodum. Sed appetitus cõmodi fixus est in cupiditate; & ita videtur, quod eius peccatum fuit cupiditas. Item, August. *Auaritia radix omnium malorum: hac diabolus cecidit, huic morbo contraria est charitas, quæ non quærit, quæ sua sunt.* Et ibidem dicit, *quod ista auaritia est, non qua amatur pecunia, sed qua amatur propria potestas.* Si ergo diabolus primo cecidit auaritia; patet quod auaritia, siue cupiditas eius primum peccatum fuit.

August. super Gen. ad lit. Idem ibidem.

¶ Item, videtur: quod omissio fuit primum peccatum ipsius: ideo enim cecidit primus angelus, quia considerauit pulchritudinem suam, & non contulit: ergo tenebatur conferre. Præterea, idem probatur sic: Iste enim tenebatur vitare motum: & non poterat, nisi conferendo vel ratiocinando: ergo tenebatur conferre: & non contulit; ergo omisit. Præterea, tenebatur vitare, & non vitauit: ergo omisit.

¶ Item, videtur quod primum peccatum angeli fuit peccatum infidelitatis: nihil enim appetitur, quod non æstimetur bonum: quando enim angelus appetijt præesse & non subesse, æstimauit sibi illud esse bonum, ergo credidit quod hoc bonum erat sibi: quia regula est, quod æstimatio præcedit appetitum: sed vera fides dicit, quod creatura debet esse subiecta creatori: & iste credidit se posse non subijci creatori, etiam antequam illud appeteret: ergo primum peccatum suum fuit quidem peccatum infidelitatis.

RESOLVTIO.

Luciferi peccatum primum Superbia fuit, sed radix cupiditas, siue auaritia.

¶ RESPON. Concedendum est, quod primum peccatum diaboli fuit superbia: & radix eius auaritia, vel cupiditas. Nec est oppositio inter hæc adinuicem sic se habentia: superbia enim, quod est speciale peccatum, est amor siue appetitus propriæ excellentiæ: ita quod hoc quod dico [*propria*] sonet in culpam: quia potest aliquis amare præesse propter Deum, quod non est apostatare: nec tunc amat propriam excellentiam: sed excellentiam quasi communem: quia propter communem vtilitatem appetit præesse: sed apostatare est cum homo proprie, & præcise præesse appetijt: & sic dicitur superbia amor propriæ excellentiæ: & sic fuit in primo peccato diaboli: & ideo eius primum peccatum fuit superbia: tamen eius radix fuit cupiditas, secundum quod in eo fuit appetitus propriæ excellentiæ. Et hoc est, quod dicebatur in authoritate Aug. scilicet quod *cupiditas ista est, non qua amatur pecunia, sed qua amatur potestas propria.*

August. super Genes. ad literam.

¶ Sed notandum est, quod superbia specialiter accipitur modo prædicto, secundum quod dicitur esse primum peccatum angeli. Alio enim modo accipitur superbia generaliter: & sic dicitur, quod est initium cuiuslibet peccati, & etiam superbiæ diaboli specialiter acceptæ. Et cupiditas similiter dicitur dupliciter: potest enim dici cupiditas amor inordinatus cuiusque rei: & sic accipitur generaliter. Vel amor inordinatus pecuniæ, vel honorum, vel huiusmodi rerum transeuntium: & sic accipitur specialiter.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de omissione. Dicendum est, quod omissio accipitur dupliciter. Vno modo generaliter, & secundum hoc dicitur desistentia à bono. Alio modo specialiter, secundum quod addit actum impeditiuum debiti actus: vt cum aliquis facit contrarium actum ei, ad quem tenetur. Primo modo omissio non est species peccati, sed est concomitans peccatum: & sic superbiam concomitatur omissio: & hoc modo potuit omittere diabolus: secundo vero modo non omisit.

¶ Ad id vero, quod obijcitur de infidelitate dicendum est, quod licet appeteret præesse alicui: non oportet ex hoc quod crederet vtrumque se posse, scilicet præesse, & non subesse. Dicit enim Aug. *ambitiosa voluntas non quid possit, sed quid velit, attendit:* voluntas etiam impossibilium est.

Idem.

¶ Ad illud vero, quod posset obijci de hoc, quod dicitur *Dixisti in corde tuo, similis ero altissimo &c.* vbi videtur credere, se posse æquiparari Deo. Respondendum est, quod dicitur æquiparantia simpliciter: & hoc modo non appetijt esse sicut Deus, secundum quorundam expositionem: sed appetijt præesse, & nõ subesse: quod si esset, esset Deus: & hæc est æquiparantia quantum ad aliquid. Nec sequitur appetijt huiusmodi æquiparantiam, ergo appetiit esse Deus nec sequitur, appetijt æquiparantiam diuinam, ergo credidit se posse attingere: cum verbo enim appetitus non tenet argumentatio ab vno appetibili ad suum conuertibile: nec à verbo appetendi ad verbum credendi. Credere tamen multipliciter dicitur: vno modo dicitur credere à fide; & sic non credidit. Alio vero modo dicitur credere simplici æstimatione boni: & hoc modo potuit credere æquiparantiam esse bonam sibi: & fuit æstimatio erronea, non præcedens peccatum, sed in ipso peccato, secundum quod lib. arb. dicitur facultas voluntatis & rationis & hæc credulitas erronea non opponitur fidei: non enim respicit complexum.

Isa. 14.

MEMBRVM III.

A quo Lucifer motus sit ad peccandum?

QVÆRITVR consequenter, quod fuerit motiuum ad peccandum. Et dicitur, quod æquiparãtia ad Deũ: quod videtur per hoc quod dicitur *Ascendam in cœlum &c.* sed tunc angelus ille erat in cœlo empyreo: ergo non appetebat ascẽdere in cœlum empyreum: sed supra illud cœlum non est nisi cœlum Trinitatis, quod est ipse Deus: ergo appetebat ascendere ad æqualitatem Dei.

Isaiæ. 14. Psalm 68. Glossa.

¶ Item, *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Glo. *rapuit Eua * diuinitatem præsumens vt diabolus: & quia rapere voluerunt diuinitatem, amiserunt felicitatem:* sed Christus illud exoluit, non rapiendo diuinitatem (Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*) ergo diabolus voluit rapere diuinitatem.

* Alias, de diuinitate.

¶ Item, August. *Ipsa elatione inflatus voluit dici Deus.*

¶ Item, Greg. *Angelus iste celsitudinis diuinæ culmen aspiciens ius peruersæ libertatis appetijt, vt præesset cæteris, & nulli subesset.* Sed præesse cæteris, & nulli subesse, est proprium Dei: ergo appetiit æqualitatem Dei.

Philip. 2. August. in quæstionibus veteris testamenti. Gregor li. 34. moral.

¶ Item, Ansel. *Non solum voluit esse æqualis Deo, quia præsumpsit habere propriã voluntatẽ:* sed maior voluit esse, volendo quod

Ansel. de casu diabo. 1.

Deus

Deus ipsum nolle volebat. Ergo voluit esse æqualis Deo, præsumendo æquiparantiam in habendo propriam voluntatem: quod est Dei solius.

¶ Contra, certissimum est creaturam non posse adæquari suo creatori: & hoc sciuit angelus, cum haberet perspicacissimam rationem: ergo nunquam appetijt æqualitatem Dei.

Idem in eod. cap. 4. ¶ Item, Anselmus. *Appetebat illud, ad quod ascendere potuisset; & peruenisset, si ordinate appetiuisset.* Sed nunquam potuit peruenire ad hoc, vt esset æqualis Deo: ergo nunquam hoc appetijt.

Idem. ¶ Item, Anselmus sic opponit: *Si Deus non potest cogitari, nisi ita vt ei similis cogitari non possit, non est æstimandum, quod ita diabolus esset obtusæ mentis, quod appeteret illud, quod non poterat cogitare: ergo nunquam appetijt se esse æqualem Deo.* Quod autem æqualis creatura excogitari non possit, patet per hoc quid dicitur *Deus, quis similis erit tibi?* simile enim accipitur ibi pro similitudine æquiparantiæ. Et *Cui similem fecisti Deum?* Et dicitur de Christo homine. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Ergo creatura non potuit peruenire ad æqualitatem creatoris: cum hoc non posset humana natura in Christo. Psalm. 34. Isa. 40. Psal. 138.

RESOLVTIO.

Ab appetitu æquiparantiæ, & similitudinis ad Deum.

¶ AD quod dicendum, quod non appetijt æqualitatem diuinam, in hac ratione, vel esse sicut Deus, in hac ratione simpliciter: sed appetijt illud, quod si obtinuisset, eo modo quo appetijt, esset æqualis, vel sicut Deus. Præesse enim omnibus, & nulli subesse, hoc est proprium Dei: similiter habere beatitudinem ex nullo merito suo, vel alieno, est conueniens soli Deo: vnde appetere hoc, est appetere illud, ex quo consequitur æqualitas. Sed cum verbo appetendi non tenet, ergo appetijt æqualitatem.

¶ Ad obiectum ergo primo respondendum est: quod illud ascendere Luciferi, de quo dicitur in Isa. non fuit, nisi ascendere per appetitum: appetitus vero ille fuit respectu illius rei (sicut dictum est) quæ propria est Dei: & ita quo ad hoc esset sicut Deus: Nec tamen sequitur, ergo appetebat ascendere ad æqualitatem Dei.

Gloss. ¶ Similiter intelligitur illud, quod dicitur ibi in Glo. vbi est solium Dei, cupiebat ascendere: solium autem Dei dicitur ibi diuina maiestas: diuinæ maiestatis est omnibus præesse, & nulli subesse.

Bernar. sup. cant. 64. Psal. 6. ¶ Ad secundum vero dicendum est, quod diabolus appetijt similitudinem potentiæ diuinæ (sicut dictum est) in præesse, & non subesse: sicut habetur à Bea. Bern. exponente illud *Domine ne in furore tuo arguas me. Non arguas me in furore, sicut angelum extollentem se in cælo: neque in ira tua corripias me: sicut hominem in paradiso: ambo iniquitatem meditati sunt, altitudinem affectantes, iste potentia, ille scientia.*

¶ Ad tertium dicendum, quod velle dici Deus, vel esse; non est nisi per quandam interpretationem: quia voluit illud, quod si haberet, quasi Deus diceretur.

Gregor. ¶ Ad illud vero Grego. dicendum est: quod suum appetere non fuit primo & principaliter eum esse Deum; sed esse sicut Deum in hoc, quod præesset alijs, & non subesset. Vnde præmittitur in autoritate B. Grego. *Ita Deus super omnia est, vt ipse sub nullo sit: sic autem appetijt, dicens, Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.*

¶ Ad illud vero, quod dicit Ansel. similiter respondendum est: quia appetere beatitudinem sine omni merito suo vel alieno, est proprium Dei: vnde appetendo hoc, ex consequenti dicitur appetiuisse esse sicut Deus. Præterea, habere propriam voluntatem, istud est proprium Dei vno modo, & alio modo potest extendi. Si enim habere propriam voluntatem, dicatur habere voluntatem non sub alio ordinatam, sed ad quam aliæ debent ordinari, secundum hoc solus Deus habet propriam voluntatem: & præsumendo sic habere propriam voluntatem, est velle illud, in quo consistit æqualitas cũ Deo. Alio vero modo habere propriam voluntatẽ, potest dici habere voluntatẽ non cõformatam diuinę voluntati: vnde Ansel. *Propria voluntas angeli, siue hominis est, quæ contra voluntatem Dei est: cum enim vult aliquid, quod Deus velle prohibet, non habet autorem suæ voluntatis, nisi seipsum; & ideo sua propria est.* Et hoc modo peccator dicitur habere propriam voluntatem, secundum hunc modũ præsumendo habere propriam voluntatem, non est præsumere æqualitatem diuinam. Ansel. in lib. de incarnatione verbi.

An Lucifer peccauerit, Dei similitudinem appetendo?

Isa. 14. ¶ ADHVC quæritur de hoc, quod dicitur *Ero similis altissimo.* Videtur enim quod in hoc non peccauerit, appetendo esse similis Deo: appetere enim similitudinem Dei est appetere bonum: quod patet per hoc quod dicitur *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Item, vnaquęque creatura rationalis naturaliter appetit Deo assimilari: quia ad hoc creata est vt ei similis efficiatur: sed non peccat libr. arb. appetendo, quod dictat natura, ergo nec peccauit appetendo similitudinem altissimi. Præterea, cum ipse esset super omnes: vt dicit B. Greg. ita conditus fuerat, vt cæteris angelorum legionibus emineret: ergo similis erat altissimo in potentia: appetendo ergo illud, non appetijt inordinate. 1. Ioan. 3. Gregor.

Idem ¶ Præterea, sicut dicit B. Greg. peruenisset ad celsitudinem, si stetisset: vnde Greg. *Celsus nimirum esset, si participatione celsitudinis vera contentus esset: celsus esset, si ei, qui vere celsus est, inhærere voluisset.* Ex quo videtur, quod non peccauerit appetendo huiusmodi celsitudinem. Item, appetitus primo & per se in finem ordinatur: sed beatitudo erat finis: ergo si appetijt beatitudinem primo & per se; & in hoc appetijt esse similis; non peccauit sic appetendo.

¶ Sed forte dicetur, quod in hoc peccauit; quia fugit ministerium. Contra potest appeti finis, licet non appetatur omne illud, quod est ad finem: ergo si Lucifer appetijt beatitudinem, & non appetijt ministerium, non propter hoc peccauit sic appetendo.

Ezech. 28. ¶ Ad quod respondendum, quod est multiplex similitudo. Prima dicitur similitudo naturæ, de qua dicitur. *Tu signaculum similitudinis.* Secunda est gratiæ: sicut enim peccatũ facit esse dissimilem: ita gratia similem. Tertia similitudo est gloriæ: de qua dicitur. Cum apparuerit, similes ei erimus. Quarta est similitudo æquiparantiæ, qua dicitur filius similis patri, vel Spiritus sanctus similis patri. Appetendo ergo aliquam trium priorum similitudinum eo modo, quo debet appeti, vel congruit appeti, non est peccatũ: appetendo vero quartã, vel id ex quo sequitur, est peccatũ in creatura: vnde Lucifer appetendo similitudinem altissimi illo modo, vel id ex quo consequebatur, peccauit. Ad secundum dicendum, quod hanc vltimam similitudinem appetere, non dictat natura: & ideo non fuit voluntas ipsius angeli conformis naturæ, sic appetendo. Ad tertium dicendum, quod appetendo similitudinem, ad quam ordinatus erat ex natura, non peccauit: hoc autem fuit pręesse aliis: sed appetere nulli subesse; fuit appetere similitudinem supra se: & ideo in hoc peccauit: appetiit enim similitudinem, non in mensura sibi determinata. Ad illud vero, quod quarto obijcitur. Dicendum est, quod quędam celsitudo est gratiæ siue gloriæ super omnes alios angelos: & ad hanc similitudinem in celsitudine peruenisset, si stetisset: sed hæc non fuit illa, quam appetendo peccauit. Ad quintum vero dicendum, quod secundum Ansel. appetiit ipse finem, sed non eo modo quo debuit: appetiit enim beatitudinem sine merito præcedenti: hoc autem in creatura est inordinate appetere beatitudinem. Ad sequens vero dicendum, quod si tantum esset appetitus ipsius finis, non excludendo ordinem debitum ad finem; non in hoc peccasset: sed appetendo finem, debitum ordinem exclusit: vnde sic appetendo peccauit. Ansel.

An ex parte superiori, vel inferiori Lucifer peccauerit? §. 2.

Quæstio lateralis.

¶ Item, quæritur de hoc, quod Lucifer positus erat in medio inter Deum, cui subesse debebat, & inter angelos, quibus præerat: si ergo peccauit, aut peccauit ex parte superiori considerando: aut ex parte inferiori. Ex parte inferiori non videtur, præerat enim alijs angelis: ergo appetendo hanc præeminentiam, vel sic præesse, non peccauit. Ex parte vero superiori non videtur, quod peccauit: non enim à Deo poterat accipere aliquod motiuum, vnde peccaret. Ex illa etiam parte non est error, siue erroris causa: omnis rectitudo ex illa parte accipitur. Præterea *Ambulasti perfectus in vijs tuis*: considerando autem istam perfectionem dicitur ipse peccasse: ex parte vero superiori si consideraret, inueniret se imperfectum comparatione Dei: ergo ex illa parte non fuit motiuum peccati: ergo nec peccatum. Præterea, *Eleuatum est cor tuum in robore tuo.* Sed comparatione Dei non considerauit se habere robur vel fortitudinem: ergo ex illa parte considerando, non peccauit. Similiter dicitur: *Eleuatum est cor tuum in decore tuo*, &c. comparatione vero Dei minus habuit decoris: ergo ex illa parte non fuit initium superbiæ: ergo considerando ex illa parte non peccauit.

Ezech. 28.

Ibid.

Ibid.

RESOLVTIO.

Ab vtraque, ab inferiori inductiue, à superiori consummatiuè.

¶ Ad hoc respondendũ est, quod duplex erat consideratio: vna eius, quod habuit, altera eius, quod appetijt. Consideratio vero eius quod habuit, fuit, quod præeminebat ceteris angelis: quod præeminebat, scil. in fortitudine siue in decore: & hoc fuit * inductiuum, siue inclinatiuum ad peccatum: hoc non accipiebatur ex parte superiori, sed ex parte inferiori. Consideratio vero eius, quod appetijt, fuit à parte superiori: non ab ipso superiori, sed à se: & in illo fuit consummatio peccati.

* Alias, introductiuum.

¶ Ad illud ergo, quod primo obijciebatur: quod à parte inferiori non peccauit. Dicendum est, quod ipsum esse peccati non fuit in respectu ad inferius: sed inductio peccati: conuersio enim ad mutabile bonum est initium peccati: auersio ab incommutabili bono, quæ fuit in appetendo similitudinem æquiparantiæ: hoc fuit, in quo consummatur peccatum: & sic peccauit angelus à Deo auersus, ad se conuersus.

¶ Quod autem dicitur, quod à parte superiori non fuit motiuum ad peccatum. Dicendum est, quod hoc verum est ex parte rei superioris: sed non ex parte rei inferioris, *ipse enim angelus* (sicut dicit Aug.) *propria potestate est delectatus*: & hoc idem dicit Albinus super Gen.

Aug. in lib. de ciuit. Dei.

MEMBRVM IV.

An Luciferi peccatum remediabile sit?

POstmodum quæritur de qualitate peccati primi angeli: Vtrum scil. sit remediabile, vel irremediabile. Et videtur, quod sit irremediabile per hoc quod dicit B. Greg. super illud: *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me*, &c. *Vnde venialis est in homine culpa; cum sit irremediabilis in angelo, qui robustus fuit.*

Grego. super Iob. 10

¶ Item, super illud: *Pereat dies, in qua natus sum.* Gregor. *Homo redimitur: quia cum caro & spiritus sit, infirmum habuit aliquid vt peccaret: quod non angelus.*

Iob. 3. Greg.

¶ Præterea, angelus propria, homo aliena perijt malitia: & hoc est dictũ, quod homo à suggerente peccauit: diabolus vero per se, nullo suggerente.

¶ Item, *Angelus fuit in sublimissimo statu: & ideo resurgere non potuit, quod non homo: & iterum resurgere non potuit, quia per semetipsum mandati transgressum reperit.*

August. in lib. de mirabilib. sacræ scripturæ.

¶ Contra, peccatum angeli non excedit in malitia peccatum hominis in infinitum: quod sic probatur: sicut se habet pœna ad pœnam, ita culpa ad culpam: sed pœna angeli non excedit in infinitum pœnam hominis acerbitate: ergo nec culpa infinitum excedit culpam: sed irremediabile in infinitum excedit remissibile, cum sit ei improportionabile: ergo peccatum angeli non fuit irremediabile.

¶ Præterea, si propter hoc diceretur irremediabile, quia ex se, non ex imitatione alterius peccauit: sed tale fuit peccatum minorum angelorum, quia ex imitatione peccauerunt: ergo illud esset remissibile, sed non fuit remissibile: ergo hæc non fuit causa.

¶ Item, scientia angeli non in infinitum excedebat scientiam hominis ante peccatum: ergo ratione status in cognitione siue scientia nõ diceretur peccatum angeli irremissibile: peccatum vero hominis irremissibile.

¶ Præterea, si propter hoc diceretur peccatũ hominis remissibile siue veniale, quod homo est fragilis: quia ex limo cõstitutus: secundũ hoc anima si separata esset, & peccaret: peccatum eius esset irremediabile: sed supposito hoc, quod anima separata peccaret, & postea coniungeretur corpori, (sicut dixerunt quidam hæretici) secundum hoc esset peccatum ipsius animæ iam existentis in corpore irremediabile: quod cum non sit verum: relinquitur, quod non sit ratio irremissibilitatis ipsa separatio à corpore.

¶ Præterea, dicit B. Gregor. *Idcirco peccans sine venia est damnatus; quia magnus sine comparatione fuit creatus.* Sed secundum hoc minores angeli, qui non erant creati magni sine comparatione, non peccassent irremediabiliter.

Gregor.

Præterea, angelus de natura sua vertibilitatem habet in bonum & in malum, sed quod est à natura, non potest tolli: à nullo enim posset tolli, nisi à Deo: sed Deus non vult, ergo semper permanet illud, cum sit naturale, in angelo: ergo post peccatum primum ipsius potuit verti in bonum: ergo potuit tolli peccatum ipsius, ergo peccatum ipsius non fuit irremediabile.

¶ Item, aut Deus potuit post peccatum dare ei gratiam, aut non. Si non potuit ei dare gratiam: ergo non est omnipotens. Si potuit Deus dare gratiam, ergo iste potuit habere: & si potuit habere, potuit ei dimitti peccatum: & si potuit ei dimitti peccatum, non fuit peccatum irremediabile: ergo peccatum eius fuit remediabile.

¶ Item, Origen. ostendit sic peccatum eius esse remissibile: *misericordia Dei infinita est respectu cuiuslibet mali in rationali creatura*: magis enim bona est, quam quodlibet malum: vnde Bernard. exponens illud: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*, &c. *imo debuit dicere maior est misericordia Dei, quam mea iniquitas.* Sed maxima misericordia manifestatur in delendo maximum malum: cum ergo maximum malum sit peccatum angeli: vel non manifestabitur in summo misericordia Dei: vel illud aliquando remittetur.

Origen.

Gen. 4. Bern.

RESOLVTIO.

Ne dum non remediabile, sed nec remissibile dicimus Luciferi peccatum: quia in statu est, in quo nec remissionis, nec remedij aut ex se, aut ex alio receptibilis est.

¶ Ad quod dĩm, quod irremissibile dicitur dupliciter: vel quod non remittetur: vel quod non potest remitti. Quantum est de potentia remittentis primo modo dicitur peccatum angeli irremissibile: quia non remittetur. Sed adhuc distinguitur: dicitur enim irremissibile, quod non remittetur; eo quod non est lib. arbit. in statu receptibili remissionis: sicut est de anima post mortem: peccatum enim sic dicitur esse irremissibile: post mortem enim non est locus merendi de congruo, vel demerendi. Dicitur iterum irremissibile peccatum, quod scilicet non remittetur, quia licet sit in statu lib. arbit. in quo possit demereri; non tamen est in statu, in quo possit petere veniam, propter mentis indurationem, & propter desperationem. Vnde dicit August. *Ad cumulum peccati sui desperauit.* Hoc autem modo est peccatum ipsius angeli irremissibile. Vnde dicit Isidor. *Diabolus non petit veniam: quia non compungitur ad pœnitentiam.* Pœnitere autem non potuit, quia in eo, qui pœnitet, est dolor de peccato, & gaudium de dolore: hæc autem

Aug. in li. de mirabil. sacræ scripturæ.

Isidor.

autem non sunt in ipso angelo: adhuc enim est in eo gaudium de peccato: nec est in eo dolor de peccato, quia sicut
Gregor. dicit Gregor. *Appetitum celsitudinis vertit in rigorem mentis, vt iam per duritiam se male esse non sentiat, qui præesse per gloriam quærebat.* Præterea, dicitur irremissibile peccatum ipsius ratione excellentiæ status angelici: sicut enim dicitur: *Non*
Gen 6. *permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*: ita per oppositum videtur argui: permanebit spiritus indignationis diuinæ in æternum in spiritu, quia spiritus est. Ratione etiã excellentiæ sui status: angelus enim cum adhæsit
Gregor. bono, vel malo, immutabiliter adhæsit. Sicut enim dicit B. Greg. *angeli natura mutabiles erant, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent: sed hanc mutabilitatẽ standi immutabilitate vicerunt* (& loquitur de bonis) ergo per oppositũ sicut illi acceperunt immutabilitatẽ in bono, quia steterunt in bono: ita per oppositum alij obtinuerunt immutabilitatem in malo, quia conuersi sunt ad malum. Est ergo peccatum diaboli irremediabile ratione status supradicti.

¶ Notandum autem, quod propter aliud dicitur irremissibile, propter aliud irremediabile. Irremissibile enim dicitur, quia non habet causam motiuam ex parte sui ad remissionem. Irremediabile vero, quia non per se, nec per alium receptibile est remedij. Peccatum enim originale remediabile fuit per alium: sicut n. homo contraxit illud aliunde, ita per alium fuit remedium. Actuale vero hominis remediabile est per pœnitentiam: sicut enim homo per se delinquit, ita homo per gratiã sibi datam satisfacit. Habet n. homo duplicem vertibilitatem: primam, quæ est in bonum, & in malum: & vertibilitatem secundam, quæ est à bono in malum, & à malo in bonum: & hoc est quia anima rationalis est spiritus creatus vnitus carni.

¶ Ad illud, quod primo obijcitur. Dicendum est, quod peccatum angeli in quantitate non excedit in infinitum peccatum hominis: secundum aũt quantitatem peccati debetur quantitas pœnæ. Sed dicitur improportionabile non sicut infinitum est improportionabile finito, sed quia hoc est irremissibile illud vero remissibile, hoc dicitur respectu quantitatis in duratione, nõn quantitatis in intensione: de qua dictum est. Quod enim remissibile est, potest habere finem: quod autem irremissibile est, nõ potest habere finem, prout huiusmodi: vel ad minus finem non habebit. Vnde in hac via dicetur improportionabile: sicut infinitum duratione respectu finiti, vel quod potest finiri.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod peccatum hominis non dicitur remissibile, quia peccauerit per imitationem, sed per suggestionem. Hanc n. rationem assignat cum alijs B. Greg. sicut supra habitum est. Vnde ꝙ peccatũ
Greg. in li. 4. moral. sit irremissibile, hanc assignat rationem B. Greg. *Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccauerunt, quia nimirum angelus sua malitia cecidit: hominem vero aliena prostrauit. Nec vlla spe venia reuocatur, nec vnquam lumen pristini status recipit: quoniam hoc non suasus amisit: sic illum perpetrare cæcitas superbia grauat; vt nequaquam vlterius ad lucem pœnitentiæ per diuini respectus memoriam resurgat.*

¶ Ad tertium dicendum, quod licet scientia angeli nõ excedat in quantitate in infinitum scientiam hominis in primo statu: tamen indifferens est modus sciendi, secundum quem dicitur esse improportionalitas. Et ideo dicit
Dion. in li. de diu. nominib. Dionys. *Dæmonis malum est contra intellectum deformem esse: animæ vero contra rationem: corpori vero contra naturam.*

¶ Ad quartum dicendum, quod vna ratio, quare peccatum hominis est remissibile, angeli vero nõ est: quia angelus est spiritus solummodo: homo vero est spiritus & ca-
Gregor. ro. Vnde Greg. *Angelorum spiritus ideo irremissibiliter peccauerunt, quia tanto robustius stare poterant: quanto carnis fragilitas eos non grauabat: homo vero post culpam idcirco veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo semetipso minor esset, accepit*: & ideo
Psalm. 77. dicitur: *Recordatus est, quia caro sunt*, &c.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de anima separata. Dicendum est, quod si peccaret separata, eius peccatum esset (quantum est de illo statu) irremissibile. Et hoc videtur
Damasc. haberi ex hoc, quod dicit Ioan. Damasc. *quod hominibus est mors, hoc angelis est casus*. post casum enim non est eis pœnitentia, quemadmodũ nec hominibus post mortem. Idem enim videtur esse iudicium de anima separata, siue ante coniunctionem, siue post.

¶ Ad illud vero, quod dicitur: quod tunc peccatũ animæ coniunctæ carni esset irremissibile secundum prædictam positionem. Dicendum est, quod aut intelligitur de peccato, quod ante coniunctionem contraxit; & tunc simile videtur iudicium: aut de peccato contracto in carne; & tunc non est simile. Quibusdam tamen videtur, quod siue ante peccaret, quam coniungeretur carni, siue post; peccatum eius esset irremissibile.

¶ Ad quintum dicendum: quod illa ratio B. Greg. non est vniuersalis: sed intelligitur de Lucifero per quandam excellentiam: quæ tamen ratio per consimilem comparationem posset extendi ad alios angelos, qui similiter peccauerunt. Sicut enim primus angelus sine comparatione in bonis naturalibus erat creatus: ita angelus in comparatione ad hominẽ: & ideo singuli angeli, qui peccauerunt, propter eminentiam illius naturæ spiritalis, quæ nullam habuit infirmitatem ex parte carnis, irremissibiliter peccauerunt.

¶ Ad sextum dicendum, quod licet habeat vertibilitatem in bonum & malum: tamen ex merito culpæ datur ei quędam inuertibilitas in bonum: nec aufertur ei, quod naturale est: sicut animæ damnatæ non aufertur potentia naturalis, sed ex merito culpæ non exit in actum aliquem, in quem exiret, si anima non esset damnata, & ideo sicut anima damnata non vertitur in bonum, ita nec angelus iam condemnatus vertitur in bonum.

¶ Ad septimum dicendum, quod licet Deus possit dare gratiam de virtute potentiæ: non tamen congruit dare gratiam ad pœnitentiam angelo iam damnato: damnatus autem dicitur cum immutabiliter se habet in malo culpæ. Et ideo differens est ex parte ipsius agentis, & ex parte recipientis: Deus n. potest dare gratiam, sed diabolus non est paratus ad recipiendum.

¶ Ad vltimum dicendũ, quod licet misericordia Dei sit in dimittendo culpam: nihilominus tamen misericordia Dei habet suum summum, cum adiungitur iustitiæ: & hoc modo non est misericordiæ Dei dimittere peccata in his, qui finaliter peccant. Cum ergo angelus in suo primo casu finaliter peccet, & homo etiam in morte: non est misericordiæ Dei in summo cum adiunctione iustitiæ dimittere peccatum: iustitiæ enim est, vt sicut peccauit in suo æterno, ita puniatur in æterno Dei: & licet non ostendatur summum misericordiæ in hoc actu respectu talium personarum, nihilominus ostenditur summum misericordiæ in alijs actibus.

ARTICVLVS I.

An Luciferi peccatum in Patrem fuerit, vel in Filium, vel in Spiritum sanctum?

Adhvc ratione istius quæsiti quæritur: Vtrum peccatum diaboli sit in patrem, aut in filium, aut in Spiritum sanctum. Et non videtur esse in patrem, quia illud quod fit ex infirmitate, quæ est pœna, est peccatum in patrem, sed hoc peccatum nõ est ex infirmitate, quæ est pœna: cum nulla præcesserit culpa: ergo non est peccatum in patrem. Nec est peccatum in filium: quia illud fit ex ignorantia pœnali: hoc autem non fuit ex ignorantia pœnali præcedente. Nec videtur esse peccatum in Spiritum sanctum: peccatum enim in spiritum sanctum est ex præsumptione diuinæ misericordiæ, vel ex desperatione: neutro autem istorum modorum fuit hoc peccatum. Ista enim contingunt post perpetrationem peccati: nec ex impugnatione supernæ gratiæ, vel veritatis agnitæ: hæ enim species peccati in Spiritum sanctum respiciunt illud, quod est in proximo: illo autem genere peccati in Spiritum sanctum non videtur peccasse: nec ex obstinatione siue finali impœnitentia: cum ista dicant dispositiones peccati præcedentis: ergo neutiquam dicendum est, peccatum illud fuisse in Spiritum sanctum.

* * *

RESOLVTIO.

In nullum eorum praecisè.

¶ Ad quod dicendum, quod licet hoc peccatum dicatur irremissibile, & peccatum in spiritum sanctum dicatur irremissibile: tamen ex differenti ratione. Peccatum enim illud dicitur irremissibile maximè propter statum ipsius personae: peccatum vero in Spiritum sanctum dicitur irremissibile ratione conditionis ipsius peccati: & ideo peccatum in Spiritum sanctum dicitur peccatū ex certa malitia. Illae enim differentiae peccati cum dicitur, peccatum in patrem, &c. sunt differentiae non primi peccati, sed cum superadduntur aliquae conditiones malae inclinātes ad peccatum; sicut sunt ignorantia ex parte intellectus, malitia ex parte affectus, & infirmitas ex parte carnis: vel infirmitas contra potentiam, ignorantia contra scientiam, malitia contra bonitatem. Et si inueniatur, quod peccauit peccato praesumptionis: sicut habetur in Libr. de Vera reli. quod de vanitate sua praesumpserit; tamen non omnis praesumptio ad peccatum in Spiritum sanctum est reducenda, sed illa praesumptio, quae est de Dei misericordia meritis exigentibus contrarium. Vnde cum nulla mala merita praecessissent in diabolo: non dicitur secundum hunc modum peccatum in Spiritum sanctum. Sed si inueniatur, quod huiusmodi peccatum dicatur in Spiritum sanctum: hoc magis est ratione circumstantiarum, quam ratione generis peccati.

ARTICVLVS II.

An diabolus potuerit iam, vel etiam nunc possit peccato veniali peccare?

Deinde quaeritur: Vtrum diabolus potuit, vel possit peccare peccato veniali. Quod videtur: peccatum n. veniale in hoc distinguitur à peccato mortali, quod peccatum veniale est in dilectione boni mutabilis inordinata sub Deo: peccatum autem mortale in dilectione boni mutabilis inordinata supra Deum, vel cōtra Deum. Sed quod potest plus recedere à Deo, potest minus recedere: ergo cum diabolus potuit plus recedere, vel potest; potest in illud peccatum, in quo est minor recessus: sed hoc est peccatum veniale: ergo potest peccare venialiter.

¶ Praeterea, quanto maius erat motiuum, tanto magis erat excusatione dignum: sicut in illo, qui fornicatur cum pulchra muliere, & cum turpi. Cum ergo maximum motiuum haberet, per quod inclinabatur ad peccatum, magis erat excusatione dignum, & quod magis est excusatione dignum, magis est veniale: ergo potuit peccare venialiter.

¶ Contra, nulla fuit infirmitas in eo, vel ignorantia: & hae sunt dispositiones, per quas redditur peccatum veniale: ergo peccatum eius non fuit veniale.

¶ Item, peccatum mortale fit vel ex genere, vel ex intentione peccantis, vel ex circumstantijs aggrauantibus. Cum ergo in diabolo fuit peruersa intentio, & circumstantia maximè aggrauans: eo quod in sublimissimo statu fuit, in quo potuit stare: erit peccatum suum mortale. Vnde dicit Albinus: *Quanto sublimior angelus in gloria, tanto maior in ruina.* Albinus super Genesin.

¶ Praeterea, ex praedictis patuit, quod diabolus primo peccato irremediabiliter peccauit: sed illud peccatum, quod est irremediabile, est mortale: ergo fuit mortale peccatum, quo potuit peccare. Vnde dicit B. Ambros. *Diabolus inuentor mali fuit: & ideo non redimebatur, sicut homo.* Per quod designatur, quod inuentio primi mali non potest fieri sine peccato mortali. Ambros.

RESOLVTIO.

Neutiquam, nec primo nec ex consequenti, & propter excellentiam status, & propter malignitatem animi.

¶ Ad quod dicendum, quod diabolus non potuit primo peccare venialiter, nec consequenter. Primo propter excellentiam sui status: deinceps propter animi malignitatem.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod licet peccatū mortale maius sit, quā veniale in genere peccati; non tñ si potest in illo statu mortaliter peccare, in illo statu potuit venialiter peccare: eo n. quod in tanta erat claritate, vt immediate posset Deo adhaerere, si claritatem suae cognitionis directa voluntas esset consecuta: ideo recedens primo, maximo recessu recessit: maximus autē recessus est recessus per mortale peccatum: & ideo non potuit peccare nisi mortaliter: primus n. homo ratione status sui, in quo fuit primo, non potuit primo peccare venialiter: vnde multo fortius id actum est de primo angelo.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod non erat maius motiuum ad contrarium: eo n. quod in tanta proximitate erat ad Deum, magis debuit adhaerere: motiuum aūt maius dicitur esse causa maioris excusationis, quando vel est maior infirmitas, vel maior ignorantia, sed quando maior est scientia, est conditio magis aggrauans: vnde cum ita esset in Lucifero, non fuit sic peccatum eius veniale, siue veniabile.

MEMBRVM V.

An Lucifer adhuc eodem genere peccati peccet?

Postea quaeritur: Vtrum adhuc peccet eodem genere peccati. Quod videtur per hoc, quod dicitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: sed superbiam ascendere nihil aliud est, quā ipsos daemones magis erigi contra suum creatorem, magis autem erigi contra suum creatorem est magis superbire: ergo diabolus adhuc peccat eodem genere peccati. Psal. 73.

¶ Item, Isidor. *Diabolus non solum in hoc contentus est, quod se Deo aequalem existimans, cecidit: insuper etiam superiorem Deo se dicit, secundum illud Apostoli dictum, qui ait de Antichristo, qui aduersatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus: aut quod colitur.* Ex quo videtur, quod eodem genere peccati peccet. Isidor. 2. Thessa. 2.

¶ Contra, Noniam praelatus est alijs angelis omnibus: sed est inferior ipsis bonis: ergo illud motiuum, quod tunc mouit ipsum, non nunc potest mouere: ergo non illo genere peccati potest peccare.

¶ Praeterea, secundum quod dicit Ansel. tunc potuit eum mouere apprehensio beatitudinis, ad quam peruenisset, si stetisset, nunc autem cecidit in desperationem. Vnde dicit Aug. *Ad cumulum peccati accidit, quod desperationem incurrit: si suo delicto non desperasset veniam nunquam consentienti homini damnum suae salutis intendere.* Illud ergo motiuum, quod tunc habuit, non nunc potest habere: ergo non illo genere peccati potest peccare. Ansel. August. de mirabilib. sacrae scripturae.

RESOLVTIO.

Et quidem eodem genere generalissimo; sed non specialissimo.

¶ Ad quod dicendum, quod genus peccati dicitur dupliciter. Vno modo, quod est generalissimum peccatum: quomodo superbia dicitur esse generalissimum peccatum, & hoc modo potest peccare eodem genere peccati. Dicitur autem alio modo genus peccati, cum determinatur in specie propinqua: & secundum hoc non eodem genere peccati potest peccare.

¶ Ad illud vero, quod primo obijcitur in cōtrarium. Dicendum est, quod superbia dicitur ascendere, nō quia illa species peccati crescat, sed quia quantitas determinata secundum genus generalissimum intenditur. Vnde dicitur superbia eorum ascendere, quia magis & magis eriguntur contra creatorem ratione impugnationis membrorum corporis mystici. Sicut n. dicitur superbia hominis ascendere magis & magis, cum magis & magis impugnat: ita ex illa prima superbia maior & maior est impugnatio hostis.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod aliud est motiuum nunc, quam prius: tunc enim mouebatur ex consideratione potentiae siue praeminentiae, quam habuit super angelos ex conditione naturae: nunc autem mouetur ratione praeeminentiae, quam habet super malos. Praeterea, aliter mouebatur à principio, & aliter mouebitur in Antichristo. Primo enim mouebatur in hoc, quod voluit praeesse, & non subesse: in Antichristo vero mouebitur, vt videatur Antichristus praeminere in apparenti bonitate

nitate & potentia signorum. Et ita aliud & aliud fuit primum motiuum, & illud motiuum, quo mouebitur in Antichristo.

MEMBRVM VI.

An Luciferi peccatum peccati cuiusque causa sit?

CONSEQVENTER quæritur, si peccatum illud est causa peccati. Et videtur quod sic per hoc, quod dicitur: [Tobiæ 4.] *Superbiam in animo tuo nunquam dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Sed omnis perditio sumpsit initium ex peccato primi angeli: ergo peccatum angeli fuit initium & causa omnis peccati.

¶ ITEM, Ambros. [Ambros.] *Diabolus fuit inuentor mali*: sed inuenire malum est inuenire causam mali (malum enim mali causa est) ergo principium omnis mali fuit ex peccato primi angeli.

¶ Item, *Percussisti caput de domo impij*: [Abacuc 3. Glossa.] ibi dicit Glos. quod diabolus est caput omnium malorum, sed non dicitur caput nisi ratione peccati: ergo primum peccatum est causa omnis peccati.

¶ CONTRA, Non omnia peccata proueniunt ex suggestione diaboli: circumscripto enim fomite & suggestione diaboli, potest lib. arbit. hominis peccare: cum enim liber. arbit. sit de se vertibile, ex sua defectibilitate potest peccare: & liber. arbit. hominis non dependet à liber. arbit. diaboli: ergo peccatum ipsius diaboli non dicitur esse causa omnis peccati. Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud: [Esai. 51. Glossa.] *Incuruare, vt transeamus.* Glossa, *debilis est hostis, qui non potest vincere, nisi volentem.* Ergo voluntas humana, quantum est de se, non est subiecta voluntati diaboli: ergo primum peccatum ipsius non est causa omnis peccati.

RESOLVTIO.

Vtiq; occasionaliter, verum non necessario.

¶ AD quod dicendum, quod peccatum ipsius dicitur esse causa per occasionem, non per necessitatem. Lib. enim arb. hominis ita liberum est, quod in voluntate eius fuit peccare, & non peccare, & ita sequi suggestionem diaboli, & non sequi.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum, quod illud, quod dicitur: [Tob. 4.] *In ipsa sumpsit initium omnis perditio*: vel intelligitur per se de superbia primi parentis, vel occasionaliter de superbia Luciferi.

¶ AD secundum dicendum, quod licet diabolus fuerit inuentor mali: tamen non dicitur per se causa mali, nisi in ipso: sed non dicitur per se causa mali in alio, sed occasionaliter. In hoc enim quod homo vel angelus concordat primo peccato, in hoc dicitur esse causa peccati.

¶ Si autem dicatur, inter apostasiam primi peccati, & vltimam pœnam ignis gehennæ media sunt peccata & pœnæ peccatorum, & sic videtur quod prima apostasia sit causa omnis peccati. Respondendum est, quod prima apostasia dicitur illa, qua primus parens apostauit à Deo, secundum illud: [Eccles. 10.] *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius.* Illa enim apostasia dicitur esse causa omnis peccati per se, vel per inclinationem: Apostasia vero diaboli dicitur esse causa omnis peccati per consensum vel suasionem.

¶ AD illud vero, quod dicitur Abacuc. 3. Dicendum est, quod caput dicitur, id est, principium altero dictorum modorum, & ita causa est quodammodo peccati aliorum angelorum, vel per imitationem, vel per consensum.

MEMBRVM VI.

De capite malorum.

OCCASIONE præcedentis Quæstionis, quæritur de capite malorum. Et quæruntur octo in vniuerso. Primo, vtrum diabolus sit caput malorum. Secundo, vtrum diabolus cum corpore sit vna persona. Tertio, vtrum sit caput dæmonum, sicut malorum hominum. Quarto, vtrum sit caput malorũ secundum omnia peccata. Quinto; quid sit vnitiuum membrorum cum capite diabolo. Sexto, vtrum membrum Christi possit fieri membrum diaboli. Septimo, vtrum ijdem homines possint esse membra Christi, & membra diaboli. Octauo, quæ sit differentia, secundum quod diabolus dicitur caput malorum, & Antichristus: & vtrum Antichristus sit caput.

ARTICVLVS I.

An diabolus recte malorum caput dicatur?

CIRCA primum sic: Videtur enim quod sit caput: dicitur enim super illud: [1. Thess. 2. Glossa.] *Ostendens se, tanquam ipse sit Deus.* Gloss. *in ipso erit caput omnium malorum, scilicet diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ.* Ergo diabolus est caput omnium malorum: omnes enim mali dicuntur filij superbiæ.

¶ Item, super illud. [Iob. 18. Glossa.] *Memoria illius pereat de terra.* Gloss. *Sic de vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, id est, ad diabolum vertatur.*

¶ Similiter super illud. [Iob. 41. Glossa.] *Corpus eius quasi scuta fusilia.* Gl. *corpus Leuiathan, id est, omnes iniqui:* Ergo diabolus est caput omnium malorum.

¶ CONTRA, sicut dicitur super illud: [Eph. 1. Glossa.] *Ipsum dedit caput &c. caput habet virtutem influendi sensum in membra, vel motum.* Sed diabolus non habet potestatem influendi aliquã malitiam, quæ dicitur sensus, vel motus aliquis spiritualis: ergo non dicitur caput malorum.

¶ Item, caput habet conuenientiam in natura cum membris: sicut habetur ibidem in Gloss. [Eadem.] sed diabolus non habet conuenientiam in natura cum malis hominibus (in ipso enim est natura angelica: in istis vero est natura humana) ergo non dicitur conuenienter caput malorum hominum.

RESOLVTIO.

Diabolus iure malorum caput dicitur: & quia primus supremusq; malorum fuit: & quia quodammodo per suggestionem in malos, sicut in sua propria membra fluit.

¶ AD quod dicendum, quod diabolus dicitur caput malorum propter duplicem proprietatẽ capitis. Prima proprietas, quia caput primum est & supremum in corpore; vnde est quasi initium corporis: sicut diabolus fuit initium maliciæ, cum primo peccauit per superbiam: & ideo dicit Isidorus, quod malum inuentum fuit à diabolo: ante enim superbiam diaboli nullum fuit peccatum: sed tamen si post illam malitiam nõ essent secutæ malitiæ hominum per suggestionem, vel aliorum dæmonum per consensum; non adhuc diceretur caput: nec propter hoc Adam dicitur caput malorum: non enim fuit primus malus: sed primus inter homines malos. Secunda proprietas est, quia quodammodo fluxit in membra per suggestionem. Vnde: [Iob. 40. Glossa.] *Fortitudo eius in lumbis eius.* Gloss. *nimirum eius propriè corpus fiunt, qui suggestionum turpium blandimentis decepti, et per luxuria fluxa succumbunt.*

¶ Ad illud vero, quod obijcitur primo in contrarium. Dicendum est, quod licet diabolus non influat malitiam per immissionem, propriè dictam; influit tamen per suggestionem: vnde Beda: [Beda.] *diabolus non est immissor cogitationum: sed incensor.*

¶ AD secundum dicendũ quod licet non habeat conuenientiam in natura cum membris, eo quod hæc est natura spiritalis, membra vero sunt pertinentia ad naturam corporalem: nihilominus tamen in ipsis membris est natura spiritalis, ratione cuius naturæ recipitur influẽtia suggestionis ab ipso capite: & ideo quo ad hoc dicitur conuenientia in natura capitis, & membrorum.

¶ Forte dicetur, quod non est caput ratione suggestionis malorum hominum: quia secundum hoc esset caput bonorum: tam enim suggerit malum bonis, quam malis. Ad quod dicendum est, quod sola suggestio non sufficit ad hoc, quod sit caput: sed consensus sequens effectum suggestionis, ille autem cõsensus non est in bonis, sed tantum in malis. Vnde super illud: [Iob. 40.] *Fortitudo eius in lumbis eius*: Eius propriè corpus fiunt, qui suggestionũ turpium blandimentis decepti, et per luxuriæ fluxa succumbunt.

¶ Sed

¶ Sed adhuc posset quæri, quod nec ratione suggestionis, nec consensus dicatur esse caput malorum hominum. In paruulis enim, in quibus est peccatum originale solum, est ratio membri ad caput; cum sint filij iræ: nec tamen ibi est suggestio ex parte ipsius diaboli, vel consensus ex parte paruuli. Propter quod videtur vniuersaliter dicendum, quod ratio capitis ad membra videtur esse per suggestionem propinquam, vel remotam; & consensum, qui est in ipsis, vel in parentibus. Paruuli ergo, licet non recipiant suggestionem, vel consentiant: suggestio tamen facta est primis parentibus; & consensus secutus est in eis, ex quibus facta est quædam cõuenientia consequenter ipsorum paruulorum in deformitate peccati ad ipsum diabolum, qui est origo peccati.

ARTICVLVS II.

An diabolus vna & eadem persona sit cum malis, qui sunt membra eius?

Ex Boetio in libr. de duabus naturis, & vna persona Christi.

SECVNDO quæritur: Vtrum diabolus, qui est caput malorum, sit vna persona cum eis. Quod non, videtur: persona enim est indiuidua hypostasis intellectualis naturæ, inter diabolum autem caput, & malos qui sunt membra eius; est distincta hypostasis (alia enim persona est malus homo, & ipse diabolus est alia persona) ergo diabolus non est vna persona cum ipsis.

¶ Forte diceretur, quod distinctæ sunt personæ in esse naturali, sed non sunt distinctæ in esse morali. Contra quod sic obijcitur: aliud est peccatum mali hominis, & aliud est peccatum ipsius diaboli: ergo distincta sunt peccata, & distinctæ sunt voluntates, secundum quod in voluntatibus est prima ratio peccati: ergo malus homo distinguitur in esse morali ab ipso diabolo: ergo non est vna persona quãtum ad esse morale, nec est vna persona quantum ad esse naturale.

¶ CONTRA, caput & membra (vt propriè accipiuntur) vnius personæ sunt: sicut caput hominis, & membra hominis. Ergo per similitudinem caput & membra, vbi translatiue accipiuntur, ad eandem personam secundum translationem referentur: ergo diabolus qui est caput, & mali qui sunt membra, sunt vna tantum persona.

RESOLVTIO.

Vna, sed in esse morali, non autem naturali.

¶ AD quod dicendum, quod diabolus & ipsi mali dicuntur vna persona, non in esse naturali, sed in esse morali secundum quendam modum. Vnde super illud: *Vultum iudicum eius operit.* Gloss. *quia diabolus cum suis sequacibus vna persona est*: sæpe sic scriptura de eo loquitur, vt ad corpus eius deriuetur. Iob. 9. Glossa.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod non sunt vna persona in esse naturali, & in esse morali, nisi quo ad hoc, quod quædam est conformitas siue conuenientia voluntatum in deformitate, per quam receditur à summe vno. In hoc ergo quod à summe vno diuiduntur, in hoc inter se conueniunt & vniuntur: & propter hoc vna persona dicuntur.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod alia est voluntas hominis mali, alia diaboli. Dicendum est, quod alia est, secundum quod numeratur ex parte voluntatis: secundum autem quod numeratur ex parte voliti, potest esse vna: quia malus homo vult id, quod vult diabolus, & hoc accipitur ex suggestionis effectu, &c.

ARTICVLVS III.

An diabolus sicut hominum, ita & dæmonum caput sit?

TERTIO quæritur: Vtrum sit caput dæmonum sicut malorum hominum. Videtur quod non: est enim caput malorum hominum per suggestionem, sed non est caput dæmonum per suggestionem: nec alia videtur influentia.

¶ Si enim diceretur, quod est caput dæmonum per imperium. Contra hoc sic obijcitur: prius est vnio in esse membrorum cum capite, quam quod membra recipiant motum à capite, sed recipere imperium diaboli non est aliud quam recipere motum: ergo oportet quod alia sit vnio ipsius diaboli capitis & ipsorum dæmonum, si sunt membra eius, quæ sit vnio quasi in esse morali: non ergo dicetur esse caput ratione imperij, & dæmones membra, eo quod recipiant imperium: sed propter aliam rationem.

¶ PRÆTEREA, videntur secundum illam rationem dici filij, aut ministri: ministri, quia sequuntur imperium vel voluntatem ipsius: filij, quia imitantur. Vnde super illud: *Facti sunt in adiutorium filijs Loth.* Gloss. *filij Loth sunt angeli apostatæ, qui sunt filij declinationis: quia veritatem declinando, in satellitium diaboli discesserunt.* Ex prædicta ergo ratione dicuntur ipsi esse ministri, vel filij propter imitationem. Ex alia ergo ratione dicentur esse membra, si sunt membra ipsius. Quod autem sint membra, patet per hoc, quod ipse dicitur caput eorum: sicut habetur in Abacuc, super illud: *Percussisti caput de domo impij.* Glos. *sicut Ecclesiæ & omnis viri caput est Christus: ita cunctorum dæmonum, qui in hoc seculo dominantur, caput est Beelzebub.* Ex quo accipitur quod dæmones alij sunt membra ipsius diaboli, & ipse caput illorum. Psal. 82. Glossa. Habac. 3. Glossa.

¶ ITEM, super illud: *Videntibus cunctis, præcipitabitur.* Gloss. *æterno iudice terribiliter apparente, astantibus legionibus angelorum, atque electis ad hoc spectaculum deductis, belua crudelis in medium captiua ducetur: & cum corpore suo, id est, cum reprobis omnibus æterni incendiis mancipabitur.* Ex quo accipitur, quod omnes reprobi sunt corpus eius; qui tradentur æterno incendio: sed dæmones in hac generalitate intelliguntur: ergo dicitur esse caput dæmonum, sicut & malorum hominum. Iob 41. Glossa.

¶ Similiter potest haberi ex hoc, quod dicitur: vbi dicitur; *Apprehensa est bestia, & cum eo pseudo Propheta: & qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, & missi sunt viui in stagnum ignis ardentis.* Qui enim sunt illi, qui accipiunt characterem bestiæ, nisi qui imitantur ipsum? hi autem sunt membra eius: *Imitantur illum, qui sunt ex parte illius.* Ergo cum dæmones imitati sint ipsum, & imitentur; & similiter mali homines: & hi, & illi dicentur esse membra ipsius diaboli capitis. Apocal. 19. Sap. 2.

RESOLVTIO.

Vtrorumque profectò caput est: dæmonum quidem imitationis concursu, malorum autem hominum suggestionis consensu.

¶ AD quod dicendum, quod hi & illi dicuntur esse membra, sed differenter in parte. Dæmones n. [illegible] membra eius eo quod ad imitationem ipsius peccauerunt, recedentes à summa æternitate. Vnde dicit Aug. *Habentes electionis fastum pro excellentissima æternitate, astutiã pro certissima veritate, studia partium pro indiuidua charitate, superbi, fallaces inuidi facti sunt.* Mali vero homines dicuntur esse membra eius propter consensum suggestionis, & quia succumbunt eius tentationi. August de ciuit. Dei. lib. 1. c. 11.

¶ AD hoc ergo, quod obijcitur: quod propter hoc dicuntur filij, & non membra. Dicendum est, quod ex alia ratione dicuntur membra, & ex alia ratione dicuntur filij: filij enim dicuntur, quia similia opera faciunt: sicut habetur, Iob. 8. membra vero dicuntur, quia esse deformitatis in voluntate acceperunt, * sed posterius ab ipso. * Alias, secundem.

¶ AD sequens vero similiter dicendum, quod ob aliud dicuntur esse ministri eius, & ob aliud membra: membra enim dicuntur propter prædictam rationem, sed ministri dicuntur, quia eius voluntatem faciunt, vel imperium.

ARTICVLVS IV.

An dæmon ratione cuiuslibet peccati malorum hominum caput dicatur?

QVARTO quæritur: Vtrum diabolus sit caput malorum hominum secundũ omnia peccata. Quod non videtur: non n. peccat quouis genere peccati: ergo ratione cuiuslibet peccati non dicetur esse caput malorum: caput n. prius habet in se, quam det membris.

Psalm. 18. Cassiod. ¶ Præterea, non videtur esse caput ratione omniũ peccatorum: dicitur enim super illud: *Ab occultis meis munda me Domine*, &c. Cassiod. *Occulta sunt originalia, vel etiam quæ secreta voluntate oriuntur: aliena sunt, quæ suadentibus vel malis hominibus, vel diabolo, fiunt.* Ergo non omnia peccata fiunt, suadente diabolo: sed ratione suasionis siue suggestionis dicebatur esse caput: ergo non est caput malorum ratione quorumlibet peccatorum.

¶ CONTRA, omnibus reprobis præest ad mouendum: & in hac ratione caput se habet ad membra in quolibet peccato: ergo diabolus est caput quorumlibet malorum in quibuslibet peccatis.

RESOLVTIO.

Vtique ratione præeminentiæ in malo; sed minimè suggestione aut imitatione.

¶ AD quod dicendum, quod esse caput malorum, potest esse dupliciter. Vel ratione præeminentiæ in malo: vel ratione suggestionis mali, cui præbetur consensus. Ratione prima potest dici caput omnium malorum in quolibet peccato: in omni enim peccato mortali efficitur peccator subditus diabolo, & quo ad hoc potest dici caput: non tamen dicetur esse caput omnium malorum in omni genere peccati per suggestionem, siue imitationem. Per imitationẽ non dicetur esse caput in omni genere peccati, eo quod non omni genere peccati peccat. Per suggestionem non dicetur esse caput vniuersaliter: quia non omne peccatum in homine procedit per suggestionem eius, sicut dictum est supra à Cassiodoro. (In opponendo.) Et licet diabolus suggerat aliquod genus peccati, homo tamen propter hoc non peccat illo genere peccati, sed suo proprio motu. Nec sic dicetur diabolus esse caput per suggestionem in illo genere peccati: licet dicatur esse caput, eo quod peccator facit illud, quod vult diabolus, & prius volebat ipsum velle.

ARTICVLVS V.

Quid vniat malos membra cum diabolo capite?

QVINTO quæritur, quid sit vnitiuum membrorum cum capite diabolo? Et videtur, quod non sit ibi vnitiuum ex cõparatione capitis in bono, & membrorum in bono: vnitiuum n. ex illa parte est charitas, quæ vna est in capite & membris, sed hic nihil vnum est in capite & mẽbris. Nam si dicatur quod hoc est peccatum, non videtur: peccatum enim est causa diuisionis, sicut habetur. Esai. 59. (Esai. 59.) se[illegible]od est causa diuisionis non est causa vnitatis: ergo peccatum non est vnitiuum capitis & membrorum malorum.

¶ Si fortè diceretur, quod peccatum ab alio diuidit, & cum alio vnit: diuidit enim à Deo, & vnit cum diabolo. Contra hoc sic: quodlibet peccatum mortale diuidit à Deo: & ad hoc tendit; & non est vnum principium malorum, sicut dicitur vnum bonorum: ergo ex ratione peccati non prouenit vnio: non ergo videtur aliquid esse vnitiuum capitis & membrorum.

1 Cor. 12. ¶ Præterea, ex parte bonorum dicitur esse vnum vnitiuum, quia vna vita, & vnus spiritus: sicut habetur; *In vno spiritu omnes in vnum corpus baptizati sumus.* Sed non sic est ex parte malorum, non n. vnus spiritus est cõmunis diabolo membris eius: non ergo sic dicetur esse vnitiuum ex parte malorum, sicut ex parte bonorum.

August. de ciu. Dei. lib. 14. cap. vlt. ¶ CONTRA Aug. *Duæ sunt ciuitates, Hierusalem & Babylonis*: sed ciuitatem Dei facit amor Dei cum contemptu sui: ergo per oppositum ciuitatem Babylonis facit amor sui cum contemptu Dei. Sed amor Dei est vnitiuum in corpore bonorum: ergo per oppositum amor sui erit vnitiuum in corpore malorum.

¶ Præterea, per gratiam fit homo ciuis sursum, per gratiæ priuationem fit homo ciuis deorsum, (est enim ciuitas sursum, Hierusalem, ciuitas deorsum Babylonis) sicut ergo per gratiam vniuntur membra in bono: ita per priuationem gratiæ vniuntur membra in malo.

RESOLVTIO.

Peccatum mortale, vel amor sui?

¶ AD quod dicẽdum, quod vnitiuum capitis & membrorum malorum est ipsum peccatum mortale: ratione cuius est conuenientia in deformitate voluntatis. Et si quæratur in his, quæ vtuntur lib. arbit. dicetur vnitiuum amor sui.

¶ AD obiectũ vero ex altera parte dicendum est, quod licet peccatum mortale diuidat à Deo; tamen conformat diabolo, & quo ad hoc quod cõformat diabolo, dicitur esse vnitiuum. Nec refert, si non sit similiter vnum principium malorum, sicut vnum est bonorum: licet n. naturaliter non sit vnum principium malorum, sicut dixerunt Manichæi: nihilominus est vnum principium malorum, ante quod non est malum, & ad quod quodammodo ordinantur.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod nõ est vnus spiritus, à quo procedat vnitas ex parte malorum, sicut est ex parte bonorum. Dicendum est, quod licet non sit vnus spiritus ex parte malorum, sicut ex parte bonorum: nihilominus tamen est vnio capitis & membrorum malorum propter vnionem voluntatis: conformat enim membrum se capiti insequendo voluntatem ipsius. Et sicut dicitur, qui adhæret Deo, vnus spiritus est propter vnitatem voluntatis: ita potest dici, qui adhæret diabolo, vnus spiritus dicitur cum eo propter vnitatem voluntatis. Hæc enim vnitas significatur in Gen. 34. vbi dicitur, quod conglutinata est anima eius cum ea. (Genes. 34.) Sichem n. signat diabolum. Dina vero signat animam peccatricem.

¶ SED iterum obijcitur, nonne completio peccati est in auersione? (Obiectio.) ergo ex parte auersionis à Deo magis debet sumi ratio vnitionis: quam ex parte conuersionis ad inferius, quod est per amorem sui. Ad quod dicendum, quod magis debet sumi ratio vnitionis ex parte conuersionis; quia auersionis causa est conuersio. Vnde à conuersione tanquam ab eo, quod est principium peccati, conuenienter sumitur ratio vnitionis: illud autem est amor sui inordinatus. Nihilominus tamen auersio generalius est propter rationem originalis peccati, in quo est auersio ab incommutabili bono, & non est conuersio: sed conuertibilitas siue concupiscibilitas. Vnde etiam ex illa parte potest sumi generalius ratio vnitiui.

ARTICVLVS VI.

An membrum Christi, diaboli membrum fieri possit?

SEXTO quæritur; Vtrum membrum Christi possit fieri membrum diaboli. (Ephes. 4. Glos. ordinar. & est Aug.) Videtur, quod non per hoc, quod dicitur super illud: *Vnum corpus, vnus spiritus.* Gloss. *Sicut humani corporis membrum præcisum formam quidem, quæ cognoscitur, retinet: sed nequaquam spiritus sequitur; quo præter vnitatem viuat: sic quicunque à prædicta pacis vnitate diuisus est, Sacramentum quidem tanquam formam ret[illegible], sed spiritu præter vnitatem non viuit.* Ex hac similitudine sic arguitur: membrum materiale quamdiu retinet formam, quam habuit in corpore, in quo abscissum est, non potest fieri membrum alterius corporis: ergo membrum spirituale similiter, quamdiu retinet formam corporis Ecclesiæ siue corporis Christi, non potest fieri membrum diaboli: sed postquam semel baptizatus est, semper retinet formam Sacramenti: ergo non potest fieri membrum diaboli, licet cadat in mortale peccatum. ¶ Sed contrarium apparet, quia de iustis quotidie fiunt peccatores; ergo de membris Christi fiunt membra diaboli.

***

RESOLVTIO.

Et quidem: verum secundum alteram tantum formarum s. gratia gratum facientis.

¶ Ad quod dicendum, quod non est simile de membro materiali, & spirituali omnino: membrum enim spirituale Christi duplicem habet formam scilicet sacramenti baptismalis, & illa indelebilis est scilicet characteris: & habet formam gratiæ gratumfacientis, & illa delebilis est: & eam cadit per peccatum de membro Christi fit membrũ diaboli, manente etiam forma præcedente. Membrum vero materiale non ita habet duplicem formam, sed alio modo: habet enim formam, secundum quam ordinatur ad vitam: & habet formam, secundum quam potest operari, siue secundum quam ordinatur ad actum: & vtraque potest tolli: vna etiam potest tolli sine altera: sed licet illa, quæ ordinatur ad vitam, tollatur; non propter hoc statim efficitur membrum alterius corporis: & ideo quo ad hoc est dissimilitudo.

ARTICVLVS I.

An idem homo simul & Christi, & diaboli membrum esse possit?

SEPTIMO quæritur, Vtrum idem homo possit simul esse membrum Christi, & membrum diaboli. Quod videtur; quia mali, qui sunt membra diaboli, dicuntur esse in ecclesia, quæ est corpus Christi: sicut habetur sup illud. *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare: & ex omni genere piscium congreganti.* Glo. *Ecclesia inter cælum & infernum indistincte bonos & malos colligit.* Et Ioannis. 21. vbi fit sermo de piscatione Petri Glo. *Alia fuit piscatio Christi hic: alia post resurrectionem. Hic enim boni & mali capti sunt, sicut nunc habet ecclesia: ibi vero impleta resurrectione mortuorum, boni in ecclesia erunt in æternum.* Ex quo videtur, quod mali qui sunt membra diaboli, sint in corpore ecclesiæ: & ita videntur esse membra Christi.

Matth. 13. Glossa.

Ioann. 21. Glossa.

¶ Contra, amor sui cum contemptu Dei facit membrum diaboli: amor Christi cum contemptu sui facit membrum Christi: sed hi duo amores opponuntur, & simul stare non possunt: ergo simul non potest aliquis esse membrum Christi, & membrum diaboli.

RESOLVTIO.

Neutiquam Christi, sed bene ecclesiæ: nec dum simpliciter, sed tantum secundum quid.

¶ Ad quod dicendum, quod aliud, est dici membrum ecclesiæ: aliud dici membrum Christi. Membrum enim Christi proprie est per charitatem; membrum vero ecclesiæ per fidem. Est enim ecclesia congregatio fidelium: fideles autem dicuntur, qui fidei sacramentum susceperunt. Membrum autem ecclesiæ dicitur duobus modis, vel merito, vel numero: merito dicitur simpliciter, numero secundum quid. Per fidem enim formatam est membrum ecclesiæ merito: & sic quod est membrum Christi: & econuerso. Membrum ecclesiæ numero, est per sacramentum fidei: huiusmodi aũt membra non sunt in corpore ecclesiæ, vt ibi remaneant, si obdurentur in peccato: sed tanquam mali humores, vt inde expellantur. Vnde super illud. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* August. *Sic facti sunt in ecclesia, quomodo mali humores in corpore: qui quando euomuntur, releuatur corpus: sic quando exeunt mali, releuatur ecclesia. Si tamen membra numero fiant membra merito per fidem formatam, vere erunt tanquam membra in corpore.*

1. Ioann. 2. August. in orig.

* * *

ARTICVLVS VIII.

Antichristus quomodo malorum caput & ipse dicatur si eorum, diabolus caput est?

OCTAVO quæritur, quæ sit differentia secundum quod diabolus caput dicitur esse malorum, & antichristus. Videtur enim quod Antichristus non sit caput: nihil enim idem est membrum & caput: sed antichristus membrum est diaboli: non ergo est caput in genere malorum.

¶ Item, in vno corpore est vnum caput, & non plura: sed in corpore malorum caput est diabolus: non ergo est caput antichristus.

¶ Contra. *Ostendens se tanquam sit Deus*: ibi dicit Glo. *Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit: ita in Antichristo plenitudo malitiæ.* Sed ratione huius plenitudinis, quæ est in Christo; dicitur Christus caput bonorum: ergo ratione alterius plenitudinis dicitur Antichristus caput malorum. 2. Thes. 2. Glo. ordin.

Item, super illud. *Qui regnare facit hypocritam.* Glo. *omnium hypocritarum caput Antichristus designatur.* Et. *Interrogate quemlibet de viatoribus.* Glo. *Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput Antichristum verba conuertit.* Iob. 34. Gloss. Iob. 21. Glossa.

RESOLVTIO.

Adhuc & Antichristus malorum caput dicitur: verum caput sub capite, ab alio. s. diabolo habens, quod caput sit.

¶ Ad quod dicendum: quod vterque est caput, sed differenter. Sicut enim Christus secundum diuinitatem dicitur habere ratioñe capitis, & iterum secundum humanitatem: sicut habetur super illud. *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.* Ita suo modo, licet non omnino simili, dicitur diabolus caput: quia fuit primum initium malitiæ; & suo modo influit malitiam suggerendo vel incendendo: sed non conuenit in natura cum hominibus. Antichristus autem, licet non sit initium malitiæ, habet tamen conuenientiam in natura, & quasi plenitudinem malitiæ habebit respectu aliorum hominum: licet non eo modo quo Christus habuit plenitudinem. Christus enim habuit ipsam diuinitatem in se per essentiam: Antichristus vero ipsum diabolum per effectum. Vnde Io. Dam. *Non quod ipse diabolus sit homo secundum * humanitatem: sed homo ex fornicatione generatus suscipiens omnem actum satanæ: præsciens enim Deus iniquitatem eius futuræ voluntatis, concedit in eo habitare diabolum.* Item, Gloss. super illud. *Cum aduentus est secundum operationem satanæ, &c. diabolo instigante & cooperante (qui illum possidebit) totum facit: non tamen sine sensu, vt phrenetici, qui culpam non habent.* Ephes. 1. Damas. l. 8. * Alias, hac manatione. 2. Thes. 2. Gloss. interlin.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur. Dicendum, quod licet Antichristus sit caput malorum: nihilominus tamen potest esse membrum ipsius diaboli principale: eo quod quasi in ipso habitat plenitudo malitiæ, & potentius operabitur ad seductionem.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod licet Antichristus dicatur caput, & diabolus caput: non tamen sunt duo capita, vnum enim est propter alterum: Antichristus enim dicitur caput: quia in eo habitat diabolus per malitiæ plenitudinem: & ita à diabolo habet, quod sit caput.

¶ Sed adhuc quæritur ratione illius differentiæ, si Antichristus sit caput malorum hominum, qui ipsum præcesserunt, cum diabolus non dicatur caput aliquorum præcedentium: quia respectu eorum non habuit rationem dominationis: nec ratione imitationis, quod est respectu exemplaris prius positi (imitatio enim sequitur exemplar) ergo non videtur habere rationem capitis respectu præcedentium. Præterea, si non esset fides Christi, quæ præcessit incarnationem Christi, non diceretur Christus caput respectu antiquorum fidelium, qui Quæstio lateralis.

præcesserunt aduentum eius: sed antichristus nihil tale habet præexistens: ergo non dicetur caput malorum præcedentium.

1. Ioan. 2. Beda. ¶ Contra. *Nunc sunt multi Antichristi.* Beda. *Antichristi sunt omnes hæretici; & qui fidem, quam confitentur, destruunt actibus: & omnes contrarij Christo, qui venturo suo capiti reddunt testimonium.* 1. Ioan. 2. Glossa. Et super illud, *Nouissima hora est*, dicit Glo. *huius nequissimi capitis iam multa membra præmissa sunt, à quibus est cauendum.* Psal. 90. Glossa. Item, super illud, *Quoniam ecce inimici tui Domine.* Glo. *Antichristi membra, quæ modo premuntur metu, in liberam vocem erumpent.* Ergo antichristus est caput malorum, qui præcesserunt.

¶ Respon. Dicendum est, quod antichristus est caput respectu præcedentium, propter hoc quod ministerium iam operatur iniquitatis in suis membris: sicut dicitur in Gloss. Bedæ. 1. Io. 2. Nec dicitur propter hoc caput, quia membra ista accipiant ab ipso: sed propter præeminentiam maliciæ, quæ erit in ipso respectu aliorum hominum: sicut præeminentia maliciæ est in capite ratione originis motuũ. Nec est simile, cum dicitur caput Christus, & antichristus caput. Christus enim dicitur caput in fide ipsorum fideliũ, qui præcesserunt: dicitur etiam caput propter hoc, quod fideles, qui præcesserunt, ianuæ apertionem per ipsum acceperunt. Antichristus vero non dicitur caput, quia in ipsum credant mali, qui præcesserunt; vel quia per ipsum claudatur eis ianua, sed per proprium peccatum: verum sicut (dictum est) dicitur caput ratione præeminentiæ in malicia, & conuenientia in natura.

MEMBRVM VIII.

Angeli primi primum peccatum cur Scriptura non memineat in principio Genesis, sicut aperte secundi meminit. s. quo primos parentes tentauit?

CONSEQVENTER quæritur de peccato primi angeli, quare scriptura non facit mentionem de primo ipsius peccato in principio Gen. sicut facit de secundo, quo scilicet tentauit hominem. Videtur enim quod debuerat fieri mentio de eo, cum ibi fuerit origo peccatorum.

¶ Præterea, scriptura non facit mentionem de isto peccato, nisi sub quibusdam figuris: sicut sub figura Regis Babylon. Isa. 14. & sub figura principis Tyri, in Eze. 18. de peccato autem hominis facit mentionem manifeste. Isa. 14.

RESOLVTIO.

Quia illud sicut istud curare non prædestinaret: sive vt pœna magnitudine hominem deterreret.

Albinus super Genes. AD quod dicendum per hoc, quod dicit Albinus. *Angelicum peccatum silentio in Genesi absconditum est; & hominis patefactum: quia angelicum vulnus Deus non prædestinauit curare: hominis vero vulnus, peccatum scilicet sanare prædestinauit.* Præterea, per magnitudinem pœnæ voluit deterrere hominem: propter peccatum enim vnius punitum est totum genus humanum: propter peccatum vero primi angeli ipse solus punitus est à principio. Vnde eius pœna, quasi à principio fuit præparata, sicut habetur. Esa. 30. *Præparata est enim ab heri Topheth.* i. à conditione mundi. Vnde Aug. *in illa conditione creaturarum præparatus est.* Nihilominus tamen implicite dictum est peccatum illius, cum dictum est, Diuisit Deus lucem à tenebris. Illa enim diuisio designat ipsam pœnam, quæ immediate secuta est ad culpam. Esa. 30. August. Lib de mirabilibus sacræ scripturæ. c. 1.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur. Dicendum est, quod licet peccatum diaboli esset primum: tamen ratione illius non præcessisset morbus, nec secuta esset medicina; cum illud sit irremediabile: Tota autem scriptura alterum istorum declarat: vel quod pertinet ad morbum: vel quod pertinet ad medicinam.

¶ Ad illud vero, quod secundo obijcitur. Dicendum est, quod peccatum hominis manifeste erat dicendum, vt sic expresse sciretur, qualiter initiatus est morbus, vel exortum est vulnus; & sic consequenter conuenientissima adhibeatur medicina ab ipsa summa sapientia: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Ad Rõ. 5. Peccatum vero diaboli sub figuris est velatum: ne propter sui immanitatem homo acciperet exemplum desperationis: attendens enim homo peccatum diaboli non remissum, nec remissibile, posset desperare, idem credendo de suo.

MEMBRVM IX.

An peccato superbiæ in Lucifero inuidiæ peccatum simul annexum fuerit?

NONO quæritur de peccato primi angeli, vtrum illi peccato statim annexum fuerit aliud peccatum scilicet peccatum inuidiæ. Quod non, videtur: supposito enim quod creatus esset homo non simul tempore cum angelo, sed secundum prius & posterius: sicut distinguuntur dies in principio Gen. vt homo in die sexto, angelus vero in principio sit creatus, vel ante omnem diem: secundum hoc si peccauit angelus statim post creationem, sicut videtur ex quibusdam scripturis elici; non erat nisi vnicum eius peccatum superbiæ ex delectatione suæ potestatis: non enim erat tunc creatura rationalis, cui inuideret: respectu enim rei nondum existentis nondum est inuidia: in inuidia autem dicitur esse respectu superioris, vel respectu paris, ne fiat superior. Genes. 1.

¶ Forte, diceretur, quod respectu boni angeli erat inuidia. Sed hoc non conuenit, quia inuidia est respectu illius, qui æstimatur occupare bonum alterius, vel minuere bonum illius: sed hæc æstimatio non fuit respectu boni angeli: bonus enim angelus non occupauit locum Luciferi, sed locum sibi deputatum (vnicuique enim angelo in suo gradu determinatum fuit bonum in suo gradu) nec fuit ista æstimatio, qua minueretur bonum ipsius per bonum alterius angeli: ergo respectu boni angeli non fuit motus inuidiæ.

¶ Præterea, sicut dicit B. Greg. *Boni angeli purgati erant & territi, apostata angelo cadente.* Vnde videtur, quod boni angeli confirmati sint per lapsum ipsorum malorum. Dicit enim B. Greg. *lapsus eos terruit & purgauit: terruit, ne creatorem suum superbi despicerent: purgauit, quod reprobis exeuntibus, actum est, vt electi solum remanerent.* Et iterum, *sancti angeli dum in alijs naturæ suæ damna conspiciunt, in seipsis cautius robustiusque consistunt.* Ex quibus videtur, quod cadentibus malis angelis, boni sint confirmati: ergo primo fuit peccatum, deinde casus, deinde confirmatio. Quod si sic esset, tunc inuidia non esset respectu boni angeli immediate post peccatum superbiæ, quod erat primum peccatum. Gregor. super Iob. 41. Idem. 24. Moral. item ibid.

¶ Item, supposito quod homo simul creatus fuit cum angelo, sicut videtur B. Aug. dicere: non videtur, quod immediate post peccatum superbiæ esset peccatum inuidiæ ei annexum respectu hominis. Inuidia enim respectu superioris, vel paris dicitur, sed non respectu inferioris: ergo cum humana natura esset inferior ipsa angelica, non erat motus inuidiæ in angelo respectu hominis: sed constat, quod respectu alterius creaturæ non fuit inuidia: ergo peccatum inuidiæ non fuit in angelo immediate post peccatum superbiæ. August.

¶ CONTRA Aug. *superbiam sequitur inuidia, tanquã filia & pedissequa: eam enim continue parit: nec vnquam est sine tali prole, atq; comite: quib. duob. malis, superbia scilicet & inuidia, diabolus est diabolus.* Ex hoc arguitur, cũ inuidia sit proles continuo, & comes superbiæ, quod peccauerit immediate peccato inuidiæ. Idem in libro de virginitate.

Item, Ber. *Lucifer ille, qui mane oriebatur, sed propere eleuabatur, antequam reuerteretur in tenebras, generi nostro inuidit.* Sed quid aliud signatur per reuersionem in tenebras, nisi casus eius? ergo peccatum inuidiæ simul fuit cum peccato superbiæ. Bernar. super Cantica.

¶ Adhuc etiam quæritur ratione illius verbi, quo dicitur: quod diabolus his duobus peccatis est diabolus: quid enim aliud est esse diabolum, nisi deorsum fluentem; sed per peccatum superbiæ voluit ascendere; ergo per illud peccatum non fuit deorsum fluens. Præterea, per peccatum inuidiæ non videtur similiter: ergo nec his peccatis diabolus est diabolus. Dubitatio.

¶ Si vero dicatur diabolus id est deorsum fluens per conuersionem indebitam ad mutabile bonum. Secundum hoc per quodlibet peccatum diabolus esset diabolus: non ergo magis per illa peccata, quam per alia.

RESOLVTIO.

Non simul profecto; sed quam primum inde secutum.

¶ Ad quod dicendum: quod licet peccatum inuidiæ non esset simul cum peccato superbiæ: nihilominus cito post secutum est. Si vero quæratur respectu cuius fuit motus ille inuidiæ. Dicendum est, quod respectu hominis, quem existimauit participaturum gloriam, à qua cecidit. Nec fuit motus ille respectu alterius angeli, qui non erat occupaturus locum eius, sed locum proprium. Respectu ergo hominis simul creati, vel post cito creati, fuit ille motus; ne eandem gloriam participaret: vnde suggessit ei illud, per quod cecidit. Vnde August. *Ex transgressione illis deitatem spopondit, à qua ipse, dum affectatur, deiectus est.* August. in Quæst. veteris test.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod homo sexto die creatus fuit: & ita non statim post primum peccatum superbiuit. Dicendum est, quod hoc verum esset, si non intercidisset morula inter conditionem ipsius angeli, & lapsum ipsius: sed quia fuit morula aliqua, sicut dicit Magister in Lib. Sent. ideo potuit esse, quod creato homine, fuit ille motus inuidiæ. Si vero simul creatus fuit homo, sicut videtur August. consentire: secundum hoc statim post fuit peccatum ipsius inuidiæ; & hoc modo videtur illa autoritas August. sentire, cum dicitur: *quod superbia inuidiam continuo parit.* Mag. Sent. Aug. in lib. de virginit.

¶ Ad illud vero, quod in eadem autoritate dicitur: quod inuidia est comes: non intelligendum est, quod à principio simul fuit inuidia cum superbia; vt quam cito peccauit peccato superbiæ, peccauit peccato inuidiæ: sed sicut pedissequa dicitur dominam suam comitari, cum eam sequitur immediate: sic inuidia comes est superbiæ: & quia nullum aliud peccatum immediate secutum est, ideo bene dicitur superbia continuo parere inuidiam: non quia non possit intercidere tempus inter instans, quo peccauit peccato superbiæ, & instans quo peccauit peccato inuidiæ.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quod nõ debebat esse motus inuidiæ respectu hominis: quia homo erat inferior creatura. Dicendum est, per hoc, quod dicit Aug. quia inuidia non tantum est respectu superioris, qui excellit: sed etiam respectu paris, ne excellat, & inferioris ne æquetur. Quantum ergo ad duas differentias poterat esse motus inuidiæ: par enim erat quo ad hoc, quod participaturus erat eandem gloriam, quam participaturus esset ipse, si stetisset: inferior vero ratione naturæ corporalis vel spiritualis, inquantum vnibilis erat, vel vnita corporali. Si vero peccatum inuidiæ ipsius fuit post casum, sicut videtur August. dicere, his verbis: *Propter excellentiam delectatus sua potestate, tumuit superbia; propter quam cecidit ab * altitudine spiritualis paradisi, & inuidia contabuit &c.* tunc potuit esse motus inuidiæ ratione status sui, & respectu superioris: quia iste iam lapsus erat, homo vero adhuc stetit. Hoc Idem videtur dicere: *Prouidit, quia ad accusationem eius factus est homo: vnde sua subtilitate id egit, vt in eandem præuaricationem, in qua ipse ruit, induceret: vt accusatorem participem suæ damnationis efficeret.* Vnde ex hoc præsumitur, quod prius peccauit, & post damnatus est, & damnatus inuidit. Aug. super Gen. ad lit. Idem 11. super Genes. * Alias, beatitudine. Idem in Quæst. veteris test.

¶ Ad illud vero, quod primo obiicitur per autoritatem August. quod in his duobus peccatis factus est diabolus: videtur ratio esse, quia angelus habebat creatorem suum supra se, & creaturam rationalem iuxta se: primo ergo mouebatur inordinate respectu illius, qui erat supra se: deinde inordinate respectu illius, qui erat iuxta se: nec erat vlterior differentia intellectualis naturæ, respectu cuius moueretur inordinate: & propter hoc his duobus generibus peccatorum factus est diabolus. Sicut enim homo fit deiformis vel angelus per dilectionem Dei & proximi, Dei supra se, proximi iuxta se: sic fit difformis vel dissimilis Deo per superbiam, vel inuidiam; vt superbia opponatur debito ordini quo ad Deum: inuidia debito ordini quo ad proximum: Deorsum autem fluens dicitur & per culpam & per pœnam.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur in contrarium, dicendum est, quod licet per superbiam vellet ascendere: nihilominus tamen ille ascensus fuit casus: & ita sic ascendendo, deorsum fluxit: *Ante ruinam exaltatur cor.* Immo ipsa exaltatio indebita est ruina. Similiter dicendum est de motu inuidiæ: & licet peccet aliis generibus peccatorum, tamen non fuerunt prima peccata ab ipso inuenta: & ideo his dicitur ipse potius diabolus, quam aliis. Prou. 16.

MEMBRVM X.

An quodlibet peccati genus dæmonibus ipsis conuenire possit?

Decimo quæritur, quæ sint peccata diaboli secundum seipsum, id est, quæ peccata conueniunt spirituali naturæ, & quæ non. Videtur, quod non tantum peccata superbiæ & inuidiæ sint secundum se peccata ipsius diaboli, immo etiam peccata, quæ ab his nascuntur: sicut inobedientia, quæ nascitur ex superbia; & præsumptio vel odium, quod nascitur ex inuidia.

¶ Præterea, accidia, & ira, & cupiditas spiritualia peccata sunt; sicut dicit B. Gregor. Si ergo sunt spiritualia peccata, possunt conuenire ipsis spiritibus secundum se: ergo dicentur peccata diaboli, sicut peccatum superbiæ, vel inuidiæ. Gregor.

¶ Præterea, suasor est & suggestor omnium peccatorum: & sic suadendo quodcunq; peccatum, efficitur peccator: ergo quodlibet peccatum dicetur esse peccatum diaboli.

Contra, Augustinus: *Et si diabolus fornicator, vel ebriosus, vel si quid huiuscemodi mali est, quod ad carnis pertinet voluptatem; non potest dici, cum sit etiam talium peccatorum suasor & instigator occultus: est tamen superbus & inuidus, quæ illum vitiositas sic obtinuit, vt propter has esset in carceribus huius caliginosi aeris æterno supplicio destinatus.* Ergo illa duo videntur specialiter esse peccatum diaboli: carnalia vero peccata & his similia non peccata diaboli, sed peccata hominis. Aug. in 14. de ciu. Dei ca. 3. à medio.

RESOLVTIO.

Duo tantum per se & proprie superbia scilicet & inuidia: si qua vero alia conuenire videbuntur, nec ita proprie aut per se conuenire æstimanda sunt.

¶ Ad quod dicendum, quod hæc duo dicuntur specialiter peccata diaboli: de his enim habetur in sacra scriptura expressum, videlicet Esa. 14. de superbia ipsius: & Sap. 2. de inuidia, vbi dicitur: *Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum*: hæc enim præcesserunt peccatum hominis; recte ergo dicuntur peccata diaboli. Esa. 14. Sap. 2.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de nascentibus ex superbia & inuidia. Dicendum est, quod de generibus peccatorum intelligitur: per genera vero intelliguntur ea, quę ex ipsis generibus nascuntur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de ira & accidia, dicendum, quod licet ira posset conuenire diabolo: magis tamen conuenit spirituali naturæ vnitæ corporali: appetere enim vindictam proprie est propter irrogationem iniuriæ: irrogatio vero iniuriæ per se fit creaturæ humanæ, nõ creaturæ angelicę: nihilominus tamen quia diabolus existimat sibi iniuriam fieri, cum eripitur ab eo peccator, quem existimat possessionem suam, incidit in peccatũ iræ, appetẽdo vindictam: *Descendit ad nos diabolus habens iram magnam.* Peccatum vero accidiæ, quod dicitur peccatum tristitiæ, ex diuersis causis oriri potest: & propter hoc quia vna est propria spiritualis naturæ secundum se ipsam, altera vero ipsius spiritualis naturæ, inquantum coniungitur corporali; dicitur commune peccatum angelo

& homi-

& homini. Creatura enim spiritualis per seipsam tristatur ex æstimatione tristabilis spiritualis: coniuncta ex complexione corporis, cui coniuncta est quandoque tristatur. Cupiditas vero, & si sit spirituale peccatum; prout est rerum temporalium, est ipsius hominis. Recte ergo superbia & inuidia dicuntur esse peccata diaboli: alia vero tria spiritualia, magis propria ipsius animæ rationalis.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod diabolus est suasor siue suggestor omnium peccatorum. Dicendum est, quod non propter hoc quodlibet peccatum dicitur diaboli per inhærentiam, sed per causalitatem in hoc genere causæ: non quod omne peccatum fiat suggestione diaboli: sed fit omne peccatum hominis, vel suggestione diaboli vel proprio defectu.

Obiectio. August. cõtra Faustum.

¶ Adhuc obijci potest: videtur enim Aug. dicere contra Faustum, quod fallacia & superbia sunt principalia vitia diaboli: dicit enim. *Non mirum est, si præuaricatores angeli, quorum duo maxima sunt vitia, superbia, & fallacia, per hunc aerem volitant: quod vni vero Deo nouerint deberi, hoc sibi à suis cultoribus exegerunt.* Ex quo accipitur, quod hæc sunt principalia peccata, non superbia & inuidia, Ad quod respondendum, quod aliter & aliter dicuntur illa principalia siue maxima, & ista. Superbia enim & inuidia dicuntur maxima siue principalia pctã propter primam oppositionem ad duplicem ordinem debitum, respectu Dei & respectu proximi. Fallacia autem & superbia dicunt esse maxima peccata & principalia in tentando hominem, vt dupliciter cadat homo, quo ad intellectum per fallaciam, quo ad effectum per superbiam. Sic ergo aliter & aliter dicuntur illa maxima & ista.

MEMBRVM XI.

An Lucifer illico creatus peccauit?

VNDECIMO quæritur, Vtrum statim post instans conditionis peccauit. Quod videtur, dicitur 1. Ioann. 3. Ab initio diabolus peccat. Sed constat quod hoc non fuit in eodem instanti: in quo fuit conditus (sicut supra ostensum est) ergo ab initio dicitur id est statim post initium: ergo statim post initium suæ conditionis peccauit.

Memb. 9. huius e qõ in respon. ad primũ. August. 11. super Gene.

¶ Item, August. *Factus, continuo se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus.*

Ioann. 8. August. 11. super Genes.

¶ Item, *Ab initio in veritate non stetit*: sed (sicut videtur August. innuere) ab initio suæ conditionis in veritate non stetit: sed quid est ab initio, nisi post initium immediate? Hoc etiam patet per hoc, quod sequitur, Non dixit dñs, à veritate alienus fuit: sed in veritate non stetit: vbi à veritate lapsum intelligi voluit.

Isidorus in li. de summo bono cap. 10. Ezech. 28.

¶ Item, Isid. *Mox vt factus est, erupit in superbiam.* Ex his videtur, quod statim post initium peccauit. Hoc etiam videtur, cum enim Lucifer creatus fuerit perfectus: sicut dicitur. *Ambulasti perfectus in viis tuis*: perfecta autem intelligentia cum potest intelligere, nihil deest ei ex parte sua, quin intelligat: & cũ potest velle, nihil deest ei ex parte sua, quin velit: ergo si non statim voluit: aliqua causa fuit, quare non statim voluit. Sed sicut dicit Aug. *nihil ita est in voluntate hominis, sicut ipsa voluntas*: Et B. Ber. *nihil ita liberum est homini, sicut ipsa voluntas*; multo fortius ergo in angelo, vbi est expedita intelligentia.

August. in lib. retractationũ Bern. in li. de libero arbit.

¶ Præterea, habuit cognitionem Dei, qui est supra ipsum; & inferiorum angelorum sub ipso: potuit ergo considerare se esse eminentiorem alijs cæteris: & ex hoc poterat esse motiuum peccati sui: qua ergo ratione postea mouebatur ex huiusmodi consideratione, eadem ratione potuit à principio moueri: ergo secundum hanc rationem statim post principium conditionis peccauit.

Ezech. 28.

¶ Contra. Dicitur. *Ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Sed ambulatio in perfectione non est, nisi aliquantulum perseuerauerit in perfectione: ergo aliquantulum perseuerauit, siue stetit.

Origenes

¶ Item Orige. *Hostis serpens antiquus contrarius est veritati: non tamen à principio, neque statim supra pectus, & ventrem suum ambulauit: sicut Adam & Eua non statim peccauerunt.* Ex quo videtur, quod aliqua morula interposita cecidit.

Homil. 1. in Ezech. aliquantulum ante medium. Genes. 3. Damasc. l. 2. cap. 4.

¶ Præterea, Io. Dama. dicit. *Non natura malus factus, sed bonus existens, & in bono genitus, nequaquam in seipso à conditore malitiæ semitam habens, non ferens illuminationem & honorem, quæ ipsius conditoris largita fuerant bonitate; liberi sui arbitrij electione versus est ex eo, quod secundum naturam, in id quod præter naturam.* Ex quo accipitur, quod non determinatur, vtrum statim ceciderit, vel etiam morula interposita fuerit.

Aug. 11. de ciuit. Dei. Cap. 11.

¶ Præterea, videtur ex verbis August. quod statim post conditionem peccauerit, per oppositum de bonis angelis: dicitur enim de illis ibi, *Simul vt facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantum creati, vt quoquo modo essent, & quoquo modo viuerent: sed etiam illuminati, vt sapienter beateque viuerent: ab illuminatione quidam auersi angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis beataque vitæ.* Ex quo videtur quod sicut boni angeli statim, vt facti sunt, lux facti sunt: ita & angeli, qui postea facti sunt mali, statim facti sunt tenebræ.

RESOLVTIO.

Quidam ilico, quidam morula interposita illum peccasse arbitrantur: quare Problematicus esto.

¶ Ad quod dicendum: quod vtrunque opinando dictum est: non enim ex scriptura alterum illorum est manifestum omnino. Veruntamen secundum opinionem Magistri dicendum est, quod aliqua morula interposita, ceciderunt per peccatum.

Magist. in 2 sent.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium, secundum hoc responderi potest; primo ad id, quod dicitur. *Ab initio diabolus peccat*: sic enim exponit illud August. dicens. *Illud, quod ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, peccasse putandus est: sed ab initio peccati: quia ab ipsius superbia cœpit esse peccatum.*

1. Ioan. 3. Aug. 11. de ciui Dei. Cap 15. circa medium.

¶ Ad illud vero, quod dicit August. est dicendum: quod continuo dicitur auertisse se à luce veritatis; quia non perseuerauit in luce veritatis: vel quia non diu fuit in ea.

August 11. super Genes.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod non stare in veritate, hunc potest habere intellectum: quia non perseuerauit in veritate: & quod dicitur ab initio, intelligendum est, id est post initium. Et hoc videtur per verba August. *In qua veritate si stetisset, eius particeps factus, beatus cum sanctis angelis permaneret.*

Aug. in li. de ciuit. Dei.

¶ Ad illud vero quod dicit Isid. Dicendum est, secundum quod postea subiungit. Fuit in veritate conditus, sed non stando, confestim à veritate est elapsus. Vnde totum refertur ad id, quod dicitur, non stando, id est non perseuerando.

¶ Ad illud etiam, quod deinceps obijcitur. Potest respõderi, quod licet statim velle potuit bonum vel malum; & sufficiens erat voluntas quantum ad alterum illorum: in ipsa tamen voluntate fuit aliquantulum stare, vel non stare: & quia voluntas in huiusmodi non est ratio secundum tempus determinata, ideo non est rationem assignare, propter quam statim peccauerit post instans conditionis, vel non statim. Sicut enim in voluntate hominis est (cum adiutorio tamen gratiæ) aliquandiu stare in bono, & in voluntate eius statim cadere, vel non statim: ita fuit in angelis.

¶ Si vero diceret quis, quod statim post conditionem lapsus est: sicut videntur quædam autoritates designare. Responderi posset, quod illud *Ambulasti perfectus &c.* non est contrarium: non enim aliud designatur, nisi quod perfectio bonitatis naturæ fuit in eo vsque ad lapsum peccati: ambulatio autem illa non est, nisi motus ex eo secundum naturam. Ezech. 28.

¶ Ad illud vero, quod videtur dicere Orige. Dicendum est, quod loquitur de illo peccato, quo diabolus tentauit hominem: quod non ita cito factum fuit. Et hoc potest ex ipsis verbis authoritatis haberi; cum dicitur, Serpens contrarius veritati, & non statim super pectus &c.

pœna

Genes. 3. pœna enim illa, de qua dicitur in Genesi: pectore & ventre repes; ad pœnam illius peccati, quo tentauit hominem primum, referri videtur: quod apparet ex serie illius litteræ.

Quæstio lateralis. ¶ Sed adhuc quæritur, Vtrum peccauerit ante conditionem hominis. Quod videtur per hoc, quod dicit Isidorus: *Prius de cælo cecidit diabolus, quam homo conditus fuit.* Isidor in li. de Summo bono. Sed casus non fuit, nisi post peccatum: ergo prius peccauit, quam homo conditus esset. Præterea, homo conditus fuit sexta die, diuisio autem lucis à tenebris fuit primo die; ergo præcessit peccatum: per tenebras enim signatur peccatum.

Aug. in lib. de virginit. ¶ Contra, dicit Aug. quod statim, postquam superbiuit, inuidit: vnde inuidia ibi fuit comes superbiæ: sed non inuidit nisi rei existenti, & inuidit homini: ergo homo iam fuit: non ergo prius peccauit, quam homo conditus esset. Præterea dicitur: *Ecce Vehemoth, quem feci tecum* &c. sed Iob. 40. si factus fuit simul cum homine, & peccatum facturam eius secutum est: ergo prius erat conditus homo, quam Lucifer peccaret.

Ad quod dicendum, quod secundum sententiam illorum, qui successionem dierum ponebant, prius peccauit Lucifer, quam homo conditus esset: in hac enim sententia erant Hieron. & Gregor. Secundum autem sententiam illorum, qui dicebant omnia simul creata, non tantum in materia, sed etiam in forma: prius erat conditus homo, quã peccaret diabolus: illa autẽ distinctio dierum ad ordinem naturæ rerum, & illuminationis angelicæ refertur.

QVÆSTIO XCIX.
De peccato Minorum angelorum.
In octo Membra diuisa.

D. Thom. 1 par. q. 63. S. Bon in 2. d. 5. Sco. in ibid. dist. 6. per totum. Finito Tractatu de primo peccato angeli, consequenter dicendum est de peccato aliorum angelorum.

¶ Circa quod quæruntur hæc. Primo, quod fuit genus peccati. Secundo, quod fuit motiuum ad peccandum. Tertio, qui erant peccantes, siue de quo ordine. Quarto, vtrum plures peccauerunt, quam steterunt: vel econuerso. Quinto, quo tempore peccauerunt, vtrum simul cum Lucifero, vel post. Sexto, de comparatione peccati ipsorum. Septimo, de irremissibilitate. Octauo, quare non perseuerauerunt, sicut nec Lucifer.

MEMBRVM I.
An minores Angeli eodem peccati genere peccauêre, quo & Lucifer peccauit?

Circa primum sic proceditur. Videtur, quod peccatum eorum non fuerit superbia: sicut enim habetur 2. Senten. minores angeli peccauerunt consentiendo; dicitur Magist. 2. sent. dist. 6. enim: *Lucifer aliis maior non solus cecidit,* sed cùm eo alij multi, qui ei in malitia consenserunt. Peccauerunt ergo peccato consensus: sed peccatum consensus distinguitur à peccato affectionis: superbia vero est peccatum affectionis: ergo non peccauerunt peccato superbiæ.

Hoc idem videtur ratione ostendi: minores enim angeli non habuerunt illam præeminentiam, vt omnibus angelis præferrentur: sed ex isto tanquam inclinatio contigit, quod primus angelus, Lucifer scilicet voluit esse sicut Deus: & in hoc peccauit peccato superbiæ: alij vero angeli, cum non haberent illud motiuum, non illo peccato peccauerunt: eorum enim erat subesse, non superesse: ex consideratione autem eius quod est *subesse* non nascitur superbia.

Apoc. 12. ¶ Item dicitur, quod *draco traxit tertiam partem stellarum*: quid autem fuit iste tractus, nisi per hoc quod consenserũt: ergo peccauerunt peccato consensus.

Hugo de S. Victore. Item dicit Hugo, quod in vna simul malitia consenserunt, omnesq. vnum ordinẽ peruersæ societatis effecerũt.

Iudæ epist. Glossa. ¶ Apparet contrarium per hoc, quod dicitur super illud: *Vinculis æternis* &c. Gloss. *Superbia, & corde impœnitenti peccauerunt.*

Iudæ epist. Glossa. Greg. lib. 2. Moral. Item ibidem, super illud: *Dereliquerunt Deum.* Gloss. *per superbiam.* Greg. *Tanto magis homines ad cælestia ascendere inuident: quanto se à cælestibus per elationis immunditiam proiectos vident.*

Iudæ epist. Glossa. Item ibidem, super illud: *Non seruauerunt suum principatum.* Interlin. *per inobedientiam.* Ergo peccauerunt per inobedientiam: sed inobedientia filia est superbiæ, & ad eam reducitur: ergo peccauerunt peccato superbiæ.

Iudæ epist. Glossa. ¶ Item videtur, quod peccauerunt peccato cupiditatis: dicit enim Gloss. super illud: *Vinculis æternis* &c. *Vincula dicuntur cupiditas infirmarum rerum: quia vincti ad superiora non possunt reuerti.*

2. Petri 2. Glossa. Item videtur, quod peccauerunt peccato præsumptionis. *In tartarum tradit cruciandos.* Gloss. *magnitudine pœnarum territi, à iudicio præsumptionis desistunt.* Ergo prius peccauerunt iudicio præsumptionis.

RESOLVTIO.
Eodem scilicet peccato superbiæ propriam excellentiam affectando. Peccauerunt adhuc & peccato consensus, Luciferi scilicet peccato consentiendo, eumq; imitando.

¶ Respondendum, quod peccauerunt peccato superbiæ: & nihilominus peccauerunt peccato consensus. Appetierunt enim propriam excellentiam, & sic peccauerunt peccato affectionis: consenserũt etiam peccato ipsius Luciferi, imitando ipsum in peccato. Ille autem consensus non ponit propriam speciem peccati, sed ad idem genus reducitur; consensus enim determinatur per imitationem: imitatio autem per illud, in quo fit imitatio.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur; quod peccauerunt peccato inobedientiæ: dicendum est, quod peccatum inobedientiæ non fuit, nisi ex concomitantia: eo enim quod peccauerunt peccato superbiæ, non obedierunt Domino in præcepto debitæ humilitatis: cum essent creaturæ intellectuales, sicut suberant in esse Deo, ita subesse debebant voluntate.

Ad illud etiam, quod opponitur de peccato cupiditatis, dicendum est, quod cupiditas ibi large accipitur: secũdum quod dicitur appetitus inordinatus rei mutabilis: & hoc modo est in peccato superbiæ: nec distinguitur ab ipsa in genere peccati.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quod non peccauerũt peccato superbiæ; quia non habuerunt idem motiuum cũ Lucifero: dicendum est, quod licet non haberẽt idem motiuum omnino: habebant nihilominus idem motiuum siue inclinatiuum in genere: vnde in omnibus amabatur propria excellentia, licet non tanta.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de peccato præsumptionis, dicendum est, quod si loquitur de præsumptione, qua præsumebant efferri super se, siue super debitam mensuram: secundum hoc non destiterunt à peccato præsumptionis, nec desistunt: sicut dicit Isidor. Si vero accipiatur præsumptio impunitatis, secundum hoc terror magnitudinis pœnæ facit desistere à præsumptione.

MEMBRVM II.
An eodem motiuo moti sint minores Angeli ad peccandum, quo & Lucifer motus fuit?

Ansel. in li. de casu diaboli. Secundo quæritur, quod fuit motiuum in peccato minorum angelorum? Dicit Ansel. *quod appetierunt beatitudinem, non seruando iustitiam: & ideo ceciderunt à beatitudine & à iustitia:* ergo idem motiuum fuit ipsius Luciferi, & minorũ angelorum, qui peccauerunt.

¶ Sed cõtrarium videtur, Lucifer motiuũ habuit præeminentiã super oẽs angelos: sed hoc motiuũ nõ poterant habere alij: ergo nõ fuit idẽ motiuum Luciferi, & aliorum.

¶ Præterea, Lucifer voluit esse sicut Deus: sed hoc non legitur de aliis: ergo non fuit idem motiuum in peccato Luciferi & aliorum.

¶ Aliqui dicunt, quod in hoc peccauerunt, quod appetierunt non sibiipsis principatum, sed ipsi: & ita ex quadam dependentia ad ipsum peccauerunt: & ideo ipso cadente, ceciderunt, delectati ex eo quod ipse appetiit. Sed ex quo

scripturæ loco hoc accipiant, non inuenio: in dubijs autem nihil diffiniendum. Forte tamen posset accipi ex illo verbo Io. Dama. vel illo Greg. *Apostata angelus se Deum per superbiam angelicis potestatibus ostentauit: & se super cæteros quasi in potentia diuinitatis exaltauit: concidit cum ipso infinita multitudo eorum, qui sub ipso erant, angelorum.* Sicut enim aliqui inferiores aliquo prælato appetunt bonum prælati sui: (in prælatione enim eius quodammodo & ipsi præferuntur) ita isti, qui sub ipso erant, præferri se existimabant in prælatione ipsius. Gregor.

RESOLVTIO.

De omnibus: cum ad omnes illorum fiat ex hominibus assumptio.

¶ AD quod dicendum secundum Ansel. quod appetierunt beatitudinem, non seruando iustitiam: vnde dicit. Illi angeli qui maluerunt illud plus, quod nondum Deus illis dare volebat: quam stare in iustitia, in qua facti erant: eadem iustitia iudicante, & illud propter quod illam contempserunt, nequaquam obtinuerunt: & quod tenebant bonum, amiserunt. Sic autem appetendo, inordinate appetierunt suam excellentiam: sed ille appetitus excellentiæ inordinatus ex imitatione Luciferi poterat esse: non tamen tantum peccauerunt, quantum ipse: quia appetierunt excellentiam in gradu suo. Idem ergo poterat esse motiuū in genere, sed non idem omnino: sicut enim beatitudo vnum quid est, sed singulis distribuitur secundū gradum siue mensuram: ita inordinatio istius appetitus fuit in quadam mensura: non quod peccarent in hoc quod appetebant beatitudinem, sed in hoc quod non iuste appetierunt. Siue ergo isto modo dicatur, siue illo, quo supra tactum est: non erat æquale peccatum illorum, & Luciferi: sed illo modo diceretur esse idem motiuum non * tantum in genere: isto vero modo idem motiuum in genere, sed non omnino idem. Ansel. * Alias, tamen.

MEMBRVM III.

An de omnibus ordinibus aliqui ceciderint?

TERTIO quæritur. Vtrum de omni ordine angelorum fuerunt aliqui peccantes. Quod videtur: homo enim creatus est ad restaurationem angelicæ ruinæ: sicut dicit Aug. & Ansel. (licet hæc non esset tota ratio) & videtur accipi ex illo verbo in Cantico Deuteur. secundum aliam translationem. *Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei.* Sed aliqui homines restaurabuntur ad ordinem Seraphin, aliqui ad ordinem Cherubin, & ita de alijs: ergo de quolibet ceciderunt aliqui. Si enim aliqui homines ad ordinem Seraphin pertinebunt: multomagis ad ordines inferiores, qui non in tanta claritate Deum contemplantur. Auguft. in Enchi. Ansel. in l. cur Deus homo. Cantic. Deuter.

¶ Item, Hug. *De quolibet ordine ceciderunt, & vnum ordinem contrarium fecerunt: vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* ¶ Si hoc concedatur, quæritur, quare in scriptura sacra non sit mentio, quod aliquis ceciderit de ordine Seraphin, aut de ordine Thronorum: sicut legitur de Cherubin. Ezech. 28. & de Principatibus & Potestatibus, sicut habetur ad Ephe. 6. vbi dicitur. *Non est vobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates.* Hugo de S. vict. Lib. 1. de Sacr. p. 5. cap. 30. Iob. 10. Ezech. 28. Ephes. 6.

RESOLVTIO.

De omnibus: sicut ad omnes de hominibus assumptio fit.

¶ Ad hoc videtur respondendum, quod & si de quolibet ordine ceciderunt aliqui, & aliqui homines restituantur ad quemuis ordinem: tamen de Seraphin & Thronis non fit mentio in scriptura, licet fiat de Cherubin & de alijs: hoc enim videtur esse ratione nominationis, à qua denominantur ordines: Seraphin enim ab incensione charitatis dicuntur: hoc autem non potest esse communis bonis & malis: sed ratione scientiæ communis est bonis & malis. Throni vero ad hoc quod Deus in eis sedeat, & sua iudicia decernat: nec hæc ratio similiter communis est bonis & malis: sed ratio scientiæ communis. Et ideo dictus est Cherub primus angelus, qui cecidit; non propter hoc quod fuit de ordine illorum: sed supremus inter angelos: sicut videntur Sancti & Scriptura dicere. Similiter Principatus & Potestates sunt nominationes, quæ possunt conuenire bonis & malis: eodem modo Virtutes, Archangeli & Angeli. Ex hac ergo ratione scriptura, cum loquitur de malis angelis, designat sub illis denominationibus, quæ sunt communes: non sub nominationibus proprijs, quæ appropriantur ipsis bonis angelis. Nec intelligendum est, quod Principatus & Potestates. ad Ephe. 6. sumantur tantum pro illis, qui fuerunt de illis ordinibus: sed indifferenter illæ nominationes sunt communes.

MEMBRVM IV.

Angelorum qui plures, stantes, an cadentes?

QVARTO quæritur. Vtrum peccauerunt plures, quam steterunt. Ad quod sic. Grego. super illud. *Constituit terminos populorum &c. Dei ciuitas constat ex hominibus & angelis: ad quam tanti conscendunt hominum, quanti ibi remanserunt, angelorum.* Ergo numerus bonorum angelorum, qui steterunt, non est maior quam hominum saluandorum: sed numerus malorum angelorum videtur maior esse: mali enim angeli dantur ad exercitium: ergo cum vnusquisque homo habeat proprium angelum ad exercitium malum, tot erunt mali angeli, quot erunt homines: vel si non tot, videtur excedere numerus malorum Angelorum numerum bonorum: sicut numerus malorum hominum excedit numerum bonorum: ergo plures fuerunt mali angeli quam boni: plures ergo peccauerunt, quam steterunt. Gregor. super Deut. 32.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod maior est facultas lib. arb. ad cadendum, quam ad standum: & hoc apparuit in primo angelo, & in homine primo. Numerus ergo peccantium cum sequatur facilitatem ad malum: & numerus stantium difficultatem ad bonum: maior fuit numerus peccantium, quam in bono permanentium.

¶ CONTRA legitur, quod respondit Hæliseus. *Nolite timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis &c.* Hug. exponit hoc de bonis angelis & malis. Quasi d. plures angeli boni sunt parati nobis ad adiuuandum, quam mali angeli ex parte aduersariorum ad nobis nocendum. Sed constat, quod omnes angeli boni sunt parati ad adiuuandum, & omnes mali ad nocendum (sic enim dicit Hay. *sicut mali angeli parati sunt ad impugnandum, ita boni ad resistendum*) ergo plures fuerunt angeli boni, qui steterunt; quam mali qui ceciderunt. 4. Reg. 6. Hugo de S. Victore. Haymo

RESOLVTIO.

Stantes.

¶ AD quod potest responderi, quod plures steterunt, quam ceciderunt. Nec hoc est contrarium, quod vnusquisque homo habet angelum proprium malum ad exercitium: potest enim idem malus angelus successiue dari pluribus hominibus ad exercitium: qm̄ ex parte hominum est mortalitas: angeli vero sunt immortales. Nec est simile de angelis & hominibus, homines enim propter corruptionem originalis concupiscentiæ, quam habent, proniores sunt ad peccandum, quam ex natura adiuta cum gratia ad faciendum bonum: & ideo plures sunt mali homines, quam boni. Angeli vero in suo primo statu plus ordinati erant ad standum in bono, quam ad peccandum: Vnde congruenter videtur dici, quod plures fuerunt, qui steterunt, quam qui per peccatum ceciderunt.

¶ Ad illud autem, quod dicitur, quod libe. arbit. de se est vertibile in malum, sed non in bonum, nisi per gratiam: & ita maior sit facilitas ad malum quam ad bonum. Dicendum est, quod in primo statu maior fuit facilitas ad bonum: nec deesset gratia, si adesset voluntas; maior fuit inclinatio ad bonum, quam ad malum: & ideo non est mirum, si plures steterunt in bono, quam peccauerunt.

* * *

MEMBRVM V.

An minores angeli vnà cum Lucifero peccauerunt?

QVINTO quæritur, quo tempore peccauerunt, Vtrum simul cum Lucifero, vel post. Et videtur, quod simul cum Lucifero peccauerunt, per hoc quod dicit Ioan. Damasc. *Simul cum illo euulsa est, & secuta est; & concidit cum ipso infinita multitudo* &c. Damasc.

¶ Præterea, qua ratione primus angelus delectationem habuit in sua præeminentia: ea ratione inferiores angeli in suo gradu præeminentiæ: sicut ergo primus angelus mouebatur ad elationem: ita & alij & in eodem tempore moueri poterant.

Aug. ad Orof. in q. 18. ¶ Præterea, videtur ex verbis Augustini: *Omnes angeli æquales creati sunt, sed cadentibus per superbiam quibusdam, cæteri Domino pia obedientia cohæserunt.* Ex quo videtur, quod simul ceciderunt: & ita sicut fuit simultas in pœna, quod etiam fuerit simultas in culpa.

¶ Præterea, si prius peccasset Lucifer; ex peccato autem secuta fuisset deformitas: tunc alij vidissent eum deformatum, & ita non ei consensissent: cum ergo ei consenserunt, habuit claritatem, propter quam eis præeminebat. Ergo non secundum prius & posterius peccauerunt: immo simul cum ipso Lucifero: vt sicut prius erant simul claritates spirituales: ita consequenter essent simul deformitates.

¶ CONTRARIVM videtur per hoc, quod ipsi peccauerunt per consensum: consensus autem est respectu rei prius existentis; maxime in huiusmodi, vbi non præcedit dispositio, aut consilium: ergo peccatum ipsius Luciferi præcessit peccatum minorum angelorum.

¶ Præterea, si simul peccassent, & eodem genere peccati, non magis attribueretur vni, quam alteri; sed magis attribuitur Lucifero, quam aliis: (dicitur enim, quod traxit secum tertiam partem stellarum, id est magnam partem angelorum) ergo peccatum Luciferi præcessit peccatum aliorum angelorum.

RESOLVTIO.

Sunt qui vna cum illo eos peccasse arbitrantur: sunt item qui illico post illum id fecisse contendunt; tu elice, & tuere.

¶ AD quod dicendum secundum opinionem Præpositiui, quod quam cito Lucifer peccauit, alij cognouerunt peccatum eius: sicut quam cito fit coruscatio in oriente, tam cito apparet in occidente: & nihilominus est ibi aliqua distantia, sed imperceptibilis: & quam cito perceperunt eius voluntatem, subito ei consenserunt. Aliis autem videtur, quod simul peccauerunt: quod præsumunt ex hoc, quod simul ceciderunt: quod notatur ex scriptura, quæ non distinguit, vt cum dicitur: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni in tartarum tradidit cruciandos.* Item videtur illud ex comparatione bonorum: sicut enim de bonis angelis dicitur, quod simul steterunt: ita videtur de malis, quod simul ceciderunt. Vnde dicit B. Gregorius: *Istis cadentibus, illis datum est in munere, vt omnino non possint cadere.* 2. Petr. 2. Gregor.

¶ Si ergo dicatur, quod simul peccauerunt, potest responderi his, quæ obiecta sunt in contrarium.

¶ Ad primum de consensu, dicendum est; quod consensus potest esse in rem prius existentem, vel in rem futuram, vel in rem præsentem: in angelis vero non est necessaria dispositio præcedens, vel consilium, vel conuersio ad vnum.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod & si simul peccauerunt, non tamen par erat peccatum: sicut nec par erat appetitus, siue delectatio: respectu enim vnius & eiusdem rei possunt diuersi differenter moueri, secundum magis & minus.

MEMBRVM VI.

Angelorum minorum, an Luciferi peccatum maius fuerit?

SEXTO quæritur de comparatione peccati primi angeli & aliorum. Videtur enim quod maius fuerit peccatum Luciferi, quam peccatum aliorum angelorum, per hoc quod dicitur in Psal. 103. super illud: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* &c. Gloss. *qui cæteris in esse erat excellentior, factus est in malitia maior.* Psalm. 103. Glos. ordin.

¶ Præterea, quanto maior fuerit claritas ipsius: tanto maius fuit peccatum; cum ab illa claritate cecidit: ergo maius fuit peccatum ipsius quam aliorum.

¶ CONTRA, videtur quod maius fuerit peccatum aliorum; eo quod consenserunt in hoc, quod ipse esset princeps eorum, & non alius: Lucifer vero peccauit in hoc, quod voluit præesse, & non subesse: vnde singulariter voluit præesse: vnde Iob 32. vbi loquitur de præsumptione, qua aliquis vult singulariter videri. Gregor. Hæc species quarta vicinius proximat diabolo, quod præesse voluit angelis: ob hoc Dominus discipulos arguit, ne de singularitate miraculorum gauderent, dicens: *Videbam satanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* Ex hoc videtur, quod Lucifer voluit singulariter præesse: & illi inferiores appetebant hoc ei, qui non tantum mouebantur, quantum ipse: ergo plus peccabant illud appetendo. Iob 32. Gregor.

RESOLVTIO.

Luciferi: quandoquidem & maior libido in eius appetitu fuit, & ad nullius exemplar peccauit.

¶ AD quod dicendum, quod maius fuit peccatum Luciferi, quam aliorum; quia libido in appetitu erat maior: nec habuit ante se exemplar aliquod: ad nullius enim peccantis imitationem peccauit, sed inuentor peccati fuit, sicut dicit Isidorus. Non sic autem fuit de aliis, qui ex consideratione ipsius ad eius imitationem peccauerunt.

¶ Ad illud vero, quod obiectum est in contrarium, dicendum est, quod licet maior fuerit claritas in eo siue eminentia; vnde occasionem peccati sumpsit: tamen non ex hoc minuitur eius peccatum, sed magis augetur: bonitas enim naturalium non minuit peccatum, sed infirmitas: vnde cum in eo nulla esset infirmitas naturæ, vnde minueretur peccatum, non ex hac consideratione in eo peccatum minuebatur.

MEMBRVM VII.

An peccatum minorum angelorum irremediabile fuerit?

SEPTIMO quæritur, vtrum peccatum ipsorum fuerit irremediabile. Quod non, videtur per hoc, quod dicit Augustinus: *Irremediabili vindicta angelus summus percussus est: & ideo surgere non potuit, qui à sublimissimo statu sui ordinis cecidit.* Sed minores angeli à sublimissimo statu non ceciderunt: ergo per hanc rationem surgere potuerunt. Aug. in lib. de mirabilib. sacræ scripturæ.

¶ Item, peccatum hominis dicitur remissibile, quia peccauit alio mouente, siue suggerente: sed minores angeli peccauerunt, Lucifero mouente eos ad peccatum siue ad peccandum (quod patet; vnde: *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum secum.* Gloss. *Allexit alios ad amorem terrenorum*) ergo peccatum eorum fuerit remissibile. Apoc. 12. Glossa.

¶ CONTRA, Gregorius: *Homo venialiter peccauit, quia caro: angelus vero irremediabiliter, quia spiritus.* Sed hoc fuit commune Lucifero & aliis: ergo omnes irremediabiliter peccauerunt. Gregor.

¶ Præterea, statim post peccatum cecidit: hoc autem quod est angelo casus, hoc est homini mors: sed post mortem peccatum hominis est irremediabile: ergo angelorum peccatum post casum est irremediabile.

Ansel. de casu diab. ¶ Item Anselmus: *Tunc conditione naturæ non poterant habere iustitiam ex ipsa natura: nunc merito culpæ non debent habere.* Nullo ergo modo possunt à se habere iustitiam, quia nec antequam eam acciperent, nec postquam deseruerunt. Sed si non potuerunt habere iustitiam, nec possunt, peccatum eorum est irremediabile: ergo &c.

Ansel. in li. cur Deus homo. ¶ Item, Anselmus ostendit, quod peccatum eorum est irremediabile, dicens: Sicut homo non potuit reconciliari nisi per hominem Deum, qui mori posset: per cuius iustitiam Deo restitueretur, quod per peccatum hominis perdiderat: ita angeli damnati saluari non possunt, nisi per angelum Deum, qui mori possit; & qui per suam iustitiam Deo reparet, quod aliorum peccata abstulerunt. Et sicut homo per alium hominem, qui non esset eiusdem generis, quamuis esset eiusdem naturæ, non debuit releuari: ita nullus angelus per alium angelum saluari debet: quamuis omnes sint vnius naturæ: quoniam non sunt vnius generis, sicut homines: non enim omnes sic angeli de vno angelo, quemadmodum omnes homines de vno homine.

¶ Hoc etiam remouet eorum restaurationem: quia sicut ceciderunt nullo alio mouente, vt caderent: ita nullo alio adiuuante, surgere debent: quod est illis impossibile. Quapropter, si quis opinatur Saluatoris nostri redemptionem vsque ad illos debere extendi; rationabiliter conuincitur: quia irrationabiliter decipitur: non quia pretium mortis eius omnium hominum & angelorum peccatis sua magnitudine non præualeat: sed quoniam perditorum angelorum reuelationi immutabilis ratio repugnat.

Aug. in Enchirid. c. 29 ¶ Item Augustinus: *Placuit vniuersitatis creatori atq; moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat; ea, quæ perierat, in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo, illa deserente perstiterat; de sua certissime cognita felicitate semper secura gauderet. Alia vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat; quoniam in peccatis atq; suppliciis & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata; quod angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret.* Ex quo accipitur, quod quia tota humana natura, quantum est de se, perierat; reparanda fuit per gratiam mediatoris, ne aliqua creatura tota periret: & ita peccatum eius esse remediabile. Quia vero angelica natura non tota periciat, sed ex parte, & proprio suo motu, peccatum ipsorum cadentium esset irremediabile.

RESOLVTIO.

Si Luciferi peccatum, cui consensere, irremediabile fuit, & eorum irremediabile esse debuit.

¶ Ad quod dicendum, quod sicut peccatum Luciferi fuit irremissibile & irremediabile: ita & peccatum aliorum angelorum malorum: sicut supradictæ rationes ostendunt.

¶ Ad illud vero, quod óbiicitur primo in contrarium, dicendum est, quod licet non de sublimissimo statu alij angeli non ceciderunt, ceciderunt tamen de sublimi statu in ordine creaturæ intellectualis: ille enim est status, qui plus Deo approximauit naturaliter, & inde cadentes, à tali statu irremissibiliter ceciderunt.

¶ Ad secundum vero dicendũ, quod peccare alio mouente, dicitur duobus modis: Vel quod accipiatur exemplar peccati ab alio, vel motiuum peccati: & sine sic, siue sic, non est ratio remissibilitatis peccati. Vel dicitur peccare quis alio mouente, id est suggerente: & sic peccauit homo, suggerente diabolo: & hæc est vnaratio, quia peccatum hominis dicitur remissibile: sed illi moti fuerunt ad appetendum illud, quod non debuerunt appetere: quia viderunt, quod Lucifer illud appetiit: vnde exemplum peccati, vel motiuum ad peccandum ab ipso acceperunt.

* *
*

MEMBRVM VIII.

Angeli cadentes Lucifero scilicet cohærentes, quare in bono innocentiæ non perseuerauerunt?

OCTAVO quæritur, quare angeli, qui ceciderunt, non perseuerauerunt in bono innocentiæ? Supposito enim, quod habuerunt gratiam gratum facientem; cum gratia gratum faciens non sit sine omnibus virtutibus; ergo habuerunt virtutem perseuerantiæ: si ergo habuerunt virtutem perseuerantiæ, quare non perseuerauerunt? Si vero non habuerunt gratiam gratum facientem à principio, sed habuerunt iustitiam, id est rectitudinem naturalem, sicut dicit Anselmus: cum maior esset inclinatio lib. arbitr. in eis ad bonum, quam ad malum (ad malum enim nulla erat inclinatio, ad bonum vero ex rectitudine naturali erat inclinatio) ergo potius debebant stare, quam cadere; sed si stetissent, perseuerantiam habuissent: ergo magis ordinati erant ad perseuerantiam, quare non perseuerauerunt? Ansel.

¶ Item: *Quid habes, quod non accepisti?* Aut ergo dedit eis perseuerantiam, aut non dedit. Si Deus non dedit perseuerantiam, non acceperunt perseuerantiam: & si non acceperunt perseuerantiam, non est imputandum eis, quod non perseuerauerunt; sed Deo, qui non dedit. 1. Cor. 4.

¶ Item, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: maxime in propriis causis. Ergo, si datio perseuerantiæ à Deo est causa acceptionis perseuerantiæ in angelis stantibus; & propter hoc steterunt seu perseuerauerunt: per oppositum non datio perseuerantiæ erit causa non acceptionis perseuerantiæ in angelis cadentibus: ergo imputandum est Deo, quod non perseuerauerunt.

¶ Forte diceretur, quod non est ibi consequentia in ipso; sed consequentia econtrario: vt non datio non sit causa non acceptionis, sed non acceptio sit causa non dationis. Contra quod sic obiicitur per similem in causis naturalibus: habere enim pulmonem, est causa respirationis: & per oppositum non habere pulmonem, est causa non respirationis. Similiter Solem lucere, vel aliud luminare, est causa illuminationis domus: & per oppositum Solem, vel aliud luminare non lucere, est causa non illuminationis domus: hoc autem est in causis propriis: sed secundum hunc modum videtur in proposito (datio enim est causa acceptionis propria) ergo non datio non acceptionis.

¶ Item, si debet esse consequentia econtratio; vt quia angelus vel homo non accipit, ideo Deus non dat, quæ ergo erit causa, quod angelus non accepit: cum enim nihil esset repugnans in natura ipsius angeli, non fuit in ipso causa non acceptionis: ergo causa fuit in alio, non nisi in Deo: ergo non accepit, quia Deus non dedit.

¶ Præterea, Si angelus non accepit perseuerantiam: aut hoc fuit, quia non potuit accipere: aut quia non voluit. Si quia non potuit, non ei imputari debuit: ergo non ob hoc peccauit. Si quia non voluit, sed voluntatem accipiendi perseuerantiam, vel potestatem accipiendi perseuerantiam, non potuit habere, nisi dante Deo: quid ergo peccauit; si non accepit, quod Deus non dedit illi posse, vel velle accipere? Si ergo habuit potestatem accipiendi perseuerantiam & voluntatem à Deo: ergo angelus non defuit gratiæ Dei: quare nec gratia defuit ei: accepit ergo, & habuit perseuerantiam: sed si habuit perseuerantiam, perseuerauit: non ergo cecidit.

¶ Præterea, si habuit voluntatem accipiendi perseuerantiam; aut perseuerauit in illa voluntate, aut non. Si perseuerauit in voluntate, sed perseueranti in voluntate bona, datur quod desideratur: ergo dabatur ei perseuerantia. Si ergo non dabatur ei perseuerantia, non fuit causa in ipso, sed in Deo.

¶ Ad contrarium sic proceditur, scilicet quod causa fuit in ipso, quare non accepit perseuerantiam, non in

Deo: cum enim Deus sit causa omnis boni, non accipere autem perseuerantiam, cum debet, vel cum expedit, est malum: ergo Deus non est causa illius: & est aliqua causa, ergo est in creatura defectibili: quod ergo angelus non accepit perseuerantiam, causa fuit in ipso. Quærenda est ergo, quæ sit illa causa: & dicetur fortasse, ideo non accepit perseuerantiam, quia deseruit iustitiam: desertio autem iustitiæ aut fuit, quia noluit tenere iustitiam: aut ideo noluit tenere iustitiam, quia voluit deserere eam. Et videtur, quod non velle tenere, sit prius quam velle deserere: carbonem enim ignitum in manu nuda prius est, non velle tenere, quam velle deserere: prius enim quam teneas, non vis tenere: velle autem deserere non potes, nisi cum tenes: ergo prius fuit non velle tenere iustitiam, quam velle deserere. Sed videtur contrarium: auarus enim cum vult tenere nummum, & mauult panem: quem nequit habere, nisi nummum det; prius vult deserere nummum, quam non velit tenere; non enim illum ideo vult dare, quia non vult tenere: sed ideo non vult tenere, quia vt panem habeat, necesse est dare: ergo velle deserere prius est, quam velle tenere. A simili videtur hic esse: non voluit tenere iustitiam, & deseruit iustitiam: aliqua ergo causa fuit in voluntate, propter quam vtrumque voluit: non nisi quia aliquid aliud voluit: ergo volendo aliquid aliud, quod tunc velle non debebat, deseruit iustitiam: & deserendo iustitiam, non tenuit eam: sed nihil potuit velle, nisi aut rectum, aut commodum; sed voluit rectum siue iustitiam (iustitiam enim volendo, peccare non potuit) peccauit ergo, volendo aliquid commodum, quod nec habebat, nec tunc habere debebat. Quærendum est ergo, quid sit istud commodum, ex cuius voluntate deseruit iustitiam, & non accepit perseuerantiam?

RESOLVTIO.

Quia perseuerantiam, secundum quod virtutis status est, non peruoluerunt.

¶ RESPONSIO. Ad primum dicendum, quod licet diceretur, quod habuisset gratiam gratum facientem datam à Deo à principio; vt si essent conditi in gratuitis, tamen non acceperunt perseuerantiam: perseuerantia enim nomen æquiuocum est ad virtutem per se, ex qua potest aliquis perseuerare; & ad statum perseuerantiæ: virtutem quidem acceperunt, si acceperunt gratiam gratum facientem; sed non propter hoc perseuerantiam, secundum quod est status virtutis. Sicut aliquis homo, qui accipit gratiam gratum facientem à Deo; cum hoc accipit virtutem, ex qua potest perseuerare: non tamen accipit perseuerantiam, secundum quod est status virtutis.

¶ Ad secundum vero dicendum, supposito quod conditi erant cum iustitia naturali; quod licet esset maior inclinatio ad bonum quam ad malum, vel simpliciter inclinatio ad bonum: nihilominus in voluntate lib. arbitr. est vtrunque, & ipsa voluntas est sufficiens causa ad malum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet consequentia illa sit necessaria ex vtraque parte: Deus dedit, ergo angelus accepit: Deus non dedit, ergo angelus non accepit: non tamen sic est in habitudine * tali: datio enim est causa acceptionis perseuerantiæ: non datio vero, licet sit inferens non acceptionem; non tamen est causa non acceptionis: sed non acceptio in huiusmodi est causa non dationis. Ex parte enim bonorum semper ponitur causalitas in Deo: ex parte vero malorum siue defectuum non ponitur primo causalitas in ipso, sed in creatura intellectuali defectibili, & ex sua voluntate deficienti.

* Alias. causal.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per simile in causis naturalibus, dicendum est, quod aliter est in causis naturalibus & causis voluntariis. In causis enim naturalibus, quæ propriæ sunt, affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis. In causis autem voluntariis non sic est: vbi ex parte negationis possunt diuersæ rationes adhiberi. Præsentia enim nautæ est causa salutis in naui: absentia nautæ est vna causa periculi: sed possunt etiam esse aliæ causæ, vt confractio nauis, vel inundatio aquarum, vel ventorum impulsio. Cum autem dicitur, quod non acceptio perseuerantiæ causatur; non ex hoc primo causatur, quod Deus non dat (Deus enim quantum est de se offert) sed hoc est ex parte voluntatis ipsius, quæ mutabilis est duobus modis: vel non tenendo quod habet: vel conuertendo se indebite ad id, quod non habet: hoc autem modo fuit in angelis: non tenuerunt quod habuerunt, scilicet naturalem iustitiam: sed conuerterunt se indebite ad id, quod non habuerunt.

¶ Ad sequens vero dicendum, quod & acceperunt potestatem perseuerantiæ, & voluntatem perseuerandi: non tamen habuerunt perseuerantiam, nec fuit causa ex parte Dei, sed in ipsis: sicut dicit Ansel. quia non peruoluerunt, id est, perfecte voluerunt.

¶ Ad illud vero, quod consequenter obiicitur, dicendum est, quod non velle tenere iustitiam, non fuit ibi causa eius, quod fuit velle deserere iustitiam: sed velle deserere iustitiam fuit causa eius, quod est non velle tenere: voluerunt autem deserere iustitiam, quia voluerūt aliquod commodum indebite; quo existente, non seruaretur iustitia: & ita per consequens voluerunt deserere iustitiam: non quod hoc esset primum volitum, sed consequens ad primum.

QVÆSTIO C.

De pœna Dæmonum.

In sex Membra, & vigintiseptem Articulos diuisa.

EXPEDITO Tractatu de primo peccato Luciferi, & de peccato aliorum angelorum, quo primo peccauerunt: consequenter dicendum est de pœna, quæ notabatur in casu eorum. Erat autem eorum duplex casus: vnus spiritualis, alter vero localis, siue in pœnam, à corpore, scilicet igne gehennæ inflictam. Casus autem spiritualis, siue pœna multiplex fuit, ex parte potestatis alligatio siue cohibitio, ex parte cognitionis obscuratio, ex parte motiuæ quo ad rationem vermis, quo ad voluntatem ratio boni apparentis, quod tamen est ad malum gaudium; respectu vero mali in præsenti dolor, respectu mali in futuro timor.

D. Thom. 1. par. q. 64. S. Bon. in 2. dist. 6 ar. 2.

MEMBRVM I.

De pœna dæmonum, quo ad ligationem & cohibitionem potestatis ad tentandum, vel vincendum.

PRIMO autem dicendum est de causa spirituali, quo ad ligationem potestatis, & cohibitionem. Et primo quæritur, vtrum ligata fuerit potestas diaboli, qui prius erat Lucifer. Secundo, vtrum per aduentum Christi magis fuerit alligata. Tertio, vtrum aliquando vincatur à bonis, ita quod vlterius tentare non possit. Quarto, si victus est super aliquo peccato, vtrum ligata sit potestas, vt vlterius de illo tentare non possit. Quinto, vtrum sic ligata sit potestas eius vel aliorum, vt aliquam personam determinatam tentare non possit &c.

ARTICVLVS I.

An diaboli potestas ligata sit?

CIRCA primum sic, quod ligata sit eius potestas, dicitur: *Vidi alterum angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & cathenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem, & serpentem antiquum* (qui est diabolus & satanas) *& ligauit eum per annos mille, & misit in abyssum, & signauit super eum, vt non amplius decipiat: donec mille anni consumentur.* Et: *Quomodo quisquam potest intrare in domum fortis, nisi prius alligauerit fortem? & tunc domum eius diripiet.* Quid per hunc fortem designatur, nisi ipse diabolus; qui alligatus est per Christum? ergo alligata est potestas diaboli.

Apoc. 20.

Matth. 12.

Ioan. 12. ¶ Præterea dicitur: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Sed quid est eiici foras de mundo, nisi de cordibus mundi amatorum; sed in aliis non habet possessionem: ergo ligata est eius potestas.

Psalm. 77. Glossa. ¶ Sed contrarium videtur; dicitur super illud: *Misit in eos iram indignationis suæ* &c. Gloss. *in malis hominibus potest diabolus, vt in suo pecore.* Adhuc ergo respectu malorum non est ligata potestas diaboli.

Aug. de sermone Domini, lib. 2. cap. 6. ¶ Item Augustinus: *Fiunt tentationes per satanam potestate eius, sed permissu Dei.*

Isid. in lib. de Eccles. inst. 3. ¶ Item Isidorus: *Tentationum diabolicarum initia fragilia sunt: quæ si non caueantur, per consuetudinem in nouissimis fortiter conualescunt: ita vt aut nunquam, aut cum difficultate vincantur.*

Apoc. 12. ¶ Præterea dicitur: *Postquam vidit draco, quia proiectus esset in terram: persecutus est mulierem, quæ erat paritura masculum.* Ex quo habetur, quod diabolus adhuc persequitur tentando bonos. Et: 2. Cor. 11. *Datus est mihi angelus sathanæ, qui me colaphizet.* Et B. Gregorius: Grego. super Ezech. *Antiquus aduersarius, qui de cœlo lapsus est, mundi: & insidiari amplius incipit; acriores, quam consueuerat, tentationes admouet; vt plerumque sic resisti vicem animum tenet: sicut ante nunquam tentauerat, quando possidebat.* Marc. 9. Et hoc signatur Marci 9. vbi dicitur de diabolo, quod *clamans & multum discerpens exiuit ab eo: ita vt multi dicerent, quia mortuus est.*

RESOLVTIO.

Diaboli potestatem ita alligatam dicimus, non vt penitus non tentet, sed vt non tantum, quantum vellet.

Aug. de ciuit. Dei. ¶ AD quod dicendum, quod dicitur potestas diaboli ligata, non quia non possit tentare, sed quia non tantum tentat, quanta est eius voluntas. Vnde Augustinus: *Alligatio diaboli est, non permitti exercere* tantam potestatem, quantam potest: vel in dolo ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter: vel fraudulenter fallendo.* Non ergo dicitur alligatio potestatis diabolicæ; quia non possit tentare: sed quia non potest tentare in effectu, quantum vult.

* Alias totam tentationem.

ARTICVLVS II.

An per Christi aduentum ligata sit diaboli potestas magis, quam antea ligata foret?

SECVNDO quæritur, Vtrum per aduentum Christi fuerit potestas diaboli magis alligata, quam prius. Ad quod sic: Apoc. 20. *Angelus descendit, qui apprehendit draconem* &c. Angelus enim iste quis alius est, nisi Christus, qui apprehendit draconem diabolum, & ligauit eum?

Psal. 36. Glossa. ¶ Item, super illud Psal. *Vidi impium superexaltatum.* Gloss. *hoc maxime ante aduentum Christi, tempore ante legem, & sub lege: cum homines velut gregem post se traheba[t]: sed tertio tempore, scilicet tempore gratiæ, & tertio die, scilicet resurrectionis Christi, humiliatus est [superbus].*

Rom. 5. ¶ Præterea: *Vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia.* Sed hæc superabundantia gratiæ, non ob aliud est, nisi vt alligetur potestas diaboli: ergo amplius ligata est potestas diaboli, quam prius.

Math. 8. ¶ Item: *Mitte nos in gregem porcorum.* Sed quid est hæc missio, nisi permissio? Ergo potestas diaboli amplius ligata est. Videtur enim ex hoc, quod non habeat potestatem tantam; cum ad liberationem hominum petat mitti in gregem porcorum. Ibi enim dicit Augustinus: August. *Dignior homo bestiis, cum propter salutem duorum hominum, duo millia porcorum pereunt; permittit, vt sit occasio salutis hominum per interfectionem porcorum.*

Apoc. 12. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur: *Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam.* Ergo cum descensus eius sit per tentationem: maior est tentatio ipsius diaboli, nunc, quam prius.

¶ Præterea, dicit B. Gregor. quod acriores, quam consueuerat, tentationes admouet.

RESOLVTIO.

Vtique, quantum est ex parte gratiæ Dei per Christum mediatorem: sed non simpliciter, quantum est ex parte tentatorum.

¶ AD quod dicendum, quod dupliciter dicitur potestas diaboli ligata: vel ex parte gratiæ Dei per Christum mediatorem: vel ex parte bonitatis in ipsis, qui tentantur. Quantum est ergo ex parte ipsius gratiæ Dei, magis ligata est potestas diaboli post aduentum Christi, quam prius. Quantum autem est ex parte eorum, qui tentantur; in quibusdam magis ligata est, in quibusdam vero amplius est soluta: quanto enim est maior gratia Dei, tanto contemptus illius est maior.

¶ Et ideo dicitur: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit: & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hebr. 10.

¶ Ad illud vero, quod obiectum est, dicendum, quod primæ rationes ad hoc innituntur: quod per aduentum Christi, quantum est ex parte gratiæ, facta sit cohibitio potestatis diaboli. Illa vero ratio, quæ primo ponitur in contrarium, ad hoc tendit: quod vehementior est appetitus diaboli in fine mundi, propter temporis breuitatem. Vnde tunc erit, quasi quædam solutio tempore Antichristi. Vnde dicit Augustinus: *Si permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deiiceret, & ne crederent alios impediret: quod ne faceret, alligatus est: tunc autem soluetur, quando tempus breue erit.* Aug. 20. de ciuit. Dei cap. 8.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod acriores erunt tentationes seu insurgunt, secundum illud: *Assumit septem spiritus nequiores se.* Primo enim fiebant tentationes per genera peccatorum communium. Nunc autem fiunt per quasdam adinuentiones peccatorum. Lucæ 11. Præterea nunc magis [...] per assimulationem boni: in hoc enim genere tentationis facilius homo decipitur. Præterea, tempore persecutionis [...] fideles [...] faciebat: nunc autem occulte insidiatur: [...] est tentatio & magis timenda: cum occulte [...] manifeste. Vnde super illud: *Expectans expectaui Dominum.* Gloss. *magis timendus est diabolus, cum fallit vt draco, [quam cum] sæuit vt leo; ille cum cogit, hic docet negare Christum.* Psal. 39. Glossa.

ARTICVLVS III.

An dæmon aliquando victus, amplius vel victorem, vel alium quempiam tentare audeat?

TERTIO quæritur, Vtrum diabolus aliquando vincatur [ab] aliquo ita vt vlterius tentare non possit? Quod videtur per hoc, quod dicitur Iosue 11. super illud: In tempore illo venit Iosue, & interfecit &c. Adamantius. Sancti contra illos incentores peccatorum pugnantes, & vincentes, vnusquisque velut plurimos equos interimūt, minuuntque exercitum dæmonum. Similiter dicitur ibi. Singuli victi, in abyssum, vel in exteriores tenebras adducuntur à iusto iudice Christo. Ex quibus accipitur, quod cum victi sunt, vlterius tentare non possunt, quid enim est interficere, nisi potestatem tentandi auferre? quid etiam est mitti in abyssum, nisi tentationis potestatem auferre, & magnitudini pœnæ subiacere?

¶ Contrarium haberi videtur ratione: tentatio enim diaboli permittitur à Domino ad probationē electorum, & ad pœnam reproborū: sed vtriq; illarum vtilitatū ex misericordia, vel iustitia Dei, necessaria est vsq; ad finē mundi: ergo à nullo auferenda est potestas tentandi. Sicut enim dicitur ibidem, scilicet Iosue 11. Quidam spiritus tentant de peccato iræ, quidam de alio peccato. Si ergo auferretur potestas alicui dæmonum; videtur quod alicui hominum auferretur vel tentatio ad probationē, vel ad punitionem: non ergo alicui aufertur potestas tentandi. Iosue 11.

¶ Præterea, diabolus tentando seruit Domino, sicut habetur super illud Iob 40. *Nunquid accipies eum seruum sempiternum?* vbi dicit Gloss. *seruus sempiternus est, dum Dei laudibus nesciens seruit.* Si ergo Deus non vult minui seruitium suum, non vult quod omnino auferatur Iob 40. Glossa.

potestas tentandi: nam si auferretur, iam non seruiret Deo tentando: restat ergo quod permissio diuina est, vt quiuis tentet.

¶ Præterea, si victus esset, & non posset vlterius tentare, non acrius insurgeret: sed acrius insurgit, cum homo fortius resistit; sicut dicit B. Gregorius super illud: *Qui parati sunt suscitare Leuiathan* &c. *Qui in ipsa blanda suggestione insidias suggestoris deprehendunt, cõtra se amplius suscitant Leuiathan: aliis, quos secure possidet, dormit: sed his euigilat ad omnem pugnam.* Ex quo accipitur, quod fortius insurgit diabolus contra fortius resistentes.

Grego. super Iob. 3.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum in hac vita plena victoria non sit.

¶ Ad quod dicendum, per hoc, quod dicitur ab Adamantio. Qui pudice viuendo, fornicationis spiritũ superauit; non vltra fas est illum spiritum; qui ab eo victus est, alium hominem impugnare. Sed hoc opinando dicit: potest tamen esse, vt si plene victus esset, non vlterius tentaret illo genere tentationis: sed quia in hac vita non est plena victoria, vt dicit B. Gregorius, victis vitiis, aliquid minimum remanet, quod vinci non potest: ideo verisimile est, quod semper remanet aliqua materia tentationis: & ideo non vsquequaque desistit tentare.

Gregor.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, dicendum est, quod non est simile de interfectione, & de victoria tentationis. Post interfectionem enim non resurgit hostis ad pugnandum; post victoriam vero tentationis potest hostis surgere ad tentandum, nisi ab eo auferatur potestas, vel cohibeatur: minui autem exercitum dæmonum, est vincere varietatem tentationum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de missione in abyssum: dicendum est, quod abyssus vocatur profunditas pœnæ, in quem mittentur post diem iudicij: sicut dicit B. Ambrosius, sciebant dæmones per aduentum Domini se aliquando in abyssum mergendos.

ARTICVLVS IV.

An diabolus in quodam tentationis genere victus, amplius in illo eodem tentare valeat?

Qvarto quæritur, Vtrum diabolus victus super aliquo peccato, habeat ligatam potestatem, vt non possit vlterius tentare de illo. Quod videtur per supradictam autoritatem Adamantij. Videtur etiam per simile in pugna corporali, quæ dicitur monomachia: cum enim victus est aliquis, non vlterius conceditur ei ex iustitia potestas bellandi: quare similiter videtur ex iustitia diuina, quod sic fit in bello spirituali. Ergo victo in aliquo genere peccati, non conceditur vlterius potestas pugnandi.

Μονομαχία

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur: *Non delebo gentes, quas dimisit Iosue.* Et: *Dimisit eos, vt * experiretur Israel:* vbi dicit August. *Patet causa, quare Iesus, id est, Iosue, non deleuit gentes: vt essent, in quibus probarentur. Cum ergo sint necessaria bella (sicut ibidem dicitur) necessaria sunt tentationes.*

Iudic. 2. Ibidem 3. * Alias, erudiretur. August.

RESOLVTIO.

Valet, sed non audet.

¶ Ad quod dicendum, quod ex prædicta autoritate nõ habetur, quod non possit tentare: sed quod non habeat audaciam tentandi. Et si sic esset, non est contrarium illud, quod dicitur in libro Iudic. non enim dicitur determinate de aliquo peccato, sed in genere; quod tentationes peccatorum valent ad exercitium iustorum.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod non est simile in bello materiali, & spirituali. Victus enim in bello materiali, quod dicitur Græce monomachia; non habet ex iustitia vlterius potestatẽ pugnandi: quia reputatur infamis, quasi de periurio conuictus: in bello vero spirituali, quia tentationes prosunt electis, permittitur potestas diaboli tentare, non propter bonum ipsius tentantis, sed propter vtilitatem eius, qui tentatur.

ARTICVLVS V.

An dæmonum potestas ita circa determinatam personam ligata sit, vt eam tentare nullatenus non possint.

Qvinto quæritur, Vtrum ita sit ligata potestas diaboli, vel aliorum; vt aliquam personam determinatam tentare non possint. Quod videtur. Si enim victus in aliquo genere tentationis ab aliquo, non tentat de eodem: multo fortius victus in quolibet genere tentationis, non tentabit eundem: sed in quo est extinctus fomes peccati, habet potestatem vincendi in quolibet genere tentationis. Si ergo vincat, vlterius diabolus non habet potestatem tentandi illum.

¶ Quod etiam videtur in Christo, vbi nullus erat fomes: diabolus enim cum tentauit eum triplici tentatione, non vltra legitur eum vllo genere tentationũ talium ipsum tentasse.

¶ Sed contrarium videtur: quia semper est voluntas diaboli ad tentandum: & semper talibus proficit tentatio, qui confirmati sunt in bono, qui proficere possunt: ergo à Domino non cohibetur potestas tentandi talem. Non ergo respectu alicuius personæ determinatæ est potestas diaboli ligata; neq; enim ex parte eius, cum semper velit: nec ex parte Domini cum semper proficiat, in quibus proficere potest.

RESOLVTIO.

Ligata est, non quidem vt omnino non tentet, sed vt non penitus deuincat: aut si à tentatione interiori, non tamen ab exteriori.

¶ Ad quod dicendum, quod non est potestas diaboli ligata respectu alicuius personæ; quin possit tentare, & tentet: sed quod non tentet vsq; ad casum, vel quotisque succumbat tentationi, in hoc est ligata potestas ipsius. Præterea, est quædam tentatio exterior: & est quædam tentatio interior. A tentatione interiori cohibetur in illis, in quibus est fomes extinctus; vel vbi non est fomes, sicut fuit in Christo: à tentatione vero exteriori non cohibetur. Si enim in aliquo esset cohibitio à tentatione exteriori, multo magis videretur in Christo, quam in aliquo alio.

MEMBRVM II.

De pœna dæmonum quo ad ligationem & cohibitionem potestatis circa alia opera, ex eminenti eorum natura prouenire potentia.

Determinatvm est de prima pœna, quæ est in ligatione potestatis quo ad tentandum siue vincendum: sequitur de ligatione potestatis quantum ad alia opera, quæ possent esse eminentia naturæ suæ.

¶ Et quæritur primo, vtrum cohibita sit potestas eorũ, vt non possint aliqua mira facere siue mirabilia secundum veritatem, sed tantum secundum fictionẽ siue mẽdacium. Secundo, si possint aliqua mira facere ex eminentia naturæ suæ, vtrum possint in res corporales, vt pote animalia, & plantas ex potestate naturæ, aut quo ad illas etiam res sit cohibita potestas eorum. Tertio, vtrum aliquam habeant potestatem circa rationalem creaturam transmutandi ex parte corporis. Quarto, vtrum habeant potestatem tam in bonis, quam in malis hominibus: an quo ad bonos sit ligata, quo ad malos libera. Quinto, vtrum aliquid possint facere in creaturis corporalibus non permissi: & sic vniuersaliter sit ligata eorum potestas in pœnam eorum. Sexto, vtrum potestas eorum sit tantum ligata siue cohibita à Deo: an etiam cohibita vel ligata à bonis angelis, vel hominibus.

ARTICVLVS I.

An dæmonum potestas cohibita sit circa mira mirabiliaq́, secundum veritatem operanda.

AD primum sic: videtur enim quod cohibita est potestas eorum quo ad mira, siue mirabilia facienda secundum veritatem. Vnde Augustinus: *Diuina lex tanquam publica vincit priuatam licentiam: quæ nisi vniuersalis potestatis permissione nulla esset.* Ergo cum non possint mali angeli, nisi ex priuata licentia; non possunt mali angeli mira facere: vniuersalis enim semper vincit priuatam.

Aug. in lib. 83. qq. q. 55.

¶ Item, super illud: *Immissiones per angelos malos.* Gloss. *Ea, quæ mirabiliter fiunt de creaturis, malis angelis non audemus attribuere.*

Psalm. 77. Glossa.

¶ Item, dicitur de Antichristo: *Cuius aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.* Erant ergo signa & prodigia mendacia, quæ fient ab ipso diabolo per Antichristum. Sed si ex eminentia naturæ suæ libere posset facere mira, vel mirabilia secundum veritatem, tempore Antichristi faceret: quia tunc operatio satanæ est in omni virtute: non ergo dæmones faciunt mira in veritate.

2. Thess. 2.

¶ Item, Augustinus: *Dæmones nonnulla faciunt angelis sanctis similia, non veritate, sed specie: non sapientia, sed plane falsa.* Ex quo accipitur propositum.

Aug. in 6. q. cont. Paga.

¶ Item, Hieronymus: *Non est mirandum patri eum ausum esse mentitum, qui fratri potuit inuidere: maxime cum in die iudicij quidam impudentius mentiantur, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus, & dæmonia eiecimus.*

Hiero. ad Dam. sum. Papam.

¶ Si ergo mentiebantur, non faciebant mira secundum veritatem, sed secundum phantasiam.

¶ CONTRA, sicut habetur in Iob: Ignis de cœlo descendit, & familiam Iob cum tot gregibus vno impetu consumpsit: & turbo irruens domum deiiciens, filios eius occidit. De quo dicit Augustinus: *Non illa fuerunt phantastica, quæ facta fuerunt de igne, vel de turbine: fuerunt tamen opera satanæ, cui Deus dedit hanc potestatem.* Ergo possunt facere mira ex eminentia suæ potestatis, permissione diuina.

Iob. 1.
Aug. 20. de ciuit. Dei. Quæst. 55.

¶ Item, Augustinus: *Cum talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed diuerso fine & diuerso iure fiunt. Illi enim quærunt gloriam suam, alij vero gloriam Dei: illi faciunt per quadam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica ministratione, iussu eius, cui cuncta creatura subiecta est.* Si ergo magi faciunt per potestates dæmonum, quæ faciunt; & illi faciunt mira secundum veritatem: ergo dæmones ex potestate cum permissione diuina possunt facere mira.

Idem in li. 83. qq. q. 55.

¶ Hoc etiam videtur haberi per hoc, quod dicitur ab Aug. vbi loquitur de mirabilibus, quæ facta sunt à magis Pharaonis Regis Ægypti.

Aug. 3. de Trinit.

RESOLVTIO.

Dæmones & vi propria naturæ, & diuina permissione mira operari possunt: miracula verè operari non possunt.

¶ AD quod dicendum, quod dæmones possunt facere mira ex eminentia naturæ suæ, & permissione diuina: quæ tamen mira aliquando sunt mira secundum veritatem, aliquando mira secundum phantasiam. Miracula autem propriè dicta facere ex sua natura non possunt: sed si fiunt aliqua, potestate diuina fiunt, tamen ministerio angelico.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, dicendum est: quod hoc intelligitur per autoritatem Augustini: quod mali angeli mira possunt facere priuata potestate, sed superueniente diuina lege tanquam publica, etiam ab illis cohibetur. Vnde Augustinus: *Potentior est parte vniuersitas, siue vniuersitatis causa: quoniam & illud, quod ibi priuatim agit, tantum agere sinitur, quantum lex vniuersitatis sinit.* Non ergo vult dicere, quod priuata licentia nulla sit: sed nulla est nisi permissione vniuersalis potestatis, quæ diuina est.

Aug. in lib. 83. qq.
Idē in eod.

¶ Ad illud vero, quod secundo obiicitur per illud, quod dicitur in Gloss. super Psal. dicendum est, quod loquitur de illis mirabilibus, quæ facta erant in 10. plagis Ægypti. Vnde vult innuere, quod illa ministerio bonorum angelorum facta fuerunt, scilicet quædam illorum; ratione vero mortis pecorum, aut primitiuorum; quæ etiam alio modo naturaliter poterant fieri; attribuuntur ipsis malis: & ita distinguitur inter diuersa genera illorum mirabilium.

¶ Ad illud vero, quod tertio obiicitur de hoc, quod dicitur 2. Thessal. 2. dicendum est, quod signa & prodigia mendacia dici possunt ex pluribus rationibus: sicut ibidem tangit Gloss. Et accipitur ex libro Augustini: Possunt enim dici mendacia, quia per magicam artem, & non naturam fiunt: vel possunt dici mendacia, quia & si vera sint Dei permissione, ad mendacium trahent: tunc enim soluetur Sathanas, & per illum Antichristus in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.

Aug. 20. de ciu. Dei cap. 18.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod illud Augustini intelligitur de illis miris, quæ per magicam artem fiunt: vbi non est veritas sed species, non sapientia sed fallacia.

Aug. q. 6. contra Paga.

ARTICVLVS II.

An dæmonum potestas in res corporales cohibita sit?

SECVNDO quæritur, supposito quod dæmones possint aliqua mira facere ex eminentia naturæ suæ, vtrum possint in res corporales, vt animalia, & plantas: an etiam quoad illas res sit cohibita eorum potestas. Quod enim habeant potestatem super res corporales, videtur per hoc, quod dicit Augustinus: *Vnaquæq; res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam.* Et hoc idem dicitur in libro super Genesin ad literam, & in libro de Trinit. Cum ergo angeli mali habeant potestatem angelicam, mali angeli præponuntur potestate rebus visibilibus. Et postea subiungit, quod illis vtuntur priuato iure aliquando. Sed priuatum ius vocatur potestas naturæ: ergo mali angeli possunt ex potentia naturæ super huiusmodi animantia siue vegetabilia.

Aug. in lib. 83. qq.

¶ Item, super illud: *Ventus vehemens* &c. Gloss. *Latenter contra eum dicitur elementa mouisse ille, cuius nutu mota sunt: licet diabolus semel à Deo accepta potestate, ad vsum nequitiæ suæ elementa concutere: vt & damnati in metallo ad vsum ignis & aquæ seruit.* Ergo diabolus habet potestatem super elementa.

Iob. 1. Glos. ordin.

¶ CONTRA, super illud: *Mitte nos in gregem porcorum.* Gloss. *Nota, multo minus dæmones sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus possunt.*

Matth. 8. Glossa.

¶ Item: *Intrauerunt in porcos.* Gloss. *Notandum, quod si nec porcis nisi permissa dæmonia nocere possunt; multo minus possunt hominibus nocere, nisi occulta Dei iustitia permittantur.* Ergo potestas dæmonum naturalis cohibita est, quo ad huiusmodi creaturas autoritate diuina.

Matth. 8. Glossa.

RESOLVTIO.

Et quidem: tum in eorum pœnam, tum in hominum bonum.

¶ AD quod dicendum, quod licet ex prima potestate sibi data possent angeli illi super huiusmodi creaturas ex ordine naturali; tamen in pœnam illorum & bonum hominum cohibetur eorum potestas. Vnde Augustinus: *Dæmones non omnia, quæ volunt, facere possunt; nisi quantum illius ordinatione sinuntur: cuius plena iudicia nemo comprehendit, iuste nemo reprehendit.*

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum, quod loquitur de ordine naturali, qui est inter spiritualem creaturam & corporalem ratione esse & posse.

ARTICVLVS III.

An dæmones circa humana corpora immutationes operari possint.

TERTIO quæritur: Vtrum dæmones habeant aliquam potentiam circa creaturam rationalem transmutandi à parte corporis. Quod videtur: Si enim habuit potestatem super res visibiles: quod videtur ex illo verbo, quod dicitur ab August. *Quod creatura corporalis subdita est spirituali creaturæ:* videtur ergo, quod mali angeli habeant potestatem super humanum corpus, cum ipsum sit visibile.

August. in lib. 83. qq.

¶ Præterea, superiora corpora habent potestatem faciendi immutationem in corporibus humanis: maior autem est potestas angelorum, quam sit corporum cœlestiũ: multo ergo fortius habent potestatem immutandi in corporibus humanis.

¶ Præterea, dicit August. *Qualiter recitatur in literis humanis, quod homines aliquando in lupos conuertebantur, quod etiam aliquiin aues commutabantur: & ita de alijs huiusmodi monstris: videbatur enim aliquibus, quod portarent onera iumentorum.* Ex quibus colligitur quod potestatem aliquam habeant angeli mali faciendi immutationes in corporibus humanis: non enim fiebant à Deo ista, nec ab ipsis sanctis angelis, quorum non est facere immutationem in deterius.

Idem in li. 18. de ciu. Dei. cap 17.

¶ Præterea, idem dicit. Quanto in hac vita potestatem dæmonum maiorem videmus: tanto tenacius mediatori est inhærendum; per quem de imis ad summa ascendimus. Si n. dixerimus ea non esse credenda, non desunt nunc, qui eiusmodi quædam vel certissima audisse, vel expertos se esse asseuerent. » Nam nos cum essemus in Italia, au» diebamus talia de quadam regione, vbi stabularias mulie» res imbutas malis artibus, in caseo dare solebant, quibus » vellent, seu possent, viatoribus: vnde in iumenta illico » verterentur, & necessaria quæque portarent: post quæque » perfecta opera iterum ad se redirent: nec tamen in eis men» tem fieri bestialem, sed rationalem humanamq; seruari. Ex » quo videtur, quod per operationes dæmonum possit fieri » immutatio in corporibus humanis.

¶ CONTRARIVM videtur ex hoc, quod corpus humanum nobilius est alijs corporibus, tanquam coniunctum animæ rationali: anima autem rationalis in statu, in quo est, superior est ipsis malis angelis, inquantũ obstinati sunt in malo: ergo corpus humanum, quod est vnitum ei, non conuenit esse in subiectione dæmonum.

¶ Præterea, August. *Non solum animum, sed nec corpus vlla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra & liniamenta bestialia posse conuerti: sed phantasticum hominis, quod cogitando, siue somniando per rerum innumerabilium genera variatur; cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit: sopitis autem & oppressis corporeis hominum sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, & videtur sibi portare onera: quæ onera si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus, vt illudatur hominibus.* Ex quo accipitur, quod non habent potestatem angeli mali ex natura sua ad immutationem faciendam in corporibus humanis: sed quod faciunt, ex permissione diuina faciunt in phantastico hominis.

Idem ibid. cap. allegato.

RESOLVTIO.

Nullatenus vere & realiter, sed tantum apparenter.

¶ QVOD concedendum est. Nec est possibile in humano corpore tales fieri immutationes, quales videntur. Et hoc est, quod dicitur in Lib. de Anima & spiritu. Hæc solus patitur spiritus infidelis, vt non in animo, sed in corpore hæc opinentur venire. Idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu fiunt; accidere arbitratur in corpore. Fiunt autem in spiritu diuersarum personarum species ac similitudines; & mentem quam captiuam tenet, in somnis deludens, modo læta modo tristia modo cognitas, modo incognitas personas ostendens per deuia quæque deducit.

August. in lib de anima & spiritu.

¶ AD primum autem obiectum dicendum, quod licet ex potentia naturæ possint super res visibiles: cohibetur tamen potestas eorum respectu corporis humani: vt non in illo corpore faciant, quod volunt. Præterea, non habẽt talem potentiã super res visibiles, vt possint species transmutare: possunt tamen facere aliquid, ad quod ex diuina virtute sequatur specierum transmutatio: eius n. est species rerum condere. Hanc autem transmutationem, quæ est corporis humani in speciem asini, vel alterius bruti, nullatenus possunt facere, nec secundum se, nec ratione dispositionis antecedentis.

¶ AD secundũ vero dicendum, quod immutatio, quæ est in corpore humano à corporibus supercœlestibus, naturaliter est sdm calidum & frigidũ, & huiusmodi dispositiones consequentes: non aũt quantũ ad specierum transmutationem; nec ad ea: quæ sunt animæ rationalis. Vnde nec dæmones habent huiusmodi potestatem, quæ est super ipsam animam rationalem, vel super specierum essentialium transmutationem. Nihilominus tamen ex permissione diuina ministerio dæmonum fiunt quidam morbi in corpore humano, sicut dicit Hieron. Immiscet etiam se rebus sensibilib. per effectum, vt sic sequatur corruptio delectationis in parte sensibili, & per partem sensibilem in rationali. Vnde Aug. *Agite nunc miseri mortales, ne vnquam polluat hoc domicilium malignus spiritus, ne sensibus immixtus inficiat animæ sanctitatem, lucemq; mentis obnubilet; serpit hoc malum per oẽs aditus sensuales, dat se figuris, accõmodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subijcit, infundit se saporibus, ac turbidi motus illuuie tenebrosis affectationibus tenebrat sensus.* Ex quo accipitur, quod aliquid posse ex permissione diuina habet in immutatione sensuum illorum, qui subijciuntur per peccatum.

Hieron. in expositione super Prophetas 12. August in lib. 83. qq.

¶ AD illud vero, quod dicit Aug. dicendum est, quod nec sic acciderant secundum veritatem, sed sic facta est commutatio in phantasia: ex qua existimabantur talia fieri secundum veritatem ab hominibus, vtentibus sensu & imaginatione.

Idem in li. de ciuit. Dei.

ARTICVLVS IV.

An dæmones æquè super bonos, ac super malos homines potestatem habeant?

QVARTO quæritur: Vtrum dæmones habeant potestatem tam in bonis hominibus, quã in malis: an vero quo ad bonos sit cohibita, quo ad malos autẽ sit libera? Et videtur, ꝙ habeant potestatem super bonos, sicut super malos, per hoc quod tantam potestatem habuit Satan, vt nõ tantum flagellaret Iob in rebus suis & in prole, sed in proprio corpore: tantum n. excepit Deus animam, cum dixit. Veruntamen animam illius serua. Q.d. non do tibi potestatem in animam. Sed maiorem non videtur habere ex se in ipsis malis (super rationalem n. animam non habet ex natura sua potestatem) ergo tam in bonis, quam in malis habet diabolus potestatem: & videtur: quod secundum vnum modum.

¶ Sed contra hoc habetur in Gloss. super illud. *Immissiones per angelos malos.* In malis hominibus potest diabolus vt in suo pecore, nisi prohibeatur à maiori, sc. à Deo: in bonis autem non potest, nisi permittatur ad probandum, nõ ad perdendum: sicut homo, vt de pecore alieno faciat quod vult, potestatem expedit dari sibi ab eo, cuius est.

Glossa super Psal. 77

¶ Hoc etiam videtur ratione: si enim boni homines siue sancti potestatem habent super dæmones ratione sanctitatis, non erit econuerso, vt dæmones possint super homines bonos, siue sanctos.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed in malos ad perdendum, in bonos ad probandum.

¶ AD quod dicendum, quod in malis hominibus ratione malitiæ conceditur potestas: à quo enim quis superatus est, eius & seruus est. 2. Petr. 2. Sed hoc non est, quia diabolus meruit hanc potestatem sibi dari, sed hoc est;

quia peccator meruit ei subijci tanquam tortori, non tanquam Domino. In malis ergo & in bonis habet potestatem, sed in malis habet potestatem ad seducendum, & ad perdendum, nisi prohibeatur à Domino: in bonis autem non habet potestatem ad perdendum, sed ad probãdum. Et ideo dictum est in Iob: *Ecce omnia, quæ habet, in manu tua sunt: veruntamen animam illius serua.* Iob 1.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium, scilicet, quod tantam habuit potestatem, &c. Dicendum est, quod non est æqualis potestas: ex vna n. parte est potestas ad perdendum, nisi prohibeatur: ex altera vero parte non est potestas ad perdendum, sed potius ad probandum. Item, ex vna parte dat se homo malus in potestatẽ: econtra vero bonus homo eximitur ab eius potestate.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod aliter habet potestatem malus angelus in hominem bonum, & aliter habet potestatem bonus homo vel sanctus super dæmonem. Malus enim angelus ratione status, in quo homo est, dum est in via, habet potestatem ad tentandum ex permissione diuina: hoc autem est ad probationem, sicut dicitur: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Sancti vero homines habent potestatem super dæmones, non ratione naturæ, sed ratione virtutis seu gratiæ (in hoc enim sunt superiores) ratione autem ipsius gratiæ datur eis potestas maior vel minor à Domino. Tobiæ 12.

ARTICVLVS V.

An dæmones operari quid in rebus visibilibus ex se ipsis operari possint?

Qvinto quæritur: Vtrum dæmones aliquid possint facere in creaturis corporalibus, nisi permissi: & sic vniuersaliter sit ligata potestas in pœnam ipsorum. Et videtur quod sic, per hoc, quod dicitur in Gloss. super illud. *Immissiones per angelos malos, &c. boni angeli & mali vtuntur eisdem elementis, prout cuique potestas est; quæ est eis amplior quam hominibus, & maior bonis quam malis.* Ex quo habetur, quod habent potestatem vtendi istis elementis. Psal. 77. Glossa.

¶ Item, August. Angelicas naturas terrenis animantibus potentiores condidit. Sed si potentiores sunt terrenis animantibus, multo fortius potentiores sunt alijs terrenis, quæ inanimata sunt. Aug. in 11. de ciuit. Dei.

¶ Item, *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur.* Gloss. *omnia humana superat: multo fortius terrena & visibilia.* Ex his accipitur, quod habet potestatem super ista terrena visibilia. Iob. 41. Glossa.

¶ Prætereа, August. *Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diuersitate diuersis; non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* Ex quo videtur, quod potestatem habeant dæmones super istas creaturas visibiles. August. de ciuit. Dei. lib. 21. c. 6. circa medium.

¶ Sed videtur contrarium, per hoc, quod dicitur in Iob super illud. *Mitte manum tuam*, ibi dicit Gloss. *nihil potest nisi permissus.* Ex quo habetur, quod nec etiam in creaturis visibilibus habet potestatem, nisi quatenus à Domino conceditur. Iob. 1. Glossa.

¶ Prætereа, August. *Si aliquid in rebus dæmones possunt, tantum possunt, quantum secreto omnipotentis arbitrio permittuntur.* Aug. in lib. de ciuit. Dei.

RESOLVTIO.

Nihil profecto nisi permissi: tum maximè si ad hominem seducendum fuerint mira hæc.

¶ Ad quod dicendum, quod potestas diaboli cohibita est quantum ad omnes creaturas, inquantum relatæ sunt ad seducẽdum creaturam rationalem per delectationem. Contingit tamẽ quod soluitur hæc potestas vel propter bonum eorum, qui tentantur: vel propter pœnam eorum, si meruerunt. Non negatur ergo, quin habeant ex ordine naturali potentiam super istas res visibiles, quantum eis à Domino conceditur: cohibetur tamen ista potestas, siue restringitur propter bonum rationalis creaturæ. Moderatur autem Deus operationes malorum termino naturaliter collatæ potestatis, miraculo mirabiliter illatæ impossibilitatis: vt de manu Regis Ieroboam arefacta. 3. Reg. 13. obstaculo contradicentis occultæ difficultatis, sicut habetur Exod. 8. de ciniphibus, iudicio operantis intrinsecus dispositionis. Ex Aug. lib. 3 de Sacram. pat. 5. cap 27. 3. Reg 13. Exod. 8

ARTICVLVS VI.

An dæmonum potestas à Deo tantum sit ligata, vel etiam à bonis angelis atque hominibus?

Sexto quæritur: Vtrum dæmonum potestas sit ligata tantũ à Deo: vel etiam à bonis angelis, & hominibus bonis. Et videtur, quod non sit ligata ab angelis, & à sanctis hominibus: sicut habetur: *Surgent Pseudo-prophetæ, & facient signa & prodigia multa: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Super quod dicit August. *Admonet, vt intelligamus quædam miracula sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt.* Sed si scelerati homines facere possunt quædam miracula, multo fortius dæmones possunt facere mirabilia, quæ non possunt facere sancti homines: ergo maior videtur potestas quorundam dæmonum in his mirabilibus, quam sanctorum hominum. Sed si maior est potestas, maior autem non cohibetur à minori; non cohibetur potestas dæmonum à sanctis hominibus. Matth. 24. August. in lib. 83. qq.

¶ Prætereа, mali angeli ex potentia suæ naturæ sunt potentiores, quam aliqui angeli ex potentia suæ naturæ, sed eminentior potestas non cohibetur à minori, inquantum huiusmodi: ergo aliqui mali angeli non coercentur ab aliquibus bonis.

¶ Sed videtur contrarium de sanctis hominibus per hoc, quod dicitur Act. 19. vbi loquitur de quibusdam exorcistis, qui inuocabant nomen Domini Iesu Christi super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes: *Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat.* Et post sequitur. *Respondens spiritus nequam, dixit iis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos.* Ex quo videtur, quod si signa Christi & sanctorum hominum, habuerunt maius posse super ipsos dæmones, multo fortius ipsi sancti homines. Actuũ 19.

¶ Hoc etiam ibidem videtur per hoc, quod dicitur. *Super languidos deferebantur sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Similiter de sanctis angelis: Vnde Aug. *Habent boni angeli & mali opera similia, sicut Moyses & Magi Pharaonis: sed boni sunt potentiores: nec mali possunt quicquam talium operum, nisi quod per bonos Deus permiserit.* Ibid. Aug. super Genes.

RESOLVTIO.

Quinimo interdum: verum non sine diuinæ permissionis interuentu.

¶ Ad quod dicendum per hoc, quod dicit Augustin. *Dæmones quædam possunt facere, si permittuntur ab angelis potentioribus ex imperio Dei: quædam vero non possunt, etiam si ab eis permittantur: quia ille non permittit, à quo illis est talis natura modus: qui etiam per angelos suos illa plerumque non permittit, quæ concessit, vt possint.* Dicendum est ergo quod cohibitio sit dæmonum aliquando per bonos angelos, aliquando ab ipso Deo: licet permittantur ab ipsis bonis angelis. August in lib. de Trinit.

¶ Nec est contrarium, quod obiectum est: licet enim homines, vel etiã dæmones quædam possint facere, quæ non conceduntur sanctis hominibus: non tamen omnino potentiores sunt simpliciter: sed quantum ad id, quod à Domino conceditur: non in comparatione virtutis ad malitiam.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet aliqui angeli potentiores sint ex natura aliquibus bonis: tamen boni angeli potentiores sunt simpliciter malis angelis. Vnde August. *Non est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior: nam si virtus hæc nominata, est quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo omnino sublimior est mens inhærens Deo.* Idem in lib. de morib. Ecclesiæ.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: *Non est potestas super terram, &c.* Dicendum est, quod facienda est vis in hoc, quod dicitur [*potestas super terram*] vnde Gloss. *omnia humana su-* Iob. 41. Glossa.

na superat: & si meritis sanctorum subiaceat. Nec intelligitur per hoc quod habeat potestatem liberam in his terrenis, sed quod ex potentia suæ naturæ præeminet istis: operatur autem in istis, quantum Dominus permittit.

MEMBRVM III.

De pœna dæmonum quo ad intellectus obscurationem?

CONSEQVENTER dicendum est de pœna dæmonum, quæ est ex obscuratione intellectus, siue priuatione alicuius cognitionis, quam habuerunt, vel habituri essent, si stetissent. Et quæruntur quatuor in vniuerso. Primo quæritur de priuatione cognitionis quo ad Deum. Secundo quantum ad se. Tertio quantum ad virtutes. Quarto quantum ad res in proprio genere.

ARTICVLVS I.

An dæmones Dei cognitione priuati sint?

Isidor. in libro de summo bono.

QVANTVM ad primum sic. Videtur n. quod dæmones non sunt priuati cognitione Dei. Si enim non priuantur cognitione naturali, quam habuerunt: quod videtur per hoc quod dicitur ab Isidor. *Præuaricatores angeli sanctitate amissa, non amiserunt creaturæ angelicæ sensum.* Sed sensus angelicæ creaturæ nihil aliud est, quam cognitio naturalis angelorum: ergo habent cognitionem naturalem, quam habuerunt. Sed naturali cognitione potuit cognosci Deus, ergo dæmones non priuantur cognitione diuina.

Iob. 1.

¶ AD idem: *Cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit etiam inter eos Satan.* Ergo Satan fuit in conspectu Domini cum filijs Dei: ergo præsens fuit Deus ipsi, sed quibus Deus est præsens, ab illis cognoscitur: ergo cognouit Satan Dominum: ergo dæmones non sunt priuati cognitione diuina.

Matth. 8. Lucæ 4.

¶ Præterea, dicitur in Euangelio. *Vt quid venisti ante tempus torquere nos.* Et: *Scio quod sis filius Dei.* Ergo cognouerunt filium Dei: ergo cognouerũt Deum; non ergo sunt priuati cognitione diuina.

¶ CONTRA, Deus non videtur nisi ab his, qui habent mundiciam cordis, sed diabolus & angeli eius priuati sunt mundicia cordis: ergo priuati sunt cognitione diuina.

¶ PRÆTEREA, cognoscitur Deus, aut per fidem, aut per speciem: sed dæmones non habent cognitionem per fidem, cum fides sit donũ gratiæ, donum autem gratiæ non datur eis. Nec cognoscunt per speciem, cum hæc cognitio sit bonorũ, ergo dæmones priuantur cognitione diuina.

Aug. super Gen.

¶ ITEM, cognitio diuina est cognitio matutina, de qua loquitur August. super Gen. sed cognitione matutina priuati sunt dæmones: prius enim fuit diuisio lucis à tenebris, quam sequeretur distinctio inter vespere & mane: sicut habetur Genes. 1. dicitur enim ibi, *Diuisit lucem à tenebris: appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem: factumq; est vespere & mane dies vnus.* Si ergo angeli cadentes facti sunt tenebræ: & itaque per consequẽs nox: sicut dicit Ioan. Damasc. ad eos non pertinet cognitio matutina: ergo priuati sunt cognitione diuina.

Gen. 1.

RESOLVTIO.

Ea cognitione, qua Deus, vt lumen immutabile cognoscitur, à quo piorum corda illustrantur, & in quo cardinales rerum causæ elucescunt, priuantur quidem dæmones. At vero non ea, qua per effectus vel potentiæ, vel iustitiæ agnoscitur ille.

¶ AD quod dicendum, duplex est cognitio diuina. Vna est per hoc, quod est lumen incommutabile, in quo cognoscuntur causæ cardinales rerum, & quo illuminatur corda piorum, & hac cognitione non cognoscunt dæmones, sed ea priuantur. Est alia cognitio, quæ est per effectus temporales virtutis diuinæ, & hac cognitione possunt cognoscere, quæ quodammodo sunt vestigia, vel signa ducentia ad cognitionem ipsius creatoris, vel redemptoris. Præterea, est quædam cognitio per effectus ipsius iustitiæ: & hoc modo cognoscunt ipsi Deum tanquam iudicem. Iis ergo modis possunt dæmones cognoscere Deum: altera vero priuantur cognitione. Et hoc est quod dicit August. *Innotuit dæmonibus, non per id, quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios: sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possunt esse conspicua.* Item, in eodem: *Dæmones non æternas temporum causas, & cardinales in Dei sapientia cõtemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum maiore experientia multo plura, quam homines cognoscunt.*

Aug. 9 de ciuit. Dei. cap. 21.

Idem lib. eod. c. 22.

¶ AD illud ergo, quod primo obiectum est, quod dæmones non amiserunt omnino cognitionem naturalem, quam habuerunt angeli, sicut dicit Isidor. nihilominus tamen est obscurata illa cognitio naturalis boni, sicut etiam in hominibus malis.

Isidor.

¶ AD secundum vero dicendum, quod licet Satan esset in cõspectu Dei, vel coram Deo inter filios Dei bonos, sc. angelos: non tamen ideo cognouit eum, quemadmodum & boni angeli. Aliud enim est venire in conspectu Dei: & aliud Deum venire in conspectu eorum. In conspectu ergo Dei sunt dæmones, quia nihil latet ipsum, quod est in dæmonibus: Deus autem non est in conspectu eorum; quia non manifeste vident ipsum, sed per istas creaturas quoquo modo ipsum cognoscunt. Vnde Gregor. super illud Iob. *Deus eo intuitu, quo omnia spiritualia conspicit; etiam Satan in ordine subtilioris naturæ videt: non tamen Satan Deum videt, qui mundo corde videtur: sicut cæcus lumen non videt, quo illustratur.* Ponit autem August. tale exemplum super illud: *Et lux in tenebris lucet, &c. de cæco existente in lumine solis: sol enim si cognosceret & videret, cæcum videret: cæcus autem non videret solem.*

Gregor.

Aug. tract. in Ioan. circa finem.

¶ AD tertium dicendum, quod illa cognitio, qua cognouerunt filium Dei existentem in carne: magis dicenda est suspicio secundum Hilar. quam vera noticia. Vnde Hilar. super illud: Venisti ante tempus, &c. Magis suspicari, quam nosse credendi sunt. Præterea, cognouerunt eum in pœna præsenti, vel in futuro eis determinata. Vnde dicit August. *Tantum eis innotuit, quantum voluit: tantum voluit, quantum oportuit: non sicut angelis per hoc quod est vita & lux, sed sic eis terrendis per quendam virtutis effectum per quem potentiam eius timent ad pœnam.*

Idem li. 9. de ciu. Dei. c. 21. & vide locum.

An dæmones diuinæ incarnationis mysterium, humanæq; redemptionis Sacramentum agnouerint? §. 1.

¶ ADHVC etiam quæritur propter verbum Apostoli: *Si cognouissent, &c.* vbi dicit Gloss. *Dæmones non cognouerunt sententiam de redemptione humani generis per Christi mortem implendam.* Et alibi: *Non sciebant Sacramentum incarnationis & passionis.*

1. Cor. 2. Glossa.

Eadem.

¶ Sed videtur contrarium, cognouerunt enim ipsum filium Dei esse. Luc. 4. cognouerunt etiam ea, quæ dicta sunt per Prophetas: sed per Prophetas dictum erat de incarnatione & redemptione humani generis: ergo cognouerunt hoc Sacramentum.

Lucæ 4.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur super illud: *Surrexit interea Rex nouus.* Glos. *Mihi videtur ex his, quæ Prophetis & Patriarchis de aduentu Christi indicata fuerant; quia sentit *futurum, qui exuat principatus eius & potestates, & cum fiducia triumphet eos, & affigat in ligno crucis.* Sed quid aliud est sentire * futurum, nisi cognoscere Sacramentum redemptionis? ergo cognouerunt Sacramentum humanæ redemptionis.

Exod. 1. Glossa.

* Alias, venturum.

RESOLVTIO.

Non tunc primo: sed bene nunc postremo.

¶ AD quod dicendum, quod dæmones non tunc cognouerunt certitudinali cognitione ipsum esse Deum siue filium Dei. Vnde dicitur in Gloss. super illud. 1. Cor. 2. *Si dæmones Deum factum hominem non intellexerunt, quanto magis homines? Et post. Magis ex suspitione, quam ex cognitione dixisse credendi sunt, Quid nobis & tibi fili Dei?*

Glos. sup. 1. Cor. 2.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod illud sentire, de quo loquitur Orig. in gloss. nõ est aliud quam conijcere ex his, quæ dicta erant in lege & Prophetis: non n. sic cognouerint, quemadmodũ sancti Prophetæ: sancti n. Prophetæ ex reuelatione sibi factã cognouerũt: dæmones ex dictis in lege & Prophetis hæc

Origen.

conijce-

conieccerunt. Vel si aliqua certitudo fuit, quod filius Dei esset, per potentiam signorum; non præuidit tamen eius morte se esse damnandum: vel potestatem sibi esse auferendam. Vnde super illud. *Si cognouissent*, &c. Gloss. *Non suggereret diabolus illum crucifigi, per quem ius suum se perderet sciret.* Et super illud. *Exibant dæmonia*, &c. Gloss. *Non ideo illum crucifigit, quia filium Dei ignoret, sed quia eius morte se damnandum non præuidit: hoc enim mysterium est à seculis absconditum. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

1. Cor. 2. Glossa.
Lucæ 4. Glossa.

An dæmones quos hominum in præscientia Dei iuxta B. Bernardi sententiam agnouit; & nunc agnoscat? §. 2.

¶ ADHVC etiam quæritur de quadam cognitione, quam videtur B. Bernard. attribuere diabolo, sic dicens: *Puto per aquilonem reprobandos homines fuisse designatos: per sedem potestatem in illos, quos vtique in præscientia Dei quanto cæteris perspicacior præuidens, nullo sapientiæ radio coruscantes, nullo spiritus amore feruentes, velut vacuum repererit locum, affectasti super illa dominium.* Si ergo aliqua cognitio fuit in * præscientia Dei huiusmodi hominum, quæritur. Vtrum talem possit diabolus modo habere cognitionem. Quod non, videtur: quia ratio illius cognitionis fuit, eo quod erat vicinior Deo: & propter hoc perspicacior: cum ergo ceciderit ab hac vicinitate, cecidit per consequens ab alia perspicacitate; ergo modo non habet illam cognitionem.

Bern. in li. de gradib. humilita tis
** Alias, præscitu.*

¶ Sed videtur contrarium: quia illud, quod naturæ erat, non est ei ablatum: ergo si hoc erat ei ex natura primitus instituta, adhuc conuenit ei: ergo habet huiusmodi cognitionem. Præterea, multo magis præest ipsis reprobis modo; quam tunc: ergo quod est in eis, videtur magis cognoscere nunc quam tunc: si ergo tunc cognouerit eos non coruscantes radio sapientiæ: & modo potest cognoscere, vel cognoscit.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed mutata est talis cognitio: sicut & status eius mutatus est.

¶ Ad quod respondendum, quod si aliquam habuit angelus ille cognitionem de rebus in præscientia Dei quãtum ad primũ statum eius, non credo quod nunc habeat illum modum cognitionis: sed quod cognoscit, à parte inferiori cognoscit, & non à parte superiori. Cuiusmodi autem fuerit illa cognitio, non plene ex scripturis video.

¶ AD illud vero, quod objicitur: quod si illa cognitio aliqua fuit, fuit naturæ primitus institutæ: naturam autem primitus institutam adhuc habet, &c. Dicendum est, quod naturam eãdem habet adhuc, sed non omni modo cognoscendi, quo tunc cognouit. Tunc enim potuit cognoscere à parte superiori, & à parte inferiori: nunc autem conuersa est cognitio, vt principium cognoscendi sit à parte inferiori, & priuetur à parte superiori.

ARTICVLVS II.

An dæmones sui ipsorum cognitione priuati sint?

SECVNDO quæritur de priuatione cognitionis dæmonum quantum ad seipsos secundum eminentiam naturæ suæ. Si enim cognoscerent eminentiam naturæ suæ, ex ipsa cognitione sequeretur delectatio (delectatio enim est apprehensio conuenientis) si ergo non est in eis delectatio ex apprehensione boni, non est in eis ista cognitio.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicit Dionys. *Data ipsis angelica dona, nequaquam ipsa mutata esse dicimus, sed sunt integra & splendidissima: quamuis ipsi non videant, claudentes ipsorum boni conspectiuas virtutes.* Si ergo ipsi non vident dona eis data, licet ipsa integra sint; quia ipsi præcludunt sibi spectationem boni; priuantur ergo mali angeli cognitione ipsius status innocentiæ.

Dionys. in lib. de diu. nominib. cap. 4. circa mediũ aliis in vers. his in noua translatione.

¶ CONTRA. Cognitio sui ipsorum est cognitio naturalis, sed cognitio naturalis non aufertur per peccatum: ergo non priuantur cognitione naturali de seipsis.

¶ Præterea, ostenditur illud per simile: mens enim naturaliter cognoscit seipsam: si vero cadat anima in peccatum mortale, non aufertur quin possit seipsam cognoscere: Ergo à simili in dæmonibus, per peccatum, quin possint seipsos cognoscere cognitione naturali.

RESOLVTIO.

Dæmones sui ipsorum naturam aperte cognoscunt: si naturam dicamus, quod per peccatum minui non potest. Sin autem naturam intelligamus bonum quod per peccatum minui potest, nequaquam, nisi diminute.

¶ RESPONDENDVM est ad hoc, quod duplex est cognitio naturalis, secundũ quod natura dupliciter accipitur, siue bonum naturale. Accipitur enim aliquando natura pro illo bono, quod non potest diminui per peccatum: aliquando pro illo, quod potest diminui. Si primo modo accipiatur cognitio naturalis, non priuatur per peccatum ipsius: non n. ignorat malus angelus se esse spiritum, à corpore separatum. Si vero accipiatur cognitio naturalis quo ad secundum modum, non videtur cognitio naturalis esse in dæmonibus, nisi dicamus eam esse diminutam, vt sic cedat in pœnam.

¶ AD illud vero, quod objicitur primo ad primam partem. Dicendum, quod loquitur ibi de cognitione naturali, secundum quod cognitio naturalis dicitur cognitio naturæ bene ordinatæ in eminentia bonorum naturalium: hoc enim modo nõ habẽt ipsi dæmones cognitionem naturalem. Ad cognitionem enim naturalem huiusmodi sequeretur delectatio: ad cognitionem vero naturæ deformatæ non sequitur delectatio, sed tristitia.

¶ AD illud vero, quod dicit Dionys. de donis angelicis datis: intelligendum est, quod non dicuntur dona gratiæ gratum facientis: talia enim ablata sunt, si qua fuerunt, sed sunt dona gratiæ gratis datæ, quæ spectant ad bonitatem naturæ primitus institutæ: hæc autem si non sunt omnino ablata, nihilominus tamen sunt diminuta: non ergo mutata, id est, ablata omnino, sed mutata sunt, & plurimum diminuta. Quod autem dicitur, quod quædam dona sunt integra: intelligitur de potentia intelligendi, & habitu intellectiuo eorum, quæ naturaliter insunt. Quod etiam dicitur de claritate: intelligitur de acumine, siue perspicacitate intelligentiæ.

ARTICVLVS III.

An dæmones virtutum cognitione priuati sint?

TERTIO quæritur de priuatione cognitionis dæmonum quantum ad virtutes. Videtur enim quod possunt cognoscere virtutes: cognitio enim virtutum potest esse per se, vel per suos actus: per se autem virtutes cognoscere non possunt, cum virtutes eis nõ insint: per actus aũt cognoscere possunt: actus n. virtutũ aliquando mediante corpore fiunt, sed ea, quæ fiunt per corpus; possunt cognosci à dæmonibus: ergo esset actus virtutum, & ipsę virtutes mediantibus actibus.

¶ PRÆTEREA, dicit August. *Quod ipsas cogitationes per se non cognoscunt dæmones*: sed quibusdam indicijs certum est eas cognoscere. Si ergo æquè spirituales, vel spiritualiores sint ipsæ virtutes, & habent sua indicia; suis indicijs possunt cognosci virtutes. Sicut enim cogitationes sunt in mente, ita affectiones sunt in voluntate: & multo fortius habent affectiones indicia, quam ipsæ cogitationes.

August. in libro de diuinatione dæmonũ.

¶ CONTRA, virtutes essentialiter non sunt in dæmonibus: ergo per suam essentiam non possunt cognosci.

¶ ITEM, similitudines virtutum non sunt apud eos: similitudines enim à rebus accipiuntur, sed ipsæ virtutes siue in angelis bonis, siue in hominibus, non formant suas similitudines in dæmonibus, neque dæmones habent potestatem accipiendi, cum ratione status peccati sint inferiores: ergo dæmones non cognoscunt virtutes per speciẽ, siue similitudinem habitam apud intellectum: non ergo cognoscunt virtutes.

Idem.

¶ ITEM, August. *Si dæmones virtutem cernerent in ipsis hominibus, non tentarentur: si illam in Iob nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio posset diabolus cernere, nollet à tentato vtique superari*: eadem autē est ratio de alijs virtutibus. Ergo dæmones non cognoscunt virtutes in hominibus: multofortius nec in angelis sanctis: ergo non cognoscunt virtutes.

RESOLVTIO.

Cognitione per essentiam, vel per speciem ab essentia sumptam, vtique. Cognitione vero per priuationem, vel per effectum, nequaquam.

¶ AD quod dicendum, quod cognoscere virtutem, dicitur multipliciter. Est enim quædam cognitio virtutis per suam essentiam: quædam cognitio virtutis per effectum suum: & est cognitio virtutis per suam speciem: & est quædam cognitio virtutis per priuationem. Cognitio virtutis per priuationem, & per effectum potest esse in dæmonibus: cognitio autem per essentiam, vel per speciem sumptam ex essentia, non est in eis.

¶ AD obiecta autem per iam dicta respondendum est, quod licet dæmones non cognoscant virtutes per essentiam: cognoscunt tamen per priuationem, & per effectum. Nec hoc est contrarium, quod dicit Augustin. intelligit enim de cognitione certitudinali, quæ est rei per essentiam: non de cognitione, quæ est per effectum: illa enim non est cum certitudine, sed potest aliter contingere: cognitio vero, quæ est per priuationem, illa est per certitudinem apud ipsum.

August.

Quæstio incidentalis.

¶ HVIVS etiam gratia quæritur, si priuatio huius cognitionis dicatur esse pœna in dæmonibus. Si enim esset pœna in dæmonibus, à principio haberent huiusmodi cognitionem: sed à principio non habuerunt cognitionem virtutum per essentiam (supposito quod non essent conditi cum gratuitis) ergo carentia huius cognitionis non est pœna in eis: quod enim à principio est eis datum, non cedit in pœnam: cum nulla præcesserit culpa.

¶ SED contra. Videtur, quod sit pœna in eis: à principio enim potuerunt cognoscere virtutes per essentiam: nunc autem non possunt: ergo defectus huiusmodi cognitionis est pœna apud eos: cum illud sit defectus cuiusdam perfectionis, ad quam nati sunt.

¶ AD quod dicendum ex præmissa distinctione: cognitio enim virtutum est per effectum: & ista cognitio potuit esse à principio, cum natura erat bene instituta: & potest esse adhuc, cum natura sit corrupta. Cognitio autem, quæ est per essentiam, illa potuit esse à principio in ipsis angelis, qui postea ceciderunt, sed nunc non potest esse. Licet ergo à principio non habuerint cognitionem virtutum per essentiam (hoc supposito quod non sint conditi in gratuitis) non tamen fuit in eis pœna: sed modo carentia ista efficitur eis pœna: per peccatum enim meruerunt, vt carerent ipsis virtutibus, & cognitione virtutum per essentiam.

ARTICVLVS IV.

An dæmones priuati sint cognitione rerum in proprio genere?

QVARTO quæritur de priuatione cognitionis rerum in proprio genere. Et videtur, quod sint priuati perfecta cognitione rerum in suo genere. Cognitio enim rerum in proprio genere perfecta dicitur ab Augustin. cognitio vespertina: sed vespertina determinatur ibi per discretionem tenebrarum à luce: ergo cognitio vespertina non est in angelis, qui tenebræ dicuntur, sed cognitio perfecta rerum in proprio genere, dicitur perfecta: ergo angeli, qui dicuntur tenebræ, priuati sunt perfecta cognitione rerum in proprio genere.

Aug. super Genes.

¶ Præterea, duplex erat cognitio bonorum angelorum: matutina, & vespertina, sed matutina priuati sunt dæmones omnino: ergo vespertina, vel omnino est ablata ab eis, vel diminuta.

¶ CONTRA, Videtur quod cognitio rerū in proprio genere creuerit in dæmonibus (Plurimum n. habent nunc dæmones cognitionem, quam habuerunt à principio: & hoc videtur per hoc, quod dicit Isidor. *Triplici acumine scientiæ vigent dæmones, subtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione superiorum spirituum.*) Si ergo viget acumen scientiæ in eis experientia temporum, plura cognoscunt modo dæmones, quam prius cognouerunt.

Isidor. in lib. de summo bono.

RESOLVTIO.

Nequaquam: quia saltem illam experientia temporum & intellectus acumine sibi acquirunt.

¶ AD quod dicendum, quod sunt priuati cognitione rerum in proprio genere. Sed est duplex cognitio rerum in proprio genere: vna, quæ data fuit à principio, cum res in proprijs generibus erant creatæ: alia, quæ augetur per experientiam temporum. Prima vero duplex est: vna est naturalis, siue cum natura prius instituta: altera vero ex gratia. Cognitio autem dicitur vespertina, quæ est cognitio rerum in proprio genere ex gratia: & secundum hunc modum habuerunt boni angeli cognitionem rerum in proprio genere. Alio vero modo habuerunt cognitionem rerum in proprio genere angeli ex suo primo statu. Tertio vero modo sibi acquirunt angeli mali cognitionem.

¶ Cum ergo obijcitur, quod cognitio rerum in proprio genere fuit vespertina: hoc intelligitur de cognitione appropriata bonis angelis. Si autem loquamur de cognitione alia: illa habet remanere in damnatis. Si vero communiter accipiatur cognitio vespertina: nihil prohibet malos angelos habere cognitionem vespertinam: & tunc non distinguuntur à bonis nisi in hoc, quod boni habent cognitionem matutinam: mali vero priuantur ea. Et secundum hunc modum cognitio vespertina non esset data bonis angelis post diuisionem lucis à tenebris.

¶ AD aliud vero dicendum, quod nihil prohibet vno modo cognitionem rerum in proprio genere crescere in dæmonibus: illo vero modo non crescit, quo cognitio rerum in proprio genere dicitur cognitio generum, vel specierum; sicut enim non augetur numerus generum, aut specierum; sed idem est modo, quod fuit à principio: ita nec crescit cognitio. Sed indiuiduorum in generibus & speciebus contentorum, potest crescere cognitio: & effectuum, qui procedunt ex coniunctionibus rerum diuersis. Si autem pœna aliqua dicitur in eis ratione cognitionis rerum in proprio genere, hoc non est quia pauciora cognoscant, sed quia non ita clare cognoscunt.

MEMBRVM IV.

De pœna dæmonum quo ad potentiam motiuam.

DEINDE dicendum est de pœna in dæmonibus ex parte potentiæ motiuæ, scilicet rationalis: quæ dicitur vermis conscientiæ. Et quæruntur quatuor. Primo, vtrum pœna vermis sit in dæmonibus. Secundo, quantum ad quid attendatur in eis. Tertio, vtrum illa pœna in illis sit grauior alijs duabus, quas sustinent, scilicet pœna carentiæ visionis diuinæ, & pœna afflictionis in igne gehennæ. Quarto, vtrum puniantur simul, an successiue pœna vermis pro omnibus peccatis ab ipsis perpetratis & commissis.

ARTICVLVS I.

An in dæmonibus sit pœna vermis?

AD primum sic: videtur quod pœna vermis sit in dæmonibus: habent enim conscientiam peccatorum suorum: & ex hoc affliguntur, & irremediabiliter cruciantur, sed ex his accipitur ratio vermis conscientiæ, secundum quod dicit B. Bernard. *Vermis ille innatus est conscientiæ per peccatum: & hæret firmiter, nequaquam euellendus: nec cessat rodere.* Cum ergo hæc sint in dæmonibus: erit vermis conscientiæ in dæmonibus.

Bernar. ad Eugeniū.

¶ Præterea,

¶ PRÆTEREA, per contrarium potest argui: sicut n. gaudium in conscientia est ipsis bonis angelis, ita pœna in conscientijs ipsis impiis, sed in bonis est huiusmodi gaudium: ergo in malis est huiusmodi pœna: hæc autem est pœna vermis: ergo in dæmonibus est pœna vermis.

¶ ITEM, angelus peccans cum sit nobilioris status in naturalibus, quam homo; non est nobilioris conditionis cum peccat. Sed homo cum peccat, incidit in triplicem pœnam: respectu Dei, ratione cuius visionis carentiam habet: respectu sui, ratione cuius vermem habet cōscientiæ de peccatis: respectu eius, quod exterius est, ratione cuius habet afflictionem gehennalem: Angelus igitur malus similiter habebit hanc triplicem pœnam, cum sit ad vnamquamq; possibilis.

Scilicet, opus.

¶ Præterea, cognitio peccatorum non deletur apud spiritum peccantem, nisi per pœnitentiam: sed pœnitentia non est in angelis malis: ergo cognitio peccatorum remanentium in eis, cedit in afflictionem eis: sed cognitio peccatorum cedens in afflictionem, est vermis: ergo vermis conscientiæ est in dæmonibus.

¶ CONTRA, Dicitur in Gloss. super illud: *Vindicta carnis impij ignis & vermis, &c. Vermis est fera scelerum pœnitentia: quæ in tormentis conscientiam peccatorum mordere non cessat*: Sed fera pœnitentia scelerum non est in dæmonibus: ergo vermis conscientiæ non est in eis.

Eccles. 7. Glossa.

¶ ITEM, Ioan. Damasc. *Conscientia est lex mentis nostræ, quæ repugnat legi carnis.* Sed vermis est in conscientia: cum ergo conscientia mentis vel spiritus repugnans legi carnis, non sit in dæmonibus: non erit conscientia in eis: ergo nec vermis conscientiæ.

Damasc. lib. 4. c. 14.

¶ ITEM, dicitur: *Testimonium reddente illis conscientia eorum, &c.* Sed istud testimonium non est in angelis malis, cum iam damnati sint: ergo vermis conscientiæ, qui prouenit ex testimonio huius conscientiæ, non est in damnatis: ergo non est in ipsis dæmonibus.

Rom. 2.

¶ ITEM, conscientia est ex duplici scientia (hoc enim designat nomen cōscientiæ.) Est n. cognitio faciendorum vel non faciendorum, & collatio ad particularia. Si ergo collatio cum particularibus non est in angelis, cum non vtantur ratione secundum proprietatem rationis: non erit conscientia propriè dicta in angelis.

RESOLVTIO.

Est & in dæmonibus pœna vermis conscientiæ: sed suo modo. Quia illa propriè hominum est.

¶ AD quod dicendum, quod vermis conscientiæ est in angelis malis, sed nō secundum omnem actum, sed secundum illum, qui competit eis.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod illud, quod dicitur in Glos. super illud: *Quod vermis est fera scelerum pœnitentia*: non intelligitur de verme, qui est in dæmonibus, sed de verme, secundum quod est in hominibus malis iam damnatis: de quibus dicitur: *Tunc dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.*

Eccles. 7.

Sapien. 5.

¶ AD secundum vero dicendum, quod est conscientia, quæ est lex intellectus; quæ dictat, quid est faciendum, & quid non: & secundum hunc modum conscientia potuit esse in angelis. Conscientia autem prout est lex mentis repugnans legi carnis, in hac ratione non est in angelis, sed hoc non est nisi secundum quendam actum (conscientia enim habet multiplicem actum) actus autem iste est in hominibus, vbi est nunc ista repugnantia: ante enim lapsum hominis fuit conscientia in ipso: & tunc non erat repugnantia legis mentis respectu legis carnis: vnde non est de essentia ipsius cōscientiæ huiusmodi actus. Vnde licet conscientia secundum huiusmodi actum non sit in dæmonibus: nihilominus tamen vermis conscientiæ, qui attenditur secundum remorsum peccatorum in ipso spiritu permanentium, est in ipsis.

¶ AD tertium dicendum: quod licet iam damnati sint; nihilominus adhuc quantum ad aliqua peccata damnandi sunt, & quo ad illa testimonium reddit conscientia contra illos: prout dicitur: *Ex iniquis omnes filij, qui nascentur, testes erunt nequitiæ.*

Sap. 4.

¶ AD quartum dicendum, quod licet conscientia in homine sit ex collatione duplici: in angelis tamen non est secundum omnem modum. Est tamen in angelis collatio vniuersalis, quod est in mente, ad particularia: vt cum peccant secundum rationem vniuersalis in mente, dictetur esse peccatum, & secundum hoc sunt remorsus conscientiæ, vel in faciendo, vel in iam facto.

ARTICVLVS II.

Quo ad quid vermis pœna in dæmonibus ipsis attendatur?

SECVNDO quæritur, quantum ad quid attendatur pœna vermis in dæmonibus. Dicitur enim quod sit quantum ad arguitionem peccati, secundum illud: *Arguam te, & statuam contra te faciem tuam.* Facies autem nihil aliud dicitur, nisi ipsa conscientia remordens.

Psal. 49.

¶ Similiter super illud: *Scit conscientia, &c.* Gloss. *Qua iudice, nemo absoluitur nocens.* Sed constat quod habent naturale iudicatorium, quod non aufertur per peccatum: ergo cum dæmones sint nocentes in iudicio conscientiæ non absoluuntur: ergo vermis cōscientiæ est ad damnationem ipsius peccatoris, & ita angeli mali.

Eccles. 7. Glossa.

¶ PRÆTEREA, dæmones sunt spiritus separati à corporibus, sed spiritibus separatis à corporibus magis cōuenit pœna spiritualis, quam corporalis: ergo cum vermis conscientiæ sit pœna spiritualis; magis conueniet angelis malis, quam ignis gehennæ: sed ignis gehennæ congruit eis ad pœnam: ergo vermis conscientiæ congruet eis ad pœnam interiorem.

¶ ITEM, super illud Esaiæ 14. *Subter te sternetur tinea, &c.* Gloss. *Tinea & operimentum vermium, pœna æternæ sunt, quas propria gignit conscientia.* Sed propria conscientia non gignit nisi pœnam vermis per se, ibi autem loquitur de diabolo sub figura Nabuchodonosor: vnde & dicitur ibi Lucifer: ergo pœna vermis competit sibi.

Esaiæ 14. Glossa.

¶ Sed contra videtur, quod pœna vermis non conueniat eis: vermis enim de carne nascitur, & carnem consumit: si ergo transfertur nomen vermis, trāsferetur vbi erit ratio carnis spiritualiter, sed ratio carnis spiritualiter non est, nisi vbi viget concupiscentia carnalis, quæ est fomes vel ex fomite: hoc autem non est in dæmonibus: ergo vermis conscientiæ non est in dæmonibus tanquam pœna.

¶ PRÆTEREA, in Euangelio & Prophetis, vbi loquitur de pœnis; coniungitur vermis cum alijs pœnis, quæ debentur homini damnato: vnde in pœnam damnatorum assignatur vermis, sicut dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et: *Bonum est luscum intrare in regnum Dei, quā duos oculos habentem mitti in gehennam*: vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Et: *Dabis ignes & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Similiter: *Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Vbi autem loquitur de pœna diaboli, tantum fit mentio de igne, non de verme: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ex quo videtur, quod non est ipsius vermis conscientiæ punire spiritus separatos, sc. dæmones.

Esa. vlt. Marci 9.

Iudith. 16. Eccles. 7.

Math. 25.

¶ PRÆTEREA, si vermis (ad litteram) est rodere vel consumere lignum, aut vestem, aut carnem, de qua oritur, oportet, quod in dæmonibus inueniatur aliquid, quod semper rodi vel consumi possit: illud non erit nisi aliquod bonum, quod possit minui in dæmonibus: si ergo nullum est bonum infinitum in eis, non potest ibi esse vermis, quātum ad hunc effectum. Quod autem ille sit effectus istius vermis, patet per hoc quod dicitur: *Sicut vestimentum, sic comedet eos vermis*: vbi dicit Gloss. *conscientia, quæ nunquam moritur.* Sed qualiter quidem potest comedere nisi consumat?

Esaiæ 51. Glossa.

RESOLVTIO.

Quo ad peccata, quæ nunquam in ipsis delentur.

¶ AD quod dicendum, quod pœna illa conscientiæ super peccatis, quæ nunquā delentur, est in ipsis dæmonibus: & dicit rem illius pœnæ, quæ dicitur vermis. Ratio tamen vermis quantū ad aliquē actū magis propriè conuenit animabus

mabus damnatis, quam ipsis dæmonibus: quo ad aliquem autem effectum communiter est in his & in illis. Quantum enim ad hoc, quod gignitur ex remorsu conscientiæ, commune est vtrobique: quãtum autem ad hoc quod vermis proprie dictus gignitur ex corpore, & per similitudinem ex reformante se corpori, in animabus damnatis dicitur esse vermis. Et ideo scriptura, quando loquitur de pœnis damnatorum; vniuersalius loquitur de pœna vermis in hominibus siue in animabus: rarissime autem de pœna vermis in dæmonibus.

¶ Ad illud vero, quod deinceps quæritur: quid rodatur ab illo verme? Dicendum est, quod ipsa habilitas conscientiæ ad bonum: quæ semper magis & magis consumitur, nec tamen omnino tollitur: quia illa habilitas est naturalis, & est in natura immortali: vnde manente natura illa, semper manet conscientia peccati, & minuitur bonum conscientiæ: & illud commune est in dæmonibus & animabus damnatis. Et licet bonum illud non sit infinitum magnitudine siue virtute: est tamen infinitum in diminuendo Vel potest dici quod illa infinitas est quantum ad durationem: & quod non consumitur magis & minus, sed semper ipsa consciẽtia roditur, nulla facta abiectione alicuius boni: & quia escam suam inuenit perpetuam, nunquam moritur: esca autem sua est ipsum peccatum, quod est in cõscientia. Vnde dicit Bernar. *Hic vermis est, qui non moritur memoria præteritorum: semel innatus per peccatum, firmiter hæsit, nequaquam deinceps auellendus: nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca inconsumptibili, perpetuat vitam.* Bernar. li. vltimo ad Eugen. um

ARTICVLVS III.

An pœna vermis in dæmonibus grauissima sit pœnarum omnium.

TERTIO quæritur, Vtrum illa pœna grauior sit aliis duabus pœnis, quas sustinent, scilicet carentia visionis diuinæ, & afflictione in igne gehennæ. Et videtur, quod illa pœna sit grauissima. Dicit enim Isid. quod *nulla pœna grauior est pœna conscientiæ.* Cum ergo hæc sit in dæmonibus, erit illa pœna grauissima. Isid. in lib de ecclesiastica institutione.

¶ Sed videtur contrarium: dicit enim Chrysost. quod *nulla pœna maior est, quam separari à visione Dei*: ergo carentia visionis Dei est maxima pœna. Cum enim illud sit summum bonum, carentia illius erit maximum malum. Chrysost.

¶ Sed videtur, quod pœna gehennæ sit eis maxima pœna: nihil enim est, quod ita actualiter affligit.

¶ Præterea, spiritum subesse corpori pœnaliter, est maxime afflictiuum ipsius spiritus: sed dæmones sunt spiritus, ignis vero gehennæ corpus: ergo dæmones subesse pœnaliter igni æternæ gehennæ, est eis maxima pœna.

RESOLVTIO.

Grauissima, at non simpliciter. sed quo ad inhærentiam.

¶ AD quod dicendum: quod pœna potest dici maxima secundum diuersos modos: vel quo ad damnum: vel quo ad sensum: vel quo ad maximam adhærentiam in punito. Primo modo est carentia visionis Dei: si enim intelligeremus per impossibile, quod homo haberet visionem Dei, & tamen cæteris pœnis puniretur: non tantum damnificaretur, sicut in sola carentia visionis Dei damnificatur. Secundo modo dicitur ignis gehennæ maxima pœna: cum maxime affligat, & maxime sentiatur. Tertio modo dicitur vermis interior: cum sit pœna immediate inhærens ipsi spiritui. Et hæc fuit ratio Isido. vnde subdit. *Mens malæ conscientiæ proprie his stimulis agitatur.*

ARTICVLVS IV.

An dæmones simul, vel successiue pœna vermis puniantur pro quibusque peccatis ab ipsis perpetratis.

QVARTO quæritur, Vtrum dæmones puniantur pœna vermis simul, aut successiue pro omnibus peccatis ab ipsis perpetratis. Et videtur, quod successiue puniantur: pœna enim est secundum conscientiam peccati: & pœna actualis est, cum est actualis cognitio peccati: sed vna & eadem cognitione actuali non cognoscit hoc peccatum, & illud: cum ergo actuales cognitiones non sint simul, sed secundum prius & posterius, non erunt cognitiones actuales huius peccati & illius simul: & pœna actualis sequitur cognitionem: ergo pœna sequens actualem cognitionem vnius peccati, non erit simul cum pœna: consequenti actualem cognitionem alterius peccati: ergo non simul puniuntur dæmones hoc genere pœnæ pro diuersis peccatis.

¶ CONTRA, cum dicitur *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium*: transitus ille non attenditur secundum successionem, sed secundum pœnarum variationem pro diuersis peccatis, Est enim quoddam peccatum ex timore male humiliante, & ei respondet illa pœna, quæ signatur per aquam niuis. Et est peccatum ex amore male accendente: & ei respondet pœna ignis: & sicut peccata continuantur in subiecto, ita & pœnæ debitæ pro peccatis. Sic ergo sicut simul sunt illæ pœnæ: ita pœna vermis pro vno peccato, & pœna vermis pro alio peccato simul erunt. Iob. 24.

¶ Præterea super illud. *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo.* Glo. *In mente damnatorum secundum promissam vmbram cæcitatis magna erit confusio, quæ intus eos cruciet, sicut flamma foris.* Sicut ergo flamma foris simul affligit pro diuersis peccatis: ita & hæc confusio intus cruciabit simul pro diuersis peccatis. Iob. 10. Glossa.

RESOLVTIO.

Simul: sicut & foris simul cruciabuntur.

¶ QVOD concedendum est. Vnde pœna conscientiæ pro omnibus peccatis simul affliget.

¶ Nec est hoc contrarium, quod supra obiectum est: sicut enim peccatum, simul est cum peccato: ita conscientia huius peccati simul cum conscientia illius. Manebit ergo in eis ad cumulum pœnæ aspectus diuersorum peccatorum simul. Et sicut cedit ad cumulum gloriæ in sanctis quod simul possunt aspicere diuersa, quæ delectant: ita ad cumulum pœnæ in damnatis erit, quod simul poterunt aspicere diuersa, quæ tristant.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur quod non erunt actuales cogitationes simul &c. Respondendum est per interemptionem.

MEMBRVM V.

De pœna dæmonum ex parte voluntatis?

DEINDE quæritur de pœna dæmonum ex parte voluntatis. Et primo de gaudio, de quo quæruntur quatuor. Primo, vtrum gaudium aliquod sit in ipsis dæmonibus. Secundo, si est gaudium in eis, vtrum cedat in pœnam. Tertio, si dæmones habeant dolorem pœnæ præsentis. Quarto vtrum timeant pœnam.

ARTICVLVS I.

An in dæmonibus gaudium aliquod sit?

CIRCA primum videtur, quod non sit in eis gaudium: gaudium enim est ex apprehensione conuenientis: apprehensio autem conuenientis vel est in præsenti, vel in præterito, vel in futuro. Sed apprehensio conuenientis in præterito non adgenerat in eis gaudium, ab illo enim conuenienti in præterito priuati sunt: apprehensio autem cõuenientis in præterito cum priuatione non adgenerat gaudium, sed dolorem: ergo non habent huiusmodi gaudium. Nec habent ex apprehensione boni in præsenti: cum bono præsenti gratuito sint priuati, & naturali, quod ordinatur ad gratuitum, ergo non habent ex illo gaudium, licet enim habeant bonum naturæ, quod non potest auferre; & illud cognoscant: non tamen ex illo sequitur gaudium. Vnde Aug. *Ipse dolor testimonium est boni adempti, & boni relicti: nisi enim bonum relictum esset, bonum amissum dolere non possent.* Licet ergo habeant huiusmodi bonum naturæ: tamen quia ab illo fuit priuatio boni gratuiti, non consequitur gaudium, sed dolor. Nec habent gaudium ex apprehensione boni in futuro: cum spes euasionis à pœna tollatur ab eis: sicut dicitur. *Spes eius frustrabitur*: non ergo habent dæmones gaudium. Aug. 19. de ciuit. Dei Cap. 13. Iob. 40.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicit August. *Diabolus potestatem habet in eis, qui præcepta Dei contemnunt: & de hac tam infelice potestate lætatur, qui solebat, antequam caderet,* Aug. aduersus Manichæos.

de sublimi veritate gaudere, in qua non stetit. Ergo dæmones habent aliquod gaudium.

¶ Præterea, à peccatore, dum potest peccare, non aufertur gaudium peccati: secundum quod omne peccatum ex libidine est: & ita in omni peccato est delectatio. Cum ergo dæmones sint in statu, in quo possint peccare, & peccant: habent delectationem peccati, & ita gaudium.

RESOLVTIO.

* *Est profectò nunc vsque ad iudicium: sed nimis amarum.*

¶ Ad quod dicendum est, quod gaudium potest esse in dæmonibus: sed illud non est gaudium verum, sed omni amaritudine respersum. Hoc autem non est, nisi quia adhuc habent statum, in quo possunt demereri: cum autem omnino erunt in statu retributionis pro omnibus peccatis: auferetur ab eis omnino gaudium.

¶ Ad illud vero, quod objicitur in contrarium. Dicendum est, quod gaudium illud est, non ex apprehensione simpliciter conuenientis: sed quod videtur sibi conueniens. Videtur autem conueniens siue delectabile ipsis dæmonibus habere potestatem in eos, qui præcepta Dei contemnunt: & ita videtur esse gaudium ex illo, quod videtur bonum esse in præsenti.

ARTICVLVS II.

An gaudium, quod in dæmonibus est, cedat eisdem in pœnam?

Aug. in lib. de libero arbitrio. SECVNDO quæritur, Vtrum gaudium in dæmonibus, si est, cedat in pœnam. Videtur quod non per hoc, quod dicit August. *Pœna est affectio inuoluntaria, & conuersio.* Sed gaudium non est affectio inuoluntaria: (non enim vellent non gaudere dæmones) ergo gaudium non est in pœnam dæmonibus.

Aug. super Genes. ¶ Sed contra hoc est, quod dicit August. *Pœna est diabolo, vt in potestate habeat peccatores:* & inde maior est eis pœna: quia de tam infelici potestate lætatur. Ergo gaudium est in pœnam dæmonum.

RESOLVTIO.

Quinimmo in peccatum.

¶ Ad quod dicendum, quod gaudium in ratione gaudij, non sonat in pœnam, sed magis in peccatum. Quod autem dicitur esse pœna, hoc intelligitur effectiue, vel materialiter. Effectiue, quia gaudium inordinatū meretur pœnam. Materialiter vero, quia de hoc quod gaudium habent, consequenter affligitur.

ARTICVLVS III.

An dæmones dolorem pro pœna in præsenti habeant?

CONSEQVENTER quæritur de pœna dæmonum, quæ est dolor: & hoc respectu mali præsentis. Et videtur,
Exod. 20 quod non habeant dolorem pro pœna in præsenti; sed quod referatur in futuro, propter hoc, quod dicitur. *Visitans peccata patrum &c.* Diabolus, quia iam peccandi modū excessit, tanquam vestimentum concretum sanguine non erit mundus, in hoc seculo non flagellatur pro peccato: omnia enim seruantur in futurum. Si ergo non flagellatur in præsenti pro peccato, sed seruatur in futuro; cum dolor in præsenti sit flagellum, non habent dolorem in præsenti.

¶ Præterea, gaudium & dolor sunt opposita: cum ergo gaudium de potestate contineatur in præsenti: dolor, qui opponitur gaudio, non inerit in præsenti: non ergo dolor erit pœna in præsenti.

Aug. in lib. 19 de ciuit Dei cap. 13 ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicitur in Lib. de ciuit. Dei 19. *Sicut lætitia deserti boni in peccato testis est voluntatis malæ, ita dolor amissi boni in supplicio testis est naturæ bona &c.* Et loquitur ibi de statu dæmonum. Ex quo accipitur, quod dolorem habent de amisso bono.

¶ Præterea, delectationem habuerunt in primo peccato: delectationi autem conueniens pœna respondet afflictio, siue dolor; ergo dolorem habent in præsenti pro pœna.

RESOLVTIO.

Habent, sed pro bono iam miserrime amisso.

¶ Ad quod respondendum: quod dolorem habent in præsenti tanquam pœnam: pro bono amisso, quod consequi potuerunt.

¶ Ad illud vero, quod objicitur in contrarium. Dicendum est: quod est quædam pœna corrigens in præsenti: & hac pœna non flagellatur diabolus pro peccato, quia non erit mundus in hoc seculo. Et est pœna condemnans: & illa licet inchoetur in præsenti, cōsummabitur in futuro: & ratione illius dicitur, omnia seruantur in futurum, id est, consummatio: non quod in præsenti non puniantur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod gaudium & dolor cum ad eandem rem referuntur, sunt opposita: cum autem ad diuersa referuntur, non sibi opponuntur. Vnde dolor de casu à sublimi veritate, & lætitia de infelici * potestate, in præsenti non sibi opponuntur: propter quod nihil prohibet hæc duo simul inesse in dæmonibus. In futuro *Alias, pace. vero erit dolor sine gaudio: vnde August. *In extremo supplicio recte fit, vt impij naturalium bonorum damna in cruciatib. defleant, sentientes ablatorem eorum iustissimum Deum, quem contempserunt benignissimum largitorem.* Aug. li. 19 de ciu. Dei cap. 13.

ARTICVLVS IV.

An dæmones pœnam, quam sustinent, timeant?

POstmodum quæritur de pœna dæmonum, quæ dicitur timor. Et quæritur, vtrum timeant pœnam. Quod videtur: serui enim peccati est timere: sed diabolus est seruus peccati. (Qui facit peccatum, seruus est *peccati*) ergo eius est timere pœnam. Ioan. 8.

¶ PRÆTEREA, dæmones credunt & contremiscunt. Iacob. 2. Sed quid est illud credere, nisi certitudo de pœna: ex certitudine vero pœnæ futuræ sequitur timor: ergo dæmones timent: sed timor ille non est nisi potentiæ diuinæ punientis: ergo habent timorem pœnæ. Iacob. 2.

¶ Præterea, *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei, venisti ante tempus torquere nos:* Ergo certi erant de pœna futura: sed ex certitudine mali in intellectu sequitur timor in affectu: ergo habuerunt timorem in affectu: sed timor pœnæ secum habet pœnam adiunctam, secundum quod dicitur. *Timor pœnam habet:* ergo habent timorem pœnalem. Matt. 8. 1. Ioan. 4.

¶ Contra. *Factus est, vt nullum timeret:* super quo B. Greg. *Nullum timeret, videlicet quia nec Deum: sed neque hoc quod passurus est, metuit: cui nimirum felicius fuerat timendo supplicia vitare, quam non timendo tolerare.* Et alibi, *Nunc omnino non timens, omnibus suppliciis subiacet: qui elementis etiam superesse poterat, si vnum, quem debuit, timere voluisset. Vnde profectò timeret omnia possidens, qui nunc vnum non timens, omnia patitur.* Ex quibus colligitur, quod dæmones non habent timorem pœnæ, quam sustinent: sed nec Dei, pœnam infligentis. Iob 41. Greg li. 34. Moralium

¶ Præterea, timor seruilis facit abstinere ab actu peccati: sed dæmones nullatenus abstinent ab actu peccati: ergo non videtur esse in eis timor seruilis.

¶ Præterea, Greg. super illud. *Quare non in vulua mortuus sum. Cum pœna timetur, sed facies Dei non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate: quia superbit, qui peccatum, si liceat non puniri, non deserit.* Ergo videtur, quod habens timorem seruilem, ex consideratione pœnæ non peccet: sed hoc non est in diabolo: ergo in diabolo non est huiusmodi timor pœnalis. Greg. super Iob. 5.

RESOLVTIO.

Timent, verum vt affligentem, sed non vt à peccato cohibentem.

¶ Ad quod dicendum: quod vno modo est timor in diabolo, alio modo non. Timor enim secundum quod comes est humilitatis, non est in ipso: cum superbia maxime sit in ipso, quæ opponitur humilitati, & per consequens timori: & hoc modo intelligitur illud. Factus est, vt nullum timeret: ex superbia .n. est in eo arrogantia & præsumptio: propter quam non timet illum, quem timere deberet: & ex hoc peccat. Ex alia vero parte timor sonat in pœnam: & secundum hoc est in diabolo. Sed adhuc distinguendū, quia timor pœnalis aliqñ reuocat hominem à peccato, vel cohibet ab actu peccati: & hoc mō non est timor pœnalis in eo.

Alio

Alio vero modo est in augmentum pœnæ, inflictus pro peccato præcedēti:& secundū hoc timor pœnalis est in eo.

¶ Per hoc potest responderi ad obiecta: cum enim dicitur, quod timor est in eo: intelligitur de timore pœnali, non cohibente ab actu peccati: sed affligente pro peccato.

Iob. 40. ¶ Quod autem dicitur *Factus est, vt nullum timeret*: intelligitur de timore cohibente à peccato: ex superbia enim est, quod non cohibet se à peccato per timorem Dei: sicut est de illo, qui ex audacia siue temeritate delinquit.

Gregor. ¶ Similiter illud, quod dicit B. Greg. quod *non timet Deum*: intelligitur de timore seruili, qui cohibet á peccato.

¶ Quod etiam dicit ipsum non timere pœnam, hoc similiter intelligitur, quod non ita timet, quod propter hoc à peccato desistat. Vnde est duplex timor seruilis. Vnus cohibitorius à peccato: & hoc modo intelligitur illud B. Greg. quod dicit super Iob.3. Et quod alibi dicitur. Viuit in eo voluntas peccandi, & sequeretur peccandi libertas, si speraretur impunitas. In diabolo vero viuit voluntas peccandi, & timor in ipso est ex tumore: sed non desistit à peccato propter timorem pœnæ: immo in præsenti magis exardescit ad culpam. Aug in Epistola ad Bonifaciū.

Iac. 2. ¶ Ad illud, quod dicitur quod dæmones credunt, & contremiscunt, intelligitur de timore seruili, quo timetur iustitia Dei, & non amatur: qui non procedit ex fide, secundum quod est virtus informis, sed ex quadam certitudine pœnæ.

MEMBRVM V.

De pœna locali dæmonum.

DEinde procedendum est post determinationem pœnæ spiritualis, ad considerationem ipsius pœnæ localis, quæ fuit casus in aerem caliginosum de cœlo empyreo, vel in infernum: vnde dicitur *Videbam sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Lucæ 10.

¶ Et quæruntur quatuor: primo, vtrum sit eis pœna, esse in isto aere caliginoso. Secundo, quomodo ibi puniantur. Tertio, vtrum tantum ille casus localis sit eis pœna: an sint etiam alii casus locales eis in pœnam. Quarto, vtrum omnes ceciderint in habitationem aeris caliginosi: aut quidam ceciderunt in habitationem aeris caliginosi, quidam vero in infernum.

ARTICVLVS I.

An dæmonibus pœna sit, in aere hoc caliginoso esse?

AD primum sic: videtur, quod non sit eis pœna: sunt enim in isto aere caliginoso ad tentandum humanum genus, sed tentare humanum genus est eis voluntarium: ergo locus conueniens ad tentandum placet eis: non ergo est eis pœnalis.

August. Lib. 3. super Genes. cap. 10. ¶ Præterea, dicit Aug. quod dæmones dicuntur aerea animalia, quoniā corporū aereorum natura vigent: nec per mortem dissoluuntur, quia præualet in eis elementum aptius ad faciendum, quam ad patiendum: ad patiendum enim sunt humor, & humus, ad faciendum vero aer & ignis. Si ergo sunt in aere caliginoso assumentes corpus aereum, assumunt corpus actiuum, non passiuum, assumentes autem corpus actiuum, non patiuntur pœnam ex hoc, sed magis inferunt: ergo esse in aere caliginoso non est eis pœna.

Ephes. vlt. ¶ Præterea, dicit Apost. quod sunt rectores tenebrarum harum: ergo dominantur, sed quod dominatur, ab illo non patitur, cui dominatur: dæmones ergo non patiuntur ab aere, nec ab alio corpore ibi puniuntur: ergo non puniuntur.

August. 3. super Gen. cap. 10. ¶ Quod autem sit pœna, videtur per hoc, quod dicit Aug. *Ista caliginosa aeris tantum tenere permissi sunt, qui eis quasi carcer est vsque ad tempus iudicij.* Sed esse in carcere, est pœna incarcerato, ergo ipsis dæmonibus est pœna esse in aere caliginoso.

¶ Præterea, si habebant angeli corpora per assumptionem, antequam caderent; habebant corpora sumpta de æthere luminoso, vel nulla habebant: sed post casum habent corpora assumpta de aere caliginoso, ergo quo ad hoc mutantur in statum deteriorem: sed mutati in statum deteriorem, est pœna: ergo dæmones ex hoc quod in aere caliginoso sunt, pœnam habent.

¶ Præterea, dicitur *In hoc aereo cælo & in terris dæmonum & hominum est miserrima vita, erroribus ærumnisq; plenissima.* Sed miserrima vita non est sine pœna: ergo pœna est ipsis dæmonibus esse in hoc cœlo aereo, siue caliginoso aere. Augu. 10. de ci. Dei cap.

RESOLVTIO.

Quinimo grauissima, cum sit locus inconnaturalis eisdem.

¶ Ad quod dicendum est: quod datum est eis in pœnā esse in aere caliginoso. Locus enim in quo conditi sunt, erat cœlum empyreum, quod est luminosum, & quasi locus connaturalis eis: esse ergo perpetuo in loco tenebroso vel caliginoso, inflictū est eis, qui noluerunt tenere habitationem luminosam: non quod pœna esset angelo bono esse in loco tenebroso, vt si angelus bonus mittatur ad has partes inferiores: sed ideo cedit eis in pœnam, quod reuerti nō possunt ad regionem luminis sibi connaturalē. Deferunt etiam secum tenebras interiores, quæ magis sunt eis in pœnam, quam tenebræ exteriores. Sic ergo est pœna ipsorum dæmonum.

¶ Ad obiectum autem primo in cōtrarium. Dicendum est, quod licet gaudeant de tentatione hominis: non tamē gaudent de dispositione loci, in quo tentant: cum illa dispositio loci disconueniens sit naturæ primæ institutæ.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet aer sit de corporibus actiuis respectu terræ & aquæ; habere tamen aereum corpus tenebrosum, cedit in rationem passibilis: non quod aer ipse agat in ipsos dęmones inferendo eis pœnam: sed ipsi ex innaturali sibi habitatione pœnā accipiūt.

¶ Ad tertium dicendum: quod licet dominentur ipsis peccatoribus, qui per tenebras designantur: nihilominus tamen hoc dominium concomitatur quędam pœna. Vnde dicit Aug. *Pœna est diabolo, vt in potestate habeat eos, qui præcepta Dei contemnunt: sicut esset de aliquo, qui esset de familiaribus alicuius regis, & post factus esset carcerarius ad custodiendum malefactores, & cum ipsis malefactoribus puniretur.* Aug. super Genes. aduersus Manich.

ARTICVLVS II.

A quo, & quomodo dæmones in caliginoso hoc aere puniantur, patianturue?

SEcundo quæritur, quomodo dæmones in aere caliginoso puniantur. Si enim angelis sanctis non est gaudiū, esse in corpore luminoso quocumque: vt si essent in aere illuminato; non propter hoc esset eis maius gaudium: ergo per oppositum non erit pœna ipsis dæmonibus, quod sunt in corpore caliginoso.

¶ Præterea, corpus naturaliter inferius est spiritu: ergo non agit in spiritum: aer autem caliginosus est corpus: ergo non agit in spiritum dæmonis: ergo nulla passio infertur ab ipso corpore: & omnis pœna passio est: ergo nullo modo pœna ex corpore caliginoso infertur ipsis dæmonib.

¶ Sed contrarium videri potest: quia pœna dicitur affectio inuoluntaria: affectio autem inuoluntaria in dæmonibus est esse in aere caliginoso, videlicet contra voluntatem primitus institutam: ergo est pœna in illis.

¶ Præterea, ignis gehennæ licet corporeus sit, nihilominus affligit ipsos spiritus delinquentes ex Dei ordinatione. Ergo pari ratione cum aer caliginosus sit corpus, non impeditur, quin possit esse in pœnam ipsis dæmonibus.

RESOLVTIO.

A caligine eiusdem, ex Dei ordinatione.

¶ Ad quod videtur esse dicendum: quod cum status dæmonum in præsenti mediam rationem teneat inter statum innocentiæ, quem habuerunt, & statum pœnæ æternæ, cui deputati sunt; congruebat vt dum essent in statu medio, haberent aliquid de potentia, & aliquid de passibilitate: vnus enim status ad potentiam pertinebat: alius vero status ad miseriam: & distant loca his statibus congruentia, scilicet cœlum empyreum & infernus. Conuenit ergo vt locū medium teneant, duobus congruentem, scilicet vt possint agere, & possint pati: & ideo in aere sunt, & caliginoso: vt esse in aere, & de parte aeris facere, quod sibi permissum est, pertineat ad agere: esse vero in caliginoso, pertineat ad pati.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in cōtrarium. Dici potest, quod licet aer corpus sit, corpus autē de sua natura nō

Ioan. 12. ¶ Præterea dicitur: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Sed quid est eiici foras de mundo, nisi de cordibus mundi amatorum; sed in aliis non habet possessionem: ergo ligata est eius potestas.

Psalm. 77. Glossa. ¶ Sed contrarium videtur; dicitur super illud: *Misit in eos iram indignationis suæ* &c. Gloss. *in malis hominibus potuit diabolus, vt in suo pecore.* Adhuc ergo respectu malorum non est ligata potestas diaboli.

Aug. de sermone Domini, lib. 2. cap. 6. ¶ Item Augustinus: *Fiunt tentationes per satanam potestate eius, sed permissu Dei.*

Isid. in lib. de Ecclesiast. instit. ¶ Item Isidorus: *Tentationum diabolicarum mira fragilia sunt: quæ si non caueantur, per consuetudinem in nouissimis fortiter conualescunt: ita vt aut nunquam, aut cum difficultate vincantur.*

Apoc. 12. ¶ Præterea dicitur: *Postquam vidit draco, quia proiectus esset in terram: persecutus est mulierem, quæ erat paritura masculum.* Ex quo habetur, quod diabolus adhuc persequitur tentando bonos. Et: *Datus est mihi angelus sathanæ, qui me colaphizet.* 2. Cor. 12. Et B. Gregorius: Grego. super Ezech. *Antiquus aduersarius, qui de cælo lapsus est, inuidit: & insidiari amplius in ipsis, acriores, quam consueuerat, tentationes admouet; vt plerumque sic resistentem animum tentet: sicut ante nunquam tentauerat, quando possidebat.* Et hoc signatur Marci 9. Marc. 9. vbi dicitur de diabolo, quod *clamans & multum discerpens exiuit ab eo: ita vt multi dicerent, quia mortuus est.*

RESOLVTIO.

Diaboli potestatem ita alligatam dicimus, non vt penitus non tentet, sed vt non tantum, quantum vellet.

¶ Ad quod dicendum, quod dicitur potestas diaboli ligata, non quia non possit tentare, sed quia non tantum tentat, quanta est eius voluntas. Vnde Aug. dicit: Aug. de ciuit. Dei. *Alligatio diaboli est, non permitti exercere* * *tantam potestatem, quantam potest: vel in dolo ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter: vel fraudulenter fallendo.* * Aliàs totam tentationem. Non ergo dicitur alligatio potestatis diabolicæ; quia non possit tentare: sed quia non potest tentare in effectu, quantum vult.

ARTICVLVS II.

An per Christi aduentum ligata sit diaboli potestas magis, quam antea ligata foret?

SECVNDO quæritur, Vtrum per aduentum Christi fuerit potestas diaboli magis alligata, quam prius. Ad quod sic: Apoc. 20. *Angelus descendit, qui apprehendit draconem* &c. Angelus enim iste quis alius est, nisi Christus, qui apprehendit draconem diabolum, & ligauit eum?

Psal. 36. Glossa. ¶ Item, super illud Psal. *Vidi impium superexaltatum.* Gloss. *hoc maxime ante aduentum Christi, tempore ante legem, & sub lege: cum homines velut gregem post se trahebat: sed tertio tempore, scilicet tempore gratiæ, & tertio die, scilicet resurrectionis Christi, humiliatus est superbus.*

Rom. 5. ¶ Præterea: *Vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia.* Sed hæc superabundantia gratiæ, non ob aliud est, nisi vt alligetur potestas diaboli: ergo amplius ligata est potestas diaboli, quam prius.

Matth. 8. ¶ Item: *Mitte nos in gregem porcorum.* Sed quid est hæc missio, nisi permissio? Ergo potestas diaboli amplius ligata est. Videtur enim ex hoc, quod non habeat potestatem tantam; cum ad liberationem hominum petat mitti in gregem porcorum. Ibi enim dicit Augustinus: August. *Dignior homo bestiis, cum propter salutem duorum hominum, duo millia porcorum pereunt; permittit, vt sit occasio salutis hominum per interfectionem porcorum.*

Apoc. 12. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur: *Descendit ad nos diabolus, habens iram magnam.* Ergo cum descensus eius sit per tentationem: maior est tentatio ipsius diaboli, nunc, quam prius.

¶ Præterea, dicit B. Gregor. quod acriores, quam consueuerat, tentationes admouet.

RESOLVTIO.

Vtique, quantum est ex parte gratiæ Dei per Christum mediatorem: sed non simpliciter, quantum est ex parte tentatorum.

¶ Ad quod dicendum, quod dupliciter dicitur potestas diaboli ligata: vel ex parte gratiæ Dei per Christum mediatorem: vel ex parte bonitatis in ipsis, qui tentantur. Quantum est ergo ex parte ipsius gratiæ Dei, magis ligata est potestas diaboli post aduentum Christi, quam prius. Quantum autem est ex parte eorum, qui tentantur; in quibusdam magis ligata est, in quibusdam vero amplius est soluta: quanto enim est maior gratia Dei, tanto contemptus illius est maior.

¶ Et ideo dicitur: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit: & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hebr. 10.

¶ Ad illud vero, quod obiectum est, dicendum, quod primæ rationes ad hoc innituntur: quod per aduentum Christi, quantum est ex parte gratiæ, facta sit cohibitio potestatis diaboli. Illa vero ratio, quæ primo ponitur in contrarium, ad hoc tendit: quod vehementior est appetitus diaboli in fine mundi, propter temporis breuitatem. Vnde tunc erit, quasi quædam solutio tempore Antichristi. Vnde dicit Augustinus: *Si permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deiiceret, & ne crederent aliis, impediret: quod ne faceret, alligatus est: tunc autem soluetur, quando tempus breue est.* Aug. 20. de ciuit. Dei cap. 8.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod acriores erunt tentationes seu insurgunt, secundum illud: *Assumit septem spiritus nequiores se.* Lucæ 11. Primo enim fiebant tentationes per genera peccatorum communium. Nunc autem fiunt per quasdam adinuentiones peccatorum. Præterea nunc magis tentat per assimilationem boni: in hoc enim genere tentationis facilius homo decipitur. Præterea, tempore persecutionum fideles manifeste sæuiebat: nunc autem occulte insidiatur; & grauior est tentatio & magis timenda: cum occulte quam cum manifeste. Vnde super illud: *Expectans expectaui Dominum.* Gloss. *magis timendus est diabolus, cum fallit vt draco, quam cum sæuit vt leo: illic enim cogit, hic docet negare Christum.* Psal. 39. Glossa.

ARTICVLVS III.

An dæmon aliquando victus, amplius vel victorem, vel alium quempiam tentare audeat?

TERTIO quæritur, Vtrum diabolus aliquando vincatur à bonis: ita vt vlterius tentare non possit? Quod videtur per hoc, quod dicitur Iosue 11. super illud: In tempore illo venit Iosue, & interfecit &c. Adamantius. Sancti contra istos incentores peccatorum pugnantes, & vincentes, vnumquemq; velut plurimos equos interimût, minuuntque exercitum dæmonum. Similiter dicitur ibi. Singuli victi, in abyssum, vel in exteriores tenebras adducuntur à iusto iudice Christo. Ex quibus accipitur, quod cum victi sunt, vlterius tentare non possunt, quid enim est interficere, nisi potestatem tentandi auferre? quid etiam est mitti in abyssum, nisi tentationis potestatem auferre, & magnitudini pœnæ subiacere?

¶ Contrarium haberi videtur ratione: tentatio enim diaboli permittitur à Domino ad probationē electorum, & ad pœnam reproborū: sed vtraq; illarum vtilitatū ex misericordia, vel iustitia Dei, necessaria est vsq; ad finē mundi: ergo à nullo auferenda est potestas tentandi. Sicut enim dicitur ibidem, scilicet Iosue 11. Quidam spiritus tentant de peccato iræ, quidam de alio peccato. Si ergo auferretur potestas alicui dæmonum, videtur quod alicui hominum auferretur vel tentatio ad probationē, vel ad punitionem: non ergo alicui auferetur potestas tentandi. Iosue 11.

¶ Præterea, diabolus tentando seruit Domino, sicut habetur super illud Iob 40. *Nunquid accipies eum seruum sempiternum?* vbi dicit Gloss. *seruus sempiternus est, dum Dei laudibus nesciens seruit.* Si ergo Deus non vult minui seruitium suum, non vult quod omnino auferatur Iob 40. Glossa.

potestas

potestas tentandi:nam si auferretur,iam non seruiret Deo tentando: restat ergo quod permissio diuina est, vt quiuis tentet.

¶ Præterea, si victus esset,& non posset vlterius tentare, non acrius insurgeret: sed acrius insurgit, cum homo fortius resistit; sicut dicit B.Gregorius super illud: *Qui parati sunt suscitare Leuiathan* &c. *Qui in ipsa blanda suggestione insidias suggestoris deprehendunt,cõtra se amplius suscitant Leuiathan: aliis, quos secure possidet, dormit: sed his euigilat ad omnem pugnam.* Ex quo accipitur, quod fortius insurgit diabolus contra fortius resistentes.

Grego. super Iob.3.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum in hac vita plena victoria non sit.

¶ Ad quod dicendum, per hoc, quod dicitur ab Adamantio. Qui pudice viuendo, fornicationis spiritũ superauit; non vltra fas est illum spiritum; qui ab eo victus est, alium hominem impugnare. Sed hoc opinando dicit: potest tamen esse, vt si plene victus esset, non vlterius tentaret illo genere tentationis: sed quia in hac vita non est plena victoria,vt dicit B.Gregorius,victis vitiis,aliquid minimum remanet, quod vinci non potest: ideo verisimile est, quod semper remanet aliqua materia tentationis: & ideo non vsquequaque desistit tentare.

Gregor.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, dicendum est, quod non est simile de interfectione, & de victoria tentationis. Post interfectionem enim non resurgit hostis ad pugnandum; post victoriam vero tentationis potest hostis surgere ad tentandum, nisi ab eo auferatur potestas, vel cohibeatur:minui autem exercitum dæmonum,est vincere varietatem tentationum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de missione in abyssum:dicendum est,quod abyssus vocatur profunditas pœnæ,in quem mittentur post diem iudicij: sicut dicit B.Ambrosius, sciebant dæmones per aduentum Domini se aliquando in abyssum mergendos.

ARTICVLVS IV.

An diabolus in quodam tentationis genere victus, amplius in illo eodem tentare valeat?

QVARTO quæritur, Vtrum diabolus victus super aliquo peccato, habeat ligatam potestatem,vt non possit vlterius tentare de illo. Quod videtur per supradictam autoritatem Adamantij. Videtur etiam per simile in pugna corporali, quæ dicitur monomachia: cum enim victus est aliquis, non vlterius conceditur ei iustitia potestas bellandi: quare similiter videtur ex iustitia diuina,quod sic fit in bello spirituali. Ergo victo in aliquo genere peccati, non conceditur vlterius potestas pugnandi.

Μονομαχία

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur: *Non delebo gentes, quas dimisit Iosue.* Et: *Dimisit eos, vt * experiretur Israel*: vbi dicit August. *Patet causa, quare Iesus, id est, Iosue, non deleuit gentes: vt essent, in quibus probarentur. Cum ergo sint necessaria bella (sicut ibidem dicitur) necessaria sunt tentationes.*

Iudic.2. Ibidem 3. * Alias,erudiretur. August.

RESOLVTIO,

Valet,sed non audet.

¶ Ad quod dicendum,quod ex prædicta autoritate nõ habetur, quod non possit tentare: sed quod non habeat audaciam tentandi. Et si sic esset,non est contrarium illud, quod dicitur in libro Iudic. non enim dicitur determinate de aliquo peccato, sed in genere; quod tentationes peccatorum valent ad exercitium iustorum.

¶ Ad aliud vero dicendum,quod non est simile in bello materiali, & spirituali. Victus enim in bello materiali, quod dicitur Græcè monomachia; non habet ex iustitia vlterius potestatẽ pugnandi: quia reputatur infamis,quasi de periurio conuictus: in bello vero spirituali, quia tentationes prosunt electis, permittitur potestas diaboli tentare,non propter bonum ipsius tentantis,sed propter vtilitatem eius, qui tentatur.

ARTICVLVS V.

An dæmonum potestas ita circa determinatam personam ligata sit, vt eam tentare nullatenus non possint.

QVINTO quæritur, Vtrum ita sit ligata potestas diaboli, vel aliorum; vt aliquam personam determinatam tentare non possint. Quod videtur. Si enim victus in aliquo genere tentationis ab aliquo, non tentat de eodem: multo fortius victus in quolibet genere tentationis, non tentabit eundem: sed in quo est extinctus fomes peccati, habet potestatem vincendi in quolibet genere tentationis. Si ergo vincat, vlterius diabolus non habet potestatem tentandi illum.

¶ Quod etiam videtur in Christo, vbi nullus erat fomes: diabolus enim cum tentauit eum triplici tentatione, non vltra legitur eum vllo genere tentationũ talium ipsum tentasse.

¶ Sed contrarium videtur: quia semper est voluntas diaboli ad tentandum: & semper talibus proficit tentatio, qui confirmati sunt in bono, qui proficere possunt: ergo à Domino non cohibetur potestas tentandi talem. Non ergo respectu alicuius personæ determinatæ est potestas diaboli ligata; neq; enim ex parte eius, cum semper velit: nec ex parte Domini cum semper proficiat, in quibus proficere potest.

RESOLVTIO.

Ligata est, non quidem vt omnino non tentet, sed vt non penitus deuciat: aut si à tentatione interiori, non tamen ab exteriori.

¶ Ad quod dicendum, quod non est potestas diaboli ligata respectu alicuius personæ; quin possit tentare, & tentet: sed quod non tentet vsq; ad casum, vel quousque succumbat tentationi, in hoc est ligata potestas ipsius. Præterea, est quædam tentatio exterior: & est quædam tentatio interior. A tentatione interiori cohibetur in illis, in quibus est fomes extinctus; vel vbi non est fomes, sicut fuit in Christo: à tentatione vero exteriori non cohibetur. Si enim in aliquo esset cohibitio à tentatione exteriori, multo magis videretur in Christo, quam in aliquo alio.

MEMBRVM II.

De pœna dæmonum quo ad ligationem & cohibitionem potestatis circa alia opera, ex eminenti eorum natura prouenire potentia.

DETERMINATVM est de prima pœna, quæ est in ligatione potestatis quo ad tentandum siue vincendum: sequitur de ligatione potestatis quantum ad alia opera, quæ possent esse eminentia naturæ suæ.

¶ Et quæritur primo, vtrum cohibita sit potestas eorũ, vt non possint aliqua mira facere siue mirabilia secundum veritatem, sed tantum secundum fictionẽ siue mẽdacium. Secundo,si possint aliqua mira facere ex eminentia naturæ suæ, vtrum possint in res corporales, vt pote animalia, & plantas ex potestate naturæ, aut quo ad illas etiam res sit cohibita potestas eorum. Tertio, vtrum aliquam habeant potestatem circa rationalem creaturam transmutandi ex parte corporis. Quarto, vtrum habeant potestatem tam in bonis, quam in malis hominibus: an quo ad bonos sit ligata, quo ad malos libera. Quinto, vtrum aliquid possint facere in creaturis corporalibus non permissi: & sic vniuersaliter sit ligata eorum potestas in pœnam eorum. Sexto,vtrum potestas eorum sit tantum ligata siue cohibita à Deo: an etiam cohibita vel ligata à bonis angelis, vel hominibus.

ARTICVLVS I.

An dæmonum potestas cohibita sit circa mira mirabiliaq; secundum veritatem operanda.

AD primum sic: videtur enim quod cohibita est potestas eorum quo ad mira, siue mirabilia facienda secundum veritatem. Vnde Augustinus: *Diuina lex tanquam publica vincit priuatam licentiam: qua nisi vniuersalis potestatis permissione nulla esset.* Ergo cum non possint mali angeli, nisi ex priuata licentia; non possunt mali angeli mira facere: vniuersalis enim semper vincit priuatam.

Aug. in lib. 83. qq. q. 53.

¶ Item, super illud: *Immissiones per angelos malos.* Gloss. *Ea, quæ mirabiliter fiunt de creaturis, malis angelis non audemus attribuere.*

Psalm. 77. Glossa.

¶ Item, dicitur de Antichristo: *Cuius aduentus secundum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.* Erunt ergo signa & prodigia mendacia, quæ fient ab ipso diabolo per Antichristum. Sed si ex eminentia naturæ suæ libere posset facere mira, vel mirabilia secundum veritatem, tempore Antichristi faceret: quia tunc operatio satanæ est in omni virtute: non ergo dæmones faciunt mira in veritate.

2. Thess. 2.

¶ Item, Augustinus: *Dæmones nonnulla faciunt angelis sanctis similia, non veritate, sed specie: non sapientia, sed plane falsa.* Ex quo accipitur propositum.

Aug. in 6. q. con. Paga.

¶ Item, Hieronymus: *Non est mirandum patri eum ausum esse mentitum, qui fratri potius inuidere: maxime cum in die iudicij quidam impudentius mentiantur, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus, & dæmonia eiecimus.*

Hiero. ad Damasum Papam.

¶ Si ergo mentiebantur, non faciebant mira secundum veritatem, sed secundum phantasiam.

¶ CONTRA, sicut habetur in Iob: Ignis de cœlo descendit, & familiam Iob cum tot gregibus vno impetu consumpsit: & turbo irruens domum deiiciens, filios eius occidit. De quo dicit Augustinus: *Non illa fuerunt phantastica, quæ facta fuerunt de igne, vel de turbine: fuerunt tamen opera satanæ, cui Deus dedit hanc potestatem.* Ergo possunt facere mira ex eminentia suæ potestatis, permissione diuina.

Iob. 1.

Aug. 20. de ciuit. Dei. Quæst. 55.

¶ Item, Augustinus: *Cum talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed diuerso fine & diuerso iure fiunt. Illi enim quærunt gloriam suam, alij vero gloriam Dei: illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: illi autem publica ministratione, iussu eius, cui cuncta creatura subiecta est.* Si ergo magi faciunt per potestates dæmonum, quæ faciunt; & illi faciunt mira secundum veritatem: ergo dæmones ex potestate cum permissione diuina possunt facere mira.

Idem in li. 83. qq. q. 53.

¶ Hoc etiam videtur haberi per hoc, quod dicitur ab Aug. vbi loquitur de mirabilibus, quæ facta sunt à magis Pharaonis Regis Ægypti.

Aug. 3. de Trinit.

RESOLVTIO.

Dæmones & vi propria naturæ, & diuina permissione mira operari possunt: miracula verè operari non possunt.

¶ AD quod dicendum, quod dæmones possunt facere mira ex eminentia naturæ suæ, & permissione diuina: quæ tamen mira aliquando sunt mira secundum veritatem, aliquando mira secundum phantasiam. Miracula autem proprie dicta facere ex sua natura non possunt: sed si fiunt aliqua, potestate diuina fiunt, tamen ministerio angelico.

¶ Ad illud ergo, quod primo obiicitur, dicendum est: quod hoc intelligitur per autoritatem Augustini: quod mali angeli mira possunt facere priuata potestate, sed superueniente diuina lege tanquam publica, etiam ab illis cohibetur. Vnde Augustinus: *Potentior est parte vniuersitas, siue vniuersitatis causa: quoniam & illud, quod ibi priuatim agit, tantum agere sinitur, quantum lex vniuersitatis sinit.* Non ergo vult dicere, quod priuata licentia nulla sit: sed nulla est nisi permissione vniuersalis potestatis, quæ diuina est.

Aug. in lib. 83. qq.

Idē in eod.

¶ Ad illud vero, quod secundo obiicitur per illud, quod dicitur in Gloss. super Psal. dicendum est, quod loquitur de illis mirabilibus, quæ facta erant in 10. plagis Ægypti. Vnde vult innuere, quod illa ministerio bonorum angelorum facta fuerunt, scilicet quædam illorum: ratione vero mortis pecorum, aut primitiuorum; quæ etiam alio modo naturaliter poterant fieri; attribuuntur ipsis malis: & ita distinguitur inter diuersa genera illorum mirabilium.

¶ Ad illud vero, quod tertio obiicitur de hoc, quod dicitur 2. Thessal. 2. dicendum est, quod signa & prodigia mendacia dici possunt ex pluribus rationibus: sicut ibidem tangit Gloss. Et accipitur ex libro Augustini: Possunt enim dici mendacia, quia per magicam artem, & non naturam fiant: vel possunt dici mendacia, quia & si vera sint Dei permissione, ad mendacium trahent: tunc enim soluetur Sathanas, & per illum Antichristus in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.

Aug. 20. de ciu. Dei cap. 18.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod illud Augustini intelligitur de illis miris, quæ per magicam artem fiunt: vbi non est veritas sed species, non sapientia sed fallacia.

Aug. q. 6. c. mi. Paga.

ARTICVLVS II.

An dæmonum potestas in res corporales cohibita sit?

SECVNDO quæritur, supposito quod dæmones possint aliqua mira facere ex eminentia naturæ suæ, vtrum possint in res corporales, vt animalia, & plantas: an etiam quo ad illas res sit cohibita eorum potestas. Quod enim habeant potestatem super res corporales, videtur per hoc, quod dicit Augustinus: *Vnaquæq; res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam.* Et hoc idem dicitur in libro super Genesin ad litteram, & in libro de Trinit. Cum ergo angeli mali habeant potestatem angelicam, mali angeli præponuntur potestate rebus visibilibus. Et postea subiungit, quod illis vtuntur priuato iure aliquando. Sed priuatum ius vocatur potestas naturæ: ergo mali angeli possunt ex potentia naturæ super huiusmodi animantia siue vegetabilia.

Aug. in lib. 83. qq.

¶ Item, super illud: *Ventus vehemens* &c. Gloss. *Latenter contra eum dicitur elementa mouisse ille, cuius nutu mota sunt: licet diabolus semel à Deo accepta potestate, ad vsum nequitiæ suæ elementa concutere: vt & damnatis in metallo ad vsum ignis & aqua seruit.* Ergo diabolus habet potestatem super elementa.

Iob. 1. Glos. ordin.

¶ CONTRA, super illud: *Mitte nos in gregem porcorum.* Gloss. *Nota, multo minus dæmones sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus possunt.*

Matth. 8. Glossa.

¶ Item: *Intrauerunt in porcos.* Gloss. *Notandum, quod si nec porcis nisi permissa dæmonia nocere possunt; multo minus possunt hominibus nocere, nisi occulta Dei iustitia permittantur.* Ergo potestas dæmonum naturalis cohibita est, quo ad huiusmodi creaturas autoritate diuina.

Matth. 8. Glossa.

RESOLVTIO.

Et quidem: tum in eorum pœnam, tum in hominum bonum.

¶ AD quod dicendum, quod licet ex prima potestate sibi data possent angeli illi super huiusmodi creaturas ex ordine naturali; tamen in pœnam illorum: & bonum hominum cohibetur eorum potestas. Vnde Augustinus: *Dæmones non omnia, quæ volunt, facere possunt; nisi quantum illius ordinatione sinuntur: cuius plena iudicia nemo comprehendit, iuste nemo reprehendit.*

¶ Ad illud

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum, quod loquitur de ordine naturali, qui est inter spiritualem creaturam & corporalem ratione esse & posse.

ARTICVLVS III.

An dæmones circa humana corpora immutationes operari possint.

TERTIO quæritur: Vtrum dæmones habeant aliquam potentiam circa creaturam rationalem transmutandi à parte corporis. Quod videtur: Si enim habuit potestatem super res visibiles: quod videtur ex illo verbo, quod dicitur ab August. *Quod creatura corporalis subdita est spirituali creaturæ:* videtur ergo, quod mali angeli habeant potestatem super humanum corpus, cum ipsum sit visibile.

Aug. in lib. 83. qq.

¶ Præterea, superiora corpora habent potestatem faciendi immutationem in corporibus humanis: maior autem est potestas angelorum, quam sit corporum cœlestiũ: multo ergo fortius habent potestatem immutandi in corporibus humanis.

¶ Præterea, dicit August. *Qualiter recitatur in literis humanis, quod homines aliquando in lupos conuertebantur, quod etiam aliqui in aues commutabantur: & ita de alijs huiusmodi monstris: videbatur enim aliquibus, quod portarent onera iumentorum.* Ex quibus colligitur quod potestatem aliquam habeant angeli mali faciendi immutationes in corporibus humanis: non enim fiebant à Deo ista, nec ab ipsis sanctis angelis, quorum non est facere immutationem in deterius.

Idem in li. 18. de ciu. Dei. cap 17.

¶ Præterea, idem dicit. Quanto in hac vita potestatem dæmonum maiorem videmus: tanto tenacius mediatori est inhærendum; per quem de imis ad summa ascendimus. Si n. dixerimus ea non esse credenda, non desunt nunc, qui eiusmodi quædam vel certissima audisse, vel expertos se esse asseuerent. » Nam nos cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione, vbi stabularias mulieres imbutas malis artibus, in caseo dare solebant, quibus vellent, seu possent, viatoribus: vnde in iumenta illico verterentur, & necessaria quæque portarent: post quæque perfecta opera iterum ad se rediret: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamq; seruari. Ex quo videtur, quod per operationes dæmonum possit fieri immutatio in corporibus humanis.

¶ CONTRARIVM videtur ex hoc, quod corpus humanum nobilius est alijs corporibus, tanquam coniunctum animæ rationali: anima autem rationalis in statu, in quo est, superior est ipsis malis angelis, inquantũ obstinati sunt in malo: ergo corpus humanum, quod est vnitum ei, non conuenit esse in subiectione dæmonum.

¶ Præterea, August. *Non solum animum, sed nec corpus vlla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra & lineamenta bestialia posse conuerti: sed phantasticum hominis, quod cogitando, siue somniando per rerum innumerabilium genera variatur; cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit: sopitis autem & oppressis corporeis hominum sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, & videtur sibi portare onera: quæ onera si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus, vt illudatur hominibus.* Ex quo accipitur, quod non habent potestatem angeli mali ex natura sua ad immutationem faciendam in corporibus humanis: sed quod faciunt, ex permissione diuina faciunt in phantastico hominis.

Idem ibid. cap. allegato.

RESOLVTIO.

Nullatenus vere & realiter, sed tantum apparenter.

¶ QVOD concedendum est. Nec est possibile in humano corpore tales fieri immutationes, quales videntur. Et hoc est, quod dicitur in Lib. de Anima & spiritu. Hæc solus paritur spiritus infidelis, vt non in animo, sed in corpore hæc opinentur venire. Idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu fiunt, accidere arbitratur in corpore. Fiunt autem in spiritu diuersarum personarum species ac similitudines; & mentem quam captiuam tenet, in somnis deludens, modo læta modo tristia modo cognitas, modo incognitas personas ostendens per deuia quæque deducit.

Aug. in lib de anima & spiritu.

¶ AD primum autem obiectum dicendum, quod licet ex potentia naturæ possint super res visibiles: cohibetur tamen potestas eorum respectu corporis humani: vt non in illo corpore faciant, quod volunt. Præterea, non habẽt talem potentiã super res visibiles, vt possint species transmutare: possunt tamen facere aliquid, ad quod ex diuina virtute sequatur specierum transmutatio: eius n. est species rerum condere. Hanc autem transmutationem, quæ est corporis humani in speciem asini, vel alterius bruti, nullatenus possunt facere, nec secundum se, nec ratione dispositionis antecedentis.

¶ AD secundũ vero dicendum, quod immutatio, quæ est in corpore humano à corporibus supercœlestibus, naturaliter est idem calidum & frigidũ, & huiusmodi dispositiones consequentes: non aũt quantũ ad specierum transmutationem; nec ad ea: quæ sunt animæ rationalis. Vnde nec dæmones habent huiusmodi potestatem, quæ est super ipsam animam rationalem, vel super specierum essentialium transmutationem. Nihilominus tamen ex permissione diuina ministerio dæmonum fiunt quidam morbi in corpore humano, sicut dicit Hieron. Immiscet etiam se rebus sensibilib. per effectum, vt sic sequatur corruptio delectationis in parte sensibili, & per partem sensibilem in rationali. Vnde Aug. *Agite nunc miseri mortales, ne vnquam polluat hoc domicilium malignus spiritus, ne sensibus immixtus infestet animæ sanctitatem, lucemq; mentis obnubilet; serpit hoc malum per oẽs aditus sensuales, dat se figuris, accõmodat se coloribus, adhæret sonis, odoribus se subijcit, infundit se saporibus, ac turbidi motus ingluuie tenebrosis affectationibus tenebrat sensus.* Ex quo accipitur, quod aliquid posse ex permissione diuina habet in immutatione sensuum illorum, qui subijciuntur per peccatum.

Hieron. in expositione super Prophetas 12.

Aug. in lib. 83. qq.

¶ AD illud vero, quod dicit Aug. dicendum est, quod nec sic acciderant secundum veritatem, sed sic facta est commutatio in phantasia: ex qua existimabantur talia fieri secundum veritatem ab hominibus, vtentibus sensũ & imaginatione.

Idem in li. de ciuit. Dei.

ARTICVLVS IV.

An dæmones æquè super bonos, ac super malos homines potestatem habeant?

QVARTO quæritur: Vtrum dæmones habeant potestatem tam in bonis hominibus, quã in malis: an vero quo ad bonos sit cohibita, quo ad malos autẽ sit libera? Et videtur, ꝙ habeant potestatem super bonos, sicut super malos, per hoc quod tantam potestatem habuit Satan, vt nõ tantum flagellaret Iob in rebus suis & in prole, sed in proprio corpore: tantum n. excepit Deus animam, cum dixit. Veruntamen animam illius serua. Q. d. non do tibi potestatem in animam. Sed maiorem non videtur habere ex se in ipsis malis (super rationalem n. animam non habet ex natura sua potestatem) ergo iam in bonis, quam in malis habet diabolus potestatem: & videtur: quod secundum vnum modum.

¶ Sed contra hoc habetur in Gloss. super illud. *Immissiones per angelos malos.* In malis hominibus potest diabolus vt in suo pecore, nisi prohibeatur à maiori, sc. à Deo: in bonis autem non potest, nisi permittatur ad probandum, nõ ad perdendum: sicut homo, vt de pecore alieno faciat quod vult, potestatem expedit dari sibi ab eo, cuius est.

Glossa super Psal. 77

¶ Hoc etiam videtur ratione: si enim boni homines siue sancti potestatem habent super dæmones ratione sanctitatis, non erit econuerso, vt dæmones possint super homines bonos, siue sanctos.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed in malos ad perdendum, in bonos ad probandum.

¶ AD quod dicendum, quod in malis hominibus ratione malitiæ conceditur potestas: à quo enim quis superatus est, eius & seruus est. 2. Petr. 2. Sed hoc non est, quia diabolus meruit hanc potestatem sibi dari, sed hoc est,

quia peccatori meruit ei subijci tanquam tortori, non tanquam Domino. In malis ergo & in bonis habet potestatem, sed in malis habet potestatem ad seducendum, & ad perdendum, nisi prohibeatur à Domino: in bonis autem non habet potestatem ad perdendum, sed ad probādum. Et ideo dictum est in Iob: *Ecce omnia, quæ habet, in manu tua sunt: veruntamen animam illius serua.* Iob 1.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium, scilicet, quod tantam habuit potestatem, &c. Dicendum est, quod non est æqualis potestas: ex vna n. parte est potestas ad perdendum, nisi prohibeatur: ex altera vero parte non est potestas ad perdendum, sed potius ad probandum. Item, ex vna parte dat se homo malus in potestatē: econtra vero bonus homo eximitur ab eius potestate.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod aliter habet potestatem malus angelus in hominem bonum, & aliter habet potestatem bonus homo vel sanctus super dæmonem. Malus enim angelus ratione status, in quo homo est, dum est in via; habet potestatem ad tentandum ex permissione diuina: hoc autem est ad probationem, sicut dicitur: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Sancti vero homines habent potestatem super dæmones, non ratione naturæ, sed ratione virtutis seu gratiæ (in hoc enim sunt superiores) ratione autem ipsius gratiæ datur eis potestas maior vel minor à Domino. Tobiæ 12.

ARTICVLVS V.

An dæmones mirum quid in rebus visibilibus ex se ipsis operari possint?

Qvinto quæritur: Vtrum dæmones aliquid possint facere in creaturis corporalibus, nisi permissi: & sic vniuersaliter sit ligata potestas in pœnam ipsorum. Et videtur quod sic, per hoc, quod dicitur in Gloss. super illud. *Immissiones per angelos malos*, &c. *boni angeli & mali vtuntur eisdem elementis, prout cuique potestas est; quæ est eis amplior quam hominibus, & maior bonis quam malis.* Ex quo habetur, quod habent potestatem vtendi istis elementis. Psal. 77. Glossa.

¶ Item, August. Angelicas naturas terrenis animantibus potentiores condidit. Sed si potentiores sunt terrenis animantibus, multo fortius potentiores sunt alijs terrenis, quæ inanimata sunt. Aug in 11. de ciuit. Dei.

¶ Item, *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur.* Gloss. *omnia humana superat: multo fortius terrena & visibilia.* Ex his accipitur, quod habet potestatem super ista terrena visibilia. Iob. 41. Glossa.

¶ Præterea, August. *Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diuersitate diuersis: non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* Ex quo videtur, quod potestatem habeant dæmones super istas creaturas visibiles. August. de ciuit. Dei. lib. 21. c. 6. circa medium.

¶ Sed videtur contrarium, per hoc, quod dicitur in Iob super illud. *Mitte manum tuam*, ibi dicit Gloss. *nihil potest nisi permissus.* Ex quo habetur, quod nec etiam in creaturis visibilibus habet potestatem, nisi quatenus à Domino conceditur. Iob. 1. Glossa.

¶ Præterea, August. *Si aliquid in rebus dæmones possunt, tantum possunt, quantum secreto omnipotentis arbitrio permittuntur.* Aug. in lib. de ciuit. Dei.

RESOLVTIO.

Nihil profecto nisi permissi: tum maximè si ad hominem seducendum fuerint mira hæc.

¶ Ad quod dicendum, quod potestas diaboli cohibita est quantum ad omnes creaturas, inquantum relatæ sunt ad seducēdum creaturam rationalem per delectationem. Contingit tamē quod soluitur hæc potestas vel propter bonum eorum, qui tentantur: vel propter pœnam eorum, si meruerunt. Non negatur ergo, quin habeant ex ordine naturali potentiam super istas res visibiles, quantum eis à Domino conceditur: cohibetur tamen ista potestas, siue restringitur propter bonum rationalis creaturæ. Moderatur autem Deus operationes malorum termino naturaliter collatæ potestatis, miraculo mirabiliter illatæ impossibilitatis: vt de manu Regis Ieroboam arefacta. 3. Reg. 13. obstaculo contradicentis occultæ difficultatis, sicut habetur Exod. 8. de ciniphibus, iudicio operantis intrinsecus dispositionis. Ex Hug. li. 1 de Sacram. par. 5. cap 27. 3. Reg 13. Exo. 8

ARTICVLVS VI.

An dæmonum potestas à Deo tantum sit ligata, vel etiam à bonis angelis atque hominibus?

Sexto quæritur: Vtrum dæmonum potestas sit ligata tantū à Deo: vel etiam à bonis angelis, & hominibus bonis. Et videtur, quod non sit ligata ab angelis, & à sanctis hominibus: sicut habetur: *Surgent Pseudo-prophetæ, & facient signa & prodigia multa: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Super quod dicit August. *Admonet, vt intelligamus quædam miracula sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt.* Sed si scelerati homines facere possunt quædam miracula, multo fortius dæmones possunt facere mirabilia, quæ non possunt facere sancti homines: ergo maior videtur potestas quorundam dæmonum in his mirabilibus, quam sanctorum hominum. Sed si maior est potestas, maior autem non cohibetur à minori; non cohibetur potestas dæmonum à sanctis hominibus. Matth. 24. August. in lib. 83. qq.

¶ Præterea, mali angeli ex potentia suæ naturæ sunt potentiores, quam aliqui angeli ex potentia suæ naturæ, sed eminentior potestas non cohibetur à minori, inquantum huiusmodi: ergo aliqui mali angeli non coercentur ab aliquibus bonis.

¶ Sed videtur contrarium de sanctis hominibus per hoc, quod dicitur Act. 19. vbi loquitur de quibusdam exorcistis, qui inuocabant nomen Domini Iesu Christi super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes: *Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat.* Et post sequitur. *Respondens spiritus nequam, dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos.* Ex quo videtur, quod si signa Christi & sanctorum hominum, habuerunt maius posse super ipsos dæmones, multo fortius ipsi sancti homines. Actuū 19.

¶ Hoc etiam ibidem videtur per hoc, quod dicitur. *Super languidos deferebantur sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Similiter de sanctis angelis: Vnde Aug. *Habent boni angeli & mali opera similia, sicut Moyses & Magi Pharaonis: sed boni sunt potentiores: nec mali possunt quicquam talium operum, nisi quod per bonos Deus permiserit.* Ibid. Aug. super Genes.

RESOLVTIO.

Quinimo interdum: verum non sine diuinæ permissionis interuentu.

¶ Ad quod dicendum per hoc, quod dicit Augustin. *Dæmones quædam possunt facere, si permittantur ab angelis potentioribus ex imperio Dei: quædam vero non possunt, etiam si ab eis permittantur: quia ille non permittit, à quo illis est talis naturæ modus: qui etiam per angelos suos illa plerumque non permittit, quæ concessit, vt possint.* Dicendum est ergo quod cohibitio fit dæmonum aliquando per bonos angelos, aliquando ab ipso Deo: licet permittantur ab ipsis bonis angelis. August in lib. de Trinit.

¶ Nec est contrarium, quod obiectum est: licet enim homines, vel etiā dæmones quædam possint facere, quæ non conceduntur sanctis hominibus: non tamen omnino potentiores sunt simpliciter: sed quantum ad id, quod à Domino conceditur: non in comparatione virtutis ad malitiam.

¶ Ad aliud dicendum, quod licet aliqui angeli potentiores sint ex natura aliquibus bonis: tamen boni angeli potentiores sunt simpliciter malis angelis. Vnde August. *Non est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior: nam si virtus hæc nominata, est quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo omnino sublimior est mens inhærens Deo.* Idem in li. de morib. Ecclesiæ.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: *Non est potestas super terram*, &c. Dicendum est, quod facienda est vis in hoc, quod dicitur [*potestas super terram*] vnde Gloss. *omnia humana su-* Iob. 41. Glossa.

na superat: & si meritis sanctorum subiaceat. Nec intelligitur per hoc quod habeat potestatem liberam in his terrenis, sed quod ex potentia suæ naturæ præeminineat istis: operatur autem in istis, quantum Dominus permittit.

MEMBRVM III.

De pœna dæmonum quo ad intellectus obscurationem?

CONSEQVENTER dicendum est de pœna dæmonum, quæ est ex obscuratione intellectus, siue priuatione alicuius cognitionis, quam habuerunt, vel habituri essent, si stetissent. Et quæruntur quatuor in vniuerso. Primo quæritur de priuatione cognitionis quo ad Deum. Secundo quantum ad se. Tertio quantum ad virtutes. Quarto quantum ad res in proprio genere.

ARTICVLVS I.

An dæmones Dei cognitione priuati sint?

QVANTVM ad primum sic. Videtur n. quod dæmones non sunt priuati cognitione Dei. Si enim non priuantur cognitione naturali, quam habuerunt: quod videtur per hoc quod dicitur ab Isidor. *Præuaricatores angeli sanctitate amissa, non amiserunt creaturæ angelicæ sensum.* Sed sensus angelicæ creaturæ nihil aliud est, quam cognitio naturalis angelorum: ergo habent cognitionem naturalem, quam habuerunt. Sed naturali cognitione potuit cognosci Deus, ergo dæmones non priuantur cognitione diuina. (Isidor. in libro de summo bono.)

¶ AD idem: *Cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino; affuit etiam inter eos Satan.* Ergo Satan fuit in conspectu Domini cum filijs Dei: ergo præsens fuit Deus ipsi, sed quibus Deus est præsens, ab illis cognoscitur: ergo cognouit Satan Dominum: ergo dæmones non sunt priuati cognitione diuina. (Iob. 1.)

¶ Præterea, dicitur in Euangelio. *Vt quid venisti ante tempus torquere nos.* Et: *Scio quod sis filius Dei.* Ergo cognouerunt filium Dei: ergo cognouerũt Deum; non ergo sunt priuati cognitione diuina. (Math. 8. Lucæ 4.)

¶ CONTRA, Deus non videtur nisi ab his, qui habent mundiciam cordis, sed diabolus & angeli eius priuati sunt mundicia cordis: ergo priuati sunt cognitione diuina.

¶ PRÆTEREA, cognoscitur Deus, aut per fidem, aut per speciem: sed dæmones non habent cognitionem per fidem, cum fides sit donũ gratiæ, donum aut gratiæ non datur eis. Nec cognoscunt per speciem, cum hæc cognitio sit bonorũ, ergo dæmones priuantur cognitione diuina.

¶ ITEM, cognitio diuina est cognitio matutina, de qua loquitur August. super Gen. sed cognitione matutina priuati sunt dæmones: prius enim fuit diuisio lucis à tenebris, quam sequeretur distinctio inter vespere & mane: sicut habetur Genes. 1. dicitur enim ibi, *Diuisit lucem à tenebris: appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem: factumq; est vespere, & mane dies vnus.* Si ergo angeli cadentes facti sunt tenebræ: & ita per consequẽs nox: sicut dicit Ioan. Damasc. ad eos non pertinet cognitio matutina: ergo priuati sunt cognitione diuina. (Aug. super Gen. Gen. 1.)

RESOLVTIO.

Ea cognitione, qua Deus, vt lumen immutabile cognoscitur, à quo piorum corda illustrantur, & in quo cardinales rerum causæ elucescunt, priuantur quidem dæmones. At vero non ea, qua per effectus vel potentiæ, vel iustitiæ agnoscitur ille.

¶ AD quod dicendum, duplex est cognitio diuina. Vna est per hoc, quod est lumen incommutabile, in quo cognoscuntur causæ cardinales rerum, & quo illuminãtur corda piorum, & hac cognitione non cognoscunt dæmones, sed ea priuantur. Est alia cognitio, quæ est per effectus temporales virtutis diuinæ, & hac cognitione possunt cognoscere, quæ quodammodo sunt vestigia, vel signa ducentia ad cognitionem ipsius creatoris, vel redemptoris. Præterea, est quædam cognitio per effectus ipsius iustitiæ: & hoc modo cognoscunt ipsi Deum tanquam iudicem. His ergo modis possunt dæmones cognoscere Deum: altera vero priuantur cognitione. Et hoc est quod dicit August. *Innotuit dæmonibus, non per id, quod est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios: sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissima signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possunt esse conspicua.* Item, in eodem: *Dæmones non æternas temporum causas, & cardinales in Dei sapientia cõtemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum maiore experientia multo plura, quam homines cognoscunt.* (Aug. 9 de ciuit. Dei. cap. 21. Idem libr. eod. c. 22.)

¶ AD illud ergo, quod primo obiectum est, quod dæmones non amiserunt omnino cognitionem naturalem, quam habuerunt angeli, sicut dicit Isidor. nihilominus tamen est obscurata illa cognitio naturalis boni, sicut etiam in hominibus malis. (Isidor.)

¶ AD secundum vero dicendum, quod licet Satan esset in cõspectu Dei, vel coram Deo inter filios Dei bonos, sc. angelos: non tamen ideo cognouit eum, quemadmodum & boni angeli. Aliud enim est venire in conspectu Dei: & aliud Deum venire in conspectu eorum. In conspectu ergo Dei sunt dæmones, quia nihil latet ipsum, quod est in dæmonibus: Deus autem non est in conspectu eorum; quia non manifeste vident ipsum, sed per istas creaturas quo quo modo ipsum cognoscunt. Vnde Gregor. super illud Iob. *Deus eo intuitu, quo omnia spiritualia conspicit; etiam Satan in ordine subtilioris naturæ videt: non tamen Satan Deum videt, qui mundo corde videtur: sicut cæcus lumen non videt, quo illustratur.* Ponit autem August. tale exemplum super illud: *Et lux in tenebris lucet, &c. de cæco existente in lumine solis: sol enim si cognosceret & videret, cæcum videret: cæcus autem non videret solem.* (Gregor. Aug. tract. in Ioan. cir. ca finem.)

¶ AD tertium dicendum, quod illa cognitio, qua cognouerunt filium Dei existentem in carne: magis dicenda est suspicio secundum Hilar. quam vera noticia. Vnde Hilar. super illud: Venisti ante tempus, &c. Magis suspicati, quam nosse credendi sunt. Præterea, cognouerunt eum in pœna præsenti, vel in futuro eis determinata. Vnde dicit August. *Tantum eis innotuit, quantum voluit: tantum voluit, quantum oportuit: non sicut angelis per hoc quod est vita & lux, sed scil. eis terrendis per quendam virtutis effectum: per quem potentiam eius timent ad pœnam.* (Idem li. 9. de ciu. Dei. c. 21. & vi. de locum.)

An dæmones diuinæ incarnationis mysterium, humanaq; redemptionis Sacramentum agnouerint? §. 1.

¶ ADHVC etiam quæritur propter verbum Apostoli: *Si cognouissent, &c.* vbi dicit Gloss. *Dæmones non cognouerunt sententiam de redemptione humani generis per Christi mortem implendam.* Et alibi: *Non sciebant Sacramentum incarnationis & passionis.* (1. Cor. 2. Glossa. Eadem.)

¶ Sed videtur contrarium, cognouerunt enim ipsum filium Dei esse. Luc. 4. cognouerunt etiam ea, quæ dicta sunt per Prophetas: sed per Prophetas dictum erat de incarnatione & redemptione humani generis: ergo cognouerunt hoc Sacramentum. (Lucæ 4.)

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur super illud: *Surrexit interea Rex nouus.* Glos. *Mihi videtur ex his, quæ Prophetis & Patriarchis de aduentu Christi indicata fuerant; quia sentit * futurum, qui exuat principatus eius & potestates, & cum fiducia triumphet eos, & affigat in ligno crucis.* Sed quid aliud est sentire * futurum, nisi cognoscere Sacramentum redemptionis? ergo cognouerunt Sacramentum humanæ redemptionis. (Exod. 1. Glossa. * Alias, vẽturum.)

RESOLVTIO.

Non tunc primo: sed bene nunc postremo.

¶ AD quod dicendum, quod dæmones non tunc cognouerunt certitudinali cognitione ipsum esse Deum siue filium Dei. Vnde dicitur in Gloss. super illud. 1. Cor. 2. *Si dæmones Deum factum hominem non intellexerunt, quanto magis homines? Et post. Magis ex suspitione, quam ex cognitione dixisse credendi sunt, Quid nobis & tibi fili Dei?* (Glos. sup. 1. Cor. 2.)

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod illud sentire, de quo loquitur Orig. in gloss. nõ est aliud quam conijcere ex his, quæ dicta erant in lege & Prophetis: non n. sic cognouerint, quemadmodũ sancti Prophetæ: sancti n. Prophetæ ex reuelatione sibi factã cognouerunt: dæmones ex dictis in lege & Prophetis hæc conice-

coniecerunt. Vel si aliqua certitudo fuit, quod filius Dei esset, per potentiam signorum; non præuidit tamen eius morte se esse damnandum: vel potestatem sibi esse auferendam. Vnde super illud. *Si cognouissent*,&c. Gloss. *Non suggereret diabolus illum crucifigi, per quem ius suum se perderet sciret.* Et super illud. *Exibant dæmonia*,&c. Gloss. *Non ideo illum crucifigit, quia filium Dei ignoret, sed quia eius morte se damnandum non prauidit: hoc enim mysterium est à seculis absconditum. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

1. Cor. 2. Glossa

Lucæ 4. Glossa.

An dæmones quos hominum in præscientia Dei iuxta B. Bernardi sententiam agnouit, & nunc agnoscat? §. 2.

¶ Adhvc etiam quæritur de quadam cognitione, quam videtur B. Bernard. attribuere diabolo, sic dicens: *Puto per aquilonem reprobandos homines fuisse designatos: per sedem potestatem in illos, quos vtique in præscientia Dei quanto cæteris perspicacior prauidens, nullo sapientiæ radio coruscantes, nullo spiritus amore feruentes, velut vacuum reppererit locum, affectasti super illa dominium.* Si ergo aliqua cognitio fuit in * præscientia Dei huiusmodi hominum, quæritur. Vtrum talem possit diabolus modo habere cognitionem. Quod non, videtur: quia ratio illius cognitionis fuit, eo quod erat vicinior Deo: & propter hoc perspicacior: cum ergo ceciderit ab hac vicinitate, cecidit per consequens ab alia perspicacitate; ergo modo non habet illam cognitionem.

Bern. in li. de gradib. humilita tis

* Alias, præsentia.

¶ Sed videtur contrarium: quia illud, quod naturæ erat, non est ei ablatum: ergo si hoc erat ei ex natura primitus instituta, adhuc conuenit ei: ergo habet huiusmodi cognitionem. Præterea, multo magis præest ipsis reprobis modo; quam tunc: ergo quod est in eis, videtur magis cognoscere nunc quam tunc: si ergo tunc cognouerit eos non coruscantes radio sapientiæ: & modo potest cognoscere, vel cognoscit.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed mutata est talis cognitio: sicut & status eius mutatus est.

¶ Ad quod respondendum, quod si aliquam habuit angelus ille cognitionem de rebus in præscientia Dei quantum ad primũ statum eius, non credo quod nunc habeat illum modum cognitionis: sed quod cognoscit, à parte inferiori cognoscit, & non à parte superiori. Cuiusmodi autem fuerit illa cognitio, non plene ex scripturis video.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod si illa cognitio aliqua fuit, fuit naturæ primitus institutæ: naturam autem primitus institutam adhuc habet, &c. Dicendum est, quod naturam eãdem habet adhuc, sed non omni modo cognoscendi, quo tunc cognouit. Tunc enim potuit cognoscere à parte superiori, & à parte inferiori: nunc autem conuersa est cognitio, vt principium cognoscendi sit à parte inferiori, & priuetur à parte superiori.

ARTICVLVS II.

An dæmones sui ipsorum cognitione priuati sint?

Secvndo quæritur de priuatione cognitionis dæmonum quantum ad seipsos secundum eminentiam naturæ suæ. Si enim cognoscerent eminentiam naturæ suæ, ex ipsa cognitione sequeretur delectatio (delectatio enim est apprehensio conuenientis) si ergo non est in eis delectatio ex apprehensione boni, non est in eis ista cognitio.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicit Dionys. *Data ipsis angelica dona, nequaquam ipsa mutata esse dicimus, sed sunt integra & splendidissima: quamuis ipsi non videant, claudentes ipsorum boni conspectiuas virtutes.* Si ergo ipsi non vident dona eis data, licet ipsa integra sint; quia ipsi præcludunt sibi spectationem boni; priuantur ergo mali angeli cognitione ipsius status innocentiæ.

Dionys. in lib. de diu. nominib. cap 4. circa mediũ alis ‹ mẽ verbis in noua translatione.

¶ Contra. Cognitio sui ipsorum est cognitio naturalis, sed cognitio naturalis non aufertur per peccatum: ergo non priuantur cognitione naturali de seipsis.

¶ Præterea, ostenditur illud per simile: mens enim naturaliter cognoscit seipsam: si vero cadat anima in peccatum mortale, non aufertur quin possit seipsam cognoscere: Ergo à simili in dæmonibus, per peccatum, quin possint seipsos cognoscere cognitione naturali.

RESOLVTIO.

Dæmones sui ipsorum naturam aperte cognoscunt: si naturam dicamus, quod per peccatum minui non potest. Sin autem naturam intelligamus bonum quod per peccatum minui potest, nequaquam, nisi diminute.

¶ Respondendvm est ad hoc, quod duplex est cognitio naturalis, secundũ quod natura dupliciter accipitur, siue bonum naturale. Accipitur enim aliquando natura pro illo bono, quod non potest diminui per peccatum: aliquando pro illo, quod potest diminui. Si primo modo accipiatur cognitio naturalis, non priuatur per peccatum ipsius: non n. ignorat malus angelus se esse spiritum, à corpore separatum. Si vero accipiatur cognitio naturalis quo ad secundum modum, non videtur cognitio naturalis esse in dæmonibus, nisi dicamus eam esse diminutam, vt sic cedat in pœnam.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur primo ad primam partem. Dicendum, quod loquitur ibi de cognitione naturali, secundum quod cognitio naturalis dicitur cognitio naturæ bene ordinatę in eminentia bonorum naturalium: hoc enim modo nõ habẽt ipsi dæmones cognitionem naturalem. Ad cognitionem enim naturalem huiusmodi sequeretur delectatio: ad cognitionem vero naturæ deformatæ non sequitur delectatio, sed tristitia.

¶ Ad illud vero, quod dicit Dionys. de donis angelicis datis: intelligendum est, quod non dicuntur dona gratiæ gratum facientis: talia enim ablata sunt, si qua fuerunt, sed sunt dona gratiæ gratis datæ, quæ spectant ad bonitatem naturæ primitus institutæ: hæc autem si non sunt omnino ablata, nihilominus tamen sunt diminuta: non ergo mutata, id est, ablata omnino, sed mutata sunt, & plurimum diminuta. Quod autem dicitur, quod quædam dona sunt integra: intelligitur de potentia intelligendi, & habitu intellectiuo eorum, quæ naturaliter insunt. Quod etiam dicitur de claritate: intelligitur de acumine, siue perspicacitate intelligentiæ.

ARTICVLVS III.

An dæmones virtutum cognitione priuati sint?

Tertio quæritur de priuatione cognitionis dæmonum quantum ad virtutes. Videtur enim quod possunt cognoscere virtutes: cognitio enim virtutum potest esse per se, vel per suos actus: per se autem virtutes cognoscere non possunt, cum virtutes eis nõ insint: per actus aũt cognoscere possunt: actus n. virtutũ aliquando mediante corpore fiunt, sed ea, quæ fiunt per corpus; possunt cognosci à dæmonibus: ergo esset actus virtutum, & ipsę virtutes mediantibus actibus.

¶ Præterea, dicit August. *Quod ipsas cogitationes per se non cognoscunt dæmones*: sed quibusdam indicijs certum est eas cognoscere. Si ergo æquè spirituales, vel spiritualiores sint ipsæ virtutes, & habent sua indicia; suis indicijs possunt cognosci virtutes. Sicut enim cogitationes sunt in mente, ita affectiones sunt in voluntate: & multo fortius habent affectiones indicia, quam ipsæ cogitationes.

August. in libro de diuinatione dæmonũ.

¶ Contra, virtutes essentialiter non sunt in dæmonibus: ergo per suam essentiam non possunt cognosci.

¶ Item, similitudines virtutum non sunt apud eos: similitudines enim à rebus accipiuntur, sed ipsæ virtutes siue in angelis bonis, siue in hominibus, non formant suas similitudines in dæmonibus, neque dæmones habent potestatem accipiendi, cum ratione status peccati sint inferiores: ergo dæmones non cognoscunt virtutes per speciẽ, siue similitudinem habitam apud intellectum: non ergo cognoscunt virtutes.

¶ Item,

Idem. ¶ ITEM, August. *Si dæmones virtutem (vererent in ipsis hominibus, non tentarentur: si illam in Iob nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio posset diabolus cernere, nollet à tentato vtique superari*: eadem autē est ratio de alijs virtutibus. Ergo dæmones non cognoscunt virtutes in hominibus: multo fortius nec in angelis sanctis: ergo non cognoscunt virtutes.

RESOLVTIO.

Cognitione per essentiam, vel per speciem ab essentia sumptam, vtique. Cognitione vero per priuationem, vel per effectum, minime.

¶ AD quod dicendum, quod cognoscere virtutem, dicitur multipliciter. Est enim quædam cognitio virtutis per suam essentiam: quædam cognitio virtutis per effectum suum: & est cognitio virtutis per suam speciem: & est quædam cognitio virtutis per priuationem. Cognitio virtutis per priuationem, & per effectum potest esse in dæmonibus: cognitio autem per essentiam, vel per speciem sumptam ex essentia, non est in eis.

¶ AD obiecta autem per ipsum dicta respondendum est, quod licet dæmones non cognoscant virtutes per essentiam: cognoscunt tamen per priuationem, & per effectum. Nec hoc est contrarium, quod dicit Augustin. August. intelligit enim de cognitione certitudinali, quæ est rei per essentiam: non de cognitione, quæ est per effectum: illa enim non est cum certitudine, sed potest aliter contingere: cognitio vero quæ est per priuationem, illa est per certitudinem apud ipsum.

Quæstio incidentalis. ¶ HVIVS etiam gratia quæritur, si priuatio huius cognitionis dicatur esse pœna in dæmonibus. Si enim esset pœna in dæmonibus, à principio haberent huiusmodi cognitionem: sed à principio non habuerunt cognitionem virtutum per essentiam (supposito quod non essent conditi cum gratuitis) ergo carentia huius cognitionis non est pœna in eis: quod enim à principio est eis datum, non cedit in pœnam: cum nulla præcesserit culpa.

¶ SED contra. Videtur, quod sit pœna in eis: à principio enim potuerunt cognoscere virtutes per essentiam: nunc autem non possunt: ergo defectus huiusmodi cognitionis est pœna apud eos: cum illud sit defectus cuiusdam perfectionis, ad quam nati sunt.

¶ AD quod dicendum ex præmissa distinctione; cognitio enim virtutum est per effectum: & illa cognitio potuit esse à principio, cum natura erat bene instituta: & potest esse adhuc, cum natura sit corrupta. Cognitio autem, quæ est per essentiam, illa potuit esse à principio in ipsis angelis, qui postea ceciderunt, sed nunc non potest esse. Licet ergo à principio non habuerunt cognitionem virtutum per essentiam (hoc supposito quod non sint conditi in gratuitis) non tamen fuit in eis pœna: sed modo carentia illa efficitur eis pœna: per peccatum enim meruerunt, vt carerent ipsis virtutibus, & cognitione virtutum per essentiam.

ARTICVLVS IV.

An dæmones priuati sint cognitione rerum in proprio genere?

QVARTO quæritur de priuatione cognitionis rerum in proprio genere. Et videtur, quod sint priuati perfecta cognitione rerum in suo genere. Cognitio enim Aug. super Genes. rerum in proprio genere perfecta dicitur ab Augustin. cognitio vespertina: sed vespertina determinatur ibi per discretionem tenebrarum à luce: ergo cognitio vespertina non est in angelis, qui tenebræ dicuntur, sed cognitio perfecta rerum in proprio genere, dicitur perfecta: ergo angeli, qui dicuntur tenebræ, priuati sunt perfecta cognitione rerum in proprio genere.

¶ Præterea, duplex erat cognitio bonorum angelorum: matutina, & vespertina, sed matutina priuati sunt dæmones omnino: ergo vespertina, vel omnino est ablata ab eis, vel diminuta.

¶ CONTRA, Videtur quod cognitio rerū in proprio genere creuerit in dæmonibus (Plurimum n. habent nunc dæmones cognitionem, quam habuerunt à principio: & hoc videtur per hoc, quod dicit Isidor. Isidor. in lib. de summo bono. *Triplici acumine scientiæ vigent dæmones, subtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione supernorum spirituum.*) Si ergo viget acumen scientiæ in eis experientia temporum, plura cognoscunt modo dæmones, quam prius cognouerunt.

RESOLVTIO.

Nequaquam: quia saltem illam experientia temporum & intellectus acumine sibi acquirunt.

¶ AD quod dicendum, quod sunt priuati cognitione rerum in proprio genere. Sed est duplex cognitio rerum in proprio genere: vna, quæ data fuit à principio, cum res in proprijs generibus erant creatæ: alia, quæ augetur per experientiam temporum. Prima vero duplex est: vna est naturalis, siue cum natura prius instituta: altera vero ex gratia. Cognitio autem dicitur vespertina, quæ est cognitio rerum in proprio genere ex gratia: & secundum hunc modum habuerunt boni angeli cognitionem rerum in proprio genere. Alio vero modo habuerunt cognitionem rerum in proprio genere angeli ex suo primo statu. Tertio vero modo sibi acquirunt angeli mali cognitionem.

¶ Cum ergo obijcitur, quod cognitio rerum in proprio genere fuit vespertina: hoc intelligitur de cognitione appropriata bonis angelis. Si autem loquamur de cognitione alia: illa habet remanere in damnatis. Si vero communiter accipiatur cognitio vespertina: nihil prohibet malos angelos habere cognitionem vespertinam: & tunc non distinguuntur à bonis nisi in hoc, quod boni habent cognitionem matutinam: mali vero priuantur ea. Et secundum hunc modum cognitio vespertina non esset data bonis angelis post diuisionem lucis à tenebris.

¶ AD aliud vero dicendum, quod nihil prohibet vno modo cognitionem rerum in proprio genere crescere in dæmonibus: illo vero modo non crescit, quo cognitio rerum in proprio genere dicitur cognitio generum, vel specierum; sicut enim non augetur numerus generum, aut specierum; sed idem est modo, quod fuit à principio: ita nec crescit cognitio. Sed indiuiduorum in generibus & speciebus contentorum, potest crescere cognitio: & effectuum, qui procedunt ex coniunctionibus rerum diuersis. Si autem pœna aliqua dicitur in eis ratione cognitionis rerum in proprio genere, hoc non est quia pauciora cognoscant, sed quia non ita clare cognoscunt.

MEMBRVM IV.

De pœna dæmonum quo ad potentiam motiuam.

DEINDE dicendum est de pœna in dæmonibus ex parte potentiæ motiuæ, scilicet rationalis: quæ dicitur vermis conscientiæ. Et quæruntur quatuor. Primo, vtrum pœna vermis sit in dæmonibus. Secundo, quantum ad quid attendatur in eis. Tertio, vtrum illa pœna in illis sit grauior alijs duabus, quas sustinent, scilicet pœna carentiæ visionis diuinæ, & pœna afflictionis in igne gehennæ. Quarto, vtrum puniantur simul, an successiue pœna vermis pro omnibus peccatis ab ipsis perpetratis & commissis.

ARTICVLVS I.

An in dæmonibus sit pœna vermis?

AD primum sic: videtur quod pœna vermis sit in dæmonibus: habent enim conscientiam peccatorum suorum: & ex hoc affliguntur, & irremediabiliter cruciantur, sed ex his accipitur ratio vermis conscientiæ, secundum quod dicit B. Bernard. Bernar. ad Eugeniū. *Vermis ille innatus est conscientia per peccatum: & hæret firmiter, nequaquam euellendus: nec cessat rodere.* Cum ergo hæc sint in dæmonibus: erit vermis conscientiæ in dæmonibus.

¶ Præterea,

¶ PRÆTEREA, per contrarium potest argui: sicut n. gaudium in conscientia est ipsis bonis angelis, ita pœna in conscientijs ipsis impiis, sed in bonis est huiusmodi gaudium: ergo in malis est huiusmodi pœna: hæc autem est pœna vermis: ergo in dæmonibus est pœna vermis.

¶ ITEM, angelus peccans cum sit nobilioris status in naturalibus, quam homo; non est nobilioris conditionis cum peccat. Sed homo cum peccat, incidit in triplicem pœnam: respectu Dei, ratione cuius visionis carentiam habet: respectu sui, ratione cuius vermem habet cõscientiæ de peccatis: respectu eius, quod exterius est, ratione cuius habet afflictionem gehennalem: Angelus igitur malus similiter habebit hanc triplicem pœnam, cum sit ad vnamquamq; possibilis.

Scilicet, opus.

¶ Prætetea, cognitio peccatorum non deletur apud spiritum peccantem, nisi per pœnitentiam: sed pœnitentia non est in angelis malis: ergo cognitio peccatorum remanentium in eis, cedit in afflictionem eis: sed cognitio peccatorum cedens in afflictionem, est vermis: ergo vermis conscientiæ est in dæmonibus.

¶ CONTRA, Dicitur in Gloss. super illud: *Vindicta carnis impij ignis & vermis*, &c. *Vermis est sera scelerum pœnitentia: quæ in tormentis conscientiam peccatorum mordere non cessat*: Sed sera pœnitentia scelerum non est in dæmonibus: ergo vermis conscientiæ non est in eis. Eccles. 7. Glossa.

¶ ITEM, Ioan. Damasc. *Conscientia est lex mentis nostræ, quæ repugnat legi carnis.* Sed vermis est in conscientia: cum ergo conscientia mentis vel spiritus repugnans legi carnis, non sit in dæmonibus: non erit conscientia in eis: ergo nec vermis conscientiæ. Damasc. lib. 4. c. 14.

¶ ITEM, dicitur: *Testimonium reddente illis conscientia eorum*, &c. Sed istud testimonium non est in angelis malis, cum iam damnati sint: ergo vermis conscientiæ, qui prouenit ex testimonio huius conscientiæ, non est in damnatis: ergo non est in ipsis dæmonibus. Rom. 2.

¶ ITEM, conscientia est ex duplici scientia (hoc enim designat nomen cõscientiæ.) Est n. cognitio faciendorum vel non faciendorum, & collatio ad particularia. Si ergo collatio cum particularibus non est in angelis, cum non vtantur ratione secundum proprietatem rationis: non erit conscientia propriè dicta in angelis.

RESOLVTIO.

Est & in dæmonibus pœna vermis conscientiæ: sed suo modo. Quia illa propriè hominum est.

¶ AD quod dicendum, quod vermis conscientiæ est in angelis malis, sed nõ secundum omnem actum, sed secundum illum, qui competit eis.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod illud, quod dicitur in Glos. super illud: *Quod vermis est sera scelerum pœnitentia*: non intelligitur de verme, qui est in dæmonibus, sed de verme, secundum quod est in hominibus malis iam damnatis: de quibus dicitur: *Tunc dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Eccles. 7. Sapien. 5.

¶ AD secundum vero dicendum, quod est conscientia, quæ est lex intellectus; quæ dictat, quid est faciendum, & quid non: & secundum hunc modum conscientia potuit esse in angelis. Conscientia autem prout est lex mentis repugnans legi carnis, in hac ratione non est in angelis, sed hoc non est nisi secundum quendam actum (conscientia enim habet multiplicem actum) actus autem iste est in hominibus, vbi est nunc ista repugnantia: ante enim lapsum hominis fuit conscientia in ipso: & tunc non erat repugnantia legis mentis respectu legis carnis: vnde non est de essentia ipsius cõscientiæ huiusmodi actus. Vnde licet conscientia secundum huiusmodi actum non sit in dæmonibus: nihilominus tamen vermis conscientiæ, qui attenditur secundum remorsum peccatorum in ipso spiritu permanentium, est in ipsis.

¶ AD tertium dicendum: quod licet iam damnati sint: nihilominus adhuc quantum ad aliqua peccata damnandi sunt, & quo ad illa testimonium reddit conscientia contra illos: prout dicitur: *Ex iniquis omnes filij, qui nascentur, testes erunt nequitiæ.* Sap. 4.

¶ AD quartum dicendum, quod licet conscientia in homine sit ex collatione duplici: in angelis tamen non est secundum omnem modum. Est tamen in angelis collatio vniuersalis, quod est in mente, ad particularia: vt cum peccant secundum rationem vniuersalis in mente, dictetur esse peccatum, & secundum hoc sunt remorsus conscientiæ, vel in faciendo, vel in iam facto.

ARTICVLVS II.

Quo ad quid vermis pœna in dæmonibus ipsis attendatur?

SECVNDO quæritur, quantum ad quid attendatur pœna vermis in dæmonibus. Dicitur enim quod sit quantum ad arguitionem peccati, secundum illud: *Arguam te, & statuam contra te faciem tuam.* Facies autem nihil aliud dicitur, nisi ipsa conscientia remordens. Psal. 49.

¶ Similiter super illud: *Scit conscientia*, &c. Gloss. *Qua iudice, nemo absoluitur nocens.* Sed constat quod habent naturale iudicatorium, quod non aufertur per peccatum: ergo cum dæmones sint nocentes in iudicio conscientiæ non absoluuntur: ergo vermis cõscientiæ est ad damnationem ipsius peccatoris, & ita angeli mali. Eccles. 7. Glossa.

¶ PRÆTEREA, dæmones sunt spiritus separati à corporibus, sed spiritibus separatis à corporibus magis cõuenit pœna spiritualis, quam corporalis: ergo cum vermis conscientiæ sit pœna spiritualis; magis conueniet angelis malis, quam ignis gehennæ: sed ignis gehennæ congruit eis ad pœnam: ergo vermis conscientiæ congruet eis ad pœnam interiorem.

¶ ITEM, super illud Esaiæ 14. *Subter te sternetur tinea*, &c. Gloss. *Tinea & operimentum vermium, pœnæ æternæ sunt, quas propria gignit conscientia.* Sed propria conscientia non gignit nisi pœnam vermis per se, ibi autem loquitur de diabolo sub figura Nabuchodonosor: vnde & dicitur ibi Lucifer: ergo pœna vermis competit sibi. Esaiæ 14. Glossa.

¶ Sed contra videtur, quod pœna vermis non conueniat eis: vermis enim de carne nascitur, & carnem consumit: si ergo transfertur nomen vermis, trãsferetur vbi erit ratio carnis spiritualiter, sed ratio carnis spiritualiter non est, nisi vbi viget concupiscentia carnalis, quæ est fomes vel ex fomite: hoc autem non est in dæmonibus: ergo vermis conscientiæ non est in dæmonibus tanquam pœna.

¶ PRÆTEREA, in Euangelio & Prophetis, vbi loquitur de pœnis; coniungitur vermis cum alijs pœnis, quæ debentur homini damnato: vnde in pœnam damnatorum assignatur vermis, sicut dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et: *Bonum est luscum intrare in regnum Dei, quã duos oculos habentem mitti in gehennam*: vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Et: *Dabis ignes & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Similiter: *Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Vbi autem loquitur de pœna diaboli, tantum fit mentio de igne, non de verme: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ex quo videtur, quod non est ipsius vermis conscientiæ punire spiritus separatos, sc. dæmones. Esa. vlt. Marci 9. Iudith. 16. Eccles. 7. Matth. 25.

¶ PRÆTEREA, si vermis (ad litteram) est rodere vel consumere lignum, aut vestem, aut carnem, de qua oritur, oportet, quod in dæmonibus inueniatur aliquid, quod semper rodi vel consumi possit: illud non erit nisi aliquod bonum, quod possit minui in dæmonibus: si ergo nullum est bonum infinitum in eis, non potest ibi esse vermis, quãtum ad hunc effectum. Quod autem ille sit effectus istius vermis, patet per hoc quod dicitur: *Sicut vestimentum, sic comedet eos vermis*: vbi dicit Gloss. *conscientia, quæ nunquam moritur.* Sed qualiter quidem potest comedere nisi consumat? Esaiæ 51. Glossa.

RESOLVTIO.

Quo ad peccata, quæ nunquam in ipsis delentur.

¶ AD quod dicendum, quod pœna illa conscientiæ super peccatis, quæ nunquã delentur, est in ipsis dæmonibus: & dicit rem illius pœnæ, quæ dicitur vermis. Ratio tamen vermis quantũ ad aliquẽ actũ magis propriè conuenit ani-

mabus damnatis, quam ipsis dæmonibus: quo ad aliquem autem effectum communiter est in his & in illis. Quantum enim ad hoc, quod gignitur ex remorsu conscientiæ, commune est vtrobique: quãtum autem ad hoc quod vermis proprie dictus gignitur ex corpore, & per similitudinem ex reformante se corpori, in animabus damnatis dicitur esse vermis. Et ideo scriptura, quando loquitur de pœnis damnatorum; vniuersalius loquitur de pœna vermis in hominibus siue in animabus: rarissime autem de pœna vermis in dæmonibus.

¶ Ad illud vero, quod deinceps quæritur: quid rodatur ab illo verme? Dicendum est, quod ipsa habilitas conscientiæ ad bonum: quæ semper magis & magis consumitur, nec tamen omnino tollitur: quia illa habilitas est naturalis, & est in natura immortali: vnde manente natura illa, semper manet conscientia peccati, & minuitur bonum conscientiæ: & illud commune est in dæmonibus & animabus damnatis. Et licet bonum illud non sit infinitum magnitudine siue virtute: est tamen infinitum in diminuendo Vel potest dici quod illa infinitas est quantum ad durationem: & quod non consumitur magis & minus, sed semper ipsa consciẽtia roditur, nulla facta abiectione alicuius boni: & quia escam suam inuenit perpetuam, nunquam moritur: esca autem sua est ipsum peccatum, quod est in cõscientia. Vnde dicit Bernar. *Hic vermis est, qui non moritur memoria præteritorum: semel innatus per peccatum, firmiter hæsit, nequaquam deinceps auellendus: nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca inconsumptibili, perpetuat vitam.* (Bernar. li. vltimo ad Eugenium)

ARTICVLVS III.

An pœna vermis in dæmonibus grauissima sit pœnarum omnium.

TERTIO quæritur, Vtrum illa pœna grauior sit aliis duabus pœnis, quas sustinent, scilicet carentia visionis diuinæ, & afflictione in igne gehennæ. Et videtur, quod illa pœna sit grauissima. Dicit enim Isid. quod *nulla pœna grauior est pœna conscientiæ.* Cum ergo hæc sit in dæmonibus, erit illa pœna grauissima. (Isid. in lib de ecclesiastica institutione.)

¶ Sed videtur contrarium: dicit enim Chrysost. quod *nulla pœna maior est, quam separari à visione Dei*: ergo carentia visionis Dei est maxima pœna. Cum enim illud sit summum bonum, carentia illius erit maximum malum. (Chrysost.)

¶ Sed videtur, quod pœna gehennæ sit eis maxima pœna: nihil enim est, quod ita actualiter affligit.

¶ Præterea, spiritum subesse corpori pœnaliter, est maxime afflictiuum ipsius spiritus: sed dæmones sunt spiritus, ignis vero gehennæ corpus: ergo dæmones subesse pœnaliter igni æternæ gehennæ, est eis maxima pœna.

RESOLVTIO.

Grauissima, at non simpliciter, sed quo ad inhærentiam.

¶ AD quod dicendum: quod pœna potest dici maxima secundum diuersos modos: vel quo ad damnum: vel quo ad sensum: vel quo ad maximam adhærentiam in punito. Primo modo est carentia visionis Dei: si enim intelligeremus per impossibile, quod homo haberet visionem Dei, & tamen cæteris pœnis puniretur: non tantum damnificaretur, sicut in sola carentia visionis Dei damnificatur. Secundo modo dicitur ignis gehennæ maxima pœna: cum maxime affligat, & maxime sentiatur. Tertio modo dicitur vermis interior: cum sit pœna immediate inhærens ipsi spiritui. Et hæc fuit ratio Isido. vnde subdit. *Mens mala conscientia proprie his stimulis agitatur.*

ARTICVLVS IV.

An dæmones simul, vel successiue pœna vermis puniantur pro quibusque peccatis ab ipsis perpetratis.

QVARTO quæritur, Vtrum dæmones puniantur pœna vermis simul, aut successiue pro omnibus peccatis ab ipsis perpetratis. Et videtur, quod successiue puniantur: pœna enim est secundum conscientiam peccati: & pœna actualis est, cum est actualis cognitio peccati: sed vna & eadem cognitione actuali non cognoscit hoc peccatum, & illud: cum ergo actuales cognitiones non sint simul, sed secundum prius & posterius, non erunt cognitiones actuales huius peccati & illius simul: & pœna actualis sequitur cognitionem: ergo pœna sequens actualem cognitionem vnius peccati, non erit simul cum pœna: consequenti actualem cognitionem alterius peccati: ergo non simul puniuntur dæmones hoc genere pœnæ pro diuersis peccatis.

¶ CONTRA, cum dicitur *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium*: transitus ille non attenditur secundum successionem, sed secundum pœnarum variationem pro diuersis peccatis, Est enim quoddam peccatum ex timore male humiliante, & ei respondet illa pœna, quæ signatur per aquam niuis. Et est peccatum ex amore male accendente: & ei respondet pœna ignis: & sicut peccata continuantur in subiecto, ita & pœnæ debitæ pro peccatis. Sic ergo sicut simul sunt illæ pœnæ: ita pœna vermis pro vno peccato, & pœna vermis pro alio peccato simul erunt. (Iob.24.)

¶ Præterea super illud. *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo.* Glo. *In mente damnatorum secundum promissam vmbram cæcitatis magna erit confusio, quæ intus eos cruciet, sicut flamma foris.* Sicut ergo flamma foris simul affligit pro diuersis peccatis: ita & hæc confusio intus cruciabit simul pro diuersis peccatis. (Iob.10. Glossa.)

RESOLVTIO.

Simul: sicut & foris simul cruciabuntur.

¶ QVOD concedendum est. Vnde pœna conscientiæ pro omnibus peccatis simul affliget.

¶ Nec est hoc contrarium, quod supra obiectum est: sicut enim peccatum, simul est cum peccato: ita conscientia huius peccati simul cum conscientia illius. Manebit ergo in eis ad cumulum pœnæ aspectus diuersorum peccatorum simul. Et sicut cedit ad cumulum gloriæ in sanctis quod simul possunt aspicere diuersa, quæ delectant: ita ad cumulum pœnæ in damnatis erit, quod simul poterunt aspicere diuersa, quæ tristant.

¶ Ad illud ergo, quod obijcitur quod non erunt actuales cogitationes simul &c. Respondendum est per interemptionem.

MEMBRVM V.

De pœna dæmonum ex parte voluntatis?

DEINDE quæritur de pœna dæmonum ex parte voluntatis. Et primo de gaudio, de quo quæruntur quatuor. Primo, vtrum gaudium aliquod sit in ipsis dæmonibus. Secundo, si est gaudium in eis, vtrum cedat in pœnam. Tertio, si dæmones habeant dolorem pœnæ præsentis. Quarto vtrum timeant pœnam.

ARTICVLVS I.

An in dæmonibus gaudium aliquod sit?

CIRCA primum videtur, quod non sit in eis gaudium: gaudium enim est ex apprehensione conuenientis: apprehensio autem conuenientis vel est in præsenti, vel in præterito, vel in futuro. Sed apprehensio conuenientis in præterito non adgenerat in eis gaudium, ab illo enim conuenienti in præterito priuati sunt: apprehensio autem cõuenientis in præterito cum priuatione non adgenerat gaudium, sed dolorem: ergo non habent huiusmodi gaudium. Nec habent ex apprehensione boni in præsenti: cum bono præsenti gratuito sint priuati, & naturali, quod ordinatur ad gratuitum, ergo non habent ex illo gaudium, licet enim habeant bonum naturæ, quod non potest auferre; & illud cognoscant: non tamen ex illo sequitur gaudium. Vnde Aug. *Ipse dolor testimonium est boni adempti, & boni relicti: nisi enim bonum relictum esset, bonum amissum dolere non possent.* Licet ergo habeant huiusmodi bonum naturæ: tamen quia ab illo fuit priuatio boni gratuiti, non consequitur gaudium, sed dolor. Nec habent gaudium ex apprehensione boni in futuro: cum spes euasionis à pœna tollatur ab eis: sicut dicitur. *Spes eius frustrabitur*: non ergo habent dæmones gaudium. (Aug.19. de ciuit. Dei Cap.13.) (Iob.40.)

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicit August. *Diabolus potestatem habet in eis, qui præcepta Dei contemnunt: & de hac tam infelice potestate lætatur, qui solebat, antequam caderet, de sub-* (Aug. aduersus Manichæos.)

Alio vero modo est in augmentum pœnæ, inflictus pro peccato præcedēti:& secundū hoc timor pœnalis est in eo.

¶ Per hoc potest responderi ad obiecta: cum enim dicitur, quod timor est in eo: intelligitur de timore pœnali, non cohibente ab actu peccati: sed affligente pro peccato.

Iob. 40. ¶ Quod autem dicitur *Factus est, vt nullum timeret*: intelligitur de timore cohibente à peccato: ex superbia enim est, quod non cohibet se à peccato per timorem Dei: sicut est de illo, qui ex audacia siue temeritate delinquit.

Gregor. ¶ Similiter illud, quod dicit B. Greg. quod *non timet Deum*: intelligitur de timore seruili, qui cohibet à peccato.

¶ Quod etiam dicit ipsum non timere pænam, hoc similiter intelligitur, quod non ita timet, quod propter hoc à peccato desistat. Vnde est duplex timor seruilis. Vnus cohibitorius à peccato: & hoc modo intelligitur illud B. Greg. quod dicit super Iob.3. Et quod alibi dicitur. Viuit in eo voluntas peccandi, & sequeretur peccandi libertas, si speraretur impunitas. In diabolo vero viuit voluntas peccandi, & timor in ipso est ex tumore: sed non desistit à peccato propter timorem pœnæ: immo in præsenti magis exardescit ad culpam. (Aug in Epistola ad Bonifaciū.)

Iac. 2. ¶ Ad illud, quod dicitur quod dæmones credunt, & contremiscunt, intelligitur de timore seruili, quo timetur iustitia Dei, & non amatur: qui non procedit ex fide, secundum quod est virtus informis, sed ex quadam certitudine pœnæ.

MEMBRVM V.

De pœna localis dæmonum.

Deinde procedendum est post determinationem pœnæ spiritualis, ad considerationem ipsius pœnæ localis, quæ fuit casus in aerem caliginosum de cœlo empyreo, vel in infernum: vnde dicitur *Videbam sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* (Lucæ 10.)

¶ Et quæruntur quatuor: primo, vtrum sit eis pœna, esse in isto aere caliginoso. Secundo, quomodo ibi puniantur. Tertio, vtrum tantum ille casus localis sit eis pœna: an sint etiam alii casus locales eis in pœnam. Quarto, vtrum omnes ceciderint in habitationem aeris caliginosi: aut quidam ceciderunt in habitationem aeris caliginosi, quidam vero in infernum.

ARTICVLVS I.

An dæmonibus pœna sit, in aere hoc caliginoso esse?

Ad primum sic: videtur, quod non sit eis pœna: sunt enim in isto aere caliginoso ad tentandum humanum genus, sed tentare humanum genus est eis voluntarium: ergo locus conueniens ad tentandum placet eis: non ergo est eis pœnalis.

August. Lib. 3. super Genes. cap. 10. ¶ Præterea, dicit Aug. quod dæmones dicuntur aerea animalia, quoniā corporū aereorum natura vigent: nec per mortem dissoluuntur, quia præualet in eis elementum aptius ad faciendum, quam ad patiendum: ad patiendum enim sunt humor, & humus, ad faciendum vero aer & ignis. Si ergo sunt in aere caliginoso assumentes corpus aereum, assumunt corpus actiuum, non passiuum, assumentes autem corpus actiuum, non patiuntur pœnam ex hoc, sed magis inferunt: ergo esse in aere caliginoso non est eis pœna.

Ephes. vlt. ¶ Præterea, dicit Apost. quod sunt rectores tenebrarum harum: ergo dominantur, sed quod dominatur, ab illo non patitur, cui dominatur: dæmones ergo non patiuntur ab aere, nec ab alio corpore ibi puniuntur: ergo non puniuntur.

August. 3. super Gen. cap. 10. ¶ Quod autem sit pœna, videtur per hoc, quod dicit Aug. *Ista caliginosa aeris tantum tenere permissi sunt, qui eis quasi carcer est vsque ad tempus iudicij.* Sed esse in carcere, est pœna incarcerato, ergo ipsis dæmonibus est pœna esse in aere caliginoso.

¶ Præterea, si habebant angeli corpora per assumptionem, antequam caderent; habebant corpora sumpta de æthere luminoso, vel nulla habebant: sed post casum habent corpora assumpta de aere caliginoso, ergo quo ad hoc mutantur in statum deteriorem: sed mutati in statum deteriorem, est pœna: ergo dæmones ex hoc quod in aere caliginoso sunt, pœnam habent.

¶ Præterea, dicitur *In hoc aereo cælo & in terris dæmonum & hominum est miserrima vita, erroribus ærumnisq́ plenissima.* Sed miserrima vita non est sine pœna: ergo pœna est ipsis dæmonibus esse in hoc cœlo aereo, siue caliginoso aere. (Augu. 10. de ci. Dei cap. 2.)

RESOLVTIO.

Quinimo grauissima, cum sit locus inconnaturalis eisdem.

¶ Ad quod dicendum est: quod datum est eis in pœnā esse in aere caliginoso. Locus enim in quo conditi sunt, erat cœlum empyreum, quod est luminosum, & quasi locus connaturalis eis: esse ergo perpetuo in loco tenebroso vel caliginoso, inflictū est eis, qui noluerunt tenere habitationem luminosam: non quod pœna esset angelo bono esse in loco tenebroso, vt si angelus bonus mittatur ad has partes inferiores: sed ideo cedit eis in pænam, quod reuerti nō possunt ad regionem luminis sibi connaturalē. Deferunt etiam secum tenebras interiores, quæ magis sunt eis in pœnam, quam tenebræ exteriores. Sic ergo est pœna ipsorum dæmonum.

¶ Ad obiectum autem primo in cōtrarium. Dicendum est, quod licet gaudeant de tentatione hominis: non tamē gaudent de dispositione loci, in quo tentant: cum illa dispositio loci disconueniens sit naturæ primæ institutæ.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet aer sit de corporibus actiuis respectu terræ & aquæ; habere tamen aereum corpus tenebrosum, cedit in rationem passibilis: non quod aer ipse agat in ipsos dęmones inferendo eis pœnam: sed ipsi ex innaturali sibi habitatione pœnā accipiūt.

¶ Ad tertium dicendum: quod licet dominentur ipsis peccatoribus, qui per tenebras designantur: nihilominus tamen hoc dominium concomitatur quędam pœna. Vnde dicit Aug. *Pœna est diabolo, vt in potestate habeat eos, qui præcepta Dei contemnunt: sicut esset de aliquo, qui esset de familiaribus alicuius regis, & post factus esset carcerarius ad custodiendum malefactores, & cum ipsis malefactoribus puniretur.* (Aug. super Genes. aduersus Manich.)

ARTICVLVS II.

A quo, & quomodo dæmones in caliginoso hoc aere puniantur, patianturue?

Secundo quæritur, quomodo dæmones in aere caliginoso puniantur. Si enim angelis sanctis non est gaudiū, esse in corpore luminoso quocumque: vt si essent in aere illuminato; non propter hoc esset eis maius gaudium: ergo per oppositum non erit pœna ipsis dæmonibus, quod sunt in corpore caliginoso.

¶ Præterea, corpus naturaliter inferius est spiritu: ergo non agit in spiritum: aer autem caliginosus est corpus: ergo non agit in spiritum dæmonis: ergo nulla passio infertur ab ipso corpore: & omnis pœna passio est: ergo nullo modo pœna ex corpore caliginoso infertur ipsis dæmonib.

¶ Sed contrarium videri potest: quia pœna dicitur affectio inuoluntaria: affectio autem inuoluntaria in dæmonibus est esse in aere caliginoso, videlicet contra voluntatem primitus institutam: ergo est pœna in illis.

¶ Præterea, ignis gehennæ licet corporeus sit, nihilominus affligit ipsos spiritus delinquentes ex Dei ordinatione. Ergo pari ratione cum aer caliginosus sit corpus, non impeditur, quin possit esse in pœnam ipsis dæmonibus.

RESOLVTIO.

A caligine eiusdem, ex Dei ordinatione.

¶ Ad quod videtur esse dicendum: quod cum status dæmonum in præsenti mediam rationem teneat inter statum innocentiæ, quem habuerunt, & statum pœnæ æternæ, cui deputati sunt; congruebat vt dum essent in statu medio, haberent aliquid de potentia, & aliquid de passibilitate: vnus enim status ad potentiam pertinebat: alius vero status ad miseriam: & distant loca his statibus congruentia, scilicet cœlum empyreum & infernus. Conuenit ergo vt locū medium teneant, duobus congruentem, scilicet vt possint agere, & possint pati: & ideo in aere sunt, & caliginoso: vt esse in aere, & de parte aeris facere, quod sibi permissum est, pertineat ad agere: esse vero in caliginoso, pertineat ad pati.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in cōtrarium. Dici potest, quod licet aer corpus sit, corpus autē de sua natura nō

agat in spiritum: nihilominus quia non seruauit suum ordinem ipse spiritus, in hoc cecidit, vt à corpore pateretur: vel sibi inde assumeret corpus.

¶ Ad aliud vero dicendum est: quod non est simile: angeli enim boni naturaliter præeminent corporibus; & ideo de essentia gaudij eorum non est dispositio corporis: sed angeli mali, quia spiritus sunt ex natura, in hoc habent pœnam, quod à corporibus, vel in corporibus patiuntur.

ARTICVLVS III.

An alij casus à casu dicto, in hunc videlicet aerem caliginosum, dicantur esse dæmonibus in pœnam?

Tertio quæritur, Vtrum localis casus in aerem caliginosum sit tantum dæmonibus in pœnam, an etiam sint alij casus locales? Si enim sunt alij casus locales, & alia pœna non debetur, nisi pro alio peccato: essent diuersa peccata in genere, pro quibus inflictæ essent pœnalitates illorum locorum. Videmus autem pro primo peccato inflictam pœnalitatem aeris caliginosi & inferni: ergo non videtur, quod pœnalitas diuersorum locorum diuersis peccatis respondeat.

¶ Præterea, sicut dicit Beda, cum est in aere caliginoso, pœnam ignis gehennalis secum defert, vbicumque moue tur: & ponit exemplum tale de febricitante, qui quocumque transfertur, pœnam caloris febrilis secum defert: ergo nec localiter distinguuntur pœnæ, vt vna pœna sit in vno loco, & alia in alio: nec distinguuntur peccata, propter quæ diuersi casus locales inferantur.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur in Lib. Collectionum de sententijs sanctorum: & videtur esse verbum Ambrosij. Tribus locis diabolus cecidit, primo de cœlo per superbiam, secundo de paradiso per homicidium Adæ (vnde *homicida dictus est ab initio.*) tertio de terra, quia per inuidiam humani generis cecidit in infernum. Et ita non tantum erat casus vnus dæmonibus in pœnam, sed plures. Ioan 8.

RESOLVTIO.

Et plures alij per quandam comparationem & appropriationem adaptari consueuere, at vnus ille dictus, scilicet in aerem, & per consequens in infernum proprius & præcipuus perhibetur.

¶ Ad quod dici potest: quod illud dictum est per quandam coaptationem. Secundum hoc enim si diuersi isti casus essentialiter responderent diuersis peccatis dictis, tunc pro primo peccato superbiæ non cecidissent in infernum: dicitur autem *Quo cecidisti Lucifer &c.* & post sequitur. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Vbi notatur, quod pro primo peccato superbiæ inflictus est casus gehennæ. Per quandam tamen appropriationem dici videtur de aptatione locorum: eo enim quod peccauit in cœlo de cœlo cecidit per superbiam: eo autem quod peccauit in paradiso suggerendo primis parentibus, dicitur de paradiso cecidisse per homicidium: eo autem quod quotidie peccat in terra tentando homines ad seditionem, dicitur de terra cecidisse * quasi hominum habitatione. Sic ergo quantum ad terminum, à quo est casus, tria loca distinguuntur: quantum autem ad terminum, in quem est casus, non distinguuntur nisi duo loca, aer scilicet caliginosus, qui est locus ad tentandum, & infernus, qui est locus ad recipiendum pœnam ignis æterni. Esa. 14. Ibid. * Alias, à communi hominum inhabitatione.

ARTICVLVS IV.

An æque indifferenter aer caliginosus, & infernus inferior determinati sunt dæmonibus omnibus in pœnam: vel quibusdam hic, quibusdam ille, distributum?

Qvarto quæritur, vtrum vterque locus sit determinatus omnibus dæmonibus in pœnam, aut vnus quibusdam, & alijs alius? Et videtur, quod vnus quibusdam, & alius alijs: non enim par erat omnibus peccatum: sed impari existente peccato, impar debet esse pœna: sed pœna fuit casus localis: ergo inæqualis debet esse: sed hæc inæqualitas non fuit, eo quod quidam dæmones in superiori parte aeris caliginosi ceciderunt, alij vero in media parte, alij vero in infima: ergo in hoc attenditur inæqualitas; quod quidam ceciderunt in aerem caliginosum, quidam vero in infernum.

¶ Sed obijcitur in contrarium, per hoc, quod dicitur in Euangelio, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Cum enim dicitur [*& angelis eius*] nullus excipitur: ergo ignis inferni omnibus deputatur in pœnã. Similiter dicitur. Apoc. 19. & 20. quod diabolus missus est in stagnũ ignis & sulphuris, & qui habebat characterem bestiæ. Et B. Aug. dicit *Firmissime crede, diabolum & angelos eius in ignem æternum à Christo esse mittendos: vbi nunquam carebunt pœna, quam eis præparauit diuina iustitia.* Ergo pœna ignis infernalis communis est omnibus dæmonibus. Math. 15. Apoc. 19. & 20. Aug. in lib. de fide ad Petrum.

¶ Similiter pœna aeris caliginosi est eis communis: vnde dicitur *Visitabit Deus super militia cœli in excelso*: militia autem designat ibi dæmones, qui in aere militant ad homines seducendos. Similiter dicitur *Applicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea. &c.* vbi nulla fit distinctio, quod quidam militent in aere caliginoso, quidam non: sed indifferenter omnes: ergo illa etiam pœna communis est omnibus. Isa 24.

¶ Præterea, B. Greg. exponens illud. 2. Pe. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed &c. Quantum ad sublimitatem cœli aer iste caliginosus non immerito potest infernus dici: sicut quantum ad eiusdem aeris altitudinem, & terra, quæ inferius iacet, infernus potest intelligi. Malignus itaque spiritus de superioribus in hæc inferiora deiectus, ne ad cœlestia valeat deuolare, pœna sua pondere coarctatur: & hic quasi in carcere constringitur, quia tentare bonos quantum desiderat, prohibetur: & vt implere mala, quæ appetit, nequeat, superna districtione religatus angustat.* Ex quib. verbis colligitur: quod esse in aere caliginoso est pœna indifferenter omnibus dæmonibus (loquitur enim de diabolo & angelis eius) & ita indifferenter vterque locus est pœna dæmonum. Greg. li. 8. & 13. moral. 2. Pet. 2.

RESOLVTIO.

Aeque profecto & indifferenter in genere quibusque vtraque pœna vtriusque loci inflicta est: tametsi differenter in gradu.

¶ Quod concedendum est.

¶ Respondendum aũt est ad obiectum in contrarium: quod existente inæquali peccato, & inæqualis fuit pœna: sed illa inæqualitas pœnæ est secundum maioritatem & minoritatem afflictionis in igne gehennæ, qui est ignis gehennalis, & secũdum maioritatem caliginis, quam sibi suo peccato effecerunt: non quod quidam habeant pro pœna perpetuum carcerem aeris caliginosi, alij vero ignem infernalem.

¶ Videtur autem aliquibus, quod pœna aeris caliginosi sit pœna eorum vsque ad diem iudicij: pœna vero ignis gehennalis post iudicium. Sed quod pœna gehennalis sit pœna in præsenti, patet per hoc, quod dicit Beda in authoritate supradicta. Præterea, primum peccatum fuit maius peccatum, quam cõsequentia peccata dæmonum: ergo maior pœna debebatur: sed maior pœna est ignis gehennalis: ergo cum iam iudicati sunt pro illo peccato, eis illa pœna est inflicta. Præterea, in iudicio vltimo cum proponitur sententia iudicis respectu damnatorum, nulla mẽtio fit ibi de iudicio ferendo in angelos malos: sed de iudicio ferendo in homines malos. Ex quo accipitur, quod iam latum est iudicium; sed pro malis angelis fuit ille ignis gehennæ, sicut dicitur Matt. 26. ergo iam latum est iudicium ipsorum dæmonum respectu huius pœnæ. Beda. Matth. 26.

¶ Quod autem alia pœna, sc. aeris tenebrosi non sit pœna eorũ principalis, videtur: quod enim remaneant in hoc aere tenebroso, hoc est, quia hic est eis locus tentandi humanum genus: sed post iudicium nec erit tentatio, nec habebunt potestatem tentandi: ergo nec pœna concomitans huiusmodi potestatem secundum illum modum erit tunc in dæmonibus. Aer enim, qui nunc est caliginosus, tunc erit illuminatus: ergo tunc non erit eis pœna esse in illo tãquam in caliginoso.

¶ Ad aliud vltimum dicendum: quod etiam illa pœna, quæ est tenebrositas aeris; non aufertur ab ipsis dæmonibus post iudicium: licet enim non habeant tenebrositatem huius aeris, habebunt tamen tenebrositatem, quæ est in inferno. Et licet auferatur ab eis potestas tentandi,

& esse

& esse in loco superioris aeris caliginosi: non tamen esse in loco infimo, vbi erit etiam eis tenebrositas in pœna.

QVÆSTIO CI.

De Tentatione Dæmonum in generali.

In decem Membra, & tredecim Articulos diuisa.

D. Tho. 1. par. q. 114. S. Bon in 2. dist. 21. art. 1. & 2. Ioan. 8. COMPLETO Tractatu de primo peccato malorum angelorum, & de pœna consequente: dicendum est de peccato tentationis, quo primum parentem tentauit, & adhuc tentat humanum genus: ratione enim illius dicitur homicida ab initio, sicut habetur Ioan. 8.

¶ Primo autem dicendum est de tentatione in communi. Secundo, de tentatione facta primis parentibus. De tentatione vero in communi primo dicendum est de tentatione actiua. Secundo, de tentatione passiua.

¶ Circa tentationem actiuam ipsius diaboli consideranda sunt hæc. Primum quid sit tentatio. Secundum, à quo sit tentatio. Tertium, cuius sit tentatio, Quartum, ex qua causa sit tentatio. Quintum, qua de causa permittit Deus tentationes fieri. Sextum, quæ sint differentiæ, siue species tentationis. Septimum, quomodo vnaquæque fiat. Octauum, de remedio tentationis. Nonum vtrum diabolus semper tentet. Decimum, vtrum aliquando crescat eius appetitus ad tentandum.

MEMBRVM I.

Quid sit tentatio?

Cassiod. CIRCA primum sic proceditur. Dicit Cassiodorus, quod *tentatio est assimilatio boni ad fallendum*. Sed videtur, quod hæc ratio non conueniat omni tentationi diaboli: tentatur enim aliquis quandoq; à diabolo de fide: & tunc est de non vero sub specie veri: quando angelus satanæ transfigurat se in angelum lucis, vt faciat consentire falso sub specie veri. Aliquando autem transfigurat se, vt homo eligat malum sub specie boni: Non ergo in omni tentatione diaboli est assimilatio boni ad fallendum: sed quandoque assimilatio boni ad fallendum.

Gregor. in moralibus. ¶ Item, Greg. *Diabolus quosdam decipit, vt sapientes, sub specie boni*: sed alios aperte ducit in peccatum. Ergo respectu eorum tentatio non est assimilatio boni ad fallendum: cū aperte ducantur in malum: quidam enim scienter malum faciunt.

¶ SED in contrarium sic obijcitur: terminus tentationis diaboli est peccatum: ergo ad hoc tendit tentatio eius, vt homo perpetret peccatum: sed nullus vult malum inquantum huiusmodi: ergo sub specie boni procedit ad tētandum: ergo tentatio est assimilatio &c.

Glossa super Psal. 25. ¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur in Glo. super illud Psal. 25. *Proba me Domine, & tenta me. Diabolus tentat, vt seducat*. Sed seducere est à bonitate ad malitiam ducere, vel in malitiam magis profundare: ergo tentatio diaboli est per apparentiam boni ad hoc, quod à bono ducatur ad malum: hoc enim quodammodo tenet rationem medij: ab extremo autem ad extremum non venitur directè nisi per medium.

RESOLVTIO.

Diuersi diuersa ratione diuersimode tentationem definiunt.

¶ AD quod respondendum, quod prædicta ratio Cassiodori conuenit omni tentationi diaboli.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod tētatio, quæ est de fide, est etiam huiusmodi: est enim ibi assimilatio boni in genere illo: verum enim est bonum intellectu, & affectu: secundum quod consensus fertur super illud. Ad secundū vero dicendum: quod licet quosdam decipiat occulte, quosdam aperte ducat: nihilominus in omnibus est deceptio: appetunt enim illud, quod non est appetendum: & licet cognoscant quodammodo illud esse malum, quod appetunt: tamen alio modo ęstimant esse bonum: & ita semper est ibi assimilatio boni ad fallendum: Sed propter hoc dicitur aperte ducere quosdam: quia habent in se scientiam, secundum quam possunt cognoscere, & cognoscant, quoniam illud est malum simpliciter, & à Deo prohibitum.

Hugo de S. Victore. ¶ HVGO ponit aliam diffinitionem. *Tentare est callide experiri, & quasi quibusdam blandis conatibus ante violentam pulsationem probare.*

Gregor. ¶ Circa quam diffinitionem sic obijcitur: videtur etiam, quod nulla sit violenta pulsatio: dicit enim Greg. *Non est timendus hostis, qui non potest vincere nisi volentem*. Item Isa. 51. *Incuruare, vt transeamus* (in persona dæmonum ipsi animæ dicitur) vbi Glo. *Nisi teipsum subdideris, dæmones non nocebunt tibi.* Glossa. Philoso. 3. Ethic. c. 1. 3. & 4. Præterea: Philosophus assignat differentiam inter violentum & voluntarium dicens. *Violentum est, cuius principium est extra, eo nihil conferente, qui agit, vel qui patitur. Voluntarium autem est, cuius principium est in ipso.* Sed omne peccatum est ita voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum: ergo nullum est violentum: non ergo est violenta pulsatio in aliquo peccato.

Gregor. ¶ CONTRA dicit B. Greg. quod *aliquando tentat diabolus vt leo: & aliquando tentat vt draco*. Cum autem sæuit vt leo, tunc videtur esse violenta tentatio: cum autem tentat vt draco, non violenta: & ita non in omni progressu tentationis est violentia. Hoc etiam videtur per hoc, quod dicit B. Idem. Greg. alibi, *Prius quasi consulens blanda, ad animum loquitur: sed cum semel dentem delectationis infixerit, violenta post consuetudine pœnæ insolubiliter innodatur*. Iob Cap. 20. Iterum super illud *Caput aspidis suget, & occidet eum lingua viperæ*. Quid per linguam nisi violenta dæmonum tentatio designatur? prius enim leniter surrepit, postmodum vero violenter trahit. Caput vero aspidis sugit, quia initium suggestionis occulte prauum prius in corde nascitur: sed occidit eum lingua viperæ, quia postmodum capta mens, veneno violentæ tentationis necatur. Præterea, tentare est experiri: sed experiri est de re ignota, vt fiat nota: si ergo notum sit diabolo de aliquo, quod sit in mortali; de illo non erit experientia; ergo nec tentatio: à quo enim remouetur genus, ab eo remouetur species: ergo si in huiusmodi est etiam tentatio: non erit tentare callide experiri &c.

Psal. 25. ¶ Huius etiam gratia quæritur, cum tentare dicatur de Deo, & dicatur de diabolo, & dicatur de homine: sicut habetur super illud. *Proba me Domine, & tenta me*: quæritur, in quo sit conuenientia: & vtrum sit communis ratio? Quod non, videtur: tentat enim Deus, vt erudiat vel probet: homo vero vt sciat: diabolus vt seducat. Sed istæ sunt rationes differentes: ergo non videtur esse communis ratio: ergo cum ista non habeant commune &c. Præterea, & homo, & diabolus potest experiri de re ignota: sed Deus non: nihil etiam est ei ignotum; sed ante quam fiat, est notum: vnde cum dicitur *Tentat nos Dominus Deus noster, vt palam fiat hoc*: Deut. 13. non est vt ei fiat palam: sed vt homini fiat palam, vel sibi ipsi, vel alteri. Restat ergo quod experiri secundum vnam rationem non erit in tentatione dicta de diabolo, & in tentatione dicta de Deo.

¶ In contrarium sic obiicitur, per similitudinem in tentationibus artificum: tentat enim medicus, quis sit effectus alicuius herbæ per experientiam. Similiter tentant & alij artifices quotidie: sic ergo videtur, quod tentare hic dicatur experiri. Cum enim diabolus tentat, experientiam sumit de homine ad malum: cum Deus tentat, experientiam sumit de homine ad bonum: cum homo tentat, experientiam sumit ad verum. Ergo experiri videtur esse commune omni tentationi, & quod per huiusmodi differentias distrahatur.

¶ Ad quod dicendum, quod illa ratio Hugo. intelligitur de tentatione quo ad initium motus in peccatum. Accidit enim diabolo aliquando, sicut accidit cæco: qui primo tentat baculo, vtrum inueniat viam, per quam possit incedere: postquam autem inuenit viam, quasi incedit secure. Sic diabolus primo tentat hominem, & si inueniat eum fortem ad resistendum, blande conatur & paulatim: si vero inueniat viam paratam, quasi violentus pulsat. Et hoc modo intelligitur ipsa ratio supradicta.

¶ Ad obiectum de violenta tentatione, siue pulsatione. Dicendum est, quod nunquam est omnino violenta, sed dicitur in respectu violenta, quia qu[...] quadam necessitate consuetudinis vel alterius rei ducitur ad peccatum: vel

ad hoc, quod in peccato profundetur. Et hoc modo inducuntur authoritates B. Greg. non de violenta tentatione simpliciter, sed in respectu. Ad secundum dicendum, quod licet tentare sit experiri, non tamen semper est de re incognita. Sed tunc proprie est de re incognita, vel sibi, vel alii; quando finis experientiæ terminatur in notitia intellectus: Quando vero non sistit in intellectu finis tentationis, vel experientiæ; sed progreditur ad effectum, vel affectum: tunc potest esse experientia de re ignota & de re nota: experitur enim vt fiat malum: vel vt fiat bonum, siue manifestetur. Ad illud vero, quod obijcitur de conuenientia tentationis diaboli cum tentatione Dei & hominis. Dici potest, quod non est conuenientia ex parte finis, sed conuenientia est ex parte actus, & subiecti in genere: tentatio enim est experientia liber. arbitr. sed Deus experitur liber. arbitr. ad bonum: diabolus experitur lib. arb. ad malum. Ex parte ergo boni & mali non est accipere commune: sed ex parte actus & materiæ.

Dubitatio. ¶ Si vero quæratur, quæ sit differentia inter tentationem diaboli, & consilium, & suggestionem. Potest hæc assignari differentia: vt tentatio sit respectu lib. arb. consilium vero sit respectu rationis, vel respectu intelligentiæ: suggestio vero respectu voluntatis. Sicut enim Spiritus sanctus suggerit bona voluntati: sicut habetur Ioan. 14. sic spiritus malignus mala ipsi voluntati. Sic ergo differre possunt tentatio, consilium, & suggestio.

Ioan 14.

MEMBRVM II.

An à solo Diabolo tentatio fit?

Iob. 40. SECVNDO quæritur, à quo fit tentatio, vtrum fit à solo diabolo. Quod non, videtur: dicitur super illud. *Nunquid accipies eum seruum sempiternum*: ibi dicitur, quod diabolus seruit domino in tentationibus. Sed illud quod fit à seruo ministerio, fit à Domino authoritate, ergo tentatio, quę fit à diabolo tanquam à seruo, est à Domino authoritate: non ergo solius diaboli est tentare ista tentatione.

Math 22. & Luc. 10 ¶ Præterea, homo etiam tentat ad deceptionem: sicut habetur in Euangelio, cum dicitur. *Accessit quidam Legislator tentans eum*: tentabat enim eum, vt deciperet: ita etiam multi homines tentant alios ad deceptionem. Ergo non est solius diaboli tentare hoc genere tentationis.

Iacob. 1. ¶ Item, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*. Ergo concupiscentia hominis tentat ipsum: sed quid aliud est dicere, quod cōcupiscentia tentat, nisi quod est quædam causa tentationis, differens à causa tentationis quæ est diaboli? Ergo non à solo diabolo fit huiusmodi tētatio, quæ est ad seductionem peccati.

Ibidem. ¶ Contra *Neminem Deus tentat. Deus enim intentator malorum est*. Ergo huiusmodi tentatio, quæ est ad seducendum, non est à Deo.

Aug. in li. de bono perseuerātiæ ¶ Item, Aug. *Deus neminem tentat tentatione*; scilicet noxia: nam est vtilis, quando non decipimur, sed probamur: noxia vero, est, quam signat Apost. *Ne forte tentauerit is, qui tentat, & inanis fiat labor noster*.

1 ad Thessal. 3.

¶ Item, cum assignatur ratio tentationis humanæ, dicitur: quod homo tentat, vt sciat. Si ergo finis tentationis humanæ est scire, non est finis tentationis humanæ decipere: ergo proprium est tentationis diabolicæ tentare, vt seducat, vel decipiat: sic enim distinguitur tentatio à tentatione, ex parte finis.

¶ Præterea distinguitur tentans à tentato in substantia & habet in se principium experiendi: sed concupiscentia non distinguitur omnino ab homine tentato in substantia, nec habet in se principium experiendi (illud enim est principium experiendi, quod habet in se potentiam cognoscendi) ergo concupiscentia non est principium tentandi illo modo, quo dicitur diabolus tentare.



RESOLVTIO.

Tentatio, siue tentare, prout est callide experiri ad malum, non nisi à diabolo est.

¶ AD quod dicendum: quod tentare secundum quod est callide experiri ad malum, est officium diaboli, sicut dicitur in Glo. super illud. *Ne forte tentauerit is, qui tentat.* Glossa super 1. Thess. 3.

¶ Ad hoc autem, quod obijcitur: quod Dei est tentare ista tentatione tanquam authore. Dicendum est, quod tentatio actus inquantum procedit à potestate, sic est Dei vt authoris: inquantum autem tentatio procedit à voluntate, non est eius vt authoris: potestas enim iusta est, sed voluntas iniusta est: sicut dicit Beatus Greg. Cum ergo dicitur seruus proprie, dicitur ex parte potestatis: nihilominus tamen seruit etiam Deo mala voluntate: quia actum illius malæ voluntatis ordinat Deus ad bonum. Vnde Grego. *Inde obtemperat nutibus diuinæ potentiæ, vnde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ.* Et iterum, *seruus ex pacto est: quia dum voluntatem suam implere permittitur, à superni consilij voluntate ligatur: vt electos Deo nolens tentet, & tentando nesciens probet.* Et dicit Isid. Diabolus, *tentando, sanctorum profectibus seruit.* Cum autem dicitur *Deus neminem tentat*: sensus est non habet voluntatem tentandi ad seductionem. Et August. ita exponit ibi: *neminem tentat; id est in tentationem inducit: nam tentari, & in tentationem non induci, non est malum.* Beda vero ita distinguit, quod exteriorem tentationem immittit Deus ad* tentationem suorum: interiorem vero qua sæpe accipitur malum non immittit Deus.

Gregor. Idem. Idem. Isido. Lib 3. de Summo Bono Cap. 15. Iacob. 1. Aug. in lib. de bono perseuerātiæ. Beda. * Alias, ad probationem.

¶ Ad secundum vero, quod obijcitur de tentatione hominis, quod licet aliquando tentet homo ad tentationem; & in hoc minister diaboli: hoc tamen non est vniuersale in tentatione hominis: sed ad hoc tentat, vt sciat. Vnde cū dicitur in Euangelio, quod *surrexit quidam tentans* &c. Hoc dupliciter exponitur ab August. Fieri potest, vt quamuis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certe tentationem non accipiamus malam, tanquam volentis decipere inimicum: sed cautam potius, tanquam experiri volentis ignotum.

Lucæ 10. Aug in lib. de concordi. Euangelistarum.

¶ Ad tertium dicendum, quod aliter dicitur tentatio esse à diabolo: & aliter à cōcupiscentia. Ab ipso enim diabolo est tanquam à patre, ab ipsa vero concupiscentia est tanquam à matre. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Vnde dicitur ibidem super illud *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum.* Interlin. *Cum diabolus incentiua immittit, vel cum caro suauia sibi quærit.* Vult ergo quod incentiuum sit ab ipso diabolo, tanquam à primo mouente: ab ipsa concupiscentia, tanquam à proximo.

Ezech 16. Iacob. 1. Glossa.

MEMBRVM III.

Cuius sit tentatio passiue?

TERTIO quæritur, cuius sit tentatio. Et primo quæritur, vtrum tentatio sit tantum hominis tanquam tentabilis, vel etiam angeli, aut etiam Dei. Secundo, si tentatio est hominis, vtrum mali tantum, an etiam boni & mali. Tertio, si Christi, aut alterius hominis. Quarto, si est tentatio alterius hominis, vtrum similiter dormientis & vigilantis. Quinto, quæritur, vtrum eodem modo sit tentatio existentis in seculo, & renunciantis seculo. Sexto, vtrum similiter sit perfectorum & imperfectorum. Septimo est quæstio ex parte malorum: sunt enim quidam, qui aliquando resistunt: quidam vero, qui non resistunt: vtrum similiter sit tentatio respectu horum & illorum. Octauo quæritur, vtrum similiter tentatio sit respectu credentium & non credentium. Nono, vtrum similiter respectu credentium in communione ecclesiæ, & respectu separatorum à communione ecclesiæ.



ARTICVLVS I.

An hominis tantum, vel etiam Dei, & Angeli sit tentari?

AD primum sic: videtur enim quod tentatio non sit tantum hominis, sed etiam angeli: si enim tentatur Deus, sicut habetur. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Glo. *Deum tentat, qui habens quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens vtrum possit liberari à Deo.* Si ergo Deus potest tentari, multo fortius angelus. Deut. 6. Glossa.

¶ Præterea, tentatio est experientia ad bonum, vel ad malum: sed alterum horum potest conuenire angelo: ergo angelus potest tentari.

¶ CONTRA, Angeli determinati sunt ad bonum, vel ad malum: cum ergo tentatio (de qua loquimur) sit possibilis ad bonum, & ad malum: vt si in bono sit, possit cadere, vel probari: istæ autem rationes non conueniunt angelo: ergo tentatio non erit angeli vt tentabilis.

¶ Præterea, differt ratio tentantis, & rei tentatæ: sed officium est angeli mali tentare: ergo eius non est tentari: non enim seipsum tentat, nec ab alio tentatur, vt cadat: ergo non est angeli mali tentari, nec boni: cum impossibilis sit ad casum; & manifesta sit eius probatio, vel approbatio.

RESOLVTIO.

Proprie, hominis tantum est, tentari.

¶ AD quod dicendum: quod tentari est proprie ipsius hominis, secundum quod loquimur hic de tentatione. Cum enim dicitur, quod Deus tentatur, aliud est genus tentationis: hoc enim est experientia potestatis diuinæ ad subueniendum: hic autem fit sermo de experientia potestatis ad permanendum, vel ad cadendum.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur de angelo per hoc, quod obiicitur de Deo. Dicendum est, quod non est huiusmodi genus tentationis, sicut dictum est. Vnde si tentaretur angelus illa via, hoc non esset nisi experiri, vtrum angelus vellet subuenire: sed de huiusmodi tentatione non loquimur.

¶ Si vero quæreretur fortasse, vtrum Deus à principio tentaret angelum ad probandum? Videtur dicendum, quod nomen tentationis non conuenit ibi: tentatio enim proprie fit, cum aliquid exigit, vnde potest esse probatio, vel casus: hoc autem modo non tentat Deus angelum. Nec inuenitur, quod Deus tentauerit hominem, nisi post casum, non in statu innocentiæ. Vnde cum angelus tunc fuisset in statu innocentiæ, non conueniebat ei tentatio.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet experiri ad bonum, vel ad malum posset esse ipsius angeli in primo statu: non tamen nomen tentationis conueniret: tentatio enim videtur esse quasi inter duo, non solum ex parte tentati: & ideo tentatio non est ipsius angeli.

ARTICVLVS II.

An tentatio similiter bonorum, ac malorum hominum sit?

SECVNDO quæritur, si tentatio hominis est, vtrum sit mali tantum, aut boni & mali secundum eundem modum? Et videtur quod sic: cum enim officium diaboli sit tentare; nec quantum est de voluntate sua, cesset à tentatione; indifferenter pulsat bonos & malos: ergo similiter se habet ad tentandum hos & illos.

¶ Contra, mali sunt in potestate diaboli: ergo cum plus intendat trahere ad suam potestatem bonos, quam etiam malos detinere: maior est intentio ipsius ad tentandum ipsos bonos, quam ad tentandum ipsos malos.

¶ Item, dicitur super illud. *Immissiones per angelos malos.* Glo. *In malis potest diabolus sicut in pecore suo: in bonis vero non potest nisi sicut in pecore alieno.* Ergo dissimiliter se habet ad tentandum hos & illos. Psal 77. Glossa.

¶ Præterea, super illud. *Cum seuisset Israel, ascendebat Madian.* Glos. *non dicuntur inualuisse Madianitæ contra populum Dei, dum præcepta custodiunt: cum autem negligere cœpit, mox inualere cœpit hostis aduersum nos, qui Israel secundum spiritum dicimur.* Ex quo designatur, quod aliter est tentatio respectu bonorum, & respectu malorum. Dicitur enim ibi de bonis: dæmones non possunt accedere ad spirituales campos: vbi per spirituales campos designantur boni. Est autem quando sata nostra corrumpuntur: qui enim seminat in carne, de carne metet corruptionem: & hoc similiter de malis. Ergo ad malos possunt ascendere: ad bonos vero non. Dissimiliter ergo se habent respectu bonorum & malorum tentationes. Iudic. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Quinimmo dissimillime, & ex parte tentantium, & ex parte tentatorum.

¶ AD quod dicendum, quod respectu horum & illorum est tentatio dissimiliter, quantum est ex parte appetitus ipsius tentantis: & hos enim & illos appetit tentare: non tamen est æqualis appetitus ad trahendum iustos, & ad detinendum peccatores. Potest etiam esse dissimilitudo non tantum ex parte tentantis, sed etiam ex parte eius, qui tentatur. In malis enim est amplior habilitas ad recipiendum tentationem, quam sit in bonis: mali enim inclinantur ad tentationem diaboli: boni vero non, inquantum huiusmodi. Item, mali veniunt ad diabolum, vt ab eo tententur: diabolus vero ad iustos, vt eos tentet: non quod se offerant tentationi.

¶ Ex his possunt patere ea, quæ obiecta sunt.

ARTICVLVS III.

An Christus tentationem perpessus sit?

TERTIO quæritur, si est tentatio hominis boni vtrum Christi, aut tantum alterius hominis. Et videtur quod non sit tentatio Christi: tentatio enim dicitur ad profectum: in Christo autem nullus erat profectus: ergo non erat in ipso tentatio.

¶ Item, Nihil iuris habebat in eo: sed in quo nihil habebat iuris, non conueniebat potestas tentandi: ergo non habuit potestatem tentandi Christum.

¶ Præterea, Christus maior fuit quocunque angelo: ergo si tentatio non cadit in angelum: multo fortius tentatio non fuit Christi.

¶ Sed in contrarium videtur, quod dicitur in Glo. super illud. *Si filius Dei es. Non indignum fuit, Christum tentari, qui venerat occidi: vt tentationem superando, nobis potestatem daret superandi tentationes.* Matt. 4. Glossa.

¶ Item, dicitur in ipso Euangelio. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Matt. 4.

¶ Item, super illud. *Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi* Glo. *sunt portæ mortis, & per vtramque tentauit diabolus Christum*: per portam cupiditatis, sicut habetur per portam timoris in passione; secundum quod dicitur. *Cœpit Iesus pauere & tædere.* Ex quo accipitur, quod tentatio fuit Christi. Psal. 30. Glossa. Matt. 4. Matt. 26

¶ PRÆTEREA quæritur, si Christus tentatus fuit, aut tantum tentatus fuit tentatione exteriori: aut etiam tentatione interiori. Quod autem tentatione interiori, videtur: tentatione enim timoris tentatus fuit, timor autem est interior: ergo fuit tentatus tentatione interiori.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur super illud. *Educes me de laqueo &c.* vbi videtur dicere, quod non fuit tentatus nisi exteriori. Præterea, tentatio interior, quæ est à carne, non fit sine peccato: peccatum autem nullatenus fuit in Christo, nec potuit esse: ergo non tentabatur tentatione interiori: tentabatur ergo sola tentatione exteriori. Quod etiam videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Et accedens tentator &c.* Glo. *Christus sola suggestione tentatus fuit: delectatio vero peccati mentem eius non momordit.* Psal 30. Matt. 4. Glossa.

RESOLVTIO.

Ita perhibent Euangelia; ita profecto credamus.

¶ AD quod dicendum, quod tentatio fuit Christi: sicut legitur in Euangelio.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet tentatio sit ad profectum; hoc non fuit, vt ipse proficeret in se, cum haberet summam perfectionem: sed vt membra proficerent: propter nos enim fuit huiusmodi tentatio.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet nihil haberet iuris in eo, cum non haberet peccatum: nihilominus tamen permisit Dominus ipsum, & ipse permisit se tentari, & alia ratione, quam permisit Adam tentari. Permisit enim Adam tentari in statu innocentiæ, vt experiretur in eo obedientiam, quam tamen sciuit ipsum non seruaturum. Permisit autem Christum tentari, de cuius obedientia & constantia constabat: sed vt nos exemplo illius & constantes & obedientes essemus.

¶ Ad tertium vero dicendum est: quod licet Christus etiam secundum quod homo tanta gratia præditus, fuerit maior angelo: nihilominus tamen tentatus fuit: quod nō de angelo legitur: quia Christus cum sit caput nostrū multa attribuūtur ei propter nos: non quia ipse indigeret: angelus autem bonus nec ratione aliorum dicitur tentari: cū angelus non dicitur habere membra ad modum illum, secundum quem Christus dicitur habere membra. Præterea, quædam passibilitas fuit in Christo assumpta, ex qua parte videbatur similis aliis hominibus: & ideo tentauit diabolus ipsum: si enim sciuisset ipsum esse filium Dei, omnino non tentasset. Vnde habetur in quadam Glo. super illud, *Si filius Dei es &c. Aliud tentantis est, aliud explorantis: dum Deum confiteri videtur, & hominem illudere conatur: sic enim tentat, vt exploret quod veretur: sic explorat, vt tentando decipiat: non ergo ausum tentandi haberet, nisi in eo humanam naturam consideraret, non sciendo diuinam.* Matt. 4. Glossa.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur consequenter: cuiusmodi tentatione tentatus fuisset: Dicendum est, quod tentatus fuit tentatione exteriori; secundum q ad inuicē diuiduntur tētatio quæ est à carne, & tentatio quæ est ab hoste, tentatio n. quæ est ab hoste, dicitur exterior: quæ vero interior, à carne. Est tamē quædā ab hoste interior, & illa Christus nō fuit tētatus. Cū n. sint tres gradus tētationis, sicut dicit B. Greg. q diabolus pulsat exterius palpat interius, trahit ad consensum: pulsat sine peccato, palpat cum veniali, trahit cum mortali. Primus gradus tantum erat circa Christum sc. pulsando: alii vero duo non conueniebant, nec conuenire poterant. Gregor.

¶ Si vero dicatur (sicut habetur in Euangelio) quod tētauit eum tentatione timoris (de timore quidem legitur in Euangelio, de tentatione autem non legitur) quod non fuit ibi tentatio: sicut dicitur in Glo. supradicta. Dicendum est ad præsens: quod est timor duplex. Est enim timor naturalis, nolente anima diuidi à corpore secundum naturā: & iste timor fuit in Christo: ratione huiusmodi timoris non dicitur proprie Christus tentatus. Est alius timor, qui dicitur propassio (Non dico passio, quæ est perturbatæ mentis: talis enim non poterat conuenire Christo) sed propassio: hoc modo assumpsit ipse nostram infirmitatem, quæ nostræ redemptioni competebat. Et dicitur esse motus subitus ex parte ipsius sensualitatis, non ex parte rationis Deiformis, cui nihil erat subitum. Et per hunc modum poterat esse tentatio timoris: non quia diabolus haberet potestatem incutiendi huiusmodi timorē: nisi quatenus ipse filius Dei voluit, & secundum quod Deus, & secundum quod homo. Matt. 4.

ARTICVLVS IV.

An & dormientes tentationes patiantur?

QVARTO quæritur, Vtrum diabolus tentet similiter bonos dormientes, & vigilantes? Et videtur, quod nulla sit tentatio respectu dormientium: scit enim diabolus, quod in dormientibus non est vsus lib. arb. vbi autem non est vsus li. ar. nec est meritum, nec demeritum: vbi autem non est meritum vel demeritum, nullius est effectus tentationis: ergo tentatio nullum habet effectum in dormiente: non enim consentire potest tentationi: & ita non est demeritum: nec resistere tentationi, & ita non est meritum.

¶ Præterea, super illud. *Terrebis me per somnia*: distinguitur, quot modis tangunt animum imagines somniorum: quorum vnus est, quod aliquando fiunt illusione, aliquando cogitatione simul & illusione: & his duobus modis interponit diabolus partes suas. Sed istæ illusiones non fiunt nisi in parte imaginatiua: in illa vero parte nec est meritum, nec demeritum: licet enim appareant prospera dormientibus, quæ possent allicere animum ad indebitam cupiditatem: vel aduersa, quæ possent deiicere per timorem: tamen nec tunc mens timore deprimitur, nec indebita spe subleuatur. Ergo tētatio diaboli, cum non aliter fiat, nullum habet effectum: pro nihilo ergo fit tentatio huiusmodi. Iob 7.

¶ Sed videtur contrarium per hoc quod dicit B. Greg. quod hæc maligna agere, superna dispensatio benigne permittit; ne in electorum cordibus ipse saltem à passionis præmio somnus vacet. Gregor.

¶ Item, super illud. *Terrebis me per somnia &c.* Glo. *Sanctos quo minus valet vigilantes, grauius tentat dormientes.* Ex hoc etiam eodem videtur, quod grauius tententur boni in somno, quam in vigilia. Sed hoc videtur falsum, quia in vigilia boni tentantur aliquando vsque ad casum: in somno vero nunquam tentatur vsque ad casum: ergo grauior est tentatio in vigilantibus, quam in dormientibus. Iob 7. Glossa.

RESOLVTIO.

Nec dormientes à tentationibus vacant: quinimmo ratione quadam acrius impetuntur.

¶ AD quod dicendum, quod est tentatio in ipsis dormientibus.

¶ Ad obiectum autem respondendum est, quod licet tentatio non habeat* effectum tempore dormitionis, vt consentiatur ei, vel omnino repellatur: nihilominus aliquem habet effectum. Ex concepto enim in somnis* consequenter tamen auertit ratio, vel sequitur tentationem, vel repellit: & tunc habet effectum tentatio, vel non habet effectum. Nulla ergo esset tentatio diaboli, si sciret nullum effectum secuturum: sed quia coniicit aliquem effectum posse sequi, ideo tentat in somnis. Ratio autem quare tunc tentat in illa parte imaginatiua, siue phantastica, quia tunc plus viget: ex illa enim parte semper intendit tentare, ex qua parte maiorem credit esse effectum. *Alias affectum. *Alias, cōmuniter aduertitratio.

¶ AD illud vero, quod dicit B. Grego. quod Dominus permittit in somno tentare, ne somnus vacet à præmio passionis. Dicendum est, quod per hoc non dat intelligere, quod in somno sit meritum: sed cum fit vigilia, & placet ipsis bonis, quod sic torquentur in somno, nec alicui consentiunt delectationi, tunc est meritum. Occasio ergo meriti poterat esse in ipso somno: sed non ipse effectus meriti.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, vtrum grauior sit tentatio in somno, quam in vigilia, vel econuerso. Dicendum est, quod grauior potest dici dupliciter: vel ratione occasionis, vbi nulla est resistentia, & hoc modo grauior est in somno: vel ratione effectus immediate consequentis: & sic grauior est in vigilia. Vnde grauior potest dici ratione damni, quod consequitur: & sic est in vigilantibus: vel quia non est resistentia ex parte eorum, qui tentantur: & sic est grauior in dormientibus.

MEMBRVM V.

An Diabolus similiter tentet existentes in seculo, & renunciantes seculo.

QVINTO quæritur, Vtrum diabolus similiter tentet existentes in seculo, & renunciantes seculo? Et videtur, quod grauior sit tentatio renunciantibus seculo, per hoc, quod dicit B. Greg. *grauis mæror vnicuique in initio conuersionis suæ: cum sua peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam Dei per spatium securæ conuersationis incedere; desideriorum temporalium graue onus abiicere, & iugum Domini leue libera seruitute portare.* Idem, *Quem pugna mæroris superare non valuit, ne ipsa securitas sternat, dispensante Deo, permittitur vt post auersionem suam tentationum stimulis fatigetur.* Ex his accipitur, quod grauiores sunt tentationes à seculo recedentium, quam ipsorum secularium. Greg. 24. Moral. Idem.

¶ Item super illud. *Reuersi castra metentur &c.* Glo. *multa offendicula & multæ tentationes occurrunt volentibus agere, quæ Dei sunt.* Ex quibus relinquitur, quod grauiores sunt tentationes istorum, quam illorum. Exod 14. Glossa.

Matt. 4. Glossa. ¶ Item, super illud. *Tunc Iesus ductus est in desertum.* Glo. *In deserto fit tentatio: quia non ante se hostis erigit, quam homo de mundo exit: tenet enim eum sub legibus suis.*

Iob 40. ¶ Item, super illud. *Absorbebit fluuium &c.* Antiquus hostis pro magno non habet, cum sub iure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet: qui per ipsa vitæ suæ studia deorsum currunt: sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis iam iungi cælestibus contemplatur.

Gregor. ¶ Sed econtra videtur per hoc, quod dicit B. Greg. De Ægypto exeuntibus è vicino bella subtrahuntur: quia relinquentibus seculum quædam plus tranquillitas ostenditur, ne ipsa teneritate & inchoatione turbati, ad hoc quod reliquerant, redeant.

Iob 46. Glossa. ¶ Item, super illud. *Quis reuelabit faciem indumenti eius* Glo. *Aliter Leuiathan religiosas mentes tentat aliter huic mundo deditos.* Nam prauis mala, quæ desiderant aperte obiicit: bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit. Cum ergo plura sint genera malorum, quæ desiderant; quam illa, per quæ possit bonis illudi; multiplicatior est tentatio, qua tentantur huic mundo dediti, quam illa, qua tentantur ab hoc mundo separati.

RESOLVTIO.

Quinimmo seculo abrenunciantes: iuxta tamen diuersorum statuum rationem.

¶ Ad quod dicendum: quod grauior est tentatio recedentium à mundo. Sed distinguitur diuersus status illorum. Est enim quidam status in ipso accessu ad religionem: & in illo statu occurrunt tentationes: Pharao enim derelictus surgit in scandala: vel ne omnino derelinquatur, nititur retinere. Est alius status in initio conuersionis: & in isto statu ex diuina misericordia aliquando mitigantur tentationes apud infirmas mentes: & datur quædam suauitas, siue mentis iocunditas post euasionem laqueorum. Est iterum tertius status, qui est in progressu religionis: & in illo ne fit negligentia ex securitate, occurrunt tentationes. Et de his dicit B. Gregor. *ne conuersus securitatis negligentia dissoluatur, impulsu tentationis afficitur: sæpe autem tam diutina sunt tentationum certamina: quam longa fuerunt inchoantium blandimenta.* Est autem quartus status in perfectione, & tunc diuina consolatione roborantur. Vnde dicit B. Gregor. *In inchoatione inueniunt blandimenta dulcedinis, in medio certamina tentationis, ad extremum vero est perfectio plenitudinis.* Cum ergo tot sunt status: in primo statu grauior est tentatio diaboli, eo quod nititur retinere: & ad hoc facit illa Glo. quæ est Matt. 4. Quantum vero ad secundum statum minus est grauis tentatio. Quantum ad tertium vero statum vno modo dicitur esse grauior, alio modo minus grauis: nam in hoc minus grauis: quia non sunt tot differentiæ tentationum, quot in seculo existentium. In hoc autem grauior, quia ad cognoscendum difficilior. In vltimo vero statu & si grauissimæ sint in se tentationes, alleuiantur tamen propter robur sustinentium.

Gregor.

Idem.

¶ Per hoc patet, qualiter respondendum est ad obiecta. Illud enim, quod obiicitur de secundo statu recedentium à seculo, concludit quod quo ad hoc minus grauis est tentatio.

¶ Illud autem, quod secundo obiicitur: concludit, quod multiplicior est tentatio existentium in seculo. Et ita quasi ad idem tendunt: sed ex causa differenti.

¶ Aliæ vero rationes ostendunt, grauiores esse tentationes à seculo recedentium.

ARTICVLVS VI.

An diabolus similiter perfectos imperfectosque tentet?

Sexto quæritur, vtrum diabolus similiter tentet perfectos & imperfectos. Et videtur, quod grauior sit tentatio diaboli respectu proficientium, aut perfectorum, per hoc, quod dicit B. Gregor. *Crescentibus virtutibus, magis sæuit diabolus ad tentandum.* Sed non est crementum in virtutibus, nisi quo ad proficientes vel perfectos: ergo grauius tentat proficientes & perfectos.

Gregor.

¶ Hoc idem videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Glos. *Aliis, quos secure possidet, dormit: his vero, qui contra se suscitant Leuiathan, euigilat ad omnem pugnam.* Sed euigilare ad pugnam est euigilare ad tentationem ampliorem: ergo grauior est tentatio in proficientibus & perfectis: hi enim sunt, qui contra se suscitant Leuiathan.

Iob 3. Glossa.

¶ Contra, videtur quod grauior sit tentatio imperfectorum, per hoc, quod dicitur Iacob 1. super illud. *Vnusquisque tentatur &c.* Cum super fundamentum lignum, fœnum, & stipulam ædificamus, diabolus supponit incendium: ædificemus aurum, & argentum, & lapides preciosos, & tentare non audet: nec tamen omnino desistit. Sed imperfecti sunt, qui ædificant lignum, fœnum, & stipulam: diabolum autem supponere incendium, non aliud est, quam tentare. Qui vero ædificant aurum, argentum, lapides preciosos, sunt proficientes & perfecti: cum ergo istos intendat tentare: illos autem non audeat tentare; vel non sic audet: ergo grauior est tentatio imperfectorum, quam perfectorum.

Iacob. 1.

¶ Præterea, Vbi magis inuenit aditum tentationis, ibi magis tentat: sed in imperfectis inuenit magis aditum tentationis: ergo magis tentat: ergo fortior est tentatio ex parte imperfectorum, quam ex parte perfectorum.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod dicit B. Gregor. *Perfecti magis resistunt tentationi: sed contra resistentes est diabolus debilis vt formica: contra consentientes est fortis vt leo: imperfecti autem magis appropinquant consensui:* ergo fortior est respectu illorum.

Greg. lib. 5 Moral.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed perfectos feruentius: imperfectos potentius.

¶ Ad quod dicendum: quod feruentior est tentatio respectu proficientium aut perfectorum: potentior tamen est respectu imperfectorum. Maior ergo tentatio dicitur duobus modis: vel ratione feruoris in ipso tentante: vel ratione efficaciæ in eo, qui tentatur. Primo modo dicitur respectu perfectorum tentatio diaboli maior: secundo vero modo respectu imperfectorum.

¶ Cvm ergo dicitur, quod plus sæuit diabolus ad tentandum, cum est maius crementum virtutum; hoc ad feruorem refertur: magis enim appeteret deiicere perfectum, quam imperfectum.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod sicut accidit de aliquo Principe terreno, quod magis insurgit contra illum, qui plus aufert de iure suo; vel qui plus nocet regno suo: ita est de diabolo, qui insurgit plus contra perfectum, qui magis nocet regno suo, quam contra imperfectum, qui minus nocet. Vnde si contingat aliquando vinci, vel resistentiam inuenire; plures sibi adiungit ad expugnationem hostis: & ita etiam facit diabolus. Sic ergo dicitur maior esse tentatio, quia ex maiori feruore appetitus.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur ex alia parte. Dicendum, quod maior dicitur esse ratione efficaciæ: vbi enim ædificatur lignum, fœnum, & stipula: matèria præparatur tentationi: & ita in hoc audacior efficitur ad tentandum, & facilius consequitur effectum.

¶ Quod autem dicitur non audere contra eos, qui ædificant aurum, & argentum &c. Hoc est, quia non sibi inuenit materiam aptatam: nec tamen omnino desistit: cum amplius ferueat contra ipsum, sed latentius persequitur: vt sic facilius decipiat.

¶ Ad aliud dicendum, quod vbi inuenit maiorem aditum tentationis, ibi est efficacior tentatio; sed non feruentior.

ARTICVLVS VII.

An diabolus similiter resistentes, & non resistentes tentet?

Septimo quæritur de tentatione diaboli ex parte malorum. Cum sint quidam quandoque resistentes: quidam vero non resistentes, vtrum similiter sit tentatio respectu horum & illorum. Quod enim magis tentet re-

Greg. tet resistentes, videtur per hoc, quod dicit B. Greg. *Hostis noster nos in hac vita positos, quanto magis sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit.*

Idem in hom. 1. super prim. pt. Ezec. ¶ Item, Greg. *Antiquus aduersarius, qui de cælo lapsus est, inuidet; & insidiari amplius incipit, acrioresque, quam consueuerat tentationes admouet: ita vt plerunque resistentem animum tentet, sicut nunquam ante tentauerat, quando possidebat.* Vnde Fili accedens
Ec. l. 2. *ad seruitutem Dei, prapara animam tuam ad tentationem:* & dicitur
Marc. 9. de dæmoniaco, qui à Domino sanabatur; quod clamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo: in quo notat
Greg. B. Gregor. acriorem esset tentationem ipsius diaboli in eo, qui reluctatur tentationi.

Idem. ¶ Item, Greg. *Cum membra plus ad Deum proficiunt, tunc acriores tentationum insidias tolerare non desistunt.* Et iterum, *cum videt diabolus sancta mentis studium contra se, & aliis prodesse; multiplicata satagit tentatione confundere.* Ex quibus colligitur, quod acrius tentat diabolus sibi resistentes.

Idem. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicit B. Greg. *Qui enim non resistunt tentationi, sequuntur tentationem: qui autem sequuntur tentationem, vento tentationis quatiuntur.* Magis ergo tentantur, qui omni vento tentationis cedunt.

¶ Præterea, plus potest diabolus in suo pecore, quam in alieno: sed peccator, dum est in peccato, est quasi proprium pecus diaboli: ergo plus potest in illo, quam in resistente: magis ergo tentat non resistentes, quam resistentes.

Hieron. ¶ Item, Hier. *Quanto plures sua voluntati subiicit: tanto eos pluribus tentationibus concutit.* Sed qui cedunt tentationi, subiiciunt se voluntati diaboli: ergo magis tentationibus concutiuntur.

RESOLVTIO.

Resistentes grauius: non resistentes multiplicius.

¶ Ad quod dicendum, quod acriores sunt tentationes respectu resistentium, siue etiam bonorum siue malorum (aliquando enim ipsi mali quibusdam etiam tentationibus resistunt) Ratio autem est ex parte bonorum, quia maior videtur sibi victoria: superbi autem est nolle vinci, sed velle vincere. Ex parte vero malorum ratio est, ne à potestate sua euadant. Respectu vero non resistentium dicitur esse multiplicior tentatio, sed non grauior. Aliquando enim respectu illorum desistit à tentatione: vnde dicit B.
Greg. Gregor. *Antiquus hostis, postquam tentationes infixit, ad tempus recedit: non vt malitia finem prabeat: sed vt corda, quæ per*
Idem. *quietem secura reddiderat, repente rediens, facilius irrumpat.* Et alibi. *Illos inquietare negligit, quos quasi quieto iure se possidere sentit. Si vero contingit, quod non pluribus tentationibus sibi cedentem inuadat; hoc accidit, ne per molestiam tentationum eum ad refugium Dei ire compellat.*

ARTICVLVS VIII.

An Diabolus similiter credentes, & non credentes tentet?

Octavo quæritur, Vtrum similiter sit tentatio diaboli respectu credentium, & non credentium. Videtur enim quod maior sit tentatio contra credentes, per
Gregor. hoc quod dicit B. Greg. *Non pro magno diabolus habet, quod infideles tulerit: sed toto nisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regnantes cognoscit.* Ex quo accipitur, quod maior est tentatio respectu credentium, quam non credentium.

Isidor. ¶ Item, Isid. *Quia non in credentibus intrinsecus regnat, contra eos extrinsecus pugnat: & qui interius amisit dominium, contra eos exterius mouet bellum.*

Iosue 11. Glossa. ¶ Item, ad idem super illud. *Cum audisset Iabin Rex Asor &c.* Glo. *Antiqui possessores ad pugnam prouocantur: & si oppugnantur primi, multo plures consurgunt, & in malum conspirant.* Sed qui sunt antiqui possessores, nisi dæmones, qui possederunt animas, antequam reciperent fidem, vel fidei sacramentum. Illi ergo post susceptionem fidei ad pugnam prouocantur: & si contingat eos opprimi; cum maiori multiplicatione tentationum consurgunt. Sic ergo arguitur, quod dæmones magis prouocantur ad tentandum contra ipsos fideles.

B Petrus in canon. sua ca. 5. ¶ Præterea, fide (sicut dicit B. Petrus) primo fit resistentia contra tentationes diaboli. Sed contra sibi resistentes acrius insurgunt: ergo contra fideles acrius insurgunt.

Exod. 1. Glossa. Origen. ¶ Hoc etiam designatur per hoc, quod dicitur cum dixit Rex Ægypti, *Venite sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur &c.* Origen. in Glossa. *Hoc est, Diabolus, qui dixit in corde suo, Non est Deus: qui genti sua, id est apostatis angelis dicit: ecce populus filiorum Israel, eorum scilicet, qui possunt mente Deum videre, potentior est nobis, venite, sapienter opprimamus eum.* Ex quibus omnibus colligitur, quod fortius insurgit ad tentandum diabolus contra ipsos fideles.

Aug. in lib de anim. & spirit. ¶ Sed contrarium videtur, scilicet quod magis tentet infideles, per hoc quod dicit Aug. Tentat enim, non tantum vigilando, sed etiam dormiendo grauiter animam infidelem. Vnde ait. *Ipse namque satanas cum mentem cuiuscunque muliercula sibi per infidelitatem subiugauerit, diuersarum rerum species aut similitudines imprimit: & mentem, quam captiuam tenet, modo cognitas, modo incognitas personas deludens, modo læta, modo tristia ostendens, per deuia quaque deducit.* Ergo ratione infidelitatis plures sunt illusiones: ergo plures tentationes: ergo plus tentat infideles, quam fideles.

Greg. lib. 13. moral. ¶ Item Greg. *Facile inimico resistitur, si non ei vel in multis lapsibus, vel in vno diutius consentiatur. Si vero eius suasionibus anima subesse consueuerit, quanto se crebrius ei subiicit, tanto eum sibi intolerabilem facit, vt ei reluctari non possit.* Sed quanto magis est intolerabilis, tanto plus tentat, & e conuerso: ergo cum infideles crebrius se subiiciant eis, est magis intolerabilis: & ita pluribus eos tentationibus concutit.

Ephes. 6. ¶ Item, qui non habet scutum, quo se defendat ab aduersario, facilius ab eo impugnatur: sed ipsa fides est scutum, sicut habetur. *Accipite scutum fidei &c.* sed infideles nõ habent huiusmodi scutum: ergo diabolus facilius tentat eos, & voluntatem habet tentandi: ergo plus tentat infideles quam fideles.

RESOLVTIO.

Haud profecto: sed acrius credentes: non credentes multiplicius tentat.

¶ Ad quod dicendum: quod acrius & cum maiori astutia tentat fideles, quam infideles: infideles autem plus tentat, id est pluribus tentationibus pulsat.

¶ Et per hoc possunt solui ea, quæ ex vtraque parte obiiciuntur. In prima enim obiectione dicebatur, quod non multum reputat infideles, sed toto nisu contra fideles exardescit: & hoc est, quia iam euaserunt regnum diaboli, & subiecti sunt regno Christi. Si tamen contingat fideles esse negligentes, iam iterum ad regnum eius reuertuntur. De
Apost. ad Tit. 1. quibus Apostolus dicit *Confitentur verbis se nosse Deum, factis*
1. Canon. Ioan. cap. 1. *autem negant.* Et, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Qualibus autem tentationibus
Gregor. tentet ipsos fideles, dicit B. Gregor. *Acrius post redemptoris aduentum quosdam, qui baptismatis sacramento sunt renati, deglutire se posse confidit: Alios namque sub Christianitatis nomine positos deuorat: quia in ipso eos fidei errore supplantat: alios à rectitudine fidei nequaquam deuiat, sed ad vsum praua actionis inclinat: Alios in operatione immunditia inflectere non valet, sed apud semetipsos intus in studio contentionis intorquet, vt à charitate mentem diuidant, rectum ne sit, quicquid exterius operantur.*

¶ Et per hoc idem soluuntur etiam alia argumenta cõsequentia. Argumenta vero, quæ obiecta sunt in contrarium, ad hoc tendunt: vt infideles pluribus tentationibus à diabolo pulsentur.

ARTICVLVS IX.

An Diabolus magis tentet existentes in communione Ecclesia, quam separatos ab ea?

Nono quæritur, Vtrum magis tentet diabolus existentes in communione ecclesiæ, quam separatos ab ea? Et videtur, quod magis tentet existentes in communione ecclesiæ: qui enim sunt in communione vel vnitate ecclesiæ, quo ad hoc sunt de acie Christi: sed contra illos, qui sunt de acie Christi, est pugna diaboli: pugna autem est per tentationem: ergo diabolus plus impetit tentationibus existentes in vnitate ecclesiæ. Illi enim, qui

sunt

sunt separati, traditi sunt in potestate diaboli: & cum sint in potestate diaboli, eos quasi secure possidet: non ergo tentationibus impugnat.

Gregor. ¶ Item, Gregor. *Vbi sibi resistere fortem considerat, illic contra vires proculdubio dolos parat.* Sed qui sunt in vnitate ecclesiæ, plus habent fortitudinis: ergo contra tales diabolus dolos parat: sed doli illi non sunt nisi tentationes dolosæ: ergo tentationibus dolosis impetit existentes in vnitate ecclesiæ.

¶ Item, in arca erant animalia munda & immunda: sed per munda & immunda animalia signantur peccatores, & iusti: qui tamen sunt in arca id est in vnitate ecclesiæ: per aquas autem signantur tentationes: dicitur autem

Gen. 7. Gen. 7. Quanto magis aquæ multiplicabantur: tanto magis arca eleuabatur in sublime. Ergo contra existentes in vnitate ecclesiæ, siue bonos siue malos, magis inducit tentationes.

¶ Sed econtra videtur: separati enim à communione ecclesiæ traditi sunt potestati sathanæ. 1. Cor. 5. de Corin-

1. Cor. 5. thio fornicatore. *Tradidi huiusmodi hominem satanæ*: cum autem traditi sunt potestati satanæ, potestas vero eius est ad tentandum in anima, & ad vexandum in corpore: ergo huiusmodi homines magis tentantur & vexantur à dæmonibus.

¶ Item, si daretur edictum à Rege, quod vnusquisque faceret de bono suo, quicquid vellet: tunc posset Iudæus, si haberet bouem, occidere. Similiter cum detur edictum à Rege cœlesti per ministros ecclesiæ, quod diabolus exerceat suam potestatem in ipso peccatore; potest diabolus, cum sit permissus, pro voluntate sua tentare (non enim vsquequaque habet potestatem occidendi) peccator enim est sicut pecus diaboli: sicut habetur in Glo. super illud.

Psal. 77. *Immissiones per angelos malos*: sed non habet tantam permissionem respectu illorum, qui non sunt separati à communione, quantam habet respectu illorum, qui separati: nec tentat, nisi quatenus permissus est: ergo magis tentatur separatus à communione, quam non separatus.

¶ Hvivs etiam gratia potest quæri: cum diabolus odio habeat hominem inæstimabiliter, & voluntatem omnimodam nocendi; quomodo potest esse, quod accepta licentia à Deo per ministros ecclesiæ de separatis à communione, parcat eis. Si enim adest potestas, & adest voluntas, & astutia nocendi, non deest ipse actus: ergo continua videtur tentatio esse, & continua vexatio.

RESOLVTIO.

Ardentius tentat illos, sed liberius istos.

¶ Ad primum dicendum, quod maior est voluntas diaboli ad tentandum existentes in vnitate ecclesiæ, quam separatos ab ecclesia. Sunt tamen quidam in vnitate ecclesiæ per charitatem, quidam vero per fidem informem tantum: maior autem est voluntas eiciendi existentes in vnitate ecclesiæ per fidem: quanto enim plus pertinent ad aciem Dei, tanto plus intendit eos deiicere, & reducere ad aciem suam.

¶ Illud autem, quod dicit B. Greg. intelligitur de illis, qui habent fortitudinem ex vnitate charitatis, non tantum ex vnitate fidei informis: illi enim, cum sint peccatores, ad aciem diaboli pertinent: licet quo ad quid ad vnitatem ecclesiæ pertineant.

¶ Illud vero, quod tertio obiiciebatur de arca, sic intelligendum est: quod multiplicatio tentationum, quæ per aquas designantur; non quoscunque existentes in arca ducunt ad profectum: sed bonos existentes in vnitate charitatis.

¶ Ad ea vero, quæ obiecta sunt ex alia parte, dicendum est: quod liberior est voluntas tentandi, & ipsa tentatio respectu separatorum ab vnitate ecclesiæ, quam respectu existentium in vnitate. Nec tamen est omnino libera: licet enim fiat permissio potestatis diabolicæ ad tentandum, vel ad vexandum separatum à communione ecclesiæ: non tamen est omnimoda permissio: sed ad hoc, vt spiritus eius saluus fiat: ad hoc scilicet, vt per tribulationem in anima vel in corpore agnoscat peccato se deliquisse, & cognoscens se, pœniteat, & pœnitens satisfaciat: & sic ad vnitatem ecclesiæ redeat.

¶ Ad illud vero, quod secundo obiicitur, similiter dicendum est: quod non est omnino simile, quod inducitur de edicto Regis terreni, & de edicto Regis cœlestis facto per præcones ecclesiæ. Ibi enim licitum est occidere pecus suum: hic autem non est omnino licitum. Si enim permittat Deus tentare vsque ad casum peccati vlterioris, secundum illud. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*: hoc est aliquando ex misericordia, vt veniens ad confessionem peccati, redeat ad vnitatem, à qua recesserat: secundum illud. *Venies ad Babylonem, ibi liberaberis*. Vel ex iustitia, vt si noluerit redire ad vnitatem, hic inchoetur sua damnatio, vt in futuro consummetur. Apoc. vlt. Mich. 4.

¶ Ad illud, quod quærebatur consequenter: cum separatus à communione ecclesiæ tradatur in potestatem sathanæ, quare non omni modo nocet, vt nec sic modo vexetur excommunicatus, sicut fuit in primitiuo statu ecclesiæ. Dici potest quod parcit eis, & retrahit manum tentationis & vexationis, vt plures sumant audaciam contumaciæ siue inobedientiæ, & præcidantur à communione ecclesiæ. Potuit enim in primitiuo statu ecclesiæ percipere, quod quidam per tentationem & vexationem suam corrigebantur, & timebant incidere in sententiam excommunicationis: & ita plures excommunicatorum per vexationem amittebat: *mulctato enim pestilente, sapientior erit stultus*. Et iterum *pestilente flagellato, stultus sapientior erit*. Propter hæc licet potestatem habeat, grauius tentandi vel vexandi dissimulat, vt plures trahat ad intentum. Prou. 21. Ibidem 19.

MEMBRVM IV.

A quo motus fuerit iam diabolus ad tentandum primum hominem, & nunc quotidie moueatur ad tentandum reliquos?

Completa consideratione tentationis ex parte eius, qui tentatur: sequitur consideratio tentationis ex parte causæ, propter quam fit tentatio. Et potest quæri, vtrū causa tentationis diaboli sit ex inuidia, vel ex alia causa. Et videtur, quod ex inuidia, per hoc quod dicit B. Gregor. *In paradiso diabolus inuidens homini, superbia vulnus infixit: quia amissa beatitudine, minorem se immortalitate illius agnouit: vt qui mortem non acceperat conditus, mereretur elatus.* Gregor.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicit B. August. *Propter excellentiam delectatus, tumuit superbia, propter quam cecidit à beatitudine spiritualis paradisi, & inuidia contabuit.* Ergo causa tentationis humani generis fuit ex inuidia. Sed videtur contrarium: inuidia enim est respectu superioris, vel respectu paris, ne fiat superior: sed homo non fuit superior natura; nec etiam omnino par: ergo respectu eius non fuit inuidia. Aug. in lib. 11. super Gen. ad litteram.

¶ Præterea, tentatio (secundum quod hic accipitur) est eius, qui habet potestatem super alium: sed qui habet potestatem super alterum, quo ad hoc superior est altero: ergo diabolus cum habeat potestatem super hominem, videtur esse superior ipso: non ergo competit ei inuidia ad tentandum.

RESOLVTIO.

Ex inuidia.

¶ Ad quod dicendum, quod ex inuidia tentauit primum hominem.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet homo secundum naturam suam fuisset inferior tamen ratione status sui fuit superior: habuit enim rectitudinem naturalem, à qua rectitudine naturali cecidit diabolus: vnde quo ad hoc inuidit superiori. Par etiam fuit quo ad hoc, quod habuit imaginem Dei naturaliter, & potuit ascendere ad dignitatem, à qua cecidit ipse diabolus. Et ita potuit inuidere ei tanquam pari, ne fieret superior.

¶ Ad illud vero, quod secundo obiicitur. Dicēdum est: quod tentatio non ponit tentatum de necessitate inferiorē tentante: sed si tentatus vincatur, ex tunc factus est superior. Si vero vincat, in hoc habet rationem superioris, tentatio autem de sua ratione non ponit tentantem

supe-

superiorem vel inferiorem: sed ponit quandam experientiam de consensu, aut dissensu: vnde quo ad hoc ibi paritas esse cœpit.

MEMBRVM V.

Ad quid permittat Deus tentationes fieri?

QVINTO quæritur, qua de causa permittit Deus tentationem fieri? cum enim tentatio actiue dicta sit peccatum: peccatum autem contrarietur bono: Deus autem est summum bonum: eius ergo est, cum sit summe potens, nullatenus concedere, quod tentatio fiat, quæ est magni mali occasio.

¶ Item, tentatio diaboli fuit origo totius mali, per quod genus humanum est corruptum originali peccato: cum ergo præuiderit tantum malum fore futurum, cum sit summa sapientia; non conueniebat, tantum malum esse futurum, nisi maius bonum consequeretur: non autem videtur tantum bonum inde secutum; non ergo decebat Deum permittere primam tentationem diaboli fieri.

¶ Item, quæritur: quare permittit Deus quotidie tentationes fieri, quibus diuersi homines cadunt in peccatum: cum multo nobilius videatur ex vtraque parte esse, & ex parte tentantis, & ex parte tentati, vt non esset tentatio:
Dionys. optimi enim (vt dicit Dion.) est optima adducere.

¶ IN contrarium sic obiicitur: sicut dicitur Ecclesiastici 25. Deus reliquit hominem in manu consilii sui. Sed propria voluntate casurus erat homo in culpam: si ergo non permisisset Deus, abstulisset ei flexibilitatem voluntatis: & ita libertatem rationalis creaturæ: sed hoc esset inordinatum: summæ autem sapientiæ, & bonitatis fuit nil
Aug. lib. 11. super Gen. ad lit. c. 4. relinquere inordinatum. Vnde August. *Decebat vt sineret tentari, quem consensurum esse præsciebat: cum id facturus esset bono propria voluntate per culpam, & ordinandus esset diuina æquitate per pœnam: vt sic ostenderet animæ superbæ ad eruditionem futurorum sanctorum, quam recte ipse vteretur animarum voluntatibus malis: cum illæ peruerse vterentur naturis bonis.* Ex quo videtur, quod decebat Deum permittere, quod diabolus tentaret hominem.

Greg. lib. 30 moral. ¶ Item, Greg. *Mira nobiscum dispensatio agitur, vt mens nostra culpa nonnunquam pulsatione feriatur: nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum earundem virium defectum intra mentis arcana sensisset: sed dum tentatione irruente, quatitur, & quasi vltra vires fatigatur, quod ei minimum ostenditur humilitatis, & vnde se pertimescit faciliter cadere, inde accepit se fortiter stare.*

Idem ibid. ¶ Item, Gregor. *Duobus modis tentatur homo, vitiis, & flagellis: vitia dum tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant: flagella dum tentant, surgentes in corde huius mundi voluptates eradicant. Nemo vires suas in pace cognouit: si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt.*

Idem lib. 9. ¶ Item, Gregor. *Superna dispensatio nos Deo seruientes, carnis nostræ permittit tentationibus concuti, ne nostra mens in superbia audeat præsumptione suæ securitatis eleuari.* Iob 17. *Propter superbiam quasi leænam capies me.* Et *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, vt me colaphizet.* Ex his colligitur, quod decet Dominum, quod permittat tentationes fieri diaboli.
Iob 17. 2. Cor. 12.

RESOLVTIO.

Vt inde bonum eliciat, arbitriique hominis libertatem seruet.

Aug. 11 sup Gen. ad lit. cap. 6. ¶ AD quod est respondendum, per hoc quod dicit August. *Sic quidam mouentur de primi hominis tentatione, quod eam fieri permiserit Deus: quasi nunc non videant vniuersum genus humanum diaboli insidiis sine cessatione tentari. Cur & hoc permittit Deus? an quia probatur & exercetur virtus, & est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari? cum ita etiam ipsi, qui deserto creatore, eunt post tentantem magis: magisque tentat eos, qui in verbo Dei permanent: præbeantque illis contra cupiditatem deuotionis exemplum, & incutiant contra superbiam timorem pium?* Concedendum ergo est, quod Deus permisit primam tentationem fieri, & quotidie etiam permittit fieri tentationem, propter bonum, quod elicit inde: & vt seruetur libertas arbitrii in rationali creatura.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum: quod non esset summi boni permittere in suo regno mala fieri, nisi ex illis malis eliceret bonum: hoc autem est superius diffusius declaratum in Tractatu de Malo.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod licet maximum malum esset in creatura rationali corruptio totius humani generis: tamen ex illo malo secutum est maius bonum occasionaliter, scilicet incarnatio filii Dei: per quem humanum genus redimeretur. Sic ergo decebat diuinam sapientiam permittere hoc malum fieri, quia præsciebat hoc maius bonum inde secuturum. Quæst. 94. Memb. 4.

MEMBRVM VI.

Quæ & quot sint tentationum species, ac differentiæ.

CONSEQVENTER dicendum est de eo, quod quæsitum fuit sexto: quæ sint differentiæ, siue species tentationis? Et ponuntur diuersæ differentiæ. Est enim vna differentia, quæ ponitur in Glo. super illud. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*: dicitur enim in Glo. *Tentatio humana est aliter sapere, quam res se habeat, & cum bono animo.* Nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica est præsumptio. In nullo aliter sapere, quam res se habet, angelica est perfectio. 1 Cor. 11. & Glossa.

¶ Item, ibidem. Humana tentatio est, cum bono quis animo, secundum tamen humanam fragilitatem in aliquo labitur consilio: vel cum irritatur in fratrem studio corrigendi, plus tamen quam christiana tranquillitas postulat. Si non est in nobis perfectio angeli, non sit tamen præsumptio diaboli. Sic ergo vna differentia accipitur tentationis per hoc quod dicitur: alia est humana, alia diabolica.

¶ Item, ponitur alia differentia tentationis. Est enim quædam tentatio ab hoste, & est alia à carne. Et hæc differentia tentationis inuenitur in 2. Senten. Vbi primo ponuntur duæ species tentationis, quarum vna est interior, altera exterior. Interior vero diuiditur per tentationem ab hoste, & tentationem à carne. Mag. 2. sen dist. 21 cap Porro sciendum est.

¶ Est iterum alia differentia tentationis, quæ notatur super illum versum. *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Et postea sequitur. *Non timebis à timore nocturno.* Vbi notantur quatuor genera tentationum: leuis & occulta, quæ signatur per timorem nocturnum: leuis & manifesta, quæ signatur per sagittam volantem in die: grauis & occulta, quæ signatur per negotium ambulans in tenebris: grauis & aperta, quæ accipitur per dæmonium meridianum. Psal 90. Ibidem.

¶ Item, B. Grego. distinguit aliter genera tentationum dicens. *Aliquando opprimendo rapit: aliquando insidiando circumuolat: aliquando minando terret: aliquando suadendo blanditur: aliquando desperando frangit: aliquando promittendo decipit.* Sic ergo vna differentia tentationis exprimitur. Gregor.

¶ Item, B. Gregor. duo assignat genera tentationum: quædam enim est tentatio per vitia: quædam per flagella. Cum ergo tot sint differentiæ tentationis: potest quæri, qualiter istæ differentiæ inter se distinguantur. De singulis etiam differentiis per se sumptis possunt etiam aliqua inquiri. Idem lib 23. moral.

¶ ET quantum ad primum sic potest obiici: quinque assignantur differentiæ tentationis, & vniuersaliter se habent ad omnem tentationem: ergo necesse est, quod ex diuersis rationibus accipiantur: vnius enim ex vna parte vna est tantum diuisio. Potest ergo quæri, cum sint quinque diuisiones, secundum quam rationem accipiantur. Si enim acciperentur secundum causas, cum tentationis non sint nisi quatuor causæ essentiales, scilicet causa efficiens, & illa est ex parte tentantis: & formalis, & illa est ex parte modi tentationis: & materialis, & illa est ex parte tentati vel materiæ tentationis: & finalis, & illa est ex parte finis tentationis: nulla autem prædictarum diuisionum est ex parte finis tentationis: ergo remanebunt tantum tres diuisiones, vel ad plus quatuor.

¶ Et huius gratia quæritur, cum dicitur: quod tentatio alia est humana, alia diabolica: penes quid accipitur hæc diuisio? Si enim acciperetur ex parte efficientis, secundum

cundum hoc tentatio humana diceretur, quæ est ab homine:& diceretur tentatio diabolica, quæ est à diabolo: hoc autem non est verum; cum vtramque contingat esse à diabolo (aliter enim sapere quam res se habet, licet non pertinaciter, potest esse à diabolo) ergo non penes causam efficientem sumitur illa diuisio. Præterea, non dicitur, quod homo tentat seipsum: sed in humanam tentationem potest homo cadere per seipsum: ergo hæc differentia tentationis non accipitur secundum differentiam tentantis.

¶ Similiter potest obiici de illa differentia, qua dicitur: quod tentatio alia est ab hoste, & alia à carne. Cum enim interior tentatio diuidatur per tentationem ab hoste, & à carne: exterior autem diuidatur contra interiorem; non videtur quod exterior sit ab hoste, vel à carne. Præterea, hæc est vna diuisio tentationis: quod vna est exterior, alia interior: cum ergo sit vniuersalis diuisio tentationis, qua tentatur homo, secundum quam rationem accipietur.

¶ Similiter potest quæri de tertia diuisione, qua dicitur, quod tentatio alia est grauis, alia leuis: & iterum, alia occulta, alia manifesta: quæ duæ si coniungantur, vnam facient quadrimembrem diuisionem: sicut supra dictum est. Potest ergo quæri, secundum quid accipitur illa diuisio? Non enim videtur sumi ex parte tentantis. Si vero sumatur ex parte tentati, erunt tunc plures differentiæ ex illa parte.

¶ Similiter potest quæri de aliis differentiis, penes quid sumantur: Potest etiam quæri de quadam diuisione tentationum, quam ponit Bernard. dicens: *quod per septē capita draconis, de quibus habetur Apocalyp. 12. septem genera tentationum signantur. Importuna, qua procaciter insistit: dubia, qua animum nubilo ambiguitatis inuoluit: subita, qua iudicium praeuenit: occulta, qua deliberationis considerationem praetersugit: violenta, qua vires mentis transcendit: fraudulenta, qua animum seducit: perplexa, qua variis vitiis animum impedit.* Cum ergo sint hæ differentiæ tentationum secundum Bernard. potest quæri, ex qua parte tentationis sumatur hæc diuisio. Bernard.

RESOLVTIO.

Plures ac plures tentationum differentiæ vel species assignari solent: sed ad quinque præcipuas facile est vniuersas deducere.

¶ Ad quod videtur dicendum: quod quædam differentiæ sumuntur ex parte tentantis: quædam vero ex parte tentati. Ex parte vero tentantis sumitur illa diuisio, quam ponit B. Bernat. & illa similiter, quam ponit B. Greg. cum dicitur: *quod aliquando rapit opprimendo &c.* & illa, qua dicitur, *quod tentatio alia fit per vitia, alia per flagella, &c.* illa etiam similiter, quæ ponitur in Lib. Sent. cum dicitur: *quod alia est à diabolo, alia à carne, &c.* Aliæ vero tres sumuntur ex parte tentati, cum dicitur: alia est exterior, alia interior: alia humana, alia diabolica: & cum dicitur, alia leuis, alia grauis &c. Illæ vero, quæ sunt ex parte tentantis: aut sumuntur quantum ad originem, ex parte tentantis, & sic accipitur illa, alia à diabolo, alia à carne. Vel penes instrumenta tentantis, & sic accipitur illa, alia per vitia, alia per flagella. Aut penes dispositiones ad tentandum: & sic accipitur illa B. Greg. aut opprimendo rapit &c. Aut penes modos in ipsa tentationis actione: & sic accipitur diuisio B. Bern. cum dicitur, *importuna &c.* dubia enim dicitur effectiue, quia dubitatione inuoluit. Illæ vero, quæ sunt ex parte tentati, ita distinguuntur, vt vna sit in sustinendo tentationem: & hoc dupliciter; vel quo ad intellectum, & sic dicitur manifesta, & occulta: vel quo ad effectum, & sic dicitur leuis & grauis. Altera in consentiendo tentationi differenter: & sic dicitur, humana vel diabolica: hæc enim est ex humana infirmitate, vel ex malignitate, in qua conformatur diabolo. Tertia est in propinquando tentationi: & secundum hoc dicitur, exterior, vel interior: primo autem appropinquat tentatio magis vel minus: secundo sustinetur: tertio in consensum trahitur ab ipsis malis. Et sic possunt hæ tres diuisiones accipi ex parte eius, qui tentatur. Gregor. Magist.

¶ Si vero obiiciatur de illa diuisione, quæ est: alia est humana, alia diabolica: quod vtraque est à diabolo. Dicendum est, quod diuisio non sumitur ex parte causæ efficientis tentationem (vtraque enim potest procurari à diabolo) sed sumitur secundum diuersos modos consentiendi tentationi: quidam enim ex infirmitate intellectus vel affectus cedunt tentationi: & ideo dicitur, quod humana tentatio est, cum bono quis animo, secundum tamen humanam fragilitatem, in aliquo labitur consilio: diabolica vero est, cum ad imitationem diaboli ex malignitate contendit, vel aliud quid facit. Videtur etiam per distinct. Haymonis, quod vnum referatur ad mortale peccatum, alterum vero ad veniale: dicit enim Concupiscere est humana tentatio; adulterium vero vel fornicationem perpetrare, diabolica est. Et loquitur de concupiscentia, quæ est in inferiori parte rationis, non in superiori. Item, dicit Haymo. *tentatio humana est malum cogitare, & in corde tentationes perpeti: diabolica vero est certamine tentationis in ope superari.* Haymo. Idem.

¶ Item, tres differentiæ ponuntur tentationis humanæ in Glo. quarum vna est, aliter sapere quam res habeat, cum bono tamen animo. Secunda est, cum quis bono animo, secundum tamen humanam fragilitatem in aliquo labitur consilio. Tertia est, cum irritatur in fratrem studio corrigendi plusquam Christiana tranquillitas postulat. Potest ergo quæri, in quo differant istæ tres partes tentationis humanæ? Et videtur quod prima differentia pertineat ad intellectum, cum dicitur, aliter sapere, quam res se habeat: secunda pertinet ad rationem, quæ est de faciendo, cum secundum humanam fragilitatem in aliquo labitur consilio: tertia vero pertinet ad affectionem, cum irritatur in fratrem studio corrigendi. Aliqui vero videntur distinguere: vt prima sit in respectu ad Deum; cum quis habet non verum intellectum scripturæ, salua tamen fide & charitate: secunda vero quo ad seipsum: tertia vero sit quo ad proximum. Glossa.

¶ Sed potest quæri, vtrum prima tentatio sit cum peccato? Videtur enim, quod non, per hoc, quod dicitur *cum bono animo*, vbi enim saluatur bonus animus, non videtur esse peccatum. Præterea, dicit Apostolus. *Tentatio non apprehendat vos, nisi humana*: Apostolus autem non desiderauit eis, nec consuluit de peccato veniali. Præterea, dicit Beatus Augustinus, *aliud est induci in tentationem, aliud tentari.* Nam sine tentatione probatus nullus esse potest; siue sibiipsi (Eccles. 34. *Qui non est tentatus, qualia scit*) siue aliis, sicut dicit Apostolus. *Et tentationem vestram in carnem meam non spreuistis.* Tentatio ergo secundum ipsum bonum est, & de tali dicitur. Tentatio non apprehendat vos, nisi humana. Si ergo probatio hominis potest esse sine peccato: ergo & tentatio humana potest esse sine peccato. 1. Cor. 10. August. Eccles. 34. Gal. 4.

¶ Item, August. ponit duplicem tentationem, scilicet diuinam & humanam. Potest ergo quæri, quæ sit differentia istius diuisionis respectu illius, quæ ponitur in Glos. cum dicitur: *alia humana, alia diabolica*: nunquid sunt tres tentationes, diuina, humana, & diabolica: & ita neutra diuisio bimembris sufficiens: vel si vtraque sufficiens, videtur illa, quæ ex vna parte diabolica dicitur, ex alia parte dici diuina: quod valde dissonum est à ratione. Aug. in lib quæst. noui testa. 1. Cor. 10.

¶ Præterea, dicit Apostolus. *Tentatio non apprehendat vos*, nisi humana: vbi secundum Aug. excluditur diuina. Sed videtur, quod multo melius esset, quod diuina tentatio nos apprehenderet: diuina enim est ad probandum: sicut dicit Aug. Multo ergo melius esset, quod diuina tentatio nos apprehenderet, quam humana. Præterea, tripliciter exponitur tentatio humana: dicitur n. humana tentatio, quando est de his, sine quibus ista vita non agitur. Dicitur iterum tentatio humana, cum quis in necessitate vel pressura diffidit de Deo, auxilium humanum requirendo. Dicitur iterum tentatio humana, cum quis aliter sapit, quam res se habet: saluo tamen bono animo. Cum ergo sit triplex differentia humanæ tentationis, in quo distinguuntur hæ tres differentiæ? Vltima enim videtur esse tentatio deceptionis: media vero dicitur tentatio diffidentiæ: prima vero dicitur tentatio infirmitatis: vt distinguantur, quod prima tentatio sit liberi arbitrii, inquantum est facultas: secunda sit tentatio propter voluntatem, cum humana volun- Ibidem. Aug in lib de serm. Domini in monte.

voluntas diffidit: tertia vero fit ex parte rationis, cum aliquo modo decipitur.

¶ Sed videtur, quod non sit tentatio, cum quis non diffidit de Deo, humanum auxilium requirendo: neque enim diffidit de Deo, nec diffidit de homine. Propter hoc quidã libri habent, quod tentatio humana est, cum quis non diffidit de Deo, auxilium humanum requirendo. Sed secundum hoc non esset vera sententia Apostoli, qua dicitur, [1. Cor. 10.] *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*: concedit enim in hoc, quod humana apprehendat: sed humana est diffidere de Deo: ergo conceditur diffidere de Deo: sed hoc falsum; nullatenus enim de Deo diffidendum est. Præterea, videtur Glo. contradicere (siue sit ibi *non*, siue non sit) ei, quod dicit [August.] Aug. *quod humana tentatio est in Dei causa desperare de homine, & promptum esse in fide Dei*. Si vero desperat de homine, & confidit de Deo, non est illa tentatio, de qua dicitur in Glo. quod non diffidens de Deo, vel diffidens, requirat humanum auxilium.

¶ Ad primum dicendum est, quod tentatio illa, quæ est deceptionis, potest esse cum veniali peccato, vel sine veniali peccato. Nec optauit Apostolus, vel consuluit ipsos incidere in tentationem istam; sed quod non inciderent in aliam: si vero in istam inciderent, quod vlterius non progrederentur.

¶ Ad secundum vero obiectum dicendum est, quod licet tentatio resistenti bonum sit: tamen quantum est de se, disponit ad malum (loquimur enim de tentatione, quæ est diaboli vel carnis) Cum ergo dicitur, quod bonum est tentari: hoc intelligitur cum conditione, si non inducatur in tentationem: tunc enim est occasio boni.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod aliter accipitur tentatio humana, cum est in diuisione contra diabolicam: & aliter, cum est in diuisione contra diuinam. Cum enim diuiditur tentatio humana à diuina, humanum & diuinum accipiuntur ibi materialiter. Sicut enim dicit [Idem.] August. *diuina tentatio est, cum sub lege Dei agens, ex alia parte ab idolis auxilium petat, diffidens de Deo*. Vnde diuina tentatio est, cum de Deo diffiditur: humana vero cum in causa Dei de homine desperatur. Cum autem ponitur differentia tentationis humanæ & diabolicæ, non est ibi differentia secundum numerum, sed magis differentia secundum formã: & ideo alia est hæc diuisio à prædicta. Nec oportet eandem esse tentationem diuinam, & diabolicam: licet hoc accidat: cum n. desperatur* de Deo, simpliciter diabolica est tentatio. [*Alias, à Deo.] Diuina ergo est materialiter: sed diabolica effectiue.

¶ Ad quartum vero dicendum: quod si diuina tentatio sumeretur à Deo, tanquam à causa effectiua: secũdum hoc melius esset, quod tentatio diuina apprehenderet, quam humana.

¶ Ad quintum vero dicendum: quod tentatio humana secundum medium modum dicitur: cum non omnino homo confidit in Deo, sed confugit ad humanum auxilium in his, quæ pertinent ad Deum. Non enim tentare debet Deum: nisi cum non habeat aliud refugium: secundum quod [2. Paral. 20] dicitur. *Cum ignoramus, quid agere debemus, hoc solum residui habemus; vt oculos ad te Domine leuemus*. Si vero in Glo. habeatur, quod tẽtatio humana est, cum quis in necessitate, vel pressura positus, diffidit de Deo, humanum auxilium requirendo. Potest sic exponi: diffidit, id est non plene confidit: nunquam enim de Deo simpliciter est diffidendum. Secundum autem quod inuenitur ab Aug. in originali non videtur Glo. habere veritatem, * si tunc dicatur humana [*Alias, sed tunc.] tentatio, cum quis in iis, quæ sunt Dei, desperat de homine.

¶ Deinde procedendum est ad secundam diuisionem tentationis, quæ est: alia est à diabolo, alia à carne. Videtur autem, quod hæc diuisio non sit conueniens: illa enim, quæ est à carne, originaliter est à diabolo: ergo non ex opposito diuiduntur.

¶ Præterea, idem dicit B. [Gregor.] Greg. *quod diabolus in omni peccato interponit partes suas*. Item, [Oseæ 7.] *Omnes adulterantes quasi clibanus ardens succensus à coquente*. Clibanus autem dicitur cor humanum: coquens vero est diabolus: ergo principium tentationis est à diabolo.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicitur super illud. Manifesta sunt opera carnis. Glo. *non omnia vitia iniqua vitia tribuenda sunt carni: ne ab his omnibus mundemus diabolum*. [Gal. 5. Glossa.] Sic ergo videtur, quod quædam sunt opera diaboli, & quædam carnis.

¶ Item, Aug. *Non omnes cogitationes malæ semper diaboli instinctu excitantur: sed quædam ex nostri arbitrii motu emergunt*. [Aug. de eccle. dog.] Ergo tentationes quædam possunt procedere in nobis, quæ non procedunt ab ipso diabolo immediate.

¶ Item, dicitur in 2. Senten. & accipitur ex eo, quod dicitur. *Datus est mihi angelus satana, stimulus carnis meæ, qui me colaphizet &c*. [Magist. in lib. 2. sent. dist. 20. 2. Cor. 12.] quod tentatio, quæ fit à carne, non sit sine peccato: quæ autem ab hoste, nisi ei consentiatur, non habet peccatum: sed est materia exercendæ virtutis.

¶ Contra quod obiicitur: quod est ex carne, est in sensualitate: pars autem sensualis communis est nobis & brutis: ergo in illa non est peccatum. Potest ergo tentatio, quæ est ex carne, esse sine peccato; sicut illa, quæ est ab hoste.

¶ Præterea, tentatio quæ est ab hoste, dicitur materia exercendæ virtutis: sed eodem modo potest dici tentatio, quæ est à carne: nam si ratio ei non consentiat, dicitur esse materia exercendæ virtutis: & ita hoc est commune vtrique tentationi.

¶ Item, tentatio carnis (sicut ibidem dicitur) difficilius vincitur. Sed hoc non videtur verum, quia illa aliquando quiescit: sed illa, quæ est ab hoste, non cessat, secundum illud. *Qui me comedunt, non dormiunt*: [Iob 30.] vbi comedentes dicuntur dæmones, qui ipsam animam tentationibus affligunt: & ad interitum pertrahunt. Restat ergo, quod tentatio quæ est ab hoste, difficilius vincitur, quam illa quę est à carne.

¶ Item, videtur quod non sit sufficiens diuisio, cum dicitur: quod tentatio alia est ab hoste, alia à carne: videtur enim tertia tentatio, quæ est à mundo. Sicut enim triplex est hostis, ita triplex est tentatio: ergo cum mundus sit vnus hostis, erit vna tentatio à mundo, sicut est ab hoste, vel à carne.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod dicit Augustin. [Aug. in lib. de agone Christian.] *Non per illicitas delectationes, & pompas, & pernitiosam curiositatem nobis dominari potest hic mundus, & diabolo, atque angelis eius seruire compellere*. Ex quo accipitur, quod tentatio potest esse à mundo. Et *Creatura Dei factæ sunt in odium, & in muscipulam, & tentationem pedibus insipientium*. [Sap. 14.] Sed quid aliud designatur per creaturam, nisi mundus iste; cum diliguntur ea, quæ mundi sunt, plusquam diligenda sunt. Ergo vna erit tentatio à mundo, sicut est vna à carne.

¶ Præterea, dicitur in prædicta dist. Lib. Senten. quod [Magist.] ex carnis corruptione suboritur motus illicitus: si ergo ex carnis corruptione est tentatio (in Adam enim, vbi non fuit carnis corruptio, non fuit hæc tentatio) motus illicitus erit ex tentatione carnis: sed motus illicitus est in sensualitate: ergo ex tentatione carnis non tantum tentatur ratio, immo sensualitas.

¶ Contra, per motum in sensualitate intelligitur serpens, secundum quod dicit Augustin. *sed serpens non dicitur tentari à diabolo*; [Aug. in lib. 12 de ciu. Dei.] *sed per serpentem mulier, aut vir*: ergo tentatio non est sensualitatis, nec eius quod est in sensualitate: sed per motum illicitum in sensualitate fit tentatio inferioris partis rationis, aut superioris.

¶ Ad quod dicendum, quod licet omnis tentatio sit originaliter à diabolo: nihilominus accipitur hæc diuisio tentationis, alia est à diabolo, alia à carne. Cum enim datur hæc diuisio, intelligitur de proxima causa tentationis: potest autem contingere, quod caro, vel carnalis concupiscentia sit principium tentationis ipsi rationi: & ita nihil prohibet, licet omne malum sit originaliter à diabolo: tamen quoddam est ex diabolo tanquam ex propinqua causa: quoddam vero ex carnali concupiscentia.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet tentatio, quæ est ex carne, dicatur esse non sine peccato: tentatio vero, quæ est ab hoste, potest fieri sine peccato: tamen illa, quæ est ex carne, habet quendam ordinem ad illam, quæ est ab hoste: & ita non excluditur, quin tentatio à carne ediuerso diuidatur à

tenta-

tentatione à diabolo. Illa vero, quæ est ex carne, est cum peccato: & hoc accidit ex corruptione originalis peccati, ex qua secuta est corruptio in carne. Non sic autem est in tentatione diaboli, vbi nullum ponitur adiutorium tentationis ex carne.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur tertio loco de tentatione ex carne, quod non fiat cum peccato: eo quod sensualitas communis sit nobis & brutis. Dicendum est, quod licet vis sensibilis sit communis nobis & brutis: non tamen sensualitas sub ista ratione: sensualitas enim dicit quandā ordinationem respectu rationis. Si ergo tentatio, quæ est ex carne: licet communiter fiat ex motibus in sensualitate, non tamen est per se causa peccati: tentatio enim quæ est ex carne, eo quod ponit motum sensualem illicitum, non fit sine peccato. Et hoc est, quod dicitur in Lib. Senten. quod ex carne & corruptione suboritur motus illicitus, & cogitatio praua. Magist.

¶ Ad illud vero, quod quarto obiicitur. Dicendum est, quod licet tentatio: quæ est ab hoste, sit materia exercendæ virtutis: hoc tamen non remouetur à tentatione, quæ est ex carne, sed differenter inest: qui enim custodit se à peccato veniali: ordinat se ad vsum virtutis, & per consequens ad salutem: & ita tentatio huiusmodi materia est exercendæ virtutis: sed non ita propinqua, sicut est in tentatione ab hoste: vbi nullum ponitur incentiuum.

¶ Ad quintum vero dicendum est, quod istæ duæ differentiæ sufficiunt, tentatio ab hoste, & à carne. Vnde cum obiicitur de tentatione, quæ est à mundo. Dicendum est, quod vno modo posset diuidere contra duo genera tentationum, à carne sc. & ab hoste: vt tria motiuorum genera designarentur, secundum illud, quod dicitur. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis &c.* Si vero attendamus rationem diuisionis: tentatio, quæ est ab hoste, non ita grauat, nisi ei aliquid adiungatur: tentatio vero carnis maxime grauat: quia interius pugnans, de nostro contra nos roboratur. Si ergo accipiatur ratio diuisionis secundū inclinationem exteriorem & interiorem, tunc bimembris erit diuisio: tentatio enim, quæ est ab hoste, ad vnam partē diuisionis pertinebit, ad illam sc. quæ inclinat exterius: tentatio vero, quæ est ex carne, ad illam, quæ interius. Et secūdum hoc non oportet esse trimembrem diuisionem: illa enim tentatio, quæ est à mundo, cum sit exterior, connumeratur cum tentatione, quæ est ab hoste. 1. Ioan. 2.

¶ Ad vltimum vero obiectum. Dicendum: quod licet ex corruptione carnis procedat motus illicitus in sensualitate: non tamen dicitur sensualitas tentari: sed per motum sensualitatis, qui gerit vicem serpentis, fit tentatio rationis secundum inferiorem partem, aut superiorem.

¶ CONSEQVENTER dicendum est de illa diuisione tentationis, secūdum quam dicitur, vna interior, alia exterior. Videtur enim, quod omnis sit exterior, quæ non peruenit ad casum peccati: nam cum peruenitur ad casum peccati, cedit ad probationem, illa vero tentatio, quæ cedit ad probationē, non est inter istas computanda. Non ergo tentatio exterior, quæ solum est exterior, diuisionem debet facere cum interiori.

¶ Præterea, exterior tentatio dicitur esse, quando exterius malum nobis visibiliter suggeritur verbo, vel signo aliquo: vt ille, cui fit, ad consensum peccati declinet. Sed verbum vel signum ad visum vel ad auditum videtur pertinere, secundum hoc ergo tentatio exterior non diceretur esse, nisi quo ad ea, quæ sunt visus vel auditus: & ita secundum alios sensus non fieret tentatio exterior.

¶ Præterea, dicitur: quod tentatio exterior est, cum malum visibiliter suggeritur: sed si malum visibiliter suggeritur, hoc non congruit nisi ex parte virtutis visibilis: ergo tentatio exterior fit per visum.

¶ Item, tentatio exterior dicitur esse ad hoc, vt ille, cui fit, ad consensum peccati declinet: si ergo aliqua fit tentatio verbo vel signo, & non ad hunc finem: ergo non dicetur tentatio exterior: cum tentatio exterior ad hoc ordinetur.

¶ Præterea, obiicitur de interiori tentatione. Interior enim tentatio dicitur esse, quando nobis inuisibiliter intrinsecus malum suggeritur. Sed quæ est ista suggestio inuisibilis, nisi per hoc quod plus appropinquat ad effectum suum? Sed secundum hoc videtur, quod in interiori tentatione non suggereretur malum, nisi per exteriora: aut est aliqua via separata, per quam tentat diabolus tentatione interiori, præter illam viam, quæ est à tentatione exteriori.

¶ Præterea, omnis tentatio videtur exterior, cum sit extra ipsum intellectum. Si enim fiat illusio in sensibili interiori, siue in motiua interiori, siue tentatio exterius, totum refertur ad tentationem exteriorem respectu ipsius intellectus: sic ergo videtur, quod omnis tentatio, quæ est præter intellectum, debeat esse exterior.

¶ Ad primum dicendum, quod tentatio ad probationem non continetur sub altera istarum differentiarum: cum ex tentatione intenditur probatio: nam hæ duæ differentiæ tentationis ad hoc tendunt, vt declinet homo ad consensum peccati. Nihilominus tamen tentatio, quæ est ad probationem, potest esse exterior, vel interior: hæ enim differentiæ possunt esse communes tentationi, quæ est ad bonum, & quæ est ad malum: secundum autem quod hic accipiuntur, diuidunt tentationem, quæ est ad malum.

¶ Si vero obiiciatur, quod omnis tentatio debeat dici exterior, quæ non peruenit ad consensum peccati. Dicendum est, quod non: potest enim & interior & exterior non peruenire ad consensum peccati. Sed exterior dicitur, cum fit tentatio virtute exteriori: cum autem fit tentatio immediate virtute interiori, dicitur interior: sicut cum fit tentatio ex parte ipsius imaginis, vel intellectus, vel ex parte motiuæ rationis, q̄ appropinquat sensualitati.

¶ Ad secundo obiectum dicendum est, quod tentatio exterior fit verbo, vel signo: signum autem accipitur communiter non tantum pro eo quod visibile est, sed quod etiam sensibile est in tactu, vel in aliis sensibus. Per omnem enim sensum contingit esse exteriorem tentationem: maxime tamen per visum, mediante signo: & per auditum, mediante verbo.

¶ Ad tertio vero obiectum. Dicendum, quod malum dicitur visibiliter suggeri in tentatione exteriori, non à visu, secundum quod est vnus proprius sensus: sed à visu, secundum quod communis est aliis sensibus. Sicut enim dicit Aug. *videre communiter se habet ad alios sensus.* Vnde Exod. 20. dicitur, quod videbat voces: videre tamen proprie dictum, non conuenit vocibus. Aug sup. Gen. ad lit. Exod. 20.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod licet non omnis tētatio, quæ fit verbo vel signo, vel quæ fit inuisibiliter interius, perueniat ad consensum peccati: nihilominus dicitur exterior vel interior: Aliud enim est tentationem esse tentationem, & aliud est esse efficacem: tunc autem efficax est tentatio diaboli, quando peruenit ad cōsensum peccati.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de tentatione interiori. Dicendum est, quod non propter hoc dicitur tentatio interior, quia fit per essentiam in eo, qui tentatur: sed quia mediante virtute interiori immediate tentatur per ea, quæ immediate mouent ipsam, vel cognitiuam, vel effectiuam.

¶ Ad vltimo obiectum dicendum est, quod non ob hoc dicitur exterior tentatio, quia fit extra rationem, vel lib. arb. quod tentatur (sic enim omnis tentatio exterior diceretur) sed exterior vel interior dicitur secundum rationes iam dictas.

¶ DEINDE quæritur de illa quadrimembri diuisione peccati, quæ ponitur super illud. *Non timebis à timore nocturno &c.* Cum enim prius enumerauit duo genera tentationum, quæ signantur per laqueum venantium, & verbo aspero: videtur quod illa quadrimembris diuisio ad illam bimembrem debeat reduci. Psal 90.

¶ Præterea, si vna est bimembris diuisio, & alia quadrimembris: quæritur secundum quam rationem vtraque diuisio accipiatur.

¶ Præterea, B. Bern. quatuor assignat rationes, quæ per timorem nocturnum, & alia tria, quæ sequuntur designantur: vt per timorem nocturnum signaretur timor aduersitatis: per sagittam vero, quæ valde timenda est, vana gloria: per negocium ambulans in tenebris, amor cupiditatis: per dæmonium meridianum præsumptio scientiæ. Nunquid hæc diuisio tentationum omnia genera tentationum com- Bernar.

prehendat? Quod videtur per hoc, quod Psalmista omnia genera tentationum comprehendere intendebat per illa quatuor. Sed videtur contrarium: tentatio enim quæ est per carnalem voluptatem, nulla istarum videtur esse.

¶ Præterea, cum sint quatuor animi perturbationes, secundum quod dicit August. sc. gaudium & dolorem, metum & cupiditatem: secundum vnamquanque autem cõtingit fieri tentationem: sicut ergo fit tentatio per timorem, ita contingit fieri tentationem per cupiditatem, & gaudium, & dolorem. Non ergo omnia genera tentationum his quatuor continentur.

Aug. de ciuit. Dei lib. 14. cap. 6.

¶ Ad quod dicendum, quod tentatio quadrimembris secundum alium modum accipitur, quam bimembris, quę fit per verbum asperum & laqueum. Nam quadrimẽbris, fit secundum modos tẽtationis comparatione ad eum, qui tentatur: bimembris vero fit per instrumenta ex parte tentantis. Nam tentatio, quæ fit per laqueum, designat tentationem, quæ fit per facta: tentatio vero quæ fit per verbũ asperum, designat tentationẽ quæ fit per verba. Licet enim videtur leue verbum, graue tamen est verbo tentari: facta autem & verba instrumenta sunt tentantis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de cõparatione vnius diuisionis ad aliam. Dicendum est, quod excedentes sunt, & excessæ: vtraque vniuersaliter continet omnem tentationem: est enim tentatio, quæ est per facta, aliquando lenis, aliquando grauis: aliquando occulta aliquando manifesta. Similiter tentatio, quæ est per verba.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur consequenter de diuisione tentationum secundum B. Bernardum. Dicẽdum est, quod secundum aliam rationem assignatur hæc diuisio, & illa. Nam hæc diuisio fit secundum modos tentationis in comparatione ad eum, qui tentatur: sicut dictum est: diuisio vero B. Bern. attenditur secundum motiuam in diuersis viribus. Nam motiuum in rationabili ad tentationẽ est scientia: in cõcupiscibili est illud, ꝙ concupiscitur: vt apparẽs delectabile mundi, vel carnis, ex parte vero irascibilis terribile est motiuum ad tentationem timoris, honor vero, vel excellentia ad tentationem vanæ gloriationis.

¶ Per iam dicta potest esse manifestum, qualiter respõdendum est ad obiectum: non n. accipitur cupiditas secundum ꝙ appropriatur ad illa, quæ exterius concupiscuntur: sed secundum ꝙ communiter extendit se cõcupiscentia ad concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum.

¶ Ad illud vero, quod postea obiicitur: Dicendum est: quod licet secundum vnamquamque perturbationem cõtingat fieri tentationem; & duæ comprehendantur in hac diuisione, sc. quæ est secundum timorem, & cupiditatem: aliæ tamen duæ secundum propriam rationẽ non ibi comprehenduntur: sed dantur intelligi ex consequenti. Secundum n. aliam rationẽ accipitur hæc diuisio & illa: illa n. diuisio attenditur secundum differentias bonorũ & malorũ: bonum n. apparens quod mouet, aut est, in præsenti, aut in futuro: bonum apparens in præsenti mouet ad tentationẽ gaudii, bonum apparens in futuro mouet ad tentationem cupiditatis: econtra malum apparens in præsenti mouet ad tentationem doloris, malum apparens in futuro ad tentationem timoris. Et sic secundum aliam rationem attenditur hæc diuisio, quam attendatur illa, quam ponit B. Ber. Contingit tamen alternatim hanc diuisionem comprehendere genera tentationum & illam.

¶ DEINDE procedendum est ad illam diuisionem tentationis, quam ponit B. Greg. quæ septem membra continet. Primo ergo quæritur, vtrum omnis machinatio diaboli in aliqua illarum intelligatur. Secundo, penes quid accipiatur illa diuisio: & qualiter inter se distinguantur membra prædictæ diuisionis.

Apoc. 12.

¶ Ad primum obiicitur, quod accusatio, de qua dicitur *Proiectus est accusator fratrum, qui accusabat eos die ac nocte &c.* est quædam machinatio siue tentatio: ergo sub aliqua prædictarum continebitur.

¶ Item, est tentatio timoris; & est tentatio amoris: quæritur ergo, sub quibus differentiis contineantur.

¶ Præterea, omnis tentatio diaboli vel est insidiosa, vel violenta: ergo sub duabus primis differentiis omnis tentatio continetur.

¶ Ad quod dicendum, quod accusatio non est species tentationis vel machinationis: sed continet in se generaliter omnes tentationes: accusatio enim diaboli nihil aliud est, quam tentatio, qua hominem reddit accusabilem, cum consentit.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod duæ tentationes, quæ sunt timoris, & amoris (quæ dicuntur ab Aug. duę portæ mortis) non comprehenduntur sub aliquibus differentiis determinate, sed diuersas differentias circumeunt. Tentatio n. timoris continet illam differentiam, secundum quam minando terret, & secundum q̃ desperando frangit: tentatio vero amoris continet illam, secundum q̃ suadendo blanditur, & secundum quam promittendo decipit.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet omnis tentatio diaboli sit per fraudulentiam vel violentiam: tamen istę duæ differentiæ, opprimendo rapere, & insidiando circũuolare, e diuerso diuiduntur contra alias quatuor. Nam istę duæ videntur referri ad facta diaboli: aliquando enim per facta tentat, aliquando per verba: aliquando per ea quæ intra sunt. Cum autem per facta, aliquando tentat vt draco; & tunc dicitur insidiando circumuolare: aliquando sæuit vt leo; & tunc dicitur sæuiendo opprimere, siue opprimendo rapere: minari vero & suadere ad ipsa verba potest pertinere: desperando vero frangere, vel promittendo decipere ad ipsa desideria, quæ intra sunt. Et secundum hoc duæ primæ differentiæ ab aliis quatuor distinguuntur: licet in quadam generalitate sumptæ possint omnes continere.

¶ Adhuc ad euidentiam prædictæ diuisionis quæri potest, quæ sit differentia inter suadendo blandiri, & promittendo decipere: Videtur enim quod cum suadendo blanditur, quod tunc promittendo decipit: suasio enim fit per promissa: sicut terror fit per comminata. Qõ. incidentalis.

¶ Præterea, quidam volunt ponere quatuor primas differentias pertinere ad præcipitationem in peccatum: duas vero vltimas ad profundationem in peccatum: duas vero primas differentias ad tentationem diaboli, quæ est per facta: duas vero consequentes ad tentationem diaboli, quæ est per verba: sicut iam dictum est.

¶ Sed potest obiici in contrarium: sicut enim suadendo blandiri, pertinet ad verba: ita promittendo decipere, pertinet ad verba.

¶ Præterea, allocutio diaboli non est nisi per signa exteriora, secundum quod incendit cogitationes interius: ergo non distinguitur tentatio diaboli per verba, à tentatione diaboli, quæ est per facta & desideria.

¶ Ad obiecta potest sic responderi: prius intellecta ratione diuisionis. Est enim quædam tentatio ex respectu præsentium, vel ex respectu futurorum. Ex respectu vero præsentium duplex fit tentatio: nam illa sunt quæ cogunt, aut quæ seducunt. Si cogunt, tunc in opprimẽdo rapit (oppressio enim est quasi quædam coactio) si vero seducunt, & est quædam fraudulentia: & tunc insidiando circumuolat: quædam enim sunt quæ per se inducunt in peccatum: quædam vero sunt, quæ quadam fraude inducũt. Ex respectu vero futurorum contingit tentatio: est enim considerare futura imminentia & remota. Respectu imminentium contingit fieri duplicem tentationem: vna est respectu malorum imminentium, & hoc modo minando terret: alia est respectu bonorum apparentium: & hoc modo suadendo blanditur. Respectu vero futurorum remotorum similiter fit duplex tentatio: aut per desperationem futurorum bonorum, quæ vere bona sunt: & hoc desperando frangit: aut promissione futurorum bonorum, quæ vere bona non sunt, ac si vera essent: & hoc modo promittendo decipit. Sic ergo ponuntur sex differentiæ tentationis: per quod potest patere, quæ differentia sit inter tentationem, qua suadendo blanditur: & inter illam, qua promittendo decipit: vna enim respicit bona, quæ imminent, & tamen vera non sunt: alia vero bona remota, quæ tamen vera non sunt.

¶ Ad secundum vero dicẽdum est, ꝙ non in hoc distinguunt ista duo secundũ hunc modum ꝙ vna dr̃ia respiciat verba, & altera desideria: sed vtraq; differẽtia põt esse circa desiderata: quæ tamẽ differũt sicut iam dictũ est. Vnde nec

suasio,

suasio, nec promissio ad verba exteriora videntur referri: sed ad verba interiora, quibus malignus spiritus loquitur animæ peccatrici, siue infirmæ.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod secunda differentia non in hoc distinguitur à prima secundum modum diuidendi: quod primus binarius tentationis pertineat ad facta, secundus ad verba: vtroque enim modo loquitur diabolus vel exteriori tentatione, vel interiori ipsi animæ peccatrici.

Gregor. ¶ Deinde quæritur de illa diuisione tentationis, quam facit B. Greg. quod alia est per vitia, alia per flagella. Potest enim quæri, quę ratio intendatur in hac diuisione? Videtur enim quod tentatio, quæ est per flagella, ducat ad vitia: & ita vitium sit terminus tentationis, non instrumentum tentandi.

¶ Respon. Diuisio illa accipitur penes hoc, quod quædam tentatio est per tristia, quædam vero per delectabilia: Tentatio, quæ est per flagella, est per tristia: tentatio vero per vitia, est tentatio per delectabilia. Et ita vitium non sumitur ibi formaliter: sed materialiter, siue causaliter sc. per ipsa delectabilia, quæ alliciunt ad vitia. Vel aliter potest distingui, vt tentatio quæ est per flagella, attendatur per mala pœnæ: tentatio vero, quæ est per vitia, quantum ad mala culpæ. Potest enim homo per mala pœnæ cadere in peccatum, cum non sustinet, prout oportet: potest iterum cadere in peccatum per mala culpæ, cum non cauet, prout oportet.

Bernard. ¶ Vltimo quæritur de diuisione tentationis septimembri, quam ponit B. Bern. Videtur enim quod subita, & occulta sit eadem tentatio: nam subita est, quæ iudicium rationis præuenit: occulta, quæ deliberationem rationis subterfugit. Sed illa, quæ subita est, deliberationem rationis subterfugit: ergo subita est occulta.

¶ Item, illa, quæ perplexa est, ratione perplexitatis animum in dubitationem ducit: ergo illa est dubia, & perplexa simul: ergo dubia & perplexa non differunt inter se.

¶ Similiter importuna videtur esse idem quod violenta: importuna enim est, quæ procaciter insistit: sed illa, quæ procaciter insistit, est quæ vires mentis transcendit: ergo videtur esse violenta.

¶ Ad quod dicendum, præmissa quadam ratione diuisionis. Est enim quædam tentatio ex parte cognitionis in se: & quo ad hoc accipiuntur duæ primæ differentiæ. Est alia tentatio, quæ respicit rationem, quæ deliberare debet de eligendo: & penes hoc accipiuntur duæ differentiæ sequentes. Est tertia tentatio, quæ respicit affectionem siue voluntatem proximo: & quantum ad hoc sumuntur hæ duæ differentiæ; alia violenta, alia importuna. Est quarta tentatio, quæ respicit operationem: & quantum ad hoc dicitur perplexa, quando ignoratur quid agendum est propter vtriusque partis perplexitatem. Primæ ergo duæ differentiæ sc. importuna & dubia, respiciunt cogitationem: aliquando enim inuoluitur animus in dubitatione, aliquando vrgetur: & secundum hoc aliquando est dubia, aliquando importuna. Similiter penes rationem, cuius est deliberare, sumuntur duæ differentiæ: aut enim non potest ratio plene deliberare propter ipsius rei occultationem: aut propter ipsius temporis improuisionem. Si propter temporis improuisionem, dicitur subita: si propter rei absconsionem, dicitur occulta. Similiter ex parte affectionis sumũtur duæ differentiæ: nam aut per quandam violentiam dicitur ad consensum, aut per quandam dolosam machinationem. Primo modo dicitur violenta: secundo modo fraudulenta. Perplexa vero dicitur, cum alterum malorum illorum necesse est fieri, sed propter rationes nescitur, quod minus malum sit. Ex iam dictis patet, quod tentatio subita & occulta non sunt eadem tentatio: nam tentatio occulta dicitur propter rei absconsionem, quæ subterfugit rationem deliberationis: subita vero dicitur propter improuisionem.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod dubia & perplexa inter se differunt: dubia enim dicitur, cum non habetur ratio, quæ determinet: perplexa vero, cum est quasi quædam paritas rationum hinc inde, vt ignoretur quid magis fiendum sit, vel vitandum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod differt importuna à violenta: importuna enim dicitur, quæ grauat; sed tamen infra vires animi est: violenta vero super vires animi.

MEMBRVM VII.

Quomodo vnaquæque tentatio fiat.

Assignatis differentiis tẽtationis secundum modos differentes: consequenter quærendum est, quomodo fiat tentatio exterior, quæ est ab hoste: & quomodo fiat interior, quæ est à carne: quomodo etiam fiat interior, quæ est ab hoste. De his enim differentiis hic agendum est principaliter: sicut autem habetur in Lib. Sen. *tentatio exterior est, quando extrinsecus malum suggeritur verbo, vel signo aliquo, vt ille sic ad consensum peccati declinet.* Magist.

ARTICVLVS I.

Qualiter diabolus tentet tentatione exteriori?

Quærendum est ergo, qualiter aduersarius tentet tentatione exteriori. Nunquid noua signa facit? vel signis iam existentibus aliter vtitur, quam eorum natura exigat? aut aliter immutat sensum, quam requirat immutatio naturalis? Nunquid immiscet se rebus sensibilibus, aut ipsis sensibus; vt ex eis eliciatur tentatio? Nunquid indifferenter tentat secundum quemlibet sensum: aut magis secundum vnum, quam secundum alium?

An diabolus noua signa faciat, cum homines tentat? §. 1.

¶ Ad primum sic obiicitur per hoc, quod dicit August. *Serpit hoc malum per omnes auditus sensuales, dat sese figuris, accommodat colorib. odoribus se subiicit, infundit saporibus.* Ex quo accipitur, quod non noua signa facit: sed signis factis vtitur ad explendam tentationem. Sed si vtitur signis iam factis, quomodo dicitur se accommodare coloribus, infundere saporibus; nunquid aliquam facit in eis immutationem, quæ non est in eis secundum suam naturam. Quod non videtur: circumscripto enim diabolo per intellectum, nihilominus ex immutatione colorum, vel odorum, vel saporũ posset inclinari homo ad idem peccatum, ad quod modo inclinatur: ergo non videtur ipse tentator in hac parte operari. Si vero aliud operatur id, quod sensibile habuit ex sua natura: secundum hoc quærendum est, quid sit illud? Aug. in lib 83. qq.

¶ Item, dicit B. Greg. *Intuetur inimicus humani generis vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui: & illud opponit ante faciem, ad quod cognoscit facilius inclinari mentem; vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriam vel vanam gloriam, asperis autem membus iram superbiam vel crudelitatem proponit.* Et post dicit generaliter ibi. *Decipulam, & periculum ibi inserit deceptionis, vbi viam esse cognouit propinquam cogitationis.* Potest ergo quæri, quid est, diabolum ponere ante faciem: nunquid rem sensibilem, quæ est in vno loco, transfert ad alium locum, vt videatur? Quod non, videtur: cum non videamus variationem fieri in rebus sensibilibus, nisi secundum quod exigit earum dispositio naturalis. Greg lib. 4 moral. Idem.

RESOLVTIO.

Non per noua, sed per iam inuenta signa, per ipsamet (videlicet) res sensibiles, vti per instrumenta tentat diabolus homines.

¶ Ad quod videtur dicendum, quod tentator vtitur rebus sensibilibus tanquam instrumentis ad tentãdum. Nec oportet, quod noua signa faciat: sed signis inuentis vtatur: licet posse habeat quædam signa faciendi.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur de verbo Aug. Dicendum est, quod dare se figuris, & accommodare se coloribus, non est aliud, quam ex his illicitam delectationem prouocare. Est enim quædam delectatio naturalis in rebus sensibilibus, & illa bona est. Est alia illicita, quæ excedit naturalem, cum delectatur plus quam oportet, vel quando non oportet, vel quo fine non oportet: & ita de aliis circumstantiis. Aug. in lib. 83. qq.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per verbum B. Gregor. vbi dicit: *quod illud ponit ante faciem, ad quod cognoscit facilius inclinari, &c.* facies potest dici ibi vel facies inte- Gregor.

rior, coram qua ponitur aliquid, cum sit conuersio super illam mediante similitudine sua: vel facies dicitur facies exterior, coram qua ponitur, cum sensibile coram sensu ponitur, vt ad illicitum trahatur: Præsumitur autem, quod isti colores sophistici, qui sunt in faciebus mulierum, vel capillis, fiat instinctu diaboli: similiter istæ sophisticationes odorum, & confectiones saporum, quæ veniunt ex maiori studio, quam necesse sit, non propter humanam necessitatem, sed ad promouendam voluptatem. Similiter contingit in istis ioculationibus virorum, vel mulierum in melodiis etiam ad lasciuiam prouocantibus: insuper tincturis vestium, & frequentibus balneationibus: vbi non requirit necessitas, sed magis expetit voluptas. Similiter in cantilenis mulierum, ad lasciuiam prouocantibus, in choreis, & huiusmodi.

An diabolus humanis sensibus vniatur, vt tentet? §. 2.

Aug. in lib 83. qq. ¶ DEINDE obiicitur ratione illius, quod dicit Aug. *Agite miseri mortales, ne vnquam polluat hoc domicilium malignus spiritus, ne sensibus immixtus inficiat anima sanctitatem.* Videtur enim ex hoc, quod spiritus malignus possit vniri in sensibus nostris, vel inesse eis.

Actuum 5. ¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur secundum aliam translationem, vbi nos habemus. *Cur tentauit satanas cor tuum?* alia translatio dicit. *Quare impleuit satanas cor tuum.* Sed si implet cor, multo fortius potest implere sensum.

Abac. 2. Glossa. ¶ Quod autem non possit immisceri sensibus nostris, vel esse in eis, potest argui per hoc, quod dicitur super illud. *Dominus in templo sancto suo.* Glo. *Potest assidere simulachris spiritus immundus: sed esse non potest intrinsecus.* Si ergo intrinsecus non potest esse in corporibus, multo fortius non potest intrinsecus esse in ipsis sensibus, qui animales sunt.

Beda sup. Actuum 5. ¶ Item, Beda super illud. *Cur tentauit satanas, &c. implet satanas cor alicuius, non ingrediens sensum eius, neque introiens aditum cordis: siquidem potestas hæc solius Dei est.* Ergo malignus spiritus non ingreditur sensus nostros.

RESOLVTIO.

Vnitur, verum non per essentiam, sed per effectum operationis.

¶ Ad quod dicendum, quod non potest malignus spiritus inesse nostris sensibus per essentiam: nec vniri per essentiam: vel implere essentialiter. Sed dicitur implere per effectum* operationis, quando tentatio per sensus ingreditur ad animam: secundum quod dicitur. *Ingressa est mors per fenestras.*

* Alias tentationis. Hierem. 9.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur in contrarium: Dicendum est, quod illud immisceri, de quo dicit Aug. non est sic fieri vnum, quemadmodum est in miscibilibus: sed dicitur quædam conuenientia in actu, sicut agens & instrumentum dicuntur esse vnum in operatione: ita diabolus, cum per sensus nostros tentat, vnum: vnde dicitur esse, vel immisceri sensibus propter effectum tentationis, in quo conueniunt.

¶ Ad aliud vero dicendum est, quod satanas dicitur implere cor tantummodo per operationem, & voluntatis instinctum, intus non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. Et hoc modo potest dici de sensibus: quia virus tentationis per sensus inserit.

An diabolus indifferenter secundum quemlibet sensum tentet? §. 3.

¶ DEINDE quæritur, vtrum indifferenter tentet, secundum quemlibet sensum. Quod non, videtur: magis enim videtur tentare secundum tactum, & non secundum quemcunque: sed secundum illum, qui est copulatio carnalis: & iterum secundum quod gustus est quidam tactus. In his duobus maxime tentatur homo, de gula scilicet & luxuria: de gula sicut tentauit primos parentes: de luxuria sicut tentauit illos, quos inuoluit diluuium.

¶ Sed videtur, quod magis tentet per visum: visus enim ostendit plures differentias, in quibus sunt multæ occasiones peccatorum: ergo plus tentat per visum.

¶ Ad idem etiam facit, quod visus apprehendit de longe: tactus vero non.

RESOLVTIO.

Secundum quemlibet quidem: sed grauius per visum & gustum.

¶ AD quod potest dici, quod per quemlibet sensum potest tentare, & tentat: grauius vero per tactum, & gustum: quia fortiores sunt impressiones delectationum, & ratione naturæ, & ratione corruptionis inolitæ ex originali peccato: per visum autem fiunt plures tentationes, & pluribus modis: sed non ita fortius est impressio tentationis.

ARTICVLVS II.

Quomodo fiat tentatio interior, quæ est à carne?

DEINDE quæritur de tentatione, quæ est ex carne, quæ est vna species tentationis interioris; quomodo fiat. Et primo quæritur, vtrum caro tentet, vel sit tentationis principium. Secundo, quid est illud, quod tentatur: hoc est, secundum quam vim ipsa anima tentatur. Tertio, qualiter progrediatur tentatio. Quarto, vtrum hæc tentatio posset fieri sine peccato.

An caro tentet, tentationisque initium sit? §. 1.

¶ AD primum sic: circumscribatur operatio ipsius diaboli in præsenti, nihil prohibet tentationem ex carne fieri, postquam caro corrupta est corruptione vitiosa. Non enim omnia peccata diabolo sunt tribuenda, tanquam proximo mouenti. Sed si est aliqua tentatio ex carne, necesse est aliquid esse principium tentationis, non nisi ipsa caro: ergo caro potest esse principium tentationis.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod stimulus est in carne: stimuli autem est stimulare: stimulare autem in hac parte non est aliud, quam tentare: ergo caro ratione stimuli tentat.

¶ Eodem modo potest argui de fomite: fomes enim est in carne: fomes autem est principium peccati, non nisi per tentationem: ergo tentatio originem habet ex carne ratione fomitis.

¶ Hoc etiam arguitur ex ipsa titillatione carnis; ex titillatione enim tentatio carnis originem habet. Vnde Aug. *Quid indicant folia fici, quibus non Deo autore pudenda membra, sed per peccatum facta, texuerunt, nisi quendam pruritum libidinis turpem? ex quo sequitur tentatio.* Aug. in lib Hypono.

¶ Sed videtur contrarium: caro enim non agit in animam, sed econuerso: tentatio autem actio quædam est in ipsam animam, tanquam passibilem: ergo non est ab ipsa carne.

¶ Item, nihil potest tentare, quod non potest experientiam sumere de re, quam tentat: sed caro non potest experientiam sumere de motu animæ rationalis: ergo caro non potest tentare animam rationalem.

RESOLVTIO.

Adhuc & caro tentat, id est carnalis siue animalis sensus.

¶ RESPONDENDVM, cum dicitur tentatio esse ex carne, caro non sumitur ibi tantum pro ipso corpore: sed pro parte sensuali vnita carni: prout dicitur, *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Vnde dicit Aug. loquens de hac tentatione. *Carnalis sensus, vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi se id est, tanquam bono priuato & proprio, non tanquam publico in communi, quod est incommutabile bonum: & tunc velut serpens alloquitur fœminam.* Allocutio autem ista nihil aliud est, quam tentatio ducens ad peccatum, de quo subiungit. Huic illecebræ consentire, est de fructu prohibito manducare. Galat. 5. Aug. in 12. de Trin.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur. Dicendum est quod nihil prohibet tentationem ex carne fieri, circumscripta suggestione diaboli in præsenti: sed non fit tentatio ex carne, nisi præcedente tentatione primorum parentum, quæ facta est ab hoste.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: q̃ caro non potest in animã agere. Respondendũ est, q̃ caro, id est carnalis sensus siue concupiscentia potest stimulare animã secundum partem rationis inferiorem, licet ipsa sit inferior: Inferius enim potest tentare superius; si forte inclinetur ad ipsum: sed non potest inducere ad tentationem. Inductio enim in

tenta-

tentationem, non fit sine consensu: consensus autem rationis est. Si ergo potest inferius tentare superius, id est, tentationis initium dare.

¶ Ad sequens dicendum est, quod in carne sic dicta, id est, in carnali sensu est experientia, vtrum sibi consentiat ratio, vel non: sed non in ipsa carne, prout caro sumitur pro corpore. Vel dicendum, quod ad tentationem non necessario requiritur experientia: sed sufficit impulsio: & hoc conuenit carni.

A carne tentari, cuius proprie sit, rationis, an sensualitatis? §. 2.

¶ Deinde quæritur, cui proprie conuenit tentari hac tentatione, an inferiori parti rationis, an superiori, an alicui alteri, vt pote sensualitati?

¶ Quod autem conueniat sensualitati, videtur: tentatio enim est tum de veniali peccato, tum de mortali: motus aūt primus videtur esse in sensualitate: ergo de hoc potest esse tentatio: sensualitatis ergo videbitur ex hac parte tentari.

¶ Contra, tentationem esse ex carne, non est aliud, quam mediante sensualitate: ipsa autem sensualitas non seipsam tentat: ergo non est ipsius sensualitatis tentari.

¶ Item, superior pars rationis sic se habet, sicut vir: vir autem non tentatur per serpentem immediate: ergo nec superior pars rationis potest immediate tentari à sensualitate.

¶ Contra, potuit Adam immediate tentari diabolo, non mediante muliere, licet aliter tentatus fuit: ergo pari ratione superior pars rationis, cum se habeat per modum viri, potuit tentari immediate à sensualitate.

¶ Præterea, inferior pars rationis immediate coniunctus est sensualitati: ergo potest tentari ab ea. Quæritur ergo, vtrum possit tentari tam ratione venialis peccati, quam mortalis.

RESOLVTIO.

Rationis, & secundum vtranque sui partem.

¶ Ad quod dicendum, quod rationis est tentari tentatione, quæ est ex carne siue lib. arb. & non sensualitatis. Est autem rationis tentari secundum vnamquamque eius differentiam, secundum inferiorem, scilicet partem, & superiorem.

¶ Ad obiectum in contrarium dicendum, quod nō ad omne veniale peccatum est tentatio, hoc supposito quod primus motus sit in sensualitate: si vero sit inferiori parte rationis, tunc potest esse tentatio respectu ipsius. Sed credibilius est, quod ad primum motum non sit tentatio: sed cum primo motu est tentatio: est enim quasi quædam necessitas ad hoc, quod surgat primus motus: ibi autem non proprie dicitur tentatio.

¶ Ad sequens vero dicendum, quod aliter est de superiori parte rationis, quantum ad nostrum interiorem hominem quantum ad * aliquid; quam fuit in primis parentibus. Potuit enim Adam immediate tentari à diabolo: sed superior pars rationis in nobis non potest tentari à carnali sensu, nisi mediante inferiori parte rationis: & ideo quo ad hoc ponit similitudinem August. in tentatione nostri interioris hominis respectu illius tentationis, quæ fuit in primis parentibus. Si ergo dicatur superior pars rationis tentari à carnali sensu: hoc est mediate, secundum quod tres ponuntur gradus in tentatione, suggestio, delectatio, consensus: vt suggestio sit in sensuali parte, delectatio in inferiori parte rationis, cōsensus in superiori secundum quandam proprietatem.

* Alias, quid.

An per concupiscentiam tantum, vel etiam per iram fiat carnis tentatio. §. 3.

Quæstio lateralis. ¶ Deinde quæritur quomodo fiat tentatio à carne vtrum fiat tantum per concupiscentiam, aut etiam per irā? Et videtur quod per vtrunque: ex vtraque enim parte mouetur pars sensualis, secundum concupiscentiam respectu apparentis boni, secundum iram respectu apparentis mali.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod medius gradus tentationis est delectatio: ergo suggestio, in quo est primus gradus, suggestio est delectationis: & ita eius, cuius est concupiscentia, non cuius est ira. Eodem modo consummatio tentationis est in consensu: iræ vero cōsummatio est in dissensu: ergo non fit vtroque modo tentatio, quæ est ex carne.

¶ Præterea, sicut in exteriori tentatione diabolus per serpentem allocutus est Euam: ita in interiori alloquitur inferiorem partem rationis. Sed quid per istam allocutionem designatur? allocutio enim ista non est aliud, quam tentatio: tentatio vero per aliquid fit, quod videtur esse delectabile tentato: aliud autem est delectabile secundum effectum, & aliud secundum rationem: ergo non videtur cōueniens tentatio per delectabile secundum sensum.

RESOLVTIO.

Interdum per hanc, interdum per illam.

¶ Ad quod dicendum, quod in hac tentatione aliquando tentatur ratio per concupiscentiam, aliquando per irā, secundum quod proprie dicuntur: aliquando vero fit tentatio per concupiscentiam tantum, vt concupiscentia sit generale ad vtrumque.

¶ Cum ergo dicitur, quod medius est gradus in tentatione delectatio: intelligendum est de delectatione generaliter, & non specialiter. Similiter de consensu intelligitur communiter ad consensum & dissensum: secundum quod consensus est displicentia dissensus.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet aliud sit delectabile secundum sensum, aliud secundum rationem: nihilominus tamen quia idem potest esse delectabile secundum sensum, & secundum rationem non rectam: ideo contingit tentationem rationis circa huiusmodi delectabile, vt ratio non recta quiescat delectabili, vt nunc, quod est delectabile secundum sensum.

An carnis tentatio sine peccato fieri possit? §. 4.

¶ Qvarto quæritur, Vtrum tentatio ex carne fiat sine peccato? Quod videtur: si enim tentationes aliæ possunt fieri sine peccato: cōsimili ratione hæc tentatio poterit fieri sine peccato. Quæstio lateral.

¶ Præterea, Apostolus tentatus fuit tentatione hac: & fuit hæc tentatio ad probationem: non ergo congruit eam esse cum peccato.

¶ Contra. Dicitur. *Datus est mihi stimulus carnis meæ.* Glo. tentatio, quæ est à carne, est veniale peccatum: actu autem venialis peccati nullus probatur ad bonum: tentatione ergo, quæ est à carne, nullus probatur ad bonum. 2. Cor. 12

RESOLVTIO.

Nequaquam.

¶ Ad quod dicendum, quod non est simile de hac tentatione & de alijs. Nam aliæ duæ sunt ex parte virtutis cognitiuæ: hæc autem est ex parte virtutis motiuæ, in qua est peccatum ratione affectionis.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod licet Apostolus tentatus esset ad probationem, nihilominus potuit ibi esse veniale peccatum: probatur enim homo, cum suboritur veniale peccatum, & non deducitur ad consensum mortalis peccati.

ARTICVLVS III.

De tentatione interiore, quæ fit ab hoste.

Consequenter dicendum est de tentatione interiori, quæ fit ab hoste. Et primo quærendum est de tentatione, quæ fit in virtute phantastica, siue imaginatiua. Secundo de tentatione interiori, quæ fit circa intellectiuam. Primo autem ostēditur, quod tentatio fit per partem imaginatiuam. Secundo quæritur, quo modo fiat illa tentatio. Tertio, vtrum illa fit cum peccato, vel sine peccato. Quarto, vtrum hæc tentatio in nō cadentibus sit ad profectum.

An per vim imaginatiuam fiat à dæmone tentatio? §. 1.

¶ Quod autem tentatio fiat secundum partem imaginatiuam, sic ostenditur: super illud Iob. 18. *Absconditus est in terra pedica eius.* Gregorius *Intuetur hostis mores cuiusque, cui initio sint propinqui: & illa ponit ante faciem, ad quæ facilius nouerit inclinari: vt blandis ac letis moribus luxuriam, asperis autem mentibus superbiam, iram, & huiusmodi: ibi ergo* Quæstio lateral. Gregor.

*Alias cogitationis.

decipulam deceptionis inserit, vbi viam propinqua * *cognitionis inuenerit.* Cum ergo facies non dicatur tantum facies exterior, sed etiam interior: ante faciem interiorem ponit similitudines illorum vitiorum, quibus sunt propinqui: & ita fit tentatio per imaginatiuam.

Aug in lib. de anima & spiritu.

¶ Item, August. *Diuersarum personarum species ostendit satanas ac similitudines menti, quam captiuam tenet, in somnis deludens, modo læta, modo tristia ostendit.* Hæc autem ostensio est ad tentandum: ergo tentatio fit per partem imaginatiuam.

Iob. 7.

¶ Similiter habetur hoc. *Terrebis me per somnia, &c.* dicitur, quod aliquando fiunt illusiones in parte phantastica.

¶ Sed videtur contrarium; sicut enim habetur in Ecclesiasticis dogmatibus: vna est anima, quæ habet rationem, & quæ habet sensus: sensum autem dicit non tantum interiorem, sed etiam exteriorem: ergo vna est substantia rationalis, & quæ potest sentire sensu exteriori vel interiori. Si ergo malus angelus non habet potestatem super substantiam intellectualem, cum eadem sit substantia sensualis, non habebit potestatem super partem sensualem.

¶ Præterea, similitudines, quæ sunt apud intellectum ipsius dæmonis, sunt intelligibiles: quæ vero sunt apud imaginatiuam, sunt sensibiles: ergo non conueniunt, vt illæ per illas excitentur, vel per illa imprimantur: non ergo tentatio fit per virtutem imaginatiuam.

RESOLVTIO.

Et quidem: cum super huiusmodi vim, vim habeat dæmon.

¶ AD quod dicendum: quod tentatio fit per partem imaginatiuam, sicut dictum est.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum, quod licet sit vna anima in homine; non oportet, quod eadem sit potẽtia intelligibilis, & sensualis: & ita nihil prohibet diabolum habere posse super partem sensibilem, & si sic non habeat super intelligibilem. Si vero vna est substantia, quæ potest intelligere & sentire: nihilominus inferior est vna potentia altera: propter quod potest spiritus malignus etiam aliquod posse habere super inferiorem potentiã, quod non habet super superiorem, in qua similiter imago diuina resplendet.

¶ AD aliud vero dicendum: quod licet similitudines in intellectu diaboli sint intelligibiles, in imaginatiua vero sint sensibiles, posse tamen est illarum super illas; recipiens enim secundum possibilitatem suam recipit, non secundũ modum immittentis, aut offerentis.

Quomodo diaboli tentatio per vim eandem imaginatiuam fiat? §. 2.

Quæst. lateral.

¶ DEINDE quæritur, quomodo fiat tentatio in imaginatiua parte. Aut enim vis imaginatiua species recipit ab immutatione diaboli: aut species, quas habet apud se, transformat: aut ex transformatis inclinationem facit partis intellectiuæ per operationem ipsius hostis. Si tantum esset receptio, non ex hoc videretur esse tentatio: receptio enim similitudinis indifferens est ad bonum & ad malum. Si vero transformat diabolus ea, quæ sunt in imaginatiua, posset pro voluntate sua quæcunque somnia ingerere: & ita anima in illa parte non haberet tranquillitatem. Si ergo anima in illa parte aliquando habet tranquillitatem, non habet diabolus potestatem transformandi: sed si nõ habet potestatem transformandi, multo fortius non habet potestatem inclinandi, cum inclinare intellectiuam sit excellẽtior operatio, quam transformare similitudines in sensitiua.

RESOLVTIO.

Per similitudinum repræsentationem.

August.

¶ AD quod dicendum, quod diabolus (sicut dicit Aug.) repræsentat similitudines modo prosperorum, modo aduersorum: ex qua repræsentatione anima secũdum partem imaginatiuam negotiatur, & per cõsequens inclinat ipsam intellectiuam, vel disponit ad inclinationem. Vnde Greg.

Gregor.

Diabolus modo cupidis prospera, modo timidis aduersa per somnia ingerit, vt magis afficiat.

¶ AD illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendũ est, quod quædam similitudines sunt indifferenter ad bonum & ad malum, & per tales non tentat: quædam vero magis determinatæ sunt ad alterum: vt pote ad apparens delectabile, vel ad apparens triste: & ex istis potest sequi inclinatio ad malum: & per huiusmodi fit eius tentatio.

An isthæc eadem dæmonis tentatio per imaginatiuam vim, cum peccato, vel sine peccato fiat? §. 3.

¶ DEINDE quæritur, si tentatio huiusmodi fiat cum peccato, vel sine. Et videtur, quod fiat cum peccato: propinquior enim est tentatio ista parti rationalis, quam illa, quæ est ex carne: peccatum autem ortum habet à ratione: ergo tentatio hæc magis est cum peccato, quam illa, quæ est ex carne: sed illa, quæ est ex carne, est cum peccato: ergo & hæc est cum peccato.

¶ Item, phantasia inclinat rationem: cum autem inclinatur per consensum, est consummatio peccati: ergo hæc tentatio est cum peccato, secundum quod primus motus dicitur esse peccatum.

¶ CONTRA, Tentatio, quæ fit tantum ab hoste; non est necessario cum peccato: sed hæc tantum est ab hoste: ergo non est necessario cum peccato.

RESOLVTIO.

Cum peccato: sed non necessario.

¶ RESPONDENDVM est, quod hæc tentatio non est necessario cum peccato. Hæc enim tentatio est habens initiũ ex parte cognitiuæ: illa vero ex parte motiuæ, quæ est ex carne: & ideo illa dicitur necessario cum peccato veniali propter corruptionem motiuæ ex fomite. Si vero corruptio est in ipsa cognitiua, non dicetur nisi obscuratio quædam: & hæc corruptio non dicitur peccatum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium. Dicendum est, quod licet hæc tentatio sit propinquior rationi: à qua est origo peccati: non tamen propter hoc hæc tentatio magis est cum peccato: non enim hæc propinquitas est ex parte qua ratio est motiua: sed ex parte, qua est cognitiua: ex parte vero, qua est motiua, ratio est origo peccati.

¶ AD aliud vero dicendum, quod licet tentatio in imaginatiua, quantũ est de se, inclinet rationem ad peccatum: in ipsa tamen ratione est inclinari, vel non inclinari: & propter hoc non est necessario hæc tentatio cum peccato. Nec propter hoc dicitur tẽtatio, quæ est ex carne, esse cum peccato propter fortitudinem inclinationis ad peccatũ mortale: sed propter motum inordinatum venialem, qui præcedit, ex quo sequitur inclinatio: talis autem motus venialis non præcedit in hac tentatione.

An & ad profectum bonorum itidem cedat? §. 4.

¶ DEINDE quæritur, vtrum hæc tentatio cedat ad profectum bonorum. Quod non, videtur: quia hęc tentatio fit in dormiente: in dormiente vero non est vsus rationis: ergo nec profectus meriti: non ergo est ad profectum bonorum hæc tentatio.

¶ CONTRA, dicit Grego. *Sanctos, quo minus valet vigilantes, grauius tentat diabolus dormientes: quod Deus benigne permittit, ne saltem somnus à passionis præmio vacet.* Ergo tentatio huiusmodi cedit ad profectum bonorum.

Gregor.

RESOLVTIO.

Cedit, sed tempore vigiliæ.

¶ AD quod dicendum, quod tentatio huiusmodi cedit, ad profectum bonorum. Qui tamen profectus non est tẽpore dormitionis, sed tempore vigiliæ: licet ipsa tentatio fit tempore dormitionis; sustinentia tamen tentationis est tempore dormitionis: sed perfecta repressio tẽtationis est, cum iam est vsus rationis in ipsis vigilantibus.

ARTICVLVS IV.

De tentatione interiori ab eodem hoste diabolo respectu virtutis intellectiuæ.

VLTERIVS quæritur de tentatione interiori respectu virtutis intellectiuæ. Et primo quæritur, si omnes cogitationes malæ instinctu diaboli excitantur. Secundo, si non omnes, sed quædam, vtrum immittat diabolus cogitationes. Tertio, si non immittit cogitationes, vtrum incendit. Quarto, quomodo dicatur incendere.

An omnes cogitationes malæ instinctu diaboli excitentur? §.1.

¶ Circa primum sic proceditur: videtur, quod omnes cogitationes malæ instinctu diaboli excitentur. Diabolus enim nunquam cessat à tentatione, secundum illud. *Qui me comedunt, non dormiunt: & in multitudine horum consumitur vestimentum meum.* Gregorius. *Maligni spiritus, qui carnales de ecclesia consumunt, tanto magis quiescere à tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere grauantur.* Si ergo nunquam cessant à tentatione, nunquam cessant ab instinctu malarum cogitationum.

Iob.15. Gregor.

¶ Contra, dicitur in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus. *Non omnes nostræ cogitationes malæ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquotiens ex nostri arbitrij motu emergunt.*

Lib. de ecclesiasticis Dogmat.

¶ Item, potestatem habet homo etiam si non tentetur, cadendi in peccatum: sed casus in peccatum ex cogitationibus malis originem habet: ergo non omnes cogitationes malæ instinctu diaboli efficiuntur.

RESOLVTIO.

Non omnes, sed quamplures ex nostri arbitrij motu emergunt.

¶ Ad quod dicendum, quod non omnes cogitationes malæ fiunt instinctu diaboli.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet non cesset diabolus à tentatione, non tamen omnis malæ cogitationis est principium: sed coadiutor est, quantum est de se, ad casum in peccatum: non quia nõ possit esse sine eius tentatione peccatum: sed eius tentatione ad peccatum facilius inclinatur. Vnde Gregorius. *Conuulnerauit lumbos, &cæt. conuulnerare dicitur, quia quod nobis male suggerit, nos sequentes ex propria voluntate implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus.*

Iob. 16. Gregor.

An diabolus sit immissor malarum cogitationum? §.2.

¶ Secundo quæritur, si diabolus est immissor malarũ cogitationum. Quod videtur. *Venerunt latrones,* &c. latrones maligni spiritus sunt, qui viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter aduersa, quæ exterius tolerantur, cogitationes prauas immittere non desistunt.

Iob.19.

¶ Item, Augustinus. *Quomodo intrat in cor diabolus, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum.* Ex quo accipitur, quod diabolus immittit cogitationes malas.

Aug. in lib. de cõsensu Euangel.

¶ Contra, super illud Actuum. 5. *Cur tentauit satanas:* Gloss. *impleuit satanas cor auaritia, non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo.* Ex quo colligitur, quod dæmones non sunt immissiones malarum cogitationum.

Actuũ. 5. Glos.

¶ Item, super illud. *Ab intus de corde hominum malæ cogitationes procedunt.* Beda. *Arguuntur ex hac sententia, qui cogitationes à diabolo immitti putant; non ex propria nasci voluntate.* Ex quo accipitur, quod diabolus non est immissor malarum cogitationum.

Marci 7. Beda.

¶ Præterea, intellectus humanus non habet dependentiam ab intellectu angelico; nec econuerso: cum vterq; immediate creatus sit à Deo. Ergo non est ipsius angeli pro voluntate sua immittere cogitationes ipsi homini, cum æqualiter sint lib. arb. liberum vero arb. est cogitare, vel non cogitare bonum vel malum.

RESOLVTIO.

Est, sed improprie.

¶ Ad quod dicendum: quod diabolus non est proprie immissor malarum cogitationum. Immittere tamẽ dicitur dupliciter: vno modo disponere ad hoc quod fiat: alio vero modo facere. Secundũ quod immittere est disponere quasi ab extrinseco, secundum hunc modum inueniuntur Sancti, qui dicunt, quod diabolus immittit cogitationes: offert enim animæ similitudinem: in ipsa vero anima est, quod prosequatur, vel fugiat ipsum oblatũ. Non aũt dicitur immissor cogitationum, id est, factor: quod enim sint cogitationes malæ inquantũ malæ, est ab ipso homine: quod aũt cogitationes, à Deo. Et per hãc distinctionem possunt solui ea, quæ obijciuntur.

¶ Illud enim quod dicit B. Greg. de immissione, intelligitur communiter: prout immittere est disponere ad hoc, quod fiat cogitatio.

¶ Quod autem dicit August. de immissione cogitationis malæ in Iudam: non intelligendum est (sicut ipse exponit) quod non sit prius possessus à diabolo: sed tunc plenius est possessus, quando voluntatem habuit in effectu tradendi Dominum. Et ponit tale exemplum August. sicut de Apostolis, qui prius acceperunt spiritumS. antequam missus esset spiritusS. in Apostolos: vel antequam insufflasset in eos spiritumS. dicens, Accipite SpiritumS. &c. Missio ergo illa in cor Iudæ non fuit missio per essentiam vel substantiam; sed fuit missio per operationem. Dicit ergo Aug. quod *solius Trinitatis est implere substantiam, quam condidit.* Vnde super illud. *Dominus in templo sancto suo* Glo. *potest assidere simulacbru spiritus immundus, sed intrinsecus esse non potest.*

Aug in lib de anima & spiritu. Abac 2. Glossa.

An Diabolus malarum cogitationum incensor sit? §.3.

¶ Tertio quæritur, Vtrum diabolus sit incensor cogitationum. Quod videtur per hoc: quod dicitur. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente, &c.* Per clibanum signatur cor humanum: sicut ergo coquens succẽdit ignem in clibano: ita diabolus ignem cõcupiscentiæ in corde. Ergo diabolus est incentor.

Oseæ 7.

¶ Item, super illud. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est.* Gl. *Diabolus, qui est fornax vitiorum; quotidie nouis concupiscentiarum incendit vstionibus.* Greg. super illud. *Flamma de ore eius egreditur* &c. *quicquid Diabolus per se suggerit, quicquid per prædicatores loquitur, ignis est, quo infructuosa ligna excremantur: igne autem terrena concupiscentia eorum mens tangitur, qui nequaquam pretiosa metalla fieri concupiscunt.*

Threnor. vlt. Iob 41. Gregor.

¶ Contra, ignis concupiscentiæ est penes ipsum hominem: & potestas cogitationũ malarum est penes ipsum: cogitationes autem malæ sunt fomentum illius ignis: ergo ipse homo est incensor malarum cogitationum.

¶ Item, incendere ignem, vel est præbere materiam ipsi igni, vel flatum: diabolus ergo si est incentor, altero illorũ modorum incendit, sed non præbet materiam: cum materia sint ipsa desideria (in ipsis enim desiderijs malis nutritur ignis cõcupiscentiæ) nec facit flatum: flatus enim ex aliqua materia intrinseca accipitur, & ignem feruere facit quasi resistendo: flatus enim potest esse causa extinctionis: si vero resistere potest ignis, causa est augmẽti: suggestio vero diaboli non habet hoc principaliter, vt extinguat ignem concupiscentiæ, sed vt feruere faciat: ergo nõ se habet per modum flatus: ignis enim concupiscentiæ non augetur resistendo suggestioni; sed cedendo ipsi suggestioni.

¶ Item, obijcitur ratione cuiusdam verbi, quod dicit Aug. quod Diabolus est plenus incentiuis vitiorum; quæritur ergo, quid dicantur hæc incentiua vitiorum: nunquid cogitationes malæ, quæ sunt in eo, vel affectiones, vel aliquid aliud, quod motiuum est ad cogitationem malam vel affectionem?

¶ Præterea, si plenus est incentiuis vitiorum, non videtur ei posse superaddi: ergo non potest habere plura incentiua, quam habet.

¶ Sed videtur contrarium: potest enim augmentũ recipere peccatorum: & secundum vnumquodq; peccatũ est aliquod incentiuum: ergo põt habere plura incentiua vitiorum. Præterea, nunquid hõ peccator (vt Antichristus) dicitur plenus incentiuis vitiorũ: aut hoc est proprium diaboli esse plenum incentiuis vitiorum? Item si est plenus incentiuis vitiorum, quomodo est, quod non vsque quaq; incẽdit, vel qualiter cor aliquod ei resistit, quod incẽdi potest?

RESOLVTIO.

Incentor quidem est, autor autem non est.

¶ Ad quod dicendum: quod diabolus dr̃ incentor vitiorum, secundum hoc quod dicit Beda. *Diabolus incentor est malarum cogitationum: autor autem esse nõ potest.* Si enim in insidiis semper positus leuem cogitationum nostrarum scintillam, suis fomitibus inflammauerit: non debemus dicere eum cordis occulta rimari. ¶ Ad illud vero, quod obijcitur in cõtrarium. Dicendum, quod aliter dr̃ ipse homo incendere cogitationem malã: & aliter diabolus. Homo. n. dicitur incendere, vt qui præbet pabulum igni: diabolus vero vt coadiutor: per hoc. n. quod videt nos pronos ad aliqua genera peccatorum, illa delectabilia procurat anteponi, vt ex illis inducatur intellectus ad cogitandũ de illis illicito mõ: & per hũc modum est coadiutor. Nec dr̃ proprie præbere

Beda. Mar. 7.

materiam

materiam ipsi igni concupiscentiæ, vel flatum omnino: sed excitare secundum iam dictum modum interius vel exterius, ad hoc quod cogitationes malæ in effectum inducantur.

Augus. ¶ Ad illud vero, quod obijcitur de hoc, quod dicit August. quod *diabolus est plenus incentiuis vitiorum*. Dicendũ, quod incentiua dicimus motiua ad cogitandum malum, quæ per quandam originem sunt in ipsis dæmonibus, qui pleni sunt cogitationibus, & affectionibus: & intendunt consimilia in alijs generare: & ideo incentiua dicuntur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod ideo plenus dicitur: quia omnia genera suggestionum penes ipsum habẽt originem: ante enim quam suggerat, vult suggerere: & ante voluntatem naturaliter est ipsa cognitio: licet simul sint. Plenus ergo, dicitur, quo ad causalitatem suggestionis in alijs: & plenus dicitur malitia in se, quia nullus est deterior, non quia non possit esse.

¶ Ad tertium dicendum est, quod homo peccator nõ dicitur plenus incentiuis vitiorum, vt Antichristus: licet dicatur plenus malitia. Aliud enim est esse plenum effectu: & aliud plenum esse causalitate. Plenus effectu malitiæ, sic potest dici Antichristus plenus malitia: quia illum diabolus totum possidebit: & dicit Gloss. super illud. *Ostendens se tanquam sit Deus*. Glo. *In Antichristo plenitudo malitiæ habitabit*: Non tamen est ibi plenitudo quoad causalitatem; hoc autem modo dicitur diabolus plenus incentiuis vitiorum.

2. Thess. 2. Glossa.

¶ Ad vltimum dicendum est, quod licet sit plenus incentiuis vitiorum: non tamen habet sufficientem potestatẽ & efficacem incẽdendi omne cor humanum. Sicut enim non omnis materia obediens est igni, si nec omne lib. arb. humanum sequitur incendium diaboli. Vnde dicit Ioan. Damasc. quod *potens est diabolus immissiones facere: in nobis autẽ est ea suscipere, vel non suscipere*.

Dam. li. 2 cap. vlt.

Quomodo diabolus cogitationes malas incendat? §. 4.

¶ Qvarto quæritur, quomodo diabolus incendat cogitationes. Et videtur ex iam dictis, quod incendere nihil aliud est, quam disponere, vel excitare, ad hoc quod ipse intellectus cogitet de malo: sed hæc dispositio intellectus ad cogitandum de malo (secundum quod videtur August. dicere) non est aliud, quã replere quibusdam nebulis meatus intelligentiæ: ergo incendere nihil aliud est, quam obscurare.

Aug in lib. 83. qq.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Manus tuæ fecerunt me, &c.* cum exponitur, qualiter angelus dat intellectum: dicitur enim angelus dare intellectum, ad modum illum, quo quis dicitur dare lumen, quando aperit fenestram. Ergo per oppositum angelus malus dicitur auferre intellectum, obscurando meatus intelligentiæ.

Psal. 118.

¶ Sed secundum hoc posset quæri, quare potius diceretur tũc incentor, quam obscurator: obscurare enim est dare impedimentum luminis: incendere vero dare fomentũ ardoris, per hoc, quod dicit Beda. *Cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammat*: ergo habet fomenta, per quæ potest inflammare. Potest ergo quæri, quæ sint ista fomenta, & qualiter adijciantur ad hoc, vt fiat incendium cogitationum malarum. Videtur autem quod hæc fomenta sumantur ex diuersis generibus creaturarum, secundum quod dicit August. *Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilib. pro sua diuersitate diuersis: non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis: quæ cuiusq; delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, carminum, & rituum.* Sed si incendere nihil aliud esset, quam præstare huiusmodi fomentum ex delectabilibus in creaturis; secundum hoc non fieret incendium cogitationum malarum, nisi per præsentiam sensibilium. Cuius contrarium videmus: nam abstractis sensibus, vt in dormiẽtibus, fiunt tentationes. Circa etiam res non tantum sensibiles, sed etiam intelligibiles incendunt dæmones cogitationes malas: non ergo incendium cogitationum malarum est tantum per delectabilia, quæ sunt in rebus sensibilibus, vel per tristabilia eis opposita.

Beda.

August. de ciuit Dei lib. 21. c. 6.

* *
*

RESOLVTIO.

Mouendo, vt eligatur, & per consequens appetatur, quod eligendum non est.

¶ Ad quod dicendum, quod aliud est incendere malam cogitationem: & aliud est obscurare cogitationẽ. Obscurare enim cogitationem est, ne videat quod agendum est vel eligendũ: incendere vero est mouere, vt eligat quod eligendum non est, & per consequens appetat.

¶ Ad illud vero, quod quæritur: quæ sint illæ nebulæ, quibus replet meatus intelligentiæ. Dicendum est, quod nebulæ illæ sunt quædam pœnalitates ex peccato contractæ, ad quod peccatum inclinauit diabolus hominem: & nebulæ istæ relinquuntur tum ex peccato originali, tum ex peccato actuali: & sunt hæ nebulæ quasi mediæ, ne lumen, quod illuminat omnem hominem: mentem nostram illuminet: has tamen nebulas non potest inducere, nisi præcedente consensu lib. arb.

¶ Ad illud vero, quod quærit de fomentis incendij. Dicendum est, quod fomenta incendij trahuntur, tum ex apparentibus delectabilibus, quæ sunt in rebus sensibilibus: tum ex apparentibus * delectabilibus, quæ sunt in rebus intelligibilibus. Ex delectabilibus aut in rebus trahuntur, cum res sensibiles per species suas veniunt ad intellectum: ex intelligibilibus vero per quendam modum occultum, secundum quem dæmones excitare possunt nostrum intellectum, inspirando mentibus virus occultum: sicut dicit August. Quo autem hoc modo fiat, nostrum excedit intellectum.

* Alias delectationibus.

MEMBRVM VIII.

Quæ sint remedia contra tentationes?

Completo Tractatu de differentijs tentationis, & quomodo fiant: octauo quæritur de remedio tentationũ. Et hoc attenditur dupliciter, vel de remedio, quod est contra tentationes: vel de remedio, quod accidit ex tentationibus. Quod enim remedium accidat ex tentationibus, patet per hoc, quod dicitur. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi angelus satanæ, stimulus carnis, qui me colaphizet.* Ergo Apostolo data fuit tentatio ad repressionem elationis. Vnde in Glossa. *Contra capitale vitium datum est mordax epithima, quo timor curaretur.* Et dicit Haymo. quod *tentatione carnis tanquam theriaca fugauit venenum superbiæ: ipsamque tentationem sic disposuit Deus, vt qui elati perire poterant, in humilitatis gradu consistentes à præcipitatu seruentur.* Sed videtur mirabile quod cum Apostolus obtinuerit tãtam gratiam à Domino, vt raptus esset vsq; ad tertium cœlum, qualiter tam grauiter potuit tentatione vrgeri.

2. Cor. 12.

Gloss. Haymo.

RESOLVTIO.

Humilitas, oratio, solicitudo.

¶ Ad quod dicendum videtur per hoc, quod dicit B. Gregorius. *Superna dispensatio carnis nostræ permittit nos impugnationibus concuti, ne nostra mens in superbiam audeat præsumptione securitatis eleuari: vt dum pulsata trepidat, in solo autoris adiutorio spe pedem robustius figat.* Vnde Apostolus, qui ex parte spiritus tantam habuit ex gratia exaltationem: tantam ex parte carnis inuenit humiliationem: vt de viribus suis non confideret, sed de solo Dei adiutorio speraret. Et ideo dictũ est ei à Domino. *Sufficit tibi gratia mea.* Similiter iꝰ giter. *Propter superbiam quasi leænam capiet me. &c.* vbi dicit Grego. *Dum aliquis de virtutibus præsumit, intra dispositio parat et aliquid, quo delectatus corruat: vnde per se non exit; sed cognita infirmitate, quasi vinctum Deus educit. Propter superbiam ergo, qua se extulit lapsus, in humilitate ligatur.*

Greg. li. 9. moral. super Iob. 10.

2. Cor. 12.

Ibid. Iob. 10. Gregor.

¶ Item, est remedium contra tentationem oratio: vnde dicit B. Grego. *Restat, vt à malignis spiritibus mens adusta, ad orationis opem se sine intermissione conuertat, flammam suggestionum eius extinguat quam citius vnda lachrymarum.*

Idem.

¶ Item, vigilia siue solicitudo necessaria est contra tentationem. Vnde dicit B. Gregorius. *Vigilandum semper est, vt mens solicita nunquam relaxetur ab institutione superna: semper contra occultas insidias cautela est prouidenda.* Vnde. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum meum. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudinem. Et. Vniuscuiusque ensis super femur suum*

Idem.

Abac 2. Ierem. 31 Cant. 3.

propter timores nocturnos. Ne ergo occultus timor, id est, occulta & repentina tentatio surrepat, semper necesse est, vt fæmur nostrum superpositus custodiæ ensis premat: sanctus enim vir sic de spe est certus, vt de tentatione semper sit suspectus.

MEMBRVM IX.

An semper diabolus tentet?

Iob 30. Glossa. NONO quæritur, vtrum diabolus tentet semper. Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Qui me comedunt, non dormiunt.* Glo. *Maligni spiritus tanto magis à tentatione quiescere nesciunt, quanto nullo pondere carnis grauantur.* Sed constat, quod nullo pondere carnis grauant: ergo non cessant à tentatione.

Iob. 20. ¶ ITEM, super illud. *Vadent & venient,* &c. maligni spiritus mentibus sunt horribiles: sæpe namq; furore iræ commouent, & cum furor abscesserit, mentem luxuria deuastat: cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio de continentia subrogatur. Ex quo videtur, quod dæmones à tentatione non cessent.

¶ PRÆTEREA, causa tentationis actualis semper est in diabolo: non enim cessat inuidere: inuidere autem est causa tentationis: ergo diabolus non cessat à tentatione.

Iob. 3. Glossa. ¶ CONTRA. Iob. 3. super illud. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Gl. *Alios, quos secure possidet, dormit: sed iis euigilat ad omnem pugnam.*

Lucæ 4. ¶ ITEM, Luc. 4. Antiquus hostis aliquando intermittit tentare: ergo non semper tentat.

RESOLVTIO.

Semper tentare anhelat, sed non semper tentat.

Greg. lib. 3. Moral. ¶ AD quod dicendum est, secundū quod dicit B. Greg. *Licet hostis noster afflictionem iustorum semper appetat, nisi ab autore nostro potestatem acceperit, ad tentationis articulum nullo modo conualescit.* Licet ergo de se prætendat ruinam hominis, non tamen semper tentat hunc vel illum. Cessat enim aliquando tentare bonos, tum quia non est ei concessa potestas: tum quia timet aliquando superari: Vt ergo securiores sint, à tentatione desistit. Respectu vero malorum aliquando cessat à tentatione, ne nimis * facilitati tentationibus, ad pœnitentiam peccatorum prouocentur. *Alias, fatigati.

MEMBRVM X.

An æque semper diabolus tentare appetat?

VLTIMO quæritur, vtrum semper crescat appetitus diaboli ad tentandum, vel etiam aliquando plusquam in alio tempore? Quod videtur. *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad nos habens magnam iram.* Sed quid est vehemens ira, nisi appetitus persequendi humanum genus? ergo magis sæuit ad tentandum nunc, quam prius. Apoc. 12.

¶ ITEM, Haymo. Tanto feruentius tentat, quanto videt multos in locum suum substitui. Ergo feruentius tentabit in fine mundi.

¶ ITEM, peccatum eius crescit, & quanto magis crescit malitia, tanto deterior est voluntas nocendi humano generi: & quanto deterior est voluntas, tanto maior est appetitus nocendi: ergo semper crescit eius appetitus.

¶ Sed videtur contrarium: quanto enim plus aliquis satiatur, tanto minus appetit: sed quanto plures trahit ad infernum, tanto plus satiatur, vel ad satietatem accedit: ergo tanto minus appetit.

RESOLVTIO.

Quinimmo eo semper ad tentandum crescit appetitus: quo magis mundi appropinquat interitus.

¶ AD quod dicendum, quod quanto magis videt appropinquare finem mundi, tanto magis crescit eius appetitus: secundum quod habetur. *Dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur.* Et Prouerb. 30. secundum vnam expositionem, Tria sunt insaturabilia, scilicet auarus, infernus, & os vuluæ: vbi per infernum figuratur diabolus, qui nunquam satiatur. Nec est simile de eo, qui saturatur cibo materiali: in satietate enim cibi materiali positus est terminus: in satietate vero desiderij mali non est positus terminus. Et ideo aliter est in satietate malitiæ desiderij, & satietate appetitus sensibilis: hic enim remittitur appetitus: ibi vero augetur appetitus. Abac. 2. Prouerb. 30.

Obiectio. ¶ Sed adhuc posset obijci, quod minui deberet appetitus tentandi, quantomagis appropinquat ad diem iudicij: quia quanto magis appropinquat ad diem iudicij, tanto nouit determinationem pœnæ sibi imminere pro peccatis, & pro pluribus maiorem pœnam: ergo ex timore pœnæ deberet minui appetitus tentandi: secundum enim crementa appetitus est crementum peccati: Ad quod dicendum: quod timor pœnæ (sicut dicit B. Greg.) non retrahit diabolum à peccato: peccat enim ex præsumptione: & ideo quanto magis appropinquat tempus iudicij, in quo auferetur potestas eius: tanto magis exercebit tyrannidem: credit enim plures suæ potestati subesse, sed spes eius frustrabitur. Gregor.

QVÆSTIO CII.

De demerito Diaboli.

In tria Membra, & nouem Articulos diuisa.

COMPLETO Tractatu de Tentatione diaboli in generali, occasione illius quæritur de eiusdem Demerito. Et quæruntur magnopere tria. Primo, vtrum possit in statu, in quo est, demereri? Secundo, vtrum continue demereatur. Tertio, vtrum omni motu demereatur.

MEMBRVM I.

An diabolus in statu, in quo est, demereri possit?

CIRCA primum sic obijcitur. *Venit nox in qua nulli licet operari.* Gloss. *Infernalis nox, in qua nulli licitum est operari, sed tantum tempus recipiendi.* Sed dæmones sunt in hac nocte: ergo tantum est eis tempus recipiendi, non merendi præmium, vel demerendi: quia non sunt in statu viatoris. Ioan. 9. Glossa.

¶ Item, *Non est opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud inferos, quo tu properas.* Gloss. *Cætera non valebunt post mortem,* &c. Relinquitur ergo ex hoc, quod si boni post mortem non possunt mereri, quod nec mali demereri. Eccl. 9. Glossa.

¶ Item, super illud. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Gl. *Post hanc vitam non est tempus acquirendi nec aliquid redditur, nisi retributio.* Psal. 6. Glossa.

¶ Item, Ioan. Damascen. *Quod hominibus mors est, hoc est angelis casus.* Sed post mortem non est meritum vel demeritum in hominibus: ergo nec similiter in angelis post lapsum: sicut nec hominibus post mortem: quia casus dicit ordinem irregressibilem ad vitam gratiæ: sicut mors in hominibus ad vitam naturæ. Dam. li. 2.

¶ Item. *Ligatis manibus,* &c. ergo dæmonibus est ligata libertas a b. & est sicut in pœna: ergo ante fuit aliquo modo libertas: ergo si modo missi sunt in tenebras, non est eis aliquo modo status merendi vel demerendi. Matt. 2.

¶ Item, si dicas, quod possunt mereri, siue demereri. Hoc non videtur, quia in bonis angelis post confirmationem non est possibilitas ad merendum vlterius vitam æternam: sed possunt mereri quo ad nos. Ergo nec in malis, scilicet dæmonibus per oppositum erit possibilitas ad demerendum visionem Dei siue pœnam: ergo videtur, quod non demereantur.

¶ Contra. *Vt quid venisti ante tempus torquere nos, &c.* ergo in futuro erit tantum tempus tormenti, quod nōdum habent: ergo nunc est eis status meriti pœnæ, siue demerendi. Matth. 8.

¶ Item. *Descendit diabolus ad nos, habens iram magnam; sciens quoniam modicum tempus habet.* Ergo aliquod tempus: & ita tempus habet meriti, in quo non habet pœnam, quam habebit: & sic relinquitur, quod sunt in statu merendi. Apoc. 12.

¶ Item. *Nec habent partem in hoc sæculo.* Gloss. *Et non excludi opinationem, quæ contendit, postquam de hoc sæculo migrauerimus, & offendere posse creaturas rationales, & promereri.* Eccl. 9. Glossa.

RESOLVTIO.

Conueniunt vna omnes, & bonos angelos per custodiam quidquam mereri, & malos per suggestionem demereri.

¶ Respon. In Sententiis duplex tangitur opinio: vtraque concordat in eo, quod dæmones possunt demereri, & angeli boni mereri. Vnde boni per custodiam possunt aliquid mereri, mali per suggestionem demereri.

¶ Sed nota, quod secus est de homine, & de dæmonibus: quia homini determinatur locus, & tempus ad merendum: tempus autem tantum dæmonibus. Et hæc est ratio: homo corporalis creatura est & spiritualis: locus autem determinatur secundum corpus, tempus secundum spiritum: angelo autem quia tantum spiritualis creatura est, determinatur tempus. Vnde dicit August. *Deus mouet spiritualem creaturam per tempus: sed corporalem per tempus & locum*: determinatur igitur tempus merendi angelo.

August.

¶ Sed nota, quod duplex est meritum præmij in nobis: quoddam enim est in visione Dei, quod dicitur aurea: aliud est in gloria de conseruatione subditorum in fide, & bonis moribus: & hoc dicitur aureola. Angeli autem ante lapsum malorum, & confirmationem bonorum, habuerunt tempus merendi præmium visionis Dei, & illius continuationis: vnde vlterius tempus merendi non oportet ponere, quod modo mereantur illud præmium: sed de alio præmio, quod est quasi aureolæ, est tempus merendi vsque ad iudicium: quantum enim durabit meritum in hominibus, durabit & in angelis quo ad custodiam hominum. Similiter in malis angelis e contrario est duplex demeritum: vnum est, quo meruerunt carentiam visionis Dei: aliud in suggestione facta hominibus. Et ratione istius habebunt pœnam in iudicio determinatam: & sicut crescit hoc demeritum, ita maior erit pœna; & pro isto videtur dici in Euangelio, Vt quid venisti ante tempus torquere nos?

¶ Ad obiecta autem sic respondendum est. Ad primum enim concedendum est, quod dæmones sunt in nocte: & ideo non licet eis operari, id est, mereri bonum. Est autem alia nox generalis, quæ veniet post diem iudicij, & tunc remanebit eis status, in quo non poterunt demereri, sed recipere pœnam secundum demeritum.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod loquitur ibi Glo. de hominibus, quibus non est locus demerendi post mortem: sed non est vsquequaque simile de angelis.

¶ Similiter illud, quod dicitur in Psal. In inferno quis confitebitur tibi? Dicitur, quod post hanc vitam non est tempus acquirendi.

¶ Ad illud vero quod dicit Ioan. Damascen. *quod est hominibus mors, &c.* Dicendum est, quod in parte simile est de angelis lapsis & hominibus, in parte non. In hoc enim est simile: quod sicut non est homini post mortem regressus ad vitam naturæ: ita nec diabolo post lapsum ad vitam gratiæ. In hoc autem est dissimile: quod homines post mortẽ nõ possunt demereri: angeli vero post lapsum habent tempus demerendi.

Damasc.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de Gloss. Eccles. 9. Dicendum est: quod illa Gloss. recitat opinionem quorundam, qui dicebant malam voluntatem manere in damnatis, & per eandem demereri. Sed licet mala voluntas permaneat in damnatis, non est tamen principium demerendi.

¶ Sed posset quæri: quare peruersa voluntas reputatur in dæmonibus in demeritum, cum sint damnati: & non reputatur hominibus damnatis ad demeritum? Ad quod respondendum secundum Bernard. dicit enim sic. *Duo iniustam comprobant voluntatem, cum peccare libet, & cum impune peccare libet: Prima peruersitas est in dæmonibus modo, & in malis hominibus, & est in demeritum: secunda erit in futuro post iudicium, cum placebit dæmonibus & hominibus damnatis deformitas peccati, dummodo non esset pœna.* Prima peruersitas est contra iustitiam meritorum; secunda contra iustitiam retributorum. In prima vero, quæ est contra iustitiam meritorum, demerentur: & si secunda peruersitas modo esset, esset eis in demeritum. Sed illa, quæ est contra iustitiam retributionis, tunc cedet eis in pœnam, quia displicet eis pœna quæ infligitur. Ratio autem, quare ista est damnabilis dæmonibus, illa nõ damnatis hominibus; est supra tacta: quia omnino damnatis transit tempus merendi & demerendi, dæmonibus non.

Bern. in li. de libero arbitrio.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur. *Ligatis manibus, &c.* Dicendum est: quod licet modo sint in tenebris mali homines damnati, & de eis proprie dicatur: potest tamẽ ad ipsos dæmones referri post iudicium: quibus tunc omnino erit ligata libertas arbitrij ad demerendum: modo vero ita ligata est, vt non possint mereri.

Matth. 22.

MEMBRVM II.

An diabolus continue peccet, demereaturque vsque ad iudicium?

SECVNDO quæritur, Vtrum diabolus peccet continue, & demereatur vsque ad iudicium? Quod videtur super illud, *Diabolus ab initio peccat*, dicit Gl. *Incipiens peccare, continue peccat vsque in finem.* Ioan. 3. Glossa.

¶ Item. *Nunquid fecerit tecum pactum* Gl. *Iustos semper maleuole tentare appetit.* Sed si semper appetit maleuole, continue peccat: ergo diabolus continue peccat. Iob 40. Glossa.

¶ Item. *Sanguisuga.* Gl. *Sanguisuga est diabolus, qui siti peccandi, & peccata perpetrandi perpetuo ardet.* Prouer. 30. Glossa.

¶ Et super illud. *Effabuntur & loquentur.* Gl. *Publicas & priuatas persuasiones, ne aliquod tempus vacuum sit à culpa.* Psal. 93. Glossa.

¶ Item, super illud. *Semper interficere gentes.* Gl. *totum studium diaboli est, vt semper interficiat.* Interfectio autem ista est per mortale peccatum: ergo totaliter studet diabolus ad hoc, vt homines peccent, & in hoc studio est: ergo semper diabolus peccat. Habac. 1. Glossa.

¶ Item, super illud. *Non minuetur quidquam.* Gl. *Continue vult Diabolus & ministri eius opera mala fieri.* Exod. 5. Glossa.

¶ Contra dicit Holofernes. *Nulli vnquam nocui, qui seruire voluit Nabuchodonos.* Holofernes autem typum gerit alicuius dæmonis. Nabuchonos. vero typum capitis malorũ: & ita aliquando videtur cessare à peccato. Iudith. 10.

¶ Præterea, affectus eius non à simul ad diuersa: sed modo vult vnum, modo vult aliud. Si ergo voluntas eius cadit aliquando super illud, quod bonum est; vt exire de oppressis corporibus; non autem simul est in bonum, & in malum: ergo tunc voluntas eius non est in malum: ergo continue peccat. Similiter, timere Deum, est quidam motus debitus: & (sicut dicitur Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Ergo motus bonus est in eis: sed cum motus bonus est in aliqua vi, non simul est motus malus: ergo non continue (vt videtur) peccat. Iacob. 2.

RESOLVTIO.

Continue, quia continue nocere studet.

¶ Ad quod respondendum: quod continue est in peccato, & in voluntate nocendi alicui, secundum illud. *Qui me comedunt, dormiunt.* Neque est in eis tantum voluntas habitus, sed voluntas actus. Iob. 30.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, in contrarium. Dicendum est, quod cum dicitur. *Nulli nocui*: sensus est, nullum de mea voluntate sensibiliter afflixi, qui propria voluntate cucurrit ad peccatum. Et hoc est, quod dicitur à Gregorio. *Illos pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.* Vnde si grauaret illos tentationibus, propter grauamen tentationum forte confugerent ad pœnitentiam. Iudit. 10. Gregor.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod licet velit aliquid, quod sit de genere bonorum: non vult tamen ex boni intentione: sed ex aliqua intentione nocendi: intentio autem finem operi imponit: vnde motus ille malus dicetur.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod licet timere Deum, sit bonum: diabolus tamen timet illo modo, quo modo timere malum est: timere enim seruiliter, malum est: & hoc modo timet.

Ambros.



MEMBRVM III.

An item & omni suo motu peccet, demereaturq́;?

TERTIO quæritur, vtrum diabolus omni motu suo peccet. Et primo tangitur in genere, deinde specialiter de quibusdam motibus, vt credere, velle, sperare, & huiusmodi. Circa primum de motu in genere, sic objicitur: dicitur super illud. *Quæ est conuentio Christi ad Belial.* Gloss. *Sicut Christus omnia bene egit: ita diabolus omnia male.* Ergo omni motu suo peccat, sicut Christus omni motu suo bene egit.

2. Cor. 6. Glossa.

¶ ITEM, angeli confirmati in bono non possunt nisi bene agere: ergo angeli confirmati in malo, non possunt nisi male agere.

Psal. 73.

¶ ITEM, *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Sed hi sunt dæmones: ergo quolibet motu peccant.

Rom. 14. Glossa.

¶ Item, super illud: *Omne, quod non est ex fide, est peccatum.* Gloss. *Omnis vita infidelium est peccatum.* Sed nullus est ita infidelis sicut diabolus: ergo omnis vita diaboli est peccatum: ergo omni motu suo peccat.

¶ CONTRA. Diabolus ante peccatum naturaliter diligebat se: & adhuc habet eandem naturam: ergo ex ea adhuc se diligit, sed diligere se, est motus, qui non est peccatum: ergo non omnis motus eius est peccatum.

Boet. lib. 3. de consol. prosa 2.

¶ Item, Boetius. *Velle summum bonum inest omni naturæ rationali*: ergo naturæ diaboli: ergo diabolus ex illa natura vult summe bonum, sed velle summe bonum, non est motus malus: ergo non omni motu suo peccat.

Dion in li. de diui. nominib. par. 1. ca. 4. Par. 4. c. 4.

¶ AD idem facit, quod dicit Dionys. de dæmonibus. *Bonum, & optimum concupiscunt esse, & viuere, & intelligere appetentes.* Ergo non omni motu suo demerentur.

1 Reg. 16.

¶ Item aliquando vult diabolus id, quod Deus vult: vt vult hunc hominem damnatū torqueri & diabolus idem vult. Sed Deus non vult aliquem motum culpabilem, licet permittat: ergo cum volendo, quod Deus vult, non peccet: ergo non omni motu suo peccat. Verbi gra. 1. Regum 16. legitur, quod spiritus malus arripiebat Saul: & hoc volebat spiritus malus: & idem volebat Deus in pœnam illius: ergo volebat quod Deus volebat: ergo non illo motu peccabat.

RESOLVTIO.

Exceptis naturæ motibus, in cæteris quibuscunque semper peccat.

¶ AD quod respondendum, quod duplex est motus diaboli: vnus naturæ: alius liber. arb. Si est motus naturæ, non est peccatum. Motus autem lib. arb. est duplex: quidam enim est per potestatem superioris vel virtutem: sicut credere, vel de corpore obsesso exire: quidam vero est ex potentia lib. arb. secundum seipsum. Si est ex ipso lib. arbit. solum, tunc omni motu demeretur. Si vero est per potestatem superioris: aut est cum placentia, eo quod alium finem intendat; sicut est in tentatione: & tunc iterum demeretur, non quia facit quod Deus vult, sed quia ex intentione mala. Si vero est cum murmure, quo ad hoc quod remurmurat, demeretur. Sic ergo potest esse manifestum, quo motu demeretur, & quo motu non.

¶ AD obiectum autem primo sic est respondendum, quod diabolus omnia male egit, secundum quod intelligitur de motu liberi arb.

¶ AD secundum vero similiter est dicendum: sicut n. angeli confirmati in bono, motu lib. arbit. non agunt nisi bonum: ita angeli confirmati in malo, motu lib. arb. non agunt nisi male.

¶ AD tertium dicendum, quod odium illud, quo odiunt dæmones Deum, ex lib. arb. procedit: & hoc est ratione pœnarum, quæ eis infliguntur.

¶ AD quartum vero dicendum, quod vita infidelium dicitur esse peccatum, non quia omnis motus in eis sit peccatum, sed quia dum sunt in infidelitate, semper sunt in peccato, & quodlibet opus eorum mortuum reputatur.

¶ AD obiecta autem in contrariū dicendum est: quod diligere se, est ex motu naturæ: potest tamen esse ex motu libidinis, & tunc est motus lib. arb. & illo demeretur: similiter velle summum bonum est motus naturæ. Si vero sumatur velle à voluntate liberi arb. secundum hoc dæmones volunt summum bonum. Et hoc est, quod dicit Dionys. mali sunt, secundum quod non sunt: & quod non est appetentes, malum appetunt.

Dionys.

¶ Ad illud vero, quod objicitur, aliquando diabolum velle quod Deus vult. Dicendum est, quod licet aliquid idem velit: non tamen ex consimili voluntate, vel intentione: sed quod Deus ex bona voluntate vult, hoc malus angelus ex mala voluntate vult: vtpote Deus voluit tentationem Iob ex bona voluntate: diabolus autem ex mala voluntate voluit. Similiter Deus vult diabolū exire à corpore obsesso, sed quia cum murmure exit, ideo exitus eius est cum peccato. Præterea, exire dicit motum à termino à quo, intrare vero, siue ingredi dicit motum quantum ad terminum in quem. Licet ergo exire ab obsesso corpore ratione termini à quo, non sit peccatum: potest tamen esse peccatum ratione termini in quem. Sicut cum eijciebantur à dæmoniacis, & intrabāt porcos; ingressus in porcos erat libidinosus, & processit ex improba voluntate: vnde peccatum erat ipsis.

¶ Similiter dicendum est, cum spiritus malignus arripuit Saul, intentione peruersa fecit, & cum delectatione pœnæ: vnde licet hoc esset ex iustitia Dei, quod punitetur: tamen quia placuit improbæ voluntati ipsius diaboli, peccatum fuit, prout fuit in diabolo.

ARTICVLVS I.

An credere dæmonum sit bonum moris: & an fides eorundem fides informis sit?

DEINDE potest quæri specialiter de quibusdam motibus diaboli. Et primo de ipso credere, vtrum sit bonum, (& intelligo de bono moris.) Et videtur quod super illud: *Dæmones credunt*, &c. dicit Gloss. *plus est credere diaboli, quam sit tuum credere ô Christiane: qui credis Deum, & non times.* Ergo si credere hominis habentis fidem informem est bonum, credere diaboli est bonum.

Iacob 2. Glossa.

¶ Item, credere est motus fidei informis, sed motus fidei informis est donum Spiritus sancti: ergo ipsum credere est bonum.

¶ CONTRA. Diabolus velit, nolit, credit, sed quod est inuoluntarium, non est bonum meritorium: ergo credere diaboli non est bonum moris.

August.

¶ Item, de credere, quod est bonum moris, dicit Aug. *Cum cætera possit homo nolens, credere non potest nisi volens.* Et super illud: *Vocemus puellam* Gloss. interlin. *Credere siue fides est ex voluntate, non ex necessitate.* Sed nulla voluntas diaboli est in summam veritatem, ergo credere eius non est bonum moris.

Genes. 24. Glossa.

Glossa sup. Rom. 1.

¶ Præterea, huius gratia quæritur, si dæmones habeāt fidem. Quod videtur: dicitur enim in Gloss. super illud: *Iustus ex fide viuit*: quod fides informis est, quæ est in malis hominibus & dæmonibus.

Ad Titū. 1. Glossa.

¶ Item, *Confitentur se nosse*, &c. Gloss. *Si confitemini verbis & non factis, fides talium morum propriè est dæmoniorum.*

Ad Gala. 1.

¶ Item, *Qui autem non credunt, dæmonibus sunt deteriores.* Ex quibus videtur colligi, quod fides informis sit in dæmonibus.

¶ Sed objicitur in contrarium: quia si fides est in dæmonibus, aut habitus ille datus fuit ante peccatum, aut post peccatum. Ante peccatum non videtur: quia Adam in primo statu innocentiæ dicitur habere quandam visionem aliam, quam quæ est ænigmatica: sed visio fidei est ænigmatica: ergo angeli ante peccatum non habuerunt cognitionem fidei, post peccatum vero non habuerunt fidem: habitus enim fidei est ex gratia: nullus autem reportat gratiam ex peccato: ergo per peccatum non habuerunt angeli cadentes fidem informem.

¶ Præterea, peccatum vulnerat naturalia, & spoliat gratuita: sed de gratuitis est fides: ergo si fuit fides in angelis ante lapsum, post peccatum sunt spoliati.

RESOLVTIO.

Credere dæmonum, bonum quidem est in genere, non autem meritorium: sic & in eisdem fides informis est: at vero prout habitus cognitiuus est, nunquam tamen formabilis.

¶ Ad quod respondendum, quod credere prout est in diabolo, bonum in genere dicit, sed non dicit bonum meritorium. Nec sequitur ex hoc, si est motus fidei informis, quod sit meritorius: deest n. forma, scil. charitas, per quam motus est meritorius.

¶ Quod autem obijcitur de credere, quod non potest fieri nisi à voluntate. Dicendum, quod loquitur ibi de credere, prout est à fide virtute: credere enim aliquando accipitur pro cognoscere veritatem, & hoc modo potest aliquis credere nolens. Secundum autem quod credere dicit assentire, & assentiendo tendere in summam veritatem; secundum hunc modum non est credere nisi ex voluntate: hoc autem modo non credebant dæmones, vnde dicit Glos. Iacob. 2. & Luc. 4. *Extorta confessio est, quod diabolus confitetur illum hominem esse filium Dei.* Glossa sup. Iac. 2. & Lucæ 4.

¶ Ad illud vero, quod quæritur, vtrum in dæmonibus sit fides informis? Respondendum est, quod fides informis dicitur multipliciter. Est enim vno modo habitus cognitiuus: alio vero modo motiuus. Motiuus autem potest dici à bono, vel à malo. A bono vero multipliciter, vel peruentiuus, vel non peruentiuus, id est potens peruenire. Primo ergo modo secundum quod fides informis est habitus cognitiuus, qui nunquam potest formari, est in ipsis dæmonibus. Secundo vero modo, inquantum est habitus motiuus à malo pœnæ; est in peccatoribus, qui timent seruiliter pœnam æternam, & per hoc abstinent ab actu peccati, sed non tendunt ad bonum. Tertio vero modo dicitur habitus motiuus ad bonum, sed non peruētiuus in ipsis peccatoribus, qui disponuntur ad bonum. Quarto vero modo dicitur habitus motiuus, & peruentiuus in his, qui disponūtur ad bonum per gratiam gratum facientem: hoc autem assentire est adhærere summæ veritati, & in eam tendere. Ex iam dictis patet quomodo fides informis est in dæmonibus.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod nec habuerunt ante peccatum fidem, nec post peccatum, fidem proprie dictam; secundum quod fide fit visio speculans: sed habuerunt fidem, id est, quandam credulitatem sumptam ex operibus Christi, per quæ opera vehementer opinabantur ipsum esse filium Dei: & hæc fides dicitur esse cognitio quædam acquisita: nec est fides informis quæ potest formari per charitatem, vt ipsa sit virtus.

ARTICVLVS II.

An dæmones velint, Deum non esse?

SECVNDO quæritur: Vtrum velint Deum non esse? Quod videtur per hoc, quod dicit in Psalm. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Sed qui habet alium odio, vellet ipsum non esse: ergo diabolus vellet Deum non esse. Psal. 73.

¶ Item, super illud. *Qui me odit, & patrem meum odit,* Gloss. *Qui volunt esse mali, volunt eam veritatem, qua damnantur, non esse.* Vnde sicut oderunt suam pœnam: ita oderunt veritatem, qua pœna irrogatur, & si oderunt veritatem, oderunt Deum, de quo nata est veritas. Ergo dæmones habent odio Deum. Ioan. 15. Glossa.

¶ Item, Innoc. *Ita desperati sunt à venia, vt in tantum odium eorum crescat, vt vellent Deum omnino non esse.* Innoc in lib. de miseria conditionis humanæ.

¶ Item, videtur quod velint Dei potentiam non esse, per hoc, quod dicitur: *Blasphemauerunt nomen Dei.* Glos. *In inferno positi, quamuis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen quod Deus tantam potentiam habeat, quod sibi pœnas inferat.* Ergo vellent Dei potentiam non esse. Apoc. 16. Glossa.

¶ Item, Alchuinus: *Cur diabolus tam infestus est hominum saluti?* Respondet, *propter odium in creatorem, & inuidiam in hominem ex desperatione sua salutis.* Ergo diabolus habet odio creatorem. Alchuinus super Gen.

¶ CONTRA, August. *Nullus fere conscientia potest Deum odisse.* August. retract. li. 1 cap 19.

¶ PRÆTEREA, Deus est principium omnis esse, & diabolus non habet odio suum esse: ergo nec habet odio illum, per quem est, & in esse tenetur: ergo non habet odio Deum.

RESOLVTIO.

Volunt, at non simpliciter, sed inquantum iustum iudicem.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicit Augustin. in Libr. Retract. Non video fuisse dicendum, quod nullius conscientia potest Deum odisse: multi enim sunt, de quibus scriptum est: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Psal. 73.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: Dicendum est, quod licet natura velit Deum esse, in quantum est principium esse, & cōseruat in esse res: non tamen vult eum esse inquantum iustum iudicem.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod dicitur Iohan. 15. Loquitur enim ibi de veritate iustitiæ, qua infligit pœnā.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de miseria conditionis humanæ. Dicendum est, odium illud dicitur propter irremissibilitatem pœnæ, & desperationem veniæ. Vnde vellent dæmones Deum non esse in ratione iusti iudicis, non in ratione creatoris.

¶ Ad illud vero, quod dicitur in Glos. 16. Apocal. Dicendum est, quod dolere de potentia, est propter pœnæ afflictionem: non quod simpliciter velint potentiam Dei non esse.

¶ Ad illud vero, quod dicit Alchuinus. Dicendum est ex iam dictis, quod illud odium refertur ad pœnam, in qua perpetuo est damnatus, non ad originem esse.

ARTICVLVS III.

An peccare, in peccatoq; esse, diabolo placeat?

DEINDE quæritur: An placeat diabolo peccare. Et videtur, quod non: quia malum corruptiuum est naturæ: natura autem bona est in diabolo: cum ergo corruptio naturæ displiceat naturæ: & natura semper maneat in eo excitans lib. arb. non videtur, quod sibi placeat malitia sua.

¶ CONTRA, in Lib. de Miseria conditionis humanæ. *Superba voluntas eorum, licet careat possibilitatis effectu, non tamen carere potest malignitatis affectu. Et ita placet sibi peccare, vel esse in peccato.* Innoc. in eodem lib.

¶ Item, bonum displicet diabolo: ergo malum per oppositum placet ei: ergo vult esse malus.

¶ CONTRA, dicit Dionys. *Ad malum intendens, nullus agit, quæ agit.* Ergo nullus vult se esse malum. Dionys. de diu. nom. cap. 4.

RESOLVTIO.

Voluntate deliberatiua quadam ratione placet. Voluntate vero naturali non placet.

¶ Ad quod dicendum, duplex est voluntas, sicut dicit Ioan. Damas. Vna, quæ dicitur bulisis, & altera quæ dicitur thelisis. Voluntate ergo naturali, quæ dicitur bulisis, non placet sibi peccare: voluntate vero deliberatiua, quæ dicitur thelisis, placet sibi, ratione delectationis, quę est in peccato: ratione vero priuationis boni non placet ei, & ita vno modo placet, alio modo non. Damasc. θελήσις, & βουλήσις.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet bonum displiceat ei, sicut corrupto palato displicet dulce: non tamen placet malum inquantum malum, secundum quod malum est corruptio boni: placet tamen ei id, quod malum est.

¶ Si vero quæratur, vtrum placeat ei malitia in alio? Dicendum est, quod malitia in alio, quodammodo est ei delectabilis, secundum infectionem lib. arb. sicut in eo, qui * alij inuidet, & ex hoc alterius malum diligit: æstimat enim alterius bonum sibi nociuum, & alterius malum sibi conueniens per consequens. *Alias, aliquando.

ARTICVLVS IV.

An diabolus veniæ, beatitudinisque spem habeat?

DEINDE quæritur: Vtrum diabolus habeat spem. Et videtur quod non: quia certus est de pœna æterna: sicut dicitur in Sacramentalibus Baptismi: Non te latet Satana imminere pœnas tormentorum.

Matth. 7. Marc. 5. ¶ PRÆTEREA, In Euangelio habetur: *Vt quid ante tempus venisti torquere nos?* Ergo non habet spem veniæ, nec spem vitæ æternæ.

Iob. 40. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur. *Spes eius frustrabitur* (& loquitur de die iudicij.) Ergo ante diem iudicij videtur, quod habeat spem.

Isaiæ 16. ¶ PRÆTEREA, super illum locum: *audiuimus superbiam Moab. Maior est arrogantia eius, quam fortitudo eius.*

¶ ITEM, cum præcipitata audacia plus audet, quam possit: vnde diabolus maximè est præsumptuosus: sed nulla maior est præsumptio, quam cum sint demerita, tamen sperare vitam æternam: ergo spes præsumptionis est in ipso.

Gregor. super eundem locū Iob. ¶ PRÆTEREA, dicit Gregor. *De diuina misericordia falsa sibi promissione blanditur.* Ex quo accipitur, quod speret de venia.

¶ PRÆTEREA, nouit quod misericordia Dei est in infinitum excedens culpam suam: sed considerans in infinitum misericordiam Dei excedentem respectu suæ culpæ, ordinatur ad spem veniæ: ergo diabolus potest habere spem veniæ.

RESOLVTIO.

Nullatenus: idque in maius pœnæ suæ augmentum.

¶ AD quod respōdendum: quod spes dicitur multipliciter. Vno modo expectatio futuræ beatitudinis ex meritis* recte prouenieus: & hoc modo nec est spes, nec esse pōt in diabolo. Alio modo spes potest dici expectatio beatitudinis ex sola Dei misericordia, & hoc modo est confidentia in aliquo homine adulto, qui non demeruit. Extenditur autem nomen spei, vt possit dici expectatio beatitudinis, cum sint contraria merita: & hoc modo est in aliquibus peccatoribus. In diabolo autem in augmentum pœnæ tollitur spes secundum omnē differentiam, in quātum spes dicitur respectu beatitudinis.

*Alias, ordinate.

Iob. 40. ¶ Hoc autem, quod dicitur. Iob. 40. *De misericordia Dei, &c.* intelligi potest de illo, ratione membrorum. Vnde sequitur in Gloss. *Quod ad corpus illius referri potest: iniqui enim qui iustitiæ diuinæ districtionem non metuunt, incassum sibi de misericordia blandiuntur.* (Gl. ordin.)

¶ AD secundum vero dicendum: quod licet consideret, diuinam misericordiam in infinitum excellere suam culpam: tamen plus conuertitur consideratio eius ad iustitiam: vt dicat apud se maiorem iniquitatē, quam vt veniam mereatur: vnde non habet spem veniæ: Maxima autem præsumptio, quam habet; est ex eminentia suæ potestatis naturalis: & ideo dicitur: *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur; qui factus est, vt nullum timeret.* (Iob. 41.) Quod autem certus sit de æternitate pœnæ dicit Gregorius: *Quo se æterna tormenta euadere non posse conspicit, eo in exercenda nequitia durior assurgit.* (Gregor.)

Ibid. ¶ Quod autem dicitur ibidem: *Æstimabit abyssum senescentem*: per abyssum intelligitur iudicium: & per *senescere* vero deficere ratione membrorum suorum intelligitur: Vnde dicit Gloss. *Æstimabit abyssum, quasi senescentem: quia reproborum corda sic infatuat, vt suspicionem eis de venturo iudicio, quod quasi finiatur, infundat.* Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quādoq; in suppliciis diuinam animaduersionem putat. (Glossa.)

¶ Quod autem dicitur, spem habere, id est confidentiam: hoc intelligitur respectu magnæ dilationis diei iudicij, & libertatis regnandi in peccatoribus. Quamdiu n. differtur iudicium, confidentiam habet regnandi in peccatoribus: tunc autem auferretur prælatio, & ideo dicitur, quod spes frustrabitur ab eo, id est, confidentia.

ARTICVLVS V.

An diabolus timoris motum habeat?

DEINDE quæritur: Vtrum habeat motum timoris. Quod sic videtur per hoc, quod dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sicut enim ex fide formata gignitur motus timoris filialis: ita ex fide informata gignitur motus timoris seruilis: ergo timor est in diabolo. Iacob. 2.

¶ CONTRA. B. Gregor. super illud: *Qui factus est, vt nullum timeret,* &c. dicit quod nec timet Deum, nec pœnam, quam sustinet. Sed timor seruilis est respectu pœnæ: ergo non habet timorem seruilem: de alio autem timore patet ergo non habet timorem. Greg. sup. Iob. 41.

¶ Præterea, timor seruilis est donum Spiritus sancti: sicut elicitur ex eo quod dicitur: *Non accepistis spiritum seruitutis in timore.* Sed indignus est omni dono: ergo non habet timorem seruilem. Rom. 8.

RESOLVTIO.

Vtique, & in pœnæ suæ augmentum.

¶ AD quod videtur dicendum, quod timor ille est motus quidam, qui prouenit ex credulitate pœnæ, & non procedit ex timore seruili, prout est donum Spiritus sancti. Timor enim seruilis, prout est donum Spiritus sancti, ad hoc videtur esse per se: vt ex cōsideratione pœnæ æternæ resiliat ab actu peccati. Iste autem timor non est ei nisi in augmentum pœnæ: & cognitio siue credulitas præambula non est ad aliud nisi vt sit dispositio ad illam pœnam: imo ipsa cognitio etiam pœnæ est quodammodo ei pœna.

¶ AD illud vero, quod dicit B. Gregor. Dicendum est, quod propter hoc dicitur non timere pœnam; quia non habet effectum, qui pertinet ad timorem pœnæ, scil. cessare à tentatione, vel à peccato.

ARTICVLVS VI.

An dæmones superbient contra Dominum in die iudicij.

DEINDE quæritur: Vtrum angeli mali superbient in die iudicij contra Dominum. Quod videtur: boni enim angeli, ante Deum humiliabuntur in die iudicii, secundum illud. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Per columnas autem cœli intelliguntur sancti angeli: ergo sancti angeli timorem habebunt: ergo multo fortius mali. Iob. 26.

¶ ITEM, *Cum sublatus fuerit, angeli timebunt* (& loquitur de bonis angelis) ergo boni angeli timebunt aduentum iudicis. Et dicit B. Gregor. *quid faciet virgula deserti, quando concutitur cedrus Paradisi?* Et per cedros Paradisi intelliguntur boni angeli: ergo boni angeli timebunt: ergo humiliabuntur: ergo per oppositū mali angeli superbient contra Deum in die iudicij. Iob. 41. Gregor.

¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicitur super illum locum. *Angeli non portant aduersus Deum execrabile iudicium.* Gloss. *Vbi puniuntur iniqui, ibi punientur mali angeli; qui olim superbiebant contra Deum: nec portant, sed abijciunt iudicium superbiendi contra Deum, territi magnitudine pœnarum.* 2. Petri 2. Glossa.

RESOLVTIO.

Superbient habitu, sed non actu.

¶ AD quod dicendum, quod non superbient actu contra Dominum; sicut dicit Gloss.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet boni angeli tunc timeant timore admirationis, siue reuerentiæ, non tamen timebūt timore pœnæ. Illa tamen autoritas, quæ dicitur. Iob. 26. intelligitur de timore ipsorum in præsenti: quæ vero dicitur 41. intelligitur de angelis bonis ratione primi status. Quod patet per hoc, quod dicitur [*territi purgabuntur*] futurum enim ibi accipitur pro præterito: secundum quod B. Gregor. dicit: *Leuiathan ab arce beatitudinis cadente, in ruina eius electi angeli expauerunt: vt cum illum superbia lapsus eijceret, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. Et purgati sunt: quia isto cum reprobis legionibus excunte, electi soli remanserunt: nihilominus tamen timor ille* Gregor.

prehendat? Quod videtur per hoc, quod Psalmista omnia genera tentationum comprehendere intendebat per illa quatuor. Sed videtur contrarium: tentatio enim quæ est per carnalem voluptatem, nulla istarum videtur esse.

¶ Præterea, cum sint quatuor animi perturbationes, secundum quod dicit August. sc. gaudium & dolorem, metum & cupiditatem: secundum vnamquanque autem cótingit fieri tentationem: sicut ergo fit tentatio per timorem, ita contingit fieri tentationem per cupiditatem, & gaudium, & dolorem. Non ergo omnia genera tentationum his quatuor continentur.

Aug. de ciuit. Dei lib. 14. cap. 6.

¶ Ad quod dicendum, quod tentatio quadrimembris secundum alium modum accipitur, quam bimembris, quę fit per verbum asperum & laqueum. Nam quadrimébris, fit secundum modos tẽtationis comparatione ad eum, qui tentatur: bimembris vero fit per instrumenta ex parte tentantis. Nam tentatio, quæ fit per laqueum, designat tentationem, quæ fit per facta: tentatio vero quæ fit per verbũ asperum, designat tentationé quæ fit per verba. Licet enim videtur leue verbum, graue tamen est verbo tentari: facta autem & verba instrumenta sunt tentantis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de cóparatione vnius diuisionis ad aliam. Dicendum est, quod excedentes sunt, & excessa: vtraque vniuersaliter continet omnem tentationem: est enim tentatio, quæ est per facta, aliquando leuis, aliquando grauis: aliquando occulta: aliquando manifesta. Similiter tentatio, quæ est per verba:

¶ Ad illud vero, quod obiicitur consequenter de diuisione tentationum secundum B. Bernardum. Dicédum est, quod secundum aliam rationem assignatur hæc diuisio, & illa. Nam hæc diuisio fit secundum modos tentationis in comparatione ad eum, qui tentatur: sicut dictum est: diuisio vero B. Bern. attenditur secundum motiuam in diuersis virtbus. Nam motiuum in rationabili ad tentationé est scientia: in cócupiscibili est illud, ꝙ concupiscitur: vt apparẽs delectabile mundi, vel carnis, ex parte vero irascibilis terribile est motiuum ad tentationem timoris, honor vero, vel excellentia ad tentationem vanæ gloriationis.

¶ Per iam dicta potest esse manifestum, qualiter respõdendum est ad obiectum: non n. accipitur cupiditas secundum ꝙ appropriatur ad illa, quæ exterios concupiscuntur: sed secundum ꝙ communiter extendit se cócupiscentia ad concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum.

¶ Ad illud vero, quod postea obiicitur: Dicendum est: quod licet secundum vnamquanque perturbationem cõtingat fieri tentationem; & duæ comprehendantur in hac diuisione, sc. quæ est secundum timorem, & cupiditatem: aliæ tamen duæ secundum propriam rationé non ibi comprehenduntur: sed dantur intelligi ex consequenti. Secundum n. aliam rationé accipitur hæc diuisio & illa: illa n. diuisio attenditur secundum differentias bonorũ & malorũ: bonum n. apparens quod mouet, aut est, in præsenti, aut in futuro: bonum apparens in præsenti mouet ad tentationé gaudii, bonum apparens in futuro mouet ad tentationem cupiditatis: econtra malum apparens in præsenti mouet ad tentationem doloris, malum apparens in futuro ad tentationem timoris. Et sic secundum aliam rationem attenditur hæc diuisio, quam attendatur illa, quam ponit B. Ber. Contingit tamen alternatim hanc diuisionem comprehendere genera tentationum & illam.

¶ DEINDE procedendum est ad illam diuisionem tentationis, quam ponit B. Greg. quæ septem membra continet. Primo ergo quæritur, vtrum omnis machinatio diaboli in aliqua illarum intelligatur. Secundo, penes quid accipiatur illa diuisio: & qualiter inter se distinguantur membra prædictæ diuisionis.

Apoc. 12.

¶ Ad primum obiicitur, quod accusatio, de qua dicitur *Proiectus est accusator fratrum, qui accusabat eos die ac nocte &c.* est quædam machinatio siue tentatio: ergo sub aliqua prædictarum continebitur.

¶ Item, est tentatio timoris; & est tentatio amoris: quæritur ergo, sub quibus differentiis contineantur.

¶ Præterea, omnis tentatio diaboli vel est insidiosa, vel violenta: ergo sub duabus primis differentiis omnis tentatio continetur.

¶ Ad quod dicendum, quod accusatio non est species tentationis vel machinationis: sed continet in se generaliter omnes tentationes: accusatio enim diaboli nihil aliud est, quam tentatio*, qua hominem reddit accusabilem, cum consentit.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod duæ tentationes, quæ sunt timoris, & amoris (quæ dicuntur ab Aug. duę portæ mortis) non comprehenduntur sub aliquibus differentiis determinate, sed diuersas differentias circumeunt. Tentatio n. timoris continet illam differentiam, secundum quam minando terret, & secundum q̃ desperando frangit: tentatio vero amoris continet illam, secundum q̃ suadendo blanditur, & secundum quam promittendo decipit.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet omnis tentatio diaboli sit per fraudulentiam vel violentiam: tamen istę duæ differentiæ, opprimendo rapere, & insidiando circũuolare, e diuerso diuiduntur contra alias quatuor. Nam istę duæ videntur referri ad facta diaboli: aliquando enim per facta tentat, aliquando per verba: aliquando per ea quæ intra sunt. Cum autem per facta, aliquando tentat vt draco; & tunc dicitur insidiando circumuolare: aliquando sæuit vt leo; & tunc dicitur sæuiendo opprimere, siue opprimendo rapere: minari vero & suadere ad ipsa verba potest pertinere: desperando vero frangere, vel promittendo decipere ad ipsa desideria, quæ intra sunt. Et secundum hoc duæ primæ differentiæ ab aliis quatuor distinguuntur: licet in quadam generalitate sumptæ possint omnes continere.

¶ Adhuc ad euidentiam prædictæ diuisionis quæri potest, quæ sit differentia inter suadendo blandiri, & promittendo decipere: Videtur enim quod cum suadendo blanditur, quod tunc promittendo decipit: suasio enim fit per promissa: sicut terror fit per comminata. Q6. incidentalis.

¶ Præterea, quidam volunt ponere quatuor primas differentias pertinere ad præcipitationem in peccatum: duas vero vltimas ad profundationem in peccatum: duas vero primas differentias ad tentationem diaboli, quæ est per facta: duas vero consequentes ad tentationem diaboli, quæ est per verba: sicut iam dictum est.

¶ Sed potest obiici in contrarium: sicut enim suadendo blandiri, pertinet ad verba: ita promittendo decipere, pertinet ad verba.

¶ Præterea, allocutio diaboli non est nisi per signa exteriora, secundum quod incendit cogitationes interius: ergo non distinguitur tentatio diaboli per verba, á tentatione diaboli, quæ est per facta & desideria.

¶ Ad obiecta potest sic responderi: prius intellecta ratione diuisionis. Est enim quædam tentatio ex respectu præsentium, vel ex respectu futurorum. Ex respectu vero præsentium duplex fit tentatio: nam illa sunt quæ cogunt, aut quæ seducunt. Si cogunt, tunc in opprimẽdo rapit (oppressio enim est quasi quædam coactio) si vero seducunt, & est quædam fraudulentia: & tunc insidiando circumuolat: quædam enim sunt quæ per se inducunt in peccatum: quædam vero sunt, quæ quadam fraude inducũt. Ex respectu vero futurorum contingit tentatio: est enim considerare futura imminentia & remota. Respectu imminentium contingit fieri duplicem tentationem: vna est respectu malorum imminentium, & hoc modo minando terret: alia est respectu bonorum apparentium: & hoc modo suadendo blanditur. Respectu vero futurorum remotorum similiter fit duplex tentatio: aut per desperationem futurorum bonorum, quæ vere bona sunt: & hoc desperando frangit: aut promissione futurorum bonorum, quæ vere bona non sunt, ac si vera essent: & hoc modo promittendo decipit. Sic ergo ponuntur sex differentiæ tentationis: per quod potest patere, quæ differentia sit inter tentationem, qua suadendo blanditur: & inter illam, qua promittendo decipit: vna enim respicit bona, quæ imminent, & tamen vera non sunt: alia vero bona remota, quæ tamen vera non sunt.

¶ Ad secundum vero dicẽdum est, ꝙ non in hoc distinguunt ista duo secundũ hunc modum ꝙ vna dr̃ia respiciat verba, & alia ea desideria: sed vtraq; differétia põt esse circa desiderata: quæ tamé differũt sicut iam dictũ est. Vnde nec

suasio,

suasio, nec promissio ad verba exteriora videntur referri: sed ad verba interiora, quibus malignus spiritus loquitur animæ peccatrici, siue infirmæ.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod secunda differentia non in hoc distinguitur à prima secundum modum diuidendi: quod primus binarius tentationis pertineat ad facta, secundus ad verba: vtroque enim modo loquitur diabolus vel exteriori tentatione, vel interiori ipsi animæ peccatrici.

Gregor. ¶ Deinde quæritur de illa diuisione tentationis, quam facit B. Greg. quod alia est per vitia, alia per flagella. Potest enim quæri, quę ratio intendatur in hac diuisione? Videtur enim quod tentatio, quæ est per flagella, ducat ad vitia: & ita vitium sit terminus tentationis, non instrumentum tentandi.

¶ Respon. Diuisio illa accipitur penes hoc, quod quædam tentatio est per tristia, quædam vero per delectabilia: Tentatio, quæ est per flagella, est per tristia: tentatio vero per vitia, est tentatio per delectabilia. Et ita vitium non sumitur ibi formaliter: sed materialiter, siue causaliter se. per ipsa delectabilia, quæ alliciunt ad vitia. Vel aliter potest distingui, vt tentatio quæ est per flagella, attendatur per mala pœnæ: tentatio vero, quæ est per vitia, quantum ad mala culpæ. Potest enim homo per mala pœnæ cadere in peccatum, cum non sustinet, prout oportet: potest iterum cadere in peccatum per mala culpæ, cum non cauet, prout oportet.

Bernard. ¶ Vltimo quæritur de diuisione tentationis septimẽbri, quam ponit B. Bern. Videtur enim quod subita, & occulta sit eadem tentatio: nam subita est, quæ iudicium rationis præuenit: occulta, quæ deliberationem rationis subterfugit. Sed illa, quæ subita est, deliberationem rationis subterfugit: ergo subita est occulta.

¶ Item, illa, quæ perplexa est, ratione perplexitatis animum in dubitationem ducit: ergo illa est dubia, & perplexa simul: ergo dubia & perplexa non differunt inter se.

¶ Similiter importuna videtur esse idem quod violenta: importuna enim est, quæ procaciter insistit: sed illa, quæ procaciter insistit, est quæ vires mentis transcendit: ergo videtur esse violenta.

¶ Ad quod dicendum, præmissa quadam ratione diuisionis. Est enim quædam tentatio ex parte cognitionis in se: & quo ad hoc accipiuntur duæ primæ differentiæ. Est alia tentatio, quæ respicit rationem, quæ deliberare debet de eligendo: & penes hoc accipiuntur duæ differentiæ sequentes. Est tertia tentatio, quæ respicit affectionem siue voluntatem proximo: & quantum ad hoc sumuntur hæ duæ differentiæ; alia violenta, alia importuna. Est quarta tentatio, quæ respicit operationem: & quantum ad hoc dicitur perplexa, quando ignoratur quid agendum est propter vtriusque partis perplexitatem. Primæ ergo duæ differentiæ sc. importuna & dubia, respiciunt cogitationem: aliquando enim inuoluitur animus in dubitatione, aliquando vrgetur: & secundum hoc aliquando est dubia, aliquando importuna. Similiter penes rationem, cuius est deliberare, sumuntur duæ differentiæ: aut enim non potest ratio plene deliberare propter ipsius rei occultationem: aut propter ipsius temporis improuisionem. Si propter temporis improuisionem, dicitur subita: si propter rei absconsionem, dicitur occulta. Similiter ex parte affectionis sumũtur duæ differentiæ: nam aut per quandam violentiam dicitur ad consensum, aut per quandam dolosam machinationem. Primo modo dicitur violenta: secundo modo fraudulenta. Perplexa vero dicitur, cum alterum malorum illorum necesse est fieri, sed propter rationes nescitur, quod minus malum sit. Ex iam dictis patet, quod tentatio subita & occulta non sunt eadem tentatio: nam tentatio occulta dicitur propter rei absconsionem, quæ subterfugit rationem deliberationis: subita vero dicitur propter improuisionem.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod dubia & perplexa inter se differunt: dubia enim dicitur, cum non habetur ratio, quæ determinet: perplexa vero, cum est quasi quædam paritas rationum hinc inde, vt ignoretur quid magis fiendum sit, vel vitandum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod differt importuna à violenta: importuna enim dicitur, quæ grauat; sed tamen infra vires animi est: violenta vero super vires animi.

MEMBRVM VII.

Quomodo vnaquæque tentatio fiat.

Assignatis differentiis tẽtationis secundum modos differentes: consequenter quærendum est, quomodo fiat tentatio exterior, quæ est ab hoste: & quomodo fiat interior, quæ est à carne: quomodo etiam fiat interior, quæ est ab hoste. De his enim differentiis hic agendum est principaliter: sicut autem habetur in Lib. Sen. *tentatio exterior est, quando extrinsecus malum suggeritur verbo, vel signo aliquo, vt ille sic ad consensum peccati declinet.* Magist.

ARTICVLVS I.

Qualiter diabolus tentet tentatione exteriori?

Quærendum est ergo, qualiter aduersarius tentet tentatione exteriori. Nunquid noua signa facit? vel signis iam existentibus aliter vtitur, quam eorum natura exigat? aut aliter immutat sensum, quam requirat immutatio naturalis? Nunquid immiscet se rebus sensibilibus, aut ipsis sensibus; vt ex eis eliciatur tentatio? Nunquid indifferenter tentat secundum quemlibet sensum: aut magis secundum vnum, quam secundum alium?

An diabolus noua signa faciat, cum homines tentat? §. 1.

¶ Ad primum sic obiicitur per hoc, quod dicit August. *Serpit hoc malum per omnes auditus sensuales, dat sese figuris, accommodat colorib. odoribus se subiicit, infundit saporibus.* Ex quo accipitur, quod non noua signa facit: sed signis factis vtitur ad explendam tentationem. Sed si vtitur signis iam factis, quomodo dicitur se accommodare coloribus, infundere saporibus; nunquid aliquam facit in eis immutationem, quæ non est in eis secundum suam naturam. Quod non videtur? circumscripto enim diabolo per intellectum, nihilominus ex immutatione colorum, vel odorum, vel saporũ posset inclinari homo ad idem peccatum, ad quod modo inclinatur: ergo non videtur ipse tentator in hac parte operari. Si vero aliud operatur id, quod sensibile habuit ex sua natura: secundum hoc quærendum est, quid sit illud? Aug. in lib. 83. qq.

¶ Item, dicit B. Greg. *Intuetur inimicus humani generis vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui: & illud opponit ante faciem, ad quod cognoscit facilius inclinari mentem; vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriam vel vanam gloriam, asperis autem mentibus iram superbiam vel crudelitatem proponit.* Et post dicit generaliter ibi. *Decipulam, & periculum ibi infert deceptionis, vbi viam esse cognouit propinquam cogitationis.* Potest ergo quæri, quid est, diabolum ponere ante faciem: nunquid rem sensibilem, quæ est in vno loco, transfert ad alium locum, vt videatur? Quod non, videtur: cum non videamus variationem fieri in rebus sensibilibus, nisi secundum quod exigit earum dispositio naturalis. Greg lib. 4 moral. Idem.

RESOLVTIO.

Non per noua, sed per iam inuenta signa, per ipsamet (videlicet) res sensibiles, vti per instrumenta tentat diabolus homines.

¶ Ad quod videtur dicendum, quod tentator vtitur rebus sensibilibus tanquam instrumentis ad tentãdum. Nec oportet, quod noua signa faciat: sed signis inuentis vtatur: licet posse habeat quædam signa faciendi.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur de verbo Aug. Dicendum est, quod dare se figuris, & accommodare se coloribus, non est aliud, quam ex his illicitam delectationem prouocare. Est enim quædam delectatio naturalis in rebus sensibilibus, & illa bona est. Est alia illicita, quæ excedit naturalem, cum delectatur plus quam oportet, vel quando non oportet, vel quo fine non oportet: & ita de aliis circumstantiis. Aug. in lib. 83. qq.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per verbum B. Gregor. vbi dicit: *quod illud ponit ante faciem, ad quod cognoscit facilius inclinari, &c.* facies potest dici ibi vel facies inte- Gregor.

rior, coram qua ponitur aliquid, cum sit conuersio super illam mediante similitudine sua: vel facies dicitur facies exterior, coram qua ponitur, cum sensibile coram sensu ponitur, vt ad illicitum trahatur: Præsumitur autem, quod isti colores sophistici, qui sunt in faciebus mulierum, vel capillis, fiat instinctu diaboli: similiter istæ sophisticationes odorum, & confectiones saporum, quæ veniunt ex maiori studio, quam necesse sit, non propter humanam necessitatem, sed ad promouendam voluptatem. Similiter contingit in istis ioculationibus virorum, vel mulierum: in melodiis etiam ad lasciuiam prouocantibus: insuper rincturis vestium, & frequentibus balneationibus: vbi non requirit necessitas, sed magis expetit voluptas. Similiter in cantilenis mulierum, ad lasciuiam prouocantibus, in choreis, & huiusmodi.

An diabolus humanis sensibus vniatur, vt tentet? §. 2.

Aug. in lib. 83. qq. ¶ Deinde obiicitur ratione illius, quod dicit Aug. *Agite miseri mortales, ne vnquam polluat hoc domicilium malignus spiritus; ne sensibus immixtus infici et animæ sanctitatem.* Videtur enim ex hoc, quod spiritus malignus possit vniri in sensibus nostris, vel inesse eis.

Actuum 5. ¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur secundum aliam translationem, vbi nos habemus. *Cur tentauit satanas cor tuum?* alia translatio dicit. *Quare impleuit satanas cor tuum.* Sed si implet cor, multo fortius potest implere sensum.

Abac. 2. Glossa. ¶ Quod autem non possit immisceri sensibus nostris, vel esse in eis, potest argui per hoc, quod dicitur super illud. *Dominus in templo sancto suo.* Glo. *Potest assidere simulachris spiritus immundus: sed esse non potest intrinsecus.* Si ergo intrinsecus non potest esse in corporibus, multo fortius non potest intrinsecus esse in ipsis sensibus, qui animales sunt.

Beda sup. Actuum 5. ¶ Item, Beda super illud. *Cur tentauit satanas, &c. implet satanas cor alicuius, non ingrediens sensum eius, neque introiens aditum cordis: siquidem potestas hæc solius Dei est.* Ergo malignus spiritus non ingreditur sensus nostros.

RESOLVTIO.

Vnitur, verum non per essentiam, sed per effectum operationis.

¶ Ad quod dicendum, quod non potest malignus spiritus inesse nostris sensibus per essentiam: nec vniri per essentiam: vel implere essentialiter. Sed dicitur implere per effectum * operationis, quando tentatio per sensus ingreditur ad animam: secundum quod dicitur. *Ingressa est mors per fenestras.*

* Alias tentationis.

Hierem. 9.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur in contrarium: Dicendum est, quod illud immisceri, de quo dicit Aug. non est sic fieri vnum, quemadmodum est in miscibilibus: sed dicitur quædam conuenientia in actu, sicut agens & instrumentum dicuntur esse vnum in operatione: ita diabolus, cum per sensus nostros tentat, vnum: vnde dicitur esse, vel immisceri sensibus propter effectum tentationis, in quo conueniunt.

¶ Ad aliud vero dicendum est, quod satanas dicitur implere cor tantummodo per operationem, & voluntatis instinctum, intus non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. Et hoc modo potest dici de sensibus: quia virus tentationis per sensus inserit.

An diabolus indifferenter secundum quemlibet sensum tentet? §. 3.

¶ Deinde quæritur, vtrum indifferenter tentet, secundum quemlibet sensum. Quod non, videtur: magis enim videtur tentare secundum tactum, & non secundum quemcunque: sed secundum illum, qui est copulatio carnalis: & iterum secundum quod gustus est quidam tactus. In his duobus maxime tentatur homo, de gula scilicet & luxuria: de gula sicut tentauit primos parentes: de luxuria sicut tentauit illos, quos inuoluit diluuium.

¶ Sed videtur, quod magis tentet per visum: visus enim ostendit plures differentias, in quibus sunt multæ occasiones peccatorum: ergo plus tentat per visum.

¶ Ad idem etiam facit, quod visus apprehendit de longe: tactus vero non.

RESOLVTIO.

Secundum quemlibet quidem: sed grauius per visum & gustum.

¶ Ad quod potest dici, quod per quemlibet sensum potest tentare, & tentat: grauius vero per tactum, & gustum: quia fortiores sunt impressiones delectationum, & ratione naturæ, & ratione corruptionis inolitæ ex originali peccato: per visum autem fiunt plures tentationes, & pluribus modis: sed non ita fortius est impressio tentationis.

ARTICVLVS II.

Quomodo fiat tentatio interior, quæ est à carne?

Deinde quæritur de tentatione, quæ est ex carne, quæ est vna species tentationis interioris; quomodo fiat. Et primo quæritur, vtrum caro tentet, vel sit tentationis principium. Secundo, quid est illud, quod tentatur: hoc est, secundum quam vim ipsa anima tentatur. Tertio, qualiter progrediatur tentatio. Quarto, vtrum hæc tentatio posset fieri sine peccato.

An caro tentet, tentationisque initium sit? §. 1.

¶ Ad primum sic: circumscribatur operatio ipsius diaboli in præsenti, nihil prohibet tentationem ex carne fieri, postquam caro corrupta est corruptione vitiosa. Non enim omnia peccata diabolo sunt tribuenda, tanquam proximo mouenti. Sed si est aliqua tentatio ex carne, necesse est aliquid esse principium tentationis, non nisi ipsa caro: ergo caro potest esse principium tentationis.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod stimulus est in carne: stimuli autem est stimulare: stimulare autem in hac parte non est aliud, quam tentare: ergo caro ratione stimuli tentat.

¶ Eodem modo potest argui de fomite: fomes enim est in carne: fomes autem est principium peccati, non nisi per tentationem: ergo tentatio originem habet ex carne ratione fomitis.

¶ Hoc etiam arguitur ex ipsa titillatione carnis; ex titillatione enim tentatio carnis originem habet. Vnde Aug. *Quid indicant folia fici, quibus non Deo autore pudenda membra, sed per peccatum facta, texuerunt; nisi quendam pruritum libidinis turpem? ex quo sequitur tentatio.* Aug. in lib. Hypono.

¶ Sed videtur contrarium: caro enim non agit in animam, sed econuerso: tentatio autem actio quædam est in ipsam animam, tanquam passibilem: ergo non est ab ipsa carne.

¶ Item, nihil potest tentare, quod non potest experientiam sumere de re, quam tentat: sed caro non potest experientiam sumere de motu animæ rationalis: ergo caro non potest tentare animam rationalem.

RESOLVTIO.

Adhuc & caro tentat, id est carnalis siue animalis sensus.

¶ Respondendum, cum dicitur tentatio esse ex carne, caro non sumitur ibi tantum pro ipso corpore: sed pro parte sensuali vnita carni: prout dicitur, *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Vnde dicit Aug. loquens de hac tentatione. *Carnalis sensus, vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi se id est, tanquam bono priuato & proprio, non tanquam publico in commune, quod est incommutabile bonum: & tunc velut serpens alloquitur fœminam.* Allocutio autem ista nihil aliud est, quam tentatio ducens ad peccatum, de quo subiungit. Huic illecebræ consentire, est de fructu prohibito manducare. Galat. 5. Aug. in 12. de Trin.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur. Dicendum est quod nihil prohibet tentationem ex carne fieri, circumscripta suggestione diaboli in præsenti: sed non fit tentatio ex carne, nisi præcedente tentatione primorum parentum, quæ facta est ab hoste.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod caro non potest in animam agere. Respondendum est, quod caro, id est carnalis sensus siue concupiscentia potest stimulare animam secundum partem rationis inferiorem, licet ipsa sit inferior: Inferius enim potest tentare superius; si forte inclinetur ad ipsum: sed non potest inducere ad tentationem. Inductio enim in

tentationem, non fit fine consensu: consensus autem rationis est. Sic ergo potest inferius tentare superius, id est, tentationis initium dare.

¶ Ad sequens dicendum est, quod in carne sic dicta, id est, in carnali sensu est experientia, vtrum sibi consentiat ratio, vel non: sed non in ipsa carne, prout caro sumitur pro corpore. Vel dicendum, quod ad tentationem non necessario requiritur experientia: sed sufficit impulsio: & hoc conuenit carni.

A carne tentari, cuius proprie sit, rationis, an sensualitatis? §.2.

¶ Deinde quæritur, cui proprie conuenit tentari hac tentatione, an inferiori parti rationis, an superiori, an alicui alteri, vt pote sensualitati?

¶ Quod autem conueniat sensualitati, videtur: tentatio enim est tum de veniali peccato, cum de mortali: motus aũt primus videtur esse in sensualitate: ergo de hoc potest esse tentatio: sensualitatis ergo videbitur ex hac parte tentari.

¶ Contra, tentationem esse ex carne, non est aliud, quam mediante sensualitate: ipsa autem sensualitas non seipsam tentat: ergo non est ipsius sensualitatis tentari.

¶ Item, superior pars rationis sic se habet, sicut vir: vir autem non tentatur per serpentem immediate: ergo nec superior pars rationis potest immediate tentari à sensualitate.

¶ Contra, potuit Adam immediate tentari diabolo, non mediante muliere, licet aliter tentatus fuit: ergo pari ratione superior pars rationis, cum se habeat per modum viri, potuit tentari immediate à sensualitate.

¶ Præterea, inferior pars rationis immediate coniunctus est sensualitati: ergo potest tentari ab ea. Quæritur ergo, vtrum possit tentari tam ratione venialis peccati, quam mortalis.

RESOLVTIO.

Rationis, & secundum vtranque sui partem.

¶ Ad quod dicendum, quod rationis est tentari tentatione, quæ est ex carne siue lib. arb. & non sensualitatis. Est autem rationis tentari secundum vnamquamque eius differentiam, secundum inferiorem, scilicet partem, & superiorem.

¶ Ad obiectum in contrarium dicendum, quod nõ ad omne veniale peccatum est tentatio, hoc supposito quod primus motus sit in sensualitate: si vero sit inferiori parte rationis, tunc potest esse tentatio respectu ipsius. Sed credibilius est, quod ad primum motum non sit tentatio: sed cum primo motu est tentatio: est enim quasi quædam necessitas ad hoc, quod surgat primus motus: ibi autem non proprie dicitur tentatio.

¶ Ad sequens vero dicendum, quod aliter est de superiori parte rationis, quantum ad nostrum interiorem hominem quantum ad * aliquid; quam fuit in primis parentibus. Potuit enim Adam immediate tentari à diabolo: sed superior pars rationis in nobis non potest tentari à carnali sensu, nisi mediante inferiori parte rationis: & ideo quo ad hoc ponit similitudinem August. in tentatione nostri interioris hominis respectu illius tentationis, quæ fuit in primis parentibus. Si ergo dicatur superior pars rationis tentari à carnali sensu: hoc est mediate, secundum quod tres ponuntur gradus in tentatione, suggestio, delectatio, consensus: vt suggestio sit in sensuali parte, delectatio in inferiori parte rationis, cõsensus in superiori secundum quandam proprietatem.

*Alias, quid.

An per concupiscentiam tantum, vel etiam per iram fiat carnis tentatio. §. 3.

Quæstio lateralis.

¶ Deinde quæritur quomodo fiat tentatio à carne vtrum fiat tantum per concupiscentiam, aut etiam per irã? Et videtur quod per vtrunque: ex vtraque enim parte mouetur pars sensualis, secundum concupiscentiam respectu apparentis boni, secundum iram respectu apparentis mali.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod medius gradus tentationis est delectatio: ergo suggestio, in quo est primus gradus, suggestio est delectationis: & ita eius, cuius est concupiscentia, non cuius est ira. Eodem modo consummatio tentationis est in consensu: iræ vero cõsummatio est in dissensu: ergo non fit vtroque modo tentatio, quæ est ex carne.

¶ Præterea, sicut in exteriori tentatione diabolus per serpentem allocutus est Euam: ita in interiori alloquitur inferiorem partem rationis. Sed quid per istam allocutionem designatur? allocutio enim ista non est aliud, quam tentatio: tentatio vero per aliquid fit, quod videtur esse delectabile tentato: aliud autem est delectabile secundum effectum, & aliud secundum rationem: ergo non videtur cõueniens tentatio per delectabile secundum sensum.

RESOLVTIO.

Interdum per hanc, interdum per illam.

¶ Ad quod dicendum, quod in hac tentatione aliquando tentatur ratio per concupiscentiam, aliquando per irã, secundum quod proprie dicuntur: aliquando vero fit tentatio per concupiscentiam tantum, vt concupiscentia sit generale ad vtrumque.

¶ Cum ergo dicitur, quod medius est gradus in tentatione delectatio: intelligendum est de delectatione generaliter, & non specialiter. Similiter de consensu intelligitur communiter ad consensum & dissensum: secundum quod consensus est displicentia dissensus.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet aliud sit delectabile secundum sensum, aliud secundum rationem: nihilominus tamen quia idem potest esse delectabile secundum sensum, & secundum rationem non rectam: ideo contingit tentationem rationis circa huiusmodi delectabile, vt ratio non recta quiescat delectabili, vt nunc, quod est delectabile secundum sensum.

An carnis tentatio sine peccato fieri possit? §. 4.

¶ Qvarto quæritur, Vtrum tentatio ex carne fiat sine peccato: Quod videtur: si enim tentationes aliæ possunt fieri sine peccato: cõsimili ratione hæc tentatio poterit fieri sine peccato. Quæstio lateral.

¶ Præterea, Apostolus tentatus fuit tentatione hac: & fuit hæc tentatio ad probationem: non ergo congruit eam esse cum peccato.

¶ Contra. Dicitur. *Datus est mihi stimulus carnis meæ.* 1. Cor. 12.
Glo. tentatio, quæ est à carne, est veniale peccatum: actu autem venialis peccati nullus probatur ad bonum: tentatione ergo, quæ est à carne, nullus probatur ad bonum.

RESOLVTIO.

Nequaquam.

¶ Ad quod dicendum, quod non est simile de hac tentatione & de alijs. Nam aliæ duæ sunt ex parte virtutis cognitiuæ: hæc autem est ex parte virtutis motiuæ, in qua est peccatum ratione affectionis.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod licet Apostolus tentatus esset ad probationem, nihilominus potuit ibi esse veniale peccatum: probatur enim homo, cum subotitur veniale peccatum, & non deducitur ad consensum mortalis peccati.

ARTICVLVS III.

De tentatione interiore, quæ fit ab hoste.

Consequenter dicendum est de tentatione interiori, quæ fit ab hoste. Et primo quærendum est de tentatione, quæ fit in virtute phantastica, siue imaginatiua. Secundo de tentatione interiori, quæ fit circa intellectiuam. Primo autem ostẽditur, quod tentatio fit per partem imaginatiuam. Secundo quæritur, quo modo fit illa tentatio. Tertio, vtrum illa sit cum peccato, vel sine peccato. Quarto, vtrum hæc tentatio in nõ cadentibus sit ad profectum.

An per vim imaginatiuam fiat à dæmone tentatio? §. 1.

Quæstio lateral. Gregor.

¶ Quod autem tentatio fiat secundum partem imaginatiuam, sic ostenditur: super illud Iob. 18. *Absconditus est in terra pedica eius.* Gregorius *Intuetur hostis mores cuiusque, cui vitio sint propinqui: & illa ponit ante faciem, ad quæ facilius nouerit inclinari: vt blandis ac lætis moribus luxuriam, asperis autem mentibus superbiam, iram, & huiusmodi: ibi ergo*

An omnes cogitationes malæ instinctu diaboli excitentur? §. 1.

¶ CIRCA primum sic proceditur: videtur, quod omnes cogitationes malæ instinctu diaboli excitentur. Diabolus enim nunquam cessat à tentatione, secundum illud. *Qui me comedunt, non dormiunt: & in multitudine horum consumitur vestimentum meum.* Gregorius. *Maligni spiritus, qui carnales de ecclesia consumunt, tanto magis quiescere à tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere grauantur.* Si ergo nunquam cessant à tentatione, nunquam cessant ab instinctu malarum cogitationum.

Iob. 13. Gregor.

¶ Contra, dicitur in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus. *Non omnes nostræ cogitationes malæ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquotiens ex nostri arbitrij motu emergunt.*

Lib. de ecclesiasticis Dogmat.

¶ ITEM, potestatem habet homo etiam si non tentetur, cadendi in peccatum: sed casus in peccatum ex cogitationibus malis originem habet: ergo non omnes cogitationes malæ instinctu diaboli efficiuntur.

RESOLVTIO.

Non omnes, sed quamplures ex nostri arbitrij motu emergunt.

¶ An quod dicendum, quod non omnes cogitationes malæ fiunt instinctu diaboli.

¶ An obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet non cesset diabolus à tentatione, non tamen omnis malæ cogitationis est principium: sed coadiutor est, quantum est de se, ad casum in peccatum: non quia nō possit esse sine eius tentatione peccatum: sed eius tentatione ad peccatum facilius inclinatur. Vnde Gregorius. *Conuulnerauit lumbos, &cæt. conuulnerare dicitur, quia quod nobis male suggerit, nos sequentes ex propria voluntate implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus.*

Iob. 16. Gregor.

An diabolus sit immissor malarum cogitationum? §. 2.

¶ SECVNDO quæritur, si diabolus est immissor malarū cogitationum. Quod videtur. *Venerunt latrones,* &c. latrones maligni spiritus sunt, qui viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter aduersa, quæ exterius tolerantur, cogitationes prauas immittere non desistunt.

Iob. 19.

¶ ITEM, Augustinus. *Quomodo intrat in cor diabolus, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum.* Ex quo accipitur, quod diabolus immittit cogitationes malas.

Aug. in lib. de cōsensu Euangel.

¶ CONTRA, super illud Actuum. 5. *Cur tentauit satanas:* Gloss. *impleuit satanas cor auaritia, non intrando, sed malitiæ suæ virus inserendo.* Ex quo colligitur, quod dæmones non sunt immissiones malarum cogitationum.

Actuū. 5. Glos.

¶ ITEM, super illud. *Ab intus de corde hominum malæ cogitationes procedunt.* Beda. *Arguuntur ex hac sententia, qui cogitationes à diabolo immitti putant; non ex propria nasci voluntate.* Ex quo accipitur, quod diabolus non est immissor malarum cogitationum.

Marci 7. Beda.

¶ Præterea, intellectus humanus non habet dependentiam ab intellectu angelico; nec econuerso: cum vterq; immediate creatus sit à Deo. Ergo non est ipsius angeli pro voluntate sua immittere cogitationes ipsi homini, cum æqualiter sint lib. arb. liberum vero arb. est cogitare, vel non cogitare bonum vel malum.

RESOLVTIO.

Est, sed improprie.

¶ An quod dicendum: quod diabolus non est proprie immissor malarum cogitationum. Immittere tamē dicitur dupliciter: vno modo disponere ad hoc quod fiat: alio vero modo facere. Secundū quod immittere est disponere quasi ab extrinseco, secundum hunc modum inueniuntur Sancti, qui dicunt, quod diabolus immittit cogitationes: offert enim animæ similitudinem: in ipsa vero anima est, quod prosequatur, vel fugiat ipsum oblatū. Non aūt dicitur immissor cogitationum, id est, factor: quod enim sint cogitationes malæ inquantū malæ, est ab ipso homine: quod aūt cogitationes, à Deo. Et per hāc distinctionem possunt solui ea, quæ obijciuntur.

¶ illud enim quod dicit B. Greg. de immissione, intelligitur communiter: prout immittere est disponere ad hoc, quod fiat cogitatio.

¶ Quod autem dicit August. de immissione cogitationis malæ in Iudam: non intelligendum est (sicut ipse exponit) quod non sit prius possessus à diabolo: sed tunc plenius est possessus, quando voluntatem habuit in effectu tradendi Dominum. Et ponit tale exemplum August. sicut de Apostolis, qui prius acceperunt spiritumS. antequam missus esset spiritusS. in Apostolos: vel antequam insufflasset in eos spiritumS. dicens, Accipite SpiritumS. &c. Missio ergo illa in cor Iudæ non fuit missio per essentiam vel substantiam; sed fuit missio per operationem. Dicit ergo Aug. quod *solius Trinitatis est implere substantiam, quam condidit.* Vnde super illud. *Dominus in templo sancto suo* Glo. *potest assidere simulachris spiritus immundus, sed intrinsecus esse non potest.*

Aug. in lib de anima & spiritu. Abac. 2. Glossa.

An Diabolus malarum cogitationum incensor sit? §. 3.

¶ TERTIO quæritur, Vtrum diabolus sit incensor cogitationum. Quod videtur per hoc: quod dicitur. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente, &c.* Per clibanum signatur cor humanum: sicut ergo coquens succēdit ignem in clibano: ita diabolus ignem cōcupiscentiæ in corde. Ergo diabolus est incentor.

Oseæ 7.

¶ ITEM, super illud. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est.* Gl. *Diabolus, qui est fornax vitiorum; quotidie nouis concupiscentiarum incendit vstionibus.* Greg. super illud. *Flamma de ore eius egreditur* &c. *quicquid Diabolus per se suggerit, quicquid per prædicatores loquitur, ignis est, quo infructuosa ligna excremantur: igne autem terrenæ concupiscentiæ eorum mens tangitur, qui nequaquam pretiosa metalla fieri concupiscunt.*

Threnor. vlt. Iob 41. Gregor.

¶ CONTRA, ignis concupiscentiæ est penes ipsum hominem: & potestas cogitationū malarum est penes ipsum: cogitationes autem malæ sunt fomentum illius ignis: ergo ipse homo est incensor malarum cogitationum.

¶ ITEM, incendere ignem, vel est præbere materiam ipsi igni, vel flatum: diabolus ergo si est incentor, altero illorū modorum incendit, sed non præbet materiam: cum materia sint ipsa desideria (in ipsis enim desiderijs malis nutritur ignis cōcupiscentiæ) nec facit flatum: flatus enim ex aliqua materia intrinseca accipitur, & ignem feruere facit quasi resistendo: flatus enim potest esse causa extinctionis: si vero resistere potest ignis, causa est augmēti: suggestio vero diaboli non habet hoc principaliter, vt extinguat ignem concupiscentiæ, sed vt feruere faciat: ergo nō se habet per modum flatus: ignis enim concupiscentiæ non augetur resistendo suggestioni; sed cedendo ipsi suggestioni.

¶ ITEM, obijcitur ratione cuiusdam verbi, quod dicit Aug. quod Diabolus est plenus incentiuis vitiorum; quæritur ergo, quid dicantur hæc incentiua vitiorum: nunquid cogitationes malæ, quæ sunt in eo, vel affectiones, vel aliquid aliud, quod motiuum est ad cogitationem malam vel affectionem?

¶ Præterea, si plenus est incentiuis vitiorum, non videtur ei posse superaddi: ergo non potest habere plura incentiua, quam habet.

¶ Sed videtur contrarium: potest enim augmentū recipere peccatorum: & secundum vnumquodq; peccatū est aliquod incentiuum: ergo pōt habere plura incentiua vitiorum. Præterea, nunquid hō peccator (vt Antichristus) dicitur plenus incentiuis vitiorū: aut hoc est proprium diaboli esse plenum incentiuis vitiorum? Item si est plenus incentiuis vitiorum, quomodo est, quod non vsque quaq; incēdit, vel qualiter cor aliquod ei resistit, quod incēdi potest?

RESOLVTIO.

Incentor quidem est, autor autem non est.

¶ AD quod dicendum: quod diabolus dr̄ incentor vitiorum, secundum hoc quod dicit Beda. *Diabolus incentor est malarum cogitationum: autor autem esse nō potest.* Si enim in insidijs semper positus leuem cogitationum nostrarum scintillam, suis fomitibus inflammauerit: non debemus dicere eum cordis occulta rimari. ¶ Ad illud vero, quod obijcitur in cōtrarium. Dicendum, quod aliter dr̄ ipse homo incendere cogitationem malā: & aliter diabolus. Homo. n. dicitur incendere, vt qui præbet pabulum igni: diabolus vero vt coadiutor: per hoc. n. quod videt nos pronos ad aliqua genera peccatorum, illa delectabilia procurat anteponi, vt ex illis inducatur intellectus ad cogitandū de illis illicito mō: & per hūc modum est coadiutor. Nec dr̄ proprie præbere

Beda. Mar. 7.

materiam

materiam ipsi igni concupiscentiæ, vel flatum omnino: sed excitare secundum iam dictum modum interius vel exterius, ad hoc quod cogitationes malæ in effectum inducantur.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de hoc, quod dicit Augus. Augus. quod *diabolus est plenus incentiuis vitiorum.* Dicendũ, quod incentiua dicimus motiua ad cogitandum malum, quæ per quandam originem sunt in ipsis dæmonibus, qui pleni sunt cogitationibus, & affectionibus: & intendunt consimilia in alijs generare: & ideo incentiua dicuntur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod ideo plenus dicitur: quia omnia genera suggestionum penes ipsum habẽt originem: ante enim quam suggerat, vult suggerere: & ante voluntatem naturaliter est ipsa cognitio: licet simul sint. Plenus ergo, dicitur, quo ad causalitatem suggestionis in alijs: & plenus dicitur malitia in se, quia nullus est deterior, non quia non possit esse.

¶ Ad tertium dicendum est, quod homo peccator nõ dicitur plenus incentiuis vitiorum, vt Antichristus: licet dicatur plenus malitia. Aliud enim est esse plenum effectu: & aliud plenum est esse causalitate. Plenus effectu malitiæ, sic potest dici Antichristus plenus malitia: quia illum diabolus totum possidebit: & dicit Gloss. super illud. *Ostendens se tanquam sit Deus.* Glo. *In Antichristo plenitudo malitiæ habitabit:* Non tamen est ibi plenitudo quoad causalitatem; hoc autem modo dicitur diabolus plenus incentiuis vitiorum. 1. Thess. 2. Gloss.

¶ Ad vltimum dicendum est, quod licet sit plenus incentiuis vitiorum: non tamen habet sufficientem potestatẽ & efficacem incẽdendi omne cor humanum. Sicut enim non omnis materia obediens est igni, sic nec omne lib. arb. humanum sequitur incendium diaboli. Vnde dicit Ioan. Damasc. quod *potens est diabolus immissiones facere: in nobis autẽ est ea suscipere, vel non suscipere.* Dam. li. 2. cap. vlt.

Quomodo diabolus cogitationes malas incendat? §. 4.

¶ Qvarto quæritur, quomodo diabolus incendat cogitationes. Et videtur ex iam dictis, quod incendere nihil aliud est, quam disponere, vel excitare, ad hoc quod ipse intellectus cogitet de malo: sed hæc dispositio intellectus ad cogitandum de malo (secundum quod videtur August. dicere) non est aliud, quã replere quibusdam nebulis meatus intelligentiæ. ergo incendere nihil aliud est, quam obscurare. Aug in lib. 83. qq.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Manus tuæ fecerunt me, &c.* cum exponitur, qualiter angelus dat intellectum: dicitur enim angelus dare intellectum, ad modum illum, quo quis dicitur dare lumen, quando aperit fenestram. Ergo per oppositum angelus malus dicitur auferre intellectum, obscurando meatus intelligentiæ. Psal. 118.

¶ Sed secundum hoc posset quæri, quare potius diceretur tũc incentor, quam obscurator: obscurare enim est dare impedimentum luminis: incendere vero dare fomentũ ardoris, per hoc, quod dicit Beda. *Cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammat:* ergo habet fomenta, per quæ potest inflammare. Potest ergo quæri, quæ sint ista fomenta, & qualiter adijciantur ad hoc, vt fiat incendium cogitationum malarum. Videtur autem quod hæc fomenta sumantur ex diuersis generibus creaturarum, secundum quod dicit August. *Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilib. pro sua diuersitate diuersis: non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis: quæ cuiusq; delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, carminum, & rituum.* Sed si incendere nihil aliud esset, quam præstare huiusmodi fomentum ex delectabilibus in creaturis; secundum hoc non fieret incendium cogitationum malarum, nisi per præsentiam sensibilium. Cuius contrarium videmus: nam abstractis sensibus, vt in dormiẽtibus, fiunt tentationes. Circa etiam res non tantum sensibiles, sed etiam intelligibiles incendunt dæmones cogitationes malas: non ergo incendium cogitationum malarum est tantum per delectabilia, quæ sunt in rebus sensibilibus, vel per tristabilia eis opposita. Beda. August. de ciuit. Dei lib. 21. c. 6.

* *
*

RESOLVTIO.

Mouendo, vt eligatur, & per consequens appetatur, quod eligendum non est.

¶ Ad quod dicendum, quod aliud est incendere malam cogitationem: & aliud est obscurare cogitationẽ. Obscurare enim cogitationem est, ne videat quod agendum est vel eligendũ: incendere vero est mouere, vt eligat quod eligendum non est, & per consequens appetat.

¶ Ad illud vero, quod quæritur: quæ sint illæ nebulæ, quibus replet meatus intelligentiæ. Dicendum est, quod nebulæ illæ sunt quædam pœnalitates ex peccato contractæ, ad quod peccatum inclinauit diabolus hominem: & nebulæ istæ relinquuntur tum ex peccato originali, tum ex peccato actuali: & sunt hæ nebulæ quasi mediæ, ne lumen, quod illuminat omnem hominem: mentem nostram illuminet: has tamen nebulas non potest inducere, nisi præcedente consensu lib. arb.

¶ Ad illud vero, quod quærit de fomentis incendij. Dicendum est, quod fomenta incendij trahuntur, tum ex apparentibus delectabilibus, quæ sunt in rebus sensibilibus: tum ex apparentibus * delectabilibus, quæ sunt in rebus intelligibilibus. Ex delectabilibus aut in rebus trahuntur, cum res sensibiles per species suas veniunt ad intellectum: ex intelligibilibus vero per quendam modum occultum, secundum quem dæmones excitare possunt nostrum intellectum, inspirando mentibus virus occultum: sicut dicit August. Quo autem hoc modo fiat, nostrum excedit intellectum. * Alias delectationibus.

MEMBRVM VIII.

Quæ sint remedia contra tentationes?

Completo Tractatu de differentijs tentationis, & quomodo fiant: octauo quæritur de remedio tentationũ. Et hoc attenditur dupliciter, vel de remedio, quod est contra tentationes: vel de remedio, quod accidit ex tentationibus. Quod enim remedium accidat ex tentationibus, patet per hoc, quod dicitur. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi angelus satanæ, stimulus carnis, qui me colaphizet.* Ergo Apostolo data fuit tentatio ad repressionem elationis. Vnde in Glossa. *Contra capitale vitium datum est mordax pruritus, quo tumor curaretur.* Et dicit Haymo. quod *tentatione carnis tanquam theriaca fugauit venenum superbiæ: ipsamque tentationem sic disposuit Deus, vt qui elati perire poterant, in humilitatis gradu consistentes à præcipitatu seruentur.* Sed videtur mirabile quod cum Apostolus obtinuerit tãtam gratiam à Domino, vt raptus esset vsq; ad tertium cœlum, qualiter tam grauiter potuit tentatione vrgeri. 2. Cor. 12. Gloss. Haymo.

RESOLVTIO.

Humilitas, oratio, solicitudo.

¶ Ad quod dicendum videtur per hoc, quod dicit B. Gregorius. *Superna dispensatio carnis nostræ permittit nos impugnationibus concuti, ne nostra mens in superbiam audeat præsumptione securitatis eleuari: vt dum pulsata trepidat, in solo auxilij adiutorio spei pedem robustius figat.* Vnde Apostolus, qui ex parte spiritus tantam habuit ex gratia exaltationem: tantam ex parte carnis inuenit humiliationem: vt de viribus suis non confideret, sed de solo Dei adiutorio speraret. Et ideo dictũ est ei à Domino. *Sufficit tibi gratia mea.* Similiter legitur. *Propter superbiam quasi leænam capiet me. &c.* vbi dicit Grego. *Dum aliquis de virtutibus præsumit, mira dispositio parat ei aliquid, quo delectatus corruat: vnde per se non exit; sed cognita infirmitate, quasi vinctum Deus educit. Propter superbiam ergo, qua se extulit lapsus, in humilitate ligatur.* Greg. li. 9. mor. super Iob. 10. 2. Cor. 12. Ibid. Iob. 10. Gregor.

¶ Item, est remedium contra tentationem oratio: vnde dicit B. Grego. *Restat, vt à malignis spiritibus mens adusta, ad orationis opem se sine intermissione conuertat, flammam suggestionum eius extinguat quam citius vnda lachrymarum.* Idem.

¶ Item, vigilia siue solicitudo necessaria est contra tentationem. Vnde dicit B. Gregorius. *Vigilandum semper est, vt mens solicita nunquam relaxetur ab institutione superna: semper contra occultas insidias cautela est protendenda.* Vnde. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum meum. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudinem.* Et. *Vniuscuiusque ensis super fœmur suum* Idem. Abac. 2. Ierem. 31. Cant. 3.

propter timores nocturnos. Ne ergo occultus timor, id est, occulta & repentina tentatio surrepat, semper necesse est, vt fæmur nostrum superpositus custodiæ ensis premat: sanctus enim vir sic de spe est certus, vt de tentatione semper sit suspectus.

MEMBRVM IX.

An semper diabolus tentet?

Iob 30. NONO quæritur, vtrum diabolus tentet semper. Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Qui me comedunt, non dormiunt.* Glo. *Maligni spiritus tanto magis à tentatione quiescere nesciunt, quanto nullo pondere carnis grauantur.* Sed constat, quod nullo pondere carnis grauantur: ergo non cessant à tentatione.

Iob. 20. ¶ ITEM, super illud. *Vadent & venient,* &c. maligni spiritus mentibus sunt horribiles: sæpe namq; furore iræ commouent, & cum furor abscesserit, mentem luxuria deuastat: cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio de continentia subrogatur. Ex quo videtur, quod dæmones à tentatione non cessent.

¶ PRÆTEREA, causa tentationis actualis semper est in diabolo: non enim cessat inuidere: inuidere autem est causa tentationis: ergo diabolus non cessat à tentatione.

Iob. 3. Glossa. ¶ CONTRA. Iob. 3. super illud. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Gl. *Alios, quos secure possidet, dormit: sed iis euigilat ad omnem pugnam.*

Lucæ 4. ¶ ITEM, Luc. 4. Antiquus hostis aliquando intermittit tentare: ergo non semper tentat.

RESOLVTIO.

Semper tentare anhelat, sed non semper tentat.

Greg lib. 3. Moral. ¶ AD quod dicendum est, secundū quod dicit B. Greg. *Licet hostis noster afflictionem iustorum semper appetat, nisi ab autore nostro potestatem acceperit, ad tentationis articulum nullo modo conualescit.* Licet ergo de se prætendat ruinam hominis, non tamen semper tentat hunc vel illum. Cessat enim aliquando tentare bonos, tum quia non est ei concessa potestas: tum quia timet aliquando superari. Vt ergo securiores sint, à tentatione desistit. Respectu vero malorum aliquando cessat à tentatione, ne nimis * facilitati tentationibus, ad pœnitentiam peccatorum prouocentur. (* Alias, fatigati.)

MEMBRVM X.

An æque semper diabolus tentare appetat?

Apoc. 12. VLTIMO quæritur, vtrum semper crescat appetitus diaboli ad tentandum, vel etiam aliquando plusquam in alio tempore? Quod videtur. *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad nos habens magnam iram.* Sed quid est vehemens ira, nisi appetitus persequendi humanum genus? ergo magis sæuit ad tentandum nunc, quam prius.

¶ ITEM, Haymo. Tanto feruentius tentat, quanto videt multos in locum suum substitui. Ergo feruentius tentabit in fine mundi.

¶ ITEM, peccatum eius crescit, & quanto magis crescit malitia, tanto deterior est voluntas nocendi humano generi: & quanto deterior est voluntas, tanto maior est appetitus nocendi: ergo semper crescit eius appetitus.

¶ Sed videtur contrarium: quanto enim plus aliquis satiatur, tanto minus appetit: sed quanto plures trahit ad infernum, tanto plus satiatur, vel ad satietatem accedit: ergo tanto minus appetit.

RESOLVTIO.

Quinimmo eo semper ad tentandum crescit appetitus: quo magis mundi appropinquat interitus.

¶ AD quod dicendum, quod quanto magis videt appropinquare finem mundi, tanto magis crescit eius appetitus: secundum quod habetur. *Dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur.* Et Prouerb. 30. secundum vnam expositionem, Tria sunt insaturabilia, scilicet auarus, infernus, & os vuluæ: vbi per infernum signatur diabolus, qui nunquam satiatur. Nec est simile de eo, qui saturatur cibo materiali: in satietate enim cibi materiali positus est terminus: in satietate vero desiderij mali non est positus terminus. Et ideo aliter est in satietate malitiæ desiderij, & satietate appetitus sensibilis: hic enim remittitur appetitus: ibi vero augetur appetitus. (Abac 2. Prouer. 30.)

¶ Sed adhuc posset obijci, quod minui deberet appetitus tentandi, quantomagis appropinquat ad diem iudicij: quia quanto magis appropinquat ad diem iudicij, tanto nouit determinationem pœnæ sibi imminere pro peccatis, & pro pluribus maiorem pœnam: ergo ex timore pœnæ deberet minui appetitus tentandi: secundum enim crementa appetitus est crementum peccati: Ad quod dicendum: quod timor pœnæ (sicut dicit B. Greg.) non retrahit diabolum à peccato: peccat enim ex præsumptione: & ideo quanto magis appropinquat tempus iudicij, in quo auferetur potestas eius: tantomagis exercebit tyrannidem: credit enim plures suæ potestati subesse, sed spes eius frustrabitur. Obiectio. Gregor.

QVÆSTIO CII.

De demerito Diaboli.

In tria Membra, & nouem Articulos diuisa.

COMPLETO Tractatu de Tentatione diaboli in generali, occasione illius quæritur de eiusdem Demerito. Et quæruntur magnopere tria. Primo, vtrum possit in statu, in quo est, demereri? Secundo, vtrum continue demereatur. Tertio, vtrum omni motu demereatur.

MEMBRVM I.

An diabolus in statu, in quo est, demereri possit?

CIRCA primum sic obijcitur. *Venit nox in qua nulli licet operari.* Gloss. *Infernalis nox, in qua nulli licitum est operari, sed tantum tempus recipiendi.* Sed dæmones sunt in hac nocte: ergo tantum est eis tempus recipiendi, non merendi præmium, vel demerendi: quia non sunt in statu viatoris. Ioan. 9. Glossa.

¶ Item, *Non est opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud inferos, quo tu properas.* Gloss. *Cætera non valebunt post mortem,* &c. Relinquitur ergo ex hoc, quod si boni post mortem non possunt mereri, quod nec mali demereri. Eccl. 9. Glossa.

¶ Item, super illud. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Gl. *Post hanc vitam non est tempus acquirendi nec aliquid redditur, nisi retributio.* Psal. 6. Glossa.

¶ Item, Ioan. Damascen. *Quod hominibus mors est, hoc est angelis casus.* Sed post mortem non est meritum vel demeritū in hominibus: ergo nec similiter in angelis post lapsum: sicut nec hominibus post mortem: quia casus dicit ordinem irregressibilem ad vitam gratiæ: sicut mors in hominibus ad vitam naturæ. Dam. li. 2.

¶ Item. *Ligatis manibus,* &c. ergo dæmonibus est ligata libertas a b. & est sicut in pœna: ergo ante fuit aliquo modo libertas: ergo si modo missi sunt in tenebras, non est eis aliquo modo status merendi vel demerendi. Matt. 2.

¶ Item, si dicas, quod possunt mereri, siue demereri. Hoc non videtur, quia in bonis angelis post confirmationem non est possibilitas ad merendum vlterius vitam æternam: sed possunt mereri quo ad nos. Ergo nec in malis, scilicet dæmonibus per oppositum erit possibilitas ad demerendum visionem Dei siue pœnam: ergo videtur, quod non demereantur.

¶ Contra. *Vt quid venisti ante tempus torquere nos, &c.* ergo in futuro erit tantum tempus tormenti, quod nōdum habent: ergo nunc est eis status meriti pœnæ, siue demerendi. Matth. 8.

¶ Item. *Descendit diabolus ad nos, habens iram magnam; sciens quoniam modicum tempus habet.* Ergo aliquod tempus: & ita tempus habet meriti, in quo non habet pœnam, quam habebit: & sic relinquitur, quod sunt in statu merendi. Apoc. 12.

¶ Item. *Nec habent partem in hoc sæculo.* Gloss. *Et non excludi opinationem, qua contendit, postquam de hoc sæculo migrauerimus, & offendere posse creaturas rationales, & promereri.* Eccl. 9. Glossa.

RESOLVTIO.

Conueniunt vna omnes, & bonos angelos per custodiam quidquam mereri, & malos per suggestionem demereri.

¶ RESPONSIO. In Sententiis duplex tangitur opinio: vtraque concordat in eo, quod dæmones possunt demereri, & angeli boni mereri. Vnde boni per custodiam possunt aliquid mereri, mali per suggestionem demereri.

¶ Sed nota, quod secus est de homine, & de dæmonibus: quia homini determinatur locus & tempus ad merendum: tempus autem tantum dæmonibus. Et hæc est ratio: homo corporalis creatura est & spiritualis: locus autem determinatur secundum corpus, tempus secundum spiritum: angelo autem quia tantum spiritualis creatura est, determinatur tempus. Vnde dicit August. *Deus mouet spiritualem creaturam per tempus: sed corporalem per tempus & locum*: determinatur igitur tempus merendi angelo. Auguſt.

¶ Sed nota, quod duplex est meritum præmij in nobis: quoddam enim est in visione Dei, quod dicitur aurea: aliud est in gloria de conseruatione subditorum in fide, & bonis moribus: & hoc dicitur aureola. Angeli autem ante lapsum malorum, & confirmationem bonorum, habuerunt tempus merendi præmium visionis Dei, & illius continuationis: vnde vltra illud tempus merendi non oportet ponere, quod modo mereantur illud præmium: sed de alio præmio, quod est quasi aureolæ, est tempus merendi vsque ad iudicium: quantum enim durabit meritum in hominibus, durabit & in angelis quoad custodiam hominum. Similiter in malis angelis ex contrario est duplex demeritum: vnum est, quo meruerunt carentiam visionis Dei: aliud in suggestione facta hominibus. Et ratione istius habebunt pœnam in iudicio determinatam; & sicut crescit hoc demeritum, ita maiorem pœnam; & pro isto videtur dici in Euangelio, Vt quid venisti ante tempus torquere nos?

¶ AD obiecta autem sic respondendum est. Ad primum enim concedendum est, quod dæmones sunt in nocte: & ideo non licet eis operari, id est, mereri bonum. Est autem alia nox generalis, quæ veniet post diem iudicij, & tunc remanebit eis status, in quo non poterunt demereri, sed recipere pœnam secundum demeritum.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod loquitur ibi Glo. de hominibus, quibus non est locus demerendi post mortem: sed non est vsquequaque simile de angelis.

¶ Similiter illud, quod dicitur in Psal. In inferno quis confitebitur tibi? Dicitur, quod post hanc vitam non est tempus acquirendi.

Damaſc. ¶ AD illud vero quod dicit Ioan. Damascen. *quod est hominibus mors, &c.* Dicendum est, quod in parte simile est de angelis lapsis & hominibus, in parte non. In hoc enim est simile: quod sicut non est homini post mortem regressus ad vitam naturæ: ita nec diabolo post lapsum ad vitam gratiæ. In hoc autem est dissimile: quod homines post mortē nō possunt demereri: angeli vero post lapsum habent tempus demerendi.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de Gloss. Eccles. 9. Dicendum est: quod illa Gloss. recitat opinionem quorundam, qui dicebant malam voluntatem manere in damnatis, & per eandem demereri. Sed licet mala voluntas permaneat in damnatis, non est tamen principium demerendi.

¶ Sed posset quæri: quare peruersa voluntas reputatur in dæmonibus in demeritum, cum sint damnati: & non reputatur hominibus damnatis ad demeritum? Ad quod respondendum secundum Bernard. dicit enim sic. *Duo miseram comprobant voluntatem, cum peccare libet, & cum impune peccare libet: Prima peruersitas est in dæmonibus modo, & in malis hominibus, & est in demeritum: secunda erit in futuro post iudicium, cum placebit dæmonibus, & hominibus damnatis deformitas peccati, dummodo non esset pœna.* Prima peruersitas est contra iustitiam meritorum; secunda contra iustitiam retributorum. In prima vero, quæ est contra iustitiam meritorum, demerentur: & si secunda peruersitas modo esset, esset eis in demeritum. Sed illa, quæ est contra iustitiam retributionis, tunc cedet eis in pœnam, quia displicet eis pœna quæ iuste eis infligitur. Ratio autem, quare ista est damnabilis dæmonibus, illa nō damnatis hominibus; est supra tacta: quia omnino damnatis transit tempus merendi & demerendi, dæmonibus non.

Bern. in li de libero arbitrio.

¶ AD illud vero, quod obijcitur. *Ligatis manibus, &c.* Dicendum est: quod licet modo sint in tenebris mali homines damnati, & de eis proprie dicatur: potest tamē ad ipsos dæmones referri post iudicium: quibus tunc omnino erit ligata libertas arbitrij ad demerendum: modo vero ita ligata est, vt non possint mereri. Matth. 22.

MEMBRVM II.

An diabolus continue peccet, demereaturque vsque ad iudicium?

SECVNDO quæritur, Vtrum diabolus peccet continue, & demereatur vsque ad iudicium? Quod videtur super illud, *Diabolus ab initio peccat*, dicit Gl. *Incipiens peccare, continue peccat vsque in finem.* Ioan. 3. Gloſſa.

¶ ITEM. Nunquid fecerit tecum pactum Gl. *Iustos semper maleuole tentare appetit.* Sed si semper appetit maleuole, continue peccat: ergo diabolus continue peccat. Iob 40. Gloſſa.

¶ ITEM. *Sanguisuga.* Gl. *Sanguisuga est diabolus, qui siti peccandi, & peccata perpetrandi perpetuo ardet.* Prouer 30. Gloſſa.

¶ ET super illud. *Effabuntur & loquentur.* Gl. *Publicas & priuatas persuasiones, ne aliquod tempus vacuum sit à culpa.* Pſal. 93. Gloſſa.

¶ ITEM, super illud. *Semper interficere gentes.* Gl. *totum studium diaboli est, vt semper interficiat.* Interfectio autem ista est per mortale peccatum: ergo totaliter studet diabolus ad hoc, vt homines peccent, & in hoc studio est: ergo semper diabolus peccat. Habac. 1. Gloſſa.

¶ ITEM, super illud. *Non minuetur quidquam.* Gl. *Continue vult Diabolus & ministri eius opera mala fieri.* Exod 5. Gloſſa.

¶ CONTRA dicit Holofernes. *Nulli vnquam nocui, qui seruire voluit Nabuchodonos.* Holofernes autem typum gerit alicuius dæmonis. Nabuchonos. vero typum capitis malorū: & ita aliquando videtur cessare à peccato. Iudith. 10.

¶ PRÆTEREA, affectus eius non à simul ad diuersa: sed modo vult vnum, modo vult aliud. Si ergo voluntas eius cadit aliquando super illud, quod bonum est; vt exire de oppressis corporibus; non autem simul est in bonum, & in malum: ergo tunc voluntas eius non est in malum: ergo continue peccat. Similiter, timere Deum, est quidam motus debitus: & (sicut dicitur Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Ergo motus bonus est in eis: sed cum motus bonus est in aliqua vi, non simul est motus malus: ergo non continue (vt videtur) peccat. Iacob. 2.

RESOLVTIO.

Continue, quia continue nocere studet.

¶ AD quod respondendum: quod continue est in peccato, & in voluntate nocendi alicui, secundum illud. *Qui me comedunt, dormiunt.* Neque est in eis tantum voluntas habitus, sed voluntas actus. Iob. 30.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, in contrarium. Dicendum est, quod cum dicitur. *Nulli nocui:* sensus est, nullum de mea voluntate sensibiliter afflixi, qui propria voluntate euenerit ad peccatum. Et hoc est, quod dicitur à Gregorio. *Illos pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.* Vnde si grauaret illos tentationibus, propter grauamen tentationum forte confugerent ad pœnitentiam. Iudit 10. Gregor.

¶ AD aliud vero dicendum: quod licet velit aliquid, quod sit de genere bonorum: non vult tamen ex boni intentione: sed ex aliqua intentione nocendi: intentio autem finem operi imponit: vnde motus ille malus dicetur.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod licet timere Deum, sit bonum: diabolus tamen timet illo modo, quo modo timere malum est: timere enim seruiliter, malum est: & hoc modo timet. Ambroſ.



MEMBRVM III.

An item & omni suo motu peccet, demereaturq́?

Tertio quæritur, vtrum diabolus omni motu suo peccet. Et primo tangitur in genere, deinde specialiter de quibusdam motibus, vt credere, velle, sperare, & huiusmodi. Circa primum de motu in genere, sic obijcitur: dicitur super illud. *Quæ est conuentio Christi ad Belial.* Gloss. *Sicut Christus omnia bene egit: ita diabolus omnia male.* Ergo omni motu suo peccat, sicut Christus omni motu suo bene egit.

2. Cor. 6. Glossa.

¶ Item, angeli confirmati in bono non possunt nisi bene agere: ergo angeli confirmati in malo, non possunt nisi male agere.

¶ Item, *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Sed hi sunt dæmones: ergo quolibet motu peccant.

Psal. 73.

¶ Item, super illud: *Omne, quod non est ex fide, est peccatum.* Gloss. *Omnis vita infidelium est peccatum.* Sed nullus est ita infidelis sicut diabolus: ergo omnis vita diaboli est peccatum: ergo omni motu suo peccat.

Rom. 14. Glossa.

¶ Contra. Diabolus ante peccatum naturaliter diligebat se: & adhuc habet eandem naturam: ergo ex ea adhuc se diligit, sed diligere se, est motus, qui non est peccatum: ergo non omnis motus eius est peccatum.

¶ Item, Boetius. *Velle summum bonum inest omni naturæ rationali*: ergo naturæ diaboli: ergo diabolus ex illa natura vult summe bonum, sed velle summe bonum, non est motus malus: ergo non omni motu suo peccat.

Boet. lib. 3. de consol. prosa 2.

¶ Ad idem facit, quod dicit Dionys. de dæmonibus. *Bonum, & optimum concupiscunt: esse, & viuere, & intelligere appetentes.* Ergo non omni motu suo demerentur.

Dion. in li. de diui. nominib. par. 1. ca. 4. par. 4. c. 4.

¶ Item aliquando vult diabolus id, quod Deus vult: vt vult hunc hominem damnatũ torqueri & diabolus idem vult. Sed Deus non vult aliquem motum culpabilem, licet permittat: ergo cum volendo, quod Deus vult, non peccet: ergo non omni motu suo peccat. Verbi gra. 1. Regum 16. legitur, quod spiritus malus arripiebat Saul: & hoc volebat spiritus malus: & idem volebat Deus in pœnam illius: ergo volebat quod Deus volebat: ergo non illo motu peccabat.

1. Reg. 16.

RESOLVTIO.

Exceptis naturæ motibus, in cæteris quibuscunque semper peccat.

¶ Ad quod respondendum, quod duplex est motus diaboli: vnus naturæ: alius liber. arb. Si est motus naturæ, non est peccatum. Motus autem lib. arb. est duplex: quidam enim est per potestatem superioris vel virtutem: sicut credere, vel de corpore obsesso exire: quidam vero est ex potentia lib. arb. secundum seipsum. Si est ex ipso lib. arbit. solum, tunc omni motu demeretur. Si vero est per potestatem superioris: aut est cum placentia, eo quod alium finem intendat; sicut est in tentatione: & tunc iterum demeretur, non quia facit quod Deus vult, sed quia ex intentione mala. Si vero est cum murmure, quo ad hoc quod remurmurat, demeretur. Sic ergo potest esse manifestum, quo motu demeretur, & quo motu non.

¶ Ad obiectum autem primo sic est respondendum, quod diabolus omnia male egit, secundum quod intelligitur de motu liberi arb.

¶ Ad secundum vero similiter est dicendum: sicut n. angeli confirmati in bono, motu lib. arbit. non agunt nisi bonum: ita angeli confirmati in malo, motu lib. arb. non agunt nisi male.

¶ Ad tertium dicendum, quod odium illud, quo oderunt dæmones Deum, ex lib. arb. procedit: & hoc est ratione pœnarum, quæ eis infliguntur.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod vita infidelium dicitur esse peccatum, non quia omnis motus in eis sit peccatum, sed quia dum sunt in infidelitate, semper sunt in peccato, & quodlibet opus eorum mortuum reputatur.

¶ Ad obiecta autem in contrariũ dicendum est: quod diligere se, est ex motu naturæ: potest tamen esse ex motu libidinis, & tunc est motus lib. arb. & illo demeretur: similiter velle summum bonum est motus naturæ. Si vero sumatur velle à voluntate liberi arb. secundum hoc dæmones volunt summum bonum. Et hoc est, quod dicit Dionys. mali sunt, secundum quod non sunt: & quod non est appetentes, malum appetunt.

Dionys.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, aliquando diabolum velle quod Deus vult. Dicendum est, quod licet aliquid idem velit: non tamen ex consimili voluntate, vel intentione: sed quod Deus ex bona voluntate vult, hoc malus angelus ex mala voluntate vult: vtpote Deus voluit tentationem Iob ex bona voluntate: diabolus autem ex mala voluntate voluit. Similiter Deus vult diabolũ exire à corpore obsesso, sed quia cum murmure exit, ideo exitus eius est cum peccato. Præterea, exire dicit motum à termino à quo, intrare vero, siue ingredi dicit motum quantum ad terminum in quem. Licet ergo exire ab obsesso corpore ratione termini à quo, non sit peccatum: potest tamen esse peccatum ratione termini in quem. Sicut cum eijciebantur à dæmoniacis, & intrabãt porcos; ingressus in porcos erat libidinosus, & processit ex improba voluntate: vnde peccatum erat ipsis.

¶ Similiter dicendum est, cum spiritus malignus arripuit Saul, intentione peruersa fecit, & eum delectatione pœnæ: vnde licet hoc esset ex iustitia Dei, quod puniretur: tamen quia placuit improbæ voluntati ipsius diaboli, peccatum fuit, prout fuit in diabolo.

ARTICVLVS I.

An credere dæmonum sit bonum moris: & an fides eorundem fides informis sit?

Deinde potest quæri specialiter de quibusdam motibus diaboli. Et primo de ipso credere, vtrum sit bonum, (& intelligo de bono moris.) Et videtur quod super illud: *Dæmones credunt,* &c. dicit Gloss. *plus est credere diaboli, quam sit tuum credere ô Christiane: qui credis Deum, & non times.* Ergo si credere hominis habentis fidem informem est bonum, credere diaboli est bonum.

Iacob 2. Glossa.

¶ Item, credere est motus fidei informis, sed motus fidei informis est donum Spiritus sancti: ergo ipsum credere est bonum.

¶ Contra. Diabolus velit, nolit, credit, sed quod est inuoluntarium, non est bonum meritorium: ergo credere diaboli non est bonum moris.

¶ Item, de credere, quod est bonum moris, dicit Aug. *Cum cætera possit homo nolens, credere non potest nisi volens.* Et super illud: *Vocemus puellam* Gloss. interlin. *Credere siue fides est ex voluntate, non ex necessitate.* Sed nulla voluntas diaboli est in summam verit. item, ergo credere eius non est bonum moris.

August.

Genes. 24. Glossa.

¶ Præterea, huius gratia quæritur, si dæmones habeãt fidem. Quod videtur: dicitur enim in Gloss. super illud: *Iustus ex fide viuit*: quod fides informis est, quæ est in malis hominibus & dæmonibus.

Glossa sup. Rom. 1.

¶ Item, *Confitentur se nosse,* &c. Gloss. *Si confitemini verbis & non factis, fides talium mortuum propriè est dæmoniorum.*

Ad Titũ. 1. Glossa.

¶ Item, *Qui autem non credunt dæmonibus sunt deteriores.* Ex quibus videtur colligi, quod fides informis sit in dæmonibus.

Ad Gala. 1.

¶ Sed obijcitur in contrarium: quia si fides est in dæmonibus, aut habitus ille datus fuit ante peccatum, aut post peccatum. Ante peccatum non videtur: quia Adam in primo statu innocentiæ dicitur habere quandam visionem aliam, quam quæ est ænigmatica: sed visio fidei est ænigmatica: ergo angeli ante peccatum non habuerunt cognitionem fidei, post peccatum vero non habuerunt fidem: habitus enim fidei est ex gratia: nullus autem reportat gratiam ex peccato: ergo per peccatum non habuerunt angeli cadentes fidem informem.

¶ Præterea, peccatum vulnerat naturalia, & spoliat gratuita: sed de gratuitis est fides: ergo si fuit fides in angelis ante lapsum, post peccatum sunt spoliati.

RESOLVTIO.

Credere dæmonum, bonum quidem est in genere, non autem meritorium: sic & in eisdem fides informis est: at vero prout habitus cognitiuus est, nunquam tamen formabilis.

¶ Ad quod respondendum, quod credere prout est in diabolo, bonum in genere dicit, sed non dicit bonum meritorium. Nec sequitur ex hoc, si est motus fidei informis, quod sit meritorius: deest n. forma, scil. charitas, per quam motus est meritorius.

¶ Quod autem obijcitur de credere, quod non potest fieri nisi à voluntate. Dicendum, quod loquitur ibi de credere, prout est à fide virtute: credere enim aliquando accipitur pro cognoscere veritatem, & hoc modo potest aliquis credere nolens. Secundum autem quod credere dicit assentire, & assentiendo tendere in summam veritatem; secundum hunc modum non est credere nisi ex voluntate: hoc autem modo non credebant dæmones, vnde dicit Glos. Iacob. 2. & Luc. 4. *Extorta confessio est, quod diabolus confitetur illum hominem esse filium Dei.* Glossa sup. Iac. 2. & Lucæ 4.

¶ Ad illud vero, quod quæritur, vtrum in dæmonibus sit fides informis? Respondendum est, quod fides informis dicitur multipliciter. Est enim vno modo habitus cognitiuus: alio vero modo motiuus. Motiuus autem potest dici à bono, vel à malo. A bono vero multipliciter, vel peruentiuus, vel non peruentiuus, id est potens peruenire. Primo ergo modo secundum quod fides informis est habitus cognitiuus, qui nunquam potest formari, est in ipsis dæmonibus. Secundo vero modo, inquantum est habitus motiuus à malo pœnæ, est in peccatoribus, qui timent seruiliter pœnam æternam, & per hoc abstinent ab actu peccati, sed non tendunt ad bonum. Tertio vero modo dicitur habitus motiuus ad bonum, sed non peruentiuus in ipsis peccatoribus, qui disponuntur ad bonum. Quarto vero modo dicitur habitus motiuus, & peruentiuus in his, qui disponũtur ad bonum per gratiam gratum facientem: hoc autem assentire est adhærere summæ veritati, & in eam tendere. Ex iam dictis patet quomodo fides informis est in dæmonibus.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod nec habuerunt ante peccatum fidem, nec post peccatum, fidem proprie dictam; secundum quod fide sit visio speculans: sed habuerunt fidem, id est, quandam credulitatem sumptam ex operibus Christi, per quæ opera vehementer opinabantur ipsum esse filium Dei: & hæc fides dicitur esse cognitio quædam acquisita: nec est fides informis quæ potest formari per charitatem, vt ipsa sit virtus.

ARTICVLVS II.

An dæmones velint, Deum non esse?

SECVNDO quæritur: Vtrum velint Deum non esse? Quod videtur per hoc, quod dicit in Psalm. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Sed qui habet alium odio, vellet ipsum non esse: ergo diabolus vellet Deum non esse. Psal. 73.

¶ Item, super illud. *Qui me odit, & patrem meum odit,* Gloss. *Qui volunt esse mali, volunt eam veritatem, qua damnantur, non esse.* Vnde sicut oderunt suam pœnam: ita oderunt veritatem, qua pœna irrogatur, & si oderunt veritatem, oderunt Deum, de quo nata est veritas. Ergo dæmones habent odio Deum. Ioan. 15. Glossa.

¶ Item, Innoc. *Ita desperati sunt à venia, vt in tantum odium eorum crescat, vt vellent Deum omnino non esse.* Innoc in lib. de miseria conditionis humanæ.

¶ Item, videtur quod velint Dei potentiam non esse, per hoc, quod dicitur: *Blasphemauerunt nomen Dei.* Glos. *In inferno positi, quamuis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen quod Deus tantam potentiam habeat, quod sibi pœnas inferat.* Ergo vellent Dei potentiam non esse. Apoc. 16. Glossa.

¶ Item, Alchuinus: *Cur diabolus tam infestus est hominum saluti?* Respondet, *propter odium in creatorem, & inuidiam in hominem ex desperatione suæ salutis.* Ergo diabolus habet odio creatorem. Alchuinus super Gen.

¶ Contra, August. *Nullius fere conscientia potest Deum odisse.* August. retract. li. 1 cap 19.

¶ Præterea, Deus est principium omnis esse, & diabolus non habet odio suum esse: ergo nec habet odio illum, per quem est, & in esse tenetur: ergo non habet odio Deum.

RESOLVTIO.

Volunt, at non simpliciter, sed inquantum iustum iudicem.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicit Augustin. in Libr. Retract. Non video fuisse dicendum, quod nullius conscientia potest Deum odisse: multi enim sunt, de quibus scriptum est: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Psal. 73.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: Dicendum est, quod licet natura velit Deum esse, inquantum est principium esse, & cõseruat in esse res: non tamen vult eum esse inquantum iustum iudicem.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod dicitur Iohan. 15. Loquitur enim ibi de veritate iustitiæ, qua infligit pœnã.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de miseria conditionis humanæ. Dicendum est, odium illud dicitur propter irremissibilitatem pœnæ, & desperationem veniæ. Vnde vellent dæmones Deum non esse in ratione iusti iudicis, non in ratione creatoris.

¶ Ad illud vero, quod dicitur in Glos. 16. Apocal. Dicendum est, quod dolere de potentia, est propter pœnæ afflictionem: non quod simpliciter velint potentiam Dei non esse.

¶ Ad illud vero, quod dicit Alchuinus. Dicendum est ex iam dictis, quod illud odium refertur ad pœnam, in qua perpetuo est damnatus, non ad originem esse.

ARTICVLVS III.

An peccare, in peccatoq; esse, diabolo placeat?

DEINDE quæritur: An placeat diabolo peccare. Et videtur, quod non: quia malum corruptiuum est naturæ: natura autem bona est in diabolo: cum ergo corruptio naturæ displiceat naturæ: & natura semper maneat in eo excitans lib. arb. non videtur, quod sibi placeat malitia sua.

¶ Contra, in Lib. de Miseria conditionis humanæ. *Superba voluntas eorum, licet careat possibilitatis effectu, non tamen carere potest malignitatis affectu. Et ita placet sibi peccare, vel esse in peccato.* Innoc. in eodem lib.

¶ Item, bonum displicet diabolo: ergo malum per oppositum placet ei: ergo vult esse malus.

¶ Contra, dicit Dionys. *Ad malum intendens, nullus agit, quæ agit.* Ergo nullus vult se esse malum. Dionys. de diu. nomi. cap. 4.

RESOLVTIO.

Voluntate deliberatiua quadam ratione placet. Voluntate vero naturali non placet.

¶ Ad quod dicendum, duplex est voluntas, sicut dicit Ioan. Damas. Vna, quæ dicitur bulisis, & altera quæ dicitur thelisis. Voluntate ergo naturali, quæ dicitur bulisis, non placet sibi peccare: voluntate vero deliberatiua, quæ dicitur thelisis, placet sibi, ratione delectationis, quę est in peccato: ratione vero priuationis boni non placet ei, & ita vno modo placet, alio modo non. Damasc. θέλησις, & βούλησις.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet bonum displiceat ei, sicut corrupto palato displicet dulce: non tamen placet malum inquantum malum, secundum quod malum est corruptio boni: placet tamen ei id, quod malum est.

¶ Si vero quæratur, vtrum placeat ei malitia in alio? Dicendum est, quod malitia in alio, quodammodo est ei delectabilis, secundum infectionem lib. arb. sicut in eo, qui * alij inuidet, & ex hoc alterius malum diligit: æstimat enim alterius bonum sibi nociuum, & alterius malum sibi conueniens per consequens. *Alias, aliquando.

ARTICVLVS IV.

An diabolus veniæ, beatitudinisque spem habeat?

DEINDE quæritur: Vtrum diabolus habeat spem. Et videtur quod non: quia certus est de pœna æterna: sicut dicitur in Sacramentalibus Baptismi: Non te latet Satana imminere pœnas tormentorum.

Matth. 7. Marc. 5. ¶ PRÆTEREA, In Euangelio habetur: *Vt quid ante tempus venisti torquere nos?* Ergo non habet spem veniæ, nec spem vitæ æternæ.

Iob. 40. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur. *Spes eius frustrabitur* (& loquitur de die iudicij.) Ergo ante diem iudicij videtur, quod habeat spem.

Isaiæ 16. ¶ PRÆTEREA, super illum locum: *audiuimus superbiam Moab. Maior est arrogantia eius, quam fortitudo eius.*

¶ ITEM, cum præcipitata audacia plus audet, quam possit: vnde diabolus maximè est præsumptuosus: sed nulla maior est præsumptio, quam cum sint demerita, tamen sperare vitam æternam: ergo spes præsumptionis est in ipso.

Gregor. super eundem locũ Iob. ¶ PRÆTEREA, dicit Gregor. *De diuina misericordia falsa sibi promissione blanditur.* Ex quo accipitur, quod speret de venia.

¶ PRÆTEREA, nouit quod misericordia Dei est in infinitum excedens culpam suam: sed considerans in infinitum misericordiam Dei excedentem respectu suæ culpæ, ordinatur ad spem veniæ: ergo diabolus potest habere spem veniæ.

RESOLVTIO.

Nullatenus: idque in maius pœnæ suæ augmentum.

¶ AD quod respõdendum: quod spes dicitur multipliciter. Vno modo expectatio futuræ beatitudinis ex meritis* recte prouenients: & hoc modo nec est spes, nec esse põt in diabolo. Alio modo spes potest dici expectatio beatitudinis ex sola Dei misericordia, & hoc modo est confidentia in aliquo homine adulto, qui non demeruit. Extenditur autem nomen spei, vt possit dici expectatio beatitudinis, cum sint contraria merita: & hoc modo est in aliquibus peccatoribus. In diabolo autem in augmentum pœnæ tollitur spes secundum omnẽ differentiam, in quãtum spes dicitur respectu beatitudinis.

*Alias, ordinate.

Iob. 40. ¶ Hoc autem, quod dicitur. Iob. 40. *De misericordia Dei, &c.* intelligi potest de illo, ratione membrorum. Vnde sequitur in Gloss. *Quod ad corpus illius referri potest: iniqui enim qui iustitiæ diuinæ districtionem non metuunt, incassum sibi de misericordia blandiuntur.* Gl. ordin.

¶ AD secundum vero dicendum: quod licet consideret, diuinam misericordiam in infinitum excellere suam culpam: tamen plus conuertitur consideratio eius ad iustitiam: vt dicat apud se maiorem iniquitatẽ, quam vt veniam mereatur: vnde non habet spem veniæ: Maxima autem præsumptio, quam habet; est ex eminentia suæ potestatis naturalis: & ideo dicitur: *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur, qui factus est, vt nullum timeret.* Quod autem certus sit de æternitate pœnæ dicit Gregorius: *Quo se æterna tormenta euadere non posse conspicit, eo in exercenda nequitia durior assurgit.* Iob. 41. Gregor.

Ibid. ¶ Quod autem dicitur ibidem: *Æstimabit abyssum senescentem*: per abyssum intelligitur iudicium: & per *senescere* vero deficere ratione membrorum suorum intelligitur: Vnde dicit Gloss. *Æstimabit abyssum, quasi senescentem: quia reproborum corda sic infatuat, vt suspicionem eis de venturo iudicio, quod quasi finiatur, infundat.* Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quãdoq; in suppliciis diuinam animaduersionem putat. Glossa.

¶ Quod autem dicitur, spem habere, id est confidentiam: hoc intelligitur respectu magnæ dilationis diei iudicij, & libertatis regnandi in peccatoribus. Quamdiu n: differtur iudicium, confidentiam habet regnandi in peccatoribus: tunc autem auferetur prælatio, & ideo dicitur, quod spes frustrabitur ab eo, id est, confidentia.

ARTICVLVS V.

An diabolus timoris motum habeat?

DEINDE quæritur: Vtrum habeat motum timoris. Quod sic videtur per hoc, quod dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sicut enim ex fide formata gignitur motus timoris filialis: ita ex fide informata gignitur motus timoris seruilis: ergo timor est in diabolo. Iacob. 2.

¶ CONTRA. B. Gregor. super illud: *Qui factus est, vt nullum timeret,* &c. dicit quod nec timet Deum, nec pœnam, quam sustinet. Sed timor seruilis est respectu pœnæ: ergo non habet timorem seruilem: de alio autem timore patet ergo non habet timorem. Greg. sup. Iob. 41.

¶ Præterea, timor seruilis est donum Spiritus sancti: sicut elicitur ex eo quod dicitur: *Non accepistis spiritum seruitutis in timore.* Sed indignus est omni dono: ergo non habet timorem seruilem. Rom. 8.

RESOLVTIO.

Vtique, & in pœnæ suæ augmentum.

¶ AD quod videtur dicendum, quod timor ille est motus quidam, qui prouenit ex credulitate pœnæ, & non procedit ex timore seruili, prout est donum Spiritus sancti. Timor enim seruilis, prout est donum Spiritus sancti, ad hoc videtur esse per se: vt ex cõsideratione pœnæ æternæ resiliat ab actu peccati. Iste autem timor non est ei nisi in augmentum pœnæ: & cognitio siue credulitas præambula non est ad aliud nisi vt sit dispositio ad illam pœnam: imo ipsa cognitio etiam pœnæ est quodammodo ei pœna.

¶ AD illud vero, quod dicit B. Gregor. Dicendum est, quod propter hoc dicitur non timere pœnam; quia non habet effectum, qui pertinet ad timorem pœnæ, scil. cessare à tentatione, vel à peccato.

ARTICVLVS VI.

An dæmones superbient contra Dominum in die iudicij.

DEINDE quæritur: Vtrum angeli mali superbient in die iudicij contra Dominum. Quod videtur: boni enim angeli, ante Deum humiliabuntur in die iudicii, secundum illud. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Per columnas autem cœli intelliguntur sancti angeli: ergo sancti angeli: timorem habebunt: ergo multo fortius mali. Iob. 26.

¶ ITEM, *Cum sublatus fuerit, angeli timebunt* (& loquitur de bonis angelis) ergo boni angeli timebunt aduentum iudicis. Et dicit B. Gregor. *quid faciet virgula deserti, quando concutitur cedrus Paradisi?* Et per cedros Paradisi intelliguntur boni angeli: ergo boni angeli timebunt: ergo humiliabuntur: ergo per oppositũ mali angeli superbient contra Deum in die iudicij. Iob. 41. Gregor.

¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicitur super illum locum. *Angeli non portant aduersus Deum execrabile iudicium.* Gloss. *Vbi puniuntur iniqui, ibi punientur mali angeli; qui olim superbiebant contra Deum: nec portant, sed abijciunt iudicium superbiendi contra Deum, territi magnitudine pœnarum.* 2. Petri 2. Glossa.

RESOLVTIO.

Superbient habitu, sed non actu.

¶ AD quod dicendum, quod non superbient actu contra Dominum; sicut dicit Gloss.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet boni angeli tunc timeant timore admirationis, siue reuerentiæ, non tamen timebũt timore pœnæ. Illa tamen autoritas, quæ dicitur. Iob. 26. intelligitur de timore ipsorum in præsenti: quæ vero dicitur 41. intelligitur de angelis bonis ratione primi status. Quod patet per hoc, quod dicitur [*territi purgabuntur*] futurum enim ibi accipitur pro præterito: secundum quod B. Gregor. dicit: *Leuiathan ab arce beatitudinis cadente, in ruina eius electi angeli expauerunt: vt cum istum superbia lapsus eijceret, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. Et purgati sunt: quia isto cum reprobis legionibus exeunte, electi soli remanserunt: nihilominus tamen timor ille* Gregor.

cadus, qui permanet in sæculū sæculi, erit in illis in iudicio, & ex illo humiliabuntur. Nec sequitur ex hoc, q̧ mali tunc superbiant: magnitudo enim pœnarum, & ipsa terribilitas iudicis inducet eis terrorem, ex quo humiliabuntur in pœna: quæ humiliatio contraria est actui superbiæ: licet non sit contraria habitui.

ARTICVLVS VII.

An dæmones velint se non esse?

DEINDE quæritur: Vtrum dæmones velint se non esse. Quod sic, videtur: dæmones enim certiores sunt de pœnis suis, quam quicunque homines mali: sed (sicut dicit B. Hieron. super Eccles.) mali homines vellent magis non esse, quam sic esse: ergo multo fortius dæmones, qui sunt certiores de pœnis suis.

Hiero. super Eccl.

¶ CONTRA, omnis creatura naturaliter se vult esse: & hæc natura non tollitur ab eis: ergo malunt se esse, quam non esse: licet sint in pœnis.

RESOLVTIO.

Quinimo volunt esse: idq́; vt pugnent contra Dominum.

¶ AD quod respondent quidam, quod synteresis extincta est in dæmone tribus modis. Primo, quia non promouet eum ad bonum, nec promouere potest. Secundo, quia in superbia vult agere contra Deum: licet sciat, quod ex hoc grauius punietur. Tertio, quia potius vult se esse quam non esse, vt pugnet contra Deum. Primo modo extincta est in damnatis: secundo autem modo & tertio in dæmonibus est extincta. Homines enim adulti damnati potius vellent non esse, quam sic esse in pœnis inferni: sed de solis paruulis dicitur, quod melius est eis sic esse, quam non esse, quia nullam sentiunt pœnam actualem.

¶ AD obiectum autem secundum hæc posset responderi, quod aliud est de voluntate naturæ, & aliud de voluntate lib. arb. Licet n. mali homines de voluntate naturæ velint esse: de voluntate tamen lib. arb. vellent magis non esse, quam sic esse. Dæmones autem si volunt esse ex voluntate lib. arb. hoc est, vt pugnent contra Deum, & resistant, quantū possunt: & hoc forte est propter magnam præsumptionem, quam habent, & appetitum dominationis super eos, qui peccant.

ARTICVLVS VIII.

An in dæmonibus sint passiones?

DEINDE quæritur: Vtrum in dæmonibus sint passiones (dico autem passiones libidinum, formidinum, irarum, & huiusmodi vitiorum.) Quod non, videtur. In eis enim non est fomes, qui inclinat ad huiusmodi passiones: nec potestas ad exercendum opera libidinum.

Aug. 9. de ciuit. Dei. Idem.

¶ CONTRA, August. *Subiecta est mens dæmonum passionibus libidinum, formidinum, irarum, atque huiusmodi cæteris.* Et iterum, *mens eorum passionum vitijs subiugata & oppressa, quicquid rationis naturaliter habet ad fallendum & decipiendum; tanto acrius intendit, quanto eos possidet nocendi cupiditas.* Ex quibus colligitur, quod dæmones subiecti sunt passionibus.

RESOLVTIO.

Et dæmones etiam passionibus, sed animi tantum subiecti sunt.

¶ AD quod dicendum, quod subiecti sunt passionibus. Sed distinguendum est, quod sunt quædam passiones cōmunes animi & corporis, quædam vero sunt solius animi. Illæ passiones, siue perturbationes, quæ dicuntur communes animi & corporis, inquantum huiusmodi non sunt in dæmonibus; cum sint spiritus secundum se separati à corpore: passiones autem, quæ sunt solius animi, possunt esse ipsorum dæmonum, & de huiusmodi dicit August.



ARTICVLVS IX.

An dæmones tantum modo puniantur, quantum post iudicium punientur?

DEINDE quæritur: Vtrum tantum puniantur modo, quantum post diem iudicij. Quod sic videtur probari: modo puniuntur pœna æterna pro peccatis suis, sed peccata sua non possunt augeri; quia adeo sunt obstinati, quod non possunt esse obstinatiores: ergo adeo sunt mali; quod non possunt esse peiores.

¶ ITEM, voluntatem habent malefaciendi quodcunque possunt, sed quod vult aliquis, & non facit, pro facto sibi reputat Deus in malis: ergo pro facto reputat eis Deus, quod volunt: ergo tantum sunt mali, quantum facerent, si possent.

¶ CONTRA. August. *Iudicat Dominus non solum vniuersaliter de genere dæmonum, atque hominum, vt miseri sint propter primorum meritum peccatorum: sed etiam de singulorum proprijs operibus: quæ gerunt arbitrio voluntatis.* Ex quo accipitur, quod adhuc peccant, & sic peccantes deteriores fiunt, ergo semper merentur augmentum pœnæ: ergo magis punientur.

August. in lib. 20. de ciuit. Dei. cap. 1.

RESOLVTIO.

Cum in dies dæmones peccent grauius tunc, quam nunc punientur.

¶ AD quod dicendum, quod dæmones deteriores fiunt per peccata, quæ superaddunt, & quod maiorem habebunt pœnam, & qui plus peccauerunt, plus punientur.

¶ AD hoc autem, quod obijcitur in contrarium, quod adeo obstinati sunt, &c. Dicendum est, q̧ ita obstinati sunt à principio quod flecti non possunt ad bonum: nihilominus in malicia intenduntur.

¶ AD secundum vero obiectum dicendum est, quod licet voluntatem habeant à principio faciendi quodcunq; malum: tamen ipse actus additus voluntati auget maliciam. Præterea, determinate vult aliquod malum modo, quod non voluit à principio. Vnde non tantum augetur malicia ex actu, imo ex ipsa voluntate, & sicut boni angeli licet confirmati sint in bono, possunt mereri: ita mali angeli licet confirmati sint in malo, possunt magis ac magis demereri. Nec est hoc contrarium, quod sunt in statu retributionis; possunt enim esse in statu retributionis ex actione præcedentis peccati: & possunt esse in statu demerendi ratione vlterioris pœnæ.

QVÆSTIO CIII.

De tentatione primorum parentum.

In nouem Membra diuisa.

COMPLETO Tractatu de tentatione diaboli in genere, & de adiunctis ipsi tentationi, vtpote de meritis diaboli: consequenter procedendum est ad tentationem, qua tentauit primos parentes per serpentem.

D. Tho. 2. 2. q. 165. S. Bon. in 2. d. 21. art. 1.

¶ Et primo quæritur, vtrum primum peccatum diaboli fuit, vel potuit esse, quod perpetrauit intentando primos parentes. Secundo, vtrum fuerit vna tentatio sola, qua tentati fuerunt ab eo, vel plures. Tertio, si fuerunt plures, quæ illarum fuit prima. Quarto, vtrum facta fuerit mediante aliquo sensibili, vel non. Quinto, quare mediante serpente. Sexto, vtrum sonus emissus per serpentem fuerit formatus à diabolo, & expressus per serpentem: vel à serpente formatus, & expressus. Septimo, quare primo tentauit mulierem, & per mulierem virum. Octauo, vtrum consimili modo in nobis compleatur tentatio diaboli. Nono quare permisit Deus huiusmodi tentationem fieri, cum ex huiusmodi tentatione sciret tantum malum peruenturum.

MEMBRVM I.

An primum peccatum diaboli fuerit, primos parentes tentasse?

Ioan. 8. CIRCA primum sic: videtur quod primum peccatum diaboli fuit, quo tentauit primos parentes. *Ille homicida erat ab initio:* sed homicida fuit in occidendo hominem & tentando: ergo &c.

¶ ITEM, hoc est primum peccatum, quod ostenditur in scriptura: cum ergo sufficiẽter doceat ipsa sacra scriptura & ordinate; illud fuit primum peccatum.

¶ PRÆTEREA, potest aliquis peccare peccato iræ: ita quod non peccet peccato auaritiæ, vel econuerso, & ita de alijs peccatis. Ergo similiter potuit diabolus peccare peccato tentationis: ita quod nullum peccatum esset præambulum.

¶ CONTRA, peccatum tentationis est, quo intendit aliquis per se nocere alteri: sed naturaliter nullus intendit nocere alteri, nisi propter appetitum alicuius commodi, qui prius est apud ipsum: ergo diabolus non intenderet nocere homini, nisi præcessisset in eo appetitus alicuius commodi proprij: ergo peccauit appetendo illud commodum, & postea peccauit tentando ipsum hominem non ergo peccatum tentationis fuit primum peccatum.

Sap 2. ¶ Præterea, *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Sed mors fuit per tentationem ipsius diaboli: ergo ante tentationem fuit inuidia: non ergo tentatio primorum parentum fuit primum peccatum.

RESOLVTIO.

Quinimo antea per superbiam in cœlo peccaret.

Augusti. in lib. de mirabilibus sacræ scripturæ. Ioan. 8. ¶ AD quod dicendum per hoc, quod dicit Aug. quod non peccasset angelus in terra, nisi prius peccasset in cœlo. Vnde primo peccauit in cœlo per superbiam: secundo in Paradiso per homicidium. Et quod dicitur, *ille homicida erat ab initio:* intelligẽdum est, post initium, vel quam cito hominem tentauit.

¶ Ad obiectum autem in contrarium. Dicendum est, quod licet scriptura faciat mentionem primo de isto peccato: tamen ante illud peccatum fuit aliud peccatum, de quo non primo ipsa scriptura facit mentionẽ. Et rationem ponit Alcluinus dicens: *Angelicum peccatum in Genesi absconditum est* (& loquitur de peccato superbiæ) *& hominis patefactum; quia angelicum vulnus Deus curare non proposuit, hominis vero vulnus sanare prædestinauit.* Alchuin' super Genes.

¶ SED pari ratione posset dici: quod non debebat facere mentionem de peccato tentationis, cum illud peccatum tentationis esset incurabile, sicut & peccatum superbiæ diaboli, quod fuit primum peccatum. Ad quod dicẽdum, quod aliud est de peccato primo superbiæ & aliud de peccato tentationis: licet vtrumq; sit incurabile. Peccatum n. tentationis introductum est, vt ostenderetur, quod homo peccauit diabolo suggerente: & ex hoc vna ratio esset, propter quam eius peccatũ esset remediabile. Vnde non propter se introduxit scriptura peccatum tentationis diaboli: decursus n. sacræ scripturæ est ad ostendendum totam seriem, secundum quam genus humanum per Christum est liberatum, & ad dignitatem restitutum. Quod autem agitur de peccato diaboli, hoc nõ est nisi ex quadam antithesi; vel vt ostendatur eius peccatum fuisse occasio peccati hominis.

¶ AD aliud vero dicendum est, quod non est simile de peccato tentationis, & de peccato iræ, vel superbiæ. Peccatum n. tentationis ordinem habet ad aliquam affectionem inordinatam priorem, nullus n. intendit nocere alteri, nisi vt prosit sibi, eo modo quo non congruit.

¶ Si vero obijciatur, quod potest homo aliquis primo peccare peccato tentationis: secundum quod homo tentat hominem ad seducendum. Dicendum est, quod etiam & in homine habente naturam corruptã, & in angelo semper præcedit aliqua alia affectio: natura n. incorrupta non inclinat primo ad nocumentum proximi, sed si est defectibilitas in ipso lib. arb. primo inclinat ad illud, quod pertinet ad propriam personam: secundo ad id, quod est in proximo. Vnde si homo esset in statu innocentiæ, non esset eius peccatum primum tentatio ad seducendum alterum: sed peruersio ex consideratione alicuius proprij boni apparentis.

MEMBRVM II.

An tentatio primorum parentum vna, vel plures fuerit?

SECVNDO quæritur: Vtrum fuerit vna sola tentatio, vel plures? Et videtur, quod vna sola: quia vni peccato respondet vna sola tentatio, inclinans ad illud: sed vnum fuit peccatum Euæ primum: ergo vna fuit tantum tentatio inclinans ad illud.

¶ Sed videtur cõtrarium: tentatio n. fuit respectu fructus esibilis: item, tentatio fuit respectu appetitus scientiæ: item, tentatio respectu appetitus essendi sicut Deus: ergo non fuit vna sola tentatio.

RESOLVTIO.

Vna ratione principalis motiui: plures ratione actuum motiuorum.

¶ AD quod respondendum, quod fuit vna tentatio: quia vbi vnum propter alterũ, totum reducitur ad vnum; tentatio autem fuit de inobedientia: motiuum autem ad illam transgressionem fuit appetitus inordinatus similitudinis diuinæ: & secundum hæc vnica fuit tentatio. Quod enim mouebatur Eua ad esum fructus vetiti, hoc fuit ratione illiciti desiderati, quod ei à diabolo promittebatur: cui non est credendum, cum ipse sit mendax & pater eius. Et ideo dicit Chrysost. *Promittit multa, non vt det, sed vt accipiat.* Et ideo non oportet ei credere vniuersaliter, sed & blandientẽ eum odire; & cum maiora promittit, tunc magis aduertere: quoniam & Euam quando eam magis spe extulit, tunc deiecit: & maxima ei operatus mala. Et sic principaliter vna fuit tentatio, quia vnum fuit principale motiuum: sed tamen plures ratione actuum coniunctorum, & motiuorum. Chrysost.

MEMBRVM III.

Si plures fuere primorum parentum tentationes, quæ earum prima, atque præcipua?

TERTIO quæritur, si aliquo modo fuerunt plures, quæ illarum fuerit prima? Erat enim tentatio aliquo modo de appetitu scientiæ: item de appetitu immortalitatis: de appetitu ipsius delectationis etiam in gustu: item super Matth. 4. dicitur, quod tentauit ipsum diabolus de gula, de auaritiã, de vana gloria. Si ergo plures erant aliquo modo, aliqua illarum fuit prima: potest ergo quæri, quæ illarum. Et videbatur, quod illa, quæ fuit de vana glotia, siue de superbia: hoc enim dicitur esse primum peccatum primorum parentum, secundumq; habetur super illud: *Superbi inique agebant vsque quaque* Gloss. *maximum peccatum est superbia, quia inde manauit origo nostri delicti: hoc telo diabolus nos primo vulnerauit.* Ergo prima tentatio fuit de superbia, siue vana gloria: quæ ad idem reducitur. Matth. 4. Psal. 118. Glossa.

¶ Sed videtur, quod fuerit tentatio prima de gula, per hoc quod dicitur Lucæ 4. Vbi agitur de tentationibus in principio: dicitur enim, quod eo ordine tentauerit Christum quo tentauit Adam: sed tentatio Christi incepit à gula: ergo tentatio primi parentis incepit à gula. Lucæ 4.

RESOLVTIO.

Appetitus excellentiæ.

¶ AD quod dicendum, quod motiuũ primum in omnibus tentationibus Adæ fuit appetitus excellentiæ, & ideo reducendæ sunt tentationes, si quo modo plures fuerunt, ad illam, tanquam ad primam.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod dicitur tentatio gulæ prima propter hoc, quod secundum illam quasi consequenter contractum est originale peccatum. Vnde dicitur prima ad hoc; & si non dicatur prima simpliciter. Tentatio enim superbiæ, vel auaritiæ

titiæ fuit de peccato spirituali: tentatio vero gulæ fuit de peccato carnali: traductio autem corruptionis ex parte carnis accipiebatur. Vel aliter potest dici, quod tentatio de gula fuit prima: licet actus non esset primus: sicut enim habetur, diabolus primo dixit per serpentē ad mulierem, Gen. 3. *Quare præcepit vobis Deus, vt non comedatis de omni ligno Paradisi?* deinde vero quia intellexit Euam dubitare, dicentem. Ibid. *Ne forte moriamur*; secutum est, quod dixit serpens. Ibid. *Nequaquam moriemini*: tertio vero subiungitur. Ibid. *Eritis sicut dij scientes bonum & malum.*

MEMBRVM IV.

An tentatio primorum parentum facta fuerit mediante aliquo sensibili?

QVARTO quæritur, vtrum tentatio primorum parentum facta fuerit mediante aliquo sensibili. Et videtur, quod non: quia esse scientem sicut Deum, est cognoscibile ab intellectu per se, non mediante sensibili: vnde cum diabolus intenderet suggerere hoc, quod appeteretur ab Eua, potuit hoc suggerere, non mediante aliquo sensibili.

¶ ITEM, ad idem August. (August. in lib. 3. de lib. arbit.) *Discernenda sunt genera visorum, quorum vnum est, quod proficiscitur à voluntate suadentis, quale est illud diaboli, cum homo consentiendo peccauit: alterum subiacentibus rebus, vel intentationi animi, vel sensibus corporis.* Ex quo accipitur, quod à voluntate suadentis processit illud peccatum siue illa tentatio, cui mulier consentiendo peccauit.

¶ CONTRARIVM ostēditur per hoc, quod dicit Bern. super Cantic. (Bern. super Cant. ca. Rom. 10.) *Sicut primo intrauit mors per auditum: ita primo & vita: fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

RESOLVTIO.

Mediante vtique sensibili, sed de re intelligibili.

¶ AD quod dicendum, quod tentatio fuit mediante sensibili, sed de re tamen intelligibili primo.

¶ AD obiecta autem in contrarium. Dicendum est, quod receptio illius speciei intelligibilis bene potuit esse per se, non mediante sensibili: quia vero tentatio hominis, qui ab initio creatus est rectus, & compositus est ex parte intelligibili, & sensibili; conuenientius incepit à parte infirmiori: infirmior autem fuit pars sensibilis: ideo à parte sensibili incepit tentatio: & hæc fuit mediante sensu. Mediante vero auditu conuenienter primo, quia est susceptiuus locutionis, locutio aūt communis est ipsis angelis, & hominibus in corporibus assumptis, & ideo conuenienter primo tentatio facta est per auditum, ab auditu aūt transiit ad visum, & postusq; ad olfactum, & post vsque ad tactum, & vltimo vsque ad gustū: & hoc vltimum simpliciter fuit prohibitum. Gen. 3. Quod enim dicitur: *Ne tangeremus illud*; loquitur de tactu, prout gustus est quidam tactus: vel de tactu ordinato ad gustum.

¶ AD secundum vero quod dicit August. (August. in libr. de lib. arb. c.) Dicendum, quod loquitur ibi de visu interiori, quod fuit similitudo excellentiæ diuinæ: quod & si apprehendi potuit ab intellectu humano non mediante signo sensibili: tamen propter infirmiorem partē ex illa parte mouit hominem ipse diabolus. Secus enim est in intellectu nostro iam vitiato * (* Alias, quoniam.) quem potest tentare diabolus non mediante sensu: & de intellectu hominis existente recto, à principio.

MEMBRVM V.

An recte primorum parentum tentatio per serpentem medium facta sit.

QVINTO quæritur, quare facta fuit mediante serpente. Videtur enim cum diabolus habuerit posse assumendi corpus aereum in similitudine corporis humani: quod in illo corpore conuenientius debuerit tentasse hominem.

¶ ITEM, multa sunt alia animalia prætendentia delectabile homini; vt columba, & alia genera animaliū; quæ consonia sunt homini: videtur ergo quod per huiusmodi genera animalium magis congrueret tentasse hominem ad seductionem.

¶ ITEM, sunt multa genera animalium, vt auium, quæ conuenientius habent organum ad formandum vocem, similē * homini: (* Alias, locutioni.) cum ergo per illam partem inciperet tentatio, conuenientius fieret per huiusmodi animalia volatilia.

¶ PRÆTEREA, sunt quædam animalia, quæ assimilantur in figura homini, vt simia: conuenientius ergo per illud, quod vicinum erat, fieret tentatio.

¶ ITEM, occasione huius quæritur de hoc, quod dicitur in Gen. *quod serpens erat callidior cunctis animalibus*: & secundum litteram 70. interpretum dicitur, *prudentissimus bestiarum.* (Genes. 3.) Videtur enim quod in genere animalium apes prudentiores dicantur; & formicæ similiter: & multa etiam genera animalium, de quibus legitur in Lib. de Naturis animalium.

¶ PRÆTEREA, nunquid elegit diabolus serpentem ad tentandum per ipsum: an hanc potestatem habuit per aliud genus animalis tentare?

RESOLVTIO.

Cum motus tentationis interioris quam maximè cum motu serpentis conueniat: iure per ipsum medium primorum parentum tentatio facta est.

¶ AD primum dicendum, quod licet posset assumere corpus aereum; non tamen in illo conuenientius tentasset: non enim tentatio conuenientius fit, nisi per assueta naturæ: tentatio vero in huiusmodi corporibus assumptis non fuit tunc assueta naturæ.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet alia animalia sint magis consona naturæ hominis: per serpentem tamen permissus est tentare: serpens n. ille (sicut dicit Beda) vultum habuit virgineum: vt per simile facilius deciperet: similitudo enim mater est falsitatis. Præterea, serpens habet quendam lubricum motum & suauē: vnde conuenit motui tentationis interioris, qui est lubricus & leuis. Vnde August. (August. in lib. 12. de Trinitate.) Quomodo coluber non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit: sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat: & incipiens à peruerso appetitu similitudinis Dei, venit ad similitudinem pecorum. Inde est, quod nudati stola prima, pelliceas tunicas mortalitatis meruerunt: honor autem hominis fuit similitudo Dei: dedecus similitudo pecoris: ideo dicitur: (Psal. 48.) *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus.* Iumenta autem dicuntur, ea quæ data sunt homini in adiutorium.

¶ AD tertium vero dicendum, quod licet sint multa animalia, quæ habent organum ad formandum vocem similem locutioni hominis; nō tamen per illa oportuit fieri tentationem primā: non n. requiritur conuenientia organi maior; cum diabolus per ipsum serpentem loqueretur: qui potestatem habebat formandi vocem similem locutioni, vel etiam locutionem. Sicut n. dicit Aug. (August. 11. super Gen. ad litt. cap. 29.) *Diabolus per serpentem locutus est, vtens eo velut organo, mouensq; eius naturam eo modo, quo modo ille mouere, & moueri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem.*

¶ AD quartum vero dicendum, quod licet serpens habeat vultum virgineum, vel similem homini; & nunc habeat vultum terribilem: tunc tamen non habuit: vnde potuit congruentius tentare, quam per animal, quod assimilatur nunc homini in figura. Et hoc maxime, vt persignaret, quod hominē, qui rectus erat creatus à principio (sicut dicitur Eccles. 8.) (Eccles. 8.) intenderet incuruare per affectū vt coniungeretur terrenis. Inter vero animantia illud, quod plus incubit terræ, est reptile: & ideo serpens dicitur, quia serpit. Sed tamen hoc videtur dici in pœnam in Genes. (Genes. 3.) *Pectore & ventre repes*: magis tamen vt videtur in pœnam diaboli dici, propter hoc quod habetur: (Gen. 1.) *Fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ.*

¶ AD quintum vero dicendum, quod serpens non dicitur callidior vel prudentissimus ratione naturæ suæ: sed ratione operationis diaboli in ipso. Vnde Aug. (August. 11. super Gen. cap. 2.) *Serpens ille non irrationali anima sua, sed alieno iam spiritu, id est, diabolico, potest*

test sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim praeuaricantes angeli de supernis sedibus merito suae peruersitatis deuecti sint, natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum si suo instinctu diabolus iam implens serpentem, eiq; suum spiritum inserens eo more, quo vates daemoniorum implere solet, sapientissimum eum reddiderat omnium bestiarum secundum animam irrationalem? Sapientia autem hic accipitur ad malum, non ad bonum.

¶ Ad sextum dicendum, quod non fuit in electione diaboli eligere animal, quod vellet: sed quod ei concessum fuit. Vnde Aug. *Non debemus sane opinari, quod serpentem sibi, per quem tentaret, suaderetq; peccatum, diabolus eligeret: sed cum esset in illo propter peruersam & inuidam voluntatem decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est: nocendi enim voluntas potest ei esse à se; non est autem potestas nisi à Deo.*

Aug. lib. 11. sup. Gen. ad litteram ca. 3. To. 3.

MEMBRVM VI.

An sonus per serpentem emissus, à diabolo, vel ab ipsomet serpente formatus, & expressus fuerit?

SEXTO quaeritur, Vtrum sonus emissus per serpentem, fuit formatus à diabolo, & expressus per serpentem: vel à serpente formatus, & expressus? Et videtur, quod diabolus mouerit linguam serpentis ad exprimendam huiusmodi locutionem, ita quod distinctio non esset ex potestate animae sensibilis in serpente, per hoc quod dicit August. *In igne & in ... modo, loquendi mouent: ita in ore animalis plectrum linguae gubernauit.* Loquitur de asina Balaam; de qua idem dicit sic: *Locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam, locuta est: nisi quod illud fuit opus diaboli, hoc angelicum.*

Aug. in li. de mirabil. Sacrae scrip. ca. 14. Idem in 11. super Genes. ad litt. c. 29 Idē in eod.

¶ Idem Aug. in eodem libro: *In serpente locutum est, vtens eo velut organo, mouensq; eius naturam eo modo, quo ille mouere, & illa moueri potuit, ad exprimendos sonos verborum.* Ex quo accipitur, quod ipsa formatio fuit ab ipsa virtute diaboli.

¶ SED videtur contrarium, quod possit formari ab ipsa sensibili anima immediate, per hoc, quod dicit August. *Intelligimus Deum nihil in natura linguae mutasse.* Ergo pari ratione nec diabolus in lingua serpentis: ergo ipsa anima sensibilis ipsius serpentis ex sua potestate proxima formauit sermonem.

Idem de mirabilib.

¶ Item, in homine cum à rationali procedit sermo, procedit mediante virtute sensibili: ergo mediatū principium ad formandum locutionem est anima sensibilis. Pari ratione videtur hic esse, diabolus mouit animam sensibilem ipsius serpentis, & ipsa mota mouet ad formationem sermonis, siue locutionis.

RESOLVTIO.

Prout discretus, litteratus & ad placitum significatiuus sonus fuit, non nisi à daemone esse potuit.

¶ AD quod dicendum, quod non fuit ex virtute animae sensibilis in ipso serpente, tanquam à sufficienti principio: sed fuit à virtute diaboli. De se enim habet anima sensibilis in animalibus habentibus cor & instrumēta vocalia, quod possit formare vocem: sed ipsa discretio vocis literatae cum significatione est à motore rationali. In hoc autem differt lingua hominis, quod habet possibilitatē perfecte ad hoc: sed lingua serpentis & aliorum brutorū imperfecte. Vnde non fuit noua potestas data linguae serpentis in ista formatione vocis literatae: sed potestas, quam habuit imperfecte, redacta fuit ad actum per diabolū ex permissione diuina. Et dicit Remig. quod *labia, cymbalum, & dentes ad hoc, quod fit locutio ex plectro linguae, & motor sufficiens, sunt ea, per quae potest formari vox literata.* Non ergo videtur miraculum proprie dictum ibi esse, sed mirabile: quia nihil mutatum est in dispositione instrumenti. Et si inueniatur nomen miraculi, pro mirabili videtur accipiendum.

Remigius.

MEMBRVM VII.

An studiose diabolus à muliere tentationem suam exorsus est.

SEPTIMO quaeritur, quare tentauit primo mulierem, & per mulierem virum. Cum enim in viro tota esset natura humani generis, diabolus autem humano generi inuideret, & propter hoc tenderet ad ruinam eius, immediate debuisset tentasse virum.

¶ Praeterea, viro facta fuit prohibitio; ergo cum tentatio esset ad transgressionem praecepti faciendam, tentatio debuit fieri viro immediate, & non mulieri: cum ipsi mulieri non fuit facta prohibitio, tanquam nondum existenti.

¶ CONTRA, Aug. *Corpore sibi subiecto, & tanquam instrumento abutens, fallaciam sermocinatus est feminae: sic à parte inferiori illius humanae copulae incipiens; vt gradatim perueniret ad totum.* Ex quo accipitur, quod à parte inferiori, scilicet mulieri conuenienter incepit tentatio. August. 12. de Trinit.

¶ Ad idem videtur, quod dicitur: *A muliere initium peccati: per illam enim omnes morimur.* Ecclesi. 25.

RESOLVTIO.

Vtique, vt sic ab imis ad summa gradatim ascenderet.

¶ AD quod respondendum, quod conuenienter facta fuit tētatio quo ad initium ex parte mulieris: ex parte enim inferiori humani generis aditum quaesiuit ipse diabolus; sicut contingit in vnoquoq; nostrum: vt sic gradatim ascēderet, & tandem consummaretur tentatio.

MEMBRVM VIII.

An tentatio diaboli eo modo in nobis compleatur, quo modo & in primis parentibus completa est, scilicet per partem sensibilem?

OCTAVO quaeritur, Vtrum consimili modo compleatur in nobis tentatio diaboli, quomodo completa est in primis parentibus. Ad quod dicit August. *Non possumus à diabolo tentari, nisi per illam partem, quae quasi imaginem, vel exemplum mulieris in homine ipso ostendit.*

Augu. in 2. sup. Gen. aduersus Manich. Idem 12. de Trinit.

¶ Similiter in 12. de Trinit. *Sicut in illo manifesto coniugio duorum hominum, qui primi facti sunt, non manducauit serpens de arbore vetita, sed tantum manducandum persuasit: mulier autem non sola comedit, sed viro suo dedit: ita quod in vno homine geritur carnalis sensus, vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi se: & tunc velut serpens alloquitur foeminam, huic autem illecebrae consentire, est de ligno prohibito mādu care. Sed iste consensus si sola animi delectatione cognitionis contentus sit: superioris vero auctoritate consilij membra retinentur, vt non exhibeantur membra iniquitatis peccato: sola mulier velut cibum vetitum comedit. Si vero ita decernitur quodcunq; peccatum, vt si sit potestas, opere compleatur: intelligenda est mulierem dedisse viro suo, secum edendo illicitum cibum.* Ex quo accipitur, quod tentatio in nobis agitur cōsimiliter, quemadmodum in primis parentibus.

¶ Sed videtur contrarium: nonne tentatio diaboli aliquando fit, qua tētat hominem de infidelitate: hoc autem non fit mediante sensibili parte, cum sit res sensibilis: ergo non videtur, quod consimiliter agatur tentatio in nobis, quemadmodum in primis parentibus.

RESOLVTIO.

Tametsi interdum in nobis per partem intelligibilem tentatio fiat: habilius tamen per partem sensibilem fit.

¶ AD quod respondendum, quod non tantum fit tentatio in nobis per partem sensibilem, sed per partem intelligibilem: maior tamen habilitatio tentationis est à parte sensibili.

¶ Ad illud vero, quod dicit August. aduersus Manich. dicendum est, quod non posse, dicitur multipliciter: vel vt remoueat omnem potentiam: vel vt remoueat ampliorem dispositionē potentiae. Et hoc vltimo modo dicitur, quod non possimus tentari à diabolo, nisi per partem animalem id est, per illam partem sumus dispositi & proni. Vel animalis pars potest dici pars rationalis, quae conuertitur ad corpus: & secundum hunc modum verum est, quod non est tentatio nisi per partem animalem.

¶ Ad illud vero, quod dicit Aug. in lib. de Trin. soluendum est per hoc, quod dicit [*cum intentione mentis*] quae in rebus temporalibus & corporalibus propter actionis officium ratiocinandi viuacitate versatur: carnalis ille sensus vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi se: *tunc velut serpens alloquitur foeminam.* Vnde non vult dicere, quod semper serpens, id est sensualis motus in omni tentatione ingerit illecebram: sed cum de rebus temporalibus & corporalibus est intentio.

MEMBRVM IX.

An iure permiserit Deus tentationem primorum parentum?

NONO quæritur, quare Deus permisit tentationem huiusmodi primorum parentum fieri, cum ex huiusmodi tentatione esset tantum malum humano generi perventurum.

RESOLVTIO.

Vtique: vt sic virtus exerceretur, palma gloriosior asportaretur, & malum culpæ per malum pœnæ ordinaretur.

Aug. 11. super Genes. ¶ AD quod dicendum per hoc, quod dicit Augustinus: *quod melius fuit creare hominem, qui posset non consentire tentationi, quam qui non posset tentari.* Ex hoc enim exercetur virtus, & est palma gloriosior, non consensisse tentationi; quam non posse tentari, & licet magnum malum futurum esset; non hoc fuit per opus Dei, sed per opus ipsius hominis. Quod autem facturus erat homo propria voluntate per culpam, Deus ordinauit æquitate per pœnam: & vt aliis esset ad cautelam. Hic autem attendendum: quod aliter fuit tentatio mulieris per serpentem: & aliter viri per mulierem: quæ vtraque permissa est à Domino. Serpens enim non intelligebat sonos verborum, qui per illum fiebant ad mulierem: mulier vero intelligebat. Vnde ipse diabolus per serpentem tentauit, non ipse serpens tentauit: mulier autem tentauit virum, non autem ipse diabolus.

QVÆSTIO CIV.

De peccato primorum parentum, Adæ scilicet, & Euæ.

In nouem Membra diuisa.

D Thom. 2. 2. q. 163. S. Bon. in 2 d. 21 ar. 3. & d. 22 per totum Sco. ibid. COMPLETO Tractatu de Tentatione diaboli in generali, & in speciali, secundum quod tentauit primos parentes: consequenter dicendum est de peccato hominis. Completus enim est Tractatus de peccato diaboli in se, & in comparatione ad hominem. Triplex autem attenditur peccatum hominis: fuit enim quoddam peccatum, in quo persona corrupit naturam: & illud fuit peccatum primorum parentum. Fuit aliud peccatum, in quo natura corrupit personam: & illud dicitur originale. Fuit tertium, in quo persona corrumpit personam: & hoc dicitur peccatum actuale: & adhuc non cessat corrũpere: quotidie enim perpetratur actuale peccatum. Primo ergo dicendum est de peccato primorum parentum, quod erat primum tempore & causalitate inter peccata hominis. Secundo dicendum est de peccato originali. Tertio de peccato actuali, quod quotidie perpetratur: quod etiam cõtinet peccatum primorũ parẽtum, quo ad hoc quod persona corrupit personam. In peccato enim primorũ parẽtum & persona corrupit personam, & persona corrupit naturam. Quo ad hoc, ꝙ persona corrupit personã, cõtinetur sub actuali peccato: quo ad hoc vero, ꝙ persona corrupit naturam; habet propriam rationum, vt dicatur origo omnium peccatorum.

¶ Circa ergo peccatum primorum parentum hæc quæri possunt. Primo, quod fuit genus peccati. Secundo, de causa peccati. Tertio, de quantitate peccati respectu aliorum peccatorum. Quarto, de comparatione peccati Adæ ad peccatum Euæ. Quinto, vtrum peccatum illud fuit remediabile. Sexto, vtrum Adam potuit peccare primo venialiter. Septimo, de gradibus peccati. Octauo, de tempore peccati.

MEMBRVM I.

Quod fuerit peccatum primorum parentum?

CIRCA primum, quo quæritur, quod fuit genus peccati; sic obiicitur: videtur enim, quod primum peccatum sit superbia: diabolus enim traxit hominem ad consimile peccatum illi, quo ipse ceciderat; sed ceciderat peccato superbiæ: ergo primi parẽtes peccauerunt peccato superbiæ.
August. ad Orosium Ad idem Aug. *Elatus superbia, suasioni serpentis obediens, præcepta contempsit.* Eccl. c. 12. Item: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab illo, qui fecit illum, recessit cor eius.* Ad idem Bern. Bern. super Cantica. *Ambo, diabolus scilicet & homo meditati sunt, altitudinem affectantes, ille potentiæ, iste scientiæ.* Ergo homo peccauit elatione scientiæ.
Rom. 5. Itẽ: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi* &c. iuxta quod Aug. Aug. super Genes. *Non potuit melius & diligẽtius cõmendari* * *quam malum sit sola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est homo: quia eam rem tetigit contra prohibitionẽ, quam si non prohibitus tetigisset, non vtiq. peccasset.* * Al as, quantum. Ex quibus cõcluditur, cum inobedientia sit filia superbiæ, quod peccauerit peccato superbiæ. Similiter in eodem libro dicitur: *Infuit menti eius amor quidam propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.* Sed præsumptio ad superbiam reducitur: & ita fuit peccatum superbiæ.

¶ Sed videtur contrarium, quod fuit peccatum auaritiæ: fuit enim appetitus in eo scientiæ: auaritia autem non tantum est appetitus pecuniæ (sicut dicit Gregor.) sed & scientiæ, & altitudinis, & huiusmodi. Gregor. Cum ergo habuerit appetitum scientiæ, sicut innuitur Genes. 3. videtur, quod in ipso fuerit peccatum auaritiæ. Genes. 3.

¶ Item, videtur, quod sit peccatum erroris. Adam enim non fuit seductus, sed mulier: sicut habetur ad Timoth. 1 ad Tim. 2 & exponunt aliqui, non fuit seductus in eo, in quo Eua: vel non in tantum seductus, quantum Eua: ergo fuit peccatum erroris: credere enim quod posset esse sicut Deus, est peccatum seductionis, vel erroris: ergo fuit ibi peccatum erroris.

¶ Item, videtur, quod esset peccatum gulæ: dicit enim Ambros. quod *eo ordine tẽtauit Christum, quo primum hominem deiecerat*: Ambros. super Lucam sed Christum primo tentauit de gula: ergo peccatum, quo deiectus fuit primus homo, fuit gula.

RESOLVTIO.

Primum & præcipuum Superbia: proximũ vero ei immediatũ Gula.

¶ Ad quod respondendum, quod peccatum illud, quo primo mouebatur, fuit superbia: appetebat enim similitudinem scientiæ diuinæ: sicut diabolus appetiit similitudinem potentiæ diuinæ: ex hoc appetitu processit vlterius ad appetendum fructum prohibitum: ex appetitu vero secuta est comestio. Si vero dicatur primum, quod est immediatum & proximum, per quod dicitur transfusa corruptio mediante carne humana, dicetur illud peccatum esse peccatum gulæ.

¶ Ad illud ergo, quod obiectum est, dicendũ est, quod cum obiicitur de præsumptione vel inobedientia, totum reducitur ad peccatum superbiæ: ratio enim contemnendi præceptum ad superbiam reducitur: similiter præsumptio propriæ potestatis. Vnde sicut habetur super Genes. dicitur in persona ipsius. Expertus quid mali habeat præsumptio propriæ potestatis, & quid bonum adiutorium gratiæ, dicit Psal. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Psal. 29.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod fuit peccatum gulæ, dicendum est, quod peccatum gulæ fuit primum, id est immediatum: ex quo secuta est corruptio humanæ naturæ: & de illo fuit primus sermo à diabolo, cum dictũ est: *Cur præcepit Deus vobis* &c. Genes. 3. Sed vt ad illud moueret, præessit appetitus elationis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de peccato erroris, siue seductionis: dicendum est, quod non fuit ibi peccatum erroris; licet seducta esset Eua: non enim omnis seductio est infidelitas: sed illa, quæ est circa credibilia fidei. Cum autẽ dixit ei diabolus: *Eritis sicut dij*, non errauit in illo articulo, Ibidem. quod vnus solus est Deus, credendo ꝙ possent plures esse Dij: est enim hoc nomen *Deus* nomen vnius solius Dei natura: nihilominus tamen est nomen eorum, qui dicuntur dij participatiue, vel adoptione; sicut dicitur: *Ego dixi dij estis.* Psal. 81. Hoc autem modo credidit esse sicut Deus: sed non illo modo, quo erat participatura, sed vltra illud: & ideo peccauit in appetitu elationis, & cõcomitabatur quædam deceptio rationis. Cum enim homo secundum voluntatem peccat, secundum rationem decipitur, vel errat: nec est ille error tempore præcedens peccatum illud, sed simul erat: vt peccatum, quod est in lib. arbit. constitueretur in illis duobus, quod scilicet erat rationis, & quod erat voluntatis.

¶ Ad illud

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de peccato auaritiæ, dicendũ est, quod auaritia dupliciter dicitur: vno modo proprie, secundo modo communiter, secundum quod dicitur: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Fuit ergo ibi peccatũ auaritię, non secundũ q̃ proprie dicitur auaritia in amore diuitiarũ: sed secundum q̃ cõmuniter dicitur appetitus cuiuscunq; delectabilis indebiti: & sic dr̃ radix omniũ malorũ.

1. ad Tim. vltimo.

¶ OCCASIONE eius, quod iam dictũ est, videtur quod sint plura peccata; peccatum superbiæ, & peccatum gulæ: & ita non tantum vnum peccatum. Ad quod dicẽdum est, quod vnum erat quodammodo peccatum: quia vnum erat propter alterũ. Non sic aũt fuit in diabolo: diabolus enim tantũ habuit spiritualẽ essentiam: homo vero habuit compositã substantiam ex essentia spirituali, & corporali. Vnde duplicẽ habuit volũtatem: vnam ex parte ipsius spiritualis essentię in se, alteram ex ordinatione ad corpus: vnam de re intelligibili, alterã de re sensibili. Vnde quasi fuit multipliciter peccatũ eius ex parte spiritualis essentiæ: in se fuit appetitus excellentiæ in scientia vltra debitum: ex parte vero spiritualis essentiæ in ordinatione ad corpus erat appetitus delectabilis sensibilis contra debitum: & quia vnum propter alterum, quasi compositũ est peccatum & vnum. Præterea, in relatione ad diuersas vires posset dici multipliciter. Nam inquantum fuit appetitus scientiæ deiformis inordinatus, peccatum dicitur ipsius rationabilis: inquantũ autem præsumptio propriæ potestatis, peccatũ irascibilis: inquantum autẽ appetitus delectabilis secundum gustum contra vetitum, ipsius concupiscibilis. Secundum autem quod appetitus erat delectabilis secundum gustum contra vetitum, ex amore propriæ excellentiæ in scientia vnum est peccatum. Item rationabile est considerare differenter: in se, & in ordinatione ad sensibilem & ad vegetabilem. Secundum quod in se appetitus fuit indebitus scientiæ: secundum ordinationẽ vero ad sensibilem, fuit appetitus indebitus immortalitatis: secundum ordinationẽ vero ad vegetabilẽ, fuit appetitus indebitus in re cibata: nihilominus tamen iste triplex appetitus ad vnam reducitur radicem.

Quæst. incidentalis.

MEMBRVM II.

A quo primi parentes ducti sint ad peccandum?

SECVNDO quæritur, quæ sit causa huius peccati, scilicet quod sit motiuum. Et videtur, quod similitudo æquiparantię in scientia deiformi; dicitur enim in Psal. super illud: *Quod non rapui, tunc exoluebam*, Adam & Eua voluerunt rapere diuinitatem, & amiserunt felicitatem. Ex quo accipitur, quod motiuum fuit similitudo Dei; & non eo modo, quo debite possent peruenire: ergo fuit ibi appetitus similitudinis æquiparantiæ.

Psal. 68.

¶ Contra, hoc est tale appetibile, quod nullatenus in rationem hominis videtur cadere, cum omnino sit impossibile; nec ratio habeat ad hoc aliquam inclinationem: ergo hoc non fuit motiuum in primo parente.

RESOLVTIO.

Ab appetitu similitudinis æquiparantiæ Dei ita similitudine Deiformitatis in scientia.

¶ AD quod dicendum est per simile de peccato diaboli, prout dicit Ansel. Voluit esse similis similitudine æquiparantiæ; sed similitudine deiformitatis in scientia: & ad illud potuit peruenire: sed quia hoc voluit propria auctoritate, & non expectare à gratia Dei per meritum; voluit sibi vsurpare, quod Dei erat: & ideo dicitur, quod Adam & Eua voluerunt rapere diuinitatem.

Ansel.

¶ Ad hoc autem, quod posset obiici per hoc, quod dicitur super illud: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* ibi dicitur in Gloss. *Non vsurpauit, quod suum non erat, scilicet æqualitatem Dei, vt diabolus fecit, & primus homo.* Dicendum est, quod sic est intelligendum: quod aliquid tale voluit primus homo, quod si eo modo habuisset, quo voluit, haberet illud, quod non habet nisi Deus: & ita per consequens voluit æqualitatem. Habere enim deiformitatem scientiæ non ex gratia, non habet nisi qui æqualis est Deo: & tamen non est idem habere deiformitatem in scientia, & esse æqualem Deo.

Philip. 2. Glossa.

MEMBRVM III.

An peccatum primorum parentum peccatorum omnium maximum fuit?

TERTIO quæritur de quantitate peccati huius in comparatione ad alia peccata. Et videtur, quod hoc peccatum sit maximum: eum enim mensura peccati respondeat mensuræ pœnæ, & econuerso: maxima autem pœna fuit huius peccati: ergo hoc peccatum fuit maximum. Quod autẽ maxima fuit pœna huius peccati, patet per hoc, quod dicit Augustinus: *Hæc causa extitit, vt mortis periculum incurreret: & ab illo vno homine omnis humana natura vitiata est, & mortalitati obnoxia.* August. ad Orosium.

¶ Item, Augustinus: *Post peccatum exul effectus est Adam; stirpem quoq; suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnationis astrinxit: vt quicquid prolis ex illo & simul damnata, per quam peccauerat, coniuge per carnalem copulam nasceretur, traheret originale peccatum.* Idem in Enchir.

¶ Similiter dicit Cassiod. *Inde propagatur interitus, inde humani generis nutrita est defectio, inde ignorantia rationis contraria, inde noxia cura, inde pœnitendi consilia, inde obscurata cognitio, turpe desiderium, iustitia neglectus.* Ex quibus authoritatibus colligitur, quam maxima fuit pœna istius peccati, scilicet corruptio humani generis. Cassiod. de anima.

¶ Item, probat Augustinus: quod hoc peccatum fuit maximum, quia maxima fuit inobedientia: quanto enim fuit præceptum facilius ad obseruationẽ, tanto maior fuit inobedientia. Vnde Augustinus: *Quisquis huiusmodi damnationem nimiam vel iniustam putat mꝫ tiri, profecto nescit quanta fuerit in peccando iniquitas, vbi tanta erat in non peccando facultas.* Et hoc probat quasi à contrario dicens: *Sicut enim Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia vt occideret filium, res difficillima est imperata: ita & in paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius fuit difficultatis.* Aliam rationẽ ostendit ad idẽ dicens: *Sicut obedientia secundi hominis* (scilicet Christi) *eo prædicabilior est, quo factus est obediens vsq; ad mortem: ita & inobedientia primi hominis eo detestabilior est, quo factus est inobediens vsq; ad mortem. Vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quis nam satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?* Ex his colligitur, quod maximum fuit peccatum in comparatione ad alia peccata. Aug. in lib. de ciu. Dei. Idem 14. de eadem. Idem. Idem.

¶ CONTRA. Vita Christi excellit incomparabiliter vitam aliarum creaturarum: ergo mors eius improportionabilis est morti aliarum creaturarum: ergo peccatum interfectionis Christi est maius aliis peccatis: non ergo peccatũ primorum parentum est maximum.

¶ Ad idem facit, quod dicit Augustinus: *Grauissimum est scelus occisi Christi: ex quo omnes sunt eradicati ex ipsa Hierosolyma, quæ erat caput regni, & per totum orbem dispersi.* Idem in lib. de consensu Euangelistarum.

¶ Item: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem non habent excusationem de peccato.* Sed illud peccatum maius fuit, quod nullam habet excusationem; quam illud quod aliquam habere potest: illud autem peccatum, de quo dicitur in Euangelio, nullam habet excusationem: ergo maius est peccato primo, quod aliquam potuit habere * inclinationem. Videtur enim, quod aliquam excusationẽ habere potuit Adam, eo quod noluit contristari delitias vxoris suæ: & quod illud peccatum non esset tanta pœna dignum, immo veniale. Ioan. 15. Ioan. 15.

¶ Similiter obiicitur de peccato Luciferi, quod videtur esse maius peccatum aliis peccatis: eo quod sit causa prima omnium peccatorum.

RESOLVTIO.

Non maximum, sed magnum propter magnitudinem pœnæ, vel damni inde secutam.

¶ AD quod potest responderi, quod peccatũ potest dici maius alio peccato, vel secundũ rationẽ eius, in quem peccatur, propter magnitudinẽ iniuriæ: vel propter magnitudinem damni vel pœnæ consequentis peccatũ: vel propter magnitudinẽ causalitatis ad peccãdũ. Primo modo dicitur peccatũ Iudæorũ maximũ peccatũ: secundo modo dicitur peccatum primorum parentum maximũ: tertio vero modo dicitur peccatum Luciferi maximum peccatum.

¶ Et per

¶ Et per hoc possunt solui obiecta. Dicendum ergo est, quod peccatum primorum parentum maximum est ratione damni, vel pœnæ, quæ ita se extendit in genus humanum.

¶ Ad rationem vero secundam, dicendum est, quod ex ratione August. non determinatur, quod illa inobedientia fuerit maxima: sed solum quod magna valde. Quod patet ex eo, quod aliquid æque facile potuit præcipi, & potuit transgressio sequi.

¶ Ad tertium vero dicendum est, quod non sequitur, quod inobedientia primi parentis fuerit maxima: sed in hoc detestabilior, quoniam habebat naturam bene institutam: nos autem habemus naturam corruptam: vnde minus habuit inclinationis ad cadendum.

MEMBRVM IV.

An eodem & æquali peccati genere ambo parentes, tum scilicet Adam, tum Eua peccauerint?

QVARTO quæritur de comparatione peccati Adæ ad peccatum Euæ. Et videtur primo, quod idem esset genus peccati: vterq; enim peccauit gula, vterq; superbia. Dicitur enim super illud Psal. Quæ non rapui, &c. Adam & Eua voluerunt rapere diuinitatem, & amiserunt felicitatem.

1. ad Tim. 2. Genes. 3. ¶ Contra: *Vir non est seductus, sed mulier.* Ergo Adam non credidit diabolo dicenti: *Eritis sicut dij*, Eua vero credidit.

Aug. super 1 ad Tim. 2. ¶ Item Augustinus: *Non est credendum, quod vir spirituali mente praditus, voluit esse sicut Deus.*

Idem. ¶ Item Augustinus: *Sicut Salomon adorauit idola, licet non crederet, ea esse adoranda, sed ne suas delitias contristaret: sic & Adam de ligno vetito comedit, ne vxor sua, vel odio, vel ira, vel inuidia tabesceret.* Ergo Adam non peccauit superbia.

RESOLVTIO.

Quia Adam Euam sicut debuit, non correxit, illius peccatum factum est suum: vnde eodem peccato peccasse dicendi sunt. Sed alter altera grauius; illa ratione ingratitudinis, inobedientiæ & damni: iste ratione appetibilis, motiui & inclinationis.

1 ad Tim. 2. ¶ AD quod respondetur, quod quamuis Adam non voluerit esse sicut Deus; quemadmodũ dicit Apostolus: *Vir non est seductus*, tamen peccatum mulieris ei imputatur: quia cum eam corrigere deberet, non correxit, sed ei consensit. Cum ergo facientes & consentientes pari pœna puniantur: peccatum Euæ factum est suum.

Quæst. incidentalis. Aug. super 1. ad Tim. 2. ¶ SED incidit quæstio de verbis Augustini: *Non est credendum, quod homo spirituali mente praditus* &c. nonne mulier habuit spiritualem mentem. Item, nonne Lucifer clarius videbat in speculo æternitatis, quam Adam? Respondetur, quod quiddam spirituale datum est Adæ, quod nec mulieri, nec angelo: quia cum in eo immisit Deus soporem, id est extasim, raptus est (sicut dicit authoritas) ad curiam angelorum: & vidit coniunctionem Christi & Ecclesiæ futuram esse. Et licet casum suum non præuiderit, potest tamen esse, quod inspexerit hominem casurum, & secundum filij Dei carnis assumptionem restituendum.

Bernar. ¶ Contra B. Bern. *Lucifer vidit rationalem creaturam assumendam in vnitate personæ filij Dei*: ergo ita fuit spirituali mente præditus sicut Adam. Respondetur, non est contrarium: quia Lucifer statim in sua visione superbiuit, & spiritualem mentem perdidit; quod Adam non fecit: & fortasse alia secreta reuelata sunt Adæ, quæ non Lucifero.

Quæstio lateralis. Aug. super Genes. ¶ DEINDE quæritur, quod illorum fuit maius peccatum: vel si fuerit æquale? Et videtur, quod æqualiter peccauerunt: quia dicit Aug. quod impari sexu, sed pari fastu peccauerunt.

¶ Ad quod respondetur, quod par fastus fuit, quantum ad comestionem; non quantum ad effectum: quia mulier appetiit esse sicut Deus, non vir: vel potest dici pari fastu in genere, non in quantitate.

¶ DEINDE ostenditur, quod plus peccauit Eua, quam Adam. Adam enim non est seductus, sed Eua: seductio autem fuit in hoc, quod credidit se posse esse sicut Deus: ergo detestabilius fuit peccatum Euæ.

¶ Item, peccatum Euæ fuit causa peccati Adæ, & non econuerso: ergo quo ad hoc maius. Vnde: *A muliere initium peccati, per illam omnes morimur.* Ecclef. 25.

¶ Item, Eua minus debebat credere suasioni factæ per serpentem, quam Adam suasioni factæ per Euam: ergo plus peccauit credendo.

¶ Contra, Adæ fuit factum præceptum primo: ergo maior fuit eius inobedientia: ergo maius peccatum.

¶ Item, per vnius obedientiam (dicitur ad Rom. 5.) peccatores sunt multi. Et iterum: *Omnes peccauimus in Adam*, ergo videtur esse maius peccatum. Rom. 5.

¶ Item, dicit Hieron. *Vbi maius est donum scientiæ, ibi transgressor maiori subiacet culpæ.* Sed maius donum scientiæ erat in Adam: ergo maiori subiacuit culpæ. Hieron.

¶ Item, Gregor. *Tripliciter peccatur, ex infirmitate, ex ignorantia, & ex industria: maius autem peccatum est ex industria, cum scienter quis peccat*: tale autem fuit peccatum Adæ (sciuit enim sibi esse præceptum de non comedendo, & tamen comedit) ergo maius fuit eius peccatum. Gregor.

¶ AD quod videtur dicendum, quod alia & alia ratione potest vnum peccatum maius dici alio; vel ratione appetibilis, vel ratione causalitatis, vel ratione minoris occasionis. His tribus modis potest dici peccatum Euæ maius peccato Adæ. Primo in ratione appetibilis, quia voluit esse sicut Deus in assimilatione scientiæ. Secundo, quia mouit Adam ad peccandum, & non econuerso. Tertio, quia minorem habuit occasionem; maior enim est inclinatio ad credendum vxori, quam ad credendum diabolo per serpentem suggerenti.

¶ Ex alia vero parte magis peccauit Adam, quam Eua. Dicitur enim peccatum alio maius propter maiorem ingratitudinem: maior autem ingratitudo fuit in Adam; eo quod plus erat spirituali mente præditus propter magnitudinem scientiæ sibi datæ. Item, dicitur peccatum maius alio propter maiorem inobedientiam: maior autem fuit inobedientia Adæ quam Euæ: ei enim fuit datũ præceptũ, & per ipsum mulieri. Vnde primo dictum est Adæ, In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris: postea vero dixit Euæ, De fructu, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus: & ita intellexit Eua, quod per virum transiuit præceptum ad ipsam. Quia ergo fuit inobedientia in Adam quo ad hoc maior, fuit peccatũ maius. Item, dicitur peccatũ maius alio propter maius damnum, quod ex eo sequitur: & quo ad hoc etiam dicitur maius peccatum Adæ, quam peccatum Euæ.

¶ PER iam dicta possunt rationes supradictæ declarari. Rationes enim quæ probant peccatum Euæ maius esse, sumuntur secundum aliquam primarum rationum. Rationes vero, quæ ponuntur ad probandum, quod peccatum Adæ maius sit, ad alias causas respiciunt.

¶ SI vero quæratur, vtrum Eua scienter peccauit, vel ignoranter. Dicẽdum est, quod Eua scienter peccauit; quia mandatum recoluit: ignoranter quantũ ad hoc, quod credidit esse sicut Deus. Adam similiter scienter quantum ad quid, scilicet quantum ad mandatum Domini; nouit enim sibi esse prohibitum: ignoranter autem quantum ad hoc, quod credidit illud, quod erat mortale, esse veniale, id est pro modico esse remissibile.

¶ Ad aliud dicendum est, quod non peccauit Adam ex industria, quia nõ ex certa malitia: sed peccauit ex quadam infirmitate, id est non firmitate, quam habebat ex comparatione ad Euam, quę de carne sua erat sumpta: noluit enim suas delitias contristari. Isidor. tamen dicit, Eua peccauit ex ignorantia, Adam vero ex industria: quia non seductus, sed sciens prudensq; peccauit. Ex quo accipitur, quod Adam peccauit ex industria. Sed non dicitur ibi, peccare ex industria, peccare ex certa malitia, prout hoc est peccare in Spiritum sanctum: sed peccare ex industria, id est peccare scienter.

MEM-

MEMBRVM V.

An Adæ peccatum remißibile, vel remediabile fuerit?

QVINTO quæritur, Vtrum peccatum illud fuit remediabile? Et videtur, quod non esset remediabile siue remissibile (& voco remissibile, quod habet in se causam remissibilitatis vel excusationē.) Peccatum enim Adæ fuit maximum: sed in genere peccatorum non est maius peccato in Spiritum sanctum: ergo peccatum Adæ fuit in Spiritum sanctum: sed peccatum in Spiritum sanctum est irremissibile: ergo peccatum Adæ fuit irremissibile.

¶ Item, peccatum aut est ex infirmitate, aut ex ignorantia, aut ex certa malitia. Sed peccatum Adæ non fuit ex infirmitate, vel ignorantia (infirmitas enim & ignorantia sunt pœna: nulla autem præcessit pœna) ergo Adam peccauit ex certa malitia. Sed peccatum ex certa malitia est irremissibile per carentiam rationis remittendi: ergo & irremissibile.

Aug. in lib. de mirab. sacr. script. ¶ Ad idem videtur esse ratio per hoc, quod dicit Aug. vbi dicitur, quod Lucifer de sublimissimo statu suo corruit: & ideo peccatum eius fuit irremediabile.

Alchuinus super Gen. ex 5 li Moral. B. Greg. ¶ CONTRA. Dicit Alchuinus: *Homo quanto fragilior est in natura, tanto facilior est ad veniam.* Ergo peccatum hominis fuit remediabile.

¶ Item, Homo peccauit alio suggerente: vnde congruebat, quod homo resurgeret alio adiuuante: ergo peccatum eius fuit remissibile.

¶ Præterea, si peccatum hominis esset irremediabile, & in eo tota natura humana periret, esset tota humana natura damnata: quod non congrueret pietati diuinæ, vt pro vnius peccato tota natura humana damnaretur: ergo peccatum hominis fuit remediabile.

Aug. in lib. de lib. arbi. ¶ Item, Aug. *Factum est, vt pœna hominum susciperet emendatoria, potius quam interfectoria: vt cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, et se Dominus ad imitationem humilitatis præberet.*

RESOLVTIO.

Adæ peccatum & remißibile & remediabile fuit, quia ex carnis infirmitate vel defectibilitate corruit.

Isid. in lib. de Trinit. ¶ AD quod dicendum, secundum Isid. quod *homo post peccatū ideo reuertitur ad veniam, quia ex lutea materia pondus traxit infirmitatis. Et ideo pro infirma carnis conditione, reditus patet homini ad salutem.* Vnde dicendū est, quod peccatū eius non fuit peccatū in Spiritum sanctū: neq; enim peccauit ex desperatione, neq; ex p̄sumptione misericordiæ, neq; ex impugnatione gratiæ vel veritatis agnitæ, neq; finalis impœnitentiæ.

¶ Cum autem dicitur, quod peccatum eius fuit maximum, & peccatum in Spiritum sanctum dicitur maximum: ex alia & alia ratione dicitur. Peccatum enim Adæ dicitur maximū propter magnitudinē damni vel pœnę: quia in eo quodāmodo peccauit tota humana natura. Peccatū aūt in Spiritum sanctum dicitur maximū ratione generis peccati: & ideo irremissibile, id est non habēs in se causam motiuā ad remissionem: est enim directe contra gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio peccatorum.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod Adam non peccauit ex certa malitia, sed peccauit ex infirmitate carnis: quæ infirmitas carnis non erat pœna in eo, sed erat natura in se potens deficere. Vnde dicitur: *Non permanebit spiritus meus,* scilicet indignationis vel iræ, *in æternum in homine, quia caro est.* Est autem infirmitas pœna, pronitas scilicet, quæ prouenit in nobis ex fomite. Genes. 6.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod aliter Lucifer corruit de sublimissimo statu suo, & aliter homo. Lucifer quidem habuit sublimissimum statum post Deum: nec habuit aliquod inclinatiuum trahens ipsum ad inferius: & ideo auertens se à Deo, auersus est irremissibiliter. Homo vero ratione carnis habuit inclinatiuum trahens ipsum ad inferius: licet esset in sublimissimo statu innocentiæ ex parte spiritus: & ideo si auertit se à Deo, auersus est remissibiliter: non quod redeat omnino ad illum statum innocentiæ: sed potest reduci per gratiam ad meliorem.

MEMBRVM VI.

An Adam in statu innocentiæ potuit peccare venialiter primo.

SEXTO quæritur, Vtrum Adam potuit peccare venialiter primo. Quod videtur, quia eandem possibilitatem habuit Adam in primo statu, quam modo habemus; sed modo possumus peccare venialiter: ergo & ipse tunc potuit.

¶ Item: *Deus ab initio fecit hominem rectum:* sed rectitudini opponitur curuitas minor & maior: quod autē rectum est, si exeat à sua rectitudine, citius potest inclinare in minorē curuitatē, quam maiorē: sed minor curuitas est in peccato veniali, quam in mortali: ergo citius potest fieri declinatio in veniale à statu innocentiæ, à quo erat rectitudo; quam in mortale. Ergo Adam in statu innocentiæ magis potuit peccare venialiter, quam mortaliter. Ecclesi. 7.

¶ Item, peccatum primum, quod erat in spiritu rationali propter ordinationem ad carnem, licet esset mortale in se; tamen factum est veniale, id est remissibile: quod non fuit in diabolo, vbi nulla fuit ordinatio spiritus ad carnem. Cum ergo istæ duæ differentiæ peccati sint, mortale & veniale; & non sint vbi spiritus separatur à carne, sed vbi spiritus coniungitur carni: ergo hoc est propter ordinē spiritus ad carnem: sed ista ordinatio spiritus ad carnem fuit in statu innocentiæ: ergo in statu innocentiæ potuit esse veniale & mortale peccatum: ergo potuit venialiter peccare.

CONTRA, In statu innocentiæ erant ordinatæ vires alię motiuæ sub ratione: ita quod non egrederentur à sua rectitudine, nisi ratio egrederetur: sed ratio egredi non potuit à sua rectitudine, nisi per mortale peccatum: ergo non potuit venialiter peccare primo.

¶ Item, Nondum versatum erat stratum in infirmitate, vt caro concupisceret aduersus spiritum: sed ex concupiscentia carnis sequitur veniale peccatum: ergo non tunc potuit venialiter peccare primo: cum nulla esset repugnantia ex parte carnis.

¶ Item, Primus motus, qui magis est veniale peccatum, surgit ex fomite: sed fomes secutus est peccatum, tanquam pœna peccatum: natura ergo existente incorrupta, non potuit homo peccare primis motibus: & ita similiter aliis peccatis venialibus eadem ratione: ergo non potuit peccare venialiter primo.

RESOLVTIO.

Adam primo potuit peccare venialiter: sed non potuit peccare venialiter primo.

¶ AD quod dicendum, quod aliud est dicere, quod homo potuit primo peccare venialiter: & quod homo potuit peccare venialiter primo. Concedendum est autem, quod homo primo potuit peccare venialiter. Sicut hoc, Deus ab æterno potuit creare mundum: sed non potuit creare ab æterno.

¶ Et per hoc soluendum est, quod primo obiectum est: eadem enim est possibilitas nunc, quæ & primo: sed aliter disposita vt sic. Ratio enim tunc fuit disposita, vt primus egressus à rectitudine esset mortalis, & deinde potuit esse venialis. Nunc autem sic se habuit, vt primus egressus possit esse mortalis, & possit esse venialis.

¶ Ad secundum vero, quod licet minor curuitas sit in actu venialis peccati, quam in actu mortalis; & facilius sit modo egredi in veniale, quam mortale: tunc tamen ratione status fuit prior egressus ad mortale peccatum, quam ad veniale: eo quod omnes vires regebantur superiori parte rationis, & ipsa sub Deo ordinabatur.

¶ Sed adhuc potest dubitari propter hoc, quod veniale peccatum potest stare cum gratia gratum faciente, per quam anima habet rectitudinem: mortale autē non potest. Cum ergo anima esset tunc in rectitudine, magis videtur, quod potuit peccare primo venialiter, quam mortaliter: eo quod peccando venialiter, non amitteret rectitudinē, quæ est ex gratia: peccando aūt mortaliter, amitteret. Ad quod dicendum, quod est duplex rectitudo: vna, quæ est ex statu innocētiæ: & hanc nō potuit seruare peccando venialiter. Est alia rectitudo, quæ est ex gratia gratūfaciente: & hęc est in ipsa motiua superiori, nō in aliis viribus per se & primo:

& hæc poteſt ſeruari cum peccato veniali, in quo peccato veniali egreditur inferior vis à rectitudine, licet non egrediatur ſuperior. Prima ergo rectitudo innocentiæ eſt vniuerſalis in omnibus viribus: ſecunda vero eſt in ipſa ratione, & in iis, quæ per ſe obediunt rationi per conſequens. Quia vero rectitudo innocétiæ habuit duplicem reſpectū ad Deum, ſub quo recte ordinabatur ratio; & ad inferiores vires, ſupra quas ordinabatur; ſemper ſeruaretur illa pars rectitudinis, quæ eſt ad inferiores vires, ſi ſemper ſeruata eſſet illa pars rectitudinis, quæ eſt ſub Deo. Et ideo primus egreſſus à rectitudine fuit mortalis: eo enim quod ratio nō ſeruauit rectitudinem, quæ erat ſub Deo: ideo nec aliæ vires ſeruauerunt rectitudinem, quam habuerunt ſub ratione: & ideo veniale peccatum ſecutum eſt mortale.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod duplex fuit ordinatio ad carnem: vel ratione naturę, vel ratione corruptionis in natura carnis. Propter ordinationem vero ipſius ſpiritus ad naturam carnis, non fuit peccatum veniale, ſecundum quod diuiditur veniale contra mortale: ſed dicebatur * veniale, id eſt remiſſibile per pœnitētiam, vel alio modo. Propter ordinationem vero ipſius ſpiritus ad naturam carnis corruptam, dicitur aliquod peccatum veniale, ſecundū quod veniale diuiditur contra mortale: peccatum autem, quod eſt ipſius ſpiritus ſeparati à carne, nec primo modo, nec ſecundo dicitur eſſe veniale.

* Al. as. veniabile.

MEMBRVM VII.

De gradibus eiuſdem primi peccati.

SEPTIMO quæritur de gradibus peccati illius. Dicitur enim ſuper illud: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum* &c. (Pſalm. 1.) Adam abiit à Deo, non loco, ſed diſſimilitudine: cum perſuaſioni diaboli & Euæ conſentiens, à Deo receſſit: ſtetit, cum vetitum pomum comedens, in peccato eſt delectatus: ſedit, cum ſe ſtulte excuſando, & culpam in creatorem referendo, in ſuperbiam eſt confirmatus, dicens: *Mulier, quam dediſti mihi, ſeduxit me.* (Geneſ. 3.) Quæritur ergo de illo verbo, quod dicitur: quod conſentiens perſuaſioni, à Deo receſſit. Videtur enim ex hoc, quod hoc eſſet minus peccatum, quam pomum vetitum comedere: in gradibus enim peccati prior gradus eſt minus peccatum quam ſecundus, ſecundus quam tertius.

¶ Sed videtur contrarium, in conſenſu enim illo non cohibuit Euam, prout debuit, ſequendo volūtatem ipſius, & credendo veniale eſſe peccatum, ſi comederet: ſed hoc fuit maius peccatum, quam comedere de ligno vetito: ſequi enim voluntatem mulieris, & non cohibere voluntaté ipſius appetētis eſſe ſicut Deus, & credere de mortali quod eſſet veniale, cum ſciret eſſe prohibitum, maius eſt peccatum, quam ipſum comedere: ergo magis peccauit in primo gradu, quam in ſecundo.

¶ Item, videtur quod conſummatio peccati ſit ipſa excuſatio; eo quod ibi eſt vltimus gradus: & propter hoc ſit grauiſſimum. Sed pro grauiſſimo infligitur tanta pœna: ergo pro excuſatione tanta fuit pœna inflicta Adæ & ſuæ poſteritati.

¶ CONTRA. Excuſatio fuit peccatum in virtute interpretatiua: guſtatio vero fuit comeſtio ſiue peccatum in virtute, quæ vtitur alimento: ſed hæc propinquior ſe habet ad generatiuam, quam interpretatiua (cū enim lingua in duo congruat opera, in guſtum, & loquelā: guſtus propinquius ſe habet ad generationem, quam locutio) ſed ſecūdum generatiuam transfuſa eſt corruptio, quæ fuit pœna maxima huius peccati in præſenti: ergo magis videtur pœna eſſe inflicta propter peccatū in guſtatiua, quam in locutiua: & ita grauiſſimū dicitur peccatū, quo guſtauit de pomo vetito.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod conſentire Euæ potuit dupliciter; vel ad comedendum de pomo vetito: & ſic fuit minus peccatum, quam ipſum comedere. Vel potuit conſentire ei in appetendo ſimilitudinē Dei in ſcientia, quemadmodum ipſa appetiit: & ſic diceretur maius peccatum in comparatione appetibilis ad appetibile, quam comedere de pomo vetito: non tamen ita damnoſum humano generi: ex inobedientia enim in comedendo de prohibito ſecutum eſt damnum humani generis.

¶ Quod autem dicitur recedere à Deo in primo gradu, & ita mortaliter peccare. Dicendū eſt, quod licet non prohiberet Dominus niſi comeſtionem, in illa prohibuit conſenſum ad comedendum: & ita conſentiendo in comeſtionem, peccauit mortaliter, & à Deo receſſit. Si vero aliquo modo appetiit eſſe ſicut Deus in ſciendo bonū & malum: & ſic appetendo, fecit contra prohibitionem diuinam: non quam expreſſe faceret Dominus verbo, ſed quam inſcripſit in lege mentis.

¶ Ad aliud vero dicendum eſt, quod maius fuit peccatum excuſationis, quam comeſtionis vno modo. Vnde dicit Auguſtinus: *Peior eſt, damnatiorq́; ſuperbia, qua in peccatis manifeſtis ſuffugium excuſationis exquiritur, ſicut fuit primorum hominum: nuſquam enim ibi ſonat petitio veniæ, nuſquam imploratio medicinæ.* (Aug. in lib. 14. de ciuit. Dei, ca 14.) Vnde illud fuit grauiſſimum peccatum, inquantum ad perſonas primorum parentum. Peccatum autem comeſtionis de pomo vetito alio modo dicitur grauiſſimū quia per illud quaſi primo ſecuta eſt naturæ corruptio. Vnde Auguſtinus: *Elatus ſuperbia, ſuaſioni ſerpentis obediens, præcepta contempſit: & hæc cauſa extitit, vt mortis periculum incurreret: & ab vno homine natura vitiata atq; obnoxia exiſteret.* (Idem.)

¶ SED adhuc quæritur ratione iam dictorum, ſi tangere pomum, fuit prohibitum: & ſi propter hoc eſſet ſecuta damnatio humani generis. (Quæſtio.) Quod videtur per hoc, quod dicit Auguſtinus: *Melior eſt creator, quam creatura vlla, quam condidit: cuius imperium non erat deſerendum, vt tangeretur prohibitum: quoniam deſerto meliore, bonum creaturæ appetebatur: quod contra creatoris imperium tangebatur.* (Aug. in lib. de natura boni.) Ex quo videtur, quod prohibitum fuit tangere: ſed ſi prohibitū tangere, tangendo ſolum inobediens efficeretur, *per inobedientiam autem* (ſicut dicitur) *peccatores conſtituti ſunt multi*: (Rom. 5.) ergo damnatio humani generis ſecuta eſſet propter tactum pomi.

¶ Sed videtur contrarium; dicitur enim: *In quacunq; die comederis, morte morieris.* (Geneſ. 2.) Prohibitio ergo facta fuit de eſu: ergo non ſolum per tactum pomi ſecuta eſſet damnatio.

¶ Præterea, tangere poterat non ad comedēdum, nunquid ex hoc peccaret? Non videtur ex ipſa prohibitione facta in libro Geneſis; videtur tamen ex hoc, quod dicit Auguſtinus, vbi dicitur: *Non potuit melius & diligentius commendari, quantum malum ſit ſola inobedientia; cum ideo reus iniquitatis factus eſt homo: quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam ſi non prohibitus tetigiſſet, non vtiq; peccaſſet.* (Aug. in li. 8 ſuper Gen.)

¶ Ad quod dicendum, quod fuit ibi prohibitio directa & indirecta, ſiue expreſſa & implicita. Prohibitio explicita fuit de eſu: prohibitio vero implicita fuit de tactu ad comedendum. Sicut cum Dominus dixit in lege: *Non concupiſces vxorem proximi tui*: (Deut. 5.) implicite fuit prohibitum, non videre ad concupiſcendum: quod expreſſe fuit prohibitum in Euangelio (aliter enim moralia legis Euangelicæ non eſſent in moralibus legis Moſaicæ.) Cum ergo loquitur Auguſtinus de prohibitione tactus, intelligendum eſt de tactu ordinato ad guſtum, vel de guſtu prout eſt quidam tactus.

¶ ADHVC etiam quæritur, Vtrum prohibitio facta Adæ ad mulierem ſe extenderet: cum nondum eſſet formata mulier de latere eius. (Quæſtio.) Verba etiam, quæ ponuntur in Gen. non videntur illud deſignare, cum dicitur: *In quacunq; die comederis, morieris.* (Geneſ. 3.) Et ſi hoc eſſet, tunc non erat commune peccatum Adæ & Euæ in comeſtione: nec erat is gradus in peccato primi hominis, vt primo mulier comederet de ligno vetito, & poſtea vir: ſed tm̄ vir comedit de ligno vetito.

¶ Ad quod videtur dicendum, per hoc quod dicitur in Tranſ. 70. Interpretum, vbi dicitur: *De omni ligno, quod eſt in paradiſo, edes; de ligno autem cognoſcendi bonum & malum, non manducabitis: qua die autem ederitis, ab eo morte moriemini*: (Geneſ. 3. Translatio 70. Interpr.) quod præceptum datum fuit mulieri, & non tantum viro. Secundum autem noſtram tranſlationem pręceptum datum fuit mulieri per virum. Vnde dicit Auguſtinus: *Sicut datum eſt præceptum viro, per quem peruenit ad fœminam; ita vir primo interrogatur, ſecundo fœmina, vt notetur, quod maior fuit præuaricatio ex parte viri, quam ex parte fœminæ.* (Aug. ſuper Geneſ.)

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quod nondum erat fœmina, dicendum, quod erat aliquo modo, & alio modo non; erat enim materialiter in Adam, non erat autem ſecundum formam vltimam: ſicut autem erat, ita præceptum erat ei datum.

MEMBRVM VIII.

Adam qua hora peccauit?

Psal. 29. Glossa. OCTAVO quæritur de tempore peccati. Et videtur, quod in vespere, per hoc, quod dicitur super illud: *Ad vesperum demorabitur fletus.* Gloss. *vespera est, quando sol in occasum declinat: quo tempore Adam peccauit; & lux veri solis, id est, Christi ab eo cecidit.*

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicit Beda: *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram. Qua hora primus homo Adam peccando, mundo meruit mortem: eadem hora secundus Adam moriendo mortem destruxit.* Ergo videtur, quod non fuit in vespere: hora enim sexta factæ sunt tenebræ, & obscuratio &c. Beda super Marc. 15.

RESOLVTIO.

Hora nona.

¶ AD quod dicendum, quod licet hora sexta factæ sint tenebræ, non tamen illa hora mortuus fuit Christus: sed hora nona, vel cito post ipsam: tunc autem est in declinatione solis; & ideo dicitur: *Cum deambularet Dominus ad auram post meridiem, abscondit se Adam.* Sic ergo ea hora, qua primus Adam peccando mortem meruit: eadem hora secundus moriendo, mortem destruxit. Vespere autem dicitur large, pro tempore quo sol declinat ad occasum. Genes. 3.

QVÆSTIO CV.

De pœnis peccati primorum parentum.

In tria Membra, & nouem Articulos diuisa.

D. Tho. 1 2 quæst. 164. S. Bon. in 2 d. 30. art. 1. DICTO de peccato primorum parentum, & conditionibus eius, accedendum est ad effectus, siue nocumenta, & pœnas illius, quæ ex ipso prouenerunt; tum generales, tum speciales. Deinde dicendum est de peccato originali, quod consequenter ex ipso trahitur & ducitur.

MEMBRVM I.

An persona corrumpat naturam?

Genes. 3. Ansel. in li. de concep. Virginis. EST autem multiplex nocumentum, quemadmodum tangitur in libro Genesis, vbi tanguntur pœnæ. Est autem prima pœna, quam tangit Anselmus, quod persona peccans corrumpit naturam: sicut habetur in libro de concept. virg.

¶ Sed videtur, quod incongrua: quod enim minus est, non habet posse supra illud, quod maius est: sed persona in minus est, quam natura: quia persona quid singulare est, natura vero quid commune & vniuersale: vniuersale autem plus potens est, quam singulare: non ergo potest persona aliquid super naturam, sed magis econtrario. Non ergo ex corruptione personæ accidit corruptio naturæ, sed econuerso.

¶ Hoc etiam videtur per simile in corruptione naturali: singulare enim si corrumpatur, non propter hoc corrumpitur vniuersale: prout corrupto Socrate, non propter hoc corrumpitur homo, nisi prout est in Socrate. Ergo à simili in spirituali corruptione, corrupto singulari, non propter hoc corrumpitur vniuersale: nisi prout est in illo. Ergo ex corruptione Adæ, secundum quod fuit singularis persona, non fuit corrupta humana natura.

¶ Item, actus & operationes sunt circa singularia: & præcipue hoc verum est de actibus voluntariis. Voluntas ergo, qua homo peccat, singularis est: sed corruptio, quæ fuit in primo peccato, ex voluntate processit: quod autem peccat, hoc debet puniri. Videtur ergo, quod ex corruptione primi peccati, quæ fuit circa singularem personam; non debeat sequi corruptio humanæ naturæ.

RESOLVTIO.

Corrumpit, sed in iis tantum, qui seminaliter ab ipso descendunt.

¶ AD quod dicendum est, quod de humana natura est loqui dupliciter; vel prout est communis ad omnem hominem, siue descendat seminaliter ab Adam, siue non descendat: & secundum hoc corruptione facta singularis personæ ipsius Adæ, non propter hoc corrumpitur humana natura in quocunq; potest esse: sed corrumpitur in illo, qui descendit seminaliter ab Adam: prout dicit Augustinus, quod seminaliter descendere, est secundum corpulentam substantiam & inuisibilem rationem originem habere. Non ergo corruptione facta in Adam, facta est corruptio naturæ humanæ, secundum quod fuit in eo, non secundum quod potuit esse in alio.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod non est simile in corruptione naturali, & corruptione spirituali. Corruptio enim naturalis non attingit vniuersale, nisi secundum quod est in illo particulari: vt cum corrumpitur iste homo, corrumpitur homo in isto. In corruptione vero spirituali, quia illa fuit ex lege iustitiæ generalis, quæ data fuit ipsi Adæ, non tantum vt erat homo iste, sed vt habebat in se totam naturam, per quam descenderet seminaliter genus humanum: ideo pœna, quæ secuta est, totum genus humanum, non tantum ipsum respiciebat. Vnde Anselmus: *Quia tota humana natura erat in illis, & extra illos de illa nihil erat, tota infirmata & corrupta est: corpus etiam quia tale post peccatum fuit, qualia sunt brutorum animalium, corruptioni & carnalibus appetitibus subiacentia: anima vero, quia ex corruptione corporis & eisdem appetitibus atq; ex indigentia bonorum, quæ perdidit, carnalibus affectibus est infecta.* Ansel. in li. de concep. Virginis.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet peccatū processit ex voluntate singulari: corruptio tamen, quæ prouenit ex illo peccato, fuit corruptio vniuersalis. Peccāte enim homine, scilicet Adam, transgressus est homo legem Dei: & ideo natura hominis in illo fuit vitiata. Vnde Augustin. *Natura illa hominis, qua vnusquisq; homo nascitur ex Adam: iam medico indiget: quia sana non est.* Aug in lib. de natura & gratia.

MEMBRVM II.

De secunda pœna primi peccati.

CONSEQVENTER dicendum est de alia pœna, scilicet morte. Sicut enim corruptio fuit naturæ: ita mors cuiuslibet personæ ab ipso descendentis seminaliter. Et hæc fuit pœna statuta, cùm dictum est: In quacunq; die comederis, morte morieris. Has etiam duas pœnas tangit Augustinus, dicens: *Stirpem suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnationis obstruxit.* Item, in libro de Baptismo paruulorum: *Quando peccauit Adam non obediens Deo, tunc eius corpus quamuis esset animale ac mortale, gratiam perdidit, qua eius anima ex omni parte obediebat. Tunc ille extitit bestialis motus putandus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. Tunc etiam morbo quodam, & repentina & pestifera corruptione concepto, factum in illis est, vt illa, in qua creati sunt, stabilitate æternitatis amissa per immutabilitates ætatum irent in mortem.* August. in Enchirid. Idem in li. de baptis. paruulorū

¶ Circa vero istam partem primo quæritur, Vtrum sit pœna pro peccato inflicta: an naturaliter contingat, propter defectum naturæ corporis. Secundo, si est pœna pro peccato: vtrum pro illo peccato, quod fuit prima inobedientia. Tertio, quomodo pœna ista respondet proportionabiliter illi culpæ. Quarto, qualiter impleta est illa pœna: cum non in illa die, in qua comederunt, mortui sunt morte pœnæ, licet morte culpæ. Quinto, vtrum mors sit à Deo. Sexto, vtrum sit pœna tantum primorum parentum: aut aliorum descendentium ab ipsis. Septimo, si sit pœna descendentium ab ipsis, vtrum tantum malorum, an etiam bonorum. Octauo, quando debet dici pœna: an ante mortem, an in ipsa morte, an post? Nono, qualiter pœna peccati conuersa est in vsum iustitiæ: & pœna vitij in vsum virtutis. Decimo, de pœnis specialibus tam ex parte viri, quam mulieris.

ARTICVLVS I.

An mors bonum, vel malum sit?

CIRCA primum sic est procedendum. Quæritur primo, vtrum mors sit bonum, an malum? Et si est malum, vtrum malum pœnæ pro peccato, an non. Et videtur, quod mors sit bonum: mors enim est instrumentum meriti: sed instrumentum meriti bonum est: ergo mors bonum est. Quod autem mors sit instrumentum meriti, patet per hoc, quod est in Martyribus, qui mortem sustinent pro fide, vel pro iustitia. Vnde dicit Augustinus: *Nunc impletur iustitia moriendo.* Sed cum impletur iustitia, hoc bonum est: ergo mors bonum est.

August.

¶ Præterea dicitur: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Sed quod est pretiosum in conspectu Domini, bonum est: ergo mors sanctorum bonum est: & ita mors bonum est.

Psalm. 115.

¶ Item, optimum est illud, quo fit redemptio humani generis: sed morte Christi facta est redemptio humani generis: ergo mors Christi optima: ergo mors bonum.

¶ CONTRA, Mors & vita opponuntur priuatiue: sed vita bonum est: ergo mors malum est: est enim defectus siue priuatio boni.

¶ Item Apostolus: *Stipendium peccati mors.* Sed quod est stipendium peccati, est malum: ergo mors est malum.

Rom. 6.

¶ Item: *Stimulus mortis peccatum.* Sed ad quod stimulat peccatum, malum est: ergo mors malum est.

1. ad Cor. 15

¶ Item, potest argui à simili ex comparatione mortis naturæ ad aliud genus mortis. Mors enim gehennæ nullatenus bona est: similiter mors culpæ, qua separatur anima à Deo, qui est vita sua. Ergo à simili mors corporis dicetur malum, cum separatur ab anima, qua viuit.

RESOLVTIO.

In se quidem mors malum est: sed tamen bona bonis.

¶ AD quod dicendum est secundum Augustinum: quod mors non est in se bonum: licet bona posset dici bonis. Dicit enim sic: *Sicut lex non est malum, quando auget cōcupiscentiam peccantium: ita nec mors bonum, qua non auget gloriam.*

Aug. in lib 13. de ciuit. Dei.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendū est: quod non proprie dicitur instrumentum iustitiæ, vel meriti, sed materialiter: sustinentia enim mortis proprie dicitur instrumentum: ipsa vero mors materialiter se habet ad sustinentiam.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod mors sanctorum pretiosa dicitur in conspectu Domini. *Quid enim pretiosius est morte* (sicut dicit Augustinus) *per quam fit, vt delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur.* Sed mors dicitur pretiosa, quia sustinentia mortis pro causa honesta est pretio magno digna. Ipsa tamen mors in se, siue in genere suo non est bonum; vnde Augustinus: *Mors non ideo bonum videri debet, quia in tantam vtilitatem non sua, sed diuina opitulatione est conuersa: vt quæ tunc metuenda proposita est, ne peccatum esset committeretur: nunc suscipienda proponatur, vt peccatum non committatur, commissumq; deleatur, magnaq; iustitiæ victoriæ palma reddatur.*

Aug. lib. 13. de ciu. Dei cap. 7.

Idem.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod licet mors Christi sit optimum, id est expedientissimū nobis, tamen in suo genere mors non est bonum: *quicquid enim bonum est, habet essentiam*: sicut dicit Augustinus: mors autem vitæ priuatio est, nomen habens, non essentiam.

Idem in Hypognosticon.

An mors sit malum pœnæ pro peccato. §. j.

¶ DEINDE quæritur, si est malum, vtrum sit malum pœnæ pro peccato, an non. Et videtur quod non: corpus enim humanum compositum est ex contrariis: omne autem, quod compositum est ex contrariis, naturaliter est dissolubile: ergo corpus humanum naturaliter est dissolubile: ergo & corpus Adæ fuit dissolubile naturaliter. Sed si fuit dissolubile naturaliter, fuit ab anima separabile naturaliter (vnum enim sine altero non potuit fieri) sed mors est separatio animæ à corpore: ergo mors fuit à natura.

¶ Ad idem videtur esse, quod dicit Plato: *Dij deorum, quorum opifex ego sum, natura quidem dissolubiles* &c. Sed si corpora superiora fuerunt natura dissolubilia, quæ non sunt composita ex contrariis, multo fortius & humanum corpus, quod ex contrariis est compositum.

Plato in Timæo.

¶ Item, ætas videtur esse ex natura: sed mors est finis ætatis: ergo mors videtur esse à natura. Quod autem ætas sit à natura, hoc ostendi potest per ipsa componentia, ex quibus ipsum corpus componitur. Prima enim ætas dicitur esse calida & humida: secunda calida & sicca: & ita deinceps: ergo ætas videtur esse à natura: trahitur enim ex ipsis componentibus.

¶ Item, alia corpora defectibilia sunt natura: pari ratione ergo corpus humanum est natura defectibile. Sed eius defectus est mors: ergo mors eius est naturalis, & fuit naturalis.

¶ CONTRA, iustum fuit, vt anima deserente Deum, Deus desereret animam: Deo autem deserente animam, non habuit potestatem continendi corpus: ergo Deo deserente animam, anima incipit deserere corpus. Sed hæc desertio est mors: ergo mors secuta est ad culpam: desertio enim, qua anima deserit Deum, culpa est.

¶ Item, dicit Augustinus: *Fiebat ordo iustitiæ, vt sicut anima domino suo, ita corpus illi obediret.* Ergo à contrario anima non obediente Deo, nec corpus iuste obediebat ei. Existente autem repugnantia, consequenter conueniebat separatio. Vnde Augustinus: *Cum corpus anima ipsa deseruit, ætate corruptum, senectute confectum, venit in experimentū mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens, homini dixerat, Terra es, & in terram ibis.* Ex quo accipitur, quod mors inflicta est nobis tāquam pœna peccati.

Aug. in lib. de baptismo paruulorum.

Idem de ciuit. Dei. lib 13. c 15.

¶ Item Gregorius: *Illa, quæ data est à Domino de morte carnis nostræ sententia, ab ipso humani generis initio vsq; ad finem seculi non mutatur.* Ex quo colligitur, quod mors est pœna peccati. Quis enim est homo, qui viuit, & non videbit mortem? Quod bene Psal. intuens ait: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? extunc ira tua*: quia (videlicet) homini in paradiso peccanti Dominus iratus, semel de mortalitate carnis nostræ sententiam fixit: quæ ex nunc vsq; ad vltimum mutari nullo modo valebit.

Gregor.

Psal. 75.

¶ Ad quod dicendum, quod mors hominis primi est pœna peccati. Vnde dicit Augustinus: *Constat inter catholicam fidem tenentes, ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit: sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans, dixit Deus homini, in quo tunc omnes eramus, Terra es, & in terram ibis.*

August.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum est: quod natura accipitur dupliciter. Accipitur enim aliquando pro ipsa primitus instituta: aliquando vero accipitur pro ipsa natura corrupta. Secundum primum modum non est mors à natura. Vnde Augustinus: *Fatendum est primos homines ita fuisse institutos, vt si non peccassent, nullum genus mortis experirentur. Sed eosdem primos homines peccatores ita fuisse morte vulneratos, vt quicquid eorum stirpe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium. Pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio mutauit in peius, vt quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris.* Ex qua autoritate colligitur, quod secundum naturam primitus institutam, non fuit mors naturaliter: secundum naturam vero corruptam naturaliter secuta est in his, qui descenderunt à primis parentibus seminaliter.

Aug. de ciuit. Dei, li. 13. cap. 5.

¶ Si vero obiiciatur, quod omne compositum ex contrariis est naturaliter dissolubile: & ita naturaliter ab anima separabile. Dicendum est, quod licet ratione contrariorum, ex quibus componitur, sit dissolubile: ratione tamen animæ rationalis bene institutæ potentis continere corpus, fuit vt non dissolueretur: & ita mortale vno modo, & immortale alio modo, id est potens non mori.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod illud, quod dicit Plato, intelligitur de natura ipsius creaturæ, quæ ex se non potest subsistere, nisi ex gubernatione creatoris: cuius voluntas fuit, vt quædam essent non dissolubilia.

¶ Ad tertium dicendum est: quod licet ætas esset in eis, non tamen erat ibi, vt per senium declinaret ad mortem.

Vnde

Idem de eadem, eodem li. c. 10. Idem. Gregor.

Vnde Augustinus: *Senio non veterascebant, vt necessitate perducerentur ad mortem.* Et alibi: *Cibus aderat ne esurirent; potus ne sitirent: lignum vitæ ne vlla senectus dissolueret.* Et dicit B. Gregorius: *Cum temporibus non ipse transibat; stabat enim momentis decurrentibus: quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat.* Licet ergo mors sit terminus ætatis, secundum quod diuiditur per virilem ætatem, & senectutem, & alias differentias ætatis: tamen non erat defectibilitas ex necessitate naturæ ex parte ætatis.

¶ Ad quartũ dicendũ, ꝙ non est simile in aliis animantibus & in homine: in homine enim ita est, quod fuit anima rationalis habẽs posse cõtinendi corpus in immortalitate; eo quod ipsa fuit immortalis bene instituta à principio. In aliis vero animantibus fuit corruptibilis anima: quæ non habuit potentiam continendi corpus in incorruptione: & ideo corpora eorum fuerunt corruptibilia: corpus vero hominis immortale, id est potens non mori.

ARTICVLVS II.

An istbæc corporalis mors pœna sit, debita pro quocunq; peccato: vel pro sola prima inobedientia.

SECVNDO quæritur, si est pœna pro peccato, vtrum pro illo peccato, quod fuit prima inobedientia. Et videtur, quod pari ratione pro alio peccato. Vnoquoq; enim peccato mortali anima deseritur à Deo: vel deserta elongatur ab eo. Sed ad desertionem animæ à Deo, consequi videtur, quod corpus deseratur ab anima: sed hęc desertio est mors: ergo mors videtur consequi ad quodcunq; peccatum: cum in omni peccato sit desertio animæ à Deo.

¶ Item, qui facit mortale peccatum, dignus est morte gehennæ: sed illa est grauior mors, quæ non fit separatione animæ & corporis, sed in æternam pœnam potius vtriusq; complexu, sicut dicit Aug. Ergo cum ex peccato mortali sit meritum mortis æternæ, quæ multo maior est, quam mors tẽporalis: ex peccato videtur esse meritũ mortis tẽporalis. — Aug. de ciuit. D. a. li. 13. c. 3.

Sap. 1. ¶ I. è: *Iniustitia est mortis acquisitio* (& loquitur ibi de morte temporali) Sed iniustitia accipitur ibi pro quolibet peccato mortali: ergo ex quocunq; mortali est meritum mortis temporalis.

¶ SED contra, videtur quod ex primo peccato hominis fuit tantum meritum mortis temporalis vniuersaliter. Lex enim data est de morte temporali propter primam transgressionem; dictum est enim: *Qua die ederis, morte morieris:* tanquã diceret, qua die deserueritis me per inobedientiam, deseram vos per iustitiam. Cum ergo in illo primo peccato fuit prima desertio per inobedientiam, ibi est desertio per iustitiam: sed hæc desertio per iustitiam non est in præsenti nisi per necessitatem moriendi: ergo pro peccato primo directe consecuta est mortalitas. — Genes. 2.

¶ Item, illud peccatum fecit humanam naturam recedere à prima rectitudine: quod non fecit aliud peccatum sequens. Ergo cum de prima rectitudine esset immortalitas, id est potestas non moriendi: recessus autem, quo ad hoc, est per mortalitatem: per peccatum primum tantum consecuta est mortalitas.

RESOLVTIO.

Sola inobedientia prima vniuersalem corporis mortem meruit: cætera vero peccata, si qua meruerunt, aut merent mortem corpoream, non nisi particularem merent, meruerunt q; nec nisi in ordine ad illam primam inobedientiam.

¶ AD quod dicendum, quod licet aliquod aliud peccatum dignum fuerit morte temporali; sicut habitum est in lege Mosaica: nullum tamen dignum fuit vel meritorium mortis vniuersalis, nisi istud.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum, quod non ad quamcunque desertionem animæ à Deo sequitur desertio illa corporis ab anima, quæ dicitur mors: sed illa, quæ dicitur mors gehennæ. Ad illam vero desertionem animæ à Deo sequitur desertio corporis ab anima: cum non habeat plenam potestatem cõtinendi vitam corporis: hoc autem fuit, cum defuit ei prima rectitudo per ipsum lignum vitæ: per cuius alimentum corpus potuit conseruari in immortalitate.

¶ Ad secundum vero dicendum, q[illegible] peccatum mortale inducat, quantum est de se necessitatem ad mortem gehennæ: non tamen ad mortem temporalẽ, nisi quatenus ordinatur ad primam inobedientiam, cui secundum legem Dei hæc pœna est determinata vniuersaliter in humano genere; cuius principium erat Adam secundum seminalem rationem.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet peccans peccato mortali dignus sit morte temporali: loquitur tamen ibi de iniustitia originali, secundum quam fuit acquisitio mortis temporalis. Posset tamen exponi de morte gehennæ, quæ est per meritum iniustitiæ generaliter.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo istbæc eadem mortis temporalis pœna culpæ illi primæ proportionabiliter respondeat?

TERTIO quæritur, qualiter pœna ista respondet proportionabiliter illi culpæ. Culpa enim fuit inobedientia, in qua facta est separatio animæ à Deo: mors vero est separatio corporis ab anima. Si ergo propter separationem vtrobiq; est ista proportio, secundum hoc esset pœna pro aliis peccatis.

¶ Præterea, si hæc separatio esset causa illius separationis: quanto maior esset separatio animæ à Deo, tanto celerior esset separatio corporis ab anima.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur: *Est iustus, qui perit in iustitia sua: & impius viuit multo tempore.* — Ecclesi. 7.

RESOLVTIO.

Proportio inter primam inobedientiam, & mortem temporalem in hoc stat: vt anima quæ Deo vniuersaliter contenta non fuit, nec ipsa vniuersaliter corpus continere valeret.

¶ AD quod dicendum, quod proportio fuit huius pœnæ ad primum peccatum inobedientiæ. Anima enim dum vniuersaliter fuit contenta Deo, habuit potestatem vniuersaliter continendi corpus: cum autem non vniuersaliter fuit contenta Deo, non habuit potestatem continendi corpus vniuersaliter: & ita non habuit potestatem conseruandi in vita.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum, sicut dictum est; non est simile in aliis peccatis vsquequaq;: nullum enim aliud peccatum inuenit totam naturam humanam rectam in primo parente. Nec oportet, si maius est peccatum mortale ex parte animæ, ꝙ propter hoc sit mors celerior: quia necessitas moriendi sequitur ex obligatione primi peccati. Quod enim nõ acceleratur mors secundum magnitudinem peccati; hoc accidit quod differt Dominus mortem, quia expectat ad pœnitentiam, 2. Petri 3. Non vult homines perire: sed ad pœnitentiam conuerti.

ARTICVLVS IV.

An, & quomodo pœna hæc mortis corporalis in primis parentibus impleta sit?

QVARTO quæritur, quomodo impleta est illa pœna: cum non illo die, quo comederunt, mortui sunt morte pœnæ: licet morte culpæ? Propter quod quærendum est primo, de qua morte intelligatur. Et (sicut dicit Augustin.) *quidam intelligunt de morte culpæ: ita quod illud, quod in lege dictum est: Qua die ederitis, morte moriemini: non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ, quæ fit in peccato, referre conantur.* — Aug. lib. 13. de ciu. Dei cap. 15. Genes. 2.

¶ Sed contra illos obiicit, dicens: *Quid respondebunt, cum legitur hoc Dominum primo homini post peccatum increpando, & damnando dixisse: Terra es, & in terram ibis? Neq; enim secundum animam, sed secundum corpus terra erat, & morte eiusdem corporis iturus in terram.* Ex quo videtur, quod de morte corporis intelligitur. — August.

¶ Præterea dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: vnusquisq; enim in suo ordine* &c. Vbi loquitur de morte corporis. Ergo de morte corporis hoc intelligebatur. — 1. Cor. 15.

¶ Sed videtur melius, quod intelligatur de morte gehennæ, vel in anima, vel in corpore: illa enim est pœ-

na per se debita mortali peccato: & primo mortali primo debita.

¶ Sed contrarium videtur, quod dicitur [*in quacunq; die comederis, morte morieris*] neq; enim tunc cum comedit, mortuus fuit morte naturæ, nec morte gehennæ: sed tantum morte culpæ. Ergo de morte culpæ videtur intelligi: cum vtrunq; verbum ad idem tempus videatur referri.

RESOLVTIO.

Tametsi eodem die, quo primi parentes peccauerunt, re non perierint, morti tamen obligati sunt: & ad interitum tendere cœperunt.

¶ Ad quod potest responderi per hoc, quod dicit Augustinus, distinguens quatuor genera mortis: *Prima est mors culpæ. Secunda est, quam dicimus mortem naturæ: scilicet pœna in præsenti. Tertia est mors animæ, quam patitur, cum exit de hoc corpore. Quarta est, cum anima receperit corpus, & in ignem æternum mittetur.* Dicit ergo consequenter, quod *ad primam mortem tres aliæ sequuntur.* Ex quo innuit, quod non intelligatur tantum de morte naturæ: sed de aliis consequentibus: & non de morte culpæ: illa enim est causa. Necesse hoc cõtrarium, quod dictum est, illo die eos non esse mortuos: licet enim eo die non essent mortui, erant tamen illo die morti obligati: morti pœnæ ex parte corporis primo: consequenter morti pœnæ ex parte animæ: tertio morti continuæ: Vnde sensus est: morte morieris, id est, morti obligatus eris, vel mortis reatum incurres. Quia vero omnes in Adam erant secundum corpus, & non erant in eo secundum animam: ideo alio loco Augustinus de morte corporis sic exponit, vt intelligatur: quod tam cito mori cœperunt, quam comederunt; dicit enim: *Quamuis annos multos postea vixerunt, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt.* Et idem dicit B. Gregorius: *Quo attigit vetitum, pertulit decursum: & offenso creatore, caput ire cum tempore, statu immortalitatis amisso: cursus mortalitatis eum absorbuit.*

Aug. super Gen. lib. 7. & ad Orof.

Idẽ in lib. 1. de baptis. paruulo.

Greg in li. 9. Moral.

ARTICVLVS V.

An mors à Deo sit?

QVINTO quæritur, Vtrum mors sit à Deo? Quod sic, videtur per hoc, quod dicitur: *Mors & vita à Domino Deo est.* Quod exponit Augustinus: *Malorum pœna, quæ à Deo est, malum quidem est malis, sed in bonis operibus Dei est: quoniam iustum est, vt mali puniantur.*

Eccles. 11. Aug. in lib. Retr. ctat.

¶ Item Augustinus: *Mors & vita à Domino Deo est: vita, scilicet à donante, mors ab ipso vindicante.*

Idem.

¶ Contra, Augustinus: *Vide mortem non à Deo autore, sed per errorem vitæ venisse hominibus, in paradiso delectationum positis.* Et: *Deus mortem non fecit: sed impij manibus & verbis accersierunt eam.*

Idẽ in Hypognostic. Sap 2.

¶ Item, si Deus autor mortis est, lætari debet in occasu viuorum, tanquam in opere suo bono; scriptum enim est, *Lætabitur Dominus in operibus suis* &c.

Psal. 103.

¶ Item, si Deus mortem fecit, cur Christus Lazarum mortuum fleuit secundum carnem? non enim quod ipse fecerat, dolere debuit.

Ioan. 11.

¶ Item, dicit Dominus: *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* Si ergo autor est Dominus, cur dicendo [*nolo*] eam repellit à peccatore: & non patitur, quod suum est remanere?

Ezech. 18.

¶ Item, quicquid Deum fecisse dicimus, habet essentiam; sed mors non habet essentiam: ergo mors non est facta à Deo.

RESOLVTIO.

A Deo mors non est, nisi inquantum pœna.

¶ Ad quod dicendum, secundum Augustinum; quod Deus non est autor mortis, nisi inquantum est pœna. Et hoc est, quod dicit: quod mors est ab ipso vindicante. Hoc etiam explanat in Quæst. vet. Test. *Non Deus inuentor mortis est, sed index: quia mortis autor peccator est. Quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui nesciebat peccare? Sed dum peccatum retribuit, ab ipso dicta est esse mors: cum non ex ipso sit, sed ex eo, qui peccauit.*

Aug. in lib. retract. & 83. q. Idem in quæstionibus veteris Testamen.

¶ Ad obiectum autem in contrarium patet, qualiter respondendum est: non enim Deus est autor mortis, id est, non per peccatum fecit mortem: sed dicitur bonum opus Dei, inquantum est pœna pro peccato inflicta.

¶ Quod autem dicitur in libro Hypognosticon, quod si Deus est autor mortis, lætari debet in occasu viuorum, tanquam in opere suo, habens pro inconuenienti, quod mors sit opus Dei. Dicendum est, quod mors habet duplicem respectum: Vnum respectum ad ipsum peccatorem, vel ad ipsum diabolum, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum: & ex illa parte non dicitur esse mors à Domino tanquam autore: non enim agit aliquid, ad quod sequatur mors. Si vero fiat sermo de morte, secundum quod refertur ad iustitiam Dei, quod inflictum est à Domino pro peccato, iustum est: & quod iustum est, bonum est: secundum hoc mors est à Deo in ratione pœnæ.

¶ Ad illud vero, quod obiici posset, quod mors aliquid agere dicitur, vel corrumpere, vel damnare: ista autem non nisi ad aliquid referuntur: quod autem aliquid est, à Deo est autore: ergo mors est à Deo autore. Respondet August. Cum de morte hæc omnia dicũtur, ad autorem mortis, per quem priuatio vitæ facta est, scilicet diabolum, referuntur. Ipse enim, quæ ad mortem pertinent, aut facit, dum captiuat & perimit: aut patitur, dum vincitur & damnatur: opera enim eius mala, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res, quæ tanquam per se agere aliquid dicuntur: cum ea, & per ea totum agat diabolus. Idem.

ARTICVLVS VI.

An mors corporalis pœna tantum sit primorum parentum: vel etiam cæterorum ab ipsis descendentium?

SEXTO quæritur, Vtrum sit pœna tantum primorum parentum, an aliorum ab ipsis descendentium. Et videtur, quod tantum debeat esse pœna illorum: eis enim facta fuit illa prohibitio, sicut patet per verbum Euæ dicentis: De fructu, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus. Sed quibus fuit præceptum, eorum fuit inobedientia, si transgrederentur, non aliorum: ergo primorum parẽtum tantum fuit inobedientia. Sed quorum est culpa, eorum est pœna per se: ergo mors fuit tantum pœna primorum parentum.

¶ Contra B. Gregorius: *Nos in primo homine à Domino recedentes, à paradisi gaudiis repulsi, in hac vita vmbra mortis cecidimus.* Greg. in libro Moral.

¶ Item Augustinus: *Omnium hominum erit resurrectio.* Si omnium erit, ergo omnes moriuntur, vt mors in Adam data, omnibus filiis eius dominetur. Aug in lib de ecclesiasticis dogmatib. c. 6

RESOLVTIO.

Simul omnium, sicut simul omnes in illis causaliter fuerunt.

¶ Ad quod dicendum, quod prohibitio illa data fuit ipsi Adæ, vt homini quasi vniuersali (causaliter loquendo) & principio omnium hominum: in eo enim materialiter erant omnes homines, siue seminaliter: vnde *omnes in ipso peccauerunt*, secundum quod dicit Apostolus, & Anselmus: *Quoniam humana natura, quæ sic erat in Adam tota, vt nihil de illa extra vnum esset, peccando sine omni necessitate Deum exhonorauit: vnde per se satisfacere non potuit.* Ex quo accipitur, quod mors communis debeat esse pœna, non tantum Adæ & Euæ, sed illorum, qui nati sunt ab ipsis peccatoribus. Vt tamen personæ erant, illi soli præceptum Domini sunt transgressi, non autem filij eorum. Pœna ergo extenditur ad eos, qui ab ipsis descenderunt, inquantum ab ipsis descenderunt, vt peccatoribus.

Rom. 5. Ansel. in li de originali peccato.

ARTICVLVS VII.

An malorum tantum ab Adam descendentium mors corporalis pœna esse debeat, vel etiam bonorum?

SEPTIMO quæritur, si sit pœna descendentium ab ipsis tantum malorum, an etiam bonorum. Et videtur, quod tantum malorum: mali enim fuerunt & sunt imitatores paterni sceleris: boni vero non, inquantum huiusmodi: cum ergo pœna sequatur culpam, mors deberet esse tantum malorum.

¶ Item, primi parentes si stetissent in bonitate, non fuissent perpessi mortem. Eadem ratione filij eorum nisi peccarent, non deberent perpeti mortem; sed boni sunt huiusmodi: ergo mors non deberet esse pœna bonorum.

Aug. in lib. de ciu. Dei.

¶ Contra Augustinus: *Fatendum est primos homines peccatores ita fuisse morte mulctatos, vt quicquid eorum stirpe esset exortum, eadem pœna teneretur obnoxium.*

¶ Item, in primo homine natura humana vitiata atque mutata est: vt repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi, & obstringeretur necessitate moriendi: atq; id, quod vitio, pœnaq; factus est; hoc in aliis faceret, id est obnoxios peccato mortiq; generaret.

RESOLVTIO.

Vtrorumq; profecto: sicut vtriq; peccatum originale contrahunt.

¶ Quod concedendum est. Vnde dicendum est, quod mors non est pœna inflicta ipsis primis parentibus, & accipientibus exemplum malitiæ ab eis: sed iis, qui descenderunt originaliter ab eis, trahentes culpam originalem & pœnam: hi autem sunt tam boni quam mali: boni enim licet liberentur à culpa originali, non tamen à pœna mortis.

Idem lib. 13 de ciu. Dei. c. 3. in fin.

Vnde Augustinus: *Si à peccati vinculo per mediatoris gratiam soluuntur infantes, mortem illam perpeti possunt, quæ animam seiungit à corpore: in secundam vero sine fine pœnalem liberati à peccato, obligatione non transeunt.*

Dubitatio

¶ Sed potest esse quæstio, cum boni liberentur per gratiam Christi à vinculo peccati, quare non liberantur à pœna peccati, scilicet morte. Ad quod respondet Augustinus:

Idem loco alleg. et c. 4.

Ad hoc relinqui animæ experimentum separationis à corpore, ablato iam criminis nexu, ne ipsa fides eneruaretur: si regenerationis sacramentum continuo sequeretur corporis immortalitas. Item, in martyribus nulla esset victoria, nulla gloria: quia nec ibi esset certamen, si post lauacrum regenerationis iam sancti non possent perpeti mortem corporalem. Cum paruulis autem baptizandis quis ad Christi gratiam propterea potius curreret, ne à corpore solueretur? & ita non inuisibili præmio probaretur fides: sed nec fides esset, statim sumendo mercedem.

ARTICVLVS VIII.

Quando mors corporalis pœna dici debeat: ante mortem, in morte, vel post mortem.

OCTAVO quæritur, quando debet dici pœna, an ante mortem, an in ipsa morte, an post. Ad quod sic: post mortem non videtur esse pœna, cum iam sit transacta: pœna autem est, cum est sensus rei tristabilis: in ipsa autem morte, cum est separatio animæ à corpore, non est sensus rei tristabilis: ergo si est pœna, est ante mortem. Sed ante mortem est vita (vita enim & mors immediate sunt opposita) ergo tunc non est mors.

RESOLVTIO.

In ipsa morte.

¶ Ad quod dicendum, quod in ipsa separatione animę à corpore dicitur mors pœna corporalis. Illam enim sentit ipsa anima, à qua corpus separatur. Separatio vero dicitur dupliciter: vel cum * primo non existit anima in corpore: & tunc est sensus rei tristabilis in præsenti, Vel cum est in separando; & tunc est sensus: & hoc modo dicitur mors esse in moriente: alio vero modo dicitur esse in mortuo. Vita ergo & mors, prout dicitur mortui, immediate opponuntur: vita vero & mors, prout dicitur morientis, alio modo opponuntur. Nam vita potest dici, dum est in quiete: cum autem tendit ad non esse, non est in quiete: sed dicitur mors morientis.

* Alias, prius.

ARTICVLVS IX.

Mors isthæc eadem corporalis quomodo ad meritum ordinatur?

NONO quæritur, qualiter pœna peccati conuersa est in vsum iustitiæ, & pœna vitij in vsum virtutis. Ad quod sic: mors malum est, etsi bonum est, est in ratione pœnæ. Sed vt est in ratione pœnæ, respicit ad illud, quod præcessit, scilicet peccatum: hoc autem modo non est instrumentum iustitiæ, vt secundum quam homo mereatur: pœna enim secundum quod huiusmodi est, est inuoluntarium: instrumentum vero iustitiæ, secundum quod ex ea est meritum, est voluntarium: ergo illo modo non dicetur mors instrumentum virtutis, siue iustitiæ.

¶ Præterea, pœna respicit ad præteritum: meritum vero respicit ad futurum: nō ergo illo modo dicitur instrumentum ad merendum.

¶ Item, mors in se malum est; malum autem per se non ordinat ad bonum meritorium: ergo mors per se non ordinat ad bonum meritorium. Sed quo vtitur virtus vel iustitia, est per se in bonum meritorium: ergo mors non est huiusmodi, secundum quod malum: non ergo mors est in vsum iustitiæ vel virtutis.

¶ Contra, Bono contingit bene vti, & male vti: lex enim bonum est, & ea contingit bene vti, & male vti: ergo à contrario malo pœnæ contingit & bene vti, & male vti: sicut accidit de concupiscentia, qua quis potest male vti, & bene vti: bene enim vtitur, qui concupiscentiam refrenat: male vtitur, qui concupiscentiam relaxat. (Vnde Augustinus: *Male vtitur malo, concupiscentiam relaxans adulterio: bene vtitur malo, concupiscentiam restringens à connubio.*) Eodem modo morte contingit vti & bene & male: bene, cum pro fide vel iustitia sustinetur: male, cum ad flagitium impellitur, vel pro causa inhonesta sustinetur.

Aug. in lib. de baptismo paruulorum.

RESOLVTIO.

Prout sub voluntate cadit, & maxime pro honesta & necessaria causa.

¶ Ad quod dicendū, quod morte est vti bene, cum pro honesta causa sustinetur, & necessaria: & licet mors vt pœna sit inuoluntarium: sustinere tamen illam, est voluntariū: & hoc est vsus virtutis, vel iustitiæ generalis. Cū ergo quæritur, secundū quam rationē ordinat ad meritum? Dicendū est, q̄ ordinat ad meritum, prout cadit sub voluntate: & sic respicit, q̄ futurū est: & licet sit malum, tamen eo contingit bene vti. Vnde Aug. *Mali male lege vtuntur, quamuis sit bonum: boni vero morte bene vtuntur, quamuis mors sit malum.*

Aug. lib. 13 de ciu. Dei cap. 5.

MEMBRVM III.

De pœnis specialibus primi peccati, & ex parte viri, & ex parte mulieris.

HABITA consideratione de pœnis generalibus primorum parentum: dicendum est de pœnis specialibus. Et primo agitur de pœnis peccati ex parte mulieris: secundo ex parte viri; sic enim ordinatur in Genesi: Et ponuntur tres ex parte mulieris: multiplicatio ærumnarum in multitudine conceptuum: dolor in partu: & subiectio sub potestate viri. Est enim duplex vis animæ cognoscitiua, rationalis, & sensibilis: quantum ad rationalem sumitur pœna subiectionis: quantum ad sensibilem duplex pœna: vna secundum multitudinē, cum dicit: Multiplicabo ærumnas: altera secundum magnitudinem, cum dicit: In dolore paries. Vel aliter, indiuiduum ad duo tendit: ad conseruationem sui secundum tempus determinatum: ad conseruationē speciei simpliciter: mulier vero dicitur sexus passiui. Iuxta autem vtrumq; contrahit ex peccato pœnam: nam iuxta actum generationis, qui est ad conseruationem speciei, duplicem pœnam trahit; in portando fœtum, & parturiendo: quorum vnum pertinet ad progressum, alterum ad consummationem: in initio vero est delectatio: & ibi videtur esse sine pœna: & fortasse hoc voluit designare nomine [conceptus] vel hoc tacuit propter delectationem, in qua non videtur esse pœna. Ex parte vero actus, qui est ad conseruationem indiuidui, cum bonum sit libertas faciendi, quod sibi est expediens: malum per oppositum est seruitus, subesse, scilicet alterius dominationi necessario, & hæc est illa pœna, quæ designatur, cum dicitur: Sub potestate viri eris.

Genes. 3.

¶ Sed potest quæri, si multiplicatio ærumnarum in conceptibus, & dolorum in partubus contingit pecoribus: & in illis (sicut dicit Aug.) est hæc mortalitatis conditio potius, quam pœna peccati: non ergo videtur, quod istud sit pœna peccati in mulieribus.

Aug. in lib. contra Manichæos. ¶ Ad quod respondet Augustinus, dicens: *Potest fieri, quod in fœminis hominum mortalium corporum sit ista conditio: sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt.* Et sic est differentia in fœminis hominum, & in pecoribus. Addit etiam Augustinus aliam quæstionem per hoc, quod ponit alia litera dicens: *Multiplicabo dolores atq; suspiria in huius vitæ calamitate.* Per hoc enim videtur designare, quod non loquatur de multiplicatione miseriarum ratione conceptuum: sed de multiplicatione miseriarum in tota vita mortali. Sed hęc pœna non videtur propria mulieribus: communis enim est viris. Respō. sicut dicit Aug. *De pœna mulieris nulla quæstio est: manifeste enim habet multiplicatos dolores atq; suspiria in huius vitæ calamitate: quod in doloribus pariat.* Ergo non sic generaliter intelligendum est, nisi de doloribus & suspiriis ratione conceptuum. Idem.

¶ Deinde quæritur ratione illius pœnæ, qua dicitur. Et sub viri potestate eris. Videtur enim non esse pœna, sed esse ex conditione sexus. Formata enim fuit de latere viri: ergo sumpsit ab ipso originem tanquam à principio: conueniebat ergo ei subesse ex conditione.

¶ Præterea, si ex necessitate iustitiæ sunt subditæ viris: ad quid ergo dicit Apostolus: *Mulieres viris subditæ sint*: cum voluntarium diuidatur contra pœnale? Ephes. 5.

¶ Item, videtur in multis mulieribus, quod non subiectæ sunt viris, sed dominentur ipsis.

¶ Præterea, secundum aliam translationem postquam dictum est: In dolore paries, sequitur: Et tibi conuersio ad virum tuum, & ipse tui dominabitur. Videtur enim cōtrarium: quasi enim dignitatem sibi additam credunt, cum mulieres sunt, & plerunq; superbiores existunt. Quid est ergo, quod post partum in dolore, dicitur: quod erit tibi conuersio ad virum tuum?

¶ Ad quod dicendum, quod licet ex conditione ex parte animę haberet ipsa paritatem: nihilominus ex conditione ex parte corporis habuit quandam à viro dependentiam: sed nō exprimebatur ibi subiectio pœnalis, qua velit nolit, subiecta sit viro. Huic autem subiectioni pœnali non repugnat subiectio voluntaria obedientiæ. Illud enim quod fuit necessarium ex ordine iustitiæ diuinæ, potest fieri voluntarium; & sic de necessitate faceret virtutem: & tunc erit meritorium. Nec repugnat, quod sit pœnale: quod enim sensualitati, vel rationi sequenti sensualitatem, est pœnale; rationi rectæ potest esse voluntarium & meritorium, si adsit gratia.

¶ Ad sequens vero dicendum, quod licet ex improba voluntate contingat aliquam mulierē dominari viro: hoc tamen non est secundum rationem sexus: sexus enim debet esse subiectus: & agendo contra iustitiam diuinam peccat mulier, quæ dominatur.

¶ Ad vltimum dicendum, quod recte postquam dictū est: In dolore paries filios; sequitur: Ipse tui dominabitur, & erit tui conuersio ad virum: ad ostendendum, quod licet filios habeat, per quos possit extolli: nihilominus debet conuerti ad virum, vt eius sequatur voluntatem. Præterea, intelligat se non habuisse ex se prolem, sed à viro: & necessitatem in educatione prolis per virum esse supplendam. Exponit autem Augustinus moraliter sic: *Illa pars animæ, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit difficultatem ac dolorem, atq; ita pepererit consuetudinem bonam; cautius & diligentius obtemperat rationi tanquam viro: & ipsa quasi erudita doloribus, conuertitur ad rationem: & libenter seruit iubenti: ne iterum in aliam perniciosam defluat consuetudinem.* August.

¶ Deinde quæritur de pœnis hominis, quæ pœnæ distinguuntur in Genesi, cum dicitur: *Quia audisti vocem vxoris tuæ: & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo* &c. Signantur autem ibi plures pœnæ: quædam enim sunt in ablatione boni: & quædam pœnæ sunt in impositione mali. In ablatione boni, cum subiungitur: *Videte ne mittat forte manum suam, & sumat de ligno vitæ.* In impositione mali, cum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo.* Ablatio vero boni dicitur, quantum ad causam conseruationis vitæ, quantum ad locum voluptatis. Primum est impotentia sumendi de ligno vitæ propter prohibitionem: secundum est expulsio de loco voluptatis: tertium prohibitio reditus, cum dicitur: *Eiecit Adam, & collocauit* &c. Prima pœna ex parte corporis, secunda ex parte animæ (voluptas enim ex parte animæ attenditur) tertia ex parte totius. Gen. 3. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

¶ Quantum autem ad * potentiam mali distinguuntur pœnæ, tum in vita, tum in morte; cū dicitur: *Donec reuertaris in terram.* In vita vero distinguitur, quantum ad initium sustentationis, quantum ad progressum, & quantum ad consummationem. Quantum ad initium, cum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus* &c. Quantum ad progressum, cum dicitur: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Quantum ad consummationem, cum dicitur: *Comedes herbas terræ, & in sudore* &c. In primo laborandi difficultas, quæ est in excolendo terram: in secundo infructuositas, cum dicitur: *Spinas* &c. in tertio victus parcitas, ad quem victum alia duo tendunt. * Alias, positionem. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

¶ Pœna vero, quæ respicit mortem, duplex est: moriendi necessitas, & incineratio. Incineratio notatur, cum dicitur: *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es* &c. ipsa mortalitas, scilicet moriendi necessitas notatur per tunicas pelliceas, quibus erant induti: & hoc apparet per hoc, quod dicitur: *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malum*: sciens quasi per experientiam bonum vitæ, & malum mortis. Sciebat enim quid esset viuere: sciebat * etiam per experientiam mortem, quam prius sciebat per scientiam, nondum per experientiam. Illud tamen quasi irrisorie dictum est, in commemorationem præcedentis peccati patrati. Ibidem. Ibidem. * Alias, enim.

¶ Sed potest quæri, propter quid cum assignatur pœna ipsius, à Deo ratio præmittitur: cum autem assignatur pœna Euæ, non præmittitur ratio.

¶ Ad quod dicendum est, quod & diabolo tentanti per serpentem data est pœna præmissa ratione, & ipsi viro: in vtroque enim principaliter vigebat ratio, vt immediate se habens ad Deum. In genere enim angelorum Lucifer immediate habebat se ad Deum tāquam principium viarum. In genere vero hominum immediate Adam tanquam primus homo: & ideo cum ratione vtrique infligitur pœna: isti, quia suggessit transgressionem mandati: illi, quia perpetrauit: ex suggestione tamen. Vnde ex ipsis verbis exprimentibus pœnam, patet maius esse peccatum diaboli: dicitur enim: *Maledictus eris*, facta conuersione ad diabolum: facta conuersione ad Adam dicitur: *Maledicta terra in opere tuo.* Ibidem. Ibidem.

¶ Deinde quæritur ratione eius, quod dicitur: *Maledicta terra in opere tuo.* Propter quid terra maledicatur, cum ipsa non deliquerit, sed ipse Adam? Ibidem.

¶ Præterea, supra alia elementa quare non cecidit maledictio: cum ipse homo, qui peccauit, compositus sit ex quatuor elementis.

¶ Præterea, grauius fuit peccatum hoc, & damnosius, quo peccauit Adam; quam quo peccauit Cain: sed pro peccato Cain infligitur pœna à Domino, cum dicitur: *Maledictus eris super terram.* Vniuersaliter ergo pro peccato Adæ congruebat, vt Dominus diceret: *Maledictus eris super terram.* Genes. 4.

¶ Ad quod dicendum, quod licet terra non peccauerit in se: nihilominus maledictio cadit super terram: quia homo conuersus ad terram, scilicet ad delectationem fructus, qui erat ex terra, peccauit.

¶ Et hic assignatur ratio, quare tempore ieiunij fit abstinentia à carnibus animalium, quæ nutriuntur in terra: non autem à carnibus piscium, qui nutriuntur in aquis. Et si obiiciatur de volatilibus, quæ originem habuerunt ex aquis. Dicendum est, quod nutrimentum suum accipiunt ab his, quæ oriuntur à terra per se: & non secundum accidens. B. tamen Augustinus per maledictionem terræ dat intelligere maledictionem concupiscentiæ, quæ prouenit ex parte inferiori, scilicet carnis. Aug. in lib. 2. contra Manich.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod maledictio facta est terræ, & non aliorum elementorum propter hoc, quod mediante fructu terræ prohibito, & inclinatione ad istud factum est peccatum. Licet ergo homo compositus esset ex omnibus quatuor, non tamen inclinatio ad delectabile in aliis traxit hominem ad peccatum.

¶ Ad tertium

¶ Ad tertium vero dicendum, quod aliter fuit de Cain & Adam: Cain n. quodammodo imitatus est diabolum in peccato suo: ex inuidia n. perpetrauit homicidium: sic & diabolus, vt dicit Alchuinus: & sumitur ex illo verbo: *Ille erat homicida ab initio.* Et ideo sicut dictum est diabolo in serpente. *Maledictus,* &c. ita dictum est Cain. *Maledictus eris super terram.* Adæ vero dictum est: *Maledicta terra in opere tuo:* vt notaretur quod ortum habuit peccatum ex concupiscentia sensuali, quæ per terram designatur.

Gen. 4. Gen. 3.

Ibid. ¶ Deinde quæritur super eo, quod dicitur: *In laboribus comedes,* &c. Non n. omnibus datur ista pœna: multi enim comedunt, & non in laboribus.

¶ Præterea, secundum hoc qui sunt in vita contemplatiua, non haberent istam pœnam, non n. in laboribus comedunt, &c.

¶ Ad quod dicendum est, quod pœna est communis: nullus enim est, qui comedat ex ea, non præcedente labore in se, vel in alio. Contemplatiui etiam comedunt ex ea, vel ex laboribus, quos habent in actiua, vel qui habentur ab alijs. Præterea, tota vita est in labore constituta, secundum illud: *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* (Iob 5.) Vnde non semper necesse est, quod labor sit in excolendo terram, sed quod labor sit in vita temporali. Alia tamen litera est, quæ dicit. In mœroribus manducabis ex illa: vbi notatur, quod in vita ista semper debet esse afflictio. Aliter tamen exponit August. moraliter dicens: *Hoc ipsum, quod in hac vita quisque natus est, difficultatem habet inueniendæ veritatis ex corpore corruptibili.* secundum illud: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.*

¶ Deinde quæritur super hoc, quod dicitur: *Spinas & tribulos germinabit terra,* &c. Videtur enim, quod hæc pœna non tantum sit maris, sed etiam fœminæ: per spinas n. & tribulos signantur punctiones peccatorum, quæ ex mundo vel carne proueniunt: hæ autem non tantum sunt in masculo sed etiam in fœmina.

¶ Sed respondendum est, quod ad virum magis refertur ista pœna: propter hoc, quod viri est excolere terram, & fructum ex ea colligere. Hoc autem, quod obijcitur, ad moralem intellectũ refertur, in quo vir à muliere non distinguitur.

¶ Sed adhuc quæritur: Vtrum spinæ & tribuli oriren tur ex terra ante, cum possent esse ad conuenientem vsum?

Al. huinus ¶ Ad quod dicendum per hoc quod dicit Alchuinus: quærit enim, cur spinas & tribulos germinauit terra? Et respondet, *per peccatum hominis terra maledicta est, vt spinas pareret, & venenosas herbas: vt ante oculos semper habeat homo originale crimen.* Aliter tamen videtur respondere Aug. (August.) dicens: quod *homini nascebantur ista ad laborem & pœnam: quæ alijs animalibus nascebantur ad pastum.* Damasc. etiam dicit: quod *spina iuncta fuit rosæ in submemorationem trãsgressionis primæ, quæ voluntati est commixta.*

Genes. 3. ¶ *Et comedes herbas terræ,* &c. Hic quæritur, qualiter hoc datum est in pœnam, cum sit vita multorum sanctorum.

¶ Præterea, herbæ dicuntur, quæ sponte nascuntur ex terra, cum autem dictum est. *Ex omni ligno Paradisi,* (Gen. 2.) &c. nonne concessum fuit comedere ex herbis?

¶ Præterea, nonne post peccatum poterant etiam de fructibus comedere? qualiter ergo datũ est in pœnam comedere herbas? Alia n. litera dicit: *Et edes pabulum agri tui.* (Ibid.)

¶ Præterea, multi vescuntur pane, & non in sudore vultus sui: ergo non eos attingit illa pœna.

¶ Respondendum est, quod licet sancti voluntariè & meritorie comederunt herbas: nihilominus tamen homini datum est in pœnam: vt qui in delectabiliori cibo deliquit, in cibo animalium puniretur. Nec negatur, quin homini concessum fuerit de herbis terræ comedere: concessò enim nobiliori terræ nascẽte, per consequens videtur concedi vsus terræ nascentis minus nobilis.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet aliqua singularis persona non vescatur pane in sudore vultus: homini tamen datum est hoc in pœnam. Panis n. non sine sudore vultus præparatur.

¶ *Donec reuertaris,* &c. (Gen. 3.) Notatur hic pœna incinerationis: videtur autem quod hæc pœna non extendatur ad omnes ab Adam seminaliter descendentes: non enim ad illos, qui viui inuenientur in die iudicij: de quibus dicitur. *Simul rapientur in nubibus obuiam Christo in aera.* (1. Thess. 4.) Similiter de multis sanctis legitur, quorum corpora non incinerantur.

¶ Ad quod dicendum per hoc, quod dicitur in Gloss. (Glossa.) *Non ab illa sententia arbitramur illos esse immunes, quæ dictum est: Terra es, & in terram ibis.* (Ibid.) Similiter dicit Haymo. (Haymo.) *Dum anima ipso raptu exierit ipsum corpus, erit corpus terra: sed tamen breuissimum spacium tenebit ipsa mors.*

¶ Ad aliud dicendum, quod hoc quod corpora sanctorum non incinerantur, gratiæ est: & licet Christus ad nostram redemptionem mortem assumpserit: non tamen carnis corruptionem siue incinerationem, secundum illud *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* (Psal. 15.) Vnde Aug. (August. in lib. de Ecclesia. dogmatibus) *Maneret priuilegium in Domino, quod de eo specialiter dicitur: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

¶ *Fecit eis Dominus tunicas pelliceas,* &c. (Gen. 3.) Super quo quæritur, quæ fuit causa: nunquid indigebant, vt non possent sine his subsistere?

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicit Alchuinus. Fecit hoc, vt eos mortales insinuaret: induit autem vt ex omni parte se esse circumdatos cognoscerent. Item Augustin. (Aug. contra Manichæum.) *Illa mors, quam omnes, qui ex Adam nati sumus, cœpimus debere; in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim fecerunt præcinctoria de folijs fici: & Deus fecit illis tunicas pelliceas. Ipsi enim appetierunt faciendi libidinem, relicta facie veritatis: & Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutauit. Quo n. maiori indicio potuit figurari mors, quam sentimus in corpore; quam pellibus, quæ de mortuis pecoribus detrahi solent?* (Gen. 3.)

¶ Et quid est quod sequitur: *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis;* (Ibid.) cum iam ille fuit immortalis deiectus in mortalitatem: sciens mortem per experientiam, quam prius nouit tantum per sapientiam?

¶ Ad quod respondet Augu. quod dupliciter intelligi potest, vt voce insultantis diceretur [*factus est tanquam vnus ex nobis*] (Ibid.) non quia iam esset, sed quia ad illam rem factus esset, vt sc. esset Deus, creatoris sui beneficio, non natura; si sub potestate eius manere voluisset. Vel dictus est [*quasi vnus ex nobis*] (Ibid.) eo quod tunc nouit per experientiam, quod Deus nouit per sapientiam.

¶ *Nunc ergo, videte,* &c. (Gen. 3.) Hic designantur tres pœnæ, per quas possunt designari, siue figurari tres pœnæ in futuro, quæ competunt decumbenti in originali, quod per Adam est contractum: vel etiam in aliquo mortali: lapsus, scil. irreparabilis à statu innocentiæ, carentia summi delectabilis, irreuocabilitas quantum est ex parte hominis.

¶ Sed quæritur, quibus dictum est: *Videte, ne forte mittat,* &c. (Ibid.) Præterea, nunquid si sumeret de ligno vitæ, viueret in æternum: cum iam effectus esset mortalis per transgressionem inobedientiæ?

¶ Ad quod dicendum, quod angelis locutus est tanquam ministris. Illud autem, quod sequitur, ad hoc refertur, vt ostenderetur, quod lignum vitæ hanc habuit potentiam, vt per esum illius daret Dominus immortalitatem in corpore susceptibili, siue ad hoc disposito: & si corpus Adæ non iam erat dispositum, lignum vitæ non propter hoc suam virtutem amisit. Aliter tamen exponit Aug. (August.) dicens. *Potest videri propterea homo in labores huius mundi esse dimissus, vt aliquãdo ad arborem vitæ manum ponat, & viuat in æternum. Manus autem porrectio signat crucem, per quam vita æterna recuperatur.* Potest etiã intelligi, quod non iniusta pœna est, post peccatum interclusum esse aditum ad sapientiam; donec Dei misericordia mensuris temporum reuiuiscat, qui mortuus fuerat; & inueniatur, qui perierat.

¶ *Emisit eum Dominus,* &c. (Gen. 3.) quæritur, in quo distinguitur hæc pœna à præcedenti; cum eo ipso diceretur Paradisus voluptatis principaliter propter esum ligni vitæ?

¶ Ad quod dicendum secundum Augu. (August.) quod duplex figuratur separatio: vna, quæ est à ligno vitæ, qui est Christus. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerint.* (Prouer. 3.) Alia est à Paradiso spirituali, quod est Ecclesia; à qua ejicitur peccator, quousque per satisfactionem redeat ad vnitatem.

Gen. 3. tatem. Secundum aliam vero translationem dicitur. *Dimisit eum*; vt notetur quod suo proprio peccato hoc dementente est dimissus: alienatus aūt est à vita, non solum quam fuerat, si præceptum seruasset, cum angelis accepturus, sed ab illa etiam, quam ducebat in Paradiso, quæ erat quędam corporis felicitas.

Ibid. ¶ *Eiecitq; Adam, & collocauit ante Paradisum, vel* [*contra Paradisum*] secundum aliam litteram. Hic notatur vltima pœna, sc. impossibilitas, quantū est de se, ad reditum. Sed quid Ibid. sibi vult, quod Cherubin, & flammeus gladius ponuntur ad custodiendam viam ligni vitæ? nisi vt ostendatur, quod per charitatem, quæ est plenitudo scientiæ, designatam in Cherubin; & per pœnam temporalem, quæ in framea versatili, siue gladio designatur, via ligni vitæ custoditur, sicut dicit Augustin. Vel per plenitudinem scientiæ potest designari perfecta scientia, secundum quam debet dirigi molestiarum tolerantia. Augufl. in lib. contra Manich.

QVÆST. CVI.

De peccato originali.

In decem Membra, & decem & septem Articulos diuisa?

D. Tho. 1. 2 q. 81. & 83. S. Bon. in 2. d. 30. art 2 & deinceps Sco. ibid.

FINITO Tractatu de peccato primorum parentum, & pœnis consequentibus ipsum: consequenter dicendum est de peccato originali, quod ex ipso consequenter trahebatur.

¶ Circa vero originale peccatum hæc quæri possunt. Primo, an sit originale peccatum. Secundo, quid sit originale peccatum. Tertio, quæ est causa originalis peccati. Quarto, qualiter traducatur originale peccatum. Quinto, in quo sit. Sexto, qualiter transit reatu, & manet actu. Septimo, de concupiscentia, quæ est sequela originalis peccati. Octauo, de vnitate originalis peccati, vel multitudine. Nono, de quantitate originalis peccati. Decimo, de pœna originalis peccati.

MEMBRVM I.

An sit peccatum originale.

CIRCA primum sic: quod originale peccatum non sit, potest ostendi. Post baptismum, qui delet culpam pœnam; nihil debet remanere originalis peccati: ergo si ambo coniugati baptizentur, in eis non erit culpa originalis: nec immundicia carnis, quæ est illius pœna: ergo originale peccatum non erit in prole. Ex parte n. corporis nō videtur habere causam: nec ex parte animæ, quæ à Deo creata est.

¶ Forte distingueret aliquis, quod duplex est pœna sequens originale peccatum: pœna promouēs, & pœna suffocans: pœna promouens non remouetur per baptismum: pœna vero suffocans remouetur. Sed hoc nihil videtur valere ad propositum. Si n. pœna suffocās tollitur per baptismum: maximè autem suffocans debet dici, ex qua tantum malum sequitur, sc. culpa originalis in prolem: ex quā est carentia visionis Dei: illa ergo maximè tolletur per baptismum: non ergo sequetur originale peccatum in prole, illa pœna ablata in parentibus.

¶ AD idem: si originale peccatum est de necessitate in prole, videtur quod nuptiæ non dicendæ sint bonæ. In Sacramento n. matrimoniali tria sunt bona, fides, proles, & Sacramentum: prolem autem de necessitate sequitur maximum malum, videlicet culpa originalis: ergo ad nuptias cōsequitur de necessitate maximum malum: sed nihil, ad quod consequitur maximum malum, simpliciter dicendum est bonum: ergo matrimonium non esset simpliciter bonum: quod cum sit falsum: restat, quod id, quod de necessitate consequitur ad ipsum, nō est malum: sed hoc appellatur originale: ergo originale non est malum siue peccatum.

Hieron. ¶ ITEM ad idem Hieron. *Non est capabile vitij, quod non est capabile virtutum* (opposita n. sunt nata fieri circa idem) ergo similiter si vnum non est traducibile, nec reliquum, sed virtus non traducitur: ergo nec peccatum, sed originale per traductionem dicitur esse originale: ergo non est peccatum.

¶ Item, *omne agens nobilius est patiente*: sicut dicit Augustin. & accipitur ibi agens communiter, vt appelletur etiam corrumpens agens: constat enim quod nihil agit in aliud corrumpendo ipsum, nisi sit potentius ipso. Similiter etiam accipitur hic patiens communiter: non solum pro patiente passione, quæ est per abiectionem: sed etiam passione, quæ est in recipiendo, non enim loquitur ibi Augustin. de passione quæ fit per abiectionem, sed de altera. Sed corpus neque nobilius, neque potentius est anima: ergo anima non corrumpitur, neque patitur ab ipso corpore. August. in 12. super Gen. ad litt.

¶ Item, nec à Deo corrumpitur: *cauendum est enim* (vt dicit Aug.) *Deum ponere causam peccati: vel per se, vel per accidens.* Nec iterum corrumpitur anima à corruptione animæ parentum; cum nō sint animæ ex traduce, sicut corpora. Nec à seipsa post dici, quod corrumpitur: nihil n. est causa corruptionis sui ipsius. Sic ergo anima paruuli corpori infusa ex nulla parte habet corruptionem. Si ergo peccatum omne est corruptio in anima, apparet quod originale nullo modo potest dici peccatum. August.

¶ ITEM, nihil agens secundum qualitatem, quam habet; agit in alterum, nisi inducēdo talem qualitatem, qualem habet: ita vt non egrediatur genus. Verbi gratia, si ignis agat in ferrum secundum caliditatem, quam habet; non agit in ipso inducēdo caliditatem alterius generis, sed caliditatem generis eiusdem: ergo si caro corrupta secundum corruptionem, quam habet, aliquo modo induceret corruptionem in anima; non induceret corruptionem alterius generis, sed eiusdem. Si ergo corruptio in carne fuit pœnalis tantum, & non culpabilis: videtur, quod si ab ipsa inducatur corruptio in anima: illa erit pœnalis tantum, & non culpabilis; & si hoc, redit semper, quod nunquam erit originale peccatum.

¶ ITEM, ad idem: lex temporalis tenetur à lege æterna: & iustitia legis temporalis à iustitia legis æternæ. Sed in iustitia legis temporalis non punitur aliquis personaliter pro peccato parentum: ergo si cum maiori misericordia est iustitia legis æternæ, quam iustitia temporalis, nunquam secundum iustitiam legis æternæ punietur aliquis personaliter pro culpa primorum parentum, & maximè æternaliter: sed hoc esset, si poneretur originale peccatum: ipsi n. dicitur deberi perpetua carentia visionis Dei, secundum quod huiusmodi: & ita non debet poni peccatum originale. Aut si dicatur quod aliquis punitur ex pœna parentū; videtur quod saltem magis deberet puniri pro peccatis proximorum parentum, quam primorum.

¶ Item, iustum est, vt pœna suum teneat autorem, sed paruul⁹, qui modo nascitur, nullius peccati fuit auctor, sed solum primi parentes: ergo isti nulla pœna debetur: si ergo illi redditur, iniuste agitur cum illo.

¶ Præterea, quicquid sit de corporibus, anima istius paruuli nullo modo fuit in primis parentibus: ergo videtur, quod nullo modo deberet puniri ex peccato eorum: quicquid sit de corpore ipsius.

¶ Quod enim dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitates patrum in filios*, &c. Hoc intelligitur, cum filij imitantur iniquitatem patrum. Et hoc patet per hoc, quod ibi subiungitur. *In tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Si ergo paruulus, cum nascitur, non imitatur iniquitatem patris, nō videtur, quod debeat vindicari in ipso. Exod. 20. Ibid.

¶ PRÆTEREA, *Omnes animæ meæ sunt; vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Si ergo secundum decretum iustitiæ legis æternæ non extenditur pœna vltra culpam: si filius non portabit iniquitatem patris: ergo neq; quo ad pœnam, neq; quo ad culpam transfundetur originale peccatum in posteros. Ezech. 18.

¶ ITEM, omnes peccauimus in Adam peccante: ergo satisfacimus in Adam satisfaciente, cum Deus sit pronior ad miserendum, quam ad puniendum, vel damnandum.

¶ Item, ideo peccauimus in Adam peccante, quia in lumbis eius eramus, sed similiter in ipso eramus satisfaciente: ergo in eo satisfecimus.

¶ ITEM, potentior est gratia, quam peccatum: ergo si peccatum poterit omnes corrumpere, & gratia ei data poterit omnes saluare.

¶ OPPOSITVM huius ostenditur multipliciter: primo per timorem bestiarum: timor enim hominis ante peccatum fuit super omnia animalia, & dominium: sicut monstratur: *Dominamini piscibus maris.* Et iterum: *Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea*, &c. Gen. 1. Modo autem econtrario est, & præcipuè timet homo serpentem, quem Eua non timuit. Genes. 3. & vnde hoc? timor enim iste omnium est: & pœna est: dicit enim Tullius, quod omnium naturale est: ergo pœna ista naturalis est: ergo homo non est naturaliter pure innocens: aut Deus iniustus est, quoniam sine peccato punit innocentes. Si ergo Deus iustus est, peccatum originale est. Gen. 3. Tullius.

¶ Secundo per dolorem mulierum parturientiũ: cum ergo omnium mulierum sit, naturalis est: ergo pro peccato originali.

¶ Tertio, per mala, quæ patiuntur pueri, qui in actu nihil commiserunt: patiuntur enim combustiones, febres, variasq; ægritudines: & iniustum esset, si per omnia innocentes essent. Peccatũ ergo præcessit in eis: sed non actuale: ergo originale.

¶ Quarto, per pugnam sanctorum, quam habuerunt contra malum concupiscentiæ carnis, de qua Apost. *Spiritus concupiscit aduersus carnem.* Ad Gal. 5. Hanc pugnam habent omnes: & hæc pugna bona, & etiam in sanctis gloriosa, sed non est contra bonum: ergo contra malum: est ergo malum generale omnium originale peccatum.

¶ Si dicas concupiscentia, contra quam pugnas, esse bonum. Audi Salomonem dicentem. *Fili post concupiscentias tuas non eas: facient n. te in gaudium inimicis.* Eccles. 18. Ergo sequendo cadis in abyssum peccati: malum ergo est concupiscentia carnis.

¶ Quinto per circumcisionem Isaac, qui filius fuit promissionis, & non naturalis: quia sterili patri, & sterili matri datus est: & tamen nisi circũcisus fuisset, perijsset: quia à Domino dictum erat: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo.* Gen. 17. Sed non nisi per peccatum: ergo peccatum habebat Isaac tam sanctè natus: ergo multo fortius & nos.

¶ Sexto per hoc, quod primi parentes fecerunt sibi perizomata Genes. 3. & per hoc quod quædam membra dicuntur pudibunda. Gen. 3. Sed vnde hoc? non nisi propter peccati corruptionem in porta originis apparentem.

¶ Autoritatibus multis illud probatur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. Ioan 3. generaliter loquitur: ergo neminem excludit: ergo omnes oportet renasci: ergo spiritualiter mortui sunt.

¶ Item, *omnibus mortuus.* Rom 10. Ergo omnes mortui sunt, pro quibus mortuus est CHRISTVS. Item, *omnes nati sumus filij iræ.* Ephes. 2.

RESOLVTIO.

Et ratio, & autoritas peccatum originale adstruunt.

¶ Secundum hæc ergo, si quæritur, vtrum peccatum originale sit? dicimus, quod sic.

¶ AD obiecta autem respondemus: & primo ad primum hoc modo. Scimus enim quod originali culpæ duplex fuit debita pœna. Vna, quæ est carentia visionis Dei, & quia hæc non fuit promouens, sed suffocans: ideo remouetur in baptismo cum culpa. Alia vero pœna fuit pronitas: & hæc non fuit pœna suffocans, sed promouens illi, cui infligebatur: & ideo in baptismo non tollitur, sed relinquitur homini ad exercitium: contra quam pugnãs, exercitatur, & promouetur etiam. Quod patet: quia ipsi sic exercitato, redditur corona pro certamine, quæ aliter non redderetur eidem sicut dicit Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Vnde & si aliter fieret homo beatus, & non certans contra illam pronitatem; nunquã tamen redderetur ei corona pro certamine: quod valde est ipsi homini gloriosum. Si autem obijcit Iulianus, quod ex hac pœna necessario sequitur culpa. Dicimus, quod si hæc pœna ordinet ad malum, nõ tamen ad malum culpæ in eodem: sed tt ex ipsa: q. ad malum culpæ, hoc est in ipsa prole; & non in illo, cuius est pœna. Vnde cum in ipso, cuius est pœna, ordinet ad multiplicem fructum; si subtraheretur illa pœna, damnificaretur in subtractione illius.

¶ AD secundo obiectum dicimus, quod & si proles sit bonum matrimonij, & prolem concomitetur malum peccati originalis; non tamen ad nuptias dicendũ est sequi malum; & hoc quia aliunde est proles, aliunde peccatum originale: proles n. à Deo est: peccatum autem à defectu, vel carentia debitæ iustitiæ: nuptiæ autem ordinantur ad prolem, siue ad bonum prolis, & non ad defectum. Quod patet: si enim nunquam peccasset homo, nihilominus essent nuptiæ, & esset bonum prolis. Quemadmodum ergo volens aliquis facere pedẽ, non intendit ipsum facere claudum: propter debilitatem tamen virtutis accidit pedi ipsum esse claudum: cum aliunde est pes, scil. à facilitate: aliunde claudus, videlicet à defectu suo. Ita est ex parte ista, quod prolis bono accidit illud malum, & ideo non est dicendum illud malum consequi ad nuptias.

¶ AD tertium dicendum: concedo, quod sicut virtus non traducitur, ita neque vitium, quantum ad identitatem in numero: sicut enim virtus ista numero, quæ fuit in patre, nunquam est in filio: ita vitium, quod fuit in patre, idem numero nunquam est in filio. Quod patet, remanente adhuc originali in patre, contingit esse originale in filio. Tamen intelligendum est, quod differenter est in bono, & in malo: bonum enim non est in nobis à nobis, sed à Deo: & etiam immediate sine aliquo medio est à Deo, in quolibet, in quo est, quod patet, cum bonum siue virtus non sit in nobis nisi per gratiæ collationem: gratia autem cuicunque confertur, immediate confertur à Deo, & non vni per alterum: patet quod bonum non potest ab vno in alterum traduci. Sed malum in nobis est à nobis, & sufficiens causa mali, & ideo magis fuit ratio traducendi quantum ad malum, quam quantum ad bonum.

¶ AD aliud, quod obijcitur, quod agens semper nobilius est patiente: & similiter ad aliud, quod nihil agens secundum aliquam qualitatem potest agere in alterum, nisi inducendo simile: ita vt non egrediatur genus. Patet quomodo respondendum est per prædicta: neque n. est dicendum, quod corpus agat in animam, propriè loquendo: neque similiter est dicendum, quod corruptio, quæ erat pœnalis in carne, faciat corruptionem alterius generis, scil. culpabilem in anima. Qualiter autem sentiendum est de his, inferius declarabitur.

¶ Ad aliud, quod obijcitur, quod lex temporalis non punit aliquẽ personaliter pro peccato parentum. Respondemus, ꝙ in paruulo fuerunt duo: caro, & anima. Quantum ad carnem ergo, cum illam contraxerit ex patre, & aliquando fuerit caro patris; potuit puniri pro delicto patris iustitia legis æternæ: sicut à lege temporali poterat aliquis puniri in rebus, in quibus debebat succedere patri: sed sicut non poterat puniri in persona propria, nisi propter propriam culpam: ita nec anima paruuli deberet puniri, nisi haberet culpam. Vnde secundum Augustin. & Anselm. concedimus quod non punitur paruulus pro culpa patris, sed pro culpa sua, propriè loquendo. Non enim dicit Apostolus, quod solum Adam peccauit, sed dicit, quod *omnes peccauerunt in Adam.* Rom. 5. Erat n. in Adam non solum volũtas huius singularis personæ, sed voluntas vniuersalis naturæ: quo cadente à iustitia originali, cecidit etiam quælibet voluntas succedentium posterorum: caret enim voluntas cuiuslibet illa rectitudine, quam habuisset, si Adam stetisset.

¶ Quod etiam similiter obijcitur, quod iustum est, vt pœna suum teneat actorem. Visum est, quomodo respondendum est: ostensum est n. quomodo paruulus quilibet in Adam dicitur peccasse.

¶ Quod autem similiter obijcitur, illud Exod. 20. *Ego sum Deus zelotes*, &c. quod nõ intelligitur, nisi cum iniquitates patrum reperiuntur in filijs. Dicimus, quod hoc est verum. Sed quod dicitur postea, quod in paruulo non erat iniquitas. Respondemus, per interemptionem: In ipso n. est culpa: sicut dictum est ante.

¶ Simili-

Ezech. 18.

¶ Similiter autem ad illud, quod obijcitur: *Filius non portabit iniquitatem patris*, &c. neque pœnam pro iniquitate. Concedimus quod & propriam culpam habet, & pro propria culpa punitur, & non pro aliena; propriè loquendo. Vnde si debetur ei pœna pro peccato primorum parentũ, non debetur ei pœna pro peccato, quod fecerat hæc persona inquantum hæc: sed pro peccato, quod fecit inquantum erat habens vniuersalem naturam, & inquantum erat principium respectu omnium, & inquantum erat habens virtutem conseruandi generaliter originalem iustitiam in posteris, si stetisset.

¶ Ex quo apparet similiter, quod quæritur postea: si hæc anima nullo modo erat in parentibus, quomodo peccauit in illis: aut quomodo punitur propter illos. Dicimus enim quod si hæc anima non erat in anima primi parentis, secundum quod ipse erat hæc persona singularis, erat tamen ibi nihilominus ratione naturæ vniuersalis quę sanat do: & secundum aliquos modos, qui prius expositi sunt. Ita tamen vt non intelligatur anima paruuli eum educi per propagationem, vel per generationem inesse à parentibus.

Dubitatio incidentalis.

¶ Ex his etiam, quæ dicta sunt, potest videri quoddã, quod posset quæri, videlicet: cum anima vnitur carni paruuli, in ipsa vnione vtrum vniatur secundum se, aut secundum suas potentias, aut quomodo. Sicut enim potest haberi ex prædictis, dicimus quod non solum secundum se, sed ratione potentiarum suarum appetebat vniri: sed ista appetitiua non est intelligenda specialis appetitiua vniuscuiusque vis respectu proprij actus, sicut irascibilis ad irascendum, & concupiscibilis ad concupiscendum, & sic de alijs, sed erat generalis appetitiua appetens vniri corpori: sicut corpus habebat appetitiuam, qua appetebat animę vniri.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod omnes satis fecimus in Adam satisfaciẽte. Respondetur, quod non est simile: nam cum peccatum sit à solo arbitrio, peccatum est à natura, & in natura; & ideo propagatur: gratia vero licet sit in natura, tamen non à natura, sed à Deo solum, & ideo propagari non potest.

¶ Et ad illud, quod obijcitur: Deus est pronior ad miserendum, quam, &c. Dicendum, quod peccatum originale non est à Deo autore, inquantum peccatum, in nobis. Vnde quod transfundatur originale, non est à Deo; sicut gratia: sicut postea patebit.

¶ Ad aliud vero dicendũ, quod si notetur causa præcisa, hæc est falsa. Quia eramus in lumbis Adæ, ipso peccante, ideo peccauimus, quia & Christus in lumbis eius erat, non tamen in eo peccauit. Duo ergo occurrunt, quatenus concedatur, quod Adam peccante peccauimus: quia fuimus in eo potentia materiali, & potentia nascendi secundum concupiscentiam: primo modo modo tantum fuit Christus in Adam: nos autem vtroq; modo.

¶ Ad vltimum, quod obijcit: plus posse gratiam, &c. Respondetur, quod duplex est causa, quare gratia Adæ data non remouit originale. Vna est, quia facilius est corrumpere, quam reædificare, destruere quam construere. Secunda est, quia ex sententia diuina lata super Adam & totam posteritatem, adhæsit corruptio humano generi, quam sententiam gratia delere non potuit data alicui puro homini: sed data Christo, qui erat Deus & homo. Si enim per gratiam datam primis parentibus deleta esset: iam non mansisset iustitia diuinæ vltionis lata in tantam posteritatem: & ita iustitia diuina quoad hoc euacuaretur: quod est inconueniens: misericordia enim & si temperet iustitiam, non tamen eam euacuat.



MEMBRVM II.

Quid sit peccatum originale.

Secvndo quæritur, quid sit peccatum originale. Et primo, vtrum sit culpa tantum, aut pœna tantum, aut vtrumque, aut neutrum. Secundo, si est culpa, vtrum sit voluntarium, vel non. Tertio, quia ponuntur quædam rationes originalis, qualiter intelligantur, & inter se differant. Quarto, si peccatum originale est pœna, vtrum secundum carentiam diuinæ iustitiæ sit culpa & pœna.

ARTICVLVS I.

An peccatum originale sit culpa tantum; vel pœna tantum, vel vtrumque, vel neutrum?

Ad primum sic: videtur quod nec sit culpa, nec pœna per hoc, quod dicitur Lib. 2. Sent. quidam dicebant ipsum originale nec esse culpam, nec pœnam, sed tantummodo reatum, id est, debitum vel obnoxietatem, qua obnoxij & addicti sumus pœnæ temporali & æternæ pro peccato primi parentis. Ratio autem istorum sumebatur ex similitudine legis temporalis ad legem æternam. Si enim in crimine læsæ maiestatis secundum legem temporalem, & si non peccauerunt filij, sunt tamen obnoxij pœnæ pro delicto parentum: videtur similiter, quod si peccatũ Adæ fuit quasi crimen læsæ maiestatis, in eo quod vsurpare voluit similitudinem deitatis: quod pro peccato eius secundum legem æternam teneantur paruuli obnoxij pœnæ, etiam sine culpa sua. Et hanc obnoxietatem appellant ipsi originale. Secundum istos ergo non est originale culpa: quia culpa fuit in solo Adam: neq; pœna est, sed tantummodo obligatio ad pœnam. — Magist. li. 2. sent. dist. 30. cap. quod diligenter, &c.

¶ Contra istos autem obijcitur per autoritatem August. qui dicebant, quod peccatum non transit, nisi in imitatores parentum. Vnde si in paruulis remaneret aliquid post parentes; dicebant illud esse tantum pœnam, & non culpam; antequam actualiter peccarent. Quærit ergo August. secundum quem modum pertransiuit sententia in illos, in quos non pertransibit culpa? nisi forte secundum nos iniustus sit Deus, qui expertes delicti illorũ, passus est nos pœnæ vinculo obligari. Ex qua autoritate apparet aperte; quod non solum in originali ponenda pœna est, sed etiam culpa. — August. in li. 5. re põsionũ contra Pelagiũ & Cœlestinum. Idem.

¶ Quod autem vtrumque sit in ipso originali, sc. pœna, & culpa: ostenditur hoc modo: *Benedixisti Domine terram tuam*: super illum locum. *Aut extendes iram tuam*. Glos. *Omnes traximus ab eo pœnam & culpam*. Ergo si quid contrahimus à primo parente, originale est; in originali est pœna & culpa. — Psal. 84. Glossa.

¶ Item Ambros. *Vitium naturam lædit, culpa Deum offendit*. Sed originale Deum offendit: quod patet per hoc, quod ipsi debetur carentia visionis Dei. Item, naturam lædit: hoc manifestum est, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ. Erit ergo originale habens & culpam, & vitium: vitium autem ibi appellatur pœna: quod enim lædit & viciat naturam, pœna est. — Ambros.

¶ Item, August. *Inter apostasiam primam, & pœnam gehennæ, media & peccata sunt & pœnæ*. Sed originale medium est inter primam apostasiam, id est, peccatum primi hominis, & vltimã pœnam gehennæ, & natura, & tempore: quod patet, nisi enim fuisset prima apostasia, non fuisset originale secutum in paruulis. Item, paruulis decedentib. non redderetur gehenna, nisi originale præcessisset in illis: in originali ergo est pœna, & culpa. — August.

¶ Si autem hoc concedatur, ostenditur, quod est pœna tantum, per author. August. de verbis Apostoli, quam ponit Magist. Vult enim ibi dicere, quod originale dicitur concupiscentia siue vitium, quod paruulum habilem facit concupiscere, & adultum etiam concupiscentem reddit. Secundum, quod tale est, non nisi pœna est, & non culpa: quod patet: quia post baptismum remanet: non remaneneret autem, si esset culpa: ergo originale erit tantum pœna. — Magist. in 2. sen. dist. 30. cap. in nomine &c.

¶ Item, dicit Hug. *Hoc vitium originis humana duplici cor-* — Hugo.

ruptione naturam inficit, ignorantia mentem, & concupiscentia carnem. Et post subiungit. *Si quaeritur, quid sit originale peccatum in nobis? intelligitur corruptio, siue vitium; quod nascendo contrahimus per ignorantiam in mente, & per concupiscentiam in carne.* Sed hæc corruptio, quæ contrahitur per ignorantiam & concupiscentiam, non est nisi pœna: ergo originale peccatum tantum est pœna.

Idem.

Rom. 5. Glossa.

¶ ITEM, super illud. *Sicut per vnum hominem.* Gloss. *Adam præter imitationis exemplum, occulta tabe carnalis concupiscentiæ tabefacauit in se omnes de sua stirpe venturos.* Sed hæc carnalis concupiscentia non est nisi pœna: ergo originale est tantum pœna.

August. ad Valerium.

¶ Quod autem sit culpa, videtur per hoc, quod dicit August. *Nullum peccatum paruuli in sua vita commiserunt proprium: remanet ergo originale, per quod sub diaboli potestate captiui sunt: nisi lauacro regenerationis & Christi sanguinis redimuntur.* Hoc etiam habetur Apocal. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Sed lauacrum, siue lotio dicitur esse à culpa, ergo originale peccatum est à culpa.

August. ad Valerium.

¶ Idem, Augu. *Per vnius hominis voluntatem malam omnes in eo peccauerunt: quando omnes ille vnus fuerunt: de quo pro pœna singuli peccatum originale traxerunt.*

Idem in li. retract.

¶ Item, in Lib. Retract. *In primis hominibus natura humana peccauit, ac per hoc natura humana nulla nocuerunt peccata, nisi sua.* (Et loquitur ibi de originali peccato.) Ergo originale peccatum culpa est. Si enim non esset culpa mortalis, qualiter deberetur ei carentia gloriæ? debetur autem ei, sicut habetur super illud: *Propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei.* Gloss. *Non videre Deum erat eis pœna pro peccato primi hominis, siue pro peccato originali: propter quod occlusus erat aditus regni cælorum.*

Rom. 3. Glossa.

Quæstio incidentalis.

Hugo.

¶ HVIVS gratia, supposito quod sit culpa, quæritur: Vtrum eadem culpa sit nostra, & primi parentis? Et videtur quod sic: per hoc quod dicit Hugo. *Nos, qui ab eodem nascendi originem traximus; quod illi actuale fuit, originale habemus, quia in nos per solam necessitatem descendit, quod in illo per actionem fuit, & ita illa, quæ erat illius actualis, erat nostra originalis.*

¶ Item, per simile arguitur. Filij enim puniuntur pro peccato parentis: vt pote, qui de illegitimo matrimonio nascuntur: & non est nisi culpa in parente. Ergo videtur quod originale peccatum non sit, nisi culpa ipsius Adæ.

4. Reg. 5.

¶ CONTRA, cum dictum est: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo post te:* vnusquisq; de semine habuit propriam lepram. Ergo à simili, cum punitus esset Adam in posteritate sua, illi, qui erant de posteritate, singuli habuerunt lepram propriam peccati.

Gregor.

¶ Item, dicit Gregor. quod *quilibet traxit saccum*, id est, meritum sacci: saccus autem dicitur ipsa mortalitas; meritum autem sacci ipsa culpa: ergo culpa originalis est in ipso paruulo. Et super illud: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Gloss. *Nemo nascitur, nisi trahens pœnam & meritum pœnæ: nisi tu, qui de Spiritu sancto conceptus es.* Ergo cum trahatur illud, quod est originale: originale erit culpa: hoc n. est meritum pœnæ.

Psal. 50. Glossa.

RESOLVTIO.

Vtrumque originale est & pœna, scilicet & culpa.

¶ AD quod dicendum, quod originale habet vtrumq; in se: & culpam, & pœnam. Culpa est carentia debitæ iustitiæ, siue deformitas quædam, qua ipsa anima deformatur. Concupiscentia vero est ipsa pœna, quæ in paruulis dicitur concupiscibilitas: in adultis vero dicitur concupiscentia actu.

¶ AD illud, quod obijcitur in contrarium: quod non est culpa, nec pœna, sed tantum reatus, id est obligatio ad pœnam. Dicendum est, quod non est simile in lege æterna, & lege temporali. In lege n. temporali punitur proles pro peccato parentis, in lege vero æterna punitur homo pro peccato, quod suum est ratione personæ, vel naturæ. Vnde Augustin. *Non nulli homini, sed nulli naturæ dixi peccata nocere, nisi sua.* Lex enim temporalis punit temporaliter, & ex parte carnis: lex vero æterna punit æternaliter ex parte animæ, pro eo quod est suum peccatum, vel quasi suum.

August. in lib. retract.

¶ AD secundum vero dicendum, quod licet peccatum originale sit concupiscentia, non tamen est tantum pœna. Cum enim dicitur, peccatum originale est concupiscentia; materialis videtur esse prædicatio, formalis autẽ, cum dicitur macula siue deformitas ex origine primorum parentum contracta. Hugo tamen dicit: *Concupiscentia spiritus inordinata est culpa, concupiscentia carnis pœna & culpa, pœna præcedentis culpæ, & culpa subsequentis pœnæ.*

Hugo de S. Victore.

¶ AD tertium dicendum, quod illud, quod dicit Hugo intelligitur de originali peccato ratione pœnæ, cum quæritur, quid sit originale peccatũ, &c. Illud vero, quod præmittit, dicens: Hoc vitium originis naturam inficit, potest intelligi de originali culpa.

¶ AD quartum vero dicendum, quod illud quod dicitur super illud: *Sicut per vnum hominem*, &c. de peccato originali loquitur ratione pœnæ, quæ est concupiscentia.

Rom. 5.

¶ Illa vero, quæ obijciuntur, quod peccatum originale sit culpa, non excludunt, quin secundum aliquid sit culpa, & secundum aliud pœna. Ratione n. carentiæ iustitiæ originale peccatũ potest dici culpa: ratione concupiscentiæ potest dici pœna.

¶ AD vltimum vero de eo, quod videtur Hugo dicere; quod illud, quod illi fuit actuale, nobis est originale. Dicendum est, quod hoc dictum est per causam: non enim per essentiam actuale peccatum ipsius Adæ est nostrum originale: sicut enim differunt subiecta, ita differunt peccata. Sed per causam potest dici, quod actuale peccatum illius fuit causa nostri originalis.

ARTICVLVS II.

An peccatum originale voluntarium peccatum dici debeat?

DEINDE quæritur, vtrum originale peccatum debeat dici voluntarium. Et videtur quod sic: dicit August. *Peccatum adeo voluntarium est, quod si non est voluntarium, non est peccatum.* Originale ergo si non est voluntariũ, non est peccatum, sed est peccatum: ergo est voluntarium.

Aug. in li. de vera relig. cap. 14.

¶ CONTRA, velit, nolit, peccatum originale contrahit paruulus: ergo non est voluntarium. Inuoluntarium n. dicitur cuius principium est extra, eo nihil conferente, qui patitur.

¶ ITEM, si est voluntarium, aut est tantum voluntariũ ratione voluntatis primi parentis: aut est voluntarium aliquo modo ratione voluntatis in ipso, in quo contrahitur. Et videtur, quod ratione voluntatis in primo parente: dicitur n. super illud: *Sicut per inobedientiam, &c.* Originale peccatum ex voluntate est, quia ex voluntate primi hominis seminatum est, vt in illis esset, & in omnes transiret.

Rom. 5.

¶ CONTRA, peccatum dicitur voluntarium, cum est in voluntate, à qua causatur, sed à voluntate Adæ cum causetur peccatum, dicitur tantum voluntarium in voluntate & ita tantum ibi peccatum, sed nõ dicitur tantum ibi peccatum: ergo nec tantum ibi voluntarium.

RESOLVTIO.

Voluntarium profecto, aut à voluntate primi parentis, aut à voluntate naturæ.

¶ AD primum dicendum, quod peccatum originale dicendum est voluntarium: vnde August. *Illud, quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non vtantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum.*

Aug. in li. retract.

¶ SED videtur esse contrarium: quia in eodem Lib. dicitur: *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt si non sit voluntarium, nullo modo est peccatum:* quæ diffinitio potest videri falsa: sed si diligenter discutiatur, inuenietur esse verissima: peccatum tantum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati. Si ergo peccatum originale non tantũ est peccatum, sed etiam peccati pœna: non extendetur illa diffinitio ad peccatum originale, & ita non dicetur voluntarium malum.

Idem in eadem.

¶ AD

¶ Ad quod dicendum, quod illud, quod dicit Augustin. non excludit, quin peccatum originale sit voluntarium, sed quod non dicatur voluntarium in ratione pœnæ peccati. Loquitur tamen ibi de quibusdam peccatis, quæ fiunt à nescientibus, quæ quodammodo dicuntur voluntaria, quodammodo inuoluntaria.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod debeat dici inuoluntarium. Dicendum est, quod non simpliciter dicitur: licet enim non fiat à voluntate ipsius paruuli; fit tamen à voluntate humanæ naturæ; quam iste participat, descendens ab Adam. Aliter etiam accipitur inuoluntarium à Philosopho, & aliter hic. Philosophus enim non respicit voluntarium & inuoluntariũ, nisi prout ad personam singularem referuntur. Theologus vero, prout referuntur ad personam vel naturam. Philos.

¶ Ad illud vero, quod consequenter obijcitur: Si voluntarium est, vtrum à voluntate primi parentis, vel à voluntate eius, in quo trahitur. Dicendum, quod à voluntate primi parentis. Licet aliqui vellent dicere, quod quidam appetitus est in anima paruuli, quo appetit magis vniri corpori sic corrupto, quam non vniri, & ratione illius dicatur voluntarium peccatum originale. Sed quia illud nulla autoritate fulcitur, & videtur secundum hoc actuale peccatum, eadem facilitate contemnitur, qua à quibusdam approbatur.

ARTICVLVS III.

Quid sit originale peccatum.

Deinde quæritur, quid sit orginale peccatum, propter varias diffinitiones, quæ ei assignantur. Ponitur enim talis diffinitio originalis peccati. Originale peccatum est carentia, vel nuditas debitæ iustitiæ, siue originalis impotentiæ habendi iustitiam, per inobedientiam Adæ contractam.

¶ Ad cuius intellectum notandum: quod duplex est iustitia, à gratia gratum faciente (& de illa ad præsens non intendimus) & est iustitia naturalis. Et hæc est duplex, quæ fuit in statu innocentiæ: & quæ adhuc remanet in statu naturæ corruptæ. De illa, quæ fuit in statu innocentiæ, dicitur: *Deus ab initio fecit hominem rectum.* Hanc autem rectitudinem, si Adam stetisset; illi qui descenderunt ab eo, habuissent: nunc autem curuitatem, quam ex peccato cõtraxit, transmisit ad posteros: & ideo dicitur, *nuditas debita iustitia per inobedientiam Ada contracta.* Hæc autem diffinitio datur per causam efficientem. Eccles. 7.

¶ Alia diffinitio ponitur talis: *Peccatum originale est vitium, ex corruptione seminis in hominenatum.* Et hæc diffinitio videtur dari ex parte causæ materialis.

¶ Tertia vero diffinitio ponitur, quæ dicit: quod *peccatum originale est concupiscentia, ex vitiosa conditione nostra originis contracta.* Et hæc determinatur, secundum quod peccatum originale est materialiter. Attendendum autem est, quod *concupiscentia*, non accipitur hic specialiter pro eo, quod est potentiæ concupiscibilis: sed generaliter, prout est cuiuslibet appetitiuæ rationalis ex coniunctione primaria cum carne corrupta. Est autem alia concupiscentia, quæ est partis sensibilis: & hæc dicitur esse pœna. Illa vero, quæ rationalis est, aliquando dicitur culpa: vtraque vero (propriè loquendo) pœna est sequens ex corruptione naturæ.

RESOLVTIO.

Peccatum originale est carentia vel nuditas debita iustitia per inobedientiam Ada contracta. Vel, peccatum originale est vitium, ex corruptione seminis in hominenatum. Iterum. Peccatum originale est concupiscentia ex vitiosa conditione nostra originis contracta.

¶ Adhuc etiam quæritur, vtrum illa diffinitio peccati, *Peccatum est auersio ab immutabili bono, & conuersio ad commutabile bonum*, conueniat peccato originali. Et dicunt quidam, quod sic: vt in carentia debitæ iustitiæ intelligatur auersio, in concupiscentia intelligatur conuersio. Sed in hoc distinguunt inter peccatum originale & actuale: quod in actuali peccato sit auersio, & conuersio actualis: in originali dicatur auersio, & conuersio habitualis. Quæstio lateralis.

¶ Sed contra hoc obijcitur: conuersio habitualis non dicitur, nisi vbi prius fuit conuersio actualis, sed conuersio actualis non præcessit in originali peccato: ergo non dicetur conuersio habitualis: habitualis n. conuersio dicitur esse in aliquo, qui prius fornicatus fuit, & non pœnituit, nec tamen modo fornicatur. Præterea, videtur conuersio actualis esse in originali peccato: actualiter n. separatus est, siue auersus ipse paruulus non baptizatus à Deo: ergo videtur ibi esse auersio actualis.

¶ Ad quod respondendũ, quod illa diffinitio peccati datur de actuali peccato mortali: sic n. loquitur in Lib. de lib. arb. de peccato, sc. quod fit proximo per vsum lib. arb. In originali autem peccato non est conuersio actualis vel habitualis (propriè loquẽdo) nec auersio actiuè dicta. Licet n. ex originali peccato ratione concupiscentiæ sit pronitas ad peccatum; nõ tamen dicitur cõuersio habitualis: habitus n. malus ex actu derelinquitur. Nec dicitur auersio actualis, qua paruulus se auertit: licet actu sit auersus per peccatum primorum parentum, sed non dicitur auersio actualis, nisi cum homo auertit se per lib. arb. à Deo: non sic autem est in originali. August.

¶ Adhuc etiam quæritur. Cum in originali peccato sit culpa & pœna: & quædam corruptio sit in intellectu, sc. ignorantia: quædam in affectu, sc. concupiscẽtia, vtrum quantum ad vtramq; corruptionem dicatur originale peccatum? Quod sic videtur: pœna n. proportionalis est culpæ: si igitur infligitur pœna decedentibus in originali, non tantum quantum ad carentiã delectationis in summa bonitate, sed quãtum ad carentiam visionis respectu summæ *virtutis, in peccato erat aliquid, propter quid hoc & illud infligebatur: carentia autem visionis Dei non respondet nisi ignorantiæ: carentia delectationis in summa bonitate concupiscentiæ: ergo peccatum originale dicetur culpa quantum ad vtramque. Quæstio lateralis. *Alias, veritatis.

¶ Item Hugo dicit: quod *originale est corruptio, vel vitium, quod contrahimus nascendo per ignorantiam in mente, & per concupiscentiam in carne:* per carnem autem intelligitur affectus carnalis. Arguit etiam vlterius: *In Adam non fuit tantum debitum volendi, quæ mandabat Dominus: sed etiam debitum cognoscendi. Ergo si recessus à debito, est peccatum; vtroque modo peccauit, non solum in non nolendo quod debuit: sed etiam in non cognoscendo.* Cum ergo peccatum originale sit sequela illius, erit originale peccatum, culpa quantum ad ignorantiam, & quantum ad concupiscentiam. Quod autem sit quantum ad ignorantiam culpa, videtur ex verbis ipsius. Dicit enim: *Ignorantia non propter hoc vitium in eis: quia cum nascuntur, veritatem non cognoscunt, quãdo non debent: sed quia tunc, cum nascuntur, vitium in eis, est: quo postea impediuntur, ne veritatẽ cognoscant quando debent.* Nasci sine cognitione, natura est, non culpa: sed in eo vitio nasci, quo postea à cognitione veritatis impediantur, culpa est, non natura. Hugo de S. Victore. Idem. Idem.

¶ Item, alibi: *Ignorantia boni culpa est & pœna: in mente concupiscentia mali culpa est, & pœna in carne.* Ex quibus colligitur, quod ignorantia est culpa, prout ad originale peccatum pertinet. Idem.

¶ Item, super illud: *Ignorantias meas ne memineris.* Gloss. id est, *originale peccatum, quod est in paruulis.* Psal. 24. Glossa.

¶ Contra dicit Aug. *Reuera omni peccanti anima duo sunt pœnalia, ignorantia, & difficultas.* Ex quo accipitur, quod ignorantia in originali peccato est pœna, non culpa. Aug. in 3. de libero arbitrio.

¶ Item, Aug. *Hoc est primum creatura rationalis malum; voluntas deficiens ab incommutabili bono: deinde iam volentibus subintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum.* Si ergo volentibus subintrauit, erit ignorantia pœna, non culpa. Idem in Enchirid.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia est pœna. Si autem dicitur culpa, hoc non est, nisi causaliter.

¶ Si autem quæratur, quare de integritate peccati originalis ponitur concupiscentia, potius quam ignorantia? Hoc est, quia peccatum propriè est in voluntate: concupiscentia autem penes voluntatẽ determinatur: & ideo magis ad rationem peccati pertinet. Dubitatio.

¶ Ad

¶ Ad illud vero, quod obijcitur primo. Dicendum est, quod licet pœna dupliciter assignetur in duplici carentia: non propter hoc duo erunt formaliter in culpa: voluntas enim sibi & rationi meretur pœnam: secundum autem quod peccatum dicitur in lib. arb. liberum autem arbitriũ dicitur facultas voluntatis & rationis, congruenter ignorantia respondet rationi, concupiscentia voluntati.

¶ Ad secundum vero, quod dicit Hugo. Dicendum: quod ignorantia dicitur culpa causaliter, sed non formaliter: immo pœna. Ex hoc enim quod voluntas est auersa ab incommutabili bono per peccatum primorum parentum, consequitur ignorantia in ratione: culpa tamen dicitur, quia disponit ad eam, vel est ei coniuncta.

¶ Ad tertium de eo, quod dr in Gl. Dicendum quod ignorantia accipitur ibi pro peccato originali: quia simul est cum ipso: & per originale peccatum primo deficit ratio à cognoscendo, quod necessarium est.

ARTICVLVS IV.

An peccatum originale secundum idem & pœna, & culpa sit?

DEINDE quæritur, Si originale peccatum est culpa & pœna, vtrum carentia debitæ iustitiæ sit culpa & pœna: & ita secundum idem sit culpa & pœna. Quod autem sic, videtur per autoritatem supradictam, in qua dr: quod inter primam apostasiam & vltimã pœnam gehennæ quæcunque sunt media, peccata sunt & pœnæ. Sed carentia debitæ iustitiæ media est inter illa duo: ergo ipsa simul est culpa & pœna.

¶ Contra, pœna est quid inuoluntarium: culpa malum voluntarium: ergo non secundum idem erit ordinabile culpa & pœna: cum non sit idem malum voluntarium & inuoluntarium.

¶ Item, culpa est iniustitia: omnis autem pœna à Deo inflicta, est iusta: ergo originale non erit secundũ idem culpa & pœna: cum idem non sit iustum & iniustum.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed secundum carentiam debita iustitia est culpa: secundum concupiscentiam pœna.

¶ Respondendvm: originale quo ad carentiam debitæ iustitiæ est culpa tantum: ita quod nõ est pœna respectu alicuius, quod sit in ipso originali. Nihil tamen prohibet ipsam esse pœnam volũtatis humanæ naturæ in Adam peccantis. Cum ergo quæritur, vtrum originale peccatum secundum idem sit pœna, & culpa? Dicendum est: quod secundum carentiam debitę iustitiæ est culpa: secundum cõcupiscentiam vero est pœna. Nihilominus tamen secundũ carentiam potest esse pœna, non alicuius, quod sit in ipso peccato originali, sed eius, quod fuit in peccato primorum parentum: & potest dici voluntarium, quia volũtate primi parentis seminatum: & potest dici pœnale, & ita inuoluntarium; quia iuste à Deo inflictum. Quod autem dicitur iustum & iniustum, ad diuersa referuntur. Iniustum enim dicitur ratione peccantis: iustum autem ratione pęnam infligẽtis. Iniustitia enim dicitur esse respectu ipsius Adæ, vel paruuli in Adam peccantis: iustitia vero respectu Dei pœnam infligentis.

MEMBRVM III.

De causa originalis peccati.

CONSEQVENTER procedendum est ad causam originalis peccati. Et primo quæritur, vtrum solum contrahatur per peccatum primi parentis: an per peccatum etiam aliorum parentum? Secundo, si per peccatum primi parentis tantum, vtrum per peccatũ Adæ & Euæ: an tantum per peccatum Adæ. Tertio, quæ fuit causa in peccato Adæ, propter quam traductum est originale peccatum.

ARTICVLVS I.

An peccatum originale per solum peccatum primi parentis, vel etiam aliorum contrahatur?

Exod. 20. CIRCA primum sic dicitur. *Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios.* Ergo pro peccatis aliorum parentum puniuntur posteri eorum.

¶ Item, sicut trahunt posteri naturam humanam ab Adam: ita posteri aliorum parentum trahunt humanam naturam ab eis, & proximis. Si ergo per peccatum est corruptio naturæ, debet descendere corruptio peccati ab aliis parentibus, sicut à primis.

¶ Contra, si hoc esset, quanto posteriores essent tanto essent miserabiliores: quia nõ tantum contraherent corruptionem à primis parentibus, immo ab aliis parentibus peccantibus.

¶ Præterea, cum dicitur. *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum, &c.* additur vsq; ad quartam generationem, vel tertiam: & ita ponitur terminus. Sed in corruptione cõtracta à primis parentibus non ponitur terminus: ergo ex peccatis aliorum parentum nõ necessario contrahitur corruptio peccati, licet contrahatur aliqua pœna. Si enim cõtraheretur corruptio peccati, non poneretur terminus. Ibid.

¶ Item, dicit Ansel. *Parentum proximorum peccata ad originale peccatum non æstimo pertinere.* Si enim Adam nequiuisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam originalem producere: nequaquam posset eis originalem iniustitiam trãsmittere. Quoniam ergo nullus post Adam filiis suis potuit originalem iustitiam seruare: non videtur ratio, cur proximorum parentum peccata filiorum animab. debeant imputari. Ansel. in li. de Concept. virg. cap 24.

¶ Sed forte diceret aliquis, quod parentes proximi ad posteros originaliter non possunt corruptionem peccati transmittere, sed augere. Cõtra quod sic obijcitur: vbi nulla est iustitia, ibi nulla põt auferri: vbi autem nulla potest auferri, nulla potest addi iniustitia: & ita non possunt augeri. Nulla ergo corruptio peccati potest descendere originaliter ab alijs parentibus, quam à primis.

RESOLVTIO.

Per solum peccatum primorum parentum, quippe, qui soli iustitiam originalem posteris omnibus seruare poterant.

¶ Ad quod dicendum: quod peccatum originale non transmittitur ab aliis, quam à primis parentibus.

¶ Ad obiecta vero in contrarium dicendum est: & primo ad primum, quod illud, quod in Exod. 20. dicitur, intelligitur de visitatione peccatorum in parentibus ratione pœnarum in posteris: cum sint imitatores paterni sceleris: hoc autem modo non est causa originalis peccati. Licet enim filii non sint imitatores paterni sceleris in primis parentibus, nihilominus in eis contrahitur peccatum. Vnde August. super illud. *Sicut per vnum hominem, &c. Sicut Christus præter imitationis exemplum, dat occultissimam fidelibus gratiam; quam latenter infudit paruulis: sic & Adam præter imitationis exemplum occulta tabe carnalis concupiscentiæ tabeficauit in se omnes de sua stirpe venturos.* Aug. super Rom 5.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod non est simile de primis parentib. & de alijs. Primi. n. parentes poterant conseruare iustitiam originalem; quod non poterant alij parentes: & ita ex iustitia Dei poterant transmittere originalem iniustitiam.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod proximi parentes possunt augere corruptionem peccati. Dicendum est: quod illud augere non possunt: sed quod effectus ex illa corruptione eliciatur citius, suis demeritis adducere possunt.

ARTICVLVS II.

An peccatum originale per solum peccatum Adæ, vel etiam Euæ contrahatur?

SECVNDO quæritur. Si per peccatum primi hominis tantum contrahatur, vtrum per peccatum Adæ & Euæ: an tantum per peccatũ Adæ? Et videtur, quod magis per peccatum Euæ, cum illa prior peccauerit, & Adam post illam.

¶ Præterea, in inflictione pœnæ interseritur, quod Adam vocauit vxorem suam, Eua: eo quod mater esset cũctorum viuentium: & intelligitur vitam mortalem habentium, in quo innuitur, quod transfusio mortalitatis facta fuit per Euam: pari ratione originalis culpæ. Gen. 3.

¶ Contra Videtur, quod magis attribuatur Adæ: dicitur enim. *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ.* Ex Rom. 5.

quo videtur, quod ab Adam facta est transmissio originalis culpæ.

¶ ITEM, ei principaliter factum est præceptum: ergo eius fuit principaliter inobedientia.

¶ ITEM, si non Adam, sed sola Eua peccasset; non necesse erat totum genus humanum perire: poterat namq; Deus de Adam, in quo semen hominum erat, aliam facere mulierem, per quam de Adam propositum Dei perficeretur.

¶ ITEM, Adam fuit principium totius humani generis: ergo in ipso tota fuit humana natura: peccando ergo humanam naturam deformauit: non sic autem esset in Eua. Ergo magis imputandum est peccatum originale Adæ, quam Euæ.

¶ Quod autem vterque, videtur: nam si ex altera parte esset incorrupta natura, non videretur totaliter corrupta: sed est totaliter corrupta: ergo imputandum est vtrique, tanquam toti causæ.

RESOLVTIO.

Per vtriusque profecto peccatum, sed per peccatum Adæ magis.

¶ AD quod respondendum: quod magis imputandum est Adam quam Euæ: quia enim humana natura sic erat tota in Adam, vt nihil de illa extra illum esset; cum peccando sine omni necessitate Deum exhonorauit, vnde per se satisfacere non potuit: gratiam, quam propagandis potuit seruare, perdidit: & peccatum secum comitante pœna trahit.

¶ Ad obiectũ autem in contrarium dicendum est: quod licet Eua prior peccauerit; tamen non plus quo ad damnũ, quod inde secutum est. Sicut enim principium propagandi, vnde sequitur proles, fuit in Adam: ita principium transmittendi corruptionem: vnde sequitur originale peccatũ fuit in Adam.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet Eua vocata fuerit mater habentium vitam mortalem; hoc non fuit nisi ad ostendendum, quod per ipsam introductum fuit Væ: ipsa enim in genere humano prima peccauit: at si non consensisset Adam, non sic processisset corruptio. Vnde dicit Ansel. *Si non Adam, sed sola Eua peccasset, non necesse erat totum genus humanum perire, sed solum Euam.* Anselm.

¶ AD vltimum vero dicendum: quod tota causa corruptionis, scilicet originalis fuit Adam peccator, generans in Eua peccatrice.

¶ SI vero Adam peccasset, Eua non peccante, sed ex illa non peccante generet; vtrum relinquatur originale peccatum, relinquendum est altius perscrutanti. Videtur tamen ex iam dictis sequi: eo quod in ipso fuit potestas non tantum amittendi personalem iustitiam, sed originalem: quod tamen ad præsens non diffinio.

ARTICVLVS III.

Per quod primorum parentum peccatum transfusio fiat in nobis originalis culpa?

TERTIO quæritur, quæ fuit causa in peccato Adæ propter quam traductum est originale peccatum? In peccato enim Adæ multiplex inuenitur peccatum. Inuenitur enim peccatum superbiæ: vt pote cum appetijt esse sicut Deus: Auaritiæ, cum scientiam sibi indebitam vel indebito modo appetijt (secundum quod exponit August. quod auaritia non solum est in appetitu diuitiarum temporaliũ, sed etiam in inordinato appetitu scientiæ) Gulæ quantum ad inordinatam delectationem gustabilis: Inobedientiæ, quantum ad præcepti transgressionem. Quæritur ergo, quantum ad quid peccatorum istorum primo fuit ponere corruptionem naturæ? Quod autem per superbiam, videtur: homo enim ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nõ solum secundum quod hic homo, sed et secundum quod homo: hoc aũt est ex ordine superioris portionis ad Deum, in quo est maxima nobilitas: cum ergo peccatum mortale sit corruptiuum boni naturalis, illud erit maxime corruptiuũ, quod deordinauit superiorem portionem ad Deum: sed tale peccatum fuit superbia. Vnde ad euersionẽ superioris portionis secutæ sunt euersiones inferiorum virium: & ita generatiuæ facta est corruptio: ex corruptione aũt generatiuæ traducitur originale: & ita vr, quod per superbiam facta sit corruptio originalis. Quod aũt per gulã, vr: gula enim fit secundum appetitum, quæ est pars nutritiuæ: sed nutritiua proxima generatiuæ est inter oẽs virtutes: ergo secundum peccatum in ipso proximo transmittitur in ipso originale peccatum mediante corruptione carnis. August.

¶ FORTE dicet aliquis, per peccatum inobedientiæ trãsmissa est hæc corruptio. Contra, cui præcipitur, ille est obligatus: sed qui solus obligatus est ex præcepto, solus ex transgressione peccat: sed si soli Adæ præceptum fuit, ne comederet de ligno scientiæ boni & mali (dictum est enim singulariter, *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunq; die comederis ex eo morte morieris*) solus ergo Adam obligatus est: ergo solus transgrediens, peccauit: ergo corruptio per transgressionem in persona stetit: & non transiit ad naturã, nisi in quantum fuit in illa persona. Eodem modo põt obijci de peccatis supradictis, scil. superbia, & gula: erant enim personalia peccata. Genes. 2.

RESOLVTIO.

Per inobedientiam, & potissime Adæ.

¶ AD quod dicendum: quod originale peccatum est cõtractum per inobedientiam primorum parentum, & principaliter Adæ. Vnde Ansel. *originale peccatum non aliud intelligere queo, nisi ipsam nuditatem debitæ iustitiæ per inobedientiam Adæ factam, per quam omnes sunt filij iræ nascendo*: sicut dicit Apost. *Eramus natura filij iræ*. Hæc aũt inobedientia fuit in fructu ligni scientiæ boni & mali prohibito: vnde gula concomitata est. Anselm. Ephes. 2.

¶ Ratio autem transmittendi originale videtur esse ex hoc: quod prohibitio facta fuit ipsi Adæ, in quantum erat habens naturam totam in se: vt per quam alij descenderent per propagationem. Et ita prohibitio non tantum extendebatur ad ipsum, sed ad eos, qui erant in ipso seminaliter. Si enim prohibitio facta fuit Euæ in Adam, quæ non descendit ab eo per propagationem, sed per quandam formationem: multo fortius descendere debebat ad eos, qui seminaliter erant in eo. Quod autem inobedientia non fuerit tantum personalis in Adam, patet per hoc, quod dicit Augus. super illud. *Sicut per inobedientiam vnius hominis, &c.* Facit enim vim in hoc, quod dicit *vnius hominis*, id est, hominis totius in vno. Sicut enim Christus si fuisset homo, & non caput hominis; habuisset obedientiam personalem tantum, nec redundaret eius obedientia in alios, quantum ad effectum: sed quia fuit caput, extendit se eius obedientia quantum ad effectum in omnes, quorum erat caput: ita inobedientia Adæ, prout in eo erat tota natura humana, redũdauit in omnes, qui seminaliter ab ipso sunt geniti. Vnde Augustinus. *Sicut paruulus per alterum peccat, sic per alterum iustificatur*. Et Anselmus dicit, quod Adam habuit potestatem seruandi originalem iustitiam toti posteritati, si stetisset: ideo & habuit potestatem transmittendi originalem iniustitiam ad omnes. Sic ergo ex prædictis videtur: quod ratio corrumpendi naturam, ex qua transmittitur originale peccatum, fuit per inobedientiam Adæ hominis: in quo fuit tota natura humana. Aug. super Rom. 5. August. ad Marcel. Ansel.

¶ Ad obiectum autem in contrarium de superbia. Dicendum est, quod licet superbia corrumperet naturam in Adam: non tamen vniuersaliter, vt ex illa fieret transmissio originalis peccati. Aliud enim est corrumpere naturam in isto: & aliud est corrumpere naturam, prout est causa generationis.

¶ Similiter dicendum est de gula. Si enim sine præcepto, quod extenderet se ad totum hominem, per inordinatum appetitum comedisset de aliquo ipse Adam: esset peccatum personale tantum. Vnde non fuit necesse, quod per gustum, qui ad nutritiuam pertinet, esset causa originalis corruptionis: licet maior fuerit ibi congruentia. Et distinguendum est inter obedientiam quæ tantum personaliter est, & quæ ad naturam se extendit. Si enim esset inobediẽtia personalis tantum, non corrumperet naturam in homine, nec fieret transmissio originalis peccati.

¶ AD

August. Sap.12. ¶ Ad hoc etiam idem facit, quod dicit August. in Libr. Hypognosticon. Dicitur: *Maledictum erat semen ab initio*: & intelligitur de maledictione culpæ. Hoc autem non fuit in maledictione serpentis, nec in maledictione mulieris: omnes enim istę maledictiones pœnæ sunt tantum. Maledi-
Genes. 3. ctio vero facta fuit viro, cui dictum est, *Maledicta terra in opere tuo*: spinas & tribulos germinabit tibi, id est, humana natura propagabit spinas & tribulos peccatorum. Maledi-
Ibid. ctio autem ista inflicta est propter præcepti expressi à Domino transgressionem: dicitur enim ibi. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præcepi tibi, ne comederes, maledicta terra, &c.* Si ergo propter istud præceptum fuit maledictio in toto semine posteritatis: & non se extendit effectus vltra suam causam; præceptum se extendebat ad posteritatem, & similiter transgressio præcepti. Qualiter enim diceretur, omnes peccare in Adam; si tantum pœna respiceret eos, & non culpa?

Rom 4. ¶ Similiter dicit Apostolus, Omnes peccauerunt, & egueruntgloria Dei. Dicendo [*omnes*] nullum excepit: quinimmo totum declarauit genus humanum: peccauerunt autem omnes, qui ex vno peccatore omnes nascuntur peccatores.

¶ Sed adhuc quæritur. Si per feminum conceptionem dicebat Apostolus peccatum in omnes homines transisse; potius dixisset [*per duos homines*] quam [*per vnum hominem*] quia sine fœmina de solo homine homo nasci non potest.
August. Ad quam obiectionem hæretici respondet sic August. *Ideo* [per vnum hominem] *dixit Apostolus: quia cum mulier vna caro fit cum viro in semine, progenies imputatur: & ne dicatur mulie-*
Eccles. 15. *rem non esse causam peccati in nobis, dicitur* Eccles. 25. *A muliere initium peccati est: per illam enim omnes morimur.*

MEMBRVM IV.

An peccatum originale traducatur per solam carnem, vel per solam animam, vel per vtrunque? Aut si per carnem traducatur, nunquid per carnem ex propagatione tantum prouenientem, vel etiam alio modo traducatur?

Qvarto quæritur, qualiter traducatur originale peccatum, vtrum traducatur secundum solam carnem, aut secundum solam animam, aut secundum vtrunque? Deinde si per carnem traducitur, vtrum per carnē ex propagatione prouenientem tantum, an alio modo: sicut si de carne corrupta hominis fieret decisio, & ex illa homo formaretur, vtrum traheretur originale peccatum?

¶ Ad primum sic, supposito quod anima rationalis non sit ex traduce, sicut ostensum est supra: ostenditur, quod traductio originalis peccati non est secundum animam solam: non enim animæ paruulorum sunt ex anima primi pa-
Aug. in lib. de Eccl. dogmatib. rentis, vel ex animabus primorum parentū. Vnde August. *Animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales creaturas simul creatas, sicut Origenes fingit; dicimus: neque cum corporibus per coitum seminari; sicut Luciferiani, & Cyrillus, & quidam Latinorum præsumptores affirmant: sed dicimus corpus tantum per*
Psal. 32. *coniugium copulam seminari, creationem vero animæ Deo attribuimus, secundum illud* Psalm. 32. *Qui finxit sigillatim corda ipsorum.* Si ergo anima non est ex anima; originale autem peccatum traducitur mediante aliquo, quod commune est in parente cum prole; & quod habet proles à parente: ergo non traducitur secundum animam: ergo nec secundum animam & corpus: restat ergo quod per carnem.

¶ Sed contra hoc est, quod caro non est susceptibilis culpæ tamquam subiectum: ergo à peccato Adæ non potest transmitti originale peccatum mediante aliquo, quod sit subiectum peccati.

¶ Sed dicetur fortasse mediante aliquo, quod est subiectum corruptionis: caro enim susceptibilis est corruptionis. Sed contra, corruptio aut est pœnalis, aut est culpabilis. Culpabilis autem non est, quia culpa non est in carne parentis ante decisionem tanquam in subiecto: nec post decisionem, scilicet in carne prolis antequam infundatur anima. Actualis etiam non est: actualis namque culpa fit ab illo, in quo est scilicet à voluntate, vel ab ipsa anima secundum voluntatem. Originalis non est, quia antequam infundatur anima, non est culpa originalis. Ergo corruptio illa non est culpabilis. Præterea, illud est capabile vitij, quod & virtutis: sed caro non est capax virtutis, ergo nec vitij: ergo nec corruptionis culpabilis. Si vero est corruptio pœnalis: corruptio autem pœnalis sequela est tanquam effectus peccati: & non vt huiusmodi causa peccati. ergo non per illam traducitur originale peccatum.

¶ Item, minus potens non potest agere in magis potens: sed caro minus est potens, quam anima: ergo anima non recipit à carne tanquam ab agente: corrumpens autem est agens quoddam; ergo caro corrupta non corrumpit animam: ergo originale peccatum non traducitur in animam per corruptionem carnis.

¶ Item, nihil agens secundum dispositionem, quam habet, potest in aliud agere, nisi quale habet, relinquendo non excellentius: sed excellentius est culpa, quam pœna: ergo caro corrupta corruptione pœnali, non potest inducere corruptionem culpæ in animam.

¶ Item, intellectus est impermixtus carni: cum non sit actus corporis, neque partis corporis: ergo non contrahit aliquam maculam ex coniunctione carnis: sed originale peccatum est macula: ergo non contrahitur ex coniunctione carnis.

¶ Item, lux corporalis attingens sordes corporales, propter sui munditiam nullam trahit fęditatem: ergo cum anima rationalis incomparabiliter sit simplicior & purior luce corporali, non contrahit fœditatem à fœditate carnis.

¶ Item, creata est anima à Deo munda: nec eam Deus vult fœdari absolute: nec ipsa vult se fœdari, nihil aliud potest in ipsam: ergo non contrahet fœditatem peccati: ergo nec originale peccatum.

¶ Item, Deus scit animam ex coniunctione ad corpus fieri iniusta: quare ergo infundit eam corpori? Videtur enim quod iniuste agatur cum ea: cum pœnam contrahat sine culpa sua.

¶ Item, nullus est in peccato pro eo, quod vitare non potest: sed anima non potest vitare illud peccatum: ergo non est iustum, quod sit in isto peccato: vel ergo non peccat.

¶ Item, omnimoda ignorantia excusat peccatum: ergo multo fortius omnimoda impotentia: sed omnimoda impotentia est in isto paruulo vitandi peccatum: ergo in eo non debet esse peccatum: vel à reatu excusabitur.

¶ Item, per baptismum deletur pœna & culpa. Si ergo parentes sunt baptizati, mundati sunt in anima & carne: nec coeundo peccant: cum matrimonialiter coniungantur in coitu: ergo non relinquitur peccatum in prole à parentibus.

RESOLVTIO.

Peccatum originale & per carnem & per animam contrahitur: vt pœna per carnem, vt culpa per animam. Per carnem (inquam) non nisi libidinose, & concupiscibiliter seminatam.

¶ Ad quod dicendum: cum peccatum originale sit culpa & pœna; ab alia causa trahit rationem culpæ: & ab alia rationem pœnæ. Rationem pœnæ trahit à fœditate vitiosa, quæ est in carne: quam cito enim anima infunditur carni fœdæ, tam cito fœdatur: sicut à vitio vasis vinum corrūpitur. Rationem vero culpæ trahit à carentia debitæ iustitiæ. Et sicut duplex est iustitia; vna quam sibi homo facit habens gratiam (& dico de iustitia in exercitio) alia, quæ sibi fit, vt in paruulo baptizato fit iustitia mediante Christo. Sic duplex est iniustitia: vna, quam sibi homo facit, vt homo adultus peccans: alia, quæ sibi fit ex alio, vt paruulo ex peccato Adæ.

¶ Ad obiectum primum respondendum est: quod corruptio pœnalis est in carne: quæ tamen dicitur culpabilis, non quia culpa sit in carne tanquam in subiecto: sed quia per eam transmittitur: & licet pœna naturaliter sequatur ad culpam: nihilominus est quædam pœna, quæ est causa, vel dispositio ad culpam: & talis est ipsa corruptio pœnalis: disponit enim ad culpam in anima, quæ susceptibilis est culpæ.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet caro minus possit quam anima, nihilominus anima potest ex coniunctione ad carnem trahere corruptionem. Non quod caro agat in animam, per se loquendo: sed quod anima corrumpatur coniuncta carni sic corruptæ.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod caro corrupta non imprimit, quantum est de sua virtute, nisi consimilem dispositionem ei, quam habet: sed ipsa anima accipit rationem culpæ ex comparatione ad primum motiuum: carentiam enim iustitiæ habet anima paruuli ex carentia iustitię, quæ fuit in anima Adæ. In generatione enim & corruptione vniuoca vltimum simile est * à primo: sed medium dissimile; vt ex carne generatur caro, sed per medium dissimile scilicet semẽ. Sic à culpa animæ est fœditas carnis: ad fœditatem vero carnis consequitur fœditas animæ in paruulo: & ita si excellentius est culpa, quam pœna; & fit culpa in eo qui nascitur, hoc est ratione culpæ in primo parente. Ex alia vero parte illud, quod trahit infectionem ex sibi adiuncto, secũdum modum suum trahit infectionem: modus autẽ talis est, vt inficiatur primo anima infectione culpæ: deinde infectione pœnæ. Vnde sicut fuit in gignente primo, ita est in genito: facta comparatione animati ad animatum: quia sicut in primo parente prius fuit culpa, quam pœna: sic in prole animata prius est culpa, quam pœna: licet in carne prius erat pœna, quam in anima.

* Alias, à principio.

¶ Ad quartum dicendum est, per hoc: quod licet caro non habeat in se culpam tanquam inhærentem sibi: nihilominus contrahitur culpa in anima. Et ponitur exemplũ, licet non vsque quaque simile: quod vinum inducit ad ebrietatem & ebrietas culpam, & tamen nõ habet in se. Nec dicitur proprie, quod caro dat culpam per sui corruptionẽ: sed culpa Adæ, quæ meruit illud.

¶ Ad quintum dicendum: quod intellectus duplicem habet comparationem. Vnam, secundum quam respicit primam bonitatem, à qua nulla interposita natura formatur: & ex illa parte dicitur impermixtus. Ex alia vero parte respicit carnem mediante sensualitate, & ex illa parte põt contrahere impuritatem: sicut contingit in melancholicis & phreneticis, qui ratione passionũ in corpore, quasdam in anima recipiunt perturbationes.

¶ Ad sextum vero dicendum: quod non est simile de luce corporali, & anima: lux enim corporalis cum re fœda, quam contingit, non ita coniungitur, vt ex illis duob. fiat vnum secundum substantiam: sicut est in carne & anima; quæ cum coniungitur, vnum efficiunt secundum substantiam: quorum vnum ex altero inficitur.

¶ Ad septimum dicendum est: quod non debet imputari Deo coniungenti; sed illi, qui fuit principiũ corruptionis ex parte carnis: quia non voluit seruare iustitiam sibi & alijs: ideo quantum est de se perdidit iustitiam in se & in alijs.

¶ Ad octauum vero dicendum: quod non iniuste agit Deus cum anima, nec secundum iustitiam generalem, nec secundum specialem. Secundum generalem non iniuste agit: quia corpori organizato redditur sua perfectio. Secũdum vero iustitiam specialem non iniuste agit: quia punit humanam naturam, secundũ quod meruit: humana enim natura deliquit in primo parente, & punita est in ipso & in posteritate.

¶ Ad nonum vero dicendum: quod hæc non est proprie concedenda. Anima pueri peccat: sed est rea peccato: quod non habet à se, sed ab eo, qui meruit.

¶ Ad decimum vero dicendum: quod quamuis omnimoda impotentia excusat in peccato actuali: non tamen in originali. Nam (sicut prius dictum est) duplex est iniustitia. Vna, quam facit sibi homo: & in hac impotentia omnimoda excusaret. Altera, quæ fit ab alio, vt in paruulo: & in hoc omnimoda impotentia paruuli non excusat.

¶ Ad vndecimum dicendum: quod ex patre & matre non peccatoribus nascitur puer peccator. Et ponit exemplum August. *Sicut de oliua nascitur oleaster: & seminatur granũ sine palea, & nascitur cum palea.* Idem etiam ad Valerium. *Sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex oleæ semine oleaster, cum inter oleastrum & oleam plurimum distet: ita gignitur & de carne peccatoris, & de carne iusti peccator: quamuis inter peccatorem & iustum plurimum distet.* Gignitur aũt peccator actu adhuc nullus, & ortu nouus, sed reatu vetus, homo à creatore, captiuus à deceptore, indigens redemptore.

Aug cõtra Iulianum. Idem.

¶ Deinde quæritur, si per carnem traducitur peccatum originale, vtrum per carnem ex propagatione proueniente tantũ, an alio modo? Et videtur, quod alio modo: vt si caro corrupta decideretur, non per propagationem: dr̃ enim quod anima cõtrahit originale, quia coniuncta fuit in carne corrupta. Si ergo huiusmodi caro corrupta est, ex coniunctione cum huiusmodi corpore anima cõtraheret originale peccatum: sicut vinum inficitur ex vase corrupto.

Quæstio lateralis.

¶ Contra quod August. dicit. *Qualis terrenus, tales & terreni*: & hoc quomodo, nisi per seminis sparsionem. Sed dicis mihi, è diuerso veniens. Ergo semẽ peccatum est. Iam superius dixi: quia peccauit homo, natura peccauit, cuius sunt semina: semen ergo vitiatum est, nõ vitium: sicut scriptum est. *Semen erat maledictum ab initio.* Maledictum videlicet post peccatum: quia *Maledicta* (inquit) *terra in operib. tuis.* Sed vitium contrahi non potest protoplasti, neq; homini esse sine seminis effusione. Si ergo formatio hominis ex huiusmodi carne corrupta, nõ est per seminis effusionem; non est in illo originale peccatum.

Aug. loquens cõtra Pelagianos & Cœlestinos. Respon. 2 Sap. 12. Genes. 3.

¶ Ad quod dicendũ: quod licet huiusmodi vnio requirebatur ad originale contrahendum: tamen hæc non erat tota causa: immo requirebatur forte vlterius, quod illa caro descendisset secundũ libidinem, quæ est in seminis sparsione: secundum quod dicit Aug. non propagatio, sed libido transmittit originale peccatum. Quæ aũt sit hæc libido, inferius determinabitur. Nec legitur expressum in scriptura, quod alio modo contrahatur originale: sed per concupiscentiam in carne.

Memb. 7. huiusce Quæst.

¶ Et si quæratur, qua iustitia animæ imputetur, quod neque ex creatione accepit, neque ex voluntate perpetrauit, sed ex sola carnis societate cõtraxit: quam tamen societatem non ipsa suo arbitrio vendicauit, sed præcepto & dispositione creatoris suscepit. Nos id, quod verum est profiteri oportet, iustitiam Dei non in hoc reprehensibilem, sed non omnino esse comprehensibilem. Dicit tamen Hugo sequens August. quod corruptio, quæ à primo parente in omnem posteritatem per carnis propagationem traducitur; peccati originalis macula in vitio concupiscentiæ & ignorantiæ ad vniuersos dilatatur; in eo, à quo seminatur, culpam habet, & actum culpæ; in eo, quod seminatur nec culpam habet, nec actum culpæ, sed causam: in eo, quod nascitur, & causam culpæ & culpam habet: sed actum non habet, id est actionem.

Dubitat.

Hugo.

MEMBRVM V.

An peccatum hoc originale in paruulis tantum sit; vel etiam in primis parentibus fuit.

Qvinto quæritur, Vtrum originale tantum sit in paruulis, an etiam fuerit in primis parentibus, Adam sc. & Eua? Et videtur quod sic: quorum enim fuit pœna, eorũ præcessit culpa: sed pœna originalis peccati est carere visione Dei: ergo cum primi parentes descenderint ad limbum inferni, eorum fuit illa pœna: ergo in eis præcessit culpa originalis: ergo primi parentes habuerunt culpam originalẽ.

¶ Item, originale dr̃ nuditas, vel carentia debitæ iustitiæ per inobedientiam parentum contracta: sed hoc totum fuit in primis parentibus (denudati enim erant à debita iustitia per inobedientiam) ergo in eis fuit peccatũ originale.

¶ Contra, originale peccatum contrahitur per fœditatem carnis: sed in animabus primorum parentũ non contrahitur peccatum aliquod primo ex carne, siue ex carnis fœditate: non ergo fuit originale peccatum in primis parentibus.

¶ Item, cum propagatione est libido, qua transmittitur originale peccatum: sed nulla fuit propagatio, qua caro Adæ, vel Euæ acciperet esse: ergo non libido, qua transmittitur originale peccatum in eos: ergo nec originale peccatum fuit in eis.



RESOLVTIO.

Adhuc & in primis parentibus originale peccatum fuit: sed aliter, quam fit modo in paruulis.

¶ Respondendum est: quod aliter dicitur originale peccatum in primis parentibus, & in ipsis paruulis descendentibus: quodammodo tamen conueniunt. Conueniunt enim quo ad pœnam, quæ est carentia visionis Dei: differűt tamen, quia in eis persona corrumpit naturam: quo ad paruulos vero persona ex natura corrumpitur. Originalis ergo culpa fuit in primis parentibus sicut in subiecto: fuit etiam causa transmittendi originalem culpam in paruulos.

¶ Ad obiectum ergo dicendum: quod licet vtrobique esset originalis culpa: in primis parentibus erat à se, in paruulis vero erat ab ipsis.

¶ Cum autem obijcitur in contrarium: quod originale transmittitur per fœditatem carnis, vel per libidinem, quæ est cum propagatione. Hoc intelligitur de originali proprie dicto quod est in paruulis: non de originali, secundű quod effectiue dicitur: inquantum est origo, per quam fiunt paruuli peccatores.

Quæstio late.al. ¶ Adhuc quæritur de Eua, si contraxit originale peccatum ex Adam. Ponatur enim quod Adam peccasset, antequam Eua formata esset de latere eius, nunquid haberet originale peccatum. Traheret enim cum carne corruptionem, & cum corruptione originalem culpam.

¶ CONTRA videtur per autoritatem Augustini superius dictam contra Pelagianos, vbi dicitur: quod sine seminis effusione non fit huiusmodi peccatum.

Ecclesi.25. ¶ Item, videtur quod in ea esset originale per hoc, quod dicitur. *A muliere initium peccati*: per illam enim omnes morimur. Sed quid est, omnes mori, nisi obligari peccato, quod est mors animæ? Ergo ab ipsa contrahitur originale peccatum: sed si ab ipsa contrahitur, in ipsa prius fuit: ergo originale fuit in Eua.

¶ Contrarium videtur per hoc, quod in Adam omnes dicuntur peccasse: quia in eo fuit tota humana natura. In Eua vero non dicuntur omnes peccasse: nam tota humana natura non fuit in illa. Non ergo videtur, quod originale peccatum effectiue esset in Eua, sed in Adam.

¶ Ad primum dicendum: quod secundum autoritatem prædictam, licet illo modo sumeret carnem corruptã Eua ab Adam, nõ habuisset tamen originale peccatum per peccatű Adæ: nisi extenderet se prohibitio facta Adæ ad ipsam Euam: Sed si extenderet se, ex illa lege si peccaret, haberet reatű carentiæ visionis Dei: sed aliter diceretur originale in ipsa, & in paruulis: sicut dictum est.

MEMBRVM VI.

An, & quomodo peccatum originale dicatur transire reatu, & remanere actu? & Vtrum in baptismo omnino deleatur?

SEXTO quæritur, qualiter originale peccatum transit reatu, & manet actu: & cum hoc, vtrum omnino deleatur in baptismo, vel nõ. Circa quod sic obijcitur: dicitur enim de peccato originali, quod in baptismo deletur reatu, & manet actu: & hoc accipitur, eo quod dicitur in libro de Baptismo paruulorum, & super illud. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. vbi dicit: quod concupiscentia præterit reatu, & manet actu: concupiscentiam autem dicit ibi originale peccatum.

August. Rom.4.

¶ CONTRA, si actu remanet, peccatum non tollitur: actus enim peccati originalis est ipsa carentia debitæ iustitiæ, qua existente, semper est reatu. Si vero actus dicatur operatio: secundum modum hunc non dicetur originale peccatum manere actu: cum non habeat propriam operationem, quemadmodum actuale peccatum. Si vero actus dicatur illud, quod positione dicit in originali peccato, hoc aűt est concupiscentia. Nec sic videtur remanere, in baptismo enim tollitur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore: sed peccatum dicitur ibi concupiscentia: ergo in baptismo tollitur concupiscentia.

Rom.4. ¶ Item, super illud. *Beati, quorum remissæ sunt*. Dimittitur concupiscentia carnis in baptismate, vt nõ imputetur peccatum. Ergo concupiscentia, prout est actu peccatum: tollitur in baptismo: nõ ergo originale peccatű remanet actu.

¶ Item, ibidem dicitur. Quomodo alia peccata præter-eunt actu, & remanent reatu: ita econtrario fieri potest, vt originale remaneat actu, & transeat reatu. Sed in actualibus peccatis sic est, quod actus peccati dicitur ipsa operatio, quæ præcessit, per quam cõtrahitur actuale peccatum: ergo actus originalis peccati dicetur vel ille actus, per quẽ est peccatum: vel ille actus, per quem contrahitur: sed ille, per quem cõtrahitur, est ipsa fœditas carnis: illa autem tollitur in baptismo. (Vnde Ioan. Dam. *Quoniam duplex est homo, ex anima & corpore, duplicem dedit purgationem, per aquam & spiritum: spiritu quod secundum imaginem vel similitudinem renouante: aqua etiam per spiritus gratiam corpus à peccato purgante & à corruptione liberante*. Sed hæc corruptio fœditas est: ergo per baptismű tollitur ille actus. Si vero actus dicatur, quo originale peccatű est: nullatenus potest stare cum baptismo, ratione rei baptismi: res vero baptismi est gratia: gratia aűt & peccatum simul esse non possunt. Damasc.

RESOLVTIO.

Peccatum originale ideo actu manere & reatu transire dicitur: quia concupiscentia quæ actus eius est, iam post baptismum manet, non quidem vt culpa, sed vt pœna: idq; ad exercitium ac pugnam. Quare nec totaliter per baptismum tolli asserendum est.

¶ AD quod dicendum: quod actus originalis peccati dicitur cõcupiscentia: secundum quod dicitur peccatum remanere actu, & tolli reatu in baptismo. Sed concupiscentia dupliciter se habet; cum est in suo summo, & tunc dicitur regnare peccatum in mortali corpore: & hoc modo non manet concupiscentia actu, cum dimittitur originale peccatum per baptismű: per gratiam.n. baptismi tollitur culpa originalis peccati, & debilitatur vitium originalis concupiscentiæ, & extenuatur; vt iam non regnet. Alio vero modo dr̃ concupiscentia diminuta, quæ adhuc est, vt habeat spiritus cű quo pugnet: & hoc mõ dr̃ concupiscentia actus originalis peccati: & ideo dr̃ quod concupiscentia carnis dimittitur in baptismate, non vt non sit, sed vt non imputetur peccatum: vnde post baptismum remanet pœna, non culpa.

¶ Ad aliud vero dicendum est: quod non simili modo dr̃ actus in actuali peccato, & in originali peccato. Ibi enim actus præcedit, hic vero actus sequitur. Nec dicitur in originali peccato actus peccati, quo fit, vel quo est: sed quo remanet ad exercitium.

¶ Deinde quæritur, vtrum deleatur in baptismo, vel nõ. Et videtur, quod Sic: quia baptismus delet culpam omnẽ, & pœnam. Si enim baptizatus statim decederet, euolaret: ergo non remanet ibi culpa, nec pœna: peccatum ergo originale cum sit culpa & pœna, quantum ad vtrunq; deletur. Quæstio lateralis.

¶ CONTRA, super illud. *Beati, quorum remissæ sunt*, &c. Fomes peccati ante baptismű culpa est, & pœna: post baptismum vero pœna & culpa: fomitem aűt peccati dicit originale peccatum, sicut prius exprimitur in Gl. ergo peccatű originale non dimittitur quantum ad pœnam, & culpam. Rom.4.

¶ ITEM, videtur quod vtrunque debeat dimitti: dicitur enim. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*. Et iterű. *Non sicut peccatum, ita & donum*. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia abundauit. Ex quib. colligitur quod multo potentior est gratia, quam sit peccatű: sed per peccatum traducitur & pœna, & culpa multiplex: gratia vero baptismalis opponitur illi peccato: ergo grã baptismalis cum sit potentior, dẽt auferre ipsam culpam, & omnem sequelam eius, sc. pœnã. Vnde ergo est, quod quædam pœnæ remanent originalis peccati, quædam non. Ex hoc enim videtur, quod peccatum potentius sit, quam gratia: quod est inconueniens. Rom. 5. Ibidem.

¶ Ad quod dicendum: quod gratia baptismalis delet originale peccatum quantum ad culpam, & quantű ad pœnam suffocantem: & non quantum ad pœnam promouentem, ad idem.n. tendit gratia baptismalis, & pœna promouens, sc. ad consecutionem vitæ æternæ. Additur ẽt à quibusdam, quod in baptismo dimittitur omne peccatű quãtum ad pœnam: vt nulla debeatur post baptismum pro originali: & si aliqua pœna remanet, hoc est ad exercitium bonum. Dimittitur ergo originale peccatum quantű ad culpam, & quantum ad dominium concupiscentiæ, quæ est pœna in præsenti: & quantum ad carentiam visionis Dei,

quæ est pœna in futuro. Sunt aliæ pœnæ, vt fomes & sitis, & mors, & concupiscentia non dominans: quæ omnes remanent ad exercitium bonum. Pœnæ enim istæ reducunt ad memoriam adiutorem in tribulationibus, *quæ inuenerunt nos nimis*: faciunt enim cogitare de miseria incolatus, vt sic homo defleat peccata sua: humiliant etiam ipsam irascibilem, ne homo extollatur per superbiam: cohibent etiam concupiscibilem, ne defluat homo per concupiscentiam: & sic valent ad reformationem imaginis diuinæ.

Psal. 45.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod gratia potentior est, quam peccatum, &c. Dicendum, quod potentior est, sicut exponit Apostolus: gratia enim tollit omnem culpã: nulla autem culpa est, ad quam ex necessitate omnis culpa sequatur. Item, gratia non tantum sanat à vulnere peccati, sed aperit ianuam regni; nõ tantum ipsis peccatoribus, sed ipsis iustis: extendit ergo se ad omnes: etsi aliqui essent, qui non descendissent ab Adam: virtus autem peccati non sic: sic ergo patet quod potentior est gratia, quam sit peccatũ. Præterea, peccatum est ex homine: gratia vero à Deo: potentius autem est, quod Dei, quam quod hominis. Peccatum etiam non omne bonum potest tollere: ex gratia vero omne bonum confertur.

MEMBRVM VII.

De concupiscentia, quæ est sequela originalis.

SEPTIMO quæritur de concupiscentia, quæ originalis peccati sequela est. Circa quam hæc sunt quærenda. Primo, quid sit. Secundo, quare fomes dicatur: & secundum quam ratione. Tertio, in quo sit. Quarto, à quo sit. Quinto vtrum æqualiter sit, in quibus est. Sexto, [illegible]. Septimo, vtrum extinguatur, & qualiter [illegible], & qualiter non. Octauo de cõparatione fomitis [illegible] concupiscentiæ vt est fomes, ad stimulum carnis, & ad legem carnis, & alia [illegible] quibus videtur habere conuenientiam. [illegible] dicitur enim aliquando corruptio, & aliquando [illegible], & aliquando tyrannus.

ARTICVLVS I.

An concupiscentia, peccati originalis sequela, pœna vel peccatum sit?

AD primum sic dicit Aug. *Concupiscentia est affectus quidam malæ voluntatis, sicut languor.* Ex quo accipitur, quod concupiscentia est affectio, scil. inordinata.

August. ad Valentinũ.

¶ Item, in eodem lib. *Concupiscentia est radix omnium malorum.*

¶ Item, *Concupiscentia est malum, nobiscum congenitum.*

¶ Item ad Valerium. *Concupiscentia est vitium, quod non est ex Deo.* Ex his elicitur, quod concupiscentia peccatum est.

Item ad Valerium.

¶ Similiter dicitur in quadam Gl. ad Rom. quod *concupiscentia ante baptismum peccatum est.*

Glossa.

¶ Præterea, August. *Libido concupiscentia dicitur.* Et in eod. dicitur, *omne quod male libet*, libido est: concupiscentia ergo est peccatum.

Aug. in li. Hypogn. I. eodem.

¶ Item, in Lib. de Ciuit. Dei, Dicit Apostolus. *Caro concupiscit aduersus spiritum*: cui vitio contraria est virtus. Sed vitium, cui contrariatur virtus, est peccatum: ergo concupiscentia est peccatum.

Idem in li. de ciu. Dei Galat. 5.

¶ CONTRA August. *Concupiscentia est vulnus, humano generi inflictum à diabolo: vt tanquam de suo frutice fructum decerpat.* Sed quod est vulnus, est pœna: ergo concupiscentia est pœna.

August. ad Valerium

¶ Item, Aug. *Post peccatum orta est hæc libido: post peccatum eam natura nõ impudens amissa potestate, cui corpus ex omni parti seruiebat, sensit.* Ergo libido est pœna.

Idem in li. 14. de ciui Dei c. 21.

¶ Item in eodem. *Libido eo magis erubescenda existit, quo animus in ea nec sibi efficaciter imperat, vt omnino non libeat: nec omni modo corpori, vt pudenda membra voluntas potius, quam libido commoueat.* Sed hæc libido est pœna: ergo concupiscentia est pœna.

Idẽ in eod

RESOLVTIO.

Concupiscentia per se pœna est; per accidens autem peccatum dicitur, quia peccato facta, peccato annexa, peccatiq; causa est.

¶ AD quod dicendum: quod concupiscentia est per se pœna: dicitur autem peccatum, quia pro peccato est inflicta. Vnde August. *Concupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta est.* Potest tamen dici peccatum: quia cum est in suo dominio, annexa est peccato, & causa peccati. Et hoc modo loquuntur autoritates supradictæ, cũ dicitur quod peccatum est ante baptismum. Concupiscentia tamen potest accipi ipse actus concupiscendi: hoc enim nomen multipliciter dicitur sicut habetur super illud. *Neque exhibeatis membra vestra.* Concupiscentia aliquando nomen est fomitis, sc. vitii innati, aliquando actus interioris, qui est in motu primo: aliquando ipsa delectatio, quæ est in secundo gradu: aliquando ipse consensus. Vnde aliquando potest esse culpa, aliquando nomen pœnæ. Dicitur autem concupiscentia culpa ante baptismum, quia tũc damnatur, & habet carentiam debitæ iustitiæ sibi coniunctam.

August. ad Valerium. Rom. 6.

ARTICVLVS II.

Quare concupiscentia fomes dicatur.

SECVNDO quæritur: quare concupiscentia fomes dicatur, & secundum quam rationem? Quod fomes sit peccatum, habetur super illud ad Rom. 8. Occasione accepta Gl. *fomes peccati, id est, vitium concupiscentiæ.*

Rom. 8. Glossa.

¶ Item, Amb. *fomes est quidam morbidus affectus, qui commouet ad illicitum desiderium.* Sed morbidus iste affectus nihil aliud est, quam concupiscentia: cuius desideria dicuntur carnales concupiscentiæ: vnde. Est in nobis mala concupiscentia, quæ non est permittenda regnare: cuius desideria sunt * actuales concupiscentiæ, quæ sunt arma diaboli. Ergo concupiscentia est fomes peccati.

Ambr. C. Rom 6. * Alias, carnales.

¶ CONTRA, concupiscentia est in anima: fomes vero peccati in carne. Vnde super illud. *Video legem in membris meis* &c. Glo. *fomes peccati, qui est in carne, & repugnat menti rectæ, dicitur lex membrorum, vel carnis.* Cum ergo fomes sit in carne, non erit idem quod concupiscentia.

Rom. 7. Glossa.

¶ Item, alia Glo. super illud. *Sine lege viuebant.* Nota duos homines, interiorem sc. & exteriorem, rationem scil. & fomitem, qui est in carne. Ergo fomes est in carne.

Glossa.

RESOLVTIO.

Quia peccati ardorem fouet.

¶ AD quod dicendum: quod concupiscentia est fomes: & dicitur fomes, quia fouet ardorem peccati: ipse enim fomes ardet in nobis. Vnde super illud. *Peccatum per mandatum &c.* sine quo non tantum ardebat fomes: & per quod accreuit præuaricatio.

Rom. 7.

¶ AD obiectum autem in contrarium. Dicendum est, per id, quod dicitur super illud. *Caro concupiscit, &c.* quod concupiscentia, prout est fomes, non est in anima tantum, aut in carne tantum: sed in ipso coniuncto. Vnde ibidem dicitur: *ipsius carnalis concupiscentiæ causa non est in anima sola, nec in carne sola: ex vtroque enim fit, quia sine vtroque nulla delectatio sentitur.* Vnde cum dicitur esse in carne, intelligendum est: quod caro accipitur ibi, secundum quod diuiditur ex opposito contra ipsum. Vnde ibidem dicitur. *Caro non nisi per animam concupiscit*: sed concupiscere dicitur, cum anima carnali cõcupiscentia spiritui reluctatur.

Ad Gal. 5. Ibid.

ARTICVLVS III.

In quo sit concupiscentia.

TERTIO quæritur, in quo sit cõcupiscẽtia. Et primo vtrũ sit in anima, vel in carne. Secundo, si est in anima, vtrũ quælibet vis sit corrupta. Tertio, si generatiua plus est infecta, quam aliæ, vel concupiscibilis in generatione. Quarto, si generatio in cõiugio, vel coitus potest fieri sine peccato.

An concupiscentia in anima, vel in carne sit? §. 1.

¶ AD primum sic: videtur quod cõcupiscentia sit in carne per hoc, quod dicit Hugo. *Vitium originis humanæ duplici corruptione inficit naturam, ignorantia, scilicet mentem, cõcupiscentia carnem.* Et alibi. *Spiritum ignorantia, carnem vero damnauit concupiscentia: vt in se bonum agendum non videat, in carne autem sua malum agere concupiscat*; ergo concupiscentia est in carne.

Hugo. Idem.

¶ CONTRA, Aug. *Hoc scilicet concupiscentia eligit Apostolus generale malum, quo cuncta complexus est*, dicendo. *Non concupisces*: neque enim vnum peccatum, nisi concupiscendo committitur. Cum ergo peccatum sit in anima, erit concupiscentia in anima.

Aug. in lib. de spiritu & litera.

¶ Item, in lib. 83. Quæstio. *Est turpis affectio, qua animus inferiora sectatur, quæ magis propriæ cupiditas dicitur.* Sed hæc turpis affectio est in anima: ergo concupiscentia est in anima.

Idem in li. 83. qq.

RESOLVTIO.

In vtraque: sed diuersa ratione.

¶ Ad quod dicendum: quod concupiscentia aliquando accipitur pro lege membrorum: & secundum hunc modum dicitur esse in carne tanquam pœna, iuste inflicta. Alio vero modo accipitur pro ipsa pronitate animę prouenientе ex originali peccato: & secundum hoc est in anima. Potest tamen dici, quod licet concupiscentia respiciat vtrumque, est in anima tanquam in subiecto, in carne vero propter hoc, quod inclinat aliquo modo ipsam animam per sui corruptionem: & ita causaliter sumeretur: corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Sap. 9.

An qualibet animæ vis per peccatum originale corrupta sit? §. 2.

¶ Secvndo quæritur si est in anima, vtrum quælibet vis sit corrupta. Et videtur, quod non: vires enim quæ sunt in aliis membris, quam in membris generationis, mouentur secundum nutum voluntatis: sed vbi vires membrorũ mouentur secundum nutũ voluntatis, non dominatur libido sine concupiscentia: vbi autem non dominatur, non dicitur esse corruptio: ergo aliæ vires non dicuntur esse corruptæ. Quod autem hoc sit, ait Aug. *In cæteris membris corporis non ipsæ affectiones, sed cum eis consenserit, voluntas mouet: qua in vsu eorum dominatur.*

Aug. in lib. 12 de ciu. Dei 14. c. 19.

¶ Item, *Manus & pedes mouemus, quando volumus ad ea, quæ his membris agenda sunt, sine vllo renisu tanta facilitate, quanta & in nobis, & in aliis videmus, maxime artificibus quorumcunque operum corporalium.* Ex quo apparet, quod vires animæ non sunt corruptæ, sed secundum nutum voluntatis obediunt.

Lib. ea. 21.

¶ Contra, per concupiscentiam originalis peccati corrupta est voluntas; & per consequens aliæ vires: vnde non tantum dicitur libido coeundi, sed libido habendi pecuniam, quæ auaritia dicitur: & libido vlciscendi, quæ ira dicitur: & libido gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Sic ergo non solum generatiua, vel concupiscibilis in parte illa corrupta est; sed & aliæ vires.

¶ Item, *Corrupti sunt, & abominabiles.* Glo. *omni vi rationis priuati.* Quod exponit B. Bern. dicens: quod ratio per ignorantiam corrumpitur, voluntas per immundiciam, memoria per infirmitatem siue impotentiam.

Psal 13. Gloss. Bernar.

RESOLVTIO.

Qualibet: ita scilicet, vt non vsquequaque ad bonum faciles sint, quinimmo ad malum pronæ.

¶ Ad quod dicẽdum: quod omnes vires sunt corruptæ.

¶ Ad id vero, quod obiicitur in contrarium. Dicendũ est, quod licet membra, & vires quæ sunt in membris, obediant in aliis membris secundum nutum voluntatis: nihilominus tamen corruptæ dicuntur, non vsquequaque faciles ad bonum, sed pronæ ad malum: quod non fuit in natura primitus instituta.

An vis generatiua magis, quam quæcunque alia vis ob peccatum originale corrupta, infectaque sit? §. 3.

¶ Tertio quæritur, si generatiua plus est infecta, quam aliæ, vel concupiscibilis in generatione. Et videtur, quod æqualiter: cum enim ratio corrupta corrumpat alias, siue lib. arb. causa autem, quæ est corruptio lib. arb. æqualiter se habet ad omnes: ergo æqualiter se habebit effectus corruptionis, qui est in illis.

¶ Præterea, pœna originalis, quæ infligetur in futuro, quæ est separationis virium à Deo; æqualiter est in eis: ergo à simili pœna originalis, quæ est in præsenti, æqualiter erit in eis: ergo omnes æqualiter corruptæ sunt secundum concupiscentiam.

¶ Contra, quærit Aug. *Cur Adam & Eua illas partes texerunt, & non potius manus, quibus prohibita attrectauerunt, aut ora, quibus male desiderata ederunt?* Ad quod respondet, *quod illa membra texerunt, in quibus peccati cupiditas exardescens, concupiscentiam inglutientis gutturis accusabat.* Ex quo accipitur, quod maior corruptio fuit in parte illa.

Resp. 4. Aug in lib. Hypogno.

¶ Item, in Eodem. *Senserunt iam nudati anima carnisque pace motum quemdam turpissimum, atque præcipitem nouiter accidisse: vnde confusi ad fici folia cucurrerunt, & membra solicitata pudore libidinis texerunt.*

Idem in ead. ca. 10

¶ Item, Aug. Satis ostenditur, *quicquid sit huiusmodi illi primæ inobedientiæ retributum: quod in ea parte maxime oportuit apparere, qua generatur ipsa natura: quæ illo primo & magno in deterius est mutata peccato.* Ex quo accipitur, quod plus est corrupta concupiscibilis in coitu, quam alia vis in suo actu.

Idem in 14 de ciu. Dei cap. 9.

RESOLVTIO.

Generatiua vis, siue concupiscibilis in generatione plus cæteris viribus ob peccatum originale corrupta est: quia & inquantum singularis personæ & inquantum naturæ est, infectam eam dicimus: reliquis, vt singularis personæ sunt, deprauatis.

¶ Ad quod dicendum: quod hæc vis dupliciter est corrupta. Est enim corrupta inquantũ est singularis personæ: & est iterum corrupta, inquantum est naturæ, prout per eam fit multiplicatio cum vitio in prole: est enim in ea pronitas ad peccatum in persona, quæ coit, vel generat: est iterum pronitas ad transfusionem peccati in personam, quæ gignitur. Aliæ vero vires corruptæ sunt secundum alterum modorum: quia in eis est pronitas ad peccatum in persona, quæ agit. Præterea, in hac vi est minor obedientia & maior repugnantia respectu rationis bene dispositæ quo ad aliquem sui motum: velit enim vel nolit ratio, surgit quidam motus indecens & verecundus. Et ideo in illa parte primi parentes in signum huius fecerunt sibi perizomata de foliis ficuum: non est autem vitium in actibus aliarum virium siue motibus.

¶ Ad obiectum autem in contrarium primo, Dicendũ: quod licet corruptio sit vna & æqualis in parte rationis, ad quam sequuntur istæ corruptiones aliarum virium: tamen maior est corruptio ista, quam in aliis, in pœnam humanæ naturæ, quæ in primis parentibus per inobedientiam peccauit, & posteritatem ad pœnam obligauit: transfusio autem fit per actum generatiuæ: & ideo concupiscibilis in actu illo plus est corrupta. In signum autem inobedientiæ ipsius hominis respectu Dei, posita est maxima repugnantia in illa vi per suum actum: fit enim homo in ea quasi caro.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod non est simile de pœna originalis peccati in futuro, & de pęna originalis peccati in præsenti. Pœna enim originalis est in præsenti ad duo: ad hoc scilicet quod puniatur persona, in qua est: & ad hoc quod transfundatur vitium, siue pœna in persona, quæ gignitur: pœna vero originalis in futuro ad vnum illorum.

An coniugalis concubitus sine peccato fieri possit? §. 4.

¶ Qvarto quæritur: si generatio in coniugio, vel coitus potest fieri sine peccato. Quod non, videtur per hoc, quod dicit August. *Genitales corporis partes ita libido suo iuri quodammodo mancipauit, vt moueri non valeant, si ipsa defuerit: & nisi ipsa vel vltro, vel excitata surrexerit.* Ex quo accipitur, quod actus generatiuæ in illa parte non fit sine libidine surgente: sed libido cum surgit, inducit peccatum: ergo concubitus non fit sine peccato etiam in coniugibus.

Aug. in 14. de ciu Dei cap. 19.

¶ Item, Aug. *Ipse licitus honestusque concubitus non potest esse sine ardore libidinis, vt peragi possit, quod rationis est, non libidinis: qui certe ardor, siue sequatur, siue præueniat voluntatem, non tamen nisi ipse quodam suo quasi imperio mouet membra, quæ moueri non possunt.* Ex quo concluditur, quod concubitus non fit sine motu libidinis: & ita non fit sine peccato.

Idem ad Valerium.

¶ Contra super illud. *Erunt duo in carne vna.* Glos. *In carnali opere, quod inter coniuges potest fieri sine peccato.*

1. Cor. 5. Gloss.

¶ Item, Augustin. *Bona quædam sunt data nobis à Deo, quæ propter se sunt appetenda, scilicet sapientia, salus, & amicitia.* Sunt & alia, quæ propter alia sunt necessaria; vt doctrina, cibus, coniugium. Quicunque his, quæ propter aliud sunt, non ad illud vtitur, propter quod sunt constituta, peccat, alias venialiter, alias criminaliter. Qui vero his vtitur ad illud, propter quod, bene facit. Qui vero abstinet, melius.

Aug. in lib. de bono coniugali.

Idem in lib. de baptismo paruulorum. ¶ Item August. *Bene vtitur bono, continentiam dedicans Deo: malo vtitur male, concupiscentiam relaxans adulterio: bene vtitur malo concupiscentiam constringens connubio.* Ex quibus autoritatibus concluditur, quod coitus in coniugio potest fieri sine peccato.

RESOLVTIO.

Si fiat ad quod institutum est, sine peccato esse potest.

¶ Ad quod dicendum: quod concubitus in coniugio potest fieri sine peccato. Actus enim qui alias esset peccatum; per coniugium, cum quis vtitur ad id, quod institutum est; excusatur vt non imputetur in peccatum. Si vero in coniugio vtitur illo actu, non ad id, ad quod institutum est: licet sit ibi coniugium, tamē cum hoc perpetratur peccatum: sicut dicit autoritas supradicta. Vnde Christus: ardentior amator vxoris suæ adulter est.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet fiat cum libidine, non tamen est peccatum perpetratum. Libido enim dicitur dupliciter malum: vno modo in quantum per ipsam transmittitur originale peccatum ad prolem; prout dicit Aug. quod non propagatio, sed libido transmittit originale peccatum: & hoc modo intelliguntur prædictæ autoritates, in quibus dicitur, quod licitus & honestus concubitus non potest fieri sine ardore libidinis. Alio vero modo dicitur libido malum, secundum quod est improba voluntas, commouens illicitum desiderium in actu: & secundum hoc dicit Aug. omne, quod male liber, libido est: & sic potest dici peccatum. Aug. in lib. de ciu. Dei

ARTICVLVS IV.

A quo concupiscentia sit, prout fomes dicitur?

QVARTO quæritur, A quo sit concupiscentia, prout est fomes. Et videtur, quod sit à Deo: fomes enim pœna est peccati: *omnis autem pœna peccati* (sicut dicit Aug.) *iusta est, & supplicium nominatur*: ergo fomes est quid iustum: & omne iustum à Deo: ergo fomes est à Deo. Aug. in lib. de lib. arb.

Idem. ¶ Item, Aug. *Deus fecit concupiscentiam, vt vltor peccati*: ergo concupiscentia est à Deo: & ita fomes à Deo.

Idem in lib. 5. respo. Respon. 4. ¶ Contra in Lib. Quinque responsionum. *Libido non est naturale bonum: sed per peccatum primorum hominum accidens malum, atque pudendum: cuius autor Deus non est, sed diabolus.* Ergo fomes est à diabolo, non à Deo: libido enim fomes est.

Idem in eodem. ¶ Idem, *Libido est inimica vita, quæ me currentem & placere Deo per ducatum gratiæ volentem, diuersorum libituum malorum aculeis impugnat, & prouocat. Secundum quod huiusmodi est, à diabolo est, non à Deo*: ergo libido est à diabolo, & non à Deo.

Rom. 6. Glossa. ¶ Item, super illud *Non regnet peccatum &c.* Glo. *id est fomes peccati*: Sed peccatum non est à Deo: ergo fomes peccati non est à Deo.

Ibidem. ¶ Item, super illud *Vetus homo noster crucifixus est.* id est, fomes, qui nobis est non ex Deo.

Aug. in lib. 5. respon. ¶ Item, in Lib. Quinque resp. *Credite malum ex diabolo, bonum ex Deo: non libidinem, quam Apostolus legem carnis id est, malam consuetudinem nominat.* Ergo libido non est à Deo: & concupiscentia mala est libido (sicut ibidem dicitur) ergo concupiscentia mala non est à Deo: & hoc est fomes: ergo fomes non est à Deo.

¶ Item, omnes defectus nostros Christus suscepit, quos in nostra natura plantauit. Sed fomitem non suscepit: ergo non plantauit: ergo non est à Deo.

¶ Item, Philosophus bonum vniuscuiusque reperitur in suo opere: sed fomitis nunquam est bona operatio: ergo fomes non est bonum: ergo non est à Deo.

¶ Item, si fomes est à Deo; cum fomes sit pronitas ad peccatum, pronitas talis placet Deo: quanto ergo aliquis pronior est ad peccandum, tanto magis placet: quod est inconueniens.

RESOLVTIO.

A Deo, inquantum pœna est: Inquantum vero pronitas, corruptio & inclinatio ad malum, à diabolo, vel homine.

¶ Ad quod dicendum: quod pœna, cuius effectus non est peccatum, vt fames, ægritudo, & omnis talis à Deo est: Pœna vero, cuius effectus non est nisi peccatum, vt pronitas ad superbiendum, inuidēdum, & similia, non est à Deo: & talis est fomes. Alii dicunt, quod fomes, & omnis pœna inquantum est, & inquantum agens est à Deo est: inquantum vero corruptio est, vel inclinans ad malum, à diabolo vel homine est.

¶ Ad obiecta autem dicendum & distinguendum: quod iustum potest respicere ordinationem: & sic omnis pœna, secundum quod iusta est, id est ordinata, à Deo est. Vel potest respicere quod ordinatur iuste: & sic non est verum: fomes enim & si iuste consequatur ex peccato primi hominis, non tamen à Deo est: ordinatio quidem mali à Deo est: malum autem à Deo non est.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod in prædicta autoritate, cum dicitur: quod concupiscentia ratione, qua inclinat ad peccatum, non est à Deo: est tamen à Deo, inquātum est pœna peccati. Vnde dicitur ibidem. Non est actor peccati, sed vltor. Concupiscentia enim est pœna peccati præcedentis: & est inclinatio ad peccatum sequens. Propter peccatum ergo præcedens Deus hanc pœnam infligit: non vult autem quod ex ea sequatur peccatum: sed quod resistatur concupiscentiæ, & sit pugna contra eam, secundum quod inclinat ad peccatum.

ARTICVLVS V.

An concupiscentia malorum, peccatorumue omnium causa sit?

QVINTO quæritur, ad quid sit concupiscentia, siue cuius est causa. Et videtur, quod sit causa omnium malorum, per hoc quod dicit Aug. *Clarum est, nihil aliud quam libidinem esse omnium malorum causam.* Et super illud. *Venundatus sub peccato.* Glo. *Hoc peccati nomine appellat, vnde oriuntur omnia peccata*: quicquid enim peccatorum est in dictis, in factis, in cogitationibus, non oritur nisi ex mala concupiscentia: quæ ex peccato facta est. Aug. in lib. de lib. arb. Rom. 7. Glossa.

¶ Item, in Lib. Quinque responsionum. *Vt concupiscentia malum, quæ radix est omnium malorum, cognoscatur malum; per mandatum bonum præualuit in me.* Aug. lib. 5. respon. 4.

¶ Contra, videtur quod non omne peccatum, siue malum culpæ proueniat ex concupiscentia carnis. Vnde super illud. *Manifesta sunt opera carnis.* Glo. *Credere omnia mala ex carne accidere, error est:* non enim omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab omnib. mundemus diabolum, qui carnem non habet. Ergo non est causa, siue radix omnium malorum. Gal. 5. Glossa.

¶ Item, sicut peccatum est in diabolo non est ex fomite: ita potest esse in anima, secundum quod est spiritus: ergo non omne peccatum est ex concupiscentia carnis, quæ est fomes.

RESOLVTIO.

Si concupiscentia sumatur ample, vtique: si presse minime.

¶ Ad quod dicendum: quod est loqui de concupiscentia vel generaliter, prout est pronitas spiritus rationalis ad peccatum: siue proueniat hæc pronitas ex carne, siue non: & secundum hunc modum loquuntur quædam autoritates, vbi dicitur quod concupiscētia est causa omnium malorum. Si vero coarctetur concupiscentia ad carnem, hoc potest dici dupliciter: nomine enim carnis potest designari totus homo, qui viuendo secundum se, cadit in peccatum: & hoc modo dicuntur opera carnis, inuidiæ, hæreses, & huiusmodi. Alio vero modo dicitur caro ipsa concupiscentia partis sensualis corruptæ, quæ inseparabilis est à carne corrupta: & hoc modo non omnis concupiscentia est à carne: & sic intelligitur illa Glo. *credere omnia mala accidere ex carne, error est.* Glossa.

¶ Cum autem dicitur in Glo. super illud. *Venundatus sub peccato*: quod cuncta peccata oriuntur ex carnali concupiscentia; intelligitur secūdum coarctationem: vt sit accommodata distributio de illis peccatis, quæ habent tentationem ex carne. Rom. 7.

ARTICVLVS VI.

An concupiscentia æque sit in omnibus iis, in quibus est.

SEXTO quæritur, Vtrum concupiscentia sit æqualiter in quibus est. Quod videtur: peccatū enim originale æqualiter est, in quibus est: sicut habetur ab Ans. dicitur n. *Peccatum originale nec magis potest esse, quam dixi, nec minus: quia cum in-* Ans. in lib. de concep. virg.

fans

fans iam rationalis est, humana natura non habet in illo iustitiam, quam accepit in Adam, & quam semper deberet habere: nec eam excusat impotentia, quia non habet. Si ergo peccatum originale æque est in descendentibus ab Adam seminaliter; concupiscẽtia autem est propria pœna in præsenti originalis peccati: ergo æque debet esse in illis, in quibus est.

¶ Item, concupiscentia est pronitas ad peccatum quodcumque: cum ergo non possit vltra extendi concupiscentia, erit in omnibus æqualiter.

¶ Contra, videtur quod concupiscentia siue fomes plus sit in vno, quam in altero: quidam enim pronior est ad peccatum, quam alter: in eo, in quo est pronior, in eo videtur esse maior fomes vel cõcupiscentia: ergo concupiscentia siue fomes dicitur secundum magis & minus.

¶ Item, maior corruptio videtur esse in prole, quam sit in parente: ergo per consequens maior concupiscentia.

¶ Præterea quæritur: in eadem persona, vtrum in aliquo tempore sit magis, quam in alio? Quod videtur per hoc, quod dicit Aug. *concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente etiam senectute multo maxime.* Aug. ad Valer.

¶ Occasione etiam prædictorum quæritur: si concupiscentia minuitur in aliqua persona, vtrum possit finiri. Videtur, quod non: vnde Aug. *Concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest, quamdiu viuimus: quotidie minui potest: sed finiri non potest.* Idem in lib. de laps. mund.

RESOLVTIO.

Et æque, & non æque: diuersa ratione.

¶ Ad quod dicendum: quod concupiscentia siue fomes potest dupliciter accipi: & vno modo æqualiter est in omnibus seminaliter descendentibus: alio vero modo secundum magis & minus. Si enim consideretur vt pœna consequens originale peccatum in ipsa humana natura secundum hoc æqualiter est. Si autem consideretur in singulari persona quo ad conditiones singularis personæ, ex quibus potest trahi inclinatio ad magis concupiscendum vel minus, secundum hoc est maior concupiscentia in vno quam in alio. Ex alia vero parte si consideretur effectus gratiæ, in quodam magis minuitur, quam in alio: sicut dicit præfata autoritas, quotidie minuitur in proficientibus & continentibus. Si vero consideretur ratione ætatis, quæ est conditio personæ vnius, magis minuitur in senectute, cæteris paribus: contingit tamen in aliquo sene plus vigere, quam in aliquo iuuene: & de talibus dicit Aug. *Quiconcupiscentiæ nequiter seruiunt, tantas in eis vires accipit, vt plerunque iam ætate deficientibus membris eisdemque partibus corporis ad illud opus admoueri minus valentibus, turpius & procacius insanire non desinant.* Ex quo accipitur quod in aliquo sene plus viget, quam in aliquo iuuene. Aug. ad Valer.

¶ Ad illud, quod obiicitur de finitione. Dicendum est: quod quantum est de corruptione naturæ in nullo descente seminaliter finitur concupiscentia: & si finitur in aliquo secundum actum, vt non præualeat: hoc est per gratiam.

ARTICVLVS VII.

De duratione concupiscentiæ.

Cvivs gratia se[p]timo quæritur, vtrum extinguatur: & qualiter remaneat, & qualiter non. Primo ergo quæritur, vtrum concupiscentia, quæ est fomes, extinguatur. Secundo, quid sit fomitem extingui: an idem sit, quod non esse: aut ita quod aliquo modo remaneat. Tertio, in quo extinguitur. Quarto, qualiter extinguitur.

An concupiscentia fomes extinguatur? §. 1.

¶ Ad primum sic, dicitur. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sed peccatum non habetur sine concupiscentia: ergo in nobis est concupiscentia: ergo non extinguitur. 1. Ioan. 1.

¶ Item, *Non est homo in terra, qui non peccet.* Sed in peccato esse non potest sine concupiscentia: ergo in nobis non extinguitur concupiscentia: cum enim elicit peccatum, non extinguitur. Eccl. 7.

¶ Item, in Lib. Retracta. *In hac vita nemo ita seruat mandata iustitiæ, vt non sit ei necessarium orare pro peccatis suis, dicendo. Dimitte nobis debita nostra.* Sed si habet debita, hoc non est nisi ratione peccatorum: ergo nullus est sine peccato: ergo nullus sine concupiscentia, quæ est fomes peccati. Aug. in lib. retractat.

¶ Item, Aug. *Etiam si non hic viuatur sine peccato; licet mori sine peccato, dum peccatum venia deletur: quod peccatum ignorantia vel infirmitate committitur.* Idem in lib. de nat. & grat.

¶ Item, *Si autem quod nolo, illud facio; non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum* (& loquitur in persona hominis) sed peccatum inhabitare, est fomitem peccati habere: ergo fomes non extinguitur. Rom. 7.

¶ Item, Bernard. *Quantumlibet manens in hoc corpore, profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa: velis nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus: subiugari potest, sed non exterminari.* Sed dum habitat Iebusæus intra fines, manet concupiscentia: ergo concupiscentia siue fomes manet in nobis. Bern. sup. Cant.

¶ Contra, Aug. *Non præstatur in baptismo, vt lex peccati, quæ in membris est, extinguatur prorsus, & non sit: nisi forte miraculo ineffabili creatoris.* Ergo miraculose in aliquo potest extingui fomes. Aug. in lib. de bapt. paruulo.

¶ Item, in Christo nullus erat fomes: sed B. Virgo appropinquabat Christo, (sicut possibile erat) in puritate: ergo cum illa puritas non possit esse sine extinctione fomitis, in ea fomes extinguebatur: ergo in aliquo fomes extinguebatur.

RESOLVTIO.

Vt pœna extingui non potest: vt inclinatio ad culpam extingui potest.

¶ Ad quod dicendum: quod esse sine concupiscentia dicitur dupliciter: vel esse sine ea vt est pœna: vel esse sine ea, in quantum est inclinatio ad culpam. Habere autem illam vt pœnam, attestatur humanæ naturæ corruptæ, & per consequens attestatur diuinæ iustitiæ: nec repugnat gratiæ: sic ergo dicitur substantia concupiscentiæ: & hæc potest remanere, cum dicitur, quod concupiscentia tollitur, non vt non sit, sed vt non sit peccatum. Habere autem concupiscentiam vt inclinationem ad peccatum; est habere eam vt ignem: & sic* omnino extinguitur: cum ergo non remanet ibi de inclinatione ad culpam, tunc dicitur extingui. *Al. as, nõ omnino.

¶ Autoritates autem, quæ inducuntur ad hoc, quod homo non sit sine peccato, & ita non sine concupiscentia: intelligendæ sunt vel de ipsa natura humana corrupta sibi relicta: vel de ea, vbi non omnino tollitur peccatum, & debitum pro proprio peccato. Illa ergo authoritas 1. Ioan. 1. intelligenda est de peccato, ratione ipsius culpæ, vel ratione debiti pro peccato proprio. Et hoc patet per hoc, quod dicit August. *Quisquis dicit post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem iuste vixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, contra dicit Apostol. Ioann.* Non enim ait *habuimus*, sed *habemus*, vnde non intelligit de originali peccato: sed de actuali pro se, vel pro debito eius. Et hoc patet per hoc, quod sequitur in illa auctoritate; quæ est in Lib. de Perfectione iustitiæ. *Si quisquam asserit de illo peccato dictam, quod habitat in carne mortali secundum vitium, quod peccantis primi hominis voluntate contractum est: videat, quid agatur de Dominica oratione*, vbi dicimus. *Dimitte nobis debita nostra*, quod (ni fallor) non esset opus dicere, si nunquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cognitione eiusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus: sed tantum modo dicendum esset. *Ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec Iacobus Apostol. diceret. *In multis offendimus omnes.* Aug. in lib. de perfectione iustitiæ. Iacob. 3.

¶ Per hoc etiam potest solui illud, quod dicitur. Intelligendum n. est: *non est homo in terra qui non peccet*, i. vix est. Nec hoc est, quantũ est de corruptione naturę, sed de abundãtia grę. Eccl. 7.

¶ Ad tertium dicendum: quod vnicuique, qui peccauit venialiter, vel mortaliter, necessarium est dicere. *Dimitte nobis debita nostra.* Pro illo enim statu intelligitur, vnde nullus talis est sine concupiscentia peccati.

¶ Ad quartum dicendum: similiter pro illo statu. Quod autẽ dicitur, *licet mori sine peccato*, hoc dicitur propter Martyres, vel propter illos, in quib. est omnino expurga-

tum

tum peccatum: vt non oporteat eos transire purgatorium.

¶ Ad quintum dicendum: quod cum dicitur, Non ego operor illud, sed quod in me habitat, peccatum: hoc dicitur pro illo homine, in quo habet effectum concupiscẽtia, quæ est fomes: non pro illo homine, in quo tollitur effectus peccati per gratiam confirmationis simpliciter.

¶ Ad sextum vero dicendum: quod similiter intelligitur autoritas Bernardi de illo, in quo surgunt veniales motus, & vbi manet concupiscentia. Si autem non surgerent veniales, dum tamen possent surgere; adhuc diceretur manere concupiscentia: sed non esset fomes in actu. Et de primo dicitur in Lib. de Ciuit. Dei. *Subrepit aliquid in hoc loco infirmitatis, & bene confligenti, sine hostibus talibus victis dominanti: vnde si non facili operatione, labili locutione, aut volatili cogitatione peccetur.* De secundo potest dici: s. ut dicitur in Lib. de Ci. Dei. *Quamdiu vitiis hic imperatur, plena pax nõ est: quia & illa, quæ resistunt, periculoso debilitantur prælio: & illa, quæ victa sunt, nondum securo triumphantur ocio.* (Aug. de ciuit. Dei lib. 19. cap. 27.)

Quid sit fomitem extingui? §. 2.

¶ Secvndo quæritur, quid sit fomitem extingui: an idem sit quod nõ esse: an ita quod aliquo modo remaneat? Si idem esset quod nõ esse, tunc idem esset fomitem extingui, quod nullatenus esse; nec secundum se, nec ratione concupiscentiæ: sed secundum hoc non videretur differre status hominis, in quo esset extinctus fomes, & status Adæ primus.

¶ Item, cum extingui pertineat ad illud, quod habet rationem ignis: concupiscentia autem non debeat dici ignis: eo quod concupiscentia sit secundum rationem indigentiæ: ignis autem secundum rationem actiuam: non videtur dici, quod concupiscentia extinguatur.

¶ Contra dicitur. *Ignis vsque ad consummationem deuorans, & omnia eradicans genimina* (& loquitur ibi de concupiscentia) Ergo concupiscentia est ignis: proprietas aũt ignis est, vt possit extingui, nisi perpetuus sit: concupiscentia autem carnis non est perpetua in suo actu: ergo potest extingui. (Iob 31.)

¶ Item, in malis potest extingui scintilla synteresis, in qua dicitur esse bonus ignis: sicut dicitur in Glo. super primum Ezech. hanc autem præcipitari videmus: ergo per oppositum in bonis potest extingui ignis concupiscentiæ: ergo fomes potest extingui. (Glossa super Ezech.)

RESOLVTIO.

Idem est fomitem extingui, quod peccatum non foueri.

¶ Ad quod dicendum: quod extinguitur, non vt nullatenus sit; sed in ratione fomitis. Fomes enim dicitur à fouendo, in quantum fouet peccatum. Sicut enim calor naturalis est in nobis principium conseruandi naturam: ita calor concupiscentiæ est principium conseruandi peccatum. Vnde Aug. *Non est iste calor bonus, nec genitalis in bonu genitalibus membris, quæ formauit Deus: sed malus est, autore diabolo, peccato præcedente hunc calorem.* (Aug. in lib. 5. Respon.)

¶ Ad secundum vero dicendum: quod ibi est ratio ignis in concupiscentia, non quantum ad omnem proprietatem ignis: sed quantum ad illam, quæ est: quod sicut nihil sufficit igni, ita nihil sufficit concupiscentiæ. Vnde *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit sufficit: infernus, os vulua, & terra, quæ non satiatur aqua, & ignis qui nunquam dicit, sufficit.* Similiter est de concupiscentia cui nihil sufficit. (Prou. 30.)

¶ Et notandum, quod est accipere fomitem secundum triplicem gradum. Primo secundum intensionem: quomodo est ante baptismum. Secundo quo ad materialem dispositionem: cum sic se habet appetitus, cum per adiutorium potest in peccatum: & hoc modo est in baptizatis, non confirmatis. Tertio vero modo materia fomitis, quæ remanet aliquo modo: sed extinguitur: & hæc est possibilitas priuata dispositione: & hæc est in ratione pœnæ: omnino autem concupiscentia subiecta fuit in B. Virgine: vt nullatenus rebellaret, nec rebellare posset, gratia dominante.

An in sola B. Virgine fomes extinctus fuerit. §. 3.

¶ Tertio quæritur, in quo fomes extinguatur? Et videtur, quod in sola B. Virgine, per hoc quod dicit Aug. dicit enim *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quæstionem, scimus enim quod ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendũ omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos & sanctas cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato? quid fuisse responsuros putamus? vna voce clamassent, si interrogari potuissent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* Ex quo accipitur quod in ipsa sola extinctus fuit fomes. (Aug. in lib. de nat. & grat.)

¶ Item, Aug. *Sola medicinam parare nostro corpori potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.* Sed vulnus peccati est fomes: ergo tunc non erat in ipsa fomes. (Idem in lib. de bapt. paru.)

¶ Item, Ansel. *Decebat, vt illius conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo niteret: quam Deus pater matrem filio suo eligebat.* Ergo non fuit in ea fomes. (Ansel. in lib. de concep virg ca. 18.)

¶ Item, Lib. 3. Sen. *Mariam Spiritus sanctus, in eam perueniens, à peccato prorsus purgauit: & à fomite peccati etiam liberauit: vel fomitem ipsum euacuando (vt quibusdam placet) vel sic extenuando, vt ei postmodum peccandi occasio nulla existeret.* Ex quo accipitur, quod peccati fomes non erat in Beata Virgine. (Mag. lib. 3. sen. dist. 3. cap. quæritur &c.)

¶ Sed contra hoc sic obiicitur. Ignorantia & concupiscentia sunt duæ pœnæ consequentes originale peccatum: sed ignorantia aliquorum remansit in Beata Virgine: pari ergo ratione concupiscentia remansit in ea.

¶ Item, iustum fuit, vt in seminaliter descendentibus ab Adam remaneret pœna originalis peccati: & licet peccatum tollatur per gratiam in baptismo; remanet tamen in exercitium: ergo cum ordinet ad bonum, ipsa pœna non fuit tollenda per sanctificationem in Beata Virgine: ergo remansit concupiscentia in ea.

¶ Item, videtur quod in aliis extinguatur dicit enim Apost. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Q. d. inseparabilis sum. Si ergo inseparabilis fuit charitas ab eo, non potuit peccare mortaliter. (Rom. 8.)

¶ Item, Apostoli erant confirmati in gratia spiritus sancti: ergo fomes in eis extinctus erat quantum ad peccatum, cum cadere non possent.

RESOLVTIO.

In ea præ cæteris.

¶ Ad quod dicendum: quod autoritas Aug. loquitur de Sanctis veteris Testamenti, qui adhuc erant debitores pœnæ lymbi, & ita non erant sine debito peccati originalis, nec erat in eis concupiscẽtia omnino extincta, licet in quibusdam esset subiecta. (Aug. in lib de nat. & grat.) ¶ Illa vero autoritas Augustini non aufert, quin in B. Virgine fuerit fomes prius, sed quod in ipsa carne Christi, quam traxit de Beata Virgine, quæ nõ fuit ab ea per concupiscentiam, quę est vulnus peccati. (Aug. in lib de bap. par.)

¶ Ad illud vero, quod dicit Ansel. Dicendum est: quod non intelligitur de puritate, quam habuit Christus, nec de puritate innocentiæ, quam habuit Adam: sed de puritate, quæ decuit ipsam in tali statu respectu eius, quod fiendum erat ex ea. Quia ergo ignorantia respectu aliquorum non impediebat, quin purissima caro Christi fieret de carne Virginis iam purgata (Ignorantia enim attenditur secundum animam, non secundum carnem: concupiscentia vero vt fomes non tantum secundum animam, sed secundum carnem) ideo ex parte concupiscentiæ facta fuit purgatio, vt nullatenus esset principium in illa generatione, vel conceptione.

¶ Ad illud vero, quod dicitur de apostolis, vel de confirmatis in gratia. Dicendum est, quod extingui potest fomes multipliciter: vel quo ad mortale peccatum: vel quo ad veniale peccatum: vel quo ad potentiam dispositam ad eliciendum mortale vel veniale. In aliquibus ergo potest esse extinctio quantum ad mortale peccatum, vt in apostolis. In aliquo potest esse extinctio vlterius quo ad veniale: vt si aliquis esset, qui nec venialiter, nec mortaliter peccaret. In Beata vero Virgine omnimoda erat extinctio: & sic patet gradus extinctionis secundum magis & minus.

Quali-

Qualiter adhuc fomes iste extinguatur? §. 4.

QVARTO quæritur, qualiter extinguatur fomes. Et videtur quod per gratiam: vbi enim abundantior est gratia, ibi plus est de extinctione.

¶ Præterea, gratia in baptismo opponitur originali peccato, quod delet quantum ad culpam & quantum ad pœnam: illa ergo delet concupiscentiam, vel minuit, quæ est sequela originalis peccati. Quibus ergo datur abundantius gratia, amplior fit diminutio: & ita tandem extinctio vel in parte, vel in toto.

¶ Contra, Gratia opponitur malo culpæ (non enim simul stare possunt) sed vni per se est vnum oppositum in vno genere: ergo gratia non opponitur malo pœnæ: aut opponitur in alio genere, quam in illo, in quo opponitur malo culpæ: sed hoc non inuenitur: ergo gratia non opponitur malo pœnæ: sed concupiscentia est malum pœnæ: ergo nō opponitur concupiscentiæ, vt non possint simul esse. Nam si opponeretur, nullus habens originalem concupiscentiam, haberet gratiam: sed videmus aliquos habere maiorem gratiam gratum facientem, quam Adam & Eua, qui non habuerunt in statu innocentiæ originalem concupiscentiam: ergo gratia non opponitur concupiscentiæ illi secundum concupiscentiam.

RESOLVTIO.

Per gratiam.

¶ AD quod dicendum: quod gratia opponitur concupiscentiæ. Concupiscentiam autem est dupliciter considerare: vel vt disponit ad culpam: vel vt est inflictum pro culpa præcedēti. Prout disponit ad culpam: sic opponitur gratia illi: minuitur enim quotidie magis & magis per gratiam hoc modo: & in Beata Virgine extinguebatur omnino. Reliquo vero modo potest stare cum gratia.

¶ Ad obiectum autem dicendum: quod licet concupiscentia sit sequela originalis peccati, gratia autem deleat originale peccatum quo ad culpam & pœnam: non tamen delet quo ad istam pœnam omnino, vt non sit: nisi secundum quod est dispositio ad peccatum. In B. vero Virgine delebatur dupliciter, siue extinguebatur: & quo ad actum concupiscentiæ, quæ est in persona singulari, & quoad actum secundum quem transmittitur corruptio ad genitum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod vnum vni opponitur, &c. Dicendum est, secundum vnum genus: gratia vero opponitur culpæ originali secundum essentiam: secundum causalitatem vero ipsi concupiscentiæ: & ex quadam* consequentia ad culpam. *Alias cōuenientia.

ARTICVLVS VIII.

Quibus nominibus concupiscentia nominetur.

DICTO de extinctione concupiscentiæ, prout fomes: octauo dicendum est de comparatione ipsius concupiscentiæ ad stimulum carnis, & ad ea, cum quibus videtur habere conuenientiam. Habet enim quasdam rationes ex parte animæ, quasdam ex parte carnis, quasdam ex parte coniuncti.

RESOLVTIO.

Quam pluribus: & quatuordecim numero.

¶ Ex parte enim coniuncti dicitur concupiscentia cōcupiscibilitas in paruulis, concupiscentia in adultis, libido cum iam inclinat in actum.

¶ Ex parte animæ dicitur vitium, quia quandam oppositionem habet ad virtutē: corruptio, propter diminutionē boni naturalis languor, propter inueterationem in illa: & hoc est in comparatione ad bonum. In comparatione vero ad malum dicitur infirmitas, propter impotentiam resistēdi motibus malis: fœditas, propter inclinationem sordium spiritualium: pronitas, propter inclinationem appetitus ad malum: vt infirmitas sit contra potentiam, fœditas contra pulchritudinem, pronitas contra dispositionem ad bonum.

¶ Ex parte vero carnis dicitur lex carnis, quia infligitur ipsi carni ex lege diuinæ iustitiæ propter peccatum: dicitur lex membrorum, quia dat quandam aptitudinem ad mala, quæ fiunt per membra: tyrannus, quia dominatur violenter in quibusdam membris: dicitur etiam fomes, quia fouet peccatum, secundum quod dicitur fomes in carne: vt ex carne foueat peccatum in anima: dicitur etiam stimulus carnis, quia stimulat ad peccatum.

MEMBRVM VIII.

An peccatum originale vnum, vel plura sit?

DICTO de concupiscentia, quæ est sequela originalis peccati, octauo dicendum est de ipsa vnitate, vel multitudine. Circa quod sic procedendum est: primo ostenditur quod sint multa. Si enim vnum oppositorum est multiplicabile, & reliquum: sed virtus & vitium sunt opposita: virtus autem in anima est multiplicabilis secundum diuersas animi vires: ergo vitium originale similiter est multiplicabile, & non vnum secundum potentias.

¶ Item, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Iniquitates dicit ibi originalia peccata: non enim Dauid conceptus fuit in iniquitatibus parentum: natus enim fuit de sancto Iesse, & coniuge ipsius. Psal. 50.

¶ Item, Matt. 18. *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum &c.* super quod dicit Rabanus in originali: quod homini post baptismum damnato propter peccatum, non solum redeunt peccata post baptismum commissa actualia, sed etiam originalia, quæ in baptismo sunt dimissa. Matth. 18. Rabanus.

¶ Item, Aug. *Peccata originalia dicuntur aliena, quia ea singuli de parentibus trahunt: sed & non sine causa dicuntur & nostra, quia in illo vno omnes (sicut dicit Apostolus) peccauerunt.* Ex quo accipitur, quod plura sunt peccata originalia. Aug. de correct. & grat.

¶ Similiter ibi. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.* Per iniquitates designantur originalia peccata. Psal. 31.

¶ Item, septem sunt fomites secundum numerum septem vitiorum capitalium: sicut dicit Hugo: ergo sunt septem pronitates: ergo septem originalia peccata.

¶ CONTRA, *Benedixisti &c.* super illud. *Aut extendes iram tuam, &c.* Glo. *Omnes fuimus in eo scilicet in Adam, quando peccauit:* & hæc est causa, quæ assignatur, quare ex ipso traximus originale peccatum. Si ergo hæc est causa: sicut eramus in ipso, sic contraximus: sed omnes eramus in ipso sicut vnum: ergo ipso traximus vnum originale peccatum, & non multa. Psal. 84. Glossa.

¶ Item, pœna respondet culpæ: ergo cui respondet vna prima pœna, illud erit culpa vna. Sed originali respondet vna prima pœna s. carentia visionis Dei: ergo originale est vnum peccatum.

¶ Item, contingit intelligere animam abstractam à suis potentiis vniti corpori: se ipsa enim vnitur. Si ergo anima ista vnita est corpori corrupto corruptione pœnali, & vitiosa: ergo ipsa est maculata quantum ad culpam: ergo in ea est vnum peccatum quantum ad carentiam, & quantum ad concupiscentiam.

¶ Sed posset responderi, quod in originali sunt duo, carentia debitæ iustitiæ, & concupiscentia: quantum ad carentiam debitæ iustitiæ dicatur esse vnum: quantum ad concupiscentiam dicatur esse multa. Contra, iustitia originalis vna fuit in qualibet vi: ergo concupiscentia, quæ opponitur iustitiæ, vna debet esse in omni vi.

¶ Item, pœna sequitur ad omnem culpam: ergo secundum vnitatem culpæ: erit vnitas pœnæ, primo respondentis culpæ, sed concupiscentia est pœna primo respondens culpæ in præsenti: ergo erit vna concupiscentia.

RESOLVTIO.

Peccatum originale & vnum, & plura dici potest. Vnum origine plura contractione. Vel vnum carentia iustitiæ originalis, plura inclinatione secundum concupiscentiam.

¶ AD quod dicendum: quod sicut dicit Ansel. dupliciter dicitur originale. Aut quod est origo aliorum: & sic est in primo parente, in quo fuit tota humana natura: & hoc modo dicitur originale vnū. Aliter vero dicitur originale ab origine cōtractū: & sic est in quolibet paruulorū diuersum: Ans. in lib. de conc. B. Virg. ca. 1.

sicut

sicut diuersi sunt rami ab vna radice prodeuntes.

¶ Nec valet illud, quod obiiciebatur per hoc, quod dicitur: quod omnes fuimus vnum in Adam: licet enim omnes fuerimus in Adam vnum ratione humanæ naturæ, quæ adhuc erat indiuisa: tamen post propagationem iste homo non est ille, nec originale in isto est originale in illo: & sic sunt diuersa originalia ratione diuersorum subiectorum.

¶ Et potest similiter responderi ad alia obiecta. Nam pœna, quæ est carentia visionis Dei multiplicatur similiter secundum diuersa subiecta: animæ etiam, quæ subiiciuntur, diuersæ sunt naturæ: & ita ex illa parte sunt diuersa.

¶ Si vero fiat sermo de originali in vno subiecto, vtrum in vna anima dicantur plura originalia? Dicendum est, quod aliquando in sacra scriptura inuenitur singulariter dictum, aliquando pluraliter. Singulariter dicitur propter carentiam originalis iustitiæ: quæ vna est in anima vnius paruuli. Pluraliter vero potest dici ratione diuersarum inclinationum secundum concupiscentiam quantum ad diuersas potentias & vires: vel quantum ad inclinationem ad diuersa actualia peccata, ad quæ inclinat. Et hoc modo intelligendæ sunt autoritates, quæ dicunt originale peccatum esse multa, prout est in vno homine.

¶ Quod ergo obiicitur, si vnum oppositorum est multiplex, & reliquum: virtus autem multiplicabilis &c. Dicendum, quod virtus per se & primo opponitur actuali peccato: & quemadmodum actuale peccatum multiplicatur, ita etiam virtus multiplicatur. Iustitia vero originalis, secundum quam homo poterat stare in bono, opponebatur originali peccato: & sicut iustitia originalis vna fuisset in vno homine, ita est vnum peccatum originale.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod vna debet esse concupiscentia, sicut vna carentia. Dicendum est, quod concupiscentia potest dici vna ratione vnius animæ, vel ratione lib. ar. & sic sicut vnum est originale, ita vnum peccatum. Si vero concupiscentia respiciat potentiam, secundum quam est concupiscere: secundum hoc diuersæ erunt concupiscentiæ secundum diuersas vires.

MEMBRVM IX.

De quantitate peccati originalis.

Nono quæritur de quantitate originalis peccati: & hoc secundum tres differentias. Vtrum in eodem aliquo tempore sit maius, alio vero tempore sit minus originale peccatum. Secundo, vtrum in vna persona sit maius, quam in alia. Tertio, vtrum secundum diuersas ætates mundi intendatur magis & minus.

ARTICVLVS I.

An peccatum originale secundum tempus magis & minus dicatur?

Ad primum sic: videtur enim maius in adulto, quam in paruulo: quanto enim accedit forma ad terminum suum, tanto plus intenditur: sicut potentia quanto magis accedit ad suum actum. Sed concupiscentia in adulto plus accedit ad suum actum, quam in paruulo: concupiscentia enim paruulum facit concupiscibilem, adultum vero reddit concupiscentem: sicut habetur super illud Rom. 4. Beati, quorum remissæ sunt &c. Ergo maior est concupiscentia in adulto, quam in paruulo.

¶ Item, maior est corruptio per actuale additum originali, quam per originale solum (ex vtroque enim est corruptio) sed in paruulo est originale tantum: in adulto est vtrumque, ergo maior est pronitas in adulto, quam in paruulo: ergo maior concupiscentia.

Ansel. lib. de Conce Virg. ca. 2. ¶ Contra, *Originale peccatum* (sicut dicit Ansel.) *æquale est in omnibus, in quibus est*: originale autem peccatum est concupiscentia: ergo æqualiter dicetur esse in eodem secundum diuersos status.

¶ Præterea, æqualis pœna debetur pro originali homini in diuerso statu: ergo æquale est originale peccatum.

RESOLVTIO.

Peccatum originale si secundum magis & minus dicitur, non nisi ratione concupiscentiæ, in quantum ad peccatum dispositio est, dicitur.

¶ Ad quod dicendum: quod originale dicitur ratione carentiæ vniuersalis, non secundum magis & minus in diuersis statibus: nec ratione pœnalitatis in concupiscentia, prout est inflicta pro originali peccato. Sed dicitur magis vel minus originale ratione concupiscentiæ: inquantum est dispositio ad peccatum: maior enim est dispositio ad peccatum in adulto, quam in paruulo.

¶ Et dicendum est ad primum obiectum, quod aliud est formam appropinquare ad suum actum: & aliud est appropinquare ad suum summum. Concupiscentia potest dici maior per appropinquationem ad actum: quantum autem est de originali, non dicetur maior per appropinquationem ad summum.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod cum dicitur corruptio ex originali &c. dicitur corruptio ex actuali: dicitur differenter: & potest dici adultus pluribus causis corruptus, & quo ad hoc maior corruptio: nec tamen maior ex originali, vnde non erit originale maius.

ARTICVLVS II.

An & secundum personam magis & minus dicatur?

Secvndo quæritur, vtrum originale sit maius in vna persona, quam in alia. Quod videtur: natura enim corrupta est propter originale peccatum: ergo quanto magis multiplicatur originale peccatum, tanto maior erit corruptio: & hoc videtur: quia homines moriuntur citius nunc, quam prius.

¶ Item, vna anima magis est hebes quam alia: ista autem hebetudo pœna est originalis peccati: ergo maior pœna præcessit in isto, quam in alio: ergo maius est peccatum originale in vno, quam in alio.

¶ Item, naturaliter vnus est magis concupiscens quam alius, ergo maior concupiscentia: ergo maius originale.

RESOLVTIO.

Dicitur vtique, sed non in se, verum secundum effectum.

¶ Ad quod dicendum: quod vnum originale maius potest dici alio, quantum ad effectum alicuius pœnæ præsentis: sed non quantum ad effectum alicuius pœnæ in futuro. Hoc autem non est, quia originale sit in se maius vel minus: sed quia in quadam natura plus habet de effectu: Verbi gratia, quidam pronior est ad incontinentiam, consonat enim malitia complexionis cum corruptione originali. Similiter quidam dicitur magis hebes alio secundum imperfectionem naturæ conuenientem cum corruptione originali: & eodem modo dicitur concupiscens, secundum quod liberum arbitrium plus sequitur corruptionē.

ARTICVLVS III.

An item & secundum diuersas mundi ætates magis & minus peccatum originale intendatur?

Tertio quæritur, Vtrum secundum diuersas mundi ætates intendatur magis & minus originale? Et videtur per simile: sicut enim maior est mortalitas, hoc est mortis acceleratio nunc, quam prius; & prius quam in principio mundi: ita videtur magis dominari concupiscentia nunc, quam prius. Vnde, *Erunt in nouissimis temporibus homines seipsos amantes.* Si ergo hoc specialiter dicitur de nouissimo tempore, excedet tunc concupiscentia: ergo videtur magis damnari originale in nouissimo tempore. 2. ad Tim. 3.

RESOLVTIO.

Et quidem secundum actum, sed non secundum habitum.

¶ Ad quod respondendum: quod concupiscentia, secundum quod est generalis, in nulla parte temporis augetur secundum habitum; sed secundum actum cum aliis conditionibus, quæ sunt ex parte naturæ corruptæ, concurrentibus potest augeri. Vnde potest in fine mundi plus augeri cupiditas: quia tunc abundabit amor proprius propter hominum* multitudinem: & ita concupiscētia quantum

* Alias, multiplicationem.

rum ad hoc secundum actũ augebitur in fine mundi. Non tamen dico quod hoc sit quantum ad alia genera peccatorum: plus enim* alio tempore abundauit infidelitas: & ita de aliis peccatis. Adinuentiones tamen peccatorum, crescente experientia, multo plures erunt: & ita concupiscentia quantum ad actum huiusmodi, maior erit in fine.

*Alias, illo tempore abundabit

MEMBRVM X.

De pœnis originalis peccati.

Quæstio. immediate præcedenti.

DECIMO quæritur de pœna originalis peccati. Habet autem pœnas in præsenti, de quibus satis dictum est in assignatione pœnarum pro peccato primorum parentum. Potest etiam & hoc sic intelligi: vt pœnæ quædam sint ex parte animæ, quædam ex parte corporis. Ex parte vero animæ sit difficultas inquirendæ veritatis, quæ consequitur ad ignorantiam: & hoc notatur, cum dicitur. *In laboribus comedes ex ea*: sic enim exponit August. contra Manichæum. Ad concupiscentiam autem in affectu sequuntur plures pœnæ: affectus enim tria debet facere, cauere à malo, proficere ad bonum, in medio regere se, ne deuiet. Quãtum ad recedere à malo, inflicta est pronitas ad malum: & hoc duobus modis: vel ad cito procedendum in malum: vel ad commorandum in illo. Pronitas ergo ad malum significatur, cum dicitur. *Germinabit tibi*: mora in delectatione mali, cum dicitur. *Comedas herbas terræ*: difficultas vero ad bonum, cum dicitur. *In sudore vultus tui &c.*

Aug. contra Manic.

Gen. 3. Ibidem. Ibidem.

¶ Ex parte vero corporis attenduntur pœnæ: quia aut est pœna ex parte corporis omnino præter animam: aut quo ad separationem corporis ab anima: aut ante separationem. Si ex parte corporis omnino præter animam, dicitur incineratio: si quo ad separationem, dicitur mors: si quo ad partes corporis ante separationem, dicitur infirmitas, fames, sitis, frigus, lassitudo, & huiusmodi. Prima notatur ibi *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: alia ibi. *Donec reuertaris in terram*. Pœna vero in futuro principalis est carentia visionis Dei, quæ notatur in prohibitione comestionis de ligno vitæ. De qua aliquid dicendum est in præsenti: residuum vero dicetur infra in Tractatu pœnarum post iudicium, vel eorum, quæ pertinent ad statum animæ separatæ.

Ibidem.

In quarta parte.

An carentia visionis Dei peculiaris pœna sit peccati originalis. §. 1.

¶ QVÆRITVR autem. Vtrum carentia visionis Dei sit pœna propria originalis peccati: an cõmunis etiam actuali mortali. Et videtur, quod sit propria: carentia enim iustitiæ in præsenti respondet carentiæ summi boni in futuro: & econuerso. In carentia autem summi boni in futuro intelligitur carentia visionis, & econuerso. Ergo carentia visionis Dei est pœna propria originalis peccati, quod consistit in carentia debitæ iustitiæ.

¶ Contra, sic ostenditur: quod sit communis: dicitur enim quod originale peccatum non redit post baptismũ quantum ad essentiam: sed si post baptismum incidat homo in actuale mortale, debetur ei carentia visionis Dei: non est ergo propria pœna originalis peccati.

¶ Præterea, Cum Adam peccauit, non habebat originale: ponatur ergo quod Adam peccasset actualiter tantum, ita quod non sequatur corruptio originalis: nunquid non adhuc deberetur ei carentia visionis? videtur quod sic.

¶ Præterea, in actuali mortali duo sunt, auersio s. & cõuersio: in actuali veniali conuersio, sed non auersio: in mortali originali est auersio, id est actualiter auersum esse: etsi non sit ibi actualis conuersio. Sic ergo actuale mortale in conuersione conuenit cum veniali, in auersione cum originali. Sic ergo ratione auersionis in originali debetur carentia visionis Dei (non enim potest dici, quod ratione conuersionis: quia ibi non erat actualiter conuersum esse: & vbi eadem causa, ibidem effectus) videtur quod non solum originalis erit pœna carentia visionis, sed etiam actualis mortalis.

RESOLVTIO.

Quinimmo etiam peccati mortalis pœna est: verum illius primo.

¶ QVOD concedimus, dicentes: quod in omni peccato, in quo est auersio; debetur pœna carentia visionis: & non solummodo originali.

¶ SED hoc habito, posset quæri: cum in originali essent duo; quantum ad culpam videlicet carentia debitæ iustitiæ; & hæc erat magis sicut priuatio, & huic proprie videtur respondere priuatio, siue carentia visionis: & etiam ibi sit aliud s. concupiscentia in summo, quæ non solum in priuationem videtur sonare, sed dicere quandã inclinationẽ: posset (inquã) quæri, quid huic pro pœna debeat in futuro.

¶ Ad quod dicendum: quod carentia visionis Dei non est pœna propria originalis peccati; sed principaliter attribuitur: est autem communis, quæ debetur peccato mortali, in quo est carentia debitæ iustitiæ. Et duplex est iustitia: vna dicitur iustitia originalis, & carentia illius proprie dicitur originale: & alia est iustitia actualis, & carentia huius est in actuali peccato: vtrique autem iustitiæ respondet pro pœna carentia visionis Dei, siue carentia summi boni: per prius autem respondet originali peccato, quod est carentia originalis iustitiæ.

¶ Ad obiectum autem respondendum: quod concupiscentiæ nulla alia pœna respondet: non enim est concupiscentia actualis, sicut est in peccato actuali, cui respondet pœna actualis.

¶ Nec est hoc contrarium, quod dicitur de fide ad Petrum. *Firmissime tene, non solum homines ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vtero matris viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue de matribus natos sine sacramento baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis æterni supplicio sempiterno puniendos.* Si enim peccatum propriæ actionis nullum habuerunt; originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt. Non enim esset secundum hoc mitissima pœna eorum: cum tamen hoc dicat Aug. Sed hoc dicitur propter illud, quod est in Euangelio. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*: & hoc dicetur illis, qui erunt à sinistris, & ita paruulis. Sed esse in illo igne ad pœnam contingit dupliciter: vel ratione ardoris: vel ratione tenebrositatis: ratione ardoris dicuntur esse illi, qui actualiter peccant: ratione tenebrositatis, qui carent visione Dei, & damnati sunt.

Aug. in lib. de fide ad Petrum ca. 27. to. 3.

Aug. in lib. de baptis. paruul. Matt. 25.

An peccandi necessitas originalis peccati pœna sit? §. 2.

¶ ADHVC quæritur de alia pœna originalis peccati in præsenti: de qua dicitur in Lib. de Natura & gratia. Quod ex vitiis naturæ, non ex conditione sit; quædam peccandi necessitas, audiat homo ex Psal. *De necessitatibus meis erue me.* Vbi datur intelligi, quod necessitas peccandi est pœna originalis peccati: sed si necessitas peccandi est pœna; tunc peccat homo in eo, quod vitare non potest: quod est contra iustitiam. Vnde Aug. *Nulla ratio vel iustitia patitur dici peccatum, quod nullo modo vitari potest.*

Aug. in lib de nat. & grat.

Psal. 24.

Idem in lib de perfect. iustit.

¶ Item, super illud Psal. *Saluasti de necessitatibus animam meam.* Glo. *Necessitates sunt infinita, vt nescire cor alterius, suspicare non bene de amico fideli, vel bene de infideli, sequi veteres consuetudines.* Sed huiusmodi suspicari est peccatum: ergo necessitas est ad peccatum: eodem modo sequi veteres consuetudines.

Psal. 30. Glossa.

RESOLVTIO.

Peccandi necessitas, non quæ omnimoda ineuitabilitas, sed quæ ad malum pronitas dicitur, originalis peccati pœna est.

¶ AD quod dicendum, quod necessitas dicitur dupliciter, vel omnimoda ineuitabilitas, & hoc modo non est peccare necesse: vitari enim potest peccatum, si natura vitiata sanetur per gratiam Christi. Vel potest dici omnimoda ineuitabilitas, quãtum est ex parte nostra, circumscripta gratia: & sic est necessitas ad peccatum originale. Ad peccatum etiam veniale aliquod. Potest etiam dici necessitas ipsa pronitas: qua magis inclinatur ad malum, q̃ ad bonum: & hoc modo dicitur etiam esse necessitas, quantũ est ex corruptione originali, ad quæcunque peccata in genere.

¶ Cum ergo dicitur, quod nulla iustitia patitur dici peccatum, quod nullo modo vitari potest. Respondẽdum est: quod si intelligatur de peccato originali; verum est, quod nullus seminaliter descendẽs ab Adam, potest vitare, quantum est de se: sed potuit Adam vitasse: potuit enim conseruasse originalem iustitiam. Si vero ad paruulos referatur

propositio iam dicta, non est vera: & est propositio illa sumpta ab hæretico, per quam vult astruere originale peccatum non esse peccatum: & primos etiam motus non esse peccata: & sic non est vera. Si vero sanatetur natura per gratiam, inquantum sanatetur, intantũ posset vitari actuale peccatum. Cum autem dicitur, quod necessitas est peccandi: necessitas accipitur pro pronitate: & sic etiam dicitur necessitas suspicari non bene de amico fideli, & sequi veterem consuetudinem.

An nocturna pollutio pœna tantum, vel etiam culpa sit? §. 3.

¶ Adhuc etiam quæritur de alia pœna in præsenti, quæ est ex parte carnis, & quodammodo ex parte animæ; sicut ista iam dicta fuit ex parte animæ, & est in adultis ex parte virtutis generatiuæ, quæ dicitur pollutio; de qua quæritur, Vtrum sit tantum pœna: an etiam sit culpa? Et videtur, quod sit pœna tantum: eo quod cõtingit in dormiente: dormiens enim cum non habeat in somno vsum lib. arb. non potest peccare: ergo pollutio tantum dicitur esse pœna.

Bern. in lib. de lib. arb. ¶ Item, Bern. *Dormientibus & infantibus non imputatur, quicquid fecerint bonum vel malum.* Ergo pollutiones nocturnæ non imputantur nec in bonum, nec in malum.

Deut. 23. Aug. ist. Glo. ord. ¶ Item, super illud. *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somno &c.* Aug. In somnis non fit peccatũ: aut si hoc quis peccatum putat sc. pollutionem non arbitrans huiusmodi accidere nisi ex desiderio, ꝙ falsum est, nunquid & solita mẽsium peccata sunt fœminarũ? Sicut ergo fluxus mẽstruorũ nõ est peccatũ: ita nec pollutio nocturna erit pctm̃.

Isid. Lib. 3. de Summo bono ca. 6. ¶ Item, Isid. *Non est peccatum, quod nolentes nocturnis imaginibus illudimur.*

Idem. ¶ Contra, Isid. idem. *Tunc est peccatum illusio siue pollutio, si antequam illudamur, cogitationum affectibus præuenimur.*

Greg. sup. Leu. 23. ¶ Item, Greg. super Deut. 23. *Dignum est, vt qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societate arbitretur.* Sed hoc non deberet facere, nisi propter peccatũ: ergo pollutio sequens immunda cogitatione erit peccatũ.

Aug in lib. de anim. & spirit. ¶ Item, Aug. *Quadam sunt fortes impressiones dormientium: vt inter motum dormientium & veram commixtionem vigilantium nõ videatur esse differentia &c. mouetur caro, & sequitur anima motum carnis.* Si ergo non videtur esse differentia: & huiusmodi motus esset peccatum in vigilante: erit ergo peccatum in dormiente.

Leu. 15. ¶ Item, *Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit: & tunc iudicabitur huic vitio subiacere.* Ergo pollutio appellatur vitium, & ita peccatum.

RESOLVTIO.

Diuerso respectu & pœna, & culpa, & comes culpæ dicetur.

¶ Ad quod dicendum: quod pollutio, quæ est ex parte carnis, essentialiter non est culpa, sed est pœna culpæ in dormiente: nec in vigilante, cum inuoluntariæ* fit. Si vero vo[illegible]e, concomitatur culpam. Si autem quæratur de causa immediate antecedente ipsam pollutionem carnis, distinguendum est secundum Gregor. aut fit ex infirmitate vel debilitate: aut ex superfluitate seminis siue nutrimenti, non tamen scienter assumpti: & tunc nec quantum ad se, nec quantum ad pœnam est peccatum, sed pœna. Si vero fuerit ex crapula, vel illusione, vel ex immunda cogitatione, ratione crapulæ vel immundæ cogitationis progredientis ad consensum vel delectationem, dicetur ipsa causa peccatum: & ratione causæ dicetur esse peccatum: quia ex peccato, non quia in se sit peccatum. Si vero ex illusione, nisi adsit aliquis motus lib. arb. non est peccatum.

* Alias, [illegible] vel [illegible]

Gregor. ¶ Attendendum est etiam: quod est quædam pollutio, quæ omnino fit in somno: est alia q̃ fit & inchoatur in somno, sed cõsummatur in vigilãte: est alia, q̃ est omnino in vigilante. Si ergo pollutio est in dormiente, & non est ex culpa, non dicetur esse peccatũ secundum se, nec ratione radicis: sed tantum pœna. Si a. est in vigilante omnino, & egreditur à voluntate, potest dici peccatum, vel concomitans ipsum. Si autem consummatur in vigilante, & initiatur in dormiente: potest esse cum peccato, vel sine peccato. Nam si ex delectatione libidinosa lib. arb. cui placet, consumetur: tunc est peccatum, vel cum peccato. Si autem non ex hac radice procedit, non videtur dici peccatum.

¶ Ad obiecta autem respondendum: quod cum dicitur pollutio peccatũ, cum homo punitur immũda cogitatione. Dicendũ est, ꝙ hoc intelligitur rõne causæ siue radicis.

¶ Ad illud vero, quod dicit B. Greg. Dicendum: quod aliud est loqui de ipsa immunda cogitatione perducente ad consensum: & aliud est loqui de ipsa pollutione. Immunda enim cogitatio perducens ad consensum reddit indignum societate fidelium: priuat enim charitate seu gratia. Si vero fuerit immunda cogitatio, de qua nescitur, vtrũ perducat ad consensum; reputet se indignum: pollutio aũt ipsa sequens in carne non propter hoc est peccatum, sed sequela peccati.

¶ Ad illud vero, quod dicit Aug. Dicendum, quod licet videatur esse indifferentia inter motum dormientium & commixtionem vigilantium, quantum ad apparitionem imaginatiuæ: tamen est differentia. In commixtione enim potest esse peccatum, & est, nisi excusetur per matrimonium: in commixtione vero imaginatiua, sicut est in somno, non est in se peccatum: licet procedere possit ex peccato. Aug. in lib de anim. & spirit.

¶ Ad illud vero, quod dicitur Leu. 15. quod vitium ibi accipitur pro pœna, non pro culpa: secundum quod vitium ad quandam corruptionem naturæ pertinet. Sic ergo pollutio licet non sit peccatum in dormiente; signum tamen est culpæ aliquando: & licet non proueniat ex immũda cogitatione; tamen (sicut dicit Isido.) flendum est: dicit enim. Qui nocturna polluit illusione, quamuis extra memoriam turpium cogitationum sese sentiat inquinatum; tamen hoc, vt tentaretur, suæ culpæ tribuat, suamque immunditiam fletibus tergat. Quia (sicut dicit Greg.) *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est:* hæc autem agnitio est pœna: dicit enim Iob 9. *Si iustus fuero, ignorabit hoc ipsum anima mea.* Isidor. Gregor. Iob 9.

An consensus, siue complacentia de pollutione præcedenti inculpabili, illam eandem culpabilem reddat. Aut si huiusmodi consensus, complacentiaue in se culpabilis sit? §. 4.

¶ Qværitvr postea: aliquis pollutus est in somno; postmodum excitatur, placet quod sic sibi accidit: quæritur ergo, vtrum per placentiam pollutionis præcedentis possit fieri præcedens peccatum? Quod non, videtur: ante enim quam esset placentia, iam erat completa pollutio: & erat pœnalis tantum: sed quod iam totaliter est completũ, per aduentum subsequentis non transmutatur de specie in speciem: ergo siue veniat placentia postmodum, siue non; non fiet illa pollutio de pœnali tantum, culpabilis.

¶ Quæritur etiam: si alicui placeat, quod sic sibi accidit: vtrum illa placentia, siue consensus sit peccatum, vel non. Et quod peccatum sit, videtur: constat enim quod illa pollutio quidam motus erat inordinatus in ipso polluto: tale autem placere non debuit: sed placentia eius, quod placere non debuit, magis mala est: quare non videbitur peccatum esse consensus ille?

¶ Sed cõtra, consensus siue placentia non dicitur bona vel mala, nisi ex parte eius, super quod transit: vnde si consentimus bono, faciendo eis modis, quibus debet fieri, bonus est consensus: si autem malo, malus est. Ergo si pollutio illa carnis, quæ præcessit aut fuit indifferens quoddam; aut bonum, quia pœnale fuit, pœnale a. secundum quod huiusmodi, bonum est patienti animæ: videtur quod placentia illa super pollutionem præteritam nullo modo fuerit mala; & ita neque peccatum.

¶ Preterea, ex aliqua causa bona potest esse, ꝙ placeat illi, ꝙ fuerit pollutus: sicut forte placet illi, qui prius sentiebat se grauatum, nunc a. sentit se exoneratum. Si ergo hæc non sunt nisi bona, quare erit illa placentia mala?

RESOLVTIO.

Sequens complacentia nullatenus præcedentem pollutionem inculpabilẽ culpabilemue reddere potest. In se autem istbac eadem complacentia diuersa ratione & culpabilis, & inculpabilis affirmari potest.

¶ Solvtio. Ad primum dicimus: quod secus est de consen-

consensu praecedente actum; & de eo, qui sequitur. Consensus enim praecedens causa est actus, qui ex ipso cõsequitur: & ideo & bonitatem & malitiam eandem vel consequentem possunt sortiri actus, & consensus ille, siue placentia. Sed consensus, qui sequitur actum; cum iam omnino actus ille perfectus sit, antequam placentia illa veniat; non est causa illius actus: & ideo ille actus, siue bonus siue malus sit, actui praecedenti non imponit malitiam vel bonitatem. Vnde concedimus bene, quod ex consensu illo non fit pollutio praecedens peccatum: sicut obiiciebatur.

¶ Ad illud autem, quo quaeritur, vtrum consensus respectu iam facti, peccatum sit. Dicimus, quod potest esse sic, vel aliter. Si enim fuerit pollutio ex debilitate naturae vel infirmitate: & postmodum ei, cui acciderit, excitato placeat propter hoc, quod melius seruiet Deo; non credimus talem consensum esse peccatum. Si etiam placeat propter exonerationem naturae tantum, vtpote quia prius erat grauatus, modo sentit se alleuiatum (& dico tantum, vt nullam velit ibi delectationem esse) adhuc non credimus hoc esse peccatum. Si autem excitato placeat, non sicut dictum est, sed placeat ei delectatio in vigilando, quam habebat aliquo modo sensualitas in dormiendo: dum consummatur pollutio in vigilia, quae inchoata fuerat in somno; sicut accidit, cum aliquis in polluendo excitatur, prius dormiens: tunc potest esse peccatum. Et hoc secundũ duos modos: aut enim cum excitatur quis, & habet placentiam circa huiusmodi delectationem, quae orta fuerat dormiendo; est motus quasi subitus vel repentinus tantum: ita quod non ex deliberatione consentit delectationi illi: & si deliberaret, non consentiret: & sic est veniale peccatum ratione consummationis factae in vigilia. Aut mouetur nõ solum repente, sed etiam consentit delectationi, quae obrepserat in somno: quod etiam placeret sibi habere vas debitum receptionis talis materiae, in quod refunderet illam; & hoc ex deliberatione: tunc tale quamuis initiatum sit dormiendo; fit tamen mortale peccatum per huiusmodi consummationem in vigilia. Vnde Matt. 5. Non solum dicitur peccatum moechari exterius, nec solum concupiscere: sed etiam videre ad concupiscendum, etiam mortale: & ita cum hic sit plusquam videre ad concupiscendum, ex consensu facto in vigilia erit huiusmodi mortale. Vnde is erit ordo: vt in somno secundum quod huiusmodi nullum sit peccatum; etiam si sit ibi aliqua sensualis delectatio. In vigilia autem si ibi consummetur pollutio, & sit placentia delectationis repentina solum, tunc veniale: si autem sit plenus consensus, tunc mortale. (Matth 5.)

¶ Et sic potest videri, quod supra promittebatur, videlicet quantum ad quid pollutio in somno potest fieri peccatum? vtpote quantum ad consummationem in vigilia, & quale.

¶ Ex his etiam, quae dicta sunt, potest videri quoddam, quod posset quaeri s. de comparatione illarum pollutionũ s. quae maior, & quae minor: hoc est, quae magis accedit vel recedit à peccato? Dicimus enim, quod minima est, quę fit ex infirmitate vel debilitate: postmodum illa, quae fit ex superfluitate nutrimenti, non scienter sumpti: deinde vero illa, quae est ex crapula. Sed tamen intelligẽdum est: quod ex crapula potuit esse dupliciter: aut enim fuit pollutio ex superfluitate nutrimenti sumpti ad crapulam; aut non solummodo ex illa, sed etiam libido, quae mouit ad crapulã; mouit quodammodo ad pollutionem, siue delectationem talem in sensualitate ex cogitatione, quam habebat delectatio gulae ad delectationem luxuriae: vt sicut venter & genitalia fuerunt proxima; ita delectatio secũdum haec & secundum illam: & tunc prior pollutio minor est, sequens autem maior: vnde in hac remota causa s. ipsa libido peccatum est. Vltima autem maior est, quae est ex turpi imaginatione, & specialiter quando est ab homine illa turpis imaginatio: non enim dicitur esse ex turpi imaginatione, quia sit status in ipsa imaginatiua, immo etiam transeat huiusmodi vsque ad rationem: & ideo tunc anima mota circa talia phantasmata, est tota causa huiusmodi pollutionis: quod non fuit in aliqua aliarum differentiarum: vnde haec est maior.

An in statu naturae institutae accidisset pollutio. §. 4.

¶ QVAERITVR postea, vtrum pollutio possit dici naturalis secundum naturam, in primo statu manentem? Et quod sic, videtur: aliae enim eiectiones superfluorum secundum vim expulsiuam naturaliter possent fieri in primo statu: vtpote per os, per nares, & huiusmodi: ergo si is fuit ordo, vt superfluum nutritiuae cederet in augmentatiuam: & superfluum augmentatiuae in generatiuam: & ita esset e vera, si istae operarentur successiue solum: ita quod tantum vna post alteram: & vltra generatiuam non est altera vis, ad quam cedat superfluum generatiuae: hoc solum relinquitur (vt videtur) etiam secundum naturam bene institutam, vt superfluum ipsius generatiuae naturaliter eiiciatur vi expulsiua: hoc autem fit per pollutionem: esset ergo pollutio naturalis in primo statu.

¶ Praeterea, illud idem, quod est recte ad generationẽ, dum effunditur in debitum vas: pollutio est extra debitum vas effusum. Sed etiam manente natura in primo statu, quod adhiberetur debitum vas, aut non; hoc erat accidentale: vnde possibile fuit, quod non adhiberetur: quare & possibile fuit pollutionem contingere, etiam secundum primum statum naturae.

¶ Sed contra: pollutio omnis habet delectationem orientem ex concupiscentia carnis contra spiritum: de qua ad Gal. 5. Sed omne, quod huiusmodi est, ex corruptione naturae primitus institutae est: non ergo erat possibilis pollutio secundum naturam primitus institutam. (Gal. 5.)

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum tunc nihil praeter naturae intentionem accidisset.

¶ Ad hoc dicimus secundum Aug. quod secundum naturam in primo statu omnia, quae erant in homine, ita erant inobedientia sui superioris, vnumquodque respectu alterius, vt tandem omnia regerentur, & obedirent imperio, & & intentioni supremi regentis, siue imperantis: vnde tunc nihil erat possibile accidere in corpore humano, quod nõ intenderet ratio: sed in primo statu nunquam vellet ratio nisi bonum, nec intenderet: vnde quantum ad omnia; quae spectabant ad vim generatiuam, nihil intenderet nisi generare prolẽ; & hoc ad cultũ Dei: haec a. videlicet prolis generatio nunquam fuit per pollutionem, cum desit debitum vas: & etiam quod plus est, si esset debitum vas, & esset generatio, non tamen ad cultum Dei; adhuc non esset hoc secundum naturam primitus institutam: cum ergo tunc nihil accideret praeter naturae intentionem; patet, quod non posset tunc pollutio accidere. (August.)

¶ Ex quo patet solutio ad secundum obiectum: manente enim natura in primo statu, nunquam effunderet extra vas debitum.

¶ Ad illud autem, quod primo obiicitur: quod aliae superfluitates possent eiici naturaliter. Dicimus, quod forte in primo statu nulla esset omnino superfluitas eiicienda in corpore humano: quod si est verum, tunc falsum supponebat ista ratio. Tamẽ supposito, ꝙ essent illae, & eiici possent; adhuc dicimus, ꝙ non esset simile hinc & inde: superfluitas enim seminis totaliter debebat esse ad generationem. Vnde etiam tunc nõ esset aliquod semen, quod non esset aptũ ad generationem: qualiter nunc accidit in multis hominibus, & mulierib. & sicut accidit* de ouis auium sine cõmixtione fotorum, ex quibus non potest produci animal. Si ergo tunc esset superfluitas seminis, ex quo non fieret generatio, superfluitas illa esset praeter intentionem naturae & rationis: quod non poterat esse, primo statu durante: & ideo nunquam potuit pollutio accidere nisi post naturae corruptionem, ex qua originaliter ortum habebat. (* Alias, de ouis venti in auibus.)

An generatiua vis excusabilior sit in actibus, magis quam caetera eiusmodi vires. §. 6.

¶ QVAERITVR postea. Inter oẽs peccantes, qui maxime excusabiles sunt, sunt qui peccant ex infirmitate; aut saltem si non maxime, excusari tamen deberent plusquam alii, qui non ex infirmitate: & quanto infirmiores, tanto excusabiliores his, qui minus. Si ergo inter omnes vires maxime corrupta est generatiua in homine; excusabilis videtur esse magis in excusatione actuum suorum, quam aliae:

ergo quod prodeat in actum suum, minus imputabitur ad peccatum circa ipsam, quam circa alias. Sed nutritiua & augmentatiua possunt prodire in actus suos absque peccatis: ergo & ipsa generatiua poterit. Cum ergo vnum operum suorum sit emittere superfluitatem per pollutionem: videtur quod pollutio poterit fieri in somno & in vigilia absque peccato.

RESOLVTIO.

Tametsi generatiua vis infirmior videatur reliquis eiusmodi viribus, quia vero sua infirmitas & pœnalis & vitiosa est, non magis illis excusabilis videtur.

¶ Ad quod dicimus: quod est quædam infirmitas, quæ est pœnalis tantum: & est alia, quæ est pœnalis & vitiosa. De illa, quæ est pœnalis tantum, verum est, quod quanto maior est, tanto excusabiliorem reddit illum, in quo est, si peccet ratione illius. Sed de illa, quæ pœnalis est, & vitiosa, non est verum: quod quanto maior est, tanto excusabilior reddatur infirmitas illorũ. Et hoc patet manifeste hoc exẽplo: aliquis existens in gratia peccat, peccans infirmatur: & ex illa impotentia occasionaliter cadit in aliud peccatũ: & ex illo infirmior est, & sic deinceps: tamẽ licet sit modo infirmior, non tamen excusabilior * qui peccat ex consuetudine, licet sit infirmior, quam qui semel peccauit tantum: ipsa n. infirmitas sua, vel ex quo infirmabatur, erat ex peccato ipso. Dicimus ergo, quod pœnalitas sine corruptio, quæ est in generatiua, non est pœnalis tantum: sed est pœnalitas vitiosa: vtpote quæ est causa originalis peccati in posteris. Fuit enim in ipsa duplex corruptio: vna in se, qua erat impotens resistere malo, & pronus ad peccatum: & hæc fuit corrupta, sicut & aliæ. Alia autem fuit, eo quod habebat corruptionem non solummodo in se, sed ad transfundendum in aliis: quod non habuit aliqua aliarum: & quantum ad hoc dicitur magis corrupta, vel infirmior quam aliæ.

* Alias, quia.

¶ Quod ergo dicitur; quod infirmior vis magis debet excusari: hoc intelligitur esse verum, quando ille excessus infirmitatis in ipsa infirmiori est in eodem genere, in quo fuit infirmitas aliarum: sic autem non fuit hic: maioritas enim infirmitatis, qua abundat generatiua à ceteris, non fuit in eodem genere, in quo fuit aliarum infirmitas: sicut visum est.

Obiectio. ¶ Sed adhuc obiicitur: abstracta illa corruptione, quæ est ipsius generatiuæ respectu transfusionis in aliquos, nũquid adhuc infirmior est in se, quã aliæ vires? Ad quod dicimus secundum primam distinctionem, quod & si infirmior sit: tamen infirmitas ista non solum est pœnalis, sed pœnalis & vitiosa: & reuera in tãtum infirma est, ita vt ipsa non possit exire in actum suum sine vitio (loquendo absolute) nisi excusetur vitium per aliquod bonum. Et ratio huius est, sicut iam dictum est superius de Originali peccato: quoniam cum natura tota peccasset in Adam peccante, debuit corrumpi actus ipsius naturę, non solummodo corruptione pœnali, sicut alii actus, qui erant naturales scilicet actus nutritiuæ & augmentatiuæ; sed corruptione vitiosa. Vnde propter hoc quod debita erat hæc vis naturæ specialius quam aliæ *natura communi dico* propter peccatum naturæ specialiter inflictum est huic potentiæ, & non alii, vt nõ posset exire in actum suum sine peccato, nisi excusaretur aliquo bono: quod non fuit in aliis viribus, quæ corruptæ fuerunt tantummodo corruptione pœnali, sed non vitiosa.

An nocturna pollutio à Sacramenti Eucharistiæ immolatione, vel sumptione impediat? §. 7.

¶ Vltimo quæritur de causalitate ipsius pollutionis, secundũ quod causa dicitur esse indignitatis ad Sacramentum Altaris. Videtur enim, quod non debeat accedere ad sacramentum huiusmodi, qui pollutus est nocte; per illud

1.Reg.21. quod dicitur 1. Reg.21. Dicitur enim, quod cum venisset Dauid ad Abimelech sacerdotem, & petisset panes propositionis, noluit Abimelech dare, nisi mundi essent pueri à mulieribus. Si ergo illud fuit figura sacramenti altaris à qua prohibebat immunditia corporalis: multo magis immũditia corporalis prohibet accessum ad veritatem ipsius sacramenti.

¶ Item, actus vxorius, qui & meritorie potest fieri, prohibet de congruo hominem accedere ad hoc sacramentũ: cuius ratio est: quia in hoc sacramento maxime debet homo esse conuersus ad spiritualitatem in percipiendo illud: in hoc autem actu maxime efficitur homo caro: valde ergo disconueniunt actus huiusmodi, & perceptio ipsius sacramenti. Multo magis ergo ipsa pollutio debet repellere à perceptione ista, cum non possit fieri meritorie: & sit ibi maior fœditas siue inquinatio, quam in actu vxorio.

¶ Sed contra hoc est autoritas Greg. in qua dicitur: quod illusio per crapulam facta à perceptione sacri mysterii prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterii (vt arbitror) abstinere debet humiliter.

¶ Sed videtur quod etiam debet abstinere à perceptione: dicitur n. super Deut. 23. vbi dicitur: quod debent ferri immunditiæ extra castra, redditur causa: quia Dominus in medio castrorũ ambulat. Si ergo hæc erat causa, cum multo magis Dominus in sacramento altaris possit dici esse in medio castrorum. (Est n. ibi ipsa diuinitas vere, & ipsa humanitas ratione corporis & animæ) nullo ergo modo debet accedere pollutus ad percipiendum. Ibi etiam dicit Glo. Aug. quod etiam corporalem munditiam diligit Deus. Deut. 23. Glossa August.

¶ Item, plus vnitur & incorporatur aliquis Christo in perceptione sacramenti altaris, quam in consecratione: potest enim existens in mortali consecrare, non tamen incorporari. Cum ergo maius sit illud, in quo sit incorporatio; debet abstinere a perceptione.

RESOLVTIO.

De congruo impedit, de iure non impedit, modo peccatum non fuerit.

¶ Ad quod responderi potest: quod dupliciter dicitur debitum: vel iustitiæ: vel congruitatis. Quantum est de debito iustitiæ, nõ prohibetur ille, qui pollutionẽ habuit per superfluitatem nutrimẽti assumpti à perceptione sacri mysterii: præcessit n. in præcedenti ipsa superflua sumptio: & potuit purgari per pœnitentiam: vnde remanet tantum pollutio sicut pœna. Quantum a. est de debito congruitatis, abstinere debet ab imolatione sacri mysterii, nisi fuerit maxima necessitas: vt si teneatur celebrare quotidie, nec habeat quem substituat: vel solennis fuerit dies, ita quod scandalum esset, si non celebraret.

¶ Primæ ergo duæ rationes intelligendæ sunt sic, vt si immundus fuerit à mulieribus, non accedat, eo quod indignus est propter peccatum: & tenetur abstinere, manente peccato. Non autem sic est de pollutione, quæ potest fieri sine peccato: si vero esset cum peccato, similiter abstinendũm est. Ad aliud dicendum: quod aliud est de actu vxorio, & de actu pollutionis. In actu enim vxorio, licet meritorie posset fieri, tamen de difficili fit sine peccato aliquo: eo quod immiscet se libido. Et ideo in partibus illis, vbi sacerdotes habent coniuges, sicut est in partibus Orientalibus: propter honestatem non accedebant ad ministrandum cum cognouissent vxores. Pollutio autem sine peccato potest fieri: & licet causata sit fœditas in carne, non tamen in anima.

¶ Ad tertium vero obiectum dicendum est: quod illud Deut. 23. in figura intelligebatur. Vnde qui habent immũditiam spiritualem mortalẽ quæ vere est immunditia; non accedant ad perceptionem sacramenti: quia Dominus est in medio castrorum: cuius sunt oculi mundi, & ad iniquitatem respicere non potest: sicut dicitur Abac. 1. Si vero fiat sermo de corporali munditia, illam etiam diligit Deus: vnde nullatenus facienda est in castris: castra autem spiritualia sunt ipsæ ecclesiæ: vnde non conuenit ministris ecclesiæ iacere intra ecclesias dedicatas propter immunditias corporales, quæ eis accidunt: si aliter fieri possit. Abac. 1.

¶ Ad vltimum vero dicendum: quod aliud est de perceptione, & aliud de consecratione: consecrare n. sacerdotũ est: percipere vero est clericorum & laicorum; consecrans etiam ordinat se ad percipiendum, & non econuerso: ideo maior dicitur actus: multa autem repellunt à maiori, quæ non repellunt à minori. Vnde multa sunt illicita sacerdotibus, quæ licita sunt populo: & licet incorporetur aliquis Christo in perceptione digna sacramenti altaris,

pollu-

pollutio pœnalis tantum non omnino reddit indignum. Vnde distinguendum est: quod quædam est pœnalis tantum in se, & in origine sua: quædam vero est pœnalis & vitiosa ratione originis. Cum autem est vitiosa ratione originis, aliquando comitatur peccatum, aliquando antecedit: cum concomitatur, de congruo videtur esse abstinendum; quousque fiat purgatio à vitio, vel per contritionem, vel etiam per confessionem: si vero veniale peccatum fuerit concomitans, & necessitas emineat celebrandi, nec sit, cui confiteatur, ipsa necessitas excusat.

QVÆST. CVI.

De peccato actuali in communi.

In duo Membra diuisa.

D.Tho. 1. 2. q 88 S. ho. in 2. di. 41. art. 2. Sco in eod 2. à di. 34. & deinceps sparsim.

COMPLETO Tractatu de originali peccato: adiuuante Domino transeundum est ad considerationem actualis peccati: in quo persona corrumpit personam. Primo ergo videndum est de diffinitionibus actualis peccati. Secundo, de diuisionibus. Postea suo loco de speciebus in Quæstionibus sequentibus.

MEMBRVM I.

Quid sit peccatum actuale.

Aug. in lib. de vera religione. Item in lib. de lib. arb. Ambrof. Aug. in lib. de vera religione. Mag. in 2. sent. d. st. 31. Aug. in lib. de lib. arb. Item Ans. in lib. de conc. virg.

CVM autem plures sint diffinitiones, quæ datæ sunt à Sanctis de actuali peccato; quasdam tangemus, quæ principaliter congruunt præsenti Tractatui. Dicit enim Augu. *peccatum est conuersio voluntatis indebita ad commutabile bonum.*

¶ Item, in Lib. de lib. arb. *Peccatum est, spreto incommutabili bono, adhærere commutabili bono.*

¶ Item, Amb. habetur in 2. Senten. d. 30. *Peccatum est præuaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia mandatorum.*

¶ Item Aug. *Peccatum est appetere, quod Christus contempsit: vel fugere, quæ Christus sustinuit.*

¶ Item, in 2. Senten. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.*

¶ Item Aug. *Peccatum est affectio mala voluntaria.*

¶ Item, Aug. *Peccatum est actus incidens ex defectu boni.*

¶ Item, Ans. *Peccatum est carentia debitæ iustitiæ ex propria voluntate procedens.* Sic enim diuiditur actuale peccatum contra originale: originale enim peccatum est carentia debitæ iustitiæ, aliunde contractum.

RESOLVTIO.

Peccatum actuale iuxta diuersas rationes, diuersas sortitur definitiones, tum maxime octo.

¶ Cum ergo tot sint diffinitiones peccati, sic possunt inter se distingui secundum comparationem ad causas diuersas, vel quæ sunt peccati, vel sui oppositi: peccatum enim in priuatione consistit. Diffinitur autem peccatum actuale penes materiam multipliciter. Est enim materia in qua, & est materia circa quam, & est materia ex qua. Materia in qua determinatur, cum dicitur, *Peccatum est affectio voluntaria*: affectio enim voluntaria est id, in quo fundatur primo peccatum actuale. Materia vero circa quam notatur, cum dicitur: *Peccatum est dictum vel factum &c.* circa enim hoc conuenit esse peccatum. Materia vero ex qua notatur, cum dicitur: *Peccatum est actus incidens ex defectu boni.* Nam cũ dicitur *ex defectu boni* notari potest defectus potentiæ, vel scientiæ, vel bonitatis: prout dicitur peccatum aliud est ex infirmitate &c. Diffinitur etiam peccatum penes formam suam s. priuationem, cum dicitur: *Peccatum est carentia debitæ iustitiæ &c.* & adiungitur causa propria efficiens, cum dicitur *ex propria voluntate &c.* Diffinitur etiam respectu causæ finalis, siue respectu finis ipsius peccati, cum dicitur: *Peccatum est conuersio voluntatis indebita ad commutabile bonum.* Diffinitur etiam respectu causæ finalis, à qua deficit, cum dicitur: *Peccatum est auersio ab incommutabili bono, siue spreto incommutabili bono &c.* Diffinitur etiam respectu efficientis, à quo deficit, cum dicitur: *Peccatum est priuatio legis &c.* Diffinitur etiam respectu exemplaris, à quo deficit, cum dicitur: *Peccatum est appetere, quæ Christus contempsit &c.* Sic ergo potest diffiniri & per causas proprias, & per defectus causarum ipsius boni. Quædam autem diffinitiones sunt communes veniali peccato, & mortali: *vt peccatum est affectio mala & voluntaria*: & *Peccatum est actus incidens ex defectu boni*: & *Peccatum est conuersio voluntatis indebita ad commutabile bonum.* Quædam vero sunt propriæ actualis mortalis, vt, *Peccatum est præuaricatio legis diuinæ*: &, *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*: &, *Peccatum est appetere &c.* tamen & illa posset esse venialis peccati: &, *Peccatum est carentia debitæ iustitiæ*: quæ conuenit actuali mortali: secundum quod debita iustitia dicitur esse in persona secundum se: nam si referatur ad actum tantum, potest dici quod veniale peccatum est carentia debitæ iustitiæ.

¶ POTEST tamen obiici de illa diffinitione. *Peccatum est conuersio &c.* Indebitum enim dicitur, quod est contrarium debito: sed veniale peccatum non est conuersio ad mutabile bonum contraria debito (potest enim simul stare veniale peccatum cum virtute, vel gratia) ergo non est illa diffinitio communis peccati actualis venialis, & mortalis.

¶ Ad quod dicendum: quod indebitum potest dupliciter dici: vel defectum à debito aliquo: vel contrarium vniuersaliter. Si primo modo, sic potest conuenire veniali peccato: qui enim venialiter peccat in locutione, illo actu deficit à rectitudine locutionis: nihilominus tamen potest habere Modestiam, virtutem: secundum quam potest elicere alios actus rectos.

¶ CONTRA secundam diffinitionem obiicitur: *Peccatum est, spreto incommutabili bono &c.* Potest quæri cum idem sit peccatum & malum, vtrum ex eadem ratione dicatur malum & peccatum: vel malum quantum ad auersionem siue contemptum, peccatum vero quantum ad conuersionem? Et videtur quod sic. Peccatum enim trahitur in species ex parte conuersionis: ex illa vero parte debet accipi genus, ex qua parte species: ergo ex parte conuersionis habet esse in genere.

¶ Item, nullus vult malum: sed aliquis vult conuerti ad mutabile bonum: sed nullus vult auerti à summo bono: ergo malum non est secundum suam rationem in conuersione, sed in auersione.

¶ Contra, videtur quod peccatum magis determinetur in auersione: peccatum enim commune est originali & actuali: sed conuersio non est commune vtrique (auersio enim passiue dicta commune est vtrique) ergo peccatum consistit in auersione.

¶ Præterea conuersio ad mutabile bonum non dicit de se malum: peccatum vero dicit de se malum: ergo peccatum magis determinatur in conuersione.

¶ Similiter videtur, quod malum cõmuniter se habeat ad auersionem & conuersionem, per hoc quod dicitur. *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ* (ecce auersio) *& foderunt sibi cisternas dissipatas* (ecce conuersio) & vtrumque est malum: ergo malum consistit in conuersione. Ierem. 2.

¶ Item, peccatum veniale consistit in conuersione, & non in auersione, siue contemptu: & peccatum veniale est malum: ergo malum consistit in conuersione.

¶ Præterea, quæritur, vtrum auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile sint vnus motus, aut diuersi? Et videtur quod sic, per hoc quod dictum est ex Ierem. *Duo mala fecerunt populus meus &c.* sed duplex malitia non fundatur, nisi super duplicem motum: ergo conuersio & auersio sunt duo motus. Ibidem.

¶ Contra, recessus ab vno termino, & accessus ad alterum terminum, non dicunt duos motus: idem enim motus est, quo receditur à sancto Dion. & itur Parisios. Cum ergo contemptus siue auersio sit recessus à Deo, conuersio vero sit accessus ipsius voluntatis ad creaturam: erunt conuersio & auersio idem motus: cum sic referuntur ad duos terminos.

¶ Præterea, vno & eodem actu s. actu mortalis peccati fit conuersio ab incommutabili bono, & conuersio ad commutabile: ergo sunt vnus motus.

¶ Ad quod dicendum: quod licet peccatum & malum respi-

respiciant vtrumque : tamen peccatum actuale respicit plus à parte conuersionis indebitæ : malum vero plus ex parte auersionis.

¶ Ad obiectum autem dicendum : quod licet peccato actuali & originali sit commune auersio: non propter hoc peccatum actuale inquantum actuale cõsistit plus in auersione:sed inquantum est mortale : hic autem loquimur de peccato actuali in quantum actuali.

¶ Præterea, sicut peccatum actuale duo dicitur habere in se sc. carentiam & cõcupiscentiam: ita peccatum actuale mortale auersionem & conuersionem.

¶ Ad secundum vero dicendum : quod licet conuersio communiter dicta non dicat de se malum : conuersio tamen prout est in ratione peccati, dicit conuersionem indebitam; & sic est malum & peccatum.

¶ Ad illud vero, quo quæritur, vtrum conuersio & auersio sint idem motus, vel idem malum. Dicendum est; quod cum dicitur Ierem. 2. *Duo mala &c.* intelligendum est sic, vt delictum & commissum sint duo mala. Quidam enim potest derelinquere Deum, & non conuerti ad idola, & est vnum peccatum & vnum malum : quidam vero conuertuntur ad idola: & ita addunt malum malo. Si vero vnico actu vtrumq; fieret ; non dicerẽtur duo mala ratione duorum subiacentium, sed duplex malum ratione diuersorum terminorum ; & hoc modo est in peccato actuali mortali. Vnde vnicus est motus, sed ille motus ex comparatione ad diuersos terminos diuersam respicit denominationem, vt dicatur recessus & accessus.

Ierem. 2.

¶ CONTRA tertiam diffinitionem obiicitur : videtur quod non conuenienter sit assignata; idem n. videtur designari per præuaricationẽ legis, & per inobedientiam mandatorum, quicunque n. præuaricatur contra legem, inobediens est respectu mandatorum, & econuerso.

¶ Item, dicit Aug. *Quædam sunt prohibita, quia mala; quædam vero mala, quia prohibita.* Fiat ergo sermo de malo ante prohibitionem, in tali non est præuaricatio legis, nec inobedientia mandatorum, & in perpetratione illius fit peccatum; ergo non est vniuersalis diffinitio peccati, Peccatum est præuaricatio &c.

Aug. super Leu. t. 1.

¶ Item, potest sic argui; contrarium non conuertitur cum contrario , ergo propositum non conuertitur cum proposito: sed obedientia non conuertitur cum virtute; ergo inobedientia non conuertitur cum peccato.

¶ Ad quod dicendum, quod illa duo posita in diffinitione peccati secundum Ambr. sic distinguuntur ; quemadmodum distinguuntur lex & mandata. Cum enim præcipitur, tunc est mandatum ; cum autem statuitur, tunc est lex, aliud autem est iuberi, & statui, ideo differt præuaricatio legis, & inobedientia mandatorum. Vel aliter, vt lex dicatur in declinatione à malo, & secundum quod lex dicitur in declinandis malis, sancta præceptio, mandatum vero pertineat ad illam partem iustitiæ, quæ est in faciendo bonum : & sic distinguantur præuaricatio, & inobedientia, prout ad ista referuntur.

¶ Ad secundum dicendum, quod illud, quod dicit Aug. intelligitur de expresse prohibitis. Quædam enim quia expresse sunt prohibita, mala sunt ; quæ secundum se essent differentia, alia vero quia sunt mala, sunt expresse prohibita. Hic autem secundum quod accipitur hæc diffinitio, intelligitur lex communiter ad legem naturæ, & ad legem scriptam, vtraque enim est lex diuina , & hoc modo nullum est peccatum, quod in aliqua lege prohibeatur.

¶ Ad tertium dicendum : quod licet obedientia non conuertatur cum virtute : inobedientia tamen potest esse concomitans omne peccatum. Sed inobedientia accipitur dupliciter: vno modo cum aliquis non facit quod præcipitur: vel facit quod prohibetur: & hoc modo concomitatur peccatum. Alio vero modo accipitur inobedientia, cũ non facit illud , quod præcipitur , respiciendo ad præceptum: vel cum facit id , quod prohibetur ; respiciendo ad prohibitionem.

¶ CIRCA quartam diffinitionem obiicitur sic: sicut dicit Augustin. *Libido est radix omnium malorum , & causa*: libido autem est amor indebitus : ergo omne peccatum est in appetitu : superfluum ergo fuit ponere alterum membrorum , quod consistit in fuga.

Aug. in lib. de lib. arb.

¶ Item, fugere quæ Christus sustinuit, est timoris : appetere quæ Christus contempsit, est cupiditatis. Sed non omne peccatum est cupiditas vel timor (sicut fornicatio, quæ diuiditur contra cupiditatem) ergo non est hæc diffinitio vniuersaliter conueniens omni peccato.

¶ Contra, fuga dicitur esse tristium, appetitus delectabilium : delectabile autem & triste circumeunt motum in voluntatibus : ergo omnis voluntas est in appetitu vel fuga : peccatum autem est voluntas vel non sine voluntate: ergo omne peccatum comprehenditur sub aliquo istorũ membrorum: appetere quæ Christus contempsit, vel fugere quæ sustinuit.

¶ Quod est concedendum.

¶ Dicendum est igitur ad primum obiectum : quod licet omne peccatum reducatur ad libidinem tanquam ad radicem & causam : libido autem principaliter fit in amore indebito, siue in appetitu indebito: nihilominus quoddam peccatum est in amore male accendente , quoddam ex amore male humiliante : & secundum hoc accipitur hæc diffinitio: libido enim accipitur communiter, vbi vult quod non est volendum , vel vbi respuit quod volendum est. Ad secundum vero dicendum : quod licet non omne peccatum sit cupiditas, aut timor, secundum quod proprie accipiuntur : tamen secundum quod cupiditas & timor large accipiuntur ; omne peccatum ex his oritur causis.

¶ CONTRA quintam diffinitionem obiicitur : dicit Aug. *Nullum peccatum est , quod non concupiscendo committitur.* Ergo omne peccatum est concupitum : ergo alia duo superfluunt s. dictum, vel factum.

Aug. in lib. de spir. & litera.

¶ Item, non existente dicto, vel facto, vel cõcupito, remanet peccatum in anima : actus enim transit, & macula remanet: ergo non omne peccatum est dictum &c.

¶ Item, quæritur, si conueniat peccato veniali. Et videtur per hoc quod dicitur. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*: & loquitur ibi de concupiscentia veniali : concupiscentia ergo venialis cadit sub prohibitione legis: ergo peccatum veniale est dictum, vel factum, vel cõcupitum contra legem Dei : ergo hæc diffinitio conuenit veniali peccato.

Rom. 7.

¶ Item, ad idem : ex lege percipitur & cognoscitur, quod concupiscere non debemus : & quod primus motus malus est: sed quod percipitur ex lege, cadit aut sub ratione mandatorum, aut promissionum , aut prohibitionum, aut comminationum. Sed concupiscentia non cadit sub mandatis, quoniam mandata sunt de bono faciendo : nec sub promissis , quia promissa sunt de bono futuro habendo : nec sub comminationibus , quoniam comminationes sunt de malo pœnæ vitando : ergo sub prohibitionibus legis cadit peccatum veniale : ergo est contra legem Dei.

¶ Ad idem: eadem est ratio circuli maioris & minoris: ergo similiter eadem erit ratio iustitiæ maioris & minoris. Sed veniale peccatum fit contra minorem iustitiam, quoniam peccãs venialiter non reddit Deo honorem debitum, licet ipsum non dehonoret : peccatum autem mortale fit contra maiorem iustitiam, quia peccans mortaliter inquãtum huiusmodi, Deum dehonorat : si ergo eadem fit ratio maioris iustitiæ, & minoris, erit peccatum veniale contra Dei iustitiam; sicut & mortale: sed omne , quod fit contra Dei iustitiam, fit contra legem Dei : ergo peccatum veniale fit contra legem Dei.

¶ Ad quod dicendum : quod hæc diffinitio conuenit tantum actuali mortali peccato.

¶ Ad obiectum autem primo dicendum: quod licet omne peccatum concupiendo committatur , tanquam ex prima radice : nihilominus tamen diuidendo peccatum per materiam circa quam, erit quoddam peccatum dictum, quoddam factum, quoddam concupitum.

¶ Ad secundum vero dicendum : quod peccatum diffinitur hic , prout est actus: actus enim aliquo istorum modorum perpetratur. Peccatum enim aut est cordis, aut oris, aut operis. Peccatum autem, prout est macula siue habitus in anima, secundum quod dicit Aug. Peccatũ est mala qualitas

Aug. in lib. de nat. & g. ar.

litas mentis: sic remanet transeunte actu: & hoc modo non diffinitur hic: nisi intelligatur sic: peccatum actuale mortale, aut fit mediante dicto, aut facto, & sic de aliis.

¶ Ad tertium dicendum: quod esse contra legem Dei, proprie dicitur de actuali mortali: illud enim est, quod secundum se prohibetur; veniale autem non prohibetur secundum se, sed ne ducat ad mortale per contemptum. Vnde cum dicitur, *Non concupisces*: sensus est, concupiscentiam non deduces ad consensum rationis. Quædam ergo sunt directe contra legem Dei, quæ sunt simpliciter prohibita: quædam vero indirecte: & hæc non sunt simpliciter prohibita; sicut est concupiscentia venialis; de qua dicitur. *Post concupiscentias tuas non eas & à voluntate tua auertere: si enim præstas concupiscentias animæ tuæ; in gaudium facient te inimicis tuis.*

Deut. 5. & sæpius.

Eccles. 18.

¶ Ad quartum vero dicendum: quod quicquid præcipitur ex lege; directe cadit sub aliquo istorum quatuor: primus vero motus concupiscentiæ implicite cadit in his, quę sunt legis: & ideo non oportet quod sit mandatum, aut promissum, aut prohibitio, aut comminatio: sed quod ad aliquod istorum ordinetur.

¶ Ad quintum dicendum: quod licet actus venialis secundum se non sit ordinatus ad Deum: non tamen peccans venialiter iustitia priuatur, sicut peccans mortaliter. Et hoc est: quia actus venialis peccati non deformat subiectum, siue personam: licet deformet actum: & ideo non dicitur esse contra legem Dei. Et si objiciatur, quod peccatum veniale ponit communem defectum in subiecto mediante actu: hoc non est quod ponat defectum summi boni; sed alicuius boni inferioris.

¶ Ad illud vero, quod objicitur: quod eadem est ratio maioris iustitiæ & minoris. Dicendum, quod hoc verum est, cum ex eadem parte accipitur iustitia: peccatum autem veniale non ponit defectum in persona respectu rectitudinis, quæ est à Deo, nisi quo ad illum actum, sed non simpliciter: sed ponit defectum rectitudinis, vel quo ad bonum interius, vel quo ad bonum exterius in parte, & non in toto.

¶ Circa sextam diffinitionem sic quæritur: dicitur enim quod *peccatum est affectio voluntaria mala*: potest ergo objici de eo quod dicit *peccatum est affectio*. Videtur enim quod peccatum sit non res, per hoc quod dicit Augustinus. *Peccatum dicimus non esse substantiam*: sicut abstinere à cibo, non est substantia: & sicut dicitur, quod claudicatio est nō res. Sed affectio est res: ergo peccatum non est affectio.

Aug. in li. de natura & gratia. Idē in eod.

¶ Item, Augustinus, *Peccatum est actus perperam facti.* Sed actus diuiditur contra affectionem: ergo peccatum non est affectio.

¶ Item habitus & affectio diuiduntur ex opposito: peccatum autem in anima est habitus malus: ergo peccatum non est affectio.

¶ Præterea, adduntur duæ differentiæ, scil. quod est voluntaria, & mala: potest quæri, à quibus oppositis separant illæ differentiæ?

¶ Ad quod dicendum, quod peccatum est affectio.

¶ Ad hoc autem, quod objicitur: quod peccatum est nō res: intelligitur ratione defectus, qui adiungitur affectioni; & ratione illius comparatur claudicationi & aliis defectibus.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod illud, quod peccatum dicitur esse actus, non repugnat ei, quod dr̄ peccatū esse affectio: actus enim large sumitur pro actu interiori vel exteriori: & sicut actus diuiditur contra substantiam; ita affectio contra naturam. Vnde Aug. *Non peccatum, nec suppliciū peccati naturæ quædam sunt; sed affectiones naturarum.* Peccatum aūt est turpis affectio voluntaria, cui propterea pęnalis adhibetur, vt ordinet eam: nisi talem esse non turpe sit, & decori vniuersitatis congruat, vt peccati dedecus emundet pœna peccati.

Aug. in li. de lib. arb.

¶ Ad tertium dicendum: quod affectio aliquando sumitur pro passione in genere qualitatis: aliqñ vero communiter sumitur pro eo, quod est in vi affectiua. Affectio aūt, prout dicitur esse in genere, diuiditur cōtra dispositionem & habitum: prout aūt dr̄ illud, quod est in vi affectiua per modum dispositionis, vel habitus: secundum hoc non diuiditur contra habitum: & sic est peccatum affectio.

¶ Ad vltimum dicendum: quod duæ ponuntur differentiæ super genus affectionis, siue super affectionem, tanquā materiam in qua: quarum vna, sc. hæc differentia *voluntaria* segregat ab affectione pœnali: hæc autem differentia *mala* segregat ab affectione voluntaria bona, quæ est in actu virtutis.

¶ Contra septimam diffinitionem, quæ est. *Peccatum est actus incidens ex defectu boni*: potest objici ratione eius, quod dicitur, quod peccatum dr̄ actus incidens. Cum enim ille, qui peccat, intendat illum actum; nō videtur esse incidens, incidens enim dr̄ casuale vel fortuitum: quod non est à voluntate, vel natura.

¶ Item, cum dicitur *ex defectu boni* potest quæri, quod sit illud bonum? Vr̄ enim quod sit illud bonum, quod opponitur peccato: peccatū enim est priuatio boni: sed secundū hoc potest dici ipse defectus boni: & non proprie actus incidens ex defectu boni.

¶ Ad quod dicendum: quod peccatum dr̄ actus incidēs, non quia casualiter incidat: sed quia non ex necessitate, sed contingenter prouenit ex voluntate: in voluntate enim est peccare, vel non peccare.

¶ Ad secundum dicendum: quod defectus boni dr̄ dupliciter: vel vt notet causam ipsius actus contingentis ex voluntate. (Voluntas enim aliquando ex infirmitate, aliquando ex certa malitia peccat.) Vel potest defectus boni dicere priuationem quandam boni, quod est virtus: & secundum hoc hęc præpositio *ex* non notat causam materialem, sed causam formalem: vt sit sensus: peccatum est actus deformatus.

¶ Vltimo de illa diffinitione. *Peccatum est carentia debitæ iustitiæ &c.* Potest enim quæri, quid dicatur iustitia? Sicut enim peccatum est carentia iustitiæ: ita est carentia alterius virtutis: & ita vr̄, quod non vniuersaliter diffiniatur.

¶ Præterea quæritur, vtrum conueniat veniali peccato? Qui enim venialiter peccat, potest adhuc manere iustus: ergo peccatum, prout est commune mortali & veniali, non est carentia debitæ iustitiæ.

¶ Præterea, quod additur *ex proprio arbitrio procedens* non facit differentiam respectu alicuius: omne omne peccatum ex lib. arb. procedit.

¶ Ad quod dicendum: quod iustitia non accipitur ibi proprie, pro vna virtute: sed communiter pro rectitudine voluntatis: quæ attenditur secundum quamcunq; virtutē.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod peccatum veniale non priuat personam à iustitia vniuersaliter, sed à rectitudine secundum illum actum: vnde est proprie diffinitio peccati actualis mortalis.

¶ Ad tertium dicendum: quod hoc quod dicitur *ex proprio arbitrio procedens* distinguit actuale mortale à mortali originali: originale enim etsi sit ex lib. arb. proprio ipsorum parentum: non tñ est ex proprio arbitrio paruulorum, qui contrahunt peccatum originale ex primis parentibus.

¶ Occasione prædictorum quæritur: cum peccatum actuale pluribus nominibus nominetur: quomodo differāt rationes inter se: dr̄ enim peccatum macula, vitium, crimē, culpa, scelus, nefas.

¶ Ad quod dicendum: quod macula dicit deformitatē partis superioris, vel inferioris animæ: & ita ponit defectū gratiæ. Vitium vero ponit defectum boni naturæ. Peccatū vero dicit conuersionem ad apparens bonum, quod nō est bonum. Crimen vero & culpa respiciunt ad exterius: crimē n. est peccatum accusatione dignum: culpa vero est pœnæ obligatorium. Scelus vero & nefas aggrauationem dicunt super peccatum: vt scelus dicatur, quod specialiter est in iniuriam Dei, cum maxime scil. Deus offenditur: nefas vero est, cum maxime illicitum est personæ: fas enim idem est, quod licitum. Scelus ergo respicit Deum, quem offendit: nefas vero personam, quæ maxime delinquit.

¶ Adhuc etiam quæritur de hoc: quod omne peccatum dicitur esse mendacium. Sicut habetur super illud. *Quia delectasti me Domine in factura tua.* Gl. *omne peccatum mendaciū est: quia contra legem & veritatem est.*

Ps. Glo.

¶ Præterea, dicit Aug. *Peccare quid aliud est; nisi in veritatis præceptis errare?* Ergo peccatum est error.

Aug. cōt. Manichæ.

¶ CONTRA, mendacium & error sunt in ratione: peccatum autem in voluntate: ergo peccatum non est error, vel mendacium.

¶ PRÆTEREA, mendacium est species peccati: ergo nõ conuertitur.

Idem. ¶ ITEM, Error est pœna peccati: sicut dicit August. *error non est natura hominis instituti, sed damnati pœna.* Ergo peccatũ non est error: pœna enim distinguitur à culpa.

¶ AD quod dicendum: quod mendacium accipitur dupliciter: vno modo prout diffinit August. *Mendacium est falsa vocis prolatio cum intentione fallendi*: & sic est species peccati. Alio modo mendacium dicitur defectus à summa veritate: & hoc modo peccatum dicitur mendacium: omnis enim peccans à summa veritate deficit, sicut deficit à summa bonitate.

¶ AD aliud dicendum: quod peccatum dicitur error, nõ formaliter sed per quandam concomitantiam: peccatum

Prouer. 14. enim in voluntate comitatur error in ratione. Vnde. *Errant omnes, qui operantur malum.*

¶ AD obiecta autem dicendum; quod illa ratio, qua dicitur, quod mendacium & error sunt in ratione; non arguit, nisi quod peccatum non est mendacium, vel error formaliter; sed non negat, quin hæc concomitentur peccatum. Dicendum etiam est; quod licet error sit pœna; nihilominus alio modo dicitur dispositio ad culpam; & illo modo accipitur in prædicta ratione; & accipitur vt dispositio coniuncta culpæ. Aliter enim accipitur error, cum dicitur; quod Adam errauit in credendo esse veniale, quod erat mortale grauissimum; & cum dicitur, quod error est pœna sequens ex originali peccato. Cum autem dicitur peccatũ est errare in preceptis veritatis; accipitur error, qui est in ratione, cum peccatum est in voluntate.

MEMBRVM II.

Quæ, & quot sint peccati actualis diuisiones?

SECVNDO quæritur de diuisionibus actualis peccati. Ponuntur autem plures diuisiones; quarum vna est, peccatum aliud est mortale, aliud veniale.

¶ ITEM, peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis.

¶ ITEM, peccatum aliud superbia, aliud inuidia &c.

¶ ITEM, peccatum aliud ex infirmitate, aliud ex ignorãtia, aliud ex industria, siue certa malitia.

¶ ITEM, peccatum aliud ex timore male humiliante, aliud ex amore male accendente.

¶ ITEM, omne peccatum est ex concupiscentia carnis, vel oculorum, vel superbia vitæ.

1. Ioan. 2. ¶ ITEM, aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in seipsum.

¶ ITEM, peccatum aliud commissum, aliud delictum. Cum ergo octo sint diuisiones, attendendum est, qualiter inter se distinguuntur.

RESOLVTIO.

Octo præcipue.

¶ DISTINGVVNTVR autem sic diuisiones: vt quædam accipiantur penes materiam; quædam penes formam: quędam penes affectiones respicientes finem, secundum quod est principium motus: quædam vero secundum conditiones ex parte eius, in quem peccatur: quædam vero ex parte efficientis.

¶ Ex parte materiæ accipiuntur tres diuisiones: est enim materia circa quam: & penes illam accipitur duplex diuisio. Vna, quæ est communis & veniali & mortali; cum dicitur, peccatum cordis, oris, & operis; vel cogitationis, locutionis, & operationis. Alia est propria mortalis peccati, cum dicitur, delictum, & commissum: delictum enim est circa non facere quod tenetur facere: commissum vero circa facere quod tenetur non facere: & hæc diuisio est respectu eius, quod præcipitur. Alia vero diuisio est penes materiam ex qua: cum dicitur, peccatum aliud ex infirmitate, &c.

¶ Diuisio vero secundum speciem attenditur dupliciter: vel secundum speciem formalem: cum dicitur mortale, veniale: hæc enim differentia est secundum reatus. Vel secundum speciem materialem, cum dicitur: aliud superbia, &c. diuisio enim hæc attenditur secundum actus vitium.

¶ Diuisio vero, quæ attenditur respectu finis, est cum dicitur; aliud est ex concupiscentia oculorum, &c. attenditur enim secundum diuisionem concupiscibilium, sicut dicit August. Omnis enim peccans aut conuertitur ad exterius bonum, aut ad interius: huiusmodi autem bona apparentia finis dicuntur peccati. August. de vera relig.

¶ Ex parte vero efficientis sumitur illa diuisio; peccatum aliud ex timore male humiliante, &c. timor enim & amor sunt dispositiones efficientis causæ, secundum quas producitur peccatum.

¶ Penes vero illum, in quem peccatur, sumitur illa diuisio: peccatum aliud in Deum &c.

¶ COMPARANTVR autem hæ diuisiones respectu diffinitionum supradictarum. Diuisio enim hæc, aliud cordis &c. siue cogitationis, &c. accipitur penes illam diffinitionem, Peccatum est dictum, vel factum, &c. Diuisio autem illa, aliud delictum, &c. iuxta illam diffinitionem, Peccatum est actus incidens ex defectu boni, &c. Diuisio autem illa: peccatum aliud mortale, aliud veniale; accipitur iuxta illam diffinitionem, *Peccatum est auersio indebita ad mutabile bonum.* vel potius ad illam, quæ ponitur, *Peccatum est meritum pœna.* Nam secundum quod conuersio est indebita ad mutabile bonum, potest esse dupliciter: aut sub Deo, & sic est veniale: aut præferendo Deo, siue contra Deum; & sic est mortale. Inquantum autem mortale dicit reatum pœnæ æternæ: veniale vero reatum pœnæ non æternæ, quantum est de se: secundum hoc conuenit ipsam accipi iuxta istam, *Peccatum est meritum pœnæ*: quæ non suprapposita est: eo quod non inuenitur à Sanctis: sed est Magistralis. Illa vero diuisio, peccatum aliud superbia, &c. accipitur iuxta illam diffinitionem, *Peccatum est affectio voluntaria mala, &c.* affectio enim diuiditur secundum vires, quæ afficiuntur; vel secundum ea, à quibus afficiuntur. Illa vero diuisio: peccatum aliud est ex concupiscentia oculorum &c. accipitur secundum illam definitionem, *Peccatum est spreto incommutabili bono, &c.* sic enim diuidit August. prius posita diffinitione. Aug in lib de lib arb Vnde coarctat concupiscentiam oculorum, & alia ad concupiscentiam illam, qua auertitur animus ab incommutabili bono: posset tamen communius accipi. Illa vero diuisio, peccatum aliud est ex timore male humiliante &c. sumitur iuxta illam diffinitionem. Peccatum est appetere, quæ Christus contempsit, &c. Illa vero diuisio, peccatum aliud in Deum, &c. sumitur iuxta illam, *Peccatum est carentia debitæ iustitiæ ex voluntate propria producta.* Iustitia enim dicit ordinem ad Deum, & ad proximum, & ad seipsum: qua caret, qui iniuriatur Deo, vel proximo, vel sibiipsi.

QVÆSTIO CVIII.

De peccato veniali in communi.

In decem Membra, & tres Articulos diuisa.

HIs visis, consequenter procedendum est ad primam diuisionem peccati actualis, quæ est: peccatum actuale aliud est veniale, aliud mortale. Primo dicendum est de veniali, illud enim est minoris culpæ: à minoribus autem procedamus vsque ad maiora. Nam post originale peccatum in paruulis surgunt ex natura corrupta prius venialia, & postea mortalia. Circa vero venialia primo considerandum est in genere: deinde dicendum est de ipsis in specie. D. Tho 1. 2 q. 88 S 86. in 2. di. 42. art 2.

¶ CIRCA vero considerationem eorum in genere hæc sunt quærenda. Primum est, quid sit veniale. Secundo de differentia eius, & conuenientia ad mortale. Tertio, an veniale possit fieri mortale. Quarto, vtrum aliqua proportio sit venialis ad mortale. Quinto, quæritur de radice venialis peccati. Sexto, in quo sit veniale peccatum. Septimo, vtrum aliquis possit esse sine veniali peccato, vel non. Octauo, cui opponitur veniale peccatum. Nono, quid debeatur veniali peccato, vtrum tantum pœna temporalis, aut

lis, aut etiam æterna, Decimo, vtrum aliqua venialia remaneant post mortem in ipsis iustis ratione culpæ.

MEMBRVM I.

Quid sit peccatum veniale?

CIRCA primum quæruntur tria. Primo, vtrum veniale peccatum sit macula. Secundo, si est voluntarium malum. Tertio, quare dicatur veniale?

ARTICVLVS I.

An peccatum veniale macula sit?

Gregor. AD PRIMVM, quod sit macula; videtur per hoc quod dicit Greg. distinguens inter crimen & culpam: culpa polluit, crimen extinguit. Sed veniale peccatum est culpa: ergo polluit: quod autem polluit, est macula: ergo veniale peccatum est macula.

¶ CONTRA, si macula est, deformat illud, in quo est: sed in libero arbitrio est: ergo deformat lib. arbitrium: sed lib. arb. est conditum ad imaginem Dei: ergo veniale deformat imaginem Dei: ergo tollit gratiam: manente enim gratia gratum faciente, reformatur imago Dei.

¶ Ad hoc diceret aliquis, quod duplex est conuersio lib. arb. vna ad Deum, qui est bonum supremum: altera ad inferius vt ad carnem, quæ regi debet ab anima: à parte autem superiori est lib. arb. ad imaginem Dei: à parte vero inferiori non dicitur esse ad imaginem Dei: ex illa vero parte inest ei veniale peccatum: vnde veniale peccatum non deformat lib. arbit. secundum quod est ad imaginem Dei. Aug. in li. de Trinit. Contra obijcitur per autoritatem August. dicentis. *Cum ratio ad interiora siue superiora percipienda, quæ non priuatim, sed communiter ab omnibus, qui talia diligunt, sine villa angustia vel inuidia, casto possidentur amplexu; vel sibi vel alijs consulit? & si fallitur in aliquo per ignorantiam temporalium: quia & hoc temporaliter gerit, & modum agendi non tenet, quem habebat; humana est tentatio.* Sed humana tentatio est veniale peccatum: ergo in superiori parte lib. arb. erit veniale peccatum.

¶ ITEM, aliquis per surreptionem cogitat inordinate de corpore Christi: sed constat quod illa cogitatio est de supernis: consideratio autem de supernis spectat ad superiorem partem, lib. arbit. scilicet ad superiorem partem rationis: ergo veniale peccatum potest esse in superiori parte lib. arbit.

RESOLVTIO.

Peccatum veniale macula dici potest, communiter accipiendo maculam: secus si proprie illa sumatur.

¶ AD quod responderi potest: quod macula potest accipi, vel communiter, vel proprie, secundum quod deformatur imago Dei. Si accipiatur communiter, secundum hoc potest dici macula veniale peccatum: minuitur enim rectitudo eius quo ad aliquem actum. Si vero accipiatur proprie; secundum quod deformatur imago diuina: sic nõ dicitur macula veniale peccatum. Et potest poni tale exẽplum: aliquando enim in tantum denigratur aliqua imago depicta, vt videri non possit: aliquando vero ita obscuratur vt plene non possit decerni: & ideo ponit B. Greg. talem differentiam inter veniale & mortale: quod veniale obscurat, mortale obtenebrat.

¶ AD illud vero quod obijcitur: quod veniale sit in superiori parte rationis, vel lib. arb. Dicendum est: quod si sit ibi, hoc est in comparatione ad inferiora: ex qua parte veniunt phantasticæ cogitationes: nõ ex parte Dei, qui ipsam animam illuminat ad recte cognoscendum.

ARTICVLVS II.

An peccatum veniale voluntarium malum sit.

QVÆRITVR, Vtrum peccatum veniale sit voluntarium malum. Quod videtur per hoc, quod dicit Augustinus. Aug. in li. de vera religion c 14 *Peccatum adeo voluntarium est, quod si non sit voluntarium, non est peccatum.* Sed veniale est peccatum: ergo est voluntarium.

¶ ITEM, peccatum est eorum, quæ sunt in nobis, sed ea, quæ sunt in nobis, voluntaria sunt (voluntarium enim est, cuius principium est in ipso) ergo peccatum veniale est voluntarium.

¶ ITEM, voluntate libera differimus à brutis: sed peccatum est in illo solum, in quo differimus à brutis: ergo peccatum est in libera voluntate.

¶ CONTRA, super illud. *Septies in die cadit iustus.* Gl. *Per ignorantiam & obliuionem, vel per surreptionem, vel per necessitatem, vel per fragilitatem carnis singulis diebus vel inuiti, vel nolentes frequenter peccamus.* Prouer. 24. Glossa. Sed illud, quo peccat homo inuitus, est inuoluntarium: ergo cum hoc nõ sit ibi dictum, nisi de veniali: erit ergo veniale inuoluntarium.

¶ ITEM, *Quod nolo, hoc ago* (& intelligitur de veniali) ergo actus peccati venialis non est malum voluntarium. Rom. 7.

¶ ITEM August. *Ille: qui concupiscente aduersus spiritum carne, non ea, quæ vult: facit: concupiscit quid nolens.* Aug. in li. retract. Sed concupiscendo peccatur: sicut dicitur in Gloss. *hoc autem concupiscere non est nisi veniale peccatum*: ergo aliquod peccatum veniale est malum non voluntarium. Glossa ad Rom. 7.

RESOLVTIO.

Veniale peccatum vtcunque voluntarium malum est, voluntate saltem non cohibente.

¶ AD quod dicendum quod omne peccatum veniale dicitur voluntarium: vel voluntate mouente ad hoc: vel voluntate permittente, siue non cohibente. Potest etiam dici voluntarium malum: quia procedit ab appetitiua, quã debet regere ratio.

¶ AD obiectum autem primo dicendum est: quod inuitus dicitur aliquis peccare multipliciter. Vel quia nullo modo fit à voluntate, remota vel propinqua, eliciente vel permittente siue non cohibente: & secundum hoc nullus dicitur peccare inuitus. Alio modo dicitur inuitus peccare, quia non est ex toto in voluntate: & sic potest aliquis inuitus peccare.

¶ AD secundum vero dicendum: quod illud ad Rom. 7. intelligi potest sic: quod actus ille dicitur inuoluntarius, quia est contra rationem, quo concupiscit caro aduersus spiritum, scilicet contra rationem rectam. Vnde per hoc vult ostendere contrarietatem motuum inter legem mentis & legem carnis, & rationem & sensualitatem.

¶ AD tertium dicendum secundum eundem modum: Aug. in li. retractat. illud enim quod dicit August. est ad expositionem verbi præcedentis.

¶ SI vero obijciatur: quod nullus vult malum: vnde Dionys. *Malum est præter rationem, voluntatem, & causam.* Dionys. in li. de diuin. nom. c. 4. par. 4. Dicendum est: quod hoc intelligitur ratione deformitatis, quam nullus vult: licet velit ipsam delectationem, ad quam consequitur.

ARTICVLVS III.

Quare veniale peccatum veniale dicatur?

DEINDE quæritur, quare dicatur veniale. Cum nullum malum sit impunitum, nullum malum est venia dignum: ergo peccatum non recte dicitur veniale, vt sumatur differentia * peccati actualis. * Alias, essentialis.

¶ PRÆTEREA, differentiæ condiuidentes debent accipi secundum consimilem modum: sed mortale peccatum dicitur, cui debetur mors æterna: ergo differentia condiuidens debet respicere aliquam pœnam contra reatum pœnæ æternæ: sed veniale sub hoc nomine dicit relaxationem à pœna: ergo nec recte diuiditur veniale contra mortale. Nec accipitur hic veniale, sicut peccatum mortale dicitur * veniale per pœnitentiam: sic enim non differt essentialiter veniale à mortali. *Alias, veniab e.

RESOLVTIO.

Veniale dicitur, quia per se pœna terminabilis ei debetur.

¶ Ad quod dicendum: quod veniale sub hoc nomine non dicit propriam differentiam diuidentem contra mortale: sed circunloquitur propriam differentiam. Quia enim illud peccatum, quod disponitur ex aliqua conditione ad relaxationem; licet de se non sit terminabile, tñ ex aliqua

conditio-

conditione terminatur; nisi ei adiungatur mortale, per quod fiat impœnitentia finalis. Venialis ergo dicitur, cui per se debetur pœna terminabilis: & in hac ratione diuidit contra mortale. Debitum enim pœnæ interminabilis, & pœnę terminabilis; quantum est de se, in vnam coincidunt diuisionem: & sicut mortale potest fieri venia dignum per pœnitentiam: ita ex opposito veniale fit dignum pœna interminabili per impœnitentiam finalem. Ponit autem August. talem rationem: veniale est, quod hominem vsq; ad reatum perpetuæ mortis non grauat: sed & pœnam meretur, & si facile indulgetur.

MEMBRVM II.

An, & quomodo mortale venialeque peccatum inter se differant.

Aug. in li. 83 qq. Quæst 30.

SEcundo quæritur de differentia & conuenientia venialis ad mortale. Videtur enim quod sit mortale illud, quod dicitur veniale: dicit enim August. *Hoc totum, & solum hominis malum est, frui vtendis, & vti fruendis.* Sed non est vti fruendis, cum hoc semper sit mortale: ergo est frui vtendis. Sed frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam: hoc autem est mortale: ergo veniale est mortale.

¶ ITEM, peccatum actuale est in conuersione ad mutabile bonum. Sed cum duo sint termini, bonum incommutabile, & bonum commutabile; quanto appropinquat plus ad vnum, tanto recedit plus ab altero: ergo quanto plus conuertitur ad commutabile bonum, tanto magis auertitur ab incommutabili bono: ergo peccatum veniale fit auersio ab incommutabili bono. Sed quando fit hæc auersio, est peccatum mortale: ergo peccatum veniale est mortale.

¶ ITEM, si differunt veniale & mortale: aut differunt ratione principij, aut ratione finis, vel ratione modi. Ratione principij nõ videtur: nam idem principium est vtrobique, scilicet mala voluntas. Ratione finis non videtur: nam finis vtriusque est delectatio in creatura. Nec ratione modi; vtrobique enim est indebita conuersio ad mutabile bonum.

RESOLVTIO.

Peccatum veniale est conuersio indebita ad creaturam citra Deum: mortale autem supra Deum, vel æque Deo.

¶ AD quod dicendum: quod peccatum veniale est libido siue voluptas in creatura citra Deum: mortale vero est libido, siue voluptas in creatura supra Deum, vel æque Deo. Potest enim creatura bene diligi & male: bene cum propter Deum, eo modo quo debet: virtus enim est ordo amoris. Si vero creatura diligitur non propter Deum omnino, aut hoc est propter vtilitatem sibi necessariam: & sic potest dici naturalis dilectio: & hæc etiam ordinatur ad Deum, licet homo non referat. Si autem ibi quæritur voluptas, prout diffinit August. tunc est altero prædictorum modorum duorum. Et sic patet differentia venialis à mortali. Cum autem valde vicina sint in eodem genere materiæ, difficile est dicere, vsque ad quid extenditur veniale peccatum: & quando incipit esse mortale.

Aug. in li. responsio.

¶ Ad obiectum autem primo dicendum: quod illud dictum Aug. intelligitur sic: totum malum, id est, perfectũ malum: quod scil. est mortale.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod diffinitio illa, in qua ponitur *auersio ab incommutabili bono* propria est mortali peccato: sicut dictum est. Nec sequitur quantum conuertitur aliquis ad commutabile bonum; tanto auertitur ab incommutabili: sed hoc habet quandam proportionem in mortali peccato.

¶ Ad tertium dicendum: quod differentia venialis & mortalis, non est penes principium, neq; penes finem: sed penes modum ipsius actus specialem. Hoc autem, quod obijcitur in contrarium, scilicet quod vtrobique est conuersio indebita. Dicendum est, quod tangitur modus generalis: sed modi speciales sunt conuersio citra Deum, vel supra Deum indebita, vel æque.

MEMBRVM III.

An peccatum veniale fieri possit mortale?

HAbito, quid sit veniale, & quod differt à mortali: tertio quæritur, vtrum veniale possit fieri mortale. Et videtur quod sic: August. *Nihil adeo veniale est, quod non possit fieri mortale, dum placet.* Quare videtur, quod illud, quod fuit veniale, possit fieri mortale. August.

¶ ITEM, Augustinus & loquitur de venialibus. *Omnia hæc simul aggregata, quo plura sunt: velut scabies necant: aut decorem faciei nostræ exterminant.* Sed non distingueret ita, nisi aliquando contingeret hoc, aliquando illud: ergo aliquando venialia simul aggregata faciunt vnum mortale: sed totius aggregati & partium aggregationis non est alia substantia, sed eadem: ergo veniale & mortale eadem potuerunt esse in substantia. Idem in li. Pœnitent.

¶ ITEM, *Expectans, Multiplicata sunt super capillos capitis mei,* Gl. August. *Caue, si vitasti grandia, ne obruaris arena minorum peccatorum.* Ergo minora peccata, scilicet venialia possunt obruere: sed hoc non est, nisi fiant mortalia. Psal. 39. Gl. Aug.

¶ ITEM. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus.* ibi Aug. in Homil. vel Epistola supra illud. *Multa leuia faciunt vnum graue, multa guttæ implent flumen, multa grana vnam faciunt massam.* 1. Ioan. 1. Aug. ibi.

¶ ITEM, dispositio potest fieri habitus, substantia manente eadem. Si enim quod est facile mobile, fiat difficile mobile, non propter hoc mutatur substantia, qu[illegible] est illis dispositionibus. Quare si veniale est sicut dispositio, mortale sicut habitus: manente eadem substantia, poterit veniale fieri mortale.

¶ SED contra. Cum tu dicis, quod veniale potest fieri mortale: in peccato veniali & mortali duo sunt; actus peccati, & macula sequens exinde derelicta in anima. Cum ergo tu dicis, quod veniale potest fieri mortale: aut tu intelligis quantum ad actum, aut quantum ad deformitatem derelictam. Sed de actu hoc non potest esse; si enim actus iste venialis fuit, & fiendo transit, venialis transit: sed postquam transiuit, nec iterum fit venialis, nec mortalis: quia nunquam amplius est: & similiter potest opponi de quolibet actu veniali. Si dicatur de macula consequente ad actũ: adhuc non potest hæc fieri illa: quoniam macula deformans imaginem non derelinquitur nisi ex actu mortali: ergo quæcunque sint venialia, dummodo non præcesserit mortale, non fiet macula animam deformans: & ita quo ad maculam derelictam ex peccato, non poterit illud esse verum.

RESOLVTIO.

Peccatum veniale mortale fieri potest, non ita vt hoc conuerti possit in illud: sed quia in illud perduceret, nisi cohiberetur.

¶ RESPONDENDVM. Concedimus bene, quod veniale nunquam fit mortale, vt intelligatur idẽ secundum substantiam, quod prius fuit veniale, mortale fieri: neque quo ad actum, neque quo ad maculam. Verum tamen est, quod veniale quando insurgit, si non cohiberetur, posset progredi vsque ad mortale: non quia ipsum in substantia fieret mortale: sed quia ex ipso occasionaliter fieret mortale: progrediendo.

¶ Quod ergo dicit August. *Nihil adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum placet.* Potest esse, quod cum aliquis diligeret aliquid venialiter: quia & si inordinate, sub Deo tamen; quod progrederetur illa inordinatio, donec esset, iam supra Deum: tunc ergo ex veniali fieret mortale: non quia illa placentia sub Deo vel inordinatio facta sit supra Deũ: neque illa quæ supra Deum est, fuerit aliquando sub Deo: sed quia occasionaliter vel progressiue peruentum est ab illa, quæ erat sub Deo, ad illam quæ est supra Deum. Quia ergo *placere* dicit quietionem voluntatis supra aliquid; ita intelligenda est autoritas: nihil adeo veniale est, quin fiat mortale, dum placet; hoc est, dum quietatur voluntas, non super ipsum veniale, sed super illud, ad quod veniale erat dispositio, vt progrediens ex ipso. August.

¶ Quod autem obijcitur postea: omnia hæc simul congrega ta

gregata necant &c. Dicimus, quod nunquam intelligendum est, quod venialia quotcunque sint, neque per se, neque per suam multitudinem necare possunt, quantum est ex se. Quia tamen frequenter consueuit concomitari aliquod mortale, vbi tot fuerunt venialia: ideo potest dici, quod ipsa necant ex adiuncto: & similiter possunt dici exterminare decorem faciei nostræ. Vel possunt intelligi illa dici dispositiue, & non effectiue: vt dicatur *exterminant* id est disponunt ad exterminationem, quod fieret mortale, si vsque ad illud permitteretur progredi.

August. ¶ AD ILLVD, quod dicit Augustinus. *Caue, ne obruaris arena.* Dicimus quod similitudinarie loquitur ibi: nec est propria similitudo ex toto. Tamen quia ad terrendum loquebatur, maluit vti minus propria similitudine, quam nõ inducere timorem respectu abundantiæ venialium. Bene est ergo similitudo quantum ad hoc, quod in genere sicut arena dicitur leuis respectu grandium lapidum: ita & veniale respectu mortalis. Tamen non est similitudo propria, quia arenæ multæ congregatæ non ex adiuncto, sed ex onere proprio possunt submergere nauem: venialia autem etiam congregata non possunt submergere nauem animæ nostræ pondere suo: nisi fiat exitus à genere venialis: siue à specie.

Idem ibid. ¶ ET eodem modo soluitur, quod dicitur post. *Multa leuia faciunt vnum graue*, &c. Dicimus, quod nunquam manet eadem substantia subiecta transmutationi, vt ex hoc fiat, vel ex his: sed semper quantum ad progressionem in mortale intelligenda sunt illa.

¶ QVOD autem obijcitur, quod dispositio potest fieri habitus, Dicimus, quod hoc est verum: sed hoc est de dispositione ordinata ad habitum in eodem genere: vnde si ex veniali, quod erat sicut dispositio, fit habitus; hic est habitus non exiens genus venialis.

MEMBRVM IIII.

An peccati venialis ad mortale peccatum proportio sit?

QVARTO quæritur de proportione venialis peccati ad mortale. Et videtur, quod ibi sit proportio: delectatio peccati mortalis non in infinitũ excedit delectationem venialis: cum delectatio peccati mortalis sit finita: finiti autem ad finitum in eodem genere est proportio: delectatio autem mala cum alia delectatione mala eiusdem generis est: ergo peccatum veniale & mortale erunt proportionalia.

¶ CONTRA, delectatio peccati mortalis est in præferendo bonum commutabile Deo, vel æquando: delectatio vero peccati venialis est in bono commutabili sub Deo, illicite tamen. Sed nulla est proportio peccati mortalis, in quo præfertur, vel æquatur aliquid Deo, respectu venialis.

¶ ITEM, peccato mortali debetur pœna æterna: peccato veniali, quantum est de se, non debetur nisi pœna temporalis: pœnæ autem temporalis ad æternam nulla est proportio: ergo nulla est proportio peccati venialis ad mortale.

RESOLVTIO.

Et quidem secundum delectationem, sed minime secundum modum delectationis, vel reatus, huiusmodi modum consequentis.

¶ AD quod respondendum: quod est accipere comparationem peccati venialis ad mortale secundum ipsam delectationem: & sic potest esse proportio. Vel secundum modum delectationis, qui est supra Deum, & sub Deo: & sic non est proportio: nec iterum ratione reatus, qui consequitur ad hunc modum.

¶ ET per hoc potest patere, qualiter ad obiectum est respondendum. Prima enim ratio procedit secundum ipsam substantiã delectationis, prout finita est ipsa delectatio, egrediens à voluntate rationali. Duæ consequentes rationes in contrarium accipiuntur secundum motum, vel reatum improportionalem.

MEMBRVM V.

An libido radix sit peccati venialis?

QVINTO quæritur de radice venialis peccati. Et quæritur, si illa radix sit libido. Et videtur: *libido* enim (sicut dicit August.) *est improba* voluntas: sed ex voluntate improba, procedit veniale peccatum: ergo libido est radix venialis peccati. August.

¶ ITEM Augustinus. *Omne, quod male libet, libido est.* Sed veniale est male libitum: ergo reducitur ad libidinem, tanquam ad radicem. Idem in Hypogno.

¶ CONTRA, Augustinus. *Libido est appetitus animi, quo æternis temporalia præponuntur.* Sed nullum veniale à tali radice procedit: ergo libido non est radix venialis peccati. Idem in li. de Menda.

RESOLVTIO.

Si libido sumatur generaliter, pro omni, scilicet inordinata concupiscentia, vtique: alias minime.

¶ AD quod dicimus, quod sicut vult Augustinus libido tripliciter potest dici. Vno enim modo potest dici libido omnis inordinata concupiscentia, siue sit respectu venialis, siue mortalis: & de hac verum est, quod est cum originali in nobis. Aug. 14. de ciuit. Dei.

¶ ALIO autem modo dicitur libido non solum inordinata concupiscentia alicuius, sed etiam inordinata contra Deum. Tertio autem modo dicitur, secundum quod appropriatur libido ad inordinatam concupiscentiam secundum vim generatiuam tantum: secundum quod dicit August. quod *originale peccatum transmittit ad posteros non propagatio, sed libido.* Primo ergo modo dicta libidine, potest esse radix, non solum mortalis, sed etiam venialis: secundo autem modo radix est mortalis tantum, & non venialis: & hoc modo conuenit ei prædicta diffinitio August. & non primo modo. Idem.

MEMBRVM VI.

In quo vt in subiecto sit veniale peccatum?

SEXTO quæritur, in quo veniale peccatum sit, tanquam in subiecto. In 2. Senten. videtur secundum distinctionem August. quod in sensualitate habeat fieri veniale: & sumitur ab ipso August. in 12. de Trinitat. In suprema parte rationis semper mortale: in inferiori autem parte rationis aliquando contingit veniale, aliquando mortale. Magist. in 2. Sen. dist. 24. c. Nũc supereſt, &c.

¶ SED obijcitur: quoniam (sicut dictum est supra) contingit secundum supremam partem rationis per surreptionem male cogitare de corpore Christi: constat autem quod hoc mortale non debet dici: ergo in illa suprema parte rationis poterit esse veniale.

¶ ITEM, *Septies in die cadit iustus.* Gloss. *De leuibus peccatis agit sine quibus hæc vita non ducitur*: per ignorantiam enim, vel per obliuionem, vel per surreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis, singulis diebus vel inuiti, vel nolentes peccamus. Si ergo leuia sunt peccata, quæ per ignorantiam, vel per obliuionem, vel per surreptionem fiunt aliquando, & hæc possunt incidere in supremam partem rationis: videtur quod non per hoc distinguetur veniale à mortali: quod non possit veniale incidere in supremam partem rationis. Prouer. 24. Glossa.

RESOLVTIO.

Et in superiori, & in inferiori parte rationis.

¶ Quod concedimus, dicentes: quod reuera bene potest esse in suprema parte rationis: sicut si per ignorantiam, non eius, ad quod tenebatur, sed alicuius facti, vel per surreptionem, vel aliquid huiusmodi, ad quod non deberet; velit, vel cogitet. Dicimus ergo, quod distinctio venialis à mortali non solum attendenda est ex differentia potentiarum, vel portionum, in quibus sunt: immo etiam ex propriis generibus actuum. Vnde in quodam genere actus põt esse veniale in qualibet parte.

¶ QVOD ergo dicit Augustinus & habetur in Sent. sicut prædictum est; dicit comparando peccatum humanum ad

pecca-

peccatum primorum parentū: vt sicut ibi fuit serpens, qui non peccauit; & mulier, quæ peccauit; & vir, qui consensit, & gustauit; & tunc completum est totaliter peccatum illud. Ita in nobis est sensualitas, proportionata serpenti: quia hæc minime peccat: portio inferior rationis mulieri, quæ credidit serpenti, quæ consentit carni siue sensualitati: superior vero pars ipsi viro, quæ cum consentit ad actum, consummatum est peccatum. Non ergo ista distinctione vult dicere August. quod cuicunque actui illicito consentiat pars suprema, ideo sit illud mortale; sed loquitur, secundum quod vires, vel potentiæ, vel portiones ipsius animæ ratione suæ perfectionis magis aptæ sunt ad hoc, vt ex ipsis eliciatur mortale, vel veniale ratione suæ imperfectionis. Vnde si alicubi erit veniale, hoc maxime erit in ipsa sensualitate: si autem mortale, erit in suprema parte: non quia semper ibi sit quilibet actus illicitus mortale: sed quia si alicubi debeat esse, hoc maxime erit in vi illa, vel parte; quæ maxime debebat esse perfecta, & ideo grauius erit peccatum in ipsa. In inferiori autem parte rationis, secundum quod cõuertitur ad sensualitatem, erit veniale: secundum autem quod ad superiorem partem rationis, mortale.

MEMBRVM VII.

An quisquam sine veniali peccato esse possit?

SEPTIMO quæritur, vtrum aliquis possit esse sine veniali peccato, vel non. Quod sic, videtur: veniale enim peccatum volũtarium est: à voluntarijs autem cauere possumus, cum in nobis sit velle & nolle: à quibus autem cauere possumus, illa non sunt necessaria in nobis: ergo non est necesse veniale esse peccatum in nobis.

¶ ITEM, ponatur quod aliquis adultus sit baptizatus, qui multa egit mortalia & venialia; baptismus delet culpā & pœnam: ergo in instanti, quo baptizatus est, nullum habet veniale peccatum: ergo aliquis potest esse sine veniali peccato: & sit sermo de his, qui habuerunt naturam corruptam.

¶ ITEM, sit ita quod aliquis commisit quatuor venialia, & non plura: & conteratur super illis: in contritione autem dimittitur culpa: ergo nullam habet illarum: ergo est sine veniali peccato.

Prouer. 24 ¶ ITEM, *Septies in die cadit iustus, & resurget* (& loquitur ibi de venialibus) ergo iustus resurgit à veniali. Sed cum resurgit, non habet veniale: ergo iustus potest esse sine veniali.

Gloss. ibi. Vnde dicitur in Glo. ibi. *Si malum est, quod cadunt, ne hæreant in malo, citius resurgunt.*

¶ ITEM, peccatum & gratia opponuntur: ergo veniale peccatum, & aliqua gratia. Sed potest aliquis habere illam gratiam: ergo potest esse sine veniali, quod opponitur illi gratiæ.

Prouer. 20 ¶ CONTRA. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Sed si aliquis potest esse sine veniali, posset vere dici: ergo nullus potest esse sine veniali omnino.

Psal. 118. Glossa. 1. Ioan. 1. ¶ ITEM, super illud. *Non enim qui operantur iniquitatem*, habetur in Glo. *Fomes, qui est languor naturæ, commouet illicita desideria: & ita sine peccato non sumus.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habemus &c.*

Aug. super 1. Canon. Ioan. ¶ ITEM, August. *Impossibile est aliquem hominem minimis nō cadere peccatis.* Ergo necesse est esse sub illis: & illa sunt venialia: ergo necesse est habere venialia.

Idem de spiritu & littera. ¶ ITEM, August. *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam venialia peccata, sine quibus vita ista non ducitur: sic ad vitam æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera: sine quibus vita cuiuslibet pessimi difficile inuenitur.* Ergo vita iusti non est sine veniali peccato.

Idem in li. retractat. ¶ ITEM, Augustinus. *Quæritur vtrum perfectio ista sic possit intelligi: vt tamen verum sit, neminem iam vtentem voluntatis arbitrio hic viuere sine peccato? à quo enim vsque ad vnum apicem lex perfici potest, nisi à quo fiunt vniuersa diuina mandata?* Ex his colligitur, quod homo, qui habet naturam corruptam, sibi relictus, non potest esse sine veniali peccato.

RESOLVTIO.

Pro aliqua vitæ particula sine veniali peccato esse contingit. Pro toto autem vitæ cursu, nequaquam sine eo esse accidit, absque speciali dono cælitus immisso.

¶ AD quod dicendum: quod est loqui differenter de tota vita hominis habentis naturam corruptam, cum iam peruenit ad ætatē adultam, in qua viget voluntas rationalis: & est loqui de aliqua particula vitæ. Si fiat sermo de tota vita, quod sit sine veniali peccato: hoc est de excellenti gratia, & singulari: sicut videtur Beatus Augustinus dicere de Beata Virgine. Si vero fiat sermo de aliqua particula vitæ, potest aliquis esse sine veniali peccato. Vnde concedendum est, quod aliquis potest esse sine veniali peccato. August.

¶ AD obiecta autem respondendo, dicendum est ad primum: quod intelligendum est, quod hæc dictio *quis potest* aliquando sumitur pro impossibili: aliquando sumitur pro difficili. Difficile enim est, vt homo habeat mundum cor: secundum illud. *Beati mundo corde.* Per hoc etiam quod dicit *quis potest dicere* intelligitur, quod temerarium est se laudare, vel iustificare. Vnde alia translatio expressius dicit. *Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato* (& loquitur de gloria apud homines.) Matt. 5.

¶ AD secundum vero dicendum: quod illud, quod dicitur super Psalm. quod non sumus sine peccato: intelligitur, quod vix sumus. Vel de tota vita habēte naturam corruptam sibi relictam, intelligitur.

¶ ILLVD etiam. *Si dixerimus*, &c. potest intelligi, sicut illud Prouerb. 20. Vel de tota vita. Vnde Glo. *Quia sine peccato in hac vita esse non possumus, prima salutis spes est confessio ipsa.* Secundum autem Interlinearem, quæ dicit *elati de aliqua iustitia nostra* idem est sensus cum illo, qui dicitur in Libro Prouerb. 1. Ioan. 1 Gl.

¶ Ad tertium. Dicendum quod illud, quod dicitur. Impossibile est sanctum aliquem, &c. Hoc est de necessitate corruptionis humanæ: sed non de necessitate simpliciter. Est etiam quædam necessitas ad veniale, vt ad primos motus: nihilominus tamen potest cauere hoc veniale, vel illud determinate.

¶ AD quartum vero dicendum: quod illud, quod dicit Augustinus, intelligitur referendo ad totam vitam post corruptionem inolitam. Aug. in li. de spiritu & littera.

¶ AD quintum dicendum de eo, quod dicitur in Libro Retract. quod hoc intelligitur de pronitate libero arbitrio post corruptionem, reducente in actum, quod prius fuit in potentia, dum erat in minori ætate: fomes enim paruulum reddit concupiscibilem, adultum reddit concupiscentem. Vel hoc intelligitur, quod vix est homo sine peccato, postquam vtitur lib. arb. & ideo in Oratione dominica dicendum est, *Dimitte nobis debita nostra.*

MEMBRVM VIII.

De oppositione peccati venialis.

OCTAVO quæritur, cui opponatur veniale peccatum, vtrum scilicet gratiæ, siue charitati perfectæ, vel imperfectæ: aut etiam pœnæ: hoc est, vtrum pœna secundum quod huiusmodi possit tollere veniale? Quod autem opponatur veniale gratiæ: & econuerso, patet: malo enim opponitur bonum, simpliciter loquendo: vnde & descendendo similiter possumus dicere, quod omni malo culpæ opponitur bonum gratiæ. Sed veniale malum est culpæ: ergo ei opponitur bonum gratiæ, siue gratia: quemadmodum dicebatur gratia opponi peccato mortali, quia erat malum culpæ.

An gratia baptismalis peccato veniali opponatur, ipsumq́; deleat? §.1.

¶ Quo supposito, videlicet, quod gratia opponatur veniali, & ipsum deleat; cum triplex soleat in homine esse gratia; quædam in baptismo, quæ dicitur gratia baptismi: quædam in pœnitentia post lapsum in actuale peccatum, & hæc dicitur gratia iustificans: quædam in fine perseuerantiæ, & hæc dicitur gratia finalis: quæritur, an quælibet istarum gratiarum deleat veniale: aut quæ sic, & quæ non? Quæritur ergo de baptismali.

¶ Fuerunt autem quidam, qui voluerunt dicere, quod gratia baptismalis nō de necessitate tollebat omne veniale, & ad hoc etiam potest adduci ratio talis. Aliquis habens inordinatam delectationem vxoris sub Deo, tamen accedit ad Baptismum, & dum accedit ad Baptismum, & suscipit ipsum Baptismum, adhuc eodem inordinato amore diligit vxorem suam, quo prius: ergo adhuc est in ipso illud veniale: recipit tamen gratiam baptismalem. (Illud constat) ergo gratia baptismalis non delet semper omne veniale.

¶ Sed contra: gratia per se non opponebatur pœnæ, imo culpæ per se: pœnæ autem non nisi propter culpam. Sed gratia baptismalis in baptismo tollit omnem pœnam debitam pro actuali peccato: ergo si rectius opponitur culpæ, multo magis tollit omnem culpam. Quod autem in baptismo per gratiam tollatur omnis pœna debita pro actuali peccato (pœna dico, ad quam soluendam obligatus erat baptizatus) istud dicitur communiter. Et dico pœnam actualium: ad differentiam pœnarum contractarum; quæ non tolluntur à baptizato, quia sunt ad exercitium: sicut vult Aug. vt mors, & miseria, & cæteræ pœnalitates naturæ, quæ sunt contractæ. August.

¶ Item, si suo modo respondet pulchritudo gloriæ pulchritudini gratiæ, & econuerso: sicut sponsa Christi in gloria nullam penitus nec paruam nec magnam habet maculā miseriæ: ita videtur quod quando sponsa per gratiam ascendit de lauacro baptismi, nullius modi maculam peccati debet habere. Quare aut non reddetur anima tota pulchra per baptismum, aut in baptismo tolletur omne veniale de necessitate.

RESOLVTIO.

Nedum veniale, quinimo mortale omne baptismalis gratia delet: modo baptizandus fictè non accedat.

¶ Quod concedimus; dicentes, quod in eo, qui recipit gratiam baptismalem (& hoc si non fictus accedit) deletur omnis culpa, tam venialis, quam mortalis. Sed dicimus quod ad hoc quod fictus non accedat, postquam adultus est; exigitur quod conteratur de peccatis mortalibus, quorum habet notitiam seu memoriam: & etiam de venialibus, saltem in genere: dolendo, quod ipse fecit, aut habet aliquod veniale. Si enim non ita faceret; dicimus, quod fictus accederet, id est non reciperet gratiam baptismalem. Sed hoc facto, videlicet habita dicta contritione & dolore; dicimus quod gratia baptismalis, & si spiritualiter esset ad culpam originalem tollendam; tamen postquam præcessit ille dolor, & adest baptismalis gratia; non solum tolletur originale, sed & actuale, non solum mortale, sed & veniale, nec tantum quo ad culpam, sed etiam quo ad pœnam pro illis debitam. Cuius causa est: quia postquam solutus est ab originali, contra quod erat gratia baptismalis; & mediante contritione ab ipsis actualibus, cum baptismus virtutem haberet ex passione Christi, bene fuit mors Christi ita sufficiens precium, vt ex solutione passionis illius, à quo virtutem habet baptismus, absoluatur baptizatus non solum ab omni culpa, sed ab omni pœna debita pro culpa sua, & ideo ascendit anima tota pulchra & munda, si recipitur gratia baptismalis. Tamen quamuis ex solutione mortis CHRISTI dimitti dicatur in baptismo omnis pœna, quia ipsa passio fuit sufficiens precium, non tamen intelligendum est similiter in Sacramento pœnitentiæ, vt quamuis habeat virtutem ex passione Christi, non tamen sit amplius pœnitens debitor pœnæ, quia non est sic institutum illud Sacramentum, quin cum passione Christi exigatur propria pœna satisfactoria ab ipso pœnitente: quamuis ipsa passio Christi posset sufficere pro pœna omnium peccatorum.

¶ Quod ergo obijcitur de illo, qui nimis diligit vxorem suam, sed sub Deo; tamen & accedit ad baptismum, &c. Dicimus, quod cū teneatur de omni veniali conteri; saltem in genere; conteritur de hoc saltem in genere, cum alijs: vnde dicimus, quod ei dimittitur in baptismo.

¶ Quod si obijciatur, quomodo volenti dimittitur veniale: potest enim ita esse, quod ipse non vult pœnitere de illo: immo adhuc bene proponit, quod diliget sicut & prius, & hoc cogitat, dum baptizatur. Dicimus, ꝙ quamuis adhuc placeat ei actus iste; cum tamen non placeat, quia peccatum; sed quia hic actus: imo mallet non esse peccatum, eo quod displicet ei omne peccatum in genere; in hoc etiam displicet ei, & istud, secundū quod peccatum: istud autem dicimus, quod sufficit ad hoc, quod remittatur ei in baptismo.

An gratia iustificans veniali peccato opponatur? §.2.

¶ Quæritur postea de ipsa gratia iustificante, vtrum opponitur veniali. Et quod non, videtur: quia si peccato opponitur gratia: & diuersis generibus peccatorum diuersa gratia: si diuersæ sunt genera peccatorū, veniale, & mortale: ergo diuersa eis gratiæ opponuntur, sed gratia iustificans est, quæ opponitur mortali (iustus enim dicitur, quia sine mortali est, communiter loquendo) ergo eadem non opponitur veniali.

RESOLVTIO.

Cum gratia iustificans totam animam simul Deo gratificet; cum mortalibus vna & venialia tollet?

¶ Ad quod dicimus, quod hæc forma argumentandi non valet: peccata vel mala sunt multa: ergo bonum illis oppositum erit multiplex: quia etiam secundum Philosophum, cum bonum teneat rationem medij, & ita indiuisibilis; & malum rationem extremi, & ita diuisibilis; nihil prohibet malum esse multiplex, opposito vnico bono: vnde etiam secundum Philosophum, *bonum est vno modo; malum aut multifariam*: Gratia ergo non oportet quod multiplicetur; quia sufficit vna gratia ad totum mundandum: quamuis enim multiplices & variæ sint auersiones ipsorū peccatorum, tamen gratia non dicitur; quia potest homo tantum particulariter mundari ab hoc, vel ab illo: vel quæ potest mundare hanc partem animæ solum, vel illam, sed quæ totam animam, id est, quamlibet eius partem potest gratificare, tollendo omne peccatum, & ideo gratia non est nisi vna, quæ culpam delet. Sed quia gratia iustificans non delet nisi ea, quorum est contritio, dummodo illorum habeatur memoria. (Et hoc dicimus; quia si non habeatur illorum memoria, aut Dominus reducit illorum memoriam, aut dimittit: sicut dicit Glos. super Matth. 8.) ideo dolere debet de quolibet mortali, & de venialibus saltem in genere, & etiam forte de maioribus venialibus in speciali, si habeat illorum memoriam: vt sicut multiplicantur peccata, multiplicentur dolores de illis. Vnde quāuis vna gratia sufficiat: non tamen vnus dolor pro hoc, siue pro illo: vnde etiam contritio dicitur, quasi multæ triciones congregatæ, hoc est multi dolores. Et quia gratia non delet pœnam totaliter, quin adhuc sit debitor pœnæ; sicut multi dolores erant in remittendo, ita multæ debent esse pœnæ in satisfaciendo: vna tamen gratia sufficit. Vnde etiam quemadmodum licet plura peccata mortalia differrent in specie peccati, non tamen requirebantur plures gratiæ; sed vna gratia cum pluribus doloribus: ita potest esse, & est quantum ad veniale, & mortale. Philos. Glos. sup. Matth. 8.

An & charitas etiam perfecta veniali peccato opponatur? §.3.

¶ Quæritur postea, vtrum charitas opponatur peccato veniali. Et quod sic, videtur, constat enim quod maior

maior est disconuenientia vnius doni Dei ad quodcunq; peccatum, quam vnius doni ad alterum, sed charitas non se compatitur timori seruili, qui tamen est donum Dei: sicut vult August. ergo multo minus compatitur veniali.

RESOLVTIO.

Quinimo sese compatiuntur adinuicem; quantum est de statu communi: nisi specialis gratia aliter Dominus dispenset.

¶ Ad quod dicimus, quod bene compatitur secum charitas veniale.

¶ Quod autem obijcitur, quod non compatitur secum timorem seruilem. Dicimus, quod (quemadmodum vult Augu.) cum dicitur natura corrupta, duo dicuntur: vel actio mala secundum quod natura vel actio, & quod corrupta vel mala, & similiter in alijs huiusmodi. Ita dicimus, quod in timore seruili duo dicuntur: quod timor est, & quod seruile est. Inquantũ ergo timor est, donum Dei est, & in hoc non repugnat charitati. Inquantum autem seruilis, sic non est donum: imo secum importat fomitẽ in actu, quia ibi viuit voluntas peccandi, & peccaret non solum venialiter, sed & mortaliter; si speraretur impunitas: & ex hac parte repugnat magis charitati, quam veniale quodlibet: vnde ex hac parte non se compatitur charitas illi. Vnde argumentum prædictum est à minori destructiuum: non n. sequitur; si expellit illud cui magis opponitur; quod expellat illud cui minus opponitur.

August in lib. contra Epistolam fundamẽti

¶ Sed quæritur tunc vlterius: cum veniale non opponatur charitati simpliciter, vtrum charitati perfectæ opponatur. Et quod sic videtur: quoniam 1. Ioann. 4. dicitur: quod perfecta charitas foras mittit timorem, & hoc non dicitur de seruili tantum (illum n. eijciebat etiam charitas imperfecta) vnde de initiali intelligitur. Quare si ille timor erat donum Dei, & quo bene contingebat vti quantum ad vtramq; partem sui; & tamen propter suam imperfectionem foras mittebatur à charitate perfecta; multo magis veniale, quod plus sonat in imperfectionem, videbitur plus repugnare charitati perfectæ, & ita charitas perfecta non poterit stare cum veniali.

1. Ioan. 4.

¶ Item Dionys. *Si illi, quos dicis sanctos, diligunt ea, quæ sunt super terram ab inhærentibus male zelata; à diuino omnino ceciderunt amore, & non noui quomodo vocentur sancti.* Si ergo sancti dicuntur perfecti in charitate, & nõ licet eis amare ea, quæ zelantur, quæ inhærent terrenis, sc. ista temporalia; quia cadant à diuino amore: amare autem ista temporalia secundum quod huiusmodi, non dicebat nisi veniale: ergo videtur, quod perfectio charitatis non possit secum pati veniale. Sed constat, quod hoc est falsum: sicut n. dictum est in præcedentibus, quemadmodum dicit Aug. impossibile est sanctum aliquem aliquando in minimis non cadere peccatis: constat aũt quod aliquis sanctus habet charitatem perfectam; quomodo ergo habebit veritatem illud verbum Dionys.

Dionys. ad Ioan. Euãgelium.

Aug. super 1. Canonicam Ioan

¶ Propter hoc potest aliquis dicere: quod nec cuilibet charitati perfectæ opponit̃ veniale, sed solũ perfectæ charitati confirmatæ. Sed adhuc quod hoc non sit verum, videtur: quia cum dicitur gratia confirmata, quæ prius dicebatur perfecta; nihil additur ad perfectionem priorẽ, nisi perseuerantia. Si ergo ratio temporis, aut durationis, dummodo sit æqua perfectio charitatis, sicut & prius; nihil facit ad abijciendum veniale plusquã prius: patet quod etiã habens finalem charitatem & perfectam, poterit habere veniale: sicut & si non haberet finalem.

¶ Ad quod dicimus, quod re vera charitas perfecta multipliciter potest dici. Cum n. charitatis sit liberare vel ducere in libertatem, primo quidem (secundum quod ordinat August. gradus liberationis super illud: *Si filius vos liberauit, &c.*) liberat charitas à mortali, sed nondum plena est hæc liberatio; quia iterum potest cadere liberatus in mortale. Si aũt in tantum perficiatur charitas, vt iam non possit cadere in mortale; habens ipsam tunc perfectior est, quam prius: sed adhuc imperfectio remanet, quia potest cadere in veniale. Quod si adeo perficeretur, vt nec in veniale caderet; adhuc non esset plena liberatio, quia remaneret fomes. Sed adhuc extincto fomite, adhuc superest vnus gradus, scil. amotio fomitis & omnis miseriæ, qui gradus erit in gloria, & tunc demum erit liberatio completa & plena libertas.

Ioan. 8.

¶ Potest ergo dici perfecta charitas ad præsens tripliciter. Vna prout est in sanctis iam glorificatis, & si de hac intelligeretur informatus esse sanctus, cum dicit Dionys. *Si illi, quos dicis, &c.* tunc non habet dubitationem authoritas Dionysij: constat n. quod neque sanctus iam glorificatus, neq; etiam in præsenti vita confirmatus, vt non possit peccare, nec venialiter, nec mortaliter; potest nimis diligere ista terrena, siue materialia, & temporalia. Alio modo potest dici perfecta charitas, prout etiã est hic in hominibus in terra positis. Et hoc dupliciter: vel secundum actum; vel sdm habitum. Secundum actũ, cum totaliter delectatur charitas alicuius in amplexu sponsi; ita vt nihil aliud amplexetur, & huic perfectioni charitatis sdm actum bene verũ est, quod opponitur veniale. Si n. aliquis inordinate diligit aliquid, licet venialiter: tñ cum descendit ad illud sub Deo, iam non totaliter adhærebat affectus eius Deo: & ita cadit perfectio charitatis quantum ad actum: remanere tamen põt quantum ad habitum. De ista ergo perfectione secunda, quæ est secundum actum; põt intelligi illud, quod dicit Dionys. quod sancti. i. habentes hanc perfectionẽ charitatis, non diligunt ea, quę sunt super terram. Tertia aũt perfectio est secundum habitũ: vt videlicet quãdo mens, & si non semper sdm totũ affectum suum actualem dirigatur in Deum; tamen vt frequenter facit, & apta est ad illud: & huic perfectioni secundum habitum non repugnat, quin liber. arb. aliquando possit moueri motu veniali secundum actũ. Vnde huiusmodi perfecta charitas non foras mittit veniale: foras tñ mittit timorem, etiã initialem. Et si quæratur, quomodo hoc est? Respondemus (quemadmodum dicit Glos. super illud: *Beati omnes, qui timent Dominum*) timor initialis duos habet oculos: vnum ad præmiũ, reliquum ad pœnã. Quantum ergo ad oculũ respicientẽ pœnam, sicut quam timet; mittit foras perfecta charitas timorẽ initialem. Quantum aũt ad alium nõ eijcit ipsum, sed consummat: requirit n. perfecta charitas, vt quemadmodum diligebat eum, ita totaliter haberet oculum ad ipsum. Cum ergo dicitur, tollit initialem, ergo tollit veniale: non sequitur: est n. à maiori construendo, & à minori destruendo. Nam si volumus rectè considerare: plus opponitur motus ipsius timoris initialis quantum ad oculum, quem habebat ad pœnam, ipsi perfectæ charitati: quam motus venialis peccati. Quod patet: motus n. charitatis perfectæ erat, totaliter in Deum dirigi, siue totaliter circa ipsum affici: ex hoc autem sequebatur non affici circa aliud: quanto ergo afficitur anima circa magis distans à sumo bono, tanto magis distat ille motus à motu charitatis perfectæ. Sed constat, quod in genere eorum, quæ sunt, quod maxime distat à summo bono, est pœna æterna; quia hæc est quasi summum malum, secundũ quod est ponere summum in genere mali pœnæ: vnde & plus distat, quam quodlibet bonum temporale à summo bono: ergo affici circa pœnam æternam, timendo ipsam, plus distat à motu perfectæ charitatis, quam inordinatè diligere sub Deo, quod continet bonum temporale, sed primus motus fuit ipsius timoris initialis quantum ad eius imperfectionem, quam dicebatur foras mittere charitas perfecta: secundus autem fuit motus venialis peccati. Vnde patet, quod plus longe repugnat timor initialis quantum ad illam partem sui, quæ est, timere pœnam, ipsi charitati perfectæ; quam veniale. Vnde non sequitur, quod si foras mittit, quod plus sibi repugnat; quod foras mittat illud, quod minus est. Vnde & si perfectam habẽs charitatem nunquam moueatur motu timoris respectu pœnæ æternæ: tamen potest peccare venialiter. Concedimus tamen bene, quod cum peccat venialiter secundũ actum; nõ habet tunc actu motum charitatis perfectæ, sed tamen retinet habitum ipsius perfectionis. Præterea, timor initialis quantũ ad illud, quod est, timere pœnam æternã, per se non potest esse, nisi vel quando timetur de mortali, vel quãdo timetur, vt nõ plene sit satisfactum. Sed nihil horũ in charitate perfecta timetur: vnde

Dionys.

Idem.

Glos super Psal. 1. 7.

patet

patet, quod nō potet habere charitas perfecta secum motum timoris initialis quātum ad illam partem. Sed quamdiu in vita ista est, quantumcunq; sit perfecta charitas (nisi de speciali gratia aliter Dominus dispenset) nihil prohibet quin aliquis inordinatus motus venialis, siue per surreptionem, siue alio modo possit surgere.

August. ¶ Sed adhuc obijcitur: dicit n. August. *quod sicut gutta aquæ in camino, ita veniale peccatum in viro perfecto.* Sed gutta aquæ nō stat cum camino ignis: ergo neq; veniale cum charitate viri perfecti. Quod soluitur, quod non facit perfecta charitas, vt veniale non sit aliquando, vel non incidat: sed facit, vt non duret: quemadmodum caminus ignis non faciebat, vt non apponeretur sibi gutta aquæ: sed facit, vt apposita non duret: imo citius destruatur. Perfecta n. charitas statim inflammat hominē, vt doleat & pœniteat, imperfecta vero charitas non statim inflammat ad pœnitentiam de veniali, sed dimittit post vnum venire aliud. Vnde quando sic aggregantur venialia multa, & latent in anima simul, fit maior dispositio ad prostrationem, nec dicitur statim resurgere iustus à casu suo.

Obiectio. Hiere 48. Gl. il Gregorius. ¶ OBIICITVR POSTEA, dicitur: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* (alia litera, *fraudulenter*) ibi Gloss. Gregor. *Desidia per torporem nascitur, fraus per priuatam dilectionem, illam minor amor Dei exaggerat, hanc proprius amor sui excitat.* Ex quo videtur, quod in negligentia operis Dei facienda minuitur amor Dei. Sed negligentia quoddam veniale fuit: ergo amor Dei siue charitas non minui potest per veniale, sed eodem minuitur charitas & tollitur totaliter. (Sicut enim dicitur communiter, minui non potest charitas, nisi totaliter tollatur. Aut si non sustinetur opinio ista: tamen verum est indubitanter, quod eodem quo minuitur charitas modo, tolli potest temporis successione: diminutio enim via est ad totalem abiectionem. Quare erit verum, aut quod veniale non stat cum charitate: aut quod veniale secundum quod huiusmodi potest tollere charitatem ex toto: quorum vtrumq; falsum videtur.

¶ Ad quod dicimus, quod Glossa & Textus illi loquūtur de negligentia mortali, & non veniali. Et hoc patet per hoc, quod ibi dicitur [*maledictus*] maledictio enim nō solet comminatoriè indici, nisi pro mortali in scriptura. Si ergo quæratur, quomodo ibi dicitur minor amor Dei? Dicimus quod amor ille, qui ibi dicitur esse minor, non accipitur pro amore charitatis, sed pro amore naturali, siue pro amore voluntatis naturæ consentaneæ, & hoc potest minui per peccatum mortale, & quantum ad actum, & quantum ad habitum forte.

An eadem gratia mortalis, venialisq; peccati deletiua sit. §. 4.

¶ QVÆRITVR postea, cum mortale & veniale genere differant, & ratione peccati: videtur similiter quod deletiuum vtriusq; aut simpliciter sit diuersum, aut saltem si idem est in substantia, quo ad diuersos effectus sit deletiuū huius & illius. Quapropter si gratia est deletiua mortalis, aut non erit deletiua venialis, aut non secundum eundem effectum, secundum quem est deletiuum mortalis.

¶ Et hoc concedi solet, & ponimus exemplum tale: sol destruit tenebram noctis: destruit etiam nubem aliquando: quæ etiam nubes erat cum ipso die, sed hoc dicitur esse secundum duplicem naturam in ipso sole: dicitur enim calere, & lucere, & secundum quod lucet, destruit tenebram: secundum autem quod calet, dissoluit nubem. Et similiter solet dici, quod gratia secundum quod illuminans purgat mortale: secundum autem quod feruens purgat veniale.

Obiectio. ¶ Sed obijcitur, quoniam si nubis natura non esset humida & dissolubilis ratione aquositatis, sed solum haberet naturam obscuritatis; non ratione alterius actus expelleret sol nubem, quam tenebram, sed ratione eiusdem: & si secundum magis & minus intensi. Sed (sicut vult Gregor. Gregor.) mortale obtenebrat, & veniale obscurat: ergo si sic est gratia hæc, non secundum alium actum opponetur veniali, & secundum alium mortali: sed differentia erit solum secundum maiorem & minorem intensionem eiusdem actus.

RESOLVTIO.

Eadem, quinimo & eodem actu.

¶ Quod concedimus: dicentes, quod quamuis assignetur proportio inter spiritualia & corporalia, & per inspectionem corporalium quodammodo manducamur in spiritualia; non tamen vsquequaque est conueniens vel vniformis similitudo, quæ proponitur inter corporalia & spiritualia. Cum ergo proponitur similitudo de sole materiali ad tenebram & nubem, & de sole spirituali ad veniale & mortale; bene est similitudo in genere, quantum est ad hoc, quod sicut maior quodammodo virtus solis exigitur ad expellendum nubem, quàm tenebram (quod patet, quia nubes poterat stare, etiam expulsa tenebra, cum ipso sole) ita quodammodo maior actus gratiæ vel gratia ad plura extensa requiritur ad expulsionem venialis, quam ad mortalis expulsionem: sicut iam videbitur. Bene tamen est differentia quantum ad hoc, quod sol materialis causa est generationis nubis, & etiam causa est dissoluendi eandem generatam, sol autem spiritualis, scil. gratia nunquam fuit causa generationis venialis. Vnde etiam nec forte quo ad hoc similitudo est, vt oporteat alium esse actum, quo expellit gratia veniale, & quo expellit mortale, sed eundem, ad alia & alia extensum forte: sicut iam videbitur.

¶ Quod ergo obijcitur; quod si specie vel genere differunt veniale & mortale, differunt & eorum deletiua. Dicimus, quod hoc non sequitur: quoniam sicut multorum mortalium specie differentium species potest esse vna deletiua, & non cuiuslibet sua propria: ita & mortalis & venialis potest esse eadem deletiua. Sed differatur solutio huius vsq; postmodum, vbi melius videbitur.

An maior gratia requiratur ad tollendum mortale, quam veniale? §. 5.

¶ QVÆRITVR ergo ratione dictorum: si gratia requiritur ad tollendum mortale, & ad tollendū veniale, vtrum maior requiratur ad tollendum mortale, quam ad tollendum veniale, & econuerso. Quod maior ad mortale, & minor ad veniale, videtur ex ratione proportionis: si enim (simpliciter loquendo) peccato opponitur gratia: ergo maiori maior, & minori minor, sed mortale maius est quā veniale in genere peccati.

¶ Sed contra est: quoniam cum aduenit gratia, quæ tollit mortale: adhuc sublato mortali, remanet veniale: ergo videtur quod non tanta sufficiat ad tollendum veniale, quanta ad tollendum mortale.

RESOLVTIO.

Requiritur quidem maior contritio, sed non maior gratia.

¶ AD quod dicimus, quod in peccato sunt duo consideranda; culpa & pœna. Ad deletionem culpæ in peccato in adulto requiritur gratia cum contritione; & hoc tam in mortalibus, quam in venialibus; tamen respectu venialium sufficiebat forte contritio in genere; respectu autem mortalium exigebatur non solum in genere. Dicimus ergo; quod ad delendum quicquid erat culpæ & in mortali & in veniali cum contritione debita, minima sufficiebat gratia (vt ita dicamus) & vna & eadem. Vnde quemadmodum plura mortalia diuersorum generum potuit vnica gratia delere; ita eadem gratia fuit deletiua mortalis & venialis quantum ad illud, quod habebant culpæ: vnde nec maior, nec minor quantum ad vnum, quā quantum ad aliud requiritur. Sed quia post deletionem culpæ erat nihilominus absoluendus peccator à reatu pœnæ per satisfactionem; ex ista parte dicimus, quod & si gratia eadem sufficiat ad tollendum culpam vtrobique: tamen ex parte pœnæ maior satisfactio requiritur ad mortale & minor ad veniale: secundum q dicit Aug. & habetur in Sent. lib. 4. dist. 16. cap. vlt. Quod pro peccatis quotidianis breuibus leuibusq;, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit: eorum enim est dicere: *Pa-* August. in Enchiridio.

ter noster, qui es in cælis, &c. Et delet hæc oratio minima quotidiana peccata: talis autem satisfactio non sufficiebat in mortalibus. Similiter autem & de ipsa contritione, dicimus: secundum quod ipsa fuit satisfactoria intra, quemadmodum alia opera pœnitentiæ fuerunt satisfactoria extra: de ipsa (inquam) contritione dicimus: quod maior debuit esse respectu mortalium, quam respectu venialium.

An motus charitatis, & motus venialis peccati simul in eodem stare possint? §. 6.

¶ Quæritur postea de compossibilitate motus venialis & motus charitatis: hoc est, vtrum possint simul stare in eodem. Et quod in eodem secundum diuersas vires, non est difficile probare, vt videtur: quoniam si diuersæ vires simul possunt mouere, nihil prohibet, (vt videtur) rationalem partem moueri motu charitatis: aliam autem motu inordinato, siue veniali. Sed vlterius est Quæstio vtrum secũdum eandem vim possunt simul stare duo motus, alter ex charitate, & alter venialis? Et quod non, videtur: nam si vis, in qua est motus charitatis, vis simplex est: impartibilis est, & quod est impartibile, non secundũ partem & partem cõuertitur ad multa; & tunc videtur, quod non possit simul conuerti ad multa vis ista, sed aliter non poterant esse motus plures simul: quare videtur, quod nõ poterant simul stare motus venialis, & motus ex charitate in eadem vi.

¶ Sed adhuc si hoc esset verum, quæro vlterius: vtrum in eodem motu posset incidere, quod esset ex charitate, & quod esset venialis: vel in eodem actu. Et adhuc videtur, quod sic: quoniam ponatur quod aliquis prædicet ex bona intentione, & ex charitate; hic actus charitatis est, ponatur ergo quod in aliqua parte sui incidat vana gloria aliquantula, tunc constat quod veniale est, quare, si veniale non est sine actu; ibi autem non fuit nisi vnicus actus, vt videtur: tunc non solum in eadem vi, sed etiam in eodem actu eiusdem vis, videtur quod possunt concurrere motus charitatis & motus venialis. Et quod iste casus, qui

Lucæ 10. Matth. 10. positus est, accidat, habetur ex Euangelio: vnde Luc. 10. dicitur: *Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos.* Et similiter: *Excutite puluerem de pedibus vestris.*

Glos. sup. Ioan. 13. Et illud idem dicit Gloss. *Lauit pedes discipulis suis.* Quod si concederetur, in contrarium est, quoniam si ille motus est ex charitate, est meritorius, sed si venialis est, malus est, quomodo autem poterit dici idem actus meritorius & malus?

1. Cor. 3. ¶ Præterea dicit Apostolus, vel accipitur ex verbis eius: quod alij superædificant lignum, fœnum, & stipulam: alij aurum, & argentum, & lapides preciosos: quæritur, si diuiditur inter hæc duo; non erit idem motus, quo superædificabitur vtrumque.

RESOLVTIO.

Quinimo secundum eandem vim & secundum eundem actum eiusdem vis, modo disparati, modo contrarij actus sunt.

¶ Solvtio. Quantum ad primum concedimus bene, quod motus charitatis, & motus venialis stare possunt in eodem secundum vires diuersas.

¶ Si autem quæratur, vtrum secundum eandem vim, & etiam vtrum secundum eundem actum eiusdem vis? Tunc distinguimus: quoniam aut actus illi contrarij sunt siue oppositi, aut disparati. Si disparati tantum, dicimus quod bene possunt simul stare in eadem vi: verbi gratia, diligere Deum ex charitate, & vxorem venialiter. Si autem sint contrarij actus, tunc non possunt simul stare in eadem vi: Et dicimus esse contrarios, quando ad eundem actum siue circa idem subiectum mouent contrariæ radices: verbi gratia, diligere Deum ex charitate & vxorem venialiter, non erant contraria, quia non circa idem, sed moueri circa vxorem motu charitatis, & etiam circa eandem motu veniali nimium diligendo, sed sub Deo: hæc duo simul stare in eodem non possunt. Si n. circa diuersa vel diuersis affectionibus potuit simul affici vna vis, contrarijs tamen non potuit.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur: quod ipsa vis cum sit simplex & impartibilis, simul conuertitur ad plura. Dicimus, quod illud non obstat, imo argumentum illud magis est oppositum, quam ad propositum. Quanto n. impartibilior est vis, & simplicior est secundũ essentiam, tanto magis conuerti potest ad plura: concomitabantur n. sese hæc duo, simplicitas essentiæ, & multiplicitas & intensio potentiæ in eodem: vt quanto magis esset de primo, sc. de simplicitate essentiæ; tanto magis esset de intensione potestatis, & extensione: vnde quanto simplicius est, tanto potentius est, & etiam in plura, vel ad plura.

¶ Ad illud, quod obijcitur, vtrum in eodem actu. Respondemus: quod in eodem actu; ita quod vtrumq; denominet actum illum, impossibile est, sed vt motus ille sit meritorius principaliter, & quantum ad appositionem alicuius indebitæ circumstantiæ, vel quantum ad omissionem debitæ circumstantiæ incidat veniale; hoc bene contingit. Vnde si aliquis ex charitate prædicat; actus quidem iste prædicate, dicendus est meritorius, & charitate formatus, si autem incidat ibi vana gloria; hoc est, quia aliquantulum declinat à rectitudine intentionis, sed non propter hoc denominandus est vnquam actus ille venialis: neque dicendus est esse demeritorius. Verũ est tamen, quod relinquitur aliqua dispositio in prædicante, quæ fuit meritoria pœnæ, sed non secundum actum illum principalem fuit ista dispositio: imo secundum aliquid circumstans illi actui. Verbi gratia, prædicare, iste actus fuit meritorius, sed vane, gloriari de prædicatione, fuit quidam non debitus actus, cedens in indebitam circumstantiam ipsius principalis actus prædicandi. Cum ergo ipse principalis actus prædicandi nunquam exeat à rectitudine suæ ordinationis; quin semper ipsa formetur, & si aliquantula sit ibi declinatio: ideo semper dicendus est meritorius, & nunquam demeritorius. Si ergo ibi motus charitatis & veniale circa idem sint: non tamen idem poterit dici esse vtrumque per denominationem, sed alterum erit ibi per rectitudinem, alterum vero obliquè, vt dicatur, quod circa actum charitatis potest incidere veniale.

MEMBRVM IX.

An peccato veniali æterna, vel temporalis pœna debeatur?

Nono quæritur, quid debeatur veniali peccato, vtrum tantum pœna temporalis, an etiam æterna. Et primo ostenditur, quod nõ possit æternaliter puniri: quoniam si Deus iustus iudex est, si veniali non debeatur nisi pœna temporalis; cum æterna improportionabilis sit temporali; iniuste videretur agere Deus, si puniret veniale æternaliter.

¶ Sed contra: si non est puniendum æternaliter: ergo aliquando cessabit puniri: simus modo in illo instanti, cessabit pœna, sed non tollitur pœna, nisi sublata culpa: ergo sublata est culpa ista in isto, quam attulerat in inferno secum, sed hoc falsum, quoniam in inferno nulla fuit deletio culpæ, nec etiam vniuersaliter post mortem.

RESOLVTIO.

Æterna, sed non æquè acerba ac pro mortali.

¶ Ad quod dicimus, quod re vera decedens in mortali & veniali pro vtroq; æternaliter punitur. Cuius causa est, quia (sicut vult Gregor.) cum peccauerit peccato in suo æterno, qui in fine gratiam non habuit; sicut fuit æternitas suo modo in voluntate peccatoris quantum ad mortale, ita est quantum ad veniale: vnde si huiusmodi peccato respondeat pœna æterna, patet quod quantum ad æternitatem pœnæ nõ erit differentia inter mortale & veniale. Sed quia illud fuit sub Deo, & illud contra Deum; erit differẽtia in pœnæ acerbitate: vt minor sit pœna illa quæ est pro veniali, quã quæ est pro mortali. Vnde & si idem sit, qui patitur ab eodem igne; tñ sicut vult Greg. super illud Iob. 10. Terrã miseriæ &c. cõformabit se ignis puniendis, nõ æqualiter omnibus, sed vnicuiq; pro meritis: neq; pro quibuscunq; meritis in eodem æqualiter, sed quantum ad quædam magis acerbe, quantum ad quædam minus puniet. Instat Scotus in 4. d. 2. q. 1. Gregor.

¶ Quod

¶ Quod ergo obijcitur: quod Deus ageret iniuste, si temporali pœna dignum, puniret æternaliter, &c. Respondemus: quod veniale coniunctum mortali, si adsit finalis impœnitentia; non amplius est temporale: imo iam transit in perpetuum: quia post mortem non est locus dimittendi peccata, neq; tempus: & ideo fuit dignum puniri & pœna æterna.

Casus. ¶ Quæritur postea de aliquo existenti in originali peccato: ponatur quod non purgetur ab illo; postea adultus factus, superaddat originali aliquod peccatum veniale, & nullum mortale: quæritur tunc, vbi iste punietur. Nam si dicitur in limbo: hoc non videtur: ibi enim non erat locus puniēdi aliquod actuale peccatum commissum. Si autem dicitur, quod in inferno actualis pœnæ: hoc non videtur: quia ibi est locus puniendi tantum habētem actualia peccata mortalia, vt videtur: quorum nullum iste habet. Neque potest dici: quod hic pro originali, & ibi pro veniali: cum idem non possit esse in diuersis locis.

¶ Ad quod dicimus: quod propter differentias puniendorum nō oportet ponere diuersa loca, secundum substantiam differentia, in inferno. In eodem ergo loco inferni, quo puniuntur animæ reproborum; sicut anima Petri ibi existens non pateretur: ita quælibet anima ibi adueniens, differenter punitur secundum rationem differentis cremabilis. Vnde in eodem loco & in eodem tormento nihil prohibet diuersos differenter pati, secundum diuersas causas sicut vult etiam Greg. super illud: *Terram miseriæ & tenebrarum*. Vnde cum dicuntur paruuli non baptizati decedentes esse in limbo: illud magis pōt intelligi de differentia pœnæ, quam differētia loci: in eodem n. loco, quo puniuntur sensibiliter adulti, existentes paruuli non punirentur eodem tormento, quia non habent eadem cremabilia, quæ etiam illi. Vnde secundum hoc videtur dicere Aug. quod firmiter credat, & nullatenus dubitet: paruulos esse in igne inferni, id est, in loco, in quo est ignis. Iste ergo, qui decessit in originali & veniali aliquo, in inferno existens punietur, & pœna originali debita veniali * perpetrato. Tamen quia diximus de limbo, intelligimus de limbo, qui dicitur paruulorum decedētium non baptizatorum: & non de limbo, qui dicitur fuisse antiquorum Patrum, in quibus non fuit carentia visionis Dei nisi ad tempus, & etiam alterius modi carentia, quam in paruulis huiusmodi: ibi enim erat defectus solutionis pretij. Sed de his alias dicemus.

Greg. sup. Iob. 10.

August. de fide ad Petrum.

* Alias, perpetuato.

MEMBRVM X.

An post mortem peccatum aliquod veniale remaneat, alibi delendum?

Decimo quæritur, Vtrum aliqua venialia remaneant post mortem in ipsis iustis ratione culpæ. Ad quod sic: aliquis contritus erat modo super venialibus & mortalibus, & dimissa sunt omnia: deinde ante mortem committit aliquod veniale, de quo non conteritur, & sic moritur, vtrum deleatur istud veniale hic in præsenti, an transeat cum ipso in purgatoriū. Si dicitur, quod cum illo trāsit in purgatorium: hoc non videtur: ibi enim non posset amplius purgari illud peccatum, vt videtur: quia nec noua gratia ibi datur, nec est locus merendi. Vnde post mortem non fit aliquid alicui (sicut vult Greg.) nisi secundum quod meruit in vita præsenti: vnde ibi est tantum locus, quo aliquis possit soluere pœnas debitas: oportet ergo, quod tollatur illud veniale in præsenti vita. Sed tunc quæritur, à quo? Si dicitur, à gratia finali? Contra, ibi non fuit contritio: si autem gratia sine contritionē posset sufficere ad deletionem venialium; tunc possent multotiens dimitti peccata venialia, quando non dimittuntur: cum multi habentes gratiam, habeant & venialia: ergo si hæc gratia finalis est eadem, quæ erat ante penultimum instans; dimissa fuissent ei peccata venialia: quod si non est verum; patet quod non sufficit sola gratia ad deletionem venialis. Ergo ex quo iste non conteritur in vltimo instanti vitæ suæ, non delebitur illud veniale à gratia finali.

Gregor.

RESOLVTIO.

Quicquid dicant quidam: peccatum omne veniale in præsenti vita deletur: tametsi eius pœna alibi interdum reseruetur, scilicet in futuro apud Purgatorium.

¶ Ad quod dicimus: quod diuersæ sunt de hoc opiniones, vtrum huiusmodi veniale deleatur hic, vel in futuro: & vtramque opinionem recitat Magist. Sine præiudicio tamen dicimus, quod veniale omne deletur in præsenti vita. Vnde (sicut vult August.) credimus, quod homini post vitam istam non additur nouum meritum, nec noua remissio culpæ, sed datur ei pœna, vel meritum; secundum quod meruit in vita ista. Vnde in purgatorio potest esse absolutio à pœna, sed à culpa non. Deletur ergo veniale illud, de quo quæritur, in præsenti. Si quæratur, à quo? Tunc dicimus, quod à gratia finali. Vnde Augustin. vbi dicitur. *Si filius vos liberauit*, &c. accipiens illud, quod dicitur. *Carne seruio legi peccati*: Vult dicere; quod seruitus ista, quamdiu viuimus, in nostris animabus est: nisi Dominus aliter dispenset per specialem gratiam: sed tamen semper diminuuntur in habentibus charitatem: quamdiu tamen viuitur, non est perfecta liberatio siue libertas ab hac seruitute, quia *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. Vnde cum ad hoc deuenitur, quod anima soluitur à carne cum gratia finali, fit anima spiritualis & libera ab illa seruitute. Vnde tunc gratia eo quod finalis est, & ita quasi in quodam summo; non tamen summo intensionis, sed tamen quasi in quodam complemento, præualet supra ipsum veniale, & delet illud in ipsa dissolutione animæ à corpore: quamuis non sit motus contritionis ad illud directus: delet (inquam) ex virtute suæ completionis, & sui status, & hoc quantum ad culpam, & non quantum ad pœnam: imo illa soluetur in purgatorio.

Magist. in 4. sen. dist. 21.

August. de ciuit. Dei.

Idem in originali sup. Ioan. 8 Rom. 7.

Sapien. 9.

¶ Si ergo quæreretur, propter quid gratia alio tempore siue contritio non deleuit veniale, sicut & nunc? Patet solutio: quoniam non erat similis dispositio gratiæ ipsius quo ad statum sui complementi, neq; etiam similis liberatio ipsius animæ à seruitute supradicta.

Si autem moueret aliquem, quod dicitur. 1. Corinth. 3. *quod ignis purgabit*, &c. Ex quo quidam voluerunt accipere, quod venialia cremabuntur in purgatorio. Dicimus; quod ista cremabilia non sunt peccata venialia remittenda quo ad culpam, sed tantum reatus iam remissorum, quæ ibi soluuntur.

QVÆSTIO CIX.

De primis motibus.

In vndecim Membra diuisa.

Dictvm est de veniali peccato in generali, dicendum est de ipso in speciali. Et primo de primo motu. Secundo de delectatione non morosa. Tertio de ocio. Quorum primum respicit sensualitatem, quæ est motiua sensibilis interior, secundum respicit motiuam rationalem interiorem, tertium motiuam rationalem exteriorem.

D. Tho. 1. 2. q. 89. art. 5 Bon in 4 d. 31. art. 1. q 1. ad arg.

¶ Circa vero primum motum hæc possunt considerari, scil. quid sit primus motus. Secūdo, vtrum sit peccatum. Tertio, vtrum sit in omni vi motiua ipsius animæ. Quarto, à quo sit primus motus. Quinto, vtrum sit necessitas ad primos motus. Sexto, vtrum primi motus cadant sub prohibitione. Septimo, vtrum ratio peccet, si non reprimat motus in sensualitate. Octauo, de opposito primi motus. Nono, an primi motus sunt æquales in eadem persona, vel in diuersis. Decimo, vtrum pœna infligatur à Deo pro primis motibus. Vndecimo annectitur de delectatione morosa, an sit peccatum.

MEMBRVM I.

Quid sit primus motus?

AD primum sic: primus motus sic diffinitur: *Quod est motus sensualitatis secundum impulsum fomitis, tendens impetuose ad fruitionem creaturæ delectabilis.* Per hoc quod dicitur [*sensualitatis*] tangitur causa materialis, siue substantia: sensualitas enim est subiectum, in quo est primus motus. Notandum tamen, quod sensualitas dupliciter mouetur: aliquando enim mouetur secundum regimem rationis ad sustentationem naturæ: & talis motus non est inordinatus, nec vituperabilis. Aliquando mouetur secundum impulsum fomitis, & ille est primus motus, de quo loquimur, & est motus inordinatus. Ad differentiam ergo illius motus sensualitatis, qui fit secundum regimen rationis ad sustentationem naturæ: additur [*secundum impulsum fomitis*] & in hoc tangitur causa efficiens. Per hoc quod sequitur [*tendens impetuose*] notatur, causa formalis, quæ est immoderatio, siue improbus impetus libidinis. Per hoc quod sequitur [*ad fruitionem*, &c.] notatur causa finalis.

Quæstio 97. ¶ Quid autem sensualitas sit, & quot modis dicatur, dictum est in prima diuisione virium animæ. Tamen ad præsens notandum est, quod sicut se habet sensus ad rationem secundum vim cognitiuam: ita se habet sensualitas ad vim rationabilem, siue voluntatem, siue liberum arbitrium (quod idem est) secundum vim motiuam. Vnde sicut apprehensio, siue cognitio, quæ est secundum sensum; præcedit eam, quæ est secundum rationem: sic motus sensualitatis prior est, quam motus, qui est secundum voluntatem: & ideo recte dictū est, quod primus motus est motus sensualitatis.

¶ Notandum etiam, quod sensualitas nomen est vis sensibilis ordinatæ sub ratione, & ideo sensualitas est in homine solo, sensibilitas in brutis.

RESOLVTIO.

Primus motus est motus sensualitatis, secundum impulsum fomitis impetuose tendens ad fruitionem creaturæ delectabilis.

Rom 7. Glossa. ¶ CONTRA prædictam rationem sic obijcitur. *Video aliam legem*, &c. Gloss. *lex carnis vel membrorum est primus motus concupiscentiæ.* Sed lex membrorum idem est quod fomes: ergo non est actus fomitis, vel secundum impulsum fomitis.

¶ ITEM, sicut sensualitas fuit corrupta: ita & ratio per peccatum originale: ergo sicut ex corruptione sensualitatis surgit primus motus: ita ex corruptione rationis: ergo non omnis primus motus est motus sensualitatis.

¶ ITEM, aliquis motus naturalis potest esse cum impetu: ergo non tantum primus motus est tendēs impetuose.

¶ ITEM, sensualitas non est nobis communis & brutis: ergo est vis rationalis, sed vis rationalis non agit cum impetu: ergo sensualitas non agit cum impetu: ergo primus motus non est cum impetu.

¶ Ad quod dicendum, quod cum dicitur lex carnis & membrorum est primus motus, dicitur per causam: lex enim carnis vel membrorum est causa primorum motuum.

¶ AD secundum dicendū, quod primus motus, de quo loquimur hic, est sensualitatis, & non est rationis, nisi quodammodo: vnde tantum est in ipsa sensualitate ordinata ad rationem.

¶ AD tertium vero dicendum, quod licet motus naturalis aliquando fiat cum impetu: nihilominus motus sensualitatis, qui est vitiosus, fit cum impetu: hoc n. est commune vtrique, non ex parte rationis, sed ex parte sensibilis animæ.

¶ AD quartum dicendum, quod non sequitur, sensualitas non est communis nobis & brutis, sed propria est hominis; quod propter hoc sensualitas agat cum deliberatione: sensualitas n. est partis sensibilis ordinatæ ad rationem, & propter illum ordinem non est communis nobis & brutis.

MEMBRVM II.

An primus motus peccatum sit?

SECVNDO quæritur, vtrum primus motus sit peccatū. Quod videtur super illud: *Non ego operor, sed qui habitat in me*, &c. Gloss. *quod Apostolus nolebat, & tamen faciebat, concupiscentia est, quæ est in primo motu, quod est veniale peccatum.* Ergo primus motus est veniale peccatum. Rom. 7. Glossa.

¶ Item, ad Roman. 7. distinguitur triplex velle, naturæ, gratiæ & culpæ, vel vitij: motus autem primus est à velle culpæ siue vitij: ergo primus motus est peccatum. Ibid.

¶ Item, super Prologum Psalm. dicitur: cogitatio large accepta tria amplectitur, scilicet, primum motum mentis, qui est venialis culpa: ergo primus motus est veniale peccatum.

¶ CONTRA, Augustin. *Quis peccat in eo, quod vitare non potest?* q. d. nullus. Ergo si primus motus vitari non potest; primus motus non erit peccatum. August. de correctione & gratia.

¶ Item, omne peccatum est voluntarium: ita quod si non est voluntarium, non est peccatum, sed primus motus non est quid voluntarium: ergo non est peccatum. Quod non sit voluntarium, patet per hoc quod dicitur: *Quod nolo, hoc ago* (& loquitur de primo motu) ergo primus motus non est peccatum. Rom 7.

¶ Item, August. *Si concupiscentia, quæ præter legem nostræ voluntatis mouetur, absque culpa est in corpore dormientis: quanto magis in corpore non consentientis.* August. in lib. de ciu. Dei.

¶ Item, super illud. *Irascimini, & nolitē peccare.* Glos. *Sciendum, quod primus motus non est in potestate nostra.* Sed quod non est in potestate nostra, est peccatum. Psal. 4. Glossa.

¶ Item, Gloss. ibidem: *Primo motu irascimini, quod est inuincibile.* Ergo huiusmodi motus sunt inuincibiles: ergo non sunt peccatum. Gloss. ibid.

¶ Item, suggestio, quæ est à diabolo, siue tentatio non est peccatum: cum ergo sit diabolus fortius impellens: ergo tentatio, quæ est ex carne, quæ minus impellit; non erit peccatum.

RESOLVTIO.

Primus motus omnis peccatum est, quia inordinata siue libidinosa delectatio est, à sensualitate iam per peccatum originale corrupta, nec à ratione repressa procedens.

¶ AD quod dicendum, quod quidam distinguunt inter motum primo primum, & motum secundo primum. Primo primus motus est, qui repente insurgit: & ille non est peccatum: secundo primus motus est, qui post illum incurrit, & ille est peccatum: quia debebat reprimi, ex quo sentiebatur primo primus.

¶ Alij vero dicunt, quod omnis primus motus est peccatum, sed non dicitur primus motus quousque voluntatem attingit. Sed ipsi distinguunt duplicem sensualitatem, brutalem, & humanam: in brutali non est peccatum: in humana est peccatum. Melius tamen potest dici, quod est sensualitas in homine * corrupta per originale peccatum, & inordinata delectatio, siue libidinosa, quæ ex ea procedit inquantum corrupta, dicitur primus motus, & est peccatum: quia debebat esse subdita rationi, & ipsa mouetur indebito modo præter rationem, & attingitur aliquo modo à ratione, non faciente, sed permittente, & radicem eius non opprimente. *Alias, corrupto.

¶ AD primum ergo dicendum, quod vno modo potest vitari primus motus: potuit enim ratio vitare istum primū motum, & illum, & ita de singulis: licet non posset vitare de se omnem. & ita primus motus est, qui vitari potest, secundum rationem iam dictam.

¶ AD secundum vero dicendum, quod voluntarium dicitur dupliciter: vel quod est à voluntate faciente, vel quod est à voluntate permittente, siue radicem non comprimente. Primo modo non est primus motus voluntarium: secundo modo, vel tertio est.

¶ Ad tertium dicendum; quod duplex est consensus: factiuus, & absq; tali est primus motus: & est permissiuus, & sine tali non est primus motus: licet enim non sit consensus actu, est tamen habitu.

¶ Ad quartum dicendum; quod primus motus sic est in potestate nostra, vt iste, vel ille non surgat: sed non quin aliquis surgat, nisi hoc esset ex excellenti gratia.

¶ Eodem modo dicendum est ad quintum; inuincibile enim dicitur duobus modis: aut in vniuersali, aut in particulari.

¶ Ad vltimum dicendum; quod licet diabolus sit fortior impellens, quam caro: tamen caro plus allicit ad peccatum propter sui cohærentiam cum ratione. Et ideo non sequitur, si tentatio, quæ est à diabolo, non est peccatum, quod propter hoc tentatio, quæ est ex carne.

MEMBRVM III.

An primus motus sit in omni vi motiua animæ?

TERTIO quæritur, Vtrum primus motus sit in omni vi motiua animæ. Quod videtur: omnis enim vis animæ corrupta fuit per originale peccatum: & ex illis sic corruptis aliqui motus primo oriuntur per excitationem carnis, siue stimuli; & motus huiusmodi dicitur primus motus: ergo in omni vi potest esse primus motus.

¶ Item, vnaquæq; potest peccare ex surreptione: ergo cum primus motus dicatur, qui est ex surreptione, vnaquęque potest peccare primo motu.

¶ Item, aliquis sine deliberatione præcedente, & subito ex vitio rationis, dubitat de articulo fidei, & statim reiicit: talis motus est peccatum veniale: & nullus motus pręcessit illum: ergo est primus motus: & est in superiori parte rationis: ergo primus motus potest esse in superiori parte rationis: multo fortius in inferiori, & ita in omni vi.

Rom. 7. Glossa. ¶ CONTRA, supra illud: *Captiuum me ducentem in legem peccati.* Gloss. *Lex membrorum vel carnis morbidus quidam affectus, qui commouet illicitum desiderium.* Vbi notatur, quod primi motus, qui dicuntur illicita desideria, sunt ex lege carnis. Sed ista immediate coniunguntur sensualitati: ergo primi motus tantum sunt in sensualitate.

¶ Ex ratione supradicta ipsius primi motus potest idem haberi.

RESOLVTIO.

Quinimmo in sensualitate tantum.

¶ AD quod dicendum, quod primus motus, secundum quod supra dictum est, tantum est in sensualitate.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod licet vnaquæque vis sit corrupta, vel inordinata: non tamen ex ea surgit primus motus: sed potest esse veniale peccatum: & hoc ratione corruptionis: non quia omnis motus sit peccatum veniale, qui à vi qualibet egreditur: nō enim sufficit, quod sit primus motus alicuius potentiæ: sed quod sit motus sensualitatis secundum impulsum fomitis.

¶ Ad secundum dicendum, quod & si peccet vis quęlibet aliquando secundum surreptionem; non tamē est primus motus, de quo loquimur hic: sed veniale pecatum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet aliquis dubitet de aliquo articulo fidei sine deliberatione; non tamen illa dubitatio est primus motus (est enim in ratione per surreptionem) sed oritur ex phantasmatibus, quibus inordinate admiscetur ratio.

MEMBRVM IV.

A quo habet primus motus, quod sit peccatum?

QVARTO quæritur, à quo habet primus motus peccatum. Aut enim habet hoc ab origine, aut à fine; aut quia contra legem Dei, aut à consensu rationis. Si habet illud ab origine, id est à fomite. Contra, fomes post baptismum non est peccatum, sed pœna. Si ergo motus primus est à fomite, motus primus post baptismum non est nisi pœna.

¶ Si vero habet à fine, quia est ad illicitum. Ergo primus motus, qui est in vxorem, non esset peccatum.

Hieronym. ¶ Si vero est peccatum, quia est contra legem Dei. Contra ait Hieronymus: *Anathema sit, si quis ait, Deum aliquid impossibile præcepisse.* Eodem modo necessarium prohibuisse. Primum autem motum vitari, est impossibile: ergo Deus primum motum non prohibuit.

¶ Præterea, si primus motus esset contra legē Dei, multo fortius alia peccata venialia essent cōtra legem Dei: quæ cum non sint, non est primus motus contra legem Dei.

¶ Si vero est peccatū propter consensum rationis. Contra, primus motus insurgit contra voluntatem rationis: & tamen est malum; sicut dicitur: *Quod nolo malum, hoc ago.* Rom. 7. Ergo non habet à consensu rationis, quod sit malum.

RESOLVTIO.

Et ab origine, & ex inordinatione ad finem.

¶ AD quod respondendum, quod primus motus habet esse peccatum, & ratione originis, & ratione inordinationis ad finem.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, primo dicendū: quod licet fomes post baptismum sit pœna tantum; nihilominus potest ex huiusmodi corrupta radice progredi motus, qui est peccatum. Cum hoc enim quod fomes est pœna, remanet quædam causalitas siue inclinatio ad culpam: ratione cuius motus ille, qui est in potentia coniuncta radici, & exit à tali radice, est peccatum.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod in primo motu ex ratione potentiæ non est consideratio huiusmodi circunstantiæ, quod sit in vxorem: sed primus motus tantum respicit, quod in mulierem. Vel forte hanc circunstantiam non respicit, sed tantum quod expleatur delectatio carnalis, non ponendo circunstantiā ex parte personæ, in quam, vel cum qua. Est ergo in primo motu inordinatio actus ad finem licitum. Ex duobus ergo prædictis cum motus est in sensualitate, dicitur esse peccatum.

MEMBRVM V.

An ad primos huiusmodi motus necessitemur?

QVINTO quæritur, Vtrū sit necessitas ad primos motus. Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud: *Neq; exhibeatis membra vestra.* Gloss. *Hic non prohibet concupiscentiam, quæ est in primo motu: quia non est in potestate nostra, quin surgat.* Rom. 6. Glossa.

¶ Item, super illud: *Irascimini, & nolite peccare.* Gloss. *inuitus* * *tolero, quod vitari non potest:* si ergo surgat motus animi, qui iam propter pęnam peccati non est in potestate nostra: saltem non ei consentiat ratio. Ergo necessitas est ad primos motus. Ephes. 4. Glossa. * Alias, caueo.

¶ CONTRA, quod necessitatis est, non imputandum est peccatum; nisi ipse homo causa sit illius necessitatis: sicut est in peccato consuetudinis. Sed ipse homo, qui peccat, non est causa necessitatis ad veniales motus.

RESOLVTIO.

Tum quidem sic, tum vero non.

¶ AD quod dicendum est, quod vno modo est necessitas ad primos motus: & alio modo non. Non enim est necessitas ad hunc primum motum, vel illum: licet sit necessitas ad aliquem, manente corruptione in sua causalitate: posset enim manere corruptio, sed tolli causalitas ex virtute gratiæ.

MEMBRVM VI.

An primi motus sub prohibitione cadant?

SEXTO quæritur, Vtrum primi motus cadant sub prohibitione. Quod videtur: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret.* Non concupisces (& loquitur ibi de concupiscentia quæ est in primo motu) ergo cadit sub prohibitione illa, qua dicitur: *Non concupisces.* Rom. 7. Exod. 20. & sæpius.

¶ Item, super illud: *Non ego operor, sed qui* &c. infra in Gl. *Attende quomodo.* August. Hic dicit legem nolle, quod nolebat Apostolus: id enim quod Apostolus nolebat, & tamen faciebat, concupiscentia est, quæ est in primo motu. Nolle autem legem, nihil aliud est, quam prohibere: ergo primus motus cadit sub prohibitione. Rom. 7. Glossa. August.

Glos. ibid. ¶ Item, dicitur ibidem in Gloss. *Quod nolo facere, facio tamen lege idem prohibente* (& loquitur de primo motu) ergo primus motus est sub prohibitione.

¶ Item, Est aliquod præceptum affirmatiuum, quod non potest impleri in via, vt: Diliges Dominum Deum &c. Ergo similiter debet esse aliquod præceptum negatiuum, quod similiter non potest impleri in via, hoc autem est: Non concupisces. Sed quod non potest impleri, hoc non est nisi ratione primorum motuum: ergo primi motus sunt sub prohibitione.

Eph. c. 4. Glossa. ¶ CONTRA, supra illud: *Irascimini, & nolite peccare.* Gloss. *permittit Apostolus irasci, quod est humana tentatio: sed prohibet iram ad effectum ducere.* Irasci autem accipitur ibi pro primo motu: ducere vero iram ad effectum, pro mortali peccato: Ergo primus motus est in permissione, non in prohibitione.

¶ Item, primi motus non sunt in nostra potestate: & quod non est in nostra potestate, non cadit sub prohibitione: ergo primus motus non cadit sub prohibitione.

August. de prætentia Dei, ad Dardanū, Epist. 112. ¶ Item Augustinus: *Inobedientia concupiscentiæ habitat in carne mortali, qua fit, vt eadem membra etiam præter voluntatis moueantur arbitrium.* Sed prohibitio est eorum, quæ sub sunt lib. arbit. ergo inobedientia concupiscentię non est in prohibitione; sed illa est primus motus: ergo primus motus non est sub prohibitione.

RESOLVTIO.

Cadunt, sed indirecte.

¶ AD quod dicendum, quod esse sub prohibitione dicitur esse duobus modis. Vel illud, quod prohibetur directe, & sic primus motus nō est sub prohibitione. Vel quod prohibitione ostenditur indirecte esse malum: sicut accidit, cum prohibetur, ire post concupiscentias: *ire post concupiscentias, est directe prohibitum:* sed concupiscentia ostenditur esse malum. Vnde ad Rom. 7. habetur in Gloss. Legem omnem illicitam concupiscentiam nolle: sed aliter nolle concupiscentiam, quæ est in primo motu: aliter nolle concupiscentiam delectationis, & consensus. Illam quippe non vult, id est, reprobat, & detestatur, & peccatum esse ostendit: hanc vero non tantum ostendit esse peccatum, verumetiam prohibet. Ex his ergo habetur, quod non proprie dicitur lex prohibere primum motum, sed nolle, id est detestari, vel reprobare.

Eccles. 18. Glossa super Rom. 7

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum, quod non sequitur, si nesciebat Apostolus concupiscentiam, quę est primus motus, esse malum, nisi lex diceret, Non concupisces, quod primus motus sit sub prohibitione: sed quod primus motus sit malum, ostenditur ex prohibitione: prohibetur enim, ne concupiscentia ad effectum ducatur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod non sequitur, quod si lex reprobat concupiscentiam primum motum, quod propter hoc prohibeat.

¶ Ad tertium dicendum, quod illud præceptum, negatiuum: Non concupisces, non potest omnino impleri in via, quantum est de potestate lib. arb. in se: Hoc autem dicitur propter venialia peccata, quę licet non prohibeantur directe; tamen mala esse ostenduntur, & cauenda secundū possibilitatem humanam. Aliter tamē dicitur præceptum de diligendo Deo ex toto corde, non posse impleri in via; & præceptum de non concupiscendo non posse impleri in via. Illud enim dicitur ratione circumstantiæ quæ est ex toto corde: istud vero dicitur ratione dispositionis, quæ subintelligitur ante consensum rationis.

MEMBRVM VII.

An ratio peccet, non reprimendo primos motus?

SEPTIMO quæritur, Vtrum ratio peccet, si non reprimat primos motus? Aut enim tenetur reprimere, aut non. Si tenetur, ergo peccat mortaliter ex omissione, si non reprimit. Quod autem teneatur, videtur ex hoc, quod præceptum est ei, ne eat post concupiscentias: sed non reprimere, est ire post concupiscentias: ergo tenetur reprimere.

¶ Item, si superior pars rationis non reprimeret delectationes inferioris partis, peccaret mortaliter (sicut fuit in primis parentibus: ex eo quod Adam non cohibuit Euam) sic autem est in interiori homine, sicut in exteriori, prout dicit Augustinus: ergo cum superior pars teneat locum viri, inferior locum mulieris: superior tenetur cohibere illicitas delectationes inferioris: ergo à simili ratio tenetur cohibere delectationes sensualitatis. Ratio enim secundum Gregorium, tenet locum viri: sensualitas locum mulieris. Aug. in lib. de Trinit.

Aug. in lib. 12. de Trin. ¶ CONTRA, dicit Augustinus, loquens de inferiori parte rationis: *Si inferior pars rationis consenserit, ita vt sola cognitionis delectatione sine voluntate perficiendi teneatur, & non diu: mulier sola manducauit: & est veniale peccatum.* Ergo non tenetur inferior pars rationis reprimere motus sensualitatis.

¶ Item, nullus tenetur ad impossibile: sed motus surgunt in sensualitate, nolente ratione, & impotente reprimere: ergo non tenetur reprimere motum sensualitatis.

RESOLVTIO.

Tenetur non consentire, sed non tenetur reprimere.

¶ AD quod dicendum: ratio non tenetur reprimere primos motus mortalium peccatorum, ne surgant: sed ne perducantur ad consensum superioris partis: hoc est tenetur non consentire secundum superiorem partem, vel etiam secundum inferiorem: cum iam peruenitur ad iudicium ipsius diffinitiuum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum est, quod illud, quod dicitur in Ecclesiastico, quod ratio tenetur non ire post concupiscentias: hoc intelligitur de via consensus in actu mortalis peccati ex titillatione præcedente.

¶ Ad secundum dicendum, quod non est simile in coniunctione superioris partis rationis ad inferiorem, & in coniunctione inferioris ad sensualitatem. Nam inferior pars rationis ita ordinata est ad superiorem, quod subiecta sit ei, vel esse debeat: sensualitas vero ex pœna ordinata est, vt repugnet: & ideo licet teneatur ratio superior ad cohibendum delectationes illicitas inferioris partis: non tamen tenetur ad cohibendum delectationes illicitas inferioris partis sensualitatis. Inferior enim pars rationis vno modo subiecta est superiori; & alio modo non: in hoc enim est subiecta, quod non potest consentire inferiori ad perficiendum peccata absq; superiori: in hoc autem non est subiecta, quod condelectari potest ipsi sensualitati sine consensu rationis superioris. Præterea * inseparabile est ius matrimonij inter inferiorem partem rationis, quæ est ad modum mulieris: & superiorem, quæ est ad modum viri: non autem est matrimonium inter rationem & sensualitatem, secundum quod sensualitas tenet locum serpentis: & ideo licet teneatur superior pars rationis cohibere inferiorem, inferior tamen non tenetur omnino cohibere sensualitatem. * Alias, inseparabilis est vis.

MEMBRVM VIII.

Quid sit oppositum primi motus?

OCTAVO quæritur de opposito primi motus, quid sit illud? Et videtur, quod hoc sit gratia: gratia enim & peccatum opponuntur: sed primus motus est veniale peccatum: ergo gratia & primus motus opponuntur.

¶ Contra, opposita nata sunt fieri circa idem subiectum: sed primus motus est in sensualitate sicut in subiecto, gratia vero in voluntate rationali siue in ratione: ergo non opponuntur. Potest ergo quæri, quid sit oppositum primo motui? quia nec videtur gratia opponi primo motui; quæ delet veniale peccatum, vel quæ delet mortale. Propter hoc dixerunt aliqui, quod gratia non opponitur primo motui, sed virtus. Contra quod sic: *Virtus* (sicut dicit Philosophus) *non est sine voluntate:* sed primus motus est sine voluntate: ergo non sunt circa idem. Philosoph.

¶ Si vero dicatur, quod nec gratia, nec virtus opponantur. Obiicitur sic: aliquis conteritur super peccatis suis & mortalibus & venialibus, siue sint primi motus, siue alij: per contritionem autem delentur peccata: hoc autem non

est, nisi

est, nisi per gratiam: ergo gratia opponitur primis motibus, & per consequens virtus.

RESOLVTIO.

Gratia, tanta, scilicet quanta à lege peccati nos liberare valeat.

¶ Ad quod dicendum, quod gratia opponitur, sed non quæcunque: sed gratia intantum inualescens, vt possit liberare à lege peccati; ne scilicet motus surgant: aut si surgant, statim decidant. Et ideo dicit Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (& post subditur) *Gratia Dei per Iesum Christum.*

Rom. 7. Ibidem.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod licet gratia non sit in eodem subiecto primo: tamen effectus eius extenditur vsq; ad subiectum primi motus, scilicet sensualitatem: reformata enim ratio per gratiam, aliquando reformat ipsam sensualitatem.

MEMBRVM IX.

An primi motus æquales sint in omnibus & singulis?

Nono quæritur, An primi motus sint æquales in eadem persona, vel in diuersis. Et videtur quod non sunt æquales: quidam enim sunt proniores ad incontinentiam, quam alij; & ita ad primos motus: ergo primi motus incontinentiæ non sunt æquales in illis. Similiter potest dici de primis motibus gulæ.

¶ Contra, originale peccatum æquale est in diuersis: ergo & ipsa pœna originalis peccati, scilicet fomes: ergo & ipse motus, qui procedit à radice huiusmodi: sed ille motus est primus motus: ergo primi motus sunt æquales.

RESOLVTIO.

Vtique, quantum ad radicem, sed non quantum ad subiectum.

¶ Ad quod dicendum, quod primi motus sunt æquales quantum est de radice: sed non sunt æquales quantum est ex parte subiecti, in quo est radix. Vnde maior pronitas dicitur duobus modis: vel ratione ipsius fomitis, vel ratione dispositionis in subiecto.

MEMBRVM X.

An pro primis motibus pœna à Deo infligatur?

Decimo quæritur, Vtrum pœna infligatur à Deo pro primis motibus. Quod videtur: nullum peccatum est impunitum; primus motus est peccatum: ergo non est impunitum.

Hiero. super Ezech. [illegible]

¶ Contra, Hieronymus: *Deus primos & secundos stimulos cogitationum, quos Græci propathos vocant, & sine quibus nullus hominum esse potest, non punit.* Sed hi sunt primi motus: ergo Deus non punit pro primis motibus.

Genes. 9.

¶ Item, quando Cham peccauit, videns nuditatem patris; non ipse, sed filius eius recepit sententiam maledicti. Sed per Cham signatur primus motus; per Chanaan delectatio in inferiori parte rationis: ergo Deus non punit primos motus, sed delectationes sequentes ex illis.

RESOLVTIO.

Et quidem temporalis, sed non æternalis: quinimmo ipsimet pœna sunt.

¶ Ad quod dicendum, quod primus motus est peccatum, & punitur temporaliter, sed non æternaliter, quantũ est de se: & ideo dicitur, quod Deus non punit. Ipsi etiam primi motus in se sunt pœnæ, secundum hoc quod dicit Augustinus: quod omnis motus inordinatus pœna est.

MEMBRVM XI.

An morosa delectatio in creatura peccatum sit, & quale?

Seqvitvr de delectatione morosa, & quæritur, an sit peccatum: deinde, an veniale, vel mortale. Circa primũ sic, duplex est delectatio: Vna, qua delectamur in Deo: de hac nihil ad præsens. Et est delectatio in creatura, de qua quæritur, an sit peccatum. Quod sic, probatur: nam dicimus in confessione: *Peccaui cogitatione, delectatione, &c.* Ergo delectatio est peccatum.

¶ Contra, non est voluntarium: ergo non est peccatum.

RESOLVTIO.

Et peccatum & non peccatum, & veniale & mortale: iuxta varias delectationis acceptiones.

¶ Respon. Est delectatio naturalis, & est delectatio voluntaria, & est delectatio vitiosa. Delectatio naturalis non est laudabilis, nec vituperabilis: sicut cum delectatur vnaquæq; vis animæ in suo obiecto; vt ratio in cognitione veri: visus in coloribus, maxime mediis: auditus in sonis mediocribus, & sic de aliis. Voluntaria duplex: in rem licitam, & illicitam. Si in rem licitam: aut est ordinata, vt scilicet velit delectari in quo debet, & quantum debet, & prout debet: aut est inordinata, quia est vel in eo quod non debet, vel vltra quàm debet, & non vt debet. Primo modo peccatum est, sed non secundo modo. Sed si in rem illicitam, peccatum est; & hæc est vitiosa: & ex vitioso fomite mouente. Et distinguendum est: nam aut delectatio talis appellatur illecebra, ex qua surgit motus: aut motus ipse. Primo modo non est peccatum: immo passio, vel pœna originalis peccati est, sicut & primus motus.

¶ Seqvitvr, an delectatio inordinata, in eo quod est in illicitum, propterea sit peccatum veniale, vel mortale? Ad quod respondetur: quoniam est delectatio morosa, & ista est peccatum mortale: & est delectatio non morosa, & ista est peccatum veniale. Dubitatio

¶ Sed adhuc quæritur, quanta mora requiritur ad hoc, quod sit mortale peccatum. Et ad hoc notandum, quod dicitur in 2. Senten. vbi agitur de sensualitate. Nam sicut in tentatione hominis primi tria sunt, serpens, vir, & mulier: sic spiritualiter est in tentatione hominis. Nam serpens est sensualitas: inferior pars rationis mulier, superior vir. Serpens intendit decipere mulierem cibo illicito, cum sensualitas illecebra voluptatis inferiorem partem rationis pulsat: sola mulier comedit, quando inferior pars rationis sine voluntate perficiendi consentit delectationi: vir comedit, quando superior pars rationis plenam voluntatem perficiendi apponit. Cum ergo in sensibili motu peccati illecebra teneatur, veniale & leuissimum peccatum est: tunc vero mulier sine viro gustat, cum ita delectatione cogitationis tenetur peccatum, vt faciendum non decernatur. Si ergo peccatum non diu teneatur in cogitatione delectationis, sed statim vt mulierem tetigit, recedit viri autoritate, peccatum veniale est. Si vero in delectatione teneatur diu, & si voluntas perficiendi desit, est mortale. Cum vero vir, id est superior pars rationis illecebrę consentit; hoc est, cum adest plena voluntas perficiendi, mortale est semper, & grauissimum. Dubitatio. Mag. in 2. sen. dist. 24.

¶ Sed dubitatur, quid est, quod dicitur, diu tenetur. Aut illud intelligitur de diuturnitate temporis: aut de diuturnitate deliberationis rationis. Non temporis, quia quantumcunq; diu est delectatio, dummodo non præponatur delectationi, quæ est in Deo, vel æquetur; nunquam est mortale peccatum. Nec deliberationis, quia quantumcunq; deliberatum sit, dummodo non sit consensus; peccatum mortale non est. Dubitatio.

¶ Respondeo sine præiudicio: illud intelligitur de diuturnitate deliberationis rationis. Cum enim deliberat ratio illicitam esse delectationem, & post delectationi consentit, auersa à delectatione, quæ est in Deo, per contemptum; illicitæ delectationi, quæ est in creatura, adhæret: & ideo peccat mortaliter.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, distinguendum est: quod est consensus ad delectandum: & est consensus ad opus. Si opus sit de genere venialis, sicut est mendacium iocosum, & ei consentiatur; inquantum tale, veniale peccatũ est: si opus sit mortale, vt fornicari, & huiusmodi, mortale est. Consensus etiam est ad delectandum; quod si delectatio veniali actuali referatur, veniale est: si mortali distinguendũ. Quia aut consensus ille est subditus, nõ pręhabita deliberatione: & ille appellatur surreptio: & procedit ex corruptione rationis, & est veniale: & tunc mulier comedit scilicet inferior pars rationis: & non diu tenetur peccatum in delectatione, sed statim recedit, cum à viro reprimitur.

Et est

RESOLVTIO.

Ocium, vt veniale peccatum est, neutrum respicit: vt autem mortale, præceptum respicit, & illud profecto, quod est de sabbato sanctificando.

¶ Ad quod dicendum, quod ocium, prout est veniale peccatum, non respicit præceptum vel prohibitionem: secundum autē quod est mortale, respicit & opponitur præcepto, quod est de opere, & præcepto, quod est de sabbato sancto. Est enim sabbatum non sanctum, quod est in ociosis hominibus. Vnde dicitur in Threnis, super illud: *Viderūt hostes, deriserunt sabbata eius.* Maligni spiritus vacationis nostræ ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt: & sic deludunt. Quod Canonicis, & Monachis, & omnibus Dei ministris valde cauendum est: ne non solum ab interno iudice sabbata eorum reprobentur, sed etiam ab hostibus irrideantur. Si autem pro vanis cogitationibus nostris sabbata irridētur, quid de illis putandum est, qui cum Deo vacare debent, etiam flagitiosa committere non formidant? (Thren.7.)

MEMBRVM IV.

An eque culpabile sit sermonis & operis ocium?

QVARTO quæritur, Vtrū æqualiter sit culpabile ocium in sermone & opere. Et videtur, quod ocium operis sit magis culpabile. Si enim opus melius est, quam verbum: ergo ocium operis est magis culpabile, q̄ ocium sermonis.

¶ Contra, dicit Gregorius: *Quanto sunt leuiora præcepta, tanto maius supplicium est his, qui non obseruant.* Sed leuius præceptum est de vtili sermone, quam de vtili opere: sicut sermo leuior est, quam opus: ergo pœna non obseruantis maior: ergo transgressio maior. Ergo magis culpabile est ocium sermonis, quam operis. (Gregor.)

RESOLVTIO.

Quinimmo sicut excedentia & excessa se habet.

¶ Ad quod dicendum, quod ocium sermonis dicitur dupliciter. Vel cum homo loquitur inaniter, inanis autem sermo dicitur, qui non fit pro iusta necessitate, vel pro propria vtilitate. Aliquādo vero dicitur ocium sermonis, cum homo non loquitur, & loqui deberet, altera istarum causarum. Cum ergo homo abstinet ab opere bono, ociando; & abstinet à sermone bono, ociando: quantum est ex parte eius, à quo abstinet, paribus existentibus aliis circumstantiis: magis est culpabile ocium operis, quam sermonis. Quantum autem est ex parte dispositionis in abstinente, maius est ocium sermonis, quam operis. Quod autem ocium sermonis tegatur per bonam operationem: & ita præferatur operatio locutioni: patet per hoc, quod dicit B. Gregorius super illud Iob: *Manum meam ponam* &c. Manum super os ponere, est virtute boni operis culpas tegere incautæ locutionis. Quod autem maior culpa est in locutione, quam in operatione; patet per hoc, q plus in potestate nostra est sermo, quam opus. Vtroq; autē modo contingit peccare per ocium; sicut habetur super illud: *Cum pugnassent contra Madianitas* &c. Inanis est omnis actus & sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo, vel Dei mandato. (Iob 29. Num.31.)

MEMBRVM V.

An ocium charitati, fortitudiniq; opponatur?

QVINTO quæritur, cui opponitur ocium? Et primo quæritur, vtrum opponatur charitati. Secundo, vtrum opponatur fortitudini?

¶ Quod autem opponatur charitati, videtur per hoc, quod dicit B. Gregorius: *Charitas ociosa non est: aut enim proficit, aut deficit.* Ergo charitati opponitur ocium. (Gregor.)

¶ Item, Chrysostomus: *Magnum est amor, & ipso igne vehementius, & ad ipsum reducit cœlum: & nulla est prohibitio, quæ eius impetum detinere possit.* Ergo charitas nō simul stat cum ocio. (Chrysost.)

¶ Contra, Gregorius: *Quisnam inueniri potest, qui quantumlibet perfectus sit, de ocioso sermone tamen non peccet. In multis enim offendimus omnes*, Iacobo testante. Ergo ocium potest simul stare cum charitate. (Gregor. in Moral. Iacobi 3.)

RESOLVTIO.

Neutri proprie & per se: tum maxime vt veniale peccatum est.

¶ Ad quod dicendum, quod autoritas Gregor. intelligitur, si non est ociosa, id est morosa in ocio: quia etsi habēs charitatem aliquando cadat in ocium, tamen charitate cito excitatur. Si vero fieret vis in hoc verbo [*ociosum*] simpliciter dicendum esset, quod charitas non esset ociosa, vel etiam plena ocio: verba enim huiusmodi in plenitudinem sonant.

¶ Ad illud vero, quod dicit Chrysostomus, dicendum est: quod sicut ignis ex gutta aquæ non extinguitur, sed retardatur quo ad aliquem effectum: sic accidit charitati, quæ igni comparatur, quod non extinguitur per ocium, secundum quod est veniale peccatum: sed aliquando feruentior redditur post ocium: vnde eius impetus non detinetur.

¶ Deinde videtur, quod opponatur fortitudini: quod videtur per hoc, quod dicit Augustinus. Dicitur enim, quod contra virtutis exercitium est torpor, siue ignauia: quid autem aliud est ignauia, nisi ocium? (Aug. in lib. de cōflictu vitiorū & virtutum.)

¶ Item, fortitudo virtus est: & est media inter ocium & præcipitationem: medium autem opponitur extremis.

¶ Item, Isidorus dicit: quod acidiæ opponitur fortitudo: sub accidia vero videtur contineri ocium: ergo ocium opponitur fortitudini. (Isid. in lib. de summo bono.)

¶ Contra, timor malus opponitur fortitudini: plura autem non opponuntur eidem secundum vnum genus oppositionis: cum ergo oppositio vitij & virtutis sit secundum contrarietatem; non opponetur fortitudo ocio contrarie, nec alio genere oppositionis: & ita non opponetur.

¶ Ad quod dicendum, quod fortitudo & timor malus per se & primo opponuntur secundum modum virtutis & vitij: sunt enim circa easdem passiones. Quod autem ocium dicitur opponi fortitudini, hoc est ratione concomitantis: ociositas enim opponitur operositati: operositas autem est dispositio concomitans fortitudinem. Nec est dicendum, quod ociositas idem sit omnino, quod torpor, vel accidia.

MEMBRVM VI.

An religiosi teneantur ad opera manualia?

OCCASIONE prædictæ Quæstionis de ocio, siue ociositate, quæritur: Vtrum religiosi teneantur ad opus manuale? Quod videtur, per simile: sicut enim ab illa lege, qua dictum est: *Cum dolore paries*, nulla mulier est excepta præter B. Virginem, quæ non concepit de viro, sed de Spiritu sancto. Similiter ab illa lege: *In sudore vultus tui vesceris* &c. nullus debet excipi: ergo omnes tenentur laborare. (Genes.3. Ibidem.)

¶ Item, super illud: *Ad ea, quæ necesse erant mihi.* Gloss. *Exemplum operandi est Episcopis, quo discernuntur à lupis.* Ergo si non laborant, non discernuntur à lupis: per lupos autem signantur peccatores: ergo peccant, si non laborant. (Act. 20. Glossa.)

¶ Item: *Audiuimus quosdam inter vos ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes: his autem, qui huiusmodi sunt, præcipimus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio laborantes, panem suum manducent.* Ergo doctrina apostolica tenentur operari manualiter. (2. Thes. vlt.)

¶ Quidam vero intelligi volunt de operibus spiritualibus. Quod non videtur, tum per exemplum ipsius Apostoli; tum per verba etiam ipsius præcepti.

¶ Contra, dicitur in Euangelio: *Dignus est operarius mercede sua*: super quo dicitur, Apparet non esse iussa, sed permissa. (Lucæ 10.)

¶ Item, contemplatiua vita potior est actiua: religiosi tenentur ad contemplatiuam: ergo pro actu contemplatiuæ dimittere tenentur ea, quæ sunt actiuæ. Sed operari manualiter pertinet ad actiuam: ergo dimittendum est à religiosis pro actu contemplatiuæ; non ergo tenentur.

¶ Item, Dominus dicit in Euangelio illi, qui volebat sepelire patrem suum: *Sine mortuos sepelire* &c. *tu autem annuncia regnum Dei.* Ergo minus bonum dimittendum est pro (Matth. 8.)

maiori

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod mors gehennæ non recte dicitur mors, propter vitæ perpetuitatem, dicendum, quod non dicitur mors opposita vitæ naturæ: sed opposita vitæ gloriæ. Nec esset mors perpetua gehennæ: nisi esset vita naturæ perpetua. Vnde Augustinus: *In damnatione nouissima quamuis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est; non immerito mors est potius appellata, quam vita.*

Aug. in lib. 14. de ciuit. Dei.

¶ Ad vltimum vero dicendum, videlicet quod obiicitur de morte culpæ; quod licet mors culpæ sequatur ex illo peccato, quod dicitur mortale: quia ibi auertit se homo à Deo: proprijssime tamẽ dicitur infidelitas peccatum mortale: quia aufert omne, q̃ vita est spiritualis: secundũ quod dicitur: Iustus ex fide viuit. Alia vero peccata, cum quibus saluatur fides informis; & si vitam gratiæ gratum facientis auferunt, non tamen totum, quod est gratiæ.

MEMBRVM II.

An peccatum mortale, & crimen conuertantur?

SECVNDO quæritur de differentia eius, vel conuenientia ad criminale. Et videtur, quod conuertantur. Vnde Hieronymus: *Criminalis appellatio late patet, complectens omne peccatum, quod de voluntate procedit.* Sed tale est peccatum mortale: ergo criminale & mortale conuertuntur.

Hierony.

¶ Item, super illud Iob 31. *Hoc enim nefas est.* Gloss. *Peccatum polluit, crimen extinguit.* Sed hoc facit peccatum mortale: ergo peccatum mortale & criminale conuertuntur.

Iob 31. Glossa.

¶ Item, Hugo: *Criminalia dicuntur, quæ vel læsionem inducunt, vel turpitudinem ingerunt*: in quibus Deus vel proximus multum offenditur: vel ipse, qui facit, maculatur. Sed hæc ratio conuenit mortalibus peccatis: ergo mortalia & criminalia conuertuntur.

Hugo de S. Victore.

¶ Contra, Augustinus: *Crimen est peccatum graue, & accusatione, & damnatione dignissimum.* Sed non omne peccatum mortale est tale: ergo peccatum mortale & crimen non conuertuntur.

Aug. super Ioan.

¶ Item, dicitur in Epistola ad Timoth. *Oportet Episcopum esse sine crimine*: non ait, sine peccato (secundum hoc enim nullus, vel pauci ordinarentur) ergo non conuertuntur.

1. Timot. 3.

RESOLVTIO.

Si crimen communiter sumatur, vtiq; si proprie, minime.

¶ AD quod dicendum, quod crimen accipitur dupliciter: communiter, & proprie. Cõmuniter accipiendo, conuertuntur crimen & mortale peccatum. Vnde Isido. vnum pro altero accipit, dicens: *Multi à crimine corruunt in crimen: quia distinguere sua facta minora contemnunt, qui Dei cognitionem habentes, timorem eius negligunt.* Et præmittitur de eisdem. *Experimento minorum peccatorum, maiora committuntur peccata, vt durius ferantur.* Si vero accipiatur proprie crimen, secundum rationem prædictam, omne crimen est peccatum mortale: sed non conuertitur. Et secundum hoc supradictę autoritates sunt intelligendæ.

Isid. de sũmo bono.

MEMBRVM III.

An peccati venialis ad mortale peccatum proportio aliqua sit?

TERTIO quæritur de comparatione venialis ad mortale: vtrum sit ibi aliqua proportio? Et videtur, quod non. Infiniti enim ad finitum nulla est proportio: sed pœna æterna est infinita, pœna temporalis est finita: ergo nulla est proportio. Sed sicut se habet pœna ad pœnam, ita se habet culpa ad culpam: ratione cuius est reatus pœnæ: ergo peccati mortalis & venialis nulla est proportio.

¶ Præterea, peccatum veniale est delectatio inordinata sub Deo: peccatum vero mortale est supra Deum, vel contra. Si ergo summi boni, quod Deus est, nulla est proportio ad bonum creatum: ergo nec peccati mortalis, vbi aliquid præponitur Deo, vel parificatur: nulla est proportio ad veniale: quod commensuratur alicui bono mutabili, & ita bono creato.

¶ Contra, quælibet delectatio in mortali peccato est finita: finiti vero ad finitum potest esse proportio, si in eodem genere accipiantur: ergo proportio potest esse venialis peccati ad mortale.

¶ Item, acerbitas pœnæ, quæ debetur mortali peccato, finita est in magnitudine: pœna autem venialis peccati in acerbitate potest crescere, vt aliquam habeat proportionem ad pœnam mortalis peccati in acerbitate: ergo aliqua proportio potest esse venialis peccati ad mortale.

RESOLVTIO.

Et quidem secundum delectationem: at non secundum deformitatem.

¶ AD quod dicendum, quod est loqui de quantitate delectationis in vtroq; peccato: & secundum hoc potest esse proportio peccati ad peccatum ex parte delectationis. Est iterum loqui de deformitate, & secundum hoc nõ est proportio: deformitas enim mensuratur respectu boni incõmutabilis, siue eius in quem peccatur: delectatio vero secundum actum ipsius peccantis: & propter hoc pœna debetur mortali peccato, ex vna parte finita magnitudine, ex alia parte infinita duratione. Veniale etiam peccatum, licet quantum est de se, non habeat reatum nisi pœnæ temporalis; ex adiunctione tamen mortalis potest habere pœnam æternam: tunc enim eius deformitas est sine fine: deformitati autem sine fine respondet pœna sine fine.

¶ Secundum hoc soluuntur rationes supradictæ: illæ enim, quę ostendunt improportionabilitatem ex parte deformitatis, secundum suum genus accipiuntur, vel ratione eius, in quem peccatur: aliæ vero sumuntur secundum mẽsuram delectationis ex parte delectantis.

MEMBRVM IV.

An peccatum mortale suscipiat magis & minus?

QVARTO quæritur, Vtrum mortale recipiat magis & minus. Quod non, videtur: Mors enim naturæ, secundum quod est separatio animæ à corpore, in termino est; nec recipit magis & minus. Ergo à simili mors, secundum quod est separatio animæ à Deo, qui est vita eius: non recipit magis & minus: sed ab hac morte dicitur mortale: peccatum ergo mortale non dicitur secundum magis & minus.

¶ Contra, adulterium dicitur maius peccatum, quam fornicatio: & homicidium, quam adulterium, & vnumquodq; est mortale: ergo vnũ est excedẽs aliud in quãtitate mortalis: ergo mortale dicitur secundũ magis & minus.

RESOLVTIO.

Peccatum mortale suscipit maius & minus, sed non magis & minus. Vel secundum quiddam sic, secundum quiddam non.

¶ AD quod dicendum, quod aliud est dicere maius peccatũ mortale, & minus: & aliud est dicere magis & minus mortale. Cum enim dicitur maius & minus ad quantitatem peccati refertur in genere peccati: & maior etiam acerbitas pœnæ respondet secundũ mensuram libidinis. Cum autem dicitur magis & minus mortale; ad ipsam separationem à Deo, qui est vita, refertur; & in quantum ei pœna æterna respondet. Sicut ergo in æternitate pœnæ non est magis & minus: sic nec in separatione est magis vel minus. Vel potest dici: quod mortale peccatum in eo quod mortale respicit mortem gehennæ: in morte vero gehennæ aliquid est, quod dicitur secundum magis & minus, vt magis dicitur puniri iste, quam ille: & aliquid non dicitur secundum magis & minus: quia vtrunq; æternaliter. Dicetur ergo peccatum mortale quo ad aliquid magis & minus: quo ad aliquid non dicetur secundum magis & minus.

¶ Et per hoc possunt solui obiecta.

MEMBRVM V.

Quis sit effectus peccati mortalis secundum statum personæ?

QVINTO quæritur de effectu mortalis peccati secundũ statum personæ. Quæritur ergo: si peccati mortalis effectus est, separare à Deo, siue subtractio gratiæ, quocunque tempore insit. Sit ergo ita, quod aliquis peccator iteret

idem genus peccati mortalis: illud peccatum iteratū mortale efficit aliquid: sed effectus est separatio à Deo, vel gratiæ subtractio: ergo separat à Deo, vel subtrahit gratiam.

¶ Contra, iam separatus fuit à Deo per præcedens mortale, separatus vero separari non potest. Similiter ab eo, qui non habuit gratiam, non potuit subtrahi gratia. Ergo peccatum secundo loco cōtingens non efficit illud, quod primum faciebat: ergo non omne peccatum mortale separat à Deo, vel subtrahit gratiam. Quis ergo effectus est communis omnis peccati mortalis, inquantum est mortale?

RESOLVTIO.

Corrumpere bonum naturale in subiecto: separare, & iterato elongare à Deo.

¶ Ad quod respondendum: quod effectus omnis peccati mortalis est corrumpere bonum naturale in subiecto: & in illo effectu nō differt peccatum, siue primo adueniat, siue secundo, siue tertio. Item, est alius effectus, qui dicitur separatio: & ille effectus dupliciter accipitur. Aliquando enim accipitur pro elongatione; cum enim dicitur: *Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum*: diuisio ibi communiter ad primam separationem à Deo, & ad elongationem. Vnde separatio nō dicitur tantum coniunctorum, sed elongatio iam separatorū: separare enim est seorsū se parare: qui vero in iustitia existēs, peccat mortaliter, seorsum à Deo se parat, cū iterū peccat mortaliter, separat se, id est, seorsum separat, hoc est, elongat. Vnde alicubi in scriptura inuenitur, quod peccatū elōgat hominem à Deo; secundū q̄d dicitur: *Longe à peccatorib. salus.* Et: *Elōgauerūt a me, & ambulauerūt post vanitatē.*

Isa. 59.

Psal. 118. Ierem. 2.

MEMBRVM VI.

An diuturnitas peccati inducat mortale?

Sexto quæritur, Vtrū diuturnitas peccati inducat mortale? Quod videtur per hoc, quod dicit Augustinus, vbi enumerat peccata mortalia; dicit enim: quod iracundia si longo tempore teneatur; & ebrietas si assidua sit, in eorum numero computatur. Cum ergo iracundia, vel ebrietas nō vniuersaliter sit mortale peccatū (Nam si esset, non oporteret addere illam conditionem de diuturnitate, vel de lōgitudine temporis aut assiduitate) ergo diuturnitas peccati inducit, vel efficit mortale.

Aug. in lib. de igne purgatorio.

¶ Contra, albedo magis & minus durans non diuersificat speciem: similiter est in aliis accidentibus. Ergo diuturnitas * peccatum non inducit, vel efficit mortale.

* Alias, peccati.

RESOLVTIO.

Nequaquam gratia sui, sed gratia contemptus rationis.

¶ Ad quod dicendum: quod diuturnitas & assiduitas ratione sui nō inducit peccatum mortale: sed ratione eius, quod ratio cum habet sufficienter tempus deliberationis, tenetur reprimere motus veniales, ne procedat ad regnum peccati, siue dominium. Et ideo dicit Augustinus: *Quicunq; aliquid de istis in se dominari cognouerit, nisi digne emundauerit: & si habuerit spacium, longo tempore pœnitentiam non egerit, & à peccatis ipsis non abstinuerit: illo transitorio igne* (de quo Apostolus ait) *purgari non poterit: sed æterna illum flamma sine remedio cruciabit.* Cum ergo dicitur: iracundia, si longo tempore &c. nō pro diuturnitate computatur mortale peccatum: sed per manifestum datur intelligi occultum, scilicet ipse contemptus rationis, qui est in ira inueterata. Et eodem modo intelligendum est in consimilibus; & ideo dicit Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

August.

Ad Eph. 4.

MEMBRVM VII.

An pro peccato temporali debeatur pœna æterna?

Septimo quæritur de pœna mortalis peccati. Cum enim actio mortalis peccati sit temporalis: quantitas autem pœnæ debeat respondere quantitati culpæ, non debetur pœna æterna actioni temporali: ergo pro actione peccati mortalis non consequitur iuste pœna æterna.

¶ Si forte dicatur: quod non pro actione temporali, inquantum est temporalis, debetur pœna æterna: sed ratione maculæ, quæ remanet sine fine. Intelligatur per impossibile, quod aliquis perpetraret aliquem actum mortalem, & nō cointelligatur macula in anima: nunquid pro illo actu puniendus est temporaliter? Secundū hoc idem genus pœnæ deberetur actioni peccati mortalis, & actioni peccati venialis: Quod si non est possibile, vt existente actione mortali, non consequatur macula, nunquid pœnæ meritum deberetur maculæ, aut ipsi actioni mortali? Quod si debetur ipsi actioni: eo quod secundum actionem est meritum vel demeritum: secundum hoc redit quæstio supradicta: quomodo pro actione temporali punitur aliquis æternaliter?

¶ Si vero diceretur, quod quia ipse homo peccauit in suo æterno; ideo Deus punit eum in suo æterno. Hoc qualiter intelligendū est, cum possit contingere, quod semel peccauerit homo mortaliter, & tamen æternaliter puniatur.

¶ Sed diceret aliquis: quod ille, qui in peccato moritur, in infinitum peccasset, si in infinitum vixisset. Sed hoc qualiter verum est: potest enim cōtingere, quod aliquis peccet semel mortaliter: nec de cætero habeat voluntatē peccandi in illo genere peccati: & tamen est in illo peccato: non ergo in infinitum peccasset, si in infinitum vixisset, illo genere peccati. Videtur ergo, quod non debeatur pœna æterna peccato mortali.

RESOLVTIO.

Vtiq; quia peccans mortaliter æternum iudicem in suo æterno offendit.

¶ Ad quod dicendū: quod circunstantia temporis non facit, vt peccatum æternaliter puniatur: sed circunstantia illius, in quem peccatur: qui cum sit æternus, complētibus mandata promittit bona æterna: transgressoribus vero cōminatur pœnas æternas: vt qui in suo æterno æternum iudicem offenderint, in eius æterno æternaliter crucientur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, vtrum possit esse actio mortalis sine macula? dicendum est, quod non: vtriq; tamen debetur pœna æterna. Et licet ipsa actio transeat, tamen voluntas habitualis permanendi in peccato manet: & ideo dicit B. Gregorius: *Qui æternaliter peccato perfrui volunt, æternam pœnam inueniunt: & quorum voluntas non habuit finem peccandi, non habebit finem torquendi.*

Gregor.

¶ Et si dicatur de aliquo, qui peccauit peccato fornicationis, & non vult vlterius peccare illo peccato, quod non peccat in suo æterno. Dicendum est, quod in hoc peccat in suo æterno, quod non vult pœnitere de illo: & ita ratione fornicationis cum impœnitentia debetur ei pœna æterna.

QVÆSTIO CXII.

De Delicto in communi.

In quinq; Membra diuisa.

Dicto de peccato in generali, sequitur de specieb. eius. Est autem vna diuisio specierum: aliud delictum: aliud commissum. Delictum enim est in non faciendo, quod debetur facere: commissum vero est in faciendo, quod tenetur non facere. Quæ differentia notatur super illud: *Delictū meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.* Gloss. *delictum, quod dimisi facienda: iniustitiam, quod non facienda feci.* Vnde iniustitia accipitur ibi pro cōmisso. Potest ergo quæri de delicto: & deinde de commisso. De delicto autem primo dicendum est in genere: deinde in specie.

D. Tho. 1. 2. q. 79. art. 4. ad 1. arg. 3. Bon. in 2. d. 42. dub. 2. Psal. 31. Glossa.

¶ Quæritur ergo primo, quare dicatur delictum. Secundo, vtrum delictum opponatur commisso. Tertio, vtrum maius peccatum sit delictum, quam commissum. Quarto, vtrum delictum sit simul cum commisso. Quinto, vtrum omne delictum, & omne commissum reducantur ad vnam causam communem.

MEMBRVM I.

Vnde dicatur delictum?

Ad primum sic: delictum dicitur quasi derelictum: sic enim exponit Aug. sed derelictio non videtur distinguere inter peccata mortalia (In vnoquoq; enim peccato mortali est Dei derelictio) ergo non conuenienter ponetur vna species mortalis peccati.

¶ Item

Aug. in lib. de natura boni.

¶ Item, Augustinus: *Peccatum non est appetitio rerum malarum, sed desertio rerum meliorum.* Desertio autem quid est, nisi derelictio? ergo omne peccatum mortale, de quo loquitur ibi, est delictum.

RESOLVTIO.

Delictum dicitur, quasi derelictum: quia quod faciendum est, derelinquitur.

¶ Ad quod dicendum, quod delictum eò dicitur derelictum, quia derelinquitur illud, quod faciendum est: non quia derelinquitur Deus. Sic enim large acciperetur delictum: & non proprie, secundum quod diuiditur contra commissum: hoc autem modo accipitur in illa ratione peccati: *Peccatum non est appetitio* &c. Et dicitur, quod *peccatum non est appetitio rerum malarum*: quia *res* accipitur ibi pro natura: nulla autem natura mala est. Sed desertio dicitur rerũ meliorum: quia homo peccãdo mortaliter, deserit Deum: deserit etiam bona spiritualia, adhęrendo transitoriis. Nec est hoc contrarium, quod alibi dicitur: quod *peccatum est appetitio rei mutabilis*: vel, quod *peccatum est appetitus rei malæ*: res enim accipitur pro delectabili illicito.

MEMBRVM II.

An delictum diuidatur contra commissum?

Secvndo quæritur, Vtrum delictum opponatur commisso. Et videtur, quod non: per hoc quod dicitur ibi: *Delicta quis intelligit.* Delictũ enim cõtinet in se occulta propria, & aliena. Sed omnia peccata possunt dici talia: ergo oẽ pctm̃ est delictũ: & ita nõ opponũtur delictũ & cõmissum. — Psal. 18.

¶ Contra: *Confiteantur omnes iniquitates filiorum Israel, vniuersa delicta, atq; peccata.* Ergo diuiditur contra peccatum. — Leuit. 16.

¶ Similiter: *Quantas habeo iniquitates, & peccata, scelera mea, atq; delicta ostende mihi.* — Iob 13.

¶ Similiter dicitur in Leuit. 17. & 6. quod offeratur sacrificium pro peccato, sicut pro delicto. Ergo delictum diuiditur contra peccatũ, & peccatũ accipitur ibi pro cõmisso. — Leuit. 17.

¶ Item, duæ sunt partes iustitiæ: declinare à malo, & facere bonum: quibus duabus opponũtur delictũ & cõmissum. Ergo delictum & commissum inter se opponuntur.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, & ei contra distinguitur, & ipsum complectitur.

¶ Ad quod dicendum, quod delictum, prout opponitur illi parti iustitiæ, quæ est, facere bonum; diuiditur contra commissum: quæ opponitur isti parti, quæ est, declinare à malo. Delictum autem, prout dicitur à derelinquendo, commune est ad peccatum: & sic aliquando accipitur.

¶ Sed adhuc quæritur, vtrum delictum & commissum sufficienter diuidant peccatum mortale per immediata? Quod videtur ex iam dictis. — Qũ. later.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur in Leuit. 5. vbi dicitur: quod delictum est, quod contra solum præsumitur Deum, vt in sanctis, vel in iuramentis. Delictũ autem hoc modo acceptum cum commisso, non sufficienter diuidit peccatum mortale. — Glossa ordinaria: & est Efiecij super illud. Oblitaq; postea intellexerit delictum suum.

¶ Præterea, dicitur ibidem: vbicunq; cognitio peccati, siue præferatur, siue subinferatur, delictum vocatur. Ergo delictum non continet peccatum ignorantiæ, nec commissum continet peccatum ignorantiæ: ergo tres sunt differentiæ peccati mortalis, delictum, peccatum ignorantiæ, & commissum.

¶ Ad quod dicendum, quod illa duo sufficienter diuidunt peccatum actuale mortale. Vnde Augustinus: Duobus enim modis fieri constat omne peccatũ: si aut illa fiant quæ prohibentur: aut illa non fiant, quæ iubentur. Et hæc duo sunt delictum, & commissum. — Aug. in lib. de perfectione iustitiæ.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum est: quod delictum aliquando coarctatur ad illa, quibus proprie delinquitur in Deum: & secundum hoc currit illa diuisio; peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in seipsum. Hoc autem modo non accipitur delictum; secundum quod diuiditur contra commissum: sed dicitur delictum, cum non fit, quod faciendum est.

¶ Similiter respondendum est ad secundum: delictum enim aliquando coarctatur ad illud peccatum, quod scienter fit, vel quod scitur, cum factum est: & hoc modo non diuidit contra commissum; licet diuidat contra peccatum per ignorantiam, siue quod ignoranter fit. Alio vero modo delictum accipitur communiter, quando non fit, ad quod tenetur (& fieri dicatur large ad scire) & secundum hunc modum delictum cõtinet in se peccatum ignorantiæ: peccatum enim ignorantię est, cum non scit, quod tenetur scire: & hoc modo delictum immediate se habet contra commissum: continet enim in se peccatum ignorantiæ * omissionis. Alio vero modo accipitur super illud: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Delicta enim dicuntur, quando via veritatis scienter derelinquitur: ignorantiæ vero peccata, quæ ignoranter fecit, vel antequam * crederet. — * Alias, omissionis & negligentiæ. Psal. 24. — * Alias, crederet peccare.

MEMBRVM III.

An delictum maius peccatum sit, quam commissum?

Tertio quæritur, vtrum maius peccatum sit delictum, quam commissum? Quod videtur: delictum enim in Leuitico magna indigebat expiatione: sicut dicitur Leu. 5. Ergo maius peccatum fuit delictum, quam commissum.

¶ Præterea, facere bonum, est melior pars iustitię, quam declinare à malo. Ergo delictum, quod opponitur ei, quod est facere bonum (hoc enim abstinere est à bono, vel desertio boni; sicut dicitur super illud: *Sicut pro peccato offertur hostia*) cõmissum vero opponitur ei, quod est declinare à malo (hoc enim est facere malum) ergo delictum est maius peccatum, quam commissum. — Leuit. 7.

¶ Contra, videtur, quod æquale, per hoc, quod dicitur: *Sicut pro peccato offertur hostia, ita pro delicto: vtriusq; hostia vna lex erit.* Si ergo vna est lex: vna est lex sacrificij pro peccato, & pro delicto: ergo sunt consimilis culpæ. — Ibidem.

¶ Item, Gregorius super illud: *Scelera mea, atq; delicta ostende mihi.* Hoc interest inter scelus & delictum: quod scelus pondus peccati transcendit: delictum vero non: quia cum offerri sacrificium pro peccato iubetur; nimirum pro peccato dicitur sicut pro delicto. Ergo ad paria iudicantur peccatum & delictum: sed hoc dicitur commissum: ergo delictum & commissum ad paria iudicantur. — Gregor. in originali. Iob 13.

¶ Quod autem delictum sit minus, quam commissum, arguitur: difficilius enim fit obseruatio ab omisso, quam commisso: quæ vero sunt huiusmodi, aliis paribus minora sunt peccata. Quod autem difficilioris sit obseruationis, patet per hoc, quod plures ignoranter omittunt, siue delinquunt, quam committunt.

¶ Præterea, plures sunt prohibitiones, quam præcepta affirmatiua: sed in transgrediendo prohibitiones fit commissum: & non faciendo præcepta, fit delictum: ergo pluries fit commissum quam delictum.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, nunc hoc, nunc illud maius.

¶ Ad quod dicendum, quod delictum, secundum quod immediate se habet contra commissum, & sufficienter diuidit peccatum actuale mortale; maius peccatum est in genere commissum, quam delictum: quia maius malum est, facere malũ, quam non facere bonum. Secundũ aũt quod delictũ respicit per se in iniuriam Dei, maius est peccatũ: & sic accipitur quãdoq; in Leu. cũ maior requiritur expiatio.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per comparationem delicti & commissi ad partem iustitiæ: dicendum est, quod licet maius bonum sit, facere bonum, quam non facere malum: non tamen sic est in oppositis, vt maius sit malum, abstinere à bono, quam facere malum: sed attendenda est ibi consequentia in contrario.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de paritate per hoc, quod dicitur in Leuit. intelligendum est, quod illa paritas attenditur quo ad legem hostiæ, inquantum respicit sacerdotem. Vnde dicitur ibidem: *Ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.* — Leuit. 7.

¶ Ad illud vero, quod dicit B. Gregorius, dicendum est: quod quo ad hoc attenditur paritas, quod scelus transcendit vtrunq; in malitia.

MEMBRVM IV.

An delictum simul sit cum commisso?

QVARTO quæritur, Vtrum delictum sit simul cum cōmisso. Quod videtur: qui enim non facit, quod tenetur facere; hoc est, quia aliquid aliud facit, quod distrahit affectum ab illo.

¶ Item, qui facit, quod non tenetur facere, omittit illud, ad quod tenetur (qui enim fornicatur, tenetur continere, & non continet) ergo delictum simul est necessario cum commisso.

RESOLVTIO.

Interdum simul, interdum non simul, iuxta diuersitatem actuum.

¶ AD quod dicendum, quod delictum * aliquod est respectu actus, qui directe opponitur ei, quod prohibetur; vt se habent continere ab illicito, & fornicari: & in talibus ad commissum sequitur delictum: sed nō econuerso. Sunt etiam alij actus, respectu quorum dicitur delictum: & in talibus potest esse delictum sine commisso: vt tenetur ille dare indigenti pro tempore & loco, & non dat; & ex hoc delinquit, non tamen committit. Præterea, iste dat, cui non debet; & ita committit, nec tamen omittit: potest enim dare & cui nō debet, & cui debet: & ita ex vna parte transgredi, ex alia parte non delinquere. Sic ergo patet, qualiter separantur delictum & cōmissum, & qualiter nō separantur.

* Alias, aliquid est, cū est respectu actus, qui habet directe oppositū, quod prohibetur.

MEMBRVM V.

An omnia delicta ad vnum commune delictum, & omnia commissa ad vnum commune commissum sicut ad vniuersalem causam reducantur.

VLTIMO quæritur ratione delicti & commissi, si omne delictum reducatur ad vnum commune, siue ad vnam causam cōmunem, & omne commissum similiter? Quod non, videtur: distinctæ enim sunt prohibitiones ab inuicē, & iussiones similiter: delicta autem & commissa sunt circa actus particulares: non ergo erit delictum vnum commune omnibus delictis, nec præceptum ad omnia præcepta, neq; omnia reducentur ad vnum vtrobique.

¶ Contra, Augustinus: *Generalis prohibitio est, Non concupisces: & generalis iussio, Diliges: quod breuiter Apostolus complexus est, dicens: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: prohibitio enim est, Nolite conformari: iussio est, Reformamini.* Cum ergo delictum & commissum attendantur secundum iussionem & prohibitionem, erit delictum & commissum ad generalia reducere: cum enim aliquis delinquit, tenetur aliquis reformari in nouitate vitæ, & non reformatur delinquendo: cum autem aliquis committit, tenetur non conformari huic seculo, & conformatur.

Aug. in lib. de perfectione iustitiæ. Rom. 12.

RESOLVTIO.

Et quidem: prima profecto ad Nolite conformari huic seculo: posteriora ad Reformamini in nouitate sensus.

¶ AD quod dicendum est, quod est reducere (sicut dictū est) ad prædicta generalia; quæ sunt tanquam radices præceptorum, & prohibitionum: non quod ista sint vniuersalia præceptorum & prohibitionum particularium: sed sicut, non concupiscere, & diligere sunt radices: ita, nolite cōformari, & reformari sunt consequentia: & sic quicunque delinquit, vel committit, radicius peccat in illis, vel ex consequenti.

QVÆSTIO CXIII.

De ignorantia.

In nouem Membra diuisa.

DICTO de delicto in genere, sequitur de tribus differentiis delicti, quæ sunt, ignorantia, omissio, negligentia. Delictum enim dicitur derelictio boni faciendi, ad quod tenetur homo: bonum autem illud aut est in scire, aut in agere. In agere vero dupliciter: vel quo ad genus actus debiti: vel quo ad circunstantiam debitam. Primum est ignorantia, quæ est circa sciendum: secundum est omissio, quæ est desertio actus debiti: tertium est negligentia, quæ est desertio circunstantiæ debitæ.

D. Tho. 1. 2 q. 76. S. Bō. in 2. d. 22. art. 1 Sco. ibid. q. 2.

¶ Primo ergo dicendum est de ignorantia, & quæritur primo, vtrum ignorantia sit peccatum aliquo modo. Secundo, si aliquo modo non est peccatum, an sit pœna peccati. Tertio, quæ differentia sit ignorantiæ & erroris. Quarto, si concomitetur quodcunq; peccatum. Quinto, cum dicitur esse peccatum, vel cum peccato; vtrum sit originale, vel actuale, vel medium. Sexto, vtrum peccatum ignorantiæ sit grauissimum. Septimo, vtrum excuset ignorantia à peccato, vel non excuset. Octauo, de excusantibus, quæ magis excusent. Nono, de comparatione ipsius ad alias causas excusationis.

MEMBRVM I.

An ignorantia peccatum sit?

AD primum sic dicitur super illud: *Scimus, quoniam iudicium est Dei.* Et postea sequitur: *An ignoras.* Gloss. *Ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, peccatum est.* Rom. 2. Ibidem. Glossa.

¶ Item, Isidorus: *Nullus in culpa maior est, quam ille, qui Deum nescit.* Isid. in lib. de ecclesiastica instit.

¶ Item: *Ignorans ignorabitur, & reprobabitur.* Sed reprobatio non est nisi propter culpam: ergo ignorantia est culpa. 1. Cor. 14.

¶ Item, aliquod nomen scientiæ commune est cum virtute: ergo per oppositum, aliquod nomen ignorantiæ commune est cum peccato. Sicut ergo scientia siue prudentia dicitur esse virtus: ita ignorantia dicetur esse peccatum.

¶ Contra, sicut dicitur in Enchir. *Duo sunt inflicta propter peccatum, ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum.* Sed quod inflictum est, inquantum huiusmodi tenet rationem pœnæ non peccati: ergo ignorantia non est peccatum. August. in Enchir.

¶ Item, ignorantia & scientia nata sunt fieri in intellectu: virtus autem & peccatum in voluntate: intellectus vero & voluntas sunt disparata: ergo scientia & virtus: ergo ignorantia & peccatū sunt disparata: ergo hæc nō est illud.

RESOLVTIO.

Ignorantia pro defectu, incuria, & voluntate nesciendi, quæ ad salutem necessaria sunt, peccatum est. Pro defectu autem veræ cognitionis, peccatum non est.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia multipliciter dicitur: Aliquādo enim dicitur defectus veræ cognitionis: aliquando defectus scientiæ debitæ, siue ad quam tenetur homo: aliquando vitium, vel peccatū ex volūtate nesciendi ea, quæ sunt ad salutem necessaria: necessaria autem ad salutem sunt fides, & mores. Voluntas ergo nesciendi in iis, vel non apponendi curam, vt sciantur, est peccatum. *Noluit intelligere, vt bene ageret:* super quo dicitur in Gloss. *Potuit intelligere, vt bene ageret, sed noluit: & ita veniam non habet: imprudentia enim & ignorātia aliquando venia datur: voluntati aūt mala semper pœna.* Ex iam dictis patet, quomodo est peccatū, & quō nō. Psal. 35. Glossa.

¶ Et per hoc potest responderi ad obiecta: cum enim dicitur, ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, est peccatum: si est prædicatio secundum essentiam, accipitur ibi pro voluntate nesciendi, vel * non curandi; scire enim incuria, vel voluntas sciendi, est peccatum: & hoc est verum.

* Alias, nō curandi scire, id est incuria vel voluntas nesciendi.

¶ Ad secundum dicendum est, quod iste dicitur esse in culpa, qui nescit Deum, nō quia * nescire sit culpa: sed quia non assentire est culpa: infidelitas enim est peccatum.

* Alias, nescientia.

¶ Ad tertium dicendum, quod ille, qui ignorat, dicitur ignorari, id est, improbari, secundum illud, quod dicitur in libro de natura & gratia: *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras: sed quod negligis quærere, quod ignoras: neq; quod vulnerata membra non colligis, sed quod saluare volentem contemnis.* Et iterum in Qō. noui Testam. *Hic, qui potuit, & non dedit operam, reum se fecit: erat enim quod disceret, & à quo disceret.*

Aug. in lib. de natura & gratia. Idē in quæstionib. noui Testam.

¶ Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet nomen esse commune ignorantiæ, quæ est in intellectu, & peccati

sicut

ficut fcientiæ in intellectu & virtutis. Illud vero, quod dicitur, ignorantiam effe inflictam, vel excufare peccatum, de pœna intelligitur.

¶ Illud etiam, quod dicitur, ignorantiam effe in intellectu, ficut & fcientiam: non intelligitur de ignorantia, fecundum quod eft nomen peccati.

MEMBRVM II.

An ignorantia pœna fit?

SECVNDO quæritur, fi ignorantia aliquo modo non eft peccatum, an fit pœna peccati. Quod autem fit pœna peccati, patet per hoc, quod dicit Hugo de S. Victore. Vitium corruptionis humanæ duplici corruptione naturam inficit: ignorantia mentem, & cōcupifcentia carnem. Hæc duo mala in primo parente pęna fuerunt præcedentis culpæ: ergo ignorantia eft pœna.

Rom. 2. ¶ Item fuper illud: *Scimus quoniam iudicium* &c. Ignorantia in eis * qui intelligere * non potuerūt, eft pœna peccati.

* Alias quę

* Alias noluerunt.

¶ Item, Auguftinus in Enchir. *Errores in huiufmodi falfitatibus, quibus fallimur (salua fide, & via non relicta, qua ducit ad illū) etiam fi peccata non funt, tamen * in malis huius vitæ deputandi funt.* Et fic cum error fit ignorātia, vel cum ignorantia: erit ignorantia pœna.

* Alias, cū malis.

¶ Sed quod ignorantia nec fit culpa, nec pœna, fed caufa vtriufque: videtur per hoc, quod Eua peccauit ex ignorantia, quia feducta fuit: ficut dicitur 1. Timoth. 2. fed illa ignorantia non fuit pœna; non enim pręcefferat culpa: nec fuit culpa; quia idem non eft caufa fui: ergo ignorantia non eft culpa, nec pœna.

1. Tim. 2.

Hugo. ¶ Item, Hugo: *Nafci fine cognitione, natura eft, non culpa.* Sed in eo vitio nafci, quo poftea à cognitione veritatis fit impedimentum, culpa eft, id eft caufa culpę. Ergo ignorantia fiue dicatur defectus cognitionis, fiue quo fit impedimentum cognitionis, caufa eft culpæ; caufa autem culpæ præcedit culpam & pœnam: ergo huiufmodi ignorantia non eft culpa, nec pœna.

¶ Quod etiam patet in angelis: angeli enim quidam boni ignorauerunt myfterium paffionis: in illis autem nec erat culpa, nec pœna: ergo aliqua ignorantia non eft pœna.

RESOLVTIO.

Ignorantia interdum pœna eft, interdum culpa, interdum caufa culpæ, aut concomitans illam, interdum vero horum nullum.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia multipliciter fumitur: Aliquando enim fumitur pro nefcientia, & hoc modo poteft effe, quod nec fit culpa, nec pœna, nec etiam caufa culpæ, vel concomitans; ficut fuit in angelis: & adhuc eft refpectu alicuius cognofcibilis, ficut refpectu diei iudicij: *De die illa nemo fcit, nec angeli Dei.* Aliquando vero illa nefcientia eft occafio culpæ: & hoc modo fuit nefcientia in Eua. Aliquando vero eft concomitans culpam: ficut cū dicitur, omnis malus ignorat. Aliquando vero eft pœna inflicta pro culpa originali, vel actuali.

Matth. 24.

¶ Et fecundum hæc poffunt folui ea, quæ obiecta funt. Nam primæ rationes attenduntur quantum ad ignorantiam, fecundum quod eft pœna. Sequentes vero, quantum ad ignorantiam, quæ eft concomitans culpam, vel occafio culpæ. Vltima vero attenditur, quantum ad nefcientiam, quæ nec eft concomitans culpam, nec occafio culpæ.

MEMBRVM III.

An ignorantia, & error conuertantur?

TERTIO quæritur, quæ differentia fit ignorantiæ & erroris. Et ad hoc fic. Error enim eft peccatum, quod opponitur fidei: ignorantia vero fecundum fuam rationem non eft peccatum: ergo error non eft ignorantia. Quod autem error fit peccatum, patet per hoc, quod dicit Auguftin. *Quis, nifi errans malum neget, approbare falfa pro veris, aut improbare vera pro falfis, aut habere certa pro incertis?* Sed hoc approbare, eft errare: hoc autem poteft effe in his, quæ funt circa fidem: cum autem fic eft, approbatio peccatum eft: ergo error eft peccatum. Reftat ergo ex prædictis, quod error non eft ignorantia.

Auguft.

¶ Contra, Auguftinus in Enchir. *Error cauendus eft, non folum in maioribus, verum etiam in minoribus: nec nifi rerū ignorantia poteft errari.* Non tñ confequens eft, vt continuo erret, quifquis aliquid nefcit: fed quifquis exiftimat fe fcire, quod nēfcit: pro vero enim approbat falfum, quod eft erroris proprium. Ergo error eft ignorantia: fed non econuerfo.

Idem in Enchir.

¶ Item, omnis error malum culpæ eft, vel pœnæ: fed ignorantia aliquando eft neutrum illorum, immo bonum, vt videtur, fecundum quod dicit Auguftinus, funt quædam, quæ nefcire, quam fcire, eft melius. Ergo ignorantia eft vniuerfalior, quam error.

Idem in Enchir. c. 17. circa mediū, To. 3.

¶ Item, ignorantia eft in adultis & paruulis; error eft in adultis tantum: ergo ignorantia eft communior errore.

RESOLVTIO.

Ignorantia communior eft, quam error: illa in defectu debitæ cognitionis, hic in affenfu & diffenfu confiftens.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia eft cōmunior, quam error. Vbi autem infimul concurrunt, in hoc diftinguūtur: quod error dicitur effe in affenfu & diffenfu: ignorantia vero in defectu cognitionis debitæ. Vnde error opponitur contrarie ipfi fcientiæ vel fidei (fi fit circa credibilia) ignorantia vero priuatiue.

¶ Per hoc poteft folui, quod obiectum eft: cum enim dicitur, quod errare eft approbare, &c. approbatio fonat in confenfum: ignorantia vero, & nefcientia in eo, qui aptus natus eft fcire; vel qui habet poffibilitatem ex natura ad fciendum. Si ergo inueniatur alicubi, quod error eft ignorantia, non dicitur hoc per effentiam: fed per concomitantiam, fiue per caufam.

MEMBRVM IV.

An ignorantia concomitetur quodcunq; peccatum?

QVARTO quæritur, fi ignorantia concomitetur quodcunq; peccatum. Quod non, videtur: aliquis enim fcienter peccat: ergo non eft ibi ignorantia illa, qua ignorat effe peccatum: nec eft ignorantia in conditionibus perfonæ, aut actus (Poteft enim contingere, quod habeat fcientiam harum & illarum) ergo ignorantia non concomitatur quodcunq; peccatum.

¶ Contra, dicit Philofophus: quod *omnis malus ignorat* (& loquitur de ignorantia concomitante peccatum) ergo eft ignorantia concomitans omne peccatum. Philofoph.

¶ Item, voluntas & ratio ita coniuncta funt: vt cum voluntas deficit volēdo, tunc ratio deficit in eligendo: fed defectus in electione eft ignorantia: defectus autem in volūtate eft peccatum: ergo ignorantia cōcomitatur peccatum.

RESOLVTIO.

Ignorantia, prout in intellectu practico eft, femper peccatum comitatur: prout autem in intellectu fpeculatiuo, non femper.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia vno modo concomitatur peccatum: & alio modo non. Secundum enim quod ignorantia eft in fpeculatiuo intellectu, nō eft neceffe ignorantiam effe femper cū peccato: ficut in Theologis, qui cognitionē habent faciendorū, & nihilominus peccāt. Eft aūt alia ignorantia, quæ eft in intellectu practico: fecūdum quod aliquis cum peccat, nō habet experientiam boni, vel non habet electionem boni, quę pręcedit experientiam: & hoc modo omnis malus ignorat.

¶ Et fic intelligitur illud Philofophi.

¶ Ex hoc etiam patet illud, quod poftea obiectum eft. Vnde fecundum hunc modum ignorantia comitatur peccatum: fecundum alium modum eft quoddam peccatum ex ignorantia: & non omne.

MEMBRVM V.

An ignorantia fit peccatum originale, vel actuale, vel medium?

QVINTO quæritur, cum dicitur effe peccatum ignorantia, vel cum peccato: vtrum fit originale, vel actuale, vel medium. Et oftenditur, quod non eft originale: originale

nale enim transit reatu, & manet actu post baptismum: sed ignorãtia in peccante post baptismum remanet in reatu & actu: ergo non est originale peccatum (supposito quod originale non redeat: ignorantia autem potest redire.

¶ Item, ignorantia est peccatum in his, qui intelligere noluerunt: & originale peccatum est, siue velit, siue nolit: ergo ignorantia non est originale peccatum.

¶ Nec est actuale peccatum, actuale enim peccatum transit actu, & remanet reatu: ignorantia vero aliquando manet actu, & transit reatu: (sicut est in sacerdote, qui tenebatur scire pertinentia ad officium suum, & non sciuit, cum debuit: & pœnituit super hoc, & adhuc nescit: ignorantia in illo transit reatu, & remanet actu) ergo non est peccatum actuale.

¶ Quod autem sit actuale, patet per hoc, quod delictũ est actuale peccatum: ignorantia vero sub delicto continetur: ergo ignorantia est actuale peccatum.

Hugo de S. Victore. ¶ Quod autem sit originale peccatum, videtur ex verbis Hug. qui dicit: quod *ignorantia & concupiscentia sunt in nobis culpa, simul & pœna originalis*: ergo ignorantia est originalis culpa.

RESOLVTIO.

Et originale, & actuale, & medium: diuersa scilicet consideratione.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia vno modo dicitur esse peccatum actuale in eo, qui non curat scire, quod tenetur scire: & sic continetur sub actuali peccato, prout est à voluntate non curandi. Alio vero modo dicitur ignorantia originalis culpa secundum Hugon. prout originale peccatum reddit lib. arbit. culpabile, quo ad ignorantiam ex parte rationis, & quo ad concupiscentiam ex parte voluntatis: & hæc est intentio Hugonis, secundum quod trahimus ex primis parentibus originalem concupiscentiam cum ignorantia. Tertio vero modo dicitur ignorantia habere quandam conuenientiam cũ originali, & aliam conuenientiam cum actuali. Aliquando enim transit reatu, & remanet actu: vt in sacerdote, de quo diximus, contrito. Aliquando vero transit actu, & remanet reatu: vt in illo, qui voluit nescire, & postea [illegible]: sed non cõtentur de voluntate priori culpabili. Et transit actu, quia non remanet iam ignorans: & manet reatu, quia adhuc remanet culpa. Et hoc modo habet mediam ratione: licet sub actuali peccato simpliciter contineatur, secundũ quod est peccatum.

MEMBRVM VI.

An peccatum ignorantiæ iuxta B. Ambrosij sententiam grauissimum peccatum sit?

SExto quæritur, Vtrum peccatum ignorantiæ sit grauissimum peccatum. Quod notatur: *An ignoras, quoniam benignitas Dei, &c.* Et dicit Ambrosius: *Peccas homo, dum impunitatem tibi promittis, grauius cum Dei bonitatem contemnis: grauissime cum ignoras.* Et sunt gradus peccatorum: ergo grauissimum peccatum est ignorantia. (Rom. 2. Ambrof.)

¶ Contra, Augustinus: *Verissimum est, longe grauius esse peccatum eius, qui sciens, quam eius, qui nesciens, peccauit.* Ergo peccatum ignorantiæ minus est. (Aug. in lib. de [illegible] mo contra Donatistas. Idem, 10 li. de ciu. Dei.)

¶ Similiter idem alibi consimilem sententiam ponit. Ex quibus colligitur, quod peccatum ignorantiæ non est grauissimum.

¶ Item, Isidorus: Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet: noluisse scire ad superbiam, & contumacem voluntatem.

RESOLVTIO.

Ignorantia consequens peccatum, ipsumq́; aggrauans (de hac enim intelligit B. Ambrosius) grauissimum & periculosissimum peccatum est.

¶ Ad quod dicendum, quod peccatum ignorantiæ dicitur multipliciter. Vel cum peccat aliquis, & nescit se peccare: & tunc dicitur peccare ex ignorantia. Vel cum nescit, & non curat se scire: vel peccat graui peccato, & post ea non sensit, quam grauiter peccauit: immo redditur quasi insensibilis respectu culpæ & pœnæ. Est ergo ignorantia disponens ad peccatum sequens: & ignorantia materia ipsius peccati, siue circa quod est peccatum: & est ignorantia cõsequens peccatũ, aggrauans ipsum. Hoc vltimo modo dicitur illa autoritas Ambrosij: *Grauissime peccat, qui ignorat*, id est periculosissime: quia si sentiret peccatum, ac pœnam peccati; ad medelam confugeret, qua curaretur à peccato: & sic est de illo, sicut de paralytico: vel de illo, qui non habet sensum morbi sui. (Ambrof.)

¶ Illud autem, quod dicit August. quod peccata scientium præferuntur peccatis nescientiũ: intelligitur de ignorantia antecedente peccatum: semper enim diminuit.

¶ Quod autem dicit Isidorus: *Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet: noluisse vero scire ad superbiam, & contumacem voluntatem*: intelligitur de peccato ignorantiæ, secundum quod ignorantia est illud, circa quod est peccatum, & hoc modo graue est peccatum. Vnde dicit Isidorus ibidem: *Voluntati propriæ domini nescire velle, quid aliud est, quam velle superbiendo dominum contemnere.* (Isidorus. Idẽ ibidẽ.)

¶ Adhvc etiam quæritur de peccato Euæ, cum esset ex ignorantia (sicut dicit Isidor.) qualiter tam graue fuit peccatũ, & grauissime punitum. Videtur enim, quod hoc peccatum maius esset aliis peccatis, & tamen est peccatum ex ignorantia: nullum enim aliud peccatũ actuale ita grauiter punitum est: cum ergo mensura pœnæ sit secundum mensuram culpæ: nullum peccatum videtur esse ita graue. (Q6. later. Idem.)

¶ Ad quod potest responderi: quod dicitur aliquod peccatũ esse ex ignorantia: vel quando aliquis ignorat, vtrum fuerit præceptum, vel prohibitum; & delinquit, vel omittit: & hoc modo non fuit peccatum Euę ex ignorantia: nouit enim esse pręceptum à Domino. Est iterum ignorantia, qua nesciuit esse verum, quod ei suadebatur à diabolo: & tamen assensit: & ista nescientia non diminuit culpam: nec tamen propter illam principaliter aggrauatur: sed propter hoc quod appetendo esse sicut Deus, totum genus humanum obligauit ad peccatum, gustando de fructu vetito, vnde omnes in illis primis parentibus peccauimus.

MEMBRVM VII.

An ignorantia à peccato excuset?

SEptimo quæritur, Vtrum ignorantia excuset à peccato, vel non excuset? Et videtur, quod excusat, per hoc quod dicit Augustinus: *Qui ignorat non suo vitio, non enim fuit, à quo disceret, nec rumore comperit opinionem doctrinæ: immunis est à condemnatione.* Ergo ignorantia excusat. (August. in quæstionibus noui Testam.)

¶ Item: *Scio, quod per ignorantiam fecistis: conuertimini ergo, vt deleantur peccata vestra.* Ergo per ignorantiam minuebatur peccatum. (Act. 3.)

¶ Item, Augustinus: *Quo modo reus constituitur, qui nescit, quid fecerit?* Ergo ignorantia excusat. (Aug. loco citato.)

¶ Item, Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Ergo ignorantia excusat: & si non à toto, tamen à tanto. (1. ad Tim. 1.)

¶ Contra, Augustinus super illud: *Qui non cognouit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis.* Gloss. *ignorantia, quæ non est eorum, qui scire volunt, sed eorum, qui nesciunt; neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat.* Ergo ignorantia huiusmodi non excusat. (Lucæ 12. Glossa.)

¶ Item, Augustinus: *Non omnis ignorans immunis à pœna est: hic enim qui potuit discere, & non dedit operam, reum se fecit: negligentior enim luxuria, aut maleuolentia inexcusabilis est à crimine.* (Aug. loco citato.)

¶ Item, Isidorus: *Sunt, qui scienter peccant, & qui per ignorantiam excusationem quærunt, vt minus culpabiles habeantur: qui tamen seipsos non muniunt, sed magis decipiunt.* Ergo huiusmodi ignorantia non excusat. (Isidorus.)

¶ Item, super illud: *Noluit intelligere, vt bene &c.* Gloss. *voluntati malæ semper pœna debetur.* Ergo ista ignorantia addita alteri culpæ, non diminuit, aut excusat, sed magis auget. (Psal. 35. Glossa.)

¶ Item, cæcitas inducit peccatum, sicut patet in Lamech: qui cæcus effectus, sagitta occidit Cain. Sed sicut cæcitas est in corpore, ita ignorantia in anima: ergo ignorantia facit adesse peccatum: quod non esset, si non ignoraret: ergo ignorantia non excusat peccatum.

RESO-

RESOLVTIO.

Quædam excusat, quædam magis accusat.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia quædam excusat, & quædam non excusat. Est n. ignorantia inuincibilis ex casu: in quam non incidit homo ex sua culpa,* sed ex debilitate naturæ: & hæc excusat. Est iterum ignorantia iuris diuini, & canonici: & hæc excusat simplices, quo ad quædam, quæ non sunt necessaria ad salutem essentialiter. Econtrario vero est ignorantia, quæ non excusat quo ad Deum: vt pote ignorantia supina, siue affectata, & ignorantia eorum, ad quæ tenetur homo, & ignorantia negligentiæ.

*Alias, vel.

¶ Per hoc potest responderi ad obiecta. Cum enim dicitur, quod ignorantia excusat, vel simpliciter, vel in parte: intelligitur de ignorantia inuincibili, vel de ignorantia simplici (non dico eorũ, quæ sunt ad salutem) & de ignorantia facti.

Aug. in lib. quæstionũ noui Test

¶ Illa ergo autoritas Aug. de ignorantia inuincibili intelligitur, secundum statum personæ & loci.

Actuum 3.

¶ Illa vero autoritas in Lib. Actu. *Scio quod per ignorantiam fecistis*: non intelligitur de ignorantia, quæ excusat à toto, sed quæ excusat à tanto. Dicitur enim in Euangelio: *Nunc autem excusationem non habent de peccato.* Sed in quibusdam etiam eorũ poterat esse ignorantia negligenti, & illa nec excusabit à tanto, nec à toto. Vnde de talibus dicit Aug. *Cum prædicaretur veritas, vt eam addiscerent, operam non dederunt, sed ignorantiam autorem eius occiderunt.*

Ioan. 15.

Augu loco supra notato.

¶ Tertia vero autoritas Aug. intelligitur de ignorantia inuincibili ex casu. Vnde dicit: *Aliquos scimus subito dementes factos, ferro, fuste, lapidibus, morsibus multos nocuisse: captos aũt industria, & iudicibus oblatos minimè reos factos: eo quod nõ voluntate, sed impellente vi (nescio qua) hæc gesserunt, nescientes.*

Actuum 3.

Quarta vero authoritas intelligitur de ignorantia, quæ non excusat à toto, sed à tanto: quæ fuit in Apostolo Paulo: arbitrabatur enim se obsequium præstare Deo, legis æmulator existens, & ideo peccatum eius veniale fuit, cum ad misericordiam confugit: licet esset in genere mortalis.

Augu st. in quæstionibus noui testamẽti.

¶ Ad autoritates vero, quæ sunt ex alia parte. Dicendum est, quod illa autoritas Aug. intelligitur de ignorantia negligentiæ; quæ quo ad hoc non excusat, sed multo magis cum fuerit ex maleuolentia.

Psal. 35.

¶ Illa vero, quam ponit Isidor. intelligitur de ignorantia affectata. Similiter illa, quæ ponitur super illud Psalm. *Noluit intelligere, vt bene ageret.*

Lucæ 12.

¶ Illa vero, quæ ponitur ab August. super illud: *Qui non cognouit*, &c. intelligitur de illa ignorantia, quæ non excusat à toto; licet excuset à tanto, & ideo dicitur, neminem sic excusat, &c.

¶ Ad quartum vero dicendum est: quod in parte simile est de cæcitate & ignorantia, & in parte dissimile. Quo ad hoc est simile, quod sicut cæcitas inclinat ad peccatum, sic etiam ignorantia: quo ad hoc vero dissimile: quod cæcitas tantum pœna est: ignorantia potest esse culpa.

MEMBRVM VIII.

An ignorantiarum altera magis excuset, accuset ve?

OCTAVO quæritur de excusantibus peccatum, quæ magis excusant, & quæ est comparatio ignorantiæ ad ignorantiam.

¶ Est autem quædam diuisio ignorantiæ ex parte materiæ, cum dicitur: alia est iuris, alia facti. Ignorantia vero iuris, alia est iuris naturalis, alia est iuris diuini, alia iuris canonici, alia iuris ciuilis. Potest ergo quæri, quæ ignorantia minus excusat. & quæ non.

¶ Ad quod respondendum, quod ignorantia iuris si excusat aliquam personam; vtpote simplices, qui non habent facultatem perueniendi ad iuris peritiam (vt sunt paruuli, rustici, & mulieres) minus excusat, quam ignorantia facti. Ignorantia enim iuris in iis, quæ sunt ad salutem, minus excusat: vtpote ignorantia iuris canonici, vel diuini, quantum ad quædam præcepta: naturalis vero iuris minimè: canonici vero iuris plus excusat quasdam personas: ciuilis vero plus. Quanto enim plus tenetur homo ad cognitionem iuris: tanto minus excusatur, quia vero vnusquisq; tenetur ad scientiam iuris naturalis, ideo nullus adultus excusatur: nulli n. adulto licet legem naturalem ignorare; quoniam ipsa scribitur in corde humano naturaliter.

¶ Est autem scientia iuris diuini, scil. legis & Prophetarum, Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ: & istam tenentur Episcopi scire, & Prælati maiores, qui tenentur omni poscenti reddere rationem de ea, quæ est in eis, fide & spe: vnde ab eis requiritur scientia veteris & noui Testamenti: laici vero tenentur ad notitiam Decalogi; & eorum quæ pertinent ad fidem: prout continetur in Symbolo Apostolorum: ignorantia vero quo ad quædam iuris diuini eos excusat simpliciter: quantum ad quædam vero excusat à tanto, & si non à toto.

¶ Est iterum notitia iuris canonici, quod continet cõstitutiones Ecclesiasticas ad intelligenda peccata, & ad hanc tenentur Sacerdotes curam animarum habentes, & confessores. Ignorantia huius iuris quosdam alios excusat, & si non à toto, tamen à tanto, non n. omnes clerici tenentur ad notitiam omnium, quæ sunt in iure canonico, & si teneantur ad notitiam quorundam.

¶ Est iterum ignorantia facti: & hæc est duplex: vel in differentiis ad salutem, vel ad officium, & hæc excusat: sicut habetur: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Est autem factum necessariũ ad salutem, vt quod Christus passus est: & est factum necessarium quo ad officium, vt in Sacerdote quod facta sit ei manuum impositio, quod pollicis & indicis consecratio. Et circa necessarium ad salutem distinguendum est, quia aut non potest vitari ignorantia; sicut in illo, qui à natiuitate sua caret vsu rationis, & hæc excusat. Aut potest vitari, sicut in Iudæis & paganis, & hæc non excusat. 1. ad Cor. 10.

¶ Est iterum alia diuisio ignorantiæ: quia alia est simplex, alia est crassa, alia affectata. Simplex est, quando aliquis nescit, quod tenetur scire: facit tamen aliquid, sed non quicquid potest: & hæc excusat à tanto, & si non à toto. Ignorantia crassa est, quando aliquis negligit scire, quod tenetur, nec tamen vult se nescire: hæc minus excusat quam supradicta: aliquando tamen excusat non à toto, sed à tanto. Ignorantia affectata est, quando aliquis negligit scire ea, quæ tenetur scire; & placet ei nescire; & hæc accusat, & non excusat.

¶ ITEM, est alia diuisio ignorantiæ: quia quædam inuincibilis: quædam est vincibilis. Illa quæ est inuincibilis, alia est inuincibilis per naturam, vt in puero, qui non potest vti ratione; & in decrepito, qui non potest discernere; & in eo, qui nascitur amens, & hæc excusat à toto. Alia inuincibilis ex casu, & hoc contingit dupliciter: aut quia incidit ex sua culpa; aut quia non incidit ex sua culpa. Si non incidit ex sua culpa, excusat à toto: si vero incidit ex sua culpa, secundum quosdam non excusat à toto; secundum alios excusat: quia iam non habet liberum vsum rationis: sed prius non excusabatur, siue de priori.

¶ Item, ignorantia diuiditur ex parte efficientis: quia alia est voluntaria: alia inuoluntaria. Voluntaria est duplex, alia est volentium nescire: & hæc est affectata simpliciter, & non excusat: alia est nolentium scire; & hæc est affectata secundum quid, & hæc* simpliciter accusat, sed nõ tantum, quantum præcedens. Inuoluntaria vero, aut fuit à principio inuoluntaria; & hæc est pœna, non peccatum simpliciter; & hæc excusat à toto: aut fuit à principio voluntaria, & postea facta est inuoluntaria, & hæc excusat à tanto, & si non à toto. * Alias, similiter.

¶ HIS COGNITIS, ad maiorem euidentiam ponendi sunt quidam casus de ignorantia. Quæritur enim de puero, qui ab infantia includitur in carcere Saracenorum, vtrum ignorando ea, quæ sunt fidei, peccet. Quod non, videtur; nõ n. potest habere eum, qui ipsum instruat, nec Casus.

 per se-

per seipsum potest habere cognitionem: ergo non potest non ignorare; ergo nō peccat: nullus n. peccat in eo, quod vitare non potest.

Hebr. 11. ¶ CONTRA: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

¶ Ad quod respondendum, quod talis cum peruenerit ad adultam ætatem, non habet impotentiam credendi omnino: quia si facit quod in se est; Dominus illuminabit eum per occultam inspirationem, aut per angelum, aut per hominem. Videtur tamen per hoc quod dicit Augustin. quod si non fuit, à quo disceret; nec ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruenerit; quod tunc non suo vitio ignorat, & immunis est à condemnatione. Sed intelligendum est tunc de disciplina, secundum quod fit per doctrinam exteriorem, vel per doctrinam interiorem: oportet autem, quod faciat, quod in se est: facere autem quod in se est, est vti ratione, per quam potest comprehendere Deum esse, & inuocare adiutorium Dei. Dicit enim Beda: quod vnusquisq; potest intelligere Deum esse, & iudicium esse venturum: de incarnatione autem & redemptione, si aptet intellectum suum, quantum in se est: vocabitur vocatione interiori, & si non exteriori.

(Marg.: August. in quæstion. noui testamenti. — Beda.)

Casus. ¶ QVÆRITVR ITERVM: vtrum quilibet Catholicus teneatur scire de quolibet mortali, quod sit mortale. Quod videtur: non potest vitari malum, nisi cognitum: quilibet autem tenetur vitare mortale peccatum: ergo quilibet tenetur scire de quolibet mortali, quod sit mortale.

¶ CONTRA. Doctores dubitant in casibus subtilibus simoniæ, & huiusmodi peccatorum: ergo non possunt sciri à laicis: ergo non tenentur.

¶ Respondendum est ad hoc, quod quilibet tenetur scire implicite, vel explicite, particulariter, vel ad minus generaliter: sub illa, sc. ratione generali, qua dictat natura, sed laici non tenentur scire de quolibet mortali explicite; licet teneantur vitare in propria ratione.

¶ ITEM QVÆRITVR de Sacerdote, qui accedit ad ordines, & non potest addiscere Canones, & ita non potest scire: ergo tenetur ad impossibile.

Hieron. ¶ CONTRA. Dicit Hieron. *Maledictus homo, qui dicit Deum præcepisse impossibile.* Ergo iste non tenetur ad impossibile.

¶ Quæritur etiam de illo Sacerdote, in quo peccat? vt quia vult suscipere ordines, aut quia nescit Canones. Non quia vult suscipere ordines: quia velle suscipere ordines, in se bonum est: Nec in eo quod nescit: quia adhuc non tenetur scire: ergo in nullo peccat, cum non sint plura.

¶ AD quod respondendum: quod peccat in eo quod vult suscipere ordines; cum nesciat, nec addiscere possit.

¶ AD aliud dicendum, quod licet teneatur ad sciendum canones, ex hoc quod est Sacerdos, & non possit addiscere: non tenetur propter hoc ad impossibile: tenetur enim ex hoc non suscipere curam animarum, & non suscipere officium audiendi confessiones, & iniungendi pœnitentias: in quibus est periculosum iudicium.

Instantia. ¶ Sed adhuc videtur quod impotentia sciendi excuset illum per simile: qui enim cadit in paupertatem & impotentiam dandi, excusatur, si non dat pauperi in extrema necessitate. Eadem ergo ratione impotentia* audiendi excusat eum in hoc casu.

(Marg.: * Alias, ad discendi.)

¶ AD quod dicendum, quod non est simile: ille enim non ingessit se in impotentiam dandi: sed iste ingessit se in impotentiam curam habendi per defectum scientiæ. Præterea, nemo potest se immittere in impotentiam dandi: quia & si non habet pecuniam, potest dare bonam voluntatem, quæ magis placet Deo: non sufficit autem isti Sacerdoti curam habenti bonam habere voluntatem de sciendo, vel de curando: sed oportet quod ipse sciat, & curet.

Casus. ¶ Item, quæritur de illo, cui apparet Satanas, transfigurans se in angelum lucis; & ipse credit quod ipse sit bonus angelus: & apponit omnem diligentiā, quam potuit, & ita adorat eum, vtrum quod ignorantia excuset eum? Videtur: eo quod apponit diligentiam, quam potuit.

¶ CONTRA adorat, quem non debet adorare: ergo peccat.

¶ RESPONDEO: non apponit omnem diligentiam, quam potest, & si apponeret, vel per se cognosceret, vel Deus ei reuelaret.

¶ Similiter quæritur de cęco, à quo vxor quærit debitum, & ipse dubitat, an sit vxor sua, vel aliena. Si ergo cognoscit, committit se discrimini: ergo peccat mortaliter. Si non cognoscit, exponit eam discrimini: ergo ei imputatur, si illa adulteretur. Casus.

¶ AD quod dicendum, quod si apponit diligentiam, quā debet; poterit per aliqua signa cognoscere ipsam esse suam vxorem, & ita aufertur dubitatio. Si vero per nulla signa poterit cognoscere, nec ei Deus reuelat: monenda est vxor ad hoc, vt contineat ad tempus, quousque possit ab eo auferri dubitatio: si noluerit, ipsa se committit discrimini; & non peccat vir, si ipsa cum alio coeat.

¶ Similiter quæritur de illo, qui dubitat de aliquo, vtrum sit simonia, vel non: eo quod quidam Iurisperiti dicunt esse simoniam, & quidam non: quid ergo faciendum est, cum ignorat? Casus.

¶ AD quod respondendum, quod abstinendum est ab huiusmodi contractu: ne committat se discrimini: melius enim est, vt incidat in damnum temporale, quam in damnum spirituale, id est, minus malum.

MEMBRVM IX.

An ebrietas, stoliditas, phrenesis, dormitio, ignorantia, & stupor æqualiter à peccato excusent?

NONO quæritur de comparatione ignorantiæ ad alias causas excusationis. Est enim vna ligatio rationis per ebrietatem: sicut fuit in Loth. Genes. 19. Alia ligatio per naturalem stoliditatem: Tertia per phrenesim, siue per infirmitatem periculosam huiusmodi. Est quarta ligatio, per dormitionem. Est quinta ligatio per ignorantiam, sicut dictum est. Est sexta per stuporē. Potest ergo quæri, vtrum æqualiter excusetur peccatum in omnibus istis: vel amplius excusetur per vnam ligationem, quam per aliam? Gen. 19.

¶ Quod autem non æqualiter, videtur per hoc quod dicitur in Lib. de lib. arb. Insanis, infantibus, domientibus, nihil quod faciunt, in bonum vel malum imputatur, quod nimirum sicut non sunt compotes suæ rationis, sic nec vsum tenent propriæ voluntatis, ac per hoc nec iudicium libertatis.

¶ De Loth vero dicit Ambros. *Huius culpam dicimus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meretur.* Ergo peccatum non est imputandum Loth, nisi quantum ad ebrietatem. Ambros.

¶ Sed dicit iterum, quod ebrietas est origo incestuosi cōcubitus pessimæ generatricis partis deterior. Ergo quo ad ebrietatem peccauit, & quo ad incestum.

¶ Item, dicit Philosophus de ebrioso, qui occidit, ꝙ duplices maledictiones ei debentur. Ergo ligatio rationis, quæ prouenit ex ebrietate, nō ita excusat, sicut in prædictis. Ergo non omnis ligatio rationis æqualiter excusat: vel facit, vt non imputetur peccatum. Philosoph.

¶ Similiter potest quæri de perturbatione, quam habuit Loth, cum dixit: *Habeo duas filias, abutimini eis.* Et de illo, qui recepit Leuitam cum dixit: *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: & ducam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum obsecro vos, ne scelus hoc contra naturam operemini.* Cum enim perturbatio esset (sicut dicit August.) non erat ibi deliberatio rationis: vbi autem non est deliberatio rationis, nec esse potest, nec peccatur mortaliter. Ergo illa ligatio rationis, quæ fuit ex huiusmodi perturbatione, ipsum Loth excusabat in eo, quod secundum se erat mortale: vel si non erat ibi tanta ligatio rationis, quæ excusaret à mortali, non omnis ligatio æquè excusat, sed quædam plus, quædam minus.

(Marg.: Gen. 19. Iudicū 18. — August.)

RESOLVTIO.

Nequaquam, sed secundum magis & minus.

¶ Quod concedendum est, vnde in quibusdam est omnimoda ligatio secũdum omne tempus, & illa omnino excusat à peccato: sicut est in eo, qui à principio factus est extra mentẽ, & in motione. Quædam vero non est omnimoda ligatio, sed accidit secundũ aliquod tempus; sicut in senibus ex debilitate naturæ, & illa pro tempore illo excusat. Quædam vero ex infirmitate accidit. Et hoc potest fieri multipliciter, quia quandoq; contingit, quod infirmitas impedit cellulam imaginatiuam: quandoq; memorialem: quandoque logisticam. Quando vero logistica impeditur, quandoq; sunt lucida interualla, quãdoq; non. Cum ligatur ratio continuè ex infirmitate, non ex culpa præcedenti, omnino excusatur secundũ illud tempus. Si vero lucida sunt interualla, potest sibi * præuidere, & ideo non omnino excusatur. Aliquando vero ligatur ratio ad horam, sicut in somno ex fatigatione naturæ, vel ex ebrietate, quæ accidit ex voluntate præambula, vel ex stupore, sc. ex insolita imaginatione, vel ex impremeditatione, sicut ex perturbatione. Si primo modo, non imputatur ei: nisi quia potuit præuidere. Si secundo modo, imputatur ei, quia per culpam ingessit se in illam. Si vero tertio modo: aut talis fuit causa, quæ absorbuit vsum rationis; secundũ hoc excusatur: aut talis fuit, quæ non debebat absorbere vsum rationis; & talis non omnino excusat. Si vero fuit ex perturbatione ad horam ligatio; quia non admittenda est flagitiorum compensatio; non omnino excusatur, etsi aliquantum habeat excusationis. Vnde Loth peccauit mortaliter, & si minus, quam si imperturbatus diceret.

* Alias, prouidere.

QVÆSTIO CXIV.

De omissione.

In decem Membra diuisa.

D.Tho 2. 2 q 79. S. Bon. in 2. dist. 5. art. 1. q. 1. ad arg.

DEINDE quæritur de Omissione. Circa ipsam plures incidunt dubitationes. Primo ergo quæritur, vtrum omissio sit peccatũ. Secundo, vtrum sit peccatum actuale. Tertio, vtrum sit peccatũ, à transgressione separatum. Quarto, vtrum multiplicetur per species peccati. Quinto, vtrum teneatur aliquis ad impossibile. Sexto, de comparatione eius respectu aliorum mortalium quantum ad quantitatem peccati. Septimo, quando dicitur perpetrari omissio: hoc est, quo tempore. Octauo, de ordine ipsius omissionis ad commissionem. Nono, si quantumcunque sit homo perfectus, semper omittit. Decimo, de pœna, quæ debetur in futuro peccato omissionis.

MEMBRVM I.

An omissio peccatum sit?

QVANTVM ad primum quæritur: Vtrum omissio sit peccatum. Et ostenditur, quod non: quoniam dicit Augu⸗st. *Peccatum ita est voluntarium, quod si non est voluntariũ: non est peccatum.* Sed omissio non est malum voluntarium: ergo non est peccatum. Minor patet: illud dicitur malum voluntarium, super quod quiescit voluntas, sed voluntas non quiescit super aliquid in omissione, quoniam in peccato sunt duo, sc. auersio & conuersio: quoniam peccatum est, spreto incommutabili bono, bono mutabili adhærere, & voluntas in peccato non quiescit super auersionem, imo super conuersionem, siue super bonum commutabile, ad quod fit conuersio. Si ergo in omissione non fit huiusmodi conuersio: ergo non quiescit voluntas super aliquid in omissione: ergo omissio non est malum voluntarium, & ita nec peccatum.

August. in lib. de vera religione. cap. 14.

¶ Si dicatur, quod peccatum omissionis est, quando aliquis non vult facere illud, ad quod tenetur, & sic super hãc negationem [*non velle facere, ad quod tenetur homo*] quiescit voluntas. In contrarium obijcitur: iste tenetur velle facere illud bonum, & non vult: constat quod hoc est ex defectu voluntatis: cum dico, non velle facere. Ergo hic non quiescit voluntas super aliquo, sed hic est omissio: ergo in omissione non quiescit voluntas super aliquo: quare non est peccatum.

¶ Tertia ratio: sicut patet ex prædicta diffinitione, peccatum est conuersio ad mutabile bonum: vnde penes hoc detur ratio peccati. Sed hæc conuersio non est in omissione: ergo non habet rationem peccati.

¶ Quarta ratio: duæ sunt partes iustitiæ, sc. declinare à malo, & facere bonum: *Declina à malo, & fac bonum.* Per has autem detur iustitia; ita quod non est perfecta iustitia sine his duabus, vnde nulli istarum conuenit per se ratio iustitiæ. Ergo similiter duæ sunt partes, per quas detur ratio iniustitiæ, siue peccati, scil. declinare à bono, & facere malum, & neutra habebit rationem peccati, vel iniustitiæ: declinare ergo à bono, per se non habebit rationem peccati. Sed declinare à bono, est omittere: ergo omissio non habet rationem peccati: imo solum est pars rationis peccati, siue conditio peccati, & non dicetur esse peccatum. Psal. 36.

¶ Quinta ratio: præceptum strictè sumptum, non est prohibitio strictè sumpta: licet idem sint, large accipiendo præceptum: prout sc. est de faciendo, & non faciendo. Sed sumamus strictè, vt sit præceptũ de faciendis, prohibitio aũt de non faciendis: ex hoc ergo arguitur: Nullum præceptum est prohibitio, sed facere bonum pertinet ad præceptum, declinare à malo, pertinet ad prohibitionem (quia ad hoc est prohibitio: vt sc. homo declinet à malo) ergo facere bonum non est declinare à malo: ergo per oppositum, facere malum, non est declinare à malo. Sed declinare à bono, est omittere: ergo omittere non est facere malum, sed peccatũ est in perpetratione mali: ergo omittere non est peccare.

¶ ITEM, dicit Augu. quod *peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Sed in omissione non substernitur aliquid istorum: imo est ipsorum remotio ab omissione: ergo omissio non est peccatum. August.

¶ AD oppositum habetur: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Sed hoc non est, nisi peccatum omissionis, quia est peccatum ex hoc, quod non facit bonum, quod scit, & hoc est omittere, scil. non facere: cum ergo peccet ex non faciendo, constat quod peccat omittendo: ergo omissio est peccatum. Iacobi 4.

¶ ITEM, Augustin. *Duabus ex causis peccamus: aut nondum videndo, quid facere debeamus: aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus.* Sed hoc est omittere: ergo omittere est peccatum. August. in Enchirid.

RESOLVTIO.

Cum omissio voluntarium quid sit, sub commutabili bono, sub dicto, facto, vel concupito contra Dei legem quodammodo comprehensum; non ab re peccatum dicetur.

¶ AD quod dicendum, quod omissio est peccatum.

¶ AD obiectum autem primo dicendum, quod voluntarium dicitur dupliciter in peccato actuali mortali. Vno modo propriè illud, cuius principium est in ipso volente; & trahitur voluntas ex determinato appetibili, in quo quiescit: & secundum hoc peccatũ transgressionis, in quo fit conuersio ad mutabile bonum quietans appetitum, dicitur voluntarium: sic autem non dicitur peccatum omissionis per seipsum voluntarium. Alio vero modo dicitur voluntarium cõmuniter, cuius principium est in ipso: quia vero in ipso est velle & nõ velle, facere & non facere: peccatum autem omissionis est in non velle, vel non facere, quod tenetur; peccatum omissionis hoc modo dicitur voluntarium.

¶ AD secundum dicendum est, quod vno modo dicitur volitum propriè, quod consistit in positione, & sic nõ dicitur omissio voluntarium. Alio vero modo dicitur volitum, quod consistit in negatione, vt dicitur velle non facere, prout dicitur in Gloss. ad Roman. 7. *quod operor, & non operor sunt partes eius, quod est operor:* & sic dicitur omittere, velle non facere. Gloss. ordin. super Rom. 7.

¶ AD

¶ Ad tertium dicendum, quod prout peccatum dicitur ad mutabile bonum, mutabile bonum dicitur communiter ad facere, & non facere.

¶ Ad quartum dicendum, quod non est simile de peccato & iustitia. Iustitia n. vt sic requirit vtrumq;, & declinare à malo, & facere bonum. Peccatum vero vt sic, non requirit nisi defectum alterius illorum, sc. cum declinatur à bono, vel fit malum.

¶ Ad quintum dicendum est, quod facere malum dicitur dupliciter. Vno modo propriè, secundum quod transgredi dicitur facere malum, cum fit aliquid contra præceptum affirmatiuum, & hoc modo omittere non est facere malum. Alio modo sumitur communiter: sicut habetur super illud. *Quod n. operor, non intelligo*, Gloss. *Dimittere bonū, & facere malum, sunt partes eius, quod est operari malum.*

Rom. 7. Glossa.

¶ Ad sextum dicendum, quod illa diffinitio: *peccatum est dictū, vel factum*, &c. secundum quod conuenit omissioni, sic intelligitur; vt dictum, & factum, & concupitum communiter accipiantur ad dicere, & non dicere, & facere & non facere: sicut ex prædicta Gloss. habetur. Quod si non sic accipitur; propria est diffinitio transgressionis.

August. li. 22. cōtra Faustum cap. 27. in principio tomo 6.

MEMBRVM II.

An omissio peccatum actuale sit?

Secvndo quæritur, vtrum omissio sit peccatū actuale. Peccatum enim actuale determinatur penes actum, sed omissio non determinatur penes actum, sed penes amotionem actus: ergo omissio non est actuale peccatum.

¶ Præterea, si esset species actualis peccati diuersa à commissione, penes actum diuersum oporteret determinari: sed non determinatur penes actum diuersum: ergo non est actuale peccatum.

RESOLVTIO.

Vtique: cum ab actu propria voluntatis procedat: à quo verè actuale peccatum, actuale dicitur.

¶ Respon. Dicendum est, quod actuale peccatum dicitur propter hoc actuale; quia ex actu propriæ voluntatis procedit. Cum enim teneatur facere aliquid; cum in voluntate sit non facere, si non facit, actuale peccatum dicitur. Eodem modo cum tenetur velle, & non vult: quia in voluntate etiam est velle, sicut & nolle. Non ergo ab hoc actu exteriori dicitur actuale peccatum, sed ab actu interiori. Et ita licet sit remotio actus exterioris; nihilominus est positio actus interioris in omissione.

¶ Ad aliud vero obiectum dicendum, quod omissio & commissio penes alium & alium actum determinantur. Velle enim non facere, quod tenetur facere, & velle facere, quod tenetur non facere; sunt actus disparati. Et ita omissio est actuale peccatum, aliud à transgressione, siue à commissione.

MEMBRVM III.

An omissio, & transgressio idem sint?

Tertia quæstio est: Vtrum omissio sit peccatum separatum à transgressione: an sese concomitentur. Ad quod sic: August. dicit: *Duabus ex causis peccamus: aut nondum videndo quid facere debemus, aut non faciendo, quod debere fieri, videmus.* Si ergo hæc est sufficiens diuisio: transgressio ergo altero istorum duorum modorum erit, sed non primo, cum illud sit peccatum ignorantiæ: ergo erit secundo modo, sed illud est omissio: ergo transgressio est cum omissione.

August.

¶ Item, cum aliquis tenetur non fornicari, & fornicatur: transgreditur, & simul omittit: quia tenetur resistere tentationi fornicationis, & non resistit: ergo eodem actu peccat peccato transgressionis & omissionis: ergo vnum concomitatur aliud.

¶ Item, quicunque facit aliquod malum opus, deficit in genere boni operis, vel in circumstantia. Sed quando deficit in omissione, vel in circumstantia, omittit, vel negligit: ergo alterum istorum concomitatur transgressio.

¶ Contra. Leu. 11. distinguuntur adinuicem delictū & peccatum: delictum n. dicitur desertio boni: peccatum perpetratio mali: & hæc distinguuntur. Ergo omissio & commissio distinguuntur.

Leuit. 11.

¶ Item, differunt adinuicem præcepta, & prohibitiones, sed penes defectum præceptorum est omissio: penes defectum prohibitionum est transgressio: ergo inter se separantur ista, quemadmodum separantur & illa.

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed bene sese comitantur & consequuntur.

¶ Ad quod respondendum, quod illa diuisio peccati, quam facit Augustin. ad hoc tendit, vt ostendatur differentia inter defectum ex parte cognitiuæ, & ex parte operatiuæ. Vnde (propriè loquendo) separat peccatum omissionis à peccato ignorantiæ. Peccatum n. ignorantiæ est, cum non videmus quod facere debemus: peccatum omissionis, cum non facimus, quod videmus debere fieri. Posset tamen largè accipi illud membrum, vt non facere communiter accipiatur, & debitum similiter: & secundum hoc sub illo membro cōtinerentur omissio propriè dicta, & transgressio: qui n. transgreditur, non facit quod debet fieri.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod omissio accipitur communiter, & propriè. Si propriè accipitur, distinguitur à transgressione: si communiter, ad transgressionem sequitur omissio: non tamen sicut genus, sed sicut concomitans.

¶ Ad tertium dicendum, secundum eandem rationem: deficere enim à genere operis, vel à circumstantia operis dicit omissionem vel negligentiam communiter, & non propriè.

MEMBRVM IV.

An omissio per species peccati multiplicetur?

Qvarto quæritur: Vtrum omissio multiplicetur per species peccati: vt dicatur quædam venialis, quædam mortalis. Et iterum, si plures sunt species omissionum mortalium?

¶ Quod autem quædam omissio sit venialis, quædam mortalis, videtur per hoc quod aliquando non facit homo, quod tenetur facere: aliquando nō facit, quod expedit fieri: & vtroq; modo est omissio. Si quidem non facit quod tenetur facere, mortalis est culpa. Si vero non facit, quod expedit fieri, venialis est culpa. Ergo omissio quædam erit venialis, quædam mortalis.

¶ Ad secundum vero videtur sic argui. Illa, ad quæ facienda tenetur homo, diuiduntur per species: sicut ea, ad quæ non facienda tenetur homo, diuiduntur per species. Ergo sicut transgressio habet species mortalium peccatorum plures: ita omissio habebit species mortalium peccatorum plures.

RESOLVTIO.

Si propriè sumatur, minimè: si communiter vtique.

¶ Ad primum dicendum, quod si omissio accipiatur communiter respectu debiti, vel expedientis; tunc posset esse omissio aliquando venialis, aliquando mortalis, sed quia consuetum est accipere respectu debiti: dicitur omissio tantum mortale peccatum.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod omissio aliter diuiditur, quam transgressio. Transgressio enim est, cum fit malum: malum autem potest esse multipliciter: & circa diuersum actum, & circa eundem: vnde vtroque modo potest habere species. Omissio vero est desertio actus boni: bonum autem non diuiditur per species, nisi secundum diuersitatem actuum: circa enim eundem actum non est bonum nisi vno modo: vnde omissio non tot modis mul-

tis multiplicatur, quot modis transgressio. Potest n. transgressio esse secundum superfluum & diminutum: omissio vero non habet huiusmodi differentias, sed cum boni, ꝙ est virtus, sint differentiæ secundum actus in specie differentes, omissio secundũ illa materialiter diuersificabitur.

MEMBRVM V.

An quis ad impossibile teneatur: ita vt si non efficiat, omittere dicatur?

QVINTO quæritur: Vtrum aliquis teneatur ad impossibile: & ex hoc omittat, cũ ad illud teneatur? Quod videtur: aliqua n. vouit virginitatem: ex voto ergo continere tenetur. Sit ergo quod fornicetur, vel quod contrahat matrimonialiter: constat quod prius tenebatur ad virginitaté, & per culpam non absoluitur à tentione (sic n. de peccato reportaret lucrum) ergo adhuc tenetur, sed est impossibile: ergo tenetur ad impossibile.

¶ Item, iste tenetur reprimere motũ libidinis: ergo aut antequã sit mortalis, vel postquam sit mortalis. Sed non videtur quod ante: quia ante venialis est: non tenetur aũt declinare à veniali: non n. veniale est in prohibitione. Si vero tenetur reprimere, cum est mortalis, vel post: hoc est impossibile; quia cum est mortalis, non põt non esse mortalis, & post necesse est fuisse: ergo tenetur ad impossibile.

¶ Item, iste tenetur nunquã fornicari; quia prohibitiones obligant ad semper: ergo tenetur non fornicari in A. Posito ergo ꝙ fornicetur in A. ipsum non fornicari in A est impossibile, & ad hoc tenetur: ergo tenetur ad impossibile.

¶ CONTRA. Omne illud, ad quod tenemur; est sub præcepto, vel ex prohibitione. Sed quod est sub præcepto vel prohibitione, est voluntariũ: quicquid aũt est voluntarium, subest lib. arb. ergo à primo, omne illud, ad quod tenemur, subest libero arb. sed nullum impossibile subest libero arb. ergo ad nullum impossibile tenemur.

¶ Idem, omnis tentio est respectu futuri: impossibile vero per accidens pro tempore, quo est impossibile, non est futurum: impossibile autem per se pro nullo tempore futurum est.

¶ ITEM, quod homo nõ teneatur ad veniale euitandum, facit infirmitas. (Adam n. ante infirmitatem tenebatur ad euitandum motus illos in genere, qui modo sunt veniales) infirmitas ergo, quamuis homo ingesserit in eam ex culpa, facit quod non tenemur ad illos motus euitandos vniuersaliter: ergo multo fortius impossibilitas soluit nos à tentione: quamuis ex culpa nostra in eam incidamus.

Quæst. lateralis. ¶ HVIVS gratia quæritur, quid sit tentio; & ex quib. causis hõ teneatur: deinde quæ soluunt tẽtioné? Põt ergo dici: quod tentio aliquãdo est ratione præcepti, vel prohibitionis. aliquãdo ratione proprij consensus, sicut in contractibus, votis, iuraméris, & promissis: aliquando ratione peccatorũ, sicut homo tenetur ad pœnam. Tentio ergo sic potest describi: ex vi alieni præcepti, vel prohibitionis, vel proprij assensus, vel culpæ ad agendum, vel ad non agendum, vel ad vtrumque, vel ad patiendum obligatio: Ad agendum ratione præceptorum, ad non agendum ratione prohibitionum, ad vtrumque ratione proprij consensus; ad patiendum ratione culpæ.

¶ Habito ergo, quid sit tentio, & ex quibus causis: sequitur de his, quæ soluunt tentionem. Hæc autem dicuntur esse tria: impossibilitas, dispensatio, & pœnitentia. Potest ergo primo quæri de ratione istius numeri: & videntur sic differre: vt pœnitentia soluat tentionem ex parte eius, qui tenetur, & sic generaliter posset dici solutio debiti: dispensatio vero ex parte illius, cui fit obligatio, vel à quo est obligatio: impossibilitas vero ex parte rei, ad quam obligatur.

Quæst. lateralis. ¶ Sed potest quæri, si impossibilitas soluat hominem à tentione. Quod non, videtur: tentio enim est ratione præcepti, aut prohibitionis, siue proprij consensus, sed impossibilitas non aufert has causas: ergo nec effectum cuius sunt hæ causæ sufficiẽtes, sed tentio est effectus sufficiens, ab istis causis procedens: ergo non soluitur per impossibilitatem.

¶ Item, dicit Hieron. *Anathema sit, qui dicit Deum præcepisse impossibile* (& accipitur ibi præcepisse communiter) ergo Deus non prohibuit aliquid, quod non possit fieri. Non ergo circa idem sunt tentio, & impossibilitas: aut ergo nunquam tenebatur: aut si tenebatur, non tenebatur nisi ad possibile fieri. Hieron.

¶ Item, aut incidit in impossibilitatem illam ex culpa, aut non ex culpa. Si ex culpa, sicut Sacerdos, qui ignorans officium suum, & tenetur quotidie dicere, & ludens ad talos, amittit librum suum, ex culpa non debet deportare commodum: ergo non soluitur per impossibilitatem à tentione. Si vero non ex culpa, nec sic soluitur per impossibilitatem: sicut accidit in Sacerdote infirmo, qui non potest celebrare, & tenetur ex officio vel promisso celebrare: non n. tenebatur, nisi debitis conditionibus existentibus in persona: debita autem conditio est, quod sit sanus, vel ad minus potens celebrare; & quod habeat ea, quæ necessaria sunt ad officium.

¶ Similiter de dispensatione potest quæri. Potest n. quæri: si aliquis potest dispensare contra præceptum naturæ. Similiter quæritur, si quis potest dispensare contra præceptum Summi Pontificis. Verbi gratia, Episcopus cõtra præceptum Archiepiscopi; cum par videtur esse dignitas: nulla autem sit maior, quam sit põtificalis.

RESOLVTIO.

Nullus ad impossibile tenetur: sed si ex sua culpa in illud incidit, tenetur ad culpæ & damni satisfactionem.

¶ AD quod dicendum, quod nullus tenetur ad impossibile: sed ex impossibilitate, si in eam incidit ex sua culpa; tenetur ad aliud * propter illud, ad quod prius tenebatur: vt ad satisfactionem de culpa, & de damno. * Alias, præter.

¶ AD obiectum autem primo. Dicendum, quod illa, quæ tenetur ex voto ad virginitatem, aut fornicatur, aut contrahit matrimonialiter. Si fornicatur, tenebitur adhuc, & in posterum ad continentiam, & tenebitur ad satisfactionem de culpa. Si vero contrahit matrimonialiter; tenetur ad agere pœnitentiam de voti transgressione, & tenetur non petere debitum, licet teneatur reddere: hoc enim suæ potestatis est: illud vero alieni iuris.

¶ AD secundum vero dicendum, quod cum dicitur, tenetur reprimere motum libidinis; sensus est: tenetur non consentire, vel simpliciter, vel per dominationé motui libidinis mortali. Cum ergo quæritur, vtrum teneatur reprimere, antequam sit mortalis, vel cum est? Dicendum est: quod hæc determinatio *ante* vel *cum* potest referri ad hoc verbum *tenetur*, vel ad hoc verbum *reprimere*. Si ad hoc verbum *tenetur* verum est, quòd ante tenetur, quã sit mortalis. Si vero determinat hoc verbum *reprimere* non tenetur reprimere ante; quia non tenetur non consentire ante, nisi quia non consentire, mortale est secũdum omne tempus, sed si esset determinatum secundum certum tempus; non teneretur reprimere ante. Vel potest dici, quod tenetur reprimere ante. Ad quod obijcitur, quod ante est veniale, &c. Dicendum, quod non tenetur reprimere inquantum veniale, sed quia fieret mortale, nisi reprimeretur.

¶ AD tertium vero dicendum, quod cum fornicatur aliquis, vtpote in A, non tunc tenetur ad non fornicandũ in A, sed ad non fornicandum in posterum, sed quia fornicatus est in A, tenetur ad satisfactionem, & ita ad duo tenetur in posterum.

¶ AD illud vero, quod postea quæritur: vtrum aliquis per impossibilitaté soluatur à tentione? Dicendum, quod nõ propriè dicitur illud: sed per hoc datur intelligi, quod non est tentio, nisi eius, quod possibile est fieri, & eius qui potest pro tempore, pro quo potest. Vnde cum ex euentu fit aliquid impossibile, non pro illo tempore tenetur; sed ad aliud tenetur, ꝙ possibile est, si manet ex parte ipsius possibilitas: si vero non manet ex parte eius possibilitas, (sicut est in eo, qui incidit in furiã perpetuam) tunc soluitur à tentione, nisi in eam incideret ex culpa sua: & tunc se-

cundum

Gloss. ibid. ¶ Item, dicitur ibidem in Gloss. *Quod nolo facere, facio tamen lege idem prohibente* (& loquitur de primo motu) ergo primus motus est sub prohibitione.

¶ Item, Est aliquod præceptum affirmatiuum, quod non potest impleri in via, vt: Diliges Dominum Deum &c. Ergo similiter debet esse aliquod præceptum negatiuum, quod similiter non potest impleri in via, hoc autem est: Non concupisces. Sed quod non potest impleri, hoc non est nisi ratione primorum motuum: ergo primi motus sunt sub prohibitione.

Ephes. 4. Glossa. ¶ CONTRA, supra illud: *Irascimini, & nolite peccare.* Gloss. *permittit Apostolus irasci, quod est humana tentatio: sed prohibet iram ad effectum ducere.* Irasci autem accipitur ibi pro primo motu: ducere vero iram ad effectum, pro mortali peccato: Ergo primus motus est in permissione, non in prohibitione.

¶ Item, primi motus non sunt in nostra potestate: & quod non est in nostra potestate, non cadit sub prohibitione: ergo primus motus non cadit sub prohibitione.

August. de præsentia Dei, ad Dardanū, Epistola. ¶ Item Augustinus: *Inobedientia concupiscentiæ habitat in carne mortali, quia fit, vt eadem membra etiam præter voluntatis moueantur arbitrium.* Sed prohibitio est eorum, quæ subsunt lib. arbit. ergo inobedientia concupiscentiæ non est in prohibitione; sed illa est primus motus: ergo primus motus non est sub prohibitione.

RESOLVTIO.

Cadunt, sed indirecte.

¶ AD quod dicendum, quod esse sub prohibitione dicitur esse duobus modis. Vel illud, quod prohibetur directe, & sic primus motus nō est sub prohibitione. Vel quod prohibitione ostenditur indirecte esse malum: sicut accidit, cum prohibetur, ire post concupiscentias: *ire post concupiscentias, est directe prohibitum*: sed concupiscentia ostenditur esse malum. Vnde ad Rom. 7. habetur in Gloss. Legem omnem illicitam concupiscentiam nolle: sed aliter nolle concupiscentiam, quæ est in primo motu: aliter nolle concupiscentiam delectationis, & consensus. Illam quippe non vult, id est, reprobat, & detestatur, & peccatum esse ostendit: hanc vero non tantum ostendit esse peccatum, verumetiam prohibet. Ex his ergo habetur, quod non proprie dicitur lex prohibere primum motum, sed nolle, id est detestari, vel reprobare.

Eccles. 18. Glossa super Rom. 7.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum; quod non sequitur, si nesciebat Apostolus concupiscentiam, quę est primus motus, esse malum, nisi lex diceret, Non concupisces, quod primus motus sit sub prohibitione: sed quod primus motus sit malum, ostenditur ex prohibitione: prohibetur enim, ne concupiscentia ad effectum ducatur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod non sequitur, quod si lex reprobat concupiscentiam primum motum, quod propter hoc prohibeat.

¶ Ad tertium dicendum, quod illud præceptum, negatiuum: Non concupisces, non potest omnino impleri in via, quantum est de potestate lib. arb. in se: Hoc autem dicitur propter venialia peccata, quę licet non prohibeantur directe, tamen mala esse ostenduntur, & cauenda secundū possibilitatem humanam. Aliter tamē dicitur præceptum de diligendo Deo ex toto corde, non posse impleri in via; & præceptum de non concupiscendo non posse impleri in via. Illud enim dicitur ratione circunstantiæ quæ est ex toto corde: istud vero dicitur ratione dispositionis, quæ subintelligitur ante consensum rationis.

MEMBRVM VII.

An ratio peccet, non reprimendo primos motus?

SEPTIMO quæritur, Vtrum ratio peccet, si non reprimat primos motus? Aut enim tenetur reprimere, aut non. Si tenetur, ergo peccat mortaliter ex omissione, si non reprimit. Quod autem teneatur, videtur ex hoc, quod præceptum est ei, ne eat post concupiscentias: sed non reprimere, est ire post concupiscentias: ergo tenetur reprimere.

¶ Item, si superior pars rationis non reprimeret delectationes inferioris partis, peccaret mortaliter (sicut fuit in primis parentibus: ex eo quod Adam non cohibuit Euam) sic autem est in interiori homine, sicut in exteriori, prout dicit Augustinus: ergo cum superior pars teneat locum viri, inferior locum mulieris: superior tenetur cohibere illicitas delectationes inferioris: ergo à simili ratio tenetur cohibere delectationes sensualitatis. Ratio enim secundum Gregorium, tenet locum viri: sensualitas locum mulieris. Aug in lib. de Trinit.

¶ CONTRA, dicit Augustinus, loquens de inferiori parte rationis: *Si inferior pars rationis consenserit, ita vt sola cognitionis delectatione sine voluntate perficiendi teneatur, & non diu: mulier sola manducauit: & est veniale peccatum.* Ergo non tenetur inferior pars rationis reprimere motus sensualitatis. Aug in lib. 12. de Trin.

¶ Item, nullus tenetur ad impossibile: sed motus surgunt in sensualitate, nolente ratione, & impotente reprimere: ergo non tenetur reprimere motum sensualitatis.

RESOLVTIO.

Tenetur non consentire, sed non tenetur reprimere.

¶ AD quod dicendum: ratio non tenetur reprimere primos motus mortalium peccatorum, ne surgant: sed ne perducantur ad consensum superioris partis: hoc est tenetur non consentire secundum superiorem partem, vel etiam secundum inferiorem: cum iam peruenitur ad iudicium ipsius diffinitiuum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum est, quod illud, quod dicitur in Ecclesiastico, quod ratio teneatur non ire post concupiscentias: hoc intelligitur de via consensus in actu mortalis peccati ex titillatione præcedente.

¶ Ad secundum dicendum, quod non est simile in coniunctione superioris partis rationis ad inferiorem, & in coniunctione inferioris ad sensualitatem. Nam inferior pars rationis ita ordinata est ad superiorem, quod subiecta sit ei, vel esse debeat: sensualitas vero ex pœna ordinata est, vt repugnet: & ideo licet teneatur ratio superior ad cohibendum delectationes illicitas inferioris partis: non tamen tenetur ad cohibendum delectationes illicitas inferioris partis sensualitatis. Inferior enim pars rationis vno modo subiecta est superiori; & alio modo non: in hoc enim est subiecta, quod non potest consentire inferiori ad perficiendum peccata absq; superiori: in hoc autem non est subiecta, quod condelectari potest ipsi sensualitati sine consensu rationis superioris. Præterea * inseparabile est ius matrimonij inter inferiorem partem rationis, quæ est ad modum mulieris: & superiorem, quæ est ad modum viri: non autem est matrimonium inter rationem & sensualitatem, secundum quod sensualitas tenet locum serpentis: & ideo licet teneatur superior pars rationis cohibere inferiorem, inferior tamen non tenetur omnino cohibere sensualitatem. * Alias, inseparabilis est vis.

MEMBRVM VIII.

Quid sit oppositum primi motus?

OCTAVO quæritur de opposito primi motus, quid sit illud? Et videtur, quod hoc sit gratia: gratia enim & peccatum opponuntur: sed primus motus est veniale peccatum: ergo gratia & primus motus opponuntur.

¶ Contra, opposita nata sunt fieri circa idem subiectum: sed primus motus est in sensualitate sicut in subiecto, gratia vero in voluntate rationali siue in ratione: ergo non opponuntur. Potest ergo quæri, quid sit oppositum primo motui? quia nec videtur gratia opponi primo motui; quæ delet veniale peccatum, vel quæ delet mortale. Propter hoc dixerunt aliqui, quod gratia non opponitur primo motui, sed virtus. Contra quod sic: *Virtus* (sicut dicit Philosophus) *non est sine voluntate*: sed primus motus est sine voluntate: ergo non sunt circa idem. Philosoph.

¶ Si vero dicatur, quod nec gratia, nec virtus opponantur. Obiicitur sic: aliquis conteritur super peccatis suis & mortalibus & venialibus, siue sint primi motus, siue alij: per contritionem autem delentur peccata: hoc autem non

est, nisi per gratiam: ergo gratia opponitur primis motibus, & per consequens virtus.

RESOLVTIO.

Gratia, tanta, scilicet quanta à lege peccati nos liberare valeat.

¶ Ad quod dicendum, quod gratia opponitur, sed non quæcunque: sed gratia intantum inualescens, vt possit liberare à lege peccati; ne scilicet motus surgant: aut si surgant, statim decidant. Et ideo dicit Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (& post subditur) *Gratia Dei per Iesum Christum.*

Rom. 7.

Ibidem.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod licet gratia non sit in eodem subiecto primo: tamen effectus eius extenditur vsq; ad subiectum primi motus, scilicet sensualitatem: reformata enim ratio per gratiam, aliquando reformat ipsam sensualitatem.

MEMBRVM IX.

An primi motus æquales sint in omnibus & singulis?

NONO quæritur, An primi motus sint æquales in eadem persona, vel in diuersis. Et videtur quod non sunt æquales: quidam enim sunt proniores ad incontinentiam, quam alij; & ita ad primos motus: ergo primi motus incontinentiæ non sunt æquales in illis. Similiter potest dici de primis motibus gulæ.

¶ Contra, originale peccatum æquale est in diuersis: ergo & ipsa pœna originalis peccati, scilicet fomes: ergo & ipse motus, qui procedit à radice huiusmodi: sed ille motus est primus motus: ergo primi motus sunt æquales.

RESOLVTIO.

Vtique, quantum ad radicem, sed non quantum ad subiectum.

¶ Ad quod dicendum, quod primi motus sunt æquales quantum est de radice: sed non sunt æquales quantum est ex parte subiecti, in quo est radix. Vnde maior pronitas dicitur duobus modis: vel ratione ipsius fomitis, vel ratione dispositionis in subiecto.

MEMBRVM X.

An pro primis motibus pœna à Deo infligatur?

DECIMO quæritur, Vtrum pœna infligatur à Deo pro primis motibus. Quod videtur: nullum peccatum est impunitum; primus motus est peccatum: ergo non est impunitum.

¶ Contra, Hieronymus: *Deus primos & secundos stimulos cogitationum, quos Græci propathos vocant, & sine quibus nullus hominum esse potest, non punit.* Sed hi sunt primi motus: ergo Deus non punit pro primis motibus.

Hiero. super Ezech ...

¶ Item, quando Cham peccauit, videns nuditatem patris; non ipse, sed filius eius recepit sententiam maledicti. Sed per Cham signatur primus motus; per Chanaan delectatio in inferiori parte rationis: ergo Deus non punit primos motus, sed delectationes sequentes ex illis.

Genes. 9.

RESOLVTIO.

Et quidem temporalis, sed non æternalis: quinimmo ipsimet pœna sunt.

¶ Ad quod dicendum, quod primus motus est peccatum, & punitur temporaliter, sed non æternaliter, quantū est de se: & ideo dicitur, quod Deus non punit. Ipsi etiam primi motus in se sunt pœnæ, secundum hoc quod dicit Augustinus: quod omnis motus inordinatus pœna est.

MEMBRVM XI.

An morosa delectatio in creatura peccatum sit, & quale?

SEQVITVR de delectatione morosa, & quæritur, an sit peccatum: deinde, an veniale, vel mortale. Circa primū sic; duplex est delectatio: Vna, qua delectamur in Deo: de hac nihil ad præsens. Et est delectatio in creatura, de qua quæritur, an sit peccatum. Quod sic, probatur: nam dicimus in confessione: *Peccaui cogitatione, delectatione, &c.* Ergo delectatio est peccatum.

¶ Contra, non est voluntarium: ergo non est peccatum.

RESOLVTIO.

Et peccatum & non peccatum, & veniale & mortale: iuxta varias delectationis acceptiones.

¶ Respon. Est delectatio naturalis, & est delectatio voluntaria, & est delectatio vitiosa. Delectatio naturalis non est laudabilis, nec vituperabilis: sicut cum delectatur vnaquæq; vis animæ in suo obiecto; vt ratio in cognitione veri: visus in coloribus, maxime mediis: auditus in sonis mediocribus, & sic de aliis. Voluntaria duplex: in rem licitam, & illicitam. Si in rem licitam: aut est ordinata, vt scilicet velit delectari in quo debet, & quantum debet, & prout debet: aut est inordinata, quia est vel in eo quod non debet, vel vltra quàm debet, & non vt debet. Primo modo peccatum est, sed non secundo modo. Sed si in rem illicitam, peccatum est; & hæc est vitiosa: & ex vitioso fomite mouente. Et distinguendum est: nam aut delectatio talis appellatur illecebra, ex qua surgit motus: aut motus ipse. Primo modo non est peccatum: immo passio, vel pœna originalis peccati est, sicut & primus motus.

¶ Seqvitvr, an delectatio inordinata, in eo quod est in illicitum, propterea sit peccatum veniale, vel mortale? Ad quod respondetur: quoniam est delectatio morosa, & ista est peccatum mortale: & est delectatio non morosa, & ista est peccatum veniale. Dubitatio

¶ Sed adhuc quæritur, quanta mora requiritur ad hoc, quod sit mortale peccatum. Et ad hoc notandum, quod dicitur in 2. Senten. vbi agitur de sensualitate. Nam sicut in tentatione hominis primi tria sunt, serpens, vir, & mulier: sic spiritualiter est in tentatione hominis. Nam serpens est sensualitas: inferior pars rationis mulier, superior vir. Serpens intendit decipere mulierem cibo illicito, cum sensualitas illecebra voluptatis inferiorem partem rationis pulsat: sola mulier comedit, quando inferior pars rationis sine voluntate perficiendi consentit delectationi: vir comedit, quando superior pars rationis plenam voluntatem perficiendi apponit. Cum ergo in sensibili motu peccati illecebra teneatur, veniale & leuissimum peccatum est: tunc vero mulier sine viro gustat, cum ita delectatione cogitationis tenetur peccatum, vt faciendum non decernatur. Si ergo peccatum non diu teneatur in cogitatione delectationis, sed statim vt mulierem tetigit, recedit viri autoritate, peccatum veniale est. Si vero in delectatione teneatur diu, & si voluntas perficiendi desit, est mortale. Cum vero vir, id est superior pars rationis illecebræ consentit; hoc est, cum adest plena voluntas perficiendi, mortale est semper, & grauissimum. Dubitatio. Mag. in 2. sen. dist. 24.

¶ Sed dubitatur, quid est, quod dicitur, diu tenetur. Aut illud intelligitur de diuturnitate temporis: aut de diuturnitate deliberationis rationis. Non temporis, quia quantumcunq; diu est delectatio, dummodo non præponatur delectationi, quæ est in Deo, vel æquetur; nunquam est mortale peccatum. Nec deliberationis, quia quantumcunq; deliberatum sit, dummodo non sit consensus; peccatum mortale non est. Dubitatio.

¶ Respondeo sine præiudicio: illud intelligitur de diuturnitate deliberationis rationis. Cum enim deliberat ratio illicitam esse delectationem, & post delectationi consentit, auersa à delectatione, quæ est in Deo, per contemptum; illicitæ delectationi, quæ est in creatura, adhæret: & ideo peccat mortaliter.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, distinguendum est: quod est consensus ad delectandum: & est consensus ad opus. Si opus sit de genere venialis, sicut est mendacium iocosum, & ei consentiatur; inquantum tale, veniale peccatū est: si opus sit mortale, vt fornicari, & huiusmodi, mortale est. Consensus etiam est ad delectandum; quod si delectatio veniali actuali referatur, veniale est: si mortali distinguendū. Quia aut consensus ille est subditus, nō præhabita deliberatione: & ille appellatur surreptio: & procedit ex corruptione rationis, & est veniale: & tunc mulier comedit scilicet inferior pars rationis: & non diu tenetur peccatum in delectatione, sed statim recedit, cum à viro reprimitur.

Et est

RESOLVTIO.

Ocium, vt veniale peccatum est, neutrum respicit: vt autem mortale, praeceptum respicit, & illud profecto, quod est de sabbato sanctificando.

¶ Ad quod dicendum, quod ocium, prout est veniale peccatum, non respicit praeceptum vel prohibitionem: secundum auté quod est mortale, respicit & opponitur praecepto, quod est de opere, & praecepto, quod est de sabbato sancto. Est enim sabbatum non sanctum, quod est in ociosis hominibus. Vnde dicitur in Threnis, super illud: *Viderũt hostes, deriserunt sabbata eius.* Maligni spiritus vacationis nostrae ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt: & sic deludunt. Quod Canonicis, & Monachis, & omnibus Dei ministris valde cauendum est: ne non solum ab interno iudice sabbata eorum reprobentur, sed etiam ab hostibus irrideantur. Si autem pro vanis cogitationibus nostris sabbata irridetur, quid de illis putandum est, qui cum Deo vacare debent, etiam flagitiosa committere non formidant? (Thren. 7.)

MEMBRVM IV.

An aeque culpabile sit sermonis & operis ocium?

QVARTO quaeritur, Vtrũ aequaliter sit culpabile ocium in sermone & opere. Et videtur, quod ocium operis sit magis culpabile. Si enim opus melius est, quam verbum: ergo ocium operis est magis culpabile, q̃ ocium sermonis.

¶ Contra, dicit Gregorius: *Quanto sunt leuiora praecepta, tanto maius supplicium est his, qui non obseruant.* Sed leuius praeceptum est de vtili sermone, quam de vtili opere: sicut sermo leuior est, quam opus: ergo poena non obseruantis maior: ergo transgressio maior. Ergo magis culpabile est ocium sermonis, quam operis. (Gregor.)

RESOLVTIO.

Quinimmo sicut excedentia & excessa se habet.

¶ Ad quod dicendum, quod ocium sermonis dicitur dupliciter. Vel cum homo loquitur inaniter, inanis autem sermo dicitur, qui non fit pro iusta necessitate, vel pro propria vtilitate. Aliquãdo vero dicitur ocium sermonis, cum homo non loquitur, & loqui deberet, altera istarum causarum. Cum ergo homo abstinet ab opere bono, ociando; & abstinet à sermone bono, ociando: quantum est ex parte eius, à quo abstinet, paribus existentibus aliis circunstantiis: magis est culpabile ocium operis, quam sermonis. Quantum autem est ex parte dispositionis in abstinente, maius est ocium sermonis, quam operis. Quod autem ocium sermonis tegatur per bonam operationem: & ita praefertur operatio locutioni: patet per hoc, quod dicit B. Gregorius super illud Iob: *Manum meam ponam* &c. Manum super os ponere, est virtute boni operis culpas tegere incautae locutionis. Quod autem maior culpa est in locutione, quam in operatione; patet per hoc, ꝙ plus in potestate nostra est sermo, quam opus. Vtroq; auté modo contingit peccare per ocium; sicut habetur super illud: *Cum pugnassent contra Madianitas* &c. Inanis est omnis actus & sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo, vel Dei mandato. (Iob 39.) (Num. 31.)

MEMBRVM V.

An ocium charitati, fortitudiniq́; opponatur?

QVINTO quaeritur, cui opponitur ocium? Et primo quaeritur, vtrum opponatur charitati. Secundo, vtrum opponatur fortitudini?

¶ Quod autem opponatur charitati, videtur per hoc, quod dicit B. Gregorius: *Charitas ociosa non est: aut enim proficit, aut deficit.* Ergo charitati opponitur ocium. (Gregor.)

¶ Item, Chrysostomus: *Magnum est amor, & ipso igne vehementius; & ad ipsum reducit caelum: & nulla est prohibitio, quae eius impetum detinere possit.* Ergo charitas nõ simul stat cum ocio. (Chrysost.)

¶ Contra, Gregorius: *Quisnam inueniri potest, qui quantumlibet perfectus sit, de ocioso sermone tamen non peccet. In multis enim offendimus omnes*, Iacobo testante. Ergo ocium potest simul stare cum charitate. (Gregor. in Moral. Iacobi 3.)

RESOLVTIO.

Neutri proprie & per se: tum maxime vt veniale peccatum est.

¶ Ad quod dicendum, quod autoritas Gregor. intelligitur, si non est ociosa, id est morosa in ocio: quia etsi habẽs charitatem aliquando cadat in ocium, tamen charitate cito excitatur. Si vero fieret vis in hoc verbo [*ociosum*] simpliciter dicendum esset, quod charitas non esset ociosa, vel etiam plena ocio: verba enim huiusmodi in plenitudinem sonant.

¶ Ad illud vero, quod dicit Chrysostomus, dicendum est: quod sicut ignis ex gutta aquae non extinguitur, sed retardatur quo ad aliquem effectum: sic accidit charitati, quae igni comparatur, quod non extinguitur per ocium, secundum quod est veniale peccatum: sed aliquando feruentior redditur post ocium: vnde eius impetus non detinetur.

¶ Deinde videtur, quod opponatur fortitudini: quod videtur per hoc, quod dicit Augustinus. Dicitur enim, quod contra virtutis exercitium est torpor, siue ignauia: quid autem aliud est ignauia, nisi ocium? (Aug. in lib. de cõflictu vitiorũ & virtutum.)

¶ Item, fortitudo virtus est: & est media inter ocium & praecipitationem: medium autem opponitur extremis.

¶ Item, Isidorus dicit: quod accidiae opponitur fortitudo: sub accidia vero videtur contineri ocium: ergo ocium opponitur fortitudini. (Isid. in lib. de summo bono.)

¶ Contra, timor malus opponitur fortitudini: plura autem non opponuntur eidem secundum vnum genus oppositionis: cum ergo oppositio vitij & virtutis sit secundum contrarietatem; non opponetur fortitudo ocio contrarie, nec alio genere oppositionis: & ita non opponetur.

¶ Ad quod dicendum, quod fortitudo & timor malus per se & primo opponuntur secundum modum virtutis & vitij: sunt enim circa easdem passiones. Quod autem ocium dicitur opponi fortitudini, hoc est ratione concomitantis: ociositas enim opponitur operositati: operositas autem est dispositio concomitans fortitudinem. Nec est dicendum, quod ociositas idem sit omnino, quod torpor, vel accidia.

MEMBRVM VI.

An religiosi teneantur ad opera manualia?

OCCASIONE praedictae Quaestionis de ocio, siue ociositate, quaeritur: Vtrum religiosi teneantur ad opus manuale? Quod videtur, per simile: sicut enim ab illa lege, qua dictum est: *Cum dolore paries*, nulla mulier est excepta praeter B. Virginem, quae non concepit de viro, sed de Spiritu sancto. Similiter ab illa lege: *In sudore vultus tui vesceris* &c. nullus debet excipi: ergo omnes tenentur laborare. (Genes. 3.) (Ibidem.)

¶ Item, super illud: *Ad ea, quae necesse erant mihi.* Gloss. *Exemplum operandi est Episcopis, quo discernuntur à lupis.* Ergo si non laborant, non discernuntur à lupis: per lupos autem signantur peccatores: ergo peccant, si nõn laborant. (Act. 20. Glossa.)

¶ Item: *Audiuimus quosdam inter vos ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes: his autem, qui huiusmodi sunt, praecipimus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio laborantes, panem suum manducent.* Ergo doctrina apostolica tenentur operari manualiter. (2. Thes. vlt.)

¶ Quidam vero intelligi volunt de operibus spiritualibus. Quod non videtur, tum per exemplum ipsius Apostoli; tum per verba etiam ipsius praecepti.

¶ Contra, dicitur in Euangelio: *Dignus est operarius mercede sua:* super quo dicitur, Apparet non esse iussa, sed permissa. (Lucae 10.)

¶ Item, contemplatiua vita potior est actiua: religiosi tenentur ad contemplatiuam: ergo pro actu contemplatiuae dimittere tenentur ea, quae sunt actiuae. Sed operari manualiter pertinet ad actiuam: ergo dimittendum est à religiosis pro actu contemplatiuae; non ergo tenentur.

¶ Item, Dominus dicit in Euangelio illi, qui volebat sepelire patrem suum: *Sine mortuos sepelire* &c. *tu autem annuncia regnum Dei.* Ergo minus bonum dimittendum est pro (Matth. 8.)

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod mors gehennæ non recte dicitur mors, propter vitæ perpetuitatem, dicendum, quod non dicitur mors opposita vitæ naturæ: sed opposita vitæ gloriæ. Nec esset mors perpetua gehennæ: nisi esset vita naturæ perpetua. Vnde Augustinus: *In damnatione nouissima quamuis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est; non immerito mors est potius appellata, quam vita.*

Aug. in lib. 13. de ciuit. Dei.

¶ Ad vltimum vero dicendum, videlicet quod obiicitur de morte culpæ; quod licet mors culpæ sequatur ex illo peccato, quod dicitur mortale: quia ibi auertit se homo à Deo: propriissime tamē dicitur infidelitas peccatum mortale: quia aufert omne, ꝙ vita est spiritualis: secundū quod dicitur: Iustus ex fide viuit. Alia vero peccata, cum quibus saluatur fides informis; & si vitam gratiæ gratum facientis auferunt, non tamen totum, quod est gratiæ.

MEMBRVM II.

An peccatum mortale, & crimen conuertantur?

SECVNDO quæritur de differentia eius, vel conuenientia ad criminale. Et videtur, quod conuertantur. Vnde Hieronymus: *Criminalis appellatio late patet, complectens omne peccatum, quod de voluntate procedit.* Sed tale est peccatum mortale: ergo criminale & mortale conuertuntur.

Hierony.

¶ Item, super illud Iob 31. *Hoc enim nefas est.* Gloss. *Peccatum polluit, crimen extinguit.* Sed hoc facit peccatum mortale: ergo peccatum mortale & criminale conuertuntur.

Iob 31. Glossa.

¶ Item, Hugo: *Criminalia dicuntur, quæ vel læsionem inducunt, vel turpitudinem ingerunt*: in quibus Deus vel proximus multum offenditur: vel ipse, qui facit, maculatur. Sed hæc ratio conuenit mortalibus peccatis: ergo mortalia & criminalia conuertuntur.

Hugo de S. Victore.

¶ Contra, Augustinus: *Crimen est peccatum graue, & accusatione, & damnatione dignissimum.* Sed non omne peccatum mortale est tale: ergo peccatum mortale & crimen non conuertuntur.

Aug. super Ioan.

¶ Item, dicitur in Epistola ad Timoth. *Oportet Episcopum esse sine crimine*: non ait, sine peccato (secundum hoc enim nullus, vel pauci ordinarentur) ergo non conuertuntur.

1. Timot. 3.

RESOLVTIO.

Si crimen communiter sumatur, vtiq; si proprie, minime.

¶ AD quod dicendum, quod crimen accipitur dupliciter: communiter, & proprie. Cōmuniter accipiendo, conuertuntur crimen & mortale peccatum. Vnde Isido. vnum pro altero accipit, dicens: *Multi à crimine corruunt in crimen: quia distinguere sua facta minora contemnunt, qui Dei cognitionem habentes, timorem eius negligunt.* Et præmittitur de eisdem. *Experimento minorum peccatorum, maiora committuntur peccata, vt durius feriantur.* Si vero accipiatur proprie crimen, secundum rationem prædictam, omne crimen est peccatum mortale: sed non conuertitur. Et secundum hoc supradictę autoritates sunt intelligendæ.

Isid. de summo bono.

MEMBRVM III.

An peccati venialis ad mortale peccatum proportio aliqua sit?

TERTIO quæritur de comparatione venialis ad mortale: vtrum sit ibi aliqua proportio? Et videtur, quod non. Infiniti enim ad finitum nulla est proportio: sed pœna æterna est infinita, pœna temporalis est finita: ergo nulla est proportio. Sed sicut se habet pœna ad pœnam, ita se habet culpa ad culpam: ratione cuius est reatus pœnæ: ergo peccati mortalis & venialis nulla est proportio.

¶ Præterea, peccatum veniale est delectatio inordinata sub Deo: peccatum vero mortale est supra Deum, vel contra. Si ergo summi boni, quod Deus est, nulla est proportio ad bonum creatum: ergo nec peccati mortalis, vbi aliquid præponitur Deo, vel parificatur: nulla est proportio ad veniale: quod commensuratur alicui bono mutabili, & ita bono creato.

¶ Contra, quælibet delectatio in mortali peccato est finita: finiti vero ad finitum potest esse proportio, si in eodem genere accipiantur: ergo proportio potest esse venialis peccati ad mortale.

¶ Item, acerbitas pœnæ, quæ debetur mortali peccato, finita est in magnitudine: pœna autem venialis peccati in acerbitate potest crescere, vt aliquam habeat proportionem ad pœnam mortalis peccati in acerbitate: ergo aliqua proportio potest esse venialis peccati ad mortale.

RESOLVTIO.

Et quidem secundum delectationem: at non secundum deformitatem.

¶ AD quod dicendum, quod est loqui de quantitate delectationis in vtroq; peccato: & secundum hoc potest esse proportio peccati ad peccatum ex parte delectationis. Est iterum loqui de deformitate, & secundum hoc nō est proportio: deformitas enim mensuratur respectu boni incōmutabilis, siue eius in quem peccatur: delectatio vero secundum actum ipsius peccantis: & propter hoc pœna debetur mortali peccato, ex vna parte finita magnitudine, ex alia parte infinita duratione. Veniale etiam peccatum, licet quantum est de se, non habeat reatum nisi pœnæ temporalis; ex adiunctione tamen mortalis potest habere pœnam æternam: tunc enim eius deformitas est sine fine: deformitati autem sine fine respondet pœna sine fine.

¶ Secundum hoc soluuntur rationes supradictæ: illæ enim, quę ostendunt improportionabilitatem ex parte deformitatis, secundum suum genus accipiuntur, vel ratione eius, in quem peccatur: aliæ vero sumuntur secundum mēsuram delectationis ex parte delectantis.

MEMBRVM IV.

An peccatum mortale suscipiat magis & minus?

QVARTO quæritur, Vtrum mortale recipiat magis & minus. Quod non, videtur: Mors enim naturæ, secundum quod est separatio animæ à corpore, in termino est; nec recipit magis & minus. Ergo à simili mors, secundum quod est separatio animæ à Deo, qui est vita eius: non recipit magis & minus: sed ab hac morte dicitur mortale: peccatum ergo mortale non dicitur secundum magis & minus.

¶ Contra, adulterium dicitur maius peccatum, quam fornicatio: & homicidium, quam adulterium, & vnumquodq; est mortale: ergo vnū est excedēs aliud in quātitate mortalis: ergo mortale dicitur secundū magis & minus.

RESOLVTIO.

Peccatum mortale suscipit maius & minus, sed non magis & minus. Vel secundum quiddam sic, secundum quiddam non.

¶ AD quod dicendum, quod aliud est dicere maius peccatū mortale, & minus: & aliud est dicere magis & minus mortale. Cum enim dicitur maius & minus ad quantitatem peccati refertur in genere peccati: & maior etiam acerbitas pœnæ respondet secundū mensuram libidinis. Cum autem dicitur magis & minus mortale, ad ipsam separationem à Deo, qui est vita, refertur; & inquantum ei pœna æterna respondet. Sicut ergo in æternitate pœnæ non est magis & minus: sic nec in separatione est magis vel minus. Vel potest dici: quod mortale peccatum in eo quod mortale respicit mortem gehennæ: in morte vero gehennæ aliquid est, quod dicitur secundum magis & minus, vt magis dicitur puniri iste, quam ille: & aliquid non dicitur secundum magis & minus: quia vtrunq; æternaliter. Dicetur ergo peccatum mortale quo ad aliquid magis & minus: quo ad aliquid non dicetur secundum magis & minus.

¶ Et per hoc possunt solui obiecta.

MEMBRVM V.

Quis sit effectus peccati mortalis secundum statum personæ?

QVINTO quæritur de effectu mortalis peccati secundū statum personæ. Quæritur ergo: si peccati mortalis effectus est, separare à Deo, siue subtractio gratiæ, quocunque tempore insit. Sit ergo ita, quod aliquis peccator iteret

idem genus peccati mortalis: illud peccatum iteratū mortale efficit aliquid: sed effectus est separatio à Deo, vel gratiæ subtractio: ergo separat à Deo, vel subtrahit gratiam.

¶ Contra, iam separatus fuit à Deo per præcedens mortale, separatus vero separari non potest. Similiter ab eo, qui non habuit gratiam, non potuit subtrahi gratia. Ergo peccatum secundo loco cōtingens non efficit illud, quod primum faciebat: ergo non omne peccatum mortale separat à Deo, vel subtrahit gratiam. Quis ergo effectus est communis omnis peccati mortalis, inquantum est mortale?

RESOLVTIO.

Corrumpere bonum naturale in subiecto: separare, & iterato elongare à Deo.

¶ Ad quod respondendum: quod effectus omnis peccati mortalis est corrumpere bonum naturale in subiecto: & in illo effectu nō differt peccatum, siue primo adueniat, siue secundo, siue tertio. Item, est alius effectus, qui dicitur separatio: & ille effectus dupliciter accipitur. Aliquando enim accipitur pro elongatione; cum enim dicitur: *Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum:* diuisio ibi communiter ad ptimam separationem à Deo, & ad elongationem. Vnde separatio nō dicitur tantum coniunctorum, sed elongatio iam separatorū: separare enim est seorsū se parare: qui vero in iustitia existēs, peccat mortaliter, seorsum à Deo se parat, cū iterū peccat mortaliter, separat se, id est, seorsum separat, hoc est, elongat. Vnde alicubi in scriptura inuenitur, quod peccatū elōgat hominem à Deo; secundū q d:citur: *Longe à peccatorib. salus.* Et: *Elōgauerūt à me, & ambulauerūt post vanitatē.*

Isa. 59.

Psal. 118. Ierem. 2.

MEMBRVM VI.

An diuturnitas peccati inducat mortale?

SExto quæritur, Vtrū diuturnitas peccati inducat mortale? Quod videtur per hoc, quod dicit Augustinus, vbi enumerat peccata mortalia; dicit enim: quod iracundia si longo tempore teneatur; & ebrietas si assidua sit, in eorum numero computatur. Cum ergo iracundia, vel ebrietas nō vniuersaliter sit mortale peccatū (Nam si esset, non oporteret addere illam conditionem de diuturnitate, vel de lōgitudine temporis aut assiduitate) ergo diuturnitas peccati inducit, vel efficit mortale.

Aug. in lib. de igne purgatorio.

¶ Contra, albedo magis & minus durans non diuersificat speciem: similiter est in aliis accidentibus. Ergo diuturnitas * peccatum non inducit, vel efficit mortale.

* Alias, peccati.

RESOLVTIO.

Nequaquam gratia sui, sed gratia contemptus rationis.

¶ Ad quod dicendum: quod diuturnitas & assiduitas ratione sui nō inducit peccatum mortale: sed ratione eius, quod ratio cum habet sufficienter tempus deliberationis, tenetur reprimere motus veniales, ne procedat ad regnum peccati, siue dominium. Et ideo dicit Augustinus: *Quicunq; aliquid de istis in se dominari cognouerit, nisi digne emundauerit: & si habuerit spacium, longo tempore pœnitentiam non egerit, & à peccatis ipsis non abstinuerit: illo transitorio igne* (de quo Apostolus ait) *purgari non poterit: sed æterna illum flamma sine remedio cruciabit.* Cum ergo dicitur: iracundia, si longo tempore &c. nō pro diuturnitate computatur mortale peccatum: sed per manifestum datur intelligi occultum, scilicet ipse contemptus rationis, qui est in ira inueterata. Et eodem modo intelligendum est in consimilibus; & ideo dicit Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

August.

Ad Eph. 4.

MEMBRVM VII.

An pro peccato temporali debeatur pœna æterna?

SEptimo quęritur de pœna mortalis peccati. Cum enim actio mortalis peccati sit temporalis: quantitas autem pœnæ debeat respondere quantitati culpæ, non debetur pœna æterna actioni temporali: ergo pro actione peccati mortalis non consequitur iuste pœna æterna.

¶ Si forte dicatur: quod non pro actione temporali, inquantum est temporalis, debetur pœna æterna: sed ratione maculę, quę remanet sine fine. Intelligatur per impossibile, quod aliquis perpetraret aliquem actum mortalem, & nō cointelligatur macula in anima: nunquid pro illo actu puniendus est temporaliter? Secundū hoc idem genus pœnæ deberetur actioni peccati mortalis, & actioni peccati venialis: Quod si non est possibile, vt existente actione mortali, non consequatur macula, nunquid pęnæ meritum deberetur maculæ, aut ipsi actioni mortali? Quod si debetur ipsi actioni: eo quod secundum actionem est meritum vel demeritum: secundum hoc redit quęstio supradicta: quomodo pro actione temporali punitur aliquis æternaliter?

¶ Si vero diceretur, quod quia ipse homo peccauit in suo æterno; ideo Deus punit eum in suo æterno. Hoc qualiter intelligendū est, cum possit contingere, quod semel peccauerit homo mortaliter, & tamen æternaliter puniatur.

¶ Sed diceret aliquis: quod ille, qui in peccato moritur, in infinitum peccasset, si in infinitum vixisset. Sed hoc qualiter verum est? potest enim cōtingere, quod aliquis peccet semel mortaliter: nec de cætero habeat voluntatē peccandi in illo genere peccati: & tamen est in illo peccato: non ergo in infinitum peccasset, si in infinitum vixisset, illo genere peccati. Videtur ergo, quod non debeatur pœna æterna peccato mortali.

RESOLVTIO.

Vtiq; quia peccans mortaliter æternum iudicem in suo æterno offendit.

¶ Ad quod dicendū: quod circunstantia temporis non facit, vt peccatum æternaliter puniatur: sed circunstantia illius, in quem peccatur: qui cum sit æternus, complētibus mandata promittit bona æterna: transgressoribus vero cōminatur pęnas æternas: vt qui in suo æterno æternum iudicem offenderint, in eius æterno æternaliter crucientur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, vtrum possit esse actio mortalis sine macula? dicendum est, quod non: vtriq; tamen debetur pœna æterna. Et licet ipsa actio transeat, tamen voluntas habitualis permanendi in peccato manet: & ideo dicit B. Gregorius: *Qui æternaliter peccato perfrui volunt, æternam pœnam inueniunt: & quorum voluntas non habuit finem peccandi, non habebit finem torquendi.*

Gregor.

¶ Et si dicatur de aliquo, qui peccauit peccato fornicationis, & non vult vlterius peccare illo peccato, quod non peccat in suo æterno. Dicendum est, quod in hoc peccat in suo æterno, quod non vult pœnitere de illo: & ita ratione fornicationis cum impœnitentia debetur ei pœna æterna.

QVÆSTIO CXII.

De Delicto in communi,

In quinq; Membra diuisa.

DIcto de peccato in generali, sequitur de specieb. eius. Est autem vna diuisio specierum: aliud delictum: aliud commissum. Delictum enim est in non faciendo, quod debetur facere: commissum vero est in faciendo, quod tenetur non facere. Quæ differentia notatur super illud: *Delictū meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.* Gloss. *delictum, quod dimisi facienda: iniustitiam, quod non facienda feci.* Vnde iniustitia accipitur ibi pro cōmisso. Potest ergo quæri de delicto: & deinde de commisso. De delicto autem primo dicendum est in genere: deinde in specie.

D. Tho. 1. 2. q. 79. art. 4 ad 1 arg 3. Bon. in 2 d. 42. dub. 2. P. al. 31. Glossa.

¶ Quæritur ergo primo, quare dicatur delictum. Secundo, vtrum delictum opponatur commisso. Tertio, vtrum maius peccatum sit delictum, quam commissum. Quarto, vtrum delictum sit simul cum commisso. Quinto, vtrum omne delictum, & omne commissum reducantur ad vnam causam communem.

MEMBRVM I.

Vnde dicatur delictum?

AD primum sic: delictum dicitur quasi derelictum: sic enim exponit Aug. sed derelictio non videtur distinguere inter peccata mortalia (In vnoquoq; enim peccato mortali est Dei derelictio) ergo non cōuenienter ponetur vna species mortalis peccati.

¶ Item

Aug.in lib. de natura boni. ¶ Item, Augustinus: *Peccatum non est appetitio rerum malarum, sed desertio rerum meliorum.* Desertio autem quid est, nisi derelictio? ergo omne peccatum mortale, de quo loquitur ibi, est delictum.

RESOLVTIO.

Delictum dicitur, quasi derelictum: quia quod faciendum est, derelinquitur.

¶ Ad quod dicendum, quod delictum eò dicitur derelictum, quia derelinquitur illud, quod faciendum est: non quia derelinquitur Deus. Sic enim large acciperetur delictum: & non proprie, secundum quod diuiditur contra commissum: hoc autem modo accipitur in illa ratione peccati: *Peccatum non est appetitio* &c. Et dicitur, quod *peccatum non est appetitio rerum malarum*: quia *res* accipitur ibi pro natura: nulla autem natura mala est. Sed desertio dicitur rerũ meliorum: quia homo peccãdo mortaliter, deserit Deum: deserit etiam bona spiritualia, adhęrendo transitoriis. Nec est hoc contrarium, quod alibi dicitur: quod *peccatum est appetitio rei mutabilis*: vel, quod *peccatum est appetitus rei mala*: res enim accipitur pro delectabili illicito.

MEMBRVM II.

An delictum diuidatur contra commissum?

SECVNDO quæritur, Vtrum delictum opponatur commisso. Et videtur, quod non: per hoc quod dicitur ibi: Psal.18. *Delicta quis intelligit.* Delictũ enim cõtinet in se occulta propria, & aliena. Sed omnia peccata possunt dici talia: ergo oẽ pctm̃ est delictũ: & ita nõ opponũtur delictũ & cõmissum.

Leuit.16. ¶ Contra: *Confiteantur omnes iniquitates filiorum Israel, vniuersa delicta, atq; peccata.* Ergo diuiditur contra peccatum.

Iob 13. ¶ Similiter: *Quantas habeo iniquitates, & peccata, scelera mea, atq; delicta ostende mihi.*

Leuit.17. ¶ Similiter dicitur in Leuit.17. & 6. quod offeratur sacrificium pro peccato, sicut pro delicto. Ergo delictum diuiditur contra peccatũ, & peccatũ accipitur ibi pro cõmisso.

¶ Item, duæ sunt partes iustitiæ: declinare à malo, & facere bonum: quibus duabus opponũtur delictũ & cõmissum. Ergo delictum & commissum inter se opponuntur.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, & ei contra distinguitur, & ipsum complectitur.

¶ Ad quod dicendum, quod delictum, prout opponitur illi parti iustitiæ, quæ est, facere bonum; diuiditur contra commissum: quæ opponitur isti parti, quæ est, declinare à malo. Delictum autem, prout dicitur à derelinquendo, commune est ad peccatum: & sic aliquando accipitur.

Qũ.later. ¶ Sed adhuc quæritur, vtrum delictum & commissum sufficienter diuidant peccatum mortale per immediata? Quod videtur ex iam dictis.

Glossa ordinaria: & est Esicij super illud. Oblitaq; postea intellexerit delictum suum. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur in Leuit.5. vbi dicitur: quod delictum est, quod contra solum præsumitur Deum, vt in sanctis, vel in iuramentis. Delictũ autem hoc modo acceptum cum commisso, non sufficienter diuidit peccatum mortale.

¶ Præterea, dicitur ibidem: vbicunq; cognitio peccati, siue præferatur, siue subinferatur, delictum vocatur. Ergo delictum non continet peccatum ignorantiæ, nec commissum continet peccatum ignorantiæ: ergo tres sunt differentiæ peccati mortalis, delictum, peccatum ignorantiæ, & commissum.

Aug.in lib. de perfectione iustitiæ. ¶ Ad quod dicendum, quod illa duo sufficienter diuidunt peccatum actuale mortale. Vnde Augustinus: Duobus enim modis fieri constat omne peccatũ: si aut illa fiant quæ prohibentur: aut illa non fiant, quæ iubentur. Et hæc duo sunt delictum, & commissum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium; dicendum est: quod delictum aliquando coarctatur ad illa, quibus proprie delinquitur in Deum: & secundum hoc currit illa diuisio; peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in seipsum. Hoc autem modo non accipitur delictum; secundum quod diuiditur contra commissum: sed dicitur delictum, cum non fit, quod faciendum est.

¶ Similiter respondendum est ad secundum: delictum enim aliquando coarctatur ad illud peccatum, quod scienter fit, vel quod scitur, cum factum est: & hoc modo non diuidit contra commissum; licet diuidat contra peccatum per ignorantiam, siue quod ignoranter fit. Alió vero modo delictum accipitur communiter, quando non fit, ad quod tenetur (& fieri dicatur large ad scire) & secundum hunc modum delictum cõtinet in se peccatum ignorantiæ: peccatum enim ignorantię est, cum non scit, quod tenetur scire: & hoc modo delictum immediate se habet contra commissum: continet enim in se peccatum ignorantiæ * omissionis. Alio vero modo accipitur super illud: *Delicta iuuentutis mea, & ignorantias meas ne memineris.* Delicta enim dicuntur, quando via veritatis scienter derelinquitur: ignorantiæ vero peccata, quæ ignoranter fecit, vel antequam * crederet. * Alias, õmissionis & negligentiæ. Psal.24. * Alias, crederet peccare.

MEMBRVM III.

An delictum maius peccatum sit, quam commissum?

TERTIO quæritur, vtrum maius peccatum sit delictum, quam commissum? Quod videtur: delictum enim in Leuitico magna indigebat expiatione: sicut dicitur Leu.5. Ergo maius peccatum fuit delictum, quam commissum.

¶ Præterea, facere bonum, est melior pars iustitię, quam declinare à malo. Ergo delictum, quod opponitur ei, quod est facere bonum (hoc enim abstinere est à bono, vel desertio boni; sicut dicitur super illud: *Sicut pro peccato offertur hostia*) cõmissum vero opponitur ei, quod est declinare à malo (hoc enim est facere malum) ergo delictum est maius peccatum, quam commissum. Leuit.7.

¶ Contra, videtur, quod æquale, per hoc, quod dicitur: *Sicut pro peccato offertur hostia, ita pro delicto: vtriusq; hostiæ vna lex erit.* Si ergo vna est lex: vna est lex sacrificij pro peccato, & pro delicto: ergo sunt consimilis culpæ. Ibidem.

¶ Item, Gregorius super illud: *Scelera mea, atq; delicta ostende mihi.* Hoc interest inter scelus & delictum: quod scelus pondus peccati transcendit: delictum vero non: quia cum offerri sacrificium pro peccato iubetur; nimirum pro peccato dicitur sicut pro delicto. Ergo ad paria iudicantur peccatum & delictum: sed hoc dicitur commissum: ergo delictum & commissum ad paria iudicantur. Gregor.in originali. Iob 13.

¶ Quod autem delictum sit minus, quam commissum, arguitur: difficilius enim fit obseruatio ab omisso, quam commisso: quæ vero sunt huiusmodi, aliis paribus minora sunt peccata. Quod autem difficilioris sit obseruationis; patet per hoc, quod plures ignoranter omittunt, siue delinquunt, quam committunt.

¶ Præterea, plures sunt prohibitiones, quam præcepta affirmatiua: sed in transgrediendo prohibitiones fit commissum: & non faciendo præcepta, fit delictum: ergo pluries fit commissum quam delictum.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, nunc hoc, nunc illud maius.

¶ Ad quod dicendum, quod delictum, secundum quod immediate se habet contra commissum, & sufficienter diuidit peccatum actuale mortale; maius peccatum est in genere commissum, quam delictum: quia maius malum est, facere malũ, quam non facere bonum. Secundũ aũt quod delictũ respicit per se in iniuriam Dei, maius est peccatũ: & sic accipitur quãdoq; in Leu. cũ maior requiritur expiatio.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per comparationem delicti & commissi ad partem iustitiæ: dicendum est, quod licet maius bonum sit, facere bonum, quam non facere malum: non tamen sic est in oppositis, vt maius sit malum, abstinere à bono, quam facere malum: sed attendenda est ibi consequentia in contrario.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de paritate per hoc, quod dicitur in Leuit. intelligendum est, quod illa paritas attenditur quo ad legem hostiæ, in quantum respicit sacerdotem. Vnde dicitur ibidem: *Ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.* Leuit.7.

¶ Ad illud vero, quod dicit B. Gregorius, dicendum est: quod quo ad hoc attenditur paritas, quod scelus transcendit vtrunq; in malitia.

MEMBRVM IV.

An delictum simul sit cum commisso?

QVARTO quæritur, Vtrum delictum sit simul cum cõmisso. Quod videtur: qui enim non facit, quod tenetur facere; hoc est, quia aliquid aliud facit, quod distrahit affectum ab illo.

¶ Item, qui facit, quod non tenetur facere, omittit illud, ad quod tenetur (qui enim fornicatur, tenetur continere, & non continet) ergo delictum simul est necessario cum commisso.

RESOLVTIO.

Interdum simul, interdum non simul, iuxta diuersitatem actuum.

¶ AD quod dicendum, quod delictum * aliquod est respectu actus, qui directe opponitur ei, quod prohibetur; vt se habent continere ab illicito, & fornicari: & in talibus ad commissum sequitur delictum: sed nõ econuerso. Sunt etiam alij actus, respectu quorum dicitur delictum: & in talibus potest esse delictum sine commisso: vt tenetur ille dare indigenti pro tempore & loco, & non dat; & ex hoc delinquit, non tamen committit. Prętérea, iste dat, cui non debet; & ita committit, nec tamen omittit: potest enim dare & cui nõ debet, & cui debet: & ita ex vna parte transgredi, ex alia parte non delinquere. Sic ergo patet, qualiter separantur delictum & cõmissum, & qualiter nõ separantur.

* Alias, aliquid est, cũ est respectu actus, qui habet directe oppositũ, quod prohibetur.

MEMBRVM V.

An omnia delicta ad vnum commune delictum, & omnia commissa ad vnum commune commissum sicut ad vniuersalem causam reducantur.

VLTIMO quæritur ratione delicti & commissi, si omne delictum reducatur ad vnum commune, siue ad vnam causam cõmunem, & omne commissum similiter? Quod non, videtur: distinctæ enim sunt prohibitiones ab inuicẽ, & iussiones similiter: delicta autem & commissa sunt circa actus particulares: non ergo erit delictum vnum commune omnibus delictis, nec præceptum ad omnia præcepta, neq; omnia reducentur ad vnum vtrobique.

¶ Contra, Augustinus: *Generalis prohibitio est, Non concupisces: & generalis iussio, Diliges: quod breuiter Apostolus complexus est, dicens: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: prohibitio enim est, Nolite conformari: iussio est, Reformamini.* Cum ergo delictum & commissum attendantur secundum iussionem & prohibitionem, erit delictum & commissum ad generalia reducere: cum enim aliquis delinquit, tenetur aliquis reformari in nouitate vitæ, & non reformatur delinquendo: cum autem aliquis committit, tenetur non conformari huic seculo, & conformatur.

Aug. in lib. de perfectione iustitiæ. Rom. 12.

RESOLVTIO.

Et quidem: prima profecto ad Nolite conformari huic seculo: posteriora ad Reformamini in nouitate sensus.

¶ AD quod dicendum est, quod est reducere (sicut dictũ est) ad prædicta generalia; quæ sunt tanquam radices præceptorum, & prohibitionum: non quod ista sint vniuersalia præceptorum & prohibitionum particularium: sed sicut, non concupiscere, & diligere sunt radices: ita, nolite cõformari, & reformari sunt consequentia: & sic quicunque delinquit, vel committit, radicius peccat in illis, vel ex consequenti.

QVÆSTIO CXIII.

De ignorantia.

In nouem Membra diuisa.

DICTO de delicto in genere, sequitur de tribus differentiis delicti, quæ sunt, ignorantia, omissio, negligentia. Delictum enim dicitur derelictio boni faciendi, ad quod tenetur homo: bonum autem illud aut est in scire, aut in agere. In agere vero dupliciter: vel quo ad genus actus debiti: vel quo ad circunstantiam debitam. Primum est ignorantia, quæ est circa sciendum: secundum est omissio, quæ est desertio actus debiti: tertium est negligentia, quæ est desertio circunstantiæ debitæ.

D. Tho. 1. 2 q. 76. S. Bõ. in 2. d. 22. art. 2 Sco. ibid. q. 2.

¶ Primo ergo dicendum est de ignorantia, & quæritur primo, vtrum ignorantia sit peccatum aliquo modo. Secundo, si aliquo modo non est peccatum, an sit pœna peccati. Tertio, quæ differentia sit ignorantiæ & erroris. Quarto, si concomitetur quodcunq; peccatum. Quinto, cum dicitur esse peccatum, vel cum peccato; vtrum sit originale, vel actuale, vel medium. Sexto, vtrum peccatum ignorantiæ sit grauissimum. Septimo, vtrum excuset ignorantia à peccato, vel non excuset. Octauo, de excusantibus, quæ magis excusent. Nono, de comparatione ipsius ad alias causas excusationis.

MEMBRVM I.

An ignorantia peccatum sit?

AD primum sic dicitur super illud: *Scimus, quoniam iudicium est Dei.* Et postea sequitur: *An ignoras.* Gloss. *Ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, peccatum est.*

Rom. 2. Ibidem. Glossa.

¶ Item, Isidorus: *Nullus in culpa maior est, quam ille, qui Deum nescit.*

Isid. in lib. de ecclesiastica instit.

¶ Item: *Ignorans ignorabitur, & reprobabitur.* Sed reprobatio non est nisi propter culpam: ergo ignorantia est culpa.

1. Cor. 14.

¶ Item, aliquod nomen scientiæ commune est cum virtute: ergo per oppositum, aliquod nomen ignorantiæ commune est cum peccato. Sicut ergo scientia siue prudentia dicitur esse virtus: ita ignorantia dicetur esse peccatum.

¶ Contra, sicut dicitur in Enchir. *Duo sunt inflicta propter peccatum, ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum.* Sed quod inflictum est, inquantum huiusmodi tenet rationem pœnæ non peccati: ergo ignorantia non est peccatum.

August. in Enchir.

¶ Item, ignorantia & scientia nata sunt fieri in intellectu: virtus autem & peccatum in voluntate: intellectus vero & voluntas sunt disparata: ergo scientia & virtus: ergo ignorantia & peccatũ sunt disparata: ergo hæc nõ est illud.

RESOLVTIO.

Ignorantia pro defectu, incuria, & voluntate nesciendi, quæ ad salutem necessaria sunt, peccatum est. Pro defectu autem veræ cognitionis, peccatum non est.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia multipliciter dicitur: Aliquãdo enim dicitur defectus veræ cognitionis: aliquando defectus scientiæ debitæ, siue ad quam tenetur homo: aliquando vitium, vel peccatũ ex volũtate nesciendi ea, quæ sunt ad salutem necessaria: necessaria autem ad salutem sunt fides, & mores. Voluntas ergo nesciendi in iis, vel non apponendi curam, vt sciantur, est peccatum. *Noluit intelligere, vt bene ageret:* super quo dicitur in Gloss. *Potuit intelligere, vt bene ageret, sed noluit: & ita veniam non habet: imprudentia enim & ignorãtia aliquando venia datur: voluntati aũt mala semper pœna.* Ex iam dictis patet, quomodo est peccatũ, & quõ nõ.

Psal. 35. Glossa.

¶ Et per hoc potest responderi ad obiecta: cum enim dicitur, ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, est peccatum: si est pręedicatio secundum essentiam, accipitur ibi pro voluntate nesciendi, vel * non curandi; scire enim incuria, vel voluntas sciendi, est peccatum: & hoc est verum.

* Alias, nõ curandi scire, id est incuria vel voluntas nesciendi.

¶ Ad secundum dicendum est, quod iste dicitur esse in culpa, qui nescit Deum, nõ quia * nescire sit culpa: sed quia non assentire est culpa: infidelitas enim est peccatum.

* Alias, nescientia.

¶ Ad tertium dicendum, quod ille, qui ignorat, dicitur ignorari, id est, improbari, secundum illud, quod dicitur in libro de natura & gratia: *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras: sed quod negligis quærere, quod ignoras: neq; quod vulnerata membra non colligis, sed quod saluare volentem contemnis.* Et iterum in Qõ. noui Testam. *Hic, qui potuit, & non dedit operam, reum se fecit: erat enim quod disceret, & à quo disceret.*

Aug. in lib. de natura & gratia. Idẽ in quęstionib. noui Testam.

¶ Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet nomen esse commune ignorantiæ, quæ est in intellectu, & peccati

sicut

ficut ſcientiæ in intellectu & virtutis. Illud vero, quod dicitur, ignorantiam eſſe inflictam, vel excuſare peccatum, de pœna intelligitur.

¶ Illud etiam, quod dicitur, ignorantiam eſſe in intellectu, ſicut & ſcientiam: non intelligitur de ignorantia, ſecundum quod eſt nomen peccati.

MEMBRVM II.

An ignorantia pœna ſit?

SECVNDO quæritur, ſi ignorantia aliquo modo non eſt peccatum, an ſit pœna peccati. Quod autem ſit pœna peccati, patet per hoc, quod dicit Hugo de S. Victore. Vitium corruptionis humanæ duplici corruptione naturam inficit: ignorantia mentem, & cõcupiſcentia carnem. Hæc duo mala in primo parente pęna fuerunt præcedentis culpæ: ergo ignorantia eſt pœna.

Rom.2. ¶ Item ſuper illud: *Scimus quoniam iudicium* &c. Ignorantia in eis * qui intelligere * non potuerũt, eſt pœna peccati.

*Alias quę *Alias noluerunt.

¶ Item, Auguſtinus in Enchir. *Errores in huiuſmodi falſitatibus, quibus fallimur (ſalua fide, & via non relicta, qua ducit ad illũ) etiam ſi peccata non ſunt, tamen * in malis huius vitæ deputandi ſunt.* Et ſic cum error ſit ignorãtia, vel cum ignorantia: erit ignorantia pœna.

*Alias, cũ malis.

¶ Sed quod ignorantia nec ſit culpa, nec pœna, ſed cauſa vtriuſque: videtur per hoc, quod Eua peccauit ex ignorantia, quia ſeducta fuit: ſicut dicitur 1. Timoth. 2. ſed illa ignorantia non fuit pœna; non enim pręceſſerat culpa: nec fuit culpa; quia idem non eſt cauſa ſui: ergo ignorantia non eſt culpa, nec pœna.

1.Tim.2.

Hugo. ¶ Item, Hugo: *Naſci ſine cognitione, natura eſt, non culpa.* Sed in eo vitio naſci, quo poſtea à cognitione veritatis fit impedimentum, culpa eſt, id eſt cauſa culpę. Ergo ignorantia ſiue dicatur defectus cognitionis, ſiue quo fit impedimentum cognitionis, cauſa eſt culpæ; cauſa autem culpæ præcedit culpam & pœnam: ergo huiuſmodi ignorantia non eſt culpa, nec pœna.

¶ Quod etiam patet in angelis: angeli enim quidam boni ignorauerunt myſterium paſſionis: in illis autem nec erat culpa, nec pœna: ergo aliqua ignorantia non eſt pœna.

RESOLVTIO.

Ignorantia interdum pœna eſt, interdum culpa, interdum cauſa culpæ, aut concomitans illam, interdum vero horum nullum.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia multipliciter ſumitur: Aliquando enim ſumitur pro neſcientia, & hoc modo poteſt eſſe, quod nec ſit culpa, nec pœna, nec etiam cauſa culpæ, vel concomitans; ſicut fuit in angelis: & adhuc eſt reſpectu alicuius cognoſcibilis, ſicut reſpectu diei

Matth.24. iudicij: *De die illa nemo ſcit, nec angeli Dei.* Aliquando vero illa neſcientia eſt occaſio culpæ: & hoc modo fuit neſcientia in Eua. Aliquando vero eſt concomitans culpam: ſicut cũ dicitur, omnis malus ignorat. Aliquando vero eſt pœna inflicta pro culpa originali, vel actuali.

¶ Et ſecundum hæc poſſunt ſolui ea, quæ obiecta ſunt. Nam primæ rationes attenduntur quantum ad ignorantiam, ſecundum quod eſt pœna. Sequentes vero, quantum ad ignorantiam, quæ eſt concomitans culpam, vel occaſio culpæ. Vltima vero attenditur, quantum ad neſcientiam, quæ nec eſt concomitans culpam, nec occaſio culpæ.

MEMBRVM III.

An ignorantia, & error conuertantur?

TERTIO quæritur, quæ differentia ſit ignorantiæ & erroris. Et ad hoc ſic. Error enim eſt peccatum, quod opponitur fidei: ignorantia vero ſecundum ſuam rationem non eſt peccatum: ergo error non eſt ignorantia. Quod autem error ſit peccatum, patet per hoc, quod dicit Auguſtin.

Auguſt. *Quis, niſi errans malum neget, approbare falſa pro veris, aut improbare vera pro falſis, aut habere certa pro incertis?* Sed hoc approbare, eſt errare: hoc autem poteſt eſſe in his, quæ ſunt circa fidem: cum autem ſic eſt, approbatio peccatum eſt: ergo error eſt peccatum. Reſtat ergo ex prædictis, quod error non eſt ignorantia.

¶ Contra, Auguſtinus in Enchir. *Error cauendus eſt, non ſolum in maioribus, verum etiam in minoribus: nec niſi rerũ ignorantia poteſt errari.* Non tñ conſequens eſt, vt continuo erret, quiſquis aliquid neſcit: ſed quiſquis exiſtimat ſe ſcire, quod neſcit: pro vero enim approbat falſum, quod eſt erroris proprium. Ergo error eſt ignorantia: ſed non e conuerſo. Idem in Enchir.

¶ Item, omnis error malum culpæ eſt, vel pœnæ: ſed ignorantia aliquando eſt neutrum illorum, immo bonum, vt videtur, ſecundum quod dicit Auguſtinus, ſunt quædam, quæ neſcire, quam ſcire, eſt melius. Ergo ignorantia eſt vniuerſalior, quam error. Idem in Enchir. c. 17. circa mediũ, To. 3.

¶ Item, ignorantia eſt in adultis & paruulis; error eſt in adultis tantum: ergo ignorantia eſt communior errore.

RESOLVTIO.

Ignorantia communior eſt, quam error: illa in defectu debitæ cognitionis, hic in aſſenſu & diſſenſu conſiſtens.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia eſt cõmunior, quam error. Vbi autem inſimul concurrunt, in hoc diſtinguũtur: quod error dicitur eſſe in aſſenſu & diſſenſu: ignorantia vero in defectu cognitionis debitæ. Vnde error opponitur contrarie ipſi ſcientiæ vel fidei (ſi ſit circa credibilia) ignorantia vero priuatiue.

¶ Per hoc poteſt ſolui, quod obiectum eſt: cum enim dicitur, quod errare eſt approbare, &c. approbatio ſonat in conſenſum: ignorantia vero, & neſcientia in eo, qui aptus natus eſt ſcire; vel qui habet poſſibilitatem ex natura ad ſciendum. Si ergo inueniatur alicubi, quod error eſt ignorantia, non dicitur hoc per eſſentiam: ſed per concomitantiam, ſiue per cauſam.

MEMBRVM IV.

An ignorantia concomitetur quodcunq; peccatum?

QVARTO quæritur, ſi ignorantia concomitetur quodcunq; peccatum. Quod non, videtur: aliquis enim ſcienter peccat: ergo non eſt ibi ignorantia illa, qua ignorat eſſe peccatum: nec eſt ignorantia in conditionibus perſonæ, aut actus (Poteſt enim contingere, quod habeat ſcientiam harum & illarum) ergo ignorantia non concomitatur quodcunq; peccatum.

¶ Contra, dicit Philoſophus: quod *omnis malus ignorat* (& loquitur de ignorantia concomitante peccatum) ergo eſt ignorantia concomitans omne peccatum. Philoſoph.

¶ Item, voluntas & ratio ita coniuncta ſunt: vt cum voluntas deficit volẽdo, tunc ratio deficit in eligendo: ſed defectus in electione eſt ignorantia: defectus autem in volũtate eſt peccatum: ergo ignorantia cõcomitatur peccatum.

RESOLVTIO.

Ignorantia, prout in intellectu practico eſt, ſemper peccatum comitatur: prout autem in intellectu ſpeculatiuo, non ſemper.

¶ AD quod dicendum, quod ignorantia vno modo concomitatur peccatum: & alio modo non. Secundum enim quod ignorantia eſt in ſpeculatiuo intellectu, nõ eſt neceſſe ignorantiam eſſe ſemper cũ peccato: ſicut in Theologis, qui cognitionẽ habent faciendorũ, & nihilominus peccãt. Eſt aũt alia ignorantia, quæ eſt in intellectu practico: ſecũdum quod aliquis eum peccat, nõ habet experientiam boni, vel non habet electionem boni, quę pręcedit experientiam: & hoc modo omnis malus ignorat.

¶ Et ſic intelligitur illud Philoſophi.

¶ Ex hoc etiam patet illud, quod poſtea obiectum eſt. Vnde ſecundum hunc modum ignorantia comitatur peccatum: ſecundum alium modum eſt quoddam peccatum ex ignorantia: & non omne.

MEMBRVM V.

An ignorantia ſit peccatum originale, vel actuale, vel medium?

QVINTO quæritur, cum dicitur eſſe peccatum ignorantia, vel cum peccato: vtrum ſit originale, vel actuale, vel medium. Et oſtenditur, quod non eſt originale: origi-

nale enim transit reatu, & manet actu post baptismum: sed ignorãtia in peccante post baptismum remanet in reatu & actu: ergo non est originale peccatum (supposito quod originale non redeat: ignorantia autem potest redire.

¶ Item, ignorantia est peccatum in his, qui intelligere noluerunt: & originale peccatum est, siue velit, siue nolit: ergo ignorantia non est originale peccatum.

¶ Nec est actuale peccatum, actuale enim peccatum transit actu, & remanet reatu: ignorantia vero aliquando manet actu, & transit reatu: (sicut est in sacerdote, qui tenebatur scire pertinentia ad officium suum, & non sciuit, cum debuit: & pœnituit super hoc, & adhuc nescit: ignorantia in illo transit reatu, & remanet actu) ergo non est peccatum actuale.

¶ Quod autem sit actuale, patet per hoc, quod delictũ est actuale peccatum: ignorantia vero sub delicto continetur: ergo ignorantia est actuale peccatum.

¶ Quod autem sit originale peccatum, videtur ex verbis Hug. qui dicit: quod *ignorantia & concupiscentia sunt in nobis culpa simul & pœna originalis:* ergo ignorantia est originalis culpa. Hugo de S. Victore.

RESOLVTIO.

Et originale, & actuale, & medium: diuersa scilicet consideratione.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia vno modo dicitur esse peccatum actuale in eo, qui non curat scire, quod tenetur scire: & sic continetur sub actuali peccato, prout est à voluntate non curandi. Alio vero modo dicitur ignorantia originalis culpa secundum Hugon. prout originale peccatum reddit lib. arbit. culpabile, quo ad ignorantiam ex parte rationis, & quo ad concupiscentiam ex parte voluntatis: & hæc est intentio Hugonis, secundum quod trahimus ex primis parentibus originalem concupiscentiam cum ignorantia. Tertio vero modo dicitur ignorantia habere quandam conuenientiam cũ originali, & aliam conuenientiam cum actuali. Aliquando enim transit reatu, & remanet actu: vt in sacerdote, de quo diximus, contrito. Aliquando vero transit actu, & remanet reatu: vt in illo, qui voluit nescire, & postea addiscit: sed non cõteritur de voluntate priori culpabili. Et transit actu, quia non remanet iam ignorans: & manet reatu, quia adhuc remanet culpa. Et hoc modo habet mediam rationẽ: licet sub actuali peccato simpliciter contineatur, secundũ quod est peccatum. Hugo.

MEMBRVM VI.

An peccatum ignorantiæ iuxta B. Ambrosij sententiam grauissimum peccatum sit?

Sexto quæritur, Vtrum peccatum ignorantiæ sit grauissimum peccatum. Quod notatur: *An ignoras, quoniam benignitas Dei,* &c. Et dicit Ambrosius: *Peccas homo, dum impunitatem tibi promittis, grauius cum Dei bonitatem contemnis: grauissime cum ignoras.* Et sunt gradus peccatorum: ergo grauissimum peccatum est ignorantia. Rom. 2. Ambros.

¶ Contra, Augustinus: *Verissimum est, longe grauius esse peccatum eius, qui sciens, quam eius, qui nesciens, peccauit.* Ergo peccatum ignorantiæ minus est. Aug. in lib. de [illegible] contra Donatistas

¶ Similiter idem alibi consimilem sententiam ponit. Ex quibus colligitur, quod peccatum ignorantiæ non est grauissimum. Idem, in li. de ciu. Dei.

¶ Item, Isidorus: Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet: noluisse scire ad superbiam, & contumacem voluntatem.

RESOLVTIO.

Ignorantia consequens peccatum, ipsumq́; aggrauans (de hac enim intelligit B. Ambrosius) grauissimum & periculosissimum peccatum est.

¶ Ad quod dicendum, quod peccatum ignorantiæ dicitur multipliciter. Vel cum peccat aliquis, & nescit se peccare: & tunc dicitur peccare ex ignorantia. Vel cum nescit, & non curat se scire: vel peccat graui peccato, & post ea non sensit, quam grauiter peccauit: immo redditur quasi insensibilis respectu culpæ & pœnæ. Est ergo ignorantia disponens ad peccatum sequens: & ignorantia materia ipsius peccati, siue circa quod est peccatum: & est ignorantia cõsequens peccatũ, aggrauans ipsum. Hoc vltimo modo dicitur illa autoritas Ambrosij: *Grauissime peccat, qui ignorat,* id est periculosissime: quia si sentiret peccatum, ac pœnam peccati; ad medelam confugeret, qua curaretur à peccato: & sic est de illo, sicut de paralytico: vel de illo, qui non habet sensum morbi sui. Ambros.

¶ Illud autem, quod dicit August. quod peccata scientium præferuntur peccatis nescientiũ: intelligitur de ignorantia antecedente peccatum: semper enim diminuit.

¶ Quod autem dicit Isidorus: *Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet: noluisse vero scire ad superbiam, & contumacem voluntatem*: intelligitur de peccato ignorantiæ, secundum quod ignorantia est illud, circa quod est peccatum, & hoc modo graue est peccatum. Vnde dicit Isidorus ibidem: *Voluntati proprie dominum nescire velle, quid aliud est, quam velle superbiendo dominum contemnere.* Isidorus. Idẽ ibidẽ.

¶ Adhvc etiam quæritur de peccato Euæ, cum esset ex ignorantia (sicut dicit Isidor.) qualiter tam graue fuit peccatũ, & grauissime punitum. Videtur enim, quod hoc peccatum maius esset aliis peccatis, & tamen est peccatum ex ignorantia: nullum enim aliud peccatũ actuale ita grauiter punitum est: cum ergo mensura pœnæ sit secundum mensuram culpæ: nullum peccatum videtur esse ita graue. Q. 8. later. Idem.

¶ Ad quod potest responderi: quod dicitur aliquod peccatũ esse ex ignorantia: vel quando aliquis ignorat, vtrum fuerit præceptum, vel prohibitum; & delinquit, vel omittit: & hoc modo non fuit peccatum Euę ex ignorantia: nouit enim esse pręceptum à Domino. Est iterum ignorantia, qua nesciuit esse verum, quod ei suadebatur à diabolo: & tamen assensit: & ista nescientia non diminuit culpam: nec tamen propter illam principaliter aggrauatur: sed propter hoc quod appetendo esse sicut Deus, totum genus humanum obligauit ad peccatum, gustando de fructu vetito, vnde omnes in illis primis parentibus peccauimus.

MEMBRVM VII.

An ignorantia à peccato excuset?

Septimo quæritur, Vtrum ignorantia excuset à peccato, vel non excuset? Et videtur, quod excusat, per hoc quod dicit Augustinus: *Qui ignorat non suo vitio, non enim fuit, à quo disceret; nec rumore comperit opinionem doctrinæ: immunis est à condemnatione.* Ergo ignorantia excusat. August. in quæstionibus noui Testam.

¶ Item: *Scio, quod per ignorantiam fecistis: conuertimini ergo, vt deleantur peccata vestra.* Ergo per ignorantiam minuebatur peccatum. Act. 3.

¶ Item, Augustinus: *Quo modo reus constituitur, qui nescit, quid fecerit?* Ergo ignorantia excusat. Aug. loco citato.

¶ Item, Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Ergo ignorantia excusat: & si non à toto, tamen à tanto. 1. ad Tim. 1.

¶ Contra, Augustinus super illud: *Qui non cognouit, & fecit digna; plagis vapulabit paucis.* Gloss. *ignorantia, quæ non est eorum, qui scire volunt, sed eorum, qui nesciunt; neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat.* Ergo ignorantia huiusmodi non excusat. Lucæ 12. Glossa.

¶ Item, Augustinus: *Non omnis ignorans immunis à pœna est: hic enim qui potuit discere, & non dedit operam, reum se fecit: negligentior enim luxuria, aut maleuolentia inexcusabilis est à crimine.* Aug. loco citato.

¶ Item, Isidorus: *Sunt, qui scienter peccant, & qui per ignorantiam excusationem quærunt, vt minus culpabiles habeantur: qui tamen seipsos non muniunt, sed magis decipiunt.* Ergo huiusmodi ignorantia non excusat. Isidorus.

¶ Item, super illud: *Noluit intelligere, vt bene* &c. Gloss. *voluntati malæ semper pœna debetur.* Ergo ista ignorantia addita alteri culpæ, non diminuit, aut excusat, sed magis auget. Psal. 35. Glossa.

¶ Item, cæcitas inducit peccatum, sicut patet in Lamech: qui cæcus effectus, sagitta occidit Cain. Sed sicut cæcitas est in corpore, ita ignorantia in anima: ergo ignorantia facit adesse peccatum: quod non esset, si non ignoraret: ergo ignorantia non excusat peccatum.

RESO-

RESOLVTIO.

Quædam excusat, quædam magis accusat.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia quædam excusat, & quædam non excusat. Est n. ignorantia inuincibilis ex casu: in quam non incidit homo ex sua culpa,* sed ex debilitate naturæ: & hæc excusat. Est iterum ignorantia iuris diuini, & canonici: & hæc excusat simplices, quo ad quædam, quæ non sunt necessaria ad salutem essentialiter. Econtratio vero est ignorantia, quæ non excusat quo ad Deum: vtpote ignorantia supina, siue affectata, & ignorantia eorum, ad quæ tenetur homo, & ignorantia negligentiæ. *Alias, vel.

¶ Per hoc potest responderi ad obiecta. Cum enim dicitur, quod ignorantia excusat, vel simpliciter, vel in parte: intelligitur de ignorantia inuincibili, vel de ignorantia simplici (non dico eorũ, quæ sunt ad salutem) & de ignorantia facti.

¶ Illa ergo autoritas Aug. de ignorantia inuincibili intelligitur, secundum statum personæ & loci. Aug. in lib. quæstionũ noui Test.

¶ Illa vero autoritas in Lib. Actu. *Scio quod per ignorantiam fecistis*: non intelligitur de ignorantia, quæ excusat à toto, sed quæ excusat à tanto. Dicitur enim in Euangelio: *Nunc autem excusationem non habent de peccato.* Sed in quibusdam etiam eorũ poterat esse ignorantia negligenti, & illa nec excusabit à tanto, nec à toto. Vnde de talibus dicit Aug. *Cum prædicaretur veritas, vt eam addiscerent, operam non dederunt, sed ignorantiam autorem eius occiderunt.* Actuum 3. Ioan. 15.

¶ Tertia vero autoritas Aug. intelligitur de ignorantia inuincibili ex casu. Vnde dicit: *Aliquos scimus subito dementes factos, ferro, fuste, lapidibus, morsibus multos nocuisse: captos aũt industria, & iudicibus oblatos minimè reos factos: eo quod nõ voluntate, sed impellente vi (nescio qua) hæc gesserunt, nescientes.* Augu loco supra notato.

Quarta vero authoritas intelligitur de ignorantia, quæ non excusat à toto, sed à tanto: quæ fuit in Apostolo Paulo: arbitrabatur enim se obsequium præstare Deo, legis æmulator existens, & ideo peccatum eius veniale fuit, cum ad misericordiam confugit: licet esset in genere mortalis. Actuum 3.

¶ Ad autoritates vero, quæ sunt ex alia parte. Dicendum est, quod illa autoritas Aug. intelligitur de ignorantia negligentiæ; quæ quo ad hoc non excusat, sed multo magis cum fuerit ex maleuolentia. August. in quæstionibus noui testaměti.

¶ Illa vero, quam ponit Isidor. intelligitur de ignorantia affectata. Similiter illa, quæ ponitur super illud Psalm. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Psal. 35.

¶ Illa vero, quæ ponitur ab August. super illud: *Qui non cognouit*, &c. intelligitur de illa ignorantia, quæ non excusat à toto; licet excuset à tanto, & ideo dicitur, neminem sic excusat, &c. Lucæ 12.

¶ Ad quartum vero dicendum est: quod in parte simile est de cæcitate & ignorantia, & in parte dissimile. Quo ad hoc est simile, quod sicut cæcitas inclinat ad peccatum, sic etiam ignorantia: quo ad hoc vero dissimile: quod cæcitas tantum pœna est: ignorantia potest esse culpa.

MEMBRVM VIII.

An ignorantiarum altera magis excuset, accuset ve?

OCTAVO quæritur de excusantibus peccatum, quæ magis excusant, & quæ est comparatio ignorantiæ ad ignorantiam.

¶ Est autem quædam diuisio ignorantiæ ex parte materiæ, cum dicitur: alia est iuris, alia facti. Ignorantia vero iuris, alia est iuris naturalis, alia est iuris diuini, alia iuris canonici, alia iuris ciuilis. Potest ergo quæri, quæ ignorantia minus excusat, & quæ non.

¶ Ad quod respondendum, quod ignorantia iuris si excusat aliquam personam; vtpote simplices, qui non habent facultatem perueniendi ad iuris peritiam (vt sunt paruuli, rustici, & mulieres) minus excusat, quam ignorantia facti. Ignorantia enim iuris in iis, quæ sunt ad salutem, minus excusat: vtpote ignorantia iuris canonici, vel diuini, quantum ad quædam præcepta: naturalis vero iuris minimè: canonici vero iuris plus excusat quasdam personas: ciuilis vero plus. Quanto enim plus tenetur homo ad cognitionem iuris: tanto minus excusatur, quia vero vnusquisq; tenetur ad scientiam iuris naturalis, ideo nullus adultus excusatur: nulli n. adulto licet legem naturalem ignorare, quoniam ipsa scribitur in corde humano naturaliter.

¶ Est autem scientia iuris diuini, scil. legis & Prophetarum, Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ: & istam tenentur Episcopi scire, & Prælati maiores, qui tenentur omni poscenti reddere rationem de ea, quæ est in eis, fide & spe: vnde ab eis requiritur scientia veteris & noui Testamenti: laici vero tenentur ad notitiam Decalogi; & eorum quæ pertinent ad fidem: prout continetur in Symbolo Apostolorum: ignorantia vero quo ad quædam iuris diuini eos excusat simpliciter: quantum ad quædam vero excusat à tanto, & si non à toto.

¶ Est iterum notitia iuris canonici, quod continet cõstitutiones Ecclesiasticas ad intelligenda peccata, & ad hanc tenentur Sacerdotes curam animarum habentes, & confessores. Ignorantia huius iuris quosdam alios excusat, & si non à toto, tamen à tanto, non n. omnes clerici tenentur ad notitiam omnium, quæ sunt in iure canonico, & si teneantur ad notitiam quorundam.

¶ Est iterum ignorantia facti: & hæc est duplex: vel in differentiis ad salutem, vel ad officium, & hæc excusat: sicut habetur: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Est autem factum necessariũ ad salutem, vt quod Christus passus est: & est factum necessarium quo ad officium, vt in Sacerdote quod facta sit ei manuum impositio, quod pollicis & indicis consecratio. Et circa necessarium ad salutem distinguendum est, quia aut non potest vitari ignorantia; sicut in illo, qui à natiuitate sua caret vsu rationis, & hæc excusat. Aut potest vitari, sicut in Iudæis & paganis, & hæc non excusat. 1. ad Cor. 10.

¶ Est iterum alia diuisio ignorantiæ: quia alia est simplex, alia est crassa, alia affectata. Simplex est, quando aliquis nescit, quod tenetur scire: facit tamen aliquid, sed non quicquid potest: & hæc excusat à tanto, & si non à toto. Ignorantia crassa est, quando aliquis negligit scire, quod tenetur, nec tamen vult se nescire: hæc minus excusat quam supradicta: aliquando tamen excusat non à toto, sed à tanto. Ignorantia affectata est, quando aliquis negligit scire ea, quæ tenetur scire; & placet ei nescire; & hæc accusat, & non excusat.

¶ ITEM, est alia diuisio ignorantiæ: quia quædam inuincibilis: quædam est vincibilis. Illa quæ est inuincibilis, alia est inuincibilis per naturam, vt in puero, qui non potest vti ratione; & in decrepito, qui non potest discernere; & in eo, qui nascitur amens, & hæc excusat à toto. Alia inuincibilis ex casu, & hoc contingit dupliciter: aut quia incidit ex sua culpa; aut quia non incidit ex sua culpa. Si non incidit ex sua culpa, excusat à toto: si vero incidit ex sua culpa, secundum quosdam non excusat à toto; secundum alios excusat: quia iam non habet liberum vsum rationis: sed prius non excusabatur, sine de priori.

¶ Item, ignorantia diuiditur ex parte efficientis: quia alia est voluntaria: alia inuoluntaria. Voluntaria est duplex, alia est volentium nescire: & hæc est affectata simpliciter, & non excusat: alia est nolentium scire; & hæc est affectata secundum quid, & hæc* simpliciter accusat, sed nõ tantum, quantum præcedens. Inuoluntaria vero, aut fuit à principio inuoluntaria; & hæc est pœna, non peccatum simpliciter; & hæc excusat à toto: aut fuit à principio voluntaria, & postea facta est inuoluntaria, & hæc excusat à tanto, & si non à toto. * Alias, similiter.

¶ HIS COGNITIS, ad maiorem euidentiam ponendi sunt quidam casus de ignorantia. Quæritur enim de puero, qui ab infantia includitur in carcere Saracenorum, vtrum ignorando ea, quæ sunt fidei, peccet. Quod non, videtur; nõ n. potest habere eum, qui ipsum instruat, nec Casus.

per seipsum potest habere cognitionem: ergo non potest non ignorare; ergo nō peccat: nullus n. peccat in eo, quod vitare non potest.

Hebr. 11. ¶ CONTRA: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

¶ Ad quod respondendum, quod talis cum peruenerit ad adultam ætatem, non habet impotentiam credendi omnino: quia si facit quod in se est; Dominus illuminabit eum per occultam inspirationem, aut per angelum, aut per hominem. Videtur tamen per hoc quod dicit Augustin. quod si non fuit, à quo disceret; nec ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruenerit; quod tunc non suo vitio ignorat, & immunis est à condemnatione. Sed intelligendum est tunc de disciplina, secundum quod fit per doctrinam exteriorem, vel per doctrinam interiorem: oportet autem, quod faciat, quod in se est: facere autem quod in se est, est vti ratione, per quam potest comprehendere Deum esse, & inuocare adiutorium Dei. Dicit enim Beda: quod vnusquisq; potest intelligere Deum esse, & iudicium esse venturum: de incarnatione autem & redemptione, si aptet intellectum suum, quantum in se est: vocabitur vocatione interiori, & si non exteriori.

Aug. in quæstion. noui testamenti. Beda.

Casus. ¶ QVÆRITVR ITERVM: vtrum quilibet Catholicus teneatur scire de quolibet mortali, quod sit mortale. Quod videtur: non potest vitari malum, nisi cognitum: quilibet autem tenetur vitare mortale peccatum: ergo quilibet tenetur scire de quolibet mortali, quod sit mortale.

¶ CONTRA. Doctores dubitant in casibus subtilibus simoniæ, & huiusmodi peccatorum: ergo non possunt sciri à laicis: ergo non tenentur.

¶ Respondendum est ad hoc, quod quilibet tenetur scire implicite, vel explicite, particulariter, vel ad minus generaliter: sub illa, sc. ratione generali, qua dictat natura, sed laici non tenentur scire de quolibet mortali explicite; licet teneantur vitare in propria ratione.

¶ ITEM QVÆRITVR de Sacerdote, qui accedit ad ordines, & non potest addiscere Canones, & ita non potest scire: ergo tenetur ad impossibile.

Hieron. ¶ CONTRA. Dicit Hieron. *Maledictus homo, qui dicit Deum præcepisse impossibile.* Ergo iste non tenetur ad impossibile.

¶ Quæritur etiam de illo Sacerdote, in quo peccat? vt quia vult suscipere ordines, aut quia nescit Canones. Non quia vult suscipere ordines: quia velle suscipere ordines, in se bonum est: Nec in eo quod nescit: quia adhuc non tenetur scire: ergo in nullo peccat, cum non sint plura.

¶ AD quod respondendum: quod peccat in eo quod vult suscipere ordines; cum nesciat, nec addiscere possit.

¶ AD aliud dicendum, quod licet teneatur ad sciendum canones, ex hoc quod est Sacerdos, & non possit addiscere: non tenetur propter hoc ad impossibile: tenetur enim ex hoc non suscipere curam animarum, & non suscipere officium audiendi confessiones, & iniungendi pœnitentias: in quibus est periculosum iudicium.

Instantia. ¶ Sed adhuc videtur quod impotentia sciendi excuset illum per simile: qui enim cadit in paupertatem & impotentiam dandi, excusatur, si non dat pauperi in extrema necessitate. Eadem ergo ratione impotentia* audiendi excusat eum in hoc casu.

* Alias, addiscendi.

¶ AD quod dicendum, quod non est simile: ille enim non ingessit se in impotentiam dandi: sed iste ingessit se in impotentiam curam habendi per defectum scientiæ. Præterea, nemo potest se immittere in impotentiam dandi: quia & si non habet pecuniam, potest dare bonam voluntatem, quæ magis placet Deo: non sufficit autem isti Sacerdoti curam habenti bonam habere voluntatem de sciendo, vel de curando: sed oportet quod ipse sciat, & curet.

Casus. ¶ Item, quæritur de illo, cui apparet Satanas, transfigurans se in angelum lucis; & ipse credit quod ipse sit bonus angelus: & apponit omnem diligentiā, quam potuit, & ita adorat eum, vtrum quod ignorantia excuset eum? Videtur: eo quod apponit diligentiam, quam potuit.

¶ CONTRA adorat, quem non debet adorare: ergo peccat.

¶ RESPONDEO: non apponit omnem diligentiam, quam potest, & si apponeret, vel per se cognosceret, vel Deus ei reuelaret.

Casus. ¶ Similiter quæritur de cæco, à quo vxor quærit debitum, & ipse dubitat, an sit vxor sua, vel aliena. Si ergo cognoscit, committit se discrimini: ergo peccat mortaliter. Si non cognoscit, exponit eam discrimini: ergo ei imputatur, si illa adulteretur.

¶ AD quod dicendum, quod si apponit diligentiam, quā debet; poterit per aliqua signa cognoscere ipsam esse suam vxorem, & ita aufertur dubitatio. Si vero per nulla signa poterit cognoscere, nec ei Deus reuelat: monenda e't vxor ad hoc, vt contineat ad tempus, quousque possit ab eo auferri dubitatio: si noluerit, ipsa se committit discrimini; & non peccat vir, si ipsa cum alio coeat.

Casus. ¶ Similiter quæritur de illo, qui dubitat de aliquo, vtrum sit simonia, vel non: eo quod quidam Iurisperiti dicunt esse simoniam, & quidam non: quid ergo faciendum est, cum ignorat?

¶ AD quod respondendum, quod abstinendum est ab huiusmodi contractu: ne committat se discrimini: melius enim est, vt incidat in damnum temporale, quam in damnum spirituale, id est, minus malum.

MEMBRVM IX.

An ebrietas, stoliditas, phrenesis, dormitio, ignorantia, & stupor æqualiter à peccato excusent?

NONO quæritur de comparatione ignorantiæ ad alias causas excusationis. Est enim vna ligatio rationis per ebrietatem: sicut fuit in Loth. Genes. 19. Alia ligatio per naturalem stoliditatem: Tertia per phrenesim, siue per infirmitatem periculosam huiusmodi. Est quarta ligatio, per dormitionem. Est quinta ligatio per ignorantiam, sicut dictum est. Est sexta per stuporē. Potest ergo quæri, vtrum æqualiter excusetur peccatum in omnibus istis: vel amplius excusetur per vnam ligationem, quam per aliam?

Gen. 19.

¶ Quod autem non æqualiter, videtur per hoc quod dicitur in Lib. de lib. arb. Insanis, infantibus, domientibus, nihil quod faciunt, in bonum vel malum imputatur, quod nimirum sicut non sunt compotes suæ rationis, sic nec vsum tenent propriæ voluntatis, ac per hoc nec iudicium libertatis.

Ambros. ¶ De Loth vero dicit Ambros. *Huius culpam dicimus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meretur.* Ergo peccatum non est imputandum Loth, nisi quantum ad ebrietatem.

¶ Sed dicit iterum, quod ebrietas est origo incestuosi cōcubitus pessimæ generatricis partis deterior. Ergo quo ad ebrietatem peccauit, & quo ad incestum.

Philosoph. ¶ Item, dicit Philosophus de ebrioso, qui occidit, ꝙ duplices maledictiones ei debentur. Ergo ligatio rationis, quæ prouenit ex ebrietate, nō ita excusat, sicut in prædictis. Ergo non omnis ligatio rationis æqualiter excusat: vel facit, vt non imputetur peccatum.

Gen. 19. Iudicū 18. ¶ Similiter potest quæri de perturbatione, quam habuit Loth, cum dixit: *Habeo duas filias, abutimini eis.* Et de illo, qui recepit Leuitam cum dixit: *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: & ducam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum obsecro vos, ne scelus hoc contra naturam operemini.* Cum enim perturbatio esset (sicut dicit August.) non erat ibi deliberatio rationis: vbi autem non est deliberatio rationis, nec esse potest, nec peccatur mortaliter. Ergo illa ligatio rationis, quæ fuit ex huiusmodi perturbatione, ipsum Loth excusabat in eo, quod secundum se erat mortale: vel si non erat ibi tanta ligatio rationis, quæ excusaret à mortali, non omnis ligatio æquè excusat, sed quædam plus, quædam minus.

August.

RESOLVTIO.

Nequaquam, sed secundum magis & minus.

¶ Quod concedendum est, vnde in quibusdam est omnimoda ligatio secũdum omne tempus, & illa omnino excusat à peccato: sicut est in eo, qui à principio factus est extra mentẽ, & in motione. Quædam vero non est omnimoda ligatio, sed accidit secundũ aliquod tempus; sicut in senibus ex debilitate naturæ, & illa pro tempore illo excusat. Quædam vero ex infirmitate accidit. Et hoc potest fieri multipliciter, quia quandoq; contingit, quod infirmitas impedit cellulam imaginatiuam: quandoq; memorialem: quandoque logisticam. Quando vero logistica impeditur, quandoq; sunt lucida interualla, quãdoq; non. Cum ligatur ratio continuè ex infirmitate, non ex culpa præcedenti, omnino excusatur secundũ illud tempus. Si vero lucida sunt interualla, potest sibi * præuidere, & ideo non omnino excusatur. Aliquando vero ligatur ratio ad horam, sicut in somno ex fatigatione naturæ, vel ex ebrietate, quæ accidit ex voluntate præambula, vel ex stupore, sc. ex insolita imaginatione, vel ex impręmeditatione, sicut ex perturbatione. Si primo modo, non imputatur ei: nisi quia potuit præuidere. Si secundo modo, imputatur ei, quia per culpam ingessit se in illam. Si vero tertio modo: aut talis fuit causa, quæ absorbuit vsum rationis; secundũ hoc excusatur: aut talis fuit, quæ non debebat absorbere vsum rationis; & talis non omnino excusat. Si vero fuit ex perturbatione ad horam ligatio; quia non admittenda est flagitiorum compensatio; non omnino excusatur, etsi aliquantum habeat excusationis. Vnde Loth peccauit mortaliter, & si minus, quam si imperturbatus diceret.

* Alias, prouidere.

QVÆSTIO CXIV.

De omissione.

In decem Membra diuisa.

D. Tho. 1. 2. q. 79. S. Bon. in 2. dist. 5. art. 1. q. 1. ad arg.

DEINDE quæritur de Omissione. Circa ipsam plures incidunt dubitationes. Primo ergo quæritur, vtrum omissio sit peccatũ. Secundo, vtrum sit peccatum actuale. Tertio, vtrum sit peccatũ, à transgressione separatum. Quarto, vtrum multiplicetur per species peccati. Quinto, vtrum teneatur aliquis ad impossibile. Sexto, de comparatione eius respectu aliorum mortalium quantum ad quantitatem peccati. Septimo, quando dicitur perpetrari omissio: hoc est, quo tempore. Octauo, de ordine ipsius omissionis ad commissionem. Nono, si quantumcunque sit homo perfectus, semper omittit. Decimo, de pœna, quæ debetur in futuro peccato omissionis.

MEMBRVM I.

An omissio peccatum sit?

QVANTVM ad primum quæritur: Vtrum omissio sit peccatum. Et ostenditur, quod non: quoniam dicit August. *Peccatum ita est voluntarium, quod si non est voluntariũ: non est peccatum.* Sed omissio non est malum voluntarium: ergo non est peccatum. Minor patet: illud dicitur malum voluntarium, super quod quiescit voluntas, sed voluntas non quiescit super aliquid in omissione, quoniam in peccato sunt duo, sc. auersio & conuersio: quoniam peccatum est, spreto incommutabili bono, bono mutabili adhærere, & voluntas in peccato non quiescit super auersionem, imo super conuersionem, siue super bonum commutabile, ad quod fit conuersio. Si ergo in omissione non fit huiusmodi conuersio: ergo non quiescit voluntas super aliquid in omissione: ergo omissio non est malum voluntarium, & ita nec peccatum.

August. in lib. de vera religione. cap. 14.

¶ Si dicatur, quod peccatum omissionis est, quando aliquis non vult facere illud, ad quod tenetur, & sic super hãc negationem [*non velle facere, ad quod tenetur homo*] quiescit voluntas. In contrarium obijcitur: iste tenetur velle facere illud bonum, & non vult: constat quod hoc est ex defectu voluntatis: cum dico, non velle facere. Ergo hic non quiescit voluntas super aliquo, sed hic est omissio: ergo in omissione non quiescit voluntas super aliquo: quare non est peccatum.

¶ Tertia ratio: sicut patet ex prædicta diffinitione, peccatum est conuersio ad mutabile bonum: vnde penes hoc detur ratio peccati. Sed hæc conuersio non est in omissione: ergo non habet rationem peccati.

¶ Quarta ratio: duæ sunt partes iustitiæ, sc. declinare à malo, & facere bonum: *Declina à malo, & fac bonum.* Per has autem detur iustitia; ita quod non est perfecta iustitia sine his duabus, vnde nulli istarum conuenit per se ratio iustitiæ. Ergo similiter duæ sunt partes, per quas detur ratio iniustitiæ, siue peccati, scil. declinare à bono, & facere malum, & neutra habebit rationem peccati, vel iniustitiæ: declinare ergo à bono, per se non habebit rationem peccati. Sed declinare à bono, est omittere: ergo omissio non habet rationem peccati: imo solum est pars rationis peccati, siue conditio peccati, & non dicetur esse peccatum. Psal. 36.

¶ Quinta ratio: præceptum stricte sumptum, non est prohibitio stricte sumpta: licet idem sint, large accipiendo præceptum: prout sc. est de faciendo, & non faciendo. Sed sumamus stricte, vt sit præceptũ de faciendis, prohibitio aũt de non faciendis: ex hoc ergo arguitur: Nullum præceptum est prohibitio, sed facere bonum pertinet ad præceptum, declinare à malo, pertinet ad prohibitionem (quia ad hoc est prohibitio: vt sc. homo declinet à malo) ergo facere bonum non est declinare à malo: ergo per oppositum, facere malum, non est declinare à malo. Sed declinare à bono, est omittere: ergo omittere non est facere malum, sed peccatũ est in perpetratione mali: ergo omittere non est peccare.

¶ ITEM, dicit Augu. quod *peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Sed in omissione non substernitur aliquid istorum: imo est ipsorum remotio ab omissione: ergo omissio non est peccatum. August.

¶ AD oppositum habetur: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Sed hoc non est, nisi peccatum omissionis, quia est peccatum ex hoc, quod non facit bonum, quod scit, & hoc est omittere, scil. non facere: cum ergo peccet ex non faciendo, constat quod peccat omittendo: ergo omissio est peccatum. Iacobi 4.

¶ ITEM, Augustin. *Duabus ex causis peccamus: aut nondum videndo, quid facere debeamus: aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus.* Sed hoc est omittere: ergo omittere est peccatum. August. in Enchirid.

RESOLVTIO.

Cum omissio voluntarium quid sit, sub commutabili bono, sub dicto, facto, vel concupito contra Dei legem quodammodo comprehensum; non ab re peccatum dicetur.

¶ AD quod dicendum, quod omissio est peccatum.

¶ AD obiectum autem primo dicendum, quod voluntarium dicitur dupliciter in peccato actuali mortali. Vno modo propriè illud, cuius principium est in ipso volente; & trahitur voluntas ex determinato appetibili, in quo quiescit: & secundum hoc peccatũ transgressionis, in quo fit conuersio ad mutabile bonum quietans appetitum, dicitur voluntarium: sic autem non dicitur peccatum omissionis per seipsum voluntarium. Alio vero modo dicitur voluntarium cõmuniter, cuius principium est in ipso: quia vero in ipso est velle & nõ velle, facere & non facere: peccatum autem omissionis est in non velle, vel non facere, quod tenetur; peccatum omissionis hoc modo dicitur voluntarium.

¶ AD secundum dicendum est, quod vno modo dicitur volitum propriè, quod consistit in positione, & sic nõ dicitur omissio voluntarium. Alio vero modo dicitur volitum, quod consistit in negatione, vt dicitur velle non facere, prout dicitur in Gloss. ad Roman. 7. *quod operor, & non operor sunt partes eius, quod est operor*: & sic dicitur omittere, velle non facere. Gloss. ordin. super Rom. 7.

¶ AD

¶ Ad tertium dicendum, quod prout peccatum dicitur ad mutabile bonum, mutabile bonum dicitur communiter ad facere, & non facere.

¶ Ad quartum dicendum, quod non est simile de peccato & iustitia. Iustitia n. vt sic requirit vtrumq;, & declinare à malo, & facere bonum. Peccatum vero vt sic, non requirit nisi defectum alterius illorum, sc. cum declinatur à bono, vel fit malum.

¶ Ad quintum dicendum est, quod facere malum dicitur dupliciter. Vno modo propriè, secundum quod transgredi dicitur facere malum, cum fit aliquid contra præceptum affirmatiuum, & hoc modo omittere non est facere malum. Alio modo sumitur communiter: sicut habetur super illud. *Quod n. operor, non intelligo*, Gloss. *Dimittere bonũ, & facere malum, sunt partes eius, quod est operari malum.* Rom. 7. Glossa.

¶ Ad sextum dicendum, quod illa diffinitio: *peccatum est dictũ, vel factum*, &c. secundum quod conuenit omissioni, sic intelligitur; vt dictum, & factum, & concupitum communiter accipiantur ad dicere, & non dicere, & facere & non facere: sicut ex prædicta Gloss. habetur. Quod si non sic accipitur; propria est diffinitio transgressionis. August. li. 22. cõtra Faustum cap. 27. in principio. tomo 6.

MEMBRVM II.

An omissio peccatum actuale sit?

SECVNDO quæritur, vtrum omissio sit peccatũ actuale. Peccatum enim actuale determinatur penes actum, sed omissio non determinatur penes actum, sed penes amotionem actus: ergo omissio non est actuale peccatum.

¶ Præterea, si esset species actualis peccati diuersa à commissione, penes actum diuersum oporteret determinari: sed non determinatur penes actum diuersum: ergo non est actuale peccatum.

RESOLVTIO.

Vtique: cum ab actu propria voluntatis procedat: à quo verè actuale peccatum, actuale dicitur.

¶ Respon. Dicendum est, quod actuale peccatum dicitur propter hoc actuale; quia ex actu propriæ voluntatis procedit. Cum enim teneatur facere aliquid; cum in voluntate sit non facere; si non facit, actuale peccatum dicitur. Eodem modo cum tenetur velle, & non vult: quia in voluntate etiam est velle, sicut & nolle. Non ergo ab hoc actu exteriori dicitur actuale peccatum, sed ab actu interiori. Et ita licet sit remotio actus exterioris; nihilominus est positio actus interioris in omissione.

¶ Ad aliud vero obiectum dicendum, quod omissio & commissio penes alium & alium actum determinantur. Velle enim non facere, quod tenetur facere, & velle facere, quod tenetur non facere; sunt actus disparati. Et ita omissio est actuale peccatum, aliud à transgressione, siue à commissione.

MEMBRVM III.

An omissio, & transgressio idem sint?

TERTIA quæstio est: Vtrum omissio sit peccatum separatum à transgressione: an sese concomitentur. Ad quod sic: August. dicit: *Duabus ex causis peccamus: aut nondum videndo quid facere debemus, aut non faciendo, quod debere fieri, videmus.* Si ergo hæc est sufficiens diuisio: transgressio ergo altero istorum duorum modorum erit, sed non primo, cum illud sit peccatum ignorantiæ: ergo erit secundo modo, sed illud est omissio: ergo transgressio est cum omissione. August.

¶ Item, cum aliquis tenetur non fornicari, & fornicatur: transgreditur, & simul omittit: quia tenetur resistere tentationi fornicationis, & non resistit: ergo eodem actu peccat peccato transgressionis & omissionis: ergo vnum concomitatur aliud.

¶ Item, quicunque facit aliquod malum opus, deficit in genere boni operis, vel in circumstantia. Sed quando deficit in omissione, vel in circumstantia, omittit, vel negligit: ergo alterum istorum concomitatur transgressio.

¶ Contra. Leu. 11. distinguuntur adinuicem delictũ & peccatum: delictum n. dicitur desertio boni: peccatum perpetratio mali: & hæc distinguuntur. Ergo omissio & commissio distinguuntur. Leuit. 11.

¶ Item, differunt adinuicem præcepta, & prohibitiones, sed penes defectum præceptorum est omissio: penes defectum prohibitionum est transgressio: ergo inter se separantur ista, quemadmodum separantur & illa.

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed bene sese comitantur & consequuntur.

¶ Ad quod respondendum, quod illa diuisio peccati, quam facit Augustin. ad hoc tendit, vt ostendatur differentia inter defectum ex parte cognitiuæ, & ex parte operatiuæ. Vnde (propriè loquendo) separat peccatum omissionis à peccato ignorantiæ. Peccatum n. ignorantiæ est, cum non videmus quod facere debemus: peccatum omissionis, cum non facimus, quod videmus debere fieri. Posset tamen largè accipi illud membrum, vt non facere communiter accipiatur, & debitum similiter: & secundum hoc sub illo membro cõtinerentur omissio propriè dicta, & transgressio: qui n. transgreditur, non facit quod debet fieri.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod omissio accipitur communiter, & propriè. Si propriè accipitur, distinguitur à transgressione: si communiter, ad transgressionem sequitur omissio: non tamen sicut genus, sed sicut concomitans.

¶ Ad tertium dicendum, secundum eandem rationem: deficere enim à genere operis, vel à circumstantia operis dicit omissionem vel negligentiam communiter, & non propriè.

MEMBRVM IV.

An omissio per species peccati multiplicetur?

QVARTO quæritur: Vtrum omissio multiplicetur per species peccati: vt dicatur quædam venialis, quædam mortalis. Et iterum, si plures sunt species omissionum mortalium?

¶ Quod autem quædam omissio sit venialis, quædam mortalis, videtur per hoc quod aliquando non facit homo, quod tenetur facere: aliquando nõ facit, quod expedit fieri: & vtroq; modo est omissio. Si quidem non facit quod tenetur facere, mortalis est culpa. Si vero non facit, quod expedit fieri, venialis est culpa. Ergo omissio quædam erit venialis, quædam mortalis.

¶ Ad secundum vero videtur sic argui. Illa, ad quæ facienda tenetur homo, diuiduntur per species: sicut ea, ad quæ non facienda tenetur homo, diuiduntur per species. Ergo sicut transgressio habet species mortalium peccatorum plures: ita omisio habebit species mortalium peccatorum plures.

RESOLVTIO.

Si propriè sumatur, minimè: si communiter vtique.

¶ Ad primum dicendum, quod si omisio accipiatur communiter respectu debiti, vel expedientis; tunc posset esse omisio aliquando venialis, aliquando mortalis, sed quia consuetum est accipere respectu debiti: dicitur omissio tantum mortale peccatum.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod omisio aliter diuiditur, quam transgresio. Transgresio enim est, cum fit malum: malum autem potest esse multipliciter: & circa diuersum actum, & circa eundem: vnde vtroque modo potest habere species. Omisio vero est desertio actus boni: bonum autem non diuiditur per species, nisi secundum diuersitatem actuum: circa enim eundem actum non est bonum nisi vno modo: vnde omisio non tot modis mul-

uis multiplicatur, quot modis transgressio. Potest n. transgressio esse secundum superfluum & diminutum: omissio vero non habet huiusmodi differentias, sed cum boni, q; est virtus, sint differentiæ secundùm actus in specie differentes, omissio secundũ illa materialiter diuersificabitur.

MEMBRVM V.

An quis ad impossibile teneatur: ita vt si non efficiat, omittere dicatur?

QVINTO quæritur: Vtrum aliquis teneatur ad impossibile: & ex hoc omittat, cũ ad illud teneatur? Quod videtur: aliqua n. vouit virginitatem: ex voto ergo continere tenetur. Sit ergo quod fornicetur, vel quod contrahat matrimonialiter: constat quod prius tenebatur ad virginitaté, & per culpam non absoluitur à tentione (sic n. de peccato reportaret lucrum) ergo adhuc tenetur, sed est impossibile: ergo tenetur ad impossibile.

¶ Item, iste tenetur reprimere motũ libidinis: ergo aut antequã sit mortalis, vel postquam sit mortalis. Sed non videtur quod ante: quia ante venialis est: non tenetur aũt declinare à veniali: non n. veniale est in prohibitione. Si vero tenetur reprimere, cum est mortalis, vel post: hoc est impossibile; quia cum est mortalis, non põt non esse mortalis, & post necesse est fuisse: ergo tenetur ad impossibile.

¶ Item, iste tenetur nunquã fornicari; quia prohibitiones obligant ad semper: ergo tenetur non fornicari in A. Posito ergo q; fornicetur in A. ipsum non fornicari in A est impossibile, & ad hoc tenetur: ergo tenetur ad impossibile.

¶ CONTRA. Omne illud, ad quod tenemur, est sub præcepto, vel ex prohibitione. Sed quod est sub præcepto vel prohibitione, est voluntariũ: quicquid aũt est voluntarium, subest lib. arb. ergo à primo, omne illud, ad quod tenemur, subest libero arb. sed nullum impossibile subest libero arb. ergo ad nullum impossibile tenemur.

¶ Idem, omnis tentio est respectu futuri: impossibile vero per accidens pro tempore, quo est impossibile, non est futurrum: impossibile autem per se pro nullo tempore futurum est.

¶ ITEM, quod homo nõ teneatur ad veniale euitandum, facit infirmitas. (Adam n. ante infirmitatem tenebatur ad euitandum motus illos in genere, qui modo sunt veniales) infirmitas ergo, quamuis homo ingesserit in eam ex culpa, facit quod non tenemur ad illos motus euitandos vniuersaliter: ergo multo fortius impossibilitas soluit nos à tentione: quamuis ex culpa nostra in eam incidamus.

Quæst. lateralis. ¶ HVIVS gratia quæritur, quid sit tentio; & ex quib. causis hõ teneatur: deinde quæ soluunt tẽtioné? Põt ergo dici: quod tentio aliquãdo est ratione præcepti, vel prohibitionis. aliquãdo ratione proprij consensus, sicut in contractibus, votis, iuramẽtis, & promissis: aliquando ratione peccatorũ, sicut homo tenetur ad pœnam. Tentio ergo sic potest describi: ex vi alieni præcepti, vel prohibitionis, vel proprij assensus, vel culpæ ad agendum, vel ad non agendum, vel ad vtrumque, vel ad patiendum obligatio: Ad agendum ratione præceptorum, ad non agendum ratione prohibitionum, ad vtrumque ratione proprij consensus; ad patiendum ratione culpæ.

¶ Habito ergo, quid sit tentio, & ex quibus causis: sequitur de his, quæ soluunt tentionem. Hæc autem dicuntur esse tria: impossibilitas, dispensatio, & pœnitentia. Potest ergo primo quæri de ratione istius numeri: & videntur sic differre: vt pœnitentia soluat tentionem ex parte eius, qui tenetur, & sic generaliter posset dici solutio debiti: dispensatio vero ex parte illius, cui fit obligatio, vel à quo est obligatio: impossibilitas vero ex parte rei, ad quam obligatur.

Quæst. lateralis. ¶ Sed potest quæri, si impossibilitas soluat hominem à tentione. Quod non, videtur: tentio enim est ratione præcepti, aut prohibitionis, siue proprij consensus, sed impossibilitas non aufert has causas: ergo nec effectum cuius sunt hæ causæ sufficiẽtes, sed tentio est effectus sufficiens, ab istis causis procedens: ergo non soluitur per impossibilitatem.

Hieron. ¶ Item, dicit Hieron. *Anathema sit, qui dicit Deum præcepisse impossibile* (& accipitur ibi præcepisse communiter) ergo Deus non prohibuit aliquid, quod non possit fieri. Non ergo circa idem sunt tentio, & impossibilitas: aut ergo nunquam tenebatur: aut si tenebatur, non tenebatur nisi ad possibile fieri.

¶ Item, aut incidit in impossibilitatem illam ex culpa, aut non ex culpa. Si ex culpa, sicut Sacerdos, qui ignorans officium suum, & tenetur quotidie dicere, & ludens ad talos, amittit librum suum, ex culpa non debet deportare commodum: ergo non soluitur per impossibilitatem à tentione. Si vero non ex culpa, nec sic soluitur per impossibilitatem: sicut accidit in Sacerdote infirmo, qui non potest celebrare, & tenetur ex officio vel promisso celebrare: non n. tenebatur, nisi debitis conditionibus existentibus in persona: debita autem conditio est, quod sit sanus, vel ad minus potens celebrare; & quod habeat ea, quæ necessaria sunt ad officium.

¶ Similiter de dispensatione potest quæri. Potest n. quæri: si aliquis potest dispensare contra præceptum naturæ. Similiter quæritur, si quis potest dispensare contra præceptum Summi Pontificis. Verbi gratia, Episcopus cõtra præceptum Archiepiscopi; cum par videtur esse dignitas: nulla autem sit maior, quam sit potificalis.

RESOLVTIO.

Nullus ad impossibile tenetur: sed si ex sua culpa in illud incidit, tenetur ad culpæ & damni satisfactionem.

¶ AD quod dicendum, quod nullus tenetur ad impossibile: sed ex impossibilitate, si in eam incidit ex sua culpa; tenetur ad aliud * propter illud, ad quod prius tenebatur: vt ad satisfactionem de culpa, & de damno. *Alias, præter.

¶ AD obiectum autem primo. Dicendum, quod illa, quæ tenetur ex voto ad virginitatem, aut fornicatur, aut contrahit matrimonialiter. Si fornicatur, tenebitur adhuc, & in posterum ad continentiam, & tenebitur ad satisfactionem de culpa. Si vero contrahit matrimonialiter; tenetur ad agere pœnitentiam de voti transgressione, & tenetur non petere debitum, licet teneatur reddere: hoc enim suæ potestatis est: illud vero alieni iuris.

¶ AD secundum vero dicendum, quod cum dicitur, tenetur reprimere motum libidinis; sensus est: tenetur non consentire, vel simpliciter, vel per dominationẽ motui libidinis mortali. Cum ergo quæritur, vtrum teneatur reprimere, antequam sit mortalis, vel cum est? Dicendum est: quod hæc determinatio *ante* vel *cum* potest referri ad hoc verbum *tenetur*, vel ad hoc verbum *reprimere*. Si ad hoc verbum *tenetur* verum est, quòd ante tenetur, quã sit mortalis. Si vero determinat hoc verbum *reprimere* non tenetur reprimere ante; quia non tenetur non consentire ante, nisi quia non consentire, mortale est secũdum omne tempus, sed si esset determinatum secundum certum tempus; non teneretur reprimere ante. Vel potest dici, quod tenetur reprimere ante. Ad quod obijcitur, quod ante est veniale, &c. Dicendum, quod non tenetur reprimere inquantum veniale, sed quia fieret mortale, nisi reprimeretur.

¶ AD tertium vero dicendum, quod cum fornicatur aliquis, vtpote in A, non tunc tenetur ad non fornicandũ in A, sed ad non fornicandum in posterum, sed quia fornicatus est in A, tenetur ad satisfactionem, & ita ad duo tenetur in posterum.

¶ AD illud vero, quod postea quæritur: vtrum aliquis per impossibilitatẽ soluatur à tentione? Dicendum, quod nõ propriẽ dicitur illud: sed per hoc datur intelligi, quod non est tentio, nisi eius, quod possibile est fieri, & eius qui potest pro tempore, pro quo potest. Vnde cum ex euentu fit aliquid impossibile, non pro illo tempore tenetur; sed ad aliud tenetur, q; possibile est, si manet ex parte ipsius possibilitas: si vero non manet ex parte eius possibilitas, (sicut est in eo, qui incidit in furiã perpetuam) tunc soluitur à tentione; nisi in eam incideret ex culpa sua: & tunc secundum

cundum quosdam teneretur ad pœnam ex impossibilitate, in quam incidit ex culpa: secundum alios vero simpliciter absoluitur pro illo tempore.

¶ Per hoc potest esse manifestum illud, quod obijcitur: nam tentio non est nisi eius, qui possibilitatem habet pro tempore, pro quo habet, & ita intelligitur quod dicit B. Hieron. Si n. non posset homo implere aliquo modo faciendo, vel non faciendo; non præciperetur à Deo, vel prohiberetur.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod aliud est de impossibilitate ex parte rei, ad quam obligatur ex euentu temporis: & aliud ex parte personæ. Nam illa, quæ est ex parte ipsius rei ex tempore, non absoluit hominem, manente apud ipsum possibilitate, sed tenebitur ad illud, vel ad aliud ex defectu solutionis illius. Sed si aufertur possibilitas ex parte personæ: tunc absoluitur à tentione, qua prius tenebatur.

¶ Ad illud, quod quæritur de dispensatione. Respondendum est in parte illa, vbi agetur de iure naturali & positiuo: ibi enim de dispensationibus, quæ sunt relaxationes iuris communis, est agendum.

MEMBRVM VI.

An omissio maius peccatum sit, quam commissio?

Sexta quæstio est de cōparatione omissionis ad commissionem quantum ad quantitatem peccati. Quod autem omissio sit magis peccatum quam commissio, sic ostenditur; super illud: *Declina à malo, & fac bonum*; dicit Gloss. *Duo bona sunt, diuerte à malo, & fac bonum; illud vitat culpam, sc. declinare à malo; hoc meretur palmam, scil. facere bonum.* Maius autem est illud bonum, quod meretur palmam, quam illud quod vitat culpam; ergo ex parte iustitiæ maius bonum, est facere bonum, quam declinare à malo: ergo oppositum eius, quod est facere bonum, sc. malum facere; est maius malum ex parte iniustitiæ; quam oppositum eius, quod est declinare à malo, sc. declinare à bono: & sic maius malum est, facere malum, quam declinare à bono. Ergo cum penes declinare à bono, sumatur peccatum omissionis, & penes facere malum, peccatum commissionis, relinquitur quod maius est peccatum commissio, quam omissio.

Psal. 36. Glossa.

¶ Ad oppositum: maius bonum est obseruare præcepta, quam prohibita: quia non propter obseruationem prohibitorum habebit homo gloriā, sed vitabit pœnam: propter obseruationem vero præceptorum habebit gloriam, sicut dicit Gloss. prædicta. Sed omissio est contra obseruationem præceptorum, commissio est contra obseruationem prohibitorum: ergo cum maius malum, & maius bonum opponantur, maius peccatum erit omissio, quam commissio.

RESOLVTIO.

Alia atque alia ratione, vt excedentia & excessa se habent.

¶ Respon. quod peccatum omissionis & commissionis in diuersis quantum ad quantitatem peccati se habent vt excedentia & excessa: quia aliquando est maius peccatum omissio, quam commissio: aliquādo econuerso. Si vero fiat comparatio vnius ad alterū in genere, maius malum est commissio, quam omissio. Nam arbor, quæ fructum malum facit, plus nocet; quam illa, quæ nullum fructum facit: commissio autem est sicut arbor, quæ fructum malum facit: omissio autem est sicut arbor, quæ nō facit fructum bonum: vtraq; autem exciderur, & in ignem mittetur. Nihilominus tamen ad differentiam paruulorum non baptizatorum, qui non faciunt fructum bonum, quia nullum faciunt; dicuntur omittentes facere fructum malum: nam non facere, cum debet, & possit; est fructus malus, sed non sic, sicut facere malum directe; ad cuius contrarium tenetur.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod tenet consequentia in contrario, non consequentia in ipso. * Nam si facere malum opponitur ei quod est, facere bonum, & declinare à bono, ei quod est declinare à malo: declinare autē à malo, sit minus bonum, quam facere bonum, nō propter hoc facere malum, est minus malum, quam declinare à bono, sed econuerso.

* Alias Nā si facere malū opponitur ei, quod est declinare a malo: declinare vero à bono opponatur ei, quod est, facere bonū, declinare autem à malo, &c.

MEMBRVM VII.

Quando omissio perpetretur?

Septimo quæritur: quando dicitur omissio perpetrari, id est, quo tempore. Et ponatur exemplum de aliquo, qui dormit, & tenetur surgere ad matutinas, & non surgit. Quæritur ergo, quando iste omittit? Quia non debet dici omittere, quando non surgit: quia tunc dormit, sed nullum peccatum fit à dormiente: ergo tunc non omittit. Nec omittit, quando se ordinauit dormitioni, quia potest adhuc contingere, quod euigilet hora debita, & surgat. Nec post dormitionem omittit; quando, scilicet euigilabat: tunc enim dictæ sunt Matutinæ, ergo nullo tempore.

RESOLVTIO.

Quando actui debito actus illicitus & incompossibilis committitur.

¶ Ad quod respondendum, quod tunc dicitur omissio perpetrari, quando aliquis applicat se ad actum illicitum incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur; vt si iste tenetur ire ad Matutinas, & inebriet se; vel sit in colloquio infructuoso, & ita de alijs, propter quod non surgat ad Matutinas, tunc omittit. Si vero applicat se alicui actui bono, ad quem tenetur; ex illo fessus dormiat, & non surgat; non omittit. Si vero fuerit actus indifferens, tamen quia impeditiuus est eius, ad quod tenetur; & sic omittit. Sed posito, quod teneatur surgere, & non surgat; nec hoc est ex aliqua causa præcedenti, quæ in ipso sit, sed tantum quia ligata est vis sensibilis: nunquid omittit dormiendo? Dicendum est, quod non: subintelligendū est enim, quod tenetur surgere, cum audierit signum surgendi, sed si non surrexerit ex causa, quæ fuerit in ipso, tunc omittit, cum causam perpetrat.

MEMBRVM VIII.

Quæ prior, commissio, an omissio?

Octavo quæritur de ordine omissionis ad commissionem. Ad quod sic: dicitur in Psal. super illud. *Incensa igni, & suffossa*: quod duplex est radix peccati: amor male incendens, & timor male humilians: timor vero ad amorem reducitur, sicut dicit August. Si ergo omissio est ex timore male humiliante, commissio ex amore male incendente: quemadmodum timor radicatur in amore, siue sit bonus, siue malus: omissio radicabitur in cōmissione.

Psal. 79. August. in lib. de libero arbitrio.

¶ Ad oppositum: sicut dicit Philosophus, *tria sunt in operationibus virtutū, sc. scire, velle, & firmiter operari*: vnde prius est scire, & postea velle, & post est operari. Ergo hunc ordinē habent peccata, quæ sunt circa istos actus. Sed ignorantia est contra primum actum, cum scil. tenetur aliquis scire aliquid, & non scit illud: omissio autem est contra secundum actum; quādo sc. tenetur aliquis velle aliquid, & non vult illud: sed commissio contra ipsum operari est; quando sc. aliquis facit aliquid, quod tenetur non facere. Ergo ignorantia est contra priorem actum, quam omissio, & omissio circa priorem, quam commissio: ergo prior est omissio, quam commissio.

Philosoph.

RESOLVTIO.

Omissio.

¶ Responsio. Dicendum est, quod omissio in ordine peccatorum (sicut contingit ordinem dicere) prior est, quam commissio.

¶ Ad obiectum in contrarium dicendum, quod radix omissionis non semper est timor, sed amor & libido. Sicut n. ex amore male accēdente aliquis facit malum, quod tenetur non facere: ita aliquis non facit bonum, quod tenetur facere. Vnde penes illas duas radices non distinguuntur essentialiter, omissum, & commissum.

MEMBRVM IX.

An quis quantumlibet perfectus, semper omittat?

Orig. super Exod. NONO quæritur, vtrum quantumlibet perfectus semper omittat. Dicit enim Orig. *Quantum quis potest, tantum debet.* Sed nullus potest tantum facere, quantum debet: ergo semper omittit: quia tenetur tātum facere, quantum debet, & non facit.

Rom. 13. Glossa. ¶ ITEM, super illud. *Plenitudo legis est dilectio.* Glo. *Charitas quanto magis soluitur, tanto magis debetur.* Ergo quanto quis magis diligit: tanto magis diligere tenetur: minus ergo diligit semper, quam debeat: ergo semper omittit.

Lucæ 17. ¶ ITEM. *Cum omnia bene feceritis: dicite, quoniam serui inutiles estis.* Sed seruus inutilis non adimplet, quod tenetur: ergo cum omnia benefeceritis, nondum quantum tenemini adimpleuistis: ergo omisistis.

RESOLVTIO.

Cum omissio non respiciat debitum ex accepto, sed ex præcepto; siue non circunstantiam, sed genus actionis, secundum quod in præcepto est: si perfectus præcepta adimpleuerit, tametsi quamplura alia perfectionis supersint; non ob id omittere dicendus erit.

¶ AD primum dicendum: quod cum dicitur: quantum quis potest boni, tantum debet. Intelligendum est, quod duplex est debitum, ratione accepti, & ratione præcepti. Ratione accepti est hoc verum, quod dicitur, Quantum quis potest boni, tantum debet: hoc est, ex quanto posse, vel ratione quantæ potentiæ. Si vero ratione præcepti: secundum hoc non est verum: quantum quis boni potest, tantum debet: vel quod boni quis potest, hoc debet. Cum autem subditur: nullus potest tantum facere, quantum debet; ergo omittit. Intelligendum est, quod omissio non respicit debitum ex accepto, sed ex præcepto: potest autem vnusquisque facere quod debet ex præcepto: & ita non omittit: omissio etiam (sicut dictum est) non respicit circunstantiam, sed genus actionis, secundum quod est in præcepto.

¶ AD secundum vero dicendum: quod illa ratio non concludit, quod homo omittat: sed quod homo imperfectus est in diligendo, dum est in via: non enim potest diligere omnino ex toto corde, & tota anima, & ex tota mente: & ideo dicit August. *Cur non præciperetur homini ista perfectio: quamuis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est, nesciatur, quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? sic ergo curramus, vt comprehendamus.* Et præmittitur. *Cum adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ est, quod vel continendo frenetur non omnimode ex tota anima diligitur Deus.* Et ideo non sequitur, quod omittat, sed minus diligit, quam debeat: sed si non diligeret. (Aug. in lib. de perfect. iustitiæ.)

¶ AD tertium vero dicendum: quod reputatio serui inutilis non est, quia nō facit, quod tenetur facere; vel quantum: sed dicitur seruus inutilis, quia non venit ad perfectū. Alio vero modo dicitur seruus inutilis, qui non facit, quod facere tenetur: & sic non accipitur ibi. Quod patet per hoc, quod additur *quod debuimus facere, fecimus,* quasi dicat in præceptis non defecimus: sed perfectionem consiliorum non adimpleuimus.

MEMBRVM X.

An peccato omissionis debeatur in futuro seculo pœna damni tantum, vel etiam pœna sensus?

DECIMO quæritur de pœna, quæ debetur in futuro peccato omissionis. Et quæritur, vtrum debeatur ei pœna sensus: vel solum pœna carentiæ visionis Dei. Ad quod sic: ille, qui omittit, non facit aliquod malum, quia nihil facit, (dicitur enim omittere, quia deficit à bono) sed pro malo opere debetur pœna sensus: ergo peccato omissionis non debetur pœna sensus: sed pœna carentiæ.

¶ ITEM, pœna debet proportionari culpæ; ergo si culpa omissionis dicitur penes defectum & carentiam boni operis; (quia ille dicitur omittere, qui caret bono opere) ergo ei debet respondere pœna proportionalis: quæ scilicet est carentia boni, scilicet visionis Dei: quia secundum proportionem rectam, qui tenetur facere bonum; & non facit; tenetur carere bono, & non affligi malo.

¶ AD oppositum: Pœna carentiæ est pœna originalis peccati: omissio autem est actuale peccatum: & differentia est inter pœnitentiam peccati actualis; & peccati originalis: quia originali debetur carentia, actuali peccato actualis pœna: sed hæc est pœna sensus: ergo omissioni debetur pœna sensus.

RESOLVTIO.

Cum peccatum omissionis peccatum operis, siue actus sit: vtraque pœna ei debetur.

¶ SOLVTIO. Dicendum est: quod peccato commissionis & omissionis debetur pœna sensus: & non solum pœna damni, siue carentia visionis Dei. Et hoc patet ex illo verbo Domini. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Ecce quod tangitur hic pœna sensus, quæ est pœna gehennæ, arbori non facienti fructum bonum: non facere autem fructum bonum, istud est commune omissioni, & commissioni: quia non facere fructum bonum est dupliciter: vel non facere fructum bonum solum, vt ibi quiescat voluntas: vel non facere fructum bonum, quia facit contrarium, scilicet fructum malum: Primo ergo modo conuenit omissioni, non facere fructum bonum: secundo modo commissioni. Ergo ex hoc verbo patet, quod vtrique, scilicet omissioni, & commissioni debetur pœna afflictionis gehennæ, quæ est pœna sensus. Similiter istud patet ex alia ratione: quoniam impassibilitas, prout est dos, redditur facienti bonum fructum finaliter: facere autem bonum fructum habet duo opposita, scilicet non facere fructum bonum, cum teneatur, & hoc est omissionis: & facere fructum malum, & hoc est commissionis: ergo vtrique scilic. omissioni & commissioni debetur passibilitas gehennæ: & ita pœna sensus. (Matth. 7.)

¶ ET si obiiciatur, vt prius: quod ille, qui omittit, non facit aliquod malum. Dicendum, quod falsum est: secundum quod superius diffinitum est facere malum, vel pro non facere * bonum, vel pro facere malum contrarium bono: ita diffinitur operari malum superius. Ipse autem omittens, licet non faciat malum contrarium bono: tamen operatur malum, quia non facit bonum: & sic peccatum omissionis perpetratur in opere: & per relationem ad opus determinatur vtrunque: sed vnum cessando à bono opere; aliud perpetrando opus malum, secundum Gloss. prædictam. (Obiectio.) (* Alias, bonum, cui tenetur.)

¶ AD secundum vero dicendum; quod omittens peccat actu: & ideo punitur pœna sensus; siue sensibili: verbi gratia: si aliquis paruulus decederet, nondum baptizatus; ipse solum puniretur pœna damni, siue carentiæ; & non pœna sensus; quia non habuit vsum voluntatis, nec actum; vnde non peccauit actu. Sed si decederet adultus; quia haberet vsum & actum voluntatis, si non baptizaretur, puniretur pœna sensus; quia habet vsum arbitrij, & in voluntate sua fuit, quod non baptizabatur; vnde actu voluntatis peccauit ibi. Similiter dicimus in omissione, quod est respectu actus voluntatis interioris, qui quiescit super ipsum, non facere; vnde dicit omittens, volo non facere, vel non volo facere; velle autem & non velle, sunt actus ipsius voluntatis. Ideo dicimus, quod peccatum ipsius omissionis in actu perpetratur, & determinatur; hoc est, in actu voluntatis interiori; & non solum in ipso defectu, vel carentia boni: quia ipse vtitur actu suæ voluntatis, siue arbitrij.

QVÆSTIO CXV.

De Negligentia.

In nouem Membra diuisa.

QVÆSTIO est de negligentia. Et primo quæritur, vtrū negligentia sit peccatum. Secundo, vtrum semper sit venialе, vel semper mortale, vel aliquando, hoc aliquando illud. Tertio, de differentia eius ad alia peccata, cum qui- (D. Tho. 2. 2. quæst. 14.)

bus videtur habere conuenientiam. Quarto, vtrum sit de generalibus, vel capitalibus, primis peccatis; vel ad aliquod reducitur. Quinto, de radice & causa negligentiæ, quam assignat Gregor. Ierem. 48. Sexto, circa quos actus siue opera dicatur esse negligentia; vtrum sit æqualiter circa omnes. Septimo, cum negligentia specialiter dicta, sit circunstantias actuum, vtrum sit æqualiter circa omnes. Octauo, vtrum peccator semper negligat. Nono, quid est illud, quod est principaliter oppositum negligentiæ.

MEMBRVM I.

An negligentia peccatum sit?

AD PRIMVM sic; diligentia & negligentia sunt opposita; quoniam aliquis dicitur diligens in bono opere, quando est ei curæ; quando, & quomodo, & vbi faciat opus suum; per oppositum huius dicitur negligentia. Sed diligentia non est virtus, immo dispositio concomitans virtutem, circumiens omnes virtutes; ergo similiter negligentia non erit peccatum: immo erit dispositio, quę est comes peccati; ergo non est peccatum; sed circunstantia peccati, siue dispositio concomitans peccatum.

Philos. ¶ ITEM, Phil. dicit; quod proæresis idem est quod eligētia, sed eligentia recta opponitur negligentię; quoniam negligere est non eligere; vnde est priuatio ipsius eligentiæ. Sed secundum Philosophum, eligentia non est virtus, sed principium virtutis cōsuetudinalis, siue mortalis; ergo per oppositum ipsa negligentia, quæ est priuatio, non est peccatum, sed comes peccati; sicut nec eligentia virtus, sed comes virtutis.

Ierem. 48. ¶ AD oppositum. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Sed maledictio non datur nisi ratione peccati secundum interpretationem scripturæ: & constat quod non datur hæc maledictio ratione operis Dei: quoniam facere opus Dei, non est peccatum: ergo datur hæc maledictio rationeeius, quod est facere negligenter: ergo negligentia est peccatum.

Hierony. ¶ ITEM Hieronym. *Qui claudam, & quasi sorde maculatam offert hostiam, reus est sacrilegij: quanto magis qui partem sui corporis & illibatæ animæ puritatem amplexibus Regis parat, si negligens fuerit, punietur?* Non autem punitur nisi peccatum: ergo si punitur, quia negligens fuerit: patet quod negligentia est peccatum.

RESOLVTIO.

Quandoque peccatum, quandoque comes, dispositio, vel pœna peccati est negligentia.

¶ AD primum dicendum: quod diligentia aliquando nominat dispositionem concomitantem virtutes generaliter: aliquando autem nominat virtutem; vt cum dicitur.

Prouer. 12. *Mulier diligens corona est viro*: nam diligentia quandam dicit, & importat solicitudinem. Sed potest dicere solicitudinem ex parte ipsius rationis vel intellectus, vel ex parte voluntatis: sicut cum dicimus: homo diligit esse sollicitus circa bonum. Secundum quod dicit solicitudinem ex parte voluntatis ad bonum: sic diligentia est virtus: & hoc modo negligentia ei opposita est ex parte volūtatis: similiter prout diligit anima non esse solicita ad bonum, & hæc negligentia est peccatum. Si autem dicat diligentia sollicitudinem ex parte rationis, vel intellectus: hoc modo non est virtus, sed comes virtutis; vnde hoc modo disparatur siue separatur à virtute; sicut scientia disparatur à virtute: & hoc modo similiter negligentia ei opposita non est peccatum: immo comes, vel dispositio peccati. Vnde, sicut dicimus, quod ignorantia, prout est in ratione, non est peccatum, immo pœna peccati: prout autem est in voluntate, sic est

Rom. 2. Glossa. peccatum scilicet prout dicimus de aliquo, quod ipse vult ignorare; quia hoc modo ipsa est peccatum. (Vnde super illud, *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam adducit*: dicit Glo. *Grauissime peccas, quia ignoras te contemnere.*) Sic dicendum est de negligentia; quod negligentia prout est in ratione vel intellectu, non est peccatum; immo magis comes, siue dispositio quædam, vel pœna ex peccato. Sed secundum quod est in voluntate, peccatum est; hoc est, secundū q̃ est defectus illius solicitudinis vel attentionis in voluntate, quam nominat diligentia virtus. Secundum quod est defectus solicitudinis illius in ratione, non.

¶ AD secundam rationem, qua obiicitur de eligentia. Similiter dicendum est: quod eligentia prout est rationis; sic non est virtus, sed comes virtutis: sic negligentia opposita eligentiæ, comes est peccati. Vel potest dici eligentia ipsa voluntas eligendi bonum, & repellendi malum: & hæc est in voluntate; & hæc est virtus: & per oppositum negligentia ipsi opposita dicitur esse peccatum; & hæc negligentia dicitur esse voluntas eligendi malum, & repellendi bonum: hoc enim est peccatum: & hoc est negligentia. Vnde patet, quod negligentia secundum quod est opposita eligentiæ virtuti: dicitur esse peccatum.

MEMBRVM II.

Quale peccatum negligentia sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum negligentia sit semper veniale, vel semper mortale, vel aliquando veniale, aliquando mortale, vel neutrum. Et ostenditur, quod negligentia sit semper mortale peccatum: dicitur. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Sed maledictio in scriptura non attribuitur, nisi mortali: ergo negligentia est mortale peccatum. Ierem. 48.

¶ ITEM, ex autoritate præcedenti super illud. *Maledictus homo, qui habet in grege, &c.* dicit Hieronym. *Qui claudam & quasi maculatam sorde, &c.* Ex qua autoritate habetur, quod negligentia punitur: sed puniri vbi simpliciter sumitur, dicitur pro peccato mortali; ergo negligentia est peccatum mortale. Malach. 1. Hierony.

¶ ITEM, hoc videtur ex eadem autoritate: quia comparat Hieronymus, in illa autoritate ipsam negligentiam sacrilegio: & ita si sacrilegium est peccatum mortale: & negligentia. Idem.

¶ ITEM, ratio. *Mulier diligens corona est viro*: hoc est dictum, quod ei debetur corona propter diligentiam. Sed diligentia & negligentia opponuntur: ergo si coronam meretur diligentia: relinquitur per oppositum, quod negligentia ipsum supplicium mereatur; cum sit contrarium eius: sed omne tale est mortale peccatum: ergo negligentia est mortale peccatum. Prouer. 12.

¶ ITEM. *Qui negligit vitam suam, mortificabitur.* Et loquitur de mortificatione, quæ est in gehenna: sed hæc non debetur nisi peccato mortali: & hæc debetur propter negligentiam: ergo negligentia est peccatum mortale. Prouer. 19.

¶ AD oppositum ostenditur, quod sit peccatum veniale, & non mortale semper: quoniam quædam est negligentia in sermonibus: sed hæc non est peccatum mortale, sed veniale: ergo negligentia quædam est peccatum veniale: non ergo semper peccatum mortale. Quod autem illa negligentia sit peccatum veniale, patet per August. accipientis illud verbum Iacob. 3. *Linguam hominum nullus domare potest: & dicit: Non hoc ideo dicit Apostolus Iacob, vt huiusmodi in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur: sed vt ad domandum linguam diuina gratia poscamus auxilium: vt quod nos nostris viribus non valemus, adiutorio Dei suppleamus.* Ex hac autoritate patet: quod negligentia in sermone quotidiano seruanda, sit supra vires nostras, ad hoc vt ipsam vitemus. Sed nullum peccatum mortale est supra vires nostras, vt ipsum vitare possimus: immo anima habet posse contra mortalia, vt ipsa caueat: licet non contra venialia; hoc est, quin surgat aliquid veniale: ergo negligentia, quæ est in sermone quotidiano custodiendo, non est peccatum mortale; immo veniale: cum ipsam non possimus vitare: sicut nec lapsum linguæ in sermonibus. Aug. in lib. de natura & gratia. super Ia. c. 3.

¶ ITEM, *De negligentia purga te cum paucis*: & dicit Gloss. *Quamuis oblatio parua sit, in mente humili, & pura dilectione facta multorum delictorum purgat negligentias: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Si ergo pauca oblatione purgatur negligentia: ergo ipsa non est peccatum mortale, sed solum veniale. Eccl. 7. Glossa.

¶ ITEM

Leuit. 4. & seq.

¶ Item, statuta fuerunt sacrificia in lege pro peccatis mortalibus in genere: & hæc erat quasi confessio in opere: sicut Leuit. 4. 5. & 6. Sed nullum fuit statutum sacrificium pro negligentia; relinquitur ergo quod ipsa non reputatur inter peccata mortalia.

¶ Sed videtur, quod aliquando sit mortale, aliquando veniale: quoniam (sicut dictum est) omissio aliquando est actus debiti, qui est in præcepto: aliquando est actus expedientis, qui non est in præcepto: & primo modo est peccatum mortale, secundo modo veniale. Sed sicut circa actum contingit esse hanc duplicem differentiam, scilicet debitum, & expediens: ita & circa circunstantiam, vt sit aliqua circunstantia debita, aliqua expediens: & ita cum sit negligentia ipsius circunstantiæ; potest esse negligentia ipsius circunstantiæ debitæ, vel expedientis: & si est circunstantiæ debitæ, erit mortale peccatū: si expedientis veniale: sicut est in omissione respectu actus. Ergo negligentia aliqñ est peccatum mortale, & aliquando veniale.

¶ Ad oppositum videtur: quod non semper sit mortale peccatum, vel veniale, sed solum indifferens aliquando. Quoniam aliquis potest se circa actum negligentem indifferenter habere: & sicut actus ille indifferens est, ita & circunstantia eius erit indifferens: cum circunstantia sequatur actum: sicut patet in hoc actu *manducare*. Ergo negligentia circa huiusmodi circunstantia est indifferens, & non veniale, vel mortale: & ita aliquando se habet per indifferentiam ad veniale & mortale.

RESOLVTIO.

Negligentia interdum mortale, interdum veniale peccatum est.

¶ Solvtio. Dicendum est: quod negligentia aliquando est mortale peccatum: aliquando veniale: Mortalis est negligentia, quando scilicet est circa circunstantiam debitam, quæ est in præcepto: sicut est, quod aliquis tenetur dare eleemosynam indigenti, & quando necesse est: dare eleemosynam est quidam actus: circunstantiæ autem determinantur per hoc quod est *indigenti* & per hoc quod est *in tempore necessitatis* siue *quando est necesse*. Hæ circunstantiæ debitæ sunt, & in præcepto: negligentia ergo circa ipsas debet dici mortalis. Similiter dicit Apost. *Omnia vestra in charitate fiant*: Hæc est circunstantia præceptorum affirmatiuorum: hæc circunstantia est in præcepto: negligentia ergo circa huiusmodi circunstantiam dicetur esse peccatum mortale.

1. Cor. vlt.

¶ Item aliquando est negligentia venialis: sicut quando est circa talem actum, vbi de natura actus non sequitur peccatum mortale: sicut quando est circa loqui, qui actus ponitur in lubrico linguæ. Vnde quia difficile est cauere ab huiusmodi lubrico linguæ, secundum quod habetur. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, &c.* cum hoc dicatur propter difficultatem cauendi: ideo dicimus, quod est veniale peccatum circa ipsum actum locutionis, prout est in lubrico linguę: nam ex hoc quod difficile est ad cauendum huiusmodi linguæ lubricum, habet rationem venialis peccati: quod difficile est cauere. Veruntamen respiciendo ad ipsam materiam, non ad genus actus; contingit bene quod negligentia circa locutionem sit peccatum mortale: sicut si aliqui indigerent verbo prædicationis: & aliquis negligeret in tempore & loco, cum esset necesse ostendere, & aperire verbum veritatis: propter huiusmodi defectum & negligentiam ostensionis veritatis diceretur ipse peccare mortaliter. Vnde huiusmodi negligentia esset peccatum mortale, & hoc ratione materiæ; non ratione generis ipsius actus, siue locutionis: * quoniam talis negligeret quantum ad circunstantiam debitam ipsius actus: cum esset tempus & locus necessitatis idoneus, & ipsi auditores indigentes desiderarent audire. Vnde quia omitteret in circunstantia debita, esset mortalis eius negligentia: Ratione autem ipsius sermonis quotidiani, qui de facili non potest vitari: dicitur veniale.

Eccles. 14.

* Alias, quando.

¶ Ad rationes patet responsio ex prædictis.

¶ Ad vltimam rationem dicendum: quod bene potest esse negligentia circa circunstantiam indifferentem: & tunc non erit neque veniale, neque mortale. Sed tunc dicitur esse mortale, quando est extra circunstantiam actus debitam, vt fiat: veniale autem est, quando est circa circunstantiam expedientem: & hoc modo de ipsa loquimur, non prout est indifferens.

MEMBRVM III.

In quo differt negligentia à desidia siue torpore, à pigritia vel ignauia, & ab omissione.

Tertia quæstio est de differentia negligentiæ ad alia peccata, cum quibus videtur habere conuenientiam: sicut ad desidiam, & torporem, pigritiam vel ignauiam, & ad omissionem. Quæritur ergo, quomodo isthæc omnia ad inuicem differunt.

RESOLVTIO.

Negligentia respicit voluntatem intra: desidia & pigritia opus extra, hæc opus fiendum, illa continuandum. Negligentia respectu circunstantia debita & expedientis: omissio respectu actus debiti, & expedientis.

¶ Solvtio. Dicendum est quod negligentia habet oppositionem ad diligentiam: Vnde sicut diligentia dicitur esse in voluntate eligendi recte, prout est virtus: ita per oppositum negligentia ei opposita dicetur esse, & sistere in voluntate: Et sic negligentia respicit ipsam voluntatem * interiorem, vt dicatur negligentia * voluntas eligendi non recte, siue voluntas non eligendi recte. Ipsa autem desidia & pigritia respicit opus extra: vnde sunt respectu operis exterioris, à voluntate egredientis. Sed differenter: quoniam ipsa pigritia est respectu boni operis fiendi: desidia autem respectu operis boni continuandi. Vnde quando homo non vult facere bonum opus, dicitur piger. *Propter frigus piger arare noluit*. Et. *Abscondit piger manum suam, &c.* Sic ergo pigritia dicitur respectu boni fiendi: & desidia dicitur respectu boni operis continuandi, siue prosequendi: sicut quando aliquis videt difficultatem in bono opere continuando & prosequendo, desistit & cessat ab illo opere: vnde dicitur talis desidiosus: quia dicitur desidia à desinendo. Negligentia autem est respectu eligendi illud, quod debet esse extra: vnde præcedit hæc negligentia alia vitia: licet aliquando in scriptura vnum pro alijs accipiatur: tamen hæ sunt propriæ rationes istorum.

*Alias, intra.
*Alias, voluntas eligendi, siue v. untas non eligē. di recte.
Prouer. 20.
Prouer. 19.

¶ Sed quæritur de differentia omissionis, & negligentiæ: quoniam videtur negligentia esse omissio: quoniam dicit August. *Omne peccatum est, si autem illa fiant, quæ prohibentur: aut illa non fiant, quæ iubentur*. Sed primum est commissio, secundum omissio: ergo omne peccatum actuale est omissio, vel commissio: sed negligentia est actuale peccatū: ergo est omissio, vel commissio: sed nō est commissio: quia cum quis negligit, non facit ea, quæ prohibentur: ergo est omissio. Sic ergo non differunt peccatum negligentiæ & omissionis.


Aug. in li. de perfect. iustitiæ hominis.

¶ Ad oppositum. Bonum in genere & bonum ex circunstantia distinguuntur: sed negligentia est ex defectu boni ex circunstantia; omissio est ex defectu boni in genere: ergo omissio non est negligentia.

¶ Item, omissio est, cum non fit opus Dei, quod deberet fieri: negligentia autem, cum eius opus fit, non sicut debet fieri: ergo negligentia est omissio.

¶ Solvtio. Dicendum quod negligentia non est omissio, immo differunt, prout sunt peccata mortalia, & prout sunt venialia. Prout enim sunt peccata mortalia, sic differunt quoniam omissio proprie dicitur respectu actus debiti: negligentia autem respectu circunstantiæ debitæ: vt respectu temporis, vel loci, vel finis debiti.

¶ Item, quando vtrunque est veniale, differunt: quoniam omissio dicitur respectu actus expedientis: negligentia autem respectu circumstantiæ expedientis.



MEMBRVM IV.

An negligentia ad aliquod speciale peccatum reducatur: vel circueat vniuersa peccatorum genera?

QVARTA quæstio est. Vtrum negligentia sit de capitalibus, & generalibus peccatis primis: an ad aliquod illorum reducatur? Ostenditur autem, quod reducitur ad accidiam: quoniam Gregor. nominat eam inter filias accidiæ dicens. De tristitia nascuntur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta. Sed torpor circa præcepta nihil aliud est quam negligentia: ergo negligentia nascitur ex tristitia, siue accidia (quod idem est) ergo est filia accidiæ: & sic reducitur ad accidiam. Gregor.

¶ QVOD autem reducatur ad imprudentiam, ostenditur sic: quoniam dicitur. *Lasciuus & imprudens non seruabunt tempus.* Sed non seruare tempus, hoc est negligere, & hoc est imprudentia: ergo negligentia ad imprudentiam reducitur. Eccl. 20.

¶ ITEM, diligentia reducitur ad prudentiam: ergo per oppositum, negligentia ad imprudentiam, siue ad stultitiam, quæ est rerum vitandarum & appetendarum ignorantia. vt dicit August. in libro de lib. arbit. & hæc est ratio negligentiæ: ergo negligentia reducitur ad imprudentiam. Aug. in lib. de lib. arb.

¶ AD oppositum. Videtur quod non reducatur ad aliquod speciale peccatum, sed circueat omnia peccata. Quoniam negligentia non solum accipitur secundum circunstantias illius actus debiti, à quo deficit accidia, vel imprudentia: immo secundum circunstantias etiam illorum actuum, à quibus deficiunt, inuidia, superbia, auaritia, & sic de alijs vitiis. Ergo relinquitur, quod circuit omnia vitia: & ita non reducitur ad aliquid illorum: cum omnia peccata deficiant ab aliquo proprio actu, & circunstantijs debitis: & sic determinatur in circunstantiis aliorum actuum, à quibus deficiunt alia vitia.

¶ ITEM, Augustinus dicit. *Peccatum & malum est in negligentia vel ad accipiendum præceptū Domini, vel ad obseruandum, vel custodiendum contemplationem sapientiæ.* Sed malum in istis tribus est commune ad omnia peccata: ergo negligentia non solum determinatur ex defectu circunstantiarum, quæ pertinent ad defectum accidiæ: sed etiam omnium peccatorum. Ergo circuit omnia peccata, & non reducitur ad aliquod illorum. Idem, ibid. versus fin.

RESOLVTIO.

Negligentia si generaliter sumatur, sic diuersa peccatorum genera circuit, & ad imprudentiam reduci habet. Si vero specialiter accipiatur: vt sic modo ad accidiam, modo ad auaritiam eam reducere est.

¶ SOLVTIO. Dicendum: quod negligentia generaliter considerata, concomitatur diuersa genera peccatorum: & sic accipitur in authoritate prædicta August. vnde negligentia sic generaliter sumpta est de circueuntibus ipsa peccata. Aliter autem est loqui de ipsa negligentia specialiter. Et hoc multipliciter: quia aliquando dicitur negligentia, secundum quod homo negligens fastidit bona spiritualia: cum ergo accidia sit tristitia de spirituali bono; hoc modo dicimus, quod accidia generat negligentiam ad eligendum, & torporem ad faciendum.

¶ ITEM, aliquando contingit negligentia: vt quando homo est in magna prosperitate, & ex hoc fit negligens ad eligendum bonum, & vitandum malum: & sic comes est negligentia cupiditatis, vel auaritiæ: vnde hæc negligentia ex auaritia nascitur, & ad ipsam reducitur: vnde. *Ingressi sunt, & possederunt terram, &c.* dicit Gloss. *Nihil medium est inter possessiones, & inobedientiam*; vbertas enim securitatem, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit: & ita reducitur negligentia ad cupiditatem vel ad auaritiam. Secundum autem quod generaliter accipitur, & circuit diuersa genera peccatorum; sic reducitur ad imprudentiam: quoniam imprudentia circuit & concomitatur diuersa genera peccati: sicut prudentia diuersas virtutes; quia ipsa est auriga virtutum: vt dicit Bernard. vnde imprudentia circuit alia genera peccatorum: nam imprudens dicitur, qui non obseruat circunstantiam in suis operibus. Sic ergo negligentia est comes imprudentiæ, & circuit alia: & sic negligentia nascitur ex diuersis peccatis: nihil autem prohibet secūdum diuersa motiua vnum peccatum ex pluribus nasci. Et per hæc patet responsio ad rationes. Ierem. 32. Glossa. Bernard.


MEMBRVM V.

An recte assignarit B. Gregorius radicem, causamque negligentiæ ac fraudulentiæ: illius scilicet minorem Dei amorem; huius autem nimium sui amorem?

QVINTA quæstio est de radice, & causa negligentiæ, quam assignat Gregorius super illud, *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Et super illud. *Verebar omnia opera mea, &c.* Et ponit desidiam pro negligentia, dicens. Desidia, id est negligentia per torporem nascitur, fraus per priuatam dilectionem: illam minor amor Dei exaggerat: hanc proprius amor sui excitat. Vult ergo dicere: quod minor amor Dei facit negligentiam, vel desidiam: proprius autem, siue nimius amor sui excitat fraudulentiam. Greg. super Ierem. 48. Iob. 9.

¶ OSTENDITVR autem, quod proprius amor sui vtrunque facit: quoniam (sicut dicit Augustinus) quod anima aut conuertitur ad summum bonum aut auertitur à summo bono. Si conuertitur ad summum bonum, bene ordinata est. Si autem auertitur à summo bono, & conuertitur ad bonum commutabile, tunc peccat. Et tunc distinguendum: quia aut conuertitur ad proprium bonum, diligendo suam excellentiam: aut ad bonum exterius, sicut ad temporales diuitias: aut ad bonum interius, quod est bonum carnis. Et secundum hoc sumuntur illæ tres radices peccatorum, quas ponit B. Ioannes dicens. *Omne, quod est in mundo; aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Vnde ipse dicit in Lib. de libero arbitrio. *Voluntas adhærens communi atque incommutabili bono, impetrat prima & magna hominis bona; cum ipsa sit medium quoddam bonum.* Voluntas autem auersa ab incommutabili & communi bono, & conuersa ad proprium bonum; aut ad exterius, aut ad interius, peccat: Ad proprium conuertitur, cum suæ potestatis vult esse: ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcunque ad se non pertinent, cogitare studet: ad interius, cum voluptatem corporis diligit: atque ita homo superbus, & curiosus, & lasciuus effectus; excipitur ab alia vita: quæ in comparatione vitæ superioris est mors. Hæc tamen omnia reducit August. ipse ad amorem sui indebitum; qui est radix omnium peccatorum: & vocat ipsum libidinem, id est, improbum amorem sui. Vnde in Libro de Ciuitate Dei dicit: quod *amor Dei facit ciuitatem Hierusalem: amor vero sui facit ciuitatem Babylonis.* Proprius ergo amor sui est causa & radix omnium peccatorum: ergo ad ipsum tanquam ad radicem reducitur negligentia, & fraus: ergo non distinguuntur per illam distinctionem: quoniam vtrunque facit proprius amor sui. Aug. in li. de lib. arb. 1. Ioan. 2. August. Idem in li. de ciu. Dei.

¶ ITEM, quoniam minor amor Dei supponit, & ponit amorem Dei (& maxime cum charitas non remittatur) constat quod sequitur, si est minor amor Dei, quod sit amor Dei, & ita charitas. Sed charitas non compatitur secum mortale peccatum (vnde non potest fieri informis, nec remitti.) Ergo si minor amor Dei est causa negligentiæ: constat quod negligentia non est mortale peccatum. Sed hoc est falsum: ipsa enim negligentia est digna maledictione Ieremiæ 48. & tale est peccatum mortale: ergo male Gregorius ponit minorem amorem Dei esse causam negligentiæ. Ierem. 48.



RESOLVTIO.

Tametsi vtriusque, & negligentiæ, scilicet & fraudulentiæ vtrunque, minor videlicet amor Dei, & suiipsius amor causa ac radix sit: illi tamen ille, isti iste recte appropriatur.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod vtrunque est in vtroque: vnde & in negligentia & in fraudulētia sunt hæc duo, scilicet minor amor Dei, & nimius vel proprius amor sui: quoniam ibi est auersio à Deo & conuersio ad bonum cōmutabile. Tamen per appropriationem respondet negligentiæ pro causa minor amor Dei, fraudulentiæ autem nimius vel proprius amor sui. Et hoc est: quoniam cum deficit in homine feruor charitatis, tunc negligit facere bona: vnde ex defectu charitatis in Deum feruentis consequitur homo negligentiam: quia si esset homo feruens in Deum, non esset negligens circa opera Dei: sicut circa psallere Deo, & orare, & huiusmodi. Similiter per appropriationem dicitur, quod fraudulentiam facit proprius amor sui. Et vocat hic amorem sui nimium, vel proprium, amorem temporalium nimium: talis enim facit fraudem; quando scilicet homo intendit illud bonum, & præponit ipsum summo bono, quod debet intendere, & habere pro fine, vnde tunc est fraudulentia. Et hoc est, quod dicit Gregor. Gregor. in prædicta Glo. dicens. *Fraudem quippe in Dei opere perpetrat, qui se inordinate diligens, per hoc quod recte agit; ad remunerationis transitoriæ bona festinat.* Et hæc fraudulentia est in ore, corde, & opere: quando scilicet quis dicit, vel cogitat, vel operatur, in quo præponit bonum temporale, & minus intendit summum bonum. Sed desidiam, id est, negligentiam facit Idem ibid. minor amor Dei: vnde dicit ibi. *Sæpe desidia, id est negligentia interueniente, opera bona deficiunt: & frigescente amore, calescunt.* Vnde patet, quod reducendo ad causas, siue radices proprias; ipsius negligentiæ causa est minor amor Dei, hoc Matt. 24. est, minor feruor charitatis; quando frigescit homo: secundum quod habetur. *Refrigescet charitas multorum.* Radix autem fraudulentiæ proprius amor sui, siue nimius.

¶ AD primam ergo rationem in contrarium dicimus: quod quædam assignatur radix communis peccatorum; quædam autem sunt radices propriæ & propinquæ. Amor ergo sui inordinatus (quem vocat Augustinus libidinem) est causa & radix communis omnium peccatorum: & ad August. ipsum omnia peccata reducuntur: sicut vult August. Sunt tamen aliæ radices peccatorum propriæ & propinquæ: sicut timor male humilians, & amor male incendens: vt ha- Psal. 79. betur super illud. *Incensa igni, & suffossa.* Vnde per appropriationem est quoddam peccatum ex timore male humiliante: quoddam ex amore male incendente. Tamen generaliter omne peccatum est ex amore sui illicito: vnde timor ad amorem reducitur: quia non timet aliquis inordinare, siue male, nisi quia amat se inordinate. Dicimus ergo, quod reducendo ad generalem radicem, cōcedimus bene, quod nimius amor sui est causa negligentiæ: tamen per appropriationem, & accipiendo quasi propinquam & propriam radicem; dicimus quod minor amor Dei est causa eius, sicut dictum est: amor tamen illicitus sui est prima eius causa, & radix.

¶ AD secundum dicimus: quod triplex est dilectio Dei à creatura. Vna est naturalis, qua diligit homo Deum naturaliter. Alia est voluntaria, siue procedens ex voluntate deliberata: sicut quando homo deliberatur in se, quod Deus hoc fecit illi, & hoc; & quod talis est: ex hac deliberatione surgit in ipso dilectio Dei. Tertia dilectio est procedens ex voluntate gratuita: & ista dilectio est charitatis. Cum ergo dicitur, quod minor amor Dei facit negligentiam: *amor* non stat ibi pro charitate: vnde hoc quod est *minor* non minuit ibi amorem, prout est charitas: quia non est charitas cum negligentia mortali: sed stat ibi amor communiter ad amorem naturalem, & deliberatiuum: & illud, quod diminuitur ibi, non est charitas; sed dilectio voluntatis deliberatæ principaliter: quæ potuit formari per charitatem, & fuit formabilis ab ipsa: quæ tamen minoratur per peccatum: charitas autem non minueretur; immo aut tota ibi erit, aut tota recedet: non est autem aliquo modo cum peccato mortali: quod tamen potest esse dilectio * deliberatiua, siue voluntatis * delibe- *Alias, deliberata. ratiuæ. *Alias, deliberatæ.

¶ SED QVÆRITVR IVXTA HOC. Ieremiæ 48. habetur; quod *maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter* (& dicit alia littera, negligenter.) Vnde dicit Gloss. *fraudulenter*, id est, *desidiose*: & sumit ibi desidiam pro negligentia. Quæritur ergo, quare potius attribuitur maledictio negligentiæ, quam alij peccato ibi? quoniam alia peccata ita digna sunt maledictione, sicut negligentia. Quæst. lateralis. Ierem. 48. Gloss.

¶ AD QVOD dicendum: quod ratio huius patet ex materia, de qua loquitur ibi Propheta: vnde ex congruentia materiæ: quia ei conuenit ex hoc quod est ibi posita maledictio negligentiæ. Voluntas enim Domini fuit, vt Nabuchodonosor affligeret ipsum Israel ad eius correctionem; vnde opus illud fuit Dei committentis; fuit autem ipsius Nabuchodonosor solum tanquam persequentis. Illud autem, quod Dominus fecit per illum, non Deo autori, sed sibi ascripsit, & in hoc excessit. Vnde Isa. 10. ha- Isa. 10. betur de Sennacherib, qualiter dicit Dominus, qui sibi attribuit, quod fecit; & qualiter per superbiam suam excessit in opere sibi commisso à Domino; vnde dicit ibi de ipso. *Ad gentem fallacem mittam eum, plenum furoris mei, man-* Ibi. *dabo illi vt auferat spolia, & diuidat prædam.* Et post sequitur. *Ipse autem non sic arbitrabitur*, (Quasi dicat totum sibi ascri- Ibid. bet, & non mihi) *& cor eius non ita æstimabit; sed ad conteren-* Ibid. *dum erit cor eius.* Iste autem non Deo, sed sibi ascripsit factum suum: & ideo negligenter fecit; & propter tales attribuitur maledictio negligentiæ; & tales non faciunt opus Dei, vt debent; vnde negligunt circa opus Dei; & ratione talium datur Ieremiæ 48. maledictio negligentiæ; quia de talibus loquitur; ipsi autem maledicti sunt, & ideo maledicta ibi negligentia. Vnde dicit Dominus. *Zelatus* Zachar. 1. *sum Ierusalem & Sion zelo magno; & ira magna ego irascar super gentes opulentas; quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuuerunt in malum, ex hoc sunt maledicti.* Et ideo Propheta loquens de iis; maledicit negligentiæ; non quia alia peccata non sunt digna maledictione; sed quia hoc competit suæ malitiæ. Alia enim peccata sunt etiam digna maledictione; sicut patet in Lib. Sap. 12. de peccatoribus; quod naturalis erat Sap. 12. malitia eorum; *semen enim erat maledictum ab initio*: hoc est maledictio pro peccato originali. Similiter Deuteronom. Deut. 27. 27. habetur maledictio peccatorum actualium: sicut patet de maledictionibus impositis. Et sic patet quod & isti peccato & aliis debentur maledictiones: sed isti specialiter in illo loco Ieremiæ.

MEMBRVM VI.

Circa quos actus, aut circa quæ opera Dei dicatur esse negligentia: tum maxime ea, quæ mortale peccatum est?

SEXTA quæstio est, circa quos actus siue opera dicatur esse negligentia. Ad quod sic obijcitur: nam quoddam opus est meritorium, quoddam demeritorium, & quoddam indifferens. Si opus est indifferens, circa illud non facit negligentia peccatum: sed negligentia est peccatum: ergo non est circa opus indifferens.

¶ ITEM, non est circa opus demeritorium: quia negligentia est circa opus Dei: sicut patet Ierem. 48. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter: sed opus demeritorium non est opus Dei: ergo non est circa illud.

¶ ITEM, non est circa opus meritorium: quoniam opus meritorium tollit omnem negligentiam: ergo non est circa aliquod genus operationis.

¶ PRÆTEREA: ponatur quod aliquis male dicat Horas; nunquid circa istum actum erit negligentia? Videtur quod non: quoniam negligentia cadit sub maledictione: sed iste non propter hoc est maledictus, licet nō dicat Horas ad tempus, vel huiusmodi: aliquando ergo circa istum actum non cadit negligentia; ergo non cadit circa opera omnia Dei.

nale enim transit reatu, & manet actu post baptismum: sed ignorantia in peccante post baptismum remanet in reatu & actu: ergo non est originale peccatum (supposito quod originale non redeat: ignorantia autem potest redire.

¶ Item, ignorantia est peccatum in his, qui intelligere noluerunt: & originale peccatum est, siue velit, siue nolit: ergo ignorantia non est originale peccatum.

¶ Nec est actuale peccatum, actuale enim peccatum transit actu, & remanet reatu: ignorantia vero aliquando manet actu, & transit reatu: (sicut est in sacerdote, qui tenebatur scire pertinentia ad officium suum, & non sciuit, cum debuit: & pœnituit super hoc, & adhuc nescit: ignorantia in illo transit reatu, & remanet actu) ergo non est peccatum actuale.

¶ Quod autem sit actuale, patet per hoc, quod delictū est actuale peccatum: ignorantia vero sub delicto continetur: ergo ignorantia est actuale peccatum.

Hugo de S. Victore. ¶ Quod autem sit originale peccatum, videtur ex verbis Hug. qui dicit: quod *ignorantia & concupiscentia sunt in nobis culpa simul & pœna originalis*: ergo ignorantia est originalis culpa.

RESOLVTIO.

Et originale, & actuale, & medium: diuersa scilicet consideratione.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia vno modo dicitur esse peccatum actuale in eo, qui non curat scire, quod tenetur scire: & sic continetur sub actuali peccato, prout est à voluntate non curandi. Alio vero modo dicitur ignorantia originalis culpa secundum Hugon. prout originale

Hugo. peccatum reddit lib. arbit. culpabile, quo ad ignorantiam ex parte rationis, & quo ad concupiscentiam ex parte voluntatis: & hæc est intentio Hugonis, secundum quod trahimus ex primis parentibus originalem concupiscentiam cum ignorantia. Tertio vero modo dicitur ignorantia habere quandam conuenientiam cū originali, & aliam conuenientiam cum actuali. Aliquando enim transit reatu, & remanet actu: vt in sacerdote, de quo diximus, contrito. Aliquando vero transit actu, & remanet reatu: vt in illo, qui voluit nescire, & postea addidicit: sed non cōteritur de voluntate priori culpabili. Et transit actu, quia non remanet iam ignorans: & manet reatu, quia adhuc remanet culpa. Et hoc modo habet mediam ratione. licet sub actuali peccato simpliciter contineatur, secundū quod est peccatum.

MEMBRVM VI.

An peccatum ignorantiæ iuxta B. Ambrosij sententiam grauissimum peccatum sit?

Rom. 2. Ambros. SExto quæritur, Vtrum peccatum ignorantiæ sit grauissimum peccatum. Quod notatur: *An ignoras, quoniam benignitas Dei*, &c. Et dicit Ambrosius: *Peccas homo, dum impunitatem tibi promittis, grauius cum Dei bonitatem contemnis: grauissime cum ignoras.* Et sunt gradus peccatorum: ergo grauissimum peccatum est ignorantia.

Aug. in lib. de Baptismo contra Donatistas. Idem, in li. de ciu. Dei. ¶ Contra, Augustinus: *Verissimum est, longe grauius esse peccatum eius, qui sciens, quam eius, qui nesciens, peccauit.* Ergo peccatum ignorantiæ minus est.

¶ Similiter idem alibi consimilem sententiam ponit. Ex quibus colligitur, quod peccatum ignorantiæ non est grauissimum.

¶ Item, Isidorus: Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet: noluisse scire ad superbiam, & contumacem voluntatem.

RESOLVTIO.

Ignorantia consequens peccatum, ipsumq́; aggrauans (de hac enim intelligit B. Ambrosius) grauissimum & periculosissimum peccatum est.

¶ Ad quod dicendum, quod peccatum ignorantiæ dicitur multipliciter. Vel cum peccat aliquis, & nescit se peccare: & tunc dicitur peccare ex ignorantia. Vel cum nescit, & non curat se scire: vel peccat graui peccato, & post ea non sentit, quam grauiter peccauit: immo redditur quasi insensibilis respectu culpæ & pœnæ. Est ergo ignorantia disponens ad peccatum sequens: & ignorantia materia ipsius peccati, siue circa quod est peccatum: & est ignorantia cōsequens peccatū, aggrauans ipsum. Hoc vltimo modo dicitur illa autoritas Ambrosij: *Grauissime peccat, qui ignorat*, id est periculosissime: quia si sentiret peccatum, ac pœnam peccati; ad medelam confugeret, qua curaretur à peccato: & sic est de illo, sicut de paralytico: vel de illo, qui non habet sensum morbi sui. Ambros.

¶ Illud autem, quod dicit August. quod peccata scientium præferuntur peccatis nescientiū: intelligitur de ignorantia antecedente peccatum: semper enim diminuit.

¶ Quod autem dicit Isidorus: *Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet: noluisse vero scire ad superbiam, & contumacem voluntatem*: intelligitur de peccato ignorantiæ, secundum quod ignorantia est illud, circa quod est peccatum, & hoc modo graue est peccatum. Vnde dicit Isidorus ibidem: *Voluntati proprie domini nescire velle, quid aliud est, quam velle superbiendo dominum contemnere.* Isidorus. Idē ibidē.

¶ Adhuc etiam quæritur de peccato Euæ, cum esset ex ignorantia (sicut dicit Isidor.) qualiter tam graue fuit peccatū, & grauissime punitum. Videtur enim, quod hoc peccatum maius esset aliis peccatis, & tamen est peccatum ex ignorantia: nullum enim aliud peccatū actuale ita grauiter punitum est: cum ergo mensura pœnæ sit secundum mensuram culpæ: nullum peccatum videtur esse ita graue. Qō. later. Idem.

¶ Ad quod potest responderi: quod dicitur aliquod peccatū esse ex ignorantia: vel quando aliquis ignorat, vtrum fuerit præceptum, vel prohibitum; & delinquit, vel omittit: & hoc modo non fuit peccatum Euę ex ignorantia: nouit enim esse pręceptum à Domino. Est iterum ignorantia, qua nesciuit esse verum, quod ei suadebatur à diabolo: & tamen assensit: & ista nescientia non diminuit culpam: nec tamen propter illam principaliter aggrauatur: sed propter hoc quod appetendo esse sicut Deus, totum genus humanum obligauit ad peccatum, gustando de fructu vetito, vnde omnes in illis primis parentibus peccauimus.

MEMBRVM VII.

An ignorantia à peccato excuset?

SEptimo quæritur, Vtrum ignorantia excuset à peccato, vel non excuset? Et videtur, quod excusat, per hoc quod dicit Augustinus: *Qui ignorat non suo vitio; non enim fuit, à quo disceret; nec rumore comperit opinionem doctrinæ: immunis est à condemnatione.* Ergo ignorantia excusat. August. in quæstionibus noui Testam.

¶ Item: *Scio, quod per ignorantiam fecistis: conuertimini ergo, vt deleantur peccata vestra.* Ergo per ignorantiam minuebatur peccatum. Act. 3.

¶ Item, Augustinus: *Quo modo reus constituitur, qui nescit, quid fecerit?* Ergo ignorantia excusat. Aug. loco citato.

¶ Item, Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Ergo ignorantia excusat: & si non à toto, tamen à tanto. 1. ad Tim. 1.

¶ Contra, Augustinus super illud: *Qui non cognouit, & fecit digna; plagis vapulabit paucis.* Gloss. *ignorantia, quæ non est eorum, qui scire volunt, sed eorum, qui nesciunt; neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat.* Ergo ignorantia huiusmodi non excusat. Lucæ 12. Glossa.

¶ Item, Augustinus: *Non omnis ignorans immunis à pœna est: hic enim qui potuit discere, & non dedit operam, reum se fecit: negligentior enim luxuria, aut maleuolentia inexcusabilis est à crimine.* Aug. loco citato.

¶ Item, Isidorus: *Sunt, qui scienter peccant, & qui per ignorantiam excusationem quærunt, vt minus culpabiles habeantur: qui tamen seipsos non muniunt, sed magis decipiunt.* Ergo huiusmodi ignorantia non excusat. Isidorus.

¶ Item, super illud: *Noluit intelligere, vt bene* &c. Gloss. *voluntati malæ semper pœna debetur.* Ergo ista ignorantia addita alteri culpæ, non diminuit, aut excusat, sed magis auget. Psal. 35. Glossa.

¶ Item, cæcitas inducit peccatum; sicut patet in Lamech: qui cæcus effectus, sagitta occidit Cain. Sed sicut cæcitas est in corpore, ita ignorantia in anima: ergo ignorantia facit ad esse peccatum: quod non esset, si non ignoraret: ergo ignorantia non excusat peccatum.

RESOLVTIO.

Quædam excusat, quædam magis accusat.

¶ Ad quod dicendum, quod ignorantia quædam excusat, & quædam non excusat. Est n. ignorantia inuincibilis ex casu: in quam non incidit homo ex sua culpa,* sed ex debilitate naturæ: & hæc excusat. Est iterum ignorantia iuris diuini, & canonici: & hæc excusat simplices, quo ad quædam, quæ non sunt necessaria ad salutem essent: aliter. Econtrario vero est ignorantia, quæ non excusat quo ad Deum: vt pote ignorantia supina, siue affectata, & ignorantia eorum, ad quæ tenetur homo, & ignorantia negligentiæ.

*Alias, vel.

¶ Per hoc potest responderi ad obiecta. Cum enim dicitur, quod ignorantia excusat, vel simpliciter, vel in parte: intelligitur de ignorantia inuincibili, vel de ignorantia simplici (non dico eorũ, quæ sunt ad salutem) & de ignorantia facti.

¶ Illa ergo autoritas Aug. de ignorantia inuincibili intelligitur, secundum statum personæ & loci.

Aug. in lib. quæstionũ noui Test.

¶ Illa vero autoritas in Lib. Actu. *Scio quod per ignorantiam fecistis:* non intelligitur de ignorantia, quæ excusat à toto, sed quæ excusat à tanto. Dicitur enim in Euangelio: *Nunc autem excusationem non habent de peccato.* Sed in quibusdam etiam eorũ poterat esse ignorantia negligenti, & illa nec excusabit à tanto, nec à toto. Vnde de talibus dicit Aug. *Cum prædicaretur veritas, vt eam addiscerent, operam non dederunt, sed ignorantiam autorem eius occiderunt.*

Actuum 3. Ioan. 15.

¶ Tertia vero autoritas Aug. intelligitur de ignorantia inuincibili ex casu. Vnde dicit: *Aliquos scimus subito demẽtes factos, ferro, fuste, lapidibus, morsibus multos nocuisse: captos aũt industria, & iudicibus oblatos minimè reos factos: eo quod nõ voluntate, sed impellente vi (nescio qua) hæc gesserunt, nescientes.*

Augu loco supra notato.

Quarta vero authoritas intelligitur de ignorantia, quæ non excusat à toto, sed à tanto: quæ fuit in Apostolo Paulo: arbitrabatur enim se obsequium præstare Deo, legis æmulator existens, & ideo peccatum eius veniale fuit, cum ad misericordiam confugit: licet esset in genere mortalis.

Actuum 3.

¶ Ad autoritates vero, quæ sunt ex alia parte. Dicendum est, quod illa autoritas Aug. intelligitur de ignorantia negligentiæ; quæ quo ad hoc non excusat, sed multo magis cum fuerit ex maleuolentia.

August. in quæstionibus noui testamẽti.

¶ Illa vero, quam ponit Isidor. intelligitur de ignorantia affectata. Similiter illa, quæ ponitur super illud Psalm. *Noluit intelligere, vt bene ageret.*

Psal. 35.

¶ Illa vero, quæ ponitur ab August. super illud: *Qui non cognouit, &c.* intelligitur de illa ignorantia, quæ non excusat à toto; licet excuset à tanto, & ideo dicitur, neminem sic excusat, &c.

Lucæ 12.

¶ Ad quartum vero dicendum est: quod in parte simile est de cæcitate & ignorantia, & in parte dissimile. Quo ad hoc est simile, quod sicut cæcitas inclinat ad peccatum, sic etiam ignorantia: quo ad hoc vero dissimile: quod cæcitas tantum pœna est: ignorantia potest esse culpa.

MEMBRVM VIII.

An ignorantiarum altera magis excuset, accuset ve?

OCTAVO quæritur de excusantibus peccatum, quæ magis excusant, & quæ est comparatio ignorantiæ ad ignorantiam.

¶ Est autem quædam diuisio ignorantiæ ex parte materiæ, cum dicitur: alia est iuris, alia facti. Ignorantia vero iuris, alia est iuris naturalis, alia est iuris diuini, alia iuris canonici, alia iuris ciuilis. Potest ergo quæri, quæ ignorantia minus excusat, & quæ non.

¶ Ad quod respondendum, quod ignorantia iuris si excusat aliquam personam; vtpote simplices, qui non habent facultatem perueniendi ad iuris peritiam (vt sunt paruuli, rustici, & mulieres) minus excusat, quam ignorantia facti. Ignorantia enim iuris in iis, quæ sunt ad salutem, minus excusat: vtpote ignorantia iuris canonici, vel diuini, quantum ad quædam præcepta: naturalis vero iuris minimè: canonici vero iuris plus excusat quasdam personas: ciuilis vero plus. Quanto enim plus tenetur homo ad cognitionem iuris: tanto minus excusatur, quia vero vnusquisq; tenetur ad scientiam iuris naturalis, ideo nullus adultus excusatur: nulli n. adulto licet legem naturalem ignorare, quoniam ipsa scribitur in corde humano naturaliter.

¶ Est autem scientia iuris diuini, scil. legis & Prophetarum, Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ: & istam tenentur Episcopi scire, & Prælati maiores, qui tenentur omni poscenti reddere rationem de ea, quæ est in eis, fide & spe: vnde ab eis requiritur scientia veteris & noui Testamenti: laici vero tenentur ad notitiam Decalogi, & eorum quæ pertinent ad fidem: prout continetur in Symbolo Apostolorum: ignorantia vero quo ad quædam iuris diuini eos excusat simpliciter: quantum ad quædam vero excusat à tanto, & si non à toto.

¶ Est iterum notitia iuris canonici, quod continet cõstitutiones Ecclesiasticas ad intelligenda peccata, & ad hanc tenentur Sacerdotes curam animarum habentes, & confessores. Ignorantia huius iuris quosdam alios excusat, & si non à toto, tamen à tanto, non n. omnes clerici tenentur ad notitiam omnium, quæ sunt in iure canonico, & si teneantur ad notitiam quorundam.

¶ Est iterum ignorantia facti: & hæc est duplex: vel in differentiis ad salutem, vel ad officium, & hæc excusat: sicut habetur: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Est autem factum necessariũ ad salutem, vt quod Christus passus est: & est factum necessarium quo ad officium, vt in Sacerdote quod facta sit ei manuum impositio, quod pollicis & indicis consecratio. Et circa necessarium ad salutem distinguendum est, quia aut non potest vitari ignorantia; sicut in illo, qui à natiuitate sua caret vsu rationis, & hæc excusat. Aut potest vitari, sicut in Iudæis & paganis, & hæc non excusat. 1. ad Cor. 11.

¶ Est iterum alia diuisio ignorantiæ: quia alia est simplex, alia est crassa, alia affectata. Simplex est, quando aliquis nescit, quod tenetur scire: facit tamen aliquid, sed non quicquid potest: & hæc excusat à tanto, & si non à toto. Ignorantia crassa est, quando aliquis negligit scire, quod tenetur, nec tamen vult se nescire: hæc minus excusat quam supradicta: aliquando tamen excusat non à toto, sed à tanto. Ignorantia affectata est, quando aliquis negligit scire ea, quæ tenetur scire; & placet ei nescire; & hæc accusat, & non excusat.

¶ ITEM, est alia diuisio ignorantiæ: quia quædam inuincibilis: quædam est vincibilis. Illa quæ est inuincibilis, alia est inuincibilis per naturam, vt in puero, qui non potest vti ratione; & in decrepito, qui non potest discernere; & in eo, qui nascitur amens, & hæc excusat à toto. Alia inuincibilis ex casu, & hoc contingit dupliciter: aut quia incidit ex sua culpa; aut quia non incidit ex sua culpa. Si non incidit ex sua culpa, excusat à toto: si vero incidit ex sua culpa, secundum quosdam non excusat à toto; secundum alios excusat: quia iam non habet liberum vsum rationis: sed prius non excusabatur, siue de priori.

¶ Item, ignorantia diuiditur ex parte efficientis: quia alia est voluntaria: alia inuoluntaria. Voluntaria est duplex, alia est volentium nescire: & hæc est affectata simpliciter, & non excusat: alia est nolentium scire; & hæc est affectata secundum quid, & hæc* simpliciter accusat, sed nõ tantum, quantum præcedens. Inuoluntaria vero, aut fuit à principio inuoluntaria; & hæc est pœna, non peccatum simpliciter; & hæc excusat à toto: aut fuit à principio voluntaria, & postea facta est inuoluntaria, & hæc excusat à tanto, & si non à toto. * Alias, similiter.

¶ HIS COGNITIS, ad maiorem euidentiam ponendi sunt quidam casus de ignorantia. Quæritur enim de puero, qui ab infantia includitur in carcere Saracenorum, vtrum ignorando ea, quæ sunt fidei, peccet. Quod non, videtur; nõ n. potest habere eum, qui ipsum instruat, nec Casus.

per seipsum potest habere cognitionem: ergo non potest non ignorare; ergo nō peccat: nullus n. peccat in eo, quod vitare non potest.

Hebr. 11. ¶ CONTRA: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

¶ Ad quod respondendum, quod talis cum peruenerit ad adultam ætatem, non habet impotentiam credendi omnino: quia si facit quod in se est; Dominus illuminabit eum per occultam inspirationem, aut per angelum, aut per hominem. Videtur tamen per hoc quod dicit Augustin. quod si non fuit, à quo disceret; nec ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruenerit; quod tunc non suo vitio ignorat, & immunis est à condemnatione. Sed intelligendum est tunc de disciplina, secundum quod fit per doctrinam exteriorem, vel per doctrinam interiorem: oportet autem, quod faciat, quod in se est: facere autem quod in se est, est vti ratione, per quam potest comprehendere Deum esse, & inuocare adiutorium Dei. Dicit enim Beda: quod vnusquisq; potest intelligere Deum esse, & iudicium esse venturum: de incarnatione autem & redemptione, si aptet intellectum suum, quantum in se est: vocabitur vocatione interiori, & si non exteriori.

(Aug. in quæstion. noui testamenti. — Beda.)

Casus. ¶ QVÆRITVR ITERVM: vtrum quilibet Catholicus teneatur scire de quolibet mortali, quod sit mortale. Quod videtur: non potest vitari malum, nisi cognitum: quilibet autem tenetur vitare mortale peccatum: ergo quilibet tenetur scire de quolibet mortali, quod sit mortale.

¶ CONTRA. Doctores dubitant in casibus subtilibus simoniæ, & huiusmodi peccatorum: ergo non possunt sciri à laicis: ergo non tenentur.

¶ Respondendum est ad hoc, quod quilibet tenetur scire implicite, vel explicite, particulariter, vel ad minus generaliter: sub illa, sc. ratione generali, qua dictat natura, sed laici non tenentur scire de quolibet mortali explicite; licet teneantur vitare in propria ratione.

¶ ITEM QVÆRITVR de Sacerdote, qui accedit ad ordines, & non potest addiscere Canones, & ita non potest scire: ergo tenetur ad impossibile.

Hieron. ¶ CONTRA. Dicit Hieron. *Maledictus homo, qui dicit Deum præcepisse impossibile.* Ergo iste non tenetur ad impossibile.

¶ Quæritur etiam de illo Sacerdote, in quo peccat? vt quia vult suscipere ordines, aut quia nescit Canones. Non quia vult suscipere ordines: quia velle suscipere ordines, in se bonum est: Nec in eo quod nescit: quia adhuc non tenetur scire: ergo in nullo peccat, cum non sint plura.

¶ AD quod respondendum: quod peccat in eo quod vult suscipere ordines; cum nesciat, nec addiscere possit.

¶ AD aliud dicendum, quod licet teneatur ad sciendum canones, ex hoc quod est Sacerdos, & non possit addiscere: non tenetur propter hoc ad impossibile: tenetur enim ex hoc non suscipere curam animarum, & non suscipere officium audiendi confessiones, & iniungendi pœnitentias: in quibus est periculosum iudicium.

Instantia. ¶ Sed adhuc videtur quod impotentia sciendi excuset illum per simile: qui enim cadit in paupertatem & impotentiam dandi, excusatur, si non dat pauperi in extrema necessitate. Eadem ergo ratione impotentia* audiendi excusat eum in hoc casu.

(* Alias, ad discendi.)

¶ AD quod dicendum, quod non est simile: ille enim non ingessit se in impotentiam dandi: sed iste ingessit se in impotentiam curam habendi per defectum scientiæ. Præterea, nemo potest se immittere in impotentiam dandi: quia & si non habet pecuniam, potest dare bonam voluntatem, quæ magis placet Deo: non sufficit autem isti Sacerdoti curam habenti bonam habere voluntatem de sciendo, vel de curando: sed oportet quod ipse sciat, & curet.

Casus. ¶ Item, quæritur de illo, cui apparet Satanas, transfigurans se in angelum lucis; & ipse credit quod ipse sit bonus angelus: & apponit omnem diligentiā, quam potuit, & ita adorat eum, vtrum quod ignorantia excuset eum? Videtur: eo quod apponit diligentiam, quam potuit.

¶ CONTRA adorat, quem non debet adorare: ergo peccat.

¶ RESPONDEO: non apponit omnem diligentiam, quam potest, & si apponeret, vel per se cognosceret, vel Deus ei reuelaret.

¶ Similiter quæritur de cæco, à quo vxor quærit debitum, & ipse dubitat, an sit vxor sua, vel aliena. Si ergo cognoscit, committit se discrimini: ergo peccat mortaliter. Si non cognoscit, exponit eam discrimini: ergo ei imputatur, si illa adulteretur. Casus.

¶ AD quod dicendum, quod si apponit diligentiam, quā debet; poterit per aliqua signa cognoscere ipsam esse suam vxorem, & ita aufertur dubitatio. Si vero per nulla signa poterit cognoscere, nec ei Deus reuelat: monenda est vxor ad hoc, vt contineat ad tempus, quousque possit ab eo auferri dubitatio: si noluerit, ipsa se committit discrimini; & non peccat vir, si ipsa cum alio coeat.

¶ Similiter quæritur de illo, qui dubitat de aliquo, vtrum sit simonia, vel non: eo quod quidam Iurisperiti dicunt esse simoniam, & quidam non: quid ergo faciendum est, cum ignorat? Casus.

¶ AD quod respondendum, quod abstinendum est ab huiusmodi contractu: ne committat se discrimini: melius enim est, vt incidat in damnum temporale, quam in damnum spirituale, id est, minus malum.

MEMBRVM IX.

An ebrietas, stoliditas, phrenesis, dormitio, ignorantia, & stupor æqualiter à peccato excusent?

NONO quæritur de comparatione ignorantiæ ad alias causas excusationis. Est enim vna ligatio rationis per ebrietatem: sicut fuit in Loth. Genes. 19. Alia ligatio per naturalem stoliditatem: Tertia per phrenesim, siue per infirmitatem periculosam huiusmodi. Est quarta ligatio, per dormitionem. Est quinta ligatio per ignorantiam, sicut dictum est. Est sexta per stuporē. Potest ergo quæri, vtrum æqualiter excusetur peccatum in omnibus istis: vel amplius excusetur per vnam ligationem, quam per aliam? Gen. 19.

¶ Quod autem non æqualiter, videtur per hoc quod dicitur in Lib. de lib. arb. Insanis, infantibus, domientibus, nihil quod faciunt, in bonum vel malum imputatur, quod nimirum sicut non sunt compotes suæ rationis, sic nec vsum tenent propriæ voluntatis, ac per hoc nec iudicium libertatis.

¶ De Loth vero dicit Ambros. *Huius culpam dicimus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meretur.* Ergo peccatum non est imputandum Loth, nisi quantum ad ebrietatem. Ambros.

¶ Sed dicit iterum, quod ebrietas est origo incestuosi cōcubitus pessimæ generatricis partis deterior. Ergo quo ad ebrietatem peccauit, & quo ad incestum.

¶ Item, dicit Philosophus de ebrioso, qui occidit, quod duplices maledictiones ei debentur. Ergo ligatio rationis, quæ prouenit ex ebrietate, nō ita excusat, sicut in prædictis. Ergo non omnis ligatio rationis æqualiter excusat: vel facit, vt non imputetur peccatum. Philosoph.

¶ Similiter potest quæri de perturbatione, quam habuit Loth, cum dixit: *Habeo duas filias, abutimini eis.* Et de illo, qui recepit Leuitam cum dixit: *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: & ducam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum obsecro vos, ne scelus hoc contra naturam operemini.* Cum enim perturbatio esset (sicut dicit August.) non erat ibi deliberatio rationis: vbi autem non est deliberatio rationis, nec esse potest, nec peccatur mortaliter. Ergo illa ligatio rationis, quæ fuit ex huiusmodi perturbatione, ipsum Loth excusabat in eo, quod secundum se erat mortale: vel si non erat ibi tanta ligatio rationis, quæ excusaret à mortali, non omnis ligatio æquè excusat, sed quædam plus, quædam minus. Gen. 19. Iudicū 18. August.

RESO-

RESOLVTIO.

Nequaquam, sed secundum magis & minus.

¶ Quod concedendum est, vnde in quibusdam est omnimoda ligatio secūdum omne tempus, & illa omnino excusat à peccato: sicut est in eo, qui à principio factus est extra mentē, & in motione. Quædam vero non est omnimoda ligatio, sed accidit secundū aliquod tempus; sicut in senibus ex debilitate naturæ, & illa pro tempore illo excusat. Quædam vero ex infirmitate accidit. Et hoc potest fieri multipliciter, quia quandoq; contingit, quod infirmitas impedit cellulam imaginatiuam: quandoq; memorialem: quandoque logisticam. Quando vero logistica impeditur, quandoq; sunt lucida interualla, quādoq; non. Cum ligatur ratio continuè ex infirmitate, non ex culpa præcedenti, omnino excusatur secundū illud tempus. Si vero lucida sunt interualla, potest sibi * præuidere, & ideo non omnino excusatur. Aliquando vero ligatur ratio ad horam, sicut in somno ex fatigatione naturæ, vel ex ebrietate, quæ accidit ex voluntate præambula, vel ex stupore, sc. ex insolita imaginatione, vel ex impręmeditatione, sicut ex perturbatione. Si primo modo, non imputatur ei: nisi quia potuit præuidere. Si secundo modo, imputatur ei, quia per culpam ingessit se in illam. Si vero tertio modo: aut talis fuit causa, quæ absorbuit vsum rationis; secundū hoc excusatur: aut talis fuit, quæ non debebat absorbere vsum rationis; & talis non omnino excusat. Si vero fuit ex perturbatione ad horam ligatio; quia non admittenda est flagitiorum compensatio; non omnino excusatur, etsi aliquantum habeat excusationis. Vnde Loth peccauit mortaliter, & si minus, quam si imperturbatus diceret.

* Alias. pro uidere.

QVÆSTIO CXIV.

De omissione.

In decem Membra diuisa.

D. Tho 1. 2 q 79. S. Bon. in 2. dist. 5. art. 1. q. 1. ad arg.

DEINDE quæritur de Omissione. Circa ipsam plures incidunt dubitationes. Primo ergo quæritur, vtrum omissio sit peccatū. Secundo, vtrum sit peccatum actuale. Tertio, vtrum sit peccatū, à transgressione separatum. Quarto, vtrum multiplicetur per species peccati. Quinto, vtrum teneatur aliquis ad impossibile. Sexto, de comparatione eius respectu aliorum mortalium quantum ad quantitatem peccati. Septimo, quando dicitur perpetrari omissio: hoc est, quo tempore. Octauo, de ordine ipsius omissionis ad commissionem. Nono, si quantumcunque sit homo perfectus, semper omittit. Decimo, de pœna, quæ debetur in futuro peccato omissionis.

MEMBRVM I.

An omissio peccatum sit?

August in lib de vera religione. cap. 14.

QVANTVM ad primum quæritur: Vtrum omissio sit peccatum. Et ostenditur, quod non: quoniam dicit August. *Peccatum ita est voluntarium, quod si non est voluntariū: non est peccatum.* Sed omissio non est malum voluntarium: ergo non est peccatum. Minor patet: illud dicitur malum voluntarium, super quod quiescit voluntas, sed voluntas non quiescit super aliquid in omissione, quoniam in peccato sunt duo, sc. auersio & conuersio: quoniam peccatum est, spreto incommutabili bono, bono mutabili adhærere, & voluntas in peccato non quiescit super auersionem, imo super conuersionem, siue super bonum commutabile, ad quod fit conuersio. Si ergo in omissione non fit huiusmodi conuersio: ergo non quiescit voluntas super aliquid in omissione: ergo omissio non est malum voluntarium, & ita nec peccatum.

¶ Si dicatur, quod peccatum omissionis est, quando aliquis non vult facere illud, ad quod tenetur, & sic super hāc negationem [*non velle facere, ad quod tenetur homo*] quiescit voluntas. In contrarium obijcitur: iste tenetur velle facere illud bonum, & non vult: constat quod hoc est ex defectu voluntatis: cum dico, non velle facere. Ergo hic non quiescit voluntas super aliquo, sed hic est omissio: ergo in omissione non quiescit voluntas super aliquo: quare non est peccatum.

¶ Tertia ratio: sicut patet ex prædicta diffinitione, peccatum est conuersio ad mutabile bonum: vnde penes hoc detur ratio peccati. Sed hæc conuersio non est in omissione: ergo non habet rationem peccati.

¶ Quarta ratio: duæ sunt partes iustitiæ, sc. declinare à malo, & facere bonum: *Declina à malo, & fac bonum.* Per has autem detur iustitia; ita quod non est perfecta iustitia sine his duabus, vnde nulli istarum conuenit per se ratio iustitiæ. Ergo similiter duæ sunt partes, per quas detur ratio iniustitiæ, siue peccati, scil. declinare à bono, & facere malum, & neutra habebit rationem peccati, vel iniustitiæ: declinare ergo à bono, per se non habebit rationem peccati. Sed declinare à bono, est omittere: ergo omissio non habet rationem peccati: imo solum est pars rationis peccati, siue conditio peccati, & non dicetur esse peccatum. Psal. 36.

¶ Quinta ratio: præceptum stricte sumptum, non est prohibitio stricte sumpta: licet idem sint, large accipiendo præceptum: prout sc. est de faciendo, & non faciendo. Sed sumamus stricte, vt sit præceptū de faciendis, prohibitio aūt de non faciendis: ex hoc ergo arguitur: Nullum præceptum est prohibitio, sed facere bonum pertinet ad præceptum, declinare à malo, pertinet ad prohibitionem (quia ad hoc est prohibitio: vt sc. homo declinet à malo) ergo facere bonum non est declinare à malo: ergo per oppositum, facere malum, non est declinare à malo. Sed declinare à bono, est omittere: ergo omittere non est facere malum, sed peccatū est in perpetratione mali: ergo omittere non est peccare.

¶ ITEM, dicit Augu. quod *peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Sed in omissione non substernitur aliquid istorum: imo est ipsorum remotio ab omissione: ergo omissio non est peccatum. August.

¶ AD oppositum habetur: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Sed hoc non est, nisi peccatum omissionis, quia est peccatum ex hoc, quod non facit bonum, quod scit, & hoc est omittere, scil. non facere: cum ergo peccet ex non faciendo, constat quod peccat omittendo: ergo omissio est peccatum. Iacobi 4.

¶ ITEM, Augustin. *Duabus ex causis peccamus: aut nondum videndo, quid facere debeamus: aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus.* Sed hoc est omittere: ergo omittere est peccatum. August. in Enchirid.

RESOLVTIO.

Cum omissio voluntarium quid sit, sub commutabili bono, sub dicto, facto, vel concepito contra Dei legem quodammodo comprehensum; non ab re peccatum dicetur.

¶ AD quod dicendum, quod omissio est peccatum.

¶ AD obiectum autem primo dicendum, quod voluntarium dicitur dupliciter in peccato actuali mortali. Vno modo propriè illud, cuius principium est in ipso volente; & trahitur voluntas ex determinato appetibili, in quo quiescit: & secundum hoc peccatū transgressionis, in quo fit conuersio ad mutabile bonum quietans appetitum, dicitur voluntarium: sic autem non dicitur peccatum omissionis per seipsum voluntarium. Alio vero modo dicitur voluntarium cōmuniter, cuius principium est in ipso: quia vero in ipso est velle & nō velle, facere & non facere: peccatum autem omissionis est in non velle, vel non facere, quod tenetur; peccatum omissionis hoc modo dicitur voluntarium.

¶ AD secundum dicendum est, quod vno modo dicitur volitum propriè, quod consistit in positione, & sic nō dicitur omissio voluntarium. Alio vero modo dicitur volitum, quod consistit in negatione, vt dicitur velle non facere, prout dicitur in Gloss. ad Roman. 7. *quod operor, & non operor sunt partes eius, quod est operor:* & sic dicitur omittere, velle non facere. Gloss. ordin. super Rom. 7.

¶ AD

tis multiplicatur, quot modis transgressio. Potest n. transgressio esse secundum superfluum & diminutum: omissio vero non habet huiusmodi differentias, sed cum boni, quod est virtus, sint differentiæ secundum actus in specie differentes, omissio secundũ illa materialiter diuersificabitur.

MEMBRVM V.

An quis ad impossibile teneatur: ita vt si non efficiat, omittere dicatur?

QVINTO quæritur: Vtrum aliquis teneatur ad impossibile: & ex hoc omittat, cũ ad illud teneatur? Quod videtur: aliqua n. vouit virginitatem: ex voto ergo continere tenetur. Sit ergo quod fornicetur, vel quod contrahat matrimonialiter: constat quod prius tenebatur ad virginitatẽ, & per culpam non absoluitur à tentione (sic n. de peccato reportaret lucrum) ergo adhuc tenetur, sed est impossibile: ergo tenetur ad impossibile.

¶ Item, iste tenetur reprimere motũ libidinis: ergo aut antequã sit mortalis, vel postquam sit mortalis. Sed non videtur quod ante: quia ante venialis est: non tenetur aũt declinare à veniali: non n. veniale est in prohibitione. Si vero tenetur reprimere, cum est mortalis, vel post: hoc est impossibile; quia cum est mortalis, non põt non esse mortalis, & post necesse est fuisse: ergo tenetur ad impossibile.

¶ Item, iste tenetur nunquã fornicari; quia prohibitiones obligant ad semper: ergo tenetur non fornicari in A. Posito ergo quod fornicetur in A. ipsum non fornicari in A est impossibile, & ad hoc tenetur: ergo tenetur ad impossibile.

¶ CONTRA. Omne illud, ad quod tenemur, est sub præcepto, vel ex prohibitione. Sed quod est sub præcepto vel prohibitione, est voluntariũ: quicquid aũt est voluntarium, subest lib. arb. ergo à primo, omne illud, ad quod tenemur, subest libero arb. sed nullum impossibile subest libero arb. ergo ad nullum impossibile tenemur.

¶ Idem, omnis tentio est respectu futuri: impossibile vero per accidens pro tempore, quo est impossibile, non est futurum: impossibile autem per se pro nullo tempore futurum est.

¶ ITEM, quod homo nõ teneatur ad veniale euitandum, facit infirmitas. (Adam n. ante infirmitatem tenebatur ad euitandum motus illos in genere, qui modo sunt veniales) infirmitas ergo, quamuis homo ingesserit in eam ex culpa, facit quod non tenemur ad illos motus euitandos vniuersaliter: ergo multo fortius impossibilitas soluit nos à tentione: quamuis ex culpa nostra in eam incidamus.

Quæst. lateralis. ¶ HVIVS gratia quæritur, quid sit tentio; & ex quib. causis hõ teneatur: deinde quæ soluunt tẽtionẽ? Põt ergo dici: quod tentio aliquãdo est ratione præcepti, vel prohibitionis. aliquãdo ratione proprij consensus, sicut in contractibus, votis, iuramẽtis, & promissis: aliquando ratione peccatorũ, sicut homo tenetur ad pœnam. Tentio ergo sic potest describi: ex vi alieni præcepti, vel prohibitionis, vel proprij assensus, vel culpæ ad agendum, vel ad non agendum, vel ad vtrumque, vel ad patiendum obligatio: Ad agendum ratione præceptorum, ad non agendum ratione prohibitionum, ad vtrumque ratione proprij consensus; ad patiendum ratione culpæ.

¶ Habito ergo, quid sit tentio, & ex quibus causis: sequitur de his, quæ soluunt tentionem. Hæc autem dicuntur esse tria: impossibilitas, dispensatio, & pœnitentia. Potest ergo primo quæri de ratione istius numeri: & videntur sic differre: vt pœnitentia soluat tentionem ex parte eius, qui tenetur, & sic generaliter posset dici solutio debiti: dispensatio vero ex parte illius, cui fit obligatio, vel à quo est obligatio: impossibilitas vero ex parte rei, ad quam obligatur.

Quæst. lateralis. ¶ Sed potest quæri, si impossibilitas soluat hominem à tentione. Quod non, videtur: tentio enim est ratione præcepti, aut prohibitionis, siue proprij consensus, sed impossibilitas non aufert has causas: ergo nec effectum cuius sunt hæ causæ sufficiẽtes, sed tentio est effectus sufficiens, ab istis causis procedens: ergo non soluitur per impossibilitatem.

¶ Item, dicit Hieron. *Anathema sit, qui dicit Deum præcepisse impossibile* (& accipitur ibi præcepisse communiter) ergo Deus non prohibuit aliquid, quod non possit fieri. Non ergo circa idem sunt tentio, & impossibilitas: aut ergo nunquam tenebatur: aut si tenebatur, non tenebatur nisi ad possibile fieri. Hieron.

¶ Item, aut incidit in impossibilitatem illam ex culpa, aut non ex culpa. Si ex culpa, sicut Sacerdos, qui ignorans officium suum, & tenetur quotidie dicere, & ludens ad talos, amittit librum suum, ex culpa non debet deportare commodum: ergo non soluitur per impossibilitatem à tentione. Si vero non ex culpa, nec sic soluitur per impossibilitatem: sicut accidit in Sacerdote infirmo, qui non potest celebrare, & tenetur ex officio vel promisso celebrare: non n. tenebatur, nisi debitis conditionibus existentibus in persona: debita autem conditio est, quod sit sanus, vel ad minus potens celebrare; & quod habeat ea, quæ necessaria sunt ad officium.

¶ Similiter de dispensatione potest quæri. Potest n. quæri: si aliquis potest dispensare contra præceptum naturæ. Similiter quæritur, si quis potest dispensare contra præceptum Summi Pontificis. Verbi gratia, Episcopus cõtra præceptum Archiepiscopi; cum par videtur esse dignitas: nulla autem sit maior, quam sit potificalis.

RESOLVTIO.

Nullus ad impossibile tenetur: sed si ex sua culpa in illud incidit, tenetur ad culpæ & damni satisfactionem.

¶ AD quod dicendum, quod nullus tenetur ad impossibile: sed ex impossibilitate, si in eam incidit ex sua culpa; tenetur ad aliud * propter illud, ad quod prius tenebatur: vt ad satisfactionem de culpa, & de damno. * Alias, præter.

¶ AD obiectum autem primo. Dicendum, quod illa, quæ tenetur ex voto ad virginitatem, aut fornicatur, aut contrahit matrimonialiter. Si fornicatur, tenebitur adhuc, & in posterum ad continentiam, & tenebitur ad satisfactionem de culpa. Si vero contrahit matrimonialiter; tenetur ad agere pœnitentiam de voti transgressione, & tenetur non petere debitum, licet teneatur reddere: hoc enim suæ potestatis est: illud vero alieni iuris.

¶ AD secundum vero dicendum, quod cum dicitur, tenetur reprimere motum libidinis; sensus est: tenetur non consentire, vel simpliciter, vel per dominationẽ motui libidinis mortali. Cum ergo quæritur, vtrum teneatur reprimere, antequam sit mortalis, vel cum est? Dicendum est: quod hæc determinatio *ante* vel *cum* potest referri ad hoc verbum *tenetur*, vel ad hoc verbum *reprimere*. Si ad hoc verbum *tenetur* verum est, quòd ante tenetur, quã sit mortalis. Si vero determinat hoc verbum *reprimere* non tenetur reprimere ante; quia non tenetur non consentire ante, nisi quia non consentire, mortale est secũdum omne tempus, sed si esset determinatum secundum certum tempus; non teneretur reprimere ante. Vel potest dici, quod tenetur reprimere ante. Ad quod obijcitur, quod ante est veniale, &c. Dicendum, quod non tenetur reprimere inquantum veniale, sed quia fieret mortale, nisi reprimeretur.

¶ AD tertium vero dicendum, quod cum fornicatur aliquis, vtpote in A, non tunc tenetur ad non fornicandũ in A, sed ad non fornicandum in posterum, sed quia fornicatus est in A, tenetur ad satisfactionem, & ita ad duo tenetur in posterum.

¶ AD illud vero, quod postea quæritur: vtrum aliquis per impossibilitatẽ soluatur à tentione? Dicendum, quod nõ propriè dicitur illud: sed per hoc datur intelligi, quod non est tentio, nisi eius, quod possibile est fieri, & eius qui potest pro tempore, pro quo potest. Vnde cum ex euentu fit aliquid impossibile, non pro illo tempore tenetur; sed ad aliud tenetur, quod possibile est, si manet ex parte ipsius possibilitas: si vero non manet ex parte eius possibilitas, (sicut est in eo, qui incidit in furiã perpetuam) tunc soluitur à tentione; nisi in eam incideret ex culpa sua: & tunc se-

cundum quosdam teneretur ad pœnam ex impossibilitate, in quam incidit ex culpa: secundum alios vero simpliciter absoluitur pro illo tempore.

¶ Per hoc potest esse manifestum illud, quod obijcitur: nam tentio non est nisi eius, qui possibilitatem habet pro tempore, pro quo habet, & ita intelligitur quod dicit B. Hieron. Si n. non posset homo implere aliquo modo faciendo, vel non faciendo; non præciperetur à Deo, vel prohiberetur.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod aliud est de impossibilitate ex parte rei, ad quam obligatur ex euentu temporis: & aliud ex parte personæ. Nam illa, quæ est ex parte ipsius rei ex tempore, non absoluit hominem, manente apud ipsum possibilitate, sed tenebitur ad illud, vel ad aliud ex defectu solutionis illius. Sed si aufertur possibilitas ex parte personæ: tunc absoluitur à tentione, qua prius tenebatur.

¶ Ad illud, quod quæritur de dispensatione. Respondendum est in parte illa, vbi agetur de iure naturali & positiuo: ibi enim de dispensationibus, quæ sunt relaxationes iuris communis, est agendum.

MEMBRVM VI.

An omissio maius peccatum sit, quam commissio?

Sexta quæstio est de cõparatione omissionis ad commissionem quantum ad quantitatem peccati. Quod autem omissio sit magis peccatum quam commissio, sic ostenditur; super illud: *Declina à malo, & fac bonum*; dicit Gloss. *Duo bona sunt, diuerte à malo, & fac bonum; illud vitat culpam, sc. declinare à malo; hoc meretur palmam, scil facere bonum.* Maius autem est illud bonum, quod meretur palmam, quam illud quod vitat culpam; ergo ex parte iustitiæ maius bonum, est facere bonum, quam declinare à malo: ergo oppositum eius, quod est facere bonum, sc. malum facere; est maius malum ex parte iniustitiæ; quam oppositum eius, quod est declinare à malo, sc. declinare à bono: & sic maius malum est, facere malum, quam declinare à bono. Ergo cum penes declinare à bono, sumatur peccatum omissionis, & penes facere malum, peccatum commissionis, relinquitur quod maius est peccatum commissio, quam omissio.

Ps. l. 36. Glossa.

¶ Ad oppositum: maius bonum est obseruare præcepta, quam prohibita: quia non propter obseruationem prohibitorum habebit homo gloriã, sed vitabit pœnam: propter obseruationem vero præceptorum habebit gloriam, sicut dicit Gloss. prædicta. Sed omissio est contra obseruationem præceptorum, commissio est contra obseruationem prohibitorum: ergo cum maius malum, & maius bonum opponantur, maius peccatum erit omissio, quam commissio.

RESOLVTIO.

Alia atque alia ratione, vt excedentia & excessa se habent.

¶ Respon. quod peccatum omissionis & commissionis in diuersis quantum ad quantitatem peccati se habent vt excedentia & excessa: quia aliquando est maius peccatum omissio, quam commissio: aliquãdo econuerso. Si vero fiat comparatio vnius ad alterũ in genere, maius malum est commissio, quam omissio. Nam arbor, quæ fructum malum facit, plus nocet; quam illa, quæ nullum fructum facit: commissio autem est sicut arbor, quæ fructum malum facit: omissio autem est sicut arbor, quæ nõ facit fructum bonum: vtraq; autem excidetur, & in ignem mittetur. Nihilominus tamen ad differentiam paruulorum non baptizatorum, qui non faciunt fructum bonum, quia nullum faciunt; dicuntur omittentes facere fructum malum: nam non facere, cum debet, & possit; est fructus malus, sed non sic, sicut facere malum directe; ad cuius contrarium tenetur.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod tenet consequentia in contrario, non consequentia in ipso. * Nam si facere malum opponitur ei quod est, facere bonum, & declinare à bono, ei quod est declinare à malo: declinare autẽ à malo, sit minus bonum, quam facere bonum, nõ propter hoc facere malum, est minus malum, quam declinare à bono, sed econuerso.

* Alias Nã si facere ma lũ opponitur ei, quod est declinare a malo: declinare vero à bono opponatur ei, quod est, facere bonũ, declinare autem à malo, &c.

MEMBRVM VII.

Quando omissio perpetretur?

Septimo quæritur: quando dicitur omissio perpetrari, id est, quo tempore. Et ponatur exemplum de aliquo, qui dormit, & tenetur surgere ad matutinas, & non surgit. Quæritur ergo, quando iste omittit? Quia non debet dici omittere, quando non surgit: quia tunc dormit, sed nullum peccatum fit à dormiente: ergo tunc non omittit. Nec omittit, quando se ordinauit dormitioni, quia potest adhuc contingere, quod euigilet hora debita, & surgat. Nec post dormitionem omittit: quando, scilicet euigilabat: tunc enim dictæ sunt Matutinæ, ergo nullo tempore.

RESOLVTIO.

Quando actui debito actus illicitus & incompossibilis committitur.

¶ Ad quod respondendum, quod tunc dicitur omissio perpetrari, quando aliquis applicat se ad actum illicitum incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur; vt si iste tenetur ire ad Matutinas, & inebriet se; vel sit in colloquio infructuoso, & ita de alijs, propter quod non surgat ad Matutinas, tunc omittit. Si vero applicat se alicui actui bono, ad quem tenetur; ex illo fessus dormiat, & non surgat; non omittit. Si vero fuerit actus indifferens, tamen quia impeditiuus est eius, ad quod tenetur; & sic omittit. Sed posito, quod teneatur surgere, & non surgat; nec hoc est ex aliqua causa præcedenti, quæ in ipso sit, sed tantum quia ligata est vis sensibilis: nunquid omittit dormiendo? Dicendum est, quod non: subintelligendũ est enim, quod tenetur surgere, cum audierit signum surgendi, sed si non surrexerit ex causa, quæ fuerit in ipso, tunc omittit, cum causam perpetrat.

MEMBRVM VIII.

Quæ prior, commissio, an omissio?

Octavo quæritur de ordine omissionis ad commissionem. Ad quod sic: dicitur in Psal. super illud. *Incensa igni, & suffossa*: quod duplex est radix peccati: amor male incendens, & timor male humilians: timor vero ad amorem reducitur, sicut dicit August. Si ergo omissio est ex timore male humiliante, commissio ex amore male incendente: quemadmodum timor radicatur in amore, siue sit bonus, siue malus: omissio radicabitur in cõmissione. Psal. 79. August. in lib. de libero arbitrio.

¶ Ad oppositum: sicut dicit Philosophus, *tria sunt in operationibus virtutũ, sc. scire, velle, & firmiter operari*: vnde prius est scire, & postea velle, & post est operari. Ergo hunc ordinẽ habent peccata, quæ sunt circa istos actus. Sed ignorantia est contra primum actum, cum scil. tenetur aliquis scire aliquid, & non scit illud: omissio autem est contra secundum actum; quãdo sc. tenetur aliquis velle aliquid, & non vult illud: sed commissio contra ipsum operari est; quando sc. aliquis facit aliquid, quod tenetur non facere. Ergo ignorantia est contra priorem actum, quam omissio, & omissio circa priorem, quam commissio: ergo prior est omissio, quam commissio. Philosoph.

RESOLVTIO.

Omissio.

¶ Responsio. Dicendum est, quod omissio in ordine peccatorum (sicut contingit ordinem dicere) prior est, quam commissio.

¶ Ad obiectum in contrarium dicendum, quod radix omissionis non semper est timor, sed amor & libido. Sicut n. ex amore male accẽdente aliquis facit malum, quod tenetur non facere: ita aliquis non facit bonum, quod tenetur facere. Vnde penes illas duas radices non distinguuntur essentialiter, omissum, & commissum.

MEMBRVM IX.

An quis quantumlibet perfectus, semper omittat?

Orig. super Exod.

NONO quæritur, vtrum quantumlibet perfectus semper omittat. Dicit enim Orig. *Quantum quis potest, tantum debet.* Sed nullus potest tantum facere, quantum debet: ergo semper omittit: quia tenetur tãtum facere, quantum debet, & non facit.

Rom. 13. Glossa.

¶ ITEM, super illud. *Plenitudo legis est dilectio.* Glo. *Charitas quanto magis soluitur, tanto magis debetur.* Ergo quanto quis magis diligit: tanto magis diligere tenetur: minus ergo diligit semper, quam debeat: ergo semper omittit.

Lucæ 17.

¶ ITEM. *Cum omnia bene feceritis: dicite, quoniam serui inutiles estis.* Sed seruus inutilis non adimplet, quod tenetur: ergo cum omnia benefeceritis, nondum quantum tenemini adimpleuistis: ergo omisistis.

RESOLVTIO.

Cum omißio non respiciat debitum ex accepto, sed ex præcepto; siue non circunstantiam, sed genus actionis, secundum quod in præcepto est: si perfectus præcepta adimpleuerit, tametsi quamplura alia perfectionis supersint; non ob id omittere dicendus erit.

¶ AD primum dicendum: quod cum dicitur: quantum quis potest boni, tantum debet. Intelligendum est, quod duplex est debitum, ratione accepti, & ratione præcepti. Ratione accepti est hoc verum, quod dicitur, Quantum quis potest boni, tantum debet: hoc est, ex quanto posse, vel ratione quantæ potentiæ. Si vero ratione præcepti: secundum hoc non est verum: quantum quis boni potest, tantum debet: vel quod boni quis potest, hoc debet. Cum autem subditur: nullus potest tantum facere, quantum debet; ergo omittit. Intelligendum est, quod omissio non respicit debitum ex accepto, sed ex præcepto: potest autem vnusquisque facere quod debet ex præcepto: & ita non omittit: omissio etiam (sicut dictum est) non respicit circunstantiam, sed genus actionis, secundum quod est in præcepto.

¶ AD secundum vero dicendum: quod illa ratio non concludit, quod homo omittat: sed quod homo imperfectus est in diligendo, dum est in via: non enim potest diligere omnino ex toto corde, & tota anima, & ex tota mente: & ideo dicit August. *Cur non præciperetur homini ista perfectio: quamuis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est, nesciatur, quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? sic ergo curramus, vt comprehendamus.* Et præmittitur. *Cum adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ est, quod vel continendo frenetur non omnimode ex tota anima diligitur Deus.* Et ideo non sequitur, quod omittat, sed minus diligit, quam debeat: sed si non diligeret.

Aug. in lib. de Perfect. iustitiæ.

¶ AD tertium vero dicendum: quod reputatio serui inutilis non est, quia nõ facit, quod tenetur facere; vel quantum: sed dicitur seruus inutilis, quia non venit ad perfectũ. Alio vero modo dicitur seruus inutilis, qui non facit, quod facere tenetur: & sic non accipitur ibi. Quod patet per hoc, quod additur *quod debuimus facere, fecimus*, quasi dicat in præceptis non defecimus: sed perfectionem consiliorum non adimpleuimus.

MEMBRVM X.

An peccato omißionis debeatur in futuro seculo pœna damni tantum, vel etiam pœna sensus?

DECIMO quæritur de pœna, quæ debetur in futuro peccato omissionis. Et quæritur, vtrum debeatur ei pœna sensus: vel solum pœna carentiæ visionis Dei. Ad quod sic: ille, qui omittit, non facit aliquod malum, quia nihil facit, (dicitur enim omittere, quia deficit à bono) sed pro malo opere debetur pœna sensus: ergo peccato omissionis non debetur pœna sensus: sed pœna carentiæ.

¶ ITEM, pœna debet proportionari culpæ: ergo si culpa omissionis dicitur penes defectum & carentiam boni operis; (quia ille dicitur omittere, qui caret bono opere) ergo ei debet respondere pœna proportionalis: quæ scilicet est carentia boni, scilicet visionis Dei: quia secundum proportionem rectam, qui tenetur facere bonum; & non facit; tenetur carere bono, & non affligi malo.

¶ AD oppositum: Pœna carentiæ est pœna originalis peccati: omissio autem est actuale peccatum: & differentia est inter pœnitentiam peccati actualis; & peccati originalis: quia originali debetur carentia, actuali peccato actualis pœna: sed hæc est pœna sensus: ergo omissioni debetur pœna sensus.

RESOLVTIO.

Cum peccatum omißionis peccatum operis, siue actus sit: vtraque pœna ei debetur.

¶ SOLVTIO. Dicendum est: quod peccato commissionis & omissionis debetur pœna sensus: & non solum pœna damni, siue carentia visionis Dei. Et hoc patet ex illo verbo Domini. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Ecce quod tangitur hic pœna sensus, quæ est pœna gehennæ, arbori non facienti fructum bonum: non facere autem fructum bonum, istud est commune omissioni, & commissioni: quia non facere fructum bonum est dupliciter: vel non facere fructum bonum solum, vt ibi quiescat voluntas: vel non facere fructum bonum, quia facit contrarium, scilicet fructum malum: Primo ergo modo conuenit omissioni, non facere fructum bonum: secundo modo commissioni. Ergo ex hoc verbo patet, quod vtrique, scilicet omissioni, & commissioni debetur pœna afflictionis gehennæ, quæ est pœna sensus. Similiter istud patet ex alia ratione: quoniam impassibilitas, prout est dos, redditur facienti bonum fructum finaliter: facere autem bonum fructum habet duo opposita, scilicet non facere fructum bonum, cum teneatur, & hoc est omissionis: & facere fructum malum, & hoc est commissionis: ergo vtrique scilic. omissioni & commissioni debetur passibilitas gehennæ: & ita pœna sensus.

Matth. 7.

¶ ET si obiiciatur, vt prius: quod ille, qui omittit, non facit aliquod malum. Dicendum, quod falsum est: secundum quod superius diffinitum est facere malum, vel pro non facere * bonum, vel pro facere malum contrarium bono: ita diffinitur operari malum superius. Ipse autem omittens, licet non faciat malum contrarium bono: tamen operatur malum, quia non facit bonum: & sic peccatum omissionis perpetratur in opere: & per relationem ad opus determinatur vtrunque: sed vnum cessando à bono opere; aliud perpetrando opus malum, secundum Gloss. prædictam.

Obiectio.

* Alias, bonum, cui tenetur.

¶ AD secundum vero dicendum; quod omittens peccat actu: & ideo punitur pœna sensus; siue sensibili: verbi gratia: si aliquis paruulus decederet, nondum baptizatus; ipse solum puniretur pœna damni, siue carentiæ; & non pœna sensus; quia non habuit vsum voluntatis, nec actum; vnde non peccauit actu. Sed si decederet adultus; quia haberet vsum & actum voluntatis, si non baptizaretur, puniretur pœna sensus; quia habet vsum arbitrij, & in voluntate sua fuit, quod non baptizabatur; vnde actu voluntatis peccauit ibi. Similiter dicimus in omissione, quod est respectu actus voluntatis interioris, qui quiescit super ipsum, non facere; vnde dicit omittens, volo non facere, vel non volo facere; velle autem & non velle, sunt actus ipsius voluntatis. Ideo dicimus, quod peccatum ipsius omissionis in actu perpetratur, & determinatur; hoc est, in actu voluntatis interiori; & non solum in ipso defectu, vel carentia boni: quia ipse vtitur actu suæ voluntatis, siue arbitrij.

QVÆSTIO CXV:

De Negligentia.

In nouem Membra diuisa.

QVÆSTIO est de negligentia. Et primo quæritur, vtrũ negligentia sit peccatum. Secundo, vtrum semper sit veniale, vel semper mortale, vel aliquando, hoc aliquando illud. Tertio, de differentia eius ad alia peccata, cum quibus vide-

D. Tho. 1. 2. quæst. 14.

bus videtur habere conuenientiam. Quarto, vtrum sit de generalibus, vel capitalibus, primis peccatis; vel ad aliquod reducitur. Quinto, de radice & causa negligentiæ, quam assignat Gregor. Ierem. 48. Sexto, circa quos actus siue opera dicatur esse negligentia; vtrum sit æqualiter circa omnes. Septimo, cum negligentia specialiter dicta, sit circunstantias actuum, vtrum sit æqualiter circa omnes. Octauo, vtrum peccator semper negligat. Nono, quid est illud, quod est principaliter oppositum negligentiæ.

MEMBRVM I.

An negligentia peccatum sit?

AD PRIMVM sic; diligentia & negligentia sunt opposita; quoniam aliquis dicitur diligens in bono opere, quando est ei curæ; quando, & quomodo, & vbi faciat opus suum; per oppositum huius dicitur negligentia. Sed diligentia non est virtus, immo dispositio concomitans virtutem, circumiens omnes virtutes; ergo similiter negligentia non erit peccatum: immo erit dispositio, quę est comes peccati; ergo non est peccatum; sed circunstantia peccati, siue dispositio concomitans peccatum.

Philos. ¶ ITEM, Phil. dicit; quod proæresis idem est quod eligẽtia, sed eligentia recta opponitur negligentię; quoniam negligere est non eligere; vnde est priuatio ipsius eligentiæ. Sed secundum Philosophum, eligentia non est virtus, sed principium virtutis cõsuetudinalis, siue moralis; ergo per oppositum ipsa negligentia, quæ est priuatio, non est peccatum, sed comes peccati; sicut nec eligentia virtus, sed comes virtutis.

Ierem. 48. ¶ AD oppositum. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Sed maledictio non datur nisi ratione peccati secundum interpretationem scripturæ: & constat quod non datur hæc maledictio ratione operis Dei: quoniam facere opus Dei, non est peccatum: ergo datur hæc maledictio ratione eius, quod est facere negligenter: ergo negligentia est peccatum.

Hierony. ¶ ITEM Hieronym. *Qui claudam, & quasi sorde maculatam offert hostiam, reus est sacrilegij: quanto magis qui partem sui corporis & illibatæ animæ puritatem amplexibus Regis parat, si negligens fuerit, punietur?* Non autem punitur nisi peccatum: ergo si punitur, quia negligens fuerit: patet quod negligentia est peccatum.

RESOLVTIO.

Quandoque peccatum, quandoque comes, dispositio, vel pœna peccati est negligentia.

¶ AD primum dicendum: quod diligentia aliquando nominat dispositionem concomitantem virtutes generaliter: aliquando autem nominat virtutem; vt cum dicitur.

Prouer. 12. *Mulier diligens corona est viro*: nam diligentia quandam dicit, & importat solicitudinem. Sed potest dicere solicitudinem ex parte ipsius rationis vel intellectus, vel ex parte voluntatis: sicut cum dicimus: homo diligit esse sollicitus circa bonum. Secundum quod dicit solicitudinem ex parte voluntatis ad bonum: sic diligentia est virtus: & hoc modo negligentia ei opposita est ex parte volũtatis: similiter prout diligit anima non esse solicita ad bonum, & hæc negligentia est peccatum. Si autem dicat diligentia sollicitudinem ex parte rationis, vel intellectus: hoc modo non est virtus, sed comes virtutis; vnde hoc modo disparatur siue separatur à virtute; sicut scientia disparatur à virtute: & hoc modo similiter negligentia ei opposita non est peccatum: immo comes, vel dispositio peccati. Vnde, sicut dicimus, quod ignorantia, prout est in ratione, non est peccatum, immo pœna peccati: prout autem est in voluntate, sic est

Rom. 2. Glossa. peccatum scilicet prout dicimus de aliquo, quod ipse vult ignorare; quia hoc modo ipsa est peccatum. (Vnde super illud, *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam adducit:* dicit Glo. *Grauissime peccas, quia ignoras te contemnere.*) Sic dicendum est de negligentia; quod negligentia prout est in ratione vel intellectu, non est peccatum; immo magis comes, siue dispositio quædam, vel pœna ex peccato. Sed secundum quod est in voluntate, peccatum est; hoc est, secundũ q̃ est defectus illius solicitudinis vel attentionis in voluntate, quam nominat diligentia virtus. Secundum quod est defectus solicitudinis illius in ratione, non.

¶ AD secundam rationem, qua obiicitur de eligentia. Similiter dicendum est: quod eligentia prout est rationis; sic non est virtus, sed comes virtutis: sic negligentia opposita eligentiæ, comes est peccati. Vel potest dici eligentia ipsa voluntas eligendi bonum, & repellendi malum: & hæc est in voluntate; & hæc est virtus: & per oppositum negligentia ipsi opposita dicitur esse peccatum; & hæc negligentia dicitur esse voluntas eligendi malum, & repellendi bonum: hoc enim est peccatum: & hoc est negligentia. Vnde patet, quod negligentia secundum quod est opposita eligentiæ virtuti: dicitur esse peccatum.

MEMBRVM II.

Quale peccatum negligentia sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum negligentia sit semper veniale, vel semper mortale, vel aliquando veniale, aliquando mortale, vel neutrum. Et ostenditur, quod negligentia sit semper mortale peccatum: dicitur. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Sed maledictio in scriptura non attribuitur, nisi mortali: ergo negligentia est mortale peccatum. Ierem. 48.

¶ ITEM, ex autoritate præcedenti super illud. *Maledictus homo, qui habet in grege, &c.* dicit Hieronym. *Qui claudam & quasi maculatam sorde, &c.* Ex qua autoritate habetur, quod negligentia punitur: sed puniri vbi simpliciter sumitur, dicitur pro peccato mortali; ergo negligentia est peccatum mortale. Malach. 1. Hierony.

¶ ITEM, hoc videtur ex eadem autoritate: quia comparat Hieronymus, in illa autoritate ipsam negligentiam sacrilegio: & ita si sacrilegium est peccatum mortale: & negligentia. Idem.

¶ ITEM, ratio. *Mulier diligens corona est viro*: hoc est dictum, quod ei debetur corona propter diligentiam. Sed diligentia & negligentia opponuntur: ergo si coronam meretur diligentia: relinquitur per oppositum, quod negligentia ipsum supplicium meretur; cum sit contrarium eius: sed omne tale est mortale peccatum: ergo negligentia est mortale peccatum. Prouer. 12.

¶ ITEM. *Qui negligit vitam suam, mortificabitur.* Et loquitur de mortificatione, quæ est in gehenna: sed hæc non debetur nisi peccato mortali: & hæc debetur propter negligentiam: ergo negligentia est peccatum mortale. Prouer. 19.

¶ AD oppositum ostenditur, quod sit peccatum veniale, & non mortale semper: quoniam quædam est negligentia in sermonibus: sed hæc non est peccatum mortale, sed veniale: ergo negligentia quædam est peccatum veniale: non ergo semper peccatum mortale. Quod autem illa negligentia sit peccatum veniale, patet per August. accipientis illud verbum Iacob. 3. *Linguam hominum nullus domare potest: & dicit: Non hoc ideo dicit Apostolus Iacob, vt huiusmodi in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur: sed vt ad domandum linguam diuina gratia poscamus auxilium: vt quod nos nostris viribus non valemus, adiutorio Dei suppleamus.* Ex hac autoritate patet: quod negligentia in sermone quotidiano seruanda, sit supra vires nostras, ad hoc vt ipsam vitemus. Sed nullum peccatum mortale est supra vires nostras, vt ipsum vitare possimus: immo anima haber posse contra mortalia, vt ipsa caueat: licet non contra venialia; hoc est, quin surgat aliquid veniale: ergo negligentia, quæ est in sermone quotidiano custodiendo, non est peccatum mortale; immo veniale: cum ipsam non possimus vitare: sicut nec lapsum linguæ in sermonibus. Aug. in lib. de natura & gratia. super Ia. c. 3.

¶ ITEM, *De negligentia purga te cum paucis*: & dicit Gloss. *Quamuis oblatio parua sit, in mente humili, & pura dilectione facta multorum delictorum purgat negligentias: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Si ergo pauca oblatione purgatur negligentia: ergo ipsa non est peccatum mortale, sed solum veniale. Eccl. 7. Glossa.

¶ ITEM, statuta fuerunt sacrificia in lege pro peccatis mortalibus in genere: & hæc erat quasi confessio in opere: sicut Leuit. 4. 5. & 6. Sed nullum fuit statutum sacrificium pro negligentia: relinquitur ergo quod ipsa non reputatur inter peccata mortalia. Leuit. 4. & seq.

¶ SED videtur, quod aliquando sit mortale, aliquando veniale: quoniam (sicut dictum est) omissio aliquando est actus debiti, qui est in præcepto: aliquando est actus expedientis, qui non est in præcepto: & primo modo est peccatum mortale, secundo modo veniale. Sed sicut circa actum contingit esse hanc duplicem differentiam, scilicet debitum, & expediens: ita & circa circunstantiam, vt sit aliqua circunstantia debita, aliqua expediens: & ita cum sit negligentia ipsius circunstantiæ; potest esse negligentia ipsius circunstantiæ debitæ, vel expedientis: & si est circunstantiæ debitæ, erit mortale peccatũ: si expedientis veniale: sicut est in omissione respectu actus. Ergo negligentia aliqñ est peccatum mortale, & aliquando veniale.

¶ AD oppositum videtur: quod non semper sit mortale peccatum, vel veniale, sed solum indifferens aliquando. Quoniam aliquis potest se circa actum negligentem indifferenter habere: & sicut actus ille indifferens est, ita & circunstantia eius erit indifferens: cum circunstantia sequatur actum: sicut patet in hoc actu *manducare*. Ergo negligentia circa huiusmodi circunstantia est indifferens, & non veniale, vel mortale: & ita aliquando se habet per indifferentiam ad veniale & mortale.

RESOLVTIO.

Negligentia interdum mortale, interdum veniale peccatum est.

¶ SOLVTIO. Dicendum est: quod negligentia aliquando est mortale peccatum: aliquando veniale: Mortalis est negligentia, quando scilicet est circa circunstantiam debitam, quæ est in præcepto: sicut est, quod aliquis tenetur dare eleemosynam indigenti, & quando necesse est: dare eleemosynam est quidam actus: circunstantiæ autem determinantur per hoc quod est *indigenti* & per hoc quod est *in tempore necessitatis* siue *quando est necesse*. Hæ circunstantiæ debitæ sunt, & in præcepto: negligentia ergo circa ipsas debet dici mortalis. Similiter dicit Apost. *Omnia vestra in charitate fiant:* Hæc est circunstantia præceptorum affirmatiuorum: hæc circunstantia est in præcepto: negligentia ergo circa huiusmodi circunstantiam dicetur esse peccatum mortale. 1. Cor. vlt.

¶ ITEM aliquando est negligentia venialis: sicut quando est circa talem actum, vbi de natura actus non sequitur peccatum mortale: sicut quando est circa loqui, qui actus ponitur in lubrico linguæ. Vnde quia difficile est cauere ab huiusmodi lubrico linguæ, secundum quod habetur. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, &c.* cum hoc dicatur propter difficultatem cauendi: ideo dicimus, quod est veniale peccatum circa ipsum actum locutionis, prout est in lubrico linguę: nam ex hoc quod difficile est ad cauendum huiusmodi linguæ lubricum, habet rationem venialis peccati: quod difficile est cauere. Verumtamen respiciendo ad ipsam materiam, non ad genus actus; contingit bene quod negligentia circa locutionem sit peccatum mortale: sicut si aliqui indigerent verbo prædicationis: & aliquis negligeret in tempore & loco, cum esset necesse ostendere, & aperire verbum veritatis: propter huiusmodi defectum & negligentiam ostensionis veritatis diceretur ipse peccare mortaliter. Vnde huiusmodi negligentia esset peccatum mortale, & hoc ratione materiæ, non ratione generis ipsius actus, siue locutionis: * quoniam talis negligeret quantum ad circunstantiam debitam ipsius actus: cum esset tempus & locus necessitatis idoneus, & ipsi auditores indigentes desiderarent audire. Vnde quia omitteret in circunstantia debita, esset mortalis eius negligentia: Ratione autem ipsius sermonis quotidiani, qui de facili non potest vitari: dicitur veniale. Ecclef. 14. * Alias, quando.

¶ Ad rationes patet responsio ex prædictis.

¶ Ad vltimam rationem dicendum: quod bene potest esse negligentia circa circunstantiam indifferentem: & tunc non erit neque veniale, neque mortale. Sed tunc dicitur esse mortale, quando est extra circunstantiam actus debitam, vt fiat: veniale autem est, quando est circa circunstantiam expedientem: & hoc modo de ipsa loquimur, non prout est indifferens.

MEMBRVM III.

In quo differt negligentia à desidia siue torpore, à pigritia vel ignauia, & ab omissione.

TERTIA quæstio est de differentia negligentiæ ad alia peccata, cum quibus videtur habere conuenientiam: sicut ad desidiam, & torporem, pigritiam vel ignauiam, & ad omissionem. Quæritur ergo, quomodo isthæc omnia ad inuicem differunt.

RESOLVTIO.

Negligentia respicit voluntatem intra: desidia & pigritia opus extra, hæc opus fiendum, illa continuandum. Negligentia respectu circunstantia debita & expedientis: omissio respectu actus debiti, & expedientis.

¶ SOLVTIO. Dicendum est quod negligentia habet oppositionem ad diligentiam: Vnde sicut diligentia dicitur esse in voluntate eligendi recte, prout est virtus: ita per oppositum negligentia ei opposita dicetur esse, & sistere in voluntate: Et sic negligentia respicit ipsam voluntatem * interiorem, vt dicatur negligentia * voluntas eligendi non recte, siue voluntas non eligendi recte. Ipsa autem desidia & pigritia respicit opus extra: vnde sunt respectu operis exterioris, à voluntate egredientis. Sed differenter: quoniam ipsa pigritia est respectu boni operis fiendi: desidia autem respectu operis boni continuandi. Vnde quando homo non vult facere bonum opus, dicitur piger. *Propter frigus piger arare noluit.* Et. *Abscondit piger manum suam, &c.* Sic ergo pigritia dicitur respectu boni fiendi: & desidia dicitur respectu boni operis continuandi, siue prosequendi: sicut quando aliquis videt difficultatem in bono opere continuando & prosequendo, desistit & cessat ab illo opere: vnde dicitur talis desidiosus: quia dicitur desidia à desinendo. Negligentia autem est respectu eligendi illud, quod debet esse extra: vnde præcedit hæc negligentia alia vitia: licet aliquando in scriptura vnum pro alijs accipiatur: tamen hæ sunt propriæ rationes istorum. *Alias, intra. *Alias, voluntas eligendi, siue v. untas non eligẽ. di recte. Prouer. 20. Prouer. 19.

¶ SED quæritur de differentia omissionis, & negligentiæ: quoniam videtur negligentia esse omissio: quoniam dicit August. *Omne peccatum est, si autem illa fiant, quæ prohibentur: aut illa non fiant, quæ iubentur.* Sed primum est commissio, secundum omissio: ergo omne peccatum actuale est omissio, vel commissio: sed negligentia est actuale peccatũ: ergo est omissio, vel commissio: sed nõ est commissio: quia cum quis negligit, non facit ea, quæ prohibentur: ergo est omissio. Sic ergo non differunt peccatum negligentiæ & omissionis. Aug. in li. de perfect. iustitiæ hominis.

¶ AD oppositum. Bonum in genere & bonum ex circunstantia distinguuntur: sed negligentia est ex defectu boni ex circunstantia; omissio est ex defectu boni in genere: ergo omissio non est negligentia.

¶ ITEM, omissio est, cum non fit opus Dei, quod deberet fieri: negligentia autem, cum eius opus fit, non sicut debet fieri: ergo negligentia est omissio.

¶ SOLVTIO. Dicendum quod negligentia non est omissio, immo differunt, prout sunt peccata mortalia, & prout sunt venialia. Prout enim sunt peccata mortalia, sic differunt quoniam omissio proprie dicitur respectu actus debiti: negligentia autem respectu circunstantiæ debitæ: vt respectu temporis, vel loci, vel finis debiti.

¶ ITEM, quando vtrunque est veniale, differunt: quoniam omissio dicitur respectu actus expedientis: negligentia autem respectu circunstantiæ expedientis.

MEMBRVM IV.

An negligentia ad aliquod speciale peccatum reducatur: vel circueat vniuersa peccatorum genera?

QVARTA quæstio est. Vtrum negligentia sit de capitalibus, & generalibus peccatis primis: an ad aliquod illorum reducatur? Ostenditur autem, quod reducitur ad accidiam: quoniam Gregor. nominat eam inter filias accidiæ dicens. De tristitia nascuntur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta. Sed torpor circa præcepta nihil aliud est quam negligentia: ergo negligentia nascitur ex tristitia, siue accidia (quod idem est) ergo est filia accidiæ: & sic reducitur ad accidiam. Gregor.

¶ QVOD autem reducatur ad imprudentiam, ostenditur sic: quoniam dicitur. *Lasciuus & imprudens non seruabunt tempus.* Sed non seruare tempus, hoc est negligere, & hoc est imprudentia: ergo negligentia ad imprudentiam reducitur. Eccl. 20.

¶ ITEM, diligentia reducitur ad prudentiam: ergo per oppositum, negligentia ad imprudentiam, siue ad stultitiam, quæ est rerum vitandarum & appetendarum ignorantia. vt dicit August. in libro de lib. arbit. & hæc est ratio negligentiæ: ergo negligentia reducitur ad imprudentiam. Aug. in lib. de lib. arb.

¶ AD oppositum. Videtur quod non reducatur ad aliquod speciale peccatum, sed circueat omnia peccata. Quoniam negligentia non solum accipitur secundum circunstantias illius actus debiti, à quo deficit accidia, vel imprudentia: immo secundum circunstantias etiam illorum actuum, à quibus deficiunt, inuidia, superbia, auaritia, & sic de alijs vitijs. Ergo relinquitur, quod circuit omnia vitia: & ita non reducitur ad aliquid illorum: cum omnia peccata deficiant ab aliquo proprio actu, & circunstantijs debitis: & sic determinatur in circunstantijs aliorum actuum, à quibus deficiunt alia vitia.

¶ ITEM, Augustinus dicit. *Peccatum & malum est in negligentia vel ad accipiendum præceptũ Domini, vel ad obseruandum, vel custodiendum contemplationem sapientiæ.* Sed malum in istis tribus est commune ad omnia peccata: ergo negligentia non solum determinatur ex defectu circunstantiarum, quæ pertinent ad defectum accidiæ: sed etiam omnium peccatorum. Ergo circuit omnia peccata, & non reducitur ad aliquod illorum. Idem ibid. versus fin.

RESOLVTIO.

Negligentia si generaliter sumatur, sic diuersa peccatorum genera circuit, & ad imprudentiam reduci habet. Si vero specialiter accipiatur: vt sic modo ad accidiam, modo ad auaritiam eam reducere est.

¶ SOLVTIO. Dicendum: quod negligentia generaliter considerata, concomitatur diuersa genera peccatorum: & sic accipitur in authoritate prædicta August. vnde negligentia sic generaliter sumpta est de circueuntibus ipsa peccata. Aliter autem est loqui de ipsa negligentia specialiter. Et hoc multipliciter: quia aliquando dicitur negligentia, secundum quod homo negligens fastidit bona spiritualia: cum ergo accidia sit tristitia de spirituali bono; hoc modo dicimus, quod accidia generat negligentiam ad eligendum, & torporem ad faciendum.

¶ ITEM, aliquando contingit negligentia: vt quando homo est in magna prosperitate, & ex hoc fit negligens ad eligendum bonum, & vitandum malum: & sic comes est negligentia cupiditatis, vel auaritiæ: vnde hæc negligentia ex auaritia nascitur, & ad ipsam reducitur: vnde. *Ingressi sunt, & possederunt terram, &c.* dicit Gloss. *Nihil medium est inter possessiones, & inobedientiam*; vbertas enim securitatem, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit: & ita reducitur negligentia ad cupiditatem vel ad auaritiam. Secundum autem quod generaliter accipitur, & circuit diuersa genera peccatorum; sic reducitur ad imprudentiam: quoniam imprudentia circuit & concomitatur diuersa genera peccati: sicut prudentia diuersas virtutes; quia ipsa est auriga virtutum: vt dicit Bernard. vnde imprudentia circuit alia genera peccatorum: nam imprudens dicitur, qui non obseruat circunstantiam in suis operibus. Sic ergo negligentia est comes imprudentiæ, & circuit alia: & sic negligentia nascitur ex diuersis peccatis: nihil autem prohibet secũdum diuersa motiua vnum peccatum ex pluribus nasci. Et per hæc patet responsio ad rationes. Ierem. 32. Glossa. Bernard.

MEMBRVM V.

An rectè assignarit B. Gregorius radicem, causamque negligentiæ ac fraudulentiæ: illius scilicet minorem Dei amorem; huius autem nimium sui amorem?

QVINTA quæstio est de radice, & causa negligentiæ, quam assignat Gregorius super illud, *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Et super illud. *Verebar omnia opera mea, &c.* Et ponit desidiam pro negligentia, dicens. Desidia, id est negligentia per torporem nascitur, fraus per priuatam dilectionem: illam minor amor Dei exaggerat: hanc proprius amor sui excitat. Vult ergo dicere: quod minor amor Dei facit negligentiam, vel desidiam: proprius autem, siue nimius amor sui excitat fraudulentiam. Greg. super Ierem. 48. Iob. 9.

¶ OSTENDITVR autem, quod proprius amor sui vtrunque facit: quoniam (sicut dicit Augustinus) quod anima aut conuertitur ad summum bonum aut auertitur à summo bono. Si conuertitur ad summum bonum, bene ordinata est. Si autem auertitur à summo bono, & conuertitur ad bonum commutabile, tunc peccat. Et tunc distinguendum: quia aut conuertitur ad proprium bonum, diligendo suam excellentiam: aut ad bonum exterius, sicut ad temporales diuitias: aut ad bonum interius, quod est bonum carnis. Et secundum hoc sumuntur illæ tres radices peccatorum, quas ponit B. Ioannes dicens. *Omne, quod est in mundo; aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Vnde ipse dicit in Lib. de libero arbitrio. *Voluntas adhærens communi atque incommutabili bono, impetrat prima & magna hominis bona; cum ipsa sit medium quoddam bonum.* Voluntas autem auersa ab incommutabili & communi bono, & conuersa ad proprium bonum, aut ad externus, aut ad interius, peccat: Ad proprium conuertitur, cum suæ potestatis vult esse: ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcunque ad se non pertinent, cognitare studet: ad interius, cum voluptatem corporis diligit: atque ita homo superbus, & curiosus, & lasciuus effectus; excipitur ab alia vita: quæ in comparatione vitæ superioris est mors. Hæc tamen omnia reducit August. ipse ad amorem sui indebitum; qui est radix omnium peccatorum: & vocat ipsum libidinem, id est, improbum amorem sui. Vnde in Libro de Ciuitate Dei dicit: quod *amor Dei facit ciuitatem Hierusalem: amor vero sui facit ciuitatem Babylonis.* Proprius ergo amor sui est causa & radix omnium peccatorum: ergo ad ipsum tanquam ad radicem reducitur negligentia, & fraus: ergo non distinguuntur per illam distinctionem: quoniam vtrunque facit proprius amor sui. Aug. in li. de lib. arb. 1. Ioan. 2. August. Idem in li. de ciu. Dei.

¶ ITEM, quoniam minor amor Dei supponit, & ponit amorem Dei (& maxime cum charitas non remittatur) constat quod sequitur, si est minor amor Dei, quod sit amor Dei, & ita charitas. Sed charitas non compatitur secum mortale peccatum (vnde non potest fieri informis, nec remitti.) Ergo si minor amor Dei est causa negligentiæ: constat quod negligentia non est mortale peccatum. Sed hoc est falsum: ipsa enim negligentia est digna maledictione Ieremiæ 48. & tale est peccatum mortale: ergo male Gregorius ponit minorem amorem Dei esse causam negligentiæ. Ierem. 48.



RESOLVTIO

RESOLVTIO.

Tametsi vtriusque, & negligentiæ, scilicet & fraudulentiæ vtrunque, minor videlicet amor Dei, & sui ipsius amor causa ac radix sit: illi tamen ille, isti iste recte appropriatur.

¶ Solvtio. Dicendum, quod vtrunque est in vtroque: vnde & in negligentia & in fraudulẽtia sunt hæc duo, scilicet minor amor Dei, & nimius vel proprius amor sui: quoniam ibi est auersio à Deo & conuersio ad bonum cõmutabile. Tamen per appropriationem respondet negligentiæ pro causa minor amor Dei, fraudulentiæ autem nimius vel proprius amor sui. Et hoc est: quoniam cum deficit in homine feruor charitatis, tunc negligit facere bona: vnde ex defectu charitatis in Deum feruentis consequitur homo negligentiam: quia si esset homo feruens in Deum, non esset negligens circa opera Dei: sicut circa psallere Deo, & orare, & huiusmodi. Similiter per appropriationem dicitur, quod fraudulentiam facit proprius amor sui. Et vocat hic amorem sui nimium, vel proprium, amorem temporalium nimium: talis enim facit fraudem; quando scilicet homo intendit illud bonum, & præponit ipsum summo bono, quod debet intendere, & habere pro fine, vnde tunc est fraudulentia. Et hoc est, quod dicit Gregor. in prædicta Glo. dicens. *Fraudem quippe in Dei opere perpetrat, qui se inordinate diligens, per hoc quod recte agit; ad remunerationis transitoria bona festinat.* Et hæc fraudulentia est in ore, corde, & opere: quando scilicet quis dicit, vel cogitat, vel operatur, in quo præponit bonum temporale, & minus intendit summum bonum. Sed desidiam, id est, negligentiam facit minor amor Dei: vnde dicit ibi. *Sæpe desidia, id est negligentia interueniente, opera bona deficiunt: & frigescente amore, calefiunt.* Vnde patet, quod reducendo ad causas, siue radices proprias, ipsius negligentiæ causa est minor amor Dei, hoc est, minor feruor charitatis; quando frigescit homo: secundum quod habetur. *Refrigescet charitas multorum.* Radix autem fraudulentiæ proprius amor sui, siue nimius.

Gregor. — Idem ibid. — Matt. 24.

¶ Ad primam ergo rationem in contrarium dicimus: quod quædam assignatur radix communis peccatorum; quædam autem sunt radices propriæ & propinquæ. Amor ergo sui inordinatus (quem vocat Augustinus libidinem) est causa & radix communis omnium peccatorum: & ad ipsum omnia peccata reducuntur: sicut vult August. Sunt tamen aliæ radices peccatorum propriæ & propinquæ: sicut timor male humilians, & amor male incendens: vt habetur super illud. *Incensa igni, & suffossa.* Vnde per appropriationem est quoddam peccatum ex timore male humiliante: quoddam ex amore male incendente. Tamen generaliter omne peccatum est ex amore sui illicito: vnde timor ad amorem reducitur: quia non timet aliquis inordinate, siue male, nisi quia amat se inordinate. Dicimus ergo, quod reducendo ad generalem radicem, cõcedimus bene, quod nimius amor sui est causa negligentiæ: tamen per appropriationem, & accipiendo quasi propinquam & propriam radicem; dicimus quod minor amor Dei est causa eius, sicut dictum est: amor tamen illicitus sui est prima eius causa, & radix.

August. — Psal. 79.

¶ Ad secundum dicimus: quod triplex est dilectio Dei à creatura. Vna est naturalis, qua diligit homo Deum naturaliter. Alia est voluntaria, siue procedens ex voluntate deliberata: sicut quando homo deliberatur in se, quod Deus hoc fecit illi, & hoc; & quod talis est: ex hac deliberatione surgit in ipso dilectio Dei. Tertia dilectio est procedens ex voluntate gratuita: & ista dilectio est charitatis. Cum ergo dicitur, quod minor amor Dei facit negligentiam: *amor* non stat ibi pro charitate: vnde hoc quod est *minor* non minuit ibi amorem; prout est charitas: quia non est charitas cum negligentia mortali: sed stat ibi amor communiter ad amorem naturalem, & deliberatiuum: & illud, quod diminuitur ibi, non est charitas; sed dilectio voluntatis deliberatæ principaliter: quæ potuit formari per charitatem, & fuit formabilis ab ipsa: quæ tamen minoratur per peccatum: charitas autem non minueretur; immo aut tota ibi erit, aut tota recedet: non est autem aliquo modo cum peccato mortali: quod tamen potest esse dilectio * deliberatiua, siue voluntatis * deliberatiuæ.

*Alias, deliberata. — *Alias, deliberatæ.

¶ Sed qværitvr ivxta hoc. Ieremiæ 48. habetur, quod *maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter* (& dicit alia littera, negligenter.) Vnde dicit Gloss. *fraudulenter*, id est, *desidiose*: & sumit ibi desidiam pro negligentia. Quæritur ergo, quare potius attribuitur maledictio negligentiæ, quam alij peccato ibi? quoniam alia peccata ita digna sunt maledictione, sicut negligentia.

Quæst. lateralis. — Ierem. 48. — Gloss.

¶ Ad qvod dicendum: quod ratio huius patet ex materia, de qua loquitur ibi Propheta: vnde ex congruentia materiæ: quia ei conuenit ex hoc quod est ibi posita maledictio negligentiæ. Voluntas enim Domini fuit, vt Nabuchodonosor affligeret ipsum Israel ad eius correctionem; vnde opus illud fuit Dei committentis; fuit autem ipsius Nabuchodonosor solum tanquam persequentis. Illud autem, quod Dominus fecit per illum, non Deo autori, sed sibi ascripsit, & in hoc excessit. Vnde Isa. 10. habetur de Sennacherib, qualiter dicit Dominus, qui sibi attribuit, quod fecit; & qualiter per superbiam suam excessit in opere sibi commisso à Domino; vnde dicit ibi de ipso. *Ad gentem fallacem mittam eum, plenum furoris mei, mandabo illi vt auferat spolia, & diuidat prædam.* Et post sequitur. *Ipse autem non sic arbitrabitur*, (Quasi dicat totum sibi ascribet, & non mihi) *& cor eius non ita æstimabit; sed ad conterendum erit cor eius.* Iste autem non Deo, sed sibi ascripsit factum suum: & ideo negligenter fecit; & propter tales attribuitur maledictio negligentiæ; & tales non faciunt opus Dei, vt debent; vnde negligunt circa opus Dei; & ratione talium datur Ieremiæ 48. maledictio negligentiæ; quia de talibus loquitur, ipsi autem maledicti sunt, & ideo maledicta ibi negligentia. Vnde dicit Dominus. *Zelatus sum Ierusalem & Sion zelo magno; & ira magna ego irascar super gentes opulentas; quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuuerunt in malum, ex hoc sunt maledicti.* Et ideo Propheta loquens de tis; maledicit negligentiæ; non quia alia peccata non sunt digna maledictione; sed quia hoc competit suæ malitiæ. Alia enim peccata sunt etiam digna maledictione; sicut patet in Lib. Sap. 12. de peccatoribus; quod naturalis erat malitia eorum; *semen enim erat maledictum ab initio*: hoc est maledictio pro peccato originali. Similiter Deuteronom. 27. habetur maledictio peccatorum actualium: sicut patet de maledictionibus impositis. Et sic patet quod & isti peccato & aliis debentur maledictiones: sed isti specialiter in illo loco Ieremiæ.

Isa. 10. — Ibi. — Ibid. — Ibid. — Zachar. 1. — Sap. 12. — Deut. 27.

MEMBRVM VI.

Circa quos actus, aut circa quæ opera Dei dicatur esse negligentia: tum maxime ea, quæ mortale peccatum est?

Sexta quæstio est, circa quos actus siue opera dicatur esse negligentia. Ad quod sic obijcitur: nam quoddam opus est meritorium, quoddam demeritorium, & quoddam indifferens. Si opus est indifferens, circa illud non facit negligentia peccatum: sed negligentia est peccatum: ergo non est circa opus indifferens.

¶ Item, non est circa opus demeritorium: quia negligentia est circa opus Dei: sicut patet Ierem. 48. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter: sed opus demeritorium non est opus Dei: ergo non est circa illud.

¶ Item, non est circa opus meritorium: quoniam opus meritorium tollit omnem negligentiam: ergo non est circa aliquod genus operationis.

¶ Præterea: ponatur quod aliquis male dicat Horas; nunquid circa istum actum erit negligentia? Videtur quod non: quoniam negligentia cadit sub maledictione: sed iste non propter hoc est maledictus, licet nõ dicat Horas ad tempus, vel huiusmodi: aliquando ergo circa istum actum non cadit negligentia; ergo non cadit circa opera omnia Dei.

¶ SIMILITER ponatur, quod aliquis dicat aliquod verbum improuide: nunquid propter hoc dicetur negligens; cum non sit maledictus? & ita non est circa omnia opera.

¶ QVÆRITVR ergo iuxta hoc: vtrum circa omnia opera Dei possit esse negligentia, quæ est peccatum mortale; quæ scilicet est digna maledictione. Et obijcitur sic: iste semel dicit male & negligenter horas suas: hæc negligentia est venialis: ergo si decies male dicit horas suas, non dicetur peccare mortaliter; cum negligentia illa sit venialis: ergo non est circa illud opus Dei. Similiter est de aliis: ita quod non erit circa illa negligentia mortalis: Quæritur ergo, quando est negligentia mortalis, & quando venialis circa opera Dei?

RESOLVTIO.

Negligentia est circa opus bonum in genere, deficiente aliqua ex debitis eius circunstantiis. Et tum maxime mortale peccatum est, cum circa opera priuilegiata est, puta Missas celebrare, & id genus reliqua.

¶ SOLVTIO. Dicendum est: quod non debet illa diuisio hic sumi, vt dicatur, negligentia aut est circa opus meritorium, vel demeritorium, vel indifferens: quia nullum istorũ illi substernitur. Sed debet dici, quod est quoddam bonum in genere, sicut psallere, orare, eleemosynam dare, & huiusmodi: quoddam autem est bonum ex circunstantia. Quando ergo dicit, *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*: hoc opus Dei non supponit pro opere meritorio, quia illud tollit omnem negligentiam; sed supponit pro bono in genere cum suis circunstantijs; aliqua tamen, vel aliquibus deficientibus: ex quo defectu dicitur esse negligentia. Sicut patet, psallere Deo, siue orare, suas habet circunstantias; quia debet fieri sapienter, & deuote, & intendendo ipsum summum bonum: si ergo non psallit sapienter, & quod non intendat ad illud, quod dicit, deficit vna circunstantia debita: & dicitur fieri negligentia circa illum actum. Similiter & si non faciat illud deuote, intendendo illud, ad quod est: iste defectus facit, vt ipsum psallere non sit meritorium: non tamen ipsi negligentiæ propter hoc substernitur opus demeritorium: immo opus bonum in genere: quod ex hoc quod fit negligenter, fit demeritorium. Ierem. 48.

¶ AD ILLVD ergo quod quæritur: quando, & circa quæ sit negligentia mortalis & venialis. Dicendum: quod quædam sunt opera priuilegiata: sicut est opus Eucharistiæ, siue celebrationis Missæ, & opus prædicationis, & huiusmodi: hæc enim opera debent fieri cum magna diligentia, & cum magna circunspectione circunstantiarum: vnde in his operibus debet homo diligenter suas circunstantias circunspicere, vt faciat quod debet, & sicut debet: Et circa talia opera dicimus esse neglıgẽtiam; quæ est mortale peccatum: quando deficit aliqua circunstantia debita.

¶ Quod obiicitur de hoc opere, quod est Psallere, vel dicere horas negligenter. Dicendum: quod quando consuetudo negligentiæ circa illud opus ducit hominem in contemptum: tunc negligentia ista est peccatum mortale: sicut potest accidere, quod ex consuetudine, quam habet homo negligenter psallendi, contemnit & non curat dicere bene horas suas. Nam ratio habet duas portiones, id est, superiorem, & inferiorem: quando ergo pars superior rationis non acquiescit inferiori parti in non bene psallendo, siue negligenter; non dicitur esse contemptus: & tunc põt esse, quod negligentia illa non sit mortale: sed quando ipsi acquiescit, & non cohibet ipsam partem inferiorem, quando debet cohibere, ad hoc quod bene dicat; tunc est contemptus, & est peccatum mortale illa negligentia. Et dicimus, quod non valet ratio in contrarium: quia sicut gutta aquæ non cauat lapidem: sed quando multotiens, & frequenter cadit super ipsum hæc, & illa, per frequentiam ipsum cauat: & etiam gutta aquæ non submergit nauim; tot tamen possent incurrere, quod submergeret. Ita est hic, quod licet negligentia in dicendo semel vel bis horas suas, non sit mortale, si nõ fiat hoc ex contemptu: potest tamen accidere quod ex frequentia & consuetudine ducatur homo ad hoc, vt contemnat bene dicere, & non curet: & cadet in peccatum mortale; non quia veniale fiat mortale, sed ex consuetudine venialium decidet in mortale per cõtemptum. Vnde. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et sic patet, quando est peccatum mortale, & quando non. Eccles. 19.

¶ Per hæc patet responsio ad obiectiones.

MEMBRVM VII.

An negligentia æqualiter sit circa omnes circunstantias actuum?

SEPTIMA quæstio est, Vtrum negligentia æqualiter sit circa omnes circunstantias actuum; quia contingit omnes deficere; sunt ne ergo pares negligentiæ circa illas; an maior sit negligentia circa vnam, quam circa aliam? Ad quod sic: finis denominat opus bonum: vnde & si sint aliæ circunstantiæ, & finis deficiat, non poterit esse opus bonum: quoniam finis imponit necessitatem operi; ergo bonum principaliter determinatur secundum finem: & hoc etiam patet de ratione boni: quoniam dicitur bonum in comparatione ad finem: ergo inter omnes defectus circunstantiarum defectus finis maior est & principalior: ergo negligentia circa finem maior est & principalis.

¶ AD oppositum ostenditur; quod negligentia circa tempus operis sit maxima: quoniam hoc vult etiam ostendere Seneca; quod negligentia temporis principalis sit: quia irrecuperabilis est: vnde dicit: Turpissima negligentia est, quæ per iacturam temporis fit: illa enim irrecuperabilis est. Negligentia ergo temporis in actione maior est inter alias: & ita non est æqualis negligentia circa omnes circunstantias.

RESOLVTIO.

Quinimmo secundum magis & minus ad illas se habet.

¶ SOLVTIO. Dicendum: quod verum est, quod à fine denominatur actio bona, & à defectu finis debiti mala principaliter. Potest tamen esse in his plus, vt secundum diuersas conditiones & diuersas considerationes dicatur negligentia temporis maior: & similiter negligentia finis. Nam potest dici negligẽtia maior, aut quia est magis damnosa, aut quia est circa circunstantiam meliorem: vt per quam determinatur bonitas in actione. Si ergo dicatur negligentia maior, quia est magis damnosa: hoc modo potest dici negligentia temporis maior: quia illa valde damnosa est, eo quod irrecuperabilis est: & propter hoc dicit Sene. quod est indecentissima, & valde damnosa. Similiter etiam potest esse aliquando secundum hunc modum negligentia loci maior: quia maius infert damnum: sicut si aliquis iactat negligenter lapidem in loco communi aliquo, & occidat hominem: iste negligenter iecit lapidem: hæc negligentia infert magnum damnum. Sed secundo modo dicitur esse maior & principalis circunstantia circa finem. Vnde comparando bonitatem circunstantiæ ad bonitatem circunstantiæ, hæc est maior, quæ est negligentia finis: cum ab ipsa principaliter determinetur bonitas actionis: & hoc ostendit Philosophus: & sic ex parte bonitatis circunstantiæ hæc semper est principalis & maior. Tamẽ ex parte damni, quia scil. est magis damnosus defectus alicuius circunstantiæ, potest esse alia maior.

MEMBRVM V.

An peccator, quamdiu stat in peccato suo, adhuc semper negligentiæ peccato peccet?

OCTAVA quæstio est, Vtrum peccator semper peccet peccato negligentiæ, dum est in peccato suo? Et videtur, quod sic: quoniam homo semper tenetur conteri vel atteri de peccato suo, postquam peccauit: & indifferenter tenetur ad hoc in quolibet instanti, tam in hoc quam in illo: quia Deus offert gratiam suam ad hoc, & ad proficiendum vlterius indifferenter in quolibet instanti: dolere ergo de peccato non plus determinat hoc tempus, quam illud. Si ergo homo postquam peccauit, non dolet de peccato suo semper, & in quolibet instanti: ergo non facit, sicut tenetur facere: ergo est negligens contra illud: sed talis est homo, qui durat in peccato suo, quia nõ conteritur,

quando debet conteri: ergo omnis, qui stat in peccato suo, peccat cum hoc peccato negligentiæ, quamdiu durat in suo peccato.

Chrysost. ¶ Item, Ioan. Chrys. *Ponatur, quod seruus offendat dominum suum: si habet amicos, implorat eos, & rogat de reconciliatione cũ domino suo: & dat ianitorib. de suo, & deprecatur, vt intret: & ita oẽm diligentiam adhibet, vt cum ipso reconcilietur: nec expectat de die in diem, de hora in horam, de instanti in instans, vt reconcilietur: quanto ergo magis ille, qui offendit Deum cæli, debet hoc facere?* Vnde ipse dicit de negligentia confessionis. *Qui neque quod peccasti vis scire, pro quibus delictis Deum rogabis: pro iis, quæ nescis? hominem exacuens, amicos, & vicinos, & ianitores deprecaris, vt sic reconciliari possis: Deum autem cæli offendisti, & deses, id est, negligens efficeris?* Et dicit, *Si desides fuerimus, neque per aliquos saluari poterimus: si autem vigilauerimus, per nosipsos hoc poterimus. Hoc dico, non vt non deprecemur sanctos: sed vt non desides simus, neque dormientes aliis dimittamus, quæ secundum nos sunt.* Ex hac autoritate patet, quod homo in quolibet instanti tenetur dolere, & confiteri de peccato suo: & ita quamdiu stat in peccato suo, negligit.

Idem ibid.

Idem ibid.

Quæstio lateralis. ¶ Iuxta hoc autem quæritur: ponatur quod aliquis sit in peccato negligentiæ mortali: sicut aliquis negligit in celebrando Missam: postea ipse negligit dolere, & confiteri de ista negligentia: quæ ergo istarum negligentiarum est maior: vel prima, vel secunda? Et obiicitur, quod prima sit maior: quia potuit iste magis resistere primæ negligentiæ, quam secundæ: eo quod tunc habebat adiutorium gratiæ, quando decidit in illam: & cecidit ab alto: modo autem est fragilior, quia postquam cecidit homo in peccato, fragilior efficitur ad resistendum alii peccato: nec etiam habet modo auxilium gratiæ gratum facientis, sicut prius: ergo minus potest resistere: & ita minor est secunda negligentia, quam prima.

Chrysost. *Alias, nihil. ¶ Ad oppositum dicit Ioan. Chrysost. *Neque quoniam non doles, cum peccas, neglige* vel contemne: sed propter hoc ipsum maxime ingemisce: quoniam non sentis dolorem: non enim quia non mordet peccatum, contingit hoc: sed quia iam delinquens insensibilis es.* Et post dicit: *Non dolere eos, qui peccant, magis quam peccare facit Deum irritare, & irasci.* Ergo magis offenditur Deus de non dolendo de peccato, quam de perpetrando peccatum: ergo maior est negligentia & grauior, quæ est in non dolendo de peccato, quam illa, quæ est in perpetrando peccatum: & ita maior est negligentia secunda, quam prima.

Idem.

Quæstio lateralis. ¶ Sed vlterius quæritur iuxta hoc: vtrum peccator peccet simul pluribus negligentiis? Et ostenditur quod sic: nam tres sunt vires in anima: quarum quælibet habet suum actum contra peccatum, ad quem tenetur: ipsa enim irascibilis tenetur insurgere contra peccatum. (Vnde *Irascimini, & nolite peccare*: & ideo dicit Apost. *Sol non occidat super iracundiam vestram*,) ipsa vero concupiscibilis tenetur dolere & conteri de peccato: ipsa vero rationalis tenetur diligere illud, quod bonum est: & fugere quod malum est: & illud bonum, quod tenetur eligere post peccatum, est bonum pœnitentiæ: similiter ipsa tenetur cogitare, quam malum sit peccatum; & fugere illud: *Vide vias tuas in conualle* (ita dicitur animæ peccatrici) Quasi dicat, cogita peccatũ tuum. Vnaquæque ergo vis tenetur ad actum proprium contra peccatum: & quælibet tũc est negligens circa suum actum, cum peccat: & differt vnus actus ab alio: ergo plures sunt ibi negligentiæ: ergo peccator existens in suo peccato, peccat simul pluribus negligentiis.

Psal. 4. Ephes. 4.

Ierem. 2.

RESOLVTIO.

Peccator, quamdiu in peccato stat, peccatum suum profecto grauat: sed nouo peccati genere, puta negligentiæ, non peccat.

¶ Ad primum dicendum: quod ipsa diuturnitas actionis de peccato, & peccati manifestandi actu bene aggrauat peccatum: sed non dico, quod propter hoc * aggrauatur nouum peccatum negligentiæ. Vnde bene concedo: quod homo tenetur in quolibet instanti conteri vel atteri de peccato suo; & si non actu, saltem habitu. Licet ergo non semper atteratur actu, non tamen nouum peccatum ex hoc generatur: sed ex hac diuturnitate aggrauatur suum peccatum: quia non tenetur confiteri semper actu; siue pro quolibet instanti; & ideo non sequitur, quod semper negligat. Sed si ita sit, quod peccator cogitet de peccato suo, quod sit tantum malum, & tam graue, & conuertatur super ipsum, & excitetur à gratia Dei ad conterendum (quia hoc modo ipsum excitat, quando facit peccatorem cogitare de suo peccato) dico quod tunc tenetur actu dolere pro illo instanti; & si non conteratur tunc, peccat per negligentiam, & innouatur aliquod peccatum in ipso, quod est negligentia. Dico tamen quod & si semper doleret homo actu de peccato suo, istud esset perfectionis. Et quando loquitur Chrysostomus de hoc, non dicit hoc, quod homo teneatur ad hoc pro quolibet instanti, vt actu conteratur; sed quia hoc esset perfectionis. Vnde quantum ad statum perfectionis loquitur ipse, non aliter. Et propter hoc non peccat homo mortaliter per negligentiam, si non actu semper conteritur: nisi cogitet de peccato suo; & sit excitatus à gratia Dei, vt pœniteat de peccato suo. Quia si Deus ipsum excitat, & tunc non conteritur, tunc bene sequitur, quod tunc peccat negligentia mortali: vel si ita esset, quod nunquam cõtereretur. Sed si non conteritur semper actu: non tamen peccat mortaliter ex hoc: sed ex hoc suum peccatum aggrauatur.

*Alias, aggeneratur.

¶ Et si obiicitur, quod tenetur conteri in quolibet instanti. Dicendum, quod verum est: sed non tenetur conteri pro quolibet actu: quia hoc est ei impossibile: quod tamen in quolibet non conteratur; hoc est ei pro peccati aggrauatione.

¶ Ad illud ergo, quod secundo obiicitur de autoritate Chrysostomi. Dicendum quod non dicit hoc, quia hæc sit necessitas, ad quam teneatur homo: sed quia hoc esset perfectionis, vt semper homo post peccatum deprecaretur Deum, & faceret quod in se esset, ad hoc quod reconciliaretur ipsi.

¶ Ad secundo quæsitum dicendum: quod non dolere, dicitur multipliciter. Vno modo dicitur non dolere insensibilem esse, siue obstinatum esse in peccato: & de tali loquitur Chrysost. sicut patet per verba sua: quia dicit *propter hoc ipsum maxime ingemisce, quia non sentis dolorem.* Si ergo negligentia secunda sit in non dolendo, hoc modo bene concedo quod grauior est, ac peior quam prima. Alio modo dicitur, non dolere, magis communiter: vt dicatur non dolere, quando aliquis actu non dolet, nec conteritur super peccatum, sed negligit: & hæc negligentia secunda non est maior, quam prima. Chrysost.

¶ Ad tertium quæsitum dicendum: quod licet tres sint potentiæ animæ: sunt tamen adinuicẽ ordinatæ: ita quod vna cooperatur alteri in sua operatione: & inuicem ordinatæ sunt earum operationes: vnde eiusdem personæ sunt actus; & etiam sunt circa eandem rem: vnde ad vnum ordinantur: Vnde dicitur vnum meritum, vel demeritum; quia vna alteri cooperatur: & eorum actus ordinati sunt, & ad vnum operantur. Et ideo non debet dici triplex peccatum secundum tres actus earum, sed vnum: & similiter negligentia debet dici vna.

MEMBRVM IX.

Quod sit negligentiæ oppositum?

NONA quæstio est de opposito negligentiæ: quia dicitur. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Quare ergo potius dicit de timore, quod opponitur negligentiæ, & quod remouet ipsam; quam de alio? Videtur enim quod potius debet attribui ipsi prudẽtiæ remotio negligentiæ, q̃ timori: vt magis dicatur. Qui prudens est, nihil negligit: quia prudentia dat memoriam prǽteritorũ, prouidentia futurorũ, & intelligentiam præsentium. Vnde dicitur à B. Bern. *quod prudentia non tam est virtus, quã auriga virtutũ*: vnde ipsa dirigit, & debet circumspicere circunstantias oẽs: quia aurigæ est circũspicere. Ipsius ergo prudentiæ est præuidere defectus: sed talis nihil negligit: ergo magis ꝑprie debet dici prudentiã remouere negligentiam, q̃ timor. ¶ Præterea, videtur quod charitas magis ꝑprie remoueat ipsam negligentiam, quam timor: *quoniam charitas operit multitudinem peccatorum*: sicut Eccles. 7.

Bernard.

Prou. 10. & Iac. vlt. habetur, ergo operit negligentiam. Sed istud operire nihil aliud est, quam remouere: ergo proprie ipsa remouet negligentiam.

¶ Secunda ratio ad hoc est: quoniam charitas importat in se quandam circumspectionem spiritualem: quia ipsa charitas est lux spiritualis, quæ dirigit oculum mentis spiritualem: vnde *Si oculus tuus fuerit simplex &c.* dicit Glo. *vnus oculus, & simplex est, sc. charitas, quæ modo lucet in fide, sicut lux in testa.* Et ibidem alia Glo. super illud *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, dicit. Sicut oculus ad operandum membra dirigit: sic intentio & lux fidei omnes virtutes: lucerna est lumen in testa, sic charitas in fide: cum fides cessabit, sola charitas lux erit. Ipsius ergo charitatis est dirigere mentem, & circumspicere circumstantias actuum: ergo proprium est ipsius expellere negligentiam. Quare ergo potius appropriatur istud timori, quam charitati, vel prudentiæ? Matt. 6. Glossa Luc. 11.

RESOLVTIO.

Negligentiæ primum atque præcipuum oppositum timor diei iudicii est: propinquum vero prudentia, vel charitas.

¶ Solvtio. Dicendum, quod ratio huius, quare dicitur timor expellere negligentiam, habetur Iob 9. quia dicit. *Verebar omnia opera mea*, id est, cum timore examinabam: *sciens quod non parceres delinquenti*, supple in die iudicii. Iste enim timor iudicii, in quo fiet omnium examinatio vsque ad minimum, est principale & primum faciens, vt homo examinet facta sua: & non sit negligens in circumspiciendo illa: & ideo dicebat illud Iob: & ideo dicitur: quod timor expellit negligentiam. Iob 9. Ibidem.

¶ Et quod obiicitur de aliis. Dicimus ad hoc, quod principium propinquum potest esse prudentia, & similiter charitas expellendi negligentiam: sed primum principium & principale est timor iudicii, siue timor Dei in iudicio; quoniam sic habetur. *Per timorem declinat omnis à malo*: & maxime ab hoc defectu, qui est in negligentia, in circumspiciendo opera, & examinando. Prou. 15.

¶ Et per hoc patet responsio ad rationes.

QVÆSTIO CXVI.

De Commissione.

In quatuor Membra diuisa.

Dicto de Omissione, consequenter dicendum est de Transgressione, siue Commissione. Et potest quæri. Primo, vtrum vna sit transgressio voluntatis, & operis: an plures: & ita plura peccata. Secundo, si propter diuersarum legum transgressiones debeat dici vnum peccatum, vel plura. Tertio, quæritur, si commissio est transgressio legis tantum. Quarto, vtrum sit diuisibile in species formales, aut non sit diuisibile.

MEMBRVM I.

An transgressio voluntatis, & transgressio operis vna, vel plures transgressiones sint?

Ad primum sic: voluntas & operatio sunt diuersa in substantia: quorum vnum est sine altero: & in vtroque contingit esse transgressionem: cum vult, quod tenetur non velle: & facit, quod tenetur non facere. Ergo diuersa erunt commissa: ergo diuersa peccata.

¶ Item, alia prohibitio est in Decalogo, Non mœchaberis, & alia, Non concupisces vxorem proximi tui. Et similiter alia est prohibitio: Non furaberis: & Non concupisces rem proximi tui. Sed vna est prohibitio actus, & altera est prohibitio voluntatis: ergo diuersa erunt commissa: ergo diuersa peccata: multiplicatur enim res generis secundum multiplicationem rerum speciei.

¶ Item, in Glo. super illud. *Qui opus addit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.* Ergo diuersæ sunt iniquitates: ergo diuersa sunt peccata. Exod. 20.

¶ Contra, vnica est conuersio ad vnum numero delectabile: vnica autem existente conuersione, est vnum peccatum: ergo sunt vnum peccatum.

¶ Item, peccatum à voluntate dicitur peccatum: sed vna est voluntas: ergo vnum dicitur peccatum: non nisi in specie transgressionis: ergo vna est transgressio.

RESOLVTIO.

Et vna & plures, diuersa ratione.

¶ Ad quod respondendum: quod vnitas peccati, vel pluralitas potest attendi secundum diuersa subiacentia, vel secundum præuaricationes prohibitionum: & sic secundum hoc vbi sunt diuersarum prohibitionum præuaricationes, dicentur diuersa peccata: vbi vero est vna prohibitio, dicetur vna præuaricatio: & ita vnum peccatum: sicut cum dicitur, Non falsum testimonium dices, vna est ibi prohibitio voluntatis & operis, & quo ad hoc dicetur vna præuaricatio. Si vero habeatur respectus ad subiacentia, dicuntur esse plura peccata. Si vero ad motiuum, quod inclinat voluntatem, & penes quod est principalis deformitas; dicetur vnum peccatum, & vnum consilium.

¶ Ex his patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM II.

An propter multiplicium legum transgressionem multiplicetur peccatum?

Secvndo quæritur: si propter diuersarum legum transgressiones debeat dici vnum peccatum, vel plura. Et videtur, quod plura: peccatum enim est præuaricatio legis diuinæ: sicut dicit Ambro. multiplicata ergo præuaricatione, multiplicatur peccatum: sed contingit multiplicare præuaricationem secundum multiplicationem legis (Est enim lex naturalis, & lex Moysi, & lex gratiæ) & in vno & eodem potest fieri præuaricatio vniuscuiusque (mæchia enim in omnibus prohibetur) ergo crescunt præuaricationes: & ita tria peccata. Ambros.

¶ Contra: peccatum est actus incidens ex defectu boni: sed vnus est actus incidens ex defectu boni: ergo vnum est peccatum, non nisi in genere commissi: ergo vnum est commissum.

RESOLVTIO.

Augetur, vel aggrauatur: sed non multiplicatur.

¶ Ad quod dicendum: quod non multiplicatur commissum secundum substantiam; cum multiplicatur lex, secundum quam est prohibitio: sed ex hoc est augmentum peccati. Vnde licet multæ sint præuaricationes; non tamen sunt multa peccata, nisi confundantur in diuersis actibus specie, vel numero: sed maius est peccatum: quia perpetrando illud, facit contra duplicem legem, vel triplicem. Et ideo dicitur. *Duplicetur ac triplicetur gladius interfectorum*: pœna enim respondet secundum quantitatem præuaricationis maioris. Ezech. 21.

MEMBRVM III.

An commissio legis tantum transgressio dicatur?

Tertio quæritur. Si commissio est transgressio legis prohibentis: lex autem diuiditur contra consuetudinem, & naturam (lex enim est ius scriptum asciscens honestum, prohibens contrarium) ergo non videtur commissum fieri contra naturam, vel consuetudinem.

¶ Contrarium dicitur: *quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam fœminæ eorum mutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam: similiter & masculi.* Similiter sunt consuetudines honestæ & approbatæ in ecclesia: contra quas si fiat, peccatur à ministris ecclesiæ. Ergo non tantum fit commissum contra legem: immo contra naturam, & consuetudinem. Rom. 1.

RESOLVTIO.

Si alterius quam legis transgressio videatur esse commissio, puta naturæ, vel consuetudinis, non nisi prout lex quædam ista sunt, eorum commissio esse dicitur.

¶ Ad quod respondendum: quod illud, quod fit contra naturam, fit contra legem naturæ: prout habetur. Cum Rom. 2.

gentes,

gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt: ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ergo quod fit contra naturam, fit contra huiusmodi legem: quæ licet non sit extra scripta, est tamen scripta in corde. Committi autem dicitur dupliciter contra legem exterius scriptam: quædam enim prohibet lex quantum ad omne tempus: & quædam quantum ad tempus determinatum. Cōtra legem ergo peccatur, si fiat aliquid, quod prohibetur secundum omne tempus: contra legem iterum committitur, si fiat aliquid pro tempore, pro quo prohibetur.

¶ AD illud vero quod obiicitur de consuetudine. Dicendum est: q̃ consuetudo est altera lex: sicut enim lex est mos scriptus, & dicitur constitutio: sic consuetudo est mos non scriptus, & tenet vim legis: cum est consuetudo honesta, approbata, & antiqua: committitur ergo, si fiat contra huiusmodi consuetudinem. Sed attendendum est: quod quædam consuetudo est circa honestum: & quædam circa vtile. Si fiat contra consuetudinem circa honestum, peccatur: si vero fiat contra consuetudinem circa vtile, est occasio peccati, & impedimentum perfectionis.

MEMBRVM IV.

An commissio diuisibilis sit in species formales?

QVARTO quæritur. Vtrum sit diuisibile in species formales, aut non sit diuisibile, quemadmodum delictū. Quod non videtur: delictum enim diuiditur per defectum scientiæ, & per defectum actus, & per defectum circumstantiæ debitæ: commissio autem non sic (nulla enim cōmissio est in hoc, quod scit quæ non tenetur scire) sed tantum consistit circa factum. Si ergo factum non diuiditur nisi materialiter, vel factum tale, aut tale: non erit diuisio commissi, nisi per species materiales.

¶ Contra, commissum diuiditur per superbiam, inuidiam, & huiusmodi: & hæ dicuntur differentiæ formales: cuiusmodi non habet delictum: ergo amplius extenditur secundum diuisionem peccatum commissionis, quam peccatum delicti.

¶ Item, sicut contingit non credere, quæ credenda sunt, & ita delinquere: ita credere, quæ non sunt credenda, & sic committere. Ex quo videtur, quod consimilis diuisionis sint ista duo genera peccatorum.

RESOLVTIO.

Nihil prohibet.

¶ AD quod dicendum: quod aliter attenditur diuisio commissionis, & delicti. Nam diuisio delicti attenditur secundum defectus illorum, in quibus est prius & posterius, scire, velle, & operari in circumstantiis debitis. Commissio vero non sic diuiditur: sed secundum differentias actionum in spem: secundum differentias etiam boni & mali: prout quidam actus sunt respectu boni, quidam respectu mali: & nihil prohibet has & illas esse formales: sed alio & alio modo.

¶ AD illud vero, quod obiicitur quod similis deberent esse diuisionis. Dicendum est: quod hoc verum est, quantum ad aliquos actus, circa quos indifferenter se habent commissio, & delictum: sicut est de actu credendi. Et similiter potest esse de actu timendi, & diligendi: contingit enim delinquere, non timendo quæ timenda sunt: & committere, timendo quæ timenda non sunt: & ita de aliis.

QVÆSTIO CXVII.

De peccato cogitationis.

In quinque Membra diuisa.

D.Th. 1. 2. q. 72. ar. 7. S. Bon. in 2. d. 41. ar. 1. q. 3. ad arg.

HABITA diuisione actualis peccati in delictum, & commissum: consequenter dicendum est de diuisione actualis peccati, prout diuiditur in peccatum cordis, oris & operationis. Et sumitur iuxta illam diffinitionem, peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legē Dei. Peccatum autē cordis præambulum est respectu peccati oris, & operis: & ideo primo dicendum est de illo. Peccatum a. cordis vel est cogitationis, vel iudicii, vel consensus siue assensus: primo enim cogitat ratio: secundo iudicat siue diffinit: tertio consentit siue assentit.

¶ Primo autem dicendū de peccato cogitationis. Circa quod primo quęritur: vtrū peccatum sit in cogitatione. Secundo, vtrū sit mortale: an tantum veniale. Tertio de cōparatione huius peccati ad illa, quæ sunt oris, & operis. Quarto, vtrum peccetur in sensibus, ex quibus prodeunt cogitationes intellectus. Quinto de differentia huius peccati respectu rerum præteritarum, præsentium, & futurarum.

MEMBRVM I.

An in cogitatione sit peccatum?

CIRCA primum sic obiicitur: quod in cogitatione sit peccatum: dicitur enim *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Ergo peccatum est in cogitatione. Isa. 1.

¶ Item, Isid. *Magna obseruantia circa cordis custodiam est adhibenda: quia aut bonæ, aut malæ rei ibi consistit origo:* nam scriptum est. *De corde exeunt cogitationes malæ.* Ergo in cogitatione est peccatum. Isidor. Matt. 15.

¶ Item, *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine: quam enim partem haberet in me Deus?* Ex quo colligitur, quod in cogitatione est peccatum. Iob 31.

¶ Item, super illud. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Greg. *Cogitationes superfluæ quæ assidue in animo, carnalia cogitante, nascuntur, & deficiunt, eam suauitatem, qua vnusquisque per spiritum intrinsecus vnctus est perdunt.* Eccl 10. Gregor. in Moral.

¶ Præterea, in confessione generali accusat se homo de peccato cogitationis: ergo in cogitatione est peccatum.

¶ Contra, cogitatio præuenit voluntatem: sed ante voluntatem non est peccatum: ergo in cogitatione sola non est peccatum.

¶ Item, Greg. *Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat.* Idem.

¶ Item, Isid. *Non est arbitrii nostri cogitationis praua suggestionibus præuenire: iacere autem in animo cogitationem, nostra attinet voluntati: illud ad culpam non redigitur: istud culpa propria imputatur.* Cogitatio ergo sola non imputatur ad peccatum. Isidor.

¶ Item, cogitatio bona non sufficit ad meritum: ergo nec cogitatio mala sufficiens est ad demeritum: ergo nec ad peccatum.

RESOLVTIO.

In cogitatione practica peccatum est: in speculatiua aūt nequaquam.

¶ Ad quod dicendum: quod est cogitatio speculatiua: & est cogitatio practica. Cogitationem a. practicam dico, quæ procedit vsque ad consensum, cum cogitationi adiicitur desiderium. Primo ergo modo cogitatio non est peccatum: secundo modo est peccatum: de illa dicit Isid. *cogitatio praua delectationem parit, delectatio consensionem.* Et Greg. *Turbis cogitationum carnalium adeo ima corda sunt depressa, vt ad quietis intima non leuentur desiderium.* Isidor. Greg.

¶ Et per hoc soluuntur ea, quæ ex vtraque parte sunt quæsita: ideo dicit B. Greg. *Humana tentatio est, qua plerunque in cogitatione tangimur nolentes: quod enim illicita ad animum veniunt, ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Damnata autem tentatio est, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus constringit.* Idem.

¶ Ad obiectum autem primo respondendum est: quod cogitatio quæ præuenit consensum est speculatiua: & talis non est peccatum, licet sit peccati occasio.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod cum cogitatio praua pulsat animum, aliquando mens renititur, & non est peccatum: aliquando vero per desiderium ducitur: & tunc dicitur esse peccatum ꝓpter ipsam delectationē adiunctā.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod iacere dicitur cogitatio in animo, cum in ea fit delectatio: & tunc ad culpam pertinet.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod non sequitur vniuersaliter: si cogitatio bona non est sufficiens ad meritum, quod mala nō sit sufficiens ad demeritum: plura enim exiguntur ad meritum, quam ad demeritum. Si tamen vtrobique accipiatur cogitatio speculatiua, quo ad hoc parificantur.

MEMBRVM II.

An peccatum cogitationis mortale, vel veniale sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum cogitationis peccatum sit mortale, an tantum veniale. Et videtur quod sit veniale. Cogitatio enim mala est citra delectationem: si ergo in ipsa delectatione est veniale peccatum: multo fortius in cogitatione præcedente.

Gregor. ¶ Item Greg. *Nonnunquam impulsu cogitationis illicitæ affligimur: quia in quibusdam internæ conuersationis actibus, quamuis licitis, libenter occupamur: & ideo sacerdos legis, pedes atque intestina hostiæ iubet aqua diluere.* Ergo cum huiusmodi cogitatio illicita sit venialis: veniale peccatum erit.

Isidor. ¶ Contra Isidor. *Sicut vipera à filiis in vtero positis lacerata punitur: ita nos cogitationes nostræ intra nos enutritæ occidunt.* Ergo cogitatio mala est mortale peccatum: nihil enim occidit, nisi mortale peccatum.

Idem. ¶ Item, Greg. *Plerunque contingit, vt nondum præcedat in opere motus mentis: & iam perfecta est culpa ex ipso reatu cogitationis.* Ergo cogitatio facit animam ream: sed reatus propriè dicitur mortale peccatum: ergo cogitatio mala est mortale peccatum.

Idem. ¶ Item, Greg. *Cum desideriorum cogitationes semper diabolum sequantur in opere, valde se tamen obligant in cogitatione.* Ex quibus colligitur, quod cogitatio illicita est mortale peccatum.

RESOLVTIO.

Et mortale, & veniale diuerso respectu.

¶ AD quod respondendum: quod cogitatio est duplex: vel de veniali, vel de mortali. Si sit cogitatio de veniali progrediens vsque ad delectationem, vel consensum veniale dicetur. Si vero fuerit cogitatio de mortali, & procedat ad consensum, dicetur mortale peccatum: non propter cogitationem principaliter, sed propter consensum.

MEMBRVM III.

An peccatum cogitationis maius sit, quam peccatum oris, & operis.

TERTIO quæritur de comparatione huius peccati ad alia, quæ sunt oris, & operis. Videtur enim esse causa

Matt. 15. aliorum peccatorum, per hoc quod dicitur. *De corde exeunt &c.* Cogitatio est principium aliorum peccatorum: vnde & comparatur arbori malæ, quæ producit fructum malum. Sed causa in bonis melior est suo causato: ergo causa in malis similiter: ergo deterius est peccatum cogitationis, quam oris, & operis.

Iob 18. Gregor. ¶ Item, super illud. *Deorsum radices eius siccentur, sursum atteratur messis eius.* Greg. *Nomine radicum, quæ in occulto sunt sita, cogitationes accipimus, messis vero nomine aperta operatio designatur: quæ ex latenti radice producitur.* Per hoc ergo, quod radices siccantur, messis atteritur: quia dum cogitationes suas in infimis rebus ponit, & sempiternæ viriditatis gaudia appetere negligit, omnis operatio superno iudicio quasi nihilum reputatur. Si ergo sicut in radice est tota virtus arboris: ita in cogitatione procedente ad consensum est tota virtus peccati: ergo maius videtur esse peccatum cordis, quam oris & operis.

Iob 3. ¶ Contra, super illud. *Quare non in vulua mortuus sum?* Ibi distinguitur peccatum quatuor modis in corde, & quatuor modis in opere: & designatur ibi progressus in peccato. Vnde dicit Greg. *In peccato conceptum foras delectatio rapit. sed vtinam in ea delectatione occumberem, ne vsque ad operis consensum desiperem. Exceptus est genibus, quando per consensum spiritus omnibus sensibus subiectis, quasi genibus culpam consummauit.* Et ita progressum peccati designat: sed quanto maior est progressus peccati: tanto maior est culpa: ergo peccatum operis vel locutionis maius est, quam peccatum cordis.

Isidor. ¶ Eodem modo potest haberi per verbum Isid. qui dicit. *Cogitatio praua delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem.* Sic ergo peccatum operis est peccatum maius, quam peccatum cordis vel locutionis.

RESOLVTIO.

Quinimmo econuerso: cum illud ad istud ordinetur.

¶ Ad quod respondendum: quod peccatum operis maius est, quam cogitationis, vel cordis: cum ad illud ordinentur: posito enim peccato operis, ponitur peccatum cordis: & non econuerso. Nec hoc est contrarium, quod illud dicitur esse causa illius: non enim sequitur, si causa est; vt tota malitia operis sit in cogitatione: sed econuerso: causa enim aliquando abundat super causatum in malitia: aliquando vero econuerso, cum scilicet causatum habet aliquam malitiam præter illam, quam contrahit à causa: malitia vero operis habet præter malitiam cordis etiam malitiam sui generis.

MEMBRVM IV.

An & in sensibus, ex quibus prodeunt, procedunt que cogitationes intellectus, peccetur?

QVARTO quæritur, Vtrum peccetur in sensibus, ex quibus procedunt cogitationes intellectus: Quod videtur per hoc quod dicitur. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Matt. 5. Et dicitur. *Ascendit mors per fenestras nostras.* Ierem. 9. Fenestræ autem dicuntur sensus, mors autem dicitur peccatum: ergo peccatur per ipsos sensus.

¶ Item, Greg. *Illecebratus animus aduersus suos sensus corporeos famulari more tyranni exigit, suis voluptatibus oculos seruire compellit, atque (vt ita dicam) fenestras luminis ad tenebras aperit cæcitatis.* Gregor. Similiter dicit. *Ipso conspectu animus concupiscentia gladio confoditur: non enim Dauid Vriæ vxorem ideo studiose respexit,* Idem lib. 12. Moral. *quia concupierat: sed ideo concupiuit, quia incaute respexit.* Ergo siue sensus famulentur concupiscentiæ, siue prouocent concupiscentiam, videtur ex verbis Greg. quod peccetur per istos sensus.

¶ Item, dicit Greg. super illud. *Pepigi fœdus &c. Prouidendum nobis est, quia non licet intueri, quod non licet concupisci.* Idem sup. Iob 30. Sed si illicitum est intueri, peccatum est: ergo ipso visu peccatur.

¶ Item Chrysost. *Qui studet videre pulchros visus, maxime caminum passionis accendit: & animam captiuam facit: & velociter ad actum venit.* Chrysost. Sed facere animam captiuam, non est nisi per peccatum: ergo ipso visu peccatur. Similiter qui studet clara corpora circumscrutari, & fouere inspectione animam, & infigere oculos bonis faciebus, iam adulterauit: Ergo ipso visu peccauit.

¶ Contra, secundum irrationalem partem non est peccatum: sed pars insensibilis est pars irrationalis: ergo secundum eam non est peccatum.

¶ Item, apprehensio præcedit desiderium: apprehensio vero sensibilis intelligibilem. Si ergo in apprehensione intelligibili secundum seipsam non est peccatum: in apprehensione sensibili non erit peccatum.

¶ Præterea, si in ipsis sensibus esset peccatum; cum nolentes aliquando videamus; esset peccatum, vbi non esset voluntas: quod cum verum non sit: non erit in ipsis sensibus peccatum.

RESOLVTIO.

Sensus si desideria præcesserint, occasiones quidem peccandi esse poterunt: sed minime ipsis peccabitur. Sin illa sequuti fuerint, & ipsis interdum delinquitur.

¶ AD quod respondendum: quod sensus aliquando præcedit desiderium: aliquando sequitur: sicut dicit Greg. Gregor. *Sæpe tentatio per oculos trahitur, & nonnunquam concepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus oculos deseruire.* Cum ergo sensus præcedunt desideria, occasiones sunt peccatorum, sed non in ipsis peccatur: & sic intelligitur illud Ierem. 9. Ingressa est mors per fenestras nostras: non quod mors sit in ipsis, nisi occasionaliter: sed per se in ipsis desideriis illicitis. Cum autem oculus mouetur ad nutum voluntatis, siue cordis; tunc ipsis peccatur: & ideo dicitur. *Si secutus est oculus meus,* Iob 31. *cor meum, & in manibus meis adhæsit macula; seram, & alius comedat.* Præterea: aliquando est desiderium illicitum cum

ipso

ipso sensu; & tunc peccatur: aliquando vero desiderium illicitum sequitur sensum: & tunc posterius est peccatum ipso sensu.

Matt. 5. ¶ Per hoc potest solui illud, quod obiectum est: cum enim dicitur. *Qui viderit &c.* Intelligitur desiderium cum visu, quo s. infigit oculum, & prouocat concupiscentiam interiorem: & hoc modo peccatur. Vnde est concupiscentia infigens oculum: & est cōcupiscentia, secundum quam consentitur in actum: & vna est concomitans sensum, & est peccatum; quia à rationali parte prouenit: & est concupiscentia sequens: & illa est maior, ad quam minor ordinat: & ideo dicitur. Qui viderit ad concupiscendum. Vnde

Chrysost. dicit Chrysost. *Quicunque sibiipsi concupiscentiam colligit, qui nullo cogente feram hanc inducit cogitationi quiescenti, hoc non amplius est peccatum naturæ, sed desidiæ.*

Gregor. ¶ Ad illud vero, quod dicit Greg. *quod ipso conspectu concupiscentiæ gladio animus confoditur.* Dicendum est, quod conspectum dicit ibi occasionem: ipsa vero concupiscentia dicit causam: & ideo in ipsa concupiscentia peccatur. Et ideo

Eccles. 23. Psal. 118. dicitur. *Omne desiderium prauum auerte à me.* Et *Auerte oculos meos, ne videant vana.*

Gregor. ¶ Ad illud vero, quod dicit Greg. *quod non debet intueri &c.* intelligitur hoc de studio defigendi oculum ad concupiendum: & ideo dicit Chrysost. *Semel & bis videns, fortassis poteris continere: si autem continue hoc feceris & accenderis caminum, capieris omnino.*

Chrysost.

¶ Ad illud vero, quod dicit Chryso. Dicendum, quod non prohibetur visus simpliciter: sed studium defigendi oculum: vnde attenditur passio concupiscentiæ. Et hoc est, quia causa coniuncta est ad peccatum, & ipsum studium ab ipsa ratione male disposita descendit.

MEMBRVM V.

An cogitatione peccare contingat, & circa præterita, & circa præsentia, atque futura?

QVINTO quæritur de differentia huius peccati respectu rerum præteritarum, præsentium, & futurarum. Potest enim quæri, vtrum omnibus his modis peccetur cogitatione, quo ad recordationem præteritorum, quo ad intuitum præsentium, quo ad præcogitationem futurorum? Quod videtur per hoc, quod dicit Greg. *Ita fit, vt quod prius egit in corpore, hoc importuna cogitatione postmodum verset in mente.* Ergo peccatur per recordationem. Similiter potest patere de aliis: ergo omnibus illis modis peccatur.

Gregor.

¶ Item, omnibus illis modis nascitur delectatio illicita: & vbi est delectatio illicita, ibi est peccatum: ergo omnibus illis modis contingit peccare.

¶ Contra, sola voluntate peccatur, non nisi cum præsens est: ergo vno tantum modo peccatur, per conuersionem sc. super rem præsentem.

RESOLVTIO.

Contingit quidem: sed non vt peccatis tribus, at, vt dispositionibus tribus.

¶ Ad quod respondendum: quod illis tribus modis peccatur, tanquam dispositionibus tribus: & sunt tres dispositiones differentes secundum conditiones temporis in ipsis rebus: vno tamen modo peccatur: quia semper motiuum voluntatis est præsens aliquo modo in anima per speciem, siue similitudinem, siue sit de re præterita, siue præsenti, siue futura.

QVÆSTIO CXVIII.

De iudicio suspitionis.

In octo Membra diuisa.

D.Th. 22. quæst. 60. CONSEQVENTER dicendum est de prauo iudicio, quo peccatur interius primo: & postea exterius in ore, vel opere vel personarum acceptione. Primo ergo dicendum de prauo iudicio interiori, siue sequatur iudicium exterius, siue non. Secundo de acceptione personarum interiori: vt quã sequitur iudicium acceptionis exterius. Est autem triplex iudicium prauum, iudicium suspiciosum, iudicium vsurpatum, iudicium temerarium siue peruersum, cum nō fit debitis conditionibus iustitiæ ab illo, qui habet potestatem: & vocatur iudicium extraordinarium, id est, extra ordinem iuris factum. Et distinguuntur hæc tria, vt iudicium suspiciosum attendatur secundum motiuum in iudicio, siue per quod non recte, siue imperfecte fit iudicium: iudicium vero vsurpatum sumatur ex parte ipsius, per quem fit iudicium: iudicium vero extraordinarium (quod & aliquãdo dicitur contentiosum) penes modum procedendi in iudicio. Primum ergo dicendum est de iudicio suspitioso.

¶ Circa quod primo quærendum est: quid sit suspitio? & vtrum sit idem quod iudicium, vel non? Secundo, vtrum suspitio sit malum, vel bonum. Tertio, vtrum sit malum culpæ, vel pœnæ. Quarto, vtrum iudicium suspitionis sit mortale tantum, aut veniale tantum, aut aliquando mortale, aliquando veniale. Quinto, si suspitio est malum pœnæ, ex qua causa. Sexto, vtrum suspitio sit hominis secundum statum innocentiæ vel angeli: vel tantum hominis secundum statum naturæ corruptæ. Septimo, ex qua suspitione potest esse iudicium rectum, & ex qua non. Octauo, de quibus potest esse iudicium huiusmodi, & de quibus non.

MEMBRVM I.

An iudicium idem sit quod suspitio?

DIFFINITVR autem sic. Suspitio est mala opinatio, sicut dicit Tullius. Quæritur ergo, vtrum iudicium idem sit, quod suspicio. Quod videtur: vtrumque enim ad rationem pertinet, & distinguitur à scientia: neque enim qui suspicatur, scit: neque qui iudicat ex suspitione, scit, sed opinatur. In eodem ergo genere videntur poni, & eandem habere differentiam: secundum quod hic intendimus de suspitione & iudicio.

¶ Contra super illud. *Nolite ante tempus iudicare.* Glo. *Si suspitiones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen vt diffinitiuas sententias continere debemus.* Ergo iudicium non est suspitio. 1. Cor. 4. Glossa.

RESOLVTIO.

Iudicium proprie suspitio non est (nisi interdum materialiter) sed bene hæc ad illud disponit.

¶ AD quod dicendum, quod suspitio non est iudicium: secundum quod suspitio dicitur acceptio vnius partis cum formidine alterius: iudicium autem sententia firmata. Suspitio tamen disponit ad iudicium: & secundum hoc intelligitur authoritas prædicta. Est tamen suspitio, quæ relinquitur ex iudicio: cum aliquis habet rationem leuem vel probabilem, & secundum illa iudicat; ex illo iudicio relinquitur suspitio: & aliquando potest dici illa suspitio iudicium, materialiter. Suspitio autem aliquando potest sumi pro ratione, per quam fit suspitio: & hoc modo dicitur iudicium suspitiosum. Aliquando vero pro ipso actu animi: & sic esset oppositio, si diceretur iudicium suspitiosum: vt esset sensus, firma sententia, vbi est formido. Sed si diceretur firma sententia, vbi deberet esse formido: sic posset dici iudicium suspitionis.

MEMBRVM II.

An suspitio bonum, vel malum sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum sit malum, vel bonum. Et videtur quod sit bonum: suspitio enim est in genere opinionis: & potest esse de malo quod sit malum, & de bono quod sit bonum: ergò suspitio potest esse bonum.

¶ Contra super illud. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum* Glo. *Maximum vitium humanitatis est suspitio.* Ergo suspitio est malum. Psal. 11. Glossa.

RESOLVTIO.

Quadam ratione dicitur bonum, quadam autem malum.

¶ AD quod dicendum, quod suspitio potest accipi communiter: prout dicitur esse opinio vel de malo, vel de bono: & secundum hunc modum potest esse suspitio bonū in genere. Si vero approprietur ad opinionē malam secundū quod opinio mala est de bono, q̄ sit malum, vel econuerso: secundum hoc dicitur vitium humanitatis suspitio: &

dici-

Psal m. 5. Glossa dicitur malum, prout dicitur super illud. *De necessitatibus meis erue me.* Glo. *Infinita sunt necessitates, vt nescire cor alterius, suspicare bonum de amico infideli, malum de amico fideli.* Et vocatur ibi necessitas miseria pœnæ.

MEMBRVM III.

An suspitio sit malum culpæ, vel pœnæ.

TERTIO quæritur, Vtrum suspitio sit malum culpæ, vel pœnæ. Et videtur quod sit malum pœnæ, per hoc quod iam dictum est. Dicitur etiam super illud, *Nolite ante tempus iudicare.* De hominibus aliquando, immo assidue non vera sentimus: quod ad humanam tentationem pertinet, sine qua vita non ducitur. Ergo suspitio est malum pœnæ. (1. Cor. 4.)

¶ Quod autem sit malum culpę, videtur per hoc, quod cadit sub prohibitione *Nolite iudicare.* Et *In quo alterũ iudicas, teipsum condemnas.* Et super illud *Tu qui es, qui iudicas alienum seruum* Glo. *De quibus incertum est, quo animo fiunt; sine periculo nemo iudicat.* Et istud habetur Matt. 5. in Glo. (Matt. 1. Rom. 2. Rom. 14. Glossa.)

RESOLVTIO.

Interdum hoc, interdum illud.

¶ RESPONDENDVM est: quod malum culpæ potest esse, & pœnæ. Malum culpæ propter voluntatem inordinatam iudicandi de alio, quod non expedit: nec de aliorũ occultis malum suspicari. Vnde prauum iudicium potest dici, ex errore procedens temeraria sententia: vel suspitio mali de occultis aliorum. Malum vero pœnæ dicitur propter pronitatem opinandi male de proximo. Sicut enim approbare falsa pro veris, non est natura hominis bene instituti, sed pœna damnati: ita huiusmodi opinatio ex corruptione naturæ procedit.

MEMBRVM IV.

Suspitio quale peccatum sit?

QVARTO quæritur, Vtrum iudicium suspitionis sit mortale tantum: aut aliquando veniale, aliquando mortale. Et videtur quod sit veniale tantum, per quod in Psalm. 4. dicitur *necessitas*: necessitas autem non est mortale peccatum: ergo huiusmodi suspicari, vel suspiciose iudicare non est mortale peccatum: & est mortale, vel veniale: ergo est veniale peccatum. (Psalm. 4.)

¶ Contra, dicit Aug. super illud. *Nolite ante tempus iudicare. Si suspitiones vitare non possumus, iudicia tamen vitare debemus.* Ergo iudicium est mortale peccatum. (Aug. sup. 1 Cor. 4.)

¶ Item, Glo. super illud 2. Corint. 4. *Prohibet nobis Apostolus iudicia: quia occulta sunt nobis corda hominum.* (Glossa super 1. Cor. 4.)

RESOLVTIO.

Aliquando mortale, aliquando veniale.

RESPONDEO: quod differunt suspitio, & iudicium, secundum quod iudicium proprie dicitur; prout dicit B. Hieronym. *de duobus non diffinias, sed suspensam tene sententiam:* & hoc modo iudicium est prohibitum, & est mortale. Suspicari tamen, vel ex quadam pronitate, siue leuitate dicere malum de bono, sed non firmare, veniale peccatum reputetur. Suspitio ergo, cum non progreditur in sententiam firmam & diffinitiuam, veniale potest esse peccatum: cum autem progreditur, est mortale. Cum enim homo mouetur ex coniectura ad opinandum & non plus extenditur, quam coniectura exigat: tunc est humana tentatio: cum autem nimis amat suam sententiam, & plus formar sibi ex malitia libidinosæ voluntatis: diabolica videtur tentatio. (Hieron.)

MEMBRVM V.

Cuius peccati suspitio pœna sit?

QVINTO quæritur: si suspitio est malum pœnæ, ex qua causa? vtrum sit ex originali peccato. Quod videtur per hoc quod dicitur super illud. *Amputa opprobrium &c.* Hoc est opprobrium suspitionis, quod nos de falsis vera iudicamus. Sed hoc opprobrium de originali peccato descendit, sicut & ignorantia: ergo est pœna sequens ex originali peccato. (Psal 118.)

¶ Videtur etiam aliquando sequi ex peccato actuali: sicut enim aliqui ducuntur in consuetudinem iurandi, & per hoc de facili peierant: ita aliqui proprio motu ducuntur in consuetudinem suspicandi, vel iudicandi temere: & ita temere suspicantur, vel iudicant: prouenit ergo aliquando ex actuali peccato.

RESOLVTIO.

Et originalis, & actualis.

¶ QVOD concedendum est: vt non tantum sit pœna originalis peccati: sed etiam pœna actualis in præsenti, & disponens vlterius ad culpam. Sicut est de ignorantia, quæ prouenit ex originali peccato, & aliquando ex actuali: & disponit vlterius ad culpam aliquando venialem, aliquando mortalem. Aug. Quando non erratur in rebus, vt recta sit improbatio vitiorum, virtutumque approbatio; profecto si erratur in hominibus, humana tentatio est venialis: quod autem perniciosum est, prohibet Apostolus, dicens. *Nolite ante tempus iudicare.* Et hæc alibi dicitur diabolica tentatio: cum ex odio animi procedit, & in alterius nocumentum tendit. (1. Cor. 4.)

MEMBRVM VI.

Suspitio cuius sit?

SEXTO quæritur, Vtrum suspitio sit hominis secundum statum innocentiæ, vel angeli, vel tantũ hominis secundum statũ naturæ corruptæ. Quod videtur, dicitur Ier. 14. in persona angelorum. *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisq; in terram suam.* Aut hoc ergo, quod dixerunt *derelinquamus* dixerunt ex certa scientia: aut ex æstimatione, siue suspitione. Non ex certa scientia, quia de nemine desperandum est, dum est in via: Ergo fuit ex æstimatione siue suspitione: ergo in angelis bonis potest cadere suspitio. Pari ratione potuit esse in Adam: cum enim non cognosceret occulta cordium (hoc est enim solius dei) potuit cognoscere vel suspicari bonitatem voluntatis in aliquo: ergo potuit cadere in ipsum suspitio. (Ierem. 41)

¶ Contra, suspitio est pœna: pœna autem non fuit nec in angelo bono, nec in homine primitus instituto: ergo suspitio non fuit in illis, nec in angelis bonis.

RESOLVTIO.

Suspitio proprie dicta angeli mali tantum est, & hominis in statu hoc corrupto.

¶ RESPONDEO suspitio potest dici opinio boni vel mali, vera vel falsa: in angelis autem bonis confirmatis non est opinio, secundum quod suspitio est acceptio vnius partis cum formidine alterius: vnde nec suspitio. In angelis tamen malis potest esse opinio, vel suspitio.

¶ Ad hoc ergo, quod obiicitur de illo verbo Ierem. *Curauimus Babylonem &c.* Dicendum est: quod certa fuit scientia in eis de re præterita: de futuro vero cognouerunt, quod nisi auxilium superioris medici sc. dei superueniret, non curaretur. Hoc autem certum fuit apud eos per diligentiam, quam appoluerant: non tamen omnino desperabant: quia de nemine desperandum est, dum est in via: sed de sua sufficientia ad hoc non præsumebant: & de inobedientia ipsius ægroti erant certi quantum ad se. In homine vero primitus instituto non erat suspitio, secundum quod importat pœnam. Si vero dicatur opinio acceptio vnius partis non per certissimam rationem (non dico cum formidine alterius partis) secundum hoc poterat esse opinio: & si non fallax opinio, quæ dicitur esse suspitio. (Ierem. 14.)

MEMBRVM VII.

An iudicium ex suspitione vniuersaliter rectum sit?

SEPTIMO quæritur: ex qua suspitione potest dici iudicium rectum, & ex qua non: Videtur enim quod iudicium ex suspitione vniuersaliter non sit rectum, per Aug. autoritatem. Si suspitiones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen vitare debemus. Ergo videtur ex hoc, quod omne iudicium ex suspitione sit non rectum.

¶ Sed videtur contrarium: potest enim aliquis habere

vehe-

vehementem suspitionem, cum plurima fiunt signa mali, & secundum hoc iudicare: sicut videbatur Apostolus, cum dicit principi sacerdotum. *Percutiat te Deus paries dealbate.* Et dixit Ioannes. *Genimina viperarum, quis &c.* Actor. 24. Matt. 3.

RESOLVTIO.

Quin immo interdum non rectum: cum sc. ex temeraria, vel probabili suspitione fuerit: Secus si ex violenta.

¶ Ad quod dicendum est: quod est iudicium quoddam eorum, quæ occulta sunt in corde: & est iudicium aliud eorum, quæ sunt in opere. Et illorum, quæ sunt in opere, quorundam potest esse probatio, & quorundam non. Occultorum ergo cordis, & occultorum simpliciter operis non est faciendum iudicium per suspitiones; vt homo solum suspitionibus innitatur. Vbi vero est opus, quod per signa probari potest, distinguendum est. Est enim suspitio triplex: temeraria, quando sunt multa signa boni, pauca mali: & tunc iudicare ex suspitione, id est condemnare est mortale peccatum, si fiat cum deliberatione. Si vero fuerit suspitio probabilis, quādo multa sunt signa mali, boni pauca; tunc iudicare ex huiusmodi peccatum est: sed non ita graue: sed veniale dum stat in suspitione: si vero veniat ad assertionem firmam, tunc ex pertinacia præsumitur esse mortale. Est iterum suspitio violenta: cum omnia signa mali apparent, nulla boni, & tunc non est peccatum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod illud iudicium, quod fuit Apostoli, vel B. Ioannis, ex inspiratione credendum est esse. Vel fuit verbum cautelæ, & non assertionis.q d. Si es talis, percutiet te Dominus. Et similiter intelligendum est de prædicantibus, quorum est dicere in vniuersali, & non in particulari, ne determinata persona scandalizetur: vel occasione illius alii scandalizentur.

MEMBRVM VIII.

An asserens ex suspitione de aliquo malo, quod sit bonus, & de aliquo bono quod sit malus, vtroque modo peccet?

OCTAVO quæritur: de quibus potest esse iudicium huiusmodi, & de quib. non. Potest enim aliquis ex suspitione asserere de malo, ꝙ sit bonum, & potest asserere ex suspitione de bono, quod sit malus: cum apparent plura signa malitiæ, vel bonitatis. Quæritur ergo, vtrum vtroque modo peccatur? Quod videtur per hoc, quod dicitur. *Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Et ponit Glo. exemplum de personis, sicut de Christo & Barrabba. Ergo vtroque modo peccatur mortaliter: væ enim non est nisi comminatio pœnæ æternæ, quæ debetur peccato mortali. Isa 5. Glossa

¶ Contra, de quolibet præsumendum est, quod sit bonus; donec probetur contrarium, siue appareat cōtrarium: & tamen potest esse malus, siue peccator: & ita de eo, qui malus est, non est peccatum dicere, quod bonus sit.

¶ Præterea, aliqua præeminentia est in vnoquoque: propter quod dicit Apostolus, quod arbitremur alios superiores. Si ergo ex illa suspitione dicamus illos esse bonos, non erit peccatum. Apost.

¶ Præterea, in quolibet instanti potest quis conuerti ad Dominum, si vult: & si conuertatur, bonus est: proniores autem debemus esse ad bonum, quam ad malum: ergo si dicamus vel suspicemur de isto, quod bonus sit, non erit peccatum.

RESOLVTIO.

Si constat, vtique: si non constet, minime.

¶ Ad quod dicendum: quod aliter est in parte, cum iudicatur, siue dicitur esse malus: & cum iudicatur, siue dicit' esse bonus: & in parte est simile. Sicut n. de eo, de quo cōstat esse bonū, non est iudicandū esse malum: & si iudicatur, est peccatum: ita de eo, de quo constat esse malum, non est iudicandum esse bonum: & si iudicatur vel dicitur esse bonū, dicitur esse peccatum. Vbi vero nō constat, dissimiliter est: sic enim habet locum, quod dicitur: quod præsumendum est de quolibet, quod sit bonus; donec constet vel appareat contrarium: & tamen potest contingere, quod ille sit malus: non autem de quolibet præsumendum est, quod sit malus, donec constet contrarium: & tamen pronior est natura hominis ad malum, quam ad bonum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod arbitrandi sunt alii superiores nobis. Hoc est ad*instructionem nostræ humilitatis: quod dicit Apostolus: & quia quantum bonum contulerit Deus alii, nescimus. Non tamen si constet de malitia actuali, pro tempore illo debemus illum iudicare bonum. *Alias, imitationem. Apost.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod in quolibet instanti potest pœnitere. Dicendum est: quod si post actum peccati mortalis appareant signa pœnitentię, suspicandum est ipsum esse bonum. Aliter est etiam & in bono & in malo: quia pro vno de quo constat, potest dici malus: pro vno vero bono, de quo constat, non potest propter hoc iudicari siue diffiniri bonus: bonum enim est vno modo, malum autem multifarium. Aliter autem est iudicium de actibus, quam de personis: nam in actibus iudicium attenditur quo ad paria: vt si de malo actu iudicetur quod sit bonus, vt de fornicatione: & de bono actu quod sit malus: vtrobique consimiliter peccatur.

QVÆSTIO CIX.

De iudicio præsumptionis, vel vsurpato.

In quatuor Membra, & vndecim Articulos diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de Iudicio vsurpato, quod alii vocant Præsumptuosum: quia præsumit id, quod ad se non pertinet. Vsurpatur autem aliquando iudicium quod est Dei, aliquando iudicium quod est hominis. D.Th. 2. 2. q.60.

¶ Quærendum est ergo primo de vsurpatione iudicii diuini, quod dicitur iudicium hominis vsurpatum. Secundo de vsurpatione humani iudicii à Moyse & Phinees. Tertio, de iudicio vsurpato ab eo, qui habet potestatem disparatam. Quarto, de iudicio, prout est inter ecclesiasticas personas.

MEMBRVM I.

De vsurpatione diuini iudicii?

CIRCA primum quærendum est primo vtrum solius Dei sit iudicare de occultis cordis. Secundo, vtrum homo possit iudicare occulta cordis proprii. Tertio, si non de occultis aliorum, sed de manifestis; vtrum de omnibus manifestis potest fieri omnino iudicium. Quarto, si non de dubiis possumus iudicare; vtrum in partem vtramq; indifferenter sit interpretandum: an tantum in meliorem partem: vel aliquando in deteriorem?

ARTICVLVS I.

An solius Dei sit, de occultis cordium iudicare?

CIRCA primum sic: dicitur *Solus Dei est iudicium, nosse occulta cordis. Homo videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* Similiter dicitur. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Ex his accipitur, quod solius Dei est iudicare de occultis. Rom 2. 1.Reg 16. Actor. 2.

¶ Item, super illud. *Non in disceptationibus.* Glo. *Non vsurpemus diiudicare cogitationes aliorum: sed Deo præbeamus.* Rom 14. Glossa

¶ Contra, *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Ergo homo potest cognoscere occulta cordis, & secundum notitiam est iudicium: ergo potest iudicare. Prou. 27.

¶ Item, *Ex visu cognoscitur vir: & ab occursu faciei sensatus.* Cum ergo secundum notitiam sit iudicium, potest iudicari per ea, quæ exterius sunt, de occultis cordis. Eccl. 19.

¶ Præterea, dicitur. *A fructibus eorum cognoscetis eos* (& loquitur de hypocritis) ergo corda hypocritarum possunt cognosci per fructus exteriores. Sed sicut possunt cognosci, ita iudicari: ergo de occultis potest esse humanum iudicium. Matt. 7.

* *
*

RESOLVTIO.

Iudicio certitudinis solius Dei: iudicio vero coniectura etiam aliorum ab illo.

¶ RESPONDENDVM est ad hoc: quod solius Dei est iudicare de occultis iudicio certitudinis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur in contrarium. Dicendum est: quod illa manifestatio, qua corda dicuntur esse manifesta prudentibus, non est nisi quædam notitia secundum coniecturam: propter quam non debet procedere iudicium bonitatis, aut malitiæ secundum certitudinem: sed ex hoc potest oriri quædam præsumptio.

¶ Similiter dicendum est de eo, quod dictum est Ecclesiastici 19. coniectura enim capitur ex iudiciis exterioribus eorum, quæ latent in corde.

¶ Ad tertium vero dicendum est: quod fructus dicuntur illa iudicia manifesta, per quæ potest esse cognitio præsumptionis, non certitudinis. Vel si fructus dicuntur peccata, sicut videtur dici super illud. *Manducantem non iudicet:* vbi dicitur, Manifesta sunt, quæ non possunt bono animo fieri; vt sunt blasphemiæ, furta, & huiusmodi: de quibus dicitur. *A fructibus eorum cognoscetis eos:* tunc de illis, & per illa iudicari permittitur. Si enim opera sunt huiusmodi, bene iudicandus est esse peccator, siue malus in corde. Rom. 14. Matt. 7.

ARTICVLVS II.

An homo iudicare possit de occultis proprii cordis?

SECVNDO quæritur: si homo potest iudicare de occultis cordis sui. Quod videtur per hoc, quod dicitur. *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Ergo spiritus hominis scit, quæ sunt in ipso: & de quibus scit homo, de his potest iudicare, id est diffinire: ergo homo potest iudicare de occultis cordis sui. 1. Cor. 2.

¶ Item, dicitur. *Spiritualis homo omnia iudicat.* Sed quæ sunt illa omnia, nisi quæ pertinent ad ipsum? ergo spiritualis homo potest iudicare de occultis cordis sui. Ibidem.

¶ Contra, super illud. *Neque meipsum iudico.* Glo. *Periculosum est nobis de occultis cordis nostri vel aliorum iudicare: tanta enim profunditas credenda est in ipso homine, quæ lateat etiam ipsum hominem.* Et hoc ostenditur per Petrum, qui dixit. *Et si omnes scandalizentur in te, ego nunquam scandalizabor;* & tamen scandalizatus fuit. 1. Cor. 4. Glossa. Matt. 26.

RESOLVTIO.

Iudicio examinationis simpliciter potest: iudicio vero diffinitionis, quodammodo potest, quodammodo non potest.

¶ AD quod dicendum: quod est duplex iudicium: diffinitionis de re præsenti, vel futura. Item, est iudicium examinationis. Potest ergo homo de se iudicare iudicio examinationis præsentia & præterita, quæ licet sint in genere suo occulta; tamen ipsi homini sunt manifesta. Vnde dicitur. *Si nosipsos iudicaremus, non vtique diiudicaremur.* Est autem iudicium diffinitionis de præsenti, & de re futura. De præsenti vero aut de persona, aut de facto. Si de futura re, aut quod pertinet ad fragilitatem, aut quod pertinet ad virtutem. Si ad fragilitatem, satis potest de se certam ferre sententiam. Si vero de virtute; vix aut nunquam potest de se ferre sententiam veram. Si vero de præsenti quantum ad factum, certam potest dare sententiam quo ad genus boni, vel mali, vel indifferentis. Si vero quo ad personam, de malo potest iudicare; sed de bono non, nisi fuerit ex speciali gratia data à Domino: sicut quando dixit Apostolus. *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque præsentia, neque futura separabunt me à charitate, quæ est in Christo Iesu.* 1. Cor. 11. Rom. 8.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod spiritualis homo omnia iudicat: intelligendum est de iudicio examinationis eorum, quæ pertinent ad salutem secundum sufficientiam. Neque est contrarium ei, quod dicit Apostolus. *Neque meipsum iudico:* hoc enim est de iudicio spectante ad futurum, vel ad præsens secundum rationem boni: quasi non diffinio me esse bonum: etsi non habeam cōscientiam mali. Potest tamen homo habere certitudinem confidentiæ de futuris: & si non certitudinem iudicii. Vnde, *Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus.* 1. Cor. 4. 1. Ioan. 4.

ARTICVLVS III.

An de omnibus aliorum manifestis omnino iudicium fieri possit?

TERTIO quæritur: si non de occultis aliorum, sed de manifestis, vtrum de omnibus manifestis potest fieri omnino iudicium? Quod videtur, dicitur enim super illud. *Nolite iudicare.* Glo. De manifestis licitum est iudicare. Et super illud. *Manducantem non iudicet:* Manifesta sunt, quæ non possunt bono animo fieri: de quibus nobis iudicare permittitur. Luc. 6. Glossa. Rom. 14.

¶ Contra, videtur quod non de omnibus apertis: vnde super illud. *Non amplius inuicem iudicemus.* Glo. *Non reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiunt: vel etiamsi aperta sint, non ita reprehendamus, vt de sanitate desperemus* (& accipitur ibi reprehendere pro iudicare) ergo non de omnibus manifestis potest fieri iudicium. Rom. 14. Glossa.

RESOLVTIO.

Si manifesta isthæc debito modo manifesta fuerint, & ab eo iudicium fiat, à quo rite fieri debet, potest vtique iudicium diffinitionis fieri: nullatenus autem iudicium condemnationis in futuro.

¶ AD quod respondendum: quod de manifestis potest fieri iudicium, prout supra determinatum est, cum fit ab eo, à quo debet fieri: & cum est manifestum eo modo, quo debet esse manifestum: hoc autem est iudicium diffinitionis. Iudicium autem condemnationis in futuro nullatenus est faciendum. Et hoc modo intelligitur illa autoritas. *Si aperta sunt, non ita reprehendamus, vt de sanitate desperemus.* Glossa ibid.

An de alicuius salute desperandum sit? §. 1.

¶ Occasione huius quæritur, Vtrum licitum sit nobis iudicare, vel desperare de Antichristo, vel de aliquibus aliis. Et videtur, quod non, per autoritatem iam dictam. Quæstio lateralis.

¶ Præterea, de nemine desperandum est, dum est in via: ergo nec de Antichristo.

¶ Contra, super illud. *Qui operatur in filios diffidentiæ.* Glo. *De quibus diffidimus.* Ergo aliqui sunt, de quibus possumus diffidere, vel desperare. Ephes. 5. Glossa.

¶ Præterea, videbantur angeli diffidere de salute Babylonis, cum dicebant. Migremus de his sedibus; vel eamus, & derelinquamus &c. Ergo à simili possunt homines diffidere de salute aliorum: & ita iudicare iudicio condemnationis. Ierem. 51.

¶ Præterea, medicus cum desperat de ægro, cum est ægritudo incurabilis; non peccat, iudicando ipsum ad mortem: ergo pari ratione erit de medico spirituali. Vnde Orige. super illud. *Curauimus &c. Accidit tibi, quod accidit desperantibus medicis.* Ergo si licitum est medico relinquere ægrum, & ita desperare de salute corporali: similiter desperandum est de salute spirituali. Orig. sup. Ierem. 1.

Nequaquam, dum est in via: nisi constaret de eius finali impœnitentia.

¶ Ad quod dicendum: quod de nemine desperandum est in via simpliciter, quantum est de conditione viatoris: nec de aliquo iudicium cōdemnationis est proferendum: relinquitur enim in omnibus possibilitas lib. arbit. ad bonum: & ideo dicitur Dan. 4. *Redime peccata tua eleemosynis.* (& sequitur) *Forsitan Deus miserebitur tuis.* Quantum ergo ad potentiam summi medici, vel quo ad possibilitatem lib. arb. non est desperandum: maior enim est potentia medici, quam magnitudo morbi. Dan. 4. Ibidem.

¶ Ad hoc autem, quod obiicitur de Glo. ad Ephe. 5. Dicendum est, quod habita consideratione multorum signorum ex parte peccatoris, diffiditur de obedientia ex parte ipsius: vel de potentia ex parte fragilitatis humanæ in illo, cuius est corrigere: non tamen simpliciter.

¶ Ad illud vero, q͂ obiicitur per simile de angelis, dicēdum est, quod nec ipsi angeli desperabant, sed secundum quid: quia erant repugnantes correctioni: sicut est de medico, qui derelinquit ægrum, repugnantem curationi, ne expiret inter manus suas, & reus videatur.

¶ Simi-

¶ Similiter dicendum est ad illud de medico corporali: quod licet medicus corporalis considerans causas inferiores, diffidat de salute ægroti; & secundum illas causas iudicet illum ad mortem. Non tamen sic debet esse de iudicio spirituali: eius enim est principaliter attendere causas superiores, secundum quas datur curatio, vel dari potest. Vnde non est quis iudicandus ad mortem æternam, nisi constaret de finali impœnitentia.

ARTICVLVS IV.

An dubia in deteriorem, vel in meliorem partem interpretanda sint?

QVARTO quæritur, si non de dubiis possumus iudicare; vtrum in partem vtramque indifferenter sit interpretandum: aut tantum in meliorem partem: vel aliquando in deteriorem partem? Quod sic, dicit Beda super illud. *Nolite iudicare.* Item, *Manducantem non iudicet* Glo. *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.*

Beda super Matt. 7. Rom. 14. Glossa.

¶ Contra, *Multi vocati, pauci vero electi.* Et *Proni sunt sensus hominis ab adolescentia sua in malum.* Ergo plura sunt mala intentione quam bona: & hoc scimus; ergo possumus interpretari.

Matt 20. Gen. 8.

¶ Item, *Væ, qui dicitis bonum malum.* Glo. *Væ qui dicit de eo, qui malus est, quod bonus sit*: & econuerso.

Isa. 5. Glossa

¶ Item, asserere de quo quis dubitat, est peccatum: ergo & interpretari.

¶ Item, nos tenemur diligere proximos, sicut nosipsos: ergo cum de factis propriis debeamus interpretari in deteriorem partem, vt habetur. *Iustus prius est accusator sui*: & Greg. *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est*: ergo de factis proximorum similiter sunt dubia in deteriorem partem interpretanda.

Prou. 18. Gregor.

¶ Item, cum aliquis confitetur de dubio inter mortale & veniale, tam ille qui confitetur, quam confessor interpretari debent in deteriorem partem in iniungendo & suscipiendo pœnitentiam: ergo dubia in deteriorem partem sunt interpretanda.

¶ Sed quod in neutram partem sunt interpretanda, videtur per Aug. qui dicit. *Ille pie & iuste viuit, qui rerum integer est æstimator, in neutram partem declinando.* Ergo æquitas est seruanda in iudicio: & ita non est in alteram tantummodo partem declinare.

August.

RESOLVTIO.

Dubia propria ob maiorem cautelam in deteriorem, aliena humaniter in meliorem partem interpretemur.

¶ AD quod dicēdum: quod dubia facta propria in deteriorem partem sunt interpretanda (sicut dictum est) in cōfessione: & hoc est quo ad susceptionem pœnitentiæ: & sic intelligitur illud Greg. *Bonarum mentium &c.* Vnde hoc interpretari non est affirmare, vel iudicare simpliciter: sed se gerere circa dubium, ac si deterius contigisset.

Gregor.

¶ Et per hoc soluitur illud, quod obiectum est: quod asserere de quo quis dubitat, est peccatum.

¶ Et similiter illud, quod dicitur. *Væ illis, qui dicunt bonum malum*, vel econuerso. Non enim qui sic interpretatur, affirmat vel asserit, de quo dubitat. Et licet sint plura mala, quam bona: & pronior sit homo ad malum, quam ad bonum, de factis tamen proximorum non debemus interpretari in deteriorem partem, vbi dubium est de vtraque: sed in meliorem: hoc enim in laudem liberalitatis diuinæ, quæ potest inclinare in bonum, cum vult.

Isa. 5.

¶ Si autem quæratur: ex qua causa debet interpretari homo in melius, quod dubium est in proximo: cum dubium, quantum est de se, in neutram partem inclinet? Respondendum est; secundum quod dicit Seneca: quod ex humanitate debemus interpretari in melius. Sapiens enim quicquid accidit, bene illud interpretando, leuat, id est, magnificat: quicquid dubium est, ex humanitate inclinat in melius.

¶ Si vero quæritur, quid sit ista humanitas? an sit virtus, vel non. Respondendum est, quod non: communis est enim bonis & malis: sed est vis insita humanæ naturæ à principio. Sicut enim per synteresim fit respectus ad propriam salutem: ita per hunc habitum naturæ fit respectus ad ea, quæ sunt proximi. Sed hæc debilior est: quia magis inclinamur ad bonum nostrum, quam ad bonum proximi.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod cum dubia in nobis interpretari debeamus in deterius: ita & similiter ea, quæ sunt proximi. Dicendum est; quod non est simile, dubia enim in nobis interpretanda sunt in partem deteriorem propter timorem & cautelam: & ideo dicitur. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*: hoc est, cum timore ponderaui. Ea vero, quæ sunt proximi, ex bono humanitatis in melius interpretemur.

Iob 9.

¶ Ad illud vero, quod dicit Aug. *quod ille iuste & pie &c.* Dicendum est, quod hoc attenditur in iudicio contentioso, in quo considerandæ sunt omnes circumstantiæ & personæ, & facti: nec declinare debet à veritate, cum dicatur. *Pauperis non misereberis in iudicio.* Et dicitur. *Non accipies personam.*

August. Exod. 23. Deut. 10.

MEMBRVM II.

De iudicio ab altero alteri vsurpato.

SEQVITVR de iudicio: cum sc. homo vsurpat iudicium, quod est alterius. Hoc autem potest contingere dupliciter: vel cum non habet iurisdictionem: vel si habet, non extendatur sua iurisdictio ad illud, quod est alterius, sed separatæ sunt iurisdictiones non subalternæ.

ARTICVLVS I.

An Moyses peccauerit interficiendo AEgyptium illum, Hebræum fratrem iniuria afficientem.

PROPTER primam vsurpationem obiicitur de Moyse, qui vidit virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis, quem percussum abscondit in sabulo. Videtur enim quod cum nondum constitutus esset iudex à Domino ad puniendum delinquentes; quod vsurpauerit iudicium. Cum enim duo pertineant ad officium prælati s. subiectis possidenda iuste dispensare, & eos contra iniustitiam defendere: videtur illam partem vsurpasse officii, quæ pertinet ad seueritatem.

Exod. 2.

¶ Præterea, dicitur. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum: suo Domino stat, aut cadit.* Ex quo videtur, quod officium iudicii vsurpauit. Dicitur etiam in Euangelio. *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.* Accipere autem gladium videbatur, cum non esset constitutus in iudiciaria potestate. Dicit autem Aug. *Ille vtitur gladio, qui nulla superiore ac legitima potestate, vel iubente, vel concedente, in sanguinem alicuius armatur.* Ergo Moyses sic accipiendo gladium, id est, potestatem, peccauit.

Rom. 14. Matt. 26. Aug. lib. cont. Faust.

¶ Sed videtur contrarium: quod non peccauerit, vsurpando sibi potestatem iudiciariam, per hoc quod dicit Ambro. *Non in inferenda, sed repellenda iniuria lex * veritatis est: qui enim non repellit iniuriam à socio, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Vnde sanctus Moyses hinc prius est orsus tentamenta imbecillis fortitudinis: Nam cum vidisset Hebræum ab AEgyptio iniuriam accipientem, defendit ita, vt AEgyptium prosterneret, atque in arena absconderet.* Ex quo accipitur, quod licitum est depellere iniuriam à socio, etiam nocendo alteri: & ita non peccauit Moyses.

*Alias, virtutis. Ambr. in lib. de offic.

¶ Item, in eodem Lib. *Fortitudo, quæ bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus defendit socios, plena iustitia est.* Sed Moyses quasi domi defendit infirmum: ergo plenam iustitiam exercuit: ergo non peccauit; vsurpando iudicium alienum.

Idem in eodem.

¶ Item, videtur ex verbis Stephani quod diuinitus fuerit ei inspiratum: dicitur enim ibidem. *Cum vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit eum, & fecit vltionē ei, qui iniuriam sustinebat, percusso AEgyptio. AEstimabat autem intelligere fratres; quoniam Deus per manum ipsius daret salutem Israel.* Ex quibus verbis videtur intelligi, quod ipse diuinitus hoc fecit, & quod credebat hoc ab aliis intelligi & præfigurari; quod esset futurus iudex populi Israelitici. Et hoc videtur dicere August. cum dicit. *Per hoc testimonium videtur Moyses diuinitus admonitus (quod scriptura eo loco tacet) hoc audire potuisse.* Ex quo videtur dicere, quod hoc fecerit diuinitus: licet scriptura non expresse dicat.

Actuum 7. Aug. in quæst. Exo.

¶ Hoc etiam videtur Aug. dicere cum dicit. *In persona prophetica ad hoc diuinitus fieri permissum est, vt futurum aliquid præsignaret*: & loquitur de percussione Ægyptii facta à Moyse:

Idem contra Faust.

RESOLVTIO.

Proculdubio Moyses peccauit: non quia vindicauit: sed quia in vindicando modum excessit.

¶ Ad quod dicendum: quod licet Moyses fecerit hoc ad defensionem ipsius Israelitæ: non tamen excedere debebat modum: excessus autem fuit in occidendo. Quod patet per hoc, quod dicit Aug. loquens de Moyse & Petro. *Vterque non detestabili immanitate: sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit.* Et in Quæstionibus Exod. dicitur. *Non videtur ipsum factum iustificandum.* Et præmittitur. *Sicut nobis terra ante vtilia semina quarundam herbarum inutilium fertilitate laudatur: sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem: non obseruato ordine potestatis, inultum esse non pertulit: non virtutum fructibus inutilis erat: sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa gerebat.* Sic ergo peccauit Moyses, cum adhuc nullam legitimam potestatem gereret, nec diuinitus acceptam, nec humana societate ordinatam.

August. Idem in quæstion. Exodi Ibidem.

¶ Ad obiectum autem dicendum est: ꝙ licet non peccaret defendendo Hebræum: peccauit tamen excedendo.

¶ Illud autem, quod dicitur. *Erue eos qui ducuntur ad mortem:* non intelligitur nisi salua iustitia: hoc enim dicit in prædicta authoritate. Prou. 24.

¶ Ad illud vero, quod dicitur in Actibus. Dicendum est, quod ex hoc nõ datur intelligi, quod ipse diuinitus accepta potestate hoc fecerit: sed præfiguratur quodammodo in eo accipienda potestas, & quædam idoneitas futuræ potestatis; in qua poterat populus præsentire potestatem sibi conferendam.

¶ Ad tertium dicendum: quod hoc non dixit Aug. asserendo: sed futurum quid præsignando. Hoc enim patet per ea, quæ sequuntur. Videtur tamen Aug. quasi duplicem ponere opinionem: aut quod diuinitus acceperit potestatem (quod tamen ex scriptura non habetur) aut quod animositatis esset iudicium non acceptæ potestatis. Non enim in hoc facto Moyses laudatur simpliciter: sicut nec Petrus à Domino: vterque tamen odio improbitatis alienæ fecit: sed ille fraterno: iste dominico; licet adhuc carnali tamen amore peccauit: sicut dicit Augustinus.

ARTICVLVS II.

An Phinees Eleazari filius peccauerit occidendo Israelitam illum cum Madianitide coeuntem?

Deinde quæritur de Phinees filio Eleazari, vtrum peccauerit interficiendo Israelitam coeuntem cum Madianitide. Videtur enim vsurpasse potestatem: acceperat enim pater eius sacerdotalem potestatem: non legitur autem accepisse potestatem à patre suo, nec à Domino: ergo vsurpauit. Legitur enim, quod Dominus dixit Moysi pro illo peccato populi, quod suspenderet principes populi in patibulis: Moyses etiam dixit iudicibus Israel, quod occideret vnusquisque proximum suum, qui initiatus est Beelphegor. Non ergo ex mandato Domini, nec ex mandato Moysi interfecit ipsum Israelitam: & ita vsurpauit potestatem. Num. 25. Ibidem.

¶ Contra, Dominus ibidem commendat ipsum, dicẽs. *Phinees filius Eleazari auertit iram meam à filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos. Idcirco loquere ad eum, Ecce do tibi pacem fœderis mei.* Ibidem.

¶ Præterea, dicitur. *Zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zambri filio Salomi.* Et *Reputatum est ei ad iustitiam.* 1. Mach. 2 Psal. 105.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum zelo vindicandæ iniuriæ Domini ductus fuerit.

¶ Ad quod dicendum: quod licet eodem zelo percusserit Petrus, quo & Phinees, sicut dicitur in Glo. super Luc. tamen non erat omnino idem zelus. Zelus enim erat in Petro carnalis dilectionis Domini: zelus vero in Phinees, vt vindicaret iniuriam Domini, quam intulerat* idololatriæ: & ita non simpliciter erit idem zelus. Præterea, licet non esset summus sacerdos tamen sacerdos erat, & filius summi sacerdotis; & ad iustitiam ei reputabatur. Non enim tempore illo prohibebatur sacerdotibus, ne iustitiam exequerentur in homicidas personaliter, vel etiam in malefactores. In Petro autem hoc fuit ostensum, quod sacerdotes euangelici non sunt executores huius legis. Vnde dictum est ei. *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Marc. 10. Ioan. 18.

Glossa sup Luc. *Alias, idololatra.

An Daniel legitime iudicauerit duos senes in Susannam lasciuientes? §. 2.

¶ Item obiicitur de Daniele, qui non habuit legitimã potestatem; & tamen iudicauit iudices illius temporis senes. Videtur ergo, quod vsurpauerit iudicium: & maxime respectu illorum, qui superiores erant constituti.

¶ Quod etiam videtur per hoc, quod Dauid, cum præcidisset horam chlamydis Saul, percussit cor suum. In quo notatur (sicut dicit Greg.) quod inferioris non est iudicare, vel reprehendere facta superiorum. Ergo Daniel vsurpauit iudicium, iudicando illos senes. 1. Reg. 24.

RESOLVTIO.

Si legitime iudicauit, non nisi in figura fuit.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicitur in Canone. *Nos si incompetenter aliquid egimus &c.* Miracula, & maxime vete. Testam. sunt admiranda: non in exemplum nostræ actionis trahenda: multa enim cõcedebantur, quæ nunc prohibentur. Tunc Samuel Agag Regem pinguissimum Amalech in frusta concidit: nunc nulli ecclesiasticorum iudicium sanguinis agitare licet. Tunc Phinees Iudæum coeuntem cum Madianitide interfecit, & reputatũ est ei ad iustitiam: hodie sacerdotibus in pernitionem sui vertetur officii. In figura ergo contigit, quod Daniel puer senes iudicauit: præfigurauit enim Christum puerum, qui Scribas & Pharisæos iudicauit. De ipso enim dicitur Isaiæ. *Præparabitur in misericordia solium: & sedebit super illud, in veritate iudicans, & quærens iudicium: & velociter reddens, quod iustum est.* Et dicitur. *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Canon. 2. q. 7. 1. Reg. 15. Isa. 16. Ierem. 23.

¶ Quod obiicitur, quod non habuit potestatem &c. Dicendum quod immo à Domino: quod patet per Textum Vbi dicitur. *Suscitauit Dominus spiritum pueri iunioris &c.* Dan. 13.

MEMBRVM III.

De iudicio vsurpato ab eo, qui habet potestatem disparatam?

Consequenter dicendum est de iudicio vsurpato ab eo, quod habet potestatem disparatam: sicut legitur de Ozia Rege, qui vsurpauit sibi sacerdotium. Vnde dictum est ei. *Non enim tui officii est, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum.* Et similiter legitur de Hieroboam, qui ascendit super altare, vt adoleret incensum. 2. Par. 26. 3. Reg. 13.

¶ Potest autem quæri, si potestas ecclesiastica vsurpet ea, quæ sunt potestatis secularis, vtrum peccet, vel non. Secundo quæritur, si vsurpatio sit iudicii, non tantum quantum ad potestatem, sed & quantum ad scientiam & bonitatem: vtpote si ignorans vsurpat sibi iudicium, ac si esset sciens: vel malus, ac si esset bonus. Tertio quæritur, secundum quos modos, & quot sit vsurpatio iudicii.

ARTICVLVS I.

An ecclesiastica potestas vsurpet iudicium, quod est secularis potestatis?

Circa primum sic: potestas ecclesiastica, vel secularis è diuerso diuiduntur: sicut diuiduntur vita terrena, & vita spiritualis: sed vita terrena non est sub spirituali, nec econuerso: ergo nec potestas sub potestate. Potestas ergo ecclesiastica inquantum huiusmodi si dictat, vel exequitur iudicium seculare, vsurpat; & vsurpando peccat.

¶ Item, in illo verbo Euangelii. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo:* designatur discretio potestatis spiritualis à terrena, ecclesiasticæ à seculari. Sicut ergo secularis potestas si extenderet manum in eos, qui subsunt ecclesiæ: vsurparet quod esset potestatis ecclesiasticæ: ita ecõuerso. Quod autem sic sit, videtur per hoc, quod dicit Hugo. *Spiritualis si quidem potestas non ideo præsidet, vt terrenæ in suo iure præiudicium faciat: sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, nunquam sine culpa vsurpat.* Matt. 22. Hugo.

¶ Item,

¶ Item, in Euangelio Luc. 22. dicitur. *Ecce duo gladii* (& Dominus dixit) *satis est.* Ex quo sumitur, quod secularis potestas ediuerso est cõtra ecclesiasticam: gladius enim materialis pertinet ad potestatem secularem: & spiritualis ad ecclesiasticam. Sicut ergo gladius spiritualis non arripitur à potestate seculari: sic nec gladius materialis arripi debet à potestate ecclesiastica: ergo si arripit, vsurpat.

Cyprianus ¶ Arguitur, quod distincta sunt iudicia secularia, & ecclesiastica, ex distinctione officiorum. Vnde Cyprian. *Mediator Dei & hominum Christus, propriis actibus & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque decreuit; propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursum in infernum demergi: vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent: & Pontifices pro cursu temporalium rerum tantummodo Imperialibus legibus vterentur.*

Gelasius Papa. ¶ Item, Gelasius Papa. *Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur: authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto pro ipsis Regibus hominum in diuino sunt reddituri rationem examine.*

¶ Contrarium videtur per hoc, quod dicitur dis. 22. *Omnes siue Patriarcha &c.* Ecclesiam ipse solus fundauit & supra petram fidei mox nascentis erexit: qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperii iura commisit.

Gregor. ¶ Et dicit Greg. *Nos sanctorum prædecessorum statuta tenentes, eos qui fidelitate ac sacramento excommunicatis sunt constricti, apostolica auctoritate à sacramento absoluimus: & ne sibi fidelitatem seruent, omnibus modis prohibemus.*

Matt 25. ¶ Item, ipse Dominus in seipso vtrumque iudicium exercuit; cum vendentes & ementes eiecit de templo, cum adulteram absoluit. Ex quo videtur designasse coniunctionem vtriusque potestatis in vna persona futuram.

¶ Hoc etiam arguitur ex Moyse, qui vtrumque exercuit; quod est principis, & quod est sacerdotis. Cum enim vnxit Aaron, officium gessit sacerdotis: cum autem constituit tribunos & centuriones, officium gessit principis. Ex quo videtur coniungi officium vtriusque potestatis, & iudicia in vna persona.

¶ Contra, spiritualis potestas maior est dignitate seculari: quod sic probatur: Quemadmodum habet se corpus ad animam: ita se habet potestas spiritualis ad secularem: sed anima potest super corpus: non econuerso: ergo spiritualis potest super terrenam: & ecclesiastica super secularem.

¶ Præterea, à Deo primum sacerdotium est institutum: per sacerdotium vero iubente Deo Regalis potestas est ordinata: sicut habetur in illo 1. Reg. 10. Saule inuento à Samuele, & constituto Rege. (1 Reg. 10.)

¶ Præterea, Sacerdotalis dignitas benedicit Regalem: maior autem est, qui benedicit, quam qui benedicitur: ergo subest secularis potestas ecclesiasticæ.

¶ Præterea, si tantum gladius spiritualis esset ipsius potestatis ecclesiasticæ: cum dictum fuit in Euangelio. *Ecce duo gladii hic*: (Luc. 22.) non respondisset Dominus, *Satis est.* In hoc enim innuit, quod vterque gladius est ecclesiæ: nec dixisset Petro, *Conuerte gladium in vaginam* (Ioan. 18.) (de gladio enim materiali intellexit Dominus) eius a. est conuertere, qui habet potestatem: cum ergo Petrus typum gerat prælati ecclesiastici, penes prælatum ecclesiasticum residet potestas gladii materialis.

RESOLVTIO.

Ecclesiastica potestas si seculare iudicium per seipsum exerceat, vsurpat. Secus si per seculares personas exerceat.

¶ Ad quod dicendum est: quod potestates illæ supradictæ duæ diuisæ sunt ab inuicem, quantum ad exercitium: diuisæ etiam sunt quantum ad imperium: sed non diuisæ sunt quantum ad nutum. Aliquando etiam sunt coniunctæ quantum ad imperium: cum s. principes terreni concedunt non tantum vtilitatem ecclesiæ, sed etiam potestatẽ: nihilominus tamen reducendæ sunt istæ potestates ad diuersas rationes personarum. Cum ergo quæritur, vtrum potestas ecclesiastica vsurpet iudicium quod est secularis potestatis? Dicendũ est, quod vsurpat, si exerceat iudicium seculare per seipsum: cum autem est ecclesiæ collata potestas à principe terreno, exercitium iudicii secularis spectare debet ad laicas personas: potestas a. constituendi illas, potest tunc spectare ad ecclesiam. Vnde dicit Hug. *Licet ecclesia fructum possessionis terrenæ in vsum accipiat: potestatem tamen exercendæ iustitiæ per ecclesiasticas personas, aut iudicia secularia exercere non potest: potest tamen ministros habere laicas personas: per quas iura & iudicia ad terrenam pertinentia potestatem secundum tenorem legis & debitum iuris terreni exerceat.* (Hugo lib. 2. de Sacra par. 2. ca. 7.) Cum autem diuisæ sunt potestates in personis, non est vsurpatio, si nutu potestatis ecclesiasticæ fiat exercitium iustitiæ à potestate seculari. Vnde dicit Bern. *Vterque est ecclesiæ, & spiritualis s. gladius, & materialis: sed is quidem pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exercendus: ille sacerdotis, iste militis manu: sed ad nutum sacerdotis, & iussu Imperatoris.* (Bern. ad Eugen.)

¶ Ex his patet, qualiter respondendum est ad obiecta. Concedendum est enim, quod distinctæ sunt potestates; maxime quantum ad exercitia, & quantũ ad imperia; sicut quædam rationes probant: nihilominus non est consimilis comparatio potestatis secularis ad ecclesiasticã, sicut ecclesiasticæ ad secularem. Ecclesiastica n. in nullo subesse debet seculari: sed secularis in aliquo debet subesse ecclesiasticæ: sicut sequentes ostẽdunt rationes. Vnde licet ad ecclesiam pertineat potestas constituendi eos, per quos fiant iudicia secularia: & exerceatur gladius materialis: non tamen ad potestatem secularem pertinet constituere eos, qui vtuntur gladio spirituali, inquantum huiusmodi, vel vsum demandare: & ideo ex vna parte potest esse vsurpatio aliquo modo, quomodo non erit ex alia.

ARTICVLVS II.

An sicut quo ad potestatem est vsurpatio iudicii, ita sit & quo ad scientiam, vel bonitatem?

SECVNDO quæritur: si est vsurpatio iudicii quantum ad scientiam vel bonitatẽ, sicut quo ad potestatem. Quod videtur: ad iudicium enim rectum concurrunt potestas, scientia, & dignitas; quæ est ex bonitate vitæ: ergo si præsumat aliquis iudicare, in quo aliquid eorum defuerit, erit iudicium vsurpatum.

¶ Ad idem: iudicium est de notis: nota autem secundũ scientiam nota esse debent. Si ergo non sit scientia: consequenter nec erit iudicium rectum. Vnde Hier. *Reprehensibile valde est, de non bene cognitis proferre sententiam.* (Hieroñ.) Et dicitur. *Causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam.* (Iob 29.) Si ergo aliquis procedit ad iudicium, non præhabita scientia eorum, quæ necessaria sunt ad iudicium; vsurpat iudicium.

¶ Item, dicitur. *Qui sine peccato est, in eam lapidem mittat.* (Ioan. 8.) Super quo dicit B. Aug. *Docet nos, auditis alicuius malis, non temere iudicare: sed prius digito discretionis nosmetipsos discutere: sicut illis dicitur [qui sine peccato est] quasi prius sitis iusti, post ream puniatis. Si enim lex iubet punire reos: non tamen per consimiliter puniendos.* (Aug. ibi.) Ergo temerarium est iudicium, si non præcedat discretio, & vitæ dignitas.

¶ Item idem, *Non simpliciter iubet vniuersa peccata non iudicare: sed iis, qui decem millibus pleni sunt malis.* (Idem.)

¶ Item, Chryso. *Videre festucam; & eiicere, non est omnium; sed doctorum: nec horum omnium, sed iustorum.* (Chrysost.) Ex quo accipitur, quod præsumptuosum est iudicium, siue vsurpatum; cum non est scientia, vel dignitas.

¶ Contra, Potestas iudicandi penes iudicem ipsum residet: ergo iudicat de iis, quæ ad ipsum pertinent: ergo non vsurpat iudicium.

RESOLVTIO.

Non vsurpatio proprie, sed temeritas, vel præsumptio est quo ad scientiam, & bonitatem.

¶ AD quod dicendum: quod aliud est de potestate, & de scientia siue dignitate. Potestas enim pertinet essentialiter: sed alia duo pertinent ad congruitatem, siue opportunitatem. Proprie autem est vsurpatio iudicii quo ad potestatem: temeritas autem vel præsumptio potest dici quantum ad alia duo.

ARTICVLVS III.

Quot, & quibus modis fiat iudicii vsurpatio.

TERTIO quæritur: secundum quos modos, & quot sit vsurpatio iudicii.

¶ Ad quod poteſt dici per hoc, quod dicit Hugo: quod aliquid dicitur eſſe illicitum ſecundum perſonam: vt ſeculari iudici manum mittere in clericum non licet (ſupple ad iudicandum) Item, ſecundum cauſam aliquid eſt illicitũ: vt quod ſpiritualia & eccleſiaſtica negotia à iudice ſeculari examinentur. Secundum menſuram etiam pœnæ, & qualitatem pœnæ: vt non licet ſeculari iudici ſpirituali gladio vti. Secundum locum: vt ſi loca ſacra violare præſumeret, & confugientibus ad illa, etiam reis inordinatè violentiam inferre tentaret. Secundum tempus: ſi ſacris & ſolennibus diebus reuerentiam non exhiberet; ſed indifferenter ſua iudicia exerceret. His ergo modis fit iudicii vſurpatio apud iudicem ſecularem. Et ſi enim alias habeat poteſtatem, limitata tamen eſt ei poteſtas, & quo ad perſonam, & quo ad cauſam, & quo ad modum pœnæ ſiue qualitatem, & quo ad locum, & quo ad tempus.

¶ Quo ad perſonam vero eccleſiaſticam vſurpatio eſſet quantum ad quendam modum pœnæ, & quantum ad quendam modũ cauſæ: ſicut eſt cauſa ſanguinis, cuius exercitium non pertinet ad eam: quantum ad quoddã tempus. Quantum autem ad perſonas, & loca, dummodo ſeruetur honeſtas, in loco poteſt attendi generalitas: perſona enim eccleſiaſtica & ſecularis ſubeſt iuriſdictioni eccleſiaſticæ. Locus etiam ſacer, & non ſacer poteſt eſſe, in quo tractetur negotium eccleſiaſticum: magis tamen congruit locus ſacer.

MEMBRVM IV.

De iudicio vſurpato, prout eſt inter eccleſiaſticas perſonas.

DEINDE quæritur de iudicio vſurpato, prout eſt inter eccleſiaſticas perſonas. Et hoc quidem contingit dupliciter: vel in foro pœnitentiali, ſiue pœnitentiæ: vel in foro exterioris cauſæ.

ARTICVLVS I.

An liceat vni confeſſori alterius ſubditum in confeſſione audire, & ei pœnitentiam iniungere?

QVÆRITVR ergo de vſurpatione in foro pœnitentiæ: vtrum ſit licitum vni confeſſori audire in confeſſione, & pœnitentiam iniungere ſubdito alterius. Quod videtur per hoc, quod dicitur in Deut. 19. Non aſſumes, nec transferes terminos proximi tui. Sed transfert ille terminos, qui ſuam iuriſdictionem dilatat, & alterius coarctat.

Prou. 22. ¶ Præterea, dicitur. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.* Sed antiqui patres poſuerunt limites iuriſdictionis ipſis confeſſoribus: ergo qui iudicat ſubditum alterius in foro pœnitentiæ, vſurpat iudicium.

Calixtus Papa in Cano. ¶ Hoc etiam dicit Calixtus Papa. *Nullus terminos alterius vſurpet.* Et dicitur in Cano. *Placuit, vt deinceps nulli ſacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine eius conſenſu, cui prius ſe commiſit: niſi per ignorantiam illius, cui pœnitens prius confeſſus eſt. Qui vero contra hoc ſtatutum facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.*

Gelaſius 16 qq 1. ¶ Contra, dicit Gelaſius *Si quis monachus fuerit, qui venerabilis vitæ merito ſacerdotio dignus prauideatur, ſi placeat* * *ſuperiori ſuo, omnia, quæ ad ſacerdotii officia pertinent, Epiſcopi electione prouidè ac iuſtè agere poteſt.* *Alias, Abbati.

Gregor. ¶ Similiter Greg. *Moderamine apoſtolicæ authoritatis decernimus, vt monachi ſi presbyterii honore ſint dedicati, cum ligandi ſoluendique poteſtate, decimarum & oblationum portionem non minus quam cæteri ſacerdotes laudabiliter ſibi vendicent.*

¶ Præterea, licitum eſt ægroto & rationabile, diſcretiorem medicum eligere, ne de vita corporali periclitetur. Ergo licitum eſt peccatori, qui ægrotat ſpiritualiter, diſcretiorem confeſſorem eligere; ne de vita ſpirituali periclitetur.

RESOLVTIO.

Ex propria præſumptione non licet. Sed bene ex alterius vel iniunctione, vel neceſſitate, vel ignorantia.

¶ AD quod dicendum: quod aliud eſt propria voluntate iudicium huiuſmodi aſſumere: & aliud eſt ex obedientia ſuperioris: vtpote illius, qui habet poteſtatem ſpecialem, vel generalem ſuper illum, qui confitetur. Rationes ergo illæ, vel authoritates, quæ inducuntur ad hoc, quod nõ aſſumat aliquis iudicium, intelliguntur de illo qui propria voluntate hoc facit: talis enim dicitur vſurpare. Si vero fuerit ſuperioris authoritate, vel ingruente neceſſitate, ſicut in articulo mortis, vel propter ignorantiam alterius confeſſoris, non vſurpatur iudicium. Vnde dicendum eſt: quod aliud eſt ex ſua præſumptione: & aliud ex obedientiæ iniunctione, vel alterius cõceſſione huiuſmodi iudicium exequi: vno modo fit vſurpatio: aliis vero modis non fit.

ARTICVLVS II.

An vni Prælato alterius ſubditum iudicare liceat?

DEINDE quæritur quantum ad forum cauſæ. Vtrum illicitum ſit, vel licitum alicui Prælato iudicare ſubditũ alterius. Quod non, videtur per hoc quod dicit Calixtus. *Nullus alterius parrochianum iudicare, vel ordinare, vel excommunicare præſumat: quoniam nullus alterius iudicis, niſi ſui ſententia tenebitur, aut damnabitur.* Calixtus 9. q. 2.

¶ Item, ſicut ordinatio alteri prælato prohibetur: ita iudicatio, & aliarum rerum diſpoſitio.

¶ Item, ex Antio. Concilio *Epiſcopi, qui extra diœceſim ſunt, ad eccleſias, quæ extra eorum terminos ſunt, non accedant.* Ex quo derelinquitur, quod ſi huiuſmodi acceſſus fuerit, iudicii erit vſurpatio. Conc. Antioch.

¶ Contra, ſuper illud. *Ingreſſus in vineam proximi tui.* Glo. *In eccleſia alterius Epiſcopi poteſt alter aliquos corrigere, vel confirmare.* Deut. 23. Gloſſa

¶ Item, Ex concilio Antioch. *Per ſingulas prouincias Epiſcopos ſcire oportet Metropolitanum, qui præeſt, curam & ſollicitudinem prouinciæ ſuſcepiſſe: propter quod ad metropolitanam ciuitatem ab his, qui cauſas habent, concurratur.* Conc. Antioch.

¶ Item, ratione delicti vel contractus ſortitur quis forum alterius 3. q. 6. c. fi. Ex his colligitur, quod non fit vſurpatio iudicii, ſi quis ferat iudicium de ſubdito alterius in foro exteriori. 9. 3. ca. 22.

¶ AD quod dicendum: quod regulare eſt, quod nullus iudicet ſubditum alterius: habet tamen inſtantiam in certis caſibus. Poteſt enim de conſenſu illius, cuius ſubditus eſt, in minoribus iudicium ferre. Et hoc modo intelligitur illud Deu. vnde ſequitur. Totam plebem non licet ei regere, vel magna negotia tractare. In caſu etiam illo, vbi per appellationem vel per negligentiam deuoluitur ius ad ſuperiorem, ſicut eſt de Metropolitano: & ſic intelligitur, quod de Metropolitano dicitur: niſi forte cauſa fuerit commiſſa à ſummo Pontifice. Ratione etiam delicti, vel contractus poteſt ſubiacere iuriſdictioni alterius. Et his modis non fit vſurpatio.

QVÆSTIO CXX.

De acceptione perſonarum.

In quatuor Membra, & ſeptem Articulos diuiſa.

HIs intellectis de iudicio ſuſpitioſo & vſurpato: dicendum eſſet de iudicio contentioſo: ſed de illo dicetur in proprio Tractatu de præceptis iudicialibus. D.Tho. 22 quæſt. 63.

¶ Sequitur de perſonarum acceptione. Primo ergo videndum eſt, quid ſit perſonarum acceptio. Secundo, cum tres ſint differentiæ acceptionis perſonarum; quomodo peccatur vnaquaque. Tertio quæritur: qua de cauſa dicatur acceptio perſonarum. Quarto, quare ita ſpecialiter remouetur perſonarum acceptio à Deo in Sacra Scriptura.

MEMBRVM I.

Quid ſit perſonarum acceptio?

DIFFINITVR autem ſic. Acceptio perſonæ eſt iniuſtitia, qua præfertur perſona perſonæ propter cauſam indebitam. Quod n. opponatur iuſtitiæ, patet per hoc quod dicitur: ſtatim enim poſtquam dictum eſt, *Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſte iudicabis:* ſubiungitur, *Non conſideres perſonam pauperis: nec honores vultum potentis.* Leu. 19. Ibidem.

¶ Similiter cum dicitur, *Iudices conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio.* Et ſubditur. *Nec accipies perſonam, nec munera.* Deut. 6. Ibidem.

¶ Con-

Ibid. ¶ CONTRA, hanc diffinitionem potest obiici propter hoc, quod acceptio personæ videtur esse actus cordis: sicut patet ex coniugato, cum dicitur [*hoc acceptum est mihi*] prælatio vero, qua præfertur persona personæ, est exterius: ergo non recte diffinitur.

¶ PRÆTEREA, potest quæri: quæ sit causa indebita? Si enim cōsideretur pauper ratione suæ paupertatis, & ex hoc moueatur aliquis ad plus compatiendū: sic præfertur persona personæ: ergo consideratur persona pauperis: nec dicitur acceptio personæ: ergo nō quæcunque prælatio personæ ad personam dicitur esse acceptio personæ. Ponatur quod hoc esset propter causam indebitam.

¶ PRÆTEREA, propter quid magis dicitur acceptio personæ, quam acceptio alterius rei. Cum enim dicitur acceptio munerum, res determinata dicitur: cum autem dicitur acceptio personæ, res indeterminata dicitur: propter quid ergo dicitur personæ acceptio?

RESOLVTIO.

Acceptio personarum est iniustitia, qua personā personæ præfertur propter causam indebitam.

¶ AD quod dicendum: quod licet personæ acceptio dicat primo actum interiorem: nihilominus per posterius dicit actum exteriorem. Et similiter dicitur ex parte prælationis: præfertur enim primo persona personæ in iudicio interiori: & deinceps in actu exteriori: & secundum hoc intelligitur acceptio personæ.

¶ AD secundum vero dicendum: quod consideratio personæ pauperis, quia pauper est; non est acceptio personæ: licet consideratio diuitis inquantum diues, sit acceptio personæ. Non enim quæcunque præeminentia personæ ad personam in iudicio est acceptio personæ, etiam propter causam indebitam: vt in illo genere: sed cum ex conditione præeminenti in persona mouetur ad præferendum; vt conditio diuitiarum, & potestatis terrenæ, & cognationis carnalis, & huiusmodi: hæc enim sunt conditiones, quæ in iudicio hominis præferuntur.

¶ AD tertium vero dicendum: quod acceptio personæ dicitur, cum attenditur persona, non propter id, quod est diuinum in ea; sed propter ea, quæ adiacent personæ: persona enim sic accipitur in hoc loco ad similitudinem personæ in theatro, quæ laruata dicebatur. Vnde dicit Gregor. *Superbia nostra retunditur, quia in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt: sed honores & diuitias honoramus.* Item idem. *Increpatur nostra superbia, quæ nescit pensare homines, nisi propter honores: sola, quæ circumstant hominibus, pensat; naturam non aspicit; honorem Dei in hominibus non agnoscit*: Ex iam dictis patet, quod accipere personam est peccatum: vnde. *Ne accipias personam, vt delinquas.*

Gregor. Idem. Eccl. 42.

¶ OCCASIONE etiam prædictorum quæritur, vtrum sicut in personarum acceptione est peccatum: ita in personarum contemptu? Quod videtur: sicut enim in præferendo non præferendum, est peccatum: ita in contemnendo non contemnendum. Vnde super illud. *Nolite in personarum acceptione habere fidem.* Gloss. *Quicunque diuitem propter diuitias eligit, & pauperem propter paupertatem abiicit, vtrobique peccat.* Quæritur ergo, vtrum sint duo peccata: & si vtrunque spectat ad acceptionem personæ: an alterum tantum? Quod autem sit vnum peccatū, & ad acceptionem personæ vtrūque spectet, videtur per hoc quod dicit Aug. *Non est putandum leue peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ: quis enim ferat diuitem eligi ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore?* Cum autem vnum præfert, alterum contemnit. Eo ipso ergo vnicum est peccatum.

Quæst. incidentalis. Iacob. 2. Glossa. August.

¶ CONTRA, duo sunt actus oppositi, & penes differentias actuum attenduntur peccata: ergo duo sunt peccata: & penes vnum attenditur acceptio personæ, non penes alterum: nullus enim dicit acceptam esse personam quæ contemnitur.

¶ AD quod dicendum: quod licet sint diuersi actus: tñ quia vnus consequitur ad alium (cum enim præfertur iste, contemnitur ille) pro vno peccato reputantur: & ad illud, quod principalius est, referuntur: & hoc est peccatum acceptionis, quod prohibetur: & per consequens aliud intelligitur prohibitum.

MEMBRVM II.

De tribus differentiis acceptionis personarum: & quomodo vnaquaque peccatur.

SECVNDO quæritur: cum sint tres differentiæ acceptionis personarum, quomodo peccatur vnaquaque. Est autem acceptio in promotione ad dignitates: de qua intelligitur illud. *Dixit Dominus ad Samuelem, nō respicias vultum eius: nec altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum.* Et dicit Isidorus. *Qui consanguinitatis, vel amicitiæ fauore iudicem peruertunt: in Christum, qui est veritas, peccare noscuntur.* Est iterum acceptio personæ in executione iudicij. Deut. 16. *Non accipies personam, vel munera.* Et dicitur super illud. *Non est acceptio personarum apud Deum. Iustus index causas discernit, non personas.* Est iterum acceptio personæ in exhibitione honoris. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.*

1. Reg. 15. Isidor. Deut. 16. Ephes. 6. Iacob. 2.

ARTICVLVS I.

An cæteris paribus, si consanguineus præferatur extraneo ad promotionem beneficij ecclesiastici, acceptio personarum fit?

QVÆRITVR ergo, vtrum promouere propter consanguinitatem, sit acceptio personæ. Ponatur enim, quod duo sunt æqualis meriti & scientiæ: & vnus eorum est consanguineus vel nepos Episcopi, & ei confertur beneficium: vtrum est acceptio personæ: & vtrum peccat sic conferendo? Et videtur, quod sic: quia præfert eum propter consanguinitatem: & ita propter causam indebitam. Quod enim causa sit indebita, patet per simile: dicit enim Isidorus. *Amore corrumpitur iudicium, dum amico, vel propinquis præstare contendimus.* Sicut ergo consanguinitas est causa indebita, propter quam corrumpitur iudicium: ita est causa indebita, propter quam confertur beneficium.

Isidorus.

¶ PRÆTEREA, in conferendo beneficio spirituali attendenda est causa spiritualis: sed consanguinitas non est causa spiritualis: ergo indebita causa est, propter quam debeat conferri beneficium.

¶ ITEM, Origen. *Nulla est populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla est habita contemplatio propinquitatis* (& sit sermo de electione Iosue.) Ex quo patet per simile: sicut in electionibus, ita in collationib. beneficiorum non attendendam rationem consanguinitatis.

Orig. super lib. Num.

¶ ITEM, Bernardus. *O infinita semper ambitio, & insatiabilis auaritia: cum primos honorum gradus meruerint in ecclesia: meruerint autem vel vita merito, vel merito pecuniæ, siue etiam carnis & sanguinis (qui regnum Dei non possidebunt) prærogatiua: non ideo corda quiescunt.* Ex quo accipitur, quod illud meritum, quod ex prærogatiua carnis vel sanguinis est, est reprobabile apud Deum: ergo est causa indebita propter quam est præferendus: ergo est acceptio personæ.

Bernar. in Epist. ad Senomens.

¶ CONTRA, ordinata charitas magis diligit domesticos quantum ad effectum: secundum illud. *Maxime autem ad domesticos fidei.* Sed quod fit ex charitate, ordinatum est: ergo in collatione beneficij potest attendi ratio consanguinitatis.

Ad Galat. vltimo.

¶ ITEM, dicitur. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet fidem negauit.* domestici autem dicuntur, qui in consanguinitate attinent: ergo ratio cōsanguinitatis attendi potest in beneficiis conferendis.

1. ad Tim. 5.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur à B. Ambrosio, quod *ordo charitatis attenditur quo ad effectum in iis, qui attinent linea consanguinitatis.*

Ambros.

¶ PRÆTEREA, pares sunt circunstantiæ: & additur hæc conditio, quæ non videtur diminuere, & sufficit quod cōferatur bono, sicut habetur ex Canon. ergo non peccat conferendo consanguineo: sed acceptio personarum est peccatum: ergo in hoc non est acceptio personæ. Videtur tamen contrarium per hoc, quod scandalum vitandum est in beneficiis conferendis: scandalizantur autem multi, cum confertur beneficium consanguineo: credunt enim quod hoc sit propter consanguinitatem; licet aliæ sint conditiones bonæ: ergo huiusmodi cōditio non est attendenda.

Mich. 3. ¶ PRÆTEREA, dicitur. *Væ illis, qui ædificant Sion in sanguinibus.* Sed ædificare Sion, est collocare in ecclesia personas ratione consanguinitatis: ergo huiusmodi ordinario non est attendenda: ergo peccatur hoc modo in beneficiorum collatione.

RESOLVTIO.

Dummodo ratio consanguinitatis non primaria, sed secundaria sit, nec timeatur scandalum passiuum; licet consanguineum præferre extraneo ad collationem beneficiorum ecclesiasticorum.

¶ AD quod dicendum: quod sunt beneficia spiritualia: & sunt corporalia, siue temporalia. In collatione temporalium, vbi spirituale non est annexum, licitum est conferre consanguineo, si bonus est, ex intentione consanguinitatis. Si vero temporale est annexum spirituali, licitum est ei conferre, non ex ratione consanguinitatis principali, sed secundaria, vt non egeat: sed non ita vt luxurietur. Si vero est spirituale beneficium: non attendenda est ratio consanguinitatis, vel ratio carnis: sed ratio spiritualis. Si vero aliæ conditiones sunt pares, potest ex illis conditionibus moueri ad conferendum consanguineo: dummodo non sit scandalum passiuum ex respectu consanguinitatis (in huiusmodi enim aliqua dimittenda sunt propter scandalum) tunc autem solum est acceptio personæ cum præfertur ratione consanguinitatis in spiritualibus beneficiis: sic enim est causa indebita.

¶ PER iam dicta potest videri, qualiter respondendum est ad obiecta. Rationes enim primæ ad hoc tendunt, vt in beneficiis spiritualibus non sit ratio consanguinitatis mouens. Rationes vero, quæ sunt in contrarium, respiciunt præeminentiam in beneficiis temporalibus, in quibus potest bene attendi ratio consanguinitatis, aliis existentibus circunstantiis bonis. Sic enim intelligitur illud ad Gal. secundum vnam expositionem: secundum aliam expositionem præeminentia attenditur ratione fidei: & tum est ratio spiritualis.

¶ ILLVD vero, quod dicitur 1. ad Timoth. 5. attendendum est in consiliis, & necessariorum subuentione: vbi potest attendi præeminentia cognationis.

¶ SIMILITER potest attendi illud Amb. Si vero sunt pares circunstantiæ, sicut dictum est, ex consideratione illarum licitum est cõferre: nisi ex alia parte scandalum multorum timeatur.

ARTICVLVS II.

An si nobilis illiteratus præferatur ignobili literato in promotione ad beneficium ecclesiasticum, acceptio personæ sit?

POTEST etiam quæri: si conditiones sunt excedentes & excessæ: vt si vnus est bene literatus ignobilis, alter vero nobilis, sed minus literatus: vtrum sit acceptio personæ in præferendo nobilem? Quod videtur: quia nobilitas non est causa spiritualis: ergo non videtur attendi in beneficiis spiritualibus conferendis. Vnde dicit Bernar. quasi reprobans huiusmodi vocationes. *Illum Præpositus, aut Decanus, vt sibi succederet, plusquam materno educauit affectu: ille dignus Archidiaconatu, vt pote filius Principis: magis autem vt sit Episcopus: alius circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat: miseraque suffragia mendicare non erubescit, si quomodo ingerere se valeat in patrimonium crucifixi.* Ex quo videtur, quod indebita causa est consideratio nobilitatis. (Bernard.)

¶ PRÆTEREA, cum sit illiteratus, non habet virtute scientiæ potestatem generandi filios Deo: prohibetur autem in Deut. 23. quod eunuchus non intret ecclesiam: eunuchus autem dicitur, qui non habet semen verbi Dei: ergo talis non est idoneus ad regimen ecclesiæ Dei. (Deut. 23.)

¶ CONTRA: in dispensationibus Summus Pontifex attendit nobilitatem personæ: sicut habetur in Decretali. Circa sublimes personas & literatas, quæ maioribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulauerit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari. Ergo nobilitas est vna conditio magis attendenda in collatione beneficij ecclesiastici.

¶ PRÆTEREA, talis magis potest defendere ecclesiam: in corpore autem ecclesiæ non tantum debet esse oculus, sed etiam manus: ergo huiusmodi persona potest præferri in collatione beneficij: ergo non est acceptio personæ.

¶ PRÆTEREA, dispensatio fit causa necessitatis, vel vtilitatis ecclesiasticę: sed vtilitas ecclesiastica consistit in promotione huiusmodi personarum, quæ litteratæ sunt: ergo non est acceptio personæ, si huiusmodi pro loco & tempore conferantur beneficia.

RESOLVTIO.

Nequaquam in casu: modo morum probitas non desit.

¶ AD quod dicendum: quod licet literatura siue scientia sit præferenda simpliciter nobilitati, eo quod ipsa necessaria est in regimine ecclesiæ: nihilominus tamen in casu præferri potest ipsa nobilitas personæ, ad hoc vt arceantur lupi, qui non tantum pacem temporalem, immo & spiritualem ecclesiæ pacem impediunt: & in hoc casu, vt diuersa sint membra in corpore ecclesiæ, quæ pacem eius seruent, possunt nobiles promoueri, dummodo morum honestas substernatur.

¶ ET per hoc potest solui illud, quod obijcitur de eunucho: licet enim posset generare filios Deo ratione eminentis scientiæ: potest tamen ratione vitæ: & talis non dicitur eunuchus, sicut habetur ibi in Glo. eunuchus enim dicitur, qui non habet semen verbi Dei: nec qui bona opera facit produci. (Gloss.)

ARTICVLVS III.

An in electione si præferatur minus bonus magis bono, acceptio personæ sit?

POTEST quæri de electione, si præferatur minus bonus magis bono scienter, vtrum sit acceptio personę? Quod videtur per hoc, quod dicitur Leuit. 8. vbi agitur de ordinando sacerdote: dicit Hieronym. *Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior: ille eligatur ad sacerdotium.* Et hoc, astante populo: nequa postmodum retractatio, ne quis scrupulus resideat. Ergo in electione optimus præferendus est. (Leuit. 8. Hierony.)

¶ ITEM, Leo Papa. *Ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, vel diaconibus optimus eligetur.* (Leo Papa.)

¶ ITEM, Gelasius. *Cuiuslibet vtilitatis causa vel presbyterum, vel diaconum non his præferre audeant, qui ante eos fuerunt ordinati.* Ergo melior est præferendus, & prior: si ergo non præferatur, est acceptio personæ. (Gelasius. Ratio hæc non videtur quid quam valere.)

¶ CONTRA: videtur sufficere, quod sit bonus per hoc quod dicit Gelasius. *Si de vita, vel de moribus nihil est, quod contra statuta canonum veniat, supràscriptum presbyteri decorabis honore.* Ex quibus colligitur, quod sufficit bonum eligere, qui sufficiens sit ad regimen animarum: si ergo talis præferatur in electione, non erit peccatum. (Idem.)

RESOLVTIO.

Vtique, si fuerit electio maioris dignitatis: secus si minoris beneficij.

¶ AD hoc dicendum: quod solet distingui: quod aliud est in maiori dignitate: & aliud est in minoribus beneficiis. Præterea, aliud est cum eligitur de gremio illius ecclesiæ: & cum eligitur de gremio alterius ecclesiæ, siue postulatur. Cum ergo est electio facienda ad Episcopalem dignitatem, requiritur quod secundum conscientiam eligatur* vtilior. In minori vero beneficio sufficit quod bonus. Similiter si fiat postulatio: maior requiritur diligentia: vnde si non secundum scientiam, vel credulitatem eligit meliorem, aut vtiliorem, peccare videtur. (* Alias, melior.)

ARTICVLVS IV.

An pauper in executione iudicij sit præferendus diuiti ex compassione?

DEINDE quæritur de acceptione personarum in executione iudicij: vtrum pauper possit præferri diuiti ex compassione. Quod non, videtur per hoc quod dicitur. *Non declinabis in iudicium pauperis.* Et. *Non consideres personam pauperis.* (Exod. 23. Leuit. 19.)

Chryſ. Eccl. 4. *pauperis.* ¶ ITEM, Chryſoſt. *Pro nulla re corrumpamus iuſtitiã: ſed omnia pro hac faciamus: ſiue inops, ſiue diues fuerit quis: non perſonas attendamus, ſed res ſcrutemur.*

Iſa. 1. ¶ CONTRA. *Eſto pupillis miſericors, vt pater.* Et. *Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo.*

RESOLVTIO.

Vt iuſtitia conſpiciatur, nulli nec pauperi, nec diuiti parcatur.

¶ AD quod dicendum: quod in iudicio debet eſſe æquitas, vt non occaſione huius perſonæ, vel illius ſit declinatio à veritate.

¶ NEC eſt contrarium, quod dicitur in Eccleſiaſtico, vel in Iſa. Hoc enim eſt, vt iudex miſerabiles perſonas tueatur ab oppreſſione diuitum, & potentum. Et ſi amore, vel timore potenter, vel ſola ratione paupertatis defuerint perſonæ, quæ neceſſariæ ſunt ad inſtructionem cauſæ pauperis, & perſonæ miſerabilis; iudex ex officio tenetur ſubuenire, in veritate autem ſententię neutri parti debet parcere.

ARTICVLVS V.

An honorando Prælatum malum, ſit acceptio perſonarum?

DEINDE quæritur de acceptione perſonæ cum exhibitione honoris. Circa quod quæritur, ſi ſit acceptio perſonæ ſi prælatus malus honoretur. Quod videtur per hoc, quod dicitur ab Hieron. ſuper Oſee. *In extremum culpa vehementer extenditur: cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur.*

Hier. ſuper Oſee.

Philoſ. ¶ Philoſophus. *Non poſſumus ob honores reuerendos iudicare, quos ipſi honoribus reputamus indignos.*

Tren. 4. Gloſſa. ¶ CONTRA ſuper illud. *Facies Domini diuiſit eos.* Gl. *Sacerdotes quamuis ſint mali, non ſunt tamen contemnendi: ſed ille in eis reuerendus eſt atque colendus, à quo ſunt miſſi.*

Exod. 20. Gloſſa. ¶ PRÆTEREA, cum dicitur. *Honora patrem tuum:* dicit Gl. quod *per patrem intelligitur prælatus.* Ergo cum vnuſquiſq; teneatur ad illud præceptũ; tenetur ad exhibitionem honoris ſuo prælato, licet etiam malus ſit.

Eccl. 4. Eod. cap. 7. ¶ SIMILITER dicitur. *Presbytero humilia animam tuam:* Et. *Honorifica ſacerdotes.*

RESOLVTIO.

Minime: cum ratione tantum honorentur, qua à Deo poteſtatem acceperunt.

AD quod dicendum: quod honor exhibendus eſt prælatis ratione, qua à Deo acceperunt poteſtatem.

¶ AD illud autem, quod dicit Hieron. Dicendum eſt, quod hoc intelligitur; cum quis peccator honoratur indebite à maiore, à quo deberet corripi. Vnde dicit Hieron. Epiſcopus, qui talium crimina non corripit; magis dicendus eſt canis impudicus, quam epiſcopus.

ARTICVLVS VI.

An ſit acceptio perſonarum, ſi prælatus malus propter potentiam honoretur.

SIMILITER poteſt quæri de prælato ſeculari, vtrum ſit acceptio perſonæ ſi prælatus malus propter potẽtiam honoretur. Quod non, videtur: dicitur enim. *Serui ſubditi eſtote Dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Et dicitur vbi loquitur de poteſtatibus ſecularibus. *Cui honorem, honorem* (& loquitur communiter de bonis & de malis prælatis) ergo reuerentia honoris exhibenda eſt his, & illis.

1. Petri 2. ad Rom 13. Rom. 13.

Heſter. 13. ¶ CONTRA: Habetur in Heſter. 13. quod Imperator præceperat, quod omnes flecterent genua, & adorarent Aman: ſolus autem Mardochæus non flectebat genua, nec adorabat, & in hoc videbatur commendabilis. Si ergo adoraſſet, peccaſſet, indignam perſonam accipiendo: & ita nõ videtur prælatus ſecularis, cum malus eſt, eſſe honorandus.

RESOLVTIO.

Neutiquam: modo non ſit honor Latria, qua ſoli Deo debetur; vel cum conſcientia dictante contrarium.

¶ AD quod dicendum: quod honorandus eſt, licet ſit malus: ſed non honore, vel reuerentia, quæ debetur Deo, vel cum conſcientia dictante contrarium. Videtur autem quod tunc temporis huiuſmodi honor Deo ſoli exhibebatur, per hoc quod dicitur Heſter. 13. *Non pro ſuperbia, vel contumelia, vel cupiditate gloriæ feci hoc, vt non adorarem Aman: libenter enim pro ſalute Iſrael veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem: ſed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem: & nequaquam quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Et dicitur de adoratione latriæ: talem enim videtur Aman quæſiuiſſe per hoc, quod dicit Gloſſ. *Potentes ſeculi, qui beneficiis diuina pietate collatis abutentes, quos conſortes habent naturæ, dedignantur habere conſortes gratiæ: & honorem & reuerentiam, quam ſoli Deo debuerunt, in ſeſe transferre contendunt.* Non enim hac conſcientia peccauit Mardochæus, non adorando ipſum, licet à Rege præceptum: ſicut enim habetur in littera, præceptum illud extendebatur ad ſeruos Regis, qui erant in foribus palatij.

Heſter. 13.

Gloſſ. ibi.

ARTICVLVS VII.

An diuites honorandi ſint propter diuitias?

DEINDE quæritur, Vtrum diuites honorandi ſint propter diuitias. Quod non, videtur propter illud, quod dicitur ſuper illud Iacob. 2. *Nolite in perſonarum acceptionem* &c. Quicunque diuitem propter diuitias honorat, peccat.

Iacob. 2.

¶ PRÆTEREA, qui honorat propter diuitias; accipit hominem, non ex eo quod homo eſt; ſed ex rebus adiacentibus. ſed talis eſt acceptor perſonarum, ſicut dicit Greg. ergo talis peccat.

Aug. Epiſt. 29. ad Hieronym. ¶ CONTRA Auguſtinus. *Si hanc diſtantiam ſedendi & ſtandi, ad honores Eccleſiaſticos referamus, non eſt putandum leue peccatum in perſonarum acceptione habere fidem gloriæ Domini. Quis enim ferat diuitem eligi ad ſedem eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore & ſanctiore? Si autem de cotidianis conſeſſibus legitur, quis non hic peccat?* Ergo ſi fiat ſermo de honore publice exhibito diuitibus, non eſt peccatum.

¶ PRÆTEREA, quod non eſt peccatum, debemus facere pro ſcandalo vitando: ſed ſi diuites nõ honoraremus, ſed eis præferremus pauperes, ſcandalizarentur: ergo honorandi ſunt.

RESOLVTIO.

Nequaquam: ſi ad diuitias tantum intuitus habeatur.

¶ AD quod dicendum: quod ſi tantum habetur intuitus ad diuitias, vt tanto melior videatur: quanto ditior, peccatum eſt. Vel ſi de exhibitione honoris eccleſiaſtici hoc intelligatur: ſicut dicit Auguſt. Si tamen hoc fiat pro vitatione ſcandali ita tamen quod pauper non contemnatur, vel diues in peccato ſuo non foueatur.

MEMBRVM III.

Quare in poteſtate non ſit acceptio perſonarum, ſed bene in diuitiis, & cæteris fortunæ bonis?

TERTIO quæritur; qua de cauſa dicitur acceptio perſonarum? Si enim perſona attenditur hic ſecundum ea, quæ adiacent homini: ſicut dicit Gregor. *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* Et Lib. Moral. 25. *Plerumque hominem non ex eo quod ipſe, ſed ex his quæ circa ipſum ſunt, veneramur: cumque non intuemur quid ipſe ſit, ſed quid poſſit, in acceptione perſonarum, non ex perſona, ſed ex rebus adiacentibus ducimur.* Secundum hoc potentia, diuitiæ, & omnia huiuſmodi dicuntur adiacentia: & penes omnia dicitur acceptio perſonarum. Si vero aliqua iſtorum dicuntur eſſe adiacentia, & alia non: quæ poteſt eſſe ratio, cum poſſint adeſſe, & abeſſe tanquam extrinſecus contingentia, & bona fortunæ dicuntur. Et ſicut poteſtas datur à Domino, ita & diuitiæ dantur à Domino, & alia bona, quæ dicuntur fortunæ. Et ſicut honorari poteſt Dominus in bono potentiæ dato: ita in bono diuitiarum: & ſic in alijs bonis. Cum ergo non dicatur acceptio perſonæ ſi honoratur Deus potens in homine potente: ſic non dicetur acceptio perſonæ, ſi honoretur Deus diues in homine diuite, & Deus nobilis in homine nobili.

Gregor. in homil. de filio Reguli & ſeruo Centurionis, & ſuper illud Lucæ 12. & lib. 25 Moral.



RESOLVTIO.

Quia potestas non nisi à Deo est: diuitiæ autem quasi ex quadam vsurpatione prouenere.

¶ Ad quod dicendum est: quod aliter dicendum est de potestate, & de diuitijs, & de huiusmodi bonis fortunæ. Per potestatem enim gerit homo vicem Dei: & sine potestate ordinata non regitur vniuersitas: & ideo ei per se debetur reuerentia. Diuitiæ autem quasi ex quadam vsurpatione prouenerunt: secundum quod dicit Hieronym. *Omnis diues est iniquus, vel hæres iniqui: ex lege enim naturæ omnia erant communia.* Est tamen considerare potestatem dupliciter: vel inquantum ordinata est sub Deo: vel tantum inquantum est super homines. Si vltimo modo, vanitas est in potestate, sicut in diuitijs: & illo modo posset esse acceptio personæ.

Hierony.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod vtrobiq; Deus potest honorari in bonis suis. Dicendum est, quod honor, quo honoratur Deus in donis suis, non est acceptio personæ: sed honor quo honoratur persona ratione adiacentiū sibi, non relatione ad Deum.

MEMBRVM IV.

Acceptio personarum quare ita specialiter remoueatur à Deo in scripturis?

QVARTO quæritur: quare ita spiritualiter remouetur personarum acceptio à Deo in sacra scriptura? Dicitur enim. *Non est personarum acceptio apud Deum*: Et loquitur ibi de Iudæo & Græco. Similiter dicitur. *Deus personam non accipit.* Et loquitur ibi de Domino & seruo. Et idem dicitur vlt. ad Ephes. Similiter dicitur. *Sine acceptione iudicat.* Et. *Non est personarum acceptor Deus.* Non est ergo acceptio ratione ritus, vel conditionis, & aliorum, quæ sunt circa personam. Potest ergo quæri: quare tanta laus attribuitur Deo in Scripturis ratione huius conditionis: cum tamen in quibusdā videatur contrarium? Elegit enim populum Israeliticum, sicut habetur. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris.* Elegit etiam quosdam filios patriarcharum, quosdam reprobauit; quibusdam etiam prædicauit, & quibusdam non. Ergo videbatur personarum acceptor.

Rom. 2. ad Gal. 2. 1. Petri. Actuū 10. Deut. 7.

RESOLVTIO.

Quia ei maxime ab eisdem iustitia liberalitatis tribuitur, quæ personarum acceptioni maxime opposita est.

¶ Ad quod dicendum est: quod duplex est iustitia: seueritatis, & liberalitatis. Iustitia autem liberalitatis magis proprium est diuinæ bonitatis: huic autem opponitur acceptio personæ. Quia ergo tantum Deus commendatur in iustitia liberalitatis: propter hoc remouetur in Sacra Scriptura ab eo acceptio personæ. Iustitia autem liberalitatis descendit in omnes, & ratione sexus, & ratione conditionis, & ratione ritus: ideo dicitur. *Non est Iudæus neque Græcus: non est seruus neque liber: non est masculus neque fœmina: omnes vos estis vnum in gloria Iesu.* Et. *Induentes hominem nouum, qui renouatur in agnitione Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum; vbi non est masculus & fœmina, gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scyta, seruus & liber: sed omnia in omnibus.* Et. *Hoc est bonum, & acceptum coram Deo salutari nostro, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Est ergo, quantum in ipso est, liberalitas in omnes descendens.

ad Gal. 3. ad Colos. 3. 1. ad Tim. 2.

¶ Quod autem dicitur esse electio diuina quorundam vel ratione gentis, vel personæ: Hoc est ex gratia: & nihilominus ex præuisione occultissimorum meritorum: quorum tamen meritorum est principium gratia, licet liberum arbitrium cooperetur. Dicit etiam August. quod voluntas diuina ex ratione est: cuius tamen rationis altitudinem ignorans Apostolus, exclamat, dicens. *O altitudo diui. sa. & scientia Dei, &c.* Dicendum ergo, quod in huiusmodi electione non est acceptio personæ: non enim est propter causam indebitam: sed cum omnes descendentes à massa peccatrice, de iustitia possent omnes damnari; ex gratia est, scilicet gratuita bonitate, quod quidam eliguntur: ex iustitia vero dicuntur reprobari: bonum à Deo est, malum vero ab homine.

August. Rom. 11.

QVÆST. CXXI.

De peccato consensus.

In quatuor Membra, & octo Articulos diuisa.

CONSEQVENTER post Tractatum de peccato cogitationis & iudicij, dicendum est de peccato consensus. Consensus enim sequitur iudicium: iudicium vero cogitationem.

D. Tho 1. 2. q. 74 art. 7. & 8. S Bon. in 2. d. 24. par. 2 dub. 1. & art. 2. q. 1. ad arg. & d 41. art. 2. q. 1. ad arg.

¶ PRIMO ergo dicendum est, quid sit consensus, & quæ differentiæ consensus. Secundo, cum sit duplex consensus, vtrum secundum vtrumque sit mortale peccatum, an veniale aliquando. Tertio, si consensus est mortale peccatum, cum est contra conscientiam rectam; quærendum est de his, quæ spectant ad conscientiam prout aliquid fit contra conscientiam. Quarto, quid agendum est in perplexitate conscientiæ, si est aliqua perplexitas.

MEMBRVM I.

Quid sit consensus, & cuius sit?

DIFFINITVR autem consensus à B. Bernard. Lib. de lib. arb. *Consensus est motus voluntatis spontaneus, vel motus animi, liber sui.* Nihil enim ita est in potestate animi, sicut consentire, vel non consentire.

Bern. in lib. de lib. arb.

¶ Supposita hac ratione, attendendum est: quod duplex est consensus. Est consensus in opus: & consensus in delectationem: sicut dicit August. Consensus enim aliquando sola animi delectatione contentus est: superioris vero autoritate consilij membra retinentur, vt non exhibeantur membra iniquitatis peccato. Est iterum consensus, vt si potestas sit, quod etiam opere compleatur.

Aug. in 12. li de Trin.

¶ POTEST quæri, vtrum consensus sit rationis, aut voluntatis. Et videtur, quod sit rationis: per hoc quod dicit August. quod superior portio rationis est, quæ supernis conspiciendis & consulendis inhærescit: huius autem est decernere faciendum, & consentire vt fiat: ergo consensus est ipsius rationis.

Idē in eod.

¶ Videtur autem esse ipsius voluntatis propter supradictam Bernar. rationem.

¶ Et dicendum est: quod vtriusque, secundum quod dicit Bernar. *consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem: & rationis indeclinabile iudicium liberum dicitur arbitrium: liber propter voluntatem, iudex sui propter rationem.*

Bernar.

¶ Quæritur etiam, si consensus sit superioris partis rationis, aut inferioris, aut vtriusque. Et videtur esse inferioris partis: consensus enim contentus sola delectatione animi, est inferioris partis rationis: ergo consensus dicitur inferioris partis.

¶ Præterea, eius est consentire illecebræ carnali.

¶ Quod autem sit superioris partis, habetur per hoc quod dicit August. *Eius enim est cōsentire inferiori parti rationis, vel non consentire; tenet enim locum viri.* Eius etiam est per voluntatem cohibere, vel non cohibere membra: Ergo penes ipsam residet principaliter consensus.

August.

RESOLVTIO.

Consensus (B. Bernardo teste) est motus spontaneus voluntatis, siue motus animi, liber sui: Vtramque potentiam concernens, & voluntatem, scilicet & rationem: quinimmo huius portiones ambas.

¶ QVOD concedendum est: vtriusque enim est decernere: vtriusque est consentire: in vtraque enim constituitur peccatum: sed differenter, sicut dicit August. & recitat illud Magister.

Aug. in lib. de Trin. Mag. in 2 li sent. dist. 24.

MEMBRVM II.

An secundum omnem consensum, & in delectationem, scil. & in opus peccatum mortale sit, vel interdum veniale?

SECVNDO quæritur: cum sit duplex consensus, vtrum secundum vtrumq; sit mortale peccatum, an veniale aliquando. Et videtur, quod veniale sit in inferiori parte; per hoc quod dicit August. *Si cum cogitatione mens oblectatur illicitis,*

August.

citus, non decernens esse facienda, tenens tamen & voluens libenter: quæ statim vt attigerunt animam, respui debuerunt, non negandum est esse peccatum: sed longe minus, quam si opere statuatur implendum. Et ideo de talibus cogitationibus venia est petenda, pectusque percutiendum, atque dicendum: Dimitte nobis debita nostra. Sed ad venialia quædam peccata delenda dicitur valere Oratio Dominica: est ergo huiusmodi veniale peccatum.

Idem ibid. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod subiungit August. *Vna persona, vnusq; homo totus damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate perpetrandi, sed tamen cum voluntate animi talibus oblectanda, solius cogitationis sentiuntur esse peccata; per mediatoris gratiam remittantur.* Sed damnatio non est nisi pro mortali peccato: ergo huiusmodi fit mortale peccatum.

Idem ibid ¶ Similiter præmittitur ibidem. *Si mulier sola cibum edisset illicitum, sola mortis supplicio plecteretur.* Non ita dici potest in homine vno, si delectabilibus illicitis, à quibus se continuo debet auertere; cogitatio libenter pascatur sola, nec facienda decernantur mala: sed tantum in recordatione suauiter teneatur; quasi mulierem sine viro posse damnari. Ex quo accipitur, quod pro huiusmodi peccato debetur damnatio: damnatio autem nō solet accipi in scriptura, nisi pro mortali peccato: ergo huiusmodi est mortale peccatum.

¶ Item, in superiori parte rationis quæritur, vtrum fiat veniale peccatum? Quod non, videtur: in illa enim parte est consummatio peccati: consummatio autem peccati est, cum est mortale peccatum: ergo in illa parte est tantum mortale peccatum.

Magist. in lib. Sent. ¶ Præterea, Magist. *Si adsit plena voluntas perficiendi, vt si adsit facultas, ad effectum perducatur; vir manducat, quia superior pars rationis illecebræ consentit, tunc est damnabile & graue peccatū.* In superiori ergo parte tantū videtur esse differentia mortalis peccati.

RESOLVTIO.

Secundum vtrunque consensum, & in vtraque rationis parte tum mortale, tum veniale peccatum esse potest, iuxta cohibitionem & non cohibitionem rationis, & iuxta vel mortalis vel venialis peccati genus.

*Alias, ad primum. *Alias cū ¶ Ad * quod dicendum: quod in inferiori parte potest esse, & mortale peccatum, & veniale. Cum mens oblectatur * in cogitatione in illicitis, non decernens tamen esse faciēda, sed repellitur à superiori parte rationis, veniale est: & in remedium huius peccati valet tūsio pectoris cum Oratione Dominica. Si autem progrediatur, vt non à superiori parte post deliberationem sufficientem cohibeatur, dr̄ mortale peccatum: quando versatur delectatio circa genus mortalis peccati. Et hoc modo intelligitur illud, quod mulier non sine viro damnatur: iam enim est consensus superioris partis vere, vel interpretatiue. Difficillimum tamē est in hac parte fines venialis peccati & mortalis distinguere in subiecta materia: Et ideo volebant aliqui dicere, quod dum est consensus ad delectandum, & nullatenus ad perpetrandum opere: est veniale peccatum: damnationem vero exponebant viri cum muliere per punitionem in hmōi, vt punienda sit superior pars in pn̄ti, siue pœna temporali, quia non cohibuit delectationes inferioris partis, sicut debuit: tūc aūt damnatur vir cum muliere damnatione mortalis peccati; cum adest consensio male vtendi rebus, quæ per sensum corporis sentiuntur: & decernitur peccatum, vt si ptās sit, opere compleatur: tunc enim secundum August. mulier intelligenda est dedisse viro, secum simul edendum illicitum cibum.

¶ Ad illud, quod obijcitur de superiori parte rationis. Dicendum est, quod aut superior pars rationis versatur circa genus venialis peccati: aut circa genus mortalis peccati. Si versatur circa genus venialis peccati, vt si consentit non cohibendo se ab * iocoso sermone, vel * facto, est veniale peccatum. Si versatur circa genus mortalis peccati consentiendo, vt fiat, non cohibendo membra, mortale est peccatum. Quod autem dicit Aug. in superiori parte esse damnabile & graue peccatum intelligitur per quandam coarctationem circa genus mortalis: hæc enim nomine illicitorum intelliguntur. Et quia circa ista erat differentia sensualitatis inferioris partis, & superioris secundum veniale & mortale: nam in sensualitate veniale tantum, in inferiore veniale & mortale, in superiore mortale tantum; sicut dicit Magist. in lib. Sent. ideo in superiori parte dixit, tantum damnabile & graue est peccatum.

*Alias, verboso. *Alias, esse

MEMBRVM III.

De causa interiori peccati mortalis.

Tertio quæritur de causa peccati interiori mortalis: quæ est, quando aliquid fit in consensu contra conscientiam rectam. Et ad huiusmodi explanationem, primo quæritur, vtrum conscientia liget, siue sit recta, siue erronea. Secundo vtrum magis liget, quam præceptum prælati, vel non. Tertio, circa quæ liget, & circa quæ non: an circa omnia. Quarto, vtrum meritum sit in agendo secundum conscientiam: sicut demeritum in agendo contra consciētiam. Quinto, vtrum in omni peccato sit fieri contra conscientiam.

ARTICVLVS I.

An conscientia siue recta, siue erronea liget?

Ad primum sic: dicit Damasc. quod conscientia est lex intellectus nostri. Sed lex intellectus nostri dictat esse faciendum, quod est faciendum, & quod non est faciendū dictat non esse faciendum: cum ergo lex liget, conscientia ligabit.

¶ Præterea, super illud. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Gl. *& si non habent legem scriptam; habent tamen legem naturalem, qua quisque intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid sit malum.* Et sicut scientia ligat ipsum intellectum ad ea, quæ egrediuntur à principio scibili: ita conscientia ligat intellectum practicum ad ea, quæ sciuntur ab ipso. ad Rom. 2. Glossa.

¶ Item, conscientia est iudex: sicut habetur super illud. *Scit enim conscientia tua &c.* iudex autem ligat illum, siue obligat, qui subest iudicio ad faciendum, quod iudicatum est: Ergo conscientia ligat ad id, cuius est conscientia. Eccl. 7.

¶ Item. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est* (& exponitur, quod est contra conscientiam) ergo consciētia obligat ad non faciendum: similiter ad faciendum. ad Rom. 14

¶ Item, Orig. super illud idem. *Desides animas astringit Apostolus, vt nihil sine fide agant, vel dicant, vel cogitent.* Si ergo fides est conscientia, nihil agendum, vel dicendum, vel cogitandum est, nisi secundum conscientiam: ergo conscientia ligat. Orig. super idem.

¶ Quæritur etiam de conscientia erronea, si ipsa obliget. Quod videtur per hoc, quod dicitur in Glo. super illud. *Omne, quod non est ex fide, &c.* Omne, quod ad conscientiam pertinet, si aliter fiat; dicit esse peccatum: quamuis enim fiat, quod bonum est; si non esse faciendum credatur; vel non sic faciendum, vt sic, peccatum est. Ergo conscientia erronea etiam obligat: cōscientia enim erronea est, quæ dictat de faciendo non esse faciendum. Glos. super Rom. 14.

¶ Item, sicut dicitur. *Quidam cum conscientia idoli quasi idolaticum manducabant: & conscientia ipsorum cum esset infirma, polluebatur.* Sed non est pollutio nisi per peccatum: hoc autem non erat, quia comedebant idolaticum: sed quia conscientia dictabat idolis esse consecratum: dictabat ergo consciētia, non * est licitum, quod erat in se licitum: & ideo peccabant sic faciendo: ergo conscientia erronea ligabat. 1. ad Cor. 8.

¶ Contra: conscientia est in ratione: ratio aūt consiliaria est voluntatis: consilium autem non est obligatoriū: ergo conscientia, secundum quam formatur consilium, nō obligat. Item, conscientia aliquando formatur ex opinatis: opinio vero ad vtranque partem se habet: est enim opinio vera & falsa: vera etiam est possibilium aliter se habere: ergo conscientia non est obligatoria: cum non fundetur super re certa semper. Item, peccatum est dictum, vel factū, vel concupitum contra legem: ergo non est peccatum facere contra conscientiam erroneam. *Alias, esse

¶ Si vero dicatur, quod conscientia erronea est lex illi, cuius est conscientia. Contra: omnis error est dimittendus: ergo illa conscientia erronea est dimittenda: erronea enim conscientia dictat peccatum faciendum: sed nullus tenetur ad peccatum faciendum: immo tenetur ad non faciendū: ergo tenetur ad non faciendum, quod dictat conscientia erronea.

RESOLVTIO.

Conscientia tam recta, quam erronea aliquando ligant, aliquando non ligant, iuxta varia operum genera.

¶ Ad quod dicendum: quod sunt quinque genera operum. Quædã ita bona, quod nullo malo fine fieri possunt: vt diligere Deum propter se. Et sunt quædam ita mala, vt nullo fine bono fieri possunt: vt fornicari, & mentiri, & huiusmodi. Sunt autem alia huiusmodi opera, quæ bona sunt in genere, & possunt tamen fieri malo fine: vt dare eleemosynam, quod potest fieri causa inanis gloriæ. Sunt alia, quæ sunt mala in genere: vt ire ad lupanar: quod potest fieri bono fine, ad correctionem, scilicet fornicariæ. Sunt autem quędam indifferentia omnino. In primis ergo duobus ligat conscientia ad faciendum id, quod faciendum est, & non faciendum, quod non est faciendum. In alijs aũt non ligat cõscientia, secundum quod est lex intellectus nostri: nisi quatenus ad ista reducuntur: vt ligat ad dandum eleemosynam, cum formatur debitis circunstantiis: & ad non eundum ad lupanar, cum attenditur scandalum. Ad indifferentia vero omnino ligat. Conscientia vero erronea non ligat quo ad duo prima membra: sed error conscientiæ est deponendus. Si enim conscientia dictat aliquod faciendũ contra legem Dei, deponenda est: & absoluitur homo ab huiusmodi vinculo. In alijs autem etsi conscientia erronea inquantum erronea non ligat: ligat tamen sub ratione cõscientiæ, dum non deponitur: ad hoc aũt principaliter ligatur homo, vt error deponatur.

¶ Ad obiecta respondendum est: quod conscientia licet sit in ratione, quæ consiliaria est voluntatis; consilium aũt non sit obligatorium: nihilominus tamen cõscientia recta obligat: quia ipsa determinat, quid est eligendum, vel non eligendum rationi, quid est faciendum, vel non faciendum voluntati; vnde est circa pręcepta, vel prohibita, vel quæ ad illa quodãmodo reducũtur sub aliqua generalitate. Quod autem dicitur ratio consiliaria, non propter aliud est, nisi quia non cogit voluntatem: & quo ad hoc non dicitur cõsilium obligatorium, id est, compulsiuum: est tamen obligatorium, vt si non fiat, peccetur.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod conscientia licet aliquãdo formetur ex opinatis: ex parte autem opinionis solum non obliget: obligat tamen ex parte scientiæ cõiuncta sibi opinione; vt scientia est, id est, certæ acceptionis, quod blasphemus est duriter castigandus, vel secundũ legem veterem interficiendus; opinio aũt adiũgitur, quod iste blasphemus: ex parte opinionis per se nõ est obligatio; sed ex parte scientiæ cum opinione: & hæc potest dici conscientia.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur tertio & quarto de erronea conscientia, quod non obliget. Dicendum est: quod hoc est ex parte erroris: & non ex parte conscientiæ, cum est de his, quæ videntur indifferentia: duobus autem primis modis nullatenus obligat erronea conscientia.

ARTICVLVS II.

An in indifferentibus magis standum sit conscientiæ; quam præcepto Prælati.

SECVNDO quæritur, vtrum cõscientia magis liget, quam præceptũ prælati, vel non. Et videtur quod sic: qui enim contra conscientiam facit, ædificat ad gehennam: pro nullo autem præcepto pręlati debet quis facere, quod ædificet ad gehennam: ergo magis ligat conscientia, quam prælatus.

Ecclef. 8. ¶ Item, conscientia iudex est: sicut habetur super illud. *Scit enim conscientia tua.* Conscientia autem tua recta nullum habet iudicem supra se, præter Deum: Prælatus vero potest habere iudicem supra se alium à Deo: ergo conscientia recta est superior iudex, quam prælatus: ergo magis obligat: mandatum enim superioris plus est obligatorium, quam mandatum inferioris, immo absoluit à mandato inferioris.

Matt. 23. ¶ Contra. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæ dicunt, facite.* Hoc autem non intelligitur, nisi de his, quæ non sunt contra Deum: si ergo non sunt contra Deum: standum est mandato superioris: ergo in indifferentibus non est credendum conscientiæ, si iubeat contrarium.

¶ Item. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* adRom. 13. Glos. *Mandatum superioris absoluit à mandato inferioris*: prælati Glossa. autem spirituales præsunt ipsis animabus subditorum. *Ipsi* Hebr. vlt. *enim peruigilant, rationem reddituri de animabus vestris.*) Ergo præsunt cõscientijs. Si ergo conscientia dictet contrarium in his, quæ præcipit prælatus in indifferentibus, obediendum est magis prælatis: ergo magis ligat prælatus, quam conscientia.

RESOLVTIO.

In indifferentibus magis Prælati præcepto, quam conscientiæ standum est; tum maxime Religiosi.

¶ Ad hoc dicendum: quod obediendum est magis prælato, quam conscientiæ in huiusmodi. Vnde Glos. super illud. *Non solum propter iram principis vel Dei vitandam, sed etiam propter conscientiam.* scilicet vt munda sit mens nostra. Ergo conscientia ordinat ad hoc, quod obediamus prælatis in indifferentibus. De talibus enim loquitur Apostolus: loquitur enim de discernentibus cibos; consequenter & de iis, quæ debentur prælatis. Aliter tamen est in secularibus, & religiosis: seculares debent sequi sententiam prælatorum in his, quæ pertinent ad cathedram: sicut super illud. *Quæ dicunt vobis, facite, &c.* Religiosi vero, qui renunciauerunt propriæ voluntati, & proprio sensui; tenentur sequi Matt. 23. mandatum superioris in his, quæ non sunt præcepta, vel prohibita è contrario à Deo, vel in regula, quam profitentur, vel in constitutionibus obligatoriis ad culpam, quæ fiunt ab ecclesia super ipsos, vel à Capitulo generali cum consensu prælatorum. Cauere autem debent prælati, ne indiscrete præcipiant propter periculum conscientiarum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod sicut qui agit contra conscientiam, ædificat ad gehennam: ita qui agit contra discretum mandatum prælati, ædificat ad gehennam: conscientia autem subditi debet formari secundum discretionem prælati in dubiis: prælatus vero non tenetur formari in agendis secundum conscientiam quamcunque ipsius subditi: & ideo standum est mandato discreto ipsius prælati: hoc enim dictat conscientia.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet conscientia subditi sit iudex: non tamen est iudex immediate sub Deo: nisi quo ad ea, quæ præcipit, vel prohibet Deus: habet enim prælatum supra se: secundum cuius discretionem formari debet. Quod autem dicitur conscientia iudex, quo iudice, nemo absoluitur. Intelligendum est de illa conscientia, quæ arguit hominem in præsenti, & condemnat in futuro: secundum enim librum conscientiæ reddetur iudicium.

ARTICVLVS III.

Circa quæ conscientia liget?

TERTIO quæritur: circa quæ liget conscientia, & circa quæ non: an circa omnia? Et videtur, quod conscientia non liget circa indifferentia: conscientia enim est lex intellectus nostri, siue mentis nostræ: lex autem mentis nostræ determinata est circa facienda, & non facienda secundum illas regulas. Quod tibi non vis fieri &c. & iterum. Quod tibi vis fieri, hoc idem alij facias. Ergo conscientia determinatur circa ea, quæ sunt determinate bona; vel determinate mala. Sed indifferentia inquantum huiusmodi non sunt talia: ergo circa indifferentia prout huiusmodi sunt, non ligat conscientia, nisi inquantum reputantur facienda, vel non facienda. Sed hæc reputatio error est quidam: error autem non obligat simpliciter: ergo nec conscientia ratione sui, sed ratione exterioris superadditi obligat circa indifferentia.

¶ Præterea, aliqua sunt licita, quæ non expediunt: Exemplũ. sicut licitum est prædicatori accipere sumptus ab his, quibus prædicat; aliquando autem non expedit. Conscientia ergo aut est tantum licitorum & illicitorum, aut etiam expedientium & non expedientium. Quod sit licitorum, & illicitorum; videtur per hoc, quod hæc ad legem naturæ

pertineant.

Apoſt. 1. ad Cor. 8. pertineant. Quod autem ſit expedientium & nō expedientium, videtur per hoc quod dicit Apoſt. loquens de illis, quorum conſcientia lædebatur circa non expedientia: licet eſſent in ſe licita. Ergo conſcientia non tantum reſpicit licita & illicita, ſed etiam expedientia & ſibi oppoſita.

RESOLVTIO.

Circa indifferentia, ſub ratione tamen differenti, ſiue circa indifferentia in genere ſuo.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod conſcientia non ligat ad indifferētia, prout huiuſmodi, ſed ad indifferentia ſub ratione differenti, bonorum diffinite, vel malorum diffinite (hoc n. nomine ſcientiæ importatur) nihilominus tamen dicitur eſſe circa indifferentia in genere ſuo, & ita ſupra dictum eſt.

¶ Ad ſecundum vero dicendum eſt, quod conſcientia eſt licitorum ſimpliciter, & illicitorum, & expedientium, vel non expedientium, quæ dicuntur licita & illicita in ſuo genere: omnia n. aliquo modo ad legem mentis reducuntur. Sicut n. illud, quod eſt conſilium, in caſu poteſt eſſe præceptum; licet non ſit generaliter præceptum: ſic etiam illud, quod non expedit, pro tempore & loco dicitur illicitum: licet non ſit ſimpliciter illicitum.

ARTICVLVS IV.

An ſicut in agendo contra conſcientiam demeritum eſt: ita & in agendo ſecundum eandem meritum ſit?

QVARTO quæritur: Vtrum meritum ſit in agendo ſecundum conſcientiam: ſicut eſt demeritum in agendo contra conſcientiam. Et videtur, quod non, ſuper illud: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Gloſſ. *Apparet, quod licet omne, quod non eſt ex fide, ſiue contra conſcientiā, ſit peccatum: non tamen omne, quod ex fide, ſiue quod ſecundum conſcientiam agitur, eſt bonum.* Ex quo accipitur, quod non omne, quod ſecundum conſcientiam agitur, eſt bonum. ad Rom. 14 Gloſſa.

¶ CONTRA: fides dicitur eſſe fundamentum operum, & ſolum bonorum: illud ergo quod erit ex fide, erit bonum.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum non æquè ſit in conſtruendo, ac in deſtruendo.

¶ Ad quod dicendum, quod nō eſt ſimile in conſtruendo, & deſtruendo. Quod n. fit contra conſcientiam, peccatum eſt ſiue demeritorium; non tamen omne, quod fit ſecundum conſcientiā, eſt bonum & meritorium. Fieri enim ſecundum conſcientiam eſt, cum creditur eſſe bonum quod fit: hoc autem non ſufficit ad eſſe bonum: mali enim ſumus ſufficiens principium: boni autem non ſumus ſufficiens principium. Sumitur tamē æquiuocè conſcientia: ſi enim dicatur conſcientia pro lege mentis noſtræ, ſecundum hoc, quod fit ſecundum conſcientiam, eſt bonum: non tamen ſequitur, quod ſit meritorium: meritum enim requirit gratiam ad hoc, quod opus ſit meritorium: hoc autem non eſt niſi à Deo: & ideo agere ſecundū conſcientiam, non ſufficit ad eſſe meritorium: licet ſufficiat ad eſſe bonum & ſecundum hunc modum. Si vero conſcientia dicatur ſecundum extenſionem vocabuli ad credulitatem de agendo, vel non agendo: ſecundum hoc nec agere ſecundum conſcientiam ſufficit ad eſſe bonum, nec ad eſſe meritorium: agere vero contra conſcientiam, ſufficit ad eſſe malum & ad eſſe demeritorium: deeſt enim vna conditio boni meritorij.

ARTICVLVS V.

An in omni peccato ſit fieri contra conſcientiam?

QVINTO quæritur: Vtrum in omni peccato ſit fieri cōtra conſcientiam. Quod videtur, in omni n. peccato
Rom. 7. actuali ſit malum, de ipſo n. primo motu dicitur: *Quod nolo, hoc ago:* & ita contra legem mentis agitur: cui aūt repugnat lex mentis, repugnat conſcientia: ergo in omni peccato etiam veniali ſit contra conſcientiam.

¶ CONTRA. Omne, quod ſit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, ſed ædificatio ad gehennam non ſit, niſi per mortale peccatum (ſolo n. peccato mortali conſtituitur homo reus gehennæ) ergo tātum in mortali peccato ſit contra conſcientiam.

¶ PRÆTEREA, dicit Apoſt. ad Roman. 2. *Teſtimonium reddente conſcientia cogitationum adinuicem accuſantium* (& loquitur de malis.) Si ergo huiuſmodi accuſatio non eſt niſi de mortali; erit agere contra cōſcientiam tantum in mortali peccato. Et hoc videtur per hoc, quod dicitur ſuper illud: *Plorans plorauit in nocte:* ſuper quo dicit Paſcaſius Papa. *Maxilla animæ eſt conſcientia: conſcientia vero, quæ nouit peccata ſua, ſemper debet fonte lachrymarum irrigari:* vnde Dauid. *Peccatum meum contra me eſt ſemper:* aliter non eſt qui conſoletur eam. Cum ergo conſolator dicatur Spiritus S. deficit Spiritus S. cum non eſt huiuſmodi fletus in conſcientia: hoc aūt non eſt, niſi vbi eſt mortale peccatum: ergo mortale peccatum tantum eſt illud, quod agitur contra conſcientiam. Apoſt ad Rom. 2. Trenor. 1. Paſcaſius Papa. Pſal. 50.

RESOLVTIO.

Neutiquam: ſed in mortali peccato ſit contra conſcientiam; in veniali præter conſcientiam.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod aliud eſt agere contrà conſcientiam: aliud eſt agere præter conſcientiam. Agitur contra, cū ſit quod prohibetur fieri; vel non fit quod præcipitur fieri, & hoc eſt mortale peccatum. Præter conſciētiam ſit malum veniale: conſcientia n. & ſi nouit eſſe malum, non tamen dictat ipſum eſſe prohibitum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum eſt, quod licet non concordet conſcientia cum veniali peccato; & ideo dicatur repugnare: nihilominus tamen ſecundum conſcientiam regulatur interius liberum arbit. circa præcepta & prohibitiones: & ideo nō dicitur tunc regnare peccatum: regnum n. peccati actualis & mortalis, & regnum conſcientiæ ſimul ſtare non poſſunt.

MEMBRVM IV.

De perplexitate conſcientiæ.

DICTO de conſenſu peccati, in quo ſit contra conſcientiam: dicendum eſt de perplexitate conſcientiæ. Et primo quæritur, vtrum ſit perplexitas conſcientiæ. Secundo attendendi ſunt caſus, in quibus dicitur eſſe perplexitas conſcientiæ.

¶ Primo ergo attendendum eſt, quod triplex eſt perplexitas. Eſt n. perplexitas intelligentiæ verborum ſacræ ſcripturæ. Eſt iterum perplexitas cognitionis faciendorum, & vtraque poteſt eſſe in hominibus bonis. Tertia eſt ineuitabilitas peccandi. Prima ſoluitur per conſiderationem cauſarum dicendi in diuerſis locis ſcripturæ: intelligentiæ enim dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: vt dicit Hilarius. Secunda vero tollitur neceſſario vnctione Spiritus ſancti, quæ docet de omnibus. Tertia vero per depoſitionem erroneæ conſcientiæ: de qua ad præſens eſt intentio. Hilar.

ARTICVLVS I.

An ſit perplexitas conſcientiæ?

QVÆRITVR ergo: Vtrum ſit huiuſmodi perplexitas. Quod videtur per hoc, quod dicitur: *Nerui teſticulorum eius ſunt perplexi.* Super quo dicit Gregor. *Suggeſtionum illius argumenta implicitis inuentionibus alligantur: vt pleroſque ita peccare faciant, quatenus ſi fortaſſe peccatum fugere appetant, hoc ſine alio peccati laqueo non euadant.* Et alibi dicit. *Argumenta machinationum illius, quo laxantur vt relinquant, eo magis implicantur vt teneant.* Ex quo accipitur, quod aliquis poteſt eſſe perplexus perplexitate conſcientiæ. Iob. 40. Gregor. Idem.

¶ CONTRA, nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: ergo non eſt ineuitabilitas peccandi: ergo non eſt perplexitas.

¶ Item, perplexitas dicitur neceſſitas peccandi aliquo modorum, ſed nullus eſt in tali ſtatu, dum eſt viator, quin poſſit obtinere gratiam: ergo nullus eſt in tali, quin poſſit

amouere perplexitatem: perplexitas n. opponitur gratiæ gratum facienti.

Psal.30. ¶ Præterea, dicitur: *Saluasti de necessitatibus animã meam.* Ergo Deus saluat à necessitatibus miseriæ: sed quæ est maior necessitas miseriæ, quam perplexitas? ergo Deus saluat à perplexitate.

August. de natura & gratia. Psal.24. ¶ Ad idem dicit August. *Quod ex vitio naturæ, non ex conditione sit peccandi necessitas, audiat homo: atque vt eadem necessitas non sit, dicat Deo: De necessitatibus erue me.* Ergo si homo instanter orat; eruet eum Deus à necessitate peccandi: ergo eruet eum à perplexitate.

RESOLVTIO.

Perplexitas iuris non est: sed bene perplexitas facti.

¶ Ad quod dicendum, quod duplex est perplexitas, id est, dubietas, ex qua dicitur ineuitabilitas peccati: perplexitas, scil. iuris, & facti. Quantum ad ius nullus debet esse perplexus: nullus enim est in tali statu, quin possit ab eo amoueri dubietas iuris. Quantum autem ad perplexitatem facti, potest aliquis ex proprio vitio esse perplexus. Vnde si primo abolitum esset vitium, non sequeretur perplexitas: sed manente in tali statu, potest esse perplexitas: & secundum hoc dicit Greg.

¶ Ad illud vero, quod dictum est de necessitate peccandi. Dicendum est, quod si homo ingerit se in necessitem, nihilominus peccat: potuit n. vitasse. Est autem duplex necessitas. Vno enim modo dicitur necessitas idem quod pronitas, & in hanc incidit homo per primum peccatum. Secundo modo dicitur idem quod ineuitabilitas, & in hanc incidit homo per proprium vitium, dum manet in voluntate peccandi: si tamen pœniteat, liberatur à perplexitate: & sic patet responsio.

¶ Secundum hunc modum intelligitur illud quod dicitur in Psal. & quod dicitur in Lib. de Natura & gratia. liberat n. Dominus à pronitate aliquando ita quod non deducitur ad effectum. Similiter secundũ quod necessitas dicitur ineuitabilitas peccati; si homo instanter peteret, prout deberet; non caderet in huiusmodi necessitatem. Permittit tamen Dominus hominem cadere in huiusmodi necessitatem perplexitatis: vt sic cõfundatur homo super peccato suo: & reuertatur ad Dominum per pœnitentiam. Aliquando etiam non caderet homo in perplexitatem; si prius pœniteret: sicut est de Sacerdote, qui est in voluntate peccandi mortaliter, & celebrat vsq; ad consecrationem: si consecrat in tali statu, & percipit Sacramentum indignè; peccat mortaliter: si vero non procedit ad consecrandum, scandalizat assistentes scandalo grauissimo. si vero ductus esset pœnitentia; consecrare posset, & non caderet in huiusmodi perplexitatem.

ARTICVLVS II.

Casus aliquot perplexitatem conscientiæ in operationibus spiritualibus concernentes.

DEinde dicendum est de casibus, in quibus videtur accidere perplexitas conscientiæ. Et est quædam perplexitas circa operationes spirituales: quædam vero circa operationes corporales. De perplexitate vero in operationibus spiritualibus ponuntur casus à Magistris quãtum ad statum prælationis. Scit enim aliquis Sacerdos, quod aliquis subditus est in peccato mortali; nec vult pœnitere: ponatur ergo, quod instanter petat Eucharistiam: si dat ei, proijcit corpus Christi in latrinam diaboli: scit etiam, quod ille iudicium sibi manducat & bibit; vel ad minus præsumit: cum ergo debeat diligere salutem subditi, & propriam; tenetur non dare. Si vero non dat, scandalizat: ipso etiam facto videtur esse proditor confessionis, manifestando peccatum occultum ipsius subditi. Ergo videtur esse perplexitas.

Casus 1.

¶ Ad quod dicendum, quod si petat in manifesto instanter, non est ei denegandum: exemplo Christi, qui tradidit corpus suum Iudæ in cœna quem sciebat esse in mortali peccato. Et dicit August. super illud. *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.* Gloss. *Non prohibeat dispensator manducare, sed exactorem moneat timere*: Nec ipse dicitur tunc propriè dare, sed alius dicitur rapere. Aliter autem esset, si peccatum eius esset manifestum ipsi Ecclesiæ. De hoc non dicit August. *Si quis in crimine manifesto perdurat, prohibendus est: occultus vero monendus est.* Rationes autem, propter quas tenetur in manifesto dare occulto peccatori, instanter petenti, videntur esse tres. Prima est, vitatio scandali: secunda, ne sit proditor peccati: tertia, ne tunica Domini inconsutilis corrumpi videatur: eodem n. modo Sacerdotes possent alios recusare.

Aug. super Psal.21. Gloss.

August.

¶ Similiterquæritur de Sacerdote promoto simoniacè ad ordinem Sacerdotalem: qui tenetur ex officio personaliter celebrare. Aut ergo celebrabit, aut non celebrabit. Si celebrat, indignè celebrat: & ita peccat mortaliter; ipso n. iure suspensus est. Si non celebrat, scandalizat; cum ex officio teneatur. Casus 2.

¶ Ad quod respondendum: quod si simoniace est ordinatus, & peccatum illud est occultum; ipso iure suspensus est quo ad se tantum. Si vero est manifestum: ipso iure est suspensus quo ad se, & quo ad alios. In primo ergo casu, quia non est suspensus quo ad alios, si est in officio celebrandi, cum dolore pœnitentiali Missas perficiat: sic enim vitat maius malum. Si vero nondum est in officio celebrandi, dimittat illud officium, propter quod tenetur celebrare personaliter, & expectet gratiam dispensationis, si eam potest obtinere. In secundo vero casu non celebret: sic enim dicitur quod peccaret & quo ad se, & quo ad alios, quibus generaret scandalum.

¶ Similiter ponit casum Gregor. de illo, qui promouetur ad Ecclesiasticum beneficium simoniacè; perplexus enim est, vtrum teneat, vel deserat. De quo dicit Gregor. *esse sine reatu criminis ex neutra parte videtur; si aut susceptus semel grex relinquatur, aut rursus sacra actio seculariter empta teneatur.* Casus 3. Gregor.

¶ Ad quod dicendum, quod illam partem conuenit eligere, vt deserat officium susceptum simoniacè: sicut habetur. 14.q.6. 14.q.6. Si res aliena: Extrau. de restitutione spoliatorũ Gratus.

¶ Item, proponitur casus perplexitatis de illo, qui gerit ex voto vitam eremiticam; & vocatur ad ciuitatem, & dicitur ei à multis, quod lucrari potest cõsilio suo & exemplo multas animas Deo, quæ diu iacuerunt in peccatis. Et videtur, quod debeat exire: non n. est maius sacrificiũ, quam offerre Deo animas peccantium. Casus 4.

¶ Præterea, dicitur: *Egrediamur in agrum, commoremur in villis* (& dicitur hoc in persona eorum, qui sunt in vita contemplationis) ergo bonum est talibus. Ad hoc etiam est exemplum B. Hilarionis, qui cum rogatus esset à quadam matrona, vt veniret ad filiam suam, quæ grauiter infirmabatur, noluit: tandem ad verbum illius, quo dixit, quod hic sexus peperit saluatorem; exiuit, & visitauit filiam illius. Cantic.7.

¶ Contra, facit contra votum suum, nec interuenit dispensatio superioris: ergo peccat mortaliter.

¶ Præterea, tenendum est certum, & dimittendum incertum: certum autem est, quod potest proficere quo ad se in vita solitaria: incertum autem est, si proficiat quo ad alios, exeundo.

¶ Præterea, si exiret ad vnum, vel ad duos, similiter videretur quod oporteret exire ad alios: aut videretur esse acceptator personarum.

¶ Respondendũ est: cum venire contra votum, & professionem propria volũtate, sit manum mittere ad aratrũ, & respicere retro: nec prodest, *si totum mundum lucretur, detrimentum vero animæ suæ patiatur*; non est eundum, nisi in illo casu, vbi fides periclitaretur, & crederetur per ipsum releuari, vel compelleretur à superiori, vt Papa. Luc.9. Matth.16.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est; quod illud quod dicitur, maius sacrificium, & c. attenditur in genere sacrificiorum: non secundum conditionem personæ, quæ obligata est ex voto ad contrarium statum; sicut est de illo, qui ex voto obligatur ad vitam solitariam. Præterea: talis potest offerre illud sacrificium Deo consulendo; si ad ipsum veniat: vel orando, vel verbum salutis demandando.

¶ Illud

¶ Illud vero, quod dicitur in Cant. intelligitur de Prælato, qui se conuertit ad contemplationem aliquando: & videt necessitatem in cura subditorum: vel de religioso, qui habet officium prædicationis generale; & videt plures fame ve ibi Dei morientes. Nec illud exemplum B. Hilarionis compellit: vnctio enim docuit eum in illo casu, quæ mouit eum ad visitandam filiam Hilarionis.

Casus. 5. Gregor. ¶ ITEM alium casum ponit B. Gregor. de illo, qui renuncias sæculo, se obligat voto, & promittit quod sequetur voluntatem sui superioris per obedientiam in omnibus, quæ non sunt contra Deum: superior autem suus præcipit ei agere, quæ sunt mundi: sicut est in his, qui sunt in officiis sæcularibus. Subditus ergo pensans, quæ sit culpa inobedientiæ, & quod sit contagium secularis vitæ; & obedire trepidat, & non obedire formidat: ne aut illicitis obtemperans hoc, quod pro Deo appetit, contra Deum exerceat; vel non obtemperans esse qué suum iudicem quæsierat, suo iudicio supponat.

¶ De tali autem dicendum est, quod licet non sit directe contra præceptum Domini; potest tamen esse contra illud, quod vouit: quod prius fuit ei consilium, modo est ei præceptum ex professione regulæ. Si ergo præcipiatur ei à superiori aliquid q; sit cōtra metas regulæ suæ vel religionis; non est superiori obediendum: non n. præest regulæ prælatus, sed regula præest ei, quam profitetur: sic dicit Bern. Si vero non est contra Deum, vel contra regulam, salua vtrobiq; veritate, est ei obediendum. Bernard.

Casus. 6. ¶ DEINDE quæritur de eo, qui est in sæculo, qui tenetur honorare parentes suos: parentes autem sunt pauperes, & ita timet, si relinquat seculum, ne transgrediatur illud præceptum, Honora patrem & matrem. Ex alia parte voto obligatur ad relinquendum sæculum: quid agendū est ei? Si relinquit seculum, transgreditur præceptum, dehonorando patrem, & matrem. Si manet in seculo, facit contra votum: ergo perplexus est in conscientia.

¶ AD quod dicendum, quod tenetur prouidere parentibus de bonis, quæ habet, prout potest: sed nō dimittere, quin votum impleat. Vnde dicit Hieron. *Solum genus pietatis est in hac re esse crudelem.* Et alibi. *Gladium tenet hostis, vt me perimat: & ego de lachrymis parentum cogitabo?* Dum ergo possunt seruari illa duo insimul, & quæ sunt voti, & quæ sunt præcepti; seruanda sunt. Si vero vnum non potest simul esse cum alio; ei quod plus obligat, adhærendum est. Vnde Hieron. *Honora patrem tuum; sed si te de vero patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum nouerit creatorem. Alioquin canet tibi Dauid. Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui.* Dicit etiam Dominus in Euangelio discipulo, qui voluit ire sepelire patrem suum: *sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* De quo dicit Gregor. *Propter patrem militiam Christi deseram? cui sepulturam Christi causa non debeo.*

Hieron. ad Heliodor. Idem. Hieron ad Luciam. Psal 44. Math. 8. Luc. 9. Gregor.

ARTICVLVS III.

Casus alij eandem conscientiæ perplexitatem in operationibus corporalibus concernentes.

Casus. 1. DICTO de perplexitatibus, quæ emergunt in operationibus spiritualibus: dicendū est de his, quæ emergunt in operationibus corporalibus. Ponatur enim quod aliquis deponat gladium penes aliquem, qui iuramento constringitur ei, quod reddet ei, quandocunque petierit: postea Dominus gladij factus furiosus repetit gladium: perplexus videtur. Quia si non dederit, crimen periurij videtur incurrere: si vero dederit: crimen incurrit homicidij.

Casus. 2. ¶ Similiter quæritur de vsurario, qui deponit pecuniam suam penes aliquem, postea repetit pecuniam: & præsumitur vehementer, quod ex ea fœnerabitur: videtur, quod sit perplexus. Si non reddat arguitur de infidelitate: contrectat n. rem alienam non de consensu illius: & præter hoc videtur agere contra iuramentum. Si vero reddit, exponit animam fratris sui periculo. Si enim pro vitanda morte corporali tenebatur non reddere gladium furioso: multo fortius pro vitanda morte spirituali tenetur non reddere pecuniam vsurario: de quo præsumitur, quod male vtetur in damnum animæ suæ.

¶ AD quod dicendum secundum consilium Gregor. *In huiusmodi cum mens inter maiora & minora cōstringitur, si non sit sine peccato euadēdi aditus, minora eligantur: quia qui murorū vndiq; ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur.* Quia ergo minus periculosum est non reddere gladium furioso; videtur dicendum, quod non reddatur. Et subintelligendum est in iuramento, quod reddet; si potest salua pietate reddere: iuramentum n. obseruandum est, quod non vergit in deterius: vergit autem in deterius, si esset causa homicidij. Gregor. moral. 37.

¶ AD aliud dicendum est, quod non est simile de vsurario. Si enim Dominus Papa dicit in Decretali, quod ille, qui tenetur iuramento reddere vsuram, reddam eam; cum tamen verum sit, quod vsura non sit vsurarij: multo fortius reddenda est pecunia vsurarij, quam habet aliquis in deposito sub iuramento.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, q; licet vsura sit res aliena; tamen ei reddenda est propter iuramentum, & cum sit compos mentis suæ, non est similiter credendum, quin Dominus possit mutare mentem ipsius ad hoc, vt bene vtatur: magis autem cauendum est proprium periculum, quam alienum. Nec est simile de furioso, qui non est compos mentis suæ: nec imputatur ei ad peccatum, dum est in furia, sed tradenti gladium.

¶ Similiter quæritur de vxore vsurarij, quæ quicquid habet, habet de vsura, & hoc dictat ei conscientia: videtur ergo quod sit perplexa, quia non habet alia bona vnde sustentetur, & ita immineat sibi malum, si abstineat à bonis illis, si vero vtatur illis, particeps est vsuræ. Casus 3.

¶ AD quod dicendum; quod licet multum sit subiecta viro in his, quæ pertinent ad thorum; secūdum quod dicit Apost. *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; tamen non debet communicare viro in his, quæ sunt in contumeliam creatoris.* Vnde abstinere debet à re fenebri, & lucrari opere manuū suarum, vel quærere sibi necessaria à parētibus, vel aliunde, vel ab aliquibus viris bonis mendicare. Si vero cogeret illam ad vtendum bonis illis, illicite acquisitis, potest dimittere eum ad tempus, quo ad thorum propter causam fornicationis spiritualis. 1. ad Cor 7.

¶ ITEM, proponitur talis casus à Greg. de illo, qui iurauit alteri, quod secreta eius omni silentio tegeret, & contingit postea, quod ille, cui iurauit, perpetrat adulterium, & procurat homicidiū ipsius mariti adulteræ, & hoc scit, qui iurauit; videtur quod sit perplexus: Quia si tacet, non præmuniens aliquo modo, cum sit conscius, videtur particeps homicidij: si vero reuelat, reus videtur periurij. sic ergo est perplexus. Casus. 4. Gregor.

¶ AD quod dicendum: quod illum debet admonere fraterna correctione, prout dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Si noluerit cessare, potest dicere in generali illi, cuius procuratur homicidiū, aliquis vult te interficere: ita tamen quod non deprehēdatur ex aliqua circumstantia, quis ille sit: sicut habetur extra. de Offic. ordin. Si Sacerdos. Vel si periculum est dicere illi personæ: dicendum est alicui, qui potest prodesse, & non obesse in generali; vt Sacerdoti, quod præmoneat illum: vt dicit Aug. Mihi videtur, quod ab hoc peccati vinculo se soluat, si indicet talibus, qui magis possunt prodesse, quam obesse. Hoc tamen saluo, quod per circumstantiam non iudicetur persona. Nec est iste reus periurij: quia non indicat secretum illius. Vnde: *Denudare mysteria amici, desperatio est animæ infelicis.* Matth. 18. Extra. de Offic. ordi. Si Sacerdos. August. in quæstionibus Leuit. Ecclesi. 27.

¶ QVÆRITVR etiam: si quæratur aliquis ad mortem, & fuerit in loco secreto domus. Si prodo ipsum, pecco mortaliter. Si dico, quod nescio vbi sit, mentior, & ita pecco: non n. mentiendum est pro vita alterius saluanda: sicut habetur ab Aug. *commoditas cuiusq;, aut salus corporalis non est perfectæ fidei præferenda.* Et Aug. super illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Non est mentiendum pro salure corporali alterius. Si vero taceo, ex taciturnitate mea quodammodo ipsum manifesto: & ita videtur perplexus, qui in tali statu est. Casus. 5. August. in lib. de mēdacio. Idem super Psal 5.

¶ AD quod dicendum secundum Aug. quod nec prodere debet, nec mentiri, sed vel tacere, vel dicere [*si etiam scirem, non dicerem.*] nullatenus n. est peccandum cōtra veritatem Idem. Lib. contra Mendaciū. c. 13. to. 4.

Idem in eodem. ritatem pro alterius salute: sicut dicit August. *Faciat homo pro temporali vita, vel pro salute, quod potest: cum autem ad hoc ventum fuerit, vt tali saluti nisi peccando consulere non possit, iam se existimet non habere quid faciat.*

Casus. 6. ¶ Quæritur etiam: si aliquis perplexus est inter duo venialia peccata; sicut dictum est de perplexitate inter duo mortalia. Verbi gratia aliquis promisit simplici verbo, q plus quam oportet, comederet: si plus comedit, venialiter peccat: si facit contra verbum suum, venialiter peccat.

¶ Ad quod dicendum, quod agere debet pœnitétiam de indiscreta promissione: nec comedendum, plus quam oportet.

Casus 7. Rom. 9. ¶ Quæritur etiam, si quis potest committere venialia, vt alter euitet mortale? Quod videtur, quia dicitur: *Optabam fieri anathema pro fratribus meis.* Sed fieri anathema non est nisi pro aliquo peccato, ad minus veniali: ergo pro salute spirituali alterius potest aliquis committere veniale.

August. ¶ Contra: per hoc quod supra dicit August. *Cum ad hoc ventum fuerit, vt tali saluti,* &c. & dicit in Quæstionibus

Idem. super Gen. *qualiter Patriarcha noluit dicere falsum, vt saluaret pudicitiam vxoris suæ.*

¶ Ad quod dicendum est secúdum quosdam: quod perfectus non debet venialia committere, vt alter euitet mortale; sed pœnam potest sustinere temporalem: imperfectus autem potest. Alij vero dicunt: quod potest aliquis cómittere veniale etiam perfectus, vt alius euitet mortale, sed cadit quodammodo à perfectione. Videtur aût, quod nulla tentio sit ad veniale peccatum, sed potest esse tentio ad saluandum illum à mortali peccato, & si aliter non potest, per veniale, & est aliud de salute spirituali & de salute corporali ipsius proximi: veniali n. non debetur nisi pœna corporalis, dum homo existit in charitate.

¶ Ad illud aût, quod dicit Apost. quod optabat esse anathema pro fratribus, id est, pro salute fratrum. Dicendum est, quod anathema accipitur ibi pro pœna illa, quæ etiam aliquando iniuste infligitur, & tunc non est ibi nisi pœna tantum: talis aût pœna sustinenda est, & pro salute sua spirituali, & pro salute alterius. Secundum aût quod dicit pœnam iuste inflictá, cointelligit peccatum mortale, si tota ratio iustitiæ adsit, & hoc modo non optabat Apostolus, nec opotabile est pro alicuius, vel aliquorum salute.

August. lib 22 contra Faustú, c 34. circa finem. tom. 6. ¶ Ad illud vero quod obijcitur de Abraam, qui videtur mentitus esse. Dicendum est secundum August. quod nec dixit falsum, neque mentitus est. Non enim dixit eam non esse vxorem suam; sed dixit esse sororem suam: soror autem dicitur multipliciter; quia filia erat fratris: vel soror potest dici ex eodem patre, vel ex eadem matre genita.

QVÆSTIO CXXII.

De peccato Taciturnitatis.

In tria Membra diuisa.

Habitvm est supra de peccatis cordis: consequenter dicendum est de peccatis oris, siue locutionis: vt dicitur aliquis peccare tacendo. Peccatum vero locutionis fit pluribus modis, contra veritatem, contra bonitatem, & contra rectitudinem. Contra veritatem, vt in mendacio: contra bonitatem, vt in scurrilitate: contra rectitudinem, vt in conuitio, vel detractione. Dicendum est, ergo primo de peccato taciturnitatis. Quod aut sit peccatum tacere, patet per hoc, quod dicit Gregor. *Discrete*

Gregor. *pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter se soluat: aut cum loqui vtiliter potest, semetipsam pigra restringat.*

¶ Potest ergo quæri primo, vtrum tacere sit peccatum. Secundo, vtrum sit peccatum mortale semper, aut aliquando veniale, aliquando mortale. Tertio de comparatione peccati taciturnitatis ad peccatum locutionis.

* * *

MEMBRVM I.

An tacere peccatum sit?

Qvod tacere non sit peccatum, videtur. Omne enim peccatum est actus incidens ex defectu boni, sed tacere non est actus: ergo non est peccatum.

¶ Similiter arguitur ex illa diffinitione peccati. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum,* &c. Nullum autem horum est tacere: ergo non est peccatum. Ex Augu. lib 22. contra Faustú. c. 27. to. 6.

¶ Item, si tacere esset peccatum, esset in dormiente peccatum (maxime est n. in dormiéte taciturnitas) in dormiente autem non est peccatum: ergo taciturnitas non est peccatum.

¶ Contra Augu. super illud: *Quoties Domine in me peccabit frater meus, & dimittam.* Glos. *Non passim iubet peccanti dimittere, sed pœnitenti: ita peccat, qui videns fratrem peccare, tacet: sicut qui pœnitenti non indulget.* Ergo tacere est peccatum. Aug. super Matth. 18. Glossa.

¶ Item, *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* Inueteratio autem ossium defectus est fortitudinis spiritualis: defectus autem fortitudinis spiritualis non est nisi per peccatum: ergo tacere est peccatum. Psal. 31.

¶ Item super illud: *Si tacuero, non recedet dolor meus.* gl. *Hoc ipsum amplius quod tacet, gemit; quia se tacente, peruersorum culpas excrescere conspicit.* Tob 16. Glossa.

¶ Item, *Tempus tacendi, tempus loquendi.* Si ergo tacet homo, cum debet loqui, peccatum est; vnde dicit Greg. *Immoderatum silentium, si culpa non esset, Propheta non dixisset, Væ mihi, quia tacui.* Ecclesi. 3. Gregor. Isai. 6.

RESOLVTIO.

Interdum peccatum: interdum virtutis actus.

¶ Ad quod dicendum, quod tacere aliquádo est actus virtutis: vnde dicit Greg. *O: discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo tempore taciturnitas laudat.* Aliquando vero est nomen vitij: sicut supra habitum est. Gregor.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod tacere non est actus. Dicendum, quod actus dupliciter accipitur. Vel prout est commune ad operari & non operari: sicut habetur super illud: *Operor & non operor partes sunt eius quod est operor:* & secundú hoc dicitur tacere actus, sed non dicitur actus peccati, nisi inquantum refertur ad voluntatem; prout aliquis ex voluntate tacet, cum tacere non debet. Si vero accipiatur actus propriè; tacere nó est actus; nec esset peccatum, nisi prout actus voluntatis cadit super ipsum. Ad Rom. 7

¶ Per hoc patet solutio ad secundum.

¶ Ad obiectum vero de dormiente. Dicendú est, quod tacere non est peccatum, nisi cum congruit loqui, & debetur: hoc autem non est in dormiente.

¶ Si vero quæratur, in quo genere peccati sit: vtrum in ratione delicti, vel commissi? Dicendum est, quod in ratione delicti: tacere autem nihil aliud est, quam non loqui in eo, qui potestatem habet pro loco, & tempore, & aliis circumstantiis. Vnde qui tenetur loqui & non loquitur, peccat peccato delicti: sicut qui tenetur non loqui pro tempore, & loco, & aliis circumstantiis, & loquitur, transgreditur.

MEMBRVM II.

An taciturnitas semper mortale peccatum sit, vel interdum veniale?

Deinde quæritur: Vtrum sit peccatum mortale semper, an aliquando mortale, aliquando veniale: Et videtur, quod aliquando veniale, aliquando mortale: sicut enim loqui aliquando est veniale, aliquando mortale: ita per oppositú tacere videtur aliquando mortale, aliquando veniale.

¶ Præterea, aliquando tacet homo, cum tenetur loqui: aliquádo cum expedit, vel cum congruit. Sed cum tacet in his, in quibus congruit, & nó tenetur, vel expedit, veniale est peccatum: vel tacet, cum tenetur, mortale: Ergo tacere aliquando est veniale, aliquando mortale peccatum: sicut habitum est in præcedenti.

¶ Quod autem sit mortale, habetur ex hoc quod dicit Greg. *Qui corrigere non valet, increpare non desinat: ne se participem delinquentiú ex consensu taciturnitatis dicat.* Et loquitur de illo, ad quem pertinet officium correctionis. Gregor.

¶ Item

¶ Item, qui tenetur mederi ægroto, & subtrahit vsum medicaminis pro tempore, & loco, peccat mortaliter, sed prælatus debet mederi subditis, cum infirmantur ex peccato: ergo cum tacendo subtrahat vsum medicaminis, peccat mortaliter. Vnde Greg. (Idem.) *Plerunq; nimis taciti dum quorundam mala respiciunt, & cum silentio linguam premant, quasi conspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahunt: & eo mortis autores fiunt: quo virus, quod poterant eijcere loquendo, noluerunt.* Ergo taciturnitas est peccatum mortale, qui n. autor est mortis spiritualis in alio, in seipso contrahit mortem.

RESOLVTIO.

Taciturnitas tum mortale, tum veniale peccatum est. Circa necessaria quidem mortale: circa expedientia veniale.

¶ Ad quod dicendum, quod taciturnitas aliquando est veniale peccatum: aliquando mortale. In his enim, ad quæ tenetur homo, est taciturnitas mortale peccatum: verbi gratia, cum teneatur proprium peccatum confiteri pro tempore debito & aliis circumstantiis; & mederi proximo sermone medicinali pro tempore debito & alijs circumstantiis; in his est mortale peccatum. Cum autē non tenetur, sed expedit, aut decet; veniale est peccatū. Quando aūt hoc fuerit, & quando non, difficile est determinare in singulis, sed ipsa vnctio docet, quę non permittit hominem ubi adhærentem de facili errare.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum, quod illæ autoritates B. Greg. intelliguntur de illo, qui tenetur ex officio corrigere, & mederi aliis in verbo correctionis: in talibus aūt si fiat omissio pro tempore debito, erit mortale peccatum. Vnde dicitur: (Ezech. 33.) *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit; veneritq; gladius, & tulerit de eis animā: ille in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.*

¶ Sed potest quæri propter illud verbū, quod dicitur: (Quæst. collateralis. Eccles. 10.) *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Quod sit illud tempus? Si n. dicatur tempus oportunum, eo quod ante illud tempus nō dicatur esse peccatū, & hoc videtur dici super illud: (Leuit. 20. Glossa.) *Vir, qui patitur fluxum seminis,* &c. Glos. *Quid est sermo, nisi semē: qui dum ordinate mittitur, mens quasi vterus impregnatur: si aūt importune, polluit mentē, & generandi perdit virtutem?* & dicitur: (Eccles. 8. Prouer. 25. Glossa.) *Omni negocio est tempus & oportunitas,* & *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Glos. *Qui verbum Dei oportune nouit, iuxta audientium capacitatem prædicare modo exempla iuxta litteram replicat, modo suauiores spiritualium sensuum flores pandit.*

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur: (2. ad Tim. vlt.) *Prædica verbū, insta oportune, importune.* Ergo importune est prædicandum: ergo non est expectanda oportunitas? Quādo ergo dicendum est, quod peccatur taciturnitate ab eo, cui incumbit officium prædicationis vel correctionis?

¶ Respondendum est, quod aut intelligitur oportunitas ex parte aliquorum audientiū, & aliquorum non: aut ex nulla parte. Si ex parte aliquorum intelligitur oportunitas, ex parte aliorum non; nihilominus est prædicandū. Et hoc est, ꝙ dicit Apost. (Ibid.) *Prædica verbum, insta oportune.* Gl. *Oportune quantū ad eos, quib. placet: importune nolentibus.* Et dicit Aug. (August.) *Sonet verbū tuum volentib. nolentibus, oportune importune: inuenit locum, vbi requiescat, terram vbi germinet: licet aliqui sunt vt terra petrosa. Si vero non placeat auditoribus, tunc cum auditur, prodesse nihilominus potest in posterū; & adhuc dicitur, prædicare oportune importune.* Vnde glos. (Glossa.) *tu quidem oportune agis, sed importunus videris ei, qui libenter non audit ꝙ tamen aliquando ei prodest.* Hoc aūt attendendū est, si creditur ipsos esse corrigibiles. Si vero sunt incorrigibiles, nō dicitur oportunitas: & tunc tēpus tacendi. Vnde super illud: (Prouer. 9.) *Noli arguere derisorem: aliquotiens ab eius correctione non tua timiditatis, sed dilectionis gratia est cessandū.* Et dicitur: (Matth. 7.) *Nolite sanctum dare canibus, neq; margaritas proijcite ante porcos.* Per sanctum, intelligitur verbū prædicationis, quod non debet corrumpi: corrumpitur aūt in aliis, cum sunt impugnatores veritatis, & contemnentes. Vnde dicit Cassiod. (Cassiodor.) *Graue peccatum est obstinatis prædicare;* & ideo dicitur: (Amos 5.) *Prudens in illo tempore tacebit:* vbi dicit glos. (Glossa.) *Videns vir Ecclesiasticus incorrigibiles, subtrahit correctionem, ne videatur sanctum dare canibus.*

¶ Sed quid est, quod dicitur Ezech. 2. quod ipse loquatur ad domum exasperantem, cum domus exasperans videatur dici populus incorrigibilis? (Quæstio lateralis. Ezech. 2. Gregor.)

¶ Ad quod dicendum, quod non dicitur hic homo exasperans per incorrigibilitatem, sed per differētias peccatorum. Vnde Greg. *Noli esse exasperans per incorrigibilitatem; ne tibi cōmissa tacendo, & maledicta non increpando, Deum exasperes: sicut illi malefaciendo.*

¶ Occasione dictorum quæritur: vtrum prædicandū sit illis, quos scis incorrigibiles? (Quæst. incidentalis.) Quod videtur, per hoc, ꝙ Petrus prædicauit Simoni mago, dicens: (Actuum 8.) *Pœnitentiam age ab hac nequitia,* & dicit glos. (Glossa.) *non quod ignoraret Petrus eum pœnitentiam non acturum, sed quia omnibus iussus est prædicare, suum facit officium: vt illis sit inexcusabilis.* Et dicitur: (Ioan. 15.) *Si non locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc aūt excusationem non habent de peccato.* Sed cum sciuit eos Dominus pœnitentiā non acturos, nunquid prædicauit eis, vt augeretur malitia eorum? Quod non, videtur: imo quod potius tacendum sit, secundum quod dicit Greg. (Gregor. Moral. 23.) *Cum conspiciunt, quia vitā auditorum loquendo lucrari non possunt, tacendo scientiam suam abscondunt.* Vnde cum Herodes interrogaret Iesum multis sermonibus, nihil ei respondebat.

¶ Ad quod dicendum, quod hoc quod Petrus dixit, non tantum fuit, vt suum faceret officium, sed ne alij fallerentur per malitiam Simonis Magi. Vnde dicitur in glo. (Glossa.) *Coram omnibus arguitur, ne amplius ab eo fallantur.*

¶ Illud autem, quod dicit Greg. de taciturnitate duplicem habuit causam. Vnde subdit Grego. (Gregor.) *Quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua peruersa mutare: omnino taceamus: ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, & illorum culpa, quæ erat, esse non desinat, & nostra, quæ non erat, fiat.*

MEMBRVM III.

An in taciturnitate, vel in locutione maius peccatum sit?

Tertio quæritur de comparatione peccati taciturnitatis ad peccatum locutionis. Et videtur quod maius peccatum sit in locutione, quam in silentio, siue taciturnitate; per verbum Senecæ. (Seneca.) *Diogenes interrogatus, quare inter malos taceret? Respondit. Plus expedit sapienti tacere, quam contra se loqui? noui enim multos loquendo, paucos tacendo circumuentos.* Ergo in pluribus est peccatum locutionis; quam taciturnitatis: quid n. aliud est circumueniri, nisi per indiscretionem sermonis seduci.

¶ Similiter idem accipitur per aliud verbum Senecæ. (Idem.) *Sis rari sermonis ipse, sed loquentium patiens, locutum esse aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.*

¶ Præterea, Iac. dicitur, (Iacobi 3.) quod lingua est vniuersitas iniquitatis, de silentio, siue taciturnitate nihil dicitur. Ergo maius malum est locutionis, quam taciturnitatis.

¶ Contra, maius est bonum locutionis, quā sit bonum silentij, quia tacendo sibi soli prodest: loquendo vtiliter sibi & aliis. Ergo peccatum, quod opponitur locutioni, maius est, quam peccatum, quod opponitur silentio, sed peccatum taciturnitatis opponitur virtuti locutionis: peccatum vero locutionis opponitur bono silentij: ergo maius est peccatum taciturnitatis, quam peccatum locutionis.

¶ Item, super illud. (Psal. 139.) *Vir linguosus non dirigetur in terra:* perfectius esset omnes audire sponsum cum Ioanne, qui nō tantum gaudebat, quia docebat, quam quia audiebat: sicut habetur in Ioanne: (Ioan. 3.) *Amicus sponsi stat, & audit, & gaudet propter vocem sponsi.* Sed propter imperitos necesse est loqui aliquando, vt doceantur: gaudium ergo sit taciturnitatis, & sponsum audiendi in voluntate, vox doctrinæ sit in necessitate. Cum ergo silentium malum opponatur silentio bono; locutio vero mala opponitur locutioni bonæ; maior autē sit perfectio in auditu sponsi cum silentio bono, quam sit in ipsa locutione vtili: erit magis malum silentium indebitum, quam locutio indebita.

¶ Item, videtur magis debere esse præceptum de tacēdo, quam de loquendo: pronus n. homo est ad loquendū. Vnde super illud: (Psal. 38. Glossa.) *Vt non delinquam in lingua mea.* Gloss. *Non frustra est lingua in humido, quia de facili labitur.* Et super illud

Iacob. 3. *Lingua est ignis*, &c. Cum fere sit impossibile vitare peccatum linguæ, etiam à perfectis, non quiuis debet petere magisterium. Præceptum autem ad hoc datum est, vt cohibeat se homo à delicto: non autem ita pronus est homo ad peccatum taciturnitatis: ergo magis dandum esset præceptum de tacendo, quam præceptum de loquendo: præceptum enim de tacendo, cohibere debet à vitio locutionis: præceptum vero locutionis cohibere debet à vitio taciturnitatis.

Iacobi 3.

RESOLVTIO.

Peccatum locutionis maius est peccato taciturnitatis, quia in pluribus eo peccatur. At taciturnitatis peccatum maius est locutionis peccato, quia occasio, vel causa maioris damni.

¶ Ad quod dicendum, quod maius dicitur peccatum peccato: vel quia in pluribus peccatur, & secundum hoc maius dicitur peccatum locutionis, quam taciturnitatis. Vel maius dicitur peccatum, quia occasio, siue causa est maioris damni: secundũ hoc peccatum taciturnitatis est maius, quia per illud subtrahitur vtilitas locutionis, quæ est maior vtilitate silentij.

¶ Ad obiectum autem dicendum est, quod prima ratio sumitur ex comparatione secundũ pluralitatem delicti: & similiter secunda, & similiter tertia.

¶ Ad obiecta autem ex alia parte. Dicendum, quod prima ratio respicit causam maioris damni, & hoc modo peccatum taciturnitatis est maius.

¶ Ad secundo vero obiectum. Dicendum est, quod peccatum taciturnitatis opponitur bonitati locutionis, & opponitur silentio bono, sed aliter & aliter. Ratione enim oppositionis in actu opponitur bonitati locutionis. Ratione vero qualitatis, manente consimili actu, opponitur silentio bono. Silentium autem bonum, in quo auditur vox sponsi; habet quandam bonitatem, & ratione silentij, quia silet ab eo, à quo silendum est, & habet bonitatem ratione auditus vocis diuinæ: ratione cuius dicitur habere perfectionem. Licet ergo opponatur ei taciturnitas mala ratione illius perfectionis: nõ tamen est maius peccatum, quam peccatum locutionis: peccatum n. locutionis plus contrariatur eidem: & ita ex hoc non sequitur, quod sit maius: sed econtrario.

¶ Ad illud vero, quod quæritur: quare magis est præceptum de locutione, quam de silentio. Dicendum est, quod locutio pluribus modis habet rationem bonitatis, & quo ad se, & quo ad proximum: præceptum vero silentij habet bonitatem quo ad se: præcepta autem affirmatiua aliter se habent quam negatiua: negatiua n. sunt ad cohibendum à malo: affirmatiua vero, vt proficiat homo in bono: quia ergo cum proficit, magis proficit loquendo, quam tacendo, ideo magis est præceptum in sacra scriptura de bonitate locutionis, quam de bonitate silentij: cum tamen pluribus modis possit esse taciturnitas bona, sed multiplicius potest esse bona locutio.

QVÆST. CXXIII.

De Mendacio.

In octo Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 110. S. Bon. in 3. d. 38 Scot. ibid.

CONSEQVENTER dicendum est de peccato, quod est in locutione. Et primo contra veritatem. Veritas autem aliquando destruitur, sicut in mendacio: aliquando contemnitur, sicut in periurio: aliquando impugnatur, sicut in contentione. Primo ergo dicendum est de mendacio.

¶ Circa quod quærendum est: quid sit mendacium. Secundo, vtrum mendacium ex aliqua circumstantia possit fieri bonum: sicut occidere per circumstantiam trahit ad bonum. Tertio, vtrum omne mendacium sit peccatũ. Quarto, vtrum omne mendacium sit peccatum mortale. Quinto, vtrum perfectis liceat mentiri. Sexto, de mendacis secundum differentias personarum dicendum. Septimo, de speciebus mendacij. Octauo, de comparatione ad suum oppositum in dicendo.

MEMBRVM I.

Quid sit Mendacium?

CIRCA primum sic: dicit August. *Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi.* Et hoc idem habetur in Glos. super illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

August. in lib. de mẽdacio. Glos. super Psal. 5.

¶ Obijcitur autem circa hanc diffinitionem: contingit simulationem facere in operibus, sicut in verbis. (Vnde sicut mendacium est in falsis verbis: ita in operibus simulatis) ergo non tantum est mendacium falsa vocis significatio.

¶ ITEM, aliquis dicit aliquod verum; & tamen intendit fallere: constat, quod ipse peccat: & non videtur reduci ad aliud genus peccati quam ad mendacium: ergo non vniuersaliter est mendacium falsa vocis significatio.

¶ ITEM ille, qui iocose dicit mendacium, non videtur habere intentionem fallendi: imo vult bene, quod alius cognoscat, quod vult dicere falsum: ergo non conuenit omni mendacio.

¶ Similiter videtur de mendacio officioso: aliquis n. dicit falsum, vt saluet aliquem: principalis intentio eius fuit circa salutem alterius: ergo non est principalis intentio fallendi: est tamen mendacium: ergo non conuenit omni mendacio.

RESOLVTIO.

Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi.

¶ Ad quod dicendum, quod illa diffinitio generalis est mendacij simpliciter. Nam secundum August. requiruntur duo in mendacio simpliciter dicto, sc. quod proferens dicat falsum: & quod intendat dicere falsum. Ex qua dispositione est, vt possit aliquis falli: vt sic sit falsitas ex parte intendentis, & ex parte signi.

¶ Ad obiectum primo dicendum est: quod mendaciũ non propriè dicitur in factis: licet sit ibi simulatio. Verbum enim propriè ordinatur ad significandum: mendacium autem dicitur à dictione mentis: quia ergo mens dicit per verbum; ideo recte dicitur mendacium falsa vocis significatio.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod ille, qui dicendo verum, intendat fallere; nõ peccat mendacio, nisi quo ad quid: vnde & illud genus peccati dicetur secundum quid mendacium.

¶ Ad tertium dicendũ, quod licet ille, qui peccat mendacio iocoso, non intendat decipere, intendit tamen dicere falsum: ex quo posset esse in aliquo deceptio. Vnde conuenit ei ratio mendacij: est enim intentio falsum dicendi.

¶ Ad quartum dicendum, quod in mendacio officioso simul est vtraq; pars mendacij. Licet enim sit vlterior intentio, sc. iuuare proximum: nihilominus citerior est intentio fallendi: & quo ad hoc dicetur mendacium. Illa enim intentio per se respicit sermonem: altera vero intentio respicit voluntatem: & non per se sermonem.

¶ Ad quintum dicendum: quod licet Sophistæ dicant falsum, & intendant fallere, & ita dicant mendacium: tamen quia hoc faciunt causa exercitij, & vt non ignoretur virtus nominum: non est peccatum.

¶ QVÆRITVR etiam: cum sint duæ differentiæ: contingit n. aliquem dicere verum cum intentione fallendi; quod istorum plus accedit ad rationem mendacij; priuatio primæ partis cum positione secundæ: an positio primæ partis cum priuatione secundæ.

¶ Ad quod dicendum: quod plus pertinet ad esse mẽdacij intentio fallendi, quam falsa vocis significatio. Falsa n. vocis significatio est sicut materiale in mendacio: complementum autem est intentio fallendi: & ideo vbi remanet intentio fallendi, plus dicitur mendacium: nihilominus tamen vtrumq; est mendacium secundum quid.

MEMBRVM II.

An mendacium ex circunſtantia aliqua bonum fieri poſſit?

SECVNDO quæritur, Vtrum mendacium ex aliqua circunſtantia poſſit fieri bonum. Quod videtur: grauiora ſunt, furtum, homicidium, quam mendacium in genere: ſed hæc grauiora poſſunt fieri bene per aliquas circunſtantias formatas: vt poteſt quilibet occidere hominem maleficum (iuſtitia dictante) amore iuſtitiæ: ſimiliter poteſt fieri contrectatio rei alienæ inuito Domino; ſicut fuit in aſportatione vaſorum Ægyptiorum: & tamen non peccauerunt, ſed bene fecerunt; qui ex mandato Domini ſolo hoc fecerunt.

Auguſt. ¶ Contra, dicit Auguſt. loquens de his malis in genere: *Si homicidium & furtum obtentu alicuius boni bene poteſt fieri; mendacium tamen nunquam.*

RESOLVTIO.

Cum mendacium inordinationem dicat non dum in comparatione actus ad materiam, verum etiam & in comparatione ad finem, nullatenus bene fieri poteſt.

¶ AD quod dicendum eſt: quod aliter eſt de genere furti & homicidij, & de genere mendacij. Furtum enim & homicidium determinant inordinationem actus reſpectu materiæ, non determinando inordinationem ex parte finis, ſiue intentionis: mendacium autem dicit inordinationem in comparatione actus ad materiam, & in comparatione ad finem. Et ideo dicit Auguſtinus, quod mendacium non poteſt bene fieri: furtum autem & homicidium poſſunt bene fieri. Si vero furtum & homicidium importarent de ſe inordinationem ex parte finis, vel intentionis: tunc nec illa poſſent bene fieri. Præterea, illa inordinatio, quæ eſt ex parte materiæ in furto & homicidio, propter aliquam conditionem aduenientem ex parte materiæ, ratione cuius poteſt eſſe ordinatio, tollitur: quia maius eſt bonum ſuperueniens, quam illud ſit malum. In mendacio autem eſt defectus veritatis, cui non poteſt addi aliqua conditio, per quam fiat maius bonum, quam defectus veritatis eſt malum: & ideo non eſt formabile ad bonum, nec illo poteſt aliquid mereri.

Auguſt.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod hæc grauiora ſunt, & poſſunt bene fieri &c. dicendum eſt, quod grauius poteſt dici multipliciter. Vel ratione iniuriæ proximi: & ſecundum hunc modum grauius dicitur furtum & homicidium, quam mendacium. Præterea, grauius dicitur, quod addictum eſt maiori pœnæ: & ſic etiam illa addicta ſunt maiori pœnæ, quam mendacium in genere: licet aliquod mendacium, vt illud quod eſt blaſphemiæ, ſit addictum

Leuit. 24. grauiori pœnæ in veteri Teſtamento; ſicut habetur: *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus obruat eum* &c. Dicitur iterum grauius alterũ altero propter hoc, quod inordinationem dicit reſpectu rei nobilioris: & ſecundum hoc quia veritas eſt nobilior pecunia, vel vita

* Alias, temporali. *mortali: mendacium dicitur grauius. Dicitur etiam grauius, quia plus importat inordinationis in ſua ratione: ponit enim inordinationem ad finem: & ſecundum hoc dicitur mendacium iterum grauius. Et hæc eſt ratio, quare mendacium non eſt formabile, alia vero dicuntur formabilia: eo quod ſuis intentionibus non ponunt deformitatem ex parte finis.

MEMBRVM III.

An omne mendacium peccatum ſit: & econuerſo peccatum omne mendacium?

TERTIO quæritur, Vtrum omne mendacium ſit peccatum? Quod videtur; dicit Auguſtinus: *Qui aliquod genus mendacij peccatum non eſſe putauerit: ſeipſum decipit.*

Aug. in lib. de mendacio cap. vi.

¶ Item, inter omnia mendacia minima ſunt officioſum & iocoſum: ſed hæc duo genera mendaciorũ non ſunt ſine culpa: ſicut habetur in Gloſſ. ſuper illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: ergo omne mendacium eſt peccatum.

Gloſ. Aug. ex Tom. 7. Pſalm. 5.

¶ Præterea, ex ipſa ratione mendacij elicitur: vbi enim eſt intentio fallendi, eſt peccatum: ſed vbi eſt mendacium, ibi eſt intentio fallendi: ergo vbi eſt mendacium, ibi erit peccatum.

¶ Item, Auguſtinus: *Verbis vti ad fallaciam, non ad illud, ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt.* Sed in mendacio hoc agitur: ergo omne mendacium eſt peccatum. Auguſt. in Enchir.

¶ Item, Auguſtinus: *Omne mendacium eſt iniquitas*: ſed omnis iniquitas eſt peccatum: ergo omne mendacium eſt peccatum. Idem in li. de doctrin. Chriſtiana

¶ Contra, verum & mendacium opponuntur, bonitas & peccatum opponuntur ſimiliter: ſed veritas diſtinguitur à bonitate: ergo mendacium diſtinguetur à peccato: ergo mendacium non dicetur peccatum eſſentialiter.

¶ Item, Auguſtinus: *Sicut lux opponitur tenebris, & econuerſo: ita veritas opponitur mendacio, & econuerſo.* Sed lux & tenebræ opponuntur circa cognitionem exteriorem: ergo veritas & mendacium circa cognitionem interiorem: ſed in illa non eſt peccatum, ſicut nec veritas: ergo mendacium non eſt peccatum. Idem in li. contra mendacium.

¶ Item, Ambroſius: *Non ſolum in verbis falſis, ſed & in ſimulatis operibus eſt mendacium.* Sed in operibus ſimulatis poteſt eſſe ſine peccato. Simulatio enim aliquando bona eſt, & pro tempore aſſumenda; ſicut dicit Hieron. exemplum eſt de Iehu. Et de Dauid: Ergo non omne mendacium eſt peccatum. Ambroſ. 4 Reg. 11. 1 Reg. 21. Quó later.

¶ Deinde quæritur, vtrum omne peccatum ſit mendacium? quod non videtur: peccatum enim vniuerſalius eſt, eo quod eſt dictum, vel factum, vel concupitum: mendacium autem eſt dictum proprie: ergo non omne peccatum eſt mendacium.

¶ Contra, ſuper illud: *Quia delectaſti me.* Gloſſ. *Omne peccatum mendacium eſt: quia contra legem & veritatem eſt.* Pſalm. 91. Gloſſa.

¶ Similiter ſuper illud: *Diabolus eſt mendax, & pater eius*, id eſt, mendacij: ibi enim peccatum dicitur mendacium. Ioan. 8.

RESOLVTIO.

Mendacium omne peccatum eſt; ſed non omne peccatum proprie mendacium eſt: niſi extenſo vocabulo ſumatur peccatum.

¶ AD quod dicendum: quod omne mendacium eſt peccatum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur in contrarium, dicendum eſt: quod mendacium duo importat in ſe, falſam vocis ſignificationem, & fallendi intentionem. Quantum ad falſam vocis ſignificationem opponitur veritati: ſecũdum quod veritas diſtinguitur à bonitate. Prout autem ponit intentionem fallendi, opponitur veritati; prout veritas eſt ſub bonitate: quia enim habet intentionem fallendi, fallax eſt: fallax autem non eſt verax: veracitas autem ſpecies eſt bonitatis.

¶ Ad ſecundum vero dicendum: quod lux & tenebræ poſſunt dici ex parte intellectus cognitiui, vel ex parte intellectus practici. Si ex parte intellectus cognitiui, ſecundum hoc ſi veritas & mendacium ſic opponuntur, non erit mendacium ſic ſub peccato. Si vero ſe habeat circa intellectum practicum: tunc veritas & mendacium ſi ſic opponuntur, erit mendacium peccatum.

¶ Ad tertium dicendum per hoc, quod ſupra dictũ eſt: quod mendacium non proprie dicitur in operibus ſimulatis. Si vero dicitur in operibus ſimulatis, diſtinguendum eſt: quia eſt ſimulatio laudabilis, & eſt ſimulatio vituperabilis. Simulatio vituperabilis eſt peccatum: ſimulatio vero laudabilis non eſt peccatum. Simulatio autem vituperabilis proprie dicitur mendacium in operibus: ſicut ſi aliquis ſimulat ſe eſſe Chriſtianum, & non facit opera Chriſtiani.

¶ Ad illud vero, quod quæritur, vtrum omne peccatum ſit mendacium? dicendum eſt, quod peccatum accipitur proprie, & extenſo vocabulo. Proprie, ſecundum quod eſt falſa vocis ſignificatio &c. & ſic non omne peccatum eſt mendacium. Extenſo vero vocabulo accipitur, cum dicitur: quod omne peccatum eſt mendacium: quia declinat à veritate boni: vel quia promittit quandam veritatem delectationis, quam non adimplet.

MEMBRVM IV.

An omne mendacium peccatum mortale sit?

Aug. in lib. contra mendacium.

QVARTO quæritur, Vtrum omne mendacium sit peccatum mortale: Quod videtur; Augustinus: *Sicut pietas & impietas, iustitia & iniustitia differunt: sic veritas & mendacium.* Sed sic differt pietas ab impietate, & iniquitas à iustitia; quod sunt semper mortalia: ergo mendacium sic differt à veritate, quod semper est mortale.

Psalm. 5.

¶ Item, super illud: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes* &c. Plus est perdere, quam odire. Si ergo odium Domini non est nisi propter mortale peccatum: perdere non est nisi respectu eorum, qui mortaliter peccant.

Aug in lib. de conflictu vitiorũ & virtutum.

¶ Item, Augustinus: *Nec officioso mendacio, nec simplici verbo debet quis aliquem decipere: quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam.* Sed non occiditur anima nisi per mortale peccatũ: & omne mendacium fit cum intentione fallendi: ergo omne mendacium est mortale peccatum.

Psalm. 5.

¶ Item, super illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* &c. Si quis non vult hominem ad mortem perdere, verum taceat, sed non falsum dicat: ne pro corpore alterius animã suam occidat. Ergo nõ est perpetrandum mendacium pro vita alterius seruanda; quia occideret animam suam: quod non esset, nisi per mortale peccatum. Si ergo non est perpetrandum mẽdacium benignitatis, quod est minus in genere mẽdacij, eo quod esset mortale peccatum; multo fortius nec alia genera mendaciorum: cum ergo illud esset mortale peccatum, & reliqua essent mortalia peccata.

Exod. 1. Gloss. super illud: Quæ respõderũt

¶ Contra, Exod. 1. vbi loquitur de obstetricibus, & mendacio earum: dicit Gloss. quæ est August. *Quorundam vita longe inferior est à perfectione sanctorum, si habeat ista peccata mendaciorum, prouectu ipso & indole sustinentur.* Et dicitur ibi, quod infirmis mentiri conceditur. Sed nullum mortale alicui conceditur: ergo hoc non fuit mortale.

Gregor.

¶ Item, Gregorius: *Hoc peccati genus facile credimus relaxari* (& loquitur de mendacio benignitatis) Nam si quælibet culpa sequenti pia operatione purgatur, quanto magis hac facile abstergitur, quam mater boni operis pietas comitatur?

Psalm 5. Glossa.

¶ Item, super illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* &c. Gloss. *Hæc duo genera mendacij non sunt sine culpa; sed non cum magna.* Sed omne mortale est cum magna culpa: ergo omne mendacium est mortale.

Isido lib. 2. de summo bono c. 20.

¶ Item, Isidor. Interdum quisq; incaute solet ex præcipitatione loqui mendacium. Sed loqui ex præcipitatione, dummodo non aggrauetur ex parte materię, potest esse veniale: ergo non omne mendacium est mortale peccatum.

RESOLVTIO.

Mendacium non omne mortale est: sed quoddam etiam veniale.

¶ AD quod dicendum: quod non omne mendacium est peccatum mortale.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur primo, dicendum: quod non attenditur similitudo illa quo ad genus peccati, sed quo ad modum oppositionis: pietati enim opponitur impietas, & iustitiæ iniustitia, & veritati mendacium. Vel potest dici, quod intelligitur ibi de mendacio circa fidem pro corporali vita seruanda: & hoc modo mendacium similitudinem habet cum aliis in genere mortalis peccati: secundum quod trahitur ad talem materiam.

Psalm. 5.

¶ Ad secundum dicendum, quod cum dicitur: *Perdes omnes, qui* &c. non extenditur ad omnes loquentes mendacium: sed (sicut vult Cassiodorus) hoc intelligitur de omnibus, qui loquuntur mendacium contra religionem fidei, vel bonorum morum: & tale maius est, quam operari iniquitatem: & ideo ordinatur post ipsum.

Cassiodor.

August.

¶ Ad tertium dicendum: quod intelligendum est illud August. de conflictu vitiorum, de mendacio, in quo præponitur commutabile bonum incommutabili: nec extenditur ad omne mendaciũ officiosum. Et hoc patet per hoc, quod sequitur ibidem: *Omnibus mendacibus pars erit in stagno ignis ardentis & sulphure.*

Idem ibid.

¶ Ad quartum dicendum: quod illud, quod dicitur de mortali peccato mendacij pro vita alterius seruanda, intelligitur de perfecto, & spirituali viro: sicut habetur in Gloss. Quis autem dicatur perfectus, & spiritualis: dicetur iam. Aliud est etiam mentiri, & falsum dicere: mentiri enim est contra mentẽ siue contra conscientiam ire: & quo ad hanc circunstantiam vbi inuenitur, potest esse mortale peccatũ, dicitur enim: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Sap. 1.

MEMBRVM V.

An perfectis ex causa aliqua mentiri liceat?

QVINTO quæritur, Vtrum perfectis liceat mentiri ex aliqua causa. Quod non, videtur per verba Aug. qui dicit: quod *perfectis omnino mentiri non conuenit.* Et alibi dicit: *Ne quis arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, morte cuiusq́ua vel alterius non occiditur anima, debere mentiri.* Et potest esse ratio ad hoc: si enim perfectis liceret mẽtiri, vel mendacium dicere, quibus crederetur? Iam ergo nulli posset credi, quia non perfectis: si non præsumeretur, quod ipsi non deberent mentiri: & multo fortius nec imperfectis. Ad hoc ergo vt stet credulitas veritatis, non videtur licitum perfectis mentiri, siue mendacium dicere. August. Idem.

¶ Item, August. & loquitur in isto casu: *Quomodo quisq; diligit proximum sicut seipsum, cui vt præstet temporalem vitam, perdit æternam?* Sed non perditur vita æterna nisi per mortale: ergo perfecto mortale est mentiri, siue mendacium dicere: quantũ enim erat de genere mendacij, non erat officiosum ipsum mendacium mortale in se. Idem in li. de mendacio.

¶ Sed contra, quæritur quis est iste perfectus? Si enim dicatur religiosus. Contra, religiosus non tenetur ad aliqua, ad quæ non tenentur alij; nisi ad quæ obligat sua professio: si ergo professio religionis suæ nec implicite, nec explicite arctat eum, vt non dicat mendacium, non erit transgressor religionis, dicendo mendacium: ergo sibi sicut & imperfecto erit veniale. Quod autem non arctet eum sua professio, ex singulis articulis regulæ suæ potest perpendi.

¶ Item, circunstantia non excedit circunstantiam in infinitum: ergo nec peccatum aggrauatum ex circunstantia excedit alterum peccatum, sine illa circunstantia existens, in infinitum: sed mortale in infinitum excedit veniale: ergo sola circunstantia non facit, quod illud quod erat veniale illi, mortale sit isti: status autem circunstantia quædam est: quare non propter statum perfectionis erit perfecto mortale mendacium, quod erat veniale imperfecto.

¶ Similiter obiicitur de prælato perfecto: cui interest gerere curam subditorum: & maxime in sua perfectione, & vt ponat animam suam pro ouibus suis: hoc autem non videtur eum plus obligare ad non dicendum mendacium quam alium, qui est imperfectus: nisi de his, quæ pertinent ad suum officium.

¶ Item, Augustinus dicit: quod quidam sunt ciues Babylonis, & de illis non quærit ipse: sed de ciuibus Hierusalem, vtrum perfectis ciuibus Hierusalem liceat mentiri, aut non: sed charitas facit esse ciues Hierusalem: perfecti ergo ciues sunt, qui perfectam habent charitatẽ. Ponatur ergo quod aliquis habens perfectam charitatem, dicat mendacium, siue mentiatur, & cadat à sua perfectione; nunquid propter hoc excidit à charitate? non videtur. Quare si quãdiu habet charitatẽ, viuit anima eius vita gratiæ, non videtur quod per mendaciũ benignitatis anima eius occidatur. Idem in eodem lib. cap. 16.

RESOLVTIO.

Et licet, & non licet: iuxta multiplicem acceptionem, siue intentionem harum vocum Mendacium, & Perfectus.

¶ Ad quod respondere possumus: quod mendacium potest sumi multipliciter. Vno modo falsa vocis significatio cum voluntate falsum enunciandi. Alio modo enunciatio falsum enunciare volentis, vt fallat. Tertio modo libido perseuerans mentiendi: & has intentiones ponit Augustinus.

¶ Si ergo accipiatur prima intentio, & dicatur perfectus religiosus, qui non ex professione habet, non dicere mendacium; non est ei prohibitum: nec peccat mortaliter, sic perpetrando mendacium.

¶ Si vero

¶ Si vero secundo modo accipiatur: & dicatur perfectus ille, qui habet perfectam charitatem: & ex perfecta charitate perfectam cognitionem, vt adhæreat totaliter Deo secundum intellectum, & secundum affectum; prout est possibile in via: si peccat talis in genere mendacij (licet sit benignitatis) peccat mortaliter: qui enim perfecte adhærebat Deo, nullam habebat rationem trahentem, quare mentiri deberet. Et sicut de Adam dicitur, quod ratione status sui peccauit mortaliter: ita & iste ratione status in hoc genere peccat mortaliter. Et hoc est, quod dicit August. super illud: *Bene ergo fecit Dominus obstetricibus. Quorum conuersatio iam in cælis est, eos non existimo lingua modum circa veritatem falsitatemq́; exemplo obstetricum debere formari: Sanctus vir vt perfecte adhæreat veritati, prohibetur, nec studiose nec præcipitatione mentiri.* Summopere enim cauendum est omne mendacium: quamuis nonnunquam sit aliquod genus mendacij culpæ leuioris: si quisquam præstando mentiatur. Sed quia scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam.* Et: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Hoc quoq; mendacium perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur: nec suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ. Et iterum in libro contra mendacium dicit: *Ille filius, qui verbum suscipiens, à perditione longe aberit* (Prou. 29. secundum aliam litteram) *& nihil falsi ex eius ore procedit: tam sibi clausum deputat ad subueniendum homini per mendacium, quam si per stuprum transire cogatur.* Et alibi: *Filij supernæ ciuitatis filij veritatis sunt:* de quibus scriptum est: *In ore eorum non est inuentum mendacium.* Eius ciuitatis est filius, de quo scriptum est: Verbum suscipiens filius, à perditione longe aberit: excipiens autem excepit illud sibi: & nihil falsi ex eius ore procedit. His filiis supernæ Hierusalem, si quando vt hominibus obrepit qualecunq; mendacium, deposcunt humiliter veniam: non inde quærunt gloriam.

Aug. super Exod. 1.
Sap. 1. Psalm. 5.
Aug. in lib. contra mendaciū c. 20.
Idem ibidē cap. 16.
Apoc. 14.

¶ Si vero accipiatur tertio modo mendacium, erit mendacium mortale peccatum. Et secundum hoc dicitur: *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.* Et dicit Augustinus: *Quis integrum dixerit animum esse mentientis? etenim libido ipsa recte diffinitur, appetitus animi, quo æternis bonis qualibet temporalia præponuntur.* Nemo itaq; potest conuincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cum tanto quisque ab æternitate discedat; quanto à veritate discordat: qui autem mentitur, à veritate discedit: absurdissimum est dicere, discedendo inde, posse ad boni aliquid aliquem peruenire. Aut si aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec erit bonum. Vt autem animus ipsi corpori, ita veritas ipsi animo præponenda est: vt eam non solum magis quam corpus, sed etiam magis quam seipsum appetat animus.

Eccles. 7.
Aug. lib. de mendacio cap. 6.

¶ Ad obiecta autem respondendum est. Ad primum dicendum est, quod non ex professione sua obligatur quis perfectus ad non mentiendum, id est, non dicendum falsum cum voluntate dicendi falsum, siue fallendi: sed ex quo eleuata est anima in tantam perfectionem charitatis & cognitionis, non habet excusationem, vt mendacium in ipso fiat veniale.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod circunstantia non quæcunq; inducit mortale peccatum; sed quæ importat ex consequenti contemptum: sicut si aliquis peccabat prius ignoranter, & ideo venialiter: si postea peccaret scienter, faciendo consimile; peccaret mortaliter. Similiter potest dici de ista parte, quod iste intantum adhæsit summæ veritati, quod ratione status ipsum mendacium non tantum facit ipsum cadere à perfectione, sed etiam à charitate: quia nullam causam habuit excusantem.

¶ Ad tertium dicendum est de prælato: quod ratione prælationis non tenetur, nisi ad non dicendum mendacium in his, quæ spectant ad suum officium. Si tamen mendacium importaret assiduitatem mentiendi, esset in eo crimen.

¶ Ad quartum dicendum: quod licet non sit vniuersaliter verum: quod qui cadit à perfectione, cadit à toto: nihilominus tamen ratione status potest esse, quod cadens à perfectione, cadat à charitate. Et potest esse exemplum de angelo in primo statu posito, quod quia habuit gratiam eminentem, non tantum cecidit à gratia, sed ratione status à recuperatione gratiæ.

¶ Sed quæritur postea: à B. Augustino ponatur, quod aliquis habeat conscientiam, quod mendacio eius interueniente possit aliquis conuerti ad fidem, siue ad baptismum; poterit ne in hoc casu perfectus mentiri? Si sic, tunc non peccat mortaliter. Si non, quomodo remanebit tantum bonum pro tam modico malo?

¶ Ad quod dicendum secundum Augustinum, quod nequaquam debet mentiri etiam in hoc casu. Et est ratio August. talis: si per luxuriam mei non licet mihi procurare alterius castitatem, vel conseruare: quanto magis nec per corruptionem veritatis. Et hoc accipit ex littera septuaginta Interpretum, Prouerb. 29. in fine. Verbum suscipiens filius, à perditione longe aberit: & nihil falsi ex eius ore procedet. Quod exponens Augustinus, dicit sic. Filius suscipiens per gratiam verbum æternum, tam sibi clausum deputet ad subueniendū bono homini per mēdacium: quam si per stuprum transire cogatur.

Aug. lib. c6tra mendacium c. 20.
Prouer. 29.

¶ Sed quid erit, nunquid remanebit iste non baptizatus hac occasione? Respondet Augustinus, illa veritas, quę fecit sibi eum adhærere, & elongari à falsitate: docebit aliū modum subueniendi, vt perueniat ad baptismum.

August.

MEMBRVM VI.

Censura de mendaciis quorundam antiquorum Patrum, scilicet Abraham, Iacob, Ioseph, Obstetricum Aegyptiarum, & huiusmodi.

SEXTO quæritur de mendaciis secundum differentias personarum veteris Testamenti, & primo de mendacio Abrahæ Genes. 22. dicit ipse pueris: *Expectate hic cum asino: ego & puer progrediemur: & postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Constat quod ipse firmiter proponebat immolare Isaac: quare non intendebat quod reuerteretur cum eo: dicebat ergo ipse Patriarcha contra conscientiam suam.

Genes. 22.

¶ Sed contra dicitur de eo: absit quod vir à Deo inspiratus in illa hora mortaliter peccasset.

¶ Hoc soluit Ambrosius in libro de Patriarchis, vbi dicit: *Abraham, & si secundum formam verbi mendacium dixit; & propter hoc non est imitandus à nobis: nihilominus ratione figuræ, ad quam inspiratus à Deo respexit: non est præsumendum illum mendacium dixisse:* vnde dicitur: *Omnia in figura contingebant illis.* Fuit autem figura illa immolationis Christi: & si enim filius Dei incarnatus sicut pater Abraham duceret Isaac humanam naturam ad immolandum in passione; reuerti debuit tamen Isaac cum Abraham; quia postquam filius Dei semel assumpsit humanam naturam, nec in passione, nec post dimisit eam. Vnde ad hoc respiciens Abraham non intendebat mentiri: vnde etiam quia mentiri non intendebat, Dominus ita disposuit, vt nec etiam secundum litteram dixerit nisi verum: ipse enim reuersus est cum Isaac, sicut dixerat: vt patet Gen. 22. Propter hoc ergo notandum est consequenter: quod huiusmodi *verba sanctorum patrum, & si aliquando videantur esse mēdacia ad litteram, excusabantur tamē ratione significatorum. Vnde etiam de Iacob quando dixit: *Ego sum Esau primogenitus tuus.* Dicendū quod ad litteram non volebat dicere, quod ipse esset Esau: sed quod ipse esset ille cui iura primogenituræ debebantur: excusatur n. per sensum figuratiuū. Per Esau n. figurabatur populus Iudaicus: per Iacob gentilis: q licet esset minor natu, ipsi tamen ante Iudaicū debebatur benedictio fidei Christianæ: sicut vult Apostolus ad Rom. in multis locis 9. & 11.

Ambros. in lib. de Patriarchis.
1. ad Cor 10.
Genes. 22.
* Alias, facta.
Genes 27.
Apost. ad Rom sæpius.

¶ Obiicitur etiam de Ioseph; legitur quod dixit fratribus suis: *an ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Et ante: *Per salutem Pharaonis, exploratores estis.* Si ergo hæc falsa erant, & contra conscientiam hæc dicebat; quare non mentiebatur?

Gen. 44.
Gen. 42.

¶ Primum posset solui: quod verbū augurandi aliquando sumitur stricte: & tunc sonat in malū tantum. Aliquando cōmuniter, & ad bonum, & ad malum: & tunc verum est, quod Ioseph habuit scientiam augurandi: fuit enim

præscius

præscius aliquorum futurorum: sicut patet Gen. 40. & 41. Tamen vt soluatur communiter vtrunq; obiectum, possumus soluere per Aug. vbi dicit sic, loquēs de verbis Ioseph: *Hoc non serio, sed ioco dictum; vt exitus docuit: & ideo non est habendum mendacium: mendacia enim à mendacibus serio aguntur, non ioco.*

Aug. in s. lib. super Gen. l.

Exod. 1.

¶ Quæritur etiam de obstetricibus, de quibus Exod. 1. legitur: quod dixerunt, quod non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres &c. id enim mētitæ sunt: sicut volunt sancti, & Gloss. Quæritur ergo, vtrum mendacium earū fuerit veniale, aut mortale? Quod mortale, videtur: quia dicit ibi Gl. Greg. *Benignitatis earum merces, quæ potuit in æterna vita retribui; pro culpa mendacij in temporalem recompensationem declinata est.* Si ergo cōmutata est eis merces æterna in temporalem propter mendacium; amissio aūt mercedis æternæ non est nisi propter mortale, videtur quod mentiendo peccauerunt mortaliter.

Glo. Greg.

Eadē ante.

¶ Sed contra dicitur in principio eiusdem Gl. *Leuioris culpa est, si quis, mentiatur præstando beneficium.* Sed istæ sic mētitæ sunt: ergo ibi fuit leuior culpa: non ergo mortalis.

Eadē infra.

¶ Item, in eadem Gl. infra: *Si qualibet culpa sequenti pia operatione purgatur: quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas, comitatur?* Sed nullum mortale facile abstergitur.

Gloss. Hier. & Haym super Isa. 65. Glossa.

¶ Item, aut quod nullum fuerit peccatum, aut veniale solum, videtur Gl. Hier. & Haym. super illud: *Aedificabant domos* &c. ibi enim dicit Gl. *Pro virtutibus in cœlestibus requiescent: tales domos obstetrices sibi dicuntur ædificasse, quia timuerunt Deum.* Sed nullus cum mortali ædificat sibi domum in cœlis, aut ergo obstetrices, quæ tunc sibi ædificauerunt domos (sicut dicitur hic) omnino non peccauerunt: aut non mortaliter: & ita aut mendacium illarum non fuit peccatum, aut non mortale.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod in facto obstetricum duo fuerunt opera. Fuit enim ibi vnum opus compassionis siue pietatis: fuit etiam ibi mendacium: & illud forte non solum propter vitam puerorum seruandam, sed etiam propter propriam vitam tuendam: sicut potest videri ex Gloss. Greg. quæ frequenter adducta est hic. Quantum ad primū ergo opus, scilicet compassionis, dicimus: quod illud bonū fuit, sed hoc in genere tantum: & si affuisset charitas, quæ foras mittit timorē, sicut dicitur 1. Ioan. 4. bene ex isto merito potuissent meruisse vitam æternā. Vnde sicut dare eleemosynam, quod est bonum in genere tantum; si fiat in charitate, meritorium est vitæ æternæ: si autē fiat extra, nequaquam. Ita dicimus hic: quod illud opus compassionis vel pietatis, si fuisset in charitate factum, fuisset meritorium vitæ æternæ. Sed quia fuit factum extra charitatem, fuit ibi, scilicet in primo opere potentia ordinata ad gloriam, sed remota: & non necessitas, siue potentia proxima. Bonum ergo fuit illud opus, sed nō sufficiens ad merendā gloriam propter defectum charitatis. Sed quia nullum bonum irremuneratū: ideo Dominus opus illud, quod non habebat sufficientiam, vt remuneraretur in cœlis, remunerauit hic in terra. Vnde illa Gl. quæ dicit: quod merces earum declinata est &c. non est sic intelligenda, ne pro opere illo deberetur eis prius vita æterna, si sine mendacio factum fuisset; & pro mendacio amiserint illam mercedem: sed intelligendum est, quod dicit Greg. *Benignitatis earum merces potuit* &c. non dicit, debuit: sed potentia remota potuit, videlicet si fuissent in charitate. Sed hoc non erat * immo erat in ipsis timor seruilis vel humanus tantus, quo magis diligerent forte tueri vitam præsentem, quam mereri æternam: hoc autem non stat cum charitate. Vnde illa declinatio non dicit ablationem præmij debiti: immo possumus dicere, quod dicit insufficientiam operis facti respectu præmij æterni.

1. Ioan. 4.

Glossa.

Gregor.

* Alias, in ipsis: erat enim in ipsis.

¶ Quod ergo quæritur, quantum ad aliud opus, s. mendacij: vtrum fuerit mortale, vel veniale. Posset sustineri, quod veniale, respondendo sicut dictum est. Tamen possumus dicere (sicut alij dicunt) quod mendacij sui duplex fuit causa. Vna puerorum compassio: & respectu huius fuit mendacium veniale. Alia autem fuit tuitio propriæ vitæ: quam quia inordinate & peruerse diligebant; mendacium per relationem ad causam illam fuit mortale.

Glos. Hier.

¶ Ad illam ergo Gl. Hier. dicimus; quod cum dicit: *obstetrices dicuntur sibi ædificasse* &c. Intelligendum est [*ædificasse*] id est, præparasse: quia si perseuerassent in talibus operibus, forte Dominus dedisset eis charitatem, quæ consummaret ædificium. Vnde aliter dicuntur ædificare sancti, & aliter ipsæ.

¶ Aliæ autem duæ Gl. Greg. non probant, quod mendacium illud fuerit veniale, nisi secundum quod fuit benignitatis, & hoc bene concedimus.

¶ Sed quæritur aliquis proponit orationem metaphoricam: sicut dicitur, littus aratur: hic primo vnum significat, ex consequenti aliud prætendit: quæritur ergo, si mentiatur, sic loquendo, & peccet.

¶ Ad quod dicimus breuiter secundum Aug. quod talis si intendat dicere sensum sequentem, propter hoc non dicitur peccare: maxime cum dicit illud, quod potest parere; siue quod frequenter consueuit dici: vnde non dicit cōtra conscientiam: non enim intendebat asserere primum sensum illius orationis. Vnde August. vbi loquitur de Iacob, vtrum mentitus sit, ita dicit: *Omnis enunciatio ad id, quod enunciat, referenda est*: & propter hoc si referendo ad intentionem enunciationis non fuit mendacium: non sunt censendi tales mentiri.

Aug. in lib. contra mendacium c. 10. Tom. 4

¶ Quæritur etiam, vtrum mendacium minoris sit culpæ in veteri Testamento, quam in nouo: vel econuerso, paribus aliis circunstantiis.

Gregor.

¶ Ad quod respondet Greg. quod & sub veteri forsitan Testamento minoris culpæ esse potuit: in quo per taurorū, vel hircorum victimas sacrificium non fuit ipsa veritas, sed vmbra veritatis. Nam in Testamēto nouo præceptis altioribus, manifestata per carnem veritate, proficimus: iustum est, vt facta quædam, quæ in illo populo vmbræ veritatis deseruiant, deseramus. Si quis vero per Testamentum vetus vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat, necesse est, rerum alienarum raptum, dicat retributionem iniuriæ, quia infirmis illis concessa sunt, sibi nocere non posse. Quæ omnia cunctis liquet, quanta animi aduersione veritas insequitur, quæ iam nobis significationis suæ vmbra postposita, in vera carne declaratur.

¶ Quæritur, vtrum facta illorum, qui in veteri Testamento mendacio vsi sunt, sint imitanda?

Aug. in lib. contra mendaciū c. 14.

¶ Ad quod respondet Augustinus, dicens: *Illæ personæ, quas credendum ibi non est prophetare voluisse si quid faciendo, vel dicendo finxerunt voluntate fallendi; quamuis ex ipsis quoq; factis earū, siue dictis aliquid propheticum possit exculpi per illius omnipotentiam præseminatum, atq; dispositum; qui bene vti nouit etiam malis hominum: tamen quantum ad ipsas attinet, sine dubitatione mentitæ sunt.* Sed non ideo debent imitanda existimari; quia in eis reperiuntur Libris, qui sancti & diuini merito nominantur: habent enim cōscripta & mala hominum, & bona: illa vitanda, ista sectanda: & quædam ita posita, vt de illis etiam sit prolata sententia: quædam vero tacito ibi iudicio in nobis iudicanda permissa: quoniam non solum nos nutriri manifestis, verum & exerceri oportebat obscuris. Cur autem isti imitandam sibi Thamar existimant mentientē: & imitandum Iudam non existimant fornicantem. Ibi enim vtrunq; legerunt: & nihil horum scriptura illa siue culpauit, siue laudauit: sed tantummodo vtrunq; narrauit, & iudicandū hoc vtrunq; nobis dimisit. Sed mirum, si aliquid horum imitandum impune permisit. Quod enim Thamar non meretricandi libidine, sed concipiendi voluntate mentita sit, nouimus. Verum & fornicatio etiam si Iudæ talis non fuit, potest esse cuiuspiam, qua faciat vt homo liberetur: sicut illius mendacium fuit, vt homo conciperetur: nunquid propterea etiam fornicandum est: si propter illud putatur fuisse mentiendum? Non de solo itaq; mendacio, sed de omnibus operibus hominū, in quibus consistunt, velut compensatiua peccata considerandum est, quam sententiam proferre debeamus, ne aperiamus aditum non tantum paruis quibusq; peccatis, verum etiam sceleribus cunctis.

Genes. 38.

MEMBRVM VII.

De speciebus mendacij, & quibusdam quæstiunculis circa eas incidentibus.

SEPTIMO quæritur de speciebus mendacij, & primo de mendacio benignitatis, siue officioso: cuius tres dicit Augustinus esse species in libro de mendacio. Et similiter dicitur in 3. lib. senten. dist. 37. c. 1. Contingit autem in isto mendacio mentiri, vel pro re alterius seruanda, vel pro vita corporali, vel pro castitate alicuius seruanda. Ponatur ergo, quod aliquis mentiatur, vt quis baptizetur: hoc mendacium constat officiosum esse, siue benignitatis: sub nullo enim aliorum membrorum cadit istius trimembris diuisionis mendacij, quæ est per iocosum, & benignitatis, & malignitatis, quæ diuisio fit ita in principio prædictæ distinctionis in Sententiis, & in Gloss. super illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Psalm. 5. In prædicto autem casu non potest dici esse mendacium iocosum, neque malignitatis: erit ergo officiosum: sed talis nec mentitur pro re alterius, nec pro vita vel castitate seruanda: quare non sufficienter diuidetur mendacium officiosum per illa tria. Vel dicas tu mihi, ad quod illorum trium reducetur mendacium illud?

¶ Ad quod dicimus: quod sufficienter diuiditur mendacium officiosum per hæc tria: & hoc, quod dictum est, reducitur ad illud, quod est mentiri pro castitate alterius saluanda. Illud enim mendacium intelligitur communiter fieri, quantum ad illam speciem, quotienscunq; aliquis officiose mentitur pro bono spirituali in alio seruanda: sic autem fuit in casu proposito: iste enim mentitur, vt acquirat illi vitam spiritualem. Hoc ergo quod dicitur [*illa tertia species, quando mentitur aliquis pro castitate alterius seruanda*] dicitur quod ibi non dicitur causa tota mendacij officiosi secundum speciem illam: sed ponitur tantummodo exemplum. Et cum dicitur ibi [*mentiri pro munditia siue castitate alterius*] non intelligitur munditia corporalis tantum: sed illa quæ bonum spirituale est. Vnde pro quocunq; bono spirituali saluando dicatur; intelligendum est mendacium esse in eadem specie, in qua est & illud.

¶ Sed quæritur postea, vtrum quis pro castitate propria saluanda (& non solum loquimur de perfecto, sed etiam de imperfecto) possit mentiri sine peccato? Quod non: patet per August. qui non vult aliquod mendacium esse sine peccato. Augusti.

¶ Sed contra Augustinus: *Illa peccata, quæ ita committuntur in homine, vt faciant immundum; etiam peccatis nostris euitare debemus: ac per hoc nec peccata dicenda sunt, quæ propterea fiunt, vt immunditia euitetur.* (...e in lib. de mendacio.) Ex hoc ergo videtur, quod ipse quasi per compẽsationem vult dicere, quod peccatum minus, quod propter vitationem maioris fit; non iam dici debeat peccatum. Et ita si tu mentiris propter corruptionem castitatis tuæ vitandam, non erit istud peccatum.

¶ Ad quod dicimus: quod duplex est immunditia. Vna corporis: & pro hac vitanda, neminem oportet mentiri; quia sicut dicit Augustinus ibidem: *nullus recte agens, immundus fieri potest, quolibet contagio corporali.* (...dẽ ibidẽ.) Est autem alia immunditia non solum corporalis, sed etiam spiritus: & hęc dupliciter potest fieri: vel respectu perfecti: vel respectu imperfecti. Dicimus ergo, quod perfectus ita fortis debet esse, vt confidat se nulli tentationi succumbere. Vnde etiam si violentia inferetur illi, debet sperare, quod ipse nullo modo consentiet corruptioni violenter illatæ: sed sustinebit meritorie: & ideo talis non debet mentiri etiam in tali casu. Imperfectus autem vt infirmus, debet timere, ne succumberet, si veniret ad illum statum. Et ideo tali propter infirmitatẽ suam conceditur redimere periculum maioris peccati per minus peccatum: & in hoc casu sumitur dicta autoritas Aug. Nec propter hoc est intelligendum tunc, quod si in hoc casu mentiatur, quod mendacium illud non sit peccatum. Et quod dicit August. non sunt peccata dicenda: non est intelligẽdum simpliciter, sed comparatiue: hoc est, quasi nõ sunt reputanda peccata respectu eorum, pro quibus vitandis ista fiunt quæ longe maiora sunt istis.

¶ Quæritur postea de illo mendacio quarto, de quo dicit August. quod fit sola fallendi mentiendiq; libidine, quod dictorum mendacium est. Et obiicitur primo sic: libido (sicut dicitur in eodem libro) est appetitus, quo æterna temporalibus præponuntur: ergo si hoc fit ex mentiendi libidine, hoc est appetitu animi, quo æternis bonis aliquod temporale præponitur (sic enim diffinit ipse libidinem.) Sed quotiens sic fit, mortaliter peccatur: ergo hoc mendacio semper peccatur mortaliter: qualiter itaq; erit iocosum.

¶ Præterea, hoc grauius videtur esse cæteris: constat enim, in cæteris speciebus mendacij erat aliquid aliud à mendacio, mouens ad mentiendum: vtpote, quia volebat placere, aut iuuare, aut nocere alicui, vel aliquibus; ideo dicebatur mendacium in aliis speciebus: in hac autem dicitur mendacium sola libido mentiendi mouere. Si ergo tanto maius est peccatum & inexcusabilius, quanto minus habet motiuum; videtur illud mendacium esse inexcusabilius cæteris & maius.

¶ Quæritur etiam: cum libido siue improba voluntas sit generale in omnibus istis mendaciis, quomodo hęc species, quæ dicitur sola mentiendi libidine esse, diuidatur ab aliis; cum generale non diuidatur ab aliis specialibus, nisi per additionem alicuius contrahentis? Hæc autem species non videtur dicere, nisi generale non contractum.

¶ Solutio. Dicimus, quod reuera tam quartum, quam quintum mendacium causa placendi fiunt. Sed placentia, quam aliquis intendit, potest esse dupliciter. Potest enim intendere placere sibi & alij: & tunc est quintum solum de suauiloquio. Vel non alij extra, sed sibiipsi tantum; & tunc est illud quartum, quod dicitur fieri sola mentiendi fallendiq; libidine. Et non intelligitur ibi fallẽdi, id est decipiendi alium, sed fallendi, id est falsum dicendi. Sicut ergo ego diuidor ab aliis: ita placentia sistens in me siue respectu mei solum, distinguitur à placentia respectu alterius hominis extra, vel rei extra. Et ideo sicut quintum & quodlibet aliorum habebat propriam & specialem causam: sic habet & istud. Dicitur tamen fieri sola mentiendi libidine, & non alia: quia cum libido dicatur à libendo, siue ab eo quod libet, siue cui libet; nihil habet hoc mendacium, neq; in se, neq; in causa extra illum, in quo erat mentiendi libido. Non sic autem in aliis mendaciis: immo habebat causam extra: & ideo hoc solum & recte dicitur fieri sola mentiendi libidine.

¶ Ex his ergo potest patere solutio ad obiecta. Ad primum enim dicimus: quod libido potest dici dupliciter. Vno modo proprie & stricte: & sic dabatur ei dicta diffinitio, & sic non erat radix nisi mortalium peccatorum: & sic non sumitur in descriptione huius quarti mendacij. Dicitur autem alio modo communiter, vt sit radix & mortalium & venialium. Vnde cum libido dicatur ab eo, quod est libere, sicut vult Aug. sicut libere, quod est lib. arbit. potuit inordinate moueri ad mortale, vel ad veniale: ita & hęc libido potuit esse radix non solum mortalis, sed & venialis: & sic cadit hic in ratione huius mendacij.

¶ Ad aliud vero, quod obiicitur; quod hoc erit maius cæteris: dicimus, quod maius est quinto: sed tribus primis non. Et procedit illa obiectio per falsam suppositionem: supponebat enim quasi sic mentiens recederet à veritate propter veritatem, quasi contemnendo eam: & reuera sic esset mortale, & graue mortale: sed non sic faciebat: immò non contemnens veritatem, sed semper ipsam in affectu habitualiter retinẽs, paululũ ad tempus declinabat ab ipsa: vt acciperet aliquam vanam delectationem in falso, quod sibi placebat: hoc autem veniale erat, propter infirmitatem nostram. Sicut enim post * baptismum habebat homo cõcupiscentiam quandam venialem respectu malorum: ita habet quandam delectationem in vanis. Et hoc propter infirmitatis suæ corruptionem: si enim homo stetisset, non esset ei istud: & ideo non fuit illud mendacium mortale. * Alias, ipsum.

¶ Ad tertium similiter patet responsio ex dictis: non enim habet hoc mendaciũ generale tantũ: sed etiam habet propriam causã cõtrahentẽ ipsũ generale secundũ placentiam respectu mentientis ad seipsum: quæ causa facit hanc esse vnã speciẽ per se. Patet etiam ex dictis, quare August. dicat hoc mirum esse mendacium, quod de nullo aliorum

dicit

dicit:hoc enim mendacium nullam causam sui habet extra ipsum mentientem: & ideo rectè in ipso mentiente dicitur esse totaliter. Alia autem habebant causas extra mentientem, sicut illum, cui debebat noceri, vel qui debebat iuuari, vel cui debebat placeri. Vnde non erant mere, id est, totaliter in ipso mentiente, quantum ad omnem sui causam.

¶ Postea quæritur, cum contingat mentiri circa mores, ad quod istud mendaciũ reducetur? Neq; enim videtur esse iocosum, neq; officiosum. Religionis etiam non videtur: cum non sit circa ea, quæ spectant ad fidem.

¶ Ad quod dicimus, quod huiusmodi mendacium cõtinetur sub mendacio religionis: ibi enim dicitur religio communiter; non solum secundum quod religat nos ad tenendum ea, quæ sunt circa fidem: sed etiam ad tenendũ ea, quæ sunt circa bonos mores: in his enim duobus consistit summa religionis Christianæ.

¶ Quæritur postea, ponatur quod aliquis mentiatur de religione; non ex certa malitia: sed ex infirmitate, vel ex ignorantia; vt non sit peccatum in Spiritum sanctum: quæritur ad quod genus mendacij reducetur istud. Neq; enim iocosum, neq; officiosum est: istud constat. Sed quod neq; malignitatis videtur: quia nec sub secunda, nec sub tertia specie continetur: istud constat. Si diceretur, quod contineretur sub prima. Contra hoc videtur: quod illa prima species mendacij perniciosissima est: mendacium autem istud, cum sit ex ignorantia vel ex infirmitate: non ita perniciosum videtur.

¶ Ad quod dicimus: quod qui sic mentitur, potest esse perfectus, vel imperfectus: siue (vt melius dicamus) simplex aliquis, qui non tenetur ad omnia credenda explicite, vel aliquis magnus litteratus. Si ergo sit simplex: aut mentitur de his, ad quæ tenebatur explicite credenda: aut non (sunt enim quidam grossi articuli: sicut quod Deus sit trinus & vnus: quod filius Dei assumpsit carnẽ: quod passus est &c. quos nullus etiam simplex debet ignorare.) Si ergo mentitur in huiusmodi, etiam si ignorantia mẽtiatur, non excusatur à toto: cum tenetur illa scire, & posset illa inquisiuisse, vel per doctrinam accepisse, vel etiam ex inspiratione à Domino, si se præparasset ad hoc. Si autem aliquis magnus litteratus mentiatur (etiam ex ignorantia) peccat primo genere mendacij nec excusatur per ignorantiam: cũ ad omnia scienda teneatur. Si autem mentiatur simplex ex ignorantia, vel infirmitate: vtpote quia non potest capere ea, ad quæ non tenetur scienda; tunc non oportet dicere quod mentiatur, vel peccet secundum grauitatem peccati, quæ sol et attendi in prima specie mendacij. Possunt tamen hęc red uci ad primam speciem, sed secundum magis & minus; sec undum quod sunt grauiora aut leuiora.

¶ Quod ergo obiiciebatur: quod primum mendacium erat grauissimum. Intelligendum est hoc de illo, quod dicitur ex certa malitia, & ad decipiendum: tale enim est peccatum in Spiritum sanctum; vnde & grauissimum. Tamen intelligendum est, quod peccare in Spiritum sanctum, siue in patrem, siue in filium, dupliciter potest dici. Vno enim modo potest dici peccare in filium, qui mentitur de filio; & in Spiritum sanctum, qui de Spiritu sancto: sed hic non est modus, secundum quem distinguitur peccatum in Spiritum sanctum; à peccato in patrem, & in filium: immo hoc modo quandoq; qui mentitur de filio, mẽtitur de patre, vel etiam peccat in totã Trinitatẽ: sicut qui diceret, quod Spiritus sanctus non procederet à patre & filio, ipse peccat in Spiritũ sanctũ, & etiam in totã Trinitatẽ; sed hoc peccatũ non est illud in Spiritũ sanctũ, ꝙ dicitur esse grauissimum; quia potest esse ex ignorãtia, vel ex infirmitate. Dicitur aũt peccatũ in Spiritũ sanctũ alio modo: secundũ quod illa tria distinguuntur per appropriationes; vt illud, ꝙ est ex impotentia, dicatur in patrẽ; quod ex ignorantia, dicatur in filiũ; quod ex certa malitia, in Spiritum sanctum; & tunc reuera istud est grauissimum illorum trium.

¶ Sed obiiciet aliquis contra illud, quod diximus; quod mentiens ex ignorantia circa fidem de iis, ad quæ scienda tenetur, mentitur mendacio reducibili ad primum genus. Hoc enim videbatur falsum: quia talis qui sic dicit ex ignorantia; & si dicat falsam vocis significationem; non tamen habet intentionem fallendi, id est, decipiendi; neq; fallendi, id est, dicendi falsum; quomodo ergo dicendum est mentiri.

¶ Ad quod dicendum, quod & si non sit ibi totalis cõpletio mendacij secundũ primam speciem: dicimus tamen quod reducitur ad illud genus. Dicimus enim quod dupliciter dicitur intentio: aut videlicet propositũ per discretionem; & hoc modo nõ habet iste intentionem fallendi. Aut potest dici intẽtio ipsa voluntas: & hoc modo cum ipse teneretur ista, de quibus mentitur, scire; sciuisset, si voluisset; sicut prędictũ est; patet ꝙ voluit ignorare; & si voluit ignorare circa ea, de quib. oportebat eum credere, vel loqui, cũ ignorantẽ loqui frequenter contingat falsum dicere; patet ꝙ ex consequenti habuit voluntatem manẽdi in tali statu, in quo diceret falsum; & ita quodãmodo habuit intentionem fallendi, & dicendi illud, quod de se aptum erat alium fallere: & etiam fallendi, id est, dicendi falsum: siue quod nescit esse verum, cum deberet scire.

¶ Quæritur postea, aliquis intendit dicere contra fidem; sed tamen non dicit: quæritur ergo, si huiusmodi peccatum reducendum est ad primum mendacium: vel ad aliud peccatum.

¶ Ad quod dicimus, quod sic. Vnde sicut velle mœchari reducitur ad transgressionem illius peccati, Non mœchaberis: & hoc quia ordinabatur ad illum actum ita ex parte ista mala intentio, quæ erat ordinata ad mendacium primi generis, reducenda est ad illud genus: & si non complete mentitus sit secundum illud.

¶ Quæritur postea, aliquis bene credens, proponit contrarium alicuius articuli coram simplici, qui nescit, vtrum illud sit verum, vel falsum. Ex alia parte aliquis Arrianus credens verum dicere, proponit idem falsum coram simplici: quis ergo istorum plus peccat? Et videtur quod Arrianus: iste enim Christianus, etsi peccat in dicto; radix tamen non est corrupta: quia ipse bene sentit. Arrianus autem & in dicto peccare videtur, & in radice: maior autem est corruptio, vbi est vtriusque, quam vbi alterius tantum.

¶ Sed contra, iste Catholicus contra cõscientiam dicit, quod dicit: & scit, ꝙ ille simplex potest falli ex dictis eius: Arrianus autem nescit istud: vnde nec dicit cõtra conscientiam, nec putat illum fallere. Si ergo plus peccat, qui ex certa scientia peccat, quam qui ex ignorantia; plus videtur peccare Catholicus, quam Arrianus.

¶ Quod concedimus. Quod ergo obiicitur: quod in Arriano est corruptio radicis maior, quam in Catholico. Respondemus, quod maior corruptio radicis potest dici dupliciter. Vel in intellectu: & sic reuera maior est corruptio in Ariano. Vel in affectu: & sic est maior corruptio in Catholico, qui vult dicere contra conscientiam suam, & dare simplici occasionem ruendi. Maioritas ergo corruptionis primæ non fuit ita causa faciendi peccatum, sicut maioritas corruptionis radicis modo secundo: & ideo plus peccat in hoc casu Catholicus, quam Arrianus.

¶ Quæritur postea de numero istorum mendaciorum: & quæritur, cum mendacium benignitatis & malignitatis opposita sint, saltẽ quantum ad suas causas: & mendacium malignitatis diuidatur in quasdã sui species penes istas differentias [*omnibus obesse, & nulli prodesse: obesse alicui, & nulli prodesse: obesse alicui, & prodesse alicui*] quare similiter mendacium benignitatis non diuiditur secundum easdẽ differentias? vt scilicet diuideretur, secũdũ quod est prodesse alicui, & non prodesse alteri: vel alicui prodesse, alicui obesse, & huiusmodi. Non enim ita diuiditur: imo diuiditur quantum ad illud, quod est prodesse in seruanda re alicuius, vel vita, siue bono spirituali.

¶ Ad quod dicimus: quod diuisio mendacij malignitatis sit secundum maiorem & minorẽ rationem nocumenti. Ad hoc enim, scilicet ad nocendũ erat huiusmodi mendacium: & secundum hæc fuerunt tres eius species. Primum, ꝙ maxime nociuum est: vt quod est in doctrina religionis: & hoc dicitur maxime nociuum duplici de causa: tum quia omnibus nocet: tum quia nocet in maximo, siue in nobilissimo, scilicet in fide, quæ erat principium totius vitæ spiritualis. Secunda species minor est illa in nocẽdo: videlicet cum nulli prodest, & alicui obest: hoc est, minus quam omnibus obesse. Tertium vero minimum est in genere illo:

vtpote quod nec omnibus obest, nec nulli prodest: sed alicui prodest, alicui obest. Sic ergo patet, quod secundum maius & minus, & minimum nocumentum recte sumuntur differentiæ mendacij malignitatis, secundum id quod est obesse omni; vel alicui obesse & nulli prodesse; vel alicui prodesse, & alicui obesse. Sed ita econtrario non potuerunt accipi differentiæ mendacij benignitatis: contra enim illam differentiam, quæ fuit [*omnibus obesse*] non potuit inueniri illa differentia in officioso, quæ esset [*omnibus prodesse*] non enim est aliquod mendacium reperire, quod omnibus possit prodesse: sicut est reperire aliquod, quod omnibus potest obesse. Præterea, hoc aliud membrum, quod [*alicui prodest, sed alicui obest*] non potuit stare sub mendacio benignitatis: quam cito enim alicui obest, iam trãsit in speciem oppositam, & fit malignitatis. Solum ergo hoc modo potest esse mendacium benignitatis; vt nulli obsit, & alicui prosit. Patet ergo, quod non potest diuidi secundum istas differentias [*omnibus prodesse*] & cęteras contrarias differentias mendacij malignitatis. Quare oportuit, vt diuideretur secundum ea, in quibus poterat esse maius iuuamentum, siue maior profectus, & minor, & minimus. Ad iuuandum enim siue proficiendum erat mendacium: potuit autem iuuari aliquis per mendacium in maximo; & tunc est illa species, quæ fit pro saluanda vita, vel bono spirituali: vtpote castitate illius, vel aliquo alio. Vel pro minori: & tunc est illa species, quæ est pro conseruanda corporali vita: hæc enim minor est spirituali vita. Vel in minimo: sicut est pro pecunia, vel aliqua re alicuius seruanda: adhuc enim minora sunt ista adiumenta in huiusmodi rebus, quam quæ fiunt in vita corporali.

¶ Quæritur postea de ordine istorum mendaciorum. Augustinus enim ordinat ista secundum primum, secundum, & tertium, & sic deinceps. Quæritur ergo: aut is ordo est solius nominationis, & à voluntatę ordinantis solum: quod non videtur verisimile. Aut erit ordo istorum secundum maiorem & minorem elongationem à veritate. Quod si dicatur: contra instatur: ponatur enim, quod ego sciam Petrum cum pecunia sua esse in domo ista; diuersis de causis possum ego dicere mendacium, Petrus non est in domo ista. Possum enim hoc dicere ex malignitate, quia forte sciebam eum quæri ad hoc, vt ei daretur aliquid sibi vtile. Possum etiam hoc dicere ioco, & hoc secundum quartam, vel quintam speciem: possum etiam sic mentiri ex benignitate, & hoc secundum quamlibet speciem: forte quia sciebam eum quæri, vel ad auferendum pecuniam suam, vel ad occidendum, vel ad tollendum eius integritatem corporis. Si ergo hæc falsitas, vel hoc mendacium, Petrus non est in domo ista, æque semper elongatur à veritate sibi opposita; quacunq; ex causa dicatur, & ex diuersis causis dictum, potest esse aliquando in secunda specie, aliquando in tertia, & sic de omnibus aliis sequentibus: patet quod non erit ordo in speciebus mendacij, secundum maiorem vel minorem recessum à veritate. Propter quod restat quæstio, qualiter ordinabuntur species illæ?

¶ Ad quod dicimus: quod reuera est ibi ordo naturalis, & ordinantur secundum maiorem & minorem elongationem à veritate. Sed cum sit quædam veritas ipsius enunciabilis siue orationis per conformationem ad veritatem rei: & alia veritas voluntatis * ad veritatem increatam: intelligendum est, quod ordo in his speciebus non est secundum elongationem mendacij à veritate intellectus vel orationis in conformatione ad veritatem rei creatæ: sed ordinantur hæ species mendacij secundum maiorem & minorem elongationem veritatis voluntatis in conformatione ad veritatem increatam: ita vt quod maxime elongatur ab huiusmodi veritate vel rectitudine voluntatis, primum sit & maximum in genere mendaciorum: & quod minus isto, sed maius aliis, secundum. Ex quo apparere potest: quod debite ordinantur. Maxime enim elongatus est à rectitudine voluntatis prædictæ, qui mentitur circa religionem: & ideo illud mendacium recte primum, & maximum dicitur. Minus vero isto, sed magis aliis mentitur, qui etsi non circa religionem, siue in doctrina religionis, ita tamen vt nulli prosit, & obsit alicui: & ideo istud est secundum. Minus vero in genere magnitatis, qui sic mentitur, vt quamuis alicui prosit, alicui tamen obest. Et ideo recte ordinantur illę tres species inter se. Recte etiam mendacium malignitatis præcedit & iocosum & officiosum: quia plus deuiat à rectitudine vel veritate voluntatis prædicta, quam illa. Et hac eadem causa recte ordinatur iocosum ante officiosum: quia minus elongatur à veritate aliquis, quanto propter rationabilem causam mentitur: & qui magis quoquomodo mendacium suum poterat excusare. Vnde quia minus habet excusationis iocosum, quam officiosum: & ideo plus elongatur à supradicta veritate: ideo præordinantur species iocosi speciebus officiosi. Præcedit etiam quarta quintam in genere iocosi: quia minus habet causæ, siue placentiæ, qua deberet mentiri, vt placeret sibi, quam respectu alterius: & ideo in genere mendacij hoc est maius & plus elongans se, quam illud: vt est dicere in genere. Et dico [*vt est dicere in genere*] propter hoc: quia tantus posset esse adulator aliquis, & mentiri de suaui colloquio tanto appetitu, & circa talem materiam, quod excederet istud mendacium quo ad rationem peccati, mendacium, quod est in quarta specie: sed hoc esset propter speciales circunstantias: & ideo dico [*vt est dicere in genere*] Ordinantur etiam recte species officiosi: quia cum maximum bonum alicuius esset vita spiritualis in isto, minus vita corporalis, minimum eius possessio: patet quod minime est excusabilis in hoc genere, & plus deficiens à rectitudine voluntatis prædicta, qui mentitur propter pecuniam saluandam, quam qui propter alia bona. Et ideo sextum mendacium præcedit alia, vtpote maius. Et similiter septimum recte octauum, vtpote maius: sicut & vita corporalis minus bonum est vita spirituali. Deinde autem, qui prq vita alterius spirituali saluanda solum mentitur; minime omnium elongatur à supradicta veritate: ideo hoc mendacium recte vltimum ordinatur inter omnia tanquam minimum.

¶ Obiectio ergo, quæ fiebat; opponebat, ac si esset ordo istorum secundum elongationem à veritate rei creata. Vnde non dicimus, quod secundum illam viam ordinarentur: sed sicut dictum est.

MEMBRVM VIII.

An facilius sit dicere mendacium, quam dicere verum?

OCTAVO quæritur, Vtrum mendacium facilius sit ad dicendum, quam verum? Et hoc est de comparatione mendacij ad suum oppositum. Et videtur, quod difficilius sit mendacium, per hoc quod dicit Gregorius: *Plana est veritatis via: & graue est mendacij iter.* Vnde per Prophetam dicitur: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium: vt inique agerent, laborauerunt.* Gregor. Ierem. 9.

¶ Item, Gregorius: *Nihil ad defendendum veritatem tutius: nihil ad dicendum veritatem facilius.* Gregor.

¶ Præterea, Seneca: *Veritatis simplex est oratio: nec quicquam minus conuenit, quam subdola calliditas animis, magna conantibus.* Seneca.

¶ Item, vltra veritatem, qui quærit in planis, quærit offendiculum.

¶ Contra: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Cum ergo homo habeat mendacium ex se, veritatem autem non habet à se; facilius autem est, quod est ex se, quam quod est aliunde: ergo facilius est mendacium, quam sit veritas. Ioan. 8.

¶ Præterea, veritas consistit in medio virtutis: mendacium vero in extremo vitij: virtus autem est circa difficillimum, quemadmodum & ars: ergo difficilior est veritas, quam mendacium.

¶ Item, facile est auertere à signo: difficile autem est attingere signum: qui autem loquitur veritatem, attingit signum: qui vero loquitur mendacium, diuertit à signo: ergo facilius est mendacium, quam sit veritas.



*Alias, à veritate increata.

RESOLVTIO.

In statu hoc corrupto proculdubio facilius est falsum, quam verum dicere, tametsi non defendere. Secus autem fuisset in statu primitus instituto.

¶ Ad quod dicendum: quod est loqui secundum statum naturæ primitus institutæ: & est loqui secundum statum naturæ rationalis lapsæ. Si fiat sermo secundum statum naturæ primitus institutæ, secundum hoc facilis est veritas. Si vero fiat sermo secundum statum naturæ lapsæ, difficilis est veritas, & facile mendacium. Præterea difficilior est falsitas ad defendendum, quam veritas.

¶ Per hoc potest solui, quod quæsitum est. Nam prima ratio, quæ ostendit mendacium esse difficilius; attenditur quantum ad defensionem. Laborant enim mendaces, vt mendacium suum cooperiant, & defendant: qui labor non est tantus in sustinendo veritatem. Et hoc est, quod dicit Gregorius: Quantus labor est, sollicite custodire, ne ipsa fallacia deprehendi queat; hinc inde circuntegit: & contra hoc vbi deprehendi potuit, veritati similem responsionem quærit. Vnde talibus dicit Hieronymus ironice: *Voluntatem habes mentiendi, artem fingendi non habes: vetus prouerbium est, mendaces memores esse oportet.* Hieron.

¶ Hoc idem faciunt alia prima obiecta.

¶ Quod autem obiicitur in parte contraria per illud Ioan. Dicendum est: quod illud intelligitur de facilitate quo ad lapsum naturæ. Et ad idem faciunt ea, quæ sequuntur: difficultas enim attenditur ad verum & ad bonum secundum statum naturæ corruptæ. Si vero fiat consideratio secundum naturam primitus institutam, vtrobiq; erat facilitas lib. arbit.

¶ Quod autem virtus dicitur esse circa difficillimum; vitium vero circa facile: non attenditur secundum genus ipsius rei, circa quam est virtus. Circa enim eandem rem fuit virtus, antequam homo fuisset lapsus, & postquam est lapsus: mutata autem est conditio ex parte ipsius hominis: vt quod tunc fuit facile lib. arb. modo sit difficile, adiuuabat enim tunc rectitudo naturæ.

¶ Per hoc possunt patere, quæ ex illa parte sunt obiecta.

QVÆSTIO CXXIV.

De peccato contentionis.

In quinque Membra diuisa.

D Tho. 2. quæst. 38. DICTO de mendacio, quod est contra veritatem sermonis: dicendum esset de periurio, quod similiter est contra veritatem: sed de hoc determinabitur in parte de Præceptis.

¶ Dicendum est ergo de tertio, quod est contra veritatem, scilicet de contentione, qua veritas impugnatur.

¶ Primo ergo quæritur, quid sit contentio? Secundo, si contentio semper est peccatum: & si est peccatum, vtrum sit mortale semper, aut veniale aliquando: vel econuerso? Tertio, vtrum sit contendendum cum hæreticis in disputatione? Quarto, vtrum contentio debeat esse in repetitione suorum.

MEMBRVM I.

Quid sit contentio?

Ad Rom. 1. SIc autem diffinitur contentio super illud: *Contentione & dolo.* Contentio est impugnatio veritatis per confidentiam clamoris.

¶ Circa hanc diffinitionem dubitatur. Potest enim esse impugnatio veritatis sine confidentia clamoris, etiam per sermonem; & est peccatum: ergo sub aliquo genere peccati continetur: non nisi sub contentione: ergo non est vniuersalis ratio ad omnem contentionem.

¶ Præterea, vbi assignatur differentia inter zelum & contentionem, dicitur zelus in corde, contentio in sermone. Ad esse ergo contentionis non requiritur nisi impugnatio veritatis in sermone.

RESOLVTIO.

Contentio est impugnatio veritatis per confidentiam clamoris.

¶ Ad quod dicendum: quod diffinitio supradicta datur cum circunstantia aggrauante: quidam enim clamore vincere volunt, vt non tantum sit ibi impugnatio, sed clamor indebitus. Nihilominus tamen impugnatio veritatis malevolentia argutionis est contentio. Vnde dicitur 2. Tim. 2. in Gloss. *Solent in contentione talia opponi elimato maleuolentiæ argumento, vt moueant animos insipientium fratrum.* Vnde generaliter contentio potest dici impugnatio veritatis, persistens in sermone causa vincendi. Hæc enim conditio videtur apponi in Gloss. cum dicitur, Nemo patitur in se vinci: licet sciat vera esse quæ audiat. Gloss super 2. Tim. 2.

MEMBRVM II.

An contentio peccatum sit, & quale?

SECVNDO quæritur, si contentio vniuersaliter sit peccatum. Quod non, videtur: contendere enim est in contrarium tendere: potest autem aliquis in contrarium tendere, & non peccare: vt si aliquis sustineat contradictoriam veritatis, vt præualentiam videat rationis: talis enim in contrarium tendit. Potest etiam hoc fieri exercitationis causa; vt in disputationibus: nec tamen peccatur. Ergo contentio non est vniuersaliter peccatum.

¶ Item: *Quidam ex contentione Christum annunciant* &c. Et sequitur: *Quid enim dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur.* Sed Christum annunciari per occasionem, bonum est: ergo ex contentione annunciari Christum, bonum est: hoc enim est per occasionem: ergo intentio huiusmodi est bonum (occasio enim sub ratione vtilis ponitur) non ergo vniuersaliter est peccatum. Ad Phil. 1. Ibidem.

¶ Similiter dicitur: *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Sed hæreses esse, est contentiones esse: ergo optimum est contentiones esse: ergo bonum: non ergo vniuersaliter est peccatum. 1. ad Cor. 11.

¶ Contra: *Vbi zelus & contentio, ibi est inconstantia, & omne opus prauum:* ergo contentio est secundum se malum & peccatum. Et dicit ibidem, quod prohibuerat zelum & contentionem, & alia vitia, quæ sequuntur ex contentione. Iacob. 3. Ibidem.

¶ Similiter quæritur, si est mortale peccatum? Quod videtur per hoc, quod Apostolus prohibet contentionem; vnde dicit: *Noli contendere verbis: ad nihil enim est vtile, nisi ad subuersionem audientium.* Vbi exprimitur prohibitio contentionis. 2. Tim. 2.

¶ Similiter contentio enumeratur ab Apostolo inter mortalia peccata, cum dicitur: *Plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo* &c. & ita videtur, quod contentio est mortale peccatum. Ad Rom. 1.

¶ Item: *Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Angelus autem crudelis dicitur diabolus: qui dicitur mitti contra eum, vt post mortem ad interitum æternum rapiat: sed non rapiet ad interitum æternum nisi per mortale: ergo contentio est peccatum mortale. Prouer. 17.

¶ Contra, in Iob 39. habetur: quod Iob contendit cum Deo: contendere autem ibi non videtur sonare in mortale peccatum: ergo contentio non semper est mortale peccatum. Dominus enim infra loquens de Iob, dicit: *Non locuti estis coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Si ergo reprehensibilis erat, quo ad alia erat reprehensibilis, & quo ad alia rectus. Iob 39. Ibidem.

¶ Præterea, quis potest contendere cum alio in disputatione, non animo malignitatis: nunquid tunc dicetur mortale peccatum?

RESOLVTIO.

Contentio, prout supra definita est, peccatum est: at non semper mortale, sed interdum veniale, iuxta diuersitatem causarum, quibus contenditur. Quinimmo aliquando nec veniale, nec mortale, sed indifferens.

¶ Ad quod dicendum: quod contentio (sicut supra dictum est) peccatum est.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendū est: quod nomen contentionis potest large sumi, vt dicatur motus in contraria tendentium: & hoc potest fieri, & bono fine, & malo. Si bono fine, non dicetur peccatum: & hoc modo contendūt, qui disputant ad obuiationem, vel exercitationis causa. Si vero fiat malo fine, peccatum est in his, quæ sunt ad fidem vel mores.

Philip. 1. ¶ Ad illud vero, quod dicit Apostolus: quod gaudet in hoc, quod per contentionem annunciatur Christus, dicendum est: quod aliud est dictum ex parte passiuæ annunciationis, & ex parte actiuæ annunciationis. Ex parte enim annunciationis passiuæ, bonum est; ex parte autem annunciationis actiuæ, licet sit bonum in genere, tamen potest esse malum ex circunstantia; vt si fiat ex contentione; & ex illa circunstantia non gaudebat Apostolus: contentio autem ibi sumitur pro sermone clamoso, procedente ex odio priuato: vnde sonat in mortale peccatum: de quo non gaudebat Apostolus. Ibidem.

1. ad Cor. 11 ¶ Ad illud vero, quod dicitur: quod *oportet hæreses esse* &c. Intelligendum est illo modo, quo malum est occasio boni: non quod hæresis vel schisma sit bonum. Vnde dicit Haym. *Magnam vtilitatem præstiterunt hæreses ecclesiæ Dei: non per se, sed dum Doctores ecclesiæ exercitauerunt, qui quasi dormierant.* Haymo.

¶ Ad illud vero, quod quæritur, vtrum sit mortale peccatum, dicendum est: quod aut fit animo malignitatis, aut fit causa necessitatis, aut fit causa exercitationis, aut ex quadam titillatione gloriæ & honoris. Si fit causa malignitatis, vt qui volunt iniuste vincere, vel animos simplicium subuertere: secundum hunc modum est mortale peccatum: & secundum hunc modum prohibetur ab Apostolo, cum dicit: *Noli contendere verbis.* Et dicit Gloss. *Contentio nihil potest nisi subuertere audientes*: dum verbosus par vel superior videtur esse Catholico: contentio minus stabilitatis sæpe generat scrupulum. Et dicitur Iob 6. in Gloss. *Inquisitionibus non intendunt veritatem assequi, sed victores videri.* Hoc autem posset esse ex quadam leuitate in his, vbi non est periculum: & tunc non dicitur mortale peccatum. Si vero causa necessitatis, tunc non est peccatum; secundum quod dicitur super illud: *Non contendas aduersus hominem frustra.* Non vetat contendere aduersus eum, qui male fecit, vt corrigatur: quia hoc frustra non fit, quod certanecessitas cogit. Si fiat causa exercitationis, non est peccatum mortale: & si aliquando propter modum contingat esse veniale. Si vero causa eruditionis, nec sic est peccatum: secundum quod dicitur: *Vir sapiens si cum stulto contenderit* &c. Gloss. *Doctor fidelis & sapiens, si cum infideli & contumace contenderit, siue tormenta reproborum, vel gaudia narret bonorum, frustra erga insensatum laborat.* Si vero fit ex quadam titillatione honoris, vel gloriæ, veniale videtur peccatum. Et secundum hoc videtur accipi illud: *Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior.* Et dicit Gloss. *Non est incredibile, quod honore inuicem se præueniendo certarent, sed qualibet ex causa contenderint; non quid adhuc carnales gesserint, sed quid spiritualis magister iusserit audiamus.* Ex quo accipitur, quod carnales erant contendendo de præuentione honoris. Sic ergo patet: quod aliquando dicitur mortale peccatum: aliquando veniale: aliquando neutrum. Cum enim dicitur: *Contendite intrare per angustam portam*: neutrum designatur: sed quod potest esse meritorium vitæ æternæ.

2. Tim. 2. Glossa. Eadem super Iob 6. Prouerb. 3. Prouer 29. Glossa. Luc. 22. Glossa. Luc. 13.

MEMBRVM III.

An contendendum sit cum hæreticis in disputationibus?

Tertio quæritur, Vtrum contendendum sit cum hæreticis in disputationibus? Quod non, videtur; dicitur enim super illud: *Non litiges cum homine linguato.* Gloss. *Hæretico, de quo, sub lingua eius labor & dolor.* Et postea subiungit rationem: *Ne aliena & vilia de progenie tua loquatur*, Christiana scilicet, & Catholica, dicit Interlinearis.

Eccles. 8. Glossa. Ibidem.

Math. 7. ¶ Præterea, ipsi hæretici signantur per canes, qui lacerant verbum Dei: prohibetur autem Matth. 7. ne detur sanctum canibus: ergo non est contendendum cum hæreticis.

¶ Præterea, derisores sunt: *Qui autem arguit derisorem, sibi generat maculam.* Ergo non est contendendum cum illis. Prouerb. 9

¶ Similiter dicitur: *Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea.* Tangere autem picem, est contendere cum hæretico: ergo non est contendendum cum hæreticis. Eccles. 13.

¶ Item, Gelasius Papa: *Non est ecclesiastici moris cum his, qui pollutam habent communionem, permixtamq; cum perfidis miscere concilium.* Et iterum: *Nullum fas est canonum magistris atq; custodibus, certamen habere cum hostibus communionis alienæ.* Gelas. Pap.

¶ Contra, super illud: *Accidit quadam die.* Catholici aduersus hæreticos contentionem non commouent, nisi prius ad certamen prouocantur. 1. Reg. 14.

¶ Præterea, exemplo August. & aliorum doctorum ecclesiasticorum habetur, quod licitum est contendere cum hæreticis; sicut patet super illud: *Oportet hæreses esse* &c. Glos. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur; vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur instantius.* 1. ad Cor. 11 Glossa.

¶ Item, Per bella in libro Iosue signantur certamina fidelium contra hæreticos; vnde dicit Adamantius: Sciens Apostolus carnalia bella non amplius nobis agenda, sed contra spirituales nequitias, velut princeps militiæ Christi præcepit militibus Christi, *Induite vos armaturam Dei; vt possitis stare aduersus insidias diaboli* &c. insidiæ autem diaboli sunt in ipsis hæreticis: licitum ergo est contendere cum hæreticis. Ephes. 6.

RESOLVTIO.

Licet profecto cum hæreticis interdum contendere, at non quibuscunq; sed cum iis tantum, quos corrigibiles diiudicauerimus.

¶ Ad quod dicendum: quod sumpto large [contendere] pro certare in disputatione: licitum est aliquo casu contendere cum hæreticis. Si vero accipiatur [*contendere*] prout supra diffinitum est, pro impugnatione veritatis, intentione vincendi: non est licitum contendere cum hæreticis, nec cum aliis. Distinguendum autem est, quod hæreticus, aut est præcisus ab ecclesia: cuius pertinax sententia dignoscitur: & cum talibus non est habendum concilium, secundum illud: *Non sedi cum concilio vanitatis* &c. Et dicitur: *Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita.* Vnde hæretici post damnationem in concilio, non vocantur ad concilium: sicut habetur Can. 24. q. 1. Non enim reuocandum est in dubium, quod iam diligenti discussione ecclesiæ est damnatum. Si vero hæretici adhuc sunt corrigibiles, licitum est contendere in disputatione cum eis, vt ad fidem reuocentur: vel vt eorum falsitas in aliis manifestetur. Hoc autem intelligendum est de probatis in doctrina Catholica: periculosum autem est simplicibus cum hæresiarchis disputare.

Psal. 25. Ad Tit. 3. Can. 24. q. 1 Maiores nostri.

MEMBRVM IV.

An liceat in disputatione sacræ scripturæ contendere?

Huius gratia quæritur, Vtrum liceat in disputatione sacræ scripturæ contendere. Quod non, videtur; dicitur enim in Gloss. super illud: *Noli contendere. Collatio inter seruos Dei debet esse, non altercatio.* Sed serui Dei debent esse tractantes sacram scripturam: ergo inter illos non debet esse contentio. 2. Tim. 2. Glossa.

¶ Item: *Aquæ Siloe vadunt cum silentio.* Gloss. *Doctrina Christi, quæ sine clamore & strepitu leniter fluit.* Ergo debet esse sine contentione. Isa. 8. Glossa.

¶ Item, discipulus Christi debet esse imitator Christi: sed bonus auditor sacræ scripturæ siue doctor debet esse discipulus Christi: ergo debet esse imitator Christi. Sed de Christo legitur, secundum translationem LXX. *Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis eius vocem in plateis*: quod exponit Augustinus: *Christianus nemo recte dicitur, nisi Christi moribus coæquetur: tu ergo si morum Christi similitudinem tenere cupis, ne contendas: ne absisne in ecclesia Christianus existas.* Tractantes ergo sacram scripturam in disputationibus non debent contendere.

Matth. 12. Aug. in lib. de duodecim abusionibus.

2. Tim. 2. Glossa. ¶ Similiter dicitur: *Seruum domini non oportet litigare.* Gloss. *Seruus Dei non obstrepat studio altercandi, vel contendendi.*

¶ Contra, licet disputare ad vtramque partem contradictionis construendam: ergo licitum est disputare ad obuiationem: obuiatio autem quid aliud est, quam contentio, similiter & contradictio? ergo licitum est disputare contendendo.

¶ Præterea, aliquis potest sustinere partem, in qua est falsitas; vt videatur quid inde accidat: vel qualiter possit informari. Sicut ergo licitum est contendere aduersus eum qui male fecerit: ita licitum est contendere aduersus eum, qui falsum sustinet. Ergo licitum est contendere in disputatione sacræ scripturæ.

RESOLVTIO.

De diuinis scripturis contendere licet, vt veritas magis astruatur: non vt falsitas persuadeatur.

¶ Ad quod dicendum: quod [*contendere*] potest accipi dupliciter. Vno modo in contrarium eius, quod sustinetur, tendere, ad hoc quod falsitas manifestetur, & veritas astruatur: & hoc modo licitum est contendere in disputatione sacræ scripturæ. Alio vero modo dicitur contendere in contrarium finem tendere: cum vnus intendit astruere veritatem, alter intendit astruere falsitatem, vt credatur: vel cum aliquis intendit omnino vincere, vel extorquere aliquid, quod contra conscientiam dicatur: & sic non est licitum contendere in diuina scriptura. Vnde dicit Haym. Haymo. *In diuinis scripturis potius collatio est habenda cum ratione, quam contentio cum furore.* Et est sensus, collatio cum ratione habenda est, non cum furore contentio.

MEMBRVM V.

An liceat in iudicio contendere pro repetitione suorum?

DEINDE quæritur, Vtrum possit aliquis sine peccato contendere cum alio in iudicio? Quod non, videtur per hoc, quod dicitur: Matth. 5. Glossa. *Ei, qui vult in iudicio contendere tecum, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium.* Gloss. *Antequam contendas: licet enim infirmis sua repetere: sed non contendere.* Sed si non licet imperfectis, multo magis nec perfectis: ergo nulli licet contendere in iudicio.

1. Cor. 6. Glossa. ¶ Item: *Frater cum fratre in iudicio contendit: & hoc apud infideles.* Gloss. *Contendere quod malum est, apud infideles quod peius est.*

Ibidem. Glossa. ¶ Item, super illud: *Iam quidem omnino delictum est.* Gloss. *infirmis licet repetere sua, mouendo causam ante iudicem: sed non contentiose, vel fraudulenter.* Ergo non licet contendere in iudicio.

Prouer. 20. ¶ Item: *Honor est homini, qui se separat à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis.*

¶ Contra, mouere causam ante iudicem est mouere controuersiam de certo dicto, vel de certo facto: mouere autem controuersiam est mouere contentionem: sed licitum est imperfectis mouere causam ante iudicem, seu coram iudice: ergo licitum est eis contendere coram eo.

Prouerb. 3. Glossa. ¶ Præterea, super illud: *Ne contendas aduersus hominem frustra: cum ille nihil mali tibi fecit.* dicit Gloss. *Non vetat contendere aduersus eum, qui male fecit, vt corrigatur: quia hoc frustra non fit, quod certa necessitas cogit.* Cum ergo necessitas infirmorum exigat repetere sua in iudicio, si est ibi contentio, non est peccatum.

¶ Hoc etiam ex ipsa littera potest trahi, vt fiat argumentum à contrario sensu. Si enim non est licitum contendere aduersus hominem, cum ipse nihil mali fecerit: ergo à contrario sensu, licitum erit contendere aduersus hominem, cum aliquid mali fecerit. Ergo cum abstulerit sua: ergo licitum est contendere in iudicio contra iniustum detentorem.

RESOLVTIO.

Iurgium aliquod non intercidat: & in iudicio pro suis repetendis contendere liceat.

¶ Ad quod dicendum: quod verbum contentionis aliquando importat in se peccatum, sicut in illo verbo Greg. super illud: *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Prouer. 17 Dicitur enim in Moral. Gregor. super hoc. *Aqua dimittitur, cum linguæ fluxus in contentionem effrenatur: dimissor aquæ iurgiorum caput efficitur, quia per linguæ incontinentiam origo discordiæ propinatur.* Secundum hunc modum non est licitum contendere in iudicio, nec sua repetere contentione. Aliquando vero verbum contentionis non aliud dicit, nisi controuersiam motam: quæ etiam aliquando fit ex debita causa: & secundum hoc existente huiusmodi causa, licitum est contendere. Vnde dicit Greg. *Non solum cura esse debet, ne nostra subtrahant: sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant.* Gregor. Secundum autem quod contendere importat discordiam, quæ generatiua est odij & scandali, non est licitum in iudicio contendere. Vnde dicit Haym. *Qui accusat, autor est controuersiæ: discordia odium generat: odium non est cum charitate: charitas mater est vnitatis.* Haymo. Et dicit Gregor. *Dum pro terrena re pax à corde cum proximo scinditur, apparet quod plus res, quam proximus amatur.* Gregor. Hoc ergo modo non est licitum repetere sua cum contentione.

QVÆSTIO CXXV.

De scurrilitate, & turpiloquio.

In quinque Membra diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de peccato oris, quæ sunt contra honestatem & vtilitatem: quæ sunt partes bonitatis. D. Th. 2. 2. q. 148. art. 6 Contra honestatem vero est scurrilitas, siue turpiloquium: contra vtilitatem vero est vaniloquium cum multiloquio. Dicendum est ergo primo de scurrilitate, siue turpiloquio. Secundo de multiloquio, & vaniloquio.

¶ Primo ergo quæritur, vtrum scurrilitas semper sit peccatum. Secundo, vtrum veniale, an tantum mortale. Tertio, vtrum in prælato sit semper mortale peccatum. Quarto, de comparatione turpitudinis in sermone ad turpitudinem in opere. Quinto, vtrum sit idem scurrilitas, & stultiloquium: an aliquo modo differant.

MEMBRVM I.

An scurrilitas semper peccatum sit?

CIRCA primum sic; Hieronymus: *Nihil sapientiæ habet scurrilitas.* Hieron. Sed quod omnino caret sapientia, malum est: ergo scurrilitas malum est.

¶ Item dicitur: *Non nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, quæ ad rem non pertinent,* Ad Eph. 5. id est, *nullius sunt vtilitatis:* sicut dicit Gloss. Glossa. Prohibetur ergo vel dissuadetur ibi: sed quod prohibetur, vel dissuadetur, est peccatum: ergo scurrilitas est peccatum.

¶ Contra, Hieronymus: *Plerunq; à sapiente profertur cum quadam vrbanitate.* Hieron. Sed quod profertur cum vrbanitate à sapiente, non est peccatum: ergo scurrilitas non est peccatum.

RESOLVTIO.

Proprie sumpta scurrilitas, semper peccatum est. Improprie autem non semper.

¶ Ad quod dicendum: quod scurrilitas proprie dicta, est peccatum. Sed aliquando accipitur pro vrbanitate, vel affabilitate sermonis: & hoc est improprie: & secundum hoc si adsit debitus finis, vt ad conseruationem amicitiæ bonæ, vel ad remouendam tristitiam seculi, vel accidiam: hoc autem cum non est per verba turpia, non est peccatum. Si vero fiat per verba turpia, vel per verba nullius vtilitatis; sed tantum risum prouocantia inordinatum, peccatum est.

MEMBRVM II.

An mortale, vel veniale peccatum sit scurrilitas?

SECVNDO quæritur, Vtrum scurrilitas sit veniale peccatũ tantum, an mortale? Et videtur, quod mortale. Dicitur

Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Videtur esse prohibitio per antecedentia, & subsequentia: loquitur enim prius de furto, quod prohibitum est: loquitur consequenter de contristatione Spiritus sancti [in quo signati estis] quæ sunt prohibita. Vnde per consequens videtur, quod sermo malus, qui in medio ponitur, inter prohibita computetur: sed scurrilitas est sermo malus: ergo scurrilitas est de prohibitis: ergo est peccatum mortale.

Chrysost. ¶ Item, Chrysostomus: *Tantum prabes eis honorem, quos leges quidem, quæ à Græcis scriptæ sunt, infames esse volunt. Si famulus aliquid huiusmodi loquens fuerit, audiente te, decem millia accipiet flagella: etsi filius, etsi vxor hoc fecerit, vocat iniuriam: si autem homines & caupones vocauerint te ad audiendum scurrilia, non solum non offenderis: sed lætaris & laudas.* Si ergo assueti in scurrilibus verbis, infames sunt apud legem humanam; quanto magis apud legem diuinam. Si etiam tantum flagellatur seruus vel filius in iudicio humano, quanto magis in iudicio diuino dignus est flagello. Sed infamia est pro peccato mortali, & flagellum in pluribus: ergo scurrilitas verborum est peccatum mortale.

Idem. ¶ Item, *sic se habent verba scurrilia, sicut se habent sordes & lutum:* sicut dicit Chrysostomus. Sed ex sordibus & luto contrahitur immūditia, si proiiciatur in aures carnis: ergo scurrilia verba generant immunditiam, si perueniant ad auditum mentis. Vnde Chrysostomus: *Sicut sordes, & lutum aures carnis, ita meretricalia cantica auditum mentis immundum faciunt.* Sed maior immunditia, debet esse in gignente, quam in eo in quo gignitur: ergo in proferente scurrilia verba est mentis immunditia & ita peccatum mortale.

Idem. ¶ Quod etiam patet per hoc, quod dicit in autoritate Chrysost. dicit enim, quod abominabilia sunt hæc cantica: abominatio autem est propter peccatum mortale.

Idem. ¶ Item, Chrysostomus: *sordes oris sunt maledictio, blasphemia, turpiloquium, scurrilitas.* Si ergo conscientiam habes tuiipsius, nihil horum loquentis: neq; illarum sordium, quæ sunt in operibus, accede confidens. Si autem assumpsisti sordes has, scias quia inaniter laboras. Cum ergo orationem inanem non reddat ex parte loquentis, nisi indignitas mortalis peccati: erit scurrilitas & turpiloquium mortale peccatum.

¶ Contra, mendacium iocosum est veniale peccatum: & tamen est ibi recessus à veritate: deterior autem est recessus à veritate verbi, quam ab honestate: communicant autem in eo quod est iocosum: ergo minus malum est sermo scurrilitatis, quam mendacium iocosum: sed mendacium iocosum est veniale peccatum: ergo scurrilitas sermonis est veniale peccatum.

¶ Item, Iocularitas est ad prouocationem risus, vel gaudij: sed risus vel gaudium huiusmodi ex quadam mentis leuitate procedunt, & videntur venialia: ergo iocularitas sermonis erit veniale: sed illa dicitur scurrilitas in scriptura: ergo scurrilitas est veniale peccatum.

Ad Col. 2. Glossa. ¶ Item, dicitur in Gloss. super illud ad Coloss. 2. *Nunc autem deponite & vos omnia, iram & indignationem, blasphemiam & turpem sermonem &c. post maiora prohibet minora: & vocat maiora fornicationem, immunditiam, libidinem, quæ prius enumerata sunt: minora vero iram & indignationem, & turpem sermonem: hæc autem minora videntur esse peccata venialia.* Nam ira & indignatio (sicut ibi accipiuntur) videntur esse venialia: dicit enim iram subitum animi motum: indignationem vero motum subitum de alio sublimato. Pari ergo ratione videtur turpis sermo ad venialia peccata pertinere.

August. ¶ Item, Augustinus in quodam Canone, vbi enumerat peccata minuta, quæ dicuntur venialia: enumerat maledictionem temeritatis & facilitatis. Sed sub maledictione temeritatis continetur scurrilitas, siue turpiloquium: ergo scurrilitas est veniale peccatum.

* * *

RESOLVTIO.

Scurrilitas, & mortale & veniale peccatum esse potest, iuxta radicem, à qua procedit.

¶ Ad quod dicendum: quod scurrilitas sermonis, siue turpis sermo potest procedere ex quadam lubricitate linguæ, & impetu irascibilis, vel concupiscibilis, & obreptione rationis. Vel potest procedere ex deliberatione rationis, & mala consuetudine linguæ & peruersa affectione, siue maligna concupiscibilis, & surreptione rationis. Vel potest procedere ex deliberatione rationis, & mala consuetudine linguæ, & peruersa siue maligna affectione concupiscibilis, vel irascibilis: & secundum hoc retorquetur, vel ad libidinem mortalem, vel ad libidinem venialem, tanquam ad radicem: & secundum hoc erit vel mortale peccatum, vel veniale.

¶ Ad obiecta autem respondendum, quod cum dicitur: *Scurrilitas non nominetur in vobis, aut stultiloquium.* Dicendum est, aliud est esse stultiloquum vel scurrilem in sermone: & aliud est esse nominatum huiusmodi. Cum enim nominatus est huiusmodi, notatur infamia, quæ surgit ex praua assuetudine: & hoc modo potest reduci ad mortale peccatum, cum est ex præcedenti deliberatione. Vnde in Canone dicitur. Clericum scurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio esse retrahendum: vbi intelligitur pœna per suspensionem ab officio, quæ est pro mortali peccato. Ad Eph. 5.

¶ Ad illud vero, quod dicitur: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Dicendum est, quod aut sumitur sermo malus generaliter, & tunc est exhortatio, non prohibitiō; & hoc videtur ex Gloss. quæ dicit: *Multas partes veteris hominis enumerat, à quibus dehortatur: & secundum hoc non oportet, si extrema sint mortalia, quod medium omnibus modis sit mortale.* Si vero coarctetur ad sermonem malum, qui ex malignitate animi procedit ad destructionem fidei vel bonorum morum: secundum hoc potest esse mortale peccatum. Ad Eph. 4. Glossa ibi.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod infamia non tantum surgit ex genere mortalis peccati, sed ex assuetudine venialium peccatorum: cum qua tamen assuetudine potest esse contemptus: ex quo est peccatum mortale: sicut patet in ebrietate vel ebriositate, vel in verbositate.

¶ Ad quartum dicendum: quod immunditia potest surgere non tantùm ex mortali peccato: immo ex veniali. Vnde illa ratio non est sufficiens ad astruendum, quod sit mortale peccatum: nisi intelligatur de immunditia, secundum quam deformatur imago diuina.

¶ Ad quintum: quod cum dicuntur huiusmodi cantica abominabilia: hoc intelligitur ratione illorum, quæ spectant ad mortale peccatum: vel ratione damni, quod elicitur ex illis.

¶ Ad sextum vero dicendum: quod intelligit de peccatis oris, quæ sunt mortalia: ratione quorum opponitur nubes, ne transeat oratio per efficaciam ad Deum.

MEMBRVM III.

An scurrilitas in Prælato sit semper mortale peccatum?

TERTIO quæritur, Vtrum scurrilitas in Prælato semper sit mortale peccatum? Quod videtur per hoc, quod dicit Bern. *Consecrasti os tuum Euangelio: talibus autem aperire illicitum est; assuescere sacrilegium: labia enim sacerdotum custodiant scientiam, & legem ex ore eius requirunt.* Sic ergo peccatum mortale est turpiloquium, vel sermo scurrilitatis in ore sacerdotis, vel prælati. Bernard.

¶ Item, fugienda est ociositas mater nugarum, nouerca virtutum: nugæ in ore sacerdotis sunt blasphemiæ.

¶ Item, Chrysostomus: *Equus regalis est lingua: si imposueris frænum, & docueris ambulare, cum bona compositione quiescit super eam, & desuper sedebit Rex. Si autem infrænatam dimiseris ferri & saltari, diaboli fit ascensus.* Cum ergo hoc fit in turpiloquio prælati vel sacerdotis, erit mortale peccatum. Chrysost.

¶ Contra, ad nihil obligatur prælatus, ad quod non obligetur alius, præter illud, quod perfectio prælationis exigit: perfectio autem prælationis est, curam habere

debitam ipsorum subditorum: de substantia autem illius non videtur esse abdicatio turpiloquij: ergo ratione perfectionis officij non tenetur ad abdicationem scurrilitatis, vel turpiloquij.

RESOLVTIO.

Et quidem: nisi ex obreptione, vel impræmeditatione eueniat.

¶ Ad quod dicendum: quod prælatus siue sacerdos cum teneatur docere plebem verbo & exemplo, peccat mortaliter reddendo verbum scurrilitatis, aut turpiloquij pro verbo doctrinæ. Et quia tenetur docere exemplo, si scandalizat, vel prauum exemplum dat turpiloquio, iterum peccat mortaliter. Si tamen ex obreptione siue ex impræmeditatione verba huiusmodi proferret: non creditur ex hoc peccare mortaliter. Et quod dicitur in illa autoritate, Talibus aperire os illicitum est: intelligitur de apertione per præmeditationem, & deliberationem in his, in quibus tenetur docere, & apud quos tenetur docere.

Qō. later. ¶ Gratia præcedentium quæritur, Vtrum peccant præbentes autem turpiloquio? Quod videtur per hoc, quod

Ad Rom. 1. dicitur: *Non solum qui agunt, sed qui consentiunt, digni sunt morte.* Sed præbentes aurem turpiloquio, fouent peccatorem in peccato suo: ergo pro consentientibus reputantur: ergo digni sunt morte.

Bernar. ad Eugenium ¶ Quæritur ergo si æquale sit peccatum? Quod videtur per simile, dicit enim Bernardus: *Detrahere, aut detrahentem audire, quod horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Ex quo accipitur, quod quasi par damnatio est detractoris, & auditoris: pari ratione dicentis turpiloquium, & libenter audientis.

Chrysost. ¶ Quod etiam magnum sit peccatum, patet per hoc, quod dicit Chrysostomus: *Quando poteris effici studiosus, in talibus conuersans auditionibus? quando sudores, qui sunt pro sobrietate, ferre sustinebis? paulatim subfusus à risu, & canticis, & huiusmodi turpibus verbis.* Ex quo accipitur, quod consuetudo audiendi turpiloquium, libenter non stat cum virtute: ergo peccat mortaliter diligens auditor, & frequens: videtur ergo peccatum peccato parificari.

¶ Ad quod dicendum: quod duplex est auditio. Vna illorum, qui sustentant turpiloquos, & procurant vt fiant turpiloquia: & talium est maius peccatum, quam turpiloquorum: autores enim sceleris magis sunt in culpa, quam ministri: ex maiori enim libidine peccant. Est autem alia auditio casualis: cum tamen offertur, placet: & hi minus peccare creduntur, quam turpiloquium, & scurrilitatem

Idem. perpetrantes. Talibus dicit Chrysostomus: *Si vis ostendere nobis manifeste, quoniam non lætaris in turpia loquendo: neq; audire, sustine: amabile enim est ab omnibus impurgatam animam posse fieri honestam & sobriam; quanto minus talibus auditionibus nutritam.*

MEMBRVM IV.

An turpitudo in sermone maior sit turpitudine in opere?

QVARTO quæritur de comparatione turpitudinis in sermone ad turpitudinem in opere. Et videtur, quod maior sit in opere: turpitudo enim sermonis est gradus, per quem deuenitur ad turpitudinem operis. Vnde Seneca:

Seneca. *Libentia turpium verborum impudicitiam nutrit.* Et iterum:

Idem. *Turpia ne dixeris, transibis post in effectum, si inhonesta loquaris.* Cum ergo vlterior sit gradus turpitudo operis turpitudine sermonis, erit maius peccatum in opere, quam in sermone.

Socrat. ¶ Hoc etiam videtur ex verbis Socratis dicentis: *quod facere turpe est, hoc ne dicere honestum puta.* Quasi dicat, ex turpitudine operis quasi ex fonte redundat turpitudo sermonis.

Chrysost. ¶ Contra, dicit Chrysostomus: *Multi horrent dicere vel audire, quæ non horrent facere.* Si ergo horror maior attestatur maiori crimini: vel vbi est horror ex vna parte, est aggrauatio criminis: erit maius crimen turpitudo sermonis, quam turpitudo operis.

¶ Præterea, actus sermonis immediatius elicitur à ratione (est enim proprius eius actus) actus autem operis mediante alia potentia. Ergo cum crimina vel peccata ad rationem tanquam ad originem referantur; magis peccabit ratio in actu sermonis, quam in actu operis, cæteris paribus. Ergo maius peccatum est turpitudo sermonis, quam turpitudo operis.

RESOLVTIO.

Quinimmo e conuerso.

¶ Ad quod dicendum: quod maius est peccatum turpitudo operis, quam sermonis, relati ad illud opus.

¶ Ad obiecta autem in contrarium, dicendum est, quod ideo dicitur horror in dicēdo, vel in audiendo suam turpitudinem maior, quam in faciendo, vel simpliciter: quia quæ fiunt, aliquando in occulto fiunt: quæ autem dicuntur aut audiuntur, alio consciente, vel aliis, perpetrantur. Præterea, non est hoc ex conditione actus in comparatione ad actum: sed ex mala conditione personæ, quæ vult latere delictum.

¶ Ad aliud vero dicendum est: quod licet principalior actus rationis sit loqui: tamen non in omni actu locutionis magis culpanda est, quam in actu operationis mortalis: sed tunc tantum, cum est in pessimo actu locutionis: pessimus autem actus est negare Deum corde, & ore: vnde in illo plus vituperatur, maxime cum ex peruersitate cordis hoc facit: ad differentiam illorum, qui ex timore & pusillanimitate.

MEMBRVM V.

An scurrilitas, & stultiloquium idem sint?

QVINTO quæritur, Vtrum idem sint scurrilitas, & stultiloquium: an aliquo modo differant. Si enim vtrunque est contra honestatem, oportet quod addatur aliqua differentia, per quam distinguatur vnum ab alio. Cum ergo scurrilitas sit per verba turpia (vnde & turpiloquium dictum est) oportet quod stultiloquium addatur secundū differentiam verbi, quæ opponitur turpitudini.

¶ Quod non, videtur: verbum enim turpe est verbum stultitię. Gloss. etiam dicit ad Ephes. 5. quod *stultiloquium dicitur, quod fit per verba blanda.* Sed verba scurrilitatis verba blanda sunt: ergo scurrilitas sub stultiloquio continetur. Gloss. super Ephes. 5.

RESOLVTIO.

Coincidunt interdum scurrilitas & stultiloquium: sed proprie hoc ad indiscretionem rationis refertur, illa ad lasciuiam affectionis.

¶ Ad quod dicendum est: quod stultiloquium & scurrilitas cum appropriantur, sic distinguuntur: vt stultiloquium referatur ad indiscretionem rationis: scurrilitas vero ad lasciuiam affectionis: nihilominus tamen possunt coincidere in idem: vel vnum sub altero contineri.

¶ Quod autem dicitur in Gloss. quod *stultiloquium est per blanda verba*: hoc respicit ad finem, vt fiant placendi causa. Gloss. ibid.

¶ Quod autem dicitur scurrilitas non pertinere ad vtilitatem: & ita diuidere contra illam partem bonitatis, quæ est vtilitas: non contra illam, quæ est honestas. Dicendum est, quod per se est contra honestatem: contingit autem aliquando esse contra vtilitatem.

QVÆSTIO CXXVI.

De multiloquio.

In quinque Membra diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de multiloquio, & vaniloquio: quæ dicuntur esse contra vtilitatem sermonis.

¶ Primo quæritur, vtrum semper in multiloquio sit peccatum. Secundo, vtrum sit tantum veniale, an etiam mortale? Tertio de comparatione huius peccati ad alia peccata locutionis. Quarto de effectu huius peccati. Quinto de difficultate cauendi hoc peccatum.

MEMBRVM I.

An semper in multiloquio peccatum sit?

Prouer. 10. Ibi 14. Glossa. CIRCA primum sic: *In multiloquio non deerit peccatum.* Et: *Vbi verba plurima, ibi frequenter egestas*: & dicit Glos. *boni operis.* Sed vbi est defectus boni, est peccatum: ergo in multiloquio est peccatum.

Leuit. 15. Glossa. ¶ Item, super illud: *Vir, qui patitur fluxum sanguinis*: dicit gl. *Immundus est, qui hunc fluxum patitur: quia in multiloquio inquinabitur.* Sed inquinatio, de qua loquitur hic, non est nisi per peccatum: ergo multiloquium est peccatum.

Psalm. 139. Glossa. ¶ ITEM, super illud: *Vir linguosus*, &c. glos. *Si quis vera dicat, sed præter necessitatem, vir linguosus est.*

¶ CONTRA, multiloquium non dicit nisi multitudinem locutionis: multitudo locutionis non opponitur veritati (in difficilibus n. multis sermonibus vti oportet ad euidentiam rei obscuræ) ergo multiloquium de se non dicit peccatum.

RESOLVTIO.

In multiloquio propriè sumpto, semper peccatum est, secus incommuniter accepto.

¶ AD quod dicẽdum est, quod multiloquium notatur hic, vbi est multitudo locutionis cũ superfluitate, vel præter vtilitatem, & secundum hoc in multiloquio est peccatum. Non autem accipitur hic in sua generalitate, in qua potest & bene fieri & male.

MEMBRVM II.

An mortale, vel veniale peccatum sit multiloquium.

SECVNDO quæritur, vtrum multiloquium sit tantum veniale: an etiam mortale? Et videtur, quod sit veniale:

August. cum n. loquitur Aug. de minutis peccatis, inter cætera ponit illud, quotiens loquitur quis plus quam oportet, sed hoc est in multiloquio: ergo multiloquium est veniale peccatum.

Isidor. ¶ Item, dicit Isidor. *Qui otiosa verba non reprimit, cito ad noxia transit: & dum non cauemus parua, in magnis prolabimur.* Sed in multiloquio otiosa verba non reprimuntur: otiosa vero verba nõ reprimere, est parua non cauere: hoc aũt est veniale peccatum: ergo multiloquiũ est veniale peccatum.

Ecclef. 19. Glossa. ¶ ITEM, *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Interlinearis. *Verbum ociosum, & risum, & huiusmodi.* Ergo multiloquium ad modica pertinet: ergo est veniale peccatum.

Psalm. 139. Glossa. ¶ Quod autem sit mortale peccatum, videtur per illud, quod dicitur super illud: *Vir linguosus*, &c. vbi dicit gl. *Quem delectat exire foras, tumidus est, & quia foris est, quod amat, mittetur in tenebras exteriores.* Sed pœna exterior tenebrarum debetur peccato mortali: ergo linguositas est peccatum mortale: ergo multiloquium est peccatum mortale.

Iob. 11. ¶ ITEM, *Nunquid vir verbosus iustificabitur?* quasi dicat non. Ergo iustificatio & verbositas opponuntur, sed non opponitur nisi mortali peccato: ergo verbositas est mortale peccatum.

Iacob 3. Glossa. ¶ Item, super illud: *Lingua nostra ignis est*, Gl. *Lingua incõtinens magnam materiam bonorum operum perire facit.* Sed non facit perire materiam bonorum operum, nisi mortale peccatum: ergo incontinentia linguæ est mortale peccatum, sed hoc est multiloquiũ principaliter: ergo multiloquium siue verbositas est mortale.

Gregor. ¶ ITEM Gregor. *Qui linguam non refrenat, concordiam dissipat.* Sed dissipatio concordiæ non fit nisi per actum mortalis peccati: ergo verbositas, in qua non fit refrænatio linguæ, est mortale peccatum.

RESOLVTIO.

Multiloquium citra linguositatem, vel verbositatem veniale peccatum est: cum ea autem & mortale interdum esse potest.

¶ AD quod dicendum, quod aliud est propriè multiloquium, & verbositas siue linguositas. Nam linguositas siue verbositas sonat in contentum, prouenientem ex cõsuetudine superfluæ linguæ, & inordinatæ locutionis. Multiloquium vero non determinat tantum, quantum linguositas, sed stat in genere. Et ideo licet multiloquium sit aliquando veniale peccatum, nihilominus verbositas vel linguositas potest esse mortale peccatum.

¶ Et per hoc possunt solui ea, quæ obiecta sunt. Nam primæ rationes loquuntur propriè pro multiloquio, prout est citra linguositatem, siue verbositatem. Rationes aliæ vero, quæ dictæ sunt in contrarium; loquuntur de verbositate, vel linguositate in termino, vel cum circumstantia aggrauante.

MEMBRVM III.

An multiloquium grauius peccatum sit, quam stultitia, vel vaniloquium.

TERTIO quæritur de comparatione huius peccati ad alia peccata locutionis. Et fit primo comparatio verbositatis ad stultitiam. Quæritur ergo, quod illorum sit maius? Videtur enim maius esse peccatum verbositatis

Prouer. 19. Glossa. per hoc, quod dicitur super illud. *Vidisti hominem sapientem sibi videri*, &c. Gloss. *Graue est vitium stultitiæ, sed non leuius verbositatis: & minus dicit, & plus significat, scilicet, grauius.* Ergo peccatum verbositatis est grauius quam peccatum stultitiæ.

¶ CONTRA, peccatum verbositatis offendit in multitudine sermonis, & ita peccat in quantitate: peccatum vero stultitiæ peccat in qualitate: deterior autem defectus est qualitatis debitæ, quam quantitatis: ergo grauius est peccatum stultitiæ, quam verbositatis.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione vt excedentia & excessa se habent.

¶ AD quod dicendum, quod peccato verbositatis nõ intelligitur quodcunque multiloquium: sed illud, quo aliquis iactat se, cum sibi videatur sapiens: nec vult recipere admonitionẽ alterius. Stultitia vero dicitur peccatum: cum aliquis verba fatua dicit; & tamen verba correctionis accipit. Vnde gloss. *Sæpe contingit, vt idiota aliquis citius*

Glossa. *verba correctionis accipiat: quam qui sua qua nouit, vel nosse putat, magis iactat, quam aliorum monita audiat.* Si vero multiloquium tantum peccaret in quantitate, & non in qualitate; minus posset dici peccatum peccato stultitiæ.

¶ ITEM quæritur de comparatione multiloquij ad vaniloquium: quod illorum dicatur maius peccatum? Et videtur, quod vaniloquium: quia priuat finem debitum

Isidor. * Alias, index. locutionis: vnde dicit Isidor. *Sermo vanus vanæ conscientiæ est * index.*

Gregor. ¶ Præterea, dicit Gregor. *Dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus: vt postmodum detractionibus inhiemus.* Sed hæc sequela vaniloquij est grauissima, & aliæ circumstantiæ prædictæ: ergo peccatũ vaniloquij maius est peccato multiloquij. In multiloquio n. peccatum est ex defectu modi: defectus autem modi minor est, quam defectus finis.

¶ CONTRA: multiloquij siue loquacitatis positæ sunt conditiones supra grauiores: vt quod non dirigetur: & quod non iustificabitur vir verbosus. Præterea, Gregor.

Gregor. dicit: *Valde difficile est, vt qui multa loquitur, non mentiatur.* Hæ autem conditiones sunt grauiores prædictis de vaniloquio: ergo multiloquium est grauius peccatum vaniloquio.

¶ Ad quod dicendum, quod si in se considerentur sine conditionibus aggrauantibus, maius malum est vaniloquium, quã multiloquium: ponit enim defectum maioris boni. Si vero attendatur secundum conditionem adiunctas aggrauantes, possunt esse excedentia & excessa. Nam circumstantia aliqua potest esse aggrauans ex parte multiloquij (vt pote quod admisceat falsitatem, vel quod perueniat ad contentum ex consuetudine) & secundum hoc multiloquium posset esse grauius aliquando vaniloquio. Hæ tamen conditiones possunt etiam inesse vaniloquio, & tunc quo ad hoc non diceretur vnum maius altero.

MEMBRVM IV.

Qui, & quot sint multiloquij effectus: & qualiter distent, ordinentur vt ad inuicem?

Nom. 19. Gregor. QVARTO de effectu huius peccati: qui est quadruplex. Dicitur enim vnus effectus immundicia. *Vas, quod non habuit operculum desuper, immundum erit.* Gregor. *Tegimen operculi, vel ligatura intelligenda est censura disciplinæ, quacumquisq; non premitur, quasi vas pollutum, immundumq; reprobatur:* Hoc autem est in multiloquio: multiloquium ergo polluit.

¶ ITEM, alius effectus est amissio intimæ considerationis. Vnde Greg. *Quia per multiloquium exterius se spargit, vim intimæ considerationis amittit.* Idem.

Idem. ¶ TERTIVS effectus est, ad deteriora descensus, siue crementum in peccato. Vnde Gregor. *Isti sunt casus culpæ crescentis: vt lingua, cum non restringitur, nequaquam vbi ceciderit, iaceat: sed semper ad deteriora descendat.* Cum ergo hi sunt effectus cum illo, qui dicitur: *Vbi verba plurima, ibi frequenter egestas.* (Vnde dicit Gregor. *Cum multiplicitas in sermone deprehenditur, proculdubio intelligentia grauitas in sensu denegatur*) potest quæri, qualiter differant hi quatuor effectus. Prouer 14. Gregor.

¶ Ad quod dicendum, quod hi effectus sunt ordinati, & sic distincti: vt pollutio respiciat voluntatem, progressus autem ad deteriora similiter respiciat voluntatem, sed pollutio attenditur quantum ad actum in seipso: quantum autẽ ad actum peccati multiplicatum attenditur ad deteriora descensus. Alij vero duo effectus respiciunt rationem: ex parte rei consideratæ amissio grauitatis in sensu, ex parte vero virtutis considerantis amissio custodiæ mentis, siue intimæ cõsiderationis. Sic ergo quatuor prædicti effectus possunt distingui.

¶ Ordinari autem contingit: vt duo, quæ spectant ad rationem præponantur: duo vero, quæ spectant ad voluntatem, consequenter ordinentur.

MEMBRVM V.

Quam difficile sit vitatu peccatum hoc multiloquij?

QVINTO quæritur de difficultate cauendi hoc peccatum. Videtur enim, quod de difficili possit perfectus vitare. *Lingua nostra ignis est.* Gloss. *Cum fere sit impossibile vitare hoc peccatum, etiam à perfectis, non quiuis debet habere magisterium.* Iacobi 3. Glossa.

Ibid. ¶ ITEM, ibidem habetur: *Si quis non offendit verbo, hic perfectus est vir.*

Eccles. 14. ¶ Similiter: *Beatus est, qui non lapsus est verbo ex ore suo.* Perfectorum ergo est cauere prædictum peccatum, cum difficultate tamen: & ita videtur quod non sit imperfectorum: cum hoc tamen perfectis tribuatur.

Iacob 3. Glossa. ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicitur in gloss. ibidem: dicitur enim super Iacob. 3. *Si quis non offenderit in verbo, &c. cuius offensionem humana potest vitare fragilitas: vt est verbum doli, detractionis, iactantia, sed & ociosæ & superflua locutionis.* Sed quod potest vitare humana fragilitas, ab imperfectis potest vitari: ergo multiloquium siue vaniloquium ab imperfectis vitari potest.

RESOLVTIO.

Ita peccatum hoc multiloquij difficile est vitatu, vt non nisi ex speciali gratia sufficienter vitari posit.

¶ Ad quod dicendum est, quod cum loquitur de humana fragilitate, quæ potest vitare huiusmodi peccata; hoc dicitur ad differentiam priorum motuum, quos humana non potest vitare fragilitas. Sed humana fragilitas duos habet status: in imperfectis, & perfectis. In imperfectis est possibilitas vitandi, sed ista possibilitas non est disposita ad vitandum, sed magis prona est ad nõ vitandum. In perfectis vero est possibilitas disposita: sed quia non est vsquequaq; completa, ideo dicitur, difficile est vitare perfectis. Cum autem potentia est completa ex speciali gratia: tunc dicitur beatus, vel per fectus perfectione sufficiẽti: sicut in Iacob. 3. *Si quis non offenderit verbo, hic perfectus est.* Iacob. 3.

QVÆST. CXXVII.

De iactantia.

In quatuor Membra diuisa.

DICTO de peccatis, quæ sunt contra honestatem sermonis & vtilitatis: & ita contra bonitatẽ: dicendum est de his, quæ sunt contra rectitudinem. Contra rectitudinem autem peccatur in laude, vel vituperio. In laude sicut est in adulatione, aut in iactantia: in vituperio, sicut est in blasphemia, aut detractione, & in quibusdam aliis. In laude vero peccatur dupliciter: vel propria vel aliena: in propria dicitur peccatum iactantia: in aliena vero dicitur adulatio. Dicendum est ergo primo de iactantia. Est autem iactantia propriæ laudis ostentatio; cum non subsit veritas, & hæc alio nomine dicitur arrogantia, cum sibi aliquis attribuit, quod non habet. Aliquando tamen iactantia extenditur, vt dicatur ostentatio vana propriæ laudis, etiam cum subest veritas: sicut dicit Gregor. *Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Tamen & hæc posset dici iactantia, siue gloriatio de eo, quod non est: licet enim bonum habeat, tamen à se non habet: Similiter accipitur super illud: *Audiens sapiens, sapientior erit.* Gloss. *Nemo iactet se de sua scientia.* D. Tho. 2. 2. q. 112. Gregor. Prouer. 1. Glossa.

¶ Potest ergo quæri, vtrum iactantia sit veniale peccatum, an mortale. Secundo, sub quo capitali peccato contineatur. Tertio, vtrum perfectorum tantum sit vitare iactantiam, siue ostentationem. Quarto de comparatione huius peccati ad peccatum cupiditatis.

MEMBRVM I.

An veniale, vel mortale peccatum sit iactantia?

AD primum sic: videtur quod sit peccatum veniale: dicitur enim super illud. *Ostendam tibi.* Gloss. *Proprium est arrogantis, vt cum rectum, vel parum senserit, inde eleuetur.* Sed eleuari de scientia, vel de sensu aliquantulum, non semper est mortale peccatum: ergo iactantia non est aliquando mortale peccatum. Iob. 15. Glossa.

¶ Præterea, potest aliquis ostendere laudem suam, & nec peccare: sicut faciebat Apost. *Nos non in immensum gloriantes.* Et: *Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis.* Cum ergo veniale peccatum elongetur minus à recto, quam mortale: potest aliquis laudem suam ostentare venialiter. 2. ad Cor. 10. Et cap. 11.

¶ Hoc etiam videtur ex comparatione ad vanam gloriam: cuius gratia agitur iactantia, vana n. gloria aliquando est mortalis, aliquando venialis, ergo iactantia, quæ ad illam ordinatur, aliquando erit venialis.

¶ Quod autem sit peccatum mortale, videtur per hoc quod dicitur super illud. *Non te extollas in cogitatione.* Interlinearis. *Iactantiam & superbiam prohibet.* Ergo iactantia est mortale peccatum. Eccles. 6. Glossa.

¶ Item, super illud. *Quid habes, quod non accepisti.* Gloss. *Sciendum est, neminem posse discerni ab illa perditionis massa: nisi qui hoc bonum habet, vt credat, quod quicquid boni habet; gratia Saluatoris accepit.* Est post sequitur. *Aliud genus arrogantia* 1. Cor. 4. Glossa. Ibid.

bus amouere conatur. Ergo non discernitur à massa perditionis, qui habet hoc genus arrogantiæ: ergo arrogantia est peccatum mortale.

Iob 15. Glossa. ¶ Item, super illud: *Dixisti enim non tibi placet*. Gloss. *Arrogantes cum non possunt reprehendere iuste, dicendo quæ sunt: reprehendunt mentiendo, quæ non sunt*. Sed hoc est peccatum mortale: ergo arrogantia est peccatum mortale.

RESOLVTIO.

Et hoc, & illud, diuerso tamen respectu.

¶ Ad quod dicendum, quod iactantia sub generali nomine potest esse veniale, & mortale peccatum. Veniale, cum ostentat se de eo quod habet, leuiter, sine alterius depressione: cum autem ostentatio illa peruenit ad hoc, vt sua laus præponatur laudi diuinæ, est mortale peccatum. Si vero ostentat se de bono, quod non habet, si hoc fuerit ex surreptione mentis, adhuc est veniale: si vero ex deliberatione rationis sufficienti præhabita, videtur esse mortale: vel si hoc est cum intentione deprimendi alium iniuste.

¶ Ex his patet, qualiter respondendum ad prædicta obiecta. Quædam enim rationes concludunt iactantiam esse mortale peccatum: cum est sub quibusdam determinatis circumstantiis. Quędam vero esse veniale peccatum: cum est præter illas circumstantias.

MEMBRVM II.

Ad quod mortalium peccatorum iactantia reducatur?

Gregor. Iob 31 in principio glossæ. SECVNDO quæritur: sub quo capitali peccato contineatur iactantia? Et videtur quod sub superbia, per hoc quod dicit Gregor. vbi enumerantur species superbiæ, siue tumoris: ponit n. vnam speciem, cum se iactant arrogantes habere, quod non habent. Per quod accipitur, quod ad superbiam reducitur.

Idem. ¶ Hoc etiam ex verbis Gregor. accipitur, cum dicit; quod *proprium est arrogantis, vt cum rectum, vel parum senserit, inde eleuetur*. Et similiter dicitur: *Non te extollas in cogitationibus tuis velut taurus*: vbi dicitur prohiberi iactantia. Ex quo patet, quod iactantia ad elationem, & ita ad superbiam immediate reducitur. Eccle. 6.

Ambr. sup. Luc. 4. ¶ Similiter habetur hoc per verbum Ambros. super illud. *Statuit eum super pinnaculum templi. Ita est iactantia, vt dum putat vnusquisque ad altiora conscendere sublimius vsurpatione, ad inferiora trudatur.*

Gregor. ¶ Sed videtur, quod ad inanem gloriam pertineat, per hoc quod dicit Gregor. *Arrogans, qui mala defendit, in bonis humiliter ambigit: quia fauorem quærit*. Sed quærere fauorem, est inanis gloriæ: ergo iactantia pertinet ad inanem gloriam: arrogans enim est, qui sibi attribuit, quod non habet.

Iob 35. Glossa. ¶ Item, super illud. *Loquetur lingua mea*, &c. Gloss. *Arrogantes sæpe se fugere arrogantiam simulant: & priuatæ singulis quasi latenter loquuntur: vt sicut de sensu, ita de contemptu arrogantiæ glorientur*. Gloriari autem vane sic, est inanis gloriæ: ergo pertinet ad vanam gloriam.

RESOLVTIO.

Si fuerit iactantia de potentia, ad superbiam reducitur. Si de scientia, & cæteris huiusmodi bonis, interdum ad inanem gloriam.

Hester. 1. Ierem. 49. ¶ Ad quod dicendum, quod iactantia potest esse de potentia: sicut dicitur: *Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, & magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ*. Et: *Ego scio* (ait Dominus) *iactantiam eius, & quod non sit iuxta eam virtus eius*. Cum ergo sic est, ratione materiæ, & ratione formæ pertinet ad superbiam immediate: & secundum hoc dicit Grego. quod iactātia est species tumoris, id est, superbiæ. Alio vero modo est iactantia de scientia, & de aliis huiusmodi bonis: secundum quod dicit Bernard. de Gradibus humilitatis. Quærit licentiam vt ad fabulas conuertatur præter horam: non vt quippiam ædificet, sed vt scientiam iactet. Gregor.

Et secundum hoc potest esse intentio, vt sciatur se scire, & vt laudetur; & sic erit inanis gloriæ: vel vt per hoc præemineat aliis, & tunc reducetur ad superbiam. B. vero Greg. cum loquitur de iactantia, quod est filia inanis gloriæ; inanis vero gloria nascitur de superbia; vult eam reducere ad vtrumque: ad superbiam, scilicet, mediante inani gloria. Idem.

MEMBRVM III.

An perfectorum tantum sit, iactantiam ostentationemq; vitare?

TERTIO quæritur: Vtrum perfectorum tantum sit vitare iactantiam, siue ostentationem. Quod videtur: dicit enim Gregor. *Valde perfectorum est sic ostenso opere autoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere*. Ex quo accipitur, quod tantum perfectorum est vitare ostentationem, siue boni operis iactantiam. Gregor.

¶ Item, infirmi quique, per despectum mentis laudem non superant: & ideo necesse est, vt bonum, quod operantur, abscondant. Ex quo patet, quod non est infirmorum motum iactantiæ omnino declinare.

¶ CONTRA, omnibus prohibetur motus iactantiæ: nullus autem tenetur vitare, quod nullatenus potest vitare: sic n. teneretur ad impossibile: ergo omnes possunt vitare motum iactantiæ.

¶ Item, iactantia fit mediante sermone ampulloso, sed omnes possunt vitare sermonem ampullosum: ergo omnes possunt vitare iactantiam.

RESOLVTIO.

Iactantiam ostentationemq; per sermonem, omnium est vitare, & perfectorum sc. & imperfectorum. At iactantiam atque ostentationem operis per sermonem; non nisi perfectorum tantum.

¶ Ad quod dicendum, quod illa autoritas Greg. intelligitur de motu inanis gloriæ, quæ de facili sequitur ex operis ostentatione. Licet ergo omnes possint declinare operis ostentationem per sermonem: cum tamen est ostentatio operis per sermonem, non est quorumlibet, sed perfectorum motum inanis gloriæ declinare. Vnde super illud: *Non quasi placentes hominibus, sed Deo*. Gloss. *Etsi cuiquam facile laudem non cupere, dum negatur: difficile est tamen non delectari, cum offertur*. Et ideo dicit Greg. *Occultentur opera studio, necessitate publicentur: vt eorum occultatio sit custodia propria: eorum publicatio sit vtilitas aliena*. Sic ergo patet, quod omnes possunt, & tenentur vitare motum iactantiæ, cum est mortalis, nec necessitatem habent ad motum iactantiæ venialis: licet aliqua pronitas sit concupiscētiæ ad sermonis ostentationem. 1. ad Thessal. 2. Gregor.

MEMBRVM IV.

Ad iactantiam, vel ad cupiditatem magis inclinemur?

QVARTO quæritur de comparatione huius peccati ad peccatum cupiditatis. Videtur enim quod pronior sit natura corrupta ad peccatum cupiditatis, quam ad peccatum iactantiæ: cum n. homo peccator portet imaginem terreni: terreni aūt hominis est maxime terrena quærere: cupiditatis autem est terrena propriè quærere, vt argentū, & aurum, & lapides pretiosos: ergo peccator maximè inclinatur ad peccatum cupiditatis: ergo magis ad peccatum iactantiæ vel arrogantiæ.

¶ CONTRA dicit Hierony. super illud. *Indignatio regis nuncij mortis*, &c. *Difficilius arrogantia, quam auro caremus, & gemmis, id est, cupiditate auri & gemmarum*. Hiero. sup. Prouer. 16.

¶ Præterea, magis adhæret animæ rationali appetitus gloriæ, quam appetitus pecuniæ: ergo difficilius vitatur peccatum iactantiæ, quod ordinatur ad gloriam apparentem, quam peccatum cupiditatis, per quod ordinatur homo ad diuitias, seu ad pecuniam,

RESO-

RESOLVTIO.

Ratione animalis naturæ magis ad cupiditatis peccatum, quam ad iactantiam inclinamur. Secus ratione spiritualis naturæ.

¶ Ad quod dicendum, quod homo compositus est ex parte animæ quo ad naturã spiritalem, & animalem. Quãtum est ex parte animalis naturæ, secundum quã ordinatur ad corpus; plus inclinatur ad peccatum cupiditatis. Quantum aũt ex parte naturæ spiritalis, quæ in se est defectibilis; plus inclinatur ad arrogantiam, & vanam gloriam. Vnde in hac parte tentauit etiam Dominum post tentationem gulæ & auaritiæ. Vnde in Gloss. habetur. Luc. 4. *Quem nec gula, nec auaritia vicit, tentat vana gloria: si forte illum ipse victoria suæ iactantia vincere valeat.* Huius etiam signum est in viris religiosis: qui per paupertatem spiritus abdicarunt bona terrena, adhuc tentantur de vana gloria, & scientiæ iactantia.

Glos. super Luc. 4.

¶ Posset tamen illud Hieron. intelligi de ipsa carentia auri & gemmarum, non de carentia cupiditatis: multi n. carent auro & gemmis, qui non carent cupiditate: sicut illi, de quibus dicit Apost.

Apost. 1. Tim. vlt.

¶ Qværitvr etiam de comparatione iactantiæ ad peccatum mendacij: vtrum scil. iactantia sit mendacium. Quod videtur: iactantia n. est ostentatio per sermonem boni, quod non est, vt esse videatur, sed ostentatio boni, quod non est, sermone, est mendacium: ergo iactantia est mendacium.

¶ Contra, mendacium est contra veritatem sermonis: iactantia contra rectitudinem, quæ est in ordinatione ad alterum: ergo iactantia non est mendacium.

¶ Præterea, mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi: iactantia vero vt videatur sapiens vel bonus, vel vt laudetur: ergo diuersa est intentio huius peccati & illius: ergo diuersum est peccatum.

¶ Ad quod dicendum, quod licet vnum peccatum posset esse cum altero: cum vtrobique est falsa vocis significatio: differunt tamen intentiones. Intentio enim mendacij est, vt credatur id, quod non est: & terminatur in cognitiua speculatiua. Intentio vero iactantiæ est propter aliquid in affectiua: licet aliquid ibi credatur, quod non est.

QVÆST. CXXVIII.

De adulatione.

In octo Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 115.

Consequenter dicendum est de adulatione. Sicut enim in iactantia quæritur laus propria: ita in adulatione quæritur laus aliena, siue ostenditur.

¶ Primo ergo considerandum est, quid est adulatio, & quæ eius differentiæ? Secundo, vtrum sit peccatum veniale, vel semper mortale. Tertio de grauitate huius peccati. Quarto, de comparatione huius peccati ad alia. Quinto, vtrum adulator teneatur resignare beneficium, quod adulatione impetrauit. Sexto, si plus noceat sibi adulator, quam alij: vel econuerso. Septimo de sequela huius peccati. Octauo de remedio huius peccati.

MEMBRVM I.

Adulatio quid sit, tum quæ & quot eius species.

Ad primũ: sic describitur adulatio. Adulatio est peccatum ex sermone vanæ laudis, alicui exhibito intentione placendi.

¶ Sed videtur, quod hæc diffinitio quantum ad hoc genus peccati non sit sufficiens: potest enim contingere, quod aliquis laudet aliquem in eo, in quo laudandus est, & quomodo laudandus est; sed non propter Deum principaliter, sed causa placendi sibi: tunc non est sermo vanæ laudis: vanum enim est, quod non habet rem, quam indicat: ergo non est adulatio secundum prædictam rationem, & est tamen peccatum huius generis: ergo non sufficienter diffinitur adulatio modo prædicto.

¶ Præterea, sicut extollitur bonum alicuius, ita tegitur alicuius malũ: & vtrumq; sit causa placendi: vnde videtur esse adulatio: non autem conuenit ei prædicta diffinitio: ergo non est sufficiens.

RESOLVTIO.

Adulatio est peccatum ex sermone vanæ laudis, exhibito alicui intentione placendi. Cuius quidem in vniuersum quatuor differentias assignare est.

¶ Ad quod dicendum, quod illud peccatum, de quo primo obiectum est; est adulatio. Distinguendum aũt est, quod sermo vanæ laudis dicitur dupliciter. Vana n. laus est, cum laudatur, quod nõ est laudandum, aut plusquam laudandum est, & hæc vanitas est ex parte materiæ. Est iterum vana laus, cum non fit eo fine, quo debet fieri, hoc est propter Deum: & hoc modo potest fieri causa placendi homini, qui laudatur: & sic iterum dicitur vana laus. Hoc vltimo modo dicitur cõuenire diffinitio peccato illi.

¶ Ad secundum dicendum, quod tegere peccatum alterius: licet non sit directe sermo vanæ laudis; est tamen indirecte. Dico autem tegere, cum dicitur, quod non fecit illud malum. Sicut n. sunt duæ partes iustitiæ facere bonum, & non facere malum, siue declinare à malo: sic duæ partes sunt vanæ laudis: dicendo quod fecit bonum, quod non est ab illo factum, vel plusquam fecit, & dicendo quod non fecit malũ, vel non ita malum, sicut dicitur: & hoc modo reducetur ad adulationẽ. Si tamen excusatio sit peccati per se, sub illo posset contineri: est n. excusatio proprij peccati, vel alieni.

¶ Præterea, potest adhuc obijci de diffinitione illa: potest enim aliquis laudare aliquem non causa placendi sibi, sed causa lucri temporalis: cõstat autem quod est adulatio: nec tamen ei conuenit prædicta diffinitio. Ad quod dicendum est, quod intentio placendi est proximus finis, quicquid aliud intendatur. Si enim intendatur lucrum temporale, hoc est mediante placentia: si enim non placeret personæ laudatæ, non per ipsam consequeretur lucrum.

¶ Deinde quæritur de differentijs adulationis, quæ sic distinguitur. Est adulatio, quæ bonum non habitum attribuit: & est adulatio, quæ iam habitum extollit, plusquam sit. Est & adulatio, quæ malum nutrit laudando, & dicendo malum bonum: de quibus dicitur: *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ: & iniquus benedicitur.* Greg. *Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerunt.*

Psal. 9.

Gregor.

¶ Sed potest quæri: quare ex parte mali non sunt duæ differentiæ, sicut ex parte boni. Ad quod dicendum est: quod ex parte mali non competit nisi vna differentia: sicut enim attribuendo bonum quod non habet, laudat quis aliquem: ita attribuendo malum quod non habet, vituperat: approbare aũt malum quod non fecit* & ipsum propter illud, nullam habet rationem adulationis: ergo nõ propter hoc videtur laudandus: nec isto modo sumitur species adulationis, sed malum quod est, potest* aliquando ex aliquibus rationibus videri bonum, & ita potest aliquis in hoc approbari modo adulatorio. Vel aliter est respondendum, sc. per interemptionem: quia illa differentia, quæ malum nutrit; continet sub se duas: nutrire n. malum cõtingit dupliciter: vel approbando ipsum tanquam bonum: vel minuendo eius malitiam. Vnde econtrario est adulatio boni: quia in bono dupliciter scil. ponendo quod non est: & addendo: in malo econtrario remouendo malum quod est, & minuendo.

*Alias, & ipsũ, quod fecit propter illud. &c.

*Alias, aliquibus.

MEMBRVM II.

An veniale, vel mortale peccatum adulatio sit?

Secvndo quæritur: Vtrum adulatio sit peccatum veniale, vel semper mortale. Quod sit veniale, videtur per hoc, quod dicit August. in homil. de igne purgatorio: vbi distin-

August. Serm. 4. in die Animarum. to. 10.

distinguit venialia à mortalibus, & dicit. *Si tanquam maiori personæ vel minori, aut ex voluntate aut ex necessitate adulari voluerit: ad minuta pertinet peccata.*

¶ Præterea, adulatio fit causa placendi, quando extollitur bonum in aliquo, plusquam oportet, sed extolli potest bonum in aliquo, plusquam oportet, citra Deum: ergo adulatio potest esse veniale peccatum.

Psal. 140. Glos. ordi. & Interlin. ¶ CONTRA super illud: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Gloss. *Falsa laus adulatoris & simulata dilectio, quæ mentes à rigore veritatis emollit ad noxia.* Sed hoc est mortale peccatum: ergo adulatio est mortale peccatum.

Ezech. 13. Glossa. Gregor in moralibus. ¶ Item, *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus.* Interlin. *Suauem adulationem.* Et dicit Gregor. *Quisquis male agentibus adulatur, puluillum sub cubito, & ceruical sub capite ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat: in ea fultus laudibus, molliter quiescat.* Cum ergo [*væ*] significet pœnam æternam, pœna æterna debetur mortali peccato: erit adulatio mortale peccatum.

Concil. Carthag. ¶ ITEM, in Concil. Carthag. *Clericus, qui adulationibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur.* Sed degradatio est pœna, quæ non debetur nisi pro crimine: crimen autem est mortale peccatum: ergo adulatio est mortale peccatum.

RESOLVTIO.

Tum hoc, tum illud.

¶ AD quod dicendum, quod adulatio aliquando est veniale: aliquando mortale. Distinguitur n. cum sit multiplex genus adulationis. Vnum est, quod dicit malum bonum: fouendo peccatorem in peccatis, & hoc est mortale. In aliis vero distinguitur: aut fit intentione, vt alicui prosit, & nulli obsit: & tunc dicitur veniale. Si aũt intentione nocendi alteri, licet alteri prosit; mortale dicitur, videtur enim fieri ex libidine mortali. Si autem nec prodest, nec obest: sed contemptum Dei generat propter assiduitatem, mortale videtur.

¶ AD obiecta ergo respondendum, quod illud, quod dicitur ab August. in Homil. intelligitur de illa adulatione, quæ fit ex libidine veniali: cum scil. ex surreptione laudat aliquem in bono, aliter quam debet non intentione

Ad Gala. 1. placendi propter se; dicitur enim: *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem*: nihil autẽ medium est inter esse seruum Christi, & esse seruum diaboli: sicut dicitur super il-

Matth. 6. lud: *Nemo potest duobus Dominis seruire*, &c. Contingit autem venialiter peccare, & esse seruum Christi, sed non in illo opere inquantum huiusmodi. Similiter intelligitur ratio, quæ adiungitur. Autoritates vero ex alia parte intelliguntur de adulatione mortali aliquo modorum dictorum.

MEMBRVM III.

An adulatio grauissimum peccatorum sit?

Gregor. TERTIO de grauitate huius peccati. Videtur enim esse grauissimum: dicit enim Greg. *Nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum; nihilq; tam dulciter animum*

Prouer. 16. *ferit, sicut adulatio.* Vnde: *Verba adulatoris simplicia*: vbi nos habemus [*susurronis simplicia*] *& ipsa perueniunt ad interiora ventris.* Si ergo nihil est tam corruptiuum: ergo est grauissimum peccatum.

Gregor. ¶ AD idem Gregor. *Quid per significationem locustæ, quæ plus quam cætera minuta animantia humanis frugibus nocet, nisi lingua adulantis: quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre, aspicit immoderatius laudando corrumpit?* Sicut ergo locusta in corrodendo plus nocet, quam cætera animalia: ita adulatio plus quam alia genera huiusmodi peccatorum: ergo est grauissimum peccatum.

Psal. 13. Glossa. ¶ ITEM, super illud: *Linguis suis dolose agebant.* Gloss. *comes est voracibus adulatio, & omnibus malis.* Sed quod concomitatur omnia mala, grauissimum est peccatum, &c.

¶ CONTRA, ostenditur quod detractio est maius malum: detractio enim quantum est de se; aufert bonũ alterius, vel auferre nititur: adulatio vero magnificat, quantum in se est, bonum alterius: non ergo maximum est malum adulatio.

¶ ITEM, de inuidia dicit Ambros. *Cum per omne vitium virus antiqui hostis nostro humano cordi infundatur, in zelo inuidiæ tota viscera sua serpens concutit, & hanc quasi pestem vomit.* Ergo Ambros. grauius est peccatum inuidia: non ergo adulatio est grauissimum peccatum.

RESOLVTIO.

Graue peccatum adulatio est: at non grauissimum.

¶ AD quod dicendum, quod grauissimum dicitur duobus modis. Vel superlatiuè: & sic non dicitur adulatio peccatum grauissimum. Dicitur etiam grauissimum intensiuè, id est, valde graue, & hoc modo potest dici adulatio aliqua grauissima ratione nocumenti: quia hominẽ fouet in malitia maximè, & detinet. Vnde dicitur super illud: *Quoniam laudatur peccator*, &c. Adulantium linguæ Psalm. 9. alligant animas in peccatis: delectat enim hominem ea facere, in quibus non solum non mentitur reprehensor: sed etiam auditur laudator. Et ibidem dicitur. Magna ira Dei, vt desit correctio, & adsit adulatio. Nihilominus tamen detractio est maius malum in se: surgit n. ex deteriori radice, & per se intendit nocere: & ideo maius malum est, quam adulatio.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de inuidia. Similiter dicendum est, quod est maius peccatum adulatione, eo quod ex deteriori radice consurgit, in illo enim similitudinem diaboli tenet.

MEMBRVM IV.

An adulatio grauius peccatum sit, quam homicidium?

QVARTO quæritur de comparatione huius peccati ad alia. Quæritur enim vtrum adulatio sit maius peccatum, quam homicidium? Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud Psalm. 6. *Conuertantur statim, & erubescant.* Gloss. *Plus nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris.* Ergo maius peccatum est adulatio, quam homicidium. Psalm 6. Glossa.

¶ CONTRA: in homicidio fit nocumentum irreparabile, in adulatione fit nocumentum reparabile: ergo homicidium est maius malum adulatione.

¶ Præterea, damnificatio mortis est maxima: illa autem inducitur ex homicidio: damnatio vero deceptionis, quæ est minor, inducitur ex adulatione: ergo adulatio est minus peccatum.

RESOLVTIO.

Simpliciter grauius peccatum est homicidium, quam adulatio.

¶ AD quod dicendum, quod homicidium simpliciter est maius. Quod autem dicitur: quod plus nocet lingua adulatoris: hoc est, quia pluribus nocet, & occultius nocet: magis n. caueri potest à manu persecutoris, quam à lingua ipsius adulatoris, vel detractoris.

MEMBRVM V.

An adulator resignare teneatur beneficium, quod adulatorie adeptus est.

QVINTO quæritur: Vtrum adulator teneatur resignare beneficiũ, quod impetrauit per adulationem. Quod videtur per hoc, per quod exponit Gregor. illud: *Beatus, qui excutit manus ab omni munere. Est munus à manu,* Isai. 33. *& munus à lingua, & munus ab obsequio. Munus ab obsequio est seruitus indebite impensa: munus à manu est pecunia: munus à lingua, est fauor. Qui ergo prælatus est, tunc ab omni munere manus excutit; quando in diuinis rebus non solum pecuniam vllam, sed nec humanam gratiam requirit.* Ergo qui impedit fauorem indebite, quod fit adulatione, simoniacus est, sed adulator est huiusmodi: ergo est simoniacus: ergo tenetur ad beneficij resignationem.

¶ CONTRA per simile videtur de hypocrita, quod nõ teneatur resignare, sed intentionem mutare, & pœnitentiam

tiam agere. Sicut enim hypocrita, qui acquirit beneficium suũ hypocrisi, non tenetur resignare (ponatur quod bona intentione receperit) sic nec videtur iste adulator, dummodo bona intentione receperit, sed pœnitentiam debet agere super peccato.

RESOLVTIO.

Si ex mera & simplici adulatione adeptus est adulator beneficium, omnino resignare tenetur. At non si genus aliud seruitij intercesit.

¶ Ad quod dicunt quidam: quod non est simile de hypocrisi, & de adulatione. Adulatio enim corruptam facit intentionem ipsius dantis: hypocrisis vero non: intendit enim bono conferre, & credit. Ex alia vero parte licet conferat bono tunc temporis: tamen ex carnali intentione hoc facit, eo, scil. quod sibi placuit adulando. Alij vero dicunt, munus à lingua esse munus precibus inhonestis siue carnalibus mediantibus, & quia hoc non contingit in adulatione; nõ dicitur simonia esse mediante munere à lingua: Præterea nõ præsumitur quod ille contulerit hac de causa: sed sicut videtur ille credere de ipso, quod sit bonus: ita conferens credit de eo, cui confert quod sit bonus, & ita non sit corrupta intentio. Videtur tamen, quod magis debeat reduci ad munus ab obsequio. Vnde si non seruiret ei in alio nisi in hoc, q̃ sibi adularetur, credo quod indigne reciperet, & teneretur ad resignationem: sicut ille, qui seruit in turpi officio: turpe autem officium dicitur propriè, cui annexum est peccatum. Et ad hoc videtur facere, quod dicit Isidorus. *Tres sunt acceptiones munerum, quibus contra iustitiam humana vanitas militat: fauor amicitiarum, adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris: facilius autem peruertitur animus rei corporea munere, quam gratia & laudis fauore.* Isido. lib. 3. de Summo bono. c. 50.

MEMBRVM VI.

An adulator plus sibi, quam alij noceat?

Sexto quæritur: si plus noceat sibi adulator, quã alij: vel econuerso. Et videtur, quod sibi: sibi enim nocet vniuersaliter & necessario: alteri vero non vniuersaliter, & non necessario: sed potest ei cedere in meritum, si tentationi resistat. Vnde: *Qui blandis fictisq́; sermonibus*, &c. Gloss. *Qui fictis sermonibus proximum laudat, ei insidias parat: quibus in periculum verbi aut operis securius incidat.* Sed videamus, qui capiatur, cui fit, aut quis fecit? Sequitur peccantem vitium, &c. Non ergo iusto laqueus peccantium, etiam si corporaliter perimat, nocet: sed ipsos in perpetuum damnat, gaudentibus iustis, ac Dei iudicium laudantibus de sua ereptione, vel malorum perditione. Prouer. 29. Glossa.

¶ Sed videtur contrarium, quod maius sit peccatum consentientis adulationi, quam ipsius adulatoris. Adulator enim sua adulatione non excæcatur, sed seipsum noscit vulneratum: acquiescens autem adulationi excæcatur: magis enim credit alteri, quam sibi. Seneca. *Non cogitamus quid ipsi simus, sed quid alteri esse videamur: plus aliis credimus de nobisipsis, quã nobis.* Patet ergo, quod acquiescens adulationi excæcatur. Seneca.

¶ Item, hoc idem videtur ratione negligentiæ: quia de illo dicit Gregor. *Curari vulnus negligitur, quod dignum laudis præmio inuenitur.* Et ideo dicitur. Prouer. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis*: Sed curam vulneris negligere est periculosum: ergo &c. Gregor. Prouer. 1.

RESOLVTIO.

Adulans magis sibi, quam adulato nocet: nisi adulatus adulantem accersat, ac foueat.

¶ Ad quod dicendum, quod adulator plus sibi nocet, quam alteri: sibi enim nocet vniuersaliter: alij vero particulariter, & casualiter. Distinguendum autem est inter adquiescentem, & acquiescentem. Est enim quidam adquiescens, qui fouet adulatorem, & procurat vt fiat adulatio: & talis plus peccat, quam adulator. Est alius qui tantum decipitur, credẽdo adulatori plus de se, quam sibi: & talis minus peccat. Maius tamen damnum ex parte cognitiuæ consequitur, eo quod adulatione excæcatur in iudicio sui: ex parte vero affectionis plus est damni in adulatore, quam in acquiescente essentialiter, & si non accidentaliter.

¶ Similiter respondendum ad verbum Gregor. quod peccatum consentientis quo ad quendam effectum grauius est adquiescenti propter damnum: quam sit peccatum adulatoris ipsi adulatori. Sicut n. dicit Ambros. *grauissimè peccat qui ignorat: quia non sentit suum defectum*: ita qui negat: ex hoc enim quod negligit, non quærit remedium. Quo ad hoc ergo dicitur grauius ipsi acquiescenti quam ipsi adulanti: simpliciter tamẽ grauius est peccatum adulantis, quam adquiescentis, cum sit illius causa, quantum in se est. Ambros.

MEMBRVM VII.

An & continuum crementum, magnaq́; Dei ira adulationis peccatum insequi dicatur?

Septimo quæritur de sequela adulationis: dicitur enim à Gregor. *Fit vt incessanter crescat culpa, fauoribus nutrita.* Dicitur etiam super illud: *Quoniam laudatur peccator.* Magna Dei ira est, vt desit correctio, & adsit adulatio. Cum ergo crementum continuum peccati sit grauissima sequela: erit hoc peccatum grauissimum ratione huius sequelæ. Gregor. Psal. 9.

¶ Præterea, maiori peccato respondet maior ira Dei: cum ergo simpliciter dicatur magna ira Dei in peccato adulationis: maximum videtur fieri peccatum ratione huius sequelæ.

¶ Sed videtur contrarium: ista enim non sunt ex parte adulantis, sed ex parte eius, cui fit adulatio: ergo non videtur quo ad hoc, hoc peccatum esse grauissimum: cum sit circumstantia peccati in consentiente, non in ipso adulante.

RESOLVTIO.

Adulationis peccatum ideo crescere dicitur, eiq́; Dei iram imminere, quia adulatus de suis peccatis in dies magis securus factus, impœnitens tandem moritur, & æternis supplicijs traditur.

¶ Ad quod dicendum est, quod hæ conditiones, licet circumstent peccatum acquiescentis adulationi: sunt tamen effectus cõsequentes ipsam adulationem tanquam causam, & ideo aggrauatur peccatum adulationis. Et ideo vtrobique ratione harum conditionum fit aggrauatio peccati, in adulante, sc. & consentiente, in adulante: quia causat tam prauam conditionem, in consentiente, quia [illegible] male disponitur: in suo enim peccato fouetur. Nec est intelligendum, quod cõtinuè crescat peccatum in cõsentiente: sed tunc cum magis de seipso credit bonitatẽ, quam sit: vel non credit malitiam, quæ est, vel quanta est. Dicitur aut magna ira Dei per quãdam excellentiam propter effectum, non tam in præsenti, sed etiam in futuro. Effectus autem in præsenti est, quia permittit ipsum consentientem cadere de peccato in maius peccatum, & in peccatis esse securum. In futuro autem, quia per hoc quod impœnitẽs est in præsenti ratione securitatis vel falsæ credulitatis, in pœnam incidit æternam ex improuiso. Vnde de talibus potest dici illud: *Cum dixerint pax, & securitas: repentinus superueniet interitus.* 1. ad Thessal. 5.

MEMBRVM VI.

Adulationis remedia quæ, & quot.

Octavo quæritur de remedio adulationis. Ponit enim Gregor. remedium contra adulationem detractionem, cum dicit: *Sciendum est, quod ne immoderatis laudibus eleuemur: plerumque miro rectoris nostri moderamine detractionibus lacerari permittimur, vt cum nos vox laudantis eleuat, lingua detrahentis humiliet.* Remedium ergo contra adulationem est ipsa detractio. Gregor in Registro lib. 5. Epistola 39.

¶ Sed videtur aliud poni remedium super illud: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, &c. dicitur enim. Psal. 104.

A met

Amet fidelis argui à viro iusto in misericordia, & non laudari à peccatore cum irrisione: habeat secum oleum conscientiæ, quod prudentes virgines secum portabant: non quærat oleum peccatoris. Ponitur ergo hic duplex remedium; scilicet arguitio viri iusti, & puritas conscientiæ. Potest ergo quæri in quo differunt hæc remedia?

RESOLVTIO.

Tria, scilicet testimonium conscientiæ, detractio peccatoris, & arguitio viri iusti.

¶ AD quod dicendum est: quod diuersa apponuntur remedia ad tollendum nocumentū adulationis, quæ grauiter nocet: Ponitur enim remedium intra, scilicet testimonium bonæ cōscientiæ, quod mitigat ad modum olei vulnera, si quæ infliguntur per adulationem: bona enim conscientia semper minus existimat de se: & in agendis suis metuit, ne quid reprehensibile inueniatur. Ponitur etiam remedium extra: & hoc duplex: ex parte iusti, & peccatoris. Ex parte peccatoris detractio: ne de bonis extollamur, sed magis humiliemur. Ex parte vero iusti, ne in bonis quid reprehensibile admixtum inueniatur. Arguitio ergo viri iusti facit ad circunspectionem operum, quæ est ex parte rationis: detractio vero ad debitam affectionem habendam in bonis operibus. Sic ergo patet, qualiter vnumquodque remedium est contra nocumentum adulationis in eo, cuius fit adulatio.

QVÆSTIO CXIX.

De contumelia, siue conuitio.

In sex Membra diuisa.

D. Th. 2.2. quæst. 72. HABITVM est supra de adulatione & iactantia, quæ sunt contra rectitudinem in laude. Consequenter dicendum est de peccato, quod est contra rectitudinē in vituperio. Est autem peccatum contra proximum: & est peccatum contra Deum. Peccatum vero contra proximum; aut est imprecans pœnam; & illud est maledictum: aut est improperans culpam: & hoc contingit dupliciter: vel occulte, & dicitur detractio: vel manifeste & dicitur contumelia. Peccatum vero contra Deum dicitur blasphemia. Nec est tertia differentia peccati in vituperio: nullus enim contra seipsum intendit per vituperium: ex corruptione enim humanæ naturæ intendit homo in laudem sui, non in vituperium sui: sicut homo ex natura inclinatur ad dilectionem sui, non in odium sui. Dicendum est ergo primo de his, quæ sunt in proximum per improperium culpæ: deinde per imprecationem pœnæ: vltimo de peccato, quod est in Deum: quod est blasphemia: vt quasi gradatim ascendamus. Primo autem dicamus de contumelia, in qua manifeste improperatur alicui: hoc enim est, à cuius nocumento magis caueri potest. Secūdo de detractione, in quo occulte fit vituperium.

¶ PRIMO ergo quærendum est, quid sit contumelia: & vtrum contumelia sit idem, quod conuitium, vel non. Secundo, si contumelia est peccatum mortale, an aliquando veniale. Tertio, si sustinenda est contumelia. Quarto, si maior est victoria, siue vindicta in sustinendo, quam in respondendo secundum stultitiam. Quinto, ad quod capitale peccatum reducitur. Sexto, de magnitudine huius peccati, & comparatione.

MEMBRVM I.

Quid sit contumelia, & in quo à conuitio differat?

PONITVR autem talis diffinitio contumeliæ. Contumelia est peccatum ex improperio sermonis manifesto, tendens in nocumentum proximi.

Ad Rom. 1. Glossa. ¶ SED videtur quod contumelia etiam fiat per facta. *Contumeliosos superbos.* Glo. *Contumeliosi sunt, qui dictis, vel factis contumelias & turpia inferunt.* Ex quo habetur, quod contumelia est in factis.

Prouer. 11. Glossa. ¶ ITEM, super illud. *Vbi superbia, ibi contumelia.* Glo. *Superbi contumeliose se gerunt per contemptum siue per ignorantiam disciplinæ.* Si ergo contemptus dicatur respectu proximi, erit contemptus in facto: si contemptus Dei, in mandato: ergo contumelia non tantum est in verbis, sed etiam in factis.

¶ AD quod dicendum: quod contumelia proprie est in verbis: extenso tamen vocabulo extenditur per facta: & hoc modo accipitur in prædictis autoritatibus. Sicut enim dicit Chrysost. *Cum quis iniuriatus te fuerit, memento tui creatoris: quem cum contumelia adorabant, & per verba, & res ei detrahebant.* Chrysost.

¶ DEINDE quæritur: quæ sit differentia inter contumeliam & conuitium: si aliqua est? Et videtur per hoc, quod dicit Chrys. *A contumelia existere debes alienus, & conuitio; quod ad gehennam præparat, antequam mundes teipsum, tendis sursum manus.* Ex quo accipitur, quod non sunt idem contumelia & conuitium. Similiter. *Est recordatio excepto conuitio & improperio.* Improperium autem videtur idem quod contumelia: ergo contumelia & conuitium differunt. Quod autem idē sint, videtur per hoc, quod dicit Gregor. super illud. *Dimitte eum. Contumeliosa verba non tam conuitia, quam adiutoria esse credidit.* Sed contumeliosa verba non sunt aliud, quam contumeliæ; ergo contumelia non est aliud, quam conuitium. Idem. Eccl. 22. Greg. super 2. Reg. 16.

RESOLVTIO.

Contumelia est peccatum ex improperio sermonis manifesto, in nocumentum proximi tendens. Quæ si proprie sumatur, à conuitio proculdubio distat: secus si communiter.

¶ AD quod dicendum, quod contumelia, cum proprie dicitur, differt à conuitio. Conuitium enim dicitur, quando improperatur quasi culpa: vt si dicatur alicui, quod sit de illegitimo matrimonio natus: non enim hoc est vitium illius, licet sit vitium parentum. Contumelia vero, cum culpa imponitur. Accipitur tamen in scriptura vnum pro altero. Hic autem intenditur communiter de contumelia, vbi est improperium culpæ, vel quasi culpæ. Et dicitur etiam opprobrium, vel improperium: Sed in hoc est differētia: quod opprobrium potest esse in occulto, vel manifesto: similiter & improperium: conuitium autem & contumelia in manifesto: & differunt sicut dictum est. Vel conuitium dicitur à materia: eo quod vitium imponitur, vel quasi vitium: contumelia vero à motiuo: eo quod cum tumore quodam aggreditur.

MEMBRVM II.

An mortale, vel veniale peccatum sit contumelia?

SECVNDO quæritur, si contumelia est peccatum mortale semper: aut aliquando veniale. Et videtur, quod mortale: dicit Chrysost. *Lectulus diabolicus est in conuitiis multiplicari, & contumeliis.* Sed non est lectulus diabolicus, nisi vbi est mortale peccatum: ergo contumelia, siue conuitium est mortale peccatum. Chrys.

¶ ITEM, dicitur Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Chrys. Cum dicit: *qui vocat fratrem suum stultum, debitor erit gehennæ: non de verbo dicit solum, sed de contumelia vniuersa.* Ergo contumeliæ debetur gehenna. Matth. 5. Chrys.

¶ ITEM. Chrysost. *Conuitiator pacis vel amoris bono nocet: & decem milibus circum immittit proximum malum: & contumelia inimicitias operatur, & Christi euellit membra.* Sed quod tale est, non est nisi mortale peccatum; ergo contumelia est mortale peccatum. Idem.

¶ ITEM Chrysost. *Plasmatur os diaboli per maledictiones, per æmulationem, per deierationem.* Mortale autem peccatum efficit solum os diaboli: ergo contumelia est mortale peccatum. Idem.

¶ SED videtur, quod sit veniale peccatum: dicit enim Chrys. *Non tanto indigent studio magna peccata, quanto & parua: illa enim ipsa natura peccati auerti præparat: parua vero hoc ipso in desidiam immittunt, & non permittunt viriliter insurgere ad eorum interemptionem: ideoque velociter fiunt magna, nobis dormientibus.* Et postea ponit exemplum. *Detrahit quis proximo, & conuitiatur: contempsit exinde, dicens: nihil est maledicere: ad hoc autem odiū innatum est maximum; inde inimicitiæ; ab his plagæ, à plagis occisio.* Ex quo accipitur, quod conuitium, & accusatio inter parua peccata computantur: sed parua dicuntur venialia: ergo contumelia est veniale peccatum. Idem. Idem.

¶ ITEM August. cum enumerat peccata venialia, quæ August.

minuta dicit, dicit. *Si plus aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruum exasperauit, quam oportet.* Sed exasperatio fit per contumeliam: ergo contumelia inter venialia peccata cõnumeratur.

¶ ITEM Chrysost. Christus eum, qui irascitur immaniter, condemnauit iudicio: eum, qui dicit racha, concilio: sed nondum hæc magna: hic enim sunt hæ pœnæ. Ergo nõ est magnum dicere verba contumeliæ: ergo non est mortale peccatum: & est mortale, vel veniale: ergo est veniale.

RESOLVTIO.

Et mortale, & veniale.

¶ AD quod dicendum, quod contumelia potest procedere ex impetu animi, & prouocatione iræ, potest etiam esse verbum non contumeliæ tantæ; vnde sequatur mortale peccatum; & secundum hoc contumelia est veniale peccatum. Si vero procedit ex ira reposita cum deliberatione; & est tantæ contumeliæ verbum, vnde sequatur mortale peccatum, vel in ipso, vel in altero per se, dicetur esse mortale peccatum. Vnde dicit Chrys. *Inimicitia tempore, ira accensa, & anima ardente: quod minimum est, magnum peccatum apparet: & quod non valde iniuriosum est, onerosum esse videtur: occisionem enim peperit, & ciuitates integras euertit.* Sicut enim amicitia existente, quæ onerosa sunt, fiunt leuia: ita inimicitia subiacente, quæ parua sunt, fiunt importabilia. Item, ne quoniam verbum nudum est, inspicias, sed si multum habet periculum. Item, non est aliquid contumelia molestius: & quod maxime potest mordere hominis animam. Item, Paulus non adulteros solum, & molles: sed conuitiatores à regno expulit, cum dicit, *Maledici regnum Dei non possidebunt.*

Chrysost.

¶ Ex his ergo patere potest: quod aliquando est peccatum mortale: aliquando veniale. Et per hæc possunt solui ea, quæ obiecta sunt: secundum enim diuersas circunstantias aut conditiones, potest esse veniale, aut mortale.

MEMBRVM III.

An contumeliam ferre deceat?

Gregor.

TERTIO quæritur, si sustinenda est contumelia. Quod videtur per hoc quod dicit Gregor. *Contumeliosa verba non tam conuitia, quam adiutoria esse credidit Dauid, quibus purgari, sibiq; misereri posse iudicauit.* Tunc enim illata conuitia toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Ergo exemplo Dauid sustinendæ sunt contumeliæ.

Chrysost.

¶ ITEM, Chrys. *Cum conuitiatus fuerit aliquis, intellige, quo supplicio torquetur: & non solum non habebis iram, sed etiam lacrymas emittes: aduersus enim febrientem nullus exacuitur, neq; aduersus inflammatum, sed miseretur omnium talium.* Similiter etiam de illo, qui infert contumeliam, eius est compatiendum tanquam febricitantis: ergo sustinendæ sunt contumeliæ.

Idem. Illic ex Homil. 43 & 8c in Matt.

¶ ITEM Chrys. *Miserere conuitiantis: nequissima enim detinetur fera, id est, furore, & difficili dæmone, id est, ira.* Ergo oportet pati contumelias.

¶ CONTRA, qui patitur contumelias, audaciam dat conuitianti: sed qui dat audaciam conuitianti, mittit eum in maius præcipitium: ergo non oportet pati contumelias.

¶ ITEM, cum audiunt patres filios delinquentes, conuitiantur: formidantes ne aliquam suscipiant iacturam: magistri etiam ad discipulos tali vtuntur pharmaco. Cum ergo ex charitate debeat, proximus proximum corripere delinquentem, conuitians autem est delinquens: non ergo debet pati conuitiantem, sed arguere.

RESOLVTIO.

Et ferre, & non ferre licet: iuxta conuitiantis & conuitiati conditiones.

¶ AD quod dicendum: quod oportet attendere conditiones conuitiantis, & eius, cui infertur conuitium: & secundum hoc oportet sustinere conuitium, vel non sustinere. Si enim dicatur cõuitium à prouocato pari personæ, vel inferiori, vel etiam superiori, vbi non est iniuria officij, & præsumitur de medicina morbi siue de temperantia per sustinentiam, sustinendum est: & est meritorium. Si vero conuitium dicatur superiori in iniuriam officii, vel alij etiam coram ipso: dummodo nihil præsumatur de remedio intemperantiæ * non est sustinendum. Hoc autem difficile est cognoscere, cum conuitium infertur pari. Cum autem conuitium infertur alij inferiori, siue sit delinquens inferior, siue non * opportunum est sustinere. Præterea, aliud est arguere vel corripere tempore, quo conuitians est in furore: & aliud est iam sedato aliquantulum furore. Regnante enim furore, non competit correptio, siue arguitio: non enim tunc aptus est ad recipiendum: sed iam recedente furore. Secundum hoc dicitur. *Quam bonum est arguere, quam irasci.* Et dicitur. *Non accendas carbones peccatorum, arguens eos, quod est tempore, quo dominatur in eis ira.*

* Alias, si sustinẽtatur non est sustinendũ

* Alias, optimum.

Eccl. 20. Eccl. 8.

MEMBRVM IV.

An silere, vel respondere conuitiis victoriosius sit?

QVARTO quæritur. Vtrum melius fiat vindicta vel satisfactio silendo, quam conuitianti respondendo. Videtur quod silendo, per hoc quod dicit Chrys. *Si vindicare vis sile: & funestam dedisti ei plagam: si vero conuitio culpas, ignem accendisti.* Ergo magis fit vindicta silendo, quam respondendo.

Chrysost. loco allegato.

¶ ITEM, Chrysostom. *Qui irascitur, putatur qui multa conuitiatus est, vicisse: hic autem maxime est victus à difficillima passione: qui autem fert viriliter, hic superauit, & vicit.* Ergo magis vincit sustinendo, quam respondendo.

Idem.

¶ AD idem dicit Chrys. alibi. *Optimæ victoriæ modus est, in multis vinci: si enim superabundauerit aliquis, siue æmulatus fuerit; qui vincitur, & non libenter procedit, hic est, qui vincit.* Ergo magis vincit sustinendo, quam respondendo.

Idem.

¶ CONTRA. *Qui imponit stulto silentium, iram mitigat.* Et in eodem. *Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.*

Prouer. 26. Ibid.

¶ PRÆTEREA, si non fiat responsio, credit se iuste moueri ad conuitiandum: ergo propter præsumptionem videtur esse respondendum.

RESOLVTIO.

Si fiat comparatio in genere, silere: si secundum conditiones personæ, respondere in casu.

¶ AD quod dicendum, distinguendo. Vel hic fit comparatio in genere: vel secundum determinatas conditiones personæ. Si fiat comparatio in genere: melius est silere, quam respondere ad victoriam obtinendam: plus enim est vincere vitium, quam personam: secundum illud. *Melior est sapiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Si vero fiat comparatio secundum conditionem personæ: melius potest esse in casu respondere, quam silere. In iudice enim est, quod imponat stulto silentium. Tollitur etiam aliquando præsumptio sapientiæ per responsionem vt sic homo suam stultitiam cognoscat.

Prouer. 16.

¶ HVIVS etiam gratia quæritur: si aliquis vinci possit ab alio in conuitiis, nisi à seipso vincatur. Et videtur quod sic: de quo enim creditur verum esse conuitium, nec repellit, sicut oportet: victus æstimatur: sed talis conditio potest esse in alio: ergo potest vinci ab alio in conuitiis: & si non à seipso vincatur.

¶ PRÆTEREA, nullus sibiipsi conuitiatur, sed alteri: ergo nullus seipsum vincit in conuitio: accideret enim seipsum esse potentem & impotentem respectu suiipsius: quod falsum est: ergo in conuitio vinci potest, & si à seipso non conuincatur.

¶ CONTRA, Chrysost. *Sicut nisi nosmetipsos male disposuerimus, nullus nos aliter disponet: ita nisi nosmetipsos conuitiati fuerimus, nullus nos aliter confundet.* Ergo nullus potest alterum cõuincere in conuitio, nisi à seipso vincatur.

Chrysost.

¶ ITEM. Non qui conuitiatur, sed qui pusillanimus est, dolet conuitijs; ille est, qui constituit conuitia, & qui mordere facit: si enim non dolueris, conuitium non pateris: in ipso autem est dolere vel non dolere: ergo in ipso est vinci, vel non vinci.

¶ AD quod dicendum: quod simpliciter nullus vincitur ab alio in conuitiis, nisi à seipso vincatur. Vincitur autem quis à se multipliciter:

¶ PRIMO cum delinquit: & per hoc est causa conuitij.

¶ SECVNDO autem si non delinquit, cum dolet propter se, non propter conuitiantem de conuitio.

Tertio vero vincitur cum impotentem se existimat ad vindicandum. Si vero nullo istorum modorum à se conuincitur: ab alio vinci non potest: licet victus existimetur.

¶ Per hoc potest esse manifestum, quod obijciebatur: qui enim delinquit, iam primo à se ipso vincitur, & per cōsequens ab alio vinci potest, siue æque dicat conuitia, siue non: non enim in dicendo conuitia, est victoria: sed in seruando innocentiam. Qui excellit in conuitijs non est vere victor, Vnde Chrysostom. *Sit aliquis vir mirabilis & magnus, & omnes vocent eum mœchum, furem, homicidam: ille vero non molestetur nec conscius sit sibi alicuius talis: licet multi de eo talem habuerint opinionem; non est conuitium passus: sed illi seipsos confuderūt: ille autem non est confusus.* Chrys.

MEMBRVM V.

Ad quod ex capitalibus vitiis contumelia reducatur?

QVINTO quæritur. Ad quod capitale peccatum reducitur contumelia. Et videtur quod ad peccatum iræ: dicit enim Gregor. *De ira, rixa, tumor mentis, contumeliæ nascuntur.* Gregor.

¶ SIMILITER dicit Chrysost. *De ira enim nascitur odium, de odio contumelia.* Ergo peccatum contumeliæ reducitur ad peccatum iræ. Chrys.

¶ CONTRA: videtur, quod reducitur ad peccatum superbiæ: contumelia enim ex tumore procedit: tumor autem ex superbia.

¶ Dicitur etiam. *Vbi superbia, ibi contumelia.* Vbi dicit Glo. *Superbi proximis contumeliam ingerunt.* Prouer. 11. Glossa.

RESOLVTIO.

Ad iram, & ad superbiam.

¶ AD quod dicendum est: quod contumelia per se nascitur ex ira, tanquam ex propinquo principio: nihilominus tamen potest nasci ex superbia secundum dispositionem concomitantem. Qui enim superbi sunt, existimant alios inferiores se: vnde ex indignatione inferunt contumeliam. Ergo motiuum contumeliæ potest esse appetitus vindictæ: cum existimat se per hoc vindicari: & sic reducitur ad iram. Vel contemptus rei inferioris vel quasi inferioris: & sic est superbia.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod tumor mentis est principium contumeliæ. Dicendum est, quod dupliciter dicitur tumor mentis: vel ex inflatione superbiæ: vel ex ebullitione iræ. Et secundum hoc aliquando tumor ad superbiam pertinet, aliquando ad iram: vtroque autem modo potest esse principium contumeliæ. Indignatio vero est passio quædam, mixta ex superbia & ira.

MEMBRVM VI.

Quam graue peccatum contumelia sit, & an grauius peccato adulationis, & detractionis?

SEXTO quæritur de magnitudine huius peccati, & in comparatione. Videtur enim maximum esse: comparatur enim iracundus energumeno: secundum quod dicit Chrys. *Solue energumenum, à dæmone facilè & in breui corrumpendum.* Sed constat quod energia est passio difficillima ex parte corporis * impeditam reddens mentem: erit ergo cōtumelia difficillima passio ex parte mentis, prorumpens in verba. Chrysost. *Alias, impediua mentes.

¶ ITEM, dicit Chrysostom. *Sicut quidam adulterij est perniciosus furor, cum multa nobis coniungitur voluptate, perniciosa admittens per nos verba, & diabolum amicum faciens parere inimicitiam.* Cū ergo comparetur adulterio, immo maius videatur adulterio per hoc quod dicit [*adulterium enim facit duos effici carnem vnam, furor autem multas & multas separat partes, & ipsam scindit animam*] erit contumelia maximum peccatum. Idem. Idem.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicitur in Gloss. ad Heb. 10. super illud. In opprobriis, Graue est opprobrium: sed grauius est, cum spectaculum omnibus fit, & non secreto exprobratur. Glossa ad Hebr. 10.

¶ SECVNDVM hoc ergo quæritur: vtrum deterius peccatum sit peccato adulationis, vel peccato detractionis: Quod videtur: adulatio enim attenditur in bonis: contumelia vero in malis: peius autem est imponere malum bono, quam bonum malo: ergo peior est contumelia adulatione. In adulatione enim malum dicitur bonū, vel minus bonum maius quam sit, quod videtur declinare ad bonū humanitatis, scilicet benedicere de alio: dicere autem malum de bono, videtur declinare ad malum inhumanitatis: ergo deterior videtur contumelia adulatione.

¶ SIMILITER videtur esse deterior detractione: detractio enim est, cum occulte dicitur malum de bono, contumelia vero manifeste: grauius autem est manifeste dicere malum sicut habetur ad Heb. 10. super illud. In opprobriis: Ergo contumelia est grauius peccatum detractione, & ita maius. ad Heb. 10.

¶ CONTRA, dicit Chrysost. *Desides honorati magis iniustitiam patiuntur cōuitia passis: & ipsi si vigilauerimus, causa * erunt in nobis profectus conuitia: qui vero laudant, tumorem nostrum extollunt: & molliorem operantur animum.* Ergo peccatum adulationis est deterius peccato cōntumeliæ. In peccato enim adulationis desides iniuste honorantur: in peccato vero contumeliæ boni iniuste culpantur. Chrys. *Alias, sūt philosophi nobis conuitia.

¶ ITEM. *Sicut serpens mordet in silentio: ita nihil minus, qui occulte detrahit.* Cum ergo grauius sit venenum ex improuiso, quam in manifesto: grauius erit peccatū detractionis peccato adulationis. Eccl. 10.

RESOLVTIO.

Graue admodum: sed sicut excedens & excessum cum adulatione & detractione se habens.

¶ AD quod dicendum: quod contumelia quantum ad aliquid grauior est adulatione: quantum ad aliud vero minus grauis. Quo ad hoc enim quod bonum dicit malum, grauior est. Quo ad hoc autem quod magis ordinat cognitionem in bonum, vel à malo declinando; minus malū est adulatione: adulatio enim claudit oculos intelligentiæ, ne videatur malum: contumelia vero occasionaliter aperit, vt videatur, & caueatur.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de comparatione cōtumeliæ ad detractionem. Dicendum est: quod quo ad aliquid est contumelia grauior culpa, quam detractio: quo ad aliquid minus grauis. Quo ad hoc enim grauior est, quod pluribus publicatur malum. Quo ad hoc autem minus graue est malum: quia plus potest caueri malum, quod accidit ex contumelia; quam quod accidit ex detractione. Quod enim accidit ex contumelia, statim cognoscitur ab eo, cui infertur contumelia, & à quo infertur, cognoscitur: non sic autem est in detractione.

QVÆSTIO CXXX.

De Detractione.

In vndecim Membra diuisa.

DICTVM est de cōtumelia, & de conuitio: in quo manifeste improperatur malum. Consequenter dicendū est de detractione, in qua occulte improperatur malum. D. Th. 2. 2. quæst. 73.

¶ CIRCA quam primo quærendum est, quid sit detractio; & quot sint eius differentiæ. Secūdo, an possit aliquis reuelare malum alterius occulte sine peccato. Tertio, cum detractio sit peccatum, vtrum sit mortale tantum. Quarto, an sit generale peccatū: licet maxime peccent subditi hoc genere peccati. Quinto, de peccato consentientis, siue audientis detractionem. Sexto, vtrum tenetur detractor ad restitutionem. Septimo, de comparatione huius peccati. Octauo, de effectu huius peccati. Nono, de remedio huius peccati. Decimo, quod tollenda est occasio huius peccati. Vndecimo de pœna huius peccati.

MEMBRVM I.

Quid sit Detractio?

DIFFINITVR sic detractio. *Est alienæ famæ per occulta verba denigratio.* Vel sic. *Detractio est mali seminatio occulte in iniuriam proximi.* Alij vero diffiniunt sic. *Detrahere est obloqui absenti, & dolose mordere.*

¶ OBIICITVR autem contra primam diffinitionem per hoc, quod contingit detrahere ei etiam, qui non est bene famosus, dicendo de ipso malum occulte: bene enim famosus

mosus dicitur, qui bonus est: contingit autem malo detrahere ratione alicuius boni, quod habet: vel imponendo ei malum, quod non habet, occulte.

¶ Ad secundam vero diffinitionem obiicitur per hoc: quod non semper à detrahente asseritur malum de alio: sed aliquando occultatur bonum, vel diminuitur: & ita non semper detractio est mali seminatio &c.

¶ CONTRA tertiam obijcitur: quod secundum hoc susurratio idem esset quod detractio: qui .n. susurrat absenti vel quasi absenti, obloquitur, & dolose mordet.

¶ PRÆTEREA, contingit absenti maledicere: & ita maledictio sub detractione cótinetur: qui enim maledicit absenti, obloquitur.

RESOLVTIO.

Triplex detractionis consueuit assignari definitio. Quarum vna finem in debitum respicit, altera materiam pariter indebitam: tertia personam, cui infertur, aut inferri intenditur.

¶ AD quod dicendum: quod prima diffinitio conuenit. Nec est contrariũ, quod obiicitur: licet enim peccator proprie bonam famam non habeat: nihilominus aliquod bonum habet: vnde surgit boni opinio, & quo ad hoc pôt esse denigratio famæ ipsius. Vbi enim bonum est omnino, ibi cósequi debet omni modo bona fama: vbi vero est in parte, ibi debet sequi bona fama in parte. Cótingit tñ boni existimationem esse, vbi non substernitur bonum omnino: & illius ét potest esse denigratio. Sic ergo large sumendo famam, dicitur detractio alienæ famæ denigratio.

¶ AD secundum vero dicendum: quod seminatio mali dicitur esse non tantum, vbi malum imponitur: sed vbi bonum ex intentione occultatur, vel minuitur. Vtroq; enim modo contingit detractionem fieri: vel respectu boni, occultando, vel deprauando: vel respectu mali, imponendo, vel augmentando.

¶ Ad tertium dicendum: quod detractio sumitur aliquando in quadam generali ratione, prout continet susurrationem: vtrobique enim est seminatio mali occulte. Aliquando vero sumitur in ratione appropriata, in qua differt à susurratione. Primo modo ponitur hic, secundo mô cum dicit Gregor. quod de inuidia nascuntur odium, detractio, susurratio. Differt .n. detractio in hoc à susurratione: quia detractio est occulte per verba plene expressa: sed susurratio fit occulte per verba non plene expressa, sed quadam verborum immutatione: hic vero detractio sumitur sub generali ratione.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de maledictione. Dicendum est: quod licet maledicere aliquando sit obloqui absenti: tamen (prout proprie accipitur) maledictio est imprecatio pœnæ: detractio improperium culpæ. Vtrunque autem contingit fieri respectu absentis, & respectu præsentis: sed detrahere differt ab exprobrare, vel contumeliam dicere in hoc: quod vnum fit respectu præsentis, alterum
Psal. 43. respectu absentis: sicut habetur super illud. *A voce exprobrantis & obloquentis.*

¶ SED quæritur: quæ sit differentia istarum rationũ. Ad quod dicendum: quod prima respicit bonum in altero, q intendit tollere de opinione hominum: secũda vero respicit illud, per quod intédit tollere: tertia, à quo intendit tollere. Prima respicit finem indebitum: secunda respicit materiam indebitam: tertia vero respicit personam, cui infertur, vel intenditur inferri.

¶ Ad euidentiam aũt dictorum attendenda est rõ nominis: detrahere enim dr de aliqua summa partem trahere, seu tollere. Quod per similitudinem facit detractor. nititur .n. de summa boni opinione hominum, quæ habetur de aliquo, aliquam partem tollere; cum omnino totũ bonum tollere non posset: nihil .n. quod manet in esse rõnali, dum est, est à quo omnino bonum tolli possit: licet possit credi, quod non habeat bonitatem, in parte moralem, vt iustitiam, vel prudentiam, & ita de aliis.

¶ Deinde notandum est; quot sunt differentiæ detractionis. Et ponuntur sex: prima est, cum negatur bonum q
Ioan 9. scimus ab aliquo factum: sicut illi, qui dicebant Ioan. 9. de miraculo cæci nati: quod negauerunt fieri à Christo. Secũda vero est, cum tempore, quo laudandus est aliquis, tacemus: sicut habetur Matth. vlt. de militibus, qui nouerunt resurrectionem, & accepta pecunia tacuerunt. Tertia vero est; cum bonum, quod non potest negari, peruertitur: dicẽdo mala intentione esse factum: sicut habetur. *Bona in mala conuertentes, insidiatur: & in electis ponit maculam.* Quarta est, cũ occultum reuelatur modo, quo non debet. *Qui denudat arcana amici, perdit fidem.* Quinta est, mali augmentatio. *Ab vna scintilla augetur ignis, & à doloso augetur sanguis.* Sexta est adinuentio mali. *Attende tibi à pestifero: fabricat enim tibi malum, &c.*

Matth. vlt. Eccl. 10. Eccl. 27. Eccl. 18. Ibid.

MEMBRVM II.

An reuelari possit alterius malum occultum absque peccato?

SECVNDO quæritur. An possit aliquis reuelare malum alterius* occulte sine peccato. Quod non, videtur: qui reuelat malum alicuius alteri, quantum in ipso est, destruit famam illius: sed destruere famam alterius, non potest fieri sine peccato: ergo non potest reuelari malum alterius sine peccato.

*Alias, occultum.

¶ ITEM. *Dilige proximum tuum, & coniungere fide cum illo: quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum.* Et dicit Glo. Interlin. *Quia irreuocabilis est.* Cum ergo perdere amicitiam amici sit malum, denudare absconsa illius est malum: sed reuelare mala alterius, est denudare absconsa: ergo &c.

Eccl 27. Glossa.

¶ Similiter dicitur ibidem. *Denudare amici mysteria est desperatio animæ infelicis.* Et. *Recordatio, excepto conuitio, & improperio, superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa: in omnibus his effugiat amicus.* Cum ergo dissoluitur amicitia per reuelationem mysterij: ergo reuelare malum alterius est malum.

Ibid Eccl 22.

¶ CONTRA dicitur. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum: sin autem adhibe vnum vel duos testes: sin autem dic ecclesiæ.* Ergo reuelare malum alterius est bonum.

Matth 17.

¶ ITEM. *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit; quod aut ipse viderit, aut conscius est; nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.* Ergo bonum est iudicare malum alterius.

Leuit. 5.

¶ PRÆTEREA: ponatur, quod aliquis proponat aliquẽ subuertere in fide, vel machinari in mortem alterius, vel deflorare virginem; & de hoc sit certus; non ne est bonum reuelare alicui, qui potest prodesse, & vult ad cauendũ nocumentum? Dicitur enim qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit; nihil aliud est, quam fauere impietati eorum: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinat obuiare. Et dicit August. *qui desinit obuiare, cum potest, consentit.* Ergo non est malum reuelare malum alicuius.

August.

RESOLVTIO.

Alterius malum occultum reuelare, & cum peccato, & absque peccato esse potest: iuxta bonam, vel malam reuelantis intentionem.

¶ AD quod dicendum: quod reuelare malum proximi ex fine & circunstantiis est distinguendum. Si enim dicatur ei, qui potest, & vult prodesse, & eo modo quo debet, siue oportet, cũ aliis circũstantiis ad alterius correctionem vel cautelam nocumenti: tunc bonum est. Si vero desint conditiones debitæ, per quod trahitur ad bonum; tunc reuelare malum proximi, malum est: maxime intentione detrahendi, vel cum tenetur celare: sicut est de eo, quod est tectũ per confessionem sacramentalem; vel quod est tectum per secreti obligationem: nisi fortius vinculum superueniat. In omnibus autem his cautela maxima est adhibenda: ne reueletur malum ei, cui non est reuelandum: vel quomodo non est reuelandum: vel quo ordine non est reuelandum, & ita de aliis. Potest enim in his error, vel libido de facili admisceri.

¶ PER hoc potest patere, quod ex vtraque parte est obiectum. Reuelare enim malum alterius intentione detrahendi, scilicet ex leuitate, siue impetu, cum est occultandũ, malum est: & secundum hoc intelliguntur ea, quæ primo sunt obiecta. Nihilominus tamen reuelare malum, in casu est bonum: sicut cum seruatur ordo correctionis charitatiuæ: cum interuenit præceptum superioris in his, quæ pertinent ad suum officium: cum etiam fit de inimicis

eo modo quo debet fieri, ad cautelam nocumenti, quod potest accidere.

¶ ITEM adhuc dicitur. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Instantia. Prouerb. 3.

¶ AD quod respondetur: quod aliud est ex charitate aliorum crimina referre: vt quos secreta admonitione corrigere non possumus, conuictos iudicis sententia corripiat. Aliud insidiando falsa obijcere, vel insultando vera exprobare. Non enim reputatur maliuolus, qui sic indicat scilicet primo modo. Vnde dicit Augustinus. *Non vos iudicetis maleuolos, qui crimen alterius indicatis, magis innocentes non estis non * indicando crimen, quam si fratres vestros, quos indicando corrigere potest, tacendo perire permittitis.* August. *Alias, indicando.

MEMBRVM III.

An veniale, vel mortale peccatum detractio sit?

TERTIO quæritur: cum detractio sit peccatum, vtrum sit mortale? Quod videtur: est enim prohibitum. *Noli esse in conuiuiis peccatorum: nec cum his, qui carnem ad vescendum conferunt.* Gloss. *Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim vitia proximo dicere.* Sed hoc est detrahere: ergo prohibita est detractio. Prouer. 23. Glossa.

¶ ITEM, *Nolite detrahere in alterutrum fratres mei.* Gloss. *Non solum debes vitare detractionem, ne vt transgressor à Deo iudiceris: sed ideo fortasse, quia in nullo præcellitis eos, quos vituperatis.* Iacob 4. Glossa.

¶ ITEM super illud, *Qui detrahit fratri, detrahit legi.* Glos. *quæ detractionem prohibuit.* Iacob 4. Glossa.

¶ ITEM. *Omnis detractor eradicabitur.* Sed eradicatio non debetur nisi mortali peccato: ergo detractio est mortale peccatum. Prouer. 23.

¶ ITEM, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Sed væ dicit comminationem pœnæ æternæ: pœna autẽ æterna debetur pro mortali: ergo detractio est mortale. Isa. 5.

¶ SIMILITER. *Qui contemnit iustum, & iustificat impium, vterque abominabilis est Deo.* Sed condemnare iustum, ad detractionem pertinet: ergo detractio est mortale peccatum. Prouer. 17.

¶ CONTRA, dicit August. quod sub minutis peccatis continetur maledicere cum facilitate, vel temeritate. Sed detrahere est maledicere ex temeritate: ergo est veniale. August.

¶ ITEM, detractio, & adulatio opponuntur: sed adulationem contingit esse tum veniale, tum mortale: ergo per oppositum contingit esse detractionem tum veniale, tum mortale.

¶ ITEM, prona est natura hominis post corruptionem ad dicendum malum de alio, & ita ad detrahendum: in lubrico etiam lingua posita est. Vnde propter huiusmodi conditiones videtur detractio aliquando esse veniale peccatum: graue est omnes vel quasi omnes peccato mortali inuoluere: dicit enim Hieronym. *Raro inuenies, qui irreprehensibilem vitam suam exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam.* Hierony.

RESOLVTIO.

Vtrunque: & mortale, scilicet & veniale.

¶ AD quod dicendum: quod detractio aliquando est mortale peccatum, aliquando veniale. Nomen vero detractionis plus personat in mortale, sicut in scriptura sacra repetitur. Est autem veniale peccatum, cum ex leuitate dicitur malum de alio: nec ibi est voluntas nocendi: nec aggrauatur ex circumstantiis. Si vero ex deliberatione diutina rationis fiat in nocumentum proximi graue, dicitur esse mortale peccatum.

¶ ET secundum hoc possunt solui obiecta: nam ea, quæ primo obiecta sunt, ad hoc tendunt, vt detractio sit mortale peccatum: ea vero, quæ postea obiecta sunt, videntur dicere, quod aliquando sit veniale. Nec est simile de adulatione omnino, & detractione: adulatio enim minus recedit à bono, quam detractio: eo quod ex inclinatione naturæ est bonum dicere de alio: ex corruptione vero naturæ est libenter malum de alio dicere: seipsum etiam accusare coram Domino, cuiusdam est perfectionis: secundum quod dicitur Prouerb. 28. Iustus in principio accusator est sui. Alium vero accusare, nisi addatur circũstantia trahens ad bonum, est infectæ radicis. Prouer. 28.

MEMBRVM IV.

Quam generale, quamque graue peccatum sit detractio.

QVARTO ostenditur: quod est generale peccatum: licet maxime peccent subditi hoc genere peccati. Quod autem sit generale, ostenditur per hoc quod dicitur. *Cum detractoribus non commiscearis.* Gl. *Hoc specialiter vitio periclitatur totum genus pene humanum.* Ex quo accipitur, quod generale peccatum est. Prouer. 24. Glossa.

¶ ITEM, Hieronym. *Hoc malum ideo celebre est, ideo in multis regnat, quia pene libenter ab omnibus malum proximi auditur.* Hieron.

¶ ITEM, tanta est huius libido, quod mentes hominum inuasit: vt qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud quasi in vltimum laqueum diaboli incidant. Ergo detractio est quasi generale peccatum. Nunquid ergo propter hoc censendum est inter venialia?

RESOLVTIO.

Generale, graueque admodum peccatum est detractio, tum maxime in subditis.

¶ RESPONDENDVM est, quod non: sed ex hoc argui potest: quod magna diligentia adhibenda est, ne homo incidat in hunc laqueum diaboli. Licet enim in aliquibus sit veniale, de facili tamen per contemptum incidit homo in mortale.

¶ Quod autem sit grauissimum peccatum in subditis, patet per hoc quod scriptura huiusmodi detrahentes condemnat: dicitur enim. *Diis non detrahes, & principi populi non maledices.* Gloss. *Sacerdotibus & doctoribus, qui ecclesiæ principantur:* cum enim omnis detractio perniciosa sit, in illis est perniciosior. Exod. 23. Glossa.

¶ ITEM. *In cogitatione tua Regi ne detrahas: & in secreto cubilis tui ne maledixeris diuiti.* Gl. *Simpliciter monet, ne ira, vel leuitate maioribus maledicamus.* Eccl. 10. Glossa.

¶ ITEM, Num. 12. habetur de Maria sorore Moysi, quod grauiter punita fuit: quia Moysi detraxerat. Num. 12.

¶ SIMILITER in Num. 14. habetur: quod Dominus reputat iniuriam prælatorum suam in hac parte, dicens. *Vsq; quo detrahet mihi populus iste? feriam ergo eos, pestilentiaque consumam.* Ibidem.

¶ SIMILITER dicitur. *Non est contra nos murmur, sed contra Dominum.* Ex his colligitur, quam grauissimum est peccatum in subditis respectu prælatorum. Exod. 16.

¶ VIDETVR tamen ex autoritate, quæ est in Eccles. 10. non ita graue peccatum, propter hoc quod admonitionem vocat, non prohibitionem.

¶ SED ad hoc respondendum est: quod aliud est, cum respicitur dignitas personæ, cui detrahitur: sic enim aggrauatur peccatum, cum detrahitur superiori. (Vnde dicit Gregor. *Manifestum est diabolum cordibus plebium persuadere: vt doctoribus atque pastoribus detractiones irrogent: vel accusent: vt plebes languescentes, pastoribus non tenentibus frena eorum, lasciuient.*) Aliud vero est attendere cõditionem peccati ex parte motiui: & secundum hoc cum sit ex leuitate, vel impetu, potest esse mortale peccatum. Gregor.

MEMBRVM V.

An audiens detractionem, nec reprehendens, aut saltem tristem faciem non exhibens, peccet?

QVINTO quæritur, vtrum peccet audiens detractionem non reprehendens: vel ad minus tristem faciem non exhibens? Quod videtur per hoc, quod dicit Bernard. *Detrahere, aut detrahentem audire, quod horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Bern. Epist. 2. ad Eugenium.

¶ ITEM, Hieronym. *Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Si dicis, ipse non detraho, aliis loquentibus, quid facere possum? Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætenditis.* Ex hoc videtur, quod quasi par peccatum sit in detrahente Hieron. ad Rusticum Monachũ.

& audiente: vel ad minus in vtroq; sit mortale. ¶ Contra, potest aliquis audire, & non acquiescere: potest etiam aliquis audire, & credere, & nolle malum ei, cui detrahitur.

¶ Præterea: & si nolit malum, non reprimendo malum alterius, non videtur semper damnabile.

¶ Item, maius est peccatum in fonte mali, quam in eo quod oritur ex fonte: sed detractor est fons mali: maius ergo est peccatum in detrahente, quam in acquiescente.

RESOLVTIO.

Et peccat & non peccat, iuxta varias dispositiones audientis.

¶ Ad quod dicendum: quod multipliciter dicitur auditus. Est enim exterior & interior intelligentiæ: vtroque autem modo contingit audire, & non peccare. Est autem auditus placentiæ: & iste potest esse multipliciter. Vel vt sit causa mouens alium ad detrahendum: & secundum hunc modum videtur verbum Bernar. intelligi, cum dicit. *Detrahere, aut detrahentem audire, &c.* Alio vero modo est, cum placet ipsa detractio audita, & ex hoc existimat malum, & vult malum proximo: & secundum hoc graue est peccatum: & si non ita graue sicut in detrahente. Propter hoc dicit Hieronym. *Si esset in nobis diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent.* Tertio modo dicitur auditus placentiæ, cum libenter accommodatur auris ad audiendum malum de * alio verbo detractionis, siue credatur, siue non credatur: & hoc etiam peccatum est: sed leuius prædictis. Propter hoc dicitur super illud. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia procul sint à te.* Glos. *Duobus modis sciendum (vt os tuum ne prauum loquatur, & vt labia tua detractionibus non assuescant) custodias: alios quoque, quos huic vitio subiacere nosti, ne te corrumpant fugias.* Et dicit Hieronym. *Non minus auribus, quam lingua fuge detractionem.* Et iterum. *Caue, ne linguam & aures habeas prurientes: ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes.*

Bernar. Hierony. *Alias, aliquo. Prouerb. 4. Glossa. Hieron. Idem.

MEMBRVM VI.

An detractor teneatur ad restitutionem?

Sexto quæritur, Vtrum detractor teneatur ad restitutionem. Quod videtur. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ, & super aurum & argentum gratia bona.* Cum ergo per detractionem auferatur nomen bonum: per furtum aut rapinam auferantur bona temporalia: auferens autem bona temporalia (vt pote fur, aut raptor) tenetur ad restitutionem (non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum) ergo multo fortius detractor tenetur ad restitutionem.

Prouer. 22.

¶ Item, ad hoc facit, quod dicit Gregor. *Multum distant damna morum à damnis rerum corporalium: cum ista extra nos sint, illa vero in nobis.* Maius autem bonum est in nobis, quam quod extra nos: ergo qui aufert illud, magis tenetur ad restitutionem: sed ille est detractor: ergo detractor tenetur ad restitutionem. Quod ex verbis Anacleti patet, dicentis. *Deteriores sunt detractores, qui vitam moresque corrumpunt: quam qui substantias aliorum prædiaque diripiunt: ipsi enim quæ extra nos sunt, licet nostra sint, auferunt: sed ipsi detractores aduersus nos ipsos armantur.* Ergo quantum est in ipsis, plus auferũt detractores, quam raptores.

Gregor. Anaclet.

¶ Contra, nullus tenetur ad impossibile: sed potest cõtingere, quod ille, qui læsit famam alterius, non potest eam reparare: ergo nõ tenetur in illo casu ad reparationem: sed nihil aliud est ibi restitutio, quam reparatio: ergo non tenetur ad restitutionem.

¶ Præterea, non est in ipso, quod homines habeant aliquam bonam opinionem de aliquo: sed nullus tenetur nisi ad quod in ipso est: ergo nullus tenetur ad restitutionem famæ.

RESOLVTIO.

Vtique, quantum in ipso est.

¶ Ad quod dicendum: quod detractor tenetur ad restitutionem famæ, quantum in ipso est.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod apud ipsum est impossibile. Dicendum est: quod aliquid est ei possibile, aliquid forte est ei impossibile. Apud ipsum possibile est bonum dicere de eo illis, quibus dixit malum. forte autem impossibile est ei mutare opinionem, quam illi conceperunt. Ad id ergo tenetur, vt bonum dicat, sicut & dixit malum: & ostendat se deliquisse: ex quo forte mutabitur opinio. Sicut enim exhibuit membra seruire iniquitati ad iniquitatem: ita tenetur exhibere membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem.

¶ Ad illud vero, quod secundo obiectum est, per hoc patet responsio.

¶ Ad tertio vero obiectum. Dicendum quod licet infinitum sit in multiplicando ex parte eius, qui audit detractionem: nihilominus certum potest esse apud eum, qui debet satisfacere detractione, erga quot detraxit, & alterius opinionem læsit: & erga illos (quantum in ipso est) tenetur famam restituere.

MEMBRVM VII.

An detractio par peccatum sit homicidij peccato?

Septimo quæritur de comparatione huius peccati ad alia peccata. Videtur enim quod hoc peccatum sit par homicidio: qui enim detrahit, homicida comprobatur per hoc, quod dicitur. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Sed qui detrahit, odit fratrem: ergo qui detrahit fratri suo, homicida est. 1. Ioan. 3.

¶ Ad idem facit, quod est in Epistola Clementis. *Sicut homicidas interfectorum fratrum, ita detractores, eosque homicidas esse manifestum est: & pœnam parilem eorum B. Petrus esse dicebat.* Epistola Clement.

¶ Item, Augustinus. *Si persuades fratri tuo mala, occidis: & vt scias, quia occidis, audi.* Psalm. *Filij hominum dentes eorum arma, & sagitta: lingua eorum gladius acutus.* Ex hoc ergo videtur, quod par peccatum detractionis sit, & homicidij. August. Psal. 56.

¶ Videtur etiam, quod maius sit peccatum per hoc, quod dicit Psalm. super illud. *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant.* Gloss. *Plus nocent in membris detrahentes Christo, qui animas crediturorum interficiunt: quam qui eius carnem mox resurrecturam peremerunt.* Sed qui peremerũt eius carnem, homicidæ erãt: alij vero sunt detractores: ergo maius est peccatum detractionis quam homicidij. Psal. 108. Glossa.

¶ Contra, Homicidium facit damnum irreparabile: detractio non: ergo maius est peccatum homicidij, quam detractionis.

¶ Præterea, homicidium in lege ad Decalogum pertinebat: detractio vero exprimitur ex ipsis iudicialibus consequentibus: vel si datur intelligi per illud, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, minus est homicidio: illud enim est primum inter transgressiones oppositas prohibitionibus secundæ tabulæ: primo enim prohibetur homicidium, secundo mœchia, tertio furtum, quarto falsum testimonium. Exod. 20. Ibid.

RESOLVTIO.

Quia detractio non nisi metaphorice homicidium est: ideo ei nullatenus par esse censendum est; tametsi graue peccatum in se sit.

¶ Ad quod dicendum: quod licet sit graue peccatum detractio: tamen non est homicidio par.

¶ Ad obiecta autem respondendum: quod homicidium aliquando dicitur proprie: aliquando cum extensione vocabuli. Ratio autem esse potest, quare detractio dicatur homicidium: quia quantum in ipsa est, auferetur quædam vita, qua homo viuit in bona opinione alterius.

¶ Quod autem dicitur esse par pœna: attenditur in genere: vtrique enim tanquam pro mortali debetur pœna æterna in futuro: in præsenti vero (sicut dicitur in 1. Canon. Ioan. 3.) priuatio vitæ præsentis manentis in seipso. Si vero accipiatur pœna determinata in specie, vel in quantitate: non est æqualis pœna homicidij, & detractionis. 1. Canon. Ioan. 3.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod dicitur peccatum detractionis, quo detrahitur Christo in membris, maius peccato homicidij Christi, propter comparationem vitæ spiritualis ad vitam carnalem. Vita enim fidei est vita spiri-

tualis:vita vero naturæ est vita carnalis. In hac ergo comparatione, quia nobilior dicitur vita gratiæ, quam vita naturæ;dicitur maius peccatum detractionis,quo detrahitur fidei Christi,homicidio Christi. Ex alia vero parte est minus peccatum improportionabiliter,quo fit iniuria mébris Christi secundum se;peccato,quo fit iniuria ipsi,Christo in se.Humana enim natura vnita diuinæ in Christo excellit omnem aliam creaturam : & ideo peccatum maius peccato.

MEMBRVM VIII.

Qui,& quot sint detractionis effectus.

Octavo quæritur de effectu huius peccati. Ponitur autem effectus huius peccati excæcatio, secundum quod dicit Greg. *Quid aliud detrahentes faciunt,nisi quod in pulverem sufflant,& in oculos suos terram excitant? vt vnde plus detractioni perflant,inde nihil magis veritatis videant.* Ex quo habetur, quod detractio excæcat ipsum detrahentem. Gregor.

¶ Sed videtur hoc falsum:aut enim detrahens imponit malitiam alteri, quam cognoscit inesse: aut quam cognoscit non inesse:aut quam nescit inesse vel non inesse.Si quā cognoscit inesse vel non inesse, facta detractione nō amittit hanc cognitionem:ergo quantum ad hoc per detractionem non excæcatur.Si vero quam nescit : ergo non fuit in eo cognitio bonitatis vel malitiæ in altero:ergo per detractionem non amittit : non enim potest per detractionem amitti, nisi quod habebatur. Nec videtur per detractionē priuari à cognitione alterius veritatis : cum alia veritas sit impertinens:ergo videtur quod detractio non excæcet.

RESOLVTIO.

Duo: excæcatio scilicet mentis,& lepra spiritualis.

¶ Ad quod dicendum,quod est duplex lumen. Lumē cognitionis speculatiuæ, & lumen cognitionis practicæ, qua homo vult bonum alteri, & placet sibi bonum in altero,& displicet malum. Per detractionem ergo non oportet, quod priuetur lumen cognitionis speculatiuæ in ipso detrahēte:sed priuatur lumen cognitionis practicæ:non n. minus cognoscitur veritas cognitione speculatiua:sed magis displicet veritas bonitatis, & magis placet veritas malitiæ. Vnde oculus cognitionis practicæ excæcatur, cui sapit,quod non est sapiendum:& non sapit, q est sapiendum: idem n.inre est visus q gustus:licet differens ratione. Iste est oculus nequam,de quo dicitur. *Si oculus tuus fuerit nequam,totum corpus tenebrosum erit.* Iste est etiam gustus hominis ægri, cui amarum videtur dulce,& dulce amarum. Vnde dicitur talibus. *Væ illis, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras: & amarum dulce,& dulce amarum.* Matt. 7. Isa 5.

¶ Item,ponitur effectus huius peccati lepra spiritualis. cuius indicium erat lepra Mariæ sororis Moysi: sicut habetur Num.12.dicitur enim ibi. *Ecce Maria cādens apparuit lepra, quasi nix.* De hoc effectu habetur in Glo.super illud. *Lepra consequitur detrahentes.* Sed videtur, quod debeat potius esse effectus peccati carnalis: lepra n. est vniuersalis corruptio in carne, lepra ergo spiritualiter vniuersalis est corruptio carnalis concupiscentiæ : illa autem fit in peccato carnali: ergo effectus cōsequens peccatū carnale, est proprie lepra. Num. 12. Ibidem.

¶ Præterea,dictum est Iezi. Lepra adhærebit tibi,& semini tuo.Hoc autem fuit propter peccatum cupiditatis:ergo corruptio spiritualis, quæ dicitur lepra; proprie consequitur peccatum cupiditatis.

¶ Ad quod dicendum, quod lepræ attenduntur plures proprietates. Vna est vniuersalis corruptio : alia est, q est morbus cōtagiosus: tertia est, q magis & magis inualescit, secundum quod homo est maioris ætatis. Et propter hoc potest designari effectus peccati differentis, secundum has differentes proprietates : vt detractioni conueniat propter morbi contagionem : detractor enim de facili inficit auditorem. Peccato vero carnis conueniat, propter concupiscentiæ corruptionem vniuersalem,siue peccati fœtorem. Peccato enim cupiditatis propter augmentum : quanto enim homo magis tendit ad senectutem, tanto ex natura corrupta magis dominatur cupiditas in illo.

MEMBRVM IX.

An detractio ad quidquam prosit?

Nono quæritur de remedio huius peccati. Dicitur autem hoc peccatum esse in remedium contra præsumptionem,vel adulationem. Vnde dicit Greg. *Propterea nonnunquam detractio aduersus bonos excitatur, vt quos vel domestica præsumptio, vel aliorum fauor in altum extulerat; detractio humiliet.* Gregor.

¶ Sed videtur contrarium : detractio enim est sicut venenum: vnde super illud. *Si mordeat serpens in silentio.* Glo. *Sicut serpens occulte mordens,venenum infundit : sic & qui detrahit.* Venenum autem veneno non expellitur : ergo detractio non est in remedium peccati,siue medicina morbi. Eccl. 10. Glossa.

RESOLVTIO.

Vtique, scilicet ad humiliationem.

¶ Ad quod dicendum,quod non fit sermo de adulatione,secundum quod referuntur ad subiectum, in quo sunt: sed secundum quod referuntur ad subiectum, in quod intendunt agere. Adulator enim intendit agere in illum, cui adulatur : & detractor in illum, cui detrahit. Cum ergo dicitur, quod detractio est in remedium adulationis : hoc est in respectu illius peccati.Cum enim aduertit sibi detrahi,conuertit se ad considerationem suæ infirmitatis: si forte aliquid est reprehensibile in eo: & sic humiliatur. Vnde iam non est venenum ei,sed medicina. Illi vero qui audit detractionem,si acquiescat,est venenum infusum à detrahente. Illi vero cui detrahitur, non dicitur esse venenum: nisi ex ipso contrahat nocumentum.

¶ Sed posset quæri : si adulatio opponitur detractioni, sicut detractio adulationi : propter quid non dicitur adulatio esse in remedium detractionis : sicut detractio in remedium adulationis? Dubitatio.

¶ Ad quod dicendum est : quod adulatio non permittit videre hominem suum imperfectum: detractio vero facit : & ideo adulatio non dicitur esse in remedium, quemadmodum detractio.

MEMBRVM X.

An subtrahenda sit occasio detractionis.

Decimo ostenditur, quod tollenda est occasio huius peccati. Dicunt enim quidam,quod sufficit sibi conscientia coram Deo : nec curandum est de existimatione hominis.

¶ Contra quod sic obiicitur: dicitur. *Ab omni specie mala abstinete vos: quod bonum est tenete.* Abstinentia autem à specie mali est, vt auferatur occasio peccati in aliis : cum ergo vtrumque sit necessarium, secundum quod dicit Apostolus : non sufficit tenere,quod bonum est:sed oportet abstinere à specie mali propter alios. Ergo tollenda est occasio detractionis. Si enim nullo modo videretur aliquis malus, non crederetur detrahenti alicui de illo. 1. Thes. vlt.

¶ Præterea,qui contemnunt famam,crudeles dicuntur: secundum quod dicit Aug. *Si quis à criminibus flagitiorum vitam suam custodit,sibi benefacit : quisquis autem famam, in alios est misericors.* Ergo per oppositum, qui contemnit famam,est crudelis : secundum quod dicit Seneca: crudelis est, qui famam negligit.Ergo peccat, qui detractionis occasionem non subtrahit. August.

¶ Præterea,quantum in ipsis est,occidunt animas aliorum sc.qui præstant occasionem detrahendi:sed omnes tales peccant:ergo non subtrahentes occasionem detractionis,peccant.

¶ Sed contra:videtur contrarium : nullus enim ad impossibile tenetur : sed nullus potest ita cauere, quin aliquis offendat in ipsum : ergo nullus potest cauere à vitio detractionis,& ita ab eius occasione.

¶ Præterea, Apostolus testatur, se currere in prædicatione inter infamiam & bonam famam:ergo infamia faciebat ad meritum ipsius occasionaliter:non ergo subtrahenda est occasio detractionis : cum per ipsam detur occasio meriti. 2. Cor. 6.

RESOLVTIO.

Detractionis occasio subtrahenda est, quoad fieri potest.

¶ Ad quod dicendum: quod subtrahenda est occasio detractionis, secundum quod possibile est.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod occasio detractionis aliquando est ex parte eius, cui detrahitur: aliquando ex parte detrahentis, vel eius, apud quem detrahit. Subtrahere ergo potest vt in pluribus occasiones, quæ sunt ex parte sui: & ad hoc tenetur, secundũ illud Apostoli. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Occasiones vero, quæ sunt ex parte detrahentis; vel eius, apud quem detrahit, non tenetur ipse subtrahere. 1. Thes. vlt.

¶ Ad aliud vero dicendum est: quod licet detractio occasio sit meriti aliquando apud sustinentem patienter, non tamẽ danda est occasio detractionis. Quod n. detractio est occasio meriti, hoc est ex parte Dei, qui ex malis elicit bonum: qui vero dat occasionem detractionis, est principium mali: *non sunt autem facienda mala, vt veniant bona.* Rom. 3.

¶ Quæritur adhuc etiam, vtrum satisfaciendum est detractionibus, quibus modis fieri potest. Quod non videtur: satisfactio enim competit ei, qui est debitor ex peccato (satisfacere enim est causas peccatorum excidere, & eis aditum non præbere.) Cum ergo ille, cui detrahitur, possit esse iustus; & ita non debitor ex peccato; non oportet ipsum satisfacere detractori, quibus modis potest: sed magis oportet detractorem satisfacere illi.

Gregor. ¶ Contra, dicit Greg. *Vocandi sunt detractores, & tranquille admonendi: eis que satisfacere modis omnibus debemus, scientes quod de Iudæis veritas dicit. Ne forte scandalizemus eos.* Et dicit Apostolus. *Si fieri potest, quod ex vobis est; cum omnibus hominibus pacem habentes.* Matt. 16. Rom. 12.

¶ Ad quod dicendum: quod satisfactio accipitur duobus modis: vno modo est in remedium peccati proprii: alio modo est in cautelam peccati alieni. Prout est in remedium proprii peccati, hoc modo non oportet iusto satisfacere peccatori, qui detrahit. Prout vero est in cautelam peccati alieni, oportet satisfacere, id est, excidere causam scandali: secundum quod scandalum est dictum vel factum minus rectum occasionem præbens ruinæ. Si vero omnino non potest subtrahi occasio in ipsis detrahentibus, faciendum est secundum consilium Euangelii: dicit enim Dominus dicenti sibi. *Scis, quod audito hoc verbo, scandalizati sunt Iudæi? Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum.* Matt. 15.

MEMBRVM XI.

An detractio detrahenti noceat, pœnaque sit?

VNDECIMO quæritur de pœna peccati. Potest enim quæri, vtrum huic peccato sit per se pœna annexa, quemadmodum inuidiæ. Quod videtur: inuidus enim cruciatur ex bonis aduersariorum apprehensis. Et ideo dicit Seneca, *Vtinam inuidus in omnibus oculos & aures haberet: vt profectibus, quibus inuidet, omnibus torqueretur.* Seneca.

August. ¶ Item, Aug. *Amasti bene agentem, vixisti bono odore, inuidisti bene agenti, mortuus es bono odore.* Sed detractio per se nascitur ex inuidia: ergo detractio habet secum pœnam annexam.

¶ Contra, Inuidia inter passiones à Philosopho & à Sanctis computatur: detractio vero inter occasiones: ergo detractio non habet pœnam sibi annexam: illa enim peccata proprie dicuntur pœnæ, quæ passionem secum important.

RESOLVTIO.

Quam maxime: sed prout (videlicet) ex inuidia nascitur.

¶ Ad quod dicendum: quod detractio habet pœnam in radice sua, secundum illum modum, secundum quem ex inuidia nascitur. Et dicitur etiam habere pœnam in se secundum illum modum, secundum quem dicitur ab Aug. *quod omnis motus inordinatus est pœna ipsi habenti.* Sed non est detractio in proprio actu importans passionem, ratione cuius dicatur habere pœnam: sicut timor vel inuidia pœnam dicuntur habere. August.

QVÆSTIO CXXXI.

De Maledictione.

In octo Membra diuisa.

CONSEQVENTER dicẽdum est de peccato maledictionis: in quo fit imprecatio pœnæ. Et recte fit post contumeliam, & detractionem: licet enim conueniant in genere, quia vtrobique peccatur in proximum: in hoc tamen præponuntur contumelia & detractio ipsi maledictioni; quia in illis duobus fit vituperatio per improperium culpæ: in hoc autem fit vituperatio per imprecationem pœnæ. D.Th. 2.2. quæst. 76.

¶ Circa hoc peccatum hæc sunt consideranda. Primum est, vtrum maledicere sit semper malum. Secundum est, si est tantum mortale peccatum. Tertium, vtrum sit maledicendum creaturæ non habenti rationem vel intellectum. Quartum est, vtrum sit maledicendum creaturæ rationali, vtpote angelicæ, vel humanæ. Quintum, vtrum tantum Dei sit maledicere. Sextum, si maledictio fertur super humanam creaturam, ex qua causa ferenda est. Septimum de comparatione huius peccati ad alia peccata. Octauum, vtrum æque conueniant maledictiones in Nouo Testamento, sicut in Veteri.

MEMBRVM I.

An maledicere semper malum sit?

AD primum sic: ostenditur primo, quod maledicere est malum: benedictio enim & maledictio sunt opposita: sed benedictio bonum est: ergo maledictio malum est. Quod apparet ex hoc, quod dicitur Iacob. 3. *Ex ipso ore procedit maledictio, & benedictio.* Et ponit exemplum de dulci, & amara aqua, quæ de eodem fonte procedunt. Ex similitudine ergo accipitur, quod benedictio bonum est, & maledictio malum est. Quod patet per hoc, quod ibidem dicitur. *In ipsa benedicimus Deum & patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Iacob. 3. Ibidem.

¶ Item, *Maledictum frustra prolatum, in quempiam superueniet* (& exponitur ibi de illo, qui maledicit.) Ergo malum est maledicere. Prou. 27.

¶ Præterea, dicit Apostolus. Benedicite & nolite maledicere. Ergo maledicere malum est.

¶ Contra, Quod fit secundum diuinam iustitiam, bonum est: sed maledictum fit secundum diuinam iustitiam; ergo maledictum bonum est. Quod autem fiat secundum diuinam iustitiam, patet per hoc quod dicit Petrus Simoni mago. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et sicut habetur 4. Reg. 2. de Helisæo, qui maledixit pueris illudentibus sibi. Dicitur enim ibi. *Cum ascenderet per viam, pueri egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue. Qui cum respexisset eos: vidit, & maledixit eis in nomine Domini.* Actuum 8. 4. Reg. 2.

¶ Præterea, ex institutione ecclesiæ fiunt anathemata: anathemata vero sunt maledictiones: quod autem ex institutione ecclesię fit, bonum est: ergo maledictio bonum est.

¶ Præterea, quod factum est diuina inspiratione, est bonum: sed quod prophetæ fecerunt, diuina inspiratione fecerunt: faciebant autem imprecationes: ergo imprecatio bonum fuit.

RESOLVTIO.

Maledicere quandoque bonum est, quandoque malum, iuxta maledicentis, maledicti, & maledictionis circumstantias.

¶ Ad quod dicendum: quod maledictio potest fieri vel respectu eius, qui dign⁹ est maledictione: vel respectu eius, qui dignus est benedictione, siue cui competit benedictio. Item potest fieri zelo iustitiæ, aut vindictæ. Ab illo etiam potest fieri, cui conuenit ex officio: vel cui non conuenit ex officio. Si ergo fuerit maledictio respectu illius, qui meretur maledictionem, cum aliis debitis circumstantiis: erit maledictio bonum: & si sit malum ei, cui maledicitur. Si vero fiat illi, qui non meretur maledictionem, vel desint aliæ debitæ circumstantiæ: erit maledictio malum.

¶ Ad obiecta vero respondendum est: dicendo quod

male-

maledictio & benedictio, cum sunt opposita, si vnum est bonum, reliquum est malum. Sed contingit bonum esse vtrobique, & malum vtrobique. Est enim benedicere, cui non est benedicendum: & hoc est malum. sicut faciunt adulatores: de quo dicitur Prouerb. 27. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti consimilis erit.* Et Esai. 9. *Erunt, qui beatificant populum meum, seducentes, & qui beatificantur præcipitati.* Est autem benedicere, cui benedicendum est: & sic bonum est: secundum hoc dicitur illud Apostoli. Rom. 12. *Benedicite, & nolite maledicere.* Similiter est duplex maledictio.

¶ Cum ergo dicitur Iac. 5. In ipsa benedicimus &c. benedictio potest ibi sumi pro bono, maledictio pro malo, vt ad diuersa referantur: sicut exprimitur in ipsa littera.

¶ Eodem modo respondendum est ad illa, quæ ex alia parte obiiciuntur: maledictum enim frustra prolatum, est illud, quod sine debita causa profertur: & illud malum est. Similiter est maledicere, quod prohibetur ab Apostolo.

MEMBRVM II.

An mortale, vel veniale peccatum sit maledictio, siue maledicere?

SECVNDO quæritur, vtrum sit tantum mortale peccatum? Quod videtur. Maledictio prohibita est ab Apostolo: quod autem prohibitum est, mortale peccatum est: ergo maledictio est mortale peccatum.

¶ Item, orare pro inimicis & pro persequentibus, est in præcepto: sicut habetur Matth. 5. sed imprecari inimicis, est oppositum illi: ergo est mortale peccatum. Matt. 5.

¶ Contra, dicit Aug. quod ad veniale peccatum pertinet, maledicere cum facilitate. August.

¶ Præterea, Ex corruptione naturæ accidit de facili, quod homo precatur alteri pœnam temporalem; sicut improperat culpam: sed istud est veniale peccatum: ergo & illud, scilicet maledictio.

RESOLVTIO.

Vtrumque, iuxta variam intentionem, qua maledicitur. Quinimmo interdum nec hoc, nec illud, sed bonum.

¶ AD quod dicendum, quod maledictio cum sit voto oprantis, aut est respectu pœnæ æternæ: aut respectu pœnæ temporalis. Item, potest fieri vel ex peruersitate animi, vel ex leuitate pucrili. Si fiat ex peruersitate animi, maxime respectu pœnæ æternæ, est mortale peccatum. Si vero ex leuitate puerili respectu pœnæ temporalis fiat, potest esse veniale. Primo ergo modo potest illud dici. 1. Cor. 6. *Maledicti regnum Dei non possidebunt.* Non enim intelligitur nisi de illis, qui ex peruersitate animi imprecantur. Si vero fiat ex quadam animi præcipitatione siue surreptione; magis cadit in dissuasionem. 1. Pet. 3. *Non reddentes maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes.*

¶ Adhuc nota, quod quadruplex est maledictum. Est maledictum surreptionis, cum alicui subito maledicimus. de hoc loquitur Aug. in Canone iam dicto 25. dist. Est maledictum * lasciuiæ: vt cum alicui non ex animo maledicimus: de quo dicit Hier. *Qui negligit oris maledici resecare consuetudinem, & si non corde maledicat, immunditiam tamen & laborum oris inquinamentum incurrit.* Et hæc duo possunt esse venialia: si tamen ducantur in consuetudinem, possunt esse mortalia propter contemptum. Est etiam tertium maledictum, quod ex odio procedit concepto: & istud est mortale. Et est maledictum iustitiæ, quod ex charitate procedit: & illud est bonum.

August. * Alias, inanis lasciuiæ. Hieron.

MEMBRVM III.

An maledicendum sit creaturæ insensibili, vel irrationali?

TERTIO quæritur. Vtrum sit maledicendum creaturæ non habenti rationem, vel intellectum? Quod non videtur: ei enim imprecanda est pœna, cuius est culpa: sed creaturæ non habentis rationem vel intellectum, non est culpa: ergo ei non est imprecanda pœna.

¶ Item, huiusmodi creatura nihil habet nisi bonum, quod à Deo accepit: sed non est maledicendum creaturæ Dei: ergo nulli creaturæ carenti ratione & intellectu est maledicendum.

¶ Contra, Maledixit Dominus ficulneæ, dicens. Matt. 21. *Nunquam nascatur ex te fructus in sempiternum: & arefacta est ficulnea continuo.* Ergo exemplo eius potest fieri maledictio super rem, non habentem rationem & intellectum.

¶ Item, Iob maledixit diei suo, dicens. Iob 3. *Pereat dies, in qua natus.* Et infra, *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* Ibidem.

¶ Et, *Maledicta dies, in qua sum natus &c.* Hiere. 20. Similiter dicitur. 2. Reg. 1. *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniant super vos: neque sint agri primitiarum.* Ergo contingit maledicere creaturæ non habenti rationem, vel intellectum sine peccato: cum hoc Prophetæ fecerint, & Reges iusti.

RESOLVTIO.

Et quidem; verum non ratione sui, sed ratione creaturæ rationalis peccatricis.

¶ AD hoc dicendum, quod ipsi creaturæ non habenti rationem non est maledicendum propter se: sed ratione rationalis creaturæ peccantis. Maledicitur autem ei aliquando in figura: sicut maledixit Dominus ficulneæ, in quo signatur reprobatio Iudæorum. Aliquando ratione peccati in ea perpetrati: sicut maledixit Iob & Hieremias diei propter peccatum originale, vel concupiscentiam originalem, in qua fuit conceptus vel natus. Aliquando vero fit maledictio creaturæ irrationalis in pœnam creaturæ rationalis peccatis. Vnde Greg. Gregor. *Montes Gelboe ideo maledicuntur: vt de arescente terra fructus non oriatur, & possessores terræ sterilitatis damno feriantur: quatenus ipsi maledictionis sententiam acciperent: qui apud se mortem Regis accipere (iniquitate sua exigente) meruissent.* Aliquando vero fertur maledictio ratione creaturæ rationalis mouentis irrationalem ad aliquod malum: sicut lata fuit maledictio serpentis. Gen. 3. Genes. 3. Maledictio autem terræ fuit in pœnam ipsius hominis peccatoris vniuersaliter. Vniuersaliter ergo in ratione ad creaturam rationalem fertur debita maledictio.

MEMBRVM IV.


An maledicendum sit creaturæ rationali?

QVARTO quæritur, Vtrum sit maledicendum creaturæ rationali: vtpote angelicæ creaturæ, vel humanæ. Quod non, videtur: dicitur enim. Eccles. 21. *Dum maledicit impius diabolum, maledicit animam suam.* Sed nullus debet maledicere animam (non enim contingit optare animæ suæ pœnam æternam) ergo non est maledicendum diabolo: multo magis forte nec aliæ creaturæ rationali: cum minus habeat de malitia.

¶ Item, super illud. Iudæ 1. *Non est ausus ferre iudicium blasphemiæ.* Glo. Glossa. *Michael archangelus diabolo sibi aduersanti blasphemiam dicere noluit* (& loquitur hic de blasphemia pro maledictione) non ergo ausus fuit archangelus maledicere diabolo. Exemplo ergo eius non est maledicendum ab homine diabolo, vel alteri creaturæ rationali. Et est ratio: talis maledictio, quæ fertur super creaturam; blasphemia est in creatorem: nullatenus autem blasphemia est perpetranda: restat ergo, quod non est maledicendum creaturæ rationali.

¶ Contra, *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* Iob 3. Glo. Glossa. *Qui fictam eius claritatem, qua præsumpsit æqualis Deo fieri, & despiciendam monstrauit.* Nomine ergo diei intelligitur diabolus: & loquitur ibi de bonis: ergo boni maledicunt diabolo: non ergo peccatum est maledicere: pari ratione nec alteri creaturæ intellectuali peccanti.

¶ Item, *Maledictus vir, qui annunciauit patri meo &c.* Iere. 20. Ieremias ergo maledixit annuncianti: ergo maledixit creaturæ rationali, & fuit propheta: exemplo ergo eius potest fieri maledictio super creaturam rationalem.



RESOLVTIO.

Adhuc & creaturæ rationali maledici potest: at non inquantum rationalis; sed vel vt à peccato reuocetur: vel vt Dei iustitia manifestetur.

¶ Ad quod dicendum, quod maledictio potest fieri super creaturam rationalem, inquantum est rationalis: & secundum hoc non est maledicendum. Licet enim inquãtum peccatur sit malus, & debeatur ei pœna: tamen inquãtum est natura quædã, est bonum: & dicere malum de creatura redundat in ipsum creatorem: & ideo hoc modo maledicere, peccatum est. Si vero prædicatur, malum pœnæ euenturum peccanti: vt sic reuocet eum à peccato: vel vt ostendatur diuina iustitia; non est malum.

Psal. 108. ¶ Et secundum hoc intelligitur illud, quod prophetæ maledicebant peccatoribus: & quod dicitur. *Fiant filii eius orphani, & vxor eius vidua.*

¶ Illud autem, quod dicitur in Iob 3. de maledictione diei: non accipitur pro imprecatione, sed pro magnitudinis peccati manifestatione.

¶ Si vero quæritur, cum non sint nisi duo sc. natura, & peccatum: vtrum ferenda est maledictio super naturam, vel super peccatum? Super naturam autem non est ferenda, ex ratione iam dicta. Nec super personam, prout est creatura. Super peccatum autem ferri non potest: illud enim maledicitur, cuius pœna prædicitur: peccatum autem non est illud, quod punitur: sed pro quo punitur. Super neutrum ergo videtur ferri maledictio.

¶ Dicendum est: quod persona, prout est causa peccati, digna est maledictione: & hoc modo super totum trãsit maledictio: non tantum super personam, nec tantum super peccatum: sed super personam deformatam peccato. Super rem enim non existentem: non est ferenda maledictio, nec super rem existentem quo ad hoc quod existit à Deo: sed super rem existentem, quæ proprio motu priuauit se bene esse.

Gregor. Greg. *Otiosum est maledicere non existenti: perniciosum vero si existeret: sed tunc rectum cum se bene esse priuauit, & à iustitia Dei non discordat spiritus prædicentis.*

MEMBRVM V.

An tantum Dei sit maledicere?

Quinto quæritur, Vtrum tantum Dei sit maledicere. Quod non, videtur per hoc, quod tot sunt imprecationes prophetarum.

2. Tim. vlt ¶ Ipse etiam Apostolus imprecatur: sicut habetur. *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit: reddet illi Dominus secundum opera eius, quem & tu deuita.*

¶ Contra, illius solius est maledicere, qui nouit peccantis affectum, & peccati qualitatem (quod probatur per

Num. 23. Glossa. hoc quod dicitur. *Quomodo maledicam, cui non maledicit Dominus?* Glo. *Non potest esse iusta maledicendi causa, vbi peccantis ignoratur affectus*) sed homo non potest ista scire, sed solus Deus: ergo solius Dei est maledicere.

¶ Item, non iuste maledicitur ab homine, qui nõ prius maledicitur à Deo: sed homo de se ignorat, quis à Deo maledicitur: ergo non est hominis maledicere, sed solius Dei.

RESOLVTIO.

Quinimmo etiam hominis. Sed aliter, atque aliter.

¶ Ad quod dicendum, quod Dei est maledicere, & ipsius hominis: sed aliter. Deus enim cum maledicit, designat meritum eius, cui maledicitur: & sententiam proponit: quia non latet ipsum affectus peccantis, nec qualitas peccati. Homo vero maledicit, vt cui data est authoritas iudicandi: & qui nouit veritatem iudicii secundum ea, quæ exterius proponuntur. Et ita aliter à Deo, & aliter ab homine maledicitur: illud tamen quod fit ab homine authoritatem habente (claue non errante) fit à Deo.

¶ Ad obiectum autem respondendum: quod iusta causa maledicendi potest esse dupliciter: vel cum cognoscitur affectus eius, cui maledicitur: vel cum cognoscitur actus per se affectum indicans: vel ex quo præsumitur vehementer affectus. Primo modo solus Deus maledicit, vel homo, cui Deus reuelauit: secũdo vero modo homo maledicit: & aliquando maledicit, Deo non maledicente: homo n. iudicat secundum allegata, Deus autem secundum rei veritatem.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod homo potest iuste maledicere, etiam si ignorat Deum maledixisse prius: ex alio enim principio sumit rationem iudicii homo quam Deus aliquando: hoc tamen quod homo habet rectitudinis in iudicio, à Deo habet.

¶ Sed adhuc quæritur: si sacerdos scit aliquem innocẽtem, cui demandatur à superiori, quod excõmunicet eum, vtrum teneatur ei maledicere? Videtur autem quod non: quomodo n. maledicet ei, cui Dominus non maledixit? sed scit eum innocentem: ergo scit quod ei non maledixit Dominus: non est ergo ei maledicendum. Casus.

¶ Contra, demandatum est ei à superiori, penes quem residet authoritas: nec exprimitur error in mandato: ergo tenetur obedire: ergo tenetur illi maledicere.

¶ Ad quod dicendum secundum quosdam: quod tenetur intimare suo superiori innocentiam ipsius: & supplicare quod alteri demandet, qui super hoc non habeat conscientiæ læsionem. Si tamen instet superior, sententiam recitet superioris, sed non excommunicet: cum magis sit Deo credendum, quam homini: Deus enim innocentem habet pro absoluto: homo vero habet illum pro ligato. Alii vero dicunt, quod si instet superior, tenetur excommunicare: aliter enim periret vnitas obedientiæ ecclesiasticæ: posset enim secundum hoc quilibet inferior se excusare: Nec est suum factum, sed factum superioris, à quo demandatur. Nec dicitur agere contra conscientiam: conscientia enim dictat, quod iuste à superiori ligetur.

MEMBRVM VI.

An quis alteri desiderare possit pœnam in futuro?

Sexto quæritur: si maledictio fertur super humanam creaturam, ex qua causa ferenda est, an. s. voto optantis, aut non? Hoc est, vtrum aliquis possit alii optare pœnam in futuro? Quod videtur per hoc, quod homo conformãs voluntatem suam voluntati diuinæ, nõ in hoc dicitur peccare: sed Deus vult pœnam in futuro alicui peccatorum: ergo homo non peccat maledicendo: licet maledicat voto optantis.

¶ Item super illud: *Pecunia tua tecum in perditionem sit.* Glo. *iudicium Dei intus aspicientes, quo maledicto mala debeant foris* * *ferri cognoscunt: & in maledicto non peccant, in quo à iudicio Dei non discordant.* Si ergo illi pœnam optent ipsis peccatoribus, non peccant sic maledicendo. Actuum 8. Glossa *Alias, feriri.

¶ Contra, dicit Aug. exponens illud prophetæ. *Fiat mensa eorum in laqueum &c.* Et iterum: *Fiant filii eorum orphani &c.* Propheta per imprecationem quid esset futurum, cecinit: non optantis voto, sed spiritu prouidentis. In quo innuitur, quod prophetæ non optauerunt pœnas illas: sed prædixerunt, inspirati diuino spiritu. Exemplo ergo prophetarum non est maledicendum voto optantis. Aug. de ser Domin. in monte. Psal. 68. Psal. 108.

¶ Item, tenemur orare pro proximis, maxime ad vitam æternam: cum de nemine desperandum sit, dum est in via. Ergo tenemur optare eis vitam æternam: ergo non tenemur optare mortem æternam: cum non constet de sua reprobatione: ergo tenemur non maledicere voto optantis.

RESOLVTIO.

Nullatenus: tum maxime desiderio vindictæ.

¶ Ad quod dicendum, quod non est maledicendum voto optantis, sed ex amore iustitiæ; vel ex veritatis præuisione, non desiderio vindictæ, nec desiderio pœnæ æternæ.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod si aliquis cognosceret voluntatem diuinam respectu pœnæ æternæ alicuius, sicut Dominus non vult ei pœnam æternam, nisi ex demeritis finalibus: ita nec iste teneretur velle. Non tamẽ simpliciter velle, proprio motu (hoc enim est optare) sed vult quod agat pœnitentiam: & ita non vult ei pœnam æternam. Est ergo in eo duplex voluntas: vna, qua vult ei mortem æternam, si finaliter moritur in peccato mortali: alia est, quæ est secundum se absoluta:

qua

qua non vult ei pœnam æternam: & ideo voto optantis nõ est maledicendum. Vna autem voluntas conformatur voluntati Dei antecedenti, altera voluntati Dei consequenti: de quibus dicit Dama.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet Petrus cognosceret voluntatem Dei consequentem de pœna siue de maledictione ipsius Simonis; & ita voluntas sua quo ad hoc conformaretur voluntati diuinæ: vellet tamen ipsum Simonem agere pœnitentiam ex compassione naturali; & ita declinare pœnam æternam : & quo ad hoc non voto optantis malediceret ei, sed iudicio diuinæ iustitiæ. Vnde Greg. *Cum sancti viri maledictionis sententiam proferant, non ad hanc voto vltionis, sed ex iustitia examine erumpunt: intus enim subtile iudicium Dei conspiciunt.*

Actuum 8

Gregor.

MEMBRVM VII.

Quam graue peccatum sit, creaturas maledicere: si item blasphemia dici, aut par homicidio æstimari possit?

SEPTIMO quæritur de comparatione huius peccati ad alia peccata. Videtur enim quod sit blasphemia, per hoc quod dicitur super illud. *Non ausus est, &c.* Diabolus in substantia bonus est, sed in voluntate malus: ideo ab angelis non blasphematur: quia aliquid proferre aduersus bonam naturam, blasphemiam reputat archangelus. Ergo maledictio diaboli est blasphemia: sed blasphemia est grauissimum peccatum: ergo maledictio diaboli est grauissimum peccatum. Quod autem blasphemia sit grauissimum peccatum, patet ex hoc quod in lege puniebatur pœna lapidationis blasphemus.

Iudæ 1.

¶ Contra super illud. *Nunc deponite & vos omnia &c.* Vbi computatur blasphemia in partem pro minori peccato: & ita maledictio.

Colos. 4.

¶ Præterea, maledictio & blasphemia sunt diuersa peccata in specie : ergo neutrum continetur sub altero.

¶ Item videtur, quod maledictio non differat ab homicidio, per hoc quod dicit Chrys. *Cum dixeris, maledic ei, & domum euerte, & omnia perire fac: nihil ab homicida differs.* Ergo maledictio non differt ab homicidio.

Chrysost.

¶ Contra, videtur contrarium, quod sit maius homicidio. Dicit enim Chrys. *Tales lingua deteriores sunt ore sanguine pleno à carnibus humanis.* Et loquitur de maledictione ibi: quod patet ex præcedenti: dicitur enim ibidem. Sunt quidam, qui in tantum irrationalitatis deuenerunt, quod non solum aduersus inimicos orant, sed & filios maledicunt illorum.

Idem.

¶ Quod autem sit minus peccatum homicidio, patet ex hoc, quod minor ei pœna debetur, & minoris est damni.

RESOLVTIO.

Admodum graue peccatum est, creaturas maledicere, in quantum scilicet creaturas. Verumtamen non ita graue, vt par homicidio censeri possit: sicut nec blasphemia dicitur per essentiam, sed per concomitantiam.

¶ Ad quod dicendum, quod maledictio creaturæ dicitur blasphemia per concomitantiam : qui enim imprecatur pœnam creaturæ, quia est creatura, vel qui malum dicit de ea, per consequens malum dicit de creatore, videlicet quod sit principium mali. Sed non est maledictio blasphemia per essentiam. Et distinguendum est: quod duplex est maledictio diaboli: vel prout est causa malæ voluntatis, qua nocet generi humano: & hoc modo maledictio diaboli non importat secum blasphemiam. Alio modo dicitur maledictio eius in quantum creatura, & per consequens maledicitur creatori: & hoc modo importat blasphemiam secum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur : quod maledictio sit grauissimum peccatum, eo quod contineatur sub blasphemia. Dicendum, quod si fuerit ex deliberatione animi, maledictio illa, quæ est creaturæ in quantum creatura; est valde graue peccatum: redundat enim in creatorem. Si vero fuerit ex calore iracundiæ cum in præmeditatione, minus graue peccatum est. Si vero fuerit maledictio diaboli, in quantum est causa malæ voluntatis, per quam nocet generi humano: est minus graue peccatum: sic enim non redundat in creatorem: & fit ex quodam desiderio vindictæ.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de maledictione & blasphemia, quod differunt specie. Dicendum est, quod hoc verum est: nihilominus potest tamen vnum aliquando comitari alterum ratione alicuius contenti sub ipso.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de comparatione maledictionis ad homicidium: quod est par illi, vel maius. Dicendum: quod hoc dicitur in detestationem illius peccati quo ad radicem: quoniam sub illo præcepto Decalogi, *Non occides*, quadam generali ratione continetur. Minus tamen est homicidio proprie dicto quo ad actum, vel quo ad damnum consequens: Quo ad libidinem vero peccandi posset esse par: & multoties contingit, quod in maledico non deesset voluntas perpetrandi, si adesset oportunitas.

Deut. 5.

MEMBRVM VIII.

An æque maledictiones conueniant in nouo, ac in veteri Testamento?

OCTAVO quæritur. Vtrum æque conueniant maledictiones in nouo Testamento & in veteri. Quod non videtur. Nouum testamentum est lex gratiæ, & misericordiæ: ergo ei non competit imprecatio pœnæ : ergo non competunt maledictiones in nouo Testamento.

¶ Contra, in vtroque Testamento est iudicium spirituale: iudicium vero spirituale vtitur maledictione in delinquentes incorrigibiles: ergo cum æque sit iudicium in nouo sicut in vet. vel magis, erit æque maledictio in nouo, sicut in veteri.

¶ Quod etiam magis sit in nouo, quam in veteri, ostenditur per hoc : quod in veteri authoritas iudicandi data est per seruum: in nouo vero data est per filium. Potestas autẽ dominii plus conuenit filio, quam seruo: in nouo vero testamento legitur. *Pater omne iudicium dedit filio*: nusquam in veteri legitur, quod dederit omne iudicium seruo : cum ergo maledictio sit coercio consequens iudicium, magis competit maledictio in nouo Testamento quam in veteri.

Ioan. 5.

¶ Præterea, quæritur propter quid prohibetur homo maledicere, cum Domini sit maledictio multotiens in veteri Testamento? Cum autem exemplum vitæ hominibus ponat, non facit in huiusmodi, quod non vult ab hominibus fieri: sicut habetur super illud, *Quomodo maledicam &c.*

Num. 23.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum ibi seruiretur timore, hic vero amore: illic seruus, hic filius iudicaret.

¶ AD quod dicendum, quod maledictiones communes sunt veteri Testamento & nouo: magis tamen competebant veteri. Populus enim sub lege Moysi constitutus, plus seruiebat timore pœnæ: quoniam populus duræ ceruicis erat: sicut habetur Actu. 8. Esa. 48. *Scio, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua : ideo posita sunt maledictiones plures, quæ dentur non obseruantibus mandatum*, sicut habetur Deut. 28. Populus autem sub lege gratiæ constitutus, plus seruiebat amore patriæ : & ideo plus est ibi de benedictione, minus de maledictione. Vnde Matth. 5. proponuntur beatitudines sine *væ* tamen Luc. 6. ponuntur cum *væ* id est, maledictionibus: ad ostendendum quod filii Israel seruire debent ex charitate simpliciter: vel habere duplicem respectum, vnum ad præmium, & hoc maius: & alterum ad pœnam, & hoc minus.

Actuum 8. Esa. 48.

Deut. 28.

Matt. 5. Luc. 6.

¶ Ad obiectum autem respondendum est: quod licet iudicium nobilius & potentius sit in nouo, quam in veteri, tamen non ita competit ei maledictio. Regis enim cuius est iudicium, est cum misericordia iudicare, dum est tempus misericordiæ: serui vero, qui iuratus est legibus, est cum seueritate iudicare. Ideo Christus, qui constitutus est rex & iudex in nouo Testamento, cum misericordia iudicat in præsenti: in futuro vero cum seueritate iudicabit, vbi nullum relinquitur iudicium seruo. Seruus vero, qui iuratus est legibus in præsenti cum seueritate iudicat : ideo in veteri Testamento tam graues pœnæ erant constitutæ.

¶ Ad

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: propter quid homini prohibetur maledicere: cum ipse Dominus maledicat: qui exemplum agendi hominibus dat. Dicendum, quod est duplex maledicere: vnum, quod est ex malitia vindictæ: & aliud, quod est ex amore iustitiæ. Prohibetur ergo homini maledicere zelo vindictæ: sed non prohibetur maledicere ex amore iustitiæ: cum ad eum pertinet ius authoritatis diuinæ: & hoc modo accipit exemplum à Deo, qui non maledicit nisi virtute iustitiæ.

QVÆSTIO CXXXI.

De blasphemia.

In septem Membra diuisa.

D. Th. 2. 2. q. 13. S. Bon. in 3. d. 41. spatim. POST peccata oris, quæ vergunt in iniuriam proximi: sequitur peccatum oris, quod vergit in iniuriam Dei principaliter: quod dicitur blasphemia. Circa quod quærendũ est primo, quid sit blasphemare. Secundo, quæ sint differentiæ eius. Tertio, vtrum sit semper mortale peccatum. Quarto, vtrum sit hominis tantum in præsenti, an etiam in futuro. Quinto de comparatione huius peccati ad quædã alia genera peccatorum, vel specierum inter se. Sexto, vtrũ sit peccatum irremissibile. Septimo, vtrum sit tantum in dictis vel etiam in factis.

MEMBRVM I.

Quid sit blasphemare.

Haymo. CIRCA primum sic dicit Haymo. *Blasphemare est contumeliam, vel aliquod conuitium inferre in iniuriam creatoris.*

Ephes. 4. Glossa ¶ Sed videtur, quod hæc diffinitio non conueniat omni blasphemiæ, per hoc quod dicitur super illud. *Blasphemia tollatur à vobis* Glo. *quæ fit in Deum, vel in sanctos.* Ergo non omnis blasphemia est in Deum.

Iudæ 1. Glossa. ¶ Item, super illud. *Maiestatem autem blasphemauerunt* Glo. *Omnis Blasphemia est cauenda, sed maxime in creatorem.* Ergo non omnis blasphemia est in Deum.

RESOLVTIO.

Blasphemare est, contumeliam vel conuicium in creaturis iniuriam inferre. Vel, Blasphemare est, per quod de Deo ipso falsa dicuntur.

¶ AD quod dicendum, quod blasphemia proprie dicta est in Deum: Quod autem dicitur in sanctos, vel in creaturam: hoc est, quia in illis blasphematur Deus, qui est cõditor creaturæ, & rector, & dator sanctitatis. Directe ergo vel indirecte omnis blasphemia est in Deum.

¶ Ponitur iterum diffinitio blasphemiæ talis. *Blasphemia est, per quam de Deo ipso falsa dicuntur.*

¶ Sed videtur, quod hæc diffinitio non conueniat. Est enim quoddam blasphemare, cum attribuitur creaturæ, quod est proprium Dei: vt si dicatur, quod angelus, vel homo creat: & ibi non falsum dicitur de Deo: sed de creatura. Ergo prædicta diffinitio non est conueniens.

¶ Ad quod dicendum, quod prædicta definitio intelligitur de blasphemia simpliciter: vbi remouetur à Deo, quod ei vere conuenit: vel ei attribuitur, quod non conuenit: non quia non sit blasphemia, attribuere alteri, quod ei soli conuenit.

MEMBRVM II.

Quæ, & quot sint blasphemiæ differentiæ.

SECVNDO quæritur: Quæ sint differentiæ eius: Et ponuntur tres: quarum vna est, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit. Secunda est, cum ab eo remouetur, quod ei conuenit. Tertia, cum attribuitur creaturæ, quod ei appropriatur.

Aug. in 1. lib. de Trin. ¶ Item, in Primo Lib. de Trin. ponuntur aliæ tres differentiæ: quarum vna est eorum, qui sapiunt de Deo secundum corpus, vt qui opinantur Deum esse candidum, vel rubeum, & talia ei attribuunt. Et alia est eorum, qui sapiunt de Deo secundum spiritum creatum, & talia ei attribuunt: vt quod Deus est obliuiscens, aut recordans, siue pœnitẽs, & huiusmodi. Tertia est eorũ, qui attribuunt Deo aliquid excellens corpus & spiritum, quod nulli rei conuenit: vt qui dicunt Deum talis esse potentiæ, vt seipsum genuerit (nulla enim est res, quæ seipsam gignat, vt sic) & hæc blasphemia est maior prædictis: vnde dicit. Hic morbus omnium trium generum est pessimus.

¶ Potest ergo quæri, qualiter hæ tres differentiæ se habeant ad alias tres.

¶ Præterea, vtrum possint esse plures, quam tres: vt duæ sint respectu creaturæ: sicut duæ sunt respectu creatoris?

¶ Præterea, cum sint tres differentiæ, potest quæri: vtrũ blasphemia æque dicatur de eis: an magis de vna, quam de altera.

¶ Videtur enim quod maxima blasphemia sit, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit. Vnde horrendum est de Deo aliquid falsi dicere, & si ad laudem eius videatur pertinere: non enim minori, sed maiori scelere fortassis in Deo laudatur falsitas, q̃ vituperatur veritas. Ergo maior blasphemia videtur esse, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit; quam cum remouetur ab eo, quod ei conuenit.

¶ Contra, plus est mali, Deum asserere Deum non esse, quam supponẽdo ipsum esse aliquid, & ei attribuere quod non conuenit. Sed cum quicquid in Deo est, idem sit quod Deus: remouere aliquid ab eo, quod ei conuenit, est remouere ab eo esse. Ergo maior blasphemia est, cum remouetur ab eo, quod ei conuenit: quam cum attribuitur ei, quod ei non conuenit. Ergo maior blasphemia est, cum vituperatur veritas, quam cum laudatur falsitas.

RESOLVTIO.

Tres scilicet attribuere Deo quod Deo non conuenit: remouere à Deo, quod Deo conuenit: & attribuere creaturæ, quod ei attribui debet.

¶ AD quod dicendum, quod tres differentiæ, quæ dantur intelligi in Primo de Trinitate, continentur sub vna differentia alterius diuisionis: sub illa sc. qua attribuitur aliquid Deo, quod ei non conuenit: vnde non est prima diuisio blasphemiæ, sed secunda.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod non sunt duæ differentiæ blasphemiæ respectu creaturæ, sicut sunt duæ respectu creatoris: omnis enim differentia blasphemiæ aliquo modo ad creatorẽ, siue ad Deum refertur. Cum enim attribuitur creaturæ aliquid, quod soli Deo conuenit; iniuria est creatoris: si vero remouetur à creatura, quod Deo conuenit, vel non conuenit: nulla ex hoc fit Deo iniuria. Et ita respectu creaturæ est tantum vna differentia blasphemiæ, in attribuendo sc. non in remouendo: respectu vero creatoris vtroque modo.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod differunt hæ tres differentiæ secundum gradus vt prima sit, cum laudatur falsitas: secunda, cum vituperatur veritas: tertia, cum falso attribuitur creaturæ, quod est solius creatoris.

¶ Ad obiectum autem in contrarium: dicendum, quod licet quicquid in Deo est, sit ipse Deus, tamen contingit aliquid negare de Deo, quod ei conuenit: nec tamen negatur ipsum esse: vnde non ex hoc sequitur, quod maius malum sit vituperare in Deo veritatem, quam laudare falsitatem.

MEMBRVM III.

An veniale, vel mortale peccatum sit blasphemia?

TERTIO quæritur, Vtrum blasphemia sit semper mortale peccatum? Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Ad populum terribilem &c.* Glo. *Omne peccatum cõparatum blasphemiæ leuius est.* Ergo non est veniale peccatum; & est peccatum vel veniale vel mortale: ergo est mortale. Isa. 18. Glossa

¶ Item, sicut habetur Leu. 24. Peccato blasphemiæ debebatur lapidatio: sed omne peccatum, cui in veteri lege mors debebatur pro pœna, mortale peccatum reputatur in genere: ergo blasphemia est vniuersaliter mortale peccatum. Leu. 24.

¶ Contra, super illud. *Nunc autem deponite &c.* Glo. Amb. *Post maiora prohibet minora: inter quæ computatur blasphemia: & enumerantur ibi peccata venialia:* ergo aliqua est blasphemia, quæ est veniale peccatum. Col. 3. Glossa Ambrosi.

¶ Præterea, ea peccata, quæ remittuntur, inter venialia computantur: & si non ex genere, tamen ex euentu. Sed

blasphe-

blasphemia est de peccatis, quæ remittuntur hominibus, sicut habetur. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus.* Et *Dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ*, quibus blasphemauerunt. Ergo blasphemia computatur inter peccata venialia genere, vel euentu.

Matt. 12. Marc. 3.

RESOLVTIO.

Et hoc, & illud interdum.

¶ AD quod dicendum, quod blasphemia est mortale peccatum: cum quis cum deliberatione in iniuriam Dei peccat. Si vero fiat ex surreptione, potest esse veniale secundum conditionem personæ: licet quantum est de genere actus, dicat* mortale peccatum.

¶ Ad obiectum autem primo dicendum est: quod licet blasphemia computetur inter minora peccata; non tamen ex hoc sequitur, quod blasphemia secundum omnem modum sit mortale. In peccatis enim mortalibus quædā sunt maiora, quædam sunt minora: potest autem esse veniale, cum adest ignorantia, qua non credit homo blasphemare Deum; & si dicat huiuscemodi verba, & eum hoc fuerit affectionis impetus, vt ex parte rationis & voluntatis peccatum alleuietur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet blasphemia aliqua sit remissibilis: non tamen est propter hoc veniale peccatum in genere suo. Sed ex hoc sequitur, quod habet infirmitatem, vel ignorantiam adiunctam in persona: propter quam moueatur Deus ad remittendum, vel moueri possit.

¶ Ad ea vero, quæ obiecta sunt ex alia parte. Dicendum est, quod cum dicitur: omne peccatum comparatum blasphemiæ leuius est: hoc non intelligitur de blasphemia, prout continet in se omnem modum blasphemiæ: sed prout determinat blasphemiam in summo. Vel fit comparatio aliorum peccatorum, quibus peccatur in proximum, inquantum peccatur in proximum respectu blasphemiæ, inquantum peccatur in Deum, secundum illud quod dicitur. *Si peccauerit vir in virum, placari poterit Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Si vero accipiatur blasphemia in termino, hoc est pro spiritu blasphemiæ, prout dicitur. *Spiritus blasphemiæ non remittetur &c.* secundum hoc fit comparatio ad peccata, quæ fiunt ex infirmitate, & ex ignorantia: quæ quantum est de hoc, leuiora reputantur.

1. Reg. 2.

Matt. 12.

MEMBRVM IV.

An hic tantum, vel etiam in inferno blasphemia sit?

QVARTO quæritur, Vtrum hominis sit tantum in præsenti blasphemare, aut etiam in futuro. Quod tantum in præsenti, videtur: blasphemare n. est peccare in Deum: sed in præsenti est tempus peccandi: ergo in præsenti tantum est tempus blasphemandi.

¶ Contra super illud. *Blasphemauerunt in memoria apud Deum.* Glo. *In inferno positi, quamuis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen, quod Deus tantam potentiam habeat, quod plagas eis inferat.* Et hoc est blasphemia: ergo non tantum est blasphemia in præsenti, sed etiam in futuro.

Apoc. 16. Glossa.

¶ Forte dicetur: quod blasphemare in futuro non dicetur per modum actus culpabilis, licet sit per modum habitus: sed erit per modum actus pœnalis. Contra, velle potentiam diuinam minui, si esset in aliquo præsenti, designaret cordis blasphemiam: & si prorumperet in actum sermonis, esset blasphemia oris. Si ergo consimilis actus in specie sit in ipsis damnatis: sicut est hic actus culpabilis, ita & ibi erit actus culpabilis.

RESOLVTIO.

Adhuc & in inferno blasphemia est: sed aliter quam hic.

¶ AD quod dicendum, quod licet consimilis actus inordinatus exeat à damnatis, qualis exit à peccatorib. in præsenti: tamen diuersum est principium exeundi. Hic n. trahit aliqua delectatio libidinosa, quæ exit à liarb. ibi vero sustinentia pœnæ excellentis in duratione, vel acerbitate inducit ad hoc: vnde hic cedit in actum culpabilem; ibi totaliter cedit in actum pœnalem: similitudo enim actus in specie naturali est vtrobique: sed similitudo in specie morali non est vtrobique: dolor enim aliquando nominat actum culpabilem, aliquando nominat actum pœnalem: & tunc est dissimilitudo in specie morali.

MEMBRVM V.

An blasphemia peccatum maius sit peccatis reliquis, tum maxime homicidio, & periurio?

QVINTO quæritur de comparatione huius peccati ad alia quædam genera peccatorum, vel species inter se. Et primo ostenditur, quod maius est peccatum aliis peccatis. *Ad populum terribilem*, Glo. *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit os suum in cælum.* Ergo est maius peccatum aliis. Isa. 18. Glossa

¶ Item Rich. *Sceleratissimum genus peccati, quando quis in Dei vituperiis delectatur. Quid aliud est spiritus blasphemiæ, nisi affectatio & desiderium vituperationis?* Cum ergo hoc genus peccati sit blasphemia, erit maius aliis peccatis. Rich. de S. Victor.

¶ Contra super illud. *Nolite exaltare cornu.* Glo. *Maximum est vitium excusationis: nam quasi cornu erigit, qui peccata sua per alios nititur excusare: vt per diabolum, vel per alios suasores, vel per necessitatem stellarum.* Ergo peccatum excusationis est maximum: non ergo blasphemia. Psalm. 47. Glossa Cassiod.

¶ Item, super illud, *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Glo. *Est defensio peccatorum, quando defendit homo quod Deus odit: de quo dicitur. Est peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt oret quis:* Sed peccato ad mortem nullum est maius: ergo nec blasphemia. Psal. 58. Glossa

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, vt excedentia, & excessa se habent.

¶ AD quod dicendum, quod blasphemia, prout accipitur pro spiritu blasphemiæ, est maximum peccatum ex duplici ratione: quia iniuria fit Deo: & quia ex malignitate peccatur. Maius est ergo respectu illorum peccatorum, quæ non fiunt in Deum: & respectu eorum, quæ fiunt, sed non ex malignitate: & sic accipiuntur prædictæ auctoritates. Cum autem dicit, quod peccatum excusationis est maximum: intelligendum est, quod maximum dicitur, quia aufert remedium peccati ex parte eius, qui pœnitere debet: remedium autem peccati est accusatio ipsius peccatoris, & omnimoda confessio peccati: in hoc ergo dicitur peccatū excusationis maximum. Ex altera parte blasphemia dicitur maximum, quia prouocat oculos diuinę maiestatis ad non miserendum siue ad non remittendum.

¶ Deinde quæritur, vtrum blasphemia sit maius peccatum homicidio: vel par? Quod autē sit, videtur per hoc quod dicit Aug. *Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælis: quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Sed qui crucifixerunt, perpetrauerunt graue homicidium: ergo blasphemia in Christum regnantem in cælo, est par peccatum, vel maius homicidio. August.

¶ Ad idem, peccatum blasphemiæ est contra præceptū primæ tabulæ: peccatum vero homicidii contra præceptū secundæ tabulæ: sed maius est præceptum primæ tabulæ, quam secūdæ: ergo maius est peccatum blasphemiæ, quam homicidii.

¶ Contra, homicidium omni genere est mortale peccatum, cum est peccatum: primum locum etiam tenet in pœnis: blasphemia non omni genere est mortale: nec semper debetur ei primus locus in pœnis: ergo homicidium est maius peccatum blasphemia.

¶ Ad quod dicendum, quod maius potest dici peccatū peccato secundum plures rationes: tum secundum rationē maioris libidinis: tum secundum rationem maioris iniuriæ: tum secundum rationem maioris damni: tum secundum rationem maioris reatus. i. obligationis ad maiorem pœnā. Secundum primum modum patet peccatum blasphemiæ esse par peccato homicidii: quia ex æquali libidine, & excedentia possunt esse, & excessa. Quantum ad secundā rationem maius est peccatum blasphemiæ: quā homicidii: quia fit maior iniuria ratione maioris status: status n. regnantis in cœlis est maior ipsius regnantis in terris: præterea, plus est auferre vitam gratię, quam vitam naturæ. Quantum autem ad tertiam rationem maius damnum consequitur essentialiter ipsum peccatum homicidii, quam ipsum peccatum blasphemiæ: maior etiam pœna temporalis debetur in criminis maioris detestatione.

¶ Adhuc etiam quæritur, vtrum blasphemare sit maius

peccatum quam periurare? Et videtur, quod periurare sit maius peccatum: quia qui periurat, nomen Dei sumit in vanum: & Deum assumit testem falsitatis: sed testis falsitatis non potest esse nisi falsus: & ita imponit Deo falsitatem: sed non omnis blasphemans dicit Deum esse mendacem: sed aliquid aliud attribuit ei, quod ei non conuenit: ergo minor potest esse blasphemia periurio. Quæ enim maior iniuria, quam Deum dicere mendacem, cum sit summa veritas?

Ephes. 4. Glos. ordinaria: & sumitur ex Aug. in lib Contra Mendacium c. 19. ¶ Contra, super illud. *Blasphemia tollatur à vobis.* Glo. *Maius est blasphemare, quam periurare: quia periurando falsæ rei adhibetur testis Deus: blasphemando de se ipso falsa dicuntur.*

¶ Ad quod dicendum, quod blasphemia est maius peccatum in genere periurio: licet vtrumque referatur ad præceptum primæ tabulæ, secundum quendam modum. Plus enim est falsum dicere de Deo, quam dicere falsum de creatura cū assertione. Et licet in periurio inuocetur Deus testis: hoc non est, quia Deus sit testis falsitatis: sed vt firmetur credulitas in eo, cui iuratur: Nihilominus tamen aliqua blasphemia potest esse minor aliquo periurio: & quia ex minori libidine procedat: & quia minoris sit damni.

MEMBRVM VI.

An blasphemia in dictis tantum sit, vel etiam in factis?

SExto quæritur, Vtrum blasphemia sit tantum in dictis, an etiam in factis. Quod autem sit in dictis, patet per hoc quod dicitur. *Blasphemia est, per quam de Deo ipso falsa dicuntur.* Ephes. 4.

Leu. 24. Glossa ¶ Similiter *Qui blasphemauerit nomen Domini &c.* Glo. *Maledicit Deum, qui nesciens blasphemat: & peccatum recipit*, id est pœnam peccati.

2 Pet 2. ¶ Contra, super illud. *Per quos via veritatis blasphematur &c.* Via veritatis blasphematur per hæreticos, non solum in eis, quos suæ hæresi seductos associant: sed eis quoque quos per impurissima facta sua, & sacrificia, vel etiam ministeria execranda, quæ faciunt, in odium Christiani nominis concitant, existimantibus imperitis omnes Christianos huiusmodi flagitiis mancipatos. Ex quo habetur quod blasphemia non tantum est in dictis, sed etiam in factis.

RESOLVTIO.

Et in dictis, & in factis, in illis proprie, in his communiter.

¶ Ad quod dicendum: quod blasphemia proprie dicitur esse in verbis: extenditur tamen aliquando ad illam, quæ est in operibus. Sicut confessio & negatio, licet proprie dicantur in verbis: tamen nihilominus aliquando accipiuntur in factis: sicut dicitur 1. ad Tit. Confitentur quidem verbis, factis autem negant. 1. ad Tit.

MEMBRVM VII.

An remissibile, vel irremissibile peccatum blasphemia sit?

SEptimo quæritur, Vtrum blasphemia sit peccatum irremissibile. Quod videtur per hoc, quod dicit Hugo loquens de hoc peccato: quod hoc malum nihil habet in se excusationis: & propter hoc non videtur habere causam remissionis: ergo hoc peccatum est irremissibile. Hugo de S. Victore.

Matt. 12. ¶ Dicitur etiam. *Spiritus blasphemia nec remittetur hic, nec in futuro.*

Hesicius. ¶ Item Hesicius loquens de hoc peccato. *Iuste sine misericordia punitur, siue à patribus tanquam ciuis eruditus, siue nouiter didicerit, tanquam peregrinus.* Ergo peccatum huiusmodi est irremissibile.

Hieron. ¶ Contra, Hier. *Blasphemia licet culpa non careat erroris: tamen veniam habet propter corporis mutabilitatem.*

Matt. 12. ¶ Præterea, Blasphemiæ & peccata remittuntur hominibus. Ergo blasphemia est remissibilis.

RESOLVTIO.

Et remissibile, & irremissibile.

Richard. ¶ Ad quod dicendum, quod blasphemia aliquando fit ex coactione sicut dicit Richardus: aliquando ex deceptione. Cum autem fit ex coactione, tunc peccatur in patrem: cum autem ex deceptione, tunc peccatur in filium. Vtroque autem modo habet in se causam excusationis: & dicitur remissibile: quia habet secum annexam causam motiuam misericordiæ diuinæ ad remissionem. Cum autem peccatur ex malignitate, vel ex certa scientia peccato blasphemiæ, quod dicitur spiritus blasphemiæ, dicitur peccatum irremissibile: non quia non possit remitti, vel quia non aliquando remittatur: sed quia non gerit secum causam mouentem ad remissionem. Et hoc modo intelliguntur rationes supradictæ.

QVÆSTIO CXXXIII.

De Risu, & Ludo.

In quatuor Membra diuisa.

DIcto de peccato cordis, & oris: consequenter dicendum est de peccato operis. Sed peccatum operis magnam latitudinem habet: in Tractatu diuisionum sequentium agetur de illis. In præsenti autem sufficiat de peccatis operis, quæ pertinent ad gestum, vel ad nutum corporis, & quæ pertinent ad ornatum. Peccatum autem, quod est in gestu, vel nutu corporis, quoddam attenditur in se: quoddam respectu proximi. Peccatum in se dicitur peccatum ioculationis: vt risus attendatur quantum ad motum oris: ioculatio autem siue gesticulatio quantum ad motum corporis: subsannatio autem & derisio quantum ad proximum. D. Th. 2. 2. quæst. 68.

¶ Primo ergo dicendum est de risu, & ioculatione, quærendo, vtrum ridere, & ludere siue ioculari sit peccatum? Secundo si aliquando est mortale. Tertio, si inspectores ludorum aut ioculationum peccent aliquando venialiter, aliquando mortaliter. Quarto, vtrum ministrantes necessaria talibus peccent?

MEMBRVM I.

An ridere, & ludere, siue ioculari peccata sint?

AD primum sic: videtur quod ista non sint peccata: ridere enim à natura inest homini: & sicut flere est respectu tristabilis, ita ridere est respectu delectabilis: sicut ergo flere potest esse sine peccato, ita & ridere sine peccato.

¶ Item, inter omnes virtutes morales, siue consuetudinales computatur eutrapelia: eutrapelia autem est medietas in ludis: ergo contingit ista fieri sine peccato.

¶ Item, dicitur. *Est tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi.* Tempus autē sumitur pro opportunitate, oportunitas autem non est in peccato: ergo risus & saltatio possunt esse sine peccato. Eccl. 3.

¶ Item Greg. *Dauid plus stupeo saltantem, quam pugnantem: pugnando hostem subdidit, saltando coram Domino seipsum vicit:* Sed pugnando cum hoste meruit: ergo multo fortius saltando meruit. Gregor.

¶ Item, Seneca: *Si tempus iocum exigit, sic te gere sapienter, vt nullus habeat te tanquam asperum, nec contemnat te vt vilem.* Ex quibus omnibus colligitur, quod ludus & ioculatio possunt esse sine peccato. Seneca.

¶ Contra. *Surrexerunt ludere* Glo. *Esus & potus ad ludum impulit, ludus ad idololatriam: quia si vanitatis culpa non caute compescitur, ab iniquitate mens incauta deuoratur.* Ergo in ludo est peccatum. Exod. 32. Glossa

¶ Item, Chrys. *Non dat Deus ludere, sed diabolus. Audi quid ludentes passi sunt: Sedit populus comedere & bibere, & surrexerunt ludere &c.* Ergo ludere non est sine peccato. Chrys. Hom 6. in Matth.

¶ Item, *Non sedi in consilio ludentium.* Et similiter Tob. 3. Malum est ergo ludere: cum in opposito personæ illæ reddantur commendabiles. Ierem. 15. Tob 3.

¶ Item, Chrys. *Non est nostrum ridere continue, & frangi, & lasciuire* (& loquitur in persona Christianorum) ergo Christiani peccant ludendo. Chryso.

¶ Similiter dicitur de risu, per hoc, quod dicitur. *Væ vobis, qui nunc ridetis.* Et *Cor stultorum, vbi lætitia.* Et dicit Glo. *Docet stultitiam ridentibus, prudentiam flentibus ascribendam.* Luc. 6. Eccl. 7. Luc. 6.

RESOLVTIO.

Interdum peccata, interdum non peccata, quinimmo ad meritum tendentia.

¶ Ad quod dicendum, quod multiplex est risus. Est enim quidam, qui prouenit ex serenitate conscientiæ & prægustatione gaudii superni: & iste risus non tantum est sine peccato: sed pertinet ad fructum spiritus, qui est gaudium. Est iterum risus, qui cedit in præmium: de quo dicitur. *Ridebit in die nouissimo*: [Prou. vlt.] vnde Glos. [Glossa] *Gaudebit in retributione regni cælestis, qui dolebat in certamine vitæ præsentis.* Est iterum risus, qui procedit in demeritum; qui fit ex immoderata lætitia: de quo dicitur. *Melior est ira risu.* [Eccl. 7.] Glo. interli. [Glossa.] *Qui dissoluit etiam sapientem.* Et in eodem. [Ibidem.] *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla: sic risus stulti.* Et secundum hunc modum ridere est sine peccato. Est iterum risus ex ipsa naturæ mansuetudine: & sic attestatur bonitati naturæ: & bonum naturæ determinat.

¶ Eodem modo potest distingui de saltatione & ludo. Est enim saltatio, vel ludus, quæ proueniunt ex mentis lasciuia: & secundum hoc sunt peccata, vel cum peccato. Et est iterum saltatio vel ludus ex spirituali mentis iocunditate: & hoc modo saltauit Dauid coram arca, [2 Reg. 6.] & risit in signum humilitatis, & spiritualis iocunditatis: & secundum hoc saltatio cessit in meritum. Aliquando vero fit ad naturæ recreationem: & secundum hoc bonum naturæ determinat. Aliquando fit causa exercitii, & sic bonum artis determinat: & secundum hunc modum potest esse indifferens ad meritum vel demeritum.

¶ Per iam dicta possunt solui, quę obiecta sunt. Quod enim primo dictum est, ad actum naturalem refertur: secundum ad actum virtutis consuetudinalis: tertium vero indifferenter accipitur: quartum vero ad actum virtutis gratuitæ: quintum vero ad actum virtutis moralis.

¶ Econtra vero quod dicitur in Exod. ad ludum culpabilem pertinet. Similiter & ea, quæ consequuntur de ludo, risu, & ioculatione.

MEMBRVM II.

An item mortale, vel veniale peccatum sint risus, ludus, & ioculatio?

SECVNDO quæritur, si aliquando sint peccata mortalia, videlicet risus, ludus, & ioculatio. Quod videtur per hoc quod dicitur. [Luc. 6.] *Væ vobis, qui nunc ridetis. Væ* enim comminationem pœnæ æternæ signat, quæ pro peccato mortali debetur.

¶ [Beda.] Item, Beda. *Risui vacantes, male obsequentium clientela maiorem fouentur ad pœnam.*

¶ [Iacob. 4.] Item, *Risus vester in luctum conuertitur.* Glo. interlin. [Glossa] *Qui fuit de leuitate seculari.* Et iterum. [Prou. 14.] *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Et dicit Interli. [Glossa] *Luctus perpetuus.* Sed talis non debetur nisi pro mortali peccato: ergo &c. Et [Prou. 17.] *Risus illorum in delictis peccati.* Sed delictum sonat in mortale peccatum: ergo risus est mortale peccatum.

¶ Quod autem sit veniale, patet ex quibusdam authoritatibus supradictis: fiunt enim ex quadam causa leuitatis: sicut dicitur Tob. 3. [Tob. 3.]

¶ Præterea, non est expressa prohibitio diuina, in contemptum cuius videantur perpetrari.

RESOLVTIO.

Vtrumque, iuxta diuersam lætitiæ causam, ex qua originem trahunt.

¶ Ad quod dicendum, quod aliquando in iis est veniale peccatum: aliquando mortale. Potest enim immoderata lætitia, ex qua originem dicunt, non præferri incommutabili bono, sed potest fieri conuersio ad mutabile bonum citra Deum: & sic erit veniale. Si vero fiat in contemptum Dei, vel præferatur incommutabili bono: secundum hoc erit mortale peccatum. Ille ergo ludus, quo ludebat populus Israeliticus, vitulum aureum faciendo, vel erat mortale peccatum, vel dispositio ad mortale peccatum. Videtur autem ex Glo. quod esset dispositio ad mortale peccatum: introducitur enim illa authoritas. [Eccl. 19.] *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

¶ Illud etiam, quod dicitur. *Risus vester conuertatur in luctum*: [Iacob. 4.] de veniali peccato videtur intelligi. Posset tamen ad vtrumque referri: agitur enim ibi de pœnitentiæ luctu, qui est de venialibus, & mortalibus peccatis.

¶ Ad illud autem, quod dicitur. *Væ vobis, qui nunc ridetis*: [Luc. 6.] de mortali peccato intelligitur. Similiter illud Chrysostomi iam allegatum superius. Non est Christiani ridere continue, & frangi, & lasciuire: sed eorum, qui in cæno sunt fornicantium mulierum: & eorum, qui diabolo vectigal soluunt.

MEMBRVM III.

An mortale, vel veniale peccatum sit, ludis & ioculationibus interesse?

TERTIO quæritur: si inspectores ludorum, aut ioculationum peccent aliquando venialiter, aliquando mortaliter. Quod autem peccent mortaliter, videtur per hoc quod dicit Chrysost. [Chrysost.] *Adulteros & inuerecundos constituunt talium inspectores: nihil enim stuprosius, neque oculo turpius, talia videre concedente.* Cum ergo causa sit mortalis peccati: erit mortale peccatum. Dicitur enim: [Matt. 5.] *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Et dicit Chrysost. [Chrysost.] *Melius est luto & gurgite omnem visum reuergere: quam talem inspicere iniquitatem: neque enim ita oculis iactura est gurges, vt incontinens visus, & denudatæ mulieris inspectio.*

¶ [Idem.] Item Chryso. *Expellamus saltatricem: & si nullum alium, barbaros saltem zelamini: etenim ab omni tali sunt puri inspectatione: quæ ergo erit nobis excusatio, qui deberemus esse ciues regni cælorum? barbaris in hoc deteriores sumus.* Ex quo accipitur, quod huiusmodi voluntaria inspectio mortale peccatum est.

¶ [Idem.] Item Chrysost. *Peccatum hoc intantum imponit sordem, vt neque decem millibus fontibus expurgare possis: sed solum lacrymis & confessionibus.* Cum ergo hoc competat mortali peccato, erit mortale peccatum.

¶ Item, leges, quæ à Græcis scriptæ sunt; tales personas voluerunt esse infames. Sed participare infamibus in actu, per quem trahitur infamatio, est mortale peccatum, (est enim crimen) ergo inspectatio voluntaria ioculationum est mortale peccatum.

¶ Contra, minus peccatum est inspicere: quam ipsum agere: si ergo ipsum agere non semper est mortale: multo fortius nec ipsum inspicere.

¶ Præterea, inspicere aliquando fit casu, & non præcedente proposito: sed peccatum mortale non videtur fieri sine proposito: ergo inspectio voluntaria ioculationum non semper est mortale peccatum.

RESOLVTIO.

Et mortale, & veniale: iuxta circumstantias, quibus interesse contingit.

¶ Ad quod dicendum, quod duplex est inspectio. Quędam est in transitu, nec vlterius intendit ad delectationem mortalis peccati, vt fornicationis, vel adulterii: & talis est veniale peccatum. Est alia inspectio studiosa, in qua est fomentum mortalis peccati: & talis potest esse mortalis. Præterea, quædam est ioculatio histrionica: quædam est etiam ioculatio chorealis mulierum lasciuarum: quædam vero est exercitii causa, vel tollendi fastidium, siue tollendæ accidiæ. Studiosa ergo inspectio, per quam præstatur fomentum ioculationis histrionicæ, vel ioculationis chorealis, potest vergere in peccatum mortale.

¶ Et secundum hoc potest responderi ad ea, quæ obiecta sunt.

MEMBRVM IV.

An fouentes huiusmodi ioculatores, & lusores, mortaliter peccent?

QVARTO quæritur, vtrum peccent ministrantes necessaria talibus? Quod videtur per hoc, quod dicitur ab Aug. [Aug. super Ioan. tr. 100.] *Donare res suas histrionibus, vitium est immane.*

¶ Præterea, infames personæ sunt huiusmodi ioculatores: sicut habetur. 4. q. 1. [4. q. 1.] vbi dicitur quod infamiæ maculis sunt aspersi, sc. histriones: fouere autem eos; qui infames sunt in ratione infamiæ, peccatum est: ergo &c.

¶ [Chryso. vide Hom. 6. in Matt.] Item Chrys. *Non ita ille, qui hoc fingit, est delinquens, vt tu qui hæc in-*

hæc iubes facere: magis autem neque iubes solum, sed studes, & lætaris, & laudas: qui fiunt & omnino applaudis tali ergasterio dæmoniorum. Ergo qui fouet eos in peccato, magis delinquit.

Idem. ¶ Item Chrys. *Principium & radix talis iniquitatis vos estis: maxime qui tributis, qui diem vniuersam in his consumitis, & honestas nuptiarum res deturpatis.* Sed qui est radix iniquitatis, magis peccat, quam ille qui est ad modum rami: ergo ministrantes necessaria, & fouentes huiusmodi ioculatores mortaliter peccant.

RESOLVTIO.

Et mortaliter, & venialiter, & neutro modo: iuxta intentionem, qua fouet.

¶ Ad quod dicendum, quod illi, qui ministrant eis necessaria in fouendo vitium, si hoc faciunt isto intuitu, mortaliter peccant: talibus enim dare pro exercitio sui vitii, immane peccatum est. Si vero hoc fiat ex aliqua causa veniali, non intuitu fouendi in peccato: veniale peccatum potest esse. Si vero causa necessitatis naturæ, non est peccatum, nisi fuerit ratione circumstantiæ. Vnde Ambr. *Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem seruare poteras; si non pauisti, occidisti.* Et dicit iterum. *Qui clementiam non habet, non induitus est viscera misericordiæ: quamuis spiritualis sit, non adimpleuit legem Christi.*

Amb. lib. de officiis. Refertur dist. 36 cap. Pasce. Idem.

QVÆSTIO CXXXIV.

De Derisione.

In quinque Membra diuisa.

D. Th. 2. 2. quæst. 75. CONSEQVENTER dicendum de peccato derisionis. Primo ergo quærendum est, quid sit derisio, & vtrum idem sit quod subsannatio? Secundo, vtrum sit peccatum mortale, vel non. Tertio, quod est in illo genere maius peccatum. Quarto, vtrum sustinens derisionem mereatur. Quinto, de damno, quod accidit ex derisione.

MEMBRVM I.

An derisio idem sit quod subsannatio?

Prou. 3. CIRCA primum quæritur, vtrum subsannatio sit derisio. Quod videtur: dicitur. *Abominatio est Domino omnis illusor.* Vbi illusor accipitur pro irrisore: sed subsannatio est illusio: ergo est irrisio.

Psal. 43. Psal. 2. ¶ Contra, super illud. *Subsannationem & derisum his &c.* Vbi subsannatio contra derisionem diuiditur. Et alibi. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Et ita non est idem subsannatio, quod derisio.

RESOLVTIO.

Communiter sumendo, vtique: proprie autem, minime.

¶ Ad quod dicendum, quod aliquando derisio accipitur communiter, pro qualibet insultatione despectiua, prout dicit Beda, quod derisor est, qui proximo simplicitati improbus insultat: & secundum hoc commune potest esse ad subsannationem. Alio vero modo derisio est vox confusa, lætitiæ insultationem immoderata hilaritate denuncians: subsannatio vero est, quæ fit naso contracto, vel rugato: sicut habetur super illud. *Et Dominus subsannabit eos:* & secundum hoc diuiditur derisio contra subsannationem.

Beda. Psal. 2.

MEMBRVM II.

An mortale, vel veniale peccatum sit derisio?

Sap. 5. SECVNDO quæritur: vtrum derisio sit peccatum mortale, vel non. Quod sic, videtur per hoc quod dicitur. *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii.* & loquitur ibi de damnatis, tangendo ibi causam damnationis: cum ergo derisio ponitur pro causa, erit derisio mortale peccatum. Et similiter dicitur super illud. *Erubescant valde velociter* Glo. *Hoc non est hic, vbi potius iniqui irrident eos, qui omnia relinquunt: & suis irrisionibus infirmos de Christi nomine erubescere faciunt.* Sed in iudicio erubescentes dicent de bonis *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum:* Ergo punientur æternaliter derisores bonorum: ergo derisio est mortale peccatum.

Psal. 6. Glossa. Sap. 5.

¶ Contra, videtur quod sit veniale peccatum: ex impetu enim & sine deliberatione aliquando fit motio ad huiusmodi derisum: ergo non est mortale peccatum: sed veniale.

RESOLVTIO.

Interdum hoc, interdum illud.

¶ Ad quod dicendum, quod potest esse mortale, & potest esse veniale; prout dicitur, *quod abominatio est Domino omnis illusor:* & illusor ibi accipitur pro derisore. Et dicit Glo. *illusor est, qui promissa Dei quasi parua despicit, & iram districtionis quasi tolerabilem spernit: necnon & ille, qui proximorum simplicitati vel paupertati improbus insultat.* Aliquando autem ex leuitate fit derisio, nec tamen vellet malum proximo, aut nocumentum: & secundum hoc potest esse veniale peccatum. Et secundum hoc potest intelligi illud: *Qui annuit oculo, dabit dolorem* id est, causam doloris, ad minus pœnitentialis: vel illius, qui respondet peccato veniali, vel mortali communiter. Prou. 3. Glossa Prou. 10.

MEMBRVM III.

Quæ derisio maior sit, patris & matris, vel Dei?

TERTIO quæritur, quod sit maius peccatum in illo genere. Est enim quædam irrisio patris & matris: & est iterum irrisio, qua peccator irridet Deum, cum patitur recidiuum, vel cum diuina iudicia contemnit. Potest ergo quæri, quæ istarum derisionum sit maius peccatum in genere? Et videtur, quod illa, quæ est in Deum: maior enim est iniuria Dei, quam hominis: ergo derisio, quæ fit in iniuriam Dei, maius est peccatum, quam derisio quæ fit in iniuriam hominis, seu patris & matris: eo quod sub iniuria proximi intelligitur.

¶ Præterea, qui despiciunt diuina iudicia, non credunt eis, & ita cadunt à fide. Sed infidelitas est maius peccatum peccato, quod est contra præceptum secundæ tabulæ: derisio vero proximi est peccatum contra præceptum secundæ tabulæ: ergo derisio diuinorum iudiciorum est maius peccatum, quam derisio patris & matris.

¶ Contra. Derisio patris & matris puniebatur in veteri lege: derisio autem illa, qua deridetur Deus per ingratitudinem in recidiuo peccati, cum pertineat vniuersaliter ad peccatum quodcunque, non fuit digna tali pœna: ergo peccatum derisionis in patrem & matrem maius peccatum est, quam peccatum aliquod, quo deridetur Deus.

¶ Item, de hypocrita dicitur, *qui per struthionem designatur, quod deridet equum & ascensorem eius:* ascensor a. dicitur ipse Deus: equus autem dicitur quilibet bonus: hæc autem derisio est per simulationem: simulatio autem minus peccatum est quam maledictio patris & matris: derisio ergo qua deridet hypocrita Deum, minus est peccatum, quam derisio &c. Iob 39. Greg. Lib. 31. Mor. ca. 6. & 12.

¶ Item, de derisione patris & matris dicitur. *Oculum, qui subsannat, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filii aquilæ.* Talis autem pœna ad litteram non dicitur de simulatore, qui Deum deridet: ergo videtur maius peccatum derisio patris & matris in genere derisionum. Prou. 30.

RESOLVTIO.

Vt excedentia & excessa se habent.

¶ Ad quod dicendum, quod est quædam derisio, qua deridetur Deus in se: & alia, qua deridetur per consequens in aliquo effectu. Effectus autem potest esse duplex: vel qui respicit generaliter omne peccatum, vel qui respicit grauiora peccata. Secundum hoc ergo dicendum, quod derisio, qua deridetur Deus in se, maius est peccatum in genere derisionis: secundum etiam deridetur in effectu, qui pertinet ad grauiora peccata. Secundum autem, quod derisio dicitur generaliter cuiuslibet peccatoris (sicut dicitur auctoritate Isid. *Irrisor est, & non pœnitens; qui adhuc agit quod pœnitet*) vel secundum quod derisio dicitur esse Dei in minoribus peccatis: minus enim est peccatum derisionis Dei, quam peccatum derisionis patris & matris. Cum autem ad hoc peruenit peccatum, vt ex infidelitate despiciat diuina iudicia, vel irrideat, ad maius peccatum in genere peruenit. Isid. Lib. 2. de Summo bono. ca. 16

RESO-

MEMBRVM IV.

An sustinens derisionem, mereatur?

Iob 12. Glossa. Gregor. Idem.

QVARTO quæritur, Vtrum sustinens derisionem mereatur. Quod videtur per hoc, quod dicitur. *Qui deridetur ab amico &c.* Glo. *Illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis prauitatibus vitæ innocentia seruat alienum.* Et iterum dicit Gregor. *Afflicti animus tanto fit Deo proximus, quanto à gratia fauoris humani alienus* (& loquitur de illis, qui irridentur ab hominibus.) Ergo sustinentia derisionis humanæ est sustinenda.

¶ Contra Greg. *Sunt nonnulli, quos humanæ derisiones deprimunt: & tamen diuinis auribus exaudibiles non sunt.*

RESOLVTIO.

Si fuerit derisio pro bonis operibus, vtique: si ex culpis, minime.

Gregor. Idem.

¶ AD quod dicendum, quod quædam derisio redditur pro bonis operibus: & talis si patienter sustineatur, meritoria est: de talibus enim dicit Greg. *Eo se intus robustius in Deo solidant, quo foris non inueniunt, in quo requiescant.* Est autem alia irrisio, quæ nascitur ex culpa: & talis etiam si patienter sustineatur; non est meritoria vitæ: & de ista dicit Greg. *Cum derisio ex culpa nascitur, profecto nullum virtutis meritum in derisione generatur.*

MEMBRVM V.

Quæ & quot sint damna, ex derisionis peccato prouenientia?

Gregor.

QVINTO quæritur de damno, quod accidit ex derisione. Damnum autem ostenditur in retractione bonorum à pœnitentia, vnde Greg. *Si qua forte in aliorum actibus exoriri bona conspiciunt, mox ea manu pestifera exprobrationis euellant.*

Psal. 101. Glossa. Psal. 122. Glossa.

¶ Ostenditur etiam damnum ex retractione à vitæ perfectione. Vnde super illud. *Tota die exprobrabant mihi inimici &c.* Glo. *Quos diabolus aliter nequit perdere; arte quadam vult capere: facit enim irrideri pœnitentes qui tarent in eorum detestationem irrisores, qui laudabant eos, dum cum eis erant seculares.* Retrahit etiam à fide: vnde super illud. *Repleti sumus despectione.* Glo. *Irridetur à tenente quod amat, qui sperat non visa: & ei dicitur, quid credis insane? vides quod credis?*

RESOLVTIO.

Tria, retractio s. à pœnitentia, à vita perfectione, & à fide.

August.

¶ Ex his ergo elicitur damnum triplex, quod ex irrisione accidit: ratione cuius derisio malum debet dici. Et licet occasio sit boni, non propter hoc tamen debet dici bonum: *nullum enim malum est* (sicut dicit Augustinus) *ex quo Dominus non eliciat bonum*: nec tamen ipsum propter occasionem bonum dicitur.

QVÆSTIO CXXXV.

De ornatu vestium.

In quinque Membra diuisa.

D. Th. 2. 2. q. 168. & inde.

CONSEQVENTER videndum est de peccato, quod accidit in ornatu corporis. Primo quæritur, vtrum peccatum sit in pretiositate vestium. Secundo, vtrum sit peccatum viris habere indumenta muliebria. Tertio, vtrum ornatus, qui licitus est, siue permissus mulieribus coniugatis, sit illicitus virginibus. Quarto quæritur de viris religiosis, vtrum peccent habendo vestes delicatas. Quinto quæritur de ipsis artificibus, vtrum peccent.

MEMBRVM I.

An in pretiositate vestium peccatum sit?

Chrysost. Gregor.

CIRCA primum sic dicit Chrysost. *Non est simul corpus & animam ornare: sicut nec est mammonæ seruire, & Christo obedire.* Sed seruire mammonæ peccatum est: ergo à simili ornare corpus; cum sit incompossibile cum ornatu animæ; est peccatum.

¶ Item, Gregor. *Nemo existimet in fluxu, aut in studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hæc culpa non esset; nullo modo Iohannem Bap. de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hæc culpa non esset: nequaquam Paulus per Epistolam fœminas à pretiosarum vestium appetitu compesceret,* dicens: *Nec in veste pretiosa.* Hom. 40. in Euang. 1. Tim. 2.

¶ Item, Greg. *Nemo vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit; videlicet vt honorabilior cæteris esse videatur.* Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus vti, vbi non possit ab aliis videri. Quam culpam melius etiam ex diuerso colligere possumus: quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Euangelista vigilanter de Io. Baptista, quod indutus erat pilis camelorum, non diceret. Idem.

Sed contra videtur: quod ornatus vestium propter humanam necessitatem & honestatem est introductus. Dicitur enim. *Erat vterque nudus s. Adam, & vxor eius, nec erubescebant*: & postea introducto peccato, cognouerunt se nudos, & fecit eis Dominus tunicas ad ornatum. Matt. 11. Gen. 2.

¶ Item, dicitur. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Ex quo accipitur, quod ornatus vestium pretiosarum competit Principibus, & aliis, qui sunt à latere principum. Matt. 11.

¶ Item, omnia corporalia facta sunt propter hominem: ergo & ipsa indumenta, & indumentorum circumstantiæ: sed circumstantiæ indumentorum sunt pretiositas materiæ, & decor formæ: ergo hæc facta sunt propter hominem: si ergo homo vtatur eis eo modo, quo debet, non peccat.

¶ Præterea, pretiositas vestium sic conceditur, sicut pretiositas ciborum: sed pretiositas ciborum, quibusdam personis conceditur: ergo similiter pretiositas vestium.

¶ Præterea, in ipsis vestibus non videtur esse ratio pretiositatis: sed in ipsa raritate, & hominum æstimatione (quod enim alicubi vile est, alibi est pretiosum) non ergo negatur homini propter decentiam vestium pretiositas.

RESOLVTIO.

Quam maxime, si adsit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere.

¶ AD quod dicendum: quod licet secundum nobilitatem personæ, secundum consuetudinem terræ, secundum dignitatem officii, ornare se vestibus pretiosis: ita tamen quod absit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere.

¶ AD obiectum autem in contrarium primum. Dicendum est, quod tunc non simul corpus & anima ornantur, quando propter libidinem circa ornatum corporis, quod est deterius, siue minus bonum, non curatur de ornatu animæ. Vnde dicit Chrysost. *Corpus multo deteriori circuendum est stola, intellectus autem purpura. Nunc autem contrarium facis, ciuitatem ornans varie, regem, s. intellectum dimittens trahi ligatum post irrationales passiones.* Chrysost.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod facienda est vis in hoc, quod dicit *studio pretiosarum vestium*, studium n. dicitur vehemens applicatio animi. Hic autem sumitur pro vehementi applicatione animi: per quam meliora postponuntur deterioribus: cum autem hoc fuerit, peccatum est.

¶ Ad tertium dicendum, quod non dicit hic Gregor. quin aliquis possit vti pretiosis vestibus, non ad inanem gloriam: sed quia de difficili & raro sine veniali peccato. Vnde facienda est vis in hoc quod dicit *nemo*, id est, nullus homo: & accipitur *homo* sicut dicitur. *Nonne homines estis? nonne carnales estis?* 1. Cor. 3.

MEMBRVM II.

An peccatum sit viris muliebria vestimenta deferre?

Deut. 22. Chrysost.

CONSEQVENTER quæritur, vtrum peccatū sit viris habere vestimenta muliebria? Quod videtur, secundum hoc quod dicitur. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur fœminea: abominabilis enim est apud Dominum, qui facit hæc.* Sed abominatio in scriptura non est; nisi propter mortale peccatum: ergo non est mortale peccatum.

¶ Præterea Chrysost. *Cum viros in mulierum formas educat, & mollescere faciat per calceamenta, & lasciuire, cum super-*

stius & nociuis eam statuimus (& loquitur ibi de arte textorum, qua fiunt vestimenta muliebria viris: & arte sutorum, qua fiunt calciamenta similiter) Restat ergo quod peccatum est viris muliebria habere vestimenta.

Rabanus. ¶ Item, Rabanus. *Contra naturam esse videtur, muliebriam facere comam, crispare, & torquere capillos: Vnde vir si comam nutrierit, ignominia est illi.*

¶ Contra, Nonne legitur de Delbora, quod iuit ad prælium? & præsumitur, quod in armis militaribus, quæ ad viros pertinent? Pari ratione ex causa aliqua posset vir veste muliebri indui: vt si quæreretur ad mortem, & per hoc occultaretur: vel si faceret officium, quod mulieri competeret.

RESOLVTIO.

Excepto necessitatis casu, peccatum est viris, muliebria vestimenta deferre.

¶ Ad quod dicendum, quod non pertinet ad honestatem viri veste muliebri indui: vtriq; enim sexui diuersa indumenta natura dedit. Vnde si homo vteretur ex consuetudine veste muliebri, nisi in aliquo casu necessitatis, peccaret. Quod autem intelligitur peccatum mortale in veteri Testamento: intelligendum est propter hoc, quod solent (Deut. 22.) in quibusdam solennitatibus idolorum viri vti vestib. mulieribus, & mulieres veste virili: sicut faciebant sacerdotes Vestæ, & Cybeles, q̃ mater dicebatur Deorum. In quantum ergo ad idololatriam ordinabatur, peccatum erat mortale.

¶ Ad illud vero, quod dicit Chrys. de iuuenibus, intelligitur ad vitandum lasciuiam, ad quam positi sunt in iuuenili ætate: & vt magis assuefiant ad virilitatem.

¶ Ad illud vero, quod dicitur Rabanus. Dicendum est, quod contra naturam esse dicitur multipliciter. Aut enim dicitur contra naturam, quod est contra* veritatem naturæ: sicut peccatum ignominiosum dicitur esse contra naturam ad Rom. 1. Aut dicitur cõtra decentiam naturæ: & hoc modo dicitur hic, quod contra naturam est, virum muliebria facere: decet enim virum virilia facere: & ideo dicitur (1. Cor. 11.) *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.*

*Alias, virilitatem. Rom. 1.

MEMBRVM III.

An ornatus, qui mulieribus coniugatis licitus est, illicitus sit virginibus?

TERTIO quæritur, Vtrum ornatus, qui licitus est, siue permissus mulieribus coniugatis: sit illicitus virginibus, vel si aliquis sit illicitus illis scilicet coniugatis. Quod autem illicitus sit coniugatis. (1. Tim. 2.) *Mulieres in habitu ornata, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis in veste pretiosa.* Ex quo accipitur, quod non conuenit mulieribus huiusmodi ornatus margaritarum, & consimilium.

¶ Similiter (1. Pet. 3.) *Quarum non sit exterius capillatura, aut circumdatio auri & indumenti.* Vbi instruit B. Petrus, qualiter se debent habere in indumentis mulieres coniugatæ, & qualiter non. Et Glo. dicit. (Glossa Cypr. ibid.) *Serico & purpura induta, Christum sinceriter induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus ornatæ, ornamenta cordis, & pectoris perdiderunt.* Ex quo accipitur, quod peccatum est mulieribus coniugatis huiusmodi pretiosis ornamentis vti.

Hieron. ¶ Item, dicit Hiero. *In contumeliam artificis conatur mulier pulchrior esse, quam natura est.*

Idem. ¶ Similiter quæritur de illis, quæ se ornant coloribus accidentalibus; siue sint coniugatæ, siue solutæ. Vnde Hier. *Quid facit in facie (Christiane) purpurissus & cerussa, quarum alterum ruborem genarum labrorumque mentitur alterum candorem oris & colli: ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudica mentis indicia.* Et iterum. (Idem.) *Qua fiducia erigit mulier fucata ad cælum vultus, quos conditor non agnoscit?* Ergo peccatum est mulieribus coniugatis, vel aliis huiusmodi ornare coloribus accidentalibus.

Idem. ¶ Similiter quæritur de vestium varietate, & multiplici mutatione. Vnde Hiero. *Cum ad imaginem & similitudinem Dei conditi simus, ex vitio nostro personas plurimas superinducimus: quomodo in theatralibus. Scenæ vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostentat, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: ita nos qui si de mundo non essemus, odiremur à mundo; tot habemus peccatorum similitudines, quot peccata.* Ex quo accipitur, quod peccatum est habere tãtam varietatem vestium, quam habent istæ mulieres, quæ in die se multiplicius ornant.

¶ Item, quæritur de virginibus: vtrum possint se ornare sicut & coniugatæ? Et videtur quod non, per hoc quod dicit Beda. Si Petrus mulieres admonet coercendas, & secundum ecclesiasticam doctrinam seu disciplinam religiosa obseruatione moderandas; quæ excusare possunt cultus suos per maritos: quanto magis id obseruare virginibus fas est: cui nulla sui ornatus competit venia? Ergo virginibus non est licitum sic ornare se, quemadmodum ornant se mulieres coniugatæ.

¶ Contra dicit Apostolus. *Si non potest continere, nubat.* Et alias. *Si nupserit virgo, non peccabit.* Si ergo licitum est nubere, licitum est se præparare, quod placeat ei, quem sibi intendit copulare. Sicut ergo mulier coniugata ornat se, vt placeat iam habito: ita licitum est virgini ornare se, vt placeat sponso habendo. (1. Cor. 7. Ibidem.)

RESOLVTIO.

Possunt & virgines iuxta sui gradus conditionem ornari: verum nullatenus æque ac coniugatæ.

¶ Ad primum dicendum, quod mulieribus coniugatis licitum est se ornare, non vt prouocent adulteros, vel aliquos ad luxuriam. Et contra tales (sicut dicit Glo.) loquebatur Petrus in Epistola sua. Vnde dicitur. Videtur quod mulieres eorum, qui in tribulatione erant, contemnebant viros: & vt aliis placerent, se pulchre ornabant: quod fieri prohibet. Sed conuenit se ornare, vt placeant viris suis, ne detur occasio viris peccandi cum aliis.

Cyprian. ¶ Illud ergo, quod dicit Cypr. *quod serico & purpura indutæ &c.* Intelligitur de illis mulieribus, quę hac intentione se ornabant: vt adulteris placerent, vel prouocarent alteros ad luxuriam.

¶ Similiter quod dicit Apostolus ad Timoth. 2.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de coloribus accidentalibus. Dicendum est: quod peccatum est, vbi est color accidentalis: vbi vero color naturalis melioratur in ipsis coniugatis, & fit intentione placendi debito modo viris; potest non esse peccatum. Dicit enim Hier. (Hieron.) *Christianos oculos scandalizant, quæ purpurisso, & quibusdam fucis ora, oculosque depingunt: quarum facies gypsea nimio candore deformes idola mentiuntur.*

¶ Ad illud vero, quo obiicitur de virginibus. Dicendum, quod alius debet esse ornatus virginum, alius coniugatorum. In virginibus debet esse ornatus simplex, & non pretiosus: sicut dicit Hieron. (Idem.) *Quæ nesciat esse pulchra, quæ negligat forma bonum; & procedens ad publicum, non pectus ac colla denudet, nec pallio reuelato ceruicẽ aperiat: sed quæ celat faciem. Virgo enim, dum virgo est, cogitet quæ sunt Dei: cum autem coniugata est, cogitat quomodo placeat viro propter Deum. Si vero sit nobilis virgo, aliquatenus plus debet habere ornatus: qui tamen non prouocet ad libidinem, sed in se habeat decentiam muliebrem.*

MEMBRVM IV.

An religiosi peccent, habendo vestes delicatas?

QVARTO quæritur de viris etiam religiosis, vtrum peccent habendo vestes delicatas. Et primo quæritur de clericis in sacris ordinibus constitutis, vtrum peccent in ornatu vestium pretiosarum. Quod videtur per hoc, quod habetur in Cano. Omnis 21. q. 4. vbi dicitur. *Omnis iactantia, & ornatura corporalis aliena sit à sacro ordine.* Eos ergo Episcopos, vel clericos; qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. (Cano. Omnis 21. q. 4.)

¶ Item, Basilius. *Ex sericis texturis vestem variatam quis non induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate vestimentorum? audierat enim qui mollibus vestimentis induuntur, in domibus Regum sunt.* (Matt. 11.)

¶ Similiter habetur Dist. 41. *Parsimoniam cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum corporis præter diligentiam infusatum laudamus: dissolutos autem & fractos vestibus & incessu non recipimus.* (Dist. 41.) Ex quibus colligitur, quod peccatum est clericis huiusmodi vti vestibus pretiosis extra cultum Dei.

¶ Item

Extrauag. de vit. & hon. cleric. Luc. 16.

¶ ITEM habetur in extrauag. *Pannis rubeis, aut viridibus non vtantur: corrigias auri & argenti ornatus habentes non ferant, nec non annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.* Si diues in Euangelio arguitur de purpura & bysso. (in sugillationem enim ipsius illa dicuntur) quanto magis est de illis, qui se Deo dedicarunt?

RESOLVTIO.

Religiosi iuxta sua religionis consuetudinem ac mores regionum magis, vel minus ornatas vestes deferre possunt: modo nimius excessus non intercidat.

¶ AD quod videtur dicendum: quod illi, qui viuunt de patrimonio Christi, moderatius se debent habere in indumentis, vestibus Christianæ religioni competentibus induti. Secundum consuetudinem tamen religionis & mores eorum, inter quos viuunt, possunt vestibus vti ornatioribus: exceptis tamen illis, quæ expresse prohibentur; vel ab ecclesia, vel ab institutione ecclesiæ reprobantur. Si vero excessus fieret, vel nimius apparatus, quod non decet seruos Christi: peccatum (sicut habetur in Canone) reputaretur.

Bernard.

¶ SIMILITER quæritur de viris religiosis, qui delicatis vestibus induuntur: dicit enim B. Bernar. *Pudet dicere, vincuntur in suo studio muliercula, quando à monachis precium affectatur in vestibus, non necessitas, nec saltem forma religionis retenta in habitu est. Ornari, non armari appetant milites Christi, qui dum se praeparare ad prælium, & contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant: quod aduersarij multum formidant: in mollitie vestimentorum pacis præferentes indicium, vltro se hostibus tradunt.* Ergo peccatum est mortale in eis, vti vestibus delicatis: non enim traditur aliquis hosti, nisi per mortale peccatum.

¶ PRÆTEREA, astringuntur voto paupertatis: paupertas autem in vili habitu, & aspera veste declaratur, hoc autem facit ad carnis mortificationem, ad quam ex voto astringuntur.

¶ AD quod dicendum: quod tenentur ad vilitatem & asperitatem vestium, quatenus in regula, vel in constitutionibus generalibus ad hoc eos obligantibus continetur: maxime autem secundum quod in regula continetur. Secundum autem differentiam religionum contingit diuersam circa hoc fieri ordinationem: in omnibus tamen hoc generale esse videtur, vt sicut voto separauerunt se à mundo: ita in exteriori gestu, & indumento, & alijs quæ sunt ad inditia affectus, separentur. Hoc autem regulariter est intelligendum: si enim ex casu hoc contingeret, vel ex aliqua necessitatis causa ad tempus; non tamen animo delectandi in his, sed magis tristandi de his; posset haberi excusatio.

MEMBRVM V.

An sartores lascinas vestes facientes, peccent?

Chrys. in hom. 50 super Matth. Circa mediũ Tom. 2

QVINTO quæritur de artificibus, vtrum peccent, qui talia ornamenta, quæ ad lasciuiam pertinent, componunt. Quod autem peccent, patet per Chrysostomũ, dicit enim sic. *Neque pictorum artem ergo dicerem (in consumptionem enim superfluam solum immittunt) eas autem solum oportet artes vocare, quæ necessariorum, & eorum quæ continent vitam nostram, sicut tributiua & constructiua. Propter hoc enim & sapientiam dedit nobis Deus, vt inueniamus methodos, per quas possimus continere vitam nostram: curiosa autem fieri in vestimentis, vbi vtile est, dic mihi? Propter hoc & ab arte sutorum & textorum multa abscindere oportet: etenim ad luxuriam plura eius deduxerunt: necessitatem eius corrumpentes: artem male arti commiscentes: quod & textorum ars passa est. Sed sicut hanc, donec domos fabricauerit, & non theatra necessaria & non superflua operetur, artem voco: ita textorum artem donec vestimenta & amictus, sed non aranearum telas imitetur, & multum effundat risum, & luxuriam ineffabilem, artem nomino: & opera sutorum, donec calciamenta fecerit, non priuabo nomine artis. Cum autem viros in mulierum formas educatur, & mollescere faciat per calciamenta, & lasciuire; cum superfluis & nociuis eam constituemus: & neque artem eam dicemus.*



QVÆSTIO CXXXVI.

De numero peccatorum mortalium.

In tria Membra diuisa.

D. Tho. 1. 2. quæst. 84. S. Bon. in 2. dist. 42. art. 3 Sco. ibid.

COMPLETA diuisione peccati, quæ est cordis, & oris, & operis: procedendũ est ad diuisionem peccati, quæ est in septem capitalia peccata. Primo ergo inquirendum est de ipsa ratione diuisionis. Secundo, de singulis capitalibus vitiorum.

¶ CIRCA vero rationem diuisionis quæritur. Primo, vtrum plura debeant dici capitalia, an vnum solum. Secundo, si plura, vtrum pauciora quam septem: an plura quam septem: an septem præcise. Tertio, secũdum quam causam attendatur septimembris diuisio?

MEMBRVM I.

An vnum, vel plura sint peccata capitalia?

Gregor.

AD PRIMVM sic. Quod vnum solum sit peccatum, videtur per hoc quod dicit Gregor. *Regina est superbia, quæ quem capit, septem vitiis tradit.* Cum ergo regina dicatur propter principalitatem, erit vnum solũ caput actualium peccatorum mortalium.

1. Ioan. 2.

¶ CONTRA, in trimembri diuisione, de qua habetur 1. Ioan. 2. concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum diuiduntur contra superbiam vitæ: & ita superbia nõ est caput respectu illorum: & ita in septimembri diuisione superbia non dicetur caput: cum sit vnum membrorum. Quod autem superbia sit vnum illorũ, patet per hoc quod dicit Isidor. vbi contra superbiam ponit ipse gastrimargiã, & philargiã, & cætera peccata generalia. Ex quo accipitur; quod superbia non est caput omnium, sed vnum de septem capitibus malorum. Vnde dicit Isidor. *Numerosior est quam Israel populus carnalium passionum, qui multiplicatur de septenario fomite vitiorum.*

Isidor. Deut. 7.

Idem. Tob. 4. 1. ad Tim. vlt.

¶ PRÆTEREA, in sacra Scriptura diuersa videntur poni capita. Dicitur. *Superbiam in animo tuo, neque in sensu vnquam dominari permittas: ex ipsa enim sumpsit omnis perditio initium.* Ex alia vero parte dicitur. *Radix omnium malorum cupiditas.* Erit igitur superbia ex vna parte caput vitiorum: cupiditas ex alia parte caput vitiorum.

Eccl. 10.

¶ SED quod non sint duo, videtur per hoc quod dicitur. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.* Vbi dicitur: caueamus cupiditatem & superbiam, non duo mala, sed vnũ: à quo omnia mala trahunt initium.

RESOLVTIO.

Et vnum, & plura, diuersa ratione.

¶ AD quod dicendum, quod vnum dicitur caput siue initium omnium vitiorum: & nihilominus dicuntur plura capitalia peccata. Est enim dicere vnum caput, siue vnum initium omnis peccati pro causa, quæ inuenitur in omni peccato: & hoc modo potest dici superbia caput, siue initium omnis peccati: quia in omni peccato inuenitur contemptus Dei * qui est quædam causa peccati. Alio vero modo potest dici caput illud, quod primum fuit peccatorum: & secundum hunc modum superbia etiam potest dici caput: primum enim fuit peccatorum: hoc enim genere primo peccauit diabolus: & secundum hunc modum nihil prohibet superbiam esse caput & vnum de septem capitalibus. Et hoc modo pro vno computantur superbia, & inanis gloria: ad vnam enim rem reducuntur: licet rationibus differant: vtrobique enim est appetitus excellentiæ: sed superbus dicitur, qui intra apparet sibi magnus: vanagloriosus prout appetit apparere extra in ore aliorum per laudem. Potest etiam superbia tertio modo dici caput, prout ex amore excellentiæ propriæ secundum prius & posterius nascuntur septem peccata capitalia in anima *rationali: iste enim amor est, qui adhæret magis ipsi animæ male dispositæ: & hoc modo dicitur superbia esse regina, cuius filiæ sunt septem vitia capitalia.

*Alias, qui est causa omnis peccati: & hoc genere peccati primo peccauit homo.

*Alias, carnali.

¶ PER hoc põt responderi ad obiecta: isto enim vltimo modo nõ est aliquod istorum septem: mõ vero præcedent;

est vnum de septem. Primo enim modo est causa peccatorum, & non dicitur peccatum.

¶ Et per hoc soluitur illud, quod fuit primo obiectum. Gregor. enim cum dicit eam esse reginam, eam à septem distinguit: cum autem dicitur tertium membrũ eorum, quæ sunt in mundo, sicut habetur 1. Ioan. 2. non accipitur pro capitali peccato, sed pro quadam radice peccatorum: secundum quod triplex est radix secundum triplicem amorem inordinatum. Aut enim amor est inordinatus interioris hominis plusquam oportet; & dicitur superbia vitæ: aut dicitur amor inordinatus exterioris boni plusquam oportet; & dicitur concupiscentia oculorum: aut amor inordinatus interioris boni plusquam oportet; & dicitur concupiscentia carnis. Isidorus vero accipit superbiam pro vno genere peccati: & licet ratione differat ab ipsa cænodoxia, quæ est vanagloria: nihilominus pro vno fomite vitiorum computantur: prout dicit, quod omnia oriuntur de septenario fomite vitiorum: quod infra magis exprimetur.

1. Ioan. 2.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod superbia & cupiditas sunt duo capita: eo quod de vtreque legitur, quod sit principium peccati. Dicendum est: quod caput (vbi proprie sumitur) principale membrum in corpore intelligitur: & ita in corpore peccati illud dicitur caput, quod est principale peccatum. Hoc autem modo nec superbia, nec cupiditas dicuntur caput: nisi secundum quandam expositionem, quæ habetur versus finem Secundi Lib. Sent. Prout autem superbia ad auersionem abincommutabili bono, vel ad contemtum Dei refertur: cupiditas vero ad conuersionem mutabilis boni, duo capita possunt dici, idest, principia peccatorum: sed tunc caput non dicitur proprie.

¶ Ad illud vero, quod dicitur in Ecclesiastico: quod nõ duo mala, sed vnum sunt superbia & cupiditas. Respondẽdum est: quod hoc dicitur: quia conuersio mutabilis boni, & auersio ab incommutabili; vnum esse actualis peccati mortalis constituunt: & ideo dicuntur vnum malum, non duo.

MEMBRVM II.

An septem numero sint capitalia peccata, vel plura, vel pauciora?

Secvndo quæritur: vtrum sint pauciora vitia capitalia, quam septem: vel plura: vel præcise septem ista vel illa? Quod autem sint pauciora; videtur per hoc quod dicitur. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis &c.* Gl. *His tribus omnia vitiorum genera comprehenduntur: & ita erunt tria capita vitiorum.*

1 Ioan. 2. Glossa.

¶ Item, super illud. *Incensa igni & suffossa, &c.* dicuntur duæ origines peccatorum, timor male humilians, & amor male accendens: & ita videntur esse duo.

Psal. 31.

¶ Gregor. etiam duo genera peccatorũ distinguit, spiritualia, & carnalia: & ita duo videntur esse, & non plura.

Gregor. lib. 31. Moral. cap. 31

¶ Præterea, si peccata hic diuiduntur secundum actus virium motiuarum; tres autem ponuntur vires motiuæ, rationalis, irascibilis, & concupiscibilis: & non plures: sicut dicit August. erunt ergo tria capitalia peccata secundum actus trium virium.

August. in lib. de anima & spiritu.

¶ Quod autem sint plura, quam septem: videtur per hoc quod habetur super illud. Assumpsit septem *spiritus nequiores se*: vbi ponuntur quatuordecim: & extrahitur illa Glo. ex dictis Greg. Et sic enumerantur, insipientia, stultitia, imprudentia, aperta ignauia, ignorantia, impietas, temeritas. Et iterum, simulatio disciplinæ, simulatio sapientię, simulatio prudentiæ, infirmitas fallens obumbratione virtutis, vsurpatio scientiæ, falsæ pietatis obtentus, dolus fictæ religiositatis. Sic ergo quatuordecim dicuntur genera peccatorum: omnia enim opponuntur septem donis Spiritus sancti.

Matth. 12. In principio super Iob 3. Vide 1. Moral cap. 31.

¶ Item Isidorus ponit octo. Gastrimargiam, fornicationem, philargiam, iram, tristitiam, accidiam, cænodoxiam, superbiam: & ita sunt plura vitia capitalia, quam septem.

Isidor.

¶ Præterea, vitio, quod est ex superfluitate, respondet vitium ex indigentia: sicut ergo superbia est vitium ex superabundantia, & ira: similiter & gula, & luxuria: & alia videntur ex indigentia. Erunt ergo septem peccata ex abũdantia, & septem ex indigentia: cum superabundantiæ respondeat indigentia, & econuerso.

¶ Item, videtur quod sint alia septem capitalia, propter illud quod dicitur Prouerb. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus: & septimum detestatur anima eius.* Gl. *Enumerat sex capitalia crimina, quæ tamen respectu discordiam seminantis, quasi minora deponit: quia maius est facinus illud, quo vnitas & fraternitas, quæ per Spiritus S. gratiam est connexa, dissipatur.* Prouer. 6. Glossa.

RESOLVTIO.

Ex sententia B. Gregor. nec plura, nec pauciora, quam septem capitalia peccata numerantur.

¶ Ad quod dicendum: quod septem sunt capitalia peccata: sicut dicit Greg. Gregor.

¶ Ad obiecta autem in contrarium respondendum est: & primo ad illud, quod obiicitur de concupiscentia carnis, & aliis duobus. Illa enim pro causis peccatorum accipiuntur, non pro ipsis peccatis: motiuum enim ad peccatum vel est ex concupiscentia carnis, vel ex concupiscentia oculorum, vel ex superbia vitæ. Et si dicantur esse peccata illa septem, reducerentur ad ista tria: & tunc hæc dicerentur capitalia peccata; & illa nihilominus respectu eorum, quæ oriuntur ex ipsis.

¶ Ad secundum dicendum: quod timor male humilians, & amor male accendens inclinationes esse dicuntur ad peccata, non ipsa peccata: & ita licet causæ generales dicantur, non tamen capitalia peccata.

¶ Ad tertium dicendum: quod illæ duæ differentiæ licet contineant capitalia peccata: non tamen dicunt rationem, secundum quam sunt capitalia peccata: non enim determinant differentias amoris, vel appetitus respectu ipsius amati: ex qua parte sumuntur capitalia peccata. Sicut enim à charitate est motus totius corporis: sic ab illis est motus totius peruersionis: omnis enim motus peruersæ voluntatis est secundum inordinationem amoris apparentis boni.

¶ Ad quartum dicendum: quod licet capitalia peccata diuidantur secundum actus virium: tamen hoc non est ex parte virium, sed secundum quod actus ad motiua referũtur: motiua autem contingit esse differentia secundum actum vnius potentiæ. Vnde secundum numerum motiuorum ex illa parte attenduntur differentiæ peccatorum capitalium, quæ septem dicuntur.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod plura debeant esse, quam septem: vt pote quatuordecim. Dicendum est, quod numerus ille attenditur secundum oppositionem donorum, quæ attenditur secundum apparentiam & defectum: vt secundum defectum attendantur septem, secundum apparentiam iterum septem. Ex ista vero parte non dicitur differentia capitalium vitiorum, sed secundum numerum amatorum, aut fugibilium: sicut infra ostendetur.

¶ Ad illud vero, quod dicit Isidorus. Dicendum quod ponit differentiam inter cænodoxiam, & superbiam, quãtum ad hoc: quod superbia respicit appetitum excellentiæ interius; cænodoxia vero respicit appetitum excellentiæ exterius: secundum quod aliquis vult videri magnus in laude hominum: & secundum hoc attenduntur diuersa nascentia ex illis. Similiter ponit differentiam inter tristitiam & accidiam: vt tristitia dicatur respectu mali apparentis, de quo est dolor, vel cuius est fuga: accidia vero dicatur respectu mali apparentis, cuius est appetitus. Et secundum hæc assignantur diuersa nascentia: vnde de tristitia dicitur nasci rancor, & pusillanimitas, &c. de accidia vero ociositas, &c. sicut ibidem dicitur in Glo. Inuidia vero sub superbia comprehenditur, tanquam nascens ex ea: ex appetitu enim excellentiæ illicito sequitur appetitus, qui est odiũ: ne alius sublimetur, vel excellat; & hoc est inuidiæ: & ideo ibi inuidia tanquam nascens de superbia computatur. Sic ergo secundum aliam rationem accipitur ibi numerus capitalium, & secundum aliam rationem à Gregor. vnde nihil prohibet esse alium numerum capitalium ibi, & hic.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de superfluitate & indigentia. Dicendum est: quod capitalia vitia distinguuntur secundum ea, ad quæ homo magis pronus est: contingit

autem

autem hominem aliquando magis pronum esse ad superabundantiam, aliquando ad indigentiam. Vnde nec secundum omnem superfluitatem, nec secundum omnem indigentiam attenditur vitium capitale. Verbi gratia, gula & luxuria attenduntur secundum superabundantiam: auaritia vero secundum indigentiam. Sic etiam cõtingit in aliis: quod quoddam in aliis accipitur secundum superabundãtiam, quoddam secundum indigentiã: & ita non erunt tot peccata capitalia, quot superfluitates & indigentiæ in vniuerso.

¶ Ad vltimum dicendum: quod illa 7. quæ enumerantur Prouer. 6. non dicuntur capitalia secundum eandem rationem, secundum quam ista 7. Illa .n. dicuntur capitalia, quia contra charitatem, quæ est vnitas cum proximo, & est caput virtutum, ordinãtur (Discordia enim seminata principaliter est contra charitatem) alia vero ordinant ad discordiam, siue schisma, quod contrarium est vnitati charitatis ad proximum: vnde attribuuntur homini apostatæ, scilicet schismatico.

MEMBRVM III.

Quomodo attendatur septimembris diuisio peccatorum capitalium?

Tertio quæritur: secundum quam causam attendatur septimembris diuisio.

Aliorum opinio.

¶ Dixerunt autem quidam, quod secundũ differentias virium, & amatorum in viribus, siue inordinationem multiplicem attendatur septimembris diuisio capitaliũ peccatorum. Sic enim sumebant diuisionẽ: tres sunt vires animæ; vegetabilis, sensibilis, rationalis: & triplex est bonũ; interius, sc. bonũ carnis, ad quod se hẽt aĩa secũdum duplicem actũ vegetabilis, nutritiuæ sc. & generatiuæ: quantum ad actum generatiuæ attenditur luxuria, quantum ad actum nutritiuæ gula. Similiter est bonum exterius, ad quod ordinatur exterius anima secundũ vim motiuam sensibilem: est enim bonum in prosperis, ad quod ordinatur secundum concupiscibilem: est iterum bonum in aduersis, ad quod ordinatur secundum irascibilem. Similiter est bonum internum, secundum quod debet rationalis ordinari ad Deum, ad proximum, ad seipsum: penes inordinationem amoris ad id, ꝙ est supra se, accipitur superbia; quia non vult subesse ei, cui debet, eo modo, quo debet: penes inordinationem ad id, quod est iuxta se, accipitur inuidia: penes inordinationem ad se, & intra se, accipitur accidia: cum homo minus diligit bonum internum, quam bonum externum.

¶ Alii vero voluerunt accipere numerum capitalium vitiorum penes tres vires animæ motiuas quo ad actus earum: quo ad actum, scil. concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Attribuunt autem cõcupiscibili duos actus, sc. appetere bonum, & ordinare motus carnis ad bonum. Primus aũt actus impeditur per duo vitia, per accidiam, quæ est tædium boni interioris; & per cupiditatem, quæ est appetitus boni exterioris. Alius vero actus similiter impeditur p duo vitia: per luxuriam respectu generatiuæ, per gulã respectu nutritiuæ: cum concupiscibilis, sc. inordinate cõuertitur ad bonum apparens in nutritiua, & ad bonũ apparens in generãtiua. Irascibili similiter attribuũt duos actus, s. applaudere bonis, & detestari mala: & à primo actu impeditur per inuidiam: & à secundo impeditur per iram: irascitur enim cui irasci non deberet, siue detestatur quod non esset detestandum. Rationali vero recte eligere vel iudicare, quæ impeditur per vnum vitium, quod est superbia.

¶ Contra primam diuisionem sic obijcitur. Omne peccatum attenditur secundum illam partem, secundum q̃ differimus à brutis: in parte aũt rationali tm̃ differimus a brutis: ergo secundum actum partis rõnalis debet attendi omne peccatum. non ergo secundũ actum vegetabilis, aut sensibilis inquantum huiusmodi. Si vero attendatur peccatum secundum actũ rõnalis comparatione ad has vires inferiores. Non vr̃ adhuc attendi peccatum secundũ actũ vegetabilis partis, aut nutritiuæ, & gñatiuæ: non enim oĩs vis partis generatiuæ, vel partis nutritiuæ subest rõni: est .n. appetitiua naturalis ex parte vegetabilis & ex parte sensibilis; & neutra est subiecta rõni, vt secundum eam moueatur in nobis: sed est appetitiua sensibilis, quã cõtingit dirigi secundum rationẽ. Penes ergo illam attendetur peccatum: vt sit peccatũ in cõcupiscibili respectu boni carnis, & respectu boni mũdani: respectu vero boni carnis dupliciter. Similiter põt obiici de irascibili, ꝙ tm̃ vnum accipiatur peccatũ sc. peccatum iræ: & ita per cõsimilem rationem vnum peccatum capitale accipietur penes cõcupiscentiam: aut si penes lætitiam accipiuntur duo peccata (est enim duplex lætitia, sicut dicit Ioan. Dama. quædam enim naturalis & necessaria, sine qua viuere est impossibile: & est alia naturalis non necessaria, vt quæ pertinet ad generationem) contra a. istas duas sunt nec necessariæ, nec naturales; vt delectatio gulæ, & luxuriæ: similiter ex parte tristitiæ accipientur, accidia sc. & inuidia. Sic ergo quatuor capitalia peccata accipiuntur penes concupiscibilem: quibus si addatur concupiscentia mundi, erunt quinque peccata secundum concupiscibilem: & ita secundum irascibilem non erit nisi vnicũ peccatum: & secundum rationalem vnicũ: aut ambo erunt secundum irascibilem: ita quod secundum harum duarum virium actus comparatione ad rationalem accipiantur septem peccata. Diuidit enim Dam. irrationalem partem in obedientem & persuadibilem, in inobedientem siue non persuadibilem. Inobediens autem diuiditur per pulsatiuũ, generatiuum, & nutritiuum: cui additur augmentatiuum: hæc enim non ratione gubernantur, sed natura. Obediens vero & persuadibilis diuiditur in * concupiscentiam, & irascibilem: ad concupiscibilem pertinet lætitia & tristitia: ad irascibilem vero pertinet ira: cui etiam adiũgitur appetitus excellentiæ, vel ex comparatione ipsius ad rationalem, vel econuerso. Ex his ergo patet, quod non attenditur diuisio septimembris secundum rationem virium præmissam.

Damasc.

Idem.

* Alias, concupiscibilem.

¶ Similiter obijcitur contra secundam rationem diuisionis. Cũ n. ex parte rationalis possint plures accipi actus in rectitudine, quã ex parte concupiscibilis: vel irascibilis, sicut patet in diuisione virtutũ, aut donorum, nam penes rationalis actum accipiuntur prudentia & iustitia ex parte virtutum: ex parte vero donorum sapientia, intellectus, consilium, & scientia. Non tot autem accipiuntur ex parte concupiscibilis, vel irascibilis: vitia autem sunt opposita virtutibus: ergo magis debebant plura vitia capitalia accipi penes actum rationalis, quam penes actum concupiscibilis per se, vel irascibilis per se.

¶ Præterea, inuidia est tristitia in alienis bonis: tristitia autem conuenit illi potentiæ, cui conuenit lætitia: ergo conueuit concupiscibili: nõ ergo secundum actum irascibilis debuit accipi.

¶ Præterea, non recte eligere, vel non recte iudicare, est commune in omni peccato: ergo penes hunc actũ rationabilis non debebat distingui proprium peccatum capitale.

¶ Item, concupiscibilis est appetere bonum, & fugere malum sibi oppositum: rationabilis vero est ordinare motus ad bonum: non ergo attribuenda sunt peccata concupiscibili, quæ fiunt ex inordinatione motuũ carnis ad bonum: sed magis rationali.

¶ Præterea, appetere bonum superius, quod dr̃ simpliciter appetere; non tantum impeditur per accidiam & auaritiam: sed etiam per alia vitia capitalia omnia. Ergo non tantum accipientur quædam peccata ex impedimẽto huius actus, qui est concupiscibilis.

¶ Alii vero voluerunt distinguere septem vitia capitalia penes appetitum & fugam: vt appetitus diceretur respectu apparentis boni: fuga respectu apparentis mali. Secundum inordinationem autem appetitus ad apparens bonum triplex, interius, exterius, & inferius sumatur superbia, auaritia, gula, & luxuria: secundum apparens interius superbia: secundum apparens bonum exterius auaritia: secundum apparens bonum inferius; quod est duplex; quod sumitur in voluptate gustus, dicatur gula; quod sumitur in voluptate tactus determinari in membris generationis, luxuria, siue fornicatio, nomine generali. Econtra secũdum fugam ab apparenti malo sumantur tria capitalia peccata: penes fugam eius, quod existimatur malum inferius, id est, graue carni, sumatur accidia: secundũ fugã eius, ꝙ existimatur malũ exterius, sumatur ira propter iniuriam

Aliorum opinio.

extrinsecus

RESOLVTIO.

Adhuc & creaturæ rationali maledici potest: at non inquantum rationalis; sed vel vt à peccato reuocetur: vel vt Dei iustitia manifestetur.

¶ Ad quod dicendum, quod maledictio potest fieri super creaturam rationalem, inquantum est rationalis: & secundum hoc non est maledicendum. Licet enim inquantum peccatur sit malus, & debeatur ei pœna: tamen inquantum est natura quædã, est bonum: & dicere malum de creatura redundat in ipsum creatorem: & ideo hoc modo maledicere, peccatum est. Si vero prædicatur, malum pœnæ euenturum peccanti: vt sic reuocet eum à peccato: vel vt ostendatur diuina iustitia; non est malum.

Psal. 108. ¶ Et secundum hoc intelligitur illud, quod prophetæ maledicebant peccatoribus: & quod dicitur. *Fiant filii eius orphani, & vxor eius vidua.*

¶ Illud autem, quod dicitur in Iob 3. de maledictione diei: non accipitur pro imprecatione, sed pro magnitudinis peccati manifestatione.

¶ Si vero quæritur, cum non sint nisi duo sc. natura, & peccatum: vtrum ferenda est maledictio super naturam, vel super peccatum? Super naturam autem non est ferenda, ex ratione iam dicta. Nec super personam, prout est creatura. Super peccatum autem ferri non potest: illud enim maledicitur, cuius pœna prædicitur: peccatum autem non est illud, quod punitur: sed pro quo punitur. Super neutrum ergo videtur ferri maledictio.

¶ Dicendum est: quod persona, prout est causa peccati, digna est maledictione: & hoc modo super totum trãsit maledictio: non tantum super personam, nec tantum super peccatum: sed super personam deformatam peccato. Super rem enim non existentem non est ferenda maledictio, nec super rem existentem quo ad hoc quod existit à Deo: sed super rem existentem, quæ proprio motu priuauit se bene esse. Greg. *Ociosum est maledicere non existenti: perniciosum vero si existeret: sed tunc rectum cum se bene esse priuauit, & à iustitia Dei non discordat spiritus prædicentis.* Gregor.

MEMBRVM V.

An tantum Dei sit maledicere?

QVINTO quæritur, Vtrum tantum Dei sit maledicere. Quod non, videtur per hoc, quod tot sunt imprecationes prophetarum.

2. Tim. vlt. ¶ Ipse etiam Apostolus imprecatur: sicut habetur. *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit: reddet illi Dominus secundum opera eius, quem & tu deuita.*

Num. 23. Glossa. ¶ Contra, illius solius est maledicere, qui nouit peccantis affectum, & peccati qualitatem (quod probatur per hoc quod dicitur. *Quomodo maledicam, cui non maledicit Dominus?* Glo. *Non potest esse iusta maledicendi causa, vbi peccantis ignoratur affectus*) sed homo non potest ista scire, sed solus Deus: ergo solius Dei est maledicere.

¶ Item, non iuste maledicitur ab homine, qui nõ prius maledicitur à Deo: sed homo de se ignorat, quis à Deo maledicitur: ergo non est hominis maledicere, sed solius Dei.

RESOLVTIO.

Quinimmo etiam hominis. Sed aliter, atque aliter.

¶ Ad quod dicendum, quod Dei est maledicere, & ipsius hominis: sed aliter. Deus enim cum maledicit, designat meritum eius, cui maledicitur: & sententiam proponit: quia non latet ipsum affectus peccantis, nec qualitas peccati. Homo vero maledicit, vt cui data est authoritas iudicandi: & qui nouit veritatem iudicii secundum ea, quæ exterius proponuntur. Et ita aliter à Deo, & aliter ab homine maledicitur: illud tamen quod fit ab homine authoritatem habente (claue non errante) fit à Deo.

¶ Ad obiectum autem respondendum: quod iusta causa maledicendi potest esse dupliciter: vel cum cognoscitur affectus eius, cui maledicitur: vel cum cognoscitur actus per se affectum indicans: vel ex quo præsumitur vehementer affectus. Primo modo solus Deus maledicit, vel homo, cui Deus reuelauit: secũdo vero modo homo maledicit: & aliquando maledicit, Deo non maledicente: homo n. iudicat secundum allegata, Deus autem secundum rei veritatem.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod homo potest iuste maledicere, etiam si ignorat Deum maledixisse prius: ex alio enim principio sumit rationem iudicii homo quam Deus aliquando: hoc tamen quod homo habet rectitudinis in iudicio, à Deo habet.

¶ Sed adhuc quæritur: si sacerdos scit aliquem innocẽtem, cui demandatur à superiori, quod excõmunicet eum, vtrum teneatur ei maledicere? Videtur autem quod non: quomodo n. maledicet ei, cui Dominus non maledixit? sed scit eum innocentem: ergo scit quod ei non maledixit Dominus: non est ergo ei maledicendum. Casus.

¶ Contra, demandatum est ei à superiori, penes quem residet authoritas: nec exprimitur error in mandato: ergo tenetur obedire: ergo tenetur isti maledicere.

¶ Ad quod dicendum secundum quosdam: quod tenetur intimare suo superiori innocentiam ipsius: & supplicare quod alteri demandet, qui super hoc non habeat conscientiæ læsionem. Si tamen instet superior, sententiam recitet superioris, sed non excommunicet: cum magis sit Deo credendum, quam homini: Deus enim innocentem habet pro absoluto: homo vero habet illum pro ligato. Alii vero dicunt, quod si instet superior, tenetur excommunicare: aliter enim periret vnitas obedientiæ ecclesiasticæ: posset enim secundum hoc quilibet inferior se excusare: Nec est suum factum, sed factum superioris, à quo demandatur. Nec dicitur agere contra conscientiam: conscientia enim dictat, quod iuste à superiori ligetur.

MEMBRVM VI.

An quis alteri desiderare possit pœnam in futuro?

SEXTO quæritur: si maledictio fertur super humanam creaturam, ex qua causa ferenda est, an. s. voto optantis, aut non? Hoc est, vtrum aliquis possit alii optare pœnam in futuro? Quod videtur per hoc, quod homo conformãs voluntatem suam voluntati diuinæ, nõ in hoc dicitur peccare: sed Deus vult pœnam in futuro alicui peccatorum: ergo homo non peccat maledicendo: licet maledicat voto optantis.

¶ Item super illud: *Pecunia tua tecum in perditionem sit.* Glo. *iudicium Dei intus aspicientes, quo maledicto mala debeant foris* ferri cognoscunt: & in maledicto non peccant, in quo à iudicio Dei non discordant.* Si ergo illi pœnam optent ipsis peccatoribus, non peccant sic maledicendo. Actuum 8. Glossa *Alias, fieri.

¶ Contra, dicit Aug. exponens illud prophetæ. *Fiat mensa eorum in laqueum &c.* Et iterum: *Fiant filii eorum orphani &c.* Propheta per imprecationem quid esset futurum, cecinit: non optantis voto, sed spiritu prouidentis. In quo innuitur, quod prophetæ non optauerunt pœnas illas: sed prædixerunt, inspirati diuino spiritu. Exemplo ergo prophetarum non est maledicendum voto optantis. Aug. de ser. Domin. in monte. Psal. 68. Psal. 108.

¶ Item, tenemur orare pro proximis, maxime ad vitam æternam: cum de nemine desperandum sit, dum est in via. Ergo tenemur optare eis vitam æternam: ergo non tenemur optare mortem æternam: cum non constet de sua reprobatione: ergo tenemur non maledicere voto optantis.

RESOLVTIO.

Nullatenus: tum maxime desiderio vindictæ.

¶ Ad quod dicendum, quod non est maledicendum voto optantis, sed ex amore iustitiæ; vel ex veritatis præuisione, non desiderio vindictæ, nec desiderio pœnæ æternæ.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod si aliquis cognosceret voluntatem diuinam respectu pœnæ æternæ alicuius; sicut Dominus non vult ei pœnam æternam, nisi ex demeritis finalibus: ita nec iste teneretur velle. Non tamẽ simpliciter velle, proprio motu (hoc enim est optare) sed vult quod agat pœnitentiam: & ita non vult ei pœnam æternam. Est ergo in eo duplex voluntas: vna, qua vult ei mortem æternam, si finaliter moritur in peccato mortali: alia est, quæ est secundum se absoluta:

qua

qua non vult ei pœnam æternam: & ideo voto optantis nō est maledicendum. Vna autem voluntas conformatur voluntati Dei antecedenti, altera voluntati Dei consequenti: de quibus dicit Dama.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet Petrus cognosceret voluntatem Dei consequentem de pœna siue de maledictione ipsius Simonis; [Actuum 8] & ita voluntas sua quo ad hoc conformaretur voluntati diuinæ: vellet tamen ipsum Simonem agere pœnitentiam ex compassione naturali; & ita declinare pœnam æternam: & quo ad hoc non voto optantis malediceret ei, sed iudicio diuinæ iustitiæ. Vnde [Gregor.] Greg. *Cum sancti viri maledictionis sententiam proferant, non ad hanc voto vltionis, sed ex iustitia examine erumpunt: intus enim subtile iudicium Dei conspiciunt.*

MEMBRVM VII.

Quam graue peccatum sit, creaturas maledicere: si item blasphemia dici, aut par homicidio æstimari possit?

SEptimo quæritur de comparatione huius peccati ad alia peccata. Videtur enim quod sit blasphemia, per hoc quod dicitur super illud. [Iudæ 1.] *Non ausus est, &c.* Diabolus in substantia bonus est, sed in voluntate malus: ideo ab angelis non blasphematur: quia aliquid proferre aduersus bonam naturam, blasphemiam reputat archangelus. Ergo maledictio diaboli est blasphemia: sed blasphemia est grauissimum peccatum: ergo maledictio diaboli est grauissimum peccatum. Quod autem blasphemia sit grauissimum peccatum, patet ex hoc quod in lege puniebatur pœna lapidationis blasphemus.

¶ Contra super illud. [Colos. 4.] *Nunc deponite & vos omnia &c.* Vbi computatur blasphemia in partem pro minori peccato: & ita maledictio.

¶ Præterea, maledictio & blasphemia sunt diuersa peccata in specie: ergo neutrum continetur sub altero.

¶ Item videtur, quod maledictio non differat ab homicidio, per hoc quod dicit Chrys. [Chrysost.] *Cum dixeris, maledic ei, & domum euerte, & omnia perire fac: nihil ab homicida differs.* Ergo maledictio non differt ab homicidio.

¶ Contra, videtur contrarium, quod sit maius homicidio. [Idem.] Dicit enim Chrys. *Tales lingua deteriores sunt ore sanguine pleno à carnibus humanis.* Et loquitur de maledictione ibi: quod patet ex præcedenti: dicitur enim ibidem. Sunt quidam, qui in tantum irrationalitatis deuenerunt, quod non solum aduersus inimicos orant, sed & filios maledicunt illorum.

¶ Quod autem sit minus peccatum homicidio, patet ex hoc, quod minor ei pœna debetur, & minoris est damni.

RESOLVTIO.

Admodum graue peccatum est, creaturas maledicere, inquantum scilicet creaturas. Veruntamen non ita graue, vt par homicidio censeri possit: sicut nec blasphemia dicitur per essentiam, sed per concomitantiam.

¶ Ad quod dicendum, quod maledictio creaturæ dicitur blasphemia per concomitantiam: qui enim imprecatur pœnam creaturæ, quia est creatura, vel qui malum dicit de ea, per consequens malum dicit de creatore, videlicet quod sit principium mali. Sed non est maledictio blasphemia per essentiam. Et distinguendum est: quod duplex est maledictio diaboli: vel prout est causa malæ voluntatis, qua nocet generi humano: & hoc modo maledictio diaboli non importat secum blasphemiam. Alio modo dicitur maledictio eius inquantum creatura, & per consequens maledicitur creatori: & hoc modo importat blasphemiam secum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod maledictio sit grauissimum peccatum, eo quod contineatur sub blasphemia. Dicendum, quod si fuerit ex deliberatione animi, maledictio illa, quæ est creaturæ inquantum creatura; est valde graue peccatum: redundat enim in creatorem. Si vero fuerit ex calore iracundiæ cum in præmeditatione, minus graue peccatum est. Si vero fuerit maledictio diaboli, inquantum est causa malæ voluntatis, per quam nocet generi humano: est minus graue peccatum: sic enim non redundat in creatorem: & fit ex quodam desiderio vindictæ.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de maledictione & blasphemia, quod differunt specie. Dicendum est, quod hoc verum est: nihilominus potest tamen vnum aliquando cōmitari alterum ratione alicuius contenti sub ipso.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de comparatione maledictionis ad homicidium: quod est par illi, vel maius. Dicendum: quod hoc dicitur in detestationem illius peccati quo ad radicem: quoniam sub illo præcepto Decalogi, [Deut. 5.] *Non occides*, quadam generali ratione continetur. Minus tamen est homicidio proprie dicto quo ad actum, vel quo ad dānum consequens. Quo ad libidinem vero peccandi posset esse par: & multoties contingit, quod in maledico non deesset voluntas perpetrandi, si adesset oportunitas.

MEMBRVM VIII.

An æque maledictiones conueniant in nouo, ac in veteri Testamento?

OCtavo quæritur. Vtrum æque conueniant maledictiones in nouo Testamento & in veteri. Quod non videtur. Nouum testamentum est lex gratiæ, & misericordiæ: ergo ei non competit imprecatio pœnæ: ergo non competunt maledictiones in nouo Testamento.

¶ Contra, in vtroque Testamento est iudicium spirituale: iudicium vero spirituale vtitur maledictione in delinquentes incorrigibiles: ergo cum æque sit iudicium in nouo sicut in vet. vel magis, erit æque maledictio in nouo, sicut in veteri.

¶ Quod etiam magis sit in nouo, quam in veteri, ostenditur per hoc: quod in veteri authoritas iudicandi data est per seruum: in nouo vero data est per filium. Potestas autē domini plus conuenit filio, quam seruo: in nouo vero testamento legitur. [Ioan. 5.] *Pater omne iudicium dedit filio:* nusquam in veteri legitur, quod dederit omne iudicium seruo: cum ergo maledictio sit coertio consequens iudicium, magis competit maledictio in nouo Testamento quam in veteri.

¶ Præterea, quæritur propter quid prohibetur homo maledicere, cum Domini sit maledictio multotiens in veteri Testamento? Cum autem exemplum vitæ hominibus ponat, non facit in huiusmodi, quod non vult ab hominibus fieri: sicut habetur super illud, [Num. 23.] *Quomodo maledicam &c.*

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum ibi seruiretur timore, hic vero amore: illic seruus, hic filius iudicaret.

¶ Ad quod dicendum, quod maledictiones communes sunt veteri Testamento & nouo: magis tamen competebant veteri. Populus enim sub lege Moysi constitutus, plus seruiebat timore pœnæ: quoniam populus duræ ceruicis erat: sicut habetur Actu. 8. Esa. 48. [Actuum 8. Esa. 48.] *Scio, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua: ideo posita sunt maledictiones plures, quæ dentur non obseruantibus mandatum,* sicut habetur Deut. 28. [Deut. 28.] Populus autem sub lege gratiæ constitutus, plus seruiebat amore patriæ: & ideo plus est ibi de benedictione, minus de maledictione. Vnde Matth. 5. [Matt. 5. Luc. 6.] proponuntur beatitudines sine *væ* tamen Luc. 6. ponuntur cum *væ* id est, maledictionibus: ad ostendendum q̄ filii Israel seruire debent ex charitate simpliciter: vel habere duplicem respectum, vnum ad præmium, & hoc maius: & alterum ad pœnam, & hoc minus.

¶ Ad obiectum autem respondendum est: quod licet iudicium nobilius & potentius sit in nouo, quam in veteri, tamen non ita competit ei maledictio. Regis enim cuius est iudicium, est cum misericordia iudicare, dum est tempus misericordiæ: serui vero, qui iuratus est legibus, est cum seueritate iudicare. Ideo Christus, qui constiturus est rex & iudex in nouo Testamento, cum misericordia iudicat in præsenti: in futuro vero cum seueritate iudicabit, vbi nullum relinquitur iudicium seruo. Seruus vero, qui iuratus est legibus in præsenti cum seueritate iudicat: ideo in veteri Testamento tam graues pœnæ erant constitutæ.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: propter quid homini prohibetur maledicere: cum ipſe Dominus maledicat: qui exemplum agendi hominibus dat. Dicendum, quod eſt duplex maledicere: vnum, quod eſt ex malitia vindictæ: & aliud, quod eſt ex amore iuſtitiæ. Prohibetur ergo homini maledicere zelo vindictæ: ſed non prohibetur maledicere ex amore iuſtitiæ: cum ad eum pertinet ius authoritatis diuinæ: & hoc modo accipit exemplum à Deo, qui non maledicit niſi virtute iuſtitiæ.

QVÆSTIO CXXXI.

De blaſphemia.

In ſeptem Membra diuiſa.

D. Th. 2. 2. q. 13. S. Bon in 3. d. 43. ſparſim.

POST peccata oris, quæ vergunt in iniuriam proximi: ſequitur peccatum oris, quod vergit in iniuriam Dei principaliter: quod dicitur blaſphemia. Circa quod quærendũ eſt primo, quid ſit blaſphemare. Secundo, quæ ſint differentiæ eius. Tertio, vtrum ſit ſemper mortale peccatum. Quarto, vtrum ſit hominis tantum in præſenti, an etiam in futuro. Quinto de comparatione huius peccati ad quædã alia genera peccatorum, vel ſpecierum inter ſe. Sexto, vtrũ ſit peccatum irremiſſibile. Septimo, vtrum ſit tantum in dictis vel etiam in factis.

MEMBRVM I.

Quid ſit blaſphemare.

Haymo. CIRCA primum ſic dicit Haymo. *Blaſphemare eſt contumeliam, vel aliquod conuicium inferre in iniuriam creatoris.*

Ephes. 4. Gloſſa Iudæ 1. Gloſſa. ¶ Sed videtur, quod hæc diffinitio non conueniat omni blaſphemiæ, per hoc quod dicitur ſuper illud. *Blaſphemia tollatur à vobis* Glo. *quæ ſit in Deum, vel in ſanctos.* Ergo non omnis blaſphemia eſt in Deum.

¶ Item, ſuper illud. *Maieſtatem autem blaſphemauerunt* Glo. *Omnis Blaſphemia eſt cauenda, ſed maxime in creatorem.* Ergo non omnis blaſphemia eſt in Deum.

RESOLVTIO.

Blaſphemare eſt, contumeliam vel conuicium in creaturis iniuriam inferre. Vel, Blaſphemare eſt, per quod de Deo ipſo falſa dicuntur.

¶ AD quod dicendum, quod blaſphemia proprie dicta eſt in Deum: Quod autem dicitur in ſanctos, vel in creaturam: hoc eſt, quia in illis blaſphematur Deus, qui eſt cõditor creaturæ, & rector, & dator ſanctitatis. Directe ergo vel indirecte omnis blaſphemia eſt in Deum.

¶ Ponitur iterum diffinitio blaſphemiæ talis. *Blaſphemia eſt, per quam de Deo ipſo falſa dicuntur.*

¶ Sed videtur, quod hæc diffinitio non conueniat. Eſt enim quoddam blaſphemare, cum attribuitur creaturæ, quod eſt proprium Dei: vt ſi dicatur, quod angelus, vel homo creat: & ibi non falſum dicitur de Deo: ſed de creatura. Ergo prædicta diffinitio non eſt conueniens.

¶ Ad quod dicendum, quod prædicta definitio intelligitur de blaſphemia ſimpliciter: vbi remouetur à Deo, quod ei vere conuenit: vel ei attribuitur, quod non conuenit: non quia non ſit blaſphemia, attribuere alteri, quod ei ſoli conuenit.

MEMBRVM II.

Quæ, & quot ſint blaſphemiæ differentiæ.

SECVNDO quæritur: Quæ ſint differentiæ eius: Et ponuntur tres: quarum vna eſt, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit. Secunda eſt, cum ab eo remouetur, quod ei conuenit. Tertia, cum attribuitur creaturæ, quod ei appropriatur.

Aug. in 1. lib. de Trin. ¶ Item, in Primo Lib. de Trin. ponuntur aliæ tres differentiæ: quarum vna eſt eorum, qui ſapiunt de Deo ſecundum corpus, vt qui opinantur Deum eſſe candidum, vel rubeum, & talia ei attribuunt. Et alia eſt eorum, qui ſapiunt de Deo ſecundum ſpiritum creatum, & talia ei attribuunt: vt quod Deus eſt obliuiſcens, aut recordans, ſiue pœnitẽs, & huiuſmodi. Tertia eſt eorũ, qui attribuunt Deo aliquid excellens corpus & ſpiritum, quod nulli rei conuenit: vt qui dicunt Deum talis eſſe potentiæ, vt ſeipſum genuerit (nulla enim eſt res, quæ ſeipſam gignat, vt ſic) & hæc blaſphemia eſt maior prædictis: vnde dicit. Hic morbus omnium trium generum eſt peſſimus.

¶ Poteſt ergo quæri, qualiter hæ tres differentiæ ſe habeant ad alias tres.

¶ Præterea, vtrum poſſint eſſe plures, quam tres: vt duæ ſ. ſint reſpectu creaturæ: ſicut duæ ſunt reſpectu creatoris?

¶ Præterea, cum ſint tres differentiæ, poteſt quæri: vtrũ blaſphemia æque dicatur de eis: an magis de vna, quam de altera.

¶ Videtur enim quod maxima blaſphemia ſit, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit. Vnde horrendum eſt de Deo aliquid falſi dicere, & ſi ad laudem eius videatur pertinere: non enim minori, ſed maiori ſcelere fortaſſis in Deo laudatur falſitas, quam vituperatur veritas. Ergo maior blaſphemia videtur eſſe, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit; quam cum remouetur ab eo, quod ei conuenit.

¶ Contra, plus eſt mali, Deum aſſerere Deum non eſſe, quam ſupponẽdo ipſum eſſe aliquid, & ei attribuere quod non conuenit. Sed cum quicquid in Deo eſt, idem ſit quod Deus: remouere aliquid ab eo, quod ei conuenit, eſt remouere ab eo eſſe. Ergo maior blaſphemia eſt, cum remouetur ab eo, quod ei conuenit: quam cum attribuitur ei, quod ei non conuenit. Ergo maior blaſphemia eſt, cum vituperatur veritas, quam cum laudatur falſitas.

RESOLVTIO.

Tres ſcilicet attribuere Deo quod Deo non conuenit: remouere à Deo, quod Deo conuenit: & attribuere creaturæ, quod ei attribui debet.

¶ AD quod dicendum, quod tres differentiæ, quæ dantur intelligi in Primo de Trinitate, continentur ſub vna differentia alterius diuiſionis: ſub illa ſc. qua attribuitur aliquid Deo, quod ei non conuenit: vnde non eſt prima diuiſio blaſphemiæ, ſed ſecunda.

¶ Ad ſecundum vero dicendum, quod non ſunt duæ differentiæ blaſphemiæ reſpectu creaturæ, ſicut ſunt duæ reſpectu creatoris: omnis enim differentia blaſphemiæ aliquo modo ad creatorẽ, ſiue ad Deum refertur. Cum enim attribuitur creaturæ aliquid, quod ſoli Deo conuenit; iniuria eſt creatoris: ſi vero remouetur à creatura, quod Deo conuenit, vel non conuenit: nulla ex hoc fit Deo iniuria. Et ita reſpectu creaturæ eſt tantum vna differentia blaſphemiæ, in attribuendo ſc. non in remouendo: reſpectu vero creatoris vtroque modo.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod differunt hæ tres differentiæ ſecundum gradus vt prima ſit, cum laudatur falſitas: ſecunda, cum vituperatur veritas: tertia, cum falſo attribuitur creaturæ, quod eſt ſolius creatoris.

¶ Ad obiectum autem in contrarium: dicendum, quod licet quicquid in Deo eſt, ſit ipſe Deus, tamen contingit aliquid negare de Deo, quod ei conuenit: nec tamen negatur ipſum eſſe: vnde non ex hoc ſequitur, quod maius malum ſit vituperare in Deo veritatem, quam laudare falſitatem.

MEMBRVM III.

An veniale, vel mortale peccatum ſit blaſphemia?

TERTIO quæritur, Vtrum blaſphemia ſit ſemper mortale peccatum? Quod videtur per hoc, quod dicitur ſuper illud. *Ad populum terribilem &c.* Glo. *Omne peccatum cõparatum blaſphemiæ leuius eſt.* Ergo non eſt veniale peccatum; Iſa. 18. Gloſſa
& eſt peccatum vel veniale vel mortale: ergo eſt mortale.

¶ Item, ſicut habetur Leu. 24. Peccato blaſphemiæ debebatur lapidatio: ſed omne peccatum, cui in veteri lege mors debebatur pro pœna, mortale peccatum reputatur in genere: ergo blaſphemia eſt vniuerſaliter mortale peccatum. Leu. 24.

¶ Contra, ſuper illud. *Nunc autem deponite &c.* Glo. Amb. *Poſt maiora prohibet minora: inter quæ computatur blaſphemia: & enumerantur ibi peccata venialia:* ergò aliqua eſt blaſphemia, quæ eſt veniale peccatum. Col. 3. Gloſſa Ambroſ.

¶ Præterea, ea peccata, quæ remittuntur, inter venialia computantur: & ſi non ex genere, tamen ex euentu. Sed

blaſphe-

blasphemia est de peccatis, quæ remittuntur hominibus, sicut habetur. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus.* Et *Dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ*, quibus blasphemauerunt. Ergo blasphemia computatur inter peccata venialia genere, vel euentu. Matt. 12. Marc. 3.

RESOLVTIO.

Et hoc, & illud interdum.

¶ Ad quod dicendum, quod blasphemia est mortale peccatum: cum quis cum deliberatione in iniuriam Dei peccat. Si vero fiat ex surreptione, potest esse veniale secundum conditionem personæ: licet quantum est de genere actus, dicat *mortale peccatum.

¶ Ad obiectum autem primo dicendum est: quod licet blasphemia computetur inter minora peccata; non tamen ex hoc sequitur, quod blasphemia secundum omnem modum sit mortale. In peccatis enim mortalibus quædā sunt maiora, quædam sunt minora: potest autem esse veniale, cum adest ignorantia, qua non credit homo blasphemare Deum; & si dicat huiuscemodi verba, & cum hoc fuerit affectionis impetus, vt ex parte rationis & voluntatis peccatum alleuietur.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet blasphemia aliqua sit remissibilis: non tamen est propter hoc veniale peccatum in genere suo. Sed ex hoc sequitur, quod habet infirmitatem, vel ignorantiam adiunctam in persona: propter quam moueatur Deus ad remittendum, vel moueri possit.

¶ Ad ea vero, quæ obiecta sunt ex alia parte. Dicendum est, quod cum dicitur: omne peccatum comparatum blasphemiæ leuius est: hoc non intelligitur de blasphemia, prout continet in se omnem modum blasphemiæ: sed prout determinat blasphemiam in summo. Vel fit comparatio aliorum peccatorum, quibus peccatur in proximum, inquantum peccatur in proximum respectu blasphemiæ, inquantum peccatur in Deum, secundum illud quod dicitur. *Si peccauerit vir in virum, placari poterit Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Si vero accipiatur blasphemia in termino, hoc est pro spiritu blasphemiæ, prout dicitur. *Spiritus blasphemiæ non remittetur &c.* secundum hoc fit comparatio ad peccata, quæ fiunt ex infirmitate, & ex ignorantia: quæ quantum est de hoc, leuiora reputantur. 1. Reg. 2. Matt. 12.

MEMBRVM IV.

An hic tantum, vel etiam in inferno blasphemia sit?

QVARTO quæritur, Vtrum hominis sit tantum in præsenti blasphemare, aut etiam in futuro. Quod tantum in præsenti, videtur: blasphemare n. est peccare in Deum: sed in præsenti est tempus peccandi: ergo in præsenti tantum est tempus blasphemandi.

¶ Contra super illud. *Blasphemauerunt in memoria apud Deum.* Glo. *In inferno positi, quamuis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen, quod Deus tantam potentiam habeat, quod plagas eis inferat.* Et hoc est blasphemia: ergo non tantum est blasphemia in præsenti, sed etiam in futuro. Apoc. 16. Glossa.

¶ Forte dicetur: quod blasphemare in futuro non dicetur per modum actus culpabilis, licet sit per modum habitus: sed erit per modum actus pœnalis. Contra, vt se potentiam diuinam minui, si esset in aliquo præsenti, designaret cordis blasphemiam: & si prorumperet in actum sermonis, esset blasphemia oris. Si ergo consimilis actus in specie sit in ipsis damnatis: sicut est hic actus culpabilis, ita & ibi erit actus culpabilis.

RESOLVTIO.

Adhuc & in inferno blasphemia est: sed aliter quam hic.

¶ Ad quod dicendum, quod licet consimilis actus inordinatus exeat à damnatis, qualis exit à peccatorib. in præsenti: tamen diuersum est principium exeundi. Hic n. trahit aliqua delectatio libidinosa, quæ exit à liarb. ibi vero sustinentia pœnæ excellentis in duratione, vel acerbitate inducit ad hoc: vnde hic cedit in actum culpabilem, ibi totaliter cedit in actum pœnalem: similitudo enim actus in specie naturali est vtrobique: sed similitudo in specie morali non est vtrobique: dolor enim aliquando nominat actum culpabilem, aliquando nominat actum pœnalem: & tunc est dissimilitudo in specie morali.

MEMBRVM V.

An blasphemia peccatum maius sit peccatis reliquis, tum maximè homicidio, & periurio?

QVINTO quæritur de comparatione huius peccati ad alia quædam genera peccatorum, vel species inter se. Et primo ostenditur, quod maius est peccatum aliis peccatis. *Ad populum terribilem*, Glo. *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit os suum in cælum.* Ergo est maius peccatum aliis. Isa. 18. Glossa

¶ Item Rich. *Sceleratissimum genus peccati, quando quis in Dei vituperiis delectatur. Quid aliud est spiritus blasphemiæ, nisi affectatio & desiderium vituperationis?* Cum ergo hoc genus peccati sit blasphemia, erit maius aliis peccatis. Rich. de S. Victor.

¶ Contra super illud. *Nolite exaltare cornu.* Glo. *Maximum est vitium excusationis: nam quasi cornu erigit, qui peccata sua per alios nititur excusare: vt per diabolum, vel per alios suasores, vel per necessitatem stellarum.* Ergo peccatum excusationis est maximum: non ergo blasphemia. Psalm. 47. Glossa Cassiod.

¶ Item, super illud, *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Glo. *Est defensio peccatorum, quando defendit homo quod Deus odit: de quo dicitur. Est peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt oret quis:* Sed peccato ad mortem nullum est maius: ergo nec blasphemia. Psal. 58. Glossa

RESOLVTIO.

Diuersa ratione, vt excedentia, & excessa se habent.

¶ Ad quod dicendum, quod blasphemia, prout accipitur pro spiritu blasphemiæ, est maximum peccatum ex duplici ratione: quia iniuria fit Deo: & quia ex malignitate peccatur. Maius est ergo respectu illorum peccatorum, quæ non fiunt in Deum: & respectu eorum, quæ fiunt, sed non ex malignitate: & sic accipiuntur prædictæ auctoritates. Cum autem dicit, quod peccatum excusationis est maximum: intelligendum est, quod maximum dicitur, quia aufert remedium peccati ex parte eius, qui pœnitere debet: remedium autem peccati est accusatio ipsius peccatoris, & omnimoda confessio peccati: in hoc ergo dicitur peccatū excusationis maximum. Ex altera parte blasphemia dicitur maximum, quia prouocat oculos diuinę maiestatis ad non miserendum siue ad non remittendum.

¶ Deinde quæritur, vtrum blasphemia sit maius peccatum homicidio: vel par? Quod autē sit, videtur per hoc quod dicit Aug. *Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælis: quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Sed qui crucifixerunt, perpetrauerunt graue homicidium: ergo blasphemia in Christum regnantem in cælo, est par peccatum, vel maius homicidio. August.

¶ Ad idem, peccatum blasphemiæ est contra præceptū primæ tabulæ: peccatum vero homicidii contra præceptū secundæ tabulæ: sed maius est præceptum primæ tabulæ, quam secūdæ: ergo maius est peccatum blasphemiæ, quam homicidii.

¶ Contra, homicidium omni genere est mortale peccatum, cum est peccatum: primum locum etiam tenet in pœnis: blasphemia non omni genere est mortale: nec semper debetur ei primus locus in pœnis: ergo homicidium est maius peccatum blasphemia.

¶ Ad quod dicendum, quod maius potest dici peccatū peccato secundum plures rationes: tum secundum rationē maioris libidinis: tum secundum rationem maioris iniuriæ: tum secundum rationem maioris damni: tum secundum rationem maioris reatus.i. obligationis ad maiorem pœnā. Secundum primum modum patet peccatum blasphemiæ esse par peccato homicidii: quia ex æquali libidine, & excedentia possunt esse, & excessa. Quantum ad secundā rationem maius est peccatum blasphemiæ: quā homicidii: quia fit maior iniuria ratione maioris status: status n. regnantis in cœlis est maior ipsius regnantis in terris: præterea, plus est auferre vitam gratię, quam vitam naturæ. Quantum autem ad tertiam rationem maius damnum consequitur essentialiter ipsum peccatum homicidii, quam ipsum peccatum blasphemiæ: maior etiam pœna temporalis debetur in criminis maioris detestatione.

¶ Adhuc etiam quæritur, vtrum blasphemare sit maius

peccatum quam periurare? Et videtur, quod periurare sit maius peccatum: quia qui periurat, nomen Dei sumit in vanum: & Deum assumit testem falsitatis: sed testis falsitatis non potest esse nisi falsus: & ita imponit Deo falsitatem: sed non omnis blasphemans dicit Deum esse mendacem: sed aliquid aliud attribuit ei, quod ei non conuenit: ergo minor potest esse blasphemia periurio. Quæ enim maior iniuria, quam Deum dicere mendacem, cum sit summa veritas?

Ephes. 4. Glos. ordinaria: & sumitur ex Aug. in lib Contra Mendacium c. 19. ¶ Contra, super illud. *Blasphemia tollatur à vobis.* Glo. *Maius est blasphemare, quam periurare: quia periurando falsæ rei adhibetur testis Deus: blasphemando de se ipso falsa dicuntur.*

¶ Ad quod dicendum, quod blasphemia est maius peccatum in genere periurio: licet vtrumque referatur ad præceptum primæ tabulæ, secundum quendam modum. Plus enim est falsum dicere de Deo, quam dicere falsum de creatura cū assertione. Et licet in periurio inuocetur Deus testis: hoc non est, quia Deus sit testis falsitatis: sed vt firmetur credulitas in eo, cui iuratur: Nihilominus tamen aliqua blasphemia potest esse minor aliquo periurio: & quia ex minori libidine procedat: & quia minoris sit damni.

MEMBRVM VI.

An blasphemia in dictis tantum sit, vel etiam in factis?

SEXTO quæritur, Vtrum blasphemia sit tantum in dictis, an etiam in factis. Quod autem sit in dictis, patet per hoc quod dicitur. Ephes. 4. *Blasphemia est, per quam de Deo ipso falsa dicuntur.*

Leu. 24. Glo. ¶ Similiter *Qui blasphemauerit nomen Domini &c.* Glo. *Maledicit Deum, qui nescienter blasphemat: & peccatum recipit*, id est pœnam peccati.

2 Pet 2. ¶ Contra, super illud. *Per quos via veritatis blasphematur &c.* Via veritatis blasphematur per hæreticos, non solum in eis, quos suæ hæresi seductos associant: sed eis quoque quos per impurissima facta sua, & sacrificia, vel etiam ministeria execranda, quæ faciunt, in odium Christiani nominis concitant; existimantibus imperitis omnes Christianos huiusmodi flagitiis mancipatos. Ex quo habetur quod blasphemia non tantum est in dictis, sed etiam in factis.

RESOLVTIO.

Et in dictis, & in factis, in illis proprie, in his communiter.

¶ AD quod dicendum: quod blasphemia proprie dicitur esse in verbis: extenditur tamen aliquando ad illam, quæ est in operibus. Sicut confessio & negatio, licet proprie dicantur in verbis: tamen nihilominus aliquando accipiuntur in factis: sicut dicitur 1. ad Tit. Confitentur quidem verbis, factis autem negant.

MEMBRVM VII.

An remissibile, vel irremissibile peccatum blasphemia sit?

SEPTIMO quæritur, Vtrum blasphemia sit peccatum irremissibile. Quod videtur per hoc, quod dicit Hugo (Hugo de S. Victore) loquens de hoc peccato: quod hoc malum nihil habet in se excusationis: & propter hoc non videtur habere causam remissionis: ergo hoc peccatum est irremissibile.

Matt. 12. ¶ Dicitur etiam. *Spiritus blasphemiæ nec remittetur hic, nec in futuro.*

Hesicius. ¶ Item Hesicius loquens de hoc peccato. *Iuste sine misericordia punitur, siue à patribus tanquam ciuis eruditus, siue nouiter didicerit, tanquam peregrinus.* Ergo peccatum huiusmodi est irremissibile.

Hieron. ¶ Contra, Hier. *Blasphemia licet culpa non careat erroris: tamen veniam habet propter corporis mutabilitatem.*

Matt. 12. ¶ Præterea, Blasphemiæ & peccata remittuntur hominibus. Ergo blasphemia est remissibilis.

RESOLVTIO.

Et remissibile, & irremissibile.

Richard. ¶ AD quod dicendum, quod blasphemia aliquando fit ex coactione sicut dicit Richardus: aliquando ex deceptione. Cum autem fit ex coactione, tunc peccatur in patrem: cum autem ex deceptione, tunc peccatur in filium. Vtroque autem modo habet in se causam excusationis: & dicitur remissibile: quia habet secum annexam causam motiuam misericordiæ diuinæ ad remissionem. Cum autem peccat ur ex malignitate, vel ex certa scientia peccato blasphemiæ, quod dicitur spiritus blasphemiæ, dicitur peccatum irremissibile: non quia non possit remitti, vel quia non aliquando remittatur: sed quia non gerit secum causam mouentem ad remissionem. Et hoc modo intelliguntur rationes supradictæ.

QVÆSTIO CXXXIII.

De Risu, & Ludo.

In quatuor Membra diuisa.

D.Th 2.2. quæst. 68. DICTO de peccato cordis, & oris: consequenter dicendum est de peccato operis. Sed peccatum operis magnam latitudinem habet: in Tractatu diuisionum sequentium agetur de illis. In præsenti autem sufficiat de peccatis operis, quæ pertinent ad gestum, vel ad nutum corporis, & quæ pertinent ad ornatum. Peccatum autem, quod est in gestu, vel nutu corporis, quoddam attenditur in se: quoddam respectu proximi. Peccatum in se dicitur peccatum ioculationis: vt risus attendatur quantum ad motum oris: ioculatio autem siue gesticulatio quantum ad motum corporis: subsannatio autem & derisio quantum ad proximum.

¶ Primo ergo dicendum est de risu, & ioculatione, quærendo, vtrum ridere, & ludere siue ioculari sit peccatum? Secundo si aliquando est mortale. Tertio, si inspectores ludorum aut ioculationum peccent aliquando venialiter, aliquando mortaliter. Quarto, vtrum ministrantes necessaria talibus peccent?

MEMBRVM I.

An ridere, & ludere, siue ioculari peccata sint?

AD primum sic: videtur quod ista non sint peccata: ridere enim à natura inest homini: & sicut flere est respectu tristabilis, ita ridere est respectu delectabilis: sicut ergo flere potest esse sine peccato, ita & ridere sine peccato.

¶ Item, inter omnes virtutes morales, siue consuetudinales computatur eutrapelia: eutrapelia autem est medietas in ludis: ergo contingit ista fieri sine peccato.

¶ Item, dicitur. *Est tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus saltandi.* Tempus autē sumitur pro oportunitate, oportunitas autem non est in peccato: ergo risus & saltatio possunt esse sine peccato. Eccl. 3.

¶ Item Greg. *Dauid plus stupeo saltantem, quam pugnantem: pugnando hostem subdidit, saltando coram Domino seipsum vicit:* Sed pugnando cum hoste meruit: ergo multo fortius saltando meruit. Gregor.

¶ Item, Seneca: *Si tempus iocum exigit, sic te gere sapienter, vt nullus habeat te tanquam asperum, nec contemnat te vt vilem.* Ex quibus omnibus colligitur, quod ludus & ioculatio possunt esse sine peccato. Seneca.

¶ Contra. *Surrexerunt ludere* Glo. *Esus & potus ad ludum impulit, ludus ad idololatriam: quia si vanitatis culpa non caute compescitur, ab iniquitate mens incauta deuoratur.* Ergo in ludo est peccatum. Exod. 32. Glossa

¶ Item, Chrys. *Non dat Deus ludere, sed diabolus. Audi quid ludentes passi sunt: Sedit populus comedere & bibere, & surrexerunt ludere &c.* Ergo ludere non est sine peccato. Chrys. Hom 6. in Matth.

¶ Item, *Non sedi in consilio ludentium.* Et similiter Tob. 3. Malum est ergo ludere: cum in opposito personæ illæ reddantur commendabiles. Ierem. 15. Tob 3.

¶ Item, Chrys. *Non est nostrum ridere continue, & frangi, & lasciuire* (& loquitur in persona Christianorum) ergo Christiani peccant ludendo. Chryso.

¶ Similiter dicitur de risu, per hoc, quod dicitur. *Va vobis, qui nunc ridetis.* Et *Cor stultorum, vbi lætitia.* Et dicit Glo. *Docet stultitiam ridentibus, prudentiam flentibus ascribendam.* Luc. 6. Eccl 7. Luc. 6.

RESOLVTIO.

Interdum peccata, interdum non peccata, quinimmo ad meritum tendentia.

¶ Ad quod dicendum, quod multiplex est risus. Est enim quidam, qui prouenit ex serenitate conscientiæ & prægustatione gaudii superni: & iste risus non tantum est sine peccato: sed pertinet ad fructum spiritus, qui est gaudium. Est iterum risus, qui cedit in præmium: de quo dicitur. *Ridebit in die nouissimo*: vnde Glos. *Gaudebit in retributione regni cælestis, qui dolebat in certamine vitæ præsentis.* Est iterum risus, qui procedit in demeritum; qui fit ex immoderata lætitia: de quo dicitur. *Melior est ira risu.* Glo. interli. *Qui dissoluit etiam sapientem.* Et in eodem. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla: sic risus stulti.* Et secundum hunc modum ridere est sine peccato. Est iterum risus ex ipsa naturæ mansuetudine: & sic attestatur bonitati naturæ: & bonum naturæ determinat.

Prou. vlt. Glossa. Eccl. 7. Glossa. Ibidem.

¶ Eodem modo potest distingui de saltatione & ludo. Est enim saltatio, vel ludus, quæ proueniunt ex mentis lascinia: & secundum hoc sunt peccata, vel cum peccato. Et est iterum saltatio vel ludus ex spirituali mentis iocunditate: & hoc modo saltauit Dauid coram arca, & risit in signum humilitatis, & spiritualis iocunditatis: & secundum hoc saltatio cessit in meritum. Aliquando vero fit ad naturæ recreationem: & secundum hoc bonum naturæ determinat. Aliquando fit causa exercitii, & sic bonum artis determinat: & secundum hunc modum potest esse indifferens ad meritum vel demeritum.

2 Reg. 6.

¶ Per iam dicta possunt solui, quę obiecta sunt. Quod enim primo dictum est, ad actum naturalem refertur: secundum ad actum virtutis consuetudinalis: tertium vero indifferenter accipitur: quartum vero ad actum virtutis gratuitæ: quintum vero ad actum virtutis moralis.

¶ Econtra vero quod dicitur in Exod. ad ludum culpabilem pertinet. Similiter & ea, quæ consequuntur de ludo, risu, & ioculatione.

MEMBRVM II.

An item mortale, vel veniale peccatum sint risus, ludus, & ioculatio?

Secvndo quæritur, si aliquando sint peccata mortalia, videlicet risus, ludus, & ioculatio. Quod videtur per hoc quod dicitur. *Væ vobis, qui nunc ridetis. Væ* enim comminationem pœnæ æternæ signat, quæ pro peccato mortali debetur.

Luc. 6.

¶ Item, Beda. *Risui vacantes, male obsequentium clientela maiorem fouentur ad pœnam.*

Beda.

¶ Item, *Risus vester in luctum conuertitur.* Glo. interlin. *Qui fuit de leuitate seculari.* Et iterum. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Et dicit Interli. *Luctus perpetuus.* Sed talis non debetur nisi pro mortali peccato: ergo &c. Et *Risus illorum in delictis peccati.* Sed delictum sonat in mortale peccatum: ergo risus est mortale peccatum.

Iacob 4. Glossa. Prou. 14. Glossa. Prou. 17.

¶ Quod autem sit veniale, patet ex quibusdam authoritatibus supradictis: fiunt enim ex quadam causa leuitatis: sicut dicitur Tob. 3.

Tob 3.

¶ Præterea, non est expressa prohibitio diuina, in contemptum cuius videantur perpetrari.

RESOLVTIO.

Vtrumque, iuxta diuersam lætitiæ causam, ex qua originem trahunt.

¶ Ad quod dicendum, quod aliquando in iis est veniale peccatum: aliquando mortale. Potest enim immoderata lætitia, ex qua originem dicunt, non præferri incommutabili bono, sed potest fieri conuersio ad mutabile bonum citra Deum: & sic erit veniale. Si vero fiat in contemptum Dei, vel præferatur incommutabili bono: secundum hoc erit mortale peccatum. Ille ergo ludus, quo ludebat populus Israeliticus, vitulum aureum faciendo, vel erat mortale peccatum, vel dispositio ad mortale peccatum. Videtur autem ex Glo. quod esset dispositio ad mortale peccatum: introducitur enim illa authoritas. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Eccl. 19.

¶ Illud etiam, quod dicitur. *Risus vester conuertatur in luctum*: de veniali peccato videtur intelligi. Posset tamen ad vtrumque referri: agitur enim ibi de pœnitentiæ luctu, qui est de venialibus, & mortalibus peccatis. Iacob. 4.

¶ Ad illud autem, quod dicitur. *Væ vobis, qui nunc ridetis*: de mortali peccato intelligitur. Similiter illud Chrysostomi iam allegatum superius. Non est Christiani ridere continue, & frangi, & lasciuire: sed eorum, qui in cæno sunt fornicantium mulierum: & eorum, qui diabolo vectigal soluunt. Luc. 6.

MEMBRVM III.

An mortale, vel veniale peccatum sit, ludis & ioculationibus interesse?

Tertio quæritur: si inspectores ludorum, aut ioculationum peccent aliquando venialiter, aliquando mortaliter. Quod autem peccent mortaliter, videtur per hoc quod dicit Chrysost. *Adulteros & inuerecundos constituunt talium inspectores: nihil enim stuprosius, neque oculo turpius, talia videre concedente.* Cum ergo causa sit mortalis peccati: erit mortale peccatum. Dicitur enim: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est in corde suo.* Et dicit Chrysost. *Melius est luto & gurgite omnem visum reuergere: quam talem inspicere iniquitatem: neque enim ita oculis iactura est gurges, vt incontinens visus, & denudata mulieris inspectio.* Chrysost. Matt. 5. Chrysost.

¶ Item Chryso. *Expellamus saltatricem: & si nullum alium, barbaros saltem zelamini: etenim ab omni tali sunt puri inspectatione: qua ergo erit nobis excusatio, qui deberemus esse ciues regni cælorum? barbaris in hoc deteriores sumus.* Ex quo accipitur, quod huiusmodi voluntaria inspectio mortale peccatum est. Idem.

¶ Item Chrysost. *Peccatum hoc intantum imponit sordem, vt neque decem millibus fontibus expurgare possis: sed solum lacrymis & confessionibus.* Cum ergo hoc competat mortali peccato, erit mortale peccatum. Idem.

¶ Item, leges, quæ à Græcis scriptæ sunt; tales personas voluerunt esse infames. Sed participare infamibus in actu, per quem trahitur infamatio, est mortale peccatum, (est enim crimen) ergo inspectatio voluntaria ioculationum est mortale peccatum.

¶ Contra, minus peccatum est inspicere: quam ipsum agere: si ergo ipsum agere non semper est mortale: multo fortius nec ipsum inspicere.

¶ Præterea, inspicere aliquando fit casu, & non præcedente proposito: sed peccatum mortale non videtur fieri sine proposito: ergo inspectio voluntaria ioculationum non semper est mortale peccatum.

RESOLVTIO.

Et mortale, & veniale: iuxta circumstantias, quibus interesse contingit.

¶ Ad quod dicendum, quod duplex est inspectio. Quędam est in transitu, nec vlterius intendit ad delectationem mortalis peccati, vt fornicationis, vel adulterii: & talis est veniale peccatum. Est alia inspectio studiosa, in qua est fomentum mortalis peccati: & talis potest esse mortalis. Præterea, quædam est ioculatio histrionica: quædam est etiam ioculatio chorealis mulierum lasciuarum: quædam vero est exercitii causa, vel tollendi fastidium, siue tollendæ accidiæ. Studiosa ergo inspectio, per quam præstatur fomentum ioculationis histrionicæ, vel ioculationis chorealis, potest vergere in peccatum mortale.

¶ Et secundum hoc potest responderi ad ea, quæ obiecta sunt.

MEMBRVM IV.

An fouentes huiusmodi ioculatores, & lusores, mortaliter peccent?

Qvarto quæritur, vtrum peccent ministrantes necessaria talibus? Quod videtur per hoc, quod dicitur ab Aug. *Donare res suas histrionibus, vitium est immane.* Aug. super Ioan. tract. 100.

¶ Præterea, infames personæ sunt huiusmodi ioculatores: sicut habetur. 4. q. 1. vbi dicitur quod infamiæ maculis sunt aspersi, sc. histriones: fouere autem eos; qui infames sunt in ratione infamiæ, peccatum est: ergo &c. 4. q. 1.

¶ Item Chrys. *Non ita ille, qui hoc fingit, est delinquens, vt tu qui* Chryso. vide Hom. 6. in Matt.

hæc iubes facere: magis autem neque iubes solum, sed studes, & lætaris, & laudas: qui fiunt & omnino applaudis tali ergasterio dæmoniorum. Ergo qui fouet eos in peccato, magis delinquit.

Idem. ¶ Item Chrys. *Principium & radix talis iniquitatis vos estis: maxime qui tribuitis, qui diem vniuersam in his consumitis, & honestas nuptiarum res deturpatis.* Sed qui est radix iniquitatis, magis peccat, quam ille qui est ad modum rami: ergo ministrantes necessaria, & fouentes huiusmodi ioculatores mortaliter peccant.

RESOLVTIO.

Et mortaliter, & venialiter, & neutro modo: iuxta intentionem, qua fouet.

¶ Ad quod dicendum, quod illi, qui ministrant eis necessaria in fouendo vitium, si hoc faciunt isto intuitu, mortaliter peccant: talibus enim dare pro exercitio sui vitii, immane peccatum est. Si vero hoc fiat ex aliqua causa veniali, non intuitu fouendi in peccato: veniale peccatum potest esse. Si vero causa necessitatis naturæ, non est peccatum, nisi fuerit ratione circumstantiæ. Vnde Ambr. *Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo, hominem seruare poteris; si non paueris, occidisti.* Et dicit iterum. *Qui clementiam non habet, non indutus est viscera misericordiæ: quamuis spiritualis sit, non adimpleuit legem Christi.*

Amb. lib. de officiis. Refertur dist. 86 cap. Pasce. Idem.

QVÆSTIO CXXXIV.

De Derisione.

In quinque Membra diuisa.

D. Th. 2. 2. quæst. 75.

CONSEQVENTER dicendum de peccato derisionis. Primo ergo quærendum est, quid sit derisio, & vtrum idé sit quod subsannatio? Secundo, vtrum sit peccatum mortale, vel non. Tertio, quod est in illo genere maius peccatū. Quarto, vtrum sustinens derisionem mereatur. Quinto, de damno, quod accidit ex derisione.

MEMBRVM I.

An derisio idem sit quod subsannatio?

Prou. 3. CIRCA primum quæritur, vtrum subsannatio sit derisio. Quod videtur: dicitur. *Abominatio est Domino omnis illusor.* Vbi illusor accipitur pro irrisore: sed subsannatio est illusio: ergo est irrisio.

Psal. 43. Psal. 2. ¶ Contra, super illud. *Subsannationem & derisum his &c.* Vbi subsannatio contra derisionem diuiditur. Et alibi. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Et ita non est idem subsannatio, quod derisio.

RESOLVTIO.

Communiter sumendo, vtique. proprie autem, minime.

¶ Ad quod dicendum, quod aliquando derisio accipitur communiter, pro quacunque insultatione despectiua, prout dicit Beda, quod derisor est, qui proximorum simplicitati improbus insultat: & secundum hoc commune potest esse ad subsannationē. Alio vero modo derisio est vox cōfusa, lætitiæ insultationem immoderata hilaritate denuncians: subsannatio vero est, quæ fit naso contracto, vel rugato: sicut habetur super illud. *Et Dominus subsannabit eos*: & secundum hoc diuiditur derisio contra subsannationem.

Beda. Psal. 2.

MEMBRVM II.

An mortale, vel veniale peccatum sit derisio?

Sap. 5. SECVNDO quæritur: vtrum derisio sit peccatum mortale, vel non. Quod sic, videtur per hoc quod dicitur. *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii.* Et loquitur ibi de damnatis, tangendo ibi causam damnationis: cum ergo derisio ponitur pro causa, erit derisio mortale peccatum. Et similiter dicitur super illud. *Erubescant valde velociter* Glo. *Hoc non est hic, vbi potius iniqui irrident & ... relinquunt: & suis irrisionibus infirmos de Christi nomine erubescere faciunt.* Sed in iudicio erubescentes dicent de bonis. *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum*: Ergo punientur æternaliter derisores bonorum: ergo derisio est mortale peccatum.

Psal. 6. Glossa. Sap. 5.

¶ Contra, videtur quod sit veniale peccatum: ex impetu enim & sine deliberatione aliquando fit motio ad huiusmodi derisum: ergo non est mortale peccatum: sed veniale.

RESOLVTIO.

Interdum hoc, interdum illud.

¶ Ad quod dicendum, quod potest esse mortale, & potest esse veniale; prout dicitur, *quod abominatio est Domino omnis illusor*: & illusor ibi accipitur pro derisore. Et dicit Glo. *illusor est, qui promissa Dei quasi parua despicit, & iram districtionis quasi tolerabilem spernit: necnon & ille, qui proximorum simplicitati vel paupertati improbus insultat.* Aliquando autem ex leuitate fit derisio, nec tamen vellet malum proximo, aut nocumētum: & secundum hoc potest esse veniale peccatum. Et secundum hoc potest intelligi illud: *Qui annuit oculis, dabit dolorem* id est, causam doloris, ad minus pœnitentialis: vel illius, qui respondet peccato veniali, vel mortali cōmuniter. Prou. 3. Glossa Prou. 10.

MEMBRVM III.

Quæ derisio maior sit, patris & matris, vel Dei?

TERTIO quæritur, quod sit maius peccatum in illo genere. Est enim quædam irrisio patris & matris: & est iterum irrisio, qua peccator irridet Deum, cum patitur recidiuum, vel cum diuina iudicia cōtemnit. Potest ergo quæri, quæ istarum derisionum sit maius peccatum in genere? Et videtur, quod illa, quæ est in Deum: maior enim est iniuria Dei, quam hominis: ergo derisio, quæ fit in iniuriam Dei, maius est peccatum, quam derisio quæ fit in iniuriam hominis, seu patris & matris: eo quod sub iniuria proximi intelligitur.

¶ Præterea, qui despiciunt diuina iudicia, non credunt eis, & ita cadunt à fide. Sed infidelitas est maius peccatum peccato, quod est contra præceptum secundæ tabulæ: derisio vero proximi est peccatum contra præceptum secundæ tabulæ: ergo derisio diuinorum iudiciorum est maius peccatum, quam derisio patris & matris.

¶ Contra. Derisio patris & matris puniebatur in veteri lege: derisio autem illa, qua deridetur Deus per ingratitudinem in recidiuo peccati, cum pertineat vniuersaliter ad peccatum quodcūque, non fuit digna tali pœna: ergo peccatum derisionis in patrem & matrem maius peccatum est, quam peccatum aliquod, quo deridetur Deus.

¶ Item, de hypocrita dicitur, *qui per struthionem designatur, quod deridet equum & ascensorem eius*: ascensor autem dicitur ipse Deus: equus autem dicitur quilibet bonus: hæc autem derisio est per simulationem: simulatio autem minus peccatum est quam maledictio patris & matris: derisio ergo qua deridet hypocrita Deum, minus est peccatum, quam derisio &c. Iob 39. Greg. Lib. 31. Mor. ca. 6. & 12.

¶ Item, de derisione patris & matris dicitur. *Oculum, qui subsannat, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filii aquilæ.* Talis autem pœna ad litteram non dicitur de simulatore, qui Deum deridet: ergo videtur maius peccatum derisio patris & matris in genere derisionum. Prou. 30.

RESOLVTIO.

Vt excedentia & excessa se habent.

¶ Ad quod dicendum, quod est quædam derisio, qua deridetur Deus in se: & alia, qua deridetur per consequens in aliquo effectu. Effectus autem potest esse duplex: vel qui respicit generaliter omne peccatum, vel qui respicit grauiora peccata. Secundum hoc ergo dicendū, quod derisio, qua deridetur Deus in se, maius est peccatum in genere derisionis: secundum etiam deridetur in effectu, qui pertinet ad grauiora peccata. Secundum autem, quod derisio dicitur generaliter cuiuslibet peccatoris (sicut dicitur auctoritate Isid. *Irrisor est, & non pœnitens; qui adhuc agit quod pœnitet*) vel secundum quod derisio dicitur esse Dei in minoribus peccatis: minus enim est peccatum derisionis Dei, quā peccatum derisionis patris & matris. Cum autem ad hoc peruenit peccatum, vt ex infidelitate despiciat diuina iudicia, vel irrideat, ad maius peccatum in genere peruenit. Isid Lib. 2. de Summo bono. ca. 16

MEMBRVM IV.

An sustinens derisionem, mercatur?

Iob 12. Glossa. QVARTO quæritur, Vtrum sustinens derisionem mereatur. Quod videtur per hoc, quod dicitur. *Qui deridetur ab amico &c.* Glo. *Illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis prauitatibus vita innocentia seruat alienum.* Gregor. Et iterum dicit Gregor. *Afflicti animus tanto fit Deo proximus, quanto à gratia fauoris humani alienus* (& loquitur de illis, qui irridentur ab hominibus.) Ergo sustinentia derisionis humanæ est sustinenda.

Idem. ¶ Contra Greg. *Sunt nonnulli, quos humana derisiones deprimunt: & tamen diuinis auribus exaudibiles non sunt.*

RESOLVTIO.

Si fuerit derisio pro bonis operibus, vtique: si ex culpis, minime.

Gregor. ¶ AD quod dicendum, quod quædam derisio redditur pro bonis operibus: & talis si patienter sustineatur, meritoria est: de talibus enim dicit Greg. *Eo se intus robustius in Deo solidant, quo foris non inueniunt, in quo requiescant.* Est autem alia Idem. irrisio, quæ nascitur ex culpa: & talis etiam si patienter sustineatur, non est meritoria vitæ: & de ista dicit Greg. *Cum derisio ex culpa nascitur, profecto nullum virtutis meritum in derisione generatur.*

MEMBRVM V.

Quæ & quot sint damna, ex derisionis peccato prouenientia?

Gregor. QVINTO quæritur de damno, quod accidit ex derisione. Damnum autem ostenditur in retractione bonorum à pœnitentia, vnde Greg. *Si qua forte in aliorum actibus exoriri bona conspiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis euellant.*

P. S. 101. Glossa. ¶ Ostenditur etiam damnum ex retractione à vitæ perfectione. Vnde super illud. *Tota die exprobrabant mihi inimici &c.* Glo. *Quos diabolus aliter nequit perdere; arte quadam vult capere: facit enim irrideri pœnitentes quærentes in eorum detestationem irrisores, qui laudabant eos, dum cum eis erant seculares.* Retrahit Psal. 122. Glossa etiam à fide: vnde super illud. *Repleti sumus despectione.* Glo. *Irridetur à tenente quod amat, qui sperat non visa: & ei dicitur, quid credis insane? vides quod credis?*

RESOLVTIO.

Tria, retractio s. à pœnitentia, à vita perfectione, & à fide.

August. ¶ Ex his ergo elicitur damnum triplex, quod ex irrisione accidit: ratione cuius derisio malum debet dici. Et licet occasio sit boni, non propter hoc tamen debet dici bonum: *nullum enim malum est* (sicut dicit Augustinus) *ex quo Dominus non eliciat bonum:* nec tamen ipsum propter occasionem bonum dicitur.

QVÆSTIO CXXXV.

De ornatu vestium.

In quinque Membra diuisa.

D. Th. 2. 2. q. 168. & in ce. CONSEQVENTER videndum est de peccato, quod accidit in ornatu corporis. Primo quæritur, vtrum peccatum sit in pretiositate vestium. Secundo, vtrum sit peccatum viris habere indumenta muliebria. Tertio, vtrum ornatus, qui licitus est, siue permissus mulieribus coniugatis, sit illicitus virginibus. Quarto quæritur de viris religiosis, vtrum peccent habendo vestes delicatas. Quinto quæritur de ipsis artificibus, vtrum peccent.

MEMBRVM I.

An in pretiositate vestium peccatum sit?

Chryso. CIRCA primum sic dicit Chrysost. *Non est simul corpus & animam ornare: sicut nec est mammonæ seruire, & Christo obedire.* Sed seruire mammonæ peccatum est: ergo à simili ornare corpus; cum sit incompossibile cum ornatu animæ; est peccatum.

Gregor. ¶ Item, Gregor. *Nemo existimet in fluxu, aut in studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hæc culpa non esset; nullo modo Iohannem Bap. de vestimenti sui asperitate laudasset.* Si hæc Hom. 40. in Euang. *culpa non esset: nequaquam Paulus per Epistolam fœminas à pretiosarum vestium appetitu compesceret,* dicens: *Non in veste pretiosa.*

1. Tim. 2. ¶ Item, Greg. *Nemo vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit; videlicet vt honorabilior cæteris esse videatur.* Nam Idem. quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus vti, vbi non possit ab aliis videri. Quam culpam melius etiam ex diuerso colligere possumus: quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Euangelista vigilanter de Io. Baptista, quod indutus erat pilis camelorum, non diceret.

Matt. 11. Sed contra videtur: quod ornatus vestium propter humanam necessitatem & honestatem est introductus. Dicitur enim. *Erat vterque nudus sc. Adam, & vxor eius, nec erubescebant:* & postea introducto peccato, cognouerunt se nudos, & fecit eis Dominus tunicas ad ornatum. Gen. 2.

Matt. 11. ¶ Item, dicitur. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Ex quo accipitur, quod ornatus vestium pretiosarum competit Principibus, & aliis, qui sunt à latere principum.

¶ Item, omnia corporalia facta sunt propter hominem: ergo & ipsa indumenta, & indumentorum circumstantiæ: sed circumstantiæ indumentorum sunt pretiositas materiæ, & decor formæ: ergo hæc facta sunt propter hominem: si ergo homo vtatur eis eo modo, quo debet, non peccat.

¶ Præterea, pretiositas vestium sic conceditur, sicut pretiositas ciborum: sed pretiositas ciborum, quibusdam personis conceditur: ergo similiter pretiositas vestium.

¶ Præterea, in ipsis vestibus non videtur esse ratio pretiositatis: sed in ipsa raritate, & hominum æstimatione (quod enim alicubi vile est, alibi est pretiosum) non ergo negatur homini propter decentiam vestium pretiositas.

RESOLVTIO.

Quam maxime, si adsit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere.

¶ AD quod dicendum: quod licet secundum nobilitatem personæ, secundum consuetudinem terræ, secundum dignitatem officii, ornare se vestibus pretiosis: ita tamen quod absit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere.

¶ AD obiectum autem in contrarium primum. Dicendum est, quod tunc non simul corpus & anima ornantur; quando propter libidinem circa ornatum corporis, quod est deterius, siue minus bonum, non curatur de ornatu animæ. Vnde dicit Chrysost. *Corpus multo deteriori circuendum* Chrysost. *est stola, intellectus autem purpura. Nunc autem contrarium facis, ciuitatem ornans varie, regem, sc. intellectum dimittens trahi ligatum post irrationales passiones.*

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod facienda est vis in hoc, quod dicit *studio pretiosarum vestium,* studium n. dicitur vehemens applicatio animi. Hic autem sumitur pro vehementi applicatione animi: per quam meliora postponuntur deterioribus: cum autem hoc fuerit, peccatum est.

¶ Ad tertium dicendum, quod non dicit hic Gregor. quin aliquis possit vti pretiosis vestibus, non ad inanem gloriam: sed quia de difficili & raro sine veniali peccato. Vnde facienda est vis in hoc quod dicit *nemo,* id est, nullus homo: & accipitur *homo* sicut dicitur. *Nonne homines estis? nonne carnales estis?* 1. Cor. 3.

MEMBRVM II.

An peccatum sit viris muliebria vestimenta deferre?

CONSEQVENTER quæritur, vtrum peccatũ sit viris habere vestimenta muliebria? Quod videtur, secundum hoc quod dicitur. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur fœminea: abominabilis enim est apud Dominum, qui facit hæc.* Sed Deut. 22. abominatio in scriptura non est; nisi propter mortale peccatum: ergo non est mortale peccatum.

Chrysost. ¶ Præterea Chrysost. *Cum viros in mulierum formas educat, & mollescere faciat per calceamenta, & lasciuire, cum super-*

ftris & nociuis eam statuimus (& loquitur ibi de arte textorum, qua fiunt vestimenta muliebria viris: & arte sutorum, qua fiunt calciamenta similiter) Restat ergo quod peccatum est viris muliebria habere vestimenta.

Rabanus. ¶ Item, Rabanus. *Contra naturam esse videtur, muliebriam facere comam, crispare, & torquere capillos: Vnde vir si comam nutrierit, ignominia est illi.*

¶ Contra, Nonne legitur de Delbora, quod iuit ad prælium? & præsumitur, quod in armis militaribus, quæ ad viros pertinent? Pari ratione ex causa aliqua posset vir veste muliebri indui: vt si quæreretur ad mortem, & per hoc occultaretur: vel si faceret officium, quod mulieri competeret.

RESOLVTIO.

Excepto necessitatis casu, peccatum est viris, muliebria vestimenta deferre.

¶ Ad quod dicendum, quod non pertinet ad honestatem viri veste muliebri indui: vtriq; enim sexui diuersa indumenta natura dedit. Vnde si homo vteretur ex consuetudine veste muliebri, nisi in aliquo casu necessitatis, peccaret. Quod autem intelligitur peccatum mortale in veteri Testamento: intelligendum est propter hoc, quod solent in quibusdam solennitatibus idolorum viri vti vestib. mulieribus, & mulieres veste virili: sicut faciebant sacerdotes Vestæ, & Cybeles, q̃ mater dicebatur Deorum. Inquantum ergo ad idololatriam ordinabatur, peccatum erat mortale. Deut. 22.

¶ Ad illud vero, quod dicit Chryſ. de iuuenibus, intelligitur ad vitandum lasciuiam, ad quam positi sunt in iuuenili ætate: & vt magis assuefiant ad virilitatem.

¶ Ad illud vero, quod dicitur Rabanus. Dicendum est, quod contra naturam esse dicitur multipliciter. Aut enim dicitur contra naturam, quod est contra* veritatem naturæ: sicut peccatum ignominiosum dicitur esse contra naturam ad Rom. 1. Aut dicitur cõtra decentiam naturæ: & hoc modo dicitur hic, quod contra naturam est, virum muliebria facere: decet enim virum virilia facere: & ideo dicitur *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.*

*Alias, virilitatem. Rom. 1. 1. Cor. 11.

MEMBRVM III.

An ornatus, qui mulieribus coniugatis licitus est, illicitus sit virginibus?

TERTIO quæritur, Vtrum ornatus, qui licitus est, sine permissus mulieribus coniugatis: sit illicitus virginibus, vel si aliquis sit illicitus illis scilicet coniugatis. Quod autem illicitus sit coniugatis. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis in veste pretiosa.* Ex quo accipitur, quod non conuenit mulieribus huiusmodi ornatus margaritarum, & consimilium. 1. Tim. 2.

¶ Similiter *Quarum: non sit exterius capillatura, aut circumdatio auri & indumenti.* Vbi instruit B. Petrus, qualiter se debent habere in indumentis mulieres coniugatæ, & qualiter non. Et Glo. dicit. *Serico & purpura induta, Christum sinceriter induere non possunt: auro, & margaritis, & monilibus ornatæ, ornamenta cordis, & pectoris perdiderunt.* Ex quo accipitur, quod peccatum est mulieribus coniugatis huiusmodi pretiosis ornamentis vti. 1. Pet. 3. Glossa Cypr. ibid.

Hieron. ¶ Item, dicit Hiero. *In contumeliam artificis conatur mulier pulchrior esse, quam natura est.*

Idem. ¶ Similiter quæritur de illis, quæ se ornant coloribus accidentalibus; siue sint coniugatæ, siue solutæ. Vnde Hier. *Quid facit in facie (Christiane) purpurissus & cerusa, quarum alterum ruborem genarum labrorsum que mentitur alterum candorem oris & colli? ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudica mentis indicia.* Et iterum. Idem. *Qua fiducia erigit mulier fucata ad cælum vultus, quos conditor non agnoscit?* Ergo peccatum est mulieribus coniugatis, vel aliis huiusmodi ornare coloribus accidentalibus.

Idem. ¶ Similiter quæritur de vestium varietate, & multiplici mutatione. Vnde Hiero. *Cum ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus, ex vitio nostro personas plurimas superinducimus: quomodo in theatralibus Scenis vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostentat, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: ita nos qui si de mundo non essemus, odiremur à mundo; tot habemus peccatorum similitudines, quot peccata.* Ex quo accipitur, quod peccatum est habere tãtam varietatem vestium, quam habent istæ mulieres, quæ in die se multiplicius ornant.

¶ Item, quæritur de virginibus: vtrum possint se ornare sicut & coniugatæ? Et videtur quod non, per hoc quod dicit Beda. Si Petrus mulieres admonet coercendas, & secundum ecclesiasticam doctrinam seu disciplinam religiosa obseruatione moderandas; quæ excusare possunt cultus suos per maritos: quanto magis id obseruare virginibus fas est: cui nulla sui ornatus competit venia? Ergo virginibus non est licitum sic ornare se, quemadmodum ornant se mulieres coniugatæ.

¶ Contra dicit Apostolus. *Si non potest continere, nubat.* Et alias. *Si nupserit virgo, non peccabit.* Si ergo licitum est nubere, licitum est se præparare, quod placeat ei, quem sibi intendit copulare. Sicut ergo mulier coniugata ornat se, vt placeat iam habito: ita licitum est virgini ornare se, vt placeat sponso habendo. 1 Cor. 7. Ibidem.

RESOLVTIO.

Possunt & virgines iuxta sui gradus conditionem ornari: verum nullatenus æque ac coniugatæ.

¶ Ad primum dicendum, quod mulieribus coniugatis licitum est se ornare, non vt prouocent adulteros, vel aliquos ad luxuriam. Et contra tales (sicut dicit Glo.) loquebatur Petrus in Epistola sua. Vnde dicitur. Videtur quod mulieres eorum, qui in tribulatione erant, contemnebant viros: & vt aliis placerent, se pulchre ornabant: quod fieri prohibet. Sed conuenit se ornare, vt placeant viris suis, ne detur occasio viris peccandi cum aliis.

Cyprian ¶ Illud ergo, quod dicit Cypr. *quod serico & purpura indute &c.* Intelligitur de illis mulieribus, quę hac intentione se ornabant: vt adulteris placerent, vel prouocarent alteros ad luxuriam.

¶ Similiter quod dicit Apostolus ad Timoth. 2.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de coloribus accidentalibus. Dicendum est: quod peccatum est, vbi est color accidentalis: vbi vero color naturalis melioratur in ipsis coniugatis, & fit intentione placendi debito modo viris; potest non esse peccatum. Dicit enim Hier. *Christianos oculos scandalizant, qua purpurisso, & quibusdam fucis ora, oculosque depingunt: quarum facies gypsea nimio candore deformes idola mentiuntur.* Hieron.

¶ Ad illud vero, quo obiicitur de virginibus. Dicendum, quod alius debet esse ornatus virginum, alius coniugatorum. In virginibus debet esse ornatus simplex, & non pretiosus: sicut dicit Hieron. *Quæ nesciat esse pulchra, quæ negligat forma bonum; & procedens ad publicum, non pectus ac colla denudet, nec pallio reuelato ceruicẽ aperiat: sed quæ celat faciem. Virgo enim, dum virgo est, cogitet quæ sunt Dei: cum autem coniugata est, cogitat quomodo placeat viro propter Deum. Si vero sit nobilis virgo, aliquatenus plus debet habere ornatus: qui tamen non prouocet ad libidinem, sed in se habeat decentiam muliebrem.* Idem.

MEMBRVM IV.

An religiosi peccent, habendo vestes delicatas?

QVARTO quæritur de viris etiam religiosis, vtrum peccent habendo vestes delicatas. Et primo quæritur de clericis in sacris ordinibus constitutis, vtrum peccent in ornatu vestium pretiosarum. Quod videtur per hoc, quod habetur in Cano. *Omnis* 21. q. 4. vbi dicitur. *Omnis iactantia, & ornatura corporalis aliena sit à sacro ordine.* Eos ergo Episcopos, vel clericos; qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Cano. Omnis 21. q. 4.

¶ Item, Basilius. *Ex sericis texturis vestem variatam quis non induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate vestimentorum? audierat enim qui mollibus vestimentis induuntur, in domibus Regum sunt.* Matt. 11.

¶ Similiter habetur Dist. 41. *Parsimoniam cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum corporis præter diligentiam infucatum laudamus: dissolutos autem & fractos vestibus & incessu non recipimus.* Ex quibus colligitur, quod peccatum est clericis huiusmodi vti vestibus pretiosis extra cultum Dei. Dist. 41.

Extrauag. de vit. & hon. cle. c. Luc. 16.

¶ ITEM habetur in extrauag. *Pannis rubeis, aut viridibus non vtantur, corrigias auri & argenti ornatus habentes non ferant, nec non anulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.* Si diues in Euangelio arguitur de purpura & bysso. (in sugillationem enim ipsius illa dicuntur) quanto magis est de illis, qui se Deo dedicarunt?

RESOLVTIO.

Religiosi iuxta sua religionis consuetudinem ac mores regionum magis, vel minus ornatas vestes deferre possunt: modo nimius excessus non intercidat.

¶ AD quod videtur dicendum: quod illi, qui viuunt de patrimonio Christi, moderatius se debent habere in indumentis, vestibus Christianæ religioni competentibus induti. Secundum consuetudinem tamen religionis & mores eorum, inter quos viuunt; possunt vestibus vti ornatioribus: exceptis tamen illis, quæ expresse prohibentur; vel ab ecclesia, vel ab institutione ecclesiæ reprobantur. Si vero excessus fieret, vel nimius apparatus, quod non decet seruos Christi: peccatum (sicut habetur in Canone) reputaretur.

Bernard.

¶ SIMILITER quæritur de viris religiosis, qui delicatis vestibus induuntur: dicit enim B. Bernar. *Pudet dicere, vincuntur in suo studio muliercula, quando à monachis precium affectatur in vestibus, non necessitas, nec saltem forma religionis retenta in habitu est. Ornari, non armari appetant milites Christi; qui dum se preparare ad prælium, & contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant: quod aduersarij multum formidant: in mollitie vestimentorum pacis præferentes indicium, vltro se hostibus tradunt.* Ergo peccatum est mortale in eis, vti vestibus delicatis: non enim traditur aliquis hosti, nisi per mortale peccatum.

¶ PRÆTEREA, astringuntur voto paupertatis: paupertas autem in vili habitu, & aspera veste declaratur, hoc autem facit ad carnis mortificationem, ad quam ex voto astringuntur.

¶ AD quod dicendum: quod tenentur ad vilitatem & asperitatem vestium, quatenus in regula, vel in constitutionibus generalibus ad hoc eos obligantibus continetur: maxime autem secundum quod in regula continetur. Secundum autem differentiam religionum contingit diuersam circa hoc fieri ordinationem: in omnibus tamen hoc generale esse videtur, vt sicut voto separauerunt se à mundo: ita in exteriori gestu, & indumento, & alijs quæ sunt ad inditia affectus, separentur. Hoc autem regulariter est intelligendum: si enim ex casu hoc contingeret, vel ex aliqua necessitatis causa ad tempus; non tamen animo delectandi in his, sed magis tristandi de his; posset haberi excusatio.

MEMBRVM V.

An sartores lascinas vestes facientes, peccent?

QVINTO quæritur de artificibus, vtrum peccent, qui talia ornamenta, quæ ad lasciuiam pertinent, componunt. Quod autem peccent, patet per Chrysostomũ, dicit enim sic. *Neque pictorum artem ergo dicerem (in consumptionem enim superfluam solum immittunt) eas autem solum oportet artes vocare, quæ necessariorum, & eorum quæ continent vitam nostram, sicut tributiua & constructiua. Propter hoc enim & sapientiam dedit nobis Deus, vt inueniamus methodos, per quas possimus continere vitam nostram: curiosa autem fieri in vestimentis, vbi vtile est, dic mihi? Propter hoc & ab arte sutorum & textorum multa abscindere oportet: etenim ad luxuriam plura eius deduxerunt: necessitatem eius corrumpentes: artem male arti commiscentes: quod & textorum ars passa est. Sed sicut hanc donec domos fabricauerit, & non theatra necessaria & non superflua operetur, artem voco: ita textorum artem donec vestimenta & amictus, sed non aranearum telas imitetur, & multum effundat risum, & luxuriam ineffabilem, artem nomino: & opera sutorum, donec calciamenta fecerit, non priuabo nomine artis. Cum autem viros in mulierum formas educatur, & mollescere faciat per calciamenta, & lasciuire; cum superfluis & nociuis eam constituemus: & neque artem eam ducemus.*

Chrys. in hom. 50 super Matth. Circa mediũ Tom. 2



QVÆSTIO CXXXVI.

De numero peccatorum mortalium.

In tria Membra diuisa.

COMPLETA diuisione peccati, quæ est cordis, & oris, & operis: procedendũ est ad diuisionem peccati, quæ est in septem capitalia peccata. Primo ergo inquirendum est de ipsa ratione diuisionis. Secundo, de singulis capitalibus vitiorum.

D. Tho. 1. 2. quæst. 84. S. Bon. in 2. dist. 42 art. 3 Sco. ibid.

¶ CIRCA vero rationem diuisionis quæritur. Primo, vtrum plura debeant dici capitalia, an vnum solum. Secundo, si plura, vtrum pauciora quam septem: an plura quam septem: an septem præcise. Tertio, secũdum quam causam attendatur septimembris diuisio?

MEMBRVM I.

An vnum, vel plura sint peccata capitalia?

AD PRIMVM sic. Quod vnum solum sit peccatum, videtur per hoc quod dicit Gregor. *Regina est superbia, quæ quem capit, septem vitiis tradit.* Cum ergo regina dicatur propter principalitatem, erit vnum solũ caput actualium peccatorum mortalium. Gregor.

¶ CONTRA, in trimembri diuisione, de qua habetur 1. Ioan. 2. concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum diuiduntur contra superbiam vitæ: & ita superbia nõ est caput respectu illorum: & ita in septimembri diuisione superbia non dicetur caput: cum sit vnum membrorum. Quod autem superbia sit vnum illorũ, patet per hoc quod dicit Isidor. vbi contra superbiam ponit ipse gastrimargiã, & philargiã, & cætera peccata generalia. Ex quo accipitur; quod superbia non est caput omnium, sed vnum de septem capitibus malorum. Vnde dicit Isidor. *Numerosior est quam Israel populus carnalium passionum, qui multiplicatur de septenario fomite vitiorum.* 1. Ioan 2. Isidor. Deut 7.

¶ PRÆTEREA, in sacra Scriptura diuersa videntur poni capita. Dicitur. *Superbiam in animo tuo, neque in sensu vnquam dominari permittas: ex ipsa enim sumpsit omnis perditio initium.* Ex alia vero parte dicitur. *Radix omnium malorum cupiditas.* Erit igitur superbia ex vna parte caput vitiorum: cupiditas ex alia parte caput vitiorum. Idem. Tob 4. 1. ad Tim. vlt.

¶ SED quod non sint duo, videtur per hoc quod dicitur. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.* Vbi dicitur: caueamus cupiditatem & superbiam, non duo mala, sed vnũ: à quo omnia mala trahunt initium. Eccl. 10.

RESOLVTIO.

Et vnum, & plura, diuersa ratione.

¶ AD quod dicendum, quod vnum dicitur caput siue initium omnium vitiorum: & nihilominus dicuntur plura capitalia peccata. Est enim dicere vnum caput, siue vnum initium omnis peccati pro causa, quæ inuenitur in omni peccato: & hoc modo potest dici superbia caput, siue initium omnis peccati: quia in omni peccato inuenitur contemptus Dei * qui est quædam causa peccati. Alio vero modo potest dici caput illud, quod primum fuit peccatorum: & secundum hunc modum superbia etiam potest dici caput: primum enim fuit peccatorum: hoc enim genere primo peccauit diabolus: & secundum hunc modum nihil prohibet superbiam esse caput & vnum de septem capitalibus. Et hoc modo pro vno computantur superbia, & inanis gloria: ad vnam enim rem reducuntur: licet rationibus differant: vtrobique enim est appetitus excellentiæ: sed superbus dicitur, qui intra apparet sibi magnus: vanagloriosus prout appetit apparere extra in ore aliorum per laudem. Potest etiam superbia tertio modo dici caput, prout ex amore excellentiæ propriæ secundum prius & posterius nascuntur septem peccata capitalia in anima * rationali: iste enim amor est, qui adhæret magis ipsi animæ male dispositæ: & hoc modo dicitur superbia esse regina, cuius filiæ sunt septem vitia capitalia.

*Alias, qui est causa omnis peccati: & hoc genere peccati primo peccauit homo.

*Alias, carnali.

¶ PER hoc põt respõderi ad obiecta: isto enim vltimo modo nõ est aliquod istorum septem: in mõ vero præcedent;

autem hominem aliquando magis pronum esse ad superabundantiam, aliquando ad indigentiam. Vnde nec secundum omnem superfluitatem, nec secundum omnem indigentiam attenditur vitium capitale. Verbi gratia, gula & luxuria attenduntur secundum superabundantiam: auaritia vero secundum indigentiam. Sic etiam cõtingit in aliis: quod quoddam in aliis accipitur secundum superabundantiam, quoddam secundum indigentiã: & ita non erunt tot peccata capitalia, quot superfluitates & indigentiæ in vniuerso.

¶ Ad vltimum dicendum: quod illa 7. quæ enumerantur Prouer. 6. non dicuntur capitalia secundum eandem rationem, secundum quam ista 7. Illa .n. dicuntur capitalia, quia contra charitatem, quæ est vnitas cum proximo, & est caput virtutum, ordinãtur (Discordia enim seminata principaliter est contra charitatem) alia vero ordinant ad discordiam, siue schisma, quod contrarium est vnitati charitatis ad proximum: vnde attribuuntur homini apostatæ, scilicet schismatico.

MEMBRVM III.

Quomodo attendatur septimembris diuisio peccatorum capitalium?

Tertio quæritur: secundum quam causam attendatur septimembris diuisio.

Aliorum opinio. ¶ Dixerunt autem quidam, quod secundũ differentias virium, & amatorum in viribus, siue inordinationem multiplicem attendatur septimembris diuisio capitaliũ peccatorum. Sic enim sumebant diuisionẽ: tres sunt vires animæ; vegetabilis, sensibilis, rationalis: & triplex est bonũ; interius, sc. bonũ carnis, ad quod se hẽt aĩa secũdum duplicem actũ vegetabilis, nutritiuæ sc. & generatiuæ: quantum ad actum generatiuæ attenditur luxuria, quantum ad actum nutritiuæ gula. Similiter est bonum exterius, ad quod ordinatur exterius anima secundũ vim motiuam sensibilem: est enim bonum in prosperis, ad quod ordinatur secundum concupiscibilem: est iterum bonum in aduersis, ad quod ordinatur secundum irascibilem. Similiter est bonum interius, secundum quod debet rationalis ordinari ad Deum, ad proximum, ad seipsum: penes inordinationem amoris ad id, q̃ est supra se, accipitur superbia; quia non vult subesse ei, cui debet, eo modo, quo debet: penes inordinationem ad id, quod est iuxta se, accipitur inuidia: penes inordinationem ad se, & intra se, accipitur accidia: cum homo minus diligit bonum internum, quam bonum externum.

¶ Alii vero voluerunt accipere numerum capitalium vitiorum penes tres vires animæ motiuas quo ad actus earum: quo ad actum, scil. concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Attribuunt autem cõcupiscibili duos actus, sc. appetere bonum, & ordinare motus carnis ad bonum. Primus aũt actus impeditur per duo vitia, per accidiam, quæ est tædium boni interioris; & per cupiditatem, quæ est appetitus boni exterioris. Alius vero actus similiter impeditur p duo vitia: per luxuriam respectu generatiuæ, per gulã respectu nutritiuæ: cum concupiscibilis, sc. inordinate cõuertitur ad bonum apparens in nutritiua, & ad bonũ apparens in generatiua. Irascibili similiter attribuũt duos actus, s. applaudere bonis, & detestari mala: & à primo actu impeditur per inuidiam: & à secundo impeditur per iram: irascitur enim cui irasci non deberet, siue detestatur quod non esset detestandum. Rationali vero recte eligere vel iudicare, quæ impeditur per vnum vitium, quod est superbia.

¶ Contra primam diuisionem sic obiicitur. Omne peccatum attenditur secundum illam partem, secundum q̃ differimus à brutis: in parte aũt rationali tm̃ differimus à brutis: ergo secundum actum partis rõnalis debet attendi omne peccatum. non ergo secundũ actum vegetabilis, aut sensibilis in quantum huiusmodi. Si vero attendatur peccatum secundum actũ rõnalis comparatione ad has vires inferiores. Non vr̃ adhuc attendi peccatum secundũ actũ vegetabilis partis, aut nutritiuæ, & gñatiuæ: non enim oĩs vis partis generatiuæ, vel partis nutritiuæ subest rõni: est. n. appetitiua naturalis ex parte vegetabilis & ex parte sensibilis; & neutra est subiecta rõni, vt secundum eam moueatur in nobis: sed est appetitiua sensibilis, quã cõtingit dirigi secundum rationẽ. Penes ergo illam attendetur peccatum: vt sit peccatũ in cõcupiscibili respectu boni carnis, & respectu boni mũdani: respectu vero boni carnis dupliciter. Similiter põt obiici de irascibili, q̃ tm̃ vnum accipiatur peccatũ sc. peccatum iræ: & ita per cõsimilem rationem vnum peccatum capitale accipietur penes cõcupiscentiam: aut si penes lætitiam accipiuntur duo peccata (est enim duplex lætitia, sicut dicit Ioan. Dama. quædam enim naturalis & necessaria, sine qua viuere est impossibile: & est alia naturalis non necessaria, vt quæ pertinet ad generationem) contra a. istas duas sunt nec necessariæ, nec naturales; vt delectatio gulæ, & luxuriæ: similiter ex parte tristitiæ accipientur, accidia sc. & inuidia. Sic ergo quatuor capitalia peccata accipiuntur penes concupiscibilem: quibus si addatur concupiscentia mundi, erunt quinque peccata secundum concupiscibilem: & ita secundum irascibilem non erit nisi vnicũ peccatum: & secundum rationalem vnicũ: aut ambo erunt secundum irascibilem: ita quod secundum harum duarum virium actus comparatione ad rationalem accipiantur septem peccata. Diuidit enim Dam. irrationalem partem in obedientem & persuadibilem, in inobedientem siue non persuadibilem. Inobediens autem diuiditur per pulsatiuũ, generatiuum, & nutritiuum: cui additur augmentatiuum: hæc enim non ratione gubernantur, sed natura. Obediens vero & persuadibilis diuiditur in * concupiscentiam, & irascibilem: ad concupiscibilem pertinet lætitia & tristitia: ad irascibilem vero pertinet ira: cui etiam adiũgitur appetitus excellentiæ, vel ex comparatione ipsius ad rationalem, vel econuerso. Ex his ergo patet, quod non attenditur diuisio septimembris secundum rationem virium præmissam.

Damasc.

Idem.

* Alias, cõcupiscibilem.

¶ Similiter obiicitur contra secundam rationem diuisionis. Cũ n. ex parte rationalis possint plures accipi actus in rectitudine, quã ex parte concupiscibilis: vel irascibilis, sicut patet in diuisione virtutũ, aut donorum, nam penes rationalis actum accipiuntur prudentia & iustitia ex parte virtutum; ex parte vero donorum sapientia, intellectus, consilium, & scientia. Non tot autem accipiuntur ex parte concupiscibilis, vel irascibilis: vitia autem sunt opposita virtutibus: ergo magis debebant plura vitia capitalia accipi penes actum rationalis, quam penes actum concupiscibilis per se, vel irascibilis per se.

¶ Præterea, inuidia est tristitia in alienis bonis: tristitia autem conuenit illi potentiæ, cui conuenit lætitia: ergo conuenit concupiscibili: nõ ergo secundum actum irascibilis debuit accipi.

¶ Præterea, non recte eligere, vel non recte iudicare, est commune in omni peccato: ergo penes hunc actũ rationabilis non debebat distingui proprium peccatum capitale.

¶ Item, concupiscibilis est appetere bonum, & fugere malum sibi oppositum: rationabilis vero est ordinare motus ad bonum: non ergo attribuenda sunt peccata concupiscibili, quæ fiunt ex inordinatione motuũ carnis ad bonum: sed magis rationali.

¶ Præterea, appetere bonum superius, quod dr̃ simpliciter appetere; non tantum impeditur per accidiam & auaritiam: sed etiam per alia vitia capitalia omnia. Ergo non tantum accipientur quædam peccata ex impedimẽto huius actus, qui est concupiscibilis.

¶ Alii vero voluerunt distinguere septem vitia capitalia penes appetitum & fugam: vt appetitus diceretur respectu apparentis boni: fuga respectu apparentis mali. Secundum inordinationem autem appetitus ad apparens bonum triplex, interius, exterius, & inferius sumatur superbia, auaritia, gula, & luxuria: secundum apparens interius superbia: secundum apparens bonum exterius auaritia: secundum apparens bonum inferius; quod est duplex; quod sumitur in voluptate gustus, dicatur gula; quod sumitur in voluptate tactus determinati in membris generationis, luxuria, siue fornicatio, nomine generali. Econtra secũdum fugam ab apparenti malo sumantur tria capitalia peccata: penes fugam eius, quod existimatur malum inferius, id est, graue carni, sumatur accidia: secundũ fugã eius, q̃ existimatur malũ exterius, sumatur ira propter iniuriam

Aliorum opinio.

extrinsecus

extrinsecus illatam: secundum fugam eius, quod existimatur interius malum, hoc est diminutiuum propriæ excellētiæ, sumatur inuidia: & secundum hoc accipiuntur 7. vitia capitalia.

¶ Sed contra hæc obiicitur: appetitus delectabilis, & fuga tristabilis sibi oppositi, ad eandem pertinent potentiam: & cuius peccati est appetere delectabile, secundum idem peccatum est fugere tristabile oppositum. Si ergo est delectabile carnis, & tristabile carnis: secundū autem peccatum gulæ vel luxuriæ est appetere delectabile carnis, secundum idem erit fugere tristabile carnis, & ita de aliis appetitibus & fugis: non ergo secundum appetitum & fugam distinguuntur peccata.

¶ Præterea, in quolibet peccato attenditur appetitus alicuius apparentis boni, & per consequens fuga alicuius apparentis mali: vt in superbia est appetitus propriæ excellentiæ, & per consequens fuga suæ contemptibilitatis. In inuidia appetitus boni non diminuibilis, & per consequens fuga diminuentis: vnde est odium alienæ felicitatis. In ira vero appetitus vindictæ, fuga vero in potentia vlciscendi. In accidia vero appetitus quietis carnalis, fuga vero laboris sibi oppositi. In auaritia vero appetitus diuitiarum, fuga vero paupertatis. In gula appetitus superfluitatis in cibo vel potu, fuga vero indigentiæ. In luxuria vero appetitus voluptatis carnalis in membris generationis, fuga vero insensibilitatis. Non ergo quædam peccata capitalia distinguentur secundum appetitum, quædam secundum fugam: cum in omnibus inueniatur appetitus & fuga.

¶ Præterea, totiens est dicere fugibile, quotiens est dicere delectabile: si ergo est dicere quatuor differentias delectabilium, secundum quas accipiuntur quatuor peccata capitalia: erunt ex alia parte quatuor capitalia secundum quatuor differentias fugibilium: & ita essent octo.

¶ Præterea, si contingit peccare subdiuidendo bonum apparens exterius, & bonum apparens interius, sicut bonum apparens inferius: quemadmodum sunt duæ differentiæ capitalium peccatorum secundum diuisionem boni inferioris, id est, boni carnalis: ita essent duo capitalia peccata secundum diuisionem exterioris boni, hoc est boni mundani: & duo capitalia peccata secundum diuisionem boni interioris, id est excellentiæ: & ita sex differentiæ essent ex illa parte capitalium peccatorum: & similiter ex opposito penes differentias fugibiliū: & ita essent duodecim differentiæ.

¶ Præterea, delectatio, siue appetitus diuiduntur per apparens bonum in præsenti, vel in futuro: vnde dicūtur lætitia & concupiscentia: ex opposito similiter dicitur fuga respectu mali in præsenti, vel quod imminet in futuro: vnde dicuntur tristitia, & timor. Si ergo capitalia peccata determinarentur secundum appetitum & fugam, aliqua deberent esse secundum timorem: cum sint aliqua secundum lætitiam, concupiscentiam, & tristitiam (nam secundū lætitiam videmus accipi gulam, & luxuriā, & inanem gloriam, siue superbiam: secundum concupiscentiam, iram, & cupiditatem, siue auaritiam: secūdum tristitiam, inuidiam, & accidiam) secundum timorem autem licet plures species habeat, secundum Ioan. Damasc. nullam inueniemus differentiam peccati capitalis. Si vero accipiantur illæ passiones, quas nominat Ioan. Damasc. scilicet lætitia, tristitia, timor, & ira: vt lætitia & tristitia pertineant ad concupiscibilem, timor & ira ad irascibilem: secundum hoc iterum cum sint aliqua capitalia peccata penes lætitiam, tristitiam, & iram; videbitur quod aliquod debuit esse capitale vitium penes timorem: non autem inuenitur aliquid: cum tamen timor sit fuga animi, ne perdatur amatum: non ergo capitalia peccata determinantur secundum differentias appetitus & fugæ essentiales. Damasc.

RESOLVTIO.

Septimembris capitalium peccatorum diuisio, ex spiritu, anima, & corpore (quibus homo quasi integratur) recte desumi potest.

Oratio propria. 1. ad Thess. v. 8.

¶ Ad euidentiam ergo diuisionis septem capitalium peccatorum notandum est: quod sicut tangitur. *Integer spiritus vester & anima seruetur in die aduentus Domini, &c.* homo quasi in tria diuiditur, in spiritum, animam, & corpus. Vnde omnis actus per se & principaliter fit in spiritu, aut in anima, aut in corpore. Spiritus autē accipitur in ipsa essentia animæ præter comparationem ad corpus, inquantum est substantia quædam, habens cōuenientiam quandam cum spiritibus separatis: anima vero dicatur secundum comparationem, quam habet ad corpus. Sunt ergo actus quorundam peccatorum capitalium in spiritu, quidam in anima, quidam in corpore principaliter.

¶ In spiritu autem duplex actus fit, secundum appetitū boni, & detestationem mali. (Dico autem bonum & malū, quod spiritibus inesse potest.) Vnde cum peccatum fiat ex inordinatione appetitus vel detestationis, erit peccatū capitale ex inordinatione appetitus respectu apparentis boni in spiritu, vel ex inordinatione detestationis apparentis mali, per quod videtur diminui illud bonum: bonum aūt, quod inordinate appetitur à spiritu in se, est excellentia vltra debitum, quod apparuit in angelis reprobis: siue placere sibi in se *quantum est vanitas. Vnde peccatum, quod fit directe ex appetitu, est superbia, vel inanis gloria. Econtra vero spiritus inordinate detestatur contrarium huiusmodi excellentiæ. & hoc est communicantia boni in altero secūdum paritatem vel excellentiam, quod est inuidiæ: inuidus enim in alio detestatur bonum secundum excellentiam, aut paritatem: sicut dicit August. non vult enim inuidus, vt alius æquetur, vel excellat. Duo ergo sunt peccata prima & principalia in spiritu. *Alias, in quantum. August.

¶ In anima vero contingit esse peccatum capitale secūdum appetitum apparentis boni, qui est in concupiscibili secundum insurrectionem in malum iniuriosum siue nociuum, quod est in irascibili; secundum tædium boni difficilis, aut laboriosi, quod est in vi ordinante ad opus. Tres n. differentiæ sunt in anima, vt respicit corpus: pōt. n. aliquid esse expediens corpori, pōt aliquid esse nociuū corpori, inferendo passionē, pōt aliquid esse difficile vel laboriosum corpori, licet in se sit bonū. Vnde aīa, quæ respicit corpus, cōcupiscit ordinate vel inordinate bonū expediēs corpori: insurgit in nociuū siue iniuriosum: fastidit difficile vel laboriosum. Ordinatur etiam anima secundum affectum ad corpus, & per relationem ad opus: Vnde tres habet differentias capitalium peccatorum: peccatum iræ penes irascibilem, cuius est insurgere in iniuriosum: peccatum accidiæ, cuius est fastidire laboriosum: peccatum auaritiæ: cuius est concupiscere bonum curiosum. Vnde etiam ab August. dicitur curiositas. August.

¶ In corpore vero cōtingit esse duplicem actum. Cum autem nominamus corpus, naturam concernimus, secundum quam in corpore fit conseruatio ipsius indiuidui, & ipsius speciei in indiuiduo: conseruatio autem indiuidui fit per alimentum, conseruatio autem speciei fit in indiuiduo per generationem. Appetitus ergo ordinatus, vel inordinatus respectu principalis actus in corpore, aut est commixtionis carnalis secundum tactum, aut est ipsius alimenti secundum gustum, tactus enim in illa parte, qui ordinate fit ad conseruationem speciei in indiuiduo, fit, vel propter ea, quæ ordinantur ad illud (reddere enim debitum, vel reprimere concupiscentiam illicitam, ad procreationem prolis ordinantur) cum autem inordinate fit, quæritur libidinosa delectatio. Similiter appetitus respectu alimenti si fit ordinate, est ad conseruationem indiuidui secundum debitum modum: si vero inordinate, secundum excessum. Erunt ergo duo peccata capitalia, & non plura secundum appetitū actus, fundati in corpore, scil. gula penes appetitiuam alimenti, & luxuria penes appetitiuam coitus carnalis. Sic ergo septem erunt differentiæ capitalium peccatorum: secūdum actum in spiritu duæ differentiæ, superbia & inuidia: secundum actum in anima tres differentiæ, ira, accidia, & auaritia siue philargiria: secundum actum in corpore, gula & luxuria. Hæc enim duo (sicut dicit Gregorius) sunt carnalia peccata: reliqua vero sunt spiritualia peccata, large accipiendo spiritum: secundum quod spiritus diuiditur contra corpus, vel carnem: non autem secundum quod diuiditur contra animam & corpus. Gregor.

¶ Sed posset obiici, quare non accipitur in spiritu peccatum iræ: cum de diabolo dicatur. *Descendit, habens magnam* Obiectio.

iram,

iram, sciens quia modicum tempus habet. Præterea, propter quid in anima accipiuntur tres differentiæ peccatorum: quarum vna est secundum tædium boni; in spiritu vero non accipitur huiusmodi differentia similiter, nec in corpore?

¶ PRÆTEREA, ex parte corporis non videmr accipi differentia peccati. cum penes animam determinetur appetitus, & suum oppositum.

¶ PRÆTEREA, ex parte corporis si determinatur peccatum secundum appetitum, quare nõ determinatur peccatum secundum suum oppositum, scilicet detestationem, sed secũdum differentiam duplicis appetitus: in anima vero vel in spiritu non sic fit, sed secundum appetitum & detestationem.

¶ PRÆTEREA, detestatio mali oppositi bono sequela videtur esse appetitus: & quod non sint duo capitalia peccata.

¶ AD quod dicendum est: quod licet ira per quandam similitudinem dicatur esse in spiritibus separatis, vt in diabolo: non tamen illo modo, quo dicitur capitale peccatũ proprie. Cum enim passio de genere passionis, quæ magis facta abijcit à substantia, non potest inesse huiusmodi spiritibus; non potest fieri huiusmodi iniuria per hunc modũ: sicut nec animæ, vt est spiritus: sed põt fieri ipsi animæ iniuria, inquantum est anima. Per similitudinem tamen quãdã dicitur inesse ipsi diabolo: videtur enim diabolo, quod iniuria illata sit sibi ab homine, qui locum eius occupauit, vel qui eius euasit seruitutem: & ideo dicitur habere magnam iram erga hominem: ira enim dicitur libido vlciscendi.

¶ AD secundum vero dicendum est: quod in anima accipitur differentia secundum tædium boni: in spiritu vero non. Quod enim bonum dicitur laboriosum, hoc respicit ordinationem ad corpus (fatigatio enim est animæ in corpore) spiritus vero præter ordinationem ad corpus accipitur. Non ergo in spiritu debuit attendi capitale vitium secundum tædium boni laboriosi; nec secundum concupiscentiam boni expedientis corpori: bonum enim expediẽs corpori, est bonum sensibile: spiritus vero respicit affectionem boni intelligibilis. Sic ergo aliæ debuerunt esse differentiæ quo ad actum animæ, & quoad actum spiritus.

¶ AD tertium vero dicendum: quod licet peccatum nõ sit in corpore secundum seipsum, sed in anima: nihilominus tamen actus, in quo dinoscitur peccatum principaliter, potest esse in corpore: vnde appetitus est in ipsa anima, receptio vero cibi secundum plus & minus est in corpore. Eodem modo appetitus ipsius coitus carnalis est in anima, actus perpetratur in carne. Et hoc modo dicuntur duo peccata capitalia secundum actus in corpore determinari.

¶ AD quartum vero dicendum: quod secundum differentias appetitus determinantur peccata carnalia: natura enim determinate declinat in vnum: vnde non habet fugam, & appetitum, quemadmodum & anima. Et propter hoc secundum differentias appetibilium sumuntur differentiæ vitium; nutritiua scilicet & generatiua: & iuxta naturam accipitur peccatum, quod est ex excessu naturæ: gula enim & luxuria fiunt ex excessu naturæ, qui excessus fit secundum appetitum animalem in carne.

¶ AD quintum dicendum est: quod differentiæ capitalium peccatorum iam dictæ non sumuntur secundum appetitum boni apparentis, & detestationem apparentis mali, directe ei oppositi. Verbi gratia, detestatio paritatis non directe opponitur magnitudini in apparenti bono, siue excellentiæ: potest enim esse, quod iste habeat excellentiam in bono aliquo: & nihilominus quod alius sit par illi: sed quod habeat excellentiam respectu cuiuscunque, hæc opponitur paritati, & paritas illi: superbia autem dicitur amor excellentiæ, inuidia vero odium felicitatis alienæ: hæc aũt non sunt directe opposita: sed contingit secundum dictũ modum: & ideo dicitur quod ex superbia gignitur inuidia. Si vero superbia diceretur in appetitu excellentiæ, inuidia vero in detestationem vilitatis; tunc vnum acciperetur ex consequenti ad alterum, & non dicerentur duo capitalia peccata, sed vnum. Similiter dicendum est quo ad actus in anima: auaritiæ enim est appetere apparens bonum: iræ vero est insurgere contra nociuum: sed hoc nociuum non est directe oppositum illi bono: & ideo erit vnũ capitale peccatum per se. Si vero acciperetur secundum detestationem paupertatis, tunc ad idem capitale peccatum pertineret: auaritiæ enim est appetere diuitias, & paupertatem detestari. Iræ vero sicut est detestari nociuum, ita est appetere vindictam: & similiter intelligendũ est in aliis. Ex his ergo rationibus patet, quare dicuntur diuersa capitalia peccata: & aliter accipitur ratio diuisionis in spiritu, aliter in anima, aliter in corpore. In corpore enim secũdum differentias appetibilium principalium: in spiritu vero quia quandam habet in se simplicitatem, secũdum differentiam vnius appetibilis & odium alterius: in anima vero quia quodammodo magis composita est in intentione, accipiuntur differentiæ secũdum rationem appetibilis & fugibilis duplicis; iniuriosi, quod est ex parte alterius; & laboriosi, quod est ex parte ipsius: nam ira accipitur in detestationem iniuriosi: accidia in detestationem laboriosi.

¶ ALITER vero potest accipi diuisio capitalium peccatorum, vt tres differentiæ ad irascibilem referantur: quatuor vero ad concupiscibilem secundum differentiam duplicis concupiscibilis: ratio vero in omnibus peccat, non regendo sicut debet: irascibilis vero habet suum appetibile: appetit enim præeminentiam in bono, excellentiam respectu communicantis, quod videtur posse ascendere: vindictam vero siue dominationem ad puniendum respectu eius, quod aduersatur, siue iniuriatur suæ potentiæ. Vel (sicut quidam dicunt) eius est appetere præeminentiam, odio habere æquiparantiam, insurgere ad vindictam: & secundum hæc accipiuntur tria capitalia vitia, superbia, inuidia & ira. Ex parte vero concupiscibilis est appetibile secundum immediationem ad corpus: & est appetibile secũdum distantiam à corpore. Secundum immediationem vero aut est propter conseruationem ipsius speciei in indiuiduo: aut propter conseruationem indiuidui: & secundum hoc cum sit excessus in actibus ordinatis ad hoc, sunt capitalia peccata, gula, & luxuria. Appetibile vero secundum distantiam similiter diuiditur in duo: in sufficientiam, & quietem: vt sufficientia sit contra indigentiam, quies vero contra laborem, siue contra difficultatem: cum autem est inordinatio circa sufficientiam dicitur cupiditas: cum vero inordinatio est circa laborem necessarium, dicitur quies immoderata.

¶ VEL aliter potest distingui: vt sit duplex inordinatio circa bonum exterius: est enim bonum exterius spirituale, & est bonum exterius corporale. Potest ergo inordinatio esse respectu boni spiritualis in non appetendo propter laborem, aut difficultatem: vel respectu corporalis boni in appetendo propter curiositatem: & secundũ hoc sunt duæ differentiæ peccatorum: peccatum scilicet accidiæ, in non appetendo propter difficultatem bonum spirituale: peccatum vero cupiditatis, in appetendo bonum corporale propter curiositatem. Dicitur autem curiositas, cum requiritur in concupiscibili secundum visum pulchritudo propter se: sicut est in auro, & argento, & lapidibus preciosis. Ad pulchritudinem vero ordinantur, color, forma, & figura, & huiusmodi dispositiones: ex quibus resultat pulchritudo.

QVÆSTIO CXXXVII.

De Superbia.

In tredecim Membra, & quatuor Articulos diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de singulis peccatis capitalibus secundum se: & de nascentibus summarie. Et primo dicendum est de superbia, quæ non tantum dicitur capitale peccatum, sed Regina respectu aliorum peccatorum. D. Th. 2. 2. q 162. S. Bona. in 2. d. 42. in dub. litera lib. B. lice ex Sco. in cod. a d 6 q. 2.

¶ CIRCA quam hæc sunt inquirenda. Primum, quid sit superbia. Secundum, vtrum omne peccatum sit superbia. Tertium, quid sit motiuum in peccato superbiæ. Quartum, secundum quam vim attenditur hoc peccatum. Quintum, de quantitate huius peccati. Sextum, de inseparabilitate eius ad alia peccata.

Septimum, de difficultate cauendi illud peccatum. Octauum, de effectu huius peccati. Nonum, de prioritate huius peccati ad alia peccata. Decimum, de speciebus huius peccati. Vndecimum, de oppositione. Duodecimum, de gradibus superbiæ. Tredecimum, de differentia appetitus primatus in temporalibus & spiritualibus.

MEMBRVM I.

Superbia quid: & an peccatum sit?

Bern. c. 13. Aug. in 12. de ciui. Dei Idem in li. de innocēt. CIRCA primum sic dicit Bernar. *Superbia est propriæ excellentiæ appetitus.* August. *Superbia est peruersæ celsitudinis appetitus.* Idem. *Superbia est amor propriæ excellentiæ.*

¶ HIS diffinitionibus suppositis, quæ satis conueniunt: quæritur, vtrum superbia sit peccatum secundum has rationes. Quod non sit peccatum, videtur: amor enim propriæ excellentiæ, est affectio naturalis: affectio autem naturalis non est peccatum: ergo amor propriæ excellentiæ non est peccatum. Quod autem amor propriæ excellentiæ sit affectio naturalis, videtur per hoc quod quælibet vis naturalis potest naturaliter appetere augmentum sui boni: ergo vis irascibilis naturaliter potest appetere excellentiā proprij boni: ergo amor propriæ excellentiæ non est peccatum.

¶ ITEM, excellere non est malum de se: ergo nec velle excellere: appetitus enim excellentiæ non est peccatum: & ita superbia si non amplius dicit, non erit peccatum.

¶ ITEM, omnis, qui assimilatur Deo, in eo quod assimilatur, non est peccatum: sed Dei est habere propriam voluntatem: ergo homo, qui in hoc assimilatur ipsi, non peccat: sed omnis superbus in eo quod huiusmodi habet propriam voluntatem (dicit enim Ansel. quod *propria voluntas est superbia*) ergo nullus superbus peccat.

Ansel.

Idem.

¶ CONTRA: dicit Ansel. *Dei est habere propriam voluntatem*: ergo cum homo vult habere propriam voluntatem, iniuriatur Deo: sed Deo iniuriari est peccatum: superbia ergo cum vult habere propriam voluntatem, est peccatum.

Psal. 18. Gloss. ¶ ITEM. *Superbi inique agebant* Gloss. *Superbia à Dei incepit iniuria.* Sed omne, quod incepit à Dei iniuria, peccatum est: ergo superbia est peccatum.

¶ ITEM, superbiæ est delectari in propria potestate: sed delectari in propria potestate propter se, est peccatum: ergo superbia est peccatum. Videtur ergo amplius ponendum in diffinitione superbiæ.

RESOLVTIO.

Superbia est appetitus, vel amor propriæ excellentiæ siue celsitudinis. Quæ tunc maxime peccatum est, cum quod Dei est, sibi tribuit, & à semet cognoscit.

¶ AD quod dicendum: quod cum dicitur. *Superbia est appetitus propriæ excellentiæ* [*proprium*] sonat ibi in vitium. Est enim excellentia, quam homo habet à Deo & ei attribuit: & est excellentia, quam sibi homo appropriat aliquo modo: sicut cum dictat homo in corde suo: quod habeat aliquid à se: vel eum dicit meritum esse à se eius, quod habet, & sic de aliis differentijs: & hoc modo amor propriæ excellentiæ, siue appetitus illicitus est: & est peccatum, quod est superbia. Dicit enim Apostolus. *Quid habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et dicit Ansel. *Sicut à se angeli & homines non nisi nihil habent: ita à Deo non nisi aliquid.* Si vero accipiatur alio modo, & appetitus dicatur affectio naturalis: secundum hoc non est peccatum: nec dicitur superbia huiusmodi appetitus. Cum autem dicitur, quod *superbia est peruersæ celsitudinis appetitus*, reliquo modo est intelligendum.

1. ad Cor. 4. Ansel. de casu Diaboli.

¶ AD hoc ergo, quod primo obijcitur. Dicendum, quod amor propriæ excellentiæ vno modo dicitur affectio naturalis: cum homo scilic. quærit augmentum boni eo modo, quo debet, & à quo debet, & ad Deum referendo. Reliquo vero modo si sit appetitus propriæ excellentiæ ad se referendo tanquam principium, vel ad depressionem aliorum: non est appetitus naturalis: nisi intelligamus naturam corruptam.

¶ AD secundum vero dicendum, quod excellere potest intelligi, vel in gratuitis, vt in virtutibus quæ gratum faciunt: vel in aliis quæ gratis dantur à Deo. Si dicatur in gratijs gratumfacientibus, & appetitus ille procedat ex gratia: non vult excellere nisi quantum datum est ei à Deo, vel non in depressionem aliorum. Si autem intelligatur excellere * in spiritualibus vel in gratiis gratisdatis, quæ magis inflant quam humiliant; secundum hoc velle excellere, nisi addantur debitæ circumstantiæ, non est bonum: quia sub isto continetur velle excellere propter se; hoc autem modo malum est. Vnde August. *superbia non est vitium dantis potestatem, vel ipsius potestatis, sed animæ peruersæ amantis potestatem suam, potentioris potestate contempta.* Præterea, non est desiderandum præesse propter se, sed propter prodesse: & ideo dicit Apostolus. *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, vt non sit honor in intentione, sed fructus. * Alias, temporalibus August. 1. Timot. 3.

¶ AD tertium dicendum: quod superbus non dicitur assimilari Deo similitudine conformitatis, cum vult habere propriam potestatem: similitudine enim conformitatis non vult, nisi quod Deus vult ipsum velle: Deus autem non vult quod homo habeat propriam voluntatem, id est, non Deo subiectam: & ideo non vult homo habere propriam voluntatem, sed sub Deo ordinatam similitudinem conformitatis: & secundum hoc non dicitur peccatum. Est autem alia similitudo, qua vult homo vsurpare quod Dei est proprium: sicut dicebatur de Lucifero. *Ascendam in cælum, & ero similis altissimo.* Vnde Augustinus. *Sic superbia peruerse imitatur Deum: odit namque cum sociis æqualitatem sub illo: sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Et hoc modo quicunque vult assimilari, peccat.* Secundum hoc superbus peccat: superbia enim est peruersæ celsitudinis appetitus: peruersa autem celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodāmodo fieri principium: quod fit, cum iniquus sibi placet: sibi vero ita placet, cum ab illo incommutabili bono deficit, cum ei magis placere debuit. Et dicit Anselmus. *Ob hoc recte dicitur superbia, quia voluntatem Dei, quam sequi debet, non vult habere super se: sed ipsi Deo aufert, quantum in se est, quod proprie & singulariter debet habere.* Isa. 14. Aug. 19 de ciuit. Dei cap. 12. Ansel.

MEMBRVM II.

An omne peccatum superbia sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum omne peccatum sit superbia? Obijcitur autem quod sic: quoniam dicit August. *omne peccatum Dei contemptus est*: sed omnis contemptus est superbia, ergo omne peccatum est superbia. August. in li. de natur. & gratia.

¶ ITEM. *Vt conuertat hominem ab iniquitate.* Gloss. *contra conditorem superbire, est præcepta transcendere.* Sed in omni peccato transcendit homo præceptum Domini: ergo omne peccatum est superbia. Iob 33. Gl. Grego

¶ ITEM, dicit August. *Tam peccare superbire est, quam superbire peccare.* Sicut ergo vere possum dicere, quod omnis superbia est peccatum: ita vere potest dici, quod omne peccatum est superbia. Aug. in li. de natura & gratia.

¶ CONTRA. August. dicit. *Sed neque omnia superbe fiunt, quæ perperam fiunt certe à nescientibus, certe ab infirmis, certe plerunque à gementibus.* Idem in eod. cap. 29

¶ ITEM, Gregor. distinguit quatuor genera vitiorum capitalium, quorum nullum est alterum: & similiter Aug. Sed superbia est vnum ex illis: ergo non omne peccatum est superbia. Gregor. in moral. Aug. in lib. de cōfl. vitiorum & virtutū.

RESOLVTIO.

Peccatum omne superbia est: verum non formaliter: sed concomitanter: quia scilicet in omni eo Dei contemptus est.

¶ SOLVTIO. Dicendum, quod duobus modis est loqui de superbia. Vno modo prout est speciale peccatum, vnū ex 7. capitalibus vitiis. Alio modo prout est generale peccatum, prout dicitur Thob. 4. quod ex ipsa sumpsit initium omnis perditio: & hoc est loqui de ipsa, prout est initium omnis peccati: quia sic est peccatum generale. Secundum primum modum loquitur Gregorius de superbia: quando ponit ipsam esse quoddam vitium capitale: & hoc modo non Tob 4.

August. do non omne peccatum est superbia, & ut loquitur Aug. cum dicit, quod *non omnia superbe fiunt*, &c. Secundum autem quod est generale peccatum, & generale initium omnis peccati: hoc modo (vt magis proprie loquamur) dicendum est, quod in omni peccato est superbia: non quod omne peccatum formaliter loquendo sit superbia, sed in omni peccato est, secundum quod in omni peccato inuenitur contemptus præceptorum Dei, quia, vt dicit Ambros. (Ambros. in lib. de parad. cap. 8.) peccatum est præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum: vnde dicit quod in omni peccato est contemptus. Similiter August. dicit, quod *peccatum est, spreto incommutabili bono, bonis mutabilibus adhærere*. (Aug. in lib. de libero arbitrio.) Per hoc autem quod dicitur (*spreto*) ponitur contemptus. Et sic in omni peccato est superbia, sed hæc est superbia generalis, quæ est contemptus generalis, qui est in omni peccato, ex hoc quod anima per peccatum auertitur ab incommutabili & supremo bono. Sed non sic intelligendum, quod omne peccatum sit peccatum superbiæ, sed quod nullum est peccatum, in quo non sit illud generale vitium. Et quod ita sit intelligendum, patet per August. vbi dicit. (Aug. in lib. de natura & gratia. cap. 29. & in 7. Idem.) *Quære quid sit quodlibet peccatum, & vide si inuenies aliquod sine superbiæ appellatione peccatum*. Hanc autem sententiam sic exequitur. *Omne*, inquit, *peccatum (nisi fallor) dicitur contemptus, est & omnis Dei contemptus superbia: quid enim tam superbum est, quam Deum contemnere?* omne ergo peccatum est superbia, & scriptura dicente: *Initium omnis peccati superbia est*. (Tob. 4.) Et sic patet responsio.

MEMBRVM III.

Quod sit motiuum in peccato superbiæ?

TERTIO quæritur: quid sit inclinatiuum naturaliter, vel motiuum in hoc genere peccati? Quod enim aliquod sit, videtur per simile in aliis: in luxuria n. naturaliter motiuum est conseruatio speciei; in gula conseruatio sui: & ita de aliis. Erit ergo aliquid in superbia naturaliter motiuum: illud non videtur esse nisi appetitus potentiæ, siue eius quod est, præesse: hoc n. videtur esse, quod naturaliter homo appetat. Anima enim cum assimiletur summæ Trinitati, cui sit appropriatio potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: sicut homo habet naturalē appetitum scientiæ & bonitatis, sic & potentiæ, & hoc per prius; cùm potentia sit prius intellectu sapientia, & bonitate.

¶ ITEM, duo actus sunt præesse, & deprimi, siue humiliari, sed naturaliter fugit homo depressionem: ergo naturaliter appetit præesse.

¶ CONTRA: dicit Bernard. (Bernard.) *Quoties præesse desidero, toties Deum meum præire contendo.* Sed contra naturam est, velle præire Deum: ergo non est naturale homini velle præesse.

¶ Similiter dicit Gregor. (Gregor.) *Quoties præesse conamur: toties ad apostasiæ crimen relabimur.* Cum ergo contra naturam sit apostatare: contra naturam erit velle præesse.

¶ Idem, Gregor. super illud: (Idem sup. Gen 9. Gregor. Idem.) *Terror & tremor vester sit super cuncta animalia terræ. Homo non rationalibus, sed irrationalibus prælatus est natura.* Et iterum in eadem Gloss. *Contra naturam superbia est, ab æquali velle timeri.* Vnde antiqui patres, non Reges hominum, sed pastores gregum fuisse dicuntur. Sic & in eadem Gloss. (Gloss. eiusdem.) *Si mens apud seipsam descendit de vertice culminis, inuenit planitiem naturalis æquitatis, vt non præesse gaudeat, sed prodesse.* Ex his omnibus colligitur, quod appetitus prælationis non est homini naturalis.

¶ PRÆTEREA, si esset homini naturalis: quod autem est à natura, permanebit in patria: remaneret prælatio in patria. Sed sicut habetur: (1. ad Cor. 15) *Cessabit omnis prælatio, qua homo præest hominibus*: ergo non est naturalis, ergo nec appetitus eius est naturalis.

RESOLVTIO.

Generaliter tam scil. in angelis, quam in hominibus motiuum ad peccatum superbiæ est vnitas principatus: siue singulariter velle præesse.

¶ AD quod dicendum, quod aliter est loqui de potentia in se, & aliter est loqui de potentia respectu subiectionis aliorum hominum. Si sit sermo de potentia in se, erit appetitus potentiæ naturalis, sicut sapientiæ, aut bonitatis. Si vero sit sermo de potentia ad aliquos homines subiectos: secundum hoc aut est appetitus illius propter gloriam Dei & proximorum vtilitatem: & secundum hoc potest esse appetitus rectus, ad quem inclinat ratio & natura aliquo modo. Aut potest esse ipsius propter se: & sic est appetitus culpabilis: & non habet inclinationem nisi naturæ corruptæ.

¶ Secundum hæc ergo respondendum est ad obiecta. Primæ enim rationes concludunt de appetitu, qui quidem naturalis est. Aliæ vero rationes, quæ videntur poni in contrarium, loquuntur de potentia in comparatione ad subiectionem hominum, sed hoc potest esse propter se: & hoc modo intelliguntur autoritates, quas ponit Greg. & Bernard.

¶ Illa vero ratio, quæ sumitur ex autoritate Gregor. Genes. 9. ad hoc tendit: quod appetitus prælationis non sit secundum naturam primitus institutam: & similiter vltima ratio ad idem tendit, sed non ex hoc excluditur, quin ex naturali ratione sit appetitus gloriæ diuinæ, vel vtilitatis proximorum in hac vita prælatione.

¶ Si vero obiicitur, quod naturale sit homini velle præesse: eo quod naturaliter fugit depressionem ipse homo. Dicendum est; quod est quædam depressio ex merito culpæ: & hanc naturaliter debet homo fugere: cui oppositum est exaltatio ex merito gratiæ, & hanc exaltationem, siue huiusmodi præesse naturaliter appetit homo. Sed hoc differt à dominatione, qua homo homini dominatur: huiusmodi n. exaltatio erit in patria: vbi non erit exaltatio, qua homo præerit homini.

¶ Sed adhuc obiiciunt magis specialiter de motiuo in peccato superbiæ: & quæritur, quid est per se motiuum in superbia. August. *Angeli mali sua potestate delectati, velut ipsa esset eis bonum, à communi bono defluxerunt ad propria, & habentes elationis fastum pro excellentia, sua æternitate superbi effecti sunt.* (Aug. super Genes.) Ex hac authoritate videtur quod æternitas sit motiuum in peccato superbiæ: quoniam angelus in seipso videbat substantiam immortalem, & æternam; & ipse bonum hoc æternitatis considerans in seipso, elatus est, & comparauit se Deo: hoc vult designare prædicta autoritas: vnde videtur, quod specialiter æternitas sit motiuum.

¶ Sed quod vnitas sit motiuum: videtur, Augustin. (Idem in lib. de gratia noui testamenti.) *Ideo in vnicornibus superbi intelliguntur, quia superbus odit consortium, & quantum in ipso est, solus cupit eminere omnibus super*bus: per hoc, quod dicit idem Augustin. (Idē de vera religione.) *Quid enim aliud ineà homo appetit, nisi solus esse, si fieri posset; cum cuncta subiecta sint; peruersa, scilicet, imitatione omnipotentis Dei? quem si subditus imitaretur, secundum eius præcepta viuendo; per eam haberet subdita & cætera: nec ad tantam deformitatem veniret, vt bestiolam timeat, qui vult hominibus imperare.* Habet ergo & superbia quendam vnitatis appetitum & omnipotentiæ, sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt tanquam vmbra.

¶ Præterea, videtur aliud esse motiuum ab his duobus; per hoc quod dicit August. qui accipit illud: (Idem in lib. de libero arbitrio. 1 Ioan 2.) *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut est concupiscentia carnis, aut superbia vitæ.* Et vult ostendere quasi causam in his tribus, dicens, quod homo aut conuertitur ad proprium bonum, & sic superbus dicitur: aut ad exterius bonum, & sic curiosus efficitur: aut ad inferius bonum, & sic voluptatis amator efficitur. Conuersio ergo ad bonum proprium causa est superbiæ.

¶ AD quod dicendum: quod in autoritate supradicta August. super Genes. non intelligitur, quod æternitas sit motiuū: sed quod per peccatū suum angeli recesserunt ab æternitate: æternitas enim accipitur ibi pro Deo. Quod si acciperetur æternitas pro motiuo non diceretur motiuum propriè: sed potestas excellentiæ fuit ibi motiuum; sicut in eadem autoritate continetur.

¶ AD illud vero, quod secundo obiicitur, quod vnitas esset motiuum. Dicendum est quod vnitas in sua generalitate non est motiuum: sed vnitas in principatu

rerum temporalium: sicut ibidem determinatur. Vnitas autem principatus generaliter est motiuum in peccato superbiæ, siue sit in angelis, siue in hominibus.

¶ Ad tertium vero dicendū est, quod in Lib. de libero arbit. non loquitur de superbia, prout est speciale peccatum, sed prout tertium est in illa diuisione. *Omne, quod est in mundo*, &c. Accipitur autem ibi [*proprium bonum*] ad differentiam exterioris boni, cuius est concupiscentia oculorum, & inferioris boni, cuius est cōcupiscentia carnis. Proprium autem bonum dicitur interius bonum, cuius est primo appetitus ipsius spiritus: cum sc. auertitur à supremo bono, & delectatur in se. 1. Ioan. 2.

MEMBRVM IV.

Ad quam vim peccatum superbia pertineat?

QVARTO quæritur, secundum quam vim attenditur hoc peccatum? Et videtur quod secundum rationalem: superbia enim est initium omnis peccati: ergo debet esse propriè in illa potentia, quæ principatum gerit inter omnes potentias: sed rationalis est illa: ergo superbia est in rationali.

¶ ITEM, in statu innocentiæ omnes vires erant sub dominio rationis: nec aliqua recessit à suo ordine, nisi prius recedente rationali: ergo prius recessit rationalis, sed primus recessus fuit per superbiam: ergo superbia est in rationali.

¶ Quod autem sit in irascibili, ostenditur, quia superbia est elatio animi inordinata: elatio autem est in irascibili: ergo superbia est in irascibili.

¶ Item, superbia & humilitas opponuntur, sed humilitas est in irascibili: opposita autem nata sunt fieri circa idem: ergo superbia est in irascibili.

¶ Item, sicut habetur circa principium Iob. dicit Gregor. quod *timor Dei opponitur superbiæ*: sed timor est in irascibili: ergo & superbia. Gregor. lib. 2 Moral. cap. 36.

¶ Quod autem sit in concupiscibili, videtur: superbia n. est amor propriæ excellentiæ: amor autem est in concupiscibili: ergo & superbia.

¶ ITEM, superbiæ est delectari in proprio bono, sed delectari in proprio bono, pertinet ad concupiscibilem: ergo & superbia.

RESOLVTIO.

Ad vim irascibilem.

¶ AD quod dicendum, quod superbia est in irascibili: appetitus enim peruersus celsitudinis ad irascibilem pertinet.

¶ Quod autem dicitur esse in rationali; hoc est, quia causa principalis peccati penes rationem residet. Cum autem dicitur; quod est in concupiscibili propter rationem amoris, vel appetitus. Dicendum est, quod est amor propriè: & est amor cōmuniter dictus. Secundum quod propriè dicitur, sic est ipsius concupiscibilis. Cum autem additur amatum, quod est alterius potentiæ; vt cum dicitur amor excellentiæ, vel amor veritatis, amor communiter dicitur; & trahitur ad vim irascibilem, vel rationabilem, & secundum hunc modum accipitur hic.

MEMBRVM V.

An superbia maximum peccatum sit?

QVINTO quæritur de quantitate huius peccati, vtrum superbia sit maximum peccatum.

¶ AD quod sic: *Emundabor à delicto maximo*. Gloss. *Hoc est à delicto superbiæ: quod est vltimum redeuntibus ad Deum, & primum in recedentibus.* Hoc vero est maximum: non enim est peccatum maius, quam apostatare à Deo, quod est superbiæ initium. Superbia ergo maximum est peccatum. August. *Eo ipsa est impia & vesana superbia, quod est certe immane peccatum.* Psal. 18. Glossa. August. in secūdo cōtra Epistolam Parmeniani.

¶ ITEM, *Superbi inique agebant vsquequaque*, dicit gloss. *Maximum peccatum in homine superbia est, quia inde manauit nostri delicti origo.* Psal. 118. Glossa.

¶ Item, *Domine Deus meus si feci istud*, &c. Gloss. *Id est vniuersale peccatum, quod est superbia: quæ est radix omnium malorū.* Sed radix omnium malorum est maximum peccatum: ergo superbia est peccatum maximum. Psalm 7. Glossa. August.

¶ Item dicit Isidor. *Sicut superbia est origo omnium criminum: ita ruina omnium virtutum.* Omne autem tale maximum peccatum est: ergo superbia maximum peccatum est. Isidor.

¶ Item, Gregor. *Cum singula vitia singulas depascant virtutes, sola superbia totum corpus virtutum depascit.* Omne autem tale maximum peccatum est: ergo superbia maximum peccatum est. Gregor.

¶ Item, omne peccatum, quod maximè se Deo opponit, maximum est: sed superbia est huiusmodi, ergo, &c. minor patet: quoniam dicit Bern. *Cum omnia vitia fugiant à Deo: sola superbia se Deo opponit.* Bernard.

¶ Item, maior virtus est, quæ magis nos assimilat Deo, vt charitas: ergo maius vitium, quod magis assimilat diabolo. Sed superbia est vitium, quod magis assimilat nos diabolo: quoniam (sicut habetur Iob. 41.) *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*: ergo superbia est maximum vitium. Iob. 41.

¶ CONTRA, *Peccatum peccauit Hierusalem*. Gloss. *Infidelitas est peccatum, quo retento, retinentur omnia: & quo ablato, auferuntur.* Sed omne tale est maximum peccatum: ergo infidelitas est maximum peccatum. Tren. 1. Glossa.

¶ Idem, omne peccatum, quod destruit fundamentum totius Christianæ religionis, est maximum: infidelitas est huiusmodi: ergo &c.

¶ ITEM, *Audio inter vos scissuras esse*. dicit Gloss. *Primum malum dissensio est, vnde cætera oriuntur, vbi est dissensio, nihil rectum est.* Sed omne tale est maximum: ergo dissensio est maximum peccatum. 1. Cor. 11. Glossa.

¶ Item, maiori virtuti maius opponitur vitium directè, sed charitas maior est virtus, quia est perfectio & forma aliarum, sine qua aliæ nihil sunt, sicut dicit Apostol. ergo odium, quod est vitium directè ei oppositum, est maximum vitium. 1 Cor. 13.

¶ PRÆTEREA, in superbia tria sunt consideranda, sc. motiuum ipsius, & terminus à quo, & terminus ad quem. Si ergo superbia est maximum peccatū, aut hoc est ratione sui motiui, aut ratione termini à quo, aut ratione termini ad quem. Si dicatur, quod ratione sui motiui, tunc obijcitur sic: motiuum in peccato est libido: sed potest esse maior libido in peccato luxuriæ, quam in aliquo peccato superbiæ. Item, similiter ad iram potest maior libido mouere, quam in aliqua specie superbiæ: ergo superbia in genere ratione sui motiui non dicitur esse maius peccatum.

¶ Si dicatur, quod ratione termini à quo. Obijcitur sic: quoniam terminus à quo in superbia est bonum incommutabile, à quo elongat superbia, sed superbia non magis elongat ab illo termino, quam alia peccata. Nam superbia conuertit hominem ad se, siue ad bonum proprium, quod est sui: cupiditas conuertit ad bona exterius, sicut ad res mundanas: ipsa vero luxuria ad bonum inferius. Sed minus elongatur bonum proprium spiritus ab incommutabili bono, quam bonum inferius, vel exterius: ergo minus elongat ab illo bono superbia, quam cupiditas, vel auaritia. Quod autem superbia cōuertat ad se, hoc est speciem ad bonum proprium: hoc patet per August. qui dicit. *Bonum est, sursum habere cor; non ad inferius, vel exterius: non tamen ad seipsum, quod est superbia; sed ad Deum, quod est obedientia.* Ergo ipsius superbiæ est conuerti ad se, siue ad proprium bonum. Sed minus elongat à summo bono, habere cor ad bonum proprium, quam habere cor ad inferius, vel exterius bonum. Nam qui habet cor ad summum bonum, habet cor sursum: similiter qui habet cor ad bonum proprium, quod est excellentia, sicut habet superbia, habet cor sursum: ergo vtrobique est habere cor sursum: sed habere cor ad bonum exterius vel inferius est habere cor deorsum: ergo maior est conuenientia in superbia ad summum bonum, quam in aliis peccatis: ergo minus elongat à termino à quo: ergo ex parte illa non est peccatum maximum. Aug. in lib. de vera religione.

* *

RESOLVTIO.

Superbia ex ratione generis peccati maximum peccatum est, & quia eius motiuum à spiritu magis inseparabile est, & quia Deo plus derogat, iniuriatur, ab eoque auertit.

¶ Ad quod dicendum, quod superbia dicitur esse maximũ peccatum, & infidelitas, & huiusmodi, quæ dicta sunt, sed propter diuersas causas dicitur quodlibet illorum maximum. Et quod dicitur, quod per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit: verum est secundum vnam rationẽ, vel causam: secundum tamen diuersas intentiones potest aliquid dici per superabundantiam de pluribus, sed non secundum eandem rationem.

¶ Dicitur enim peccatum maximum propter ablationem fundamenti omnis boni: quod fundamentum est fides, & hoc modo infidelitas dicitur maximum peccatum, quia fidem destruit, quæ est totius boni & totius Christianæ religionis fundamentum.

¶ Alio modo pót dici peccatum maximũ, quia minimè inter omnia peccata habet in se de motiuo ad pœnitentiam, quæ est remedium contra peccatum, & hoc modo peccatum in Spiritum S. dicitur maximum esse: in ipso n. plus tollitur remedium peccati, hoc est pœnitentia: & minus habet de motiuo ad illam: ex hoc est, quod dicitur irremediabile.

¶ Tertio modo dicitur maximum peccatum: quia magis propriè & directè soluit vinculum & vnitatem in Ecclesia, in qua vnitate datur spiritus ad remissionem peccatorum, & reuocandum ad bonum (dicit enim Aug. *quod in vnitate Ecclesiæ ratione clauiũ datur spiritus ad remissionem peccatorum*) & hoc modo discordia schismatis dicitur esse maximum peccatum: tollit n. vnitatem Ecclesiæ, & propter hoc Sapiens detestatur illum, qui seminat inter fratres discordias.

August.

Prouer. 6.

¶ Quarto modo dicitur maximum peccatũ, quia magis deordinat à Deo, inquantum est finis creaturæ rationalis, ad quem tendit, & in quo beatificatur, & hoc modo odium pót dici maximum peccatum: magis n. directè deordinat à fine, sicut charitas ei opposita inter omnes virtutes maximè ordinat, & coniungit fini: vnde ipsa ducit alias virtutes ad suum finem debitum: vnde sine ipsa non sunt meritoriæ, sed est forma ipsarum.

¶ Quinto modo dicitur maximum peccatum, quia est maximi nocumenti, in hoc quod ipsum est principium & origo aliorum peccatorum, & hoc modo superbia primorum parentum dicitur esse maximum peccatũ: vnde Aug. *Superbi iniquè agebant*, &c. dicit quod *maximum peccatum est superbia: inde manauit nostri origo delicti, hoc est peccatum originale: vnde in hoc maximum nocumentum est, quia toti nocet humano generi.* Sic ergo dicitur superbia maximum peccatũ ratione sui nocumenti: sed hoc non intelligitur adhuc nisi de superbia primorum parentum.

Aug. super Psalm. 118.

¶ Sexto modo dicitur maximum ratione sui motiui: vel allicitiui: quod magis est inseparabile à spiritu: & etiã quia magis derogat Deo, & auertit ab eo: & hoc modo superbia ex ratione generis peccati, dicitur esse maximum peccatum: ita n. est superbia ratione generis peccati, quod ipsa maximè auertit à Deo, & derogat ipsi. Item, suum motiuum est maximè allicitiuum, quia maximè inseparabile; quod patet: quia motiuum vel appetibile in superbia magis adhæret spiritui, quam motiua aliorum peccatorum: sicut concupiscentiæ carnis, vel huiusmodi. Quia tollamus carnem, nunquid erit motiuum, vel appetibile carnis in spiritu? constat quod non: quia non est in ipso spiritu, nisi quia est vnitus carni, & hoc trahente fomite: ergo appetibile cõcupiscentiæ carnis non ita adhæret spiritui, quin sit ab illo separabile per separationem carnis. Item, loquamur de appetibilibus concupiscentiæ oculorum, separemus animam sensibilem; nunquid erit illud appetibile in spiritu, & nunquid erit concupiscentia oculorum? constat quod non. Sic ergo illud appetibile non ita adhæret spiritui, quin ab ipso sit separabile per separationem adminus alterius. Item, loquamur de appetibilibus motiuis in peccatis spiritualibus: vindicta n. est vnum appetibile vel motiuum, & hoc in peccato iræ: tollamus quod non fiat iniuria, nunquid erit illud appetibile, quod est vindicta? constat quod non: & ita per amotionem iniuriæ remouetur. Item, odium fœlicitatis alienæ est appetibile vel motiuum in peccato inuidiæ: intelligamus ergo quod vnus solus homo sit, erit ne odium felicitatis alienæ? constat quod non: ergo iam tollitur à spiritu motiuum inuidiæ & sic de alijs. Et ita omnia appetibilia vel motiua aliorum possunt tolli à spiritu, manente ipso, sed appetibile superbiæ, non potest tolli, manente natura in sua corruptione.

¶ Item, dicitur maximum: quia maximè Deo derogat, & iniuriatur, & maximè auertit ab ipso. Et quod magis auertat ab incommutabili bono; hoc apparet, quia per blasphemiam iniuriatur homo diuinæ bonitati, quia est peccatum in Spiritum Sanctũ, per mendacium autem diuinæ veritati, sed per superbiam ipsi diuinæ & excellentissimæ maiestati. Nam superbire est super statum hominis ire; hoc autem est quasi quandam æqualitatem cum Deo appetere: hoc aũt est iniuriari diuinæ maiestati.

MEMBRVM VI.

An peccatum superbiæ ab inani gloria, inuidiæ, mendaciꝗ́, peccato separabile sit?

SExto quæritur de inseparabilitate huius peccati ad alia peccata. Quæritur ergo, vtrum sit separabile; vel inseparabile ab inani gloria, & ab inuidia? Quod sit inseparabile, patet: quia dicit Greg. *Superbia sine inuidia atque inani gloria nullatenus esse potest.*

Greg. sup. Ezech.

¶ Item Aug. dicit: *cum superbia sit amor propriæ excellentiæ, inuidia vero sit odium felicitatis alienæ, quid de quo irascatur, in promptu est: amando enim quisꝗ́ excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei adæquantur: vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non æquatur: superbiendo ergo quisꝗ́ inuidus non inuidendo superbus est.* Ergo superbia est peccatum inseparabile ab inuidia.

August. de vera innocentia.

¶ Item, super illud: *Caput circuitus eorum*, &c. Gloss. *Omnis superbus fictus est, & omnis fictus mendax*: ergo omnis superbus mendax. Peccatum ergo superbiæ inseparabile est à mendacio.

Psalm. 139. Glossa.

¶ Ad oppositum videtur, quod sit separabile ab inani gloria: dicit August. *Inter cupiditatem humanæ gloriæ, & cupiditatem humanæ dominationis interest: vnum n. quærit sine alio esse.* Sed cupiditas humanæ gloriæ pertinet ad inanem gloriam, cupiditas vero humanæ dominationis ad superbiam, quæ appetit dominari & præesse: ergo superbia est separabilis ab inani gloria.

August in lib. de ciu. Dei.

¶ Similiter videtur, quod sit separabilis à mendacio: quoniam superbia est in corde, sed mendacium est in ore, non solum in corde (quoniam mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi) sed potest esse peccatum cordis sine peccato oris: ergo superbia potest esse sine mendacio.

¶ Similiter, superbia & inuidia sunt diuersa vitia capitalia, & distincta ab August. & Gregor. ergo vnum potest esse sine altero, nec vnum dependet ex altero.

RESOLVTIO.

Superbiam vix quidem sine inani gloria, inuidia, atque mendacio reperire est: simpliciter tamen sine eis esse potest.

¶ Solvtio: secus est de superbia, quæ est initium peccatorum, & de superbia vitæ, quæ est tertia radix: & de superbia, quæ est vnum de vitiis capitalibus ab aliis distinctum. Quoniam prima est in omni peccato; quia dicit illum generalem cõtemptum in auersione à Deo, qui perficit omne peccatum in ratione malitiæ. Superbia autem, quæ est radix tertia, non est separabilis ab illis peccatis, in quibus est motiuũ proprium bonum: cuiusmodi est vindicta, gloria, & huiusmodi; quæ sunt bona propria spiritus, sed de his duabus non loquimur: sed loquimur de superbia, quæ est vitium capitale, quæ consistit in hoc, quod

homo appetit excellentiam propriam. Secundum hoc dicimus, quod inseparabile dicitur dupliciter. Vno modo dicitur inseparabile, quod vix separatur, & hoc modo superbia dicitur inseparabilis ab inani gloria & inuidia, quia cum difficultate ab ipsis separatur: vix n. potest esse sine illis. Alio modo dicitur inseparabile, quod nullo modo potest separari, & hoc modo peccatum superbiæ separabile est ab illis, quia contingit esse motiuum superbiæ sine motu inuidiæ: sicut in angelo fuisset superbia sine motu inuidiæ, si non fuisset homo creatus. Vnde intelligamus, quod prius fuerit creatus, quam homo secundum successionem temporis; non esset motus inuidia.

¶ Ad illud, quod obijcitur de mendacio. Dicendum, quod mendacium duobus modis dicitur. Vno modo speciale peccatũ, & hoc modo dicitur falsa vocis significatio cum intentione fallendi, & hoc modo est separabile à superbia, nec de hoc mẽdacio loquitur gloss. prædicta. Alio modo accipitur generaliter, & ita omne peccatũ dicitur mendacium. Vnde Ioan. 8. dicit Dominus de diabolo. *Veritas non est in eo: cum loquitur mendaciũ, ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius*, id est mendacij, id est, pater est peccati: vnde mendacium sumitur ibi generaliter. Et hoc modo quodlibet peccatum dicitur mendaciũ: & hoc ista ratione, quia in mendacio prætenditur veritas, & non est ibi: sic est in omni peccato, quod ibi prætenditur bonum apparens, & verum, & deest ibi vtrumque, sc. bonum & verum. Et hoc modo est superbia mendacium, & hac ratione dicitur esse mendacium: & dicitur omnis superbus mendax generaliter.

(Ita B. Aug. in Lib. contra Mendacium c. 10 interpretatur illud Psalm. 115. *Omnis homo mẽdax*)

MEMBRVM VII.

An peccatum hoc superbiæ eadem facilitate tollatur, qua facilitate & reliqua peccata tolluntur?

Septimo quæritur de difficultate cauendi hoc peccatũ. Et quæritur, vtrum hoc peccatum sit eiusdem facilitatis ad tollendũ, cuiusmodi sunt alia? Quod videtur; sicut n. omnes virtutes insimul dantur: ita & omnia vitia simul tolluntur: aliter n. non possent omnes virtutes simul inesse: ergo superbia est eiusdem facilitatis ad tollendum, cuius sunt & alia vitia.

¶ Præterea, homo factus est ex vili materia: consideratio ergo ipsius inducit cõtemptum suiipsius: contemptus autem suiipsius expellit superbiam: non sic autem est de aliis peccatis (homo n. in se habet incentiuum gulæ, & luxuriæ, & aliorum peccatorum) ergo facilioris expulsionis est peccatum superbiæ, quam alia peccata.

¶ Contra, super illud: *Domine Deus meus si feci istud*, Gloss. *Superbia est primum peccatum recedentibus à Deo, & vltimum redeuntibus ad ipsum*. Ergo permanet post alia peccata: ergo difficilioris est amotionis. (Psal. 7. Glossa.)

¶ Item, superbia de ipsis bonis spiritualibus nascitur occasionaliter: bona autẽ spiritalia vt virtutes expellunt vitia: ergo difficilioris amotionis est hoc peccatum.

RESOLVTIO.

Superbia, prout virtutes gratuita priuationem importat, æquè faciliter ac cætera vitia expellitur. Minimè autem prout ad appetitum quendam inordinatum dispositionem dicit.

¶ Respondendum est, quod peccatum superbiæ, sicut & alia peccata, duo importat; priuationem virtutis gratuitæ, & quandam dispositionem ad malum opus. Quantum est de priuatione virtutis gratuitæ; cum expellitur priuatio annexa superbiæ, expelluntur aliæ priuationes per gratiam gratum facientem: vnde sic superbia est æquè facilis expulsionis respectu aliorum peccatorum. Secundum autem quod superbia est dispositio ad quendam appetitum inordinatum, qui est excellentiæ: non æquè facilis expulsionis est superbiæ peccatum, sicut & alia peccata: appetibile n. illud magis inhærens est ipsi spiritui rationali, sicut ostensum est, & ideo difficilioris est expulsionis.

¶ Per hoc potest patere, qualiter respondendum est ad primum obiectum: sit n. sermo ibi de superbia, prout est priuatio virtutis gratuitæ, inquantum est gratuita, & secundum hoc procedit obiectio.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet homo ex parte carnis corruptibilis habeat incentiuum humilitatis, prout dicitur: *Humiliatio tua in medio tui*: tamen ex parte ipsius spiritus, qui habet nobilitatem essentiæ vertibilis secundum electionem ad malum, est incentiuum superbiæ, & ratione illius dicitur peccatum superbiæ difficilius ad expellendum. Præterea, superbia occasionaliter oritur ex virtutibus, sicut habetur super illud: *Vox Domini confringentis cedros Libani*. Et alibi dicitur. Ex adipe prodiit iniquitas eorum: propter hoc dicitur esse difficilioris expulsionis. (Mich. 6. Psal. 28. & 72.)

MEMBRVM VIII.

An excæcatio sit effectus peccati superbiæ: Et an superbia in infinitum diminuere possit?

Octavo quæritur de effectu huius peccati. Dicitur autem super illud. *Stulti facti sunt: quia superbia erat in eis, & obumbrauit eos*. Ergo cæcitas est effectus superbiæ. (Ad Rom. 1.)

¶ Item, Gregor. *Lumen veritatis elatis mentibus absconditur: afflictis & humiliatis reuelatur*. Ergo cæcitas est effectus superbiæ, siue excæcatio. (Gregor. in moral.)

¶ Contra: cæcitas est effectus infidelitatis: sicut habetur Isaiæ 6. *Excæca cor populi huius*: excæcatio autem illa est per errorem. (Isai. 6.)

¶ Præterea, excæcatio videtur esse effectus cuiuslibet peccati, propter illud quod dicitur: *Excæcauit eos malitia eorum*: Ergo non appropriatur vni peccato. (Sap. 2.)

¶ Item, quæritur, vtrum superbia in infinitum valeat diminuere. August. *Tantum superbus fit minor, quantum maiorem se esse cupit*. Sed non est terminus superbo in cupiendo maioritatem: ergo non est terminus positus in diminuendo, ergo in infinitum diminuit. (August. in lib. de libe. arbitrio.)

¶ Contra: ista diminutio est in malo, sed quodlibet malum est tantum, quod non maius: ergo diminutio est finita in peccato superbiæ, sicut in aliis.

RESOLVTIO.

Tametsi excæcatio peccatum omne insequatur; appropriatè tamen infidelitatem insequitur & superbiam. Quæ quia in se finita est, & in diminutione etiam per consequens finita erit.

¶ Ad primum dicendum, quod excæcatio attribuitur omni peccato: per appropriationem tamen quibusdam. Cum enim peccatum sit in voluntate, excæcatio cõcomitatur in ratione, vt non semper videat, quid agendum sit. Appropriatur tamen infidelitati, quia non videt homo quod credendũ est. Superbiæ vero ex alia parte attribuitur: sicut n. infidelitas male disponit intellectum: ita superbia male disponit affectum ad recipiendum lumen gratiæ. *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam*. Et super illud: *Inclinate aures vestras ad verba oris mei*. Glossa. *Timor infusa repellit*: Sicut ergo conuexum inquantum huiusmodi non est receptiuum, sed concauum, ita humilitas est receptiua luminis gratiæ, & non superbia: Ex illa ergo parte dicitur superbiæ effectus excæcatio per quãdam appropriationem: Vnde de illis potest dici illud: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius*. Communiter tamẽ conuenit aliis peccatoribus. (Iacob. 4. Psal. 77. Glossa. Iob. 24.)

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet terminus non sit positus in superbia quo ad hoc, quin possit esse superior: est tamen positus terminus in hoc: quod omnis superbia est aliquanta: & sicut est in causa, ita in effectu. Vnde omnis diminutio, quæ prouenit ex superbia, finita est: & est aliqua, qua non est maior: sed non est aliqua, qua non possit alia esse maior. Quemadmodum in malitia nihil est ita malum, quod non possit esse deterius, & ita non est summè malum: aliqua tamen malitia est, qua non est alia maior.

MEM-

MEMBRVM IX.

An superbiæ peccatum prius sit reliquis omnibus peccatis?

Isidor. de summo bono. lib. 2. c. 38. NONO quæritur de prioritate huius peccati, & videtur, quod sit prius aliis peccatis. Isidor. *Sicut superbia est origo omnium criminum: ita est omnium virtutum ruina.*

Psalm. 18. In Gloss. August. ¶ Et super illud: *Emundabor à delicto maximo.* Aug. *Delicto, sc. superbiæ, quod est primum: recedentibus à Deo.* Ergo superbia est primum inter peccata.

¶ CONTRA. Fides est prima virtutum: ergo per oppositum infidelitas debet esse primum vitiorum.

¶ PRÆTEREA, charitas dicitur esse caput virtutum, quod ergo directe opponitur charitati debet esse caput ipsorum peccatorum, sed hoc est inuidia: ergo inuidia est caput ipsorum peccatorum.

¶ PRÆTEREA, peccatum habet originem ex voluntate, sed voluntas infidenita est respectu cuiuslibet appetibilis: ergo in peccatis non est vnum prius altero naturaliter: si n. voluntas primo se conuertat ad bonum carnis, dicetur illud esse primum peccatum: eodem modo est in aliis appetitibus peccatorum.

RESOLVTIO.

Et quidem naturaliter.

¶ AD quod dicendum, quod superbia est primum naturaliter inter peccata. Est n. appetitus excellētiæ, siue potentiæ proximius adhærens spiritui: & ideo citius inclinatur ad illud appetibile.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum, quod licet fides sit fundamentum virtutum: non tamen infidelitas vitiorum. Non est enim similis ordo in vitijs: ordo enim procedit in destruendo ex parte vitiorum, quæ dicuntur per se oppositionem ad virtutes. Vnde cum fides sit prima virtutum, econtrario infidelitas debet esse vltimum vitiorum: sicut innuitur Iere. 2. Mempheos filij & Taphnes constuprauerunt te vsque ad verticem.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de inuidia. Dicendum est, quod charitas duos habet motus, respectu Dei, & respectu proximi. Ille vero, qui est respectu Dei, naturaliter est prior; & ratione illius superbia opponitur charitati: ratione vero alterius inuidia: vnde quo ad hoc superbia prior est inuidia.

¶ AD tertium vero dicēdum, quod licet vnumquodque vitiorum possit esse prius altero tempore: naturaliter tamen se habet voluntas plus ad vnum appetibile, quā ad aliud, & ratione illius si fit inordinatus appetitus circa illud, dicetur naturaliter peccatum prius peccato.

MEMBRVM X.

De speciebus superbiæ.

Gregor. Iob. 23. circa principium. DECIMO dicitur de speciebus huius peccati. Sunt autem quatuor species eius, quas assignat Greg. *Quatuor sunt species tumoris: prima est, cum homo à se existimat habere bonum, quod habet: secunda si desuper datum credit; tamen pro suis meritis accepisse putat: tertia est, cum iactat se habere quod non habet: quarta est, cum cæteris despectis, singulariter vult videri.*

¶ Potest ergo quæri, vtrum pauciores species sufficiāt. Secundo, vtrum plures debeant dici. Tertio de comparatione illarum in quantitate peccati. Quarto de cōparatione harum specierum ad illas, quas ponit Ansel. & quas ponit Bernard. duas scilicet ponens species, superbiam cæcam, & vanam. Anselm. Bernard.

ARTICVLVS I.

An recte B. Gregorius quatuor statuerit peccati superbiæ species?

Ex Antepraedicamen. CIRCA primum sic proceditur: videtur quod primum non sit species superbiæ: sed infidelitatis. Diuersorum enim generum, & non subalternatim positorū diuersæ sunt species, sed infidelitas & superbia sunt diuersa genera, quorum vnum non est sub alio: ergo species vnius non est species alterius: sed æstimare bonum, quod habet à Deo, solum habere à seipso est peccatum infidelitatis (quilibet n. homo tenetur credere, quod omne bonum est à Deo) ergo non est species superbiæ.

¶ Item, *Si lætatum est cor meum,* &c. Gloss. *Authoris sui gratiam negare cōuincitur: quisquis sibi tribuit bonum, quod operatur.* Sed qui negat gratiam sui authoris, est infidelis: ergo species illa, quam primo assignat, non est species superbiæ, sed infidelitatis. Iob 31. Glossa.

¶ Si dicatur, quod ibi est vtrumque peccatum, scilicet, superbia, & infidelitas. Contra, peccatum est actus incidens ex defectu boni: si ergo duo sunt peccata: erunt duo actus incidentes ex defectu boni: ergo à destructione consequentis, si non sunt duo actus: non erunt duo peccata.

¶ DEINDE quæritur de eo, quod ponitur in specie secunda, quæ est, quando aliquis bonum, quod habet à Deo; æstimat se habere pro suis meritis. Videtur enim hoc bene posse fieri sine peccato: datur enim aliquod bonū à Deo pro merito humano: ergo hoc æstimare non est peccatum: ergo non est species superbiæ. Si vero non potest fieri sine peccato, videtur non differre à prima specie. Si enim æstimat se esse causam sui meriti: & suum meritum esse causam sui boni, quod habet: ergo credit illud bonum habere à se: quicquid enim est causa causæ, est causa causati: non ergo videtur hæc species distingui à prima. Ex 2. Phys.

¶ Deinde quæritur de tertia specie, cum homo sibi attribuit, quod non habet: & dicitur arrogantia. In omni enim peccato aliquid est motiuum, quod est apparens bonum, sed ille scit se non habere illud bonum: ergo non videtur de illo extolli; cum motiuum non dicatur, nisi quod est: non ergo sunt tot species superbiæ.

RESOLVTIO.

Recte quidem: & admodum rectitudo hæc elucebit, si quid superbia sit, apparebit.

¶ AD quod dicendum, quod quatuor sunt species superbiæ: sicut dicit Gregor. Et ratio diuisionis sic potest sumi: Superbia est, qua homo iniuriatur Deo: aut hoc ergo est quantum ad bonum, quod habet: aut quod videtur habere. Si quantum ad illud, quod videtur habere, & non habet; extollitur: vna est species superbiæ. Si vero quantum ad bonum quod habet: hoc potest esse dupliciter: quia aut iniuriatur Deo in se: aut Deo in proximo. Si Deo in proximo, quarta species intelligitur: cum aliquis vult singulariter videri. Si vero Deo in se, qui est principium omnis boni; hoc potest esse dupliciter: aut prout homo ponit seipsum totam causam boni: aut prout ponit se esse principalem. Primo modo determinatur prima species superbiæ: secundo modo determinatur secunda species. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 7.

¶ AD obiectum autem primo dicendum est, quod prout species superbiæ determinatur in affectu, inquantum homo intantum extollit se, vt ponat se totam causam illius boni, cuius Deus est tota causa: vt si quis dicat virtutes gratuitas esse à se: quæ solum sunt à Deo. Si vero credat Deum non esse causam omnis boni, huiusmodi credere secundum quod sistit in intellectu est infidelitatis: credit n. quod non est credendum.

¶ Ad secundam vero rationem dicendum est, quod negare gratiam sui authoris potest dupliciter esse: vel verbo, vel facto. Verbo, vt si dicatur quod gratia Dei non est, & secundum hoc est infidelitas: eodem modo si animo crederet gratiam Dei non esse. Si vero neget facto: hoc est in affectu vel effectu gerat se tanquam principium boni: secundum hoc erit peccatum superbiæ, & ita distinguuntur ad inuicem peccatum infidelitatis & superbiæ in hoc genere.

¶ AD illud vero, quod obijcitur de secunda specie. Dicendū, quod talis non peccat ponendo se bonum habere

à Deo: sed in hoc, quod facit se esse principalem causam eius, cuius principalis causa est Deus.

¶ Ad id vero, quod obijcitur, quod hæc species est eadem cum prima. Dicendum est, quod non: quia in hac secunda specie facit homo se principalem causam, & Deum secundam eius, cuius est Deus causa principalis, & homo secundaria, quia talis ponit quod ipse sit principalis causa boni, quod habet, licet à Deo habeat.

¶ Ad illud, quod obijcitur de tertia specie. Dicendum, quod ibi est peccatum superbiæ, cum homo extollitur, attribuendo sibi quod non habet. Et licet talis non habeat bonum, nec apparens bonum aliis, quod ipsum moueat: habet tamen apparens bonum sibi, quod ipsum mouet ad hoc, vt extollatur: vnde habet bonum apparens in sua opinione, licet non apud alios.

¶ Sed ponatur, quod non appareat alij, nec etiam habeat in opinione sua apparens sibi bonum: habet tamen adhuc motiuum ad peccatum: vnde adhuc talis ostentat se sermone, & dicit adhuc se habere illud, quod nō habet, nec etiam credit habere. Et sicut dicit Ansel. hic adhuc est motiuum, sc. illud, quod ipse intendit aliis imprimere: vnde licet non se talem existimet, qualē se esse ostendit; vult tamen apparere talis, & hoc mouet ipsum.

ARTICVLVS II.

An plures sint superbiæ species, quam quatuor iam enumeratæ?

SECVNDO quæritur: Verum debeant poni plures species superbiæ, quam istæ quatuor. Nos videmus, quod vna species superbiæ determinatur penes bonum, quod homo non habet, sc. tertia species superbiæ: aliæ aūt tres determinantur penes bonum. Sicut sunt ergo plures species secundum positionem boni; ita debent esse plures secundum defectum boni: vel quare non?

¶ Item, contingit esse speciem superbiæ in comparatione ad malum, quod homo defendit: sicut cum homo excusat se de peccato suo, hoc est peccatum superbiæ: & malum diuiditur contra bonū: ergo hæc species superbiæ diuidetur contra illas, quæ sunt ex parte boni: & ipsa non est aliqua illarum quatuor: ergo sunt quinq; species. Quod autem huiusmodi excusatio peccati, sit superbia, patet per Aug. vbi dicit. *Est peior damnatiorq; superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis exquiritur: sicut illi primi homines, quorum & illa dixit: Serpens seduxit me, & manducaui, & ille dixit: Mulier quam dedisti mihi, hæc mihi dedit de ligno, & comedi.* Vult ergo dicere, quod excusando se de peccato, & referendo in Deum; peccabant peccato superbiæ: dicere autem quod Deus sit causa mali, nihil aliud est dicere, quā Deus non est causa boni, vel principalis causa boni: vnde videtur hæc species differre ab aliis.

August. in 13. de ciu. Dei. c. 14. Genes. 3.

¶ Item, *Omne, quod est in mundo: aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Possum ergo dicere de vno quoq; peccato, quod est vel concupiscentia carnis, vel &c. sed possum hoc dicere de multis aliis peccatis ab his quatuor, quæ assignat Gregor. Ergo non tantum habet superbia has species.

1. Ioan. 2.

Gregor.

¶ Item, filiæ conueniunt in natura cum matre, ergo filiæ superbiæ cōueniunt in natura cum superbia: ergo plures sunt eius species, quam istæ quatuor.

¶ Item, superbia est, qua homo deordinatur quantum ad Deum, & quantum ad hominem: homo autē se habet ad hominem in triplici gradu: vel sicut superior, vel sicut par, vel sicut inferior: tres primæ species superbiæ deordinant hominem ad Deum, quarta deordinat hominem ad hominem parem, & inferiorem. Cum ergo inobedientia sit superbia respectu superioris, quia deordinat hominem respectu hominis superioris, & non sit aliqua illarū quatuor: ergo est vna species, qua deordinatur homo respectu superioris hominis.

¶ Item, ingratitudo est species superbiæ: & differt ab illis quatuor: ergo plures sunt species, quam illæ quatuor. Quod autem ingratitudo sit species superbiæ, sic ostendit Hieron. *Quid tam superbum quā ingratum videri? aduersus eius voluntatem viuere, de quo viuere accepisti: illius præcepta despicere, qui ideo quid imperat, vt causas habeat remunerandi.* Ex hac auctoritate videtur, quod ingratitudo sit superbię species. Minor patet, sc. quod non sit aliqua illarum quatuor: quoniā ingratitudo dicitur, quando aliquis non refert gratias de beneficio, sed talis bene scit, & habet beneficium à Deo, & non à se: ergo non est superbus quantum ad primum modum superbiæ. Item, talis bene scit, quod non habet pro suis meritis. Præterea, talis non iactat se de eo, quod non habet. Item, talis non vult singulariter videri præ aliis. Vnde neutrum illorum quatuor ponit de seipsa ingratitudo. Ergo si est species superbiæ; relinquitur quod est differens ab illis quatuor: & sic sunt plures species superbiæ, quam quatuor.

Hieron.

RESOLVTIO.

Neutiquam: sed si quæ apparebunt, non propriè species erunt, sed ad dictas quatuor quodammodo reducentur.

¶ Ad quod dicendum, quod sufficiens est diuisio: sicut dictum est.

¶ Ad primo obiectum dicendum, quod penes defectum boni cum apparentia non debent accipi plures species, sicut penes positionem boni. Defectus n. ille boni notatur vniuersaliter; vnde vnicam dicit remotionē: positio vero boni secundum plures modos dici potest: sicut supra dictum est: propter quod plures ex illa parte sumuntur differentiæ.

¶ Ad secundum vero dicēdum, quod excusatio de peccato non est species superbiæ, sed dispositio consequens superbiam: sicut accusatio de peccato non est species peccati, sed comes est humilitatis. Excusatio vero nascitur ex specie superbiæ, qua aliquis attribuit sibi quod nō habet: vult n. se ostendere innocentem, cum non sit. Quod autem dicitur excusatio peccati peior damnabiliorq; superbia: hoc nō est, quia sit essentialiter superbia, sed quia cōsequitur superbiam, & dicitur damnabilior, quia tollit ipsam pœnitentiam, per quam est remedium peccati.

¶ Ad tertium dicendum, quod licet superbia vitæ sit radix multorum peccatorum, non tamen quodlibet illorum facit vnam speciem superbiæ, sed dicuntur nasci ex superbia; sicut est de inuidia, & huiusmodi.

¶ Ad quartum dicēdum, quod licet filia in rebus naturalibus sit eiusdem speciei cum matre: per similitudinē tamen accipiuntur in peccatis. Non igitur dicuntur huiusmodi peccata esse eiusdem speciei cum superbia matre, vt vnumquodq; illorum dicatur superbia, quia filia dicitur per quandam conformitatem causalitatis, à qua immediate nascitur.

¶ Ad quintum dicendum est, quod inobedientia non est species superbiæ formalis: imo nascitur ex ea. Inobedientia n. sumitur penes nolle subesse voluntati alterius vel præcepto: superbia vero sumitur penes velle præesse. Sic ergo inobedientia consequitur superbiam, & non est species superbiæ.

¶ Ad illud autem, quod obijcitur: quod respectu paris vel inferioris sumitur species superbiæ: respectu vero superioris hominis non. Dicendum est, quod homo constitutus est in medio inter Deum & alias creaturas: homo vero homini par est natura. Iniuria ergo, qua homo iniuriatur per superbiam, vel est respectu Dei, vel respectu hominis paris, respectu aūt Dei, cum vendicat sibi, quod Dei est, sc. superioritatem, vel dominationem: vnde dicit Aug. *Inest vitioso animo id magnum appetere, & tanquam debitum vendicare, quod vni propriè debet Deo. Similiter iniuriatur homini, cum affectat ei libidinose dominari, qui est par natura:* vnde dicit Aug. *Cum homo eis, qui pares sunt sibi naturaliter, hoc est hominibus dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.* Sic ergo species superbiæ altero duorum modorum accipitur.

Aug. in lib. de doctri-na Christiana

Idem.

¶ Ad sextum dicendum, quod ingratitudo non est essentialiter superbia, sed consequitur ad eam. Ingratus autem dicitur, qui non reddit gratias de beneficio accepto: vnde quasi principium boni se reputat. Et ita ad primam speciem superbiæ reducitur: eo quod non retorquet beneficium ad illum, à quo recepit.

* * *

ARTI-

ARTICVLVS III.

Ex recenſitis ſuperbiæ ſpeciebus quæ grauior ſit?

TERTIO quæritur de comparatione illarum ſpecierum ſecũdum quantitatem peccati. Obiicitur autem quod
Iob 32. quarta ſpecies ſuperbiæ ſit maius peccatũ inter alias: quo-
Gregor. niam ſuper illud: *Superabam quod ætas prolixior loqueretur*: dicit Gregorius de quarta ſpecie ſuperbiæ, *Hæc ſpecies quarta proximat vicinius peccato diaboli, qui præ angelis eſſe voluit.* Hæc ergo ſpecies eſt proxima magis peccato diaboli: ſed maximo peccato vitiatur diabolus: ergo hæc ſpecies peccati eſt maximum peccatum inter alias.

¶ Contra, videtur quod prima ſpecies ſit maius peccatum quam iſta: quia illa ſpecies maius eſt peccatum, quæ magis iniuriatur Deo: ſed prima ſpecies magis iniuriatur Deo, quam quarta: ergo eſt maius peccatum. Minor patet, quoniam iniuria, quæ fit Deo immediate, maior eſt, quam illa, quæ fit Deo mediate: ſed prima ſpecies Deo iniuriatur immediate; quia cum aliquis dicit ſe eſſe principium boni, quod habet, hæc iniuria immediate redundat in Deum: ſed quarta ſpecies iniuriatur mediate, ſcilicet Deo in homine: cum enim aliquis deſpectis ſingulis, ſingulariter vult videri; ipſe primo iniuriatur homini, & per hominem Deo: ſed cum aliquis negat bonum eſſe à Deo, & ponit ſe illud habere à ſe, talis immediate iniuriatur Deo: & ſic maius peccatum eſt prima ſpecies, quam quarta.

¶ Quod autem tertia ſpecies ſit maius peccatum, videtur: quia quanto aliquod peccatum plus habet de motiuo, plus habet de pronitate: & quanto plus habet de pronitate, tanto plus habet de excuſatione: & quanto plus habet de excuſatione, tanto minus peccatũ eſt: ergo quanto plus habet de motiuo, tanto minus eſt: & econtrario, quanto minus habet de motiuo, tanto maius peccatum eſt. Iactantia, quæ eſt tertia ſpecies ſuperbiæ, minus habet de motiuo inter alias: ergo maius eſt peccatum. Minor patet, quoniam aliæ ſpecies oriuntur ex bono, quod homo habet: hoc autẽ non oritur ex bono, quod homo habeat, ſed quod non habet: plus autem excuſationis eſt, & plus habet de motiuo ille, qui extollitur de bono, quod habet, quam ille qui extollitur de bono, quod non habet.

RESOLVTIO.

Duæ primæ grauiores ſunt duabus reliquis.

¶ AD quod dicendum: quod peccatum diaboli duplicem habuit comparationem. Vnam, ſecundum quam iniuriabatur Deo: & ex illa parte dicebatur maximum peccatum. Ex alia parte, qua voluit præeſſe angelis indebito modo: & ex illa parte aſſimilatur quarta ſpecies in homine, quæ eſt præſumptio ſingularitatis, peccato diaboli. Vnde ex hoc ſequitur, quod quarta ſpecies ſuperbiæ ſit maius peccatum aliis ſpeciebus: non enim appropinquat ex illa parte peccato diaboli, ex qua parte dicitur maximum.

¶ Ad illud, quod obiicitur de iactantia, quæ eſt in tertia ſpecie; dicendum eſt, quod duo ſunt in illo peccato, ſcilicet motiuum ad peccatum, & iniuria Dei. Licet ergo plus habeat de motiuo, & ita plus excuſationis, qui extollitur de bono, quod habet, quam qui extollitur de bono, quod non habet; & ita hoc ſit minus peccatum: tamen ex parte iniuriæ prius iniuriatur Deo, qui ſe negat bonum habere à Deo, quod habet ab ipſo, quam ille qui iactat ſe habere aliquod bonum, quod non habet: & ideo in prima ſpecie ſuperbiæ maius eſt peccatum quam in tertia.

ARTICVLVS IV.

De comparatione diuiſionum ſuperbiæ B.B. Anſelmi & Bernardi ad diuiſiones B. Gregorij.

QVARTO quæritur de comparatione diuiſionum aliarum ſecundum Anſelm. & Bernar. reſpectu illius diuiſionis, quam ponit Gregor. Et primo de illa, quam ponit
Anſel. Anſel. Diuidit autem Anſel. exaltationem (quam ponit loco ſuperbiæ) ſic: *Exaltatio quædam eſt in opinione, quædam in voluntate, quædam in ſermone, quædam in operatione.* Quæratur ergo de his primo in ſe, deinde in comparatione. Poteſt ergo quæri, penes quam illarum exaltationum maius peccatum attenditur.

¶ Ad quod ſic dicit Anſel. quod *exaltatio, quæ eſt in opere, eſt mala: exaltatio, quæ eſt in opinione, peſſima.* Ergo ſecundum ipſum maius peccatum eſt, quantum ad exaltationem in opinione, quam quantum ad exaltationem in opere. Idem.

¶ Contra, ſuper illud: *Quare non in vulua mortuus ſum.* Iob 3.
Gregor. *Quatuor modis fit peccatum in corde: & quatuor modis cõſummatur in opere. In corde fit ſuggeſtio, inde delectatio, poſt conſenſus, inde defenſio. In opere vero prius latens culpa agitur: poſt autem homini ſine pudore aperitur, deinde in conſuetudinem ducitur, poſt falſa ſpe vel deſperatione nutritur.* Cum ergo conſummatio peccati ſit in opere; maius eſt peccatum perpetratum in opere, quam in opinione, ſiue cogitatione. Exaltatio ergo maius in opere, quam in opinione: ergo peccatum maius peccato. Gregor.

¶ Item, peccatum in opere ponit peccatum in voluntate & opinione ante ſe: ergo maius eſt peccatum exaltatio in opere, quam exaltatio in opinione.

¶ Item, ex illa parte determinatur virtus & vitium tantum: ex qua parte determinatur tantum bonum vel malum: ſed hoc eſt ex parte affectus, non ex parte intellectus: opinio autem eſt ex parte intellectus: ergo ex parte ipſius non determinabitur maius peccatum, quam ex parte operis. Non ergo maius peccatum eſt exaltatio in opinione, quam exaltatio in opere.

¶ Deinde quæritur de comparatione diuiſionis ſecundum Anſel. ad illam, quę eſt ſecundum Gregor. penes quid vtraq; diuiſio accipiatur: & qualiter vna ſe habeat ad aliam: cum vtraq; ſufficiens videatur.

¶ Ad quod dicendum: quod exaltatio in opinione eſt maius peccatum ſecundum acceptionẽ Anſel. quam exaltatio in opere. Exaltatio enim in opinione eſt, quando aliquis opinatur, vel exiſtimat ſe eſſe dignum aliquo magno honore: & in hac æſtimatione ſic delectatur. Exaltatio vero in voluntate eſt, quando aliquis non exiſtimat ſe eſſe dignum aliquo honore, vult tamen illum habere: tamen non procurat opere, vel ſermone: & ita delectatur in voluntate. Exaltatio vero in ſermone eſt, quando aliquis non exiſtimat ſe eſſe dignum aliquo honore, nec vult ipſum habere, nec laborat opere ad obtinendum: nihilominus magnificat ſe in ſermone. Exaltatio vero in opere, quando non exiſtimat ſe eſſe dignum, nec vult ipſum, nec magnificat ſe ſermone: tamẽ facit aliqua opera, ex quibus magnus habeatur. Hæc ergo vltima exaltatio ſecundum Anſel. minima eſt in genere huius peccati: exaltatio vero, quæ eſt in opinione, peſſima. Ratio autem eſt, quia plus habet de vano, in quo delectatur.

¶ Ad obiecta autem reſpondendum, quod illud, quod dicit Gregor. Peccatum in opere eſt maius, quam peccatum in cogitatione, ſiue in corde. Hoc eſt, quia ponit ante ſe peccata illa, quæ dicuntur peccata cordis: ſecundum gradus enim aſſignantur peccata enumerata à Greg. ſicut ſupra poteſt videri.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod penes opinionem non debeat attendi peccatum: quia neq; bonum, neq; malum attenditur ſecundum illam; dicẽdum eſt, quod penes opinionem non attenditur peccatum niſi materialiter: formaliter vero in voluntate. Quando enim aliquis exiſtimat ſe dignum honore: ex hac exiſtimatione cõſequitur ſuperbia in affectu: vnde materia ſiue occaſio ſuperbiendi ſumitur ex intellectu: complementum vero ex parte voluntatis.

¶ Ad aliud dicendum: quod differentiæ iſtæ, quibus diuidit Anſelm. ſuperbiam, ſunt materiales differentiæ. Alia enim eſt materia ſuperbiendi ex parte opinionis: alia ex parte voluntatis: alia ex parte ſermonis. Differentiæ autem ſupradictę, quas ponit Gregor. ſunt formales differentiæ ipſius ſuperbiæ, non materiales: & hoc, quia determinantur ſecundum differẽtes appetitus excellentiæ. Et licet vtraq; diuiſio ſit ſufficiens: nulla tamen ſpecies in vna diuiſione coæquatur ſpeciei in alia, ſed ſunt excedentes & excellę. Diuiſio enim Greg. plus attenditur ſecundũ differentias rerũ: diuiſio aũt Anſel. ſecundũ differẽtias noſtrorũ actuũ cõparatione ad res. Actus enim noſter aut eſt interior,

aut exterior: interior aut est ex parte cognitiuæ, aut ex parte affectiuæ, exterior vero aut ex parte sermonis, aut operis, siue ex parte ostentiuæ, siue operatiuæ. Propter quod quatuor erunt differentiæ simplices ipsius exaltationis, plures vero possunt esse compositæ. Dicit enim: quod sex sunt duplicia: quatuor vero triplicia: vnum vero quadruplex, & ita in vniuerso erunt quindecim genera exaltationis.

¶ Deinde dicẽdum est de speciebus superbiæ, quas ponit Bern. in se, & in cõparatione ad illas, quas ponit Greg. Ponuntur autem duæ, sc. superbia cæca, & superbia vana: & dicit, quod superbia cæca potest dici cõtumacia, superbia vero vana vanitas: contra vero cæcam superbiam dicit esse speciem humanitatis, qua quis pôt sentire humiliter de se: contra vanam vero species humilitatis, qua non cõsentit homo aliter sentientib. Pot ergo quæri, penes quid accipiantur hæ duæ species: Et v. f, quod penes hoc accipiãtur, quod vna sit in ratione, altera in voluntate. (Dicit n. Bern. *Ex vna fallitur oculus rationis, & ex altera male afficitur appetitus voluntatis.*) Videntur ergo secundum has vires accipi istæ differentiæ. — Bernar. Gregor. Bernar.

¶ Hoc etiam ex ipsis nominibus videtur colligi: cæcitas n. ad rationem videtur pertinere: vanitas vero ad delectationem, quæ est vanitatis.

¶ Sed obijcitur in contrarium: secundum hoc non esset vtraque superbia in affectu, & ita non esset peccatum, cum omne peccatum sit in voluntate.

¶ Præterea, non essent species superbiæ, species n. ponit essentiam generis: superbia aũt est appetitus propriæ excellentiæ, sicut ab eodẽ diffinitur: ergo appetitus vtriq; conuenit: & appetitus est in voluntate: ergo vtraq; est in voluntate, non ergo vna tantum in ratione.

¶ Ad quod dicendum, quod licet vna dicatur rationis, altera voluntatis per quandam appropriationem, nihilominus tamen vtraque, sẽm quod est peccatũ, est in voluntate. Sicut n. dicit, vna est, qua in se, non in Domino gloriatur: altera est, qua suis magis quam Dei laudibus delectatur, & ita vtraq; respicit voluntatem. Sed vna illarum dicitur cæca, & dicitur esse rationis propter hoc, quod nõ recta existimatio antecedit prauam delectationem, existimat n. vel esse bonum, quod non est, vel esse à se, quod est, quorum vtrumq; est peruersæ rationis indicium. Per hoc ergo patere potest, quod prout sunt species superbiæ; non distinguũtur in hoc, quod vna est rationis, altera voluntatis, sed in hoc, quod vna sic praue delectatur, alia vero alio modo.

Qõ. later. ¶ Deinde quæritur, qualiter se habeat hæc diuisio Bern. ad illam, quæ est Greg. Cum n. hæc sunt duæ species, & ibi quatuor, videtur, quod reduci debeant illæ quatuor ad istas duas.

¶ Præterea, omnis species superbiæ assignata à Greg. vel est, in qua quis delectatur magis in se, quam in Deo de eo, quod est; vel de eo, quod non est: ergo quatuor species assignatæ à Greg. sub vna specie huius diuisionis continentur.

¶ Similiter potest dici de illa specie, qua quis existimat bonum esse, quod non est, vel à se esse, quod est: in se, non in Domino gloriatur: hoc n. similiter continet species assignatas à Grego. Sed hoc quomodo potest esse, cum sint diuersæ species, quarum neutra est sub altera?

¶ Ad quod dicendum, quod penes aliud, & aliud sumuntur species in hac diuisione & in illa. In hac diuisione attenditur differentia specierum penes hoc, quod vna est, in qua homo delectatur in seipso, non in Deo: altera vero in hoc, quod magis delectatur in se, quam in Deo. Diuisio vero Greg. attenditur secundum differentias causarum delectationum: causa n. delectationis vel est in eo, quod est: vel in eo, quod non est. In eo vero, quod est; aut absolute, aut in comparatione ad alium hominem. Si vero absolute, hoc potest esse secundum duas differentias, vel quod totaliter bonum sit à se, vel quo ad rationem merendi. Et sic secundum differentias istarum causarum attenduntur illæ quatuor species.

MEMBRVM XI.

Cui superbia opponatur?

VNDECIMO quæritur de oppositione huius peccati. Videtur enim quod opponatur charitati, per quod dicitur super illud: *Non det in commotionem pedem tuum.* Gloss. *Sicut ad proficiendum non mouet pedem nisi charitas: ita ad cadendũ non nisi superbia.* Charitas enim ad celsitudinem prouehit: superbia vero elatas mentes in ruinam vergit. Cum ergo effectus sunt oppositi, erunt causæ oppositæ: ergo charitas & superbia inter se opponuntur. — Psalm. 65. Glossa.

¶ Quod autem humilitas opponatur, patet ex diffinitione, quam ponit Bernardus: *Humilitas enim est contemptus propriæ excellentiæ:* contemptus autem & appetitus opponuntur: ergo superbia & humilitas. — Bernar.

¶ Item, Chrysostomus: *Nihil ita euertit superbiam, sicut humilitas.* Ergo nihil opponitur superbiæ, quam humilitas. — Chrysost.

¶ Item, Augustinus: *Cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat; ei se Dominus ad imitationem humilitatis præbuit.* Et hoc fuit remedium contra superbiam: ergo humilitas est opposita superbiæ. — Aug. in lib. de lib. arbi.

RESOLVTIO.

Et humilitati, & charitati.

¶ Ad quod dicendum: quod dupliciter dicitur aliquid opponi superbiæ. Vel per se, & formaliter: & secundum hoc humilitas opponitur superbiæ: non enim sunt simul nata esse in vi irascibili. Vel potest sumi oppositio ratione finis: & secundum hoc cum charitas ponat summum bonum pro fine, & ad ipsum ordinet; superbia vero primo deordinet, ponendo se pro fine; ex illa parte charitas superbiæ opponetur: maxime secundum illum motum, qui est in Deum. Et hoc modo videtur intelligi illa authoritas; quod charitas mouet ad proficiendum: superbia vero ad cadendum.

¶ Deinde quæritur, vtrum superbia nascatur ex suo suo opposito. Quod non, videtur: oppositum enim natum est destruere suum oppositum, non inducere: ergo cum illud, quod nascitur ex alio, per ipsum inducatur: non nascitur superbia ex suo opposito. — Qõ. later.

¶ Item, per simile ostenditur in aliis vitiis & virtutibus sibi oppositis: gula enim non nascitur ex sobrietate, nec luxuria ex castitate, & ita de aliis: ergo non nascitur superbia ex suo opposito.

¶ Contra, Augustinus: *Sola superbia in recte factis cauenda est.* Ratio autem est: quia ex illis aliquando originem ducit: cum ergo homo de humilitate aliquando extollatur: superbia aliquando de suo opposito nascitur. — August. de natura & gratia.

¶ Item, Augustinus: *Vbi lætatus fuerit homo in aliquo bono opere se superasse superbiam; ex ipsa lætitia caput erigit: ecce, viuo ego, quid triumphas? & ideo viuo, quia triumphas.* Ergo superbia ex sui victoria aliquando originem ducit: & ita ex suo opposito. — Idẽ in eod.

¶ Item: *Occidit eum, & cecidit in terra super eum, & mortuus est.* Quid per Eleazarum, qui elephantem interficiens, occubuit: nisi persona arrogantium designatur? qui dum volunt aliquid fortiter gerere, & non simplici animo, sed erecto, in suis conatibus deuicti, prosternuntur. Ex quo accipi potest, quod superbia aliquando cum vincitur, consequenter & ipsa vincit, & ita ex suo opposito nascitur: victoria enim vitij opponitur ipsi vitio. — 1. Macha. 6

¶ Ad quod dicendum: quod superbia originem ducit aliquando occasionaliter ex suo opposito, vel ex opposito alterius peccati: sed non essentialiter. Essentialiter autem dicitur originem ducere ex ipsa delectatione inordinata: qua homo in seipso, non in Domino lætatur de victoria vitiorum. Hic enim periculosum est lætari, nisi in Domino: tunc autem erit securum lætari de victoria vitiorum: cum extrema vmbra ex ipso tanquam ex meridie absorbebitur; de qua dicitur: *Educet quasi lumen iudicium tuum, & iustitiam tuam tanquam meridiem.* — Psalm. 36.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod non est simile de hoc peccato, & de aliis. *Cætera enim vitia tantum in malefactis valent,* sicut dicit Augustinus: *sola autem superbia etiam in recte factis est cauenda.* Et cum sit sermo ibi de superbia: includitur — August in 3 sua regula. Tom. 1.

Idem. ibi inanis gloria; & ideo dicit Augustinus: *Admonemur ne dona Dei nostra potestati tribuendo, & nos extollendo grauius pereamus, quam si nihil boni operemur.*

Qô. latet. Hieron. ¶ Deinde quæritur, vtrum superbia magis opponat se Deo, quam aliud peccatum. Dicit enim Hieronymus. *Cum cætera vitia fugiant à Deo; sola superbia se Deo opponit.* Et ita videtur, quod maior sit oppositio ad Deum ipsius superbiæ, quam alterius peccati.

¶ Item, superbia vendicat sibi, quod Dei est; alia vero peccata non vendicant: ergo magis opponitur Deo, quam aliud peccatum.

Aug. in lib. de doctrin. Christiana. ¶ Quod autem superbia vendicet sibi, quod Dei est, habetur ab Augustino.

¶ Contra, in omni peccato mortali præponitur commutabile bonum incommutabili: ergo cum vnumquodq; genus peccati appetat proprium bonum commutabile: alia peccata æque opponuntur Deo, sicut superbia.

Ansel. ¶ Item, dicit Ansel. quod *propria voluntas est causa omnis peccati*: sed habere propriam voluntatem, est vsurpare, quod proprium est Dei: si ergo in alio peccato est æque propria voluntas, sicut in superbia: omne peccatum mortale æque Deo opponetur.

¶ Ad quod dicendum: quod opponi Deo dicitur dupliciter: communiter, & proprie. Communiter omne peccatum Deo opponitur: quia bonum commutabile bono incommutabili præponitur. Proprie autem dicitur opponi superbia per quandam similitudinem. Sicut si Rex aliquis deuicisset exercitum sui aduersarij, & adhuc ipse aduersarius staret in bello: sic est de superbia, cum vincuntur tentationes aliorum peccatorum, & ita fugiunt à Deo peccata, superbia adhuc resistit; quia ex ipsa ablatione vitiorum habet materiam tentationis: & hoc modo dicitur sola superbia Deo se opponere, vt non excludatur, quin alia vitia se Deo opponant: sed quia ista se opponit etiam aliis vitiis, sicut dictum est.

¶ Ad secundum dicendum est: quod licet superbia vendicet sibi, quod Dei est primum secundum intelligentiam, scilicet potentiam: nihilominus tamen & alia peccata vendicant. In autoritate enim habetur, quod inest vitioso animo sibi tanquam debitum vendicare, quod vni proprio Deo debetur. Vnde per hoc datur intelligi, quod non tantum hoc est proprium superbiæ. Et dicit Augustinus:

Aug. in lib. confess. *Sicut superbia vendicat sibi excellentiam, quæ Dei est: ita ira vendicat vindictam, quæ Deo conuenit*: & ita de aliis. Per quod habetur, quod non solum superbiæ est hoc: licet hoc ei magis attribuatur, quia regina est vitiorum.

MEMBRVM XII.

Qui, & quot sint superbiæ gradus?

Bernar. DVODECIMO quæritur de gradibus superbiæ. Ponit autem B. Bernardus duodecim gradus, qui sunt: curiositas, mentis leuitas, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consuetudo. Potest ergo quæri, vtrum sint species superbiæ, an tantum gradus.

¶ Quod sint tantum species, videtur per hoc, quod qui peccat aliquo illorum, peccat peccato superbiæ: vt qui peccat peccato iactantiæ, vel arrogantiæ, vel singularitatis, & ita de aliis.

¶ Item, sicut se habent quædam eorum ad superbiam, ita & alia: sed quædam illorũ connumerantur inter species supradictas: pari ergo ratione aliæ debent connumerari.

Aug. in lib. de vera religione. ¶ Contra, Augustinus dicit: quod *concupiscentia oculorum ad curiosos pertinet, ambitio ad superbos.* Ergo curiositas est distincta ex opposito contra superbiam: non ergo est species superbiæ. Similiter potest opponi de quibusdam aliis: non ergo pro speciebus debent computari.

¶ Deinde quæritur, quæ sit ratio illius numeri. Videtur enim, quod consuetudo non debeat poni pro gradu istius peccati, plusquam alterius. Similiter potest dici de defensione peccatorum, & de libertate peccandi: hæc enim duo similiter respiciunt omne peccatum.

RESOLVTIO.

Duodecim, iuxta sententiam B. Bernardi.

¶ AD quod dicendum: quod non sunt species superbiæ quantum ad hoc, quod ibi ponuntur, sed gradus: licet aliquę illarum species dici possint ex alia ratione: sed sicut humilitas duodecim habet gradus, quos assignat B. Bernard. ita superbia suo modo duodecim habet gradus oppositos. Sed in hoc est differentia inter gradus humilitatis & gradus superbiæ; quod ad perfectam humilitatẽ omnes illi gradus requiruntur: ad superbiam vero non requirũtur omnes illi gradus superbiæ: potest n. esse superbus sine aliquo illorũ.

¶ Ad obiectum autem dicendum est: quod licet superbia consequatur ad quodlibet illorum: non tamen sequitur sicut genus speciem: sed per quandam concomitantiam siue annexionem.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod non est simile omnino de quibusdam illorum graduum, & de aliis. Quidã enim gradus non tantum sunt gradus, sed etiam species; vt arrogantia, præsumptio, & iactantia: quidam vero ita sunt gradus, quod non species: quo ad rationem gradus assimilantur: quo ad rationem vero speciei non assimilantur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de numero; dicendum, sicut dicit Bernardus: quod homo per superbiam iniuriatur Deo: item iniuriatur proximo, cui debet esse par: item iniuriatur superiori, cui debet esse inferior. Et licet omnes illæ iniuriæ ex consequenti in Deum redundent: illa tamen iniuria propria dicitur fieri Deo, quæ immediate redundat in Deum. Secundum has ergo iniurias attenduntur illi gradus siue circunstantiæ: primæ sex determinantur penes iniuriam eius, qui debet esse par: quatuor aliæ in iniuriam, quæ fit superiori homini: duæ vltimæ determinantur proprie quantum ad iniuriam, quæ Deo immediate fit. Et dicuntur gradus, quia de minori proceditur ad maius: vnde primus gradus malus est, secundus peior: & sic semper ascẽdendo, inuenietur, quod vltimus inter omnes est pessimus: & ideo ordinantur secundum maius & minus malum. Vnde iniuria respectu paris, ex hoc quod est respectu paris, est minor: ex hoc quod respectu superioris, est maior: ex hoc quod respectu Dei, est maxima. Vnde ordinantur isti gradus, vt primo sint illi gradus in iniuriam paris: deinde illi, qui sunt in iniuriam superioris: vltimo illi, qui sunt in iniuriam Dei. Distinguuntur ergo sex primæ differentiæ per oppositum ad differentias humilitatis respectu paris: sex enim sunt differentiæ humilitatis, per quas homo humilis bene se habet erga parem. Prima est, quod debet esse humilitas in aspectu interiori vel exteriori: secunda est humilitas in verbo: tertia est humilitas in signo: vt non eat homo supercilio eleuato; vt non sit homo de illa praua ac peruersa generatione superborũ, de qua habetur Prou. 30. Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta subrectæ: quarta est humilitas in silentio: vt si alius loquitur, quod ipse taceat: quinta est humilitas in conuersatione: sexta est humilitas in existimatione: vt scilicet omnibus aliis inferiorem existimet se: & hæc est humilitas, quam habet homo in suo aspectu, & in seipso. Contra autem has sex differentias humilitatis sunt sex differentiæ superbię: quibus male se habet homo respectu paris: per quas deordinatur respectu ipsius. Contra primam humilitatem est vna differentia superbiæ, quæ est curiositas: contra secũdam est leuitas mentis clamosa: per quam homo superbe se habet in verbo contra humilitatem: cõtra tertiam, quæ est in signo, est differentia superbiæ similiter in signo, quæ est inepta lætitia in risu & cantico: contra quartam humilitatẽ est iactantia, quæ quidem est in verbo: contra quintam est singularitas, per quã aliis sanctior vult apparere, vult enim ieiunare, cum alij comedunt: contra vero sextam humilitatẽ, quæ est in æstimatione, est arrogantia. Sunt ergo sex differentiæ superbiæ, quæ deordinant ad parem: sicut sex sunt differentiæ humilitatis, quæ bene ordinant ad parem.

¶ Item ex parte humilitatis sunt quatuor, per quæ bene ordinatur homo ad suum superiorem. Prima est insufficientia bonorum: vt scilicet reputet se homo insufficientem; iuxta illud, quod habetur: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*: secunda differentia est Luc. 17.

confessio peccatorum: tertia est potentia aduersorum, vt scilicet paratus sit ad verbera: quarta est obedientia mandatorum. Per oppositum sunt quatuor differentiæ superbiæ, per quas deordinatur homo ad superiorem suum. Contra primam est præsumptio bonorum: contra secundã excusatio malorum: contra tertiam, quæ est patientia aduersorum, est ficta subiectio: contra vero obedientiam mandatorum est rebellio.

¶ Item, duo sunt ex parte humilitatis, per quæ ordinatur homo ad Deum: primum est abnegatio propriæ voluntatis: secundum est adimpletio diuinæ voluntatis ex timore filiali, hoc est ex timore, & amore. Econtra ex parte superbiæ sunt duo; quæ deordinant ad Deum: primum est libertas voluntatis, siue libertas peccandi, vel peccati; & hæc est contra abnegationem propriæ voluntatis: secundum est contemptus Dei, & est contra adimpletionem diuinæ voluntatis ex timore & amore: sic ergo habentur 12. gradus humilitatis.

¶ Ad illud, quod vltimo obiicitur de diuisione superbiæ per cæcam & vanam, dicendum, quod hæc diuisio generalis est: & datur per differentias generales, quæ comprehendunt omnes alias. Et dantur hæ differentiæ per distinctionem ad ipsas vires animæ: vt dicatur, quod cæca principalius respicit intellectum: vana autem principalius respicit affectum. Vnde hoc modo omnes alias differentias superbiæ generaliter comprehendunt.

MEMBRVM XIII.

An temporalis, vel spiritualis primatus magis appetendus sit?

TERTIODECIMO quæritur de differentia appetitus primatus in spiritualibus, & temporalibus: ex quorum vtroq; contingit superbire. Et quæritur, quod illorum primatum habeat magis de motiuo ad appetendum, & conuenientius appeti possit.

Chrysost. ¶ Ad quod sic Chrysostomus dicit: *Primatum secularem appetere, etsi ratio non est, saltem causa est: primatum vero ecclesiæ concupiscere, neq; ratio, neq; causa est.* Ergo magis est appetendus * primatus temporalis quam spiritualis. * Alias, principat*.

¶ Contra, primatus spiritualis magis assimilatur Deo, quam temporalis: ergo magis debet appeti. Quid est ergo, quod dicit Chrysostomus?

RESOLVTIO.

Neuter proprie: quodam tamen modo magis ille quam iste.

¶ AD quod dicendum: quod in vtroq; primatu hoc est commune, quod ipse primatus non est ratio, qua appeti debeat: sicut præostensum est à principio huius Quæstionis: quod præesse vel prælatio propter se nõ * habet rationem appetendi: in vtroq; etenim appetitu tam temporali quam spirituali, non est dominium, sed ministerium. Vnde Chrysostomus: *Honores non sunt honores, sed ministeria: sicut videtur honor oculi, quod illuminat totum corpus, & non est honor, sed ministerium: similiter & pedes, qui baiulant totum corpus, & non sunt honores, sed ministeria: ita ergo omnis primatus est ministerium.* De primatu seculari dicitur: *Ministri Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* De spirituali habetur: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.* Et: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator.* In neutro ergo primatu ipse primatus est ratio, quare debeat appeti. Sed in primatu seculari est causa appetendi: vt scilicet incutiatur timor ipsis malis, & per ipsum arceatur malitia. Nam (secundum quod dicitur Rom. 13.) Ipsi principes non sunt timori boni operis, sed mali: principes mundi sunt, vt dominentur minoribus: principes ecclesiæ vt seruiant eis. In prælatione autem spirituali non habet locum ista causa: nam tales prælati solum debent velle amari, & non timeri: nisi in casu, vel ex aliqua necessaria causa: sicut quando habent aliquem contumacem subditum, vel huiusmodi. Et ideo in hoc primatu nec causa, nec ratio est appetendi ipsum: in alio vero causa est appetendi, scilicet ipse timor.

(* Alias, non debet esse ratio appetendi. Chrysost. — Rom. 13. 1 Cor. 4. Luc. 22.)



QVÆSTIO CXXXVIII.

De inani gloria.

In vndecim Membra diuisa.

HABITO Tractatu de peccato superbiæ: consequenter dicendum est de peccato inanis gloriæ: quę (sicut dicit Gregorius) descendit à superbia. Primo autem quærẽdum est, vtrum appetitus gloriæ sit peccatum. Secundo, vtrum inanis gloria sit tantum mortale peccatum. Tertio, quid sit motiuum in hoc peccato. Quarto, de conuenientia & differentia ad peccatum superbiæ. Quinto, de comparatione ad peccatum superbiæ, vtrum sit generale ad illud. Sexto, vtrum inanis gloria sit tantum in homine, aut etiam in diabolo. Septimo, vtrum sit maius peccatum in quibusdã personis, quam in aliis: vt in religiosis. Octauo, de comparatione inanis gloriæ ad inanem gloriam secundum differentias materiarum. Nono, de magnitudine huius peccati. Decimo, de speciebus huius peccati, si quæ sunt. Vndecimo, de oppositione huius peccati. D. Tho. 2.2 q. 132. par. 5. art.

MEMBRVM I.

An appetitus gloriæ peccatum sit?

AD primum sic proceditur: ostenditur, quod appetitus gloriæ non sit peccatum. Appetitus enim gloriæ quid aliud est, nisi appetitus famæ vel laudis humanæ: sed ille appetitus non est peccatum (Conscientia enim bona propter nos est necessaria: bona autem fama propter alios) ergo appetitus famę non est peccatum: ergo appetitus laudis humanæ non est peccatum.

¶ Item: *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed coram omnibus hominibus.* Gloss. *Qui conscientiæ fidens, famam negligit, crudelis est.* Ergo non est bonum negligere famam: ergo bonum est appetere: ergo non est peccatum. 2. Cor. 8. Glossa.

¶ Item: *Quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, & hæc agite.* Gloss. *Quisquis famam custodit, in alios misericors est.* Sed bonum est misericordem esse in alios: ergo bonum est appetere custodire famam. Ad Phil. 4 Glossa.

¶ Item: *Placete omnibus, & per omnia: sicut & ego per omnia omnibus placeo.* Ergo velle placere omnibus, non est peccatum: & ita per consequens laudari velle ab illis, non erit peccatum: cum ad hoc moneat Apostolus. 1. Cor. 10.

¶ Contra, super illud: *Sic luceat lux vestra.* Gloss. *Finem boni operis non in laudibus hominum constituatis.* Et super illud: *Attendite, ne iustitiam.* Gloss. *Non prohibet videri, vt Deus laudetur: sed videri, vt ipsi laudentur.* Et ibidem iterum: *Laus hominum appeti non debet.* Matth. 5. Glossa. Matth. 6. Glossa. Ibidem.

¶ Item, super illud: *Receperunt mercedem suam.* Gloss. *Vera merces praua intentione euacuatur* (& loquitur de intentione malæ laudis.) Matth. 6. Glossa.

¶ Et Beda: *Qui ieiunat, orat, eleemosynam dat, illa intentione vt videatur, & laudetur ab hominibus; proles bonæ actionis quasi de immũda genitrice nata est sordida intentionis.* Ergo peccatum est. Beda super Esdram.

RESOLVTIO.

Appetitus gloriæ propriæ, siue propter se peccatum est: in relatione autem ad Deum, vel ad bonum proximi, nequaquam.

¶ AD quod dicendum est, secundum distinctionem Gregor. qui soluit contrarietatem inter illud: *Sic luceant opera vestra coram hominibus,* &c. Et illud: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Si dum in gloriam quærimus, etiam publicata nostra opera in conspectu illius occulta seruamus: si vero per hoc nostram laudem concupiscimus: foras ab eius conspectu fusa sunt, etiam si à multis ignorentur.* Aliud est ergo quærere laudem propriam: aliud laudem diuinam. Præterea, aliud est velle laudari propter se, aliud est velle laudari propter Deum, & propter bonum proximi: huiusmodi enim laudari non est aliud nisi Deum laudari in nobis. Vno ergo modo potest appeti laus ab homine, non vt ibi finis constituatur: sed in Deũ, vel in eo quod per se ordinat ad Deum. Matth. 5. Ibidem 6. Gregor.

¶ Istis

¶ Istis ergo modis consideratis possunt solui, quæ obiecta sunt. Illa enim quæ primo obiecta sunt, respiciunt velle laudari propter gloriam Dei, vt Deus in bono opere nostro laudetur, vel in bonis quæ habemus, vel inde proximus ædificetur; secundum quod dicit Augustinus: *vt illi proficiant, qui imitari possunt quod laudant.* Et alibi: *Subjeque debet, vt aliis exemplo muniet.*

Aug. ist. lib. 1.

¶ Rationes vero, quæ sunt in contrarium, sumuntur penes hoc, quod finis in humana laude constituatur propter se, siue in humano fauore: & hoc modo dicitur inanis gloria. Vnde licet velle laudari, possit non esse peccatum: nihilominus tamē inanis gloria semper est peccatum, cum enim velle laudari, non est peccatum; non constituitur finis in vano, sed in vero: cum autem est inanis gloria, in vano finis constituitur.

MEMBRVM II.

An veniale, vel mortale peccatum sit inanis gloria?

SECVNDO quæritur, supposito quod inanis gloria sit peccatum, vtrum sit semper peccatum mortale, vel semper veniale, vel aliquando mortale, aliquando veniale: Quod autem semper sit mortale, sic ostenditur: vana gloria, & vera gloria (quæ est gloria in vero testimonio conscientiæ, secundum quod dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, conscientiæ nostræ testimonium*) opponuntur: ergo non se compatiuntur inuicem. Sed veniale peccatum & gratia sese compatiuntur: si ergo gratia in adulto bene operante ponit illam gloriam: quia vbi est gratia, est ista gloria, & econuerso: ergo veniale peccatum, & vera gloria, quæ est in testimonio conscientiæ sese compatiuntur. Si ergo vana gloria non compatitur secum illam gloriam veram: ergo ipsa est peccatum mortale.

2. Cor. 1

¶ Item, dicit Dominus: *Gloriam meam alteri non dabo:* ergo proprium est Dei gloria: ergo non conceditur alicui rationali creaturæ: ergo si rationalis creatura vsurpat illam, rapit quod Dei est: & dicit Greg. in Moral. quod *inaniter glorians est raptor gloriam Dei:* sed raptus siue vsurpatio eius, quod Dei est, non est nisi per mortale peccatū: ergo inanis gloria est simpliciter mortale peccatum, & vniuersaliter.

Isa. 42.

Gregor. in moral.

¶ Item, dicit Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Ergo omnis, qui appetit hominibus placere; de seruo Christi fit non seruus: sed omnis inaniter glorians, de seruo Christi fit non seruus: sed de seruo Christi non fit non seruus nisi per mortale peccatum (quia non per veniale, cum non opponatur gratiæ) ergo omnis inaniter glorians peccat mortaliter: ergo inanis gloria vniuersaliter est mortale peccatum.

Ad Gal. 1.

¶ Item, peccatum mortale est, spreto incommutabili bono, bonis mutabilibus adhærere: sed hoc facit inanis gloria, quia adhæret laudi hominum, quæ est mutabilis: ergo ipsa est semper mortale peccatum.

¶ Contra, inanis glorians signatur per puluerem, quo dicitur Apostolis: *Excutite puluerem de pedibus vestris.* Vnde dicit Gregorius: *Prædicatio vix sine aliqua pulueris mixtione transit: nam prædicans aut indignationem trahit, cum contemnitur: aut ad quantulamcunque, gloriatur, si ab hominibus honoratur.* Sed Apostoli non cadebant à perfectione propter huiusmodi inanem gloriam: ergo non erat mortale peccatum. Aliqua ergo inanis gloria est veniale peccatum, & non mortale semper.

Math. 10. Gregor.

¶ Item, super illud: *Deo, qui probat corda nostra.* Gloss. *vt sibi non hominibus placeamus: quod nisi ipse in nobis operetur, vitare non possumus.* Si ergo veniale peccatum vitari non potest: mortale autem peccatum vitari potest (non enim inanitum est corrupta natura, vt sit necessitas ad actuale mortale) erit inanis gloria, qua homo intendit placere hominibus, aliquando veniale peccatum.

1. Thess. 2. Glossa.

¶ Hoc idem arguitur ex alio ibidem dicto: *Et si cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur: difficile est tamen ea non delectari, cum offertur.* Ergo aliquando est veniale peccatum.

Ibidem.

RESOLVTIO.

Interdum mortale, interdum veniale.

¶ AD quod dicendum: quod inanis gloria aliquando est mortale peccatum, aliquando est veniale. Nam aliquādo inanis gloria procedit ex surreptione, aliquando ex deliberatione. Et iterum, aliquando est circa res, quæ inducunt maximam pronitatem: & aliquando non est circa huiusmodi res. Venialis ergo dicetur tum propter surreptionem, tum propter maximam concupiscentiæ pronitatem.

¶ Ad obiectum autem primum respondendū est: quod inanis gloria, prout est venialis, non opponitur veræ gloriæ, quæ est in conscientia; quin possint simul esse in eodē subiecto; licet opponantur quantum ad genus: quia hæc inanis gloria est in genere mali, illa autem est in genere boni: circa actum vero est oppositio, circa personam vero non: potest enim eadem persona vere gloriari interius, & nihilominus habere quendam motum inanis gloriæ in fauore vel laude hominum: qui motus non est in conscientia.

¶ Ad secundum dicendum: quod rapere gloriam Dei, non est cuiuslibet inaniter gloriantis: sed illius, qui inaniter gloriatur, & mortaliter. Inanis n. gloria, q̄ venialis est, licet nō referat ad Deū ipsum actū: nihilominus n̄ à subiecto nō tollitur ipse habitus veræ gloriæ: quia q veniailter gloriatur, aliqd amat sub Deo: & talis non rapit gloriā Dei, quia Deus supra est, qui amatur: rapere enim est ad seipsum, quod est alienum, referre: quod facit, qui gloriam Dei, quantum in ipso est, aufert: quod fit per mortale peccatum.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod appetere placere hominibus, hoc potest fieri dupliciter. Vel ita quod tantū fiat propter se: & hoc modo non est seruus Christi, qui sic appetit placere. Vel ita quod non totaliter referat ad se, sed ad se sub Deo: & hoc modo potest placere hominibus, & esse seruus Christi; licet * ipse actu veniali non seruiat: vnde hoc modo de seruo Christi non fit seruus diaboli.

* Alias. ipso.

¶ Ad quartum dicendum: quod inanis gloria aliquando adhæret commutabili bono spreto incommutabili bono, & tunc est mortale: aliquando non spreto, sed tunc non pro fine posito actualiter: & secundum hoc erit veniale.

MEMBRVM III.

Quod sit motiuum ad inanem gloriam?

TERTIO quæritur de motiuo huius peccati. Dicitur enim quod velle laudari est motiuum, siue appetibile in isto peccato. Sed videtur, quod velle laudari sit bonum, & ita non erit motiuum hic. Nam ex eadem causa est laudare laudabilem, & velle laudari laudabilem: si ergo laudare laudabilem, istud bonum est: ergo & illud bonum est, velle laudari laudabilem, quia eadem est causa in actiua & passiua. Ergo velle laudari, non est motiuum inanis gloriæ; quia suum motiuum debet esse æquale cum ipsa: vnde debet habere bonitatem in se apparentem & deficientem, sicut suum peccatum: tale autem non est velle laudari laudabilem, cum sit bonum.

¶ Item, velle laudari potest fieri bono fine, & malo: bono sitne fit, quando facit propter bonorum ædificationem & malorum depressionem, & propter Dei glorificationē; sicut habetur: *Sic luceant opera vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Malum autem est, quando vult homo laudari propter propriam gloriam; & similiter quando vult laudari, vt fiat diues, iste est malus finis: ergo potest fieri bono fine, & malo. Sed quod potest fieri bono fine & malo, est indifferens: nullum autem indifferens est motiuum peccati, nisi addatur circunstantia, qua determinetur ad malum: ergo velle laudari simpliciter sine circunstantia addita, non est motiuum inanis gloriæ.

Math. 5.

¶ Item, dicit Tullius: *Non est idem bonum & laudabile.* Sed si finis subsequatur, duplicatur boni appetitus: ergo laudari est bonum: ergo & velle laudari est bonum: non est ergo motiuum huius peccati.

Cicero.

¶ Item, nos videmus ista tria distincta, scilicet quod aliquis vult laudari ab aliquo; item aliquis vult placere alij: item aliquis vult placere sibi. Cum dico, quod aliquis vult

placere

placere sibi, hoc totum terminatur in se: cum dico quod vult laudari ab alio, hoc incipit ab alio, & terminatur in se: cum dico vult placere alij, hoc incipit à seipso, & terminatur in alio. Non est ergo vnum motiuum ad ista tria, cum sic differant. Sed hæc sunt inanis gloriæ: ergo inanis gloria non habet motiuum vnum. Et sic velle laudari ab alio, non est motiuum in ipsa: aut si sit, cuiusmodi ergo peccatum est, velle placere alij? Quia si dicatur quod adulationis; sed adulatio pertinet ad inanem gloriam: quia non ad iram, non ad inuidiam, nec ad aliquod aliud peccatum: ergo velle placere alij pertinet ad inanem gloriam. Item, velle placere sibi pertinet ad ipsam: quod patet, quia sicut velle placere Deo, est velle delectari in Deo: ita velle placere sibi, est velle delectari in seipso: ergo est sub inani gloria; & ita continet illa tria: & vnum non est motiuum ad alia duo: non est ergo vnum motiuum in ipsa: & ita non est peccatum vnum: aut habebit aliud motiuum, quam velle laudari.

¶ Ad oppositum: omnes actus, qui pertinent ad creaturam rationalem; semper debent fieri aliqua necessitate, siue aliquo fine, & hoc fine tali: quia debent fieri in gloriam Dei; vnde Apostolus: *Siue manducatis, siue bibitis, siue quæcunq; alia facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo debet homo appetere gloriam, vel laudem: non propter se, sed semper ad gloriam Dei: ergo cum hoc quod est [*velle laudari*] non determinet vlteriorem finem à se: ergo est malum: & ita potest esse motiuum ad peccatum, quod est inanis gloriæ: maxime cum inaniter glorians non ponat gloriam Dei finem suæ laudis.

1. Cor. 10.

¶ Item, dicit Philosophus: quod *vanum est, quod natum est ad aliquem finem, & non consequitur illum.* Sed laus est huiusmodi: quod debet ordinari ad gloriam, & vtilitatem proximi: ergo si non ordinetur, vana est. Sed cum dicitur velle laudari, non determinatur ad hoc velle laudari: ergo de se dicit quod est vanum. Si ergo ex hoc sequitur gloria, qua homo male gloriatur, potest esse motiuum ad inanem gloriam.

Philosoph.

RESOLVTIO.

Motiuum ad inanem gloriam, siue ad inaniter gloriandum, est velle laudari.

¶ Ad quod dicendum: quod si habeatur respectus ad bonum ex circunstantia, & malum ex circunstantia [*velle laudari*] indifferens est: cum possit determinari bona circunstantia, & sic fit bonum: & mala circunstantia, & sic fit malum. Si vero [*velle laudari*] eo quod non ordinatur vlterius tanquam ad finem, cointelligat in se finem; velle laudari, malum est. Vnde super illud: *Si hominibus placerem* &c. exponens illud: *Vt videamini ab eis. Nolite hic facere finem: vltra porrigite intentionem.* Similiter dicendum est de eo, quod est velle laudari, sicut de eo quod est velle videri. Præterea, velle laudari, quia non ordinatur ad vlterius: quasi occasio est necessaria ad inaniter gloriandum; & ideo dicitur super illud: *Non quasi hominibus placentes* &c. Gloss. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor; non sentit, nisi qui bellum ei indixerit.

Ad Gal. 1.
Matth. 6.
1 ad Thes. 2
Glo ordin.
& est Aug.

¶ Per hoc potest patere, qualiter respondendum est ad obiecta.

¶ Ad primum sic: quod non est simile in eo, quod est, velle laudare, & velle laudari. Velle enim laudare, in alium transit: velle autem laudari super se redit. Vnde velle laudare, recte indifferens est: velle enim laudare laudabilem, bonum est: velle enim laudare vituperabilem, malum est. Velle autem laudari, cum non apponitur circunstantia finis alterius, ponit quasi frui vtendo: & ita plus inclinatur ad malum.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod velle laudare, licet possit fieri bono fine, vel malo: tamen plus se habet ad malum.

¶ Ad tertium vero dicendum est: quod illud, quod dicit Tullius, in illo casu intelligendum est, quo aliquid appetitur, prout est bonum appetenti, & prout est bonum alteri; secundum quod cognoscitur ab ipso esse bonum: hoc enim est duplicari appetitum boni.

¶ Ad illud vero, quod quarto quæritur; dicendum est: quod non sunt diuersa motiua in genere inanis gloriæ, sed vnum motiuum: velle enim placere alij, ordinatur ad velle laudari ab alio: velle autem laudari ab alio, ordinatur ad velle propriam excellentiam: & sic motiuum adulationis ordinatur ad motiuum inanis gloriæ: motiuum autem inanis gloriæ ad motiuum superbiæ, velle autem placere sibi, vel delectari in se, commune est tanquam motiuum primum in omnibus istis peccatis.

¶ Ea vero, quæ obiiciebantur ex altera parte, respiciunt velle laudari, prout concernit in se finem simpliciter, vel ex consequenti.

¶ Sed potest quæri: cum contingat vane delectari non solum in laude vel fauore hominum, sed in diuitiis & in aliis bonis mutabilibus, & ita vane gloriari; quare appetitus humanæ laudis vel fauoris magis ponitur pro motiuo in peccato isto, quam appetitus aliorum?

¶ Ad quod dicendum: quod est vanitas quædam in creatura, in eo quod est ex nihilo: & est vanitas quædam in actu voluntario, cum non refertur ad debitum finem. His duobus modis vanitas est communis in appetitu laudis, & in appetitu diuitiarum, & aliorum bonorum mutabilium. Præter has autem vanitates in ipso actu laudationis est triplex vanitatis causa. Vna ex parte eius, qui laudat: & hæc est opinio, quæ valde mutabilis & vana est; quia homo modo opinatur vnum, modo eius oppositum: vnde ex hoc contrahit laus quandam vanitatem, scilicet ex opinione laudantium. Vnde Hieronymus: *Si vitam tuam in ore hominum posueris, modo paruus, modo magnus, modo malus habeberis.* Et ideo dicitur: *Sapiens vt sol permanet*, qui scilicet quærit gloriam in testimonio bonæ conscientiæ: *sed stultus vt luna mutatur*, quia inane gloriosus nunc crescit, nunc decrescit in opinione laudantium. Alia causa vanitatis in laude est ex parte materiæ ex qua: quia laus secundum hoc nihil aliud est, quam aer percussus flatu; aer autem est de se vanus, & flatus etiam, quo aer percutitur, vanior, quia statim transit: & ideo ex hoc contrahit laus quandam vanitatem. Tertia ratio est ex parte eius, de quo est ipsa laus: homo enim laudat alium, secundum quod de ipso opinatur: & ideo quia aliquando opinatur de malo quod sit bonum, & econuerso; laudat aliquando de quo non est laudandus, & econuerso; & hæc est vanitas: & ex hoc iterum trahit ipsa laus vanitatem. Ex his igitur videtur, quod laus non solum est vanum, sed etiam vanissimum. Vnde qui laudem appetit, delectatur in vanissimo: & ideo inanis gloria plus determinatur respectu huius appetitus, scilicet laudis, quam respectu appetitus aliorum actuum. Vnde à quodam sapiente sic diffinitur. Inanis gloria est motus indeterminatus ad laudem humanam.

Hieron.
Ecclesi. 1.

MEMBRVM IV.

An inanis gloria idem sit, quod superbia?

QVARTO quæritur de conuenientia & differentia inanis gloriæ ad superbiam, maxime quo ad motiua hic, & ibi. Gregorius: *Inanis gloria suggerit præesse, vt pluribus prosit: hoc autem idem suggerit superbia.* Gregor.

¶ Item, Augustinus: *Ambitio humanæ laudis appetit dose æstimare quod in se non habet; & super alios se efferre.* Et hoc idem appetit superbia: est ergo idem motiuum in vtroque: ergo idem peccatum.

Aug. super Ioan.

¶ Contra, Augustinus: *Quisquis sine cupiditate gloriæ, qua veretur homo bene iudicantibus displicere; dominari atq; imperare desiderat; etiam per apertissima scelera quærit plerunq; obtinere, quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut vera via nititur, aut certe dolis aut fallaciis contendit, volens bonus videri esse, quod non est.* Ex quo videtur, quod superbia potest esse sine inani gloria, & inanis gloria sine superbia: & ita neutrum est idem cum altero.

Idem 5. de ciuit. Dei

¶ Item, idem in eodem: *Duo enim sunt, libertas & cupiditas humanæ laudis: quæ ad facta compulit miranda Romanos* (& loquitur de libertate dominationis) Ergo superbia & inanis gloria, quæ respiciunt ista, non sunt idem.

Idem in eodem

RESOLVTIO.

Formaliter non idem est inanis gloria quod superbia: sed bene vt in pluribus sese insequuntur.

¶ Ad quod dicendum: quod non sunt idem formaliter inanis gloria, & superbia: licet contingat vnum in alio esse vt in pluribus. Vnde Augustinus: *Interest sane inter cupiditatem humanæ gloriæ, & cupiditatem dominationis: nam licet procliue sit, vt qui humana gloria delectatur, nimium etiam dominari ardenter affectet.*

Aug. 5. de ciuit. Dei.

¶ Ad primum ergo dicendum: quod inanis gloria non habet hoc ex se, sed inquantum est coniuncta superbiæ: ipsa enim est prima filia superbiæ: ex hoc quod est ei coniuncta, est hoc quod appetit vel suggerit præesse. Vnde hoc est proprie dictum, quod inanis gloria suggerit præesse in laude humana, id est, excellere in laude: vnde semper intendit laudem in excellentia: sed superbia sistit in ipsa excellentia.

¶ Ad secundum dicendum: quod in illa ambitione * componuntur hæc duo peccata, scilicet superbia, & inanis gloria: vnde est ibi quod est superbiæ, & quod est inanis gloriæ. Ambitio enim laudis importat appetitum laudis, vt honoretur, & laudetur ab aliis verbo: & quantum ad hoc est ipsius inanis gloriæ. Item, talis appetit præesse & efferri super alios: & hoc est superbiæ. Vnde duo sunt in illa autoritate; primum pertinet ad inanem gloriam: quod, scilicet quis appetit æstimari, & dicit de se magna vt laudetur: secundum ad superbiam, quando scilicet appetit se super alios efferre.

* A'ias, comprehenduntur

MEMBRVM V.

An inanis gloria æqualis ambitus sit cum superbia, vel eius filia est?

QVINTO quæritur de comparatione huius peccati ad peccatum superbiæ: vtrum sit generale ad illud. Ad quod sic: sicut contingit hominem appetere excellentiam in hoc bono, & in illo; ita cõtingit ipsum appetere gloriam in hoc bono & in illo: vnde in omnibus potest homo excellere; potest gloriari & econuerso: ergo neutrum nascitur ex alio: immo ex æquo se habent.

¶ Item, duo sunt appetibilia diuersa: quorum vnum non est sub alio, scilicet humana laus, & excellentia bonorum: & formant hæc duo peccata, quæ sunt inanis gloria, & superbia: ergo neutrum sub alio, sed ex æquo se habent.

¶ Item, velle scire vt excellat, & velle scire vt sciatur & laudetur ab hominibus; hæc sunt duo appetibilia, quorum neutrum sub alio erit: & vnum est superbiæ, aliud est inanis gloriæ: ergo &c.

¶ Item, Chrysostomus: *Si auaritiam Paulus vocat idololatriam, huius matrem, & radicem, & fomitem omnium malorum vanam gloriam dicat.* Ergo est mater malorum, sicut superbia: non ergo nascitur ex illa: ergo ex æquo se habet cum illa.

Chrysost. Ephes. 5.

¶ Ad oppositum dicit Gregorius: quod inanis gloria nascitur ex superbia, tanquam prima eius filia.

Greg. lib. 31. moral. c. 31

RESOLVTIO.

Vtrunq; diuersa tamen ratione.

¶ Ad quod dicendum: quod vana gloria duobus modis accipitur. Vno modo, prout dicitur vana gloria secundum quam delectatur & gloriatur homo in hoc bono mutabili vano, & in illo, plusquam in Deo, qui est summũ bonum & incommutabile: & sic dicitur vana gloria, prout ipsa dicit delectationem in re vana, quæcunq; sit illa. Et hoc modo ipsa est peccatũ generale; & dicitur mater omnium peccatorum: & circuit omnia mala, sicut superbia. Quia sicut superbia dicitur contemptus incommutabilis boni: & ratione illius contemptus, qui est in omni peccato, dicitur esse mater omnium: ita cum in omni peccato inueniatur delectatio in re vana, vana gloria prout dicit illam delectationem, veniale est omni peccato, & opponitur veræ gloriæ, quæ est in bono incommutabili: & est mater malorum, & concomitantur se inuicem: quia delectatio in re vana concomitatur contemptum incommutabilis boni: & aliquando ex illa delectatione sequitur ille contemptus: aliquando ex illo contemptu sequitur illa delectatio: ita quod aliquando redit homo ad istam delectationẽ ex contemptu; tanquam ad sibi placens: & aliquando à contemptu boni incõmutabilis propter aliquod nociuum, vel punitiuum, vel aliud huiusmodi resilit ad placendum & delectandum in mutabili bono; & relinquit bonum incommutabile: vnde hoc modo nõ venit magis vnum ex alio, q̃ econuerso: & hoc modo vana gloria non est filia superbiæ.

¶ Item, alio modo accipitur vana gloria, prout dicit delectationem in re vanissima, quæ est laus humana: & hoc modo nascitur ex superbia, & est filia superbiæ: quia superbia est amor excellentiæ: ille autem, qui appetit laudem hominum, non propter aliud, nisi vt excellat, appetit: quia signum excellentiæ est, & quod debeat homo excellere, quando ipse laudat, respectu eius qui non laudatur: & hoc modo se habet per posterius ad superbiam; quia nascitur ex illa, nec se habent æqualiter secundum ambitum.

¶ Ad illud, quod obiicitur, quod diuersa sunt appetibilia, laus humana, & excellentia in diuitiis, vel honoribus; dicendum: quod verum est, quod formaliter sunt diuersa; quia vnum non est alterum: tamẽ vnum est propter aliud: vnde vnum nascitur ab alio, scilicet laus humana ab excellentia; quia non appetit laudem, nisi vt per hoc excellat: vnde excellentia mouet ad ipsum laudis appetitum, & ad hoc, quod velit homo laudari: & sic licet diuersa sint, vt vnum non sit alterum; vnum tamen nascitur ex alio, & sic inanis gloria de superbia.

¶ Ad illud, quod obiicitur, Iste vult scire, vt laudetur: iste vult scire, vt sciatur, duo sunt mouentia, & diuersa: ergo non vtrunq; est vana gloria; dicendum: quod licet sint diuisa in se, vnum tamẽ est propter alterum; quia ille, qui vult scire vt sciatur, appetit hoc, vt excellat in laude: vnde excellentia in laude hominum mouet ipsum, & ex hoc nascitur.

¶ Ad tertiam rationem patet solutio: quoniam loquitur Chrysostomus de vana gloria, prout dicit quamcunq; delectationem in quacunq; re vana: & isto modo bene cõcedendum est, quod non est filia superbiæ, sed æqualis est ambitus cum illa.

Chrysost. Homil 30. in Matth.

¶ Deinde quæritur: vtrum omnis inaniter glorians sit infidelis; & ita vana gloria sit sub infidelitate. Ostenditur autem quod sic: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* q.d. nullo modo. Sed omnis vane gloriosus est huiusmodi, qui quærit gloriam ab alio homine, & gloriam Dei non quærit: ergo omnis talis est infidelis.

Ioan. 5.

¶ Item: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Ergo ille, qui osculatur manum suam, negat Deum, sed osculari manum suam, est vane gloriari de operibus suis (vnde dicit Glo. *manum suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit: & talis est, qui inaniter gloriatur*) ergo talis negat Deum: ergo est infidelis.

Iob 31.

Gloss. ibi.

¶ Ad quod dicendum: quod infidelis dicitur duobus modis. Vel quia cadit à fide informi, vel quia cadit à fide formata. Si ergo appelletur infidelis, quia cadit à fide formata: hoc modo dico generaliter, quod omnis qui inaniter gloriatur (prout dico est mortale peccatum) est infidelis: quia expellit gratiam siue charitatem, quæ est forma fidei. Sed si dicatur infidelis per casum à fide informi, hoc modo dicitur infidelis simpliciter: hoc modo non omnis, qui inaniter gloriatur, est infidelis. Et quod dicebat Dominus istos esse infideles; hoc erat, quia non credebant ipsum esse Dei filium: quod tñ tenebantur credere, nec q̃ ab ipso aliquid boni haberent: hoc aũt est gloria Dei; & propter hoc dicit: Gloriam Dei non quæritis, sed gloriam vestrã: quia creditis habere à vobis, quod habetis à Christo Dei filio incarnato. Vnde ceciderunt etiam à fide informi, non solum formata.

Ioan. 5.

¶ Ad secundum satis patet responsio: quoniam aliquis potest osculari manum, hoc est delectari in suis operibus dupliciter: vel ponendo bonum à se, non à Deo: vel non præcludendo, quin bonum illud sit à Deo: tamen inordinate ibi delectatur. Si hoc secundo modo, dico quod non est negatio apud altissimum. Si autem primo modo, vt ponat opera sua bona à se, & delectetur in illis, quasi sint à se, & non à Deo: dicimus quod talis negat gratiam Dei, sicut dicit ibi Gloss. Authoris sui negare gratiam conuincitur; quisquis sibi tribuit bonum, quod operatur. Et hoc

modo est negatio apud altissimum, & infidelitas, sic delectari in suis operibus: talis enim tenetur credere, quod omnia habet à Deo, secundũ quod dicit Apost. *Quid habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis.* Vnde talis simpliciter est infidelis.

1. Cor. 4.

MEMBRVM VI.

An inanis gloria in homine tantum, vel etiam in diabolo sit?

SExto quæritur: Vtrum inanis gloria sit tantum in homine, an etiam in diabolo? Et videtur, quod sit in diabolo: inanis enim gloria primo nascitur de superbia, sicut dicit Gregor. cum ergo non tantum superbia sit in diabolo, sed etiam aliqua de filiabus eius: illa maximè erit, quæ primo nascitur de superbia: & ita inanis gloria erit in diabolo.

Gregor.

¶ ITEM, Est quædam gloria in malitia: sicut dicitur: *Quid gloriaris in malitia?* Sed quis est, qui magis gloriatur in malitia, quam diabolus? & illa est vana gloria: ergo vana gloria est in diabolo.

Psal. 51.

¶ Item, Luc. 4. habetur, quod diabolus tentauit primum hominem de vana gloria. Et hoc idem habetur, vbi dicitur: *Et gloriam eorum.* Glos. *de gloria vana tentauit, cum dixit, Eritis sicut dij.* Sed illa prima tentatio fuit, in qua suggessit primo homini simile peccatum, per quod ceciderat: ergo diabolus ceciderat per vanam gloriam: ergo inanis gloria est peccatum in diabolo.

Luc. 4. Matth. 4. Glossa. Genes. 2.

¶ CONTRA, super illud: *Vt cantem gloriam tuam.* Gloss. *Gloria est, ore multorum celebrata laudatio.* Sed diabolus non appetit laudationem huiusmodi: (non n. quærit fauorem, siue laudem, tanquam sibi vtilem) ergo in ipso non est inanis gloria.

Psal. 70. Glossa.

¶ Item, super illud: *Fallax gratia.* Gloss. *Fallax est gloria laudis, quam ab homine accipit.* Sed talis non est in diabolo: ergo inanis gloria non est in diabolo.

Prouerb. 31 Glossa.

¶ Item, Greg. *Quasi latrunculus quidam est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus e latere iungitur.* Sed diabolus nõ recto itinere graditur: ergo ei huiusmodi latrunculus non iungitur: ergo inanis gloria non est in diabolo.

Gregor.

¶ Idem, Greg. *Quisquis pro virtute, quam agit, humanum fauorem desiderat: rem magni meriti vili precio venalem portat.* Sed hoc non conuenit diabolo: ergo motus inanis gloriæ non est in ipso: ergo nec inanis gloria.

Idem.

RESOLVTIO.

Adhuc & diabolo vanam gloriam inhabitare autumamus: prout sc. Dei voluntate contempta, sibimet placere studet: suaq; , non Dei opera propter se sibi placent.

¶ AD quod dicendum, quod inanis gloria dicitur multis modis. Vno modo secundum quod spiritus intendit placere sibi, contempta voluntate Dei: vnde super illud: *Cum homo propter se placet*, id est, propter priuatam & propriã gloriã, superbia est: hoc est, sequela superbiæ: & hoc modo potest dici de diabolo illud: *Qui gloriam admiuicem quæritis.* Glos. *Cui opera sua placent, & aliquid boni putat ex se, ille quærit gloriam suam.* Cum ergo hoc conueniat diabolo, secundum hunc modum erit inanis gloria in diabolo. Vnde *Nunquid gloriabitur securis*, &c. per securim & serram signatur diabolus, qui gloriatur contra Deum.

1. Cor. 10. Ioan. 5. Glossa. Isa. 10.

¶ Alio vero modo dicitur secundum Philosophũ, *gloria, qua nullo conscientie, non festinat inesse.* Et iterum: *gloria est, multorum ore celebrata laudatio.* Et hoc modo non conuenit diabolo: non n. quærit humanum fauorem tanquam sibi vtile.

Philos. Idem.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod obiectum est. Dicendum est ergo ad primo obiectum: quod inanis gloria est filia superbiæ vtroq; dictorum modorum: Et secundũ vnum illorum modorum conuenit diabolo: sicut dictum est: secundum alium modum non conuenit. Vnde sicut inuidia dicitur conuenire diabolo: ita inanis gloria, prout vno modo gignit inuidiam, & est cõcomitans superbiam.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod gloriari in malitia est inaniter gloriari; secundum illum modum, secundum quem inaniter gloriatur, cui opera sua placent, non propter Deum: sicut ille vere gloriatur, cui opera Dei placent, & non sua propter se: in ipsa enim malitia, prout est deformitas operum, non est per se gloriatio: & sic potest conuenire diabolo.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod vana gloria accipitur ibi pro superbia, quantum ad rem: vnde sicut diabolus tentauit primum hominem de superbia, imprimendo ei suam similitudinem, & dissimilitudinem Dei: ita suggessit inanem gloriam: hæc delectatio est in prima vanitate.

MEMBRVM VII.

An vana gloria maius peccatum sit in religiosis & claustralibus, quam in secularibus?

SEPTIMO quæritur, Vtrum maius peccatũ sit inanis gloria in quibusdam personis: vt in religiosis, quam in aliis? Videtur quod sit maius peccatũ in religiosis, quam in aliis secularibus, per simile de superbia; dicit enim Bernardus: *Quid facit superbia sub pannis humilitatis Iesu?* q.d. ibi non debeter esse. Minus ergo habent incentiuum: & quanto minus habent incentiuum, tanto maius est (aliis paribus) peccatum: ergo maior est superbia in viris religiosis, pari ratione & vana gloria, quæ primo sequitur superbiam.

Bernard.

¶ Idem Bernardus: *Non magnum est humilem esse in abiectione: magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata.* Minor ergo est humilitas in religiosis personis, quæ cõtemptibiles sunt mundo; quam sit in his personis, quæ honorantur à mundo: & hoc est, quia abiectio inclinat ad humilitatem, honor vero ad superbiam. Pari ratione videtur de vana gloria: materiam enim vane gloriandi habent multiplicem, qui sunt in mundo: non tantam vero materiam habent, qui renunciauerunt mundo. Videtur ergo minus esse peccatum vanæ gloriæ in secularibus, quam in claustralibus.

Idem.

¶ Item, maius erat peccatum in diabolo, quam in homine superbiæ, & vanæ gloriæ consequentis: cum diabolus tantum esset spiritus, homo vero spiritus & caro, siue ex carne & spiritu: diminuit enim quantitatem peccati vnio spiritus cum carne, aliis existentibus paribus. Cum ergo vir, qui debet esse spiritualis, voto sit abstractus à carne, si peccat peccato superbiæ, vel vanæ gloriæ; magis peccabit, quam vir qui sibi diuisus est: cuius est cogitare de his, quæ sunt carnis.

¶ Contra, inanis gloria est appetitus humanæ laudis, vel fauoris; sed huius incentiuum mul:iplex est in secularibus: ergo pluribus modis peccant motu inanis gloriæ.

RESOLVTIO.

Interdum in his, interdum in illis, iuxta varietatem bonorum, de quibus gloriari contingit: & iuxta maius, vel minus motiuum, ad vane gloriandum impellens.

¶ AD quod dicendum: quod motus inanis gloriæ aliquando surgit ex rebus spiritualibus, vt scientia, vel virtutibus: & secundum hunc modum, qui minus habent de delectabili exteriori, intensius peccant peccato inanis gloriæ, qui de iis bonis gloriantur. Alij vero, qui habent non tantum motiuum interius, quod est spirituale bonum; sed motiuum exterius, sicut sunt diuitiæ, vel potentiæ temporales, propter quas honoratur homo: & si bene vtitur laudatur; aliquando etiam non bene vtendo. Secundum hoc pluribus modis peccant motu inanis glorię: & plus habent de incentiuo exteriori: minus vero aliquando de incentiuo interiori. Vnde magis habent de motu inanis gloriæ quoad bonum exterius: minus vero quoad bonum interius.

¶ Ex iis potest patere, qualiter respondendum est ad obiecta secundum distinctionem eius, quod est, pluribus modis peccare; & magis peccare: magis vero peccare duobus modis, vel ex maiori causa, vel quia minus habeat excusationis. Magis ergo peccat claustralis, quia minus habet excusationis, & plus de retrahente: plus vero peccat secularis, quia pluribus modis. Item, magis peccat claustralis quo ad hoc, quia habet bonum perfectioris status, si de illo vane gloriatur: magis vero peccat secularis, quia bonum exterius habet maius, de quo magis potest vane gloriari.

* *
*

MEM-

MEMBRVM VIII.

Circa quod genus operis detestabilior sit vana gloria?

OCTAVO quæritur de comparatione inanis gloriæ ad inanem gloriam secundum differentias materiarum. Et videtur, quod maxime malum sit in opere misericordiæ, scilicet eleemosyna; dicit enim Chrysostomus super Matt. *Vbiq; vana gloria est malum, maxime autem in philanthropia: philanthropiam autem dico misericordiam, vel opus misericordiæ. Et ita si vis misericors vocari apud homines, quæ est vtilitas? vtilitas quidem nulla est, iactura autem est infinita.* Ex his videtur, quod in opere misericordiæ maximum malum sit inaniter gloriari.

Chrys. super Matth. Elec ex Homil. 19. in opere imperfecto. To. 2.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod alibi dicit idem Chrysostomus: *In aliis vane gloriari mirabile nihil est; in ieiunio autem, & oratione hoc est extraneum, & lachrymis plenum.* Si ergo magis extraneum est, & deflendum: maius peccatum est vane gloriari in illis. (Idem.)

¶ Hoc etiam apparet per hoc, quod alibi idem dicit: A vana gloria vbiq; cum bonum est; maxime autem in oratione: in hoc peccauit etiam ipse Pharisæus, cum ascenderet in templum: in ipsa enim oratione sua vanam gloriam habuit. (Luc. 18.)

¶ Præterea, cum sint tria bona, misericordia, oratio, & ieiunium: in omnibus autem Dominus prohibeat vanam gloriam, potest quæri, quare in Euangelio specialiter prohibuit vanam gloriam circa eleemosynam, dicens: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Et post subiungit: *cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Cum autem locutus est de oratione & ieiunio, non hęc expressit. Vnde dicit Chrysostomus: *Cum de eleemosyna mentionem fecit, apposuit [vt videamini ab eis] in ieiunio & oratione nihil tale determinauit. Sed hoc quomodo verum est? nonne dictum est, vbi agebatur de ieiunio: Cum ieiunas, vnge caput tuum oleo, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans?* Et ita fit ibi sermo de prohibitione vanæ gloriæ. Similiter cum fit sermo de oratione: dicitur enim [vt videantur ab hominibus.] (Matth. 6. Ibidem. Chrysost. Matth. 17.)

RESOLVTIO.

Quadam ratione circa eleemosynam: alia ratione circa orationem, & ieiunium.

¶ AD quod dicendum: quod in eleemosyna dicit esse maximum malum vanam gloriam, quando scilicet gloriamur non releuando indigentiam proximi; quoniam istud est extremæ crudelitatis: eo quod videri subuenire proximo indigenti, cum non subueniat, maxima est crudelitas: hoc enim est vane delectari cum alterius tristitia. Si vero fiat sermo de vana gloria in exhibitione eleemosynæ, cum exhibetur indigenti coram hominibus; non est tunc maximum malum: sed maius est in oratione & ieiunio. Pronitas enim quædam est in eleemosyna ad motum inanis gloriæ, eo quod coram hominibus fit: in ieiunio vero & oratione non sic: nata enim fieri sunt propter hominum conscientiam.

¶ Ad aliud vero dicendum est: quod licet in omnibus his prohibeatur vana gloria: specialius tamen in eleemosyna fit expressio propter istam pronitatem. Vnde dicit Chrysostomus: *Impossibile est eleemosynam omnino latere; orationem vero & ieiunium possibile est.* Et ideo distinguenda est intentio, vt non hac intentione fiat: in aliis enim eo quod possunt fieri non coram hominibus, de facili potest esse directio intentionis. (Chrysost.)

MEMBRVM IX.

An & quam graue peccatum sit inanis gloria?

NONO quæritur de magnitudine huius peccati. Ostenditur autem, quod sit maximum: quia dicit Iob 31. Osculari manum suam, id est, vane gloriari de operibus suis, est iniquitas maxima: ergo est maximum peccatum. (Iob 31.)

¶ Item, maximum est peccatum, quod maxime est periculosum: sed inanis gloria est peccatum maxime periculosum: ergo est maximum peccatū. Minor patet, quoniam dicit Hieronymus: *Nihil tam periculosum est, quam gloriæ cupiditas, & iactantia, & animus de conscientia virtutum tumens.* (Hieron.)

¶ Item, periculosum est peccatum, quod de suo gignitur opposito, sed inanis gloria est huiusmodi; sicut aliquis contemnit gloriam, ex illo contemptu gignitur vana gloria, vnde Hieronymus dicit de vane gloriosis: *In hoc ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt; & mirum in modum laus dum vitatur, appetitur.* Et ita maxime de facili potest homo incidere in illud; & ita est periculosissimum: & ita vt prius. (Idem.)

¶ Ad oppositum videtur, scilicet quod infidelitas sit maius peccatū; de illo enim dicitur: *Filij Mempheos & Taphnes obstuprauerunt te vsq; ad verticem.* Cum ergo corruptio perfecta, quæ designatur per corruptionem verticis; significetur per infidelitatem, maius est peccatum infidelitatis. (Ierem. 2.)

RESOLVTIO.

Graue admodum: & quia de facili in eam incurritur, & quia multipliciter gignitur.

¶ AD quod dicendum: quod aliter dicitur magnum peccatū inanis gloria, & aliter infidelitas. Dicitur enim inanis gloria magnum peccatum propter facilitatē periculi, quia de facili homo cadit in ipsam, & multipliciter gignitur: nō tantum etiam ex malo, sed ex bono: & ideo dicitur [*nihil tā periculosum* &c.] Alio vero modo dicit infidelitas maxima, quia vniuersaliter corruptiuū: destruit enim fundamētum omnis meriti: & secundū hoc ex alia causa dicitur maximū.

¶ Per hoc potest solui illud, quod obiectum est. Nam prima ratio concludit de inani gloria, quod est maximum peccatum propter hoc, quod homo videtur sibi attribuere bonum, quod à Deo est: vnde derogat diuinæ bonitati. Secunda vero ratio est propter facilitatem periculi; tertia vero etiam quia inanis gloria ex suo opposito occasionaliter aliquando gignitur; sicut est de superbia: in hoc enim habent conuenientiam.

MEMBRVM X.

Quæ, & quot sint inanis gloriæ species?

DECIMO quæritur de speciebus inanis gloriæ, si quæ sunt. Videntur enim esse quatuor, scilicet affectatio libertatis, dignitatis, potestatis, autoritatis: omnia enim hæc appetuntur ab inaniter gloriante. Appetit enim esse liber, hoc est liberæ voluntatis, & quod reputetur magnæ autoritatis, & ita de aliis. In omnibus enim his est magna gloriatio: ex quo videtur quod plures sunt species.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod appetitus laudis humanæ siue fauoris in omnibus quæritur: hæ autem differentiæ non sub illo generali accipiuntur.

RESOLVTIO.

Si quæ sunt, quatuor sunt.

¶ AD quod dicendum est: quod prædictæ differentiæ non sunt species inanis gloriæ, nisi dicantur esse materiales. Potest enim quærere aliquis humanam laudem ratione libertatis, vel autoritatis, & ita de aliis: & his modis forte species dici possent. Magis tamen ad superbiam retorquentur; eo quod quandam designant excellentiam.

MEMBRVM XI.

Quod sit oppositum inanis gloriæ?

VNDECIMO quæritur de oppositione huius peccati. Et videtur, quod vera gloria sit ei directe oppositum. Dicitur enim super illud: *Sic in semetipso gloriam habebit.* Gloss. *Qui conscientiam boni operis habet, non debet de hoc apud alium gloriari, & laudem suam foris fundere: sed in semetipso humiliter gloriari.* Ergo gloria in semetipso (de qua dicitur: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.*) opponitur inani gloriæ. (Ad Gal. 6. Glossa. Psalm. 41. Lucæ 17. Glossa.)

¶ Idem habetur super illud: *Quis vestrum* &c. Gloss. *Quanto fides fortis est virtutibus excellentior, tanto intus fit conscientia humilior.* (Aug. in lib. de conflictu vitiorum & virtutū.)

¶ Sed contrarium videtur Augustinus dicere: quod inani gloriæ opponitur timor, & superbiæ humilitas. Si ergo *tantū vnū vni opponitur*. sicut dicit Philosophus: vt q; vera gloria non opponatur inani gloriæ: aut q; timor non opponatur (Philos. 1. Cœl. 10 & 5. Phys. t. 14. & 10. Metaphys. t. 17.)

August. de ciuit Dei cap. 14. ¶ Quod autem fides opponatur ei, videtur per hoc, quod dicit Augustinus; quod hoc vitium tam est inimicum piæ fidei, si maior sit in corde cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor; vt Dominus diceret in Euangelio: Ioan. 6. *Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes: gloriam vero, quæ à solo Deo est, non quærentes?*

RESOLVTIO.

Inani gloriæ opponitur & vera gloria, & timor, & fides.

¶ Ad quod dicendum: quod ista tria opponuntur vanæ gloriæ, sed differenter. Quoniam vera gloria, quæ est in testimonio conscientię, opponitur ipsi inani gloriæ formaliter, secũdum quod dicitur vana gloria, quando ponit homo suum bonum in laude hominum. Vnde dicit Bernard. Bernar. *Qui de alia omni re plus sibi credit, quam aliis; de se solo plus aliis credit, quam ipse sibi: vt iam non verbotenus, aut sola operum ostentatione suam præferat religionem; sed cordis intimo se credat omnib. sanctiorẽ.* Sed cum plus se cognoscat, plus de se sibi, quam de aliis deberet credere; vnde Gal. vlt. AdGal. vlt. Glossa. *Ipse se seducit.* Gloss. *Non enim seducũt laudatores eius, sed ipse se potius: quia cum ipse sit sibi præsentior quam illi, mauult se in illis quærere, quam in seipso.*

Isa. 3. ¶ Nec est huic contrarium quod dicitur: *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt* &c. quoniam illud occasionaliter dictum est: sed ipse homo vane gloriosus propriè se seducit: maxime in hoc quod quærit se in aliis, & non in se: qui si tamen in se quæreret se, suum inueniret defectum. Et ita opponitur ipsi veræ gloriæ, qua homo quærit se in se, & non in alio. Nihilominus autem timor Dei ei opponitur, non formaliter, sed sicut dispositio pręambula ad formam. Ipsa enim vana gloria dilatat hominem, & eleuat cor eius: timor autem Dei ipsum cõprimit, faciendo resilire in suam propriam prauitatem, & sic humiliari. Vnde dicitur super illud Prouerb. vlt. Prouer. vl. Glossa. *Fallax gratia* &c. Gloss. *Illa conscientia vere laude digna est, quæ timorem Dei in omnibus seruat.* Et sic opponitur ei timor. Fides autem ei opponitur, sed non generaliter, sed in casu, scilicet quando homo vane gloriosus delectatur in bono, quod habet, quasi ipsum à se, & non à Deo: & tribuit sibi illud bonum, & non Deo.

QVÆSTIO CXXXIX.

De Inuidia.

In vndecim Membra diuisa.

D. Tho. 2 2 q. 36. S. Bo. in 2 d. 21. ar. 1. q. 1. CONSEQVENTER dicendum est de peccato inuidiæ. Circa quod plura incidunt dubitabilia. Et primo quæritur, quid sit inuidia. Secundo, vtrum sit peccatum, vel non. Tertio, vtrum sit peccatũ mortale, vel veniale. Quarto, vtrum sit capitale peccatum. Quinto, vtrum sit spirituale peccatum, vel carnale. Sexto, de grauitate illius peccati. Septimo, de subiecto inuidiæ. Octauo, respectu cuius sit inuidere. Nono, cui opponitur inuidia. Decimo, de differentia inuidiæ ad æmulationem. Vndecimo, vtrum inuidia sit mater omnium peccatorum.

MEMBRVM I.

Quid sit inuidia?

Damasc. lib. 2 c. 14. Aug. super Psalm. 104 Idem super Genes. Remig. CIRCA primum sic proceditur: inuidia sic diffinitur à Ioan. Damasc. *Inuidia est tristitia de alienis bonis.* Augustinus super illud: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum,* diffinit sic: *Inuidia est odium felicitatis alienæ.* Et super Genesin dicit hoc idem. Item, Remigius diffinit eam sic: *Inuidia est dolor de alieno bono.* Ita exponunt eam expositores sacræ scripturæ.

¶ Obiicitur ergo sic: dolor & odium sunt diuersa, sicut sua opposita: sua enim opposita ex parte boni, scilicet amor & gaudium diuersa sunt: ergo & ista duo, quæ sunt eorum opposita ex parte mali, diuersa sunt. Si ergo inuidia est vnũ eorum: ergo non alterum essentialiter: non ergo potest diffiniri per vtrunque: immo si diffinitur per vnum, oportet quod non diffiniatur per alterum.

¶ Item, videtur quod per neutrum possit diffiniri: quia inuidia suo nomine dicit priuationem eius, quod est videre: præpositiones enim additæ aliis per compositionẽ, aut addunt, aut mutant, aut minuunt: sed hæc præpositio [in] nõ auget hic, nec addit; ergo mutat, vel minuit: sed siue sic, siue sic; eius vis est inuidere, cuius est videre: ergo si videre est actus ipsius vis rationalis; manifestum est quod primus & principalis actus inuidiæ est in vi rationali: ergo inuidia essentialiter debet diffiniri per actum ipsius vis rationalis: sed odio habere, vel dolere non sunt ipsius vis rationalis: ergo sunt cõsequentia ad inuidiam, & non principales eius actus: ergo non possunt diffiniri per illos; cum non pertineant ad rationalẽ: ergo prauæ sunt prędictæ diffinitiones.

¶ Item, contingit quod aliquis dolet de bono alterius: item contingit aliquẽ gaudere de malo alterius, & vtrunq; est inuidiæ: sed bonum & malum non habent aliquod cõmune; gaudium aũt & dolor sunt diuersæ affectiones: ergo non est aliquid commune super istas affectiones, secũdum quod respiciunt ista motiua, quæ sunt, bonum, & malum. Inuidia ergo non habet aliquod cõmune, secundum quod possit diffiniri, vt conueniat illa diffinitio huic inuidiæ, & illi: ergo nulla prædictarum diffinitionũ est sufficiens, quia omnes dicunt rationem inuidiæ, secundum quod dolet de alienis bonis: non secundum quod gaudet de alienis malis. Per hoc etiam patet, quod non potest diffiniri: cum nihil sit commune ad hanc inuidiam, & illam.

¶ Item, videtur quod debet diffiniri per gaudium alieni mali, & non secundũ odium & dolorem alieni boni: Quoniã charitas & inuidia sũt opposita, sicut videbitur inferius; Membr. [illegible] med. seq. & hoc etiam vult Aug. vbi loquitur de charitate & inuidia: Aug. in lib. de [illegible]ra religione. *Qui amat id solum, quod amanti eripi non potest, hoc est summum bonum; ille indubitanter inuictus est, & hic habet charitatem: ille autem vincitur ab inuidia, qui amat quod eripitur.* Vnde dicit: *Non enim vincitur* (supple ab inuidia) *nisi is, cui eripitur ab aduersario quod amat.* Vult dicere, quod charitas amat bonum, quod non potest eripi: inuidus autem dicitur ille, qui amat quod eripitur. Inuidia ergo & charitas opponuntur, vt sicut charitas amat bonum, ita & inuidia amat malum: quia non amat bonum, nisi quod eripitur. Si ergo charitas determinatur & diffinitur per amorem boni: ergo inuidia debet diffiniri per gaudium mali; vt sicut charitas dicitur amare bonum, & detestari malum: ita per oppositum inuidia dicatur gaudere principaliter de malo alterius, & detestari bonũ ipsius. Et iterum, cum charitas primo & principaliter respiciat bonũ alterius, amando ipsum, & delectando in ipso; & postea tristatur de malo alterius; & ideo diffinitur per amare bonũ alterius tanquam per actum principalem: ergo inuidia ex opposito primo & principaliter debet respicere malum alterius, gaudendo de ipso, & delectando: & postea tristari de bono.

¶ Item, bonum inquantum bonum delectat: quia apprehensum & imaginatum mouet appetitum motu desiderij; desiderium autem boni consequitur delectatio: bonum ergo inquantum bonum delectat: ergo bonum inquantũ bonum non potest esse causa tristitiæ. Si ergo inuidia est tristitia, non est de bono inquantum bonum: ergo male diffinitur, dicendo: quod inuidia est tristitia boni.

¶ Sed obiicitur in contrarium: quia quod est malum, potest esse delectabile alicui: licet ipsum sit malum, & secundum rationem mali tristabile; tamen potest habere aliquam speciem boni, secundũ quam delectabile est: ergo similiter bonũ ex alia ratione vel specie potest esse tristabile.

RESOLVTIO.

Inuidia est tristitia de alienis bonis. Vel, Inuidia est odium felicitatis alienæ. Vel, Inuidia est dolor de alieno bono.

¶ Ad quod dicendum: quod in inuidia sunt duo. Primum est displicentia visionis, quę est vel per visum interiorem, vel per visum exteriorem; sicut vult Seneca dicens: *Quicquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus.* Seneca. Nam sicut aliquid placet amanti, ita aliquid displicet inuidẽti. Quantum ad hoc inuidia respicit ipsam vim rationalẽ: & hęc displicẽtia visionis propinquius se tenet cum ipso peccato, inquantũ sic nominatur. Item in inuidia est aliud, s. dolere de alieno bono, siue odire ipsum: & hic est actus ipsius concu-

pitibus; vnde quantum ad hoc respicit ipsam vim concupiscibilem. Licet ergo illa displicentia secundũ visum propinquius se teneat cum inuidia, secundum quod sic nominatur, & per prius: tamen illa displicentia manifestatur per odium vel dolorem; quæ exprimuntur vel per dispositionem in corpore, vel per effectum in opere. Et quia manifestatur illa displicentia, & etiam inuidia per ista, ideo Sancti expositores per odium & per dolorem determinaverunt, & diffinierunt ipsam inuidiam: quia volebant manuducere ipsos operantes, vt cauerent ab ipso peccato: & ideo ad manuducēdum ipsos oportebat, quod determinaretur per illa, per quæ magis manifestatur: hæc autē sunt odium, vel amor. Et ideo non valet illa ratio, quæ ostendit: quod non debet diffiniri per ista; imo per displicentiam, quæ pertinet ad vim rationalem: quoniam necessitas fuit, vt sic diffiniretur; cum per ipsam manifestetur ipsa displicentia visionis.

¶ Sed quod obiicitur, quod odium non est dolor, nec econuerso: & ita si est vnum essentialiter, non est alterum. Dicendum est, quod licet vnum nō sit alterũ, possunt tamē sequi ad vnũ, & vtrunq; manere in concupiscibili: ita quod inuidia secundũ rationē odij & doloris est in cōcupiscibili. Tamen differunt: quia potentia cōcupiscibilis in nobis est passiua, & est actiua: secundum quod habet rationem passiuæ potentiæ, prout scilicet dicuntur passiones in ea fieri; determinatur in ea dolor: secundũ autem quod est potētia actiua & principiũ motus; sic odiũ determinatur in illa: sicut gaudiũ & amor alia & alia ratione sunt in ipsa vi concupiscibili.

¶ Ad tertium dicendum: quod licet bonum & malum non habeant commune, respectu cuius dicuntur dolor & gaudium; nihilominus tamen vna est ratio inuidiæ: quia vnum illorum consequitur ad alterum. Primo enim dolet de alieno bono: & ex hoc consequenter gaudet de alieno malo: ex hoc autem dolet de alieno bono, quia existimat illud sibi nociuum. Si ergo per prius & posterius illi duo motus ad vnam radicem reducuntur.

¶ Ad quartum dicendum: quod cum charitas opponatur inuidiæ, & econuerso: attenditur oppositio ratione oppositorum motuum; non ratione oppositarum materiarũ: charitas enim est amor boni proximi, inuidia vero est odiũ boni in eodem.

¶ Ad quintum dicendum: quod cum inuidia dicatur tristitia de bonis alienis, non est bonum motiuum * in tristitia; nisi inquantum bonum illud est malum alteri vere, vel apparenter: & secundum hoc dicitur causa tristitiæ. (Alias, à tristitia.)

¶ Ad sextum dicendum: quod aliter est de bono & de malo: quia malum propter aliquid de bono, quod habet, potest esse delectabile; bonum vero nihil habet de malo: vnde si est tristabile, hoc est occasionaliter, vel secundum alterius existimationem. Hoc autem intelligendum est nō de quocunq; bono: est enim quoddam bonum, quod potest communicari à pluribus sine diminutione, & tale bonum inquantum huiusmodi non est proprie materia inuidiæ: sicut est de bono beatitudinis. Est & aliud bonũ, quod nō simul potest participari; vel si participatur, videtur cum diminutione participari: & circa tale dicitur inuidia esse. Vnde Gregorius super illud: *Paruulum occidit inuidia*. Gloss. *Nullus hac peste moritur, nisi qui terrena appetit, quæ tota non perueniunt pluribus.* Vnde si qua desideramus, illi inuidemus, qui ea penitus accipit: vel partem habendo, nobis quantitatem restringit. (Greg. super Iob 5. Glossa.)

MEMBRVM II.

An inuidia peccatum sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum inuidia sit peccatum, vel nō. Quod autem sit, videtur: quoniam quilibet tenetur diligere proximum suum, sicut seipsum; sed bonum est obiectum ipsius amoris: ergo tenetur quilibet ex præcepto diligere bonum proximi sui, sicut bonum suum. Si ergo inuidia facit contrarium, quoniam odit bonum proximi sui; ergo facit contra præceptum euangelicũ: ergo est peccatum.

¶ Item, charitas est forma virtutum: vnde nulla virtus est formata sine charitate: ergo illud, quod directe charitati opponitur, maxime debet dici vitium: sed inuidia directe charitati opponitur, sicut inferius videbitur; & sicut etiam habetur: *Charitas non æmulatur.* Gloss. *id est, non inuidet, quia non cum aliena uirtus (?) ...* Si ergo inuidia alie... contristat felicitas: relinquitur quod directe est opposita charitati, quæ est forma & perfectio virtutum: ergo ipsa est peccatum. (Memb. 9. huius q. 1. Cor. 13. Glossa.)

¶ Ad oppositum dicit Augustinus, quod *inuidia est odium felicitatis alienæ.* Ioan. Damas. dicit, quod *inuidia est tristitia de alienis bonis.* Sed omnis dolor vel tristitia est pœna inquantum huiusmodi: nulla autem pœna inquantum huiusmodi est peccatum: ergo inuidia non est peccatum. Probatio minoris; dicit August. *Pœna est affectio inuoluntaria*: peccatum autem est affectio voluntaria: ergo inuidia non est peccatũ. (August. lib. 1. c. 10. Damas. — Aug in lib. de lib. arbi.)

¶ Præterea, Seneca loquens de inuidia, dicit: *Nequitia ipsa sui pœna est: quanta enim sunt gaudia felicium, tanti sunt gemitus inuidorum.* Sed pœna inquantum huiusmodi inuoluntarium quid est, sicut dictum est; sicut autem dicit Augustinus: *Peccatum ita est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum*: patet ergo, quod inuidia non est peccatum. (Seneca. — Aug in lib. de vera relig. cap. 14.)

¶ Item, sicut vult Philosophus in morali Philosophia: *Passionibus non laudamur, neq; vituperamur*: passiones ergo non sunt laudabiles, neq; vituperabiles: sed quod non est laudabile, neq; vituperabile, non facit vitium, nec virtutem; ergo passiones non sunt vitia, neq; virtutes. Si ergo dolor & tristitia sunt passiones, & inuidia est tristitia; ergo inuidia non est peccatum, quoniam est passio; quia velimus, nolimus, tristamur; sed nullum tale est peccatum. (Philosoph. 2. Ethi. c. 5.)

¶ Item, omne peccatum ponit conuersionem ad aliquod bonum mutabile, in quo delectatur; tamen differenter in mortali & in veniali. Sed inuidia non ponit conuersionem ad bonum commutabile; immo potius dicit auersionem ab ipso, & dolorem; quia qui dolet de alieno bono, auertitur ab ipso, & non conuertitur: ergo inuidia non habet rationem peccati.

¶ Item, posito quod conuerteretur ad illud, non tamen delectatur in illo; immo tristatur: inuidia ergo nullo modo est peccatum.

¶ Præterea, ad hoc confirmandum facit autoritas Aug. quæ dicit, quod *omne peccatum est ex libidine*; libido autem est amor improbus, amor autem improbus dicit delectationē inordinatam in bono aliquo mutabili: ergo in omni peccato est aliqua delectatio in bono mutabili; hoc autem nō est, immo tristitia: ergo non est peccatum. (August.)

RESOLVTIO.

Inuidia vtiq; peccatum est: quia alterius bonum vel totaliter auferri, vel saltem diminui vellet: qui actus & voluntarius est, & culpabilis.

¶ Ad quod dicendum: quod inuidia est peccatum. Sed notandum ad euidentiam primæ rationis in contrarium; quod duo sunt in inuidia, scilicet illud, vnde est peccatum, & illud, vnde est pœna. Habet enim inuidia in se quendam actum culpabilem, scilicet velle bonum alterius diminui, vel auferri: hoc enim est malum & culpabile, & iste actus est voluntarius: vnde penes istum determinatur esse peccatum. Item præter hunc actum habet quandam pœnalitatem, vel passionem cohærentem in concupiscibili: nam in quibusdam peccatis cum actu peccati est pœna peccati, vel passio manifesta; & in quibusdam non: sicut in superbia cum actu peccati culpabili non est passio, vel pœna peccati manifesta: vnde superbia cum diffinitur, non diffinitur per passionem. In inuidia autem cum ipso actu est passio, vel pœna, per quam diffinitur: & hoc quia per ipsum magis manifestatur ab aliis generibus peccatorum, in quibus non sunt passiones: vnde Seneca dicit de inuidia, quod nequitia sui ipsius pœna est, ad notandum pœnam & passionem inuidiæ. Hæc passio determinatur per dolorem vel tristitiam in concupiscibili; & tamen in illa tristitia adhuc inuenitur vtrunq;: inuenitur enim ibi actus culpabilis & pœna (aliter enim tristari de bono alterius non esset peccatum) sicut patientia habet vnde patitur, & habet vnde agit & sustinet passionem; & ratione istius determinatur esse virtus & voluntaria: ratione primi passio vel pœna inuoluntaria.

¶ Ad secundam rationem patet responsio ex dictis; quia non inquantum pœna est, vel passio, peccatum est: sed ratione actus culpabilis, quem concomitatur illa passio, vel pœna.

¶ Ad tertium dicendum: quod inuidia habet auersionem ab incommutabili bono, & conuersionem ad commutabile bonum: quæ conuersio libidinosa est, & ex improba voluntate. Et quod dicitur peccatum, hoc est primo & per se ratione conuersionis ad mutabile bonum, in quo delectatur, vel quod appetit inordinate. Et quod obiicitur, quod inuidus auertitur à bono commutabili; dicendũ est: quod verum est, quod inuidus auertitur à commutabili bono, quod est alienum bonum, & hoc per odium, vel dolorem: quia odit bonum proximi, & dolet de ipso: sed tamen conuertitur ad bonum commutabile, quod est suum bonum proprium, excellens singulariter: vnde sub his conditionibus conuertitur ad commutabile bonum proprium. Inuidus enim suum bonum amat singulariter & excellenter respectu alterius; vnde Augustinus: *Inuidia de excellentia litigat: quid te excellentius?* [Aug. in lib. confess.] Item, appetit singularitatem, & hoc est ei pœna; vellet enim habere bonum singulariter, vt ab alio non communicaretur, & ideo dicit Seneca: *Vtinam haberent inuidi oculos ex omni parte, vt sic magis cruciarentur, siue torquerentur: videndo* (supple) bona in aliis. [Seneca.] Et hoc dicit, quia amat bonum singulariter, nolens ipsum communicare aliis: & ideo circa talia bona, quæ per communicatiam sui possunt diminui, vel auferri, secundum existimationem eius est inuidia. Sic ergo patet, quod alterum est commutabile bonum, à quo auertitur: & alterum, ad quod conuertitur per appetitum & desiderium: & hoc facit ipsam esse peccatum.

MEMBRVM III.

An mortale, vel veniale peccatum inuidia sit?

TERTIO quæritur, vtrum inuidia sit peccatum mortale, vel veniale. Ad quod sic, Peccatum inuidiæ cadit in prohibitione in scriptura: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes*; [Ad Gal. vlt.] sed tale est peccatum mortale: ergo inuidia est peccatum mortale.

¶ Item, Augustinus: *Quis dubitet, immane vitium esse inuidiam? qua necesse est, vt torqueatur, & subiiciatur, qui non vult in rebus temporalibus vinci: melius ergo est, vt homo nos vincat, quam inuidia, vel quodlibet aliud vitium.* [Aug. in lib. de vera religione.] Si ergo inuidia vincit hominem; & veniale peccatum non vincit: ergo vniuersaliter est mortale peccatum.

¶ Idem Augustinus: *Amasti bene agentem, vixisti bono odore, inuidisti bene agenti, mortuus es bono odore.* [Idem.] Peccatum ergo inuidiæ reddit hominem mortuum: & hoc morte culpæ; ergo est peccatum mortale.

¶ Item, Bernardus: *Quisquis es, qui inuides, saluti alienæ parcito, vel tuæ: an nescis, quod inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum? Attende itaq; tibi, si vbi inuidia, ibi mors, profecto non potes simul inuidere, & viuere.* [Bernar.] Peccatum ergo inuidiæ inducit mortem: ergo est peccatum mortale.

¶ Item, Chrysostomus: *Versutum liuor, versutum & periculosum inuidentibus, non inuidiam patientibus, primo enim eos lædit & corrumpit: sicut venenum aliquod mortiferum insidens eorum animabus.* [Chrysost.] Sed omne, quod sic agit in anima, est peccatum mortale; ergo inuidia est peccatum mortale.

¶ Contra, contingit esse primos motus ad inuidiam, sicut ad alia peccata, quia fomes est in nobis, ex quo contingunt in nobis primi motus ad peccata; sed primi motus sunt veniales: ergo inuidia aliquando est veniale peccatum.

¶ Præterea, dicit Augustinus: *Imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium: vidi ego & expertus sum zelantem puerum; nondum loquebatur, & intuebatur pallidus, & amaro aspectu collactaneum suum.* [Aug. in lib. 1. confess.] Cum ergo in talibus pueris nondum vigeat ratio; peccatum autem mortale non sit sine ratione, erit inuidia aliquando non peccatum mortale.

RESOLVTIO.

Vt plurimum mortale, raro autem veniale.

¶ AD quod dicendum: quod inuidia est mortale peccatum, aliquando tamen accipitur pro veniali, sed raro. Quod autem sit mortale, patet per hoc, quod dicitur: *Putredo ossium inuidia* &c. [Prouer. 14.] Per ossa autem intelliguntur virtutes: inuidia ergo aufert virtutes; quod non fit nisi per mortale peccatum. Cum autem loquitur scriptura de inuidia, maxime loquitur de ea, prout est peccatum mortale. Sunt tamen quidam motus veniales (sicut obiectum est) in paruulis, & aliquando etiam in adultis; quando aliquis mouetur ex quadam surreptione ad dolendum de aliquo bono alterius.

¶ Et ita patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM IV.

An inuidia sit capitale peccatum?

QVARTO quæritur, Vtrum inuidia sit capitale peccatum. Et videtur quod sic, per hoc quod dicit Greg. in fine Iob, vbi loquitur de exercitu diaboli; dicit enim, quod septem sunt capitalia, à quibus nascuntur alia; inter quæ numerat inuidiam: ergo inuidia est capitale peccatum. [Gregor.]

¶ Item, sicut dicit Augustinus: *Quatuor sunt affectiones, dolor & gaudium, spes & timor*, & hoc habet super illud: *Conclusit me lapidibus quadris*; vbi dicit Pascasius. *Quadri lapides sunt gaudium, & dolor* &c. [August. Thren. 3 Pascasius.] Cum ergo dolor sit de primis affectionibus: dolor autem inordinatus sit dupliciter, vel de alieno bono, sicut est inuidia: vel de proprio malo, sicut est in tristitia seculi: erit ergo inuidia capitale peccatum, cum secundum primam differentiam doloris accipiatur.

¶ Item, amor & odium opponuntur, cum sint circa idem: sed amor boni in proximo est capitalis virtus, scilicet charitas: ergo odium alieni boni, quod opponitur illi, erit capitale vitium; sed hoc est inuidia: ergo inuidia est capitale vitium, dicit enim Augustinus, quod *inuidia est odium felicitatis alienæ.* [August.]

¶ Contra, nullum peccatum, quod nascitur directe ex alio peccato, quo ad hoc est capitale: sed inuidia (sicut dicit Augustinus super Genes.) ex superbia nascitur: ergo inuidia non est capitale peccatum. [Idem super Genes.]

¶ Item, aliquis amat propriam excellentiam: & ex hoc timet, ne alius æquiparetur ei; deinde si æquiparetur, dolet: inuidia autem est huiusmodi dolor: ergo inuidia nascitur ex timore inordinato præcedenti: non ergo debet dici capitale peccatum, sed magis ille timor.

¶ Item, qui dolet de alieno bono, causam habet in se aliquem amorem inordinatum (dolor enim vnius non nascitur nisi ex amore alterius) ergo ille amor inordinatus respectu sui obiecti debet dici capitale peccatum: non ergo inuidia.

RESOLVTIO.

Cum ex inuidia plura alia peccata nascantur, iure capitale peccatum dicetur.

¶ AD quod dicendum: quod inuidia est capitale peccatum.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum: quod licet inuidia nascatur ex superbia, nihilominus est capitale peccatum; quia sicut dicit Gregorius: *Superbia est sicut quædam regina, cuius septem sunt filiæ primæ, & illæ dicuntur capitalia peccata: ex illis autem septem nascuntur alia peccata.* [Greg. libr. moral. c.] Quod autem dicuntur capitalia, non est respectu superbiæ; sed respectu peccatorum ab ipsis nascentium: sicut ex inuidia nascitur detractio, susurratio, & ita de aliis.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod cum duæ sunt affectiones, timor de alieno bono, ne æquiparetur ei; & dolor de alieno, si æquiparetur, vtraq; reducitur ad quoddam generale, quod est displicentia alieni boni, ne æquiparetur, vel excellat, & hæc est inuidia. Quia vero maior est afflictio de præsenti malo, quam de futuro; maior est displicentia de alieno bono, etiam cum in præsenti nocet, vel nocere videtur; quam cũ in futuro timetur nocere: & ideo principalius se habet ad inuidiam dolor huiusmodi, quã timor. Et ex hoc est, quod magis diffinitur inuidia per dolorem, quam per timorem.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod licet huiusmodi dolor illicitus generetur ex inordinato amore proprij boni: tamen huiusmodi dolor illicitus ponitur capitale peccatũ.

Amor

Amor enim inordinatus proprij boni causa est propinqua illius peccati, & non tantum est causa huius capitalis peccati, sed etiam aliorum: secundum quod diuersimode appropriatur, & ideo non facit numerum cum ipso, sed totum dicitur esse vnum capitale peccatum. Amor autem singularitatis, & displicentia communionis pro vno capitali peccato computantur: vt hæc sit ipsa species capitalis peccati: ille vero sicut causa propinqua.

MEMBRVM V.

An spirituale, vel carnale peccatum sit inuidia?

QVINTO quæritur, vtrum inuidia sit spirituale peccatum, vel carnale. Quod autem sit spirituale, videtur per hoc quod dicit Greg. *Quinque sunt peccata spiritualia, & duo carnalia* (& loquitur de capitalibus) & illa duo sunt gula & luxuria: cum ergo inuidia sit capitale, relinquitur quod sit spirituale peccatum. Gregor.

¶ ITEM, peccatum inuidiæ est commune nobis & angelo malo: ergo est secundum illud, quod est commune in nobis & in ipso: hoc autem cõmune non est caro, sed spiritus: ergo peccatum secundum spiritum, & non secundum carnem.

¶ Item, 1. Corinth. 6. *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Peccatum ergo inuidiæ cum non sit fornicatio, extra corpus est: ergo est peccatum spirituale, non corporale, vel carnale.

¶ CONTRA, dicitur: *Manifesta sunt opera carnis, æmulationes, & inuidiæ.* Ergo æmulatio & inuidia sunt opera carnis: ergo est peccatum carnale. Ad Gal. 5.

¶ Item, cap. 5. *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Gloss. *In isto peccato est toruus vultus, stridor dentium, pallida facies.* Ex hoc obijcitur, omne peccatum, quod imprimit siue impressionem facit in carne, est carnale: inuidia est huiusmodi (sicut patet ex hac authoritate) ergo inuidia est peccatum carnale, siue peccatum in carne. Ibid. Glossa.

RESOLVTIO.

Iuxta B. Gregorij sententiam spirituale peccatum inuidia est.

¶ AD quod dicendum, quod secundum B. Gregor. *Inuidia est peccatum spirituale.* Gregor.

¶ Ad primam ergo rationem in cõtrarium dicendum, quod soluitur in Gloss. illa, quia non intelligitur, quod omnia opera illa ex carne procedant; sed nomine carnis intelligitur ibi homo, scil. carnalis, siue carnaliter viuens: vnde secundum seipsum in homine est viuere carnaliter, & ideo dicit, quod hæc peccata sunt opera carnis: quia quando homo illa perpetrat, secundum carnem siue carnaliter viuit. Et hoc est quod dicit August. in Glos. illa dicens: *Attendite, quod non hæc omnia, quæ manifesta sunt in operibus, quæ manifesta dixit esse, ad voluntatem carnis pertinent, sed vitia sunt animi, vt inimicitia, ira: credere etiam mala omnia accidere animæ ex carne, error est: non enim omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni: ne ab his omnibus mundemus diabolum, qui carnem non habet. Sed carnis nomine totum hominem signauit, qui viuendo secundum se, in hæc cadit: non enim habendo carnem, sed viuendo secundum se, id est, secundum hominem, factus est homo similis diabolo: quia ille secundum se viuere voluit, quando in veritate non stetit.* August.

¶ AD secundam rationem dicendum, quod licet hoc peccatum faciat impressionem in corpore, vel carne: non tamen debet dici peccatum carnale: quia ex hac impressione non dicitur inuidia esse peccatum; imo pœna est illa impressio, non culpa: sicut dicimus, quod pœna sequitur ad culpam. Ita ergo est hic: quod hæc pœnalis impressio, quæ sequitur ex hoc, quod spiritus perpetrat hoc peccatum, & licet non per carnem, tamen ex hoc est pœna in carne, sequens culpam in spiritu: quia spiritus est coniunctus carni, &c.

MEMBRVM VI.

An, & quam graue peccatum sit inuidia?

SEXTO quæritur de grauitate istius peccati, an sit grauissimum peccatum, & grauius omnibus aliis peccatis: & in qua materia dicitur grauius, & in quibus personis. Ostenditur ergo, quod sit grauissimum inter omnia alia peccata, quantum ad genus peccati: non dico quantum ad circumstantias. Chrysostom. *Tale malum æmulatio est; qua vtiq; malitia non est deterior.* Et hæc æmulatio est inuidia: ergo nullum malum est deterius: ergo inuidia est maximum peccatum. Chryso. in homil. 40.

¶ ITEM, super illud: *Non inuicem inuidentes*, dicit glos. Ambros. *Sciendum cum per omne vitium antiqui hostis virus humano cordi infundatur: in zelo inuidiæ tota sua viscera serpens concutit: & in hac imprimenda malitia, quasi pestem mouit. Zelus iste modum non habet, permanens iugiter sine fine: cum alia scelera finiantur. Quanto ille, cui inuidetur, successu meliore profecerit: tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit.* Constat ergo per hanc Glos. hoc maius & grauius esse peccatum aliis. Ad Gal. 5. Glossa. Ambros.

¶ AD oppositum: peccatum inuidiæ est sequela alterius peccati, scil. superbiæ & etiam inanis gloriæ: vnde Chrysostom. *Vana gloria versutum: quid est, generans inuidiam, & æmulationem, & multa alia mala.* Sed generans est deterius genito: ergo deterius est peccatum, vel malum, quod est vana gloria, quam inuidia: non est ergo grauissimum, vel maximum peccatum. Chrysost.

RESOLVTIO.

Grauissimum profecto peccatum inuidia est, non quidem ratione generis peccati, sed nocumenti: quia semper inuidentem torquet.

¶ AD quod dicendum, quod duobus modis est loqui de inuidia. Vno modo quantum ad genus peccati: alio modo quantum ad nocumentum, quod ex ipsa sequitur in illo, in quo est. Primo modo dicimus, quod non est maximum peccatum: sed dicitur maximum secundo modo scil. quantum ad nocumentum, & hoc est, quia illud est peccatum, quod maximè inter alia peccata punit suum subiectum, & affligit. Æmulator enim antequam eum, qui inuidet, seipsum punit, & nunquã quiescit: vnde maximè vexat & affligit hominem inuidia, & ita maximum malum ac nociuum, cum infert ipsi non dimittens ipsum quiescere, & quantum ad hoc dicitur à sanctis esse maximum, scil. quantum ad nocumentum, non quantum ad genus peccati. Et quod sic intelligant, patet ex dictis eorum; quoniam Chrysost. post primam authoritatem ordinate dicit, & exponit se, quare vocet maximum, dicens. Æmulator enim ante eum, cui inuidet, seipsum punit, & in supplicium mittit, & nunquam quiescit à peccato, sed continuè est in id faciendo. Idem, Chrysost. *Nihil liuore deterius, vt alium perdat, & seipsum simul perdat, inuidi oculus loquatur tristitia, & morte viuit continua.* Chryso. in homil. 55.

¶ ITEM in Gl. *Sequitur hinc vultus contumax, toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor est, stridor in dentibus, verba rabida, & effrænata conuitia, manus ad violentiam prompta: etsi gladio interim vacuo, odio tamen furiata mentis est armata.* Sic ergo patet sententia sanctorum, dicentium hoc peccatum esse grauissimum. Glossa. Ambrof. Galat. 5.

¶ AD authoritatem Ambros. dicendum, quod per hoc vult designare, quod istud est peccatum, quod respõdet intimo ipsius diaboli, quasi dicat: Infundit quandoque diabolus venenum per exterius, quandoque per intimum, & sicut aranea extrahit fila de intimis: sic diabolus de suo intimo extrahit hoc peccatum: quia diabolus superbus effectus fuit, & superbiendo inuidus factus fuit: propterea inuidiam vult homini imprimere per imitationem.

An & peccatum irremediabile sit? §. 1.

¶ QVÆRITVR postea circa hoc, vtrum sit peccatum irremediabile. Et videtur quod sic: dicit enim Chryso. *Plasma-* Chrysost.

 tur ei

tur os diaboli per maledictiones, contumelias, & æmulationem: qualem ergo habebimus veniam? quasi dicat nullam. Et post sequitur. *Magis autem, scil. habebimus, qualem non sustinebimus pœnam: cum linguam, qua digni effecti sumus de carne gustare dominica; hanc despicimus, quæ sunt diaboli loquentes.* Ex hoc patet, quod hoc peccatum non est dignum venia: ergo est irremediabile: & sic est peccatum in Spiritum sanctum. — Idem.

Idem. ¶ Idem Chrysost. *Dolere nos oportet in his, quæ patimur malis: non in his, in quibus alios approbari videmur: sicut,* (supple) *facit inuidia: propterea omni priuatur venia.* Hoc peccatum igitur est irremediabile, & ita maximum.

Hieron. ¶ ITEM, Hieronym. *Non facilis est venia praua dixisse de rectis: quidam mihi manum osculabantur, sed ore vipereo detrahebant* (& loquitur de peccato inuidiæ.) Etsi non facilis venia: ergo ipsa est peccatum in Spiritum sanctum: & ita maximum.

Chryso. in homil. 55. ¶ ITEM, Chrysostom. *Fera venenosa est inuidia, nequitia, excusatione priuata.* Ergo ipsa est peccatum irremediabile.

Idem 37. homil. in Ioan. ¶ Idem Chrysost. *Adulter, fur, homicida quasdam habent occasiones dicere: tu vero quam causam dices? nullam, nisi à malitia fluentem solam.* Si ergo nullam habet occasionem, ergo nullam excusationem, & ita nullam veniam.

¶ AD oppositum: peccatum illud aliquando nascitur ex superbia, aliquando ex cupiditate. Ex superbia enim nascitur, quia iste amat excellentiã suam singulariter: & ex hoc inuidet excellentiæ alterius: ecce quod nascitur ex superbia. Item, nascitur ex cupiditate: sicut iste inuidet illi pro diuitijs: videns quod non bene potest habere eas, cum illo, sicut ipse vult habere eas, scilicet excellenter & singulariter: ecce quod nascitur ex cupiditate. Si ergo radices eius sunt remissibilia: ergo & multo magis & ipsa est peccatum remissibile.

RESOLVTIO.

Si fuerit inuidia de superna gratia irremediabile peccatum est: sin autem de bonis temporalibus & ex infirmitate, remediabile.

¶ AD quod dicendum, quod duplex est inuidia. Vna supernæ gratiæ, & hæc est peccatum in Spiritum sanctum, & irremissibile: non quod non remittatur, vel non possit remitti, sed quia non habet in se motiuum ad remissionem: sicut dicunt Authoritates prædictæ, quæ de ista loquuntur: in aliis enim peccatis, vbi aliquis pèccat ex infirmitate vel ignorantia, est aliquod motiuum ad ipsorum remissionem; & est aliqua excusatio, quia tales possunt se excusare per infirmitatem, vel per ignorantiam, sed non vbi peccat homo ex malitia certa: hæc autem inuidia non habet excusationem infirmitatem, nec ignorantiam. Sed est alia inuidia, quæ non est supernæ gratiæ, sed est personæ respectu bonorum temporalium: sicut quando aliquis inuidet alij propter bona temporalia, & hoc potest procedere ex infirmitate: quando enim credit quod bona propria minuantur, vel auferantur propter bonorum vicini sui dilatationem, inuidet illi hoc existimans, & hæc inuidia in infirmitate radicatur, & secundum hoc habet motiuum ad remissionem. Et secundum hoc soluuntur obiecta.

An diaboli, vel hominis inuidia grauior sit? §. 2.

¶ ADHVC etiam quæritur de comparatione inuidiæ hominis & diaboli secundum quantitatem; quæ scilicet illorum sit maior, siue maius peccatum. Dicit Chryso. *Inuidi feris sunt deteriores, dæmonibus pares, vel illis deteriores.* Ergo inuidia hominis est deterior, quam inuidia diaboli: & maius peccatum. — Chryso in homil. 37.

¶ CONTRA, inuidia diaboli fuit causa omnis peccati in homine: vnde etiam fuit causa inuidiæ hominis, & non econuerso: ergo est maius peccatum, quam inuidia hominis.

Augus. ¶ Item, inuidia diaboli est inexpiabilis, siue irremissibilis, (Vnde August. dicit quod *diabolus reus est illa inexpiabiliter*) sed inuidia hominis est expiabilis, ergo deterior est inuidia diaboli, quam inuidia hominis, & ita maius peccatum.

RESOLVTIO.

A toto genere diaboli inuidia maior est hominis inuidia.

¶ AD quod dicendum, quod inuidia diaboli simpliciter deterior est & maior: & hoc est, quia inuidia diaboli est inexpiabilis, & continua respectu hominis: vnde continuè ipse inuidet, sed inuidia hominis expiabilis est, nec est continua, & ideo illa simpliciter maior est ista.

¶ Quod autem obijcitur, quod inuidia hominis sit maior ex autoritate Chrysost. Dicendum, quod Chryso. dicit hoc ratione cuiusdam circumstantiæ, quæ est circa inuidiam hominis, & non circa inuidiam diaboli. Homo enim inuidet homini, vnde rei suæ naturæ inuidet, sed diabolus non inuidet rei suæ naturæ: vnde dæmon non inuidet dæmoni, & quantum ad hanc circumstantiam loquitur Chrysostom. Tamen simpliciter maior est inuidia diaboli: sicut dictum est. Vnde etiam ipse Chrysost. in illa authoritate bene tangit, quomodo illorum inuidia sit maior, & quare nostra maior, dicens: *Illi, scilicet, dæmones, ad nos inexpiabilem inuidiam habent* (& ideo dicitur maior.) *Hi autem, qui sunt eiusdem generis, non insidiantur,* scilicet, dæmones, id est, non inuident rei suæ naturæ (& ideo dicitur minor.) *Hi autem,* scil. *homines neque communione verecundantur,* id est, non verecundantur inuidere rei suæ. Et sic se habent vt excedentia & excessa in aliquibus: illa tamen inuidia, quæ est diaboli, simpliciter est maior. — Chrysost.

An peccatum inuidiæ & peccatum superbiæ vnum atque idem peccatum sint? §. 3.

¶ ADHVC etiam quæritur de comparatione inuidiæ ad alia peccata, & specialiter ad peccatum superbiæ: an scilicet, sit idem peccatum quod superbia. Et ostenditur quod sic August. *Inuidia de excellentia litigat: quid te excellentius?* Ergo motiuũ inuidiæ est excellentia: sed ad hoc idem est motiuum superbiæ: ergo idem motiuum habent superbia & inuidia: motiuum enim superbiæ est excellentia: vnde dicit ibi Augustin. *Superbia celsitudinem imitatur, inuidia de excellentia litigat, ira de vindicta, sed quid te Domine celsius? quid excellentius? quid te potentius?* Vnde per hoc concludit, quod *peruerse imitantur te,* scil. *Deum, omnes, qui longe se à te faciunt,* &c. Sed peccata, quæ habent idem motiuum, sunt eadem (quoniam peccata per motiua differunt) ergo idem peccatum sunt superbia & inuidia. — Aug. in lib. Confess. / Idem.

RESOLVTIO.

Nequaquam: cum vtrobique non sit idem motiuum proprium.

¶ AD quod dicendum, quod non sunt idem peccatum.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod aliter accipitur excellentia, prout dicitur motiuum superbiæ, & inuidiæ: Quia excellentia, quæ est superbiæ, non ponit quod diminuatur vel auferatur bonum in alio, sed excellentia inuidiæ hoc ponit, In superbia n. est amor excellentiæ, id est, celsitudinis; & hoc est magnitudinis in potentia, vel magnitudinis in aliquo alio bono, sed non ponit quod auferatur vel minuatur aliquid in alio: vnde superbus vult excellere super alios, sed non appetit ratione superbiæ quod aliquis amittat aliquid; nec auferatur, vel minuatur bonum suum, sed appetit excellere super ipsum. Sed excellẽtia in inuidia dicitur comparatiuè: quia inuidus vult super alios excellere, & eorum excellentiam minui, vel auferri, & hoc est, quia (sicut dictum est) appetit excellere singulariter: vnde singularitas adiuncta est suæ excellentiæ, & ratione illius appetit bonum in alio minui, vel auferri, & ideo dicitur litigare de excellentia, & ita non est idem proprium motiuum hic & ibi.

¶ IVXTA HOC QVÆRITVR de hoc, quod dicit August. *Peruerse te imitantur omnes, qui longe se à te faciunt.* Ergo inuidus peruerse imitatur Deum; & similiter superbus: quomodo ergo hic differt peruersa imitatio? — Aug in lib. Confess.

¶ AD

¶ Ad quod dicendum, quod superbus imitatur peruerse Deum in appetitu celsitudinis: appetit enim superbus celsitudinem, siue magnitudinem: *& quid te Domine* Idem. *celsius?* vt dicit August. Inuidus autem Deum peruerse imitatur in appetitu singularitatis, & immutabilitatis: quia vult & appetit inuidus, quod suum bonum non esset mutabile, id est, quod non posset minui: nec posset ipsi noceri, sicut summo bono non potest noceri, & ideo quia non est ita, inuidet illi, à quo existimat sibi in suo bono posse noceri: & sic patet differentia.

MEMBRVM VII.

An in vi rationali, vel in concupiscibili, vel in irascibili concupiscentia sit?

Septimo quæritur de subiecto inuidiæ. Et primo quæritur, in qua vi animæ sit, vtrum in rationali, vel in concupiscibili, vel in irascibili? Quod autem sit in concupiscibili, ostenditur: quoniam inuidia est odium siue dolor, sed odium & dolor sunt in vi animæ concupiscibili: ergo inuidia est in concupiscibili. Quod autem odium & dolor sint in concupiscibili, patet: quoniam contraria nata sunt fieri in eadem vi, sed amor & odium sunt contraria, gaudium & dolor sunt contraria: ergo cum amor & gaudium sint in concupiscibili, odium & dolor erunt in concupiscibili.

¶ Ad oppositum: inuidere est sibi displicens nolle videre: sed nolle videre ad vim rationalem pertinet, sicut & velle videre; ergo inuidia est in vi rationali.

Seneca. ¶ Item, Seneca loquens de inuidia, dicit. *Quicquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus.* Si ergo videre ad rationalem vim pertinet; ergo & inuidere.

August. in lib. Cōfess. ¶ Quod autem sit in irascibili, videtur; quia (vt dicit Aug.) *Inuidia litigat de excellentia*: sed litigatio est in irascibili; ergo inuidia erit in irascibili.

RESOLVTIO.

Tum in concupiscibili, tum in irascibili.

¶ Et dicendum, quod (sicut supra dictum est) in inuidia sunt tria, quorum vnum est principale, reliquum cōsequens ad illud, & manifestatiuum illius. Primum est displicentia visionis, siue quæ est secundum visionem; & hæc displicentia dicitur non acceptatio. Secundum est dolor vel odium, & per illum dolorem vel odium manifestatur illa displicentia visionis, siue illa non acceptatio. Tertium vero est, in quo radicatur, sc. ira. Quantū ergo ad primum est inuidia in vi rationali. Quantum ad dolorem vel odium consequentem dicimus, quod est in concupiscibili: tamen differenter, sicut supra dictum est. Quantum vero ad radicem est in vi irascibili. Et secundum ista procedunt rationes.

An inuidia, siue inuidere minoris, vel inferioris tantum sit? §. 4.

¶ Adhvc etiam quæritur, cuius sit inuidere? Et primo quæritur, vtrum hominis minoris sit inuidere, hoc est quærere: vtrum omnis, qui inuidet, necessario minor sit illo, cui inuidet, in eo quod sic, vel secundum veritatem, vel saltem secūdum sui existimationem: vt sc. credat se esse minorem illo. Et ostenditur quod sic: quoniam habe- Iob 5. tur, quod *paruulum occidit inuidia*. Ergo oportet necessario, quod ille qui inuidet alij, sit paruulus; hoc est minor, vel inferior secundum veritatem, vel saltem seipsum reputet Gloss. ibi minorem. Et hoc etiam dicit Glos. super eundem locum. *Et inuidet, quem putat esse maiorem.*

Gregor. ¶ Item, Gregor. *Nisi ipse alio inferior existeret, de bono illius non doleret.* Ergo semper, qui inuidet, minor est, vel minorem se reputat.

Hierony. ¶ Item Hieronym. *Si inuideris, minor eris, nam qui inuidet, minor est.*

August. in lib. de virgin. ¶ Ad oppositum August. dicit; quod *diabolus superbiēdo, inuidus factus est*, & per hoc vult, quod ex superbia generetur inuidia. Sed superbus in eo quod superbus existimat se esse super alios, & maiorem illis, & ex superbia nascitur inuidia simul cum illa; ergo in superbo est inuidia; sed superbus existimat se maiorem; ergo & inuidus; aut simul idem se existimat maiorem & minorem. Est ergo aliquando inuidia ipsius superioris, & non semper minoris.

¶ Item, dicit Gregor. quod semper inuidia de superbia nasci solet. Et iterum August. dicit quod superbiam sequitur inuidia, tanquā pedissequa, quibus duobus malis diabolus est diabolus. Et iterum August. super Gen. dicit; quod inuidendi causa est superbia, quæ est amor propriæ excellentiæ. Si ergo superbia semper est excellentioris siue superioris, vel simpliciter vel secundum æstimationem; ergo & inuidia, quæ ipsam sequitur, & ex ipsa nascitur; quia aliter ei non cōformatur: & ita inuidus non semper est minor. Gregor. August. Idem super Genes.

RESOLVTIO.

Inuidere semper minoris, vel inferioris est: minoris (inquam) si non re, saltem existimatione.

¶ Ad quod dicendum est, quod inuidia inquantum huiusmodi semper est minoris, vel inferioris, & hoc vel qui minor est secundum veritatem, vel qui minorem se reputat: vnde inuidus vt sic semper minor est, vel minorem se reputat.

¶ Ad rationes in contrarium dicendum est, quod superbus non existimat se superiorem respectu eius, cui inuidet, sed respectu alterius: respectu autem alterius, cui inuidet, æstimat se esse inferiorem, & hoc vel in præsenti, vel in futuro: vel si respectu eiusdem personæ, hoc tamen est quantū ad diuersa, quæ sunt in illa persona. Vnde diabolus respectu alterius in homine inuidebat, & respectu alterius superbiebat, vt videbitur. Vnde licet sint simul: non tamen respectu eiusdem, & ideo non sequitur inconueniēs: aliquis enim bene potest se æstimare maiorem, quam sit respectu alicuius, & minorem respectu alterius. Dicitur autem diabolus superbiendo effectus inuidus: quia superbiendo cecidit: videns autem se cadere, inuidit homini, quem videbat possibilem ad bonum, ad quod per suam superbiam factus fuit impossibilis. Et licet inuidia nascatur de superbia: non tamen oportet, quod si hoc est superioris, inquantum huiusmodi: quod similiter illa. In alio enim est conformitas: quia bene dico quod inuidus appetit suam excellentiā, sicut superbus, & ex hoc sequitur vltra, quod timet se esse minorem aliis in præsenti, vel in futuro, & ideo inuidet illis.

MEMBRVM VIII.

An inuidia, siue inuidere respectu paris, vel superioris, vel etiam inferioris sit?

Octavo quæritur, respectu cuius est inuidia, scilicet vtrum sit inuidia respectu paris, vel respectu superioris, vel respectu inferioris. Videtur ergo quod inuidere semper sit respectu superioris: quia dicit Gregor. *Inuidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus.* Ergo inuidus illum, cui inuidet, semper reputat meliorem, & ita superiorem: semper ergo inuidet illi, quem existimat esse superiorem; & pari, vel inferiori. Gregor.

¶ Ad oppositum Augu. dicit. *Qui amant excellentiam, vel paribus inuident, quibus æquantur: vel superioribus, quibus non æquantur: vel inferioribus, ne eis æquentur.* Ergo inuidere est respectu paris, & respectu inferioris, non solum respectu superioris. Aug. super Genes. ad litteram.

RESOLVTIO.

Inuidia propriè, & per se respectu superioris est.

¶ Ad quod dicendum, quod inuidia inquantū huiusmodi semper est respectu superioris, vel in præsenti, vel in futuro: superioris (dico) vel simpliciter, vel secundum æstimationem inuidentis: vnde inuident paribus, non quia pares, sed ne fiant illis superiores, & inuident inferioribus, nō quia inferiores, sed ne æquentur: & per hoc etiā ascendant intantum, vt fiant superiores: inuident aūt superioribus, quia sunt superiores. Vnde respicit inuidia semper

superiorem, vel in præsenti, vel in futuro, & hoc satis bene determinat authoritas August.

An quis sibi ipsi inuidere possit? §. I.

¶ CONSEQVENTER quæritur, vtrum quis possit inuidere sibiipsi. Et ostenditur quod sic: quoniam dicitur:
Eccles. 14. *qui sibi inuidet, nihil est eo nequius.* Ex quo videtur, quod aliquis potest inuidere sibi.

¶ Item, charitas & inuidia opponuntur, sed charitas respicit non tantum bonum alienum, imo etiam propriũ bonum: ergo & inuidia respicit vtrumque, vt sit, non tantum in odio boni alieni, imo etiam in odio boni sui: secundum quod dicitur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Psal. 10.

¶ AD oppositum, quilibet naturaliter amat bonum suum, sed amare bonum suum est odire sibi opposita contraria: ergo nullus odit bonum suum: sed quicunque inuidet alicui, odit bonum eius, ergo nullus inuidet sibi.

RESOLVTIO.

Neutiquam propriè: sed interpretatiuè, & quodammodo.

¶ SOLVTIO: dicendum quod (propriè loquendo) nullus sibi inuidet: tamen potest se habere ad modum inuidentis sibi: & hoc habendo suum bonum odio, non inquantum bonum, sed inquantum ei nociuum, scilicet secundum quod apprehendit bonum spirituale, quod est ei graue, & laboriosum, & difficile: sicut est bonum pœnitentiæ: & ideo inquantum tale odit illud, non inquantum bonum sibi. Et ideo quia inuidus odit bonum, quod est alij bonum, sibi tamen nociuum: iste autem non odit bonum proprium vt sic, sed inquantum est ei graue & laboriosum: non dicitur iste inuidus propriè: sed ad modum se habens inuidentis sibi: quia scilicet odit illud, quod esset ei bonum, si faceret: non tamẽ odit illud, quia bonum, sed quia malum, vel nociuum, siue pœnale. Et sic patet, cuius sit inuidia, & respectu cuius sit.

MEMBRVM IX.

An charitati, vel misericordiæ, vel gaudio (quod Spiritus sancti fructus est) inuidia opponatur?

NONO quæritur, cui opponitur inuidia. Et videtur quod charitati, per hoc quod dicit Augustin. *Vbi est inuidia, ibi amor fraternitatis esse non potest.* Sed amor fraternitatis est charitas: ergo inuidia opponitur charitati. August.

¶ Quod autẽ opponatur misericordiæ, videtur: quoniam misericordiæ est compati alienis malis, & congratulari alienis bonis, sed contrarium facit inuidia: quia gaudet de alieno malo, & dolet de alieno bono: ergo opponitur misericordiæ.

¶ Quod autem opponatur gaudio, quod est fructus Spiritus sancti, ostenditur sic: quia gaudium illud est de bonis proximi: & similiter inuidia est de illis per oppositum, quoniam tristatur de illis: ergo opponuntur inuicem.

RESOLVTIO.

Omnibus tribus in simul.

¶ ET dicendum, quod inuidia cum omnibus istis habet oppositionem, sed differenter. Quoniã in inuidia intelligitur odium: & ratione illius opponitur amori, vel charitati, quia odium illud est de bonis proximi, quæ charitas respicit per oppositum. Item, in inuidia intelligitur dolor: & ratione illius doloris opponitur misericordiæ, quia inuidia dolet de alienis bonis, & gaudet de malis alienis: misericordia autem econtrario se habet, secundum quod habetur. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:* hoc est enim opus misericordiæ. Item, in inuidia intelligitur tristitia: ratione ergo eius, quod in inuidia est tristitia; opponitur gaudio, quod est fructus Spiritus sancti. Rom. 12.

Et sic diuersis opponitur inuidia, & secundum diuersas rationes, vt dictum est.

MEMBRVM X.

An inuidia & æmulatio idem sint?

DECIMO quæritur de differentia inuidiæ ad æmulationem. Nam videntur esse idem inuidia & æmulatio; quoniam Chrysost. indifferenter accipit vnum pro alio, hoc autem non faceret, si haberent differentiam.

¶ Item, *Noli æmulari in malignantibus:* & [*æmulari*] ibi est inuidere: si n. vnum sumitur pro alio in sacro canone: ergo idem sunt. Psal. 36.

¶ AD oppositum: *Manifesta sunt opera carnis, æmulationes, inuidiæ,* &c. constat, quod ibi numerat æmulationem contra inuidiam, & vnum ab alio distinguit: non sunt ergo idem. Ad Gal. 5.

¶ Et dicendum, quod duobus modis accipitur inuidia. Vno modo prout peccatum capitale dicitur: & continet in se omnes ramos procedentes ab ipsa, tanquam à stipite, & hoc modo continet æmulationem: nec differunt æmulatio & inuidia: imo vnum est alterum. Secundum autem quod sumitur vtrumque propriè, & secundũ quod sumitur Gal. 5. vbi dicitur: *Æmulationes, inuidiæ,* &c. inuidia enim ibi dicitur in corde, æmulatio in opere. Vnde dicit Gloss. quod *æmulationes sunt, quando duo ad idem tendunt:* & sic dicitur inuidia in actu interiori, æmulatio autem in actu, vel effectu exteriori: & hoc modo distinguũtur ab inuicem æmulatio, & inuidia: & sic sumitur ibi. Sumendo tamen generaliter inuidiam: sic accipitur in scriptura Sacra vnum pro alio, & econuerso. Ad Gala 5. Glossa.

MEMBRVM XI.

An inuidia peccatorum omnium mater sit?

VNDECIMO quæritur, vtrum inuidia sit mater omnium peccatorum. Et videtur quod sic: dicit Chrysost. Fera venenosa est inuidia, nequitia excusatione priuata, omnium causa, & mater malorum. Chryso. in homil. 55.

¶ AD oppositum. *Superbiam in tuo animo dominari non permittas: ex ipsa enim sumpsit initium omnis perditio.* Omne ergo peccatum causatur ex superbia: ergo & inuidia causatur ex superbia: ergo non est inuidia mater omnium malorum. Tob. 4.

RESOLVTIO.

Et quidem occasionaliter, nequaquam autem per se.

¶ AD quod dicendum, quod cum inuidia dicitur mater omnium malorum, hoc non dicitur per se, sed occasionaliter: quia hoc est dictũ, inuidia est mater omnium malorum, id est, nocumentorum, quibus nocetur proximo. Sed cum dicitur superbia initium omnis mali, hoc intelligitur siue in seipso, siue in alio: vnde superbia diaboli initium est omnis mali, siue in diabolo, siue in alio. Vnde inuidia est mater omnium malorum, id est nocumentorum in genere, sc. respectu proximi: superbia vniuersaliter respectu sui & alterius.

QVÆST. CXL.

De Ira.

In duodecim Membra diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de peccato iræ. Circa quam plura sunt inquirenda. Et primo quæritur, quid sit ira secundum rationem. Secundo, vtrum irasci sit malum secundum se. Tertio, vtrum sit aliqua quatuor passionum vel perturbationum, quas ponit Augustin. & Tullius. Quarto, quæritur de motiuo huius peccati. Quinto, quæritur an sit peccatum. Sexto, an sit capitale peccatum. Septimo de comparatione eius ad inuidiam. Octauo, an sint ibi illæ differentiæ peccati, mortale, veniale. Nono, de quantitate huius peccati in se, & in comparatione. Decimo, an sit causa omnium malorum. Vndecimo, de eius opposito. Duodecimo de pœna huius peccati. D. Tho. 2. 2. q. 158.

MEMBRVM I.

Quid sit ira?

Cassiod. Psal. 6. DE primo sic: ponitur à Cassiodoro super illud: *Domine ne in furore tuo*, &c. vna diffinitio, quæ talis est. *Ira est motus animi concitatus, ad pœnam prouocans inferendam.*

Matth. 5. Damasc. ¶ Item, alia est diffinitio eius, quæ ponitur super illud: *Ego autem dico, qui irascitur fratri suo*, &c. quæ talis est. *Ira est omnis motus malus ad nocendum.* Tertia ponitur à Damasc. *Ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguis; ex euaporatione fellis, vel per returbationem fiens.* Quarta est eius diffinitio, quæ ponitur ab August. quæ talis est. *Ira est tristitia ex impotentia vlciscendi se*: & accipit eam ex Philosopho. August.

Ex 1. de Anima 16. & ex 7. Ethic. c. 6. ¶ QVÆRITVR ergo in quo distinguantur istæ diffinitiones: quoniam hæc vltima non videtur posse stare cum prima, & secunda: quoniam in prima determinatur ira per motum, & ille motus est, insurgere ad pœnam inferendam: ad hanc similiter videtur redire secunda, quæ est Matth. 5. In prima ergo & secunda dicitur motus ordinatus ad vindictam. Sed in quarta, quæ est August. dicitur contrarium: quoniam dicitur ira tristitia ex impotentia vlciscendi se: ergo non videtur hæc diffinitio posse stare cum prima.

¶ PRÆTEREA, si ira dicitur motus: aut motus, qui est operatio: aut motus, qui est passio. (Damascen. distinguit inter operationem & passionem.) Si passio: tunc ergo deberet diffiniri per passionem. Præterea, ira secundum quod est passio, est pœna: ergo ira, quæ est peccatum, non est passio: imo ad ipsam sequitur passio. Est ergo ira, quæ est peccatum, operatio.

Damasc. ¶ Sed contra Damasc. *Operatio est motus, qui est secundum naturam: passio vero est motus, qui præter naturam est.* Si ergo motus peccati dicitur esse præter naturã: ergo ira in quantum peccatum, dicitur esse in genere passionis, & nõ in genere operationis: ergo ira est motus, qui est passio, non qui est operatio.

Philosoph. ¶ PRÆTEREA, quomodo stat cum illa ipsa diffinitio, quam ponit Philosophus; quod *ira est appetitus pœnæ*: quoniam huiusmodi appetitus præcedit illam insurrectionem quam dicit prima diffinitio. Alio ergo modo idem dicunt, vel sunt rationes eiusdem.

RESOLVTIO.

Quadrupliciter ira definitur. [*Primo, Ira est motus animi concitatus ad pœnam inferendam prouocans. Secundo, Ira est omnis motus malus ad nocendum. Tertio, Ira est feruor sanguinis, qui circa cor est, ex euaporatione fellis, siue per returbationem fiens. Quarto, Ira est tristitia ex impotentia vlciscendi se.*

Damasc. August. ¶ SOLVTIO. Dicendum quod ira duplex esse habet, scil. esse naturæ, & esse moris. Secundum ꝙ habet esse naturæ, sic diffinitur à Damasc. quod *ira est feruor sanguinis*, &c. & ab Augu. cum dicit. *Ira est tristitia ex impotentia*, &c. ira n. cũ sit passio coniuncti, causam habet ex parte corporis, & ex parte animæ: causa ex parte corporis tangitur in diffinitione Damasc. causa ex parte animæ datur in hac diffinitione August. & ex his habet ira suum esse. Item, ira habet esse moris: & sic inquirimus de ipsa hic: quia loquimur de ira, quæ est peccatum: & quantum ad hoc esse diffinitur à Cassiodoro, & à Philosopho, & à Rabbano. Matthæi 5. quoniam diffinitur ab eis ira, prout deordinat ab optimo: & illud est secundum esse morale, quo vitium est, vel peccatũ: quia non ratione passionis puræ dicitur peccatum, imo pœna: sed cum hoc dicit actionem quandam, per quam deordinatiua est ab optimo fine: eo quod deordinat hominem quantum ad proximum, & etiam quãtum ad Deum: vult enim expetere à se vindictam, quam non debet nisi à Deo, vel à iudice constituto sub Deo expetere.

¶ Et dicendum est, ꝙ diffinitio Aug. respicit iram, prout est passio: prima vero diffinitio & secunda dantur de ira; in quantum est actus. Est n. irascibilem considerare, vt est vis passiua ex apprehensione apparentis nociui, cui non credit resistere, & est iterum vis actiua. Primo modo est in ea passio ex impotentia vlciscendi: secundo modo est in ea actus, prout insurgit ad vindictam. Et secundum has duas rationes distingui possunt supradictæ rationes: ex parte, qua est passiua, duæ diffinitiones, ex parte, qua actiua, aliæ duæ.

¶ Et notandum de diffinitone Rab. Matth. 5. *Ira est omnis motus malus ad nocendum*: quod dicitur [*omnis*] ibi, id est, perfectus: ad notandum illum motum iræ, qui est in prohibitione. Potest enim dici [*omnis motus*] vniuersaliter: & tunc comprehendit motum iræ, cui consentitur, & motum iræ, cui non consentitur: vnde tunc cõprehendit primum motum, cui non consentitur: de quo dicitur ibidẽ in gloss. Subitus motus, cui non consentitur, propassio est: cum autem consentitur passio: & tunc est mors in domo: & sic intelligitur hic [*omnis*] vniuersaliter: vt dicatur semper ira motus, qui est in irascibili ex libidine, siue consentiatur ipsi, siue non. Si autem intelligatur [*omnis*] id est perfectus; tunc coarctatur ad illum motum, qui cadit in consensum rationis. Raban. Matth. 5.

¶ AD secundum vero quæsitum dicendum, quod operatio & passio dicuntur multipliciter. Operatio n. potest dici actus potentiæ naturalis, & secũdum hoc non dicetur peccatum: vel potest dici actus libidinosus ipsius potentiæ, & secundum hoc est peccatum. Similiter passio potest dici dupliciter: vno modo secũdum quod cadit in genere qualitatis: alio modo secundum ꝙ cadit in genere passionis. Secundum quod cadit in genere passionis, sic est pœna & sequela peccati: secundum ꝙ cadit in genere quantitatis dicit quandam dispositionem potentiæ; quæ relinquitur ex apprehensione nociui, & vno modo est secundũ naturam primitus institutam, alio vero modo secundum naturam corruptam. Et de hoc expressius loquitur Damasc. in Tractatu de passione & operatione.

MEMBRVM II.

An ira, siue irasci secundum se malum sit?

SECVNDO quæritur, vtrum irasci secundum se sit malum, vel peccatum? Ad quod sic. Ioan. Chrysost. *Irasci non est peccatum: sed intemperanteé facere*: Et ideo ipse addit ad illud, quod dicitur: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: verum est sine causa; hoc est, sine causa irascitur: ergo irasci secundum se non est peccatum. Chrysost. Homil. 11. in Matth. Matth. 5.

¶ ITEM, dicit Chrysost. Psal. dicit: *Irascimini & nolite peccare*: ergo concessit irasci, & prohibuit peccare. Ergo irasci secundum se non est peccatum. Psal. 4.

¶ Item, irasci secundum se est commune ad iram per zelum, & iram per vitium: sed malum peccati inquantum huiusmodi nunquam est commune vitio & virtuti: irasci autem secundum se cõmune est vitio & virtuti: quoniam ira per zelum virtus est, ira per vitium, vitium est: ergo irasci secundum se non est peccatum.

¶ Item, Christus assumpsit omnes nostras passiones indetractibiles: illas, autem, quæ detractibiles sunt, non assumpsit, sed ipse assumpsit iram, vt patet Ioan. 2. quoniã ejecit ementes & vendentes de templo: vnde etiam subditur ibi illud. *Zelus domus tuæ comedit me*: & dicit gl. quod *zelus est feruor animi, quo mens abiecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. Ira igitur secundum se non est malum.* Ioan. 2. Psal. 68. Glossa ibi.

¶ Item, Damasc. dicit: quod *ira est desiderium punitionis*: sed illud est indifferens, quia potest fieri ex causa bona, & ex causa non bona: vnde bene & male potest fieri, scil. vel zelo iustitiæ, vel libidine vindictæ: ergo ira secundum se non est malum. Damasc.

¶ ITEM, nullus actus dicens ex se deformitatem est in Deo: si ergo irasci de Deo dicitur, relinquitur quod non est actus de se dicens deformitatem: nõ ergo est actus culpabilis de se. Minor patet: dicitur, *Iratus est furore Dominus*: & in multis alijs locis scripturæ simile habetur. Psal. 73.

¶ AD oppositum, dicitur super illud: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur*, &c. glos. *plus impono, omnino non irasci.* Ergo irasci secundum se omnino prohibitum est à Saluatore, sed omne tale est malum secundum se: nam eo modo est malum, quo modo est prohibitum: si ergo secundum se est prohibitum: secundum se est malum. Matth. 5. Glossa.

¶ ITEM,

Psal. 4. Glossa. ¶ ITEM, super illud. *Irascimini & nolite peccare.* Gloss. *Venialis est ira, quæ non ducitur ad effectū: & si ducitur ad effectum, malum est: si etiam non, malum est.* Sed omnis ira vel ducitur ad effectum, vel non ducitur: ergo omnis ira est peccatum, sc. secundum omnem sui differentiam: sed omne tale est secundum se malum: ergo ira est secundum se malum.

¶ ITEM, omne quod hebetat mentem, quæ est imago Dei in nobis, malum est, sed irasci secundum se est huiusmodi: ergo irasci secundum se est malum. Minor patet. (Iob. 5.) *Paruulum occidit inuidia, & virum stultum interficit iracundia.* Ex quo patet, quod ira facit stultum, id est, obscuram mentem.

¶ Et similiter illud potest trahi ex Gloss.

¶ Item hoc patet ex Gregor. (Gregor.) qui dicit. *Quanta iracundiæ culpa sit, pensemus: per quam dum mansuetudo amittitur, fraternæ imaginis similitudo vitiatur.*

¶ Item, Greg. (Idem in moralib.) *Per iram splendor Sancti spiritus excluditur: cum menti iracundia confusionis tenebras incutit.*

¶ Item, ibidem (Ibid.) dicitur. *Quæ scil. ira dum quietem mentis tollit, Spiritus sanctus ibi non quiescit.* Igitur ira est malum secundum se, siue irasci.

¶ Item, Dionys. (Dionys.) *Irascibilitas secundum naturam est in carne: in homine vero præter naturam: quia homo est animal mansuetum natura:* mansuetudo autem & irasci opponuntur: irasci ergo est præter naturam in homine, siue contra: ergo irasci malum est, quia non procedit ex natura, neq; ex gratia: ergo procedit ex velle vitij: quia non est nisi triplex velle, scilicet naturæ, gratiæ, & vitij.

RESOLVTIO.

Ira, siue irasci secundum se malum non est, nec de se peccatum dicit: quinimmo interdum importat bonum gratiæ, & bonum naturæ.

¶ AD quod dicendum, quod irasci secundum se non est malum, siue peccatū: vnde non semper est malum culpæ: imo alicubi dicit, quod est bonum gratiæ: sicut patet super illud. (Ad Eph. 4. Glossa ibi.) *Irascimini, & nolite peccare.* Gloss. *Irascimini vobismetipsis de præteritis peccatis, quod est pœnitere: quid est enim homo pœnitens, nisi homo irascens sibi, vt accipiat veniam, id est, de seipso exigat pœnam?* Et post sequitur. *Indignamini vobismetipsis tanta vehementia, vt peccare desistatis: quia super hanc iram non occidit sol iustitia, sed potius illi irradiat iste.* Ergo irasci determinat bonum gratiæ, quia virtuosum est illud. Item, aliquando determinat bonum naturæ: sic loquitur de ipsa Damascen. (Damasc.) cum dicit: quod *ira est feruor sanguinis, &c.* Item, aliquando determinat malum pœnæ, sc. secundum quod importat pœnam quandam:* (* Alias, quam.) qui aliquando dicit cum culpa, aliquando sine culpa. Prout sine culpa & perturbatione, sic fuit in Christo: Christus enim assumpsit pœnalitates nostras & angustias ad liberationem generis humani: sed sine perturbatione accepit illas. Item, aliquando dicit malum culpæ: secundum quod habetur super illud. (Matth 5. Glossa.) *Omnis, qui irascitur fratri suo.* Gloss. *Subitus motus, cui non consentitur, propassio est: accedente consensu, passio est mors in domo.* Et tangit ibi iram venialem, & mortalem: venialis dicitur propassio: mortalis cui consentitur. (Nam sicut dicit Gloss. (Glos super Matth. 5.) super illud. *Qui viderit mulierem, &c. propassio est subitus motus sine deliberatione boni, vel mali operis: passio est affectio deliberati animi, si sit locus perficiendi.*) Vnde ira propassio est venialis, quia hic est motus iræ primus, qui non est in potestate nostra, cui non præbetur consensus. Vnde gloss. (Glos super Psalm. 4.) super illud. *Irascimini, &c.* dicit. *Si motus animi surgit, qui est in potestate nostra, non ei consentiat ratio: venialis n. ira est, quæ non ducitur ad effectum.* Si ergo quæritur de irasci, secundum q; de ipso loquitur Matth. 5. tunc dicimus, quod irasci dicit malum culpæ; secundum quod malum culpæ continet veniale & mortale: irasci tamen secundū se non dicit malum culpæ, sed dicit & malum, & bonum.

¶ AD rationes ergo in contrarium, & primo ad primam dicendum, quod Matth. 5. loquitur de ira, quæ est malum culpæ. Et etiam de illa prohibitione, quæ fit in gl. dicimus: quod ipsa concernit [irasci] secundum quod ducitur ad cōsensum. Vnde illud prohibet ipsa, quia est mortale, sed non prohibet ipsum irasci veniale: primum n. irasci prohibetur, secundū non. Vnde super Ps. (Gl. Cassiodori super Psal. 4.) *Irascimini*, dicit glos. *Primus animi motus non est in potestate nostra, sed Dei gratia contemperare possumus:* quod ergo consuetudinis est, permittit, id est, non prohibet: quod culpa est, scil. mortale, prohibet. Et hoc etiam habetur Eph. 4. in gl. Permittit quidē Apost. irasci quod est humana tentatio, sed prohibet iram ad effectū ducere: hæc n. est mortalis. Similiter ibid. dicit gl. (Gl. ibi.) *Inuitus tolero, quod vitari non pōt: sed de ira non veniatis ad actū peccandi, sc. mortaliter, quia tunc est mortale, cum ducitur ad effectū.* Si ergo surgit motus animi, qui iam pp pœnam peccati nō est in potestate nostra, saltem non ei consentiat ratio. Vnde non imponit, quin insurgat motus; quia hoc non est in potestate nostra. Et sic in prohibitione cadit illud, quod est in nostra potestate, sc. iram non ad effectum ducere, & sic Matth. 5. (Matth. 5.) loquitur de ira, quæ est malum culpæ, & specialiter in illa prohibitione prohibet ipsum irasci, quod ducitur ad effectum, & ita non per hoc ostenditur, quod irasci secundum se sit malum culpæ.

¶ AD secundam rationem dicendum, quod glos. similiter loquitur, secundū quod irasci concernit malum culpæ, sc secundum quod dicit motum illicitum. Et hoc vel pōt duci ad cōsensum & effectū, vel non. Si non, tunc propassio est, & venialis, & hunc non prohibet: quia nō est in nostra potestate, quin surgat. Si aūt sit cōsensus, tunc mortalis est, & ipsum prohibet: Vnde dicendum, q; non comprehendit ibi oēs differentias irasci, sed cōprehendit ibi differentias eius, secundum quod irasci dicit malum culpæ, quia sic est propassio vel passio: sicut dicit glos. Matth. 5. (Glossa vbi supra.) & sic non procedit ratio. Sic etiam cum dicit [*impono vobis omnino non irasci*] prohibet vniuersaliter irasci, quod ducitur ad effectum.

¶ AD tertiam rationē dicendum quod duplex est obscuratio: quædā, quæ procedit ex culpa: alia, quæ sequitur ex perturbatione, quæ est pœna. Si loquimur de obscuratione primo modo: dicimus, q; talis non sequitur ad irasci vniuersaliter sed ad irasci solū, quod est malum culpæ, & de illa procedit ratio. Si loquimur de obscuratione secundo modo: sic dicimus, quod non omne quod obscurat mentem, quæ est Dei imago, est culpa siue malum culpæ: imo dicimus, quod ira per zelum, quæ virtus est, hoc modo obscurat mentem in nobis: quia ira per zelum habet quandā perturbationem secū, ex qua sequitur obscuratio in mente, sed illa obscuratio non est ad excæcandū, sed ad melius postea videndū. Vnde sicut contingit de collyrio, quod qn̄ ponitur super oculū primo est quædam perturbatio in oculo, sed postea clarius videt: sic dicimus q; obscuratio & perturbatio, quæ sequitur ad iram per zelū, est in bonis pœna promouēs ad melius: sed illa, quę est in malis, quæ sequitur ad iram per vitiū; est promouens ad deterius: Nam de ira per zelū dicit gl. Eph. 5. (Glossa Eph 5.) *Super hanc non occidit sol iustitia, sed illi irradiat: vnde per hanc disponitur bonus homo ad videndū melius:* Sed de alia dicit. *Noster sol iustitia & veritas Christus est, cuius veritate anima illustratur, cū in hoc habitat homine.* Ideo ait, *cauere, ne Christus, qui est sol iustitiæ per iracundiam mentem nostram deserat: qui cū ira nunquā habitat.* Vnde obscuratio, quæ istā iram sequitur, nō est nisi in peccatoribus: & sdm hanc procedit ratio: non tn̄ irasci sdm se est malum: quia non omnis obscuratio vel turbatio sequens ad iram, est talis: imo quædā perturbat sapientes, sc. ira per zelum: Vnde Iob 5. glo. (Glos. super Iob 5.) *Alia ira est, quā impatientiæ, alia quā zelus facit, illa ex vitio, hæc ex virtute.* Hac sc. ira per zelū irasci, sicut & nostris, ita erroribus proximorum debemus: quæ melior est risu: quia per tristitiam vultus corrigitur proximus, sed non debet & hæc menti dominari, sed vt ancilla subesse rationi, ne sit immoderata: hæc sapientes conturbat: sed ira per vitium stultos trucidat.

¶ AD quartam rationem dicendum est, q; irasci accipitur tripliciter. Vno modo irasci vitiis, & iste motus, quo homo potuit irasci vitio alterius, potuit esse in natura primo bene instituta: vt si Adam motus esset ex imperio rationis contra peccatum Euæ: tunc enim vis irascibilis & concupiscibilis ordinatè mouerentur ad imperium rationis. Est iterum irasci, q; egreditur post corruptionem naturæ, & hoc est duplex: aut prout est pœna, aut prout est culpa. Siue aūt sic, siue sic, sic vt dr̄ esse secundum naturam in * car-

* Alias, carne.

in * carne: sic præter naturam primitus institutam dicitur esse irasci in homine: maxime autem illud irasci, quod est culpabile: sed ex hoc nô sequitur, quod omne irasci, quod modo elicitur, sit malum culpæ: aliquando enim est malum pœnæ: quod si adueniat gratia, ad meritum ordinatur.

MEMBRVM III.

Ad quam ex quatuor paßionibus ab Augustino, & Cicerone recensitis, ira reducatur. num scilicet ad gaudium, vel ad dolorem, vel ad metum, vel etiam ad spem.

Philos. 2. Topic. Damas. TERTIO quæritur, Vtrum sit aliqua quatuor passionum vel perturbationum, quas ponit August. & Tullius. Et ostenditur quod sic: quoniam secundum Philosophû: *nihil est in genere, quod non sit in aliqua eius specie*: si ergo *ira est paßio*, sicut dicit Dam. constat quod ad aliquam quatuor passionum, quas ponit August. reducitur. Dicit enim quod Aug. lib. 14 de ciu. Dei cap. 9. *humanorum morum vitiositas istis quatuor continetur perturbationibus, scilicet gaudio, dolore, metu, & spe: sub qua ergo est ira?*

¶ Ostenditur quod non sit sub gaudio, nec sub dolore: quia gaudium & dolor sunt in concupiscibili: sed ira est passio irascibilis, siue quæ est in irascibili: ergo non continetur sub gaudio, vel sub dolore.

¶ PRÆTEREA, non videtur contineri sub metu, vel spe: quoniam ira dicitur respectu iniuriæ iam factæ, vel existimatæ: sed metus & spes respiciunt malum vel bonum futurum, vel quod existimatur futurum: ira ergo est respectu præsentis, vel præteriti: metus autem & spes respectu futuri boni, vel mali: ergo non reducitur ad aliquam illarum: ergo aut non est passio, aut præter illas passiones sunt aliæ passiones.

Idem. ¶ Quod autem contineatur sub passione, quæ est tristitia, vel dolor, patet: quoniam August. diffinit iram per tristitiam dicens: quod *ira est tristitia ex impotentia vlciscendi se.*

¶ CONTRA, ira est passio ipsius irascibilis: sed tristitia est in concupiscibili: ergo ira non reducitur ad passionem tristitiæ, vel doloris.

Damas. ¶ ITEM iuxta hoc quæritur: dicit Damasc. quod hæc passio est mixta ex ira & concupiscentia (& loquitur ibi de ira) si sic: ergo ira est mixta ex ira & alio: sed quæritur quid est hoc dictu: cum nihil tale ex se & alio misceatur.

RESOLVTIO.

Quadam ratione & ad tristitiam, & ad concupiscentiam generalem reduci habet ira.

Damas. ¶ AD quod dicendum: quod in perturbatione iræ (secundum quod tangit Damas.) est concupiscentia alicuius rei: cuius rei si fiat prohibitio, est motus contra prohibentem: vnde dicit, quod ira est audax mentis, vindex concupiscentiæ: & hoc modo concupiscentia præcedit, quæ sub vna specie quatuor perturbationum continetur: ipsa vero ira est motus quidam non in anima, prout est passiua, sed prout est actiua: insurgit enim ad vindictam propter iniuriæ passionê præcedentê. Alio vero modo prout ira dicitur tristitia, ex eo quod nolenti accidit, sub tristitia continebitur, siue sub dolore, prout dicit August. cum dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est. August. Tertio vero modo prout dicitur appetitus pœnæ, cadit sub concupiscentia siue cupiditate generali: dicit enim August. Idem in li. de ciu. Dei. *cum consentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas dicitur*: & hoc modo dicetur ira cupiditas vindictæ: & cadet sub concupiscentia, quæ est appetitiuæ generalis.

¶ PER hoc potest parere, qualiter respondendum est ad primo obiectum. Ira enim vno modo est actus irascibilis: & non continetur sub tristitia, quæ est in concupiscibili. Alio vero modo, vel est tristitia, vel habet tristitiam annexam. Tertio vero modo sub cupiditate generali continetur.

¶ AD illud ergo, quod secundo obiicitur: quod ira est tristitia. Dicendum, quod est diffinitio data per causam: qui enim irascitur, tristatur primo ex hoc, quod non potest se vlcisci.

¶ AD tertium vero dicendum: quod licet illa passio mixta sit ex ira & concupiscentia, non tamen ira miscetur ex se & alio: est enim passionem iræ accipere pro toto motu, qui est ex concupiscentia præcedente; & ira (proprie dicta) subsequente: & hoc modo illa passio dicitur esse mixta ex concupiscentia, & ira.

MEMBRVM IV.

Quod sit motiuum in peccato iræ?

QVARTO quæritur de motiuo huius peccati, quid sit illud. Dicitur autem quod vindicta est illud, quod appetit ira, & quod mouet iram: quæritur autem, vtrum hoc habeat veritatem. Et ostenditur, quod non; quoniam voluntas cum sit quædam potentia, determinatur per suum obiectum: sed vindicta bonum quid est; ergo velle vindictam, est bonum: non ergo ex hoc incurrit quis peccatum: ergo vindicta non est motiuum ad peccatum iræ. Minor huius patet: quoniam istud, quod Deo relinquitur siue attribuitur, bonum est: sed Deo relinquitur vindicta, vt patet. *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Gloss. *Mihi vindictam reseruate, mihi vos reseruate, dicit Dominus.* Et ita patet quod vindicta bonum est. Rom. 12. Glossa.

¶ ITEM, omne illud, in quo aliquis Deum imitatur, bonum est: quia nihil potest Deum imitari in malo, cum nihil sit mali in ipso: & ita imitatur Deum in hoc, quod est velle vindictam: ergo velle vindictam, est bonum; nec facit iram esse peccatum: ergo nô est motiuum ad ipsam. Minor patet, quoniam dicit August. quod *omnes (licet peruerse) imitantur Deum*: & dicit, quod ira imitatur Deum, quia vult vindictam, & quærit: sed illud in quo imitatur Deum, non potest esse nisi bonum. Aug. in lib. Confess.

¶ ITEM, sancti non lætantur nisi de bono: sed sancti lætantur de vindicta: vt patet. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Ergo vindicta bonum est: ergo non est motiuum ad iram. Psalm. 57.

¶ AD oppositum dicitur, super illud. *Non vosmetipsos defendentes.* Gloss. *Bonus magis cupit corrigi inimicum, quam puniri: & cum Deus punit, non delectatur de pœna inimici, quia nô odit eum: sed de iudicio Dei: quia Deum diligit, hoc ei placet, quod & Deo placet.* Boni ergo non est velle pœnam: quia sequitur ad odium, vt vult ista Glo. sed velle vindictam, est velle pœnam: ergo boni nô est velle vindictam: sed eius, cuius est odire alium: sed omne tale est malum: ergo velle vindictam est malum: ergo potest esse motiuum ad iram. Rom. 12. Glossa.

¶ ITEM, dicit ibid. Gloss. *Propter exsaturandum odium desiderare vindictam ab eorum perfectione longe est.* Si ergo desiderium vindictæ propter odium exsaturandi longe est à perfectione sanctorum: ergo est malum vindicta: ergo velle ipsam potest esse motiuum ad peccatum iræ: cum dicatur respectu vindictæ. Sed quia dicunt quidam, quod velle vindicari à seipso, illud malum est: velle tamen vindicari à Deo, vel à iudice ad hoc constituto, illud bonum est: & hoc confirmatur per Gloss. prædictam quæ dicit. *Attende, quod non præcepit vt nolint vindicari à Deo, quod clamant Sancti, cum dicunt: Vindica sanguinem nostrum Deus noster: sed vt non seipsos vindicantes dent locum iræ Dei, qui dixit, Mihi vindictam*: ad quem in Apocalyps. sancti clamabant, Vindica sanguinem nostrum. Non ergo prohibet Apostolus hic, nisi vindicare seipsum, & non velle ab alio vindicari, sicut à Deo, vel à iudice constituto: illud ergo non est malum, sed bonum. Gloss. ibid. Eadê ibid. Apoc. 6.

¶ PRÆTEREA, istud confirmatur per illud, quod dicitur. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Vnde patet quod si sit velle vindicare malum, hoc erit, quando aliquis vult vindicari à seipso. Leuit. 19.

¶ PROPTER hoc quæritur, vtrum velle vindicari à seipso peccatum sit, siue malum? Natura licet esset lapsa; non tamen deperiit vis naturæ: sed de iure naturæ lapsæ est velle vindicari à seipso, & quod est de iure naturæ, bonum est: ergo velle vindicari à seipso, est bonum. Quod autem istud sit de iure naturæ lapsæ, patet: quoniam de iure naturæ lapsæ est: quod si homo iniurietur alij, vult quod ei satisfaciat: vnde de iure naturæ lapsæ est, delinquentem puniri: sed puniri non est aliud, quam vindicari: ergo de iure naturæ lapsæ est vindicari. Potest autem esse, quod ille sit

iudex, cui fit iniuria: ergo potest velle, quod inquantum iudex iudicet suam iniuriam: & velit à seipso illa fieri inquantum iudex: ergo iste potest de iure velle seipsum à seipso vindicari: illud ergo non est malum simpliciter.

Cicero. ¶ ITEM: dicit Tullius: quod *vna pars naturalis iustitia est vindicatio*: sed illud, quod est pars iustitiæ naturalis, potest homo velle fieri à se sine peccato.

RESOLVTIO.

[illegible] peccato ira vindicta est motiuum.

¶ AD quod [illegible] endum: quod motiuum in peccato iræ est vindicta. V[illegible]: sicut excellentia est motiuum & appetibile in superbi[illegible] vindicta in ira.

¶ Quod ergo obiicitur, quod velle vindictam, est bonum. Dicendum quod velle vindictam, id est, velle quod Deus vindicet, vel iudex à Domino constitutus, illud est bonum: & hoc ratione iustitiæ: iustitia enim est, quod Deus vel iudex puniat delinquentem & vindicet iniuriam alij illatam, vindicta enim habet duplicem respectum: respicit enim iustitiam, secundum quam fit: respicit etiam illum, cui iniuriatum est. Secundum ergo quod vindicta respicit iustitiam, sic bene licet velle ipsam: quia hoc est * de amore iustitiæ, velle ipsam: & hoc modo velle vindictam, est velle, vel quod Deus vindicet, vel iudex habens potestatem à Deo, & sub Deo: & hoc est bonum: & hoc est velle ipsam, retorquendo ad Deum, nec auertendo: vnde qui vult quod iudex vindicet, ipse retorquet vindictam ad Deum: quia iudex habet hanc potestatem à Deo: secundũ quod habetur quod *omnis potestas à Domino Deo est*: hoc autem modo velle vindictam non est motiuum iræ: immo potius ad iustitiam ordinat. Si autem loquamur de vindicta secundum illum respectum, quem habet ad illum, cui fit iniuria: sic velle vindictam habendo solum respectum ad hoc, malum est & vitiosum: quia illud velle non retorquetur ad Deum, immo ad odium saturandum, & auertitur à Deo: non enim appetitur hoc modo amore iustitiæ, sed ex improba voluntate & vitiosa: vnde illud velle libidinosum est: vult enim qui hoc modo vult vindictam; quod ille qui iniuriatus est, puniatur: & in hoc voluntas eius improba saturetur: non vult autem quod iustitia Dei seruetur, vel exaltetur: immo auertit ab ipsa. Et hoc modo velle vindictam, non est in sanctis: vnde dicitur in Gloss. quod *sancti non volunt vindictam propter exsaturandum odium.* Sed vult bonus, vt Deus inimicum puniat: & magis cupit corrigi inimicum, quam puniri: quia cum Deus punit, non delectatur in pœna inimici: quia non odit eum, sed de iudicio Dei, quia diligit eum. Iracundus autem vult vindictam non amore iustitiæ, sed saturandi odium suum in inflictione pœnæ: vnde Gregor. *Plus ira in vindicta exigit, quam iniuria accipit*: & hoc est ex libidine.

*Alias, ex amore.

Rom. 13.

Glos. super Rom. 12.

Gregor.

¶ Quod autem obijcitur, quod videtur esse bonum, quia ira in hoc imitatur Deum. Dicendum, quod non imitatur Deum, nisi peruerse & inordinate: aliter enim ira per zelum imitatur, & aliter ira per vitium: hæc enim ordinate: illa vero inordinate.

¶ AD illud, quod quæritur de iudice, vtrum possit se vindicare. Dicendum, quod aliquis non debet esse iudex in sua causa: corruptio enim humanæ naturæ, ita aggrauat rationem, quod de facili perturbatur. Non sic autem est in Deo, in quem nulla cadit perturbatio, vel iniquitas: similiter in Christo, qui est constitutus iudex viuorum, & mortuorum.

MEMBRVM V.

An ira peccatum sit?

QVINTO quæritur, vtrum ira sit peccatum. Et videtur, quod non: quia in omni peccato est conuersio per concupiscentiam vel appetitum ad aliquod mutabile bonum apparens: sed ira non respicit bonum apparens, sed malum apparens: vnde ira non est huiusmodi conuersio: ergo ira non est peccatum. Minor patet, quoniam dicit Damascen. quod ira venit * ex suspitione mali apparentis: concupiscentia vero * ex suspitione boni apparentis.

* Alias, ex suspiratione.

¶ ITEM, ira appetit malum proximo: vnde ira est appetitus mali pœnæ ipsi proximo: sed peccatum dicit appetitum alicuius apparentis boni sibi: ira autem non determinat sibi bonum apparens, imo determinatur respectu mali in alio: ergo non habet ira rationem peccati.

¶ CONTRARIVM habetur à Greg. qui numerat ipsam in exercitu diaboli Iob. vlt.

RESOLVTIO.

Quam maxime.

¶ ET dicendum, quod ira est peccatum.

¶ ET ad rationes dicendum: quod verum est, quod in omni peccato est aliqua concupiscentia alicuius boni apparentis: sed oportet ibi intelligere concupiscentiam generaliter, secundum quod est concupiscentia in ipsa irascibili, vel appetitus alicuius. Ipsa enim irascibilis bene ordinata appetit bonum sub ratione ardui vel excellentis: secundum autem quod inordinata est, appetit malum: non tamen vt malum, sed quia apparens sibi bonum. Sic ergo ira habet concupiscentiam, & appetit bonum sibi apparens: & istud est malum alterius: malum enim alterius vel nocumentum est apparens sibi bonum. In quantum ergo ira appetit malum alterius, cum istud sit ei apparens bonum, quia in illo delectatur, & quiescit; licet sit alteri malũ: relinquitur quod in ipsa est peccatum: & in ipsa est conuersio ad aliquod mutabile bonum.

¶ ET secundum hoc per interemptionem soluendæ sunt rationes in contrarium.

MEMBRVM VI.

An ira capitale peccatum sit?

SEXTO quæritur, vtrum ira sit capitale peccatum. Et videtur, quod sic: quoniam habetur. *Graue saxum & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.* & Gloss. vocat ibi iram capitale crimen. Vnde dicit Gloss. *graue est vel vno crimine capitali quasi pondere saxi deprimi.* Prouer. 27. Glossa.

¶ ITEM, Gregorius Iob. 40. Vbi ordinat exercitum diaboli, & ordinat quod superbia est regina & mater 7. capitalium, numerat iram inter septem capitalia. Gregor. Iob. 40.

¶ AD oppositum, capitale peccatum dicitur, ex quo nascuntur alia, sed ipsum non nascitur ex alio: sed ira semper nascitur ex alio: ergo ira non est capitale peccatum. Quod autem nascatur ex alio, patet; quia ira appetit malum proximo; iste autem appetitus causatur ab amore vitioso proprij boni, sicut est de inuidia; inuido enim displicet bonũ proximi propter amorem sui proprij boni, scilicet quia amat suum augeri. Similiter iracundus considerat aliquid bonum apparens ex parte sui, ex quo vult malum proximo. Amor ergo proprij boni est causa appetitus mali in proximo; ergo motus iræ non est primus motus; immo ipsum antecedit motus alius, ex quo nascitur scilicet amor sui boni; quod est radix, ex qua venit appetitus mali in proximo.

RESOLVTIO.

Adhuc & ira capitale peccatum est.

¶ AD quod dicendum; quod ira est vitium capitale.

¶ AD illud, quod obiicitur; quod nascitur ex inordinato amore proprij boni. Dicendum quod hoc nõ tollit peccatum capitale; quia illud velle proprium bonum, siue amor ille proprij boni non est peccatum speciale, immo est radix generalis peccati; vnde est in omni peccato ille amor, secundum quod dicit August. quod omne peccatum erit ex amore, vel timore; & timorem etiam reducit ad amorẽ; & ille amor dicitur libido, quæ est radix cuiuslibet peccati. Vnde nasci ex illo amore non tollit, quod aliquid non sit capitale; quia vt sic nullum esset capitale; cum omnia nascantur communiter ex illo. Sed si esset speciale peccatum, satis procederet ratio. Ira autem distinguitur penes actum generalem ipsius vis irascibilis; & per hoc distinguitur esse capitale peccatum: & quia idem posset opponi de inuidia; ideo per hoc patet responsio, quia non impedit esse capitale peccatum. August.

* *
*

MEMBRVM VII.

An totupliciter ira dicatur, quotupliciter & inuidia dicatur?

SEPTIMO quæritur de comparatione iræ ad inuidiam. Et obiicitur sic: non est ponere inuidiam per zelum, & per vitium: immo omnis inuidia est per vitium: ergo similiter non est ponere iram per zelum, sed solum iram per vitium: & ita ira solum est in genere mali. Hæc autem ratio confirmatur sic: quoniam sicut ira respicit malum alterius, ita & inuidia: ergo sicut non est inuidia dupliciter, scil. per zelum & per vitium; sed solum per vitium: ita non erit ira dupliciter, sed tantum ira per vitium.

Iob. 5. Glossa. ¶ AD oppositum habetur. *Paruulum occidit inuidia.* Gl. *Alia ira est impatientia, alia quam zelus facit: illa ex vitio, hæc ex virtute.* Ira ergo est duplex scil. per vitium, & per zelum.

RESOLVTIO.

Minime, cum inuidia simpliciter dicatur: ira vero dupliciter.

¶ ET dicendum, quod ira est duplex, scilicet per vitiū, & per zelum: inuidia autem vno modo, scilicet per vitium. Nec est simile: quia secus est ex parte motus iræ & inuidiæ: & ratio huius est: quia irasci est appetere malum alij: hoc autem potest fieri & bene & male: & hoc est, quia malo non solum aduersatur bonum, immo etiam malum aduersatur malo: & ideo appetere malum illi, qui est malus; hoc potest fieri iuste & iniuste. Iuste fit, si ei appetitur malum, vt per hoc ipse reducatur ad bonum, & corrigatur de sua malitia: tunc est ira per zelum. Male autem appetitur, quando malum malo appetitur ratione vindictæ solum, & exsaturationis odij, non ratione correctionis suæ: quia illud non refertur ad Deum, sed ad odium saturandum, ideo est malum: & hoc modo appetit ira per vitium. Sic ergo quia malum malo contrariatur, ideo contingit esse duplicem iram secundum duplicem modum appetendi malum alij. Vnde contingit quod bonus appetit malum malo: & tunc est ira per zelum: cum autem malus malum appetit malo, tunc est ira per vitium: & hoc quia ex ista parte sunt opposita. Sed inuidiæ est inuidere bono: bonum autem bono non opponitur, sed bonum malo, & econuerso: & ideo bonus non potest inuidere bono, sed semper malus bono inuidet; ideo non est inuidia nisi in genere mali: sed si bonus posset inuidere bono, tunc posset bene fieri: & ita patet responsio.

MEMBRVM VIII.

An ira semper peccatum mortale sit?

OCTAVO quæritur, Vtrum omnis ira sit peccatum mortale: vel aliquando veniale, aliquando mortale. Quod autem simpliciter omnis ira sit peccatum mortale, patet. Iob. 5. Glossa. *Virum stultum interficit iracundia.* dicit Gloss. *Mansuetudo imaginem Dei in nobis seruat, sed ira dissipat: quia multis virtutibus priuat, quandam quietem mentis tollit: Spiritussanctus ibi non quiescit.* Ex hoc patet quod ira repugnat virtutibus & quieti mentis ex Spiritu Sancto: sed peccatum veniale non est huiusmodi: immo tale est mortale: ergo ira simpliciter est peccatum mortale.

¶ ITEM, omne peccatum, cui debetur pœna æterna, est mortale: sed ira est huiusmodi: ergo est peccatum mortale. Probatio minoris, quoniam Matth. 5. habetur, quod ira facit reum pœna æterna: quia dicitur ibi, quod *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: & dicit *omnis* vniuersaliter: & dicit ibi Glo. *His tribus, iudicio, consilio, gehenna, diuersæ mansiones in æterna damnatione pro merito peccati signanter exprimuntur*: ita ergo est vniuersaliter peccatum mortale. (Matt. 5. — Gloss. ibid.)

¶ IVXTA hoc quæritur, vtrum consuetudo irascendi sit peccatum mortale. Et ostenditur quod sic. *Graue saxum, & onerosa arena*: & per saxum designatur ibi mortale peccatum, & per arenam designatur veniale peccatum: & quia contingit veniale peccatum multiplicari per consuetudinem, per arenam numerosam designatur ibi veniale peccatum multiplicatum: & hoc prohibetur: ergo consuetudo irascendi prohibetur: ergo est peccatum mortale. (Prouer. 28.)

¶ AD oppositum dicitur super illud. *Irascimini & nolite peccare &c.* Gl. quod consuetudinis est, permittit, id est, non prohibet: quod culpæ est, scilicet mortale, prohibet: ergo consuetudo iræ non est peccatum mortale. (Psalm. 4.)

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed interdum etiam veniale.

¶ AD quod dicendum: quod ira non est semper mortale peccatum: immo quandoque est mortale, quandoque veniale. Sunt enim primi motus in ira, sicut in aliis peccatis: & primus motus in ira non est peccatum mortale: quia non est in potestate nostra, immo est veniale: si autem ad consensum accedat & ad effectum, tunc fit mortale: & illud bene determinatur in Gl. super illud. *Irascimini &c.* & Ephe. 4. super illud idem. Vnde dicit Gl. *Venialis ira est, quæ non ducitur ad effectum: & tali non prohibetur, sed permittitur.* Sed nasci ducendo ad effectum, & consensum, prohibetur: & illud est mortale: vnde dicit Ephes. 4. Glo. quod *prohibet iram ad effectum ducere.* Et illud similiter bene determinatur in Glo. *Subitus animi motus, cui non consentitur, propassio est*: & hæc est ira venialis: accedente autem consensu, passio est; & est motus in dorso & hæc est ira, quæ est mortale peccatum. (Glo. su Psalm. 4. Ephes. 4. — Glo. su Ephes. 4. Eadem su Matth. 5.)

¶ AD illud, quod obiicitur de consuetudine irascendi. Dicendum, quod potest dupliciter dici consuetudo. Vno modo vt dicatur consuetudo veniale multiplicatum, & hoc modo permittitur ipsa consuetudo irascendi: vnde quantum ad hoc dicit Gloss. quod consuetudinis est, permittit. Alio modo potest accipi consuetudo secundum quod ex illa multiplicatione deducitur homo ad peccatū mortale per consensum in actum mortalem vlterius: sicut contingit quod aliquis homo totiens alij irascitur, quod consentit vltra ad ipsum occidendum. Iste ergo consensus, qui nascitur ex ipsa consuetudine, prohibetur: quia est in actum mortalem: vnde facit mortale peccatum: sed non nisi superueniat consensus: quia huiusmodi cōsensus mortale inducit; non ipsa consuetudo de se.

MEMBRVM IX.

Quam graue peccatum ira sit?

NONO quæritur de quantitate huius peccati in se, & in comparatione. In se autem videtur esse valde magnū. Ad quod sic dicit Chrysost. *Nihil turpius visu furentis nihil deformius seuero visu: & multo magis anima*, & loquitur de peccato iræ, ergo anima contrahit maximam deformitatem per iram: sed anima nunquam contrahit maximam deformitatem nisi per maximum peccatum: ergo ira in se est maximum peccatum. (Chrysost. Hom. ad popu. Antioch.)

¶ Quod autem ira sit maius peccatum, quam habere dæmonium, patet: quia dicit Chrysost. *ira & insania medium nihil est*: sed ira temporaneus quidam est dæmon: magis aūt & dæmonium habente difficilius. Si ergo grauissimum est habere dæmonium: ergo grauissimum peccatum est ira, & maximum. (Idem. Homil. in Ioan.)

¶ AD oppositum Damasc. ponit tres species iræ: vnam vocat *fel*, aliam vocat *maniam* (& * ista est, quando est permanens memoria mali: vnde * amaritudo ista est, quando habet aliquis permanētem memoriam mali sibi illati) tertia dicitur *thotus*, id est, furor obseruans tempus in vindictā. Sed quantum ad nullam istarum specierum dicitur maximum peccatum: ergo ira non debet dici maximum peccatum. Minor patet: quoniam quantum ad primam non dicitur maximum, quæ est *fel*: *fel* enim dicitur quando homo cito mouetur ex ebullitione choleræ, & inflāmatione: sed illud non determinat maximum peccatum: ergo * nunquam ad illud dicitur maximum. Item, nec quantum ad secundam, quæ dicitur *mania*: quia non statim potest transire memoria mali: vnde etiam istud non est in potestate hominis & voluntate. Item, nec quantum ad tertiam, quæ dicitur *thotus*, id est, obseruans tempus in vindictam, ergo secundum nullam istarum specierum dicitur maius peccatum: non est ergo maximum peccatum in se. (Dam. lib. 2. cap. 16. * Alias in — * Alias amenao. — * Alias, quan ut)

RESOLVTIO.

Graue admodum peccatum ira est: verum non secundum omnem sui differentiam.

¶ Et dicendum, quod verum est: quod ira secundum quamlibet sui speciem singulariter non est maximum peccatum. Vnde Chrysost. non loquitur dicendo, quod ira secundum omnem sui speciem singulariter sit maximum: sed loquitur de illa ira, in qua coniunguntur hæc duo scil. memoria mali, & obseruatio temporis in vindictam, quasi semper crescendo in vindictam: & talis ira habet insaniæ rationem: vnde istam & insaniam comparat Chrysost. cum dicit *ira & insania medium nihil*: nō est quid difficilius, quam memoria malorum.

Chrys.

Idem.

¶ Ad illud, quod obijcitur de comparatione iræ ad dæmonium in quantitate. Dicendum quod ipse Chrysost. bene determinat, quantum ad quid dicit iram esse difficilius, quam dæmonium, dicens. *Qui dæmonium habet, venia potietur: qui vero irascitur simpliciter, ducendo ad effectum sine consensum, infinitis erit supplicijs dignus: voluntarie seipsum in baratrum perditionis ferens, & ante futuram gehennam hic iam vindictam soluens: tumultum quendam & fluctuationem intolerabilem per totam noctem & diem inducens oculis animæ.* Quia ergo dæmonium habet miserationem, & potietur venia: ira autem non, imo facit hominem indignum venia, & dignum gehenna: ideo dicit quod difficilius est ira; quam dæmonium simpliciter quātum ad pœnam vtrumque sequentem in futuro. Vnde habet hic etiam ipse iracundus pœnam similem gehennæ: sicut pater per auctoritatem dictam.

Chrysost.

¶ Vnde est quod primo nominauit Dominus gehennam, cum nominauit pœnam iræ Matth. 5. Ad quod iam patet solutio: gehenna dicitur à monte quodam in quo est sulphur continue ardens: secundum quod dicitur. *Pluet super peccatores laqueos ignis sulphur & spiritus procellæ, &c.* & quia ille, qui in ira est confirmatus, habet ardorem, quia ardet in igne continue, sicut anima misera in igne gehennæ: ideo in aggrauationem istius peccati, & ostendendam similitudinem ad gehennam, nominat tunc primo gehennam, cum loquitur de iracundo: & dicit quod reus erit gehenna.

Dubitat. Matth. 5. Psal. 10.

MEMBRVM X.

An ira malorum omnium causa sit?

Decimo quæritur, vtrum ira sit causa omnium malorum. Et ostenditur, quod sic: quoniam super illud. *Vir iracundus prouocat rixas*: dicit Gl. Bedæ. *Ianua omnium peccatorum, seu vitiorum est iracundia: qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur via: cum vero est aperta, ad omne facinus armabitur animus.* Est ergo ianua superbiæ, & inuidiæ, & aliorum vitiorum: qua aperta, intrant: & ita est causa omnium vitiorum.

Prouerb. 19. Glo. Bedæ.

¶ Contra, dicit Gregor. quod *ira generatur ex superbia, & inani gloria, & alijs peccatis*: ergo non est causa omnium vitiorum.

Gregor.

RESOLVTIO.

Ira eorum omnium vitiorum causa est, quæ in proximi nocumentum prodeunt.

¶ Ad quod dicendum: quod cum dicitur: ira est ianua vitiorum: fit sermo de ira progressiua in actum: quia tunc est ianua aperta. Et non dicitur ianua omnium vitiorū proprie: sed illorum, quę procedunt in nocumentum proximi. Vnde cum dicitur ira esse ianua omnium vitiorum, hoc dicitur esse de illis vitijs, quæ ad nocumentum proximi pertinent: quæ nominat Apost. & eorum opposita; cum dicit, *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio & clamor, & blasphemia tollantur à vobis cum omni malitia: estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem: sicut Christus donauit nobis.* Vnde & accommoda est ibi distributio pro illis vitiis, quæ sequuntur iram. Nec ei repugnat, quod superbia sit initium omnium malorum: quoniam est mater omnium generaliter: ira autem non.

Ephes. 5.



MEMBRVM XI.

Quod sit iræ oppositum?

Vndecimo quæritur de opposito iræ: & quæritur, vtrum ira per zelum sit eius oppositum? Et ostenditur quod sic: quoniam sunt in eodem genere: nec possunt simul esse in eodem subiecto: sed maxime à se distant: ergo sunt opposita.

¶ Contra, videtur q̄ mansuetudo sit eius oppositū. *Beati mites &c.* Gloss. *Mitis est, quem non rancor, vel ira afficit: sed omnia æquanimiter sustinet.* Ergo mititas siue mansuetudo est eius oppositum.

Matt. 5. Glossa.

¶ Item, ibidem. *Est mitis, quem asperitas, seu amaritudo non afficit: sed simplicitas fidei omnem iniuriā sustinendam instruit.* Hoc autem est contrarium iræ.

Eadē ibid.

¶ Item, Gregor. super illud. *Paruulum occidit inuidia*: dicit. *Mansuetudo imaginem Dei in nobis seruat, qui semper tranquillus est: sed ira dissipat*: ergo per se opponuntur ira & mansuetudo.

Greg. super Iob. 5.

¶ Sed quod patientia opponatur ei, ostenditur sic: quia dicitur. *Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.* Ergo patientia per se opponitur ipsi iræ: & hoc etiam dicit August. in Lib. de Conflictu vitiorum & virtutum.

Prouer. 15.

RESOLVTIO.

Et patientia, & ira per zelum, & mansuetudo: alia tamen atque alia ratione.

¶ Ad quod dicendum: quod vnumquodq; istorum opponitur iræ: diuersis tamen rationibus. Patientia enim opponitur iræ, quia extinguit motum eius: & ideo dicitur, Qui patiens est, mitigat iras suscitatas: quia quando homo non respondet iracūdo, refrenatur, & extingui incipit motus iræ: & ideo dicit Hieronym. quod *irasci hominum est; sed finem imponere iræ, Christiani est; qui debet habere patientiam.* Sed quando homo non habet patientiam, sed respondet iracūdo: tunc præbet ei materiam magis furendi, & magis irascendi. Et sic ratione motus scilicet quia extinguit motum eius, opponitur ei patientia. Ira autem per zelum opponitur ei ratione materiæ: hoc est ratione eius, de quo est: quia conueniunt in genere actus: sed opponuntur quantum ad illud de quo: quia qui irascitur per vitium, irascitur personæ: qui autem irascitur per zelum, irascitur peccato: quia ira per zelum vult destruere vitium in se & in alio. Vnde ira per zelum respicit vitium, & sic est respectu mali: sed ira per vitium respicit personam: persona autem inquantum huiusmodi bonum est. Mansuetudo autem opponitur ipsi quantum ad initium: vt scilicet motus iræ non insurgat: vnde sicut patientia opponitur ei ex parte finis quantum ad motum, scilicet vt extinguatur motus: ita mansuetudo opponitur ei quantum ad initium motus, scilicet vt motus non insurgat. Et sic omnia ista opponuntur iræ secundum rationes diuersas.

Hierony.

MEMBRVM XII.

Quæ, & quotuplex sit pœna peccati iræ.

Dvodecimo quæritur de pœna peccati iræ. Matth. 5. Ordinat Dominus pœnas tres huius peccati: & vult ibi designare triplicem gradum iræ: quæritur ergo si omnibus illis modis est ira peccatū mortale. Et ostenditur quod sic: quoniam dicit ibi Raba. in Glo. *His tribus iudicio, consilio, gehenna, diuersæ mansiones in æterna damnatione pro modo peccati signanter exprimuntur.* Ergo pœna æterna debetur iræ secundum quemlibet suum modū. Ex quo patet, quod istæ pœnæ sunt diuersæ mansiones in æterna pœna Sed omne peccatum, cui debetur pœna æterna, est mortale: si ergo ira secundum illos tres modos reum facit pœna æterna: ergo ira secundum illos tres modos est peccatum mortale.

Matth. 5.

Rabanus in Glossa.

¶ Ad oppositum dicit Chrys. *Qui irascitur inaniter, damnauit iudicio, eum autem, qui dixit Racha, consilio; sed nondum hæc magna sunt: quia hic sunt pœnæ: propterea eum, qui stultum vocat, vel nominat, gehennæ apposuit ignem.* Ergo ira non est peccatum mortale, nisi ratione vltimi modi, qui est, quando dicitur, Fatue.

Chrys.

¶ Præterea quæritur, est ne hoc totum vna pœna, vel

plures

plures scilicet iudicium, consilium, gehenna? Et non videtur hoc totum esse, nisi vna pœna: quia iudex primo iudicat in se, postea aduocat consilium ad deliberandum, postea profert sententiam. Vnde consilium & iudicium non sunt pœnæ: immo ordinant ad sententiam pœnæ siue ad pœnam: ergo hoc totum est vna pœna: qualiter ergo tres culpæ.

RESOLVTIO.

Sicut ex euangelio Matth. elicitur, triplex pœna peccato iræ debetur: scilicet iudicium, consilium, gehenna.

¶ AD quod dicendum: quod isti tres gradus iræ sic distinguuntur: quia est ira in corde, quæ est sine voce: & hæc est prima. Item, est ira in corde, quæ est cum voce tantum, sicut quando dicit *Racha*. Tertia est cum voce & sermone, scilicet quando dicit, *Fatue*: hic enim est vox & sermo, quia aliquid significo: & ita distinguit Gregor. & cum istæ se habeant secundum gradus in culpa, secundum has vult distinguere gradus in pœna Sed notandum: quod ira, quæ est in corde sine voce & sermone, potest esse dupliciter. Potest enim esse ira in corde tantum: ita quod leuis sit motus, cui non consentit ratio, sed repugnat: & hæc est venialis: & de hac non fit sermo: sed de illa, quando aliquis vult grauiter nocere proximo suo, vel facto, vel verbo: & talis ira licet sit clausa in corde, nihilominus mortalis est: sicut habẽs adulterium in corde suo, licet non ad actum progrediatur, tamen quia vult voluntate plena, est peccatum mortale: sicut dicit August. & per illa tria significantur gradus in pœna æterna secundum magis & minus: sicut dicit Gl. Matth. 5. Vnde non intelligitur quod non puniantur omnes pœna æterna: quia quælibet est mortalis, & cuilibet debetur æterna damnatio secundum gradus maioris & minoris culpæ. Nam per illa tria signantur gradus maioris & minoris culpæ.

Gregor.

August. Glossa. Matth. 5.

¶ SED quod obijcitur, quod illa tria sunt vna pœna: quomodo ergo plures pœnæ per illa designantur? Dicendum quod Gregor. loquitur per quandam similitudinem: quando enim homo delinquit, & conuincitur super delicto: iudex iudicat & cogitat pœnam eius: illud iudicium iudicis in se est pœna illi misero, quia scit se esse determinatũ ad pœnam à iudice. Sed vlterius quando à iudice & assistẽtibus determinatur ei pœna, tunc istud est illi grauior: tunc enim videtur ei quod immobiliter sit ad pœnam determinatus. Sed adhuc grauior est ei pœna, quando pronunciatur sententia pœnæ. Primum appellatur iudicium, scilicet quando iudex apud se discutit & diiudicat de pœna: secundum vocatur consilium, quando scilicet aliis assistentibus determinat & tractat de ipsa ipsis ad hoc vocatis: tertium dr̃ gehenna, sc. sententiæ prolatio: quia tunc est consummatio: tunc enim est pœna grauissima. Et sicut crescit hæc determinatio pœnæ in concilio respectu iudicij, & in gehenna: ita per similitudinem vult ipse dicere & adaptare: quod maior pœna & minor debetur iræ secundum illas differentias. Et istud totum habetur ex Gl. super illud idem: quæ dicit: *Gradus sunt in istis peccatis: primo est irasci, & hunc motum animo retinere: plus est, si vocem commotio ipsa extorsit, qua feriatur ille, cui irascitur: plus etiam si certa vituperatio.* Similiter gradus sunt in pœna: nam minus est iudicium, quando adhuc cum reo agitur, & est defensioni locus: plus etiam concilium, quando iudices inter se conferunt, quo supplicio damnant, quẽ cõstat esse damnandum: plus etiam gehenna, vbi nulla sententiæ dilatio. Et ita quod propriis & certis modis exprimi non potuit: quibusdam similitudinibus diffinitum est. His enim tribus iudicio, concilio, gehenna, diuersæ mansiones in æterna damnatione pro merito peccati signanter exprimuntur.

G'o super Matth. 5.

QVÆST. CXII.

De accidia.

In vndecim Membra diuisa.

D. Tho. 1.2 q. 36.

CONSEQVENTER dicendum est de accidia. Circa quod plura incidunt dubitabilia. Primũ est de ratione ipsius nominis, vnde trahitur. Secundum est, de ratione ipsius, quid sit secundum rem. Tertium, in quo genere sit. Quartum, de causa illius peccati & radice. Quintum, an sit capitale vitium. Sextum, de eius opposito, quod sit illud. Septimum, de comparatione accidiæ ad inuidiam. Octauum, de magnitudine huius peccati. Nonum, quare accidia ponitur peccatum penes superfluitatem, & non penes diminutionem. Decimum contra quod præceptum decalogi sit. Vndecimum de eius effectu.

MEMBRVM I.

Accidia vnde dicatur?

AD PRIMVM sic: quæritur vnde trahit originem hoc nomen Accidia? Si dicatur quod sumitur ab illo verbo. *Subijce humerum tuum, & porta illam: & ne acedieris in vinculis eius*, id est, ne accidieris de præceptis, quæ dicuntur vincula sapientiæ, vincula enim sapientiæ sunt præcepta. Eccl. 6.

¶ CONTRA, quia secundum hoc videtur, quod acedia circumeat omne peccatum: quia in omni peccato mortali est tædium alicuius præcepti: quia qui peccat peccato inuidiæ, tædet ipsum de præcepto charitatis, & superbum de humilitate, & sic de aliis. Ergo si quodlibet peccatum importat tædium alicuius præcepti, nõ determinatur peccatum accidiæ penes tædium & tristitiam circa præcepta: ergo non trahitur hoc nomen huius peccati ex illo verbo: quia respicit indifferenter omnia capitalia peccata.

RESOLVTIO.

Ab acedine, siue acredine.

¶ AD quod dicendum: quod hoc nomen [acedia] dicitur ab acredine: quia Prou. 10. dicitur. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum in via. Hic enim comparatur pigritia siue acedia aceto, quod est res, dentibus inferens nocumentum, & ratione nocumenti cõparatur ipsi. Quia sicut hoc est nocumentum corporale, quod facit dentibus ipsum acetum, scil. quia infert acredinem: ita hoc peccatum dicitur acedia, quia infert nocumẽtum spirituale animæ, sc. acredinem quandam, ex qua tædet animam bonum spirituale, tanquam difficile: & ideo dicitur peccatum illud acedia ab acredine: vnde debet scribi per vnum c non per duplex c.

¶ AD illud, quod obijcitur: quod acedia circuit omnia præcepta, quia vincula dicuntur ipsa præcepta, Dicendum est, quod aliquid est difficile, & vltra illud, quod est difficile, est etiam determinate spirituale laboriosum; vt dicatur difficile laboriosum: aliquid autem est difficile, quod non est tamen alicui laboriosum. Sed cum est difficile, & cum hoc laboriosum; iuxta illud determinatur peccatum acediæ: sicut dicit Chrys. Sicut spirituale laboriosum bonum est: ita corporale voluptuosum malum est. Vnde dicit, Malitiæ comes est voluptas: virtuti vero consors est labor. Circa ergo bonum spirituale laboriosum vult ipse quod sit acedia.

¶ SED contra hoc obiicitur: quia præcepta sunt bona spiritualia, difficilia, laboriosa: ergo erit ea tædium præceptorũ determinatur acedia: & ita (vt prius) est comes omnis peccati, circuiens ea. Et dicendum quod spirituale accipitur duobus modis. Vno modo prout generaliter attenditur, & circuit omnia præcepta, & prohibitiones diuinas: & sic acedia, quæ est circa spirituale, hoc modo est quoddã generale: & secundum hoc dicitur à B. Greg. *sequela acedia torpor circa præcepta, & vagatio mentis circa illicita.* Aliter dicitur spirituale, prout solum respicit illa opera, quæ ordinant in Deũ perfecte: sicut sunt ista opera orare, psallere, legere, & huiusmodi: & hoc modo circa spirituale laboriosum determinatur acedia, prout est speciale peccatum. Vnde hoc modo spirituale, laboriosum, sc. in tali genere determinant acediã in specie peccati: secundum quod dicit Bern. quod acediæ opponitur suauitas & iocunditas mentis, quæ est in contemplatione. Gregor.

MEMBRVM II.

Quid sit accidia secundum rem?

SECVNDO quæritur de acedia, quid sit secundum rem & diffinitionem. Ponit autem August. talem super illud. *Omnem escam abominata est anima eorum. Acedia est tædium inter-* Aug. super Psal. 106.

Rich. de S. Victore. Damasc. ni boni. Item, Rich. *Acedia est torpor mentis, bona negligētis inchoare.* Item, Dam. *acedia est tristitia aggrauans.* Item, alia ponitur magistralis. *Acedia est diffidentia implendi mandata.* Quæritur ergo in quo differunt illæ diffinitiones? Et obiicitur contra istam diffinitionem, quæ est. *Acedia est diffidentia implendi mādata:* quoniam diffidentia opponitur confidentiæ, quæ est spei, sed acedia non opponitur directe spei: ergo acedia nō est diffidētia essentialiter. Si ergo diffinitio datur per essentialia rei, ergo male diffinitur acedia per diffidentiam.

Cicero. Isid. de institutione ecclesiast. ¶ Ad oppositum: *confidentia est dispositio fortitudinis*, vt dicit Tullius: & dicit Isid. quod acediæ opponitur fortitudo. Ergo per se & essentialiter dr̄ acedia diffidentia: quia rōne illius dr̄ opponi fortitudini. ¶ Similiter obr̄ de illa diffinitione, quæ est. *Acedia est tædium interni boni*; quia acedia est respectu præcepti vel prohibiti; & hoc est exterius bonum: ergo dr̄ acedia respectu exterioris boni: ergo nō est tædium interni: imo boni exterioris: & ita non dicit ista diffinitio rōnem ipsius. ¶ Similiter obr̄ de illa diffinitione, q̄ acedia est torpor mentis bona negligentis. Contra q̄ obr̄ sic: torpor est idem, q̄ segnities: sed segnities est timor futuræ operationis: ergo torpor est timor futuræ operationis: sed tristitia & timor disparata sunt: ergo acedia cū sit tristitia nō est torpor.

Dam. lib. 2. cap. 14. ¶ Similiter obr̄ contra illam diffinitionem, quæ est. *Acedia est tristitia aggrauās*: quia Dam. ponit quatuor species tristitiæ: & vnam vocat *achos* quæ vocem aufert: & illa est tristitia aggrauans: ergo secundū hoc *achos* & acedia idem essent: q̄ est falsum, cum sint diuersæ species tristitiæ: ergo nō est illa diffinitio acediæ. Quod aūt *achos* sit tristitia aggrauans, patet: qm̄ efficit hoīem sine voce. Item, torpor opponitur tristitiæ: sed acedia est torpor, sicut dicit Richar. ergo

Richar. acedia nō est tristitia. Item, tristitia opponitur gaudio, acediæ opponitur fortitudo: sed quorum opposita sunt diuersa, ipsa sunt diuersa: sed gaudium non est fortitudo, quia gaudium est fructus: ergo acedia non est tristitia.

Aug. de cōflict. vitiorum, & virtutum. Idem. ¶ Contra Aug. de Conflictu dicit: q̄ tristitia & gaudium spirituale opponuntur. (Vn̄ dicit. *Non est in iis contristandum, quæ suades: sed magis gaudendum in iis, quæ nondum intelligis*: Et iterū. *Nullus mæroris dēt esse locus, vbi tāta lætitia succedit.*) Ergo tristitia & acedia sunt idē; cum habeant idē oppositū.

¶ Præterea obiicitur quoniam secundum istam diffinitionem Damasc. non videtur acedia differre ab inuidia: quoniam inuidia est tristitia aggrauans.

RESOLVTIO.

Acedia est tædium interni boni. Vel, Acedia est torpor mentis, bona inchoare negligentis. Vel, Acedia est tristitia aggrauans. Demum, Acedia est diffidentia implendi mandata. Quarum omnium definitionum tertia essentialior est.

¶ Ad hoc dicendum. Ad primum, quod tres ponuntur rationes, sicut tactum est supra, distinctæ secundū causas in tempore præterito, aut præsenti, aut futuro. Prima .n. respicit malum in præsenti, cum dr̄: q̄ *acedia est tristitia aggrauans.* Secunda respicit bonū in præterito, cōprehensum vt malū sibi: quia, sc. est difficile & laboriosum, scil. illa quæ dicit, q̄ *acedia est tædium boni interni à Deo collati.* Tertia vero respicit malū in futuro: cum scil. dr̄ quod *acedia est torpor mentis bona negligentis inchoare* ¶ Si aūt quæratur, quæ istarū diffinitionū essentiam determinet acediæ? Dicendum est, q̄ illa, quę dicit: quod *acedia est tristitia aggrauans*. Sequēs vero determinat causam antecedentem: quæ sc. dicit, quod *acedia est tædium boni interni à Deo collati*: bonū enim internum apprehensum vt difficile ad conseruandum in opere; est causa præexistēs illius tristitiæ cōsequentis naturaliter. Tertia vero dicit intentionem consequentem proximo: quę sc. dicit, quod *acedia est torpor mentis bona negligentis inchoare*: qui enim tristatur tristitia aggrauante, torpet ab operibus fiendis. ¶ Et per hoc potest patere quæstio, si quis quærat: propter quid ponatur torpor de nascentibus ab acedia, & non tristitia, aut tædiū? Hoc enim non consequitur, illud vero consequitur.

¶ Ad illud ergo quod primo obijcitur de illa magistrali, scilicet quod *acedia est diffidentia*. Dicendum ipsa dicit intentionem consequentem, sicut illa; accidia est torpor. Ex hoc enim quod videt bonum sibi esse difficile & laboriosum ad conseruandum vel faciendum, ex hoc est quod diffidit, & torpet circa illud faciendum. Vnde concedo bene, quod illa ratio non determinat essentiam ipsius acediæ: vnde non datur per aliquid, quod sit essentiale ad ipsam, imo per illud, quod ad ipsam consequitur, sicut dictum est: & concedo rationem, quæ ostendit, quod non detur illa ratio per illud, quod est essentiale acediæ.

¶ Ad rationem in contrarium dicendum est: quod acedia non est essentialiter diffidentia: immo diffidentia ipsam concomitatur, hoc est sequitur ad ipsam. Et quod dicitur quod fortitudo opponitur ipsi acediæ: Dicendum, quod hoc est ex consequenti, ratione scil. diffidentiæ annexæ ipsi acediæ: vnde non per se illi opponitur, sed ratione annexi, vel sequentis naturaliter ex ipsa.

¶ Ad illud, quod secundo obiicitur de alia diffinitione. Dicendum, quod ipsa non determinat essentiam acediæ: sed datur per illud, quod est antecedens ad ipsam.

¶ Et quod obijcitur, quod acedia debet dici tædium externi boni. Dicendum (sicut dictum est) quod peccatum acediæ dicitur esse circa bonum spirituale apprehensum vt difficile & laboriosum: & ex hoc quod apprehenditur vt laboriosum vel difficile, ex hoc venit tristitia. Ratione ergo, qua illud bonum est spirituale, dr̄ esse internum, ad differentiam boni corporalis: ratione autem, qua illud bonū est vt difficile & laboriosum in opere, bene dr̄ esse externū.

¶ Ad illud, quod obiicitur de tertia diffinitione: scilic. quod *acedia est torpor*. Dicendum, quod torpor consequens ipsam acediam non est acedia essentialiter, sicut nec diffidentia: immo ad ipsam acediam vel tristitiam sequitur torpor ille, & diffidentia. Vnde diffinitio illa non datur per aliquid essentiale acediæ: hoc est, quod sit de essentia illius: immo per consequens ad ipsam naturaliter. Et ita ratio nō procedit, quin possit diffiniri per ipsam tanquam per consequens ad ipsam: licet nō tanquam per essentiale, vel formale in ipsa: ex illa enim tristitia sequitur diffidentia & torpor. Anima enim quæ tristatur circa bonum difficile & laboriosum, ex hoc quod videt ipsum difficile & laboriosum, torpet: ex hoc autem quod videt ipsum, & æstimat se nō posse perfecte illud implere perseuerando, in illo diffidit.

¶ Ad illud, quod obiicitur contra tertiam diffinitionē Dam. quæ est: quod *acedia est tristitia aggrauans*. Dicendum quod illa diffinitio determinat essentiam ipsius acediæ. Damasc.

¶ Et quod obijcitur, quod conuenit alij, sc. *achos*, quæ est alia species acediæ. Dicimus, quod contingit loqui de *achos* (quæ est tristitia vocem auferens) & de acedia dupliciter. Vno modo prout sunt passiones, siue pœnæ: & sic differunt ad inuicē secundum gradus: quia acedia est interior, achos vero est exterior: & ita si diffiniuntur vt passiones vel pœnæ, bene concedo, quod non est ipsarum eadem diffinitio. Alio modo cōtingit loqui de ipsis, vt sunt peccata: & sic non differunt inuicem, immo ad vnum genus peccati reducuntur.

¶ Ad illud, quod obijcitur: quod opposita tristitia & acediæ non sunt eadem: ergo nec acedia est tristitia. Dicendum, quod (sicut dictum est) fortitudo per se & ratione essentiæ non opponitur ipsi acediæ: immo ratione diffidentiæ annexæ ipsi acediæ. Vnde sicut diffidentia non est acedia, immo sequens ad ipsam: ita dicimus quod fortitudo non est gaudium. Si autem fortitudo per se & essentialiter opponeretur acediæ, & non ratione annexi; bene procederet ratio.

¶ Ad aliud, q̄ obr̄ de torpore. Dicendum, sicut dictū est: quod cum dr̄, acedia est torpor, & c. hic non est prædicatio essentialis siue formalis: imo notans concomitantiam tanquam eius, quod ad alterum sequitur: vnde non dr̄ acedia torpor, nisi quia acedia est tristitia (formaliter loquēdo) ad quā tristitiam sequitur torpor mentis circa boni impletionem, siue circa inchoationem boni, propter hoc quod existimatur non posse impleri. ¶ Ad illud, quod obr̄ quod hęc ratio conuenit inuidiæ Dicendum, q̄ non prout est rō acediæ, est rō inuidiæ: imo alia de causa & rōne. Nam inuidia proprie tristatur de bono alterius, quod tn̄ apprehendit vt sibi malum & nociuum: in hoc, sc. quod existimat illud esse diminutiuum sui boni: acedia aūt proprie tristatur de bono, eo quod apprehendit illud tanquam difficile & laboriosum ad faciendum. Et sic sunt diuersæ rationes & motiua huiusmodi tristitiæ hic, & ibi.

MEMBRVM

MEMBRVM III.

An acedia in genere passionis sit?

TERTIO quæritur, in quo genere sit acedia: vtrum sit in genere passionis? Et ostenditur quod non: quoniam dicit Damasc. *quod passionem consequitur tristitia*: & sumit illud ex verbo Philosophi dicentis, *Dico autem passiones ex quibus vniuersaliter sequitur delectatio vel tristitia*. Sed acedia est tristitia: ergo non est passio, immo sequens ad passionem.

Damasc. Philos.

¶ Contra Damasc. vbi loquitur de passionibus, vocat ipsam acediam passionem; quia huiusmodi tristitias vocat passiones, de quibus passionibus ibi ipse loquitur.

RESOLVTIO.

Et passio, & passionis terminus.

¶ AD quod dicendum, quod delectatio vno modo est terminus passionis delectabilis: alio modo est passio. Similiter tristitia vno modo est terminus passionis tristabilis: alio modo est passio. Vnde de delectatione, quæ est terminus delectabilis passionis, loquitur Remigius, cum dicit: quod delectatio est actus sine motu: passio enim cum motu est: vnde delectatio illa non est passio: sed potius passionis terminus. Secundum ergo quod delectatio & tristitia termini sunt passionum: loquitur Philosophus dicens: *quod delectatio & tristitia passiones sunt*: animus enim aliquando mouetur fugiendo vel appetendo: & cum in fine succumbit, terminus iste dicitur tristitia. Tristitia autem potest dici & de passione, & de termino passionis: & sic bene concedendum est, quod tristitia est passio. Tamen tristitia ista non dicitur peccatum inquantum huiusmodi, nisi secundum quod volentibus nobis accidit, vel non sine voluntate nostra: non enim de ratione illa pura, qua est passio, est peccatum, immo pœna: sed quia vlterius est voluntaria, vt dictum est.

Philos.

MEMBRVM IV.

An ex amore, vel ex libidine tanquam ex radice acedia sit?

QVARTO quæritur de causa istius peccati, & radice: vtrum se ex amore sit, vel libidine, secundum quod libido dicitur esse principium omnis peccati? Ostenditur autem, quod non: quoniam amor ille inordinatus, siue libido (quod idem est) & acedia ex opposito se habent: libido enim dicitur improba voluntas respectu eius, quod placet: sed acedia siue tristitia dicitur respectu eius, quod displicet: ergo per oppositum se habet ad illum amorem inordinatum siue libidinem: ergo non reducitur ad illum tanquam ad radicem vel principium. Ex quo sequitur, quod acedia non sit peccatum: cum omne peccatum ad illam reducatur tanquam ad radicem, siue principium: sicut dicit Aug. in Lib. de lib. arb.

RESOLVTIO.

Ex amore tandem.

AD quod dicendum secundum Aug. licet timor male humilians, & amor male accendens opponantur: nihilominus timor male humilians nascitur ex amore male accendente: sicut cum aliquis occidit alium hominem, quem timet: & hoc, quia amat viuere sine metu: & iste amor siue libido mouet ipsum. Vnde cum sint duæ radices peccatorum scilicet timor, & amor: tamen timor semper reducitur ad amorem, & causatur ab illo: sicut habetur in Glo. super Psalm. *Incensa igni, & suffossa*: & ideo dicitur amor siue libido simpliciter esse radix omnium peccatorum: quia nunquam causatur peccatum ex timore, quin amor præcedat timorem radicaliter. Similiter dicimus hoc, quod licet homo tristetur in hoc peccato; hæc tamen tristitia radicatur in aliquo, quod sibi placet.

Aug. in lib de lib. arb.

Glossa sup Psal.

Et ita patet radix & causa istius peccati.

MEMBRVM V.

An acedia capitale peccatum sit?

QVINTO quæritur, vtrum acedia sit capitale vitium? Et ostenditur: quod non: spirituale laboriosum est tristabile: sed tristabile displicet, & tale non cadit in affectione: & quod non cadit in affectione, non est peccatum: ergo cum acedia vel tristitia respiciat huiusmodi spirituale laboriosum: relinquitur quod non est vnum de septem vitiis capitalibus.

¶ Item, capitale vitium dicitur capitale, non quia nascitur ex alio, sed alia ex ipso: sed acedia siue tristitia nascitur ex alio: ergo non est capitale. Minor patet, quoniam acedia fugit spirituale laboriosum, sicut dictum est: & hoc propter aliquod delectabile, quod ei aduenit ex fuga illius laboriosi siue tristabilis: ergo istud peccatum nascitur ex appetitu vel amore inordinato alicuius delectabilis: ergo ex alio peccato nascitur: & ita non est capitale.

¶ Item, dicit Greg. quod ex perturbatione iræ nascitur tristitia: sed ira est vitium capitale: ergo tristitia siue acedia nascitur ex alio capitali: ergo ipsa non est vitium capitale: sicut non diceremus quod torpor esset capitale, quia sequitur ex acedia. Gregor.

¶ Contra, Gregor. in ennumeratione exercitus diaboli ponit ipsam esse vitium capitale: ergo est vitium capitale. Idem Lib. 31. Moral. cap. 31.

RESOLVTIO.

Testatur B. Gregor. Acediam capitale vitium esse.

¶ AD quod dicendum, quod acedia secundum Greg. est capitale peccatum.

¶ Ad primam rationem in contrarium dicẽdum: quod tristabile illud non displicet, nisi quia eius oppositum placet, id est quies: & quia placet inordinate, ideo facit peccatum: cadit ergo acedia in affectione ratione illius libidinis, vel amoris inordinati, antecedentis ad istam displicentiam siue tristitiam.

¶ Ad secundam rationem dicendum: quod licet acedia vel tristitia nascatur ex amore libidinoso: nihilominus est vitium capitale: amor enim ille libidinosus radix est peccati cuiuslibet generalis: sicut dicit Aug. Vnde irasci ex illo non impedit quin sit vitium capitale: cum amor ille non sit peccatum separatum, immo causa & radix essentialis cuiuslibet peccati, sine qua non est peccatum. Vnde quando dicimus: iste amat voluptuosum in quiete, & ideo fugit laboriosum: fugere laboriosum ille est motus illius peccati acediæ: amare autem voluptuosum in quiete, illud est radix eius: & hæc duo vnum peccatum perficiunt, & nõ duo. Et ideo patet, quod tunc nascitur ex alio peccato: quia non distinguitur in peccato, sed faciunt vnum peccatum.

¶ Ad tertiam rationem dicendum, quod sequi ex peccato capitali, est dupliciter. Vno modo coordinatione essentiali: secundum hoc dicimus, quod filiæ capitalium peccatorum sequuntur ex ipsis: & hoc modo sequi vel generari ex capitali vitio sicut ex ira, bene impediret vitium esse capitale, quod ex ipso sequeretur. Alio modo generatur aliquid ex capitali vitio, ita quod non est coordinatio essentialis vnius ad alterum, sed accidentalis: sic sequi ex vno capitali non impedit esse capitale: quia non sequitur tanquam filia: hoc modo sequitur acedia vel tristitia ex perturbatione iræ: non quod sit eius filia: sed quandoque contingit, quod ex ipsa sequitur.

MEMBRVM VI.

Acediæ peccatum cui opponatur?

SEXTO quæritur de opposito istius peccati: Ostenditur autem quod per se opponitur ipsi charitati: quoniam charitas facit omne difficile facile: sicut dicitur super illud. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue &c.* quod est difficile in se, amanti est facile: charitas ergo facit de difficili facile: sed acedia facit contrarium: ergo acedia per se opponitur charitati. Matth. 11.

¶ Quod autem opponatur fortitudini, videtur, quia dicit Isidor. quod acediæ fortitudo, tristitiæ gaudium opponitur.

¶ Præterea, videtur quod opponitur gaudio, quod est fructus Spiritus sancti: quoniam acedia est tristitia: sed tristitia illa opponitur gaudio, quod est fructus: ergo acedia eidem opponitur.

Psalm. 41. Glossa ¶ Præterea, videtur quod opponatur charitati, spei, & patientiæ: quoniam super illud. *Quare tristis es anima mea,* Glo. *Ratio frequenter & vehementer persuadet tristitiam seculi fugiendam:* quæ patientiam, & charitatem, & spem extinguit. Si ergo extinguit ista: ergo opponitur istis.

RESOLVTIO.

Charitas, fortitudo, gaudium, spes, & patientia.

¶ Et dicendum, quod acedia cum omnibus istis opponitur: & hoc propter diuersa, quæ sunt in ea. Nam ipsam acediam (sicut dictum est) cõcomitatur diffidentia implẽdi præcepta: & ratione huiusmodi diffidentiæ opponitur spei. Item, ibi est tædium rei laboriosæ: & ratione huiusmodi tædii opponitur fortitudini, quæ est in aggressu difficilium laboriosorum. Radicaliter aũt opponitur ipsi charitati propter contrarietatem suorum motuum: quia acedia facit facile æstimari difficile, charitas difficile facit æstimari facile. Item, ratione impatientiæ annexę ipsi opponitur patientiæ: quæ est in sustinendo ea, quæ videntur aduersa & laboriosa. Est enim ipsam acediam concomitans semper impatientia, secundum quod nos vocamus impatientiam in non sustinendo aliquid laboriosum & difficile propter Deum: & non loquimur de impatientia, quæ est motus surgens ex iniuria illata; hoc enim est in ira. Per se autem & essentialiter opponitur gaudio: & hoc ratione tristitiæ: hæc enim ratio determinat eius essentiam sc. quod acedia est tristitia: & ideo ratione tristitiæ illius, quæ est essentialis: ipsi opponitur gaudio & per se, & essentialiter. Veruntamen distinguendum est gaudium: quia quoddam est concomitans generaliter omnes virtutes: & de hoc habetur.

Rom. 14. *Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto:* & huic non opponitur primo & per se: sed ex consequenti: quia s. opponitur virtuti: virtutem autem concomitatur hoc gaudium. Est autem aliud gaudium, quod est in spirituali laborioso, & hoc propter Deum: & hoc per se opponitur acediæ.

MEMBRVM VII.

An acedia vnum idemque peccatum sit cum inuidia?

Septimo quæritur de cõparatione acediæ ad inuidiam, vtrum sint vnum peccatum, vel duo. Et videtur quod vnum, per hoc quod dicitur Prouer. 16. *Spiritus tristis exsiccat ossa:* Glo. *Qui tristitia seculi, quæ mortem operatur, agitur, pinguedinem diuinæ charitatis in robore virtutum, quas exercere videtur, habere nullatenus valet.* Ex quo habetur, quod opponitur charitati: sed amor charitatis respicit bonum in altero, & bonum in seipso: & tamen vna virtus est (vnde non per hoc distinguuntur duæ virtutes) ergo similiter in eius opposito idem est vitium, quod respicit bonum in se, & bonum in alio: sed acedia respicit bonum in se (quia acedia est tædium interni boni à Deo collati) inuidia autem respicit bonum in alio (quia inuidia est odium alieni boni) ergo acedia & inuidia sunt vnum vitium.

Prou. 16. Glossa

Damas. ¶ Item, dicit Dam. *quod acedia est tristitia aggrauans:* sed inuidia est tristitia aggrauans: ergo inuidia est acedia: ergo vnum vitium. Minor patet, quia tristitia in alienis bonis est tristitia aggrauans: & hæc est inuidia.

¶ Ad oppositum est illud, quoniam acedia & inuidia sunt duo capitalia vitia adinuicem disti[...]

RESOLVTIO.

Immo duo, & quam diuersa.

¶ Ad hoc dicendum, quod charitas cum sit oppositum inuidiæ & acediæ, non est proprie oppositum illis. Ratio autem procedit, ac si esset proprie oppositum. Proprie autem oppositum inuidiæ (sicut dicit Philosophus) est nemesis: quæ est medium inuidiæ & epichetariæ: virtus scilicet qua fit congratulatio in alienis bonis, & compassio in alienis malis. Acediæ vero opponitur bona lætitia, quam describit Dam. dicens. *Bona lætitia est, quæ non pœnitudinem infert:*

Damas.

nec alterius nocumenti est generatiua: nec vltra mensuram excedit, nec à studiosis operibus nos abstrahit: aut in seruitutem redigit. Sic autem acceptis oppositis, sicut vnum oppositorum non est alterum, sic nec inuidia est acedia, vel econuerso: nec ad vnum capitale peccatum conueniunt.

¶ Præterea, posset aliter responderi: quod non est simile ex parte vitiorum, & ex parte virtutum. Duo enim rami virtutis in vno ramo virtutis possunt conuenire: opposita vitia inter se diuiduntur tanquam genera.

¶ Ad secundum dicendum, quod illa diffinitio non determinat totum esse ipsius acidiæ: sed in comparatione ad achos? Est enim achos tristitia vocem auferens. Hic autem sumitur acedia communiter, & distinguitur ab inuidia, quia inuidia, est tristitia aggrauans de alieno bono: acedia vero est tristitia aggrauãs de proprio bono spirituali: quod tamen videtur malum, eo quod laboriosum. Vnde dicit Chrys. *Dices, laboriosum est continua oratio: cui econtra dicitur: & quid non laboriosum eorum, quæ sunt virtutis?* Chrys.

MEMBRVM VIII.

Acedia quam graue peccatum sit?

Octavo quæritur de magnitudine huius peccati? Videtur enim maximum esse inter vitia: ociositas enim mater est omnium vitiorum, & nouerca virtutum: sicut dicit Bernardus: & hæc ociositas coniuncta est acediæ (de ipsa enim dicitur. *Multam malitiam docuit ociositas*) cum autem sit mater vitiorum, & nouerca virtutum: per consequens erit acedia maximum peccatum. Bernar. Eccl. 34.

¶ Item, pœna peccati proportionatur culpæ: sed illud peccatum grauissimam habet pœnam: ergo grauissimam culpam. Probatio minoris: dicitur super illud. *In absconsione permanet tristitia.* Glo. *Hic incipit, & in futuro pœna durabit propter diffidentiam supernæ consolationis.* Cum ergo tristitia habeat pœnam in præsenti continuatam pœnæ futuræ; hæc autem est pœna grauissima, acedia vero sit tristitia, patet quod acedia sit peccatum grauissimum. Eccl 38. Glossa

¶ Præterea: dicitur de hac tristitia, quod sit tristitia ad mortem, secundum quod habetur. *Seculi autem tristitia operatur mortem:* ergo est peccatum in Spiritum sanctum (de quo dicitur. *Est peccatum ad mortem: non pro eo oret quis*) ergo est irremissibile, ergo maximum. 2.Cor.7. 1.Ioan. vlt.

¶ Contra, infidelitas est maius peccatum, quam acedia: ergo acedia non est maximum: & similiter superbia maius est quam acedia, sicut dictum est.

RESOLVTIO.

Ratione generis peccati non admodum graue peccatum acedia est, veluti scilicet superbia atque infidelitas: ratione tamen vel desperationis, in qua terminatur, vel ociositatis quæ ei annectitur; grauissimum apprime.

¶ Ad quod dicendum, quod contingit loqui de acedia multipliciter. Est enim vno modo accipere acediam, secũdũ quod ipsa terminatur & consummatur in desperatione: secundum quod dicit Augu. quod vna est tristitia, quæ ad pœnitentiam trahit: altera, quæ ad desperationem producit: ab illa auertat nos Deus. Loquendo ergo de acedia, secũdum quod terminatur in desperationem: dicimus quod ipsa est grauissimum peccatum: & hoc ratione desperationis s. adiunctæ, in quam terminatur: Et sic intelligitur illud, quod dicitur Eccl. 38. in Glo. loquitur enim de tali acedia: vnde dicit. *Propter diffidentiam supernæ consolationis hic incipit, & in futura pœna durat.* Hoc enim est valde graue, & quasi irremediabile; quando adducitur diffidentia supernæ consolationis. Hoc etiam modo loquitur de tristitia vel acedia ibidem, cum dicit. *A tristitia festinat mors:* Glo. *animæ.* Ecce quod ibi loquitur de acedia illa, quæ habet desperationem adiunctam. Item, loqui contingit de ipsa ratione ociositatis sibi adiunctæ: hæc autem ociositas occasio est multorum vitiorum. Anima enim necessario aut occupatur bonis cogitationibus, aut malis: si non est occupata bonis, tunc est valde prona ad malas: & ideo dicitur ociositas magnũ malum & ratione huius ociositatis dicitur magnũ malũ acedia. Veruntamen ratione sui generis in se non dicitur esse maximum peccatum, immo ratione generis pec-

August.

Glossa. super Eccl. 38.

Ibidem eadem.

cati maiora sunt superbia & infidelitas : sicut obiicitur. Sed loquuntur illæ authoritates Eccles. secundum quod habet desperationem terminum : & tunc dicitur maximum, ratione adiuncti vel termini, non ratione generis peccati.

¶ Ad aliud, quod obiicitur: quod est peccatum ad mortem. Dicendum, quod tristitia dicitur esse peccatũ ad mortem dupliciter. Vno modo quando terminatur in desperationem veniæ : & tunc proprie dicitur esse peccatum ad mortem : & hoc modo est peccatum in Spiritum sanctum & irremissibile. Alio modo dicitur tristitia esse ad mortem, quia s. ordinat ad mortem culpæ: quia sicut bona tristitia, quæ est pœnitentia, ordinat ad vitam: ita tristitia seculi ordinat ad mortem, hoc est ad culpam: & hoc modo dicitur. *quod tristitia seculi mortem operatur.* Sed hoc modo non est peccatum maximum & irremissibile: quia in multis accidit, qui sunt ad hoc dispositi, sicut in melancholicis. Vnde multoties contingit ex infirmitate melancholiæ, vel etiam alia: & ideo non dicitur maximum esse peccatum, nec irremediabile. Vnde Chrysost. *Cain tristatus est, sed tristitia mundi: Paulus tristatus est, sed ea, quæ est secundum Deum: Quæ enim spiritualis est tristitia, lucrum habet maximum: quæ secularis est, damnum habet vltimum.* (2. Cor. 7. — Chrysost.)

¶ Sed iuxta hoc obiicitur de hoc, quod dicitur. *Est peccatum ad mortem: non dico, vt pro eo oret quis.* Nunquid ergo esset orandum pro accidioso desperante: quoniam si est orandum pro illo: quid ergo dicit Ioannes? (1. Ioan. vlt.)

¶ Ad quod dicendum, quod peccatum ad mortem dicitur dupliciter. Vno modo dicitur peccatum ad mortem peccatum mortale: & hoc modo orandum est pro illo. Sed aliter exponitur & dicitur peccatum ad mortem, quando aliquis ordinat ita seipsum, quod non est talis, quod pro ipso habeat effectum oratio; sicut desperans de venia, manens huiusmodi, reddit se talem vt pro eo non habeat effectum oratio: & hoc est, quia ipse non coadiuuat se, sicut cõfidens de venia: confidens enim de venia adiuuat orantem in hoc, quod confidit de venia: sed iste, qui est desperans, non solum non adiuuat orantem, immo etiam ipsum impedit. In aliis enim peccatis homo bene confidit de venia: vel saltem non diffidit: sed illud peccatum, quod est desperatio, diffidit de venia: vnde ponit obstaculum & impedimentum, vt in ipso non habeat effectum oratio: & ideo dicit, *Non dico, vt pro eo oret quis.* (Ibidem.)

MEMBRVM IX.

An acedia ita penes diminutionem peccatum ponenda sit, sicut & penes superfluitatem, peccatum ponitur?

NOno quæritur, quare acedia ponitur peccatum penes superfluitatem, & non penes diminutionem. Et videtur quod debeat esse peccatum similiter penes diminutionem: sicut contingit contristati, vbi est tristandum, & prout est tristandum; & hoc videtur esse virtutis: & cõtingit tristari vbi non est tristandum, & per immoderantiam: & iterum non tristari, vbi esset tristandum. Et ita duo videntur esse extrema: vnum dictum per superabundantiam : & reliquum per diminutionem respectu eius, quod primo positum est secundum medietatem: ergo sicut determinatur vnum peccatum penes primum extremum: ita deberet determinari penes reliquum.

¶ Item, Chrys. Magna est tristitiæ tyrannis: & multa virilitate opus est : vt instemus huic passioni nobiliter: quod vtile ab ea fructificantes: quod vero superfluum est, dimittentes: Ergo tristari habet extremum dictum secundum superfluitatem : sed eadem ratione & secundum diminutionem: & ita vt prius.

RESOLVTIO.

Et poni, & non poni potest, diuersa consideratione.

¶ Ad quod dicimus, quod sicut dicimus iram peccatum, quando quis irascitur, vbi non esset irascendum: sed non ponimus in aliud genus peccati, cum quis non irascitur, vbi esset irascendum.

¶ Præterea, cum quis non tristatur, hoc accidit ex aliqua lætitia vana: vnde potius cadit in aliud genus peccati, quam tristitiæ. Vel potest dici quod totum continetur sub accidia, secundum quod dicit Greg. in fine Iob. *Tristitia non habens in se, vnde lætetur, foris quærit.* (Gregor.)

MEMBRVM X.

Acedia contra quod præceptum (tum maxime Decalogi) sit?

DEcimo quæritur, contra quod præceptum sit peccatum acediæ : & maxime contra quod præceptum Decalogi: ad illa enim præcepta alia quodammodo reducuntur? Et videtur, quod non sit contra aliquod præceptum primæ tabulæ: præcepta enim primæ tabulæ referuntur vel ad diuinam maiestatem, vel veritatem, vel bonitatem: contra quorum nullum est per se acedia: contra enim primum est idololatria per se, contra secundum diuinatio & sortilegium, contra tertium est superstitio: nullum autem horum est acedia: non ergo est peccatum contra præceptum primæ tabulæ.

¶ Præterea, si esset contra aliquod: videtur magis esse contra præceptum sanctificationis sabbati. Quod autem non sit, patet per hoc, quod in illo præcepto præcipitur quies ab opere seruili: quies autem ab opere seruili, & labor opponuntur: in acedia vero requiritur quies : & ita non opponitur præcepto de sabbato.

¶ Similiter non est contra præceptum secundæ tabulæ: præceptum enim secundæ tabulæ est, in quo sit prohibitio iniuriæ proximo : vel in quo sit præceptum eius, quod debetur proximo, sicut in honore parentum : & ita omne præceptum secundæ tabulæ respicit proximum. Sed acedia non respicit proximum in suo actu : ergo non est contra præceptum secundæ tabulæ : est enim deordinatio hominis in seipso, vel ad Deum.

RESOLVTIO.

Contra præceptum de sanctificatione sabbati : sed specialius contra prohibitionem quandam Ecclesiastic. 30. & 36. cap.

¶ Ad quod dicendum, quod peccatum acediæ specialiter est contra prohibitionem datam in Eccles. vbi dicitur, *Ne dederis in tristitiam cor tuum: sed repelle eam à te.* Et *Tristitiam longe expelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* (Eccl. 38. & 30.)

¶ Si vero quæratur, contra quod præceptum Decalogi sit, prout alia præcepta implicite intelliguntur in Decalogo. Dicendum est, quod opponitur præcepto de sanctificatione sabbati. In peccato enim acediæ tristitia est de spirituali labonoso cum amore quietis carnalis : econtra vero in illo præcepto est amor sanctæ quietis, quæ est cum gaudio in bono spirituali : licet ipsum sit laboriosum. Vnde licet præcipiatur ibi abstinere ab opere seruili, in quo est labor : non tamen prohibetur bonum spirituale, vt orare, psallere, & prædicare : quæ sunt opera spiritualia, licet laboriosa.

MEMBRVM XI.

Acediæ effectus quis?

VNdecimo quæritur de effectu huius peccati. Dicit Chrysost. *Tristitia tenebrat visibile animæ, nihil dimittens videre eorum, quæ oportet.* Ergo effectus acediæ est obscuratio intellectus. (Chrysost.)

¶ Contra, iste est effectus superbiæ: sicut habetur ad Rom. 1. Primo enim tangitur superbia eorum, cum dicitur. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt:* & tangitur pœna. *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Et in glo. dicitur: *vt nihil intelligant, nisi quod à probitate remotum est : quos sua cæcitas à veritatis lumine funditus excludit.* (Rom. 1. Glossa ibi.)

RESOLVTIO.

Obscuratio intellectus.

¶ Ad quod respondetur, quod vtrique conuenit: sed differenter. Quoniam superbia obtenebrat ratione superabundantiæ doloris de bono spirituali : eo quod est laboriosum & difficile. Amor autem & dolor diuersimode obtenebrant, vt non cognoscatur bonum, quod oportet.

¶ Sed

¶ Sed obiicitur: amor iste, & dolor ille sunt in affectu: & ita non videtur obtenebrare intellectum.

¶ Ad quod dicendum, quod coniuncta sunt ita intellectus practicus & speculatiuus, eo quod extendente se intellectiua, speculatiua fit practica: ita quod pertubatio in vno *vt in pluribus facit perturbationem in alio. Vnde cum perturbatur affectus ex peccato superbiæ vel acediæ; perturbatur intellectus: non bene videndo illud, quod est salutiferum: sed ex diuersis causis, sicut dictum est. Præterea dicit Chrys. *Omne peccatum obtenebrat imaginem Dei in nobis*: & licet omne peccatum obtenebret: tamen hoc specialiter dicitur de tristitia: quæ non solum obtenebrat ratione qua est peccatū: sed ratione qua est hoc peccatum: acedia enim inquantum tristitia, cum est immoderata, perturbat vsum debitum rationis.

*Alias, nō in pluribus.

Chrysost.

QVÆSTIO CXLII.

De auaritia.

In vndecim Membra diuisa?

D. Th. 2. 2 q. 118.

QVÆSTIO est de auaritia. Primo ergo quæritur, quid sit. Secundo, an diligere temporalia, sit bonum secundum se, an malum, vel indifferens. Tertio quid sit inclinatiuum ex parte nostra ad illicitum amorem temporalium. Quarto, quare dicatur concupiscentia oculorum: cum non tantum contingat peccare secundum visum in illo genere peccati. Quinto, an sit capitale peccatum. Sexto, an sit spirituale, vel carnale. Septimo de aliis peccatis, quæ sunt circa amorem temporalium: vtrum sub auaritia contineantur. Octauo de opposito auaritiæ. Nono de magnitudine huius peccati, & comparatione. Decimo de casibus circa hoc peccatum. Vndecimo de effectu huius peccati.

MEMBRVM I.

Quid sit auaritia?

Aug. super Gen. ad lit. *Alias, excellens.

AD primum sic dicit Augu. *Auaritia non dicitur esse tantum appetitus pecuniæ, sed altitudinis, & scientiæ.* Videtur ergo quod auaritia sit appetitus *excellentiæ, ad minus in scientia.

¶ Sed contra hoc: quia secundum hoc non videtur differre à superbia, quæ proprie dicitur appetitus excellentiæ.

RESOLVTIO.

Teste Augustin. Auaritia est appetitus pecuniæ, altitudinis, & scientiæ. *Ex sententia vero Tullii.* Auaritia est immoderatus amor habendi.

¶ Ad quod dicendum, quod secundum illam rationē non differunt: quoniam illa diffinitio data est auaritiæ generaliter sumptæ. Potest etiam aliter dici, quod hoc est differenter: quia superbia & auaritia sumpta generaliter appetunt excellentiam: scientia enim tenet imaginem summi boni, licet imperfecte: & apparentiam huius appetit superbus & auarus; differenter tamen. Quoniam in scientia duo sunt, excellentia, & sufficientia: appetit ergo superbus apparentiam excellentiæ in scientia: cupidus vero apparentiam sufficientiæ: licet hoc modo non accipiatur auaritia vt peccatum speciale: immo in quadam generalitate: & sic diffinit eam August. hoc modo generaliter. Vnde falsum est, quod dicitur: quod auaritia est appetitus excellentiæ in scientia. Vnde Adam apparentem sufficientiam appetiit in scientia, motus ex hoc quod dictum est. *Eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Et quo ad hoc loquitur Aug. super Gen. ad lit.

Gen. 3.

¶ Tullius autem ponit aliam diffinitionem auaritiæ talem. *Auaritia est immoderatus amor habendi.* Sed videtur quod hæc ratio non conueniat auaritiæ specialiter sumptæ: quoniam amor habendi potest esse communiter respectu cuiuslibet boni creati: vtpote pecuniæ, & huiusmodi.

Cicero.

¶ Ad quod dicendum, quod bene concedimus, quod hæc ratio non approprietur: sed communiter data est de auaritia, secundum quod dicitur generaliter appetitus cuiuslibet boni temporalis: secundum quod in ipso inuenitur sufficientia. Vnde & fortasse, Aug. dicit: *quod auaritia est libido habendi pecuniam*: sed non ibi sumitur generaliter auaritia: sed solum pro bono mutabili subiacenti fortunæ. Et sic ratio Tullii potest esse appropriata respectu pecuniæ: vnde nomine pecuniæ (sicut dicit Aug.) cōtinentur omnia, quorum Domini sumus: quorum donandorum, aut vendendorum potestatem habere videmur. Cum auaritia etiam generaliter se habeat respectu scientiæ, quærendo in ea sufficientiam. Est enim oculus interior ipsius animæ, & exterior: & secundum interiorem oculum rationis est immoderatus appetitus circa cognitionem & scientiam: secundum autem exteriorem est immoderatus appetitus habendi res exteriores subiacentes fortunæ. Auaritia generaliter, quæ dicitur concupiscentia oculorum, se habet respectu omnium, quæ inordinate possunt appeti secundum oculum interiorem vel exteriorem, quærendo in illis sufficientiam: proprie tamen, vt dicitur quoddam speciale peccatum, est respectu bonorum fortunæ, quæ nomine pecuniæ intelliguntur. Vel potest sumi diffinitio Tullii communiter, non trahendo ipsam ad spiritualitatem: & sic conuenit auaritiæ generaliter sumptæ.

Aug. 14. de ciu. Dei

Idem in li. de lib. arb.

¶ Iuxta hoc quæritur de nomine auaritiæ: vtrum sc. nomen auaritiæ aliquando sumatur in bono, & non semper in malo: sicut & in bono aliquando accipitur nomen iræ?

¶ Ad quod dicimus, quod sic: sed rarissime. Vnde super illud. *Væ qui multiplicat sua*: Glo. *Est bona auaritia doctoris ecclesiastici: qui studioso labore plures sibi facere cupit discipulos semper: sed væ illi, qui aggregat domui suæ.* Frequentius enim sumitur in malo, diuersimode tamen, quoniam tripliciter. Vno modo dicitur radix cuiuslibet peccati: & hoc quandoque sub nomine cupiditatis. *Radix omnium malorum cupiditas*: Et dicit Chrysost. *ars omnium malorum est philargyria*, quod idem est quod auaritia, siue amor argenti. Quandoque etiam sub nomine auaritiæ dicitur radix cuiuslibet peccati: vnde super illud. *Radix omnium &c.* Glo. *Aliqui libri habent Radix omnium malorum auaritia*: & sic posset communiter intelligi dicta diffinitio, quam ponit Tullius. Alio modo sumitur, prout est tertia radix peccatorum, ex opposito diuisa contra concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ: secundum quod dicitur. *Omne, quod est in mundo; aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum &c.* & istud sic exponitur in pluribus locis. Vnde Aug. Hic diuidit tres radices peccatorum secundum ista tria appetitiua, honores, delitias, & diuitias: & sic non solum est pecuniæ, sed etiam scientiæ. Tertio modo sumitur, secundum quod est peccati capitalis species: & sic dicitur libido vel appetitus inordinatus bonorum mutabilium subiacentium fortunæ: tamen præcipue pecuniæ; licet alia appetat. Et ideo per quandam quasi appropriationem retinuit sibi nomen philargyriæ: quoniam vt frequentius & vniuersalius fertur appetitus super argentum, cum sit pretiosum: & quia vniuersalius est in vsu, quod est pretiosius; ideo potius dicitur amor argenti, quam auri.

Abac. 2. Glossa.

1. Tim. vlt. Chrys. Φιλαργυρία.

1. Tim. vlt. Glossa.

1 Ioan. 2.

Aug. de vera religio.

MEMBRVM II.

An diligere temporalia, bonum, vel malum secundum se sit?

SECVNDO quæritur, An diligere temporalia sit secundum se bonum, vel malum: Et videtur quod sit malum secundum se: quia dicitur. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*: Sed hoc est diligere temporalia: prohibitum est ergo hoc diligere: ergo est malum secundum se hoc diligere.

1. Ioan. 2.

¶ Item, super illud dicit Aug. *Bonum nobis est non diligere ea, quæ in mundo sunt: ne remaneant sarmenta in nobis ad damnationem nostram.* Ergo diligere temporalia est damnabile: ergo est malum secundum se.

Aug. in Original.

¶ Item idem. *Vis habere dilectionem patris? vt sis cohæres filii.* Et respondet postea. *Noli diligere mundum*: quasi dicat, dilectio patris & mundi non potest simul stare. Ergo dilectio

Idem. Ibidem.

lectio temporalium siue mundanorum est malum secundum se.

¶ Item super illud. *Nolite diligere mundum.* Glo. *Sicut dilectio Dei est solum omnium virtutum; ita dilectio mundi omnium vitiorum.* Sicut ergo dilectio Dei est bonum simpliciter: ita dilectio mundi est malum simpliciter: dilectio autem mundi est dilectio temporalium, vt dicit Interlinea. vt aurum & argentum. (1.Ioan. 2. Glossa.)

¶ Contra, dicitur super illud. *Quam difficile est &c.* Glo. *Non ait impossibile: quod enim impossibile est, omnino fieri non potest: quod autem difficile est, cum labore fieri potest: cum magno autem labore (iuuante Dei gratia) pecunias habentes, nihil in eis confidentes, exutis philargyria retinaculis, intrare possunt ianuam regni Dei.* Ex quo accipitur, quod diligere temporalia non est secundum se malum: si enim secundum se esset malum, non possent intrare ianuam regni Dei. (Matt. 10. Glossa.)

¶ Item Matth. 19. *Diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Interlin. *amator diuitiarum*: ergo non est impossibile, amatorem diuitiarum intrare regnum Dei: ergo amare temporalia non est secundum se malum. (Matt. 19. Glossa.)

¶ Item, temporalia possunt considerari vt sunt creaturæ; & sic constat quod sunt diligenda: vel vt sunt ad vsum; & similiter adhuc apparet quod sunt diligenda; quia sic est licitum ea habere, & habent rationem bonitatis: ergo diligere non est malum secundum se.

RESOLVTIO.

Si ad vsum, bonum: si ad voluptatem, malum.

¶ Ad hoc respondemus secundum Bedam in Glo. super illud. *Vtamini mundo ad necessitatem, & non ad voluptatem &c. nomine mundi intelligit temporalia.* (1.Ioan. 2. Glossa. Ibidem.)

¶ Quod vero dicitur, *Nolite diligere mundum &c.* intelligitur, vt scil. in mundo ponatur finis. Est etiam diligere ad voluptatem & ad superfluitatem: & hoc cadit in prohibitione. Et bene concedimus, & non negatur, quin possint temporalia ordinate amari: sed quod de difficili sunt sine peccato mortali aut veniali: quoniam temporalia sunt occasio cadendi sic vel sic; quantum est de illis. Quidam enim amantes ea, ædificant ibi lignum, fœnum, & stipulam: quidam æs, plumbum, & stagnum.

¶ Ad id vero, quod obiectum est 1. Ioan. 2. Dicendum est, *quod diligere mundum* potest considerari dupliciter. Vel diligere mundanam conuersationem, & sic prohibetur: sic enim de mundo sunt concupiscentia carnis &c. Item, diligere mundum potest aliquis, vt ponat ibi finem: & sic ibi prohibetur: alio vero modo non prohibetur, licet occasio possit esse ad malum.

¶ Per hoc etiam soluitur, quod dicit Aug. in tribus authoritatibus sequentibus.

¶ Ratione huius quæritur, vtrum aliquis possit diligere temporalia propter se. Si enim hoc non est, non dicetur diligere mundum, malum secundum se.

¶ Quod autem non possint propter se diligi, videtur per hoc quod nihil in eis est, quod propter se sit diligendũ: cum totaliter sit ad vsum: secundum quod vti est referre ad aliud, quo fruendum est: frui autem amore inhærere alicui rei propter se.

¶ Præterea, prodigus peccat mortaliter, nec tamen diligit pecuniam propter se: non ergo hæc est communis ratio in omnibus cupidis.

¶ Ad quod dicendum: quod contingit diligere temporalia propter se: & licet in eis non sit aliquid, quod secundum veritatem sit propter se appetendum: nihilominus tamen existimatur huiusmodi: existimatur enim in illis esse sufficientia, cum non sit.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de prodigo. Dicendum est, quod licet non amet pecuniam propter se, quæ est res temporalis, amat tamen honorem, vel laudem propter se, quę similiter est res temporalis: & ita vterq; diligit rem temporalem propter se: licet aliam & aliam.

MEMBRVM III.

Ad illicitum amorem temporalium quid appetitum nostrum inclinet?

Tertio quæritur, quid inclinat appetitum nostrum ad illicitum amorem temporalium? Cum dico naturam corruptam, duo dico: naturam sc. & corruptionem: sed constat quod natura non inclinat appetitum ad amorem temporalium: quoniam secundum naturam primam omnia erant communia: sed vbi est talis amor, nõ est amor proprietatis: ergo natura quia natura, non est inclinatiuum ad amorem illicitum temporalium. Item, non quia corrupta: quoniam non statim post corruptionem facta est appropriatio.

¶ Item Chrys. *Non est hæc concupiscentia naturalis, quæ enim sunt naturæ, omnia sunt communia: hoc autem cum hominem occupauerit, præter naturam viuere facit.* (Chrysost.)

¶ Item, licet natura quia corrupta inclinet ad habendum proprium: tamen nec natura quia natura, nec quia corrupta ad hoc inclinat, quod habens temporalia, his non vtatur: sed auaritia ad hoc inclinat auarum, prout determinatur auaritia in retinendo (Vnde Sen. *Auaritia quicquid omnibus aufert, sibi negat: & cum omnia cupit in vsum suum conuertere, omnia sibi facit aliena.*) Sed hoc videtur esse contra naturam, etiam in quolibet statu; quoniam natura etiam corrupta, propter sui indigentiam supplendam appetit vti temporalibus. (Seneca.)

¶ Item, ad hoc quod auari congregent, necesse est, quod est alienum, capere: sed illud videtur esse omnino contra naturam hominis: vt Chryso. ait: *rapere & auarum esse, non est hominum mansuetorum, sed crudelitas ferarum; magis autem his deteriores. His enim à natura* (quasi dicat) illud est contra naturam hominum. Et præterea, rapit fera ad vsum suum, & hoc dictat ei natura: quod non homini. (Chrysost.)

RESOLVTIO.

Natura corruptio.

¶ Responsio: Eo modo quo omne peccatum dicitur contra naturam primitus institutam, bene concedimus ꝙ similiter est de auaritia. Sed loquendo de natura corrupta, dicendum: quod cum dico naturam corruptam, duo dico (secundum quod in Enchir. dicit Aug.) sc. naturam, & corruptionem. Potest ergo ita esse, quod natura & corruptio vno motu composito currant: & sic vti proprio, bene est naturæ corruptæ: ipsum enim vti est naturæ: sed quod est *proprio* est corruptæ. Vel potest esse, quod in isto motu præualeat alterum: & hoc vel ipsa natura, & sic bene dictat natura vti proprio, sed non cum ab vsu: vel etiam corruptio, & sic surgit appetitus non vtendi vtibili (vt ita dicam) sed potius reseruandi illud: & sic est peccatum auaritiæ. Et sic intelligitur, quod dicit Sen. quod ea, quæ aufert, sibi negat sc. ad vsum, & sibi facit aliena, supple ab vsu. Non est tamen intelligenda corruptio sine natura: sed semper est natura corruptioni subiecta. (Aug. in Enchirid.)

¶ Ad illud, quod dicit Chrys. bene concedimus quod aliquid potest esse natura feræ, quod tamen est in homine ex sua corruptione: & non proprie ex natura sua: sicut dictum fuit secundum Dion. in Qõ. de Ira: quod natura canis est irasci; quoniam ad hoc est natura eius ordinata: sed hoc non est de natura hominis, cum homo magis secundum naturam suam sit ordinatus ad mansuetudinem: quoniam eius natura * immediate secundum naturam determinatam consistit. Similiter dicimus de rapere, quod natura ferarum ad hoc est determinata, seu ordinata: non autem ita est de natura rationali. (*Alias, immediata.)

MEMBRVM IV.

Auaritia quare dicatur concupiscentia oculorum, potius quam alterius ex sensibus?

Qvarto quæritur, quare à sensu visus dicatur esse concupiscentia oculorum. Non enim videtur hoc cõuenire auaritiæ, cum cæcus possit peccare peccato auaritiæ: & ita auaritia sine concupiscentia oculorum non est semper secundum sensum visum.

¶ Præterea, auaritia potest esse appetitus scientiæ: & constat quod scientia (proprie loquendo) non est de visibilibus, aut aliis sensibilibus per se, aut per accidens: ergo auaritia secundum suam generalitatem, secundum quod est peccatum: non videtur debere denominari à concupiscentia alicuius sensus.

¶ Præterea, aliquis videns equum, potest delectari, nõ

bitionem seculi intelligit superbiam: ergo ambitio ad superbiam reducitur.

¶ Ad quod dicendum, quod ambitio est appetitus potentiæ: potentia autem potest appeti, prout per illam acquiritur apparens honorificentia: & sic reducitur ad superbiam. Vel prout apparens abundantia, vel sufficientia: & sic
Idem in 1. Confess. reducitur ad concupiscentiam oculorum. (Vnde August. *Auaritia possidere vult multa: & Dominepossides omnia.*) Poten-
Psal 55. tia vero intelligitur in possessione omnium: vnde Psal. *Ecce*
Glossa. *cognoui, quoniam Deus meus es.* Glo. *Quantumlibet auarus sis, sufficit tibi Deus: etenim auaritia terram quærit possidere totam: adde & cælum: adde quod plus est, qui fecit cælum & terram.*

¶ Deinde quæritur de prodigalitate, an sit vitium? Videtur quod non: prodigalitas enim aut est capitale vitium: aut ad aliquod reducibile. Si sit capitale, ergo
Gregor. erunt adminus octo capitalia: sed dicit Gregor. quod tantum 7. sunt. Si ad aliud reducibile; quæritur ad quod? non ad auaritiam, cum videantur esse opposita; sicut omnia dare, & nihil dare: nec ad aliud multo magis, vt videtur.

¶ Item, quæ est ratio, quare prodigalitas non est vitium capitale, sicut auaritia?

¶ Ad quod dicendum: quod natura corrupta, quæ inclinat ad peccatum, quia corrupta est, non inclinat ad dandum omnia: quod prodigalitas facit, vt ibi ponat finem; sed vlterius vt laudetur ipse, qui dat: vel vt honoretur, vel fiat ditior. Et ideo prodigalitas cum sit ad aliud vitium reducibile, non debet poni capitale. Quandoque enim reducitur ad hypocrisim, quandoque ad inanem gloriam, & quandoque ad auaritiam siue cupiditatem. Licet enim quantum ad ipsos actus opponantur auaritia & prodigalitas, non tamen aliquando quantum ad finem: vtrobique
Chrysost. enim est concupiscentia rei temporalis: concupiscentia autem est ex indigentia, sicut dicit Chrys. indigentia, est concupiscentiæ principium. Ratio autem, propter quam auaritia ponitur capitale, non prodigalitas est, quia corruptio naturæ magis inclinatur ad complemētum sui quo ad sufficientiam, quam ad communicationem alterius: auaritia enim est ad retinendum sibi: prodigalitas autem ad dan-
Philos. dum alteri, quod non est dandum.

¶ Deinde quæritur de tertio. Ponit autem Moralis philosophus vnam medietatem, quæ dicitur magnificentia circa donationem magnarum rerum: & extrema huic medietati respondentia. Aliam medietatem ponit, quæ dicitur liberalitas circa donationem paruarum rerum: & similiter extrema huic respondentia. Theologus vero respectu huius & illius solum ponit vnam medietatem: & extrema sibi respondentia respectu huius.

¶ Ad quod dicendum, quod finis Moralis philosophi est felicitas ciuilis: nec vltra progreditur. Qui vult conseruate pacem ciuitatis, necesse est, vt in hoc attendat differētiam, vt magnis det magna, paruis parua: & ideo aliam medietatem & alia extrema determinat circa hæc & circa illa: vnde sua extrema ponit secundum paruum & magnum. Sed Theologus attendit tanquam pro fine felicitatem æternam: philosophus enim ad hunc finem non potuit peruenire natura, & ratione: sicut potuit fidelis argumento gratiæ & ex adiutorio fidei sc. quod in felicitate illa attenditur ratione fruitionis. Sed licet comparando res, posset dici hoc paruum, illud magnum: tamen comparatione ad
2. Cor. 3. huiusmodi felicitatem nihil dicitur magnum. *Illud, quod momentaneum, & leue &c.*

¶ Quæritur etiam adhuc: quia qui retinet omnia, peccat, & fit auarus: qui dat omnia, non videtur peccare; sed magis aggredi perfectionem Euangelii, & adimplere consilium: ergo dare quod dandum est cum cæteris circumstantiis debitis, erit habens tantum extremum vnum.

¶ Et dicendum, quod licet dare omnia propter Christum, non dicit extremum secundum superfluitatem: sed
Matt. 19. magis perfectionem, secundum quod dicitur Matt. 19. Sed ibi est extremum secundum superfluitatem sc. dare omnia propter finem temporalem, vel honorem, vel aliquid huiusmodi: & ita dare omnia, & potest esse perfectionis actus, & actus vitii. Non autem sic est de hoc quod est retinere omnia: quoniam illud non potest sine debito formari: nō enim possum propter Deum velle retinere omnia, vt sic esset altera differentia.

MEMBRVM VIII.

Auaritia cui tanquam opposito opponatur?

OCTAVO quæritur de opposito auaritiæ. Et videtur, quod charitas sit ei opposita, per hoc quod dicitur super illud. *Bonum mihi lex oris tui &c.* Glo. *Illi lex est charitas,* Psal. 118.
alterum refertur ad cupiditatem: nam charitas tendit & trahit sur- Glossa.
sum: cupiditas deorsum. Opponuntur ergo charitas & auaritia.

¶ Item, videtur quod liberalitas sit ei opposita: cum illa sit in dando omnia: auaritia in retinendo.

¶ Item, videtur quod prodigalitas, quæ est in male omnia dando, auaritia vero in male omnia retinendo.

RESOLVTIO.

Et charitati, & liberalitati, vel prodigalitati.

¶ Ad quod dicendum, quod cupiditas generalis opponitur charitati, secundum quod cupiditas est appetitus inordinatus rei mutabilis propter se; & charitas est appetitus rei immutabilis. Quoniam si rei mutabilis, hoc est inquantum est ordinata vel relata ad incōmutabile bonum. Specialis autem auaritia, quæ determinatur circa bonum fortunæ subiacentis, directe opponitur liberalitati. Vel aliter distinguendum est: quo ad actum interiorem, qui est diligere quod non est diligendum, opponitur charitati: quo ad exteriorem liberalitati vel prodigalitati: exterior enim actus consistit in retinendo. Et patet quod differenter opponitur auaritia prodigalitati, & liberalitati: quoniam liberalitas est sicut medietas.

MEMBRVM IX.

An auaritia par peccatum sit ac idololatria?

NONO quæritur de magnitudine huius peccati: & primo in comparatione ad idololatriam: videtur enim quod peccatum auaritiæ sit tantum, quantum peccatum idololatriæ, per hoc quod dicitur super illud Eph. 5. *Aua-* Ephes. 5.
rus, quod est idolorum seruitus. Glo. *æquat auaritiam idololatriæ.* Glossa
Et infra. *Vel ideo auaritia æquata est idololatriæ: quia &c.* Et ita Eadem.
peccatum auaritiæ est tantum, quantum peccatum idololatriæ.

¶ Item, *Auaritia est idolorum seruitus.* Glo. *Tam fugienda est,* Col. 3.
sicut idololatria: cui simile & par vitium est: quia rebus pro Deo Glossa
seruit. Et infra. *Recte idololatriæ comparat auaritiam, quæ est non* Eadem.
dispar malitia.

¶ Item, *Repleta est terra argento & auro.* Glo. *Inter idola aua-* Isa. 2.
ritia computatur. Sic ergo vel est idololatria, vel pars idolo- Glossa
latriæ: & tantum peccatum, quantum idololatria.

¶ Contra, auaritia est contra humanam æquitatem: sed idololatria est contra diuinam maiestatem (quod patet per illud, quod dicitur super illud Eph. 5. idololatria Dei honorificentiam vsurpat, & sibi vindicat) ergo hæc non est illa, nec pars illius: ergo nec tantum peccatum.

¶ Præterea, quare dicitur auaritia idolorum seruitus? Respondetur per illud, quod dicitur. *Quorum Deus venter est* Philip. 3.
&c. Glo. Aug. *Hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligit.* Sed Glossa
auarus præ cæteris diligit pecuniam, etiam super Deum: ergo &c.

¶ Sed obiicitur, quod similiter deberet dici hoc de gula, per eandem Glo. quæ præcipue ad hoc adducitur: vnde August.
subditur in eadem Glo. *quod Deus omnibus rebus maior est, &* Eadem.
melior: & plus omnibus diligendus est, vt colatur: illi autem Deum faciunt ventrem &c.

¶ Item, *Inueni idolum mihi.* Glo. Interlin. *Sicut guloso Deus* Oseæ 12.
venter est, ita auaro aurum. Glossa.

¶ Forte dicetur, quod auarus seruit pecuniæ, sicut est Deo seruiendum, & sicut idololatra seruit idolo: & ideo ratione seruitutis hoc dicitur.

¶ Sed obiicitur tunc, quod similiter esset tunc in gula, per illud. *Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed ventri* Rom. vlt.
suo.

¶ Præterea, illa seruitus videtur esse in omni peccato generalis per hoc, quod dicitur. *Qui facit peccatum, seruus est* Ioan 8.
peccati: & ita posset tunc illud dici de omni peccato.

RESOLVTIO.

Auaritia haud par peccatum est ac idololatria paritate proportionis, sed proportionalitatis tantum.

¶ Ad quod dicendum, quod bene concedimus quod idololatriæ non æquatur auaritia in quantitate peccati.

¶ Vnde dicimus ad illud, quod non est æqualitas & comparatio in proportione, sed in proportionalitate: vt vult Chrys. quoniam sicut idololatria se habet ad idolum: sic in quadam similitudine auaritia ad nummum. Et quærit Chrys. quare idololatriæ comparetur auaritia: & auarus idololatræ. Et post modum respondet sic. *Habent multi pecunias, & eis vti non audent: sed vt sacra deponunt, ad nepotes & pronepotes intactas transmittunt: libentius oculos traderent, quam hoc sculptile. Illi in multis non obediunt idolo: hi autem subiiciuntur pecuniæ. Illi sculptilibus oues & boues immolant: auaritia autem dicit: immola mihi tuam ipsius animam.* Nota ergo similitudinem, quod sicut sancti viri venerantur reliquias sanctorum, nec eas præ reuerentia tangere audent: sic auarus se habet respectu pecuniæ. Et iterum, quoniam in immolatione excedit auarus idololatras: plus enim est immolare se, quam sua.

¶ Aliter etiam exponitur illa proportionalitas Eph. 5. sic dicendo. *Auaritia æquata est idololatriæ: quia sicut idololatria Dei honorificentiam vsurpat, & sibi vendicat ita auarus res Dei, quas Deus vult seruari indigentibus, vsurpat sibi, & recondit.* Aliter volunt alii exponere, vt solum esset proportionalitas in genere: vt sicut idololatria magnum peccatum est: ita auaritia. Etiam aliter exponit Glo. ad Col. 3. *Sicut idololatra nititur Deo auferre gloriam, ne solus nomen diuinitatis habeat: ita auarus in res Dei se extendit, vt solus vsurpet, quæ Deus pro omnibus fecit.*

¶ Ad illud, quod obiicitur de seruitute. Respondemus, concedendo quod etsi non simpliciter, tamen quo ad hoc est effectus idololatriæ in omni peccato: quoniam ibi præponitur in delectatione bonum commutabile bono incommutabili quo ad effectum: licet non quo ad intellectum siue æstimationem. Sed econtra Deo super omnia debemus dilectionem, & ipsi soli honorem latriæ exhibere, & in ipso solo confidere: de qua confidentia & eius opposito dicitur Hier. 18. Quo ad hoc ergo quod omnis peccator postponit Deum principaliter in dilectione rei mutabilis, quam diligit; est ratio seruitutis in omni peccato. Sed adhuc plus est in gula: propter quod dicitur illud. *Quoniam qui recte colit Deum, omnia facit ad nutum eius*: sed gulosus omnia ad voluntatem ventris sui facit, secundum quod dicitur ad Philip. 3. & in Gl. super illud ad Rom. vlt. *Aliis enim adulantur, & aliis detrahunt: vt ventrem suum possint adimplere.* Tamen hoc non est intelligendum de omni guloso: sed de eo, qui est in hoc peccato profundatus. Similiter est de auaro: quod quicquid facit, facit vt congreget pecuniam, & vt aggregatam custodiat: cum tamen Deus dederit temporalia ad hoc, vt dispergantur, non vt custodiantur: dispergere enim Domini est, sed famuli custodire. Vnde Chrysost. loquens de auaro dicit. *Custodire famuli, & consumere dominationis est.* Cum ergo custodias, & non dispergas; famulus es: sed non ideo accepisti pecuniam, vt eam custodias: sed vt eam distribuas. Si vellet eam Deus custodiri, nequaquam eam omnibus dedisset. Sed cum adhuc illud seruire possit inueniri in guloso: & ita secundum hoc gula deberet dici idolorum seruitus: ideo vlterius notandum est, quod seruire auari est in maxima proximitate seruituti idololatriæ. Licet enim idolum ratione formæ artificialis sit aliquid: tamen quo ad hoc, quod idololatra credit in eo esse potentiã ad subueniendum, nihil est: vnde *Scimus, quoniam idolum nihil est.* Tamen quandoque ad deceptionem idololatrarum præsidet ibi diabolus, & dat responsa. *Omnis spiritus non est in visceribus eius.* Glo. *In vniuersis idolis hæreticorum, & figmentis diaboli nulla est gratia Spiritus sancti: sed cum secundum imaginem diuinitatis, & pulchritudinem dogmatum præferre videantur, nihil est in eis spirans & vitale.* Item, error humanus aurum & argentum, gemmas, & sericum, (quibus oblata sunt vel operta idola) pro fulgore deos existimant, quibus formam, sed vitam artifex dare non potest. Ecce quod idolum nihil est, quantum ad illud, quod credit ibi esse idololatra. Nec in idolo est aliquis spiritus vnitus: est enim quoddam figmentum purum sine veritate existente. Et ideo ipsi idolo, quod est quasi nihil, & est infimum valde inter omnia, appropinquat. Similiter pecuniæ, quæ est infimum inter omnes creaturas. Hoc autem est bonum mutabile terrenum: & maxime metallum, quod appetit auarus. Et ita patet, quod auaritia in maxima similitudine se habet ad idololatriam: quia sicut ista colit nihil, & illa nihil. Nobiliora enim sunt bona, quæ appetunt alia peccata, vt patet in gula, quæ appetit cibum, qui ordinatur ad sustentationem naturæ: & similiter luxuria appetit coitum, qui ordinatur ad sustentationem seu conseruationem naturæ. Sed cum in rebus mutabilibus sint quædam superiora, quædam media, & quædam infima: corpus terrenum est infimum: & adhuc in ordine terrenorum corporum metallum est magis infimum: licet in ordine metallorum vnum sit superius quo ad nobilitatem & pretiositatem altero. Et ideo inter omnia corpora illud, respectu cuius attenditur auaritia proprie, in maxima proximitate se habet ad idolum. Nec sic est de rebus esibilib. quoniam illæ de se ordinantur ad sustentationem humanæ naturæ, & proximo, & immediate: non sic aurum & argentum; sed solum ad precium.

¶ Quæritur etiam, vtrum auarus peior sit dæmoniaco. Et videtur quod sic, per hoc quod dicit Chrys. loquens de dæmoniaco illo, de quo habetur Matth. 8. & comparat ei auarum per simile ei in contrarium, ita dicens. *Quemadmodum denudationem dæmoniaco facit insania: ita hæc insania operatur philargyria.* Quoniam sicut ille se denudat: sic iste cõgregat: denudatione autẽ illa hoc coopertorium miserabilius est: dæmoniacus enim in hoc, quod se denudat, non nõcet nisi sibi: & in hoc casu tantum sequitur: sed auarus nocet sibi & aliis. Sic ergo auarus peior est dæmoniaco, in quo est ratio ligata.

¶ Item, difficilius adhæret dæmoniacus dæmoni siue obedit, quam auaritiæ concupiscentia. Nam illi non obediunt in quibusdam: hi autem in omnibus subiiciunt se: vnde *Pecuniæ obediunt omnia.*

¶ Ad hoc dicendum, quod quo ad hoc, quod in dæmoniaco est ratio ligata, vnde non habet liberam rationem, vt in illo statu possit exire in bonum, & duci ad pœnitentiã: & quo ad hoc, quod illa ligatio non est in dæmoniaco, nisi per pœnam (de tali enim loquitur Chryso.) & in auaro est per culpam; & auarus & sibi & aliis nocet, talis dæmoniacus solum sibi; concedimus quod quo ad hoc peius est, quam in dæmoniaco.

MEMBRVM X.

Casus quidam circa auaritiam incidentes.

DECIMO quæritur de quibusdam casibus incidentibus circa auaritiam. Et primo de hoc: sint duo auari, vnus plus habens, alter minus: & vterque amittat quod habet; quæritur, quis eorum plus peccat ibi? Et videtur, quod qui plus habet: quoniam videtur plus dolere, ergo & amplius diligebat: quoniam (secundum ꝙ dicit Aug.) intensio dilectionis apparet ex intenso dolore amissionis: & ita plus peccabat, & in retinendo, & in amittendo.

¶ Sed contra, videtur quod non sit necesse, per simile in contrario: quoniam tanta charitas potest esse, vel maior in vidua offerente duo minuta; quanta in diuite offerente 10. millia talenta: ergo tantum, vel maius meritum.

¶ Similiter per contrarium, quoniam rãtum, vel maiorem affectum potest habere ille pauper circa pauca, quæ habet: quam diues circa multa.

¶ Item, 2. Cor. 8. & Luc. 21. vbi habetur de vidua, dicit Gl. *Non considerat Dominus quantũ, sed ex quanto.* Ergo non quia plus amisit, plus videtur dolere: ita nec etiam plus peccare.

Ad quod dicendum, ꝙ non est omnino simile ex parte charitatis & cupiditatis. Si n. quantitatẽ rei sequitur quantitas affectionis; bene sequit̃, ꝙ ille, qui plus habet, plus dolet in amittẽdo: & plus peccauit, cũ amplius inordinate diligeret. Sed charitas nõ respicit secundũ æqualẽ quantitatẽ dati: sed potius affectum dãtis respectu eius, pp quem dat. Quantitas autem cupiditatis multotiens sequitur quantitatem rei cupitæ: sed non est ita de charitate, quæ respicit

illam

Marginalia (left): Chrysost. — Idem. — Glo. ordin. ad Eph. 5. — Glossa ad Col. 3. — Hierem. 18 — Rom. vlt. & ad Phil. Gl. sup. Ro vlt. — Chrysost. — 1. Cor. 8. — Abac. 2. Glossa.
Marginalia (right): Chrysost. Hom. 19. in Matth. — Eccl. 10. — Glossa.

illum propter quem datur: & ideo non est simile.

¶ Quæritur etiam de isto. Sint duo pauperes, vterque congreget superfluum: sed vnus vsque ad mille, alter vsque ad centum tantum: quæritur, quis eorum plus peccat. Et videtur, quod ille, qui vsque ad mille: quoniam plus recedit à medio: virtus vero in medio consistit.

Chrysost. ¶ Sed contra sic arguit Chrys. *Concupiscentiæ principium est indigentia: ergo quanto maior est indigentia, tanto maior est concupiscentia: & econuerso quanto minor indigentia, tanto minor concupiscentia.* Sed in eo, qui processit vsque ad mille, est minor indigentia: ergo minor concupiscentia: ergo minus peccatum.

¶ Ad quod dicendum, quod indigentia naturæ corruptæ est. Sed ista indigentia potest attendi quoad pœnam, vel quo ad culpam. De primo verum est, quod dicit Chrys. De alio dicimus, quod omnino est econtrario s. vt si sit minor indigentia culpabilis, quod sit maior concupiscentia.

Prou. 30. Glossa Chrysost. Vnde, *Tria sunt insaturabilia* Glo. *crescit amor nummi, quantum pecunia crescit.* Et sic verum dicit Chrys. *Si magis diligit, magis concupiscit: si magis concupiscit: magis est in infirmitate.* Vnde auarus quanto est ditior, tanto est in maiori indigentia.

Prou. 13. Vnde, *Est diues, cum nihil habeat: & est pauper cum in multis diuitiis sit.*

¶ Quæritur etiam de alio. Sint duo clerici: vnus est contentus vno beneficio: tamen quia auarus est, pauca expendit, & quoniam cupidus multa congregat: alter vult habere plura beneficia, tamen omnia sua expendit. Quæritur, quis eorum plus peccet? Quod vterque peccet, patet

Ad Hebr. vlt. per hoc quod dicitur. *Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus &c.* auarus est, qui tenax est, & cupidus in accipiendo: sed primus peccat plus: quare ergo magis prædicant prædicatores nostri contra secundum, quam contra primum.

¶ Item, videtur quod primus simpliciter plus peccet; quia sibi nocet, & nulli prodesse videtur: sed secundus quamuis sibi noceat, tamen multis prodest, vt videtur: & ita primus magis peccat.

¶ Ad contrarium apparet: vnum enim beneficium videtur esse deputatum vni, & non plura: ergo secundus magis peccat.

¶ Respondeo præsupponamus ad præsens, quod primus plus peccet: tamen plus debet prædicari contra secũdum, quam contra primum. Quoniam de illo, qui habet plura, manifestum est, quod est cupidus: de alio vero non est ita manifestum: sed si pauca videatur expendere in aliquibus; in aliis tamen, quæ ignorantur, potest expendere. Ille iterum qui plura habet, in scandalum potius congregat, quam alter.

¶ Quæritur etiam de alio. Est tempus famis, & sunt multi pauperes non habentes sustentationem: est etiam Theologus prædicator habens libros theologiæ, in quibus studet, vt possit prædicare: debet ne, instante hac necessitate, vendere libros, & pauperibus dare ad sustentationem. Hoc videtur: quoniam tenetur subuenire eis inquantum potest, & prout indigentia exigit instante tali necessitate.

¶ Sed contra: eleemosyna spiritualis maior est, quam corporalis eleemosyna: prædicatio est eleemosyna spiritualis, & indiget libris, vt sciat prædicare: ergo non tenetur vendere.

¶ Respondeo: Bene concedimus, quod prædicare est maius bonum in genere: sed ille potest vtrunque facere simul: quoniam pauca sufficiunt ad prædicandum, & potest prædicare sine libris. Et tamen si ita esset nescius, quod nesciret prædicare sine libris: nihilominus posset ad tempus abstinere à prædicatione: nisi sciret quod propter defectũ prædicationis irent homines in perditionem: si autem hoc sciret, vel crederet probabiliter: tunc casu isto deberet retinere, & nõ vendere: si zelus animarum moueret eum ad hoc, non cupiditas librorum.

¶ QVÆRITVR etiam de alio: cum Rex possit multa congregare ad tuitionem sui regni, vtrum similiter possit Episcopus congregare multa ad tuitionem suæ Ecclesiæ. Quod videtur per simile: quoniam sicut rex tenetur tueri suum regnum: sic Episcopus suam Ecclesiam.

¶ Sed contra: res Episcopi sunt res pauperum, & ipse est solummodo dispensator: sic autem non est de rege.

Ambros. ¶ Præterea, videtur quod nequaquam possit per hoc. quod dicit Ambros. *Non minus est criminis habenti tollere, quam cum abundes indigentibus denegare.*

¶ Ad quod dicendum: quod non est simile: quoniam ad hoc est rex constitutus, vt subditos in pace custodiat, & ab aduersariis tueatur: & circa illud debet versari sua intentio: vnde res regni ad hoc potest habere & conseruare. Sed Episcopus semper res Ecclesiæ debet conuertere in vsus Ecclesiæ: & hoc facit, cum dat pauperibus: vnde non debet ita congregare.

MEMBRVM XI.

Auaritiæ effectus quis sit?

Chrysost. VNDECIMO quæritur de effectu huius peccati. Et videtur quod sit excæcatio: dicit Chrys. *tenebra animæ est pecuniarum cupido: nihil dimittens eorum, quæ sunt appetere, sicut sunt: quemadmodum qui in tenebris est, si videat aureum vas, & purpurea vestimenta, nihil æstimat.* Auaritia ergo excæcat, sicut & alia quædam peccata.

RESOLVTIO.

Excæcatio mentis.

¶ QVOD concedimus: excæcat enim vt homo non possit cognoscere, aut affici circa bona æterna: quoniam tota mens auari rapitur ad temporalia, & quo ad cognitionem, & qu[illegible] affectionem: & cognitio sequitur affectionem. Vnde [illegible]cut oculi Thobiæ stercoribus hirundinum excæcati fuerunt: sic oculi mentium auarorum temporalibus excæcantur. Tob. 2.

QVÆSTIO CXLII.

De Gula.

In duodecim Membra, & vndecim Articulos diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de gula. Gula autem accipitur communiter, pro immoderato appetitu cibi & potus: aliquando vero accipitur specialiter, pro immoderato appetitu cibi. Hic autem dicemus de ea vtroq; modo: primo, scilicet secundum quod est peccatum speciale: deinde de peccato ebrietatis, quod consistit in immoderato appetitu ipsius potus. Circa vero gulam aut crapulam: primo quæritur, quid sit. Secundo, quid sit motiuum in hoc genere peccati. Tertio, vtrum primus motus nutritiuæ siue appetitiuæ in nutrimento sit necessario peccatũ. Quarto, an sit capitale peccatum gula. Quinto, vtrum contingat esse peccatum circa diminutionem cibi, sicut circa superfluitatem. Sexto de circumstantiis gulæ. Septimo, de magnitudine huius peccati. Octauo, de prudentia carnis, quæ disponit ad gulam, vtrum sit peccatum. Nono de opposito gulæ: & contra quod præceptum Decalogi sit gula. Decimo, de tempore prohibitionis huius peccati. Vndecimo, vtrum qualitas & quantitas cibi sint in vitio: aut solus appetitus. Duodecimo, erit inquisitio de Ebrietate. D. Tho. 2. 2. q. 148.

MEMBRVM I.

Quid sit gula?

AD primum sic: diffinitur autem ita, *Gula est immoderatus amor edendi.*

¶ Contra quod obiicitur sic: secundum peccatum gulæ non solum contingit peccare propter defectum debitæ circumstantiæ quo ad quantitatem: sed etiam secundum qualitatem, substantiam, & tempus: secundum quod dicit Gregor. & Isidor. sed ibi ponitur defectus solum quoad quantitatem per hoc, quod dicitur, *immoderatus*, non ergo est sufficiens diffinitio.

¶ Item, August in *peccatum est priuatio speciei, modi, & ordinis:* ergo in peccato gulæ attenditur priuatio horum trium: ergo cum in prædicta diffinitione solum ponatur, priuatio modi, non erit sufficiens. August.

Gregor. ¶ Item, secundum Gregor. vna conditio gulæ est, quando homo anticipat tempus comedendi deficere & ita videtur ordo. Similiter alia est, quando quærit lautiora ci-

batia:& ibi deficit ſpecies. Et ita deberet diffiniri per priuationem ſpeciei, & ordinis, ſicut per priuationem modi.

¶ Forte dicetur, quod ly *immoderatum* ſumitur generaliter ibi: ſecundum quod dicit defectum cuiuslibet circunſtantiæ. Sed tunc obiicitur: quoniam ſicut neceſſe eſt ibi ponere debitas circumſtantias contra ſuperfluitatem: ita & contra indigentiam: ſed conſtat quod ly *immoderatum* non dicit defectum, niſi ex parte ſuperfluitatis: ergo intelligeretur oppoſitum in oppoſito, ſi intelligeretur illud per illud.

RESOLVTIO.

Gulæ eſt immoderatus amor edendi.

¶ Ad quod dicendum, quod modus vno modo ſumitur proprie: ſecundum quod dicit determinate menſuram & quantitatem: & ſic iuxta huius priuationem non ſumitur ratio generalis gulæ. Alio modo dicit immoderationẽ, vel menſuram omnium circumſtantiarum debitarum, maxime quo ad exceſſum: & ſic ſumitur in ratione gulæ.

¶ Quod ergo obiicitur, quod peccatum eſt priuatio non tantum modi, ſed etiam ſpeciei, & ordinis. Dicendum quod verum eſt.

Auguſt. ¶ Sed notandum eſt, ſecundum quod dicit Aug. *qui tollit modum, tollit ſpeciem & ordinem*: & ſi eſt ſpecies, & ordo, & modus: & ſi eſt ordo, & modus: & ideo poteſt priuari: vel prout diuiditur ex oppoſito contra ſpeciem & ordinẽ: vel prout generaliter ſumitur, vt contineat ſpeciem, & ordinem. Si primo modo, ſic procedebat ratio: ſi ſecundo modo, ſic ponitur in diffinitione.

Qō. immediate ſeq. Memb. 8. ¶ Ad illud, quod obiicitur: quod circa hoc contingit peccare ſecundum diminutionem, ſicut ſecundum ſuperfluitatem. Reſpondebitur infra: explanabitur etiam quare quædam capitalia ſecundum ſuperfluitatem determinantur: quædam ſecundum indigentiam: & quare plura ſecundum ſuperfluitatem, & pauciora ſecundum diminutionem: & quare Philoſophus quaſi circa omnem medietatem ponit vtrumque & ſecundum ſuperfluitatem, & ſecundum indigentiam: Sancti autem non ſemper ita.

MEMBRVM II.

Quid ſit motiuum gulæ?

Secvndo quæritur de motiuo huius peccati. Cum enim in quolibet peccato ſit aliquod appetibile, quod inordinate appetitum, facit peccatum eſſe peccatum: vt in ſuperbia excellentia, in ira vindicta, & in auaritia ſufficientia: quæritur quid tale eſt in gula? Non poteſt dici quod apparens ſufficientia: quoniam (vt dictum eſt ſupra) appetibile auaritiæ eſt ſufficientia: & tunc non diſtingueretur hoc peccatum ab illo.

Qo. immediate præce. Mem. 3. ¶ Forte dices, quod apparens ſufficientia alimenti: & hoc videtur probabile. Contra multi ſunt ſe ingurgitantes ex induſtria: accipientes ad ſuperfluitatem, & vltra ſufficientiam: non ergo mouet eos apparens ſufficientia alimenti.


RESOLVTIO.

Apparens ſufficientia alimenti.

¶ Ad quod dicendum, quod apparens ſufficientia alimenti mouet in hoc peccato.

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod potius contingit ibi eſſe apparentem ſuperfluitatem: vt patet in illis qui ſe ingurgitant. Dicimus, quod ſicut ſuperfluum, & diminutum, & ſufficiens circa alimentum determinatur diuerſimode ſecundum diuerſas perſonas, ſecundum quod dicit

Philoſ. Philoſophus, *quod iuueni eſt parum, magiſtro gymnaſiorum eſt multum*: eodem modo dicimus quod in multis eſt ita: quod illud, quod primo videbitur eis eſſe ſuperfluum, poſtmodum ex praua conſuetudine vix videbitur eſſe ſufficiens: in multis etiam ipſe appetitus abſorbet iudicium: vnde ſi primo moueat eos ſufficientia: poſtmodum autem ad ingurgitationem inclinatur eorum ratio.



MEMBRVM III.

An primus motus nutritiuæ, ſiue appetitiuæ in nutrimento peccatum ſit?

Tertio quæritur, vtrum primus motus nutritiuæ, ſiue appetitiuæ in nutrimento ſit peccatum? Et videtur quod ſic per hoc, quod dicitur ſuper illud. *Non concupiſces* Rom. 7. Gloſſa.

Glo. *Prohibet motum, ne ducatur ad conſenſum.* Prohibet ergo hoc, ne primus motus concupiſcibilis ducatur ad conſenſum: ſed primus motus nutritiuæ eſt motus concupiſcibilis, ſicut & generatiuæ: ergo ſicut primus motus in generatiua ſecundum ſe, cui non eſt conſentiendum, eſt peccatum: ita & in nutritiua.

¶ Item, in iraſcibili eſt motus: ergo in concupiſcentia erit. ¶ Item, potentia concupiſcibilis ita ſe habet immediate ad nutritiuam, ſicut generatiua: & ita habet nutritiua obiectum primum, reſpectu cuius poteſt dici motus inordinatus, ſicut & generatiua: ergo poteſt hic determinati primus motus, ſicut & ibi.

¶ Item, Aug. *Eſt tentatio à carne, quæ eſt ſemper cum peccato, etſi ei tamen non conſentiatur.* Sed tentatio à carne communis eſt generatiuæ, & nutritiuæ: ergo tentatio nutritiuæ eſt ſemper cum peccato, ſicut & generatiuæ. Auguſt.

¶ Item, videtur quod magis debeat eſſe motus primus in nutritiua, qui ſit peccatum, quam in generatiua: quia primum peccatum fuit peccatum gulæ: ergo ſecundũ hoc magis fuit corrupta (vt videtur) nutritiua, quam generatiua: quare ſi in generatiua ſecundum ſe ſit primus motus & eſt peccatum: videtur quod in nutritiua multo magis.

¶ Item, ſecundum Aug. *In omni tentatione à carne eſt ponere ſerpentem: mulierem, & virum: per ſerpentem intelligitur motus ſenſualitatis.* Sic ergo in nutritiua inordinata eſt ponere talem motum, ſicut & in generatiua ſcilicet primum motum. Aug. in lib. de Trin.

RESOLVTIO.

In nutritiua non omnis primus motus peccatum eſt.

¶ Ad hoc dicitur, quod bene verum eſt, quod in nutritiua eſt motus peccatum: ſed non ſemper eſt primus motus peccatum, ſicut in generatiua: ſicut iam probatum eſt per hoc quod dicit Aug. *quod tentatio à carne eſt cum peccato, etſi ei non conſentiatur.* Idem.

¶ Sed occaſione huius quæritur, quomodo hoc ſit verum. Et arguitur ad contrarium: quoniam ſecundum quod in pluribus locis Aug. oſtendit, *nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt*: ſed talem primum motum nullus vitare poteſt: ergo non eſt peccatum. Idem.

¶ Præterea, ſpecialiter videtur hoc: quoniam vt in pluribus non poteſt perfecte diſcerni inter appetitum nutritiuæ licitum, & illicitum. Vnde Greg. *Eo tempore, quo neceſſitati debitum ſoluitur, & per eſum neceſſitati voluptas miſcetur, quid neceſſitas, quid voluptas ignoratur.* Primus ergo motus, qui tunc circa hoc erit, licet non videatur ordinatus, non videtur debere imputari ad peccatum. Gregor.

¶ Item, Aug. *Dum ad quietem ſaturitatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu inſidiatur mihi laqueus concupiſcendi: ipſe enim tranſitus voluptas eſt: & cum ſalus ſit cauſa comedendi & bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iocunditas: & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod cauſa ſalutis me facere, vel dico, vel volo.* Videtur ergo quod hic excuſet ignorantia, & iſta mixtura neceſſitatis & voluptatis: ergo non debet imputari ad peccatum. Aug. 10 Confeſ.

¶ Ad quod dicendum, concedendo, quod in nutritiua eſt primus motus, ſicut & in generatiua: tamen quo ad hoc eſt diſſimile: quod omnis motus etiam primus generatiuæ eſt peccatum, niſi per ſacramentum matrimoniale excuſetur: non tamen ſic omnis motus nutritiuæ. Concedimus enim quod eius motus primus poteſt eſſe peccatum, non tamen omnis: quoniam potentia concupiſcibilis etiam in nutritiua corrupta eſt, licet non tantum, quantum in generatiua: & etiam reſpectu ſui obiecti mouetur pluries in ſuo primo motu illicite. Quandoque etiam poteſt homo præuenire, vt non ſurgat motus illicitus in nutritiua: & quando non facit, vt non ſurgat, & poteſt, iſte motus eſt peccatum. Similiter poſtquam ſurrexerit, licet non potuerit impediſſe, vt ſurgeret: ſi nõ reſiſtit, prout debet, imputatur ad pctm.

¶ Ad

¶ Ad illud ergo, quod obiicitur: quod frequentius ibi ignoratur, quid sit voluptatis, & quid necessitatis, non potest facile percipi: & etiam quod quasi semper admiscetur voluptas cum necessitate. Bene concedimus, quod non est ibi semper perceptibile: quid licitum, quid illicitũ: sicut nec in aliis peccatis, vt patet in ira: multoties credit homo irasci contra vitium & irascitur cõtra personam: nec de facili potest percipi. Sed ista ignotantia processit ex peccato tanquam pœna: quoniam non fuit in Adam ante lapsum, sed potius in ipso erat potentia discernendi inter hæc. Non ergo hæc ignorantia omnino excusat peccatum: cum tali peccato, vbi sic est illicitum, non debetur nisi pœna temporalis. Tamen ipsa vnctio frequenter docet sanctos, vt sciant discernere, quid sit necessitas, & quid voluptas: licet ratio de se ad hoc non attingat.

¶ Quod autem dicitur de voluptate. Dicimus, quod est voluptas naturalis; & quando ista se admiscet, non propter hoc est peccatum. Et est voluptas libidinis, & hæc facit ibi peccatum, quod est excessus mensuræ.

¶ Sed obiicitur de motu illicito nutritiuæ, vt attingat inferiorem partem rationis, quæ dicitur mulier, & non solum sensualitatem; quæritur si sit ibi morosa delectatio, vtrum sit mortale peccatum? Quod sic, videtur per simile de motu generatiuæ: & magis videtur quod deberet esse hic: quoniam magis videtur esse corrupta, cum Adam secundum motum eius illicitum peccauerit: & ita si ex parte motus illiciti generatiuæ, cum est delectatio, sit morosa: est peccatum mortale etiam ex parte ista.

¶ Ad quod dicendum, quod non est simile: quoniam generatiua non solum est potentia personæ, sed naturæ: & vtroque modo fuit corrupta, prout per ipsam debebat fieri propagatio: nisi sit excusatio per matrimonium: sed nutritiua, & cæteræ potentiæ non sunt ita principia alterius: vnde potentiæ personæ sunt, non naturæ vniuersalis: & ideo solum habent vnam corruptionem. Non negamus tamen, quin aliquando talis motus possit esse mortalis: sed non oportet quod omnis, aut semper.

Aug. in l. b. de conflict. vitior. & virtut. ¶ Sed adhuc obiicitur de eo, quod dicit August. *Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes, debet vnusquisque accedere: nequaquam in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens.* Sed æger ad voluptatem nihil accipit de medicina, nec vltra id quod credit congruere naturæ suæ: & si vltra accipit scienter, peccare videtur: ergo similiter & hic.

¶ Ad quod dicendum, quod quo ad hoc dicitur cibus sumendus vt medicina: quoniam cum in nobis sit continua deperditio, ad hoc sumitur vt fiat ecõntra restauratio: & sicut æger medicinam cum timore accipit, nec ibi appetit voluptatem: sic debet se habere homo quo ad cibum. Tamen quo ad id, quod est accipere vltra necessitatem, nõ est simile: quoniam non est ita determinatum præcise, quid est ad necessitatem hic, sicut ibi. Verbi gratia, est aliquis, qui non vult comedere nisi semel in die: plus comedet in vna vice, quam si bis comederet: quoniam aliter cibus semel sumptus non sufficeret ad totam diem: nec tamen quo ad hoc peccat, dummodo non excedat tantum, vt per hoc impediatur ab operibus suis, maxime spiritualibus, vt illi, qui se ingurgitant.

¶ Sed contra illud, quod dictum est de similitudine generatiuæ, & nutritiuæ obiicitur: quoniam generatiua (vt dictum est) corrupta est secundum se, & prout est traductiua: sed nutritiua tantum secundum se. Sed constat quod vtraque corruptio generatiuæ pœnalis est: cum ergo inclinat generatiua ad peccatum, plus est ibi de inclinatiuo quã in nutritiua: ergo maior excusatio: ergo minus peccatum: potius ergo diceretur peccatum vel veniale vel mortale in motu nutritiuæ, quam generatiuæ.

¶ Ad quod dicendum, quod hoc nõ sequitur: quoniam cum duplici corruptione generatiuæ est duplex causalitas peccati: & ipsa ratio declinat post causalitatem sequentem pœnalitatem: nec est separare causalitatem à pœnalitate: vnde fomes, qui est pronitas ad peccatum, maxime ibi viget: & ideo non est maior excusatio, nec minus peccatum, sed potius econtra. Non autem ita est in nutritiua: quoniam in generatiua est duplex corruptio, personæ, & naturæ: & vtraque est pœna respectu præcedentis peccati, & causa respectu sequentium: in nutritiua vero tantum corruptio vna scilicet personæ.

MEMBRVM IV.

An gula peccatum capitale sit?

QVARTO quæritur, vtrum hoc vitium sit capitale. Quod non, videtur per hoc quod dicitur super illud *Cum deleuerit Dominus gentes multas coram te.* Glo. Isid. *De Gastrimargia commessatio & ebrietas.* Ergo nec hoc, nec illud sunt capitalia vitia, cum oriantur ex alio. Deut. 7. Glossa Isid

RESOLVTIO.

Gula generaliter sumpta, pro excessu, sc. nedum cibi, sed etiam potus, capitale quidem vitium est: secus si pro excessu aut cibi, aut potus tantum.

¶ ET dicendum, quod gula vno modo accipitur generaliter, prout continet excessum mensuræ tam respectu cibi, quam respectu potus: & sic idem est quod Gastrimargia: & sic est capitale. Et alio modo prout continet tantum excessum mensuræ respectu cibi: & sic est ex opposito diuisa contra ebrietatem, quæ dicit excessum mensuræ in potu: & sic nec hoc, nec illud est capitale.

¶ Quæritur etiam, si contingit moueri inordinate circa visum, auditum, olfactum (sicut dicit Augu.) sicut circa gustum & tactum, quare non determinantur capitalia peccata circa inordinationem motuum istorum sensuum, sicut aliorum. Vnde de inordinato motu circa auditum dicit Aug. *Cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res ipsa, quæ cantatur, moueat: pœnaliter me peccare confiteor: & tunc mallem non audire cantantem.* Aug. 10. confess. Idem ibid.

¶ Similiter ibidem, *require de inordinatione motuum illorum.* Ibidem.

¶ Item, est virtus principalis cohibens passiones sensibiles quo ad omnes sensus sc. temperantia: ergo ex opposito deberet determinari circa motum eorum inordinatum vitium capitale.

¶ Item, Philosophus determinat medietatem circa omnes sensus.

¶ Præterea, maxime videtur quod deberet vnum determinari circa inordinationem visus: quoniam est sensus generalis: vnde nomine ipsius multotiens intelliguntur omnes sensus.

¶ Ad quod dicendum, quod sensus tactus & gustus respiciunt esse: est enim tactus propter esse: gustus vero vt conseruetur esse: sed sensus alii magis sunt ad discernẽdum quid conueniens, quid disconueniens. Si vero sunt ad delectandum, hoc non est inconuenienti re essentialiter, sed secundum accidens: & tunc si sit delectatio inordinata, nõ erit propter hoc capitale vitium: sed potius vitium reducibile ad aliquod vitiorum. Verbi gratia: solent homines ad maiorem delectationem in prandiis velle audire & communius pulchros sonos: & in hoc peccant: sed hoc reducitur ad peccatum gulæ. Isa. 5. Cithara, & lyra, & tympanum in conuiuiis vestris: & opus Dei non respicitis. Hoc est dicere, vt magis ibi delectemini. Potest iterum esse, vt sint inordinati motus circa illos tres sensus propter curiositatem: & sic possunt reduci ad inanem gloriam, vel concupiscentiam oculorum.

¶ Quod autem dicitur de sensu visus, quod est sensus generalis: illud nihil facit ad hoc: quoniam hoc est solum ratione nominis sui: vel ratione colum, quæ ostendit, propter quæ deseruit intellectui.

¶ Quod etiam dicatur nobilior sensus, hoc est relatione ad obiectum: sed hæc non faciunt determinandum capitale vitium: sed potius inordinatio appetitus circa appetibile: & sic est quod appetitiua tactus & gustus sunt appetibilia per se: alia autem per accidens.

MEMBRVM V.

An sicut circa superfluitatem cibi, ita & circa diminutionem eiusdem contingat esse peccatum?

QVINTO quæritur, Vtrum contingat peccatum esse circa diminutionem cibi, sicut circa superfluitatem.

Quod videtur per hoc quod dicit Gregor. *Dum plus iusto caro restringitur, ab actione boni operis eneruatur: & ideo necesse est vt quisque sic artem abstinendi habeat, vt non carnem, sed carnis vitia castiget:* & ideo ad Rom. 12. *Rationale sit obsequium vestrum.* Ad quod ergo capitale vitium reducetur hoc peccatum? Non videtur debere reduci ad peccatum gulæ: nec ad aliud multo magis.

Rom. 12.

¶Item, quæritur: si hoc semper sit peccatum, si quis intendit propter bonum minus comedere, quam exigeret sua natura: Quoniam non haberet tunc motiuum inordinatum: & etiam videtur intentio esse bona: ergo non peccatet.

RESOLVTIO.

Iuxta bonam, vel malam intentionem & peccatum, & non peccatum esse contingit.

¶ AD quod dicendum: quod aliquis potest declinare à medietate sumendo minus, quam necesse sit, propter laudem hominum: & tunc hoc peccatū reducitur ad inanem gloriam: sicut hoc peccatum, quo hypocritæ exterminát facies suas. Matth. 6. Potest etiam quis declinare à medietate bona intentione, & decipi in suo iudicio, peruersè iudicando in hoc, quod maceratur carnem suam, vltra quā deberet: vt si nesciat quid sit necessariū, aut quid diminutum; dicimus, quod tunc peccat: tamen hoc nō est capitale peccatum, nec propriè ad aliud capitale reducibile: quoniam tale peccatum nō habet motiuū: peccata vero distinguuntur secundum motiua peruersæ voluntatis, non secundum peruersum rationis iudicium.

Matt. 6.

¶SED gratia huius quæritur: ponamus quod aliquis dubitet: timet enim quod si nimis abstineat, quod non poterit vacare operibus debitis: timet iterum accipere, eo quod non possit subiicere, aut domare carnem: peccat ne talis accipiendo minus, quam oporteat.

¶Præterea, quod istorum facere expediat magis illi.

¶ Ad quod dicendum: quod vnus est timor spiritualis, qui debet esse in omni bono opere: de quo, *Verebar omnia opera mea, sciens quod non, &c.* Sed est alius timor dubitantis in eligendo, de quo est quæstio: & dicimus, quod talis debet insistere securiori parti: securior pars videtur esse in abstinendo: quoniam in hoc vitatur summum periculum, scilicet vt non dominentur vitia.

Iob. 9.

SED vlterius quæritur, secundum quod dicit Augustin. *In multis approximat superfluum necessario; quod non potest de facili discerni, quid necessarium, quid superfluum.* Quæritur ergo, si ille, qui ignorat, quid necessarium, quid superfluum accipit, plusquam necessarium sit, si peccatum est: quoniam si esset certus quid necessarium, vltra non acciperet.

August.

¶Ad quod dicendum: quod si gaudet talis, quia ignorat, nihilominus peccat. Sed si instatur, & sit ita, quod non possit discernere nisi per gratiam datam, nec est sibi data: tunc dicimus, quod non peccat. Hoc est, quod dicit Aug. 10. Confes. quod saluti satis est, dilectioni parum est; sæpe incertum sit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuosa cupiditatis fallacia ministerium suppetat: ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium: gaudens non apparere, quod satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negocium voluptatis.

Idem 10. Confes.

MEMBRVM VI.

Quæ & quot sint peccati gulæ circumstantiæ?

SEXTO quæritur de circumstantiis gulæ: ponit autem Isidor. 4. genera distinctionum in appetitu gulæ, id est, *quid, quando, quātum, & quomodo appetitur.* *Quid* ad rem ipsam pertinet, quæ appetitur: *quando*, si ante legitimum tempus quid appetatur: *quantum* vero ad immoderationem refertur: *quomodo*, ad impatientiam festinationis accipitur.

Isidor.

¶ Item, Greg. super illud. *Da mihi de coctione hac*: ponit quinque circumstantias, dicens in Glo. *sciendum, quod nos quinque modis gulæ vitium tentat: aliquando enim indigentiæ temporis præuenit. aliquando non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quæ sumenda sunt accuratius præparari appetit: aliquando qualitatibus ciborum & tempori congruit, sed in quantitate sumendi mensuram excedit: aliquando vero abiectius est, quod desideratur, sed cum ipso æstu desiderii deterius peccat. Ionathas sententiam mortis meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Populus ex AEgypto ductus in eremo potius occubuit: quia despecto manna, carnes petiuit, quas lautiores putauit. Filiorum Heli prima culpa est, quod ex voto eorum sacerdotis puer non de more vellet carnes de sacrificio accipere: sed coquendas quærebat quas accuratius exhiberet &c.* Sic ergo ponit Greg. quinque, Isidor. vero quatuor circumstantias: videtur ergo vnus superfluus, vel alter diminutus.

Greg. sup. Gen. 25. Glo. eiusd.

¶ Præterea, videtur quod vterque insufficienter eas assignet: quia aliquis religiosus, cui est prohibitum comedere carnes, comedit eas, & comedendo peccat peccato gulæ; non tamen quantum ad aliquam dictarum conditionum: ergo contingit esse peccatum gulæ sine aliqua dictarum conditionum.

RESOLVTIO.

Gregorius quinque eas enumerat: Isidorus quatuor. Nec ob id contradictio est, quia duas illarum ad vnam harum reducere est.

¶ Ad quod dicendum, quod Greg. ponit quinque conditiones ipsius gulæ, quæ continentur hoc versu: Gregor.

Laute, præpropere, nimis, ardenter studiose.

Isid. autem ponit quatuor: & tamen non est diminutus respectu assignationis Gregorii, immo sub vna conditionū, quas assignat Isid. comprehenduntur duæ illarum, quas assignat Greg. Vnde sub conditione *quomodo* intendit includere duas conditiones sc. conditionem qualitatis ex parte apparentis in intellectu: & hoc dicitur *studiose* studiose n. dicitur ex parte sollicitudinis in cognitione, vel intellectu. Et sic non est controuersia: immo Isid. duas illas, quas distinguit Greg. comprehendit sub vna conditione, quæ est *quomodo* quæ est conditio ex parte qualitatis: vnde in hoc non distinguuntur. Sed distinguit illas Gregorius per hoc, quod vna respicit affectum, & alia intellectum: vnde ita se habēt, & coincidunt inuicem: quod hæc conditio *quid* quam assignat Isidorus comprehendit illam, quam assignat Gregorius, quæ est *laute* & quando hoc quod est *præpropere*, & quantum hoc quod est *nimis* & quomodo hoc quod est *ardenter & studiose* quia vtramque qualitatem respicit: vnam sc. in affectu, & alteram in intellectu. Et per hoc patet sensus istarum conditionum: quoniam non est ibi plus considerare, nisi aut substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem, aut tempus sumendi cibos: & secundum illa sumuntur illæ conditiones Isid. Greg.

Isid. Ex 2. lib. de Summo Bono cap. 22. & 24 Greg. autem lib. 30. Moral. cap. 27.

Isidor. Gregor.

¶ Ad illud, quod obiicitur: quod deberent esse plures conditiones. Dicendum, quod non: sicut patet.

¶ Et quod obiicitur de religioso, qui sub prohibitione comedit carnes; & tamen ad nullam harum conditionum pertinet hoc peccatum gulæ. Dicendum, quod istæ conditiones, quas determinat Gregorius, & Isid. sunt conditiones generales, non conditiones secundum statum personæ: & omnes conditiones generales, quæ sunt istius peccati, comprehenduntur sub istis. Quod autem religiosus peccet comedendo carnes, hoc peccatum est secundum conditionem status, & non secundum conditionem generalem: sicut est, quod aliquis prælatus tenetur ad maiorem perfectionem abstinentiæ, quam subditus: & ideo peccat in aliquo quantum ad gulam in quo non peccat subditus: & hoc facit status personæ, & conditio status: & non aliqua generalis conditio. Vnde illa peccata gulæ, quæ sunt quo ad conditionem personæ, non continentur sub aliqua illarum conditionum quia illę sunt generales conditiones, non respicientes status personæ: & bene assignatæ sunt secundum modum suum.

MEMBRVM VII.

Quam graue peccatum gula sit?

SEPTIMO quæritur de magnitudine huius peccati. Et videtur, quod sit maximum: cum sit origo aliorum: vnde Glo. super illud. *Qui percussit AEgyptum cum primogenitis eorum. Luxuria, concupiscentia, & superbia sunt ea, quæ venter generat.* Sed venter non generat nisi ratione gulæ: ergo gula est origo illorum trium: & ita maximum.

Psal. 135 Gl. Ca[illegible]

¶ Item, super illud. *Cum ieiunasset.* Glo. Greg. *Nisi primum gula refrenetur: frustra contra alia vitia laboratur.*

Matt. 4. Glo. Greg.

¶Item

Hierony. ¶ ITEM, Hieronym. *Duo sunt vitia ex omnibus, quæ maxime homines decipiunt suis voluptatibus; gula, & libido, quæ deponere eo est difficilius, quo eis vti est dulcius.* Ex his autoritatibus videtur, quod peccata carnalia sunt maxima.

¶ ITEM, hoc patet de gula: quoniam per hanc victus est primus homo, & fuit occasio omnis mali: ergo fuit maximum.

Chrysost. Hom. 13 in Matth. Ezech. ¶ ITEM, Chrysost. *Adam incontinentia ventris expulit à paradiso: diluuium tempore Noe ipsa fecit: Sodomorum fulmina ipsa adduxit.* Si eum fornicationis accusatio erat: sed tamen alterius pœnæ radix hinc orta est: quod Ezech. 16. signanter ostendit, dicens. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, &c.* Et Isid. quasi idem dicit. Sic ergo gula causa fuit maximarum pœnarum, quæ in scriptura inueniuntur: ergo est maximum peccatum.

¶ CONTRA, peccata carnalia sunt minoris pœnæ, & maioris infamiæ: sed spiritualia econuerso: ergo peccatum gulæ non est maximum.

RESOLVTIO.

Graue admodum: tum occasio sit nonnullorum peccatorum, tum maxime Luxuriæ.

¶ AD quod dicendum: quod gula per se non est origo aliorum vitiorum: occasionaliter tamen disponit ad illa: maxime autem (quantum est de se) ad luxuriam. Vnde in Glos. super Matth. 4. prædicta Gloss. Gregor. *Gula libidines inflammat, concupiscentiam carnis nutrit, quæ repugnat legi mentis.*

¶ AD illud, quod obiicitur: quæ peccata sunt maiora: carnalia, aut spiritualia: Dicimus quod (simpliciter loquẽdo) spiritualia Quo ad aliquid tamen potest dici quod carnalia: potest enim anima inclinari ad peccatum, vel ex proprio defectu eius in se, vel ex fomite, qui est in carne. Primo modo inclinatur ad peccatum spirituale: secundo modo ad carnale. Si ergo maioritatis attendatur ratione fortioris inclinationis, ad quam consequitur maior, & grauior pugna; cum hæc sit inclinatio fomitis; sic quo ad hoc potest dici, quod peccata carnalia sunt maiora. Et sic dicit Gregor. Gregor. hic. *Nisi prius refrænetur &c.* & similiter alia autoritas Hieron. Tamen spiritualia simpliciter sunt maioris culpæ: cum ad hæc inclinetur anima ex se.

¶ AD aliud autem, quod obiicitur: quod maximum est, eo quod pro eo maximæ sunt pœnæ inflictæ. Dicimus quod quamuis tantæ pœnæ consecutæ sunt: non tamen hoc est propter peccatũ gulæ tantũ: sed propter mala consecuta ad peccatum de primo parente, scilicet quia prohibitio facta fuit ei, inquantum in ipso erat tota posteritas, vel materialiter quo ad corpus, vel in specie & similitudine quo ad animam: vnde idem peccatum non tantum esset in alio punitum.

¶ SIMILITER patet de pœna diluuij: quoniam ibi consecutum est peccatum luxuriæ cum personis, quæ ritum religionis habebant. Vnde. *Videntes filij Dei filias hominum.* Genes. 6. Et est vis facienda in hoc, quod dicit [*filij Dei*] vnde fuit ibi quasi peccatum enorme. Præterea homines erant tunc materiales, & erat maxima inclinatio ad peccata carnalia: & ideo ad reuocandum à carnalitate ita grauiter puniebatur peccatum illud. De Sodomis patet: quoniam ibi committebatur luxuria contra naturam. Per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

MEMBRVM VIII.

An prudentia carnis peccatum sit?

OCTAVO quæritur de prudentia carnis, vtrum sit peccatum. Et videtur quod sic. Prudentia carnis deordinat ad gulam, sicut prudentia spiritus ordinat ad sobrietatem: sed in genere boni aut virtutis non tantum ponitur sobrietas, sed & prudentia spiritus: ergo in genere mali, vel peccati non tantum ponitur gula, sed etiam prudentia carnis.

AdRom. 8. ¶ ITEM, hoc idem videtur: quoniam ex opposito dicũtur: sicut patet per illud. *Prudentia carnis mors est, prudentia spiritus vita & pax: quoniam prudentia carnis inimica est Deo.*

RESOLVTIO.

Et peccatum & non peccatum, diuersa ratione.

¶ AD quod dicendum: quod prudentia carnis duo habet in se, scilicet cognitionem horum, quæ caro expetit, & sic non est malum vel peccatum: nec sic proprie opponitur prudentiæ spiritus: sed tantum sunt vt disparata: quoniam scire malum non est malum: sicut ostendit August. in principio de lib. arbit. Habet iterum inclinationem ad ea, quæ caro expetit: sicut prudentia spiritus ad ea, quæ expetit spiritus: & sic concedimus quod opponitur. Et sic intelligitur, quod dicitur ad Roman. 8. Et sic concedo, quod est malum, prout est inclinatiuum ad peccatum: & inquantum est ad hoc, dicitur malũ. Nec tamen ex hoc sequitur, quod sit peccatum: Nec iterum sequitur, prudentia spiritus ei opposita est virtus, ergo illa erit peccatum: quoniam non opponitur ei ratione complementi virtutis, sed ratione dispositionis antecedentis ad virtutem. Prudentia enim carnis est tantum occasio ad peccatum: sed prudentia spiritus nõ tantum est occasio ad bonum: sed est essentialis dispositio. Vnde si aliquis habeat prudentiam carnis inclinantem ipsum ad peccatum, nõ tollitur ab eo esse virtutis, nec prudentia spiritus: sed solum si haberet vitia, ad quæ disponit vt gula, aut luxuria.

MEMBRVM VIII.

Gula cui virtuti, cuiue præcepto opponatur?

NONO quæritur de opposito gulæ. Et videtur quod opponatur sobrietati.

¶ SED contra dicitur. *Non in comessationibus & ebrietatibus* (& dicitur comessatio gula) adRom. 13. Sic ergo gula & ebrietas sunt duo peccata: ergo habent duo diuersa opposita: sed sobrietas opponitur ebrietati, non gulæ.

RESOLVTIO.

Gula parsimoniæ ex virtutibus propriè opponitur. Ex præceptis vero tum illi: Non mœchaberis, tum illi: Sabbatha sanctifices.

¶ ET dicendum quod (propriè loquendo) sobrietas opponitur ebrietati, & gulæ parsimoniæ. Vnde Chrysost. in Chrysost. quadam Homil. dicit. *Non ex parsimonia, & Physica diæta: sed ex abundanti comestione & plenitudine.* Potest tamen sumi large sobrietas: vt dicatur communiter moderatio tam in cibo, quam in potu: & sic potest opponi vtrique: & sic sumitur ad Timot. 2. *Sobrie & iuste, & pie viuamus.* ad Tim. 2.

¶ Quæritur, cui præcepto opponatur. Quod autem nõ opponatur præcepto primæ tabulæ, videtur: quia præceptũ primæ tabulæ per se ordinat hominem ad Deum, & primo: sed peccatum gulæ, quod est peccatum carnale, deordinat hominem ad seipsum, non ad Deum: ergo non opponitur præcepto primæ tabulæ: ergo videtur opponi præcepto secundæ tabulæ.

¶ CONTRARIVM patet per inductioné: constat, quod non præcepto primo secundæ tabulæ: in quo præcipitur honor parentum: patet etiam quod non præceptis cæteris: quoniam aut constat iniuria in verbo, vt istud, Non falsum testimonium dices: vel in iniuria in affectu, vt illud de non concupiscendo: vel in iniuria in facto: & hoc vel quo ad possessionem, vt illud, Non furtum facies: vel quo ad personam: & hoc vel propriam, vt illud, Non occides: vel coniunctam, vt illud, Non mœchaberis. Sed nec gula quo ad aliquod horũ iniuriatur proximo: ergo præcepto neutrius tabulæ opponitur.

¶ AD quod dicendum: quod peccatum gulæ potest cõsiderari dupliciter: vel rõne sui: vel rõne horũ, quę ad ipsum consequuntur. Si primo modo, tunc non opponitur alicui præcepto: nec oportet; qm̃ gula deordinat hominem quo ad seipsum: sed præcepta data sunt, vt ordinetur homo ad alterum, vt ad Deum, vel ad proximũ: in ipsis enim prohibetur manifesta Dei iniuria: vel proximi, quæ propriè debebat puniri: qm̃ in ista hõ conuinci poterat propter manifestationé. Si secundo mõ sumatur, tunc notandũ est: ꝙ duo consequuntur sc. luxuria, & otium carnale. Quantum ad primum prohibetur in illo pręcepto secundæ tabulæ de mœchia, vel concupiscentia vxoris. Vnde Gregor. *Dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur.* Gregor. Quantum autem ad ocium carnale opponitur tertio præcepto primæ

Idem. Exod. 3. tabulæ: vbi præcipitur quies spiritualis. Vnde Gregor. *Gulæ deditos leuitas prorsus operis, & otiositas sequitur.* Vnde scriptum est. *Sedit populus manducare & bibere: & caput ludere.*

MEMBRVM X.

Gula tempore legis naturæ quando prohibita?

DECIMO quæritur: vbi hoc peccatum prohibitum fuit tempore legis naturæ: quia multi tunc isto peccato peccauerunt. Et dicitur quod prohibitum fuit, quando Adæ fuit prohibitus esus pomi. Sed abstinere à pomo fuit quid necessarium: sed maximum est abstinere ab immoderantia rerum magnarum, vt carnium, & huiusmodi: hoc autem non fuit ibi prohibitum: ergo peccatum gulæ non fuit prohibitum, quando fuit Adæ prohibitus esus pomi.

RESOLVTIO.

Cum Adæ prohibitus est pomi esus.

Gregor. ¶ RESPONDEO. Concedimus quod in prohibitione facta tunc Adæ facta est etiam de omni esu immoderato. Vnde Gregor. *Plerunque culpa Adæ gula committitur, etiam cum vilia sumuntur: neque enim Adam solum, vt à pomo abstineret, prohibitionem accepit: & cum concupiscentes noxia tangimus, prohibita gustamus.* Notandum ergo est, quod præceptum Adæ fuit præceptum disciplinæ: & in illo fuit expressum, vt non comederet de pomo: & per hoc innuebatur, quod si facta est prohibitio rei licitæ & tam minimæ vt pomi: quod multo magis prohibentur maiora. Potest etiam dici, quod in illa prohibitione facta est generaliter omnis prohibitio cuiuslibet rei illicitæ: quoniam illa prohibitio facta est Adæ, in-

Idem. quantum erat principium omnium hominum. Vnde Gregorius. *Tanto longius à secundo parente receditur, quanto per immoderatum esum, dum manus ad cibum tenditur, parentis primi lapsus iteratur.* Et dicitur Adam primus parens, Christus vero se-

Gregor. cundus. Idem Gregorius. *Ea sumenda sunt, quæ natura necessitas quærit: non quæ edenda libido suggerit:* Quasi dicat: lex naturæ prohibet sumenda, quæ libido suggerit.

MEMBRVM XI.

An quantitas & qualitas cibi in vitio sint, vel appetitus solus?

VNDECIMO quæritur, Vtrum quantitas & qualitas cibi sint in vitio: an solus appetitus? Et videtur quod sic, per illud quod dictum est supra ab Isidoro, & Gregorio.

Gregor. ¶ SED contra: dicit Gregorius. *Non cibus, sed appetitus est in vitio; Esau enim per lenticulam primogenita perdidit: & Helias in eremo carnes comedendo, virtutem seruauit.*

RESOLVTIO.

Solus appetitus, in relatione tamen ad quantitatem & qualitatem cibi.

Gloss. super Rom. 14. Glossa. ¶ Ad quod dicendum: quod hoc soluitur in Gloss. super illud. *Non est regnum Dei esca & potus.* Ibi dicitur, *Vsu horum non acquiritur regnum Dei sicut nec amittitur:* non enim vsus ciborum, sed concupiscentia est refrenanda. Non enim interest, quid omnino alimentorum, vel quantum quis accipiat: dummodo id fiat pro congruentia hominũ, cum quibus viuit: & pro personæ, & valetudinis suæ necessitate: sed quanta facultate & serenitate animi his valeat: & cum oportet; & etiam necesse est his carere, vt dicere possit: Scio abundare, & penuriam pati. Secundum hoc dicendum, quod non substantia, nec quantitas, nec qualitas absolute accepta determinant rationem illiciti: sed solum in relatione ad appetitum, vel appetitus in relatione ad hoc. Et sic patet solutio.

MEMBRVM XII.

De ebrietate.

CONSEQVENTER dicendum est de ebrietate. Et primo quæritur, quid sit ebrietas.

¶ Secundo, an omnis ebrietas sit mortale peccatum.

¶ Tertio an peccet mortaliter inebrians alium.

¶ Quarto, vtrum eædem sunt conditiones ebrietatis, vel consimiles: cuiusmodi dicebantur gulæ.

¶ Quinto de magnitudine huius peccati.

¶ Sexto de aggrauatione eius secundum conditionem personarum.

¶ Septimo de effectu huius peccati, qui est seruitus.

¶ Octauo de cognitione huius peccati.

¶ Nono de prohibitione huius peccati.

¶ Decimo de pœna huius peccati.

¶ Vndecimo, vtrum hoc peccatum fuerit ante diluuium.

ARTICVLVS I.

Quid sit ebrietas?

DE primo sic Seneca. Nihil aliud diffinio ebrietatem, quam insaniam voluntariam. Quæritur ergo de illa diffinitione. Ebrietas enim dicit priuationem vsus rationis: quod ergo dicatur insania voluntaria: aut hoc est ratione temporis ante priuationem: aut ratione temporis, in quo est ista priuatio. Non primo modo: quoniam tunc nulla est insania: sed potest adhuc vti ratione. Si secundo modo: tũc non diceretur ebrietas peccatum: quia ibi tunc non potest esse motus peccati, sed sola pœna.

¶ PRÆTEREA, liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis: sed peccatum est in libero arbitrio: ergo vbi est peccatum, est vtraque facultas: non ergo vbi est priuatio vsus rationis: quoniam facultas dicit vsum. Sed ebrietas est peccatum: ergo non potest dici insania ratione temporis, in quo est priuatio vsus rationis.

RESOLVTIO.

Ebrietas (teste Seneca) est insania inuoluntaria.

¶ ET dicendum: quod ebrietas est peccatum in habente voluntatem accipiendi potum vltra mensuram sensibilem: ex quo consequitur, vt perueniat ad terminum, vnde proueniat priuatio rationis quo ad vsum. Vnde in dispositione voluntatis antecedente est motus peccati, ex quo cõsequitur insania: quæ tunc est sicut peccatum & pœna. Et dicitur procedere hæc insania ex volũtate, ad differentiam illius, quæ procedit ex infirmitate, vel inuoluntarie: & quo ad hoc dicitur insania. Quoniam sicut in insano non est, vt posset redire quantum ad vsum rationis: sic est in ebrio ratio ligata, vt tunc non exeat ratio in vsu ordinato: illa tamẽ tantum est pœna: ista autem pœna & culpa: De qua Chrysostom. *Nihil à dæmoniacis differt: similiter enim inuerecundatur, & insanit, & dæmoniaci quidem miseremur: hunc autem auertimus, & odimus. Quoniam autem voluntarie reddit se impotentem, quod non facit dæmoniacus: propter hoc dæmoniaco compatimur; illum autem odimus, & fugimus.* Chrysost. hom 71. ad populum Antioch.

ARTICVLVS II.

An omnis ebrietas peccatum mortale sit?

SECVNDO quæritur, Vtrum omnis ebrietas sit peccatum mortale. Et videtur, quod sic per hoc: sicut enim cognoscere potest trahi ad bonum & ad malum (quoniam cognoscere suam, est bonum: cognoscere non suam, est malum) ita & bibere: quoniam bibere ad superfluitatem est malum: sed bibere ad necessitatem est bonum. Sed cognoscere non suam est peccatum mortale: ergo bibere ad superfluitatem similiter: hoc autem est in omni ebrietate: ergo omnis ebrietas est peccatum mortale.

¶ ITEM, sobrietas in medio consistit: ergo habet extremum secundum indigentiam, & secũdum superfluitatem: & in vtroque est peccatum mortale. Sed illud secundum superfluitatem non videtur determinari nisi per ebrietatẽ. ergo omnis ebrietas est peccatum mortale.

¶ ITEM, sicut cognoscere non suam, est contra ius naturæ; sic ebrietas (corrumpit enim singulare quantum est de se) & ita vt prius.

¶ ITEM. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum.* Gl. *ebrietas statum mentis euertit.* Sed tale videtur esse peccatum mortale: ergo est peccatum mortale. Isa. 5. Glossa.

¶ ITEM, virtus non destruitur nisi per peccatum mortale: sed sobrietas, cum sit virtus, destruitur per ebrietatem: ergo ebrietas est peccatum mortale.

¶ ITEM, dicitur super illud. *Quod volo, hoc ago:* secundum Gl. *hoc dicitur de primis motibus, in quibus est peccatum veniale: &* Rom. 7. Glossa.

si aduertat consensus, erit mortale: sed tales primi motus possunt esse in ebrietate, vt in gula: ergo omnis consensus in motu ebrietatis erit mortalis.

Rom 6. ¶ ITEM, *Non regnet peccatum, &c.* neque exhibeatis membra arma iniquitatis. Sed in omni ebrietate regnat peccatum: & ipse exhibet membra sua arma iniquitatis: ergo peccat mortaliter: cum talia prohibeat Apostolus.

Ephes. 5. ¶ PRÆTEREA. *Nolite inebriari vino* &c. & ita est prohibitum: & ita vt prius.

August. in Serm. 4. in die anima rũ de igne purgat. ¶ SED contra August. *Quoties aliquis in cibo & in potu plus accipit, quam necesse est: ad peccata minuta nouerit pertinere.* Sed August. secundum consuetudinem suam intelligit per peccata minuta peccata venialia: ergo omnis ebrietas est peccatum veniale.

RESOLVTIO.

Non omnis ebrietas peccatum mortale est: sed quædam etiam veniale.

¶ AD quod dicendum: quod ebrietas aliquando est venialis: aliquando mortalis. Nec ex hoc quod dicit August. sequitur, quod omnis ebrietas sit venialis: intelligit enim quando quis accipit, plusquam necesse sit; secundum mensuram tamen imperceptibilem. Quoniam si secũdum perceptibilem, ex qua euertitur status mentis, tunc peccaret mortaliter. Et dr̃ accipere plusquam necesse sit secundum mensuram perceptibile: quando primo à mensura egreditur perceptibili secundum rationem bene ordinatam ad discernendum.

¶ AD illud, quod obr̃ ad partem aliam. Dicendũ, quod non est simile de eo quod est cognoscere non suam, & bibere ad superfluitatem, vbi est excessus naturæ perceptibilis, nisi sit euersio mentis, quoniam tunc est mortale.

Obiectio. ¶ SED obiicitur: quoniam aliquis secundum concilium medicinæ accipit ad superfluitatem, vt postea euomat, & purgetur: & ponamus quod scienter, tunc non vr̃ peccare: ex quo non ex libidine facit: sicut nec peccaret, si acciperet medicinam.

¶ AD quod dicimus: quod si hoc faciat hac intentione, vt purget ex concilio discreti medici, non peccat. Quando ergo quæritur: secundum quid determinatur illud superfluum? Dicimus quod cum quis accipit vltra mensuram, quã exigit naturæ necessitas, & ex libidine: sic peccat mortaliter. Nec semper oportet, quod intendat inebriari: sed quod intendat id, ad quod sequitur inebriatio: & sic velit delectari in creatura supra Deum. Et talibus dr̃ commina-

Isa. 5. tio pœnæ æternæ: *Væ qui potentes estis &c.* Nec dicitur hic potens, qui plus potest ex natura, sed dicitur potens ex potentia, quæ venit ex praua consuetudine: vt velit consumere bona, quæ data sunt ad vsus hominum.

¶ AD illud, quod obr̃: quod destruit sobrietatem. Dicimus quod sobrietas potest sumi, vt determinat mensuram secundum naturam determinatam, inquantum natura dr̃

Alias, medium. principium, vt homo sumat modum in potu. Potest iterũ sumi, vt est virtus gratuita: & sic dicit habitum potentiæ ex gratia ad seruandum medium. Potest etiam sumi, vt est virtus moraliter. Dicimus ergo, quod ebrietas & sobrietas opponuntur, vt dicunt motus, & vt dicũt habitus: sed sobrietati vt est habitus gratuitus, non opponitur ebrietas, prout dicit excessum mensuræ: sed prout dicit talem, quæ statum mentis euertit: & tunc cõcedimus, quod talis est mortalis: & cum est consensus in ebrietatem mortalem, tunc concedimus quod regnat peccatum: quod exhibentur membra arma iniquitatis: aliter vero non.

August. in sermo. de igne purgatorio. ¶ Quæritur de ebrietate assidua, an sit peccatum mortale: Et vr̃ quod sic, per hoc quod dicit Aug. *Sacrilegium, homicidium, adulterium, furtum, rapina, falsum testimonium, & ebrietas (si sit assidua) iracundia (si nimis teneatur) in criminum numero computantur.* Vnde tales si se non emendauerint: non æstiment à purgatorio purgari.

¶ CONTRA, longum & breue in tempore, multum & paucum in numero, nihil faciunt ad dr̃iam essentiæ peccati: ergo si sit assidua, non erit hoc mortale peccatum.

Hero. super Matth 21. ¶ AD quod dicendum: quod in vnica ebrietate cõtingit esse peccatum mortale. Vnde Hieron. super hoc, quod Dn̄s eiecit ementes & vendentes de templo, dicit: ꝙ multo magis eiecisset ebrios, si ibi eos inuenisset. Nec vult dicere Augu-

gust. quod solum sit mortalis, cum est assidua: sed loquitur de hoc, quod notum. Et vult* vnum, sc. quando talem vniuersaliter consequitur contemptus, & libido mortalis. Vnde super illud. *Ne intuearis.* Gl. *Non vetat bibere ad necessitatem, sed moram extra tempus vltra vtilitatem in vino; & euacuandum certare calicibus.* *Alias, verum. Prouer. 23.

ARTICVLVS III.

An qui alterum inebriat, mortaliter peccet?

TERTIO quæritur, an peccet mortaliter omnis inebriãs alium. Et videtur quod sic: quia qui aufert alteri rem temporalem, peccat mortaliter: sed qui inebriat alterum, aufert ei rem spiritualem, sc. vsum rationis, quod maius est: ergo peccat mortaliter.

¶ CONTRA, multo plus vr̃ peccare quantum ad genus peccati inebriatus, quam inebrians ipsum: sed iste nõ semper peccat mortaliter: ergo nec inebrians ipsum.

RESOLVTIO.

Et mortaliter, & venialiter, & interdum nec hoc, nec illud.

¶ ET dicendum: quod si quis credat alterum esse verecũdum; & quod præ verecundia non accipiat necessitatem suam: si alter inuitet ad hoc vt ille accipiat necessitatem suã; nõ peccat inuitans, etiam si ille accipiat plus quam necesse fuerit, & tamen peccabit iste. Si vero inuitet accipiendum superfluum: vt sic excitetur beneuolentia, & familiaritas: tunc peccat venialiter. Si vero intenderet solum, vt alter se ingurgitaret, tunc peccaret mortaliter: cum intenderet euertere statum mentis: & sic est maius quod ei aufert, quam si auferret ei temporale aliquod: quia auferret ei vsum rationis.

ARTICVLVS IV.

An quæ gulæ proprietates dicuntur: & ebrietatis etiam proprietates dicantur?

QVARTO quæritur, vtrum eædem proprietates sint ipsius ebrietatis, cuiusmodi dicebantur esse ipsius gulæ: quæ notabantur hoc versu:

Laute, præpropere, nimis, ardenter, studiose.

¶ ET videtur per inductionem, quod similiter possint assignari circa gulam quo ad immoderationem potus.

¶ PRÆTEREA, videtur hoc per prædictam Gl. Prou. 23. Apparet enim quod ibi sit conditio temporis, superfluitatis, studiositatis.

¶ ITEM, de studiositate patet in Textu paulo ante, vbi dicitur. *Et student calicibus epotandis.*

¶ ITEM, de leuitate patet per hoc, quod dicitur. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti*: & sic (sc. delectantur) in visu & affectu. Glos ibid. Amos 6.

RESOLVTIO.

Quam maxime.

¶ ET dicendum, quod illæ conditiones ponuntur prout communiter sumuntur ad immoderationem, quæ in cibo, & in potu est &c.

ARTICVLVS V.

Quam graue peccatum sit ebrietas?

QVINTO quæritur de magnitudine huius peccati. Et dicit Chrys. quod *nihil ita est dæmoniacum, sicut ebrietas & lasciuia, quæ mater est omnium vitiorum. Hæc enim fuit impietas Sodomæ sororis tuæ saturitas & plenitudo: & in copiositate luxuriabantur: per hanc enim Israelitæ in idololatriam ceciderunt*: de quo Numer. 25. Secundum hoc ergo ebrietas est maximũ peccatum. Chrysost. Homil. 76. ad populũ Antiochenum. Num. 25.

¶ ITEM, per peccatum accedit homo ad similitudinem bruti, iuxta illud. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis &c.* Maximum ergo erit peccatũ, per quod maxime ad hoc accedit: sed hoc est ebrietas: quoniam per hanc amittit homo maxime facultatem rationis quo ad vsum: brutum vero non habet facultatem rationis. Psal. 48.

¶ ITEM, videtur quod ebrius deterior sit bruto, per hoc quod dicit Chrys. *Tanto melior est his asinus, quanto melior est est his canis: tantum enim sufficientiam nouit, & vltra sufficientiam non progreditur. Et simile vrgentes fuerint, non sustinent exire in immoderantiam.* Multo ergo deterior est, qui sine coactione se inebriat. Chrysost.

Idem. ¶ ITEM. Chrysost. *Hic fit iactura fere omnium bonorum: & si habeat prudentiam, humilitatem, mansuetudinem, omnia proijcit in iniquitatis pelagus.* Et ita vult dicere: quod cum per omne peccatum mortale amittatur omne bonũ gratuitum: quod plus damni facit peccatum ebrietatis; quoniam vsum bonorum naturalium tollit; quod non alia peccata. Cum enim homo irascitur, fit frequenter agilior & fortior: econtra est; cum est ebrius: sic & in ceteris bonis, (& loquitur de prudentia, mansuetudine, & humilitate, vt sunt bona animæ naturalia.) Ergo ebrietas est maximum peccatum.

Greg. li. 31. Moral. c. 11. ¶ CONTRA, spiritualia peccata sunt maioris culpæ: sicut dicit Gregor. non ergo ebrietas, cum sit carnale peccatum.

RESOLVTIO.

Graue admodum; cum vsum naturalium bonorum tollat, brutisque animantibus hominem simillimum reddat.

¶ RESPONDENDVM: Concedimus quod dicitur maius peccatum quo ad ablationem vsus naturalium bonorum. & etiam quo ad hoc quod reddit hominem similem bruto. Non tamen propter hoc simpliciter est maximum peccatum: nec propter hoc dignum maiori pœna: sed quasi plus habet de excusatione: cum plus habeat de pronitate ad peccatum.

ARTICVLVS VI.

De aggrauatione ebrietatis secundum status personarum.

SEXTO quæritur de aggrauatione ebrietatis secundum status personarum. Et quæritur, vtrum ebrietas sit maius peccatum in clericis, quam in laicis? Quod non, videtur: quoniam æqualis est pronitas in vtrisque: ergo est æquale peccatum.

Concil. Carth. In Canon. Apostol. Cano 42. ¶ CONTRA, laico non prohibetur ira, sicut clerico: vt patet ex Concilio Carthag. in quo clerici edendi vel bibendi causa tabernam non ingrediantur, nisi in peregrinatione. Et similiter ex Synodo. 6. nulli licet clerico tabernas aut ergasterium habere. Si enim huiusmodi ingredi tabernam prohibetur, quanto magis alij ministrare ea: siquis vero tale fecerit: aut cesset, aut deponatur.

¶ AD quod dicendum: quod æqualitas peccati aut inæqualitas non solum consistit in radice, aut in genere peccati: sed etiam in circunstantijs: quoniam (secundum quod dicit Ambros.) omne peccatum surgit ex contemptu: & Ambros. contemptus surgit ex omnibus prædictis. Licet ergo quantum est de genere peccati ebrietatis, peccatum esset in illis æquale: tamen status personæ aggrauat, sicut in clerico: & ob hoc eis magis prohibetur.

¶ Quæritur etiam, an in Prælatis sit maius peccatum, quam in subditis. Et videtur quod sic: prohibitum est filiis Aaron bibere vinum, & omne quod inebriare potest: vt habetur Leuit. 10. & isti gerunt typum prælatorum: non similiter autem prohibitum est subditis: ergo est maius peccatum in prælatis. Leuit. 10.

adTim 3 ¶ ITEM, in constituendo prælatum dicitur. *Non vinolentum.*

ad Ephes. 4 Glossa. ¶ ITEM. *Nolite inebriari vino.* Gl. *Nihil ita vitandum est, sicut ebrietas in eo, qui debet iudicare.*

¶ AD quod dicendum: quod maius est peccatum: & quod est aggrauatio nõ solum ratione personæ aut professionis; sed etiam ratione dignitatis: quoniam ebrietas inducit ignominiam: vt habetur. *Sacerdotes nescierunt præ ebrietate.* Et in eodem. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem, &c.* Isa. 28. Idem 56.

Leuit. 10. ¶ Quæritur an sacerdoti Euangelico liceat bibere vinũ. Et videtur quod non, etiam per hoc quod Leui. 10. fuit vinum interdictum sacerdoti legali, quando ingredi debebat tabernaculum; & etiam omne, quod potest inebriare. Ergo multo magis sacerdoti euangelico: cum teneatur ad maiorem perfectionem: & quotidie ingrediatur tabernaculum.

Ibid. ¶ ITEM, ibidem dicitur: quod præceptum sempiternum est: ergo debet adhuc durare præceptum illud.

1 Petri 3. ¶ ITEM, ibidem. *Vt habeatis scientiam discernendi, &c.* sed adhuc est discretio ista necessaria sacerdoti euangelico: & ideo dicitur. *Parati semper ad satisfactionem &c.*

¶ ITEM, plus tenetur sacerdos euangelicus vacare cælestibus; quam legalis. Quod probatur per hoc, quod dicitur. *Secularia iudicia si habueritis, &c.* Sed bibere vinum ab hoc retrahit. *Noli regibus dare vinum.* Gl. *Nihil de cælestibus cogitatur, vbi est voluptas carnalis*: sed ea solum, quæ sunt visibilia carnales scrutantur. Et ita patet quod non licet sacerdoti euãgelico vinum bibere. 1 Cor. 6 Prou. vlt. Glossa.

¶ CONTRA, sacerdoti dicitur. *modico vino vtetur.* 1 Tim. 5

¶ SED posset dici, quod non est prohibitum simpliciter sacerdotem legalem abstinere à vino, sed antequam ingrediatur tabernaculum, & hoc facit sacerdos euangelicus, qui ieiunus accedit ad altare: & hoc videtur dicere Isidorus super illud Leui. 10. in Gl. dicens. *Adhuc hanc legem ecclesia custodit: neque omnino abstinere præcepit, sed quando ad tabernaculum vel altare testimonij debebat accedere.* Sed contra hos dicit Aug. quod quolibet die debebat ad altare ingredi: & tamen ibi scriptum est, quod debet abstinere, quando ingreditur ad altare, & quotidie ingreditur ad altare; quoniam ad altare incensi vel holocaustorum. Isidorus. August.

¶ ITEM, videtur, quod ad minus in primitiuo statu legis debebant quolibet die abstinere: quoniam tunc erant officia indistincta: debebat enim quilibet esse paratus semper: & non esset, nisi semper abstineret. Postea tamen aliter esse potuit: quoniam officia fuerunt distincta: vt dicitur 1. Paralip. 4. tunc enim videtur, quod non teneretur: nisi solum tempore, quo debebant exequi sua officia. Sed adhuc remanet quæstio, quæ prius. 1. Paralip. 4

¶ AD quod dicendum, sicut dicitur. *Omnia contingebant illis in figura*: maxime quæ erant sacramentalia & ceremonialia: vnde illa euacuata sunt, adueniente euangelio: sed moralia complentur ibi. Quoniam euangelium non solum prohibet opus, aut animum procedentem ad opus: sed etiam ipsum animum in se. Dicimus ergo quod illud fuit ceremoniale: & fere quicquid est in Leui. nisi in 19. Si ergo spiritualiter intelligeretur illud, referretur ad præceptum de immundis: vt patet ad Rom. 13. & 1. ad Tim. 3. dicimus ergo, quod illud præceptum adhuc remanet secundum spiritualitatem, & etiam arctius dẽt obseruare: quoniam sacerdotes nõ solum debent se abstinere ab ebrietate, quæ est peccatum: sed ab occasione peccati, & ab eo quod est impedimentum sui officii: & ideo non dicitur simpliciter *vino vtere*: sed addidit, *modico*. Sed quia carnales erant, intelligebant illud ad literam, non spiritualiter: sicut illud præceptum, Non indueris veste contexta lana, & lino: cuius ratio erat: quoniam ministrantes idolo solebant habere huiusmodi vestes. Similiter sacerdotes idolorum solebant vti veste staminea: & ideo illa vestis prohibita est: * recipiebant tamen illud solum, quia præceptum. 1. Cor. 10. 1. Timot. 5. * Alias, recipiebant.

¶ Quod vero dicitur, quod fuit præceptum sempiternum. Dicimus quod hoc intelligitur secundum spiritum, non secundum literam: secundum illud. *Litera enim occidit, &c.* 1. Cor. 3.

¶ QVÆRITVR etiam, an religiosi teneantur abstinere à vino? Et videtur quod sic, per hoc quod dicitur Num. 6. de Nazaræis, quod à vino & ab omni eo quod inebriare potest, debent abstinere; & illi erant tunc religiosi: ergo cũ religiosi euangelici debeant esse maioris perfectionis; debent multo magis abstinere. Num. 6.

¶ ITEM, idem obiicitur de Rechabitis, de quib. Hier. 35.

¶ ITEM, Bern. *Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales non se compatiuntur in eodem.* Sed carnales delitiæ sunt in vino: & religiosorum est fugere eas, & inhiare spiritualibus. Bernar. ad Fulconem.

¶ ITEM, in regula Beati Benedicti præcipitur abstinentia à carnibus, non à vino. In Ionadab regula econuerso. Similiter in lege Machometi præcipitur abstinentia à vino, non à carnibus. In regula ecclesiæ catholicæ à carnibus non à vino in tempore Quadragesimæ: quæritur vnde hoc. Videtur quod in regula B. Benedicti, & in regula ecclesiæ Quadragesimæ debeat præcipi abstinentia à vino: quoniam ibi debet esse maior perfectio: & constat quod vinum plus inflammat ad libidinem, quam carnes.

¶ ITEM, regula Benedicti libram panis & emmã vini, id est, libram & dimidiam concedit. Sicut ergo monachus videtur peccare, si tempore non debito comedat carnes: sic

si plus

si plus de pane, aut de vino plus accipiat: quare ergo contra illud non prædicatur, sicut & contra istud.

¶ Et dicendū quod verum est, quod in tempore consecrationis debebant Nazarei abstinere à vino: postmodum tamen poterant bibere: vt in eod. Lib. Num. 6. habetur: & ibid. in Gl. hoc dicitur. Dicimus ergo sicut prius, quod illud secundum literam fuit ceremoniale: vnde non sic debuit remanere: sed solum quo ad intellectum spirituale. Ab iis ergo debet se religiosus abstinere: sed postmodum debet bibere vinum deuotionis.

¶ Ad illud ergo, quod dicit Bern. Dicimus quod delitiæ prout sonant in culpam, non possunt simul manere cum spiritualibus: sed solum prout sonant in occasionē peccati.

¶ Ad illud, quod obiicitur de Quadragesima Dicitur: quod ibi datur decima dierum, & est tempus satisfaciendi pro peccatis à carne & spū contractis: & ideo fit abstinētia.

¶ Notandum etiam, secundum quod dicit Amb. quod terra maledicta est: vt patet Gen. 3. & aqua benedicta, vt patet Gen. 1. & maledictio facta est propter esum. Quoniam ergo gressibilia ortum habent à terra: ideo ratione originis fit abstinentia ab his tempore determinato: nec tñ à piscib.

¶ Sed videtur opponi de volatilibus: quod non debemus ab his abstinere, cum habeant ortum ab aquis, sicut & pisces. Ad quod dicimus: ꝙ licet habeant originē ab aquis tamen morantur in terra: & ideo in eadem sententia debebant esse cum reptilibus.

¶ Nota etiam quod à carnibus debet proprie fieri abstinentia: quoniam nutritur simile simili: sed caro hēt potentiam propinquiorem, vt fiat caro: & ideo perfectiꝰ est abstinuisse à carnibus.

¶ Sed adhuc obī de fructibus, qui videntur habere originem à terra: quod ab his habeamus abstinere. Ad quod dicimus, quod licet oriantur à terra: tamen statum habent innocentiæ, in quo fuerunt concessi: sed carnes nō fuerunt concessæ, nisi post diluuium: vt patet Gen. 9.

¶ Sed adhuc obī: quoniam non vī concessum fuisse ante diluuium: & tamen est de his, quæ oriuntur à terra. Et dicendum quod licet non legatur, quod homines vterentur vino ante diluuium: nihilominus poterant vti: sed vinea non dabat tunc fructūm suum, antequam Noe plantaret eam. Vnde est dicendum eam non tunc primo fuisse; quoniam ante lapsum fuit cum cæteris arboribus: sed tunc non excolebatur.

¶ Ad illud, quod quæritur de lege Mahometica. Dicimus, quod nō prohibuit vinum; quia esset prouocatiuum ad libidinem: quoniam ipse cōcessit abusum mulierum: sed propter hoc ꝙ inducit ebrietatē, quę subuertit vsum rōnis.

¶ Ad vltimum dicimus: ꝙ regulariter illud dictum est: pōt tñ dispensari ad plus secundum exigentiam personarū: sicut enim dicit Philos. *quod vni est paruum, alteri est magnum.* Philos.

ARTICVLVS VII.

Quis sit ebrietatis effectus?

Amb li. de Helia, & ieiun. c. 5. Tomo 5. Septimo quæritur de effectu huius peccati. Et primo quo ad seruitutem dicit Amb. *Non esset in homine seruitus, si non fuisset ebrietas.* Sic ergo videtur, quod seruitus sit primo effectus ebrietatis.

Ephes. vlt. Glossa ¶ Contrarivm videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Serue obedite Dominis. Gl. prima seruitutis causa peccatū est.* Sed hoc peccatum non fuit primum, cum de ipso non legatur ante diluuium, sed tantum post.

¶ Præterea: si seruitus causatur ex peccato; maxime videtur causari ex maiori & grauiori: sed multa sūt grauiora, quam ebrietas: non ergo ebrietas causa est seruitutis.

Genes. 9. ¶ Præterea, si est ebrietas causa seruitutis: ergo seruitus potius fuisset in Noe, qui inebriatus fuit, quam in Chanaan filio filij sui.

RESOLVTIO.

Seruitus, sed occasionaliter.

Aug. in li. 19 de ciuit. Dei cap. 5. ¶ Respon. Concedimus (secundum ꝙ ostendit Aug.) ꝙ prima causa & directa seruitutis fuit peccatum: vnde hæc causa fuit, antequam de ebrietate aliquid legeremus. Tñ ipsa ebrietas fuit causa occasionaliter, & indirecte quo ad hoc: quoniam si Noe inebriatus non fuisset, Cham filius eius non irrisisset eum: & si non irrisisset eum, nec Chanaan filio eius à Deo fuisset inflicta seruitus, nec à Noe prædicta: & quo ad hoc loquitur Amb. & iuxta hoc ēt loquitur Aug. *Nusquam scripturarum legimus seruum antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij sui vindicaret.* Idem in eod. cap. 15

¶ Ex hoc patet, quod non valet, quod obiicitur de peccato grauiori: procederet. n. si ebrietas esset causa directa.

¶ Similiter ad vltimum, quod Noe debuisset seruitus infligi, vel Cham in se. Dicimus quod cum benedictus fuisset Noe à Domino, *Benedixit Dominus Noe & filiis eius.* debuit tñ in sua posteritate maledici. Nec fuit iniustitia: quoniam Chanaan fuit imitator paterni sceleris. Genes. 9.

ARTICVLVS VIII.

An Loth ebrietas eidem in peccatum imputanda est?

Octavo quæritur de cognitione huius peccati, scil. ebrietatis quo ad peccatum incestus ipsius Loth. secūdum quod dicitur *Loth inebriatus, &c.* Et post commisit incestum cum filiabus suis. Et de hoc dicit Aug. *Inebriauerunt Loth filiæ eius, & nescienti miscuerūt: quapropter culpandus est quidem: non tantum quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.* Genes. 19. Aug. cōtra Faust. li. 22 cap. 44.

¶ Sed obī cōtra hoc, quod dī. *Nescienti miscuerunt.* Quoniam videtur quod peccatū carnale non possit exerceri per illum, in quo est omnino sopitum liberum arbitrium. Ibid. Genes. 19.

¶ Præterea, voluntariū dī illud, cuius principium est in ipso: sed principium incestus fuit in ipso Loth. ergo fuit voluntariū: & fuit malū, ergo fuit peccatū: ergo non solū peccauit in ebrietate, sed etiam in incestu: ergo propter peccatum culpandus est. ¶ Præterea, si rō esset culpandus pro ebrietate; tantum pro hac deberetur ei pęna: quia vt dicitur. *Secundum mensuram peccati erit & plagarum modus.* Deut. 25.

RESOLVTIO.

Quinimmo & incestus nota notandus est.

¶ Et dicendū, quod peccauit in vtroque. ¶ Quod vero dī, Miscuerunt nescienti: exponitur, idest, non distinguēti, an essent filiæ suæ. Concedimus enim quod nō ablata fuit ab eo voluntas rationalis: maxime cum hēret potestatē ad talem actum. Vnde voluntariū fuit hoc peccatum quo ad hoc, quod dicitur voluntarium, cuius principiū est in ipso: sed non plene quo ad aliud, quod est in voluntario, sc. cognoscere singula: tñ illa ignorantia excusauit eum à tanto, sed nō à toto. ¶ Quod vero dicit Aug. quod culpandus est, non quanrū meretur incestus, sed ebrietas. Dicimus, quod non vult dicere, quod non debeat plus puniri, quam si solam ebrietatem commisisset: sed vult dicere, ꝙ eius ebrietas meruerit pœnam, & pro se, & pro incestu, qui consecutus est: sed nō tantum pro incestu, quantum si commisisset incestum tempore, quo posset plene distinguere. ¶ Quod vero dī. *Non sensit &c.* hoc nō est dicere, ꝙ hoc fuerit sine tactu sensibili: sed potius quoniā non discreuit, ꝙ essent filię suæ. Augost. Genes. 19.

ARTICVLVS IX.

Quare Apostolus non ita vetuit ecclesiasticum prælatum fore edacem, sicut & vinolentum fore vetuit?

Nono quæritur de prohibitione huius peccati. Cum detestabile sit prælatum esse edacem, sicut vinolentū, quare potius in regula Apostolica 1. ad Timot. 3. in institutione prælati dictum est, *non vinolentum:* & non est positum, non edacem. 1. Timot. 3.

RESOLVTIO.

Prohibens vinolentum fore, & edacem pariter fore prohibuit.

¶ Ad quod dicendum: quod sicut in Cano. dicitur: *cum vinolentum esse prohibetur, gula intemperamentum nequaquam permittitur:* neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur: vtrunque enim inter opera tenebrarū Apostolus commemorat scribens Romanis. *Non in commessationibus & ebrietatibus.* Ventris namque ingluuies ad luxuriam facile prouocat, & omne opus bonum dissoluit. Cano. dist. 44. in principio. Rom. c. 13.

ARTICVLVS X.

Quare ebrietas sicut graue peccatum est, non ita & grauis pœnitentia ei infligatur?

Decimo quæritur de pœna huius peccati. Et quæritur, si tam graue est illud peccatum; quare in quibusdam permittitur: & non ita grauiter infligitur pro ipso pœna, sicut pro cæteris: vt sic saltem timore pœnæ reuocarentur homines ab eo, sicut & à cæteris.

RESOLV-

RESOLVTIO.

Quia cæcitati, non rationi inebriantis ascribitur.

¶ Ad quod dicendum: quod non rationi, sed voluptati, imo cuidam cæcitati mentis ascribendum est: vnde nec à tali consuetudine abstinere possunt: & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt: ne deteriores fiant, in tali consuetudine euellantur. Et loquitur Gregor. pro tempore illo, in quo in illis partibus primo plantata fuit fides. Vnde etiam paretur: quia multitudo est causa, ne fiat in ecclesia scissura.

ARTICVLVS XI.

Quid est dictu, ante diluuium fuisse luxuriæ peccatum: post diluuium vero primo fuisse ebrietatis peccatum?

VNDECIMO quæritur, cum ante diluuium fuerit luxuria: primum vero peccatum post diluuiũ fuerit ebrietas: vnde hoc: & quid per hoc designatur.

RESOLVTIO.

Vt sic semper ascenderet corruptio peccati maior in genere humano.

¶ Et ad hoc dicendum, quod tunc erat quasi adhuc ætas adolescentiæ, & adhuc in tali ætate solet regnare luxuria. Vnde secundum quod exponit scriptura: luxuria fuit præcipua causa, vt veniret diluuium: post etiam diluuium primo concessæ carnes in esum, secundum id Genes. 9. Ante vero diluuium vescebantur homines fructibus: sed constat quod esus fructuum non intantum expetit potum inebriantem, vt vinum, aut huiusmodi, sicut & esus carnium: Et ideo potius (secundum quod exprimitur in scriptura) primum peccatum ante diluuium fuit luxuria, post diluuiũ ebrietas: vt sic semper ascenderet corruptio peccati maior in genere humano. Genes. 9.

QVÆST. CXLIV.

De Luxuria.

In vndecim Membra diuisa.

CONSEQVENTER quæritur de peccato luxuriæ. Et primo, quid sit. Secundo, vtrum coire sit malum secundum se & peccatum. Tertio, vtrum omnis luxuria sit mortale peccatum. Quarto quæritur, quare dicitur peccatum in corpus. Quinto de conditionibus huius peccati. Sexto de quantitate huius peccati. Septimo de comparatione huius peccati ad superbiam. Octauo de opposito huius peccati in genere mali & in genere boni. Nono de differentiis huius peccati. Decimo de effectu huius peccati. Vndecimo de pœna huius peccati. D. Tho. 2. 2 q. 153. & 154.

MEMBRVM I.

Quid sit luxuria?

DIFFINITVR autem sic. *Luxuria est libidinosa voluptatis appetitus.* Item, *luxuria est concupiscentia nimia experienda voluptatis.*

¶ SED videtur, quod non sufficienter exprimatur esse luxuriæ per huiusmodi diffinitiones: per hoc quod dicitur. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Ergo mœchia, siue fornicatio per visum committitur: sed visus est actus differens ab appetitu, & concupiscentia: ergo non sufficienter diffinitur luxuria per appetitum & concupiscentiam. Math. 5.

¶ ITEM, ponatur ita, iste studiose in aspectu pulchræ mulieris affigit oculos: quæstio est, vtrum luxurietur. Et videtur quod sic, per hoc quod dicit Chrys. *Qui studet corpora clara perscrutari: & pulchros visus venari, & fouere inspectricem animam, & pulchris faciebus delectari: captiuat animam.* Sed non captiuat animam nisi per peccatum: sed non aliud à peccato luxuriæ: quare insufficienter describitur per appetitum & concupiscentiam. Chrys.

RESOLVTIO.

Luxuria est appetitus libidinosæ voluptatis. Vel, luxuria est nimia concupiscentia voluptatis experienda.

¶ Ad quod dicendum: quod ibi diffinitur luxuria, secundum quod est mortale peccatum. Et intelligitur ibi esse appetitus, qui est ex consensu rationis: & similiter concupiscentia. Vel etiam dicitur mortale esse, quando non cohibet ipsa ratio, cum possit huiõi inordinatum appetitum, siue concupiscentiam cohibere. Vnde August. super illud. *Qui viderit &c. Qui vidit hoc fine & animo, vt eam concupiscat; quod non est titillare, sed plene consentire. vt si facultas sit, peragatur.* Patet ergo quod secundum quod est cõsensus ipsius rationis, vel nõ cohibitio, cum possit; est luxuria mortale peccatum. Et per hoc excluduntur primi motus, qui non sunt in potestate nostra. Aug. super Math. 5.

¶ SED adhuc obiicitur: *qui viderit mulierem ad concupiscendum*, vtrum luxurietur? cũ alter actus sit videre ab ipso concupiscere. Et videtur quod non: cum primo sit peccatum in consensu ipsius rationis, sicut dictum est. Math. 5.

¶ AD hoc respondet Chrys. mouendo istam quæstionem, dicens ita. *Simpliciter visum destruxit propter ipsam occasionem, quæ ex hoc sequitur, concupiscendi.* Vnde subdit. *Deus incontinentem visum destruxit ante actum: ne forte in actum incidat: qui enim accendit flammam, absente etiam muliere, apud se plasmat continue.* Vnde ipse dicit. *Non ad hoc oculos tibi fecit Deus, vt per illos introducas adulterium: sed vt creaturas videns, admireris creatorem.* Vnde ipse ponit exemplum de impetuoso tenente gladiũ, qui de facili propter impetum potest se interficere: & aufertur sibi gladius, vt auferatur sibi interficiendi occasio. Vnde ipse Chrys. vult dicere, quod quidam ignis concupiscibilis ratione naturæ corruptæ ipsi visui adiunctus est: ratione cuius Dominus huiusmodi visum inhibuit cum cõsensu; cui adiungitur delectatio, vel tristitia, quæ paulatim procedit vsque ad consensum rationis: vnde. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem de virgine.* Et postea dicit, quasi reddens rationẽ huius: *quia est ignis vsque ad consummationem deuorans, & omnia eradicans gemmina.* Vnde cõcedimus, quod luxuria est in appetitu: & ideo per illa, sc. per concupiscentiam & appetitum diffinitur: per occasionẽ vero in visu in sequentibus naturam corruptam: & ideo ab ipso Domino videre ad concupiscendum inhibetur. Chrysost. Idem. Idem. Idem. Iob 31. Idem.

MEMBRVM II.

An coire, secundum se malum, siue peccatum sit?

SECVNDO quæritur, vtrum coire sit malum secundum se & peccatum. Et loquamur de illo coitu, antequam consentiat aliquis in aliquam per matrimonialem copulam. Quæritur ergo aut hoc quod dico *coire* est malum ratione materię, in quam trãsit: aut rõne potentiæ, à qua egreditur. Et si dicatur quod rõne materiæ, hoc nõ vr: quia iste actus transit in mulierem sicut in materiam: sed hic determinatur materia, sicut date indigẽti determinatur actus in propria materia, & est bonum in genere: sic vr quod hoc quod dico *coire* ratione materiæ huius, in quam transit, erit bonũ in genere: quia ex tali materia non contrahitur deformitas, vt vr. Si dicatur, quod hoc est ratione potentiæ corruptæ: sed sicut est ista corrupta, sic & aliæ corruptæ sunt (& loquamur pro illo statu, postquam corruptæ sunt) ergo si ratione huius corruptionis est coire malum secundum se: eadem ratione esset in aliis: vel si non in aliis, nec in isto.

¶ ITEM, Chrys. *Vtraque scilicet ira & concupiscentia sunt natiua.* Sed quod est natiuum siue naturale, non est malum: quia secundum ea, quæ naturalia sunt, nec laudabiles, nec vituperabiles sumus: quare vr, quod ipsum coire nõ sit malum secundum se: quare (vt videtur) potius deberet dici malum in genere vel ex circumstantia, quam malum secundum se. Chrysost.

¶ SED quod non sit malum in genere, illud patet per ea, quæ dicta sunt. Et etiam videtur quod sit malum ex circũstantia: quia ponatur quod aliquis coeat cum aliqua intentione prolis procreandæ: & seruet ei fidem: & tamen nõ sit ibi coniugium, videtur etiam quod ille actus sine coniugio non sit malus ex circunstantia: nec in se, sicut ostensum est; quare non videtur malus simpliciter.

RESOLVTIO.

Coire secundum se malum non est, sed ratione, qua cum non sua coitur.

¶ Ad quod dicendum, quod coire non dicitur malum secundum se, secundum quod transit in mulierẽ, sicut in materiam: sed secundum quod transit in hoc quod dico [*non suam.*] Sed hoc quod dico [*non suam*] potest intelligi dupliciter: vel quæ nondum facta est sua per coniugium: vel intelligitur cum non sua, postquam aliqua facta est sua. Vltimo modo planum est, quod est peccatũ mortale coire cum non sua. Sed primo modo coire cum non sua, antequam aliqua facta sit sua, sit peccatum: tunc est quæstio, ratione cuius ipsum coire est malum? Et dicendum, quod hoc est ratione vtriusque, & ratione, sc. potentiæ corruptæ & ratione materiæ. Vnde actus sic egrediens à potentia sic existente corrupta in talem materiã, est causa, quare ipsum coire sit malum. Vnde non est ratione alterius tantum, sc. ratione, qua egreditur à potentia corrupta: sicut patet de vxore: vbi quamuis egrediatur à potentia corrupta, non est tamen peccatum: cum sc. ibi concurrunt illa tria bona, fides, proles, & Sacramentum.

¶ Quod autem obijcitur, quod non est plus quam coire cum muliere. Imo plus dicitur scil. coire cum muliere non sua, per legem coniugij. Vnde sicut fuit in Quæstione de peccato Originali, potẽtia generatiua habet corruptionem super alias: ratione cuius malum est ipsum coire: nisi addatur debita circumstantia. Sicut patet quod ipsum iurare malum est ex defectu debitæ circumstantiæ: cum scil. iuratur sine necessitate: vnde hac de causa Dominus inhibuit iurare: vt patet, *Nolite iurare*, &c. Et: *Ante omnia fratres mei*, &c. Sed ex hac parte etiam plus est: quia ipsum coire egreditur à potentia corrupta supra alias: & etiam deficit debita circumstantia. Vnde semper in se erit malum, nisi trahatur per aliquam circumstantiam ad bonum.

Quæst.105 Memb.7. art.5.3.

Matth.5. Iacobi vlt.

An coire cum pluribus sit contra legem naturæ? §.1.

¶ Adhvc quæritur circa hoc: Vtrum coire cum pluribus sit peccatum, vel contra legem naturæ. Et videtur, quod non: ponatur n. quod aliquis consentiat in aliquam ad tempus: & proponat illi seruare fidem ad tempus, & eam cognoscere causa prolis procreandæ: illud non videtur contra legem naturæ, sed hoc modo poterat quis in plures consentire, & ita patet quod consentire in plures successiuè, etiam omnibus viuentibus, non sit contra legem naturæ.

¶ Item, in alijs animantibus ita est, quod vnus masculus potest adimplere multas secundum legem naturæ: sicut patet in gallo. Similiter videtur, q̃ poterit esse ex parte ista. Non ne dictum est ipsi Abraam: *Ingredere ad ancillam tuam?* Ergo poterat diuersis carnem suam communicare: vxorem n. habebat, quando sibi dictum est hoc. Sed sicut vir poterat carnem suam communicare diuersis: ita videtur quod ipsa mulier posset. Vel vnde est hoc, quod mulier non potest? cum vtrinq; esset ad multitudinem speciei procreandæ ad cultum Dei.

Genes. 16.

¶ Item, aliqua mulier intendit seruare fidem cum pluribus, & non est coitus nisi causa prolis procreandæ. Quare videtur quod non sit contra legem naturæ, quod vna mulier habeat plures.

¶ Item, quærit Aug. de illa, quæ coit causa prolis procreandæ, & vult fidem seruare viro. Et dicit quod ista multis matronis præponenda est. Sed in actu continentiæ ipsius matronæ non malũ est: ergo in isto actu coire nullo modo est peccatum: cum sit ipsi continentiæ matronæ præponendus.

August.

RESOLVTIO.

Et contra, & non contra, diuersa ratione.

¶ Et dicendum, quod coire cum pluribus vno modo est contra legem naturæ: alio modo non: sicut determinatum est supra.

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod lex naturæ secundum congruentiam ad ipsam matrimonialem copulam, quæ est per institutionem diuinam; tria includit, sc. quod fiat coitus causa prolis procreandæ, & quod seruet fidem thori: tertium est, quod non tantum ad tempus seruet, sed inseparabiliter. Vnde ille, qui haberet illa duo, nõ propter hoc haberet totum, quod exigitur ad huiusmodi legem naturæ: deest enim illud de ordinatione ad bonum matrimonij, quod est Sacramentum, scil. ipsa inseparabilitas.

¶ Ad illud, quod obijcitur de viro. Dicendum, quod vir ita potuit communicare, quando * necessitas erat: sicut dicit Aug. super Gene. ad literam, & habetur in 4. Sententiarum. Dist.35. Pro varietate temporum varia inuenitur dispensatio conditoris. Vnde dicit Aug. antiquis multis non fuit in peccatum, quod pluribus fœminis vtebantur: nec cõtra naturam hoc faciebant: cum non lasciuiendi causa, sed gignendi hoc facerent.

* Alias, mos. 4 senten: dist.35.

¶ Sed quare mulieribus quandoq; non fuit cõcessum, vt diuiderent se, sicut in viris? Ad quod dicendum, quod mulier subiecta est viro ratione conditionis. Licet n. data esset in adiutorium viri, sicut dictum est, Gen.1. nihilominus formata fuit de latere ipsius viri. Ratione etiam pœnalitatis, sicut dicitur: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, &c. istud dictum est ei post peccatum quasi in cumulum pœnæ. Ista duplex subiectionis ratio durauit in lege naturæ post statum scilicet primum, & etiam durauit, dum fuit lex seueritatis & rigoris, sc. tempore legis Moysi. Et ideo vir tempore isto (cum non ad paria iudicarentur vir & mulier; quando sc. mos erat habere plures; nec erat præceptum in contrarium, & sic etiam poterat dictare ratio) potuit vir habere plures vxores. Sed quando venit lex superior, lex libertatis, lex spiritus & gratiæ: quæ scil. præeminet tam legi naturæ, quam legi Moysi; ad paria iudicantur in illo actu vir & mulier. Et ideo dicitur: *Mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir*: & econuerso. Præterea, plures possunt ab vno grauidari: non autem vna à pluribus. Vnde August. *Occulta lege naturæ amant singularitatem, qui principantur: subiecta vero non solũ singula singulis; sed si ratio socialis aut naturalis admittit, plures vni non sine decore subduntur. Nec enim sic habet vnus seruus plures Dominos, quoniam vnus Dominus plures seruos. Nec est contra naturam nuptiarum: plures n. fœminæ ab vno fœtari possunt: vna vero à pluribus non potest * hoc est ius principiorum.*

Genes.1.

Genes.3.

1.ad Cor.7.

August. de bono coniugali.

*Alias, hec est vis principiorum.

¶ Ad illud, quod obijcitur de matrona. Dicendum est, quod non parificatur illa matronæ, inquantũ est matrona: sed quantum est ad aliquas conditiones, sc. in istis: quia seruat fidem, & vult procreare. Ipsa vero matrona quandoque vult coire cum marito non propter huiusmodi rationes, vel conditiones, sed causa incontinentiæ, & huiusmodi, & in hoc ipsa matrona à bonitate matronæ degenerat. Vnde non præponitur ei simpliciter, sed inquantum matrona à rectitudine matronæ aliquantulum degenerat. Vnde Augustin. sic dicit: *Si aliquis aliquam sibi associat, & ad tempus: & illa fidem seruat viro, & spe prolis habenda vult se cognosci tantum: talis multis matronis anteponẽda est.* Et sic anteponitur matronæ debitum petenti gratia libidinis explendæ, quo ad hoc.

August.

An coire cum sua peccatum sit? §.2.

¶ Adhvc etiam quæritur, vtrum coire cum sua, sit peccatum? Et videtur quod sic: quia istud procedit à virtute generatiua, inquantum corrupta est per libidinem. Ergo sicut virtus generatiua transmittit propagationem; ita libido, quæ inseparabiliter adhæret ipsi propagationi, transmittit aliquid.

¶ Si dicatur, quod pœna est illa libido, & non culpa. Contra, videtur, quod sit culpabilis: quia nisi esset talis, non transmitteret originale, & ipsa libido est in potentia corrupta, & sequitur in actu: relinquitur ergo, quod ipsa libido sit culpa in ipso coitu, etiam cum vxore.

¶ Item, libido est in potentia generatiua corrupta, & est causa peccati, sicut dictum est. Sed magis nata est facere peccatum in persona gignentis, cuius est: & ei inseparabiliter adhæret, quã in persona geniti: ergo si facit in

ipso genito relinqui peccatum: cum per huiusmodi transfundatur originale, quod non facit propagatio, sed libido: August. sicut dicit August. ergo multo fortius faciet peccatum in generante. Relinquitur ergo quod ipsum coire cum sua, non possit esse sine peccato.

Psal. 104. Glos. ibi. ¶ Item, dicitur: *Eduxit eos cum argento & auro.* super hoc dicit glos. quod *illis, qui fecerunt ex obedientia, & ex charitate, ipse actus fuit in præcepto, & modus siue qualitas facti: sed illis, qui fecerunt ex cupiditate, actus fuit in præcepto, & modus siue qualitas in permissione.* Similiter videtur ex parte ista: quod ipse Osee 1. actus [*coire*] sit in præcepto, sicut dicitur: *Sume tibi vxorem fornicationis*: sed libido adiuncta illi actui in statu naturæ corruptæ videtur esse in permissione: non enim præceptũ fuit quod ex libidine faceret, siue ex fomite. Ergo illud quod procedit ex fomite (quicquid sit) nõ sic fuit ex præcepto: ergo coire cum sua, est peccatum: cum non possit esse sine libidine, quæ culpabilis est, sicut dictum est.

Glos. super Hebr. vlt. ¶ Item, ad Hebr. vlt. dicitur in quadam glos. *Duplex est pœna secuta ipsum originale peccatũ: pœna mortis, quæ reddit ipsum sustinentem gloriosum: sed alia scilicet libido, quæ secuta est in posteris propter peccatũ primi hominis, reddit ipsum thorum ingloriosum.* Et istud non est nisi ratione peccati: ergo ipse coitus cum sua non potest esse sine peccato.

¶ Contra, omnis motus ordinatus ordine gratiæ, est meritorius: sed in statu naturæ corruptæ lex membrorum repugnat legi mentis: sed iste motus contrarius in ipsis coniugibus seruantibus bona coniugij, est ordinatus, & illud est per gratiam: relinquitur ergo, quod coitus cum sua sit meritorius.

August. ¶ Item, August. *quemadmodum de peccato factum est supplicium: ita econtrario de supplicio factum est meritum*: ergo ipse coitus cum sua non solum non est peccatum, sed etiam meritorius. Sed non esset meritorius, si ibi etiam esset veniale quoad hoc: ergo coire cum sua nullo modo est peccatum.

¶ Item, matrimonium post lapsum datum est in remedium: sed bonus medicus, qui habet posse per medicinam, non restituit aliquod, nisi restituat ad sanitatem integram: sed ipse Dominus Iesus Christus potens erat, & restituit huiusmodi motum inordinatum per medicinam Sacramenti matrimonij: ergo coire cum sua nullatenus est peccatum.

RESOLVTIO.

Si ad debitum finem cum sua quis coierit, nequaquam peccabit: secus si non ad debitum finem id fecerit.

1. Cor 6. Glossa. ¶ Ad quod dicendum: secundum quod dicitur illud super illud: *Erunt duo in carne vna.* Glos. 1. *in carnali opere, quod inter coniuges habet fieri sine peccato.* Sed posset bene esse in ipso coniugali opere peccatum secundum illud: *Ardentior amator vxoris suæ adulter est: si propter se delectatio quæreretur in vxore.* August. Vnde Aug. *Quædam bona data sunt nobis, quæ propter se sunt appetenda; vt sapientia, salus, amicitia: quædam vero propter aliud; vt doctrina, cibus, & coniugium. Quicunque his, quæ propter aliud instituta sunt, non ad hoc, vtitur, ad quod instituta sunt; alias peccat venialiter, alias criminaliter. Qui vero his vtitur, ad quod sunt, bene facit, scil. qui vtitur ad bona coniugij, & seruat fidem, & intendit procreare prolem ad cultum Dei: quia vtitur ipso coniugio ad hoc, ad quod institutum est.*

¶ Ad illud autem, quod obijcitur, quod à potentia corrupta, &c. Dicendum, quod à potentia potest exire actus, ita quod cõcupiscentia non habeat dominium: vnde voluntas cõformis naturæ põt procedere in actum suum sine peccato. Et si obijciatur ad hoc, quod est culpabilis: cum traducatur peccatum in genito. Dicendum, quod culpabilis, siue vitiosa dicitur, id est, causa, vel dispositio: per quam potest produci peccatum in persona genita: vnde vitiosa dicitur per causam, non per formam. Formaliter enim diceretur culpabilis, si semper redderet potentiam, in qua esset, culpabilem in suo actu: sed sicut traducitur ipsa caro, ita etiam ipsa libido est causa traducendi originale: quia potentia generatiua est cuiusdam personæ singularis, & ipsius naturæ: ratione cuius fit decisio. Libido n. est vniuersalis pœna: & data est vt sit vniuersalis corruptio: & vt consequeretur quædam deformitas in persona genita per concupiscentiam seminalem.

¶ Ad illud, quod obijcitur, quod plus debuit corrumpi persona generans, q̃ genita. Dicendum q; non fuit libido ad hoc, vt in persona generante esset culpa, sed fuit vt transfunderetur per huiusmodi libidinem adiunctam propagationi, peccatum originale in persona genita: peccatũ n. actuale non venit in personam nisi à persona: originale vero venit ab ipsa natura corrupta in ipsam personam. Et ideo libido, quæ respicit ipsam vniuersalem corruptionẽ, est causa traducendi pecccatum originale in persona genita: non autem causa alicuius actualis necessario in persona generante.

¶ Ad illud, vtrum esset in præcepto. Dicendum, quod aliqua est conuenientia: inquantum n. ibi est culpabilitas, in permissione est, non vt in gignente fiat peccatum, sed in genito.

¶ Ad aliud dicendum, quod verum est, quod reddit thorum ingloriosum: quia attestatur ignominiæ peccati primi parentis, qui erat origo.

¶ Sed tamen notandum, quod dupliciter dicitur thorus honorabilis: ratione naturæ primitus institutæ: & ratione matrimonij: sed ingloriosus dicitur huiusmodi lectus ratione fomitis.

¶ Sed probatur adhuc, quod coire cum sua, sit peccatum: quia duplex est visio: quædam practica, quædam speculatiua: prima est cum gratia gratũ faciente, secunda potest esse sine gratia tali. Sed gratia spiritus Prophetiæ, quæ est gratia gratis data; non potest esse in illo actu: multo fortius nec charitas, vbi est gratia gratum faciens, & sic relinquitur, quod sit peccatum.

¶ Ad quod dicendum, quod spiritus Prophetiæ datur homini facto in ratione spiritus, sed ille actus est hominis, inquantum totus efficitur caro: sicut dicitur. 1. Cor. 6. Si ergo isti actus directè opponuntur, patet quod ipse spiritus Prophetiæ nõ potest esse in actu illo. Non tamen propter hoc sequitur, quod charitas inquantum est actus vel habitus, cum sit hominis spiritualis, non possit esse in actu illo, siue cum illo: ipse n. actus Prophetiæ est contuitus in speculum æternitatis. Vnde patet quod illud non potest se compati cum actu illo, quamuis charitas possit esse cum illo: sicut patet in coitu coniugali: non n. sic directè est charitas ad huiusmodi contuitum. Vnde quo ad hoc est maior oppositio actus illius cum spiritu Prophetiæ, quam cum ipsa charitate.

MEMBRVM III.

An omnis luxuria sit peccatum mortale?

Tertio quæritur, vtrum omnis luxuria sit peccatum mortale. Et videtur quod sic, per hoc quod dicitur: Ad Hebr. vlt. glos. *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.* glos. 1. *condemnabit.* Sed fornicatio primus gradus est in actu luxuriæ: si ergo ille mortalis est: quia non condemnatur aliquis nisi pro mortali: relinquitur quod secũdum omnem actum consequentem sit mortale multo fortius.

¶ Item, dicitur: *Neque fornicarij regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. Sed non aufertur regnum cœleste nisi pro mortali peccato: ergo &c.

¶ Item, *Fornicator aut immundus non habet partem in regno Christi.* Ad Eph. 4. Quare redit idem quod prius, sc. quod luxuria sit mortalis vniuersaliter.

¶ Item, super illud: *Pretium scorti.* super quod glos. *Breuis delectatio fornicationis, sed perpetua pœna fornicatoris.* Sed pœna perpetua non debetur per se, nisi mortali: ergo &c. Prouer. 1. Glossa.

¶ Item, Hieron. *Luxuria inimica est Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam patris.* Sed veniale bene secum patitur virtutes: quare videtur, quod luxuria vniuersaliter sit mortalis. Hierony.

¶ Item, Chryso. *Fornicatori impossibile est intrare in regnum cœlorum.* Sed nihil claudit regnum cœlorum, nisi mortale: ergo &c. Chrysost.

¶ Ad oppositum sic arguitur: dicit Isidor. *Si plus delectet mentem delectatio fornicationis, quam amor castitatis; adhuc regnat peccatum in homine.* Ergo vtrumque potest esse ibi simul, cum fiat comparatio, & amor castitatis, quæ vir- Isidor.

tus

tus est; & delectatio fornicationis. Sed mortale peccatum non potest simul esse cum virtute: videtur ergo quod delectatio fornicationis possit esse venialis.

Chrys. sup. Math. 5. ¶ ITEM, quærit Chrysost. super illud: *Qui viderit, &c. Si ergo video & concupisco: nihil autem adipiscar, perniciosum* (& vocat perniciosum mortale peccatum.) Relinquitur ergo quod huiusmodi concupiscentia, quæ est in luxuria, possit esse venialis.

Deut. 23. Glossa. ¶ Item, super illud. *Non erit meretrix de filiabus Israel.* Gloss. *Ad eas prohibet accedere, quarum est venalis turpitudo.* Sed accedere ad tales est fornicari: ergo fornicari potest esse venialis.

¶ Item, quod est morale & non prohibetur in Decalogo Testamenti veteris, videtur esse veniale, sed fornicatio non prohibetur in Decalogo toto: relinquitur ergo quod

Exod. 20. Glossa. sit venalis ipsa fornicatio. Vnde super illud: *Non machaberis.* dicit gloss. *Nomine machiæ solet adulterium intelligi.* Ergo videtur, quod solum adulterium ibi prohibeatur.

RESOLVTIO.

Luxuria omnis in omnibus mortale peccatum est, præterquam in coniugibus.

¶ AD quod dicendum, quod secundum quod nos loquimur de delectatione, quæ est per consensum rationis, sicut dictum fuit supra: hoc modo siue sit in motu fornicationis, siue in alio motu sequente; semper est peccatum mortale ipsa luxuria. Etsi inueniatur quandoque quod sit venialis; intelligitur quod sit in ipsis coniugibus coeuntibus propter suam incontinentiam: sicut dicit Au-

August. in li. de bono coniugali. gust. & habitum est supra in ista Quæstione, quod potest esse in eis huiusmodi motus venialis, & ita impetuosus potest esse, quod potest esse criminalis. Vnde concedendæ sunt omnes autoritates illæ probantes, quod fornicatio vniuersaliter est mortale peccatum.

¶ Quod vero obijcitur in contrarium de Isido. Dicendum est, quod quando est consensus rationis, vel non est prohibitio rationis oportuno tempore progredientis in actum: tunc non potest esse amor castitatis procedens à castitate virtute, & tunc regnat peccatum, & dominatur concupiscentia: nec potest esse amor castitatis, quæ virtus est. Vel alio modo potest accipi, vt intelligamus delectationẽ, quæ procedit ex fomite, quæ non peruenit ad consensum rationis: nec etiam procedit tantum; quod debeat prohiberi à ratione: talis delectatio bene potest esse cum amore castitatis, & de tali intelligit Isidor. non de prima: & tunc non regnat peccatum in homine, sed potius regnat & do-

August. minatur amor castitatis. Vnde Aug. *Si plus delectat pulchritudo intima castitatis, quã turpitudo ipsius fornicationis, non regnat peccatum, sed pulchritudo iustitiæ.*

¶ AD illud Chrysost. *Si concupiero*, &c. Dicendum, quod illa delectatio, quæ est in inferiori parte rationis; quæ per mulierem intelligitur, & non attingit ad superiori parte rationis per consensum in illam delectationem; nec etiam intantum procedit in inferiori, quod debeat vir, id est, superior pars cohibuisse: de hac concupiscentia loquitur Chrys. cum dicit: *Nihil adipisci perniciosum.* Sed si tanta sit concupiscentia, vt si facultas sit, peragitur, sicut dictum fuit supra: tunc vir etiam superior pars rationis cibum vetitum comedit, & mortale peccatum est.

¶ AD illud, quod obijcitur de glos. Deut. 23. Dicendum, quod non debet ibi esse venialis, sed potius venialis turpitudo: vnde falsa est illa littera, quæ dicit, venalis. Vel dicitur veniale in lege, quod non punitur per legem pœna mortis.

¶ AD illud, quod obijcitur, quod nõ videtur esse pro-

August. Exod. 20. hibitum. Dicendum secundum Aug. qui ponit litterã 70. quod vbi nos habemus: *Non machaberis.* ipsi habẽt: *Non fornicaberis:* & tunc fornicatio generaliter accipitur ad omnẽ

1. Cor. 6. illicitum coitum, sicut dicit glos. super illud 1. Corinth. 6. *Vnusquisq; suam habeat propter fornicationem.* Fornicatio est

Exod 20. cõmunis concubitus præter legitimum concubitũ. Vnde secundum hanc literã 70. quæ ponit: *Non fornicaberis*; cum dicitur quod non prohibetur in vet. Test. Respõdendum esset per interemptionem. Vel si volumus respondere

Ibid. secundum literam nostram, quæ dicit, *Non machaberis.* Dicendum secundum Isidor. in Glos. quod generaliter intelligitur prohiberi omnis illicitus concubitus: vnde ipse di-

Glossa ibidem. cit: *Ne quisquam præter matrimonium alijs fœminis commisceatur ad explendam libidinem.* Et sequitur: *Nomine machiæ omnis coi-*

Eadem. *tus prohibetur in Decalogo, excepto fœdere matrimonij.*

¶ Vnde quod obijcitur: quod non prohibetur in Decalogo, & est morale, veniale est. Dicendum, quod verũ est, quod non prohibetur explicite, sed implicite. Vnde licet fornicatio explicite secundum nostram literam non prohibeatur: tamen implicite (sicut dictum est) prohibetur, & ideo non sequitur, quin possit esse mortale.

MEMBRVM IV.

Quare fornicatio dicitur esse peccatum in corpus.

QVARTO quæritur, quare fornicatio dicitur esse peccatum in corpus. Sic dicit Grego. Quædam sunt pecca-

Gregor. ta spiritualia, sicut quinque peccata capitalia: quædam carnalia, sicut gula & luxuria. Si ergo ideo luxuria dicatur peccatum in corpus, quia carnale: eadem ratione gula debet dici peccatũ in corpus, sed nec hoc, ergo nec illud:

¶ Item, si ideo dicitur peccatum in corpus, quia cor-

Gloss. ibid. pus contaminat; sicut videtur per Glos. ibidem, quæ dicit. *Fornicatio non tantum animam, sed & corpus contaminat*: & alia

Eadem. glos. *Non sine desiderio carnis anima, quæ habet proprium motum, concupiscit corporaliter.* Sed huiusmodi ratio duplex videtur esse in peccato gulæ: * continuat n. & concupiscit anima, quæ habet motũ proprium per desiderium carnis corpora- * Alias, cõtaminet. liter: ergo videtur esse peccatum in corpus, sicut luxuria.

¶ Si vero ideo dicitur peccatum in corpus, quia per corpus exercetur: eodem modo homicidium debet dici peccatum in corpus, sicut manifestum est.

¶ Item, super illud. *An nescitis*, &c. dicit gloss. *Fornicatio* 1 Cor. 6. Glossa. *ambos vnum facit: vt quomodo in natura, sic in macula sint vnum.* Sed vnum dicuntur esse in natura, quia fit naturarum cõmixtio in illo actu: ergo si eodẽ modo sunt vnum in macula, sicut dicit gloss. videtur quod in macula eorum sit commixtio quædam. Sed istud non videtur verum, quia alia est imago in viro, alia in muliere, & alius est ibi actus, & alius: ergo si macula est deformatio imaginis, videtur quod sint separatæ maculæ fornicatricis & fornicantis.

Glos. super 1. Cor. 6. ¶ AD istud videtur respondere gloss. dicens: *Extra vinculum concupiscentiæ carnalis sunt cætera peccata; etsi per corpus geruntur: hic autem est sub carne: imo quasi facta est caro: vt simul possit dici totus homo caro.*

¶ Quod ergo obijcitur, quod vtrobique est delectatio carnalis, in gula, sc. & luxuria cõmunis. Dicendum, quod delectatio carnalis secundum quod communicat anima carni, & corpus contaminatur, & agitur etiam per corpus: vnde communis est gulæ & luxuriæ, sed istud est speciale in luxuria, quia totaliter ratio in isto actu absorbetur, qua vis libidinis facit quandam conglutinationem ipsius ani-

Glos. ibid. mæ cum carne: vnde dicit glos. ibid. *In solo tempore fornicationis cõmisceri animum facit vis libidinis cum ipsa carne; & vnum cum ipso fieri, cui conglutinatur*: ista n. vis plus est corrupta, q̃ cæteræ: sicut dictũ est. Præterea, ipsa vis generatiua est vis infima inter omnes vires in anima: vnde prima in ascẽdendo: quare in infimo est vis generatiua, secunda nutritiua, tertia motiua sensibilis interior & exterior. Vnde quando ratio, quæ supremum est in via illa, descendit vt vniatur cum corpore; tunc dicitur ei conglutinari, quia inclinatur in maximam subiectionem: vnde si vniretur sensibili interiori vel exteriori, non esset tanta rationis incli-

Glos. super 1 Cor. 6. natio, nec subiectio tanta: vnde glo. dicit ibidem. 1. Cor. 6. *Libidinis ardor, quo nullus maior est; voluptas corporis animã tenet seruum.* Vnde summa rationis est, quod ratione vehemẽtis absorbitionis ipsius rationis, & subiectionis, & agglutinationis dicitur luxuria peccatum esse in corpus: hæc autem omnia est reperire in aliis peccatis etiam carnalibus.

MEMBRVM V.

De conditionibus luxuriæ?

QVINTO quæritur de conditionibus huius peccati. Et quæritur, cum multæ sint conditiones istius peccati, sc. visus, & aliquando contactus, & oscula; quid est, quod solum inter huiusmodi conditiones visus prohibetur: Math. 5. *Qui viderit mulierem*, &c. imo plus inflammant colloquia, & propinquiora sunt illi facto. Eccles. 9. Vnde, *Colloquium eius quasi ignis exardescit*. Et multum habetur in illo cap. de ista materia: quare videtur quod potius deberet prohiberi colloquium, quam visus.

¶ ITEM, prohibetur in Euangelio irasci, & concupiscere: sicut patet Matth. 5. & quærit Chryso. Matth. 5. Chrysost. vnde est hoc quod cum prohibetur ita, ponit [*sine causa*] vnde in littera Græcorum est. *Omnis, qui irascitur fratri suo inaniter, vel sine causa*: & cum prohibetur visus ad concupiscendum, sine omni conditione ponitur?

AdRom 7. ¶ Item, sine omni conditione prohiberi dicitur concupiscentia: cum dicitur: *Non concupisces*. Prohibetur item & Exod. 20. Exod. 20. Vnde est ergo, quod ira sub conditione prohibetur: ipsa vero concupiscentia luxuriæ simpliciter.

¶ Item, iste videt inimicum suum, & ex hoc mouetur ad iram: quare ergo, cum debeat esse omnis perfectio in Euangelio: non prohibetur ipse visus in ira, sicut in luxuria.

¶ Item, quædam conditiones determinantur in peccato gulæ & luxuriæ: vnde est hoc quod in peccatis spiritualibus non determinantur similiter conditiones secundum gradus procedendi ad alia peccata.

¶ Item, peccatum luxuriæ habet conditiones quasi è diuerso peccato gulæ secundum gradum ordinata, id est, habet conditiones ordinatas, & gula non: vnde hoc est?

¶ Item, quæritur: si in omnibus illis conditionibus luxuriæ est mortale peccatum? Et videtur, quod sic: quia primum, scilicet visus videtur prohiberi. Matth. 5. Matth. 5. Sed nihil prohibetur nisi peccatum mortale: ergo si visus est mortalis, multo fortius conditiones sequentes.

¶ AD primum dicendum, quod per hoc quod visus prohibetur, qui prima conditio est in luxuria; per consequens datur intelligi illas prohiberi, quæ maximè ipsi actui appropinquant. Vnde August. de huiusmodi malo August. prohibito visu dicit. *Ne dicatis vos habere pudicos animos, si oculos habetis impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius: & tacente lingua, affectu mutuo corda nunciantur impudica.*

¶ AD aliud dicendum, quod secus est in motu iræ, & in motu concupiscentiæ. Quia actus concupiscentiæ propinquissimè ex ira fomite, vel à stimulo carnis: concupiscentiæ dico, quæ est in luxuria. Sed aliter est de ira: quia contingit irasci secundum quod est pœnale: & contingit illud dirigere, sicut est in ira per zelum: vbi dirigitur ipsa ira per zelum. Illam vero concupiscentiam, quæ egreditur à fomite, non contingit dirigere, nisi per matrimonium: quare ipsa concupiscentia ob huiusmodi vehementem corruptionē simpliciter prohibetur. Vnde Chrys. Chrysost. *quicunque sibi concupiscentiam colligit, nullo cogente feram hanc, inducit cogitationem.*

¶ AD illud, quod obijcitur de *videre*. Dicendum, quod propter nimiam pronitatem hominis carnalis ad motum concupiscentiæ prohibetur primus gradus tanquam dispositio antecedens, sed ex alia parte non est tanta pronitas ad iram: ideo non prohibetur ipsum videre, ex cuius aspectu excitatur ira: sensum enim sequitur ipsa delectatio vel tristitia: sed ex alia parte magis trahitur per visum ad concupiscentiam ipsam, quam ex hac parte ad tristitiam; ratione naturæ magis ex hac parte corruptæ.

¶ AD aliud dicendum, quod anima multum ex fomite, vel ex* stimulo carnis trahitur: ideo conditiones sunt *Alias, famulo. ex parte ista, quæ discerni possunt, scilicet, in his duobus peccatis, scilicet, gula & luxuria ab homine carnali & spirituali: ideo in his duobus peccatis, cum sint conditiones apparentes ad vitandum notantur. In peccatis autem spiritualibus cum non sint conditiones & gradus manifesti nobis, non notantur.

¶ AD illud, quod obijcitur de ordine. Dicendum, quod videre mulierem cōtingit dupliciter: vel secundum quod ex pulchro sequitur voluptuosum: vel curiosum. Primo modo pertinet ad luxuriam: secundo modo pertinet ad auaritiam, siue concupiscentiam oculorum: vnde ipse visus ramificatur hoc modo. Visus ergo est prima cōditio, secundum quod sequitur voluptuosum ad ipsum actum luxuriæ. Vnde ordinantur ipsæ conditiones, secundum quod ordinantur ad ipsum actū luxuriæ, vel remote, vel magis propinque. Vnde visus est rei distantis magis longè: alloquium rei magis propinque: tactus est coniunctio aliorum membrorum: osculum vero oris est. Vnde *Apprehendens, deosculabatur iuuenem.* Prouer. 7.

¶ AD aliud dicendum: quod si concupiscere sit tale, quod si facultas sit, peragatur; si erit mortale luxuriari in visu. Vel potest esse concupiscere citra consensum rationis, vel prohibitionē tempore oportuno, & tunc non erit mortale. Vnde notandum quod Apost. dicit: *Turpitudo, aut stultiloquium*, &c. Turpitudo in oculis & amplexibus: stultiloquium, vt blanda verba & scurrilia. Vnde: *Fauus distillans labia tua*, &c. Et post sequitur. *Nouissima vero sunt amara quasi absynthium, & quasi gladius biceps.* Ad Eph. 5. Prouer. 5. Ibid.

MEMBRVM VI.

Luxuria quam graue peccatum sit.

SEXTO quæritur de quantitate huius peccati. Et videtur quod sit maius omni alio peccato, per hoc quod dicitur: in glos. *Ardor libidinis, quo nulla maior est voluptas corporis, animum serrum tenet.* Sed secundum quantitatem libidinis (vt videtur) determinatur quantitas peccati: quare videtur, quod sit maximum peccatum in genere. Gloss. super 1. Cor 6.

¶ ITEM, Isidor. *magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum.* Quare cum per quodlibet peccatum mortale subjciatur homo diabolo; videtur, quod istud sit maximum: cum maxima fiat per illud subiectio. Isidorus lib. 2. de summo bono. cap. 39.

¶ Item, ratione tentationis istud ostenditur: quia dicit August. *Inter omnia Christianorum certamina duriora sunt prælia castitatis: vbi quotidiana est pugna, sed rara est victoria.* Ergo cum nulla sit durior tentatio diaboli, quam per luxuriam; videtur ex hoc quod ipsa luxuria in genere sit maximum peccatum. August. li. de Honestate mulierum. c. 2.

¶ Item, ratione damni ostenditur, quod sit maximum quia dicit Hieron. *Nulli periculosius sumunt corpus Christi, quā luxuriosi.* Ex his autoritatibus patet seu ostenditur, quod sit maximum. Hieron.

¶ AD oppositum est, quia hoc est peccatū carnale, sed peccata carnalia (sicut vult Gregor.) sunt minoris culpæ, quam spiritualia. ergo &c. Gregor. li. 33. Moral. cap. 11. parū ante medium.

¶ Item, vbi est maior pronitas, ibi est maior excusatio peccati: sed inter omnia peccata est pronitas maior in hoc peccato: quare videtur, quod inter omnia mortalia sit minimum peccatum.

RESOLVTIO.

Grauissimum admodum, quatuor de causis: & interdum grauissimum omnium spiritualium.

¶ AD quod dicendum, quod istud peccatum dicitur à Sanctis maius alijs peccatis pluribus de causis. Prima est propter vehementē ardorem libidinis, quæ est in hoc peccato: secundum quā anima copulatur carni, & hoc modo accipitur illa glos. 1. Cor. 6. Secunda causa est propter generalitatem peccantium, & secundum hoc intelligitur autoritas Isidor. vnde peccatum comparatur sagenæ diaboli. Abac. 1. Eccl. 7. Vnde sicut in sagena magni pisces & parui capiuntur: ita peccato luxuriæ magni & parui detinentur. Tertia causa est ratione fœditatis: quia fœdius est inter omnia peccata, & maiorem fœditatem reddit in homine, & sic intelligitur Hiero. autoritas, quia est fœditas ex parte animæ & ex parte corporis in hoc peccato. Vnde cum tales accipiunt pretiosissimum corpus Domini nostri Iesu

Christi

Christi: idem est propter nimiam fœditatem, ac si proijcerent in luto. Quarta causa est propter rationem duplicis tentationis, hostis sc. & carnis: non sic est in peccatis spiritualibus hæc duplex tentatio, & quamuis possit esse in gula hæc duplex tentatio; non tamen est ita vehemens. Sic ergo illud peccatum dicitur maximum quadruplici de causa: prima est ratione libidinosi ardoris, secunda ratione generalitatis, tertia ratione fœditatis, quarta ratione duplicis tentationis: quæ duplex tentatio vel non est in aliis peccatis sicut in spiritualibus: vel si sit illas reperire in aliquo, sicut in peccato gulæ; nõ est tamen ita vehemens. Dicitur tamen istud peccatum, etsi excedat alia in istis cõditionibus, minus simpliciter in genere, & minori pœna dignum peccatis spiritualibus: in aliqua tamen specie posset etiam bene excedere peccata spiritualia.

MEMBRVM VII.

Luxuriæ ad superbiam quæ comparatio?

SEPTIMO quæritur de comparatione huius peccati ad peccatum superbiæ. Vtrum scil. superbia inducat in peccatum luxuriæ, aut econuerso. Et videtur, quod non: peccatum superbiæ est de maximè spiritualibus, & in quo primo per contemptum recedit spiritus contumax à Deo: luxuria vero de maximè corporalibus, sicut dictum est. Ergo cum maximam habeant disparationem, vnum (vt videtur) non induci in alterum. In primo n. est tentatio ipsius spiritus secundum se: in secundo vero est tentatio ex stimulo carnis, vel ex fomite.

¶ AD oppositum est, quod dicit Isidor. dicit enim sic. Sicut per superbiam mentis itur in prostitutionem libidinis: ita per humilitatem mentis salua sit castitas carnis. Ergo videtur, quod sit quędam pronitas ad luxuriam ex peccato superbiæ.

¶ ITEM, primus parens per superbiam contra Deum tumuit, & statim sensit carnis libidinem, & pudenda operuit: quare videtur, quod peccatum superbiæ ordinetur ad hoc peccatum.

RESOLVTIO.

Luxuriæ ad superbiam nulla est ex se comparatio: sed bene ex dispositione diuina.

¶ AD quod dicendum, quod Dominus ordinauit in pœnam, vt ille qui primo peccauit per superbiam, nõ tantum haberet pœnam spiritualem, sed corporalem in præsenti. Duplex est enim pœna: pœna scil. condemnans, quæ est in futuro: & est pœna corrigens, illa quæ est in præsenti: & hac punitur ipse superbus, cum permittitur cadere in peccatum luxuriæ, vt sic humilietur. Vnde Isidor. *Deus nonnunquam eijcit occultam mentis superbiam per carnis manifestam ruinam: non quod per se ordinetur superbia ad hoc peccatum; sed vt per huiusmodi casum superbus confundatur, & pœniteat: & in sensum suæ infirmitatis veniat.* Isidorus.

¶ Vnde notandum, quod duplex est ordo peccati ad peccatum: vel ex dispositione peccati secundum se: vnde ordinatur ad alterum, sicut inuidia ad superbiam in spiritualibus, & luxuria ad gulam in carnalibus, & talis ordo non est inter luxuriam & superbiam; cum sint maximè disparata, sicut obijciebatur. Alius ordo est secundum dispositionem diuinam, qua vult reducere peccatorem ad pœnitentiam: & per hoc permittit cadere superbum in peccatum luxuriæ: vt sic cõfusione reducente ad gloriam, confundatur; & in sensum suæ infirmitatis salubriter veniat, & sic humilietur.

MEMBRVM VIII.

Quod sit luxuriæ oppositum?

OCTAVO quæritur de opposito huius peccati, & in genere boni, & in genere mali. Et quæro sic. Virtus est habitus in medietate consistens: sicut dicit Philosophus: castitas ergo cum sit virtus, respicit medium, & luxuria est vnum extremorum, sonans in vitium superfluitatis: quæritur, quod est aliud extremum sonans in diminutionem. Si dicatur esse insensibilitas extremum secundum Philosophum; quæritur quid sit extremum secundum Theologum. Sicut enim luxuria est, indifferenter coire cum quacunque, quod sonant in superfluitatem: ita videtur, quod debeat esse secundum Theologum aliquod extremum secundum diminutionem. Si dicatur, quod non coire, est illud extremum, id est, abstinere à coitu: sic poneretur in extremo virginitas, sed hoc non est verum: cum virginitas reputetur pro nobiliori bono. Vnde Ambros. *virginitas replet Paradisum, nuptiæ replent mundum.* Ergo istud cum sit nobilioris conditionis, non determinabitur in genere peccati. Philosop. lib. 2. Ethic. c. 2. & li. cap. 11. Ambros.

RESOLVTIO.

Secundum Philosophum luxuria extremum habet scil. insensibilitatem: secundum autem Theologum nequaquam.

¶ AD primum dicendum, quod castitas ponitur medium inter superfluitatem & indigentiam, & ponitur medium quo ad indigentiam (sicut dicebatur) insensibilitas: quo ad superfluitatem luxuria. Sed apud Theologum non semper determinatur virtus in ratione medij: sicut patet, & dictum fuit superius: quod etiam relinquere omnia, & meritorie poterat * quis, & sequi Christum: quod sonat in vitium apud Philosophum: vnde trahibile est per huiusmodi finem in implentibus opus consilij. Ita ex parte ista potest esse, quod ipsum continere sit vltra rationem præcepti, & stet in ratione consilij: sicut innuitur in Matth. 19. facta distinctione eunuchorum, subinfert Dominus. *Qui potest capere, capiat.* Q. d. istud est opus consilij, non præcepti. Sed si vellemus accipere mediũ, & extrema in castitate coniugali, bene possemus. Nam coire cum non sua indifferenter, est extremum vnum sonans in superfluitatem: est autem aliud sonans in diminutionem: non soluere cui debet, & quando debet, & cum aliis circumstantiis debitis: istud est ex parte indigentiæ: medium vero est, reddere cui debet, & quando debet, &c. Nec oportet quod virginitas sit extremum: quia consistit vlterius in ratione consilij. Quæst. de Auaritia Membro * Alias, aliquis propter Christum. Matth. 19.

¶ Sed cum fuit datum præceptum hoc, *Crescite & multiplicamini*: in statu naturæ conditæ; & Genes. 9. in statu naturæ corruptæ; esset tunc peccatum in virginitate permanere, & transgressio præcepti? Dicendum, quod non: sed est eleuatio vltra præceptum: si enim iste contineret, per alium fieret multiplicatio, vel posset fieri. Et etiam est eleuatio per huiusmodi continentiam vltra eum, cui fit præceptum: præceptum enim ratione infirmitatis fit ad minus in statu naturæ corruptæ. Sed quando facta est multiplicatio; planum est quod continere vniuersaliter non est peccatum: sed est excellentissimum, & vincens infirmitatem nostram. Vnde coniugium in statu naturæ corruptæ concessum fuit in remedium propter infirmitatem nostram. Quod innuit Apostol. 1. Corinth. 7. dicens: *Melius est nubere, quam vri.* Vnde non dicit statum perfectionis, sicut dicit ipsa virginitas. Genes. 1. Genes. 9.

MEMBRVM IX.

Quæ, & quot sint differentiæ, siue species luxuriæ?

NONO quæritur de differentiis luxuriæ, quæ assignantur alio modo, fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, peccatum contra naturam. Et sunt istæ differentiæ luxuriæ, prout sunt in facto. *Est autem fornicatio luxuria, qua solutus solutã naturali vsu cognoscit.* (Et intelliguntur solutus & soluta à vinculo coniugij, & consanguinitatis, & affinitatis, ordinis, religionis, vel voti cõtinentiæ. Naturalis vsus intelligitur ad differentiam illius vsus, qui est contra naturam.) *Adulterium vero est luxuria, qua coniugalis thorus violatur*: vnde dicitur adulterium, quasi accessus ad thorum alienum. *Stuprum est luxuria, in qua virginalis incorruptio dissipatur.* Sacrilegium, etsi commune sit ad læsionem cuiuslibet rei sacræ: hic tamen accipitur pro læsione personæ sacræ, & taliter, scil. per viam

luxuriæ: vnde sacrilega luxuria melius dicitur: huiusmodi autem est coitus contra votum continentiæ: vt quando aliquis violatur, vel in se, vt cum in sacris ordinibus constitutus, vel religiosus peccat cum aliqua soluta: vel in altero, vt cum aliquis peccat cum sanctimoniali, vel aliqua cum Sacerdote. *Incestus est coitus contra consanguinitatem, vel affinitatem, vel compaternitatem commissus. Peccatum contra naturam est luxuria, qua naturalis vsus coeundi maris & fœmina peruertitur*: & istud ignominiosissimum, & maximum peccatum est.

¶ Harum autem differentiarum rationem numeri inquiramus. Nam istæ differentiæ accipiuntur penes inordinationem, quæ accidit in coitu. Inordinatio ergo aut priuat ordinem naturæ, aut ordinem virtutis. Si ordinem naturæ, aut ergo priuat ordinem naturæ simpliciter, & sic est peccatum contra naturam: aut ordinem naturæ post multiplicationē limitatæ, & sic est incestus: postquam n. multiplicata est natura hominis, limitanda erat, vt nec fratres cum sororibus, & sic deinceps, prout castitas hominis naturalis requirebat, vel charitas inter homines conseruanda. Si vero priuat ordinem virtutis, vt castitatis; istud diuersificatur dupliciter. Quia aut priuat ordinem castitatis, quæ est in voto firmata; & sic est sacrilega luxuria: Aut castitatis, quæ non est in voto firmata; quæ est triplex: virginalis, coniugalis, vidualis: si priuat ordinem castitatis virginalis, sic est stuprum: si coniugalis, adulterium: si vidualis, fornicatio. Et sic patet numerus differentiarum.

Eph.5. Ad Col.3. Ad Gala.5. ¶ Suppositis istis differentiis, cum ponantur aliæ differentiæ ad Ephes.5. vbi dicitur: *Fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis.* Ad Colos.3. ponuntur quatuor, fornicatio, immunditia, concupiscentia, libido. Et ad Galat.5. ponuntur quatuor, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.*

Ad Col.3. ¶ Potest quæri, qualiter istæ differentiæ se habeant inter se, & ad prædictas differentias? Cum n. dicatur super illud: *Fornicatio*, &c. *Fornicatio est omnis concubitus præter legitimum concubitum.* Erit ergo fornicatio commune ad omnem differentiam illius peccati.

Glos. ibi. ¶ Similiter cōcupiscentia mala commune videtur esse ad omnem differentiam illius peccati: dicitur n. in gloss. quod *concupiscentia mala est de aliena vxore, vel de aliena re*: sed hoc est generale: ergo per concupiscentiam non intelligitur specialis differentia.

¶ Similiter potest obijci de libidine: *libido* n. generale *est*, etiam secundum quod ibi ponitur in glo. dicitur enim *ardor per qualibet turpitudines discurrens*: sed ita est de ardore luxuriæ: restat ergo quod commune est. Potest ergo quæri, qualiter ab aliis distinguitur.

¶ Eodem modo potest obijci, vbi agitur de operibus carnis ad Gal. luxuria n. dicitur quælibet superfluitas: impudicitia autem est non pudicè viuere: hæc autem communia sunt: non ergo rectè ponuntur in diuisione.

RESOLVTIO.

Luxuriæ differentias assignari consueuere, scil. fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, & peccatum contra naturam. Assignantur autem & aliæ quædam ab Apostolo.

¶ Ad quod dicendum, quod aliter ponuntur differentiæ prædictæ, & aliter illæ, quæ subiunguntur. Differentiæ enim primo dictæ ipsius luxuriæ attenduntur, secundum differentias personarum, cum quibus est illicitus concubitus. Vnde dicit Gelasius. *Aliud est fornicatio, aliud est stuprū, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus.* Fornicatio licet videatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus: tamen specialiter intelligitur in vsu viduarū, & meretricum, & concubinarum: stuprum autem propriè dicatur virginum illicita defloratio: quando non præcedente coniugali pactione, vtriusq; voluntate virgo corrumpitur: adulterium vero est alieni thori violatio: incestus est consanguineorum vel affinium abusus; raptus admittitur: cum puella à domo patris violenter abducitur. Aliæ vero differentiæ huius peccati non sumuntur vniuersaliter secundum

Gelasius Decret.36. q.1.cap lex præteritorum.

differentias personarum. Illæ autem duæ differentiæ, quæ opponuntur ad Eph. attendūtur in hoc, quod fornicatio attenditur cum soluta, & consentiente: immunditia vero continet in se omnem aliam differentiam. Differentiæ vero, quæ ponuntur ad Col. in hoc distinguuntur, quod cōcupiscentia, vel fornicatio attenduntur secundum actum exteriorem illicitum cum differentibus personis, sc. soluta, vel non soluta, manente lege naturæ: non manente autem lege naturæ dicitur immunditia quantum ad actum exteriorem: libido vero quantum ad actum interiorem. Vel aliter, vt immunditia dicatur contra naturam ratione rei, cum qua est coitus: libido vero ratione modi coeundi, vel voluntate libidinosa explendi. Quatuor vero differētiæ, quæ ponuntur ad Gala. distinguuntur, vt fornicatio, immunditia, impudicitia speciales determinent differentias secundum quasdam differentias personarum: luxuria vero omnem illicitū modum præter illos tres cōprehendat: fornicatio aūt illicitus concubitus secundum naturā, tamē cum soluta: impudicitia vero cum cōiugata, vel Deo dicata, immunditia vero est in eo, quod est contra naturā, vel quod non perducitur ad actum, vt in pollutione extra vas debitum.

¶ Per hæc possunt solui, quæ obiecta sunt. Cum enim dicitur ad Gal. quod fornicatio est omnis illicitus concubitus præter legitimum, non intenditur generaliter de omni specie luxuriæ præter illam, quæ fit aliquando cum coniugata, sed de illicito concubitu secūdum naturam, tamen vt diuidatur ex opposito contra alias tres differētias, concupiscentia n. est cum aliena vxore, secundum quod ibi appropriatur; & ita non accipitur ibi communiter.

¶ Et per hoc soluitur illud, quod secundo obijciebatur: licet dicatur ibi concupiscentia respectu alterius rei, hoc non est quantum ad differentiam huius peccati. Similiter libido non dicitur quicunque ardor luxuriæ; sed qui discurrit per turpitudines, turpitudines autem dicuntur, quando indebito modo per quasdam partes corporis quis luxuriatur: non tamen cum re alia contra naturam.

¶ Et per hoc soluitur illud, quod tertio est obiectum.

¶ Ad alia vero dicendum, quod luxuria & impudicitia non accipiuntur cōmuniter, sed per appropriationem: sicut supra dictum est in differentiis assignatis.


MEMBRVM X.

An quæ tantum mente corrupta est, aureolam amittat? & an qui meretricem, vel viduam matrimonialiter cognouerit, irregularis efficiatur?

Decimo quæritur de effectu huius peccati, qui est amissio aureolæ, & de illo effectu, qui est irregularitas. Potest ergo quæri, vtrum illa, quæ corrupta est mente, & non corrupta in carne, amittat aureolam. Quod videtur per diffinitionem virginitatis, quæ est: *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Sed hic non est meditatio perpetuæ incorruptionis: ergo non est virginitas, sed ablata virginitate, aufertur aureola: ergo ab huiusmodi corrupta aufertur aureola.

¶ Item, aliqua habet corruptionem carnis, nec tamē potest cognosci, quod sit corrupta (vnde Cyprianus: *virginitas potest corrumpi, vbi non potest inspici*) nunquid ab ipsa tollitur aureola? Quod videtur: cognitio enim diuina, cuius est dare aureolam, attingit illam corruptionem, quæ ab homine cognosci non potest: cum ergo virginibus debeatur aureola: sic corruptæ priuabuntur aureola. Cyprianus

¶ Item, aliquæ sunt corruptæ voluntaria corruptione, seu pollutione: nunquid tales priuantur aureola? Quod videtur: quia ibi est corruptio mentis, cum ergo aureola debeatur incorruptis per voluntatem: vtroq; modo ab istis priuabitur aureola. ¶ Similiter quæritur de istis, quæ oppressione barbarica integritatem carnis perdiderunt.



RESOLVTIO.

Cum mentis incorruptio plene per pœnitentiam recuperari possit, qua mente corrupta est, aureolam non amittet. Qui vero vel meretricem, vel viduam matrimonialiter cognouit, irregularis euasit, & si non ex parte sui cognoscentis, ex parte tamen illarum cognitarum.

¶ Ad quod dicendum: quod si est corruptio mentis, & non carnis: non tollitur aureola, vel contrahitur irregularitas ad consecrandum: quia per pœnitentiam incorruptio mentis ad plenum restituitur: & ita si finaliter manet incorrupta, habebit aureolam.

¶ Quod autem dicitur virginitas perpetuæ meditatio incorruptionis: referendum est ad finalem incorruptionem ex parte mentis: ex parte vero carnis oportet esse perpetuam integritatem, quantum est de voluntate mentis.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod si aliqua habet corruptionem carnis, quæ respici non potest; & sciat se hoc modo corruptam; ex corruptione mentis in humilitate & verecundia permaneat, & creditur quod aureolam amiserit: ecclesia tamen quia iudicat secundum ea, quæ apparent in foro exteriori; non repellit eam à consecratione.

¶ Ad tertium dicendum: quod si procuretur corruptio carnis proueniens ex corruptione mentis per instrumentum aliquod, vel aliquo *huiusmodi: abstinere debet à consecratione. Si vero per violentiam amisit integritatem carnis; non propter hoc amittit aureolam: non enim potest corrumpi corpus, nisi prius fuerit animus corruptus: munda namq; à contagione anima, caro non peccat, sicut Isidorus & B. Lucia dixit: *Si inuitam me violaueris, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Si tamen oppressione barbarica aliquæ integritatem carnis perdiderint, ad meritum earum cedit, si incontaminatis non se comparent virginibus. Vnde Leo Papa: *Illæ famulæ, quæ oppressione barbarica integritatem pudoris perdiderunt; laudabiles erunt in humilitate & verecundia: si se incontaminatis non audeant comparare virginibus.*

* Alias, huiusmodi medio.

Isidorus.

Leo Papa.

¶ Deinde quæritur vtrum irregularitas contrahatur ex concubitu meretricio. Quod videtur per hoc: quod ipsa diuisit carnem suam cum multis: qui autem cognouit mulierem matrimonialiter, quæ diuisit carnem suam, efficitur irregularis: ergo talis efficitur irregularis.

¶ Contra, si aliquis diuisit carnem suam cognoscendo plures solutas; non ex hoc efficitur irregularis: sed maior est diuisio in sua carne, quam in carne aliena: ergo ex concubitu cum meretrice vna, non efficietur irregularis.

¶ Præterea, quæritur de eo, qui viduam cognouit, vtrum sit irregularis. Quod videtur per hoc, quod dicitur in Canone: *Viduam si lector in vxorem duxerit, in lectoratu permaneat.* Ex quo datur intelligi, quod irregularis efficitur.

Canon.

¶ Contra, talis non diuisit carnem suam in plures: ergo non egit contra rationem sacramenti: ergo non ex hoc efficitur irregularis: potest enim & sic vnius vxoris esse vir.

¶ Ad quod dicendum: quod qui cognouit matrimonialiter meretricem, ex hoc efficitur irregularis: meretrix enim dicitur, quæ multorum libidini patet: & licet ipse non diuidat carnem suam in plures, nihilominus efficitur irregularis: quia ex parte mulieris, quam cognouit, apparet deesse ratio sacramenti, quod exigitur in ecclesia.

¶ Ad obiectum autem in contrarium, dicendum: quod non est consimilis ratio ex parte viri: vir enim in hac parte non tenet typum ecclesiæ, sed mulier.

¶ Ad secundum dicendum est similiter: quod licet ipse non diuisit carnem suam in plures; nihilominus irregularis efficitur: quia coniunctus est cum illa, quæ diuisit carnem suam in plures, secundum quod habetur: *Si quis viduam, aut derelictam duxerit, non admittatur ad clerum.* Et: *Curandum est, ne quisquam ad sacros ordines, qui vxorem virginem non duxerit, aspiret.*

Dist. 50.
Dist. 34.

MEMBRVM XI.

An idem reatus, vel pœna sit fornicantium & ante baptismum & post, & ante legem & post, & mulierum pauperum, & non pauperum?

VNDECIMO quæritur de pœna huius peccati. Potest enim quæri, vtrum idem reatus sit illius, qui fornicatus est post susceptionem legis, & ante susceptionem: & de illo, qui fornicatus est post baptismum, & ante: & de illa, quæ habet diuitias comparatione illius, quæ pauper est. Quod videtur: quia eadem est quantitas essentialis peccati, & eidem quantitati essentiali respondet idem reatus: ergo idem est reatus.

¶ Contra, circunstantiæ aggrauant peccatum; aliæ vero, & aliæ sunt hinc & inde circunstantiæ: ergo & alius reatus: & per consequens alia & alia pœna.

RESOLVTIO.

Quinimmo alius & alius reatus, alia & alia pœna.

¶ Ad quod respondet Chrysostomus: *Fornicatus est aliquis post legem, difficilius punietur. Fornicatus est aliquis post aduentum Christi, etsi adhuc catechumenus fuerit, malorum difficiliorem dabit vindictam. Fornicata est aliqua diues existens, altera vero pauper, rursum & hic est differentia: & hoc manifestum est ex hoc, quod antea de Dauid diximus. Fornicatus est aliquis post lauacrum, hic neq; mitigatio hoc peccatum sequitur*, secundum quod dicit Apostolus: *Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis deteriora meretur supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti duxerit pollutum, in quo sanctificatus est.*

Chrysost.

Ad Heb.

¶ Ad argumentum respondendum est: quod est quantitas, quæ refertur ad genus peccati: & est quantitas, quæ respicit circunstantias. Quantum ad primum quantitas est eadem: quantum ad secundum non est eadem, nec idem reatus.

QVÆSTIO CXLV.

De filiabus peccatorum mortalium.

In septem Membra diuisa.

DICTO de capitalibus vitiis, & peccatis: consequenter congruo ordine dicendum est de filiabus eorum summarie: de pluribus enim alibi diffusius iam est expeditum.

MEMBRVM I.

Quæ & quot sint inanis gloriæ filiæ?

ET primo dicendum est de filiabus inanis gloriæ, quæ sit ratio numeri. Secundo quæ sunt dubitabilia circa numeri rationem.

D. Thom. q. 132 ar.

¶ Ratio vero numeri sic potest reddi: cum enim inanis gloria sit amor laudis propriæ propter apparentem excellentiam; aut intendit laudari ratione apparentis excellentis potentiæ, aut probitatis, aut sapientiæ. Si ratione apparentis excellentis potestatis, inanis gloria quærit laudem, non vult videri potestatis minoris, & vult videri potestatis maioris: & secundum hæc generat duo vitia, scilicet inobedientiam, quæ non vult subiacere superiori, ne videatur minoris potestatis: & iactantiam, quæ se ostendit potestatis maioris: etenim iactantia non solum verbis, sed etiam in factis suæ potestatis ostentationibus. Si ratione apparentis excellentis probitatis: vel vult apparere maioris probitatis: vel non vult apparere minoris probitatis. Si vult apparere inanis gloria probitatis maioris, appetit apparentem probitatem non solum inter bonos, sed etiam inter prauos: & secundum hoc ex se generat duo vitia, hypocrisim, qua simulatione sanctitatis appetit videri bonus: & incontinentiam, qua ratione conformitatis sui cum malis in malitia, laudetur peccator in desideriis animæ suæ. Si vero inanis gloria respiciat videri non probitatis minoris, generat ex se pertinaciam, qua etiam male facta defendit, ne probitas minoretur. Si vero inanis gloria per apparentem ex-

cellentem sapientiam * laudē quęrat, respuit esse minoratiuum suæ sapientiæ, & attentat omne magnificatiuū: ideoq; ex se generat duo vitia: discordiam, qua dissidet ab aliorum sententiis, ne comparatione earum minor appareat: & nouitatum præsumptiones, qua supra vires omnia tentat, vt sapiens appareat. Patet ergo numerus: si enim partes diuisionis sunt sufficienter assignatæ, non poterunt plures esse filiæ inanis gloriæ, quam septem suppositæ.

* Alias, ad laudem curat.

¶ Secundo quæritur, vel dubitatur de quibusdam dubitationibus incidentibus circa rationem numeri istarum filiarum. Et primo quæritur: quare irreuerentia prælatorum, & contumacia non ponuntur filiæ inanis gloriæ, sicut inobedientia. Nam eadem est ratio in illis. Idcirco enim vane gloriosus non reueretur prælatum, vel obuiat contumaciter prælato, ne minoretur apparens potestas ipsius per suppositionem maioris.

¶ Item, secundo quæritur: quare ostentatio & arrogantia non ponuntur inter filias, sicut iactantia. Eadem enim ratio est in illis.

¶ Item, quare singularitas & insolentia non annumerantur, sicut hypocrisis.

¶ Item, quare non ponitur rebellio, sicut & pertinacia.

¶ Itē, quare non ponitur contentio, quę frequentissime, immo semper fit causa laudis immediate, sicut & discordia.

¶ Item, cum pręsumere nouitates contingat in operibus virtutum, sicut & in scientia, quare assignatur præsumptio nouitatum circa sapientiam?

RESOLVTIO.

Inanis gloriæ filiæ septem sunt, scilicet inobedientia, iactantia, hypocrisis, incontinentia, pertinacia, discordia, & nouitatum præsumptio. Si quæ vero alia videbuntur, ad has reducentur.

¶ Ad primum dicendum: quod inobedientia sumitur large, secundum quod diffinita est voluntas fugiens minoratione̅ potestatis, nolens subiacere potestatibus superioribus indebitis. Tria autem debita sunt superioribus, honor, subiectio, impletio mandati. Debitum honorem superioribus aufert irreuerentia, debitum subiectionis contumacia, quæ obuiat superiorum autoritati, debitum impletionis mandati aufert inobedientia, stricte sumpta: quæ non vult exequi superiorum præcepta, prout oportet. Irreuerentia ergo, & inobedientia, & contumacia, prout sic sunt, comprehenduntur sub inobedientia, secundum quod est superius assignata.

¶ Ad secundum dicendum similiter: quod iactantia sumitur large, pro quolibet modo ostensionis propriæ potestatis: & ita sumpta est in numero filiarum. Vel stricte, secundū quod ista tria distinguuntur, ostentatio, arrogantia, iactantia: vt ostētatio in facto, iactantia in verbo, arrogantia in falso: cum scilicet aliquis indicat se habere, quod non habet: & hęc tria sub præposita iactantia cōprehenduntur.

¶ Ad tertium dicendum: quod singularitas & insolentia nō sunt * spiritualia peccata: sed status peccati, maxime hypocrisis, hypocrita enim est in principio singularis, in perfectione hypocrisis insolens apperit esse. Est autem singularitas simulatio, qua cōmuni vita relicta, priuata affectantur, vel quæruntur: insolentia vero verborum, factorum, gestuum, habituum præter omnem vsum specificatio. In principio ergo hypocrita singularis est, vt per hoc sua apparens bonitas discernatur: in fine insolens, vt ex specificatione singulari singulariter approbetur.

* Alias, special a.

¶ Ad quartum dicendum: quod rebellio ad pertinaciam reducitur: est enim rebellio repugnans pertinacia correctioni & disciplinæ.

¶ Ad quintum dicendū: quod contentio ad discordiam reducitur: sicut patet ex diffinitione suptadicta. Tamen si restringamus nomen, distinguemus, vt dicamus contentionem esse contradictionem cum apparenti ratione: discordia contradictio sine ratione.

¶ Ad sextum dicendum: quod præsumptio illa, quæ in operibus virtutis accidit, comprehenditur sub hypocrisi: quisquis enim per speciem virtutis laudari desiderat, non est dubium, quin sit hypocrita iudicandus. Recte ergo assignauimus nouitatum præsumptionem esse circa scientiam.

MEMBRVM II.

Quæ & quot sint inuidiæ filiæ?

CONSEQVENTER dicendum est de filiabus inuidiæ. Et primo, de ratione numeri ipsarum. Secundo, de quibusdam dubitationibus circa eandem rationem. D. Tho. 2. 2 q. 36. art. 4

¶ Numerus autem sic potest sumi: quia omnis inuidia aut est in affectu, aut in sermone, aut in opere. Si in affectu, sic est odium: si in sermone, aut ergo manifesto, & sic detractio: aut occulto, & sic susurratio. Si in opere, aut ergo respectu prosperitatum proximi, & sic afflictio in prosperis: aut respectu aduersitatis proximi, & sic exultatio in aduersis.

¶ Secundo quæritur de his, quæ incidunt dubitationibus circa rationem numeri harum filiarum. Et primo dubitatur de odio: nam videtur nasci ex ira: ira enim inueterata odium dicitur.

¶ Item, nonne idem est odium proximi, & exultatio in aduersis? exultatio enim talis ex odio est, vel ipsum odium.

¶ Item, nonne homicidium fratris natum est ex odio, seu inuidia Cain? Quare ergo non ponitur inter filias inuidiæ?

¶ Item, tristitia de alieno bono est afflictio in prosperis alterius: ergo idem est filia, quod mater.

RESOLVTIO.

Inuidiæ filiæ quinq; assignantur, scilicet odium, detractio, susurratio, afflictio in prosperis, & exultatio in aduersis.

¶ Ad primum dicendum: quod cūm odium sit voluntas affectans malum proximi, hoc contingit dupliciter. Nam est malum pœnæ sine zelus, & est malum damni: malum pœnæ optamus aliis, vt vindicemur: malum damni, vt non tristemur de bonis eorum. Odium ergo affectans malum pœnæ, ad iram pertinet: odium affectans malum damni, ad inuidiam.

¶ Ad secundum dicendum: quod odium & exultatio in aduersis differunt. Nam odium est in corde, exultatio in opere: addit enim procurationem mali super odium.

¶ Dubitabit etiam aliquis iuxta hoc: cum inuidia sit tristitia, qualiter de ea possit nasci exultatio? Et dicendum, quod ex tristitia de vno contrario nascitur lætitia de alio: idcirco ex inuidia, quæ est tristitia de alieno bono, nascitur lætitia de alieno malo. Quod peccatum est in multis locis prohibitum, vt: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Et: *Pro eo quod plausisti manu, & gauisus es ex toto affectu super terram Israel, ideo extendam ego manum meam super te.* Prouer. 24 Ezech. 25

¶ Ad tertium dicendum: quoniam etsi homicidium secutum est ex inuidia Cain; istud fuit mediante odio, & afflictione in prosperis: idcirco non immediate ex inuidia.

¶ Dubitabit etiam iuxta hoc aliquis: quare detractio secundum Isidorum posita est filia superbiæ. Et dicendum, quod Isidorus non ponit inuidiam capitale, immo superbiæ filiam: ideo detractionem ordinat in eandem speciem cū matre. Et potest esse, quoniam Isidorus sumit inuidiam specialiter, prout est dissensio à bono alterius aduersante propriæ excellentiæ: non generaliter inuidiam; quæ est dissensio à bono alterius aduersante rei amatę secundum ęstimationem videntis.

¶ Ad quartum dicendum: quod (sicut patet ex dictis) afflictio in prosperis ponit procurationem operis, secundum quod supra accipitur.

MEMBRVM III.

Quæ, & quot sint iræ filiæ?

CONSEQVENTER dicendum est de ratione numeri filiarum iræ, & dubitabilium, quæ accidunt circa numerum. Ponuntur autem secundum Gregorium sex filiæ iræ, scilicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia. Ratio autem istius numeri potest sic accipi: illud enim quod gignitur ex ira, est illatio vindictæ, aut dispositio ad illationem. Dispositio autem ad illationem est tumor mentis (est autem *tumor mentis voluntas vindicandi, disponens se ad vindicandum propter impetum irascibilis*) D. Tho. 2. 2 q. 158. art. 7.

Ipsa

Ipsa vero illatio vindictæ aut est in facto, & dicitur rixa (*rixa enim est libido vindicandi, in iniuriã facti procedens*: & hoc patet per hoc, quod dicitur ad Galat. 5. quod rixæ sunt, qñ ex ira inuicem se percutiunt) in animo ergo dicitur tumor mentis: in facto vero dicitur rixa. Si vero est in verbo, aut est iniuria in Deum, vel in sanctos; eo quod non vindicãt ipsum: vel quia existimat per ipsos impediri vindictam, & dicitur blasphemia. Aut est respectu iniuriantis, & hoc est per exaltationem vocis, vt ab aliis cognoscatur, & dicitur clamor. Aut per prolationẽ turpium contra iniuriantem, & dicitur contumelia. Si vero est in signo, tunc dicitur indignatio. De istis aũt genitis ex ira dicitur: *Ira, & indignatio, clamor, & blasphemia tollantur à vobis.*

Ad Gal. 5.

Ad Eph. 4.

¶ SECVNDO dubitatur de ratione numeri harum filiarum. Et primo, cum contingat irasci, & illa ira sistat in corde tantũ, & ex illa nascitur odium: quare odium non ponitur filia iræ.

¶ Secundo de indignatione, quæ videtur nasci ex vana gloria, vel superbia: superborũ n. est indignari proprium, & reputare alios viles.

¶ Tertio, cum contingat aduersarium iniuari per hominem, & illud æstimari iracundus, sicut per Deum, & per sanctos: quare nõ generatur aliquod vitium respectu hominum, sicut respectu Dei, quod dicitur blasphemia?

Isidor. ¶ Item, blasphemiam ponit Isidor. filiam superbiæ: vnde hoc.

RESOLVTIO.

Iræ filiæ iuxta B. Greg. sententiam sex sunt, scil. rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.

¶ AD primum dicendum, quod odium non numeratur filia, quia odiũ, vt ad iram pertinet, idem est quod ira: ira n. inueterata odiũ dicitur. Odium ergo mater est prædictorum vitiorum: est n. idem quod Mania, quæ est secunda species iræ secundum Damasc.

¶ AD secundum dicendum quoniam indignatio solet accipi dupliciter. Vno modo pro superbia, quæ non reputat alios dignos sua societate, vel locutione, & aspectu, & est idem ꝙ quarta species superbiæ, quæ appellatur [*plus omnibus*] siue contemptus, quo reputantur proximi viles. Alio modo aliter sumitur indignatio pro voluntate, qua alios per signa molestiæ contristari desideramus: idcirco eis subtrahimus locutionem & societatem: isto secundo modo ad iram, primo modo ad superbiam pertinet.

¶ AD tertium dicendum, quoniam etsi contingat irasci contra adiutorem hominem aduersarij: non tamen per aliam viam vindicta ei infertur, quam aduersario: & ideo non est aliud ab aliis.

¶ CONTRA adiutorem Deum, vel sanctos est nouus modus peccandi, & quia non potest Deo iracundus nocere opere, maledicit ore: vel res ei consecratas vel apparatas deturpat, vel dissipat: & istud est peccatum blasphemiæ, secundum quod hic accipitur.

¶ AD illud vero, quod quæritur: quare Isidor. ponit blasphemiam filiam superbiæ? Puto quod propter annexam maximam superbiam, sine qua nunquam esset blasphemia: qua sc. superbia erigitur contra creatorem ad pugnandum, prout potest; immediatus tamen exitus eius est ex ira, sicut ostensum est.

MEMBRVM IV.

Quæ, & quot sint accidiæ filiæ?

D. Tho. 1. 2. q. 35. artic. 4.

CONSEQVENTER dicendum est de filiabus accidiæ. Secundum autem Gregor. assignantur sex, quæ sunt, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis circa illicita. Primo ergo quærẽda est ratio numeri: secundo dubitabilia, quæ accidũt circa numerum. Et primo quæritur ratio numeri secundum Greg. deinde secundum Isidor. Ratio vero numeri secundum Greg. hæc est: cum n. acedia sit auersio à laborioso & graui cum cõuersione ad quietem. Ex parte conuersionis ad quietem generat vagationem mẽtis circa illicita, in quibus quærit quietẽ: vnde dicit Greg. *Tristitia non habens in se vnde letetur, foris quærit.* Ex parte vero auersionis à laborioso, aut sumitur nascens comparatione ad ipsum opus, quod laboriosum est: aut comparatione inferentis, aliquid graue. Si respectu inferentis aliquid graue: aut est intra in animo, & dicitur malitia: aut extra in signo, & dicitur rãcor. Si vero respectu operis laboriosi, aut est respectu aggrediendi, & dicitur pusillanimitas (pusillanimitas n. est timor aggrediendi) aut est respectu proficiendi, & dicitur torpor: aut respectu consummationis, & dicitur desperatio.

Gregor.

Idem.

¶ Secundum Isidor. autem assignantur aliæ filiæ tristitiæ, & aliæ acediæ. Tristitiam autem dicit, inquantum recedit à graui & laborioso, ad quod tenetur: acediam vero, inquantum se conuertit ad quietem indebitam. Quatuor aũt sunt nascentia ex tristitia, rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio: quæ sic distinguuntur, vt rancor & amaritudo ad graue siue molestum referantur, pusillanimitas & desperatio ad laboriosum (graue enim est in sustinendo, laboriosum in operando) amaritudo autẽ est animi in se impotentis sustinere: rancor vero est manifestatio in signo exteriori: respectu vero laboriosi in aggrediendo pusillanimitas, in perficiendo desperatio. De acedia vero oriuntur septem, ociositas, somnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, instabilitas, verbositas, curiositas. Cum n. acedia sit voluntas inordinatè appetens quietem, aut putat inuenire quietem per cessationem ab opere debito, aut per opus. Si per cessationem ab opere, duo generat vitia: otium, quo cessat à bonis operibus in vigilando: & somnolentiam, qua per dormitionem cessat, cum possit sine impedimento operari. Si vero per opus, aut per opus debitum, aut per opus indebitũ. Si per opus debitum, hoc est nisi quia indebitè vult facere, vt per hoc cessare cogatur: & sic generatur importunitas. Si vero per opus indebitũ, aut hoc est per actum intrinsecum, aut per actum extrinsecum. Si per intrinsecum, dicitur inquietudo mentis, quæ non cessat cogitare, vel desiderare vana. Si vero per extrinsecum, aut hoc est per corporis mutationem de loco ad locum, & dicitur corporis instabilitas: aut per verborum effusionẽ, & dicitur verbositas: aut per solicitudinem explorandi ea, quæ geruntur apud alios; & dicitur curiositas.

Isidor.

¶ SECVNDO quæritur de dubitabilibus, quæ incidunt circa rationem numeri harum filiarum. Et primo de diuersitate in assignando filias secundum Gregor. & Isidor. Aut enim alter est superfluus, aut alter diminutus. Si non, necesse est, vt reducatur assignatio, quæ est secundum numerum maiorem ad numerũ minorem.

¶ ITEM, desidia est peccatum, quo quis à bono opere desistit: similiter omissio peccatum est, quo quis deserit actum debitum: similiter negligentia, quo quis deserit debitam circumstantiam: sic & pigritia peccatum est, quo quis in bono operando tepescit: Quare ergo non sunt numeratæ inter filias, sicut torpor, & pusillanimitas.

¶ ITEM, malitia quærit nocere: nocere autem intentio iræ est: ergo est eius filia.

¶ Item, malignitas & nequitia, quæ eiusdem rationis videntur esse: quare non ponuntur filiæ acediæ, sicut & malitia.

RESOLVTIO.

B. Gregor. sex has acediæ filias enumerat, sc. vagationem mentis circa illicitas, malitiam, rancorem, pusillanimitatem, torporem, desperationem. Isidorus autem aliter enumerat: sed facile est ad dicta reducere.

¶ AD primum dicendum, quod neuter est superfluus, nec diminutus: sed Isidor. distinguit in membris vitiorum positorum à Greg. quod patet sic. Nam sub vagatione mẽtis, quæ est vltima filia secundum Greg. comprehẽduntur hæc vitia, inquietudo mẽtis, corporis instabilitas, verbositas, curiositas: sicut patet in præassignatis eorum diffinitionibus. Sub torpore, qui est penultima filia sdm Grego. cõprehenduntur, otium, somnolentia, & etiã importunitas ex consequenti; ꝙ patet consideranti prædicta. Amaritudo vero secudũ Isido. idem est, quod malitia sdm Gregor. sicut patet ex verbo Isidor. dicit enim: *Perpende quanto mærore intuendi sunt qui tanto amaritudinis felle conuersantur.*

Gregor. Isidor.

Idem in li. de cõflictu vitiorum.

Vnde

Vnde mœror iste idem est, quod amaritudo, siue malitia: qua aliis malum molimur propter illam grauedinē, quam amaro animo valde suscepimus. In omnibus aliis conueniunt Gregorius & Isidorus.

¶ Ad secundum dicendum: quod desidia, omissio, negligentia, pigritia, & similia sub torpore comprehenduntur. Sed tamen distinguuntur, nam pigritia idem est quod torpor, & sunt à parte agentis: sed pigritiæ ratio est eo quod piget: difficultas, grauedinem, torpor vero respicit appetitum quietis. Nec est contrarium prædictis, vbi dictum est torporem sumi ex parte auersionis à grauedine: istud enim verum est, si propter amorem quietis. desidia vero, omissio, negligentia ex parte actus: sed desidia commune est ad omissionem & negligentiam: omissio vero est desidia siue deserentia actus debiti: negligentia vero deserentia debitæ circunstantiæ: negligentia vero idē est quod ignauia: quod vitium est ex hoc, quod homo in nullo opere debitam adhibet discretionem siue diligentiam, vt scilicet fiat cum debitis circunstantiis.

¶ Ad tertium dicendum: quod malitia dupliciter potest sumi. Vno modo pro voluntate inferendi nocumentum aduersanti: & sic idem est quod odium, & filia iræ. Alio modo pro machinatione mali inferendi ei, quem suspicamus inferre grauedinem, & sic est filia accidiæ.

¶ Ad illud vero quod quæritur de malignitate, dicendum quod idem est, quod rancor: malignitas enim est voluntas nocendi alij, quamuis potentia desit: nequitia vero sub malitia comprehenditur. Est enim nequitia malitia, qua quis audet malum, quod nequit. Et sic patet responsio ad obiecta.

MEMBRVM V.

Quæ & quot sint auaritiæ filiæ?

D.Tho. 2.2. q.118. ar.8. Gregor.

CONSEQVENTER dicendum est de filiabus auaritiæ. Et primo de ratione numeri: secundo de dubitationibus circa eandem rationem. Ponit autem Gregorius septem filias auaritiæ: quæ sunt, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo mentis, violentia contra misericordiam, obiurgationes cordis. Numeri autem ratio talis est: cum enim auaritia sit nimius amor pecuniæ: aut est nimius amor inquirendi pecuniam, aut retinendi. Si acquirendi, aut ergo per deceptionem, aut per industriam, aut per vim (plures enim modi acquirendi inueniri non possunt.) Si per deceptionem, aut in verbis, aut in factis: si per deceptionem in factis auaritia acquirendis inhiat, generat ex se duo vitia, scilicet proditionem, & fraudem: sed proditio est domesticorum, deceptio fraus extraneorum: vel proditio est circa personam, fraus circa res ipsius personæ. Si vero per deceptionem in verbis acquiratur pecunia; istud non est nisi per mendacium: mendacium enim est falsa significatio vocis cum intentione fallendi: aut ergo per mendacium fallendi simpliciter, & sic generatur fallacia, aut per mendacium iuramento firmatum, & sic est periurium: secundum quod peierare dicitur inuocare Deum, vel sanctos testes suæ falsitatis. Si vero per industriam auaritia acquirendis inhiat, generat mentis inquietudinem: qua semper solicitatur de pecunia acquirenda. Si vero per vim, generat molestiam. Sex ergo vitia generat auaritia ex seminario libidinis circa pecuniam acquirendam, scilicet proditionem, fraudem, fallaciam, periurium, inquietudinem mentis, violentiam. Ex seminario libidinis circa pecuniam retinendam generat obiurgationem cordis contra misericordiam, quæ non solum indigentibus non dat danda, immo concitatur aduersus ipsos, & murmurat. Sic patet ratio numeri.

¶ Secundo quæritur de dubitabilibus circa rationem numeri harum filiarum. Et primo, quare dolus non ponitur filia auaritiæ, sicut & fraus. Etsi dicatur, quod sint idem secundum rem: constat quod differunt secundum rationē, vnde sumitur illa differentia?

¶ Similiter cum furtum sit peccatum, quod nascitur ex auaritia: quare non est positum inter filias.

¶ Secundo dubitatur de inquietudine mentis: nam ipsam ponit Isidorus filiam accidiæ: quomodo ergo erit filia auaritiæ?

* *
*

RESOLVTIO.

Septem auaritiæ filias Gregorius assignat, scilicet proditionem, fraudem, fallaciam, periuria, inquietudinem mentis, violentiam contra misericordiam, & obiurgationes cordis. Alter Isidorus enumerat; sed facile est inuicem conciliare.

¶ AD primum dicendum: quod dolus idem est quod fallacia. Vnde distinguuntur fraus & dolus: fraus enim est in opere, dolus in ore: & ita idem quod fallacia, sicut supra acceprimus. Similiter furtū idem quod fraus: recta enim furti diffinitio est, contrectatio rei alienæ fraudulenta.

¶ Ad secundum dicendum: quoniam inquietudo mentis, prout nascitur ex accidia non determinat sibi aliquam materiam: etenim mens accidiosi auertit se quærens illicitam quietem, circuit cogitatione & desiderio res quasi infinitas: vt saltem in illis quietem inueniat: & istud dicitur inquietudo mentis in accidia. Prout vero nascitur ex auaritia, determinat sibi materiam, scilicet pecuniam, circa quā congregandam studere non cessat: & istud studium pecuniæ congregandæ dicitur inquietudo mentis in auaritia.

¶ Dubitatur enim de ratione numeri filiarum auaritiæ secundum Isidorum assignatarum. Ponit autem Isidorus nouem filias, quæ sunt, mendacium, fraus, furtum, periurium, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas, rapacitas. Quæ sic possunt distingui: *mendacium est deceptio in ore fraus & furtum in opere*: sed distinguuntur hac ratione, vt fraus sit deceptio in negociando, furtum in occulto aliena contrectando. *Periurium est in ore ad deceptionem, & mendacium ad abscondendum. Turpis lucri appetitus est in corde, etiam si deficiat posse. Falsum* vero *testimonium est in ore, quod fit frequentissime pro temporali emolumento*: vt quando ponitur sub pretio falsitas dicenda proximo contra proximum. *Violentia vero est coactio personæ proximi, vt inde aliquid extrahatur. Inhumanitas est læsio ipsius personæ vt inde aliquid extrahatur. Rapacitas vero est rerum ipsius personæ per vim depredatio.* Reducamus istam diuisionem ad illam, quæ est secundum Gregorium; & soluentur multæ dubitationes, quæ possent fieri, & dicamus sic. Quod mendacium secundum Isidorum comprehenditur sub fallacia, secundum Gregorium sicut patet ex dictis: furtum vero sub fraude, sicut iam supra dictum est: humanitas & rapacitas sub violentia comprehenduntur secundum Gregorium: nam ipse accipit violentiam pro omni modo extorquendi pecuniam per vim.

Isidor.

Gregor.

Isidor. lib. 3. Moral. c. 31.

¶ Si vero quæritur de mendacio, & periurio, & falso testimonio: nam hęc aliquando fiunt non causa lucrandi, sed vel causa odij, vel luxuriandi, vel timoris: vnde non videntur esse filiæ auaritiæ. Dicendum: quoniam etsi contingat ista vitia ad fines aliorum ordinari, istud raro accidit, & non sæpe: frequenter vero, & sæpe, & vt in pluribus hæc secundum vitia ad finem auaritiæ ordinantur sine alio vitio mouente, nisi ipsa auaritia: ideoq; filiæ auaritiæ recte dicuntur.

MEMBRVM VI.

Quæ & quot sint gulæ filiæ?

D.Tho. 2.2. q.118. ar.8.

CONSEQVENTER dicendum est de filiabus gulæ, quæ ponuntur secundum Gregorium quinque, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam.

¶ Primo ergo ponenda est ratio istius numeri: secundo proponuntur dubitabilia circa numerum. Ratio numeri hæc est: peccatum, quod gignitur ex gula, aut est in intellectu, & dicitur hebetudo mentis: aut est in effectu: & hoc contingit dupliciter: vel operis, & dicitur immunditia: vel sermonis, & hoc dupliciter: vel per turpitudinem verborū, & dicitur scurrilitas: vel per superfluitatem, & dicitur multiloquium: si vero est in affectu, dicitur inepta lætitia: & secundum hoc sunt quinq; peccata, quæ ex gula gignuntur. Secundum Isidorum autē sunt duo, comessatio, & ebrietas: comessatio autē in cibis, ebrietas vero est excessus in potib.

Isidor.

¶ Secundo quæritur de dubitabilibus circa numerum, quia videntur multo plures filiæ gulæ, quam quæ dictæ sunt. Nam dicitur: *Vinum multum potatum irritationem, & irā, & ruinas multas facit.* Ergo irritatio, & ira sunt filiæ gulæ.

Eccle. 31.

¶ Item:

Prouer. vlt. ¶ ITEM, *Nullum secretum, vbi regnat ebrietas.* Ergo reuelatio secreti est filia gulæ.

Prouer. 23. Glossa. ¶ Item, *Oculi tui videbunt extraneos, & os tuum loquetur peruersa.* Gloss. *Penè naturale est vitium, mulierem post vina in corde concupiscere, comitante etiam turpitudine verborum.* Ergo luxuria est filia gulæ.

Prouer. 4. August. ¶ Secũdo dubitatur de inepta lætitia: nam ipsa videtur comitare omne peccatum: *Lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Item, dicit Aug. *amor habens id, quod amatur, & fruens eo, lætitia est.* Sed talis amor generalis est ad multa vitia, & sic dicitur ineptus, & ad multas virtutes, & sic dicitur aptus amor, siue ordinatus. Non est ergo speciale peccatum inepta lætitia.

¶ Item, inepta lætitia fere semper, vel frequenter ordinatur ad finem luxuriæ: ergo erit eius filia.

¶ Tertio dubitatur de scurrilitate: nam Isidor. ponit eam filiam luxuriæ.

¶ Item, multiloquium circa illicita dicitur idem quod scurrilitas: nam circa licita non erit mortale, iuxta illud: Matth. 12 Hiero ibi. *De omni verbo ocioso, &c.* ibi dicit Hiero. *vt de friuolis & fabulis: scurrilia autem non sunt otiosa, sed criminosa.*

¶ Quarto dubitatur de immunditia: ipsa n. magis videtur pertinere ad luxuriam, quam ad gulam. Item, cum talis immunditia non sit nisi vomitus, vel eructatio: hæc autem non sunt nisi pœna: nõ erit peccatum immunditia.

¶ Quinto dubitatur de hebetudine: nam hebetudo videtur nasci ex quolibet peccato: omne n. peccatum per hoc quod priuat modum, speciem, & ordinem; hebetudinem mentis inducit.

¶ Item, videtur, quod sit idem quod prima filia luxuriæ, quæ dicitur cæcitas. Nam super illud: Prouer. 23. Glossa. *Cui væ: cuius patri væ, &c.* dicit glos. *Immoderatus haustus vini interioris & exterioris visus ingerit cæcitatem.*

¶ Item, cum omne peccatum sit voluntarium: nulla autem hebetudo voluntaria: quare nulla hebetudo erit peccatum.

RESOLVTIO.

Ex doctrina eiusdem Gregorij quinq; assignantur filiæ gulæ, sc. inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam.

¶ AD primum dicendum, quod ira, & irritatio, reuelatio secreti, &c. non generantur propriè ex gula, quia nec immediate, nec per se, sed accidentaliter. Propter hoc n. quod nutrit, & irritat fomitem, dicuntur ex gula prouenire illa peccata: quæ immediatè nascuntur ex fomite nutrito siue irritato per gulam. Et per hoc soluuntur omnia primo obiecta.

¶ AD secundum dicendum, quod inepta lætitia dicitur largè, pro quocunq; gaudio surgente ex libidine, qua volumus delectari in gesticulatione corporis, & musicis instrumentis, & lusibus carnalib. Et sic inepta lætitia nascitur ex gula, vel ex luxuria, sed differenter: nascitur enim ex voluptate gulæ: nam per hoc incitatur libido in gustu, vt delectabilius exerceat actum suũ: ex hoc quod iocundius cibaria sumuntur, & ideo rectè filia gulæ dicta est, & ad finem eius ordinatur. Ex voluptate vero luxuriæ ante actum aliquando nascitur, & ad finem eius ordinatur, sed ex opere minimè: ideoque non ita conuenienter luxuriæ filia dici potest.

¶ AD tertium dicendum, quod obijcit de scurrilitate, sicut de inepta lætitia: nã ex opere & voluptate gulæ scurrilitas nascitur, & hoc considerauit Gregor. ex voluptate vero luxuriæ, quamuis non ex opere; & illud considerauit Isidor. Differentia vero inter multiloquium, & scurrilitatem patet consideranti superpositas illorum rationes & diffinitiones, & quantum ad materiã, & quantum ad formam. Nam multiloquium est in verbis quibuscunq; inordinata multiplicatio: scurrilitas est solum in verbis turpibus & inhonestis. Item, multiloquium libidinis in gustu conseruatum est, scurrilitas excitatiua.

¶ Ad quartum dicendum, quoniam immunditia non accipitur pro turpitudine & fœditate, quæ est contraria munditiæ: sed pro voluntate siue immoderato appetitu, quo homo ingurgitat se, & repletur cibarijs: ex quo sequitur immunditia, & fœditas in vomitu, & eructatione: à qua sequela istud peccatum trahit nomen suum, vt dicatur immunditia.

¶ AD quintum dicendum, quod hebetudo accipitur multipliciter: nam est hebetudo naturalis carentia subtilitatis intellectus, ex inepto proueniens instrumento, & est hebetudo defectus penetrandi spiritualia, & est volũtaria hebetudo, & est duplex: nam aut est hebetudo cognitionis, aut affectionis. Si cognitionis, sic est filia gulæ: est n. volũtarius error iudicij circa bona spiritualia, vt cum iudicam⁹ bona spiritus esse mala; eo quod sunt aspera carni, vt ieiunia, vigilias, & alias fatigationes pœnitentiæ: Vnde: *Execratio peccatoris cultura Dei, &c.* secundum hoc dicitur opponi gula dono intellectus. Si affectionis, sic est Eccles. 1. filia luxuriæ, & dicitur cæcitas mentis. Est enim talis cæcitas dissipientia dulcedinis Dei, vel error voluntarius circa illam: de qua Eccles. 1. Execratio peccatoribus sapientia. Et ratione huius dicitur luxuria opponi dono sapientiæ. Et per hoc soluuntur obiecta.

MEMBRVM VII.

Quæ, & quot sint luxuriæ filiæ?

CONSEQVENTER dicendum est de filiabus luxuriæ: D. Tho. 2. 2. q. 153. ar. 5 quæ sunt secundum Gregor. 8. sc. cæcitas mentis incõsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Gregor. Dei, affectus præsentis sæculi, horror siue desperatio futuri. Secundum Isidor. vero 4. ponũtur, sc. turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia. Isidor.

¶ Primo ergo ponenda est ratio numeri: deinde subdendæ sunt dubitationes circa numerum, vel ea quæ numerantur.

¶ Ratio autem numeri hæc est: peccatum, quod generatur ex luxuria, aut est secundũ deordinationẽ rationabilis, aut irascibilis, aut concupiscibilis. Secundum deordinationem autẽ rationabilis sunt duo peccata: secundum n. deordinationem ad superiora, quæ sunt contemplanda, dicitur cæcitas mentis: secundum deordinationẽ aũt ad inferiora agenda, dicitur inconsideratio. Similiter secundum inordinationem irascibilis duo vitia generantur: aliquando n. habet inordinationem in patiendo, & dicitur inconstantia: aliquando in aggrediendo, & dicitur præcipitatio. Secundum autem deordinationem virtutis cõcupiscibilis generantur quatuor peccata: quorum duo respiciunt affectionem rei præsentis: alia vero duo respiciunt affectionẽ rei futuræ: est n. affectio indebita ad rem præsentem secundum amorem nimium; & secũdum hoc dicitur amor sui, & intelligitur de amore carnali: vel secundum detestationem, eius, quod summè amandum est: & secundum hoc ponitur odium Dei: respectu vero futuri, aut boni mutabilis, aut boni incõmutabilis: si respectu boni mutabilis, dicitur affectus præsentis sæculi (affectus n. præsentis sæculi est voluntas, qua desiderat homo permanere in bonis mutabilibus, vt eis fruatur) si vero fuerint respectu boni immutabilis futuri, dicitur desperatio: desperatio n. futuri est voluntas de æterna vita desperans. Vel aliter possunt illa 4. accipi, vt duo respiciãt personam, duo respiciant rem: personã respiciunt amor sui, & odium Dei: rem respiciunt affectus præsentis sæculi, & desperatio futuri. Secundum inordinationem vero in appetitu respectu substantiæ inferioris dicitur peccatum, quod est amor sui: secundum inordinationem vero fugæ respectu substantiæ superioris dicitur odium Dei. Secundum inordinationem autem appetitus respectu præsentis boni dicitur illud peccatum, quod est affectus præsentis sæculi. Secundum inordinationem autẽ fugæ respectu boni futuri, dicitur horror, siue desperatio futuri: & sic in vniuerso sunt octo nascentia ex luxuria.

¶ Secundum aũt Isidor. ponuntur quatuor nascentia ex parte sermonis: sapientiæ n. in sermone opponitur stultiloquiũ: bonitati vero sdm tres conditiones opponuntur alia tria. Oportet n. considerare quod decet, quod licet, ꝗ expedit: ei quod decet, opponitur turpiloquium: ei quod licet, scurrilitas: vtilitati vero ludrica opponuntur.

¶ Secundo dubitatur de ratione numeri harum filiarũ. Et primo de inconstantia & præcipitatione: quæ videntur

idem

idem esse quod instabilitas, vel inquietudo mentis, quas ponit Isidorus filias acediæ.

¶ Item, de amore sui dubitatur: nam (sicut dicit August.) *fundamentum ciuitatis diaboli est amor sui*: ergo magis debet assignari filia superbiæ, quæ est initium omnis peccati, quam luxuriæ.

Aug. li. 14. de ciu. Dei. cap. 24.

¶ Item, odium est genus ad odium Dei, & odium proximi.

¶ Item, odium nascitur ex inuidia: ergo est eius species: ergo odium Dei non est filia luxuriæ. De aliis etiam multipliciter dubitatur: sed per assignatam numeri rationem patet solutio. Dubitabit enim aliquis de omnibus: nam per istas non intendit luxuriosus assequi finem suum: ergo non sunt filiæ luxuriæ.

RESOLVTIO.

Luxuriæ filiæ octo hæ à B. Gregorio recensentur, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri. Ab Isidoro quatuor tantum assignantur, videlicet turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia.

¶ Ad primum dicendum: quod non est idem inconstantia, & inquietudo mentis siue instabilitas. Inconstantia enim est, quæ statum in bono impedit, propter aduersa & cõtraria voluptati carnis, quæ noluimus sustinere. Inquietudo vero mẽtis, & instabilitas corporis sunt propter prospera adipiscenda.

¶ Ad secundum dicendum, quoniam amor sui sumitur large, pro adhærentia, qua homo se diligit inordinatè plus quam debet, vt plus quam Deum, & sic amor fundamentum ciuitatis diaboli est. Sumitur aũt strictè pro amore, quo homo inordinate diligit se quantum ad suum inferius, id est, carnem, & sic est filia luxuriæ: nam luxuria est, quæ maximè inclinat animam ad amorem carnis.

¶ Ad tertium dicendum, quoniam odium, quod est filia inuidiæ, est odium proximi, quod apparet nasci ex tristitia de alieno bono: odiũ vero Dei filia est luxuriæ: Nam amor inferioris, id est carnis immoderatus in luxuria est: & ideo maxima inclinatio est ad inferius: vnde sequitur maxime recessus à superiori, quod pertinet ad odium Dei.

¶ Ad vltimum dicendum, quoniam præassignata vitia immediatè ex voluntate vel opere luxuriæ nascuntur, & ordinantur ad finẽ, aut sicut tendentia ad finem: quemadmodum inconsideratio, præcipitatio, & amor sui & affectus præsentis sæculi. Tanta est voluptas illa, quæ est finis luxuriæ in actu, quod ratio inconsiderate; irascibilis impetuose, concupiscibilis toto affectu, quantum ad intrinsecus; non in amore sui, quantum ad extrinsecus: vt in affectu sæculi moueantur ad ipsam. Et sic patet, qualiter huiusmodi vitia ordinentur ad huiusmodi voluptatem tanquam tendentia ad finem suum. Reliqua vero omnia reducuntur ad finem, sicut fugiẽtia aduersantia fini, id est, voluptati secũdum carnem, quæ est secundũ tactum in coitu maxima: vt cæcitas mentis, cum desipiunt spiritualia; inconstantia, quæ statũ in bono non tenet propter grauitatem vel aduersitatem: odium Dei, cui displicet iustitia Dei: & mouetur contra ipsam horror, vel desperatio futuri sæculi, quæ refugit pœnam, & desperat de præmio. Hæc omnia aduersantur voluptati secundum carnem, sapor spiritualium, status in pœnitentia, Dei iustitia, pœna æterna cum elongatione gloriæ.

QVÆSTIO CXLVI.

De altera diuisione peccati,

Scilicet aliud ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex certa malitia.

In tria Membra diuisa.

D. Tho. 1. 2. q. 76 & 77. S. Bon. in 2 d. 41. dub 2.

Expleta diuisione peccati secundum differentias capitalium vitiorũ, & nascentium ex illis summariè: adiuuante Domino procedendũ est ad diuisionem peccati actualis trimembrem: quæ est, Peccatum aliud ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex industria, siue certa malitia, & est eadem cum illa, peccatum aliud est in patrem, aliud in filium, aliud in Spiritum sanctum. Primo ergo quærendum est de dubitabilibus, quæ spectant ad diuisionem hanc in genere, & postea descẽdendo ad ea, quæ continentur sub singulis differentiis.

¶ Primo autem quæritur, penes quid accipiatur hæc diuisio. Secundo, vtrum idem peccatum contineatur sub diuersis differentiis. Tertio, de comparatione differentiarum inter se secundum magnitudinem peccati.

MEMBRVM I.

Diuisio peccati per infirmitatem, ignorantiam, & certam malitiam penes quid accipiatur?

Primo ergo quæritur circa primum. Videtur n. quod non debeant esse nisi duæ differentiæ: cum enim duæ sint partes animæ, cognitiua, & motiua: peccatum autẽ sit in anima ex occasione defectus in altera parte, erunt tantum duæ differentiæ: defectus enim in parte cognitiua generaliter est ignorantia, defectus autem in parte motiua est infirmitas: hæc enim comprehendit & infirmitatem, quæ est animæ ex coniunctione ad carnem; & quæ animæ secundum seipsam: vel si infirmitas tantum accipitur ipsius animæ secundum coniunctionem ad carnem, tunc manifestum est.

¶ Item, industria siue certa scientia, & ignorantia opponuntur: sufficienter ergo omne peccatum diuiditur per illa duo: omne enim peccatum aut scienter, aut ignoranter committitur.

¶ Præterea, malitia est peccatum: cum ergo determinantur causæ peccati, non debet malitia computari inter causam siue occasiones peccatorum: sufficiunt ergo reliquæ duæ differentiæ.

¶ Item, videtur, quod vnica differentia sufficiat, vt omne peccatum dicatur ex infirmitate: omne enim peccatum aut est ex timore male humiliante, aut ex amore male accedente: sed vtrobiq; est infirmitas; quidam n. peccant ex infirmitate amoris, quidam ex infirmitate timoris.

¶ Præterea, omne peccatum aut est ex infirmitate mentis, aut ex infirmitate carnis. De qua duplici infirmitate dicitur super illud. *Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt*, &c. per infirmitatem n. virtutis intelligitur infirmitas animi: per conturbationem n. ossium infirmitas carnis: ex altero n. horum prouenit omne peccatum. Videtur ergo omne peccatum ex differentia infirmitatis procedere. Psal. 30.

¶ Similiter potest ostendi, quod omne peccatum ex ignorantia procedit: *omnis enim malus ignorat*: sicut dicit Philosophus. Et dicit Dionys. *quod nullus respiciens ad malum inquantum huiusmodi operatur.* Si ergo peccans omnis respicit ad id, quod malum est, peccans omnis nescit illud esse malum: ergo omne peccatum est ex ignorantia. Philosoph. Dionys. li. de diuin. nominib. par. 4. c. 4.

RESOLVTIO.

Diuisio peccati per infirmitatem, ignorantiam, & malitiam sumitur penes potentiam, sapientiam, & bonitatem diuinam, contra quæ illa sunt. Vel ex parte potentiæ cognitiuæ, motiuæ, & animæ in coniunctione ad carnem.

¶ Ad quod dicendum, quod diuisio supra dicta quo ad sufficientiam necessarium est, quod sit trimembris, secundum quod dicit August. *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ.* Et ponit talem distinctionem, quod infirmitas opponitur virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati. Differunt autem hæc tria secundum posse, scire, & velle. Ex defectu ergo alicuius istorum primo, prouenit omne peccatum: ignorantia n. ex parte animæ accipitur quo ad cognitiuam: Infirmitas ex parte ipsius animæ in coniunctione ad carnem: malitia vero ipsius voluntatis quo ad motiuam: cum neutra prędictarum, sc. ignorantiæ, vel infirmitatis aduenit voluntati: sed opposita insunt. Sic ergo patet ratio prædictæ diuisionis. Cum n. peccatum est in voluntate, aut accidit ex inclinatione ignorantiæ, quæ est in cognitiua: aut ex inclinatione infirmitatis, quæ est ex parte carnis (corpus n. quod corrũpitur, aggrauat animã) Aug. in lib. 83 qq.

aut

aut est ex defectu, qui est in sola voluntate cum oppositis ignorantiæ & infirmitatis: cum sc. potest facere bonum potentia facili, & scit, vult tamen contrarium.

¶ Si vero quæritur, vtrum duæ differẽtiæ, vel vna sola sufficiat? Respondendum est per responsionem ad obiecta. Ad primum sic dicendũ est, quod licet duæ pœnæ sint naturæ vitiatæ, sc. ignorantia, & difficultas, seu infirmitas; sicut dicit Aug. vt sc. vel sciẽda nesciat, vel impediẽte difficultate cognita implere non valeat, nõ tñ omne peccatũ ex altera istarum differentiarum est: sed omne peccatũ ex altera istarum causarum est: quod quidem peccatum prætendit colorẽ quendam excusationis: præter ista autẽ est illud, quod non habet in se causam excusationis, sc. peccatum, quod est ex certa malitia.

¶ Quod aũt obijcitur ex duabus partib. animæ, penes quarum vnam accipitur ignorãtia, penes alterã autem infirmitas. Dicendum est, quod causa, quæ est in parte motiua, non est tñ ex infirmitate ex parte carnis, sed etiam ex malignitate mentis: non quam habet ex natura, sed ex naturæ corruptione & deliberata voluntate.

¶ Ad secundum vero dicendum ꝙ industria siue scientia, & ignorantia licet opponantur: non tamen sunt opposita immediata prout hic accipiuntur; non n. omne peccatum, quod scienter fit, ex industria fit, vel ex certa malitia. Potest n. ille, qui scit esse peccatum, aut ex infirmitate trahi ad peccatum, aut nulla existẽte infirmitate huiusmodi, trahi ad peccatum. Si ex infirmitate trahatur ad peccatũ, licet scienter fiat; non dicitur esse peccatum ex industria. Vnde ita attẽdenda est diuisio: aut scit esse peccatũ: aut nescit. Si nescit esse peccatum: & ex hoc procedit ad peccatũ, dicitur peccatum ex ignorantia. Si vero scit, aut infirmitate carnis trahitur, aut ex alia causa: Si ex infirmitate, dicitur esse peccatum ex infirmitate, licet scienter fiat: si vero existente scientia & existente virtute naturali, sola animi peruersitate peccat: dicitur esse peccatum ex industria vel studio: quia vehemens est animi applicatio ad illud perpetrandum, nulla causa alia impellente, vel inclinante.

¶ Ad tertium dicendum, quod malitia æquiuoce dicitur: aliquando n. accipitur pro culpa ipsa veniali, vel mortali, & hoc modo non dicitur esse tertia causa, vel occasio peccati. Aliquãdo vero accipitur pro corruptione pœnali ipsius voluntatis, quæ est in quibusdam hominibus: quæ non occasionatur ex ignorantia, vel infirmitate, & secundum hunc modum dicitur esse peccatum ex certa malitia. Vel aliter posset exponi: vt certa malitia dicatur, cũ aliquis scienter, non ex occasione excusabili malum operatur, & tunc malitia non diceret aliquam dispositionem præambulam ipsi peccato in Spiritum S.

¶ Ad quartum dicendum, ꝙ infirmitas accipitur pluribus modis: vno modo impotentia cuiuscunq; potentiæ animæ: alio modo impotentia ex parte motiua: tertio modo impotentia, quæ contrahitur ex fragilitate carnis. Hoc vltimo modo dicitur esse peccatum ex infirmitate, & ita non est generale. Si vero acciperetur primo modo, vel secundo; posset esse omne peccatum ex infirmitate. Cum aũt dicitur, quod Petrus ex infirmitate peccauit; ad fragilitatem animæ, quæ est ex parte carnis, refertur. Cum autẽ dicitur quod infirmitas communis ad infirmitatem ex timore, & ex amore, infirmitas est communis ad omne peccatum: cum ad timorem male humiliantẽ, & ad amorem malè accendentem reducatur omne commissum.

¶ Ad quintum vero dicẽdum: quod infirmitas prout accipitur in Psal. 30. accipitur pro pœnalitate, qua homo caret bonis spiritualibus, & ex hoc nouit se impotentem ex seipso. Vnde prout huiusmodi est, non dicit dispositionem ad malum, quod est peccatum, sed dispositionem quandam ad bonum, qua homo non de se præsumat.

¶ Ad sextum dicendum, quod aliud est aliquem ignoranter peccare: & aliud peccare ex ignorantia. Ignorantia enim quædam potest concomitari omne peccatum actuale mortale: & hoc modo non dicitur esse causa peccati cuiusdam. Alio vero modo ignorantia antecedit peccatum, & est occasio ad ipsum peccatum, & si sciret, non peccaret: & hoc modo accipitur, secundum quod est vna differentia peccati.

MEMBRVM II.

An idem sit, peccare ex infirmitate, ex ignorantia, & ex malitia.

SECVNDO quæritur: Vtrum idem peccatum contineatur sub diuersis differentiis? Quod videtur: communis est offensa trium personarum: ergo qui peccat in patrem, peccat in filium, & peccat in Spiritum S. sed peccatum ex infirmitate est peccatum in patrem, peccatum ex ignorantia est peccatum in filium, peccatum vero ex industria est peccatum in Spiritum S. siue ex certa malitia: ergo idem peccatum est ex ignorantia, & infirmitate, & certa malitia.

¶ ITEM, potest aliquis ignorare aliquid esse peccatum, & ex infirmitate illud perpetrare: videtur quod illud peccatum sit ex infirmitate, & ignorantia: si n. sciret fornicationem esse peccatum, non faceret: si iterum haberet posse resistendi tentationi carnis, peccatũ non perpetraret: ergo peccatum illud ex duabus causis cõcurrentibus venit: ergo idem peccatum põt esse ex infirmitate & ignorantia.

¶ Quæritur ergo, vtrum similiter idem peccatum possit esse ex ignorantia & certa malitia: vel ex infirmitate & certa malitia. Quod si non potest, quæritur, quare non: si vero potest, idem peccatum sub tribus differentiis potest concidere. Quod etiam videtur ex hoc, quod põt aliquod peccatum perpetrari ex defectu potentiæ, scientiæ, & voluntatis, sicut ex opposito: potentia n. scientia, & voluntas recta cõcurrunt ad bene operandum: ergo vnum & idem peccatum potest esse sub his tribus differentiis.

¶ CONTRA, arguitur per simile: non est sic in aliis differentiis peccati; non n. idem peccatũ est delictũ & commissum; neq; idem peccatum superbia & inuidia, & ita de aliis: ergo eadem ratione non erit idem peccatum ex infirmitate, & ignorantia, & studio.

RESOLVTIO.

Nequaquam propriè.

¶ AD quod dicẽdum, quod (propriè loquendo) illud peccatũ, quod est ex infirmitate; non est ex ignorantia, nec ex industria: nec ecõuerso. Illud n. dicitur esse peccatum ex infirmitate, ad quod principaliter inclinat infirmitas: illud vero ex ignorantia, ad quod principaliter inclinat ignorantia. Præterea, aliud est ignorare bonum & malum, & ex hoc peccare: aliud est cognoscere vtrunq;, & ex fragilitate malum præeligere: nihilominus tamen vnum potest esse principale, alterum concomitans.

¶ Et dicendum, quod licet vna sit offensa trium personarum; non tamen peccatum in patrem, prout per appropriationem sumitur, est peccatum in filium, prout per appropriationem sumitur: vel peccatum in Spiritum S. Peccare n. in patrem, dupliciter dicitur: vel peccare cõtra ipsum in quantum Deus: vel in quantũ inseparabilitas est personarum in vnitate essentiæ. Et secũdum hoc qui peccat in patrem, peccat in filium, & in Spiritum S. & econuerso. Secundum autem quod peccare ex infirmitate est peccare ex defectu potentiæ siue fortitudinis, quæ appropriatur patri; peccare ex ignorantia est peccare ex defectu scientiæ: scientia autẽ appropriatur filio: peccare vero ex certa malitiã est propriè ex oppositione gratiæ, quæ appropriatur Spiritui S. secundum hunc modum hic accipitur: & non est peccatum in patrem peccatum in filium, nec peccatum in Spiritum S. nec econuerso.

¶ AD secundum, dicendũ quod non est simile de peccato ex industria respectu aliorũ, & de aliis inter se, peccatum n. ex industria ponit scientiã, & ponit animi fortitudinem in posse resistẽdi tentationi, sed ponit odium summè diligendi, vel maximè: & amorem maximè odiendi, sicut dicit Greg. exponens illud: *Et viderunt, & oderunt me, & patrem meum. Aliud est bona non facere, aliud est bonorum odisse doctorem.* Et alibi: *Sicut nonnunquam grauius est peccatum diligere, quam perpetrare: ita nequius est odisse iustitiam, quam non fecisse.* Ex quo habetur, quod non coincidunt in eandem rem peccatum ex industria, & alia duo. Greg. sup. Ioan. 15. Idem.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet illi tres defectus possint concurrere, potentiæ, sc. scientiæ, & voluntatis: non tamen idem peccatum erit sub his tribus differentiis, quia non quilibet defectus ex

parte voluntatis efficit peccatum ex industria: contingit n. & implere posse, & cognoscere bonum, non tamen facere, nec amare: & hoc est ex studio peccare, sicut dicit Greg. Ex studio n. peccare, est bonum nec facere, nec amare: si n. vellent implere bona, nec tamen possent ea, quæ in se negligũt, saltem in aliis amarent: & bona, quæ audiendo cognoscunt, viuendo despiciunt, animaduertendo persequuntur.

Gregor.

MEMBRVM III.

Quod nam grauius peccatum sit, peccatum ex ignorantia, vel ex infirmitate, vel ex certa malitia?

TERTIO quæritur de cõparatione differentiarum in se secundũ magnitudinem peccati. Et videtur, quod peccatum ex infirmitate sit maius, quã ex ignorantia: peccatum vero ex studio maius, quam peccatum ex infirmitate. Dicit enim Greg. *grauius infirmitate, quam ignorantia peccatur: multo vero grauius studio, quam infirmitate.*

Gregor.

¶ PRÆTEREA, quando cum deliberatione peccatur, maius est peccatum; quam cum peccatur cum præcipitatione.

¶ Item, dicit Aug. *Verissimum est, longe maius esse peccatum eius, qui sciens, quam qui nesciens peccauit.* Si ergo peccatum ex ignorantia est nescienter peccare: peccatum vero ex industria scienter peccare: peccatũ vero ex infirmitate ex quodam impetu: peccatum autem ex industria est peccatum ex deliberatione: ergo maius est peccatum, quod est ex industria, quam quod est ex infirmitate, vel ignorantia.

August. in lib. de baptismo.

¶ CONTRA: maius videtur peccatum ex ignorantia, quam ex infirmitate, per exemplum. Paulus n. ex ignorantia peccauit, sicut scribit ad Timot. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Ergo cum illud esset maius peccatum persequi fideles vsq; ad mortem, quam timore mortis negare exterius Christum, quod fuit in Petro; maius fuit peccatum ex ignorantia quam ex infirmitate.

1. ad Tim. 1.

¶ PRÆTEREA, dicit Ambr. *grauissime peccat, qui ignorat*: ergo peccatum ex ignorantia est maximum.

Ambrof.

RESOLVTIO.

Peccare ex ignorantia minimum est, ex infirmitate maius, ex certa malitia maximum.

¶ AD quod dicendum, quod grauius est peccatum ex infirmitate, quam ex ignorantia: ex infirmitate n. peccatur, cum cognoscitur bonum & malum, & bonũ non adimpletur ex fragilitate: & malum perpetratur: scientia n. multum aggrauat peccatum. Planum autem est quod ex industria peccare maius est, quam alterum illorum, & ita patet q ordinantur secundum maius & minus in peccato.

¶ AD obiectum aũt in contrariũ. Dicendum est, quod aliud est cõparare peccatũ peccato ex cõparatione actionis ad occasionem, & aliud est comparare ex comparatione causæ ad causam, & aliud est comparare ex cõparatione generis ad genus. Secundum ergo quod fit comparatio peccati Pauli ad peccatum Petri ex collatione occasionis ad occasionem, scil. ignorantiæ ad infirmitatem, minus est peccatum Pauli quam Petri. Secundum autem quod fit cõparatio causæ ad causam in hoc, quod Petrus ex timore, Paulus ex temeritate, maius est peccatum Pauli quã Petri. Secundum aũt quod fit cõparatio generis actionis ad genus, prout hoc est peccatũ in verbo, quo declinatur mors: & illud est peccatum in facto, quo intentatur mors: maius est vnum peccatum altero: prout aũt hoc est in Deum, illud in proximum, maius est hoc illo. Vnde dicit Gregor. *Omne robur fidei, quo Domino Petrus perbibuit, vna vox puellæ concussit.*

Gregor.

¶ AD secundum vero dicendũ, quod illud verbũ Ambros. *Grauissime peccat, qui ignorat*: exponitur sic: periculosissime, &c. Attendendum est etiam, quod non fit ibi comparatio peccati ex ignorantia ad alia duo: sed peccati cum ignorantia ad peccatum contemptus & promissionis impunitatis. Et vocatur ignorantia, cum homo deducitur ad tantã insensibilitatẽ sui peccati, vt non cognoscat peccatum, nec pœnam peccati; suppositis duobus gradibus præcedentibus. Hic aũt non sic accipitur, sed cum ex simplici ignorantia quis declinat in peccata.

Ambrof.

QVÆST. CXLVII.

De Fornicatione.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER descendendũ est specialiter ad peccata, quæ proueniunt ex infirmitate. Deinde ad illa, q̃ sunt ex ignorantia. Tertio ad illa, quæ sunt ex industria, siue certa malitia. Quædam autem sunt peccata infirmitatis ex timore, & quædam ex amore. Quia vero infra dicemus de diuisione illa peccati, quæ est ex timore male humiliante, & ex amore male accendente: dubitabilia, quæ pertinent ad differentias timoris in illo loco determinabuntur. Principaliter autem peccatum ex infirmitate carnis est illud, quod prouenit ex concupiscentia carnali, circa quam præsens est intentio, vt suppleatur quod minus dictum est de luxuria superius. Sunt autem peccata ex infirmitate concupiscentiæ carnalis distincta: quoddam enim est ex fornicatione, quoddam ex adulterio, quoddam ex stupro, quoddam incestus, quoddam peccatum contra naturam. Ratio vero istius distinctionis supradicta est secundum differentias personarum. Primo vero dicendum est de fornicatione, & deinceps de aliis: illud enim minus peccatum determinat in illo genere. Primo autem quæritur, vtrum omne peccatum carnis dicatur fornicatio. Secundo supposito quod non omne peccatum carnis, vtrum concubitus cum soluta sit mortale peccatum. Tertio, si est mortale, vtrum sit minus peccatum, an maius aliis.

D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 1. & 3.

MEMBRVM I.

An omne peccatum carnis fornicatio dicatur?

AD primum sic: secundũ aliam translationem dicitur Exod. 20. præceptum secundæ tabulæ: non fornicaberis. Sed constat, quod in illa prohibitione prohibetur omnis illicitus concubitus carnis: ergo omnis illicitus concubitus carnis, est fornicatio.

¶ ITEM, August. *Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur.* Sed omne peccatum carnis immunda pollutio dicitur: ergo & fornicatio.

August.

¶ ITEM, dicitur: *Fugite fornicationem: omne n. peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: (& loquitur ibi de licito concubitu communiter) ergo omnis illicitus concubitus est fornicatio.

1. Cor. 6.

¶ CONTRA fornicatio est vnum peccatum speciale, diuidens contra adulterium, & alia: sicut patet ab August. *Adulterium malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu.*

Aug. de adulterinis coniugiis.

¶ Hoc idem potest accipi per hoc, quod inter peccata omnia carnis vnum speciale peccatum computatur fornicatio, quod diuiditur contra immunditiam & impudicitiam.

RESOLVTIO.

Secundum diuersam acceptionem fere omne peccatum fornicatio dici potest.

¶ AD quod dicendum, quod fornicatio aliquando accipitur generaliter, pro quocunq; peccato mortali: secundum quod accipitur: *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Aliquando vero accipitur pro peccato carnis communiter: secundum quod accipitur. 1. Corinth. 6. Aliquando vero pro illicito concubitu cum soluta, & hoc propriè: & sic diuidit contra adulterium & alia. Aliquando vero accipitur pro concubitu in secundis nuptiis: & hoc modo dicit Chrysost. *Secundam quidem accipere licitum est, iuxta præceptum Apostoli: secundum autem veritatis rationem est fornicatio: sed cum, permittente Deo, publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Et hoc modo fornicatio dicit diuisionem suæ carnis in plures, & non determinat peccatum: reliquis autem modis peccatum determinat, vel generaliter, vel specialiter, vel specialissimè.

Psal. 72.

Chrysost.

* * *

MEMBRVM II.

An coitus cum soluta, siue fornicatio peccatum mortale sit?

SECVNDO, supposito, quod non omne peccatum carnis sit fornicatio, quæritur, vtrum concubitus cum soluta sit peccatum mortale, interueniente actu naturali. Quod non, videtur: nullus actus naturalis est peccatum: fornicatio est actus naturalis: ergo non est peccatū. Quod sit naturalis, patet per hoc quod dicitur: *Mutauerunt vsum naturalem in eum, qui est contra naturam.* Rom. 1.

¶ Item, sicut comedere naturaliter ordinatum est ad conseruationē indiuidui, sic coire ad conseruationem speciei: sed comedere rem, quæ nō est in proprietate alterius, licitum est ad sustentationem indiuidui: ergo coire cum soluta erit licitum propter sustentationem speciei.

¶ Item, Abraham cognouit ancillam suam Agar: & non cognouit eam, quia vxor eius esset (tunc n. non posset eam eiecisse) cognouit autem eam sine peccato: ergo coitus cum soluta modo naturali non est peccatum. Genes. 16.

¶ ITEM, si est peccatum: aut hoc est ex sui fœditate siue inordinatione, aut prohibitione, aut quia est contra ius naturæ. Ex inordinatione non: pari n. ratione sicut homo fit totus caro in actu fornicationis, ita in actu coniugali: sed in actu coniugali non est peccatum: ergo nec hic. Nec hoc est ex prohibitione, cum non prohibeatur directè in Decalogo, vbi videtur prima legis prohibitio. Nec hoc est, quia est contra ius naturæ: de iure n. naturæ quod in nullius bonis est, occupanti conceditur. Prætereа, ipsa natura dictat, quod fornicatio est ad conseruationem speciei: ergo non est contra ius naturæ: ergo non est peccatum.

¶ Contra, maior est natura honestatis in homine, quā sit in aliqua volucre: sed in aliqua volucre sic est, quod naturaliter seruatur castitas coniugalis, sicut in turturibus: ergo multo fortius debet esse in homine: vt vnus vni coniungatur affectu coniugali.

¶ Item, *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*: Iudicare ibi accipimus pro condemnare: ergo cum nemo condemnetur nisi propter mortale peccatum: fornicatio erit mortale peccatum. Ad Hebr. vii.

¶ Item, de lege Dei est, quod vna adhæreat vni coniugali affectu: & talis affectus est consonus rationi. Si ergo adhæreat vnus vni vel pluribus, non habito coniugali affectu, erit peccatum: sed fornicatio est huiusmodi, & est contra legem Dei: ergo mortale peccatum est.

¶ Item, supposito quod sit peccatū, videtur quod sit veniale, per hoc quod dicitur super illud. *Exerce te ad pietatem.* Gloss. *Omnis summa disciplinæ Christianæ in pietate & misericordia consistit, quam aliquis sequens, etiam si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, sed non peribit.* Si quis autem solum exercitium corporis habuerit, perennes pœnas patietur, supple si lubricum carnis patiatur. Si ergo non peribit, sed vapulabit, pati lubricum carnis est veniale peccatum: sed hoc est fornicatio: ergo fornicatio est veniale peccatum. r.ad Tim 4. Glossa.

¶ Item, fornicatio est minimus gradus in genere carnalis peccati: si ergo aliquod est veniale peccatum in illo genere, illud est fornicatio: ergo fornicatio est veniale peccatum.

RESOLVTIO.

Coitus cum soluta, siue fornicatio vtcunque peccatum mortale est.

¶ AD quod dicendum, quod fornicatio est mortale peccatum.

¶ AD obiectum autem primo. Dicendum est: quod licet actus sit naturalis, qui est in coeunte fornicario modo ad differentiam actus, qui est contra naturam: nihilominus tamē, prout est peccatum, est contra naturam: peccatum n. est auersio ab eo quod est secundum naturam, in id quod est præter naturam: vt dicit Damasc. Vnde contra naturam dicitur dupliciter: contra naturalem concubitum, qui est maris cum fœmina: & hoc modo potest esse actus ille secundum naturam. Alio vero modo dicitur cōtra naturā, quod est cōtra naturalem habitudinem ad bonum gratiæ, vel virtutis, & hoc modo dicitur peccatum mortale esse contra naturā: corrumpit n. bonum naturæ, quod est speciei, modi, & ordinis. Cum autē dicitur: *Mutauerunt naturalem vsum*, &c. primo modo accipitur. Damasc. | ad Rom. 1.

¶ AD secundum vero dicēdum, quod aliud est de actu comedendi, & de actu coeundi. Actus n. coeundi procedit ex vi generatiuā, quæ corruptionem habet quandam vltra illam, quæ est in aliis viribus: vnde suus actus est peccatum, nisi excusetur per bonum matrimonij.

¶ AD tertium dicendum, quod non est simile de eo, quod factum fuit ab Abraham: & de eo, quod fit in moderno tempore. Abraham n. cognouit Agar affectu matrimoniali consentiente Sara vxore sua, quasi iure ipsius; eo quod esset sterilis: & tunc necessitas erat multiplicationis ad cultum Dei: vnde eam habuit quasi vxorem. Quod aūt expulit eam, inspiratione diuina factum fuit, in figuram alterius Sacramenti. Gen. 16.

¶ AD quartum dicendum, quod est & contra prohibitionem, sicut habetur Exod. 20. secundum aliam translationem: & sicut habetur ad Hebr. & alibi ab Apostolo. vbi ostendit esse mortale. Est etiam contra ius naturæ secundum illam intentionem naturæ, qua omne peccatum mortale est contra naturam: licet non sit contra ius naturæ secundum alterum modum.

¶ AD illud vero, quod obijcitur, vtrum sit veniale peccatum. Dicendum, quod in illa autoritate datur intelligi fornicationem esse mortale peccatum: aliter n. non pateretur pœnas æternas. Sed in hoc datur intelligi, quod opus pietatis & misericordiæ motiuum quoddam est, vt impetretur facilius venia patienti lubricum carnis. Et notatur in hoc excellentia operis pietatis & misericordiæ respectu ieiunij & aliorum, in quibus est exercitatio corporis.

¶ Si vero obijciatur: quod fornicatio est minimus gradus peccati carnalis. Dicendum, quod minimus gradus dicitur dupliciter: vel secundum hoc quod gradus distinguuntur secundum differentias personarum, cum quibus est coitus: & hoc modo potest esse minimus gradus, prout dr, quod adulterium vincit fornicationē, vincitur aūt ab incestu, incestus autem vincitur à vitio quod est contra naturam. Prout autem minimus gradus dicitur in genere peccati cum minus habet deformitatis: secūdum hoc primus motus carnalis peccati dicitur esse minimus gradus, vel delectatio citra consensum superioris partis rationis vere, vel interpretatiuè.

¶ Si autem obijciatur quod nulli fit iniuria hoc peccato, & ita non est peccatum mortale. Soluendum est per interemptionem: iniuriatur n. Deo, cuius templum violat, secundum illud. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus S. si quis aūt violauerit templum Dei, disperdet eum Deus.* 1. Cor. 6.

MEMBRVM III.

An fornicatio maius, vel minus peccatum sit inter peccata carnis?

TERTIO quæritur: si fornicatio est mortale peccatū, vtrum sit maius, vel minus aliis peccatis. Et videtur, quod sit minus peccatum, per hoc quod dicit Augu. *Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu: pessimum autem est, quod est contra naturam.* Et in eod. Lib. *Grauius peccat adulter, quam fornicator: sed hos incestuosi transcendunt.* Aug. in lib. de adulterinis coniugiis. Idem in eodem.

¶ CONTRA, potest aliquis cognoscere suam causa delectationis minus ordinate: tamen debito modo secundum naturam: sed minus est peccare in sua, quam peccare in non sua: ergo minus est illud peccatum carnis, quam fornicationis peccatum.

¶ AD idem Augu. *Tantum valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, vt rebus ad vtendum concessis, cum modus exceditur, longè sit tolerabilius, quam in eis, quæ concessa non sunt, vel vnus, vel rarus excessus.* Sed excessus fornicationis est in alia, quæ non est concessa: excessus autem in coniugata debito modo secundum naturam est in sua: ergo minus peccatum est.

RESOLVTIO.

Et maius, & minus alia atque alia ratione.

¶ AD quod dicendum: quod minus peccatum est huiusmodi in coniugata sua, quam in fornicaria. Dicitur tamen fornicatio esse minus peccatum in gradibus peccati carnis:

carnis: fit n. comparatio ad alia genera peccatorum secundum differentias personarum. Plus n. peccatum est coire cum aliena ipsum coniugatum, vel etiá cum non sua; quã solutum cum soluta. Plus etiam est peccatum, cum accedit ad virginem, quam ad corruptam, aliis paribus. Plus etiam cum fit transgressio voti in altera personarum, quam cum non est transgressio, aliis paribus. Plus etiam quando est contra vinculum naturæ, vel cõtra ipsam naturam. Et ita patet, quod cõparatione ad istas species dicitur esse minus peccatum fornicatio. Et hoc modo procedunt duæ rationes, quæ hoc concludunt.

QVÆST. CXLVIII.

De Adulterio.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 8 S. Bon in 4. d. 38. dub. 7. & 8. & d. 41. dub. 4.

CONSEQVENTER dicendum est de adulterio. Circa quod primo quæritur, vtrum adulterium tãtum perpetretur cum aliena. Secundo, si peccatur etiam cum sua mortaliter, vtrum secundum omnem modum debeat dici adulterium: vel sub alia specie contineri. Tertio, de magnitudine istius peccati. Quarto de pœna huius peccati.

MEMBRVM I.

An adulterium cum aliena tantum perpetretur?

AD primum sic: videtur, quod tantum sit adulterium cum aliena. *Adulterium enim est ad alienum thorum accessus*: sicut ipsa intentio nominis determinat: ergo cum aliena tantum perpetratur adulterium.

August. Leo Papa.

¶ ITEM, August. *Mœchus est, cum relicta sua, aliena concupiscitur.*

¶ ITEM, Leo Papa. *Adulterium cõmittitur, vel propria libidinis instinctu, vel aliena consensu, cum altero vel altera contra peccatũ coniugale concumbitur: atque ita frangitur fides, quæ magnum animi bonum est.*

Isido. super Exod.

¶ Similiter Isidor. *Adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit.* Ex quibus colligitur, coniungi cum aliena adulterium esse, & econuerso.

Hierony.

¶ CONTRA. Hieron. *Nihil interest, ex qua causa quis insaniat. Vnde Sextus Pythagoricus, adulter* (inquit) *est in suam vxorem ardentior amator.* Et iterum: *Nihil fœdius est, quam vxorem amare tanquam adulteram.* Ergo adulterium potest committi non cum aliena.

Idem.

August. in lib. de nuptiis & cõcupiscentiis.

¶ Item, August. *Si ambo non sunt tales, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix; aut ille adulter vxoris.* Ergo adulterium committi potest non cognoscendo alienam.

RESOLVTIO.

Adulterium propriè non nisi ad alienum thorum accessus dicitur. Communiter tamen respectu proprij thori etiam dicitur.

¶ AD quod dicendum, quod adulterium propriè dicitur, cum ad alienum thorum fit accessus: nihilominus tamen dicitur adulterium, cum coniugatus vel coniugata ad personam solutam accedit. Extensio autem vocabulo dicitur adulterium aliquando cum propria vxore: sed hoc est secundum quandam iuris interpretationem. Dicitur enim adulteriũ, cum ita ardẽter diligit quis vxorem suam, vt si esset vxor alterius, non minus carnaliter commisceret se cum ea: Similitudine ergo adulterinæ libidinis dicitur adulterium: non quia pœna adulterij ei debeatur secundum illud, quod adulterium secundum locum tenet in pœnis.

¶ Et per hoc soluitur illud, quod obiectum est primo.

¶ AD secundum dicendum, quod illa autoritas August. in qua dicitur, quod ille est adulter vxoris: intelligitur de illis personis, quarum altera, scil. vir intendit extinguere fœtum in ventre materno: & reputatur adulter, quia dignus est pœna consimili vel ampliori, quæ adulteris est determinata: facit enim contra bonum prolis, & contra bonum Sacramenti.

MEMBRVM II.

An omnibus modis, quibus cum sua mortaliter peccatur, adulterium dicendum sit?

SECVNDO quæritur: si etiam peccatur cum sua mortaliter, vtrum secundum omnem modũ debeat dici adulterium: vel sub alia specie contineri. Assignantur autem quinq; modi. Primo cum cognoscit eam causa satiandæ libidinis per meretricias blandicias. Secundo cum præter naturalem modum. Tertio cum etiam tempore prohibito. Quarto cum loco prohibito. Quinto cum accedit ad prægnantem vicinam partui: vel ad menstruatam tempore menstrui. Et videtur, quod non sit fornicatio, secundũ modum specialem fornicationis: cum fornicatio sit soluti cum soluta, seruato vsu naturali: similiter potest intelligi de aliis speciebus peccati carnalis, sicut de stupro, vel incestu: restat ergo quod sit adulterium.

¶ Item, minus videtur esse peccatũ cum causa explendæ libidinis cognoscit; quam cum accedit præter naturalem modũ; vel cum accedit ad mulierem menstruatam, vel vicinam partui: vbi timetur periculũ prolis. Et dicit Hieron. *Tunc viri debent abstinere ab eis: quia tunc concipiuntur membris damnati, cæci, leprosi, gibbosi, & huiusmodi.* Si ergo illud peccatũ dicitur adulterium propter sui enormitatem, multo fortius secundum, & tertium, & ita de aliis. Hierony.

¶ PRÆTEREA, adulterium reputatur, cum sit contra bonum fidei, & contra bonũ prolis: similiter cum sit contra bonũ Sacramenti. Sed in omnib. his fit contra aliquod istorum bonorũ: ergo in omnib. his reputatur adulterium.

¶ CONTRA, adulterium secundum legẽ habebat pœnam determinatam, quam non habet, qui istis modis coit cum vxore: ergo non reputatur adulterium.

¶ Item, Aug. *Vsus naturalis si vltra modũ prolabitur in vxore, est veniale.* Ex quo videtur, quod minus peccatũ est (aliis parib.) illicitè cognoscere suam, q̃ non suam. Sed cognoscere non suã, quæ tñ soluta est, minus peccatum est, quam cognoscere alienam: ergo huiusmodi peccatum, si non sit contra naturã, minus est peccatum adulterio: vt n. minus fornicatione: ergo huiusmodi peccatũ non est adulteriũ. Aug. de adulterinis coniugiis.

¶ PRÆTEREA, vbi est adulterium scienter, in vtraque persona cõmittitur peccatum: hic autem in altera persona potest non esse peccatum, vt videtur; quia non intendit reddere, nisi quod suum est: ergo huiusmodi peccatum non est adulterium.

RESOLVTIO.

Non omnibus modis, quibus cum sua peccatur, adulterium dicendum est.

¶ AD quod dicendũ, quod peccare cum sua modis supra dictis, non est peccare peccato adulterij.

¶ AD obiectum aũt in contrarium dicendum est, quod non est adulteriũ, licet aliæ species supra dictæ remoueantur: insufficienter n. fit diuisio ad cõprehendẽdum omnia genera carnalis peccati: libido n. specialiter dicta, vel immunditia specialiter dicta illa genera comprehendit, quæ sub prædictis speciebus non continentur.

¶ AD secundum vero dicendum: quod licet dicatur prima differentiarum adulterium secundum quandam similitudinem, non tamen secundum alias differentias dicetur adulterium: secundum n. illam differentiam dicitur adulterium; quia sic ardet in illam, sicut esset adultera.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod non omnibus modis, quibus fit contra bonum matrimonij, iudicandum est adulterium: sed propriè cum fit contra bonum fidei. Et secundum hoc non omnia peccata, quibus homo cognoscit indebitè suam, ad rationem adulterij reducentur.

MEMBRVM III.

An adulterium grauius peccatum sit reliquis carnis peccatis?

TERTIO quæritur de magnitudine huius peccati. Dicitur enim in Epistola Clementis. *In omnibus peccatis adulterium est grauius: secundum namque in pœnis obtinet locum.* Ex quo videtur, q peccatum adulterij sit maximum post peccatum apostasiæ. Dicitur enim in illa autoritate [*primum locum habent illi qui aberrant à Deo.*] Quod si est, erit maius peccatum peccato incestus, & aliis peccatis. Epistol. Clement. Ibid.

¶ CON

Aug. in lib. de adulterinis coniugijs.

¶ Contra, Augustin. *Grauius est peccatum adulterij, quam fornicationis.* Sed hæc peccata incestus transcendit: ergo non est maximum.

RESOLVTIO.

Quinimo minus graue est Incestu, & vitio Gomorrheo.

¶ Ad quod dicendum, quod adulterium cum dicitur grauius, hoc est ex consideratione pœnæ. Sicut n. peccatum primæ tabulæ, quod est hæresis, vel apostasia, pœnam habet sibi determinatam, pœnam sc. mortis: similiter illud peccatum, quod determinatur per iniuriam, qua dissoluitur vnitas societatis humanæ, in veteri lege determinatam habet pœnam: nihil n. ita exasperat hominē quam iniuria in suam personam pro se, vel ratione illius, qui efficitur vna caro cum ipso: vnde sicut habetur in lege Moysis, vtrumque peccatum pœna mortis puniebatur. Nihilominus tamen in quantitate peccati maius est peccatum incestus, & eius quod est contra naturam, peccato adulterij: & maior debetur pœna in futuro istis peccatis, quam illis: sicut patet ex Iure Canonico.

Isidor.

¶ Obijcitur etiam ad hoc propter verbum Isido. quod peccatum fornicationis sit maximi sceleris inter cætera vitia: dicit enim: *Vitium fornicationis maximi sceleris est, quia per carnis immunditiam templum Dei violatur. Sunt n. quædam mulieres, quæ sicut animalia absque vlla discretione indesinenter libidini seruiunt: quas ego ne mutis pecudibus comparauerim.* Ex quo videtur, quod fornicatio sit maius peccatum adulterio.

August.

¶ Sed econtra habetur ab Aug. quod adulterij malum vincit fornicationem. Ipsa etiam ratio suadet: quia maius est iniuriari Deo & proximo in vno genere peccati, quam Deo tantum, sed in adulterio fit Deo iniuria & proximo: in fornicatione Deo tantum in genere peccati carnis: ergo minus est peccatum fornicationis, quam adulterij.

¶ Ad quod dicendum, quod fornicatio accipitur dupliciter. Vno modo secundum quod generaliter continet peccata carnis, & hoc modo dicitur esse maximi sceleris, propter maiorem pronitatem concupiscentiæ, & quia non tantū violatur templum Dei ex parte animæ, sed templum Dei ex parte carnis. Alio modo sumitur fornicatio specialiter, prout diuiditur cōtra adulterium, & secundum hunc modum maius est peccatum adulterij, quam fornicationis: & sic accipitur ab Aug.

MEMBRVM IV.

Adulterij pœna quæ?

Qvarto quæritur de pœna huius peccati: Assignatur autem in Vet. Test. pœna mortis: sicut habetur:

Leuit. 20.

Si mœchatus fuerit aliquis cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit, morte moriatur. Videtur ergo secundum legē, quod pœna mortis debeatur: in lege aūt videmus, quod furtum punitur pœna pecuniaria: sicut habetur Exod. 22. econtra vero furtū modo punitur pœna mortis, si ducitur in consuetudinem: adulterium vero non ita videmus puniri.

Isidor.

¶ Præterea, sicut habetur in Canone, dicit Isidor. quod pro adulterio & huiusmodi peccatis septennis pœnitentia iniungitur: & accipitur hoc ex Vet. Test. exemplo Dauid, qui in adulterio deprehensus, vnius Hebdomadæ ieiunium satisfactionis admissi sceleris Deo legitur obtulisse: sed hoc idem legitur de fornicatione, & de aliis huiusmodi peccatis: videtur ergo quod par pœna in æqualibus peccatis debeatur.

RESOLVTIO.

In veteri lege adulterium morte puniebatur: nunc autem minimè.

¶ Ad quod dicendum est, quod aliter fuit in Vet. Test. & aliter nunc secundum legem ciuilem siue secularem. In lege enim veteri iniuria in personam, vel in aliam, quæ est quasi eadem persona, morte mulctabatur: iniuria vero in rem per pœnam huiusmodi puniebatur: sic enim erat pœna talionis. Nunc autem pœna furti punitur morte, non propter iniuriam in ipsa re; sed propter coertionem pronitatis, & pacis communis conseruationē, adulterium etiā morte puniretur, nisi esset excusatio originalis concupiscentiæ ex vna parte, & deest accusatio ex alia parte: non vindicatur tamen, si adulter in ipso facto luat.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet peccata sint inæqualia: regulariter tamen septennis pœnitentia iniungitur: non quia maiori peccato non debeatur maior pœna: sed vt ostendatur, non secundum quantitatem singulorum peccatorum propriam posse in causa instituti pœnitentiam: sed pro huiusmodi maioribus septennis iniungitur, exemplo Mariæ sororis Moysi: exemplo etiam illo, quo dicitur: *Septem annis veniet tibi fames in terra tua.* Signatur autem quod pro mortali peccato, cui debetur pœna æterna, homo in præsenti vita vniuersalem debet sustinere afflictionem. Si tamen crimina sunt maiora vel minora secundum genus peccati, vel circumstantias ex parte personæ, vel actus, maior vel minor iniungitur pœnitentia. 1. Reg. vlt.

QVÆST. CXLIX.

De peccatis coniugum.

In quatuor Membra diuisa.

Qvia iam dictum est de adulterio, in quo delinquitur contra coniugium simpliciter: adiungēdum videtur de peccatis, quæ fiunt ab ipsis coniugibus. Sicut aūt supra dictum est, plures sunt differentiæ secundum defectū diuersarum circumstantiarum. Aliquando n. priuatur finis debitus, sicut accidit, quando coit causa exsaturandæ libidinis. Aliquando vero priuatur modus, cum fit præter naturalem modum. Aliquando vero tempus debitum: sicut cum fit prohibitio temporis: vt in solennitate paschali. Aliquādo vero priuatur locus debitus, sicut in locis sacris. Aliquando vero priuatur circumstantia debita personæ: cum qua est concubitus; sicut cum menstruata, vel vicina partui. S. Bon. in 4. d. 31. art. 1. Scō in 4. d. 32. q. vnica

¶ Primo ergo quæritur, quando sit peccatū, vel ex quibus causis. Secundo, quando sit mortale peccatum, & quando veniale. Tertio, si peccat vna persona mortaliter, vtrum alia peccet reddendo ei quod petit; cum sciat alteram personam peccare mortaliter. Quarto, vtrum in matrimonio post votū continentiæ emissum semper peccet persona, quæ votum emisit petendo debitum, aut non.

MEMBRVM I.

Coniugalis concubitus quando debite, & absque peccato fiat?

Ad primum sic dicit Greg. tunc solum coniuges in admixtione sunt sine culpa; cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Ex quo videtur quod alia de causa si fit concubitus, est peccatum.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod addit, dicens Paulus cum quosdam in Ecclesia incontinentes respiceret, cōcessit minora, vt maiora declinarent, dicens: *Propter fornicationem vnusquisq; suam habeat vxorem.* 1. Cor. 7.

¶ Item, Ambros. *Qui non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibiinuicem copulantur; non tam coniuges, quam fornicarij videntur.* Et dicit Hieronym. *sicut non omnis congregatio hæreticorum Ecclesia Christi dici potest: sic non omne matrimonium, quo vxor viro suo secundum præcepta Christi coniungitur; rite coniugium appellari potest, sed magis adulterid.* Secundum hoc videtur, quod causa prolis procreandæ si fiat coniunctio viri cum coniuge solummodo, non fit peccatum. Ambros. Hierony.

¶ Sed econtra habetur per hoc quod dicitur ab Aug. *Redde debitum: si non exigis, redde: pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit.* Et iterum: *Quisquis compatiens infirmitati vxoris, reddit, & non exigit debitum, quantum ad hoc securus expectat diem nouissimum.* August. Idem.

¶ Item, dicitur: quod causa vitandæ fornicationis potest quis vxorem suam cognoscere sine peccato: vbi dicitur. *Secunda institutio coniugij est propter illicitum motum eliminandum extra Paradisum factum, vt infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur coniugij.* Idem 33. quæst. q. 1.

* * *

RESOLVTIO.

Coniugalis concubitus tunc rectè fit, quando vel causa prolis procreandæ, vel causa debiti reddendi, vel vitandæ fornicationis gratia fit.

¶ Ad quod dicendum est secundum Aug. de bono cõiugij. Debent sibi coniugati non solum sexus sui commiscendi fidem procreandorum liberorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas: verumetiã infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodo seruitutem. Secundũ hoc est ergo dicendũ, quod tribus de causis fit conuenienter cõcubitus coniugalis: vel causa prolis procreandæ: vel causa debiti reddendi: vel causa vitandæ fornicationis.

¶ Ad obiectum aũt dicendum est, quod illud verbum Greg. quo dicitur: *Tunc solum coniuges in admixtione sunt sine culpa*, &c. intelligẽdũ est quod talis admixtio causa prolis procreãdæ potuit esse sine culpa, hoc est, cũ nulla fuit culpa: sic enim constitutũ fuit coniugium, sed nunc si fit alia de causa, non est sine culpa originali præcedente: licet sit sine culpa actuali. Vel aliter potest notari exclusio, vt dicatur tunc admixtio causa prolis procreandę solum sine culpa fieri; cum non admiscetur de libidinis motu.

Gregor.

¶ Ad secundum vero dicẽdum secundum illud, quod dicit Greg. de concessione minorum ad vitationem maiorum, potest intelligi de illo, qui cognoscit coniugem pro explenda libidine: tali n. permittitur, quod minus est, ad vitandum maius peccatũ, sc. fornicationem, & secundũ hoc concessio dicitur permissio. Si vero concessio acciperetur aliter; tunc diceretur, quod concessit actum coniugalem, id est, cõcessum ostendit, propter vitandam fornicationem: non quia actus coniugalis sit minus peccatum; sed quia contingit fieri cum minori peccato.

Ambros.

¶ Ad tertium dicendum, quod dicit Ambros. *quod qui solum explendæ libidinis causa copulantur, fornicari videntur*: potest sic exponi de primo consensu: qui n. adinuicẽ consentiunt non affectu matrimoniali, sed affectu fornicario, nõ sunt dicendi coniuges, sed magis fornicarij. Si vero de iam copulatis intelligitur, oportet tunc referre ad ipsum motum: vt motus ille referatur ad libidinem, priusquam ad coniugium: dicit n. Aug. *Ad hoc nuptiæ sunt, vt illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis & dissoluta fluitaret, habens de se ipsa irrefranabilem infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatẽ, de ipsa progressum immoderatè coeundi, de nuptiis modum castè procreandi.* Per quod ostenditur, quod motus explendæ libidinis plus ad concupiscentiam pertinet, ex qua est fornicatio: quam pertineat ad coniugium.

August.

Hierony.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud verbum Hiero. vbi dicitur, quod non ritè coniugium dici potest, sed magis adulterium intelligitur de illa coniunctione coniugis cum coniuge, qua dicitur: quod omnis ardentior amator coniugis suæ adulter est. Et intelligitur illo modo, quo supra dictum est; non quod sit simpliciter adulterium, sed secundum quandam reputationem.

Quæst. immediate præcedẽti Membr. 1 in resolutio.

MEMBRVM II.

Quando mortaliter, quandove venialiter peccant coniuges in concubitu?

SECVNDO quæritur, quando sit peccatum mortale, & quando veniale. Et videtur, quod sit veniale, cum peccant coniuges in coniugio, saluato vsu naturali: cum n. vsus est contra naturam, est mortale. Vnde Augu. *Ille concubitus, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice: sed execrabilius in coniuge*: dicitur enim: *Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et dicit August. *Quis ambigat absurdissimè dici non eos peccasse, quibus venia datur: sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non causa procreandi.* Ex quo accipitur, quod inordinatus concubitus in coniugibus sit veniale peccatum.

August. de bono coniugali. 1. Cor. 7.

August. in li. de bono coniugali.

Idem in eodem.

¶ Item, in eodem Lib. *Concubitus, qui vltra necessitatem generandi progreditur, iam non rationi, sed libidini obsequitur: qui aũt libidini obsequitur, saluato vsu naturæ, in coniugibus est veniale.* Dicit enim Aug. in eod. *Ille vsus naturalis, qui prolabitur vltra pacta nuptialia, id est vltra propagandi necessitatem; venialis est in vxore: in meretrice damnabilis.*

Idem in eodem.

¶ Item, Augustin. in eod. *Si turpe est, libidinosè vti velle marito: honestum tamen est nolle misceri, nisi marito.* Ex quo accipitur, quod motus libidinis excusabilis est propter coniugium: ergo venialis.

Idem in eodem.

¶ Item, in Lib. de Nuptiis & cõcup. *Aliud est non concũbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam: aliud carnis concũbendo appetere voluptatem; sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam.* Ergo motus naturalis in coniugibus est venialis, cum est inordinatus.

Idem in li. de nuptiis & concupiscentia.

¶ Item, in eodem. *Huius plagæ quidam pruritus in adulteriorum, & fornicationum, & quorumlibet stuprorum fœditatibus regnat: in connubiorũ vero necessitatibus seruit: ibi de dominio talis damnatur turpitudo, hic de pedissequa talis honestas verecundatur: cum ergo non regnat huiusmodi concupiscentia, erit non mortale, sed veniale.* Ex his videtur, quod motus inordinatus naturalis tantum sit venialis in coniugibus, secundum quamcunque fiat differentiam: maximè cum nõ fiat exceptio. Motus ergo, qui est inordinatus quantum ad finem, & modũ quendam, & locum, & tempus, & personam, in coniugibus erit venialis.

Idem in eodem.

¶ Contra, ex parte finis obijcitur, per hoc, quod dicit Hieron. *Ardentior amator vxoris suæ adulter est.* adulterium autem verè, vel interpretatiuè est mortale peccatum.

Hierony.

¶ Item, August. *Si ambo tali concupiscentiæ subiguntur: rem faciunt non planè nuptiarum.* Ex quo videtur, quod sit mortale peccatum: cum ambo sint subiecti concupiscentiæ: nec excusentur per bonum nuptiarum.

August. de bono coniugali.

¶ Item, inordinatus motus quantum ad circumstantiam temporis videtur esse mortale peccatum. Dicit enim Hieronym. *Quicunque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi: nec de carnibus agni comedere.* Et post subiungit. *Eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debemus.* Ex quo accipitur, quod concubitus carnalis in coniuge indignum reddit respectu perceptionis Eucharistiæ, sed indignum non facit nisi mortale peccatum: ergo illicitus concubitus in coniuge est mortale peccatum.

Hierony. Idem.

¶ Item, Aug. *Christiano conuenire cum sua vxore aliquãdo licet, aliquando non licet: propter processionis enim dies, & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia à licitis etiam abstinendum est ad tempus, vt facilius impetrari possit, quod postulatur.* Vnde Apostol. Ex consensu abstinendum est ad tempus, vt vacetis orationi. Ex quo habetur, quod concubitus coniugum tempore orationis est illicitus, & ita mortale peccatum.

August. in Quæstionib. veteris & noui testam.

¶ Item, Augustin. *Hoc secundum veniam conceditur, cuius delectu non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, sed Dei misericordiam non à se auertant; vel non abstinendo quibusdam diebus, vt orationibus vacent, & per abstinentiã, sicut per ieiunium suas preces commendent: vel immutando naturalem vsum in eum, qui est contra naturam.* Ex quo accipitur, quod auertitur misericordia Dei, cum non abstinent tempore orationis coniuges à concubitu inordinato: & ita est mortale peccatum.

August. de bono coniugali.

¶ Hoc etiam apparet ex disiunctione per hoc, quod sequitur de immutatione naturalis vsus in eum, qui est contra naturam: quod damnabile est in coniuge.

¶ Similiter ostenditur de circumstantia loci indebiti: qui n. concũbit in Ecclesia, sacrum locum violat: violatio autem sacri loci est mortale peccatum: ergo huiusmodi concubitus est mortale peccatum.

¶ Item, Ex Nicæno Concilio habetur, vbi dicitur: *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut semine cuiusdam pollutæ fuerint.* Si ergo pollutio fit per concubitum libidinosum: coniuges, qui concumbunt, peccant mortaliter.

Concil. Nicæn.

¶ Sed potest obijci quantum ad cõditionem personæ: vt si vicina fuerit partui mulier, vel si fuerit menstruata. De primo dicit Ambr. *Ipsa ratio conceptus & partus iuxta legem cessare vsum carnalem his debere temporibus demonstrat.*

Ambr. sup. Epistolam ad Cor.

¶ Præterea, illo tempore imminet periculum partus: cum ergo hoc sit contra bonum prolis: erit contra matrimonium: & ita erit mortale peccatum.

¶ Item,

Hieron. ¶ Item, Hieron. *Præcipitur, vt viri non solum in alienis, sed in suis vxoribus modum & tempora seruent: vnde tempus est amplexandi, & tēpus longè fieri ab amplexibus.* Ex quo habetur, quod tempus, quo mulier vicina est partui, si eam cognoscit, peccat mortaliter, faciendo contra præceptum.

Ezech. 18. ¶ Similiter ostenditur de menstruata: dicitur enim: *Si ad mulierem menstruatam non accesserit,* &c. & computatur inter opera iustitiæ: & dicitur in glos. *Si quis accesserit, dicuntur cōcepti fœtus vitium seminis contrahere, vt leprosi & elephantici ex hac corruptione nascantur.*

Leuit. 18. Augu.ibi. ¶ Similiter dicitur Leuit. 18. *Ad mulierem quæ patitur mēstruum, ne accedas.* Et dicit Aug. *Cum hoc superius sufficienter prohibuisset: hic repetit fortè, ne in superioribus videretur figurate accipiendum, vbi talia prohibentur.* Et subditur: *In hac re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium prohibetur.* Cum ergo sit prohibitio, faciens contra hoc, mortaliter peccat.

Leuit.21. ¶ Item, *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius: ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo.* Sed huiusmodi pœna in lege indicat mortale peccatum, ergo est peccatum mortale.

Hesicius sup. Leu. 15 ¶ Quod etiam videtur per hoc, quod dicit Hesicius super illud: *Mulier, quæ redeunte mense,* &c. *Necessario vtruq; interna continentia indicitur.* Ergo tempore illo abstinere debet vir à cognoscendo mulierem menstruatam.

Leuit. 18. Glossa. ¶ Item, super illud: *De semine tuo non dabis,* &c. Gloss. *Prohibetur menstruata, & vxor proximi: quia in tali commixtione adulterium est, non coniugium.*

RESOLVTIO.

Cum delectantur in actu illo sub Deo, veniale est: si supra Deum, vel æquè Deo, mortale.

¶ Ad quod dicendū, quod aliquando est veniale peccatum: aliquando mortale in concubitu inordinato viri cum muliere, seu coniuge. Si n. illa delectatio sit sub Deo, veniale peccatum est: excusatur n. propter Sacramentum coniugij: Vnde Aug. Aug in lib. de bono coniugali. *Si magis in sua coniunctione diligunt, quod honestum est, quā quod inhonestum est, id est, quod est nuptiarū, quā ꝙ non est nuptiarum, hoc (autore Apostolo) eis secundum veniam conceditur. Si vero æquiparetur, vel præferatur Deo, sit mortale peccatū.*

¶ Quod ergo primo obijcitur, quod vniuersaliter sit veniale peccatum. Dicendum est, quod non, nisi veniale largè accipitur, non tantum pro eo quod est in genere veniale, sed pro eo, ꝙ est veniabile: sicut dicitur de illo peccato, ꝙ est ex infirmitate, ꝙ ipsum est veniabile siue remissibile, quia habet aliquā causam allicitiuam, propter quā in parte excusatur, licet sit in genere mortale, & hoc patet, si rectè attendantur intentiones illarum autoritatum.

¶ Ad ea vero, quæ obiecta sunt ex altera parte. Dicendum de illa autoritate Hieron. quod adulter dicitur ardentior amator vxoris suæ, hoc intelligitur, si ita feruet in vxorem suam, quod etiam si non esset sua, nihilominus vellet coire cum ea: nihil n. fœdius est, quam amare vxorē suam tanquam adulteram.

¶ Ad secundum vero dicendum, ꝙ licet ambo subijciantur concupiscentiæ; non tñ oportet, quod sit mortale peccatum: sicut ipse exponit: quia magis diligere possunt quod honestum est, quā inhonestum. Rem aūt facere nō nuptiarum dicuntur propter motū libidinis, qui ad infirmitatē concupiscentiæ pertinet, non ad bonum nuptiarū.

¶ Ad tertium vero dicendū, quod istud, quod dicitur de abstinentia & perceptione Sacramenti Eucharistiæ tēpore concubitus carnalis; attenditur & ratione peccati, & ratione immunditiæ. Licet n. huiusmodi actus inordinatus in coniugibus secundum se esset venialis: tñ propter reuerentiam Sacramenti exhibere se debet homo mundū spiritualiter & à peccato & à sequela peccati, quantum in ipso est pp reuerentiam Sacramenti: hoc aūt intelligitur de petente. De reddente vero debitum infra dicetur: Petens n. illo tempore peccat, sed reddens potest nō peccare, si reddit quod alienum est, & cum anxietate animi; propter id quod est ibi de morbo concupiscentiæ.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud, quod dicit August. quod aliquando non licet conuenire cum vxore, vt tempore ieiuniorum, vel processionis. Dicendum est, ꝙ non licere, dicitur multipliciter: vel quia omnino prohibitum est, vel quia non expedit sibi: vel alij: & hoc modo potest dici non licere. Vnde dicit Aug. August. *Non expedit illud quod licitum est, quando permittitur quidem, sed vsus ipsius potestatis aufert impedimentum solutis.* Vel aliquando dicitur licitū, quod permissum est cōparatione deterioris: & hoc modo posset dici licitum; quia ad vitationem deterioris, sc. fornicationis, vel adulterij permittitur.

¶ Ad quintum dicendum, quod hoc intelligitur de illo, qui nulla necessitate ductus, causa satiandæ libidinis, tempore debito orationi; petit instanter carnalem copulam, non causa procreationis: talis n. peccat mortaliter. Et dicitur de tempore orationis solenniter statuto ab Ecclesia: aliter autem esset, si peteret causa vitandæ fornicationis in se, vel in alia persona.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de loco sacro. Dicendum est, quod si locus consecratus est, propter contemptū Sacramenti peccat mortaliter: neque tanta est necessitas, quin possit cognoscere in alio loco. Nec est simile de tempore orationis quocunque.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de Ecclesiis consecratis, si sint pollutæ, &c. Dicendum, quod propriè dicitur pollutio illo modo, quo polluitur per adulterium, vel fornicationem: non aūt cum polluitur per coitum cum vxore, propter quā debeat fieri reconsecratio: sicut dicunt quidam. Secundum alios aūt in quibusdam causis debet fieri iterata consecratio. Si vero fuerit adulterium, debet fieri reconciliatio: reconciliare autem potest Diœcesanus Episcopus, vel per se, vel per alium.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de petente concubitum à muliere vicina partui. Dicendum est, quod si præsumitur vehementer de periculo partus, peccat mortaliter; si vero sit causa vitandæ fornicationis; eo quod in parteq; progreditur secundū motum libidinis, peccat venialiter. August. *Sunt viri vsque adeo incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant:* quicquid ergo inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidum gerunt; vitium est hominum, non culpa nuptiarum. August. de bono coniugali.

¶ Ad illud vero, quod dicit Hieron. Dicendum, quod hoc intelligitur propter conditiones partus: loquitur n. in illo casu, vbi talis est conditio mulieris, cum qua si coeat eo tempore, potest esse periculum partus.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de menstruata. Dicendum est, quod causa concubitus potest aggrauare factum, vel minuere: Si n. causa vitandæ fornicationis fiat, diminuitur quantitas peccati: si vero libido satianda cum negligentia periculi in prole, aggrauatur in hoc peccatum, vt sit mortale, & sic intelligi potest illa prohibitio. Nec est omnino simile de menstruata, & leprosa: quia menstruata secundum tempus patitur menstruū: leprosa vero simpliciter determinatur. Et ideo conuenientius potest à mēstruata abstinere, quam à leprosa: quia non secundum omne tempus potest esse continentia in quibusdam personis.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de pœna mortis, quæ infligebatur coeunti tempore menstruo cum muliere. Dicendum est, quod alia attenditur conditio in Leuit. 15. & 18. & 20. In 15. n. Leui. agitur de illo, qui cognoscit menstruatam ignoranter: poterat enim talis per sacrificium expiari, vel per lotionem vestimentorum. In 18. autem intelligitur de sciente accedente, vbi fit prohibitio propter periculum partus. In 20. aūt, vbi loquitur de pœna mortis, loquitur de cognoscente menstruatam, & peccatum suum publicante. Vnde dicitur ibi [*& reuelauerit turpitudinem eius*] & similiter intelligitur de muliere. Vnde dicitur ibi: Leuit.21. *Ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui.*

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur: quod adulterium est in tali commixtione: Dicendum est, quod hoc est per quādam interpretationem: qui enim causa exsaturandæ libidinis coit cum mēstruata, ad modum adulteri quærit voluptatem in ea cum inconsideratione periculi: vnde quasi pro adulterio reputatur: non enim bonum coniugij ibi considerat, cum hoc ipsum principaliter moueat.

MEMBRVM III.

An si persona petens debitum mortaliter peccat, & persona reddens mortaliter peccet?

TERTIO quæritur: si peccat vna persona mortaliter, vtrum alia persona peccat, reddendo ei, quod petit: cum sciat alteram personam peccare mortaliter in prædictis casibus? Quod videtur per simile: si enim aliquis esset furiosus, & aliquis redderet gladiũ ei, quo se interficeret scienter, peccaret mortaliter. A simili cum sciat vxor virum suum peccare, si reddat ei debitum, peccat mortaliter: si ergo tempore non debito, siue loco, & ita de aliis circumstantiis consentiat illi, peccat mortaliter.

Aug. in lib. de bono coniugali. ¶ ITEM, videtur quantũ ad illum casum, vbi peccare vult præter naturam: dicit August. *Cum vir membro mulieris non ad hoc concesso vti voluerit; turpior est vxor, si in se, quasi in alia fieri permiserit.* Non ergo reddendum est debitum carnis, vbi aliquis contra naturam petit.

¶ ITEM, quo ad circumstantiam temporis arguitur, quod non est reddendum debitum: quia redditio debiti tempore orationis videbitur subtrahere perceptionẽ Eucharistiæ: sicut supra exprimitur in autoritate Hieronym. (Hierony.) *Quicunque vxori debitum reddit, de carnibus agni non potest comedere.* Ex quo videtur, quod non tantum peccat vna persona petendo debitum, sed altera persona reddendo. Dico autem illud debitum, de quo dicit Apostolus. (1 Cor. 6.) *Vir non habet potestatem corporis sui: sed mulier:* similiter *mulier non habet potestatem corporis sui: sed vir.*

Gregor. ¶ Item, dicit Gregor. *Cum voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges de commixtione sua, quod defleant.* Sed deflere non est nisi peccatum: ergo persona, quæ reddit debitum, debet deflere peccatum: ergo peccat reddendo.

Aug in lib. de adulterinis coniugiis. ¶ Contrarium videtur ratione circumstantiæ loci per hoc, quod dicit Augustin. *Nec ad tempus, vt vacent orationi, nisi ex consensu voluerint, coniuges carnali inuicem debito defraudari debent.* Si ergo mulier petat in Ecclesia debitum, non est fraudanda; cum non consentiat in oratione.

¶ Similiter videtur quando mulier vicina est partui, vel tempore menstruorum: potest enim mulier magis præsumere de periculo partus, quem habet in ventre, quam ipse vir: si vero est contra bonum prolis, non tenetur reddere: periculum enim homicidij esset: peccat ergo mortaliter, si sic præsumat consentiendo in copulam carnalem.

¶ CONTRA, non videtur peccare mortaliter, quod videtur per simile: si enim aliquis tenetur alicui in debito: & cognosceret, quod male vteretur illo; nihilominus soluere deberet ipsi repetenti. A simili ergo hoc faciendum est in debito carnis: ergo reddere debitum non est peccare mortaliter.

August. de bono coniugali. ¶ ITEM, dicit Augustin. *Reddere debitum coniugale nullius est criminis: exigere autem vltra generandi necessitatem, culpa est venalis: fornicari vero vel mœchari puniendi criminis.* Ex quo accipitur quod reddere debitum non est peccatum mortale.

Idem. ¶ Item, Augustin. *Si vir continere voluisset, & tu noluisses; tibi reddere debitum cogeretur: & illi Deus imputaret continentiam: sed non sua, sed tua cederet infirmitati, ne in adulterium caderes.* Ex quo accipitur, quod altera personarum non peccat reddendo debitum: ad paria enim iudicantur in hac parte vir & vxor.

RESOLVTIO.

Persona reddens debitum si aut adulterij, aut fornicationis vitandæ gratia reddat, neutiquam & ipsa mortaliter peccat.

¶ AD quod dicendum, quod aliud est de illo, qui tradit gladium furioso, quem penes ipsum deposuit, & de muliere, quæ reddit debitum carnis viro volenti fornicari, vel adulterari. Illa enim reddit ad vitationem maioris periculi: maius enim periculum est adulterari, quam peccare in cognoscendo suam libidinose. Qui vero tradit gladium furioso, occasionem dat periculi manifestam: non propter declinationem maioris periculi.

¶ AD secundum dicendum, quod in peccato contra naturam nullatenus consentire debet mulier viro, sicut habetur ex prædictis, & si consentit, peccat mortaliter: sic enim commisceri non est reddere debitum.

¶ AD aliud dicendum, quod tempus orationis dicitur dupliciter, vel tempus maiorum solennitatum, quod cõstitutum est ad orandum, & vacandum diuinis: vel quod voluntariè eligitur. Si primo modo honestum est, non propter suum peccatum, sed propter immunditiam abstinere ob reuerentiam Sacramenti: si tamen cum anxietate & fletu debitum reddat, potest sacram communionem accipere nisi aliud obstiterit: sicut dicit Gregor. Si vero fuit tempus voluntarium orationis, non est eligendũ nisi ex consensu: ita quod debitum subtrahatur, secundum quod dicit Apost. *Nolite fraudare inuicẽ; nisi forte ex consensu ad tempus: vt orationi vacetis.* (1. Cor. 7.) Et dicit Expositor, (Expositor ibi.) *qui subtrahit debitũ, cum debetur, fraudem facit ei, cui debetur: quanto magis in illo debito, quod Deus instituit.*

¶ AD quartum dicendum, quod autoritas Gregor. intelligitur de coniugibus, vbi est commixtio libidinosa: ibi enim vtraque persona vel altera suum peccatũ deflere debet. Si vero vna persona peccet, & altera non peccet: illa quæ non peccat, nõ tenetur deflere, nisi prout portat onus alterius.

¶ AD quintum dicendum, quod si vir vel mulier petit debitum carnis in loco sacro, non tenetur reddere: cum alias sit oportunitas de facili. Nec valet argumentum, sc. quod si non est fraudanda nisi ex communi consensu, ergo non est fraudanda in loco sacro.

¶ AD sextum dicendum, quod si mulier præsumit probabiliter de periculo partus, non tenetur reddere: si vero non præsumit, tenetur: licet cognoscat ipsum peccare, tamen cum dolore & anxietate. Nec dicitur consentire peccato illius, sed consentire ei, quo ad hoc quod petit quod suum est, & tali intentione, ne peius fiat.

MEMBRVM IV.

An persona, quæ votum continentiæ emisit; petere, aut reddere debitum possit absque peccato?

QVARTO quæritur, vtrum in matrimonio post votum continentiæ emissum persona peccet semper, quæ votum emisit, petendo, vel reddendo debitum, aut non? Et videtur quod semper peccet: quia facit contra votum: vouit enim continentiam: cum ergo in qualibet copula carnali agat contra votum, nec videtur debitum esse exigendum, nec reddendum.

¶ CONTRA: votum simplex emissum continentiæ impedit contrahendum, sed non dirimit contractum: manet ergo matrimonium: manente matrimonio & copula carnali subsecuta, tenetur reddere debitum: nullus autem tenetur ad contraria: ergo non peccat reddendo debitum.

RESOLVTIO.

Petere absque pœnitentia non potest: reddere proculdubio potest.

¶ AD quod dicendum est, quod agere debet pœnitentiam de voti transgressione, & secundum ius matrimonij, quod stat, reddere debet debitum: nec peccat sic reddendo, cum consummatum sit matrimonium. Indultum enim est propter bonum matrimonij, quod non dissoluatur matrimonium per huiusmodi votum simplex: maior enim est dignitas signationis Sacramentalis in ipso matrimonio, quam in ipso voto. Licet ergo possit non petere debitum; tamen tenetur reddere quod est alienum.

De hoc autem amplius dicendum est in Tractatu de Voto.



QVÆST. CL.

De Stupro.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 6. S. Bon. in 4. d. 41. d dub. 4. & 5.

CONSEQVENTER dicẽdum est de alio genere peccati, quod est ex infirmitate carnis, quod dicitur stuprum. Primo ergo videndum est, quid sit stuprum. Secundo, vtrum stuprum sit adulterium. Tertio, in quo differat à raptu. Quarto, in quo teneatur virgini, quam deflorauit constuprator.

MEMBRVM I.

Quid sit stuprum?

Isidorus.

DICIT autem Isidor. quod *stuprum est virginum illicita defloratio:* quando videlicet, non præcedente coniugali pactione, vtriusque voluntate virgo corrumpitur, patre iniuriam statim ad animum post pactionem, vel cognitionem reuocante.

¶ CONTRA hanc diffinitionem sic obijcitur: videtur enim quod non sit stuprum, si pater statim iniuriam reuocet ad animum: hoc enim est membrum positum in diffinitione.

¶ Sed contra: defloratio virginis illicita, ipsa consentiente, est sub peccato carnis: sed non est sub adulterio; cum adulteriũ sit cum coniugata: nec est simpliciter fornicatio; cum simpliciter fornicatio dicatur coitus cum soluta corrupta, hæc autem virgo est: ergo non est simpliciter fornicatio: nec est incestus; incestus enim est concubitus contra consanguinitatem, vel affinitatem commissus: nec dicitur sacrilega luxuria, sicut est in eo, qui votum professionis transgreditur: vel sicut est in eo, qui in sacris ordinibus est constitutus: tale autem non est illud: nec est peccatum contra naturam: restat ergo quod in genere stupri continetur.

Isidorus.

¶ Quod etiam non sit fornicatio, de qua magis videtur; ostenditur per hoc quod dicit Isidor. *fornicatio specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum:* talis autem concubitus non est iste: ergo non dicetur fornicatio.

RESOLVTIO.

Stuprum est virginum illicita defloratio: quando non præcedente coniugali pactione vtriusque voluntate virgo corrumpitur, patre statim iniuriam ad animum post pactionem, vel cognitionem reuocante.

¶ AD quod dicendum, quod membrum appositum est in diffinitione propter hoc, quia de consensu etiam parentum vel quadam dissimulatione virgo huiusmodi est allicienda. Præterea pater potest agere cum stupratore actione iniuriarum si reuocet iniuriam ad animum: nihilominus vtroq; modo dicitur esse stuprum.

¶ AD illud ergo, quod obijcitur. Dicendum est, quod illa clausula non apponitur; nisi vt determinetur omne complementum ipsius stupri, secundum quod consideratur in esse legali: simpliciter autem dicitur esse stuprum, vbi reliquæ partes diffinitionis conueniunt.

MEMBRVM II.

An stuprum adulterium sit?

Ambro. de Patria: ch. lib. 1. de Abrahã. c. 4.

SECVNDO quæritur: Vtrum stuprum sit adulterium? Quod videtur per hoc, quod dicitur ab Ambr. *Nemo sibi blãdiatur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet.* Ex hoc accipitur, quod stuprum sit adulterium.

Num. 5.

¶ Præterea, Numeri 5. loquitur de vxore, quæ errauit, & contemnens maritum, dormiuit cum altero viro. Et postea subiungitur. *Latet adulterium, & testibus argui non potest: quia non est inuenta in stupro.* Ex quo accipitur, quod stuprum est adulterium, vel econuerso.

Isidor.

¶ CONTRA. Isidor. *Adulterium est alieni thori violatio:* (dicitur enim quasi ad alterius viri thorum accessio) & hoc non contingit in stupro: ergo stuprum non est adulterium.

RESOLVTIO.

Nequaquam propriè, communiter autem vtique.

¶ AD quod dicendum, quod stuprum dicitur dupliciter. Vno modo propriè: & alio modo communiter. Secundum quod propriè sumitur, differt stuprum ab adulterio: & hoc modo diffiniuit Isidor. Alio vero modo communiter accipitur: & hoc modo sumit Ambros. & sumitur Num. 5. Et dicit Aug. *Intelligitur quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omnino per quaslibet, quæ animam male corpore vtentem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè ac turpiter corrumpi possit sine crimine: & vir vxorem dimittere, & vxor virum.* Aug. in lib. de sermo. ne Domini in monte.

MEMBRVM III.

An stuprum & raptus idem sint?

TERTIO quæritur, in quo differat stuprum à raptu. Vt n. quod raptus sub stupro contineatur: dicitur n. quod Sichem filius Emor rapuit Dinam, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et postea subsequitur. Respõderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo sæuientes ob stuprum sororis. Ergo raptus erat stuprum. Gen. 34.

¶ Item, secundum diffinitionem stupri, de consensu virginis, cum virgo corrumpitur, nõ præcedente pactione coniugali, stuprum dicitur: sed hoc potest esse, cum est raptus: potest n. contingere, quod puella consentiat, & pater non consentiat: & tunc raptus dicetur, & stuprum; secundum hoc quod dicitur in Canone. *Si quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur.* Canon.

¶ Contra: raptus committitur, cum puella violenter à domo patris abducitur: stuprum autem non sic: ergo stuprum non est raptus,

RESOLVTIO.

Communiter idem esse dici possunt: propriè autem idem esse dici non possunt.

¶ Ad quod dicendum, quod stuprum aliquando propriè dicitur; cum neque violentia infertur puellæ, neq; parentibus: & secundum hoc stuprum propriè differt à raptu. Aliquando vero dicitur stuprum, cum est consensus puellæ, patre iniuriam ad animum reuocante: & hoc modo dicitur stuprum generaliter, & comprehendit in se raptum: & sic accipitur in Gen. secundum hoc ergo potest accipi in Canone. Præterea, aliqua potest consentire & in abductionem, & in corruptionem: & sic potest simul dici stuprum, & raptus: stuprum propter consensum puellæ, raptus vero propter violentiam.

MEMBRVM IV.

Ad quid constuprator virgini constuprata teneatur?

QVARTO quæritur, in quo teneatur constuprator virgini, quam deflorauit. Et videtur, quod teneatur in pœna constituta à lege: dicitur enim Exod. 22. *Si seduxerit aliquis virginem nondum desponsatam, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & habebit vxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere cõsueuerunt.* Ex quo accipitur, quod puniri debet, quia seduxit eam, & quia dormiuit cum ea. Exod. 22.

RESOLVTIO.

Habebit eam in vxorem, vel dotem pro nuptu dabit.

¶ SED potest quæri, quantum debeat ei dare in dotem.

¶ AD quod potest dici per hoc, quod dicitur in Deut. *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum; & apprehendens, concubuit cum illa: & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum illa, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem: quia humiliauit illam; & non poterit illam dimittere cunctis diebus vitæ suæ.* Deut. 22

¶ Sed contra hoc est, quod ille forsan non tantum habet, quod possit soluere.

¶ Ad quod respondetur: quod secundum legem si nō potest puniri pœna pecuniaria; punietur in seruitio corporis: & hoc totum refundetur in bonum ipsius puellæ. Et dicit Hieron. *Pater puellæ illius, quæ vim concubitus nulli desponsata pertulit, quinquaginta dragmas accipiat: ipsa autem in cōiugio permanebit.* Eodem modo videtur, si de consensu virginis hoc fiat: non minus n. debet fieri puellæ, eo quod eam desflorauit. (Hierony.)

¶ Sed qualiter illa pœna secundum legem statuitur, qua dicitur, quod non poterat eam dimittere cunctis diebus vitæ suæ: cum in lege Moysi permitteretur libellus repudij?

¶ Ad quod dicendum est, quod hoc factum est, sicut dicit Augu. ne videatur ludibrium fecisse, & finxisse quod eam duxerit. (August.)

QVÆSTIO CLI.

De Raptu.

In quatuor Membra diuisa.

(D Tho 2. 2 q 154. art 7.) Consequenter dicendum est de raptu, qui in parte conuenit cum stupro, in parte differt.

¶ Et primo quæritur, quid sit raptus. Secundo, si raptor possit ducere eam, quam rapuit. Tertio, de pœna illorum, qui participant in rapiendo. Quarto de pœna raptoris, & cautione à pœna.

MEMBRVM I.

Quid sit raptus?

Raptus autem sic diffinitur. *Raptus admittitur, cum puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur:* siue puellæ solummodo, siue parentibus tantum, siue vtrisq; vis illata constiterit.

¶ Sed potest obijci: ponatur, q abducta sit, nō vt corrupta in vxorem habeatur: nunquid non est dicendus raptus? Quod videtur ex prædicta diffinitione.

¶ Sed obijcitur in contrarium: qui abducit à domo patris, vt corrumpat: & non habet intentionem contrahendi cum ea; nonne magis iniuriatur? & aliud genus peccati carnis non determinatur; restat ergo quod & hic raptus dicitur.

¶ Præterea, ponatur quod aliquis promissionibus seducat aliquam, & abducat eam sponte à domo patris: & postea opprimat eam: & deinde de consensu parentum dotata in vxorem ducatur: videtur quod non sit raptus per iam dictam rationem.

¶ Contra, oppressit eam: ergo est ei illata aliqua violentia.

¶ Præterea, aliqua puella potest esse alicui desponsata, & post, ipsa nolente, est ab eo cognita, siue vis est ei illata: nunquid huiusmodi peccatum carnis dicatur raptus. Non videtur: cum n. desponsata fuit, consensit in carnalem copulam: ergo iure suo vsus est, cum cognouit eam: non ergo dicetur raptus.

¶ Contra, vim intulit puellæ, vt eam corrumperet: ergo est raptus.

(Isid. Ety. lib. 5. c. 26.) ¶ Præterea, Isidor. *Raptus est illicitus coitus, à corrumpendo dictus.* Sed sic videtur hic: ergo est raptus.

RESOLVTIO.

Raptus est, cum puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur: siue puellæ solum, siue parentibus tantum, siue vtrisque vis illata constiterit.

¶ Ad primum dicendum: quod licet non habeat intentionem contrahendi cum illa, dummodo per violentiam corrumpatur, dicetur raptus. Sed quod posuit in diffinitione [*vt corrupta in vxorem habeatur*] ad minorationem iniuriæ dicitur: non quod aliud genus carnalis peccati sit.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet puella consentiat in abducendo de domo patris: & parentes post cognitionem carnalem consentiant: nihilominus dicendus est raptus: quod accipitur per similitudinem rapinæ: Rapina enim dicitur dupliciter fieri: aliquando enim res ipsa rapitur: aliquando ipsius rei vsus tantum eripitur violenter. Res enim tunc rapitur, cum violenter à Domino eripitur, vt in perpetuum teneatur. Aliquādo vero res ipsa non affectatur, sed vsus eius, Domino prohibente, violēter vsurpatur. Similiter est de raptu: raptus enim dicitur dupliciter: vel cum puella de domo parentum violenter abducitur: vel cum voluntariè recedens, per violentiam opprimitur. Hoc ergo vltimo modo dicitur raptus, quia florem virginitatis puellæ renitenti violenter eripuit: licet non dicatur primo modo raptus. Vnde ad similitudinem rapinæ vsus dicitur hic raptus: non ad similitudinem rei.

¶ Ad tertium dicendum, quod si desponsatio præcessit; si eam rapit, non dicitur raptum committere: sicut dicit Gelasius Papa: Lex illa præteritorum Principum, ibi raptum dixit esse cōmissum, vbi puella, de cuius ante nuptiis nihil actum fuerat, videtur abducta. Quia ergo iure suo quodammodo vtitur, à raptu excusatur. Sed licet non committat raptum; peccat tamen aliter, iniuriam faciendo nuptiis: libera enim debent esse coniugia: sicut habetur in Extrauag. Nec sequitur, si fuit ibi aliqua violentia, quod propter hoc sit ibi raptus. (Gelasius Papa 36. q. 1 cap. Lex illa.) (Extrauag. de spons. Requisiuit.)

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur. Dicendum, quod raptus aliquando sumitur communiter: & hoc modo accipitur in autoritate illa Isidor. cum dicitur: *Raptus est illicitus coitus, &c.* sicut fuit raptus in casu proposito. Quandoque propriè, eo modo quo dictum est supra: & sic non. (Isidor.)

MEMBRVM II.

An raptor, quam rapuit, in vxorem ducere possit?

Secundo quæritur: Vtrum raptor possit eam ducere, quam rapuit; vel si peccat contrahendo. Quod non possit, videtur: dicitur enim in Concilio Melden. 36. q. 2. *Placuit, vt hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel seducunt; eas nullatenus habeant vxores, quamuis eas postmodum conueniant, aut eas dotauerint, vel nuptialiter (cum consensu tamen parentum suorum) susceperint.* (Concil. Melden. 36 q. 2.)

¶ Item, Hieron. *Filia deprehensa à viro in ciuitate, & illi per vim copulata; si non fuerit voluntas patris, detrahet eam à prædicto viro, & tradet eam alij: & dotabit eam, & legitima erit.* Ex quo videtur, quod raptor peccet contrahendo cum ea, quam rapuit. (Hierony.)

¶ Ad idem dicit Symmachus Papa. *Raptores viduarum, vel virginum: ob immanitatem facinoris tanti detestamur, quod pro nefandissimi criminis atrocitate à communione suspendi præcipimus.* Ex quo accipitur, quod illegitimi sunt raptores ad contrahendum. (Symmach. Papa 36. q. 2. cap. Raptores.)

¶ Item, Gregor. *Si quis virginem vel viduam rapuerit, vel furatus fuerit cum suis fauentibus, Anathema sit.* Et dicitur: *Si in agro reperit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum illa; ipse morietur solus: puella nihil patietur, nec est rea mortis: quia sicut latro consurgit cōtra fratrem suum, & occidit animam eius ita puella perplexa est.* (Gregor. Deut. 22.)

¶ Præterea, violentia in raptu opponitur secundum se consensui coniugali: ergo qui violentiam huiusmodi facit, indignus est matrimonio; ergo talis non potest contrahere matrimonialiter cum illa, quam rapuit.

¶ Præterea, si consensus in ipsam raptam faceret matrimonium: matrimonium autem superueniens dissoluit sponsalia cum aliena persona: secundum hoc huiusmodi consensus in raptam dissolueret sponsalia. Sed hoc non videtur, per hoc quod dicitur in Canon. *Desponsatas puellas & post ab aliis raptas, placuit erui & reddi eis, quibus ante fuerunt desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illata fuerit.* (Canon.)

¶ Contra: Ex Concilio Melden. *Raptæ parentibus legaliter restituantur: peralia vero pœnitentia, si ætas incontinentiam exegerit, vtriusque placito coniugio socientur.* Ex quo habetur, quod potest cum ea contrahere. ¶ Similiter videtur per hoc quod dicitur Deut. 22. in fine. (Concil. Melden.)

RESOLVTIO.

Poteſt quidem, ſed non niſi peracta raptus pœnitentia, & cum vtriuſq; parentum conſenſu.

¶ Ad quod dicendum, quod ſecundum quod dicitur in Cañ.) ex conditione raptus non eſt perſona raptoris conueniens, inquantum huiuſmodi, copulari raptæ, antequam vitium rapinæ aboleatur. Sed cum illa patriæ poteſtati fuerit reſtituta, & raptor ſuæ rapinæ pœnitentiam egerit, & voluntas parentũ in vnum conuenerit: non prohibentur adinuicem copulari.

¶ Ad obiectum autem in cõtrarium dicendum, quod illud, quod dicitur in præfato Concilio, in deteſtationem illius criminis dictum eſt: ſed abrogatum eſt: Vel poteſt intelligi de illis, qui deſponſantur alus.

¶ Ad illud vero, quod dicit Hierony. Dicendum eſt, quod hoc intelligitur, cum voluntas parentum contradicit, & ipſa adhuc eſt ſub poteſtate parentum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod illud, quod dicitur de raptoribus, quod ſuſpendendi ſunt à communione, hoc dicitur propter immanitatem criminis, quouſq; egerint pœnitentiam. Si vero fuerit peracta pœnitentia, non negatur, quin poſſint adinuicem contrahere: ſicut habetur in Extrauа. de raptoribus.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud ſimiliter dicitur in deteſtationem criminis.

¶ Ad quintum dicendum, quod ſecus eſt de raptu illarum, quæ aliis ſunt deſponſatæ, & de raptu illarum, quæ nec dum ſunt deſpõſatæ. Si n. aliis fuerint deſponſatæ, reſtituendæ ſunt eis: violentia enim facta non aufert ius ſponſalium; quod habuit ille, qui deſponſauit: cum non interuenit conſenſus illius mulieris raptæ, nec vere, nec præſumptiuè, &c.

MEMBRVM III.

Quæ pœna raptorum complicibus debeatur?

Tertio quæritur de pœna illorum, qui participant in rapina. Quod autem puniantur morte, videtur per ſimile: qui enim agunt & conſentiunt, eadem pœna ſunt
Deut. 22. puniendi: ſed raptores ſecundum legem Deut. 22. puniendi erant morte: ergo participes in raptu.

¶ Præterea habetur in Cañ. quod raptor publica pœnitentia mulctandus eſt. Similiter poteſt argui de his, qui participes erant in raptu.

Concil. Chalced. ¶ Præterea, ex Concilio Chalcedonen. habetur: quod cooperantes ipſis raptoribus, ſi clerici eſſent, decideren à proprio gradu: ſi vero laici, excommunicarentur. Ex quibus omnibus colligitur, quæ pœna infligenda eſt illis, qui participes ſunt in raptu.

¶ Sed videtur contrarium: quia aliquando parcitur raptori propter ipſum bonum coniugij. Similiter in fauorem ipſorum coniugum videtur, quod parcendum ſit aliquando illis, qui participes erant in raptu.

RESOLVTIO.

Interdum eadem quæ raptoribus ipſis debetur: interdum minor.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod primo dicitur, regulariter intelligitur: ex cauſa tamen alia ſuperuenienti poteſt mitius agi, vel cum ipſo raptore, vel cum ipſis, qui erãt participes. Aliquando etiam & ſi non fuerit raptus, ſed attentatio, etiam ipſa attentatio eſt cauſa maioris pœnæ: ſic-
Canon. Codic. ut dicitur in Cañ. & eſt lex Iuſtiniani in Codice. Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantummodo matrimonij iungendi cauſa ſacratiſſimas virgines auſus fuerit: capitali pœna feriatur.

MEMBRVM IV.

An raptor raptus pœnam interdum euadere poſsit?

Concil. Aurelian. Qvarto quæritur de euaſione raptoris, de quo dicitur in Concilio Aurelianen. *De raptoribus id conſtituendum eſſe cenſemus: vt ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit; & fœminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit: ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor mortis, vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ad ſeruiendum ſubiectus ſit: aut ad redimendi ſe liberam habeat facultatem.* Ex quo accipitur, quod priuilegio Eccleſiæ raptor confugiens ad Eccleſiam, mortis euaſionem promeretur.

¶ Sed obijcitur ratione prædictæ autoritatis: dicitur enim in illa, quod conceſſa eſt impunitas pœnarum raptori: videtur ergo ex hoc, quod liber ſit ab omni pœna.

¶ Contra dicit Ambroſ. quod raptor debet ſoluere quinquaginta dragmas aureas patri puellæ: non ergo liber eſt ab omni pœna. Ambroſ. in Apologia Dauid.

¶ Præterea, in eadem autoritate dicitur: quod ſubiectus debet eſſe ad ſeruiendum ipſi patri puellæ. Sed qualiter hoc? cum alibi dicatur, quod accipiat in coniugem: nunquid ex hoc punitetur puella, quod accipiet ſeruum in virum?

¶ Præterea, ſi eſt ſeruus, vſq; ad quod tempus ſeruiet ei. Nunquid in perpetuum?

¶ Præterea, dicitur in illo Cano. quod liberam habeat facultatem redimendi ſe, nunquid eſt in optione raptoris, an primo quod ſeruiat, & deinde ſe redimat? Canon. ſupra.

RESOLVTIO.

Pœnam corporalem euadere poteſt, omnimodam autem pœnam euadere non poteſt.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod non conceditur ei ſimpliciter impunitas pœnarum, ſed pœnarum corporalium: non autem liber eſt à pœna pecuniaria, vel alia huiuſmodi pœna.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod hoc, quod dicitur [*quod ad ſeruiendum ſubiectus ſit*] non ex hoc accipitur, quod puniatur pœna ſeruitutis: ſed recompenſari debet in ſeruitio ad ſatisfaciendum patri.

¶ Ad tertium dicendum: quod quia non eſt determinatum, vſq; ad quod tempus ſeruiat ei; in arbitrio boni iudicis eſt, quod lege non exprimitur.

¶ Ad vltimum dicendum eſt, quod in optione ipſius eſt, vtrum ſubijciat ſe ad ſeruiendum, an ſe redimat, & eſt ſimile 27. q. 2. Multorum.

QVÆST. CLII.

De Inceſtu.

In quatuor Membra diuiſa.

Deinde dicendum eſt de inceſtu, poſt ſtuprum, & raptum. Primo autem quærendum eſt: quid ſit inceſtus? Secundo, vtrum inceſtus ſit malum ſecundum ſe? Tertio de comparatione illius peccati ad alia illius generis. Quarto de caſibus, qui contingunt in inceſtu ratione conſanguinitatis, & ratione affinitatis. D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 9 S Bon. in 4. d. 34. art. 1. q. 2.

MEMBRVM I.

Quid ſit inceſtus?

Diffinitvr autem ſic. *Inceſtus eſt lubricum carnis, contra conſanguinitatem vel affinitatem commiſſum.* Aliquando autem ſumitur largius, vt comprehendat in ſe lubricum carnis, quod eſt contra votum. Diffinit autem ſic Iſidor. *Inceſtus eſt conſanguinearum, vel affinium abuſus, vel vbi eſt iuſtitia publica honeſtatis:* ſicut habetur 35. q. 3. Nec eam. Iſidor. 36. q. cap. Lex illa.

RESOLVTIO.

Inceſtus eſt lubricum carnis contra conſanguinitatem, vel affinitatem commiſſum.

¶ Sed poteſt quæri, quare vnum eſt, quod eſt commune peccato carnis, quod eſt in abuſu conſanguinearũ, & in abuſu affinium? cum vinculum affinitatis & conſanguinitatis ſint vincula diuerſa? ex quo videtur, quod peccatum carnis, quod eſt contra illa duo vincula, duas contineat peccati ſpecies carnales.

¶ Ad quod dicendum, quod sub eadem specie continentur propter hoc, quod vnum vinculum quodammodo respicit alterum, & quadã consimilitudine se habent.

MEMBRVM II.

An incestus secundum se malum sit?

SECVNDO quæritur: Vtrum incestus sit malum secundum se? Quod non, videtur: nullum n. malum potuit secũdum se bene fieri, sed illud, quod dicitur incestus potuit bene fieri: ergo non est secundum se malum. Probatio minoris est: quia incestus contra consanguinitatem est cũ frater coit cum sorore, vel cum sua cognata, sed huiusmodi copula carnalis antiquitus bene fiebat: ergo non est malum secundum se.

¶ Item ponatur quod defecisset genus humanum, sicut fuit tempore Noe: nunquid tunc si superstites essent cognatus & cognata, vel frater & soror, diceretur esse licita copulatio carnalis?

¶ Item, incestus introductus est ex prohibitione Ecclesiæ: ergo non est malũ, nisi quia prohibitum est ab Ecclesia: si ergo cessaret prohibitio, non esset malum: sicut fuit de abbreuiatione graduum consanguinitatis: prius n. erat illicitum contrahere in quinto gradu, vel sexto: post cõcilium autem licitum est. Si ergo sic constituisset Ecclesia de tertio gradu & quarto, videretur similiter licitum.

RESOLVTIO.

Incestus in quantum incestus secundum se malum est.

¶ Ad quod dicendum, quod incestus inquantum huiusmodi malum est secundum se: quia transgreditur limites, ratione vel lege Dei siue autoritate Ecclesiæ determinatos post multiplicatam naturam: & ideo non fuit incestus in generatione Adæ, cũ frater coibat cum sorore: adhuc n. limites non erant positi, nisi inter matrem & filium, & filiam & patrem: sicut dicitur Gen. 2. Postea vero facta multiplicatione ampliori generis humani; exclusæ sunt personæ aliæ: & factæ sunt illicitæ, quæ prius erant licitæ: sicut habetur in Leui. vbi enumerantur illæ personæ, & sunt plures numero, sicut ibid. dicitur: & numerantur 12. & est numerus ille sumptus, tum ratione consanguinitatis, tum ratione affinitatis. Procedente vero tempore sẽm constitutionẽ Ecclesiæ facta est vlterior multiplicatio: & plures factæ sunt personæ illegitimæ ad contrahendum. Et hoc modo dicitur incestus in quolibet statu esse malum secundum se: & peccatum, quod nunc reputatur incestus, aliquo tempore non reputaretur.

¶ Et per hoc soluendum est illud, quod obiectum est: incestus n. nunquam potuit bene fieri: sed copula carnalis inter personas, quæ nũc sunt prohibitæ; illo tempore quo non erant prohibitæ, potuit licite fieri: nec tamẽ incestus inquantum huiusmodi, potuit licite fieri.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod si deficeret genus humanũ; nõ consimiliter modo esset, sicut tunc fuit: vt sua autoritate posset cognatus cognatam cognoscere: sed dispensatione diuina illud, quod modo est illicitũ, fieret licitum. Autoritate ergo diuina licitum esset, quod sua autoritate esset illicitum.

¶ Ad vltimum dicendum, quod non tantum fuit constitutio Ecclesiæ in causa, sed quædã inconuenientia naturæ cum ratione gratiæ superaddita. Et hoc videtur tangere August. vbi dicitur: *Habita est ratio certissima charitatis, vt homines, quibus esset atque honestissima concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur: nec vnus in vno multas haberet: sed singuli spargerentur in singulos: ac si per socialem vitam plurima plurimos obtinerent: pater quippe & socer duarum sunt nomina necessitudinũ: dum ergo quis habet alium patrẽ, aliũ socerum, numerosius se charitas porrigit.* Copulatio ergo maris & fœminæ, quantũ ad genus humanum attinet, quoddã seminarium est charitatis. Vt ergo magis charitas dilataretur, ordinatum fuit secundum prius & posterius, vt ipsa copulatio maris & fœminæ legitima latius protenderetur. Aug. in lib. de ciuit. Dei.

MEMBRVM III.

An incestus grauius peccatum sit, quam adulterium?

TERTIO quæritur de comparatione istius peccati ad alia eiusdem generis. Et videtur, quod sit maius peccatum, quam adulterium, per hoc, quod dicit Aug. *Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu.* Ergo incestus est maius peccatum, quam adulterium. August.

¶ Contra, obijcitur: quod adulterium omni tempore fuit peccatum: repugnat n. legi primæ naturæ: incestus autem non: sed ex institutione prouenit: ergo minus videtur esse peccatum.

¶ Præterea, in concubitu cum aliena vxore nunquam fuit dispensatio: sed in concubitu cum consanguinea potest interuenire dispensatio: ergo minus peccatum est peccatum incestus, quam peccatum adulterij. Quod autem interueniat aliquando dispensatio, patet per hoc, quod dicitur à Greg. sicut habetur: *Si quis cum matre & filia fornicatus, ignorante matre de filia, & filia de matre, nunquam accipiet vxorem: illæ vero si voluerint, accipient maritos.* Et ita mulieres excusantur ab incestu. Gregor. in canon. 35. q. 2.

RESOLVTIO.

Incestus in suo summo maius peccatum est, quam adulterium in suo summo.

¶ Ad quod dicendum, quod incestus est maius peccatum, quam sit adulterium: exponit enim sic August. *maius peccatum est cum muliere matre, quam cum aliena vxore concumbere.* Videtur ergo respicere ad genus incestus, non ad omnẽ differentiam incestus: incestus n. in suo summo maius est, quam adulterium in suo summo. August.

¶ Ad illud aũt quod obijcitur in contrarium. Dicendũ est, quod ille, qui instituit cõiugium, sc. Deus, instituit per consequẽs adulterium esse peccatum, per hoc quod dixit, *Adhærebit vir vxori suæ, & erunt duo in carne vna*: in hoc n. datur intelligi, quod non cum aliena adhæreat: & ille idem instituit illegitimitatem personarum, & per consequens reliquit incestum esse peccatum. Sic ergo quasi eiusdẽ durationis sunt lex condemnans adulterium, & lex condemnans incestum. Si vero dicatur, quod non, abiecta illa lege: *Relinquet homo patrẽ & matrem*; esset adulterium peccatum: & ita magis contra legem naturæ. Dicendũ est, quod non: de lege n. naturæ essentialius est incestus peccatum, quam adulterium. Sicut n. vinculum consanguinitatis adhæret plus legi naturæ, quam vinculum mortis: ita plus est contra legem naturæ incestus, quam adulterium. Genes. 2. Ibid.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet interueniat dispensatio: per quam in aliquo gradu consanguinitatis non reputetur incestus: qui alias esset incestus; non sic aũt fit in adulterio: non propter hoc maius est peccatũ adulterium, quam incestus: adulterium n. vnicam habet differentiam: incestus vero plus habet differentias: in remotioribus autem differentijs potest interuenire dispensatio: non autem in primis differentiis quas Dominus per seipsum instituit.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod sicut ignorantia excusat personas ab incestu, & sicut scientia accusat: ita ignorantia excusat ab adulterio. Sicut si aliquis adhiberet diligentiam, quam posset, & congrueret, & supponeretur aliena loco vxoris, ipsa peccaret, cõmittens adulterium, sciendo ipsum esse coniugatum: ipse autem excusaretur, credens eam esse vxorem, & affectu vxorio eam cognoscens, sc. causa prolis procreandæ ad cultum Dei: sicut legitur de Iacob, cui suppposita fuit Lia loco Rachelis, quã sibi in vxorem copulauerat per consensum maritalem. Gen. 29.

MEMBRVM IV.

Casus aliquot circa incestum incidentes.

QVARTO quæritur de casibus, qui contingunt in incestu ratione consanguinitatis, & ratione affinitatis.

¶ Et primo quæritur, vtrum fuerit licitum tempore legis, quod duo fratres eandem acciperẽt in vxorem. Quod non, videtur per hoc, quod dicitur: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est.* Leuit. 9.

¶ Sed

Deut. 25. ¶ SED econtra videtur illud, quod dicitur Deut. 25. Si aliquis absque liberis moreretur, præcepit Dominus, vt frater defuncti vxorem eius accipiat, & suscitet fratris sui defuncti prolem. Potest ergo contrahere cum vxore fratris sui.

Leuit. 18. ¶ PRÆTEREA, qualiter contraxit Iacob cum duabus sororibus, cum hoc videatur prohibitum in lege vbi dicitur. *Sororem vxoris tuæ non recipies in pellicatum ipsius*: cum sic viuerent patres antiqui, sicut legem custodientes: licet enim nõ essent statuta tunc temporis, cum legis statuta seruabãt, sicut patet de Iuda, qui voluit, quod filius eius suscitaret semen fratris defuncti: nondum tamen lex super hoc data fuit.

¶ AD quod dicendum: quod illud, quod in lege dicitur quod nullus accipiat vxorem fratris sui, intelligitur ipso viuente: vna enim lex per aliam explanatur. Quod autem dr̃, quod frater accipiat vxorem defuncti, hoc in parte dicitur in figura, & in parte secundum veritatem. In figura quidẽ, quia fratris nostri, sc. suscipienda est vxor, id est, ecclesia, vt Christo suscitetur semen, non nobis. In veritate aũt vt notetur in veteri lege benedictio ratione multiplicationis prolis ad cultum Dei.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod illud, quod dicitur de Iacob, quod duas sorores habuit, cum hoc esset prohibitum in lege. Respondendum, quod non erat lex promulgata. In figura autem facta fuit, vt ostenderetur duplex coniunctio ecclesiæ cum Christo: ratione vitæ contemplatiuæ, & ratione vitæ actiuæ: quod signatur per Rachelem & Liam. Et licet ipsi quantum est de se, seruarent legem sine lege sibi data, non est dicendũ, quod Iacob peccauit, vtranque sibi copulando vxorem: cum hoc ex alia causa factum fuerit, nec lex contrariabatur. (Genes. 29.)

¶ DEINDE quæritur, vtrum peccet, qui contrahit cum aliqua vna, vbi persona est in quinto gradu, & alia in quarto. Potest enim quæri, propter quid gradus computatur secundum personam remotiorem? Et vr̃, quod debeat computari gradus secundum personam propinquiorem: cum enim gradus attendatur consanguinitatis, persona autem, quæ propinquior est, propinquius adhæret stipiti: videtur ergo, quod secundũ eam computandus sit gradus: & si hoc est: tunc peccat persona, quæ est in quarto gradu cum illa, quæ est in quinto.

Isidor. in li. Etymo ¶ Huius etiam gratia quæritur, quæ sit ratio numeri istorum graduum. Ponit autem Isidor. talem rationem. *Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens vsque ad vltimum gradum se subtraxerit, & propinquitas esse desierit: tũc primum lex matrimonij vinculum recipit, & quodammodo reuocabit fugientem: ideo autem vsque ad sextum gradum generis consanguinitas statuta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio & omnis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.* Sed si hæc esset ratio, tunc non conuenienter posset contrahi matrimonium in illis sex gradibus. In cõcilio autem Lateranen. aliter institutum est. Potest ergo quæri, quæ sit causa protensionis graduum consanguinitatis vsque ad quartum inclusiue, & non vlterius.

¶ Ad quod dicendum est, quod si vna persona fuerit in quinto gradu, & alia in quarto; secundum nouell. in ordinatione Inno. potest contrahi matrimonium: secundum enim remotiorem gradum fit computatio in fauorem matrimonij ad dilatationẽ ipsius charitatis: vt vbi tepescit dilectio naturalis, ibi inchoetur dilectio moralis.

¶ Ad secundum dicendum: quod duplici ratione abbreuiati sunt gradus, per quos fit illegitima persona ad contrahendum: quarum vna est, quod intantum processerat matrimonialis coniunctio, quod tum ratione consanguinitatis, tum ratione affinitatis tanta fuit confusio personarum, quod vix poterat contrahi matrimonium inter personas legitime. Præterea refriguit dilectio naturalis siue tepuit vt non protendatur, inquantum solet protendi: & ideo vsq; ad quartum gradum protenditur ratio consanguinitatis: & ibi incipit dilectio ratione coniunctionis matrimonialis: vt sic ad fomentum dilectionis suppleat ratio matrimonij, quod deest ex parte naturæ tepescentis.

¶ SIMILITER quæritur ratione affinitatis, inquantum protenditur linea affinitatis: & cum sint tria genera affinitatis, vtrum consimiliter sit peccatum in quolibet secundũ consimilem gradum? vt quot gradus sint in primo genere affinitatis, tot sint in secundo, & tertio?

¶ AD quod dicendum: quod aliter est in primo genere affinitatis & in aliis. In primo genere affinitatis prohibitio copulæ coniugalis quartum gradum affinitatis de cetero non excedit: sicut habetur extra de consanguinitate & affinitate. Ratio vero assignatur ex hoc quod graue esset dispendium, si vlterius protenderetur. Non sic autem est in secundo genere affinitatis, & in tertio: sicut habetur ibidem. Ratio autem eadem subest, quæ supradicta est: ne ex multiplicatione confusio fiat personarum illegitimarum ad contrahendum.

QVÆSTIO CLIII.

De Sacrilegio.

In tria Membra diuisa.

DEINDE dicendum est de alio genere peccati carnalis, quod speciali nomine dicitur sacrilegium: communi autem nomine potest dici incestus, sicut supra habitũ est. Et dicitur hoc peccatum carnis inter personas illas, quæ illegitimæ dicuntur ratione alicuius significationis spiritualis: sicut vbi est transgressio voti, vel cognationis spiritualis. Et licet secundum aliam diuisionẽ cognatio spiritualis cõiungatur cum cognatione carnali, conuenientius videtur coniungi cum conditione voti, maxime vbi votum solennizatum est per professionem. D. Tho. 2. 2. q. 99. & q. 154. art. 10.

¶ POTEST ergo quæri vtrum huiusmodi copula carnalis sit secundum se peccatum. Secundo de comparatione huius peccati ad illud peccatum incestus, quod dicitur ratione consanguinitatis, vel affinitatis. Tertio, in quibus casibus contingit peccare cum ratione huius vel illius.

MEMBRVM I.

An sacrilegium secundum se peccatum sit?

AD primum. Quod non sit peccatum, videtur per hoc, quod & in lege, & tempore Apostolorum solebant contrahere, qui erant in sacris ordinibus constituti.

¶ PRÆTEREA, huiusmodi cognatio spiritualis reddit personam illegitimam ex constitutione: si ergo non interuenisset prohibitio, non fuisset peccatum.

¶ PRÆTEREA, sacerdotes orientalis ecclesiæ & diaconi adhuc habent vxores suas: ergo non est secundum se peccatum.

¶ ITEM, quod sacerdotes occidentalis ecclesiæ non possunt habere vxores, aliqua causa est. Si dicatur quod hoc est propter votum annexum ordini. Cõtra, Græci habent eosdem ordines, & tamen non est annexum votum: ergo non ratione voti isti plus tenentur, quam illi.

¶ Si dicatur, quod ecclesia occidentalis vouit in Nicena Synodo perpetuam castitatem ratione illorum, qui in sacris ordinibus constituuntur. Hoc non videtur: vota enim prædecessorum nõ videntur ligare successores: si enim pater voueat, quod filius intrabit religionem, nisi filius consentiat, non tenetur: ergo præcedentes non poterunt ligare successores succedentes ad continentiam.

RESOLVTIO.

Sacrilegium peccatum est ratione obligationis ecclesiæ superuenientis.

¶ AD quod dicendum: quod licet huiusmodi copula carnalis causa prolis procreandæ non esset peccatum tempore legis veteris, vel etiam tempore Apostolorum: nihilominus potest esse in præsenti tempore peccatum ratione alicuius obligationis superuenientis: quæ inducta est propter maiorem honestatem ecclesiæ.

¶ AD secundum vero dicendum: quod licet aliquando non fuerit prohibitio: nihilominus modo est prohibitio propter malum incontinentiæ, quod regnat in personis ecclesiasticis: & manente prohibitione, manet peccatũ. Adest etiam ratio munditiæ in cõtinentia propter contrectationem sacramenti diuini: si enim mundi debebant esse à mulieribus, qui propositionis panes contrectabant: sicut habetur

parte voluntatis efficit peccatum ex industria: contingit n. & implere posse, & cognoscere bonum, non tamen facere, nec amare: & hoc est ex studio peccare, sicut dicit Greg. Ex studio n. peccare, est bonum nec facere, nec amare: si n. vellent implere bona, nec tamen possent ea, quæ in se negligũt, saltem in aliis amarent: & bona, quæ audiendo cognoscunt, viuendo despiciunt, animaduertendo persequuntur. Gregor.

MEMBRVM III.

Quod nam grauius peccatum sit, peccatum ex ignorantia, vel ex infirmitate, vel ex certa malitia?

TERTIO quæritur de cõparatione differentiarum in se secundũ magnitudinem peccati. Et videtur, quod peccatum ex infirmitate sit maius, quã ex ignorantia: peccatum vero ex studio maius, quam peccatum ex infirmitate. Dicit enim Greg. *grauius infirmitate, quam ignorantia peccatur: multo vero grauius studio, quam infirmitate.* Gregor.

¶ PRÆTEREA, quando cum deliberatione peccatur, maius est peccatum; quam cum peccatur cum præcipitatione.

¶ Item, dicit Aug. *Verissimum est, longe maius esse peccatum eius, qui sciens, quam qui nesciens peccauit.* Si ergo peccatum ex ignorantia est nescienter peccare: peccatum vero ex industria scienter peccare: peccatũ vero ex infirmitate ex quodam impetu: peccatum autem ex industria est peccatum ex deliberatione: ergo maius est peccatum, quod est ex industria, quam quod est ex infirmitate, vel ignorantia. August. in lib. de baptismo.

¶ CONTRA: maius videtur peccatum ex ignorantia, quam ex infirmitate, per exemplum. Paulus n. ex ignorantia peccauit, sicut scribit ad Timot. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Ergo cum illud esset maius peccatum persequi fideles vsq; ad mortem, quam timore mortis negare exterius Christum, quod fuit in Petro; maius fuit peccatum ex ignorantia quam ex infirmitate. 1. ad Tim. 1.

¶ PRÆTEREA, dicit Ambr. *grauissime peccat, qui ignorat:* ergo peccatum ex ignorantia est maximum. Ambros.

RESOLVTIO.

Peccare ex ignorantia minimum est, ex infirmitate maius, ex certa malitia maximum.

¶ AD quod dicendum, quod grauius est peccatum ex infirmitate, quam ex ignorantia: ex infirmitate n. peccatur, cum cognoscitur bonum & malum, & bonũ non adimpletur ex fragilitate: & malum perpetratur: scientia n. multum aggrauat peccatum. Planum autem est quod ex industria peccare maius est, quam alterum illorum, & ita patet quod ordinantur secundum maius & minus in peccato.

¶ AD obiectam aũt in contrariũ. Dicendum est, quod aliud est cõparare peccatũ peccato ex cõparatione actionis ad occasionem, & aliud est comparare ex comparatione causæ ad causam, & aliud est comparare ex cõparatione generis ad genus. Secundum ergo quod fit comparatio peccati Pauli ad peccatum Petri ex collatione occasionis ad occasionem, scil. ignorantiæ ad infirmitatem, minus est peccatum Pauli quam Petri. Secundum autem quod fit cõparatio causæ ad causam in hoc, quod Petrus ex timore, Paulus ex temeritate, maius est peccatum Pauli quã Petri. Secundum aũt quod fit cõparatio generis actionis ad genus, prout hoc est peccatũ in verbo, quo declinatur mors: & illud est peccatum in facto, quo intentatur mors: maius est vnum peccatum altero: prout aũt hoc est in Deum, illud in proximum, maius est hoc illo. Vnde dicit Gregor. *Omne robur fidei, quo Domino Petrus perhibuit, vna vox puellæ concussit.* Gregor.

¶ AD secundum vero dicendũ, quod illud verbũ Ambros. *Grauissime peccat, qui ignorat:* exponitur sic: periculosissime, sc. Attendendum est etiam, quod non fit ibi comparatio peccati ex ignorantia ad alia duo: sed peccati cum ignorantia ad peccatum contemptus & promissionis impunitatis. Et vocatur ignorantia, cum homo deducitur ad tantã insensibilitatẽ sui peccati, vt non cognoscat peccatum, nec pœnam peccati; suppositis duobus gradibus præcedentibus. Hic aũt non sic accipitur, sed cum ex simplici ignorantia quis declinat in peccata. Ambros.

QVÆST. CXLVII.

De Fornicatione.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER descendendũ est specialiter ad peccata, quæ proueniunt ex infirmitate. Deinde ad illa, quæ sunt ex ignorantia. Tertio ad illa, quæ sunt ex industria, siue certa malitia. Quædam autem sunt peccata infirmitatis ex timore, & quædam ex amore. Quia vero infra dicemus de diuisione illa peccati, quæ est ex timore male humiliante, & ex amore male accendente: dubitabilia, quæ pertinent ad differentias timoris in illo loco determinabuntur. Principaliter autem peccatum ex infirmitate carnis est illud, quod prouenit ex concupiscentia carnali, circa quam præsens est intentio, vt suppleatur quod minus dictum est de luxuria superius. Sunt autem peccata ex infirmitate concupiscentiæ carnalis distincta: quoddam enim est ex fornicatione, quoddam ex adulterio, quoddam ex stupro, quoddam incestus, quoddam peccatum contra naturam. Ratio vero istius distinctionis supradicta est secundum differentias personarum. Primo vero dicendum est de fornicatione, & deinceps de aliis: illud enim minus peccatum determinat in illo genere. Primo autem quæritur, vtrum omne peccatum carnis dicatur fornicatio. Secundo supposito quod non omne peccatum carnis, vtrum concubitus cum soluta sit mortale peccatum. Tertio, si est mortale, vtrum sit minus peccatum, an maius aliis. D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 1. & 3.

MEMBRVM I.

An omne peccatum carnis fornicatio dicatur?

AD primum sic: secundũ aliam translationem dicitur Exod. 20. præceptum secundæ tabulæ: non fornicaberis. Sed constat, quod in illa prohibitione prohibetur omnis illicitus concubitus carnis: ergo omnis illicitus concubitus carnis, est fornicatio.

¶ ITEM, August. *Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur.* Sed omne peccatum carnis immunda pollutio dicitur: ergo & fornicatio. August.

¶ ITEM, dicitur: *Fugite fornicationem: omne n. peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat:* (& loquitur ibi de licito concubitu communiter) ergo omnis illicitus concubitus est fornicatio. 1. Cor. 6.

¶ CONTRA fornicatio est vnum peccatum speciale, diuidens contra adulterium, & alia: sicut patet ab August. *Adulterium malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu.* Aug. de adulterinis coniugiis.

¶ Hoc idem potest accipi per hoc, quod inter peccata omnia carnis vnum speciale peccatum computatur fornicatio, quod diuiditur contra immunditiam & impudicitiam.

RESOLVTIO.

Secundum diuersam acceptionem fere omne peccatum fornicatio dici potest.

¶ AD quod dicendum, quod fornicatio aliquando accipitur generaliter, pro quocunq; peccato mortali: secundum quod accipitur: *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Aliquando vero accipitur pro peccato carnis communiter: secundum quod accipitur. 1. Corinth. 6. Aliquando vero pro illicito concubitu cum soluta, & hoc propriè: & sic diuidit contra adulterium & alia. Aliquando vero accipitur pro concubitu in secundis nuptiis: & hoc modo dicit Chrysost. *Secundam quidem accipere licitum est, iuxta præceptum Apostoli: secundum autem veritatis rationem est fornicatio: sed cum, permittente Deo, publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Et hoc modo fornicatio dicit diuisionem suæ carnis in plures, & non determinat peccatum: reliquis autem modis peccatum determinat, vel generaliter, vel specialiter, vel specialissimè. Psal. 72. Chrysost.

* * *

MEMBRVM II.

An coitus cum soluta, siue fornicatio peccatum mortale sit?

SECVNDO, supposito, quod non omne peccatum carnis sit fornicatio, quæritur, vtrum concubitus cum soluta sit peccatum mortale, interueniente actu naturali. Quod non, videtur: nullus actus naturalis est peccatum: fornicatio est actus naturalis: ergo non est peccatũ. Quod sit naturalis, patet per hoc quod dicitur: (Rom. 1.) *Mutauerunt vsum naturalem in eum, qui est contra naturam.*

¶ Item, sicut comedere naturaliter ordinatum est ad conseruationẽ indiuidui, sic coire ad conseruationem speciei: sed comedere rem, quæ nõ est in proprietate alterius, licitum est ad sustentationem indiuidui: ergo coire cum soluta erit licitum propter sustentationem speciei.

(Genes. 16.) ¶ Item, Abraham cognouit ancillam suam Agar: & non cognouit eam, quia vxor eius esset (tunc n. non posset eam eiecisse) cognouit autem eam sine peccato: ergo coitus cum soluta modo naturali non est peccatum.

¶ ITEM, si est peccatum: aut hoc est ex sui fœditate siue inordinatione, aut prohibitione, aut quia est contra ius naturæ. Ex inordinatione non: pari n. ratione sicut homo fit totus caro in actu fornicationis, ita in actu coniugali: sed in actu coniugali non est peccatum: ergo nec hic. Nec hoc est ex prohibitione, cum non prohibeatur directè in Decalogo, vbi videtur prima legis prohibitio. Nec hoc est, quia est contra ius naturæ: de iure n. naturæ quod in nullius bonis est, occupanti conceditur. Præterea, ipsa natura dictat, quod fornicatio est ad conseruationem speciei: ergo non est contra ius naturæ: ergo non est peccatum.

¶ Contra, maior est natura honestatis in homine, quã sit in aliqua volucre: sed in aliqua volucre sic est, quod naturaliter seruatur castitas coniugalis, sicut in turturibus: ergo multo fortius debet esse in homine: vt vnus vni coniungatur affectu coniugali.

(Ad Hebr. vlt.) ¶ Item, *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*: Iudicare ibi accipimus pro condemnare: ergo cum nemo condemnetur nisi propter mortale peccatum: fornicatio erit mortale peccatum.

¶ Item, de lege Dei est, quod vna adhæreat vni coniugali affectu: & talis affectus est consonus rationi. Si ergo adhæreat vnus vni vel pluribus, non habito coniugali affectu, erit peccatum: sed fornicatio est huiusmodi, & est contra legem Dei: ergo mortale peccatum est.

¶ Item, supposito quod sit peccatũ, videtur quod sit veniale, per hoc quod dicitur super illud. (1 ad Tim. 1. Glossa.) *Exercete ad pietatem.* Gloss. *Omnis summa disciplinæ Christianæ in pietate & misericordia consistit, quam aliquis sequens, etiam si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, sed non peribit.* Si quis autem solum exercitium corporis habuerit, perennes pœnas patietur, supple si lubricum carnis patiatur. Si ergo non peribit, sed vapulabit, pati lubricum carnis est veniale peccatum: sed hoc est fornicatio: ergo fornicatio est veniale peccatum.

¶ Item, fornicatio est minimus gradus in genere carnalis peccati: si ergo aliquod est veniale peccatum in illo genere, illud est fornicatio: ergo fornicatio est veniale peccatum.

RESOLVTIO.

Coitus cum soluta, siue fornicatio vtcunque peccatum mortale est.

¶ AD quod dicendum, quod fornicatio est mortale peccatum.

¶ AD obiectum autem primo. Dicendum est: quod licet actus sit naturalis, qui est in coeunte fornicario modo ad differentiam actus, qui est contra naturam: nihilominus tamẽ, prout est peccatum, est contra naturam: peccatum n. est auersio ab eo quod est secundum naturam, in id quod est præter naturam: vt dicit Damasc. (Damasc.) Vnde contra naturam dicitur dupliciter: contra naturalem concubitum, qui est maris cum fœmina: & hoc modo potest esse actus ille secundum naturam. Alio vero modo dicitur cõtra naturã, quod est cõtra naturalem habitudinem ad bonum gratiæ, vel virtutis, & hoc modo dicitur peccatum mortale esse contra naturã: corrumpit n. bonum naturæ, quod est speciei, modi, & ordinis. Cum autẽ dicitur: (ad Rom. 1.) *Mutauerunt naturalem vsum*, &c. primo modo accipitur.

¶ AD secundum vero dicẽdum, quod aliud est de actu comedendi, & de actu coeundi. Actus n. coeundi procedit ex vi generatiuã, quæ corruptionem habet quandam vltra illam, quæ est in aliis viribus: vnde suus actus est peccatum, nisi excusetur per bonum matrimonij.

(Gen. 16.) ¶ AD tertium dicendum, quod non est simile de eo, quod factum fuit ab Abraham: & de eo, quod fit in moderno tempore. Abraham n. cognouit Agar affectu matrimoniali consentiente Sara vxore sua, quasi iure ipsius; eo quod esset sterilis: & tunc necessitas erat multiplicationis ad cultum Dei: vnde eam habuit quasi vxorem. Quod aũt expulit eam, inspiratione diuina factum fuit, in figuram alterius Sacramenti.

¶ AD quartum dicendum, quod est & contra prohibitionem, sicut habetur Exod. 20. secundum aliam translationem: & sicut habetur ad Hebr. & alibi ab Apostolo. vbi ostendit esse mortale. Est etiam contra ius naturæ secundum illam intentionem naturæ, qua omne peccatum mortale est contra naturam: licet non sit contra ius naturæ secundum alterum modum.

¶ AD illud vero, quod obijcitur, vtrum sit veniale peccatum. Dicendum, quod in illa autoritate datur intelligi fornicationem esse mortale peccatum: aliter n. non pateretur pœnas æternas. Sed in hoc datur intelligi, quod opus pietatis & misericordiæ motiuum quoddam est, vt impetretur facilius venia patienti lubricum carnis. Et notatur in hoc excellentia operis pietatis & misericordiæ respectu ieiunij & aliorum, in quibus est exercitatio corporis.

¶ Si vero obijciatur: quod fornicatio est minimus gradus peccati carnalis. Dicendum, quod minimus gradus dicitur dupliciter: vel secundum hoc quod gradus distinguuntur secundum differentias personarum, cum quibus est coitus: & hoc modo potest esse minimus gradus, prout dr̃, quod adulterium vincit fornicationẽ, vincitur aũt ab incestu, incestus autem vincitur à vitio quod est contra naturam. Prout autem minimus gradus dicitur in genere peccati cum minus habet deformitatis: secũdum hoc primus motus carnalis peccati dicitur esse minimus gradus, vel delectatio citra consensum superioris partis rationis vere, vel interpretatiuè.

¶ Si autem obijciatur quod nulli fit iniuria hoc peccato, & ita non est peccatum mortale. Soluendum est per interemptionem: iniuriatur n. Deo, cuius templum violat, secundum illud. (1. Cor. 6.) *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus S. si quis aũt violauerit templum Dei, disperdet eum Deus.*

MEMBRVM III.

An fornicatio maius, vel minus peccatum sit inter peccata carnis?

TERTIO quæritur: si fornicatio est mortale peccatũ, vtrum sit maius, vel minus aliis peccatis. Et videtur, quod sit minus peccatum, per hoc quod dicit Augu. (Aug. in lib. de adulterinis coniugiis.) *Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu: pessimum autem est, quod est contra naturam.* Et in eod. Lib. (Idem in eodem.) *Grauius peccat adulter, quam fornicator: sed hos incestuosi transcendunt.*

¶ CONTRA, potest aliquis cognoscere suam causa delectationis minus ordinatæ: tamen debito modo secundum naturam: sed minus est peccare in sua, quam peccare in non sua: ergo minus est illud peccatum carnis, quam fornicationis peccatum.

¶ AD idem Augu. *Tantum valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, vt rebus ad vtendum concessis, cum modus exceditur, longè sit tolerabilius, quam in eis, quæ concessa non sunt, vel vnus, vel rarus excessus.* Sed excessus fornicationis est in alia, quæ non est concessa: excessus autem in coniugata debito modo secundum naturam est in sua: ergo minus peccatum est.

RESOLVTIO.

Et maius, & minus alia atque alia ratione.

¶ AD quod dicendum: quod minus peccatum est huiusmodi in coniugata sua, quam in fornicaria. Dicitur tamen fornicatio esse minus peccatum in gradibus peccati

carnis: fit n. comparatio ad alia genera peccatorum secundum differentias personarum. Plus n. peccatum est coire cum aliena ipsum coniugatum, vel etiã cum non sua; quã solutum cum soluta. Plus etiam est peccatum, cum accedit ad virginem, quam ad corruptam, aliis paribus. Plus etiam cum sit transgressio voti in altera personarum, quam cum non est transgressio, aliis paribus. Plus etiam quando est contra vinculum naturæ, vel cõtra ipsam naturam. Et ita patet, quod cõparatione ad istas species dicitur esse minus peccatum fornicatio. Et hoc modo procedunt duæ rationes, quæ hoc concludunt.

QVÆST. CXLVIII.
De Adulterio.
In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 8 S. Bon in 4. d. 38. dub. 7. & 8. & d. 41. dub. 4.

CONSEQVENTER dicendum est de adulterio. Circa quod primo quæritur, vtrum adulterium tãtum perpetretur cum aliena. Secundo, si peccatur etiam cum sua mortaliter, vtrum secundum omnem modum debeat dici adulterium: vel sub alia specie contineri. Tertio, de magnitudine istius peccati. Quarto de pœna huius peccati.

MEMBRVM I.
An adulterium cum aliena tantum perpetretur?

AD primum sic: videtur, quod tantum sit adulterium cum aliena. *Adulterium enim est ad alienum thorum accessus:* sicut ipsa intentio nominis determinat: ergo cum aliena tantum perpetratur adulterium.

August. ¶ ITEM, August. *Mœchus est, cum relicta sua, aliena concupiscitur.*

Leo Papa. ¶ ITEM, Leo Papa. *Adulterium cõmittitur, vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contra peccatũ coniugale concumbitur: atque ita frangitur fides, quæ magnum animi bonum est.*

Isido. super Exod. ¶ Similiter Isidor. *Adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit.* Ex quibus colligitur, coniungi cum aliena adulterium esse, & econuerso.

Hierony. ¶ CONTRA. Hieron. *Nihil interest, ex qua causa quis insaniat. Vnde Sextus Pythagoricus, adulter (inquit) est in suam vxorem ardentior amator.* Idem. Et iterum: *Nihil fœdius est, quam vxorem amare tanquam adulteram.* Ergo adulterium potest committi non cum aliena.

August. in lib. de nuptiis & cõcupiscentiis. ¶ Item, August. *Si ambo non sunt tales, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.* Ergo adulterium committi potest non cognoscendo alienam.

RESOLVTIO.

Adulterium propriè non nisi ad alienum thorum accessus dicitur. Communiter tamen respectu proprij thori etiam dicitur.

¶ AD quod dicendum, quod adulterium propriè dicitur, cum ad alienum thorum fit accessus: nihilominus tamen dicitur adulterium, cum coniugatus vel coniugata ad personam solutam accedit. Extensio autem vocabulo dicitur adulterium aliquando cum propria vxore: sed hoc est secundum quandam iuris interpretationem. Dicitur enim adulteriũ, cum ita ardẽter diligit quis vxorem suam, vt si esset vxor alterius, non minus carnaliter commisceret se cum ea: Similitudine ergo adulterinæ libidinis dicitur adulterium: non quia pœna adulterij ei debeatur secundum illud, quod adulterium secundum locum tenet in pœnis.

¶ Et per hoc soluitur illud, quod obiectum est primo.

¶ AD secundum dicendum, quod illa autoritas August. in qua dicitur, quod ille est adulter vxoris: intelligitur de illis personis, quarum altera, scil. vir intendit extinguere fœtum in ventre materno: & reputatur adulter, quia dignus est pœna consimili vel ampliori, quæ adulteris est determinata: facit enim contra bonum prolis, & contra bonum Sacramenti.

MEMBRVM II.
An omnibus modis, quibus cum sua mortaliter peccatur, adulterium dicendum sit?

SECVNDO quæritur: si etiam peccatur cum sua mortaliter, vtrum secundum omnem modũ debeat dici adulterium: vel sub alia specie contineri. Assignantur autem quinq; modi. Primo cum cognoscit eam causa satiandæ libidinis per meretricias blandicias. Secundo cum præter naturalem modum. Tertio cum etiam tempore prohibito. Quarto cum loco prohibito. Quinto cum accedit ad prægnantem vicinam partui: vel ad menstruatam tempore menstrui. Et videtur, quod non sit fornicatio, secundũ modum specialem fornicationis: cum fornicatio sit soluti cum soluta, seruato vsu naturali: similiter potest intelligi de aliis speciebus peccati carnalis; sicut de stupro, vel incestu: testatur ergo quod sit adulterium.

¶ Item, minus videtur esse peccatũ cum causa explendæ libidinis cognoscit; quam cum accedit præter naturalem modũ; vel cum accedit ad mulierem menstruatam, vel vicinam partui: vbi timetur periculũ prolis. Et dicit Hieron. *Tunc viri debent abstinere ab eis: quia tunc concipiuntur membris damnati, cæci, leprosi, gibbosi, & huiusmodi.* Si ergo illud peccatũ dicitur adulterium propter sui enormitatem, multo fortius secundum, & tertium, & ita de aliis. Hierony.

¶ PRÆTEREA, adulterium reputatur, cum sit contra bonum fidei, & contra bonũ prolis: similiter cum sit contra bonũ Sacramenti. Sed in omnib. his fit contra aliquod istorum bonorũ: ergo in omnib. his reputatur adulterium.

¶ CONTRA, adulterium secundum legẽ habebat pœnam determinatam, quam non habet, qui istis modis coit cum vxore: ergo non reputatur adulterium.

¶ Item, Aug. *Vsus naturalis si vltra modũ prolabitur in vxore, est venale.* Ex quo videtur, quod minus peccatũ est (aliis parib.) illicitè cognoscere suam, q̃ non suam. Sed cognoscere non suã, quæ tñ soluta est, minus peccatum est, quam cognoscere alienam: ergo huiusmodi peccatum, si non sit contra naturã, minus est peccatum adulterio: vt n. minus fornicatione: ergo huiusmodi peccatũ non est adulteriũ. Aug. de adulterinis coniugiis.

¶ PRÆTEREA, vbi est adulterium scienter, in vtraque persona cõmittitur peccatum: hic autem in altera persona potest non esse peccatum, vt videtur; quia non intendit reddere, nisi quod suum est: ergo huiusmodi peccatum non est adulterium.

RESOLVTIO.

Non omnibus modis, quibus cum sua peccatur, adulterium dicendum est.

¶ AD quod dicendũ, quod peccare cum sua modis supra dictis, non est peccare peccato adulterij.

¶ AD obiectum aũt in contrarium dicendum est, quod non est adulteriũ, licet aliæ species supra dictæ remoueantur: insufficienter n. fit diuisio ad cõprehendẽdum omnia genera carnalis peccati: libido n. specialiter dicta, vel immunditia specialiter dicta illa genera comprehendit, quæ sub prædictis speciebus non continentur.

¶ AD secundum vero dicendum: quod licet dicatur prima differentiarum adulterium secundum quandam similitudinem, non tamen secundum alias differentias dicetur adulterium: secundum n. illam differentiam dicitur adulterium; quia sic ardet in illam, sicut esset adultera.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod non omnibus modis, quibus fit contra bonum matrimonij, iudicandum est adulterium: sed propriè cum fit contra bonum fidei. Et secundum hoc non omnia peccata, quibus homo cognoscit indebitè suam, ad rationem adulterij reducentur.

MEMBRVM III.
An adulterium grauius peccatum sit reliquis carneis peccatis?

TERTIO quæritur de magnitudine huius peccati. Dicitur enim in Epistola Clementis. *Inter omnibus peccatis adulterium est grauius: secundum namque in pœnis obtinet locum.* Ex quo videtur, q; peccatum adulterij sit maximum post peccatum apostasiæ. Dicitur enim in illa autoritate [*primum locum habent illi qui aberrant à Deo.*] Quod si est, erit maius peccatum peccato incestus, & aliis peccatis. Epistol. Clement. Ibid.

Aug. in lib. de adulterinis coniugijs. ¶ CONTRA, Augustin. *Grauius est peccatum adulterij, quam fornicationis.* Sed hæc peccata incestus transcendit: ergo non est maximum.

RESOLVTIO.

Quinimo minus graue est Incestu, & vitio Gomorrheo.

¶ AD quod dicendum, quod adulterium cum dicitur grauius, hoc est ex consideratione pœnæ. Sicut n. peccatum primæ tabulæ, quod est hæresis, vel apostasia, pœnam habet sibi determinatam, pœnam sc. mortis: similiter illud peccatum, quod determinatur per iniuriam, qua dissoluitur vnitas societatis humanæ, in veteri lege determinatam habet pœnam: nihil n. ita exasperat hominē quam iniuria in suam personam pro se, vel ratione illius, qui efficitur vna caro cum ipso: vnde sicut habetur in lege Moysis, vtrumque peccatum pœna mortis puniebatur. Nihilominus tamen in quantitate peccati maius est peccatum incestus, & eius quod est contra naturam, peccato adulterij: & maior debetur pœna in futuro istis peccatis, quam illis: sicut patet ex Iure Canonico.

Isidor. ¶ Obijcitur etiam ad hoc propter verbum Isido. quod peccatum fornicationis sit maximi sceleris inter cætera vitia: dicit enim: *Vitium fornicationis maximi sceleris est, quia per carnis immunditiam templum Dei violatur. Sunt n. quadam mulieres, quæ sicut animalia absque vlla discretione indesinenter libidini seruiunt: quas ego ne mutis pecudibus comparauerim.* Ex quo videtur, quod fornicatio sit maius peccatum adulterio.

August. ¶ Sed econtra habetur ab Aug. quod adulterij malum vincit fornicationem. Ipsa etiam ratio suadet: quia maius est iniuriari Deo & proximo in vno genere peccati, quam Deo tantum, sed in adulterio fit Deo iniuria & proximo: in fornicatione Deo tantum in genere peccati carnis: ergo minus est peccatum fornicationis, quam adulterij.

¶ AD quod dicendum, quod fornicatio accipitur dupliciter. Vno modo secundum quod generaliter continet peccata carnis, & hoc modo dicitur esse maximi sceleris, propter maiorem pronitatem concupiscentiæ, & quia non tantū violatur templum Dei ex parte animæ, sed templum Dei ex parte carnis. Alio modo sumitur fornicatio specialiter, prout diuiditur cōtra adulterium, & secundum hunc modum maius est peccatum adulterij, quam fornicationis: & sic accipitur ab Aug.

MEMBRVM IV.

Adulterij pœna quæ?

QVARTO quæritur de pœna huius peccati: Assignatur autem in Vet. Test. pœna mortis: sicut habetur:
Leuit. 20. *Si mœchatus fuerit aliquis cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit, morte moriatur.* Videtur ergo secundum legē, quod pœna mortis debeatur: in lege aūt videmus, quod furtum punitur pœna pecuniaria: sicut habetur Exod. 22. econtra vero furtū modo punitur pœna mortis, si ducitur in consuetudinem: adulterium vero non ita videmus puniri.

Isidor. ¶ PRÆTEREA, sicut habetur in Canone, dicit Isidor. quod pro adulterio & huiusmodi peccatis septennis pœnitentia iniungitur: & accipitur hoc ex Vet. Test. exemplo Dauid, qui in adulterio deprehensus, vnius Hebdomadæ ieiunium satisfactionis admissi sceleris Deo legitur obtulisse: sed hoc idem legitur de fornicatione, & de aliis huiusmodi peccatis: videtur ergo quod par pœna in æqualibus peccatis debeatur.

RESOLVTIO.

In veteri lege adulterium morte puniebatur: nunc autem minime.

¶ AD quod dicendum est, quod aliter fuit in Vet. Test. & aliter nunc secundum legem ciuilem siue secularem. In lege enim veteri iniuria in personam, vel in aliam, quæ est quasi eadem persona, morte mulctabatur: iniuria vero in rem per pœnam huiusmodi puniebatur: sic enim erat pœna talionis. Nunc autem pœna furti punitur morte, non propter iniuriam in ipsa re; sed propter coertionem pronitatis, & pacis communis conseruationē, adulterium etiā morte puniretur, nisi esset excusatio originalis concupiscentiæ ex vna parte, & deest accusatio ex alia parte: non vindicatur tamen, si adulter in ipso facto luat.

¶ AD secundum vero dicendum, quod licet peccatā sint inæqualia: regulariter tamen septennis pœnitentia iniungitur: non quia maiori peccato non debeatur maior pœna: sed vt ostendatur, non secundum quantitatem singulorum peccatorum propriam posse in causa institui pœnitentiam: sed pro huiusmodi maioribus septennis iniungitur, exemplo Mariæ sororis Moysi: exemplo etiam illo, quo dicitur: *Septem annis veniet tibi fames in terra tua.* 2. Reg. vlt. Signatur autem quod pro mortali peccato, cui debetur pœna æterna, homo in præsenti vita vniuersalem debet sustinere afflictionem. Si tamen crimina sunt maiora vel minora secundum genus peccati, vel circumstantias ex parte personæ, vel actus, maior vel minor iniungitur pœnitentia.

QVÆST. CXLIX.

De peccatis coniugum.

In quatuor Membra diuisa.

S. Bon. in 4. d. 31. art. 1. Scō in 4. d. 32. q. vnica QVIA iam dictum est de adulterio, in quo delinquitur contra coniugium simpliciter: adiungēdum videtur de peccatis, quæ fiunt ab ipsis coniugibus. Sicut aūt supra dictum est, plures sunt differentiæ secundum defectū diuersarum circumstantiarum. Aliquando n. priuatur finis debitus, sicut accidit, quando coit causa ex saturandæ libidinis. Aliquando vero priuatur modus, cum fit præter naturalem modum. Aliquando vero tempus debitum: sicut cum fit prohibitio temporis: vt in solennitate paschali. Aliquādo vero priuatur locus debitus, sicut in locis sacris. Aliquando vero priuatur circumstantia debita personæ: cum qua est concubitus; sicut cum menstruata, vel vicina partui.

¶ Primo ergo quæritur, quando sit peccatū, vel ex quibus causis. Secundo, quando sit mortale peccatum, & quando veniale. Tertio, si peccat vna persona mortaliter, vtrum alia peccet reddendo ei quod petit; cum sciat alteram personam peccare mortaliter. Quarto, vtrum in matrimonio post votū continentiæ emissum semper peccet persona, quæ votum emisit petendo debitum, aut non.

MEMBRVM I.

Coniugalis concubitus, quando debite, & absque peccato fiat?

AD primum sic dicit Greg. tunc solum coniuges in admixtione sunt sine culpa; cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Ex quo videtur quod alia de causa si fit concubitus, est peccatum.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod addit, dicens Paulus cum quosdam in Ecclesia incontinentes respiceret, cōcessit minora, vt maiora declinarent, dicens: *Propter fornicationem vnusquisq; suam habeat vxorem.* 1. Cor. 7.

Ambrof. ¶ Item, Ambros. *Qui non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibiinuicem copulantur; non tam coniuges, quam fornicarij videntur.* Et dicit Hieronym. *sicut non omnis congregatio hæreticorum Ecclesia Christi dici potest: sic non omne matrimonium, quo vxor viro suo secundum præcepta Christi coniungitur; rite coniugium appellari potest, sed magis adulteriū.* Hierony. Secundum hoc videtur, quod causa prolis procreandæ si fiat coniunctio viri cum coniuge solummodo, non fit peccatum.

August. ¶ Sed econtra habetur per hoc quod dicitur ab Aug. *Redde debitum: si non exigis, redde: pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit.* Et iterum: *Quisquis compatiens infirmitati vxoris, reddit, & non exigit debitum, quantum ad hoc securus expectat diem nouissimum.* Idem.

¶ ITEM, dicitur: quod causa vitandæ fornicationis potest quis vxorem suam cognoscere sine peccato: vbi dicitur. *Secunda institutio coniugij est propter illicitum motum eliminandum extra Paradisum factum, vt infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur coniugij.* Idem 32. quæst. q. 1.

RESOLVTIO.

Coniugalis concubitus tunc rectè fit, quando vel causa prolis procreandæ, vel causa debiti reddendi, vel vitandæ fornicationis gratia fit.

¶ Ad quod dicendum est secundum Aug. de bono cõiugij. Debent sibi coniugati non solum sexus sui commiscendi fidem procreandorum liberorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas: verumetiã infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodo seruitutem. Secundũ hoc est ergo dicendũ, quod tribus de causis fit conuenienter cõcubitus coniugalis: vel causa prolis procreandæ: vel causa debiti reddendi: vel causa vitandæ fornicationis.

¶ Ad obiectum aũt dicendum est, quod illud verbum Greg. quo dicitur: *Tunc solum coniuges in admixtione sunt sine culpa*, &c. intelligẽdũ est quod talis admixtio causa prolis procreãdæ potuit esse sine culpa, hoc est, cũ nulla fuit culpa: sic enim constitutũ fuit coniugium, sed nunc si fit alia de causa, non est sine culpa originali præcedente: licet sit sine culpa actuali. Vel aliter potest notari exclusio, vt dicatur tunc admixtio causa prolis procreandæ solum sine culpa fieri; cum non admisceatur de libidinis motu.

Gregor. ¶ Ad secundum vero dicẽdum secundum illud, quod dicit Greg. de concessione minorum ad vitationem maiorum, potest intelligi de illo, qui cognoscit coniugem pro explenda libidine: tali n. permittitur, quod minus est, ad vitandum maius peccatum, sc. fornicationem, & secundũ hoc concessio dicitur permissio. Si vero concessio acciperetur aliter; tunc dicendum, quod concessit actum coniugalem, id est, cõcessum ostendit, propter vitandam fornicationem: non quia actus coniugalis sit minus peccatum; sed quia contingit fieri cum minori peccato.

Ambros. ¶ Ad tertium dicendum, quod dicit Ambros. *quod qui solum explendæ libidinis causa copulantur, fornicari videntur*: potest sic exponi de primo consensu: qui n. adinuicẽ consentiunt non affectu matrimoniali, sed affectu fornicario, nõ sunt dicendi coniuges, sed magis fornicarij. Si vero de iam copulatis intelligitur, oportet tunc referre ad ipsum motum: vt motus ille referatur ad libidinem, priusquam ad coniugium: dicit n. Aug. *Ad hoc nuptiæ sunt, vt illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis & dissoluta fluitaret, habens de seipsa irrefrænabilem infirmitatem de nuptiis autem indissolubilem fidei societatẽ, de ipsa progressum immoderatè coeundi, de nuptiis modum castè procreandi.* Per quod ostenditur, quod motus explendæ libidinis plus ad concupiscentiam pertinet, ex qua est fornicatio: quam pertineat ad coniugium.

August.

Hierony. ¶ Ad quartum dicendum, quod illud verbum Hiero. vbi dicitur, quod non ritè coniugium dici potest, sed magis adulterium intelligitur de illa coniunctione coniugis cum coniuge, qua dicitur: quod omnis ardentior amator coniugis suæ adulter est. Et intelligitur illo modo, quo supra dictum est; non quod sit simpliciter adulterium, sed secundum quandam reputationem.

Quæst. immediate præcedẽti Membr. 1 in resolutio.

MEMBRVM II.

Quando mortaliter, quando vere venialiter peccant coniuges in concubitu?

SECVNDO quæritur, quando sit peccatum mortale, & quando veniale. Et videtur, quod sit veniale, cum peccant coniuges in coniugio, saluato vsu naturali: cum n. vsus est contra naturam, est mortale. Vnde Augu. *Ille concubitus, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice: sed execrabilius in coniuge*: dicitur enim: *Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Et dicit August. *Quis ambigat absurdissimè dici non eos peccasse, quibus venia datur: sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non causa procreandi.* Ex quo accipitur, quod inordinatus concubitus in coniugibus sit veniale peccatum.

August. de bono coniugali. 1. Cor. 7.

August. in li. de bono coniugali.

¶ Item, in eodem Lib. *Concubitus, qui vltra necessitatem generandi progreditur, iam non rationi, sed libidini obsequitur: qui aũt libidini obsequitur, saluato vsu naturæ, in coniugibus est veniale.* Dicit enim Aug. in eod. *Ille vsus naturalis, qui prolabitur vltra pacta nuptialia, id est vltra propagandi necessitatem, venialis est in vxore: in meretrice damnabilis.*

Idem in eodem.

Idem in eodem.

¶ Item, Augustin. in eod. *Si turpe est, libidinose vti velle marito: honestum tamen est nolle misceri, nisi marito.* Ex quo accipitur, quod motus libidinis excusabilis est propter coniugium: ergo venialis.

Idem in eodem.

¶ Item, in Lib. de Nuptiis & cõcup. *Aliud est non concũbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam: aliud carnis concũbendo appetere voluptatem; sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam.* Ergo motus naturalis in coniugibus est venialis, cum est inordinatus.

Idem in li. de nuptiis & concupiscentia.

¶ Item, in eodem. *Huius plaga quidam pruritus in adulteriorum, & fornicationum, & quorumlibet stuprorum fœditatibus regnat: in connubiorũ vero necessitatibus seruit: ibi de dominio talis damnatur turpitudo, hic de pedissequa talis honestas verecundatur: cum ergo non regnat huiusmodi concupiscentia, erit non mortale, sed veniale.* Ex his videtur, quod motus inordinatus naturalis tantum sit venialis in coniugibus, secundum quamcunque fiat differentiam: maximè cum nõ fiat exceptio. Motus ergo, qui est inordinatus quantum ad finem, & modũ quendam, & locum, & tempus, & personam, in coniugibus erit venialis.

Idem in eodem.

¶ Contra, ex parte finis obijcitur, per hoc, quod dicit Hieron. *Ardentior amator vxoris suæ adulter est.* adulterium autem verè, vel interpretatiuè est mortale peccatum.

Hierony.

¶ Item, August. *Si ambo tali concupiscentiæ subiguntur: rem faciunt non planè nuptiarum.* Ex quo videtur, quod sit mortale peccatum: cum ambo sint subiecti concupiscentiæ: nec excusentur per bonum nuptiarum.

August. de bono coniugali.

¶ Item, inordinatus motus quantum ad circumstantiam temporis videtur esse mortale peccatum. Dicit enim Hieronym. *Quicunque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi: nec de carnibus agni comedere.* Et post subiungit. *Eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debemus.* Ex quo accipitur, quod concubitus carnalis in coniuge indignum reddit respectu perceptionis Eucharistiæ, sed indignum non facit nisi mortale peccatum: ergo illicitus concubitus in coniuge est mortale peccatum.

Hierony. Idem.

¶ Item, Aug. *Christiano conuenire cum sua vxore aliquãdo licet, aliquando non licet: propter processionis enim dies, & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia à licitis etiam abstinendum est ad tempus, vt facilius impetrari posit, quod postulatur.* Vnde Apostol. Ex consensu abstinendum est ad tempus, vt vacetis orationi. Ex quo habetur, quod concubitus coniugum tempore orationis est illicitus, & ita mortale peccatum.

August. in Quæstionib. veteris & noui testam.

¶ Item, Augustin. *Hoc secundum veniam conceditur, cuius delectu non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, sed Dei misericordiam non à se auertant; vel non abstinendo quibusdam diebus, vt orationibus vacent, & per abstinentiã, sicut per ieiunium suas preces commendent: vel immutando naturalem vsum in eum, qui est contra naturam.* Ex quo accipitur, quod auertitur misericordia Dei, cum non abstinent tempore orationis coniuges à concubitu inordinato: & ita est mortale peccatum.

August. de bono coniugali.

¶ Hoc etiam apparet ex disiunctione per hoc, quod sequitur de immutatione naturalis vsus in eum, qui est contra naturam: quod damnabile est in coniuge.

¶ Similiter ostenditur de circumstantia loci indebiti: qui n. concũbit in Ecclesia, sacrum locum violat: violatio autem sacri loci est mortale peccatum: ergo huiusmodi concubitus est mortale peccatum.

¶ Item, Ex Nicæno Concilio habetur, vbi dicitur: *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut semine cuiusdam polluta fuerint.* Si ergo pollutio fit per concubitum libidinosum: coniuges, qui concumbunt, peccant mortaliter.

Concil. Nicæn.

¶ Sed potest obijci quantum ad cõditionem personæ: vt si vicina fuerit partui mulier, vel si fuerit menstruata. De primo dicit Ambr. *Ipsa ratio conceptus & partus iuxta legem cessare vsum carnalem his debere temporibus demonstrat.*

Ambr. sup. Epistolam ad Cor.

¶ Præterea, illo tempore imminet periculum partus: cum ergo hoc sit contra bonum prolis: erit contra matrimonium: & ita erit mortale peccatum.

¶ Item,

(Hierony.) ¶ Item, Hieron. *Præcipitur, vt viri non solum in alienis, sed in suis vxoribus modum & tempora seruent: vnde tempus est amplexandi, & tẽpus longè fieri ab amplexibus.* Ex quo habetur, quod tempus, quo mulier vicina est partui, si eam cognoscit, peccat mortaliter, faciendo contra præceptum.

(Ezech. 18.) ¶ Similiter ostenditur de menstruata: dicitur enim: *Si ad mulierem menstruatam non accesserit,* &c. & computat inter opera iustitiæ: & dicitur in glos. (Glossa.) *Si quis accesserit, dicuntur cõcepti fœtus vitium seminis contrahere, vt leprosi & elephantici ex hac corruptione nascantur.*

(Leuit. 18.) ¶ Similiter dicitur Leuit. 18. *Ad mulierem quæ patitur mẽstruum, ne accedas.* Et dicit Aug. (Augu. ibi.) *Cum hoc superius sufficienter prohibuisset: hic repetit fortè, ne in superioribus videretur figuratè accipiendum, vbi talia prohibentur.* Et subditur: *In hac re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium prohibetur.* Cum ergo sit prohibitio, faciens contra hoc, mortaliter peccat.

(Leuit. 21.) ¶ Item, *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius: ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo.* Sed huiusmodi pœna in lege indicat mortale peccatum, ergo est peccatum mortale.

(Hesicius sup. Leu. 15) ¶ Quod etiam videtur per hoc, quod dicit Hesicius super illud: *Mulier, quæ redeunte mense,* &c. *Necessario vtrinq; interna continentia indicitur.* Ergo tempore illo abstinere debet vir à cognoscendo mulierem menstruatam.

(Leuit 18. Glossa.) ¶ Item, super illud: *De semine tuo non dabis,* &c. Gloss. *Prohibetur menstruata, & vxor proximi: quia in tali commixtione adulterium est, non coniugium.*

RESOLVTIO.

Cum delectantur in actu illo sub Deo, veniale est: si supra Deum, vel æquè Deo, mortale.

¶ Ad quod dicendũ, quod aliquando est veniale peccatum: aliquando mortale in concubitu inordinato viri cum muliere, seu coniuge. Si n. illa delectatio sit sub Deo, veniale peccatum est: excusatur n. propter Sacramentum coniugij: Vnde Aug. (Aug in lib. de bono coniugali.) *Si magis in sua coniunctione diligunt, quod honestum est, quã quod inhonestum est, id est, quod est nuptiarũ, quã ꝙ non est nuptiarum, hoc (autore Apostolo) eis secundum veniam conceditur. Si vero æquiparetur, vel præferatur Deo, fit mortale peccatũ.*

¶ Quod ergo primo obijcitur, quod vniuersaliter sit veniale peccatum. Dicendum est, quod non, nisi veniale largè accipitur, non tantum pro eo quod est in genere veniale, sed pro eo, ꝙ est veniabile: sicut dicitur de illo peccato, ꝙ est ex infirmitate, ꝙ ipsum est veniabile siue remissibile, quia habet aliquã causam allicitiuam, propter quã in parte excusatur, licet sit in genere mortale, & hoc patet, si rectè attendantur intentiones illarum autoritatum.

¶ Ad ea vero, quæ obiecta sunt ex altera parte. Dicendum de illa autoritate Hieron. quod adulter dicitur ardentior amator vxoris suæ, hoc intelligitur, si ita feruet in vxorem suam, quod etiam si non esset sua, nihilominus vellet coire cum ea: nihil n. fœdius est, quam amare vxorẽ suam tanquam adulteram.

¶ Ad secundum vero dicendum, ꝙ licet ambo subijciantur concupiscentiæ; non tñ oportet, quod sit mortale peccatum: sicut ipse exponit: quia magis diligere possunt quod honestum est, quã inhonestum. Rem aũt facere nõ nuptiarum dicuntur propter motũ libidinis, qui ad infirmitatẽ concupiscentiæ pertinet, non ad bonum nuptiarũ.

¶ Ad tertium vero dicendũ, quod istud, quod dicitur de abstinentia & perceptione Sacramenti Eucharistiæ tẽpore concubitus carnalis; attenditur & ratione peccati, & ratione immunditiæ. Licet n. huiusmodi actus inordinatus in coniugibus secundum se esset venialis: tñ propter reuerentiam Sacramenti exhibere se debet homo mundũ spiritualiter & à peccato & à sequela peccati, quantum in ipso est pp reuerentiam Sacramenti: hoc aũt intelligitur de petente. De reddente vero debitum infra dicetur: Petens n. illo tempore peccat, sed reddens potest nõ peccare, si reddit quod alienum est, & cum anxietate animi; propter id quod est ibi de morbo concupiscentiæ.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud, quod dicit August. quod aliquando non licet conuenire cum vxore, vt tempore ieiuniorum, vel processionis. Dicendum est, ꝙ non licere, dicitur multipliciter: vel quia omnino prohibitum est, vel quia non expedit sibi: vel alij: & hoc modo potest dici non licere. Vnde dicit Aug. (August.) *Non expedit illud quod licitum est, quando permittitur quidem, sed vsus ipsius potestatis aufert impedimentum salutis.* Vel aliquando dicitur licitũ, quod permissum est cõparatione deterioris: & hoc modo posset dici licitum; quia ad vitationem deterioris, sc. fornicationis, vel adulterij permittitur.

¶ Ad quintum dicendum, quod hoc intelligitur de illo, qui nulla necessitate ductus, causa satiandæ libidinis, tempore debito orationi; petit instanter carnalem copulam, non causa procreationis: talis n. peccat mortaliter. Et dicitur de tempore orationis solenniter statuto ab Ecclesia: aliter autem esset, si peteret causa vitandæ fornicationis in se, vel in alia persona.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de loco sacro. Dicendum est, quod si locus consecratus est, propter contemptũ Sacramenti peccat mortaliter: neque tanta est necessitas, quin possit cognoscere in alio loco. Nec est simile de tempore orationis quocunque.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de Ecclesiis consecratis, si sint pollutæ, &c. Dicendum, quod propriè dicitur pollutio illo modo, quo polluitur per adulterium, vel fornicationem: non aũt cum polluitur per coitum cum vxore, propter quã debeat fieri reconsecratio: sicut dicunt quidam. Secundum alios aũt in quibusdam causis debet fieri iterata consecratio. Si vero fuerit adulterium, debet fieri reconciliatio: reconciliare autem potest Diœcesanus Episcopus, vel per se, vel per alium.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de petente concubitum à muliere vicina partui. Dicendum est, quod si præsumitur vehementer de periculo partus, peccat mortaliter; si vero sit causa vitandæ fornicationis; eo quod in parte progreditur secundũ motum libidinis, peccat venialiter. August. (August. de bono coniugali.) *Sunt viri vsque adeo incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant:* quicquid ergo inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidum gerunt; vitium est hominum, non culpa nuptiarum.

¶ Ad illud vero, quod dicit Hieron. Dicendum, quod hoc intelligitur propter conditiones partus: loquitur n. in illo casu, vbi talis est conditio mulieris, cum qua si coeat eo tempore, potest esse periculum partus.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de menstruata. Dicendum est, quod causa concubitus potest aggrauare factum, vel minuere: Si n. causa vitandæ fornicationis fiat, diminuitur quantitas peccati: si vero libido satianda cum negligentia periculi in prole, aggrauatur in hoc peccatum, vt sit mortale, & sic intelligi potest illa prohibitio. Nec est omnino simile de menstruata, & leprosa: quia menstruata secundum tempus patitur menstruũ: leprosa vero simpliciter determinatur. Et ideo conuenientius potest à mẽstruata abstinere, quam à leprosa: quia non secundum omne tempus potest esse continentia in quibusdam personis.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de pœna mortis, quæ infligebatur coeunti tempore menstruo cum muliere. Dicendum est, quod alia attenditur conditio in Leuit. 15. & 18. & 20. In 15. n. Leui. agitur de illo, qui cognoscit menstruatam ignoranter: poterat enim talis per sacrificium expiari, vel per lotionem vestimentorum. In 18. autem intelligitur de scienter accedente, vbi fit prohibitio propter periculum partus. In 20. aũt, vbi loquitur de pœna mortis, loquitur de cognoscente menstruatam, & peccatum suum publicante. Vnde dicitur ibi [*& reuelauerit turpitudinem eius*] & similiter intelligitur de muliere. Vnde dicitur ibi: *Ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui.* (Leuit. 21.)

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur: quod adulterium est in tali commixtione: Dicendum est, quod hoc est per quãdam interpretationem: qui enim causa exsatiandæ libidinis coit cum mẽstruata, ad modum adulteri quærit voluptatem in ea cum inconsideratione periculi: vnde quasi pro adulterio reputatur: non enim bonum coniugij ibi considerat, cum hoc ipsum principaliter moueat.

MEMBRVM III.

An si persona petens debitum mortaliter peccat, & persona reddens mortaliter peccet?

TERTIO quæritur: si peccat vna persona mortaliter, vtrum alia persona peccat, reddendo ei, quod petit: cum sciat alteram personam peccare mortaliter in prædictis casibus? Quod videtur per simile: si enim aliquis esset furiosus, & aliquis redderet gladiũ ei, quo se interficeret scienter, peccaret mortaliter. A simili cum sciat vxor virum suum peccare, si reddat ei debitum, peccat mortaliter: si ergo tempore non debito, siue loco, & ita de aliis circumstantiis consentiat illi, peccat mortaliter.

¶ ITEM, videtur quantũ ad illum casum, vbi peccare vult præter naturam: dicit August. *Cum vir membro mulieris non ad hoc concesso vti voluerit; turpior est vxor, si in se, quasi in alia fieri permiserit.* Non ergo reddendum est debitum carnis, vbi aliquis contra naturam petit. (Aug. in lib. de bono coniugali.)

¶ ITEM, quo ad circumstantiam temporis arguitur, quod non est reddendum debitum: quia redditio debiti tempore orationis videbitur subtrahere perceptionẽ Eucharistiæ: sicut supra exprimitur in autoritate Hieronym. *Quicunque vxori debitum reddit, de carnibus agni non potest comedere.* Ex quo videtur, quod non tantum peccat vna persona petendo debitum, sed altera persona reddendo. Dico autem illud debitum, de quo dicit Apostolus. *Vir non habet potestatem corporis sui: sed mulier:* similiter *mulier non habet potestatem corporis sui: sed vir.* (Hierony. — 1 Cor. 6.)

¶ Item, dicit Gregor. *Cum voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges de commixtione sua, quod defleant.* Sed deflere non est nisi peccatum: ergo persona, quæ reddit debitum, debet deflere peccatum: ergo peccat reddendo. (Gregor.)

¶ Contrarium videtur ratione circumstantiæ loci per hoc, quod dicit Augustin. *Nec ad tempus, vt vacent orationi, nisi ex consensu voluerint, coniuges carnali inuicem debito defraudare debent.* Si ergo mulier petat in Ecclesia debitum, non est fraudanda; cum non consentiat in oratione. (Aug in lib. de adulterinis coniugiis.)

¶ Similiter videtur quando mulier vicina est partui, vel tempore menstruorum: potest enim mulier magis præsumere de periculo partus, quem habet in ventre, quam ipse vir: si vero est contra bonum prolis, non tenetur reddere: periculum enim homicidij esset: peccat ergo mortaliter, si sic præsumat consentiendo in copulam carnalem.

¶ CONTRA, non videtur peccare mortaliter, quod videtur per simile: si enim aliquis tenetur alicui in debito: & cognosceret, quod male vteretur illo; nihilominus soluere deberet ipsi repetenti. A simili ergo hoc faciendum est in debito carnis: ergo reddere debitum non est peccare mortaliter.

¶ ITEM, dicit Augustin. *Reddere debitum coniugale nullius est criminis: exigere autem vltra generandi necessitatem, culpa est venialis: fornicari vero vel mœchari puniendi criminis.* Ex quo accipitur quod reddere debitum non est peccatum mortale. (August. de bono coniugali.)

¶ Item, Augustin. *Si vir continere voluisset, & tu noluisses; tibi reddere debitum cogeretur: & illi Deus imputaret continentiam: sed non sua, sed tua cederet infirmitati, ne in adulterium caderes.* Ex quo accipitur, quod altera personarum non peccat reddendo debitum: ad paria enim iudicantur in hac parte vir & vxor. (Idem.)

RESOLVTIO.

Persona reddens debitum si aut adulterij, aut fornicationis vitandæ gratia reddat, neutiquam & ipsa mortaliter peccat.

¶ AD quod dicendum, quod aliud est de illo, qui tradit gladium furioso: quem penes ipsum deposuit, & de muliere, quæ reddit debitum carnis viro volenti fornicari, vel adulterari. Illa enim reddit ad vitationem maioris periculi: maius enim periculum est adulterari, quam peccare in cognoscendo suam libidinose. Qui vero tradit gladium furioso, occasionem dat periculi manifestam: non propter declinationem maioris periculi.

¶ AD secundum dicendum, quod in peccato contra naturam nullatenus consentire debet mulier viro, sicut habetur ex prædictis, & si consentit, peccat mortaliter: sic enim commisceri non est reddere debitum.

¶ AD aliud dicendum, quod tempus orationis dicitur dupliciter, vel tempus maiorum solennitatum, quod cõstitutum est ad orandum, & vacandum diuinis: vel quod voluntariè eligitur. Si primo modo honestum est, non propter suum peccatum, sed propter immunditiam abstinere ob reuerentiam Sacramenti: si tamen cum anxietate & fletu debitum reddat, potest sacram communionem accipere nisi aliud obstiterit: sicut dicit Gregor. Si vero fuit tempus voluntarium orationis, non est eligendũ nisi ex consensu: ita quod debitum subtrahatur, secundum q dicit Apost. *Nolite fraudare inuicẽ; nisi forte ex consensu ad tempus: vt orationi vacetis.* Et dicit Expositor, *qui subtrahit debitũ, cum debetur, fraudem facit ei, cui debetur: quanto magis in illo debito, quod Deus instituit.* (1. Cor. 7. Expositor ibi.)

¶ AD quartum dicendum, quod autoritas Gregor. intelligitur de coniugibus, vbi est commixtio libidinosa: ibi enim vtraque persona vel altera suum peccatũ deflere debet. Si vero vna persona peccet, & altera non peccet: illa quæ non peccat, nõ tenetur deflere, nisi prout portat onus alterius.

¶ AD quintum dicendum, quod si vir vel mulier petit debitum carnis in loco sacro, non tenetur reddere: cum alias sit oportunitas de facili. Nec valet argumentum, sc. quod si non est fraudanda nisi ex communi consensu, ergo non est fraudanda in loco sacro.

¶ AD sextum dicendum, quod si mulier præsumit probabiliter de periculo partus, non tenetur reddere: si vero non præsumit, tenetur: licet cognoscat ipsum peccare, tamen cum dolore & anxietate. Nec dicitur consentire peccato illius, sed consentire ei, quo ad hoc quod petit quod suum est, & tali intentione, ne peius fiat.

MEMBRVM IV.

An persona, quæ votum continentiæ emisit; petere, aut reddere debitum possit absque peccato?

QVARTO quæritur, vtrum in matrimonio post votum continentiæ emissum persona peccet semper, quæ votum emisit, petendo, vel reddendo debitum, aut non? Et videtur quod semper peccet: quia facit contra votum: vouit enim continentiam: cum ergo in qualibet copula carnali agat contra votum, nec videtur debitum esse exigendum, nec reddendum.

¶ CONTRA: votum simplex emissum continentiæ impedit contrahendum, sed non dirimit contractum: manet ergo matrimonium: manente matrimonio & copula carnali subsecuta, tenetur reddere debitum: nullus autem tenetur ad contraria: ergo non peccat reddendo debitum.

RESOLVTIO.

Petere absque pœnitentia non potest: reddere procul dubio potest.

¶ AD quod dicendum est, quod agere debet pœnitentiam de voti transgressione, & secundum ius matrimonij, quod stat, reddere debet debitum: nec peccat sic reddendo, cum consummatum sit matrimonium. Indultum enim est propter bonum matrimonij, quod non dissoluatur matrimonium per huiusmodi votum simplex: maior enim est dignitas signationis Sacramentalis in ipso matrimonio, quam in ipso voto. Licet ergo possit non petere debitum; tamen tenetur reddere quod est alienum.

De hoc autem amplius dicendum est in Tractatu de Voto.



QVÆST. CL.

De Stupro.

In quatuor Membra diuisa.

D.Tho 2. 2. q 154. ar. 6. S. Bon. in 4. d. 41. d dub. 4. & 5.

CONSEQVENTER dicẽdum est de alio genere peccati, quod est ex infirmitate carnis, quod dicitur stuprum. Primo ergo videndum est, quid sit stuprum. Secundo, vtrum stuprum sit adulterium. Tertio, in quo differat à raptu. Quarto, in quo teneatur virgini, quam deflorauit constuprator.

MEMBRVM I.

Quid sit stuprum?

Isidorus. DICIT autem Isidor. quod *stuprum est virginum illicita defloratio*: quando videlicet, non præcedente coniugali pactione, vtriusque voluntate virgo corrumpitur, patre iniuriam statim ad animum post pactionem, vel cognitionem reuocante.

¶ CONTRA hanc diffinitionem sic obijcitur: videtur enim quod non sit stuprum, si pater statim iniuriam reuocet ad animum: hoc enim est membrum positum in diffinitione.

¶ Sed contra: defloratio virginis illicita, ipsa consentiente, est sub peccato carnis: sed non est sub adulterio; cum adulteriũ sit cum coniugata: nec est simpliciter fornicatio; cum simpliciter fornicatio dicatur coitus cum soluta corrupta, hæc autem virgo est: ergo non est simpliciter fornicatio: nec est incestus; incestus enim est concubitus contra consanguinitatem, vel affinitatem commissus: nec dicitur sacrilega luxuria, sicut est in eo, qui votum professionis transgreditur: vel sicut est in eo, qui in sacris ordinibus est constitutus: tale autem non est illud: nec est peccatum contra naturam: restat ergo quod in genere stupri continetur.

¶ Quod etiam non sit fornicatio, de qua magis videtur; ostenditur per hoc quod dicit Isidor. *fornicatio specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum*: talis autem concubitus non est iste: ergo non dicetur fornicatio. Isidorus.

RESOLVTIO.

Stuprum est virginum illicita defloratio: quando non præcedente coniugali pactione vtriusque voluntate virgo corrumpitur, patre statim iniuriam ad animum post pactionem, vel cognitionem reuocante.

¶ AD quod dicendum, quod membrum appositum est in diffinitione propter hoc, quia de consensu etiam parentum vel quadam dissimulatione virgo huiusmodi est allicienda. Præterea pater potest agere cum stupratore actione iniuriarum si reuocet iniuriam ad animum: nihilominus vtroq; modo dicitur esse stuprum.

¶ AD illud ergo, quod obijcitur. Dicendum est, quod illa clausula non apponitur; nisi vt determinetur omne complementum ipsius stupri, secundum quod consideratur in esse legali: simpliciter autem dicitur esse stuprum, vbi reliquæ partes diffinitionis conueniunt.

MEMBRVM II.

An stuprum adulterium sit?

SECVNDO quæritur: Vtrum stuprum sit adulterium? Quod videtur per hoc, ꝙ dicitur ab Ambr. *Nemo sibi blãdiatur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est. nec viro licet, quod mulieri non licet.* Ex hoc accipitur, quod stuprum sit adulterium. Ambro. de Patriarch. lib. 1. de Abrahã. c. 4.

¶ Præterea, Numeri 5. loquitur de vxore, quæ errauit, & contemnens maritum, dormiuit cum altero viro. Et postea subiungitur. *Latet adulterium, & testibus argui non potest: quia non est inuenta in stupro.* Ex quo accipitur, quod stuprum est adulterium, vel econuerso. Num. 5.

¶ CONTRA. Isidor. *Adulterium est alieni thori violatio*: (dicitur enim quasi ad alterius viri thorum accessio) & hoc non contingit in stupro: ergo stuprum non est adulterium. Isidor.

RESOLVTIO.

Nequaquam propriè, communiter autem vtique.

¶ AD quod dicendum, quod stuprum dicitur dupliciter. Vno modo propriè: & alio modo communiter. Secundum quod propriè sumitur, differt stuprum ab adulterio: & hoc modo diffinivit Isidor. Alio vero modo communiter accipitur: & hoc modo sumit Ambros. & sumitur Num. 5. Et dicit Aug. *Intelligitur quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omnino per qualibet, quæ animam male corpore vtentem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciose ac turpiter corrumpi possit sine crimine: & vir vxorem dimittere, & vxor virum.* Aug. in lib. de sermone Domini in monte.

MEMBRVM III.

An stuprum & raptus idem sint?

TERTIO quæritur, in quo differat stuprum à raptu. Vt n. quod raptus sub stupro contineatur: dicitur n. quod Sichem filius Emor rapuit Dinam, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et postea subsequitur. Respõderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo sæuientes ob stuprum sororis. Ergo raptus erat stuprum. Gen. 34.

¶ Item, secundum diffinitionem stupri, de consensu virginis, cum virgo corrumpitur, nõ præcedente pactione coniugali, stuprum dicitur: sed hoc potest esse, cum est raptus: potest n. contingere, quod puella consentiat, & pater non consentiat: & tunc raptus dicetur, & stuprum; secundum hoc quod dicitur in Canone. *Si quæ rapitur, patrem habere consenserit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur.* Canon.

¶ Contra: raptus committitur, cum puella violenter à domo patris abducitur: stuprum autem non sic: ergo stuprum non est raptus.

RESOLVTIO.

Communiter idem esse dici possunt: propriè autem idem esse dici non possunt.

¶ Ad quod dicendum, quod stuprum aliquando propriè dicitur; cum neque violentia infertur puellæ, neq; parentibus: & secundum hoc stuprum propriè differt à raptu. Aliquando vero dicitur stuprum, cum est consensus puellæ, patre iniuriam ad animum reuocante: & hoc modo dicitur stuprum generaliter, & comprehendit in se raptum: & sic accipitur in Gen. secundum hoc ergo potest accipi in Canone. Præterea, aliqua potest consentire & in abductionem, & in corruptionem: & sic potest simul dici stuprum, & raptus: stuprum propter consensum puellæ, raptus vero propter violentiam.

MEMBRVM IV.

Ad quid constuprator virgini constuprata teneatur?

QVARTO quæritur, in quo teneatur constuprator virgini, quam deflorauit. Et videtur, quod teneatur in pœna constituta à lege: dicitur enim Exod. 22. *Si seduxerit aliquis virginem nondum desponsatam, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & habebit vxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere cõsueuerunt.* Ex quo accipitur, quod puniri debet, quia seduxit eam, & quia dormiuit cum ea. Exod. 22.

RESOLVTIO.

Habebit eam in vxorem, vel dotem pro nuptu dabit.

¶ SED potest quæri, quantum debeat ei dare in dotem.

¶ AD quod potest dici per hoc, quod dicitur in Deut. *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum; & apprehendens, concubuit cum illa: & res ad iudicium venerit: dabit qui dormiuit cum illa, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem: quia humiliauit illam, & non poterit illam dimittere cunctis diebus vitæ suæ.* Deut. 22.

¶ Sed contra hoc est, quod ille forsan non tantum habet, quod possit soluere.

¶ Ad quod respondetur: quod secundum legem si nō potest puniri pœna pecuniaria; punietur in seruitio corporis: & hoc totum refundetur in bonum ipsius puellæ. Et dicit Hieron. *Pater puellæ illius, quæ vim concubitus nulli desponsata pertulit, quinquaginta dragmas accipiat: ipsa autem in cōiugio permanebit.* Eodem modo videtur, si de consensu virginis hoc fiat: non minus n. debet fieri puellæ, eo quod eam deflorauit. Hierony.

¶ Sed qualiter illa pœna secundum legem statuitur, qua dicitur, quod non poterat eam dimittere cunctis diebus vitæ suæ: cum in lege Moysi permitteretur libellus repudij?

¶ Ad quod dicendum est, quod hoc factum est, sicut dicit Augu. ne videatur ludibrium fecisse, & finxisse quod eam duxerit. August.

QVÆSTIO CLI.

De Raptu.

In quatuor Membra diuisa.

Consequenter dicendum est de raptu, qui in parte conuenit cum stupro, in parte differt. D Tho. 2. 2 q 154. art 7.

¶ Et primo quæritur, quid sit raptus. Secundo, si raptor possit ducere eam, quam rapuit. Tertio, de pœna illorum, qui participant in rapiendo. Quarto de pœna raptoris, & euasione à pœna.

MEMBRVM I.

Quid sit raptus?

Raptus autem sic diffinitur. *Raptus admittitur, cum puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur*: siue puellæ solummodo, siue parentibus tantum, siue vtrisq; vis illata constiterit.

¶ Sed potest obijci: ponatur, q̄ abducta sit, nō vt corrupta in vxorem habeatur: nunquid non est dicendus raptus? Quod videtur ex prædicta diffinitione.

¶ Sed obijcitur in contrarium: qui abducit à domo patris, vt corrumpat: & non habet intentionem contrahendi cum ea; nonne magis iniuriatur? & aliud genus peccati carnis non determinatur; restat ergo quod & hic raptus dicitur.

¶ Præterea, ponatur quod aliquis promissionibus seducat aliquam, & abducat eam sponte à domo patris: & postea opprimat eam: & deinde de consensu parentum dotata in vxorem ducatur: videtur quod non sit raptus per iam dictam rationem.

¶ Contra, oppressit eam: ergo est ei illata aliqua violentia.

¶ Præterea, aliqua puella potest esse alicui desponsata, & post, ipsa nolente, est ab eo cognita, siue vis est ei illata: nunquid huiusmodi peccatum carnis dicatur raptus. Non videtur: cum n. desponsata fuit, consensit in carnalem copulam: ergo iure suo vsus est, cum cognouit eam: non ergo dicetur raptus.

¶ Contra, vim intulit puellæ, vt eam corrumperet: ergo est raptus.

¶ Præterea, Isidor. *Raptus est illicitus coitus, à corrumpendo dictus.* Sed sic videtur hic: ergo est raptus. Isid. Ety. lib. 5. c. 26.

RESOLVTIO.

Raptus est, cum puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur: siue puellæ solum, siue parentibus tantum, siue vtrisque vis illata constiterit.

¶ Ad primum dicendum: quod licet non habeat intentionem contrahendi cum illa, dummodo per violentiam corrumpatur, dicetur raptus. Sed quod posuit in diffinitione [*vt corrupta in vxorem habeatur*] ad minorationem iniuriæ dicitur: non quod aliud genus carnalis peccati sit.

¶ Ad secundum dicendum, quod licet puella consentiat in abducendo de domo patris: & parentes post cognitionem carnalem consentiant: nihilominus dicendus est raptus: quod accipitur per similitudinem rapinæ: Rapina enim dicitur dupliciter fieri: aliquando enim res ipsa rapitur: aliquando ipsius rei vsus tantum eripitur violenter. Res enim tunc rapitur, cum violenter à Domino eripitur, vt in perpetuum teneatur. Aliquādo vero res ipsa non affectatur, sed vsus eius, Domino prohibente, violēter vsurpatur. Similiter est de raptu: raptus enim dicitur dupliciter: vel cum puella de domo parentum violenter abducitur: vel cum voluntariè recedens, per violentiam opprimitur. Hoc ergo vltimo modo dicitur raptus, quia florem virginitatis puellæ renitenti violenter eripuit: licet non dicatur primo modo raptus. Vnde ad similitudinem rapinæ vsus dicitur hic raptus: non ad similitudinem rei.

¶ Ad tertium dicendum, quod si desponsatio præcessit; si eam rapit, non dicitur raptum committere: sicut dicit Gelasius Papa: Lex illa præteritorum Principum, ibi raptum dixit esse cōmissum, vbi puella, de cuius ante nuptiis nihil actum fuerat, videtur abducta. Quia ergo iure suo quodammodo vtitur, à raptu excusatur. Sed licet non committat raptum; peccat tamen aliter, iniuriam faciendo nuptiis: libera enim debent esse coniugia: sicut habetur in Extrauag. Nec sequitur, si fuit ibi aliqua violentia, quod propter hoc sit ibi raptus. Gelasius Papa 36 q. 1 cap. Lex illa. Extrauag. de spons. *Requisiuit.*

¶ Ad illud vero, quod vltimo obijcitur. Dicendum, quod raptus aliquando sumitur communiter: & hoc modo accipitur in autoritate illa Isidor. cum dicitur: *Raptus est illicitus coitus*, &c. sicut fuit raptus in casu proposito. Quandoque propriè, eo modo quo dictum est supra: & sic non. Isidor.

MEMBRVM II.

An raptor, quam rapuit, in vxorem ducere possit?

Secundo quæritur: Vtrum raptor possit eam ducere, quam rapuit; vel si peccat contrahendo. Quod non possit, videtur: dicitur enim in Concilio Melden. 36. q. 2. *Placuit, vt hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel seducunt; eas nullatenus habeant vxores, quamuis eas postmodum conuenant, aut eas dotauerint, vel nuptialiter (cum consensu tamen parentum suorum) susceperint.* Concil. Melden. 36 q. 2.

¶ Item, Hieron. *Filia deprehensa à viro in ciuitate, & illi per vim copulata; si non fuerit voluntas patris, detrahet eam à prædicto viro, & tradet eam alij: & dotabit eam, & legitima erit.* Ex quo videtur, quod raptor peccet contrahendo cum ea, quam rapuit. Hierony.

¶ Ad idem dicit Symmachus Papa. *Raptores viduarum, vel virginum: ob immanitatem facinoris tanti detestamur, quod pro nefandissimi criminis atrocitate à communione suspendi præcipimus.* Ex quo accipitur, quod illegitimi sunt raptores ad contrahendum. Symmach. Papa 36. q. 2. cap. Raptores.

¶ Item, Gregor. *Si quis virginem vel viduam rapuerit, vel furatus fuerit cum suis fauentibus, Anathema sit.* Et dicitur: *Si in agro reperit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum illa; ipse morietur solus: puella nihil patietur, nec est rea mortis: quia sicut latro consurgit cōtra fratrem suum, & occidit animam eius ita puella perplexa est.* Gregor. Deut. 22.

¶ Præterea, violentia in raptu opponitur secundum se consensui coniugali: ergo qui violentiam huiusmodi facit, indignus est matrimonio; ergo talis non potest contrahere matrimonialiter cum illa, quam rapuit.

¶ Præterea, si consensus in ipsam raptam faceret matrimonium: matrimonium autem superueniens dissoluit sponsalia cum aliena persona: secundum hoc huiusmodi consensus in raptam dissolueret sponsalia. Sed hoc non videtur, per hoc quod dicitur in Canon. *Desponsatas puellas & post ab aliis raptas, placuit erui & reddi eis, quibus ante fuerunt desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illata fuerit.* Canon.

¶ Contra: Ex Concilio Melden. *Raptæ parentibus legaliter restituantur: peracta vero pœnitentia, si ætas incontinentiam exegerit, vtriusque placito coniugio socientur.* Ex quo habetur, quod potest cum ea contrahere. ¶ Similiter videtur per hoc quod dicitur Deut. 22. in fine. Concil. Melden.

RESO-

RESOLVTIO.

Poteſt quidem, ſed non niſi peracta raptus pœnitentia, & cum vtriuſq; parentum conſenſu.

¶ Ad quod dicendum, quod ſecundum quod dicitur in Cañ.) ex conditione raptus non eſt perſona raptoris conueniens, inquantum huiuſmodi, copulari raptæ, antequam vitium rapinæ aboleatur. Sed cum illa patriæ poteſtati fuerit reſtituta, & raptor ſuæ rapinæ pœnitentiam egerit, & voluntas parentũ in vnum conuenerit: non prohibentur adinuicem copulari.

¶ Ad obiectum autem in cõtrarium dicendum, quod illud, quod dicitur in præfato Concilio, in deteſtationem illius criminis dictum eſt: ſed abrogatum eſt: Vel poteſt intelligi de illis, qui deſponſantur alijs.

¶ Ad illud vero, quod dicit Hierony. Dicendum eſt, quod hoc intelligitur, cum voluntas parentum contradicit, & ipſa adhuc eſt ſub poteſtate parentum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod illud, quod dicitur de raptoribus, quod ſuſpendendi ſunt à communione, hoc dicitur propter immanitatem criminis, quouſq; egerint pœnitentiam. Si vero fuerit peracta pœnitentia, non negatur, quin poſſint adinuicem contrahere: ſicut habetur in Extraua. de raptoribus.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud ſimiliter dicitur in deteſtationem criminis.

¶ Ad quintum dicendum, quod ſecus eſt de raptu illarum, quæ alijs ſunt deſponſatæ, & de raptu illarum, quæ nec dum ſunt deſpõſatæ. Si n. alijs fuerint deſponſatæ, reſtituendæ ſunt eis: violentia enim facta non aufert ius ſponſalium; quod habuit ille, qui deſponſauit: cum non interuenit conſenſus illius mulieris raptæ, nec vere, nec præſumptiuè, &c.

MEMBRVM III.

Quæ pœna raptorum complicibus debeatur?

Tertio quæritur de pœna illorum, qui participant in rapina. Quod autem puniantur morte, videtur per ſimile: qui enim agunt & conſentiunt, eadem pœna ſunt puniendi: ſed raptores ſecundum legem Deut. 22. puniendi erant morte: ergo participes in raptu. (Deut. 22.)

¶ Præterea habetur in Cañ. quod raptor publica pœnitentia mulctandus eſt. Similiter poteſt argui de his, qui participes erunt in raptu.

¶ Præterea, ex Concilio Chalcedonen. habetur: quod cooperantes ipſis raptoribus, ſi clerici eſſent, deciderent à proprio gradu: ſi vero laici, excommunicarentur. Ex quibus omnibus colligitur, quæ pœna infligenda eſt illis, qui participes ſunt in raptu. (Concil. Chalced.)

¶ Sed videtur contrarium: quia aliquando parcitur raptori propter ipſum bonum coniugij. Similiter in fauorem ipſorum coniugum videtur, quod parcendum ſit aliquando illis, qui participes erant in raptu.

RESOLVTIO.

Interdum eadem quæ raptoribus ipſis debetur: interdum minor.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod primo dicitur, regulariter intelligitur: ex cauſa tamen alia ſuperuenienti poteſt mitius agi, vel cum ipſo raptore, vel cum ipſis, qui erãt participes. Aliquando etiam & ſi non fuerit raptus, ſed attentatio, etiam ipſa attentatio eſt cauſa maioris pœnæ: ſicut dicitur in Cañ. & eſt lex Iuſtiniani in Codice. Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantummodo matrimonij iungendi cauſa ſacratiſſimas virgines auſus fuerit: capitali pœna feriatur. (Canon. Codic.)

MEMBRVM IV.

An raptor raptus pœnam interdum euadere poſſit?

Qvarto quæritur de euaſione raptoris, de quo dicitur in Concilio Aurelianen. *De raptoribus id conſtituendum eſſe cenſemus: vt ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit; & fœminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit: ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor mortis, vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ad ſeruiendum ſubiectus ſit: aut ad redimendi ſe liberam habeat facultatem.* Ex quo accipitur, quod priuilegio Eccleſiæ raptor confugiens ad Eccleſiam, mortis euaſionem promeretur. (Concil. Aurelian.)

¶ Sed obijcitur ratione prædictæ autoritatis: dicitur enim in illa, quod conceſſa eſt impunitas pœnarum raptori: videtur ergo ex hoc, quod liber ſit ab omni pœna.

¶ Contra dicit Ambroſ. quod raptor debet ſoluere quinquaginta dragmas aureas patri puellæ: non ergo liber eſt ab omni pœna. (Ambroſ. in Apologia Dauid.)

¶ Præterea, in eadem autoritate dicitur: quod ſubiectus debet eſſe ad ſeruiendum ipſi patri puellæ. Sed qualiter hoc? cum alibi dicatur, quod accipiat in coniugem: nunquid ex hoc puniretur puella, quod accipiet ſeruum in virum?

¶ Præterea, ſi eſt ſeruus, vſq; ad quod tempus ſeruiet ei. Nunquid in perpetuum?

¶ Præterea, dicitur in illo Cano. quod liberam habeat facultatem redimendi ſe; nunquid eſt in optione raptoris, an primo quod ſeruiat, & deinde ſe redimat? (Canon. ſupra.)

RESOLVTIO.

Pœnam corporalem euadere poteſt, omnimodam autem pœnam euadere non poteſt.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod non conceditur ei ſimpliciter impunitas pœnarum, ſed pœnarum corporalium: non autem liber eſt à pœna pecuniaria, vel alia huiuſmodi pœna.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod hoc, quod dicitur [*quod ad ſeruiendum ſubiectus ſit*] non ex hoc accipitur, quod puniatur pœna ſeruitutis: ſed recompenſari debet in ſeruitio ad ſatisfaciendum patri.

¶ Ad tertium dicendum: quod quia non eſt determinatum, vſq; ad quod tempus ſeruiat ei; in arbitrio boni iudicis eſt, quod lege non exprimitur.

¶ Ad vltimum dicendum eſt, quod in optione ipſius eſt, vtrum ſubijciat ſe ad ſeruiendum, an ſe redimat, & eſt ſimile 27. q. 2. Multorum.

QVÆST. CLII.

De Inceſtu.

In quatuor Membra diuiſa.

Deinde dicendum eſt de inceſtu, poſt ſtuprum, & raptum. Primo autem quærendum eſt: quid ſit inceſtus? Secundo, vtrum inceſtus ſit malum ſecundum ſe? Tertio de comparatione illius peccati ad alia illius generis. Quarto de caſibus, qui contingunt in inceſtu ratione conſanguinitatis, & ratione affinitatis. (D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 9 S Bon. in 4. d. 34. art. 3. q. 2.)

MEMBRVM I.

Quid ſit inceſtus?

Diffinitvr autem ſic. *Inceſtus eſt lubricum carnis, contra conſanguinitatem vel affinitatem commiſſum.* Aliquando autem ſumitur largius, vt comprehendat in ſe lubricum carnis, quod eſt contra votum. Diffinit autem ſic Iſidor. *Inceſtus eſt conſanguinearum, vel affinium abuſus, vel vbi eſt iuſtitia publica honeſtatis:* ſicut habetur 35. q. 3. Nec eam. (Iſidor. 36. q. cap. Lex illa.)

RESOLVTIO.

Inceſtus eſt lubricum carnis contra conſanguinitatem, vel affinitatem commiſſum.

¶ Sed poteſt quæri, quare vnum eſt, quod eſt commune peccato carnis, quod eſt in abuſu conſanguinearũ, & in abuſu affinium? cum vinculum affinitatis & conſanguinitatis ſint vincula diuerſa? ex quo videtur, quod peccatum carnis, quod eſt contra illa duo vincula, duas contineat peccati ſpecies carnales.

¶ Ad

Deut. 25. ¶ SED econtra videtur illud, quod dicitur Deut. 25. Si aliquis absque liberis moreretur, præcepit Dominus, vt frater defuncti vxorem eius accipiat, & suscitet fratris sui defuncti prolem. Potest ergo contrahere cum vxore fratris sui.

Leuit. 18. ¶ PRÆTEREA, qualiter contraxit Iacob cum duabus sororibus, cum hoc videatur prohibitum in lege vbi dicitur. *Sororem vxoris tuæ non recipies in pellicatum ipsius*: cum sic viuerent patres antiqui, sicut legem custodientes: licet enim nó essent statuta tunc temporis, cum legis statuta seruabát, sicut patet de Iuda, qui voluit, quod filius eius suscitaret semen fratris defuncti: nondum tamen lex super hoc data fuit.

¶ AD quod dicendum: quod illud, quod in lege dicitur quod nullus accipiat vxorem fratris sui, intelligitur ipso viuente: vna enim lex per aliam explanatur. Quod autem dr, quod frater accipiat vxorem defuncti, hoc in parte dicitur in figura, & in parte secundum veritatem. In figura quidé, quia fratris nostri, sc. suscipienda est vxor, id est, ecclesia, vt Christo suscitetur semen, non nobis. In veritate aût vt notetur in veteri lege benedictio ratione multiplicationis prolis ad cultum Dei.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod illud, quod dicitur de Iacob, quod duas sorores habuit, cum hoc esset prohibitum in lege. Respondendum, quod non erat lex promulgata. In figura autem facta fuit, vt ostenderetur duplex coniunctio ecclesiæ cum Christo: ratione vitæ contemplatiuæ, & ratione vitæ actiuæ: quod signatur per Rachelem &

Genes. 29. Liam. Et licet ipsi quantum est de se, seruarent legem sine lege sibi data, non est dicendũ, quod Iacob peccauit, vtranque sibi copulando vxorem: cum hoc ex alia causa factum fuerit, nec lex contrariabatur.

¶ DEINDE quæritur, vtrum peccet, qui contrahit cum aliqua vna, vbi persona est in quinto gradu, & alia in quarto. Potest enim quæri, propter quid gradus computatur secundum personam remotiorem? Et vr, quod debeat computari gradus secundum personam propinquiorem: cum enim gradus attendatur consanguinitatis, persona autem, quæ propinquior est, propinquius adhæret stipiti: videtur ergo, quod secundũ eam computandus sit gradus: & si hoc est: tunc peccat persona, quæ est in quarto gradu cum illa, quæ est in quinto.

Isidor. in li. Etymo ¶ Huius etiam gratia quæritur, quæ sit ratio numeri istorum graduum. Ponit autem Isidor. talem rationem. *Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens vsque ad vltimum gradum se subtraxerit, & propinquitas esse desierit: tũc primum lex matrimonij vinculum recipit, & quodammodo reuocabit fugientem: ideo autem vsque ad sextum gradum generis consanguinitas statuta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio & omnis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.* Sed si hæc esset ratio, tunc non conuenienter posset contrahi matrimonium in illis sex gradibus. In cõcilio autem Lateranen. aliter institutum est. Potest ergo quæri, quæ sit causa protensionis graduum consanguinitatis vsque ad quartum inclusiue, & non vlterius.

¶ Ad quod dicendum est, quod si vna persona fuerit in quinto gradu, & alia in quarto; secundum nouellam ordinationem Inno. potest contrahi matrimonium: secundum enim remotiorem gradum fit computatio in fauorem matrimonij ad dilatationé ipsius charitatis: vt vbi tepescit dilectio naturalis, ibi inchoetur dilectio moralis.

¶ Ad secundum dicendum: quod duplici ratione abbreuiati sunt gradus, per quos fit illegitima persona ad contrahendum: quarum vna est, quod intantum processerat matrimonialis coniunctio, quod tum ratione consanguinitatis, tum ratione affinitatis tanta fuit confusio personarum, quod vix poterat contrahi matrimonium inter personas legitime. Præterea refriguit dilectio naturalis siue tepuit vt non protendatur, inquantum solet protendi: & ideo vsq; ad quartum gradum protenditur ratio consanguinitatis: & ibi incipit dilectio ratione coniunctionis matrimonialis: vt sic ad fomentum dilectionis suppleat ratio matrimonij, quod deest ex parte naturæ tepescentis.

¶ SIMILITER quæritur ratione affinitatis, inquantum protenditur linea affinitatis: & cum sint tria genera affinitatis, vtrum consimiliter sit peccatum in quolibet secundũ consimilem gradum? vt quot gradus sint in primo genere affinitatis, tot sint in secundo, & tertio?

¶ AD quod dicendum: quod aliter est in primo genere affinitatis & in aliis. In primo genere affinitatis prohibitio copulæ coniugalis quartum gradum affinitatis de cetero non excedit: sicut habetur extra de consanguinitate & affinitate. Ratio vero assignatur ex hoc quod graue esset dispendium, si vlterius protenderetur. Non sic autem est in secundo genere affinitatis, & in tertio: sicut habetur ibidem. Ratio autem eadem subest, quæ supradicta est: ne ex multiplicatione confusio fiat personarum illegitimarum ad contrahendum.

QVÆSTIO CLIII.

De Sacrilegio.

In tria Membra diuisa.

DEINDE dicendum est de alio genere peccati carnalis, quod speciali nomine dicitur sacrilegium: communi autem nomine potest dici incestus, sicut supra habitũ est. Et dicitur hoc peccatum carnis inter personas illas, quæ illegitimæ dicuntur ratione alicuius significationis spiritualis: sicut vbi est transgressio voti, vel cognationis spiritualis. Et licet secundum aliam diuisioné cognatio spiritualis cõiungatur cum cognatione carnali, conuenientius videtur coniungi cum conditione voti, maxime vbi votum solennizatum est per professionem. D. Tho. 2. 2. q. 99. & q. 154. art. 10.

¶ POTEST ergo quæri vtrum huiusmodi copula carnalis sit secundum se peccatum. Secundo de comparatione huius peccati ad illud peccatum incestus, quod dicitur ratione consanguinitatis, vel affinitatis. Tertio, in quibus casibus contingit peccare cum ratione huius vel illius.

MEMBRVM I.

An sacrilegium secundum se peccatum sit?

AD primum. Quod non sit peccatum, videtur per hoc, quod & in lege, & tempore Apostolorum solebant contrahere, qui erant in sacris ordinibus constituti.

¶ PRÆTEREA, huiusmodi cognatio spiritualis reddit personam illegitimam ex constitutione: si ergo non interuenisset prohibitio, non fuisset peccatum.

¶ PRÆTEREA, sacerdotes orientalis ecclesiæ & diaconi adhuc habent vxores suas: ergo non est secundum se peccatum.

¶ ITEM, quod sacerdotes occidentalis ecclesiæ non possunt habere vxores, aliqua causa est. Si dicatur quod hoc est propter votum annexum ordini. Cõtra, Græci habent eosdem ordines, & tamen non est annexum votum: ergo non ratione voti isti plus tenentur, quam illi.

¶ Si dicatur, quod ecclesia occidentalis vouit in Nicena Synodo perpetuam castitatem ratione illorum, qui in sacris ordinibus constituuntur. Hoc non videtur: vota enim prædecessorum nõ videntur ligare successores: si enim pater voueat, quod filius intrabit religionem, nisi filius consentiat, non tenetur: ergo præcedentes non poterunt ligare successores succedentes ad continentiam.

RESOLVTIO.

Sacrilegium peccatum est ratione obligationis ecclesiæ superuenientis.

¶ AD quod dicendum: quod licet huiusmodi copula carnalis causa prolis procreandæ non esset peccatum tempore legis veteris, vel etiam tempore Apostolorum: nihilominus potest esse in præsenti tempore peccatum ratione alicuius obligationis superuenientis: quæ inducta est propter maiorem honestatem ecclesiæ.

¶ AD secundum vero dicendum: quod licet aliquando non fuerit prohibitio: nihilominus modo est prohibitio propter malum incontinentiæ, quod regnat in personis ecclesiasticis: & manente prohibitione, manet peccatũ. Adest etiam ratio munditiæ in cõtinentia propter contrectationem sacramenti diuini: si enim mundi debebant esse à mulieribus, qui propositionis panes contrectabant: sicut habetur

solennitatis. Vnde si contractum est matrimonium post votum simplex: reddere debet debitum post consummatū matrimonium, & agere pœnitentiam de transgressione voti. Si vero non esset matrimonium consummatum, posset vtrunq; seruari: posset enim contrahere, & ad frugem melioris vitæ transuolare: & ita seruaretur iuramentum, & votum: nihilominus tamen indiscretum fuit iuramentum.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod consummatio matrimonij fuit instituta: quia aliter non videbatur ratificari in posterum. Dicendum est, quod quodammodo fuit licitum, scil. inquantum consentit in vinculum coniugale: inquantum vero cōsentit in copulam carnalem, quodammodo illicitum. Et licet malum esset secundum quod illicitum: ex illo tñ malo elicit Deus bonum, & ratione eius quod fuit matrimonium consummatum, tenetur reddere debitum: & quod non fuit prius debitum, immo indebitū, postea factum est debitum: si enim prius permitteret se cognosci, peccaret: nunc aūt non peccat reddendo.

¶ Ad illud quod obijcitur, quod iuramentum illud erat pro matrimonio, quod fortius habet vinculum voto, & ita non vergebat in deteriorem exitum. Dicendum est, quod licet esset pro matrimonio, quod in se sanctum est: tamen erat contra votum, quod præcessit: & iō quoad hoc vergebat in deteriorem exitum: & ideo non obseruandum, sed agenda pœnitentia pro temeritate iuramenti, quod debet esse cum iudicio: sicut dicitur Ierem. 4.

Casus. ¶ Quæritur etiam, si mulier dederat fidem alicui de cōtrahendo, & postea votum continentiæ emisit ex aliqua causa, vtrum peccet peccato incestus contrahendo, & carnaliter se ei commiscendo? Et supponamus, quod mulier talis sit, quæ ex infirmitate carnis non valeat continere. Quod autem peccet peccato incestus, faciendo contra votum: patet ex hoc, quod emisit votum continentiæ: post emissum etiam consensit in carnalem copulam, & carnaliter cognita est: ergo peccauit peccato carnis contra votum: ergo commisit incestum.

Decretal. ¶ Contra, videtur per hoc quod dicitur in Decretali: vbi dicitur: quod *de fide mentita, & voto violato agat congruam satisfactionem: & cui vult in Domino nubendi licentia concedatur.* Sed non intendit Papa præstare autoritatem peccandi: ergo non peccauit, sic contrahendo, & carnaliter se commiscendo.

¶ Ad quod dicendum est: quod illud quod dicit Papa, respicit, quod dicitur, de duobus malis minus malum concedendum est: minus autem malum est mulierem contrahere matrimonium post votum simplex emissum, quam incurrere reatum fornicationis: & ideo his conditionibus existentibus, concedit Papa licentiā nubendi: ita quod agatur pœnitentia de violatione voti. Nec dicitur esse peccatum incestus, si reddat debitum post matrimonium contractum: vel si carnaliter commisceatur: sed si extra matrimonium fieret cum persona, quæ votū emisit: Hoc autem tantum dicitur de voti violatione.

Casus. ¶ Consequenter dicendum est de casibus, pertinentibus ad peccatum incestus, siue sacrilegij, secundum alium modum, quod prouenit contra cognationem spiritualem, aut spiritualem proximitatem. Potest ergo quæri, vtrum peccet vir peccato incestus, qui baptizat filiastrum suum, vel filiastram suam: & postea cognoscit vxorem suā, cuius efficitur cōpater? Et videtur quod sic: incestus enim est peccatum carnis contra proximitatem spiritualem: sed hæc est proximitas spiritualis contracta: ergo peccat deinceps illam cognoscendo.

Canon. ¶ Item, in Canon. habetur: quod *à primo pabulo sacrati salis, & ingressu ecclesiæ, vsque ad confirmationem per chrisma nullus Christianus suam commatrem coniugem sumere debet.* Et ibidem dicitur: *separent se, ne suadente diabolo, tale vitium molestet.* Et loquitur ibidem: vitum viri, aut mulieres post susceptionem de sancto lauacro possint redire ad proprium thorum.

¶ Contra, aut factum est necessitate vrgente, aut factum est ex fraudulentia, aut ex ignorantia. Si ex ignorantia, ignorātia eos excusare videtur. Si vero ex malitia, frans non debet patrocinari. Si vero ex necessitate, non debet ei imputari ad culpam: vbi enim est necessitas, peccatum non est: restat ergo quod non peccant peccato incestus.

¶ Ad quod dicendum est: quod si factum fuit ex necessitate, cum nulla alia persona esset præsens, quæ posset baptizare, non negatur, quin possit postea reddere debitum, & exigere: sicut habetur 30. q. 1. vbi ponitur casus de illo, qui filium suum in necessitate baptizauit. Si vero fuerit ex ignorantia, vel ex malitia: ratione ignorantiæ excusatur: ratione vero malitiæ pœnitentiam debet agere: sed nec ab inuicem sunt separandi, nec alter alteri debet subtrahere debitum: sicut habetur extra de cognatione spirituali: Si vir, vel mulier. 30 q. 1 ad limina.

¶ Ad obiectum autem dicendum est: quod licet cognōuerit post compaternitatem contractam, non peccat reddendo debitum, cum ex necessitate illud actum fuerit. Si vero ex malitia actum esset, etsi non peccet reddendo debitum; peccat tamen in exigendo.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod illud, quod dicitur in Canon. potest intelligi de illis personis, quæ ante coniugium siue matrimonium cōtraxerunt adinuicem proximitatem spiritualem.

¶ Illud autem, quod secundo dicitur, intelligitur de illis personis, vbi ignorantia interuenit.

¶ Sed potest quæri, quid si vterque reliquo sciente, susceperit communem filium de sacro fonte: peccant ne adinuicem peccato incestus, petendo, vel reddendo debitū? Ad hoc respondendum est: quod in hoc casu vtraque persona suo iure priuatur, & neuter potest petere: neque si petat: alius tenetur reddere.

¶ Deinde quæritur, si inter sacerdotem confessorem, & ipsum pœnitentem siue susceptum in pœnitentia proximitas spiritualis contrahitur; vtrum filius ipsius confessoris committat incestum cum muliere sic suscepta in pœnitentia; vel si potest eam ducere? Quod non possit eam ducere, videtur per hoc, quod dr̄ in Canon. *Omnes, quos in pœnitentia suscepimus, ita sunt filij nostri, vt baptizati suscepti.* Sed filius sacerdotis non potest contrahere cum muliere suscepta in baptismo; ergo non potest contrahere filius confessoris cū muliere suscepta in pœnitentia. Canon.

¶ Præterea, videtur esse sua soror spiritualis: ergo videtur committi incestus.

¶ Ad quod dicendum est: quod non est simile de vinculo spirituali sacramenti pœnitentiæ, & sacramenti baptismatis. Illud enim quod est baptismatis, est maioris reuerētiæ & sanctitatis: cum baptizato nō ficte dimittatur omnis culpa & pœna, & ideo proximitas spiritualis magis extenditur. Si enim aliquis suscipit aliquam personam in pœnitentiam, contrahitur vinculum spirituale inter patrem & filium: sed non propter hoc inter parentes huiusmodi & illius, vel prolem huius & illius. Si vero suscipitur in baptismo, proximitas spiritualis contrahitur inter filium baptizatum & mulierem baptizatam: Vnde in Canon. *Non oportet filiam suam, quam de sacro fonte susceperit, aliquando filio suo in matrimonio tradere.* Canon.

QVÆST. CLIV.

De peccato contra naturam.

In tria Membra diuisa.

CONSEQVENTER dicendum est de maximo peccato carnis, quod scilicet est cōtra naturam. Quod fit multis modis: aliquando enim quis operatur turpitudinem in semetipso, & dicitur mollities. Aliquando vero cum alio, vel alia: & hoc contingit multipliciter: cum scilicet masculus cum fœmina in membro non ad hoc concesso: vel fœmina inordinate cum viro. Deinde masculus cum masculo: vel fœmina cum fœmina. Vltimo cum fit cum irrationali: & in hoc genere tanto est deterius: quanto est maior naturæ peruersio. Quod autem sit maius comparatione illorum, patet per hoc quod dicit Augustinus. *Omnium horum peccatorum pessimum est, quod contra naturam fit.* Et dicit Augustinus. *Flagitia, quæ sunt contra naturam vbique ac semper repudianda sunt, atque punienda.* Nec mirum: quia violatur ipsa societas, quæ cum Deo esse nobis debet: maxime cum eadē natura, cuius ille est actor, libidinis peruersitate polluitur. D. Tho. 2. 2. q. 154. arti. 12. August. de adulterin. coniug. 5. Idem in li. Confess.

non possunt adinuicem reddere debitum modo consueto in debito vase: & ex infirmitate carnis non possunt se continere: & periculum est, si patiantur incisionem: vtrum possint reddere debitum carnis in debito vase modo non cõsueto? Quod videtur: eo quod duobus existentibus malis, minus malum conceditur, siue permittitur: nisi alterum illorum sit expediens propter maioris mali vitationem: sed graue malum est adulterium in coniugato vel coniugata: minus vero coitus viri cum vxore illicitus, sed tamen in vase debito, modo inconsueto.

Aug in li. de bono coniugali. ¶ PRÆTEREA, dicit August. quod *longe minus peccat, quantumlibet assiduus ad vxorem, quam rarissimus ad fornicationem.* Cum ergo iste peccet in vxorem minus peccat, quam si perpetraret fornicationem, aut adulterium.

¶ PRÆTEREA, cum fiat in debito vase, videtur esse vsus naturalis: vsus autem naturalis, qui prolabitur vltra propagandi necessitatem, est veniale in vxore, sicut dicit August. ergo huiusmodi videtur esse veniale: sed alius est damnabilis: videtur ergo quod permittendum sit viro sic indebito modo vxorem cognoscere.

Rom. 1. Glossa. ¶ CONTRA, super illud. *In eum, qui est contra naturam.* Gl. *contra naturam est concubitus, quando vir cum ipsa vxore alio modo, quam decet, dormierunt.* Sed alio modo dormit iste cum ipsa, quam decet: ergo est contra naturam huiusmodi coitus: sed concubitus contra naturam est maius peccatum, quam fornicatio, vel adulterium: ergo huiusmodi est maius peccatum: non ergo ex permissione perpetrandum.

Aug. in li de bono coniugali. ¶ ITEM, concubitus, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore: vt dicit August. sed minus malum est cognoscere meretricem vsu naturali, quam eo, qui est contra naturam: ergo fornicatio minus est peccatum, quam huiusmodi: ergo propter vitationem fornicationis non est tale malum perpetrandum in vxore.

ad Galat. 5 Glossa. ¶ PRÆTEREA super illud. *Libidinem.* Gl. *Libido est ardor per quaslibet turpitudines discurrens.* Sed ardor per quaslibet turpitudines discurrens videtur esse vitium contra naturã: ergo hoc peccatum videtur esse contra naturam: de quo supra dictum est.

¶ PRÆTEREA, cognoscere coniugatam suam modo brutali, videtur esse contra naturam humanam: & quod est contra naturam humanam, est valde graue peccatum: ergo hoc est valde graue peccatum: nullatenus ergo ex aliqua causa perpetrandum.

RESOLVTIO.

Peccat, tum maxime, si præter necessitatem id agat.

¶ AD quod dixerunt quidam propter necessitatem, dũmodo fieret in debito vase, si cognosceret modo non consueto, vir à peccato excusabatur, dummodo causa prolis fieret. Et respondebant ei, quod obiectum est de peccato contra naturam: quod tunc dicebatur peccatum cõtra naturam solum; si non ea parte corporis, quæ ad generandum est instituta, vteretur, sed alia. Quod videtur haberi per hoc, quod dicitur super illud. *Relicto vsu naturali.* Gl. *Quid est mutare vsum naturalem in eum, qui est contra naturam; nisi sublato vsu concesso, aliter vti, quam concessum est? cum illa pars corporis non habeat huiusmodi vsum datum à natura?*

ad Rom. 1. Glossa.

¶ SED dicendum est potius: quod peccat vir sic cognoscendo vxorem modo brutali: nec necessitas eum excusat à toto, licet diminuit quantitatẽ peccati: & licet non sit modus cognoscendi cõtra naturam generalem: est tamen modus cognoscendi contra modum naturæ rationalem. Vnde valde grauiter peccaret, qui sic cognosceret, nulla existente necessitate.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de comparatione peccati ad peccatum: videtur dicendum, quod excedentia sint & excessa. Quo ad hoc enim quod ex vna parte est cognoscere suam, ex altera vero parte est cognoscere solutam, siue alterius, maius est peccatum fornicatio, siue adulterium isto peccato. Quo ad hoc autem, quod hic est modus brutalis, ibi vero modus humanus; maius est peccatum ex ista parte, quam ex illa. Vnde non est sufficiens causa, quare sic cognoscat, vitatio fornicationis: & quia in vtraque persona est impedimentum, videtur quod commune sit, vel esse debeat ratio continendi, manente impedimento. Neque videtur dicendum in hoc casu, quod facienda sint mala, vt vitentur deteriora. Hoc autem totum saniori iudicio est relinquendum, & in persona petente debitum, & in reddente. Sed constat, quod hæc ratio essendi contra naturam minor est, quam secundum supradictos modos.

QVÆSTIO CLV.

De peccato ex ignorantia.

In sex Membra diuisa.

CVM iam dictum sit de peccato, quod est ex infirmitate secundum se, & secundum differentias magis vsitatas: consequenter dicendum est de peccato, quod est ex ignorantia, siue per ignorantiam. — D. Tho. 1. 2 q. 76. S. Bon. in 2. dist. 22. art 1 & d. 43 dub 4.

¶ CIRCA quod quæritur primo, vtrum actus malus per ignorantiam perpetratus sit peccatum. Secundo, vtrum actus malus, qui fit per ebrietatem, vel furorem, vel per pueritiam, dicatur peccatum per ignorantiam. Tertio, vtrũ actus malus per ignorantiam iuris perpetratus sit peccatũ. Quarto, vtrum actus per ignorantiam facti sit peccatum, vel non. Quinto, vtrum actus per ignorantiam liget ad pœnam, licet nõ ad culpam. Sexto de quibusdam casibus, qui fiunt per ignorantiam.

MEMBRVM I.

An actus malus per ignorantiam perpetratus, peccatum sit?

AD primum sic: videtur, quod non sit peccatum. *Peccatum* enim (sicut dicitur) *adeo est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum.* Sed quod est inuoluntarium, nõ est voluntarium: actus autem malus per ignorantiam perpetratus est inuoluntarius: ergo non est peccatum. Quod probatur per hoc, quod dicit Philosophus: *inuoluntariis ignoscentia competit & misericordia.* — Li. de vera relig. c. 14. — Philos.

¶ PRÆTEREA, inuoluntarium dicitur, quod tristitiã affert & pœnitudinem: sed hoc contingit in huiusmodi: ergo non est peccatum. — August. in quæst. vet. test. & no.

¶ ITEM, August. *Quomodo reus constituitur, qui nescit, quod fecit?* Sed actus malus per ignorantiam est huiusmodi: ergo non ex illo constituitur aliquis reus peccati vel criminis.

¶ ITEM, voluntas rationalis siue deliberatiua sequitur cognitionem: si ergo non est cognitio, non est voluntas deliberatiua: sed vbi est ignorantia, non est cognitio: ergo vbi est ignorantia, non est voluntas deliberatiua: sed peccatum actuale mortale habet voluntatem deliberatiuam pro causa: ergo vbi est ignorantia, non est peccatum actuale mortale: ergo actus malus per ignorantiam perpetratus non est peccatum.

¶ CONTRA August. *Sunt peccata ignorantium, quamuis minora, quam scientium.* Peccata autem ignorantium dicuntur peccata per ignorantiam; non prohibet ergo, quin sit peccatum: etsi sit per ignorantiam. — Idem de adulterinis coniugiis.

¶ ITEM, Gregor. ponit quandam differentiam peccati ex ignorantia, cum dicit; *aliud peccatum est ex infirmitate, aliud ex ignorantia &c.* ergo quoddam est peccatum per ignorantiam. — Gregor.

¶ ITEM. *Scio quod per ignorantiam fecistis vos, & patres vestri, &c.* & tamen illud fuit peccatũ. Quod patet per hoc quod sequitur. *Pœnitentiam agite &c.* Et dicitur. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Et August. *Longe grauius est peccatum eius, qui sciens, quam qui nesciens peccauit.* — Actuum 3. — Ibid. 1. Timot. 1 — Aug. cõtra Donatum.

RESOLVTIO.

Actus aliquis per ignorantiam malus, nihil prohibet, vt peccatum sit.

¶ AD quod dicendum: quod actus aliquis, qui fit per ignorantiam, qui malus est; peccatum est: sicut habetur in his, quæ obiecta sunt ex vna parte.

¶ AD illud vero, quod obiicitur in contrarium. Dicendum est, quod aliquid est inuoluntarium per ignorantiam inuincibilem: & talis actus cum nihil habeat de voluntario, eo quod simpliciter dicitur inuoluntarium; non dicetur peccatum. Sed est inuoluntarium, quod habet aliquid admixtum de voluntario: & tale licet quo ad quid sit inuoluntarium:

Inquiratur autem diligenter à Metropolitano, si in promptu habeat legem, & sacros canones, & sanctum euangelium, & librum apostolicum. Actus autem malus per ignorantiam eorum, quæ pertinēt ad sacramentorum communium distributionem, & ad canones pœnitentiales, & ad sanctorum legendas, est peccatum illis. Vnde August. *Sacerdotibus sunt necessaria ad discendum, sacramentorum liber, lectionarius, antiphonarius, canones pœnitentiales, psalterium, homilia.* Ex quibus omnibus si vnum defuerit, vix sacerdotis nomen in eo constabit. Ignorantia vero eorum, quæ publice promulgantur de his, quæ pertinent ad statum laicorum, non excusat peccatum in illis, quod per ignorantiam perpetratur: nulli enim ignorare permittitur ea, quæ publice fiunt. Hoc autem de clericis maxime intelligendum est: sicut habetur 16. dist. in fine, vbi dicitur: *Quod penes nos in nostris regionibus actum est, & omnis ecclesia recipit: qua ratione conuenit, vt ecclesia Constantinopolitana non recipiat?* Actus etiam perpetratus per ignorantiam iuris canonici in his, quæ pertinent ad officium, est peccatum: vnde Leo. *Si in laicis videtur intolerabilis inscientia, quanto magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia?* Actus vero per ignorantiam iuris ciuilis quibusdam permittitur ignorare, quibusdam vero non. Rusticis enim & mulieribus, & in minori ætate constitutis permittitur ignorare, maxime in damno vitando: in maleficiis autem non sic.

August. | 16. dist. | Leo.

¶ Ad obiecta autem respondendum est, primo ad illud, quod primo est propositum: quod enim ignoscebatur Apostolo, non ostendit non fuisse peccatum; sed propter ignorantiam excusationem quandam habuit, propter quā minuebat̃ peccatū: ignorabat n. quæ à prophetis de Christo fuerant prænunciata, tunc fuisse completa: & hoc modo erat de illis, de quibus dicitur, *per ignorantiam fecistis &c.*

Actor. 3.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod illa autoritas August. intelligenda est de illis, qui habent ignorantiam illorum, quæ necesse est cognosci per disciplinam; & tales excusantur non tantum à pœna, sed etiam à culpa.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod licet non sit reus criminis, secundum quod crimen est, quod accusatione est dignum: nihilominus tamen non est immunis à pœna scilicet priuatione beneficii, qui per ignorantiam simoniæ parentum adeptus est beneficium: hoc autem est propter enormitatem criminis: & quia possedit, quod suum non erat.

MEMBRVM IV.

An actus per ignorantiam facti peccatum sit excusatione dignum?

QVARTO quæritur, vtrum actus per ignorantiam facti sit peccatum, vel non peccatum: (dico quod excusatione sit dignum.) Et videtur quod non sit dignum excusatione: per hoc quod dicitur 1. q. 4. circa finem: vbi dicitur, quod ignorantia facti non excusat Iudæos, qui non credunt Christum venisse.

1. q. 4.

¶ Hoc idem ostenditur per illos, qui erant de posteritate Achab, quorum aliqui ignorabant peccatum ipsius, & tamen puniti sunt. Similiter fuit de Chanaan, qui punitus est, cum ignoraret peccatum patris sui Cham.

¶ Sed econtra videtur, quod ignorantia facti excuset: sicut de illis, qui comedebant idolaticum, ignorantes: secundum quod dicit Apostolus. *Si quis infidelium vocauerit vos ad cœnam, & ire vultis; quicquid appositum fuerit vobis, comedite: nihil inde interrogantes propter conscientiam.*

1. Cor. 10.

¶ Similiter dicitur de facto ipsius Apostoli, quod per ignorantiam facti excusatur: & de paruulis, qui per ignorantiam ab hæreticis baptizantur: vel etiam ordinantur à simoniacis: cum nesciantur esse simoniaci: sicut dicit Vrbanus. *Si qui à simoniacis non simoniace ordinati sunt: si probare poterunt, se nescisse eos simoniacos esse, & tunc pro catholicis habebantur, talium ordinationes sustinemus misericorditer: si tamen eos laudabilis vita commendat.*

Vrbanus Papa.

RESOLVTIO.

Interdum vtique: & si non à toto, saltem à tanto.

¶ AD quod dicendum, quod duplex est ignorantia facti: est enim eius quod oportuit scire: & est eius quod non oportuit scire. Si necesse fuit scire, & fuit ignorantia supina; non excusat, & est graue peccatum. Si vero fuit eius, quod oportuit scire, & adhibuit diligentiam, excusatur, etsi non à toto, tamen à tanto.

¶ Quod autem dicitur de Iudæis, qui habent ignorantiam de Christo, qui iam venit. Dicendum est, quod ignorantia eorum est supina: possent enim scire tum ex operibus Christi, tum ex operibus discipulorum Christi, tum ex collatione scripturarum propheticarum. Nec est simile de illis Iudæis, qui pœnituerunt in primitiua ecclesia: quia nondum plene erat veritas publicata, quæ latebat in prophetis. Ignorantia vero facti, quod non oportuit scire, sicut de idolatrico, excusat: illa vero, quæ est ordinatorum à simoniacis non simoniace, qui pro catholicis habentur, licet excuset à culpa: nihilominus ad detestationem criminis priuatur executione ordinis, & indiget dispensatione: simoniacus enim occultus ipso iure suspensus est. Paruuli vero, quia simpliciter habent ignorantiam, excusantur à culpa, cum baptizantur ab hæreticis in forma ecclesiæ.

MEMBRVM V.

An actus per ignorantiam, tametsi non ad culpam, ad pœnam tamen liget?

QVINTO quæritur, vtrum actus per ignorantiam liget ad pœnam, licet non ad culpam. Et videtur quod non: pœna enim debetur pro culpa: si ergo non determinatur ibi culpa: consequenter neque debet obligare ad pœnam. Quod autem non sit ibi culpa, patet per hoc quod dicitur: quod à reatu criminis excusat eum ignorantia paterni delicti. Et dicit Vrban. *pro hoc facto à sacris ordinibus non illos remouemus.* Videtur ergo quod huiusmodi ignorantia non eos liget ad pœnam.

Vrbanus Papa.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod infra ibidem dicitur: quod ignorantia tales excusat à reatu criminis, non à fructu emptionis.

RESOLVTIO.

Ligat admodum.

¶ AD quod dicendum est: quod sic iudicandum est in huiusmodi, sicut in aliis enormibus peccatis: in quibus ob detestationem criminis puniuntur, qui non delinquunt. Præterea ex alieno dolo non debet quis lucrum reportare: vnde ex dolo parentum non debet filius lucra reportare. Præterea, qui ab initio non habuit canonicum ingressum, fructu possessionis non debet gaudere.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur. Dicendum, quod licet non ipse peccauerit, nihilominus rei iniuste acquisitæ est possessor: ideo in hoc puniendus est, vt possessione priuetur.

MEMBRVM VI.

Casus aliquot, peccatum ex ignorantia concernentes.

SEXTO quæritur de quibusdam casibus, qui fiunt per ignorantiam. Et quæritur de illo, qui non omnino seruauit hoc ipsum, quod ipse Dominus legitur fecisse de Sacramento corporis sui: vtrum talis per ignorantiam excusetur? Et videtur quod non: quia huiusmodi ignorantia est in his, quæ pertinent ad ius diuinum: & quorum scientia incumbit officio: sed huiusmodi per ignorantiam perpetratum non est dignum excusatione, sicut supra habitum est: ergo non excusatur à peccato sic agēs per ignorantiam.

Casus.

¶ Hoc etiam videtur per hoc, quod dicit Cyprianus. *Nobis non potest ignosci, qui nunc admoniti & instructi sumus, vt calicem Dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Sed hoc exemplum Domini potuit eos instruere, sicut & nos: si ergo nobis non est ignoscentia, nec illis fuit ignoscendum per ignorantiam.

Cyprianus.

¶ Econtra vero dicit Cyprianus. *Si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc obseruauit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio docuit, potest simplicitati eiusdem etiam indulgentia Domini venia concedi.*

Idem.

¶ Ad quod dicendum est, quod loquitur ibi de his, qui non ponebant aquam cum vino: credentes non esse necessarium: quia panis signat corpus Christi, & vinum sanguinem: nec expresse habetur de aqua in eo, quod Dominus fecit.

dum hoc enim omne peccatum in Spiritum sanctum esset obstinatio: quid enim aliud est perseuerans duritia cordis impœnitentis nisi obstinatio.

¶ Sed contra hoc est: quod obstinatio ponitur vna species peccati in Spiritum sanctum: sicut habetur super illud. *Secundum duritiam cordis tui*. Glo. *Peccatum ad mortem, vel in Spiritum sanctum committitur duobus modis: per obstinationem sc. & per desperationem.* Obstinationem autem diffinit dicens: *obstinatio est indurata in malitia mentis pertinacia, per quam fit homo impœnitens. Desperatio autem est, qua quis penitus diffidit de Dei bonitate*: & vtrunq; dicitur peccatum in Spiritum sanctum.

Rom. 2. Glossa.

¶ Præterea, aliquis inuidentiæ facibus fraternitatem oppugnat in primo suo actu: & talis peccat in Spiritum sanctum, talis nondum habet perseuerantem malitiam &c. non ergo hæc est ratio peccati in Spiritum sanctum perseuerans &c.

¶ Contra secundam rationem similiter obiicitur: secundum illam enim non est peccatum in Spiritum sanctū nisi adsit consuetudo peccandi: sed potest aliquis desperare, qui non habet consuetudinem peccandi (vno n. actu desperatio fit aliquādo: sicut vno actu sperat quis) desperatio autem est peccatum in Spiritum sanctum: sicut dicit Aug. loquens de peccato Iudæ: ergo non omne peccatum in Spiritum sanctum est consuetudo peccandi &c.

August.

¶ Præterea, qui desperat, metuit iustitiam Dei: non ergo desperatio est, qua metus Dei vniuersaliter amittitur: sed est peccatū in Spiritum sanctum: sicut habetur super illud. *Inter hæc autem hircum*: ergo non est ratio peccati in Spiritum sanctum consuetudo peccandi, qua Dei metus amittitur.

Leu. 10.

¶ Contra tertiam rationem peccati in Spiritum sanctū qua tria supradicta dicuntur conuenire, obiicitur: si n. requiritur genus peccati mortalis, secundum hoc non esset peccatum in Spiritum sanctum, peccatum per se: sed esset conditio aliorum peccatorum, vt fornicationis, superbiæ, & aliorum peccatorum: quemadmodum peccatum ex infirmitate non est vnum peccatum per se: sed est conditio plurium peccatorum.

¶ Sed econtra videtur: quod quædam sunt per se peccata, q̄ sub peccato in Spiritum sanctum cōtinentur: vt impugnatio veritatis agnitæ, & impugnatio fraternæ gratiæ.

¶ Similiter obiicitur contra illam conditionem, q̄ est ex certa malitia: cum n. peccatū in Spiritum sanctū sit malitia, & cum hoc sit ex certa malitia, oportet ꝙ malitia præcedat peccatum in Spiritum sanctū: sed hoc videtur esse necessarium: peccatum n. ex ignorantia non præcedit alia ignorātia: nec peccatum ex infirmitate præcedit alia infirmitas.

¶ Præterea, potest quæri: pro quo supponat illa malitia: aut enim supponit pro alia malitia, aut pro illa, quæ est peccatum in Spiritum sanctum. Pro alia non videtur: est enim aliquod peccatum in Spiritum sanctum, ꝙ non exigit ante se aliud peccatum: sicut est impugnatio veritatis agnitæ: non ergo malitia supponit ibidem pro alia malitia. Neque pro eadem; cum peccato in Spiritum sanctum potest supponere: nihil enim est sui causa, sed illa certa malitia est causa peccati in Spiritum sanctum: ergo non est idipsum, quod peccatum in Spiritum sanctum.

¶ Si vero ponatur conditio, quam ponit Aug. Obiicitur in contrarium: secundum hoc n. nullum peccatum in Spiritum sanctū esset: nisi vbi adesset finalis impœnitentia.

Aug. in lib. retract.

¶ Sed contra hoc est: ꝙ multæ aliæ species ponuntur peccati in Spiritum sanctum, sicut præsumptio, desperatio, & veritatis agnitę impugnatio: quarum vnaquæque potest esse sine finali impœnitentia. Secundum hoc etiam nullus peccaret in Spiritum sanctum, nisi morte adueniente: sed videmus quod illud peccatum dicebatur esse in Spiritum sanctum, quo ex inuidentia fraternæ gratiæ dicebāt Iudæi: quod in Beelzebub principe dæmoniorum eiiciebat dæmonia: ergo non requiritur semper ad peccatum in Spiritum sanctum, quod perseueret in hac scelerata mentis peruersione vsque ad mortem.

RESOLVTIO.

Peccatum in Spiritum sanctum est perseuerans duritia cordis impœnitentis. Vel, est consuetudo peccandi, qua Dei metus amittitur, & contemptus incurritur.

¶ Ad quod dicendum est, quod peccatum in Spiritum sanctum dupliciter dicitur. Vno modo secundum ꝙ addit conditionem super genus peccati. Alio vero modo, prout est genus quoddam peccati. Secundum quod addit conditionem super genus peccati dicitur, ꝙ peccatum in Spiritū sanctum est quodcunque mortale peccatum ex certa malitia cum mentis pertinacia: & hoc modo posuerūt illas tres conditiones ad esse peccati in Spiritum sanctum: vt pctm̄ in Spiritum sanctum sit peccatum ex industria, quadā conditione superaddita. Alio vero modo secūdum quod dicit Aug. *non quodcunque peccatum est in Spiritum sanctum, sed vbi per se impugnatur ipsa gratia Spiritus sancti, in qua fit remissio peccatorum*: & hoc modo dicuntur quædam peccata specialiter in Spiritum sanctum: & secundum hoc ille dicitur peccare in Spiritum sanctū, qui recusat esse in vnitate corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus: secundum ꝙ in ea fit remissio peccatorum: & hoc mō continet in se impugnationem veritatis agnitæ & supernæ gratiæ, & quędā alia peccata spiritualia: secundum hoc videtur loqui Aug. de peccato in Spiritum sanctum.

August.

Idem in lib. de blasphem.

¶ Per iam dicta potest responderi ad ea, q̄ obiecta sunt. Prima enim ratio intelligitur de peccato in Spiritum sanctum, prout supponit aliud genus peccati cum conditione superaddita: eodem modo secunda diffinitio accipitur.

¶ Ad aliud vero, quod obiicitur ꝙ non omne pctm̄ in Spiritum san. est obstinatio: obstinatio a. est perseuerās &c. Dicendum est ꝙ obstinatio accipitur dupliciter. Vno mō prout est conditio peccati mortalis: cum aliquis perseuerat & obduratur in illo: & hoc mō pctm̄ in Spiritum sanctum prout addit super aliud genus peccati, dicit obstinationem cum certa malitia, quæ est causa illius. Nec est dicendum, ꝙ tota ratio peccati in Spiritum sanctum sit perseuerans duritia &c. potest n. ille, qui peccat ex infirmitate, si obduretur, & non pœniteat, perseuerantem habere duritiam cordis impœnitentis: sed pctm̄ in Spiritum sanctum prout diuiditur contra peccatum ex infirmitate & ex ignorantia, dicit industriam siue certam malitiam tanquam causam peccati. Secundum a. quod obstinatio est propositum siue voluntas perseuerandi in duritia cordis impœnitentis, quandam speciem dicit peccati in Spiritum sanctum, quæ est differens ab aliis, & potest esse cum illis & sine illis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de secunda ratione. Dicendum est quod loquitur ibi de peccato in Spiritum sanctum, prout ponit genus aliquod peccati, & superaddit cōsuetudinem, & tandem venit ad contēptum: de quo dicitur *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.*

Prou. 18.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur, quod in omni peccato in Spiritum sanctum metus Dei amittitur, vt pote in desperatione. Dicendum est quod imo: timor enim qui est cum spe, amittitur amissione spei: nō tamen amittitur timor seruilis, quia habet oculum ad pœnam.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod si peccatum in Spiritum sanctum ponit genus peccati ante se, tunc nō est vnum genus distinctum ab aliis. Dicendum quod hoc verum est secundum vnum modum: & falsum est secundum alium, prout supra habita est distinctio: & vno modo nihil prohibet aliquod genus peccati primo esse ex infirmitate: & postea crescente malitia, cum iam scienter peccat, & est in amore peccandi, esse peccatū in Spiritum sanctum. Alio vero modo diuiduntur adinuicem, vt nullum sit aliud: & hoc modo continet in se impugnationem fraternæ gratiæ: & qui peccat ex infirmitate, vel qui peccat ex ignorantia, non peccat ex certa malitia.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de hac conditione, q̄ est *certa malitia* dicendum est, quod per hunc terminum *malitia* supponitur illud idem ꝙ est peccatum in Spiritum sanctum. Ex certa ergo malitia nihil aliud est, quam ex malignitate animi cum conscientia peccati. Vel ex certa malitia dicitur esse, cum quis scienter peccat, non ex infirmitate, sed ex quadam mentis peruersitate.

Nec

Nec ex hoc oportet, quod idem sit causa sui: sed quod scientia malitiæ suæ sit aggrauatio ipsius peccati: cum enim non ex infirmitate, nec ex ignorantia, sed ex scientia peccati peruersitate animi delinquitur, grauissimum est peccatum. Secundum autem alteram intentionem peccati in Spiritum sanctum, nihil prohibet certitudinem illam referri ad malitiam præcedentem.

MEMBRVM II.

An idem sit peccatum in Spiritum sanctum, quod peccatum ad mortem?

SECVNDO quæritur, Vtrum idem sit peccatum in Spiritum sanctum, quod peccatum ad mortem? Et videtur quod sic: peccatum enim in Spiritum sanctum est, quod non remittetur hic, neque in futuro. Sed hoc idem est peccatum ad mortem (sicut enim dicit August. *Ego duo esse peccatum ad mortem, fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere vsque ad mortem.*) Sed tale nec hic, nec in futuro remittetur: ergo peccatum in Spiritum sanctum est peccatum ad mortem, vel econuerso. Aug. in lib. de correct. & grat.

¶ Hoc etiam videtur per hoc quod dicitur in Lib. Retract. *Peccatum ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem: & aduersus gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur: hoc autem addendum fuit, si in hac scelerata mentis peruersitate vitam finierit.* Sed illud peccatum est peccatum in Spiritum sanctum: ergo peccatum ad mortem est peccatum in Spiritum sanctum. Idem retra. Lib. 1. cap. 19. To. 1.

¶ Ad idem facit, quod dicitur. *Est peccatum ad mortem: non dico vt oret quis pro eo*: sicut habetur. Sed in hoc etiam conuenit peccatum in Spiritum sanctum, secundum quod dicitur. *Tu ergo noli orare.* Glo. *Cor impœnitens in Spiritum sanctum peccat, quo in vnum populus Domini congregatur, quo Spiritus immundus eijcitur, quo baptizamur, quo peccata omnia dimittuntur, & quem accipit ecclesia, vt cui dimiserit peccata, dimittantur ei.* Pro corde ergo impœnitenti non est orandum: & hoc idem est de eo, qui peccat in Spiritum sanctum, non enim meretur, nec congruitatem habet, vt pro eo oretur. Et sicut dicit Aug. *Tanta est labes illius peccati, vt deprecandi humilitatem subire non possit: etiam si peccatum suum mala conscientia & cognoscere & enunciare cogatur.* 1. Ioan. vlt. Ierem. 7. Glossa. Aug. in ser. Dom.

¶ Præterea, super illud. *Spiritus blasphemia &c.* Glo. *Hic blasphemus, exigentibus meritis malis suis, sicut nunquam ad remissionem, ita nunquam ad pœnitentiam peruenturus est.* Est ergo peccatum in Spiritum sanctum cum finali impœnitentia: ergo est peccatum ad mortem. Mat. 12. Glossa.

¶ Sed contrarium videtur: potest enim aliquod esse peccatum in Spiritum sanctum quod non sit peccatum ad mortem: potest n. aliquis pœnitere de peccato in S. sanctũ vtpote de inuidentia fraternæ gratiæ, vel de desperatione: hoc ante non est peccatum ad mortem: illud enim dicitur peccatum ad mortem, in quo quis moritur: ergo non est idem peccatum ad mortẽ, & peccatum in Spiritũ sanctum.

¶ Item, de nemine desperandum est, dum est in via: vt dicit Aug. *nec pro illo imprudentur oratur, de quo non desperatur.* Ergo pro quolibet peccatore, dum est in via, orare possumus: & ita pro aliquo, qui peccat in Spiritum san. sed peccatum ad mortem est, pro quo non oratur: qui n. in hac vita non corrigitur, post mortem venia frustra postulatur: sicut habetur super illud. *Est peccatum ad mortem.* Non ergo idẽ est peccatum in Spiritum sanctum, & peccatum ad mortem. Aug retr. Lib. 1. cap. 19. To. 1. 1. Ioan vlt.

RESOLVTIO.

Et idem & non idem, diuersa ratione.

¶ AD quod dicendum, quod peccatum ad mortem potest dici multipliciter. Vno modo vt sit idem peccatum ad mortem, quod mortale: secundum quod dicitur. *Omnis iniquitas est peccatum ad mortem.* Alio modo dicitur peccatum. Ad mortem, in quo quis moritur: & secundum hoc dicitur in Glo. vbi dicitur. *Ad mortem est peccatum, quod separat à Deo: sicut mors separat animam à corpore: mors autem separat animam a corpore irregressibiliter: sic & huiusmodi peccatum dicitur.* Alio modo peccatum ad mortem dicitur, quod disponit ad inexcusabilitatem peccati: videlicet cum non ex infirmitate vel ignorantia peccatur. Et hoc modo dicitur in Glo. *Supra alia peccata est peccatum ad mortem, quod non humana fragilitate committitur: & ideo oratione iustorum non purgatur.* Tale est illud peccatum, quo potest agnitionem Dei, quæ per gratiam Dei, data est, aliquis oppugnat fraternitatem: & aduersus gratiam, qua reconciliatus est, inuidentiæ facibus agitatur. Dicendum est ergo, quod primo modo peccatum in Spiritum sanctum est peccatũ ad mortem: sed non econuerso. Si vero accipiatur secundo modo, peccatum ad mortem potest dici peccatum in Spiritum sanctum, secundum aliam rationem peccati in S. sanctum: sed non omne peccatum in Spiritum sanctum dicitur peccatum ad mortem. Si vero tertio modo accipiatur peccatum ad mortem: tunc videntur esse idem in re, licet differant ratione: peccatum enim in Spiritum sanctum dicitur propter impugnationẽ gratiæ, qua fit remissio peccati: peccatum vero ad mortem dicitur: quia disponit quasi irremissibiliter ad pœnam. Ioan. vlt. Glossa ibi. Glossa sup. 1. Ioan. vlt.

¶ Per hoc potest solui, quod obiectum est: primum enim & secundum intelliguntur de peccato ad mortem, vbi est finalis impœnitentia: & hoc dicitur peccatũ in Spiritum sanctum secundum vnam rationem, & secundum aliam non.

¶ Quod autem tertio obiicitur similiter potest intelligi, si intelligatur de finali impœnitentia autoritas Ierem. 7. Si vero non intelligatur de finali impœnitentia, sed de proposito non pœnitendi: tunc dicetur peccatum ad mortem, secundum illum modum, secundum quem dicitur peccatum ad mortem, quod priuat excusationem peccati: & ita per consequens congruitatem veniæ.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod spiritus blasphemiæ potest dici peccatum ad mortem vtroque modo: sed proprie (secundum quod ibi accipitur) dicitur illud, quod disponit ad contrarium veniæ.

MEMBRVM III.

Quæ, & quot sint differentia peccati in Spiritum sanctum?

TERTIO quæritur, quot sunt differentiæ peccati in Spiritum sanctum. Et ponuntur sex, desperatio, præsumptio, impugnatio fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, obstinatio, & impœnitentia.

¶ Quod autem desperatio sit peccatum in Spiritum sanctum habetur in Glo. super illud. *Secundum duritiam. &c.* Glossa ad Rom. 2.

¶ Quod autem præsumptio sit peccatum in Spiritum sanctum, & desperatio similiter, habetur ab Aug. vbi dicitur. *Sicut misericordia suscipit absoluitque conuersos: ita iustitia repellit & punit obstinatos. Quidam autem desperant de indulgentia peccatorum: quidam vero sperant sine meritis, de misericordia Dei præsumentes: hi sunt, qui peccantes sunt in Spiritum sanctum.* Ex quo habetur, quod præsumptio est peccatum in Spiritum sanctum. Aug. in lib. de fide ad Petrum.

¶ Quod autem impugnatio fraternæ gratiæ sit peccatum in Spiritum sanctum: habetur ab Aug. *Paulus non orat pro Alexandro: quia inuidentiæ facibus fraternitatem impugnando peccauerat.* Et in eodem. *Hoc est peccare in Spiritum sanctum, per malitiam & inuidiam fraternam oppugnare charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti.* Idem in lib. de ser. Dom. in monte. Idem in eodem.

¶ Quod autem impugnatio veritatis agnitæ sit peccatum in Spiritum sanctum; dicit Aug. *Qui veritate contempta præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est, & malignus, quibus veritas reuelatur: aut circa Deum est ingratus, cuius inspiratione ecclesia eius instruitur.* In quo datur intelligi, quod hoc est peccatum in Spiritum sanctum. Similiter super illud. *Homo, qui maledixerit.* Glo. *Blasphemia, quæ scienter committitur, maxima pœna vindicatur: vnde qui peccauerit in Spiritum sanctum non dimittetur ei*, id est qui in scientia blasphemauerit, quæ est donum Spiritus sancti. Et *Qui blasphemauerit.* Gl. *qui intelligens opera Dei, cum negare non possit, ex inuidia contradicit: & opera Spiritus sancti dicit esse in Beelzebub; non habet remissionem, neque hic, neque in futuro: quia pœnitere digne noluit.* Idem in lib. de vnico bapt. Leu. 24. Glossa. Marc. 3. Glossa.

¶ De obstinatione autem dicit Aug. *Qui in ecclesia remitti peccata non credens, tantam contemnit diuini muneris largitatem: & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum: reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit.* Aug. in Enchirid.

¶ De impœnitentia autem, quod sit peccatum in Spiritum

Matt. 12. Glossa. titum sanctum; habetur in Glos. super illud. *Spiritus blasphemia non dimittetur* Glo. *qui gratiam Sancti spiritus, qua pœnitentia inspiratur, & ad correctionem venitur, non cognoscit, impœnitenti corde permanserit: cum hoc non sit humanum, sed diabolicum; irremissibile erit: & ita peccatum in Spiritum sanctum.*

¶ Sed potest obiici, quod desperatio non sit peccatum in Spiritum sanctum, potest enim aliquis ex diutina tribulatione incidere in desperationem, per quam possit desperare de potentia sustinendi: talis incidit in desperationem, & peccat ex infirmitate: ergo desperatio non est peccatum in Spiritum sanctum.

¶ Præterea, spes & desperatio opponuntur, & similiter præsumptio: cum ergo medium dicat actum virtutis, non tamen in perfectis, sed etiam in imperfectis: opposita peccata erunt peccata non tantum in perfectis peccatoribus, sine qui grauissime peccant: sed etiam in aliis qui non ita grauiter peccant.

¶ Præterea, præsumptio non videtur esse species peccati in Spiritum san. potest n. aliquis præsumere de misericordia Dei ex hoc, quod videt misericordiam Dei infinitam esse, & ita excellere peccatum: nunquid talis peccat in Spiritum sanctum, ponit enim gratiam Spiritus sancti, quanta est: & ita non videtur peccare irremissibiliter.

¶ Similiter potest obiici de inuidentia fraternæ gratiæ, quod non sit peccatum in Spiritum sanctum: potest n. aliquis inuidere fratri suo, quia existimat se lædi ab eo; cum tamen non lædatur: talis non videtur peccare in Spiritum sanctum, sed magis ex infirmitate, vel ignorantia.

¶ Similiter obiicitur de impugnatione veritatis agnitæ: quidam enim seductione aliorum cadunt in infidelitatem, & oppugnant veritatem: de quibus dicit Aug. *Qui credit huiusmodi hominibus, imaginatione quadam veritatis illusus est.* Sed tales peccant ex ignorantia: non ergo impugnatio veritatis agnitæ est peccatum in Spiritum sanctum.

Aug. in lib. de baptis.

¶ Obiicitur etiam de obstinatione: multi enim obstinantur in peccatis, quæ proueniunt ex infirmitate, vel ignorantia: & tales non peccant in Spiritum sanctum: cum peccatum in Spiritum sanctum diuidatur contra peccatum ex infirmitate & ex ignorantia.

¶ Similiter potest dici de impœnitentia, in quam incidit aliquis ex delectatione carnis, quæ prouenit ex fragilitate.

¶ Item videtur, quod pauciores sint species ipsius peccati in Spiritum sanctum, quam quæ dictæ sunt. Dicitur enim super illud. *Ignis egressus est &c.* Peccatum in Spiritum sanctum est, in sceleribus suis vsque ad finem vitæ perseuerare, de sua salute desperare, de potentia redemptoris diffidere. Ibi autem non enumerantur nisi duo peccata sc. impœnitentia, & desperatio.

Leu. 10.

Rom. 2. ¶ Similiter ad Rom. 2. duæ species assignantur, obstinatio & desperatio. Ex quo videtur, quod non sint tot species: aut insufficienter fit diuisio.

¶ Præterea, ex parte Spiritus sancti, cui appropriatur bonitas, duo assignantur iustitia & misericordia: præsumptio est contra iustitiam, desperatio contra misericordiam: nec videntur esse plura, quæ bonitati in genere attribuantur: quare videtur, quod tantum duæ sunt species.

¶ Item, tres ponuntur virtutes, per quarum actus immediate ordinatur homo in Deum; fides, spes, charitas. Cum ergo tot sint virtutes, & non plures; tria videntur esse peccata in Spiritum sanctum, & non plura; impugnatio, scilicet veritatis agnitæ, quæ est contra fidem: impugnatio fraternæ gratiæ, quæ est contra charitatem: desperatio, quæ est contra spem: & si addatur præsumptio, non erunt nisi quatuor.

¶ Item, videtur quod tamen debeant esse duæ species: peccatum n. in Spiritum sanctum (sicut dicit Aug.) per se opponitur illi gratiæ, in qua fit remissio peccatorum: sed hæc est pœnitentia: ergo opponitur per se pœnitentiæ: pœnitentiæ vero duæ sunt partes, commissa deflere, & flenda non committere: contra vnam partem videtur esse impœnitentia: contra aliam vero obstinatio: & ita tantum debent esse duæ species, vt videtur.

Aug. in lib. de bapt.

¶ Item, videtur quod plures debeant dici species. Inobedientia enim videtur esse peccatum in Spiritum sanctum: secundum quod dicit Bern. *Non est idipsum nolle obedire, & non obedire: hoc interdum erroris est, nonnunquam infirmitatis: illud vero aut odiosa pertinacia, aut contumacia non ferenda: quod ipsum repugnare est resistere Spiritui sancto: & si vsque ad mortem perdurauerit, blasphemia est non remittenda.* Ex quo videtur, quod inobedientia ad minus quædam sit peccatum in Spiritum sanctum: & ita videtur quod plures sint species.

Bern. in lib. de præcep. & de disp.

¶ Item, videtur quod simulatio pœnitentiæ sit peccatum in Spiritum sanctum, dicitur enim super illud. *Inter hæc vero hircum.* Glo. *Sicut vera pœnitentia veniam promeretur: ita simulatio Deum irritat: hoc autem sancti Patres irremissibile peccatum, & blasphemiam in Spiritum sanctum dixerunt.* Ex quo videtur, quod simulatio pœnitentiæ est peccatum in Spiritum sanctum.

Leu. 10. Glossa.

¶ Item, videtur quod schisma sit peccatum in Spiritum sanctum, per hoc quod dicit Beda. *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Iesu Christi, Deum non habet: si quis talis venerit ad vos, nolite eum recipere in domum, neque aue ei dixeritis.* Ex quo apparet, cum loquatur ibi de schismaticis & de hæreticis, quod sunt vitandi propter ipsam contumaciam, quæ est in ipso schismate. Et ita schisma videtur esse peccatum in Spiritum sanctum: directe enim videtur opponi vnitati ecclesiæ, quæ est per Spiritum sanctum & ita ex hoc videtur, quod sit peccatum in Spiritum sanctum.

Beda sup. 2 Can. Ioan

RESOLVTIO.

Peccati in Spiritum sanctum sex sunt species sc. desperatio, præsumptio, impugnatio fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, obstinatio, & impœnitentia.

¶ Ad quod dicendum est, quod ratio, propter quam assignantur illæ species peccati in Spiritum sanctum (secundum quod prope dicitur) hæc potest esse. Peccatum enim in Spiritum sanctum opponitur gratiæ Spiritus sancti, per quam est vnitas ecclesiæ, in qua fit remissio peccatorum. Ad hoc autem quod ille effectus sequatur ex illa gratia, multa sunt per se adiuuantia: duo ex parte Dei remittentis: alia ex parte eius, cui fit remissio: duo vero alia respectu proximi sunt motiua ad remissionem. Ex parte vero Dei remittentis est est misericordia cum iustitia: contra iustitiam est præsumptio, contra misericordiam desperatio: qui n. præsumit de bonitate Dei cum suis malis meritis, ponit per consequens Deum esse iniustum: qui vero desperat, dum est locus pœnitentiæ, ponit Deum esse immisericordem: existimat enim ipsum nolle misereri, & si moueretur ad pœnitentiam: sicut Cain dixit. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Ex parte vero eius, cui fit remissio, duæ requiruntur dispositiones: quæ sunt, commissa deflere, & flenda non committere. Contra quæ duo duæ sunt differentiæ peccati in Spiritum san. sc. impœnitentia, qua proponit non deflere commissa: & obstinatio, qua proponit flenda committere. Contra vero ea, quæ respiciunt proximum; est inuidentia fraternæ gratiæ, qua deordinatur affectus: & impugnatio veritatis agnitæ, qua per se deordinatur intellectus: motiuum n. ad remissionem est amor veritatis agnitæ, per quam ordinatur intellectus: & amor fraternæ gratiæ, per quam ordinatur affectus. Vel aliter possunt hæ duæ species accipi: vt impugnatio veritatis agnitæ respiciat effectum Spiritus san. in intellectu: impugnatio vero fraternæ gratiæ impugnet effectum in voluntate: motiuum autem ad remissionem est, vt diligamus fidem operantem per dilectionem, per quam est vnitas membrorum ecclesiæ.

Gen. 4.

¶ Ad obiectum ergo, quo obiicitur: quod non debeant hæ esse species: vel si sunt, quod plures debent esse, aut pauciores. Dicendum est primo, quod desperatio tunc est peccatum in Spiritum san. quando nec habet per se occasionem ex infirmitate, nec ex ignorantia: sed scienter de misericordia Dei desperat: nulla stimulante carnis fragilitate, sed peccatori in necessitate. Non negatur ergo, quod aliqua desperatio possit procedere ex infirmitate, vel ignorantia: sed talis procedit ex certa malitia. ¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet spes determinet actum virtutis non tamen in perfectione, sed in imperfectione. Desperatio tamen, quæ opponitur ei, determinat peccatum in consummatione malitiæ. Vnde Bern. *Quemadmodum perfectionem sapientiæ sibi vendicat amor Dei, ita desperatio omnem malitiæ consummationem: & sicut ex notitia tui venit in te timor Domini, & ex notitia Dei amor eiusdem: ita de ignorantia tui superbia, de obliuione Dei desperatio*

Bernard.

ratio: Hæc autem consummatio malitiæ est in desperatione, prout est peccatum in Spiritum sanctum.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod præsumptio quando directe impugnat iustitiam Dei, quasi Deus esset misericors, & non iustus, est peccatum in Spiritum sanctum: non propter hoc quod ponit Dei misericordiā excedere suum peccatum, sed quia ponit Dei misericordiam esse sine iustitia: non asserendo in intellectu (hoc enim esset infidelitas) sed sic afficiendo quasi vnum esset sine altero.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod inuidentia fraternæ gratiæ, secundum quod est peccatum in Spiritum sanctum attenditur: cum homo scienter impugnat gratiam fraternitatis: neque mouetur ad hoc ex leuitate, vel ex aliqua infirmitate. Vnde non est dicendum, quod omne odium fratris, vel inuidia in fratrem sit peccatū in Spiritū sanctum.

¶ Ad quintum vero dicendum, quod cum aliquis impugnat veritatē prius agnitam, potest per seductionē aliorum cadere in errorem, & impugnationem illius veritatis, & defensionem falsitatis: & talis nō dicitur peccare in Spiritum sanctum: secundum quod dicit Aug. *qui resistunt contumaciter, & pestifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, cum tamen credant contrarium habere veritatem, possunt enim dici heretici, & non peccantes in Spiritum sanctum, si ex falsa credulitate & ignorantia hoc faciunt.*

Aug. cont. Manich.

¶ Ad sextum vero dicendum, quod obstinatio tunc est peccatum in Spiritum sanctum, quando pertinaciter malo adhærent; non ex ignorantia, vel infirmitate, sed ex ipsa animi malignitate: & dicitur in Glo. *Cum diabolica obstinatione de dispersione ad congregationem nunquam reditur: tunc iudicatur peccatum in Spiritum sanctum.*

Gloss. sup. Matt. 12.

¶ Per hoc etiam potest solui ex ratione consimili illud, quod septimo obiiciebatur.

¶ Ad octauum dicendum, quod illud, quod obiiciebatur Leui. 10. non dat intelligere, quod non sint plures species peccati in Spiritum sanctum, sed quod illæ duę, de quibus ibi intēditur (loquitur enim de simulatione pœnitentiæ) cum tamen perseueret in malitia, & diffidat de remedio, quod datur ex misericordia, sicut est de infirmo, qui facit illud per quod morbus augetur, scienter: & diffidit de medico: talis permanet in ægritudine ducente ad mortem.

Leu. 10.

¶ Ad nonum dicendum, quod licet peccatum in Spiritum sanctum his duobus modis committatur: sunt tamen illi duo modi, de quibus principaliter ibi intenditur: cum exponitur illud Apostoli. *Secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram &c.* ibi enim habetur, quod induratur in malitia, & diffidit de Dei bonitate. Præterea, obstinatio respicit ipsum peccatum: desperatio vero respicit remedium peccati: vtrumque autem difficultatem ponit ad remissionē peccati ex parte ipsius peccatoris: sed vnū est respectu sui, alterum vero respectu eius, quod Dei est.

Rom. 2.

¶ Ad decimum dicendum, quod illa duo, quæ sunt præsumptio & desperatio, sufficienter diuidunt contra illa, quæ sunt respectu Dei remittentis. Duo enim requiruntur sc. timor iustitiæ, & spes misericordiæ: contra spem proprie est desperatio, cōtra timorem vero iustitiæ proprie est præsumptio: vnde sufficienter species peccati in Spiritum sanctum designantur ex illa parte: sed nihilominus aliæ ex aliis duabus partibus, sicut dictum est.

¶ Ad vndecimum dicendum, quod licet tres sint virtutes theologicæ, quibus opponuntur species peccati in Spiritum sanctum: non tamen secundum numerum illarum accipitur diuisio specierum, sed secundum differentias earum, quæ pertinent ad gratiam remissionis ex parte remissiui, & eius cui fit remissio, & adminiculantis: sicut dictum est. Vt ex parte remissiui accipiantur duæ species: ex parte eius, cui fit remissio, similiter duæ: ex parte adminiculantis duæ.

¶ Ad duodecimū dicendum, quod licet duæ sint, tamē ratione eius, quod est pœnitere scilicet commissa deflere, & flenda non committere: peccatum autem in Spiritum sanctum opponatur pœnitentiæ: nō tamen erunt duæ species tantum per oppositionē ad illa duo acceptæ. Remissio enim cui opponitur peccatū in Spiritum sanctum secundū quendam modum oppositionis, non tantum exigit conditiones, quæ sunt ex parte pœnitentis, sed quæ sunt ex parte Dei remittentis & iuste punientis, remittit n. culpam, sed iuste infligit pœnam: requirit etiam conditiones ex parte ecclesiæ adiuuantis. Et ita non tantum erunt duæ species peccati in Spiritum sanctū, sumptæ iuxta oppositionē earum, quæ inuenitur in parte ratione pœnitentiæ: sed quatuor aliæ: sicut iam dictum est.

¶ Ad tredecimum dicendum, quod inobedientia de se non est peccatum in Spiritum sanctum: sed ipsa pertinacia contumax: & continetur sub illa specie, quæ est obstinatio. Similiter de simulatione pœnitentiæ: de se enim non dicit peccatum in Spiritum sanctum: sed ipsa impœnitentia, quæ latet sub illa. Eodem modo dicendū est de pctō schismatis: quod ipsum licet sit graue pctm̄ de se, non tamen est pctm̄ in Spiritum san. similiter nec infidelitas; sed ipsa cōtumacia pertinax, q̄ errorē descēdere, & veritatē impugnare nititur.

¶ Habita ratione numeri specierum peccati in Spiritum sanctum: quædam etiam addenda videntur ad ampliorem explanationē. Dubitabit n. aliquis de desperatione & præsumptione: ista n. videntur esse peccata ex ignorantia: si n. aliquis sciret latitudinē misericordiæ Dei, nunquam desperaret: si rigorem iustitiæ, nunquam præsumeret: ergo ista proueniunt ex ignorantia misericordiæ & iustitiæ.

¶ Si vero dicatur, ꝙ non propter hoc continentur sub pctō ex ignorantia: quia non proueniunt ex ignorātia simplici, sed ex ignorantia affectata, quæ æquipollet certæ malitiæ: cum apud quemlibet vtentē ratione sit notum, Deum esse summe misericordem, & summe iustum: & quod iustitia non est sine misericordia, nec econuerso: quod etiam ductu rationis de facili potest inueniri.

¶ Obiicitur in contrarium per simile: fornicationem esse pctm̄ mortale, scriptum est in corde hominis naturaliter: ergo si aliquis fornicetur, ignorans fornicationē esse mortale pctm̄; peccat ex ignorantia affectata: & ita ex certa malitia; ergo non debet excusare eum infirmitas: & ita est peccatum in Spiritum sanctum: quod falsum est.

¶ Item, nonne aliquis ex sua fragilitate potest desperare: & quod est ex fragilitate, est pctm̄ in patrem: ergo non omnis desperatio est peccatū in Spiritum sanctum: non ergo desperatio est species peccati in Spiritum sanctum: quicquid enim continetur sub specie, continetur sub igne.

¶ Item, dixit Cain. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*: nunquid credidit, quod maior esset sua iniquitas, quam misericordia Dei, ex qua datur venia? Gen. 4.

¶ Ad quod dicendum, quod non est simile de noticia eius quod est, Deum esse summe misericordem & iustum; & de eo ꝙ fornicatio sit mortale peccatū. Vox n. omnium Deum esse iustum & misericordem: & cum redit ad conscientiam rectam, nullatenus potest discredere, cum credat ipsum esse summe bonum. Sed sic non est de eo, quod fornicatio sit mortale peccatum: cum hoc multi abundantes, ratione non attingāt, sed authoritate: & ideo licet ille peccet ex ignorantia, qui non credit fornicationē esse mortale peccatū: non tamen peccat ille ex ignorantia, sed in Spiritum sanctum, q̄ præsumit vel desperat modo, quo dictū est.

¶ Ad secundum vero dicendū est: ꝙ duplex est diffidere. Est n. diffidere de seipso ratione suæ infirmitatis: & hæc diffidentia licet sit pctm̄ in aliquo casu, non est peccatū in Spiritū sanctum. Vnde pusillanimitas non est pctm̄ in Spiritum sanctum. Est a. diffidentia de diuina bonitate, nō pręcedente aliqua causa excusante: & hoc est peccatum in Spiritum sanctum.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod nō credebat suam iniquitatem esse maiorem misericordiam Dei: sed quod maior esset, quam satisfactio, vt crederet se nullatenus posse satisfacere Deo, quem offendit.

¶ Adhuc etiam quæritur, vtrum præsumptio respiciat misericordiam Dei: & quare dr̄ opponi iustitiæ, potiusquā misericordiæ? Item, præsumptio est vna extremitas spei: opponitur ergo ne plus timori q̄ spei: aut spei q̄ timori? Et videtur ꝙ magis opponatur timori: timor n. respicit iustitiam infligentem pœnam: præsumptio ergo cum sit contra iustitiam, videt̄ opponi timori, qui p se ordinat̄ ad iustitiā. Qō. lateralis.

¶ Quod a. magis opponatur spei, habetur ex hoc quod conueniunt in genere: vtrumque n. est expectatio veniæ: sed spes est expectatio veniæ vel gloriæ ex meritis de con-

gruo

gruo vel de condigno: præsumptio autem sine meritis; non attribuendo gratiæ, sed suis operibus.

¶ Ad quod dicendum, quod præsumptio potius dicitur esse contra iustitiam, quam contra misericordiam: quia ponit latitudinem misericordiæ sine iustitia: econtra desperatio videtur ponere iustitiam, sed tollere effectũ misericordiæ. Licet ergo tam præsumptio quam desperatio referantur ad misericordiam, & differenter: quia desperatio diminuit effectũ misericordiæ: præsumptio vero superflue siue excedenter ponit: n̄ pręsumptio pp causam dictā dr̄ opponi iustitiæ in effectu, & desperatio misericordiæ in effectu.

¶ Ad aliud vero dicendum, quod præsumptio opponitur spei, & timori: sed opponitur spei non ratione generis, quod est expectatio misericordiæ: sed ratione differentiæ superadditæ. Præsumptio n. est exspectatio misericordiæ sine gratia: spes vero est exspectatio misericordiæ attribuendo grãæ. Præsumptio a. & timor opponuntur ratione differentiæ eorum, q respiciuntur, & differunt in gñe: præsumptio n. est excẽtio ad misericordiam: timor vero est resilitio à summa iustitia: secundum q nos loquimur de timore initiali: à summa vero maiestate in suam paruitatẽ, secundum quod fit sermo de timore reuerentiæ: & ita differunt genere: præsumptio etiam est indebita exspectatio futuri boni timor vero (de quo loquimur) est debita fuga futuri mali.

Q5. latera-li. Matt. 12. ¶ Item obiicitur de impugnatione veritatis agnitæ: dicitur n. quod blasphemia dimittetur: spiritus vero blasphemiæ nõ remittetur, neque hic, neque in futuro: sicut Matt. 12. habetur. Potest ergo quæri, quæ sit differentia inter blasphemiam, & spiritum blasphemiæ. Spiritus n. blasphemiæ aut dicit potentiam, aut habitũ, aut passionem. Sed constat quod non dicit potentiam: cum potentia in eo quod potẽtia bonum sit; spiritus a. blasphemiæ malum. Neque dicit passionẽ: cum passio sit minus malum quam ipse habitus: blasphemia a. dicit habitum. Restat ergo, quod spiritus blasphemiæ dicit habitum malum, quo f. falsa de Deo dicunt, vel vera negantur. Ergo spiritus blasphemiæ continetur in genere blasphemiæ: hæc enim est ratio blasphemiæ: sicut

Ephes. 4. Matt. 12. habetur super illud, *Blasphemia*.

¶ Præterea, quod dicitur in Matth. spiritus blasphemiæ, in nostra translatione, secundum Chrys.) dicitur *blasphemia spiritus*. Potest ergo quæri, quæ sit rationis intentio dicendi.

Ambrof. ¶ Item, dicit Amb. *Si quis specie corporis humani deceptus de corpore Christi aliter senserit, quam dignum sit, non est exclusus à venia: si quis vero Spiritus sancti potestatem abnegauerit sempiternam, & non in spiritum Dei, sed in Beelzebub asserit eiici dæmonia, non potest ibi esse exhortatio veniæ, vbi est sacrilegii plenitudo.* Ex quo videtur, quod si aliqui male sentiat de filio, non sit peccatum in Spiritũ sanctum: sed si male sentiat de Spiritu sancto, tunc peccat in Spiritum sanctum.

Marc. 3. ¶ Sed contra hoc est, q ipsi Iudæi peccauerunt in Spiritum sanctum, dicentes: quod ipse virtute diuina, qua Deus erat, non eiiciebat dæmonia: vnde dicit Amb. *Ideo grande*

Ambrof. *scelus committebant, quia quod Dei esse cognouerunt, diaboli esse clamabant.*

Glossa. Raba. ibid ¶ Item, dicitur in Gl. Raba. ibidem. *Qui Spiritum sanctũ non esse, vel minorem patre esse credunt, vel [illegible] quia non ex inuidia diabolica, sed ex humana ignorantia hoc faciunt irremissibili crimine non tenentur.* Sed maius est credere Spiritum sanctum non esse, vel esse creaturam: quam hæc opera non esse Spiritus sancti: ergo illud debet dici maius pctm̄ in Spiritum sanctum: vel si illud non dicitur, nec reliquum dicendum est.

Matt. 12. ¶ Præterea, dicitur Matth. 12. quod spiritus blasphemiæ non remittetur hic, neque in futuro.

¶ Sed contra, aliqui eorum pœnituerunt, qui illo peccato peccauerunt: propter quid ergo peccatum in filium dicitur remissibile, peccatum autem, quod erat contra Spiritum sanctum, dicebatur irremissibile?

¶ Item, videtur pctm̄ in patrem idem quod peccatũ in Spiritum sanctum quod enim est irremissibile, pctm̄ in Spiritum san. dicitur: sed pctm̄ illius, qui in similitudine diaboli contra scientiam suam maiestatem Dei oppugnat, non

Ibidem. est remissibile: sicut dicitur Matth. 12. hoc autem est peccatum in patrem, quod est contra maiestatem? ergo peccatum in patrem est peccatum in Spiritum sanctum: in quo ergo distinguitur, si hoc non est illud?

¶ Ad quod dicendum: quod aliud est blasphemia, secundum q ibi accipitur: & aliud spiritus blasphemiæ: cum vtrumq; sit habitus malus. Nec accipitur ibi blasphemia, secundum quod genus est ad vtrumque: sed secundum q determinat pctm̄ sine aggrauatione circumstantiæ, quæ est ex certa malitia. Quidam n. blasphemant quasi ex coactione: & hi peccant in patrem, quia ex infirmitate: quidam vero ex deceptione siue seductione, & hi peccant in filium: alii vero ex sola malignitate, & hi peccant in Spiritum sanctum: & hoc peccatum dicitur spiritus blasphemiæ: quid enim aliud videtur spiritus blasphemię, nisi affectatio vituperationis diuinæ. Blasphemia vero ibi accipitur, cum ex infirmitate, vel ex ignorantia blasphemat: hæc n. est blasphemia, quæ habet colorẽ aliquem excusationis, per quã diminuitur peccatum: spiritus vero blasphemiæ habet circumstantiam, per quam aggrauatur peccatum: ibi n. malitia crescit quasi ad quoddam summum. Sic ergo spiritus blasphemiæ, vno modo dicitur contra blasphemiam: alio vero modo sub blasphemia continetur.

¶ Ad aliud vero dicendum, q hoc pctm̄ dicitur spiritus blasphemię, quia sicut spiritus spirat ad laudem & amorem Dei: ita iste spiritus blasphemiæ spirat ad odium Dei & vituperium. A Chrys. dicitur blasphemia spiritus: eo quod Chrysost. contra Spiritum san. blasphemat, dicens, non esse opera Spiritus sancti, sed diaboli: cum sciat contrarium.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod B. Ambr. loquitur ratione deceptionis, quam posset habere homo, si videret formam Christi in humanitate, & non videret miracula: si talis crederet non esse Deum, probabilem videretur habere excusationem. Sed qui videret miracula, sciens quod miracula non sunt nisi à Deo, & attribueret diabolo: talis nõ haberet excusationem. Et hoc modo intelligitur, quod sit peccatum in Spiritum sanctum attribuere eiectionem dæmoniorum ipsi diabolo, & non Spiritui sancto. Nec negatur, quin possit esse peccatum in Spiritum sanctum si aliquis ex certa malitia blasphemiam dicat in filium, vel etiã in patrem.

¶ Ad quartum dicendum est, quod non dicitur pctm̄ in Spiritum san. quia maior falsitas credatur; posset n. hoc esse ex ignorantia humana: sed hoc est, quando homo dicit minorem aut maiorem falsitatem ex malitia: & tunc ratione ipsius causæ dicitur esse peccatum in Spiritum sanctum.

¶ Ad quintum dicendum, quod non dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia non possit esse de eo pœnitentia: sed dicti sunt peccasse in Spiritum sanctum: quia (sicut dicit Chrys.) sufficientem acceperunt experientiam spiritus: prophetæ enim per eum locuti sunt, & omnes ab eo Idem. dona gratiæ acceperunt: non autem ita cognouerunt, filium carne indutum: & ideo ex illa parte excusationem aliquam poterant habere. Cuius signum fuit, quod pœnitentibus orauit dimitti in cruce iniuriam sibi factam: Sed de iniuria facta in Spiritum sanctum non ita dixit habere veniam: quando dæmones eiicere, & sanitatem efficere, opus fuit Spiritus sancti: & ideo ei facta fuit iniuria.

¶ Ad vltimum vero dicendum, quod licet patri approprietur maiestas: tamen iniuriari maiestati, quæ communis est Spiritui sancto cum patre & filio, scienter, est peccatum in Spiritum sanctum, non enim distinguuntur ista peccata ratione eorum, quibus fit iniuria: communis enim est iniuria trium personarum: sed ratione causarum, per quas fit inclinatio ad diuersa genera peccatorum sc. ratione infirmitatis, ignorantiæ, & industriæ, siue certæ malitiæ.

¶ Deinde quæritur de finali impœnitentia: vtrum eadem species sit cum obstinatione. Quod videtur per rationem obstinationis: obstinatio enim est induratæ in malitia mentis pertinacia, per quam fit homo impœnitens. Restat ergo cum per impœnitentiam fiat homo impœnitens: in eandem speciem coincidunt obstinatio & impœnitentia.

¶ Ad idem facit, quod dicitur in Gl. super illud. *Spiritus blasphemiæ &c.* Matt. 12.

¶ Ad quod dicendum, quod in hoc differunt illæ duæ

species: quia obstinatio ponit amorem peccandi in posterum scienter: impœnitentia vero remouet dolorem peccati præteriti scienter.

¶ Adhuc etiam quæritur, in quo differt malitia secundum quod est in ratione obstinationis, & secundum quod venit in rationem causæ peccati in Spiritum sanctum.

¶ Ad quod dicendum, quod malitia secundum quod est in ratione obstinationis, designat illam, quę prouenit ex peccato præcedente. Cum autem dicitur quod peccatum in Spiritum sanctum prouenit ex certa malitia; certitudo respicit malitiam, quæ est in perpetratione: cum aliquis sc. scienter aliquam malitiam perpetrat.

MEMBRVM IV.

An omne peccatum additione aliqua peccatum in Spiritum sanctum dici possit?

Ambros. QVARTO quæritur, Vtrum omne peccatum possit dici per aliquam additionem peccatum in Spiritum sanctum? Quod videtur per hoc, quod dicit Amb. *quod humana fragilitate committitur, remissibile est, si congregatio non deseratur: cum vero diabolica obstinatione deseritur, nec ad congregationem reditur, insolubile peccatum est, & dicitur peccatum in Spiritum sanctum.* Sed potest contingere, quod primo humana fragilitate contrahatur, & deinde diabolica obstinatione deseratur congregatio: videtur ergo quod illud peccatum iam fiat in Spiritum sanctum. Pari ratione potest dici de alijs, quæ fiunt ex infirmitate, vel ignorantia: ergo quodlibet peccatum potest esse in Spiritum sanctum.

Leu.13. ¶ Similiter potest ostendi per hoc, quod dicitur Leu.13. vbi loquitur de differentiis lepræ: & quasdam ponit, quæ possunt mundari; quandam autem assignat (sicut dicit Isidor.) quæ mundari non potest: & illa signat peccatum in Spiritum sanctum: & tali lepra infectum iudicabit sacerdos esse pollutum. Cum ergo iste progressus lepræ non differat nisi secundum plus & minus: videtur quod aliud genus, quod per lepram designatur, possit fieri peccatum in Spiritum sanctum, quod s. per lepram perseuerantē designatur.

RESOLVTIO.

Quodam modo & aliquod aliud genus peccati peccatum in Spiritum sanctum dici potest.

¶ AD quod dicendum, quod peccatum in Spiritum sanctum (sicut dictum est) sub duplici ratione sumebatur. Vno modo, secundum quod erat peccatum per se distinctum: alio vero modo secundum quod dicebat aggrauationem super genus peccati. Secundum primum modum non omne peccatum potest esse peccatum in Spiritum sanctum, sicut non omne peccatum est aliquod sex dictorum. Secundo vero modo potest aliud peccatum fieri peccatum in Spiritum sanctum per aggrauationem circumstantiæ. Sed distinguendum est: si motus peccati originem habet ex fragilitate vel ignorantia; non proprie dicitur peccatum in Spiritum sanctum: licet vlterius progrediatur per aggrauationem circumstantiæ: sed si nec fiat ex fragilitate, nec ex ignorantia, sed solum ex certa malitia; tunc dicetur peccatum in Spiritum sanctum. Si autem aliquis motus, qui diu durat, primo sit ex infirmitate, deinde progrediendo, ex industria: non propter hoc dicendum est, quod idem sit peccatum in patrem, & in Spiritum sanctum: sed secundum vnam partem motus dicetur peccatum ex infirmitate, secundum aliam in Spiritum sanctum.

¶ Et per hoc soluendum est illud, quod obiectum est: dum enim humana fragilitate contrahitur, & non deseritur congregatio, remissibile est: cum vero deseritur ex obstinatione diabolica; peccatum est in Spiritum sanctum.

¶ Similiter potest dici de lepra peccati in primo gradu, & de lepra peccati cōsummata: lepra enim peccati inchoata remediabilis est, consummata vero disponit ad eiectionem à castris. Nec oportet si idem esse actionis sit secundum naturam, vel idem secundum genus peccati: quod propter hoc idem sit peccatum in patrem, vel in filium, quod peccatum in Spiritum sanctum.

MEMBRVM V.

Peccatum in Spiritum sanctum cui gratiæ opponatur?

QVINTO quæritur, cui gratiæ per se & primo opponatur peccatum in Spiritum sanctum. Cum enim triplex distinguatur gratia; gratia innocentiæ, quam habuit Adam in primo statu; gratia baptismalis, quam habent paruuli, qui non perueniunt ad illam innocentiam omnino; gratia pœnitentiæ: constat, quod nō per se opponitur primæ gratiæ: illi enim opponitur originale: nec secundæ gratiæ per se & primo: illi enim opponitur peccatum mortale actuale quodcunque secundum genus suum: cum ergo peccatū in Spiritum sanctum dicat aggrauationem peccati quasi in summo, opponetur alicui gratiæ per se & primo: videtur quod opponatur gratiæ pœnitentiali, per quam fit reparatio vltimo à lapsu peccati.

¶ Hoc etiam videtur per differentias specierum, quæ sunt obstinatio, impœnitentia, & ita de alijs.

¶ Contra, à gratia pœnitentiæ cadit homo per quodcunque peccatum mortale: non ergo per se & primo opponitur peccatum in Spiritum sanctum gratiæ pœnitentiali.

¶ Item, pctm̄ in Spiritum sanctum secūdum suum gradum est maximum pctm̄: si ergo suum oppositum in genere suo est illi proportionale: debet esse gratia ei opposita excellentior in genere gratiæ: cum ergo gratia pœnitentiæ in genere gratiæ, non videatur maior, non est illa gratia, cui per se & primo opponitur peccatum in Spiritum sanctum.

RESOLVTIO.

Gratiæ pœnitentiali, à peccati actualis mortalis lapsu reparanti.

¶ AD quod dicendum est, quod peccatum in Spiritum sanctum opponitur illi gratiæ pœnitentiali, per quam fit reparatio à lapsu pcti actualis mortalis. Sed dupliciter dicitur opponi aliquod peccatum illi gratię: vel quia expellit illam: & hoc modo peccatum actuale mortale, quod perpetrat homo post iniunctam pœnitentiam siue post contritionem, dicitur opponi illi gratiæ. Alio vero modo dicitur opponi illi gratiæ, quod maxime contrariatur, vt non conuertatur ad pœnitentiam, vel vt non sit dignus remissione peccati: & hoc modo dicitur peccatum in Spiritum sanctum opponi gratiæ pœnitentiali.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod obiectum est: peccatum n. in Spiritum sanctum aliter dicitur opponi, quam quodcunque peccatum mortale.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod licet peccatum in Spiritum sanctum sit maximum in genere peccati: non tamen oportet quod opponatur maximæ gratiæ per se & primo. Notandum tamen est, quod maior dicitur gratia alia gratia, vel propter statum, vel propter effectum maiorem, vel propter signum maioris misericordiæ. Gratia baptismalis dr̄ maior tōne effectus: tollitur n. & culpa & pœna. Gratia vero innocentiæ dicitur maior ratione status in persona. Gratia vero pœnitentiæ in signum est maioris misericordię: quotiescunque enim offendat homo, si conuertatur ad Dominum, prout oportet, dimittitur pctm̄: & ideo quo ad hoc videtur esse maior: & quia de impœnitentia etiam homo pœnitere potest: & sic peccatū in Spiritum san. reddit indignum hac excellenti gratia quo ad hoc.

MEMBRVM VI.

An peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur?

SEXTO quæritur, quare peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile. Et videtur primo quod sit remissibile, dicit enim Aug. *De nullo desperandum est, quamdiu patientia Domini ad pœnitentiam expectat: paganus est hodie, quid si cras sequatur catholicam veritatem?* Aug. ser. n. de verb. Dom.

¶ Item, sup. illud. *Dixit Dominus ad Basan &c.* Glo *etiam desperatissimos conuertit.* Peccatum ergo in S.S. est remissibile. Psal.67. Gloss.

¶ Item, Isid. *Nullus desperare debet de venia. etiam si circa finē vitæ suæ ad pœnitentiam conuertatur: vnumquemque enim Deus ex suo fine, non ex vita præterita iudicat.* Quod libet ergo peccatum ante finem vitæ est remissibile: ergo & peccatum in S.S. Isidor.

¶ Item super illud. *Qui sanat oēs infirmitates.* Glo. *omnipotēti medico nullus insanabilis languor occurrit.* Ergo languor peccati in Spiritum san. non est insanabilis: ergo pctm̄ in Spiritū san. non est irremissibile. ¶ Item, est triplex eē: esse quod nō sequitur nō esse: & hoc est æternū. Est eē, quod sequitur nō esse, sed nō præcedit: sicut est in angelis non ... esse: & istud secundum quosdā dicitur æuiternū, ab æuo. Est iterum esse, quod sequitur non esse, & antecedit: sicut est in rebus Psal.102. Gloss.

temporalibus. Sed peccatum in Spiritum sanctum non habet esse per modum primum, aut secundum: restat ergo quod per modum tertium: ergo est remissibile.

Matt. 12. ¶ Contra, *Qui dixerit in filium, remittetur ei: qui vero dixerit in Spiritum sanctum non remittetur ei:* & hoc est peccatum in S.S. ergo est irremissibile.

Aug. in lib. de fid. ad Petrum. ¶ Item, Aug. *Hi qui peccant in Spiritum sanctum, neque hic, neque in futuro remissionem accipiunt peccatorum.*

Idem de ser. Dom. in monte. ¶ Item, *Peccare in Spiritum sanctū est, per malitiā & inuidiam fraternam impugnare charitatem post acceptam Spiritus sancti gratiam: quod peccatum neque hic, neque in futuro remitti dicimus.*

RESOLVTIO.

Et remissibile, & irremissibile dici potest.

¶ Ad quod dicendum est: quod peccatum in Spiritum sanctum vno modo dicitur remissibile, alio modo irremissibile. Remissibile a. dicitur tum ratione potentiæ diuinæ remittentis: tum quia homo potest de illo pœnitere: excepto pctō finalis impœnitentiæ, de quo nullus pôt pœnitere, inquātum est finalis. Dicitur etiam remissibile, quia secundum esse suum est finibile: nisi fuerit causa in alio s. in voluntate pctōris. Dicitur a. irremissibile, quod contrariatur per se gratiæ remissionis: & hoc modo dicitur impœnitentia pctm̄ irremissibile. Dicitur etiam irremissibile, quod inhabile est remitti: & hoc modo dicitur obstinatio. Dicitur etiam quod indignū est remitti, quia tollit adminiculans: & hoc mō impugnatio fraternæ grāæ est pctm̄ irremissibile. Dicitur etiam irremissibile, quod non habet colorem excusationis sicut habet pctm̄ quod est ignorantia, vel infirmitate: & hoc modo quodcunque peccatum in Spiritum sanctum, quia est ex certa malitia dicitur irremissibile.

¶ Ex his vero potest patere, qualiter intelligenda sunt, quæ obiecta sunt. Quod n. primo obiicitur, attenditur de pctō, quod est remissibile rōne status viatoris, in quo est possibilitas ad grām post lapsum. Secundum a. dat intelligere remissibile propter magnitudinem misericordiæ diuinæ, cum desperatissimos conuertit. Tertium vero dat intelligere remissibile iterum ratione status. Quartum autē dat intelligere remissibile ratione potentiæ redemptoris. Quintum a. dat intelligere remissibile eo, quod secundum esse suum est finibile; si adsit voluntas ex parte hominis, & gratia ex parte Dei. Rationes vero, quæ inductæ sunt ad contrarium: dicunt irremissibile: vel quod nunquam remittetur: vel propter inhabilitatem aut indignitatem: vel quia causam excusationis non habet.

Qō. collateralis. Matt. 12. ¶ Deinde quæritur de hoc, quod dicitur: quod qui dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur hic, neque in futuro. Videtur n. quod superfluum sit illud, quod additur *neque dimittetur*, cum n. hoc sit mors homini, quod casus angelo; post casum a. angeli non est dimissio peccati: post mortem ergo hominis non est remissio pcti: idem ergo est dicere, non dimittetur in futuro, & non dimittetur hic.

Aug. in Enchir. ¶ Præterea, dicit Aug. *Nemo speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum mereri: omne enim meritum, quo possit quispiam post hanc vitam releuari, hic operatur.* Non ergo videtur, quod aliqua fiat dimissio peccati in futuro eius, quod hic non est dimissum: superflue ergo additur illa copulatio.

¶ Ad quod dicendum est, quod aliqua dimittuntur hic quo ad culpam, & non quo ad pœnam: sicut est de peccatis quibusdam mortalibus, de quibus non est facta satisfactio in præsenti. Aliqua vero (sicut videtur dicere Greg.) quæ

Greg. in moral. post mortem dimittuntur, & quo ad culpam, & quo ad pœnam. Dicit n. in Moral. *Sunt quædam leuia, quæ si in hac vita nondum sunt remissa, post mortem grauant: sed remittuntur, si digni sunt.* Et magis explanatur per hoc quod dicit Aug. *Si nulla remitterentur in iudicio nouissimo, puto quod Dominus non dixisset de quodam peccato, Non remittetur in hoc seculo, neque in futuro.*

Aug. ad Iulian. Siue ergo culpæ secundum se tollantur in futuro, siue non: aliqua sunt peccata, quæ dimittuntur in futuro, quo ad pœnam: si homo bonis actibus in hac vita, vt ibi dimittantur, promeruit.



QVÆSTIO CLVI.

De Desperatione.

In octo Membra diuisa.

D. Th. 2. 2. q. 20 S. Bo. in 2 d. 43. dub. 3. & lib. 3. d. 26. art. 2. q. 2. ad arg.

QVONIAM vero desperatio grauissima species est peccati in Spiritum sanctum: dicendum est de desperatione. Circa quam hæc possunt quæri. Si desperatio est peccatum secundum illam diffinitionem peccati, quam ponit Aug. Peccatum est conuersio &c. siue, peccatum est spreto incommutabili bono, adhærere commutabilibus bonis. Secundo, vtrum sit idem peccatum cum spe, siue cōfidentia, quæ est in creatura. Tertio, vtrum desperatio possit esse cum fide informi, aut non. Quarto, vtrum desperatio sit de potentia Dei, sicut de bonitate diuina. Quinto, vtrum desperatio, prout est peccatum, permaneat in damnato secūdum actum. Sexto, de comparatione desperationis ad alia peccata, & de comparatione partium inter se. Septimo, vtrum desperare de salute proximi sit peccatum. Octauo, de remedio peccati desperationis.

MEMBRVM I.

An desperatio peccatum sit: pro vt peccare definitur, spreto incommutabili bono, bonis mutabilibus adhærere?

AD primum sic: videtur quod non sit peccatum secundum illam rationē. Peccatum n. est conuersio ad mutabile bonum cum auersione ab incōmutabili. Sed in desperatione, quantum est de se, non est nisi auersio: auertitur enim à summa bonitate, quod patet ex ratione eius: desperatio enim est de bonitate diffidētia: sicut habetur Rom. 2. cum autem dicitur diffidentia de Deo, à Deo notatur auersio: vel (secundum quod dicit Aug.) desperatio est diffidentia de Dei misericordia. Aug. de fid ad Petrum

¶ Contra, nullus voluntate auertitur actualiter à summo bono, nisi aliquid aliud alliciat ipsum per concupiscētiam: sic enim dicitur. *Vnusquisque abstractus à concupiscentia sua & illectus tentatur: concupiscentia autem cum conceperit, parit peccatum:* cum ergo desperans tentetur à sua concupiscentia, est illectus: concupiscentia autem est respectu mutabilis boni: desperans ergo conuertitur ad mutabile bonum. Iacob. 1.

RESOLVTIO.

Quinimmo: cum & ipsa proprium illectiuum habeat.

¶ Ad quod dicendum est, quod licet desperatio principaliter respiciat auersionē à misericordia Dei: nihilominus tamen aliquod habet illectiuum. Et si quæratur, quid sit illud: Dicendum est, quod hæc est delectatio in magnitudine peccati, ratione cuius desperat de venia. Et hoc innuitur in Glo. super illud. *Inter hæc hircum &c.* Peccatum in Spiritum sanctum est, in sceleribus vsque ad finem vitæ suę perseuerare, de salute sua desperare. Conuersio ergo ad delectationem peccati est initium desperationis. Hoc etiam patet per hoc, quod dicit Chrys. *ostendendo gradus in peccato ipsius Cain. Primo enim diabolus præparauit ipsum deteriora offerre: secundo inuidiam & æmulationem accendit: tertio interficere persuasit: deinde negare inquinatam occasionem: post non destitit, quousque verticem malorum desperationem superimposuit.* Glo. sup. Leu. 10. Chrys.

MEMBRVM II.

An desperatio idem sit, quod vana spes, siue confidentia.

SECVNDO quæritur, vtrum sit idem peccatum cum spe, siue cum confidentia, quæ est in creatura. Est autem confidere in creatura propter se peccatum: vnde dicitur. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum.* Et *Nolite sperare in iniquitate, & diuitias nolite concupiscere.* Et *Maledictus homo, qui confidit in homine: & ponit carnem brachium suum; & à Domino recedit cor eius.* Potest ergo quæri, si desperare sit idem, quod ista vana spes, siue vana confidentia. 1 Tit vlt. Psal. 61. Hier. 17.

Quod videtur per hoc, quod dicit Greg. *de creatore desperasset, si spem in creaturam posuisset.* Ex quo videtur, quod sicut auersio ab immutabili bono, & conuersio ad mutabile bonum vnum esse peccati constituunt : ita confidentia in creatura indebita, & diffidentia de Deo: ergo desperatio erit idem peccatum cum vana spe.

¶ Contra, contingit aliquem peccare peccato vanæ spei, & non de Deo sperare : ergo non sunt vnum peccatum.

¶ Præterea, confidentia vana in creatura (sicut in cupido vel ambitioso) est peccatum remissibile : desperatio autem est peccatum irremissibile: ergo non sunt vnum peccatum.

RESOLVTIO.

Desperatio & vana spes, siue confidentia, nequaquam idem peccatum sunt.

¶ Qvod concedendum est.

¶ Ad obiectum antem in contrarium, dicendum est: quod illud verbum Greg. non arguit necessario hoc esse illud: sed hoc aliquando sequi ad illud. Vel desperare potest accipi ibi non pro omnimoda priuatione spei : sed vt sit sensus, non omnino de Deo sperat, qui sperat in creatura : qui enim spem suam ponit in creatura, non totam spem suam ponit in Deo: & sic potest priuari perfectio spei.

MEMBRVM III.

An desperatio cum fide informi stare possit?

Tertio quæritur, vtrum desperatio possit esse cum fide informi, an non? Et videtur quod non: sicut enim se habent ad inuicem fides formata, & spes formata: sic se habent adinuicem fides informis, & spes informis. Quod potest probari ex commutata proportione: sicut enim se habet fides formata ad fidem informem, sic spes formata ad spem informem: ergo permutatim, sicut se habet fides formata ad spem formatam &c. Sed fides formata & spes formata simul sunt necessario : ergo fides informis & spes informis simul sunt necessario: sed spes informis & desperatio opponuntur: ergo desperatio & fides informis non sese compatiuntur.

Aug. in Enchir. ¶ Item, sicut dicit Augu. in hoc differunt fides & spes: quia fides est præteritarum, præsentium, & futurarum rerum, similiter etiam & malorum & bonorum : fides est etiam de his, quæ pertinent non tantum ad nos, sed etiam ad alios. Spes autem non nisi bonarum rerum: nec nisi futurarum & ad se pertinentium proprie, vnde dicit Apostol. *Si quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus.* Potest ergo aliquis habere fidem informem, & tamen desperare: sicut potest habere motum fidei aliquem, & tamen non sperare : potest enim aliquis credere vitam æternam, aliis futuram: & tamen de seipso desperare. Rom. 8.

RESOLVTIO.

Desperatio cum fide informi esse potest.

¶ Ad quod dicendum, quod spes informis, prout gignitur ex fide informi, respicit illum articulum, qui est de remissione peccatorum : & illum, qui est de vita æterna. Secundum hoc ergo quod fides informis ponit cum integritate omnes articulos, desperatio quæ priuat spem informem, priuat fidem, inquantum ipsa est generatiua spei informis: non tamen priuat fidem informem simpliciter : fides enim informis potest manere, inquantum ipsa est generatiua timoris seruilis, cum ipsa desperatione : sicut contingit in damnatis.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est, quod licet fides formata, & spes formata quo ad quid similiter se habeant: sicut fides informis: & spes informis, & hoc est secūdum rationem causalitatis: non tamen omnino similiter se habent quo ad rationem simultatis: Fides enim informis aliquando est cum timore seruili sine spe: fides vero formata, quæ est cum timore initiali vel finali, semper ponit spem.

MEMBRVM IV.

An desperatio sicut de diuina bonitate est, ita & de Dei potentia sit. Et an desperans putare possit, quod sua malitia Dei bonitatem excedat?

Qvarto quæritur, vtrum desperatio sit de potentia Dei, sicut de bonitate diuina. Et videtur, quod non: primus enim articulus in symbolo fidei est de omnipotentia Dei: sicut habetur in symbolo Apostolorum, cum dicitur. *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Articulus autem pertinens ad bonitatem, qua fit remissio peccatorum; designatur : cum dicitur, *Remissio peccatorum.* Cum ergo infideles etiam omnipotentem credant : non diffidunt, quin possit remittere, sed quod nolit remittere : hoc videtur esse desperantium : desperatio enim est qua quis de Dei bonitate diffidit : sicut habetur super illud ad Roman. 2. *Secundum duritiam cordis tui.* Restat ergo quod sic non desperatur de potentia Dei peccato desperationis, quemadmodum de bonitate siue misericordia. Symb. Apo / Ibidem. / Rom. 2.

¶ Præterea, qui desperat, ex hoc videtur desperare, quia rigorem diuinæ iustitiæ considerat; non considerando diuinam misericordiam : sed considerando rigorem diuinæ iustitiæ ponit Dei potentiam : ergo non discredit eam: non ergo desperatio ponit diffidentiam de potentia, immo magis certitudinem.

¶ Contra, dicit Gregor. exponens illud. *Maior est iniquitas mea &c. Peccata peccatis adiiciens, desperat : neque se credit veniam posse adipisci, quæ est blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittetur in hoc seculo, neque in futuro : quia putat Deum nolle remittere, aut non posse, tanquam omnia non possit, aut inuideat saluti humanæ.* Ex quo habetur, quod aliquis desperat de potentia diuina, non tamen de bonitate siue de misericordia. Greg. sup. Gen. 4.

¶ Præterea, quæritur, vtrum aliquis desperans putare valeat, quod sua malitia excedat bonitatem Dei. Quod non, videtur: quantumcunque enim crescat malitia hominum, in infinitum excedit bonitas Dei: bonitas enim Dei est simpliciter infinita : sed omnis malitia hominis terminum habet: cum ergo naturaliter impressum sit homini, non tantum ex fide, quod immensa sit bonitas Dei, nullus tamen desperare potest, vt putet suam malitiam excedere bonitatem diuinam.

¶ Item, bonitas naturalis, quæ diminuibilis est per peccatum : nullatenus potest omnino tolli per peccatum: ergo bonitas illa naturalis excedit peccatum : sed bonitas diuina excedit illam bonitatem creatam : ergo excedit illam malitiam : Nullus ergo peccans, putare potest suam malitiam excedere bonitatem diuinam.

RESOLVTIO.

Nec hoc, nec illud simpliciter.

¶ Ad primum dicendum, quod homo per desperationem in hoc cadere potest, vt non tantum desperet de misericordia Dei, qua remittit peccata: sed etiam de potentia dimittendi peccata illi: sed hæc est profundatio desperationis: & tunc cadit in defectum fidei informis, qua creditur omnipotentia Dei: & iste potest esse de illis, de quibus dicitur. *Filii Mempheos & Taphnes constuprauerunt te vsque ad verticem.* Sed non oportet, quod omnis desperans, de potentia desperet; licet desperet de misericordia : & si desperet de omnipotentia, non oportet quod desperet de potentia: potentiam enim diuinam credit: & si non credat omnipotentiam quo ad affectum remissionis peccatorum. Ierem. 2.

¶ Et per hoc soluitur primo obiectum.

¶ Ad secundum vero obiectum dicendum, quod malitiam humanam excedere bonitatem Dei, dupliciter intelligitur. Vno modo vt credatur, quod malitia excedat effectum remissionis, qui est ex misericordia ; prout respondet satisfactioni : & hoc modo malitia dicitur excedere bonitatem quantum ad remissionem, quæ respondet satisfactioni. Secundum autem quod bonitas siue misericordia habet effectum remissionis peccati : generaliter excedit misericordia siue bonitas malitiam.

tiam. Cum ergo dicitur, quod quidã putãt suam malitiam excedere bonitatem Dei: hoc attenditur ratione remissionis, quæ ad satisfactionem pertinet: vel ad hoc vt homo faciat quicquid potest, vt veniam mereatur: & hoc modo dixit Cain, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Reliquo vero modo nullatenus putatur, vt malitia alicuius hominis excedat diuinam bonitatem.

Gen. 4.

MEMBRVM V.

An desperatio, prout peccatum est; permaneat in damnato secundum actum?

QVINTO quæritur, vtrum desperatio, prout est peccatum, permaneat in damnato secundum actum. Quod videtur: ponatur enim quod aliquis decedat in mortali peccato: cum iam damnatus est, desperat de remissione peccati: nam si speraret, minueretur pœna: dicitur autem *Spes eius frustrabitur.* Restat ergo quod desperationem habet in futuro: sed nihil prohibet habitum illum progredi in actum: restat ergo quod post mortem erit peccatum desperationis in actu, sicut ante mortem.

Iob penul.

¶ Si forte dicatur, quod actus ille post mortem inuoluntarie fit: ante vero morté voluntarie: & ideo ante mortem est peccatum, post mortem vero non. Contra, necessitas, qua homo se inducit in peccatum, non aufert ei, quin sit peccatum: restat ergo si homo post mortem inducitur in necessitatem desperationis: non propter hoc aufertur ei esse peccatum, vt inuoluntarie fiat, eo, quod ex necessitate fit.

¶ Præterea, dicitur *quod blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam*: Vbi datur intelligi, quod desperauerunt: & loquitur ibi de damnatis. Restat ergo, quod damnati peccant peccato desperationis.

Apoc. 16.

¶ Contra, dicitur *Veniet nox, in qua nemo potest operari.* Ex quo designatur, quod post mortem nec est operari ad meritum, nec ad demeritum.

Ioan. 9.

¶ Similiter habetur *Amor, & odium, & inuidia simul perierunt.* Vbi videtur dici, quod post mortem nec est mereri, nec demereri.

Eccl. 9.

RESOLVTIO.

Permanet, sed non in demeritum, verum in pœnam.

¶ AD quod dicendum, quod in damnatis est desperatio in augmentum pœnæ: sed non est ibi per modum peccati in actu: vt ex hoc demereantur, sed vt eorum pœna sciatur esse perpetua.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur. Dicendum est: quod licet ibi diffidant de misericordia, nulla est ibi delectatio, q̃ eos tunc inducat: & ideo nõ dicitur voluntarius huiusmodi actus. Et distinguendum, quod dicitur aliquid necessarium dupliciter: vel quia est ex violentia: vel quia est ex debita iustitia: & vtroque istorum modorum dicitur esse inuoluntarium, quod opponitur peccato. Dicitur autem alio modo necessarium, quod habet aliquid de voluntate propria vel alterius, & per consuetudinem siue legem cum voluntate dicitur necessarium: & hoc modo potest esse culpabile: secundum quem modum dicitur aliquod peccatũ necessarium, quod ex consuetudine est inductum, vel ex originali corruptione: prout dicitur de originali peccato. Et hoc modo nihil prohibet esse peccatum, & nihilominus ex necessitate inductum: sic autem non est de desperatione, prout est pœna in damnatis.

MEMBRVM VI.

An desperatio maximum peccatorum sit?

SEXTO quæritur de comparatione desperationis ad alia peccata: & de comparatione partium inter se. Et videtur quod sit maximum peccatum, per hoc quod dicitur. *Si desperaueris.* Glo. *Nihil execrabilius est desperatione: quam qui habuerit, & in generalibus huius vitæ laboribus: & (quod peius est) in fidei certamine constantiam perdit.* Ergo peccatum desperationis est maximum, cum nullum sit execrabilius eo.

Prou. 24. Glossa.

¶ Item, Hieron. de pœnitentia. *Nihil ita offendit Deum, quam desperatione malorum hærere peioribus.* Quod autem magis offendit Deum, est maius peccatum: ergo desperatio est maius peccatum aliis.

Hieron. ad Rusticum.

¶ Item, qui ad mortem peccant, tantam habent ignorantiam & cæcitatem, vt nec turbentur in sceleribus suis, nec pœnitentiæ dolore crucientur: sicut habetur super illud. *Consilium inierunt principes.* Sed grauissime peccat, qui ignorat: sicut dicit Ambros. desperatio autem est peccatum ad mortem: ergo desperatio est grauissimum peccatum.

Matt. 27. Ambros.

¶ Item, spes veniæ est principium pœnitentiæ: sed remoto principio, remouentur ea, quæ sequuntur: per desperationem autem remouetur principium: per alia peccata tolluntur consequentia ad spem veniæ vel gratiæ: ergo desperatio est maius peccatum aliis.

¶ Item, dicit Chrys. *Tristari in peccatis immoderate, diabolica est methodia: ostendit autem hoc Iudas, qui seipsum strangulauit.* Sed hoc est maximum peccatum, per quod diabolo assimilatur: hoc autem est desperatio, cum tristatur aliquis in peccatis immoderate: ergo hoc est maximum peccatum.

Chrysost.

¶ Item, maius est descendere in infernum, quam peccare ad mortem: sed alia peccata possunt dici peccata ad mortem, sicut dicit Isidor. *perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est*: Sed desperare est descendere in infernum; sicut potest illud exponi. *Descendunt in infernum, viuentes.* Et dicit Isidor. *contemnere pœnitentiam, permanere in culpa, desperare, est in infernum descendere.* Restat ergo quod desperatio est maius peccatum aliis.

Isid. in lib. de summo bono. Psal. 54. Isidor.

¶ Contra, fides est fundamentum omnis virtutis: ergo hæresis, vel apostasia, qua homo recedit à fide, cum priuet fundamentum, erit maius peccatum desperatione: desperatio enim tollit spem: sed illud peccatum tollit fidem.

¶ Item, peccatum, quod potest tolli per pœnitentiam, minus est illo peccato, quod non potest tolli: sed desperatio est peccatum, quod potest tolli per pœnitentiam: impœnitentia vero finalis non potest tolli: ergo maius est peccatum finalis impœnitentiæ, quam sit peccatum desperationis: non ergo peccatum desperationis est maximum.

¶ Item charitas est excellentior inter virtutes: illud ergo peccatum, quod principalius repugnat charitati, est maius inter peccata: sed impugnatio fraternæ charitatis est peccatum, quod principalius opponitur charitati; desperatio vero spei: ergo impugnatio fraternæ charitatis est peccatum maius desperatione.

RESOLVTIO.

Desperatio quodam quidem modo maximum peccatorum est, quodam vero modo non.

¶ AD quod dicendum, quod desperatio propter vnam causam dicitur maius peccatum: propter vero alias causas alia peccata, quæ numerata sunt, dicuntur maiora. Desperatio enim dicitur maius peccatum propter hoc, quod in rebus laboriosis, quæ ad perfectionem vitæ pertinent, perdit homo constantiam: & ita tollitur perseuerantia, cui principaliter merces redditur. Dicitur etiam maius peccatum: quia per desperationem cadit homo in tantam profunditatem peccati, vt omnino non putet esse futurum iudicium: & penitus fiat infidelis; omnipotentiam diuinam non credendo. Vnde dicit Hier. *Desperatio infidelitatis est iudicium: qui desperat salutem, non putat futurum iudicium: quod si metueret, bonis operibus se iudici præpararet.* Dicitur etiam maius peccatum id est periculosius propter adiunctam ignorantiam, qua homo periculum status sui ignorat. Dicitur etiam maius peccatum, quia priuat confidentiam finis. Dicitur etiam maius, quia inducit hominem, vt seipsum occidat. Dicitur etiam maius, quia assimilatur descensui inferni. Secundum has ergo conditiones potest dici desperatio grauissimum peccatum respectu illorum, qui non habent illas conditiones: sed non propter hoc dicetur maius peccatum omnibus aliis peccatis. Vnde nihil prohibet infidelitatem, vtpote hæresim, vel apostasiam quoad aliquid esse maius illo peccato, in hoc sc. quod tollit fundamentum omnium virtutum: & ita penitus ædificium spirituale destruit. Similiter potest dici de finali impœnitentia, quæ ratione irremediabilitatis præfertur desperationi, & aliis peccatis. Eodem modo impugnatio fraternæ charitatis siue gratiæ fraternitatis quo ad hoc dicitur excedere: quia

Hieron.

magis gratiæ, quæ in charitate perficitur, contrariatur.

¶ Adhuc etiam argui potest: quod peccatum desperationis ratione sui generis, quod est in Spiritum sanctum maius dicatur. Et hoc videtur per hoc, quod dicit Aug. loquens de peccato desperationis. *Tanta est labes illius peccati, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia & agnoscere & enunciare cogatur. Cum enim dixisset Iudas, peccaui, tradens sanguinem iustum: facilius desperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam est deprecatus.* Et per hoc vult designare, quod est peccatum in Spiritum san. quod est irremissibile. Et per hoc designatur, quod ratione sui generis est maius peccatū aliis. Et hoc videtur, per hoc, quod dicit Leo Papa. *Sceleratior omnibus (ô Iuda) & infelicior extitisti: quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum; sed desperatio traxit ad laqueum.* Ex quo videtur, quod desperatio, prout est in genere peccati in Spiritum sanctum sit maius aliis.

Aug. lib. 1 ca. 44. de ser. Dom. in mont.

Leo Papa.

¶ Sed videtur, quod peccatum desperationis non contineatur sub peccato in Spiritum sanctum & ita ratione illius non est maius. Dicitur enim super illud. *Pauor illis, qui operantur malum.* Glo. *Sunt, qui scientes iudicium nihilominus negligentia, vel desperatione, vel industria peccant.* Diuiditur ergo desperatio contra peccatum ex industria: ergo peccatum ex desperatione diuiditur contra peccatum in Spiritum san. & ita ratione peccati in Spiritum sanctum non dicitur esse maius aliis.

Prou. 10. Glossa.

¶ Ad quod dicendum, quod tanguntur hic tres differentiæ peccati, quæ possunt sic distingui: vt industria respiciat cognitionem generis pcti, negligentia vero circūstantias, desperatio vero terminum remissionis, & secundum hoc desperatio distinguetur ab industria. Vel aliter potest distingui desperatio ab industria & negligentia: vt negligētia reducatur ad peccatum ex ignorantia (large sumpto vocabulo) desperatio vero ad peccatum ex infirmitate, peccatum vero ex industria dicatur illud peccatum, quod est ex certa malitia: & secundum hoc non dicetur hic desperatio, prout est peccatum in Spiritum sanctum.

¶ Illud vero, quod dicit Aug. & quod Leo Papa de desperatione, attenditur prout peccatum in Spiritum sanctum: & ita aliter accipitur in illa Gl. desperatio: & aliter in illis autoritatibus.

Aug. in lib. de ser. Do. in mont. Qō. lateralis.

¶ Item, aliquis desperat de misericordia Dei quantum ad bona temporalia: sicut est de pauperibus, qui sunt in tribulatione & miseria: aliqui desperant de misericordia Dei quo ad spiritualia: sicut est qui desperat de remissione peccatorum & de vita æterna. Potest ergo quæri, quæ illarum desperationum præfertur alii. Et videtur quod illa de misericordia in bonis spiritualibus: præferuntur enim bona spiritualia bonis temporalibus: ergo spes misericordiæ in illis: ergo & desperatio præfertur desperationi.

¶ Contra, quibus confert Dominus bona spiritualia: confert etiam bona, quæ sunt ad necessitatem vitæ temporalis: hæc enim sunt misericordię generalis: illa vero misericordiæ specialis. Desperare ergo de misericordia, qua illa conferuntur, est desperare de misericordia, qua ista conferuntur: & non econuerso. Ergo maior est desperatio, qua homo desperat de misericordia generali, qua dantur temporalia bona, quæ sunt ad necessitatem vitæ: quam desperatio misericordiæ, qua cōferuntur bona spiritualia. Quod etiam videtur per ordinem positum vbi dicitur. *Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Gl. *Temporalis communis est bonis & malis: spiritualis vero est propria bonis: & temporalem præmittit, spiritualem vero subiungit, quæ notatur per misericordiæ multiplicationem.* Qui ergo desperat de misericordia generali, per consequēs desperat de multiplicatione misericordiæ.

Psal. 35. Glossa.

¶ Hoc etiam videtur, quia minus est dare ista bona tēporalia, quam spiritualia: qui ergo desperat de dono Dei in minoribus, per consequens desperat de dono Dei in maioribus: sicut qui non vult mihi dare castrum, non ex hoc præsumitur, quod nolit dare domum: vnde diffidentia rei maioris non ponit per consequens diffidentiam rei minoris.

¶ Ad quod dicendum est, quod licet bona spiritualia sint maiora, quam temporalia: tamē desperatio misericordiæ quo ad ista bona temporalia maior est, quam desperatio misericordiæ quo ad bona spiritualia: nec debet ibi attendi consequentia in ipso, sed in contrario.

¶ Et per hæc possunt solui, quæ obiecta sunt: & licet bona temporalia possint dari sine spiritualibus, & spiritualia sine bonis temporalibus, tamen diffidentiæ non sic se habent. Sed diffidentia respectu misericordiæ generalis, secundum quam dantur temporalia; ponit per consequens diffidentiam misericordiæ specialis, secundum quam dantur bona spiritualia: & non econuerso.

MEMBRVM VII.

An desperare de salute proximi peccatum sit?

SEPTIMO quæritur. Vtrum desperare de salute proximi, sit peccatum. Et videtur, quod nō. Sperare enim siue cōfidere de salute proximi non semper est motus virtutis: qui enim confidit de salute æterna proximi, non præcedentibus meritis; non habet motum virtutis, sed præsumptionis: ergo desperare, quod ei opponitur, non semper est motus peccati.

¶ Contra, sicut dicit Aug. *de quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum*: si ergo desperat, peccat. — Augus.

¶ Item, desperare de salute proximi est desperare de misericordia Dei, qua salus confertur: sed peccatum est desperare de misericordia Dei: ergo peccatum est desperare de salute proximi, dum est in via.

¶ Præterea, magis cognoscit homo ea, quæ sunt in seipso; quam ea quæ sunt in alio: sed quantumcunque cognoscat malum in seipso, vel quantumcunque diminuerit; non est desperandum de venia, etsi desperat, peccat. (Vnde dicitur in prologo Psalterii. Nulli quantumcunque delinquenti de venia ac misericordia Dei diffidendum est, assumpta pœnitendi humilitate. Et dicit Isidor. *Nullus desperare debet veniam, etiam si circa finem vitæ conuertatur.*) Restat ergo, quod nullus debet desperare de alterius salute, siue peccatorum remissione. — Isidor.

RESOLVTIO.

Et quidem: idem enim est ac de Dei misericordia desperare.

¶ AD quod dicendum est, quod de nemine desperandum est, dum est in via: & si desperat, peccat: hoc enim est de Dei misericordia desperare.

¶ Ad obiectum autem in contrarium respondendum: quod licet confidere de salute proximi non sit opus virtutis: semper tamen ex opposito desperare de salute spirituali ad peccatum pertinet. Confidere enim de salute non ponit totum esse in actu virtutis: sed confidere oporter de salute id est, de venia, præcedente naturaliter gratia: & de vita æterna, præcedente gratia & meritis: desperatio autem hoc totum tollit, & ideo reducitur ad esse peccati.

MEMBRVM VIII.

Quod sit remedium contra desperationem adiuuans?

OCTAVO quæritur, quod est remedium principale contra desperationem. Et ad hoc notandum, quod principale remedium est confidentia de Christo passo pro humano genere, quod erat in peccato. Vnde super illud. *Pro impiis mortuus est.* Gl. *Ne desperes de eius potentia, cuius apparet talis in monte beneuolentia: à quo tales arras accepimus; quod donauit impiis mortem suam, qui seruat iustis vitam suam.* — Rom. 5. Glossa.

¶ Item, Chrysost. *Raab meretrix erat, sed saluata est: latro homicida fuit, sed paradisi ciuis factus est: Saulus blasphemus fuit, sed Apostolus Dei factus est, hæc sunt paradoxa, hæc considera, & nunquam desperes.* Similiter dicitur super illud. *Dormiuit cum ea.* Gl. *De statu suo, Dauid cadente, nemo superbiat: de lapsu etiam, resurgente Dauid, nemo desperet: mirabiliter enim scriptura & superbos premit, & humiles leuat.* — Chrysost. — 2. Reg. 11. Glossa.



QVÆSTIO CLVIII.

De diuisione peccati per timorem male humiliantem, & per amorem male accendentem.

In tria Membra, & quatuordecim Articulos diuisa.

HABITVM est supra de diuisione illa peccati quæ est: aliud est peccatum ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex certa malitia. Consequenter dicendum est de illa diuisione peccati, quę est: aliud est ex timore male humiliãte, aliud ex amore male accendente: de qua dicitur. *Incensa igni & suffossa &c.* Psal.79.

¶ PRIMO ergo quæritur de ratione diuisionis in se. Secundo de partibus diuisionis.

MEMBRVM I.

An, & quomodo timor, amorque illicitus peccatum diuidant?

DE ratione diuisionis quæritur secundum hunc modum: vtrum timor illicitus, & amor illicitus diuidant ipsa genera peccatorum: an omne peccatum, quod est ex timore, fiat ex amore. Et cuiusmodi sit hæc ratio diuisionis, videlicet, secundum quam rationem peccati accipiatur? Primo autem obiicitur: quod penes ista duo conuenienter sumatur diuisio peccati: quod videtur per Glo. super illud. *incensa igni, & suffossa*: vbi dr̃: quod *omnia peccata sunt vel propter cupiditatẽ, vel propter timorẽ.* & nomine cupiditatis intelligitur amor rei nondũ habitæ. Et iterũ subiũgit. *Oẽ peccatum duæ res faciunt in homine scilicet cupiditas, & timor: sicut econtra amor Dei, & timor eius ducunt ad omne bonum.* Ex quo videtur, quod recte differentiæ peccati accipiuntur secundũ timorem male humiliantem, & amorem male accendentem. Glo. super Psal.79. Bedę ibid.

¶ ITEM, malum & bonum sunt contraria, & ediuerso diuiduntur: ergo diuisio peccati, quæ accipitur secundum illa, est incõueniens diuisio: ita quod nihil, quod cadit sub vna differentia, cadit sub altera.

¶ ITEM, dicit August. *Voluntas est animi motus, nullo cogente ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum.* Voluntas ergo terminatur ex vna parte in dimittendo malum: ex alia parte in adipiscendo bonum: sicut autem voluntas recta est in his duabus differentijs; ita & voluntas distorta: peccatum autem accipitur secundum voluntatem distortam: erunt ergo duæ differentiæ peccati. Aug. in li. de duabus animab.

¶ ITEM, differentia tentationis est secundum rationem cupiditatis & timoris: sicut habetur Matth.26. est terna tentatio cupiditatis, ita & timoris. Cum ergo differentiæ tentationis accipiantur secundum timorem, & amorem differentiæ peccatorum, recte accipiuntur secundum easdem differentias. Matt.26.

¶ CONTRA, super illud. *Nolite diligere mundum, &c.* Gl. Bedæ *Sicut dilectio Dei est fons omnium virtutum, ita dilectio mundi omnium vitiorum.* Si ergo vitium ex amore sit fons omnium aliorum: vitium ex timore sub vitio ex amore continetur: nulla ergo est diuisio, peccatum aliud est ex timore male humiliante, aliud est ex amore male accendente. 1.Ioan.2. Glossa.

¶ ITEM, August. *Clarum est, iam nihil aliud, quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari.* Si ergo omne, quod libet inquantum huiusmodi, amatur: clarum est in toto genere malefaciendi nihil aliud dominari, quam peccatum ex amore: non ergo diuiditur ex timore & amore omne peccatum. Aug. in li. de lib. arb.

¶ Hoc etiam videtur ex eo, quod infra sequitur. Conuenit inter nos omnia malefacta non ob aliud mala esse, nisi quod libidine, id est, improbanda cupiditate fiunt. Ergo omne malum non nisi ex improbanda cupiditate fit: non ergo quod fit ex timore, diuiditur contra illud, quod fit ex amore.

¶ ITEM, dicit Gregor. *Cum præsens pœna metuitur, & Dei facies non amatur; timor ex timore est, non ex humilitate.* Sed quod est ex timore, est ex amore aliquo inordinato: ergo timor est ex amore aliquo inordinato: ergo timor est ex amore inordinato: non ergo inter se diuiduntur peccatum ex timore, & peccatum ex amore. Gregor.

¶ ITEM, timor videtur esse causa peccati ex amore: dicitur enim super illud. *Timuit populum.* Gloss. *Timor hominum differt, sed voluntatem non aufert: vnde auidiores reddit ad crimen, quos aliquando suspendit à crimine.* Ergo timor inducit peccatum ex amore: non ergo duæ differentiæ ex opposito diuidentes peccatum sunt timor, & amor, tanquam causæ peccatorum. Matt.14. Glossa.

RESOLVTIO.

Diuisio peccati per timorem male humiliantem, & per amorem male accẽdentem apta est; dummodo timor & amor ex opposito accipiantur: & secundum causam motiuam formalem diuisio ipsa attendatur.

¶ AD quod dicendum est: quod conueniens est diuisio peccati, quæ supradicta est. Et dicendum est, quod peccatũ illud, quod est ex timore, non est ex amore eiusdem rei illicito: & sic timor illicitus, & amor è diuerso diuiduntur. Secundum autem quod ad diuersa referuntur, potest idem actus esse ex timore rei illicito, & ex amore alterius rei illicito: secundũ ꝙ loquimur de actibus aliis peccatorum distinctis ab actu timoris, & ab actu amoris: actus enim ille, qui est timere, non est ille, qui est amare: nec econuerso: sed occidere hominem potest esse ex timore inordinato alicuius rei ex vna parte, & ex amore alterius rei ex altera parte. Item, actus peccati, qui est ex his duabus causis, potest sic esse, vt sit ex timore tanquam ex propinqua causa; & ex amore tanquam ex remota: vel econuerso: vel ex vtroque tanquam ex propinqua causa, è diuerso tamen sumpta. Si vero sit ex vtroque tanquam ex propinqua causa, potest esse quod amor sit principalis causa motus: vel timor causa principalis motus.

¶ His intellectis, respondendum est ad obiecta per diuisionem: diuisio enim quæ facta est super illud. Incensa igni, & suffossa, attenditur quantum ad essentiam peccatorum, & quantum ad causalitatẽ, secundum rationem propinquam, vel secundum rationem causæ principalis. Vt dicatur, quod essentialiter peccatum timoris non est peccatum amoris, nec peccatum quod est ex timore male humiliante tanquam ex propinqua causa & principali, est ex amore male accendente tanquam ex propinqua causa & principali: sed potest esse ex timore tãquam ex propinqua causa, & ex amore tanquam ex causa remota.

¶ ET secundum hoc soluendum est, quod ex alia parte obijciebatur: vbi dicebatur, ꝙ peccatum ꝙ erat ex timore, fuit ex amore tanq̃ ex causa prima. Et hoc mõ intelligitur illud, quod dicit Beda super Can. Ioan. & August. similiter. Aliud etiam notandum: quod amor est prima causa omnis peccati: non sic autem est de timore: & ideo dicit August. quod *clarum est, nihil aliud quam libidinem in toto male faciendi genere dominari.* Et iterum. Conuenit inter nos omnia malefacta esse ex libidine. Aug. in li. de lib. arb.

¶ AD aliud vero, quod obijcitur: timorem esse ex timore, & ita ex amore. Dicendum est, quod ibi accipitur timor tanquam propinqua causa, amor vero tanquam remota: loquitur tamen ibi de motu timoris seruilis, qui differt à motu timoris humani & mundani.

¶ AD illud vero, quod obiicitur Matth.14. Dicendum quod actus ille principaliter fuit ex amore tãquam ex propinqua causa & principali (& loquitur ibi de homicidio Ioan.) sed fuit ex timore occasionaliter. Timor enim cum differt aliquod peccatum, ardentiorem reddit ipsum peccatorem ad peccandum propter ipsam delectationem.

¶ Si vero obijciatur: quod idem dicitur motus, qui est recessus ab vno loco & accessus ad aliũ: sicut recessus à Thebis & accessus ad Athenas: & hoc modo possit dici idem motus peccati, qui fit ex timore, & qui fit ex amore: nam timor est fuga animi à malo, amor vero appetitus boni: & ita videtur vnus esse motus timoris & amoris. Dicendum est, ꝙ nõ est simile: timere enim dicit actum quendam, qui est alius ab eo, qui est amare. Nec est simile in motibus animæ vsquequaque, & in motibus exterioribus: nullus enim dicit, timere & amare esse eundem motum secundum rem: recessum enim ab vno & accessum ad alium locum oppositum dicit quis esse eundem motum.

Quæst. la teralis.

¶ DEINDE quæritur de prædicta diuisione, quæ fit secundum timorem & amorem, cum fiat secundum causam, secundum quod genus causæ accipiatur. Cum enim dicimus: omne, quod est in mundo, aut est cōcupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitę, fit diuisio peccatorum secundum causam. Et potest quæri in qua causa differt hæc diuisio à prædicta.

¶ Ad quod dicendum: quod vtraq; dr̃ attendi secundū causam motiuam. Sed in hoc distinguitur, quod vna diuisio est secundum conditionem causæ motiuæ formalem; illa, sc. quæ est: peccatū aliud ex timore, aliud ex amore: alia vero secundum conditionem causæ motiuæ materialem, cum dr̃: aut est ex concupiscentia carnis, aut est ex concupiscentia oculorum &c. concupiscentia enim cum diuiditur secundum concupiscibile cum concupiscibile sit motiuum concupiscentiæ, diuiditur secundum formam: cum aūt concupiscentia diuiditur ex parte concupiscentis siue secundum conditionem ipsius: dr̃ esse diuisio secundū materiam. Aliud etiam attendendum, quod diuisio, quæ est secundum timorem & amorem, attenditur secundum bonum & malum in genere: dico autem apparens bonum, & apparens malum. Alia vero diuisio dat intelligere differentias concupiscibilium.

MEMBRVM II.

De timore male humiliante?

CONSEQVENTER dicendum est de peccato timoris specialiter: & de peccato amoris illiciti consequenter.

¶ CIRCA vero timorem malum quæritur. Primo quid sit. Secundo, vtrum sit peccatum mortale, an non. Tertio, quæ sunt differentiæ timoris, prout est peccatum, siue sint species, siue non. Quarto de eo, quod est timendum, vel nō timendum: & hoc est de materia timoris. Quinto de causa inducente timorem humanū. Sexto, vtrum excuset à peccato. Septimo de opposito ipsius.

ARTICVLVS I.

Quid sit timor male humilians?

CIRCA primum sic dicit August. super illud. *Mercenarius & qui non est pastor, videt lupum venientem.* Gl. *Timor est fuga animi, ne perdat quod amat:* & intelligitur diffinitio timoris. — Aug. super Ioan. 10. Glossa.

¶ ITEM, August. talem diffinitionem eius ponit. *Timor est perturbatio animi in expectatione mali futuri.* — Aug. in li. de ciuit. Dei.

¶ IOAN. vero Damasc. ponit hanc. *Timor est præter naturam irrationalis systole,* id est, contractio. — Dam.

¶ His habitis, quæritur de prima diffinitione: vr̃ enim quod nō recte diffiniatur, cum diffiniatur per suum oppositum contrarie: amor enim opponitur contrarie timori: diffinitur aūt per amorem: ergo male.

¶ PRÆTEREA, timor secundum quod est donum S.S. non recte diffinitur per fugam: secundum hoc enim timor reuerentiæ esset fuga: nullum aūt malum est, à quo fugiendum est, habenti timorem reuerentia in patria: sed timor malus & timor bonus in genere conueniunt: ergo timor malus non debet diffiniri per fugam.

Timor est fuga animi, ne perdat, quod amat. Vel, Timor est perturbatio animi in expectatione mali futuri.

¶ QVÆRITVR etiam, cum sint plures diffinitiones timoris: in quo differat hæc diffinitio ab aliis?

¶ AD quod dicendum? quod non diffinitur timor per suum oppositum: amor enim qui est in ratione timoris, nō opponitur timori, sed est causa ipsius.

¶ AD secundum vero dicendum, quod timor malus recte diffinitur per fugam: respicit enim semper apparēs malum; & si nō sit simpliciter malum. Timor autem bonus est viæ: aut patriæ: si est viæ, respicit quod est in veritate malū, quod accidere potest: timor autē reuerentiæ, qui est in patria, non respicit malum, sed dicit resilitionem à summa maiestate in suam paruitatem. Et concedendum est, quod fuga animi non est illud, quod est generale in omni timore; sed in omni timore, qui est viæ: resilitio vero est illud, quod commune est in omni timore, siue sit bonus, siue malus.

¶ AD tertium vero dicendum: quod differunt hæ rationes timoris in hoc, quod prima determinatur secundum causam timoris, secunda vero determinatur per genus timoris, tertia vero determinatur secundum esse materiale & naturale ipsius timoris.

ARTICVLVS II.

An timor peccatum sit: & quale, mortale, an veniale?

SECVNDO quæritur, Vtrum timor sit peccatum. Et vtrū mortale, vel veniale. Arguitur autem quod non sit peccatum, per hoc quod peccatum & pœna diuidunt malum in genere: quod ergo est in genere pœnæ, non est in genere peccati: sed timor est in genere pœnæ (quod patet per hoc quod dicit Greg. *Testem nequitiæ suæ habet semper timorem:* & loquitur de peruerso, qui semper habet pœnam timoris) Restat ergo, quod timor est pœna: non ergo est in genere peccati. — Gregor.

¶ CONTRA, dicitur in euangelio. *Nolite timere, &c.* sed prohibitio non fit nisi peccati: ergo timor est peccatum.

¶ ITEM, Timidi inter peccatores computantur. Ergo timor est peccatum. — Apoc. vlt.

¶ AD quod dicendum: quòd timor aliquando nominat passionem, aliquando nominat actū. Cum enim nominat passionem solam, tunc est pœna: cum autem nominat actū potentiæ, qui à voluntate egreditur, terribili aliquo mouēte, dr̃ esse peccatum: æquiuoce autem dr̃ de timore secundum quod dicitur peccatum, & secundum quod dr̃ pœna.

¶ ET per hoc soluitur illud, quod obiectum est: prima enim ratio respicit timorem, secundum quod est pœna, vel in præsenti, vel in futuro.

¶ SECVNDO quæritur, vtrum sit veniale, vel mortale: Vr̃ quod sit mortale: dicit enim Beda, exponens illud, quod dr̃ in Apoc. penul. *Timidis & incredulis, &c.* Cum infidelib. peccatoribus timidi & formidolosi computantur. Sic inter nefanda crimina timoris & formidinis crimē ponitur. Restat ergo quod timor est mortale peccatum, cum inter nefanda crimina computetur. — Beda super Apoc. pen.

¶ ITEM, timor male humilians opponitur amori, qui est charitas, sicut hr̃ super illud. *Incensa igni & suffossa:* timor enim male humilians cor cōstringit, & quasi gelicidium facit: amor vero bene incendens cor inflammat & dilatat: restat ergo quod timor mali, & amor rectus opponuntur. Si ergo timor malus tollit amorem rectum: & quod tollit amorem rectum, est peccatū mortale: ergo timor malus est peccatum mortale. — Psalm. 79.

¶ CONTRA, videtur quod sit veniale peccatum: timor enim pusillanimitatis retrahit à perfectione, cum nō sufficiat ad retrahendum à præcepto: sed quod retrahit à perfectione, & nō à præcepto, est veniale peccatum: ergo timor malus est veniale peccatum. Quod autem retrahat à perfectione, & si non à præcepto, habetur super illud. *Corde pauido, &c.* Docet nō posse quemquam professionem contemplationis, vel militiæ spiritalis accipere, qui adhuc nudari terrenis operibus pertimescat: ne infirmitas mentis suæ reuertatur. Sed talis timor tantum à perfectione retrahit, licet non à præcepto: ergo timor est veniale peccatum. — Deut. 20.

¶ ITEM, *Qui formidolosus &c.* Gl. *Timidus est, qui aspectu ad congressum trepidat; non tamen toto corde terretur, sed reparari, & animari potest.* Sed peccatum mortale totum cor occupat: ergo huiusmodi timor non est mortale peccatum. — Iudic 7. Glossa.

RESOLVTIO.

Et peccatum & non peccatum, & mortale & veniale, iuxta multiplicem eius acceptionem.

¶ AD quod dicendum: quod timor aliquando est veniale peccatum, aliquando mortale. Veniale peccatum est, cū opponitur bonum commutabile incommutabili bono, sicut est de illo, qui metu mortis aut tribulationis negat Deum. Timor autem est veniale peccatum, quando temporalia mala timentur sub Deo salua obseruantia diuinorū præceptorum: vnde si aliquis ex timore non perficit illud, quod est consilii diuini, peccat venialiter. Quomodo aūt hoc, infra hr̃: nisi consilium conuertatur ei in præceptum ratione voti aut professionis. Est autem multiplex timor: quidam naturalis, & ille non est peccatum: quidam vero ex deliberatione procedēs: sed tamen ratione infirmitatis carnis, eo quod credit non sufficere retrahitur: & talis rectum non est peccatum: quidam vero ex delectatione quadam

venialiter

*Alias, venali tamē retrahitur. * venialiter peccat. Et secundum hunc modum distinguendum in his, qui à perfectione retrahuntur.

ARTICVLVS III.

Quæ, & quot sint differentiæ timoris, prout peccatum est?

Psal. 127. TERTIO quæritur, quæ sint differentię timoris, prout est peccatum. Et ponuntur duæ differentiæ super illud. *Beati omnes, qui timent Dominum:* dicitur enim Humanus timor est, quo timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi. Et ita duplex est timor, carnalis, scil. & mundanus.

Matth. 26. ¶ SVPER illud. *Orauit tertio:* notatur triplex esse timor malus scil. timor mortis, & timor vilitatis, & timor doloris: contra quæ omnia docet nos muniri oratione: & ita sunt tres differentiæ.

Damasc. ¶ SECVNDVM autem Ioan. Damasc. ponuntur sex species, segnicies, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, agonia. Segnicies est timor futuræ operationis: erubescentia est timor in expectatione cōuitii: verecundia vero est timor in turpi actu eius, quod insperabile est ad salutem: admiratio est timor ex magna imaginatione: stupor vero est timor ex insolita imaginatione procedens: agonia vero est timor ex infortunio. Sic ergo sex sunt species, quarum plures pertinent ad timorem malum. Potest ergo quæri differentia inter has diuisiones timoris.

¶ PRÆTEREA, sicut duplex est ira, propassio, & passio: sic duplex est timor, propassio & passio: motus, cui non consentitur propassio est: accedente vero consensu, passio est: & tūc dicitur esse mors in domo. Sic ergo duæ sunt differentiæ timoris præter supradictas.

¶ PRÆTEREA, potest quæri quantum ad primam diuisionem timoris, quæ est: alius est timor carnis, alius mundi. Cum enim triplex sit materia peccati, scilicet bonum interius, & bonum inferius, & bonum exterius: secundum aūt duas differentias cōtingat esse timorem; potest quæri, quare non secundum tertiam.

¶ ITEM, dicitur de illo timore, qui est humanus: quod in primo gradu cū mundo deseritur, quod videtur falsum: multi enim sunt, qui deserunt mundum, & tamen timorem carnis, vel mundi non deserunt: restat ergo, quod ille timor non semper cum mundo deseritur.

¶ ITEM, quantum ad secundam diuisionem similiter potest obiici: quod sufficiens sit diuisio, cum dicitur: timor mortis, timor vilitatis, & timor doloris. Cū enim sint plura bona mutabilia, quæ sunt amissibilia: quorum vnum est diuitiæ, alterum vero gloria, alterum fama, alterum potentia, alterum fortitudo corporis vel pulchritudo, & ipsa etiam vita carnis. Cum ergo tot sint bona amissibilia; quemadmodum vna differentia timoris accipitur penes mortem, quæ vitæ opponitur: & alia penes vilitatem, quæ opponitur honori, vel famæ: & tertia penes dolorem, quæ opponitur gaudio: ita possunt accipi differentiæ penes timorem paupertatis, ignominiæ, & impotentiæ.

¶ ITEM, de differentiis, quas assignat Damasc. potest similiter obiici: cum enim timor sit respectu rei difficilis: hoc autem non videatur ad aliquam prædictarum differentiarum pertinere, non videtur esse sufficiens diuisio.

¶ SIMILITER timor est rei terribilis, vt mortis, quæ nō videtur sub aliqua differentiarum contineri.

August. ¶ PRÆTEREA, timor dicitur secundum August. volūtas fugiendi id, quod aduersatur, vel animi fuga, sicut dictum est: restat ergo cum non in omnibus differentiis respiciatur malum futurum, quod dicitur aduersari, vel esse fugibile: non rectè sumuntur species ipsius timoris.

RESOLVTIO.

Timoris differentiæ tredecim colliguntur scilicet carnalis, mundanus, mortis, vtilitatis doloris, segnities, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, agonia, propassio, passio.

¶ AD quod dicendum: quod prima diuisio timoris attenditur secundum duo, quæ lædi possunt principaliter: potest enim lædi aliquis in carne: potest etiam lædi in possessione sua: tertia vero differentia non conuenit, vt per se lædatur in anima, sed ex consequenti. Et ideo duæ attenduntur differentiæ timoris: timor carnalis, & timor mundanus: secundum quod timetur malum carnis, vel malum quod opponitur possessioni, siue bono exteriori. Dicitur autem timor carnis aliquando timor humanus per appropriationem: secundum quod dicitur, quod duæ sunt species timoris libidinosi, timor mundanus, & timor humanus: & dicitur timor humanus, quo homo timet pelli suæ: & hoc est, cum homo timet malum corporis: ratione tamē subiecti vterque timor dicitur humanus.

¶ AD illud vero, quod obiicitur: quare secundum tertiā differentiam boni, penes quam accipitur diuisio peccati, scilicet penes illud, quod respondet superbiæ vitæ, non accipiatur differentia vna timoris. Dicendum est, quod illud bonum, quod est ex parte animæ, non dicitur ita amissibile: sicut illud, quod est ex parte carnis: vel quod est ex parte mundi: & ideo penes illud non accipitur differentia: vel si accipitur, continetur large sub eo, qui est timor mundanus: vt pote timor vilitatis, aut contemptibilitatis: qui respondet amori superbiæ.

¶ AD illud vero, quod obiicitur: quod ille timor cum mundo deseritur. Dicendum est, quod hoc intelligendum est de his, qui plene deserunt mundum: non sicut claustrales dicuntur mundum deserentes. Sed quanto plus deseritur amor mundi, tanto plus deseritur timor ei respondens: vnde Gregor. *Qui in hac vita nulla prospera appetit: nulla procul dubio aduersa pertimescit, quisquis enim exteriora, quæ etiam nolenti subtrahuntur, appetit, sua se sponte extraneo timori substernit.* Gregor.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de secunda diuisione. Dicendum est, quod secunda diuisio accipitur secundum tria principalia, quæ timentur, quæ mala æstimātur ex parte animæ dolor, qui opponitur gaudio: ex parte corporis mors, cui opponitur vita: ex parte vero boni extrinseci sumitur vilitas, quæ opponitur honori: & huiusmodi bonis temporalibus, propter quæ homo honoratur, sicut sunt diuitiæ, potentiæ, generositas.

¶ AD aliud vero, quod obiicitur circa illam diuisionem. Dicendum est, quod licet sint plura mala, quæ timentur ex parte corporis præter mortem, & plura * extra præter vilitatem: tamen secundum principaliora accepta est illa differentia. *Alias, extranea.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de diuisione Damasc. Dicendum est: quod ratio illius diuisionis talis potest esse. Differentia enim timoris aut est respectu eius, cuius principium est in nobis, aut respectu eius, cuius principiū est extra. Si respectu quod in nobis est: aut illud est bonum, aut malum: sed vtrobique malum æstimant. Si autem fuerit respectu boni, sed æstimati mali: sic dicitur segnities. Si vero respectu mali, q̄ æstimatur malum, dr̄ verecundia. Si vero respectu eius, quod est extra: aut est in verbo, aut in facto. Si in verbo, dicitur erubescentia: est enim erubescentia timor in expectatione cōuitij. Si vero fuerit in facto: aut cui⁹ præcessit cognitio: aut cuius non pręcessit; Si cuius nō præcessit, dr̄ agonia: cum aliq̄ infortuniū accidit, quod repentinum dicitur. Si vero, cuius cognitio pręcessit (dico autem cognitionem imaginationum) aut hoc est propter causam, quæ est ex parte rei in se: & secundum hoc dicitur admiratio: aut hoc est propter causam rei in comparatione ad accipientem: & sic dicitur stupor: admiratio enim est ex magna admiratione, stupor vero ex insolita: magnum autem est conditio rei in se: insolitum autem in comparatione ad nos.

¶ AD illud vero, quod obiectum est: quod contingit esse timorem rei difficilis, & illa nō exprimitur in aliqua specierum. Dicendum est, quod datur intelligi in eo quod dicitur timor futuræ operationis: segnities enim est timor operationis propter difficultatem.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de timore rei terribilis; vt pote mortis. Dicendum videtur: quod aliquando potest contineri sub agonia, aliquando sub stupore: aliquando enim mors repentina est, aliquando & si non sit repentina, ex insolita imaginatione procedit timor.

¶ AD vltimum vero dicendum quod non omnes differentiæ timoris accipiuntur in comparatione ad malum futurum: sed magis secundum differentiam eius, quod aduersatur: prout diffinitur timor, voluntas fugiendi illud, quod aduersatur: aliquis tamen respectus videtur haberi ad malum æstimatum in futuro.

¶ Adhvc etiam quæritur, si omnes differentiæ, quas assignat Damascen. reducantur ad timorem malum. Et dicendum est, quod timor malus dicitur dupliciter: vel ratione pœnæ, vel ratione culpæ. Si autem sumatur ratione pœnæ, secundum quod timor est passio, commune est in omnibus sex differentiis. Si autem ratione culpæ, non attenditur commune in omnibus illis.

ARTICVLVS IV.

An sæcularis potestas timenda sit?

Qvarto quæritur de eo, quod est timendum, vel nô timendum scilicet de materia timoris. Et potest quæri de potentia sæculari, vtrum timenda sit. Dicitur enim [1. Petri 3. Glossa.] *Timorem eorum non timueritis*: & dicit Gloss. *Ea, quæ in eis possunt videri timenda, vt regia potestas & huiusmodi.* Ergo regia potestas & huiusmodi non sunt timenda: sed qui timet ex improba voluntate, quod non timendum est, peccat: ergo talis peccat.

¶ Item, dicitur. [Matt. 10. Beda.] *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et dicit Beda. *Duo sunt genera persecutorum: vnum aperte sæuientium, alterum blandientium: vtrunque præcipit Dominus non timeri: quia non habent potestatem in animas iustorum, mundano timore expulso.* Et dicitur super illud. [Isa. 51. Glossa.] *Quis tu, vt timeas ab homine mortali?* Gl. *Increpat fideles, vt non timeant tormenta principum.* Et ita videtur, quod potentia, quæ inferre potest mortem, non est timenda.

¶ Similiter dicitur. [Prouer 19.] *Qui timet hominem, cito corruet.* Sed quid est corruere, nisi cito cadere in peccatum? & videtur de peccato mortali ibi loqui.

¶ Contra, vbi dicitur. [1. Petri 2.] *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Ergo timenda est regia potestas, & dominatio.

¶ Et iterum vbi dicitur. [Rom. 13.] *Reddite omnibus debita, cui timorẽ, timorem: cui honorem, honorem.* Restat ergo, quod potestas regia, quæ potest inferre mortem, & huiusmodi pœnas, est timenda.

¶ Item, dicit Seneca. [Seneca.] *Mors, exilium, luctus non sunt supplicia, sed tributa viuendi: quod debeo, soluere paratus sum.* Non ergo timenda est mors.

¶ Item, mors est quid naturale, quod ex necessitate est inflictum pro culpa primorum parentum: non ergo conuenit timere mortem.

RESOLVTIO.

Secularis potestas timenda quidem est, sed sub Domino, & eius timore præposito.

¶ Ad quod dicendum: quod est timor naturalis, & est timor gratuitus, & est timor libidinosus. Libidinosus etiam quidam venialis, quidam mortalis. Dicendum est ergo, quod quo ad naturalem timorem secundum naturam primitus institutam non est timenda potestas secularis. Quo ad timorem aũt, qui est ex natura iam lapsa, propter quod constituuntur principes, vt cohibeant à peccato; timenda est potestas sæcularis, sed sub Domino. Quo ad timorem enim gratuitum timenda est potestas sæcularis, ad Ephesios vlt. Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis: sicut Christo, non ad oculum seruientes. Timor autem libidinosus est, & mortalis: quando postposito timore Dei, timetur potestas secularis: sicut habetur. [1. Petri 3. Lucæ 12. Glossa.] *Ne timeatur regia potestas recedendo à fide & dilectione.* Et dicitur super illud. *Timete eum &c.* Gl. *Ne quis Deum, quem corde cognoscit, metu cogatur negare: dicit mortem corporis non timendam, hoc autem modo Petrus negauit.* Est autem timor venialis, quo aliquid inordinate timetur, saluo tamen fundamento fidei operantis dilectionem. Sic ergo patet quomodo timenda est potestas, & quomodo non.

¶ Illa enim quæ primo obiecta sunt, loquuntur de timore libidinoso & mortali. Cum autem dicitur: [Prouer. 29.] *Qui timet hominem, cito corruet*; loquitur de veniali disponente ad mortale.

¶ Cvm autem obiicitur ex alia parte: quod mors est timenda siue potestas, quæ potest inferre mortem. Dicendum est, quod potestas sæcularis est timenda (sicut dictum est) timore naturali & timore gratuito: cum scilicet propter Deum timetur: mors autem naturaliter timetur: quod in Christo apparuit, qui pro nobis timorem assumpsit. A perfectis autem non timetur mors, qui eam fidei postponunt, & pro Christo mortem parati sunt sustinere: & mortem habent in desiderio, & vitam in patientia.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: mortem ex necessitate esse inflictam, & ideo non timendam. Dicendum, quod hoc non sequitur: etsi enim vitari non possit, quin eueniat: differri tamen pôt: nescit etiam homo an amore, vel odio dignus sit: & ideo timenda est mors.

ARTICVLVS V.

Qua causa timorem inducat, & an pro virginali integritate seruanda, subeunda mors sit?

Qvinto quæritur, ex qua causa timendum est, & ex qua non.

¶ Et ad hoc respondet Philosophus dicens. [Philoso.] *Quod si non timetur modicum tristabile pro magnis bonis, laudandus est, qui non timet:* vt si pro vita æterna non timetur sustinentia tribulationis, vel etiam pro defensione patriæ, vel pro liberatione miserabilium personarum.

¶ Si vero dubitatur de iusta causa, scilicet vtrum bellũ sit iustum, vel iniustum? in huiusmodi conuenit timere periculum personæ * si certum est causam esse iniustam: secũdum enim distinctionem causarum oportet distinguere genera timorum. [*Alias, aut si certũ est causam esse iustam.]

¶ Hvivs gratia quæritur, vtrum propter conseruationem integritatis virginalis non timenda sit mors. Et videtur quod sic: maius est bonum spirituale, quam corporale: cum ergo castitas virginalis sit bonum spirituale: vita vero sit bonum corporale: incidat autem quis in casum huiusmodi, in quo necessitas sit alterius periculi: magis oportet non timere mortem pro castitatis conseruatione, quam pro salute vitæ corporalis amittere castitatem virginalem.

¶ Sed contra hoc est, quod dicit August. [Aug. in li. de ciu. Dei] *Pudicitia est virtus animi, quæ non amittitur per corporis oppressionem.* Cum ergo maius bonum sit vita, quam quodlibet bonum corporis: integritas autem virginalis sit bonum corporis, magis sustinenda est oppressio corporis, quam periculum vitæ subeundum.

RESOLVTIO.

Multiplex causa timorem inducere habet. Tum pro animi pudicitia seruanda, mortem subire licet; non tamen pro corporis integritate custodienda.

¶ Et dicendum est: quod aliud est de pudicitia animi, & aliud est de integritate carnis. Pudicitia enim animi si est in periculo, magis est non timenda mors, vt ipsa conseruetur, non quod se proiiciat in mortem. Si vero non timetur de periculo pudicitiæ interioris, sed tantum de integritate carnis: magis est sustinenda oppressio carnis sine consensu mentis, quam se proiiciat mulier in mortem. Vnde exemplum Lucretiæ in hac parte fuit reprobabile, quæ seipsam interemit propter pudorem turpitudinis. Et dicit August. [Aug. lib 1 de ciu. c. 20] *Non frustra in Canonicis libris nusquam diuinitus præceptum per missumve reperiri potest: vt vel ipsius immortalitatis adipiscendæ, vel vllius cauendi, carendiue causa nobismetipsis necem inferamus.*

¶ Sed obiicitur adhuc contra hoc, quod dictum est: quędam enim sanctæ mulieres tempore persecutionis proiecerunt se in fluuium, vbi non erat præsumptio euadendi, vt insectatores pudicitiæ euitarent: & sic defunctæ sunt, & in magna veneratione in ecclesia habentur. Videtur ergo, quod præposuerunt castitatem corporalem vitæ corporali.

¶ Vel si forte dicatur, quod fuit propter timorem periculi in castitate mentis.

¶ Contra hoc obiicit August. [Idem ibid.] *Nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur, quam tale facinus, vbi locus pœnitentiæ non relinquitur?* Ergo timere debebant exponere se periculo mortis pro conseruanda castitate mentis.

¶ Ad quod dicendum est, quod castitas mentis non conseruatur, vbi aliquis se exponit periculo mortis sine præsumptione euadendi: & ideo in hoc casu debet timere

periculum

periculum mortis à se inferendæ: aliter autem esset, si ab alio inferretur, & de castitate mentis timeretur. De illis autem sanctis mulieribus dicit Augustinus, quod nihil audet temere iudicare. Vtrum enim ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus hoc habuerint, vt earum memoriam sic honorent: & diuina hoc persuasit autoritas, nescio: potuit enim fieri, vt non humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ hoc fecerint, non errantes, sed obedientes.

Idem lib. allegato. cap. 26.

ARTICVLVS VI.

An timor à peccato excuset?

SEXTO quæritur, vtrum timor excuset à peccato? Et videtur quod sic: dicit enim lex humana: quod vi, metusue causa gestum erit, ratum non habebo. Et in iure canonico dicitur: quod metus, qui potest cadere in constantem virum, excusat: vnde si mulier metu mortis huiusmodi iurauerit se intraturam religionem: ab huiusmodi iuramento excusatur. Restat ergo quod metus excusat à culpa.

¶ ITEM, dist. 50. dicitur. *Hos velut extra delictum constitutos communionis gratia non prohiberi decreuimus.* Et loquitur de illis, qui per metum violentiæ aliquid de idololatrico sumere coacti sunt. Et similiter habetur 1. q. 1. Constat, vbi dicitur, quod vim passus, & inuitus attractus, & repugnans, ab hæreticis ordinatus, colorem habet excusationis.

dist. 50. Presbyt.

1. quæst. 1.

¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicit Philosophus: quædam sunt ita turpia, vt nullo metu mortis fieri debeant: immo magis moriendum est. Sed tale est peccatum idololatriæ, vel infidelitatis: ergo qui adorat idolum, vel negat Christum timore mortis, non excusatur: licet sit metus, qui potest cadere in constantem virum.

Ibidem.

¶ ITEM, 1. quæst. 1. Constat, vbi dicitur: *qui post mensem, aut amplius redierint: cum se considerarent ab hæreticis ordinatos, qui nihil ab eis acceperunt, rei sunt vsurpata dignitatis.* Metus ergo nō excusat à culpa: cum tamen loquatur ibi de coactis.

RESOLVTIO.

Timor probabilis, siue vanus non excusat: timor autem in virum constantem cadere potens, excusat vel simpliciter, vel in parte.

¶ AD quod dicendum: quod duplex est metus: probabilis, & improbabilis. Probabilis dicitur, quando ex huiusmodi causa fit, vt possit cadere in hominem constantem & discretum: & talis metus mortis in quibusdam excusat, vel à toto, vel à tanto. In actibus enim exterioribus, in quibus pure cadit coactio, & magis possunt dici passiones, metus excusat à culpa; cum non assit consensus aliquo modo: vt si aliquis compellatur manum eleuare, ac si veneraretur idolum, & nullatenus assit voluntas: excusatur à culpa: cum culpa sine voluntate non perpetretur. Eodem modo si cogatur aliquis ad receptionem impositionis manus ab hæreticis, quasi ordinaretur, excusaretur similiter à culpa. Si vero interueniat consensus, non excusatur omnino à culpa; & si aliquando excusetur à pœna; non etiam omnino à culpa. Et hoc apparet per hoc quod dicitur in Extrauag. Quod vi, metusve causa: vbi dicitur: quod distinguendum est, vtrum is, qui communicat cum excommunicatis, inuitus sit & per coactionem attractus, an per metum inductus. Secundum primum modum non credimus talem excommunicationem teneri, cum magis pati quam agere cōuincatur. In secundo vero licet metus culpam attenuet: quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat aliquis mortale peccatum incurrere; talem excommunicationis labe credimus inquinari. In quo patet quod aliud est inductio, & aliud coactio: vbi enim est inductio, notatur consensus liber. arbitr. Sic ergo patet quod metus, qui potest cadere in constantē virum; excusat simpliciter, vel in parte. Si vero fuerit metus non probabilis, siue vanus, non excusat.

¶ AD obiectum autem primo, dicendum est: quod licet quædam sint ita turpia, ad quæ nullus ducendus est per timorem, sicut adorare idola, & huiusmodi: nihilominus timor etsi non excuset à culpa, excusat tamen à pœna in parte, & minuit culpam: maxime si sit metus, qui debeat cadere in cōstantem virum. Si vero fuerit metus vanus vel improbabilis, non sic dicendum est.

¶ AD secundum vero dicendum est: quod licet prius interuenerit metus: si postea fuerit consensus verus, vel interpretatiuus, non sic dicitur habere colorē excusationis, sed pro consentiente habendus est: & in illo casu loquitur Canon.

¶ POTEST etiam quæri. Vtrum scriptura, quæ extorta est à prælatis ecclesiæ per metum, robur habeat. Et videtur quod sic, per hoc dicitur in Extrauag. vbi dicitur: quod *renunciatio facta ad terrorem laicorum, si fuerit iuramento, vel fide interposita, tenere videtur*, & ita videtur per simile, quod scriptura huiusmodi per metum extorta robur habeat.

Quæst. lateralis.

Extrauag. Quod vi metusque causa ad &c.

¶ SED contra hoc habetur 15. quæstion. 16. vbi dicitur: quod *ad nullum præiudicium, vel nocumentum valere censetur, nec vllam calumniam, vel infamiam sustinere permittimus: confessio enim in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet.*

15. q. 16. Si Sacerdot.

¶ SIMILITER quæritur vtrum metus impediat matrimonium. Et videtur quod non per hoc, quod dicitur 31. quæstion. 2. vbi dicitur, quod *metu vnius hominis tantus Rex non debuit contra diuinum præceptum in immane præcipitium immergi.*

Quæstio lateralis.

31. q. 2. Lotharius.

¶ SED econtra est illud, quod dicitur in eadem declaratione: vbi dicitur. *Nequaquam inuitam & renitentem eiusdem viri coniugio cogas sociari.* Ex quo habetur quod metus simpliciter, cui non consequitur consensus verus vel interpretatiuus, impedit matrimonium.

Ibidem.

¶ AD quod dicendum est: quod hoc verum est, vbi est metus probabilis: confessio extorta à prælatis ecclesiarum non est facienda, nec robur habet scriptura, quæ sic extorta est.

¶ AD obiectum in contrarium dicendum est: quod hoc non fuit ratione metus, sed hoc videtur esse ratione iuramenti: tamen si extortum fuerit iuramētum, videtur competere repetitio: si vero sponte præstitit iuramentum, vel * alicui ratum habuit, non videtur competere.

*Alias, aliter.

¶ AD secundum dicendum: quod metus probabilis impedit matrimonium contrahendum: nisi post interueniat consensus de nouo, per quem efficiatur matrimonium.

¶ AD obiectum in contrarium dicendum est: quod loquitur ibi de metu non probabili: nec loquitur ibi de metu impediente matrimonium, quod factum iam fuit: sed de metu, qui non excusat à maleficio contra matrimonium perpetratum.

ARTICVLVS VII.

Quod sit oppositum timoris illiciti?

SEPTIMO quæritur de opposito timoris illiciti. Et videtur quod amor opponatur ei: amor enim incendit, timor autem infrigidat: ista autem sunt opposita: ergo timor & amor sunt opposita.

¶ Quod autem timor bonus opponatur contrarie: accipitur ex hoc, quod sub eodem genere continentur vtrunq; scilicet sub amore: & maxime distant: ergo inter se sunt contraria.

¶ Quod autem spes opponatur, videtur per hoc quod sub eodem genere ponuntur, scilicet sub expectatione: & timor est expectatio mali imminentis: spes vero boni imminentis. Item, timor cor inferius ponit, spes erigit. Item, spes est medium inter præsumptionem & timorem illicitum: quare timor illicitus opponitur spei.

¶ Quod autem opponatur prudentiæ, videtur per hoc quod dicitur super illud. *Trepidauerunt timore &c.* Glo. *Sicut cautela est, oportune timere: ita ignauia, inepte trepidare.* Sed ignauia opponitur prudentiæ: ergo timor illicitus opponitur prudentiæ.

Psal. 13. Glossa.

RESOLVTIO.

Et timor bonus, & spes, & amor, diuersa ratione.

¶ AD quod dicendum: quod timor illicitus habet plura opposita ratione diuersa. Ratione .n. differentiæ superadditę opponitur timori bono: rōne verō generis cum dīa opponitur tā spei quā amori, sed differenter: opponitur .n.

pei propter conuenientiam in eo, quod est futurum, & differentiam in eo quod est bonum & malum: spes enim est respectu futuri boni: timor vero respectu futuri mali. Ratione vero coniunctionis & disiunctionis disparata sunt amor, & huiusmodi timor: amor enim ponit coniunctionem cum amato: timor vero disiunctionē ab eo, quod timetur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de prudentia. Dicendum est: quod hoc dictum est per causam: ignauia enim, quæ est causa timoris illiciti, prudentiæ opponitur.

MEMBRVM III.

De Amore male accendente?

Consequenter dicendum est de peccato amoris male accendentis. Et primo quæritur, quid sit illud. Secundo, vtrum amor sui sit causa mortalis peccati. Tertio, vtrum sit causa omnis peccati. Quarto vtrum amor sui supra Deum sit idololatria. Quinto, vtrum possit stare cum charitate, vel non. Sexto, vtrum amor indebitus sit odium. Septimo de pœna huius peccati.

ARTICVLVS I.

Pro quanto quis se ipsum amare dicatur amore indebito?

Circa primum sic potest quæri. Pro quanto dicatur aliquis amare seipsum, secundum quod amor sui dicitur amor indebitus. Si enim amor sui non sit aliud, quam diligere se: cum diligere se, ex charitate contingat, amor indebitus, esset ex charitate.

¶ Præterea, amor sui est ex natura: distinguuntur autem abinuicem velle naturæ, & gratiæ, & vitij: restat ergo, quod amor indebitus aliquid addat supra hoc quod est, velle sibi bonum, siue amare se: non ergo recte dicitur, quod sicut amor Dei est fundamentum cœlestis ciuitatis: ita amor sui est fundamentum terrenæ ciuitatis: sicut dicit August. (August. de ciuit. Dei. li. 14. c. 28.)

¶ Item, supposito quod amor indebitus addit aliquid supra amorem sui, sicut quidam asserunt, dicentes: quod amor sui propter se est amor indebitus. Sed hoc videtur falsum: amor. n. indebitus est in peccato veniali, & in peccato mortali: sed amare se propter se non est cōe vtriq;: amare n. se propter se, est frui se: sed frui Deo, est opus gratiæ gratum facientis: ergo per oppositum frui se est peccati mortalis, quod opponitur illi: non ergo amare se propter se, est in peccato veniali & mortali.

¶ Item, sicut dicit August. *anima conuersa ad exterius bonum, vel ad inferius, vel ad proprium, peccat*; ergo amor proprij boni est vna differentia peccati: non ergo amor sui est tota causa peccati. (Idem in li. de lib. arb.)

RESOLVTIO.

Pro quanto quis se amat, plusquam oportet, nec propter Deum.

¶ Ad quod dicendum est: quod amor sui est triplex. Vno modo est amor sui propter Deum. Et hoc contingit dupliciter: vel quod motus sit formatus ex charitate, vel quod sit formabilis: si est formatus; tunc est motus gratiæ: si vero formabilis, sed non de se formatus; motus est naturæ. Ex alia vero parte motus ille, qui nō est propter Deum: aut tollit amorem Dei, qui est charitas: aut nō tollit. Si tollit, tunc est amor indebitus, qui est in mortali peccato. Si vero non tollit, est amor indebitus, qui est in veniali peccato. Vterq; autem est motus informis, non formabilis: & dicitur vterque amor sui plusquam oportet: hoc autem est inclinari in se, vnde est vanum: non vnde est verum, siue bonum.

¶ Per hoc ergo respondendum est ad primo obiectum: quod amor sui dicitur dupliciter: secūdum quod communiter accipitur in triplici amore, naturali, gratuito, & libidinoso: & secundum hoc non est tota ratio amoris indebiti amor sui. Alio vero modo sumitur per appropriationem: vt dicatur amor sui, inquantum est res vana siue deficiens à summo bono: & hoc mō dicitur amor sui amor indebitus.

¶ Ad secundum. dicendum: quod hic non omnino simile est de hac conditione *propter se* secundum quod dicimus quod diligere Deū propter se, est motus solius gratiæ gratumfacientis: & de hac conditione *propter se* secundū quod est cōditio peccati in eo quod est diligere se propter se: hoc enim pōt esse commune in veniali & mortali vno mō, alio vero mō pōt esse proprium mortalis peccati. Propter se. n. amari potest aliquid, cum ad seipsum refertur per modum delectabilis: hoc autem pōt esse spreto incommutabili bono, & tunc est illo frui, & sic est in peccato mortali: vel non spreto incommutabili bono, & hoc modo est in peccato veniali: & hoc modo amare aliquid propter seipsum stat cum eo, quod est amare Deum propter se: reliquo vero modo stare non potest.

¶ Ad tertium vero dicendum est: quod amor proprij boni, secundum quod est tertia differentia causæ peccati, prout omne peccatum est vel ex amore proprij boni, vel exterioris, vel interioris; appropriatur bono apparenti interiori: quemadmodum est excellentia vel singularitas in scientiis, quæ ad interiora bona referuntur. Non sic autem accipitur hic, cum dicitur; peccatum est ex amore male accendente: quodcunque enim bonum apparens alliciat indebite; dicitur esse peccatum ex amore male accendente.

ARTICVLVS II.

An amor sui sit causa mortalis peccati?

Secundo quæritur. Vtrum amor sui sit causa mortalis peccati. Et videtur quod sic, per hoc quod dicit August. *ponit enim rationem mortalis peccati spreto incommutabili bono, adhærere mutabili.* Sed hæc adhærentia siue conuersio est per amorem: sicut ipse explanat: ergo amor male accēdens est causa omnis mortalis peccati. (Aug. in li de lib. arb.)

¶ Item, super illud. *Comprehensus est pes eorum*, id est, affectus. Gl. *Pes animæ amor est: qui si prauus est, dicitur cupiditas siue libido: si vero rectus est, dicitur charitas: amore enim mouetur anima quasi ad locum, quo tendit scil. ad delectationem bonam vel malam.* Sed charitas est principium omnis meriti: ergo suum oppositum est principium demeriti: sed hoc est amor male accendens: ergo amor male accendens est causa omnis mortalis peccati. (Psal. 9. Glossa.)

¶ Item, August. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* Hæc autem sunt opposita, sicut virtus & mortale peccatum: ergo amor male accendens, qui est in cupiditate, est causa omnis mortalis peccati. (Aug. in li. de doctr. Christian.)

¶ Ad hoc facit, quod dicitur. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* (Iacob 1.)

¶ Contra, super illud. *Incensa igni & suffossa.* Gloss. *Duæ res faciunt omnia peccata in homine: amor scilicet male accendens, & timor male humilians*, Non ergo omne mortale peccatum est ex amore male accendente. (Psal 79. Gloss.)

¶ Præterea, amor & odium sunt actus disparati: cum ergo odium aliquando sit causa peccati, sicut est inuidia, secundum quod inuidia est odium felicitatis alienæ: restat ergo quod non omne peccatum est ex amore male accendente.

¶ Similiter potest obiici per hoc: quod quatuor distinguuntur affectiones, scilicet dolor & gaudium, metus & spes: sed amor male accendens in duobus tantum est, scilicet in spe vana, & gaudio illicito: ergo non omne peccatum est ex amore male accendente.

¶ Item, disparati actus sunt cognitiuæ & motiuæ, scilicet credere & discredere, diligere & non diligere: cum ergo diuersæ virtutes ponantur, spes, fides, charitas: diuersa peccata ponentur, infidelitas, desperatio, & amor male accendens: quæ eis opponuntur. Non ergo omne mortale peccatum est ex amore male accendente.

RESOLVTIO.

Amor sui male accendens causa est omnis peccati mortalis prima, sed non proxima.

¶ Ad quod dicendum: quod omne peccatum mortale est ex amore male accendente tanquam ex causa prima: sed non semper est ex amore male accendente tanquā ex causa proxima.

¶ Et per hoc soluitur quod obiectum est de timore male humiliante,& amore male accendente. Potest enim esse ex amore male accendente tanquã ex propinqua causa,& ex timore male humiliante tanquam ex remota. Et hoc est quod dicit August. *Quomodo possum arbitrari istos carere libidine,qui pro his rebus digladiantur,quas possunt dimittere inuiti?* Et in eodem Lib. *Non ideo factum hoc cupiditatis dominatu caret:nam qui metuens hominem occidit; amat vtique sine metu viuere.*

Aug. in li. de lib arb. Idẽ in eod.

¶ Ad secundum vero dicendum:quod licet amor & odium sint actus disparati: odium tamen vnius rei reducetur ad amorem alterius:& secundum hunc modum peccata,quæ sunt ex odio, in amore aliquo illicito primo radicantur.

¶ Ad tertium vero dicendum :quod licet sint quatuor affectiones animi ediuerso distinctæ; quæ aliquando sunt licitæ,aliquando illicitæ:tamen omnes cum sint illicitæ,ad amorem male accendentem reducuntur secundum propinquius aut remotius.Dolor enim &metus,cum sunt circa determinatam materiam mali reducuntur ad gaudium & spem,siue cupiditatem respectu oppositi boni:illa vero reducuntur ad amorem male accendentem. Et sic omnia peccata,quæ veniunt ex his quatuor perturbationibus, ad amorem male accendentem secundum propinquius & remotius reducuntur.

¶ Ad quartum vero dicendum:quod licet actus cognitiuæ,& actus motiuæ sint disparati : tamen omnes in volũtate tanquam in causa prima radicantur: secundum quod circa illos actus peccatum consistit: & ideo amor male accendens,qui est in voluntate,causa est infidelitatis, desperationis,& aliorum peccatorũ. Nec oportet sic esse in peccatis, quemadmodum in virtutibus: virtutes enim simul infunduntur; licet naturaliter vna virtus prior dicatur altera, vnaquæq; potest esse principium sui actus sufficiens. Si tamen considerentur, secundum quod referuntur ad charitatem,in quantum est primum principium actus meritorij:secundum hunc modum sicut omne meritum est ex amore bene accendente,ita omne demeritum erit ex amore male accendente.

ARTICVLVS III.

An vniuersaliter amor sui causa sit omnis peccati?

Tertio quæritur,Vtrum amor sui sit causa omnis peccati.Et videtur quod sic: super illud. *Omne, quod est in mundo &c.* Gl. *Omnes delectationes mundi nihil habent nisi hæc tria, quibus omnia vitiorum genera comprehenduntur.* Sed omnes delectationes mundi ad amorem male accendentem reducuntur:omnia etiam peccata tam venialia, quam mortalia ad genera vitiorum pertinent:ergo omnia peccata,siue venialia,siue mortalia sunt ex amore male accendente.

1 Ioan. 2. Glossa.

¶ Item,super illud. *Venundatus sum sub peccato.* Gl. *Quicquid peccatorum est in dictis, in factis, in cogitationibus, non oritur nisi ex mala concupiscentia.* Sed in mala concupiscentia, cum reducitur in actum, per se & primo est amor male accendens : ergo omne peccatum est ex amore male accendente: & omne peccatum tam veniale quam mortale est in istis: ergo &c.

ad Rom. 7. Glossa.

¶ Item, August. *Nullum peccatum nisi concupiscendo committitur.* Ergo nec veniale,nec mortale:sed quod concupiscendo committitur,est ex amore male accendente: ergo nullũ peccatum tam veniale quam mortale committitur, nisi ex amore male accendente.

Aug. in lib. de Spir. & litt.

¶ Contra, Peccatum,quod est ex amore male accendente,est in potestate nostra:sed concupiscentia,quæ est in primo motu, non est in potestate nostra, quin surgat : ergo ipsa non est ex amore male accendente:& est peccatum:ergo non omne peccatum est ex amore male accendente.

RESOLVTIO.

Amor sui peccati omnis causa est, vel propinque,vel remote.

¶ Ad quod dicendum est: quod omne peccatum est ex amore male accendente tanquam ex propinqua causa, vel remota. Concupiscentia autem,quæ est in primo motu,est ex amore male accendente primorum parentum tanquam ex prima causa:& quia est in potestate nostra,vt iste motus determinate, vel ille non surgat : ideo adhuc est ex amore male accendente quodammodo : secundum quod extenditur non tantum ad partem rationalem, sed ad sensibilẽ, quæ subesse debet. Præterea,in potestate nostra est compescere,vel permittere,vt progrediatur: & ita quãtum ad hoc quod permittitur progredi, est ex amore male accendente.

Amor cur non ita vel à peccato, vel à pœna peccati excuset, sicut & timor excusat? §.1.

¶ Insuper quæritur propter comparationem amoris ad timorem; propter quid amor non excusat à peccato vel à pœna peccati:sicut & timor. Et videtur quod sic: sicut enim infirmitas est ex parte timoris: sic infirmitas est ex parte amoris: ergo sicut infirmitas ex parte timoris excusat à culpa,vel à pœna:ita erit ex parte amoris.

¶ Item,timor ex amore procedit:si ergo timor excusat à peccato vel à pœna peccati:amor per consequens, qui est causa eius,à peccato excusabit.

¶ Contra,principium timoris est extra(& loquimur hic de timore,qui potest cadere in virum constantem) sed quanto plus est extra voluntatem, tanto plus habet de excusatione peccati : ergo quanto plus est de timore peccati, tanto plus est de excusatione peccati : sed amoris principiũ magis est in voluntate , & quanto plus est in voluntate, quod est malum , tanto plus accusatur: ergo quanto plus est de amore , tanto plus accusatur: & quanto plus accusatur,tanto minus excusatur: ergo quãto plus habet de amore, tanto minus habet excusationis: ergo amor simpliciter non est causa excusationis.

RESOLVTIO.

Quia amor à voluntate principaliter est:timor vero aliunde inducitur.

¶ Ad quod dicendum est: quod non est simile de timore & amore. Timor enim inductionem habet de alieno principio:amor vero principaliter est ex ipsa voluntate: & ideo licet timor excuset in ratione timoris: non tamen ita amor in ratione amoris:sed infirmitas quædam carnis,quæ potest * concomitari, potest aliquantulum excusare:non autem à toto,sicut timor.

*Alias,cõmunicari.

¶ Et per hoc patet, qualiter respondendum est ad primo obiectum.In timore enim non totum operatur voluntas,in amore vero totum operatur :illa enim dicuntur voluntaria.Dicit enim Philosophus, *si quis ea, quæ indelectabilia sunt,dixerit violenta esse,* (cogunt enim exterius entia) *essent sic omnia violenta; horum enim gratia omnes operantur : ridiculum autem est causari ea,quæ exterius sunt;sed non seipsum reddentem habilem, vt capiatur à talibus:& bonorum quidem seipsum, turpium autem delectabilia.* Ex quo apparet, quod aliter est amor principium,& aliter timor,& ideo non sic se habet ad excusationem amor,quemadmodum timor.

Philos.

¶ Ad secundum dicendum est:quod licet timor ex aliquo amore procedat : nõ tamen dicimus sic excusare amorem, quemadmodũ timorem. Timor enim est propinqua causa,quodammodo compellens voluntatem : amor vero cum est propinqua causa,consonat voluntati : & ideo peccatum, quod est in voluntate , per amorem non minuitur, sed magis augetur.

ARTICVLVS IV.

An amor sui supra Deum idololatria sit?

Qvarto quæritur, Vtrum amor sui supra Deum sit idololatria.Et videtur,quod sic. *Quorum Deus venter est* Gl. *Hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur.* Vnde quia Deus omnibus rebus melior est, plus omnibus diligendus est:illi autem Deum faciunt ventrem, qui ita laborant de edendis;quasi in esca sit salus. In omni ergo genere quod pro Deo diligitur,ab eo colitur:& ita pro Deo habetur:sed habere creaturam pro Deo,est idololatria: ergo dilectio siue amor creaturæ supra Deum est idololatria.

Philip. 3 Glossa.

¶ Item,super illud. *Omnia mihi licent.* Gl. *Amor cuiuslibet rei dominatur sibi : & tunc mens seruire rebus conuincitur, quarum amore superatur.* Sed seruitus creaturæ exhibita,& Deo debita,est idololatria :ergo amor huiusmodi indebitus est idololatria.

1.Cor 6. Glossa.

¶ Contra, Amor huiusmodi indebitus est in peccatis mortalibus

mortalibus: sed non omne peccatum mortale est idololatria, sed vna spés peccati mortalis: restat ergo quod amor rei illicitus supra Deum, non est idololatria. Quod etiam ex comparatione sui oppositi patet: non enim dicimus quemcunq; amorem debitum esse latriam: à simili ergo nec quicunque amor indebitus erit idololatria.

RESOLVTIO.

Non omnis amor sui idololatria est.

¶ Ad quod dicendum est: quod non omnis amor illicitus rei temporalis supra Deum est idololatria: idololatria enim tunc dicitur esse, quando aliquid numinis creditur inesse creaturæ: & ei seruitus exhibetur, quæ proprie debetur creatori. Vnde diligere aliquid supra Deum, dicitur dupliciter. Vel cum diligitur contra voluntatem Dei, & contra eius præceptum: & hoc modo non dicitur idololatria. Alio vero modo dicitur aliquid diligi supra Deum: quando honor, qui exhibendus est Deo in adoratione, & huiusmodi; exhibetur creaturæ: & hoc modo non cum omni amore indebito creaturę est idololatria. Per hoc patet quod aliter est idololatria respectu amoris, qui est charitas: & aliter de idololatria respectu amoris illiciti. Amor enim charitatis, secundum quod in Deum refertur, ad latriam pertinet: sed non dicit totam rationem latriæ: debemus enim Deo nõ tantum amorem super omnia, sed etiam fidem, & maiestatis reuerentiam, & sacrificiorum exhibitionem. Amor autem indebitus creaturæ potest exhiberi sine istis.

ARTICVLVS V.

An amor sui: qui peccati principium est, cum charitate stare possit?

QVINTO quæritur. Vtrum amor sui, qui est principium peccati, possit stare cum charitate. Quod videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Charitas est finis præcepti* Gloss. *Minuitur cupiditas, charitate crescente.* Sed si minuitur cupiditas, cupiditas est: & si charitas crescit, charitas est: simul ergo sunt charitas & cupiditas. — 1. ad Tim. 1. Glossa.

¶ Item, dicit Chrysost. super illud. *Diliges Dominum Deum tuum. Non delecteris in specie mundi, non in honoribus, non in auro, sed pro his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum occupatus fuerit amor cordis, iam non ex toto corde Deum amas: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliam rem: pro tanta parte minus est ad Deum.* Sed si pro aliquanta parte est ad Deum, diligitur Deus: si vero pro aliquanta parte cor est ad aliam rem, diligitur alia res: & ita simul erit amor illicitus creaturæ cum amore Dei, qui est charitas. — Chrys. super Deut. 6

¶ Contra, opposita non possunt simul inesse eidem: sed amor male accendens, & charitas sunt opposita: sicut patet super illud. *Aut poterit in omnipotente delectari.* Greg. *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur.* Sed delectari in Deo est per charitatem: ergo amor terrenarum rerum, quo vincitur homo, non potest simul esse cum charitate. — Iob. 27. Gregor.

¶ Item, Bernar. *Amat profecto caste, qui ipsum, quem amat, quærit non aliquid aliud.* Ergo amor illicitus creaturæ non est simul cum charitate. — Bern super Cant.

¶ Item, super illud. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis?* Gloss. *Sedes iniquitatis est possessio mundi cum amore, quæ Deo non hæret, qui sua præcepit hoc fugere.* Nõ ergo simul est amor mundi cum amore Dei. — Psal. 93. Glossa.

RESOLVTIO.

Venialis amor sui cum charitate stare potest: mortalis vero nequaquam.

¶ Ad quod dicendũ est: quod est amor venialis creaturæ, & ille simul potest stare cum charitate. Est & amor mortalis, cum diligitur aliquid contra Deum: & ille amor non potest simul esse cum charitate.

¶ Et per hæc possunt solui, quæ obijciuntur: cum enim dicitur, quod minuitur cupiditas, charitate crescente: hoc intelligitur de cupiditate, prout est dispositio venialis peccati: quæ magis & magis minuitur per incensionem charitatis.

¶ Illud autem, quod dicit Chrysost. sic intelligendum est, de motu amoris, non de ipso habitu; qui cum est malus, contrariatur amori bono: in illis enim non est dicere partem & partem. Vno etiam modo amare Deum ex toto corde, amare Deum non ex toto corde, sunt opposita: alio vero modo possunt esse non opposita. Amare enim ex toto corde, potest dici, cum nihil incompossibile amatur: & hoc modo potest Deus amari ex toto corde: & tamen creatura sub Deo potest indebite amari, hoc enim non est amare contrarium. Alio vero modo amare ex toto corde, est amare perfecte, sicut possibile est in via: & amare creaturam indebite contra Dei præceptum est amare in parte: & secundum hunc modum non possunt simul stare: vt pro quanta parte cor fuerit ad aliam rem, pro tanta parte minus sit ad Deum: reliquo vero modo poterant simul stare. Quod autem ita amor illicitus dupliciter accipiatur: potest haberi per illud. Iob. 27. ibi enim accipitur amor creaturæ, qui regnat in nobis, & est peccatum mortale: & ideo facienda est vis in hoc quod dicit *terrenarum rerum amore vincitur.* Cum autem dicitur super illud. *Quoties lucerna, &c.* Cum filius, qui nimis amatur, subtrahitur: lucerna impii, quæ videbatur, extinguitur, *nimie amari* potest accipi ibi pro amore veniali immoderato. Et similiter cum dicitur de illo, qui ædificat fænum, lignũ, & stipulam. 1. Corint. 3. vbi dicitur: quod dilectio venialis potest stare cum fundamento. — Iob. 27. — Iob. 21. — 1. Cor. 3.

ARTICVLVS VI.

An amor indebitus odium sit? & An quis se odire, nec amare possit?

SEXTO quæritur. Vtrum amor indebitus sit odium? Et videtur, quod non: amor enim & odium sunt affectiones oppositæ: amor enim est copula amantis cum amato: odium vero est disiunctio ab eo, quod videtur inconueniens, cum ergo non sit idem conueniens; & non conueniens: non erit amor indebitus idem quod odium.

¶ Præterea, contingit vnum esse sine altero: potest enim aliquis indebite amare aliquod bonum mutabile, & non habere odium sui: ergo non est idem amor indebitus, quod odium sui.

¶ Præterea, sicut dicit Apostolus. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, multo fortius seipsum:* ergo nullus seipsum odio habet: ergo non idem erit amor indebitus alicuius apparentis boni, quod odium sui. — ad Ephes. 5


¶ Contra, dicitur. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam:* Ergo amor peccati est odium sui. Exponitur autem ibi, quid est diligere iniquitatem: ille diligit iniquitatem, qui ex desiderio & affectu peccat: qui si semper viueret, semper peccare vellet. — Psal. 10.

¶ Item, super illud. *Qui amat animam suam.* August. *amor animæ est perditio eius.* Sed perditio illius est odium illius: ergo amor animæ illius est odium, sed hoc est amor indebitus: ergo amor indebitus est odium. — Ioan. 12. August.

¶ Item, probari potest per oppositum: odium debitũ est amor, secundum quod dicit August. *Si bene odis, tunc amasti:* ergo per oppositum amor indebitus est odiũ. Similiter dicit Hieron. *odium in suos est pietas in Deum:* sed pietas in Deũ est amor debitus: ergo odium in suos est amor debitus: ergo per oppositum: amor indebitus est odium. — idem. — Hierony

¶ Hvivs gratia quæritur. Vtrum aliquis possit se odire, & nõ amare. Quod videtur, dr̃ enim. *Si quis non odit animam suam, non potest, &c.* & sic sequi Christum est odire se: ergo potest aliquis seipsum odire. Similiter August. de vera innocentia. *Quicunque seipsum, non Deum amat, non se amat:* Sed quicunque non potest de se viuere, moritur amando se: ergo potest aliquis non amare se; & per consequens odire. — Luc. 14. — August. de vera innocentia.

¶ Contra, natura, ratio, & gratia dictant sui dilectionem: ipsa etiam libido: sed non sunt plura mouentia: ergo nullus potest se odio habere.



RESOLVTIO.

Amor indebitus minime per essentiam odium est, sed bene per concomitantiam, nullatenus autem odium naturæ. Sicut nec quisquam odio naturali se odire potest, licet bene per consequens odio vitioso, & amore gratiæ repugnanti.

¶ AD quod dicendum: quod amor sui dicitur tripliciter: vel prout sonat in naturam: vel prout datur intelligi amor imaginis diuinæ siue similitudinis: vel prout dicitur amor corruptionis vitiosæ. His enim tribus modis accipitur in scriptura: amor enim naturæ est, quo dicit Aug. (August.) quod non oportuit præcipi, quod homo se ipsum diligeret: hoc enim à natura inest: & dicit Bern. (Bernar.) quod *prius est, quod animale est, quam quod spirituale est: propter quod inprimis diligit homo seipsum: caro quippe est, & nihil valet sapere præter se.* Est autem alius amor, quo homo diligit imaginem Dei in se: & hoc modo accipitur in Lib. de Vera relig. (lib. de vera relig.) cum dicitur. *In eo nihil præter hominem diligat*, id est, creaturam Dei ad eius imaginem factam. Et alibi. (Ioan. 2.) *Qui diligit proximum tanquam seipsum, non illi inuidet, vt sit quod ipse est: apud enim se ipsum habet, quem diligit tanquam seipsum.* Tertius vero amor est corruptionis vitiosæ: & secundum hunc modum dicitur. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Et sicut multiplex est amor: ita multiplex est odium, quod amori opponitur. Cum ergo primo quæritur, vtrum amor indebitus sit odium? Respondendū est: quod hæc prædicatio non est per essentiam, sed per concomitantiam: & intelligitur de amore peccati, ad quem per reputationem sequitur odium imaginis diuinæ: cum per peccatum deformetur, vel maculetur: odium etiam est per consequens boni naturalis, quod corrumpitur & diminuitur: sed non propter hoc illius boni naturalis, quod per peccatum corrumpi non potest.

¶ Primo ergo obiectum ad hoc tendit: vt hoc non sit illud per essentiam: sed non negatur, quin per concomitantiam.

¶ Secundum autem obiectum ad hoc tendit, vt amor peccati possit esse sine odio naturæ: dico autem de natura, quæ per peccatum non diminuitur.

¶ Ad idem tendit, quod tertio obiectum est. Quod autem obiicitur ex alia parte. Dicendum est, quod loquitur ibi de odio imaginis siue similitudinis diuinæ: & per consequens consequitur ex amore illicito. Cum autem dicitur. (Ioan. 12.) *Qui amat animam suam, &c.* amor animæ accipitur ibi pro amore carnalis desiderij & animalis, qui in perditionem & odium tendit reformationis diuinæ.

¶ AD illud vero, quod obijcitur: quod odium debitum sit amor. Intelligitur de odio peccati & sequelæ eius, quod interpretatiue est amor imaginis diuinæ, vel ipsius boni naturalis.

¶ ET ad ea, quæ sequuntur: similiter dicendum est.

¶ AD illud vero, quod obiicit August. (August.) quod odium cōditionis vitæ præsentis est amor regni. Intelligendum est: quod duplex est conditio vitæ præsentis: Vna, quæ auertit à Deo, vel dat occasionem auertendi se ab ipso: & hoc modo odium istius conditionis est amor regni per consequēs. Alio vero modo cōditio vitæ præsentis dicitur, vel ipsa cōditio naturæ, vel ipsius pœnalitatis promouentis ad bonū: & hoc modo odium conditionis in præsenti non dr̄ amor regni. Et per simile dicit Hiero. (Hieron. ad Furiam.) *Honora patrem tuum, si te à vero patre non separat: si autem te separare intendit, odio habendus est.* Et ideo dicitur. (Lucæ 14.) *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem. &c.* Et similiter dicit Chrys. (Chrys.) *Non simpliciter iubet odio habere: sed quod in itinere Dei nobis obsistit, hoc odio habe.*

¶ AD illud vero, quod quæritur: vtrum aliquis seipsum odio habere possit. Respondendum est per distinctionem supradictam: quod si intelligatur de odio naturæ, quod nō potest minui per peccatum, quæ substernitur omni amori: secundum hoc non potest odio haberi. Si vero intelligatur de amore eius, quod declinat in vitium, vel eius quod inclinat ad gratiam per se, secundum hoc potest odio haberi per consequens. Dilectio enim gratuita tollit amorem vitiosum sibi oppositum, & econuerso. Et ideo dicit August. (August.) *Quicunque seipsum, non Deum amat, non se amat: quicunque autem Deum amat, non se, ipse se amat: quia quicunque non potest de se viuere, moritur amando se: cum vero diligitur, de quo viuitur, non se diligendo, magis diligit.*

MEMBRVM VII.

Quæ pœna in futuro erit huiusce peccati, scilicet amoris male accendentis?

SEPTIMO quæritur de pœna huius peccati: Dicitur enim super illud. (Iob. 10.) *Relictus in tabernaculo.* Gregor. (Gregor.) *Relictus, quam hic carnem amauit, nec relinquere voluit, tunc propter tormenta relinquere volet, sed non poterit.* Ergo amor carnis, qui est peccati, nō poterit relinqui in futuro: sed erit ei pœna in hoc, quod relinquere non poterit.

¶ CONTRA, si amor carnalis secundum actum remanet (hoc enim videtur ex illa autoritate) amor autem non est sine delectatione: permanebit ergo aliqua delectatio in peccatore damnato: nō ergo penitus & omnino affligetur.

RESOLVTIO.

Ipsemet amor, qui inibi relinqui non poterit.

¶ AD quod dicendum: quod loquitur ibi de ipso amore carnis, qui hic fuit actu, sed ibi remanet habitu: hunc aūt habitum noluit relinquere in præsenti: & ideo in futuro cedit ei ad pœnam. Si vero intelligeretur de amore actuali, tunc dicendum est: quod sic viuit in damnato amor iste, vt peccare vellet, si non adesset pœna: sed tamen propter continuitatem pœnæ & acerbitatem, odio habet amorem carnis, & relinquere vellet, cum tamen non posset.

QVÆSTIO CLIX.

De diuisione peccati, quæ est, aliud est ex concupiscentia carnis, aliud ex concupiscentia oculorum, aliud ex superbia vitæ.

In tria Membra, & in tres Articulos diuisa.

EXPEDITVM est de diuisione peccati, quæ est: peccatum aliud est ex amore male accendente: aliud ex timore male humiliante. (D. Thō. 1.2.q 77.ar.5) Consequenter dicendum est de illa diuisione peccati, quæ est: peccatum aliud est ex concupiscentia carnis: aliud ex cōcupiscentia oculorum: aliud ex superbia vitæ. Quam tangit Ioan. (Ioan. in Epist. Canō.) *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Et hæc diuisio data est secundum diuersa, ex quibus contrahitur concupiscentia peccati: ex carnali enim delectabili quædam contrahitur concupiscentia: & ita de aliis.

¶ Primo autem quærendum est, quid sit concupiscentia, secundum quod commune est in his tribus: licet enim vnum illorum dicatur superbia vitæ; nihilominus tamen in illo intelligitur quædam specialis concupiscentia: & ita omnia illa tria sub concupiscentia generaliter dicta continentur. Secundo quærendum est de ipsa diuisione trimēbri. Tertio, de vtraque parte diuisionis sigillatim.

MEMBRVM I.

Quid sit concupiscentia, pro vt commune est ad peccata ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorum, & ex superbia vitæ?

VIDETVR autem, quod concupiscentia siue cupiditas sit illud generale, per hoc quod dicit August. (Aug. in li. de vera religione.) *Seruiunt cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi.* Ergo cupiditas commune est ad cupiditatem excellentiæ: sed hoc nihil aliud est, quam superbia vitæ: sicut ibidem infra patet: ergo cupiditas siue concupiscentia est illud generale.

¶ HOC etiam arguitur ex hoc, quod dicitur in Glo. super illud. (Matth. 26. Glossa.) *Orauit tertio* Gl. *Est concupiscentia carnis, oculorum, & ambitio seculi.* Sed ambitio seculi non aliud est, quam concupiscentia secularis: ergo cum concupiscentia excellentiæ secularis est superbia vitæ: concupiscentia erit generale in hac diuisione.

¶ ITEM, August. (August. de doctrina Christian.) *Cupiditatem voco motum animi ad fruendum se & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.* Sed hoc est commune his tribus differentiis: ergo & ipsa cupiditas est communis: quod enim conuenit diffinitioni, & diffinito.

¶ CONTRA sicut peccat homo ex concupiscentia, ita peccat ex contemptu. Et differt actus iste ab illo: concupiscentia enim ad concupiscibilem pertinet: contemptus autem ad irascibilem: peccatum autem vtroque modo fit: nō ergo omne peccatum secundum hoc in his tribus differentiis continetur: sed continetur omne peccatum: non ergo concupiscentia siue cupiditas est illud generale.

Aug. in 14. de ciu. Dei

¶ PRÆTEREA, secundum vnam quamque vim motiuam contingit esse peccatum: cupiditas autem siue concupiscentia determinatur secundum vnam illarum: non ergo omne peccatum continetur sub concupiscentia: & omne peccatum continetur in his tribus: ergo concupiscentia siue cupiditas non est illud commune, in quo membra diuisionis conueniunt.

¶ PRÆTEREA, sicut dicit August. *Cum consentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas dicitur: cum autem consentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur.* Item, *cum dissentimus ab eo, quod accidere nolumus, metus dicitur: cum autem dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, tristitia est.* Ex opposito ergo cupiditatis sunt alia tria mala, quæ tamen sunt peccata: cum ergo omne peccatum contineatur in illa diuisione: non erit cōcupiscentia siue cupiditas illud generale.

Idem.

RESOLVTIO.

Peruersa voluntas boni alicuius mutabilis.

¶ AD quod dicendum: quod concupiscentia siue cupiditas multis modis accipitur. Vno modo pro concupiscentia originali, quæ dicitur & culpa & pœna originalis: & secundum hunc modum non accipitur hic. Alio etiam modo dicitur cupiditas determinata ad quoddam genus peccati, quod est circa diuitias & pecuniam: nec sic etiam accipitur commune ad hæc tria. Tertio modo accipitur cupiditas respectu alicuius apparentis boni, nondum habiti: sicut accipitur in Lib. de ciui. Dei: nec etiam sic accipitur cōmune ad ista tria. Quarto vero modo cupiditas, vel concupiscentia dicitur peruersa voluntas alicuius boni mutabilis: & ista peruersa voluntas aliquando dicitur amor (sicut dicit August. in lib. de Ciui.) sub quadam generali ratione amoris: & secundum hunc modum inuenitur commune in his tribus.

August. de ciui. Dei.

Idem in eodem.

¶ AD obiectum ergo respondendum: quod licet contingat peccare ex contemptu, sicut ex cupiditate, vel amore: tamen allicitiuum ad peccatū ex parte cupiditatis, vel amoris accipitur. Vnde illud peccatum, quod fit ex contēptu, fit ex concupiscentia. Et licet diuersæ vires sint irascibilis, & concupiscibilis: contemptus autem approprietur irascibili, & concupiscentia concupiscibili: nō tamen hoc est secundum intentionem concupiscentiæ, de qua hic loquimur: hæc enim est generalis in omni vi: vnde contemnens, aliquid appetit, propter quod aliud contemnit: & hēt irascibilis suam concupiscentiam: & eodem modo rationalis.

¶ ET per hoc soluitur quod secundo obiectum est: nō enim hic loquitur de concupiscentia speciali, sed generali: illud etiam peccatum, quod est secundum actum rationalis, vt pote infidelitas, in aliqua concupiscentia radicatur; sicut infra ostendetur.

Artic. immediate sequenti.

¶ AD tertium dicendum: quod cupiditas, de qua loquitur August. in Lib. de ciui. Dei. aliquo modo est coarctata: ista autem, de qua hic loquimur, respondet generaliter voluntati peruersæ, quæ in omnibus illis reperitur: sicut ipse determinat: cupiditas enim est quædam voluntas, & lætitia quædam voluntas, & metus, & tristitia similiter voluntates dicuntur. Vnde concupiscentia generaliter in omnibus illis intelligitur. Sicut enim amor ab eodem non rectus dicitur commune illis quatuor: ita & concupiscentia erit generale in illis quatuor.

MEMBRVM II.

An diuisio peccati per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, sufficiens sit?

SECVNDO quæritur de diuisione trimembri, vtrum sufficiens sit. Et videtur quod non: cum enim libido sit idem quod cōcupiscentia: libido autem (sicut dicit August.) diuiditur sic. Est libido vlciscendi, quæ ira dicitur: est libido habendi pecuniam, quæ auaritia dicitur: est libido vincendi, quæ peruicacia dicitur: est libido glotiandi, quæ iactantia dicitur: & est libido dominandi: & multæ aliæ variæ sunt libidines: tot ergo erunt differentiæ concupiscentiæ: non ergo sufficienter diuiditur concupiscentia, quæ est in mūdo, per istas tres differentias: quæ sunt concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitæ.

Aug. in li. de ciu. Dei

¶ ITEM, est peccatum infidelitatis, in quo ponitur inordinatio rationis, nec tamen videtur esse concupiscentia carnis, cum non appetatur inferius bonum: vel concupiscentia oculorum, cum non appetatur exterius: nec superbia vitæ, cum hæc possit ex ignorantia contingere, & magis videatur discredere ex simplicitate intellectus, quam ex arrogantia.

¶ ITEM, cum aliquis scandalizat aliquem, peccat: non tamen huiusmodi peccatum determinate habet originem ex concupiscentia carnis, vel ex cōcupiscentia oculorū, vel ex superbia vitæ: non ergo omne, quod est in mundo, videtur esse aliquid istorum.

¶ SIMILITER obiicitur ibi de peccato, quod est ex certa malitia: tale enim peccatum videtur habere differens motiuum à quolibet peccatorum.

¶ ITEM, August. multas ostendit differentias peccatorum: inter quas enumerat ignorantiam, quæ nullum istorū videtur esse: enumerat etiam timorem, qui insolita & repētina exhorrescit: enumerat etiam ignauiam: enumerat tristitiam, quæ accidia dr: nullum autem horum videtur per se in concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ radicari.

Aug. in li. confes.

RESOLVTIO.

Sufficiens admodum; nam si quæ aliæ libidines apparebunt, ad has tamen reducentur.

¶ AD quod dicendum: quod licet multæ sint differentiæ libidinum speciales; tamen omnes reducuntur ad has tres differentias generales concupiscentiarum: sicut ostendit Aug. Vnde libido irascendi reducitur ad aliquam prædictarum: potest enim esse causa iræ vel ablatio boni exterioris; & tunc est ex concupiscentia oculorum: vel potest esse propter impedimentum dominationis; & sic erit ex superbia vitæ: & sic de aliis: & propter hoc secundum diuersa motiua in genere ad diuersa reducetur. Sic etiam de aliis intelligendum est, quæ non habent sibi causam determinatam.

Aug. in li. de lib. arb. circa finē libr. primi.

¶ AD secundum vero dicendum est: quod obiicitur de peccato infidelitatis: illud enim peccatū licet determinetur in rationabili propter suum actum: magis determinatur in ipsa irascibili, vel in ipsa cōcupiscibili secundum causam motiuam. Quod enim non crediderunt filij Israel, sed idolatrabant; aliquando fuit ex cōcupiscentia carnis: sicut habetur in Nū. 25. vbi dicitur: quod fornicatus est propter concupiscentiam eum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt ea, & adorauerunt Deos eorum. Aliquādo vero, vt placerent principibus suis: sicut habetur 3. Reg. 12. de Hieroboam: & Osee. 7. *In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendaciis suis Principes.* Et ita secundū diuersa motiua ad diuersa genera cōcupiscentiæ reducitur peccatum infidelitatis: maxime vero contingit ex superbia intellectus, sicut est in hæreticis.

Num. 25.

3. Reg. 12. Osee 7.

¶ AD tertium dicendum: quod peccatum scandali substernitur in dicto, vel facto minus recto: illud autem causam motiuam potest habere ex concupiscentia carnis: sicut de aliquo religioso, qui multum de terrenis loquitur, ostēdens affectum suum esse in illis. Vel ex superbia vitæ: vt si non humiliter se habet in gestu, & habitu, & in aliis indiciis humilitatis. Et ita scandalum ad diuersas radices concupiscentiæ reducetur secundum illud, in quo fundatur.

¶ AD quartum vero dicendum: quod peccatum in Spiritum sanctum maxime reducitur ad superbiam vitæ: sicut est de inuidentia fraternæ gratiæ, vel impugnatione veritatis agnitæ. Potest tamen trahere originem ex aliis radicibus concupiscentiæ.

¶ AD vltimū vero dicendum est: quod peccatum ignorantiæ siue stultitiæ ad genus delicti reducitur. Quod aūt non scit illud, quod sciendum est; potest causam hēre ex ipsa

concupiscen-

concupiſcentia carnis, qua homo quietem carnis appetit: & ita per conſequens non vult laborare: aut ſi vult laborare aliquando allicitur ex delectabilibus, vt appetat ſcire quod ſciendum non eſt: & ita curioſitas deducit ad ignorantiam, quæ peccatum eſt: aliquando vero non vult ſe humiliare, vt credatur ſe ſcire: & tunc ignorantia eſt ex ſuperbia vitæ: & ita ex diuerſis motiuis ducit originem. Similiter dicendum eſt, quod triſtitia ex diuerſis cauſis poteſt ſumere originem ſecundum carentiam diuerſorum appetibilium, quæ triſtitiã inducunt: & hoc patet per hoc quod ipſe triſtitiam ita diffinit, Triſtitia rebus amiſſis contabeſcit, quibus ſe oblectabat cupiditas (& ſumitur ibi concupiſcentia large.) Similiter dicendum eſt de peccato timoris, ſic enim diffinitur timor, Timor inſolita & repentina exhorreſcit, rebus, quæ amantur, aduerſantia, dum præcauet ſecuritati, Ignauia autem eo quod quietem appetit, maxime reducitur ad concupiſcentiam carnis.

An & qualiter eadem diuiſio per oppoſita ſit? §.1.

¶ Deinde quæritur de oppoſitione iſtarum differentiarum inter ſe. Videtur enim quod aliquod peccatum vnum & idem contineatur ſub cõcupiſcentia oculorum, & ſub concupiſcentia carnis. Cum enim concupiſcentia oculorum large accipiatur pro concupiſcentia, quæ eſt in aliis ſenſibus: ſicut dicit Auguſt. his verbis. *Generalis experientia ſenſuum concupiſcentia (ſicut dictum eſt) oculorum vocatur.* Concupiſcentia ergo carnis, quæ eſt in delectatione omnium ſenſuum, dicetur concupiſcentia oculorum.

Aug. in li. confeſſ.

¶ Item, curioſitas dicitur illud peccatum, quod pertinet ad concupiſcentiam oculorum: dicit enim Auguſt. quod *concupiſcentia oculorum reddit homines curioſos*: ſed hoc peccatum videtur eſſe ſub ſuperbia vitæ. Auguſt. enim ita notificat curioſitatem, *Curioſitas affectare videtur ſtudium ſcientiæ: ſcientia autem eſt de bonis interioribus*: ergo & apparens ſcientia: reducetur ergo curioſitas ad concupiſcentiam interioris boni: ergo ad ſuperbiam vitæ. Non ergo inter ſe habent oppoſitionem propriam concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

Idem in li. de vera religione. Idem in li. confeſſ.

¶ Item, Auguſt. *Ex morbo concupiſcentiæ oculorum ad perſcrutãda naturæ, quæ præter nos eſt, opera proceditur: quæ ſcire nihil prodeſt. & nihil aliud quam ſcire homines cupiunt.* Hinc etiam eſt, ſi quid eodem peruerſæ ſcientiæ fine per artes magicas quæritur. Sed hoc totum pertinet ad appetitũ apparentis ſcientiæ: & ita ad appetitum apparentis boni interioris: pertinet ergo ad ſuperbiam vitæ.

Idem in eodem.

¶ Item, videtur quod non differt concupiſcentia oculorum à concupiſcentia carnis in quibuſdam peccatis. *Ad concupiſcentiam enim oculorum pertinet delectatio ſpectaculorum*: ſicut dicitur in Lib. de Vera relig. ſed delectatio ſpectaculorũ ad concupiſcentiam carnis pertinet: quæruntur enim ſpectacula mulierum ad explendam concupiſcentiam carnis: quæruntur etiam ſpectacula in theatris ad prouocationem libidinis carnalis: quæruntur etiam ſpectacula in venationibus ſimiliter. Reſtat ergo quod concupiſcentia oculorũ non diſtinguitur à concupiſcentia carnis quantum ad aliquam ſui differentiam.

Li. de vera relig.

¶ Item, honor eſt de bonis exterioribus; appetere ergo honores eſt appetere bonum exterius: ſed concupiſcentia boni exterioris ad concupiſcentiam oculorum refertur: ergo concupiſcentia bonorum ad illam radicem referretur: ſed hæc eſt ambitio ſæculi, quæ eſt ſuperbia vitæ: non ergo inter ſe diſtinguuntur concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

¶ Præterea, poteſt quæri, penes quid accipiatur hæc triplex differentia. Videtur enim ſecundum Auguſt. quod accipiatur ſecũdum tres differentias apparentis boni, quæ ſunt, bonum apparens exterius, & bonum apparens inferius, & bonum apparens interius. Secundum autem ipſum in Lib. Confeſſ. videtur aliter accipi: vt penes ea, quæ pertinent ad voluntatem inordinatam cognoſcendi, accipiatur concupiſcentia oculorum: penes vero voluntatem potentiæ inordinatam ſuperbia vitæ, ſiue ambitio: penes autem concupiſcentiam delectationis carnalis inordinatam concupiſcentia carnis: & ita penes apparens arduum, & penes apparens verum, & penes apparens delectabile videntur

Aug. in li. de lib. arb. Idem in li. confeſſ.

ſumi dictæ differentiæ. Sed hoc non videtur conuenire cum prædictis differentiis: apparens enim magnum, vel arduum poteſt eſſe interius, vel exterius: eodem modo apparens verum. Reſtat ergo, quod non penes iſtas cauſas, vel illas prædictæ accipiuntur differentiæ.

RESOLVTIO.

Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ ſi propriè ſumantur, è diuerſo peccatum diuidunt.

¶ Ad quod dicendum: quod licet vtraq; concupiſcentia ſc. oculorum & carnis per ſenſus agatur: ſicut dicit Auguſt. his verbis. *Præter concupiſcentiam carnis, quæ ineſt in delectatione omnium ſenſuum & voluptatum, cui ſeruientes depereunt, ineſt animæ per eoſdem ſenſus corporis quædam, non ſe oblectandi in carne, ſed experiendi per carnem, vana & curioſa cupiditas, nomine cognitionis, & ſcientiæ palliata.* Tamen differenter per illos ſenſus vtraq; expletur concupiſcentia: ſicut enim dicit Auguſt. *in hoc diſcernitur, quid curioſitatis agatur per ſenſus, quid voluptatis: quod voluptas pulchra, canora, ſuauia, ſapida, lenia ſectatur: curioſitas autem & hæc & his contraria experiendi cauſa propter experiendi noſcendiq; libidinem.* Per ſenſus ergo aliquando quæritur quod eſt voluptatis carnalis: aliquando quod eſt delectationis in cognoſcẽdo. Si eſt propter delectationem in cognoſcendo propter ſe, ad concupiſcentiam oculorum refertur. Si aũt in his quæritur carnis voluptas, ad concupiſcentiam carnis referuntur. Exempli cauſa, eſt videre in ſpectaculis venationum: quidam enim inſiſtunt venationibus propter voluptates carnis conſequendas: quidam vero vt delectationem habeant mirabili curſu canum & ferarum, vel etiam in volatu auium: & tales, qui ibi figunt delectationem, explent curioſitatem, ſiue oculorum concupiſcentiam.

Auguſt.

Idem.

¶ Ad ſecundum dicendum eſt: quod ſimiliter differunt ſuperbia vitæ, & concupiſcentia oculorum ſecundum differentias finium: qui enim quieſcit in bono exteriori, ſecũdum quod exterius eſt: explet concupiſcentiam oculorum: ſi vero ponit quietem in apparenti bono interiori ſecundũ ſeipſum; ad ſuperbiam vitæ refertur. Vnde aliquis põt quærere ſcientiam rerum exteriorum tantum, vt ſciat illa: & ſecundum hunc modum expletur concupiſcentia oculorũ: aliquis vero poteſt quærere ſcientiam illarum rerum, vt excellat in ſciendo: & ſic ad ſuperbiam vitæ refertur. Vtrobique ergo poteſt appetitus ſcientiæ eſſe communis: ſed ex alio & alio fine determinatur: ſcientia enim licet ſit bonũ interius; prout tamen ad exterius refertur, cuius experientia quæritur; non ad ſuperbiam vitæ, ſed ad concupiſcentiã oculorum refertur.

¶ Similiter dicendum eſt de eo, quod obiectum eſt de cognitione rerum naturalium & artium magicarum: ſecundum hoc enim quod ſiſtitur in ipſa admiratione rerum cognoſcibilium; ad concupiſcentiam oculorum refertur.

¶ Ad quartum dicendum eſt: quod quæri poſſunt ſpectacula ſine diuerſo: ſi enim quærantur eo fine, vt voluptas carnis in rebus viſibilibus habeatur; ad concupiſcentiam refertur: ſi vero propter ingenia & exercitia cognoſcenda quæruntur ſpectacula, ad concupiſcentiam oculorum refertur.

¶ Ad quintum dicendum: quod concupiſcentia honoris licet ſit reſpectu boni exterioris: tamen hoc eſt conſequens ad concupiſcentiam boni interioris, quod eſt proprium excellentiæ ſiue præeminentiæ: & ideo concupiſcẽtia honoris ad ſuperbiam vitæ reducitur: honor enim quid aliud eſt, quam exhibitio reuerentiæ in ſignum excellentię ſiue potentiæ.

¶ Ad vltimum dicendum: quod diſtinctio prædictarũ differentiarum non attenditur: ſecundum diſtinctionem virium rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis: licet hoc videatur in hoc: quod cõcupiſcentia carnis per ſe referatur ad concupiſcibilem, concupiſcentia vero oculorum ad rationalem, cuius eſt cognoſcere; ſuperbia vero vitæ ad iraſcibilem: non enim recte acciperentur differentiæ, dicendo concupiſcentiam oculorum, & concupiſcentiam carnis: cum hoc ad concupiſcibilem videatur referri. Sed in hoc diſtinguuntur, quod concupiſcentia carnis reſpicit bonum inferius apparens: concupiſcentia vero oculorum reſpicit bonum exterius apparens: ſuperbia vero vitæ reſpicit bonum interius apparens, ſicut oſtendit Auguſtinus, intendit

Idem in li. confeſſ.

enim homo vane gloriari:& in seipso sibi placere: vnde dicit: Intus est aliud tentationis malum, quod nesciunt qui placent de se sibi, quamuis aliis vel nõ placeant, vel displiceant, nec placere affectent cæteris: sed sibi placentes, multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis: verum etiam de bonis tuis quasi suis: aut etiã sicut de tuis: sed tanquam de meritis suis: aut etiam sicut ex tua gratia, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis æque inuidentes. (In iisdem) Nec est contrarium, quod dicitur alibi in li. Confess. quod concupiscentia oculorum continet in se curiositatem sciẽtiæ, quæ est bonum interius: quæritur enim scientia à curiosis propter ipsam experientiam, quæ est respectu rerum exteriorum.

MEMBRVM III.

De quaque diuisionis parte sigillatim?

CONSEQVENTER dicendum est de singulis differentiis separatim. Et primo de concupiscentia carnis. Secundo de concupiscentia oculorum. Tertio de superbia vitæ.

ARTICVLVS II.

Ad quæ se extendat cõcupiscentia carnis, dum dicitur, peccatum aliud ex concupiscentia carnis, aliud ex concupiscentia oculorum, aliud ex superbia vitæ?

ET potest quæri, quantum se extendit concupiscentia carnis? Vtrum tantum secundum delectationes, quæ sunt in quinq; sensibus: sicut in delectatione pulchrarum rerum, & mulierum: & in delectatione sonorum, & odorum, & saporum, & corporum, quæ suauitatem habent: in omnibus enim his contingit peccare. Et videtur quod in iis solum consistat, propter hoc quod dicit August. (Aug. in li. confess.) *Concupiscentia carnis est in delectatione omnium sensuum & voluptatum.* Ponit enim exemplum de eo, quod pertinet ad gustũ, (Idem.) cum dicit. *Dum ad quietem societatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ; ipse enim* (Idem.) *transitus est voluptas.* Similiter loquitur de concupiscentia carnis in auditu: vnde dicit. *Cum me amplius cantus, quam res ipsa, quæ canitur, monet; pœnaliter me peccare confiteor: & tunc mallem non audire cantantem.* Similiter loquitur de voluptate in (Idem.) ipsis visibilibus, dicens. *Quam innumerabilia in vestibus, vasis, calceamentis, picturis, & diuersis figmentis, atque iis necessarium atque moderatum transgredientibus addiderunt homines: ad illecebras oculorũ, foras sequentes quæ faciunt intus, relinquentes, à quo facti sunt:* Ex quo patet de voluptate sensũ secundũ visus. De odoratis etiam patet, sicut habetur. (Prouer 7.) *Asperfi cubile meum myrrha, & aloe, & cinamomo.* Hæc tamen tentatio carnalis concupiscẽtiæ non ita grauat: vnde August. (Aug. in li confess.) *De illecebra oculorum non nimis satago: cum absunt, non requiro: dum assunt, non respuo.* Et ratio videtur esse: quia homo in isto sensu multum deficit naturaliter. De concupiscentia vero carnis, quæ est secundum actum, planum est illa enim maxime grauat: cum enim homo habeat posse aliquid in aliis membris ad coertionem in illis, minime habet vt cohibeatur concupiscentia. Vnde (Idem in li de ciu. Dei) August. *Genitales corporis partes ita libido suo iuri quodammodo mancipauit: vt moueri non valeant, si ipsa defuerit.*

¶ Quod autem non tantum sit concupiscentia carnis in delectatione quinque sensuum; patet per hoc quod dicit August. (Idem in confess.) *Adhuc viuunt in memoria mea multarum rerum imagines, quas consuetudo mea ibi fixit. In somnis autem non solum vsque ad delectationem, sed etiam vsque ad consensionem, factoque simillima: & tantum valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, vt dormienti falsa vera persuadeant.* Ex quo videtur, quod ipsa concupiscentia carnis vigeat in dormientibus: sed tunc quiescunt: ergo concupiscentia carnis est præter delectationem quinque sensuum.

¶ SIMILITER habetur de ipsa ignauia, quæ quietem carnis appetit, quies autem carnis ad concupiscentiam carnis refertur. Similiter viget concupiscentia carnis in verbis (Eccles 9 Prouer 7.) illecebrosis: vnde. *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Et. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.* Similiter risus inordinatus ad concupiscentiam carnis (Eccles 19.) pertinet. Similiter & instabilitas gressuum: vnde. *Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis enunciant de illo.*

¶ PRÆTEREA, concupiscentia carnis opponitur temperantiæ: temperantia autem non tantum est in cohibendis delectationibus sensuum: sed etiam in modestia gestus, sermonis, & operis: ergo concupiscentia carnis, quæ ei opponitur, attenditur non tantum in delectationibus quinq; sensuum, sed in illecebroso gestu, verbo, & opere.

RESOLVTIO.

Ad appetenda delectabilia quinque sensuum principaliter: ex consequenti ad reliqua circa illa ordinata.

¶ AD quod dicendum est: quod concupiscentia carnis licet principaliter sit in appetendo delectabilia secundum sensus: consequenter tamen respicit alia, quæ ordinantur ad illa. Et per hunc modum dicendum est de his, quæ sunt in verbis, & in gestu, & in imaginatione siue phantasia ordinata ad illecebram carnis. Quædam autem sunt delectationes corporales; quædam vero animales: quantumcunq; autem extendatur delectatio corporalis inordinata, intantum extenditur concupiscentia carnis.

¶ QVOD autem dicit August. quod concupiscentia est (Aug. confess. lib. 10 cap. 35.) in delectatione quinque sensuum, hoc principaliter intelligitur, sed non præcise.

¶ AD aliud dicendum: quod licet motus interior aliquando sit absq; motu sensus: tamen originaliter est à sensu: & illum motum præcessit sensus.

ARTICVLVS II.

De concupiscentia oculorum iuxta Bedam.

CONSEQVENTER quæritur de *concupiscentia oculorum*, de qua dicit Beda. quod *ipsa est in discendis magicis artibus, in* (Beda.) *contemplandis spectaculis, in superuacuis acquirendis rebus temporalibus, in dignoscendis, & carpendis vitiis proximorum.* Ex quo videtur quod inquirere de peccatis proximorum libidinose, ad concupiscentiam oculorum pertineat: sed hoc videtur pertinere ad peccatum detractionis: illorum enim est secreta proximorum inuestigare: & ideo dicitur. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne forte satiatus oderit te.* Et. *Ne in-* (Prouer. 25. & 24.) *sidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.*

¶ AD quod dicendum est: quod licet huiusmodi inquisitio curiosa seruiat detractioni: detractio autem nascatur ex inuidia, quæ ad superbiam vitæ refertur: non tamen hæc inquisitio curiosa de delictis proximorum ad superbiam vitæ reducitur, sed ad concupiscentiam oculorũ: quæ semper est in exploratione bonorum vel malorum, quæ exterius sunt.

¶ SIMILITER quæritur: cum sub concupiscentia oculorum (sicut dicit Beda) contineatur curiositas in discendis (Beda.) artibus magicis: vtrum similiter contineatur curiositas, quæ est in cognoscendis occultis naturis, & in cognoscendo motu syderum, & euentibus diuersis, qui consequuntur. Quod si est, potest quæri, propter quid Beda specialiter determinat, cõcupiscentiam oculorum in magicis artibus addiscendis.

¶ AD quod dicendum est: quod non tantum est concupiscentia oculorum in cognoscendis artibus magicis: (Idem.) sed etiam in cognoscendis curiose naturis rerum superioribus, vel inferioribus: vnde dicit August. *Hinc ad perscrutandas naturæ, quæ præter nos est, opera proceditur, quæ scire nihil prodest:* (Aug. in li. confess.) *& nihil aliud quam scire homines cupiunt.* Causa autem, propter quam sit mentio à Beda de artibus magicis, plusquam de omnibus aliis, est: eo quod in illis est apparens veritas & (Beda.) non existens: & ea, quæ ibi fiunt operationibus dæmonum fiunt: nec est ibi debitum finem ponere. In cognoscendis autem naturis rerum potest esse recta intentio: & ideo non simpliciter dixit Beda de illis, eo quod hæc possunt agi sine peccato.

¶ DEINDE quæritur: cum quatuor hæc ponantur, circa quæ dicitur versari cõcupiscentia oculorum, quæ dicitur curiositas, sicut dicit Beda: penes quid accipiatur ratio illius diuisionis.

¶ AD quod dicendum est: quod curiositas consistit in (Idem.) apparentibus veris, & in apparentibus bonis, & in apparentibus malis. In apparentibus autem bonis põt esse dupliciter: vel quæ alicui⁹ pñt esse vtilitatis, sed tñ superflua sũt: & sic est in superuacuis acquirendis rebus temporalib. Vel quæ nullius sunt vtilitatis secundũ se, imo magis vergũt ad

nocumen-

nocumentum, & secundum hæc est curiositas, quæ est in contemplatione spectaculorum. Secundum hoc ergo curiositas in apparentibus veris dicitur illa, quæ est in discendis magicis artibus: illa vero, quæ est in carpendis vitiis proximorum, ad cognitionem apparentium malorum reducitur: illa vero quæ est in superuacuis rebus temporalibus acquirendis, ad cognitionem apparentium vtilium refertur: illa vero, quæ est in contemplandis spectaculis, ad cognitionem eorum, in quibus est sola curiositas, refertur. Aug. tamen quoddam membrum addit his verbis. *Hinc in ipsa religione Deus tentatur, cum signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderantur*: sicut contingit in illis, de quibus dicitur. *Generatio praua atque peruersa signum quærit.* Sed large accipiendo spectacula, hæc differentia curiositatis sub illa parte comprehenditur.

Aug. in lib Confess.

Matt. 12.

¶ Deinde quæritur, cum concupiscentia ista, quæ dicitur oculorum, attendatur, non tantum in his, quæ comprehenduntur visu; sed etiam quæ comprehenduntur in aliis sensibus: propter quod dicatur magis concupiscentia oculorum, quam alterius sensus.

¶ Ad quod dicendum, sicut dicit Aug. quod oculi ad cognoscendum in sensibus principes sunt: & ideo concupiscentia, quæ est respectu cognoscibilium exterius, concupiscentia oculorum dicitur. Ex alia vero parte verbo videndi vtimur in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendũ intendimus: & ideo generalis experientia sensuum concupiscentia oculorum vocatur.

ARTICVLVS III.

De superbia vitæ.

SEQVITVR de superbia vitæ, de qua quæritur: Vtrum cõcupiscentia laudis humanæ sub ea contineatur. Et videtur quod non: concupiscentia enim laudis humanæ est cõcupiscentia boni exterioris: nihil enim videtur ita exterius, sicut ipsa laus, quæ in aliorum opinione, & voluntate dependet: sed superbia vitæ est, in qua concupiscitur bonum interius, siue bonum proprium: ergo concupiscentia laudis humanæ non debet ab ea contineri. Quod autem contineatur, patet per hoc quod dicit August. dicit enim quod præter duo genera tentationum sc. concupiscentiæ carnis, & concupiscentiæ oculorum est tertium genus tentationis, quo vult homo timeri, vel amari ab hominibus, non propter Deum. Et ad hoc pertinet amor laudis, de quo dicit: *laudari vult ab hominibus, vituperante te; non defendetur.* Qui ab hominibus, iudicante te: nec eripietur, damnante te. Et ibidem dicitur. *Quid in hoc genere tentationis tibi (Domine) confiteor, ni me delectari laudibus?* Ergo appetitus laudis inordinatus pertinet ad superbiam vitæ.

Aug. in lib Confess.

Idem ibid.

¶ Item, ad hoc facit; quod appetitus huius laudis est, vt homo videatur excellere in bonitate, vel in scientia: quare appetitus excellentiæ mouet: ille autem ad superbiam vitæ pertinet: ergo superbia vitæ continet concupiscentiam laudis humanæ.

¶ Ad quod dicendum: quod concupiscentia laudis humanæ licet sit boni exterioris; tamen in illo datur intelligi concupiscentia proprii boni, quæ est excellentia: & ideo inanis gloria recte ad superbiam vitæ reducitur.

¶ Similiter quæritur: cum duplex sit libido in eo sc. quod est velle timeri, & velle laudari ab hominibus: hæ autem sunt oppositæ affectiones; qualiter ad vnam radicem reducuntur, quæ est superbia vitæ?

¶ Ad quod dicendum est, quod velle timeri ab hominibus, attestatur excellentiæ: timor enim est potestatis: laus autem est excellentis scientiæ, vel bonitatis. Ratione ergo excellentiæ, quæ in vtraque datur intelligi, vtraque libido siue concupiscentia ad superbiam vitæ reducitur.

¶ Similiter quæritur de illo peccato, quo aliquis gloriatur vane de contemptu ipsius vanæ gloriæ. Cum enim gloriari de vana gloria per quandam oppositionem se habeat ad gloriam de contemptu vanæ gloriæ: non videtur huiusmodi gloriatio ad superbiam vitæ reduci, ad quam illa vana gloriatio reducitur: non enim ibi videtur esse delectatio in excellentia, sed in humilitate.

¶ Ad quod dicendum est, quod licet contemptus vanæ gloriæ opponatur vanæ gloriationi: vtrumque tamen potest esse materia vanæ gloriationis: & in quantum conueniunt ad vanam gloriationem, ad superbiam vitæ reducuntur. Et licet contemptus vanæ gloriæ ponat humiliationem: potest tamen esse superbia vitæ: cum in hoc gloriatur in se, quod alios videtur excellere in humiliatione: & hoc est vane gloriari de contemptu vanæ gloriæ.

¶ Item, aliquis vult placere alteri inordinate: sed placentia in altero est bonum exterius: ergo quærit bonum exterius: non ergo tale peccatum ad superbiam vitæ reducitur. Contra dicit August. *quod huiusmodi peccatum ad superbiam vitæ pertinet.* August.

¶ Ad quod dicendum, quod licet fauor ille sit extra illum, qui quærit illum fauorem: dicitur tamen esse de bonis interioribus, quæ sunt ipsius animi præter coniunctionem ad bonum carnis, & bonum mundi: & ideo ad superbiam vitæ reducitur: quæritur enim ibi quædam excellentia, vt magis ametur. Similiter etiam cum aliquis intendit placere sibi de bonis, quæ habet, vel habere videtur: hoc enim non est, nisi quod æstimat apud se, quod in illis bonis excellat: vel quod illa aliquo modo habeat à se: & sic superbia vitæ datur intelligi. Vnde dicit August. *Habent tentationem periculosissimam, sermo & facta, quæ innotescunt hominibus ab amore laudis, quiad priuatam quandam excellentiam contrahit mendicata suffragia: & in eodem genere tentationis est aliud malum, quo mansuescunt qui placent sibi de se.* Idem.

¶ Vltimo quæritur, propter quid hæc radix peccatorum non nominatur nomine concupiscentiæ, sicut & aliæ duæ: sed frequentius dicitur superbia vitæ?

¶ Ad quod dicendum, quod licet detur intelligi quædam concupiscentia, quæ dicitur ambitio sæculi, siue ambitio potestatis, nominatur tamen amplius nomine superbiæ ratione excellentiæ, quæ quæritur: superbire enim est super se quodammodo ire, hoc est supra statum debitum. Dicitur autem superbia vitæ propter hoc: quod intellectualis creaturæ est proprium vitium superbia, cuius est per se viuere. Vel dicitur superbia vitæ quia in vita præsenti sunt bona, de quibus homo superbit. *Cunctis diebus superbit impius, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius.* Iob. 15.

¶ Adhuc quæritur de hac radice peccati, propter quod est difficilioris amotionis aliis duabus. Et quod ita sit, patet per hoc, quod dicit Aug. *Est qualiscunque in aliis generibus tentationum facultas mihi explorandi me: in hoc pene nulla est.* Et dicit Glo. super illo. *Tu ergo si procidens &c. quod superbia post omnes virtutes fuit: vnde vltimo tentauit Dominum de superbia vitæ.* Et ideo dicit Ambr. loquens de superbia vitæ. *Quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, ambitio facit criminosos.*

Aug. in lib Confess. Glo sup. Luc. 4.

Ambr.

¶ Ad quod dicendum est, quod ista radix magis adhæret ipsi animæ ratione sui appetibilis: quod enim ibi naturale est, ab anima est inseparabile: reliqua vero sunt separabilia sc. bonum mundi, & bonum carnis. Et ideo ablatis tentationibus aliis, restat illa tentatio difficilior ad euellendum: eo quod est de magis adhærenti bono sumens originem.

QVÆSTIO CLX.

De Idololatria.

In septem Membra diuisa.

EXPEDITIS aliis diuisionibus peccati: Restat de illa diuisione determinare, quæ est: peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in seipsum. Aliquando tamen non inuenitur nisi bimembris diuisio scilicet peccatum aliud est in Deum, aliud in proximum. Peccatum autem in Deum dicitur impietas: peccatum vero in proximum iniquitas. Et potest sumi ex eo quod dicitur. *Si peccauerit vir in virum, placari poterit ei Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Dicendum est ergo primo de pecatis, quæ sunt in Deum immediate: secundo de his, quæ sunt in proximum: tertio de

D. Th. 22. q. 94 per tot. S Bo in 2 d. 37. a. t. 1 q. 3. ad arg. & lib 3 d. 37. dub. 1. & d. 39. art. 2. q. 3. ad arg. 1. Reg. 2.

tio de quibusdam, quæ sunt in seipsum. Peccatū vero, quod est in Deum, aut est quo dehonoratur potentia diuinæ maiestatis superstitione colendi: aut in quo dehonoratur diuina sapientia superstitione sciendi: aut in quo dehonoratur diuina bonitas peruersitate male viuendi. Dicendū est ergo primo de his, in quibus dehonoratur omnipotentia diuinæ maiestatis. Hoc autem contingit dupliciter, in peccatis, scilicet quibus prohibetur accessus ad cultum Dei: & in peccatis illis, quibus fit recessus ab ipso. Prohibetur autem accessus ad ipsum per idololatriam, per superstitionem Iudæorum, & per infidelitatem Paganorum. Pagani autem, siue Saraceni dicuntur illi, qui nec nouum, nec vetus Testamentum recipiunt omnino: sed suis vtuntur traditionibus: & licet credant vnum esse Deum, neque adorent idola: non tamē credunt incarnationē, nec ea q̄ in lege Moysi continentur. Iudæi vero sunt, qui legem datā à Domino receperunt: & vnum Deum credunt creatorem & liberatorē: sed nouum Testamentum non recipiunt, nec incarnationē filii Dei credunt. Idololatræ vero dicuntur illi, qui idola pro Deo adorant: & non solum vnum Deum credunt, sed plures: quos etiam Aug. Paganos vocat. Ibi enim sub duabus differentiis hæ tres differentiæ cōprehenduntur: quidā enim dicuntur Iudæi, quidam Pagani: vtrobique autem notatur infidelitas. Quia vero idololatræ maxime elongantur ratione eius quod creditur (Recedūt enim ab eo quod primum est in Decalogo, sicut habetur. *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est:* & præmittitur ibi. *Non habebis Deos alienos in conspectu meo &c.*) Ideo primo dicendum est de idololatria.

Aug. in lib. contr. quinque hæres.

Deut. 6. Deut. 5.

¶ Circa quam primo quærendum est, quid sit. Secundo de causa idololatriæ. Tertio, in quibus cōsistat idololatria. Quarto, de effectu eius. Quinto, de magnitudine peccati. Sexto de tempore & cessatione. Septimo, vtrum communicandum sit cum idololatris.

MEMBRVM I.

Quid sit idololatria?

AD primum sic: *idololatria dicitur latria, idolis exhibita.* Propter quod potest quæri, vtrū idololatria sit latria? Videtur quod sic: latria enim est cultus Deo debitus: sed talis cultus exhibetur idolis: sicut est in genuflexione, in sacrificiis, & huiusmodi: ergo idololatria est latria.

Isidor. ¶ Hoc etiam accipitur ex hoc, quod dicit Isidor. *Latriam sicut impia superbia seu hominum, seu dæmonum sibi exhiberi, vel iubet, vel cupit: ita pia humilitas, vel bonorum, vel angelorum sibi oblatam recusat: & cui debetur, ostendit.* Ergo idololatria est latria. Quod autem non sit latria, accipitur ex hoc: quod latria est cultus Deo debitus, & Deo exhibitus: sicut accipitur ex Glo. super illud, *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Ergo idololatria non est latria: sed ei opposita.

Matth. 4.

¶ Quod etiam argui potest ex hoc: quod fides, & infidelitas opponuntur: latria autem ad fidem pertinet, idololatria ad infidelitatem: ergo idololatria non est latria.

RESOLVTIO.

Idololatria est latria, idolis exhibita.

¶ Ad quod dicendum est, quod latria dupliciter dicitur, proprie secundum quod dicitur cultus Deo debitus, & Deo exhibitus: & secundum hunc modum latria opponitur idololatriæ. Secundum autem quod latria communiter dicit seruitutem soli Deo debitam, idololatria latria potest dici: cum illa seruitus idolis exhibetur.

¶ Quæritur etiam ratione illius partis, quæ est *idolis exhibitus* quid vocetur idolum: vtrum omnis creatura, cui exhibetur diuina veneratio, idolū dicatur? Quod videtur: idololatria enim est omnis cultus diuinus, qui exhibetur creaturæ: hoc autem non est, nisi omnis creatura teneat rationem idoli: ergo vtraque quæque creatura, cui exhibetur veneratio diuina, idolum dicitur.

Sap. 14. ¶ Item, *Initium fornicationis est exquisitio idolorum.* Fornicationem autem dicit spiritualem: ergo exquisitio idolorum est initium fornicationis spiritualis: hoc autem non est, nisi idolum pro creatura sumatur communiter, quam præposuit homo Deo: ergo omnis creatura, quam præponit homo Deo, idolum dicitur.

¶ Ad hoc facit, quod dicit Apostolus: quod auaritia idolorum seruitus est: sicut habetur ad Col. 2. Similiter dicitur 1. Reg. 15. Quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Hoc autem non videtur, nisi idolum in communi ratione accipiatur. Col. 2. 1. Reg. 15.

¶ Contra, *Scimus, quia idolum nihil est in mundo:* vbi dicit Glos. *Inter creaturas mundi materiam eius Deus formauit: sed stultitia hominum formam dedit.* Ex quo patet, quod non omnis creatura est idolum. Hoc idem habetur ab Isidor. qui dicit idola esse simulacra rei existentis, quæ ab homine sunt fabricata. 1. Cor. 8. Glossa. Isidor.

¶ Similiter accipitur ex hoc quod dicitur, vbi nos habemus. *Non facietis vobis sculptile:* alia lectura dicit. *Non facies idolum, neque omnem similitudinem.* Similitudo autem dicitur rei existentis, sicut habetur 1. ad Cor. 8. in Gl. Siue ergo accipiatur idolum communiter, siue appropriate; non dicetur omnis creatura, quæ præponitur, vel æquiparatur Deo, Idolum. Isidor. etiam dicit idolum esse simulachrum, quod humana effigie est factum & consecratum. Exod. 20. 1. Cor. 8.

¶ Præterea, ratione illius verbi, quod dicitur 1. ad Cor. 8. quæritur. Vtrum idolum sit aliquid, vel nihil? Videtur quod nihil sit: omnia enim per verbum facta sunt: idolum autem non est factum per verbum: ergo idolum nihil est.

¶ Item, *Plastæ idoli nihil sunt.* Sed hoc non est nisi ratione ipsius idoli: ergo idolum nihil est: sicut peccatores nihil dicuntur esse propter ipsum peccatum. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Isa. 44. Ezech. 28.

¶ Contra. *Per manus quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud.* Cum ergo opus sit hominis, & opus hominis aliquid est, idolum aliquid est. Sap. 14.

¶ Item, idolum creatura est: sicut ibidem consequenter haberi potest, cum dicitur. In idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationes hominum. Hoc autem non esset nisi idolum esset creatura: ergo idolum est aliquid.

¶ Item, si idolum nihil esse dicitur, ratione cuius formæ dicitur esse nihil. Si enim dicatur ratione picturæ aut figuræ, aliquid dicetur esse: in ratione similitudinis, iterum aliquid dicetur esse: similitudo enim aliquid est: simpliciter ergo dicetur idolum aliquid esse.

¶ Ad quod dicendum, quod idolum proprie dicitur simulacrum repræsentatiuum rei existentis, vel rei fictæ: & secundum hunc modum non omnis creatura, licet ei exhibeatur veneratio diuina, idolum dicitur. Alio vero modo dicitur idolum similitudo facta rei non existentis: & secūdum hunc modum accipitur in Glo. 1. ad Cor. 8. secundum vnam expositionem: & sic dicit Origenes, *quod idolum est repræsentatiuum rei, quæ fingitur.* Secundum autem quod nomen idololatriæ communiter accipitur ad omnem cultū, qui exhibetur creaturæ vice Dei; extenditur nomen idoli, idolum enim deductum est ab eo quod est εἶδος, sicut dicit Isidor. εἶδος autem formam dicit, ab idea tractam: sicut dicit Seneca: idolum vero dicit defectum formæ diuinæ naturaliter ponendo formam aliquam existentem creatam, vel ab homine factam: & sic posset extendi nomen idoli in intentione idololatriæ: vt non tantum dicatur idololatria, cum simulacra coluntur; sed cum creaturæ loco creatoris diuino cultu honorantur. Si tamen idolum proprie accipitur pro simulachris: auaritia dicitur idolorum seruitus secundum quandam similitudinem: sicut enim idololatra seruit idolo, ita auarus pecuniæ. Et similiter dicitur contumacia inobedientiæ, quasi idololatria propter peccati enormitatem: qui enim inobediens est Deo, abnegat: abnegans autem seruitutem, quam debet Deo, recedit à cultu Dei: & sic quo ad hoc conuenit cum idololatra: licet non sit tanta sceleris enormitas. Origenes. Isidor. Seneca.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: vtrum idolum sit aliquid, aut nihil. Respondetur, quod esse nihil, dicitur multipliciter. Vel ex priuatione debiti finis: & secundum hunc modum idolum nihil est, sicut & peccatum; sed in hoc est differentia: quia in peccato per se priuatur debitus finis: in idolo vero est occasio priuationis. Dicitur etiam idolum nihil esse ratione defectus formæ, quæ existimatur esse in

ipsa materia tanquam mouens in moto: existimatur enim quod idolum sit persona subsistens ex simulachro & spiritu præsidente: & non est ibi: secundum quod dicitur. *Ecce quod coopertus est auro & argento: & omnis spiritus non est in visceribus eius.* Dicitur etiam idolum nihil esse ratione rei, ad cuius imitationem excogitatur: & sic accipitur in Exod. 20. in Glo. Ex defectu ergo finis & formæ, quæ est in ratione mouentis & termini; dicitur esse nihil. Si vero consideretur secundum esse materiale, vel secundum esse formale, quod est ex artificio: dicetur idolum aliquid esse.

Abac. 2.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod obiectum est: secundum quid dicetur esse aliquid: & secundum quid dicetur esse nihil.

MEMBRVM II.

An quis ratione vtens, aut moueatur, aut moueri possit ad idololatriam?

SECVNDO quæritur de causa idololatriæ. Circa quod quæritur: vtrum aliquis ratione vtens moueatur, siue moueri possit ad idololatriam. Et videtur quod non: de impressionibus enim naturæ est, Deum esse: & non tantum quod Deus sit, sed etiam quod vnus sit: & quod nō habeat principium, sed sit aliorum principium. Cum ergo hoc sit impressum rationi secundum naturam, nullum potest esse motiuum, vt credat multitudinē deorum: vt de hoc, quod est ab alio, credat esse Deum: sed hoc est in idololatria: ergo elongatum est ab homine vtente ratione, vt cadat in peccatum idololatriæ.

Ansel. ¶ Item, sicut dicit Ansel. *illud dicitur esse Deus, & est, quo melius nihil excogitari potest: nec etiam quo excogitari potest potentius: non deerit ergo omnipotentia, in quo asseritur diuinitas:* in idolo autem nullatenus ponitur omnipotentia, ergo nec diuinitas: non ergo homo vtens ratione in idololatriam incidit.

¶ Præterea, si honor diuinus exhibebatur in idolis: aut hoc fuit propter idola: aut propter spiritus præsidentes in idolis per operationem. Non propter ipsa idola: cum nihil virtutis habeant de se, & facta sint ab homine: faciens autem facto plus est honorandus, & potens impotente: nullatenus ergo exhibendus erat honor diuinus idolis propter se. Præterea, nulla vtilitas est exhibere honorem non intelligenti: idolum aut nihil cognitionis habuit: ergo nec honor ei exhibendus: quanto magis nec honor diuinus? Si vero propter spiritus præsidentes: aut illi sunt spiritus boni aut mali. Si boni spiritus & creati; nullatenus honor, soli omnipotenti debitus, ab eis affectaretur: cum sine iniuria illis dari non possit: si autem affectaretur, iam boni non essent: essent enim infideles, & iniqui: infideles quidem, quia Deum creatorem suum debito honore defraudarent: iniqui autem eo quod ius alienum vsurparent. Si vero fiat eis exhibitio honoris diuini cum displicentia eorum: offenderentur ergo potius huiusmodi honoribus, quam placarentur: non ergo ab his oporteret expectare beneficia pro huiusmodi honoribus, sed magis pœnam. Si vero spiritus præsidentes sunt mali: à malis autem non sunt expectanda bona: pro bonis autem accipiendis, aut malis amouendis exhibentur huiusmodi honores: non ergo exhibendi sunt malis spiritibus. Præterea malis spiritibus non sunt exhibendi huiusmodi honores: cultus enim isti sunt cultus sanctitatis: cultus autem sanctitatis ab eis dissonant: nec aliquid boni possunt, nisi permissi: vnde August. *Sicut ipsi mali homines in terra: sic etiam illi non omnia, quæ volunt, facere possunt; nisi quantum illius ordinatione sinuntur: cuius plena iudicia nemo comprehēdit, iuste nemo reprehendit.* Restat ergo quod malis spiritibus non est exhibendus honor diuinus: ergo nullatenus esset idololatria: quia nec ratione idolorum in se, nec ratione spirituum præsidentium.

Aug. 2. de ciu. Dei.

¶ Præterea, arguit sic Aug. *Romana virtus theatricas artes reprobauerat: & qui se in illis exercebant, honoribus* cuiuslibet priuabantur.* Dii autem exigebant à suis cultoribus titus theatricos: ergo & ipsi erant reprobandi: qua enim fronte theatricæ turpitudinis notatur actor, si adoratur exactor? non ergo dii illi sunt honorandi: ergo nec debet esse idololatria.

Idem de eadem. *Alias, ciuilibus, vel quibuslibet.

¶ Præterea, sic arguit: *Græci proponunt, si dii tales colendi sunt, profecto tales homines honorandi sunt. Assumunt autem Romani. Sed nullo modo tales homines sunt honorandi. Concludunt Christiani. Nullo modo igitur tales dii sunt colendi.*

Idem lib. 2 de ciu. Dei c. 13. to. 5.

¶ Hoc etiam remouere debet idololatriam, quod spiritus præsidentes immunda volunt sibi offerri, sicut talpas, & vespertiliones, & huiusmodi animalia immunda: sed non est ponendum esse Deum, qui in immundiciis delectatur: non ergo spiritus præsidentes idolis deos esse est ponendum.

¶ Præterea, ipsa pluralitas deorum ostendit euacuationem: in segetibus enim plures deos esse ponebant: dum enim semina erant sub terra: deam Seiam aut Cererem esse ponebant: cum autem essent super terram, & facerent segetem, deam Segetiam: frumentis autem collectis atque reconditis deam Tutulinam esse dicebant: & ita de aliis rebus. Maior autem est virtus in vno quam in pluribus (plus enim potest virtus vnita quam multiplicata) ergo vnum esse Deum ponendum est.

¶ Econtra, motiuum ad culturam spirituum præsidentium in idolis potuit esse, quod sanare læsionem corporum credebantur, dum ab eis cessabant: & sedare tribulationes rerum humanarum, dum non concitabant.

¶ Præterea, prædicebant hominibus mala siue bona, quæ futura erant: præscire autem futura cum certitudine, diuinum est: ex quo in eis diuinam esse virtutem suspicabantur. Adiungitur etiam mirificentia operum occultorum naturalium, quæ mirabilia videbantur: miracula autem facere autoritate, solius Dei est: sicut contigit in miraculis magorum. Sic ergo propter sanationes læsorum & liberationes oppressorum, quæ credebantur, bonitas diuina in eis asserebatur: propter prædictionem futurorum sapientia diuina: propter operationem mirabilium potentia diuina. Sed in omnibus istis non fuit necessaria ratiocinatio, immo falsa existimatio: non enim sanabant infirmos, nec liberabant oppressos: sed à nocumento desistebant, vt illuderent; futura coniiciendo prædicebant: & aliquotiens fallendo, occulta naturæ operando; non res super naturam virtute faciendo. Vnde propter [illegible]a nullatenus ponendum erat ipsos esse deos, & eis di[illegible]nus cultus nullatenus erat exhibendus.

RESOLVTIO.

Quisquis ratione recta vsus fuerit, nullatenus ad idola aut mouebitur, aut moueri poterit: secus si erronea ratione ducetur.

¶ AD illud autem, quod primo obiicitur quod nulla causa potuit esse, propter quam homo vtens ratione incideret in idololatriam. Dicendum est: quod hoc verum est, si ratio sequeretur inclinationem naturæ propter se ipsam: sed quia sequebatur inclinationem naturæ corruptæ ratione corruptionis, ideo contingebat ipsum in idololatriam incidere.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod licet homo ponat Deum esse summum bonum, summe potentem, summe sapientem: hæc autem non conueniunt idolo, vel spiritui, in idolo præsidenti: nihilominus tamen ratio humana respiciens ad effectum, & non vniuersaliter, sed particulariter, & per hoc decepta, incidit in idololatriam.

¶ Ad tertium dicendum, quod si homo pertractaret secundum rationem rectam, inueniret creatorem & gubernatorem esse colendum: creaturis vero nullatenus cultum diuinum esse exhibendum: secundum quod dicitur Sap. 13. Si specie rerum delectati, deos putauerunt: quanto magis dominator eorum speciosior est: speciei generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt: intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc omnia constituit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit eorum creator videri. Sed quia respiciebant in aliquibus necessitatibus ad aliquam virtutem adiutricem, secundum quod existimabant: nec eleuabant intellectum ad summam causam, à qua est omne adiutorium, & vniuersaliter esse, & bonum: ideo in idololatriam & superstitionem incidebant. Sap. 13.

¶ Similiter dicendum est ad alia: idololatria enim

¶ Adhvc etiam quæritur, si omnes differentiæ, quas assignat Damascen. reducantur ad timorem malum. Et dicendum est, quod timor malus dicitur dupliciter: vel ratione pœnæ, vel ratione culpæ. Si autem sumatur ratione pœnæ, secundum quod timor est passio, commune est in omnibus sex differentiis. Si autem ratione culpæ, non attenditur commune in omnibus illis.

ARTICVLVS IV.

An sæcularis potestas timenda sit?

QVARTO quæritur de eo, quod est timendum, vel nō timendum scilicet de materia timoris. Et potest quæri de potentia sæculari, vtrum timenda sit. Dicitur enim *Timorem eorum non timueritis*: & dicit Gloss. *Ea, quæ in eis possunt videri timenda, vt regia potestas & huiusmodi.* Ergo regia potestas & huiusmodi non sunt timenda: sed qui timet ex improba voluntate, quod non timendum est, peccat: ergo talis peccat.

1. Petri 3. Glossa.

¶ Item, dicitur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et dicit Beda. *Duo sunt genera persecutorum: vnum aperte sæuientium, alterum blandientium: vtrunque præcipit Dominus non timeri: quia non habent potestatem in animas iustorum, mundano timore expulso.* Et dicitur super illud. *Quis tu, vt timeas ab homine mortali?* Gl. *Increpat fideles, vt non timeant tormenta principum.* Et ita videtur, quod potentia, quæ inferre potest mortem, non est timenda.

Matt. 10. Beda. Isa. 51. Glossa.

¶ Similiter dicitur. *Qui timet hominem, cito corruet.* Sed quid est corruere, nisi cito cadere in peccatum? & videtur de peccato mortali ibi loqui.

Prouer. 19.

¶ Contra, vbi dicitur. *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Ergo timenda est regia potestas, & dominatio.

1. Petri 2.

¶ Et iterum vbi dicitur. *Reddite omnibus debita, cui timorē, timorem: cui honorem, honorem.* Restat ergo, quod potestas regia, quæ potest inferre mortem, & huiusmodi pœnas, est timenda.

Rom. 13.

¶ Item, dicit Seneca. *Mors, exilium, luctus non sunt supplicia, sed tributa viuendi: quod debeo, soluere paratus sum.* Non ergo timenda est mors.

Seneca.

¶ Item, mors est quid naturale, quod ex necessitate est inflictum pro culpa primorum parentum: non ergo conuenit timere mortem.

RESOLVTIO.

Secularis potestas timenda quidem est, sed sub Domino, & eius timore præposito.

¶ Ad quod dicendum: quod est timor naturalis, & est timor gratuitus, & est timor libidinosus. Libidinosus etiam quidam venialis, quidam mortalis. Dicendum est ergo, quod quo ad naturalem timorem secundum naturam primitus institutam non est timenda potestas secularis. Quo ad timorem aūt, qui est ex natura iam lapsa, propter quod constituuntur principes, vt cohibeant à peccato; timenda est potestas sæcularis, sed sub Domino. Quo ad timorem enim gratuitum timenda est potestas sæcularis, ad Ephesios vlt. Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis: sicut Christo, non ad oculum seruientes. Timor autem libidinosus est, & mortalis: quando postposito timore Dei, timetur potestas secularis: sicut habetur. *Ne timeatur regia potestas recedendo à fide & dilectione.* Et dicitur super illud. *Timete eum &c.* Gl. *Ne quis Deum, quem corde cognoscit, metu cogatur negare: dicit mortem corporis non timendam, hoc autem modo Petrus negauit.* Est autem timor venialis, quo aliquid inordinate timetur, saluo tamen fundamento fidei operantis dilectionem. Sic ergo patet quomodo timenda est potestas, & quomodo non.

1. Petri 3. Lucæ 12. Glossa.

¶ Illa enim quæ primo obiecta sunt, loquuntur de timore libidinoso & mortali. Cum autem dicitur: *Qui timet hominem, cito corruet,* loquitur de veniali disponente ad mortale.

Prouer. 29.

¶ Cvm autem obiicitur ex alia parte: quod mors est timenda siue potestas, quæ potest inferre mortem. Dicendum est, quod potestas sæcularis est timenda (sicut dictum est) timore naturali & timore gratuito: cum scilicet propter Deum timetur: mors autem naturaliter timetur: quod in Christo apparuit, qui pro nobis timorem assumpsit. A perfectis autem non timetur mors, qui eam fidei postponunt, & pro Christo mortem parati sunt sustinere: & mortem habent in desiderio, & vitam in patientia.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: mortem ex necessitate esse inflictam, & ideo non timendam. Dicendum, quod hoc non sequitur: etsi enim vitari non possit, quin eueniat: differri tamen pōt: nescit etiam homo an amore, vel odio dignus sit: & ideo timenda est mors.

ARTICVLVS V.

Qua causa timorem inducat, & an pro virginali integritate seruanda, subeunda mors sit?

QVINTO quæritur, ex qua causa timendum est, & ex qua non.

¶ Et ad hoc respondet Philosophus dicens. *Quod si non timetur modicum tristabile pro magnis bonis, laudandus est, qui non timet:* vt si pro vita æterna non timetur sustinentia tribulationis, vel etiam pro defensione patriæ, vel pro liberatione miserabilium personarum. Philoso.

¶ Si vero dubitatur de iusta causa, scilicet vtrum bellū sit iustum, vel iniustum? in huiusmodi conuenit timere periculum personæ * si certum est causam esse iniustam: secūdum enim distinctionem causarum oportet distinguere genera timorum.

*Alias, aut si certū est causam esse iustam.

¶ Hvivs gratia quæritur, vtrum propter conseruationem integritatis virginalis non timenda sit mors. Et videtur quod sic: maius est bonum spirituale, quam corporale: cum ergo castitas virginalis sit bonum spirituale: vita vero sit bonum corporale: incidat autem quis in casum huiusmodi, in quo necessitas sit alterius periculi: magis oportet non timere mortem pro castitatis conseruatione, quam pro salute vitæ corporalis amittere castitatem virginalem.

¶ Sed contra hoc est, quod dicit August. *Pudicitia est virtus animi, quæ non amittitur per corporis oppressionem.* Cum ergo maius bonum sit vita, quam quodlibet bonum corporis: integritas autem virginalis sit bonum corporis, magis sustinenda est oppressio corporis, quam periculum vitæ subeundum.

Aug. in li. de ciu. Dei

RESOLVTIO.

Multiplex causa timorem inducere habet. Tum pro animi pudicitia seruanda, mortem subire licet; non tamen pro corporis integritate custodienda.

¶ Et dicendum est: quod aliud est de pudicitia animi, & aliud est de integritate carnis. Pudicitia enim animi si est in periculo, magis est non timenda mors, vt ipsa conseruetur, non quod se proiiciat in mortem. Si vero non timetur de periculo pudicitiæ interioris, sed tantum de integritate carnis: magis est sustinenda oppressio carnis sine consensu mentis, quam se proiiciat mulier in mortem. Vnde exemplum Lucretiæ in hac parte fuit reprobabile, quæ seipsam interemit propter pudorem turpitudinis. Et dicit August. *Non frustra in Canonicis libris nusquam diuinitus præceptum per missumve reperiri potest: vt vel ipsius immortalitatis adipiscendæ, vel vllius cauendi, carendiue causa nobismetipsis necem inferamus.*

Aug. lib. 1 de ciu. c. 20

¶ Sed obiicitur adhuc contra hoc, quod dictum est: quędam enim sanctæ mulieres tempore persecutionis proiecerunt se in fluuium, vbi non erat præsumptio euadendi, vt insectatores pudicitiæ euitarent: & sic defunctæ sunt, & in magna veneratione in ecclesia habentur. Videtur ergo, quod præposuerunt castitatem corporalem vitæ corporali.

¶ Vel si forte dicatur, quod fuit propter timorem periculi in castitate mentis.

¶ Contra hoc obiicit August. *Nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur, quam tale facinus, vbi locus pœnitentiæ non relinquitur?* Ergo timere debebant exponere se periculo mortis pro conseruanda castitate mentis.

Idem ibid

¶ Ad quod dicendum est, quod castitas mentis non conseruatur, vbi aliquis se exponit periculo mortis sine præsumptione euadendi: & ideo in hoc casu debet timere

periculum

periculum mortis à se inferendæ: aliter autem esset, si ab alio inferretur, & de castitate mentis timeretur. De illis autem sanctis mulieribus dicit Augustinus, quod nihil audet temere iudicare. Vtrum enim ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus hoc habuerint, vt earum memoriam sic honorent: & diuina hoc persuasit autoritas, nescio: potuit enim fieri, vt non humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ hoc fecerint, non errantes, sed obedientes.

Idem lib. allegato. cap. 10.

ARTICVLVS VI.

An timor à peccato excuset?

SEXTO quæritur, vtrum timor excuset à peccato? Et videtur quod sic: dicit enim lex humana: quod vi, metusue causa gestum erit, ratum non habebo. Et in iure canonico dicitur: quod metus, qui potest cadere in constantem virum, excusat: vnde si mulier metu mortis huiusmodi iurauerit se intraturam religionem: ab huiusmodi iuramento excusatur. Restat ergo quod metus excusat à culpa.

¶ ITEM, dist. 50. dicitur. *Hos velut extra delictum constitutos communionis gratia non prohiberi decreuimus.* Et loquitur de illis, qui per metum violentiæ aliquid de idololatico sumere coacti sunt. Et similiter habetur 1. q. 1. Constat, vbi dicitur, quod vim passus, & inuitus attractus, & repugnans, ab hæreticis ordinatus; colorem habet excusationis.

dist. 50. Presbyt.

1. quæst. 1.

¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicit Philosophus: quædam sunt ita turpia, vt nullo metu mortis fieri debeant: immo magis moriendum est. Sed tale est peccatum idololatriæ, vel infidelitatis: ergo qui adorat idolum, vel negat Christum timore mortis, non excusatur: licet sit metus, qui potest cadere in constantem virum.

Ibidem.

¶ ITEM, 1. quæst. 1. Constat, vbi dicitur: *qui post mensem, aut amplius redierint: cum se considerarent ab hæreticis ordinatos, qui nihil ab eis acceperant, rei sunt vsurpata dignitatis.* Metus ergo nõ excusat à culpa: cum tamen loquatur ibi de coactis.

RESOLVTIO.

Timor probabilis, siue vanus non excusat: timor autem in virum constantem cadere potens, excusat vel simpliciter, vel in parte.

¶ AD quod dicendum: quod duplex est metus: probabilis, & improbabilis. Probabilis dicitur, quando ex huiusmodi causa fit, vt possit cadere in hominem constantem & discretum: & talis metus mortis in quibusdam excusat, vel à toto, vel à tanto. In actibus enim exterioribus, in quibus pure cadit coactio, & magis possunt dici passiones, metus excusat à culpa; cum non assit consensus aliquo modo: vt si aliquis compellatur manum eleuare, ac si veneraretur idolum, & nullatenus assit voluntas: excusatur à culpa: cum culpa sine voluntate non perpetretur. Eodem modo si cogatur aliquis ad receptionem impositionis manus ab hæreticis, quasi ordinaretur, excusaretur similiter à culpa. Si vero interuenit consensus, non excusatur omnino à culpa; & si aliquando excusetur à pœna; non etiam omnino à culpa. Et hoc apparet per hoc quod dicitur in Extrauag. Quod vi, metusve causa: vbi dicitur: quod distinguendum est, vtrum is, qui communicat cum excommunicatis, inuitus sit & per coactionem attractus, an per metum inductus. Secundum primum modum non credimus talem excommunicationem teneri, cum magis pati quam agere cõuincatur. In secundo vero licet metus culpam attenuet: quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat aliquis mortale peccatum incurrere; talem excommunicationis labe credimus inquinari. In quo patet quod aliud est inductio, & aliud coactio: vbi enim est inductio, notatur consensus liber. arbitr. Sic ergo patet quod metus, qui potest cadere in constantẽ virum; excusat simpliciter, vel in parte. Si vero fuerit metus non probabilis, siue vanus, non excusat.

¶ AD obiectum autem primo, dicendum est: quod licet quædam sint ita turpia, ad quæ nullus ducendus est per timorem, sicut adorare idola, & huiusmodi: nihilominus timor etsi non excuset à culpa, excusat tamen à pœna in parte, & minuit culpam: maxime si sit metus, qui debeat cadere in cõstantem virum. Si vero fuerit metus vanus vel improbabilis, non sic dicendum est.

¶ AD secundum vero dicendum est: quod licet prius interuenerit metus: si postea fuerit consensus verus, vel interpretatiuus, non sic dicitur habere colorẽ excusationis, sed pro consentiente habendus est: & in illo casu loquitur Canon.

¶ POTEST etiam quæri. Vtrum scriptura, quæ extorta est à prælatis ecclesiæ per metum, robur habeat. Et videtur quod sic, per hoc dicitur in Extrauag. vbi dicitur: quod *renunciatio facta ad terrorem laicorum, si fuerit iuramento, vel fide interposita, tenere videtur*, & ita videtur per simile, quod scriptura huiusmodi per metum extorta robur habeat.

Quæst. lateralis.

Extrauag. Quod vi metusque causa ad &c.

¶ SED contra hoc habetur 15. quæstion. 16. vbi dicitur: quod *ad nullum præiudicium, vel nocumentum valere censetur, nec vllam calumniam, vel infamiam sustinere permittimus: confessio enim in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet.*

15. q. 16. Si Sacerdot.

¶ SIMILITER quæritur vtrum metus impediat matrimonium. Et videtur quod non per hoc, quod dicitur 31. quæstion. 2. vbi dicitur, quod *metu vnius hominis tantus Rex non debuit contra diuinum præceptum in immane præcipitium immergi.*

Quæstio lateralis. 31. q. 2. Lotharius.

¶ SED econtra est illud, quod dicitur in eadem declaratione: vbi dicitur. *Nequaquam inuitam & renitentem eiusdem viri coniugio cogas sociari.* Ex quo habetur quod metus simpliciter, cui non consequitur consensus verus vel interpretatiuus, impedit matrimonium.

Ibidem.

¶ AD quod dicendum est: quod hoc verum est, vbi est metus probabilis: confessio extorta à prælatis ecclesiarum non est facienda, nec robur habet scriptura, quæ sic extorta est.

¶ AD obiectum in contrarium dicendum est: quod hoc non fuit ratione metus, sed hoc videtur esse ratione iuramenti: tamen si extortum fuerit iuramẽtum, videtur competere repetitio: si vero sponte præstitit iuramentum, vel * alicui ratum habuit, non videtur competere.

*Alias, aliter.

¶ AD secundum dicendum: quod metus probabilis impedit matrimonium contrahendum: nisi post interueniat consensus de nouo, per quem efficiatur matrimonium.

¶ AD obiectum in contrarium dicendum est: quod loquitur ibi de metu non probabili: nec loquitur ibi de metu impediente matrimonium, quod tactum iam fuit: sed de metu, qui non excusat à maleficio contra matrimonium perpetratum.

ARTICVLVS VII.

Quod sit oppositum timoris illiciti?

SEPTIMO quæritur de opposito timoris illiciti. Et videtur quod amor opponatur ei: amor enim incendit, timor autem infrigidat: ita autem sunt opposita: ergo timor & amor sunt opposita.

¶ Quod autem timor bonus opponatur contrarie: accipitur ex hoc, quod sub eodem genere continetur vtrunq; scilicet sub timore: & maxime distant: ergo inter se sunt contraria.

¶ Quod autem spes opponatur, videtur per hoc quod sub eodem genere ponuntur, scilicet sub expectatione: & timor est expectatio mali imminentis: spes vero boni imminentis. Item, timor cor inferius ponit, spes erigit. Item, spes est medium inter præsumptionem & timorem illicitum: quare timor illicitus opponitur spei.

¶ Quod autem opponatur prudentiæ, videtur per hoc quod dicitur super illud. *Trepidauerunt timore &c.* Glo. *Sicut cautela est, oportune timere: ita ignauia, inepte trepidare.* Sed ignauia opponitur prudentiæ: ergo timor illicitus opponitur prudentiæ.

RESOLVTIO.

Et timor bonus, & spes, & amor, diuersa ratione.

¶ AD quod dicendum: quod timor illicitus habet plura opposita ratione diuersa. Ratione .n. differentiæ superadditę opponitur timori bono: rõne verò generis cum dña opponitur tã spei quã amori, sed differenter: opponitur .n.

Psal. 13. Glossa.

spei

pei propter conuenientiam in eo, quod est futurum, & differentiam in eo quod est bonum & malum: spes enim est respectu futuri boni: timor vero respectu futuri mali. Ratione vero coniunctionis & disiunctionis disparata sunt amor, & huiusmodi timor: amor enim ponit coniunctionem cum amato: timor vero disiunctionē ab eo, quod timetur.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de prudentia. Dicendum est: quod hoc dictum est per causam: ignauia enim, quæ est causa timoris illiciti, prudentiæ opponitur.

MEMBRVM III.

De Amore male accendente?

CONSEQVENTER dicendum est de peccato amoris male accendentis. Et primo quæritur, quid sit illud. Secundo, vtrum amor sui sit causa mortalis peccati. Tertio, vtrum sit causa omnis peccati. Quarto vtrum amor sui supra Deum sit idololatria. Quinto, vtrum possit stare cum charitate, vel non. Sexto, vtrum amor indebitus sit odium. Septimo de pœna huius peccati.

ARTICVLVS I.

Pro quanto quis se ipsum amare dicatur amore indebito?

CIRCA primum sic potest quæri. Pro quanto dicatur aliquis amare seipsum, secundum quod amor sui dicitur amor indebitus. Si enim amor sui non sit aliud, quam diligere se: cum diligere se, ex charitate contingat; amor indebitus esset ex charitate.

¶ PRÆTEREA, amor sui est ex natura: distinguuntur autem abinuicem velle naturæ, & gratiæ, & vitij: restat ergo, quod amor indebitus aliquid addat supra hoc quod est, velle sibi bonum, siue amare se: non ergo recte dicitur, quod sicut amor Dei est fundamentum cœlestis ciuitatis: ita amor sui est fundamentum terrenæ ciuitatis: sicut dicit August. (August. de ciuit. Dei. li. 14. c. 28.)

¶ ITEM, supposito quod amor indebitus addit aliquid supra amorem sui, sicut quidam asserunt, dicentes: quod amor sui propter se est amor indebitus. Sed hoc videtur falsum: amor. n. indebitus est in peccato veniali, & in peccato mortali: sed amare se propter se non est eōe vtriq;: amare n. se propter se, est frui se: sed frui Deo, est opus gratiæ gratum facientis: ergo per oppositum frui se est peccati mortalis, quod opponitur illi: non ergo amare se propter se, est in peccato veniali & mortali.

¶ ITEM, sicut dicit August. *anima conuersa ad exterius bonum, vel ad inferius, vel ad proprium, peccat*; ergo amor proprij boni est vna differentia peccati: non ergo amor sui est tota causa peccati. (Idem in li. de lib. arb.)

RESOLVTIO.

Pro quanto quis se amat, plusquam oportet, nec propter Deum.

¶ AD quod dicendum est: quod amor sui est triplex. Vno modo est amor sui propter Deum. Et hoc contingit dupliciter: vel quod motus sit formatus ex charitate, vel quod sit formabilis: si est formatus; tunc est motus gratiæ: si vero formabilis, sed non de se formatus; motus est naturæ. Ex alia vero parte motus ille, qui nō est propter Deum: aut tollit amorem Dei, qui est charitas: aut nō tollit. Si tollit, tunc est amor indebitus, qui est in mortali peccato. Si vero non tollit, est amor indebitus, qui est in veniali peccato. Vterq; autem est motus informis, non formabilis: & dicitur vterque amor sui plusquam oportet: hoc autem est inclinari in se, vnde est vanum: non vnde est verum, siue bonum.

¶ PER hoc ergo respondendum est ad primo obiectum: quod amor sui dicitur dupliciter: secūdum quod communiter accipitur in triplici amore, naturali, gratuito, & libidinoso: & secundum hoc non est tota ratio amoris indebiti amor sui. Alio vero modo sumitur per appropriationem: vt dicatur amor sui, inquantum est res vana siue deficiens à summo bono: & hoc mō dicitur amor sui amor indebitus.

¶ Ad secundū, dicendum: quod hic non omnino simile est de hac conditione *propter se* secundum quod dicimus quod diligere Deū propter se, est motus solius gratiæ gratum facientis: & de hac conditione *propter se* secundū quod est cōditio peccati in eo quod est diligere se propter se: hoc enim pōt esse commune in veniali & mortali vno mō, alio vero mō pōt esse proprium mortalis peccati. Propter se. n. amari potest aliquid, cum ad seipsum refertur per modum delectabilis: hoc autem pōt esse spreto incommutabili bono, & tunc est illo frui, & sic est in peccato mortali: vel non spreto incommutabili bono, & hoc modo est in peccato veniali: & hoc modo amare aliquid propter seipsum stat cum eo, quod est amare Deum propter se: reliquo vero modo stare non potest.

¶ AD tertium vero dicendum est: quod amor proprij boni, secundum quod est tertia differentia causæ peccati, prout omne peccatum est vel ex amore proprij boni, vel exterioris, vel interioris; appropriatur bono apparenti interiori: quemadmodum est excellentia vel singularitas in scientiis, quæ ad interiora bona referuntur. Non sic autem accipitur hic, cum dicitur; peccatum est ex amore male accendente: quodcunque enim bonum apparens alliciat indebite; dicitur esse peccatum ex amore male accendente.

ARTICVLVS II.

An amor sui sit causa mortalis peccati?

SECVNDO quæritur. Vtrum amor sui sit causa mortalis peccati. Et videtur quod sic, per hoc quod dicit August. *ponit enim rationem mortalis peccati spreto incommutabili bono, adhærere mutabili.* Sed hæc adhæsio siue conuersio est per amorem: sicut ipse explanat: ergo amor male accēdens est causa omnis mortalis peccati. (Aug. in li. de lib. arb.)

¶ ITEM, super illud. *Comprehensus est pes eorum*, id est, affectus. Gl. *Pes animæ amor est: qui si prauus est, dicitur cupiditas siue libido: si vero rectus est, dicitur charitas: amore enim mouetur anima quasi ad locum, quo tendit scil. ad delectationem bonam vel malam.* Sed charitas est principium omnis meriti: ergo suum oppositum est principium demeriti: sed hoc est amor male accendens: ergo amor male accendens est causa omnis mortalis peccati. (Psal. 9. Gloss.)

¶ ITEM, August. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* Hæc autem sunt opposita, sicut virtus & mortale peccatum: ergo amor male accendens, qui est in cupiditate, est causa omnis mortalis peccati. (Aug. in li. de doctr Christian.)

¶ AD hoc facit, quod dicitur. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* (Iacob 1.)

¶ CONTRA, super illud. *Incensa igni & suffossa.* Gloss. *Duæ res faciunt omnia peccata in homine: amor scilicet male accendens, & timor male humilians.* Non ergo omne mortale peccatum est ex amore male accendente. (Psal 79. Gloss.)

¶ PRÆTEREA, amor & odium sunt actus disparati: cum ergo odium aliquando sit causa peccati, sicut est inuidia, secundum quod inuidia est odium felicitatis alienæ: restat ergo quod non omne peccatum est ex amore male accendente.

¶ SIMILITER potest obiici per hoc: quod quatuor distinguuntur affectiones, scilicet dolor & gaudium, metus & spes: sed amor male accendens in duobus tantum est, scilicet in spe vana, & gaudio illicito: ergo non omne peccatum est ex amore male accendente.

¶ ITEM, disparati actus sunt cognitiuæ & motiuæ, scilicet credere & discredere, diligere & non diligere: cum ergo diuersæ virtutes ponantur, spes, fides, charitas: diuersa peccata ponentur, infidelitas, desperatio, & amor male accendens: quæ eis opponuntur. Non ergo omne mortale peccatum est ex amore male accendente.

RESOLVTIO.

Amor sui male accendens causa est omnis peccati mortalis prima, sed non proxima.

¶ AD quod dicendum: quod omne peccatum mortale est ex amore male accendente tanquam ex causa prima: sed non semper est ex amore male accendente tanquā ex causa proxima.

¶ Et per hoc soluitur quod obiectum est de timore male humiliante,& amore male accendente. Potest enim esse ex amore male accendente tanquã ex propinqua causa,& ex timore male humiliante tanquam ex remota. Et hoc est quod dicit August. *Quomodo possum arbitrari istos carere libidine,qui pro his rebus digladiantur,quas possunt dimittere inuiti?* Et in eodem Lib. *Non ideo factum hoc cupiditatis dominatu caret:nam qui metuens hominem occidit, amat vtique sine metu viuere.*

Aug. in li. de lib. arb. Idẽ in eod.

¶ Ad secundum vero dicendum:quod licet amor & odium sint actus disparati : odium tamen vnius rei reducetur ad amorem alterius:& secundum hunc modum peccata,quæ sunt ex odio, in amore aliquo illicito primo radicantur.

¶ Ad tertium vero dicendum :quod licet sint quatuor affectiones animi ediuerso distinctæ; quæ aliquando sunt licitæ,aliquando illicitæ:tamen omnes cum sint illicitæ,ad amorem male accendentem reducuntur secundum propinquius aut remotius.Dolor enim & metus,cum sunt circa determinatam materiam mali reducuntur ad gaudium & spem, siue cupiditatem respectu oppositi boni: illa vero reducuntur ad amorem male accendentem. Et sic omnia peccata,quæ veniunt ex his quatuor perturbationibus , ad amorem male accendentem secundum propinquius & remotius reducuntur.

¶ Ad quartum vero dicendum:quod licet actus cognitiuæ,& actus motiuæ sint disparati : tamen omnes in volũtate tanquam in causa prima radicantur : secundum quod circa illos actus peccatum consistit : & ideo amor male accendens,qui est in voluntate, causa est infidelitatis , desperationis,& aliorum peccatorũ. Nec oportet sic esse in peccatis , quemadmodum in virtutibus : virtutes enim simul infunduntur ; licet naturaliter vna virtus prior dicatur altera , vnaquæq; potest esse principium sui actus sufficiens. Si tamen considerentur , secundum quod referuntur ad charitatem, in quantum est primum principium actus meritorij: secundum hunc modum sicut omne meritum est ex amore bene accendente, ita omne demeritum erit ex amore male accendente.

ARTICVLVS III.

An vniuersaliter amor sui causa sit omnis peccati?

Tertio quæritur, Vtrum amor sui sit causa omnis peccati. Et videtur quod sic : super illud. *Omne, quod est in mundo &c.* Gl. *Omnes delectationes mundi nihil habent nisi hæc tria, quibus omnia vitiorum genera comprehenduntur.* Sed omnes delectationes mundi ad amorem male accendentem reducuntur: omnia etiam peccata tam venialia , quam mortalia ad genera vitiorum pertinent: ergo omnia peccata, siue venialia, siue mortalia sunt ex amore male accendente.

1 Ioan. 2. Glossa.

¶ Item, super illud. *Venundatus sum sub peccato.* Gl. *Quicquid peccatorum est in dictis, in factis , in cogitationibus , non oritur nisi ex mala concupiscentia.* Sed in mala concupiscentia, cum reducitur in actum, per se & primo est amor male accendens : ergo omne peccatum est ex amore male accendente: & omne peccatum tam veniale quam mortale est in istis: ergo &c.

ad Rom. 7. Glossa.

¶ Item, August. *Nullum peccatum nisi concupiscendo committitur.* Ergo nec veniale, nec mortale: sed quod concupiscendo committitur, est ex amore male accendente: ergo nullũ peccatum tam veniale, quam mortale committitur, nisi ex amore male accendente.

Aug. in lib. de Spir. & litt.

¶ Contra, Peccatum, quod est ex amore male accendente, est in potestate nostra: sed concupiscentia, quæ est in primo motu, non est in potestate nostra, quin surgat : ergo ipsa non est ex amore male accendente: & est peccatum: ergo non omne peccatum est ex amore male accendente.

RESOLVTIO.

Amor sui peccati omnis causa est, vel propinque, vel remote.

¶ Ad quod dicendum est: quod omne peccatum est ex amore male accendente tanquam ex propinqua causa , vel remota. Concupiscentia autem, quæ est in primo motu, est ex amore male accendente primorum parentum tanquam ex prima causa: & quia est in potestate nostra, vt iste motus determinate , vel ille non surgat : ideo adhuc est ex amore male accendente quodammodo : secundum quod extenditur non tantum ad partem rationalem , sed ad sensibile, quæ subesse debet. Præterea, in potestate nostra est compescere, vel permittere, vt progrediatur: & ita quãtum ad hoc quod permittitur progredi, est ex amore male accendente.

Amor cur non ita vel à peccato, vel à pœna peccati excuset, sicut & timor excusat ? §. 1.

¶ Insuper quæritur propter comparationem amoris ad timorem ; propter quid amor non excusat à peccato vel à pœna peccati: sicut & timor. Et videtur quod sic : sicut enim infirmitas est ex parte timoris: sic infirmitas est ex parte amoris : ergo sicut infirmitas ex parte timoris excusat à culpa, vel à pœna: ita erit ex parte amoris.

¶ Item, timor ex amore procedit: si ergo timor excusat à peccato vel à pœna peccati: amor per consequens, qui est causa eius, à peccato excusabit.

¶ Contra, principium timoris est extra (& loquimur hic de timore, qui potest cadere in virum constantem) sed quanto plus est extra voluntatem, tanto plus habet de excusatione peccati : ergo quanto plus est de timore peccati, tanto plus est de excusatione peccati : sed amoris principiũ magis est in voluntate , & quanto plus est in voluntate, quod est malum , tanto plus accusatur : ergo quanto plus est de amore , tanto plus accusatur: & quanto plus accusatur, tanto minus excusatur: ergo quãto plus habet de amore, tanto minus habet excusationis : ergo amor simpliciter non est causa excusationis.

RESOLVTIO.

Quia amor à voluntate principaliter est: timor vero aliunde inducitur.

¶ Ad quod dicendum est: quod non est simile de timore & amore. Timor enim inductionem habet de alieno principio: amor vero principaliter est ex ipsa voluntate: & ideo licet timor excuset in ratione timoris : non tamen ita amor in ratione amoris: sed infirmitas quædam carnis, quæ potest* concomitari , potest aliquantulum excusare : non autem à toto, sicut timor.

*Alias, cõmunicari.

¶ Et per hoc patet, qualiter respondendum est ad primo obiectum. In timore enim non totum operatur voluntas, in amore vero totum operatur : illa enim dicuntur voluntaria. Dicit enim Philosophus, *si quis ea , quæ indelectabilia sunt, dixerit violenta esse,* (cogunt enim exterius entia) *essent sic omnia violenta, horum enim gratia omnes operantur : ridiculum autem est causari ea, quæ exterius sunt; sed non seipsum reddentem habilem, vt capiatur à talibus: & bonorum quidem seipsum, turpium autem delectabilia.* Ex quo apparet, quod aliter est amor principium, & aliter timor, & ideo non sic se habet ad excusationem amor, quemadmodum timor.

Philos.

¶ Ad secundum dicendum est: quod licet timor ex aliquo amore procedat : nõ tamen dicimus sic excusare amorem, quemadmodũ timorem. Timor enim est propinqua causa, quodammodo compellens voluntatem : amor vero cum est propinqua causa, consonat voluntati : & ideo peccatum, quod est in voluntate , per amorem non minuitur, sed magis augetur.

ARTICVLVS IV.

An amor sui supra Deum idololatria sit?

Qvarto quæritur, Vtrum amor sui supra Deum sit idololatria. Et videtur, quod sic. *Quorum Deus venter est* Gl. *Hoc ab homine colitur , quod præ cæteris diligitur.* Vnde quia Deus omnibus rebus melior est, plus omnibus diligendus est: illi autem Deum faciunt ventrem, qui ita laborant de edendis; quasi in esca sit salus. In omni ergo genere quod pro Deo diligitur, ab eo colitur: & ita pro Deo habetur: sed habere creaturam pro Deo, est idololatria: ergo dilectio siue amor creaturæ supra Deum est idololatria.

Philip. 3 Glossa.

¶ Item, super illud. *Omnia mihi licent.* Gl. *Amor cuiuslibet rei dominatur sibi : & tunc mens seruire rebus conuincitur , quarum amore superatur.* Sed seruitus creaturæ exhibita, & Deo debita, est idololatria : ergo amor huiusmodi indebitus est idololatria.

1. Cor. 6. Glossa.

¶ Contra, Amor huiusmodi indebitus est in peccatis mortalibus

RESOLVTIO.

Amor indebitus minime per essentiam odium est, sed bene per concomitantiam, nullatenus autem odium naturæ. Sicut nec quisquam odio naturali se odire potest, licet bene per consequens odio vitioso, & amore gratiæ repugnanti.

¶ Ad quod dicendum: quod amor sui dicitur tripliciter: vel prout sonat in naturam: vel prout datur intelligi amor imaginis diuinæ siue similitudinis: vel prout dicitur amor corruptionis vitiosæ. His enim tribus modis accipitur in scriptura: amor enim naturæ est, quo dicit Aug. quod non oportuit præcipi, quod homo se ipsum diligeret: hoc enim a natura inest: & dicit Bern. quod *prius est, quod animale est, quam quod spirituale est: propter quod in primis diligit homo seipsum: caro quippe est, & nihil valet sapere præter se.* Est autem alius amor, quo homo diligit imaginem Dei in se: & hoc modo accipitur in Lib. de Vera relig. cum dicitur. *In eo nihil præter hominem diligat*, id est, creaturam Dei ad eius imaginem factam. Et alibi. *Qui diligit proximum tanquam seipsum, non illi inuidet, vt sit quod ipse est: apud enim se ipsum habet, quem diligit tanquam seipsum.* Tertius vero amor est corruptionis vitiosæ: & secundum hunc modum dicitur. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Et sicut multiplex est amor: ita multiplex est odium, quod amori opponitur. Cum ergo primo quæritur, vtrum amor indebitus sit odium? Respondendũ est: quod hæc prædicatio non est per essentiam, sed per concomitantiam: & intelligitur de amore peccati, ad quem per reputationem sequitur odium imaginis diuinæ: cum per peccatum deformetur, vel maculetur: odium etiam est per consequens boni naturalis, quod corrumpitur & diminuitur: sed non propter hoc illius boni naturalis, quod per peccatum corrumpi non potest.

¶ Primo ergo obiectum ad hoc tendit: vt hoc non sit illud per essentiam: sed non negatur, quin per concomitantiam.

¶ Secundum autem obiectum ad hoc tendit, vt amor peccati possit esse sine odio naturæ: dico autem de natura, quæ per peccatum non diminuitur.

¶ Ad idem tendit, quod tertio obiectum est. Quod autem obiicitur ex alia parte. Dicendum est, quod loquitur ibi de odio imaginis siue similitudinis diuinæ: & per consequens consequitur ex amore illicito. Cum autem dicitur. *Qui amat animam suam, &c.* amor animæ accipitur ibi pro amore carnalis desiderij & animalis, qui in perditionem & odium tendit reformationis diuinæ.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur: quod odium debitum sit amor. Intelligitur de odio peccati & sequelæ eius, quod interpretatiue est amor imaginis diuinæ, vel ipsius boni naturalis.

¶ Et ad ea, quæ sequuntur: similiter dicendum est.

¶ Ad illud vero, quod obiicit August. quod odium cõditionis vitæ præsentis est amor regni. Intelligendum est: quod duplex est conditio vitæ præsentis: Vna, quæ auertit à Deo, vel dat occasionem auertendi se ab ipso: & hoc modo odium istius conditionis est amor regni per consequẽs. Alio vero modo cõditio vitæ præsentis dicitur, vel ipsa cõditio naturæ, vel ipsius pœnalitatis promouentis ad bonũ: & hoc modo odium conditionis in præsenti non dr̃ amor regni. Et per simile dicit Hiero. *Honora patrem tuum, si te à vero patre non separat: si autem te separare intendit, odio habendus est.* Et ideo dicitur. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem. &c.* Et similiter dicit Chrys. *Non simpliciter iubet odio habere: sed quod in itinere Dei nobis obsistit, hoc odio habe.*

¶ Ad illud vero, quod quæritur: vtrum aliquis seipsum odio habere possit. Respondendum est per distinctionem supradictam: quod si intelligatur de odio naturæ, quod nõ potest minui per peccatum, quæ substernitur omni amori: secundum hoc non potest odio haberi. Si vero intelligatur de amore eius, quod declinat in vitium, vel eius quod inclinat ad gratiam per se, secundum hoc potest odio haberi per consequens. Dilectio enim gratuita tollit amorem vitiosum sibi oppositum, & econuerso. Et ideo dicit August. *Quicunque seipsum, non Deum amat, non se amat: quicunque autem Deum amat, non se, ipse se amat: quia quicunque non potest de se viuere, moritur amando se: cum vero diligitur, de quo viuitur, non se diligendo, magis diligit.*

MEMBRVM VII.

Quæ pœna in futuro erit huiusce peccati, scilicet amoris male accendentis?

SEPTIMO quæritur de pœna huius peccati: Dicitur enim super illud. *Relictus in tabernaculo.* Gregor. *Relictus, quam hic carnem amauit, nec relinquere voluit, tunc propter tormenta relinquere volet, sed non poterit.* Ergo amor carnis, qui est peccati, nõ poterit relinqui in futuro: sed erit ei pœna in hoc, quod relinquere non poterit.

¶ Contra, si amor carnalis secundum actum remanet (hoc enim videtur ex illa autoritate) amor autem non est sine delectatione: permanebit ergo aliqua delectatio in peccatore damnato: nõ ergo penitus & omnino affligetur.

RESOLVTIO.

Ipsemet amor, qui inibi relinqui non poterit.

¶ Ad quod dicendum: quod loquitur ibi de ipso amore carnis, qui hic fuit actu, sed ibi remanet habitu: hunc aũt habitum noluit relinquere in præsenti: & ideo in futuro cedit ei ad pœnam. Si vero intelligeretur de amore actuali, tunc dicendum est: quod sic viuit in damnato amor iste, vt peccare vellet, si non adesset pœna: sed tamen propter continuitatem pœnæ & acerbitatem, odio habet amorem carnis, & relinquere vellet, cum tamen non posset.

QVÆSTIO CLIX.

De diuisione peccati, quæ est, aliud est ex concupiscentia carnis, aliud ex concupiscentia oculorum, aliud ex superbia vitæ.

In tria Membra, & in tres Articulos diuisa.

EXPEDITVM est de diuisione peccati, quæ est: peccatum aliud est ex amore male accendente: aliud ex timore male humiliante. Consequenter dicendum est de illa diuisione peccati, quæ est: peccatum aliud est ex concupiscentia carnis: aliud ex cõcupiscentia oculorum: aliud ex superbia vitæ. Quam tangit Ioan. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Et hæc diuisio data est secundum diuersa, ex quibus contrahitur concupiscentia peccati: ex carnali enim delectabili quædam contrahitur concupiscentia: & ita de aliis.

¶ Primo autem quærendum est, quid sit concupiscentia, secundum quod commune est in his tribus: licet enim vnum illorum dicatur superbia vitæ; nihilominus tamen in illo intelligitur quædam specialis concupiscentia: & ita omnia illa tria sub concupiscentia generaliter dicta continentur. Secundo quærendum est de ipsa diuisione trimẽbri. Tertio, de vtraque parte diuisionis sigillatim.

MEMBRVM I.

Quid sit concupiscentia, pro vt commune est ad peccata ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorum, & ex superbia vitæ?

VIDETVR autem, quod concupiscentia siue cupiditas sit illud generale, per hoc quod dicit August. *Seruiunt cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi.* Ergo cupiditas commune est ad cupiditatem excellentiæ: sed hoc nihil aliud est, quam superbia vitæ: sicut ibidem infra patet: ergo cupiditas siue concupiscentia est illud generale.

¶ Hoc etiam arguitur ex hoc, quod dicitur in Glo. super illud. *Orauit tertio* Gl. *Est concupiscentia carnis, oculorum, & ambitio seculi.* Sed ambitio seculi non aliud est, quam concupiscentia secularis: ergo cum concupiscentia excellentiæ secularis est superbia vitæ: concupiscentia erit generale in hac diuisione.

¶ Item, August. *Cupiditatem voco motum animi ad fruendum se & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.* Sed hoc est commune his tribus differentiis: ergo & ipsa cupiditas est communis: quod enim conuenit diffinitioni, & diffinito.

¶ CONTRA sicut peccat homo ex concupiscentia, ita peccat ex contemptu. Et differt actus iste ab illo: concupiscentia enim ad concupiscibilem pertinet: contemptus autem ad irascibilem: peccatum autem vtroque modo fit: nō ergo omne peccatum secundum hoc in his tribus differentiis continetur: sed continetur omne peccatum: non ergo concupiscentia siue cupiditas est illud generale.

Aug. in 14. de ciu. Dei

¶ PRÆTEREA, secundum vnam quamque vim motiuam contingit esse peccatum: cupiditas autem siue concupiscentia determinatur secundum vnam illarum: non ergo omne peccatum continetur sub concupiscentia: & omne peccatum continetur in his tribus: ergo concupiscentia siue cupiditas non est illud commune, in quo membra diuisionis conueniunt.

¶ PRÆTEREA, sicut dicit August. *Cum consentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas dicitur: cum autem consentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur.* Item, *cum dissentimus ab eo, quod accidere nolumus, metus dicitur: cum autem dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, tristitia est.* Ex opposito ergo cupiditatis sunt alia tria mala, quæ tamen sunt peccata: cum ergo omne peccatum contineatur in illa diuisione: non erit cōcupiscentia siue cupiditas illud generale.

Idem.

RESOLVTIO.

Peruersa voluntas boni alicuius mutabilis.

¶ AD quod dicendum: quod concupiscentia siue cupiditas multis modis accipitur. Vno modo pro concupiscentia originali, quæ dicitur & culpa & pœna originalis: & secundum hunc modum non accipitur hic. Alio etiam modo dicitur cupiditas determinata ad quoddam genus peccati, quod est circa diuitias & pecuniam: nec sic etiam accipitur commune ad hæc tria. Tertio modo accipitur cupiditas respectu alicuius apparentis boni, nondum habiti: sicut accipitur in Lib. de ciui. Dei: nec etiam sic accipitur cōmune ad ista tria. Quarto vero modo cupiditas, vel concupiscentia dicitur peruersa voluntas alicuius boni mutabilis: & ista peruersa voluntas aliquando dicitur amor (sicut dicit August. in lib. de Ciui.) sub quadam generali ratione amoris: & secundum hunc modum inuenitur commune in his tribus.

August. de ciui. Dei.

Idem in eodem.

¶ AD obiectum ergo respondendum: quod licet contingat peccare ex contemptu, sicut ex cupiditate, vel amore: tamen allicitiuum ad peccatū ex parte cupiditatis, vel amoris accipitur. Vnde illud peccatum, quod fit ex contēptu, fit ex concupiscentia. Et licet diuersæ vires sint irascibilis, & concupiscibilis: contemptus autem approprietur irascibili, & concupiscentia concupiscibili: nō tamen hoc est secundum intentionem concupiscentiæ, de qua hic loquimur: hæc enim est generalis in omni vi: vnde contemnens, aliquid appetit, propter quod aliud contemnit: & hēt irascibilis suam concupiscentiam: & eodem modo rationalis.

¶ ET per hoc soluitur quod secundo obiectum est: nō enim hic loquitur de concupiscentia speciali, sed generali: illud etiam peccatum, quod est secundum actum rationalis, vt pote infidelitas, in aliqua concupiscentia radicatur, sicut infra ostendetur.

Artic. immediate sequenti.

¶ AD tertium dicendum: quod cupiditas, de qua loquitur August. in Lib. de ciui. Dei. aliquo modo est coarctata: ista autem, de qua hic loquimur, respondet generaliter voluntati peruersæ, quæ in omnibus illis reperitur: sicut ipse determinat: cupiditas enim est quædam voluntas, & lætitia quædam voluntas, & metus, & tristitia similiter voluntates dicuntur. Vnde concupiscentia generaliter in omnibus illis intelligitur. Sicut enim amor ab eodem non rectus dicitur commune illis quatuor: ita & concupiscentia erit generale in illis quatuor.

MEMBRVM II.

An diuisio peccati per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, sufficiens sit?

SECVNDO quæritur de diuisione trimembri, vtrum sufficiens sit. Et videtur quod non: cum enim libido sit idem quod cōcupiscentia: libido autem (sicut dicit August.) diuiditur sic. Est libido vlciscendi, quæ ira dicitur: est libido habendi pecuniam, quæ auaritia dicitur: est libido vincendi, quæ peruicacia dicitur: est libido gloriandi, quæ iactantia dicitur: & est libido dominandi: & multæ aliæ variæ sunt libidines: tot ergo erunt differentiæ concupiscentiæ: non ergo sufficienter diuiditur concupiscentia, quæ est in mūdo, per istas tres differentias: quæ sunt concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitæ.

Aug. in li. de ciu. Dei

¶ ITEM, est peccatum infidelitatis, in quo ponitur inordinatio rationis, nec tamen videtur esse concupiscentia carnis, cum non appetatur inferius bonum: vel concupiscentia oculorum, cum non appetatur exterius: nec superbia vitæ, cum hæc possit ex ignorantia contingere, & magis videatur discredere ex simplicitate intellectus, quam ex arrogantia.

¶ ITEM, cum aliquis scandalizat aliquem, peccat: non tamen huiusmodi peccatum determinate habet originem ex concupiscentia carnis, vel ex cōcupiscentia oculorū, vel ex superbia vitæ: non ergo omne, quod est in mundo, videtur esse aliquid istorum.

¶ SIMILITER obiicitur ibi de peccato, quod est ex certa malitia: tale enim peccatum videtur habere differens motiuum à quolibet peccatorum.

¶ ITEM, August. multas ostendit differentias peccatorum: inter quas enumerat ignorantiam, quæ nullum istorū videtur esse: enumerat etiam timorem, qui insolita & repētina exhorrescit: enumerat etiam ignauiam: enumerat tristitiam, quæ accidia dr: nullum autem horum videtur per se in concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ radicari.

Aug. n li. confeß.

RESOLVTIO.

Sufficiens admodum; nam si quæ aliæ libidines apparebunt, ad has tamen reducentur.

¶ AD quod dicendum: quod licet multæ sint differentiæ libidinum speciales; tamen omnes reducuntur ad has tres differentias generales concupiscentiarum: sicut ostendit Aug. Vnde libido irascendi reducitur ad aliquam prædictarum: potest enim esse causa iræ vel ablatio boni exterioris; & tunc est ex concupiscentia oculorum: vel potest esse propter impedimentum dominationis; & sic erit ex superbia vitæ: & sic de aliis: & propter hoc secundum diuersa motiua in genere ad diuersa reducetur. Sic etiam de aliis intelligendum est, quæ non habent sibi causam determinatam.

Aug. in li. de lib. arb. circa finē libr. primi.

¶ AD secundum vero dicendum est: quod obiicitur de peccato infidelitatis: illud enim peccatū licet determinetur in rationabili propter suum actum: magis determinatur in ipsa irascibili, vel in ipsa cōcupiscibili secundum causam motiuam. Quod enim non crediderunt filij Israel, sed idolatrabant; aliquando fuit ex cōcupiscentia carnis: sicut habetur in Nū. 25. vbi dicitur: quod fornicatus est propter concupiscentiam cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt ea, & adorauerunt Deos eorum. Aliquādo vero, vt placerent principibus suis: sicut habetur 3. Reg. 12. de Hieroboam: & Osee. 7. *In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendaciis suis Principes.* Et ita secundū diuersa motiua ad diuersa genera cōcupiscentiæ reducitur peccatum infidelitatis: maxime vero contingit ex superbia intellectus, sicut est in hæreticis.

Num. 25.

3. Reg. 12. Osee 7.

¶ AD tertium dicendum: quod peccatum scandali substernitur in dicto, vel facto minus recto: illud autem causam motiuam potest habere ex concupiscentia carnis: sicut de aliquo religioso, qui multum de terrenis loquitur, ostēdens affectum suum esse in illis. Vel ex superbia vitæ: vt si non humiliter se habet in gestu, & habitu, & in aliis indiciis humilitatis. Et ita scandalum ad diuersas radices concupiscentiæ reducetur secundum illud, in quo fundatur.

¶ AD quartum vero dicendum: quod peccatum in Spiritum sanctum maxime reducitur ad superbiam vitæ: sicut est de inuidentia fraternæ gratiæ, vel impugnatione veritatis agnitæ. Potest tamen trahere originem ex aliis radicibus concupiscentiæ.

¶ AD vltimū vero dicendum est: quod peccatum ignorantiæ siue stultitiæ ad genus delicti reducitur. Quod aūt non scit illud, quod sciendum est, potest causam hēre ex ipsa

concupiscentia carnis, qua homo quietem carnis appetit: & ita per consequens non vult laborare: aut si vult laborare aliquando allicitur ex delectabilibus, vt appetat scire quod sciendum non est: & ita curiositas deducit ad ignorantiam, quæ peccatum est: aliquando vero non vult se humiliare, vt credatur se scire: & tunc ignorantia est ex superbia vitæ: & ita ex diuersis motiuis ducit originem. Similiter dicendum est, quod tristitia ex diuersis causis potest sumere originem secundum carentiam diuersorum appetibilium, quæ tristitiã inducunt: & hoc patet per hoc quod ipse tristitiam ita diffinit, Tristitia rebus amissis contabescit, quibus se oblectabat cupiditas (& sumitur ibi concupiscentia large.) Similiter dicendum est de peccato timoris, sic enim diffinitur timor, Timor insolita & repentina exhorrescit, rebus, quæ amantur, aduersantia, dum præcauet securitati. Ignauia autem eo quod quietem appetit, maxime reducitur ad concupiscentiam carnis.

An & vtrum hæc eadem diuisio per opposita sit? §. j.

¶ DEINDE quæritur de oppositione istarum differentiarum inter se. Videtur enim quod aliquod peccatum vnum & idem contineatur sub cõcupiscentia oculorum, & sub concupiscentia carnis. Cum enim concupiscentia oculorum large accipiatur pro concupiscentia, quæ est in aliis sensibus: item dicit August. his verbis. *Generalis experientia sensuum concupiscentia (sicut dictum est) oculorum vocatur.* Concupiscentia ergo carnis, quæ est in delectatione omnium sensuum, dicetur concupiscentia oculorum.

Aug. in li. confess.

¶ ITEM, curiositas dicitur illud peccatum, quod pertinet ad concupiscentiam oculorum: dicit enim August. quod *concupiscentia oculorum reddit homines curiosos*: sed hoc peccatum videtur esse sub superbia vitæ. August. enim ita notificat curiositatem, *Curiositas affectare videtur studium scientiæ: scientia autem est de bonis interioribus*: ergo & apparens sciẽtia: reducetur ergo curiositas ad concupiscentiam interioris boni: ergo ad superbiam vitæ. Non ergo inter se habent oppositionem propriam concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

Idem in li. de vera religione. Idem in li confess.

¶ ITEM, August. *Ex morbo concupiscentiæ oculorum ad perscrutanda naturæ, quæ præter nos est, opera proceditur: quæ scire nihil prodest. & nihil aliud quam scire homines cupiunt.* Hinc etiam est, si quid eodem peruersæ scientiæ fine per artes magicas quæritur. Sed hoc totum pertinet ad appetitũ apparentis scientiæ: & ita ad appetitum apparentis boni interioris: pertinet ergo ad superbiam vitæ.

Idem in eodem.

¶ ITEM, videtur quod non differt concupiscentia oculorum à concupiscentia carnis in quibusdam peccatis. *Ad concupiscentiam enim oculorum pertinet delectatio spectaculorum*: sicut dicitur in Lib. de Vera relig. sed delectatio spectaculorũ ad concupiscentiam carnis pertinet. quæruntur enim spectacula mulierum ad explendam concupiscentiam carnis: quærũtur etiam spectacula in theatris ad prouocationem libidinis carnalis: quæruntur etiam spectacula in venationibus similiter. Restat ergo quod concupiscentia oculorũ non distinguitur à concupiscentia carnis quantum ad aliquam sui differentiam.

Li. de vera relig.

¶ ITEM, honor est de bonis exterioribus; appetere ergo honores est appetere bonum exterius: sed concupiscentia boni exterioris ad concupiscentiam oculorum refertur: ergo concupiscentia bonorum ad illam radicem refertur: sed hæc est ambitio sæculi, quæ est superbia vitæ: non ergo inter se distinguuntur concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

¶ PRÆTEREA, potest quæri, penes quid accipiatur hæc triplex differentia. Videtur enim secundum August. quod accipiatur secũdum tres differentias apparentis boni, quæ sunt, bonum apparens exterius, & bonum apparens inferius, & bonum apparens interius. Secundum autem ipsum in Lib. Confes. videtur aliter accipi: vt penes ea, quæ pertinent ad voluntatem inordinatam cognoscendi, accipiatur concupiscentia oculorum: penes vero voluntatem potentiæ inordinatam superbia vitæ, siue ambitio: penes autem concupiscentiam delectationis carnalis inordinatam concupiscentia carnis: & ita penes apparens arduum, & penes apparens verum; & penes apparens delectabile videntur sumi dictæ differentiæ. Sed hoc non videtur conuenire cum prædictis differentiis: apparens enim magnum, vel arduum potest esse interius, vel exterius: eodem modo apparens verum. Restat ergo, quod non penes istas causas, vel illas prædictæ accipiuntur differentiæ.

Aug. in li. de lib. arb. Idem in li confess.

R E S O L V T I O.

Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ si proprie sumantur, e diuerso peccatum diuidunt.

¶ AD quod dicendum: quod licet vtraq; concupiscentia sc. oculorum & carnis per sensus agatur: sicut dicit August. his verbis. *Præter concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, cui seruientes depereunt, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam, non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem, vana & curiosa cupiditas, nomine cognitionis, & scientiæ palliata.* Tamen differenter per illos sensus vtraq; expletur concupiscentia: sicut enim dicit August. *in hoc discernitur, quid curiositatis agatur per sensus, quid voluptatis: quod voluptas pulchra, canora, suauia, sapida, lenia sectatur: curiositas autem & hæc & his contraria experiendi causa propter experiendi noscendiq; libidinem.* Per sensus ergo aliquando quæritur quod est voluptatis carnalis: aliquando quod est delectationis in cognoscẽdo. Si est propter delectationem in cognoscendo propter se, ad concupiscentiam oculorum refertur. Si aũt in his quæritur carnis voluptas, ad concupiscentiam carnis referuntur. Exempli causa, est videre in spectaculis venationum: quidam enim insistunt venationibus propter voluptates carnis consequendas: quidam vero vt delectationem habeant mirabili cursu canum & ferarum, vel etiam in volatu auium: & tales, qui ibi figunt delectationem, explent curiositatem, siue oculorum concupiscentiam.

August.

Idem.

¶ AD secundum dicendum est: quod similiter differunt superbia vitæ, & concupiscentia oculorum secundum differentias finium: qui enim quiescit in bono exteriori, secũdum quod exterius est: explet concupiscentiam oculorum: si vero ponit quietem in apparenti bono interiori secundũ seipsum; ad superbiam vitæ refertur. Vnde aliquis põt quærere scientiam rerum exteriorum tantum, vt sciat illa: & secundum hunc modum expletur concupiscentia oculorũ: aliquis vero potest quærere scientiam illarum rerum, vt excellat in sciendo: & sic ad superbiam vitæ refertur. Vtrobique ergo potest appetitus scientiæ esse communis: sed ex alio & alio fine determinatur: scientia enim licet sit bonũ interius; prout tamen ad exterius refertur, cuius experientia quæritur; non ad superbiam vitæ, sed ad concupiscentiã oculorum refertur.

¶ SIMILITER dicendum est de eo, quod obiectum est de cognitione rerum naturalium & artium magicarum: secundum hoc enim quod sistitur in ipsa admiratione rerum cognoscibilium; ad concupiscentiam oculorum refertur.

¶ AD quartum dicendum est: quod quæri possunt spectacula sine diuerso: si enim quærantur eo fine, vt voluptas carnis in rebus visibilibus habeatur; ad concupiscentiam refertur: si vero propter ingenia & exercitia cognoscenda quæruntur spectacula, ad concupiscentiam oculorum refertur.

¶ AD quintum dicendum: quod concupiscentia honoris licet sit respectu boni exterioris: tamen hoc est consequens ad concupiscentiam boni interioris, quod est proprium excellentiæ siue præeminentiæ: & ideo concupiscẽtia honoris ad superbiam vitæ reducitur: honor enim quid aliud est, quam exhibitio reuerentiæ in signum excellentiæ siue potentiæ.

¶ AD vltimum dicendum: quod distinctio prædictarũ differentiarum non attenditur: secundum distinctionem virium rationalis, concupiscibilis, & irascibilis: licet hoc videatur in hoc: quod cõcupiscentia carnis per se referatur ad concupiscibilem, concupiscentia vero oculorum ad rationalem, cuius est cognoscere; superbia vero vitæ ad irascibilem: non enim recte acciperentur differentiæ, dicendo concupiscentiam oculorum, & concupiscentiam carnis: cum hoc ad concupiscibilem videatur referri. Sed in hoc distinguuntur, quod concupiscentia carnis respicit bonum inferius apparens: concupiscentia vero oculorum respicit bonum exterius apparens: superbia vero vitæ respicit bonum interius apparens, sicut ostendit Augustinus, intendit

Idem in li confess.

enim homo vane gloriari:& in seipso sibi placere; vnde dicit: Intus est aliud tentationis malum, quod nesciunt qui placent de se sibi, quamuis aliis vel nō placeant, vel displiceant, nec placere affectent cæteris: sed sibi placentes, multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis: verum etiam de bonis tuis quasi suis: aut etiā sicut de tuis: sed tanquam de meritis suis: aut etiam sicut ex tua gratia, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis æque inuidentes. (In iisdem) Nec est contrarium, quod dicitur alibi in li. Confess. quod concupiscentia oculorum continet in se curiositatem sciētiæ, quæ est bonum interius: quæritur enim scientia à curiosis propter ipsam experientiam, quæ est respectu rerum exteriorum.

MEMBRVM III.

De quaque diuisionis parte sigillatim?

CONSEQVENTER dicendum est de singulis differentiis separatim. Et primo de concupiscentia carnis. Secundo de concupiscentia oculorum. Tertio de superbia vitæ.

ARTICVLVS II.

Ad quæ se extendat cōcupiscentia carnis, dum dicitur, peccatum aliud ex concupiscentia carnis, aliud ex concupiscentia oculorum, aliud ex superbia vitæ?

ET potest quæri, quantum se extendit concupiscentia carnis? Vtrum tantum secundum delectationes, quæ sunt in quinq; sensibus: sicut in delectatione pulchrarum rerum, & mulierum: & in delectatione sonorum, & odorum, & saporum, & corporum, quæ suauitatem habent: in omnibus enim his contingit peccare. Et videtur quod in iis solum consistat, propter hoc quod dicit August. (Aug. in li. confess.) *Concupiscentia carnis est in delectatione omnium sensuum & voluptatum.* Ponit enim exemplum de eo, quod pertinet ad gustū, cum dicit. (Idem.) *Dum ad quietem societatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ; ipse enim transitus est voluptas.* (Idem.) Similiter loquitur de concupiscentia carnis in auditu: vnde dicit. *Cum me amplius cantus, quam res ipsa, quæ canitur, mouet; pœnaliter me peccare confiteor: & tunc mallem non audire cantantem.* Similiter loquitur de voluptate in ipsis visibilibus, dicens. (Idem.) *Quam innumerabilia in vestibus, vasis, calceamentis, picturis, & diuersis figmentis, atque iis necessarium atque moderatum transgredientibus addiderunt homines: ad illecebras oculorū foras sequentes quæ faciunt intus, relinquentes, à quo facti sunt:* Ex quo patet de voluptate sensū secundū visus. De odoratis etiam patet, sicut habetur. (Prouer. 7.) *Asperfi cubile meum myrrha, & aloe, & cinamomo.* Hæc tamen tentatio carnalis concupiscētiæ non ita grauat: vnde August. (Aug. in li. confess.) *De illecebra oculorum non nimis satago: cum absunt, non requiro: dum assunt, non respuo.* Et ratio videtur esse: quia homo in isto sensu multum deficit naturaliter. De concupiscentia vero carnis, quæ est secundum actum, planum est: illa enim maxime grauat: cum enim homo habeat posse aliquid in aliis membris ad coertionem in illis, minime habet vt cohibeatur concupiscentia. Vnde August. (Idem in li. de ciu. Dei) *Genitales corporis partes ita libido suo iuri quodammodo mancipauit: vt moueri non valeant, si ipsa defuerit.*

¶ Quod autem non tantum sit concupiscentia carnis in delectatione quinque sensuum; patet per hoc quod dicit August. (Idem in confess.) *Adhuc viuunt in memoria mea multarum rerum imagines, quas consuetudo mea ibi fixit. In somnis autem non solum vsque ad delectationem, sed etiam vsque ad consensionem, factoque simillima: & tantum valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, vt dormienti falsa vera persuadeant.* Ex quo videtur, quod ipsa concupiscentia carnis vigeat in dormientibus: sed tunc quiescunt: ergo concupiscentia carnis est præter delectationem quinque sensuum.

¶ SIMILITER habetur de ipsa ignauia, quæ quietem carnis appetit, quies autem carnis ad concupiscentiam carni refertur. Similiter viget concupiscentia carnis in verbis illecebrosis: vnde. (Eccles. 9. Prouer. 7.) *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Et. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illam.* Similiter risus inordinatus ad concupiscentiam carnis pertinet. Similiter & instabilitas gressuum: vnde. (Eccles. 19.) *Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis enunciant de illo.*

¶ PRÆTEREA, concupiscentia carnis opponitur temperan. i. e. temperantia autem non tantum est in cohibendis delectationibus sensuum: sed etiam in modestia gestus, sermonis, & operis: ergo concupiscentia carnis, quæ ei opponitur, attenditur non tantum in delectationibus quinq; sensuum; sed in illecebroso gestu, verbo, & opere.

RESOLVTIO.

Ad appetenda delectabilia quinque sensuum principaliter: ex consequenti ad reliqua circa illa ordinata.

¶ AD quod dicendum est: quod concupiscentia carnis licet principaliter sit in appetendo delectabilia, secundum sensus: consequenter tamen respicit alia, quæ ordinantur ad illa. Et per hunc modum dicendum est de his, quæ sunt in verbis, & in gestu, & in imaginatione siue phantasia ordinata ad illecebram carnis. Quædam autem sunt delectationes corporales; quædam vero animales: quantumcunq; autem extendatur delectatio corporalis inordinata, intantum extenditur concupiscentia carnis.

¶ QVOD autem dicit August. quod concupiscentia est in delectatione quinque sensuum, hoc principaliter intelligitur, sed non præcise. (Aug. confess. lib. 10. cap. 35.)

¶ AD aliud dicendum: quod licet motus interior aliquando sit absq; motu sensus: tamen originaliter est à sensu: & illum motum præcessit sensus.

ARTICVLVS II.

De concupiscentia oculorum iuxta Bedam.

CONSEQVENTER quæritur de *concupiscentia oculorum*, de qua dicit Beda. quod *ipsa est in discendis magicis artibus, in contemplandis spectaculis, in superuacuis acquirendis rebus temporalibus, in dignoscendis, & carpendis vitiis proximorum.* (Beda.) Ex quo videtur quod inquirere de peccatis proximorum libidinose, ad concupiscentiam oculorum pertineat: sed hoc videtur pertinere ad peccatum detractionis: illorum enim est secreta proximorum inuestigare: & ideo dicitur. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne forte satiatus oderit te.* Et. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* (Prouer. 25. & 24.)

¶ AD quod dicendum est: quod licet huiusmodi inquisitio curiosa seruiat detractioni: detractio autem nascatur ex inuidia, quæ ad superbiam vitæ refertur: non tamen hæc inquisitio curiosa de delictis proximorum ad superbiam vitæ reducitur, sed ad concupiscentiam oculorū: quæ semper est in exploratione bonorum vel malorum, quæ exterius sunt.

¶ SIMILITER quæritur: cum sub concupiscentia oculorum (sicut dicit Beda) contineatur curiositas in discendis artibus magicis: (Beda.) vtrum similiter contineatur curiositas, quæ est in cognoscendis occultis naturis, & in cognoscendo motu syderum, & euentibus diuersis, qui consequuntur. Quod si est, potest quæri, propter quid Beda specialiter determinat, cōcupiscentiam oculorum in magicis artibus addiscendis.

¶ AD quod dicendum est: quod non tantum est concupiscentia oculorum in cognoscendis artibus magicis: sed etiam in cognoscendis curiose naturis rerum superioribus, vel inferioribus: vnde dicit August. (Idem.) *Hinc ad perscrutanda natura, quæ præter nos est, opera proceditur, quæ scire nihil prodest: & nihil aliud quam scire homines cupiunt.* (Aug. in li. confess.) Causa autem, propter quam fit mentio à Beda de artibus magicis, plusquam de omnibus aliis, est: eo quod in illis est apparens veritas & non existens: & ea, quæ ibi fiunt operationibus dæmonum (Beda.) fiunt: nec est ibi debitum finem ponere. In cognoscendis autem naturis rerum potest esse recta intentio: & ideo non simpliciter dixit Beda de illis, eo quod hæc possunt agi sine peccato.

¶ DEINDE quæritur: cum quatuor hæc ponantur, circa quæ dicitur versari concupiscentia oculorum, quæ dicitur curiositas, sicut dicit Beda: penes quid accipiatur ratio illius diuisionis.

¶ AD quod dicendum est: quod curiositas consistit in apparentibus veris; & in apparentibus bonis, & in apparentibus malis. (Idem.) In apparentibus autem bonis pōt esse dupliciter: vel quæ alicui pōt esse vtilitatis, sed in superflue. & sic est in superuacuis acquirendis rebus temporalib. Vel quæ nullius sint vtilitatis secundū se, imo magis vergūt ad nocumen-

nocumentum, & secundum hæc est curiositas, quæ est in contemplatione spectaculorum. Secundum hoc ergo curiositas in apparentibus veris dicitur illa, quæ est in discendis magicis artibus: illa vero, quæ est in carpendis vitiis proximorum, ad cognitionem apparentium malorum reducitur: illa vero quæ est in superuacuis rebus temporalibus acquirendis, ad cognitionem apparentium vtilium refertur: illa vero, quæ est in contemplandis spectaculis, ad cognitionem eorum, in quibus est sola curiositas, refertur. Aug. tamen quoddam membrum addit his verbis. *Hinc in ipsa religione Deus tentatur, cum signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderantur*: sicut contingit in illis, de quibus dicitur. *Generatio praua atque peruersa signum quærit.* Sed large accipiendo spectacula, hæc differentia curiositatis sub illa parte comprehenditur.

Aug. in lib Confes.

Matt. 12.

¶ Deinde quæritur, cum concupiscentia ista, quæ dicitur oculorum, attendatur, non tantum in his, quæ comprehenduntur visu; sed etiam quæ comprehenduntur in aliis sensibus: propter quod dicatur magis concupiscentia oculorum, quam alterius sensus.

¶ Ad quod dicendum, sicut dicit Aug. quod oculi ad cognoscendum in sensibus principes sunt: & ideo concupiscentia, quæ est respectu cognoscibilium exterius, concupiscentia oculorum dicitur. Ex alia vero parte verbo videndi vtimur in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendū intendimus: & ideo generalis experientia sensuum concupiscentia oculorum vocatur.

ARTICVLVS III.

De superbia vitæ.

SEQVITVR de superbia vitæ, de qua quæritur: Vtrum cōcupiscentia laudis humanæ sub ea contineatur. Et videtur quod non: concupiscentia enim laudis humanæ est cōcupiscentia boni exterioris: nihil enim videtur ita exterius, sicut ipsa laus, quæ in aliorum opinione, & voluntate dependet: sed superbia vitæ est, in qua concupiscitur bonum interius, siue bonum proprium: ergo concupiscentia laudis humanæ non debet ab ea contineri. Quod autem contineatur, patet per hoc quod dicit August. dicit enim quod præter duo genera tentationum sc. concupiscentiæ carnis, & concupiscentiæ oculorum est tertium genus tentationis, quo vult homo timeri, vel amari ab hominibus, non propter Deum. Et ad hoc pertinet amor laudis, de quo dicit: *Laudari vult ab hominibus, vituperante te; non defendetur.* Qui ab hominibus, iudicante te: nec eripietur, damnante te. Et ibidem dicitur. *Quid in hoc genere tentationis tibi (Domine) confiteor, nisi me delectari laudibus?* Ergo appetitus laudis inordinatus pertinet ad superbiam vitæ.

Aug. in lib Confes.

Idem ibid.

¶ Item, ad hoc facit; quod appetitus huius laudis est, vt homo videatur excellere in bonitate, vel in scientia: quare appetitus excellentiæ mouet: ille autem ad superbiam vitæ pertinet: ergo superbia vitæ continet concupiscentiam laudis humanæ.

¶ Ad quod dicendum: quod concupiscentia laudis humanæ licet sit boni exterioris; tamen in illo datur intelligi concupiscentia proprii boni, quæ est excellentia: & ideo inanis gloria recte ad superbiam vitæ reducitur.

¶ Similiter quæritur: cum duplex sit libido in eo sc. quod est velle timeri, & velle laudari ab hominibus: hæ autem sunt oppositæ affectiones; qualiter ad vnam radicem reducuntur, quæ est superbia vitæ?

¶ Ad quod dicendum est, quod velle timeri ab hominibus, attestatur excellentiæ: timor enim est potestatis: laus autem est excellentis scientiæ, vel bonitatis. Ratione ergo excellentiæ, quæ in vtraque datur intelligi, vtraque libido siue concupiscentia ad superbiam vitæ reducitur.

¶ Similiter quæritur de illo peccato, quo aliquis gloriatur vane de contemptu ipsius vanæ gloriæ. Cum enim gloriari de vana gloria per quandam oppositionem se habeat ad gloriam de contemptu vanæ gloriæ: non videtur huiusmodi gloriatio ad superbiam vitæ reduci, ad quam illa vana gloriatio reducitur: non enim ibi videtur esse delectatio in excellentia, sed in humilitate.

¶ Ad quod dicendum est, quod licet contemptus vanæ gloriæ opponatur vanæ gloriationi: vtrumque tamen potest esse materia vanæ gloriationis: & in quantum conueniunt ad vanam gloriationem, ad superbiam vitæ reducuntur. Et licet contemptus vanæ gloriæ ponat humiliationem: potest tamen esse superbia vitæ: cum in hoc gloriatur in se, quod alios videtur excellere in humiliatione: & hoc est vane gloriari de contemptu vanæ gloriæ.

¶ Item, aliquis vult placere alteri inordinate: sed placentia in altero est bonum exterius: ergo quærit bonum exterius: non ergo tale peccatum ad superbiam vitæ reducitur. Contra dicit August. *quod huiusmodi peccatum ad superbiam vitæ pertinet.* August.

¶ Ad quod dicendum, quod licet fauor ille sit extra illum, qui quærit illum fauorem: dicitur tamen esse de bonis interioribus, quæ sunt ipsius animi præter coniunctionem ad bonum carnis, & bonum mundi: & ideo ad superbiam vitæ reducitur: quæritur enim ibi quædam excellentia, vt magis ametur. Similiter etiam cum aliquis intendit placere sibi de bonis, quæ habet, vel habere videtur: hoc enim non est, nisi quod æstimat apud se, quod in illis bonis excellat: vel quod illa aliquo modo habeat à se: & sic superbia vitæ datur intelligi. Vnde dicit August. *Habent tentationem periculosissimam, sermo & facta, quæ innotescunt hominibus ab amore laudis, quiad priuatam quandam excellentiam contrahit mendicata suffragia: & in eodem genere tentationis est aliud malum, quo mansuescunt qui placent sibi de se.* Idem.

¶ Vltimo quæritur, propter quid hæc radix peccatorum non nominatur nomine concupiscentiæ, sicut & aliæ duæ: sed frequentius dicitur superbia vitæ?

¶ Ad quod dicendum, quod licet detur intelligi quædam concupiscentia, quæ dicitur ambitio sæculi, siue ambitio potestatis, nominatur tamen amplius nomine superbiæ ratione excellentiæ, quæ quæritur: superbire enim est super se quodammodo ire, hoc est supra statum debitum. Dicitur autem superbia vitæ propter hoc: quod intellectualis creaturæ est proprium vitium superbia, cuius est per se viuere. Vel dicitur superbia vitæ quia in vita præsenti sunt bona, de quibus homo superbit. *Cunctis diebus superbit impius, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius.* Iob. 15.

¶ Adhuc quæritur de hac radice peccati, propter quod est difficilioris amotionis aliis duabus. Et quod ita sit, patet per hoc, quod dicit Aug. *Est qualiscunque in aliis generibus tentationum facultas mihi explorandi me: in hoc pene nulla est.* Et dicit Glo. super illo. *Tu ergo si procidens &c. quod superbia post omnes uirtutes fauit: vnde vltimo tentauit Dominum de superbia vitæ.* Et ideo dicit Ambr. loquens de superbia vitæ. *Quos multa potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, ambitio facit criminosos.* Aug. in lib Confes. Glo sup. Luc. 4. Ambr.

¶ Ad quod dicendum est, quod ista radix magis adhæret ipsi animæ ratione sui appetibilis: quod enim ibi naturale est, ab anima est inseparabile: reliqua vero sunt separabilia sc. bonum mundi, & bonum carnis. Et ideo ablatis tentationibus aliis, restat illa tentatio difficilior ad euellendum: eo quod est de magis adhærenti bono sumens originem.

QVÆSTIO CLX.

De Idololatria.

In septem Membra diuisa.

EXPEDITIS aliis diuisionibus peccati: Restat de illa diuisione determinare, quæ est: peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in seipsum. Aliquando tamen non inuenitur nisi bimembris diuisio scilicet peccatum aliud est in Deum, aliud in proximum. Peccatum autem in Deum dicitur impietas: peccatum vero in proximum iniquitas. Et potest sumi ex eo quod dicitur. *Si peccauerit vir in virum, placari poterit ei Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Dicendum est ergo primo de pecatis, quæ sunt in Deum immediate: secundo de his, quæ sunt in proximum: tertio de

D. Th. 22. q. 94 per 4. ar. S Bo in 2 c. 27. a. 1 q. 3 ad arg. & lib 3 d. 17 dub. 1. & d 19. art 2. q 2. ad 2. g. 1. Reg. 2.

tio de quibuſdam, quæ ſunt in ſeipſum. Peccatũ vero, quod eſt in Deum, aut eſt quo dehonoratur potentia diuinæ maieſtatis ſuperſtitione colendi: aut in quo dehonoratur diuina ſapientia ſuperſtitione ſciendi: aut in quo dehonoratur diuina bonitas peruerſitate male viuendi. Dicendũ eſt ergo primo de his, in quibus dehonoratur omnipotentia diuinæ maieſtatis. Hoc autem contingit dupliciter, in peccatis, ſcilicet quibus prohibetur acceſſus ad cultum Dei: & in peccatis illis, quibus fit receſſus ab ipſo. Prohibetur autem acceſſus ad ipſum per idololatriam, per ſuperſtitionem Iudæorum, & per infidelitatem Paganorum. Pagani autem, ſiue Saraceni dicuntur illi, qui nec nouum, nec vetus Teſtamentum recipiunt omnino: ſed ſuis vtuntur traditionibus: & licet credant vnum eſſe Deum, neque adorent idola: non tamẽ credunt incarnationẽ, nec ea q̃ in lege Moyſi continentur. Iudæi vero ſunt, qui legem datã à Domino receperunt: & vnum Deum credunt creatorem & liberatorẽ: ſed nouum Teſtamentum non recipiunt, nec incarnationẽ filii Dei credunt. Idololatræ vero dicuntur illi, qui idola pro Deo adorant: & non ſolum vnum Deum credunt, ſed plures: quos etiam Aug. Paganos vocat. Ibi enim ſub dua- (Aug. in lib. contr. quinque hæreſ.) bus differentiis hæ tres differentiæ cõprehenduntur: quidã enim dicuntur Iudæi, quidam Pagani: vtrobique autem notatur infidelitas. Quia vero idololatrę maxime elongantur ratione eius quod creditur (Recedũt enim ab eo quod primum eſt in Decalogo, ſicut habetur. *Audi Iſrael Dominus* (Deut. 6.) *Deus tuus vnus eſt:* & præmittitur ibi. *Non habebis Deos alienos in* (Deut. 5.) *conſpectu meo &c.*) Ideo primo dicendum eſt de idololatria.

¶ Circa quam primo quærendum eſt, quid ſit. Secundo de cauſa idololatriæ. Tertio, in quibus cõſiſtat idololatria. Quarto, de effectu eius. Quinto, de magnitudine peccati. Sexto de tempore & ceſſatione. Septimo, vtrum communicandum ſit cum idololatris.

MEMBRVM I.

Quid ſit idololatria?

AD primum ſic: *idololatria dicitur latria, idolis exhibita.* Propter quod poteſt quæri, vtrũ idololatria ſit latria? Videtur quod ſic: latria enim eſt cultus Deo debitus: ſed talis cultus exhibetur idolis: ſicut eſt in genuflexione, in ſacrificiis, & huiuſmodi: ergo idololatria eſt latria.

(Iſidor.) ¶ Hoc etiam accipitur ex hoc, quod dicit Iſidor. *Latriam ſicut impia ſuperbia ſeu hominum, ſeu dæmonum ſibi exhiberi, vel iubet, vel cupit: ita pia humilitas, vel hominum, vel angelorum ſibi oblatam recuſat: & cui debetur, oſtendit.* Ergo idololatria eſt latria. Quod autem non ſit latria, accipitur ex hoc: quod latria eſt cultus Deo debitus, & Deo exhibitus: ſicut accipitur ex Glo. ſuper illud, *Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* (Matth. 4.) Ergo idololatria non eſt latria: ſed ei oppoſita.

¶ Quod etiam argui poteſt ex hoc: quod fides, & infidelitas opponuntur: latria autem ad fidem pertinet, idololatria ad infidelitatem; ergo idololatria non eſt latria.

RESOLVTIO.

Idololatria eſt latria, idolis exhibita.

¶ Ad quod dicendum eſt, quod latria dupliciter dicitur, proprie ſecundum quod dicitur cultus Deo debitus, & Deo exhibitus: & ſecundum hunc modum latria opponitur idololatriæ. Secundum autem quod latria communiter dicit ſeruitutem ſoli Deo debitam, idololatria latria poteſt dici: cum illa ſeruitus idolis exhibetur.

¶ Quæritur etiam ratione illius partis, quæ eſt *idolis exhibitus* quid vocetur idolum: vtrum omnis creatura, cui exhibetur diuina veneratio, idolũ dicatur? Quod videtur: idololatria enim eſt omnis cultus diuinus, qui exhibetur creaturæ: hoc autem non eſt, niſi omnis creatura teneat rationem idoli: ergo vnaquæque creatura, cui exhibetur veneratio diuina, idolum dicitur.

(Sap. 14) ¶ Item, *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum.* Fornicationem autem dicit ſpiritualem: ergo exquiſitio idolorum eſt initium fornicationis ſpiritualis: hoc autem non eſt, niſi idolum pro creatura ſumatur communiter, quam præpoſuit homo Deo: ergo omnis creatura, quam præponit homo Deo, idolum dicitur.

¶ Ad hoc facit, quod dicit Apoſtolus: quod auaritia idolorum ſeruitus eſt: ſicut habetur ad Col. 2. Similiter dicitur 1. Reg. 15. Quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. (Col. 2. 1. Reg. 15.) Hoc autem non videtur, niſi idolum in communi ratione accipiatur.

¶ Contra, *Scimus, quia idolum nihil eſt in mundo:* vbi dicit Gloſ. *Inter creaturas mundi materiam eius Deus formauit: ſed ſtultitia hominum formam dedit.* (1 Cor. 8. Gloſſa.) Ex quo patet, quod non omnis creatura eſt idolum. Hoc idem habetur ab Iſidor. (Iſidor.) qui dicit idola eſſe ſimulacra rei exiſtentis, quæ ab homine ſunt fabricata.

¶ Similiter accipitur ex hoc quod dicitur, vbi nos habemus. *Non facietis robis ſculptile:* alia lectura dicit. *Non facies idolum, neque omnem ſimilitudinem.* (Exod. 20.) Similitudo autem dicitur rei exiſtentis, ſicut habetur 1. ad Cor. 8. in Gl. (1. Cor. 8) Siue ergo accipiatur idolum communiter, ſiue appropriate; non dicetur omnis creatura, quæ præponitur, vel æquiparatur Deo, Idolum. Iſidor. etiam dicit idolum eſſe ſimulacrum, quod humana effigie eſt factum & conſecratum.

¶ Præterea, ratione illius verbi, quod dicitur 1. ad Cor. 8. quæritur. Vtrum idolum ſit aliquid, vel nihil? Videtur quod nihil ſit: omnia enim per verbum facta ſunt: idolum autem non eſt factum per verbum: ergo idolum nihil eſt.

¶ Item, *Plaſtæ idoli nihil ſunt.* (Iſa. 44.) Sed hoc non eſt niſi ratione ipſius idoli: ergo idolum nihil eſt: ſicut peccatores nihil dicuntur eſſe propter ipſum peccatum. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* (Ezech. 28.)

¶ Contra, *Per manus quod fit idolum, maledictum eſt & ipſum, & qui fecit illud.* (Sap. 14.) Cum ergo opus ſit hominis, & opus hominis aliquid eſt, idolum aliquid eſt.

¶ Item, idolum creatura eſt: ſicut ibidem conſequenter haberi poteſt, cum dicitur. In idolis nationum non erit reſpectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationes hominum. Hoc autem non eſſet niſi idolum eſſet creatura: ergo idolum eſt aliquid.

¶ Item, ſi idolum nihil eſſe dicitur, ratione cuius formæ dicitur eſſe nihil. Si enim dicatur ratione picturæ aut figuræ, aliquid dicetur eſſe: in ratione ſimilitudinis, iterum aliquid dicetur eſſe: ſimilitudo enim aliquid eſt: ſimpliciter ergo dicetur idolum aliquid eſſe.

¶ Ad quod dicendum, quod idolum proprie dicitur ſimulacrum repræſentatiuum rei exiſtentis, vel rei fictæ: & ſecundum hunc modum non omnis creatura, licet ei exhibeatur veneratio diuina, idolum dicitur. Alio vero modo dicitur idolum ſimilitudo facta rei non exiſtentis: & ſecũdum hunc modum accipitur in Glo. 1. ad Cor. 8. ſecundum vnam expoſitionem: & ſic dicit Origenes, *quod idolum eſt repræſentatiuum rei, quæ fingitur.* (Origenes.) Secundum autem quod nomen idololatriæ communiter accipitur ad omnem cultũ, qui exhibetur creaturæ vice Dei; extenditur nomen idoli, idolum enim deductum eſt ab eo quod eſt εἶδος, ſicut dicit Iſidor. εἶδος autem formam dicit, ab idea tractam: ſicut dicit Seneca: (Iſidor. Seneca.) idolum vero dicit defectum formæ diuinæ naturaliter ponendo formam aliquam exiſtentem creatam, vel ab homine factam: & ſic poſſet extendi nomen idoli in intentione idololatriæ: vt non tantum dicatur idololatria, cum ſimulacra coluntur; ſed cum creaturæ loco creatoris diuino cultu honorantur. Si tamen idolum proprie accipitur pro ſimulachris; auaritia dicitur idolorum ſeruitus ſecundum quandam ſimilitudinem: ſicut enim idololatra ſeruit idolo, ita auarus pecuniæ. Et ſimiliter dicitur contumacia inobedientiæ, quaſi idololatria ꝓpter peccati enormitatem: qui enim inobediens eſt Deo, abnegat: abnegans autem ſeruitutem, quam debet Deo, recedit à cultu Dei: & ſic quo ad hoc conuenit cum idololatra: licet non ſit tanta ſceleris enormitas.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: vtrum idolum ſit aliquid, aut nihil. Reſpondetur, quod eſſe nihil, dicitur multipliciter. Vel ex priuatione debiti finis: & ſecundum hunc modum idolum nihil eſt, ſicut & peccatum: ſed in hoc eſt differentia: quia in peccato per ſe priuatur debitus finis: in idolo vero eſt occaſio priuationis. Dicitur etiam idolum nihil eſſe ratione defectus formæ, quæ exiſtimatur eſſe in

ipsa materia tanquam mouens in moto: existimatur enim quod idolum sit persona subsistens ex simulachro & spiritu præsidente: & non est ibi: secundum quod dicitur. *Ecce quod coopertus est auro & argento: & omnis spiritus non est in visceribus eius.* Dicitur etiam idolum nihil esse ratione rei, ad cuius imitationem excogitatur: & sic accipitur in Exod. 20. in Glo. Ex defectu ergo finis & formæ, quæ est in ratione mouentis & termini; dicitur esse nihil. Si vero consideretur secundum esse materiale, vel secundum esse formale, quod est ex artificio: dicetur idolum aliquid esse.

Abac. 2.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod obiectum est: secundum quid dicetur esse aliquid: & secundum quid dicetur esse nihil.

MEMBRVM II.

An quis ratione vtens, aut moueatur, aut moueri possit ad idololatriam?

SECVNDO quæritur de causa idololatriæ. Circa quod quæritur: vtrum aliquis ratione vtens moueatur, siue moueri possit ad idololatriam. Et videtur quod non: de impressionibus enim naturæ est, Deum esse: & non tantum quod Deus sit, sed etiam quod vnus sit: & quod nō habeat principium, sed sit aliorum principium. Cum ergo hoc sit impressum rationi secundum naturam, nullum potest esse motiuum, vt credat multitudinē deorum: vt de hoc, quod est ab alio, credat esse Deum: sed hoc est in idololatria: ergo elongatum est ab homine vtente ratione, vt cadat in peccatum idololatriæ.

Ansel.

¶ Item, sicut dicit Ansel. *illud dicitur esse Deus, & est, quo melius nihil excogitari potest: nec etiam quo excogitari potest potentius: non deerit ergo omnipotentia, in quo asseritur diuinitas:* in idolo autem nullatenus ponitur omnipotentia, ergo nec diuinitas: non ergo homo vtens ratione in idololatriam incidit.

¶ Præterea, si honor diuinus exhibebatur in idolis: aut hoc fuit propter idola: aut propter spiritus præsidentes in idolis per operationem. Non propter ipsa idola: cum nihil virtutis habeant de se, & facta sint ab homine: faciens autem facto plus est honorandus, & potens impotente: nullatenus ergo exhibendus erat honor diuinus idolis propter se. Præterea, nulla vtilitas est exhibere honorem non intelligenti: idolum aut nihil cognitionis habuit: ergo nec honor ei exhibendus: quanto magis nec honor diuinus? Si vero propter spiritus præsidentes: aut illi sunt spiritus boni aut mali. Si boni spiritus & creati; nullatenus honor, soli omnipotenti debitus, ab eis affectaretur: cum sine iniuria illis dari non possit: si autem affectarent, iam boni non essent: essent enim infideles, & iniqui: infideles quidem, quia Deum creatorem suum debito honore defraudarent: iniqui autem eo quod ius alienum vsurparent. Si vero fiat eis exhibitio honoris diuini cum displicentia eorum: offenderentur ergo potius huiusmodi honoribus, quam placarentur: non ergo ab his oporteret expectare beneficia pro huiusmodi honoribus, sed magis pœnam. Si vero spiritus præsidentes sunt mali: à malis autem non sunt expectanda bona: pro bonis autem accipiendis, aut malis amouendis exhibentur huiusmodi honores: non ergo exhibendi sunt malis spiritibus. Præterea malis spiritibus non sunt exhibendi huiusmodi honores: cultus enim isti sunt cultus sanctitatis: cultus autem sanctitatis ab eis dissonant: nec aliquid boni possunt, nisi permissi: vnde August. *Sicut ipsi mali homines in terra: sic etiam illi non omnia, quæ volunt, facere possunt; nisi quantum illius ordinatione sinuntur: cuius plena iudicia nemo comprehēdit, iuste nemo reprehendit.* Restat ergo quod malis spiritibus non est exhibendus honor diuinus: ergo nullatenus esset idololatria: quia nec ratione idolorum in se, nec ratione spirituum præsidentium.

Aug. 2. de ciu. Dei.

¶ Præterea, arguit sic Aug. *Romana virtus theatricas artes reprobauerat: & qui se in illis exercebant, honoribus * cuiuslibet priuabantur.* Dii autem exigebant à suis cultoribus ritus theatricos: ergo & ipsi erant reprobandi: qua enim fronte theatricæ turpitudinis notatur actor, si adoratur exactor? non ergo dii illi sunt honorandi: ergo nec debet esse idololatria.

Idem de eadem. *Alias, ciuilibus, vel quibuslibet.

¶ Præterea, sic arguit: *Græci proponunt, si dii tales colendi sunt, profecto tales homines honorandi sunt. Assumunt autem Romani. Sed nullo modo tales homines sunt honorandi. Concludunt Christiani. Nullo modo igitur tales dii sunt colendi.*

Idem lib. 2 de ciu. Dei c. 13. to. 5.

¶ Hoc etiam remouere debet idololatriam, quod spiritus præsidentes immunda volunt sibi offerri, sicut talpas, & vespertiliones, & huiusmodi animalia immunda: sed non est ponendum esse Deum, qui in immundiciis delectatur: non ergo spiritus præsidentes idolis deos esse est ponendum.

¶ Præterea, ipsa pluralitas deorum ostendit euacuationem: in segetibus enim plures deos esse ponebant: dum enim semina erant sub terra: deam Seiam aut Cererem esse ponebant: cum autem essent super terram, & facerent segetem, deam Segetiam: frumentis autem collectis atque reconditis deam Tutulinam esse dicebant: & ita de aliis rebus. Maior autem est virtus in vno quam in pluribus (plus enim potest virtus vnita quam multiplicata) ergo vnum esse Deum ponendum est.

¶ Econtra, motiuum ad culturam spirituum præsidentium in idolis potuit esse, quod sanare læsionem corporum credebantur, dum ab eis cessabant: & sedare tribulationes rerum humanarum, dum non concitabant.

¶ Præterea, prædicebant hominibus mala siue bona, quæ futura erant: præscire autem futura cum certitudine, diuinum est: ex quo in eis diuinam esse virtutem suspicabantur. Adiungitur etiam mirificentia operum occultorum naturalium, quæ mirabilia videbantur: miracula autem facere autoritate, solius Dei est: sicut contigit in miraculis magorum. Sic ergo propter sanationes læsorum & liberationes oppressorum, quæ credebantur, bonitas diuina in eis asserebatur: propter prædictionem futurorum sapientia diuina: propter operationem mirabilium potentia diuina. Sed in omnibus istis non fuit necessaria ratiocinatio, immo falsa existimatio: non enim sanabant infirmos, nec liberabant oppressos: sed à nocumento desistebant, vt illuderent; futura coniiciendo prædicebant: & aliquotiens fallendo, occulta naturæ operando; non res super naturam virtute faciendo. Vnde propt[illegible] nullatenus ponendum erat ipsos esse deos, & eis di[illegible]nus cultus nullatenus erat exhibendus.

RESOLVTIO.

Quisquis ratione recta vsus fuerit, nullatenus ad idola aut mouebitur, aut moueri poterit: secus si erronea ratione ducetur.

¶ AD illud autem, quod primo obiicitur quod nulla causa potuit esse, propter quam homo vtens ratione incideret in idololatriam. Dicendum est: quod hoc verum est, si ratio sequeretur inclinationem naturæ propter se ipsam: sed quia sequebatur inclinationem naturæ corruptæ ratione corruptionis, ideo contingebat ipsum in idololatriam incidere.

¶ Ad secundum vero dicendum est, quod licet homo ponat Deum esse summum bonum, summe potentem, summe sapientem: hæc autem non conueniunt idolo, vel spiritui, in idolo præsidenti: nihilominus tamen ratio humana respiciens ad effectum, & non vniuersaliter, sed particulariter, & per hoc decepta, incidit in idololatriam.

¶ Ad tertium dicendum, quod si homo pertractaret secundum rationem rectam, inueniret creatorem & gubernatorem esse colendum: creaturis vero nullatenus cultum diuinum esse exhibendum: secundum quod dicitur Sap. 13. Si specie rerum delectati, deos putauerunt: quanto magis dominator eorum speciosior est? speciei generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt: intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc omnia constituit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit eorum creator videri. Sed quia respiciebant in aliquibus necessitatibus ad aliquam virtutem adiutricem, secundum quod existimabant: nec eleuabant intellectum ad summam causam, à qua est omne adiutorium, & vniuersaliter esse, & bonum: ideo in idololatriam & superstitionem incidebant. Sap. 13.

¶ Similiter dicendum est ad alia: idololatria enim

ex multis causis originem duxit : sicut habetur in Lib. Sapien.

MEMBRVM III.

Idololatria in quibus consistat?

TERTIO quæritur, in quibus consistat? Potest enim quæri, vtrum aliquis possit aliquam creaturam colere vt Deum, & adorare, sine peccato? Quod videtur: potest enim esse quod aliquis nihil audiuit de Deo: & natus inter idololatras, videt adorare idola & creaturas: videtur quod ista ignorantia sit inuincibilis: cum nullatenus habeat, à quo possit addiscere. Vnde Aug. (August.) *Ille non suo vitio ignorat: ideo enim ignorat: quia non fuit, à quo disceret: nec ex rumore comperit doctrina opinionem: & ideo immunis est à condemnatione:* talis ergo non peccat: cum nullus peccet in eo, quod vitare non potest.

¶ Contra: cognitio, quod Deus sit, naturaliter insita est menti: nullus ergo excusatur ab ignorantia Dei.

Psal. 99. ¶ Item, dicitur, *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus &c.* Si ergo quilibet ingrediatur ad considerationem sui; inueniet illum esse Deum, qui est vniuersorum factor & creator: ergo ignorantia eius neminem excusat.

¶ Item, potest quæri: si nullus potest colere sine peccato: vtrum possit adorare sine peccato? Quod videtur per hoc, quod dicitur in Glo. super illud. (Glos super Exod. 20. Glossa.) *Non adorabis, neque coles.* Glo. *Aliud est colere, aliud adorare, potest quis inuitus adorare, tormentis victus.* Præterea de B. Ignatio legitur: quod potuit induci ad incendendum thura idolis: sed nullo modo volebat Christum negare. Restat ergo, quod aliquis sine peccato potest adorare idola.

Exod. 20. Glossa. ¶ Contra dicitur, *Non adorabis: neque coles:* vbi prohibetur adoratio: & dicit Glo. *vtrumque resecat, vt nec affectu colas, nec speciem adores:* ergo non potest fieri adoratio idolorum sine peccato idololatriæ.

¶ Ad quod dicendum, quod huiusmodi ignorantia nō est inuincibilis. Vnde non excusat à peccato: licet enim nō possit habere doctrinam hominum, cum nullus sit ibi fidelis: potest tamen habere Spiritum sanctum intus docentē: (1. Ioan. 2.) *vnctio enim docet de omnibus,* sicut habetur, si ipse faciat, quod in se est. Præterea, vsu rationis potest duci ad Inuisibilia Dei per ea, quæ conspiciuntur intellecta à creatura: sicut dicitur ad Rom. 1. (Rom. 1.)

August. ¶ Sic intelligendum est quod dicit Aug. *quod ille non est culpandus, qui à quo disceret, non inuenit, si ignoret.*

¶ Ad secundum vero dicēdum, quod cultus diuini nullatenus attribuendi sunt creaturæ propter se: vnde non est adorare idola, vel creaturas adoratione, quæ est latria, sine pctō: adoratio enim importat actum exteriorem procedētem à voluntate aliquo modo. Vnde ꝙ dicitur in Exod. in Glo. (Glossa in Exod.) quod aliquis inuitus pōt adorare idola: intelligendū est de illo, quem metus induxit: ille autem, quem metus induxit, ex voluntate quodammodo facit, licet non absoluta: per tormenta autem nullus inducendus est ad faciendum contrarium honorificentiæ diuinæ.

¶ Ad illud, quod dicitur de Beato Ignatio. Dicendum est, quod non adorauit idola, sed coram idolis existens, thura Deo incendebat: sicut B. Thomas Apostolus, & alii sancti ante idola ducti, protestabantur se adorare Deum, & non idola: & hoc patuit in idolorum destructione.

¶ Item, potest quæri, vtrum aliquis salua fide cordis, in qua nullatenus creditur de idolo, quod sit Deus: possit ore confiteri de idolo, quod sit Deus sine peccato? Quod videtur per hoc, quod dicit August. (August.) *Lingua non facit reum, sed rea mens.* Sed ille non videtur habere ream mentem, cum rectè credat: non ergo dicendus est reus.

Rom. 10. ¶ Contrarium videtur. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Si ergo aliquis confiteatur ore, cuius contrarium credit, ad damnationem sui confitetur.

¶ Ad quod dicendum, quod huiusmodi confessio non potest fieri sine peccato: vnde dicitur in Glo. (Glossa Rom. 10.) *Pene omnes qui Christum coram persecutoribus negauerunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt: & tamen ore non confitendo, perierunt: nisi illi, qui pœnitentia reuixerunt.* Et iterum. (Ead. ibid.) *Nihil prodest hoc esse in corde, quod verum est: si hoc dicitur voce, quod falsum est: quia veritas, & est credenda, & dicenda.*

¶ Ad illud vero, quod dicit Aug. quod lingua non facit reum, sed rea mens. Dicendum est, quod hæc est mens rea, ex qua procedit mendacium in doctrina.

¶ Deinde quæritur: si homo potest exhibere sine peccato reuerentiam corporalem creaturæ: quæ Deo debetur. Quod videtur: eo quod genuflexiones fiunt coram prælatis ecclesiasticis, & secularibus.

¶ Sed videtur contrarium, per hoc quod dicitur. *Mihi curuabitur omne genu: & iurabit mihi omnis lingua.* (Isa. 45.) Et ad Rom. 14. vbi habetur simile.

¶ Similiter dicitur Hester. 6. de Mardochæo, qui nolebat genu flectere coram Aman: (Hester. 6.) *timuit enim ne honorem Dei transferret ad hominem.* Et dicit Origen. (Origen.) *genu flectere est cuncta esse subiecta, & cultui Dei obedire.* Quod autem genu flectere ad cultum Dei pertineat, patet per hoc quod dicitur. *Donauit illi Deus nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* (Philip. 2.)

¶ Ad quod dicendum, quod nullo modo est reuerentia, soli Deo debita, creaturæ exhibenda. Hoc autem est de genu flexione cordis: sicut dicitur. *Et nunc flecto genua cordis mei.* (2. Paral. vlt.) Si vero sit sermo de genu flexione corporali, aut illa est quo ad vtrumque genu; & illa non est exhibenda creaturæ propter se; sed exhibendo Deo reuerentiam in creatura: alicubi tamen potest consuetudo excusare. Si vero fiat quo ad vnum genu: genu flexio hoc modo conuenit creaturæ rationali; cui exhibetur reuerentia. Similiter licet prostratio principaliter Deo fiat; tamen sicut habetur in veteri Testamento in reuerentiam hominum exhibebatur.

¶ Item, cum idololatria fiat in adoratione idolorum, sicut habetur Isa. 20. (Isa. 20.) potest quæri, vtrum factores imaginum, vel qui procurant facturam earundem, peccent peccato idololatriæ, vel peccato consimili? Quod videtur per hoc, quod dicitur. (Deut. 14.) *Non vidistis aliquam similitudinem in Dei, qua locutus est vobis Deus de medio ignis: ne forte decepti, faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, aut fœminæ &c.* Et dicitur. (Deut. 5.) *Non facies tibi imaginem, aut sculptile, siue similitudinem &c.* Per quod designatur, quod facientes huiusmodi, peccant, & faciunt contra primum præceptum: sed facere contra primum præceptum, est peccatum idololatriæ: ergo hoc est peccatum idololatriæ. Similiter de procurantibus habetur. (Isa. 46.) *Qui confertis aurum de sacco, & argentum de statera ponderantes, conducentes aurificem, vt faciat Deum.* Procurare ergo vt fiant imagines huiusmodi, est peccatum idololatriæ.

¶ Contra, Ecclesia concedit facturam imaginum, & eas in ecclesia collocat: hoc autem non esset, si speciem idololatriæ prætenderet.

¶ Præterea, Ioan. Damas. (Dam. lib. 4 cap. 17.) *Honor imaginis ad prototypum peruenit: prototypum autem est, quod imaginatur; ex quo deriuatur quod fit.* Et iterum. (Idem.) *Dei genetricis imaginis non materiam sed figuram adoramus: honor enim qui est ad ipsam, ad eum qui est ex ipsa incarnatus, reducitur.* Si ergo honorationes imaginum conceduntur, & facturæ per consequens earum conceduntur.

¶ Item, in Exod. dixit Dominus ad Moysen, ꝙ faceret (Exod. 25.) Cherubin obumbrantia propitiatorium. Si ergo hoc cōcedebatur in Veteri Testamento, vt fierent imagines etiam rerum incorporearum; multo fortius in nouo Testamento conceditur vsus imaginum rerum incorporearum: & ita per consequens factura imaginum.

¶ Huius etiam gratia quæritur: vtrum similiter ante aduentum Christi poterant sine peccato fieri imagines rerum sacrarum, sicut & modo fiunt. Et videtur quod sic: quod n. pertinet ad cultum Dei, vel honorem sanctorum, morale est: sed facere huiusmodi imagines, & honorare, ad cultum Dei formē pertinet: ergo est morale: moralia a. non variantur: si ergo modo fiunt sine peccato, tunc potuerunt fieri sine peccato.

¶ Contra: Deus infigurabilis est: infigurabilis autem rei (Dam. lib 4 cap. 15.) quis potest facere imaginem? Et dicit Damas. *Insipientiæ summa, & impietatis est figurare Deum:* & in vet. Testam. non erat assuetus imaginum vsus: quia vero Deus factus est homo propter nostram salutem: & vere perambulauit terram: passus est, crucifixus est: excogitauerunt patres velut

quos-

quosdam triumphos in imaginibus exscribere ad velocem memoriam. Si ergo in nouo Testamento sunt concessæ imagines. Dicit etiam Damasce. *Accepimus Lucam Euangelistam pinxisse Dominum, & matrem eius.* Ex quibus & aliis pluribus exemplis arguitur : quod licitus est vsus imaginum in ecclesia. (Damas.)

¶ Ad quod dicendum est, quod facere imagines, duplici potest fieri intentione. Vel vt adorentur pro Deo : & hoc modo idololatræ aliqui adorabant imagines. Vel vt adorentur spiritus præsidentes in idolis: & secundum hunc modum est idololatria. Vnde Dam. *Græcorum sculptilia, quæ dæmonum erant imaginationes, abiectibilia & detestabilia existunt.* (Idem.)

¶ Si vero fiunt imagines rerum sanctarum intentione honorandi res sacras : & principaliter Deum colendi, qui est autor sanctificationis : secundum hoc facere imagines, vel procurare, non est peccatum, nisi admisceatur aliqua alia intentio peruersa.

¶ Illud autem, quod obiectum est, intelligitur de factura imaginum secundum intentionem idololatriæ. Additur etiam, quod ipsius Dei secundum diuinitatem nulla est facienda imago: vnde peccant, qui sub imagine repræsentare volunt trinitatem in vnitate, vt sic adoretur. In veteri etiam Testamen. prohibita fuit factura imaginum, ne vice Dei fieret veneratio : proni enim erant Iudæi ad idololatriam : sicut patet ex sacra scriptura : tum quia multum erant* sensibiles: tum quia inter gentes conseruabantur. (* Alias sensuales.)

¶ Quod autem in vet. Test. fiebant imagines Cherubin, hoc fuit propter hoc: quia angeli apparuerunt in corporalibus creaturis subiectis: non vt crederetur, ipsos angelos esse corporeas creaturas : Nullatenus autem concedebantur imagines, quales idololatræ faciebant, & colebantur: ne creatura pro Deo coleretur. In ecclesia autem modo imagines conceduntur rerum sacrarum : vtpote ipsius Christi hominis, in memoriam verbi pro nobis immolati: ipsius etiam crucifixi, in memoriam ipsius redemptoris, qui pro nobis est passus: vt qui scripturas non intelligunt, librum habeant, in quo respiciant. Vnde Dam. *Quia non omnes noscunt litteras, nec lectioni vacant: patres cogitauerunt, velut quosdam triumphos in imaginibus exscribere ad velocem memoriam; non secundum mentem habentes Domini passionem, imaginis Christi crucifixionem videntes, & salutaris passionis in rememorationem venientes, procidentes adoramus, non materiam, sed imaginatum.* (Damas.)

¶ Ad obiectum autem, quod colere Deum, & id quod pertinet ad culturam eius, est morale. Dicendum est, quod quædam sunt simpliciter moralia secundum omne tempus: sicut credere, & diligere Deum, & adorare: quæ ad cultum Dei pertinentia, secundum omne tempus sunt exhibenda: adorare vero mediantibus imaginibus est morale, sed non secundum omne tempus. Dico autem adorare Christum illa adoratione, quæ dicitur hyperdulia: quæ ad humanam naturam ipsius pertinet.

¶ Adhuc etiam quæritur: vtrum aliquis possit simulare se adorare creaturam sine peccato? Et videtur quod sic: per hoc quod dicit Hieron. *vtilem simulationem & in tempore assumendam Iehu Regis Israel nos doceat exemplum: qui non potuisset interficere sacerdotes Baal: nisi finxisset se idolum velle colere; dicens, Congregate mihi omnes sacerdotes Baal* : Achab seruiuit ei in paucis : ego seruiam ei in multis. Ex verbis ergo Hiero. possumus elicere, quod aliquis potest sine peccato mortali simulare se adorare creaturam. (Hieron.)

¶ Videtur etiam ex hoc, quod commendatur à Domino in hoc, quod destruxit sacerdotes Baal.

¶ Contra, simulatio huiusmodi est illicita: aut enim in verbo est, aut in facto. Si in verbo; erat ibi mendacium: mendacium autem in his, quæ sunt religionis, est mortale peccatum. Si autem in facto : exemplum poterat esse aliis perditionis: scandalum autem est dictum, vel factum, occasionem præbens ruinæ: vtroque ergo modo peccauit.

¶ Ad quod dicendũ, quod licet Iehu simulasset se adorare idola: non tamen ex hoc erat idololatra. Est enim simulatio verbo, & talis non pertinet ad genus idololatriæ, sed ad genus mendacii : & quia non fuit principaliter intentione fallendi, sed malum idololatriæ illius tollendi: ideo non dicebatur simpliciter mendacium. Nihilominus tamen peccauit sic dicendo , sed ipsa intentio tanti boni minuit ipsam simulationem : nec fuit aliis occasio ruinæ spiritualis : immo declaratio magis mali, quod latebat.

¶ Quod autem dicitur esse mendacium in his, quæ pertinent ad religionem, cum sit intentione fallendi. Hoc est, vt credatur quod non est credendũ in doctrina religionis sicut est de hæresiarcha, qui mentitur, vt alios ad errorem pertrahat.

¶ Quod autem dicitur Dominus commendasse Iehu, hoc fuit in destructione Baal & idololatrarum : non quod in omnibus placuerit, sicut etiam ibidem ostenditur.

MEMBRVM IV.

Quis sit idololatriæ effectus?

QVARTO quæritur de effectu idololatriæ : dicitur enim *Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis.* Sed hoc qualiter potest esse : cum causa efficiens differat à finali, & principium à fine. (Sap. 14.)

¶ Item, dicitur. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum : propter quod tradidit eos Dominus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelis afficiant corda sua in semetipsis.* Ergo idololatria causa fuit peccati contra naturam : sed hoc qualiter, cum maxime distent peccatum in spirituale, quod est infidelitatis : & peccatum carnale, quod est luxuriæ ? & maxime eius, quod est contra naturam? (Rom. 1.)

RESOLVTIO.

Vniuersorum malorum occasionem esse.

¶ Ad quod dicẽdum, quod idololatria dicitur esse causa omnis mali, per occasionem, non essentialiter. Non n. necesse est peccãtem peccato idololatriæ cadere in alia genera peccatorum: sed si in tantum desipit ratio humana, vt creaturam pro creatore colat, verisimile est, vt in aliis desipiat, in quibus propter delectationem alicuius boni mutabilis contemnitur maiestas Dei præcipientis.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur : quod idololatria est causa, initium, & finis omnis mali. Dicendum est, quod ex alia causa dicitur esse initium, & causa, & finis. Initium n. dicitur, quia ab illo peccato facta est inchoatio malorum in ipsis gentibus : causa vero, quia disponebat magnitudo illius erroris ad corruptionẽ erroris in aliis generibus peccatorum: finis vero, quia propter hoc vt placerẽt spiritibus in idolis præsidentibus, & ab eis impetrarent, secundum quod credebant, plurima mala perpetrabant.

¶ Ad vltimum dicendum, quod peccatum idololatriæ causa est, siue occasio peccati contra naturam : vt notetur, quod ad deordinationem hominis respectu naturæ vniuersalis, sequatur deordinatio voluntatis humanæ respectu naturæ particularis : & est illud peccatum non tantum peccatum, sed pœna peccati: & ideo dicitur, quod Deus tradidit eos in reprobum sensum, id est, permisit tradi. Inquantum enim est peccatum, est à mala voluntate hominis: inquantum autem est pœna; est à Deo, & recte punitur in illo: vt ex hoc intelligat enormitatem sui peccati. Si enim tanta enormitas est facere contra naturam increatam, à qua est principium esse humani.

MEMBRVM V.

Quam graue peccatum idololatria sit?

QVINTO quæritur de magnitudine huius peccati , & comparatione. Et primo videtur, quod sit maximum peccatum simpliciter. Secundo, quod sit maius quorumdam peccatorum comparatione.

¶ Quod autem sit maximum, videtur per hoc, quod dicitur Leu. 15. de muliere patiente fluxum sanguinis. Glo. *omne peccatum est immunditia animæ* : sed idololatria maxime. Quare idololatria est maximum peccatum. (Leu. 15. Glo. ibid.)

¶ Item, *Quæ fecit idola.* Glo. *Idololatria quasi maxima exprobratur.* (Ezech. 22. Glossa.)

¶ Item, *Cum reperti fuerint apud te.* Gl. *Lex errorem & idololatriam maxime detestatur: maximum enim scelus est honorem creatoris impendere creaturæ.* Ex quibus videtur, quod est maximũ. (Deut. 17. Glossa.)

¶ Quod etiam vr Thre. 1. *Peccatũ peccauit Hierusalem.* Gl. (Threno. 1. Glossa.)

Causam

inuentione Iudæorum. Potest ergo quæri, quid mouit Iudæos ad huiusmodi genus idololatriæ: cum Dominus prohibuisset, dicens, *Non habebis Deos alienos coram me?* Exod. 20.

RESOLVTIO.

Idololatria secunda mundi ætate cum inceperit, Christi ætate potissime desiit.

¶ Ad primum dicendum est: quod idololatria cœpit in ætate secunda propter multiplicationem hominum maximam, quæ tunc cæpit esse: sicut habetur Genes. 10. & diuidebantur gentes secundum diuersitatem terrarum: & corruptio generalis peccati intantum processerat successiue, vt inducerentur homines secundum prius & posterius ad diuersa genera peccatorum actualium: & tandem ad corruptionem fidei: vt sic vertex rationis corrumperetur. Vnde prima generalis corruptio fuit quantum ad concupiscentiam carnis: sicut habetur Gen. 6. secunda vero quantum ad concupiscentiam mundi: sicut habetur Gen. 10. de his, qui ædificauerunt ciuitates diuersas, & alios opprimebant: tertio vero fiebat corruptio per superbiam vitæ: sicut habetur Genes. 11. & ibidem in fine agitur de corruptione fidei per idololatriam: & tunc in humano genere ascendit corruptio actualis peccati vsque ad summū; quod est peccatum infidelitatis. Hoc autem non contingit in prima ætate: quia in illa non erant nisi duæ differentiæ hominum: aut Deo dediti, & illi vacabant cultui diuino omnino: aut dediti carni, & illi tantum vacabant carnis voluptati: quod licet Deum cognoscerent fide; tamen malis operibus carnis contradicebant.

Gen. 10. Gen. 6. Gen 10. Gen. 11.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet quidam homines tunc erant dediti sensibilibus: tamen nō ascendebant ad hoc, vt creaturam pro creatore venerarentur: propter recentem memoriam eius, qui fecit cælum & terram: quam ex disciplina patrum habuerunt.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet simplices essent quo ad hoc: quod tot non erant relicta in scripturis, ex quibus erudirentur: sicut in posterioribus temporibus fuit factum: meliora tamen naturalia habebant, quam homines qui postea fuerunt: & ex meliori ingenio naturali cū gratia, quæ tunc non defuit, poterant melius resistere machinationibus diaboli, quam in posteriori tempore; quantum est de bonitate naturalium.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur de differentia originis idololatriæ siue temporis apud Gentiles & Iudæos. Dicendum est, quod Iudæi diutius perstiterūt in fide propter doctrinam Abrahæ, & patriarcharum, quam à Deo acceperunt, hoc autem fuit, quia aliquos eligit sibi Dominus in omni tempore, in quibus voluit fidem creatoris & liberatoris seruare.

¶ Si vero quæritur, propter quid proniores erant tunc temporis ad idololatriam: cum Dominus loqueretur cum Moyse in monte Sina? Hoc fuit fortasse, quia propter moram eius in monte vacabant ocio, & multis alijs peccatis: quæ tandem inducunt ad infidelitatem, tanquam ad summum in genere peccati: & magis idololatrabant in vitulo conflatili, quam in alio genere idoli: propter memoriam idoli Ægyptiorum: colebant enim Ægyptii taurum siue bouem, Serapi consecratū. Serapis autem (sicut dicit Isid.) erat Ægyptiorum Deus: qui prius fuerat Rex Argiuorum, qui cum nauibus transiuit in Ægyptum, & occupauit eam & mortuus est ibi: & in honore tanquam Deus habitus est: Postea fingebatur, quod sub specie tauri egrediebatur quolibet anno de Nilo: & dabat responsa sacerdotibus Memphiticis: & imaginem huius capitis Iudæi in deserto sibi fecerunt. Postea etiam in recordationem illius fecit Hieroboam vitulos aureos, in quib. etiam postea filij Israel idololatrabant: sicut habetur 3. Reg. 12. Et quicquid esset de aliis idolis, ista erant idola principalia Iudæorum.

Obiectio. Idem qui Græcis Plutus. 3. Reg. 12.

¶ Deinde quæritur de tempore cessationis. Videtur enim quod cessauerunt idola per aduentum Christi, & publicationem Euangelij: sicut habetur super illud. *Quæ fuerunt, nunciate.* Gloss. *Notandum post Christi aduentum conticuisse idola, futurorum scientiam promittentia.* Et iterum ibidem. *Christo potestatem ecclesiæ nunciante, & veritatem monstrante; ipsi errores vento & turbini comparabantur.* Similiter videtur expresse per hoc, quod dicitur. *Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum: & mouebuntur simulachra Aegypti.*

Isa. 41. Glossa. Eadem ibidem. Isa. 19.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod legitur in Act. 14. De sacerdotibus Iouis, & 19. de cultura Dianæ: & sicut legitur in Chronicis: plures etiam post aduentum Christi, & fidem prædicatam idola coluerunt. Act. 14. & 19.

¶ Ad quod dicendum est: quod tempus cessationis idololatriæ & causa fuit ex aduentu Christi, & ex publicatione Euangelij, vt in pluribus: & quia nondum facta est publicatio apud aliquas gentes: forte apud illas remanet idololatria. Nec hoc est contrarium, quod idola perstiterunt post aduentum Christi, & prædicationem Euangelij: quia quidam noluerunt recedere ab idolis propter sui pertinaciam: immo persecuti sunt vsque ad mortem credentes Christum, quousque Dominus per miracula in sanctis suis coruscauit, & infidelitatem euacuauit.

MEMBRVM VII.

An cum idololatris communicandum fuit?

Septimo quæritur, Vtrum communicandum fuit cum idololatris. Quod non, videtur per hoc, quod dicitur super illud. *Mulier, quæ redeunte mense, &c.* Gl. *Sic oportet ab idololatria abstinere, vt nec idololatras, nec eorum discipulos, vel fautores; quibus quasi lectis vel vasis vtuntur; contingamus: nec cum eis communionem habeamus.* Ergo non fuit communicandum cum eis. Leuit. 15. Glossa.

¶ Similiter dicitur super illud. *Reperti fuerunt apud te,* &c. Gloss. *Lapidibus iubet idololatras obrui: quos irreuocabili sententia damnandos esse præuidit.* Non ergo tantum separandi erant à communione: immo grauissima morte puniendi. Deut. 17. Glossa.

¶ Simile habetur in Deuter. vbi exprimitur causa, cum dicitur. *Non inibis cum eis fœdus, neque misereberis eorum: nec sociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius, nec econuerso: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt seruiat diis alienis.* Deut. 13. & 17.

¶ Similiter dicit Apost. *Non potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ dæmoniorum.* Et præmittitur. Nolo vos fieri socios dæmoniorum. 1. Cor. 10.

¶ Contra. Chrysost. *Ad mensam Paganorum si volueris ire, sine vlla prohibitione permittimus: si enim quis frater nominatur inter vos, fratrem in hoc loco fidelem intellige: cum autem de Paganis ageret, non ita. Sed si quis vos vocauerit de infidelibus, Paganos signās, & vultis ire: omne, quod apponitur vobis, comedite.* Ergo poterant communicare in cibo cum Paganis: sed illi colebant idola: ergo cum his poterat esse communio: licet non in ratione idololatriæ. Chrysost.

¶ Item, August. *Infideles non possumus Christo lucrari, si colloquium eorum vitamus & conuiuium:* ergo potuit esse communio cum infidelibus, qui tamen idola colebant. August.

RESOLVTIO.

Cum idololatris, naturalem legem insequentibus communicandum vtique fuit: modo nedum Christi contumelia non intercideret, sed animarum potius lucrandarum spes assoret. Secus de idololatris in idololatria persistentibus, & de eorum salute vtcunque desperantibus fidelibus.

¶ Ad quod dicendum: quod quidam Pagani erant, qui non colebant idola, sed sequebantur legem naturalem, habentes fidem creatoris: & cum talibus poterat esse communio: nisi ipsi insisterent ad pertrahendum in cōtumeliā Christi: & de talibus potest intelligi quod dicit Chrysost. Ratio autem ponitur ab August. vt sic fideles possent lucrari infideles Deo: hoc autem fuit illo tempore, quo infideles patiebantur fideles secum cohabitare sine contumelia Christi, & sine periculo propriæ personæ. Illi vero Pagani, qui colebant idola, & in idololatria erant; obstinati erant, cum quibus non fuerat communicandum: & secundum hoc dicit Apostolus. *Non potestis fieri participes mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum.* Licet enim infideles huiusmodi patienter sustinerent Christianos secum: tamen propter periculum infirmorum infidelium, qui possent scandalizari, si 1 Cor. 10.

quasi in infidelitatem ceciderunt. Præterea, ratione operis operati, scilicet sacrificiorum erat conuenientia cum idololatria. Ratione etiam promptitudinis ad sacrificandum, & ipsius superstitionis in sacrificiis. Iudæis tamen non est tantum peccatum modo adhærere legi, quantum fuit peccatum eorum, qui idolis adhæserunt.

MEMBRVM III.

An permittendum sit, Iudæos ritus suos nunc temporis celebrare?

TERTIO quæritur, Vtrum permittendi sint ritum suum in solennitatibus & aliis obseruare? Quod non, videtur: peccant enim mortaliter in celebrando ritus suos, cum iam tempus legalium transierit: & dicit Hieronym. quod *legalia mortifera sunt obseruantibus*: & in hoc concordat Aug. restat ergo quod peccant mortaliter obseruando: cum ergo ecclesia non obuiet huiusmodi facinori, videtur consentire: maxime cum possit obuiare: qui enim manifesto facinori desinit obuiare, cum possit, consentire videtur: sicut dicit August. peccat ergo ecclesia. Restat ergo quod ecclesia permittere non debet, quod Iudæi in solennitatibus legalibus suos ritus obseruent.

Hieron.

August.

¶ CONTRA: videtur, quod ecclesia det eis autoritatem, dum præcipit eos non impediri à custodia suarum solennitatum: sicut habetur in dist. 45. vbi dicitur. *Omnes festiuitates feriasq; suas, sicut hactenus ipsi & patres eorum per longa colentes tempora tenuerunt: liberam habeant obseruandi celebrandique licentiam.*

Dist. 45. Qui syncere. B. Greg. in Regist. lib. 1. cap. 15. Extrauag. de Iudæis & Saracen. cap. Sicut Iudæis.

¶ HOC etiam videtur per hoc, quod dicitur Extrauag. vbi dicitur. *Præsertim in festiuitatum suarum celebratione nullatenus quisquam eos fustibus, vel lapidibus perturbet.* Sed ecclesia non dat autoritatem peccandi: ergo non peccant suas solennitates celebrando: permittendi ergo sunt in huiusmodi ritibus.

¶ QVOD etiam videtur per hoc, quod dicit Greg. *Quid vtilitatis est arcere Iudæos à solennitatibus suarum feriarum? quando & si contra longum vsum fuerint vetiti, nil ad fidei conuersationem illis proficit. Aut cur Iudæis qualiter suas cerimonias colere debeant, regulas ponimus: si per hoc eos lucrari non possumus? Agendum est ergo, vt potius ratione & mansuetudine sequi nos velint, non fugere.* Ex quo accipitur, quod permittendi sunt suas solennitates obseruare.

Gregor.

RESOLVTIO.

Ne deterius quid contingat, & aliquo modo bonum eliciatur: tolerandi sunt Iudæi ritus suos seruare.

¶ AD quod dicendum: quod permittendi sunt permissione tolerantiæ: sicut habetur in extra. vbi dicitur: quod *pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis in suis obseruantiis tolerantur: si enim prohiberentur suos ritus seruare, iam quasi ad fidem cogerentur, coacta autem seruitia Deo non placent.* Præterea dicit Gregor. *Quorum mentem reddita ratio ad plenum non potest prouocare si asperitatibus cogerentur, procul pelleret auersitas.*

Extrauag. Cōsuluit.

Gregor.

¶ AD obiectum autem in contrarium est dicendum: quod licet ecclesia ita permittat, non tamen consentire dicitur: quia ille consensus, qui reputatur in peccatum, intelligitur de delictis manifestis, vbi tenetur ad correctionem illorum, qui subiiciuntur sibi: vel in vno fidei vinculo sunt cum ipsa: hoc autem non habet locum in hac parte: & ideo non dicitur cōsensus, sed permissio tolerantiæ, ne deterius contingat, & vt aliquo modo bonum elitiatur.

MEMBRVM IV.

An Iudæi vi compellendi sint ad fidem?

QVARTO quæritur, Vtrum ad fidem comminationibus & pœnis aliquibus sint compellendi? Quod non, videtur: dicitur enim in Concilio Tolet. de Iudæis. *Præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se Dei gratia propria mentis conuersione quisque credendo saluatur.* Non ergo vi impellendi sunt, sed potius suadendi. Et hoc idem dicit Greg. Restat ergo quod non sunt ad fidem cogendi.

Concil. Tolet. 4. Canon. 55.

¶ ITEM, dicit August. *Inuiti aliquid facere possumus, credere tamen non possumus, nisi voluntarij.* Per compulsionem ergo nullus ad fidem ducendus est.

August. Tract. 26. in Ioan.

¶ CONTRA, August. *Beneficentiæ consolatione, vel disciplinæ correctione adducat homo proximum ad colendum Deum.* Disciplina autem intelligitur per verbera: ergo verberibus aliquis ad fidem est ducendus.

August. ad Macedo.

¶ ITEM 23. q. 6. dicitur quod flagellis tribulationum mali sunt cohibendi à malo, & prouocandi ad bonum. Ergo flagellis quis ad fidem est cogendus.

23. q. 5. Iam verò.

¶ PRÆTEREA, in Cano. legitur quod aliqui ad Christianitatem cogebantur, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuci.

RESOLVTIO.

Qui ex Iudæis aliquando crediderunt, profecto vi ad tenendam fidem cogendi sunt. Qui vero nunquam crediderunt, nequaquam compellendi sunt.

¶ AD quod dicendum: quod aliter intelligitur de conuertendis ad fidem, qui nunquam crediderunt: & aliter de his, qui aliquando crediderunt, sed à fide recesserunt, vel eam contempserunt. Si enim intelligitur de his, qui nunquam crediderunt, non sunt omnino cogendi. Si vero aliquando crediderunt, compellendi sunt fidem seruare, vel ad fidem redire: & hoc modo intelliguntur prædictæ autoritates. Distinguendum est autem, quod duplex est coactio: absoluta, & conditionalis. Absoluta coactione nullus est cogendus, qui nunquam credidit: & secundum hoc intelliguntur autoritates, quæ de hoc loquuntur: non enim hoc modo habetur fides, nec character baptismalis imprimitur: sicut habetur *extra. de bap. & eius effectu.* Si vero est coactio conditionalis, sicut per minas, vel per verbera: hoc modo aliqui fidem recipiunt, & charactetē baptismalem, quia adest voluntas: & hoc modo aliquando aliqui fuerūt compulsi: & tales compellendi sunt tenere fidem, quam necessitate susceperunt: ne nomen Domini blasphemetur: & fides, quam susceperunt, vilis & contemptibilis habeatur: sicut habetur in dist. 45. de Iudæis.

Extrau. de baptismo.

¶ OCCASIONE huius quæstionis quæritur. Vtrum illi, qui veniunt ad fidem de Iudæis, cito sunt recipiendi, aut non. Et similiter potest quæri de Paganis? Et videtur, quod non: per hoc quod dicitur in dist. 4. vbi dicitur: quod *septem menses inter catechumenos ecclesiæ legitimi introeant; & si pura fide venire noscuntur: tunc demum gratiam baptismi mereantur.* Hoc idem habetur ibidem. vbi dicitur, quod abstinentia 40. dierum est indicta. Vtrobique ergo magnum spacium datur ad probationem, & causa pœnitentiæ peragendæ.

Quæst. lateralis.

Dist. 4. de cōs. Iudæi Ibidē. Ne quid absit.

¶ SIMILITER videtur contrarium per hoc, quod dicitur Actuum 2. vbi Petrus loquitur de Iudæis, dicens, *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Cum ergo cito essent baptizati, exemplo illius non videtur quod tantum differenda sit susceptio ad fidem, siue sacramentum fidei, quod est baptisma.


Actuū 2.

¶ SIMILITER habetur Act. 10. vbi dicitur à Petro. *Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui acceperunt spiritum sanctum?* Et iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi. Eodem modo habetur de eunucho. Act. 8. Ex his ergo videtur, quod non tanta conueniat dilatio.

Actuū 10.

Act. 8.

¶ AD quod dicendum est: quod aliter fuit in primitiua ecclesia in parte: & aliter in progressu ecclesiæ. In primitiua enim ecclesia erat donum Spiritussancti, quod in visibili signo demonstrabatur in credentibus: signa etiam alia erāt manifestantia fidem in ipsis: propter quod non oportebat differre sacramentum fidei. Sed in progressu ecclesiæ, vbi non erant huiusmodi signa manifestātia, vel vehementem fidem arguentia: & latebat, vel latere poterat fictio cordis; necessaria fuit dilatio temporis: vt fieret probatio fidei & catechismus, per quem fieret habilitatio ad baptismum. Et ideo secundum diuersa tempora diuersus præfigebatur terminus secundum prius & posterius, vt constaret de fidei habilitatione, & tolleretur facilitas redeundi ad vomitum. Huiusmodi autem terminus relinquitur in iudicio discreti prælati, secundum quod plus vel minus videbitur expedire.



QVÆSTIO CLXII.

De conuersatione Christianorum cum Iudæis & Paganis.

In quatuor Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 9. & 10.

DEINDE quæritur de conuersatione Christianorum, quæ fit cum Iudæis & Paganis. Et primo quæritur, vtrum ecclesia iudicare debeat ipsos infideles, aut non pertineat ad ipsam iudicare. Secundo, vtrum Iudæi, vel Pagani possint Christianis præesse, vel non. Tertio, vtrum compellendi sint soluere decimas prædiales, vel alia, quę solent soluere Christiani, habitantes in domibus, vel commorantes in terris, quæ sunt infra limites alicuius ecclesiæ? Quarto, vtrum Christiani possint habere mancipium Iudæum, vel Paganum: & si habendo peccent.

MEMBRVM I.

An ecclesia iudicare habeat infideles?

1. Cor. 6.

AD primum sic: dicit Apost. *Quid mihi de his, qui foris sunt: iudicare?* Foris autem dicũtur esse infideles: ergo de his non habet ecclesia iudicare.

¶ CONTRA, Papa iudicat de hæreditate restituenda conuersis ad fidem: imponit etiam pœnam ipsis Iudæis, subtrahendo à communione Christianorum: statuit etiam pœnas infligendas ipsis Iudæis, qui de infidelibus baptizatos subuertere attentauerunt: ergo ecclesia iudicat de his, qui foris sunt, scil. Iudæis: videtur ergo facere contra ordinationem Apostoli.

RESOLVTIO.

Et quidem iudicio pœna corporalis, sed minime iudicio pœna spiritualis.

¶ AD quod dicendum est: quod duplex est iudicium ecclesiæ: vnum quo ad pœnam spiritualem: alterum quo ad pœnam corporalem siue pecuniariam. Non est ecclesiæ iudicare eos, qui foris sunt, vt pœnam spiritualem eis infligat, vel regulas religionis imponat: potest autem pœnas tẽporales eis infligere, vel etiam spirituales indirecte, remouẽdo Christianos ab eorum communione. Iudicat autem ecclesia de illis in pluribus casibus: Repellit eos à legitimis actibus: sicut habetur 2. quæst. 7. Repellit etiam eos à potestate publica. *dist.* 54. Ne habeant Christianum mancipiũ, vt extra de Iudæis. Ne synagogas nouas construant: sicut habetur *extra. Consuluit.* Ne ex testamento Christiani aliquid habeant 24. q. 2. Vt Christianos testes contra se recipiant: *extra de testi. Iudæi.* Vt in die Parasceues fenestras non aperiant: *extra. Quia super his.* Vt excedentes contra fidem vel bene moribus subijciantur. Et sic pluribus modis iudicat ecclesia eos, qui foris sunt. Nec tamen facit ecclesia contra verbum Apostoli, quod intelligitur de pœna spirituali directe, cui non subiiciuntur infideles: cum careant vnitate fidei ecclesiasticæ.

2. q. 7. Alieni
dist. 54. Nulla officia.
Extrau. de Iudæis c. Iudæi.
24 q. 2. Sane.

MEMBRVM II.

An Iudæi, vel Pagani Christianis præesse possint?

SECVNDO quæritur, Vtrum Iudæi, vel Pagani possint præesse Christianis, vel non. Et videtur quod sic: per hoc quod dicit Apost. *Quicunque sunt sub iugo serui Dominos suos omni honore dignos arbitrentur* Gl. *Sub iugo infidelium.* Non ergo negat Apostolus, quin infideles poterunt præesse fidelibus.

1. ad Tim 5 Glossa.

¶ ITEM, *extra. de Iudæis. Quia colendis terris eorum diutius adhæserant, vtpote conditionis loci debentes, ad colenda rura remaneant: conjunctas personas prædictis viris præbentes.* Possunt ergo Iudæi præesse Christianis.

Extrauag. de Iudæis Mul. orũ

¶ ITEM, possunt accipere precium de Christianis mancipiis emptis: quod non esset, nisi possent aliquo modo præesse eis: sicut habetur dist. 54. Videtur etiam per hoc, quod dicit Gelasius 17. quæst. 4. vbi dicitur: quod *diligenter vestra cura rerum fideliter examinet veritatem; quatenus nec religio temerata videatur, nec seruus hac abiectione mentitus competentis Domini iura declinare contendat.* Ex quo videtur, quod seruus, de quo non constat esse Christianum, à dominio Domini sui non est eximendus.

dist. 54. Fraternitatem. Gel. 17. q. 4.

¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicitur *extra. Multorum:* vbi dicitur. *Nulli Iudæo licet Christianum mancipium in suo dominio retinere, sed si qui apud eos inueniuntur, libertati seruetur.* Et dicit Gregor. *Mancipia Christiana quæcunque Iudæum pa-tuerit comparasse, ad libertatem iuxta legum præcepta sine ambiguitate perducite: ne (quod absit) religio Christiana Iudæis subiecta polluatur.* Extrauag. multorũ Gregor.

¶ ITEM, *dist.* 54. *Nulla officia publica Iudæis iniungantur, per quæ eis tribuatur pœnam Christianis inferre.* Hoc autem factum est, ne Christiani Iudæos habeant Dominos. Dist. 54.

¶ SIMILITER habetur *extra de Iudæis.* vbi inhibetur, ne Christiani Iudæorum seruitio se pro aliqua mercede exponant assidue. Et hoc idem habetur ibidem, cum dicitur. *Iudæi siue Saraceni, &c.* Sed quæ ratio est, vt propter fidem Christianam auferatur ab eo ius in seruum: cum seruitus sit de iure diuino introducta: & iure etiam Canonico approbata? nulli autem iniuriam facit religio Christiana. Extrau. de Iudæis. Ad hoc omnibus.

RESOLVTIO.

Ne Christiana fides detrimenti quidpiam patiatur: nullatenus Iudæum, vel Saracenum Christianis præesse permittatur.

¶ AD quod dicendum est: quod non permittitur Christianus seruire Iudæo propter Christianæ religionis vitandum detrimentum: sicut habetur extra de Iudæis. Ad hoc omnibus, vbi dicitur. Iudæorum mores & nostri in nullo concordant: & ipsi de facili ob continuam conuersationem & assiduam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos possunt inclinare. Hac etiam ratione si aliqui fuerint eorum serui, à seruitio eorum liberentur: aliquando dato precio: aliquando nullo dato precio. Seruus enim Iudæi aut est vernaculus, aut emptitius. Si vernaculus: si sit, vel velit fieri Christianus; eripitur statim in libertatem, nullo precio dato: sicut habetur. *Cap. de captiuis. l. si. & dist.* 54. Si vero fuerit emptitius: aut erat Christianus, quando fuerat emptus: aut Paganus. Si Christianus, liber efficitur, nullo precio dato: sicut habetur *dist.* 54. *Mancipia*, est Iudæis interdictum commercium Christianorum & lege poli, & lege fori. Si autem fuit Paganus: aut emptus est causa seruitij: aut causa mercimonij. Si causa seruitij, & vult fieri Christianus, liber efficitur sine precio *dist.* 54. *Fraternitatem.* In secundo vero casu si infra tres menses non exposuerit eum venalem, postea si fieri vult Christianus, liberatur sine precio: quia præsumitur quod ad seruiendum eum emerit. Si autem exposuerit eum venalem infra illum terminum, & ille fieri vult Christianus tunc, vel post: dummodo non steterit per Dominum, quo minus venderet eum: liberatur, reddito precio, duodecim solidorum ab aliquo CHRISTIANO. *distinct.* 54. *& extra. [illegible] Concilio. Si tamen Iudæus volentem fieri Christianum circumciderit, vel alterius sectæ signaculum impresserit: pro iniuria proprij corporis, sine precio liberatur.* distinction. 54. Nulla, vbi dicitur: *quod si qui Christiani ab eis Iudaico ritu sunt maculati, vel etiam circumcisi, non reddito precio ad libertatem & religionem redeant Christianam: lex autem humana grauiorem pœnam infligit.* Quod autem dictum est de seruis Iudæorum, hoc potest dici etiam de seruis Saracenorum: eadem enim suspicio, & idem periculum potest esse in vtrisque.

C de capt l. fi. & dist 54. Fraternitatem.
Ibidem.
Dist. 54. Fraternit. & extra. Præsenti Concilio. D. dist. 54. Nulla.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum: quod illud Apostoli intelligitur pro statu primitiuæ ecclesiæ: & vt allicerentur per obsequia seruorum fidelium Domini infideles ad fidei conuersionem. Vnde dicit Gl. *Patum per obsequia seruorum fidelium Domini infideles conuertantur.* Sed ibidem additur in Texto, *Ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.* Gl. *quasi aliena inuadentis, & doctrina Christiana videatur quasi iniusta.* Secundum ergo illam rationem videbitur aliquis, & nõ sic sit faciendum. Sed ad hoc respõdendum est: quia alia ratio

Glossa.
Gl. ibid.

reformat

reformat pactum. Nunc n. non debent seruire, ne nomen Domini blasphemetur: ita n. sunt Iudæi & Pagani proni ad hoc quod trahant fideles ad perfidiam siue apostasiam. Propter quod cohabitatio cũ Iudæis & Paganis (nisi causa prædicationis) est interdicta: ne nomen Domini blasphemetur. Neq; doctrina Christiana ex hoc iniusta debet videri, cum cautela fidei omnibus sit præponenda.

¶ Ad secundũ vero dicendũ, quod licet possent Christiani excolere prædia Iudæorum: non tamen debent seruire Iudæis in domo sua, ne contrahatur mala familiaritas. Et non ex hoc dicuntur rectè præesse eis tanquam seruis: quia non possunt eos ad alium locum, vel ad aliud seruitium transferre: sicut dicitur *Extrau. de Iudæis*. Et hoc factum est in fauorem Christianorum, non Iudæorum: quod prædia, vel terras emptas à Iudæis possint excolere, eo quod in illis terris prius habitabant. (Extrau. de Iudæis, *Multorum*.)

¶ Ad tertium vero dicẽdum est, quod licet possint accipere pretiũ seruitutis: nõ tamen pro Christianis iam existentibus, sed pro paganis, qui volunt fieri Christiani. *Lege enim poli* mancipia Christiana à seruitute Iudæorũ liberantur; ne sit periculum fidei Christianæ. In fauorem etiã fidei Christianæ quibusdam volentibus suscipere Christiani libertas conceditur.

¶ Id aũt, ꝙ dicitur 17. q. 4. nõ expresse dat intelligere, ꝙ fuerit Christianus, sed quod dixerit se ab infantia Christianum: & quod à præfato Domino signaculũ circumcisionis esset ei infixum: quod si esset, à seruitute liberetur: si vero non fuerit Christianus: non per hoc quod confugit ad Ecclesiam (nisi velit fieri Christianus) à seruitute est liberandus: & hoc videtur ille Canon dicere. Vnde non introducitur pro Domino Iudæorũ, sed pro Domino Christianorum: quidam n. volebant fraudare Dominos suos à iure suo, confugientes ad Ecclesiæ secreta.

¶ Ad vltimum dicendum, quod Ecclesia Catholica nullam intẽdit facere iniuriam: sed hoc ordinauit, ne Deo fiat iniuria: iniuria autem fieret Deo, si fides in aliquo periclitaretur occasione iustitiæ temporalis seruandæ.

MEMBRVM III.

An Iudæi compellendi sint ad soluendas decimas prædiales, & huiusmodi?

Tertio quæritur: Vtrum compellendi sint Iudæi soluere decimas prædiales, vel alia quæ solent soluere Christiani habitantes in domibus, vel cõmorantes in pratis, quæ sunt infra limites alicuius Ecclesiæ. Quod videtur. Ecclesiæ n. nullatenus iure suo sunt fraudandæ; fraudarẽtur autem, si Iudæi terram detinerent, & decimas non soluerent: ergo compellendi sunt ad solutionem.

¶ Præterea, præceptum fuit in lege Moysi, quod filij Israel soluerent decimas Leuitis. Similiter dicitur: *Inferte omnem decimam in horreum meum*: 2. Paralip. 31. vbi dicitur: quod offerebant Deo decimas de omnibus, quæ gignit terra. Cum ergo Iudæi teneãtur ad solutionem decimarũ, nec aliquo priuilegio eximantur; cum deterioris conditionis sint, & esse debeant ratione peccati, quam fuerint tempore legis; tenebuntur nunc ad solutionem decimarum. (Malach. 3.)

¶ Et si forte dicerent: quod suis leuitis tenerentur reddere. Contra hoc est, quod Leuiticum Sacerdotium cessit ipsi Sacerdotio Christi: sicut habetur: *Translato Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.* Dicitur etiam in Dan. Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit vnctio vestra. Adueniente ergo Christo, cessare debuit vnctio regalis & sacerdotalis: ergo solutio decimarum facienda fuit sacerdotibus nouæ legis. (Hebr. 7.)

¶ Præterea, decimæ redduntur Deo de terris in memoriam beneficij in multiplicatione fructuum singulis annis: limitatæ autem sunt terræ secundum distinctionem Ecclesiarum: ergo ratione prædiorum siue terrarum soluendæ sunt decimæ à quibuscunque possidentibus: ergo Iudæi si possideant terras, decimas tenentur soluere Ecclesiis.

¶ Contra. Iudæi nihil habent nisi de vsura, vt in pluribus: de vsura autem nihil debet Ecclesia percipere: ergo (vt videtur) nec debet percipere de terris, quæ vsuris emptæ sunt.

¶ Item, dicitur: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Et iterum: *Qui offert de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Et iterum: *Dona iniquorum non probat altissimus.* Cum ergo isti non habeant nisi dona iniquorum: non debent esse accepta ab Ecclesia quæ recipit vice altissimi. (Ecclesi. 34. Ibid. Ibid.)

RESOLVTIO.

Stantibus tum honestate, cum indemnitate Ecclesiarum, compellendi sunt Iudæi prædiales decimas soluere. Secus si honestas rueret, nec enorme damnum inde illis eueniret.

¶ Ad quod dicendum, quod decimæ quædam sunt prædiales, & quædam sunt personales. Decimæ vero prædiales, & quicquid occasione prædiorum solebant Ecclesiæ percipere, possunt Ecclesiæ petere etiã à Iudæis ratione prædiorum, quæ ab eis possidentur: sicut habetur extra de decimis. De terris, vbi dicitur: quod Iudæi cõpellendi sunt ad decimas persoluendas de terris, quas colunt; vel ad possessiones penitus renunciandas: ne forte Ecclesiæ illa occasione suo iure valeant fraudari. Similiter habetur extra. de vsuris. Quanto: vbi dicitur: quod Iudæi compellendi sunt ad satisfaciendum pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus recipere cõsueuerunt: vt sic Ecclesiæ conseruentur indemnes. Non quod de vsuris aliqua accipiantur, siue de illicitè acquisitis: vel quod oblationes recipiantur in Ecclesia ab ipsis Iudæis: sed de licite acquisitis ab eis ratione domorum, quas incolunt: ne Ecclesia enormiter lædatur: si tamen honestas Ecclesiæ in hac parte seruetur. Si vero repugnaret honestati, nec enormiter læsa esset Ecclesia: ad vitationem scandali esset supersedendum.

¶ Et per hoc potest solui obiectum in cõtrarium: quia de vsuris inquantum huiusmodi non potest Ecclesia decimas vel oblationes petere. Et licet terræ de vsuris essent emptæ: nihilominus Ecclesia potest petere decimas: quia ille, qui vendidit, non poterat vendere, nisi quod habebat iuris: res autem ipsa transit cum onere suo.

¶ Ad secũdum dicendum, quod licet oblationes, vel dona non sint accepta Deo, inquantum ab iniquis offeruntur: ea tamen, quæ debentur, ratione qua debẽtur, sunt accepta, si soluantur: vnde secundum quid accepta sunt, secundum quid non sunt accepta: ipsa tamen actio, quæ à peruersa voluntate egreditur, nõ est accepta. Cum autem ex rapina vel vsura aliquid offertur, nõ est acceptum: quia non de suo offert: sed restitutio eius, inquantum sic est, esset accepta.

MEMBRVM IV.

An Christiani Iudæum, vel Saracenum in mancipium habere possint?

Qvarto quæritur: Vtrum Christiani possint habere Iudæum, vel Saracenum mancipium? Quod videtur per hoc, quod dicitur 23. q. 8. *Dispar.* vbi dicitur de Saracenis, & in *extra. de Iudæis*: vbi dicitur, quod Iudæi submissi sunt ex propria culpa perpetuæ seruituti. Ergo Christiani possunt habere Iudæum vel Paganum mancipium. Hoc etiam obtinet consuetudo in partibus remotis. (23. qu. 8. *Dispar.*)

¶ Contra 28. q. 1. dicitur: *Quicunque ex his, qui baptizati sunt, amodo infidelium consortia non vitauerint, & hi Christianis donentur, & illi publicè cædibus deputentur.* Et ibidem. *Nullus clericus, aut laicus cum Iudæis habitet.* Et rationem videtur Apostolus dicere. 1. Corinth. 16. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* (28. q. 1. Ibid.)

RESOLVTIO.

Et quidem in mancipium, sed minimè in familiarem, & intimum.

¶ Ad quod dicendum: quod licitum est Christianum habere subditum paganum vel Iudæum: non tamen debet habere familiaritatem cum ipso: sicut habetur Extra. de Iudæis. Ad hoc: nimia enim familiaritas posset

huiusmodi credulitate, hæreticus dicitur: licet ab Ecclesia nō sit separatus per sententiam. Dicit enim Hierony. *Quicunque scripturam aliter intelligit, ad est, contrariè, quam sensus Spiritus sancti efflagitat; licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellatur.*

Hiero sup. Epistolam ad Galatas.

¶ Item, super illud. *Non quod sufficientes simus*, &c. habetur in glos. *quod fides est cogitare de his, quæ credenda sunt cum assensione rectâ.* Ergo per oppositum hæresis est, cogitare aliquid de credibilibus assensione non rectâ. Sed hoc potest aliquis facere, & non aliqua prædicta intentione: ergo superuacuū videtur esse in diffinitione, quod dicitur [*alicuius temporalis commodi*, &c.

2. Cor. 3. Glossa.

¶ Item, videtur quod non sufficiat ad esse alicuius hæretici, quod hæc omnia concurrant: ad hoc n. quod iudicetur hæreticus, requiritur quod sit pertinax in opinione falsa, siue in defensione erroris: sicut habetur super illud. *Audio inter vos esse scissuras.* Glos. *Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid prauumq; sapiunt, & resistunt pertinaciter prauaq; sua dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.* Sed hoc non videtur ex prædicta diffinitione: ergo prædicta diffinitio non est sufficiens.

1. Cor. 11. Glossa.

¶ Ad quod dicendum, quod nomen [*hæretici*] aliquādo sumitur communiter aliquando propriè, & aliquando propriissimè. Communiter, cum dicitur quod *hæreticus potest dici quicunque scripturam aliter intelligit, quā sensus Spiritus sancti efflagitat.* Propriè secundum *quod hæreticus dicitur quicunque alicuius temporalis commodi*, &c. Propriissimè, cum superadditur *pertinacia in defendendo falsitatem, vel impugnando veritatem.*

¶ Et per hoc potest intelligi, quod obiectum est. Tria n. concurrunt ad perfectā hæresim, ipsa falsa credulitas, quæ est ex parte rationis: & peruersa voluntas, quæ est ex parte cōcupiscibilis, & pertinax defēsio siue impugnatio, ex parte irascibilis. Diffinitio autem Hieron. attenditur secundum primum: diffinitio vero Aug. quo ad primum & secundum: illa vero, quæ ponitur in glo. secundum tertium attenditur, suppositis duobus præcedentibus, & potest dici hæreticus secundum diffinitionem Hieron. licet non sit hæreticus secundum diffinitionem August. & licet non intendat temporale lucrum, vel temporalem gloriā, aut principatum: nihilominus pōt incurrere peccatū hæreseos, sed hoc dicitur propter id, quod frequentius accidit: frequenter n. accidit quod hæc faciunt istis de causis. Si vero aliquis ignoranter crederet, quod non esset credēdum de his, quæ pertinent ad sacram scripturam (non dico quo ad articulos fidei) nec pertinaciter defēderet, imo crederet ad Catholicam fidem pertinere: non est talis dicendus hæreticus. Vnde Aug. *Si aliquis hoc idem sentiat de Christo, quod Fotinus opinatus est, sed in Ecclesia Catholicā baptizatur, & hoc credat esse fidem Catholicam: nondum dico esse hæreticum, nisi manifesta doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.*

Aug in lib. de baptismo cōtra Donatistas.

¶ Ad secundum dicendum, quod cogitare contrarium fidei cum assensione, est peccatum hæreseos: licet non intendat aliquod prædictorum, cum facit hoc scienter: sed non punitur tam manifeste ab Ecclesia; nisi cum fit pertinaciter.

¶ Ad tertium dicēdum: quod illa ratio hæretici intelligitur de illo hæretico, qui iam dignus est, vt præcidatur ab Ecclesia. Quanta autem debeat esse pertinacia, in *Decret. Tit. de hæreticis*, iam determinatur.

MEMBRVM II.

An hæresis, & Simonia idem sint?

CVM iam dictum sit de quidditate hæreseos, Secundo quæritur de differentia eius ad ea, cum quibus videtur conuenire. Et primo de differentia eius ad simoniam: videtur autem, quod simonia sit hæresis: dicit enim Gregor. *Quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc, vt fiat hæreticus promouetur.* Ex hoc ergo quod per pecuniam ordinatur, hæreticus est, sed talis simoniacus: ergo simoniacus inquantum huiusmodi est hæreticus: ergo simonia est hæresis.

Gregor. in registro.

¶ Contra, omnis hæreticus deuiat ab aliquo articulo: non sic aūt omnis simoniacus: ergo simoniacus non est hæreticus.

¶ Similiter potest obijci de schismate quod sit hæresis: dicit enim Aug. *nullum schisma est, nisi aliquam hæresim cōfingat, vt rectè ab Ecclesia videatur recessisse.* Ergo schismaticus est hæreticus, & ita schisma hæresis. August.

¶ Item, schisma dicit diuisionem suo nomine: hoc etiam habetur in nomine hęresis: nisi ergo superaddatur aliquid vtrobique, per quod vnum differat ab altero: conuenienter dicetur schisma hæresis. Σχίσμα ἀπὸ τοῦ σχίζω. Αἵρεσις ἀπὸ τοῦ αἱρῶ, vel αἱρῶ.

¶ Item, quicunq; deuiat ab aliquo articulo symboli, est schismaticus: simoniacus deuiat ab vno articulo, ab illo sc. *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*: ergo schismaticus est hæreticus.

¶ Contra, Hiero. *Inter hæresim & schisma hoc esse arbitror: quod hæresis peruersum dogma habet: schisma vero ab Ecclesia pariter separat.* Ergo schisma non est hæresis. Hiero. sup. Epistolam ad Titū 3.

¶ Item, hæresis est contra veritatē, quæ est contra pietatem: schisma vero contra charitatis Ecclesiæ vnitatem, sed aliud est esse contra veritatem pietatis, & aliud contra vnitatem Ecclesiæ: ergo schisma non est hæresis.

¶ Item, videtur quod hæresis non differat ab hypocrisi: dicitur enim super illud: *Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam.* Glos. *omnis hæreticus hypocrita est.* Et dicit Bern. *Non sufficit hæreticos esse, nisi & hypocritæ sint; vt sit supra modum peccans peccatum.* Videtur ergo quod non distinguatur peccatum hæreseos à peccato hypocrisis: imo quod hypocrisis sit de complemento ipsius. Isai. 9. Glossa. Berna. sup. Cantica.

¶ Item, cum hoc nomen *hæresis* sonet idem quod diuisio: sicut dicit Isidor. propter quid magis appropriatur illi peccato, quod directè est contra vnitatem fidei: quam illi, quod impugnat vnitatem charitatis, vel quod est contra vnitatem aliam per se & primo. Isidor.

RESOLVTIO.

Communiter, idem dici possunt hæresis atque simonia. Propriè autem nequaquam.

¶ Ad primum dicendum, quod nomen hæreseos aliquando sumitur communiter, & aliquando propriè. Secundum quod cōmuniter sumitur, sic potest dici simoniacus hæreticus, quia ipso iure ab Ecclesia diuisus. Si vero accipiatur propriè, prout restringitur ad falsam credulitatem circa articulos vnitatis in trinitate, & incarnationis; non est simoniacus hæreticus. Præterea peccatum hæreseos est in falso credendo, & pertinaciter: peccatum vero simoniæ est in peruerse volendo contra Sacramentorum dignitatem: & secundum hoc differt hæresis à simonia.

¶ Ad hoc autem, quod obijcitur: simoniam esse contra aliquem articulum fidei. Dicendum est, quod non est directè contra credulitatem alicuius articuli, sed ex consequenti. Eo n. quod ponitur inappreciabile sub pretio, cōsequitur, vt non sit affectio debita respectu gratiæ Ecclesiasticæ, ex qua formatur fides: nec bene creditur ille articulus, qui est de sanctitate Ecclesiæ.

¶ Ad secundum vero dicendum, quod schisma non est hæresis, licet sit dispositio ad hæresim: sicut dicit Hieron. Et diuiditur schisma ab hæresi in hoc, quod schisma est per se contra vnitatem, quæ est in affectu charitatis siue pacis: hæresis vero contra vnitatem, quæ est in intellectu ipsius fidei. Est enim multiplex diuisio sicut multiplex coniunctio: vna est diuisio, quæ opponitur coniunctioni per fidem: est alia, quæ opponitur fidei per charitatem: tertia, quæ opponitur coniunctioni, quæ est per gratiam Sacramentalem siue per gratiam dignitatis Ecclesiasticæ. Prima diuisio dicitur hæresis: secunda schisma: tertia simonia. Hierony.

¶ Ad obiectum in contrarium dicendum est, quod & si schisma non sit hæresis; tamen dispositio est ad hæresim. Primo enim est inobediens capiti Ecclesiæ: secundo contemptor est clauium: tertio ad hoc peruenit, vt non credat illum articulum, qui est de Apostolica Ecclesia, & sic dispositio est ad hæresim: cum enim dicit non esse obediendum Ecclesiæ Apostolicæ siue Romanæ, in hæresim incidit.

¶ ITEM, plus est detestatio quam odium: sed Dominus detestatur peccatum schismatis, sicut habetur Prou. 6. hæresis autem videtur cadere ex parte illorum peccatorum, quæ hēt Dominus odio: ergo schisma videtur esse grauius peccatum hæresi.

Clement. Epist.

¶ SED contrarium arguitur ex hoc, quod accipitur ex Epist. Clement. vbi dicitur, quod primum locum in pœnis habent illi, qui aberrant à Deo: sed hæretici sunt tales: ergo hæresis primum locum tenet in pœnis: ergo est maximum peccatum.

RESOLVTIO.

Diuersa ratione vt excedentia, & excessa se habent.

¶ AD quod dicendum est: quod hæresis vno modo dicitur esse grauius peccatū schismate: alio modo schisma grauius hæresi. Hæresis enim dr̄ grauius quo ad hoc, quod destruit directe fidem, quæ est fundamentum totius religionis Christianæ. Schisma vero dr̄ grauius, quo ad hoc quod opponitur illi rei, per quam dēt esse correctio omnis peccati: & hæc est vnitas membrorum ecclesiæ cum Christo capite. Et propter hoc dicit August. quod est immanissimū peccatum, inquiens. *Propter ipsum separationis immanissimum scelus, siue permanserint peccata, siue continuo dimissa redierint; vt ad salutis pacem & charitatis veniant, exhortamur.* Et ideo contingit aliquando, q schisma magis punitur, quam hæresis: maxime cum hæresis * vnitatem ecclesiæ non corrumpit, sed in sua corrupta radice persistit: schisma autem procedit vsque ad ecclesiæ corruptionem. Et de tali loquitur Apostol. ad Thess. Nisi venerit primum dissensio, & reuelatus fuerit filius perditionis, &c. Si tamen tam hæresis quam schisma progrediuntur, vel æqualiter in sua origine sistunt, consimilem pœnam sortiuntur: sicut in Canone habetur, & in pluribus libris suis exprimit August.

Aug. in li. de bapt. cōtr. Donatistas.

*Alias, vincam.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod schisma in veteri lege maiori pœna puniebatur, quā idololatria: & ita maius peccatum videretur. Dicendum, quod quantitas pœnæ attenditur tripliciter: vel quantum ad multitudinem punitorum: vel quantum ad turpitudinem siue inconsuetudinē pœnæ: vel quantum ad acerbitatem. Peccatum ergo idololatriæ dicitur grauissime punitum, si attenditur quantitas pœnæ quantum ad multitudinem punitorum: maxima enim multitudo populi puniebatur. Schisma aūt dr̄ grauissime fuisse punitum propter inconsuetudinem pœnæ, vt magis abhorrerent hoīes à capite ecclesiæ recedere, à quo debet procedere correptio ad conseruationem vnitatis ecclesiasticæ: nec tamen dr̄ schisma maius peccatum, quam idololatria.

¶ AD secundum vero dicendum, quod tam hæresis, quā schisma est peccatum, quod Dominus odit & detestatur. Vnde hæresis non comprehenditur inter illa peccata, quæ cōnumerantur in his peccatis, quæ odit tm̄ Dn̄s: vnde mēdacium quod ibi sumitur, nō accipitur pro mendacio hæreseos: sed pro mendacio, quo hō mentitur proximo suo.

MEMBRVM VI.

Aduersus quod ex Decalogi præceptis sit hæresis?

SEXTO quæritur, contra quod præceptum sit specialiter. Et videtur, quod sit contra præceptum primum: hæresis enim superstitio quædam videtur esse. *Attendite à falsis prophetis &c.* Gl. *Hæretici sunt, qui quadam pietatis veste tecti, in humilitate ambulant, & falsa religione.* Ergo hæresis est superstitio: sed superstitio est contra primum præceptum. *Plenitudo legis est dilectio &c.* Gl. quæ Aug. est. *De decem chordis tange primam chordā, & cecidit bestia superstitionis.* Cum ergo superstitio opponatur primo mandato; hæresis opponetur primo mandato.

Matth. 7. Glossa.

ad Rom. 13 Glos. Aug.

¶ CONTRA Isido. *Primum mandatum prohibet surreptionē, secundum errorem, tertium seculi amorem.* Cum ergo hæresis sit error; opponetur secundo mandato.

Isid. in Gl. Exod. 20.

¶ PRÆTEREA, potest aliquis credere siue asserere, quod fornicatio, vel furtum non sit mortale peccatum; & hoc pertinaciter defendere; & sic erit hæreticus: non ergo hæresis tantum opponitur præceptis primæ tabulæ, sed etiam præceptis secundæ tabulæ Decalogi.

RESOLVTIO.

Et aduersus primum, & aduersus secundum.

¶ AD quod dicendum: quod hæresis potest opponi primo præcepto primæ tabulæ, & secundo. Ratione ergo eius quod cōtingit esse hæresim circa Trinitatem, vel circa vnitatem diuinæ essentiæ; opponitur primo præcepto, & secundum hunc modum potest hæresis sub vana religione siue superstitione comprehendi.

¶ AD illud vero, quod obiicitur: quod opponitur secūdo præcepto: hoc est ratione quarundam hæresum, in quibus erratur circa Christi humanitatem: illi enim assumunt nomen Dei in vanum, quod est contra præceptum secundæ tabulæ: & hoc modo continetur sub errore, prout error est contra præceptum secundum. Vel aliter pōt dici: quod hæresis opponitur primo præcepto simpliciter, sed nō vniuersaliter, sed ratione sui generis. Cum autem dicitur, quod error opponitur secundo præcepto: hoc intelligitur de errore, qui non opponitur fidei: sed qui manet cum fide: quādo, scilicet erratur circa veritatem, & non circa cultum diuinæ maiestatis.

¶ AD illud vero, quod obijcitur secundo. Dicendū est: quod licet hæresis possit esse apud illum, qui asserit fornicationem non esse mortale peccatum, vel furtum non esse mortale peccatū: hoc tamen est in ratione, qua hoc est credibile: & hoc est acceptum ex sacra scriptura, S.S. inspirante, & ecclesia sancta approbante: & ita reducitur ad hoc, vt opponatur præcepto primæ tabulæ.

MEMBRVM VII.

An hæresis ad omnia credibilia se extendat?

SEPTIMO quæritur, Vtrum hæresis ad omnia credibilia se extendat: an solum ad credibilia, quæ pertinent ad articulos fidei. Quod videtur per hoc, quod hæresis opponitur fidei: fides autem est circa veritatem secundum pietatē: hæresis ergo extenditur ad omnia ea, quæ sunt in sacra scriptura. Vnde Hugo. *Veritas secundum pietatem dicitur sacra scriptura: quia ea docet, & amando complectitur, quæ ad religionem Dei pertinent.* Error ergo siue sit in fide, siue in moribus, hæresis dicetur. Hugo de S Vict.

¶ PRÆTEREA, Aug. distinguit tria genera credibilium: quædam creduntur, & nunquam intelliguntur; sicut sunt historiæ: quædam vero creduntur prius, & postea intelliguntur, sicut sunt articuli fidei secundum 70. *Nisi credideritis, non intelligetis*: quædam vero simul creduntur, & intelliguntur; sicut multa in lib. Sap. Fides ergo cum extendat se ad omnia ista; ad tot autem ad oppositum potest se extendere hæresis; ad quot se extendit fides: ergo hæresis erit circa illa tria genera credibilium.

Aug. in li. 83. qq. q. 48

Isa. 7.

¶ Contra, videtur quod hæresis non sit circa illa credibilia, quæ ita creduntur, quod nunquam intelliguntur; sicut sunt historiæ: si enim hoc esset, cum Sancti Doctores diuersa, siue contraria sentiant circa historias; ex altera parte hæresis censeretur: sed non censetur: non ergo hæresis est circa illud genus credibilium.

¶ SIMILITER quidam Sancti senserunt contraria de operibus sex dierum: ex neutra tamen parte est hæresis: non ergo hæresis est circa credibilia illo modo.

¶ SIMILITER videtur, quod non sit hæresis circa credibilia secundo modo, dicit enim Aug. quod *tunc credere culpandū est, cum de Deo aliquid indignum creditur, vel de homine facile creditur.* Sed primum proprie est cōtra fidem. In cæteris vero rebus, si quis credat, si se illud nescire intelligat, nulla culpa est: cum autem de Deo aliquid indignum creditur, est erroneum: cum autem de homine, superstitiosum, siue temerarium. Secundum hoc ergo de Christo inquantum est homo, si aliquid non recte credatur, non erit hæresis: vtpote de passione, vel resurrectione, & huiusmodi: ergo cū ista sint credibilia secundo modo; non erit hæresis circa omnia credibilia secundo modo.

Aug. in li. de Vtilitate credēdi.

¶ Similiter videtur, quod non sit circa credibilia, quæ simul intelliguntur & creduntur, sicut sunt principia: quoniam quicunque est hæreticus, deuiat ab aliquo articulo fidei: sed ille, qui crederet fornicationem non esse mortale; non propter hoc deuiat ab aliquo articulo fidei: immo ali-

quis habens fidem, hoc bene posset credere:ergo non est hæresis circa illa credibilia.

¶ ITEM, aliqua simul creduntur & intelliguntur, sicut sunt rationes humanæ, siue scientiæ, vel de numeris, vel de quibuscunque aliis disciplinis: sed circa has non est hæresis (Vnde Hiero. Si quis artem grammaticam, vel dialecticam, vel alias nouerit, non improbamus: scientiæ enim sunt veritatis, non pietatis) ergo hæresis est circa credibilia, quæ pertinent ad veritatem secundum pietatem, sicut fides, sicut dictum est:ergo hæresis non est circa credibilia, quæ simul creduntur & intelliguntur, siue sint principia, siue rationes, vel scientiæ humanæ.

Hier. super Epist. ad Titum.

¶ SIMILITER in his, quæ sunt circa diuinitatem quidam contraria dixerunt. Quidam enim dixerunt, quod notiones, sicut paternitas, & generatio, nō sunt Deus, sed sunt assistentes: alij dixerunt contrarium: restat ergo quod aliqua istarum opinionum est falsa: videtur ergo quod alter illorum sit hæreticus, si pertinaciter affirmet. Quidquid enim est in Deo, Deus est, paternitas est in patre, & est ipse pater; persona autem non distinguitur ab essentia: ergo paternitas est Deus. Si vero notio non est Deus, & est: est igitur creatura: qui ergo dicit notionem esse Deum, secundū hoc creaturam dicit esse creatorem; videtur ergo quod altera illarum assertionum, si fuerit pertinax, est hæretica.

RESOLVTIO.

Sicut fides est circa omnia credibilia, ita hæresis, quæ ei opponitur, circa credibilia omnia analogia quadam erit.

¶ AD quod potest dici: quod hæresis ad tria genera credibilium extenditur per oppositum fidei: tamen secūdum quandam analogiam. Nam circa illa credibilia, quæ prius creduntur, & post ea intelliguntur scilicet circa articulos, inuenitur prima ratio fidei, & per oppositum ipsa hæresis. Similiter fides extendit se ad illa credibilia, quæ simul credūtur, & intelliguntur: vt quod fornicatio est mortale peccatum, & huiusmodi: & per oppositum hæresis. Deinde fides extendit se ad credibilia, quæ sunt in historiis, vel canone sacræ scripturæ contentis.

*Alias, oppositionē.

¶ AD obiectum vero respondendum est: quod in sacra scriptura quædam sunt pertinentia per se ad fidem: quædam ad mores: hæresis proprie se extendit circa ea, quæ sunt fidei. Sed quia in moribus sunt quædam credibilia, sicut dictum est: circa illa potest hæresis attendi, si contrariū illi veritati pertinaciter asseritur. Aliud enim est, si fornicatur, vel adulteratur, & tunc facit contra præceptum morale: aliud vero si fornicationem dicat non esse peccatum, vel non esse mortale peccatum, & hoc pertinaciter affirmet contra doctrinam sacræ scripturæ: sic enim censetur hæreticus.

¶ AD secundum vero dicendum: quod aliud est dicere historiam non esse veram: & aliud est exponere historiam sic vel sic, & opinari circa eius expositiones. Ille autem, qui diceret historiam non fuisse veram, & pertinaciter, hæreticus iudicaretur. Sed sic non faciebant Sancti opinantes de sex diebus: ipsi enim non destruebant historiam illam; immo omnes in illa concordabant: differenter tamen ipsam exponebant: quia quidam exponebant eam de diebus materialibus, quidam de spiritualibus: sed hoc nō est destruere historiā, sed exponere: vnde tales expositiones sunt declaratiuæ scripturæ: quoniam dicūt hoc Sancti rationibus ad hoc inducentibus. Vnde August. Sancti patres quod ita diuersa senserunt, à Spiritusancto est: concordant enim omnes in historia; quia historia dicit tot fuisse dies, sed discordant in expositione dierum. Vnde ex Spiritu sancto mouentur Sancti ad istas expositiones ad scripturæ declarationem: & si sit ibi aliquando falsitas; hoc non est ex natura hominis primitus instituti, sed ex pœna damnati. In natura enim primo instituta non erant opiniones: nec erūt similiter in gloria: sed modo sunt, quia opinio importat pœnalitatem.

August.

¶ AD tertium dicendum: quod hæresis est circa principia, quæ sunt in sacra scriptura: cum scilicet male creditur circa illa. Et dico quod oportet, quod omnis hæreticus deuiet ab articulo fidei: imo econuerso oportet quod omnis, qui deuiat ab aliquo articulo fidei, sit hæreticus. Nam sicut fides non solum se extendit ad articulos, imo etiam ad alia credibilia, quæ non sunt articuli, sed sunt sicut principia: ita dicimus de hæresi. Vnde non oportet, quod vbi est hæresis, quod ibi sit deuiatio ab aliquo articulo: nisi sit hæresis circa credibilia, quæ prius creduntur, & postea intelliguntur, circa quæ est hæresis secundum suam primam rationem; quemadmodum & fides. De aliis autem, quæ simul intelliguntur & creduntur, cuiusmodi sunt rationes humanæ &c. vt errare circa geometriam, & huiusmodi, bene concedimus, quod non hæresis est: nec de huiusmodi tantum loquitur August. cum dicit: *quædam simul creduntur & intelligūtur*; sed quæ sunt quasi principia quædam, & per se nota in Theologia: quemadmodum fornicationem esse mortale peccatum, & superbiam. August.

¶ AD aliud, quod obiicitur de articulis. Dicendū, quod sicut huiusmodi articuli non creduntur de homine puro; imo de homine Deo vnito: ita dicimus quod hæresis, quæ est in male credendo circa ista, non est in credendo aliquid culpandum de homine puro: imo de Deo homine, vel de homine Deo: & ideo erroneum est quod male creditur circa illos articulos: & ideo est hæresis circa illa: nō enim pertinent ad fidem, nisi quia creduntur de homine vnito Deo: ideo dicimus quod hæresis est circa illa, sicut & fides: loquitur enim de homine puro, cum dicit *est autem de homine suspiciosum siue temerarium*.

¶ AD illud, quod obiicitur de notionibus. Dicendum, quod in talibus non contingit esse plures opiniones simul veras, imo altera est necessaria, altera autem falsa: quoniam huiusmodi pertinent ad summam veritatem. Et propter hoc si aliquis assereret, quod huiusmodi notiones non essent Deus: alter autem quod essent Deus: ille, qui diceret notiones esse Deum, ad veritatem reduceretur: alter autem ad falsitatem: quoniam non cōtingit circa ea, quæ ad summam veritatem pertinent, contrarias asserere opiniones; quin semper altera sit tenenda, altera reprobanda. Magistri autem, qui circa hoc opinabantur, opinando dicebant; nō cum pertinacia asserendo contra determinationem ecclesiæ: vnde non sunt censendi hæretici. Si enim diceretur ab ecclesia, quod illorum vnum simpliciter esset tenendum; acquiescerent: beatus autem Bern. illi parti assentit, quod notio diuina sit idem quod Deus. Bern.

MEMBRVM VIII.

An fidei formatæ, vel informi hæresis opponatur?

OCTAVO quæritur de oppositione huius peccati. Cum enim hæresis opponatur fidei; quæritur, cui primo directe opponatur: vtrum scilicet fidei formatæ, vel informi? Quod autem fidei formatę, videtur: fides enim formata est fundamentum Christianæ religionis: sicut, *Fundamentum aliud* &c. Glos. id est, *fides, quæ per dilectionem operatur: per quam Christus habitat in cordibus.* Sed hæresis directe destruit fundamentum Christianæ religionis: ergo primo & per se opponetur illi. 1. Cor. 3. Glossa.

¶ CONTRA, quicunque peccat peccato mortali, cadit à fide formata, inquantum huiusmodi; nec dum tamen incidit in hæresim: ergo hæresis non est, quod primo opponitur fidei formatæ: & opponitur primo fidei formatæ, vel fidei informi: ergo opponitur primo fidei informi.

RESOLVTIO.

Vtrique, & formatæ, scilicet & informi.

¶ AD quod dici potest: quod vtriq; opponitur ratione ipsius fidei, cui per se & primo opponitur. Nec hoc est ratione fidei, inquantum est formata; nec ratione eius, quod est informis: sed quia destructa fide in comparatione ad creditum; destruitur tam fides informis, quam formata: ideo vtrique dicitur opponi.

¶ Ratione etiam præcedentis quæritur: cum fides, spes charitas sint virtutes ad inuicem cōiunctæ: & habeant opposita peccata, sc. hæresim, schisma, & desperationē; propter quid duo ita grauiter puniuntur pœna temporali, sc. hæresis, & schisma: desperatio autem non.

¶ AD quod respondendum: quod non est simile de opposito spei, & de oppositis aliarū duarum virtutū. Opposita enim peccata duarum virtutum non tm̄ lędunt personā, in qua sunt: sed corrumpunt alias personas admodū lepræ,

quæ

Math. 7. quæ est morbus contagiosus: sicut habetur. *Attendite*, &c. vbi dicitur: quod hæretici pietatis veste contecti, venenato animo, & intentione nocendi lupi sunt: vel exterius, si copia datur, persequendo: vel interius corrumpendo. Et idem potest dici de schismaticis. Desperatio autem per se lædit personam, in qua est: & ideo non ita grauiter punitur pœna temporali in præsenti, quemadmodum alia duo peccata, quæ ita ecclesiam sunt corrumpentia, vel maximi nocumenti generatiua.

MEMBRVM IX.

An necesse sit hæreses esse?

1. Cor. 11. NONO quæritur de necessitate hæresum. Et videtur, quod necesse sit hæreses esse: sicut habetur. *Necesse est hæreses esse: vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Ergo bonum est hæreses esse.

August. de vera relig. ¶ ITEM, August. *Ecclesia Catholica per totum orbem late diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectum: vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ: Alios ergo inuitat: alios excludit: alios relinquit: alios antecedit.* Hæresis ergo est expediens ecclesiæ Catholicæ.

¶ CONTRA, non dicimus de aliis peccatis quod necesse sit ea esse, vt pote fornicationem, vel superbiam, vel inuidiam: pari ergo ratione non dicetur, quod necesse est hæresim esse.

2. ad Tim. 2. ¶ PRÆTEREA, hæresis est maximi nocumenti: sicut habetur. *Prophana & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit.* Ergo non est necesse hæreses esse.

RESOLVTIO.

Necesse est hæreses esse, non quidem simpliciter, sed ad melius esse.

¶ AD quod dicendum: quod nomen huiusmodi quod est *necessarium* dicitur multipliciter. Vno modo dicitur necessarium, quia impossibile est aliter se habere: & hoc modo non dicitur hæresis necessarium ipsi ecclesiæ. Alio vero modo dicitur necessarium, quod secundũ se est expediens: & isto modo iterum non dicitur necessarium. Tertio vero modo dicitur necessarium, quod secundum accidens est vtile: ad hoc enim vtile est hæreses esse, vt magis declaretur veritas fidei Catholicæ: & excutiatur pigritia ab his, qui se exercent diuinis scripturis. Vnde in Glo. super illud dicitur.

Glo. super 1. Cor. 11. *Vtamur hæreticis non vt eorum approbemus errores; sed vt Catholicam doctrinam aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus.* Prosunt ergo hæretici nobis, non verum dicendo quod nesciunt: sed ad verum quærendum & aperiendum, Catholicos excitando. Permittit ergo diuina prouidentia hæreticos esse, vt pigritiam excutiamus, & diuinam scripturam nosse cupiamus. Vnde in Lib. Sap. Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro vtetur.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicetur, quod non est simile omnino in aliis peccatis, & in isto peccato. Alia enim peccata & si in se mala sint & ex illis aliquod bonum eliciat Deus: tamen non tantum quantum ex isto peccato: ex actione enim istius peccati acquiritur exercitium ecclesiæ: sicut ex persecutione, quæ à tyrannis infertur. Vnde August. *omnes inimici ecclesiæ, vel errore cæcati, vel malitia deprauati, prosunt*: quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: si vero male sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam: aduersatio enim mota quæstio discendi extat occasio: multa enim ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur instantius. August.

MEMBRVM X.

An communicandum sit cum hæreticis?

DECIMO quæritur de priuatione communionis hæreticorum. Et quæritur, Vtrum sit communicandum cum ipsis, vel non. Et videtur quod non. *Exite de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos* (& loquitur ibi de infidelibus) præmittitur enim. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Cum ergo hæretici sint huiusmodi; non est communicandum cum ipsis. 2. Cor. 6. Ibidem.

1. Cor. 5. ¶ ITEM, dicitur. *Si is, qui nominatur inter vos fornicator, aut auarus, &c. cum huiusmodi nec cibum sumere*: multo fortius ergo nec cum hæreticis.

Extrau. de Hæreticis. Ad abolendam. ¶ ITEM, hoc expressum est in *extra. de hæreticis.* Et iterum, *Excommunicamus, &c.* vbi habetur quod hæreticus siue occultus siue manifestus ipso iure est excommunicatus.

Matt. 13. ¶ CONTRA, dicitur. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum: sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Et exponitur à Domino: messis dicitur consummatio seculi: per zizania intelliguntur infideles siue hæretici, sicut per triticum fideles: non ergo debent separari hæretici à fidelibus. Et ratio videtur ad hoc, quod palea in principio non separatur à tritico, immo melius triticum cum palea conseruatur: à simili magis videntur conseruari fideles, si cum ipsis maneant hæretici ad exercitium.

RESOLVTIO.

Iuxta multiplices conditiones hæreticorum, fidelium, atque ecclesiæ status & communicandum, & non communicandum est cum hæreticis.

¶ AD quod dici potest: quod duplex fuit status ecclesiæ: vnus status, in quo multitudo erat hæreticorum: alter status, in quo non erat multitudo hæreticorum, præualens multitudini Catholicorum. ¶ ITEM, quidam hæretici sunt occulti, quidam manifesti: & iterum quidam corrigibiles, quidam incorrigibiles: iterum, fidelium quidam sunt firmi in fide, quidam infirmi. Secundum hoc ergo potest dici: quod cum fuit multitudo hæreticorum præualens, non fuit recedendum ab eis corporaliter, maxime firmis in fide. Vnde super illud. *Exite de medio eorum.* Glos. *Non corporaliter, sed spiritualiter, vt non taceatis, sed increpetis eorum scelera*: tolerandi enim sunt mali pro pace, nec corporaliter ab eis receditur. Item, ibidem. *Spiritualiter, non corporaliter recedere debemus à malis: quia maius malum separatione committimus.* Et iterum. *Si corporaliter recedit, superbus est & schismaticus.* Vbi vero timetur de lapsu, etiam separatio corporalis est vtilis: ne fides corrumperetur in infirmis per colloquia praua. Salua tamen pace ecclesiæ, hoc expediebat pro tempore, quo fuit multitudo hæreticorum, non præualens: pro vtroque autem tempore non erat communicandum cum ipsis spiritualiter. Aliquando autem non subtrahitur communio ecclesiastica in sacramentis propter multitudinem delinquentium, & hoc potuit esse in primo statu tempore Iuliani. August. *Cum idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud restat bonis, quam dolor & gemitus*: & Gloss. super illud. *Vt nimis &c multitudo non est excommunicanda, nec principes populi: & hoc propter periculum pacis & vnitatis ecclesiæ destruendæ.* In moderno non sic. In primo etiam statu hæretici occulti non priuabantur à consortio ecclesiæ: in statu autem moderno & hi & illi. 1. Cor. 6. Glossa. Eadẽ ibid. Ibidem. Aug. cõtra Parmenianum. Glo. super Matth. 13.

¶ PRÆTEREA, alia est excommunicatio generalis, & alia personalis: generali excommunicatione excommunicantur hæretici, sicut dictum est: personali vero non excõmunicantur, nisi cum conuictus fuerit. Et hoc modo intelligitur illud 1. Corinth. 5. talis enim dicitur nominatus in aliquo delicto.

¶ AD illud vero, quod obiicitur in Euangelio. Dici potest quod hoc intelligi potest de occultis hæreticis, quorum hæresis deprehendi non potest: tales enim & si priuentur à communione sacramentorum generaliter, personaliter tamen non priuantur à consortio fidelium, nec gladio materiali exterminantur: nisi hoc fuerit: quia cum multitudine infidelium manifestorum inueniantur. Et de talibus potest intelligi: Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Vel de malis Catholicis hoc potest intelligi: vnde dicit Rabanus. *Habens exemplum discretionis, æquanimiter debes tolerare malos propter bonos.* Secundum autem quod messis dicitur tempus illud, quo hæretici propter suam corruptionem actiuam & manifestam abscindendi sunt falce euangelica: secundum hoc permissio intelligitur de tempore illo, quo non discernitur plene, vtrum sit hæreticus: cum aũt plene innotuerit ecclesiæ sua corruptio: tunc præcidendus est personaliter. Rabanus.

¶ EST

¶ Est ergo attendendum ex prædictis, quod multiplex est communio: & similiter multiplex communionis priuatio per oppositum. Est enim communio spiritualis, quæ est in consensu vero, vel interpretatiuo: & hoc modo accipitur in prima autoritate: quoniam non est communicandum cum hæreticis. Est iterum communio in sacramentis, quomodo intelligitur tertia ratio: & hoc modo etiam non est communicandum cum hæreticis notatis: qui licet non sint notati siue nominati: tamen quantum est de se, priuantur effectu communionis sacramentorum: sicut habetur in Decretali. Est iterum communio fidelium in cibo & potu & huiusmodi: & ista communione priuantur illi, qui præcisi sunt ab ecclesia nominatim. Est iterum communio corporalis siue vocalis, sicut est cohabitationis in eadem ciuitate: & talis communionis priuatio in principio non fiebat propter multitudinem hæreticorum: & adhuc etiam in aliquibus partibus non fit huius priuatio. Si tamen aliquibus timeretur de lapsu: securius esset non cohabitare propter contagionem peccati.

¶ Et per hanc distinctionem possunt solui, quæ obiecta sunt.

MEMBRVM XI.

An hæretici tolerandi sint?

Matth. 13. VNDECIMO quæritur de tolerantia hæreticorum, siue opposito. Ad quod sic. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum: sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Zizania sunt hæretici: messis est consummatio seculi: ergo tolerandi sunt vsque ad consummationem seculi.

Galat. 5. Glossa. ¶ CONTRA. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Gloss. *Doctrina peruersa ab vno incipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores: sed paulatim vt cancer serpit: & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies commaculat gregem: ergo, vt scintilla, statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicina semouendum: & scabiosum animal à caulis ouium expellendum.* Ex hac autoritate videtur, quod hæretici extirpandi sunt, & non tolerandi.

Eccl. 11. Glossa. ¶ ITEM. *Ab vna scintilla augetur ignis.* Glo. Interli. *Ab vnius hæretici malitia multorum perditio.* Ergo si non est toleranda perditio multorum fidelium: non erit toleranda malitia hæreticorum.

RESOLVTIO.

Et quidem, si fuerint occulti, nec alios corrumpere attentent.

¶ DICENDVM: quod aut hæretici sunt occulti, aut manifesti: & similiter distinguenda est duplex messis, & duplex falx, scilicet falx ecclesiæ in præsenti, & falx Dei in futuro. Si ergo sunt hæretici occulti, qui non corrumpant alios: nec sint ecclesiæ manifesti, vel agniti, tolerandi sunt vsque ad falcem Dei in futuro, & non occidendi. August. *Posset eos area dominica vsque ad tempus vltimæ ventilationis vt paleas sustinere, nisi vento superbiæ nimia leuitate cessissent, & sese à nobis, & alios multos vltro separassent.* Vnde Augustinus. *Quia in hac area pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est: tamdiu sustinetur peccatum aut error cuiuslibet: donec aut accusatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat.* Ecce patet quod pertinacia animi facit hæreticum: & etiam patet quod si non sit manifestus, vel conuictus in ecclesia, tolerandus est, & dimittendus vsque ad iudicium. Vnde. *Modicum fermentum, &c.* Gloss. *Si quis potestatem habet, & quem scit reum, abijcere, vel probare non valet, immunis est: & iudicis non est sine accusatore damnare. Si autem cognoscat in secreto aliquem esse hæreticum, non propter hoc vitandus est publice: sed non expedit alicui in secreto communicare, ne corrumpatur ex doctrina ipsius.* Qualiter autem puniendi sunt, determinatur *extra de hæreticis*, vbi dicitur. *Quicunque fuerint manifeste in hæresi deprehensi, si clericus est, vel cuiuscunque religionis obumbratione fuscatus, totius ecclesiastici ordinis prærogatiua priuetur: & sic omni officio & beneficio spoliatus ecclesiastico, secularis relinquatur arbitrio potestatis, animaduersione debita puniendus: nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ vnionem recurrat: & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis illius publice consenserit abiurare, & satisfactionem congruam exhibere. Laicus autem, nisi (prout dictum est) abiurata hæresi & satisfactione exhibita, confestim ad fidem conuerterit orthodoxam: secularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem.* Punitur autem hæreticus multipliciter, excommunicatione, depositione: sicut habetur in *illa Decretali, & dist.* 40. Punitur etiam rerum ablatione: vnde dicit August. contra Parmenianum. *Locus, in quo impia separatio congregatur; in fiscum redigatur.* Sunt & aliæ vltiones generales, quibus ei vel faciendi testamentum, vel per donationes aliquid conferendi facultas adimitur: vel ex donationibus aut testamentis aliquid capiendi.

Aug. in li. de vera religione. Idem in eodem li.

1. Cor. 5. Glossa.

Extrauag. de Hæret. Ad abolendam.

Decret. Ad abolēdā & dist. 40. Si Papa

¶ Sed quæritur: vtrum viri Christiani autoritate propria possint ab eis auferre bona, quæ habent. Quod videtur: ecclesia enim videtur eis dare generalem autoritatem, vt excommunicent eos: concedit etiam talibus idem priuilegium, quod accedentibus in Terræ sanctæ subsidium est concessum, *extra eodem. &* 23. q. 5. vbi dicitur. *Illi, qui vos pro tanto scelere tam leuiter damnorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniæ priuatione deterrendos coercendosque decreuerunt, vt cogitantes, quare ita patiamini, sacrilegum vestrum cognitum fugiatis, & ab æterna liberemini: diligentissimi rectores, piissimi consultores deputantur.* Quod etiam probatur per hoc, quod dicitur in Deut. *Si audieris in vna ex ciuitatibus &c.* 23. q. 5. & q. 7. *Legi.* & occidit Phinees. Verumtamen satis videtur tutum, quod semper fiat ex speciali edicto, vel principis, vel ecclesiæ: ne vel ex cupiditate, vel vltione potius, quam ex iustitia, vel obedientia hęc facere videantur 23. q. 1. *Quis culpatur.* & q. 2. c. 1. 2. & q. 3. *Sex differentiæ.*

Extrau. Excōmunicamus. & 23 q 5 S vos.

Deut. 13. 23. q. 5. Si audieris.

MEMBRVM XII.

An quandoque hæreses, hæreticique desient?

DVODECIMO quæritur, vtrum aliquod tempus erit, in quo non erunt hæretici, vel occulti, vel manifesti? Et videtur quod conueniat aliquod tempus esse: cum enim fides multiplicetur in cordibus fidelium: oppositum, scilicet infidelitas minuetur: ergo cum erit fides in summo; omnino tolletur hæresis: sed cum plenitudo gentium intrabit, tunc erit fides in summo, quantum ad multitudinem credentium: ergo tunc omnino auferetur hæresis.

¶ SED videtur contrarium per hoc, quod dicitur. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem:* messis autem dicitur consummatio seculi: ergo hæretici, qui per zizaniam intelliguntur, vsque ad consummationem seculi durabunt. Matth. 13.

RESOLVTIO.

Nunquam, quousque mundus durabit.

¶ AD quod dicendum est per illud, quod dicitur in Gl. super illud. *Hæc dicit Dominus Deus &c.* Gl. *Quamdiu stabit mundus, & quæ sunt eius, in finibus suis, sapientia secularis & hæreticus sermo dominabuntur: cum autem finis mundi aduenerit, vniuersa soluentur.* Ex quo accipitur, quod semper erunt aliquæ hæreses, vel malitiæ hominum ad exercendam patientiam fidelium & sapientiam. Glo. super Isa. 7. Glossa.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet augeatur fides quo ad multitudinem credentium, cum plenitudo gentium intrauerit: non necesse tamen est omnino hæresim tolli: illa enim plenitudo intelligitur quantum ad singulas gentes, non quantum ad singulos homines. Nec hoc est contrarium, quod dicitur. *Non erit illud, & non stabit.* Vbi dicitur in Gloss. quod Deo adiuuante, non stabit concilium eorum. Hoc enim intelligitur, quod non præualebit contra ecclesiam. Et non negatur ex hoc, quin hæresis possit remanere vsque ad finem mundi, sicut & sapientia secularis: finis autem mundi large potest accipi. Isa. 7. Glossa.

MEMBRVM XIII.

An hæretici ab hæresi reuertentes recipiendi sint?

TERTIODECIMO quæritur de reuertentibus ab hæresi, vtrum sint recipiendi, & quomodo. Et videtur, quod non sint recipiendi: delinquentes enim contra fundamentum ecclesiæ, indigni sunt gratia ecclesiæ, ergo non sunt recipiendi.

¶ PRÆTEREA in illa Decre. *Ad abolendam*, dicitur quod si aliqui post abiurationem, vel post purgationem factam Decret. li. 5. titul. 7. cap. 9.

ab Episco-

ab Episcopo de infamia illius criminis, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, seculari iudicio sunt relinquendi: ergo tales non sunt recipiendi ab ecclesia. Aut hoc ergo est propter abiurationem, aut propter ipsam hæresim: si propter abiurationem, pari ratione esset in abiuratione alia: sed hoc falsum. restat ergo quod hoc est propter hæresim: ergo prima etiam vice non esset recipiendus.

¶ CONTRA, Ecclesia nulli claudit gremium redeundi: ergo talibus non debet claudere gremium.

Math. 18. ¶ ITEM, dicitur ipsi Petro à Domino: quod si peccauerit frater in ipsum, non tantum dimittendum est septies, sed etiam septuagies septies: sed illud est maximum peccatum in membrum, scil. hæresis: ergo prælatus ecclesiæ, qui per Petrum designatur, nõ tantum debet dimittere septies: sed etiam septuagies septies.

RESOLVTIO.

Lapsi vtique recipiendi sunt: at non relapsi.

¶ AD quod dici potest: quod redeuntes ab hæresi secundum debitam conditionem, recipiendi sunt, primo ad vnitatem ecclesiæ, & si non ad omnia bona sua recuperanda: sicut supra habitum est. Extra. eodem, *Vergentis*, vbi loquitur de pœna hæreticorum. Si vero postea deprehensi fuerint recidiuasse in eandem hæresim; nõ recipiuntur: hoc aũt est propter criminis abominationem: & vt alij timeãt simile attentare. Extrau. eodem.

¶ Ad illud vero, quod primo obiectum est: quod licet delinquant contra fundamentum ecclesiæ: tamen si velint reuerti, prima vice sunt recipiendi: vt ostendatur pietas matris ecclesiæ erga illos, qui aliquando erant filij, vt faciat quod in se est. Quod autem deprehensi secundo, non consequuntur effectum misericordiæ: hoc est, quia timetur eorum obstinatio, & membrorum ecclesiæ per ipsos corruptio. Nec hoc est propter periurium tantum, vel propter hæresim tantum: sed propter vtrunque ex quo timetur maius damnum ecclesiæ.

¶ Quod autem dicitur, quod ecclesia non claudit gremium redeunti: hoc intelligi potest, si statim in prima vice redeat.

¶ Ad aliud vero dicendum: quod illud, quod dicitur de Petro, non intelligitur de peccantibus peccato hæreseos (hoc enim peccatum est, quo iniuria fit ecclesiæ.) Intelligitur autem de illis peccatis, quibus frequenter fit personæ iniuria: & tũc si petatur venia, dimittendum est peccatum: ita tamen quod competens fiat satisfactio. Et dicitur in Gl. super illud. *Si peccauerit in te frater tuus.* Nota, aliter datur venia petenti fratri, vt nobis, sc. socia charitate communicet, vt Ioseph fratribus suis: aliter inimico persequenti, vt bonũ ei velimus, scilicet, vel faciamus. Math. 18.

Quæst. lateralis. ¶ Quæritur etiam, vtrum illi qui reuersi sunt ad fidem, & iam recepti ab ecclesia, possint de iure, vel ex dispensatione promoueri, vel in susceptis ordinibus ministrare.

¶ Ad quod videtur dicendum: quod ex dispensatione, si hæresim suam veraci pœnitentia fuerint detestati, & abiurauerint, & vitã suam in melius mutauerint; poterunt promoueri, vel in susceptis ordinibus ministrare: nisi alia legitima causa obstet, propter quam non congruat ei dispensatio. Et attendendum est, quod de iure communi à communione ecclesiæ recipiuntur: ex dispensatione vero habent executionem ordinis, vel promotionem.

QVÆST. CLXIV.

De Schismate.

In septem Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 39. S. Bon. in 4. d. 13. dub. 4. CONSEQVENTER dicendum est de schismate. Et primo quæritur, quid sit schisma. Secundo, vtrum schisma contineat hæresim: & de comparatione eius in quantitate. Tertio de potestate schismaticorum. Quarto, de sacramentis. Quinto, de ordinatis à schismaticis. Sexto, de communione cum schismaticis, vel suo opposito. Septimo de pœna schismaticorum.

MEMBRVM I.

Quid sit schisma?

DIFFINITVR autem schisma sic. *Schisma est illicita, ab vnitate ecclesiæ dissensio.* Dicitur autem *schisma*, sicut dicit Isido. *scissura*: quia per schisma fit in vnitate scissura. Vnde Pelagius Papa. *Schisma scissuram sonat.* Sed in vnitate scissura esse non potest: nõ ergo vnitati communicat, qui schismaticis communicat. Isid. lib. 8. Etymo. c. 3 Pela. Papa. Habetur 24. q. 1. cap. Schisma.

¶ Sed potest quæri, quæ sit ecclesia, à cuius vnitate dissensio schisma nuncupatur.

RESOLVTIO.

Schisma est illicita ab vnitate ecclesiæ dissensio.

¶ AD quod dicendum est, per hoc, quod dicit Calixtus. *Nulli dubium est, quin apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum: à cuius regulis nullatenus conuenit declinare.* Et dicit Gregor. *Nulli dubium sit, quod non solum pontificalis creatio, sed omnis sancta religionis relatio ad sedem Apostolicam quasi ad caput ecclesiarum debeat referri.* Calixtus. Gregor.

¶ Deinde potest quæri, cuiusmodi discessio debeat dici schisma: si enim omnis transgressio, vel contemptus Canonum diceretur discessio schismatica, plurimi dicerentur schismatici.

¶ AD quod respondendum: quod illa discessio dicitur schisma: cum aliqui vim & potestatem Romanæ ecclesiæ adnihilant: præcepta eius & instituta pertinaciter contemnendo: nec caput eam reputando.

MEMBRVM II.

An schisma hæresim includat?

SECVNDO quæritur, vtrum schisma contineat hæresim, & de comparatione eius in quantitate. Et videtur quod omnis hæreticus sit schismaticus: omnis enim hæreticus à societate ecclesiæ se diuidit: qui autem à societate ecclesiæ se diuidit, schismaticus est: ergo omnis hæreticus est schismaticus.

¶ ITEM, August. hanc ponit differentiam. *Ecclesia excludit hæreticos, & relinquit schismaticos.* Sed excludere est relinquere: ergo hæreticus est schismaticus. Aug. in li. de vera religione.

¶ CONTRA, August. *Schisma est eadem opinantem atque eodem ritu colentem, quo cæteri, solo congregationis delectari dissidio.* Hæresis vero diuersa opinatur ab his, quæ Catholica credit ecclesia: ergo hæresis non est schisma. Idẽ contra Faustũ li. 20. cap. 3.

¶ ITEM, August. *Ecclesia vtitur hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ.* Cum ergo diuersa attendatur vtrobique vtilitas: non erit schisma hæresis. Idem in li. de vera religione.

RESOLVTIO.

Communiter vtique: specialiter minime.

¶ AD quod dicendum est: quod nomen schismatis potest dici generaliter, pro quacunque discessione illicita: & secundum hunc modum accipitur illud. *Non ædificabis illud de sectis lapidibus.* Gl. *Secti lapides sunt, qui vnitatem scindunt.* Alio vero modo dicitur schisma proprie, quando pertinaciter receditur ab obedientia ipsius capitis ecclesiæ: sic intelligitur illud Apostoli. Exod. 20. Glossa. ad Thes. 2.

¶ ET per hoc potest solui, quod obiectum est. Rationes enim quædam loquuntur de schismatico generaliter dicto: aliæ vero loquuntur de schismatico proprie dicto.

¶ Deinde quæritur de quantitate huius peccati, quod videtur grauius punitum, quam idololatria: & ex hoc aliquibus videri posset, quod maius esset peccatum: decem enim tribubus relicto Roboam, adhæserunt Ieroboam, facientes schisma: sicut habetur. *Recessit Israel à domo Dauid vsque in præsentem diem:* & postea dispersi sunt in pœnam (vt videtur) illius schismatis: filii autem Chore similiter grauissime sunt puniti. 3. Reg. 12.

¶ Sed responderi potest: quod non tantum dispersio decem tribuum facta fuit propter peccatum diuisionis: sed etiam propter peccatum idololatriæ, quod superaddiderunt. Quod etiam patet per hoc, quod duæ tribus, quæ remanserunt, cum domo Dauid, punitæ sunt pœna dispersionis: licet posterius: & ita non videtur illa pœna esse prin-

cipalis propter illam. Si vero alicubi grauiori pœna puniatur schisma quam hæresis, hoc potest esse quod ex maiori contumacia videntur illi fecisse schisma, quam alij in hæresim cecidisse: quanto autem maior est contemptus, tanto magis scelerate peccatur.

MEMBRVM III.

An schismatici potestatem quampiam habeant?

TERTIO quæritur de potestate schismaticorum. Et videtur, quod non habeant potestatem, per hoc quod dicit Cyprianus. *Dicimus hæreticos, & schismaticos nihil habere iuris, aut potestatis.* Et similiter habetur 7. q. 1. vbi dicitur. *Qui nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab ecclesiæ vinculo, ac sacerdotum collegio separat: episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem.* Cyprian. li. 4. epist. epistol. 2. 7. q. 1. Nouatianus.

¶ AD idem facit quod dicitur *extra.* c. 1. vbi dicitur. *Ordinationes ab Octauiano & Guidone hæresiarchis factas irritas esse censemus: adijcientes, vt qui dignitates seu beneficia ecclesiastica per dictos schismaticos acceperunt, careant impetratis.* Extrau. c. 1

¶ SED videtur contrarium, per hoc quod dicit August. *Sicut redeuntes, qui prius quam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur: ita redeuntes qui priusquam recederent, ordinati sunt, non vtique rursus ordinantur, sed aut administrant quod administrabant, si hoc ecclesiæ vtilitas postulat: aut si non administrant, sacramentum tamen suæ ordinationis gerunt.* Si ergo ordinem non amittunt: ergo schismatici habent potestatem. Aug. cōtra Donatist. lib. 2. cap. 3

RESOLVTIO.

Si in schismate eligantur nequaquam: alias si extra schisma electi, in schisma fuerint prolapsi.

¶ AD quod dici potest: quod duplex est schismaticus: vnus, qui in schismate eligitur; & talis, qui in schismate cōtra ecclesiam generalem eligitur, potestatem non habet, sicut nec habet dignitatem; & hoc modo intellexit Cyprianus de Nouatiano, qui cum canonice electus esset, Cornelius in summum Pontificem à schismaticis in schismate est electus. Et eodem modo intelligendum est, quod dicitur extra. de Schismaticis c. 1. Est autem aliud genus schismaticorum, qui receperunt ordinem vel dignitatem in vnitate ecclesiæ: & postea tanquam schismatici recesserunt: tales retinent ipsum ordinem, licet non retineant ordinis executionem: peccant enim exequendo extra ecclesiæ vnitatem: cum sint iuste priuari potestate executionis.

MEMBRVM IV.

An schismaticorum sacramenta vere sacramenta sint?

QVARTO quæritur de sacramentis schismaticorum. Et videtur quod sint vera sacramenta, per hoc quod dicit Pelagius Papa. *Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit: sed veritate duce dirigimur: nec enim diuisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere.* Pela. Papa.

¶ ITEM, ab ecclesiæ visceribus diuisus, & ab Apostolicis sedibus separatus execrat potius, & non sacrat. Non ergo videntur vera esse sacramenta.

¶ ITEM, Cyprianus. *Audet quisquam dicere salutare sacramentum & gratiam cælestem communem cum hæreticis esse posse: cum quibus nec cibus, nec potus debet esse communis.* Constat autem eucharistiam apud illos omnino fieri non posse, vbi spes nulla est, & fides falsa: & omnia per mendacium geruntur. Cyprian.

¶ ITEM, *dist.* 32. *Si in schismate vel hæresi ab ecclesia non separentur, eorundem ordinationes & reliqua sacramenta, sancta & veneranda non negamus.* Ex quo videtur à contrario sensu: quod si separentur schismate vel hæresi, sacramenta non sint sancta nec veneranda. dist. 32.

¶ ITEM, Augustinus in libro contra Donatistas quodammodo redarguit Cyprianum & alios sibi adhærentes, qui dicebant apud hæreticos, vel schismaticos non esse Christi sacramentum: dicit enim quod baptisma siue à schismatico, siue ab hæretico in forma ecclesiæ celebratur; ratum est, & sanctum. August.

* * *

RESOLVTIO.

Et quidem si in forma ecclesiæ dederint, & rite ordinati fuerint.

¶ AD quod dicendum est secundum August. quod sacramenta vera sunt, quæ in forma ecclesiæ data sunt ab ipsis, qui potestatem habent sibi debito modo collatam. Aug. in li. de Bap. cōtra Donat.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est quod illud quod dicit Pelagius, intelligendum est de his, qui non in forma ecclesiæ consecrant: tunc enim non est verum sacramentum. Et secundum hoc potest simpliciter intelligi illud. *Non Christi corpus, quod schismaticus conficit.* Et illud. *Separatus execrat potius, & non sacrat.* Si vero intelligatur de illo ordinato, qui in forma ecclesiæ facit, licet sit schismaticus: secundum hoc retorquendum est ad effectum salutis: secundum quod dicit August. *Ipsis indigne ministrantibus sacramentum salubriter non traditur: licet aliquando sacramentum necessitatis salubriter recipiatur, etiam ab ipso schismatico ministrante.* Et iterum, Non distinguebant sacramentum ab effectu sacramenti: & hoc modo posset intelligi illud, quod dicit Cyprianus. Secundum autem quod dicit August. non videtur Cyprianus recte primo sensisse: inniti enim videbatur illi autoritati Euangelij. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.* Sed attendere oportuit & illam autoritatem, vbi dicit Dominus. *Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Et dicitur in Gloss. Neminem à bono, quod ex parte habet, esse arcendum: sed ad hoc potius, quod nondum habet, esse prouocandum. Igitur in hæreticis, vel in malis Catholicis non sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt, & aduersus nos non sunt: sed diuisionem, paci vnitatique contrariam, qua aduersus nos sunt, detestari & prohibere debemus. August. Matth. 12. Luc. 9. Gloss.

¶ AD illud vero, quod vltimo obiicitur. Dicendum est: quod illud argumentum à contrario sensu non tenet: nisi intelligatur de illis sacramentis, quæ fiunt in forma ecclesiæ. Si enim fiunt in forma ecclesiæ: licet dentur à schismatico; qui tamen habuit potestatem ordinis, vera sunt sacramenta: etsi non illi salubria, à quo traduntur.

MEMBRVM V.

An ordinati à schismaticis, ordinem, ordinisque executionem recipiant?

QVINTO quæritur de ordinatis à schismaticis: quando recipiunt ordinem, & quando non. Et si ordinem aliquando, vtrum recipiant ordinis executionem, vel non. Et videtur, quod non recipiant ordinem, per hoc quod dicitur 1. q. 7. vbi dicitur: quod de nouo ordinatus est in diaconum, tanquam qui prius ordinem non susceperat. Vnde per hoc habetur, quod ille cum esset ordinatus ab hæretico; non fuit ordinatus. 1. q. 7. Diaberte.

¶ ITEM, Vrbanus. *Quicunque à schismaticis, sanctæque Romanæ ecclesiæ aduersariis se ordinari permiserit, nullatenus in hoc venia dignus habeatur.* Et loquitur ibi de indulgentia ministrādi in ordine. Vrbanus.

¶ ITEM, Damascen. *Quomodo possit honorem retinere, qui ab illo recepit, qui potestatem dare non habuit; legitime inuenire non possum.* Damasc.

¶ CONTRA: dicit Vrbanus. *Qui ab episcopis quondam Catholice ordinatis, sed in schismate à Romana ecclesia separatis, consecrati sunt, eos nimirum cum ad ecclesiæ vnitatem redierint; seruatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi iubemus; si vita, & scientia commendant.* Ergo susceperunt ordinem à schismaticis. Vrbanus. Habetur 9. q. 1. cap: Ordinat.

¶ PRÆTEREA, baptizatus in forma ecclesiæ est baptizatus: consecratio etiam altaris in forma ecclesiæ est consecratio: ergo pari ratione ordinatus in forma ecclesiæ ab eo, qui habuit potestatem, est ordinatus.

¶ ITEM, quæritur de executione. Et videtur cum redeant ad ecclesiam, exequi possunt, secundum quod dicit Vrbanus: dicit enim quod si aliqui fuerint ordinati ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis, episcopis; si non simoniace acceperunt ordines, sed vita & doctrina hoc promeruit; in ipsis ordinibus permanere permittas.

¶ Videtur aūt contrariū per hoc, quod idem Vrban. dicit. Idem.

Ordinationes, quæ ab hæresiarchis, nominatim excommunicatis, factæ sunt, irritas esse iudicamus (& exponitur quantum ad officij executionem) ergo non habent officij executionem.

RESOLVTIO.

Ordinem quidem recipiunt, si in forma ecclesiæ ordinati sunt, at non ordinis executionem.

¶ Ad quod dicendum videtur: quod siue quis recipiat vltimam manus impositionem in ecclesia, siue extra, dum tamen formam ecclesiæ seruet in ordinando, & in forma ecclesiæ fuerit ordinatus, verum ordinem confert: sed non ordinis confert executionem, siue scienter, siue ignoranter alius ordinetur.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod loquitur de illis, qui extra ordinati sunt, sed non in forma ecclesiæ: vel ab illis, qui non receperunt potestatem ordinandi.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod non habent ordinis executionem, quantum est de se. Sed distinguitur: quia quidam illorum ordinati sunt ab eo, qui recepit vltimam manus impositionem in ecclesia: & tales, si alias digni sunt, tolerantur per dispensationem in ordinibus susceptis: nisi aliud occurrat impedimentum. Si autem sunt ordinati ab eo, qui recepit vltimam manus impositionem extra ecclesiam, & scienter, nequaquam tolerantur. Si vero ignoranter, & hoc probauerint; tolerantur: & hoc elicitur ex illo Canone Vrbani. Ordinationes &c.

MEMBRVM VI.

An cum schismaticis communicandum sit?

Num. 16. SExto quæritur de communione cum schismaticis, vel suo opposito. Et videtur, quod non sit communicandũ, per exemplum quod habetur in lib. Numeri de filiis Chore, vbi dicitur. *Separamini à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere de omnibus, quæ sunt in eis: ne simul pereatis in peccatis eorum.* Ex quo accipi potest, quod cum ipsis schismaticis nõ est communicandum.

Eccl. 13. ¶ Præterea, dicitur. *Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea.* Cum ergo schismatici ad modum picis sint, nõ est communicandum cum eis.

23. q. 5. de Ligurib. ¶ Præterea, excommunicati sunt, sicut habetur 23. q. 5. *excommunicatis autem non est communicandum.*

Aug. in li. cõtra Donatistas. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicit August. vbi dicitur, quod baptisma potest recipi à schismaticis in aliquo casu sine peccato. Si ergo sacramentum potest recipi: potest ergo aliqua communio haberi sine peccato.

RESOLVTIO.

Nequaquam: nisi in sacramentis necessitatu, & in articulo necessitatis.

¶ Ad quod dicendum est: quod non est communicandum cum schismaticis scienter: maxime in sacramento Cõmunionis. Sacramentum tamen, quod est necessitatis, si aliter fieri non potest, in articulo necessitatis est ab eo recipiendum. Si tamen aliter fieri potest, & scienter recipiat; sacramentum baptismi recipit, sed effectum salutis nondum percipit. Dicit enim August. quod induunt homines aliqũ Christum vsque ad sacramenti perceptionem: aliquando autem vlterius vsque ad vitæ sanctificationem, & hoc accidit, cum digne suscipiunt. (August.)

MEMBRVM VII.

Quæ pœna schismaticis debeatur.

Extrau. de schismat. Fraternit. & c. 1. SEptimo quæritur de pœna schismaticorum: Puniuntur autem schismatici spiritualiter per excommunicationẽ, & depositionem, sicut habetur *extra. de schismaticis.* & c. 1. similiter. Puniuntur etiam manu militari, sicut habetur 23. q. 5. *Quali.* vbi dicitur. *Diuinæ & humanæ leges statuerunt, vt ab vnitate ecclesiæ diuisi, & eius pacem iniquissime perturbantes, à secularibus etiam potestatibus comprimantur.* Nec quicquam maius est, vnde Deo sacrificium possitis offerre; quam si id ordinetis: vt qui in suam & aliorum perniciem debachantur, competenti debeant vigore compelli. Et iterum. (Ibid.) *Si qua ecclesiastici officij persona, cui subiectus est, restiterit, seu schisma fecerit excommunicetur: si vero hoc contempserit, & permanserit schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur.*

QVÆSTIO CLXV.

De Apostasia.

In quinque Membra diuisa.

COnseqventer dicendum est de Apostasia. Circa quam primo quærendum est, quid sit: & quæ sit eius differentia ad hæresim & schisma. Secundo, quis dicendus est apostata. Tertio, vtrũ omnis apostata sit infamis. Quarto, vtrum omnis apostata sit excommunicatus, vel excommunicandus. Quinto, vtrum clericus apostata priuetur priuilegio clericali. (D. Tho. 2. 2. q. 12.)

MEMBRVM I.

Apostasia quid, & in quo ab hæresi & schismate differat?

AD primvm sic diffinitur apostasia. *Apostasia est temerarius à statu fidei, obedientiæ ecclesiasticæ, vel religionis recessus.* Dicitur autem religio communiter, secundum quod clerici etiam religioni cuidam sunt astricti: non tantum secundum quod claustrales religiosi dicuntur. Per hoc patet, quod multiplex est apostasia. Est enim apostasia perfidiæ: sicut Iulianus apostata dicebatur. Est iterum apostasia inobedientiæ: & de his habetur 3. q. 4. *Alieni erroris societatem sectantem, vel à sui propositi tramite recedentem, vel Apostolicæ sedis iussionibus inobedientem suscipere non possumus.* Et dicit Greg. *peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se asserit, sedi Apostolicæ obedire contemnit.* Dicitur etiam apostasia irregularitatis, qua quis à statu sumptæ religionis recedit, cum apostatat monachus, vel clericus, vel cõuersus: secundum hoc dicit August. *Quomodo difficile sum expertus, meliores, quam qui in monasteriis profecerunt: ita non sum expertus deteriores, quam qui in monasteriis defecerunt.* (3. q. 4. / Gregor. / Aug. ad Vincent.)

¶ Obiicitur autem quod omnis peccator sit apostata, per hoc quod dicitur à Greg. super illud Ezech. *Mitto te ad filios Israel, ad gentes apostatrices.* Gloss. *Sicut qui fide recedit à Deo, apostata est: sic qui ad peruersum opus redit, etiam si fidem tenuerit, apostata est.* Ergo qui reuertitur ad peccatum, apostata est: tales autem sunt peccatores omnes, qui pœnitentia cadunt: ergo omnes sunt apostatæ. (Greg. super Ezec. & Glossa.)

¶ Item. *Initium superbiæ hominis est, apostatare à Deo: quoniam ab eo recessit cor illius.* Cum ergo peccator recedat à Deo corde; peccator dicetur apostata: & sit hic sermo de peccante peccato mortali. (Eccl. 10.)

RESOLVTIO.

Apostasia proprie est temerarius recessus à statu fidei, obedientiæ ecclesiasticæ, & religionis.

¶ Ad quod dicendum est: quod nomen apostasiæ dicitur dupliciter: sicut dicit Gregor. *Dicuntur duobus modis apostatæ: aut enim homo à Deo recedit fide, aut opere.* Secundum hunc modum accipiendo, generaliter dicetur peccans mortaliter post habitam gratiam, vel post statum innocentiæ retrocedere, & ita apostatare. Secundum autem quod supra dictum est, proprie dicitur apostata illis prædictis modis. Illo autem modo, quo proprie accipitur, dicitur. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et dicit Interlin. *Sicut Salomon, qui propter amorem mulierum ad idololatriam est conuersus.* Posset tamen & ibi nomen apostasiæ extendi. (Gregor. in homil. super Ezech. / Eccles. 19. Glossa.)

¶ Item, videtur quod superbus prælatus sit apostata: & ita non tantum dicatur apostasia modis prædictis. (Si enim ratione superbiæ est apostata, non tantum dicitur apostata modis prædictis) dicit autem Gregor. super illud. *Qui dicit regi apostata. Superbus rector toties ad culpam apostasiæ delabitur, quoties præesse hominibus delectatur.* (Obiectio. / Greg. super Iob. 34.)

¶ Item, super illud. *Initium superbia hominis apostatare.* Gl. *Nõ est maior apostasia, quam creaturam à creatore recedere: quæ merito ascribitur superbiæ: superbia enim est, si creatura velit coæquari creatori: hoc etiam diabolo, & homini fuit initium perditionis.* Ergo ratione superbiæ diabolus & primus homo fuit apostata: non ergo prædictis modis tantum dicetur apostata. (Eccl. 10. Glossa.)

¶ Ad quod dicendum est: quod cum dicitur superbus

apostata, nomen *apostata* accipitur pro recedente à Deo per peccatum mortale, ad imitationem diaboli, vel primi parentis. Et potest reduci illud genus apostasiæ ad apostasiam inobedientiæ: non enim servauit Lucifer præceptum scriptum in mente: similiter nec primus parens præceptum ei expressum.

¶ Quod autem dicitur à Rabano super Ecclesiasticum: quod non est maior apostasia &c. intelligi potest de recessu per infidelitatem: & secundum hoc verum est, quod non est maior apostasia in genere: cuius principium est superbia. Si vero recessus amplietur; intelligatur ratione status, quomodo lucifer & primus parens recesserunt: non quod omnis recessus per peccatum à Deo sit proprie apostasia.

Quæst. lateralis. ¶ Adhuc etiam quæritur, si discordia sit apostasia, & seminans discordiam sit apostata. Quod non, videtur ex prædicta ratione apostasiæ: peccatum enim discordiæ non est recessus perfidiæ, vel inobedientiæ contumacis, aut irregularitatis.

Prouerb. 6 Glossa. ¶ Sed contra hoc est illud, quod dicitur. *Homo apostata omni tempore iurgia seminat.* Et dicit Gl. *Quem seminantem iurgia dicere voluit, prius apostatam nominauit: quia nisi more superbientis angeli ab aspectu conditoris prius intus auersione mentis caderet: foras post modum vsque ad seminanda iurgia non veniret.*

¶ Ad quod dicendum: quod seminans discordias dicitur schismaticus: discordia enim in schismate determinatur: & ita seminans discordias cum peruenerit ad schisma, apostata dicitur secundum modum supradictum: non tamen omnis discordia est apostasia: sed cum ad hoc peruenitur, vt sit recessus ab vnitate capitis & membrorum.

Dubitatio ¶ Item, videtur ex prædictis, quod apostasia non sit peccatum separatum ab hæresi, vel schismate, imo sit commune ad vtrunque: cum enim hæreticus sit apostata, apostasia perfidię, & schismaticus apostasia inobedientiæ: non videntur adinuicem distingui ista peccata.

¶ Ad quod respondetur: quod licet idem sint re aliquando hęreticus & apostata differunt tamen ratione: hæreticus enim dicitur, quia à fidei Catholicæ vnitate se diuidit: apostata vero, quia à statu fidei bono, quam habuit, recedit: melius autem est viam veritatis nō agnoscere, quam post agnitam retrocedere: sicut habetur 2. Petr. 2. Apostata autem secundum quod re differt ab hæretico & schismatico: proprie dicitur ille, qui à statu regulari retrocedit. 2. Petri 2.

MEMBRVM II.

Apostata quis dicatur?

SECVNDO quæritur, quis dicendus sit apostata? Et primo de apostasia perfidiæ: ponatur enim quod aliquis bene credat: metu tamen mortis extra non confitetur fidem: sicut sunt illi, qui sunt inter saracenos: similiter illi, qui metu saracænorum osculantur sepulchrum Machometi, vel etiam causa placendi eis: quæritur, vtrum tales dicendi sunt apostatæ apostasia perfidiæ. Et videtur quod sic: *apostasia .n. est temerarius recessus ab his, quæ fidem cōtingunt:* illi aūt, qui non confitentur fidem, sed ore negant, temere à confessione fidei recedunt: ergo sunt apostatæ.

¶ Similiter qui non sanctum quasi sanctum venerantur; imo magis execrandum ritu religioso venerantur: ergo sunt apostatæ.

¶ Contra, manet ipsa fides in corde: manente autem fundamento, nō dicitur apostata: ergo huiusmodi non dicentur apostatæ.

¶ Ad quod videtur dicendum: quod si nullo modo in corde deuiant à fide, licet exterius non confiteantur, vel negent propter metum ad horam: non sunt censendi apostatæ apostasia perfidiæ: possunt tamen dici apostatæ communi nomine: quia à confessione fidei retrocedunt. Illi autem, qui venerantur Machometum quasi sanctum Dei, per hoc intendentes Deo placere, quasi esset nuncius Dei; pro apostatis sunt reputandi: proprie enim apostatæ dicuntur, qui à religione fidei, & eorum quæ ad fidem contingunt, ad contrarium fidei se conuertunt: sicut faciunt illi, qui honorem diuinum execrandis personis attribuunt. Similiter potest dici de illis, qui se faciunt circumcidi, ponentes spē in circumcisione legali; qui prius fuerunt Christiani. Hoc autem attendendum est, quod quicunque non ex infidelitate, sed ex metu mortis aliqua talia faciunt, mortaliter peccant: nullus enim ad aliqua talia, vbi est mortale peccatum, & ita per consequens anima separatur à Deo; metu mortis debet induci: sanctius enim est mori fame, quam idololatico vesci: sicut dicit Augustinus super Epist. ad Corinth. 1.

¶ Adhuc etiam quæritur, vtrum incidat in peccatum, quod est apostasia perfidiæ, qui inobediens est mandatis sedis Apostolicæ? Quod non, videtur: apostasia enim perfidiæ & apostasia inobedientiæ ediuerso diuiduntur: non ergo qui incidit in apostasiam inobedientię, incidit in apostasiam perfidiæ necessario. Quæst. lateralis.

¶ Contra, dicit Gregor. *peccatum paganitatis incurrit, quisquis dum Christianum se asserit: sedi Apostolicæ obedire contemnit.* Gregor.

¶ Ad idem etiam facit quod dicitur. *Peccatum ariolandi est nolle obedire, & scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Sed constat, quod non ex hoc efficitur paganus, vel ariolus, qui nunquam credidit: ergo efficitur apostata apostasia perfidiæ: qui ergo inobediens est sedi Apostolicæ, apostata efficitur apostasia perfidiæ. 1. Reg. 15.

¶ Ad quod dici potest: quod apostasia perfidiæ potest dici dupliciter. Vno modo cum cadit aliquis à fide articulorum omnium, vel plurium, qui sunt in symbolo: maxime illorum, qui pertinent ad Trinitatem, vel Christi humanitatem: & hoc modo talis non cadit in apostasiam perfidiæ. Alio vero modo dicitur apostasia perfidiæ, cum male sentitur de illo articulo fidei symboli, qui est, *Apostolicam ecclesiam*: & per hunc modum apostasia inobedientiæ contumacis est dispositio ad hoc, quod fiat apostata apostasia perfidiæ: qui enim non vult obedire sedi Apostolicæ in his, quæ ad eam pertinent; aut hoc est, quia male credit de ea: aut disponitur ad male credendum: Per essentiam tamen non est hæc apostasia illa: vna enim refertur ad credibilia: alia vero ad operabilia.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per verbum Greg. dici potest: quod hoc dicitur per quandam similitudinem: vt sicut paganus non rectè sentit de sede Apostolica, & pro nullo habet mandata ipsius: ita & ille pro nihilo habet mādatum, & disponitur ad non rectè sentiendum.

¶ Ad illud autem, quod obiicitur in Lib. Reg. Dici potest similiter: quod licet non sit peccatum idololatriæ per essentiam; est tamen quodammodo simile: in hoc, scilicet quod sicut idololatria recedit à debito principio per infidelitatem: ita talis recedit à debito capite, pertinaciter nolens obedire.

¶ Deinde quæritur, Vtrum qui non obedit indifferenter mandatis sui superioris, dicendus sit apostata: maxime in his, quæ non sunt contra Deum? Quod videtur ex prædicta autoritate Greg. & lib. Reg. Quæst. lateralis.

¶ Sed contrarium videtur: secundum hoc enim æqualiter obediendum esset vni prælato vt alteri: secundum hoc etiam esset in indifferentibus cuilibet prælato ecclesiastico obediendum: quod cum non sit, non est censendus apostata apostasia inobedientiæ, si non in omnibus obedit.

¶ Præterea, si etiam non obedit in omnibus, in quibus tenetur obedire, & propterea esset apostata; omnis inobediens esset apostata; quod cum non videatur; non dicetur apostata apostasia inobedientiæ, quicunq; non obedit præcepto sui prælati ecclesiastici.

¶ Ad quod responderi potest per hoc, quod dicit Pelagius Papa: quod in illis obediendum est, quæ pertinent ad diuini cultus obsequium: & quæ pertinent ad suum officium, quod debet exercere principaliter circa correctionē & salutem animarum, secundario circa discretam & vtilem dispensationem rerum ecclesiasticarum, hoc est quod dicit Pelagius. *In his, quæ ecclesiasticæ vtilitatis cura peragere præceperit, præbeatis ei obedientiam, et* * *constituendo competentem.* Si autem præcipiat in his, quæ non pertinent ad Deum, vel suum officium; non propter hoc tenetur obedire: vt si præcipiat ei, nulla præexistente causa debita; quod resignet beneficium, ratione cuius est subditus, non propter hoc tenetur obedire. Si etiam præcipiat in his, ad quæ subditus tenetur obedire, non propter hoc semper Pela. Papa. *Alias, cōstituto.

dicendus est apostata, cum non obedit: sed cum canonica facta admonitione, permanet ipse in sua inobedientia contumaci, tunc dici potest apostata apostasia inobedientiæ. Præterea, cum dicat August. quod obediendū est superiori prælato, cum præcipit contrariū ei, quod iniungit inferior: non propter hoc dicendus est apostata apostasia inobediētiæ, si pertinaciter non vult obedire in omnibus huiusmodi superiori prælato: non enim semper magis obediendum est in omnib. superiori, quam inferiori: vtpote si præcipiat Episcopus suis subditis aliquid; & Metropolitanus præcipiat cōtrarium: aliquando potius obediendum est episcopo, quam metropolitano: nisi in casibus certis. Sed intelligendum est illud Aug. vel de illo prælato, qui ordinarius est immediate singulorum, scil. summo Pontifice: vel de illo, à quo inferior Iudex habet iurisdictionem: tunc enim magis obediēdum est superiori, quā inferiori prælato. Metropolitano autem obediendum est in his, quæ deuoluuntur ad appellationem: vel in his, quæ pertinent ad canonicam eius visitationem, quod est propter negligentiam inferioris prælati: aliquando autem consuetudo diutius obtenta pinguius ius potest conferre. (August.)

¶ ITEM, quæritur de apostasia irregularitatis: vtrum ille, qui accipit primam tonsuram, si deserit eam, peccat peccato apostasiæ? Quod videtur per hoc, quod dicitur *extra. Si quis clericus comam relaxauerit, anathema sit.* (Quæst. late... Ext. de vitiis & honestate clericorū.)

¶ SED videtur contrarium: potest enim accipere vxorē corruptam, vel transferre se ad officium militare: & tunc potest non portare coronam, vel nō habere tonsuram clericalem: sicut habetur in Canone. *Quisquis clericus viduam, aut secundam vxorem duxerit: omnis ecclesiastica dignitatis priuilegio denudetur, laicali* tamen sibi communione concessa.* Ex hoc ergo videtur, quod si hoc ab ecclesia statuitur, quod non sit ei peccatum accipere vxorem, per cōsequens nec sit ei peccatum deserere tonsuram, vel non portare coronam: maxime cum hoc sit in scandalum ipsorum. (Canon. *Alias, tā...)

¶ PRÆTEREA, tonsura negotia secularia exercentis redundat in vituperium ministerij ecclesiastici: & similiter corona: cum scriptum sit. *Nemo militans Deo implicet se secularibus negotiis.* (2. Tim. 2.)

¶ AD quod videtur dicendum: quod sicut est de illo, qui fecit votum virginitatis, vel continentiæ; si accipit vxorem, accipiendo peccat; & tamen non peccat reddendo debitū: sic videtur quod accipiens primam tonsuram vel coronā, si postea deserit, diuertendo se ad cōtrarium actum; peccat in primo actu retrocedendo: & illud est peccatum apostasiæ, cum enim huiusmodi obligauerit se Deo, dicens. *Dominus pars hæreditatis meæ:* retrocedendo peccat. (Psal. 15.)

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est: quod licet licitum sit ei accipere vxorem propter malum incontinentiæ vitandum: nondum enim habebat votū continentiæ annexum, sicut est in susceptione sacri ordinis: huiusmodi tamen licitum non est cum ratione perfectionis, & est permissum. Quod si fuerit propter scandalum vitandum, potest non deferre tonsuram clericalem: sicut dicit Innocentius. Ipsum super tonsuratione huiusmodi non molestes: dummodo nullum percipiat beneficium ecclesiasticum: cuius ratione teneatur deferre tonsuram clericalem.

¶ ET notandum, quod tenetur clericus portare coronam, nisi fuerit in tribus casibus. Si nullo modo vult retinere priuilegium clericale. Vel si non potest ferre absque scandalo vxoris, dummodo non habeat beneficium ecclesiasticum: sicut in aliquibus partibus contingit. Vel si iusta causa timoris exigit, tonsuram, vel habitum transformari: sicut habetur extra. de vi. & ho. cle. & de clericis inter sacros ordines constitutis. Nec sequitur, si licitum est habere vxorem; sicut dicit Leo Papa quod propter hoc licitum sit deserere tonsuram clericalem: sed cum quadam conditione licitum est. (Leo Papa dist. 32. Seriatim.)

¶ AD secundum vero dicendum: quod illud est ratio, quod non debeat compelli ad deferendum tonsuram clericalem: nihilominus tamen potest eam portare, nisi alia causa contradixerit.

MEMBRVM III.

An omnis apostata infamis sit?

TERTIO quæritur, vtrum omnis apostata sit infamis? Quod videtur discutiendo per singulas differentias: apostata enim perfidiæ est infamis, sicut habetur ab Anacleto. 3. q. 4. *Omnis apostata refutandus est ante reuersionem suam: nec in accusationem recte agentium, aut in testimonium suscipiendus est.* Similiter dicitur dist. 3. de conse. vbi dicitur, quod illi, qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur. (Anaclet. 3. q. 4. Beatus. Dist. 3. de conse. celebritatem.)

¶ SIMILITER apostata apostasia inobedientiæ infamis efficitur: sicut dicit Pius Papa. *Si quis à suo proposito retrorsum exorbitauerit, & iussa apostolica sedis libenter transgressus fuerit; infamis efficitur.* (Pius Papa.)

¶ SIMILITER apostata apostasia irregularitatis: sicut habetur 2. q. 7. vbi dicitur. *Infames omnes censemus esse: qui suam fidem, aut Christianam legem præuaricantur: aut apostolicam vel regularem postponunt autoritatem.* (2. q. 7. Alieni.)

¶ ET iterum Anacletus. *Accusandi, vel testificandi licentia denegetur his, qui Christiani nominis & religionis dignitatem, & sui propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerunt.* (Anaclet.)

¶ VIDETVR autem contrarium, quod non omnis sit infamis: cum enim aliquis à statu clericorum transfert se ad coniugium, deferendo tonsuram clericalem, non efficitur infamis: cum hoc ab ecclesia sit concessum.

¶ SIMILITER argui videtur de aliis, cum per pœnitentiam ad vnitatem ecclesiæ vel ordinis sui reuertuntur: ecclesia enim conformare se debet Deo: sed Deus pœnitenti non imputat priora peccata: ergo non ipsa ecclesia debet imputare.

¶ PRÆTEREA, hoc videtur argui per hoc, quod dicit Anacletus: quod ante reuersionem suam non est recipiendus in testimonium: arguitur enim à contrario sensu. (Idem.)

RESOLVTIO.

Non omnis, nec æque.

¶ AD quod dicendum est: quod sicut supra habitum est: apostatæ apostasia perfidiæ infames efficiuntur: pro apostasia vero inobedientiæ, & pro apostasia irregularitatis ab ordine, interim infamis efficitur. Non sic autem dicendum est de illo, qui cum sit in minoribus constitutus, & propter malum incontinentiæ vitandum transfert se ad coniugiū, & propter scandalum vxoris dimittit tonsuram clericalem.

¶ AD illud verò, quod obiicitur: quod ecclesia debet se conformare Deo. Dicendum est; quod hoc verum est de ratione culpæ: de ratione vero pœnæ, sicut nec Deus statim omnem pœnam dimittit: sic etiam nec ipsa ecclesia dimittit: huiusmodi autem infamia pœna quædam est consequens culpam: & non statim aboletur in omnibus; abolita culpa. Hoc autem potest esse, vel vt incutiatur metus aliis: vel propter præsumptionem cōtrarij; qui enim fidem priorem irritam fecit, non intantum ei vlterius fides adhibetur.

MEMBRVM IV.

An subditi ratione sacramenti fidelitatis apostatantibus Dominis obedire teneantur?

QVARTO quæritur, vtrum obediendum sit ratione sacramenti fidelitatis Dominis apostatis? Quod videtur per hoc, quod dicit Ambrosius. *Iulianus Imperator, quamuis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites: quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione Reipublicæ; obediebant ei.* Et similiter legitur de aliis viris sanctis: qui sub principibus infidelibus militabant. (Ambros. habetur 11. q. 3. c. Iul. & Aug. Ps. 124 super illud. Non relinquet Dominus virgam.)

¶ SED contrarium videtur de ipsis apostatis, per hoc quod dicit Gregor. 7. *eos, qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento constricti sunt; apostolica authoritate à sacramento absoluimus: & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ad satisfactionem veniant.* (Gregor. & habetur 15. q. 6. cap. Nos sanctorum.)

RESOLVTIO.

Quinimmo statim vt excommunicati nominati fuerint, ab eorum obedientia absoluuntur.

¶ Ad quod dici potest: quod princeps quam cito excómunicatus est propter apostasiam nominatim; subditus absoluitur ab executione obnoxietatis sacramenti.

¶ Qvod aūt dicitur de Iuliano: intelligi potest quod non tunc fuit excommunicatus, & adhuc tolerabatur ab ecclesia. Vel si erat excommunicatus, noluit tamen ecclesia remouere ab eo obedientiam subditorum propter scādalum euitandum: vbi enim princeps delinquit, vel multitudo est in casu; aliquandò est detrahendum seueritati, ne maior fiat ruina. Aliter tamen videtur esse dicendum; cum aliqui Christiani subsunt principibus, qui nunquam fuerunt fideles: ibi enim si aliter fieri non potest: possunt iuuare ipsum in bello iusto: dummodo non cedat in detrimentum fidei: & hoc cedat ad salutem fidelium.

Nicola Papa. ¶ Occasione huius quæritur, vtrum apostatæ sint ipso iure excommunicati? Quod videtur per hoc, quod dicitur à Nicolao Papa. *Si quis dogmata, mandata, interdicta, vel decreta pro Catholica fide, vel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium, vel futurorum malorum, à sede apostolica præsule salubriter promulgata, contempserit: anathema sit.* Similiter, immo multo fortius de illo, qui commisit apostasiam perfidiæ: ipso enim iure est excommunicatus: sicut hæreticus: sicut habetur in *extra.* Sed quid dicendum est de his, qui incidunt in apostasiam irregularitatis? Dici potest, quod tales si admoniti nolint redire, excommunicandi sunt: Dico aūt de apostasia à religione. Alicuius vero Ordinis est consuetudo: vt si steterit in contumacia vsque ad certum tempus statutum, excommunicetur.

In Decret. li. 5. Titul. 7 cap. 9. Ad abolēdam.

MEMBRVM V.

An clericus apostata clericali priuilegio priuetur?

Dist. 84. QVINTO quæritur, vtrum clericus apostata priuetur priuilegio clericali. Et videtur, quod sic, per hoc quod dicitur *dist. 48. Quisquis clericus aut viduam, aut secundam vxorem duxerit: omni dignitatis ecclesiasticæ priuilegio denudetur.* Et iterum in *extra. de apostatis. Clerici, qui relicto ordine & habitu suo, in apostasia tanquam laici conuersantur: si in criminibus comprehensi teneantur: per censuram ecclesiasticam non præcipimus liberari.*

Extrau. de Apostatis.

Extrau. de sent. excō. Si vero. ¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur *extra.* vbi loquitur de clerico nutriente comam: in quem aliquis scienter iniecerit manus violentas: & dicitur. *Si præstare noluerit iuramentum, quia violentas manus constat eum in clericum iniecisse: sicut ab excommunicato, donec de mandato summi Pontificis absoluatur, abstineri conuenit.*

Ibidem. ¶ Item, in eodem. *Cum non ab homine:* vbi dicitur. *Occisores clericorum aut presbyterorum, qui contempto clericali habitu; tyrannidi & enormitati inuerecunde se immiscent, in odium clericalis excessus, & terrorem atque correctionem similium, canone latæ sententia minime coerceantur.* Igitur tales apostatæ non gaudent priuilegio clericorum.

¶ Hoc etiam arguitur per simile: in lege enim seculari siue humana habetur, quod matrona, cuius pudicitia attentata fuerit, si in veste meretricali fuerit deprehensa; non potest agere actione iniuriarum. Pari ratione qui deprehēsus est in apostasia, si verberatus fuerit, non potest obiicere verberatori, quod inciderit in Canonem latæ sententiæ, velut qui iniuriatur clerico.

¶ Sed videtur sumi argumentum à contrario sensu: ex eo quod dicitur in illa Decretali. *In audientia:* vbi apponitur talis conditio, quod sint tertio admoniti à suis prælatis. Ergo si non sint admoniti à suis prælatis, videntur adhuc gaudere priuilegio clericali: nisi omnino transferant se ad cōtrarium actum.

RESOLVTIO.

Si fuerit apostata tantum nutritione comæ, non priuatur. Si vero adhuc militaria arma gesset, & enormibus se immisceat, priuatur omnino.

¶ Ad quod dicendum sub distinctione: quod licet apostatæ mereantur, vt non gaudeant priuilegio clericali: tamen ille, qui iniicit manus violentas in apostatam, nesciēs ipsum esse apostatā, sciens autem ipsum esse clericum, incidit in canonem: dummodo non est plus de apostasia, nisi quia nutrit comam: si vero nesciens est, non incidit: sicut habetur ibidem. Si vero in tantum crescit apostasia, quod non tantum contemnitur clericalis habitus; sed arma militaria gestat, & enormibus se immiscet: iam dignus est in odium criminis priuilegio priuari clericali.

¶ Qvod autem dicitur de tertia admonitione facienda ab episcopo: hoc est, vt maior ostendatur contumacia: & per hoc amplius tuitionem prælati amittant. Quidam tamen dicunt, quod trina admonitio præmittenda est: sed hoc potest esse in primo casu, vbi apostata dicitur nutriendo comam, & deserendo statum clericalem. Si vero transit ad bigamiam, vel ad officium militare, ita quod fiat miles: tunc secundum cōstitutionem ecclesiasticam priuilegium clericale meretur amittere. Nō sic autem de constituto in minoribus ordinibus accipiente vxorem virginem, & deferente coronam, non in scandalum vxoris.

QVÆST. CLXVI.

De Diuinatione.

In septem Membra diuisa.

DICTVM est supra de his, in quibus fit iniuria respectu maiestatis diuinę, siue non accedendo ad cultum eius, siue recedendo à debito cultu ipsius. Consequenter dicēdum est de criminibus, quibus fit iniuria contra sapientiam diuinam: hæc autem omnia sunt, quæ pertinent ad diuinationem. D. Tho. 2. 2. q. 95. S. Bon. in 2. d 7. part. 2. art. 2. q. 3.

¶ Videndum est ergo. Primo, quid sit diuinatio. Secundo, quæ sint differentiæ eius. Tertio, vtrum diuinatio sit licita. Quarto, vtrum diuinationibus sit fides adhibenda. Quinto, de pœna hanc culpam consequente. Sexto, de quibusdam pertinentibus ad aliquas differentias diuinationis.

MEMBRVM I.

Quid sit diuinatio?

DIFFINITVR autem sic. *Diuinatio est superstitiosa inuestigatio præscientia futurorum.* Ponitur & iterum alia ratio. *Diuinatio est præscientia futurorum, alio modo quam diuinitus habita.* Tertio modo dicitur *diuinatio vsurpatio præcognoscendi futura ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum:* sicut dicit Augustinus. August. de doctrina Christian. lib. 2. c. 23.

¶ Secundum primam diffinitionem & secundam videtur diuinatio esse in genere cognitionis, & ita non est peccatum: cognitio enim in intellectu est; peccatum vero in voluntate. Hoc etiam videtur per differentias diuinationis, sicut est augurium, siue mathesis, aut geomantia: vnūquodque enim horum ponit cognitionem: in quo autem genere est species & genus.

¶ Similiter potest argui per hoc, quod ait Isid. quod duo sunt genera diuinationis, ars, & furor: furorem autem vocat cognitionem, quæ est in arreptitiis: cum ergo ars & furor secundum hūc modum differentiæ sint cognitionis; erit diuinatio in genere cognitionis. Isidor.

¶ Item, Isid. *Diuini diuinitate se esse plenos simulant; & astutia siue fraudulentia hominibus futura coniectant.* Sed coniecturare est in genere cognitionis: ergo & diuinatio. Idem li. 8. Etymol. c. 9 & refertur 26. q 4. cap igitur. Idem.

¶ Sed videtur contrarium: eo quod diuinatio prohibita est: vnde Isid. *Hæc cuncta vitanda sunt à Christianis, & omni penitus execratione repudianda atque damnanda.* Sed quod per se prohibitum est, peccatum est: ergo diuinatio peccatum est.

¶ Item, infidelitas peccatum est: diuinatio autem ad infidelitatem reducitur: ergo diuinatio peccatum est.

¶ Præterea, excommunicatio debetur propter peccatum: sed sicut dicitur in Cano. sunt excommunicandi, nisi resipuerint: ergo diuinatio est peccatum.

RESOLV-

RESOLVTIO.

Diuinatio est superstitiosa inuestigatio præscientiæ futurorum. Vel Diuinatio est præscientia futurorum alio modo, quam diuinitus habita. Vel Diuinatio est vsurpatio præcognoscendi futura ex quadam pestifera hominum, & dæmonum societate.

¶ Ad quod dicendum, quod diuinatio suo nomine plus determinat cognitionem, quam peccatum: pro vtroque tamen accipitur. Aliquando n. dicitur diuinatio ipsa cognitio illicito modo acquisita: aliquando vero dicitur ipsa voluntas sic acquirẽdi. Primo modo accipitur in primis rationibus: secundo modo accipitur hic: prout de ipsa agitur.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de prohibitione. Dicendum est, quod aliquid per se est prohibitum: aliquid vero, quia est coniunctum peccato. Peccatum autem est per se prohibitum: occasiones autem coniunctæ prohibitæ sunt propter ipsum peccatum: & vtroq; modo potest dici diuinatio prohibita.

¶ Ad secundum dicendum, quod sub infidelitate continetur, vel proximum est infidelitati; est peccatum: sicut ait Aug. *dicens: quod sciat se fidem Christianam & baptismum præuaricasse, & apostatam esse, id est, retro abeuntem.* Augus.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod excommunicatio per se respicit diuinationẽ, vt est culpa: per consequens tamen respicit indebitum modum acquirendi cognitionem superstitiosam.

MEMBRVM II.

Quæ, & quot sint diuinationis differentiæ?

Secundo quæritur, quæ sint differentiæ diuinationis. Et ponuntur quinque. Mantice, Maleficium, Sortilegium, Auguriũ, Præstigium. Præter has etiam est Mathesis, quæ fit in cõstellationibus, sicut sunt Genethliaci, qui considerant natiuitates, & alia quæ similiter considerantur sub notationibus syderum. Est etiã diuinatio, quæ fuit in aris idolorum: & tales dicebantur Ariolí. Quædam etiam diuinatio fit per somnia. Μαντικὴ. Μάθησις. Γενέθλια κή.

¶ His ergo differentiis acceptis, ponenda est ratio diuisionis. Est autem quædam diuinatio, quæ tantum fit per inuocationes dæmonum. Est alia, quæ fit aliquibus aliis rebus adiunctis, quibus prouocantur dæmones, & homines ad infidelitatẽ pertrahuntur: eo quod aliquando contingit, sicut conijciunt, vel prædicunt. Hoc aũt contingit, vel per res aliquas, vel per rerum phantasias. Per res vero cõtingit multipliciter: aut per res superiores, sicut faciunt Mathematici; qui natiuitates hominum considerant, & qualitates eorundem: aut per res inferiores, & hoc contingit aut in elementis, sicut sunt Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Piromantia. Si vero in rebus elementatis hoc contingit multipliciter, vel in rebus animatis, vel in rebus inanimatis. In rebus inanimatis, sicut cum fiunt quædam ligaturæ lignorum, vel aliarum rerum. In rebus vero animatis, sicut est in augurio, vel in auspicio: auspicium est in aspectu volatus auium, augurium in garritu. Quædam etiam fit in mortuis animalibus, vel in figura mortuorum animalium & hæc dicitur Necromantia. Νεκρὸν enim Græcè mortuus dicitur Latinè: Μαντεία diuinatio. Ad huiusmodi autem suscitanda, cadaueris sanguis adijcitur: nam amare dæmones sanguinem dicunt: ideoq; quotiens Necromantia fit, cruor aqua miscetur, vt facilius dæmones prouocentur. Diuinatio autem quãdoq; fit in phantasiis rerum: aut in ludificatione exterioris sensus sc. visus: & hoc modo est Præstigium: cum diabolicis illusionibus hominũ oculi præstigiuntur, ne possint cernere quod verũ est, aut hoc est per somnia, quæ ad vim imaginatiuam pertinẽt: sicut in his, qui cõiectores sunt somniorum. Quædam etiam diuinatio fit per res artificiales, sicut per characteres, & hoc est in scripturis: vel per imagines ceteras, vel alias, sicut in maleficiis. Quædam etiam fiunt per res casuales, sicut in sortilegiis: sortilegia autem dicuntur, quæ sub nomine fictæ religionis quædam futura conijciunt.

¶ Potest etiã quæri, q̃ differentia sit inter illas quinque species, quæ assignantur ipsius diuinationis in principio. Videtur enim quod maleficium non distinguatur à Mantice: in Necromantia enim quæ est species manticæ, potest esse maleficium: maleficium enim est, quo procuratur alicuius incommodum: hoc autem potest esse Necromantia: ergo hæ duæ species non videntur differre.

¶ Similiter videtur de sortilegio, in quo potest fieri procuratio alicuius maleficij.

¶ Præterea, non videtur diuinatio esse genus ad omnia ista, per hoc quod dicitur Deuter. 18. vbi dicitur: *Non sit maleficus, nec incantator, neq; pythones consulat, neque diuinos.* Connumeratur ergo diuinus cum aliis: non ergo est commune ad omnia illa. Deut. 18.

¶ Item, præstigium potest esse maleficium: potest n. ludificatio fieri in visu exteriori ad incõmodum alterius.

¶ Præterea, cum ponantur quinque species principales ipsius diuinationis, præter illam, quæ est in fatis & cõstellationibus: potest quæri, quæ sit ratio distinctionis inter illa: vtrum scilicet penes finem differant, vel penes materiam, vel penes formam.

RESOLVTIO.

Diuinationum differentiæ duæ sunt genere: altera quidem per dæmonum simplicem inuocationem, altera vero per circumiectam eorundem inuocationem. Octo autem sunt species scilicet mantice, maleficium, sortilegium, augurium, præstigium, amplius autem mathesis, ariolatio, & per somnia diuinatio.

¶ Ad quod dici potest: quod diuinatio illa potest attendi secundum materias, siue quantum ad illa, per quæ fit diuinatio: per alia enim fit diuinatio in mantice, & in maleficio, & in sortilegio, & in augurio, & præstigio, & fatali diuinatione. In mantice enim aliqua fiunt, per quæ fit dæmonum inuocatio; vt per illos cognoscantur futura. In maleficio vero fiunt ligaturæ, vel imagines, vel characteres: vt aliquod commodum, vel incommodum sequatur, per quod incidant homines in infidelitatem; credentes esse virtutem illius imaginis, vel ligaturæ, vel characteris; cum non sit. Sortilegium autem, cum aliqui sortes proijciunt in electionibus Ecclesiasticis, vel in factis hominum spiritualibus: vt quodammodo tentetur Deus, & voluntas diuina indebito modo cognoscatur. Augurium autem est cognitio futurorum indebita per garritus auium, vel per volatus (sumitur enim hoc nomen *augurium* sic communiter) ex quo pertrahi possunt homines ad falsam credulitatẽ. Præstigium autem, cum operatione dæmonum illuduntur homines, vt non videant, quod verum est: sed credant quod non est. De hoc dicit August. *Nec mirum de magorum præstigiis, quorum in tantum prodiere maleficiorum artes, vt etiam Moysi in illis signis resistentes, vertentes virgas in dracones, & aquam in sanguinem ferantur.* Et de his multa dicit Aug. recitando in Lib. de Ciuit. Dei. in quibus non attenditur veritas rei, sed phantasia & hominum ludificatio à dæmonibus. August. in lib. de ciu. Dei. Aug. 18. de ciuit. Dei. cap. 16. 17. & 18.

¶ Ad obiectum autẽ primo respondendum est, quod necromantia, prout est species manticę; differt à maleficio propriè dicto in hoc, quod necromantia sit diuinatio sub speciebus corporum mortuorum cum inuocatione dæmonum, vt cognoscantur futura: maleficium vero vt operatione dæmonum cognoscatur aliquid faciendum commodum vel incommodum. Vnde magis conuertitur ad operationem, licet ibi sit de cognitione.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur de sortilegio. Dicendum, quod sortilegium aliquando sumitur communiter: aliquando propriè. Secundum quod communiter accipitur, maleficium continetur sub sortilegio: secundum aũt quod propriè sumitur sortilegium cum proiectione sortium ad aliquid cognoscendum; non est maleficium: maleficium n. magis est ad operãdum aliquid virtute dæmonum, quod ex alia tamen virtute falso creditur fieri.

¶ Ad tertium dicendum, quod diuinatio aliq̃n accipitur cõmuniter: & sic continet maleficium & sortilegiũ. Aliq̃n vero appropriatur, sicut hi. Deut. 18. vt diuini dicantur, qui per cõstellationes futura coniectant modo indebito: sicut est de natiuitatibus hominum, & de affectionib. animarum. Deut. 18.

¶ Ad illud vero, quod consequenter obijcitur. Dicendum est: quod præstigium per se est, vt operatione dæmonū phantasia humana, vel visus ludificetur; ad hoc quod credatur quod non est: ad hoc autem non tendit maleficium: sicut dictum est.

Ibid. ¶ Potest etiam quæri de hoc, quod Deuteron. 18. ponuntur octo differentiæ, cum dicitur: *Non sit qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria: nec sit maleficus, nec incantator: nec qui pythones consulat, neque diuinos: & quærat à mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus.* 19.

Leuit. 19. vero cap. Leu. non tot dicuntur: dicit enim: *Non augurabimini, non obseruabitis somnia, non figuras aliquas aut stigmata facietis.* Et post sequitur: *Non declinabitis ad magos, neque ab ariolis sciscitabimini aliquid; ne polluamini per eos.*

Ibid. ¶ Ad quod dici potest: quod in Deuter. numerantur differentiæ diuinationis specialiter: in Leuitic. vero sub quadam generalitate: vt sub magis & ariolis comprehendantur speciales differentiæ, quæ numerantur in Deuteron. præter illas, quæ dicuntur in Leui. Vel forte plures differentiæ diuinationum peruenerunt ad vsum malorum, cum dabatur Deuteronomius; quam tempore, quo dabatur Leuiticus. Distinguit autem separatim in Leuitico quasdam differentias ab alijs: vt ostendat diuersas esse differentias diuinandi. Alius enim modus est diuinandi per res, vel per rerum similitudines, siue signa: & de illis dat primo intelligere prohibitionem. Alius vero per dæmonum inuocationem immediatam, & de illis dat prohibitionem secundo. In Deuterō. autem has & illas commiscet, ostēdendo differentias diuinationum secundum differentias eorum, per quas homo potest trahi ad infidelitatem differenter.

MEMBRVM III.

An diuinatio licita sit?

Tertio quæritur, vtrum diuinatio sit licita. Et videtur, quod non, per hoc quod dicitur: *Non est augurium in Iacob, neque diuinatio in Israel,* &c. in quo innuitur, quod non fuit licitum. Similiter habitum est Leuitic. 19. vbi fit prohibitio, & in Deutero. 18. sicut dictum est. Dicit autem Augustin. super illud. *Non augurabimini.* Qui hoc obseruare curat, Deum nititur infamare: tanquā auibus plusquam Deo scientiam tribuat.

Num. 23.

Aug. super Leuit. 19.

Isai. 8. ¶ Item, Isai. 8. *Dicunt ad nos, quærite à pythonibus & diuinis, qui strident in incantationibus: nunquid non populus requirit à Deo suo visionem.* q. d. requirere debet: & non ab illis. Non ergo tantum est malum diuinationem facere, sed diuinationi credere: non n. solum qui agunt, sed & qui consentiunt digni sunt morte.

ad Gal. 4. ¶ Similiter dicit Apostolus ad Galat. *Dies obseruatis, & tempora, & menses, & annos: timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis.*

Leuit. 20. ¶ Similiter dicitur: *Anima, quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam.* Ex his accipitur, quod tam diuinationem facere, quam diuinationem quærere, siue ei credere, sit illicitum.

Gen. 44. ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicitur: de scypho, in quo solet Ioseph augurari, sicut dicit famulus eius: & post subditur ab ipso Ioseph. *An ignoratis, quod non sit similis mihi in augurandi scientia?* Cum ergo vteretur Ioseph augurio; sicut ibi videtur, non est augurium illicitum: augurium autem pro diuinatione sumitur: ergo diuinatio non est illicita.

Iosue 7. ¶ Item, legitur in Iosue 7. quod Iosue præcepto Domini sorte exquisiuit peccatum Achan: & Saul comprehendit sorte Ionatham filium suum comedisse de fauo mellis. Ex his videtur, quod diuinatio sit licita.

Ion. 1. Similiter videtur Ion. 1. quod miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.





RESOLVTIO.

Excepta quodam modo diuinatione per sortes, quæcunque alia diuinationum genera dantur, illicita sunt.

¶ Ad quod potest responderi: quod diuinatio omnibus modis supradictis illicita est: nisi forte dicatur de illa, quæ fit mediante sorte: de qua infra agetur. De alijs autem patet, quod sunt prohibitæ & in veteri & in nouo Testam. Sortilegium etiam prohibitum est sub illa ratione, quam ponit Isidor. Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum siue Apostolorum vocāt sortes, diuinationis scientiam profitentur: aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. Quod autem diuinatio sit illicita, patet per hoc quod dicitur in Canone. Qui diuinationes expetunt, & mores gentium subsequūtur, vel in domo sua huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte magica, aut experiendi causa; sub regula quinquennij subiaceant secundum gradus pœnitentiæ diffinitos. Quæst im mediate sequenti. memb. 2.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod Ioseph non vsus est augurandi scientia: sed habuit spiritū præuidendi aliqua futura à Deo. Quod autem dicit se non esse similem in augurandi scientia: hoc secundum August. ioco dictum est, non serio: vnde non est habendum mendacium: mendacia n. à mendacibus serio aguntur, non ioco. In lib. quæstio. super Gen. c. 145. tum 4.

¶ Ad illud vero, quod dicitur de Iosue, & de Saule. Dicendum est, quod permissum fuit ante publicationem Euangelij, & tunc temporis cum inuocatione Dei; nullatenus autem cum inuocatione dæmonum. Iosue autem & Saul cum inuocatione diuina sortes miserunt: oportet etiam quod affuerit necessitas: necessitas enim aliquando facit licitum, quod alias non esset licitum. Vnde Beda. *Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus esse consulendum exemplo Apostolorum, videant illos non nisi precibus fusis ad Deum egisse.* Beda super 1. cap. Act. circa finē Commen.

MEMBRVM IV.

An diuinationibus fides adhibenda sit?

Qvarto quæritur: Vtrum diuinationibus sit fides adhibenda. Et videtur per hoc, quod dicit August. *Dæmones quandoque pronunciant ea, quæ ipsi facturi sunt: aliquando autem ea, quæ non facturi sunt, sed quæ futura esse prætognoscunt naturalibus signis.* Ergo eis credulitas potest adhiberi. Aug in lib. de diuinatione Dæmonum.

¶ Item August. *Dæmones non æternas temporum causas, & quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur: sed quorundam signorum nobis occultorum maiori experientia multo plura quam homines futura conspiciunt.* Idem in 11. de ciu. Dei cap. 22.

¶ Item, aliud est temporalibus temporalia & mutabilia mutabilibus coniecturare, eisque temporalem & mutabilem motum suæ voluntatis & facultatis inserere: quod dæmonibus certa ratione permissum est. Aliud autem in æternis legibus mutationes temporum præuidere; quod sanctis angelis donatum est. Cum ergo rerum mutabilium causæ propinquæ sint res mutabiles: in eis autem cognoscunt dæmones, & qui futura diuinationibus cognoscunt: diuinationibus potest fides adhiberi.

¶ Præterea, maior est perspicacitas intelligentiæ angelicæ, quam humanæ: sed adhibēda est fides hominibus, cū vera loquuntur ex his, quæ per se acceperunt: multo ergo fortius videatur, quod adhibenda est fides illis, quæ ab angelis licet malis reuelentur.

¶ Contra. Dæmonum intentio est ad fallendū: hoc autem fit maximè in diuinationibus: ergo diuinationibus non est fides adhibenda.

¶ Item, diabolus est mendax & pater eius, sed mendacibus non est fides adhibenda, non ergo est adhibenda illis, vel diuinis; qui ab eis accipiunt.

¶ Item, obscuratus est intellectus dæmonum, & illorum qui eis credunt, circa rerum cognitionē, propter peccatum, quod maximè est in eis profundatum: ergo non est eis fides adhibenda de rerum certitudine.

¶ Item, solius Dei est præscire futura: vel eius, qui ab ipso accipit tanquam à speculo æterno: quemadmodum est de singulis Sanctis & Prophetis. Per hanc autem viam non accipiunt, imo per oppositum: non ergo præsciunt futura: ergo eis non est adhibenda fides de præscientia futurorum.

RESOLVTIO.

Cum dæmones in hominum detrimentum semper fallere intendant, ne vtiquam diuinationibus fides adhibenda est.

¶ Quod concedendum est. Vnde licet aliquando vera dicant diuini, siue dæmones in ipsis diuinationibus: non tamen est eis credendum. Dicit enim August. quod *fallunt etiam studio fallendi, & inuida voluntate, qua hominum errore lætantur, sed ne apud cultores suos pondus authoritatis amittant, id agunt, vt interpretibus suis signorumq; coniectionibus culpa tribuatur.*

August. de natura dæmonum.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, quod ipsi pronunciant ea aliquando, de quibus certi sunt, vtpote de factis suis, vel de huiusmodi: vnde de his potest fides adhiberi. Respondendum est, quod licet etiam vera pronuncient: non minus sunt execranda ea, quæ operatione dæmonum ad deceptionem hominum fiunt. Vnde Aug. *Non quia imago Samuelis mortui Sauli vera pronunciauit: propterea talia sacrilegia, quibus illa imago præsentata est, minus execranda sunt.*

Idem in li. de doctrina Christiana.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod licet dæmones propter maiorem experientiam, quam habent, multo plura cognoscant, quam homines: tamen respectu certitudinis futurorum deficiunt aliquando plusquam homines, vel tantum: & ita de certitudine futurorum siue euentu non eis fides adhibenda est.

¶ Ad tertium vero dicendum, quod licet rerum mutabilium causæ propinquæ sint res mutabiles: tamen de ipsis causatis vel causis dæmones non habent certitudinē, sed coniecturam fallibilem, & ideo in eis non est fides adhibenda, siue in diuinationibus.

¶ Ad quartum vero dicendum, quod licet perspicacitas sit maior secundum naturam in dæmonibus; & ita secundum naturam possent melius cognoscere: tamen propter voluntatem continuam decipiendi, & propter obscurationem intellectus ex culpa, non est eis fides adhibenda: quemadmodum hominibus, de quibus præsumitur, quod vera dicere intendant.

MEMBRVM V.

Quæ pœna, vel pœnitentia diuinis & Sortilegis debeatur.

QVINTO de pœna diuinationem cōsequente. Quod autem sint excommunicandi, patet per hoc, quod dicitur in Cano. Sed de pœnitentia potest quæri, quanta debeatur, ipsis diuinis, & sortilegis. Et videtur quod quinquēnis, per hoc quod dicitur in Cano. *Qui diuinationes expetunt, & morem gentium sequuntur, vel in domo sua homines introducunt exquirendi aliquid causa arte magica: sub regula quinquēnij taceant.*

Canon. 26. q. 5.

In Decret. 26. q. 5. cap. Qui diuinationes.

¶ Contrarium autem videtur, quod dicitur in Cano. *quod pro graui peccato mortali septennis pœnitentia iniungitur*: sicut habetur. 33. q. 2. Hoc ipsum. Et ponitur exemplum de Maria sorore Aaron: de qua præcepit Dominus, quod esset extra castra 7. diebus. Et post sequitur: *Maiorum criminum pœnitentia septem annorum spacio concludatur.*

33. quæst. 2 Hoc ipsum.

Ibid.

RESOLVTIO.

Pœna erit excommunicatio: pœnitentia quinquennis.

¶ Ad quod responderi potest, quod licet ita regulariter sit statuta pœnitentia septennis: tamen aliquando iniungitur maior vel minor, secundum quantitatem & qualitatem delicti. Et secundum hunc modum potest illud intelligi, quod supra dictum est: multi n. sunt, qui in talibus non credunt esse peccatum: & ex quadam curiositate siue propter commoditatem hoc efficiunt, vel inquirunt.

MEMBRVM VI.

De quibusdam pertinentibus ad aliquas diuinationis differentias.

SEXTO quæritur de quibusdam pertinentibus ad aliquas differentias diuinationis. Sed prius quæratur in genere, vtrum huiusmodi cognitio sit à Deo, vel à diabolo. Et videtur quod sit à Deo, per hoc quod dicitur in Lib. de lib. arb. *Quis audeat dicere disciplinam esse malum.* Et iterum: *Nullo modo dixerim aliquam intelligentiam malam esse posse.* Illa ergo intelligentia, quæ datur per illā viam; non mala est, sed bona.

Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 1.

Idem.

¶ Item, *intelligere est ipsa luce mentis illustrius perfectiusq; viuere*: August. Sed hoc bonum est: ergo huiusmodi cognitio, cum sit intelligentia, bonum est: & ita à Deo est.

Idem in eodem.

¶ Contra, Aug. *Hæc vanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto terrarum orbe plurimis seculis valuit.* Et iterum: *Per inuentiones eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes, & oracula.* Ergo huiusmodi cognitiones sunt à diabolo.

Idem de ciuit. Dei.

Idem.

¶ Orig. *Est quædam operatio dæmonum in mysterio præscientiæ, quæ artibus quibusdam ab his, qui se dæmonibus mancipauerunt, colligitur: & nunc per sortes, nunc per auguria, nunc ex contemplatione vmbrarum comprehendi videtur: hæc autem omnia operatione dæmonum fieri non dubito.*

Origenes.

¶ Ad quod dicendū, quod cognitio ista, cum est verorū, quo ad hoc φ verorum est, à Deo est primo: omne n. verū est à veritate prima: vnde & ipsa cognitio vera est ab eo. Quo ad hoc aūt φ illo modo requiritur, quo requiri non conuenit, sc. per inuocationem dæmonum, non est à Deo.

¶ Si aūt quæratur, vtrum talis ars diuinandi sit à Deo. Dicendum est, quod non: vnde nec etiam ars dicenda est: non n. ex ordinatis principiis est, sed ex illusionibus diabolicis: cum aūt falsa prædicuntur modo diuinationis, totum est à dæmonibus, vel ex humanis adinuentionibus.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium. Dicendum est, quod in Libr. de lib. arbit. loquitur de scientia veri * nominis, quæ est à Deo: cum sc. ex ordinatis principiis est vel ad cognoscendum, vel ad operandum: illa etiam cognitio, quæ est à Deo de futuris immediatè, licet non sit ex ordinatis principiis accepta, sed ex reuelatione diuina, in genere bonorū multo magis est cōnumeranda; eo quod ipsa accipitur ex illo principio primo, quod mutari non potest.

* Alias, luminis.

¶ Deinde quæritur quare permittit Deus per hanc viam illudi hominibus ab ipsis dæmonibus.

¶ Ad quod respondet Aug. *In his portentis per dæmonum fallacia illuditur curiositas humana; quando id impudenter appetunt scire, quod ex nulla ratione competit inuestigare. Hæc autem potestas ideo datur immundis spiritibus, vt prauos homines seducant: illos scil. qui spernunt veritatem, & credunt mendacio.* Et iterum: *Iudicio quodam diuino occulto traduntur homines illudendi & decipiendi pro meritis voluptatum suarum.*

August.

Idem in li. de doctrina Christiana.

¶ Deinde quæritur, vtrum peccatum sit inuestigare de rebus furtim sublatis per inspectionem astrolabij, & per iudicia astrorum: Videtur n. quod non sit peccatum: cum enim multa fiant secundum cursus eorundem, iudicare de illius per ipsos motus astrorum & coniunctiones & aspectus non erit peccatum.

¶ Præterea, doctrina astronomiæ vtilis est, & concessa: vnde Hieronym. *Discant ea mente dogmata & doctrinam Chaldaicam, qua & Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat.* Cum ergo huiusmodi iudicia ad astronomiam pertinent, non est peccatum his intendere.

Hieronym.

¶ Sed videtur contrarium per hoc quod dicitur super illud. *Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* gl. *Ideo despecta sunt à nobis quæ sunt in Astrologia & Geometria; quia nihil ad salutem pertinent: sed magis mittunt in errorem, & à Deo auocant: vt dum hi student dispositionū rationibus, curā animarum suarū non agunt.*

ad Colos. 2. Glossa.

¶ Item, Aug. *Non immerito creditur, cum astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto fieri instinctu spirituū non bonorum, quorum cura est, has falsas & noxias opiniones de astralib. fatis inserere mentibus humanis atque firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.*

August. in 5. de ciu. Dei.

¶ Item,

Extra. de sortilegiis. Ex re notæ.

¶ Item, hoc idem videtur per hoc, quod dicitur *extra. de sortilegiis.* vbi dicitur, quod quidam presbyter cum quodam ad priuatum locum accessit, nō ea intentione vt inuocaret dæmonium, sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam posset recuperare, sicut dicebat, quod licet pro bono zelo & simplicitate fecisse proponat; tamen grauissimum peccatum fuit. Restat ergo, quod peccatum est per inspectionem astrolabij, & iudicia astronomica inquirere ea, quæ subsunt lib. arb.

¶ Ad quod videtur dicendum: quod sunt quædam iudicia de his, quæ sequuntur propriè mutationem astrorū: sicut est de calore & frigore, imbre & siccitate, & de talibus non est arguere salua Dei virtute, quæ præeminet. Si autem fiat iudicium de his, quæ subsunt lib. arb. quæ non sunt subiecta legi astrorum, peccatum est, in his magnam fidem adhiberi. Generaliter autem vbi interuenerit inuocatio dæmonum, vel aliud superstitiosum, graue est peccatum.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur. Dicendum est, quod non reprobatur ipsa scientia astronomiæ, nec vniuersaliter omnia iudicia, sed quia illa non sufficiunt ad inuestigationem eorum, quæ variantur secundum motum liberi arbitrij, circa huiusmodi est reprobatio.

¶ Et sic soluitur illud, quod consequenter obiectum est.

¶ Quod autem est per autoritatem Colos. 2. Dicendum est, quod ipsę scientiæ in se bonæ sunt: sicut dicit Augustin. Geometria & aliæ habent in sua scientia veritatem: sed non sunt scientiæ pietatis: occasionem tamen mali dant, sicut dicit Augustin. Dum propria curiositate astrologiæ Catholici nimis erant intenti, minus vacabant his, quæ saluti animarum erant accommodata. Præterea, qui multum his innitebantur, non credebant aliqua fieri, nisi quæ secundum cursum naturæ essent ordinata; & ideo dicitur: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum.*

Aug. sup. Epistolā ad Titum.

ad Colos. 2

¶ Deinde, quæritur de ipsis Physicis, qui circa medicinas dandas & circa ægritudines cōsiderant motus superiorum, vtrum peccent. Et videtur, quod non: cum ista vt in pluribus varientur secūdum conditiones astrorum: vnde in diuersis ægritudinib. mouetur materia morbi secundum motus corporum superiorum.

¶ Contra autem videtur per hoc, quod dicit Apostol. *Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos,* &c.

ad Gal. 4.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod dicitur ibi in glos. loquitur enim de duplici genere rerum, de his scil. quæ currunt cursu naturali: & de his, quæ currunt cursu voluntario: in his est peccatum, in illis non est. Vnde glō. Eos culpat, qui constellationes sequuntur, dicentes, agam hoc mense cōmercium, quia illa stella agit mensem: non plantabo hoc anno vineam, quia bissextus est. Illi autem non culpantur, qui naturales effectus elementorum in syderum ordinatissima conuersione nouerūnt: dictum est n. in Gen. *Vt sint in signa, & tempora,* &c.

Glossa.

Eadem.

Gen. 1.

¶ Adhuc etiam quæritur vtrum liceat vti diuinationibus, quæ fiunt per imagines sanctorum hominum: sicut videtur esse factum per imaginem Samuelis. Et videtur quod sit licitum: non enim præsumitur, quod dæmones posse habeant super corpora mortuorum sanctorum, vt in eis ludificent: si ergo in specie bonorum fiunt aliquæ reuelationes verorum occultorum, præsumitur quod hoc fit ministerio bonorum angelorum: vti ergo huiusmodi, vel credere, non erit licitum.

1. Reg. 28.

¶ Ad hoc facit, quod dicit August. *Non est absurdum credere aliqua dispensatione permissum fuisse, vt non dominante magica arte, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam & Saulem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus Regis, diuina eum sententia percussurus.*

August. ad Simplicianum.

¶ Sed arguitur contrarium: dicit enim August. *Forte apparuit imago Samuelis persicta mathematica eius, qui transfigurat se in angelum lucis.*

Idem ad eundem.

¶ Item, Beda super illud. *Puellam quandam habentē phytonem. Malignus spiritus est, per quem phythonissæ hoc agunt, vt mortuos ad locutionem & diuinationem incantatorum suscitent.* Et in Gloss. dicitur: quod *rogante Saule, phytonissa vel animam Samuelis, vel pro eo spiritum immundum euocauit ab inferis.* Si ergo talia fiunt ministerio dæmonum, illicitum est istis vti, vel credere.

Beda sup. Actuū 16.

Glossa.

¶ Ad quod dicendum, quod licet sub specie viri sancti fieret huiusmodi apparitio, vel reuelatio: tamen non est huiusmodi diuinatio licita. Nec est credendum, quin hoc faciat Satanas, vt magis decipiat: si enim vere Samuel apparuisset, nō vtique vir iustus permisisset se adorari, qui prædicauerat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, diceebat ad virum pestilentiæ dignum ardore gehennæ: cras mecum eris.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur primo. Dicendum est, quod licet nō habeat diabolus posse super animas sanctorum mortuorum, vel super corpora eorum ex se: habet tamen vt similitudo transformetur apud imaginatiuā peccatoris, & vt extra sumat aliquam similitudinem ex permissione diuina: hoc autem merentur ipsi peccatores, quibus illuditur.

¶ Ad secundum vero dicēdum, quod licet ipsa apparitio Samuelis posset fieri ex dispensatione diuina: ex ipsis tamen circumstantiis facti magis præsumitur, quod aduersarius sub specie Samuelis, nec corpus ipsius assumendo, nec animam ab inferis excitando apparuerit, vt ea reuelaret, quæ in proximo erant futura. Vnde dicit Augustin. *Quid mirum, si imminentem prope mortem potuit præuidere. Cum hoc sit vnde fallit: & se in Dei potestate vult adorari.*

August.

¶ Deinde quæritur de his transformationibus, quæ asseruntur fieri à quibusdam vetulis, vt possint transire multa terrenorum spacia; & cum innumera multitudine equitare: quæritur vtrum hoc humana virtute fiat: vel si fit virtute diabolica, vtrum sit ibi veritas rei: vel illusio.

Quæst. lateralis.

¶ Ad quod responderi potest: quod à maligno spiritualia phantasmata mētibus infidelium inferuntur: Diabolus enim cum animam alicuius per talem errorem subiugauerit, transformat se in species differentes siue similitudines, & mentem, quam captiuam tenet, multipliciter deludit: nec est credendum ea, quæ apparent in phantasia, in veritate corporali accidere: vnde nulla fit mutatio in ipsis credentibus, secundum quod creditur, sed sic apparet fieri.

¶ Deinde quæritur, vtrum licitum sit dicere aliqua carmina cum collectionibus herbarum, aut aliquas scripturas pro quacunque infirmitate super homines vel animalia ponere.

Quæst. lateralis.

¶ Ad quod respondet August. quod non licet aliqua ponere, præter symbolum & orationem dominicam. Et hoc idem dicitur. 26. q. 5. *Non licet.* Hoc autem fieri debet, vt Deus omnium creator & Dominus honoretur. Si vero aliqua superstitiosa obseruantia addatur, etiam peccatum est.

August.

26. q. 5. Nō licet.

¶ Deinde quæritur de illis orationibus & figuris, quæ sunt in arte notoria, vtrum licitum sit eas facere; cum in illis orationibus non videatur poni, nisi quod pertinet ad pietatem religionis Christianæ: diriguntur enim ibi orationes ad Deum pro bonis impetrandis, vel pro malis amouendis: indifferens est etiam protractiones tales facere, quales fiunt ibidem ad designationem diuersarum scientiarum.

Quæst. lateralis.

¶ Ad quod dicendum est: huiusmodi ars notoria prohibita est: nec licitum est illi fidem adhibere: licet aliqua ponantur ibi, quæ à religione fidei non discrepant: apponuntur n. vt facilius aliis credatur. Prohibita autem est multis de causis. Vna est, quia ponuntur ibi nomina plura, quorum ignoratur intelligentia. Alia est, quia attenditur ibi inspectio horarum: quasi virtute astrorum illa fierent. Tertia est, quod fiunt protractiones quædam & lineationes hac intentione: vt inspectione earum acquirantur diuersæ scientiæ, vel artes: & sic falsa credulitas in cordibus hominum generetur.

* *
*

QVÆST. CLXVII.

De Sortilegio.

In septem Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 95. ar. 8 VLTIMO quærendum de Sortibus. Primo autem quæritur, quid sit sors. Secundo, vtrum licitum sit proijcere sortes. Tertio, vtrum sic sortiendo sit tentare Deum. Quarto, vtrum omni tempore congruat permissio sortis: sicut fuit tempore legis. Quinto, vtrum exemplo Apostolorum consulendum sit sortibus in electionibus; vel huiusmodi factis. Sexto, quare plus abundat sortilegium in sexu muliebri, quam in virili. Septimo, vtrum sortilegium sit maius peccatum, quam infidelitas, vel apostasia.

MEMBRVM I.

Quid sit sors?

Aug. sup. Psal. 30. A medio cómentarij. tom. 6. AD primum sic dicit Augu. super Psa. *In te Domine speraui. Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione posita diuinam indicans voluntatem.* Circa hanc diffinitionem quæritur ratione eius, quod dicitur [*non est aliquid mali*] videtur enim quod sit malum: continetur enim sub diuinatione: diuinatio autem dicit Hierony. super illud: Hiero. sup. Miche. 3. *Prophetæ eius in mercede diuinabant. Nunquam diuinatio in bona parte in scriptura sacra accipitur.* Ergo sors cum sit species eius, est aliquid mali.

¶ ITEM, sors dicitur, quod in humana dubitatione est positum, sed quod in humana dubitatione est positum, non est nobis certum: quod autem indicat diuinam voluntatem, nobis debet esse certum: ergo non bene ponuntur illa duo insimul in diffinitione sortis.

¶ Item, sors dicitur indicans diuinam voluntatem, sed quod est indicium diuinæ voluntatis, est signum eius: signa autem diuinæ voluntatis quinque dicuntur, præceptum, prohibitio, consilium, impletio, permissio: ad quod ergo illorum reducitur.

RESOLVTIO.

Sors (B. Augustino teste) non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione posita, diuinam indicans voluntatem.

Psal. 30. ¶ AD quod dicendum, quod dicitur: *In manibus eius sortes meæ*: sors accipitur ibi pro electione gratuita. Cum autem dicitur, sors non est aliquid mali: si sic accipiatur, verum est: sicut dicit Apostolus ad Ephes. 1. *In qua sorte vocati sumus.* Si vero sors accipiatur pro eo, quod est quasi quoddam iudicium diuinæ voluntatis: quomodo accipitur cum dicitur: *Sors cecidit super Matth.* sors in se non fuit aliquid mali: sed ratione circumstátiæ potest sors aliquid mali continere. Vnde in Canon. dicitur. In sortibus nihil mali inesse monstratur: prohibetur tamen fidelibus, ne sub specie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus redirent. (ad Ephes. 1. — Actuum 1.)

¶ AD secundum dicédum, quod sors potest accipi vel pro ipso operato, secundum quod est in fieri, & sic est res dubia: vel prout est in ipso esse, quod est terminus fieri, & sic est res certa: & tunc indicatur diuina voluntas. Quod ergo prius fuit res dubia, deinde fit res certa: & ita non repugnant ea, quæ sunt in diffinitione.

¶ AD tertium vero dicendum, quod sors cum sit indicium voluntatis diuinæ, ad illud signum reduci potest, quod est consilium. Propriè tamen non est illud: nam cum dicitur, quod quinque sunt signa voluntatis diuinæ, quæ est beneplacitum: referendum est ad actus, qui sunt ex parte Dei. Verbi gratia, cum præcipit aliquid, vel consulit: & ita de aliis: sortes autem proijcere actus est humanus: vnde non est de illis signis quinque: licet in illo requiratur certitudo consilij diuini.

* * *

MEMBRVM II.

An proijcere sortes, licitum sit?

SECVNDO quæritur: vtrum licitum sit sortes proijcere. Et videtur, quod sic: dicitur enim: *Contradictiones comprimit sors.* Sed hoc est bonum, comprimere, sc. contradictiones: ergo sortes proijcere bonum est. Prouer. 18.

¶ Item, *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur.* Sed hoc modo mittere sortes, non est malú: ergo proijcere sortes non est malum. Prouer. 17.

¶ Item, cum quædam ciuitas esset obsessa, & clerus dubitaret, qui deberent fugere, qui manere: respódit Aug. sorte esse dirimendum.

¶ Præterea, fiunt etiam ad dirimendum dubitationes humanas quotidie sortium proiectiones: ergo non est malum.

¶ CONTRA, dicit August. *His, qui de paginis Euangelicis sortilegunt, etsi optandum est, vt id potius fiat, quam ad dæmonia consulenda recurrant: tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ huius vanitatem diuina oracula velle cóuertere.* Ex quo habetur, quod proijcere sortes causa negotiorum secularium, fuit superstitiosum: & ita malum. (August. ad inquisitio. de Ianuarij Epistola 119. c. 10.)

¶ Item, *Extra. de sortilegiis.* vbi dicitur: *multa reprehensione esse dignum, quod sors in talibus interuenit* (& loquitur de electione cuiusdam Pontificis.) Ergo proijcere sortes in huiusmodi, est malum. (Extrau. de sortilegiis. *Ecclesia nostra.*)

RESOLVTIO.

In actibus humanis sortes proijcere, malum non est. In actibus vero animarum salutem concernentibus non nisi necessitate maxima praua, & oratione ad Deum fusa, proijciendæ sunt.

¶ AD quod dicendum, quod proijcere sortes in illis actibus humanis, quæ non spectant ad Deum, vt in contradictionib. humanis, vel in cótractibus ditimendis: non est malum. In electionibus autem, vbi potest esse animarum periculum, non debet sorte contradictio comprimi: nisi necessitas magna interueniret, præcedentibus orationibus. Vnde Beda. *Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum: videant hoc Apostolos nó nisi collecto cœtu fratrum, & fusis ad Deum precibus hoc egisse.* Beda.

¶ Et per hoc potest solui illud, quod obiectum est. Rationes n. illæ primo positæ agunt de huiusmodi proiectione sortium, quæ fiunt ad contradictiones humanas in negotiis & contractibus humanis dirimendis.

¶ AD illud vero, quod obijcitur per autorit. August. ad Ianuariú. Dicendum est, quod loquitur de illis sortibus, vbi pro negotiis secularibus quælibetcunque diuina oracula requirebantur. Non enim exemplum Apostolorú de proiectione sortium trahendum est ad secularia negotia: priuilegia enim communem legem omnino facere nequaquam possunt.

MEMBRVM III.

An proijcere sortes tentare Deum sit?

TERTIO quæritur: Vtrum sic sortiendo, sit tentare Deum. Et videtur per simile: si enim Moyses posuisset virgas filiorum Israel in tabernaculo autoritate propria, vt videret cuius virga floreret, tentasset Dominum: similiter ergo qui mittit sortes ad cognoscendum, quem cui Dominus præferat; videtur tentare Deum. Dicitur enim super illud. Deuter. 6. *Non tentabis Dominum tuum.* Tentat Dominum, qui habens quid faciat, sine ratione periculo se committit, experiens vtrum possit liberari à Domino. Ex quo videtur, quod sit tentare Deum in proiectione sortium: cum alio modo possit haberi certitudo vel cautela mali. ¶ Sed contra hoc est, quod Iosue, & alij miserunt sortes, qui tamen non tentauerunt Dominum, facientes contra præceptum, Dominum Deum tuum non tentabis. Deut. 6.

* * *

RESOLVTIO.

Qui forte aggreditur experiendum, quod humana ratione experiri potest, proculdubio Deum tentare dicendus est.

¶ AD quod respondendum, quod non est recurrendum ad Dominũ per sortes, vel per alia huiusmodi; dum homo habet quod ratione humana possit facere. Cum autem non habet, recurrendum est ad auxilium diuinum. Paralip. 20 *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos ad te leuemus.* Qui ergo per sortes, vel per aliquid aliud huiusmodi, inquirit autoritatem diuinam, dum habet humana ratione, quo modo se possit expediri in negotiis spiritualibus, quasi tentat Dominum. Non sic autem fuit de Iosue, qui ex inspiratione & instinctu diuino hoc faciebat.

MEMBRVM IV.

An æquè omni tempore congruat sortis permissio?

QVARTO quæritur: Vtrum omni tempore congruat permissio sortis, sicut fuit in tempore legis.

¶ AD quod sic arguitur: *Lex est vmbra futurorum*, quamdiu ergo fuit vmbra, potuerunt esse signa, seu durare, & non amplius: sors autem signum erat: ergo tempore legis veteris congruebat sors, & non tempore Euangelij. ad Heb. 10.

¶ Item, August. *Artis mathematicæ scientia vsque ad Christum fuit concessa: vt Christo edito, nemo exinde alicuius natiuitatem interpretetur.* Aug. in lib. de diuinatione dæmonum.

¶ Sed contra hoc objicitur de Matthia, qui forte fuit electus tempore Euangelij: sicut habetur. Actuum 1.

¶ Potest etiam quæri, cum Apostolus sorte esset electus; propter quid Diaconi non fuerunt similiter sorte electi. Præterea, cum ad hoc quod sors valeat, requiratur inspiratio diuina, ad hoc quod bene fiat, quæ necessitas fuit sortium, cum inspiratio diuina de se sufficiens esset ad manifestationem voluntatis Dei.

RESOLVTIO.

Nequaquam: sed tempore veteris legis maximè.

¶ AD quod dicendum: quod donec veniret veritas in publico, concessæ fuerunt sortes in electionibus, & in his, quæ ordinabant tanquam vmbra ad veritatem. Vnde dicit Beda. Beda. *Hic forte eligitur, ne à lege discrepet, in qua summus Sacerdos sorte quærebatur, quia quærendus erat vetus Sacerdos, donec veniret ille, qui per proprium sanguinem intrauit semel in sancta sanctorum: cuius hostia in Pascha immolatur, in die Pentecostes (spiritu apparente) est consummata. Donec enim veniret veritas, figuram licuit exercere: & propter hoc electio Matthiæ sorte facta est ante Pentecosten, in qua dabatur Spiritus S. nondum n. omnino facta est publicatio veritatis.* Diaconi aũt electi sunt in ministerium post Pentecosten, vt ostenderetur quod deinceps per electionem essent Prælati eligendi, non sorte.

¶ AD illud vero, quod objicitur de concessione artis Mathematicæ vsq; ad Christum. Intelligendum est, quod concessio accipitur ibi pro permissione. Præterea, illa iudicia siue cõiecturæ, quas fecerunt Magi de natiuitate magni Regis, fuit per hoc quod stellam insolitam viderunt. Dionys. Dionys. etiam in mystica Theologia per Ecclipsim solis, Christo patiente, factam, non secundum cursus astrorum cognouit, quod Deus naturæ pateretur.

¶ AD id vero, quod objicitur, quod tunc non essent sortes necessariæ, cum inspiratio diuina sufficeret. Dicendum est, quod licet inspiratio diuina sufficiens esset, quãtum est ex parte sua; nihilominus tamen fiebat proiectio sortium. Ad hoc enim quod accipiamus à Deo, quod petimus: oportet non solum de potentia, sapientia, & bonitate præsumere: sed etiam nostram insufficientiam ostendere: hoc autem fit in sortium proiectione. Vnde sicut mali ostendunt quasi suam insufficientiam diabolo, & postea ipsum inuocant, & in hoc peccant: ita oportuit quod ipsi insufficientiam suam ostenderent Deo in dubitatione sortis, & inuocarent ipsum per orationem, vt suppleret defectum eorum: vnde Actuum 1. Orantes dixerunt: Tu Domine, &c.

MEMBRVM V.

An electionibus, & huiusmodi factis sortibus consulendum sit?

QVINTO quæritur, vtrum exemplo Apostolorum consulendum sit sortibus in electionibus, vel huiusmodi factis.

RESOLVTIO.

Minimè: quidquid fuerit de Matthia, & Iona.

¶ AD quod respondet Beda. Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter est sortibus credendum: cum priuilegia singulorum (vt ait Hieron.) communem legem omnino facere non possint. *Extrau.* etiam *de Priuilegiis* habetur, quod sors in electionibus non est collaudanda. Beda.

MEMBRVM VI.

Quare in mulieribus magis, quam in viris sortilegium abundet?

SEXTO quæritur, quare plus abundat sortilegium in sexu muliebri, quam in sexu virili.

RESOLVTIO.

Quia in eis primum transfusa est doctrina peccati.

¶ AD quod dicendum, quod doctrinæ dominicæ fuit ordo, vt à Deo in Christum hominem descenderet, & à Christo in virum, & à viro in mulierem: *caput enim mulieris est vir, caput vero viri Christus, Christi vero Deus.* Econtra vero fuit de doctrina diabolica: quia ipse diabolus primo transfudit eam in mulierem: vt pote quæ minus habebat discretionem spiritus, & per mulierem in virum. Sicut ergo primo in mulierem transfudit doctrinam peccati: ita adhuc fallacem doctrinam sortilegij transfundit frequentius in mulieres, quam in viros. 1. Cor. 11.

MEMBRVM VI.

An sortilegium grauius peccatum sit infidelitate, & apostasia?

SEPTIMO quæritur, vtrum sortilegium sit maius peccatum, quam infidelitas, vel apostasia? Quod non, videtur: infidelitas enim & apostasia dicunt simpliciter fidei priuationem: sortilegium vero vel augurium potest esse salua fide informi: ergo maius est peccatum infidelitatis vel apostasiæ, quam peccatum sortilegij vel augurij.

¶ CONTRA August. *Tu vis, dimisso vno Deo tanquam legitimo viro animæ, fornicari per multa dæmonia: & quod est grauius, non quasi apertè deserens & repudians, sicut apostatã faciunt: sed tanquam manens in domo viri tui admittis adulteros, id est tanquam Christianus non dimittens Ecclesiam, consulis mathematicos, aut aruspices, aut augures, aut maleficos: quasi de viri domo non recedis adultera anima: & manens in eius coniugio, fornicaris.* Ex quo videtur maius esse hoc peccatum: cum & grauius dicatur. Aug. in lib. de decem chordis.

RESOLVTIO.

Non vtique simpliciter, sed quodam modo.

¶ AD quod dicendum, quod non est maius peccatum simpliciter apostasia vel infidelitate: sed quo ad quid dicitur esse grauius. Quia infidelis, vel apostata manifeste discedit à domo Domini, vel separatur: sortilegus autem simulat se esse de vnitate Ecclesiæ, siue fidei Ecclesiasticæ; & non est omnino: & ideo dicitur grauius peccatum: quia facilius allicitur anima: & quasi maior est offensa sponsi spiritualis, cum simulat se esse sponsam, & nihilominus adulteratur cum ipso diabolo: secundum quod dicitur: *Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum.* Isai. 57.

QVÆST. CLXVIII.

De Hypocrisi.

In vndecim Membra diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 111.

DICTVM est supra de peccatis; quibus fit iniuria contra omnipotentiam diuinam, siue maiestatem: & quibus fit iniuria contra diuinam sapientiam: sicut est in superstitionibus. Consequenter dicendum est de peccatis, quibus fit iniuria per appropriationem contra bonitatem diuinã. Hoc autem fit tripliciter: aut simulatione sanctitatis, prout est in hypocrisi: aut abusione doni gratuiti, prout est in simonia: aut violatione loci sacri, prout est in sacrilegio. Datur enim honorificentia diuinæ bonitati in veritate sanctitatis humanæ, quæ à Deo datur; contra quod est hypocrisis: in sanctificatione rerum spiritualium; contra quod est simonia, cum ponitur spirituale sub precio: in loci sacratione; contra quod est sacrilegium.

¶ PRIMO autem dicendum est de hypocrisi: circa quam primo quæritur, quid sit. Secundo, vtrum sit mortale peccatum semper, an veniale aliquãdo. Tertio de motiuo huius peccati. Quarto de comparatione eius ad inanem gloriam. Quinto de grauitate huius peccati. Sexto, vtrũ quis possit simulare se esse malum: vel hypocritam. Septimo de speciebus huius peccati. Octauo de oppositione. Nono de detestatione huius peccati. Decimo, vtrum sit irremediabile. Vndecimo de fructibus, quibus cognoscitur hoc ipsum peccatum.

MEMBRVM I.

Quid sit hypocrisis?

Matth. 6. Glossa.

AD primum sic super illud. *Sicut hypocritæ faciunt.* Gl. *hypocrita est, qui simulat quod non est, repræsentator alterius personæ. hoc est, qui vult videri bonus, cum non sit.*

¶ SED videtur, quod hypocrisis nõ sit simulatio: aliquis enim vult videri castus, cum & ipse sit castus, & in hoc vult videri bonus propter se: simulator autem est malitiæ palliator: ergo hypocrita non est simulator: ergo hypocrita non est simulator: ergo hypocrisis inquantum huiusmodi non est simulatio.

Dan. 7. Richard.

¶ ITEM, super illud Dan. 7. de pardo, qui habebat quatuor alas, dicitur: quod quatuor designantur peccata, sicut dicit Richardus; quæ sunt, iactantia de bono manifesto, excusatio de malo manifesto, simulatio boni occulti, dissimulatio mali occulti. Non ergo simulatio conuenitur cum hypocrisi, nec eius ratio.

Trenor. 4. Glossa.

¶ ITEM, super illud. *Maior est iniquitas &c.* Gl. *Scelera animæ planguntur, quæ in hypocrisim labuntur: quia mala deaurando tegit, & bona fraudulenter facit.* Sed hæc duo non continẽtur in illa ratione: ergo non est generalis ratio hypocrisis.

RESOLVTIO.

Hypocrisis est amor apparentis bonitatis propter se.

¶ AD quod dicendum: quod hypocrisis potest dici amor apparentis bonitatis propter se. Potest etiam dici hypocrita ille, qui repræsentat, quod non est, in genere boni vel mali.

¶ ET per hoc potest solui illud, quod obiectum est: vno enim modo simulatio sub hypocrisi cõtinetur, secundum quod simulatio ponit malitiam cum palliatione boni: secundum quod dicitur, simulata æquitas est duplex iniquitas: est enim iniquitas, & simulatio: & hoc modo continetur sub hypocrisi: nisi approprietur nomen hypocrisis. Alio vero modo, prout simulatio non dicit nisi apparentiam bonitatis propter se intentam, potest idem esse hypocrisis quod simulatio.

¶ AD secundum vero dicendum: quod simulatio determinatur per bonum occultum, prout inter quatuor species accipitur: Alio vero modo accipitur: cum ponitur in ratione hypocrisis sub maiori nominis extentione.

¶ AD tertium vero dicendum: quod vtroque modo dicitur hypocrisis: cum & mala deaurando teguntur, & cum bona fraudulenter fiunt. Et ita large potest sumi simulatio in ratione hypocrisis: repræsentare enim aliam personam, hoc multis modis intelligi potest: vel cum vult tegere malum: vel cum bonum, quod facit, apparere: hypocrisis autem græce, latine simulatio dicitur: vnde & hypocrita simulator.

Ὑπόκρισις ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνειν

¶ ADHVC etiam quæritur, cum hypocrisis sit appetitus inordinatus eius, quod est videri bonus: bonitas autem generalis non determinat aliquam speciem virtutis: videtur quod apparentia bonitatis cum defectu sit generalis defectus: ergo & appetitus inordinatus illius est generale peccatum, & non speciale: & ita hypocrisis non sit quædam species peccati.

¶ AD quod dicendum: quod non est simile ex parte peccati, & virtutis. Velle enim videri bonum, cum non sit, est actus determinatus in specie: & ideo speciale peccatum est hypocrisis. Velle autem esse bonum, est generalis actus ex parte virtutis: hoc autem est, quia ex parte virtutis non est nisi dirigere vno modo: ex parte vero peccati est deficere secundum plures modos.

MEMBRVM II.

An hypocrisis semper mortale peccatum sit?

Aug. in li. de cõflictu vitiorũ & virtutum.

SECVNDO quæritur, Vtrum hypocrisis sit mortale semper: an aliquando veniale. Quod autem semper sit mortale, videtur per hoc quod dicit August. *Ostendere hominibus quod non est, quid aliud, quam damnatio est.* Sed hoc est esse hypocritam: ergo esse hypocritam damnatio est: ergo hypocrisis est mortale peccatum.

Iob. 20. Glossa.

¶ ITEM. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Gl. *Mens illius vitiorum suorum fœtore damnabitur.* Sed omne peccatum, cui debetur æterna damnatio, est mortale: ergo hypocrisis est mortale peccatum.

Chrysost.

¶ ITEM, dicit Chrys. quod *vbicunque vult Dominus ostendere magnum peccatum esse, à contumelia incipit.* Ex hoc vult dicere, quod vbi est nomen contumeliæ, est mortale peccatum: cum dicat Dominus in Euangelio. *Væ vobis hypocritæ.*

¶ CONTRA: cum quis vult bonus apparere, hoc potest esse ex sola surreptione: quod autẽ sic insurgit, primus motus est: & ita veniale peccatum.

¶ ITEM, si primi motus insurgunt in aliis peccatis, ergo & in isto: & si sunt in aliis peccatis veniales, & similiter in isto.

¶ ITEM, inanis gloria potest esse veniale peccatum: ergo multo magis hypocrisis, cum nascatur ex illa: videtur enim esse maius peccatum in ipso parente, quam in ipsa prole.

RESOLVTIO.

Interdum veniale etiam est: sed longe à consuetudine scripturarum.

Iob. 36. Isaiæ 9. Glossa.

¶ AD quod dicendum: quod hypocrisis, prout habet simulationem sibi adiunctam, vel est ipsa simulatio; est mortale peccatum: habet enim malitiam substratam siue defectum boni. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* Et super illud. *Omnis hypocrita nequam.* Gl. *Aliud simulans, aliud agens, castitatem præferens, & lasciuiens, ostentans paupertatem, & marsupium replens.* Si vero hypocrisis diceret velle videri bonum inordinate, & poneret malitiam vel defectum virtutis, esset mortale. Si vero insurgeret primus motus, vt bonus appareret, & non poneret malitiam, vel defectum virtutis; posset dici veniale peccatum: sed non sic scriptura consueuit accipere.

¶ AD obiectum in contrarium. Dicendum est, quod est simile in isto peccato, & in aliis quibusdam: quia ipsa sua intentione ponit defectum bonitatis, aut gratiæ; quem defectum non ponit veniale peccatum: & ideo secũdum hoc est in genere mortalis peccati, sicut & plura alia genera peccatorum.

¶ AD aliud vero dicendum: quod licet inanis gloria, quæ est genus, aliquando possit esse veniale peccatum aliquando mortale: non tamen sequitur propter hoc in illa specie, quæ est hypocrisis: hypocrisis enim addit super genus aliquid, per quod appropriatur mortali peccato. Proprie tamen dicendo: non est hoc genus illius: sed dicitur nasci ex illo hypocrisis: & quo ad hoc quod nascitur ex inani gloria, inanis gloria est mortale peccatum.

MEMBRVM III.

An velle videri bonum, secundum se malum sit?

TERTIO quæritur de motiuo huius peccati, quod est velle videri bonum: de quo quæritur, vtrum sit secundum se malum? Et videtur quod non: aliquando enim addita circunstantia est bonum, alia addita est malum: ergo est indifferens.

¶ ITEM, ostendi potest per simile: velle enim placere hominibus, aliquando potest fieri bono fine; aliquando malo: similiter & velle videri bonum: ergo est indifferens.

[Math. 6.] ¶ CONTRA, dicitur de hypocritis. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Et ita ponitur finis hypocritarum proprius: & ita est malum secundum se.

[Iob. 20. Glossa.] ¶ ITEM, super illud. *Oculus, qui eum viderat.* Gl. *Locus hypocritæ cor adulantium: ibi quippe requiescit, vbi fauores inuenit.* Fauorem autem inuenire quærit, vt bonus videatur: sicut habetur super illud. [Psal. 61. Glossa.] *Vani filij hominum mendaces.* Gl. *Volunt videri iusti, cum sint mendaces.* Ergo velle videri bonum, est secundum se malum.

RESOLVTIO.

Et quidem: nisi circunstantia addatur, per quam ad bonum trahatur.

¶ AD quod dicendum: quod non sequitur, si velle videri bonum, potest fieri recte & non recte ex diuersis causis, quod propter hoc sit omnino indifferens. Est enim malũ multiplex: quoddam enim est malum secundum se, quod nulla circunstantia addita potest fieri bonum: vt fornicari. Est aliud malum ex defectu circunstantiæ debitæ: potest tamen per additionem circumstantiæ bonum fieri; sicut est occidere: quod est malum, si non addatur circunstantia debita: si vero addatur occidere pro conseruatione iustitiæ ab eo, cuius est officium, bonum est. Est etiam aliquid in se bonum, quod tamen ex defectu circunstantiæ, quæ requirenda est, malum est: vt iurare, id est Deum testem inuocare, in se bonum est: si vero sine causa debita fiat, malum est: [Math. 5.] & hoc modo dicitur in Euangelio. *Ego autem dico, omnino non iurare.* Est iterum aliquid in se bonum, quod tamen addita aliqua circumstantia est malum: vt cum dicitur, comedere carnes in Quadragesima. Cum ergo quæritur de eo, quod est velle videri bonum. Dicendum est, quod illud malũ est: quia non additur circunstantia, per quam ad bonum trahatur: puta velle videri bonum, vt Deus glorificetur, & proximus ædificetur. Cum autem non additur talis circunstãtia, in se malum est: quia ponitur pro fine, quod non debet esse finis: vel si ordinetur ad alium finem vlteriorem indebitum: vt si dicatur, vult videri bonus, vt laudetur ab hominibus, vel vt ditetur.

¶ PER hoc potest solui, quod obiectum est. Nam vno modo potest dici indifferens respectu diuersarum circunstantiarum superadditarum bonarum vel malarum. Alio vero modo dicitur esse malum, cum ponitur esse finis principalis.

[Quæst. lateralis.] ¶ DEINDE quæritur, vtrum aliquis possit se simulare esse bonum sine peccato. Et videtur quod sic: ponatur enim quod aliquis appetat videri bonus, vt detur ei aliquid ad sustentationem, nõ videtur peccare: quia nec in hoc quod vult videri bonus, cum hoc non appetat propter se; nec in hoc quod vult sustentationem, cum indigeat: ergo non peccat in hoc quod vult videri bonus, vt detur ei aliquid ad sustentationem.

[Aug. in li. de lib. arb.] ¶ ITEM, dicit August. quod *libido est initium omnis peccati*: hoc autem est, cum nimis delectatur in creatura: sed hoc modo non videtur de isto: ergo non peccat.

¶ CONTRA, occidere hominem, cum sit malum in se; non est licitum propter temporalia: pari ergo ratione cum velle videri bonum, sit malum in se, non erit licitum propter temporalia.

¶ ITEM, ille qui sic vult videri bonus: aut vult videri bonus in se tantum, aut in Deo. Non in Deo, quia nullum habet ibi respectum: ergo in se tantum: ergo Dei gloriam vsurpat: ergo peccat.

¶ AD quod dicendum: quod in hoc est peccatum, quod ignobilius ponitur finis nobilioris: sustentatio enim corporalis minus nobile est, quam videri bonum: & ratione istius inordinationis dicitur esse peccatum: sicut est in illo, qui prædicat, vt habeat victum temporalem: & licet prædicare in se sit bonum, & sustentari in necessitate: tamen hæc ordinatio in se est mala.

¶ SIMILITER potest responderi ad illud, quod obiectũ est: licet enim velle videri bonum, nõ sit intentum propter se, intenditur tamen propter illud, quod ignobilius est: & quo ad hoc est libido: & sic soluitur iam quod obiectũ est.

MEMBRVM IV.

An hypocrisis capitale peccatum sit æque ac inanis gloria?

QVARTO quæritur de comparatione hypocrisis ad inanem gloriam. Videtur enim quod æque capitale sit peccatum sicut inanis gloria. Cum enim sit triplex munus, à lingua, à manu, à corde: penes autem munus à lingua sumitur inanis gloria: penes munus à manu auaritia: penès munus à corde hypocrisis (hypocrita enim vult placere alijs) inanis gloria, & auaritia sunt duo capitalia peccata: pari ratione tunc erit hypocrisis, quæ penes tertium sumitur.

¶ ITEM, velle placere alijs, est appetibile hypocrisis: velle gloriari in se, est appetibile inanis gloriæ: sed hæc sunt disparata: ergo hypocrisis & inanis gloria sunt peccata disparata: ergo hypocrisis non dicetur filia inanis gloriæ.

¶ Sed contra, Grego. in fine Iob. super illud. *Exhortationem ducum, & vlulatum exercituum.* Glo. *De inani gloria nascitur inobedientia, iactantia, hypocrisis.* [Greg. super Iob. 39. Glossa.]

¶ ITEM, Iob. 8. super illud. *In ortu suo.* Gloss. Greg. *Hypocrita cum bene agit, ab omnibus vult videri: per omnia, quæ agit occulta, cogitatione laudes quærit.* Ex quo habetur, quod finis hypocrisis finis est inanis gloriæ: & ita sub inani gloria continetur. [Iob. 8. Gl. Grego.]

¶ ITEM, Gregor. *Hypocrita quicquid cum labore peragit, aura humani fauoris tollit: dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor euanescit.* Et ita quærit humanum fauorem, sicut inaniter glorians: ergo hypocrisis sub inani gloria continetur. [Idem in moralib.]

RESOLVTIO.

Quinimmo ex ea nascitur & ad eius finem ordinatur.

¶ Ad quod respondendum: quod hypocrisis nascitur ex inani gloria: & quod ad finem illius ordinatur.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum: quod licet hypocrisis munus à corde quærat: tamen quia hypocrita non potest hoc certum habere, nisi exterius manifestetur: ideo quærit munus à lingua. Præterea, hypocrita vult videri bonus in operibus, vt laudetur ab hominibus: & ideo finis suus ordinatur sub fine.

¶ Ad aliud vero dicendum est: quod velle placere aliũ, non est disparatum respectu eius quod est, gloriari in se; ordinatur enim ad illud tanquam ad finem; qui enim vult placere alijs propter se, ex hoc vane gloriatur. Vnde Aug. [Aug. in li. confess.] *Cum laudatur homo propter donum, quod dedisti ei, & ille plus gaudet laudari se quàm ipsum donum, vnde laudatur, ille te vituperante, laudatur.*

MEMBRVM V.

Quam graue peccatum sit hypocrisis?

QVINTO quæritur de grauitate huius peccati, & comparatione. Dicitur enim super illud. *In tribu. annis.* Glo. [Isa. 16. Gl. Hiero.] *In comparatione duorum malorum leuius est aperte peccare, quam sanctitatem simulare.* Sed simulatio sanctitatis est hypocrisis; ergo maius peccatum est esse hypocritam, quam aperte peccare.

¶ ITEM, super illud. *Sicut Domino.* Gl. *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplicatum peccatum.* Ergo maximum peccatum est peccatum hypocrisis. [Ad Col. 4. Glossa.]

¶ ITEM, super illud. *Maior est iniquitas filiæ populi mei.* Glo: [Thren. 4. Glossa.] *Scelera animæ planguntur, quæ in hypocrisim labitur, cuius maior est iniquitas peccato Sodomorum.* Est igitur hypocrisis maius peccatum, quam illud vitium innominatum.

¶ CONTRA, qui aperte peccat, non tantum quo ad se peccat; sed etiam alii occasionem peccandi dat; ergo plus peccat quam hypocrita.

¶ ITEM. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Com- [Isa. 3.]

paratio

paratio ergo fit ad peccatum Sodomæ propter euidentiam criminis: cum ergo euidentia criminis fit deterior, non videtur peccatum hypocrisis esse maius peccato Sodomorum.

RESOLVTIO.

Graue admodum, quia plurimum deceptorium.

¶ AD quod respondendum, quod hypocrita potest sumi multipliciter. Aliquando enim dicitur, qui vult credi bonus, & in hoc gloriari, tamen sub Deo: & sic posset esse peccatum veniale. Aliquando autem dicitur ille, qui apparentiam sanctitatis præponit Deo. Tertio modo dicitur, qui intendit facere aliqua, ex quibus potest credi bonus: non tamen illam apparentiam intendit, prout dicit Chrys. *Hypocrita est omnis doctor, qui non prius se corrigit, quam alterum.* (Chrysost.) Quarto modo dicitur ille, qui cum malus sit, vult videri bonus ad palliandũ malitiam suam: & talis modus est pessimus, vel plurimum deceptorius. Et quo ad hoc simulatorie peccare est deterius, quam peccare aperte. Quo ad aliud tamen minus malum, eo quod non prouocat ita alios ad malitiam per exemplum.

¶ Quod autem obiicitur de peccato simulationis, quod sit maius peccato Sodomorum. Non est intelligendũ simpliciter in genere peccati: sed hoc dicitur ratione occultationis, qua potest alios decipere.

¶ ADHVC quæritur de grauitate huius peccati in comparatione ad diuersas materias. Videtur enim quod grauius sit peccatum simulare sanctitatem in dando eleemosynam, quam in ieiunando, & orãdo, per hoc quod Chrys. (Idem.) *Vbique vana gloria malum est, maxime autem in philanthropia: quoniam vltimæ credulitatis est.* Et dicitur philãtrophia à philos, quod est amor, & anthropos quod est homo: quoniam ex humano amore dẽt fieri eleemosyna: & idem est in vana gloria & hypocrisi quo ad hoc. (Φιλανθρωπία ἀπὸ τοῦ φίλος, καὶ ἄνθρωπος.)

¶ CONTRARIVM videtur per hoc, quod dicit Chrys. in Homil. 61. *In aliis vane gloriari mirabile nihil: in ieiunio autem & oratione est extraneum, & lacrymis plenum.* Ergo maius peccatum gloriari in ieiunio & oratione, quam in aliis bonis: & similiter est in hypocrisi.

¶ AD quod dicendum: quod Chrysost. loquitur in casu, & non simpliciter, quando dicit quod maxime in philanthropia. Contingit enim quod aliquando dat aliquis eleemosynam quandam per hoc, quod vult videri bonus, cum non sit. Aliquando autem aliquis vult videri dare eleemosynam, & non dat: & de ista loquitur: quia hæc est vltima credulitas: quia talis subtrahit alij vitam corporalem, scil. pauperi, subtrahendo illud, vnde pauper indigens deberet viuere: ipse etiam sibiipsi vitã spiritualem subtrahit: & ideo dicitur vltima crudelitas. Et dicitur vana gloria in hoc opere maxima: quia hæc est vanitas in corde, & in opere: & de hac loquitur.

¶ AD aliud, quod obiicitur de aliis. Dicendum, quod ipse dicit. *In aliis mirabile nihil* q. d. si das eleemosynam, sequitur motus inanis gloriæ: quia illud est tibi magna occasio, ꝙ lauderis, sc. quando das indigenti: maior etiam quam si dares diuiti. Vnde quia opus misericordiæ fit proximo: ideo maxima est occasio, quod per hoc laudetur à proximo: & ideo dr̃ quod *in philanthropia maxime.* In ieiunio autem & oratione hoc extraneum esse dicit: & hoc est, quia hæc non ordinant ad proximum: sed ieiunium ordinat hominem in se, oratio vero ordinat hominem ad Deum: & in occulto ista fienda sunt: & ideo dicitur *extraneum* cum ista sunt occasio inanis gloriæ: aut simulationis & *lacrymis plenum*, quia talis simulatio maxime est misera.

¶ ADHVC etiam quæritur de comparatione hypocrisis ad auaritiam. Et videtur quod contineatur sub ea, per hoc quod dicitur. *Quæ enim est spes hypocritæ, si auare rapiat*, &c. & dicit Gl. super hoc. *Hypocrita quia dicitur Latine simulator, auarus raptor est; qui dum inique agens desiderat de sanctitate venerari: laudem vitæ rapit alienæ.* (Iob 27. Gl Grego.) Ex his habetur, quod hypocrita cum rapiat, auaritiam sectatur: ergo quantum ad hoc hypocrisis sub auaritia continetur.

¶ CONTRARIVM videtur, quod auaritia & inanis gloria è diuerso diuiduntur: sed sicut dicit Gregor. *hypocrisis sub inani gloria continetur, & est eius filia*; ergo non erit filia auaritiæ. (Gregor.) ¶ AD quod dicendum: quod non est hypocrisis sub auaritia, secundum quod est vnum capitale peccatum: sed quandam similitudinem tenet cum auaritia in rapiendo. Sicut enim auarus pecuniam, quæ alterius est, rapit: ita hypocrita intendit rapere laudem, quæ alterius est, qua alius laudandus est in Domino: prout dicitur. *In Domino laudabitur anima mea*: & ideo dicitur de hypocrita, quod laudem vitæ rapit alienæ. (Psalm. 33.) Vnde non est dicendum, quod sit filia auaritiæ, sed filia inanis gloriæ: sicut iam dictum est.

MEMBRVM VI.

An quis malum, vel hypocritam se simulare possit?

SEXTO quæritur, Vtrum aliquis potest se simulare esse malum, vel hypocritam? Quod videtur: aliquis enim potest simulare se esse bonum: ergo similiter econtrario potest simulare se esse malum.

¶ ITEM 4. Reg. 10. Iehu simulauit se adorare idola, vt posset cõgregare sacerdotes Baal, & interficere: ergo simulauit se esse idololatram: ergo potest aliquis simulare se esse malum.

¶ CONTRA, aliquis simulat se esse malum: ergo per opus bonum, aut per malum: non per bonum, quia bonum non est signum mali: ergo per malum opus, quod facit: ergo est malus (faciendo enim opus malum, est malus) non ergo simulat se esse malum: cum id sit, quod prætendit.

¶ ITEM, Iob. 27. super illud. Simulatores & callidi. Iniquus, qui non appetit videri sanctus, in flagello nõ erubescit confiteri quod est: quod non hypocrita: sed extrema percussione moriturus, talis vult remanere in iudicio hominum, qualis videbatur. Ex quo apparet, quod iniquus non est hypocrita: de bono autem patet, quod non est hypocrita: ergo nullus potest simulare se esse malum.

RESOLVTIO.

Neutrum absque peccato.

¶ AD quod respondendum: quod nullus potest simulare se esse malum: simulatio enim mali esset per malum opus.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est: q. non est simile de bono & de malo. Malum enim potest habere speciem boni: & ita quo ad hoc aliquis potest simulare se esse bonum. Bonum autem aliquod, si occasionaliter habeat speciem mali: si aliquis faciat illud, perpetrat malũ: præceptum enim est. Ab omni specie mala abstinete vos. (1. Thess. 5.) Si vero malum habet speciem mali, constat quod faciendo illud, est malus: & ita neutro modo potest aliquis simulare se esse malum.

¶ AD secundum dicendum, quod non sequitur, Iehu simulauit se adorare idola: ergo simulauit se esse malum: simulatio enim illa fuit per verbum, sicut habetur in eodem Cap. Achab coluit Baal parum: ego autem colam eum amplius. Talis autem simulatio non inducebat, quod intenderet se videri malum: neque enim sacerdotes Baal illud esse malum credebant: alii vero sciebant, quod hoc non intenderet.

¶ DEINDE quæritur, vtrum aliquis possit simulare se esse hypocritam: Quod videtur: potest enim prætendere signa, quibus indicetur hypocrita, mouendo labia sua quasi oraret, habendo vestes longas, & huiusmodi: & tamen non est hypocrita in veritate: ergo aliquis simulare se potest esse hypocritam.

¶ ITEM, aliquis habitans inter hypocritas, facit opera similia eis; & ita simulat se esse hypocritam.

¶ CONTRA; aut ille est bonus, aut malus. Si bonus, in eo quod huiusmodi, non facit nisi opera bona; non potest enim arbor bona nisi bonos fructus facere; per ea ergo, quæ facit, non apparet nisi bonus; ergo non apparet hypocrita. Si vero est malus, & simulat se esse hypocritam; hoc est aut per bona opera, aut per opera mala; per opera autem bona non videtur nisi malus; non ergo potest simulare se esse hypocritam, cum sit malus.

¶ Ad quod respondendum; quod nullus potest simulare se esse hypocritam.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur. Dicendum est, quod licet aliquis prætendat signa, quibus indicetur hypocrita; nõ tamen

tamen simulat se esse hypocritam; cum ipse sit bonus: si tñ intenderet talia signa prætendere, iam esset malus.

¶ Ad aliud vero, dicendum: quod aliquis potest facere operá similia hypocritis: sed non potest hoc simulare: quia si simularet, iam esset.

MEMBRVM VII.

An hypocrisis species habeat?

Septimo quæritur de speciebus huius peccati. Et quæritur, vtrum habeat species, an non? Videtur, quod non: cũ hypocritæ sit velle videri bonum: velle autem videri bonũ si diuidatur sic, velle videri castum, vel velle videri iustum, non trahit in speciem: licet iustitia & castitas sint species virtutis: aliter autem non diuiditur: nõ ergo habet species.

¶ Sed videtur contrarium per hoc, quod dicit Richard. de San. Vict. dicit enim quod quatuor sunt, quæ pertinent ad hypocritam; affectatio libertatis, dignitatis, autoritatis potestatis: istis omnis hypocritarum affectio subseruit. Erit ergo vna hypocrisis in affectione libertatis, alia in affectione dignitatis, & ita de aliis.

¶ Præterea, assignantur quatuor species, quæ per quatuor alas designantur. Dan. 7. sicut exponit idem Rich. simulatio boni occulti &c.

RESOLVTIO.

Minimè formales, sed materiales tantum.

¶ Ad quod responderi potest, quod quatuor prima non sunt ipsius hypocrisis species: sed sunt diuersa mouentia ipsum hypocritam: & referuntur potius ad ambitionem.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod illa quatuor sunt species materiales secundum dr̃iam actuum: intentio autẽ ipsius hypocritæ est, vt videatur bonus: & non sistit in parte bonitatis, imo vt credatur integerrime bonus. Licet enim hypocrita aliqñ vult videri castus: in hoc tñ nõ sistit: sed vt ex omni parte videatur bonus: hoc aũt indiuisum est in intentione: & ideo hypocrisis non diuiditur per species.

MEMBRVM VIII.

Cui ex virtutibus hypocrisis opponatur?

Octavo quæritur de oppositione hypocrisis: & quæritur, cui virtuti opponatur. Et videtur, quod opponatur generaliter omnibus: hypocrita enim vult videri castus, cum non sit: & ita opponitur castitati. Similiter vult videri sobrius, cum non sit: & ita opponitur sobrietati: & sic de aliis virtutibus.

¶ Contra, est speciale peccatum: & speciale peccatum habet specialem virtutem oppositam: ergo opponitur alicui virtuti specialiter.

¶ Item, capitale vitium, quod est inanis gloria: & similiter alia capitalia habent virtutes sibi oppositas: ergo & ipsa hypocrisis, quæ nascitur ex inani gloria, habebit virtutem spiritualiter sibi oppositam.

¶ Item, alia nascentia ab inani gloria, sicut inobedientia, iactantia, habent virtutes sibi oppositas: ergo hypocrisis pari ratione.

RESOLVTIO.

Simplicitati veritatis, & per consequens virtuti cuique.

¶ Ad quod responderi potest quod hypocrisis inquantum habet duplicitatẽ, prout dr̃. Eccl. 2. Væ duplici corde; opponitur simplicitati veritatis: per quandam tñ concomitantiam opponitur omni virtuti: quod enim opponitur bonitati perfectæ, oppositionem quandam habet ad speciales virtutes.

MEMBRVM IX.

Vnde tam detestatur Dominus in Euangelio peccatum hypocrisis?

Nono quæritur de detestatione huius peccati: quæritur enim quare tantum Dominus detestatur hoc peccatum in Euangelio, magis quam aliud: tantam enim pœnam comminatur pro ipso, siue totiens.

RESOLVTIO.

Vt ostendat quam detestabilis futurus sit ei Antichristus: quam pariter odibiles sibi erant Pharisæi & Scribæ, quibus loquebatur: quod hypocrita contrarius esset diuino operi, & toti sanctissimæ Trinitati.

¶ Ad quod responderi potest; quod vna potest esse ratio, vt in hoc denotetur, quanta fuerit vel futura est detestatio Antichristi, qui maxime per hypocrisim decipiet. *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Alia est quia illi Pharisæi & Scribæ, quibus Dominus loquebatur, plurimum erant hypocritæ. Tertia est, quia hypocrita contrarius est operi diuino; sicut enim dicitur in Ench. *Dominus ordinat malum in bonum: hypocrita autem bonum opus deformat per malam intentionem, & quasi conuertit in vitium.* Vnde Raba. *Dum ieiunant, orant, eleemosynam dant, nõ sunt fructus eorum: quia pro vitio eis reputantur.* Item, alia est ratio; quia contrarius est toti Trinitati. Contrarius enim est patri, vsurpans gloriam, quæ ei debetur. *Gloriam meam alteri non dabo*: per appropriationem enim attribuitur gloria patri. *Si osculatus sum manum meam, quæ est iniquitas, & negatio contra Deum altissimũ?* Contrarius est filio, qui est veritas & vita; quid enim aliud est hypocrisis, nisi falsa vita, apparens bona, & existens mala? Contrarius est SpirituiS. cui attribuitur bonitas; quia abutitur bonitate & opere bono. Iob. 34. August. Rabanus. Isa. 42. Iob. 31.

MEMBRVM X.

An hypocrisis remediabile peccatum sit?

Decimo quæritur, vtrum hypocrisis sit peccatum irremediabile: Quod videtur per hoc, quod dicitur. *Simulatores & callidi.* Gl. Greg. *Ante iudicem de ignorantia excusationem habere non possunt, quia dum ante oculos hominum modum sanctitatis ostentant, ipsi testimonio sunt, quod bene viuere non ignorant.* Peccant ergo scienter; sed tale peccatum dicitur in spiritum sanctum; quare, &c. Iob. 36. Glossa.

RESOLVTIO.

Et remediabile, & irremediabile, diuersa ratione.

¶ Ad quod dicendum; quod dupliciter potest dici aliquis peccare scienter. Vno modo cum scilicet peccat ex industria, vt impugnet agnitam veritatem, sicut faciunt hæresiarchi; & sic peccatum in SpiritumS. est. Alio modo cum sc. aliquis cogitat bonũ, & tamen facit contra illud ex quadam infirmitate, vel pronitate; & sic non dicitur peccatum in spiritumS. spiritus enim ex coniunctione eius ad carnem corruptam habet quandam infirmitatem, qua inclinatur ad peccatum laudis, & huiusmodi; sicut ipsa caro pronitatem habet ad carnalia peccata.

MEMBRVM XI.

A quibus fructibus dicat Dominus in Euangelio cognosci debere hypocritas?

Vndecimo quæritur de fructibus hypocritarum, per quos cognoscuntur. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Constat, quod fructus dicuntur opera: sed non potest dici quod ab operibus interioribus cognoscantur; quoniam illa nõ sunt nobis manifesta: si ab exterioribus: Ad hoc obuicitur, quoniam illa opera exteriora bona sunt: ergo attestantur, quantum est in se, prout videntur à nobis, bonæ intentionis: quoniam intentio dicitur arbor, & opus, sicut fructus: & ita ex operibus exterioribus non potest cognosci eorum malitia. Matth. 7.

RESOVTIO.

An fauore hominum, à quæstu temporali, & à laude humana: quibus tribus potissime frui intendunt hypocritæ.

¶ Dicendum est, quod ibi est duplex arbor, siue duplex intentio, vel voluntas: & similiter duplex fructus. Vna est intentio vel voluntas generalis, faciendi bonum in genere: & ab his non potest cognosci eius malitia. Alia est arbor, siue intentio specialis: qua scilicet vult videri bonus propter fauorem humanum, vel quæstum temporalem, vel laudem humanam. Fructus vero, quos principaliter isto modo appetit, sunt fauor humanus, quæstus temporalis, laus humana. Et dicuntur fructus à frui: quoniam istis principaliter intendit frui: & ab istis cognoscitur eius malitia: quoniam postquam istos fructus consecutus fuerit: vel etiam si videat se non posse consequi; tunc cessat ab operibus exterioribus. Vnde August. super illud. *A fructibus* Aug. super Matth.

Matth. 7. *eorum &c. Cum cœperint aliquibus tentationibus illa subtrahi, quæ isto velamine sunt consecuti, vel consequi cupiunt; tunc incipit apparere, vtrum fuerit lupus, vel ouis.*

QVÆSTIO CLXIX.
De Simonia.

In septem Membra, & in sex Articulos diuisa.

D. Tho. 2. 2. q. 100. S. Bona. in 4. d 25. in dub. litera lib. & art. 1. q. 2. & 3. & d. 45. dub. 4. Sco. in 4. di. 25. q. 1.

COMPLETO Tractatu de hypocrisi: adiungendum est de Simonia: quæ est etiam in iniuriam gratiæ Spiritus Sancti. Circa quam primo considerandum est de nomine. Secundo, quid sit. Tertio, quibus modis contrahatur. Quarto, de materialibus eius differentiis. Quinto de pœna simoniæ. Sexto de casibus, in quibus potest dubitari, vtrum committatur simonia. Septimo de satisfactione.

MEMBRVM I.

Simonia vnde dicatur?

Actuum. 8. AD primum sic: simonia dicitur à Simone Mago: sicut habetur. *Cum vidisset Simon, quod per impositionem manuum apostolorum Spiritum Sanctum accipiebant: obtulit eis pecuniam, dicens: date mihi & hanc potestatem: cui Petrus ait: pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Giezi autem famulus Eliseii in veteri Testam. 4. Reg. 5. voluit vendere gratiam sanitatis Naaman Syro. Vnde (proprie loquendo) venditor spiritualium dicitur Gizita: emptor vero Simoniacus: cõsuetudine tamen loquendi vterque dicitur Simoniacus.

MEMBRVM II.

Simonia quid sit?

SECVNDO quæritur, quid sit simonia? Diffinitur autem sic: *Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum.* Hæc autem ratio elici potest ex hoc, quod dicit Grego. Nazian. & habetur. 1. q. 1. *Qui studet donum Dei precio mercari, in sacro ordine de cætero nulla ratione permanere, aut reuocari posse, dubium non est: nam Spiritus Sancti donum precio comparari, quid aliud est, quam crimen capitale & simoniaca hæresis?* Ex quo accipitur, quod in studiosa voluntate emendi vel vendendi contrahitur simonia. (Nazianz.)

¶ Sed obiicitur in contrarium: non excommunicatur ab ecclesia quis pro sola voluntate; cum illa non constet ecclesiæ: sed de simoniaco dicitur, quod excommunicandus est (Dicit enim Gregor. *Talis à communione omnibus modis abscinditur*) ergo simonia non est studiosa voluntas tantum. (Idem.)

¶ Videtur autem contrarium, quod etiam in sola voluntate studiosa contrahitur, per simile de vsurario: dicitur enim Lucæ 6. *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Ex quo habetur, ꝙ in spe inordinata alicuius vltra sortem cõtrahitur vsura. Et hoc idem habetur *extra. de vsuris.* Multo magis ergo debet esse hoc in simonia, vt sola voluntate studiosa peccatum simoniæ contrahatur. (Extrau. de vsuris Cõsuluit.)

¶ Præterea, cum ipsa voluntate tanquam mala radice contrahatur peccatum; quæritur ad quid additur, *studiosa*, cum etiam nõ studiosa peccatum videatur determinare?

¶ Deinde quæritur de eo, quod additur, *vendendi, vel emendi spirituale &c.* Videtur enim quod etiam aliter posset contrahi simonia, quam emendo vel vendendo, vt pote in permutationibus dignitatum, vel ecclesiasticorum beneficiorum, vbi non interuenit autoritas Diœcesani: dicit enim Canon. *in spiritualibus cesset omnis conuentio*: & dicit Vrbanus, quod commutationes præbendarum de iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel annexa spiritualibus labem continet simoniæ. Ergo non tantum contrahitur emendo, vel vendendo. (Canon. ibi Vrbanus.)

¶ Ad idem facit, quod dicitur ab Alexandro: vbi dicitur: quod transigi super re sacra litigiosa non potest: & enim res sacræ vt possideantur aliquo dato, vel redempto, siue compromisso, speciem dicitur habere simoniæ. (Alexand.)

¶ Item, obiicitur de eo, ꝙ dicitur, *spirituale*; potest enim quæri, quid dicatur spirituale? Ratione cuius quæritur, vtrum aduocatus committat simoniam? Vendit enim iustum patrocinium: iustum autem patrocinium spirituale quoddam est.

¶ Contra, dicit August. quod *licet aduocato vendere iustum patrocinium: iudici autem non licet vendere iudicium*: ergo non cõmittitur simonia in vendendo quodcunq; spirituale. (August.)

¶ Sed quæritur, vtrum iudex secularis vendendo iustitiam, committat simoniam. Et videtur quod non, per hoc quod dicitur super illud. *Cathedras vendentium columbas.* Venditores columbarum sunt prælati, qui Spiritum Sanctum vendunt. Non ergo committitur simonia iudice seculari in vendendo iustitiam. (Matth. 21.)

¶ Similiter potest quæri, quid dicatur, *annexum*, spirituali, Nam in necessitatis articulo possunt vendi res consecratæ, vt cruces, calices, & huiusmodi: & tamen ista sunt annexa: ergo vendere annexum spirituali nõ est simonia.

RESOLVTIO.

Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum.

¶ AD quod dicendum: quod peccatum simoniæ committitur ipsa studiosa voluntate. Sed aliud est loqui de simonia, prout aliquis excommunicatur ab ecclesia pro ea: & aliud est loqui, prout est peccatũ generaliter (Excommunicari autem dico, à communione fidelium priuari.) Si enim fiat sermo de simonia, prout infligitur excommunicatio, quæ est priuatio communionis fidelium, nõ sufficit simonia, ꝓut est studiosa volũtas: sed actus ꝓgrediẽs manifestus. Ad hoc facit, ꝙ dicit Vrban. (De manifestis autẽ loquimur) Secretorũ cognitor & iudex est Deus. Et loquitur ibi de excõmunicatione. Si vero sumatur excõmunicatio ꝓ priuatione effectus sacramẽtorũ, secũdũ hoc excõmunicatus vel suspẽsus dicitur ipso iure simoniacus; excõmunicandus autem ab ecclesia, cũ in noticiam venerit. Ambr. *Quicunq; deinceps pro accipienda diuini doni dignitate ꝗlibet premium detectus fuerit obtulisse, ex eo tempore se anathematis opprobrio nouerit condemnatum, atque à participatione corporis & sanguinis Domini alienum.* Prout autem dicit Greg. Nazian. accipitur studiosa voluntas, cum iam est, applicando ad actum. (Ambros.) (Nazianz.)

¶ Ad illud vero, quod obiicitur per simile de vsura. Dicendum est, quod loquitur ibi de simonia, prout est peccatum: non prout facit irregularem secundum iudicium ecclesiæ.

¶ Ad illud etiam, quod obiicitur de additione differentiæ *studiosa*, Dicẽdum est, quod licet non addatur illa differentia, nihilominus est peccatũ. Additur etiam hæc differentia, *studiosa*, in exaggerationem criminis: cum enim vehemens est applicatio ad actum, tunc aggrauatur crimen: magis autem in his, quæ sunt prohibita quia simoniaca, vt emere vel vendere sacrata: minus autem cũ sunt simoniaca, quia prohibita per constitutionem ecclesiæ: vt cum quis renunciat ecclesiæ eo respectu, vt detur alteri: hoc enim determinatum est esse simoniacum ex ecclesiæ ordinatione, sicut habetur extra de officio iudi. delega. Ex parte enim nobis innotuit.

¶ Ad sequens vero dicendũ est: quod nomine emptionis intelligitur omnis contractus circa spiritualia, præter contractum permutationis, qui non conuenit fieri nisi à voluntate superioris, scilicet Diœcesani: vnde large accipitur ibi pro illicita conuentione circa spiritualia mediantibus temporalibus.

¶ Ad sequens vero dicitur: quod alia est consideratio in aduocato, & iudice. Iudex enim tenetur reddere iustum iudicium: aduocatus enim pro labore suo potest accipere moderatum salarium, & secundum iura ciuilia & canonica: labor autem ille non est res spiritualis: nec ad hoc tenetur ex officio ecclesiastico, quod habeat: sicut iudex ex officio sibi iniuncto.

¶ Ad illud vero; quod obiicitur de iudice seculari. Respõdetur, quod licet iudex secularis peccet grauiter vendendo iustum iudicium: non tamen cõmittit simoniam. Spirituale enim dicitur; quo habetur Spiritus Sanctus; vel quo datur; vel quo haberi signatur: quo habetur vt virtus: quo datur, vt sacramentum: quo haberi signatur, vt donum prophetiæ, vel potestas faciendi mirabilia: iudex autem secularis nullo istorum modorum potest vendere spirituale. Alia autem autoritas, quæ est de venditione iustitiæ, vbi cõmittitur simonia: intelligitur, quando iudices ecclesiastici vendunt iudicium: vnde Greg. dicit: *In templo vendentes sunt, qui hoc, quod quibusdam iure competit, ad precium* (Gregor.)

Largiuntur. Aliis autem videtur, quod etiam in iudice seculari vendere iustum iudicium sit simoniacum: actus enim virtutis est; & ita quo ad hoc spirituale. Et hoc videtur dicere Greg. Ementes in templo sunt, qui hoc quod iustum est, soluere proximo nolunt; dumq; rem debitam facere contemnunt, dato patronis precio emitur peccatum.

¶ Ad vltimum vero dicẽdum: q; dupliciter est loqui de rebus consecratis, vel crucibus, vel calicibus: ratione materiæ, vel ratione formæ. Ratione materiæ, cum non adest forma consecrata: & hoc modo potest vendi in necessitate: vnde Ambr. *Vasa ecclesiæ vitiata confringere, conflare, vendere* (sed in casibus determinatis) *opus est: de ecclesia mystici poculi forma non exeat: nec ad vsus nefarios calicis sacri ministerium concedatur.* Non sic autem est de oleo ac chrismate: ipsa enim consecrantur ratione materiæ.

Ambros. in in lib. de officiis.

¶ Si vero quæratur de lignis, quæ sunt in ecclesia consecrata, vtrum si destruatur ecclesia, possint conuerti in secularium ædificiorum cõstructionem. Responderi potest per hoc, quod dicitur ab Igino Papa. *Ligna ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni cõburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus: & hoc in locis religiosis, vt Capitulo, vel Dormitorio: non autem in coquina, vel in furnis pastinandis: in opera vero laicorum non debent admitti.* Vnde in Calcedon. Concilio dicitur. *Quæ semel Deo dicata sunt monasteria, cum consilio episcoporum maneant perpetuo monasteria: & res quæ ad ea pertinent, monasteriis reseruari oportet.*

Igin. Papa de consecratione dist. 1. Ligna. Concil. Calcedon.

An simonia hæresis sit? §. 1.

¶ Deinde quæritur, vtrum simonia sit hæresis? Et videtur per hoc, quod dicit Greg. in Registro. *Altare, & decimas, & Spiritum Sanctum emere, vel vendere; simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat.* Et iterum. *Anathema dandi vel accipiendi hoc, est simoniaca hæresis.*

Gregor. Habetur. 1. q. 3. cap. Altare. Idem.

¶ Contra, potest habere fidem informem, & esse simoniacus: ergo simonia non est hæresis.

¶ Præterea, si esset hæresis, esset contra aliquem articulum, qui continetur in Symbolo. Non contra articulum de Spiritu sancto: credit enim Spiritum Sanctum esse: nec contra illum articulum, qui est de sancta & catholica ecclesia: adhæret enim vnitati ecclesiæ verbo, etsi non opere: restat ergo quod simoniacus non dicetur propter hoc hæreticus.

RESOLVTIO.

Simonia quo ad quid hæresis dici potest.

¶ Ad hoc responderi potest per hoc, quod dicit Greg. in Registro. *Cum omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc in ecclesiasticis maxime dandis dignitatibus iugiter non præcauet, infidelitatis perditioni subycitur, etiam si fidem, quam negligit, tenere videatur.* In quo datur intelligi, quod vno modo dicitur habere fidem, alio vero modo non: quia eam in opere non ostendit. Dicitur ergo quo ad quid hæreticus: quia non appreciatur gratiam Spiritus Sancti in rebus sacris, prout deberet: vnde per cõsequens detrahit Spiritui Sancto in sacramentis, vel in rebus sacris.

Gregor. in Registro.

¶ Si vero quæratur, cui articulo principalius opponitur? Dicendum est, quod illi, qui est de Spiritu Sancto, ratione sacramentorum & rerum sacrarum. Vnde qui hanc iniquam actionem operantur, & Spiritui Sancto detrahunt, ponentes impreciabile sub precio. Talis autem non dicitur hæreticus per se, propter falsam credulitatẽ in his, quæ credenda non sunt: sed propter ordinatam voluntatem, qua principaliter diuiditur à Spiritu Sancto, inquantum ab eo datur sanctitas, vel demonstratur: sicut est in dono prophetiæ, vel in potestate faciendi miracula.

An simonia grauius peccatum sit peccato hæreseos? §. 2.

¶ Adhvc etiam quæritur de comparatione simoniæ ad hæresim. Videtur enim simoniam grauius esse peccatum aliqua hæresi. Dicitur enim *extra de simonia.* quod *simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit:* morbi autem dicuntur peccata: ergo maius peccatum est hæresi.

Extrau. de simonia.

¶ Item, Greg. Nazian. *Dominus vt ementes & vendentes huius gratiæ expertes ostenderet, cunctos peccatores per gratiam in templo dimisit: singulariter ementes & vendentes increpans & flagellans, de templo eiecit.* Ex quo videtur, quod hoc peccatum grauius est aliis peccatis.

Nazian.

¶ Item, 1. quæst. 1. *Tolerabilior Macedonij, & eorum, qui circa ipsum sunt, Spiritus Sancti impugnatorum impia hæresis quam simoniacorum. Illi enim creaturam & seruum Dei patris & filij Spiritum Sanctum fatentur delirando: isti eundem Spiritum Sanctum suum efficiunt seruum: omnis enim Dominus, quod habet, si vult, vendit: & similiter qui emit, Dominus eius volens esse, quod emerit, per preciũ pecuniæ illud acquirit.* Ex quo arguitur, quod deterius peccatum est simonia hæresi Macedonianorum.

1. q. 1. Eos, Qui per pecuniam.

RESOLVTIO.

Et grauius, & non grauius: alia atque alia ratione.

¶ Ad quod dicendum: quod grauius dicitur peccatum aliquod alio, vel propter maiorem pronitatem cum enormitate: vel dicitur aliud grauius alio, quia plus contrariatur fidei catholicæ. Primo modo dicitur simoniaca pestis maius peccatum: secundo vero modo dicitur ipsa hæresis. Ipsa enim hæresis est, in qua fit diuisio principalis à fide summæ veritatis.

¶ Ad obiectum autem primo respondendum est: quod dicitur vincere alios morbos spirituales propter sui adhærentiam: difficile enim auellitur propter sui adhærẽtiam, eo quod oritur ex radice cupiditatis.

¶ Ad secundum vero dicendum est: quod illud, quod dicit Gregor. Nazian. ad hoc retorquetur, quod illud peccatum quadam singularitate plus opponitur sacramẽtis ecclesiæ propter pronitatem cupiditatis humanæ: & hoc præfigurauit Dominus in eiectione ementium, vel vendentium de templo: non quod alii non sint digni eiectione. Vnde in detestationem criminis dicitur, quod mox vt manifestum fuerit, de ecclesia Dei debet eliminari atque propelli.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod id, quod dicitur, *Tolerabilior &c.* ad hoc refertur, quia indignius est Spiritum Sanctum existimare ꝓprium seruum, quam seruum Dei patris: cum tamen vtrunque sit sceleratum valde. Sed tamen per alium & alium modum fit hæc existimatio: nam Macedonius Spiritum Sanctum credidit esse creaturam: & ita quo ad hoc seruum, id est subiectum: sicut creatura rationalis, vel intellectualis subiicitur Deo. Non sic autem simoniacus: sed simoniacus sic agit vendendo gratiam Spiritus Sancti in sacramentis, quasi Spiritus Sanctus in effectu esset subiectus ei. Et hoc est, quod dicitur, Omnis Dominus quod habet, si vult, vendit; siue seruum, siue aliud eorum, quæ possidet.

An & grauius peccatum sit idololatria? §. 3.

¶ Adhvc etiam quæritur de comparatione simoniæ ad idololatriam. Videtur enim grauius punita simonia quo ad rationem venditionis, quã idololatria: cuius autem pœna maior est, illud peccatum maius esse arguitur: quis enim dubitat scelerati⁹ esse commissum, quod grauius vindicatur: sicut habetur 24. q. 1. Quod autem pœna sit grauior, habetur ab Ambros. vbi dicitur. Cum illi, qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse mulctati (sicut habetur in Deuteronom. 33. *Moabita & cæteri non intrabunt in ecclesiam Dei vsque in tertiam & quartam generationem*) profecto durior videtur esse sententia: quia Giezi semen vsq; in æternũ pro cupiditate habẽda prophetica autoritate damnatur: dicitur enim, *Lepra adhærebit tibi & semini tuo vsq; in æternum.* Ex quo habetur, quod grauior pœna sit pro peccato simoniæ inflicta, quam pro peccato idololatriæ: & ita videtur maius esse peccatum.

24. q. 1. non aufer[illegible] Ambro. in lib. de mysteriis. 4. Reg. 5.

RESOLVTIO.

Simpliciter idololatria grauius peccatum est simonia.

¶ Ad quod respondendum per hoc, quod habetur in alia translatione secundum nostram literam, vbi dicitur quod Ammonites & Moabites etiã post decimam generationem non intrabunt in ecclesiam Dei vsq; ad sempiternum. Ex quo habetur, quod vtrique peccato quantum ad hoc par pœna fuit inflicta: nihilominus tamen peccatum idololatriæ maius est, & grauior pœna debetur ei.

Deuter. 23.

¶ Qvod autem dicitur q; non intrabit vsq; in tertiam & quartam generationem ecclesiam Dei, sicut habetur in

alia

alia translatione: Ad intellectum mysticum potest referri.

¶ Ad illud etiam, quod dicitur, quod lepra adhærebit tibi & semini tuo vsq; in sempiternum. Spiritualiter potest intelligi de imitatoribus in illo genere peccati. Vnde Ambrof. *Cum Giezi semen internum damnatur, quid nisi quod vitiorum semen magis quam generis intelligas?* Ambrof.

¶ Præterea, quod dicitur de Moabitis, quod non intrabunt Domini ecclesiam: causa subiungitur. *Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua, quando egressi estis de Ægypto: quia conduxerant contra te Balaam filium Behor, vt malediceret tibi.* Et ita alia causa subiungitur, quam idololatriæ: licet ipsi essent idololatræ. Quantū autem ad pœnam; talis pœna statuta fuit, ne eos tactos proselytos reciperent in ecclesiam Dei vsque in decimam generationem. Deut. 23.

MEMBRVM III.

Quibus modis contrahatur simonia.

TERTIO quæritur, quibus modis simonia contrahatur. Et potest dici, quod tripliciter secundum Greg. super illud. *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere.* Est enim munus à manu, pecunia: & munus à lingua, fauor: & munus ab officio, seruitus indebite impensa. Et hoc idem dicit Vrbanus. *Quisquis res ecclesiasticas, nō ad quod instituta sunt; sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecunia largitur, vel adipiscitur; simoniacus est.* Et dicit Greg. *Tunc ab omni munere manus excutit; quando in diuinis rebus non solū nullam pecuniam: sed nec humanam gratiam requirit.* Greg. super Isa. 33. Vrbanus habetur. 1. q. 3. ca. Soluetur. Gregor.

¶ Primo ergo quærendum est de munere à manu. Secundo de munere ab obsequio. Tertio & vltimo de munere à lingua.

ARTICVLVS I.

De munere à manu.

CIRCA munus autem à manu, quæritur: vtrum iudex ecclesiasticus possit aliqua munera recipere: & si recipit, vtrum iudicandus sit simoniacus. Et videtur quod sic: dicitur enim. *Gratis accepistis, gratis date.* Et dicitur in Concilio Toletano. *Quicquid inuisibilis gratia cōsolatione tribuitur, nunquam quæstibus vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet.* Sed qui recipit munera, vel qui dat, exponit venditioni, vel emptioni: ergo est simoniacus. Matth. 10. Concil. Tolet.

¶ Item, *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi frenū in ore auertit correptiones eorum.* Nullatenus ergo dandum est munus iudici ecclesiastico, vel accipiendum munus ab eo. Ecclesi. 20.

¶ Contra, in iure humano habetur quod esculentum & poculentum possunt accipere: nec est eis prohibitum, scilicet iudicibus secularibus: pari ergo ratione possunt iudices ecclesiastici huiusmodi munera accipere.

¶ Item, extra de simonia. Et si quæstionis. vbi dicitur, quod scriptum est. *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere:* de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere vel inuertere solent: quia si offeratur electuarium, aut de vino, vel aliis huiusmodi, quæ modici precii fuerunt; & quæ voluntatem recipientis vel mouere non debeant; ecclesia Romana non consueuit interpretari accipientem in his delinquere. Ergo non in quacunque receptione muneris à prælato, vel iudice ecclesiastico contrahitur simonia.

¶ Ad quod dicendum est: quod in iudicio Dei, qui intuetur cor, si moueatur voluntas iudicis ecclesiastici ad ferendum iudicium precio muneris magni vel parui; semper est simonia. Ecclesia vero respicit opus exterius: & quia modica munera non videntur debere corrumpere animum iudicis ecclesiastici, non reputatur apud ecclesiam simonia. Vnde in muneribus accipiendis, & dandis tria sunt consideranda, personæ, scilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, vt à quo, & cui: videlicet an à paupere diuiti, vel econuerso, scilicet à diuite locupleti datum fuerit: æstimatio muneris, si maioris vel minoris precii existat: donationis tempus si instante necessitate, vel alio tempore conferatur: & secundum hoc habenda est præsumptio de simonia, vel suo opposito.

¶ ITEM QVÆRITVR, vtrum possit pecunia dari sacerdoti pro baptismo adulti, si sacerdos nullatenus vult baptizare, nisi habeat pecuniam. Et videtur quod licet vnicuique redimere ius suum: sed ius istius est, vt baptizetur: ergo licet in illo casu dare pecuniam. Quæstio.

¶ Præterea, potest contingere, quod paruulus deferatur ad sacerdotem laborans in extremis: etsi non fuerit baptizatus, pœnam æternam subibit: de duobus autem malis minus eligendum est: ergo in tali casu potest dari pecunia sacerdoti pro baptismo paruuli.

¶ Contra, dicit Apostolus ad Rom. quod non sunt facienda mala, vt veniant bona: non ergo danda est pecunia pro re spirituali. Rom. 3.

¶ Ad quod dicendum, quod aliud est dare pecuniam pro baptismo: & aliud pro aqua, in qua postea possit aliquis baptizari. Pro baptismo non est licitum dare pecuniam: pro aqua vero, si aliter haberi non possit, potest dari pecunia: nec venditur ibi spirituale. In casu ergo prædicto si nullatenus vult sacerdos baptizare, nisi detur ei pecunia; emenda est aqua, si aliter fieri non potest, & baptizari debet ab illo.

¶ Similiter enim dicendum est de paruulo: in necessitate enim potest ab alio dari baptismus: maximæ autem necessitatis est vitatio simoniacæ prauitatis.

¶ DEINDE QVÆRITVR, vtrum licitum sit dare pecuniam pro redemptione iuris sui. Quod videtur: licitum enim est vnicuique ius suum redimere: & dicitur *extra. de simonia.* quod restitutio facienda est illi, qui redemit vexationem suam: quia qui accepit pecuniam, commisit simoniam. Ex quo habetur, quod licitum est redimere: non ergo committitur simonia, si datur pecunia pro redimenda vexatione, quæ sibi fit iniuste super iure spirituali. Quæstio. Extrau. de simonia Dilectus.

¶ Contra, potest contingere, quod is, à quo petitur, ius habeat aliquod in ipsa re, quæ petitur: sed illud est ius spirituale: non est autem licitum emere spirituale, sicut nec vendere: ergo non est licitum redimere.

¶ Præterea, habet superiorem, à quo potest cōsequi ius suum: cum ergo alia via pateat ei, & dicat Apostolus, *Ab omni specie mala abstinete vos:* redemptio autem emptio quædam est: non ergo in tali casu licitum est redimere. 1. Thess. 5.

¶ Ad quod dicendum: quod licitum est redimere vexationem, quæ fit iniuste super re spirituali: nisi ille, à quo petitur, nihil iuris habeat: nec per superiorem potest consequi ius suum: nec emitur ibi spirituale, sed temporale: vexatio enim res temporalis est. Quod autem liceat redimere ab illo, qui nihil iuris habet in re, licet non sit licitum accipere; patet per hoc quod dicitur. 1. qu. 3. *Quæsitum*: vbi omnem venalitatem prohibet Vrbanus: concedit autem decimas monasteriis sub huiuscemodi redemptione ab annis 30. & supra quiete possidendas. 1. q. 3.

¶ ADHVC ETIAM quæritur, vtrum licitum sit pro omnibus spiritualibus debitis, vt pro consecratione, vel visitatione, quid exigere? Et videtur quod non, sicut enim sanctificatio in baptismo vel confirmatione est res spiritualis: ita & consecratio Ecclesiæ: sed pro istis operibus non est licitum accipere: ergo nec pro illis. Quæstio.

¶ Contra, dicit Apostolus. 1. *Corinth. 9. Si seminamus vobis spiritualia; non magnum est, si carnalia metamus.* Et iterum, *Quis militat suis stipendiis vnquam,* Et iterum, *laborantem agricolam oportet de fructibus percipere.* Ex quibus colligitur, quod licitum est Episcopis & aliis prælatis pro quibusdam operibus exhibitis recipere procurationem. 1. Cor. 9. Ibidem.

¶ Ad quod dicendum: quod in huiusmodi non committitur simonia: sed exigitur procuratio moderata, sicut habetur extra de simonia. Cum sit Romana. vbi dicitur: quod pro ecclesiarum consecratione nec potest, vel debet præter procurationem exigere: & extra. de præscriptionibus. Cum ex officii. vbi dicitur: quod ratione etiam visitationis debetur procuratio, contra quam non potest præscribi.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum est: quod non est simile de consecratione, & baptismi, et confirmationis ministratione: illa enim pure pertinent ad gratiam: & tamen nec in his, nec in illis aliqua debet fieri pactio rei temporalis: Constitutum autem est ab ecclesia, quod procurationes dentur ratione

ipsius laboris, qui magnus est: & non debent interuenire, sed sequi: vnde ibi temporalia non sunt media, sed ex cõsequẽti debita: sicut Dominus dicit in Euangelio. Dignus est operarius cibo suo. Luc. 10.

ARTICVLVS II.

De munere ab obsequio.

SECVNDO quæritur de munere ab obsequio. Vtrum licitum sit mediante obsequio obtinere beneficium spirituale. Et videtur quod sic: dicit enim Gregor. *Ecclesiasticis vtilitatibus deseruientes, ecclesiastica dignũ est remuneratione gaudere: vt qui se voluntarijs obsequiorum necessitatibus sponte subijciunt: digne nostris prouisionib. consolentur.* Ex quo habet, quod mediante obsequio potest aliquis obtinere beneficiũ ecclesiasticum. (Gregor.)

¶Item, Greg. *Iustum est, vt illi consequãtur stipendium; qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.* (Idem.)

¶Præterea, si conferenda sunt beneficia ecclesiastica, quibus magis conferenda sunt, quã illis, qui ecclesiæ seruiunt? Ergo licitum est intuitu seruitii conferre beneficiũ ecclesiasticum: pari ratione & seruire (& intelligitur hic de seruitio corporali.

¶Contra, munus ab obsequio interuenit: sed (sicut dicit Grego.) vbi est manuale seruitium, si exhibeatur intentione beneficii spiritualis, simonia committitur: dicitur enim. Qui res ecclesiasticas nõ ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel obsequii, vel pecuniæ adipiscitur; simoniacus est. (Idem in Registro.) (Habetur. 1. q. 3 cap. Saluator, & ascribitur Vrban.)

¶Ad quod respondetur: quod refert, vtrum dignũ exhibeat seruitium siue honestum: & iterum si persona fuerit digna, vel indigna: & iterum vtrum interueniat pactio, vel non. Si dignus dignum exhibeat seruitium vel honestum: nec interueniat pactio: nec principaliter habet animum ad hoc (Hoc dicitur propter illud, quod dicitur à Greg. 1. q. 1. *Ordinationes*) licet habeat secundario, non cõmittit simoniam: dicitur enim munus ab obsequio seruitus indebite impensa. Si vero indign⁹ est, & maxime si inhonestum exhibeat seruitium; simonia committitur: sicut dicit Greg. & habetur. 1. q. 1. *Si quis.* Si vero interueniat pactio, simoniacus est: res enim spiritualis, vt pote ecclesia in pactionem non est deducenda. (...em in ...dem.)

¶SED ADHVC quæritur, vtrum obsequium spirituale possit aliquis facere pro beneficio ecclesiastico, interueniente conditione. Et videtur quod non: quia in contractu rei spiritualis non debet interuenire conditio.

¶Contra, habetur *extra de præbendis.* vbi dicitur: quod cuidam sacerdoti vnam præbendam in ecclesia communi voluntate dederunt: ita quod Missam de Sancta Maria, nisi corporis infirmitate sit grauatus, debet quotidie celebrare: innuitur ergo ibi pactio in ipsa collatione. (...trau. de ...bendis. ...atum.)

¶Ad quod respondetur, quod conditio illa cõuenientius imposita fuit in institutione præbendæ: & postea secuta est confirmatio summi Pontificis: & ita illi præbendæ adhærebat tale officium: & res cum onere suo transit.

¶Illud autem, quod dicitur in Decretali, ad conditionem in constitutione referatur.

ARTICVLVS III.

De munere à lingua.

TERTIO dicendũ est de munere à lingua: & quæritur primo, vtrum aliquis possit per se petere ecclesiam, vel dignitatem, vel aliquod beneficium ecclesiasticum. Et videtur quod non: dicitur enim. *Ne quisquam sibi sumat honorem: sed qui vocatus est à Deo tanquam Aaron.* Ergo non debet se ingerere verbo, vel facto: non ergo debet pro se petere. (b. 5.)

¶Præterea, in ipsa petitione ostenditur, se desiderare: sed dicit Gre. *sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus:* non ergo aliquis pro se debet petere beneficium ecclesiasticum.

¶Contra, potest esse ordinatus, & nõn habere beneficium sufficiens, vel nullum habere beneficium: cum ergo ei iure debeatur propter honestatem ecclesiæ, sicut habetur, *extra. de præbendis. Non liceat vlli episcopo ordinare clericos, & nullus eis alimonias præstare.* Et iterum, *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vita percipiat, in diaconum, vel presbyterum ordinauerit; tamdiu ei necessaria subministret &c.* Potest ergo licite petere beneficium ecclesiasticum.

¶Item, Hieron. *Clericos illos conuenit stipendiis sustentari, quibus propinquorum & parentum nulla bona suffragantur.* Cum ergo clericis iure debeantur: licitum est eis petere beneficium ecclesiasticum pro seipsis. (Hiero. ad Damasum Papam.)

¶Ad quod respondetur: quod non potest petere pro se ordines, vel beneficium, cui sit annexa cura animarum. Potest autem petere beneficium simplex, cum ei de iure competat: vt pote si est ordinatus, & non habet beneficium sufficiens: dicit enim Gregor. *Ordinationes, quæ interueniente precio, vel precibus, vel obsequio alicuius personæ ea intentione impensæ sunt, falsas esse iudicamus: quoniam qui aliter ordinantur, non per ostium, id est, Christum intrant.* Dicũtur autem falsæ quantum ad executionem: & hoc exponitur. 1. qu. 1. *Non itaque.* (Gregor.)

¶Sed quid si aliquis dignus pro se offerat preces: nunquid est simoniacus? Videtur quod sic ex iam dictis: & hoc idem quidã opinantur. Sed graue est hoc dicere: cum iura non sint de hoc omnino expressa: & multorum secundum hoc fieret condemnatio. Tutius tamen est, vt nullus quantumcunque dignus pro se faciat preces, nisi iure ei competat, sicut dictum est: ex hoc enim potest reddere se indignum. Gregor. *Qui ambit, vel importune se ingerit: proculdubio est repellendus: nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi vt crescendo decrescat?*

¶DEINDE quæritur, si preces fiant ab alio, vtrum simonia sit: vel in ordine, vel in beneficio? Et videtur quod sic, per hoc quod dicit Greg. *Oportet, quod neque per donum, neq; per gratiam, neque per quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentias, vel permittas adduci.* (Idem.)

¶Item, quod non debent adesse preces armatæ: patet per hoc, quod dicit Symachus. *Si quis episcopatum desiderat, data pecunia, potentes personas suffragantes minime sibi adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum adhibito cuiuslibet generis timoris compellat.* (Symachus.)

¶Sed videtur contrarium per hoc, quod dicitur in Canon. 1. q. 1. & dicit Gregor. *Nec gratia alicuius, nec supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promouere: nisi quem vita & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstrauerit.* (Cano. 1. q. 1. Latorem præsentem Gregor.)

¶Ad quod respondetur: quod cum preces carnales succedunt loco precii (& hoc maxime fit, cum pro indigno fiunt) simonia dicitur perpetrari. Vnde Gregor. *Præ omnibus tibi curæ: vt in electione nec datio quibuscunque modis interueniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia conualescant.* Si vero preces fiant pro digno, non committitur simonia: præsumitur enim pro ipsa persona, quod recta sit intentio: nec ordinator, vel elector principaliter habet respectum ad preces. (Idem in Registro.)

¶SED potest quæri, quare minus committitur simonia in precibus oblatis pro digno, quam in pecunia: si enim interueniret pecunia, simonia committitur. Et respondetur ad hoc: quod preces ordinatæ sunt ad manifestãdum; quod congruit talẽ ordinari vel beneficiari: ad hoc enim est sermo deprecatorius pro digna persona: pecunia vero nõ est ad hoc: sed vt inordinate moueat affectum conferentis ordinem, vel beneficium.

MEMBRVM VI.

De differentijs materialibus simoniæ?

QVARTO quæritur de materialibus differentiis simoniæ: quæ attenduntur secundum differentiam spiritualis, & annexi spirituali. Sunt autem tres differentiæ. Prima de ipso spirituali: secunda de annexo spirituali: tertia de illo, quod est spirituale, & annexum spirituali.

ARTICVLVS I.

De simonia, quæ consistit circa spirituale.

CIRCA primam sic quæritur: Vtrum licitum sit aliquibus dare pecuniam ꝓ benedictione matrimoniali: si sacerdos noluerit facere sine precio, iam existente matrimonio. Et videtur ꝙ sic: qa licitũ est redimere ius suũ: sed ius est copulatorũ ꝑ matrimoniũ, ꝙ detur eis benedictio: (Quæstio.)

ergo

ergo licitum est dare pro benedictione obtinenda, si aliter fieri non potest.

¶ CONTRA, Benedictio est res spiritualis: & non est licitum dare pecuniam pro re spirituali: ergo non est licitũ dare pro ea: quid ergo agendum est in tali casu?

¶ ITEM, matrimonium est sacramentum, & ita res spiritualis: nunquid licitum est interuenire pecuniam in contractu matrimoniali adiecta pactione? Et videtur quod nõ: quia sacramentum res spiritualis est: matrimonium autem est sacramentum: si ergo in spiritualibus debet omnis pactio pecuniæ cessare: debet in matrimonio huiusmodi conditio non interesse.

Extrau. de condition. appositis in matrim. ¶ SED contrarium videtur per hoc, quod dicitur *extra.* De illis; vbi dicitur, *quod si conditio interposita fuerit de aliqua summa pecuniæ interueniente iuramento sub hac forma: Ego te in vxorem accipiam, si tantum mihi donaueris. Non habebitur reus periurij, si eam nolentem sibi soluere, quod sibi dari potuit, non acceperit in vxorem: nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos consecuta commixtio.* Ex quo habetur, quod non est peccatum apponere conditionem pecuniæ in matrimonio contrahendo.

¶ AD quod respondetur, & primo ad illud, quod dicitur de benedictione nubentium; quod non est licitum exigere & extorquere pecuniam pro benedictione nubentium, & similibus, sicut habetur *extra. de simonia.* Si tamen est consuetudo pia in quibusdam partibus, vt aliqua conferantur ex deuotione fidelium, congruit vt libere conferantur ecclesiastica beneficia; sed per episcopum loci, veritate cognita, compescantur qui malitiose nituntur laudabilẽ consuetudinem immutare.

Extrau. de Simon a. Ad Apost. audientiã.

¶ QVOD autem obiicitur, quod licitum est redimere ius suum, &c. & quid agendum in tali casu? Respondetur, quod benedictio non est de substantia matrimonij, sed pertinet ad solemnitatem; tamen quia eis debetur ex constitutione ecclesiæ; recurrere debent ad superiorem, cuius est compellere & amouere obstaculum peccati. Si vero noluerit, tutius est abstinere, quam alium inducere in peccatum; vel dare occasionem peccati. Nec est simile in aliis, vbi redimitur vexatio, non ipsum ius emitur.

¶ AD aliud vero dicendum; quod non est simonia, si interueniat conditio pecuniæ in contractu matrimoniali. Dicunt enim quod in omni sacramento ecclesiastico, in quo confertur gratia, si interueniat pactio pecuniæ; vel datio, qua ematur, simonia est; in matrimonio vero non confertur gratia; & est sacramentũ ante vtranque legem in lege naturæ; & ideo potest interuenire conditio pecuniæ pro nocatiua ad consensum.

Quæstio. ¶ DEINDE quæritur, vtrum sacerdos possit cantare missam pro denariis. Et videtur, quod non. Dicitur enim super
Osee 5. illud. *Vobis iudicium est sacerdotes: quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super montem Thabor.* Vbi exponit
Bernar. Bernard. hoc de sacerdotibus, qui super sacramentum altaris rete expandunt cupiditatis.

Ioan.2. ¶ PRÆTEREA, sicut habetur Ioan.2. Dominus ementes & vendentes eiecit de templo; qui autem magis sunt ementes, quam illi, qui sacramentum eucharistiæ exponunt venditioni?

Michææ 3. ¶ PRÆTEREA, Michææ 3. reprehenduntur sacerdotes, qui in mercede respondebant; Secundũ aliam literam habemus *in mercede docebant* sed quid est respondere in mercede, nisi celebrare pro pecuniis?

12.q.2. Charitatẽ. 1.Cor.9. ¶ SED videtur contrarium; nemo tenetur suis stipendiis militare: sicut habetur 12.q.2. & idem dicit Apostolus. Non ergo tenentur illi laborare in ecclesia, nisi habeant vnde sustententur ministri Dei?

¶ AD quod dicendum; quoniam possunt dari denarii presbytero pro missa, vel vt sit quædã prouocatio ad laudem Dei: vel vt ponatur precium in illis: vel vt ponatur finis in illis. Sed primo modo, licitum est cantare missam ei, qui non tenetur, & desunt ei sumptus, recipiendo denarios, non interueniente pactione: nec in hoc habita intentione principali. Et hoc habetur per hoc quod dicit Hie-
Hiero. super Michæ. ronym. super Michæam, dicit enim recitando illud, quod Saul dixit puero suo. *Quid feremus ad virum Dei? & dixit puer. Ecce inuenta est in manu mea, quarta pars stateris argentei, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram:* Et per illud, quod di- 4.Reg.9.
citur de vxore Hieroboam. vbi dicitur. *Tolle in manu tua* 3.Reg.14.
decem panes, & crustulam, & vas mellis: & vade ad illum: ipse enim indicabit tibi, quod euenturum sit huic puero. Hæc magis in sumptus prophetiæ, quam in prophetiæ munera reputanda sunt: non autem licitum est, vt temporalia dentur in precium: tunc enim est simonia. Et hoc modo intelligitur illud, quod dicit Bernard. & illud, quod dicit Gregor. ex- Bernar. Gregor.
ponens illud de venditoribus & ementibus in templo. Si vero sacerdos habeat sumptus, & tenetur ex officio ad illam missam, exigere propter hoc, est simoniacum. Si autem non tenetur ad hoc, sed habet sumptus sufficienter, in speciem mali reputaretur, si exigeret: cum dicat Apostolus, 1.Thes.5.
Ab omni specie mala abstinete vos.

¶ ILLVD autem non est sine graui offensa; quod quidam pro pecunia, aut vt placeant secularibus, præsumunt vna die plures facere missas, sicut dicit Alexander Papa. Si tamen imminet necessitas, & deest pluralitas sacerdotum, potest vnam facere de die, & alteram pro defunctis, si necesse sit: ita tamen quod non assumatur ablutio vini, ne soluatur ieiunium; quod requiritur propter reuerentiam sacramenti.

¶ DEINDE quæritur, vtrum sit licitum dare certos redditus & pacisci pro anniuersario celebrando: similiter Quæstio.
quæritur de illis, qui recipiunt ab excommunicatis, antequam absoluant eos. Et videtur quod committant simoniam: ponunt enim impreciabile sub precio.

¶ SED videtur contrarium per consuetudinem ecclesiæ: & per hoc quod staturæ sunt pœnæ pecuniæ ad correctionem delinquentium.

¶ PRÆTEREA, iustum est, vt vbi onus est, quod ibi sit emolumentum: onus autem est ecclesiam obligari perpetuo ad celebrandum anniuersarium; congruit ergo vt assignetur certum emolumentum.

¶ AD quod respondetur: quod non est licitum, pactione interueniente, accipere redditus pro anniuersario celebrando: si tamen deuotio fidelium est in conferendo redditum, tenetur ecclesia propter deuotionem ipsorum fidelium celebrare pro illis, pro quibus rogatur.

¶ AD secundum vero dicendum: quod non est recipiẽda, vel danda pecunia pro beneficio absolutionis: sicut habetur *extra. de simo.* Si tamen sunt constitutæ aliquæ pœ- Extrau. de Simonia. Ad aures.
næ ab ecclesia propter correctionem delinquentium, possunt peti consequenter; non pro ipso beneficio absolutionis, sed vt propter pœnam, quam timet, caueat deinceps à delicto. Videndum autem est, ne plus ascribatur cupiditati, quam correctioni: tunc enim posset esse peccatum.

¶ DEINDE quæritur, vtrum liceat dare bona tempo- Quæstio.
ralia viris religiosis, vt orent pro eis. Et videtur, quod non: oratio enim est res spiritualis, vt petitur in ea Spiritus S. scil. donum Spiritus S. sed non est licitum ponere impreciabile sub precio: ergo non est licitum dare bona temporalia, vt orationes fiant.

¶ CONTRA, dicitur. *Facite vobis amicos de mammona ini-* Lucæ 16.
quitatis, &c. ergo licitum est dare viris bonis, vt orent pro ipso.

¶ PRÆTEREA licitum est dare temporalia hoc fine, vt habeatur Spiritus S. sed orationes sunt ad impetrandum gratiam aliis: ergo licitũ est dare temporalia ad hoc, quod viri boni orent pro ipso.

¶ PRÆTEREA, licitum est dare temporalia ad hoc, vt ematur regnum cælorum: dicitur enim. *Simile est regnum cæ-* Prouer. vlt.
lorum homini neg. &c. & iterum Prouer. vlt. de muliere forti. *Considerauit agrum, & emit illum:* per agrũ autem intelligitur Matth.13.
ager paradisi: ergo licitum est emere regnum cælorum: sed regnum cælorum multo maius est, quam aliquod spirituale in vita præsenti: ergo licitum est multo fortius emere spiritualia in præsenti.

¶ AD quod respondetur, quod licet dare temporalia viris religiosis, vt orent pro eis: hæc enim dictio *pro* non notat ibi rõnem appreciationis: sicut cum dr, do pecuniã pro

pannos:sed notat rationem prouocationis, vt scilicet prouocentur in amicitiam spiritualem; & per consequens ad orandum pro ipsis: & hoc modo licitum est: nec ponitur ibi inpreciabile sub precio temporali.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod licet contingat emere bona æterna, quia ipsa cadunt sub merito: emere autem illud non est aliud, quam mereri: dare enim temporalia ex charitate, meritum est: sed gratia prima, qua dantur spiritualia bona, vt in sacramento, & huiusmodi, non cadit sub merito: ergo non est simile de prima gratia, quam non potest aliquis mereri ex condigno: vnde datio temporalium, quæ est extra gratiam, non potest attingere ad eam.

Quæstio. ¶ Deinde quæritur, vtrum sit licitum dare, vel recipere pecuniam pro sepultura. Dico autem sepulturam, prout est officium, quod proprie ad sacerdotem pertinet. Quod autem licitum sit, videtur ex consuetudine diu obtenta in ecclesia: consuetudo autem, quæ ortum habet ex deuotione pro huiusmodi, non est abolenda: ergo licite potest accipi, vel dari.

Extrau. d Simonia Non satis. ¶ Contra, dicitur *extra. de sim.* vbi dicitur, quod pro sepultura, & chrismatis, & olei perceptione nulla cuiusque precij exactio acceptetur: nec sub obtentu cuiusq; consuetudinis suum reatum quis tueatur: quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.

Eadem de eodem. ¶ Ad quod respondetur per hoc, quod dicitur *extra. de si no.* Ex quo accipitur, quod sacerdotes non debent aliquid extorquere, vel petere ante sepulturam, vel pro sepultura: simonia enim esset: sicut habetur in *extra.* Sepulturam autem potest petere ex mandato superioris, vbi est huiusmodi consuetudo: & hoc dicitur in illa decretali. *Ad Apostolicam.* Sicut autem simonia est vendere sepulturam mortuorum: ita simonia est vendere terram benedictam ad sepeliendum mortuos debitam. Vnde vituperatur Ephron, qui vendidit Abrahæ agrum, in quo erat sepultura duplex, in qua sepeliebantur mortui: & in signum huius vituperij mutatum est eius nomen: vnde cum primo dictus esset *Ephron*, postea dictus est *Ephran.* In quo (vt dicit Hieronym.) signatur non esse perfectæ virtutis, qui potuit vendere memorias mortuorum: videtur ergo, quod peccatum simoniacum commiserit.

(Ad Apost. Extrau. cū in Ecc esia corpore. — Genes. 23. — Hierony.)

Instantiā. ¶ Sed contra, totum, quod vendidit, temporale est: non est ergo spirituale, nec annexum spirituali: ergo non commisit simoniam.

¶ Item, si commisit simoniam: ergo vendidit non vēdendum: ergo Abraam emit non emendum: ergo commisit simoniam, sicut Ephron vendendo &c.

¶ Item, videtur magis peccasse Abraam, quam Ephron: quia Ephron voluit ei gratis dare agrum ad sepeliendum mortuum suum: & Abraam accipere noluit, nisi pecunia mediante: ergo scādalizauit eum: & ita videtur magis peccasse, quam Ephron.

¶ Ad hoc dicunt quidam, quod Abraam emit quendam agrum magnum, in quo erat illa magna spelunca, in qua sepeliebantur mortui: vnde non peccauit, quia transiuit spelunca illa cum vniuersitate: sicut cum quis emit villam, cui annexum est ius patronatus alicuius ecclesiæ, nō committit simoniam: quia ius patronatus transit cum illa vniuersitate.

¶ Sed eadem ratione Ephron non peccauit: vendidit enim agrum, & cum illo transiuit spelunca: quare ergo mutatum est ei nomen? Ad hoc dicebat Præpositiuus, quod non legitur, quod ager ille consecratus fuerit speluncæ: vel etiam spelunca illa ad hoc benedicta, vel consecrata fuerat: sed antiqui patres in illa spelunca duplici faciebant se sepeliri, separantes se resurrecturos esse cum filio Dei. Et dicebatur illa spelūca duplex, quia duas habebat mansiones: vnam superiorem, in qua sepeliebantur viri: & aliam inferiorem, in qua fœminæ. Vnde cum non esset terra illa benedicta, non peccauit Abraam emendo, nec Ephron vendendo. Mutatum tamen est ei nomen, quia descendit à statu perfectionis ad statum imperfectionis: prius enim voluit dare gratis, quod est perfectorum: & postea vendidit carissime: vnde primo dicebatur Ephron, id est, confirmatus, & perfectus: postea dictus est Ephran, id est, infirmus, & imperfectus. Eadem est ratio commutationis nominis, secundum aliam solutionem, quæ dicit: quod spelunca transiuit cum vniuersitate. Sicut autem simonia est vendere terram benedictam, non propter terram, sed propter benedictionem, quæ spiritualis est: ita simonia est in quibusdam * minimis: vnde simonia est vendere panem benedictum, & aquam benedictam: spiritualis enim est, & delet multa venialia.

* Alias nū-mis.

ARTICVLVS II.

De simonia, quæ consistit circa annexum spirituali.

Secundo quæritur de simonia, quæ consistit in vendendo annexum spirituali: & primo de iure percipiendi decimas. Circa quod quæritur, vtrum licitum sit vendere ius percipiendi decimas, aut committatur simonia? Videtur, quod non committatur simonia: milites enim habent ius percipiendi particampum; & ius illud dicitur terrenū. (Est autem particampum decima, vel vndecima, vel duodecima pars gelmarum, secundum diuersas consuetudines diuersarum regionum) possunt ergo milites habere ius percipiendi decimas: ergo non est simonia, cum non ponatur ibi spirituale sub precio.

¶ Contra, ius percipiendi decimas est annexum spirituali, scilicet ordini: soli enim clerici habent ius percipiendi decimas: sicut habetur ex Concilio Lateranensi de decimis. *Prohibemus, ne Laici decimas cum animarum suarum periculo in alios laicos valeant transferre.* Sed simonia est voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel annexum spirituali: ergo simonia est vendere, vel emere ius percipiendi decimas.

Concilio Later.

¶ Item quæritur, vtrum possint vendi decimæ laicis sine simonia. Et videtur quod non: dicit enim Greg. 1. q. 3. *Si quis à modo episcopus inuentus fuerit, qui decimas atque Christianorum oblationes laicalibus personis militum, siue seruitorum huius diuini præcepti transgressor inter maximos hæreticos & antichristos non minus habeatur: & (sicut Nicæna synodus de simoniacis censuit) & qui dat episcopis, & qui recipiunt pro precio vel beneficio æternis ignibus deputentur.* Simile dicit Paschalius consequenter.

Greg. 1. q. 3 Peruenit — Paschalius

¶ Contra, fructus decimarum sunt res temporales: res autē temporales emi possunt, & vendi sine simonia: ergo non est simoniacum vendere, vel emere decimas.

¶ Deinde quæritur, vtrum laici possint percipere oblationes datas ecclesiis. Et videtur quod non, dicit enim Damasc. *Oblationes, quæ intra sanctam ecclesiam offeruntur, nullo modo sub dominio laicorum detineantur.*

Damasc.

¶ Item, oblationes, quas Christiani offerunt pro peccatis suis; ad hoc offeruntur, vt pro populo oretur: Sed non est officium laicorum, sed sacerdotum orare pro populo: ergo non est licitum ipsis laicis recipere oblationes.

¶ Præterea, in veteri Testamento prohibitum fuit filiis Israel, ne comederent panes sanctos: præterquam Aaron & filij eius; sed multo nobilius est, quod offertur in noua lege, quam quod offerebatur in veteri: ergo non est licitum laicis in nouo Testamento recipere oblationes ecclesiarum.

¶ Contra, oblationes illæ in sui substantia sunt res temporales; licitum autem est eis habere dominium rerum temporalium; ergo licitum est percipere oblationes.

¶ Item quæritur, vtrum possint dari decimæ in feudū laicis ab ecclesia. Et videtur quod sic, per hoc, quod dicitur ab Inno. *Hoc de illis intelligamus decimis, quæ laicis perpetuo sunt in feudum concessæ.*

Innocent.

¶ Præterea, hoc habet consuetudo plurium terrarū, quæ optima est legum interpres.

¶ Contra. Habetur *extra. de decimis.* vbi dicitur. *Donationem decimæ, quam Abbas cuidam laico concessit, & per successionem tenendam, quoniam sanctuarium Dei iure hæreditario possideri non debet, irritam esse censemus.*

Extrau. de decimis. Ad hoc

¶ Ad primum respondendum est, quod simoniacum est vendere vel emere ius percipiendi decimas. Dico autem ius primarium, quod solum clericis à Domino est

concessum.

Hiero. super Malac.

conceffum. Debentur etiam in fignum vniuerfalis dominij, quod ipfius Dei eft: ficut dicit Hieron. Præterea, quia decimæ funt tributa egentium animarum.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur in contrarium: quod licet milites habeant ius percipiendi perticampum, non tamen habent percipiendi decimas, inquantum decimæ ftatutæ funt, vt fint tributa egentium animarum. Poteft tamen conuenire cum his, qui tenent terras: quod dent Domino aliquam certam portionem ipforum fructuum terræ.

¶ Si vero quæratur, vtrum poffit tranfire ius percipiendi cum venditione alicuius villæ, in qua percipiuntur decimæ: ficut tranfit ius patronatus partis terræ: Refpondetur, quod non eft fimile: ius enim percipiendi decimas non eft annexum villæ, vel alicui parti terræ: fed eft annexum ordini clericali: vnde ficut ordo vendi non poteft, ita nec ius percipiendi decimas ex confequenti.

¶ Ad illud vero, quod quæritur de ipfis decimis. Dicendum quod ipfi fructus poffunt vendi, vel emi, vel etiam dari laicis ex caufa: fed ius decimale nequaquam. Illud autem, quod dicit Greg. de iure decimali intelligitur, non de ipfis fructibus: fructus enim poffunt concedi ex caufa ipfis militibus ab ecclefia autoritate prælati, propter defenfionem ecclefiæ in fauorem Chriftianitatis: ficut concedebantur militibus quibufdam in regno Arragoniæ, vt decimas omnium locorum, quæ poffent perquirere expellendo paganos, perciperent. Sed fi hoc eft, non percipiunt eas perpetuo de iure communi: fed ex priuilegio & ex conceffione ecclefiæ, quandiu extat caufa: fi enim ecclefia poftea enormiter grauaretur vel non iuuarent ecclefiam, fed impugnarent, vel priuilegio abuterentur; non perciperent licite ipfas decimas.

¶ Ad illud vero, quod quæritur de oblationibus. Dicendum eft, quod nec habent laici ius percipiendi oblationes ecclefiæ, nec eorum eft percipere illas, quæ fiunt in altari: poffunt tamen eis ex caufa dari, vel ad reparationem ecclefiæ, vel aliquem vfum honeftum: ita tamen quod nullum ius vendicetur.

¶ Ad vltimum vero dicendum eft, fecundum quod dicitur in Decretali. decimæ non poffunt tranfire in feudum laicale: non enim ius proprietatis conceffum eft ipfis laicis ab ecclefia: fed ius quoddam percipiendi fructus ad tempus ad tuitionem ecclefiæ, non autem nomine hæreditatis. Quod autem in aliquibus partibus tranfeunt ad hæredes, vbi non extat caufa, ex permiffione ecclefiæ eft propter multitudinem delinquentium; non quod ex hoc eis ius detur.

¶ Quod autem obijcitur illud de Decretali, quod decimæ erant conceffæ laicis in feudum: intelligendum eft ante concilium. Et hoc datū fuit ab ecclefia propter ecclefiæ neceffitatem ad tempus: vt filij tempore neceffitatis perciperent fructus decimarum, ficut & patres: hoc autem ius non fuit mere fpirituale: fi enim effet mere fpirituale, non poffet concedi laico manenti huiufmodi.

¶ Deinde quæritur, vtrum licitum fit redimere decimas laicis: Cum redimere fit emere, non autem licitum eft emere: ergo nec redimere. Dicitur enim in iure: ficut emi non potuit, fic nec redimi ecclefia memorata.

¶ Præterea, non poffunt permutari cum re temporali: ergo per confequens nec redimi.

¶ Præterea, videntur iniufte poffidere laici, fecundū quod dicit Greg. *Decimas, quas in vfu pietatis conceffas canonica auctoritas demonftrat, à laicis poffideri prohibemus: fi vero non reddiderint ecclefiæ, fciant fe facrilegij crimen committere.* Nō ergo poffunt vendere: ergo non licet emere ab eis.

Gregor.

¶ Ad quod refpondetur: quod poffunt redimi: dummodo fiat auctoritate epifcopi, ad cuius difpofitionem fpectāt decimæ: multum autem valet auctoritas iudicis in talibus, ficut habetur *extra. de præben. Nifi: & extra. de rerum permutatione. Quæfitum.* Poffunt etiam recipi in pignore, dummodo non pertineant ad alias ecclefias: tunc enim eft prohibitū, ficut habetur *extra. de decimis: Interdicimus.*

¶ Ad obiectum autem dicendum, quod licet non fit licitum fimpliciter emere vel vendere: licitum eft tamen redimere propter ius, quod habet ipfa ecclefia: & illud, quod redimitur, non eft nifi propter impedimentum iuris tollendum.

¶ Ad fecundum vero dicendum: quod licet permutatio non currat inter annexum fpirituali ex vna parte, & temporale purum, ex alia parte: ficut habetur *extra. de rerum permuta.* Ad quæftiones: nihilominus tamen poteft fieri redemptio. Nec currit illa redemptio inter pure fpirituale & temporale ex alia parte: pure enim fpirituale non poterat à laico poffideri aliquo modo. Sed inter temporale, quod obtinere poterat laicus, & temporale: vnde temporale redimitur temporali in tali cafu.

¶ Ad tertium vero refpondetur, quod licet poft conftitutionem concilij non poffint laici contra voluntatem ecclefiæ iufte percipere fructus decimarum: & hoc primitiuo iuri ecclefiæ confonat, ficut habetur à Greg. tamen qui redimunt, poffunt iufte redimere. Hoc autem eft, quia aliquo tempore ex conceffione ecclefiæ propter caufam neceffariam, interueniente auctoritate fuperioris, poterant laici ad tempus fructus decimarum percipere: & illud cadit in contractu.

¶ Deinde quæritur fi licitum eft epifcopo emere decimas ab aliqua vicina ecclefia. Et videtur q̄ fic: poteft enim recipere decimas ab aliquo milite detinente eas; cū tamen ille non habeat ius merum poffidendi eas: multo fortius à vicina ecclefia, cuius illæ funt decimæ.

¶ Contra, dicit Pafchalis. *Decimas per pecuniam dare fimoniacam herefim effe nullus fidelium ignorat.* Pafchalis.

¶ Ad hoc refpondetur: quod nō eft fimile: in illis enim decimis, quas detinet laicus, ius habet epifcopus: & ideo licet redimere. In aliis vero, quæ funt extra fuam diœcefim, non habet ius: & ideo non eft licitum emere: non enim emptio vel venditio currit in his, quæ funt mere fpiritualia, vel annexa fpiritualibus.

¶ Deinde quæritur, vtrum epifcopus, qui dat præbendam alicui confanguineo tantum caufa confanguinitatis, committat fimoniam. Et videtur quod non: quia recipit aliquod temporale in precium, conferendo fpirituale.

¶ Contra, fi aliquis daret præbendas nepotibus, vt ipfe epifcopus haberet fructus illarum præbendarum, fimonia effet. Similiter fi epifcopus daret præbendam alicui, vt pater epifcopi, vel aliquis alius laicus haberet fructus illius præbendæ, committeret fimoniam: pari ratione fi epifcopus conferat confanguineo præbendam intuitu confanguinitatis, vt ipfe percipiat fructus.

¶ Item, fimonia contrahitur per amorem pecuniæ: pari ergo ratione contrahetur per amorem carnis.

¶ Item, Beda. *Venditores columbarum funt, qui gradum vel gratiam in ecclefia fpiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non fimplici intentione, fed cuiuslibet humanæ caufa retributionis exercent.* Sed illi, qui conferunt præbendas intuitu confanguinitatis, non faciunt intentione fimplici, nec intuitu Dei, fed refpectu alicuius temporalis retributionis: ergo committunt fimoniam. Beda.

¶ Item, dicit Gregor. *grauius eft peccatum, cum epifcopus confert decimas confanguineis:* & determinat effe peccatum fimoniæ: ergo eadem ratione fi conferantur præbendæ cōfanguineis, erit fimoniacum. Gregor.

¶ Ad quod refpondet Cantor Parifienfis, quod erat fimoniacum: & præter triplex munus cordis, linguæ, & manus, ponebat munus fanguinis: eo quod tantum reprehenditur in fcriptura ædificatio ecclefiæ in fanguinibus. Videtur tamen aliter dicendum: quod licet fit graue peccatum, non tamen eft fimoniacum; & licet detur annexum fpirituali pro re temporali tanquam pro fine vel motiuo, non tamen tanquam pro precio: & ita non eft fimonia. Si vero opponatur quod non gratis dat, quia non tantum propter Deum. Dicendū eft, quod gratis dat quo ad hoc; quod pro nullo precio dat.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur primo. Dicendum eft, quod non eft fimile. In vna enim parte fieret collatio præbendæ intuitu precij; in propofito vero non fit intuitu precij, quod ipfe recipiat. Cum enim confertur confanguineo præbenda, vt ipfe confanguineus percipiat fructus; in hoc non eft inordinatio, quod confanguineus per-

cipit fru-

cipit fructus post collationem: de iure enim spectat ad ipsum.

¶ Ad secundum vero respondendum, quod licet simoniacum sit conferre præbendam amore pecuniæ, non tamen amore carnis: cum enim sit amore pecuniæ, intentio est, quod aliquid transeat ad ipsum transferentem aliquo modo ab eo, cui confertur: non sic autem est, cum sit amore carnis, imo vt totum stet in eo, cui confertur.

¶ Ad tertium dicendum: quod illud, quod dicit Beda, intelligitur, vbi est retributio humana, vel expectatur propter gratiam scientiæ, vel doni alicuius: in talibus enim debet esse simplex intentio, nec quæratur muneris retributio.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud, quod dicit Greg. intelligitur, vbi dantur decimæ consanguineis laicis: tunc enim dicitur esse grauius: difficilius enim auellitur, & propter pronitatem maiorem patitur ecclesia læsionem.

¶ Deinde quæritur, vtrum iuspatronatus possit vendi. Et videtur quod sic: est ius, quod pertinet ad laicos: ius autem pertinens ad laicos, omnino non videtur esse spirituale, nec annexum spirituali: cum nihil sit in laico præcedens, quod sit spirituale, cui annectatur: ergo licitum est vendere vel emere ius patronatus, quod ad laicos pertinet; secũdum quod diffinitur iuspatronatus, potestas præsentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum.

Extrau. de iure patronatus. De iure

¶ Contra, *extra. de iure patr.* vbi dicitur, quod inconueniens est vendere iuspatronatus, quod est spirituali annexum.

¶ Ad quod respondendum: quod iuspatronatus per se vendi non potest.

¶ Ad obiectum autem in contrarium respondendum, quod annexum spirituali dicitur duabus de causis. Vel spirituali, sc. quod præcedit, sicut est de iure percipiendi decimas: hoc enim est annexum ordini clericali, qui est res spiritualis, & naturaliter præcedit ius percipiendi. Vel potest dici annexum spirituali à parte post: sicut est de iure præsentãdi: annectitur enim spirituali, & ratione eius, ad quod præsentatur: licet enim non sit annexum spirituali eo modo, quo ius percipiendi decimas; est tamen annexum secũdum alterum modum: & ideo per se vendi non potest.

¶ Deinde quæritur, vtrum possit vendi cum vniuersitate. Et videtur quod non: sicut enim cum vniuersitate venditur, vniuersum venditur: ergo quælibet pars illius vniuersi: sed patronatus est pars illius vniuersi: ergo iuspatronatus potest vendi: si ergo iuspatronatus per se vendi non potest: non potest vendi in vniuerso.

¶ Item, non licet vendi præbendam, & villam simul: ergo nec iuspatronatus & villam simul.

¶ Item, iuspatronatus est impreciabile secundum se: & multomagis impreciabile in vniuerso: sicut ergo vendi nõ potest secundum se, sic non debet vendi in vniuerso.

Extrau de sen. & re iudi. Cum Bertoldus

¶ Contra, *extra. de sen. & re iudi.* vbi dicitur, quod iuspatronatus cum vniuersitate transit: & *extra de iure patronatus. Ex literis.* vbi dicitur, quod villa non excepto iurepatronatus ad firmam potest concedi: & ex hoc habet iuspatronatus.

¶ Præterea, potest concedi in feudum, sicut habetur ibidem. *Cum seculum.* & si potest concedi in feudum, pari ratione poterit vendi facta venditione villæ; vel ratione eius, per quod acquiritur iuspatronatus.

¶ Ad quod respondetur: quod non venditur; quod non venditur iuspatronatus tanquam pars vniuersi, nec per se: ergo nec cum alio vendi potest: sed transit cum vniuersitate, sicut habetur ex supradictis. Et si villa, in qua est iuspatronatus, propter hoc carius ematur, dicitur esse simonia; tunc enim vẽditio aliquo modo attingeret iuspatronatus.

¶ Ad illud vero, quod quæritur, vtrum possit concedi in feudum. Dicendum est, quod transit cum vniuersitate, nisi excipiatur: & ita acquiritur iuspatronatus ratione feudorum emptorum, vel alio modo acquisitorum. Per se autem dari in feudum non potest, sicut habetur in *eodem de iure patronatus.*

ARTICVLVS III.

De simonia, quæ consistit circa spirituale, & annexum spirituali.

Tertio quæritur de his, quæ sunt spiritualia & nexa spiritualibus. Et primo quæritur, vtrum licitũ sit prædicare pro pecunia? Et videtur quod sic: sicut enim habetur 2. Cor. 9. Paulus prædicabat pro temporalibus, vt fieret collectæ sanctis pauperibus, qui erant in Hierusalem: & simile habetur 1. Cor. vlt. 2. Cor. 9

¶ Contra, prædicare est res spiritualis: spirituale autem non est ponendum sub precio temporali: ergo non est licitum prædicare pro precio temporali: ergo in huiusmodi committitur simonia.

¶ Item Beda. *Qui gratiam in ecclesia spiritualem, quam Domino largiẽte, perceperunt, non simplici intentione, sed causa humanæ retributionis exercent; domum Domini faciunt domum negotiationis.* Tales ergo simoniam committunt. Beda.

¶ Ad quod respondetur: quod non est licitum prædicare pro temporalibus, vt notetur precium suæ prædicationis: sed licitum est prædicare secundaria intentione, vt audientes moueãtur ad opera pietatis, & sic subueniant aliis: principalis enim intentio est, vt propter Deum fiat prædicatio.

¶ Quod Apostolus prædicauerit pro collectis faciendis, hoc fuit secundario: non quod ibi constitueretur finis principalis: nec quod hoc esset precium suæ prædicationis.

¶ Deinde quæritur, vtrum magistri liberalium artium possint vendere suam scientiam. Et videtur, quod sic: spirituale enim est, quo habetur SpiritusS. vel haberi signatur; vel datur: per has scientias nec habetur, nec haberi signatur, nec datur: ergo huiusmodi scientiæ non sunt spiritualia, nec annexa spiritualibus: ergo possunt vendi.

¶ Item dicitur. *Veritatem eme.* Sed quod libere põt emi, potest etiam vendi: ergo huiusmodi scientiæ veritatis possunt emi, & vendi. Prouer 23.

¶ Contra, scientia est donum Dei: quod patet per hoc, quod dicitur super illud. *Posuit Deus in corde suo,* &c. ibi dicitur, quod scientia est donum Dei: sicut habetur in Interlin. sed donum Dei non est licitum vendere (de illis enim dicitur illud. *Gratis accepistis, gratis date*) ergo nõ est licitum vendere scientiam. Exod. 31. Matt 10.

¶ Præterea, dicitur. *Noli vendere sapientiam, doctrinam, & intelligentiam.* Ergo ex ipso textu Prouerb. habetur, quod huiusmodi non cadunt sub venditione. Prouer. 23.

¶ Præterea, dicit lex: quod ciuilis iuris scientia nõ est precio nummario comparanda: multofortius nec rationalis scientia.

¶ Ad quod dicendum: quod simonia est vendere scientiam. Tamen magistri artium pro labore suo possunt pecuniam accipere: scientiam vero gratis debent dare, aliter cõmitterent simoniam.

¶ Ad primum vero, quod obiicitur. Dicendum, quod SpiritusS. habetur sub duobus modis. Vt lux illuminans intellectum: & sic habetur in quacunque scientia. Aut vt calor inflammans affectum: & sic habetur per virtutes, & sacramenta ecclesiæ.

¶ Ad aliud dicendum, quod illa authoritas intelligitur de emptione spirituali: non enim cognitio virtutis emenda est pecunia: sed eo modo, quo docetur Prouer. 4. *Principium sapientiæ posside.* Quasi dicat; si vis habere sapientiam, accipit illam; quia ipsa se offert quærenti; si enim quæsieris, iam quasi pecuniam, aut thesaurum inuenies eam. De ista emptione Prouer. 17. *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit.* Prouer. 4 Prouer. 17.

¶ Deinde quæritur, vtrum licitum sit accipere aliquid pro testimonio ferendo, vel simonia committatur. Et videtur, quod non committatur simonia per simile; licet enim iurisconsulto vendere iectum consiliũ, sicut dicit August. pari ergo ratione potest ipse testis vendere testimonium; hoc est aliquid accipere pro testimonio ferendo. August ad Macedon.

¶ Contra, Testimonium debitum est; dicit autem Grego. quod ementes in templo sunt, qui dum hoc, quod iustum est, soluere proximo nolunt; dumq; rem debitam facere contemnunt, dato precio emitur peccatum. Pari ergo ratio- Gregor.

go ratione, & vendentes sunt, qui accipiunt precium pro eo, ad quod tenentur: & ita pro testimonio veritatis.

¶ Praeterea, iudicium iustum gratis debet reddi: vnde simonia committitur; si pecunia pro iusto iudicio accipiatur: vnde Greg. *Fraudem Deo perpetrat, qui iustitiam, quam gratis impartire debuit, acceptione pecuniae vendidit.* Pari ergo ratione potest dici de testimonio.

Idem.

¶ Ad quod respondetur, quod in causis ecclesiasticis, & à personis ecclesiasticis committitur simonia, si vendatur verum testimonium: sicut & si vendatur iustum iudicium: in aliis vero grauiter peccatur. Vnde Aug. *Non omnino debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis testimonium verum: quia aduocatus vendit iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium.*

Auguft. ad Macedon.

¶ Ad obiectum autem dicendum: quod non est simile de vero testimonio, & vero consilio: verum enim testimonium est de ipsa substantia causae terminandae: consilium autem est quoddam exterius adminiculans, sicut est & patrocinium: vnde testes compelluntur ad prohibendum testimonium veritati: consiliarij vero non compelluntur ad dandum consilium in causis. Sed adhuc distinguunt quidam, quod in omnibus his, si scientia vendatur, simoniacũ est: & maior, & minor, secundum differentias scientiarum. Pro labore autem potest aduocatus, vel cõsiliarius aliquid accipere, cum non teneatur: iudex autem, & testis non possunt accipere pro labore in iudicando, vel testificãdo, cum ad illa teneantur.

MEMBRVM V.

Quae poena simoniae debeatur.

QVINTO quaeritur de poena simoniae. Circa quod notatur, quod aut simonia est in ordine, aut in beneficio. Si in ordine, non recipit executionem: sed est ipso iure suspensus quo ad se, & quo ad alios: punitur etiam depositione, si de crimine iudici suo per inquisitionem aliquo modo constiterit. Si vero est simoniacus, quia contulit ordinẽ simoniace; vel quia dedit, vel recepit beneficium simoniace, vel quia fuit mediator simoniae: si est occultum, suspensus est ipso iure, quo ad se tantum: sicut habetur extra de simonia. Accusatum. Praeterea, qui recepit beneficium simoniace, tenetur renunciare beneficio, & restituere omnes fructus perceptos: sicut habetur ab August. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur; poenitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non dimittetur peccatum, nisi restituatur ipsum ablatum.

Auguft. ad Macedon.

MEMBRVM VI.

De quibusdam casibus, in quibus dubitatur, vtrum sit simonia.

SEXTO quaeritur de quibusdam casibus, in quibus dubitatur, vtrum sit simonia. Potest autem quaeri, vtrum simoniacum sit occultare peccatum alterius, cum ad eius officium pertineat reuelare: & hoc fiat interuẽtu pecuniae. Et videtur, quod non, per rationem simoniae: quid enim est spirituale, quod hic venditur: ipsa enim occultatio peccati est, quae fit per pecuniam: & non est spiritualis res, sed contrarium spirituali: non ergo videtur habere volũtatem studiosam vendendi aliquod spirituale. Contra, *extra. de simon.* vbi dicitur, quod non tantum interuentu pecuniae, siue lucri temporalis; sed etiam pro respectu personae, & cõsanguinitatis, & familiaritatis occultare publicum peccatum ipsius subditi ipsi episcopo, vel praelato, est simoniacum.

Extrau. de Simon. *Nemo presbyterorum.*

¶ Qvod concedendum est. Vnde si presbyteri detrectant innotescere episcopo subditum publice peccantem incorrigibilem, ex causis supradictis, simonia committitur. Si vero quaeratur, quid est illud spirituale, quod ponitur sub pretio? Dicendũ est, quod reuelatio peccati, ad quam tenebatur ex officio: occultatio autem, qua perpetratur, non est illud, quod venditur: sed ipsa reuelatio, quae committitur.

¶ Deinde quaeritur, si aliquis laico nullum ius habenti in electione, sed malitiose impedienti, det pecuniam, vel aliquid aliud, vt cesset à tali impedimento, vtrum sit simonia? Et videtur, quod sic, per hoc, quod dicitur *extra. de simonia.* De hoc autem: vbi dicitur, *quod Regem, & Principes debes inducere, vt si qua receperunt à praelato episcopo; vt eius electioni praestarent assensum ecclesiae Oxoniensi, sine diminutione restituant: cum sine graui salutis suae periculo retinere non possint.*

Quaestio.

Eadem.

¶ Sed contrarium vř: dedit enim vt redimeret vexationem suam: licitum autem est redimere vexationem suam: ergo licitum fuit dare pecuniam, vt cessaret à tali impedimento.

¶ Ad quod respondetur per quandam distinctionem. Aut hoc est, postquam ius fuerit ei acquisitum: & in illo casu videtur esse licitum redimere vexationem suam: ille tamen peccat accipiendo. Aut hoc fuit antequam esset ius acquisitum: & tunc non fuit ei licitum dare.

¶ Deinde quaeritur, vtrum Episcopi, vel alij praelati, qui fructus ecclesiarum vacantium percipiunt; & postea conferunt, retenta sibi parte prouentuum, simoniam committunt.

Quaestio.

¶ Ad quod intelligendum distinctio talis adhibetur: aut ille, qui dat beneficium ecclesiasticũ, percepit prouentum ipsius ante donationem, aut non. Si non percepit, sed ex donatione consequitur, vt percipiat; simoniacum reputatur. Si vero ante donationem percepit prouentus; aut ante donationem constituit, vt pro iusta causa, & necessaria ad tempus retineantur: aut conuenit cum accipiente beneficium, vel cum mediatore, vt perciperet prouentus facta donatione. Si primo modo, potuit esse licitum: si secundo modo, reputatur simoniacum: sicut habetur extra; vt ecclesiastica beneficia. Vt nostrum: vbi de hoc plene determinatur.

¶ Deinde quaeritur de illo, qui offert bona suae ecclesiae simpliciter; ea tamen intentione principaliter, vt per bona temporalia, quae offert, spiritualia valeat adipisci; & monasterium non aliter admitteret illum, nisi commoda temporalia reciperet; vtrum sit simonia:

Quaestio.

¶ Ad quod responderi potest, quod si ecclesia, vel monasterium abundat * sola intentio facit hominem simoniacum: siue voluntas studiosa reputatur esse * simoniaca. Si vero monasterium fuerit paupertate depressum, & non sit principalis intentio ad ipsa temporalia, sed secundaria; non creditur esse simonia: & si principaliter ferretur intentio, pro simonia reputatur.

MEMBRVM VII.

Cui restituenda sit pecunia, simoniace adepta?

SEPTIMO quaeritur de satisfactione, quae est in restitutione. Et quaeritur, cui restituenda est pecunia simoniace adepta. Non enim videtur restitui ei, qui dedit, cum particeps fuerit delicti.

¶ Ad idem facit, quod dicitur *extra. de simo. De hoc autem.*

¶ Contra, non fit restitutio conueniens, nisi ei, qui dedit.

¶ Praeterea, dicitur *extra. de simo. Veniens, quod Abbas, & monachi compellantur ad restituendam pecuniam acceptam indigne, ipsi presbytero, qui dedit.*

Extrau. de Simonia.

¶ Ad hoc respondetur per distinctionem: quod si ab aliquo beneficiato in ecclesia recepta fuerit pecunia, ecclesiae illi restitui debet, in cuius iniuriam data fuerit. Si vero aliquis dederit pecuniã, vt reciperetur in aliquo monasterio; & transferatur illa persona de illo monasterio ad aliud, debet illa pecunia restitui illi monasterio, ad quod transfertur: vt sicut habet onus, ita habeat & emolumentum.

QVAEST. CLXXI.

De Sacrilegio, prout est species furti.

In quatuor Membra diuisa.

DICTO de simonia, consequenter dicendum est de Sacrilegio, quod similiter fit in iniuriam diuinae bonitatis. Et primo quaeritur, quid sit sacrilegium. Secundo, quae differentiae sacrilegij. Tertio, quando committitur sacrilegium. Quarto, de poena sacrilegij.

D. Tho. 2. 2 q 99. S. Bõ. in 3. d. 37. dub. 7.

MEMBRVM I.

Quid sit sacrilegium.

¶ Ad primum. Et diffinitur sic sacrilegium. *Sacrilegium*

Quaestio.

est sacra rei violatio, vel eiusdem vsurpatio. Et dicitur sacrilegium quasi sacrilædium, eo quod lædit sacrum.

Hierony. ¶ Sed videtur, quod hæc diffinitio non conueniat omni sacrilegio: dicit enim Hieron. *Qui bonis parentum, & operibus sustentari possunt: si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt. & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.* Sed tale peccatum non est sacræ rei violatio, nec eiusdem vsurpatio: ergo illa ratio non conuenit omni sacrilegio: vsurpare autem non videtur, cum hoc sit authoritate prælati, qui ei contulit.

Canon. 17.q.4. cõstituit. ¶ Præterea, dicitur esse sacrilegium, cum Iudæis publica officia committuntur, sicut habetur in Cano. non tamen ibi est violatio rei sacræ, vel vsurpatio.

Innocent. ¶ Præterea; sicut dicit Innoc. *committunt sacrilegium, qui contra diuinæ legis sanctitatem, aut nesciendo committunt, aut negligendo violant, & offendunt*: ergo illa ratio non est communis omni sacrilegio.

Paschalis Papa. ¶ Præterea, dicit Paschalis. *Illi sacrilegi iudicandi sunt, qui violentia, vel fauore non permittunt ecclesias regulariter ordinari.* Pluribus ergo modis committitur sacrilegium: & ita ratio illa non est communis.

RESOLVTIO.

Sacrilegium est sacræ rei violatio, vel vsurpatio.

¶ Ad quod respondendum: quod sacrilegium accipitur aliquando proprie: & hoc modo supra diffinitum est: aliquando communiter, & sic accipiebatur in his, quæ supra obiiciuntur.

¶ Cvm enim dicitur, quod illi, *qui accipiunt, quod pauperum est, sacrilegium committunt*, vbi alias sufficienter habent: hoc est, cum male dispensant, & in malos vsus conuertunt; nec seruiunt ecclesiæ, à qua accipiunt: nemo enim cogitur propriis stipendiis militare: & hoc specialiter attenditur de illa parte, quæ ad subuentionem pauperum est ordinata: tunc enim vsurpat ipse rem ecclesiæ dicatam: & hoc modo dicitur committere sacrilegium.

17.q.4. Constituit. ¶ Ad aliud vero dicendum: quod ille dicitur sacrilegiũ committere, qui Iudæis publica officia committit propter hoc, quia consimilis pœna confertur in illum, sicut in sacrilegium: sicut habetur 17.q.4. *Constituit.*

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: quod illi committunt sacrilegium, qui contra diuinæ legis sanctitatem, aut nesciendo, aut negligendo faciunt. Respõdendum est, quod ibi accipitur sacrilegium communiter, non proprie. vno enim modo dicitur sacrilegium cuiuslibet rei diuinæ iniuriosus: & sic potest dici hic esse sacrilegium.

MEMBRVM II.

Quæ sint differentiæ sacrilegij?

Secvndo quæritur, quæ sint differentię sacrilegii. Committitur autem sacrilegium quandoq; ratione personæ: quandoq; ratione loci: quandoque ratione rei. Ratione personæ, cum quis verberat clericum, vel personam religiosam: sicut habetur in *Cano.* Ratione loci, vt quando vel ecclesię, vel cęmiterii immunitas violatur: sicut habetur ab August. Noui, qua religione semper sis veneratus ecclesiã: quo instigante facinore, hominem de ecclesia rapuisti. Ratione rei, cum res consecrata vel sacro vsui deputata vsurpatur: sicut dicit Greg. *Sacrilegium est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur: praua voluntatis studio tentauerit suis compendiis retinere.* Et secundum hunc modum diuiditur sacrilegium, quotiens quis sacrũ violat, vel auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro.

Cano. *Si quis suadẽte diabolo.* August. ad Bonifaciũ. Gregor.

¶ Sed obiicitur quantum ad istam differentiam sacrilegij: videtur enim quod contineatur sub rapina: qui enim pecuniam, vel res pecuniæ aufert: pecuniam aufert, vel rem aliquam: sicut ergo quod rapitur, se habet ad id, quod rapitur, tanquam inferius ad superius: sic sacrilegium se habebit ad rapinam: erit ergo sacrilegium species rapinæ.

Anacletus. ¶ Contra, differunt in genere peccatum in Deum, & peccatum in proximum: sed rapina est peccatum in proximum, sicut dicit Anacletus *Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur.* Iniquitas autem est peccatum in proximum, sacrilegium vero sub peccato in Deum continetur: ergo sacrilegium non est rapina.

RESOLVTIO.

Tres, scilicet ratione personæ, ratione loci, & ratione rei.

¶ Ad quod respondetur: quod secundum quod rapina proprie sumitur, non est sacrilegium rapina. Secundum autem quod communiter accipitur rapina, sacrilegium addit circunstantiam, per quam trahitur extra genus illud.

Qværitvr etiam secundum hoc, vtrum sacrilegium sit furtum? Et videtur quod sic: dicit enim August. *Peculatus dicitur furtum de re publica: & non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ. quando vehementius iudicandus est fur sacrilegus, cum non vndecunq; tollat, sed de ecclesia: qui autem de ecclesia furatur, Iudæ traditori comparatur.* Aug. super Ioan.

¶ Item, *si quis clericus ecclesiæ furtum fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Ex quo accipitur quod sacrilegium est furtum.

¶ Contra, differens est pœna sacrilegij, & furti: ergo differens est culpa: si enim furtum & peculatus ab inuicem distinguuntur: multo fortius sacrilegium & furtum ab inuicem distinguuntur.

¶ Ad quod respondetur, quod sacrilegium, cum latenter accipitur sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, &c. inuito Domino, furtum potest dici ratione contrectationis rei alienæ: ratione vero eius, quod dicitur sacrum, sacrilegium perpetratur. Et licet diuersa pœna statuatur sacrilegij & furti nihilominus potest vnum sub altero contineri: ratione enim conditionis aggrauantis alia pœna statuitur. Si vero furtum acciperetur occulta contrectatio rei alienæ inuito Domino: & intelligeretur de rebus pertinentibus ad proximum, non ad Deum: tunc differret furtum à sacrilegio: quemadmodum furtum specialiter dictum differt à peculatu. Peculatus enim est, cum committitur in rem magnæ ciuitatis: furtum autem dicitur de rebus priuatis. Quod autem sit sacrilegium, cum fit fraus ipsi ecclesiæ de facultatibus ecclesiasticis, patet per hoc, quod dicitur extra de peculio clericorum. vbi dicitur. Sicut nec suo, ita nec alieno nomine fraudem presbyter de facultatibus ecclesiæ facere debet: quoniam hoc est sacrilegium, & par crimini Iudæ, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur.

¶ Deinde quæritur vtrum huiusmodi fraus, quando scilicet retinentur bona ecclesiæ illicite, reputetur homicidium. Et videtur quod sic: bona ecclesiæ sunt bona pauperum: dicitur autem. *Panis egentium vita eorum, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Ergo huiusmodi detentio illicita pro homicidio reputatur. Eccl.34.


¶ Præterea, dicitur in Canon. *Clerici, vel seculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, percipere persisterint; aut id, quod ipsi donauerint, crediderint auferendum: velut necatores pauperum, quousque reddiderint, ab ecclesiis excludantur.* Ergo huiusmodi peccatum pro homicidio reputatur. Canon.

¶ Contra; homicidium prohibetur in præcepto secundæ tabulæ: huiusmodi autem peccatum, cum sit in iniuriam Dei, ad præceptum primæ tabulæ pertinet: ergo differt hoc peccatum ab homicidio.

¶ Ad quod respondetur, quod huiusmodi peccatũ non est homicidium.

¶ Ad obiectum autem in contrarium dicendum: quod illa autoritas Ecclesiastici 34. sic intelligitur: vt talis defraudatio non sit homicidium per essentiam: sed sit quædam dispositio ad homicidium, large sumptum: qui enim subtrahit indigenti, quod est ad necessitatem victus, cum possit subuenire, & teneatur, disponit ad homicidium, subtrahendo illud, sine quo vita non potest conseruari.

¶ Ad secundum vero dicendum: quod illud, quod dicitur in Canon. in aggrauationem ipsius peccati dicitur: non quod illud peccatum essentialiter sit homicidium.



MEMBRVM III.

Quando sacrilegium committatur.

TERTIO quæritur, quando committitur sacrilegium. Et quæritur, vtrum quando aliquis abstrahitur ab ecclesia, qui confugit ad ecclesiam, committatur sacrilegiũ. Et videtur quod sic, per hoc quod dicit Aug. in auctoritate supradicta. Similiter dicit Gelasius. *Nec potestatibus, nec principibus nunquam licuit perpetrare, vt hominem in sanctuariis constitutum captata sacerdotis absentia, reluctantem reclamantemque violenter abstraheret.* Ex quo derelinquitur, quod est sacrilegiũ.

August. ad Bonifaciũ. Gelasius.

¶ CONTRA, indignum est eis ab ecclesia subueniri, per quos scandalum constat in ecclesia generari. Si ergo per aliquos in ecclesia scandalum generatur, non eis per ecclesiam debet subueniri. Sed potest esse, quod ille qui confugit ad ecclesiam, scandalum fecit in ecclesia; vt pote commisit homicidium: ergo non est subueniendum ei: frustra enim legis auxilium inuocat, qui committit in legem: ergo frustra auxilium ecclesiæ inuocat, qui committit in ecclesiam. Ergo talis si abstrahitur ab ecclesia, non committitur sacrilegium: cum ecclesia eum non debeat tueri.

Exod. 21.

¶ ITEM, dicitur. *Si quis de industria occiderit proximum suum per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Ergo talem ecclesia non tuebatur: pari ratione neque nunc defendi debet: ergo non committitur sacrilegium circa talem personam.

¶ AD quod respondetur: quod fit sacrilegium, & contra immunitatem ecclesiæ, si extrahatur aliquis per vim, cum confugit ad subsidium ecclesiæ in periculo: nisi hoc fuerit in certis personis, & certis casibus. Quorũ vnus est, si fuerit publicus latro, vel nocturnus populator agrorum: talis enim extrahi potest ab ecclesia, sicut habetur extra. Inter alia. Alius casus est, si fecerit homicidium in ecclesia: sicut *extra. eo. Immunitatem*: & non tantum intelligitur de homicidio, sed de mutilatione membrorum, sicut ibidem exprimitur. Præterea, seruus si confugerit ad ecclesiam, non est extrahendus: nisi Dominus præstiterit iuramentum de impunitate: sed hoc facto, compellendus est ad seruitium Domini sui redire: vel inuitus à Domino suo poterit occupari.

¶ AD obiectum autem in contrarium dicendum est, quod illud, quod dicitur in Exod. in veteri lege præcipiebatur, quæ erat lex seueritatis, ad coertionem malignitatis humanæ. In noua autem lege, quæ est lex principaliter benignitatis; non ita generaliter intelligitur: sed cum perpetratur homicidium.

¶ ILLVD vero, quod obiiciebatur: quod indignum est, &c. non intelligitur de quocunque scandalo: sed de homicidio, vel de mutilatione: sicut in Decretali determinatur. Quod autem dicitur frustra auxilium ecclesiæ inuocat &c. hoc intelligitur in casu determinato.

Quæstio.

¶ QVÆRITVR, si vir cognoscat vxorem suam in ecclesia; vtrum committatur sacrilegium: quia munditia debet custodiri in mundo sacro. Et videtur quod sic, per ratione sacrilegij: est enim *violatio rei sacræ.*

¶ AD quod respondetur per hoc, quod dicitur *de Conse. dist. 1. Ecclesiis*: vbi intelligitur de pollutione facta per adulterium: tunc enim intelligitur maxime fieri sacrilegium. Si enim fuerit alia pollutio in ecclesia voluntarie, minus est peccatum: & hoc indicat differens modus sanctificationis: sicut habetur *extra. de cõsecratione ecclesiæ. In nouella constitutione.*

Quæstio.

¶ DEINDE quæritur, si imminente persecutione hostili possent seculares cum familiis suis & pecoribus recipi in ecclesiis & cæmiteriis, & ibi comedere & bibere & dormire: ita quod nõ committatur sacrilegium. Et videtur quod non, quia fit ibi violatio rei sacræ, & quædam maculatio. Dicitur enim super illud. *Habebit locum extra castra.* Corporalem munditiam diligit Deus: & ideo præcepit nihil fœdum remanere in castris. Si igitur in castris populi Israelitici voluit Dominus munditiam corporalem seruari: multomagis in castris ecclesiæ voluit Dominus munditiam custodiri.

Deut. 23.

Dist. 42.

¶ PRÆTEREA, dist. 42. circa finem dicitur: quod non oportet in basilicis seu ecclesiis *agapen* facere, & intus manducare, vel accubitus sternere.

Ἀγάπην. amorẽ vel charitatem.

¶ PRÆTEREA, si detestabile est, quod vestimenta, siue vasa ministerij sint immunda; eo quod Dominus etiam munditiam corporalem diligit: consimili ratione erit detestabile, si sit immunditia in cibis, & potibus, vel suppellectilibus.

¶ AD quod respondetur per hoc, quod dicitur vbi dicitur. *Prohibemus firmiter, ne supellectilia huiusmodi in ecclesia admittantur: nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, aut alias necessitates, ad eas oportet habere refugium: sic vt necessitate cessante, res ad loca pristina reportentur.* Sic etiam est de aliis rebus, quæ reponuntur in aliis cæmiteriis benedictis: & dicitur *dist. 42. Nulli episcopi, vel clerici in ecclesia conuiuentur: nisi forte trãseuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur: populi etiam ab huiusmodi conuiuiis, quantum potest fieri, prohibeantur.* Respondetur ergo, quod vbi est huiusmodi necessitas, non est sacrilegium, nec immunitas sacri loci violatur: debet tamen (quantumcunque potest fieri) munditia in sacro loco obseruari.

Extrau. de custodia Chrismat. Relinqui volumus.

Dist. 42.

¶ ILLVD autem, quod dicitur in Canon. intelligitur, vbi nulla extat necessitas, vel ecclesiæ vtilitas: sed magis inhonestas.

¶ QVOD autem dicitur de vestimentis, vel vasis ecclesiæ. Dicendum, quod non est simile omnino: specialiter enim seruanda est mundicia in vestimentis & vasis ecclesiasticis: & maxime in his, quæ altare contingunt.

MEMBRVM IV.

Quæ pœna sacrilegio debeatur.

QVARTO quæritur de pœna sacrilegij. Secundum Canon. autem duplex est pœna: vna spiritualis, alia pecuniaria. Spiritualis præter pœnitentiam est excommunicatio. Sed in hoc distinguitur quod pro sacrilegio in persona commisso est maior excommunicatio ipso iure: sacrilegio vero in rebus commisso, est minor excommunicatio. Exceptis casibus, in quibus est maior excommunicatio: vt quando aliquis incendit ecclesiam, vel frangit: sicut habetur *extra. de senten. excomm. & 10. q. 4. Omnes ecclesiæ.* Pœna vero pecuniaria siue pro sacrilegio commisso in persona, siue pro commisso in rebus, determinatur in rebus. *Si quis in atrio. Et quisquis inuentus fuerit, &c.* & in aliis huiusmodi: plures enim Canones sunt, in quibus pœna huiusmodi taxatur.

Extrau. de senten. excommun. Conquesti.

QVÆST. CLXXI.

De Scandalo.

In octo Membra & in tres Articulos diuisa.

DICTVM est supra de criminibus, quæ committuntur in Deum. Consequenter dicendum est de his, quæ committuntur in proximum. In quibusdam autem læditur proximus in mente, sicut est scandalum. In quibusdam læditur in corpore: sicut est homicidium: & quæ sunt illius generis: sicut sunt duellum & tyrocinium. Aliquando vero læditur in possessione: sicut est in rapina, & vsura, & in fraudulento contractu, & furto.

D. Tho. 2. 2. q. 43. S. Bõ. in 4. d. 38. dub. 2.

¶ PRIMO autem dicendum est de scandalo: circa quod primo quærendum est, quid sit. Secundo, si sit peccatum per se. Tertio, an omne scandalum sit mortale peccatum. Quarto, vtrum necesse sit esse scandala. Quinto, de comparatione scandali actiue dicti ad scandalum passiue dictum. Sexto, si dimittendum est scandalum pro veritate vitæ, doctrinæ, veritatis, & iustitiæ. Septimo, quid sit faciendum propter scandalum. Octauo, vtrum Petrus scandalizauerit separando se à gentibus, & comedendo cum Iudæis: & de aliis nonnullis contingentibus ipsum scandalum.

* * *

MEMBRVM I.

Quid sit scandalum.

Math. 18. Gloss. CIRCA primum sic. Super illud. *Væ mundo à scandalis.* Gl. *Qui scandalizat dicto, vel facto minus recto, præstat occasionem ruinæ.* Ergo *scandalum est dictum, vel factum minus rectum &c.*

Esa. 8. ¶ SED videtur, quod hæc ratio non conueniat omni scandalo. Dicitur enim de Christo. *Erit in lapidem offensionis, & in petram scandali.* Si ergo scandalum dicitur ibi obex, ad quem offendunt Iudæi: nec tamen in Christo fuit dictum, vel factum minus rectum: non ergo hæc ratio conuenit omni scandalo: quia non illi, de quo dicitur petra scandali.

¶ PRÆTEREA, scandalo passiuo non conuenit illa ratio: non enim est *dictum, vel factum, &c.* ergo non omni scandalo conuenit.

¶ PRÆTEREA, agere, & pati non communicant in genere vno: ergo nec in vna communi ratione: sed scandalum actiuum ad agere dicitur, scandalum passiuum ad pati refertur: non ergo est vna communis ratio scandali actiui, & passiui.

¶ ITEM, scandalum dicitur per similitudinem in spiritualibus respectu eorum, quæ sunt in corporalibus: offenditur enim pes corporalis, & per similitudinem pes spiritualis: dicitur autem scandalum obex, vel impactio; quæritur ergo, de quo dicitur per prius, an de obice, an de impactione, videtur quod prius dicatur de obice, quia obex præbet occasionem ruinæ.

¶ ITEM, impactio passio quædam est: & in passione per se non est demeritum: in scandalo autem est demeritū: ergo magis refertur ad obicem, quam ad impactionem.

¶ SED econtra videtur: scandalum enim peccatum est: obex autem secundum suam substantiam non est peccatū: ergo potius dicitur scandalum de impactione. Si enim sit lapis, ad quem offendat aliquis pedem suum; nunquid lapis dicetur esse scandalum, vel ipsa offensio? constat, quod ipsa offensio proprie: ergo scandalum dicetur impactio.

¶ ITEM, impactio commune est aliquo modo in actiuo, vel passiuo scandalo: obex autem non sic.

Orig. super Num. 31. ¶ ITEM, Orig. super illud. *Vtquid reseruastis feminas? &c. Scandalum est, vbi recte ambulanti deceptio ad peccandum subijcitur.* Deceptio autem se habet per se ad impactionem, non ad ipsum obicem: ergo principaliter scandalum dicitur respectu impactionis.

RESOLVTIO.

Scandalum actiue acceptum, est dictum, vel factum, minus rectum, occasionem præbens ruinæ. Scandalum autem passiue sumptum est, cum aliquis dat sibi occasionem ruinæ ex dicto, vel facto alterius, siue recto, siue non recto.

Math. 16. ¶ AD quod respondetur; quod scandalum aliquando dicitur de obice; & aliquando de impactione. De obice dicitur. Cum Dominus dixit Petro. *Scandalum mihi es*, & similiter cum dicitur sacerdos esse scandalū totius parochiæ, cum tenet publice fornicariam; secundum hunc modum non dicitur diffinitio scandali; non enim personæ conuenit, sed actui. Christus autem non dicitur scandalum isto modo, nec ille; neque enim fuit persona scandalizans; nec in eo fuit actus scandalizans. sed dicebatur lapis offensionis, & petra scandali: non quod causa offensionis, vel occasio esset ab ipso, sed in ipsis Iudæis; sicut si aliquis in plana via offenderet pedem suum, & caderet ex sua indiscretione; ipsa via, cum non haberet obicem, non esset causa, vel occasio ipsius ruinæ; sed indiscretio ambulantis, vel defectus aliquis in ipso.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de scandalo passiuo. Dicendū est, quod prædicta ratio est scandali actiue dicti. Scandalum autem passiue dictum aliam habet rationem; est enim scandalum passiue dictum, cum aliquis dat sibi occasionem ruinæ ex dicto, vel facto alterius; siue sit rectū,

Math 15. siue non rectum vbi dicitur. *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt?*

¶ AD illud vero; quod obiicitur; quod nullatenus pōt intentio aliqua esse communis per modum generis scandalo actiuo, & passiuo, sicut nec agere, & pati. Dicendum, quod non est simile; licet agere, & pati non habeant genus commune; scandalum tamen actiuum, & passiuum habent peccatum pro genere; & nomen impactionis aliquo modo est commune; cum aliquis impingit pedem alterius, vt cadat; vel cum aliquis impingit pedem proprium.

¶ AD illud vero, quod obiicitur: vtrum per prius dicatur de obice, an de impactione. Dici potest, quod quo ad quid per prius dicitur de obice: & quo ad quid per prius de impactione. Proprie autem (vt hic loquimur) dicitur de ipsa impactione; sic enim est peccatum, prout actiue dicitur. Est enim impactio actio, & est impactio passio: & vtrūque secundum rem peccatum est. Non enim loquimur hic de passione proprie dicta, quæ non est peccatum.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de comparatione impactionis ad deceptionem. Dicendum, quod licet ad idem referantur; differunt tamen ratione: deceptio enim ad vim cognitiuam refertur: impactio vero pertinet ad affectiuam.

MEMBRVM XI.

An scandalum constituat genus peccati per se distinctum ab alijs: vel circunstantiam tantum peccati addat?

SECVNDO quæritur, vtrum scandalum sit peccatum per se. Et videtur, quod nō sit per se genus peccati: quia cum dico *peccare coram alio* hoc quod dico *coram alio* dicit circunstantiam actus, & scandalum non importat nisi peccare coram alio, vt ipse ruat in peccatum: relinquitur ergo, quod non sit peccatum secundum se, sed ex circunstantia.

¶ ITEM, aliquis recidiuat: ex hoc, quod peccat, ingratus est: & hæc ingratitudo circunstantia peccati est, & non per se peccatum: ergo à simili videtur quod scandalum nō dicat nisi circunstantiam peccati præcedentis.

¶ ITEM, si ille facit bona coram aliis, non facit duo bona, sed tantum vnum bonum: ergo per oppositum vnus erit defectus oppositus huic rectitudini, scilicet curuitas opposita, hoc est scandalum; relinquitur ergo, quod nō sit per se peccatum, imo circunstantia peccati.

¶ CONTRA, est peccare in se, in Deum, in proximum: sed scandalum inquantum scandalū est peccatum in proximum: sed cum dico *dictum, vel factum, vel minus rectum* dico peccatum in se ipso: cum autem dico *præbens alijs occasionem ruinæ* dico peccatum in proximum: & ita duo peccata erunt in scandalo.

¶ ITEM, diuersa dispositio ex parte materiæ actus facit diuersum peccatum: vt si cognosco non meam, & hoc vel solutam, vel coniugatam: ergo diuersa dispositio in modo actus faciet diuersitatem peccati. & ita scandalum erit diuersum peccatum ab alijs.

RESOLVTIO.

Vtrumque, sed diuersa ratione.

¶ AD quod respondetur: quod peccatum dicitur diuersum genere ab alio pluribus modis. Vel ratione diuersorum actuum: & sic superbia, & auaritia dicuntur esse diuersa peccata. Vel ratione circunstantiæ diuersæ, quarum vtraque trahit in genus diuersum: sicut cum dicitur peccatum ex ignorantia & ex infirmitate. Vel ratione diuersorum, quibus fit iniuria: sicut aliud genere dicitur peccatum in Deum, & peccatum in seipsum, vel in proximum. Cum ergo dicitur de scandalo, quod est peccatum separatum ab alijs: hoc intelligitur non ratione actus diuersi, sed ratione diuersi termini. Secundum enim quod est dictum, vel factum minus rectum in se, terminatur in seipso: secundum autem quod occasionem præbet ruinæ alteri; sic terminatur ad proximum, quem lædit. Et ita vno modo dicitur differens peccatum genere: alio vero modo indifferens, sed aggrauatum per circunstantiam.

¶ AD illud vero, quod obiicitur de ingratitudine. Dicendum est, quod in parte est simile, in parte dissimile. Est enim loqui de ingratitudine, prout est peccatum propriū in genere: & secundum hoc non dicitur esse circunstantia alterius peccati: si aliquis ex intentione non reddit gratias Deo de acceptis beneficiis, dū dē: Ingratitudo alij est in eo,

qui pa-

qui patitur recidiuum, non est nisi ex consequenti: & talis non dicit nisi circunstantiam ratione conditionis personæ: scandalum autem dicit conditionem ex parte ipsius: & potest esse sine alio peccato substrato: & ita potest scandalum esse diuersum peccatum.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod nō est simile ex parte ipsius boni, & ex parte mali. Bonum enim vno modo dicitur, malū vero ex multis defectibus: & ideo diuersa peccata possunt attendi secundum diuersos defectus.

¶ Ad illud vero, quod obiici potest: quod peccare in occulto non facit genus peccati per se, quare nec peccare in manifesto. Respondetur, quod peccare in occulto, quantū est de se, nō lædit proximum, nisi aliqua alia ratio addatur: cum autem dicitur, peccare in manifesto, datur occasio ruinæ proximo: & ideo quasi duplex esse designatur: ratione cuius dicetur esse alterum peccatum.

¶ Deinde quæritur cum peccatum sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: potest quæri, vtrū scandalum has tres differentias complectatur. Et videtur per simile: sicut enim in aliis peccatis contingit peccare voluntate, ita quod non actu: ita in isto contingit peccare voluntate, ita quod non actu: & alia duo conueniunt ei (est enim scandalum dictum, vel factum minus rectum) & ita aliquod scandalum erit in intentione, vel voluntate.

¶ Contra, non datur occasio ruinæ proximo, nisi ex eo, quod est manifestū: intentio vero vel voluntas sunt in occulto: ergo non habent rationem scandali.

¶ Item, contingit scandalizare signo: hoc autem non est dictum, vel factum minus rectum &c. ergo aliquod est scandalum præter illa duo.

Ambros. ¶ Item, sicut dicit Amb. *omne peccatum principaliter est in intentione*: sed scandalum est peccatum: ergo est principaliter in intentione: contingit ergo sola intentione peccare in hoc genere peccati: sed hoc qualiter potest esse, cum nulla detur occasio ruinæ, siue offendiculum ipsi proximo?

¶ Ad quod respondetur: quod scandalum non determinatur penes hoc, quod est *concupitum* nisi in illo, qui habet intentionem scandalizandi. Sicut enim in illo, qui habet intentionem mæchandi, dicitur esse mæchia cordis: ita in illo, qui habet intentionem scandalizandi, dicitur esse peccatum, quod est scandalum quoad quid. Non sic autē in eo est, qui non habet intentionem scandalizandi, licet scandalizet: in talibus enim scandalum est in dicto, vel facto: nullatenus in concupito.

¶ Ad secundum vero respondetur, quod dictum, vel factum large accipiuntur, vt comprehendant omnem nutum & signum: sub facto enim possunt comprehendi: vel propter quandam conuenientiam sub dicto: eo quod innuens, vel signum faciens quodammodo dicit.

¶ Ad tertium respondetur: quod illud verbum Ambr. intelligitur de intentione, quæ respicit ipsum actum cum circumstantiis. Vnde licet scandalizans non intendat scandalizare: intendit tamen illud dictum vel factum, ex quo præbetur occasio ruinæ: & ita scandalum est ex intentione.

MEMBRVM III.

An mortale semper, vel etiam interdum veniale peccatum sit scandalum.

Tertio quæritur, an omne scandalum sit mortale peccatum, an aliquod veniale. Et videtur, quod sit mortale, per hoc quod dicitur. *Va illi, per quem scandalum venit.* Et iterum. *Va mundo à scandalis.* Væ autem dicit comminationē pœnæ æternæ: pœna vero æterna non debetur, nisi mortali peccato per se: ergo scandalum est mortale peccatum. (Matth. 18. Ibid.)

¶ Item, de scandalo actiuo patet per hoc, quod dicitur. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei vt suspendatur mola asinaria, &c.* sed per molam asinariam & profundum maris signatur pœnitentia pro mortali: ergo scandalum est mortale peccatum. (Ibid.)

¶ Item, *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Glo. *Non in via, sed in inuio.* Sed inuium dicitur esse mortale peccatum: ergo scandalum est mortale peccatum. (Psal. 119. Glossa.)

¶ Item, Hieron. *Doctor, qui verbo docet, & opere scandalizat, regnum celorum claudit.* Sed non clauditur regnum celorum, nisi per mortale peccatum: ergo scandalum ad minus in prælato erit mortale peccatum. (Hierony.)

¶ Contra, super illud. *Malum est homini &c.* Glo. *Ne ponat fratri offendiculum, id est, aliquid, vnde pereat frater exemplo nostro*: vel scandalum, id est, contristationem, quod minus est quam offendiculum. Ergo si offendiculo perit, & scandalum minus est: erit ergo scandalum quoddam veniale peccatum. (Rom. 14. Glossa.)

¶ Item, dictum vel factum minus rectum aliquando potest esse mortale, aliquando veniale: ergo & scandalum, quod est ipsum dictum vel factum. Verbi gratia, aliquis dicit mendacium iocosum, & exemplo suo alium prouocat ad simile: non ne tale factum minus rectum veniale est: & ita & ipsum scandalum veniale erit.

¶ Item, Bern. *Non omnium scandala aqua lance pensanda sunt: aliter enim accipienda sunt scandala paruulorum: aliter prouectorum: illorum scandalum ex ignorantia procedit, istorum ex malitia.* Videtur ergo quod quoddam scandalum passiuum sit veniale, quoddam mortale: paruulorum veniale, aliorum mortale. (Bernard.)

¶ Item super illud. *Scandalizatur, aut infirmatur. Scandalizatur, id est, contristatur: infirmatur, si dubitet in fide, & si non offenditur: infirmatur qui non recedit à fide, sed dubitare incipit.* Cum ergo scandalum sumatur generaliter, in omnibus istis erit aliquod scandalum passiuum veniale. (Rom. 14. Glos. Ord.)

RESOLVTIO.

Interdum mortale, interdum veniale: tum maxime scandalum passiuum.

¶ Ad quod respondetur: quod quoddam scandalum est veniale, quoddam mortale: tum ex parte scandali actiui, tum passiui: magis autem est ex parte scandali passiui. Et oportet intelligere hoc verbum *ruere* dupliciter: secundum quod est commune ad veniale, & mortale. Ruina enim dr̄ esse: cum quis est in motu ad casum, vel cum omnino cecidit: sic scandalo veniali ruit homo: sic vero mortali. Et occasio similiter communiter accipitur.

¶ Per hoc autem potest solui, quod obiectum est. Illud enim quod dicitur. *Va mundo à scandalis*, intelligitur de peccato mortali.

¶ Illud etiam, quod dicitur. *Qui percussit.* Gl. *Quicunque affligit ecclesiam, & scandala facit, & si Christianus dicitur, perdit fidem*: hoc enim de scandalo mortali intelligitur. (Matth. 18. Psal. 114. Glossa.)

¶ Similiter illud, quod dicitur. *Qui scandalizauerit &c.* & quod dicit Hiero. de scandalo prælatorum: de quo dicit Ioan. Constant. *Neq; cadaueris fætor ita perniciosus, etsi vnum polluat locum, sicut si sparsim nidore diffuso corrupti aeris morbum pluribus generet: ita si quis est in fætore vitiorum morbus, facile in eis, qui ei ad obtemperandum præsto sunt, [illegible]ditur atq; trāsfunditur: & multo facilius quod malum est, ab [illegible]sit, quam si quid in eo virtutis & industriæ fuerit.* (Matth. 18. Hierony. Ioann. Constant.)

¶ Quod autem obiicitur per autoritatem Bern. Dicendum est: quod ex virtute illius autoritatis non habetur, q̄ scandala paruulorum sint venialia peccata: sed quod minora sint scandalis aliorum: peccatum enim ex ignorantia potest esse aliquando mortale, aliquando veniale: & similiter ex infirmitate.

¶ Similiter respondendum est ad illud, quod obiicitur per Glo. super illud Rom. 14. Est enim quoddam dubitare, in quo homo recedit à fide informi: & si tale esset, esset mortale scandalum. Si etiam cadit homo à fide formata: adhuc est mortale. Si vero cadit, manens tamen in fide formata; tunc est veniale peccatum: & isto vltimo modo tantum potest esse veniale peccatum: dubitatio autem tūc est surreptionis, non deliberatæ rationis.

MEMBRVM IV.

An necesse sit scandala esse?

Qvarto quæritur, vtrum necesse sit esse scandala. Et videtur per hoc, quod dicitur. *Necesse est, vt veniant scandala.* (Matth. 18.)

¶ Præterea, dicit Chrys. *Si corrigendi essent homines, non dixisset: quoniam necesse est vt veniant scandala: sed quia præuidit inemendatos futuros esse ex se.* Quod præuisum autem est, necesse est euenire: ergo necesse est scandala euenire. (Chrys.)

¶ Contra, si necesse est scandala euenire: necessitas autem tollit culpabilitatem: quod ostendit Chrys. per simile. Nullus incusat eum, qui necessitate talis est; sed ma- (Idem.)

gis veniã dat:vt si aliquis cæcus est à natiuitate:si vero propria malitia,non. Sic eodem modo si ex necessitate eueniũt scandala,nullus inculpatur:sed inculpatur:non ergo ex necessitate eueniunt scandala,sed ex electione.

Chrysost. ¶ Quod autem veniant ex electione,non ex natura,nec à Deo;patet sic per Chrys. *Si in quibus nõn incusamus, testamur natura illud esse totum manifestum: quoniam in quibus increpamus, ostendimus,quoniam electionis est hoc delictum.*

¶ ITEM,quæ naturalia sunt non transmutantur: sed hæc transmutantur de facili:qui enim despexit pauperem,iam non despicit,& econuerso:ergo scandalum in huiusmodi non est à natura,nec etiam est à Deo: tunc enim non esset dictum. Væ illi,per quem scandala veniunt.

Idem. ¶ PRÆTEREA,dicit Chrysost. *Si nos,in quibus fuerimus ipsi causa,nõ incusamus famulos nostros: multomagis vniuersorum Deus.* Sed incusat scandalizantes:nõ ergo scandalum est ab ipso. Quod etiam scandala non sint necessitatis, patet per hoc

Matth.18. quod statim subiungit. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscide,& erue à te.*

¶ PRÆTEREA,si natura essent mala, superflua esset hæc admonitio,& superflua esset custodia, quæ est per ea, quæ supradicta sunt: si aũt non est superflua, manifestum est, quoniam lib.arb.est pernicies:& ita scandalum est à li. arb. non ergo ex necessitate.

RESOLVTIO.

Necesse est scandala esse:verum non simpliciter,sed pro statu isto corrupto,& ad melius esse.

¶ AD quod respondendũ: quod *necesse* dicitur multipliciter.Est enim necessitas omnimoda immutabilitas,vbi nõ cooperatur aliquo modo lib.arb.& hoc modo non est necesse euenire scandala. Est iterum necessitas ex dispositione naturæ corruptæ, siue prauæ consuetudinis: & hoc modo potest illud intelligi:sicut dicitur, quod necesse est ægritudinem aliquam interuenire: sed non est necesse eum, qui

Chrys. attendit,ab ægritudine corrumpi: & hoc modo dicit Chry.

Idem. *Nihil ita nocuum est,vt conuersatio perniciosa.* Et iterum. *Si quæras,vnde sunt mala? à desidia dico,& à commorando cum perniciosis, & à contemnendo virtutes.* Tertio vero modo dicitur necesse, hoc est vtile ex comparatione ad finem siue ad bonum, quod

1.Cor.10. ex illo elicit Deus:& hoc modo dicitur. *Necesse est hæreses esse: vt qui probati sunt,manifesti fiant.* Sic etiam est necesse euenire

Chrys. scandala:ex illis enim elicit Deus bonũ. Vnde dicit Chrys. *Scandala erigunt:stabiliorem enim eum efficiunt. quare si vigilauerimus non paruum hic fructificabimus lucrum.si autem hostibus existẽtibus,dormimus:qua erimus digni venia in ocio veniente*[illegible]

¶ ET per hoc potest solu[illegible]d,quod obiectum est:illud enim quod dicitur in Matth. & in Luc. non dicitur de necessitate secundum primum modum: sed de necessitate secũdum modum,aut tertium. Si enim diceretur secundum primum modum, tunc locum haberet illud, quod dicit Chrys.in opponendo: si necessitas huiusmodi esset, tolleretur omnis culpa.

¶ QVOD autem dicitur esse necessarium euenire, quia præscriptum. Dicendum quod illa necessitas non est rei absolute:sed dicitur esse necessitas inferendi. Sequitur enim est præscitum,ergo eueniet:non tamen necessario eueniet,cum dependeat à lib.arb.præscientia enim non imponit necessitatem in his,quæ subsunt lib.arb. aliter enim est in bonis,& aliter est in malis. In bonis enim præscientia est causa:in malis vero non: sed eo quod eueniunt,ideo præ-

Chrys. dicuntur. Vnde Chrys. *Cum dixerit, necesse, non spontaneum potestatis destruens,neque libertatem electionis, neque necessitatem alicui rerum submittens,*ait. *Non igitur prædictio eius scandala inducit, absit:neq, quia prædixit,propter hoc fit: sed quia omnie futurum erat, propter hoc prædixit:quia si nollent illa perniciosa agere, nõ euenirent: si non euentura essent,non essent prædicta.*

MEMBRVM V.

An actiuum,vel passiuum scandalum maius peccatum sit?

QVINTO quæritur,vtrum maius peccatum sit scandalum actiuum,quam passiuum? Quod parum distent,

Chrysost. dicit Chrys. *Parum distant in vitio scandalizare & scandalizari, fallere & falli.* Si ergo falli in iis,quæ sunt fidei,valde periculosum est; scandalizari similiter erit valde periculosum in huiusmodi:poterit ergo esse quod scandalum actiuum minus sit passiuo:nam plus poterit scandalizare: intentio vero nomen operi imponit.

¶ CONTRA,Num.31.habetur in Gl. *Longe grauius peccatum est,dare peccati causam,quam peccare:* Sed dare causam peccati,est scandalum actiuũ:ergo grauius est scandalum actiuum quam passiuum. Num.31. Glossa.

¶ PRÆTEREA, de scandalo actiuo dicitur. *Væ illi, per quem scandalum venit;* non autem dicitur, *Væ illi, qui scandalizatur.* Matth.18.

RESOLVTIO.

In genere maius peccatum est scandalum actiuum quam passiuum: quidquid sit in subiecto aliquo.

¶ An quod respondetur, quod maius est scandalũ actiuum,faciendo cõparationem in genere:& hoc modo proponuntur rationes pro illa parte. Potest tamen scandalum passiuum in aliquo subiecto esse magis periculosum,quam actiuum in aliquo.

¶ Quod autem dicit Chrys. quod *parum distant in vitio,* &c.Respondeo, quod est quædam distantia secundum genus peccati: & est alia secundum magnitudinem peccati. Secundum genus ergo peccati parum dicuntur distare, eo quod aliquo modo conueniunt gignens & genitum,secũdum idem genus peccati. Si vero attendatur distantia secũdum magnitudinem peccati, maius est scandalum actiuũ, quam passiuum.

¶ ADHVC etiam quæritur de comparatione scãdali actiui,& passiui in determinato casu. Potest enim esse, quod aliquis videat aliquem fornicari,& ad exemplum eius prouocetur: & alius fornicatur, non intendens tamen alium prouocare:& hoc facit in manifesto:quæritur,quis illorum magis peccet. Videtur quod qui prouocatus sciẽter & prudenter fuit exemplo alterius: plus ergo peccat, quam ille qui fornicatur,& non intendit alium prouocare.

¶ RESPON.ad hoc, quod omnibus aliis circunstantiis paribus;grauius est actiuum,quam passiuũ: possunt tamen in casu esse excedentia & excessa.

MEMBRVM VI.

De dimittendis,& non dimittendis propter scandalum.

SEXTO quæritur,quid sit dimittendum propter scandalũ. Ad quod sciendum,distinguit Bern. sic. *Peccamus ex infirmitate,ex ignorantia,ex certa malitia.* In primis duobus casibus cauendum est,ne faciamus aliquod,quod alij sit causa scãdali vel materia;cum scilicet ex infirmitate, vel ignorantia procedit:in tertia non;cum scil.ex certa malitia est. Vnde Dominus de Pharisæis, qui ex malitia scandalizabantur, ait. *Sinite illos,cæci sunt &c.* Et de quærentibus de dragma ait Petro. *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* Vnde Bern. *Illorum, scil. Pharisæorum scandalum ex malitia procedit,horum ex ignorantia descendit:isti scandalizantur, eo quod veritatem nesciunt:illi quia odiunt.* Regula Hieron.talis est: *omne,quod potest fieri,vel non fieri,salua triplici veritate, omittendum est propter scandalum.* Sed si veritas sit in periculo,non est omittendũ bonum propter scandalum,scilicet vt omittatur veritas iustitiæ, vitæ,vel doctrinæ. Verbi gratia,si scandalizantur parentes,nisi ego postquam voui religionem, redeam ad seculum;non debeo redire: quia veritas vitæ est in periculo. Similiter si scandalizantur auditores,quia prædico fidem Christi,vel decalogum:non debeo dimittere, quia veritas doctrinæ est in periculo. Similiter,si reus scandalizatur,si proferam rectam sententiam: non debeo dimittere, quia veritas iustitiæ est in periculo. Distingui autem possunt istæ tres veritates:nam veritas vitæ pertinet ad omnes,comprehendens omnia præcepta,& prohibita,& consilia; veritas iustitiæ ad prælatos, comprehendens duas partes iustitiæ, scil. seueritatem in puniendo reos,& liberalitatem in sustinendo miseros;veritas doctrinæ,sc.ad prædicatores & magistros. Vel aliter secundum tres vires animæ; vt veritas vitæ concupiscibilem ordinet ad bonum; veritas iustitiæ irascibilem compescat à malo; veritas doctrinæ rationalem informet ad bonum discernendum, & fugiendum malum.

Bernard. Matth.15. Matth.17. Bernard. Hierony. regula habetur in Gl. Matth.15. Super illud *Audito hoc scandalizati sunt.*

¶ CIRCA hæc tria accidunt dubitationes de scandalo vitando.

tando. Et primo de operibus misericordiæ. Secundo de operibus, quæ sunt in consilio. Tertio de his operibus, quæ dicuntur indifferentia.

ARTICVLVS I.

An opera misericordiæ dimittenda sint propter scandalum?

CIRCA autem opera misericordiæ quæritur. Vtrum ipsa sint dimittenda propter scandalum. Et videtur quod non: opera enim misericordiæ sunt in præcepto: sed quæ sunt in præcepto, pertinent ad veritatem vitæ: ergo nō sunt dimittenda propter scandalum. Dicit enim Gregor. super Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.* Et hoc habetur in Gl. super illud. *Impossibile est &c.* (Grego. super Ezech. Glo. super Lucæ 17.)

¶ CONTRA, ad opera misericordiæ non obligatur aliquis ad semper, nisi pro loco & tēpore: non ergo peccamus, si dimittamus ad tempus. Sed quicquid sine peccato possumus facere, debemus facere pro vitando scandalo proximi: sicut habetur super illud. *Væ illi, per quem scandalum venit. &* Luc. 17. vbi dicitur. Nota, quod inquantum sine peccato potes vitare scandalum proximi, debes. Et potest poni casus: sint duo in extrema necessitate: & non possum subuenire nisi altero: vterque vero scandalizabitur, si dem alteri, & non sibi: si dem, scandalizo: si non dem, transgredior præceptum: & ita vtroque modo peccatur. (Matth. 18.)

RESOLVTIO.

Opera misericordiæ propter scandalum vitandum non sunt dimittenda prorsus, sed differenda, vel occultanda.

¶ AD quod respondetur: quod opera misericordiæ nō sunt dimittenda simpliciter propter scandalum vitandum, sed differenda sunt, vel occultanda: melius enim fiūt in occulto, sicut habetur. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c.* (Matth. 6.)

¶ AD illud vero, quod obiicitur: quod opera misericordiæ sunt in præcepto: & ita non dimittenda propter scandalum. Respondendum est, quod verum est pro illo tempore, pro quo obligant. Et ideo respondendum est ad casum propositum: si ambo sunt in extrema necessitate, si res est diuisibilis, vtrique est subueniendum: si vero non sufficit ad releuandum necessitatem vtriusque in medio ponatur, & qui prius venerit, accipiat per se, vel per interpositam personam.

ARTICVLVS II.

An consilia euangelica dimittenda sint propter scandalum?

DEINDE quæritur, vtrum consilia sint dimittenda propter scandalum, vtpote renunciando seculo, & intrando claustrum, supposito scandalo parentum, patris scilicet & matris. Et videtur quod sic, per hoc quod dicitur in Glo. quod inquantū potes sine peccato vitare scandalum proximi, debes. Cum ergo non teneatur homo ad consilia, potest sine peccato non aggredi consilia: & est scandalum passiuum in præsenti ipsorum parentū: ergo dimittendum est ipsum consilium.

¶ PRÆTEREA, extra de noui operis nunciatione. Cū ex iniuncto: dicitur. Ab his, quæ sine peccato mortali committi possunt, pariter & omitti: pro scandalo tollendo cessandum est, & eis pro vitando scandalo insistendum: Sed tale est istud tempore illo, quo non tenetur ad consilium. (Hoc dicitur propter hoc, quia per votum de consilio fit præceptum) restat ergo quod tempore, quo est consilium, dimittendum est propter scandalum.

¶ AD HOC etiam additur, quod potest contingere, quod pater & mater non habeant prouisorem aliquando: si ergo intrat; præsumitur de morte ipsorum: præceptum autem est de honorando patrem & matrem: quod intelligitur de corporali exhibitione: si ergo intrat, trāsgreditur illud præceptum, cum ad hoc tempore necessitatis obligetur: ergo peccat mortaliter intrando: dimittenda ergo est impletio consilii propter scandalum.

¶ CONTRA consilium Dei non est dictum vel factum minus rectum: ergo qui illud implet, non scandalizat.

¶ ITEM, si non implet consilium, deperit eius vtilitati spirituali: ergo cum consilium est de veritate vitæ, non ergo dimittendum est propter scandalum.

¶ ITEM. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Si ergo spiritus Dei dictat ad intrandum religionem, solutus est ab illa lege præcepti. *Honora patrem, &c.* ergo non transgreditur intrando. (ad Galat. 5. Deut. 5.)

¶ ITEM, dicitur de discipulo volente prius sepelire patrē suum, *sequere me.* Ergo voluit Dominus, quod præponeretur sequela sui operibus misericordiæ, inter quæ magna est sepelire patrem, & matrem: ergo non est dimittendum cōsilium de intrādo claustrum (hoc enim est sequi Dominū) propter opus misericordiæ. (Matth. 8.)

¶ ITEM dicitur, *Qui non reliquerit patrem, & matrem propter me, non est me dignus:* Præponendum est ergo consilium ipsi operi misericordiæ de sustentatione patris, & matris. (Matth. 10.)

RESOLVTIO.

Ne veritas vitæ in periculo sit, haud quidem euangelica cōsilia propter scandalum dimittenda sunt: tum maxime si se illis, tam quisquam obligauit.

¶ AD hoc responderunt quidam, distinguentes: quod ille, qui vult intrare claustrum; aut vult occasione peccati vitandi, quia non potest abstinere à peccatis, dum est in seculo: & tunc non oportet dimittere propter scandalum: quia veritas vitæ est in periculo. Aut intentione meriti acquirēdi: & tunc debet dimittere secundum illam regulā: Quicquid sine peccato &c. dicere enim volunt, quod intentio, qua aliquis vult intrare claustrum causa meriti acquirendi, non est de veritate vitæ. Contra: duæ sunt partes iustitiæ generalis, quæ veritatem vitæ continent, scilicet declinare à malo, & facere bonum: perfectio autem veritatis vitæ est in faciendo bonum: ergo si aliquid pertinet ad faciendum bonum, magis est de veritate vitæ, quam illud, quod est solum ad malum declinandum. Sed transire ad frugem melioris vitæ, pertinet ad faciendum melius: ergo est de veritate vitæ: ergo non est dimittendum propter scandalum.

¶ AD quod respōdetur per distinctionem: aut enim iam obligatus est ad faciendum, aut nō est obligatus. Si est obligatus, iam de consilio factum est præceptum. Item si obligatus est, aut cum præfinitione temporis, aut sine. Si cum præfinitione temporis, infra illud tempus prouideat patri, & matri, secundum quod potest: vltra enim illud tempus non est licitum differre sua authoritate, siue dispositione: nec dimittere debet propter scandalum alterius: veritas .n. vitę esset in periculo; vbi autem veritas vitæ esset in periculo, non est dimittendum propter scandalum. Si vero sine determinatione temporis, tenetur ad statim, nisi aliqua cōditio interueniat impeditiua: & tunc, pendente illa conditione, prouideat, secundum quod potest. Si vero nulla extat conditio huiusmodi, tenetur intrare, vel adminus accelerare, quantum potest, dictante conscientia, & consilio salubri: aliter veritas vitæ esset in periculo. Si vero non interuenit obligatio, sed est tantum consilium: in casu potest, & debet differre: præceptum enim pro tempore, pro quo est præceptū, implendū est. Vnde vtrunq; secūdū illum modū adimplendum est secundum prius, & posterius: non quod transgrediatur, si non adimpleat consilium: sed vnum implendum est, quia præceptum est: alterum vero faciendū, si vult perfectus esse, secundum quod dicitur in euangelio: nec creditur semper esse differendum consilium propter præceptum.

¶ AD obiectum aūt responderi potest: quod cum consilium sit Christi, non est factum, vel dictum minus rectum: sed non subuenire patri, vel matri, cum est necessitas, & habet vnde subueniat; est factum minus rectum.

¶ AD aliud vero respondetur, quod non deperit vtilitati spirituali, si nunc non implet consilium: sed si non implet consilium tunc, cum dictaret spiritus Dei, qui omnia examinat, & facienda, & non facienda: spiritus enim Dei sic mouebit, quantum est de se, vt fiat eo modo, quo meliori conuenit. Et respiciendum est, quod aliter est de scandalo actiuo, & de scandalo passiuo; qui enim ingreditur religionem, ipso actu non scandalizat: alius tamen potest scandalizari. Sed refert, vtrum ex malitia, vel ex infirmitate.

Si est ex malitia propria, non est ira de scandalo curandum, quantum ad se: sic enim dixit Dominus, *Sinite eos, cæci sunt.* Si vero ex infirmitate, si bono modo fieri potest, salua triplici veritate, vitetur illud scandalum. Math. 15.

¶ Ad illud vero, quod obijcitur, quod ille, qui spiritu Dei ducitur, non est sub lege. Responderi potest, quod hoc intelligitur, quod non est seruus legis, vt ex timore faciat: sed non propter hoc eximitur à lege, id est, à Decalogo: tūc enim à præceptis secūdæ tabulæ posset absolui: quod cum non sit, nō intelligitur de lege, quo ad decalogum, sed quo ad quædam superaddita.

¶ Ad illud vero, quod consequenter obiicitur de discipulo volente prius sepelire patrem. Respōdetur, quod per hoc voluit Dominus dare intelligere, quod (paribus omnibus alijs) maius bonum præponendum est minori bono; & proprium bonum alterius bono: vnde si vtrunq; simul fieri nō potest, præcipiente Domino, maius bonum est aggrediendum, minori bono dimisso. Quod autem dicitur in Euangelio de derelictione patris, & matris, hoc proprie refertur ad affectum carnalem: quod patet per hoc, quod additur *& vxorem.*

Math. 19. ¶ Illud autem, quod dr, *Qui reliquerit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, centuplum accipiet*: ad effectum etiam secundum conditionem debitam cum affectu retorquetur. Et hoc modo intelligitur illud Hiero. ad Heliodorum. Licet paruulus in collo pendeat nepos: licet sparso crine, & scissis vestibus vbera sua ostendat mater; licet in limine pater iaceat: per calcatū perge patrem, siccis oculis ad vexilla crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Item, Christus subiectus erat parentibus, venerabatur matrem, in cruce pendens commendat matrem discipulo, qui nunquam ante dimiserat. Et dicit Hieronym. *Honora patrem tuum, sed si te à vero patre non separat: tandiu scito carnis copulam, quam diu ille nouerit suum creatorem: alioquin Deus canet tibi, Audi filia, & vide &c.* Hierony. ad Furiam. Psal. 44.

¶ Ad illud autem, quod dicitur: quod ingredi religionē est de veritate vitæ. Concedendum, quod non tantum est de veritate vitæ, quod est in præcepto: sed etiam, quod est in consilio. Nec est simile de sepeliendo patrem, & sustentando vitam patris in necessitate: vnum enim est maioris intentionis, quam aliud: potest autem quis sustentare patrem per se, vel per alium, & similiter sepelire.

ARTICVLVS III.

Si indifferentia dimittenda sint propter scandalum?

DEINDE quæritur, an indifferentia dimittenda sint propter scandalum. Et loquitur Apostolus de repetitione rerum in iudicio: de sumptione procurationum à prælato: de comestione idololatrici.

An liceat repetere quæ sua sunt cum scandalo fratris. §. 1.

¶ PRIMO autem quæratur de repetitione summarie: alibi enim diffusius dictum est. Quæritur ergo, vtrum licitū sit repetere aliquibus cum scandalo fratris, quæ sua sunt. Et videtur, quod non: dicit enim Apostolus. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Sed licet licitum sit repetere sua illis, qui habent proprium in communi, vel in particulari; non tamen videtur expediens cum scandalo fratris: præponendum est enim in ordine charitatis bonum spirituale alterius bono temporali proprio. 1. Cor. 10.

1. Cor. 6. ¶ ITEM, dicit Apost. *Iam omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.* Sed hoc non dixit propter iudicium in se: sed propter scandalum, quod oriebatur ex iudiciis: vn̄ sequitur. *Quare non magis iniuriam patimini?* Videtur ergo secundum Apostolum, quod delictum sit, sua repetere cum scandalo. Ibid.

Ibid. cap. 8. ¶ ITEM, ibid. cap. 8. *Si esca fratrem meum scandalizat, non manducabo carnes in æternum.* Sed hoc fuit maius, quam non repetere: ergo non est repetendum cum scandalo.

¶ CONTRA, quilibet debet laborare, vt proximus suus non peccet: sed retinendo rem alienam peccat: ergo debet laborare, ne eam retineat: sed ad hoc est repetitio in iudicio: ergo potest repetere sua: licet ille, qui detinet, scandalizetur: non enim ille est causa scandali, sed detentor propter suam malitiam.

¶ ITEM, si homines non repeterent sua propter scandalum, occasione sumpta, maior pars hominum raperet bona iustorum: ergo multiplicarentur scandala: dissiparetur ergo vnitas ecclesiæ & societatis humanæ.

¶ PRÆTEREA, bona collata intuitu Dei ecclesiis, deperirent: & ita non possent vacare bonis spiritualibus, secundum quod oportet.

¶ PRÆTEREA. B. Thom. quia videbat ecclesiæ libertatem destrui, repetiit res ecclesiæ, & cum scandalo Regis: ergo exemplo illius licitum est, & etiam expediens repetere res suas, vel ecclesiæ: licet alius scandalizetur, qui eas detinet. Thō Cantuariensis.

¶ Videtur tamen contrarium de generali scandalo: propter enim generale scandalum nō repetit ecclesia decimas: quæ tamen de iure debentur: & ita videtur, quod non sit licitum repetere cum scandalo generali.

¶ PRÆTEREA: aliquando subtrahitur prædicatio propter scandalum generale: multo ergo fortius repetitio rerū suarum dimittenda est propter scandalum generale.

RESOLVTIO.

Repetat qui repetit, bona intentione, debito modo, absque contentione, & huiusmodi reliquis circunstantiis, & fratris scandalum non curet.

¶ AD quod respondent quidam: quod imperfectis licet repetere etiam cum scandalo bona sua, vel ecclesiæ: aliter enim dissiparentur omnia bona ecclesiæ, quia vnitas; quod est maximum malum. Et hoc propter septem causas. Prima est refrenatio malorum: secundum quam consulitur ipsis malis: quia efficiuntur peiores occasione sumpta, sicut ostendebatur. Secunda est consolatio infirmorum: desperarent enim si non liceret eis repetere sua: infirmis enim sunt data temporalia ad consolationem, non tantum ad sustentationem (vnde. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*) etiam multi religiosi caderent in accidiam, si auferrentur eis temporalia, quæ non licet repetere. Tertia est: quod nescitur, vtrum ille, à quo repetitur, scandalizatur: imo præsumere debet, quod non scandalizetur. Quarta est zelus iustitiæ: sicut in B. Thom. qui repetebat res ecclesiæ, & tamen sciebat Regem & Principes scandalizari: exemplo Phinees, qui zelo iustitiæ ductus, perfodit virum Israelitam coeuntem cum Madianitide: & tamen sciebat illos perire in anima & in corpore: eo quod in ipso actu peccati interficiebat illos. Num. 25. Vnde conuincitur, quod iustitia non est dimittenda pro morte etiam spirituali proximi. Quinta est vnitas ecclesiæ seruanda, quę dissiparetur, si non liceret vnicuique repetere sua. Sexta est pax ecclesiæ temporalis, quæ est appetenda propter pacem spiritualem, quæ consequitur ex ea, per quam vacat ecclesia legi Dei: vnde. *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem.* Septima est causa vitandi peccatum: si enim timeo periculum remanere ex penuria, possum repetere quæ mea sunt, licet cum scandalo passiuo: cum scandalo autem actiuo, vt dicendo vel faciendo minus rectum ad hoc, quod repetat sua; non expedit: & est peccatum. Cant. 2. Thō. Cantuarien. Num. 25. Psal. 121.

¶ Distingui ergo sic pōt: repetens aut repetit ex bona intentione, aut ex libidine rei alicuius tēporalis. Si repetit ex libidine rei temporalis, peccatū est. Si vero ex bona intentione, & adsint aliæ cōditiones, quæ dictæ sunt; licet, & expedit repetere: nec est contrarium quod dicitur. *Quæ tua sunt, ne repetas.* De differentia vero intentionis in repetendo dicit Gregor. *Cum curam nobis rerum itineris necessitas imponit, quidam dum ea capiunt, solummodo sunt tolerandi: quidam vero seruata charitate prohibendi: non tamen sola cura, ne nostra subtrahantur: sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant.* Plus ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationalibus inhiare: illa enim non rapta morientes amittimus: cum illis vero nunc conditionis ordine, & si corrigi studeant, post perceptionem muneris vnum sumus. Cum autem est intentio bona: aut potest repetere modo debito, aut indebito. Si enim cum falsis literis, vel sub ordinatione falsorum testiū, & huiusmodi, non licet. Si vero ex bona intentione, & mō debito, adhuc potest vlterius scandalizare per contentionem; & sic pacem proximi tollere; & hoc etiam modo non licet. Si vero intentio fuerit bona, & modus debitus cum aliis circunstantiis, licitum est repetere sua in generali, vel in particulari. Luc. 6. Gregor.

¶ AD

¶ Ad obiecta autem in contrarium dicendum est: quod licet scandalizetur proximus ex sua peruersitate, non propter hoc dimittenda est repetitio: nec præponitur ibi bonũ temporale bono spirituali, sed econuerso: hoc enim est bonum spirituale, vt sit iustitia in proximo: iustitia autem non est, nisi reddatur vnicuiq; quod suum est. & ideo si hoc fine facit, bonum spirituale præponitur temporali.

¶ Sed ponatur, quod nullo modo velit esse iustus: nunquid propter hoc concedere debet ei illud, quod detinet iniuste? Respondetur, quod & si nolit esse iustus, tamen intuitu generalis iustitiæ conseruandæ, hoc etiam faciendum est: præponitur enim bonum commune bono particulari: & hoc etiam modo spirituale bonum præponeretur temporali. Si vero non esset periculum iustitiæ generalis, nec particularis in proximo: & indigeret proximus: & ille, cuius esset res, non indigeret nec pro se, nec pro suis: forte in tali casu non esset repetendũ, sed magis dandum, ne proximus remaneret in peccato, alienam rem detinendo: & cum hoc monendus esset ad pœnitentiam de eo, quod detinuit, & sic proximus plusquam res amaretur secundum Gregor. Aliter autem iudicandum est in mobilibus bonis, & in immobilibus.

1. Cor. 6. ¶ Ad illud vero, quod obiicitur per illud, quod dicitur ab Apost. 1. *Iam omnino delictum est in vobis.* Respond. quod loquitur ibi de repetitione cum scandalo actiuo, cum quo delictum est repetere.

Ibid. 8. ¶ Ad tertium similiter est respondendum: quod non dixit Apostol. *Si ex esca scandalizatur &c.* sed dictum est. *Si esca mea scandalizat.* Vnde de scandalo actiuo datum est intelligi. Et ita non est simile de hoc, quod aliquis sua repetit: nõ enim scandalum est actiuum, nisi modo indebito repetatur, vel cum ipse sibi appropriat, quod commune est; vel si repetit in iudicio contentioso: cum ratione status insinuare tantum iudici deberet. Potest enim esse in statu talis perfectionis, in quo nullam proprietatem habeat in communi, vel in particulari: sed tantum conceditur ei vsus: si fiat iniuria, insinuare debet iudici: & iudex ex officio potest cõpellere ad satisfactionem, seruato ordine iuris, vt iustitia & pax conseruentur.

¶ Si vero quæratur de scandalo generali passiuo. Potest responderi: aut ex dimissione repetitionis non læditur libertas ecclesiæ spiritualis: & tunc dimittendum est propter scandalum generale. Si vero læditur libertas spiritualis ecclesiæ: adhuc considerandum est, vtrum magis obest læsio illius libertatis spiritualis, an scandalum generale: vel ecõuerso: & secundum hoc diuersimode est iudicare. August.

August. in serm. Domini de monte. Matth. 5. loquens de perfectis dicit. *Pecuniam dimittere illo iubemur præcepto, quo superius dictum est, si quis tibi tunicam tollere voluerit, & iudicio tecum contendere: dimitte illi & pallium.* Neque ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum: sed ei, qui reddere noluerit, in tantum, vt velit etiam litigare: *seruum autem Domini* (vt ait Apostolus) *non oportet litigare.*

2. ad Tim. 2.

An pro seminatione spiritualium liceat sumptus accipere? §. 2.

Quæst. lateralis. ¶ Deinde quæritur, de sumptione procurationum, vtrũ licitum sit accipere sumptus: & vtrum accipiendi sint cum scãdalo passiuo ab ipsis subditis? Et videtur quod sic: sumptus enim debentur ratione seminationis in spiritualibus: ergo non est factum minus rectum: si ergo scandalizabantur, hoc non fuit per ipsum; licitum ergo fuit & expediens accipere sumptus, ne ipsi detinerent quod alienum esset.

1. Cor. 9. ¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicit Apostol. *Bonum mihi est magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet.* Euacuationem autẽ gloriæ dicit, si acciperet sumptus pro prædicatione: per quod dat intelligere, quod non expediebat accipere sumptus à Corinth. propter scandalum eorum.

Ibid. ¶ Præterea, dicit Apost. ibid. *Non sumus hac potestate vsi, sed omnia sustinemus, ne offendiculum demus euangelio Christi.* Ergo per hoc daretur offendiculum euangelio Christi: non ergo accipiendi erant sumptus procurationum, pro scandalo passiuo ipsorum subditorum vitando.

¶ Præterea, ex illo verbo vr: quod non tantum esset scandalum passiuum, sed etiam actiuum: dicitur enim *ne offendiculum demus.*

Ibid. Quæst. lateralis. ¶ Huius etiam gratia quæritur, vtrum aliquis faciendo rem bonam in se & discretam, possit scandalum facere? Et vr quod sic: dicitur enim super illud Leu. 19. *Non coram cæco pones offendiculum.* Gl. *Coram cæco offendiculum ponere, est discretã quidem rem agere; sed ei, qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbet.* Sed qui præbet occasionem scandali, scandalizat: ergo faciendo rem bonam in se & discretã, potest aliquis scandalizare. Leuit. 19. Glossa

¶ Contra, *scandalum est dictum, vel factum minus rectũ:* sed quod est bonum & discretum, non est minus rectum: ergo non est scandalum: sicut de acceptione procurationũ debitarum supradictum est.

RESOLVTIO.

Licet, sed moderate, & absque scandalo.

¶ Ad quod respondetur: quod licitum fuit Apostolo, & adhuc licitum est seminãti spiritualia accipere sumptus ab his, quibus seminabat: Dominus enim dicit in euangelio. *Dignus est operarius cibo suo.* Et dicitur in Gl. super. *Nescitis, &c. Naturalis ratio hoc habet, vt quis inde viuat, vnde laborat.* Noluit tamen Apostolus propter scandalum Corinth. vitandum, qui auari erant; & vt haberet libertatem arguendi, accipere sumptus: vnde pro illo tempore non expediebat accipere. Sed non propter hoc peccabant alii accipiendo: nec etiam Apostolus peccasset accipiendo, si non tantam perfectionem egisset: qui vero in præsenti immoderate sumunt procurationes, peccant: non enim immoderate eis debentur. Matth. 10. Glos. super 1. Cor. 9.

¶ Ad illud vero, quod dicitur ad Corint. *Ne offendiculum demus.* Respondetur, quod hoc fuit propter pseudo prædicatores, qui colorem haberent excusationis in accipiendo sumptus, si Apostolus acciperet: & ita daretur impedimentum euangelio, ne libere curreret. Hoc autem non fuit propter hoc, quod accipere sumptus debitos à subditis, sit peccatum; licet ipsi sua peruersitate scandalizarentur. Secus autem est in sumptionibus, vbi non sunt debiti: ibi enim non oportet exigere cum conscientia scandali passiui. 1. Cor. 9.

¶ Ad illud vero, quod obiicitur: vtrum faciendo aliquis in se bonum & discretum, scandalizet. Respondetur: quod res discreta dicitur dupliciter. Vno modo, prout dicitur bonum in genere actus, circũstantiis concurrentibus, quæ necessariæ sunt in se, & ad alterum: & hoc modo agere rem discretam, non est scandalizare, neque scandali occasionẽ præbere. Aliquando vero dicitur res discreta, quod in se bonum est, sed non vsquequaque circumspectum, nec forte speciem boni habens (& ideo dicitur. *Omnia probate, quod bonum est, tenete ab omni specie mala abstinete vos*) & hoc modo agere rem discretam potest esse cum hoc quod præbeat occasionem scandali ei, qui non habet lumen discretionis vsquequaque: & sic intelligitur illud Leu. 19. Coram cæco non pones offendiculum. 1. Thess. 5.

¶ Huius etiam gratia quæritur de aliquo, qui habet puram conscientiam apud Deum: multi tamen suspicantur aliquod malum de ipso propter aliquam speciem exteriorem, & sic scandalizantur: quæritur, quid agendum sit illi. Videtur enim quod sufficiat ei conscientia sua: dicitur enim. *Ecce in cælo testis est meus, & conscius meus in excelsis.* Quæst. lateralis. Iob. 16.

¶ Præterea, dicit Gregor. *Inter verba laudantium siue vituperantium ad mentem semper recurrendum est: & si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet & rursum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire: quid enim si non omnes laudant, & conscientia nos liberos demõstret?* habemus Paulum dicentem. *Gloria nostra hæc est* &c. Ex quo videtur quod sufficit ipsa conscientia. Gregor. 2. Cor. 1.

¶ Item, August. ad quendam Manichæum *Senti de Aug. quicquid libet: sola in oculis Dei conscientia me non accuset.* August.

¶ Contra, Dominus dixit Petro. *Licet liberi essent filij regum, ne forte scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* exemplo ergo illius non sufficit ipsa conscientia, sed tollenda est occasio scandali in alio, secundum quod possibile est. Matth. 17.

¶ Ad quod responderi potest per hoc, quod dicit Augustinus. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra:* & ideo quantum in se est, debet illis satisfacere, qui malum suspicantur, ostendendo intentionem suam, & remouendo speciem mali, & occasionem etiam scandali in aliis, secundũ quod possibile est: si vero adhuc non potest eis August.

Gregor. satisfacere, dolendum est, quod illi peccant. Vnde Gregor. *Vocandi sunt, & tranquille admonendi, eisque satisfieri modis omnibus debet. si autem satisfieri ex veritate noluerint, habes consolationem, quam in euangelio aspicias, Domini dicentis. Sinite illos, &c.* Et dicit idem Greg. exponens illud. *Cum omnibus hominibus pacem habentes. si fieri potest, quantum ex vobis est. Si nos in mente charitatem erga odientes seruare cupimus, & si nobiscum pacem non habeant; nos tamen cum illis pacem habeamus.*

Matth. 15. Greg. sup. ad Rom. 12.

An idololatico vesci liceat? §. 3.

Quæst. lateralis.

¶ DEINDE quæritur de comestione idololatici. Illa enim autoritas: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; de illa comestione intelligitur: vnde non expediebat cũ scandalo infirmorum comedere. Et dicit Greg. Satius est fame mori, quam idololatico vesci, & intelligitur cũ scandalo.

¶ SED videtur esse falsum: si enim aliquis non habens, quod manducet, permitteret se mori fame, iniiceret sibi manũ: posito ergo, quod non habeat quid comedat, nisi idololaticum: si comedit, scandalizat proximum: si non comedit, morietur fame, & sic se interficeret; sed peius est interficere se, quam scandalizare proximum: ergo primum est falsum.

RESOLVTIO.

Si fames nimis vrget, comedere licet, sed non absque prauia protestatione.

¶ RESPOND. ad hoc: quod non comparatur ibi peccatũ peccato, sed pœna peccato. Vnde sensus est, mors corporalis minus malum est, quam scandalizari proximum. Si ergo aliquis non habeat quid comedat, nisi idololaticum, debet comedere: debet tamen facere, vt quantum in se est, non scandalizet proximum. Vnde debet in publico protestari, quod nisi comedat, fame morietur: & tunc non debet esse occasio ruinæ alteri.

An opus, siue executio iustitiæ dimittenda sit interdum propter scandalum. §.4.

¶ DEINDE quæritur de opere iustitiæ, vtrum dimittendum sit aliquando propter scandalum. (Veritas enim iustitiæ est in executione seueritatis: vt pote excommunicando delinquentem.) Et videtur, quod non: vbi enim est veritas iustitiæ, non est dimittendum propter scandalum passiuũ. (Vnde Greg. *Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur*) & sic est de veritate iustitiæ: ergo non est dimittendum opus iustitiæ propter scandalum passiuum. Si ergo inueniantur incorrigibiles, & contumaces, excommunicandi sunt: si ergo multitudo est in scelere, vel Princeps, non dimittendum est opus iustitiæ.

Gregor.

¶ CONTRA, cum multitudo est in causa, vel Princeps, est detrahendum seueritati, sicut dicit August. & habetur Matth. 13. in parabola de zizania.

August. ad Aureolum.

¶ ITEM, August. *Cum multitudine peccantium agendum est magis monendo, quam minando.* Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum: ergo dimittendum est opus iustitiæ aliquando propter scandalum.

¶ ITEM, Aug. *Cum morbus plurimos occupauerit, nihil aliud restat, quam dolor, & gemitus.* Ex quo videtur, quod dimittendum est opus iustitiæ quo ad seueritatem propter scandalũ multitudinis, vel Principis.

Idem contra Epistol. Parmeniã.

RESOLVTIO.

Opus iustitiæ quo ad reddendum vnicuique, quod suum est, nunquam ob scandalum (saltem pro voluntate) dimittendum est. Opus autem iustitiæ quo ad pœnam infligendas, iuuat interdum propter imminentia pericula suspendere.

¶ AD quod respondetur: quod duplex est opus iustitiæ. Est enim opus iustitiæ, quod est in reddẽdo vnicuiq; quod suũ est: & est opus iustitiæ, quod est in pœnis infligendis. Illud opus iustitiæ, quod est in reddendo iudicium; ad hoc; quod vnusquisq; habeat, quod suum est, (maxime quantũ est de voluntate) nunquam est dimittendum pro scandalo: sicut dicit Greg. Sed veritas ipsa, quæ est in pœnis statutis, illa aliquando potest suspendi propter pericula, quæ euenire possunt: & maxime, quando Princeps, vel multitudo est in causa, propter schisma, quod põt contingere: secundũ quod habetur contra epistolam Parmeniani à contrario sensu: dr enim. Quando cuiusquam crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, vt nullos prorsus, vel non tales habeat defensores; per quos possit schisma contingere; non dormiat seueritas disciplinæ. A contrario ergo sensu, si potest schisma contingere, supersedendum est seueritati disciplinæ. Nec propter hoc dimittitur veritas iustitiæ, quin velit vnicuique quod suum est, reddere; & quantum est de se, reddat: sed suspenditur propter maius periculum vitandum: & tunc magis instandum est admonitionibus circa discretiores. Distinguitur tamen vlterius, quod aliquando non dẽt dormire seueritas iustitiæ, siue disciplinæ: cum aliqui quadam authoritate peccatum, quod faciunt, defendunt ad modum hæreticorum. Et hoc dat intelligere Isid. cum dicit. *Hi, qui neq; à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum, quod admittunt, vendicare quadam superstitiosa temeritate nituntur: nec gradum honoris, nec gratiam recipiunt communionis.* Si vero non defendunt peccatum suũ, & timetur schisma, vel aliud malũ hmõi: põt, & debet dissimulari, cum peccat multitudo. Vnde Aug. *Cogunt multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum.* Verum in huiusmodi causis, vbi per graues dissensionum scissuras nõ huiusmodi, aut nullius periculum, sed plurimorum strages iacet; detrahendum est alioquin seueritati; vt maioribus sanandis maculis charitas sincera subueniat.

Gregor.

Isidorus.

August. ad Bonifaciũ.

MEMBRVM VII.

An homo teneatur rem suam dare, si videat proximum scandalizari, nisi det.

SEPTIMO quæritur, quid sit faciendum propter scandalũ vitandum? Vtrum teneatur homo dare rem suam, si videat proximum scandalizari, nisi det ei. Et videtur, quod sic: quia tenetur in casu dare vitam corporalem pro anima Christi saluanda: multo ergo fortius tenetur dare rem suã pro anima proximi, ne scandalizetur.

¶ ITEM, si videat proximum mori corporaliter, tenetur ei dare, quod habet, antequam dimittat eum mori corporaliter: sed in infinitũ est peior mors spiritualis, quam corporalis: si vero scandalizatur, moritur spiritualiter: ergo tenetur dare rem suam propter scandalum vitandum.

¶ ITEM, tenetur vitare scandalum, quantum potest, sine peccato, salua triplici veritate: sed salua est triplex veritas, licet det rem suam: ergo tenetur dare rem suam propter vitandum scandalum ipsius proximi.

¶ ITEM, tenetur omittere aliquando opus misericordiæ propter scandalũ: multo fortius & facere: sed dare rem suam, est opus misericordiæ in casu tali: ergo tenetur dare rem suam propter scandalum ipsum vitandum.

RESOLVTIO.

Et quidem in casu, sed non simpliciter.

¶ AD hoc respondent quidam: quod in casu teneor dare rem meam pro scandalo vitando: non vniuersaliter. Vnde distinguitur: petens, aut petit rationabiliter, aut irrationabiliter. Si irrationabiliter, nõ teneor dare duplici de causa: vna est bonum publicum, ad quod pertinet, vt dominiũ rerum non transferatur sine ratione: alia est, vt deprimatur temeritas petentium: multi enim peterent, & scandalizari fingerent. Si rationabiliter, vt pauper petit vestimentum: distinguendũ, quod aut mihi sunt necessaria magis quam illi, & tunc non teneor dare duplici de causa: vna est ordo charitatis: alia est temeritas petentium, vt reprimatur. Aut sunt ei magis necessaria, quam mihi: aut mihi superflua, illi autem necessaria. Si sic, vel sic distinguitur: aut propono illam rem dare alij, quem scio magis indigere: aut reseruo in tempore, in quo existimo probabiliter multos indigere: & tunc non teneor dare propter prædictam causam, sc. vt reprimatur temeritas petentium: & propter bonum publicum, ad quod pertinet, quod quilibet dispenset rem suam, prout melius potest. Aut cum ipse petat rationabiliter, & res, quam petit, est superflua mihi, seu parum necessaria mihi; nec propono eam aliter iam dispensare: tunc dicunt, quod ego debeo dare, si probabiliter credam, quod scandalizetur, nisi dem.

¶ AD obiectum autem primo dicendum: quod illud, quod dicitur: quod homo tenetur dare rem suam, vt vitet ruinã proximi spiritualem. Intelligendum est in casu, sed nõ vniuersaliter propter causas iam dictas.

¶ AD

¶ Ad secundum vero respondendum: quod mors corporalis proximi magis est in euidenti: de morte vero spirituali non ita constat, cum sit inuisibilis: & ideo quia non constat ita de morte spirituali, sicut de morte corporali, quo ad hoc tenetur plus rem suam dare homo pro morte corporali vitanda, de qua constat in euidenti, quam pro morte spirituali vitanda, de qua non præsumitur: nô enim scio, quando frater meus scandalizatur: nec præsumo, quod ita de leui debeat scandalizari.

¶ Ad tertium vero dicendum: quod non est salua veritas vitæ in quolibet casu: magis enim debet homo sibi prouidere & suis, quam aliis: & hoc ad veritatem vitæ pertinet: hoc enim dictat ordo charitatis.

¶ Ad quartum vero dicitur, quod in aliquo casu tenetur homo facere opera misericordiæ propter scandalum proximi vitandum: sicut in aliquo casu tenetur homo dimittere propter scandalum vitandum.

MEMBRVM VIII.

An B. Petrus scandalizauerit Gentiles, discernendo cibaria cum Iudæis?

VLtimo quæritur, Vtrum Petrus scandalizauerit Gentiles, discernendo cibaria cum Iudæis. Et videtur quod sic: quia cogebat gentes iudaizare: vt dicit Apostolus: ergo errare facto suo minus recto: & ita præstabat occasionem ruinæ aliis: ergo per locum à diffinitione, scandalizabat; & in via fidei: quod est grauius, quam in via morum: ergo peccabat mortaliter. Ad Galat. 2.

¶ Item, reprehensibilis erat, vt dicit Apostolus: ergo pro aliquo peccato; non pro alio nisi quia scandalizabat in via fidei: ergo peccabat mortaliter.

¶ Item, dicit Glo. quod ipse faciebat contra veritatem euangelij: ergo peccauit mortaliter. Glo. ibi.

¶ Contra. confirmatus erat virtute ex alto: ergo non peccabat mortaliter.

¶ Item, super illum locum. *Tibi dabo claues Regni Cælorum:* dicit Gloss. *Quasi si tunc habuisset, error in eo locum non inuenisset.* Sed tunc cum separabat se à gentibus, habebat claues: & etiam iam confirmatus erat virtute ex alto: ergo tunc non inueniebat locum error in eo: ergo non peccabat. Matth. 16. Glossa.

¶ Item, zelo charitatis comedebat cum Iudæis, conformans se eis: simulans se idem sentire cum illis, vt omnibus fieret omnia, vt omnes lucrificaret: ergo factum illud ex charitate erat: ergo non peccabat in illo facto.

RESOLVTIO.

B. Hieronymus nullatenus, Augustinus autem quodammodo ipsum peccasse contendunt.

¶ Ad hoc sunt diuersæ solutiones: vna Hiero. alia Aug. Hieron. enim dicit quod Apostoli inter se condiderant ista tria, sc. quod Petrus separaret se à gentibus, & quod reprehenderetur à Paulo: vt Iudæi videntes magistrum suum reprehendi super hoc facilius separarent se à legalibus: quia volebant eos ducere ad spiritualem vitam: vt inciperent esse, quod futuri erant, scil. spirituales. Simulatorie ergo fecit Petrus, quicquid fecit ibi: & voluit se reprehendi, vt videntes Iudæi Apostolum suum reprehendi, erubescerent de obseruatione legalium. Et simulatio illa bona fuit: fuit enim simulatio facti, quæ aliquando facienda est ad vtilitatem fidei: sicut fecit Iehu simulans se esse idololatram. Hieron. & Aug. ibid. ad Galat. 2.

Secundum ergo Hieron. nullo modo peccauit Petrus. Dicit autem istam solutionem fuisse Orig. contra Porphyriũ hæreticum, qui Petro imponebat stoliditatem, & Paulo procacitatem & proteruitatem.

¶ Ad primum obiectum dicimus secundum Hieron. & quod gentes cogebat iudaizare, id est, videbatur cogere.

¶ Ad secundum dicimus: quod reprehensibilis erat, id est, debuit reprehendi ex condicto, non ex peccato.

¶ Ad tertium dicendum secundum Hieron. quod non faciebat contra veritatem euangelij, id est, quod facto suo non poterant gentes habere occasionem faciendi contra veritatem euangelij.

¶ Secundum August. vero dicitur: quod nihil ibi factũ est simulatorie simulatione cautelæ: & quod Petrus erat reprehensibilis, eo quod nõ recte ambularet ad veritatem euangelij. Sed dupliciter dicitur aliquid non rectum: vel quia non omnino discretum, vel quia peruersum: Dicitur ergo quod non recte ambulauit, id est, non omnino discretè: non tamen peruersè; & ita non peccauit. August.

¶ Sed contrarium videtur per hoc, quod dicit Haymo. *Ideo eum publice redarguit, quia publice peccauit: & vt eius correctione cæteri in fide roborarentur*: publica enim noxa publica eget correctione. Haymo ibidem.

¶ Item, in Gl. super illud ad Gal. 2. habetur: quod Petrus seruauit illa legalia non dispensatorie, sed vere quasi subiectus eis: sed non ponebat in eis spem: & quod vere peccauit: non quod seruauit legalia, sed quia Gentiles suo exemplo iudaizare coegit. Ad Gal. 2.

¶ Sed secundum hoc posset obijci de Paulo, quod ipse peccasset, quando circumcidit Timotheum, vel votum soluit in Cenchris: sicut habetur Actuum 21. Iam enim fuit promulgatum Concilium Apostolorum: in quo ordinatum fuit, quod nihil oneris imponeretur, nisi vt abstinerẽt ab immolatis simulachrorum, & suffocato sanguine, & fornicatione: cum ergo iam cessissent legalia ex decreto Apostolico, non videtur, quod Apost. ista facere deberet: & ita peccauit eadem ratione, qua Petrus. Si ergo de Apostolo videtur, quod non peccauit: similiter videtur de B. Petro. Act. 21.

¶ Ad quod respondent quidam, quod non peccauit: & innituntur cuidam Glos. quæ dicit. *Reprehensibilis erat, id est, dignus reprehensione pro aliis, non pro se.* Illam vero autoritatem, quæ ponitur in Gl. vel quam ponit Haymo, exponunt hoc modo: quod peccauit, id est, fecit aliquid, ex quo esset occasio peccati in aliis propter eorum indiscretionem. Et quod dicitur non recte ambulasse ad veritatem euangelii: exponunt, id est, non caute ambulauit, secundum illud. *Videte, quomodo caute ambuletis*, & Gl. dicit. *non quantum ad intentionem, sed ad veritatem euangelij: quia per hoc possent iudaizare.* Attenditur autem dupliciter veritas euangelij: vel quantum ad ea, quæ credenda sunt, & imitanda in euangelio: & sic ambulauit ad veritatem euangelii: & hoc est, quantum ad se. Vel quantum ad fructum in aliis: & hoc modo ipsum peccasse nõ aliud est, quam materiam peccati dedisse. Nec fuit simile de Paulo, quando Timotheum circuncidit, vel Cenchris votum persoluit: hoc enim fecit, non eo quod spem poneret in legalibus: sed ne ceremonialia tanquam idololatriam gentium damnare crederetur. Glo. ibid. ad Ephes. 5. Glossa ibi.

FINIS.

